

LEXICON UNIVERSALE HISTORICO-GEOGRAPHICO-CHRONOLOGICO-POETICO-PHILOLOGICUM.

CONTINENS

HISTORIAM OMNIS ÆVI, GEOGRAPHIAM omnium Locorum, GENEALOGIAM principum Familiarum, additâ ubique CHRONOLOGIA tum veteri tum recentiore, MYTHOLOGIAM insuper omnium Fabularum, Discussionem PHILOLOGICAM illustrium circa hæc occurrentium Difficultatum; Aliaque plurima scitu dignissima.


Cum INDICIBUS *variis*, RERUM *imprimis locupletissimo, memorabilia huius Lexici per Locorum Communium titulos Lectori illico spectanda exhibente.*


OPERA ET STUDIO

IOH. IACOBI HOFMANNI, Gr. Ling. in Acad. Basil. Profess. Publ.

Cum Privilegiis *S. CÆSAREÆ MAIESTATIS & REGIS CHRISTIANISSIMI.*

TOMUS ALTER.







BASILEÆ,

Impensis IOHAN. HERMAN. WIDERHOLD, Bibliop. Genevensis.

Typis JACOBI BERTSCHII *&* JOH. RODOLPHI GENATHII.

M. DC. LXXVII.

N.

N Liquidis accensetur hæc consonans, à priscis inter *E.* & *S.* plerunque poni solita, ad pronuntiationem suaviorem reddendam, Augustin. Unde *Quotiens*, *Vicensimus*, pro *Quoties*, *Vicesimus*, dixere. Veteres Jurecoss. duabus his Consonantibus *N. L.* id est: *Non liquet*, significare voluerunt, Advocatorum rationes non sufficere, vel ad absolvendum vel ad condemnandum reum. Ausonius N. Lat. à *Z.* Græc. desumtum notat:

Zeta jacens, si surgat, erit nota; quæ legitur N.

Vide Augustin. *l.* 2. *c.* 2. *emend.* Auson. *de lit. monosyll.* Vossium *in Aristarcho, &c.*

NA.

Naara, una ex pedissequis Cleopatræ reginæ, quæ, unà cum Charmione, spontaneam Cleopatræ mortem est imitata. Plut. *in Antonio.*

Naagramma, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Naagrammum, urbs primaria, & metropolis Taprobanæ insulæ. Ptol. *Maagrammum*, in aliis exempl. forsan nunc *Candea* est, præc. insulæ & sedes regia, in ejus meditullio, ad montium radices.

Naalol, civitas Levitarum in tribu Zabulon. Jos. 19.

Naama, civitas præclara in tribu Judæ, Jos. 15. Fuit in terra Hus. Mater item Roboam, 3. Reg. 14

Naaman, filius Benjamin, Gen. 46. qui 1. Par. 8. dicitur *Naaha*.

Naaman, princeps militiæ regis Syriæ, qui cùm leprosus esset, à rege in Judæam missus, ab Elisæo propheta sanatus est, 4. Reg. 5. Filius item Belæ filii Benjamin, 1. Par 8.

Naara, sive *Naaratha*, terminus tribus Ephraim, Jos. 16. Item altera uxor Ashur, 1. Par. 4.

Naarai, nomen viri, 1 Par. 11.

Naarda, urbs Syriæ juxta Euphratem, Steph. Sed Ptol. est in Mesopotamia.

Naaria, filius Semeiæ, 1. Par. 3.

Naarmalcha, Persis significat *fluvium regium*. Am. Marc. *lib.* 24 *Naarmalcha nomine, quod flumen regium interpretatur, Ctesiphonta prætermeat.* Et rursus eodem lib. *Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur, tunc aridum.* Græci ποταμὸν βασίλειον vocant. Strabo *lib.* 16. Μεταξὺ δὲ τοῦ Εὐφράτου καὶ τοῦ Τίγρητος ῥεῖ ἄλλος ποταμὸς Βασίλειος καλούμενος. Plin. 6. 26. *Euphratem Gobaris Præfecti opere deductum, ubi eum diximus findi, ne præcipiti cursu Babyloniam infestaret, ab Assyriis verò universis appellatum Armalchar, quod significat regium flumen.*

Naas, civitas, 1. Par 4 Rex Ammonitarum, ab obsidione urbis Jabes, cujus incolas non recepturus in deditionem erat, nisi altero oculo privatos, per Saulem recèns electum Israëlis Regem, magnâ suorum clade depulsus est. An idem cum illo, apud quem, exitii tempore David perfugium habuit, cujusque mortem hic per Legatos ad filium illius missos luxit? 1. Reg. 11. & 22. 2. Reg. 10. Joseph. *Antiq. l.* 6. Torniel. *A. M.* 2959. *n.* 7. 2974. *n.* 5. 2993. *n.* 3. Salian. *A. M.* 2963 *& seqq.*

Naason, vel *Naasson*, unus ex progenitoribus Christi, quoad carnem, filius Aminadabi. Caput tribus Judæ in exitu ex Ægypto, Num. 1. 7. Item, Matth. *cap.* 1. Item, opp. Galilææ, inter Sephet ad Occ. 12. & Nephthalim ad Ort. 1 m p.

Nababurum, opp. Mauritaniæ Cæs Ptol.

Nabaioth, fil. Ismaëlis, Gen. 25. Ab hoc omnis regio ab Euphrate, usque ad mare Rubrum *Nabathena* dicitur, quæ pars Arabiæ est, Isa. 60.

Nabal, vir ditissimus, qui cùm Davidi esurienti escas denegasset, eum ita iratum reddidit, ut in animo haberet, domum ejus evertere, fecissetque, nisi Abigail ejus uxor obviam progressa, eum placasset. Obiit decimo pòst die, quo audito David Abigailem sibi matrimonio junxit, 1. Reg. 25. Torniel. Salian. Spond. *A. M.* 2977. Lat. *stultus*.

Nabalia, fluv. Germ. infer. ortus in Duc. Juliac. 12. m. p. à Juliaco in Bor. hinc per limites dit. Coloniensis, perque Geldriam fluit, ubi Geldriam urb. rigat: tandem auctus aliquot amnibus, in Duc. Clivensi, influit in Mosam prope & infra Gennepiam oppidum, 3. leuc. à Neomago in Mer. vulgò *Niers*.

Naban, amnis parvus Portugalliæ, ad opp. Nabantium, ab eo dictum. In Ozecarum, *Couros*, labitur, & cum ipso paulo pòst in Tagum. *Nabaon.*

Nabantium, vulgò *Tomar*, opp. amplum Portugalliæ, ad Nabanum, 3 leuc. à Tago in Bor. & 8. à Scalabi in Cæc.

Nabarzanes, Prætor Darii, ultimi Persarum regis, equitatui in dextro cornu, cùm acies ad Isson in Ciliciâ ordinaretur, præfectus: conjuravit cum Besso eâ mente, ut, si Alexander ipsos insecutus foret, tradito rege vivo, inirent gratiam victoris: sin autem eum effugere potuissent, interfecto Dario, regnum sibi occuparent bellumque renovarent. Deprecatus tamen veniam ab Alexandro accepit. Diodoro vocatur *Nabarnes*, *libr* 17. *parte posteriore.*

Nabat, pater Jeroboam servi regis Salomonis, 2. Reg. 11.

Nabatha, civitatis cujusdam nomen, in tr. Gad, à Nabaioth condita.

Nabathæa, regio orientalis, *Barraab* Sarracenis, teste Moletio. Eust. Ἡ Ναβαταία πολύανδρος ἐστι ἡ χώρα καὶ ἄβοτος. Videtur legendum πολύαρνος. Est enim regio frugum inops, plena pecorum, teste Hieronymo. Pop. *Nabathæi*, à *Nabaioth* Ismaëlis filio, teste Isidoro, dicti, à Gabino, ingenti prælio, superati sunt. Joseph. *Antiq. lib.* 14. *cap.* 11. & 1. *de Bello cap* 6. Plin. *lib* 6. Alii illos in Arabiâ Petræâ ponunt, quorum metropolis est Petra, quæ Nabathæa cognominatur à Strabone, *lib.* 16. Alii in Arabiâ Felici. Τοὺς Ἄραβας τοὺς καλουμένους Ναβαταίους, inquit Plut. *in Demetrio* Diod. *lib.* 2. Τὰ μὲν οὖν πρὸς τὴν ἠῶ μέρη κατοικοῦσιν Ἄραβες οὓς ὀνομάζουσι Ναβαταίους, νεμόμενοι χώραν τὴν μὲν ἔρημον, τὴν δὲ ἄνυδρον, ὀλίγην δὲ καρποφόρον. Ἔχουσι δὲ βίον λῃστρικόν, καὶ πολλὴν τὴν ὅμορον χώραν κατατρέχοντες λῃστεύουσιν ὄντες δύσμαχοι κατὰ τοὺς πολέμους. Baudrando sunt Arabiæ Petrææ ad Ort. versus Arabiam des. interque Palæstinam ad Bor. & Arabiam fel. ad Merid. De situ eorum Dionys. *vers.* 854.

Ἀλλ᾽ ἤτοι πρῶτοι μὲν ὑπὲρ κλιτὺν Λιβάνοιο
Ἀφνειοὶ ναίουσιν ἐπώνυμον Ναβαταῖοι.

Ovid. *Metam* 1.

Eurus ad Auroram Nabathæaque regna recessit.

Lucanus, *lib.* 4.

Torsit in occiduum Nabathæis flatibus orbem.

Elephantos olim aluit hæc regio, Juvenal. *Sat.* 11.

Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu.

Incolas *Dacharenos* vocant Eustathius ac Stephanus.

Nabis, Lacedæmoniorum tyrannus crudelissimus, cum Romanis bellum aliquandiu gessit, postquam Philippum Demetrii fil. cum his bellantem Argis cedere coëgisset, mox pacem impetravit, an. V. C. 560. Postquam à L. Quintio, captis Argis, victus & Lacedæmonem sibi habere jussus esset: hic paulo pòst interfectus. Flor. *lib* 2. Liv. Polyb. &c.

Nabius, seu *Navius*, Tarracon. Hisp. fluv. Ptol. *Narius*, Melæ. Baudrando fluv. Callaicorum, *Rio Eo*, seu *Miranda*. Nunc Asturiam à Gallæcia separat, & postea in Oceanum Cantabr. se exonerat, prope Rivadaviam.

Nabla, urbs Sarmatiæ Asiat. Ptol. *Naana* substituere Interpp.

Nabo, vel *Nebo*, civitas in terrâ Moab. Jer. 48. quam ædificaverunt filii Ruben, Num. 32. Est & nomen montis. Item nomen Idoli, Isa. 46.

Nabonassar, primus Rex Chaldæorum, seu Babyloniorum, post divisionem Assyriæ Monarchiæ, Epochæ famosæ auctor. Cujus imperii initium obscurum admodum, interim probabile est, Babylonios insurgentes contra Medos, qui Assyrium imperium destruxerant, fundasse sub Nabonassare, Medorum Præfecto, seu Duce, novum hoc regnum, quod sub Nabuchodonosore postea immensum crevit. Videtur autem hic Nabonassar Baladan fuisse, cujus apud Esai. & 4. Reg 20. mentio fit. Plerique Epocham hanc figunt, in *A. M* 3306. ante *C. N.* 747. an. 1. Olymp. 8. V. C sexto. Ut Torniel. Salian. Spondus. &c. V. 1. Par. 32. Ptol. *lib.* 4. *Almag. cap.* 8. Scaliger. *de Em. T. pag* 391. *& seqq.* Christmann. *de Connect. Ann.* Origan. *T. I. Ephemer.* Reinold. *in Pruten.* Petav. *de doctr. temp. lib.* 9. *cap.* 51. *& seqq. lib.* 10. *cap.* 7. *& seqq.* & *P. II. Ration. temp. l.* 1. & 3. Ubb. Emmium, *lib.* 2. *rer. Chron. & lib.* 5. Tirin. *in Chron.* 5. *cap.* 35. Isaac. Vossium, *Chron. sacr. cap.* 9. Ioh. Georg. Hervartum, *nova Chron. cap.* 227. Lang. *de annis Christi, lib.* 2. *c.* 12. Calvis. *in Chron.* Paul. Guldin. *lib.* 5. *c. Calvis.* Ricciolum *Chron. Ref. P. I. lib.* 5. *cap.* 5. *&c.* V. *Baladan.*

Nabonnidus, vel *Labinetus*, Rex Babylon. Sic apud prophanos auctores nominatus, occiso Balthasare, ultimo ex Nabuchodonosoris stirpe, regnavit Babylone, an. 17. An idem cum Dario Medo?

Nabopalassar, vel *Nabolassar*, Vide *Nabuchodonosor primus*.

Naboth, vir Judæus, per injuriam ac dolum ab Achabo rege, cui pœnam Elias prædixit, circumventus, & interfectus, quia ei vineam suam vendere noluerat, 3 Reg. 21. Torniel. *A. M.* 3135. *n.* 2.

Nabu, nomen unius ex Principibus regis Babylonis, Jer. 39.

Nabuchodonosor I. Rex Babylonis, *Nabolassar* Beroso, *Nabopolassar* Ptolomæo, 5. A'm. 14. *Nabocolassar*, Scalig. *de Em. temp. l.* 5. successit Patri Ben Merodach, *A. M.* 3407. usque ad A. 3429. quo filius Nabuchodonosor, jam ante Patris Collega, successit.

Nabuchodonosor II. magnus, ab Hebræis *Nabucadnizer* dictus fil. prioris, imperare cœpit Babyloniis, patre vivente, an. 4. regni Eliacim, Regis Judæ: qui erat annus mundi 3423. ante Christum natum 625. Hic bellum cum Assyriis primùm, dein cum Pharaone Necho sive Nechaone, gessit, eum vicit, & totam Syriam usque Pelusium, Judæâ ademptâ, suæ ditioni adjecit: Joachim seu Eliacim, Regem, quòd cum Nechaone fœdus pepigerat, sibi tributarium fecit. Dein, patre mortuo, domum redux, thronum solus conscendit: postea Jojakimum tributum recusantem cepit & ligavit, ut Babylonem duceret, attamen interim curavit interfici. Iterum Joachimum, seu Jechoniam, Jojachimo suffectum, cepit, Babylonemque cum uxore, liberis, & thesauro sacro, deduxit. Idem Jerusalem, tempore Sedechiæ, obsedit, habens principem militiæ *Nabusardan*. Filios Sedechiæ, urbe captâ, *A. M.* 3446. occidit coram eo, ipsumque patrem exoculavit, vinctumque catenis abduxit Babylonem: templum succendit, civitate captâ ac direptâ. Post hæc, Æthiopibus, Arabibus, Idumæis, Philistæis, Syris, Persis, Medis, Assyriisque victis, & totâ ferme Asiâ perdomitâ, elatus, aureum Colossum erigi eumque adorari jussit, tribus Juvenibus, sociis Danielis, qui id facere constantissimè renuentes, in fornacem ardentem conjecti erant, miraculo illæsis. Posteà somnio mystico duplici territus, à Daniele interpretationem utriusque accepit: Tandem regno, ob insaniam, pulsus, cum feris septem annis in agro egit. Quibus exactis menti & potentiæ redditus, annum supervixit, quem adeo bene, in Danielis conversatione, collocasse videtur, Augustino, Hieronymo, Epiphanio, Theodoreto, &c. ut de ejus salute non dubitent. Obiit *A. M.* 3471. Imp. 43. Quinto ejus regni anno, 125. Nabonassaris, an. 3433. Mundi, Eclipsis illa Lunæ contigit, cujus Ptolomæus facit mentionem, quæque Chronologiæ Imperii illius optimum fundamentum est, Joseph. *lib.* 10. *Antiq.* Genler. & Pererius, *in Danielem*. Gordonus, Mercator, Scaliger, Petavius, &c. Vide apud Danielem hujus somnia, de quatuor regnis mundi. Item de aurea statua, quam adorari jussit. Vide & Joseph. *lib.* 10. *cap.* 7. *& seqq.* Hic (inquit Origenes) *gentibus innumeris propinavit mœroris potum, superbè ac crudeliter, quod Domini fiebat virtute, sibi arrogantius ascribens.*

Nabuchodonosor, Rex Ninives, cujus in libro apocrypho Judithæ mentio, à Chronologis frustra quæritur.

Nabus, fluv. Nariscorum, per mediam Nortgoiam, in Danub. paulo supra Ratisbonam fluens. Hinc *Nabburgum* opp. 3. leuc. à Vidonio urbe Ratisbonam versus.

Nabusezbaz, nomen viri, Jer. 39.

Nabuzaradan, princeps exercitûs regis Babyloniorum, 4. Reg. 25. Is reliquias Judæorum in Mesopotamiam abduxit: Jeremiam verò è carcere extractum, benignè habuit. Jer. *cap.* 39. *& seqq.*

Nachaba, urbs Arabiæ des. Ptol. *Banacha* Interpp.

Nachor, filius Sarug, Avi Abrahami, natus A. M. 1880. An. æt. 30. genuit Thâram, obiit A. M. 2027. Gen. 11. filius item Thara, frater Abrahami & Arani, cujus fil. Milcham duxit, Gen. 11.

Nachoragas, dux exercitus Persarum sub rege Cosroe.

Nacola, urbs Phrygiæ magnæ, à *Nacole* Nymphâ, vel e *Nacolo* Dascyli filio. *Nacolia* Stephano. *Einagiol* Turc. Leunclavio. Ep. sub Ar. Synnadiensi.

Nacone, urbs Siciliæ, Steph.

Nacrasa, Lyciæ urbs; Ptol.

Nacri campi, Strab. L. iv. seu (ut alii legant) *Macri*, locus Gall. Tog. inter Mutinam, & Ferrar. *Val di Montirone*, Leandro, à Mirandula 5. m. p. Ferrariam distans.

Nacria, Tusciæ urbs. Vide *Nucria*.

Nadab, filius Aaron, Exod. 6. cum fratre Abihu, negligentius sacra tractantes, occulto igne exusti sunt, corporis superficie & vestibus illæsis, Levit *cap.* 10. Torniel. *A. M.* 2545. *num.* 4. Filius item Semei, 1. Par. 2. Filius Jahiel, 1. Par. 9.

Nadab, filius Jeroboam, successit patri in regno Israël, anno secundo regni Asa, Regis Juda: Hic impius, genuina patris proles, non diu imperavit: occisus est à Basa, anno tertio Asa, regis Judæ: & regnum ejus occupavit homicida ille Basa. Vide 3. *lib* Regum, *cap.* 14. *&* 15. Regnavit anno à condito mundo 3081. Torniel. *A. M.* 3081. 3082.

Nadabia, filius Jechoniæ, filii Joacim, 1. Par. 3.

Naddaver, urbs Æthiop. ubi Matthæus Apost. martyrio affectus. Ejus meminit Ven. Fortunatus, *lib.* 8.

Nadravia, provinc. Prussiæ Duc. inter Demam & Instrum, ad Gorgenburgum, Metel. Merc.

Næbis, Strab. *Neiva*, Jac. Vasconcello, fluv. cum pago cognom. in finibus Bracarum, in Portugall. apud Vianam opp. mari exceptus, 6. leuc. à Bracara urb. in Occ.

Næniam, Deam funerum, veteres coluere: cui sacellum, auctore Festo, extra portam Viminalem, fuerat dedicatum. Vide Vossium in *Nenia*, sic enim scribendum.

Neomagus, opp. Delphinatus, ad Ægam amnem, in confin. Provinciæ, cujus arx diruta; *Nions* 6. leuc. à Fano S. Pauli Tricastinensis in Ort. Segustetonem versus, 3. à Vasione in Cæc.

Nævia, nomen mulieris. Martialis,

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.

Nævia, porta urbis Romæ, extra quam ad 4. mille passus *sylva Nævia* occurrit, teste Festo: à *Nævio* cive cujus erat, dicta. Ea inter Esquilinam, & Tiburtinam sita est à Basilicâ S. Mariæ majoris propiore hodie nomen habens. Baudrando nunc *Porta Maggiore*, quia major aliis & quasi arcus triomphalis. Longè à Basilica S. M. M. Famianus Nardinus tamen credit, fuisse inter Portas Cœlimontanam & Latinam.

Cn. Nævius, Poëta, qui bello Punico primo militavit, & ejus belli historiam reliquit: varias item fabulas docuit, ac primam quidem, an. U. C. 519. Stylus ejus Satyricus, familiam Metellorum, Romæ tum potentissimam, adeo irritavit, ut Româ pelleretur. Uticam ergo se recepit, ubi obiit, An. 551. U. C. Præter Gell. *lib.* 7. *cap.* 21. Hieron. *in Chron.* Vide Vossium de Poëtis Latinis, *cap.* 1. *de Orat. Inst. lib.* 4. *cap.* 10. *§.* 3. itemque de Historicis Latinis, *lib.* 1. *cap.* 2.

Nævius, Trib. pl. unà cum Collegis Petilliis, P. Corn. Scipionem Afric. repetundarum postulavit.

Nagadita, urbs Taprobanæ, Ptol.

Nagara, urbs Arab. Fel. mediterranea. *Negron* ex tabb. recent. Item urbs parva, Hisp. Tarracon. vulgò *Naja*, in Rivogia prov. cum tit. Duc. inter Logronium in Cæc. & Dominicopolim seu Calceatam in Afric. ubi aliàs acriter dimicatum, inter Petrum Crudelem & Henricum, Castellæ Reges.

Nagaruru, civ. Indiæ, intra Gangem, Ptol.

Nagia, opp. Gebanitarum, in Arabia Fel. Plinio.

Nagidos, *Natidos* Melæ, urbs Pamphyliæ in Ciliciæ confinio, *Nigde* incolis, & *Nigidia* Turcis, teste Leunclavio, contra quam *Nagidusa* insula. Sed Stephano Iconio finitima est. Aliis urbs est Ciliciæ asperæ, ad ostia fluv. Orymagdi, 40. mill. ab Antiochia ad Trag. in Ort. 50. à Corycio in Occ. in ora maris Cilicii; prope quam Ins. parva *Nagidusa*, Steph.

Nagnata, urbs Hiberniæ, Ptolom. apud quem situs loci (inquit Waræus) locum aliquem designare videtur non procul à Sligoa urbe.

Nagoldia, opp. Duc. Wirtemberg. ad amnem cognom. cum castro sat munito, 8. mill. Germ. ab Argentina in Ort. 3. à Tubinga in Occ.

Nahabi, filius Vapsi, Num. 13.

Nahaliel, locus ubi castra fixerunt Israëlitæ, Num. 21.

Naham, frater Odaiæ mulieris, & filius Caleb, filii Jephone, 1. Par. 4.

Nahamani, nomen viri, 2. Esdr. 7.

Naharani, armiger Joabi, 2. Reg. 23.

Naharuali, Tacito Germaniæ populi: quem reliqui sequuntur. *Maharuani* fortè legendum: qui postea appellati *Marauani*, in Annalibus Ludovici. *Marahabita*, in Annalibus Fuldensibus. Apud nonnullos etiam recentiores *Marahenses* & *Margenses*. *Maharuali* tamen si apud Tacitum retinendi, erunt dicti ut *Westuali*, *Tajuvali*, qui vulgò *Westfali* & *Taifali*.

Nahasson, filius Aminadab. Exod. 6.

Nahath, filius Rahuel filii Esau, Gen. 36.

Nahor, vide *Nachor*.

Nahum, nomen Prophetæ, 2. Esdr. 7. unius ex 12. minor. Sub Ezechia R. prophetasse videtur: Tribus Capp. Jos. *lib.* 9. *cap.* 11. Hier. *Præf. in Nah.* Epiph. *in vit. Proph.* Salian. *A. M.* 3315. *n.* 19. Torniel. 3321. *n.* 3. *&* 4. *&c.* In Prophetiam ejus prostant: Bibliandri *Versio sec. Hebr. Verit. cum Exegesi.* 8. Tiguri, 1543. Crocii *Commentar.* in 8 Bremæ, 1624. 12. Lugduni Batav. 1620. Chytræur. Danæi *Comment.* Dieterici 63. *Conc. Germ.* 4. Ulmæ, 1658. Gesneri 8. Hamb. 1618. & Hafenreferi *Comment.* Juliani *Scripta*, Tom 2. Vid. Bibl. PP. Janssonii *Comment.* 8. Heidelbergæ, 1599. Pintus, 8. Coloniæ 1583. De Quiros. Tarnovius. Theophylacti *Commentar.* fol. Gr. & Lat. Parisiis 1631. Winckelmanni *in 6. ult. Min. Proph. Commentarius*, 8. Fr. ad Mœnum. 1603. 1621. Vide *Prophetæ Minores*.

Najacum, opp. Prov. Ruthenensis, ad Veronium fluv. 6. leuc. ab Albiga in Bor. Cadurcum versus, 9. à Ruthenis in Occ. versus montem Albanum. In Aquitan.

Najades, vel *Naides*, Nymphæ fontium & fluv. ἀπὸ τοῦ νάειν, quod est *fluere*. *Najada* Tibullus posuit pro lymphâ, 3. 7.

Najada Bacchus amat, cessas, ô lente minister,
Temperet annosum Martia lympha merum.

Inde *Naicus*. Prop. 2. 32.

Supposita accipiens Naica dona manu.

Ubi tamen Scaliger *Nai caduca*.

Naid, seu *Naida*, terra, in qua Cain habitavit. In tr. Issachar.

Naim, civitas pulchra Galilææ 2. milliaribus distans à monte Thabor. Hic Jesus Christus puerum viduæ unigenitum, ex mortuis ad vitam, excitavit, Luc. 7. Hodie paucæ Æthiopum hic familiæ. Item, vicus Idumææ, muro cinctus.

Naioth, nomen loci, 1. Reg. 9. in Ramatha, tr. Benjamin, 6. mill à Jerusal. ad Sept. versus Bethel.

Nau & *Sinau*. vicus Samariæ in via Jerusalem, in campo magno situs, in tribu Manasse, in quo Samaritæ multos occiderunt Galilæos, accidentes Hierosolymam ad festum, unde magna seditio orta est inter Judæos & Samaritanos, Joseph. 20. *Antiq. 7.*

Nais, fluvius qui ex Tauro monte nascens in Pontum mergitur. Item meretrix insignis. Steph. in *Eucarpia.*

Naissus, urbs Thraciæ, Steph. Quibusd. *Nissava*, ex præcipuis Serviæ.

Nalcua, urbs Britanniæ, Ptol.

Nalgodus, vel *Nagoldus*, Monachus Cluniacensis, sub Henrico Aucupe. Scripsit vitam S. Odonis, sec. Abbatis Cluniac. Possevin. *in Appar. sacro.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3.

Namados, Indiæ intra Gangem fluv. Ptol. *Lamnaus* Arriano, teste Stuckio.

Nammantia, Valeriæ Ripensis urbs, Lib. Nor.

Namnes, fil. Galatæ 2. ex vetustissimis Galliæ Regibus, creditus. Dupleix, *lib. 2. mem. Gall. cap.* 22. An Nannetum conditor?

Namnita, vide *Nannetes*.

Namsi, vel *Nimphsbi*, pater Jehu regis Israël, 3. Reg. 19.

Namuel, filius Samuelis patriarchæ, 1. Par. 1. qui Gen. 46. *Jamuel* dicitur.

Namurcensis Comitat. satis parva Belgii prov. sub Hispan. inter Leodicensem dit. Hannoniam & Brabantiam. Ibi Namurcum, caput; Carolomontium, arx munita ad Mosam, & Caroloregium (*Charleroy*) arx recens, sub Gallis. Montuosa, sed utilis, & ferri fodinis scatens. Ibi aliàs Aduatici pop.

Namurcum, urbs munita, in Comit. cognom. cum arce validissima, in colle. Aliàs *opp. Aduaticorum.* Inter duos montes, ad lævam Mosæ ripam; à Sabi fluv. bifariam secatur, 8. mill. Belg. à Lovanio. Dicta vel à *Nano*, cujus oraculum, sub adventum Christi, hic obmutuit, vel à *novo muro* illic Romanorum operâ extructo. Hodie *Namur*, Merc. Baudr. Ecclesia Cathedr. S. Albino sacra, ibi erecta fuit, An. 1569 primumque Præsulem accepit Anton. Havetum Atrebatensem, Dominicanum. Urbs sedes est Consilii Regii Provincialis. Gazejus, *hist. Eccl. Belg.* Miræus, &c.

Nanaus, Ptol. *Naveus*, Bœtho *Glas*, fluv. Scotiæ. Camdeno in *descr. Brit.* est *Strath-navern.*

Nanaguna, Indiæ intra Gangem fluv. Ptol.

Nancangum, urbs Chiamsiæ præc. aliàs ampla & elegans, sub qua 6. urb. ad lacum Pojangum; Sed incensa à Tartaris, ultimis temporibus, Mart. Martinius.

Nanchinensis, vide *Nanquinensis*.

Nancianum, urbs provinc. *Chiamsii*, versus partem Australem regni Sin.

Nancium, oppidum, caput Lotharingiæ, ad Murtam fluv. Estque vel antiqua urbs, *la haute Ville*, ubi sedes Ducis; vel *nova* seu *la basse*; 5. fere leuc. à Tullo in Ort. paulo ampliùs à Marsalio in Occ. 10. à Divoduro in Merid. estque elegans & culta. Longè à Nasio antiquo in Ort. Antea permunita erat, cum 15. majoribus propugnaculis ædificari cœptis, An. 1587. quo Gallia intestinis bellis flagrabat. Verùm capta à Gallis est an. 1633. ejusque munitiones disjectæ, an. 1661. sed haud pridem reparatæ sunt. Antea pluries obsessa & capta fuerat, præsertim an. 1476. quo Renatus D. illam à Carolo Burg. An. priore captam recepit, unde hic urbe denuo obsidione cincta, ibi occisus, & à Duce Lotharingiæ prælio commisso superatus est, Gall. *Nancy.*

Nanea, appellabatur Diana linguâ Persicâ, 2. Mach. 1.

Nanganum, urbs Chiamsiæ, in ipso limite Cantoniæ, juxta fluv. *Chang*, cum suburbio peramplo. Martinius.

Nangatum, opp. in parte Occid. Niphoniæ, caput regiunc. cognom. vix 60. mill. à Ximoa Ins. in Bor.

Nangazachum, urbs ampla & emporium celebre, in Japonia, cum portu ab Europ. frequentato, in Ximoa Ins. & ora Occ. provinciæ *Figen*, in sinu amplissimo, 120. m. p. ab ora prox. Coreæ regni in Ort. Plurimi ibi Christiani, & sedes ibi olim Episcop. sub Sixto quinto.

Nanhunga, urbs Sin. ex præcipuis Quantoniæ, ad radices montium, in limite Chiamsiæ, prope *Chin* fluv. Aliàs dicta *Hiungcheu*. Martinius.

Nania, locus 60. m. p. à Tarento, Anton. *Barium* substituit Simlerus.

Nanigeris, Indici maris insula, Ptol. *Zeilan* Germanis, teste Mercatore, cujus incolæ *Chingala* appellantur. Sed Zeilan *Taprobana* vet.

Nankanga, urbs Chiamsiæ, ad oram Occ. lacus Pojani; sub qua 3. *urbes*. Ad rad. montium, Martin.

Nannacus, rex ante Deucalionem fuisse narratur, qui diluvium futurum prævidit. Unde ob ejus antiquitatem natum est proverbium, à *Nannaco.*

Nannes, rex Galliæ, sub annum ante Romam conditam quingentesimum, Maneth. *in Supp.* & Ann. *in comm. Beros.*

Nannetes, pop. Gall. Celticæ ad Ligeris fluminis ostia, quorum civitas Condivicum, Ptol. 2. 8. Episcop. cum tit. Comit. magni nominis, jam Cæsaris tempore. *Oculus Armoricæ* meritò, Betrando Argentræo dicta. Olim sub Comitibus propriis, dein sedes Ducum, nunc Episcopi, qui Senator natus est Parlamenti Rhedonensis, Universitate insuper aliisque ornamentis clara. Vulgò *Nantes en Bretaigne.* Emporium celebre & amplum ad Ligerim, 15. leuc. ab ejus ostio in Ort. 22. à Rhedonibus in Mer. totidem à Venetis in Ort. 16. ab Andegavo in Occid. cum Castro munito. Hinc *le Comté Nantois*, pars Austr. Britanniæ min. Hic Concil. à Vitaliano Papa, celebratum, An. 658. Flodoard. *lib. 2. cap.* 8. Item, An. 1127. sub Honorio 2. &c. Vide Morer. *Diction Hist.* Duchenium *Antiq. Urb.* Argentræum & Augustin. du Pas, *Hist. Britann.*

Nanninga, urbs ampla & probè culta Quamsiæ, ad confluentes fluv. *Puon* & *Ly*, versus confinia regni Tunchinensis. Sub qua 5. urbes, Martin.

Nannium, meretricula, *Proscenium*, teste Athenæo, dicta, quòd vestium & auri cultu plurimo speciosa videbatur, quum exuta foret vel turpissima; Hæc item, si Suidæ credimus, facetè dicta est capra, quòd Thalli cujusdam cauponam facientis bona deglutisset. Capræ enim thallis, hoc est, germinibus delectantur, & iis vescuntur.

Nanquinensis prov. una ex 16. partibus regni Sinarum, versus Ort. & Sinum cognom. antea provinciarum prima. Aliter dicitur *Kiangnang*. In ea 14. urbes præcipuæ, sub quibus totidem prov. parvæ, & in his 110. urbes min. Sunt autem hæ 14. urbes, *Kiangning*, seu *Nanquing*, *Fungiang*, *Sucheu*, *Sunkiang*, *Changceu*, *Chinkiang*, *Yangcheu*, *Hojagan*, *Lucheu*, *Ganking*, *Taiping*, *Ningque*, *Cuicheu*, & *Hoeicheu*. Terminatur à Sept. Xantoniâ, ab Occ. Honaniâ, & Huquaniâ, à Mer. *Chechianâ*; ab Ortu alluitur Oceano Eoo, seu Sinico, mirè fertilis & rigua. Caput totius provinc. est *Nanquinum*. Vide ibi.

Nanquinensis Sinus, amplissimus, per Sinas longè extensus; à Nanquino, ei adjacente. Estque inter prov. Nanquinensem, Xantoniam & Pechinensem ad Occ. & regnum Coreæ ad Ortum, Aliter *Gangus Sinus*. Vide ibi.

Nanquinum, urbs ampla, juxta Sin. cognom. aliàs totius Imperii sedes, & nunc supra modum extensa, emporiumque celeberr. longè à Pechino in Mer. in Insula. Populosissima est, aliter *Kiangning*. Aliàs vocata fuit *Ingtien*; Sub Regibus tunc è domo Taiminga, per aliquot secula regia sedes, à quibus postea Pechinum sedes reg. effecta est, contra irruptiones Tartarorum. A Guejo Rege condita; in planitie fertilissima, juxta fluv. *Kiang*. Antea habuit palatium regium, nuper destructum à Tartaris, cùm ipsam urbem devastarent. Nunc indies pulchrior evadit, & subsunt ei 7. minor. urbes, Mart. Martinius.

Nansberga, mons comitatus Tirolensis, 3. m. p. à Tridento distans. Extendit se in longitudinem 12. mill. & 3. in latitudinem, 350. parochiales Ecclesias, 32. Castra habet. Præter sal & aromata, in eo proveniunt affatim omnia ad victum necessaria, Munster.

Nantonense castrum, urbec. Ins. Franciæ, in Vastinio tractu, in limite Belsiæ, juxta amnem *Fuzin*; vulgo *Chasteau Landon.*

Nantuates, popul. Gall. Celticæ, *Nantuata* Straboni, Equestribus, & Sebusianis proximi, quorum oppidum hodie *Nantua* nominatur, inter Genevam 9. & Lugdunum 17. leuc. Sic quidam putant. Sed perpendenti verba Cæsaris *initio lib. 3. de bello Gallico*, ubi eos *Antuates* vocat, & *lib.* 4. ubi de ortu Rheni loquitur, & verba Plinii 3. 20. ubi populos Alpinos memorat, inter quos *Nantuates* Sedunis finitimos, nullà ratione videri possunt esse, qui supra descripti sunt. Sed potius inter Vallesios ad Rhodanum; quorum oppidum *Naters*. Sunt qui horum reg. *Le pays de Vaud*, vel *Vaule*, Gallicè dicunt. Sansoni aliisque fuere, ubi nunc Duc. Caballicus, *le Chablais*, prov. Sabaudiæ Borealior, juxta lacum Lemanum extensa, inter Vallesiam ad Ort. & Genevam tractumque Fossiniacum ad Occ.

Nanyanga, urbs septima Honaniæ, juxta fluv. *Jum*, ampla, in planitie, in regione fertilissima, Mart. Martinius.

Napææ, sylvarum, saltuumque Deæ, *saltus* enim Græcè νάπος dicitur. Virg. *Geor.* 4.

— *Faciles venerare Napæas.*

Naparis, Scythiæ fluv. Herodoto, *Dnieper* incolis, teste Peucero. Baudrando fortè Tyras, inter Sarmatiam Eur. & Daciam, qui nunc *Dniester*, influitque in Pontum Euxin. *Nieper* enim est Boristhenes omnibus.

Napata, urbs Æthiopiæ sub Ægypto, Candacis reginæ regia, inter Syenen, & Meroen urbem insulæ Meroes. *Napata* Straboni & Stephano. Populi *Napatæi*.

Nape, urbs Lesbi, unde Apollo *Napæus*. Sunt etiam *Napæi* in Epiro.

Napheg, filius Isaar filii Caath filii Levi, Exod. 6. Filius item David, 1. Par. 14.

Naphilus, fluv. Peloponnesi in Alpheum influens, Pausan.

Naphis, filius Ismaelis, Gen. 25.

Napis, vicus Scythiæ, Steph.

Napitia, opp. Brutiorum ad sinum Hipponiatem, qui & *Napitinus* ex eo nominatur, *Lo Pizzo*, teste Barrio. Sunt qui Nepetiam à Napat.a distinguentes, *Amantiam* indigitent.

Napuca, opp. Daciæ in Valachiâ, Ptol. Aliis in Transylv. *Busaten* teste Lazio, 5. mill. Germ. à Claudiopoli in Bor. 4. à Novomercatu in Occ. 8. à monte Carpatho in Mer.

Napus, fluv. Oritur in Peruvia, dein Abulam opp. rigat; fluminibusque aliquot auctus, in Amazonum fluv. cadit, in Canela prov. Texeirâ teste.

Nar, fluv. Umbriæ è montibus Amiterninis fluens, perque Velinum lacum transiens, à quo emissus, ingenti fragore (qui ad aliquot mill. pass. exauditur) præcepsque descendens ad Interamnam per campos, & ad Narniam per angusta loca in Tiberim inter Ocriculum, & Hortam defertur. *La Nera*, Baudr. cui oritur ex Apennino, in ipso confinio Piceni & Umbriæ, per quam deinde fluens, recipit Corvum, uri & Velinum fluv. hinc Interamnam rigans & Narniam, pauló infra, juxta Hortam, Tiberi miscetur. Sed per Velinum lacum non labitur. Vide Tac. *Ann. l. 1. sub finem* de hoc fluv. Ovid. *Met.* 14.

Quas Anienus aqua, cursuq; brevissimus Almo,
Narq; tulit præceps, & amœna Farfarus umbra.

Lucan. *lib.* 8. —— *Et quà Nar Tiberino illabitur amni.*
Q. Ennius, *lib.* 6. Annalium.
Sulfureas posuit spiramina Naris ad undas.
Virg. *Æn.* 7. *Sulphureâ Nar albus aquâ, fontesq; Velini,*
Ubi Servius, *Sabini linguâ sua Nar dicunt, sulphur.*
Sil. *libr.* 6. —— *Narq; albescentibus undis,*
In Tybrim properans. ——
Claud. —— *Et Nar vitiatus odoro*
Sulphure. —— ——
Plin. 3. 12. *Nar sulfureus aquis.* Ausonius *Idyll.* 12.
Fluminibusq; Italis præpollens sulfureus Nar.
Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *cap.* 10.

Nara, urbs Byzacenæ, in Africa, Anton.

Naracostoma, secundum Istri fluv. ostium, Arrian.

Narama, locus, in tr. Manasse, in reg. Batanæa, Hieron.

Narangara, urbs Africæ mediterranea, proxima Tebestæ, & Assuro, inter Siccam, & Thaguram, nomen antiquum retinens. Baudrando est in Numidia, 70. m. p. ab ora maris Mediter. Et à Tabraca in Mer. totidem à Citra in Ort. intra montes, inter Bagradam & Ampsagam fluv. 190. m. p. à Carthagine in Africum.

Narbasi, & *Narbases* Isidoro, pop. & montes Hisp. Tarracon. in finibus Asturum, inter Legionem, & Ovetum. Vide *Forum Narbasorum*.

Narbata, regio Palæstinæ inter Cæsaream, & Samariam, Josephus. In tribu Manasse, cum Civ. cognom. Huc Judæi Cæsarienses, Cæsariensium violentiâ compulsi, libros legum secum rapientes, concesserunt. Stadiis 60. à Cæsarea distat.

Narbis, urbs Illyriæ, Steph.

Narbo, fil. Galatæ, veterum Gallorum Rex, Narbonis conditor; sit fides penes auctores. Dupleix *l.* 2. *c.* 12. *mem. Gall.*

Narbo, urbs, & colonia Gall. Narbonensis, cui nomen dedit, in orâ, apud Atacis fluv. ostia (licet Plin. illam à mari 12. m. p. distare scribat) inter Montem Pessulanum ad Ort. ac Tolosam ad Occid. *Narbo Martius* Plinio, quòd eò Cæsar ex Martiâ legione colonos deduxerit. Aliis *Civitas Atacinorum*, *Colonia Decumanorum, &c.* A Romanis condita Olymp. 160. teste Polybio, quâ illi ante reliquam potiti Galliam, maximè eam fecerunt. Vell. Paterc. A Crasso, Julio Cæsare, ut dictum, Tiberio, &c. tertiâ vice civibus & privilegiis aucta: Sedes Proconsulum, Capitolio, Amphitheatro, Scholis municipalibus, thermis, aquæductibus, &c. insignis; Vide infrà: cujus proin cives aram Augusto dedicarunt. Baudrando nunc *Narbonne*, urbs Arch. ampla & munita Occitaniæ, ex Galliæ antiquissimis, juxta ramum Atacis fluv. manuductum aliàs à Romanis, & *la Robine* dictum, m. p. ab ora maris Mediterr. ut ipse Plin. scribit, 12. leuc. ab Helena in Bor. 10. à Carcassona in Mer. 15. à Monte Pessulano in Occ. Ausonius *de claris urbibus, Carm.* 12.

Nec tu Martia Narbo, silebere: nomine cujus
Fusa per immensum quondam provincia regnum
Obtinuit. —— ——

Sidonius Apollin. *Carm.* 23.

Salve Narbo potens salubritate,
Urbe & rure simul bonus videri,
Muris, Civibus, ambitu, tabernis,
Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, Capitoliis, monetis,
Thermis, Arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto:
Unus qui venerere jure divos
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam,
Spicis, palmite, pascuis, trapetis, &c.

Vide & Martial. Prudent. Theodulph Aimonium, &c. Visigothis obsidentibus, An. 435. à Comite Agrippino, qui Ægidii prosperam fortunam limis aspexerat oculis, dedita, An. 461. His à Saracenis erepta, An. 732. recuperata à Carolo Martello, suos Vicecomites & Duces habuit, donec coronæ unita est.

Cœterùm Ecclesia Narbonensis splendida & vetusta admodum, Metropolitæ sedes, à Constantini M. tempore, An. 309. Proconsul Sergius, à Paulo Apost. conversus primus ejus Præsul creditur. Templum habet organis & picturâ Lazari resuscitati celebre. Palatium Archiepisc. olim Visigothorum Regum sedes fuit. Strabo, *libr.* 14. Martial. *libr.* 8. *epigr.* 72. Aimon. *lib.* 4. *cap.* 57. Ammian. Marcellinus, Gregor. Tur. Eutrop. Papyrius Masson. *descr. flum. Gall. & notit. Episc. Gall.* Merula *Geogr. lib.* 3. Jul. Cæs. Scaliger *de clar. Urb. Gall.* Isac. Pontanus, *Itiner. Gall. Narb.* Elias Vinetus, *Narbon. vetum.* Catel. *Hist. Lang. &c.*

Hic Concil. An. 589. 788. 994. 1227. ad absolvendum Comitem Foissæum, Albigensium fidem amplexum, &c. Vide Morer. *Dict. Histor.*

Narbonensis Gallia, quæ & *Braccata* Plinio, una ex 4. Galliæ partibus, à Pyrenæis montibus, Galliam ab Hisp. separantibus, ad Alpes, quæ eandem ab Italiâ dividunt, extenditur, in 4. reg. divisa, Occitanam à Garumnâ ad Rhodanum, Provinciam à Rhodano ad Alpes maritimas, Delphinatum à Druentiâ fluv. & montibus ad Hisaram fluv. & Sabaudiam ab Hisara ad Rhodanum, & Lemanum lacum. Licèt Ortelius per errorem illam in tres duntaxat distribuat, omissâ Sabaudiâ. Baudrando sic dicitur pars illa Gall. quæ interno Mari alluitur, à reliqua Gallia discreta Garumnâ flum. Gebennâ monte & Rhodano fluv. Ibi quondam fuere pop. clari Allobroges, Centrones, Caturiges, Cavares, Gabali, Helvii, Ruteni, Segalauni, Salii, Vocontii, Volcæ Tectosages, & Volcæ Arecomici.

Narbonensis lacus, idem *Rubrensi*, Vide ibi.

Narcaa, Minerva dicta est, à *Narce* quodam Græcorum principe, qui ubi bellum cum finitimis gessisset, magnamque potentiam fuisset adeptus, Minervæ *Narcaa* templum de suo nomine condidit.

Narcasus, vicus, & urbs Cariæ, Steph.

Narces, urbs Numidiæ, Polyb. App.

Narcissi fons, Paus. Vide *Liriope*, & *Narcissus*.

Narcissus, Hierosolymorum Episcopus undecimus, An. Dom. 180. pro Paschatis celebratione, Concilium habuit. De quo hunc in modum Euseb. *libr.* 6. *cap.* 7. *Histor. Eccles.* Accidit aliquando, inquit, in die solenni vigiliarum Paschæ, oleum deesse luminaribus, cumque per ministros innotuisset, mœror plebi maximus fuit. Sed Narcissus fide fidens, ministris imperat aquam haurire, sibique deferri. Cumque detulissent, oravit, & benedixit aquam, & infundi luminaribus præcepit: tum repentè miro, & seculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem versa, splendorem luminum etiam reddidit clariorem. Is præterea cùm inter cætera virtutum suarum bona esset valdè constantis animi ac justi, rectique indeclinabiliter tenax, quidam homunculi nequam, & malè sibi conscii, metuentes ne criminum suorum, si arguerentur, non possent effugere vindictam, præveniunt, & factionibus circumvenire parant eum, cujus judicium verebantur. Concinnant igitur adversus eum infame satis ac noxium crimen, conveniunt auditores: & ex semetipsis producunt, qui sub sacramento juramenti, quæ objiciebantur, confirmarent, alius, ne in ignem incideret, vera se dicere restabatur: alius ita, ne regio morbo corrumperetur; tertius ita, ne luminibus orbaretur. Et quamvis ne juramentis quidem istis, quisquam fidelium, ac Deum timentium crederet, eò quòd vita Narcissi, & institutio, ac pudicitia ab omnibus nosceretur, ipse tamen indignitatem istam ac molestiam non ferens, simul & secretam, ac philosophicam vitam semper habere desiderans, subterfugit Ecclesiæ multitudinem, & in desertis locis, atque agellis secretioribus delituit annis quamplurimis. At non ille magnus divinæ Providentiæ oculus quiescit in longum, sed impios ultione per ea, quæ sibi in perjuriis statuerant, maledicta molitur. Primus namque ille testis parvâ ignis scintillâ, noctis tempore, domo suâ incensâ, cum omni genere suo, totaque familiâ flammis ultricibus conflagravit. Alter repentè ab imis pedibus usque ad summum capitis verticem, morbo regio, quo fuerat imprecatus, repletur, atque consumitur. Tertius autem priorum exitum videns, & oculum divinum non se latuisse perspiciens, prorumpit in medium, & audientibus cunctis serâ pœnitentiâ, universum sceleris concinnari ordinem pandit. Tantis autem lachrymis commissum facinus deflet, usque quo luminibus orbaretur. Hi igitur figmenti sui hujuscemodi pœnas dederunt, & Narcissus episcopatui restitutus. Hæc Eusebius, Vide illum quoque *l.* 6 *Hist. c.* 8. & 9. Baron. *A. C.* 198. 199.

Narcissus, puer formosissimus, Cephissi amnis, & Liriopes Nymphæ filius, quo recens nato, Cephissus Tiresiam vatem de pueri fato consuluit, responsumque accepit, tamdiu victurum, quamdiu à sui conspectu abstineret. Quod responsi genus quamvis primùm ridiculum videretur; eventu tamen ipso est approbatum. Nam cùm Narcissus jam adultus, à Nymphis quampluribus, & præcipuè ab Echo adamaretur, mirâ omnes constantiâ est aspernatus. Verùm cùm aliquando æstu defatigatus ad limpidissimum fontem bibendi gratiâ se contulisset, imagine suâ in fonte conspectâ, sui amore captus est: cumque nulla potiundi

amoris

morta spes esset, nimio desiderio contabuit, & in florem sui nominis est commutatus, Ovid. *Met.* 3. Monumentum ejus fuit in ora Bœotiæ, per quod transeuntes fiebant, unde Taciturnum vocabant. Sapienter ab Ovidio fingitur Nemesis insolentiæ, & arrogantiæ vindex, repetere pœnas à Narcisso seipsum amante, ut suam ipsius umbram admiraretur. Divinitus enim puniuntur sui amantes hac dementiâ, ut etiam inscitiam suam esse sapientiam arbitrentur. Mutatus in florem, ostendit quàm levis & evanida sit inanis gloria mundi, & sero flaccescens monet, ne nimis mature, & ante tempus sapere incipiamus, néve nos, aut nostra nimis amemus, atque admiremur, Stat. *Sylv.* 1.

Hic te conspicuum melius Narcisse videres.

Narcissus, nomen viri, cujus meminit D. Paulus Rom. 16. Item Claudii Imp. libertus potentissimus ac ditissimus apud principem.

Nardenum, opp. Hollandiæ, aliàs miserè deformatum, ab Hisp. nunc recens munitum, enim portu, in ora maris Austrini. Vix 3. leuc. ab Amsterodamo in Ort. paulo plus ab Ultrajecto. A Gallis proditione captum, An. 1672. Sed fortiter receptum, A. 1674.

Nardinium, Selinorum urbs, in Hisp. Tarr. Ptol.

Nardum, Salentinorum urbs, Episc. frequens & lauta, cum tit. duc. Vulgò *Nardo*.

Nargara, Africæ propriæ urbs Livio, ubi Scipio & Hannibal colloquebantur. *Margarum* Polybio.

Narisci, pop. Germ. quorum reg. *Nortgouv*, teste Aventino. *Beyrn* Rhenano. Bavaria Transdanub. seu Palatin. Bavariæ, à Vindelicia (quæ nunc Duc. Bavariæ) Danubio divisus, cujus caput Amberga. Fabricius, & Willichius *Voitlander* faciunt. *Terram Advocatorum* posteriores vocitarunt: horum caput fuisse *Egram* censent. & hæc quoque priscorum Suevorum portio; imò & posteriorum. Gothofredus Monachus: *Anno Domini* M. C. X X. *Henricus Rex natale Domini in Sueviâ apud Egram agit.* Æquè admiretur quispiam hodie apud eundem legi, *in Sueviâ apud Hagenoam.* Apud Hagenoam, inquam, in Sueviâ, ubi tamen, Gothofredi tempore, ultra mille annos jam coaluerant Suevi, eò translati constitutique ab Augusto. Ex finibus Nariscorum Mœnus oritur, *lib.* 4. Itiner. Germ.

Nariti, vide *Narycii*.

Narmalis, urbs Pisidiæ. Steph.

Narna, Straboni, vel *Narnia*, Umbriæ civitas, per quam Nar fl. labitur, à quo & nomen accepit, Liv. *lib.* 10. Olim *Nequinum* dicebatur, teste Plinio, à nequitia incolarum, qui obsessi, se liberosq; occidere quàm dedere maluerunt. Patria Nervæ Imper. & Joh. XIV. Pontificis. Ad montis est rad. Ferrar. & in parte merid. rupes habet admodum præcipites, quarum imo in hiatu *Nar*, per scopulos, confragoso alveo labitur. Municipes hujus loci *Nartes* quondam dictos fuisse, ex antiquis marmoribus docet Hermolaus. Plinio verò *Narnienses*. Sic enim ille 31. 4. *In agro Narniensi quadam terra imbribus siccioris fiunt, quod admirandis suis inseruit M. Cicero, siccitate lutum fieri prodens, imbre autem pulverem.* *Nerni* hodie dicitur Leandro, Sil. *lib* 8.

Hispellum ac duro monti per saxa recumbens
Narnia. —— ——

Martialis 7. 92.

Narnia sulfureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda jugo.

Claud. *de* 6. *Consul Honorii.*

Celsa dehinc patulum prospectans Narnia campum
Regali calcatur equo; rarique coloris
Non procul amnis abest urbi, qui nominis auctor
Ilice sub densâ silvis arctatus opacis
Inter utrumq; jugum tortis anfractibus albet.

Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *pag.* 637.

Naro, urbs Dalmatiæ; *Narenza*. In ora Sinus cognom. qui pars est Adriatici. Aliàs ampla, nunc deficit sensim. Sub Turcis. Regio adjacens antea Chulmia, nunc Herzegovina dicitur; estq; pars Serviæ. Est 35. m. p. ab Epidauro in Bor. Hinc *Narentini*, qui & *Arentani*, & *Pagani*, Porphyrogenitæ, teste Lucio.

Naron, fluv. Dalmatiæ Naronam urb. alluens, ac pelago inter Peguntium & Epidaurum urbes exceptus, hodie *Narenta*, Nicander.

—— Δρίλων καὶ Νάρων🙰 ὄχθη.

Naronensis Sinus, pars est maris Adr. longè per terras extensa, in Dalmatia, juxta Naronem, inter dit. Turc. ad Bor. Ragusinam ad Austr. & Ins. Lesinam Venetorum ad Occ.

Narova, lacus novæ Franciæ. Vix 36. m. p. à Monte Regali in Merid.

Narses, Persarum Rex, post patrem Varanem 3. An. 295. Imperatoribus, contra rebelles, occupatis, Mesopotamiam Armeniamque capit; Maximinianum etiam Galerium, à Diocletiano missum, vicit: qui tamen duobus aliis præliis superior, Narsetem cum uxore, liberis, sororibus, &c. in potestatem redegit, receptâ Mesopotamiâ & quinque aliis provinciis, trans Tigrim, imperio adjectis. Euseb. *in Chron.* Eutrop. *lib.* 9. Regnavit an. 7.

Narses, Persa natione, Eunuchus Justiniani Imp. cujus partes, primâ ejus contra Persas victoriâ sequutus est, bibliopola prius, deinde ob animi virtutem Quæstor exercitus, Consul & Patriciatus honore auctus, vir religione, ac pietate præditus. Is in locum Belisarii Ducis in Italiam missus, Gothos binis præliis superavit, An. 552. in posteriore Totilâ ipso occiso, & ipso in loco, quo Galli olim à Camillo victi. Contra Leutharim dein, & Bucellinum, Germanos, qui in Italiam irruperant, quoque victor. Hunc, cùm à Sophia Imperatrice ignominiosis verbis, ut nempe cum mulieribus fila traheret, quòd Eunuchus esset, revocaretur, respondisse, se telam orsurum, quam ipsa tam facilè retexere non posset, sicque Longobardos in Italiam vocasse, Paul. Diaconus auctor est, sed, ex Corippo illius seculi historico, negat id Baronius: qui etiam illum eundem esse credit, cum eo, ad quem trinas literas S. Gregorius scripsit, quique, contra Phocam insurgens, ut Mauritii necem ulcisceretur, ab ipso captus & ustulatus est. Procop. *l.* 3. *de bello Goth.* Evagr. *l.* 4. Niceph. Agathias, Cedrenus, Volaterr. Zonaras, &c. Baron. *An. C.* 552. 553. 567. 605. *&* 606.

Narsinga, urbs ampla Indiæ citer. regni cognom. caput, versus oram Sinus Bengalæ, à qua 40. m. p. distat, uti 150. à Masulepatamo in Mer. & 20. circiter à Negapatamo in Bor. in ora Cotomandelis. Sub Rege Bisnagariæ. Vide ibi.

Narsingapatanum, opp. regni Golcondæ, in ora sinus Gangetici, 200. m. p. à Masulepatano in Cæc. & 160. ab Hidrabando in Ort.

Nartes, Umbriæ populi, qui & *Interamnates*. Plin. 3. 4.

Narthecu, parva insula prope Samum, Strabo & Steph. *Narthex* Suidæ, sic enim ille, Νάρθηξ νησίδιον ἐστὶ, φασὶ Σάμου ἐν δεξιᾷ, τοῖς ἀναπλέουσι.

Narthecusa, insula in mari Carpathio, Plin. 5. 31.

Narva, urbs Livoniæ, ad fluv. cognom. qui Livoniam dirimit à dit. antiqua Moschorum; ex adverso Narvæ arx est *Ivanovugorod*, sub Suecis ab An. 1617. in Ingria; imò utraque nunc illis subest. Urbs permunita, 30. leuc. Suec. à Revalia in Ort. 15. à Torpato in Cæc. vix 1. à sinu Finnico. Scopulo infixa arx tumulo insidet, juxta Narvam fluv. & duplicis sclopeti ictu Livonicâ Narvâ in opposita ripa fluminis sitâ distans, discriminis causâ. Russica & *Danzsche Nerva*, ut altera Germanica appellatur. 40. mil. à Plescovia, uti à Novogardia. Narva autem fluv. amplus urbem rigat, & 2. sub urbe mill. à Sinu Finnico absorbetur.

Narycia, Ferrario urbs Magnæ Græciæ, aliis *Narycium* oppidum Locrorum vetustissimum, unde Ajax Oileus. Stephanus Νάρυξ πόλις Λοκρῶν. Ovid. *Met.* 15.

—— *Dextrâ prærupta Ceraunia parte*
Romechiumq; legit, Caulonaq;, Naryciamq;.

Abundat autem *Narycia* pice optimâ. Virg. Georg. 2.

Et juvat undantem buxo spectare Cytorum,
Naryciaq; picis lucos.

Vide de la Cerdam in illud Virgilii *Æn.* 3.

Hic & Narycii posuerunt mœnia Locri.

Nasabath, ut scribit Ortelius, sed *Nasava* est in Græcis codd. Ptolomæi, *Nabar* Plinio ac Melæ, Mauritaniæ Cæsariensis amnis. *Soffagia* Castaldo. Baudrando fluv. Mauritaniæ Sitifensis, illam à Cæsariensi separans. Nunc *Rio Major.* Oritur in Biledulgeridia; dein per regnum Algerii fluens, ibi juxta Saldas seu Bugiam in mare Mediterr. se exonerat.

Nasamones, populi Libyæ, prope Oceanum Atlanticum, navium Syrtibus involutarum spoliatores, & rapto viventes, Lucan. *l.* 8.

Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima Ponto
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit; nam litoreis populator arenis
Imminet, & nullâ portus tangente carinâ
Novit opes, sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Nasamones habent.

Silius. *Quin etiam Libyco si quid de litore raptum*
Bellator Nasamon, &c.

Idem *lib.* 1. *Hunc coit aequoreus Nasamon invadere fluctu*
Audax naufragia, & prædas avellere ponto.

Idem *ibidem.*

Et vasta Nasamon Syrtis spoliator Hyempsal,
Audax in fluctu laceras raptare carinas.

Quin & Qu. Curtius idem memorat *lib.* 4. bis verbis, *A septentrione Nasamones sunt, gens Syrtica, navigiorum spoliis quæstuosa; quippe obsident litora, & æstu destituta navigia notis sibi vadis occupant.* Apud hos moris erat, ut cùm quis primùm uxorem duxisset, sponsa nocte primâ cum singulis convivis coiret, ac mox perpetuò castitatem servaret. Polyd. Virg. *lib.* 1. *cap.* 4. *De Rer. Invent.* Porro Nasamones coluisse solos manes, non item superos, arguit locus ille Dionysii *in Periegesi*,

Κεῖνοι δ' οὐ σφεὶ χῶρον ἐρημωθέντα μελάθρων
Ἀνδρῶν ἀθρήσειας ἀποφθιμένων Νασαμώνων,
Οὓς Διὸς οὐκ ἀλέγοντας ἀπώλεσεν Αὐσονὶς αἰχμή.

Quæ sic binis versibus expressit Priscianus.

Hos licet ad fines desertas cernere terras.
Extinctu populis Nasamonum Marti Latino.

Sed deest interpretatio eorum, quòd poëta eos Διὸς οὐκ ἀλέγοντας vocat. Id ita simplicissimè expresseris,

Quòd Jovis aut divûm nulla illos cura teneret.

Mirum etiam, Festum Avienum ad verba hæc non attendisse; cùm vel maximè intersit, causam sciri interitus. Eam hanc adfert

Dionyſius, quòd, Manium cultu continenti, nullo Jovem ac ſuperos honore dignarentur, ſolo inferorum cultu contenti. Veriſimile tamen eſt, his verbis non rebellionem tantùm, ut Salmaſio videtur, verùm & neglectum Jovis cultum ab Herodoto notatum obiter poëtam innuere. Non tamen exciſionis cauſâ iſtis verbis ſignificatur. Neque enim Romanis curæ fuit, quos Deos colerent gentes illis ſubditæ; ſed ideo deleti ſunt, quòd contra Romanos rebellantes arma ſumpſerint, quod ſub Domitiano contigiſſe probat Salmaſius ex Zonara, cujus hæc ſunt verba: Δακοὶ καὶ Νασαμῶνες ἐπαναστάντες Ῥωμαίοις ἀφηνίασαν. Vide etiam Herodotum, Strabon. Plinium, &c.

Naſcica, Calaguris. Vide ibi.

Naſcus, Plin. *um*, Ammian. urbs Arabiæ fel. olim clara, in mediterr. Carnæ urbi regiæ finitima; *Magiaraba* hodie Moletio.

Naſia, nomen viri, 1. Eſdr. 2.

Naſibus, vide *Niſibus*.

Naſica, Scipio dictus eſt, nobilis Romanus, qui Gracchum ſeditioſum virum occidit, Cic. 1. *Tuſcul.* Horat.

—— —— *Nubet procera Corano*
Filia Naſicæ metuentis reddere ſoldum.

Naſica, vide *Caſius*.

Naſica, urbs Indiæ intra Gangem, Ptol.

Naſida, vel *Naſis*, opp. Siciliæ ad Naſum fluv. *Naſo* hodie. Caſtr. Siciliæ, in colle aſpero, juxta fluv. cognom. in valle Demonæ, 5. m. p. ab ora Bor. & à mari Tyrrh. in Mer. uti à Catana in Sept. 12. à Pactenſi urbe in Occ. Agathyrium verſus, Baudr.

Naſidius, prænomine *Lucius*, obſeſſis Maſſilienſibus, cum claſſe navium ſedecim, ab Cn. Pompejo miſſus ſubſidio. Superſtes fuit Pompejo & Cæſari: poſt bellum Philippenſe contulit ſe ad Sextum Pompeji filium; cujus rebus tandem deſperatis, conceſſit ad Antonium. Vide Appian. *lib.* 5. Hic, ut opinatur Fulvius Urſinus, pater eſt, qui in Sexti Pompeji denariis dicitur, *Q. Naſidius*, vel ut in aliis eſt, *Q. Naſidiu* antiquâ ſcripturâ.

Naſium, urbs Gall. Belgic. Auſtraſiæ ſeu Lotharingiæ caput. *Nancy*, teſte Divæo. Sed Ferrario potius videtur *Naz*, vicus in ducatu Barrenſi à Moſa fluv. in Occ. à Nanceio 12. leuc. diſtans, 10. à Tullo, verſus Catalaunum, vix 1. leuc. ſupra Ligniacum in Mer. ad Ornam fluv. opp. olim Leucorum, Baudr.

Naſſovia, opp. Weteraviæ, ad Lanum fluv. 2. mill. Germ. à Rheno in Ort. 5. à Bingio in Bor. 12. à Colonia in Merid. Francofurtum verſus. Sub proprio Principe, cum ditiuncula adjacente, ex celeberrima Naſſoviorum familia.

Naſſovia arx, ſeu *Moura*, in ora Aurea Guineæ, quadrangularis eſt, in ſcopulo & probè munita, cum vico amplo, in regno Acanii parvi. Vide *Arx Naſſovia*.

Naſſovia, arx munita, recens, in Motir, una ex Moluccis, 5. circiter leuc. ab ora Occ. Giloli. Sub Hollandis.

Naſſovia Inſ. maris Indici, verſus oram Occ. Sumatræ ad Auſtr. Inſulæ Fortunæ divinæ. A Batavis haud pridem detecta.

Naſſovium Fretum, vide *Fretum Vaigatium*.

Naſſunia, urbs Sarm. Aſiaticæ, Ptol.

Naſtes, frater Amphimachi, unus ex his qui in auxilium Trojanorum venerunt.

Naſua, Dux Suevorum, qui primo belli Gall. anno centum Suevorum pagos, ad Rheni ripas, præſidio adduxerat, Cæſ. *lib.* 1. *Comment.* 39.

Naſua, vide *Cimberius*.

Nata, opp. Terræ firmæ, cum portu, in ora maris Auſtrini & ſinus Paritæ. Vix 17. leuc. à Panama in Circ. ſub Hiſp.

Natalis, nomine *Antonius*, Eques Rom. C. Pisoni ad omne ſecretum, & proin conjurationis ſocius, in Neronem, Tac. XV. 50. Sed ob feſtinatum indicium, impunitate donatus eſt à Cæſare 71.

Natalis Beda, Doctor Pariſienſis, ſcripſit contra Lutherum, *de unica Magdalena*, contra Fabrum, &c.

Natalis Comes, vel *de Comitibus*, Venetus, floruit ſec. præt. eruditione inter primos. Athenæum latinè vertit, ſcripſit Hiſtoriam ſui temporis libb. 30. Mythologiam libb. 10. aliaq; inſignia opera.

Natalis du Fail, Brito nobilis, J. C. inſignis, ſec. præt. Scripſit hiſtoriam Britanniæ Duc. & Senatus Coſſ. Parlamenti Rhedonenſis, libb. 3. Egnardi Baronis & Franc. Duareni precibus permotus, Jus civile in Locos Communes redegit, &c.

Natalius, confeſſor egregius, qui propter Chriſtum innumera tormenta paſſus fuerat, tandem ab hæreticis Theodoſianis, deceptus, eorum conſtitutus fuit epiſcopus: ſed in ſomniis frequenter admonitus à Domino, quia miſericors Deus, ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus nolebat martyrem ſuum, qui ſibi in multis paſſionibus teſtis extiterat, de eccleſiâ perdere. Sed eùm negligentius ſuſciperet viſiones, turpis lucri devictus illecebris, ad ultimum à ſanctis angelis per totam noctem verberatus, manè conſurgens cilicio ſe induit, ac multis lachrymis errorem ſuum deflens ante pedes Zephyrini epiſcopi ſeipſum proſternit, & veſtigiis omnium non modò clericorum, ſed etiam laicorum, multâ cum lamentatione, provocatus in lacrymas & lamentationes omnem provocavit Eccleſiam, ut indulgentiam ſibi à Chriſto, continuis & jugibus pro ipſo precibus implorarent, tandemque aliquando in communionem corporis Eccleſiæ revocatus eſt. Euſeb. *Hiſtor. Eccl. lib.* 5. *cap. ult.*

Nathan, filius David, 2. Reg. 5. adoptivus, ut vult Torniel, *A. M.* 2987. *n.* 5. & 6. & 2990. *n.* 5. & 7. Nomen item prophetæ, qui plurima Davidi prædixit, illum ob adulterium reprehendit, ejusq; regni hiſtoriam ſcripſit, 1. Paral. *cap. ult.* & 2. Reg. *cap.* 7: 8. & 12. Filius item Ethæi filii Seſan ex ſervo, 1. Par. 2.

Nathan, Rabbinus, ſec. 12. ſcripſit Romæ Dictionarium Chald.

Nathan Chytræus, Rector Academiæ Bremenſis, Poëta Latin. ſec. præt. Patriâ Mencingenſis fuit. Scripſit inter alia, *Collectanea in Paraphraſin Pſalterii, à Buchanano editam*, 12. Herborn. Obiit A. C. 1598. ætat. 55.

Nathanael, frater Philippi Apoſtoli, Johan. 1. *Verus Iſraëlita* à CHRISTO vocatus. Vide Aug. *tr.* 17. *in Joh.*

Nathania, pater Iſmaëlis, 4. Reg. 25.

Nathanmelech, nomen Eunuchi, 4. Reg. 23.

Natho, Inſula Ægypti intra Deltam, cum urbe quæ Arabechis nomine. Dicitur & *Proſopitis*. *Gezàit Eddeheb*, quæ *inſula aurea*, teſte Joh. Leone.

Nathon, civitas in tribu Zabulon, Joſ. 19.

Natio, Dea à *naſcentibus* dicta, quòd matronarum partus tueretur, Cic. *de N. Deor. lib.* 3. Scribitur & *Naſcio*.

Natiſo, Venetiæ fluv. Ptol. Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 1. *p.* 183. *Natiſone* vulgò, in Foro Julio. Oritur ex Alpibus, in confinio Carniolæ. Hinc Forum Julii rigat, & Palmam arcem; & 8. mill. infra Sontio miſcetur. Ejus pars Aquilejam perducta, *Natiſa* dicitur. Baudrand.

Natolia ſeu *Aſia min.* pars eſt maximè Occ. Aſiæ. Terminatur à Sept. Ponto Euxino, ab Occ. Propontide, & mari Ægæo, à Mer. mari Mediterr. ſeu Cilicio, ab Or. Armeniâ. Ejus partes præc. aliàs fuere Æolis & Myſia, quæ nunc *Sarcum*, Armenia min. nunc *Aladuli*, Bithynia, *Beeſangil*, Cappadocia, nunc *Amaſia*, Caria, *Aidinelli*, Cilicia, *Caramanie* pro maj. parte, Galatia, *Chiangare*, Jonia, *Sarchan*, Lycia, *Menteſeli*, Lydia, *Caraſia*, Pamphylia, hodie *Amaſia* ex parte. Nunc tota IV. habet partes. Quarum Major verſus Occ. & mare Ægæum extenſa, propriè *Anatolia*. Altera, verſus Pontum Eux. & Sept. *Amaſia* ſeu *Rum*. Tertia *Caramania*, ad Mer. & juxta mare Mediterr. Quarta in Or. porrecta verſus Euphratem, *Aladuli*. Tota nunc ſub Turcis. V. *Aſia minor*.

Nava, fluv. Germ. ſuper. in Rhenum apud Bingium opp. influens, *Naha*, teſte Rhenano. *Die Navv* aliis. Baudandr. *Nabe*; oritur ex vico *Nabevveiler*, in confinio dit. Trevirenſis; dein per Palatinatum infer. fluens, prope Birckenfeldam, aliaque opp. auctus Lauterâ, & duobus aliis fluv. minor. rigatoque Crucniaco in Rhenum ſe exonerat, juxta Bingium, 4. leuc. infra Moguntiam in Occ. Auſonius *in Moſella*:

Tranſieram celerem nebuloſo flumine Navum.

Navathaus, Italiæ fluv. à *navium exuſtione* ſic nuncupatus, vide Cæl. Rhod. *lib.* 24. *cap.* 5.

Navale Antiatum, oppidul. Latii, nunc Campaniæ Rom. *Nettuno*; in ora maris Tyrrh. prope paludes Pomptinas, cum portu utcunq; capaci, aliàs in ditione Columnarum, juxta Antium prom. 25. mill. à Roma in Eur.

Navalia, urbs Germ. Ptol. vulgò *Suoll*. Vide ibi.

Navarrſium, urbs Beneharniæ; *Navarreins*, cum arce permunita, ad Gabalum Oloronenſem fluv. 4. leuc. infra Oloronem in Bor. 6. à Palo in Occ. verſus Navarrum infer.

Navarinum, urbs ampla Peloponneſi, emporiumque celebre, cum portu. Aliàs *Pylus Meſſeniaca*. Vide ibi.

Navarus, urbs Sarm. Aſiat. ad Tanaim fluv. in finibus Jaxamatarum. *Nagarizsachi* incolis, teſte Moletio.

Navarra, regnum Hiſp. inter Galliam ad Bor. Aragoniam ad Ortum & Mer. & Caſtellam ad Occ. Pyrenæis montibus dividitur, in *Inferiorem*, Hiſp. *Merindada de ultra Puertos*; ſub Rege Francorum, uti legitimo Rege: & in *Superiorem*, quæ ſub Hiſpan. & occupata fuit, per Ferdinandum Arag. Reg. ejecto inde legitimo Rege, Johanne Alebretio. Dividiturque in V. Diſtrictus ſeu Merindadas; Pampilonenſem, Olitenſem, Sangoſſanum, Stellenſem, & Tudelenſem. Caput regni Pompejopolis, ad Argam fluv. *Pamplona*. Ejus partes erant etiam Ipuſcoa, Alava, & Rivogia ſeu *Rioja*, ſed jam diu à Caſtellanis erant occupatæ. Navarra Hiſpan. tota ſiccior eſt & indies ſterilior ac inculta, eùm Navarra Galliæ ſatis rigua ſit, valde populoſa & culta. A *navas*, quod Hiſp. areas planas, arboribus purgatas, & ſylvis dumetiſque cinctas ſignificat, dicta quibuſdam. Hiſtoria paucis ſic habet: Initium hujus regni à ſec. 9. arceſſitur, quo, Vaſconum rebellione, contra Ludovicum Pium & Carolum Calvum, Eneco quidam, cognom. Ariſta vel Harizetta, id eſt, Quercetum, primum ſe Regem fecit: cujus poſterorum ultimus Sanctius 7. cognom. Incluſus, vel Fortis, Ann. 1234. improlis obiit. Hujus ſoror altera, Berengaria, Richardo Cordi Leonis, Angliæ Regi nupſit, ſine liberis mortua, altera Blanca, uxor Theobaldi 5. Campaniæ Com. peperit Theobaldum 6. Navarræ Reg. Hujus filii Theobaldus & Henricus 3. Reges ambo: quorum hic Johannam genuit, Philippo Pulchro nuptam, matrem Ludovici 10. Hutini, cujus filia, in familiam Ebroicenſem regnum intulit, à Philippo Comite ducta. Hujus filii,

filii, Carolus Malus, pater Caroli Nobilis, & Salomon fuere, cujus filia Blanca Martino, Siciliæ Regi, nupsit, dein Johannis Arragonii uxor, Eleonoram ex hoc suscepit, quæ Gastoni Comiti Foissæo, &c. Navarram dotis loco attulit, quorum filiam Johannes Albretanus duxit, à Ferdinando Arragonio, ut dictum, An. 1513. regno exutus. Horum filius Henricus Albretanus, ex Margareta Valesia, Francisci I. fil. pater fuit Johannæ, matris ex Antonio Borbonio, Henrici M. Galliæ Reg. Favin. *Hist. Navarr.* Arnoldus Oihenart. *in notit. utriusq. Vascon.* De Marca, *Hist. Bearn.*

Navarra regni urbes, in superiori:

Lumbaris, *Lumbier.*	Stella, *Estella.*
Olitum, *Olite.*	Tafalla, *Tafalla.*
Pompejopolis, *Pamplona*, regni caput.	Tudela, *Tudela.*
Sangossa, *Sanguesa.*	Viana, *Viana.*

Navarra inferioris urbes sunt:

Fanum S. Johannis Pedeportuensis, *S. Jean Pied de port*, & Fanum S. Palatii, *S. Palais.*

Naubarum, urbs Sarm. Europ. in ora Mæotiæ pal. inter Carcinitem & Tanaim, Ptolem. Plin.

Naubolus, Laii Regis Thebarum auriga. Statius,

Naubolus Hippasides, tuus, ô mitissime Lai
Hospes adhuc currus, securaq; lora tenebat.

Nauclerus Johannes, nobilis Suevus, fil. Johannis Verge, id est, nautæ, Præpositus Eccles. Tubingensis, dein Professor ibidem Juris Can. Academiâ ab Everardo Com. primùm, exin Duce Wirtemberg. ex Oriente reduce, institutâ, An. 1477. Auctor Chronici, à condito Mundo, usque ad An. 1500. quod Nic. Baselius, usque ad An. 1514. & Surius usque ad An. 1574. continuavit, Voss. *de Hist. Lat. l.* 3. Gesner. *in Bibl. &c.*

Naucles, peregrini militis, Lacedæmoniis, contra Thebanos sociosque eorum, conducti Dux, apud Xenoph.

Naucrates, dicitur Ægyptios docuisse animalium, arborumque figuras scribere: hunc Mercurium Trismegistum, quem *Thoyth* dicunt fuisse, Ægyptii crediderunt, vel saltem Mercurium alium Jovis filium fugientem in Ægyptum, Argo interfecto.

Naucrates, Poëta Græcus, unus ex illis, quos Artemisia adhibuit, ad Mausolæum laudandum, unà cum Theopompo, Isocrate, & Theodecte, qui præmium reportavit. Item Poëta Comicus, Athen. *lib* 9. quem Lil. Giraldus male confundit cum Nausicrate, de quo Athen. *lib* 7.

Naucratis, oppid. & nomus Ægypti Mediterr. intra Deltam à *Naucratico* Nili ostio introrsum parum distans, cui nomen tribuit, incolæ *Naucratitæ* & *Naucratiota*. Hinc etiam Athenæus *Naucratites* dicitur.

Naugracutum, urbs Indiæ, caput provinciæ cognom. ad amnem *Ravée*, versus montes, sub M. Mogole. 220. m. p. à Lahorio in Ort. Provincia hæc extenditur, versus Caucasum & confinia Tartariæ.

Navilubio, Plin. *Navilloion*, Ptolom. fluv. Hispan. Tarr. inter Astures & Calaicos, vulgò *Mullon*, apud oppidum St. Martini, in mare exiens.

Navius Accius, vir Rom. tantâ augurandi peritiâ, ut à Tarquinio Prisco Romanorum rege accersitus, & interrogatus, an id quod cogitasset fieri posset, capto augurio, posse, responderit: eamque illi cotem se novaculâ dividere velle dixisset, id quoque fieri posse confirmarit, tanta erat artis fiducia, ac denique cotem allatam novaculâ diviserit.

Naulium, civitas in Liguriâ, portu, ac turribus inclyta. *Noli* hodie. Vide *Naulum.*

Naulocha, App. Suet. *Nauloga* Silio, oppid. Siciliæ maritimum, in ora, inter Pelorum & Mylas, extinctum. Legitur & *Naulochus*, apud Suet. & *Diveto* indigitatur, castium exiguum, inter Phalacrium prom. 6. & Mylas 8 m. p.

Naulochus, oppid. Thraciæ in orâ maris Euxini, apud Mesembriam urbem & fines Mysiæ inferioris. Item Imbri insulæ promuntorium meridionale: ubi fons ex quo fœminæ bibentes masculos pariunt Eunuches, teste Philostrato in Heroicis. *Naulochus* item Plinio, *Naumachos* Melæ, insula parva Cretæ ante Salmonium. *Naulochum* quoque oppid. Phocidis, apud Anticyram, & Crissam, teste Plinio. *Naulochus* vero gener. mascul. apud eundem Plin. opp. Thraciæ apud Hæmum montem. Quin & *Naulochum*, Smyrna olim dicta, Joniæ urbs, teste Stephano in *Smyrna.*

Naulum, urbec. in Ora Occ. maris Ligustici, in planitie, aliàs sui juris, nunc sub Genuens. Portu caret, & desirit in dies. Vulgò *Noli.*

Naumachia, Suet. & P. Vict. vox Græca, non solùm certamen navale significat, sed etiam locum in quo illud certamen fiebat, populo inspectante. Qui locus instar lacus erat in medio theatri, vel in campo aliquo circumsepto: in quem ducebatur aliunde aqua, naves ex adverso locatæ pugnam inirent, sive ad exercitium, seu ad populi oblectamentum. Ex multis autem, quæ in urbe Roma fuere, hæ memoratiores fuisse feruntur:

Augusti, in campo Martio, juxta Tiberim, teste Suetonio, ubi hortuli aliquando erant, qui locus etiamnum *l'Hortalio* nominatur.

Neronis, in Vaticano, eò aqua maris ducta.

Domitiani, quæ in eodem loco fuisse putatur, ubi fuit Naumachia *Augusti Cæsaris*, apud hortum suum in Tiberis ripa, auctore eodem Suetonio.

Altera Augusti, in campo Martio.

Fuit & in Circo maximo ab eodem Imperatore exstructa.

Claudii Imperatoris apud Portum Romanum, quæ adhuc visitur, aqua eò ex mari perducta.

Naumachius, Poëta Christianus, Girald. Erasm. De quo plurimos versus citat, *in Collect.* Arsenius Episc. Malvasiæ, in Morea.

Naumburgum, vide *Neoburgum.*

Naunes, populi Alpini in Alpibus Rhæticis. *Nausers*, teste Simlero, quorum oppid. *Naunium* cum fluv. cognomine in finibus Tridentinorum, teste Jano Pyrrho. Gaud. Merula *Naunes val di Ganna* in finibus Insubrum interpretatur.

Navonius portus, Anton. forte *Favonius*, nunc *porto Favone*, in ora Or. Corsicæ, vix 8. mill. à portu veteri in Bor. Aleriam versus, à qua 30. mill. distat in Austr.

Naupactus, vel *Naupactum*, urbs Ætoliæ, & regionis caput, cui nomen hodie tribuit, in orâ sinus Corinthiaci, apud fauces, & Antirrhium promuntorium, à Nicopoli urb. Epiri, in Circ. 95. & 145. m p. à Methone in Bor. Hic sedes est Præfecti Turcarum. Baudrand. habet, Gallis *Lepante*, in ora sinus Corinthiaci, *Golfo de Lepante* dicti. Nunc caput est prov. Libadiæ propriè dictæ. Sub Turcis ab An. 1499. quo à Bajazethe capta fuit. Turcis *Einebachri*, non procul hinc commissum fuit An. 1571. prælium, *Naupactinum* dictum, ubi Turci maximâ clade à Christianis affecti. V. Thuan. Leunclav. &c. Hinc *Naupactius*, Ovid. *Fast.* 2.

Amphiaraides Naupactio Acheloo.

Naupactum excubare. Apud Zenod. proverbio dicitur, in eos qui pereunt ignaviâ suâ, vel qui munus suscipiunt plenum discriminis, uti Pausanias Naupacti excubiis præfectus, ab Achivis captâ urbe interfectus. Aliter hoc adagium apud Suidam refertur. A compactis navibus sic dictum volunt, quòd ibi Heraclidæ primùm navem construxerint.

Nauplia, urbs ampla Peloponnesi maritima, & navale Argiæ reg. ad sinum Argolicum, ab Argo 7. m. p. in ort. distans. *Napoli di Romania* Sophiano. Seu *Napli*, ut quidam volunt, Emporium celebre, cum portu capacissimo, in loco peramœno. Totius Peloponnesi populosissima, in Sacania prov. cujus caput est, 60. m. p. à Lacedæmone in Bor.

Naupliades, nomen patronymicum, id est, Nauplii filius, & ponitur pro Palamede.

Nauplius, filius Neptuni, & Amymones filiæ Danai Argivorum regis. Item rex Eubœæ, pater Palamedis, qui cùm filium Ulyssis operâ, iniquo judicio circumventum, & ab exercitu lapidibus obrutum audisset, necis ejus ulciscendæ avidus, per totam Græciam vagari cœpit, uxoresque principum, qui ad Trojam militabant, in juvenum adulteria pellexit, futurum sperans, ut gravissimis eâ de causâ inimicitiis inter ipsos exortis, mutuâ cæde Palamedis necem expiarent. Nec eo contentus, Græcis captâ jam Trojâ in patriam redeuntibus ac tempestate laborantibus ex Caphareo monte ignem extendit, bonamque classis partem ad ignem, tanquam ad vicinum portum adnavigantem in asperrimos scopulos pellexit, miserandoque perdidit naufragio. Posteà verò eùm intellexisset Ulyssem ac Diomedem, quibus eas insidias potissimum struxerat, incolumes evasisse, doloris impatientiâ seipsum in mare præcipitem dedit, Prop. 4. 1.

Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia pressa tuis.

Naupontius, amnis, qui & *Pamportus* Straboni, ex Illyrio navigabilis in Savum defertur. Mel. *Nauportus*, Ferrar.

Nauportus, urbs Japodum, cum fluv. cognom. *Lubiana* Italis. Nunc urbec. Carniolæ super. *Klein Laubach* incolis, ad amnem cognom. 7. m. p. in Mer. à *Laubach*, quæ *Emona* vetr. 12. à Savo fluv. in quo Naupactus fluv. se exonerat, Baudr.

Nauportus, fluvius Istriæ per Æmoniam urb. excisam fluens, ac in mare Hadriaticum ad Urbem novam exiens. *Quieto*, teste Leandro.

Naura, regio Scythiæ, in Asiâ, videtur, apud Curt. *lib. VIII.* 13. Prom. Indiæ intra Gangem, Arr. *in Periplo.*

Naurus, fluv. Thessaliæ, Vide *Anaurus.*

Nausicaa, Alcinoi Phæacum regis filia & Aretes, quæ cùm fortè cum pedissequis suis extra civitatem se contulisset, vestes in flumine abluitura, incidit in Ulyssem naufragum in litore sedentem, nudum, arborum ramis circumtectum, cui supplici, & vestes dedit, & in regiam patris sui eum perduxit.

Nausicles, Atheniensis, cum 5000. peditum & trecentis equit. à civibus suis auxilio Phocensibus missus, Olymp. 107. an. 1.

Nausigenes, Archon Athenis, Olymp. 103. an. 4.

Nausimenes, vir Atheniensis, cujus uxor, cùm liberos in incestu deprehendisset, indignitate facinoris perterrita, vocem amisit.

Nausinicus, Archon Athenis, Olymp. 100. an. 3.

Nausistratus, Navarchus Rhodiorum, qui miro artificio à Rhodiis arma impetravit, Polyæn V.

Nausithous, rex Phæacum, Alcinoi pater, filius Neptuni & Peribœæ Eurymedontis filiæ. Hesiodus tamen Ulyssis & Calypsus filium facit.

Naustathmus, portus Siciliæ, qui & Phœnicus, Ptol. *Vindicari*, teste Fazello, in orâ ad Ort. inter Elorum fluv. & Macaram, à

Pachyno

Pachyno prom. 10. m. p. Syracusas versus. Item portus Cyrenaicæ apud Apolloniam urb. *Porto di Bonandria*, teste Moletio.

Nautaca, urbs Sogdianæ, Arr.

Nautes, Æneæ comes; de quo Servius in 11. *Æn.* Cùm Diomedes, inquit, raptum Palladium, sibi non esse aptum intelligeret; illud Æneæ transeunti obtulit: sed cùm ille se, capite velato sacrificans, convertisset, *Nautes* quidam simulacrum accepit. Quare Minervæ sacra non *Julia* gens habuit, sed *Nautia*. Quæ videtur ex libris Varronis de familiis Trojanis excerptisse.

Nautes, vates Trojanus, qui dum incensæ ab Iride in Sicilia comburebantur Æneæ naves, docuit hoc fieri Junonis odio, ut Latio Trojanos averteret, monuitque Æneam ipsum, ut non succumberet ea amitatibus, sed invicto animo perseveraret. Vide De là Cerd. *in illud Æn.* 5.

Tum senior Nautes, &c.

Nautii, à Naute, Æneæ Comite, gens Romæ Patricia, majorum gentium; Consulatu sexies, tribunatu militum Consulari potestate quater, aliisque honoribus defuncta: *Rutali* cognomine usa.

Nautulphus, puer naturà cæcus, qui precibus sancti Henoch visum recepit. Author Greg. Turon.

Naxia, urbs Cariæ, Stephan.

Naxius, fluvius Mysiæ infer. ad Tomos oppidum in mare Euximum labens.

Naxos, insula satis ampla & populosa, in mari Ægæo, una Cycladum, cæteras superans, antea *Strongyle*; post verò *Dia* dicta. Schol. Apollonii *in lib.* 4. Δίη, ἐν τῇ Νάξῳ. Καλλίμαχος.

Ἐν Δίῃ· τὸ γὰρ ἔσκε παλαίτερον οὔνομα Νάξῳ.

Eustath. *in Odyss.* 11. Δῖα, νῆσος πρὸς τῇ Κρήτῃ ἥτις Νάξος καλεῖται, ἱερὰ δὲ αὐτὴ τοῦ Διονύσου. Verum cùm Cares, duce Naxo, eam occupassent, à duce *Naxon* appellarunt. Hanc Dionysiam à vinearum fertilitate dici scribit Plin. 4. 12. vel quia, ut alii volunt, Naxiæ mulieres octavo mense pariant, quoto & Liber Pater natus creditur; sive quia in ea fons vino fluat. Distat à Delo 7. mill. Hinc *Naxius ardor*, apud Columellam, pro Bacchi Coronæ sidere. Nam, ut ferunt poëtæ, in insula Naxo relicta Ariadne à Theseo, nuptias cum Baccho fecit, donataque coronâ, inter sidera relata fuit. Alii *Siciliam minorem*, alii *Callipolim* appellarunt. Virg. *Æn.* 3.

Bacchatamq; jugis Naxum, viridemq; Donysam.

Nunc *Nacsia*, fertilis. Cum urbe cognom. & Arch. Latino. 30. circiter mill. à Delo in Mer. Fere quadratæ figuræ. Cotes inter alia producit, hinc *Naxia cos* prov. idem quod *Lydius lapis*, alii de re firma usurpant. In ea quoque reperitur marmoris genus, quod Græcis *Ophites*, & Latinis *Serpentinum* dicitur, viridis coloris & lividioribus maculis aspersum. Vespæ genus habet, cujus punctio mortem hominibus, ut ajunt, affert. Hic in rupe arx est, quondam *Strongoli*, nunc *Pergola* dicta, apud quam amplissimum templum est, Baccho erectum, cujus statua marmorea adfabrè facta ibi adhuc spectatur. Ad montium pedes fructifera est vallis, vulgò *Darmille* nominata. Ad mare in occidentali Insulæ parte spectatur locus, in quo Theseus decepit Ariadnam, cujus nomen loco remansit. Nat. Metell. Naxi vocabulum veteres dum conantur ad Græcam linguam revocare, vel cæcis palam faciant Syram habere originem. Naxus, inquiunt, ἀπὸ τοῦ νάξαι ὅ ἐστι θύειν. Ita Etymologicon, Stephanus, Suidas, Phavorinus. At in Græcorum scriptis, νάξαι pro θύειν nusquam occurrit. Syris quidem נכס necas, est *immolare*, & נכסא *Nicksa*, *sacrificium*. Phœnices scripsere *Nacsa*, ac inde *Naxus*. Eadem vox significat *censum & opes*, quod Naxo non malè quadrat. Herod. *lib.* 5. Ἡ Νάξος εὐδαιμονίῃ τῶν νήσων προέφερε. Vide Bochart. *Geogr. pag.* 446. *&* 447.

Naxos, Plin. Thuc. *Schisso* Fazello, urbs Siciliæ excisa, in ora, apud Tauromininm urb. à Dionysio majore eversa, à Chal. identibus anno mundi 4450. condita, Euseb. Ejus loco Taurominium à Timoleonte extructum, Plut.

Naxuana, Ptol. *Nassivan* tabb. rec. urbs Armeniæ maior. Artaxatis finitima, una ex præc. Persiæ, Inter Chorsam ad Occ. 90. & Tabresium ad Ort. 180. m. p.

Naym, mel. *Naim*. Vide ibi, oppidul. tr. Issachar, vix 2. m. p. à torrente Cison. 11. à monte Tabor in Occ. Cæsaream versus.

Nazada, urbs Mediæ, Ptolom.

Nazama, oppidum Apamenæ, in Syria, Ptol.

Nazamba, urbec. Ciliciæ, terræ motu collapsa, Rubeo.

Nazara, vicus Galilææ, contra Legionem, in 15. ejus mill. ad Or. juxta montem Tabor.

Nazaræi, dicebantur qui votum habebant sub lege, ab Ebræo נזר *nazar*, *separare*. Separabant enim seipsos à tribus, vino scil. novaculâ, & pollutione à mortuis, idque vel ad tempus, vel ad vitæ terminum. Item Secta peculiaris Judæorum, qui quoad sacrificia, & libros Canonicos, aliquid peculiare habuerunt, ab omnis animalis esu abstinentes.

Nazaræi, quoque Christiani postmodum dicti sunt, ab urbe Nazareth, in qua Christus conceptus est. Item alii, qui in JESUM CHRISTUM credentes, circumcisionem tamen retinebant, in Ebionis & Cerinthi deliria postmodum prolapsi, Actor. 24. Epiph. *hær.* 29. Theodoret. *de hæret. fab. lib.* 2. Baronius, *in Appar. Annal. & Ann. C.* 9. *&* 74.

Nazareth, quod est, si interpreteris, *flos*, pulchra ac potens Galilææ civitas est, Capharnaum ubi subjacens, ædificata super montem, quem coronæ instar ambit, duabus leucis à monte Tabor, trium autem dierum itinere ab Hierusalem distans. Hic S. Maria, candens flos virginum, nata est. Hic Christus Dominus noster & Salvator, ut flos campi (inquit Hieronymus) nasceretur in flore virtutum, conceptus & educatus est, ac viginti quatuor annis habitavit, unde & civitas hæc, *civitas & patria ejus*, ipse verò *Nazarenus* vel *Nazaræus* & *Galilæus*, appellatus est. Baudrando *Nazareth* urbs fuit tr. Zabulon, versus Cison torrentem, 7. m. p. à monte Tabor in Occ. paulo minùs à Naim, & fere 26. à Ptolomaide in Eur. uti 70. ab Hierosolymis in Bor. Hic Franciscanis Monasterium est cum templo, ubi Peregrinos excipiunt. Sedes olim Episc. dein Archiep. qui nunc Barulum, in regno Neapolit. translatus est. Morerius *Dict. Hist.* Vide infra.

Nazarenus Archiepisc. nunc titularis, in Diœcesi Tranensi regni Neapol. habet in opp. Barulo, vulgò *Barletta*, Ecclesiam, in agro Bariano, in ora maris Adr.

Nazarius, Orator, qui Constantino M. Panegyricum dedicavit. Pater Eunoniæ, admodum eruditæ, Euseb. & Hieron. *in Chron.* Panegyricus incipit: *Dicturus Constantini augustissimas laudes, &c.*

Nazianzum, urbs Cappadociæ, Cæsareæ finitima, (ab ea in Occ. recedens) & Sasimis, patria D. Gregorii, hinc *Nazianzeni* dicti. Prius Episc. sub Ar. Cæsariensi, dein metropolis, sub Patr. Constantinopol.

NE.

Nea, insul. maris Ægæi inter Lemnum & Hellespontum, *Nea* Stephano, & Suidæ. *Nio* hodie Nigro.

Nea, urbs Siciliæ, patria Decetii, Siculi Regis, qui contra Syracusanos & Agrigentinos bellum gessit, Menasque, Palicam & Collatinam condidit. Vide *Netum*.

Nea, vicus & castellum Mysiæ. Vide Steph.

Neæra, Nympha, quæ duas Soli filias peperit, Phaetusam & Lampetiam, quæ armenta Solis transeunti Ulyssi juxta Siciliam ostendebant, Homer. *Odyss.* 12. Item mulieris cujusdam nomen apud Virg. *Eclog.* 3. *Ipse Neæram Dum fovet:* Item apud Horat. *Epod.* 15.

O ditura meâ multum virtute Neæra.

Neæthina vallis, una ex tribus prov. Siciliæ, in ejus parte Austr. *Valle di Noto.* Terminatur à Sept. Valle Nemorensi, ab Occid. valle Mazaræ, ab ortu mari Jonio, à Mer. mari Africo. Ejus urbes præcipuæ, Syracusæ (*Saragossa*) Augusta, Neætum, Terra nova, & Camarina. Ibi Pachynum prom. 60. m. p. à Melite Ins. in Bor.

Neæthus, fluvius Magnæ Græciæ, *Neto*, teste Barrio, per agrum Crotoniatem fluens, Ovid. *Met.* 15.

Præterit & Sybarin Salentinumq; Neæthum.

Siciliæ fluvius est Theocriti Scholiastæ; sed sciendum, mediæ ætatis scriptores hanc Italiæ partem Siciliæ vocabulo indigitare solitos esse. quod hactenus receptum manet, cùm dicunt *utramq; Siciliam*, insulam nempe, ac eam continentis partem, quæ ab altera parte freti Mamertini est.

Nealces, Cyzicenus, cum securi, Argonautis per errorem nocturnum reflectentibus, occurrens, à Polluce occisus est, Flaccus III. 191.

Nealces, pictor qui Venerem pinxit, Naumachiam Ægyptiorum & Persarum, item asellum bibentem in litore, & Crocodilum ei insidiantem.

Neandria, urbs Troadis in Hellesponto, quæ & *Neandrium*, Stephanus.

Neanthes, Cyzicenus, Orator, discipulus Philisci Milesii, sub Ptolomæo Philadelpho, plurima egregia scripsit: Inter alia, de Viris Illustr. Horis, rebus gestis Græcorum aliorumque, Porphyr. *lib.* 4. *de abstin.* Athen. *lib.* 4. 9. *&* 13. Clem. 5. *Strom.* Ammon. Stephanus Byz. Suidas, &c. Gesnerus, Vossius, Possevinus.

Neanthus, vir quidam, qui propter Chelyn Apollinis temerè affectatam, Deo vindice, à canibus discerptus est, Politianus *in Nutriciâ:*

Improbus hanc stultè Chelyn affectare Neanthus
Ausus, Apollineâ pendentem sustulit ade:
Quem tamen indocto ferientem pollice chordas
Vindice discerpsit rictu nocturna canum vis.

Neapolis, colonia, & urbs archiepiscop. Campaniæ maritima, regni Neapolitani caput, ac totius Italiæ clarissima, civium multitudine ac nobilitate, facilè omnes superans: ab urbe Romà 125. m. p. in Eurum distans, sic ab Augusto dicta, cùm prius *Parthenope* diceretur. Baudrando urbs Ital. amplissima, emporium celeberrimum, & prov. Terræ laboris primaria. Cum portu capaci & satis tuto. In agro mirè riguo & fertili, planitieque amœnissima. Ejus templa superbissima. Munita est 4. arcibus, nempe Castello novo, Castro Ovi, Castro S. Ermi, & Turri Carmelitarum; quibus in præsens collis *Pizzofalcone* adjungitur, cum valido præsidio Hispan. Hinc *sinus Neapolitanus*, Sinus adjacens. Pop. *Neapolitani*. Vulgò *Naples*. Horat.

Et otiosa credidit Neapolis.

Stat. 4. *Sylv.* 8.

Nec solum festas secreta Neapolis aras
Ambiat. —— ——

Neapoli ludicrum quinquennale celebratum olim ex Strabone omnibus notum est. Νυνὶ δὲ, inquit, πενταετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται. Rectè autem νυνὶ, nam id Strabonis ætate fuisse institutum, docet Suetonius *in Octav. cap.* 98. Papinius *ad uxorem.*

Quid nunc magnificas species, cultusq; locorum,
Templaq; & innumeris spacia interstincta columnis,
Et geminam molem nudi tectiq; theatri
Et Capitolinis quinquennia proxima lustris.

Neapolis, Africæ urbs gemina, una in orâ apud Mercurii promont. inter Curubim 12. & Clypeam 20. m. p. à Carthagine 65. in ort. *Nabel* incolis, teste Marmolio. Altera in orâ apud Syrtim parvam, & ostia Cinyphii fluv. nunc *Napoli di Barbaria*, inter Carthaginem ad Occ. 639. m. p. ex Antonino. Aliter *Lepte magna*, Baudrand. nunc *Lege*, seu *Lebeda*. In regno Tripolitano, in ora maris Mediterr. media inter Syrtim maj. ad Ort. & min. ad Occ. Cum portu capaci, 100. m. p. à Tripoli in Ort. uti 500. à Carthagine. Hujus meminit Dionysius v. 204.

Τὴν δ' ἀμφοτέρων μεσάτη πόλις ἐστέφανωται
Ἥ ῥά τε κικλήσκεται Νέην πόλιν.

Neapolis, Macedoniæ urbs, apud sinum Strymonicum, *Christopoli* Sophiano.

Neapolis, Palæstinæ in Samariâ urbs, quæ & *Sichem*. In tr. Ephr. Joseph. V. *bell. Jud.* 4. Hic concilium An. 1120. Guil. Tyr. ante *Mamortha*, teste Plinio. Sunt & aliæ urbes hujus nominis, una Joniæ in Cariæ confin. inter Ephesum, & Samum, Strab. & Ptol. Altera Sardiniæ in orâ Australi excisa, adhuc *Napoli* dictâ. Item oppidum olim, nunc pagus Cypri apud Amathuntem: *Lemise la neuve*, teste Lusignano. Item Syracusarum pars una, Cicer. *lib.* 5. *in Verrem. Quarta urbs, quia postremo ædificata est Neapolis, nominatur.* Thucydides *Temenitin* vocat. Item urbs Argiæ, olim *Nauplia*.

Neapolitanum Regnum, pars est peramplâ Italiæ, ad Merid. extensa. Terminatur ad Occ. ditione Pontif. in partibus aliis Mari; nempe à Sept. sinu Veneto, ab Ort. Tarentino & mari Jonio, à Merid. mari Tyrrh. Ibi aliàs Samnium, Campania, Apulia, & magna Græcia; Iterumque sub primis Regibus distributum erat in IV. prov. scil. Campaniam fel. Aprutium, Apuliam & Calabriam. Nunc in eo XII. prov. nempe Campania fel. (*Terra di Lavoro*) Principatus Citer. & Ulterior, Capitanata, Ager Barianus, & Hydruntinus, (*Terra di Otranto*) Aprutium Citer. & Ulter. Comitatus Molisinus, Basilicata, Calabria Citer. & Ulterior. Ejus longit. maxima est, ab ostio Truenti fluv. ad Leucopetram prom. 330 m. p. Latitudo autem à Cajeta urbe ad ostia Aterni, 90. circiter mill. Dictum fuit aliis etiam regnum Siciliæ, cis Farum. Caput ejus est Neapolis, urbs amplissima. Vide *ibi*. Provinciæ hujus regni omnes, tantâ hominum vi restagnant, ut supra 2700. urbes, castra & parœciæ in eo numerentur. Mille hic Baronatus, septuaginta Comitatus, centum Ducatus, totidem Marchionatus, sexaginta Principatus, Archiepiscopatuum, Episcopatuumque ingens copia. Aëris ibi mira temperies, ingens soli fœcunditas, & omnium rerum inexhausta vis: Unde Italis, Paradisus hoc regnum dicitur, quem Dæmones inhabitent. Iidem proverbio circumferunt: *Napoli odorifera & gentile, ma la gente cattiva.*

Historia gentis hæc est: Neapolitani Romanis fidi, postmodum fuerunt sub Gothis; quibus Belisarius Neapolim eripuit, A.C. 537. per aquæ ductus militibus in urbem introductis; Totila recepit an. 543. Longobardi dein hic rerum sunt potiti, usque ad tempora Caroli M. cujus filii cum Græcis regnum hoc partiti sunt; quo deinceps à Græcis penitus subacto, sec. 9. & 10. hi à Saracenis pulsi sunt, qui sæpius quoque victi, tandem sec. 11. à Normannis penitus illo cedere sunt coacti: Ita Normanni regnum tenuere, usque ad Henricum 6. fil. Friderici 1. Imp. qui Constantiam, filiam Rogerii 4. sibi junxit. Manfredus postea, fil. nothus Friderici 2. à Carolo Andegav. Neapolitano regno exutus est, quod sub Principibus ex famil a Andegav. fuit, usque ad Johannam 2. Quæ Martino 5. infensa, quod Ludovico 3. Duci Andegav. regnum donasset, Alphonsum Arragoniæ Reg. adoptavit, sed hujus insolentiam non ferens, eundem Ludovicum primò, dein illo mortuo, Renatum fratrem ejus, hæredem instituit. Renatus ab Arragoniis pulsus est, quos iterum Carolus 8. primò, dein Ludovicus 12. ex pulerunt. Tandem verò Gallis à Consalvo M. iterum ejectis, ab eo tempore Hispaniæ regibus subfuit: nisi quòd hi quotannis Pontifici, equum album, cum aliqua pecuniæ summa, per Legatos offerre solent: de quo tributo, lepidam historiam habes apud P. de Valle, *Itiner. tom.* 4. *sub finem*. Vide Strabonem, Plinium, Livium, Procopium, &c. Leand. Albertum, *descr. Ital.* Fancium, Falcum, Herempertum, Acciajolum, Pandulphum, Collenutium, Cappacium & Summonetam, *Hist. Neap.* Blondum, Nauclerum, Volaterranum, Sabellicum, P. Jovium, Guicciard. &c. Turbæ à *Mas-Aniello*, *piscatore* An. 1646. 1647. &c. item à Duce Guisio postea hic excitatæ, ignotæ nemini. Vide Gualdi ut & Brusonii *Hist. Ital. scriptas.*

Neapolitani regni provinciæ:

Ager Barianus, *Terra di Bari.*	Calabria ulterior, *Calabria oltra.*
Ager Hydruntinus, *Terra di Otranto.*	Campania fœlix, *Terra di Lavoro.*
Aprutium citerius, *Abruzzo citra.*	Capitanata, *Capitanata.*
Aprutium ulterius, *Abruzzo oltra.*	Comitatus Molisinus, *Contado di Molise.*
Basilicata, *Basilicata.*	Principatus citerior, *Principato citra.*
Calabria citerior, *Calabria citra.*	Principatus ulterior, *Principato oltra.*

Neapolitani regni urbes præcipuæ:

Acheruntia, *Acerenza.*	Gallipolis, *Gallipoli.*
Aletium, *Lecce.*	Gravina, *Gravina.*
Amalphis, *Amalfi.*	Hydruntum, *Otranto.*
Anaxanum, *Lanciano.*	Manfredonia, *Manfredonia.*
Aquila, *l'Aquila.*	Mateola, *Matera.*
Barium, *Bari.*	Neapolis, *Napoli*, regni caput.
Barulum, *Barletta.*	Nola, *Nola.*
Benevenium, *Benevento*, ditionis est Pontificiæ.	Nuceria Paganica, *Nocera.*
Besidianum, *Bisignano.*	Pinna, *Civita di Penna.*
Brundusium, *Brindisi.*	Rhegium, *Reggio.*
Cajeta, *Gaeta.*	Rossanum, *Rossano.*
Cantazara, *Cantazaro.*	Salernum, *Salerno.*
Capua, *Capoa.*	Surrentum, *Sorrento.*
Compsa, *Conza.*	Tarentum, *Taranto.*
Cosentia, *Cosenza.*	Theate, *Civit. di Chieti.*
	Tranum, *Trani.*
Tropea, *Tropea.*	

Nearchus, Classis Alex. M. præfectus, in expeditione Indica, Curt. IX. 50. Videtur is ipse esse, qui ab Antipatrida Telmissum, Cæsariæ urbem, ingeniose recepit. Apud Polyæan. *lib. V.* Scripsit Alexandri historiam, post hujus mortem Lyciæ Pamphyliæque præfectus, Strab. *lib.* 2. 11. 15. & 16. Arian. *lib.* 5. & 6. &c.

Nearchus, juvenis eximiæ pulchritudinis, Horat. *lib.* 3. *Od.* 20.

Ibit insignem repetens Nearchum.

Neaughus, lacus Ultoniæ, in Hibern. valdè extensus, inter Comit. Antrimensem, Dunensem, Armachanum, & Tyronensem; *Loug Neaugh.* Ibi aliquot Ins. ex illo autem Bannus fluv. profluit. Circuitus 45. m. p. Speedus.

Nebahaz, Idolum Hevæorum, 4. Reg. 17.

Nebai, nomen viri, 2. Esdr. 10.

Neballat, civitas, 2. Esdr. 11.

Nebis, fluv. Hisp. Tarraconensis, Ptol. *Nabis* Straboni. *Neiva*, teste Jacobo Vasconcello. In finibus Bracarum, cum pago cognom. Limio proximus.

Nebium, urbs Corsicæ excisa, in parte Bor. ejus, *Nebbio*; ubi nunc *Rosoli* pag. 6. mill. ab ora Littor. in merid. uti 7. ab arce S. Florentii Marianam versus, 9. à Bastia in Africum. Episcop. olim sub Metropol. Genuensi.

Nebo, urbs, & mons terræ Moabitarum supra Jordanum, contra Jerichuntem civitatem, in sorte tribûs Ruben, Num. 33. Vide *Nabo*. Item civitas in tribu Benjamin, 1. Esr. 2. & 2. Esr. 7. Item Grammatici cujusdam nomen, Lampridius *in Severo. Grammaticum in patriâ Græcum Nebonem:* hoc est, professione Græcum, sed ortu Syrum: quod nomen arguit. *Nebo* enim proprium apud Syros viri nomen. Erat & Deus Babyloniorum, de quo Esa. *cap.* 46. etsi eam vocem aliter ibi quidam sunt interpretati.

Nebris, hinnuli pellis, Baccho sacra, quâ ipse amiciebatur. Unde Νεβρώδης dictus, Claud. *de* 4. *Cons. Honorii.*

Talis Erythræis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus, & Caspia flectit eburnis
Colla jugis. —— ——

Eodem habitu Bacchæ ornabantur, Seneca *in Oedipo*,

Inter matres impia Mænas
Comes Ogygio venit Jaccho,
Nebride sacrâ præcincta latus,

Nonnus *lib.* 14. *Dionys.* describens expeditionem Bacchi in Indos & varia genera armorum, quibus Bacchæ armabantur, sic canit:

Ἄλλη ποικιλόνωτον ἐπὶ στέρνοιο χαλάζῃ
Παρδαλίην, ἑτέρη δὲ νεβρίδα χεῦεν οἷα χιτῶνα
Στικτὰ φιλοσκοπέλων ἐνεδύσατο δέρματα νεβρῶν
Δαιδαλέης ἐλάφοιο περιστίξασα χιτῶνα.

Nebrissensis Antonius, Restaurator humaniorum in Hispania literarum; Scripsit varia opera Historica, & Dictionarium eruditis notissimum. Obiit An. 1544. Nomen ab urbe *Nebrissa* vel *Lebrixa* adeptus. Ejus elogium videre est, apud Paul. Jov. *cap.* 64. Alph. Garciam, *de erud. Hisp. Viris.* Valæum, *in Chron. cap.* 4. Voss. *de H. L. lib.* 3. *cap.* 11. &c. Vide etiam *Antonius Nebrissensis*.

Nebrodes, mons in Siciliâ. Νεβρώδη ὄρη Straboni, vitiosè proculdubio pro Νεβρώδη, Solinus *cap.* 11. *Sunt & alii montes duo Nebrodes, & Neptunius.*

Silius *lib.* 14.

Nebrodes gemini nutrit divortia fontis,
Quo mons Sicaniâ non surgit ditior umbra.

Nempe densi umbram efficiebant saltus, quos pervagabantur hinnuli, atque damulæ: unde nomen jugo quæsitum, Solinus dicto

dicto loco: *Nebrodem damulæ, & hinnuli pervagantur.* Inde *Nebrodes.* Gratius *in Cynegeticis:*

— — *Victaq; fragosum*
Nebrodem liquere feræ. *Madonia* Fazello.

Nebrophonus, nomen canis venatici, Ovid. *Metam.*3.

Nebrophonusq; valens, & trux cum Lelape Theron.

Latinè *hinnuli interfector.*

Nebres, clarissimus ex Asclepiadis fuit, in Co insulâ, vel Pythiæ testimonio, unde *Nebridæ* dicti, ex quibus Hippocrates, Stephanus in *Co.*

Nebsan, civitas in tribu Judâ, Jos. 15.

Necate, promuntorium Piceni propè Pisaurum, quod quidam *Focariam* vocant, inquit Niger

Neceb, civitas tribus Nephthali, quæ & *Adami*, Jos. 19.

Necepso, nomen medici, de quo Firmicus *lib.*8.

Necepsus, rex Ægyptiorum, in astrorum cognitione peritissimus, Ausonius:

Quiq; magos docuit mysteria vana Necepsus.

Dicitur & *Nechac.*

Nechao, nomen Pharaonis regis Ægypti, illius videlicet, cui contra Assyrios tendenti Josias rex Judæ ivit in occursum, quo in prælio occiso, Joachimum in thronum evexit, cum eo fœdus pactus. Victus dein à Nebucadnezare, An. M. 3429. 4.Reg. 13 2.Paral. 35. Jer. *cap.* 46. Joseph. *Antiq. lib.* 10. Herod. *lib.* 2. & 4 Torniel. *A. M.* 3415. *& seqq.*

Nechia, Pharao Ægypti rex, is qui Abrahamo uxorem suam abstulit. Joseph. *lib.* 6. *cap.* 18.

Necho, rex Ægypti à Nabuchodonosore victus ad Euphratem, Vide *Nechao.*

Necica, opp. Dalassidis, in Cilicia. *Nimica* Interpp.

Neclas, urbs Arabiæ Petr, Episc. sub Archiep. Bostrensi, inter Petram & Medavam, Ptol.

Necoda, nomen viri, 1.Esdr. 2.

Necos, filius Psammitichi, Ægypti rex, cui filius Psammis in regno successit, Herod. *lib.*2.

Necretice, Colchidis regio, Ptolom. *Nitice* Arriano, ut scribit Pintianus.

Necropolis, urbs Ægypti, distans ab Alexandriâ 30. stadiis, ubi Cleopatra, anguibus admotus uberibus, se extinxit, ne in triumpho duceretur ab Augusto.

Nectanebus, Ægypti rex ultimus, Platonis temporibus, filius Tachi, al. consobrinus, pulsus à Mendesio, & restitutus. Dein ab Ocho Persiæ Rege, per Mentorem & Græcos, denuo exturbatus, in Æthiopiam confugit, An. 404. U.C. Dynastias horum Regum Manetho scripsit, Euseb.

Nectarius, Episc. Constantinop. patriâ Tarsensis, familiâ illustri ad civilia magis negotia natus, nec eruditione, nec probitate, nec secundâ nominis famâ, ut quidam scribunt, ornatus, à Theodosio Imper. Gregorio Naz. surrogatus est, antequam baptizatus esset, A.381. Piè quidem præfuit, sed hæreticis, pacem Ecclesiæ turbandi ruditate suâ & inconstantiâ ansam dedit. Interim *Confessionis* ritum & Presbyterum, Pœnitentiæ præfectum, sustulit, cum hac occasione matrona quædam nobilis, in templo, à Diacono constuprata esset: quod ad Episcopi hujus imitationem, in toto mox Oriente similiter factum, in Occid. solo, ritu manente, qui dein *in Confessionem Auricularem* degeneravit. Socrat. *lib.* 5. *cap.* 8. Sozomen. *lib.* 7. *cap.*16.

Nectiberes, pop. Mauritaniæ Tingit. apud Ptol.

Necyia, urbs Umbrorum, Steph.

Neda, *Nedas* Simon. fluv. Arcadiæ flexuosissimè juxta Leprium fluens, Elæosque à Messeniis dividens, ex Lycæo monte oriens cum oppid. cognomine, teste Stephan. Nunc *Longarola*, Briet. ad quem vicus *Nedina*, veteris nominis. Nomen habet fluvius à nymphâ Jovis nutrice, ut Cæl. *lib.*24. *cap.* 27. tradit.

Nedinum, Illyrici opp. Ptol. *Susied*, teste Nigro. *Nadin* incolis, oppidul. nunc Dalmatiæ, in colle, juxta Lacum cognom. in dit. Turcica. Sed à Venetis haud pridem captum, ejusque munitiones disjectæ. 18. mill. à Jadera in Ort. & 24. à Sebenico in Circ. uti 9. ab ora maris Adr. seu Sinus Veneti.

Nedon, urbs & locus Laconiæ, unde Minerva *Nedusia.* Steph.

Neela, civitas, è qua Zabulon alienigens expellere noluit, Hieron. *in loc. H.*

Neetum, vide *Netum.*

Negapatamum, urbs Coromandeliæ, in ora Sinus Bengalæ. Sub Hollandis, à paucis annis, cùm antea pareret Lusit. In tractu Principis Tanjorii.

Negra, oppidum Arabiæ fel. Steph.

Negumbum, urbec. Ceylani Ins. sub Hollandis; *Negombo:* in ejus ora Occid. inter Chilaum ad Bor. & Columbum ad Austr. ferè media.

Nehemias, Judæus, pincerna Artaxerxis Longimani, ab hoc veniâ impetratâ reædificandi muros Hierosolymæ, venit in Judæam A. M. 3609. opusque hoc ingens, frustra inimicis obnitentibus, absolvit. Dein fœdere cum Deo renovato, populares suus piè & prudenter per an. 12. rexit, insigni quoque Bibliothecâ collectâ. In aulam Artaxerxis redux, An. 3621. Judæos à pristina pietate degenerasse, & Legem multos violasse audiit, quare illuc revertendi veniam denuò nactus, quidquid interea abusuum irrepserat, sustulit, Ann. 3629. Ejus nomine Liber Canonicus extat. Vide etiam Esr.1. & 2. Euseb. *in Chron. & lib* 8. *demonstr. Evang.* Salian. Spond. Torniel. *in Annal. V. T. A. M.* 3609. 3621. 3629. *&c.*

Extant in sacrum hunc Scriptorem: Bedæ *Expositio Allegorica.* Brentii *Commentarii.* Crommii *Comment,* Lovanii 1632. Feri *Comment.* Germ. quart. Moguntiæ. de Lapide, fol. Antverpiæ, 1645. Lavateri *Homiliæ,* fol. Tiguri, 1586. Lombardi *Comm. literales, Alleg. & Mor.* fol. Parisiis, 1642. Paulutii *Commentaria,* fol. Romæ, 1625. Pembelii *Explicatio.* Angl. fol. Londini, 1658. Pilkintoni *Comment.* Angl. Sauchii item, fol. 1628. & Strigelii, Lipsiæ octav. an. 1571. Wolfii, *in cap.* 1. & 2. *Comm.* fol. Tiguri, 1570.

Nehiel, civitas quæ est terminus Aser, Jos. 19.

Nehusta, mater Joachin filii Joacim, 4.Reg. 24.

Neila, ætate Hieron. viculus erat, in regione Batanæa, in tribu Manasse, *in L. H.*

Neith, Minerva apud Ægyptios, teste Platone *in Timæo*; ubi cùm dixit præfecturam Saiticam sic vocari à regionis urbe maxima, cui nomen Sais, inde subdit, τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, Ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. Unde Hesychius corrigendus, Νηΐθη, παρ' Αἰγυπτίοις, lege Νηΐθ.

Neium, mons Ithacæ, unde *Naiades*, ut quidem falsò opinantur. *Hyperneion* habet Steph.

Neius Franciscus, Grotio *Naia*, natus Antverpiâ, sed ortu Zelandus, inter Franciscani instituti monachos suæ gentis princeps, Bruxellæ magnis negotiis immixtus, nec ignarus aulæ, nam & Hispaniam viderat, à Philippo 3. paci cum Batavis conciliandæ adhibitus est, Ann. 1607. Vide de ejus artibus, H. Grotium *Histor. lib.* 16.

Nelaxa, Bataneæ, in Syria, oppid. Ptol.

Nelcynda, regio Carmaniæ, in Asiâ, in orâ maris Indici; Arrian. *Dulcinda* Ramusio.

Nelesinum, Castrum Christianorum, Tripoli ad primum lapidem adjacens.

Neleus, Neptuni filius, ex Tyro nympha, Salmonei filia, qui à Pelia fratre Thessalia pulsus, in Laconiam venit, ubi Pylon urb. condidit, Homer, *Odyss.* 2. Huic uxor fuit Chloris, Amphionis Orchomeni regis filia, ex qua 12. filios suscepit, quos postea omnes, præter unicum Nestorem tum sorte ablegatum, interfecit, Ovid. *Metam.* 12.

Neleus, Eubœæ fluv. Antigonus *in mirabil.*

Nelia, urbs Thessaliæ, ad Pelasgicum Sin. Strabo.

Nelo, fluv. Gallæciæ, nunc *Rio Ulla*, versus Compostellam labitur, dein in Oceanum Occ. se exonerat, inter Artabrum prom. ad Bor. & ostia Minii ad Merid.

Nemanturista, Ptolom. *Ayerbe* quibusdam opp. Vasconum amplum, in Aragonia. Aliis *Olite*, in Navarra, ad Cidacum fluv. 20. mill. à Pompeiopoli in Mer. versus Turiasonem.

Nemausus, item *Volcarum Aremoricorum Nemausus*, Colonia, & urbs Episc. Gall. Narbon. in Occitana reg. ad Vardonis fluv. caput, inter Avenionem ad ort. & Montem Pessulum in occid. Urbs antiquissima, ubi amphitheatrum, vulgò *les Arenes,* & plura antiquæ nobilitatis & magnitudinis vestigia. Vulgò *Nismes & Nimes.* Non longè *Nemausus* fons instar amnis fluens. Ausonius *in catalogo Urbium,*

Non Aponus potu, vitreâ non luce Nemausus
Purior. — —

Urbem hanc quidam ab Herculis filiorum aliquo conditam volunt, quod tamen incertum. Ex numis antiquis patet, hanc ab Augusto, post Ægyptum devictam, coloniam deductam esse: palmam enim, cui crocodilus alligatus, præ se ferunt, cum inscriptione, COL. NEM. id est, *Colonia Nemausus*, vel *Nemausensium:* & hæc Nemausi hodierna insignia. Cæterùm sita est commodissimè, sedes Præsidialis Curiæ, &c. Fuit sub Gothis, usque ad Carolum Martellum; præterito seculo Reformatis in Gallia refugium præbuit, quorum hodieque ingens ibi numerus. Ptol. *lib.* 2. *cap.* 10. Mela, *lib.* 2. *cap.* 5. Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Suet. *in Tiber.* Antonin. *in Itin.* Strabo. *lib.* 14. Joh. Peldo, *de antiq. Nemaus.* Crasserus, *antiq. Nemaus.* Catel. *lib.* 5. *Hist. de Lang.* Duchenius, Sammart. *Gall. Christ.* Hîc Concilia A. C. 389. 886. 897. 1096. Morerius *Dict.*

Nembroth, de quo Sulp. Severus, *lib.* 1. *Chami filius, Chus nomine Nembrod gigantem genuit.* Ebræis *Nimrod*, à מרד *marad, rebellavit.* Νεβρὼδ 70. Interpretibus. Unde in Joseph Νεβρώδ. Gigantem dixit Sulpitius, ex antiquâ opinione ortâ ex 70. Interpretibus. Quod enim Genes. 10. scribitur, *Ipse cœpit esse potens in terrâ*, reddiderunt illi, οὗτος ἤρξατο εἶναι Γίγας. Ita quoque ab Ambrosio & Augustino dicitur. Sed γίγας illic non significat *gigantem,* verò vertendum, *cœpit esse potens*, Hesychius. Γίγας, δυνατὸς, ἰσχυρός. Aliter paulò Chrysostomus, γίγας, τουτέστι πολεμιστής. Τολμηρὸς, καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος Josepho, unde forsan *venator* dictus. Vide *Nimrod.*

Nemea, opp. *Tristena* Nigro, ubi sylva Achaiæ, seu regio sylvosa, inter Cleonas & Phliuntem, in quâ Hercules miræ magnitudinis leonem interfecit, qui à loco cognominatus *Nemeæus.* Unde ibi, in honorem ejus, instituta sunt solemnia quædam certamina, quæ & ipsa à loco *Nemeæa* dicta, Olymp. 51. Quanquam non desunt,

qui ea potius, longe ante in honorem Archemori, instituta velint, Lycurgi Nemeæ regis filioli, quem cùm Hypsipyle nutrix Argivis fontem ostensura in gramine deposuisset, serpens à proximis virgultis interfecit.

Nemea, fluv. Peloponnesi, in sinum Corinthiacum fluens, Strab. Nunc *Langra*. Medius inter Sicyonem, ad Occ. & Corinthum ad Ort. Item opp. Argiæ, medium inter Sicyonem in Circ. & sinum Argolicum in Eur. Etiam rupes apud Thebas in Bœotiâ seu potius apud Nemeam opp. Argiæ, Virg. *Æn.* 8.

Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem:

Fons etiam Hispaniæ in Celtiberis, Mart. 1. *Epigr.* 49.

Et Nemea, quæ vincit nives.

Nemeum, locus Locrorum Ozolorum, in Achaja, ubi Hesiodus occisus, *Plut.*

Nemesa, Auson. in Mosellanica. *Nyms* Ortel. fluv. Galliæ Belg per agrum Trevir. juxta Scheineeam & Bitburgum fluens; inque Mosellam labens eum Sura, in qua prius excipitur.

Nemesianus Aurelius Olympius, Poeta Latinus Carthaginensis. Scripsit *Cynegeticon* & Eclogas: è quibus fragmenta quædam, à Sannazario accepta, refert Lilius Giraldus. V. Hincmarum Rem. *epist. ad Hincmarum Laudun.* nepotem suum, ubi libri hujus, tanquam in Scholis prælegi soliti, meminit. Cùm ait: *Aliter respondere non potui, nisi ut venatores feræ lustra sequentes agere, auditu & lectione quer Scholarius in libro, qui inscribitur, Cynegeticon Carthaginensis Aurelii, didici, &c.* Quære insuper, in *Aurelius Olympius Nemesianus*

Nemesis, Dea scelerum ultrix, Jovis, & Necessitatis, vel Oceani & Noctis filia, puniens immoderatos, & impudentes, unde ejus iram deprecabantur, qui loquebantur de se. Vide Callimachum *Hymno in Cererem, vers.* 56. Euripidem *in Phœnissis, vers.* 189. Itemq; Ausonium *Idylliis*, 5. & 8. Pauf. *in Arcad.* Cartar. *de imag. Deor.* Boccatium, *in Geneal. Deor.* Dicitur vel à νεμεσάω, *succenseo*, seu à νέμω, quòd bona & mala distribuat. Dicta fuit & *Adrastia*, ab *Adrasto* rege, qui primus ei templum posuit; & *Rhamnusia*, à *Rhamnunte* oppido Atiæ, in quo templum habuit. Plato *De Legg.* Nemesin δίκης ἄγγελον, hoc est, *judicii angelum* vocat. Catullus *Epigr.* 51. *de Nemesi,*

Est vehemens Dea, lædere hanc caveto.

Habuit ex Antimacho. Unde Statius etiam,

Est Dea quam Nemesin dicunt, Dea magna, potensq;
Quæ bona cælestum concessu cuncta Deorum
Possidet. ——— ———

Item *Nemesis*, Tibulli amica. De quâ ipse 2 3.

Ut mea luxuriâ Nemesis fluit, utq; per urbem
Incedat donis conspicienda meis.

Martialis 8 7. 3.

Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli.

Nemesium, urbs Marmaricæ, Ptol.

Nemetacum, Anton. eadem quæ Nemetocerna, seu Atrebatum, *Arras*. Vide ibi.

Nemetati, pop. Hispan. Tarr. Ptolemæo.

Nemetes, q. raptores hostium, à *nemen* Germ. pop. & urbs Germ. super. ad Rhenum libera in Palatinatu, *Speyr* teste Rhenano, inter Argentinam, 12. leuc. in Bor & Moguntiam. Dicitur & *Noviomagus Nemetum*, urbs ampla, sed malè culta, intra fines Palatinatus Rhenani, sub proprio Episc. Sedes Cameræ Imper. 7. leuc à Vormatia in Merid. 4. ab Heidelberga in Afr. & 1. cum dim. infra Philippoburgum in Bor. Pluries capta & recepta, ultimo bello Germ. nunc reparatur in dies. Vide *Spira*.

Nemetobriga, Hispan. Tarracon. urbs; Ptol. Vulgò *Val de Nebro*, teste Taripha.

Nemetocerna, oppid. Gall. Belgicæ, dictum fortè à *Nemetibus*, nunc Spitensibus. Cluverio aliisque est *Atrebatum*, Vide ibi, & *Nemetacum*.

Nemeus mons, vide *Nemea*. Unde & fluv. *Nemea*,

Nemia, urbs Thessaliæ, Etymol.

Neminia, fons agri Reatini, qui ortum mutans, annonæ quoque mutationem portendit, Plin. 2. 103.

Nemorensis vallis, seu *Vallis Demona*, una ex 3. provinc. Siciliæ, magis ad Bor. extensa, ex adverso Calabriæ ulterioris, à qua dividitur freto Mamertino. Terminatur à Sept. mari Tyrrh. ab ortu mari Jonio, ab Occ. valle Mazaræ, à Merid. valle Nextina. Ejus urbes præc. Messana, Catana, Pactum, & Cephalœdum (*Cifalu*) ibi & Ætna, mons ignivomus, *Mongibello* dictus.

Nemorensis lacus, seu *Nemus Dianæ*, & *Lacus Triviæ*, nunc *Lago di Nemi*, à Castro Nemo ei adjacente. Circuitus 7. mill. 18 mill. à Roma in Eurum, 4. à Velitris. In Campania Rom. Baudrandus *monemus*.

Nemosium, urbs tractus Vastiniensis, ad fluv. *Loing*, in Gallia. Vide *Nemdunum*.

Nemosium, opp. lepidum & amplum Vastinii agri, ad Lupiam fluv. 18. leuc à Lutetia in Austr. 7. à Montargio in Bor. Cum tit. Duc. à Carolo 6. An. 1405. erecti, cùm antea sub propriis Dominis, dein sub Comitibus esset. Vide Duchenium *Antiquit. Gall.* Gallis *Nemours*.

Nemosus, Strab. *Nemossus* Luc. forsan *Augusta Nemetum*, Baudr.

Nemra, civitas, Num. 32.

Nemrim, locus terræ Moab. Isa. 15. dicitur & *Nimrim*.

Nemus, castr. Campaniæ Rom. juxta Lacum Nemorensem, in colle, cum palatio superbissimo Marchionum Frangepanorum, in dit. Pontif. 18. mill. à Roma in Eur. uti 6. ab arce Gandulphi, 4. à Velitris, *Nemi*.

Nennius, Abbas Anglus, discip. Elvodugi Probi & Beulani Ecclesiastici, floruit An. 620. Auctor libri, de origine Britonum, &c. Pitsæus, Balæus *de Script. Angl.*

Nensia, urbs Africæ propriæ, Ptol.

Nentidava, Ptol. *Nosenstadt*, urbs Transylv. quæ nunc Bistritia, apud Ruthenorum, seu Roxolanorum fines, intra montes, 5. leuc. à Claudiopoli in Bor. *Beszterce* Hungaris.

Neobule, Lycambis Thebani filia, quam cùm pater Archilocho poetæ despondisset, postea que facti pœnitens tradere eam recusaret, tam acri Jambo ab Archilocho fuit perstrictus, ut doloris impatientiâ mortem sibi laqueo credatur conscivisse. Vide *Archilochus* & *Lycambes*. Item Horatii amica, cujus meminit *Carm.* 3. *Odyss.* 12.

Tibi qualum Cythereæ puer ales,
Tibi telas, operosæq; Minervæ
Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri.

Neoburgum, quod & *Neopyrgum*, & *Nova castra*, multiplex est urbs Germaniæ: sed quæ præcipuæ, una ad Salam fluv. in confin. Misniæ, Thuringiæ, & Saxoniæ, vulgò *Naumburg*, inter Erfordiam, ad Occid. & Lipsiam ad Ortum. Baudrando urbs est Saxoniæ super. in Misnia, aliàs sub proprio Episc. nunc sub Administratore, e domo Saxon. cum regiunc. adjacente, *Stifft Naumburg*, in ipso limite Thuringiæ. Altera in Bavariâ ad Danubium, hodie *Neuburg*, sedes Ducis Neoburgensis.

Neoburgum, opp. Brisgaviæ, ad Rhen. medium inter Brisacum ad Bor. & Basileam ad Austr. sub Austriacis: *Nevvenburg*. Ibi obiit 1639. Bernardus, Dux Veimariensis, vir fortitudine & victoriis commendatissimus. A Gallis in cineres redactum, An. 1675.

Neoburgum, opp. munitum Fioniæ Ins. in parte Or. cum portu capaci, juxta fretum *Beltsund*, 18. m. p. à Sclandia, & à Corsoa portu in Occ. Ottoniam versus, à qua pari spatio distat; *Nyburg*.

Neocæsarea, urbs Cappadociæ ad Lycum fluv. Archiep. & metrop. reg. caput, quæ *Tocato* dicitur, ac sedes Satrapæ Turcarum; quæ etiam *Hadrianopolis* dicitur; teste Stephano, inter Amasiam ad Occid. & Trapezuntem in Ort. *Nixar* Leunclavio, *Thocato* Nigro. Hic Synodus, à Gregorio Episc. hujus loci, An. 261. celebrata: quo epistola contra Idolothytorum comestores scripta, quæ in Jure Græco extat. Dein An. 313. ab iisdem Episcopis, qui Ancyranum Concil. coegerant, hîc aliud celebratum est: ubi in favorem Cœlibatus quædam statuta. Fuit & *Neocæsarea*, urbs Syriæ episcopalis sub Archiep. Hierapolitano in Euphratesia. Cujus Episcopum Paulum Diocletianus manibus truncari eique verenda exuri jussit, quòd fœminas quasdam sacras literas doceret.

Neocastrum, cujus pop. *Neocastrenses* dicuntur, urbs Brutiorum in magnæ Græciæ confin. Episc. hodie *Nicastro*, in Calabria ulter. ad rad. Apennini, in limite Calabr. cit. 6. mill. ab ora maris Tyrrh.

Neoclaudiopolis, anteà *Andrapa*, urbs Paphlagoniæ Claudiopoli veteri, & Tavio finitima, *Conique* vulgò, aliis *Castromena*, ab Ancyra supra 130. m. p. in Occ. à Cratia 24.

Neocles, philosophus Atheniensis, frater Epicuri; scripsit de sectâ suâ, Diogen. Laert. Fuit etiam *Neocles* Themistoclis pater, Æl. *Variar. Hist.* 2. 12.

Neoclides, Rhetor Atheniensis, ærarii expilator, pituitæ & lippitudini obnoxius. Traducitur Aristoph. Pluto Act. III. Sc. 2.

Neocomum, oppid. Helvetiorum, ad lacum cognom. Sub Duce Longavillano, cum regiunc. adjacente, 8. leuc. Germ. à Lausanna in Sept. ferè 7. à Berna in Occid. Vesuntionem versus 8. à Soloduro in Afric. *Neufchastel*, Gall. *Neevvenburg*, German. Sub protectione pagi Bernensis. V. *Nov. castrum*.

Neodunum, urbs Gall. Celt. in Britanniâ minori, vulgò *Dol*, teste Cœnali, 10. leuc. à Rhedonibus in Bor.

Neoforum, opp. Silesiæ, in Duc. Vratislaviensi, in loco amœno, medium inter Vratislaviam ad Ort. & Lignitium ad Occid. 4. leuc. *Nevvmarckt*.

Neoforum, opp. aliàs, nunc vicus Normanniæ, ad Eptam fluv. in limite prov. Bellovacensis. Aliter *Novus Mercatus*. Vide ibi.

Neogenes, conducto cum Jasone Pheræo milite, arcem Actiacorum occupans, tyrannidem invasit superbeque atque avarè imperitans, à Therippide Lacedæmonio, ejectus est, Diod. *lib.* 15. in Olymp. C. anno quarto.

Neomagus, Regnorum civitas in Britanniâ, Ptol. hodiè *Guildford* Lhuydo; Talborus idem cum Noviomago Antonini esse putat, & hodiè *Croyden* dici. Vide omninò Guil. Burtonum in Anton. Itin. *pag.* 175. long. 19. 38. lat. 52. 15. Nunc *Woodcote*, 9. mill. Angl. à Londino in Mer. Camden. Sanso.

Neomagus, opp. Gall. Celt. Ptol. *San Salveur* Villanovano in orâ Normanniæ Boreali, & maritima, à Juliobonâ, 4. leuc. in Occ. sicut ab ostio Sequanæ. Sed est potiùs urbs Lexoviorum, vulgò *Lisieux*; nam apud Ptol. mediterr. est, non maritima, cui etiam *Nœomagus* dicitur. Vide *Noviomagus Lexoviorum*, seu *Lexovium*.

Neomagus, etiam eidem Ptolemæo, urbs Nemetum in Germaniâ super. in Palatinatu apud Rhenum, teste Joh. Heroldo, vulgò *Odenheim*, vel *Udenheim*. Sed Ferrario ipsa Spira potius, Vide *Nemetes*, videtur, ita ut eadem sit *Neomagus* Antonini, & Ptolemæi, 1. cum dim. leuc. à pago Udenheim, qui nunc Philippoburgus, arx munitissima.

Neomagus, opp. Gall. Narbon. in finibus Tricastinorum, Ptol. *Nyon*, teste Joh. Poldo. Et in Gall. Belgicâ, in finibus Trevirensium, vulgò *Numagen*, pagus ad Mosellam, à Treviris 3. leuc. in ortum. Et in Campania, *Nogent sur Seine* hodiè, inter Agendicum 7. & Trecas 12. leuc. in fin. Senonum.

Neomagus, vide *Noviomagum*.

Neon, Historicus, sub M. Aurelio: scripsit Græcè acta Martyrii Speusippi & Meleusippi fratrum. Baronius *in Annal.*

Neon, urbs Phocidis, Herod. *lib.* 8. ad Parnassum, Delphis vicinum. Gentile *Neonius* & *Neonaus*. Steph. Herod. Pauf.

Neontichos, oppid. fuit Æolidis, juxta Hermum fluv. *Novus murus*, Latin. Herodot. Plin.

Neophon, vel *Neophron*, Poëta Græcus, varias edidit tragœdias. Familiaris Callisthenis, quem propterea cum hoc Alexander M. necari jussit. Suid.

Neoptolemus, cognomen Pyrrhi Achillis filii, inde impositum, quòd admodum adolescentulus, primum tyrocinium, in bello Trojano, posuit. Νεοπτόλεμος enim Græcis *tyronem* sonat, seu *militem novitium*, Virgil. *Æn.* 2. Hinc Νεοπτολέμειος τίσις, *Neoptolemica vindicta*, ubi quis idem patitur, quod in alios fecit. Siquidem *Neoptolemus*, qui Priamum in ipsis palatii focis occiderat, ipse vicissim apud Delphos, ad Apollinis Aram, interfectus est. Item Tragœdus, de quo Sueton. *in Calig. cap.* 107. ubi Torrentius videri potest.

Neoptolemus, Tragœdus, qui in nuptiis Alexandri Epirotæ & Cleopatræ jussus à Philippo Maced. rege canticum ordiri, ominosos de regis exitu versus forte fortunâ protulit. Diod. XVI. 557.

Neoptolemus, Scriptor Naupacticorum.

Neoptolemus, Macedo, vir insignis cecidit, in oppugnatione Halicarnassi, ad ipsas portas. Diod. XVII.

Neopyrgum, urbs Thuringiæ, Vide *Neoburgum*.

Neopyrgum, urbs Bavariæ, ad Danub. cum tit. Duc. proxima Ingolstadio, inter Ratisponam ad Ort. & Ulmam ad Occ. *Neuburg*

Neopyrgum, castrum Patrimonii S. Petri, cum turri, & portu tantisper capaci, in ora maris Tyrrh. in Dominio Barberinorum. Ibi fuit aliàs Pyrgus, opp. Hetruriæ, 6. mill. à Centumcellis in Ort Romam versus 33. circ. Guil. Lesleus. *S. Marinella*, V. *Pyrgus*.

Neoris, regio Asiæ vasta & aquarum inops, circa Gedrosiam Popul. *Neoritæ*, qui mortuorum corpora arboribus suspendunt Diodor. XVII.

Neoris, Iberiæ oppidum insigne, juxta Harmastim fluvium. Plin. 6. 10.

Neoselium, oppidul. munitum Hungariæ, ad Nitriam amnem, ann. 1663. captum à Turcis. *Neuhausel*, Germ. *Ovvar*, Hungar Vix 2. leuc. à Danubio, ubi recipit Wagam, in Ort. 2. à Comora in Cæc. 10. à Posonio in Eur. 7. à Strigonia in Circ. Jurisdictionem habet satis amplam.

Neoterius, Consul cum Valentiniano Augusto, anno U. C. 1183.

Neotichita, pop. Æolidis, quorum urbs νέον τεῖχος, id est, *nova mœnia*, commemoratur à Stephano. Item Phocidis, Thraciæ, Cariæ, & Sarmatiæ Europææ.

Nepa, pro cœlesti Scorpione passim, apud Ciceronem *in Arateis*; Exemplo hæc sint,

Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai.

Et, *Quare cum magnis sese Nepa lucibus effert.*

Manilius *lib.* 2.

—— *Pietate ad sidera ductam*

Erigonen, ictuque Nepam, spolioque Leonem.

Et *libro quarto*,

Hærentesque decem partes Nepa vindicat ipsi.

Et *libro quinto*;

Sed regione Nepæ vix partes octo trahentes.

Nepam Afrorum esse vocabulum, scribit Festus, id est, Pœnorum, ut interpretatur Bochartus, quorum linguâ נב *neb*, vel נבה *nebbà* dici potuit à *cauda internodiis*.

Nepe, Tusciæ urbs mediterraneâ, hodie nomen retinet, Procopio *Gothicarum rerum lib.* 4. est Νέπα, Ptolemæo Νέπητα, Straboni *lib.* 5. Νέπιτα. Genuina autem formatio est, apud Livium, & in antiquo lapide *Nepete*, ut *Tergeste*, *Ateste*, *Præneste*, *Reate*, *Soracte*. Græci ultimam syllabam formarunt plerumque in τος, unde apud Dionys. Hal. *lib.* 13. qui interiit, scriptum fuit Νέπετος. Apud Stephani enim epitomatorem sic legitur: Νέπετος, πόλις Ἰταλίας, Διονύσιος τεσσαρεσκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, τὸ ἐθνικὸν Νεπετεῖνος; per summam imperitiam procul dubio sic scripsit, pro Νέπετος. Vulgò *Nepi*, urbec. Patrimonii, juxta amnem *Pozzolo*, 6. mill. à Sutrio in Ort. 5. à Monte Rosulo versus Civ. Castellanam. Oppidani *Nepesini*, eâdem scil. etymologiâ, ut à *Mileto*, *Milesii*, Cluverius, Sil. Ital. *lib.* 8.

Hos juxta Nepesina cohors, æquique Falisci.

Hodie *Nepe*, vel *Nepi*, long. 35. 57. lat. 41. 59.

Nephalia, festa Græcorum, quæ sine vino celebrabantur, testibus Polluce, & Suidâ.

Nephathdor, civitas in tribu Manasse, eadem quæ *Dor* dicitur, 1. Reg. 4. Ex Hebræo vertendum erat *in omni termino Dor*.

Nephele, uxor Athamantis, mater Phryxi & Helles, à quo Ovid. *Met.* 11. Hellen *Nepheleida* cognominat. Hinc *Nephelaus*, ut *pecus Nephelaum* pro Ariete, qui Phryxum & Hellem vexit. Val. Flac. *lib.* 1.

I decus: & pecoris Nephelæi vellera Graio

Redde tholo. Vide Nat. Com. 6. 9.

Nephelis, Ciliciæ urbs, Ptolom. mediterran. supra 10. m. p. ab Antiochia.

Nephelococcygia, confictum urbis nomen, apud Aristophanem Comicum. Stephan.

Nepheonitæ, Sarmatiæ Asiaticæ pop. Plin.

Nepher Cheres, Ægypti rex, an. ante U. C. 180.

Nepheris, opp. Africæ propriæ, Anton. Strab.

Nepherites, rex Ægypti, Olymp. 93.

Nepheus, filius David, 2. Sam. 5. Latin. *imbecillis*, aut *remissus*, sive *laxatus*.

Nephim, aliàs *Neuphurus*, castrum principis Antiocheni, triginta fortibus turribus munitum, & contra Austrum à Tripoli duobus miliaribus distans, penè totum mari ambitur.

Nephreus, vocatur Diodor. *lib.* 14. Ægyptiorum Rex, à Lacedæmoniis in auxilium vocatus, cùm Agesilaum in Asiam, contra Artaxerxem, bellatum misissent. Suppeditavit verò ipsis apparatum navalem centum triremium & infinitam frumenti copiam. Quæ cùm Rhodi appelleret, jam Persarum partes amplexæ, à Conone intercepta.

Nephthalim, sive *Nephthali*, sextus filius Jacob, ex Bilha, ancillâ Rachel uxoris suæ, Genes. 30. prognatus, A. M. 2287. in tantum Abrahæ semen in Ægypto propagavit, ut de tribu ejus juxta montem Sinai numerati & inventi sint viri, ad pugnam apti, quinquaginta tria millia quadringenti, quorum filii, illis ad tantum omnibus in deserto mortuis, & ipsi viri bellatores quadraginta quinque millia quadringenti promissam terram ingressi, forte omnem eam possederunt regionem, quæ ad Orientem tribus Aser sita totam penè complectitur Galilæam superiorem, fontes Jordanis, & partem montis Libani usque Damascum. Baudrand. fuit versus fontes Jordanis, inter Aser ad Occ. & dim. trib. Manasse trans Jord. ad Ort. ad super. & Occ Jordanis ripam. Latin. *comparatio*, vel *æquiparatio*, aut *retorsio*, vel *tortuositas*, Hesychius. Νεφθαλείμ, πλατυσμός. Torniel. *A. M.* 2287. *n.* 1. 2591. *n.* 5.

Nephthalim, sive *Nephthali*, insignis in Galilæa superiori tribus Nephthalim urbs, supra Naason, à qua tribus versus Orientem miliaribus abest. Situ locique naturâ firma ac munita sane urbs fuit, ab Occidente enim præalto ei adjacente monte munita, qui non nisi ab Orientali sui parte per angustissimam viam ascendi potest. 1. Reg. 4.

Nephthalitæ, pop. in Oriente, Joseph. Steph. Sic scribendum apud Agathiam, pro *Nepthalitæ*: A Procopio *Euthalitæ* vocantur, sic Lewenclavius monuit. Hunnica natio est, sed Persis vicina, quorum civitas Gorga; vide Procop. *lib.* 1. *bell. Pers.* ubi eos eleganter describit.

Nephthoa; Latin. *apertus*, vel *apertio*, sive *sculptura*, nomen fontis, Jos. 15.

Nephtuim, idem plur. num filius Mesraim, Gen. 10.

Nephusim, nomen viri, 1. Esdr. 2. Lat *diminuti*, vel *dilacerati*.

Nepia, Jasi filia, quam Olympus Mysiæ rex uxorem duxit, habitavitque in eo loco, qui ab Uxoris nomine *Nepia campus* est appellatus, juxta Cyzicum urbem, de quo meminit Callimachus, *in Halcale*. Apollodorus verò *Nepia campum* in Phrygiâ ponit.

Nepista, Carmaniæ urbs, Ptol.

Corn. Nepos, & ante Cæsaris dictaturam, & eo dictatore, & postea vixit Hieronymus, *in Chronico Eusebiano*, refert illum ad annum Augusti quartum. Padi fuit accola, teste Plinio 3. 18. Unde Catullo, *epigrammate primo*: *Italus*; Ausonio autem *Epist.* 24. *Gallus* vocatur; nempe quia Italia Transpadana diceretur Gallia Togata. Historicus hic Ciceronis amicus familiaris, à Gellio, vocatur 15. 28. Chronica scripsisse, testis est idem Gellius 17. 21. In his pro triplici tempore, ἀδήλου, μυθικοῦ καὶ ἱστορικοῦ tres videtur scripsisse libros, quod liquidò testatur Catullus, *initio hendecasyllaborum*. Nec historicum tempus ab eo solùm esse tractatum, indicio est illud Ausonii *Epist. ad Probum Præfat. Apologos Titiani, & Nepotis Chronica, quasi alios Apologos (nam & ipsa instar fabularum sunt) ad nobilitatem tuam misi* Item ex eo, quòd Tertullianus *in Apologetico*, *adversus Gentes* (ubi eum inter antiquitatum commentatores fert m reponit) dicit, haud alium Saturnum, quàm hominem, promulgasse Quod etiam Lactantius tradit 1. 3. Reliquit præterea libros illustrium virorum, quorum Gellius meminit, 11. 8. & Servius *in Æn.* 1. Eorum librum 1. 15. & 16. citat Charisius. Ex his habemus 22. exterarum gentium Imperatores. Vide Voss. *Hist. Lat* 1. 14 Jonsium, *Hist. Phil. Script. lib.* 2. *cap.* 18. & suprà, *Cornelius Nepos*.

Nepos, vid. *Flavius*.

Nepos Julius, fil. Nepotiani, ex sorore Marcellini Patritii, Glycerium imperio exuit, An. 474. seque Augustum Ravennæ declarari

clarari curavit. Sed ab Oreste Italiâ pulsus, in Dalmatiam, ubi possessiones habebat, se recepit, à suis ibi, quos ad id subornaverat Glycerius, occisus. Jornand. *in Chron.* Cassiodor. Evagrius, &c.

Neos, Episc. Ægypti, An. 264. Millenariorum errores sectatus, in eo tamen ab illis recessit, quòd regnum illud in terris, ante diem ultimum, merè spiritale esse crederet. Eruditione aliàs in clytus & hymnis in usum Ecclesiæ compositis. Hunc Dionysius Alexandrinus, ejus ingens amicus, voce & scripto refutavit, tanto cum successu, ut Coracio, unus ex præcipuis illius sectæ antesignanis, cum plurimis aliis, sententiam mutaverit, Euseb. *Histor. lib.* 7. *cap.* 19. Hieron. *præf. in Esai.*

Nepotianus Fl. Popilius, fil. Eutropiæ, sororis Constantini M. post mortem Constantis, An. 350. Imperator salutatus, 28. post die interfectus est, an. U. C. 1104. A. C. 350. ab Aniceto, Urbis Præfecto, quem Magnentius, qui eodem tempore in Galliis eandem dignitatem rapuerat, pecuniâ ad id corrupit, Zosim. *lib.* 1. Victor. *in Epist. Histor.* Socr. *lib.* 2. *&c.*

Neptuni ara, urbs Africæ propriæ maritima, Ptol.

Neptuni fanum, Straboni & Melæ circa Cenchreas, Ptolemæo verò juxta Patras. Item in Calauriâ insulâ, Plut. *in Demosth.* Item circa Mantineam & in Cariâ, Polyb. Plinio.

Neptuni promontorium, in Campaniâ, item in Arabiâ Felici, Eust. *in Dionys.* apud quem Ποσειδώνιος ἄκρα dicitur.

Neptunia, opp. & colonia magnæ Græciæ, Paterc. apud Scylacium urb. ad montes Mosciì rad.

Neptunium, aliàs *Navale Antiatum*, opp. dit. Pontif. cum portu tantisper capaci, in Latio, in ora maris Tyrrh. aliàs sub dom: utili Columnarum, medium inter Terracinam ad Ort. & ostia Tiberina ad Occ. 25. mill. utrinque, versus Pomptinas paludes.

Neptunium prom. Arabiæ fel. ad fretum & fauces Sinus Arab. *Capo Ara* Moleto. Ptol. Diod.

Neptunius, mons & fons Siciliæ & Tarracinæ, Solinus. *Sprevetto* nunc Fazello.

Neptunius dux, Sextus Pompejus sic dictus, Horat. *Epod* 9.

> *Ut puer, actus cùm freto Neptunius*
> *Dux fugit, ustis navibus.*

Hic enim, teste Appiano Ἐμφυλ. 5. Θαλάσσης καὶ Ποσειδῶνος υἱὸς ἐθέλειν καλεῖσθαι. Ac Dione, *lib.* 48. non semel, qui & illud exprimit, Neptuni filium dici voluisse, quia pater ejus Pompejus M. maris olim potitus imperio. Neque minus insolens Agrippa Augusti nepos ex Juliâ, qui & ipse Neptunum se vocavit, Dio *l.* 55.

Neptunus, Saturni & Opis filius, cui, in orbis totius divisione, maris regnum obtigit, unde & tridentem gestat, peculiare ejus regni sceptrum. Ipse apud Virgil. *Æn.* 1. ventos alloquens,

> *Non illi imperium pelagi sævumq; tridentem,*
> *Sed mihi sorte datum* ——

Uxorem habuit Amphitriten, multarum nympharum matrem, quarum nomina exequitur Hesiod. *in Theog.* Hinc deducitur *Neptunine*, patronymicum fœmininum, Catull. *in Argon.*

> *Te ne Thetis genuit pulcherrima Neptunine?*

Hinc etiam *Neptunius*, ut apud Virg. *Æn* 3.

> —— *Et ex imo fumat Neptunia Troja.*

Equos primus omnium domuisse, artemque equitandi tradidisse fertur, Diod. Sic *lib.* 6. proin Equus ipsi offerri solitus. Vide *Scyphius* Alii volunt, ipsum hominibus equum, antea ignotum, primùm edidisse, quod asserit Lucanus *in his:*

> *Primus, ab æquoreâ percussis cuspide saxis,*
> *Thessalicus sonipes bellis feralibus omen*
> *Exiluit.* —— ——

Virgil. *lib.* 1. *Georg.*

> —— *Tuq; ô, cui prima frementem*
> *Fudit equum magno tellus percussa tridente*
> *Neptune.* —— ——

È Cœlo pulsus, cum Apolline, quòd contra Jovem conspiravetant, Trojanos muros condidisse: Cum Minerva quoque, utri nomen Athenarum urbi imponere fas sit, certasse dicitur. In hujus honorem Circenses ludi à Romanis instituti. Quid autem Neptuni nomine intellexerint veteres, prolixè docet Natalis Comes *lib.* 2. *cap.* 8. Nomen ejus quod attinet, ita Cicer. 2. *de N. D.* *Ut à portu Portunus, sic Neptunus à nando, prioribus literis paulum immutatis.* Legendum autem à *nubendo*, vel à *nuptu*, non à *nando*. Sic enim Varro, *Neptunus* (inquit) *quòd mare terras obnubit.* Nam olim *Neptunus* dicebatur, ut à portu *Portunus*, à satu *Saturnus*: sic hodie in antiquis libris *Pilunnus, Picunnus, Vertunnus*, Lipsius *Satura* 1. 2. At Scal. *de Plantis*, Neptuno ait nomen à *lotione* attributum, scil. ἀπὸ τοῦ νίπτειν. Bochartus verò, *Neptunum* ab Ebræo פתה deducit, quod signif. *dilatare*, illud autem in conjugatione niphal נפתה *Niphtha.* Sed meliùs deduci potest ab Ægyptio Νέφθυς, quo Plur. *in Iside.* Νέφθυν δὲ καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα, καὶ παρόρια, καὶ ψαύοντα τῆς θαλάσσης. De variis autem Neptunis vide Hygin. *a fab.* Cartar. *de Imag Deorum.* Alex. Rossæum, *in Mystagogo Poetâ.* In primis autem Voss. *de Theol. Gent.* 1. 15. De fine achro autem ejus ac sacrificiis, idem agit *lib.* 9. *cap.* 18.

Nequinum, opp. quod nunc *Narnia* dicitur, ob incolarum libidinosam inertiam sic dict. Plin. 3. 14. *Narnienses; quod oppidum Nequinum ante vocatum est.* Stephani epitomator, Νηκυΐα, πόλις Ὀμβρικῶν. Διονύσιος ἐν ἑπτακαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας· τὸ ἐθνικὸν Νηκυϊάτης. Omninò credendum scripsisse, si non Stephanum, saltem ipsum Dionysium Νηκυϊνάτης, hoc est, *Nequinates*: quorum opp. erat Νηκυΐνα *Nequina*, Liv. *lib.* 10. *Alter Consul Apulejus in Umbria Nequinum oppidum circumsedit. Locus erat arduus; in parte unâ præceps, ubi nunc Narnia sita est; nec vi, nec munimento capi poterat.* Vide *Narnia.*

Ner, Latin. *lucerna*, sive *novale*, pater Abner, 1. Sam. 14. Pater Cis patris Saul, 1. Par. 8. Filius Jahiel, 1. Par. 9.

•*Nerabus*, urbs Syriæ, Stephan.

Neracum, urbs tractus Vazatensis, in Aquitania, ad amnem Baisam, Duc. tamen Leporetensis pars. Vix 2. leuc. à Garumna, ferè 3. à Condomo in Sept. 4. ab Agenno in Occ. satis est culta. Hic collatio *Neraciana* dicta, instituta est à Catharina Medicæa, Gall. Regina, an. 1579. quæ eò venerat, ut audiendis Protestantium, per illas regiones, querelis & pacandæ Aquitaniæ idonea remedia adhiberet; quo fine cum delegatis Ecclesiarum prolixè egit, nactaque Collatio finem Kal. Mart. 17. capp. absoluta, ac à Rege confirmata est. Urbis postea, an. 1580. à Birono regiarum copiarum duce interceptæ, historiam V. apud Thuan. *Hist. l.* 82.

Neratius Priscus, J. C. clarissimus, cujus scriptorum inter quæ 15. libb. *Regul.* fragmenta extant in Pandectis. Vide & Aul. Gell. *lib.* 4. *cap* 4. Gesner. *in Bibl.*

Neregal, vel *Nergal*, Latin. *explorans*, vel *pedester*, sive *lucerna discooperta*, vel *coacervata*, aut *novale discoopertum*, vel *revolutum*, unus ex principibus regis Babylonis, Jerem. 39.

Neressus, opp. in Ceâ insula, cujus meminit Æschines, *epist.* 1. *ad Polyc.* Ita vett. edd. lege *ad Philocratem.* Locus sic se habet: Λέοντες ἐκ Μυνουχίας ἰατρὸς λιμπαστῷ σφόδρα Σκίρωνι, ἀπελάμβανον ἡμέραν, κατήχθημεν εἰς Νηρησσὸν τῆς Κίας.

Nereus, Ponti, sive Oceani & Tethyos filius, Hesiod. *in Theog.*

> Νηρέα τ' ἀψευδέα καὶ ἀληθέα γείνατο Πόντος,
> Πρεσβύτατον παίδων, αὐτὰρ καλέουσι Γέροντα,
> Οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων
> Λήθεται, ἀλλὰ δίκαια, καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν.

Illum igitur & veridicum & vatem esse crediderunt, eum Trojanas etiam calamitates Paridi nunciatet, ut ait Horatius, *lib.* 1. *Carm. in his:*

> *Pastor cùm traheret per freta navibus*
> *Idæus Helenam perfidus hospitam,*
> *Ingrato celeres obruit otio*
> *Ventos, ut caneret fera*
> *Nereus fata, &c.*

Fertur hic, in mari Ægæo, præcipuè domum habuisse, Apollonius, *lib.* 4.

> Ὣς ἔφατ' αὐτίκα δ' Ἶρις ἀπ' Οὐλύμποιο θοοῦσα
> Τάμνε τανυσσαμένη κοῦφα πτερά, ἐν δ' ἔπεσε πόντῳ
> Αἰγαίῳ τόθι πέρ τε δόμοι Νηρῆος ἔασι.

Hunc antiquissimum Deum vocavit, Orpheus *in Argon.*

> Νηρέα μὲν πρώτιστα καλῶ πρεσβύτατον ἁπάντων.

Unde Virgilio *Grandævus Nereus*, *Georg.* 4. & Æschylo παλαιγενής, Homero autem γέρων simpliciter vocatur. Hunc mari præesse, & in mari habitare solitum, delectari choris puellarum, principiumque esse & finem aquarum, testatur Orpheus *in Hymnis:*

> Ὦ κατέχων πόντου ῥίζας κυανώπιδα ἕδρην,
> Πεντήκοντα κόρῃσιν, ἀγαλλόμενος καλὰ κῦμα
> Καλλιτέκνοισι χοροῖς Νηρεῦ μεγαλώνυμε δαῖμον,
> Πυθμὴν μὲν πόντου, γαίης πέρας, ἀρχὴ ἁπάντων.

Genuit, ex sorore Doride, Nereidas, numero quinquaginta, quarum nomina habes apud Homer. *Iliad.* 6. Vide Nat. Com. 8. 6. Inde *Nerine*, Virgil. *Eclog.* 8.

> *Nerine Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ.*

Figuratè accipitur pro mari, Persius *Sat.* 1.

> *Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.*

Item nomen viri sancti, Rom. 16.

Nergel, idolum Cutheorum, 4. Reg. 17. idem sig. quod *Neregel.*

Neri, & *Nerias*, pater Baruch, fil. Maasiæ, Jer. 32. & 36. & 51. Latin. *lucerna*, vel *novale.*

Nericia, prov. Suevoniæ, *Noricia* quibusd. Inter Westmanniam & Sudermanniam ad Ort. & Westrogothiam ad Occ. Ibi urbs Orebroa, regionis caput, juxta Hielmerum lacum.

Nericus, urbs Acarnaniæ, quam Homer. ἐϋκτίμενον πτολίεθρον vocat. *Odyss. ult.*

Neriglissar, Canoni Astronomico *Nericassolassar*, Rex Babylonis, idem cum Balthasaro, fil. Evilmerodachi. Vide *Balthasar.*

Nerigon, regio seu peninsula Scandinaviæ sub rege Danorum, non insula Oceani Britannici, ut putavit Plinius; vulgò *Norvvey.* Vide *Norvegia.*

Nerii, pop. Hispan. Tarr. in ora Occ. Gallæciæ, ad Nerium prom. Mela.

Nerio, *rionis*, vel *Neriene*, & apud antiquissimos *Neria*, Martis uxor. Gell. 13. 21. docet Sabinum esse vocabulum, quo significatur virtus & fortitudo, unde & pro vi, potestate & majestate Martis accipitur. Plautus *in Truculento,*

> *Mars peregrè adveniens salutat Nerienem*
> *Uxorem suam.* —— ——

Qu. Ennius *Annal.* 1. *Neriene Mavortis*, subaudi uxor. Licinius Imbrex sive Tegula, vetus Comicus:

Nolo ego Nearam te vocent, sed Nerienem,
Cùm quidem Marti es in connubium datum.

Neriphus, Ins. deserta, circa Cherson. Thraciæ, Plin.

Neripi, Asiæ Sarmaticæ gens, Plinius.

Neris, urbs Peloponnesi in agro Messeniaco, Stephan. & Papin. 4. *Thebaid.*

Neritos, mons Ithacæ insulæ, Virg. *Æn* 3.

Dulichiumq; Sameq; & Neritos ardua saxis.

Habuit ex Homero *Iliad.* 2. Νήριτον εἰνοσίφυλλον. Insula etiam fuit ejusdem nominis; utriusque expresse meminit Strabo *libr.* 10. adductis locis Homericis. Originem nominis hanc adducit Didymus *ad Odyss.* 18. Perilai liberi Ithacus & Neritus, qui à Jove genus ducebant, incoluerunt Cephalleniam. Placitum his, relictà gente suà, trajicere in Ithacam. Loci hujus situm diligenter contemplati ad inhabitandum idoneum, quod proxime adjacentibus regionibus altior esset, huc commigrarunt, condideruntque Ithacam. Insulæ itaque ab Ithaco, Nerito monti adjuncto, à *Nerito* nomen inditum. Hinc *Neritius* nomen gentile, Ovid. *Met.* 13.

Neritiasq; domos, regnum fallacis Ulyssis.

Neritum, urbs Salentinorum in Messapia, Episcop. sub Archiep. Brundusino, apud oram sinus Tarentini, inter Aletium, & Callipolim, vulgò *Nardò* dicitur. Νήρητον MSS. Ptolomæi. Nunc urbs est prov. Hydruntinæ, in planitie, satis populosa, sub domin. utili Comitis Conversani. Vix 2. aut 3. mill. ab ora sinus Tarentini, 7. à Callipoli in Bor. 13. ab Aletio in Afric. 25. à Brundusio in Merid. 40. à Tarento in Eur. Item *Neritum*, urbs Episcop. Leucadis ins. sub Archiepisc. Naupactensi, vulgò *S. Maura*, ubi sedes Præfecti Turcarum. *Neritos* Melæ & Straboni.

Nerium, promunt. & opp. Hispan. Tar. in orâ occiduâ Callaicorum, quod & *Artabrum*, & *Celticum* Plinio ac Melæ dicitur. *Capo di S. Maria finis terræ*, à Compostella 16 leue. in Occ. & Corum.

Nero, Domitius, Rom. Imper. omnium quos terra sustulit, crudelissimus; Hinc proprium nomen in appellativum commutatum est, ut *Nerones* crudeles, & *Neroniores* crudeliores dicamus. Est autem *Nero* (teste Gellio 13. 21.) verbum Sabinum, quo significatur virtus & fortitudo. Suetonius *in Tiberio: Inter cognomina autem & Neronis assumpsit, quo significatur linguâ Sabinâ fortis ac strenuus.* Unde Glossæ, *Nero*, Ἀνδρεῖος. Notat Casaubonus, Sabinorum veterem linguam non aliam fuisse à Græcâ. Græci verò hominem bonis lacertis vocant νευρώδη. Dicæarchus, *in Clementis Protrep.* Herculem describit ὀξὺν, νευρώδη, μέλανα. Et νευροῦν accipiebatur, pro robustum reddere & validum. Verbum est artis Gymnasticæ, quo usus eleganter Chrysostomus *in poster. ad Corinthios*, ὡς τὸ ἰσχυρὸς ἀλείφειν ἀσκεῖν καὶ νευροῦν, ubi vox utraque propriè de Gymnastis usurpatur. Unde Νεύρων, ut Γάστρων, Κεφάλων Χείλων. Nero autem à Νεύρων dissolutà diphthongo & imminuta ε. ut *petiri*, unde *experiri*, à πειρᾶν. *Nerio* autem & *Nero* Hebraicè *terribilis* est: nam נירא *nora*, à ירא *Jare* timuit. Unde Deus sæpè in sacrà pagina terribilis vocatur. Vide Illyrici Clavem, *in Terribilis.* Fuit filius Caji Domitii Ænobarbi, ex Agrippina, Germanici filià, quæ Claudio Imp. nupta tantum effecit, ut Neronem hic in suam familiam adoptaret: quod ipsi ad Imperium viam, in præjudicium Britannici, primogeniti Imperatoris, stravit. Successit Claudio An. C. 54. pollicitus, se Augusti imitatorem fore. Unde liberalis initio, clemens, blandus: populum à tributorum onere liberavit; sententiæ mortis subscribere rogatus, exclamavit, *Utinam literas nescirem!* totoque quinquennio, talem se præbuit, ut videretur meruisse elogia, quæ Seneca, *de Clementia*, ipsi tribuit. Postea in contrarium versus, ea commisit, quæ æterno silentio potius premenda, quàm in castas lectorum aures cum horrore egerenda sunt: Quare & hujus temporibus amnes retro fluere visos refert, Plin. 2. 103. In tantum sceleris tandem progressus est, ut matrem & amitam, imò & uxorem, affines, & necessarios, virosque illustres alios quamplurimos interficeret. Senecam Præceptorem ad necem compulit, Romam incendit. De quo Boetius *libr.* 2. *de Cons. Phil.*

Novimus quantas dederit ruinas,
Urbe flammatà, patribusq; cæsis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuso maduit cruore.
Corpus & visu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, sed esse
Censor extincti potuit decoris.
Hic tamen sceptro populos regebat, &c.

Idne autem fecerit, dubium relinquere Tacitus maluit, cùm tam propudiosum facinus hominem, nedum Romanum Principem, admisisse sibi quidem persuadere non posset, ut crederet. Sed cur Suetonius vulgavit? *Adduntur*, inquit, *his atrociora, nec incertis authoribus, ad visendum interfectæ matris cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitiq; interim obortà bibisse.* Sed & pudet verborum Dionis: Μαθὼν δὲ ὁ Νέρων ὅτι τέθνηκε, οὐκ ἐπίστευσε. Ὑπὸ γὰρ τοῦ μεγέθους τοῦ τολμήματος ἀπιστία αὐτῷ ἐπεχύθη, καὶ τοῦτο αὐτόπτης ἐπεθύμησε τοῦ πάθους γενέσθαι, καὶ αὐτήν τε πᾶσαν εἶδε γυμνώσας, καὶ τὰ τραύματα αὐτῆς ἐπεσκέψατο, καὶ τέλος, πολὺ καὶ τοῦ φόνου ἀνοσιώτερον ἔπος ἐφθέγξατο. Εἶπε γὰρ, Οὐκ ᾔδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον. Ita certè est; occidisse minus fuit. Quam improbitatem ejus Domitius pater tum ex suis, tum uxoris Agrippinæ moribus olim prædixerat, teste Xiphilino, Ἀδύνατον ἐστιν ἄνδρα τινὰ ἀγαθὸν ἔκ τε ἐμοῦ καὶ ταύτης γεννηθῆναι. Tandem Romam, vide supra, incendit, ut citharà canens in excelsa turri, ipse Comico indutus habitu, vivam ardentis Trojæ imaginem videret, & è cineribus ejus *Neronianam* excitaret: Invidià incendii, quod per dies 6. maximam urbis partem delevit, in Christianos devolutà, qui proin crudelissime exagitati, *Prima* sic persecutionis auctor. In Achajam profectus, Isthmum perfodere cogitavit; luxu insano exhaustis tandem thesauris, omnibus exosus esse cœpit. Ab exercitu proin, qui in Galliis erat; dein à Galba, qui Hispaniæ præerat, imo ab omnibus derelictus, ex urbe fugit. Sed quæsitus, ut ad supplicium vivus attraheretur, ferrum jugulo adegit, ac sic defecit, extantibus, rigentibusque oculis ad horrorem usque formidinemque visentium, eodem die, quo Octaviam quondam è medio sustulerat, A. Chr. 54. postquam exclamasset: *Quantus artifex pereo?* Hunc Antichristum quidam à Paulo 2. Thess. 2. prædictum crediderunt olim, sed à Pontificiæ quoque Commun. doctoribus erudite refutantur. Suet. Tacit. Regnavit, an. 13. mens. 8. Pseudo-Neronis etiam Tacitus meminit. Vide eum *libr.* 13. 14. 15. & 16. *Annal. lib.* 2. *Hist.* Sulpic. Sev. *hist. lib.* 2. Euseb. &c.

Nero calvus, maledictis populi appellatus est Domitianus, quòd sævitià Neronem vel exæquaret, vel superaret, ac Nero alter esset, Juvenal. *Sat.* 4.

Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & Calvo serviret Roma Neroni.

Nerobergis, vide *Noricorum mons.*

Nerolinga, urbs Imperialis Sueviæ, ad amnem *Eger*, nota clade Suevorum, an. 1634. & Austriacorum, An. 1644. 4. mill. Germ. à Lauginga in Bor. totidem à Werda in Circ. 10. ab Ingolstadio in Occid.

Neron, insula maris Rubri ante Arab. Fel. in orà ad Ort. ubi crystallus, teste Plinio, provenit.

Neronianæ Thermæ, à Nerone Imp. ædificatæ, Mart. *lib.* 7. *Ep.* 33.

—— *Quid Nerone pejus?*
Quid Thermis melius Neronianis?

Vide eundem *lib. ep.* 48. & 3. 25. & 10. 48.

Neronias, quæ & *Irenopolis* Ptolom. urbs Ciliciæ mediterr. Ep. sub Ar. Anazarbeno. Item Cæsarea Phil. in Cœlesyria, sic dicta est, Joseph.

Nertobrica, vel *Nertobriga*, oppid. Hispan. Bæt. Appian. hodie *Valera* nominatur, in quà Arias Montanus natus est, qui testatur ibidem hodiè etiamnum antiquam inscriptionem extare, in quâ *Nertodrica* per d. nominatur. Item opp. Hispan. Tarrac. *in Celtiberis*, *Almunha* Vaserio, *Rota* Hieronymo Suritæ, & aliis *Val de Nebro*; Joh. Marianæ *Ricla*.

Nerva Coccejus, Rom. Imper. decimus tertius, Flavio Domitiano, cui An. C. 96. successit, dissimillimus, animoque verè paterno erga populum affectus, exules, ob religionem, revocavit, in Judæos quoque beneficus, antiquum Imperio splendorem reddere annisus est. Cùm nullos sibi liberos genuisset, Ælium Trajanum sibi adoptavit, qui illi etiam in imperio successit. Obiit An. C. 98. ætat. 66. vel 72. secundùm Eutrop. *libr.* 8. Vide Dionem *in Nerva.* Aurel. Vict. *de Cæsar.* Herodian. &c. Mart. 8. 70. laudat eum ab ingenio Poëtico, qui etiam puer, à carminis dulcedine *Tibullus* appellabatur. Idem 11. 6.

Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, & æqui,
Quanta Numa fuerat; sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est opibus non tradere mores;
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si vacuare nemus:
Te volet invictus pro libertate Camillus;
Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce gaudebit Brutus; tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cùm positurus erit.
Et te privato cum Cæsare Magnus amabit.
Donabit totas & tibi Crassus opes.
Ipse quoq; infernis revocatus Ditis ab umbris
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit. Vide *Coccejus.*

Nerva, fluv. Hisp. in Cantabris. Ptol. *Nesua* Pomponio, teste Pintiano. In Biscaja, Baudrand. nunc *Nervio*, antea *Ibayeaval.* Bilbaum rigat, & 5. mill. infra in Oceanum Cantabr. se exonerat. Dicitur & *Nausa*.

Nervesia, vicus Latii, in Æquicolis, ubi consiligo herba nascitur, Plin. apud quem & *Nermegia* legitur.

Nervii, Belgarum popul. in finibus Ambianorum, qui semper reliquos Belgas increpitabant, quòd se populo Rom. dedissent; se autem neque legatos ad Cæsarem missuros, neque ullam pacis conditionem accepturos affirmabant. Tandem verò difficillimo & periculosissimo prælio à Cæsare victi sunt. Claud. *de Bello Gildon.* Lucan. *libr.* 1.

—— *Nimiumq; rebellis*
Nervius, & cæsi pollutus sanguine Cotta,

Hodiè

Hodiè *Tornacenses* dicuntur in Flandriâ, eorumque urbs *Tornacum*, Gallicè *Tournay*, & Germanis *Dornick* dicitur, media inter Duacum. & Aldenardum. Baudrando fuere, ubi nunc Hannonia. Eorum prim. erat Bagacum, *Bavay*, ex Sansone, Brietio. Terminabantur ab Or. Aduaticis, ab Occ. Atrebatibus, & Pleumosiis. Tornacum autem in Pleumosiis erat. Vide *Hannonia*.

Nerulinus, P. Suilii filius, qui, per invidiam Patris, intentatis repetundarum criminibus, à Nerone protectus est. Tac. XIII 43.

Nerulum, opp. Lucaniæ mediterraneum, *Lagonerò*, teste Celso Cittadino, vi captum repentino adventu Æmilii, Livius *lib*. 9. Inde *Nerulonenses* Suetonio *in Aug*. Alterum in Sabinis, vulgò *Neruli*; inter Nomeotanum, & Cutilias to. m. p. ab urbe Roma supra 20. Baudrando *Nerula*; opp. Sabinæ, ad amnem *Correse*; sub Pontif. 20. m. p. à Roma in Cæc. cum tit. Duc. Principis Prænestes; gentis Barberinæ. Pop. *Nerulani* Plin. 3.

Nerum, vide *Neron*.

Nerusi, populi Alpini apud montem Vesulum, Plinius, *Nerusii* Ptolemæo, quorum urbs est Vintium, *Venza* & *Vence*, urbs Episc. in Provincia.

Nesa, regio montana juxta Ætnam.

Nesactium, Istriæ opp. Plin. *Nesactum* Ptolemæo, & *Nesattium* Livio. *Castellonovo* ad Arsium fluv. hodie esse scribit D. Niger.

Nesaa, locus in Megarico ambitu, ubi sal concrescit, sub dir. Atheniensium. Vide Scholia in Aristoph. *Acharn*. III. sc. 3. Item pars Hyrcaniæ, per quam Ochus fluit, Strabò.

Nesaum. campus est à quo apud Medos equi *Nesei*, Stephanus. Vide *Nisæum*.

Nescania, oppid. Hispaniæ Bæt. excisum, apud Anticariam urb. 6. m p. inde distans, Moral.

Nesea, nympha marina, à *natando* sic dicta, *νέω* enim *nato* significat.

Nesi, Scythiæ Europeæ pop. optimis quondam equis abundantes, Plin 6 10.

Nesiades, insulæ parvæ Gall. contra Ligeris ostia; quæ & Veneticæ. *Isles de Vannes*, teste Camdeno.

Nesib, Latin. *stans*, seu *statio*, vel *erectio*, scil. alicujus tituli: aut Syriacè *plantatio*. Civitas in tribu Judâ, Jos. 15. in mill. Eleutheropoleos, pergentibus Ebron. Hier. in L. H. *Nasib*.

Nesibis, vel *Nisibis*.

Nesis, Campaniæ insula asparago optimo nobilis. Plin. Nunc *Nesita* dici scribit Geo. Fabricius, *in Itinerario Romano*. Inter Pausilypum promont. & Puteolos eam describit Hermolaus. Meminit ejus Lucanus *lib*. 6.

Traxit iners cælum fluidæ contagia pestis
Obscuram in nubem; tali spiramine Nesis
Emittit Stygium nebulosis aëra saxis.

Stat. 2. *Sylv*. 2.

——— *Inde malignum*
Aëra respirat pelago circumflua Nesis.

Et 3. *Sil.* 1.

Salvaq; quæ fixam pelago Nesida coronat.

Utroque loco ad etymon allusum; dicitur enim à *νῆσος*, *insula*. *Nisita* nunc Ferrar.

Nesonis, palus Thessaliæ, apud Larissam urb. Strabo, *Nesonium stagnum* Suidæ dicitur.

Nesperus, vide *Nepe*.

Nesroch, vide *Nisroch*.

Nesson. urbs Thessaliæ. Gentile *Nessonites*, Steph.

Nessus, unus ex Centauris, Ixionis & Nubis filius, qui, cùm Herculi ad Evenum fluv. operam suam obtulisset, ad Dejaniram in ripam ulteriorem trajiciendam. jamque trajectæ vim inferre pararet, ab Hercule sagittis confossus est; cujus quidem corpus suo ipsius fœtore totam fœdavit, & infestavit regionem, quæ ob id *Ozolis*, id est, *putida* dicta. Hic, cùm jam mortem imminentem videret, Dejaniræ vestem tradidit, sanguine suo infectam, vim amatoriam illi inesse simulans, virumque alterius fœminæ amore captum ad ipsius amorem posse revocari. Cujus verbis illa temerè fidem adhibens, Herculi, in Oetâ monte sacrificanti, per Licham puerum vestem eam misit, quam cùm ille induisset, veneno statim per viscera serpente, doloris impatientiâ, in ardentem sese rogum conjecit. Stat. *Theb*. 11.

Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem
Sensit. & Oetæas membris accedere vestes.
Vota incepta tamen. libataq; thura ferebat
Durus adhuc, patiensq; mali, mox grande coactus
Ingemuit. victorq; furit per viscera Nessus.

Hinc *Nesseus*. Ovid. *Epist*. 9.

...na Nesseo misi tibi texta veneno.

Seneca in *Hercule Oetao*:

Tabe Nesseâ illita palla.

Nessus, vide *Nesus*.

Nesocles, statuarius fuit, Phidiæ æmulus, cujus tempore floruit, Olympiade nummum 83. Plin. 34. 8.

Nestor, filius Nelei & Chlotidis, Hom. *Odyss*. 2. qui adhuc adolescens bellum gessit, etiam tum vivo patre; adversum Epeos, Peloponnesi populos, qui postea Elii dicti sunt: ac deinde cùm Pirithoi nuptiis interesset, adversus Centauros, qui Hippodamiam jam rapere conabantur, strenuè pugnavit. Unde Valer. Flacc. *libr*. 1.

Fert gravis invito victorem Nestora tergo
Monychus. ——— ———

Postremò belli Trojani tempore, jam senior effectus, ut idem Homer. *Iliad*. 2. scribit, 50. navibus eum reliquis Græcis Principibus ad Trojam venit; ubi consilio suo tantum Græcorum rebus profuit, ut Agamemnon profiteri non dubitaret, brevi se Ilium fuisse expugnaturum, si 10. sibi contigissent Nestores. Nam, præter summam prudentiam, ætatis diuturnitate collectam, (quâ

——— *Componere lites*
Inter Peliden tentavit & inter Atridem,

uti loquitur Horat.) tantâ præterea eloquentiâ excelluit, ut ejus ore melle dulcior fluere diceretur oratio. Unde Ἡδυεπὴς Πυλίων ἀγορητὴς ab Homero dicitur. Uxorem habuit Eurydicem, Clymeni filiam, ex qua 7. filios & 1. filiam suscepit. Cicer. *ad Att*. *lib*. 14. *Non alienum est dignitate tuâ, quod ipsi Agamemnoni regi fuit honestum, aliquem in consiliis capiendis Nestorem habere.* Exegisse autem Nestorem 3. secula vivendo, Homerus prodidit, ad quod alludit Juvenal. *Sat*. 10.

Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice secunda.

Homeri versus de Nestoris vitâ is est, *Iliad*. γ.

Τρὶς γάρ δή μιν φασιν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν,
Illum jam exegisse hominum tria secula fama est.

Unde Nævius illum *Trisæclisenem*, quanquam durius, apud Gellium 19. 7. appellavit. Quam ob causam, de eodem Horat. 2. 9.

At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos. ——— ———

Ipse apud Ovid. *Metam*. 12.

——— ——— *Vixi*
Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Multi ajunt, eum vixisse annos solummodo 90. Inter quos Aeron & Eust. attribuentes seculo 30. annos. Vide & Juvenal. *Sat*. 10. Ovid. *lib*. 12. *Metam*. Tibull. *lib*. 4. Propert. *lib*. 2. *&c.*

Nestor, poëta è Lyciâ reg. pater Lysandri poëtæ, qui tempore Severi Principis panxit Ἰλιάδα λειπογράμματον· ita, ut libro primo deesset litera α; in secundo nusquam inveniretur litera β; in tertio deesset γ, atque ita in cæteris. Hesych. Suid. Similiter Odysseam scripsit Tryphiodorus. Item Alexandrinus Grammaticus. qui Marcellum, Augusti sororis filium erudiit, auctor Commentar. theatri. De quo vide Strab. *lib*. 14. Athen. *lib*. 10. Voss. *Hist. Gr. lib*. 2. *cap*. 4. *&c.* Alius Episcopus Pergæ in Pamphyliâ, & Martyr sub Decio. Item Confessor quidam, qui se Thessalonicæ ad monomachiam cum Gigante obtulit, sub Imperat. Maximiniano.

Nestor, corporis Alexandri custos, ab Epirotis, ad tollendam Deidamiam, Pyrrhi filiam missus, majestate vultus illius deterritus, cœptum omisit, Polyæn. *lib*. 8.

Nestoriani, discipuli Nestorii: quorum seges, post mortem hujus hæresiarchæ, Conciliorum anathemata, unionem Præsulum, edicta Imperatorum, &c. tanta tamen fuit, ut toto Oriente infecto, in ipsam Indiam venenum suum diffunderent. Imo & hodie non exiguæ eorum in Asia reliquiæ: Patriarcham habent Seleuciæ, quæ olim Babylon quoque, nunc *Musal* dicitur. Quamvis hodierni Nestoriani non parum à priscis hæreticis recesserint, ut confessiones illorum testantur: submisisse se Ecclesiæ Latin. sub Eugenio 3. Eugenio 4. Julio, Pio 4. Pauloque 5. ex parte dicuntur. Vide Petrum Strozzam, *de Dogmatibus Chaldæorum*. P. de Valle *Itiner. tom*. 2. 3. 4. Moterium *Diction. Hist*.

Nestorius, Germaniciensis, ad gubernationem Ecclesiæ Constantinop. A. 428. Antiochiâ accersitus est, post Synesium: homo naturâ eloquens, insigni Oratione ad Imper. habitâ, *da mihi terram*, inquit, *ab hæreticis purgatam, vicissim tibi cælum dabo: Juva me, in extirpandis illis, & ego tibi contra Persas præstò ero.* Magnum proin zelum contra hæreticos præ se tulit initio, sed mox fucus patuit. Αὐτοδίδακτος enim & arrogans, defendit Anastasium Presbyterum; qui docuerat, B. Virginem Mariam non esse appellandam Θεοτόκον, id est, *Deiparam*, vel *Dei genetricem*: statuitque non solùm duas naturas, sed & duas personas in Christo esse, proin Mariam non posse appellari, nisi Χριστοτόκον, matrem Christi, qui Verbo uniri meruerit per inhabitationem Verbi in humanitate; tanquam in templo, cui moraliter unitum sit, mysterio sic Incarnationis negato, operibus theandricis abolitis & merito infiniti pretii sublato. Hinc & addidit, Judæos non crucifixisse Deum. Ad errores hos disseminandos, Diodoro Exepiscopo Martianopolitano usus, libris quoque in Ægyptum ultro citroque missis illos propagatum ivit: quibus Cyrillus varia opera ad Theodosium Jun. & Pulcheriam Eudoxiamque sorores illius missa, opposuit, XII. in eum Anathematismis conditis. Quod cùm nondum juvaret, contra eum convocata est Synodus à Theodosio Juniore in urb. Ephesum, An. Dom. 431. In eâ Synodo præsedit Cyrillus Alexandrinus, damnatusque fuit Nestorius, qui aliquot annis post in exilio, in urbe Ægypti Oasi vixit, quâ à Blemmyis destructâ,

Qu. Ennius *Annal.* 1. *Neriene Mavortis*, subaudi uxor. Licinius Imbrex sive Tegula, vetus Comicus:

Nolo ego Nearam te vocent, sed Nerienem,
Cùm quidem Marti es in connubium datum.

Neriphus, Ins. deserta, circa Cherson. Thraciæ, Plin.

Neripi, Asiæ Sarmaticæ gens, Plinius.

Neris, urbs Peloponnesi in agro Messeniaco, Stephan. & Papin. 4. *Thebaid.*

Neritos, mons Ithacæ insulæ, Virg. *Æn* 3.

Dulichiumq́; Sameq́; & Neritos ardua saxis.

Habuit ex Homero *Iliad.* 2. Νήριτον εἰνοσίφυλλον. Insula etiam fuit ejusdem nominis; utriusque expressè meminit Strabo *libr.* 10. adductis locis Homericis. Originem nominis hanc adducit Didymus *ad Odyss.* 18. Perilai libert Ithaeus & Neritus, qui à Jove genus ducebant, incoluerunt Cephalleniam. Placitum his, relictâ gente suâ, trajicere in Ithacam. Loci hujus situm diligenter contemplati ad inhabitandum idoneum, quod proximè adjacentibus regionibus altius esset, huc commigrarunt, condideruntque Ithacam. Insulæ itaque ab Ithaco, Nerito monti adjuncto, à *Nerito* nomen inditum. Hinc *Neritius* nomen gentile, Ovid. *Met.* 13.

Neritiasq́; domos, regnum fallacis Ulyssis.

Neritum, urbs Salentinorum in Messapia, Episcop. sub Archiep. Brundusino, apud oram sinus Tarentini, inter Aletium. & Callipolim. vulgò *Nardò* dicitur. Νήριτον MSS. Ptolomæi. Nunc urbs est prov. Hydruntinæ, in planitie, satis populosa, sub domin. utili Comitis Conversani. Vix 2. aut 3. mill. ab ora sinus Tarentini, 7. à Callipoli in Bor. 13. ab Aletio in Afric. 25. à Brundusio in Merid. 40. à Tarento in Eur. Item *Neritum*, urbs Episcop. Leucadis insul. sub Archiepisc. Naupactensi, vulgò *S. Maura*, ubi sedes Præfecti Turcarum. *Neritos* Melæ & Straboni.

Nerium, promunt. & opp. Hispan. Tar. in orâ occiduâ Callaicorum, quod & *Artabrum*, & *Celticum* Plinio ac Melæ dicitur. *Capo di S. Maria finis terræ*, à Compostella 16. leuc. in Occ. & Corum.

Nero, Domitius, Rom. Imper. omnium quos terra sustulit, crudelissimus; Hinc proprium nomen in appellativum commutatum est, ut *Nerones* crudeles, & *Neroniores* crudeliores dicamus. Est autem *Nero* (teste Gellio 13. 21.) verbum Sabinum, quo significatur virtus & fortitudo. Suetonius *in Tiberio: Inter cognomina autem & Neronis assumpsit, quo significatur linguâ Sabinâ fortis ac strenuus.* Unde Glossæ, *Nero*, Ἀνδρεῖος. Notat Casaubonus, Sabinorum veterem linguam non aliam fuisse à Græcâ. Græci verò hominem bonis lacertis vocant νευρώδη. Dicæarchus, *in Clementis Protrep.* Herculem describit χαζιον, νευρώδη, μέλανα. Et νευροῦν accipiebatur, pro robustum reddere & validum. Verbum est artis Gymnasticæ, quo usus eleganter Chrysostomus *in poster. ad Corinthios*, ὡς τὸ ἰσχυρὸς ἀλείφειν ἀσκεῖν καὶ νευροῦν, ubi vox utraque propriè de Gymnastis usurpatur. Inde Νεῦρον, ut Γάϊον, Κεφάλων Χεῖλον. Nero autem à Νεῦρον dissolutâ diphthongo & imminuta ε. ut *periri*, unde *experiri*, à πειρᾶν. *Nerio* autem & *Nero* Hebraicè *terribilis* est: nam נירא *nora*, à ירא *Jare* timuit. Unde Deus sæpè in sacrâ pagina terribilis vocatur. Vide Illyrici Clavem, *in Terribilis*. Fuit filius Caji Domitii Ænobarbi, ex Agrippina, Germanici filiâ, quæ Claudio Imp. nupta tantum effecit, ut Neronem hic in suam familiam adoptaret: quod ipsi ad Imperium viam, in præjudicium Britannici, primogeniti Imperatoris, stravit. Successit Claudio An. C. 54. pollicitus, se Augusti imitatorem fore. Unde liberalis initio, clemens, blandus: populum à tributorum onere liberavit; sententiæ mortis subscribere rogatus, exclamavit, *Utinam literas nescirem!* totoque quingennio, talem se præbuit, ut videretur meruisse elogia, quæ Seneca, *de Clementia*, ipsi tribuit. Postea in contrarium versus, ea commisit, quæ æterno silentio potius premenda, quàm in castas lectorum aures cùm horrore egerenda sunt: Quare & hujus temporibus amnes retro fluere visos refert, Plin. 2, 103. In tantum sceleris tandem progressus est, ut matrem & amitam, imò & uxorem, affines, & necessarios, virosque illustres alios quamplurimos interficeret. Senecam Præceptorem ad necem compulit, Romam incendit. De quo Boëtius *libr.* 2. *de Cons. Phil.*

Novimus quantas dederat ruinas,
Urbe flammatâ, patribusq́; cæsis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuso maduit cruore,
Corpus & visu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, sed esse
Censor extincti potuit decoris.
Hic tamen sceptro populos regebat, &c.

Idne autem fecerit, dubium relinquere Tacitus maluit, cùm tam propudiosum facinus hominem, nedum Romanum Principem, admisisse sibi quidem persuadere non posset, ut crederet. Sed cur Suetonius vulgavit? *Adduntur*, inquit, *his atrociora, nec incertis authoribus, ad visendum interfectæ matris cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitiq; interim obortâ bibisse.* Sed si pudet verborum Dionis: Μαθὼν δὲ ὁ Νέρων ὅτι τέθνηκεν, οὐκ ἐπίστευσε. Ὑπὸ γὰρ τοῦ μεγέθους τοῦ τολμήματος ἀπιστία αὐτῷ ἐπεχύθη, καὶ τοῦτο αὐτόπτης βουλόμενος τοῦ πάθους γενέσθαι, καὶ αὐτήν τε γυμνὴν εἶδε, γυμνώσας, καὶ τὰ τραύματα αὐτῆς ἐπεσκέψατο, καὶ τέλος, πολὺ καὶ τοῦ φόνου ἀνοσιώτερον ἔπος ἐφθέγξατο. Εἶπε γάρ, Οὐκ ᾔδειν ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον. Ita certè est; occidisse minus fuit. Quam improbitatem ejus Domitius pater tum ex suis, tum uxoris Agrippinæ moribus olim prædixerat, teste Xiphilino, Ἀδύνατον ἐστιν ἄνδρα τινὰ ἀγαθὸν ἔκ τε ἐμοῦ καὶ ταύτης γεννηθῆναι. Tandem Romam, vide supra, incendit, ut citharâ canens in excelsâ turri, ipse Comico indutus habitu, vivam ardentis Trojæ imaginem videret, & è cineribus ejus *Neronianam* excitaret: Invidiâ incendii, quod per dies 6. maximam urbis partem delevit, in Christianos devolutâ, qui proin crudelissimè exagitati, *Prima* sic persecutionis auctor. In Achajam profectus, Isthmum perfodere cogitavit; luxu insano exhaustis tandem thesauris, omnibus exosus esse cœpit. Ab exercitu proin, qui in Galliis erat; dein à Galba, qui Hispaniæ præerat, imo ab omnibus derelictus, ex urbe fugit. Sed quæsitus, ut ad supplicium vivus attraheretur, ferrum jugulo adegit, ac sic defecit, extantibus, rigentibusque oculis ad horrorem usque formidinemque visentium, eodem die, quo Octaviam quondam è medio sustulerat, A. Chr. 54. postquam exclamasset: *Quantus artifex pereo!* Hunc Antichristum quidam à Paulo 2. Thess. 2. prædictum crediderunt olim, sed à Pontificiæ quoque Commun. doctoribus eruditè refutantur. Suet. Tacit. Regnavit, an. 13. mens. 8. Pseudo-Neronis etiam Tacitus meminit. Vide eum *libr.* 13. 14. 15. & 16. *Annal. lib.* 2. *Hist.* Sulpic. Sev. *hist. lib.* 2. Euseb. &c.

Nero calvus, maledictis populi appellatus est Domitianus, quòd sævitiâ Neronem vel exæquaret, vel superaret, ac Nero alter esset, Juvenal. *Sat.* 4.

Cùm jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & Calvo serviret Roma Neroni.

Neroberga, vide *Noricorum mons.*

Nerolinga, urbs Imperialis Sueviæ, ad amnem *Eger*, nota clade Suevorum, an. 1634. & Austriacorum, An. 1644. 4. mill. Germ. à Lauginga in Bor. totidem à Werda in Circ. 10. ab Ingolstadio in Occid.

Neron, insula maris Rubri ante Arab. Fel. in orâ ad Orr. ubi crystallus, teste Plinio, provenit.

Neroniana Therma, a Nerone Imp. ædificatæ, Mart. *lib.* 7. *Ep.* 33.

——— *Quid Nerone pejus?*
Quid Thermis melius Neronianis?

Vide eundem *lib ep.* 48. & 3. 25. & 10. 48.

Neronias, quæ & *Irenopolis* Ptolom. urbs Ciliciæ mediterr. Ep. sub Ar. Anazarbeno. Item Cæsarea Phil. in Cœlesyria, sic dicta est, Joseph.

Nertobrica, vel *Nertobriga*, oppid. Hispan. Bær. Appian. hodie *Valera* nominatur, in quâ Arias Montanus natus est, qui testatur ibidem hodie etiamnum antiquam inscriptionem extare, in quâ *Nertodrica* per d. nominatur. Item opp. Hispan. Tarrac. *in Celtiberis*, *Almunba* Varrerio, *Rota* Hieronymo Suritæ, & aliis *Val de Nebro*; Joh. Marianæ *Ricla.*

Nerva Coccejus, Rom. Imper. decimus tertius, Flavio Domitiano, cui An. C. 96. successit, dissimillimus, animoque verè paterno erga populum affectus, exules, ob religionem, revocavit, in Judæos quoque beneficus. antiquum Imperio splendorem reddere annisus est. Cùm nullos sibi liberos genuisset, Ælium Trajanum sibi adoptavit, qui illi etiam in imperio successit. Obiit An. C. 98. ætat. 66. vel 72. secundùm Eutrop. *libr.* 8. Vide Dionem *in Nerva.* Aurel. Vict. *de Cæsar* Herodian. &c. Mart. 8. 70. laudat eum ab ingenio Poëtico, qui etiam puer, à carminis dulcedine *Tibullus* appellabatur. Idem 11. 6.

Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, & æqui,
Quanta Numa fuerat; sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est opibus non tradere mores;
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres,
Elysium liceat si vacuare nemus:
Te colet invictus pro libertate Camillus;
Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce gaudebit Brutus; tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cùm positurus erit.
Et te privato cum Cæsare Magnus amabit.
Donabit totas & tibi Crassus opes.
Ipse quoq; infernis revocatus Ditis ab umbris
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit. Vide *Coccejus.*

Nerva, fluv. Hisp. in Cantabris. Ptol. *Nesua* Pomponio, teste Pintiano. In Biscaja, Baudrand. nunc *Nervio*; antea *Ibaycaval*. Bilbaum rigat, & 5. mill. infra in Oceanum Cantabr. se exonerat. Dicitur & *Nausa.*

Nervesia, vicus Latii, in Æquicolis, ubi consiligo herba nascitur, Plin apud quem & *Nersenegia* legitur.

Nervii, Belgarum popul. in finibus Ambianorum, qui semper reliquos Belgas increpitabant, quòd se populo Rom. dedissent; se autem neque legatos ad Cæsarem missuros, neque ullam pacis conditionem accepturos affirmabant. Tandem verò difficillimo & periculosissimo prælio à Cæsare victi sunt. Claud. *de Bello Gildon.* Lucan. *libr* 1.

——— *Nimiumq́; rebellis*
Nervius, & cæsi pollutus sanguine Cottæ,

Hodiè

Hodiè *Tornacenses* dicuntur in Flandriâ, eorumque urbs *Tornacum*, Gallicè *Tournay*, & Germanis *Dornick* dicitur, media inter Duacum, & Aldenardum. Baudrando fuere, ubi nunc Hannonia. Eorum prim. erat Bagacum, *Bavay*, ex Sansone, Brietio. Terminabantur ab Or. Aduaticis, ab Occ. Atrebatibus, & Pleumosiis. Tornacum autem in Pleumosiis erat. Vide *Hannonia*.

Nerulinus, P. Suilii filius, qui, per invidiam Patris, intentatis repetundarum criminibus, à Nerone protectus est. Tac. XIII 43.

Nerulum, opp. Lucaniæ mediterraneum, *Lagonero*, teste Celso Cittadino, vi captum repentino adventu Æmilii, Livius *lib.* 9. Inde *Nerulonenses* Suetonio *in Aug.* Alterum in Sabinis, vulgò *Neruli*; inter Nomentanum, & Cutilias 10. m. p. ab urbe Roma supra 20. Baudrando *Nerula*; opp. Sabinæ, ad amnem *Correse*; sub Pontif. 20. m. p. à Roma in Cæc. cum tit. Duc. Principis Prænestes, gentis Barberinæ. Pop. *Nerulani* Plin. 3.

Nerum, vide *Neron*.

Nerusi, populi Alpini apud montem Vesulum, Plinius, *Nerusii* Ptolemæo, quorum urbs est Vintium, *Venza* & *Vence*, urbs Episc. in Provincia.

Nesa, regio montana juxta Ætnam.

Nesactium, Istriæ opp. Plin. *Nesactum* Ptolemæo, & *Nesatiium* Livio. *Castello novo* ad Arsium fluv. hodie esse scribit D. Niger.

Nesaa, locus in Megarico ambitu, ubi sal concrescit, sub dit. Atheniensium. Vide Scholia in Aristoph. *Acharn.* III. sc. 3. Item pars Hyrcaniæ, per quam Ochus fluit, Strabo.

Nesaus, campus est à quo apud Medos equi *Nesei*, Stephanus. Vide *Nisaum*.

Nescania, oppid. Hispaniæ Bæt. excisum, apud Anticariam urb. 6. m. p. inde distans, Moral.

Nesea, nympha marina, à *natando* sic dicta, *νέω* enim *nato* significat.

Nesi, Scythiæ Europeæ pop. optimis quondam equis abundantes, Plin. 6. 10.

Nesiades, insulæ parvæ Gall. contra Ligeris ostia; quæ & Veneticæ, *Isles de Vannes*, teste Camdeno.

Nesib, Latin. *stans*, seu *statio*, vel *erectio*, scil. alicujus tituli: aut Syriacè *plantatio*. Civitas in tribu Judâ, Jos. 15. in mill. Eleutheropoleos, pergentibus Ebron. Hier. in L. H. *Nasib*.

Nesibis, vel *Nisibis*.

Nesis, Campaniæ insula asparago optimo nobilis. Plin. Nunc *Nesita* dici scribit Geo. Fabricius, *in Itinerario Romano*. Inter Pausilypum promunt. & Puteolos eam describit Hermolaus. Meminit ejus Lucanus *lib.* 6.

Traxit iners cœlum fluida contagia pestis
Obscuram in nubem; tali spiramine Nesis
Emittit Stygium nebulosis aera saxis.

Stat. 2. *Sylv.* 2.

—— *Inde malignum*
Aera respirat pelago circumflua Nesis.

Et 3. *Sil.* 1.

Salvaq; qua fixam pelago Nesida coronat.

Utroque loco ad etymon allusum; dicitur enim à *νῆσος*, *insula*. *Nesita* nunc Fertar.

Nesonis, palus Thessaliæ, apud Larissam urb. Strabo, *Nesonium stagnum* Suidæ dicitur.

Nespetus, vide *Nepet*.

Nesroch, vide *Nisroch*.

Nesson, urbs Thessaliæ. Gentile *Nessonites*, Steph.

Nessus, unus ex Centauris, Ixionis & Nubis filius, qui, cùm Herculi ad Evenum fluv. operam suam obtulisset, ad Dejaniram in ripam ulteriorem trajiciendam, jamque trajectæ vim inferre pararet, ab Hercule sagittis confossus est; cujus quidem corpus suo ipsius fœtore totam fœdavit, & infestavit regionem, quæ ob id *Ozolis*, id est, *putida* dicta. Hic, cùm jam mortem imminentem videret, Dejaniræ vestem tradidit, sanguine suo infectam, vim amatoriam illi inesse simulans, virumque alterius fœminæ amore captum ad ipsius amorem posse revocari. Cujus verbis illa temerè fidem adhibens, Herculi, in Oetâ monte sacrificanti, per Licham puerum vestem eam misit, quam cùm ille induisset, veneno statim per viscera serpente, doloris impatientiâ, in ardentem sese rogum conjecit. Stat. *Theb.* 11.

Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem
Sensit, & Oetaas membris accedere vestes.
Vota incepta tamen, libataq; thura ferebat
Durus adhuc, patiensq; mali, mox grande conclus
Ingemuit, victorq; furit per viscera Nessus.

Hinc *Nessus*. Ovid. *Epist.* 9.

Illa Nesseo misi tibi texta veneno.

Seneca *Hercule Oetao*:

Tabe Nesseâ illita palla.

Nessus, vide *Nesus*.

Nesteles, statuarius fuit, Phidiæ æmulus, cujus tempore floruit, Olympiade numerum 83. Plin. 34. 8.

Nestor, filius Nelei & Chloridis, Hom. *Odyss.* 2. qui adhuc adolescens bellum gessit, etiam tum vivo patre; adversum Epeos, Peloponnesi populos, qui postea Elii dicti sunt: ac deinde cùm Pirithoi nuptiis interesset, adversus Centauros, qui Hippodamiam jam rapere conabantur, strenuè pugnavit. Unde Valer. Flacc. *libr.* 1.

Fert gravis invito victorem Nestora tergo
Monychus. —— ——

Postremò belli Trojani tempore, jam senior effectus, ut idem Homer. *Iliad.* 2. scribit, 50. navibus cum reliquis Græcis Principibus ad Trojam venit; ubi consilio suo tantum Græcorum rebus profuit, ut Agamemnon profiteri non dubitaret, brevi se Ilium fuisse expugnaturum; si 10. sibi contigissent Nestores. Nam, præter summam prudentiam, ætatis diuturnitate collectam, (quâ

—— *Componere lites*
Inter Peliden tentavit & inter Atridem;

uti loquitur Horat.) tantâ præterea eloquentiâ excelluit, ut ejus ore melle dulcior fluere diceretur oratio. Unde Ἡδυεπὴς Πυλίων ἀγορητὴς λιγὺς ab Homero dicitur. Uxorem habuit Eurydicem, Clymeni filiam, ex qua 7. filios & 1. filiam suscepit. Cicer. *ad Att. lib.* 14. *Non alienum est dignitate tuâ, quod ipsi Agamemnoni regi fuit honestum, aliquem in consiliu capiendis Nestorem habere.* Exegisse autem Nestorem 3. secula vivendo, Homerus prodidit, ad quod alludit Juvenal. *Sat.* 10.

Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice secunda.

Homeri versus de Nestoris vitâ is est, *Iliad.* γ.

Τρὶς γάρ δή μιν φασὶν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν,
Illum jam exegisse hominum tria secula fama est.

Unde Nævius illum *Trisectisenem*, quanquam durius, apud Gellium 19. 7. appellavit. Quam ob causam, de eodem Horat. 2. 9.

At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos. —— ——

Ipse apud Ovid. *Metam.* 12.

—— —— *Vixi*
Annos bis-centum, nunc tertia vivitur ætas.

Multi ajunt, eum vixisse annos solummodo 90. Inter quos Acron & Eust. attribuentes seculo 30. annos. Vide & Juvenal. *Sat.* 10. Ovid. *lib.* 12. *Metam.* Tibull. *lib.* 4. Propert. *lib.* 2. &c.

Nestor, poëta è Lyciâ reg. pater Lysandri poëtæ, qui tempore Severi Principis panxit Ἰλιάδα λειπογράμματον· ita, ut libro primo deesset litera α; in secundo nusquam inveniretur litera β; in tertio deesset γ, atque ita in cæteris. Hesych. Suid. Similiter Odysseam scripsit Tryphiodorus. Item Alexandrinus Grammaticus, qui Marcellum, Augusti sororis filium erudiit, auctor Commentar. theatri. De quo vide Strab. *lib.* 14. Athen. *lib.* 10. Voss. *Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 4. &c. Alius Episcopus Pergæ in Pamphyliâ, & Martyr sub Decio. Item Confessor quidam, qui se Thessalonicæ ad monomachiam cum Gigante obtulit, sub Imperat. Maximiniano.

Nestor, corporis Alexandri custos, ab Epirotis, ad tollendam Deidamiam, Pyrrhi filiam missus, majestate vultus illius deterritus, cœptum omisit, Polyæn. *lib.* 8.

Nestoriani, discipuli Nestorii: quorum seges, post mortem hujus hæresiarchæ, Conciliorum anathemata, unionem Præsulum, edicta Imperatorum, &c. tanta tamen fuit, ut toto Oriente infecto, in ipsam Indiam venenum suum diffunderent. Imo & hodie non exiguæ eorum in Asia reliquiæ: Patriarcham habent Seleuciæ, quæ olim Babylon quoque, nunc *Musal* dicitur. Quamvis hodierni Nestoriani non parum à priscis hæreticis recesserint, ut confessiones illorum testantur: submisisse se Ecclesiæ Latin. sub Eugenio 3. Eugenio 4. Julio, Pio 4. Pauloque 5. ex parte dicuntur. Vide Petrum Strozzam, *de Dogmatibus Chaldæorum*. P. de Valle *Itiner. tom.* 2. 3. 4. Moterium *Diction. Hist.*

Nestorius, Germaniciensis, ad gubernationem Ecclesiæ Constantinop. A. 428. Antiochiâ accersitus est, post Synesium: homo naturâ eloquens, insigni Oratione ad Imper. habitâ, *da mihi terram*, inquit, *ab hæreticis purgatam, vicissim tibi cœlum dabo: Juva me, in extirpandis illis, & ego tibi contra Persas præsidero.* Magnum proin zelum contra hæreticos præ se tulit initio, sed mox fucus patuit. Αὐτοδίδακτος enim & arrogans, defendit Anastasium Presbyterum; qui docuerat, B. Virginem Mariam non esse appellandam Θεοτόκον, id est, *Deiparam*, vel *Dei genetricem*: statuitque non solùm duas naturas, sed & duas personas in Christo esse, proin Mariam non posse appellari, nisi Χριστοτόκον, matrem Christi, qui Verbo uniri meruerit per inhabitationem Verbi in humanitate, tanquam in templo, cui moraliter unitum sit, mysterio sic Incarnationis negato, operibus theandricis abolitis & merito infiniti pretii sublato. Hinc & addidit, Judæos non crucifixisse Deum. Ad errores hos disseminandos, Diodoro Exepiscopo Martianopolitano usus, libris quoque in Ægyptum ultro citroque missis illos propagatum ivit: quibus Cyrillus varia opera ad Theodosium Jun. & Pulcheriam Eudoxiamque sorores illius missa, opposuit, XII. in eum Anathematismis conditis. Quod cùm nondum juvaret, contra eum convocata est Synodus à Theodosio Juniore in urb. Ephesum, An. Dom. 431. In eâ Synodo præsedit Cyrillus Alexandrinus, damnatosque fuit Nestorius, qui aliquot annis post in exilio, in urbe Ægypti Oasi vixit, quâ à Blemmyis destructâ, hinc

hinc inde vagus tandem tabe consumptus est, Histor. Trip. 12. 4. & 5. Cassian. *de Incarn. lib.* Cyrill. *contr. Nestor.* Socr. *lib.* 7. Evagr. *lib.* 1. Baron. *A. C.* 428. *n.* 29. 30. 31.

Nestus, fluv. Illyrici, Steph. *Tilurus* Anton. & Peuting. nunc *Cezina*, seu *Zetina*, J. Lucio.

Nesua, vide *Nerva*.

Nesvisium, oppid. Palatinatus Novogrodensis, in Lithuania, ad amnem *Uzsam*, inter Novogrodam ad Occ. & Slucum ad Ort. 10. leuc. utrinque, uti 13. à Minsco in Afric. Satis cultum, cum tit. Duc. Radziviliorum.

Nesus, fluv. Thraciæ, illam à Macedoniâ disterminans, ab ostio Strymonis 60. m. p. in Ort. distans, ac Pangæi montis radices lambens, teste Solino. *Nestus* dicitur Herodoto & Plinio; *Nastos* Stephano, aliis *Nessus*. Hodie *Nesto* Sophiano, & *Charasou* Turcis, teste Bellonio. *Nesus* alter, Ptol. *Nestus* Stephano. Vulgò *Nissava*, opp. & fluv. Mysiæ superioris, long. 47. 45. lat. 43. 38. Item *Nesus*, urbs Iberica, Stephan.

Netinenses, pop. Siciliæ, quorum urbs Netum.

Netium, Peucetiæ opp. in Italiâ, Strabo. *Andri* Nigro. *Neritum* scribi vult Surita, ad Anton. Itin.

Netophati, nomen loci, 1. Par. 2. Latin. *gutta*, sive *distillatio*, aut *gummi*, vel *declinatio oris*. Inde *Netophathites*, 2. Sam. 23.

Netum, urbs Siciliæ, inter Motycam & Acras. Græcè Νέητον, vulgò nunc vocatur *Noto*; unde tertia universæ insulæ pars vulgò incolis *Val di Noto* dicitur. Vocabulum urbis antiquum apud Ptol. vitiatum legitur Νέκητον, facili librarii lapsu κ pro η scribentis. Sed idem urbis vocabulum etiam unico vocali η dictum fuisse Νῆτον, apparet ex Silii versu quodam, *lib.* 14.

Et Netum, & Micite, pubesq; liquentis Acheti.

Unde etiam apud Cic. *Verr.* 5. oppidani quater *Netini* dicuntur, ut & apud Plin. 3. 8. Apud eundem Cicer. *Verr.* 2. aliâ formatione sunt *Netinenses*; sed voluisse ipsum Ciceronem variare, minimè veri est simile, librarii errorem esse puto; qui sic scripsit, quia præcedebant *Agyrinenses*. Vide Cluver. *Sic. Ant. pag.* 358. ut & *Nea*, & *Neetum*.

Netupha, nomen loci, 2. Esdr. 22. Idem.

Netuphati, nomen loci, Nehem. 12. Idem.

Neva, Cœlæ Syriæ urbs, inter Capitoliam & Damascum, Antoninus.

Neuburga, arx & opp. Comit. Waldeccensis, Metel.

Neuceria, corruptè pro *Nuceria*.

Neverita, Dea, quam in decimâ cœli regione ponit Martianus Capella, ubi tamen alii libri habent *Nerita*, fortè pro *Nerina*, ut opportunè jungatur, quem Capella *ibidem* recenset. Glossæ tamen *Neverita*, *reverentia Dea*. Grotius.

Neviasca, fluviolus Liguriæ, qui in Porciferam labitur, apud Genuam. Tab. ærea antiq.

Nevidunum, oppid. Gall. Celt. in ducatu Nivernensi, quod & *Noviodunum* dicitur; vulgò *Neufvy*. Baudrando oppidul. Pusæensis tractus, ad Ligerim, prope Nivernensem Duc. & Prov. Bituricensem, 4. leuc. supra Bridoburum in Mer. V. *Noviodunum*.

Nevidunum, opp. pagi Bern. in dit. Romana, ad lacum Lemanum, cum castro, 4. leuc. à Geneva in Cæc. Lausannam versus.

Nevita, Consul cum Mamertino, an. U. C. 1115.

Nevius, corruptè pro *Navius*.

Neuri, pop. Sarm. Europ. quos Mela ad ortum Tyræ fluv. locat, Solinus verò circa Borysthenem. Horum urbs *Nerva*, in orâ Livoniæ extrema, à Revaliâ urbe 3. leuc. in Bor. distans, nonnullis esse ex allusione nominis videtur. Baudrando ubi fuerint, non constat. Sed ad Tyram aut Boristhenem, longe distabant in Mer. à Narva Livoniæ, juxta Sinum Finnicum, 30 fere leuc. à Revalia in Ort. ubi aliàs *Hirsi* fuere, Sanson. Hos narrant in lupos se transformare, & ad priorem, cùm volunt, formam redire. Mela 2. 1. *Neuris statum singulis tempus est, quo si velint, in lupos, iterumq; in eos qui fuere, mutentur.* Ubi notat Vossius, non omnibus Neuris idem esse tempus, quo sese in lupos transforment, sed unicuique statum tempus μεταμορφώσεως suæ. Verùm, si Herodotum sequamur, legendum erit, *singulis annis*. Porro de *Neuris* omnes conveniunt, præter Valer. Flaccum, qui Neuris tribuit, id quod alii aliis Scytharum populis, eùm & illos & Jazyges scribit parentes suos devorare, *lib.* 6.

— Et raptor avorum
Neurus, & expertes canentes Jazyges ævi.

Non rectè vulgò legitur, *& raptor amorum* Nec meliora sunt illa, quæ viri eruditi substituunt. Horum mem. Dionys. *vers.* 310.

Ἔνθα Μελάγχλαινοί τε καὶ ἀνέρες Ἱππημολγοὶ,
Νευροί θ' Ἱππόποδές τε, Γελωνοί τ', ἠδ' Ἀγάθυρσοι,
Ἧχι Βορυσθένεος ποταμοῦ πλατυτέρμονος ὕδωρ
Μίσγεται Εὐξείνῳ, καὶ ἀπ' ἀστράπτει μετώπου.

Neuris, insula Propontidis. Vide *Proconnesus*.

Neustria, quæ & *Normannia*, reg. Gall. Celt. inter Sequanam ad Ort. & Argenem ad Occid. Quamvis Neustria magis patet, quàm Normannia, ad Ligerim usque pertingens. Baudrando fuit pars Gall. ubi nunc Normannia major, ex parte & Belsia. Hotomanno sic describitur: in Chronico maj. monast. Neustria est, quidquid à Parisiis & Aurelianis interjacet, inter Ligerim & Sequanam inferius ad Oceanum; estque vocabulum enatum circa Caroli Magni tempora. Hic Ortelius, non sine manifesto errore, Neustriam cum Austrasiâ, quæ Lotharingia est, confundit. Neustria autem à nonnullis ea pars Gall. Belg. quæ vulgò *Westreich* dicitur, appellatur. Aliis est Francia occidentalis, sed malè, ut Jo. Goropius Becanus *in Gallicis* scribit. Non enim Neustria totam Franciam occidentalem, quæ Germanis *Westrych* nominatur, sed partem duntaxat complectitur, Ferrarius.

Neut, Ægypti Nomus, Ptol.

NI.

Nia, fluv. Lybiæ interioris, Ptolem.

Niacurra, urbs Commagenæ, Anton.

Niathos, corruptè pro *Neathus*.

Nianchenm, urbs prov. Chequiamensis, in Sin. ad fluv. *Chê*, undique tamen collibus vallata. Sub qua 5. Urbes, Martin.

Nibis, urbs Ægypti, Gentile *Nibites*, Steph.

Nicæa, altera Antipatri filia, quam Perdiccas duxit, ut hac affinitate Antipatro sibi conjuncto res suas stabiliret. Huic tamen superinduxit Cleopatram, Alexandri Magni sororem germanam, Diod. XVIII. 640. Videtur postea, defuncto Perdiccâ, elocata fuisse Alexandro Acrocorintho præsidenti, quam dum eò deducit Antigonus, ut crediderit se nuptum ire Demetrio, populumque ad nuptialem festivitatem avocat, occupat iste arcem, Polyænus *lib.* 4. *in Antigono, Com.* 1.

Nicæa, urbs gemina: una urbs Archiep. Bithyniæ, à Lysimachi uxore Nicæa, vide *Nicæa*. Ad Ascaniam paludem, à Lysimacho, in honorem uxoris, filiæ Antipatri, sic dicta, prius *Antigonia*, ab Antigono conditore, teste Strabone: *Olbia* Plinio, & *Ancore*, teste Stephano dicta. Vulgò *Isnich*, de nomine lacus Ascanii, & *Nichor*, teste Leunclavio, sed Sophiano *Nichea*, inter Nicomediam ad Bor. 44. & Prusam in Eurum 25. m. p. distita. Hic Philistion Comicus, Socratis contemporaneus, nimio risu repentè expirasse traditur; quod & Sophroni contigit, teste Politiano in *Nutricia*: Capta est à Godofredo Bullionæo, an. 1097. Chronicon Hierosl. *edit. Helmstad. lib.* 1. 2. 3. Guil. Tyr. *lib.* 1. 2. 3. 4. Andronicus verò Imper. dum ejus obsidionem solvere vellet; ab Urchane vulneratus, victus castrisque exutus est, An. 1329. Niceph. Greg. *lib.* 7. 3. 9. 10. In hâc urbe Concilium Oecum. adversus Arrii sectam, A. D. 325. celebratum, à Constantino M. cùm omnia alia prius media frustra tentasset; 318. Episcoporum, inter quos & multi, qui stigmata Domini JESU in corpore suo ferebant. Hic Imperator, Præses, ad concordiam hortatus Patres, libellos, quibus lites illorum continebantur, palam combussit, sic Arianis, qui talibus libris sparsis illos inter se commissuri erant, occasione Concilium turbandi præcisâ. Dein Eustathius Episcopus Antiochenus verba fecit, Arius postmodum auditus, convictus, ab Athanasio imprimis; postmodum condemnatus, cum suis operibus, libro præsertim, quem Thaliam vocavit. Symbolum porro Orthodoxum conscriptum, Paschatis controversia composita, Novatianorum schisma sublatum, & Ecclesiasticæ disciplinæ tandem, per Canones 20. consultum est. Euseb. *vita Constantini.* Rufin. *Hist. lib.* 1. Theodoret. & Sozomenus *lib* 1. Niceph. *in Chron.* Gelasius Cyzicenus, *in Collect. &c.* Aliud dein ibidem Concilium Gen. 8. quod ab Irene, Leone 4. mortuo, convocatum, & à 350. Episcop. Legatis Papæ Adriani I. & Tarasio Patr. præsidentibus, A. C. 787. habitum est: quo rebus ita instructis, ut nemo disputare auderet, substratis fundamenti loco fabulis, celeriter conclusus *Imaginum cultus, Reliquiarumq; veneratio*, & aliter sentientibus, anathema dictum. Post quæ, omnia rursus templa statuis oppleta, Constantini soceri corpus effossum, filio oculi eruti, &c Huic Concilio Carolus M. Francofurti, An. 794 aliud opposuit 300. Episcop. præter Abbates, &c. in quo *Imaginum usus historicus approbatus, adoratio damnata, Græcorum Synodus destructa, acta rescissa, &c.* & refutatio ejus Imperatoris nomine contexta est. Vide Chemnit. *in exam. de imag.* Sigon. *lib.* 4. Similiter jam à Constantio Imperat. Concilium, in Arianorum gratiam, habendum ibidem fuerat, An. 359. sed divisis in partes Arianis, inconstantiâ Imperatoris, & terræmotu concussâ urbe, quod etiam prius Nicomediæ contigerat, conatus irriti fuerunt. Sozomen. *lib.* 4. Theodoret. *lib.* 2. Athanas. *de Synodis.* Vide quoq; *Parthenius.* Item Liguriæ opp. maritimum. *Nicia* Antonino dicitur. V. ibi, vulgò *Nizza*. Meminit ejus Stephan. Νίκαια, πόλις Κιλτική, Μασσαλιωτῶν ἄποικος. Plin. 3. 5. *Nicæa oppidum à Massiliensibus conditum*, Ptolom. Μασσαλιωτῶν Νίκαια, *Bellanda* quoq; olim. Baudrando fuit urbs Vediantiorum in Gall. Narbon. & Viennensi quarta. Ampla, dives, in ora maris Mediterr. cum portu capaci & arce munitissima Crevit ex ruinis Cemenelei, & dicitur *di Provenza*, quia olim suberat Comitibus Provinciæ, cujus pars erat, usque ad an. 1365. quo data est à Johanna, Ludovico II. Duci Sabaudiæ cum Comit. Nicæensi. In ipso est limite Italiæ, cis Alpes maritimas, 2. mill. ab ostiis Vari fluv. 7. ab Herculis Monœci portu in Occid. Ei fere contiguus est Villa Franca portus. Historia ex Morerio paulo fusior hæc: Nomen à Massiliensibus accepit, ob insignem contra Ligures victoriam, & dein aucta ex ruderibus Cemenelei, ut dictum, fuit sub Romanis, Regibus Burgundiæ,

[illegible]diæ, Comitibus Provinciæ, tandem transiit sub dominium Sabaudiæ Ducis. Incolæ Comitum suorum jugum non semel excutere annisi, bellum moverunt Raimundo Berengario an. 3. 1166. & Raimundo Berengario 5. An. 1229. Johannâ post hæc, Neapolitanis turbis occupatâ, Amadeus 7. ditionem hanc invasit, quam cessionis jure, à Jolanda, matre Ludovici 3. Com. Provinciæ & Regis Neapolitani, pro 60000. libris, quas Amadeus sibi deberi ajebat, possidere se hodierni Duces dicunt, An. 1419. Urbs capta à Francisco I. & Barbarossa Turcico Duce, sec. præt. in planitie fertilissima sita est, Amphitheatro, Inscriptionibus, aliisque Antiquitatis monumentis, inclyta. Vide Ptol. *tab.* 3. *Eur.* Strab. *lib.* 4. Melam, *lib.* 2. *cap.* 4. *&c.* Petr. Jofredum, *in Nicea Civ.* Ferdinand. Ughel. *T. IV. Ital. sacra.* Francisc. Augustin. de la Chiesa, *in Chron. Episc. Sabaud. & Corona Regia* Guichenon. *Hist. Sabaud.* Vincent. Barralim, *in Chron. Lirinensi.* Ruffium, *hist. Com. Prov.* Nostradamum & Bouchæum, *Hist. Prov.* Mourgæum, *de statutis Prov &c.* Vide & *Cemela.* Sunt & aliæ 6. teste Stephano. 1. Locrorum Epicnemidiorum in Achajâ, Thermopylis proxima, ad sinum Maliacum. 2. Illyriæ. 3. Indiæ. 4. Cyrni, seu Corsicæ insulæ. 5. Leuctrorum Bœotiæ. 6. Thraciæ. Vide Steph. & *Nicia.*

Nicaa, seu *Nicia*, opp. Duc. Montisferr. inter Aquas Statiellas 6. & Altam Pompejam 10. m. p. *Nizza della Paglia.* Patria Hipparchi, Astronomi insignis, qui contra Platonem, de stellis inerrantibus scripsit, & de motu Lunæ, instrumentaque mathematica reperit, Plin. *lib.* 2.

Nicaarchus, pictor suâ ætate eximius. Hic inter alia Venerem inter Gratias, & Cupidinem pinxit, & Herculem tristem insaniæ pœnitentiâ. Plin. 35. 11.

Nicaensis Comit. prov. parva circa urbem Nicæam, ubi aliàs Vediantii; antea pars Gall. Narb. uti postea Provinciæ, nunc Pedemontio annexa. Dividitur in IV. Vicariatus, Nicææ, Barcinonis, Sospellanum & Puerinum. Alii dividunt in Comit. Nicæensem propr. sub quo Vicariatus Nicææ, Sospellanus & Puerinus. in Vicariatum Barcinonis, in Comit. Bolei, & in Comitat. Tendæ. Caput est Nicæa, *Nizza di Provenza.* Vide ibi.

Nicanetus, Abderites, vel Samius fuit, ut ait Athen. *lib.* 13. ubi citat ejus τῶν γυναικῶν κατάλογον. Lilius Gyraldus *Poet. Hist. lib.* 3. ait etiam *historiam indigenam*, putà Abderiticam, vel Samiam, condidisse. Sed non hoc dicit Athen. *lib.* 15. Tantùm ait, historiam secutum suæ gentis. Verba ejus hæc sunt, Νικαίνετος ὁ ἐποποιὸς ἐν τοῖς ἐπιγραμμασι, ποιητὴς ἐπιχώριος, καὶ τὴν ἐπιχώριον ἱστορίαν ἠγαπηκὼς ἐν πλείοσι.

Nicagoras, Atheniensis sophista, Mnesæi Rhetoris fil. Minuciani Sophistæ pater, flor. *sec.* 3. sub Philippo Rom. Imper. eo qui Alexandrum excepit: Scripsit βίους ἐλλογίμων, teste Suidâ. Magnam huic eruditionis laudem tribuit Himerius Areopageticâ, apud Photium *Eclog.* 243. Κῆρυξ Eleusine fuit, & Philostrato familiaris, teste ipso Philostrato *lib.* 2. *de Sophistis, in Aspasio.* Alius ab hoc fuit *Nicagoras* Zelita, ætate Alexandri Mercurius dictus, apud Clementem, *in Protrept.* *Nicagoram* Leucadium ac Rhodium memorant Numm. Golziani. De *Nicagorâ* Cyprio, Vide Arnob. *lib.* 4. Fulgent. *lib.* 2. *Mythol.* Voss. *Hist. Gr. lib.* 4. *pag.* 519.

Nicama, Indiæ intra Gangem metropolis, Ptol.

Nicander Alexandrinus, libro innotuit de Aristotelis discipulis, teste Suidâ *in* Ἀλεξάνδρ.

Nicander Chalcedonius, scripto prodidit Πρυσίου συμπλόμματα, teste Athenæo *lib.* 11.

Nicander, Colophonius an Clarius Grammaticus, poëta & medicus, tempore Attali Galatonicis, juvenis illius, qui Gallogræcos vicit, sed à Romanis superatus est. Scripsit *Theriaca*, seu de venenatis bestiis, in quæ, præter alios, commentarium scripsit Demetrius Phalereus, ut indicat Stephanus *in* Κορώνη. Item *Alexipharmaca*, sive de Remediis contra venenum, nec non Ἑτεροιούμενα, opus Ovidianæ Metamorphosi non absimile. Meminere Athenæus & Tzetzes. His adde Ἰάσεων συναγωγὴν, Remediorum collectionem, & Προγνωστικὰ δι᾽ ἐπῶν, quæ ex Prognosticis Hippocratis desumpta erant. Præterea Georgica reliquit, quorum meminit Cic. 1. *de Orat.* & alia multa, de quibus Voss. *Hist. Gr. lib.* 4. *cap.* 14. *de P. G. cap.* 8. *& de Phil. cap.* 11. §. 36. Vixit adhuc Olymp. 161. Fil. Damnæi. Vide etiam, Macrob. *Saturn. lib.* 5. *cap.* 21. Lil. Girald. *Dial.* 3. *de Poët. Hist.* Jost. *Chron. Medic.* Vander Linden, *de Scr. Med. &c.* quibus adde Scholast. Nicandri.

Nicander, Thyatirenus, περὶ δήμων, citatur ab Harpocratione, in Θυμαιτάδαι.

Nicanor, conjurationis contra Alexand. M. in Ariis irritæ, particeps, Curt. VI. 43.

Nicanor, in Macedonum exercitu, nobilitate, sed & temeritate atque audaciâ insignis. De cujus interitu, Vide Curt. VIII. 66.

Nicanor Stagirites, per quem Alexand. M. epistolam misit, ad Græcos exules, de illorum reductione, Diod. XVIII.

Nicanor, Parmenionis filius in Hyrcania defunctus rapido Fato, cui frater Philotas, cum duobus millibus & sexcentis relictis justa fecit. Curt. VI. 56.

Nicanor, Navarchus Antigoni, ignavus & imperitus, judicio Polyæni. *l. IV. in Antigono Com.* 8. Dolo Cassandri comprehensus & supplicio affectus, *in Cassandro Com.* 1.

Nicanor, Dux exercitûs Demetrii Soteris, regis Syriæ, An. M. 3893. à Judâ Macchabæo prælio victus, postquam Alcimo primò auxilio missus esset, infelici successu, & secundò adveniens templum se destructurum fuisset minatus, 1. Macch. 7. & 2. *cap.* 14. 15. Joseph. *Antiq.* 12. 17.

Nicanor, T. Pomp. Attici servus, de quo Cicero *lib. V. Epist.* 3. *libr. VI.* 2.

Nicanor, natione Cyprius, unus ex 7. Diaconis ab Apostolis in divinum ministerium selectus, Actor. Apost. 6. Apud Cyprum martyrio coronatus.

Nicanor, Samius. Scripsit de Fluviis, Plut. *de flum.* Item, Alexandrinus, auctor Historiæ Alexandri M. Lact. Firmian. *lib.* 1. *de falsa Relig. cap.* 6. An idem cum Leandro Nicanore? V. ibi.

Nicanor, medicus Græcus, qui de Medicinâ multa scripsit.

Nicanor, Alexandrinus Grammaticus, sub Hadriano Imperat. Suidas. Vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 12. Τρεῖς γεγόνασι Νικάνορες, inquit Suidas. Ὁ μὲν γὰρ Βαλάκρου, ἕτερος ὁ Παρμενίωνος, ἄλλος ὁ Σταγειρίτης τὸ γένος, οὗ καὶ Ὑπερείδης μνημονεύει ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους.

Nicaragua, prov. novæ Hispan. satis ampla, inter mare Bor. ad Ort. & Austrin. ad Occ. Inter Honduram prov. ad Bor. & Costam ricam ad Occ. Sub qua 8. prov. In ea quatuor urbes, nempe Legio Nicaraguæ, quæ prim. est, Granata, Segobia nova & Giennum (*Jean*;) Tota sub Hispan. Aliter dicitur novum regnum Legionense; estque pars Præfecturæ generalis Guatimalæ. Hic Lacus cognom. ab ortu in Occid. extensus, per 200. mill. & in mare Bor. se exonerat.

Nicarchus, Philosophus Corinthius, sub Periandro, Plutarch. *in Symp.* 7. *Sap.*

Nicarchus, Sycophanta Athenis, de quo Aristoph. Acharn.

Nicarthides, cui Alexander M. arcem Persepolis, tribus millibus Macedonum præsidio relictis, tuendam commisit, Curt. V. 31.

Nicasia, parva insula juxta Naxum, inde *Nicasius*, quod & proprium nomen viri est, Steph.

Nicasipolis, vide *Thessalonica.*

Nicasius de Voerda, Mechliniensis, cœcus à 3. ætat. anno, eruditione tantâ effloruit, ut miraculum sui seculi haberetur. Doctor fuit Lovaniensis, & scripsit complura. Obiit An. 1491. Trithem. & Valer. Andr. *in Bibl. Belg.* qui etiam *Nicasii* Baxi, & Ellebodii meminit, qui ambo scriptis inclaruerunt.

Nicastrum, vide *Neocastrum.*

Nicates, à Livio vocatur mons ille Italiæ, qui hodie *Majella*, & *Mathesio* dicitur, teste M. Nigro.

Nicator, Seleuci cognomen, quia in Syriacis bellis semper invictus extitit, teste Appiano. Fuit autem Syriæ rex.

Nicatoris, urbs Syriæ, Steph. Inde *Nicatorites.*

Nicatorium, Assyriæ mons juxta Arbelam, Strabo.

Nicaule, vide *Nicolaa.*

Nicaule, Ægypti & Æthiopiæ Regina, quam Joseph. *lib.* 8. *Antiq. cap.* 2. Reginam Sabæ esse credidit, quæ sapientiæ Salomonis famâ pellecta, Hierosolymam venit, 3. Reg. *cap.* 10. 2. Paral. *cap.* 9. Ex hujus posteris se esse Abyssinorum hodierni Reges gloriantur. Aliis tamen regina illa Sabæ, ex Abrahami Cethuræque posteritate fuisse videtur. Vide Origen. *hom.* 11. *in Gen.* Baron. *A. C.* 1. Torniel. *A. M.* 3043. *n.* 13. *&* 14. Morer. *Diction. Hist.*

Nicea, Macedoniæ urbs, apud Heracleam inter Edessam, & Lychnidum, Anton. Hinc 34. m. p. in Ort.

Nicedorus, vide *Nicodorus.*

Nicephorium, urbs circa Edessam, aliàs *Constantina*, Steph. *Nasivancasi* hodie nominari scribit Castaldus; *Nephrum* Pinetus vocat.

Nicephorius amnis, partem murorum Tigranocertæ ambiens, Tac. *lib.* XV. 4.

Nicephorius Jupiter, ab urbe Nicephorio, in Mesopotamia, sic dictus, ex cujus responso Adrianus Imper. imperium sibi futurum intellexit.

Nicephorus I. Constantinopolitanus Imper. ex Logotheta, Thesaurario & Cancellario, An. Dom. 802. Irene in Insulam Lesbum relegatâ, thronum conscendit, osor imaginum, & libertatis Eccl. Græcæ, contra Romanam sedem, tenax. Bardane æmulo in cœnobium detruso, cum Carolo M. de limitibus sic convenit, ut Veneti inter utrumque imperium positi, sed liberi essent; Stauratium dein filium Augustum pronuntiavit, Bulgarosque tam feliciter superavit, ut Rex horum Crunnus pacem supplex petere cogeretur. Quam cùm negaret rerum successu ebrius Imperator, ab illo, ad desperationem adacto, nocturnâ invasione, cum omni Nobilitate, trucidatus est, craniumq; ejus, obductum argento, cyathi loco Crunno fuit, addito: *ut auri cupidus, mero post fata expletus, alienam sitim elueret.* An. 811. Stauratius, periculosè vulneratus, ægrè e prælio evasit. Successit Michaël Curopalates gener, Theophan *in Chron.* Cedren. *in hist.* Zonar. *in Annal. Gr. tomo* 3. Sigebert. *in Chron.* P. Æmilius *lib.* 3.

Nicephorus II. Phocas, Dux copiarum Romani Jun. Cretam Saracenis eripuit, eosdemque in Syria graviter afflixit; illi mortuo surrogatus ab Exercitu, An. 961. coronam à Patr. Polyeucte accepit. Ductâ dein Romani viduâ Theophaniâ, eosdem Saracenos Syriâ, Ciliciâ, Cypro, cum Antiochia & Tripoli exuit. Sed nimium avarus.

avarus, cùm subditorum plurimis oppressis, Urbem fame laborantem non solaretur, militibusque stipendii, loco templa diripienda concederet, suorum odium incurrit: à Johanne Zimisce, quem Theophania fune in cubiculum attraxerat, occisus, An. 969. Curopalat. & Cedren. *in Annal.*

Nicephorus III. Cognom. Botoniates, Turcarum opibus nixus, Constantinopoli imperioque potitus est, Ann. 1078. relegato in monasterium Michaële Ducâ, cum Constantino fil. & uxore. Sed Ann. 1081. purpurâ cum cilicio commutatâ, imperium Isaco Comneno cedere coactus est. Curopalat. Anna Comnena, Zonaras, Cedrenus, &c.

Nicephorus I. Patr. Constantinopolitanus, successit Tarasio, A. 806. Ingenio hic & genere inclytus, cùm prius Imperatori à secretis fuisset, aulâ relictâ monasticam vitam sectatus erat, sed inde extractus, & dignitati Patr. admotus est. Quòd acer imaginum esset defensor, à Leone Armenio Imp. in Insul. Proconnesum relegatus, ibi obiit Ann. 828. postquam exilium ann. 14. tolerasset. Scripsit *Historia breviarium*, à morte Mauritii Imp. usque ad Leonem 4. quod Petavius edidit, An. 1616. Item *Chronologiam tripartitam*, quam Anastasius Bibliothecarius latine vertit, à Josepho Scaligero editam. De aliis illi tribui solitis, Vide Theodor. Studitam *in epist.* Theophanem, Photium *Cod.* 66. Cedren. Zonar. & Glycam, *in Annal.* Vossium, *lib.* 2. *cap.* 25. *de H.G. & in adden.* Labbeum, *in appar. Hist. Byz. &c.* Vide infra.

Nicephorus II. prius Archiepiscopus Ephesinus, successit Arsenio, An. 1260. Obiit anno post, Gregoras, *lib.* 4.

Nicephorus, ὁ Βασιλάκης, sive Βασιλάκιος, Rhetorices Constantinopoli professor, floruit sub Alexio Comneno, qui patri Michaeli successit 1131. De quo Nicetas Choniates, *lib.* 7. *gestorum Manuelis Comneni*, & Joh. Cinnamus *lib* 4. *Hist. Rom.* & ex hisce Leo Allatius, *in præfatione, quam præmisit excerptis Heracliti, Libani, huiusce Nicephori, & aliorum, quos primus Græcè edidit Romæ* 1641. *Latineq; vertit.* Ac Basilacæ quidem sunt ista: μῦθοι, διηγήματα, & ἠθοποιίαι. Vossius, *de H. G. lib.* 4. Meminit etiam hujus Nicetas Choniates Hist. Manuel. Comneni *lib.* 7. Johann. Cinnamus, *Hist. Rom. l.* 4.

Nicephorus Callistus, Callisti fil. Xanthopulus; qui inclaruit Hist. Ecclesiasticæ, ad Andronicum Palæologum exaratæ, libris 23. quorum 18. superstites sunt à nato CHRISTO, usque ad mortem Imper. Phocæ, An. 610. postremi 5. qui pertigerant, usque ad finem Imper. Leonis Philosophi, An. 911. perierunt. Condidit hoc opus, quos Joh. Langius latine vertit, Basileæ An. 1553. Parisiis an. 1562. & Frontonis Ducæi curâ An. 1630. editum, annum necdum 36. egressus; ut ait ipse in proœmio. Ineptum, & ridiculum scriptorem vocat Beza, viz. propter fabellas complures, & errores non exiguos: quos in eo etiam Baronius, Possevinus, atque alii observarunt. Sed ætatem cogitemus quâ vixit, pro quâ dictione usus est non invenustâ. Alia quædam ei tribui solita, Vide apud Guil. Eisengrin, *in Catal. Eccl. Scr.* Possevin. *in appar.* Voss. *Hist. Gr.* 2. 29. Bellarmin. Statum Sen.

Nicephorus, Patriarcha C P. reliquit ἱστορίαν σύντομον, sive Breviarium, de rebus gestis, à Mauricii cæde, usque ad Leonis 4. Porphyrogenneti & Irenes nuptias, hoc est, Constantini Copronymi, ann. 19. Christi verò 769. Primus publicavit, ac tralationem suam addidit V. Cl. Dionys. Petavius. Vide supra: Alius *Nicephorus* Constantinopolitanus junior, Chronographus. De quo Vossius *Histor. Gr.* 2. 25.

Nicephorus, Diaconus Phryx inter eos, qui de sui ævi rebus aliquid prodiderunt, memoratur à Joanne Curopalate, & Georgio Cedreno, utroque in historiæ proœmio.

Nicephorus Gregoras, præterquam quòd interpretatus est Synesii librum de Insomniis, à Turnebo editum, An. 1553. præter item alia multa, quæ in Italiæ Bibliothecis asservantur, etiam historiæ Byzantinæ 11. libros condidit, quibus complexus est res annorum 145. à Theodoro Lascare priore usq; ad suam ætatem, sive obitum Andronici Palæologi posterioris, qui incidit in An. Dom. 1361. Hunc primus cum tralatione suâ publicavit Hieronymus Wolfius, editam Basileæ, An. 1562. & Genevæ, An. 1615. Vide Johannem Cantacuzenum, *Hist. lib.* 4. *cap.* 24. *& lib.* 7. 8. 9. ubi acriter in hunc auctorem invehitur, & Voss. *Hist. Gr.* 2. 29. Lips. *in not. libr.* 1. *Pol. &c.*

Nicephorus, Philosophus atque orator: cujus oratio funebris extat de vitâ Antonii Patriarchæ C P. qui decessit, An. Dom. 901. Habes apud Surium *Tom.* 2. *die* 12. *Febr.*

Nicephorus Blemmidas, monachus Græcus, sec. 13. Patriarchalem dignitatem recusavit, scripsit varia, Gesner. *in Biblioth.* Possevin. *in appar. &c.*

Nicepsos, rex Ægypti, Scaliger *Exer.* 266. Circuli decussati atque in quadrantes redacti numeros constituit Petosiris, vel Nicepso. Vide *Necepso.*

Nicer, fluv. Sueviæ. *Necker* German. Oritur ex sylva nigra & monte Abnoba, viæ 7. m. p. à fontibus Danubii, & paulo post Rotvilam rigat; dein in Arctos tendens, per Duc. Wirtemberg. labitur, prope Tubingam, Eslingam, Hailbrunnam, & Wimpinam: tandem per Palatinatum infer. fluens, ibi Heidelbergam rigat, & Ladenburgum, & paulo infra Rheno miscetur, juxta Manhemium.

Niceratus, Archon Athenis, Olymp. 12. an. 1.

Niceratus, pater Niciæ Ducis, qui in Sicilia periit. Schol. in Aristophan.

Niceta, pagus erat Apameæ maximus, probeque habitatus, Strabo.

Nicetas I. Patr. Constantinopolitanus, Dalmata, A. 766. Obiit A. 780. Curopalates & Cedrenus, *in Compend.*

Nicetas II. dictus Mundanus, successit A. 1186. Basilio Camatero, jussu Isacii Angeli Imperatoris deposito. Nactus, ob senium, Leontium successorem. Nicetas Choniates, *in Isac. Ang. lib.* 2. Baron. *in Annal.*

Nicetas, vir inter Græcos insignis, honestas esse Sacerdotum nuptias, scripto erudito propugnavit, Ann. 1054.

Nicetas Acominatus, Choniates, vir Constantinopolitano Imperio illustris, floruit initio seculi tertiidecimi. Magnis muneribus sub Imperatoribus defunctus, captâ à Latinis Constantinopoli, A. 1204. Nicæam Bithyniæ concessit, ductâ ibi puellâ, quam hostibus eripuerat. Libris 21. complexus est historiam annorum 85. nempe ab obitu Alexii Comneni, ubi desierat Zonaras, usque ad annum 1205. quo Balduinus obiit. Diligens fuit Homeri lector ac imitator, adeò ut ob poëticam, atque insolentem dictionem, quandoque durior fiat: cumprimis in præfatione, quæ salebrosa est. In cæteris molliùs fluit, & videatur ibi ostentare voluisse, quantus logodædalus foret; quod similiter in historiâ si fecisset, næ ille multò minus laudis, quàm nunc habet, mereretur. Opus hoc vertit Hieron. Wolphius, ediditque Basileæ, An. 1557. dein Genevæ prodiit, An. 1593. & an. 1647. insertum est Bibliothecæ Byzantinæ, edit. Lupar. Petrus Morellus Turonensis, vertit præt. seculo 5. priores libb. Thesauri fidei Orthodoxæ, qui Nicetæ attribuuntur: quod opus editum Lutetiæ An. 1580. Fragmentum quoque ejus superest, de eo qui ex Mahometano Christianus fit, &c. Mortuo Nicetæ frater Michaël Choniates Monodiam scripsit, quam idem Morellus transtulit. Hieron. Wolph. *in præf.* Voss. *de Histor. Gr. lib.* 2 *cap* 28. Leo Allatius, *de Nicetis, &c.*

Nicetas David, sive Paphlago, Photii adversarius. Composuit sec. 9. vitam Ignatii Monachi, Michaëlis Trauli Imper. F. Patriarchæ C P. quo exacto Photius ex senatore factus est Patriarcha. Hanc Fridericus Metius Episc. vertit: ut & Matthæus Raderus, Ingolstadii editam, An. 1604. Vide Nicephorum Callistum, *lib.* 14. *cap.* 18. Johan. Curopalatem, Cedrenum, Leonem Allatium, Voss. *Hist. Gr.* 2. 25. *&c.*

Nicetes, Smyrnæus Sophista, Adriano Imperatori gratiosus, ab eoque Museo Ægyptio adscriptus. Quum causas tentaret, foro etiam aptissimus videbatur. Adeò ingenium ad utramque dicendi rationem accommodavit, ut judiciale sophisticâ quâdam facultate exornaverit. Sophisticum verò & umbratile forensibus aculeis roboravit, genusque dicendi antiquum & politum retinuit: lascivus nihilominus, & Dithyrambicus visus, Philostr.

Nicia, & *Nicæa*, vide ibi, nomen 2. urbium, quarum una est Galliæ, alia Asiæ & Bithyniæ metropolis, Strabo *lib.* 4. Nicæam primus Antigonus Philippi fil. condidit, & Antigonam nominavit: postea Lysimachus à nomine uxoris Antipatri filiæ Nicæam appellavit. Urbis ambitus stadiorum 16. Fuit figurâ quadratâ in campo sita; habuit 4. portas ad rectos angulos; ex lapide, qui circa medium Gymnasium positus erat, omnes quatuor portæ cernebantur. Hic, jubente Constantino M. celebris illa Synodus celebrata est 318. Episcoporum, & impium Arii dogma recisum. De eâ vetus scriptor à Jacob. Gothofredo editus: Καὶ Νικαίας μὲν πόλεως θέσιν ἀλυχιρὶς ἐστιν ἰσχυρὰ διεξιόντων, καθὰ οὐδὲ νομίζει τις ἐπιτηδείαν πάσῃ πόλει, διὰ τὴν ἰσότητα, καὶ κάλλος, καὶ ἔστιν ἐν πᾶσι κεκοσμημένη, καὶ σύστατος. Libanius *Orat. Fun Jul.* κάλλει μεγίστην vocat, & multis locis καλὴν Νικαίαν.

Nicia, fluv. Æmiliæ in Padum influens. *Lenza* Nigro, & Leandro; non *Nura*, ut scribit Gaudentius Merula. Oritur ex Apennino, versus Apuam; dein in Bor. tendens dit. Mutinensem à Parmensi separat.

Niciæ vicus, in Ægypto est, Steph. & Strab. inter Alexandriam 95. & Memphim 48. m. p. ex Anton. *Fuoa*, teste Leone Africano.

Nicias, Atheniensis, fil. Nicerati, opibus, virtute, genere clarus, ad quem, post mortem Periclis, primæ partes delatæ sunt. Classis præfectus, res egregias gessit, Atheniensibus, ut 50. an. inducias cum Spartanis paciscerentur, persuasit: dein missus Imperator unà cum Demosthene altero Duce, contra Syracusanos, qui Gilippum Lacedæmonium auxilio accersiverant, infeliciter pugnantes, ambo à Syracusanis in bello capti sunt; in carceremque conjecti sibi manus attulere. Olymp. 91. U. C. 441. Thuc. *Hist. lib.* 4. 5. 6. 7. Diodor. Sic. *lib.* 12. Plutarchus *in vita ejus*, eum M. Crasso comparat, quòd & divitiis abundaverit, & eundem ferè exitum hic apud Siculos, ille apud Parthos invenerit.

Nicias, Atheniensis pictor, qui diligentissimè mulieres pinxit, Plin. 35. 2. Hic in artem tantâ contentione animi incubuisse dicitur, ut cibum sumere sæpe oblitus sit. Ælian. ποικιλ. 3. 31. Vide Pausan. *in Attic.* & Stobæum *Serm.* 27. Quibus adde Plut. *in lib. An seni sit gerenda respublica?* Qui sic de hoc pictore: Νικίας ὁ ζωγράφος οὕτως ἔχαιρε τοῖς τῆς τέχνης ἔργοις, ὥστε τοὺς οἰκέτας ἐρωτᾶν πολλάκις, εἰ λέλουται, ἢ ἠρίστηκεν. Fuit etiam *Nicias* alter Per-

gasæus,

galeus, helluo, qui seipsum interfecit, teste Æliano *Var. Hist.* 4. 23.

Nicias, Grammaticus Romæ, familiaris Pompejo & Ciceroni, qui ejus in epistolâ quâdam ad Atticum meminit, item in epistolâ ad Dolabellam, Tranquillus.

Nicias, Maleotes, historias vel fabulas reliquisse videtur, Plut. *in Paral minor.*

Nicias, Nicenus, consignavit philosophorum historiam, ac successiones, teste Athenæo *lib.* 4. 6. 10. & 13. Vide Jonsium *de Hist. Philos. script. pag.* 340. Fortasse nec alius est *Nicias*, quem A'γραφῶς literis prodidisse Athenæus auctor est, *lib.* 14. Etiam *Niciam* ἐν τῷ περὶ λίθων testem adhibent Plut. *de Flum.* & Stobæus. An hic Pyrrhi medicus? Vide supra.

Nicias, Pyrrhi medicus, qui olim ad Fabricium veniens ei promisit, Pyrrhum veneno necaturum. At ille aversatus facinus, Pyrrho rescripsit, ut à Niciâ sibi caveret, Plut. Laudatur in carminibus Theocriti. Stobæus ejus librum, *de lapidibus* citat. Vixit Olymp. 125.

Niciu Villa, Ægypti inferioris metropolis, ad Nilum sita, Ptol. *Nicia vicum* Strabonis esse vult Villanovanus. Hic tamen ad mediterraneum mare à Strabone ponitur, illa verò à Ptolomæo in mediterraneis. *Fuea*, Leoni Afric. urbec. Ægypti infer. ad Nilum, & satis obscura, 35. mill. à Cairo in Circ. in præfectura *Ob*, *ʃ*i. Baudrand.

Nicippus, tyrannus quidam, de quo Ælianus *Var.* 1. 29.

Niclotus, Dux Sclavorum, piraticâ Danos infestantium, A. 1161. ab horum Rege Valdemaro, in summas angustias redactus, atque Christianismum suscipere coactus est, Helm. *lib.* 1. *cap.* 85. 88.

Nico, unus ex tredecim principibus Tarentinorum, qui conjurarunt contra Hannibalem, tandem comprehensus cum Philemone ad Hannibalem deductus est, Liv. *Decad.* 3.

Nicochares, poëta Comicus Græcus, Olymp. 97. Atheniensis, Philonidis filius, coævus Aristophanis, qui multas fabulas scripsit, Athen. Suid.

Nicocles, Phocioni amicorum fidelissimus, qui cùm Phocionem oraret, ut sineret se priore loco pharmacum bibere, rem sane, inquit Phocion, ô Nicocles petis à me gravem & molestam: Verùm tamen, quoniam in nulla unquam aliâ tibi, dum vixi, non morem gessi: hanc quoque tibi concedo.

Nicocles, Salaminiorum rex, cui cum Stratone Phœnicum rege certamen fuit, uter esset mollior ac effœminatior, uterque autem violentâ morte periit. Item *Nicocles* Cyprius quidam luxuriosus, de quo Ælian. *Var. Hist.* 7. 2. De *Nicocle* Evagoræ filio, ita *Diod. libr.* 15. Νικοκλῆς, ὁ Εὐνοῦχος ἰδελοφόνησεν Εὐαγόραν τὸν βασιλέα, Olymp. 101. ann. 3. Ejus cædis non meminit omninò Isocrates; sed ex ejus silentio, non est damnandus, ut falsus, hoc loco Diodorus. Nam is Rhetor Nicocli adulatur, & ideo potuit prætermittere tam dirum facinus. Theopompus certe *lib.* 12. *histor. apud Phot.* Eunuchum quendam ait cædem patrasse, sed eum Thrasydæum nomine, patriâ Eleum fuisse ait. Occidit autem non solum Evagoram, sed & ejus filium Pythagoram, majorem, ut puto; natu, & forte, ut regnaret Nicocles, ut conjicere licet ex illo Theopompi loco, cum hoc Diodori collato, & ex Isocratis silentio, qui de morte Evagoræ, nec in Evagora, nec in duabus ad Nicoclem exhortationibus ne verbum quidem fecit. Ideo Νικοκλῆς καὶ ὁ Εὐνοῦχος legit Palmerius.

Nicocles, Evagoræ filii, meminit Xenoph. Item Poëtæ Comici Græci, qui Aristophanis tempore vixit, Casaubon. *animadvers. in Athen. lib* 8. *cap* 5.

Nicocrates, Cyrenæorum tyrannus, ab Aretaphila subversus, Polyæn. VIII.

Nicocratus, Archon Athienis, Olymp. 111. ann. 4.

Nicocreon, Cypriorum tyrannus, qui Anaxarchum philosophum malleis ferreis cædi jussit. Vide *Anaxarchus*.

Nicodemus, Atheniensis, unà cum Hieronymo classi, à Conone, qui ad Artaxerxem compellandum proficisci parabat, præpositus, Diodor. XIIII.

Nicodemus, Centuripensium, in Italia, tyrannus, à Timoleonte ejectus, Olymp. 110. an. 2. Diod. XVI.

Nicodemus, nomen viri Pharisæi, Judæorum primarii, noctu ad Christum venit, Johan. 3. 1. eumque sepeliit, Joh. 19. 39. Quidam hæretici Evangelium quoddam ipsi ascribunt. Sixtus Sen. *Bibl. Sacr. libr.* 2.

Nicodorus, Mantineus Pyctes, qui ab adolescentia totum se palestræ dedidit; factus autem senior cœpit philosophari, legibusq; & [illegible]tis incumbere, Ælian. *Var. Hist* 2. 23.

Nicoeratus, Archon Atheniensis, Olymp. 117. an. 4. ut ex Dionysii Halicarnassensis Dinarcho, atque aliis constat.

N[illegible] quæ & *Nicaule*, regina Saba. Salmanticensis lib. Juchasim [illegible] 156. 1. *Regina Saba, quæ Nicolaa vocabatur, venit ex regno Jemen ad audiendam Sapientiam Solomonis.* Vide Boch. *Phaleg* 2. [illegible]

Nicolaa Sequana, filia Caroli, uxor Johannis Liebaldi Medici; Eruditione & [illegible]ptis præclarum nomen adepta, Morerius *in Dict. Histor.* &c.

Nicolaitæ, quinam fuerint, ex Eusebio discimus *Eccles. hist. lib.* 3. *cap.* 29. qui ex Clement. Alex. *lib.* 3. *Strom.* hæc refert. Nicolaus Diaconus, cujus mentionem facit B. Lucas *Histor. SS. Ap. cap.* 6. uxorem habens formosissimam, ab Apostolis, quasi zelotypiæ morbo laborasset, reprehensus fuit. Ille autem, uxore in medium productâ, cuilibet eam ducendi potestatem fecit, dicens hoc dicto isti consentaneum esse, Ὅτι παραχρῆσθαι τῇ σαρκὶ δεῖ, hoc est, *carne abuti (sive injuriam ei facere) homines debere.* Idem affirmat B. Irenæus *lib.* 2. *cap.* 27. Reliqui autem ejus sectatores, sermonem ejus ἁπλῶς καὶ ἀβασανίστως accipientes, ἀναίδην ἐκπορνεύουσιν, inquit Clemens *ubi suprà*. Sermo autem ille, quo usus est Nicolaus, & quem non sano sensu sectatores ejus acceperunt, Sancto Matthiæ ab Eusebio attribuitur, viz. Σαρκὶ μὲν μάχεσθαι, καὶ παραχρῆσθαι, τῇ μηδὲν αὐτῇ πρὸς ἡδονὴν ἐνδιδόντας, ψυχὴν δὲ αὔξειν διὰ πίστεως καὶ γνώσεως. Et hæc, inquit, Nicolai verborum fuit sententia. Quòd autem uxorem in medium protulerit, ἀπολελοιπέναι παῖδας, καὶ ἡ ἐξ ἐκείνου θυγάτηρ παρθένους γεγηρακέναι fuisse dicitur. Cujus veritatis argumento esse potest, quòd fœminam nullam, præter uxorem propriam unquam attigerit, ex qua cùm liberos suscepisset, illi omnes virginitatem perpetuam conservarunt. Hæc de Nicolao historia sive vera sit, sive falsa, illud saltem certissimum est, Sectatores ejus, qui ab Eusebio τὴν αἵρεσιν αὐτοῦ μετιόντες dicuntur, atque Apocalyp. *cap.* 2. Νικολαῖται vocantur, ἀνδρεῖοι aborminandæ reos fuisse. Docuerunt insuper, JESUM CHRISTUM Deum non esse, sed Divinitatem tantùm in carne ejus habitasse, Idolothyta licitè posse comedi, &c. Nomine postea mutato *Gnostici* dicti: etiam in Phibionitas, Stratioticos, Leviticos & Borboritas divisi. Ignat. *Epist. ad Trall. & ad Philadel.* Iren. *lib.* 1. *cap.* 27. & *lib.* 3. *cap.* 11. Euseb. *lib.* 3. *Hist.* Epiph. *hær.* 25. Theodoret. *hær. fab. lib.* 3. Baron. *A. C.* 68. &c.

Nicolaus, Daniæ Rex, ob cædem patruelis Canuti, à filio suo Magno patratam, ab Erico, occisi fratre, & Lothario Imp. frustra oppugnatus: tandem tamen, dum Slesvicenses sibi reconciliare satagit, in regia cum prætorianis cæsus est. Successit Ericus, Sax. Grammat. *lib.* 3.

Nicolaus I. cognom. Magnus, Romanus gente, successit Benedicto 3. Papæ, coronatus, præsente Ludovico 2. Imper. A. 858. Michaeli 3. Imper. Orientis, acriter se opposuit, à Photio Patr. Constantinopolitano, qui Ignatio Patr. pulso surrogatus erat, depositus, quem proin anathemate feriit. Cum Lothario dein, Lotharingiæ Reg. ob Valdradam, ei negotium fuit: Johannem Arch. Ravennatem coërcuit; Cœlibatum, in primis in Gallia & Germania, strenuè promovit; Restitit tamen illi Hulderiçus, Episc. Augustanus, epistolâ doctissimâ, obtinuitque, ut libertas conjugii Sacerdotum intemerata maneret, per annos ferme 200. Obiit, auctoritatis Pontificiæ acer assertor, plurimis epistolis, quæ in Volumen coiere, editis, An. 867. Successit Hadrianus 2. Vide Laon. Chalcond. M. Chemnitium, *in examine de cœlibatu*, Platinam, Anastasium Biblioth. Onuphrium, Ciacconium, Papyrium Massonium, Duchenium, Hincmarum Rem. Possevinum, Gesn. &c.

Nicolaus II. dictus, Gerhardus Burgundus, Gallus an Sabaudus, successit Stephano 9. Senis electus, Johannem Mincium, sub nomine Benedicti 10. à Comite Frascati, sibi oppositum, condemnavit, suppliciemque vivere, sed sine sacra functione, permisit. Dein rebus Romæ & foris, pacatis, Robertum Gischardum, in possessione Apuliæ & Calabriæ, Richardum verò in Principatu Capuano confirmavit; Concilio etiam celebrato Berengarium, metu mortis, ad palinodiam adegit. Obiit An. 1061, sedis an. 2. mens. 6. Leo Ostiens. *lib.* 3. *cap.* 12. & *seqq.*

Nicolaus III. ex familia Ursinorum, dictus Johannes Cajetanus, successit Johanni 22. Viterbii electus, An. 1277. Literatus & literatorum fautor, conjurationis Siculanæ faber. Carolo Andegavensi, Siciliæ Reg. Senatoriam dignitatem, Vicariarumque Hetruriæ ademit; offensus fortè, quod ille regiæ stirpis puellam, nollet Fratri ejus elocare, dictitans: *Etsi Nicolaus calceo rubro uteretur, ejus tamen agnatos regii sanguinis puellâ indignos esse.* Fœdere dein cum Aragoniæ R. priori ultione non contentus, inito, in causa fuit, ut vesperis Siculis, omnes Galli occiderentur. Obiit An. 1280. Villanius *lib.* 7. Platina & Duchenius, *in ejus vita*, &c. Papyrius Massonius, *Hist. lib.* 3.

Nicolaus IV. Franciscanus, dictus Frater Hieronymus, Ascalo oriundus, excepit Honorium 4. An. 1288. postquam sedes vacasset, 11. mens. Dissensiones hic Romæ sustulisse, Siciliæ Arragoniæque Regis inter se conciliasse, Tartarorum Dalmatarumque conversioni operam dedisse, & de recuperanda terra sancta sollicitus fuisse dicitur. Obiit An. 1292. Ei commentarii in S. Scripturam, Magistrumq; Sent. & Sermones, &c. attribuuntur. Duchenius *in ejus vita*, Morer. *in Dict. Hist.*

Nicolaus V. prius Thomas dictus, successit Eugenio 4. Ann. 1447. cui Felix 5. in Concil. Basiliensi electus, sponte cessit. Fautor literatum, 3000. librorum, in Vaticanam Bibliothecam intulit. Jubilæum, ob turbam in Tiberino ponte periclitantem, magnâ clade celebravit. Fridericum 4. Imper. cum Eleonora Lusitanica, coronavit: Stephani Porcarii seditione, & expugnatione Constantinopoleos, An. 1453. non parum turbatus. Obiit An. 1455. Magnificus, in Græcos, nobiles, virgines egenas, literatos inprimis, quos undique in aulam suam accivit, Manuscriptis Græcis Latinisque

nisque magno sumptu collectis, &c. Æneas Sylv. Philelphus, Poggius, Joh. Manetius, Ægidius Card. Viterb. Blondus, Platina, Victorellus, Spondus, Possevinus, Duchenius. Ei successit Calixtus 3.

Nicolaus Antipapa, Vide *Johannes* 24. & *Petrus de Corberia.*

Nicolaus I. ex Mystico, Patr. Constantinopolitanus, post Antonium, An. 890. à Leone 4. Imper. quòd quartum ejus cum Zoë conjugium approbare nollet, pulsus, An. 901. ab Alexandro Imperatore restitutus est, An. 911, tutor Constantini Porphyrogennitæ. Obiit An. 930. Curopalat. *in Comm. Histor.*

Nicolaus II. dictus Chrysobergos, successit Antonio Studitæ, An. 981. usque ad an. 995. Idem.

Nicolaus III. Grammaticus, magni inter Græcos nominis, Eustathium excepit, An. 1089. Obiit An. 1117. Zonar. *in Annal.* Theod. Balzamo, *in Syn. Tul. cap.* 63. *& in Carth. cap.* 11. Photius, *in Nomoc. tit.* 13. *cap.* 2. *in Conc. Antioch. cap.* 3. Codex Juris Or. *lib.* 3. Baronius, *in Annal. &c.*

S. Nicolaus, Episcop. Myræ, in Lycia, durante Licinii persecutione, in exilium pulsus, mortuo Tyranno, rediit; in Diœcesi sua Idoleja destruxit, seculi sui Thaumaturgus: in Niceno Concil. Ario restitit, &c. sec. 4. Vide Balsamon. Metaphrasten, Surium, *die* 6. *Dec.* Baron. *in Annal. &c.*

Nicolaus Ægidius, Ludovico 12. à secretis, Ann. 1500. scripsit Annales & Chronica Gall. à Troja destructa, usque ad An. 1496. Continuarunt Dionysius Sylvester, Fr. Belleforestus, Gabr. Chapuisius, &c. Duchenius; *Bibl. hist. Gall.*

Nicolaus de S. Albano, Benedictinus Anglus, An. 1140. scripsit libb. 2. de Conceptione Beat. Virginis & Epistolas, Pitseus, *de Scr. Angl.*

Nicolaus Albergatius, Cardin. Episcop. Bononiensis, egregiam Bibliothecam collegit, ab Eugenio 4. missus, ut Concilio Basil. præsideret, à Patribus non admissus est; in Conc. Ferrariensi, contra Græcos disputavit, &c. Obiit An. 1443. Vide Sigon. & Ciacc. *in ejus vita.* Dorland. *lib.* 7. *Chron. Cath. &c.*

Nicolaus de Alcensia, Carmelita Germanus, An. 1495. Scripsit in Apocalypsin, Sermones, &c. Trithem. & Alegr. *in Parad. Carm.*

Nicolaus Alemannius, Græcus, Bibliothecæ Vatic. præfectus, eruditione inclytus, Janus Nicius Erythr. *in Pinac. P. I. C.* 70.

Nicolaus Alexandrinus, Medicus priscus, Vander Linden, *de Script. Med.* Justus, *Chron. Med.*

Nicolaus Anglicus & Aslo, Angli, laudati Pitseo, *in append. de Scr. Angl.*

Nicolaus Audetus, Cyprius, Gener. Carmelitarum, electus Venetiis, Ann. 1524.

Nicolaus Aurifex, Carmelita, scripsit varia. Vide Alegrium, *in Parad. Carmel.* Possevin. *in appar.* Luc. *in Bibl. Carmel.*

Nicolaus Bajardus, vel Biartus, Dominicanus Anglus, varia in Theologia edidit. Pitseus, Fernandez, Anton. Senensis, &c. Ann. 1410.

Nicolaus Bernardus, Medicus Delphinas, scriptis inclytus, Vander Linden.

Nicolaus Bertrutius, Medicus Bononiensis, Auctor *Collectorii artis medicæ, &c.* Idem. An. 1250. Justus, *in Chron. Med.*

Nicolaus Bies, Gandavensis, Poeta, Philosophus & Medicus, plurima scripsit, Val. Andr. *in Bibl. Belg.*

Nicolaus Borbonius, Poëta & Grammaticus Gallus nobilis, fil. Medici, & nepos alterius Nicolai, qui cùm fil. fabri esset ferrarii, inter alia ingenii monumenta, descriptionem Ustrinæ edidit, sub tit. *Nugæ.* Unde Bellajus:

Paule, tuum inscribis Nugarum nomine librum,
In toto libro nil melius titulo.

Vide Paul. Jovium, & Scævolam Sammart. *in elog.* Obiit an. 1644. ætat. 70. postquam Parisiis Græcè Regius Professor docuisset. Scripsit volumen operum Lat. Hic Thuani historiam & Jovii elogia dicitur memoriter tenuisse.

Nicolaus Boslarus, Philosophus, & *Boslehamus*, ambo Carmelitæ Angli, scriptis clari, Pitseus, *de Sc. Angl.*

Nicolaus Brilhendalius, Grammaticus, *Brigamus*, Poëta, *Brunfeldius*, Historicus, & *Bungejus*, qui scripsit *Adunationes Chronicorum*, Angli: Pitseus, *de Scr. Angl.*

Nicolaus Cabasilas, Archiep. Thessalonicensis, An. 1350. Latinis acriter obstitit, contra Thomam scripsit, expositionem Liturgiæ Græcæ edidit, à Gentiano Herveto versam. Scripsit quoque *de vita in Christo*: Orationem, *contra fœneratores, &c.* Joh. Cantacuz. *lib.* 3. *cap.* 73. *&* 99. *lib.* 4. *cap.* 16. *& seqq. &c.*

Nicolaus Calaber, inquisitioni in Arragonia subjectus, & exustus, ann. 1359.

Nicolaus Chantelupius, Carmelita Anglus, genere, pietate, scriptis illustris, an. 1441. Pitseus, *de Scr. Angl.*

Nicolaus Claravallensis, disc. Bernardi, auctor voluminis epistolarum. Vide Mauriquez, *in Annal. Cister. A. C.* 1145. 48. 51. 71. Visschium, *in Bibl. Cister.*

Nicolaus de Clemangis, à secretis Benedicto 13. Antipapæ. Scripsit *de corrupto Ecclesiæ statu, &c.*

Nicolaus Clenardus, Diestâ Brabantinus, Grammaticus sec. præt. celebris. In Galliam, Hispaniam, Africamque profectus, ut Arabicam perdisceret linguam, in quam Sacr. Scripturam transferre, convertendis populis illis, sibi proposuerat: Obiit in reditu Granatæ, an. 1542. æt. 47. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Nicolaus Coëffeteau, Cœnomanensis, Vicarius Gen. Ordinis Dominicani. Scripsit contra Jacobum R. Mornæo, de Eucharistia, respondere conatus est, contra M. Ant. de Dominis edidit lib. *de S. Monarchia Ecclesiæ, &c.* Porro traduxit Florum, scripsit historiam Rom. eruditus & eloquens. Obiit an. 1622. æt. 49.

Nicolaus Copernicus, Mathematicus, Philosophus, Medicus celeberrimus, Thoruníi natus, an. 1473. Græcè insuper doctissimus. Bononiæ diu moratus, Romæ dein Mathemata docuit; in patriam reversus scripsit *de motu Octavæ Sphæræ*, Philolai & Heraclidis Pontici hypothesibus renovatis. Etiam *de Revolutionibus* opus edidit, &c. Obiit, an. 1543. Martinus Cromerus, Episcop. Warm. ei Epitaphium scripsit, an. 1581, Gassend. *in vita Copernici*, Tycho Brahe, *Orat. de Math.* Ismael Bullioud., *in Proleg. Astronom. Philol.* Voss. *de Scient. Math.* Paul. Jov. *in elog. doct. cap. ult.* Laur. Crassus *elog. Literatorum, &c.* Vide & Plut. *de placitis Philos. lib.* 3. *cap.* 13.

Nicolaus Crassotus, Gallus, Philosophus.

Nicolaus Cusanus, Cardin. magni nominis, ex humili loco in id fastigii evectus, J C. & Theologus insignis. In Germaniam missus an. 1451. tuba belli sacri, Religionis futuram mutationem insignem prædixit. Obiit in Umbria ann. 1464. ætat. 63. Auctor operum, quæ 3. volum. Basileæ edita, an. 1565; ingentem Bibliothecam collegit. Vide Onuphr. Plat. Ciaccon. Victorel. *in vitis Pontif.* Jacob. Fabrum, Joh. Aventinum, &c.

Nicolaus Damascenus, Historicus & Philosophus, cujus ætas nulli ignota esse potest, qui sciat familiarem fuisse Herodi regi; amicissimum item Augusto Cæsari, usque adeò, ut *Nicolaorum* nomen ab hoc imponeret, sive dactylis, quod est apud Athenæum, *lib.* 14. Plutarchum Συμπος. *lib.* 8. *cap.* 4. Isidorum *in Glossis*, & Adhelmum *lib. de Virginitate*; sive placentæ generi, juxta Serenum Samonicum. Hesychium Milesium, Photium & Suidam, quomodo & Palladius usurpat *lib. de monachis Ægyptiis Histor.* 8. Meminit Damasceni quoque Euseb. *Præp. Evang. lib.* 9. Fuit autem Philosophus Peripateticus, vir planè summus, & undecunque doctissimus. Scripsit de vitâ propriâ, teste Suidâ, qui & alia multa nominat, quæ apud eum legi malo. Ipse ea solùm adferam, quæ historica sunt. Qualis est historia Assyria, quam ab eo scriptam fuisse, auctor est Photius: Qui etiam putat, fuisse ejus Collectanea morum incredibilium. Planè autem censeo, historiam Assyriam fuisse partem universalis historiæ. Ea librorum erat 80. juxta Suidam: 124. juxta Josephum: sed fuisse librorum 144. indicat Athenæus, *lib.* 6. Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς, εἷς δ' ὢν τῶν ἐκ τῆς περιπάτου, ἐν τῇ πολυβίβλῳ ἱστορίᾳ (ἑκατὸν γὰρ καὶ τεσσαράκοντα εἰσὶν αὐτῆς αἱ πάσαι) τῇ ἑκκαιδεκάτῃ, καὶ ἑκατοστῇ φησι, &c. Ex libro 96. locum quendam de diluvio, & arcâ citat Fla. Josephus *Antiq.* 1. 5. Item alium de Patriarcha Abrahamo, & illius habitatione apud Damascenos, *cap.* 7. *ejusce libri.* Operæ pretium quoque fuerat adire librum 16. hujusce operis, *cap.* 11. ubi ostendit, quantopere ejus fides fuerit suspecta in rebus Herodis Magni, quo vivo scribebat. Quædam etiam, quæ ad Indiam pertinent, refert ex eo Strabo, *lib.* 15. Etiam genuinum ejus fragmentum eruditis notis illustravit Jos. Scal. *append. operis de Emend. Temp.* Nicolai Damasceni συναγωγὴν, hoc est, *Collectanea* citat Abba Maximus *Eclog. cap.* 4. indeque alia adducit. Vossius.

Nicolaus Dunelmensis, Monachus Cluniac. Anglus, opus quoddam historicum edidit, an. 1169. Matth. Pat. *in Henr.* 2. Pitseus, Vossius. &c.

Nicolaus Duramus, vel *Dorhinus*, Carmelita Anglus, an. 1429. Scripsit in Mag. Sent. *Originalia Doctorum, &c.* Luc. *in Bibl. Carm.* Trithem. Pitseus, Alegrius, &c. Item alius, an. 1370. Idem.

Nicolaus Durandus Villagagno, Eques Melitensis, Caroli 5. in expeditione Algeriana comes, illam descripsit. Dein, in novam Franciam profecturus, ut in illis locis puriorem religionem propagaret, Genevâ Ministros quosdam, è Gallia verò plurimos fideles abduxit. Verùm ibi apostata factus, eosdem crudelissimè persecutus est, Vermiliumque, Burdum & Bordælum, è rupe in Oceanum præcipitavit. Reliqui navibus conscensis, in Europam se receperunt, inter quos Leetius Minister, navigationis hujus infaustæ Scriptor. Sec. præt.

Nicolaus Eremita, dictus *von der Flue*, vulgò *Bruder Clauß*, Subsylvano Helvetius. Postquam 5. filios totidemque filias ex conjuge sustulisset, in Eremum concessit, An. C. 1481. in valle *Melchtal*, supra locum *Saxlen* dictum, ibique per annos 21. solitarius vixit, meditationibus precibusque intentus: ab omni cibo potuque abstinuit, (radicibus eum victitasse quidam scribunt) de quo ut certiùs constaret, populares omnes ad eum aditus solicitè observare soliti sunt, visuri, an quidquam cibi illi afferretur. Precari inter alia frequenter solebat: *Domine rape me mihi, & redde me totum tibi.* Simplici veste contentus, caput semper pedesque intectos habuit. Ad se certatim confluentes ad pœnitentiam hortatus est, animo semper læto, & supra hujus mundi vicissitudines erecto, futura prædixit plurima; Patriam communem Helvetiam, *si modò concors maneret*, invictam fore, *siq, incolæ à mercenaria militia, peregrinis fœderibus, pensionibusq, annuis, patriâ libertatisq, peste certissima, sibi temperarent, terram suam strenuè colerent*, monuit. Ab Episcopo

Episcopo Constantiensi tentatus, cibi quiddam ægrè admisit, sed sanitatis suæ damno. Cœtera staturâ excelsâ, voce masculâ, sed paulo tardiore, plus acris quàm sanguinis in venis habens, cellam incoluit sibi congruentem, nullâque supellectile instructam, præter humilia duo scabella, quibus ad quietem fortè usus est. Obiit an. 1502. sepultus est in templo Saxelensi, quod sacrorum causâ assidue frequentare, dum in eremo viveret, consueverat. Stumpfius *lib. 7. de Argovia, cap. 4.*

Quid peregrina tibi vexilla, & fœdera prosunt,
Patria ? plura feret, Numine dante, labor.

Nicolaus Euboicus, Græcè Latineque doctissimus, Concilio Florentino interfuit. Scripsit genealogiam Turcarum, Vossius, *de Histor. Lat.*

Nicolaus Everardus, Zeelandus, J C. celebris, librorum liberorumque eruditorum parens. Alius Amstelodami. Vide Valer. Andr. *in Bibl. Belg.*

Nicolaus l'Evesque, seu *Episcopus*, Typographus eruditus, Sebusianus, plurima opera insignia edidit, Basileæ; ubi, ductâ Frobenii filiâ, sedem fortunarum fixerat. Ab Erasmo, qui in ejus ædibus degit, Bonifacio Amerbachio, Cœlio Secundo Curione, aliisque præclarissimis sec. præt. viris impensè commendatus. Guicheno *Hist. Sebus.* Vide *Episcopius.*

Nicolaus Fachinhamus, Anglus Franciscanus, gratus Principibus, auctor diversorum operum, an. 1407. Pitseus, *de Scr. Angl.*

Nicolaus Faretus, Sebusianus, scriptis inclytus, Pelisson. *Histor. Academ. Gall.*

Nicolaus Fervebamus, Medicus Anglus, sec. 13. Pitseus, *de Script. Angl.*

Nicolaus le Fevre, seu Faber, cum Guidone Fabro fratre, Normanni, scriptis inclaruere.

Nicolaus Fontanus, Medicus Amstelodamensis, varia edidit, Vander Linden, *de Script. Med.*

Nicolaus Francus, Beneventanus, magni nominis, sed Satyricus nimis acer. Claudianum memoriter calluit, verùm in Juvenalem propensior: Petro Aretino Venetiis innotuit, sed eo prudentior, Principes incessere abstinuit, plurimis ingeniosis scriptis famam & munera meritus. Nihilominus tandem cùm Satyrâ Romæ publicatâ aliquos Magnates offendisset, suspendio necatus est. Scripsit Epistolas, Dialogos, Poëmata, Nova, Vitas Poëtarum sui temporis, &c. Laurent. Crassus, *elog. homin. literat.*

Nicolaus Gabrinus, Romanus, cauponis fil. vel molitoris, tyrannidem Romæ arripuit, an. 1346. cùm sedes Avenionem esset translata. Audax & facundus, oratione ad populum habitâ, hoc sibi conciliato, Capitolio potitus, Tribunus populi appellari voluit, Principes ad causam coram se dicendam adesse jussit, usus hisce titulis: *Candidatus Spiritus sancti miles, Nicolaus Severus & Clemens, Liberator Urbis, Zelator Italiæ, Amor orbis, Tribunus Augustus.* Postea pulsus Avenionem profugit, ubi à Clemente 6. captus Romamque rem *[...]ssus est*, populi miro applausu ibi exceptus. Verùm anno pòst ob sævitiam occisus est, Petr. *de rebus fam. in epist. &c.* Villaaius, *lib. 12. hist.* Naucler. *Gen.* 45.

Nicolaus Gorhamus, Dominicanus Anglus, Philippo Galliæ Reg. à confessionibus, sec. 14. scripsit in varios Scripturæ libros. E quibus comment. in Evangelia, Coloniæ, an. 1537. & in epist. Paulinas, Lutetiæ impressi, Pitseus *de Scr. Angl. &c.*

Nicolaus Gruchius, Rothomagensis, Philosophus & Philologus, Parisiis, Burdigalæ & in Lusitania docuit: Criticâ in Sigonium, historiæ Ind. Ferd. Lopezii versione &c. inclytus. Obiit Rupellæ. S. Marth. *in elog. lib. 2.*

Nicolaus Harpesfeldius, Anglus eruditus, Pitseus *de Scr. Angl.*

Nicolaus Herberaus, nobilis Picardus, eloquentiâ inter primos sec. præt.

Nicolaus Hostrechamus, Medicus Anglus celeberrimus, an. 1440. scriptis inclytus, Pitseus.

Nicolaus Langius, Lugdunensis, Pap. Massonio, *pag. 2. elogior.* laudatus.

Nicolaus Langlierus, Episcopus Briocensis, post Joh. Tilletum, an. 1567. Parisinus, eruditione clarus. Obiit an. 1595.

Nicolaus Leonicenus, Vincentinus, Medicus inter sui seculi celebertimos, Philosophus & Orator, scripsit in Dioscoridem. Obiit an. 1524. Ferrariæ, ubi floruit, Justus *in Chron. Med.*

Nicolaus Lonic. Thomaus, Professor Philosophiæ Patavinus, scripsit plurima.

Nicolaus Lotharingus, Com. Vandemontius, secundogenitus Antonii Duc. ex Clara Gonzaga, Mercurii Dux, à Carolo 9. an. 15[..] creatus. Pater Ludovicæ, quæ Henrico 3. nupsit, Philippi Emman. rebus contra Turcas in Hungaria egregiè gestis, inclyti &c. Obiit an. 1577. Godofred. *Geneal. Lothar.* Sammarthan. &c.

Nicolaus Lyranus, ex Judæo, Franciscanus, à Lyra, pago diœcesos Ebroicensis: ob eruditionem, Principibus gratus, adeò ut à *Johanna Regina*, uxore Philippi V. Longi, inter executores sui testamenti nominatus fuerit, an. 1325. Obiit an. 1340. *Commentariis succinctis* in totam SS. Scripturam editis, ut & tractatu de corpore Christi, contra Judæos, de visione Beatificâ, Sermonibus, &c. *in quibus* futuræ Reformationis administris viam egregiè stravit, inclytus. Unde Prov. *Si Lyra non lirasset, tum totus mundus delirasset.* Item, *Lyra Luthero equum admovit, & stapedes tenuit, quò illum commodius conscenderet.* Henr. Villotus, *in Athen. Gall.* L. Wadingus, *in Bibl. & Annal. Minorum.* Possevin. *in appar.* Valer. Andr. *in Bibl. Belg.*

Nicolaus Machiavellus, Florentinus, scripsit Historiam Patriæ, item tractatus aliquot politicos, in quibus periculosæ admodum maximæ, nisi fortè is saltem, quid in Principum aulis fieret, non quid deberet, repræsentare voluit.

Nicolaus Mameranus, Lucemburgicus, Poëta & Historicus, Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Nicolaus Maria Madafarius, Calaber, Episc. Jano Nicio Erythr. P. 3. *Pinac.* laudatus.

Nicolaus Manius, Præses Lucemburg. Historicus.

Nicolaus Masinus, Medicus, *P. 1. Pinac.*

Nicolaus Massa, Medicus Venetus, scriptis inclytus, an. 1522. Justus *Chron. Med.*

Nicolaus Monardus, Hispal. Medicus insignis.

Nicolaus Montacutius, Anglus, sub Henrico 6. plurima scripsit.

Nicolaus Monthelonius, Augustodunensis, pater Johannis, qui *Breviarium utriusq; Juris* edidit, Francisci &c. SanMarth. *in elog. lib. 4.* Molitor *Commentar. Augustodun.*

Nicolaus, ex Myris urbe Lyciæ, igneus, id est, vehemens Christianorum & æmulator & sacerdos, qui magnam cum Deo familiaritatem habebat. Hic nihil quidem scripsit: sed in somnis Imperatore Constantino adstans, tres duces, ob quendam calumniatorem capitis condemnatos, liberavit, ab ipsis per preces invocatus. Alios etiam quosdam milites ex morte pariter eripuit, Suidas. Alius *Nicolaus* itidem è Myris urbe Lyciæ, frater Dioscoridis Grammatici, & Hipparchi, & Hypati patricii. Docuit Constantinopoli, fuitque discipulus Lacharis. Scripsit autem Rhetoricam & declamationes, Suidas. Alius Orator, discipulus Plutarchi & Procli, illius inquam Plutarchi, cui cognomen erat Nestorii. Scripsit Progymnasmata & declamationes Rhetoricas, & alia quædam. Floruit autem sub Leone Imperatore seniore, & Zenone, & Anastasio. Suidas.

Nicolaus Nicolai, Medicus Florentinus, scripsit libros Medicos, Philosophicos & Geographicos. Duas ad illum epistolas apud Philelphum habemus: plurimos doctos patriâ suâ pepulisse dicitur. Obiit an. 1430. ætat. 73. Alius, Nobilis Delphinas, de Navigatione quædam edidit.

Nicolaus de Orbellis, Franciscanus, Andius, scripsit in Magistrum Sententiarum, &c. Wadingus, *in Bibl. & Annal. Franc.*

Nicolaus Occamus, Anglus Franciscanus; Lelando, Pitseo, Henr. Willoto, *in Athen. Belg.* laudatus.

Nicolaus de Oddis, Patavinus, hoc sec. inclytus. Vide Thomasinum, *in elog. illustr. Patavin.*

Nicolaus Oremius, Episcop. Lexoviensis, præceptor Caroli 5. Gall. Reg. hujus hortatu Biblia sacra Gallicè vertit; Libros insuper de Cœlo, de Mundo, cum Ethica & Politica Aristotelis, traduxit: porro *de Communicatione Idiomatum*, scripsit. Vir eruditione clarus. Obiit an. 1382. Papyr. Masson. *in Annal. Francicis*, Morerius, *in Dict. Histor.* V. *Oremius.*

Nicolaus Pavillonus, Advocatus Parlamenti Paris. Græcè Latineque doctissimus, Poëta excellens.

Nicolaus Perrotus, Archiep. in regno Neapol. Saxoferrato oriundus, Bartoli popularis. Polybium, aliosque auctores latinè vertit. Obiit admodum senex. Sec. 15. Jac. Bergom. *lib. 15. ad an.* 1454. Volaterran. *lib. 21. Urban. Commentar.* P. Jov. *in elog. doct. cap.* 18. Ughel. *Italiâ sacr.* Idem nomen Ablancurtii fuit, egregii metaphrastæ.

Nicolaus Pontius, Anglus, scripsit contra *Wiclefi* discipulos, an. 1410. item, *Determinationes scholasticas.*

Nicolaus Psaulmius, Episcop. Verdunensis, interfuit Conc. Tridentino Auctor *Imaginis veræ Ecclesiæ.* Obiit 1572.

Nicolaus Reinsius, Parisiensis, Cardin. Bellajo à secretis, Historiam Comminci vertit, à Carolo 5. nullis muneribus corrumpi se passus est, ut heri sui arcana proderet.

Nicolaus Rhegius, Medicus Calaber, an. 1336. scriptis inclytus, Justus *Chron. Med.*

Nicolaus Rigaltius, Parisiensis, Regi à Consiliis & Bibliothecæ regiæ præfectus, obiit an. 1652. Auctor Notarum in Tertullianum, Cyprianum, &c.

Nicolaus Rotarius, Vesuntinus & *Rintsonus* Siculus, Carmelitæ, scriptis clari. Lucius *in Bibl. Carmel.* Alegr. *in Parad. Carmel.*

Nicolaus Salcoinus, Picto, Historicus.

Nicolaus Serrarius, Jesuita, Baronio laudatus. Obiit an. 1609. Moguntiæ.

Nicolaus Simonis, Hollandus, Carmelitarum Provincialis, scripsit sermones, quorum tit. *Vade mecum, &c.* Sec. 15. Vossius, *de Histor. Latin. &c.*

Nicolaus Stanfordius, Cisterciensis Anglus, an. 1310. scripsit in Genesin & Sermones. Lelandus & Pits. *de Script. Angl.*

Nicolaus Storckius, seu Pelargus, Silesius, cum Thoma Muntzero, novarum Prophetarum antesignanus, prima Anabaptismi semina sparsit: cum quo Lutherus conflixit, an. 1522.

Nicolaus Stupanus, vide *Stupanus.*

Nicolaus Stathamius, Carmelita Anglus, scripsit *Determinationum lib.* 1. *Lectiones ordinarias, &c.* an. 1449.

Nicolaus Sudorius, Scævolæ Sammartan. *elog. lib.* 4. laudatus.

Nicolaus Tartalea, Brixiensis, Mathematicus, sec. ult. Voss. *de Scient. Mathem.* Quenstedt. *de patr. doct.*

Nicolaus Tegrimus, Lucensis, auctor vitæ Castruccii Castracani. Paul. Jov. *in elog. cap.* 141.

Nicolaus Thuanus, patruus Jacobi Augusti, frater Christophori, fil. Augustini, qui omnes eruditionis famâ inclaruerunt. Episcop. Carnutensis. Scripsit de administr. Sacramentorum, obiit 1598.

Nicolaus Myrepsus, qui *Præpositus* dici solet, unus ex Græcorum recentissimis medicis fuit. Nam citat Mesuem Arabem medicum, qui claruit A. D. 1155. sub Frederico Barbarossa. Et vel barbaries multorum vocabulorum indicat ætatem. Accurate tamen, quo seculo vixerit, dicere non possumus. Superest ejus liber, de Compositione medicamentorum particularium, secundum genera *κατὰ στοιχεῖα*, sive ordine literarum. Vossius.

Nicolaus Tollentinus, omnium sui temporis abstinentissimus, qui pane & aquâ semel tantùm die vescebatur, procul ob omni otio & verborum vanitate.

Nicolaus Trigaltius, Duacensis: Itineribus suis & Chinæ itinerario inclytus.

Nicolaus Trivettus, Dominicanus Anglus, sec. 14. celebris. Voss.

Nicolaus Tudeschi, dictus Nic. Siculus, vel Panormitanus, Catanâ Siciliæ oriundus, sec. 15. JC. excellens, hinc *Lucerna Juris* appellatus. Archiep. Panormitanus, discip. Zabarellæ Cardin. Interfuit Concilio Basiliensi. à Felice Papa ibi creato Legati à Latere dignitate ornatus. Obiit Panormi an. 1445. Opera ejus Venetiis edita, an. 1617. tomos 9. continent. Forsterus ei insuper tractatum *de Potestate Concilii, Pontificis & Imperatoris* attribuit. Scripsit quoque *defensionem Concilii Basil.* sed hæc non amplius supersunt. Vide Simler. Draudium, Possevinum, &c.

Nicolaus Turingus, Carthus. scripsit varia, Petrejus.

Nicolaus Turlotus, Atebidiae. Namurcensis, ascetica edidit. Valer. Andr.

Nicolaus Valla, Romanus, partem Iliadis Homer. versu Latino expressit.

Nicolaus Venulezius, Lucemburg. scripsit tractatus Poëticos, Oratorios, & Politicos, Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Nicolaus Vignerius, auctor Bibliothecæ Historicæ, &c. Medicus & Historiographus Henr. 3. Scævola Sammart. *in elog. lib.* 4.

Nicolaus Villanius, Pistoriensis, membrum Academiæ Humoristarum. Scripsit duas Satyras, *Dii vestram fidem.* &, *Nos canimus surdis, &c.* Janus Nicius Erythr. *P.* 1. *Pinac.* Laurent. Crassus, *elogior. parte* 2.

Nicolaus de Ultricuria, Doctor, cujus 60. propositiones ab Academia Paris. condemnatæ, sec. 14.

Nicolaus Uptonus, Canonicus, an. 1441. *Walkingtonus*, Cistertiensis, 1190. & *Westus*, 1533. Angli, eruditione inclyti. Pitseus, *de Script. Angl.*

S. Nicolaus, urbs Moscoviæ, cum portu, ad sinum Maris, qui *S. Nicolai* quoque nomen habet.

Nicolochus, vide *Nicomachus*.

Nicomachus, pater Aristotelis philosophi. Nicomachos verò 5. tradit Suidas; Primum ex Alexandriâ Troadis, poëtam Tragicum, qui scripsit tragœdias undecim. Secundum Atheniensem item Tragicum, qui vicit Euripidem & Theognin. Olymp. 90. Tertium Medicum Machaonis filium, Æsculapii nepotem, qui scripsit de Medicinâ libros sex, ac de philosophiâ unum. Reliquos patrem & filium Aristotelis ponit. Sextum addit Plinius pictorem Aristodemi filium ac discipulum, qui pinxit raptum Proserpinæ, Scyllamque. Plin. 35. 2.

Nicomachus, nomen cujusdam Athenis improbi, & ideo ab Aristophane in Ranis traducti, quem Scholia vel Tragicum actorem vel civem exstitisse notant, *pag.* 181. D.

Nicomachus, exoletus, Dymni insidias in caput Alexandri Magni in Ariis comparatas detexit. Curt. VI. 41.

Nicomachus, Navarchus Lacedæmoniorum, à Timotheo ad Leucadem victus, Polyæn. *l.* 3. Ibidem tamen, in Timotheo, com. 11. vocatur *Nicolochus*.

Nicomachus, quidam Pythagoricus, ut videtur, scripsit vitam Apollonii Pythagorici, teste Sidonio Apoll. 8. 3. Vixit post Philostratum, vel ejus ætate. Erat & Gerasenus quidam Nicomachus, itidem Pythagoricus, de quo videatur Meursius, *notis ad Nicomachi hujus ἁρμονικῆς ἐγχειρίδιον*. Vixit hic ante Apuleji Madaurensis ætatem, quandoquidem Apulejus Arithmeticam ejus Latinè transtulit, teste Cassiodoro, scripsit autem libb. 2. *Arithmeticorum Theologorum*. Phot. *cod.* 187. Alter quoque hic legi meretur *Nicomachus* sub Aureliano Imperatore clarus, qui epistolam Zenobiæ Palmyrorum reginæ, præter sexum tumidam, in Græcam ex linguâ Syrorum transtulisse se dixit, apud Vopiscum *Aurelian.* An idem eum auctore vitæ Apollonii Thyanæi? Sidon. Apollin. *lib.* 8, *epist.* 3. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. Hunccum priore eundem esse opinantur Savaro & Meursius, sed absque ratione. Alius Virius *Nicomachus* Flavianus, sub Arcadio & Honorio, Historicus disertissimus, teste Inscriptione apud Vossium *lib.* 3. *de Hist. Lat. pag.* 744. cujus crebra apud Symmachum fit mentio *lib.* 6. *epistolarum.* Sed præter hos, & eos, quos insuper Meursius recenset, fuere quidem Nicomachi plurimi. Memoratur *Nicomachus* Phoeenus Thucydidi *lib.* 4. *Nicomachus γραμματεύς* Aristophani *in Ranis. Nicomachus* Tejus, Xenophonti, *lib.* 4. *περὶ αἰνιγμάτων*. *Nicomachus* Darphanti filius, Demostheni *pro Ctesiph.* Lysiæ oratio, *contra Nicomachum γραμματέα* extat. *Nicomachus* exoletus apud Diod. Sic. *lib.* 17. *cap.* 79. & Curtium *lib.* 6. *cap.* 2. *Nicomachus* Tyrius, Ciceronis hospes, Ciceroni *in Fragmentis de Philosophia*, apud Nonium. *Nicomachi* librum, *περὶ ζωγράφων* signat Hephæstion, *in Enchiridio*. *Nicomachus* Acarnan, Ætolorum legatus Polybio *lib.* 17. *Nicomachus* Rhodius, eidem Polybio *lib.* 8. Quidam ignotus apud Simplicium *lib.* 2. *de cœlo. text.* 56. nisi forte hic est Peripateticus ille. At minimè hic à Meursio præteriri debuit Nicomachus Musicus, Ismeniæ Chorauli & Dionysiodoro Musicis æqualis, apud Plin. 37. 1. Uti nec *Nicomachus* alius omittendus erat Jo. Jonsio, qui de Festis Ægyptiis libros consignavit, teste Athenæo *lib.* 10.

Nicomachus, Archon Athenis, Olymp. 109. ann. 4.

Nicomedes, rex Bithyniæ, Romanis amicus, qui olim, raso capite, sumpsit pileum, & se Romanorum libertum vocavit. A Mithridate pulsus, Romanorumque ope restitutus, hos regni hæredes reliquit. Item alius Rex Bithyniæ, Prusiæ filius. Vellejus Paterc. *lib.* 2. Liv. Flor. Polyb. &c. Item historicus, qui *περὶ Ὀρφέως* tractavit, cujus operis librum primum citat Athenæus *lib.* 14.

Nicomedia, civitas Bithyniæ, ad Propontidem, inter Byzantium 61. & Nicæam 44. m. p. à Nicomede condita, Strabo *lib.* 12. postea sub Romanis fuit, sedes aliquot Imperatorum. Hic, sub Diocletiano, Anthimo Episcopo capite plexo, temploque incenso, ad XX M. combusta, circa an. C. 298. Postea urbs an. 358. terræmotu subversa est, cùm Constantius ibi, in gratiam Arianorum, Concilium celebraturus esset. Vide Ammian. Marcell in. *lib.* 17. Hic quoque obiit Constant. M. Imper. qui cùm vellet in Jordane fluv. baptizari, atque idcircò Hierosolymam peteret, morte præventus, ab Eusebio Nicomediensi episcopo, Arianæ perfidiæ sectatore, baptizatus est; quæ res Christiani Principis fidem apud plerosque in dubium vertit. Sed non est verisimile, cum principem, qui per omnem vitam suam Ariani dogmatis hostis fuerat, in extremo spiritu, eò dementiæ consensisse, quam summo studio de suo imperio prius eliminaverat. *Astacus* olim dicta fuit, Pausaniâ, Ammiano, Cedreno, ac Trebellio Pollione, auctoribus. Turcis à quibus capta est, an. 1338. Urchanis ductu, filii Ottomanni, hodiè *Nichor*, vulgò autem *Comidia* dicitur. Laudes ejus decantat vetus Geographus à Jac. Gothofredo editus: *Νικομήδια δὲ καὶ αὐτὴ, ἐὐκτὴ, καὶ θαυμαστὴ, καὶ ἐν πᾶσι ἀγαθοῖς οὖσα.* Zosimus itidem *lib.* 1. *Νικομηδίαν μεγίστην οὖσαν, καὶ εὐδαίμονα διὰ τε πλοῦτον, καὶ τὴν ἐς ἅπαντα ἀφθονίαν, διαβόητον*, long. 56. 40. lat. 43. 00. Nunc penè deserta est.

Nicomediensis lacus, Plin. *Pusgusa* Nigro, apud Nicomediam, qui fluvium emittit in Sangarium influentem.

Nicomedium, emporium Bithyniæ, Steph.

Nicon, Archon Athenis, Olymp. 100. an. 2.

Nicon, Pirata Pheris, in Peloponneso sitis, oriundus, post multa Messeniis damna data ab iis tandem captus & jam supplicii cruciatibus subjiciendus, ut vitam redimeret, Pheras se proditurum Messeniis promisit ac pollicitis stetit, Polyæn. 2.

Nicon, alius Samius gubernator, qui, quâ astutiâ evaserit hostiles triremes, narrat idem *lib.* 5.

Nicon, Galeni pater, qui Geometriæ & Architecturæ erat peritissimus. Item pugil quidam, de quo Suidam sis adi.

Nicon, cognom. *Μετανοεῖτε*, quia hoc verbum perpetuò in ore habebat. Monachus Armenus, sec. 10. populorum conversioni incubuit, dein in Cretam trajiciens, ibi Evangelium magno cum zelo docuit. Obiit an. 987.

Niconia, urbs Ponti, Strabo *lib.* 7. Gentile *Niconiates* Stephano. Suidas. *Νικωνία, πόλις ἐν τῷ Πόντῳ, πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ Ἴστρου.* *Niconium* Ptolomæo. *Nomanoster* Nigro dicitur. Aliis urbs est Tyrangitarum, in limite Sarm. versus Tyram fluv. supra Daciam. Quid nunc sit, non constat.

Nicophanes, pictor elegans & concinnus, Plin. 36. 10.

Nicophemus, Archon Athenis, Olymp. 104. an. 3.

Nicophon, scripsit *Ἀφροδίτης γονάς*, & laudatur à Schol. *pag.* 545. *in Aves Aristoph.* Ejus *χειρογάστορες* , *ibid.* citat. *pag.* 612. *c.* 2.

Nicophron, Theronis fil. Atheniensis Comicus, Aristophani coætaneus, cujus fabulas recenset Suidas. Aliis *Nicophon* dicitur.

Nicopia, caput Sudermanniæ; *Nikoping*, prope litus maris Balt. cum arce antiqua Duc. & portu, 13. mill. Germ. ab Holmia in Afric. 7. à Norcopia in Cæc. Ibi commoratus est Carolus, Dux Sudermanniæ, postmodum Sueciæ Rex.

Nicopia, urbs Falstriæ Ins. e regione Lalandiæ Ins. 4. leue. Dan. à Nascoa in Ort. 11. ab Hafnia in Mer. lepida & culta; *Nykoping*.

Nicopolis, urbs Mysiæ Episcop. olim, nunc Archiepisc. seu metropol. apud Jatri fluv. cum Danubio confluentiam, à Trajano Imper. post Decebalum regem victum, teste Ammiano, condita. *Nigeboli* vulgò, Turcis autem *Sciltaro*, teste Leunclavio, dicitur. Baudrando *Nicopoli*, urbs etiamnum ampla Bulgariæ, ad Danub. in confinio Walachiæ, capta in plena pace à Bajazete, an. 1399. ubi

Chri-

Christiani grandi clade à Turcis affecti, sub Sigism. Imperatore, an. 1390. Est & *Nicopolis* Thraciæ ad Hæmum mont. urbs à Ptolomæo memorata, adhuc *Nicopoli* Sophiano dicta. Item urbs ad Nessum fluvium.

Nicopolis, civitas Epiri, à victoriâ Augusti sic appellata, quia Cleopatram & M. Antonium apud Actium prælio superavit. Vulgò *Gallipoli*, *la Prevesa* verò Sophiano, longit. 46. 20. latit. 39. 25. Item Alexander Issum urbem, inter Ciliciam & Syriam *Nicopolim* appellavit, quoniam ibi Darium vicisset.

Nicopolis, urbs Armen. min. Episcop. sub Archiepisc. Sebasteni, à Pompejo, teste Dione, condita, in confin. Cappadociæ, ad Cerunum fluv. media inter Satalum, ad Bor. & Sebastiam ad Austr. vix 50. utrinque. *Gianich* Castaldo, *Chiorme* aliis, long. 69. 00. lat. 42. 25. Hanc, post Theodori Episcop. mortem, Ariani turbarunt, an. 370. Phorane intruso, sed Nicopolitani hæreticum aversati, everterunt, ut sibi Orthodoxus Præsul daretur: à S. Basilio deinde monitâ, ut amicitiam cum illo fidelem colerent.

Nicopolis, quæ & *Emmaus*, Ptolemæo urbs Palæstinæ in Judæa Episcop. sub Patriarchâ Hierosolymit. inde fere 8. m. p. in Occ. Joppen versus 38. à Rhamâ 20. Est & *Nicopolis* opp. Bithyniæ, ad Propontidem sita, teste Plinio, *Montanea* hodie, unde sinus *Nicopolitanus*; à Prusa 20. m. p. distans, Nicææ propius, longitudo 56. 10. latit. 43. 28.

Nicopsis, urbs in Bosphoro Cimmerio, Stephan. Diacon. in vita Stephan. jun.

Nicosia, urbs Cypri Archiepisc. permunita, in meditullio Insul. Capta fuit à Turcis an. 1570. *Tremithus* aliàs quibusd.

Nicostrata, mater Evandri Arcadis, futurorum vaticinatrix, quæ à carminibus, quibus Phœbi oracula significare volebat, *Carmenta*, seu *Carmentis* Latine dicta est. Vide *Carmenta*.

Nicostratus, Argivus, robore corporis insignis, Herculem habitu mirè imitabatur, spolio leonis circumtectus & clavam manibus gestans. Diod. XVI. 533. m. Eum Androtion apud Scholiastem Aristoph. vult ad Orneas occubuisse.

Nicostratus, è cohorte nobilium Puerorum Alexandri Magni, quicum Hermolao contra regem suum conjuravit, Curt. VIII. 35.

Nicostratus, actor dramaticus insignis ex Jonia. Vide Polyæn. lib. 6. 442.

Nicostratus, Atheniensis, dictus *Stambonides*, à populo, tribus Leontidos. Vide Schol. in Aristoph. *Vesp.* 436. *G.* 1.

Nicostratus, Macedo, orator inter decem secundus, tempore Marci Antonini, ac Dionis Chrysostomi, Aristidis oratoris æqualis. Scripsit nonnulla, quæ citat Suidas. Item poeta Comicus, de quo vide eundem Suidam, Athenæum, itemque Ælianum ποικιλ. lib. 4. cap. 12.

Nicostratus Trapezuntius, Sophista; sub Claudio & Valeriano Scripsit historiam Philippi, Gordiani, Decii, &c. Evagr. *Hist. lib.* 5 *cap. ult.* Voss. *de Hist. Gr.*

Nicoteles, Archon Athenis, Olymp. 97. an. 2.

Nicoteles, Corinthius potator strenuus, Æl. *V. H.* 2. 41.

Nicotera, olim Medama, urbs Episcop. Brutiorum litoralis, teste Gabriele Barrio, *Nicodro* dicitur, long. 40. 00. lat. 38. 25. Baudrando urbs est Calabriæ ulter. in ora maris Tyrrh. parvi circuitus, 10. mill. ab ostio Metauri. Crevit ex ruinis Medamæ.

Nicoya, urbs novæ Hispan. in prov. *Costa ricca*, cum portu, in ora maris Austr. & sinus Salinarum, sub Hisp.

Nicsia, vide *Naxus*.

Nidda, vide *Nithia*.

Niderus Johannes, Isnensis, Dominicanorum cœnobii, quod Basileæ tum erat, præfectus; Vir eruditus & eloquens, scriptisque ac lucubrationibus suis, ubiq; celebris: Theologica enim plurima in lucem edidit. Hujus, inter Basilienses Concilii Patres, tanta existimatio fuit, ut ad evocandos Bohemos, eum Abbate Mulbrunensi, ann. 1431. missus fuerit. Igitur cum eorum Oratoribus Egræ tantum effecit, ut nomine Regni, ac Marchionatus Moraviæ, quindecim Oratores, magno cum Comitatu Basileam appulerint, deque Religionis articulis illic propositis, seriò disputaverint. Obiit an. 1438. legationis suæ negotiis, pro reducendis in Ecclesiæ unionem Bohemis, implicatus, Normbergæ. Vide Urstisium *Histor. Basil.*

Niderus, fluv. Norwegiæ, *Nidrosia*. Oritur ex monte Sevone. Sein in Circ. tendens per Nidrosianam præf. Nidrosiam rigat, & ibi in Oceanum abit.

Nidrosia, urbs Archiepisc. Scandinaviæ, in orâ Norvegiæ occid. ab Eugenio 3. Pont. Rom. metropolis effecta, à Bergis urbe regia 70. leuc. in Bor. Hic templum augustissimum. Capta est. an. 1564. ab Erico Sueciæ Reg. qui milites ibi captos Monachorum more tonsos ad Daniæ Regem misit, ad Bornholmiam mox prælio superato postea recuperata. Vulgò *Trontheim*, & *Druntheim*, long. 26. 10. lat. 66. 35. Baudrando caput Norvegiæ, aliàs regiâ sedes clara. A Nidero fluv. cujus ostium obsidet. Emporium satis celebre, cum portu capaci, quamvis nec vallo, nec fossis septa, sed ubique aperta, pagum potius refecat. Aliàs amplior, sed pluries conflagravit, ejusque templum S. Olai, totius Sept. facilè pulcherrimum, in cineres redactum fuit. Arcem habet parum tutam. An. 1658. Suecis concessa, pace ad Roseshildam, cum tota Præf. paulò tamen post à Danis, Suecis ejectis, recepta, Daniæ R. etiamnum remansit, pace ad Olivam. Hinc

Nidrosiana Præfectura, incolis *Dronthemhus*, pars ampla Norvegiæ, à Sept. in Mer. extensa, nempe inter Vardhusianam præfect. ad Bor. & Bergensem ad Mer. per 500. m. p. atque inter Oceanum Sept. ad Occ. & Sueciam ad Ort. ubi ejus major latitudo est 120. m. p. Dividitur in *Nidrosianam Præfect. propriam*, ad Mer. sub qua Nidrosia urbs, & septem Præfecturæ min. & in *Saltensem Præf.* quæ ad Bor. sub qua sunt aliæ 7. regiunc. Ei adjacent plurimæ Insul. in ora littorali. Vide *Nidrosia*.

Nidum, opp. Albionis in Walliâ & Glamorganiâ regione, inter Leucarum & Bomium 15. m. p. à Mariduno urbe 45. in merid. Bristolium versus. Vulgò *Neath*, aut *Nyth*, long. 15. 26. lat. 52. 00.

Nienhusium, oppidul. Westphaliæ, prope Paderbornam, cum arce, sedes Episc. Paderbornensis, ad Luppiam fluv.

Nieva, fluv. Sueciæ. Exit è Ludogâ lacu, ad Notteburgum, & in Sinum Finnicum labitur, post leuc. aliquot.

Nigdeni, populi in Africâ Propriâ, Ptol.

Nigella, oppidum Picardiæ, ad Ingonum amnem, 2. leue. ab Hamo in Occid. *Nesle*. Medium fere inter Noviodunum in Mer. & Peronam ad Sept.

Nigellus Wirekerus, Benedictinus Anglus, an. 1200. Theologus solidus, Philosophus subtilis, Orator eloquens, Poëta ingeniosus. Scripsit *speculum stultorum*, *De abusu rerum Ecclesiæ*, *&c.* Arnolph. Wion, *de ligno vitæ*, Pitseus, &c.

Niger C. Pescennius, Justus Proconsul Syriæ, Didio Juliano interfecto, eum Septimio Severo de Imperio certavit, & victus est; Antiochiæ, quò confugerat, prope Euphratem, primo Imp. anno occisus, an. 194. Aurel. Vict. *in epit. Cæs.* Herodian. *lib.* 3. Vide Eutropium *sub finem lib.* 8. & Xiphilinum Dionis Epitomatorem, *in Didio Juliano.* Item cognomen prophetæ cujusdam, Act. 13.

Niger Dominicus Marius, Venetus, floruit an. 1490. Ejus supersunt 26. Geographiæ Commentariorum libri: Nempe 12. Europæ, totidem Asiæ, & Africæ 4. quibus situm terræ inhabitatæ, prout suo se habere tempore cognoscere potuit, non exiguâ industriâ literis commisit. Claruit, ante Americam à Columbo repertam; ejus opera publici juris fecit Wolfgangus Vveissenburgius, Basileæ, an. 1557.

Niger, Africæ fluvius maximus. Oritur in Æthiopia ex lacu *Nigro*, qui versus Æthiopiam infer. prope regnum Faseolæ est; dein paulò post in Occ. tendens, Nigritiam secat bifariam; tandem p ut. fluv. auctus, per 6. latissima ostia in Oceanum Atlant. se exonerat, versus Arsinarium prom. ejusdem cum Nilo naturæ. Vide *Nigrit*.

Nigidia, urbs Lycaoniæ Episcop. sub Archiep. Iconiensi; à quo parum recedit. *Heu Nigde*, teste Leunclavio.

P. Nigidius Figulus, Vir Prætorius, non humanarum modò literarum, sed & Philosophiæ, & Astrologiæ, & rei Medicæ consultissimus extitit; Ciceroni summâ gratiâ junctus, & honorificentissime semper ab illo habitus, quem & *in libello de Universitate*, ab ingenio & eruditione vehementer laudat, & exulantem sub Cæsare, quod omnes Pythagoriei Magiæ suspecti essent, diligenter consolatus est, ut videre licet *in Fam Epist. lib.* 4. Laudat eum quoque Lucanus, *lib.* 1. *vers.* 639.

> *At Figulus, cui cura Deos, secretaq; mundi*
> *Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis*
> *Æquaret visu, numeriq; moventibus astra,*
> *Aut hic errat, ait, nullâ cum lege per ævum*
> *Mundus, & incerto discurrunt sidera motu:*
> *Aut si fata movent, orbi, generiq; paratur*
> *Humano matura lues* ———

A. Gellius *Romæ civitatis doctissimum* vocat. Idem ætatem illam Ciceronis & Cæsaris multiformium doctrinarum, variarumque artium, quibus humanitas erudita est, culmina habuisse duo scribit, M. scil. Varronem, & hunc P. Nigidium, cujus tamen lucubrationes, non ita, ut Varronis, in omnium manibus frequentes fuisse ostendit, quòd propter obscuritatem, sublimitatemque in vulgus non exirent. Citantur ejus Commentar. Grammaticorum lib. 24. præterea de Annalibus, de extis & ventis. Ejus est illud, apud eundem Gellium relatum: *Vir bonus præstare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.* Neutiquam verò prætereundum, Figuli cognomen inde adeptum, quòd interroganti, ut Astrologiæ peritissimum, cur gemini dispari conditione nascerentur? commentum illud de rotâ figulari proposuerit, quæ brevi temporis momento maxima spatia revoluta percurrat. Cujus responsi meminit D. Augustinus *de C. D. lib.* 5. *cap.* 3. Illud, singularem ejus, in divinando, felicitatem arguit: quòd, cùm ageretur in Curiâ de conjuratione Catilinæ, & Octavius pater, ob uxoris puerperium, serius accessisset, P. Nigidius, compertâ moræ causâ, Dominum terrarum Octavio natum affirmavit, ut est apud Sueton. *in Augusto*. Decessit in exilio, an. 709. U. C. potiente rerum Cæsare, quomodo restatur Eusebius, & id ipsum indicat M. Tullius *Philippicâ secundâ*. Janus Rutgersius fragmenta ejus magnâ curâ collegit, ex priscis auctoribus.

Nigilpia, Mauritaniæ Cæsariensis opp. Ptol.

Nigira, urbs Libyæ interioris, Nigritarum metropolis, ad Nigrum

Nigrum fluvium, Ptolom. *Guber* hodie ex tab. recent. urbs regia. Aliis *Cano*, regni cognom. caput.

Nigir, Niger, Nigris, & *Nigres,* Africæ fluvius, à quo *Nigrites,* seu *Nigretes,* populi Libyæ dicti, Stephan. Ptolomæo Νίγειρ dicitur; quem, cùm Latinorum aliqui, more linguæ suæ inflectentes, *Nigrum* dixerint, hinc Solini error ortus est, qui ab aquæ colore ita dictum censuit, *cap.* 27. *Inde Niger est amnis, qui atro colore exit per intimas & exustas solitudines.* Barbarum potiùs vocabulum censendum; neque enim aut ipsi Libyes, aut Græci à vocabulo Latino urbem *Nigira* vocarent, sed eâ sic Nigira à Νίγειρ fluv. ut alia urbs *Gira* à *Gir* denominatur. Vide *Niger.*

Nigintimi, Africæ Propriæ pop. Ptol. Hos Villanovanus *Cinitios* Taciti, & *Ethinos* Plin. i esse testatur.

Nigraguarda, Castellum in monte exstructum, ex quo Paneadensis civ. videri potest. In tr. Nephthalim, Tyr. 18. *bell. sacr.* 15.

Nigramma, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Nigrapelissa, oppidum prov. Cadurcensis. 2. leuc. à monte Albano in Cæc. 7. à Cadurco in Mer. Male habitum à Lud. XIII. *Negrepelisse.*

Nigrinus, Πλατωνικὸς φιλόσοφος, uti eum vocat Lucianus *in Nigrino,* quem sis vide.

Nigris, fons Æthiopiæ, quem nonnulli caput Nili esse autumaverunt, quòd sit ejusdem cum Nilo naturæ: calamum enim & papyrum, easdemque gignit animantes, & iisdem temporibus augescit, Plin. 5. 8. Ptol. 4. 5.

Nigritæ, pop. Africæ, Ptol. *Nigretes* Dionysio *v.* 215.

Γαιτυλοί τ' ἐφύπερθε καὶ ἀγχίγυοι Νιγρῆτες.

De his vide Geographum *lib. ult.* Plin. 5. 8. Melam. 3. 10. Papius *Negretes* legit; sic enim vertit,

Getuliq; ultra, & finitimi Negretes.

Pro ἀγχίγυοι, autem Ceporinus ἀγχίγειοι, alii ἀγχίγειοι legunt. Sunt in Libya ulter. quorum regio peramp'a Nigritia, ab Ortu in Occid. extensa, juxta Nigrum fluv. Terminatur à Septen. Saarâ reg. seu deserto, à Mer. Guineâ, ab Occ. Oceano Atlant. Dividitur in XIV. regna, vix nomine nobis nota, *Gangara,* nempe, *Zanfara, Cassena, Zegzeg, Cano, Guber, Gago, Agades, Mandinga, Tombuto, Gualata, Genehoa, Jalofes,* & *Melli.* Sed raræ ibi urbes.

Nigritia urbes:

Cantorum, *Cantory.*	Guberum, *Guber.*
Canum, *Cano.*	Mandinga, *Mandinga.*
Cassena, *Cassena.*	Marasa, *Marasa.*
Gagum, *Gago.*	Tombutum, *Tombut.*
Gangara, *Gangara.*	Zanfara, *Zanfara.*
Genehoa, *Genehoa.*	Zegzegum, *Zegzeg.*

Nigritis palus, aliis est *Lac Guarda,* prope urbem *Guber,* in Nigritia, per quam Niger labitur.

Nigroe, pop. sunt, qui regem habent monoculum, Herodot.

Nigrorum regio, vide *Papuorum terra,* in mari Ind. recens detecta, inter novam Guineam ad Ort. & Moluccas ad Occ. Sed tantùm versus oram littor. lustrata ab Europæis.

Nileus, Philosophus, quem Athenæus *lib.* 1. ait habuisse in suâ potestate omnes libros Aristotelis; ejus tamen non meminit Laërtius.

Nilis, lacus inferioris Mauritaniæ, quem Nili aquæ stagnantes efficere creduntur, Plin. 5. 9.

Nilopolis, Ægypti oppid. Ptolom. & Stephan. & nomus. In Occid. Nili ripa, inter Memphim ad Bor. & Herculis urb. in Merid. Hujus Episcopus Chæremon, sub Decio Imper. in fuga, legitur in eremum raptus, Euseb. *lib.* 2. *epist.* 8. Lætus *Hist. Univ. comp.*

Nilus, Patr. Constantinop. post Macarium, an. 1378. per an. 20. Onuphr. *in Chron.* Item Archiep. Thessal. an. 1355. Scripsit contra primatum Paparum.

Nilus, Ægypti Episcop. exustus, sub Diocletiano. Vide Lactantium, *lib.* 5. *cap.* 11.

Nilus, historicus, Græcè extare dicitur à Rob. Constantino in suo Nomenclatore. Alius autem sine dubio est *Nilus,* B. Chrysostomi discipulus, sub Theodosio jun. monachus C P. ac Theodoreti æqualis; scripsit de cæde SS. Martyrum, monachorum à Saracenis occisorum, in monte Sina: quem librum Lipomannus, & Possevinus versum, an. 1639. ediderunt. Prodierunt quoq; ejus 355. epist. ex Bibl. M. Florentiæ D. cum versione & notis. Alia etiam reliquit, sed parænetica. Vide Photium *in Bibl. cod.* 153. 201. 276. Nicephor. *Eccles. Hist. lib.* 14. *cap.* 14. 53. 54. Sixt. Sen. &c.

Nilus, Africæ fluvius celeberrimus, ut Asiæ Ganges, & Indus, atque Europæ Danubius. Plurima ejus ab antiquis perhibentur, & celebrantur nomina. Nam & *Ægyptus* & *Triton* dictus, &c. Nos, omissis reliquis, quæ hodieq; apud varios populos obtinent: Abyssinis enim *Tacui* & *Abanhi* dicitur, &c. de notissimo eorum tantùm impræsentiarum agemus, ac primum de Nomine, cujus originem quod attinet, variæ sunt authorum de illâ sententiæ, potissimæ verò sunt hæ sequentes. *Primò* Diodorus Siculus eum à *Nileo* quodam, Ægypti rege, sic dictum arbitratur, *lib.* 1. ubi de regibus Ægyptiorum antiquis loquens, ait: Οὐδὲν αὐτῶν ἔργον παντελῶς, οὐδὲ πρᾶξις ἱστορίας ἀξία παραδέδοται, πλὴν ἑνὸς Νειλέως, ἀφ' οὗ συμβαίνει τὸν ποταμὸν ὀνομασθῆναι Νεῖλον. *Secundò* Eustathius, à *Nilo* quodam Atlantis nepote, sic appellatum putat, Νεῖλον φασὶ ἀπὸ τοῦ Νείλου τινὸς ἀπογόνου Ἄτλαντος βασιλεύσαντος τῆς ἐκεῖ. Ibidemque addit aliis sic dictum videri, ἀπὸ τινος Νείλου βασιλέως τοῦ ἐκεῖ ἐψηφισμένου ἐπ' αὐτῷ. *Tertiò,* doctior est, quæ etiam plerisque veterum placuit etymologia, quâ Νεῖλος dicitur, quasi Νέα ἰλύς, quod νέαν ἰλὺν, hoc est, *novum limum,* singulis annis trahat. Eam disertè innuit Heliodorus Æthiopicorum *lib.* 9. *his verbis:* Ὡς δὲ τὴν ἑορτὴν ἐξέθειαζον ἐπὶ μέγα Νεῖλον αἴροντες, Ὡρόν τε καὶ τὸν ζείδωρον ἀποκαλοῦντες, Αἰγύπτῳ τε ὅλης, τῆς μὲν ἄνω σωτῆρα, τῆς κάτω δὲ πατέρα, καὶ δημιουργὸν νέαν ἰλὺν δι' ἔτους ἐπάγοντα, καὶ Νεῖλον ἐντεῦθεν ὀνομαζόμενον. Quod ipsum Nonnus Panopolitanus optimè expressit, uti videre est *in his:*

Νεῖλον ἐφημίξαντο φερώνυμον, ὅττι γαίης
Εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος πεφορημένος ὄρχις ἀρούρης
Χεύματι πηλώεντι νέην ἀνεβάλλετο ἰλύν.

Quid quod & Dionysius Periegetes eò quoque allusisse videatur *vers.* 229. ubi ait:

Οὐ γάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο Νείλῳ,
Οὔ τ' ἰλὺν βαλέειν, οὔτε χθόνα πλεῖον ἀέξειν.

Ubi Scholiastes, Νεῖλος ἐτυμολογεῖται παρὰ τὸ νέαν, ἤτοι ἐκαινοῦν ἄγειν ἰλύν. *Quartò* doctissima proculdubio est Nicolai Fulleri sententia, qui nihil alienius esse ait, quàm originem nominis Ægyptiaci à linguâ peregrinâ, qualis est Græca, derivare. Ipse ergo *Miscellan.* 4. 10. statuit *Nilum* dici, ab Hebræorum נחל *nahal,* quod *flumen,* seu *torrentem* sig. quia omnium fluminum princeps est. Nec à Scripturâ alienum hoc est, quæ Nilum vocat מצרים נחל, hoc est, *fluvium Ægypti;* unde etiam Juvenalis *flumen* simpliciter posuit pro *Nilo, Sat.* 15. Hanc etymologiam probabilem quoque reddit Æthicus, qui Nilum ab accolis *Nuchal* vocari scribit, quod dubio procul idem cum Hebræorum *Nachal.* Mela quoque fontem Nili ita nominatum tradit *lib.* 3. *cap.* 10. Qui autem plures hujusce fluvii derivationes scire velit, Martinium videat in *Nilo.*

II. Ortum ejus quod attinet, eum investigare frustranei laboris conatus olim habitus est: unde in proverb. abiit *Nili caput quærere,* quod usurpatur de re supra humanas vires arduâ. Quam sententiam primus videtur prodidisse Herodotus, qui scribit, neq; Ægyptiorum, neque Afrorum quenquam à se repertum, qui fateretur, se scire Nili ortum. Hunc alii secuti sunt. Tibull. 1. 7.

Nile pater, quânam possum te dicere causâ,
Aut quibus in terris occuluisse caput?

Horatius *Carm. lib.* 4. *Od.* 14.

Te fontium qui celat origines
Nilus. —— —— Lucan. *lib.* 10.
Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitq; sinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nosse, tuos, ——

Claudianus *de Nilo.*

Qui rapido tractu mediis elapsus ab Austris
Flammiferâ patiens zona, Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit ulli
Hoc vidisse caput. —— ——

Ovidius eum auctario figmenti poëtici idem exprimit, *Met.* 2.

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitq; caput quod adhuc latet: ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.

Inde Ammianus Marcellinus *lib.* 22. *Origines fontium Nili, ut mihi quidem videri solet, sicut adhuc factum est, posteræ quoq; ignorabunt ætates.* Sidon. Apollinaris *in Panegyr. Aviti:*

—— *Ignotum plus notus, Nile per ortum.*

Inter falsas autem de Nili ortu sententias, celeberrima, multorumque veterum Theologorum suffragiis munitissima est, quæ Nilum ex ipso Paradiso terrestri ortum ducere, & inter Paradisi flumina esse statuit. Assentiuntur veteribus recentiores quoque, imprimis Pontificii doctores, inter quos Patres Conimbricenses, *cap.* 9. *de meteoris cap.* 10. ubi asserunt, Nilum è terrestri Paradiso ortum subterraneis cuniculis abscondi, tùm quasi primùm nasci in quodam Africæ lacu, in regno Congensi: quod observatum scribit Zanardus ab iis, qui nostro seculo loca illa peragrarunt. Sed hæc opinio, sive somnium potius, jam diu explosa est. Virgilius videtur Nili fontes in Indiâ collocare, uti videre est *in his, Georg.* 4.

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis:
Quaq; pharetratæ vicinia Persidis urget,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ, &c.

Quærunt hic viri docti, quid Persis commune cum Nilo, qui quàm longissimè à Perside abest. Indos autem hoc loco Scaliger Æthiopas interpretatur. Neutrum benè, inquit V. C. Is. Vossius. Omninò hic Virgilius secutus eorum opinionem, qui putarunt, Nilum iisdem, quibus Indus & Acesines concipi fontibus, ac deinceps per multas, vastasque fluere solitudines, donec Æthiopiam contingeret, atque illic demum *Nilum* vocari. Arrianus *lib.* 6. Καὶ ἀνέγνω ὅτι ὁ Ἀκεσίνης ἐμβάλλει εἰς τὸν Ἰνδὸν ποταμὸν, ἰδὼν ἰδέσθαι κύαμ

ϑῆναι τοῦ Νείλου τὰς ἀρχὰς, ὡς τὸν Νεῖλον ἐνθένδε ποθὲν ἐξ Ἰνδῶν ἀνίσχοντα, καὶ δι' ἐρήμου πολλῆς γῆς ῥέοντα, καὶ ταύτῃ ἀπολλύοντα τὸ Ἰνδὸς ὄνομα. Pausanias ipsum Euphratem Nilum posteà fieri contendit; Scribit enim *in Corinthiacis*, Εὐφράτην ὄντα εἰς ἕλος ἀφανίζεσθαι, καὶ αὖθις ἀνιόντα ὑπὲρ Αἰθιοπίας, Νεῖλον γίγνεσθαι. Nempe totum Erythræum & Indicum mare lacum esse crediderunt veterum nonnulli, quæ mira fuit imperitia. Sive autem Euphratem, sive Indum accipias, unde profluit Nilus, jam rectè Virgilius dixerit eum viciniâ Persidis urgeri. Et hæc quidem est verissima interpretatio loci istius Maroniani. In hâc opinione etiam fuisse videntur plurimi Christianorum, inter quos Philostorgius *lib.* 3. *cap.* 10. cùm ait, Nilum in Arctois regionibus oriri, & iisdem ex partibus fluere, unde Hyphasis, Euphrates ac Tigris. Ita quoque sensit Lucanus, cùm de Nilo canit:

Teq; vident primi, quærunt tamen hi quoq; Seres.

Ex horum quoque sententiâ loquitur Solinus *cap.* 3. cùm ait, Euphratis ac Nili fontes sub iisdem parallelis esse, & ad modulum ejusdem perpendiculi constitutos. Atque hactenus Nili originem quæsivimus, nec tamen adhuc invenimus. Paulus Jovius *Hist. sui temporis lib.* 18. eam ex relatione Petri Abyssini viri doctissimi sic describit: *Ab immensis* (inquit) *asperrimisq; rupibus, quæ Lunæ montes vocantur, frequenti, & copiosâ scaturigine, Nili fontes erumpunt, in loco vehementer abstruso, qui Beth*, id est, *desertum Abyssinâ linguâ dicitur.* Cum Jovio consentit Orosius, *de rebus gestis Immanuelis, lib.* 9. Scripsit quoque idem ante hos Philostratus, *lib.* 1. *Icon.* Νεῖλος μὲν Αἰγύπτου ἔχων τὰς ἐκβολὰς, Αἰθίοπας δὲ τὰς πηγάς. Ab hâc relatione non dissentiunt recentiores Geographi, qui duos ingentes lacus intra Tropicum Capricorni, & Æquatorem describunt, unum ad ortum, qui minor, & *Zaflan*, aliis *Zahan* appellatur: alterum ad occasum & *Zembre* nominatur. Ex hisce lacubus duo validi effluunt fluvii, qui Æquatorem transcurrunt, & in Abyssinæ regione *Bagamidri* coëunt, Niliqne nomen ex multorum sententiâ accipiunt. Etsi ex aliorum Geographorum opinione, ex solâ palude *Zembre* Nilus effluit, & nomen ipso statim effluxu, cis Æquatorem sortitur, quam & Wendelinus veriorem sententiam judicat, & Nili majestati accommodatiorem. Qui verò ab ipsis Lunæ montibus magis ad Austrum vergentibus Nili caput cum Ptolemæo accessunt, non videntur contemnendi; sed dicendum tum fuerit, vel ab ipso Nilo paludem *Zembre* effici, loci forsan concavitate flumen excipiente, & in ingentem paludem diducente, vel paludem istam ex aliis fontibus ortam à Nilo pertransiri. Qui autem ex Mauritaniæ Cæsariensis monte Atlante Nilum oriri olim tradiderunt, secuti Jubam regem, uti testantur Plin. 5. 9. Solin. *cap.* 35. Am. Marcell. *lib.* 22. Vitruvius *lib.* 8. *cap.* 2. Xiphilinus *in Severo*, ubi ait, ἐκ τοῦ Ἄτλαντος τοῦ ὄρους σαφῶς ἀναδίδοται, non video, qui suam cum veritate sententiam possint conciliare. Mauritania enim Cæsariensis ad occid. à Lunæ montibus quàm remotissima est; nec ullus inde fluvius Æthiopiam attingit, nisi forte *Gir*, qui *Niger* Mercatori dicitur, & varia in progressu nomina sortitur, tandemque cum Nubiæ nomine in Nilum influit, & inde nonnullis visus Nilum parere, quos inter Solinus *cap.* 30. *Omnis hac plaga*, inquit, *ab Æthiopiâ, & terminis Asiæ Nigri flumine, qui Nilum parit, ab Hispaniâ freto scinditur.* Vide Vossium *lib. de origine Nili*, & Athanasium Kircherum *in Oedip. Ægyptiac. tom.* 1. *cap.* 7. *pag.* 57.

III. Omnium unanimi consensu Nilus omnium fluviorum maximus est; idque inde licet æstimare, quòd perpetuam simul hyemem, & æstatem patiatur. In ortu enim cùm hyemem habeat, in exitu habet æstatem, unde quoque diem, simul & noctem habet, quod nulli fluviorum contingit. Facilè hoc admittent ii, qui eam Nili longitudinem esse norint, ut à Lunæ montibus per Æquatorem, & Circulum Caneri in mare mediterraneum decurrat, quod intervallum est gradunm circiter 35. Nonnulli tamen cursum ejus, si rectus esset, nullisque ambagibus inflexus, ad mill. Germanica 700. extendunt. Cùm verò plurimis quæsitis ambagibus, cogentibus ita montium obstaculis, multiplici flexu Æthiopiam pererret 900. vel 1000. mill. Germ. longitudinem ejus æstimant. Latitudo ejus non usque adeò magna est, quia maximam partem montium faucibus arctatur. Aristides, *in Orat. Ægyptiacâ*, ὡς ἐν στενῷ ἐστι τὸ κατ' Ἐλεφαντίνην ὄρεσιν, ἐκείνοις κεκλεῖσθαι τὸ ῥεῦμα τοῦ Νείλου, ὥστε ἤδη φαίης ἂν ὑπονοεῖν ὑπὸ τῆς πέτρας αὐτόν. Ἴδοις δ' ἂν καὶ πρὸ ἐς Ἐλεφαντίνην πλέοντι, αὐτὸ τοῦτο οἷον ὁπόσον τῶν χειμάρρων συνεῖλεν ὑπὸ τὰ ὄρη, ὡς μέσον εἶναι μηδέν, πλὴν τοῦ ῥεύματος αὐτοῦ, καὶ τοῦτο ἐντεῦθεν εὖρος Αἰγύπτου, ὅσον καὶ ποταμοῦ. In aliquibus tamen Abassinorum provinciis, ex multorum amnium concursu dimid. mill. Germ. æquare dicitur. Diodorus verò Siculus minimam latitudinem stadiorum 10. assignat, *lib.* 1. ubi verò ad Meroën pervenit, latitudinem 22. stadiorum habet. Ad summam, *Omnium fluminum*, inquit Gellius *lib.* 10. *cap.* 7. *quæ in maria, quà imperium Romanum est, fluunt, quam Græci τὴν εἴσω θάλασσαν* (id est, internum mare) *appellant, maximum esse Nilum consentitur.* Unde κατ' ἐξοχὴν *magnus* Virgilio dicitur *Geor.* 3.

Atq; hic undantem bello magnumq; fluentem
Nilum. —— ——

Strabo *lib.* 15. quatuor flumina nominat ingentis magnitudinis, Gangem, *Indum*, Istrum, Nilum. Aristotel. *lib.* 2. *Meteor. cap.* 2. Ἴστρος καὶ ὁ Νεῖλος μέγιστοι τῶν ποταμῶν. Sen. *Nat. Quæst.* 4. 2. *Nilus cæteris major.*

IV. Illud autem quod in hoc fluvio maximè admirandum est, Incrementum ejus, quod superstitio veterum Serapidi adscriptum ibat, in cujus proin templo gradus incrementi notati, quod postmodum sub Christianis in illorum templa translatum, meritò putatur. *Incrementum Nili* (inquit Diod. Siculus) *adspicientibus videtur admirabile, incredibile audientibus.* *Nilus*, inquit Plinius, *certis diebus, auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terræ.* Idem tempus inundationis ex Herodoto ita describit: *Incipit crescere Lunâ novâ, quæcunq; post solstitium est, sensim, modiceq;, Cancrum Sole transeunte, abundissimè autem Leonem, & residit in Virgine, iisdem quibus accrevit modis. In totum autem revocatur inter ripas in Librâ, ut tradit Herodotus centesimo die.* Similia habet Ammianus Marcellinus *lib.* 22. Cum *Sol*, inquit, *per Cancri sidus cœperit vehi augescens, adusq; transitum ejus in Libram, diebus centum sublatius fluens, minuitur postea, & mitigatis ponderibus aquarum, navibus antea perviis equitabiles campos ostendit.* Strabo tamen *lib.* 17. tempus hoc nonnihil contrahit, Πλείους δ' ἢ τετταράκοντα ἡμέρας τοῦ θέρους διαμένει τὸ ὕδωρ, ἔπειθ' ὑποβάσιν λαμβάνει κατ' ὀλίγον, καθάπερ καὶ τὴν αὔξησιν ἔσχεν, ἐν ἑξήκοντα δὲ ἡμέραις τελέως γυμνοῦται, καὶ ἀναψύχεται τὸ πεδίον. Hinc contra Christianos persecutionis occasio; *Si Tiberis ascendit in mœnia*, si Nilus non ascendit in arva, *si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christiani ad Leones acclamatur.* Tertullian. *in apolog.* Sed & poëtas de tempore Incrementi Nili canentes audiamus. Tibullus *libr.* 1. *eleg.* 7.

Qualis & arentes cùm findit Sirius agros
Fertilis, æstivâ Nilus abundat aquâ.

Lucanus *lib.* 10.

—— *Consurgere in ipsis*
Jus tibi solstitiis, alienâ crescere brumâ
Atque hyemes adferre tuas.

Idem, —— *Nilus neq; suscitat undas*
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem,
Ante parem nocti Librâ sub judice Phœbum;
Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hybernus, cùm longè sole remoto
Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo
Temperiem cœlo, mediis æstatibus exit.
Sub torrente plagâ, ne terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo, contraq; accensa Leonis
Ora tumet. Cancroq; suam torrente Syenen
Imploratus adest, nec campos liberat undis,
Donec in autumnum Phœbus declinet, & umbras
Extendat Meroë. —— ——

Claudianus *Epigr. de Nilo:*

Cumq; die Titana Canis flagrantior armat
Et rapit humores madidos, venasq; calore
Compescit, radiisq; potentibus æstuat axis,
Nilo bruma venit, contraria tempora mundo
Defectis solitum referens cultoribus æquor,
Effluit Ægæo stagnantior, acrior alto
Jonio seseq; patentibus explicat arvis.

Cæterùm de verâ stati hujus incrementi causâ, variè inter doctos disputatur, ut videre est apud Herodotum *in Euterpe.* Diod. Sic. 1. 4. Aristidem *Orat. Ægypt.* Heliodorum *libb.* 9. & 10. Plin. 5. 9. Sen. *Nat. Quæst.* 4. Amm. Marcell. *libr.* 22. Lucret *libr.* 6. Lucan. *lib.* 10. *&c.* Varias de hâc re veterum opiniones collegit doctissimus Wendelinus *in Admir. Nili*, quas hic in Lectoris studiosi gratiam recensere non gravabor.

Primò, Thales Incrementi causam retulit ad Etesias, multosque applausores invenit. Statuit autem, spirantibus Etesiis, Nili influentis cursum per ventos contrarios sisti, flumenque retroagi, & aquis ob hanc causam excrescentibus, & velut aggeratis, Ægypti, quæ plana, & humilis regio est, inundationem sequi. *Acto*, inquit Plinius, *per Etesias contra Nili ostia mari, undas fluminis repelli, & reverberatas in se recurrere.* Pulchrè quoque eandem sententiam exprimit Amm. Marcell. *lib.* 22. *Opinio celebratior est alia, quòd spirantibus Prodromis, perq; dies 45. Etesiarum continuis flatibus repellentibus ejus meatum, velocitate cohibitâ, superfusis fluctibus intumescit: & reluctante spiritu controverso adolescens in majus, hinc vi reverberante ventorum, inde urgente cursu venarum perennium, progrediens in sublime tegit omnia.* Idem quâ felicitate reddiderit Lucretius *lib.* 6. sequentes docent versiculi:

Nilus in æstate crescit, campisq; redundat
Unicus in terris Ægypti totius amnis.
Is rigat Ægyptum, medium persæpe calorem:
Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra,
Anni tempore eo quo Etesia flabra feruntur,
Et contra fluvium flantes remorantur, & undas
Cogentes rursus replent, coguntq; manere.

Sed hanc sententiam Scaliger puerilem vocat.

Secundò, Anaxagoras quoque applausores invenit, qui ex Æthiopiæ jugis nives solutas, ad Nilum usque decurrere, indeque fluvium augeri statuit. Quâ in opinione, ut Seneca refert, omnis

Nicolaus Suathamius, Carmelita Anglus, scripsit *Determinationum lib* 1. *Lectiones ordinarias, &c.* an. 1449.

Nicolaus Sudorius, Scævolæ Sammartan. *elog. lib.*4. laudatus.

Nicolaus Tartalea, Brixiensis, Mathematicus, sec. ult. Voss. *de Scient. Mathem.* Quenstedt. *de patr. doct.*

Nicolaus Tegrimus, Lucensis, auctor vitæ Castruccii Castracani. Paul. Jov. *in elog. cap.* 141.

Nicolaus Thuanus, patruus Jacobi Augusti, frater Christophori, fil. Augustini, qui omnes eruditionis famâ inclaruerunt. Episcop. Carnutensis. Scripsit de administr. Sacramentorum, obiit 1598.

Nicolaus Myrepsus, qui *Præpositus* dici solet, unus ex Græcorum recentissimis medicis fuit. Nam citat Mesuem Arabem medicum, qui claruit A. D. 1155. sub Frederico Barbarossâ. Et vel barbaries multorum vocabulorum indicat ætatem. Accurate tamen, quo seculo vixerit, dicere non possumus. Superest ejus liber, de Compositione medicamentorum particularium, secundùm genera κατὰ στοιχεῖα, sive ordine literarum. Vossius.

Nicolaus Tollentinus, omnium sui temporis abstinentissimus, qui pane & aquâ semel tantùm die vescebatur, procul ob omni otio & verborum vanitate.

Nicolaus Trigaltius, Duacensis: Itineribus suis & Chinæ itinerario inclytus.

Nicolaus Trivetus, Dominicanus Anglus, sec. 14. celebris. Voss.

Nicolaus Tudeschi, dictus Nic. Siculus, vel Panormitanus, Catanâ Siciliæ oriundus, sec. 15 JC. excellens, hinc *Lucerna Juris* appellatus. Archiep. Panormitanus, discip. Zabarellæ Cardin. Interfuit Concilio Basiliensi, à Felice Papa ibi creato Legati à Latere dignitate ornatus. Obiit Panormi an. 1445. Opera ejus Venetiis edita, an. 1617. tomos 9. continent. Forsterus ei insuper tractatum *de Potestate Concilii, Pontificis & Imperatoris* attribuit. Scripsit quoque *defensionem Concilii Basil.* sed hæc non amplius supersunt. Vide Simler. Draudium, Possevinum, &c.

Nicolaus Turingus, Carthus. scripsit varia, Petrejus.

Nicolaus Turlotus, Archidiac. Namurcensis, ascetica edidit. Valer. Andr.

Nicolaus Valla, Romanus, partem Iliadis Homer. versu Latino expressit.

Nicolaus Veunulezius, Lucemburg. scripsit tractatus Poëticos, Oratorios, & Politicos, Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Nicolaus Vignerius, auctor Bibliothecæ Historicæ, &c. Medicus & Historiographus Henr. 3. Scævola Sammart. *in elog. lib.*4.

Nicolaus Villanius, Pistoriensis, membrum Academiæ Humoristarum. Scripsit duas Satyras, *Dii vestram fidem.* &, *Nos canimus surdis, &c.* Janus Nicius Erythr. *P.* 1. *Pinac.* Laurent. Crassus, *elogior. parte* 2.

Nicolaus de Ultricuria, Doctor, cujus 60. propositiones ab Academia Paris. condemnatæ, sec. 14.

Nicolaus Uptonus, Canonicus, an. 1441. *Walkingtonus*, Cisterciensis, 1190. & *Westus*, 1533. Angli, eruditione inclyti, Pitseus, *de Script. Angl.*

S. Nicolaus, urbs Moscoviæ, cum portu, ad sinum Maris, qui *S. Nicolai* quoque nomen habet.

Nicolochus, vide *Nicomachus.*

Nicomachus, pater Aristotelis philosophi. Nicomachos verò 5. tradit Suidas; Primum ex Alexandriâ Troadis, poëtam Tragicum, qui scripsit tragœdias undecim. Secundum Atheniensem item Tragicum, qui vicit Euripidem & Theognin. Olymp. 90. Tertium Medicum Machaonis filium, Æsculapii nepotem, qui scripsit de Medicinâ libros sex, ac de philosophiâ unum. Reliquos patrem & filium Aristotelis ponit. Sextum addit Plinius pictorem Aristodemi filium ac discipulum, qui pinxit raptum Proserpinæ, Scyllamque. Plin. 35. 2.

Nicomachus, nomen cujusdam Athenis improbi, & ideo ab Aristophane in Ranis traducti, quem Scholia vel Tragicum actorem vel civem extitisse notant. *pag.* 181. D.

Nicomachus, exoletus, Dymni insidias in caput Alexandri Magni in Artis comparatas detexit. Curt. VI. 41.

Nicomachus, Navarchus Lacedæmoniorum, à Timotheo ad Leucadem victus, Polyæn. *l.*3. Ibidem tamen, in Timotheo, com. 12. vocatur *Nicolochus.*

Nicomachus, quidam Pythagoricus, ut videtur, scripsit vitam Apollonii Pythagorici, teste Sidonio Apoll. 8. 3. Vixit post Philostratum, vel ejus ætate. Erat & Gerasenus quidam Nicomachus, itidem Pythagoreus, de quo videatur Meursius, *notis ad Nicomachi hujus ἁρμονικῆς ἐγχειρίδιον.* Vixit hic ante Apuleji Madaurensis ætatem, quandoquidem Apulejus Arithmeticam ejus Latinè transtulit, teste Cassiodoro, scripsit autem libb. 2. *Arithmeticorum Theologorum*, Phot. *cod.* 187. Alter quoque hic legi meretur *Nicomachus*, sub Aureliano Imperatore clarus, qui epistolam Zenobiæ Palmyrorum reginæ, præter sexum tumidam, in Græcam ex linguâ Syrorum transtulisse se dixit, apud Vopiscum *Aurelian.* An idem cum auctore vitæ Apollonii Thyanæi? Sidon. Apollin. *lib.*8. *epist.* 3. Voss. *de Hist. Gr. lib.*3. Hunc cum priore eundem esse opinantur Savaro & Meursius, sed absque ratione. Alius Virius *Nicomachus* Flavianus, sub Arcadio & Honorio, Historicus disertissimus, teste Inscriptione apud Vossium *lib.* 3. *de Hist. Lat. pag.* 744. cujus crebra apud Symmachum fit mentio *lib.* 6. *epistolarum.* Sed præter hos, & eos, quos insuper Meursius recenset, fuere quidem Nicomachi plurimi. Memoratur *Nicomachus* Phocensis Thucydidi *lib.* 4. *Nicomachus* πονηρὸς Aristophani *in Ranis.* *Nicomachus* Tejus, Xenophonti, *lib.* 4. περὶ ἀνάβασ. *Nicomachus* Daiphanti filius, Demostheni *pro Ctesiph.* Lysiæ oratio, *contra Nicomachum* γραμματέα extat. *Nicomachus* exoletus apud Diod. Sic. *lib.* 17. *cap.* 79. & Curtium *lib.* 6. *cap.* 2. *Nicomachus* Tyrius, Ciceronis hospes, Ciceroni *in Fragmentis de Philosophiâ*, apud Nonium. *Nicomachi* librum, περὶ ζωγράφων signat Hephæstion, *in Enchiridio.* *Nicomachus* Acarnan, Ætolorum legatus Polybio *lib.* 17. *Nicomachus* Rhodius, eidem Polybio *lib.* 8. Quidam ignotus apud Simplicium *lib.* 2. *de cœlo. text.* 56. nisi forte hic est Peripateticus ille. At minimè hic à Meursio præteriri debuit Nicomachus Musicus, Ismeniæ Chorauli & Dionysiodoro Musicis æqualis, apud Plin. 37. 1. Uti nec *Nicomachus* alius omittendus erat Jo. Jonsio, qui de Festis Ægyptiis libros consignavit, teste Athenæo *lib.* 10.

Nicomachus, Archon Athenis, Olymp. 109. ann. 4.

Nicomedes, rex Bithyniæ, Romanis amicus, qui olim, raso capite, sumpsit pileum, & se Romanorum libertum vocavit. A Mithridate pulsus, Romanorumque ope restitutus, hos regni hæredes reliquit. Item alius Rex Bithyniæ, Prusiæ filius. Vellejus Paterc. *lib.* 2. Liv. Flor. Polyb. &c. Item historicus, qui περὶ Ὀρφέως tractavit, cujus operis librum primum citat Athenæus *lib.* 14.

Nicomedia, civitas Bithyniæ, ad Propontidem, inter Byzantium 61. & Nicæam 44. m. p. à Nicomede condita, Strabo *lib.* 12. postea sub Romanis fuit, sedes aliquot Imperatorum. Hic, sub Diocletiano, Anthimo Episcopo capite plexo, temploque incenso, ad XXM. combusta, circa an. C. 298. Postea urbs an. 358. terræmotu subversa est, cùm Constantius ibi, in gratiam Arianorum, Concilium celebraturus esset. Vide Ammian. Marcellin. *lib.* 17. Hic quoque obiit Constant. M. Imper. qui cùm vellet in Jordane fluv. baptizari, atque idcirco Hierosolymam peteret, morte præventus, ab Eusebio Nicomediensi episcopo, Arianæ perfidiæ sectatore, baptizatus est; quæ res Christiani Principis fidem apud plerosque in dubium vertit. Sed non est verisimile, eum principem, qui per omnem vitam suam Ariani dogmatis hostis fuerat, in extremo spiritu, eò dementiæ consensisse, quam summo studio de suo imperio prius eliminaverat. *Astacus* olim dicta fuit, Pausaniâ, Ammiano, Cedreno, ac Trebellio Pollione, auctoribus. Turcis à quibus capta est, an. 1338. Urchanis ductu, filii Ottomanni, hodiè *Nichor*, vulgo autem *Comidia* dicitur. Laudes ejus decantat vetus Geographus à Jac. Gothofredo editus: Νικομήδεια δὲ καὶ αὐτὴ, ἰσχύουσα, καὶ ... καὶ ἐν πᾶσι ... Zosimus itidem *lib.* 1. Νικομήδειαν μεγίστην οὖσαν, καὶ εὐδαίμονα ... long. 56. 40. lat. 43. 00. Nunc penè deserta est.

Nicomediensis lacus, Plin. *Pusensa* Nigro, apud Nicomediam, qui fluvium emittit in Sangarium influentem.

Nicomedium, emporium Bithyniæ, Steph.

Nicon, Archon Athenis, Olymp. 100. an. 2.

Nicon, Pirata Pheris, in Peloponneso sitis, oriundus, post multa Messeniis damna data ab iis tandem captus & jam supplicii cruciatibus subjiciendus, ut vitam redimeret, Pheras se proditurum Messeniis promisit ac pollicitis stetit, Polyæn. 2.

Nicon, alius Samius gubernator, qui, quâ astutiâ evaserit hostiles triremes, narrat idem *lib.* 5.

Nicon, Galeni pater, qui Geometriæ & Architecturæ erat peritissimus. Item pugil quidam, de quo Suidam consule.

Nicon, cognom. Μετανοεῖτε, quia hoc verbum perpetuò in ore habebat. Monachus Armenius, sec. 10. populorum conversioni incubuit, dein in Cretam trajiciens, ibi Evangelium magno cum zelo docuit. Obiit an. 987.

Niconia, urbs Ponti, Strabo *lib.* 7. Gentile *Niconiates* Stephano. Suidas. Νικωνία, πόλις ἐν τῷ Πόντῳ, ... *Niconium* Ptolomæo. *Nemanoster* Nigro dicitur. Aliis urbs est Tyrangitarum, in limite Sarm. versus Tyram fluv. supra Daciam. Quid nunc sit, non constat.

Nicophanes, pictor elegans & concinnus, Plin. 36. 10.

Nicophemus, Archon Athenis, Olymp. 104. an. 3.

Nicophon, scripsit Ἀφροδίτης γονάς, & laudatur à Schol. *pag.* 545. *in Aves Aristoph.* Ejus χειρογάστορας ..., *ibid.* citat. *pag.* 612. *c.* 2.

Nicophron, Theronis fil. Atheniensis Comicus, Aristophani coætaneus, cujus fabulas recenset Suidas. Aliis *Nicophon* dicitur.

Nicopin, caput Sudermanniæ; *Nikoping*, prope litus maris Baltici cum arce antiqua Duc. & portu, 13. mill. Germ. ab Holmia in Austr. 7. à Norcopia in Occ. Ibi commoratus est Carolus, Dux Sudermanniæ, postmodum Sueciæ Rex.

Nicopia, urbs Falstriæ Insul. è regione Lalandiæ Ins. 4. leuc. Dan. à Nascova in Orient. 11. ab Hafnia in Mer. lepida & culta; *Nykoping.*

Nicopolis, urbs Mysiæ Episcop. olim, nunc Archiepisc. seu metropol. apud Jatri fluv. cum Danubio confluentiam, à Trajano Imper. post Decebalum regem victum, teste Ammiano, condita, *Nigeboli* vulgò, Turcis autem *Sciltaro*, teste Leunclavio, dicitur. Baudrando *Nicopoli*, urbs etiamnum ampla Bulgariæ, ad Danub. in confinio Walachiæ, capta in plena pace à Bejazete, *an.* 1399. ubi

Chri-

Christiani grandi clade à Turcis affecti, sub Sigism. Imperatore, an. 1396. Est & *Nicopolis* Thraciæ ad Hæmum mont. urbs à Ptolomæo memorata, adhuc *Nicopoli* Sophiano dicta. Item urbs ad Nessum fluvium.

Nicopolis, civitas Epiri, à victoriâ Augusti sic appellata, quia Cleopatram & M. Antonium apud Actium prælio superavit. Vulgò *Galipoli*, *la Prevesa* verò Sophiano, longit. 46. 20. latit. 39. 25. Item Alexander Issum urbem, inter Ciliciam & Syriam *Nicopolin* appellavit, quoniam ibi Darium vicisset.

Nicopolis, urbs Armen. min. Episcop. sub Archiepisc. Sebasteni, à Pompejo, teste Dione, condita, in confin. Cappadociæ, ad Ceraunum fluv. media inter Satalum, ad Bor. & Sebastiam ad Austr. vix 50. utrinque. *Gianich* Castaldo, *Chiorme* aliis, long. 69. 00 lat. 42. 25. Hanc, post Theodori Episcop. mortem, Ariani turbarunt, an. 370. Phorane intruso, sed Nicopolitani hæreticum aversati, evicerunt, ut sibi Orthodoxus Præsul daretur: à S. Basilio deinde moniti, ut amicitiam cum illo fidelem colerent.

Nicopolis, quæ & *Emmaus*, Ptolemæo urbs Palæstinæ in Judæa Episcop. sub Patriarchâ Hierosolymit. inde fere 8. m. p. in Occ. Joppen versus 38. à Rhamâ 20. Est & *Nicopolis* opp. Bithyniæ, ad Propontidem sita, teste Plinio, *Montanea* hodie, unde sinus *Nicopolitanus*; à *Prusa* 20. m. p. distans, Nicææ propius, longitudo 56. 10. latit. 43. 28.

Nicopsis, urbs in Bosphoro Cimmerio, Stephan. Diacon. in vita Stephan. jun.

Nicosia, urbs Cypri Archiepisc. permunita, in meditullio Insulæ. Capta fuit à Turcis an. 1570. *Tremithus* aliàs quibusd.

Nicostrata, mater Evandri Arcadis, futurorum vaticinatrix, quæ à carminibus, quibus Phœbi oracula significare volebat, *Carmenta*, seu *Carmentis* Latine dicta est. Vide *Carmenta*.

Nicostratus, Argivus, robore corporis insignis, Herculem habitu militiæ imitabatur, spolio leonis circumtectus & clavam manibus gestans, Diod. XVI. 533. m. Eum Androtion apud Scholiastem Aristoph. vult ad Orneas occubuisse.

Nicostratus, è cohorte nobilium Puerorum Alexandri Magni, qui cum Hermolao contra regem suum conjuravit, Curt. VIII. 35.

Nicostratus, actor dramaticus insignis ex Jonia. Vide Polyæn. *lib*. 6. 442.

Nicostratus, Atheniensis, dictus *Scambonides*, à populo, tribus Leontidos. Vide Schol. in Aristoph. *Vesp*. 436. G. 1.

Nicostratus, Macedo, orator inter decem secundus, tempore Marci Antonini, ac Dionis Chrysostomi, Aristidis oratoris æqualis. scripsit nonnulla, quæ citat Suidas. Item poeta Comicus, de quo vide eundem Suidam, Athenæum, itemque Ælianum ποικιλ. *lib*. 4. *cap*. 12.

Nicostratus Trapezuntius, Sophista; sub Claudio & Valeriano Scripsit historiam Philippi, Gordiani, Decii, &c. Evagr. *Hist. lib*. 5 *cap. ult*. Voss. *de Hist. Gr*.

Nicoteles, Archon Athenis, Olymp. 97. an. 2.

Nicoteles, Corinthius potator strenuus, Æl. *V. H*. 2. 41.

Nicotera, olim Medama, urbs Episcop. Brutiorum litoralis, teste Gabriele Barrio, *Nicedro* dicitur, long. 40. 00. lat. 38. 25. Baudrando urbs est Calabriæ ulter. in ora maris Tyrrh. parvi circuitus, 10. mill. ab ostio Metauri. Crevit ex ruinis Medamæ.

Nicoya, urbs novæ Hispan. in prov. *Costa ricca*, cum portu, in ora maris Austr. & sinus Salinarum, sub Hisp.

Nicsia, vide *Naxus*.

Niddia, vide *Nithin*

Niderus Johannes, Isnensis, Dominicanorum cœnobii, quod Basileæ tum erat, præfectus; Vir eruditus & eloquens, scriptisque ac lucubrationibus suis, ubiq; celebris: Theologica enim plurima in lucem edidit. Hujus, inter Basiliensis Concilii Patres, tanta existimatio fuit, ut ad evocandos Bohemos, cum Abbate Mulbrunensi, ann. 1431. missus fuerit. Igitur cum eorum Oratoribus Egræ tantum effecit, ut nomine Regni, ac Marchionatus Moraviæ, quindecim Oratores, magno cum Comitatu Basileam appulerint, deque Religionis articulis illic propositis, seriò disputaverint. Obiit an. 1438. legationis suæ negotiis, pro reducendis in Ecclesiæ unionem Bohemis, implicatus, Norimbergæ. Vide Urstisium *Histor. Basil*.

Niderus, fluv. Norwegiæ, *Nidrosia*. Oritur ex monte Sevonedein in Circ. tendens per Nidrosianam præf. Nidrosiam rigat, & ibi in Oceanum abit.

Nidrosia, urbs Archiepisc. Scandinaviæ, in orâ Norvegiæ occidua, ab Eugenio 3. Pont. Rom. metropolis effecta, à Bergis urbe regiâ 70. leuc. in Bor. Hic templum augustissimum. Capta est, an. 1564. ab Erico Sueciæ Reg. qui milites ibi captos Monachorum more ad Daniæ Regem misit, ad Bornholmiam mox prælio superatum: postea recuperata. Vulgò *Trontheim*, & *Druntheim*, long 26. 10. lat. 65. 35. Baudrando caput Norvegiæ, aliàs regiâ sede clara. A Nidero fluv. cujus ostium obsidet. Emporium satis celebre, cum portu capaci, quamvis nec vallo, nec fossis septa, sed ubique aperta, pagum potius referat. Aliàs amplior, sed pluries conflagravit, ejusque templum S. Olai, totius Sept. facilè pulcherrimum, in cineres redactum fuit. Arcem habet parum tutam. An. 1658. Suecis concessa, pace ad Roschildam, cum tota Præf. paulò tamen post à Danis, Suecis ejectis, recepta, Daniæ R. etiamnum remansit, pace ad Olivam. Hinc

Nidrosiana Præfectura, incolis *Dronthemhus*, pars amplà Norvegiæ, à Sept. in Mer. extensa, nempe inter Vardhusianam præfect. ad Bor. & Bergensem ad Mer. per 500. m. p. atque inter Oceanum Sept. ad Occ. & Sueciam ad Ort. ubi ejus major latitudo est 120. m. p. Dividitur in *Nidrosianam Præfect. propriam*, ad Mer. sub qua Nidrosia urbs, & septem Præfecturæ min: & in *Saltensem Præf.* quæ ad Bor. sub qua sunt aliæ 7. regiune. Ei adjacent plurimæ Insul. in ora littorali. Vide *Nidrosia*.

Nidum, opp. Albionis in Walliâ & Glamorganiâ regione, inter Leucarum & Bomium 15. m. p. à Mariduno urbe 45. in merid. Bristolium versus. Vulgo *Neath*, aut *Nyth*, long. 15. 26. lat. 52. 00.

Nienhusium, oppidul. Westphaliæ, prope Paderbornam, cum arce, sedes Episc. Paderbornensis, ad Luppiam fluv.

Nieva, fluv. Sueciæ. Exit è Ludoga lacu, ad Notteburgum, & in Sinum Finnicum labitur, post leuc. aliquot.

Nigdeni, populi in Africâ Propriâ, Ptol.

Nigella, oppidum Picardiæ, ad Ingonum amnem, 2. leuc. ab Hamo in Occid. *Nesle*. Medium fere inter Noviodunum in Mer. & Peronam ad Sept.

Nigellus Wirekerus, Benedictinus Anglus, an. 1200. Theologus solidus, Philosophus subtilis, Orator eloquens, Poëta ingeniosus. Scripsit *speculum stultorum*, *De abusu rerum Ecclesiæ*, &c. Arnolph. Wion, *de ligno vitæ*, Pitseus, &c.

Niger C. Pescennius, Justus Proconsul Syriæ, Didio Juliano interfecto, cum Septimio Severo de Imperio certavit, & victus est; Antiochiæ, quò confugerat, prope Euphratem, primo Imp. anno occisus, an. 194. Aurel. Vict. *in epit. Cæs.* Herodian. *lib*. 3. Vide Eutropium *sub finem lib*. 8. & Xiphilinum Dionis Epitomatorem, *in Didio Juliano*. Item cognomen prophetæ cujusdam, Act. 13.

Niger Dominicus Marius, Venetus, floruit an. 1490. Ejus supersunt 26. Geographiæ Commentariorum libri: Nempe 11. Europæ, totidem Asiæ, & Africæ 4. quibus situm terræ inhabitatæ, prout suo se habere tempore cognoscere potuit, non exiguâ industriâ literis commisit. Claruit, ante Americam à Columbo repertam; ejus opera publici juris fecit Wolfgangus Vveissenburgius, Basileæ, an. 1557.

Niger, Africæ fluvius maximus. Oritur in Æthiopia ex lacu *Nigro*, qui versus Æthiopiam infer. prope regnum Fascolæ est; dein paulo post in Occ. tendens, Nigritiam secat bifariam; tandem plur. fluv. auctus, per 6. latissima ostia in Oceanum Atlant. se exonerat, versus Arsinarium prom. ejusdem cum Nilo naturæ. Vide *Nigru*.

Nigidia, urbs Lycaoniæ Episcop. sub Archiep. Iconiensi; à quo parum recedit. *Heu Nigde*, teste Leunclavio.

P. Nigidius Figulus, Vir Prætorius, non humanarum modò literarum, sed & Philosophiæ, & Astrologiæ, & rei Medicæ consultissimus extitit; Ciceroni summâ gratiâ junctus, & honorificentissime semper ab illo habitus, quem & *in libello de Universitate*, ab ingenio & eruditione vehementer laudat, & exulantem sub Cæsare, quòd omnes Pythagorici Magiæ suspecti essent, diligenter consolatus est, ut videre licet *in Fam Epist. lib*. 4. Laudat eum quoque Lucanus, *lib*. 1. *vers*. 639.

At Figulus, cui cura Deos, secretaq; mundi
Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
Æquaret visu, numerisq; moventibus astra,
Aut hic errat, ait, nullâ cum lege per ævum
Mundus, & incerto discurrunt sidera motu:
Aut si fata movent, orbi, generiq; paratur
Humano matura lues ——

A. Gellius *Romæ civitatis doctissimum* vocat. Idem ætatem illam Ciceronis & Cæsaris multiformium doctrinarum, variarumque artium, quibus humanitas erudita est, culmina habuisse duo scribit, M. scil. Varronem, & hunc P. Nigidium, cujus tamen lucubrationes, non ita, ut Varronis, in omnium manibus frequentes fuisse ostendit, quòd propter obscuritatem, sublimitatemque in vulgus non exirent. Citantur ejus Commentar. Grammaticorum lib. 24. præterea de Annalibus, de extis & ventis. Ejus est illud, apud eundem Gellium relatum: *Vir bonus præstare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.* Neutiquam verò prætereundum, Figuli cognomen inde adeptum, quòd interroganti, ut Astrologiæ peritissimum, cur gemini dispari conditione nascerentur? commentum illud de rotâ figulari proposuerit, quæ brevi temporis momento maxima spatia revoluta percurrat. Cujus responsi meminit D. Augustinus *de C. D. lib*. 5. *cap*. 3. Illud, singularem ejus, in divinando, felicitatem arguit: quòd, cùm ageretur in Curiâ de conjuratione Catilinæ, & Octavius pater, ob uxoris puerperium, serius accessisset, P. Nigidius, compertâ moræ causâ, Dominum terrarum Octavio natum affirmavit, ut est apud Sueton. *in Augusto*. Decessit in exilio, an. 709. U. C. potiente rerum Cæsare, quomodo testatur Eusebius, & id ipsum indicat M. Tullius *Philippicâ secundâ*. Janus Rutgersius fragmenta ejus magnâ curâ collegit, ex priscis auctoribus.

Nigilpia, Mauritaniæ Cæsariensis opp. Ptol.

Nigira, urbs Libyæ interioris, Nigritarum metropolis, ad

Nigrum

Nigrum fluvium, Ptolom. *Guber* hodie ex tab. recent. urbs regia. Aliis *Cano*, regni cognom. caput.

Nigir, Niger, Nigris, & Nigres, Africæ fluvius, à quo *Nigrites*, seu *Nigretes*, populi Libyæ dicti, Stephan. Ptolomæo Νίγειρ dicitur; quem, cùm Latinorum aliqui, more linguæ suæ inflectentes, *Nigrum* dixerint, hinc Solini error ortus est, qui ab aquæ colore ita dictum censuit, *cap.* 27. *Inde Niger est amnis, qui atro colore exit per intimas & exustas solitudines.* Barbarum potiùs vocabulum censendum; neque enim aut ipsi Libyes, aut Græci à vocabulo Latino urbem *Nigira* vocarent, sed ea sic Nigira à Νίγειρ fluv. ut alia urbs *Gira* à *Gir* denominatur. Vide *Niger*.

Nigintimi, Africæ Propriæ pop. Ptol. Hos Villanovanus *Cinitios* Taciti, & *Ethinos* Plin i esse testatur.

Nigraguarda, Castellum in monte exstructum, ex quo Paneadensis civ. videri potest. In tr. Nephthalim, Tyr. 18. *bell. sacr.* 15.

Nigramma, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Nigrapelissa, oppidum prov. Cadurcensis, 2. leuc. à monte Albano in Cæc. 7. à Cadurco in Mer. Malè habitum à Lud. XIII. *Negrepelisse*.

Nigrinus, Πλατωνικὸς φιλόσοφος, uti eum vocat Lucianus *in Nigrino*, quem sis vide.

Nigris, fons Æthiopiæ, quem nonnulli caput Nili esse autumaverunt, quòd sit ejusdem cum Nilo naturæ: calamum enim & papyrum, easdemque gignit animantes, & iisdem temporibus augescit, Plin. 5. 8. Ptol. 4. 5.

Nigrita, pop. Africæ, Ptol. *Nigretes* Dionysio *v.* 215.

Γαιτοῦλοί τ' ἐφύπερθε καὶ ἀγχόμενοι Νιγρῆτες.

De his vide Geographum *lib. ult.* Plin. 5. 8. Melam. 3. 10. Papius *Negretes* legit; sic enim vertit,

Gætuliq; ultra, & finitimi Negretes.

Pro ἀγχόμενοι, autem Coporinus ἀσχήμονες, alii ἀσχήμονες legunt. Sunt in Libya ulter. quorum regio peramp'a Nigritia, ab Ortu in Occid. extensa, juxta Nigrum fluv. Terminatur à Septen. Saarà reg. seu deserto, à Mer. Guineà, ab Occ. Oceano Atlant. Dividitur in XIV. regna, vix nomine nobis nota, *Gangara*, nempe, *Zanfara, Cassena, Zegzeg, Cano, Guber, Gago, Agades, Mandinga, Tombuto, Gualata, Genehoa, Jaloses*, & *Melli*. Sed raræ ibi urbes.

Nigritiæ urbes:

Cantorum, *Cantory.*	Guberum, *Guber.*
Canum, *Cano.*	Mandinga, *Mandinga.*
Cassena, *Cassena.*	Marasa, *Marasa.*
Gagum, *Gago.*	Tombutum, *Tombut.*
Gangara, *Gangara.*	Zanfara, *Zanfara.*
Genehoa, *Genehoa.*	Zegzegum, *Zegzeg.*

Nigritis palus, aliis est *Lac Guarda*, prope urbem *Guber*, in Nigritia, per quam Niger labitur.

Nigroa, pop. sunt, qui regem habent monoculum, Herodot.

Nigrorum regio, vide *Papuorum terra*, in mari Ind. recens detecta, inter novam Guineam ad Ort. & Moluccas ad Occ. Sed tantùm versus oram littor. lustrata ab Europæis.

Nileus, Philosophus, quem Athenæus *libr.* 1. ait habuisse in suâ potestate omnes libros Aristotelis; ejus tamen non meminit Laertius.

Nilis, lacus inferioris Mauritaniæ, quem Nili aquæ stagnantes efficere creduntur, Plin. 5. 9.

Nilopolis, Ægypti oppid. Ptolom. & Stephan. & nomus. In Occid. Nili ripa, inter Memphim ad Bor. & Herculis urb. in Merid. Hujus Episcopus Chæremon, sub Decio Imper. in fuga, legitur in cœlum raptus, Euseb. *lib.* 2. *epist.* 8. Lætus *Hist. Univ. comp.*

Nilus, Patr. Constantinop. post Macarium, an. 1378. per an. 20. Onuphr. *in Chron.* Item Archiep. Thessal. an. 1355. Scripsit contra primatum Paparum.

Nilus, Ægypti Episcop. exustus, sub Diocletiano. Vide Lactantium, *lib.* 5. *cap.* 11.

Nilus, historicus, Græcè extare dicitur à Rob. Constantino in suo Nomencla ore. Alius autem sine dubio est *Nilus*, B. Chrysostomi discipulus, sub Theodosio jun. monachus C P. ac Theodoreti æqualis; scripsit de cæde SS. Martyrum, monachorum à Saracenis occisorum, in monte Sina: quem librum Lipomannus, & Possevinus versum, an. 1639. ediderunt. Prodierunt quoq; ejus 355. epist. ex Bibl. M. Florentiæ D. cum versione & notis. Alia etiam reliquit, sed parænetica. Vide Photium *in Bibl. cod.* 153. 201. 276. Nicephor. *Eccles. Hist. lib.* 14. *cap.* 14. 53. 54. Sixt. Sen. &c.

Nilus, Africæ fluvius celeberrimus, ut Asiæ Ganges, & Indus, atque Europæ Danubius. Plurima ejus ab antiquis perhibentur, & celebrantur nomina. Nam & *Ægyptus* & *Triton* dictus, &c. Nos, omissis reliquis, quæ hodieq; apud varios populos obtinent: Abyssinis enim *Tacui* & *Abanhi* dicitur, &c. de novissimo eorum tantùm inpræsentiarum agemus, ac primum de Nomine, cujus origi iem quod attinet, variæ sunt authorum de illâ sententiæ, potissimæ verò sunt hæ sequentes. *Primò* Diodorus Siculus eum à *Nileo* quodam, Ægypti rege, sic dictum arbitratur, *lib.* 1. ubi de regibus Ægyptiorum antiquis loquens, ait: Οὐδὲν αὐτοῖς ἱστορίας ἄξιον πεπραγμένον, πλὴν ἑνὸς Νειλέως, ἀφ' οὗ συμβαίνει τὸν ποταμὸν ὀνομασθῆναι Νεῖλον. *Secundò* Eustathius, à *Nilo* quodam Atlantis nepote, sic appellatum putat. Νεῖλον φασὶν ἀπὸ Νείλου τινὸς ἀπογόνου Ἄτλαντος βασιλεύσαντος τῶν ἐκεῖ. Ibidemque addit aliis sic dictum videri, ἀπὸ τινος Νείλου βασιλέως παιδὸς ἐκεῖ γεγονότος ἐκεῖνον. *Tertiò*, doctior est, quæ etiam plerisque veterum placuit etymologia, quâ Νεῖλος dicitur, quasi Νεῖλυς, quod νέαν ἰλὺν, hoc est, *novum limum*, singulis annis illiciat. Eam diserte innuit Heliodorus Æthiopicorum *lib.* 9. *his verbis*: Ὡς δὲ τὴν ἑορτὴν ἐθείαζον ἐπὶ μέγα Νεῖλον αἴροντες, Ὧρόν τε καὶ τὸν ζείδωρον ἀποκαλοῦντες, Αἰγύπτῳ τε ὅλης, τῆς μὲν ἄνω σωτῆρα, τῆς κάτω δὲ πατέρα, καὶ δημιουργὸν νέαν ἰλὺν δι' ἔτους ἐπάγοντα, καὶ Νεῖλον ἐντεῦθεν ὀνομαζόμενον. Quod ipsum Nonnus Panopolitanus optimè expressit, uti videre est *in his*:

Νεῖλον ἐφημίξαντο φερώνυμον, οὕνεκα γαίης
Εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος πεφορημένος ὄχθος ἀκοίτης
Χεύμασι πηλώδεσι νέην ἀνεσύρατο ἰλύν.

Quid quod & Dionysius Periegetes eò quoque allusisse videatur *vers.* 229. ubi ait:

Οὐ γάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο Νείλῳ,
Οὔτ' ἰλὺν βαλέειν, οὔτε χθονὶ ὄλβον ἀέξειν.

Ubi Scholiastes, Νεῖλος ἐτυμολογεῖται παρὰ τὸ νέαν, ἤτοι ὑπενάντιον ἄγειν ἰλύν. *Quartò* doctissima proculdubio est Nicolai Fulleri sententia, qui nihil alienius esse ait, quàm originem nominis Ægyptiaci à linguâ peregrinâ, qualis est Græca, derivare. Ipse ergo *Miscellan.* 4. 10. statuit *Nilum* dici, ab Hebræorum נחל *nahal*, quod *flumen*, seu *torrentem* sig. quia omnium fluminum princeps est. Nec à Scripturâ alienum hoc est, quæ Nilum vocat נחל מצרים, hoc est, *fluvium Ægypti*; unde etiam Juvenalis *flumen* simpliciter posuit pro *Nilo*, *Sat.* 15. Hanc etymologiam probabilem quoque reddit Æthicus, qui Nilum ab accolis *Nuchal* vocari scribit, quod dubio procul idem eum Hebræorum *Nachal*. Mela quoque fontem Nili ita nominatum tradit *lib.* 3. *cap.* 10. Qui autem plures hujusce fluvii derivationes scire velit, Martinium videat in *Nilo*.

II. Ortum ejus quod attinet, cum investigare frustranei laboris conatus olim habitus est: unde in proverb. abiit *Nili caput quærere*, quod usurpatur de re supra humanas vires arduâ. Quam sententiam primus videtur prodidisse Herodotus, qui scribit, neq; Ægyptiorum, neque Afrorum quenquam à se repertum, qui fateretur, se scire Nili ortum. Hunc alii secuti sunt. Tibull. 1. 7.

Nile pater, quânam possum te dicere causâ,
Aut quibus in terris occuluisse caput?

Horatius *Carm. lib* 4. *Od.* 14.

Te fontium qui celat origines
Nilus. —— Lucan. *lib.* 10.
Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre.
Amovitq; sinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nosse, tuos. ——

Claudianus *de Nilo*.

Qui rapido tractu mediis elapsus ab Austris
Flammiferæ patiens zonæ, Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit ulli
Hoc vidisse caput. —— ——

Ovidius cum auctario figmenti poëtici idem exprimit, *Met.* 2.

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitq; caput quod adhuc latet: ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.

Inde Ammianus Marcellinus *lib.* 22. *Origines fontium Nili, ut mihi quidem videri solet, sicut adhuc factum est, posteræ quoq; ignorabunt ætates.* Sidon. Apollinaris *in Panegyr. Aviti:*

—— *Ignotum plus notus, Nile per ortum.*

Inter falsas autem de Nili ortu sententias, celeberrima, multorumque veterum Theologorum suffragiis munitissima est, quæ Nilum ex ipso Paradiso terrestri ortum ducere, & inter Paradisi flumina esse statuit. Assentiuntur veteribus recentiores quoque, imprimis Pontificii doctores, inter quos Patres Conimbricenses, *cap.* 9. *de meteoris cap.* 10. ubi asserunt, Nilum è terrestri Paradiso ortum subterraneis cuniculis abscondi, tùm quasi primùm nasci in quodam Africæ lacu, in regno Congensi; quod observatum scribit Zanardus ab iis, qui nostro seculo loca illa peragrarunt. Sed hæc opinio, sive somnium potius, jam diu explosa est. Virgilius videtur Nili fontes in Indiâ collocare, uti videre est *in his*, *Georg.* 4.

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circumpictis vehitur sua rura phaselis:
Quaq; pharetratæ vicinia Persidis urget,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ, &c.

Quærunt hic viri docti, quid Persis commune cum Nilo, qui quàm longissimè à Perside abest. Indos autem hoc loco Scaliger Æthiopas interpretatur. Neutrum bene, inquit V. C. Is. Vossius. Omninò hic Virgilius secutus eorum opinionem, qui putarunt, Nilum iisdem, quibus Indus & Acesines concipi fontibus, ac deinceps per multas, vastasque fluere solitudines, donec Æthiopiam contingeret, atque illic demum *Nilum* vocari. Arrianus *lib.* 6. Καὶ ἀκούσας ὅτι ὁ Ἀκεσίνης ἐμβάλλει ἐς τὸν Ἰνδὸν ποταμόν, ἔδοξεν ἐξευ-

... τῦ Νείλυ τὰς ἀρχὰς, ὡς τὸν Νεῖλον ἐοικότα ῥεῖν ἐξ Ἰνδῶν αὐ... ἐρήμου πολλῆς γῆς ἰόντα, καὶ ταύτη ἀπολλύειν τὸ Ἰνδὸν ... Pausanias ipsum Euphratem Nilum posteà fieri contendit; Scribit enim *in Corinthiacis*, Εὐφράτην ἐς ἕλος ἀφανίζεσθαι, ... ἄνωθεν ὑπὲρ Αἰθιοπίας, Νεῖλον γίγνεσθαι. Nempe totum Erythræum & Indicum mare lacum esse crediderunt veterum nonnulli, quæ mira fuit imperitia. Sive autem Euphratem, sive Indum accipias, unde profluit Nilus, jam rectè Virgilius dixerit eum viciniâ Persidis urgeri. Et hæc quidem est verissima interpretatio loci istius Maroniani. In hâc opinione etiam fuisse videntur plurimi Christianorum, inter quos Philostorgius *lib.* 3. *cap.* 10. cùm ait, Nilum in Arctois regionibus oriri, & iisdem ex partibus fluere, unde Hyphasis, Euphrates ac Tigris. Ita quoque sensit Lucanus, cùm de Nilo canit:

Teq; vident primi, quærunt tamen hi quoq; Seres.

Ex horum quoque sententiâ loquitur Solinus *cap.* 3. cùm ait, Euphratis ac Nili fontes sub iisdem parallelis esse, & ad modulum ejusdem perpendiculi constitutos. Atque hactenus Nili originem quæsivimus, nec tamen adhuc invenimus. Paulus Jovius *Hist. sui temporis lib.* 18. eam ex relatione Petri Abyssini viri doctissimi sic describit: *Ab immensis* (inquit) *asperrimisq; rupibus, quæ Lunæ montes vocantur, frequenti, & copiosâ scaturigine, Nili fontes erumpunt, in loco vehementer abstruso, qui Beth*, id est, *desertum Abyssinâ linguâ dicitur.* Cum Jovio consentit Orosius, *de rebus gestis Immanuelis, lib.* 9. Scripsit quoque idem ante hos Philostratus, *lib.* 1. *Icon.* Νεῖλον μὲν Αἰγύπτιοι ἔχουσι τὰς ἐκβολὰς, Αἰθίοπες δὲ τὰς πηγάς. Ab hâc relatione non dissentiunt recentiores Geographi, qui duos ingentes lacus intra Tropicum Capricorni, & Æquatorem describunt, unum ad ortum, qui minor, & *Zaflan*, aliis *Zahan* appellatur: alterum ad occasum & *Zembre* nominatur. Ex hisce lacubus duo validi effluunt fluvii, qui Æquatorem transcurrunt, & in Abyssinæ regione *Bagamidri* coëunt, Niliquе nomen ex multorum sententiâ accipiunt. Etsi ex aliorum Geographorum opinione, ex solâ palude *Zembre* Nilus effluit, & nomen ipso statim effluxu, cis Æquatorem sortitur, quam & Wendelinus veriorem sententiam judicat, & Nili majestati accommodatiorem. Qui verò ab ipsis Lunæ montibus magis ad Austrum vergentibus Nili caput cum Ptolemæo arcessunt, non videntur contemnendi; sed dicendum tum fuerit, vel ab ipso Nilo paludem *Zembre* effici, loci forsan concavitate flumen excipiente, & in ingentem paludem diducente, vel paludem istam ex aliis fontibus ortam à Nilo pertransiri. Qui autem ex Mauritaniæ Cæsariensis monte Atlante Nilum oriri olim tradiderunt, secuti Jubam regem, uti testantur Plin. 5. 9. Solin. *cap.* 35. Am. Marcell. *lib.* 22. Vitruvius *lib.* 8. *cap.* 2. Xiphilinus *in Severo*, ubi ait, ἐκ τοῦ Ἄτλαντος τοῦ ὄρους σαφῶς αὐτὸν ἀναδίδοσθαι, non video, qui suam eum veritate sententiam possint conciliare. Mauritania enim Cæsariensis ad occid. à Lunæ montibus quàm remotissima est; nec ullus inde fluvius Æthiopiam attingit, nisi forte Gir, qui *Niger* Mercatori dicitur, & varia in progressu nomina sortitur, tandemque cum Nubiæ nomine in Nilum influit, & inde nonnullis visus Nilum parere, quos inter Solinus *cap.* 30 *Omnis hæc plaga, inquit, ab Æthiopiâ, & termino Asiæ Nigri flumine, qui Nilum paret, ab Hispaniâ freto scinditur.* Vide Vossium *lib. de origine Nili*, & Athanasium Kircherum *in Oedip. Ægyptiac. tom.* 1. *cap.* 7. *pag.* 57.

III. Omnium unanimi consensu Nilus omnium fluviorum maximus est; idque inde licet æstimare, quòd perpetuam simul hyemem, & æstatem patiatur. In ortu enim cùm hyemem habeat, in exitu habet æstatem, unde quoque diem, simul & noctem habet, quod nulli fluviorum contingit. Facilè hoc admittent ii, qui eam Nili longitudinem esse norint, ut à Lunæ montibus per Æquatorem, & Circulum Cancri in mare mediterraneum decurrat, quod intervallum est graduum circiter 35. Nonnulli tamen cursum ejus, si rectus esset, nullisque ambagibus inflexus, ad mill. Germanica 700. extendunt. Cùm verò plurimis quæsitis ambagibus, cogentibus ita montium obstaculis, multiplici flexu Æthiopiam pererret 900. vel 1000. mill. Germ. longitudinem ejus æstimant. Latitudo ejus non usque adeò magna est, quia maximam partem montium faucibus arctatur. Aristides, *in Orat. Ægyptiacâ*, ... τὸ ῥεῦμα τοῦ Νείλου, ... Ἐλεφαντίνην πόλιν, ... ἐν Αἰγύπτῳ, ... In aliquibus tamen Abassinorum provinciis, ex multorum amnium concursu dimid. mill. Germ. æquare dicitur. Diodorus verò Siculus minimam latitudinem stadiorum 10. assignat, *lib.* 1. ubi verò ad Meroen pervenit, latitudinem 22. stadiorum habet. Ad *summum omnium fluminum*, inquit Gellius *lib.* 10. *cap.* 7. *quæ in maria, quâ imperium Romanum est, fluunt, quam Græci τὴν εἴσω θάλασσαν* (hoc est, internum mare) *appellant, maximum esse Nilum consentitur.* Unde καὶ ἐξοχὴν *magnus* Virgilio dicitur *Geor.* 3.

Atq; hic undantem bello magnumq; fluentem
Nilum. ——

Strabo *libr.* 15. quatuor flumina nominat ingentis magnitudinis, Gangem, Indum, Istrum, Nilum. Aristotel. *lib.* 1. *Meteor. cap.* 1. Ἴστρος καὶ ὁ Νεῖλος μέγιστοι τῶν ποταμῶν. Sen. *Nat. Quæst.* 4. 2. *Nilus cæteris major.*

IV. Illud autem quod in hoc fluvio maximè admirandum est, Incrementum ejus, quod superstitio veterum Serapidi adscriptum ibat, in cujus proin templo gradus incrementi notati, quod postmodum sub Christianis in illorum templa translatum, meritò putatur. *Incrementum Nili* (inquit Diod. Siculus) *adspicientibus videtur admirabile, incredibile audientibus.* *Nilus*, inquit Plinius, *certis diebus, auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terræ.* Idem tempus inundationis ex Herodoto ita describit: *Incipit crescere Lunâ novâ, quæcunq; post solstitium est, sensim, modiceq;, Cancrum Sole transeunte, abundissimè autem Leonem, & residit in Virgine, iisdem quibus accrevit modis. In totum autem revocatur inter ripas in Librâ, ut tradit Herodotus centesimo die.* Similia habet Ammianus Marcellinus *lib.* 22. Cum *Sol*, inquit, *per Cancri sidus cœperit vehi augescens, adusq; transitum ejus in Libram, dieì usq; centum sublatius fluens, minuitur postea, & mitigatis ponderibus aquarum, navibus antea pervios equitabiles campos ostendit.* Strabo tamen *lib.* 17. tempus hoc nonnihil contrahit, Πλείους δ' ἢ τετταράκοντα ἡμέρας τὸ θέρος πληροῦσι τὸ ὕδωρ, ἔπειτ' ὑποβάσαν λαμβάνει κατ' ὀλίγον, καθάπερ καὶ τὴν αὔξησιν ἴσχει, ἐν ἑξήκοντα δὲ ἡμέραις τελέως γυμνοῦται, καὶ ἀναψύχεται τὸ πεδίον. Hinc contra Christianos persecutionis occasio; *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christiani ad Leones acclamatur.* Tertullian. *in apoleg.* Sed & poëtas de tempore Incrementi Nili canentes audiamus. Tibullus *libr.* 1. *eleg.* 7.

Qualis & arentes cùm findit Sirius agros
Fertilis, æstivâ Nilus abundat aquâ.

Lucanus *lib.* 10.

—— *Consurgere in ipsis*
Jus tibi solstitiis, alienâ crescere brumâ
Atque hyemes adferre tuas.

Idem, —— *Nilus neq; suscitat undas*
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem,
Ante parem nocti Librâ sub judice Phœbum;
Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hybernus, cum longè sole remoto
Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo
Temperiem cœlo, medius æstatibus exit.
Sub torrente plagâ, ne terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo, contraq; accensa Leonis
Ora tumet. Cancroq; suam torrente Syenen
Imploratus adest, nec campos liberat undis,
Donec in autumnum Phœbus declinet, & umbras
Extendat Meroe. ——

Claudianus *Epigr. de Nilo:*

Cumq; die Titana Canis flagrantior armat
Et rapit humores madidos, venasq; calore
Compescit, radiisq; potentibus æstuat axis,
Nilo bruma venit, contraria tempora mundo
Defectis solitum referens cultoribus æquor,
Effluit Ægæo stagnantior, acrior alto
Jonio sejeg, patentibus explicat arvis.

Cæterùm de verâ stati hujus incrementi causâ, variè inter doctos disputatur, ut videre est apud Herodotum *in Euterpe*. Diod. Sic. 1. 4. Aristidem *Orat. Ægypt.* Heliodorum *libb.* 9. & 10. Plin. 5. 9. Sen. *Nat. Quæst.* 4. Amm. Marcell. *libr.* 22. Lucret *libr.* 6. Lucan. *lib.* 10. &c. Varias de hâc re veterum opiniones collegit doctissimus Wendelinus *in Admir. Nili*, quas hic in Lectoris studiosi gratiam recensere non gravabor.

Primò, Thales Incrementi causam retulit ad Etesias, multosque applausores invenit. Statuit autem, spirantibus Etesiis, Nili influentis cursum per ventos contrarios sisti, flumenque retroagi, & aquis ob hanc causam excrescentibus, & velut aggeratis, Ægypti, quæ plana, & humilis regio est, inundationem sequi. *Actio*, inquit Plinius, *per Etesias contra Nili ostia mari, undas fluminis repelli, & reverberatas in se recurrere.* Pulchrè quoque eandem sententiam exprimit Amm. Marcell. *lib.* 22. *Opinio celebratior est alia, quòd spirantibus Prodromis, perq; dies 45. Etesiarum continuis flatibus repellentibus eius meatum, velocitate cohibitâ, superfusis fluctibus intumescit: & reluctante spiritu controverso adolescens in majus, hinc vi reverberante ventorum, inde urgente cursu venarum perennium, progrediens in sublime tegit omnia* Idem quâ felicitate reddiderit Lucretius *lib.* 6. sequentes docent versiculi:

Nilus in æstate crescit, campisq; redundat
Unicus in terris Ægypti totius amnis.
Is rigat Ægyptum, medium persæpe calorem:
Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra,
Anni tempore eo quo Etesia flabra feruntur,
Et contra fluvium flantes remorantur, & undas
Cogentes rursus replent, coguntq; manere.

Sed hanc sententiam Scaliger puerilem vocat.

Secundò, Anaxagoras quoque applausores invenit, qui ex Æthiopiæ jugis nives solutas, ad Nilum usque decurrere, indeque fluvium augeri statuit. Cui in opinione, ut Seneca refert, omnis

Nigrum fluvium, Ptolom. *Guber* hodie ex tab. recent. urbs regia. Aliis *Cano*, regni cognom. caput.

Nigir, Niger, Nigris, & *Nigres*, Africæ fluvius, à quo *Nigrites*, seu *Nigretes*, populi Libyæ dicti, Stephan. Ptolomæo Νίγειρ dicitur; quem, cùm Latinorum aliqui, more linguæ suæ inflectentes, *Nigrum* dixerint, hinc Solini error ortus est, qui ab aquæ colore ita dictum censuit, *cap.* 27. *Inde Niger est amnis, qui atro colore exit per intimas & exustas solitudines.* Barbarum potiùs vocabulum censendum; neque enim aut ipsi Libyes, aut Græci à vocabulo Latino urbem *Nigira* vocarent, sed ea sic Nigira à Νίγειρ fluv. ut alia urbs *Gira* à *Gir* denominatur. Vide *Niger*.

Nigitimi, Africæ Propriæ pop. Ptol. Hos Villanovanus *Cinithios* Taciti, & *Ethinos* Plinii esse testatur.

Nigraguarda, Castellum in monte exstructum, ex quo Paneadensis civ. videri potest. In tr. Nephthalim, Tyr. 18. *bell. sacr.* 15.

Nigramma, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Nigrapelissa, oppidum prov. Cadurcensis, 2. leue. à monte Albano in Caec. 7. à Caduroo in Mer. Malè habitum à Lud. XIII. *Negrepelisse*.

Nigrinus, Πλατωνικὸς φιλόσοφος, uti eum vocat Lucianus *in Nigrino*, quem sis vide.

Nigris, fons Æthiopiæ, quem nonnulli caput Nili esse autumaverunt, quòd sit ejusdem cum Nilo naturæ: calamum enim & papyrum, easdemque gignit animantes, & iisdem temporibus augescit, Plin. 5. 8. Ptol. 4. 5.

Nigrita, pop. Africæ, Ptol. *Nigretes* Dionysio *v.* 215.

Γαιτυλοί τ' ἐφύπερθε καὶ ἀγχόμοι Νιγρῆτες.

De his vide Geographum *lib. ult.* Plin. 5. 8. Melam. 3. 10. Papius *Negretes* legit; sic enim vertit,

Gætuliq; ultra, & finitimi Negretes.

Pro ἀγχόμοι, autem Ceporinus ἀγχέμοι, alii ἀγχίμαχοι legunt. Sunt in Libya ulter. quorum regio peramp'a Nigritia, ab Ortu in Occid. extensa, juxta Nigrum fluv. Terminatur à Septen. Saarâ reg. seu deserto, à Mer. Guineâ, ab Occ. Oceano Atlant. Dividitur in XIV. regna, vix nomine nobis nota, *Gangara*, nempe, *Zanfara, Cassena, Zegzeg, Cano, Guber, Gago, Agades, Mandinga, Tombuto, Gualata, Genehoa, Jalofes*, & *Melli*. Sed raræ ibi urbes.

Nigritiæ urbes:

Cantorum, *Cantory*.	Guberum, *Guber*.
Canum, *Cano*.	Mandinga, *Mandinga*.
Cassena, *Cassena*.	Marasa, *Marasa*.
Gagum, *Gago*.	Tombutum, *Tombut*,
Gangara, *Gangara*.	Zanfara, *Zanfara*.
Genehoa, *Genehoa*.	Zegzegum, *Zegzeg*.

Nigritis palus, aliis est *Lac Guarda*, prope urbem *Guber*, in Nigritia, per quam Niger labitur.

Nigroe, pop. sunt, qui regem habent monoculum, Herodot.

Nigrorum regio, vide *Papuorum terra*, in mari Ind. recens detecta, inter novam Guineam ad Ort. & Moluccas ad Occ. Sed tantùm versus oram littor. lustrata ab Europæis.

Nileus, Philosophus, quem Athenæus *libr* 1. ait habuisse in suâ potestate omnes libros Aristotelis; ejus tamen non meminit Laertius.

Nilis, lacus inferioris Mauritaniæ, quem Nili aquæ stagnantes efficere creduntur, Plin. 5. 9.

Nilopolis, Ægypti oppid. Ptolom. & Stephan. & nomus. In Occid. Nili ripa, inter Memphim ad Bor. & Herculis urb. in Merid. Hujus Episcopus Chæremon, sub Decio Imper. in fuga, legitur in cœlum raptus, Euseb. *lib.* 2. *epist.* 8. Lætus *Hist. Univ. comp.*

Nilus, Patr. Constantinop. post Macarium, an. 1378. per an. 20. Onuphr. *in Chron.* Item Archiep. Thessal. an. 1355. Scripsit contra primatum Paparum.

Nilus, Ægypti Episcop. exustus, sub Diocletiano. Vide Lactantium, *lib.* 5. *cap.* 11.

Nilus, historicus, Græcè extare dicitur à Rob. Constantino in suo Nomenclatore. Alius autem sine dubio est *Nilus*, |B. Chrysostomi discipulus, sub Theodosio jun. monachus C P. ac Theodoreti æqualis; scripsit de cæde SS. Martyrum, monachorum à Saracenis occisorum, in monte Sina: quem librum Lipomannus, & Possevinus versum, an. 1639. ediderunt. Prodierunt quoq; ejus 355. epist. ex Bibl. M. Florentiæ D. cum versione & notis. Alia etiam reliquit, sed parænetica. Vide Photium *in Bibl. cod.* 153. 201. 276. Nicephor. *Eccles. Hist. lib.* 14. *cap.* 14. 53. 54. Sixt. Sen. &c.

Nilus, Africæ fluvius celeberrimus, ut Asiæ Ganges, & Indus, atque Europæ Danubius. Plurima ejus ab antiquis perhibentur, & celebrantur nomina. Nam & *Ægyptus* & *Triton* dictus, &c. Nos, omissis reliquis, quæ hodieq; apud varios populos obtinent: Abyssinis enim *Tacui & Abanhi* dicitur, &c. de notissimo eorum tantum impræsentiarum agemus, ac primum de Nomine, cujus origi nem quod attinet, variæ sunt authorum de illâ sententiæ, potissimæ verò sunt hæ sequentes. *Primò* Diodorus Siculus eum à *Nileo* quodam, Ægypti rege, sic dictum arbitratur, *lib.* 1. ubi de regibus Ægyptiorum antiquis loquens, ait: Οὐδὲν αὐτῶν ἔργον παντελῶς, οὐδὲ πρᾶξις ἱστορίας ἀξία παραδίδοται, πλὴν ἑνὸς Νειλέως, ἀφ' οὗ συμβαίνει τὸν ποταμὸν ὀνομασθῆναι Νεῖλον. *Secundò* Eustathius, à *Nilo* quodam Atlantis nepote, sic appellatum putat. Νεῖλον φασὶν ὀνομασθῆναι ἀπὸ Νείλου τινὸς ἀπογόνου Ἄτλαντος βασιλεύσαντος τῶν ἐκεῖ. Ibidemque addit aliis sic dictum videri, ἀπό τινος Νείλου βασιλικοῦ παιδὸς ἐκεῖ ῥίψαντος ἑαυτόν. *Tertiò*, doctior est, quæ etiam plerisque veterum placuit etymologia, quâ Νεῖλος dicitur, quasi Νέαν ἰλὺς, quòd νέαν ἰλὺν, hoc est, *novum limum*, singulis annis irritat. Eam disertè innuit Heliodorus Æthiopicorum *lib.* 9. *his verbis*: Ὡς δὲ τὴν ἑορτὴν ἐξέθειαζον ἐπὶ μέγα Νεῖλον αἴροντες, Ὧρον τέ τινα καὶ τὸν ζείδωρον ἀποκαλοῦντες, Αἰγύπτῳ τε ὅλῃ, τῆς μὲν ἄνω σωτῆρα, τῆς κάτω δὲ πατέρα, καὶ δημιουργὸν νέαν ἰλὺν δι' ἔτους ἐπάγοντα, καὶ Νεῖλον ἐντεῦθεν ὀνομαζόμενον. Quod ipsum Nonnus Panopolitanus optimè expressit, uti videre est *in his*:

Νεῖλον ἐφημίζοντο φερώνυμον, ὅττι γαίης
Εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος πεφορημένος ὕδασιν ἀκοίτης
Χεύματι πηλώεντι νέην ἐπελάσσατο ἰλύν.

Quid quod & Dionysius Periegetes eò quoque allusisse videatur *vers.* 229. ubi ait:

Οὐ γάρ τις ποταμῶν ἐναλίγκιος ἔπλετο Νείλῳ,
Οὔτ' ἰλὺν βαλέειν, οὔτε χθονὶ ὄλβον ἀέξειν.

Ubi Scholiastes, Νεῖλος ἐτυμολογεῖται παρὰ τὸ νέαν, ἤτοι ἐνιαύσιον ἄγειν ἰλύν. *Quartò* doctissima proculdubio est Nicolai Fulleri sententia, qui nihil alienius esse ait, quàm originem nominis Ægyptiaci à linguâ peregrinâ, qualis est Græca, derivare. Ipse ergo *Miscellan.* 4. 10. statuit *Nilum* dici, ab Hebræorum נחל *nahal*, quod *flumen*, seu *torrentem* sig. quia omnium fluminum princeps est. Nec à Scripturâ alienum hoc est, quæ Nilum vocat מצרים נחל, hoc est, *fluvium Ægypti*; unde etiam Juvenalis *flumen* simpliciter posuit pro *Nilo*, *Sat.* 15. Hanc etymologiam probabilem quoque reddit Æthicus, qui Nilum ab accolis *Nuchal* vocari scribit, quod dubio procul idem cum Hebræorum *Nachal*. Mela quoque fontem Nili ita nominatum tradit *lib.* 3. *cap.* 10. Qui autem plures hujusce fluvii derivationes scire velit, Martinum videat in *Nilo*.

II. Ortum ejus quod attinet, eum investigare frustraneî laboris conatus olim habitus est: unde in proverb. abiit *Nili caput quærere*, quod usurpatur de re supra humanas vires arduâ. Quam sententiam primus videtur prodidisse Herodotus, qui scribit, neq; Ægyptiorum, neque Afrorum quenquam à se repertum, qui fateretur, se scire Nili ortum. Hunc alii secuti sunt. Tibull. 1. 7.

Nile pater, quânam possim te dicere causâ,
Aut quibus in terris occuluisse caput?

Horatius *Carm. lib* 4. *Od.* 14.

Te fontium qui celat origines
Nilus. —— Lucan. *lib.* 10.
Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitq; sinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nosse, tuos. ——

Claudianus de *Nilo*,

Qui rapido tractu mediis elapsus ab Austris
Flammifera patiens zona, Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem,
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit ulli
Hoc vidisse caput. —— ——

Ovidius eum auctario figmenti poëtici idem exprimit, *Met.* 2.

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitq; caput quod adhuc latet: ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.

Inde Ammianus Marcellinus *lib.* 22. *Origines fontium Nili, ut mihi quidem videri solet, sicut adhuc factum est, posteræ quoq; ignorabunt ætates.* Sidon. Apollinaris *in Panegyr. Aviti:*

—— *Ignotum plus notus, Nile per ortum.*

Inter falsas autem de Nili ortu sententias, celeberrima, multorumque veterum Theologorum suffragiis munitissima est, quæ Nilum ex ipso Paradiso terrestri ortum ducere, & inter Paradisi flumina esse statuit. Assentiuntur veteribus recentiores quoque, imprimis Pontificii doctores, inter quos Patres Conimbricenses, *cap.* 9. *de meteoris cap.* 10. ubi asserunt, Nilum è terrestri Paradiso ortum subterraneis cuniculis abscondi, tum quasi primum nasci in quodam Africæ lacu, in regno Congensi; quod observatum scribit Zanardus ab iis, qui nostro seculo loca illa peragrarunt. Sed hæc opinio, sive somnium potius, jam diu explosa est. Virgilius videtur Nili fontes in Indiâ collocare, uti videre est *in his*, *Georg.* 4.

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis:
Quaq; pharetratæ vicinia Persidis urget,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ, &c.

Quærunt hic viri docti, quid Persis commune cum Nilo, qui quàm longissimè à Perside abest. Indos autem hoc loco Scaliger Æthiopas interpretatur. Neutrum benè, inquit V. C. If. Vossius. Omninò hic Virgilius secutus eorum opinionem, qui putarunt, Nilum iisdem, quibus Indus & Acesines concipi fontibus, ac deinceps per multas, vastasque fluere solitudines, donec Æthiopiam contingeret, atque illic demum *Nilum* vocari. Arrianus *lib.* 6. Καὶ ἀνεῦρεν ὅτι ὁ Ἀκεσίνης ἐμβάλλει ἐς τὸν Ἰνδὸν ποταμὸν, ὅτι ἐξέχεσθαι

εἶναι τοῦ Νείλου τὰς ἀρχάς, ὡς τὸν Νεῖλον ἐνθένδε ἐλθεῖν ἐξ Ἰνδῶν ἀνίσχοντα, καὶ δι' ἐρήμου πολλῆς γῆς ῥέοντα, καὶ ταύτῃ ἀπολέσαντα τὸν Ἰνδὸν τὸ ὄνομα. Pausanias ipsum Euphratem Nilum posteà fieri contendit; Scribit enim *in Corinthiacis*, Εὐφράτην ἐς ἕλος ἀφανιζόμενον, καὶ αὖθις ἀνιόντα ὑπὲρ Αἰθιοπίας, Νεῖλον γίγνεσθαι. Nempe totum Erythræum & Indicum mare lacum esse crediderunt veterum nonnulli, quæ mira fuit imperitia. Sive autem Euphratem, sive Indum accipias, unde profluit Nilus, jam rectè Virgilius dixerit eum viciniâ Persidis urgeri. Et hæc quidem est verissima interpretatio loci istius Maroniani. In hâc opinione etiam fuisse videntur plurimi Christianorum, inter quos Philostorgius *lib.* 3. *cap.* 10. cùm ait, Nilum in Arctois regionibus oriri, & iisdem ex partibus fluere, unde Hyphasis, Euphrates ac Tigris. Ita quoque sensit Lucanus, cùm de Nilo canit:

> *Teq; vident primi, quærunt tamen hi quoq; Seres.*

Ex horum quoque sententiâ loquitur Solinus *cap.* 3. cùm ait, Euphratis ac Nili fontes sub iisdem parallelis esse, & ad modulum ejusdem perpendiculi constitutos. Atque hactenus Nili originem quæsivimus, nec tamen adhuc invenimus. Paulus Jovius *Hist. sui temporis lib.* 18. eam ex relatione Petri Abyssini viri doctissimi sic describit: *Ab immensis* (inquit) *asperrimisq; rupibus, quæ* Lunæ montes *vocantur, frequenti, & copiosâ scaturigine, Nili fontes erumpunt, in loco vehementer abstruso, qui* Beth, id est, *desertum Abyssinâ linguâ dicitur.* Cum Jovio consentit Orosius, *de rebus gestis Immanuelis, lib.* 9. Scripsit quoque idem ante hos Philostratus, *lib.* 1. *Icon.* Νεῖλον μὲν Αἰγύπτιοι ἔχουσι τὰς ἐκβολάς, Αἰθίοπες δὲ τὰς πηγάς. Ab hâc relatione non dissentiunt recentiores Geographi, qui duos ingentes lacus intra Tropicum Capricorni, & Æquatorem describunt, unum ad ortum, qui minor, & *Zaflan*, aliis *Zahan* appellatur: alterum ad occasum & *Zembre* nominatur. Ex hisce lacubus duo validi effluunt fluvii, qui Æquatorem transcurrunt, & in Abyssinæ regione *Bagamidri* coëunt, Niliique nomen ex multorum sententiâ accipiunt. Etsi ex aliorum Geographorum opinione, ex solâ palude *Zembre* Nilus effluit, & nomen ipso statim effluxu, cis Æquatorem sortitur, quam & Wendelinus veriorem sententiam judicat, & Nili majestati accommodatiorem. Qui verò ab ipsis Lunæ montibus magis ad Austrum vergentibus Nili caput cum Ptolemæo arcessunt, non videntur contemnendi; sed dicendum tum fuerit, vel ab ipso Nilo paludem *Zembre* effici, loci forsan concavitate flumen excipiente, & in ingentem paludem diducente, vel paludem istam ex aliis fontibus ortam à Nilo pertransiri. Qui autem ex Mauritaniæ Cæsariensis monte Atlante Nilum oriri olim tradiderunt, secuti Jubam regem, uti testantur Plin. 5. 9. Solin. *cap.* 35. Am. Marcell. *lib.* 22. Vitruvius *lib.* 8. *cap.* 2. Xiphilinus *in Severo*, ubi ait, ἐκ τοῦ Ἄτλαντος τοῦ ὄρους σαφῶς ἀναδίδοται, non video, qui suam cum veritate sententiam possint conciliare. Mauritania enim Cæsariensis ad occid. à Lunæ montibus quàm remotissima est; nec ullus inde fluvius Æthiopiam attingit, nisi forte *Gir*, qui *Niger* Mercatori dicitur, & varia in progressu nomina sortitur, tandemque cum Nubiæ nomine in Nilum influit, & inde nonnullis visus Nilum parere, quos inter Solinus *cap.* 30 *Omnis hæc plaga*, inquit, *ab Æthiopiâ, & terminis Asiæ Nigri flumine, qui Nilum parit, ab Hispaniâ freto scinditur.* Vide Vossium *lib. de origine Nili*, & Athanasium Kircherum *in Oedip. Ægyptiac. tom.* 1. *cap.* 7. *pag.* 57.

III. Omnium unanimi consensu Nilus omnium fluviorum maximus est; idque inde licet æstimare, quòd perpetuam simul hyemem, & æstatem patiatur. In ortu enim cùm hyemem habeat, in exitu habet æstatem, unde quoque diem simul & noctem habet, quod nulli fluviorum contingit. Facilè hoc admittent ii, qui eam Nili longitudinem esse norint, ut à Lunæ montibus per Æquatorem, & Circulum Cancri in mare mediterraneum decurrat, quod intervallum est graduum circiter 35. Nonnulli tamen cursum ejus, si rectus esset, nullisque ambagibus inflexus, ad mill. Germanica 700. extendunt. Cùm verò plurimis quæsitis ambagibus, cogentibus ita montium obstaculis, multiplici flexu Æthiopiam pererret 900. vel 1000. mill. Germ. longitudinem ejus æstimant. Latitudo ejus non usque adeò magna est, quia maximam partem montium faucibus arctatur. Aristides, *in Orat. Ægyptiacâ*, ὅτι ἐν ... καὶ Ἐλεφαντίνῃ ὄρους, ἐκχέουσι καταλείπουσι τὸ ῥεῦμα τοῦ Νείλου, οὐκ ἤδη φαίης ἂν ἀπορρεῖν ἀπὸ τῆς πέτρας αὐτόν. ἔτι δ' ἂν καὶ πρὶν εἰς Ἐλεφαντίνην πλεῖν, αὐτὸ οὐκ οἶδ' ὁπόσον χρόνον ... ὑπὸ τὰ ὄρη, ὡς μέσον εἶναι μηδὲν, πλὴν τοῦ ῥεύματος αὐτοῦ, καὶ τοῦτο ... Αἰγύπτου, ὅπου καὶ ποταμοῦ. In aliquibus tamen Abassinorum provinciis, ex multorum amni intercursu dimid. mill. Germ. æquare dicitur. Diodorus verò Siculus minimam latitudinem stadiorum 10. assignat, *lib.* 1. ubi verò ad Meroen pervenit, latitudinem 22. stadiorum habet. Ad summam, *Omnium fluminum*, inquit Gellius *lib.* 10. *cap.* 7. *quæ in maria, quà imperium Romanum est, fluunt, quam Græci* τὴν ἔσω θάλασσαν (id est, internum mare) *appellant, maximum esse Nilum consentitur.* Unde κατ' ἐξοχὴν *magnus* Virgilio dicitur *Geor.* 3.

> *Atq; hic undantem bello magnumq; fluentem*
> *Nilum.* —— ——

Strabo *lib.* 15. quatuor flumina nominat ingentis magnitudinis, Gangem, Indum, Istrum, Nilum. Aristotel. *lib.* 2. *Meteor. cap.* 2. Ἴστρος καὶ ὁ Νεῖλος μέγιστοι τῶν ποταμῶν. Sen. *Nat. Quæst.* 4. 2. *Nilus cæteris major.*

IV. Illud autem quod in hoc fluvio maximè admirandum est, Incrementum ejus, quod superstitio veterum Serapidi adscriptum ibat, in cujus proin templo gradus incrementi notati, quod postmodum sub Christianis in illorum templa translatum, meritò putatur. *Incrementum Nili* (inquit Diod. Siculus) *adspicientibus videtur admirabile, incredibile audientibus.* *Nilus*, inquit Plinius, *certis diebus, auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terræ.* Idem tempus inundationis ex Herodoto ita describit: *Incipit crescere Lunâ novâ, quæcunq; post solstitium est, sensim, modiceq;, Cancrum Sole transeunte, abundissimè autem Leonem, & residit in Virgine, iisdem quibus accrevit modis. In totum autem revocatur inter ripas in Librâ, ut tradit Herodotus centesimo die.* Similia habet Ammianus Marcellinus *lib.* 22. Cùm *Sol*, inquit, *per Cancri sidus cœperit vehi augescens, adusq; transitum ejus in Libram, dies ut centum sublatius fluens, minuitur postea, & mitigatis fonderibus aquarum, navibus antea pervius equitabiles campos ostendit.* Strabo tamen *lib.* 17. tempus hoc nonnihil contrahit, Πλείους δ' ἢ τετταράκοντα ἡμέρας τοῦ θέρους διαμένειν τὸ ὕδωρ, ἔπειτ' ὑπόβασιν λαμβάνειν κατ' ὀλίγον, καθάπερ καὶ τὴν αὔξησιν ἴσχει, ἐν ἑξήκοντα δὲ ἡμέραις τελέως γυμνοῦται, καὶ ἀναψύχεται τὸ πεδίον. Hinc contra Christianos persecutionis occasio; *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christiani ad Leones acclamatur.* Tertullian. *in apolog.* Sed & poëtas de tempore Incrementi Nili canentes audiamus, Tibullus *libr.* 1. *eleg.* 7.

> *Qualis & arentes cùm findit Sirius agros*
> *Fertilis, æstivâ Nilus abundat aquâ.*

Lucanus *lib.* 10.

> —— *Consurgere in ipsis*
> *Jus tibi solstitiis, alienâ crescere brumâ*
> *Atque hyemes adferre tuas.*

Idem, —— *Nilus neq; suscitat undas*
> *Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem,*
> *Ante parem nocti Librâ sub judice Phœbum;*
> *Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:*
> *Nec tumet hybernus, cùm longè sole remoto*
> *Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo*
> *Temperiem cœlo, mediis æstatibus exit.*
> *Sub torrente plagâ, ne terras dissipet ignis,*
> *Nilus adest mundo, contraq; accensa Leonis*
> *Ora tumet. Cancroq; suam torrente Syenen*
> *Imploratus adest, nec campos liberat undis,*
> *Donec in autumnum Phœbus declinet, & umbras*
> *Extendat Meroë.* —— ——

Claudianus *Epigr. de Nilo:*

> *Cumq; die Titana Canis flagrantior armat*
> *Et rapit humores madidos, venasq; calore*
> *Compescit, radiisq; potentibus æstuat axis,*
> *Nilo bruma venit, contraria tempora mundo*
> *Defectis solitum referens cultoribus æquor,*
> *Effluit Ægæo stagnantior, acrior alto*
> *Jonio seseq; patentibus explicat arvis.*

Cæterùm de verâ itaque hujus incrementi causâ, variè inter doctos disputatur, ut videre est apud Herodotum *in Euterpe*. Diod. Sic. 1. 4. Aristidem *Orat. Ægypt.* Heliodorum *libb.* 9. & 10. Plin. 5. 9. Sen. *Nat. Quæst.* 4. Amm. Marcell. *libr.* 22. Lucret. *libr.* 6. Lucan. *lib.* 10. *&c.* Varias de hâc re veterum opiniones collegit doctissimus Wendelinus *in Admir. Nili*, quas hic in Lectoris studiosi gratiam recensere non gravabor.

Primò, Thales Incrementi causam retulit ad Etesias, multosque applausores invenit. Statuit autem, spirantibus Etesiis, Nili influentis cursum per ventos contrarios sisti, flumenque retroagi, & aquis ob hanc causam excrescentibus, & velut aggeratis, Ægypti, quæ plana, & humilis regio est, inundationem sequi. *Acto*, inquit Plinius, *per Etesias contra Nili ostia mari, undas fluminis repelli, & reverberatas in se recurrere.* Pulchrè quoque eandem sententiam exprimit Amm. Marcell. *lib.* 22. *Opinio celebratior est alia, quòd spirantibus Prodromis, perq; dies 45. Etesiarum continuis flatibus repellentibus ejus meatum, velocitate cohibitâ, superfusis fluctibus intumescit: & reluctante spiritu controverso adolescens in majus, hinc ut reverberante ventorum, inde urgente cursu venarum perennium, progrediens in sublime tegit omnia.* Idem quâ felicitate reddiderit Lucretius *lib.* 6 sequentes docent versiculi:

> *Nilus in æstate crescit, campisq; redundat*
> *Unicus in terris Ægypti totius amnis.*
> *Is rigat Ægyptum, medium persæpe calorem:*
> *Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra,*
> *Anni tempore eo quo Etesia flabra feruntur,*
> *Et contra fluvium flantes remorantur, & undas*
> *Cogentes rursus replent, coguntq; manere.*

Sed hanc sententiam Scaliger puerilem vocat.

Secundò, Anaxagoras quoque applausores invenit, qui ex Æthiopiæ jugis nives solutas, ad Nilum usque decurrere, indeque fluvium augeri statuit. Quâ in opinione, ut Seneca refert, omnis

vetustas fuit, & poëtæ imprimis, Æschylus, Sophocles, Euripides, qui *in Helenâ suâ* ita canit,

> *Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,*
> *Ὃς ἀντὶ δίας ψεκάδος Αἰγύπτου πέδον*
> *Λευκῆς τακείσης χιόνος, ὑγραίνει γύας.*

Inter recentiores quoque Cardanus hujus sententiæ patrocinium suscepit. Eam vero sic refutat Lucanus *lib.* 10.

> *Vana fides veterum, Nilo, quòd crescat in arva,*
> *Æthiopum prodesse nives. Non Arctos in illis*
> *Montibus, aut Boreas. Testis tibi Sole perusti*
> *Ipse color populi, calidiq; vaporibus Austri.*
> *Adde, quòd omne caput fluvii, quodcunq; soluta*
> *Præcipitat glacies, ingresso vere tumescit*
> *Prima tabe nivis: Nilus neq; suscitat undas*
> *Ante Canis radios nec ripis alligat amnem.*

Tertiò, Democritus Incrementum Nili non ad Australem, sed ad Septentrionalem nivem retulit. Sententiam verò, quæ consideratis locorum intervallis planè absurda videtur, ita explicat. In mundi parte Boreali maxima nivium copia brumæ tempore congelata, æstate liquefit, inde elevatis sursum vaporibus, multæque densæque nebulæ circa cacumina montana attolluntur; quæ ab Etesiis ad altissimos Æthiopum montes delatæ, in pluvias vertuntur: inde maximi in Æthiopiâ imbres, quibus augetur Nilus. Ammianus Marcellinus ita sententiam hanc eloquitur: *Affirmant aliqui Physicorum, in subjectis Septentrioni spatiis, cùm hyemes frigida cuncta constringunt, magnitudines nivium congelascere, easq; postea vi flagrantis sideris resolutas fluxis humoribus nubes efficere gravidas, quæ in Meridianam plagam, Etesiis flantibus, pulsæ, expressaq; tepore nimio, incrementa ubertim suggerere Nilo creduntur.* Hæc autem sententia stare non potest, quia Nilus incipit crescere solstitio æstivo, teste Diodoro, Etesiis nondum flantibus; cessat verò æquinoctio autumnali, longè ante sedatis hisce ventis.

Quartò, Herodotus, ut à Diodoro Siculo refertur, putat, Nilum naturâ suâ tantum esse, quantus incrementi tempore visitur: minui verò hyeme, quia ad Libyam tum Sol defertur, Nilique aquam ad se trahit, & quasi haurit: Contrà verò in æstate, cùm ad Arctum ascendat, & Libyam quodammodo deserat, aquas suas totas, & illibatas Nilus retinet, & ob naturalem aquæ copiam exundat. Nec hæc consistere potest sententia; Quò enim declivior fit Sol, eò minùs efficax, minoremque trahendi vim habet: Contrà cùm ad Arctum adscendit, & Ægypto verticalior fit, longè efficacius aquas haurit, secumque trahit. Ex hâc igitur sententiâ Nilus in hyeme potius quàm æstate crescere deberet.

Quintò, Ephorus ajebat, omnem Ægypti terram, Nili inundatione aggeratam, raram aridamque naturâ esse, in quâ maximi hiatus existant pluribus in locis: hyeme igitur omnem humiditatem illos attrahere, & in se continere, quam æstate, veluti sudorem quendam, emittunt; unde fluminis incrementum. Paulò aliter sententiam hanc refert Lucanus,

> —— *Sunt qui spiramina terris*
> *Esse putent, magnosq; cavæ compagis hiatus.*
> *Commeat huc penitus tacitis discursibus unda*
> *Frigore ab Arctoo medium revocata sub axem,*
> *Cùm Phœbus pressit Meroën, tellusq; perusta*
> *Illuc duxit aquas: trahitur Gangesq; Padusq;*
> *Per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus*
> *Uno fonte vomens, non uno gurgite perfert.*

Sententia hæc Ephori à vero quàm longissimè abest, quia idem Nili Incrementum deprehenditur, priusquam Ægyptum attingit, amplius 6000. stad. ab Ægypto in Æthiopia.

Sextò, quorundam in Memphi Philosophorum opinio fuit, Nilum oriri in Zonâ Ægypto oppositâ; ita quidem, ut cùm in Ægypto æstas est, in Zonâ illâ sit hyems; unde ingentem aquarum copiam Nilus hauriat, & in Ægyptum secum devehat: Non potuisse verò oppositam illam Zonam hactenus explorari, propterea quòd inter illam & nostram interjaceat inhabitabilis, & inaccessa Zona Solis ardore adusta. Idem Galenus refert *in libello de Histor. Philosophicâ: Eudoxus*, inquit, *ab Ægyptiis sacerdotibus se accepisse memorat, permutationem æstatis in hyemem causam esse, ut Nilus quotannis exundet. Nam quando nobis, qui sub Cancro degimus, æstas ingruit, habitantibus sub Capricorno hyems adest, quo fit, ut inde advectus Nilus continuis pluviis auctus increscat, & ruptis alveis latissimè spatietur.* Eandem in sententiam interpretari possis Theodoret. *Serm.* 4. *Θεραπευτικῆς τῶν Ἑλληνικῶν παθημάτων*, ubi Niloticæ exundationis causam assignat Solis ad circulum Borealem accessum, & à locis Australibus discessum, qui cæteris quidem ad Septentrionem fluviis incubat radiis ardentioribus, à Nilo verò magnis abscedit spatiis. Horum in Philosophorum sententiâ nihil absurdi deprehendit Wendelinus.

Septimò, Oenopides Chius, cùm videret aquas nonnullas fontanas æstate frigidas, hyeme verò calidas esse, Nilum hyeme parvum, compressumq; ajebat esse, quòd calor internus humorem consumeret, & pluviæ nullæ essent, quæ absumptum humorem restituerent; æstate verò effusum ob caloris interni absentiam. Hoc si verum esset, omnibus fluminibus idem eveniret quod Nilo; similes enim ubiq; ferè sunt causæ; at contrarium testatur experientia.

Octavò, Timæus Mathematicus apud Plinium, existimat Nilum ardoris vi extrahi, & suspensum abundare, à Canis ortu, per introitum Solis in Leonem, stante sidere contra perpendiculum fontis Nili, quem *Phialam* appellant. Similem ferè sententiam refert Lucanus ubi supra:

> *Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes,*
> *Exundante procul violentum erumpere Nilum,*
> *Æquoreosq; sales longo mitescere tractu:*
> *Nec non Oceano pasci Phœbumq; Polumq;*
> *Credimus. Hunc, calidi tetigit cùm brachia Cancri,*
> *Sol rapit, atq; undæ plus quàm quod digerat aer*
> *Tollitur: hoc noctes referunt, Niloq; refundunt.*

Parum probabilitatis hæc habet opinio; nam præterquam, quòd Sol verticalis aquas non augeat, sed minuat potiùs, partibus aliquibus exhaustis, & in vapores resolutis; idem in aliis omnibus fluminibus contingeret, quæ eodem modo Sol aspicit, cujus contrarium verum est.

Nonò, alii ad Oceanum retulerunt Nili incrementum: putarunt enim Nilum ex Oceano fluere, & inde tantam aquarum copiam Ægypto inducere. Hanc rudem opinionem appellat Herodotus, quam refutatione indignam judicat. Negari quidem non potest, Nili ortum, ut fluminum aliorum omnium, Oceano deberi, quod & Hesiodus quoque innuit *in Theog.*

> *Τηθὺς δ' Ὠκεανῷ ποταμοὺς τίκε δινήεντας*
> *Νεῖλόν τ' Ἀλφειόν τε.* ——

Ubi *Thetys*, hoc est, Terra, fluminum mater; *Oceanus* pater statuitur: quia è terrâ quasi utero flumina & fontes scaturiunt; terra autem ex Oceano aquas concipit. Qui verò stati istius incrementi Nilotici causa ad Oceanum referri possit, nemo facilè demonstraverit. Et cur idem in aliis quoque fluminibus, quæ ex Oceano derivantur, non contingeret? Interim tamen Herodoti responsio non placet: negat enim Oceanum esse, qui terram circumfluat, contra temporum nostrorum certissima experimenta.

Decimò, Achoreus apud Lucanum *lib.* 10. sententiam suam his verbis exprimit:

> *Ast ego, si tantam fas est mihi solvere litem,*
> *Quasdam, Cæsar, aquas post mundi sera peracti*
> *Secula, concussis terrarum erumpere venis,*
> *Non id agente Deo, quasdam compage sub ipsâ*
> *Cum mundo cœpisse reor, quas ille Creator*
> *Atq; Opifex rerum certo sub jure coërcet.*

Nullam hic video Nilotici incrementi causam, nisi universalem, quæ Deus est, qui eam Nili naturam esse voluit, ut singulis annis exundaret. In quam sententiam etiam Aristides concedit; qui se non videre profitetur, cuinam causæ Nili incrementum attribuat πλὴν ἐν τῇ μεγάλῃ σοφίᾳ καὶ προνοίᾳ τοῦ Θεοῦ. Atqui cùm Deus plerumque causarum secundarum utatur ministerio, illibata de causis secundis adhuc incrementi Nilotici manet quæstio.

Ultimò, itaque Agatharchides Cnidius asserit, singulis annis, per Æthiopiæ montes continuos à solstitio æstivo, usque ad æquinoctium autumnale, imbres cadere: mirum igitur non esse, Nilum hyeme compressum, secundùm naturam, iis aquis fluere, quas fontes & alia flumina influentia subministrant, æstate verò propter imbres incrementum capere. Laudat hanc sententiam Diod. Sic. eamque sequitur Arrianus *in Indicis, sive historia de Alex. lib. ultimo.* Assentitur quoque Strabo *lib* 17. itemque Theophylactus Simocatus Ægyptius *lib* 7. *Historiarum*; cui & nos etiam impræsentiarum subscribimus, & V. loco ad aquæ Niloticæ affectiones, sive qualitates festinamus. Quarum Prima est Dulcedo, eaque apud scriptores celebris est. Hinc Sen. *lib* 4. *Nat. Qu. cap.* 2. *Nulli fluminum dulcior gustus est.* Et vino ob suavitatem dicitur *æquiparatâ à Pescennio Nigro Imper. qui* (*auctore Spartiano*) *militibus Ægyptiacarum stationum petentibus vinum respondit, Nilum habetis, & vinum petitis? Quærit Aristides, aquæ Niloticæ dulcedinem quantam esse credis? Respondet, Quantum nunquam dixeris.* Bibenti (inquit Achilles Tatius) ὕδωρ γλυκὺ ἦν καὶ ψυχρόν, Heliodorus, Πιεῖν ἐστι γλυκύτατος. De causâ dulcedinis quæritur. Scaliger *Exerc.* 48. causam suavitatis refert vel ad fluminis naturam, vel ad Solis operam, vel ad cursûs longinquitatem. Duas posteriores causas attingit quoque Scholiastes Apollonii *in lib.* 4. ex sententiâ Democriti, qui ajebat, Ἀπογλυκαίνεσθαι τὸ ὕδωρ, διὰ τὸ διηθεῖσθαι καὶ τὸ μῆκος τοῦ πόρου, καὶ ὑπὸ τοῦ καύματος ἀφεψεῖσθαι. Contradicit tamen Diodorus Sic. *Dulcedinis fluvii*, inquit, *causa, quam afferunt, ratione penitus caret. Si enim caloris æstu decoctus fluvius dulcedinem sortiretur, nequaquam gigneret animantia, neque varias piscium, aut ferarum species contineret. Aqua enim omnis à naturâ immutata nequaquam generat.* Respondetur. Aquam ab ignis naturâ elaboratam, & à crudiore ter estri liberatam, nullam habere vim generandi, nos falsum esse arbitramur. Testatur enim experientia, pluvias calidiores longe fœcundiores esse, quàm frigidas, quæ etiam noxiæ multis humi nascentibus sunt. Longè quoque salubriores esse aquas Soli expositas, quàm ab eo absconditas, apud omnes in confesso est. Secunda Nili qualitas est, à quâ ἄπνοος, hoc est, *aura expers* dicitur. Quâ de re Plin *lib.* 5. *cap.* 9. *Idem amnis* (de Nilo loquitur) *unus omnium nullas expirat auras.*

lum. Quod ex Euterpe Herodoti descripsit, cujus verba, Αὔρας ἀποπνεούσας μοῦνος πάντων ποταμῶν οὐ παρέχεται. Cujus affectionis causam hanc adfert idem Herodotus; Quòd Nilus ex calido loco in calidum fluat, adeoque & ipse totus fit calidus; auras verò è frigidis exhalare. Cui contradicit Aristoteles *Problem. Sect.* 23. *Probl.* 16. ubi auram è calidis & frigidis aquis exhalare docet: quod cùm rationi, tum experientiæ consentaneum est: Rationi quidem; quia nulla aqua aurum exhalat, nisi priùs aliquo modo calore sit alterata: quo diutiùs verò aquæ calor incumbit, eò plures extrahit vapores, nisi alia obstet causa: Experientiæ verò, quia calidas aquas & fontes maxime fumare experimur. Scaliger eandem refert in aquæ Niloticæ tenuitatem: quam ingeniosissimè hoc modo explicat, *Longo cursu exercitus attenuatur humor, ita ut ne sublatus quidem in aërem possit corpus capere. Ita aër auram acceptam sibi similem diffundi in seipsum patitur, neq; cogit, ut consistat: ut non tam resolvat, quàm nullius indigam resolutionis secum habeat.* Hæc ille. Itaque si rem accuratè ponderemus, Nilus non tam reverà erit ἄναυρος, quàm esse videbitur; exhalat enim auram, sed adeò subtilem, ut ejus in aëre vestigia nulla appareant, quia aëri simillima est: unde nec in pluviam illo loco densatur. Lælius Bisciola *tom.* 2. *Horar. subsec. lib.* 1. *cap.* 19. cum Brodæo *lib.* 3. *Misc. cap.* 30. existimat, ἀναύρους dici Nilum, & alia flumina, non, quòd nullam prorsus exhalent auram, sed quòd perexiguam & tenuem reddant; quam in sententiam trahit particulam privativam, quæ sæpe non universam rem tollit, sed imminuit tantùm. Tertia Niloticæ aquæ affectio Salubritas est, quam insigniter commendant veteres Medici & Philosophi. Platoni, *in Timæo*, videtur hoc nomine Σωτὴρ appellari. Galeni judicium hujusmodi est, *Nilum ita laudo, ut bonitatis excellentiâ paucis admodum fluminibus comparari possit, nam & mulierum partionem insigniter adjuvat.* Ætius omnes fluviatiles & palustres aquas damnat, exceptâ solâ Niloticâ, quæ, judicio ipsius, πάσαις ταῖς ἀρεταῖς κεκόσμηται, *omnibus virtutibus insignis est.* Videntur autem aquæ Niloticæ salubritatem à pluviis habere, quibus incrementa sua debet Nilus. Sunt enim aquæ pluviæ salubriores reliquis, ut nôrunt naturalium rerum periti. Videatur Vitruvius 8. 2. & Columella 1. 5. Omnibus verò hisce contradicere videtur Hirtius *in Bello Alexandr.* ubi ait, *Nili aquam limosam & turbidam, multos variosq; morbos efficere.* At verò Nili salubritas non à limosâ & impurâ, sed à limo omni probè purgatâ aquâ commendatur. Ultima & præcipua Nili aquæ qualitas est fœcunditas. Eam fusè prosequitur Wendelinus in *Admirandis Nili*; nos paucula ex variis authoribus olim decerpta hic subjungemus. Virgil. *Georg.* 4. de Nilo,

Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ.

Idem *Æn.* 9.

—— *Aut pingui flumine Nilus.*

Inde à Plinio *Paneg. Trajani* dicitur, *fœcunditatis parens.* Ibidem *de Ægypto: alendis, augendisq; seminibus ita est gloriata, ut nihil imbribus, cæloq; deberetur: siquidem proprio amne semper perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipse devexerat, tantis segetibus induebatur, ut cum feracissimis terris, quasi nunquam cessura, certaret.* Mitto multa, quæ peti ab eodem Plinio possunt. Hujus verò avunculus *cap.* 9. *lib.* 5. *Per totam spatiatus Ægyptum fœcundus innatat terra.* Dionysius,

Ἔνθεν πιοτάτοιο κατέρχεται ὕδατα Νείλου.

Idem *de eodem:*

Ὕδασι πιαίνει λιπαρὸν πέδον Αἰγύπτοιο.

Theophilus Simocatt. *lib.* 7. *Hist. cap.* 17. Πολυγονώτατον αὐτὸν ὑπὲρ ἅπαντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ποταμοὺς πεφυκέναι φασί. Ammianus *lib.* 22. dat illi *pinguem cespitem*; vocatque *benevolum omnium flumen.* Hinc *fœcunda clementia Nili* apud Statium *Theb.* 3. & *divitis Nili*, apud Juvenal. *Sat.* 13. Maximo Tyrio Νεῖλος γόνιμος dicitur; & ῥεῦμα γόνιμον, Plutarcho, *Orat.* 1. *de esu carnium.* Nazianzenus *Orat.* 21. vocat εὔσταχυν, ut Nonn. *lib.* 31. σταχυώδεα Νεῖλον & Oppian. 2. *Cyneget.* ὕδασιν ἀγλαοκάρποις Νείλου πυροφόροιο.

Stat. 3. *Sylv.*

Unde paludosi fœcunda licentia Nili.

Tibullus *lib.* 1.

Fertilis æstivâ Nilus abundat aquâ.

Hactenus de Nili qualitatibus. VI. de exitu ejus & ostiis agendum est. Exit autem in mare Mediterraneum; Ostia autem, per quæ exoneratur, apud authores classicos & veteres decantatissima septem sunt. Moschus,

—— Ἑπτάπορον παρὰ Νεῖλον.

Unde ἑπτάπορος Nonno *in Dionysiacis* dicitur. Dionysius Perieg.

Ἑπτὰ διὰ στομάτων εἰλυμένος εἰς ἅλα πίπτει.

Catullus *ad Furium & Aurelium:*

Sive quà septem geminus colorat
—— *Æquora Nilus.*

Virg. *Æn.* 8.

Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.

Ab Ovid. 1. & 5. *Metam. septemfluus, & septemplex* dicitur. A *Silio lib.* 1. Claudiano *in Ruffinum*, & Lucano *lib.* 8. *septeno gurgite.* A *Valer. Flacco lib.* 8.

—— *Septem projectus in amnes.*

Septem cornua dat ei Claudian. *in Nupt. Honorii & Mariæ. Septem portas* Ovidius *in Epp. Septem fauces* Manilius *Astronom. lib.* 3. Bellissimè & satis nove Papinius *lib.* 8. *hyemes* nominat, cùm ait:

—— *Septemq; patentibus arvis*
In mare fert hyemes. ——

Hactenus Poetæ. Sed audiamus Veritatem ipsam Esaiæ *cap.* 11. *vers.* 15. והכהו לשבעה נחלים *Et percutiet eum in septem rivis.* Idem habet Chaldæus Paraphrastes. Et LXX. Interpp. Καὶ πατάξει ἑπτὰ φάραγγας, *Et percutiet septem valles.* Quanquam minus Hebræo נחל Græca respondet φάραγξ. Nomina ostiorum ab urbibus indita sunt. 1. *Canopicum* (quod nonnullis *Heracleoticum* quoque dicitur, testibus Ptol. & Strabone) 2. *Bolbiticum.* 3. *Sebennyticum* (cujus vina laudat Plinius *lib.* 17.) 4. *Pharmiticum* (Herodoto *Bucolicum*, autore Sabellico *Ænead* 1. *lib.* 3.) 5. *Mendesium.* 6. *Taniticum* (Herodoto *Saiticum*,) 7. *Pelusiacum.* Discrepant autem autores nonnihil in nominibus & ordine, ut videre est apud Ptolemæum, Herodotum, Plinium, Melam, Ammianum, Ortelium. Numerum quod attinet, fatentur aliqui plura esse. Et Plinius quidem *lib* 5. *cap.* 10. undecim reperiri, superque quatuor. Septem tamen, quæ recitavimus, celeberrima esse, omnes veteres affirmant. Unde Eustath. *in Dionysium*, Ὁ γεωγράφος λέγει, δίχα τῶν ἑπτὰ τούτων στομάτων καὶ ἄλλα εἶναι ἄσημα, ψευδοστόματα. Fauces hæ Nili ingentes, ut & littus omne circa Alexandriam civium cruore rubuit, an. 217. quòd A. Bassianum Caracallam Imperat. Oedipum, matrem verò ejus Juliam Jocastam, aculeato joco dixissent. Tum enim Imperator, quasi Legionem lecturus, juventutem extra mœnia evocavit, mox militi signo cædis dato, facta strages tanta, ut rivi cruoris per planitiem decurrentibus omnia feralem hunc colorem induerent. Spart. *in vita ejus.*

Coluerunt VII. hunc principem fluviorum Ægyptii divinis honoribus, usque ad Constantinum M. qui idololatriâ ubique inhibitâ, statuisque Deorum eversis, etiam Ægyptios Nilo, veluti Deo, sacrificia offerre vetuit: qui eùm copiosius tum se effunderet, quàm antea, superstitiosi infausta sibi ominati sunt. Imperator verò docuit, soli omnis boni datori Deo causam omnium bonorum adscribendam esse, An. C. 341. Euseb. *lib.* 4. *cap.* 25. Cujus exemplum Theodosius M. sequutus, sacrificia Ethnicorum dæmonumque cultum cùm alibi, tum in Ægypto, sub pœna capitis ac publicationis bonorum inhibuit, *præstat*, inquiens, *ergà Deum manere fidelem, quàm fluenta Nili.* Qui iterum, eùm post interdictum, solito quidem tardius in arva ascendisset, attamen largissimè effusus, ipsi Pagani Deos suos riserunt, dicentes, Nilum suum præ senio ac delirio mingendo emisisse omne id, quod in se humoris habuisset. Quâ occasione Theophilus Episcop. Alex. Timothei successor, veniâ ab Imperatore impetratâ, simulacra Deorum confregit, & in templo Serapidis noctu *Hallelujah* auditum est. Vide Sozomen. *lib.* 7. *cap.* 20. Theodoret. *lib.* 5. *cap.* 22. Rufin. *lib.* 2. *cap.* 25. Vide plura apud Wendelinum *ubi supra*, La Chambre, de incremento Nili, Thevenotum, Vinc. Blaneum, P. de Valle, *Itiner.* Baudrando Nilus, oritur ex duobus fontibus in terra Sacahala, ubi popul. *Agaus*, inter montes excelsos. Dein auctus amne *Gema*, & fluv. *Kelti* & *Branti*, labitur per Austral. partem lacus Dambeæ: quo relicto, devolvitur per cataractam maj. atque sic illa, quam efficit, antequam lacum ingreditur, recipit fluv. Gamalam, & Abeam, in regno Gojami, fluv. Baxiam, in regno Bagamidri, & fluv. Ruecam in regnis Amaharæ & Oleca; postea rigatis Xaoâ super. & infer. Gafate, Bizano, & Gonga prov. infra *Fasculon* prov. recipit *Maleg* fluv. & per Nubiam, assumptis in itinere aliis quoque amnibus, vergit in Sept. versus Bugihos & Baloos pop. ubi recipit *Tacaze* fluv. amplum, juxta oppidul. *Jalac.* dein versus Ægyptum tendit, teste Isac. Vossio, de Nili origine. Nullas auras expirat, gignitque harundines, quarum membranulæ papyro similes. Hic juncus nascitur, unde papyrus fit, Plin. *lib.* 13. *Nilea fluenta*, apud Zetzem, & *Nili cataracta*, Prov. apud Suidam. Verùm de *Nilo* satis.

Nilus, etiam urbs Ægypti, Steph. An eadem eum Nicopoli, de qua supra? Cujus Episcopus Chæremon, in cœlum raptus sub Decio, dicitur. Lætus.

Nimrod, Νεβρώδης Josepho, qui sic de eo *Ant. lib.* 1. *cap.* 5. Ἐξῆγε δὲ αὐτοὺς εἰς ὕβριν τοῦ Θεοῦ καὶ καταφρόνησιν ὁ Νεβρώδης, υἱωνὸς μὲν ὢν Χάμου τοῦ Νώχου, τολμηρὸς δὲ καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος, ἔπειθε αὐτοὺς μὴ τῷ Θεῷ ἀνατιθέναι τὸ δι' ἐκεῖνον εὐδαιμονεῖν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν ταῦτα παρέχειν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι. Et postea, Ἀμυνεῖσθαί τε τὸν Θεὸν πάλιν ἠπείλει τὴν γῆν ἐπικλύσαι θέλοντα. Πύργον οἰκοδομήσειν ὑψηλότερον ἢ τὸ ὕδωρ ἀναβῆναι, μετελθεῖν δὲ καὶ τῆς τῶν προγόνων ἀπωλείας. Idem eum Belo, quæ vox Dominum notat, videtur. Regnavit an. 65. Euseb. Vide Genes. 10. Chrysost. *hom.* 29. *in Gen.* Hieron. *in Trad. Hebr. in Gen.* Epiphan. *in Panario* Augustin. *de C. D. lib.* 16. & 18. Chron. Alex. Moretius *in Dict. Hist. &c.* Vide *Nembroth*, & Boch. insuper *Geograph. Sacr. lib.* 4. *cap.* 12.

Ninæa, urbs Oenotrorum mediterranea, Steph. Hodie *S. Donato*, teste Barrio, in Calabria citeriore.

Nineve, urbs Assyriorum, quæ & *Ninos* dicitur, quam ædificavit Assur, egrediens de terrâ Sennaar; à *Nino* rege sic dicta, teste B. Augustino. Est autem juxta Tigridis amnis partem, Ptol. Jonæ Prophetæ prædicationem audivit, & pœnitentiam egit. Magnifica, popu-

populosa, amplissima, Diodor. *lib.* 3. Postmodum excidium ipsi à Nahumo Proph. prædictum, destructa ab Arbace Belesoque, sub Sardanapalo, dein à Merodacho & Nabuchodonosore. Vide *Ninos.* Suidas à Semiramide mœnibus cinctam, & mutato nomine, *Babyloniam* vocatam fuisse ait. Eusebius in Chronico, *Nisibin* suo tempore dictam scribit. Hodie quibusdam *Mosol*, vel *Mosul* videtur. Sed qui haud pridem illis è locis redierunt, affirmant, Mosol non in Assyria, sed in Mesopotamia, ad latus Occ. fl. Tigris esse. Hinc & Sulaka, à Nestorianis Romam missus, an. 1553. *Mosol*, dixit, *sita est, ad ripam fluv. Tigris, à qua ex altera parte ripa abest Nineve, bis mille passibus*, Gen. 10. Nahum. 1. Joseph. *lib.* 1. *cap.* 10. *&c. Antiq.* Justin. Strab. Salian. &c. Est & alia civitas Judæorum, in angulo Arabiæ. Populi Ninivitæ.

Ningium, vel *Mingium*, utroque enim modo legitur apud Ausonium, inquit Simlerus, qui *Mugium* interpretatur Istriæ urbem.

Ningqua, urbs regni Sinarum, in Nanchinensi prov. intra colles, prope Vonum fluv. Martinio.

Ninive, urbecula Comit. Alostani in Flandria, vix 2. leuc. ab Alostano in Merid. media inter Bruxellas ad Ort. & Aldenardam ad Occid. *Ninove.*

Ninoë, Cariæ urbs, aliàs Aphrodisias, quam Leleges Pelasgi condiderunt, unde *Lelegum* urbs dicta est, deinde *Megalopolis*, postea à *Nino Ninoë*, Stephan.

Ninos, urbs Assyriorum, quam condidit Ninus, Semiramidis maritus, in Assyriâ, Steph. Lucan. *lib.* 3.

Et felix, sic fama Ninos. ——

Πάλαι ποτὲ μεγάλη, καὶ εὐδαίμων teste Arriano. Lucianus *in Charonte*: Ἡ Νῖνος μὲν, ὦ πορθμεῦ, ἀπόλωλεν ἤδη καὶ οὐδὲ ἴχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς. Qui cùm fuerit Samosatenus, Euphratis accola, fidem in rebus Assyriæ mereri videtur, & mirum foret, eum ignorasse locum, ubi sita olim Ninos, vel Nineve, si aliquod ejus vestigium remansisset. At, quid faciemus Tacito, qui *lib.* 12. *Annal. de expedit. Meherdatis* sic ait: *sed capta in transitu urbs Ninos vetustissima sedes Assyriæ.* Sed & Straboni, qui ante Tacitum vivebat, qui *lib.* 16. ait: Ἡ μὲν οὖν Νῖνος πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν. Ergo contra Strabonem Amasenum, & Lucianum Samosatenum Orientales viros & doctos non videtur Tacitus audiendus. Deceptus certè fuit is Romanus quâdam nominis similitudine & eam Ninum oppidulum forte vel castellum, captum sine obsidione in transitu, malè accepit pro antiquissimâ & populosissimâ illâ urbe, quæ fuit suo tempore totius orbis maxima, & usque ad miraculum celebrata: aliter non possemus absolvere Strabonem nec Lucianum mendacii. At fidem merentur. Sed milites, qui in expeditione cum Meherdate fuerunt, captâ, ut dixi, aliquâ urbeculâ, cujus nomen accedebat ad sonum nominis antiquæ illius Ninives, putaverunt, vel gloriabundi finxerunt, se antiquam Ninon, sedem Assyriæ regum, cepisse. Sic Alexandri milites jactabant, se Tanaim usque pervenisse, cùm ab eo fluv. abessent plus quàm mille milliaria. Sic & hoc tempore multi Hierosolymitani equites & alii nautæ ac negotiatores, qui in partibus Hellesponti vel bellum gesserunt, vel negotiati sunt, asserunt, se vidisse antiquæ Trojæ ruinas, nec aliquis unquam eis aliter persuadere potuit. At Troadis (de qua B. Paulus *epist.* 2. *ad Timotheum cap.* 4.) ruinas viderant, non Trojæ, cujus jam tempore Strabonis nulla extabant vestigia, ut ipse testatur, *lib.* 13. Plura ad id argumentum adducere possem, & illustrem in literis virum castigare, qui eo quòd Amm. Marcellinus *Ninos* nominavit, non dubitavit in eximio opere, *notis scil. ad Eusebium* scribere: *Nineve autem adhuc integra stabat avo Ammiani Marcellini.* Palmerius. Sed & Baudrando nunc *Mosul*, in regione *Diarbech*, supra Bagdatum in Bor. 100. m. p. Urbs etiamnum satis ampla creditur, sub Turcis. Vide *Nineve.*

Ninus, seu *Assur*, filius Beli, primus Assyriorum rex; A. M. 1944. nam Belus solam habuit Babylonem, Ninus verò totam Assyriam. Primus omnium regum fuit τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ φήμην παραδεδομένων, id est, *qui scriptores rerum suarum nacti sunt*, inquit Diodor. Sic. *Regn. an.* 52. Idololatriam in orbem invexit, ad statuam enim patris qui confugiebant, omni crimine absolvebantur: Hujus exemplo adducti multi statuas in memoriam patrum erexere. Inde idololatria initium cepit: inde nomina hæc *Bel, Baal, Belphegor, & Belzebub.* Videto *Hieronym. fol.* 6. super Hoseam *cap.* 2. Chaldæis *Hercules*; Assyriis *Jupiter* dictus. Non alius forsan à Babylone, Beli filio. *Nini* enim vox *filium* signif. id autem Hebræis נין *nin*, uti Ægyptiis *Non*; unde *Nonni*, & *Nonna* vocabula, quibus qui præerat *Abbas*, hoc est, *pater* dicebatur. Condidit, vel secundùm alios, auxit Nineven, Zoroastre Bactrianorum Rege victo, Semiramidem matrimonio sibi junxit; totaque ferme Asiâ sub jugum redactâ suum, obiit A. M. 1996. Imper. 52. Genes. *cap.* 10. Herodot. *lib.* 1. Diodor. Sic. *lib.* 3. Euseb. *in Chron.* Genebr. *lib.* 1. *Chron.* Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.* Scalig. Petavius, Langius, Calvisius, &c. Colophonius Phœnix, vetus poeta vitam Nini sic descripsit,

Νῖνος τις ἐγένετ' ὡς ἐγὼ κλύω,
Ἀσσύριος, &c.
Ninus vir quidam fuit, ut audio,
Assyrius, qui auri mare possidebat,
Et alia copiosius, quàm arena est Caspia.
Astra nunquam vidit, nec forsitan id optavit;
Ignem apud Magos sacrum non excitavit,
Ut lege statutum est, Deum nec virgis attigit.
Sacrificiis Deos non est veneratus, jura non reddidit.
Sub ectos sibi populos affari non didicit, ac ne numerare quidem:
Verùm ad edendum & bibendum strenuissimus,
Vinumq; miscens, cætera in saxa amandabat.
Vir ille, ut mortuus est, hoc de se testimonium reliquit omnibus:
Sepulcrum hoc conspicatus, nunc ubi Ninus sit,
Audi, sive Assyrius, sive Medus,
Sive Coraxus, sive à supernis paludibus
Indus capillatus: frivola non denuntio.
Quondam ego Ninus fui, spiritumq; vitalem hausi,
Nunc verò aliud nihil, quàm terra factus sum:
Quicquid comedi, habeo, quicquid volupe mihi fuit:
Et quicquid pulchrarum fœminarum in amore lascivii:
Opes, quibus eram beatus, inimici coëuntes
Auferent, hœdum ut crudum qua bacchantur Thyades:
Ad inferos cùm descendi, nec aurum, nec equum,
Nec argenteum currum egi.
Cinis jam multus, qui olim mitram gestavi.

Ninyas, Asiæ Rex, ex Nino & Semiramide genitus, domi præ voluptate semper latitabat, nulli præterquam suis uxoribus se conspiciendum exhibens, Athen. *lib.* 1. Vide *Zameu.*

Niobe, filia Phoronei, mater Argi & Pelasgi. Item filia Tantali, soror Pelopis, uxor autem Amphionis, regis Thebanorum, quæ cùm viro suo sex filios, totidemque filias peperisset, animo elata, Latonæ sese præferre non dubitavit. Quamobrem indignata Dea, Apollinis & Dianæ sagittis liberos ejus ad unum omnes interficiendos curavit, Niobenque ipsam sibi convitiantem turbine venti in Asiam rapuit, & juxta Sipylum urb. (quæ illi patria erat) in saxum transformavit: Cui fabulæ occasionem dedisse, traditionem priscam de Lothi uxore, quæ in saxum induruit, ut in Sacris legitur, probabile censet, Alex. Rossæus, *in Mystagogo Poëtico.* Alia fuit quoque Phoronei filia, ex quâ Jupiter Apim, qui postea Osiris & Serapis dictus est, genuit. Cæterum Mythologis per saxum, in quod Niobe mutata est, intelligitur immodicus dolor, qui tandem in stuporem ac dedolentiam convertitur, fecitque, ut Niobe diriguerit, & veluti lapis immota steterit, Cic. 3. *Tusc. Niobe fingitur lapidea, propter æternum, credo, in luctu silentium.* Vel per saxum intelligere possis lapideam statuam, quam orba liberis sibi erexit in monumentum, ut refert Palæphatus in his, Νιόβη, ἀποθανόντων τῶν ἰδίων παίδων, ποιήσασα ἑαυτῇ εἰκόνα λιθίνην, ἔστησεν ἐπὶ τῷ τύμβῳ τῶν παίδων. Subdit, Καὶ ἡμεῖς ἐθεασάμεθα αὐτὴν οἷα καὶ λέγεται, Stat. 5. *Sylv.*

—— *Citius genetrix Sipyleia fertur*
Exhausisse genas. ——

De numero liberorum Niobes non consentiunt auctores, Homerus *Iliad. ult.* 12. prodidit, ut videre est in his:

Καὶ γάρ τ' ἠΰκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου,
Τῇ περ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο,
Ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες,
Τοὺς μὲν Ἀπόλλων πέφνεν ἀπ' ἀργυρέοιο βιοῖο,
Χωόμενος Νιόβῃ, τὰς δ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα,
Οὕνεκ' ἄρα Λητοῖ ἰσάσκετο καλλιπαρῄῳ.

Quem sequitur Propertius *lib.* 2. *eleg.* 16.

Nec tantùm Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrymans defluit à Sipylo.

Itemque Statius *Theb.* 6.

—— *Geminis Niobe consumpta pharetris,*
Squalida bissenas Sipylon deduxerat umbras.

Hyginus *fab.* 2. & Apollodorus *lib.* 3. 7. mares & 7. filias nominant; quibus concinunt Ovidius, Seneca, & Ausonius. Hic *libr.* 6. *Metam.*

—— *Huic natas adjice septem*
Et totidem juvenes. ——

Ille *in Medeâ vers.* 954.

Utinam superba turba Tantalidos meo
Exisset utero, bisq; septenos parens
Natos tulissem. ——

Tertius *Epigr.* 17.

Bis septem natis genetrix læta, atq; superba
Tot duxi mater funera, quot genui.

Hesiodus 10. mares & 10. fœminas facit, ut ait idem Apollodorus. Herodotus 2. mares, & 3. fœminas. Addit Apollodorus, Amphiona è maribus & è fœminis Chlorin servatos; & Telesillam Poëtriam duas filias incolumes scripsisse, Amyclam & Melibœam. Vide Ælian. *lib.* 12. Ποικίλης ἱστορίας, *cap.* 36. & Gell. *lib.* 20. *cap.* 7. Hinc *Niobæus* adject. Horat. *Car.* 4. *Od.* 6.

Dive, quem proles Niobæa magna
Vindicem linguæ, Tityosq; raptor
Sensit ultorem.

Item *Niobe*, Laconicæ fons, Plinius.

Niomagus, seu *Neomagus*, quod V. quibusd. est *Buckingam*, opp. Angliæ,

Angliæ, ab Oxonio 10. mill. in Ort. Bedfordiam versus; aliis est *Verdcote*, prope Londinum.

Niortium, urbs Pictaviensis prov. ad Separam fluv. media inter Fanum S. Maxentii ad Ort. & Malleacum ad Occ. 4. leuc. distans, uti 14. à Pictavio in Occ. Rupellam versus. Nundinis toto regno famosa est. Capta fuit à Francisco Andelotio, Gasparis Colinii fratre, junctis huic copiis, An. 1568. Obsessa postmodum à regiis, sed à Lanovio tum liberata; tandem, Mojo præfecto per sicarium lethaliter sauciato, deserta, venienti Andino patuit, A. 1569. Vide Thuan. *Hist. lib.* 42. 44. Et in voce *Noverogus*.

Niossum, Sarm. Europææ urbs, Ptol.

Niphaeus, nomen viri proprium ab equis interfecti, Virg. *Æn.* 10.

—— Quin ecce Niphai
Quadrijuges in equos, adversaq; pectora tendit,
Atque illi longè gradientem, & dira frementem
Ut videre, metu versi, retroq; ruentes
Effunduntq; ducem, rapiuntq; ad litora currus.

Niphagres, nomen urbis, Herod. *lib.* 7. Φάγρης Thucydidi *lib.* 3. & sic legendum apud Herodotum, Palmerius post Leopardum optimè observavit.

Niphanda, Paropanisi urbs, Ptol.

Niphates, nunc Curdo, mons dividens Armeniam minorem ab Assyriâ, ex quo Tigris fluv. oritur. Ferrario est pars Tauri, inter Armeniam maj. & Mesopotamiam intercedens. Quidam verò maj. Armeniæ fluv. faciunt, qui ex eodem monte defluens, in Tigrim defertur, Lucan. *lib.* 3.

Armeniusq; tenens volventem saxa Niphatem.

Et Sidon. Apollin. *in Panegyr. Anthemij*,

Aut ut tigriferi pharetrata per arva Niphates.

Alii Scythiæ fluvium faciunt. Sic dictus ἀπὸ τῆς νιφάδος, à *nivibus*, teste Stephano, Virg. *Georg.* 3.

Addam urbes Asiæ domitas, pulsumq; Niphatem.

Horat. *lib.* 2. *Od.* 9.

—— Potius nova
Cantemus Augusti tropæa
Cæsaris, & rigidum Niphatem,
Medumq; flumen gentibus additum
Victis minores volvere vortices.

Niphavandra, Mediæ urbs, Ptol.

Niphe, una ex comitibus Dianæ, à *niveo candore* appellata. Ovidius *Metam.* 3.

Excipiunt laticem Nipheq;, Hyaleq;, Rhanisq;.

Nipte legit Bersmannus, ἀπὸ τοῦ νίπτειν. Sed rectè vetustiores codd. *Nepheleq;*, & sic legit Nicol. Heinsius.

Niphon I. Episcop. Cyzicenus, Patr. Constantinopolitanus factus, An. 1311. Rudis, avarus, impius: Hinc pulsus An. 1315. Niceph. Gregoras, *lib.* 7.

Niphon II. Peloponnesius, ex Metropolitano Thessalonic. Patriarcha, doctus & pius, paulò post electionem, pulsus à Bajazete, An. 1482. quòd certam pecuniæ summam hujus thesaurario solvere tardasset, Spond. *in Annal.*

Niphonia, pars maxima Japoniæ, est Insf. amplissima, ubi urbes ipsius præcipuæ Jeudum, Imperii caput, & Meacum, antea sedes regia. Habet quinque partes, Jamaisotiam, Jersengam, Jersegenam, Quantbam, & Ochiam, sub quibus fuere 55. regna. Multis *Japonia propria*; ab Ort. in Occ. extensa, Brietius & Sanso *Geogr.* Vide *Japonia*.

Nipsa, urbs Thraciæ, Stephan.

Nireus, Rex Naxi, Charopi & Aglajæ filius, quem omnium formosissimum ad Trojam venisse, tradit Homer. *Iliad. β. hu vers.*

Νιρεὺς δ᾽ αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας,
Νιρεὺς, Ἀγλαΐης υἱὸς Χαρόποιό τ᾽ ἄνακτος,
Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.

Ovid. *Ponticorum quarto, Eleg.* 13.

Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,
Quàm pulchrâ Nireus conspiciendus erat.

Propertius 3. 18.

Nirea non facies, non vis exemit Achillem.

Horat. *Carm.* 3. *Od* 10. eum cum Ganymede conjungit,

Qualis aut Nireus fuit, aut aquosâ
—— Raptus ab Idâ.

Idem *Epod.* 15.

—— Formâque vincas Nirea.

Nirtingum, oppid. Duc. Wirtembergensis, Metel.

Nisa, urbs Cappadociæ. Vide *Nysa*.

Nisa, urbs Hellados, Hom. *Iliad.* 2. Item fœminæ nomen, de qui Virg. *in Damone, Mopso Nisa datur.*

Nisa seu *Nysa*, locus Arabiæ, ubi Bacchus à Nymphis educatus, unde is *Nysæus* dictus. Apud oram Megaridis, naufragiis infamis.

Nisaa, Strab. *Nissa*, Castaldo *Talcatan*, urbs Margianæ præc. Hinc *Nisæus* adject. Ferrar.

Nisaa, navale Megaridis, & ipsa Megaris, à *Niso*, Pandionis filio, Stephan. Strabo *lib.* 9. Ἡ δὲ Νισαία ἐστὶν ἐπίνειον τῶν Μεγαρέων, ὀκτὼ καὶ δέκα σταδίους τῆς πόλεως διέχον, σκέλεσιν ἑκατέρωθεν συναπτόμενον αὐτῇ. Sic Pausanias, qui disertè testatur, navale Megarorum sub etiam ætate Nisæam fuisse appellatum. Ptolemæus confundit, μεθ᾽ ὃν ἰσθμὸν, inquit, Νισαία, ἡ καὶ Μεγαρέων ἐπίνειον. Fuere autem μακρὰ τείχη, quæ Nisæum Megaris conjungerent, simillimè, ut Piræus jungebatur Athenis, teste Thucydide *lib.* 1. *Salina* Sophiano.

Nisae, nymphæ nomen, Virg. *Georg.* 4.

Nisae, Spioq;, Thaliaq;, Cymodoceq;.

Prop. 2. 26. *Candida Nisae, cærula Cymothoë.*

Sed leg. *Nesae*, ex Hom. *Iliad.* 18.

Νησαίη, Σπειώ τε, Θάλειά τε, Κυμοδόκη τε.

Nisaus, Syracusanorum tyrannus, totus luxui deditus: hic enim, ubi ab aruspicibus didicisset, se brevi moriturum, quicquid superfuit vitæ, commessationibus & ebrietati id totum impendit, Volaterran.

Nisan, mensis Hebræorum, respondens partim nostro Martio, partim Aprili. Sacrificio primi diei & Paschalis festo memorabilis, Sigon. *in Calend. Hebr.* Torniel. *A. M.* 2545. 2. Esdr. 2. Latinè, *vexillum*, seu *probatio*, aut *tentatio*, vel *fuga*, aut Syriacè, *miraculum*.

Nisarus, vir fuit apud Rhodiginos, mollitie plusquam muliebri infamis, de quo Cæl. Rhodiginus. *Nitari* sanè cujusdam meminit, Cæl. *lib.* 5. *cap.* 13. *Nam & Nitarus quidam morsu Comico habetur mollitie infamis. Nisari* verò, quod sciam, nullibi mentionem facit.

Nisava, olim *Nisus*, flumen cum oppid. cognom. Mysiæ super. probe culto, in finibus Triballorum, à Belgrado, 120. m. p. in Ort. Hybern.

Nisbara, & *Nischanabe*, Persarum Urbes, quas Tigris dividit, Zosimus.

Niserge, Urbs Persidis, Ptolem.

Niseus, Cyzicenus, in conflictu nocturno, à Telamone interfectus, Flacc. III. 98.

Nisia, montana regio Siciliæ juxta Ætnam.

Nisibis, nunc *Nisibin*, urbs Mesopotamiæ apud Tigrim fluvium, Amidæ urbi propinqua, quæ & Antiochia Mygdoniæ, teste Plinio, dicitur, inter Carras ad Occ. & Seleuciam ad Ort. Persarum olim Barbarorumque incursionibus in Imperii terras, fortiter obnixa: Colonia Rom. ut ex numis, in honorem Trajani & Severi hic cusis, colligere est, Goltz. Obsessa à Sapore, An. 351. Jacobi Præsulis precibus liberata tum, hostisque copiæ per insecta & virum quendam divinæ speciei victæ, exclamante Sapore: *Deus propugnat Romanos*; postmodum à Persis non semel capta est, Theodoret. *lib.* 2. *cap.* 30. Strab. &c. *Nisibena Constantina* vocatur in Lib. Notit. long. 75. 10. lat. 37. 30. Urbs etiamnum ampla, in reg. Diarbechia, sub Turcis, 35. m. p. à Tigri in Occ. 50. ab Amida in Mer. uti 450. ab Artaxata, 80. à Carrhis in Ort. 200. à Seleucia in Circ. Baudrandus. Est etiam Ariæ urbs, Ptolem. long. 111. 00. latit. 35. 30.

Nisicates, & *Nisita*, populi Æthiopiæ sub Ægypto, fabulosi, ternis, aut quaternis oculis, teste Plinio; qui tamen addit, non quia sic sint, sed quia sagittis præcipuâ contemplatione utantur.

Nisope, insula Lesbi parva, quæ Sigrum portum efficit, Steph.

Nissa, urbs supra Tralles, ad Orientem; maximâ ex parte monti accumbit, torrente quodam divisa, qui convallem efficit. Ex hac fuerunt Apollonius Stoicus, Panætii familiaris, & Menecrates, Aristarchi discipulus, & Aristodemus ejus filius, item Sostratus, Aristodemi frater, & alius Aristodemus, ejus consobrinus, qui M. Pompejum erudivit. Etiam *Nyssa* dicitur, Vide ibi.

Nissa, civ. Silesiæ Episc. quam fluv. cognom. alluit, Metel.

Nissaa, vide *Nisaa*.

Nissos, Macedoniæ opp. circa Pallenen penins. Plin.

Nisua, Africæ Propriæ maritima civitas, Ptol. *Nubia* Fazello.

Nisus, Hyrtaci filius, Euryalo indissolubili amicitiæ vinculo conjunctus; quorum historiam copiosè satis describit Virgilius *libr.* 9. *Æneid.*

Nisus, Megarensium rex, purpureo capillo insignis, à quo, cùm regni sui fatum pendere nôsset, diligentissimè eum asservabat. Verùm cùm postea Megarenses unà cum Atheniensibus, invidiâ correpti, Androgeon, Minois filium, palæstritam insignem interfecissent, Minosque eam ob causam Megarensibus bellum inferret: Scylla, Nisi filia, hostis amore correpta, patrem purpureo capillo spoliavit, unaque (ut erat in fatis) patriam hosti tradidit. Quam rem tam iniquo animo tulit Nisus, ut doloris impatientiâ extabuerit, deorumque miseratione mutatus sit, in Haliæetum avem ex genere accipitrum. Scylla autem, cùm sese præter spem à Minoë (quem patriæ proditione satis se demeruisse putabat) desertam videret, in Cirin avem cristatam conversa est, cum quâ Haliæetus etiam hodiè internecinum odium exercet, Virg. *Georg.* 1.

Apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacunq; illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus, quà se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.

Tota fabula est *lib.* 8. *Met.* Sic enim ille:

—— Cui splendidus ostro,
Inter honoratos medio de vertice canos,
Crinis inhærebat magni fiducia regni.

Apollodorus *lib.* 3. πορφυρέαν ἐν μέσῃ τῆς κεφαλῆς vocat, Tibullus 1. 4.

Carmine purpurea est Nisi coma, carmina ni sint
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

Propertius *lib.* 3.

Tuq; ô Minoâ venundata Scylla figurâ,
Tondens purpureâ regna paterna comâ.

Ovidius, *Artis Amatoriæ lib.* 1.

Filia purpureos Nisi furata capillos,
Puppe cadens celsâ facta refertur avis.

Et *lib. de Rem. Am. vers.* 67.

Impia si nostros legisset Scylla libellos,
Hæsisset capiti purpura, Nise, tuo.

Nisus, Comagenæ Urbs, Anton.

Nisyros, hodie *Nisaro* Sophiano, insula parva maris Carpathii, Cariæ adjacens, Coo propinqua, à quâ avulsa vi fluctuum traditur; quæ & Porphyris olim dicta, teste Plinio, 90. m. p. à Rhodo in Occ. vix. 70. à Samnio prom. in Bor. In ea Neptuni aliquando templum, & subtus jacens Polybotes Gigas à Neptuno victus, ut veteres tradidêre. Hic Thermæ scaturientes sunt. Urbs in eâ est ejusdem nominis, teste Strabone. Hanc ajunt (inquit Vir Magnus, *de Phæn. Col. pag.* 402.) ἀπόῤῥαυσμα εἶναι τῆς Κῶ, *Co insulæ fragmentum esse*, à quâ distat stadiis circiter sexaginta. Fabulâ etiam additâ; Ὅτι Ποσειδῶν διώκων ἕνα τῶν Γιγάντων Πολυβώτην, ἀποῤῥαύσας τῇ τριαίνῃ τῆς Κῶ ἐπ' αὐτὸν βάλλει, καὶ γένοιτο νῆσος τὸ βληθὲν ἡ Νίσυρος. Geographi verba sunt *lib.* 10. quibus consona hæc Apollodori *lib.* 1. Πολυβώτης δὲ διὰ τῆς θαλάσσης διωχθεὶς ὑπὸ τοῦ Ποσειδῶνος, ἧκεν εἰς Κῶ. Ποσειδῶν δὲ τῆς νήσου μέρος ἀποῤῥήξας, ἐπέῤῥιψεν αὐτῷ τὸ λεγόμενον Νίσυρον. Neque multò aliter Stephanus de eodem Polybote: Ποσειδῶν δὲ ἐπ' αὐτὸν ἀφεὶς τὴν τρίαιναν τοῦ μὲν ἥμαρτε. Γίγνεται γὰρ (malim γέγονε δὲ) νῆσος τὸ βληθὲν Νίσυρος. Et proinde Nisyri nomen deducit Eustath. ἀπὸ τοῦ νεῖν καὶ τοῦ σύρειν, διὰ τὸ ἀποσχισθεῖσαν τῆς νήσου τῆς Κῶ τῇ τοῦ Ποσειδῶνος τριαίνῃ ἐπισύρειν τῷ γίγαντι Πολυβώτῃ νεῖν, *à natando ac trahendo, quia Neptuni tridente ab insula Co abscissa Nisyrus in Polybotem Gigantem enatantem* (vel *abeuntem*) *attracta est.* Quæ sunt nugæ nugacissimæ. Omnino enim *Nisyrus* Phœnicium nomen. Phœnicibus scilicet, apud quos nata hæc fabula, נסורת *nissoreth* est *fragmentum*, & נסירו *nesiru*, vel נסירות *nesiruth*, *sectio*. Inde dicta *Nisyrus*, quasi *fragmentum*, vel *pars decisa* ex insulâ Co. Radix Hebræis נשר *nesar*, & Arabibus نشر *nesara*, proprie est πρίειν *serrare*, unde משור est πρίων *serra*, Esa. 10. 15. Quod non observo de nihilo. Nam inde *Prion*, id est, *serra* dicebatur pars Coæ insulæ, ex quâ *Nisyrus* credebatur abrupta. Plinius, in Coæ descriptione. *Mons ibi prion, & Nisyron abruptam illi putant.* Fortè legendum *abruptam illic*, vel *abruptam illi*, id est, *ab illo*, Bochart.

Nitarus, Luxuriæ & mollitiei nomine infamis. Scholia in Plutum. IV. 4.

Nitazum, Galatiæ urbs, Anton. In Asia min.

Niteris, natio Africæ interioris, à Cornel. Balbo devicta, Plin. Horum urbs primaria *Nitibrum*, ab eodem vocatur.

Nitetis, filia Apriæ, regis Ægypti, ab Amaside subversi, quam, tanquam propriam filiam, Amasis Cyro elocavit. Vide Polyæn. VIII. 601.

Nithardus, Abbas S. Richardi, fil. Angilberti, ex Bertha, Caroli M. filia. Hæreditate suâ Ludovico Pio sponte cessit, ut secessu frueretur. Occisus à Danis An. 853. Scripsit historiam belli inter filios tres Ludovici Pii: *Libri IV. de discordia filiorum Lud. Pii*: quam edidit Pithœus Parisiis, An. 1588. Orditur autem à morte Caroli M. An. 814. usque ad An. 843. ubi libro 4. Harnidi fratris sui meminit. Barthius, *Advers. lib.* 46. *cap.* 9. Vossius, *de Histor. Latin. lib.* 2. *cap.* 34.

Nithesdalia, prov. Scotiæ, in parte Austr. in collimitio Angliæ. Vallis est divisa per fluv. *Nithes*. Ejus urbs præc. *Dunfreis*. Camden. *descript. magna Britan.*

Nithia, prov. Scotiæ Merid. versus Angliam, bifariam secta à Nitha fluvio *Nithesdale*; ejus caput est Dunfreja, versus Nithæ ostia. Ab Or. Annainam habet, ab Occ. Gallovidiam provv.

Nitibrum, opp. Africæ interioris, Plin.

Nitiobriges, pop. Aquitaniæ, teste Ptol. non Celticæ, ut scribit Ortelius. Petrocoriis & Cadurcis finitimi: quorum urbs mons Albanus, *Montauban* vulgò dicta. Sed Poldo & Marliano est mons Pessulus, seu Pessulanus, *Montpellier*, urbs Episcop. Gall. Narbon. in Occitaniâ reg. Ex verbis Cæsaris *lib.* 7. *Bell. Gall.* inter Ruthenos Gabalos esse videntur. Baudrando fuere inter Petrocorios ad Bor. Cadurcos ad Ort. Ausciosad Merid. Vasatesque ad Occ. ubi nunc *l'Agenois*, prov. Agennensis; Eorumque caput Aginnum, ad Garumnam fluvium.

Nitocris, Babyloniorum regina, Nabuchodonosoris, ut quidam volunt, uxor; mater Labineti, à Cyro pulsi, Moreri. Euphratem fluv. qui mediam Babylonem rectus præterfluebat, tortuosum reddidit, supraque pontem erexit trium stadiorum, difficillimum factu propter paludes, quæ urbem ambiunt; fecit etiam ingentes cavernas ad excipiendum fluminis impetum, egessitque quicquid erat limi, ad facienda fundamenta. Sepulchrum suum in porta urbis præcipua extrui curavit, magnas opes illud aperturo pollicita. Sed Darius illo recluso, saltem hæc reperit verba: *Nisi tu insatiabilis esses, sepulchra mortuorum non violasses.* Autores Herodotus, *l.* 1. & Qu. Curtius. Non ab Herodoto Nitaule (inquit Bochartus) sed Nitocris illa mulier dicitur, quæ sola in Ægypto regnavit. Nec est quod quisquam suspicetur, vocem esse corruptam, & Josephum aliter legisse. Asserit enim Herodotus, eam regionem Babylonicæ Nitocri fuisse cognominem: τῇ δὲ γυναικὶ οὔνομα ἦν, ἥτις ἐβασίλευσε, τὸ περ τῇ Βαβυλωνίῃ Νίτωκρις. Nihil potuit scribi disertius. Et in Dynastiâ Memphitarum, apud Africanum, ex Manethone: Νίτωκρις γενναιοτάτη καὶ εὐμορφοτάτη τῶν κατ' αὐτὴν γενομένη, ξανθὴ τὴν χροιὰν, ἡ τὴν τρίτην ἤγειρε πυραμίδα ἐβασίλευσεν ἔτη ιβ. Et apud Euseb. *lib. Chron.* Θηβαίων Αἰγυπτίων ἐβασίλευσεν κβ Νίτωκρις γυναικὰ ἀντὶ τοῦ ἀνδρὸς, ὃ ἐστι Ἀθηνᾶ νικηφόρος. Nempe Ægyptiis *Nit*, vel *Neith* erat Minerva. Plato *in Timæo*, ubi de Nomo Saitico: τούτου δὲ τοῦ νόμου μεγίστη πόλις Σάϊς, ὅθεν δὲ καὶ Ἄμασις ἦν ὁ βασιλεὺς, οἷ τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, Ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. Rursus Arabicâ linguâ, quæ inter Ægyptiam & Hebræam media esse creditur, קהר *cahara* est *vincere*, & קהר *cahr*, *victoria*. Itaque ex *Neith* & *Cahr* conflatam vocem *Nitocris*, Minervam victricem veteres rectè interpretantur. Hæc itaque *Nitocris*, de qua memorat Herodot. illam Regis fratris mortem, mersis Regicidis, ultam esse, à superiore distinguenda.

Nitria, Ægypti regio, & nomen 2. urbium supra Memphim: Strabo *lib.* 17. Stephano locus est Ægypti. Hinc *Nitriotis* præfectura, & *Nitrites* Nomus. Ferrario mons Ægypti, in quo plurima cœnobia, inter quem & Alexandriam Mareotis lacus. Est & *Nitria* urbs parva, Episcop. sub Archiepisc. Strigoniensi in Jazygibus Metanastis, vel in Hungaria trans Danubium, à Strigonio 6. leuc. in Bor. Cum castro in colle, vulgò *Nitracht*; ad fluv. Nitriam 10. leuc. à Strigonio in Bor. uti à Posonio in Ort. 5. à Neholelio in Arctos, versus montes; ex præfectura Nehoselia pendet, Baudr.

Nitris, Indiæ emporium intra Gangem, Ptol. *Nitra* Interpp.

Nivaria, una ex Fortunatis insulis, à Canariâ 30. leuc. Hispan. *Gomera*, teste Alexandro Episcopo Gerundensi cùm Andreâ Dacio. Aliis est *Teneriffa*. Inter Canariam Inf. ad Ort. à qua 16. leuc. distat, & Gomeram ad Occ. 9. leuc. Longa 25. leuc. Gall. lata 12. Urbs præc. ejus *Laguna*, sic dicta, quia prope lacum, in medio Inf. sub Hisp. Baudrand. s. A perpetuâ nive cognominata, Plin. 6. 32. Est item Hispan. urbs inter Salmanticam & Complutum.

Nivata, prov. Niphoniæ Inf. in Japonia, cum urbe cognom: in Quantoa regione.

Niucantum, *Niuche*, regn. Tartariæ, in limite Imperii Sinarum, M. Martinio. Unde profecti Tartari, qui haud pridem Sinas occuparunt. Aliis *Tenduc* seu *Charchir*; inter Tangutum regn. ad Occ. & Yupiam ad Ort. De urbibus ejus altum silentium, Martinii *Atlas Sinicus*.

Nivella, vide *Nivigella*.

Nivernensis prov. Galliæ satis ampla, versus Ligerim, inter Burgundiam ad Ort. Bituriges ad Occ. & Bojos ad Mer. ejus prim. est, aliàs Vadicassium caput, Nivernum.

Nivernum, urbs Gall. Celt. ampla & elegans, ad Ligerim fluv. ubi rivulus *Nieuve* nomen perdit, in finibus Æduorum, seu Burgundiæ, quasi media inter Lutetiam & Lugdunum. *Nivernum* Turonensi. *Niverna* Lib. Concil. vulgò *Nevers*. Olim *Noviodunum* dicebatur, 20. leuc. ab Augustoduno in Occ. uti ab Altiliodoro in Mer. Baudrand. Episcop. est sub Archiepisc. Senonensi. In Comit. evecta est, sub primis Regibus, Ducatus verò titulus ei accrevit sub Carolo 7. cum tit. Patis. An. 1459. quod confirmatum, à Ludovico 11. in gratiam Johannis Burgundi, Com. Nivernii, An. 1404. à Ludovico 12. An. 1505. in gratiam Engelberti Clivensis. & à Francisco 1. in gratiam Mariæ Albretanæ, Comitis Nivernię, An. 1521. Ibi Castrum vetus. Comitum adhuc visitur, præter munimenta, pontem, opera vitriaria, & fictilia, visu digna.

Concilium Niverni celebratum dicitur, An. 763. Cæsar *lib.* 7. *Comm. cap.* 10. Guido Cocquille, *Histoire de Nivern.* Mich. Cotignonus, *Catalog. Histor. Episcop. Nivern.* Duchenius, Sincerus, *Itiner. Gall. &c.*

Nives, seu *Nivium*, Insul. Anglis *Mevvis*, una ex Antillis, freto tantum dissita ab Insul. S. Christophori ad Merid. Probè culta & abundans; 6. leuc. in circuitu, sub Anglis, ab An. 1628. cum arce & coloniis Angl.

Nivesdum, opp. Belgii in Brabantiâ, medium inter Brabantiam & Machliniam, vulgò *Liere*.

Nivigella, vulgò *Nivelle*, opp. Belgii cum cœnobio Virginum præclaro, in Brabantiâ, apud fines Hannoniæ, à Bruxellis 5. leuc. à Namurco 8. cujus cœnobii Abbatissa oppidi Domina est.

Nivisium, vide *Novesium*.

Nivomagum, vel, ut alii legunt, *Noviomagum*, apud Ausonium, ad Mosellam urbs est, hodie *Numagen*.

Nixii, Dii erant nixuum in puerperio adjutores, Festus. Nixus enim pro partu usurpari solet, Virg. *Georg* 4.

—— *Haud fœtus nixibus edunt.*

Aulus Gellius *lib.* 12. *Quàm diutinum puerperium, & quàm laboriosi nixus fuissent.*

Nixus, sidus cœleste, quod Jul. Firmicus *Ingeniculum* vocat, Cicer,

Cicer. *in Araseis.* Hunc Hyginus Herculem esse ait, qui dextro genu nixus, sinistro pede capitis Draconis dextram partem opprimere conatur. *Nixus* autem, non est proprium nomen sideris cœlestis, sed participium à verbo *nitor*; quanquam cum *genu* junctus pro *Engonasi* usurpatur. Ovid. *Met.* 8.

Qui medius Nixiq; genu est, Anguemq; tenentis.

Manilius *lib.* 5.

Nixa genu species, & Grajo nomine dicta
Engonasi.

Nixum, campus Mediæ, nunc *Caldaramius.* Ibi inter Turcas & Persas acriter certatum, seculo proximè elapso.

Nizynum, oppid. Ucraniæ, in Palatinatu Kioviensi, amplum & probe munitum, in ipso limite Duc. Czernichoviensis, trans Borysthenem fluv. An. 1652. sub Casimiro R. Cosaccis ereptum.

N O.

No, urbs Ægypti, quæ & *Alexandria.* Vide Bochart. *Geogr. Sacr. pag.* 6.

Noa, filia Zelophead. Num. 16. Item civitas, terminus tribûs Zabulon, Jos. 19. Lat. *movens*, vel *commota.*

Noa, vide *Noe.*

Noadia, nomen viri, Esdr. 8. 33. Latinè *testificatio*, vel *cœtus*, aut *congregatio Domini*, sive *ornatus Domini*, aut *transiens Dominus*; vel ex Syro & Hebræo, *ablatio Domini.*

Noæ, urbs Siciliæ. Gentile *Noæus*, Steph.

Noas, Thraciæ fl. ex Hæmo monte nascens & in Istrum influens, Herod. *libr.* 2. Alii in Scythiâ esse volunt, quem Peucetus hodie *Sithnizum* nominat. *Noes* est in Græco, Val. Flacc. *lib.* 4.

Quas Tanais, flavusq; Lycus, Hypanisq; Noasq;.

Idem *lib.* 6.

Hyberni qui terga Noa, gelidumq; securi
Eruit & totâ non audit Amazona ripâ.

Nob, civitas sacerdotum, Nehem. 11. Lat. *loquela*, sive *prophetia*, sive *fructificans*, sive *germinans.*

Noba, Hesych. Νῶβα, Πυῤῥαῖος.

Nobe, civitas in tribu Benjamin, Isa. 10. in via, quæ ducit Diospolin & Ramatham. Item civitas, quæ & *Canath* dicitur in tribu Manassæ. 1. Sam. 21. Lat. *latrans*, vel *latratus.* Nunc *Bethnopoli.*

Nobilia, & *Cusibi*, Oretanorum oppida in Hispan. ad Tagum, Liv. *Noluba* legit Moralis.

Nobiliacum, oppid. Marchiæ Lemovic. ad Vigennam fluv. 5. leuc. à Lemovicis in Ort. Lubicus.

Nobiliacum, cœnobium, & pars præcipua urbis Atrebatum, aliâs in suburbio; *S. Waast.*

Nobopyrus, urbs Mæsiæ, apud Laonicum.

Nocetum, pagus Campaniæ Gall. ad Matronam.

Noctiluca, Lunæ cognomen, quòd noctu luceat. Horatius, *Carm.* 4. *Od* 6.

Ritè crescentem face Noctilucam.

Ubi fortasse expressit epitheton Νυκτιλαμπῆ, quod ante eum usurparat Simonides, ut intelligere licet ex quibusdam ejus versibus, qui reperiuntur apud Dionysium Halicarnasseum, *περὶ συνθέσ. ὀνομ. sub finem.*

Nodab, nomen viri, 1. Paral. 5. Latinè *vovens*, sive *spontaneus*, aut *principalis.*

Nodinus, Deus, quem D. Augustinus *lib. de C. D.* ex Varrone, scribit, cultum fuisse à veteribus Romanis, putantibus Proserpinam præpositam germinantibus, & proserpentibus; geniculis verò nodisque culmorum Deum Nodinum: involucris autem illis folliculorum Deam Volutinam: cùm folliculi patescant, quò exeat spica, Patelenam: cùm segetes novis aristis exæquantur, Hostilinam Deam, quia hostire & hostimentum veteribus exæquationem signific. Floram quoque adjicit & Lactucinam & Matutam, quæ florentibus, lactantibusque ac matutescentibus præsint frumentis, Arnobio *lib.* 4.

Nodutis dicitur Deus, qui ad nodos perducit res satas, Arnob. *lib.* 4. Ibi Meursius legit *Nodutus*; aitque, sic legi debere apud Augustin., *de C. D. lib.* 4. *cap.* 8. ubi *Nodotus* legitur.

Noe, Latinè *cessatio*, vel *requies.* Unde Hesychius: Νῶε, ἀνάπαυσις, (ideoque ridiculè Suidas Νῶε, ὄνομα κύριον, παρὰ τὸ νῶ, τὸ κολυμβῶ, scil. quòd in arcâ inclusus, in mediis aquis natarit) filius Lamech, natus A. M. 1057. vir Deo gratus, quem, cùm homines ejus temporis perdere vellet, jussit, ut navem, sive arcam fabricaret, cujus beneficio ab aquis cum familiâ tutus, cæteris submersis, hominum genus restituit: diviso inter filios orbe. Obiit A. M. 2006. ætat. 950. post diluvium, 350. Genes. 6. 7. 9. Sulp. Severus *lib.* 1. *Ex quo Noe natus, justitiâ egregius, & præ cæteris mortalibus, Domino carus acceptusq;.* Et posteà. *Quâ tempestate cùm jam humanum genus abundaret, Angeli, quibus sedes cælum erat, speciosarum formâ virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac naturæ suæ, originisq; degeneres, relictis superioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis se mortalibus miscuerunt; ex quorum coitu Gigantes editi esse dicuntur. Quibus rebus offensus Deus, maximeq; malitiâ hominum, quæ ultra modum processerat, delere penitus humanum genus decreverat. Sed Noe virum justum, vitâ innocens destinata eximiè sententia.* Joseph. *Antiq. lib.* 1. *cap.* 4: Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι Θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες, ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας, καὶ παντὸς ὑπερόπτας καλοῦ διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποίθησιν. Ὅμοια τοῖς ὑπὸ γιγάντων τετολμῆσθαι λεγομένοις ὑφ' Ἑλλήνων καὶ οὗτοι δεδρακέναι παραδίδονται. Ὁ Νῶχος δὲ τοῖς ὑπ' αὐτῶν πραττομένοις δυσχεραίνων, καὶ ἀλγηδόνως ἔχων, ἔπειθεν ἐπὶ τὸ κρεῖττον τὴν διάνοιαν, καὶ τὰς πράξεις μεταφέρειν. Ὁρῶν δὲ οὐκ ἐνδιδόντας, ἀλλ' ἰσχυρῶς ὑπὸ τῆς ἡδονῆς τῶν κακῶν κεκρατημένους, δείσας καὶ μὴ φονεύσωσιν αὐτὸν μετὰ γυναικῶν καὶ τέκνων καὶ τῶν τούτοις συνοικούντων, ἐξεχώρησε τῆς γῆς. Ὁ δὲ Θεὸς τοῦτον μὲν τῆς δικαιοσύνης ἠγάπησεν. Noam Saturnum veterum fuisse fusè probat Bocharius *Geogr. Sacr. lib.* 1. *cap.* 1. Arcam in Armeniæ montibus quievisse, plurimi tradunt. Hieronymus credit Taurum illum fuisse, cujus pedem Araxes lambit. Alii id in montibus Gordiis contigisse referunt, & Epiphanius suo tempore arcæ reliquias ibidem ostensas fuisse testatur. Vide eundem, cum Peterio in *Gen.* Riveto, *Exercit. in eandem*, Torniellum, Salianum, &c.

Noega, *Noegaucesia*, Ptolem. opp. præclarum Hisp. Tarr. in orâ Asturum, teste Mela, ab ostio Meaui 6. leuc. in ort. ab Oveto urbe 14. in occ. *Navia* Clusio, licet illud mediterr. quàm litoreum sit, juxta fines Gallæciæ, long. 11. 30. lat. 44. 00. Baudrando oppid. Asturum, in ora Oceani Cantabr. Aliis *Riba de Sella*, opp. Asturiæ Santillanæ, 12. leuc. à Legione in Bor. longè à Navia in Ort.

Noela, opp. Hisp. Tarr. Plin. *Noya* Clusio & Floriano. *Novium* Ptolemæo, inquit Ferrarius.

Noema, filia Lamech, ex Sellâ uxore, Genes. 4. Latinè *pulchra*, sive *decora*, vel *movens valde.* Hæc texturæ variæ artem invenit, teste Comestore.

Noemagus, urbs Gall. Narbon. prope Gebennam, Ptol.

Noeman, filius Balæ, filii Benjamin, Num. 26. Lat. *pulcher*, sive *decorus*, aut *mortem præparans.*

Noemi, vel *Naomi*, uxor Elimelech, mater Mahalonis & Chelionis, quorum ille Orphæ, hic Ruthæ maritus erat, Ruth. 1. Lat. *pulchra*, sive *decora.*

Noeodunum, quibusdam est *Lesna*, seu *Leondoul* incolis, urbs Osismiorum, in Armorica. Aliis est *Dol*, urbs Rhedonum, in Britmin. Sansoni Brietioque est Novidunum Diablintrum, *Nogent le Rotrou*, caput Perticensis prov. ubi aliàs Diablintes.

Noeomagus, vide *Neomagus.*

Noes, fluv. Thraciæ; Vide *Noas.*

Noesia, Ins. prope Rhodum, Sporadum una, Eust.

Noetus, vir doctissimus, cujus hortatu Alfredus Angliæ Rex, Academiam Oxoniensem fundavit, A. C. 895.

Noetus, Hæresiarcha, Magister Sabellii Naturam divinam cum Personis confudit. Vide *Sabellius.*

Noga, filius David, 1. Paral. 3. Latinè *splendor.*

Nogaretus Wilhelmus, Gallus, missus cum Sciarra Columna, à Philippo Pulchro Galliæ R. in Italiam venit, &, Gibellinis in suam partem pertractis, cepit Ananiæ An. 1303. Bonifacium VIII. illum in Galliam pertracturus, ut Lugduni in Synodo Patrum judicaretur. *Patarini* convitio à Pontifice offensus, illum collo tractum, ferreâ chirothecâ renitentis ori impactâ, Romam deduxit, ubi Bonifacius mœrore animi decessit, Masson. *lib.* 3. Pater Nogareti hujus, propter religionem, martyrium subiit. Mornæus *in Myster. pag.* 954. Posteri, non infimo inter nobiles Galliæ loco, adhuc supersunt.

Nogariolum, vel *Nugariolum*, ad fluvium *Modou*, urbs præc. inferioris Comitatus Armaniaci. Ubi Concil. provinciale, Anno 1290.

Nogarola Antonia, Veronensis, scientiâ, formâ & virtute inclyta. Nupsit viro illustri, ex familia Bonalicetorum, nepoti Passarini, principis & Domini Mantuæ. Ex eadem familia, Angela, Antoniæ fil. linguarum, S. Scripturæ, & Poëseos perita fuit. Isota, fil. Leonardi coram Nicolao 5. & Pio 2. peroravit, à Card. Bessarione magni æstimata. Explicuit eruditè admodum Nov. Test. operaque Augustini & Hieronymi. Obiit An. 1466. ætat. 38. Sorores ejus Genovefa, & Laura, similiter eruditionis laude floruerunt: quarum illa Brunoni Gambaræ Brixiensi; ista Nicolao Teonio Veneto nupsit. Betussius, *de fœm. illustr.* Cæsar Capacius, *de mul. illustr.* Augustin. della Chiesa *Theatr. fœm. illustr.* Ludovic. Jacobus *Bibl. Fœmin.* Hilario Costus, *elog. fœm. illustr.*

Noha, fil. Benjamin, 1. Par. 8. Lat. *requiescens*, aut *ducens.*

Noia, opp. Apuliæ Peucetiæ. Item Lucaniæ.

Noidenolex, in libro Prov. inter quinque Sequanorum civitates, ponitur. Aliàs quoque *Noidonolex*, videtur Guillimanno, *pag.* 30. Neocomum, Comit. cognominis caput, cujus vetustatem petit à Cæsaris tempore, quo ex XII. Helvetiorum oppidis unum, & cum aliis combustum, tradit.

Nola, urbs Campaniæ, ubi multa vetustatis adhuc monumenta. Νῶλα Ptolemæo & Stephano, Νῶλη vero Polybio *lib.* 2. Abest Neapoli 14. m. p. propior Acerris & Sarno. Virgilio,

Vicina esevo
Ora jugo dicitur; ubi prius *Nola* legebatur. Ferunt autem postea Virgilium petiisse à Nolanis aquam, uti duceretur in propinquum rus, Nolanos autem beneficium petitum non fecisse; Poëta itaque offensus nomen urbis eorum quasi ex hominum memoriâ

memoriâ, sic ex carmine suo derasisset, *Oram* pro *Nola* mutavit, Agellius 7. 12. De situ oppidi ita canit Silius *lib.* 12.

Campo Nola sedet, crebris circumdata in orbem
Turribus, & celso facilem tutatur adiri
Planitiem vallo. ——

Livius *lib.* 23. *Et sunt omnia campi circa Nolam.* Exiguo pòst, *Expugnare Nolam, campestrem urbem, non flumine, non mari septam.* De origine ejus variant auctores. Silius *lib. dicto*,

Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.

Vellejus *lib.* 1. *Quidam ajunt à Tuscu Capuam, Nolamq́; conditam.* Solinus *cap.* 8. *Constituta Nola à Tyriis.* Id fortasse ridiculum, inquit Cluverius. Fortè itaque Tyrrhenis scripsit Solinus. Frustra obsessa ab Annibale fuit: S. Paulino Episcop. clara. Hic & Augustus Cæs. obiit. Episcop. est sub Archiep. Neap. Vide Ambros. Lıonium, *lib.* 1. *de Nola.* Leandr. Alb. *descr. Ital.*

Nomades, pop. *in* Scythiâ Europæâ, quorum vita omnis in habendis gregibus versatur. Nunc *Tartari* dicuntur, juxta quos Sauromatas locat Plinius. Meminit eorum Strabo *lib.* 11.

Nomades, Asiæ pop. juxta Caspium mare. A nostris hodie appellantur *Daæ* & cognomen *Parni*, inquit Strabo.

Nomades, Africæ popul. inter Zeugitanam reg. & Mauritaniam siti, qui postea literis aliquot mutatis *Numidæ* appellati sunt. Hos scribit Sallustius, ex Persis ortum traxisse, qui Herculem in Hispaniam comitati sunt, eoque mortuo in Africam trajecisse, locaque occupasse Oceano proxima, alveosque navium inversos pro tuguriis habuisse: deinde paulatim per connubia sibi Gætulos miscuisse, posteaque Numidiæ nomo propter multitudinem à parentibus digressos, possedisse ea loca, quæ proxime Carthaginem sunt, & *Numidia* appellantur. Dicti *Nomades* ἀπὸ τῆς νομῆς, hoc est, *à pascendo*, quòd pastionibus præcipuè vacarent, herbisque in uno loco depastis papiliones suas curribus aliò transveherent. Dionysius, *vers.* 186.

Τοῖς δ' ἐπὶ δὴ Νομάδων περιναιετάουσιν ἀπείρεσια φῦλα,
Ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆες
Βόσκονται σὺν παισὶν ἀν' ἤπειρόν τε καὶ ὕλην
Μαιόμενοι βιότοιο κακὴν καὶ ἀεικέα φέρβην.
Οὐ γὰρ γινώσκουσιν ἀρότρου τευκτὸν ἐχέτλην
Κείνοις δ' οὔποτε πρηνὴς ἀκούεται ὁλκὸς ἁμάξης,
Οὐδὲ βοῶν μυκηθμὸς ἐς αὔλιον ἐρχομένων,
Ἀλλ' αὔτως, ἅτε θῆρες ἀνὰ δρία βοσκέονται
Νήϊδες ἀσταχύων, καὶ ἀπευθέες ἀμήτοιο.

Horum Virgilius meminit, Æn. *lib.* 4. & 8.

Hoc Nomadum genus, & discinctos Mulciber Afros.

Noma, opp. Siciliæ. Νομαὶ Diodoro *lib.* 11. Silius,

—— *Comitata Nomæis*
Venit Amastra viris. ——

Malè vulgò *Nemæis.*

Nomai, Thraciæ pop. qui postea *Scythæ* dicti sunt. Steph.

Nomare, opp. Austr. infer. ad Danubium, 6. m. p. infra. Atelape, 10. mill. Germ. à Vienna, in Occ. Vulgò *Melk.*

Nomas, & *Neas*, idem apud Flacc.

Nomasta, Scythiæ intra Imaum pop. Ptol.

Nomba, urbs Judææ. Stephanus ex Josepho.

Nomen Dei, urbs Americæ, in ora maris Bor. in prov. Terræ Firmæ, 17. leuc. à Panama in Septent. Nunc destructa. Vide *Onomatheopolis.*

Nomenium, oppid. Lotharingiæ, ad Sellam fluv. medium fere inter Divodurum ad Bor. & Nancejum ad Austr. 5. leucis utrinque 7. infra Marsalium, in Circ. In tractu Motensi.

Nomentum, pagus Sabinorum apud Eretum, ab urbe Romà 12. m. p. *Lamentana* Blondo dicitur, Suidas. Νώμεντος, πόλις ἡ πλησίον τῆς Ῥώμης. Idem habet Stephanus, cujus Gentile facit Νωμεντῖνος cùm scribere debuisset Νωμεντανὸς, ut omnes pariter habent Latini authores, tum Dionysius *lib.* 5. & item Strabo *lib.* 5. Vide Cluverium, *de Ital. Ant. pag.* 666. Habuit autem hæc urbs olim episcopalis, colles vitiferos vino non omnino pessimo nobilitatos. Mart. 13. 16.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum.

Nunc castrum Sabinæ, in dit. Pontif. in Ducatu Ereti gentis Barberinæ, ad Alliam amnem, longè à Vico Varronis in Occident. Sanso, Brietius.

Nomii, montes Arcadiæ, Pausanias.

Nomisterium, Germaniæ urbs, Ptolom. Sed quid sit hodie, non constat.

Nomius, dictus est Apollo ἀπὸ τοῦ νέμειν, *à pascendo*, qu. *pastor*, quia Sol pascit omnia, quæ in terris gignuntur: sive, ut alii volunt, quòd olim juxta Amphrysum, Thessaliæ fluv. divinitate, ob interfectos Cyclopas, spoliatus Admeti regis armenta pavit. Callimachus,

Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν. ——

Nomus, Præfectura, sive conventus juridicus apud Ægyptios. Ægyptum enim divisit Sesoosis, sive Sesostris in *Nomos* triginta sex, quorum 10. Theb. 10. τῷ Delta, & reliqui 16. regionibus intermediis attributi. Singulis *Nomis* præfecti singuli *Nomarchæ*, qui quasi totidem reguli provinciæ præerant & regiis vectigalibus.

Inde est, quòd nomes Plinius *præfecturas*, & Esaias ממלכות *mamlacoth*, hoc est, *regna* interpretatur, *cap.* 19. *vers.* 2. ubi LXX. Seniores νομὸς ἐπὶ νομόν. Ubi Cyrillus, Νομὸς δὲ λέγεται παρὰ τοῖς τὴν Αἰγυπτίων χώραν οἰκοῦσιν ἑκάστη πόλις, καὶ αἱ περιοικίδες αὐτῶν, καὶ αἱ ὑπ' αὐτῇ κῶμαι. Καὶ περιέχει πᾶσι αὐτοῖς ἡ πιάσι φωνή. Sed & ante Cyrillum Epiphanius, *in hæresi Basilidianorum*: Οὐκ γὰρ ἐν τῷ ἁγίῳ προφήτῃ Ἡσαΐᾳ ἐν δέεις γεγραμμένον περὶ νομῶν πόλεων Αἰγυπτιακῶν, οἷον Τάνεως, ἢ Μέμφεως, ἢ Νομοῦ τοῦ Βουσίρεως, Αἰγυπτιακῶς τὴν περίχωρον (al. περίμετρον) τυχοῦσαν πόλεως σημαίνει. Hoc imitatus author *lib.* 1. Macchabæorum *cap.* 10. *vers.* 30. meminit νομῶν etiam in Samaritide & Galilæâ, quod à Josepho redditur τοπαρχιῶν. Pari παραλλήλως Herodotus, *in Thalia*, *nomos* appellat Persarum Satrapias. Nomos Eustath. *in Dionys.* vult idem esse quod ὁρίας, hoc est, regiones iisdem finibus comprehensas. Et eodem teste, τὰς Αἰγύπτου ἡ συνήθεια φησὶ νομοὺς εἶναι ἐθέλει. Sensus est, ut quidem puto, *nomos* propriè dici eas Ægypti partes, quæ versus Libyam vergunt. Itaque ibidem observat, omnes urbes *Heptanomi*, exceptâ Babylone esse à sinistrâ Nili, id est, à parte Libyæ. Res est tamen omnino certa, non minus *nomos* dici Ægypti partes, quæ ad Arabiam, quàm quæ ad Libyam inclinant. Perperam igitur hinc colligunt, *Nomi* vocem esse Libycam. Quin iis assentior potius, qui vel Græcam esse volunt, vel Ægyptiam. Quæ ipsa lis est adhuc sub judice. Casaub. *in Strab. Quidam putant hanc vocem esse Ægyptiacam, quos falli & omnes sciunt, qui aliquid Græcè sciunt, & Diodorus disertè admonet.* Nempe *lib.* 1. *pag.* 46. ubi Ægypti partes *nomos* appellari asserit, καλεῖν τὴν Ἑλληνικὴν διάλεκτον. Tamen Casauboni locet Henr. Stephanus Græcis literis æquè imbutus, *in notis ad Diodorum*, *pag.* 830. *Ego* (νομὸν) *Græcam esse vocem vix mihi persuasero.* Et Casaubonus ipse agnoscit, νομὸν apud Græcos propriè dici locum, ubi sunt αἱ νομαί, *pascua.* Quo sensu ii non sumunt, qui Ægyptum distinguunt scribunt in *nomos* 36. Neq; enim Ægypti ager est ubique compascuus. Denique quam vocem Diodorus Græcæ linguæ supra asseruit, eandem idem adscribit Ægyptiis, cùm dicit de Sesoosi, *lib.* 1. *pag.* 35. τὴν δὲ χώραν ἅπασαν εἰς ἓξ καὶ τριάκοντα μέρη διελὼν ἃ καλοῦσιν Αἰγύπτιοι νομούς. Neque aliter Cyrillus supra: νομὸς δὲ λέγεται παρὰ τοῖς τὴν Αἰγυπτίων οἰκοῦσι χώραν. Et Epiphanius disertissimè: Αἰγυπτιακῶς τὴν περίχωρον τῆς τυχούσης πόλεως σημαίνει. Fallor, an ex Hebræo מנה *mana*, vel מנא *mono*, ut Syri efferunt, factum est νομὸς, vel ab Ægyptiis, vel à Græcis hâc metathesi peregrinum vocabulum emollire conatis? certè huc facit, quòd *nomum* Diodorus exponit μέρος, id est, *partem*, seu *portionem*: Cùm Syriâ voce מנא *mono*, quam diximus, id ipsum designari sit notissimum. Euseb. itidem *lib.* 3. *Præp. pag.* 57. μέρος τοῖς τῆς Αἰγύπτου ὃ καλοῦσι νομόν. Bochart.

Nomi Ægypti, ferè omnes circa Nilum:

* Abydus, *Abutich.*	Lepidotum,
Alabastra.	Lycopolis, *Munia.*
* Alexandria, *Alexandrie.*	Memnon.
Andropolis.	* Memphis, *Menchis.*
Angyropolis, *Ansene.*	Mendesium.
Antæopolis.	Metacompso, *Asuan.*
Aphroditopolis.	Metelis, *Rosetto.*
Apollinis magna, *Munsia.*	* Naucratis.
Apollinis parva.	Neut.
Arsinoe, *Azirut.*	Nicii urbs, *Fuoa.*
Athribis.	Nilopolis.
* Babylon nova, *le Caire.*	Ombri.
* Bubastus, *Azioth.*	Onuphis.
* Busiris, *Bosire.*	Oxyrinchus.
Butos, *Turbet.*	Pachramunis.
Cabasa.	Panopolis.
Cæne.	Phacusa, *Phacus.*
Chenoboscia.	Pharbæthus.
Chnumis.	Phthembuthi.
* Coptos, *Cana.*	Phtenotes.
Cynopolis.	Prosopitis.
* Diospolis magna, *Dia.*	* Ptolemais gemina.
Diospolis parva.	Sais, *Sahid.*
Elethyæ.	* Sebennytus, *Sebenit.*
* Heliopolis gemina, *Bethsemes.*	Sethraites.
Herculis parva.	* Syene, *Asna.*
Hermonthis.	* Tanis, *Tanes.*
* Hermopolis gemin. *Benesuaif.*	Tava.
Heroum urbs, sive Heroopolis, *Herou.*	* Tentyra, *Barbande.*
Hypsile.	* Thebæ, *Minio.*
Latopolis gemina, *Derote.*	Thumis.
Leontopolis.	Toum.
	Xois.

Nomus, lacus Atticæ parvus, Soph. *in Oedip.* Pausan. Strabo, Plinius.

Nona, una ex Parcis, Gellius 3. 16. Latini *Nonam*, *Decimam*, & *Mortam*, Parcas dixere.

Nona, civitas Dalmatiæ maritima: an *Ninia* antiqua seu *Ænona*? Vide *Ænona.*

Nonacris, mons Arcadiæ in Peloponneso, cum opp. olim cognomine.

gnomine, ex quo Styx, aqua frigidissima emanat, quam inferorum paludem fabulantur. Ibi etiam *Nonacrinum nemus*. Ovid. *Fast.* 2.

Cinctaq; pineis nemoru juga Nonacrini.

Et l. 5. *Nonacrius heros* pro Evandro. Hinc *Nonacrinus*. Ovid. *Met.* 2.

Dum redis itque frequens, in Virgine Nonacrinâ
Hæsit. —— —— ——

Eidem *Hamadryades Nonacrinæ*, pro Arcadicis.

Nonantula, urbs Italiæ, ob quam Mutinenses cum Bononiensibus bellum gesserunt, circa A. C. 1140.

Nonigentum, mel. *Novigentum*, ad Matronam *Nogent l'Arthaud*, oppidul. 8. leuc. supra Meldas, in Ort. 2. à Castro Theodorici in Merid.

Nonigentum Regium, opp. Belsiæ ad Eburam fl. ubi primum lintrium capax est, 5. leuc. infra Carnutum in Bor. 4. à Drocis in Mer.

Nonigentum Rotrudum, *Nogent le Retrou*, aliàs *Novidunum*, seu *Noiodunum*, caput Aulercarum Diablintum, nunc Perticensis prov. caput, ad Huinam fluv. medium fere inter Carnutum ad Ort. & Cenomanos ad Occid. 14. leuc. à Carnuto. Castrum hîc totius Galliæ præcipuum.

Nonigentum ad Sequanam, oppid. Campaniæ, paulò infra confluentes Albæ in Seq. 9. leuc. supra monasterium ad Icaunam, 10. à Trecis in Circ. Lutetiam versus. Ad radices collis, in limite Briæ provinc.

Nonigentum, pagus ad Sequanam, in Ins. Franciæ, postea *Fanum S. Clodoaldi*, à Clodoaldo Clodomiri Reg. filio ibi sepulto, *S. Clou*, 2. leuc. à Lutetia in Occ. ad radices collis; burgus probè cultus & amœnus. Hîc Ann. 1589. Henricus 3. à Jac. Clemente Monacho Dominicano cultro lethaliter vulneratus est.

Nonius, quidam à pugnâ Pharsalicâ, quam fugisset Pompejus, hortabatur ad benè sperandum, septem adhuc aquilas superesse dictitans. Cui Cic. *Rectè*, inquit, *si nobis cum graculis bellum esset.*

Nonius Actianus, crebris delationibus apud Neronem famosus; sub initium Principatus Vespasiani, in Senatu eo crimine postulatus, Tacit. *Hist.* 4. 41.

Nonius Asprenas, Consul cum Laterino, An. U. C. 846. Alius Consul cum Valentiniano Cæsare, An U. C. 1198.

Nonius Marcellus, Grammaticus, cujus libros habemus de Latinorum nominum origine.

Nonius Receptus, centurio, duodevicesimæ legionis in inferiore Germaniâ, cùm protegeret Galbæ imaginem, impetu militum abreptus vinctusque est. Tacit. *Hist.* 1. 56. & electo Vitellio Imperatore occisus. 59.

Nonnosus, Auctor Græcus, sub Justiniano Imper. Legatus in Æthiopiam, ad Saracenos, variosque alios orientis populos, quid gesserit, in literas retulit. Fragmentum hujus operis Photius *cod.* 3. exhibet.

Nonnus, Edessenus Episcopus, Niceph. *lib.* 14 *cap.* 30. Martyrologium Romanum 2. Decembris: *Edessæ S. Nonni episcopi, cujus precibus Pelagia pœnitens ad Christum conversa est.*

Nonnus, historicus Græcus, historiam edidit, quâ legationem suam complexus est, ad Æthiopas & Homeritas, ac Saracenos, aliasque Orientis gentes. Eo ex opere excerpta quædam habemus apud Photium, *tmem.* 3. ubi & Justiniani tempore vixisse, aliaque quædam de Nonnoso, ac parente ejus Abrahamo & avo item refert.

Nonnus, Abbas de Narrationibus Græcorum extat Scodriaci, in bibliotheca Regis Hispaniarum; ut apud Possevinum legas, in *Appendice Apparatûs Sacri, pag.* 22.

Nonnus Panopolita, poëta egregius. Theodosii temporibus floruit, cujus Paraphrasin, & Dionysiaca habemus. Agathiâ esse antiquiorem, certum est, cùm hic ejus meminerit, vixit verò Agathias sub Justiniano. Chrysostomo esse juniorem, inde colligit Vossius, quòd usque adeò vestigiis ejus in Joanne interpretando insistere amet. Præterea id dictio indicat Sophistica, qualis seculo quinto fuit ac deinceps: uti ex Heliodoro, Synesio, & aliis liquet, Ac similes ex poëtis Quinctus, Tryphiodorus, alii. Suidas, Νόννος Πανοπολίτης ἐξ Αἰγύπτου λογιώτατος, ὁ καὶ τὸν παρθένον Θεολόγον μεταφράσας δι' ἐπῶν.

—— Εἰς Νόννον ἄδηλον.

Νόννος ἐγώ. Πανὸς μὲν ἐμὴ πόλις, ἐν Φαρίῃ δὲ
Ἔγχει φωνήεντι γονὰς ἤμησα Γιγάντων.

Nontronum, opp. Petrocorii, cum tit. Baronatus, Metel. Merula.

Nonymna, urbs Siciliæ, Stephan.

Nophe, nomen loci, Numer. 21. Latinè, *insufflatus, tumidus*, vel *illaqueans*.

Nopheth, urbs in tribu Manasse, Jos. 17. Latinè, *favus*, aut *cribrum*, sive *distillatio*.

Nopia, seu *Cnopia*, oppid. Bœotiæ fuit, ad Tanagram urb. ubi Amphiarai templum, Strab.

Nora, urbs Sardiniæ excisa, in orâ Australi. Ptolom. Popul. *Norenses* Plinio. *Nura* Antonino; *Calviri* dicitur Leandro. De nominis origine sic Bochartus; Tertia, inquit, in Sardiniam migratio apud Pausaniam Hispanorum est. Sic enim ille, Μετὰ δὲ Ἀρισταῖον Ἴβηρες ἐς τὴν Σαρδὼ διαβαίνουσιν ὑπὸ ἡγεμόνι τοῦ στόλου Νώρακι, καὶ ᾠκίσθη Νῶρα ὑπὸ αὐτῶν. Ταύτην πρώτην γενέσθαι πόλιν μνημονεύουσιν ἐν τῇ νήσῳ. Παῖδα δὲ Ἐρυθείας τε καὶ Γηρυόνου καὶ Ἑρμοῦ λέγουσιν εἶναι τὸν Νώρακα. At in Solino Aristæum præcessit Norax. Verba sunt: *Nihil attinet dicere, ut Sardus Hercule, & Norax Mercurio procreati, quum alter ab Libyâ, alter ab usq; Tartesso Hispaniæ, in hosce fines permeassent, à Sardo terra, à Norace opido nomen datum.* *Nora* saltem nomen Punicum est, nempe נערה *Naara*, unde emphaticum נערתה *Naaratha*; cujus nominis censetur opp. in tribu Ephraim, Jos. 19. *Naara* verò Pœnis sonabat *Nora*, ut מעכה *Maacha* Μωχὰ, quomodo L X X. efferunt, 1. Paral. 2. 48. Unde *Mochur* nomen Punicum. Sic נערן *Naaran* alterius oppidi nomen in eâdem tribu, 1. Par. 7. 27. Hieronymus *Noran* scribit & LXX. Interpp. medio quodam sono Νοαράν. Sed inter, N. & R. est *Ajin*, quod in O. mutatum est in Alphabeto Cadmi. Hodie locus *Nori* vocatur. N. pertinet ad formam nominis: & ערה est *graminetum*; nempe in pascuo sita fuit *Nora*, non procul à ripâ *Sapri* amnis, hodiè *Servi*, ut constat ex Itineratiis. Itaque perperam à Ptolemæo *Nora* ponitur, in Australi Sardiniæ litore, inter Caralin & Sulchos; quod Cluverius verè observat. Gentile *Noranus*, Stephan.

Nora, Straboni Cappadociæ urbs ad Taurum mont. quam suo tempore *Noroassum* vocatum scribit.

Nora, castellum situm in finibus Lycaoniæ, & Cappadociæ. Vide quoque *Ora*.

Noracus, urbs Pæoniæ, Stephan.

Noran, *Noaran*, locus in tribu Ephr. 1. Paral. 7.

Norba Cæsarea, urbs parva Lusitaniæ, ad Tagum fluv. Ptolom. *Alcantara* Tarraphæ, & Clusio, long. 14. 30. lat. 39. 50. Unde *Equites Alcantara*, 3. leuc à confin. Portugalli. 7. à Valentia in Ort. 14. à Cauro in Afr. uti à Pace Augusta & ab Emerita in Bor. Haud pridem munita, contra Lusitanorum incursiones, Baudr.

Norbertus, Archiepisc. Magdeburgensis, Fundator Ordin. Præmonstratensium, sec. 12. cujus caput in Diœcesi Laudunensi Tanchelino acriter se opposuit, obiit An. 1134. Ei tres libb. Visionum attribuuntur, ut & diversæ homiliæ. Hugo ei successit. Vide Guil. Eisengrin. *in Catal. test. Ver.* & in voce *Præmonstrantes.*

Norcopia, urbs Ostrogothiæ in Suec. inter geminum stagnum, 5. leuc. ab ora maris Balt. in Occ. juxta Molam fluv. 10. ab ora lacus *Vetter*, in Ort. *Norkoping.*

Nordenum, seu *Norda*, urbs Frisiæ Or. cum portu, in ora Oceani Germ. Crescit indies, sub Comite Frisiæ Or. 16. m. p. ab Embda in Sept. 13. ab Aurico in Occ. Hic Edsardus Comes, Evangelii doctrinâ ex libris haustâ, eam proponi, ut & Auricæ, Leeræ & Emdæ curavit, circa An. C. 1540. Abr. Scult. *in Annal. Eccles.* Ubbo Emmius *Hist. Fr. libr.* 50. 53.

Nordlinga, urbs Imper. German. à Norico propinquo sic dicta. Paruit olim Episcopo Ratisbonensi, sed ob ejus delictum ad Imperatorem rediit: Crusius *Annal. Suev. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 9. scribit, à Conrado Rege, filio Friderici II. Imper. ad Imperium immediatè revocatam esse, An. 1251. Nobilis est clade, & victoriâ Suecorum. Alias *Ara Flavia*, vide ibi.

Nordovicum, & *Norvicum*, urbs ampla & clarissima in orâ Angliæ Orientali, à Londino 90. mill. in Cæciam. Vulgò *Norwich*. Com. Norfolciæ caput, ad Garienem fluv. *Jer*, 30. mill. Angl. à Lino in Ort. & à Crippevico, in Occ. Baudrand.

Noreja, hodie *Goritia*, teste Amasæo, urbs Carnorum ad Isontium vel Natisonem fluv. ubi, ut scribit Strabo, auri lavacra, & ferri secturæ sunt. Hic Cn. Carbo inani conatu cum Cimbris conflixit, long. 36. 00. lat. 45 47. Baudrando quid sit, non constat. Quibusdam fuit opp. Norici, in Ambidraviis, ubi *Solfeld* nunc, in Carinthia infer. seu castr. *Neumark*, in Carniola super. Aliis est opp. Carnorum, ubi nunc Goritia, seu Venzonium oppidul. ejusdem prov. ad Tilavemptum fluv.

Norenses, pop. Sardiniæ, Plin. *Mara* interpretatur Pinetus.

Norfolcia, Comit. Angliæ peramplus, in ora maris Germ. quod habet ad Ort. & Bor. uti Comit. Cantabrig. ad Occ. Suffolciam ad Merid. In ea Nordovicum est primaria, Hiarmuthum & Linum Regium, urbes.

Noriberga, à Noricis dicta, quibus cùm Hunni maxima sæpius inferrent damna, huc confluere cœperunt, de securitatis loco sibi prospicientes. Henricus Bavarus ei formam civitatis tribuit, templo S. Ægidii ornavit, jura dedit, & ampliore muro castrum cinxit: quæ Ludovico 3. Imper. alii ascribunt. Imperio dein adjuncta, & libertatis charactere insignita fuit, sub Conrado 2. circa An. 1027. Sita est ad collem, naturâ firmum, in quo arces duæ sunt: una aliquor Imperatorum domicilium, vulgò *die Vesten*: altera Burggraviorum olim sedes, quam Fridericus Burggravius, An. 1427. Senatui vendidit, hodie domus frumentaria. Hic Pegnesus & Regnesus confluunt, urbs in medio non Germaniæ solùm, sed totius Europæ, Conrado Celti credita: *Communis Orbis officina*, domesticâ inprimis disciplinâ clarissima. Popularis olim Reipubl. gubernatio fuit, cui, post discordias seditionesque civiles, Aristocratia, sub Carolo 4. successit. Leges partim à Venetis, An. 1506. partim ab aliis urbibus, ut Valentiis in Hannonia, Bruxellaq; in Brabantia petiit. Privilegiis ornata est amplissimis; Sedes est Comitiorum post Electionem primorum, insignium Imperialium custos est; Habet jus Austregarum, &c. Insigne ejus olim dimidia aquila nigra in campo fulvo; Sed Henricus 4. Imper. quòd urbe licet captâ, arx tamen invicta sibi adhæsisset, virgineum

caput, cum coronâ, & integrâ aquilâ, illi concessit. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 39. Hic Synodus fuit An. 1438. celebrata, ob litem quæ Concilio Basil. cum Eugenio 4. intercedebat. A Friderico 3. dein An 1443. & 1487. similiter Ecclesiasticorum ibi cœtus coactus est, &c. Vide quoque *Noricorum mons.*

Norica, vide *Noriberga*, & *Noricorum mons.*

Norici, aliàs Taurisci, Plin. qui montes inter Carinthiam & tractum Salisburg. incolunt, adhuc *Krumler Taur*, *Felber Taurn*, *Karn Taurn* incolis dictos, Ortel. Ferrar. Horum Apostolus B. Severinus fuit, prædictionibus celebris. Circa An. C. 490. Pantal. *in Chron.*

Noricorum mons, seu *Norimberga*, urbs ampla & libera Franconiæ, ad Regnitium fluv. cui subest ditiuncula adjacens, 15. mill. Germ. ab Herbipoli in Eur. Inter Episcopatum Bamberg. in Circ. & Palatinatum super. in Eurum. Ditissima, innumeris artificibus abundans, pace Imperii An. 1649. conclusâ, celebris. Hic Evangelium Osiander annuntiavit, sub Reformationis initia: cùm Bucerus Argentinæ, Oecolampadius Basileæ, Tiguri Zvinglius, Witteberga Lutherus, &c. eodem officio fungerentur: Cujus postremi doctrinæ adhærent. Reformatorum nihilominus non exiguus in urbe est cœtus, qui, in ditione Marchionis Anspacensis, sacris locum habent. Altorfina Academia non incelebris Norimbergensis Reipublicæ est. Inter urbem hanc, & agnatos Alberti Brandeburgici ac Episcopos Franconiæ, Ferdinandus I. Imperator judicium plenum æquitatis tulit, circa Ann. C. 1558. Thuan. *lib.* 21. Vide *Noriberga.*

Noricum, reg. German. (quam nunc bona ex parte Bavariam appellant) habens ab occasu Ænum fluvium, qui medius est inter Vindelicos & Noricos; à Sept. Danubium, ab ort. mont. Cecium, qui Pannoniam superiorem disterminat à Norico: A Meridie mont. Curvancum, qui est supra Istriam, Dionys. *vers.* 321.

Πρὸς δ᾽ ἔτι Γίλιας καὶ Νωρικοῖ ἄστ᾽ ἰεγοῦται.

Ubi multa nugatur Eustathius, dum quærit, an *Noricum*, & *Oricum*, de quo *vers.* 399. locus unus sit an diversi, quasi verò, regio Germaniæ confinis ab Epiri finibus non satis distet, ut ea dignosci possint. Ferri fetax regio fuit, Ovid. *Met.* 14.

Sævior & ferro quod Noricus excoquit ignis.

Et Horatius,

—— *Quos neq; Noricus*

Deterret ensis. —— ——

Virgilius, *Georg.* 3.

Tum sciat aërias Alpes & Norica si quis

Castella è tumulis. ——

Hanc regionem Solinus, *cap.* 23. *frigidam* vocat *& parcius fructuosam.* Baudrando, aliàs pars Illyrici Occidentis extra Germ. fuit, à qua Danubio dividebatur: nunc intra Germ. In eo sunt Austria maj. ex parte, versus Occ. Stiriæ pars Occid. seu super. Carinthia, Carniola super. ditio Salisburg. & minuta pars Bavariæ super. & ad Ort. ut & aliquot loca Comit. Tirolensis ad Bor.

Noricum mediterran. pars Norici longius à Danubio in Austr. recedens, ubi Stiria & Carinthia.

Noricum Ripense, pars erat Bor. Norici, inter Danubium ad Bor. & Noricum med. ad Austrum: in quo erant Alauni, Ambidrani ex parte, Focunates & Sevaces. Nunc autem Austria super. cum parte infer. & ditio Salisburgensis.

Norimberga, vide *Noricorum mons.*

Normanni, melius *Nortmanni*, quasi *Nortmänner*, populi Septentrionales. Hi, postquam Deo visum res Ostrogothorum, Wandalorum, Longobardorum evertere, Carolo M. rerum potiente, sub finem seculi octavi, primum innotescere cœperunt, &c. sub Regnero trium Septentrionis regnorum Domino, sedibus suis, Scandinaviâ nempe, seu Daniâ, Norvegiâ, Suediâque exciti, circa An. 836. provincias Christianas crudeliter devastarunt. In Galliam sub Carolo Calvo effusi, circa An. 845. vix pecuniâ pacem concessere: reversi mox, Normanniam incolendam acceperunt. Vide *Normannia*: aliâ parte Britanniæ Armoricæ concessione placatâ. Intra quod temporis spatium urbes, oppida; castella innumera ab iis, capta, incensa, vastata sunt. Edelvoldum Angliæ Reg. Ann. 847. in eas redegerunt angustias, ut Leoni 4. Papæ regnum tributarium reddere cogeretur: ab Edeltedo 9. præliis victi, An. 866. nec contra huius successorem Alfridum fœliciores. Ab horum sævitia ut rutæ essent Scotiæ Moniales, labra naresque sibi præsciderunt, additâ in publicis supplicationibus formulâ, *A furore Normannorum, &c.* Postea in Gallia, cum Rollone duce, baptizati, in Anglia quoque ab Alfrido ad religionem adacti sunt, An. 876. Cum illorum duce Godofredo, traditâ illi Frisiâ, & Giselâ, filiâ Lotharii elocatâ, transegit Carolus Crassus, An. 881. postquam à Ludovico Germaniæ Reg. primò ad Scaldim victi, eum ad Luneburgum gravi clade affecissent, An. 878. Arnulphi Imperatoris victores, An. 892. Carolo Simplici, contra Robertum Parisiorum Com. fortiter adstiterunt, An. 922. Nec Gallia solùm omnis Scotiaque illis vectigales factæ: etiam Hispaniæ & Italiæ oras arbitratu suo adiere, ad annum 1000. Ex illis in Neustria Normannis fuere, qui à bello Syriaco reduces, post illustres editas operas redeuntes, magnis rebus contra Saracenos pariter Græcosque gestis, à Nicolao 2. Pontif. Apuliam, Calabriam & Siciliam in feudum acceperunt, Saracenosque inde expulere Ann. 1058. Vide Rheginonem, Aventinum, Crantzium, Grotium in primis, *in hist. Goth.* Compendio hæc de illis Rogerius Hovedenus, Anglus: *Audax Francia Nortmannorum militiam experta delituit. Ferox Anglia captiva succubuit, dives Apulia sortita refloruit. Hierosolyma famosa & insignis Antiochia se ei supposuit.* Vide plura in *Normannia.*

Normannia, provincia ampla & valde fertilis Gall. vulgò *Normandie*, cum Duc. tit. in qua pars Neustriæ. Habet à Sept. & Occ. mare Britan. ab Ort. Picardiam & Insf. Franciæ, à Merid. Belsiam, Perticensem & Cenomanensem prov. uti & tantisper Britanniam minor. Ab Ort. in Occ. ad 70. leuc. extensa, nempe à limite Picardiæ ad oram Oceani, versus Cæsaream Ins. lata est 30. circiter leuc. Tota sub Galliæ Reg. exceptis Ins. Cæsareâ, *Jarsey*, & Sarniâ *Garnesey*, quæ ab aliquot seculis Anglis parent, Baudr. Hanc olim coluerunt Venellocasses, Bajocasses, Abrincanti, Aulertii, Eburovices, Sai, Sesuni, Constantienses, Lepontii, Caletes & Nervii, Merula, Merc. In eâ 7. urbes Episcopales, quarum metropolis est Rothomagus, vulgò *Rouen*; In hac prov. Reformatorum Ecclesiæ L. circa Ann. 1628. numeratæ sunt, hodieque magnus illorum ibidem numerus. A Normannis autem pop. Septentrionalibus ex Scandinaviâ, seu Norvegiâ, & Sueciâ profectis, qui in Galliam irrumpentes, in eâ reg. consedere, nomen habet. Pop. *Normanni*, quasi viri septentrionales, à Carolo Magno devicti, & ad Christi fidem perducti, Loydius. Horum historia paucis hæc est. Ingeniosi, sed ad iram & lites paulo proniores, solum colunt frigidum, at fertile, nisi quod Bacchum parum habet propitium: fortes & generosi. Clodoveus regionem hanc in provinciam redegit, fuitque tum pars regni Suessionensis. Postea Normanni, sub Carolo Calvo, in Galliam effusi, omnia longè lateque vastarunt, per An. 80. ad turpia tributa pactionesque Gallis adactis, & Lutetiâ tertiâ vice obsessâ: Unde *à furore Normannorum libera nos Domine*, solemniter in templis canebatur: donec Carolus Simplex, pace cum illis initâ, Gislam fil. Rolloni Principi illorum elocavit, Normanniâ tit. Duc. ei concessâ, sub fide Galliæ Regum. Hic An. 912. baptizatus, Roberti nomen accepit: Ei successit fil. Guilielmus I. Longus Ensis: pater Richardi 1. Senioris, cui filius Richardus 2. Intrepidus successit. Hunc excepit Robertus 2. qui ex Herleva, nobilis cujusdam viri uxore, Gulielmum Nothum genuit, postea occupato Angliæ regno, Conquestorem dictum. Cui mortuo An. 1087 successit Robertus Gulielmus Rufus, & Henricus 1. qui, Angliæ usurpator, filiam Mathildem reliquit, Godofredo 5. Comiti Andegav. nuptam. Ex hoc conjugio natus est Henricus 2. Angliæ Rex, Normanniæ Dux, & Pater Henrici Jun. Richardi superbi, Godofredi & Johannis; qui Sine-Terris dictus, Arturo filio Godofredi necato, Ducatu Normanniæ privatus est, judicis sententiâ, An. 1202. qui sic coronæ est reunitus, sub Philippo Augusto. Sub Carolo 6. Angli Normanniam denuo occuparunt, illâ iterum sub Carolo 7. exuti. Ludovicus 11. illam fratri concessit, sed mox redditam, ab illo tempore nunquam iterum à regno divulsa est. Cæterum Normanni Apuliâ quoque, Calabriâ & Siciliâ potiti, &c. Vide Dudonem, Guiliel. de Jemieges, Ordricum Vitalem *de gestis Normannorum.* Ab An. 838. usque ad An. 1220. Edidit Duchenius, Parisiis, An. 1619 Carol. Burgavillanum, *antiq. Normann.* Joh. Nagerelum, *descr. Normann.* Claud. Molinæum, *Hist. Gener. Normann. &c.* Vide quoque *Normanni.*

Urbes Normanniæ præcipuæ:

Abrincæ, *Avranches.*	Ebroicæ, *Evreux.*
Alenconium, *Alençon.*	Falesia, *Falaise.*
Argentanum, *Argentan.*	Fanum S. Laudi, *St. Lo.*
Bajocæ, *Bayeux.*	Gisortium, seu Cæsortium, *Gisors.*
Cadomus, *Caën.*	Lexovii, *Lisieux.*
Calidobecum, *Candebec.*	Pons Arcuensis, *Pont del'Arche.*
Caroburgus, *Cherbourg.*	Portus Gratiæ, *le Havre de Grace.*
Carentanium, *Carentan.*	Rotomagus, *Roüen*, prov. caput.
Constantia castra, *Coutances.*	Sagium, & Sajum, *Seez.*
Diepa, *Diepe.*	Vira, *Vire.*

Norondabates; nobilis Persa, secundum Ctesiam, è 7. illis qui Smerdin Magum, Cyri filium se ferentem, & regnum occupantem conjurati sustulerunt.

Norossi, Scythiæ, intra Imaum gens, & *Norossus* ibidem mons, Ptolomæus.

Nortgoja, regio Germaniæ, an ubi Narisci olim? continens Landgraviatum Liechtebergensem, Palatinatum superiorem, Marchionatum Onspacensem, & Burggraviatum Norimbergensem. Nortgovia, juxta Germanicam interpretationem, significat septentrionalem plagam aut terram, *Nort* enim Germanis Aquilonem, *Geu* terram, & agrum significat. Est quoque Bojoariæ portio Trans-Danubianæ. A Septentrione Voitlandiam vicinam habet, ab ortu Boiemiam, à meridie Danubio fluvio à reliqua Bavaria separatur, ab occasu Sueviæ parte ac Franconiâ terminatur. Ejus metropolis est Nuremberga.

Northantonia, provinc. Angliæ, inter Huntingdoniam ad Ort. Leicestriam & Rutlandiam ad Bor. Warwicensem ad Occid. à Cæcia in Africum extensa, Hujus caput est, urbs

Northantonia, ad Anfonam amnem, 24. mill. Angl. ab Oxonio in Bor.

in Bor. 18. à Varvico in Ort. ut & à Leicestria in Mer. Hic Concil. A. 1138. & 1164. contra Thomam Cant.

Northumbria, Regio, seu Comitatus Angliæ Bor. Scotiæ finitimus, *Northumberland*. Ubi olim Ottadini. Habet ad Ort. Oceanum Germ. ad Bor. Scotiam, ad Occ. Cumbriam, à Merid. Diœcesin Dunelm. Ejus opp. præc. est Novum Castrum. Fuit aliàs Northumbria Regnum, in quo erant Northumbria propria, Cumbria, Westmaria, Lancastria & Eboracensis, cum Diœcesi Dunelmensi. Joh. Speedus. Fundamenta regni hujus posuit Idas, frater Hengisti, circa A. C. 547. è cujus successoribus Edelredus Britones, Gregorio M. subjectionem denegantes, graviter afflixit, An. 597. qui dic 1200. Monachis trucidatis, Giltid. *lib. 8. de gestis Brit.* A Danis occupata seqq. temporibus, sed recepta Northumbria est ab Adelstano, An. 929. cujus successor Edmundus. Northumbris devictis, totius Insulæ dominus evasit, An. 940. Polydor. *lib. 6. &c.* Northumbriæ Ducis Johannis Dudlæi, qui Johannæ Grajæ socer, illam ad regnum evehere conatus est, exclusâ Mariâ, circa An. 1553. historiam. Vide apud Thuan. *lib. 8. inst.*

Northusia, urbs Imper. German. Cheruscorum olim ad Sylvam Hercyn. in Thuringia, ad amnem *Zorge*, media fere inter Erfordiam ad Merid. & Halberstadium ad Bor. sic dicta ab Aquilone, quem respicit. Ejus conditor traditur Merovæus Francorum Rex, An. C. 447. Torneamentis nobilitata, inprimis Henrici I. Landgr. Thuringiæ, Marchionis Misniæ, qui arbore, aurea argenteaque habente folia, in medio locatâ, sumptibus etiam Cæsare dignis, cursus equestres hic celebravit, Georg. Fabric. *in Marchion. Misn.* Ibi quoque conventus quidam Eccles. An. 1105.

Northusius Johannes, Evangelii præco, apud Gebhardum Archiepisc. Colon. hoc è ditione exturbato, Bonnâque captâ, cum palinodiam canere recusaret, manibus pedibusque vinctis, in Rhenum projectus, sed admirabili Dei providentiâ servatus est, An. 1584. die 27. Januar.

Nortia, id est, *Fortuna* Tuscis: Meminit Livius *libr. 7.* Juvenal. *Satyr.*

Idem populus si Nortia Tusco
Favisset.

Ubi vulgò *Nursia*. Capella, *libr. 1.* *Quam alii Sortem asserunt, Nemesimque nonnulli, Tychenque quamplures, aut Nortiam.* Alii *Nyrtia* legunt.

Normanni, Sigeberto ejusque seculi scriptoribus omnes ferè gentes Septentrionales dicuntur, ubi sunt Norvegiani, Sueci, cæterique qui Scandiam peninsulam incolunt. Vide *Normanni* & *Normannia*.

Norvegia, regn. Europæ septentrionalis versus Oceanum Germanicum situm, vulgò *Norvvey*, quæ est, si interpreteris *Septentrionalis Via*. *Nort* enim Germanicâ linguâ, *Septentrionem* significat, *Weg*, *viam*. Fuit regnum Norvegiæ aliquandiu florens, imperiumque tenuit per Daniam, Frisiam, insulasque adjacentes, donec domesticum imperium per hæreditariam successionem administratum fuit. Postea sub interregno, consensu procerum institutum est, ut reges per electionem susciperentur: Baudrandus sic habet: Norvegia, regnum amplum Europæ, ad Arctos extensum, quod vulgò *Nordvvege* dicitur; estque à faucibus sinus Codani & Scania provincia Daniæ, usque ad promontorium Boreale & Lapponiam, sed non æquè latum, habens ad ortum Sueciam & ad occasum mare Germanicum. In eo sunt quinque provinciæ seu præfecturæ, nempe Aggerhusia, *Aggerhuss*, Bergensis, *Bergenhuss*, Nidrosiana, *Dronthemhuss*, sub qua subpræfectura Saltensis, *Salten*, Wardhusiana, *Wardhuss*, & Bahusiana, *Bahuss*. Sed hæc ultima subest nunc Regi Sueciæ pace Roschildiensi. Separatur à Sueciæ regno Sevo monte; & ibi fuere Sitones populi, Sansone, Brietio, & aliis testibus. Urbs Norvegiæ caput est Nidrosia, *Drontheim*. Pendent etiam ex Norvegia Islandia insula, in quam Norvegi, tyrannidem Haraldi fugientes, Duce Ingolfo, migrarunt, An. 860. Gronlandia, Spitzberga, & Schetlandicæ insulæ suprà Orcades. Extenditur autem Norvegia à septentrione in meridiem per 300. milliaria Germanica, & longa montium nive perpetua contectorum intercessione à Sueciæ regno disterminatur, cum Jemptia & Harria provinciæ Norvegiæ trans Sevum montem nunc subsint Regi Sueciæ ab Ann. 1645. pace ad Bromsbroam. Norvegia, de cujus conversione, Vide Hug. Grotium *in Histor. Longob.* aliàs Reges habuit proprios, inter quos magni imprimis nominis Canutus fuit, cujus operâ Lotharius Imper. in Dania, Suecia, Norvegia, Gronlandia & Islandia Episcopos instituit, circa An. 1133. Is moriens filio suo Sueino Norvegiam, Canuto Daniam, & Haraldo Angliam reliquit. Saxo Grammat. *lib. 10.* Spangenb. *in Chron.* Acho autem, An. 1264. Scoticâ expeditione infelix, mœrore animi obiit. Buchan. *hist. Scot. lib. 7.* postquam Islandi Haquino legi se submisissent, An. 1261. Postmodum Magnus Sueciæ Rex per matrem, Norvegiæ quoque hæres, illam Haquino filio reliquit, *hist.* 1343. Crantz. *Hist. Dan. lib. 6.* Cujus filius Olaus, patre mortuo, illam Daniæ adjunxit, An. 1375. Post quem Ericus & Daniæ, Sueciæ, Norvegiæque Rex declaratus est, An. 1396. qui diuturnis bellis attritus, relictis regnis, privatus consenuit. Ab An. 1397. (quo Aquinus Daniæ Rex, ex Margareta Waldemari 3. filiâ, nullâ prole susceptâ, decedens utrumque regnum, Erico Duci Pomeraniæ reliquit, cujus successorem Christophorum excepit Christiernus, filius Dieterici, Comitis Oldenburgici, A. C. 1448.) usque ad nostram hanc ætatem regnum Daniæ dominatui hæreditario obnoxium mansit, juribus tamen & privilegiis suis sartis & tectis conservatis. Vide Golnitzium, Cluv. Sanson. Brietium, *in Geograph. &c.*

Norvegiæ urbes præcipuæ:

Ansloga, *Opslo.*	Nidrosia, *Drontheim*, regni caput
Bahusia, *Bahus*, nunc sub Suecis.	Saltzberga, *Saltzberg.*
Bergæ, *Bergen.*	Stavangria, *Stavanger.*
Christiana. Vide Ansloga.	Tonsberga, *Tonsberg.*
Fridericostadia, *Friderickstadt.*	Wardhusia, *Wardhus.*

Norvicum, urbs Angliæ Episc. sub Archiepisc. Cantuariensi, ad amnem *Yare*. Vide *Nordovicum*.

Noscopion, Lyciæ urbs, Plin. 5.

Nosora, insula Rubri maris, Stephan.

Nostana, Drangianæ oppid, Ptol.

Nostia, vicus Arcadiæ: aliàs *Estania*, Stephan. Ephoro autem *Nestania* dicitur.

Nostradamus Michaël, Medicus, Astrologus & Magus celebris, Fano S. Remigii in Provincia oriundus. An. 1555. Centurias suas edidit, tanti habitas ab Henrico 2. ut earum auctorem in aulam vocatum, magnificè donaverit. Catharinæ Mediceæ inprimis gratus fuit, quæ de futuris sæpe ab eo edocta est. Obiit An. 1566. ætat. 62. Vide Verderium, *Bibl. Gall.* Naudæum, *apol. viror. insignium Magiæ suspectorum, cap. 16.* Buchæum, *Hist. Prov. lib. 10.* De illo argutum est hoc Stephani Jodelli distichon:

Nostra damus, cum falsa damus, quia fallere nostrum est,
Et cum falsa damus, nil nisi Nostra damus.

Ejus fil. Cæsar patris opera edidit, Frater Johannes, Astrologus quoque fuit: Procurator insuper Parlamenti Aquensis, auctorque Historiæ Provincialis, & vitæ Poëtarum Provincialium, Moretius *Diction. Histor.*

Notgerus, vel *Notkerus*, Episcop. Leodiensis, post Ewrardum, Ann. 972. urbi exornandæ intentus, secundi fundatoris elogium meruit. Scripsit vitam S. Landoaldi, Presbyteri, &c. Alberic. *in Chron.* Voss. *de Hist. Lat. lib. 2. cap. 41.* Val. Andr. *Bibl. Belg.* Miræus, *in Fast. Belg.* Item, tres Monachi Sancto Gallenses; quorum primus, *Balbulus* dictus, sec. 10. scripsit Martyrologium, & vitas SS. quorundam. Alter, cognom. *Piperis granum*, pietate & doctrina illustris fuit. Tertius, dictus *Physicus*, postea Abbas factus est. Eckerard. *in vita Notkeri Balbuli*, Jesse, Metzleser. *lib. de illustr. Vir. S. Gall.* Canis. *in Not. antiq. Lect.* Voss. *de Hist. Lat. lib. 3.*

Nothelmus, vel *Nothbertus*, Londinensis, Archiepisc. Cantuariensis, cum Beda, Anglicæ historiæ elaborandæ incubuit, variaque scripsit. Ei Beda inscripsit Quæst. triginta in libb. Regum. Obiit An. 739. Pitseus *de Ill. Angl. Script.* Voss. *de Hist. Lat. lib. 2.*

Notium, Joniæ urbs Hesychio & Stephano, Æolidis, Herodoto; à vetere Colophone distat 12. millia passuum, teste Liv. *lib. 37.* Verùm *Colophon* & *Notium*, urbs una solum Haleso interlabente divisa, tamen propter hoc unicum fluminis divortium maximis dissidiis laboravit. Aristoteli V. *Polit. 3.* sunt *Notienses*, *Notiei*. Apud Strabonem videtur Chii insulæ, illi opposita. Plinius habet *Notivum*, oppidum in Calydna insulâ, apud Ptolomæum Sinarum promontorium est.

Notium, Hyberniæ promuntorium Australe, Ptol. *Nessenhead* Camdeno.

Nottenburgum, oppid. Ingriæ in Suecia, in Insula parva lacus Ladogæ, ubi ex eo Nieva fluv. effluit, versus confin. Moscoviæ, Permunitum, ereptum Russis An. 1614. à Gust. Adolpho. Sueciæ Reg. Ruthenis *Oreska*, id est, *Nux*.

Nottinghamia, prov. seu Comit. Angliæ, inter Lincolnensem prov. ad Ort. Darbiensem ad Occid. & Licestriam ad Merid. cum urbec. cognom. ad fluv. Trentam, quæ 10. mill. Angl. à Darbia in Ort. 12. à Leicestria in Bor. abest.

Notus, ventus meridionalis. Vide *Auster*.

Nova Albion, vulgò *Nevv Albion* Anglis, regio perampla Amer. septentrionalis, à Francisco Draco Anglo detecta & denominata: Sed ubi sit, nesciunt ipsi Angli. Forsan est pars Californiæ septentrionalis, seu illius terræ incognitæ, quæ creditur pars orientalis terræ Esonis.

Nova Andalusia, vulgò *nueva Andaluzia* Hispanis, provincia est Americæ meridionalis; in Terra firma dicta, inter fluvium Orenocum ad ortum & Venezuelam provinciam ad occasum, in ora maris Borealis, ubi tantum urbecula Cumana seu nova Segovia, à qua etiam persæpe regio Comana provincia dicitur, & arx S. Jacobi in ora Boreali.

Nova Anglia, vulgò *nevv England* Anglis, *nouvelle Angleterre*, Gallis, provincia Americæ septentrionalis, in parte australi Canadæ, seu novæ Franciæ, in ora maris Borealis, ubi aliàs aliquot coloniæ Gallorum. Sed ab An. 1606. subest Dominio Anglorum, qui in ea habent Bristolium novum, & Londinum novum, urbes recentes in ora littorali. Terminatur hæc provincia à septentrione & occasu nova Francia, à meridie novo Belgio, & ab oriente mari Boreali.

Nova Aula, Lib. Conc. quæ & Theodosiopolis, urbs Episcopalis Mesopotamiæ, ex libro Notitiæ.

Nova Biscaja, vulgò *nueva Biscaia* Hispanis, regio novæ Hispaniæ, in America septentrionali, & versùs novum regnum Mexicanum, à quo terminatur ad Boream, uti à Panuco provincia ad ortum, Culiacâna ad occasum, & Zacatecarum provincia ad meridiem; estque in mediterraneis ab ortu in occasum extensa, ubi tantùm urbecula S. Joannis, cum aliquot castris & duabus argenti fodinis, sub dominio Hispanorum.

Nova Britannia, vulgò *nouvelle Bretagne*, pars Americæ septentrionalis, quæ aliter Estotilandia dicitur, seu Terra Laboratoris, inter fretum Hudsonium ad Boream, & novam Franciam ad Austrum, tantùm lustrata versùs oram littoralem. Sed nullæ sunt in ea coloniæ Europæorum.

Nova civitas, olim vocabatur Carthago tum illa Africæ, tum altera Hispaniæ. Virg. *Æn.* 1.

——— , *Atq; Novæ pateant Carthaginis arces.*

Ubi allusum ad etymon. Hebraicè enim קרתא חרתא *novam urbem* signif. & ex *Karthada* Græcorum Καρχηδὼν, χ. & ϑ. permutatis, quod Siculorum proprium est; qui pro ἄρνιθες ὄρνιχες dicunt. Stephanus etiam Καινὴ πόλις interpretatur. Item *Nova civitas* tergemina. Una urbs Episc. in Austria infer. sub Archiepisc. Salisburgensi à Viennâ 8. leuc. in Austr. vulgò *Neustadt*: Permunita, ad amnem *Bischavv*, propè Lethum fluv. 6. leuc. à Vienna, 2. m. Germ. à limite Hung. in Occ. A tera in Histriâ in orâ, Episcop. quæ Æmoniæ urbi proximæ excisæ successit, inter Justinopolim, & Parentium: Tertia in Veneta in orâ Marchiæ Tarvisinæ, apud Heracliam urbem excisam, & ipsa eversa, episcopalis tamen.

Nova Corduba, vulgò *nueva Cordoua*, urbs recens Americæ meridionalis, in Tucumania provincia, in mediterr. sub Hispanis, in terra in Tralalinda dicto.

Nova Dania, vulgò *nievv Danemark* Danis, *nouveau Danemark* Gallis, regio est Americæ septentrionalis, & terræ Arcticæ pars versùs occasum ante paucos annos à Monacho Dano detecta, auspiciis Christiani IV. Regis Daniæ; sed tantùm oram littoralem potuit lustrare.

Nova, Ant. Ptol. *Novæment*, teste Lazio, oppidum Mysiæ inferioris, ubi Legio 1. Italica, ab Oesco 55. mill. pass. ex Antonino in ortum. Novensis urbs Marcellino. Est & *Novomont*, urbs Mysiæ superioris, in Servia, clarissima hac tempestate, inter Drivastum urbem Dalmatiæ 45. & *Novibazar* in Cæciam 50. mill. pass.

Nova Flessinga, vulgò *nievv Vlissinghen* Belgis, *nouvelle Flessingue* Gallis, oppidum insulæ Tabaci, seu novæ Walachriæ, in mari Boreali, & versus insulam Trinitatis ac oràm littoralem Americæ meridionalis & novæ Andalusiæ, recens à Batavis extructum.

Nova Francia, seu Canada, vulgò *la nouvelle France, ou le Canada*, pars amplissima Americæ septentrionalis, juxta fluvium Canadam, seu S. Laurentii longè lateque extensa, interior terras Arcticas ad Boream & mare Boreale ad meridiem: cujus partes etiam sunt Terra nova, insula amplissima, ad ortum, insula Capitis Britonum, insula Assumptionis, Saguenæa, & Accadia, ut & quamplurimi populi Subest Dominio Francorum à centum quinquaginta annis, & in ea habent plurimas colonias, quarum præcipuæ sunt Quebecum, *Quebec*, regionis caput, Tadussacum, *Tadoussac*, Mons Regalis, *Montreal*; Richelæum; *Richelieu*, Plasentia, *Plaisance*, & Portus Regius, *Port Royal*. Terminatur etiam ad austrum Virginiâ, novo Belgio, & novâ Angliâ, quæ aliàs ipsius etiam pars erat. Longissime protenditur ad occasum, ubi aliquot lacus amplissimi: sed ab illa parte nondum ejus limites bene noti sunt.

Nova Frisia, vulgò *nievv Frieiland*, pars orientalis Spitzbergæ regionis, versùs terras Arcticas, sic dicta à Batavis, sed nondum bene lustrata.

Nova Gallæcia, vulgò *nueva Galizia*, regio ampla novæ Hispaniæ, in America septentrionali, inter Mechoacanam provinciam ad ortum, Zacatecas ad Boream, & mare Pacificum ad occasum & meridiem: sub quâ sunt provinciæ Xalisca, Guadalaxara, & Chametlana. Totius regionis caput est Guadalaxara, prope Baraniam fluvium.

Nova Guinea, vulgò *nouvelle Guinée*, regio perampla Asiæ, in mari Archidolo, seu in parte occidentali maris Pacifici, aut potiùs pars terræ Australis ad ortum Moluccarum insularum. Sed tantùm detecta est ab Europæis versùs oram littoralem. Ejus pars creditur à multis Terra Papuorum seu Nigrorum.

Nova Hispania, vulgò *nueva España* Hispanis, *nouvelle Espagne* Gallis, regio ampla Americæ septentrionalis, quæ aliter regnum Mexicanum dicitur à multis, *el Mexico* Hispanis, ab ejus primaria urbe. Sed novi Hispania magis patet. Continet enim totum terræ spatium, inter mare Boreale & mare Australium comprehensum, à Terra firma, seu Isthmo Panamæ, ad ortum usque ad novum regnum Mexicanum, & Floridam ad occasum. Dividitur ab Hispanis in tres partes, quas vocant Jurisdictiones seu Præfecturas, *las Audiençias*. Quæ media est, dicitur *la Audiença de Mexico*, sub qua Hispania nova strictè sumpta, in qua sunt provinciæ Mexicana, Mechoacana, Panuca, Tlascala seu Angelorum, Guaxaca, Tabasci, & Jucatania; ejusq; primaria urbs est Mexicum, *Mexico*, totius Americæ facilè caput. Præfectura novæ Hispaniæ in occasum extensa dicitur *la Audiença de Guadalajara*, cui subsunt hæ provinciæ, nova Biscaja, Cinaloa, Culiacana, Zacatecæ, Chametlana, Xalisca, & Guadalaxara; seu nova Galitia; ejusque præcipua urbs est Guadalaxara, *Guadalajara*. Præfectura autem novæ Hispaniæ, seu Jurisdictio versùs ortum dicitur *Audiença de Guatimala*; & ei subsunt provinciæ Soconusca, Vera pax, Guatimala, Hondura, Nicaragua, Ora dives, & Veragua; totius verò Jurisdictionis primaria urbs est Fanum S. Jacobi de Guatimala, *Guatimala*. Tota autem nova Hispania cum tribus ejus Præfecturis seu Jurisdictionibus subest Regi Hispaniæ à 150. annis circiter.

Novæ Hispaniæ urbes præcipuæ:

Acapuleum, *Acapulco.*	Fanum S. Jacobi de Vallibus, *Sant Jago de los Valles.*
Angelopolis, *los Angeles.*	Guadalaxara, *Guadalajara.*
Antiquaria, *Antequera.*	Legio Nicaraguæ, *Leon de Nicaragua.*
Civitas Regia, *Ciudad Real.*	Mechoacanum, *Mechoacan.*
Compostella, *Compostella.*	Mexicum, *Mexico*, reg. caput.
Conceptio, *la Conception.*	Panucum, *Panuco.*
Durangum, *Durango.*	Pincia, *Valladolid.*
Emerita, *Merida.*	Tlascala, *Tlascala.*
Fanum S. Jacobi de Guatimala, *Sant Jago de Guatimala.*	Vera Crux, *la Vera Cruz.*
Fanum S. Francisci de Campeco, *Sant Francisco de Campeche*	Vera Pax, *la Vera Paz.*

Nova Hollandia, vulgò *nievv Hollandt*, regio parva Moscoviæ Borealis, prope fretum Weigatum, sic dicta à Batavis, in ora Oceani Septentrionalis.

Nova Hollandia, vulgò *la nouvelle Holande*, pars ampla terræ Australis recens detecta à Batavis, nempe à quadraginta annis, & ab eis tantùm versus oram littoralem lustrata; jacet ad austrum maris Indici & Moluccarum. Sed an sit insula aut continens, non constat. Dividitur in plures partes, terram Leenæ, terram Concordiæ, terram Petri Nuitii, terram Diemen, & alias.

Novalicia, vulgò *la Novalese*, castrum Italiæ, in Pedemontio, ad radices Alpium & montis Cenisii, 2. leucis à Segusio in Boream versùs limites Sabaudiæ, à qua tantùm 2. leuc. etiam distat.

Nova mœnia, Sarm. Europeæ urbs, Ptol. Hodie *Album castrum*, *Wissemburg*. Græce Νέον τεῖχος.

Novana, Plin. seu *Civitas nova*, vulgò *Citta nova*, Pamphilo, Piceni oppidulum est; ditionis Pontificiæ, & gaudet titulo Ducatus Gentis Cesarinæ. Sedet in ora maris Adriatici, 8 milliaribus à Recineto in ortum, 6. à Laureto in Eurum, & 8. à Firmo in Circium.

Novanta, Ptol. *Gallovvit*, populi Albionis, in Scotia ad occasum, quorum regio Gallovidia, *Gallovvay*, in peninsula, contra Hiberniam, inde 20. mill. distantem, teste Lhuydo. Ibi Novantum promontorium, *Kanter*, teste Boethio, *Akermonchead* Camdeno. Sed Boethio fides. Novantum aliis est Chersonesus Gallovidiæ, regionis Scotiæ in ora occidua, vulgò *the Mull of Gallovvay*. Proximi sunt Selgovæ ad austrum, vulgò *Solvvay*, ubi Solveus flumen & Trimontium urbs; vulgò *Uzell*, seu Cera. & Damnii ad Boream, ubi Glota seu Cluda fluvius; quorum regio *Sterlingshire*; in qua urbes Glas. oa, & Castrum Britonum; vulgò *Donbritton*, apud Bedam Alcluid. Tametsi alii aliter de Damniis sentiunt. Horum ratio minus confusa & incerta. Novantæ, (Novantes Camdeno) populi Albionis, in Scotiâ & occidentem, quorum regio ubi hodie Gallovidia, *Galevvay*, cujus pars occidentalis est peninsula contra Hiberniam, (inde 20. mil. distantem, teste Lhuydo) nonnullis Novantum Chersonesus, & Novantum promontorium dicta (quod tamen Mercator & Boethius statuunt, ubi hodie *Cantyre*; perperam, nam ibi olim Epidium.) Hisproximi sunt Selgovæ ad austrum, ubi Solveus fluvius sive fretum, (vulgò *Solvvay Frith*; prope *Solvvay* oppidum) ubi & Trimonium urbs, ut & Uxelum: Damnii verò ad Boream, ubi Glota seu Cluda fluvius, quorum regionis pars est hodie *Sterlingshire*; in qua urbes Glascoa, & Castrum Britonum; vulgò *Dunbritton*, apud Bedam Alcluid. Tametsi alii aliter de Damniis sentiunt; Ferrar.

Novanta, populi Baudrando fuere Scotiæ occidentalis, ubi incipit australis, in orâ maris Verginii, & contra Hiberniam. Ibi nunc provinciæ Gallovidia, *Galloway*, & Carictâ; *Carrick*, eorumque caput dicitur Leucopibia, nunc *Witherin*. Novantum autem promontorium *The mul of Gallovvay* dicitur.

Novanus, Plin. fluvius Umbriæ, in agro Pitinate, trans Apenninum, qui in solstitio æstivo torrens est, in bruma siccari solet, teste Plinio *lib.* 2. *cap.* 103.

Novaria, Plin. Ptolom. & al. *Novara*, urbs Insubriæ Episcopalis sub Archiepiscopo Mediolanensi, inter Mediolanum 25. & Vercellas 10. mill. pass. à Ticino 30. à Vertocomacoris populis condita; Petri Lombardi clarissimi Theologi; qui Magister sententiarum cognominatus est, patria. Hic factus Episcopus Parisiensis, ubi anno salutis 1060. decessit. Urbis hujus antiquitatem & nobilitatem testantur plurimæ marmoreæ inscriptiones. Aria Libya & Leonina. Cato, *in Origin.* Hic Helvetii, Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediolan. contra Gallum Venetosque defensores, à Gallis obsessi, Duce Motoio, stupendâ animi magnitudine, numerosissimum & instructissimum Gallorum exercitum adorti sunt, cumque fict

licet omni equitatu destituti, fœdissimè profligatur, die 6. Junii, Ann. 1513. verba sunt Bucholceri, *Ind. Chronol. Ex Guicciardino.* long. 30. 27. lat. 44. 35.

Nova Segovia, vulgò *nueva Segovia*, urbs Asiæ, in Philippinis & in Manilla insula, episcopalis sub Archiepiscopo Manillano, sub Dominio Hispanorum.

Nova Suecia, vulgò *nouvelle Suede*, regio parva Americæ septentrionalis, in ora maris Borealis, inter novum Belgium ad Boream & Virginiam ad austrum, antea à Suecis habitata, & postea ab Holandis occupata. Ibi oppida præcipua Gottemburgum & Christiana, prope ostia fluvii Austrini.

Nova Valachria, vulgò *nievv Valcheren*, provincia Moscoviæ Borealis satis parva, inter tractum novæ Holandiæ & Petzoram fluvium, sic ab Holandis dicta, in ora maris Tartarici.

Nova Valachria, vulgò *nievv Valcheren*, insula est Americæ, in mari Boreali, & una ex Antillis, versus oram Americæ meridionalis; & 10. tantùm leucis Germanicis ab insula Trinitatis in Boream. Antea Tabaci insula dicta fuit, *Tabago* Hispanis; subestque Dominio Holandorum. Ibi oppidum primarium nova Flessinga.

Nova Wallia meridionalis, vulgò *nevv south Walles*, pars terræ Arcticæ in America septentrionali, propè mare Hudsonium, ab Anglis detecta & denominata.

Nova Wallia septentrionalis, vulgò *nevv north Walles*, pars terræ Australis in America Boreali, versus mare Hudsonium, ab Anglis dicta & detecta.

Nova West-Frisia, seu *Nova Frisia occidentalis*, vulgò *nievv West-Frieslandt*, prov. parva Moscoviæ Borealis, inter ostia Obri fluv. & Ostiorum regionem, in ora Oceani septentrionalis.

Nova Zelandia, vulgò *nievv Zelandt* Batavis, *nouvelle Zelande* Gallis, regio ampla, seu pars terræ Australis & Antarcticæ, recens detecta à Batavis. Sita est ad austrum maris Pacifici, & longè à nova Guinea in ortum, uti à terra Diemenis & ab insulis Salomonis. Sed non constat, utrum sit insula aut continens.

Nova Zemla, vulgò *nouvelle Zemle*, regio ampla Europæ, Moscoviæ Boreali ferè adjacens, & ab ea tantum Freto Nassovio, seu Vaigatio separata. Est in Oceano Glaciali, & creditur pars terræ Arcticæ. Sed non certò constat: an sit insula, quanquam sit vulgò creditur, & lustrata tantum fuit versus oram littoralem occidentalem. Ibi nullum oppidum neque vicus quod sciam.

Novaugusta, Ptolom. *Nova Augusta*, Plinio, *Atienza*, Moletio, oppidum Hispaniæ, in finibus Arevocarum, ac in Castella veteri, in novæ confinio, inter Segontiam 4. & Uxamam 9. mill. Hispanicis, à Burgis 22. Medinæ cœli propius.

Novatus, Episcop. in Africa; perfidus, adulator, arrogans, sordidus, Cyprian. *epist.* 46. 47. *&c.* Patrem fame perire passus, orphanos, viduasque impunè spoliavit. Hinc Schismatis auctor, Felicissimo c. Cyprianum præsto fuit. Cum Novatiano dein, viro eloquente & Philosopho, sed Cornelium in Papatu sibi prælatum indignante, Romæ amicitiam contraxit, qui duo tantum egerunt, ut Novatianus à quibusdam Præsulibus contra Cornelium ordinaretur. Sed cum ludibrio haberentur à reliquis, novam hæresin ortus docuit, post Baptismum in aliquod delictum prolapsos, ad pœnitentiam non esse recipiendos. Ejus discipuli *Novatiani*, se Catharos quoque appellabant; insuper damnantes nuptias secundas, & peccatores rebaptizantes. Ne quidem Concilio Niceno coerciti, in sectas dein abierunt, & à Sabatio quodam Judaismus in illorum communionem introductus est; Euseb. *Hist. lib.* 6. Epiph. *hæres.* 59. Augustin. *hæres.* 38. Hieronym. *de Script. Eccles.* Baron. *in Annal.*

Novellara, oppid. cultum Lombardiæ infer. inter ditiones Mutinensem & Mantuanam, sub proprio Comite, e familia Gonzaga, cum aliquot castris, 10. mill. à Rhegio Lepidi, in Boream Mantuam versus.

Novellius, alio nomine *Antonius*, inter Duces Othonianos, cui quoque cum aliis summa expeditionis, contra Galliam Narbonensem, concredita, Tac. *Hist.* 1. 87.

Novellus, Mediolanensis quidam, temporibus Tiberii Cæsaris, qui gestis honoribus à Prætura ad Consulatum usque pervenit. *Tricongius* dictus, quod *tres congios* vini uno impetu epotaverit, Plin. 13. 22.

Novemmisium, opp. Mysiæ, quæ nunc *Servia* dicitur.

Novempagi, postea Balneoregium, urbs Hetruriæ episcop. media inter montem Physconem & Oropitum 6. m. p. à Viterbio 14. in Occ. *Bagnarea*, long. 35. 55, lat. 42. 20.

Novempopulonia, regio Aquitaniæ, inter Garumnam fluv. & montes Pyrenæos, Oceanumque comprehensa, vulgò *la Guascogna*, sic à *novem populis* dicta, qui sunt *Vasates, Meduli, Bojates, Ausci, Convenæ, Consorrani, Bigerrones, Tarbelli*, & *Elusates*, teste Cænali.

Novavia, civitas Thraciæ, quæ & *Amphipolis*.

Novendium, seu *Novendiale*, sacrificium funebre, quod fiebat 9. die post mortem alicujus, Horatius,

> *Et in sepulcris pauperum prudens anus*
> *Novendiales dissipare pulveres.*

Inde *Novendialis cœna* Tacito *An.* 6. Plinius *Novendiale convivium* vocat. 20. 1. *In Novendiali convivio magnos gemitus edebant, & minas contra Deos.* Apulejus *Met.* 9. *Jamq; nono die completis solennibus, familiam supellectilemq; & omnia jumenta ad hæreditariam deduxit auctionem.* Græci τὰ ἔνατα vocant.

Novensiles, Dii à Sabinis Romam deducti existimantur, atque iis à Tatio rege ex voto ædes dicatæ fuerunt, Varro *de L. L.* Sunt qui Novensiles Deos appellatos putent, *Herculem, Vestam, Salutem, Fortunam, &c.* quòd novissimè in Deorum numerum recepti sint, quasi *nuper*, aut *novissimè salientes*, hoc est, in numerum Deorum ascendentes. Liv. *lib.* 8. in Decii pro legionibus devotione. Alii, quod verisimilius videtur, numina peregrina sic appellata fuisse existimant. Solebant enim Romani Deos omnes urbium superatarum, partim per familias spargere, partim publicè consecrare; ac ne aliquis Deorum multitudine, aut ignorantiâ præteriretur, brevitatis & compendii causâ uno pariter nomine cunctos *Novensiles* invocabant, Arnob. *lib.* 3. *contr. Gent.* Vide Voss. in *Novem*.

Noverogus, opp. Gall. elatum in Pictonum finibus, à Rupella 9. leuc. Pictavos versus, teste Scaligero. Vulgò *Niort*, long. 20. 00. lat. 46. 15. Vide *Niortium*.

Noverus, sive *Novarus*, *les Noulliers*, teste Elia Vineto, pagus Aquitaniæ in finibus Santonum, apud Engeriacum. *Novioregum* Antonino, ut videtur Scaligero. Ejus meminit Auson. *Ep.* 24.

> *Totq; mea in Novero sibi proxima prædia pago.*

Novesium, vulgò *Nuys*, opp. celebre & probè munitum Germ. inferior. ad confluentes fluv. Erfti in Rhenum, contra Dusseldorpium urbem à Coloniâ 5. leuc. in Bor. *Nuasium* Ptolemæo, long. 28. 12. lat. 58. 10. sub Electore Colon.

Novidunum, Ammiano, *Noviodunum*, Ptolemæo, opp. Mysiæ infer. ad Istrum fluv. medium inter Destorium ad primum Istri alveum, & Kiliam novam in ort. ad 6. mill. Germanica. Baudrando, urbs Illyrici Or. in Scythia. Nunc *Nivorz* quibusdam in Bessarabia, Bulgariæ prov. 15. m. p. à Destoro in Occ.

Noventum, pagus German. super. in Alsatiâ cum cœnobio, vulgò *Ebersheym*.

Novigentum, vide *Nonigentum*.

Novigradum, oppidul. Dalmatiæ cum arce, sub Venetis, juxtà Sinum cognom. 20. m. p. à Jadera in Ort. 25. à Sibenico in Bor. Quibusdam est *Argyruntum* antiq. Item Hungariæ, à Rodolfo 2. Turcis ereptum, An. 1594.

Noviodunum, opp. Norici ad Saum fluv. in Carniolâ, à Labaco 4. leuc. Villacum versus. *Neumarck*, teste Lazio, sive *Krainburg*.

Noviodunum, quod *Noviomum*, seu *Noviomagus*, posterioribus dicitur, vulgò *Noyon*, urbs Gall. Belg. Episcop. sub Archiepiscop. Rhemensi in Picardiâ, inter Suessiones 10. & Ambianos 15. leuc. quot à Rhemis in Bor. à Lutetiâ 22. in Cæc. long. 24. 6. lat. 49. 25. Nunc in Insula Franciæ, juxta limites Picardiæ, ad amnem *Vorse*, qui 2. mill. infrà cadit in Oesium fluv. 8. leuc. ab Augusta Suess. in Circ. 14. ab Ambiano in Eur. 16. à Remis in Occ. Baudr. Cæterum *Dunum* talis est adjectio, qualis apud Germ. *Berga*, vel *Burgum*. Ac volunt quidam veteri Gallorum linguâ *montem* significari. Urbs est Episcop. ut dictum, cum Comit. una ex 12. antiquissimis regni Urbibus, quæ Parium prærogativâ gaudent. Cæsari *Noviodunum Belgarum*, Ptolom. *Noviomagus Vadicassium*. Cœterum *Noviodunum*, à Cæsare obsessum vult Suessiones esse, Sanso, non hoc Noviomum. Episcopatus Veromanduorum huc, Augustâ Viromanduorum, An. 520. à Barbaris destructâ, translatus est. A Normannis An. 859. Noviodunum vastatum, Immone Episcop. capto: incendio deletum, An. 1131. & aliàs: ab Henrico quarto Ligæ ereptum, Ann. 1591. Urbs elegans, ædificiis culta, fontibus & templis magnificis inclyta. Episcopus, Comes & Par Franciæ est. Duchen. *Antiquit. Urb. Gall.* Jac. le Vasseur, *Annal. Noviodun. &c.* Hic Concilium An. 814. Flodoard. *lib.* 2. *Hist. Rhem. cap.* 8. Item An. 1271. pro libertate Ecclesiæ. Item A. 1344.

Noviodunum alterum, Hotomannus apud Cæs. *lib.* 7. *cap.* 12. legit *Nevidunum*; oppid. Gall. Celt. in finibus Biturigum, inter Bridoborum & Condate ad Ligerim fluv. inde 2. hinc 4. leuc. à Nivernis 17. in Bor. *Neuvy*, vel *Neufuy*.

Noviodunum, item Heduorum. Vide *Nivernum*.

Noviomagum, opp. German. super. in Palatinatu, vulgò *Odenheum*. Vel est ipsa Spira urbs, ad Rhenum, 1. cum dimid. leuc. infra *Udenheim* pagum, ubi nunc Philippoburgum. Aliter *Noviomagus Nemetum*, & *Nœomagum*. *Noviomagum* item *Nevvenburg*, ut videtur Ortelio opp. German. super. in Alsatiâ ad Rhenum, inter Hagenoiam 5. & Spiram 6. leuc. Vide *Neopyrgum*.

Noviomagum, urbs insignis Germ. infer. Geldriæ infer. primaria. *Numegen*; ad Vahalum fluv. 2. leuc. ab Arenaco in merid. 9. à Ruremonda in Bor. 6. ab Ultrajecto in Ort. 20. infra Coloniam Agr. in Bor. permunita. An. 1585. turbarum tempore, Hispanis, à Rom. relig. sectatoribus, quorum magna in urbe vis, dedita est, quam Scenkius, infelici conatu, recuperare annisus, Vahali est mersus, An. 1589. sed felicior Mauritius Princeps, illam An. 1591. fortiter expugnatam, Confœderatorum Belgii Ordinum Dominio adjecit. Quibus illa An. 1672. bello Belgico-Anglico-Gallico, &c. à Gallis, postquam cives fortissimè aliquamdiu restitissent, erepta quidem, sed anno & Fortunâ vertente, reddita est. Quam historiam dignam scitu, exhibet libro peculiari Gallicè scripto, Joh. le Brun, Minister Noviomagensis. Cœterum apparere primum hæc urbs incepit, in Itiner. Antonini: cui Palatium à Carolo M.

additum annales Francici docent; insuperque id ipsum in cineres sedisse, urentibus Normannis. Postquam dein Germani præposuere, libera civitas, multumque Imperatoribus dilecta sedes. Post scisso Pontificum artibus Germaniæ imperio, à Wilhelmo Holl. Com. qui ejus partem obtinuit, Ottoni Geldriæ tum Comiti, pignori data, ex eo jure annexa Geldriis, contermino agro & oppidis imperat, dives pace, nec ingeniis infœcunda. Arx, in regione, veteris militiæ inclyta monumentis, cujus operis gloriam ad Julium per Gallias militantem oppidani trahunt. Quidam conditores urbis Cattos fuisse memorant, qui, profugi quondam patriâ, Rheni Insulam & proxima Belgicæ oræ cultoribus vacua tenuerint; de quo vide Hug. Grotium, *Hist. lib. 2. ad An.*1591. In hac urbe Synodo celebratâ, constituit Henricus 2. Imper. ut panis ad dextram, calix ad sinistram, in administratione S. Cœnæ, collocaretur. Circa An. 1005. Lætus, *Comp. Hist. Univ. p.* 244.

Noviomagus multiplex: unus in finibus Biturigum Vibiscorum, Ptolom. *Solac*, teste Vineto. Baudrando, opp. Biturigum Vibiscorum, in Aquit. Aliis est *Bourg*, Burgus, oppid. ad confluentes Dordoniæ in Garumnam. Dicitur & *Bourg sur mer*, ab æstu maris huc accedente, 4. leuc. infra Burdegalam in Bor. vix 2. à Blabia in Eur. Alter in Gall. Belg. inter Suessiones & Ambianos, Anton. Tertius Gall. Celt. in Normannia post Juliobonam. Idem. Quartus Angliæ pagus apud Londinium, inde 10. m. p. *Woodcote*, teste Camdeno.

Noviomagus Paulus, Concionator regius Christiani 3. Daniæ Reg. in Reformatos, Mariâ apud Anglos dominante, inde in exilium ejectos, sedesque quærentes, duce Johanne à Lasco, gravis, quòd delitescentiam corporis & sanguinis Christi in S. Cœna non agnoscerent, tantum effecit apud Regem, ut in ipsa bruma ejecti, illis sub periculo capitis repetere, prohiberentur, An. 1554. Quâ inhumanitate improbatâ, Gustavus Sueciæ Rex, tutum illis hospitium obtulit. Utenbovius *in Narr.* Ubbo Emmius, *lib.* 59. Lætus, *in Comp. Hist. Univ.*

Noviomus, seu *um*, vulgò *Noyon*. Vide *Noviodunum*.

Novioregum, opp. Aquitaniæ. Vide *Noverus*.

Novium, vide *Noela*.

Novius, prænomine *Gneus*, insignis eques Romanus, ferro accinctus repertus est in cœtu salutantium Claudium Cæsarem. Ob hanc causam, postquam tormentis dilaniabatur, de se Novius, conscios non edidit incertum an occultans. Hac fortè occasione Claudius primus scrutatores instituit, qui promiscuè omnes ad principem salutandi vel quâ aliâ causâ venientes excuterent.

Novius Priscus, in Conjuratione Pisonianâ, ob amicitiam Senecæ infamatus magis, quàm convictus, in exilium à Nerone mittitur, Tacit. 15. 71.

Novius, fluv. Albionis geminus: unus Walliæ, *Convvey*, teste Lhuydo; alter *Nid*, seu *Nyth*, in Scotiâ, teste Camdeno, apud Solvacum opp. in mare occiduum labens.

Novoburgum, urbs Bavariæ ad Danubium, sub proprio Duce, è familia Palat. Vide *Neopyrgum*. Item, urbs Comir. Hoyensis, ad Visurgim, sub Duce Brunsvic. 4. leuc. supra Verdam in Met. 8. à Cella in Occ. Diepholtiam versus.

Novocomum, seu *Novum Comum*, urbs Insubriæ ad lacum Larium, pop. *Novocomenses*. Vide *Comum*.

Novogardia, vulgò *Novogrod*, seu *Novogorod*, urbs gemina Sarmatiæ in regno Moschorum: una magna cognomine, Archiep. & metropolis Russiæ albæ, urbs amplissima, à Moschâ Moschorum regiâ 100. leuc. in Occid. quot à Plescoviâ in Bor. long. 57. 00. lat. 70. 10. Altera inferior cognominata ad Volgam fluv. inter Moscham 100. & Cassanum in Eurum 70. leuc. Germ. teste Sigismundo Herbersteinio, long. 72. 00. lat. 60. 10. Vide infra.

Novogardia, duo sunt Ducatus Moscoviæ, quorum alter dicitur *Novogrodia inferior*, in quo est urbs ampla, lignea ejusdem nominis cum ducatu, sita ad Volgæ & Occæ confluentes. Arcem habet in scopulo, & distat à civitate Mosqua 100. milliar. Germ. 40. à Vlodimiria in Bor. Alter verò dicitur, *Novogrodia magna*, incolis *Novogrod Wielki*, & in eo etiam est urbs ejusdem nominis amplissima, cæteras partium septentrionalium præcellens: magnitudine namq; sua Romam superat, licèt ædificia majori ex parte lignea habeat: à Johanne Basilio duce Moscoviæ capta est Ann. 1577. distatque hæc urbs in Circ. à civitate Mosqua 105. milliar. Germ. 46. à Plescovia in Orc. uti fere à confinio Lithuaniæ in Bor. & à Narva in Eurum. Fuit in ea Idolum nomine *Perum*, quod accolæ summo cultu adorabant: erat illi forma viri lapidem ignitum manu tenentis, ex quo fulmen emicabat, Merel. Bert. Ad Volkovam amnem, qui ex lacu Ilmeno exit. Capta fuit à Suecis Ann. 1611. sed reddita Moscoviæ M. D. cui subest, ut dictum ab A. 1577. Suntq; in ea 70. monasteria. Baudrandus.

Novogardia Lituanica, vulgò *Novogrodek*, cognomento *Litavvuki*, urbs Poloniæ, in Lithuania, Palatinatus cognominis caput, inter Polesiam ad austrum, & Polachiam ad occasum. Vix 4. leucis Polonicis à fluvio *Niemen* distat, & 20. à Vilna urbe in austrum.

Novogardia Severia, vulgò *Novogrodek Seviersky*, urbs munita, Lithuaniæ attributa, aliàs sub Polonis, nunc sub Dominio magni Ducis Moschoviæ ab aliquot annis. Sita est ad Deznam fluvium, 27. leucis Polonicis à Czernihovia in ortum, 40. à Chiovia in Cæciam, & 45. à Smolensco in merid. Ab ea provincia adjacens dicitur Ducatus Novogardiæ Severiæ seu Severiensis Ducatus.

Novomarchia, seu *Novus Mercatus*, vulgò *Neumarck*, Saxonicè, *Wasserhely*, Hungaricè, oppidum Transylvaniæ, ubi Siculorum conventus, juxta Marisum fluvium, & ad radices Carpathi montis, 35. mill. pass. à Claudiopoli in Cæciam.

Novopyrgum, postea Novus mons, *Novomont*, urbs Mysiæ superioris, in Servia, ad Moravam flumen, Laonic.

Novostadium, vulgo *Neustadt*, urbs Germaniæ, in Australia inferiori, prope amnem Leytam, Episcopalis sub Archiepiscopo Salisburgensi. Urbs est probe munita. Vide *Nova civitas*.

Novestadium, vulgò *Neustat*, urbs Germaniæ, in Ducatu Brunsvicensi, ad Leinam amnem, media inter Novoburgum in Cæciam & Hannoveram in Africam, 6. leuc. à Cella in occasum.

Novum, oppidum erat Carnorum, in agro Aquileiensi, Liv.

Novum, item ex Itinerario antiquo locus erat Insubriæ, medius inter Mediolanum & Laudem Pompejam, ubi nunc Melignanum, *Merignano*, oppidum ad Lambrum fluvium, 10. mill. pass. utrinque distans.

Novum Amsterodamum, vulgò *nievv Amsterdam*, seu *Manhate*, urbs recens novi Belgii, in America septentrionali. Vide *Amsterodamum novum*.

Novum Belgium, vulgò *nievv Nederlandt*, Belgis, *nouveau Païs-Bas*, Gallis, pars est Americæ septentrionalis, Batavis subdita, juxta oram littoralem maris Borealis, inter novam Angliam ad Boream, mare Boreale ad ortum & meridiem, & novam Franciam Virginiamq; ad occasum; estq; ejus pars australis nova Suetia, quæ ante paucos annos ab Holandis occupata fuit, ejectis inde Suecis. Ibi oppida primaria novum Amsterodamum & Nassovia.

Novum Castrum, aliàs *Neocomum*, Vide ibi. Oppidum Helvetiæ in littore lacus *Neocomensis*, qui quinque leucas German. longus, initio prope Ebrodunum sumpto, influit, per fluvium Telam, in lacum Biellensem. Jacet in Aventicis, cum tit. Comitatus, qui à Novocastrensibus, seu Neocomensibus Comitibus, (è quibus Bertholdus, An. 1130. Ludoldus, An. 1240. Henricus, An. 1274. Humbertus, An. 1395. Episcopi Basilienses fuere,) ad Comites Hochbergios, Rœteliæ dominos: ab his ad Longovillanos in Galliæ duces pervenit. Occupatum cum toto Comitat. à Bernensibus, communi Helvetiorum nomine, bello inter Ludovicum 12. & Helvetios flagrante, præfectum accepit. Postmodum certis pactionibus Johannæ Hochbergiæ, Longovill. ducis viduæ, restitutus Comitatus est, An. 1529. Cæterum cùm ante hoc tempus, jam certis conditionibus & pactis conjunctus esset Bernatibus, Lucernensibus, Friburgensibus & Solodoriis; illa, in hac restitutione confirmata, Dominique Comitatus hoc tempore peculiari fœdere Bernatibus sunt obstricti. Variorum Autorum *Resp. Helvet.* Vide quoque *Noidenolex*.

Novum Castrum, vulgò *Neufchastel*, urbs Angliæ septentrionalis, in Northumbriæ Comitatu, ad Tinam fluvium, satis munita, 4. milliaribus Anglicis distans ab ora Oceani Germanici, & 10. à Dunelmo in Boream Scotiam versus.

Novum Castrum, vulgò *Neufchastel*, oppidum Galliæ, in Normanniæ Ducatu, ad Arcam fluvium, in Caletensi tractu, 8. leuc. à Diepa in Eur. Bellovacum versus, & 4. ab Albamala in occasum.

Novum Londinum, vulgò *nevv London*, Anglis, urbs recens Americæ septentrionalis, in nova Anglia, quæ aliter *Boston* dicitur. Vide *Londinum novum*.

Novum Mexicum, vulgò *S. Fè ò nueva Mexico*, Hispanis, urbs parva Americæ septentrionalis, juxta fluvium Borealem, & novi regni Mexicani caput, recens exstructa ab Hispanis, 100. circiter leucis ab ora maris Purpurei distans in ortum.

Novum Plimuthum, vulgò *nevv Plimouth*, urbs recèns exstructa ab Anglis, in nova Anglia. Vide *Plimuthum novum*.

Novum regnum Granatæ, vulgò *nuevo Reyno de Granada*, pars ampla Americæ meridionalis, in regione Terræ firmæ, ut dicunt, & inter Pariam provinciam ad ortum, Præfecturam Popajanam ad occasum, & Præfecturam Sanctæ Marthæ ad Boream; subestq; dominio Hispanorum, qui in eo habent aliquot colonias. Ejus primaria urbs est Fanum Sanctæ Fidei de Bogota, *S. Fé de Bogota*, Archiepiscopalis.

Novum regnum Mexicanum, vulgò *nuevo Mexico*, quod à quibusdam dicitur etiam novum regnum Granatæ, *nueva Granada*, pars est ampla Americæ septentrionalis, inter mare Purpureum ad occasum, Floridam ad ortum, & novam Hispaniam ad meridiem. Ante quinquaginta annos detecta fuit ab Hispanis, qui in ea habent aliquot colonias. Ibi novum Mexicum, *nueva Mexico*, urbecula præcipua.

Novus Mercatus, vulgò *Novibazar*, urbs Serviæ regionis primaria, ad Orascam amnem, in ditione Turcarum. Dicitur aliter Novoforum, 50. milliaribus distat à Nissa in occasum.

Novus Mercatus, vulgò *Neufmarché*, pagus Galliæ, in provincia Normanniæ, ad Eptam fluvium, aliàs amplus, nunc defecit. Distat tantùm una leuca à Gornaco in austrum, 4. à Cæsortio in Boream, & 19. à Parisiis in Circium. Ibi habitum Concilium Anglicum An. 1161. sub Alexandro III. Pontifice Maximo. Castrum

habuit

...libuit superbum, nunc destructum, & 6. leucis distat à Bellovaco in occasum, Rothomagum versùs decem.

Novus orbis, vulgò *le nouveau Monde*, pars est amplissima orbis, recèns detecta à Christophoro Columbo, nempe die Jovis undecimâ Octobris, An. 1492. Dicitur aliter Indiæ occidentales, *les Indes occidentales*, seu meliùs & communiùs America, *l'Amerique*; estque una ex quatuor orbis partibus, sed aliis major, & à septentrione in meridiem extenditur, sub duarum magnarum peninsularum formâ, quæ tenui Isthmo septendecim leucarum connectuntur. Vide *America*.

Novus portus, vulgò *Nevvhaven*, teste Ortelio, aliis *Rhie*, oppidum cum portu Albionis in ora Angliæ Australi, à Cantuaria 10. mill. Cicestriam versùs, à Londino 48. in Eurum & austrum. Vide *Lemannus*. Est & Portus novus oppidum Vectis insulæ primarium, *Nevvport*, contra Hamptonam oppidum Angliæ. *Medina* quibusdam.

Novus portus, vulgò *Nieuport*, urbs Belgii probè munita, in Comitatu Flandriæ, alias *Santhoft* dicta. Gaudet portu utcunque capaci in ora maris Germanici, ad ostia fluvii *Yperlée*, 4. leucis à Dunquerca in ortum, 2. ab Ostenda in occasum, & 5. ab Ipris in Boream, in territorio Furnensi.

Nox, ab antiquis ut Dea culta fuit: eam mulieris formâ effingere, nigris expansis alis, quæ volare videretur. Pulchra est apud *Pausaniam in Eliacis* descriptio Noctis Mortis & Somni, his verbis: Fœmina expressa est, puerum consopitum lævâ album sustinens, nigrum dexterâ: & hunc dormienti effigie, distortis utrinque pedibus indicant inscriptiones, quod facile tamen, ut nihil scriptum sit, conjicere possis, eorum puerorum unum *Mortem* esse, alterum *Somnum*, mulierem, illam *Noctem*, utriusque nutricem.

Noym, Nilus ab Ægyptiis sic dictus. Orus Apollo *Hieroglyph.* 1.21. Νεῖλον ἀνάβασιν σημαίνοντες, ὃν καλοῦσι Νοῦν, ἑρμηνευθὲν δὲ σημαίνει νέα. Ubi Caussinus, *Quod autem ait, Nilum ab Ægyptiis Νοῦν appellari, congruentia dicit Hesychio; qui in dictione νῦς, ait eam significare* ψυχὴν, πνεῦμα. At verò si fluv. hicce *Noym* appellatur, quid si pro Νοῦ Νοῦν reponamus. Certe non invenusta est illa Wendelini conjectura, qui ab Hebræo נעים *naim*, quod est *jucundum*, deducit. Quid enim Ægypto jucundius vel suavius Nilo accidere potest? *Illa facies*, ait Seneca, *pulcherrima est, cùm jam se in agros Nilus ingessit, &c.*

Nys, Græcè Νῦς, Ciliciæ fluv. Vide *Cescus*.

Nozeretum, oppidum Comitatus Burgundiæ, olim *Nucillum*, à nucibus dictum: sed Ludovicus Princeps Cabillonius, ab expeditione Hierosolymitana reversus, *Nazareth* id dici voluit, quum id muris cinxit, Metel. Merula.

N V.

Nuagerta, inquit Nebrissensis in suo Dictionario. Ptolemæo Gall. Belg. urbs est. *Aquisgranum* Jovio, *Vegerra*, Sabellico, *Veterra*, Volaterrano.

Nuba, rex Daniæ, ab Henrico 1. Cæsare ad Christianismum vi adactus.

Nuba, opp. Libyæ juxta Nilum. Dicuntur & *Nubæi*, & *Dabæi*, & *Numides*. Steph. forte verò pro Δαβαῖοι, Ναβαῖοι reponendum.

Nubæi, populi Arabiæ desertæ, Plin.

Nubia, incolis *Neuba*, regio ampla Ægypto adjacens, versus Nilum & Nubam fluv. undique montibus vallata, Presbyteri Joannis, Æthiopiæ Imper. regno in multas provincias distincto undique cincta; olim Christianam religionem professa, nunc ab eâ deficit. Regio est ditissima auro, atque ebore, saccari & frumenti feracissima. Præcipua urbs est Dangala, cujus incolæ sunt admodum divites & cum Ægypti mercatoribus negotiantur. Quòd Presbyteri Joannis mentionem faciat author, mihi in mentem revocat, quod de eo tradit D. Brianus Waltonus, Episcopus haud ita pridem Cestriensis, *in Præfat. Introductionis suæ ad lectionem Linguarum Orientalium.* Sic enim ille: *Rex Æthiopiæ, qui longè latèq; multis populis per Africam imperat, à multis vocatur* Presbyter Joannes (*Angli vocamus* Prester John) *seu* Pretegianus, *quem post Scaligerum Regem Abyssinorum esse volunt, errore manifesto; cùm certum sit, in ultimis Asiæ finibus, non in Africâ ante 400. Ann. regnasse regem Christianum, qui sermone Persico* Padeshia Pristigiani, *id est, Apostolicus vocabatur, unde* Presbyteri Joannis *nomen ortum.* Terminatur à Sept. Ægypto & deserto Barcæ, ab Occ. Zaarâ reg. ab Ort. & Merid. Æthiopiâ superiori seu Abyssiniâ, ad 400. leuc. Gal. extensa. Urbes præter Dangalam, sunt Cusa, Gualva, Jalum & Sula, Baudr. Vide *Abyssinia*.

Nubiani, errones qui se Ægyptios vocant. Vide *Cyngari*.

Nucia, Italiæ urbs, infra Brixellum, haud procul à Padi ripâ, vulgò nunc vocabulo *Lucera*; sive, ut alii dicunt, *Luzzara*. Hoc omnium ferè judicio est id oppidum, quod Ptolomæo vocatur Νουκερία. Ἡ δὲ Γαλλία, inquit, ἡ Τογᾶτα ἔχει πόλεις τάσδε. Πλακεντία, Βρίξελλον, Πάρμα, Ῥήγιον Λέπιδον, Νουκερία, Τάννητον, Μούτινα, Βονωνία. Nec mirum sit, quæ olim fuerit *Nuceria*, eam nec dici *Luceriam*, quando clarissima quondam Romanorum colonia *Luceria* in *Apuliâ*, vulgò nunc vocatur *Nucera*; rarò *Lucera*. Quanquam hæc apud antiquos etiam auctores Ptolemæum, & tabulam itinerariam, legitur Νουκερία Ἀπούλων. Apud Appianum verò, *Civilium bellorum lib. 2.* simpliciter Νουκερία. Unde mihi haud levis, nec vana conjectura, istanc etiam in Galliâ Togatâ dictam fuisse jam olim, ut nunc *Luceriam*, quâ de causâ postea ad discrimen hujus Ptolemæus, atque auctor Tabulæ scripserunt Λουκερία Ἀπούλων, Cluverius. long. 36. 15. lat. 43 03.

Nuceria, Baudrando, *Nocera*, urbs est Umbriæ, ad rad. Apennini, in limite Marchiæ Anconitanæ, 16. mil. à Spoleto in Sept. Fabrianum versùs, 15. à Camerino in Occ. Allisium versùs, uti à Fulginio in Caec. in colle, ad fontes Tiniæ, sub Pontif. Plin. Strab. Leander Alberti, *descr. Ital.*

Nuceria, Campaniæ fel. urbs trans Vesuvium mont. in valle, quam Sarnus amnis inter Vesuvium & Lactarium montem efficit, sita; vulgò *Nocera*, Plin. 3. 5. *Herculanium Pompeii; haud procul spectante monte Vesuvio, adfluente verò Sarno amne: ager Nucerinus; & 9. m. p. à mari ipsa Nuceria.* Lucan. *lib. 2.*

Tu quoq; commissa nudatam deseris arcem
Scipio Nuceriæ. ——— ———

Silius Ital. *lib 8.*

Illic Nuceria, & Gaurus navalibus aptus
Prole Dicarchæâ; multo cum milite Grajo
Illic Parthenope, & Pœno non pervia Nola.

Oppidani *Nucerini* Polyb. *lib. 2.* Liv. *lib. 27.* Origo oppidi licèt non adnotata sit, tamen antiquitas ejus inde apparet, quòd jam inde in 1. Decade historiarum suarum ejus meminit Livius, qui *lib. 9.* sic scribit: *Consules partiti provincias. Etruria Decio, Samnium Fabio evenit; Is profectus ad Nuceriam, Alifates, jam tum pacem petentes, quòd uti eâ, quum daretur, noluissent, aspernatus, oppugnando subegit.* Mira sane admodum res: Fabium, uti Alifas, Samnii oppidum, oppugnaret, longè hinc ad Nuceriam, extremam Campaniæ in mediterraneis urbem, profectum. Sed mendum hîc indicat Diodorus, *lib. 19.* Οἱ δὲ τὴν Νουκερίαν τὴν Ἀλφατέρναν καλουμένην οἰκοῦντες, πεισθέντες ὑπό τινων τῆς μὲν Ῥωμαίων φιλίας ἀπέστησαν, πρὸς δὲ τοὺς Σαμνίτας συμμαχίαν ἐποιήσαντο. Et Sigonius, ad locum Livii prædictum, testatur, in veteri exemplari se repeiisse ita, *ad Nuceriam Alfaternam.* Et Franciscus Modius adfirmat, in membranis Fuldentibus sic esse; *ad Nuceriam, Alfaternamq;.* Unam intelligi debere urbem, disertè testantur verba. Tum *Alfaternos* scribendum est, si orationi suus sensus constare debet. *Nuceria* igitur hæc *Alfaterna* dicta; & oppidani ejus *Nucerini Alfaterni*, ad discrimen *Nuceriæ Camellariæ*, quæ est in Umbriâ. Appianus ἐμφυλ. 4. ubi narrat, præcipuas Italiæ urbes ab triumviris militibus fuisse destinatas, ad colonias deducendas, hanc etiam *Nuceriam* inter eas connumerat. Coloniam deductam fuisse. ex Tacito apparet. Is quippe Annal. *lib. 13.* in principatu Neronis ita scribit: *Coloniæ Capua atq; Nuceria additis Veteranis confirmatæ sunt.* Et *lib. 14.* *Sub idem tempus levi contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos, Pompejanosq; gladiatorio spectaculo.* Ab Augusto Imper. primùm deducta est, cognominataque *Nuceria Constantia.* Frontinus *lib. de Coloniis*: *Nuceria Constantia, muro ducta colonia, deducta jussu Imperatoris Augusti*, Cluver. Nunc urbs est Principatus cit. in regno Neap. cum tit. Ducatus Barberinorum, 8. mill. à Salerno in Ort. 10. ab Amalphio in Bor. Baudrandus. Episcop. sub Archiepisc. Salernitano. *Nucera di Pagani* vulgò dicta, eò quòd à Saracenis capta fuit. Strabo, Appianus, Florus, Volaterr. Leand. Alberti, *descr. Italiæ, &c.* long. 38. 42. lat. 40. 14.

Nuchul, accolis, *Dara* barbaris vocatur lacus quidam Æthiopiæ, ut scribit Orosius.

Nucria, invenitur pro *Nacria*, urbs Tusciæ, Steph.

Nudipedalia, ludi quidam seu spectacula Lacedæmone instituta, An. ab U. C. 81. quæ nudis pedibus à sacerdotibus celebrabantur. Græcis Γυμνοποδία.

Nudipedes, Spirituales, vel Separati, Anabaptistæ, in Moravia exorti, sec. præterito. Imitari se Apostolorum vitam jactantes, ruri vivunt, nudis pedibus iter faciunt, arma, literas, populiq; plausum aversati, Florimundus Raimundus, *lib. 2. c. 16. n. 9.*

Nudiranum, opp. Bastitaniæ, in Hisp. Plin.

Nuithones, Germ. pop. Tacitus, quorum regionem Rhenanus *Nüithland* vocat in Helvetiâ, vel *Nüchtland*. Hi juncti societate Burgundionibus fuerunt, qui sub Theodosio Jun. expulsis latè Sequanis Heduisque, non solùm magnam veteris Galliæ partem, sed & omnem Helvetiam occuparunt, Joh. Bapt. Plantinus, *Helvet antiq. & nova.* Hodie ergo, abolito veteri Aventicensis pagi nomine, tractus ille terræ, novo assumpto dicitur majori ex parte, *das Nüchtland*, vel *Uchtland*, postquam Nuithones ibi sedem fixerunt: pars altera, quæ minor est, Vaudum, *die Waat*, vocatur. Vide Stumpf. *de Pago Aventicensi, cap. 1.* Aliis apud Tac. videtur legendum, *Gythones.* Vide ibi.

Nuitii regio, pars terræ Austr. detecta An. 1625. à Petro Nuitio Hollando. Pars est novæ Hollandiæ perampla & valde extensa à Sept. in Mer. sed tantùm lustrata est versus oram littor.

Numa Marcius, à Tullo Hostilio urbis custodiæ impositus, Tacit. 6. 11. Vide *Marcius*. Sed Josias Mercerus legendum censet *Numæ. N. Marcium*, id est, *Numæ* nepotem. Is est *Ancus Marcius*, qui mox successor Tullo Hostilio. Laudat ad rei confirmationem Senecæ epistolam 109.

Numa Pompilius, ex Curibus Sabinorum urbe ortus, fil. Pomponii, secundus rex Romanorum justitiâ & pietate insignis, qui pacatis finitimorum odiis, quò truces efferatosque longâ militiâ animos ad pacis artis traduceret, ad Deorum cultum, animum adjecit, primumque ad infimum Argiletum Jani bifrontis templum condidit, quod apertum, bellum; clausum pacem indicaret. Dein Dialem, Martialem & Quirinalem Flamines creavit. Salios item 12. Marti assignavit; Virgines Vestales, templo Vestæ dedicato, sacravit. Pontificem Maximum primus declaravit, dies fastos, nefastosque condidit; annum in 12. menses divisit, Leges optimas sanxit. Quæ omnia, quò majore apud imperitam plebem in veneratione essent, simulavit sibi cum Egeriâ Nymphâ nocturnos congressus esse, ejusque se monitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra instituere. Juven. *Sat* 3.

In vallem Egeriæ descendimus. ——
Hic ubi nocturna Numa constituebat amicæ.

Pythagoricus fuisse dicitur. Postremò ubi maximâ cum reverentiâ & suorum, & finitimorum 40. vel 42. ut alii volunt, annos regnasset, diem obiit. An. U. C. 82. Liv. *lib.* 1. Plut. *in ejus vita.* Flor. *lib.* 1. *cap.* 2. Aur. Victor. *de vir. illustr. cap.* 3. Dion. Halicarn. *lib.* 2. *Hist. &c.* Numa autem, à נום *num, dormitavit*, quia non tam bellicosus fuit hic rex, quàm Romulus; sed à potius sacrificulus, ac tranquillitatis amans: ideo fortasse populus bellicosus à dormitatione nomen imposuit, inquit Flaccius Illyricus. *At ego potius* (inquit Simpsonius) *Dormitatorem dictum fuisse putarim, quia se dormire dixit; quia sermonem Dei sic citare solebat, dixit Deus, &c.* Virg. *Æn.* 6.

—— *Nosco crines, incanaq; menta*
Regis Romani, primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis, & paupere terrâ
Missus in imperium magnum.

Regis hujus elogium, ut Romanos omittam scriptores, hoc exstat apud Dionem Chrysostomum *Oratione* 25. Νουμᾶς δὲ τὴν Ῥώμην παραλαβὼν μικρὰν, καὶ ἄδοξον, ἔτι δὲ ἐν ἀκαταστασίᾳ χείρω διακειμένην, καὶ πολεμοῦντας ἔχουσαν τοὺς οἰκοῦντας, ἔτι δὲ τοῖς ἀστυγείτοσιν ἐχθροὺς, καὶ πένητας, καὶ ἀγρίους, καὶ ἐπικινδύνως ζῶντας, τὴν Ῥωμύλου χαλεπωτάτην γῆν, αὐτοὺς βιοῦσιν ἔχειν ἐποίησε, καὶ φίλους εἶναι τοῖς ἀστυγείτοσι, καὶ νόμους, καὶ θεοὺς καὶ πολιτείαν κατεστήσατο, καὶ πάσης αὐτοῦ τὸ ἔργον ἐξ ... τῆς ... δημιουργίας. Horatius, *Carm. libr.* 1. *Odyss.* 12.

Romulum post hos prius, an quieti
Pompilii regnum memorem?

Mart. *libr.* 12.

Pacifici Latiâ reddis ab urbe Numa.

Ovidio *munificus*, *intonsus* & *justus* dicitur. Lucano autem *sacrificus*. Ei comparatur, ob pacis studium, Antoninus Pius Imper, à Julio Capitolino, *in ejus vita*.

Numana, oppidulum Picen in Italiâ, Mela *lib.* 2, Plin. 3. 13. *Numana à Siculis condita.* Sil. *lib.* 8.

—— *Scopulosa rura Numanæ.*

Numantia, urbs Hispaniæ Tarrac. circa 20. An. bellum cum pop. Romano, à quo injustè læsi erant, Flor. gessit, & à Romanis obsessa per Annos 14. cùm haberet tantùm quatuor hominum millia, non solùm sustinuit, sed etiam vicit 40. millia Romanorum, Pompeio & Mancino, ad turpia adactis pacta. Tandem tamen à Scipione post longam & arctissimam obsidionem deleta est. Popul. *Numantini*, qui cùm fame laborarent, nec eis daretur justi certaminis copia, omnia sua, & seipsos igni immiserunt, An. 620. U. C. Horat. *lib.* 2. *Od.* 12.

Nolis longa feræ bella Numantiæ.

Cicer. 1. *Offic. Majores nostri Carthaginem, Numantiamq; funditus sustulerunt.* Et *Philipp.* 4. *Everterunt Numantiam Romani.* Vide Liv. *lib.* 56. 57. Florum 2. 18. Vellej. Paterc. *lib.* 2. Appian. Strab. Plin. &c. Hinc *Numantinus* adjectivum, Prop. 4. *eleg. ult.*

Afra Numantinos regna loquuntur avos.

Long. 18. 58. lat. 42. 30. Numantiæ rudera, nunc *Puente Garay*, sunt in Castella vet. ad radices montium, vix 3. leuc. in confin. Aragoniæ in Ort. 6. à Turiazone in Africa, Uxamam versùs 10. circ. Baudrand.

Numantina, Prior Ti. Plautii Sylvani uxor, sub Tiberio accusata, injecisse Carminibus & veneficiis vecordiam marito, insons judicatur, Tacit. 4. 22.

Numanus Remulus, Rutulus quidam, multum sibi tribuens & immodicè placens, Trojanos in Italiâ mollitiei, & ignaviæ arguit, apud Virgilium in his,

Is primam ante aciem digna atq; indigna relatu
Vociferans, tumidusq; novo præcordia regno
Ibat, & ingenti sese clamore ferebat.

Nummeius Helvetius, nobilissimus suæ civ. princeps ejus legationis, quam primam Helvetii ad Cæsarem miserunt, Cæs. 1. *Comment.* 7.

Numenius, Apameensis Syrus, Pythagoricus, & Platonicus, ἀνὴρ ἐπιφανὴς, juxta Euseb. *Præp. lib.* 11. Cronii, celebris illius Platonici familiaris, juxta Porphyrium, *lib. de antro Nymph. in Odyss.* Libros ejus περὶ τῆς τῶν Ἀκαδημαϊκῶν πρὸς Πλάτωνα διαστάσεως laudat Euseb. *Præp. lib.* 14. Edidit præterea τὰ περὶ Πλάτωνος ἀπόῤῥητα, unde fragmentum adfert in idem Euseb. *Præp. lib.* 13. Scripsit etiam περὶ τἀγαθοῦ aliquot libros, quorum primo Judæorum mentionem facit, teste Eusebio, eumque citat Origenes, *lib.* 1. *contra Celsum.* Ex ejus περὶ ψυχῆς libro quædam adducit Theodoretus *Serm.* 4. Vide Hesychium Mil. in Νουμ. Ejus Plotinus inventa & dogmata sibi tribuere à maledicis quibusdam dictus est, quo plagii crimine ut liberaretur, Amelius librum scripsit de differentiâ doctrinæ Plotini & Numenii. Vixit post Christum natum, teste Theodoreto Θεραπευτ. β. ubi Plotinum, Plutarchum, & Numenium, cùm post Christum natum vixerint, multa Christianæ Theologiæ myster a suis libr s inseruisse dicit. Platonem, *Mosen Atticissantem*, vocavit. Suid. qui & Numenii Rhetoris meminit. Diversus ab hoc est *Numenius* ille Pyrrhonius, Pyrrhonis auditor apud Laert. *lib.* 9. Aliusquoque est *Numenius* Heracleota, cujus ἁλιευτικὰ laudat Athen. 7. 9. *Numenium* quendam rhetora sub Adriano floruisse, docet Suidas. Apollonii ad *Numenium* sententiam laudat Stobæus *Serm.* 123. *consolat. Numenii* cujusdam filium memorat Hippocrates 1. *Prorrh.* apud Galen. *Comm.* 11. *Sect.* 50.

Numentana via, extra portam Viminalem, etiam *Figulnensis* dicta fuit, teste Livio.

Numentanus pons, super Anienem fluv. *Ponte Lamontano*, & ipse à Nomento dictus, sicut *via Num.*

Numeri, liber Canonicus Vet. Test. inter libros Moysis quartus. Hebræis *Vajedabber*, id est, Locutusque, ab hoc enim verbo, incipit. Continetur 36. Capp. in quibus exponitur, ab initio statim, divisio Populi in 12. Tribus, à Moyse & Aarone facta. Dein tribus Levi separationem ad cultum divinum, ejusque officia & ministeria enarrat. Tandem de inobedientia & transgressione populi, periculis & suppliciis improborum, de beneficiis Dei in Israëlitas cumulatim effusis, verba facit. In librum hunc Sacrum prodierunt: Attersoll. *Comm. Angl.* fol. 1618. Augustinus. Balæus *in cap.* 30. Ferus. Junii *Explicatio.* Lorini *Commentar.* fol. Lugdun. Ann. 16 9. Marbachius, quart. Argentinæ, Ann. 1597. Origenes. Pe atgi *Comment.* quart. Lipsiæ, Ann. 1606. Rushbrochius. Roverii *Harmonia cum Comm.* Siphra *Comm. Hebr.* Vide Crowæi *Elenchum.*

Numeria, Dea *numerandi.*

Numerianus, Rom. Imper. cum Caro & Carino, patre & fratre, Patrem in Orientem secutus, jam Cæsar, illo defuncto, Imperator est salutatus: sed ob paternam mortem ex luctu æger, ab Ario Apro, socero suo, occisus est, An. 284. Eloquens, & Poëta insignis, ipsius Olympii Nemesiani & Aurelii Apollinaris victor: quorum ille vitam Cari Jambo expressit, alter halieutica scripsit. Vopiscus *in Numeriano*, Aur. Victor, Eutropius, &c.

Numerius, prænomen pronomine Gentilitio usurpatum. Asconius in Pisonianiam Q. Numerii meminit.

Numicius, nunc *Rivo di Nemi*, Latii fluviolus, ex lacu Nemo effluens, Lavinio proximus labitur, in quo repertum fuit cadaver Æneæ, & in quo Anna soror Didûs se submersit. Virg. *Æn.* 6.

—— *Fontis stagna Numici.*

Pari modulo Silius *lib.* 8.

—— *Parvo descendens fonte Numicus.*

Horatius impari. Sic enim ille,

Brundusium Numici melior via ducit an Appi.

Ejus meminit Tibullus *lib.* 2.

Illic sanctus eris, cùm te veneranda Numici
Unda Deum cælo miserit indigetem.

Virg. ubi supra,

—— *Sacrumq; Numici*
Litus amant. ——

Hinc via Numicia, Brundusium ducens.

Numicius Thermus, Præturâ functus, Tigellini simultatibus deditus, quia libertus Thermi quædam de Tigellino criminose detulerat, quæ cruciatibus tormentorum ipse, patronus ejus necem immeritam lueret, Tac. 16. 20.

Numidia, regio Africæ mediterran. *Metagonitis*, Plinio in Libyæ inter. & Maurit. confin. Olim sub regibus fuit, inter quos celebris Masinissa, P. Rom. socius, qui, violatus à Carthaginensibus, bello Punico tertio occasionem præbuit, Florus, *lib.* 2. *cap.* 15. Hujus fil. Manastabiles, ex pellice Jugurtham suscepit: qui à Micipsa Rege adoptatus, fratrem Hiempsalem è medio sustulit, alterum Adherbalem Romam fugere coëgit: unde bellum Jugurthinum. Quo tandem finito, Numidia regibus P. Rom. sociis quatuor, inter quos Hiempsal, donata est: cui Juba fil. successit, quem Cæsar, quòd Pompejo faveret, profligavit, vicit, Numidiamque provinciam fecit, Crispo Sallustio ei præfecto dato. Stadius in Flor. *cap.* 1. *lib.* 3. Hodie variis subest Principibus Mahometanis, qui perpetuis inter se bellis collisi, nomina urbium indies mutant. Popul. *Numidæ*, apud quos ursi ferocissimi gignuntur, teste Solino. *Biledulgerid*, à dactylis, quorum ibi ingens copia, Marmolio, *descr. Afr.* Videatur Strabo, Plin. Sallustius, Ptol. &c. Cluver. Sanso. du Val. *Geogr.*

Numidia altera, quæ *nova* nominatur, incolis *Guzuntina* teste Marmol. pars Africæ propriæ litoralis ad sinum Numidicum, in Maurit. Cæsariensis confin. inter Ampsagam & Bagradam fluv. in qua Cirta, Saldæ & Cullu urbes. *Regno di Constantina* vulgò dicitur.

dicitur. Sinus verò Numidicus *Golfo di Stora*, vel *di Estora*, teste Marmolio. Pop. quoque *Numidæ*. Virg. *Æn.*4.

Et Numidæ infræni cingunt, & inhospita Syrtis.

Homines feroces, stupidi, visus plerunque obtusi & edentuli, sunt. Numidæ equites in comitatu divitum Romanorum fuere, de quo legendus Lipsius, *ad lib.*2. *Hist. Tac.* itemque Torrentius, *ad Suetonii Neronem, cap.*34. Hæc regio camelostruthionem avem prægrandem fert, quæ proverbio *Avis Numidica* dicitur, apud Aristophan. *in Avibus*, de homine prægrandi ac timido. Vide *Nomades*.

Numidia propria, pars erat Africæ, inter Afr. propriam ad Ort. Sitifensem ad Occ. Gætulos ad Mer. & mare Medit. ad Bor. Ubi nunc regna Bugiæ & Constantinæ, in regno Algerii, in ea popul. erant Circelii & Natabutæ. Numidicus verò sinus nunc *Golfe de Store* dicitur.

Urbes Numidiæ novæ. Quibus asteriscus prænotatur, celebriores sunt, aut fuerunt.

* Ammædara, *Amedar.*	Mussa.
* Aphrodisium colonia, *Africa.*	Narangara.
* Aquæ calidæ.	Nenia.
Aspuca.	Rusicada, *Stora.*
Assurus.	* Sicca Veneria, *Antranguts.*
Avitta.	Simisthuth.
Azama.	* Tabraca colonia, *Tabarca.*
Bendena.	Tacatua, *Suchaida.*
* Bullaria.	Thasia.
Cannopisse.	Themissua.
Cipipa.	Theudale.
* Cirta, *Constantina.*	* Theveste, *Tebessa.*
* Collops magnus, & Cullu, *Collo.*	Thigiba colonia.
Collops parvus, *Larobo.*	Thisica.
Culcua colonia, *Cucutina.*	Thoronuba.
Dabia.	* Thuburnica colonia.
Elica.	Thuburfica.
Gausaphna.	Thunudromon colonia.
Gedne.	Tobrus, *Obros.*
Hippon diarrytus, *Biserta vecchia.*	* Tucca gemina.
	Tucubis.
* Hippon regius, *Bone.*	* Vaga.
Lambæsa, seu Lampæsa, *Lambesa.*	Vazua.
	* Utica, *Biserta.*
* Lares, *Migana.*	Uzan.
Madurus.	Zagacupoda.
Meldita.	Zigera.

Numidius Quadratus, prænom. *Titus*, sub Claudio, Syriæ Præses. Tacit. 12. 45.

Numisius Lupus, legionis octavæ in Mœsiâ legatus, ab Othone consularibus ornamentis donatus, Tacit. *Hist.* 1. 79. transit in partes Vespasiani, *Hist.* 3. 10. à militibus transfugium ad Civilem meditantibus vinctus, *Ibid.* 4. 59. Dein à Tullio Valentino, ac Tutore unà cum Herennio occisus, quò minore spe veniæ eresceret vinculum sceleris, *cap.* 70.

Numisius Rufus, sub Hordeonio Flacco consular. legatus legionis, in Exercitu Germanico inferiore, Tac. *Hist* 4. 22.

Numistro, opp. Lucaniæ mediterr. Bruttiorum, Ptol.

Numitor, fil. Procæ Albanorum regis, quem per annuas vices, sic ordinante Patre, regnaturum, Amulius frater minor natu regno pepulit, Lausumque fil. ejus interfecit, filiamque ejus Rheam Sylviam Virginem Vestalem legit, ut sub specie honoris perpetuâ virginitate spem partûs ei adimeret. Verùm cùm illa ex Marte (ut Romani credi voluerunt) gravida facta esset, ipsam quidem in Tiber. ripâ vivam defodit, pueros autem in fluvio mergi jussit, quos cùm in sicco destitutos Faustulus invenisset, Accæ Laurentiæ uxori suæ educandos tradidit. Hi postea adulti Amulium interfecerunt, regnumque avo suo Numitori restituere, Plutarchus, Liv. *lib.*1. Aur. Victor, *de viris illustr. cap.* 1. Dionys. *Hist.*

Numius Albinus, Cons. cum Max. Dextro, A. U. C. 1015.

Numius Tuscus, Cons. cum Annulino, A. U. C. 1048.

Nun, pater Josue, Jos. 1. Et filius Elisama, 1. Paral. 7. Latinè *posteritas*, *stirps*, vel *filius*, aut *æternus*, sive *permanens*: aut Syriace *piscis*.

Nuncoreus, Sesostris fil. qui obeliscum illum, qui postea Romæ situs fuit in Vaticano, curavit excidendum, Plin. 36. 11.

Nundina, Romanorum Dea, à *nono die* nascentium dicta, qui & *lustricus* dicitur, quo infantes lustrabantur, Macrob. 1. *Sat.* *Lustricus dies olim appellabatur, quo pueri lustrabantur, & nomen accipiebant.* Suetonius *in Claudio*: *Ejusdem futuræ infelicitatis signum evidens die lustrico extitit.*

Nupsia, opp. Ægypti ad Nilum fluvium, in tractu Syenitarum, Plin. 6. 29.

Nupsis, opp. Arabiæ Nomadibus proximum, Plin.

Noremberga, emporium German. amplissimum, elegantissimumque vulgò *Nuremberg*, quasi Noricorum mons. Vide Munster. Arcem habet regiam, in colle urbi imminente, sitam, vetustissimam, ex quâ in urbem & extra patet prospectus, à quâ civitati nomen inditum putatur; *Castrum Noricum* appellant, quod urbs hue usque pro custodia habet. Lutheri doctrinam sec. præt. amplexa, illi hodieque constanter inhæret, civibus Reformatis extra urbem, in ditione March. Anspacensis, libero exercitio concesso. Hic conventus institutus ad Patres Concilii Basil. cum Eugenio 4. conciliandos, An. 1438. & 1443. à Friderico 3. sed frustra. An. 1649. verò Pax generalis majori successu conclusa. Academiam Altorfii habent Norimbergenses celebrem. V. *Noriberga.*

Nursæ, opp. in Æquiculis. Virg. *Æn.*7.

Et te montosæ misere in prælia Nursæ.

Jamdudum interiit, unde & Servio situs ejus ignotus.

Nurscia, Volsiniensium peculiaris Dea. Meminit ejus Livius *lib.* 7. *Volsiniis quoq; clavos indicis numeri annorum fixos, in templo Nursciæ Etruscæ Deæ, diligens talium monimentorum Cincius adfirmat.*

Nursia, Piceni civitas Episcop. Ptolom. Σαβίνων πόλις Νυρσία. Dio *lib.*48. Ὁ Καῖσαρ ἐπὶ Νυρσίαν ἐς τοὺς Σαβίνους ἐστράτευσε. Prop. *Nursini*. Virgil. *Æn.*7.

Qui Tiberim, Fabarimq; bibunt, quos frigida misit
Nursia. —— ——

Ubi Servius: *Nursia, Piceni civitas, frigida autem vel reverâ, aut certè, venenosa, nocens. Gracchi namq; ubiq; in contionibus suis Nursinos sceleratos appellavere; & scimus amare Virgilium historiarum rem per transitum tangere.* Atqui nullam hic intellexit historiam Virgilii imitator Silius, qui *lib.*8. ita canit:

—— *Nec non habitata pruinis*
Nursia. —— ——

Frigidam igitur dixit Virgilius, quia inter Apennini pruinas sita. Nunc *Norcia*, urbec. Umbriæ, ad amnem Freddaram. Intra montes, ad rad. Apennini, 6. mill. à confin. Marchiæ Anconitanæ, 13. à Reate, fere media inter Aquilam ad Ort. & Spoletum ad Occident. Patria S. Benedicti, Baudrand. Hinc *Nursinus* adjectivum. Mart. 13. 20.

Nursinas poteris parcius esse pilas.

Id est, rapa, quæ in orbem optima nascuntur in Nursiâ Sabinorum civitate.

Nurta, Ins. maris Tusci. Vide *Majorica* & *Minorica.*

Nurum, Africæ propriæ opp. Ptol.

Nus, Ciliciæ fluv. ad Cescum opp. Idem.

Nusaripa, Indiæ cit. urbs. Idem.

Nuscum, urbecula Episcopalis regni Neap. in Princip. ulter. ad radices Apennini, 17. mill. à Benevento in Eurum Compsam versus; *Nusco.*

Nusipi, Strab. *Usipetes*, Ptol. Vide ibi.

Nutria, Illyridis urbs, Polyb.

Nutum, Africæ propriæ oppidum, Ptolom.

NY.

Nycbenita, seu *Nygbenita*, pop. Æthiopiæ sub Ægypto, Ptol.

Nycdosa, seu *Nygdosa*, Indiæ intra Gangem urbs, Idem.

Nycea, urbs Corsicæ, à *Nycio* Fesulano Etruriæ rege condita, quæ floruit 300. An. ante Romam conditam.

Nycpii, Africæ propriæ gens, Ptol.

Nyctelius, vocatus fuit Bacchus, quòd sacra ejus noctu fiebant, νὺξ enim *nox* est, & τελέω *perficio*, & *sacra peragere* etiam significat, unde τελεταὶ pro mysteriis, Anthol. *lib* 3.

Νυκτέλιον, Νόμιον, Νισσάδιτα, Νεοσελλόπεπλον.

Hinc *latex Nyctelius*, pro vino, apud Sen. *in Oedipo.* Bacchi sacra noctu fieri solita passim perhibent Poëtæ. Virg. *Georg.* 4.

Inter sacra Deûm, nocturnaq; orgia Bacchi.

Et alibi *Æneid.* 4.

—— *Qualis commotis excita sacris*
Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusq; vocat clamore Cithæron.

Ovidius 1. *Art. Amatoria*:

Nycteliumq; patrem, nocturnaq; sacra precare.

Dionys. Periegetes,

—— —— Ἔνθα γυναῖκες
Ὀρχηθμὸν τελέουσι κατὰ νόμον ἱερὸν, Βάκχου
Στεψάμεναι κισσοῖο μελαμφύλλοιο κορύμβοις
Ἐννύχιαι. —— ——

Oppianus 1. *Cynegeticum*, νυχίους θύσθλα vocat, id est, *nocturna sacra.*

Nycteus, Neptuni filius ex Celene Atlantis filiâ, quem ex Amaltheâ Cretensi nymphâ Antiopam & Nyctemenen suscepisse ferunt. Ex his Nyctimene, fœdo patris amore capta, operâ nutricis cum eo concubuisse dicitur. Tandem verò, re cognitâ, cùm pater eam occidere vellet, Minervæ miseratione in noctuam conversa est. Item *Nycteus* Antiopæ pater, Prop. 3. 15.

Testis erit Dirce tam vero crimine sæva
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.

Et *lib.* 4. *eleg.* 4.

Tu licet Antiopæ formam Nycteidos. ——

Nyctimene, de quâ supra in *Nycteus.* Ovid. *Met. lib.* 2.

An, quæ per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est, patrium temerasse cubile?

Nyctimenen? avis illa quidem: sed conscia culpæ
Conspectum lucemq; fugit, tenebrisq; pudorem
Celat; & à cunctis expellitur æthere toto.

Nylandia, prov. Finniæ, juxta Sin. Finnicum, inter Careliam ad Ort. Tavasthiam ad Bor. & Finlandiam ad Occ. è regione Livoniæ, à qua separatur tantùm sinu Finnico. In ea opp. tria, *Borgo, Helsingfoos* & *Rasebourg*, in ora littor.

Nymbæum, stagnum Peloponnesi, in Laconica, apud Maleam prom. Pauf.

Nympha, aquarum Deæ, quasi *Lympharum* numina, ut quidam volunt. Oceani filias fuisse testatur Orpheus, *Hymno in honorem earundem consecrato:*

Νύμφαι θυγατέρες μεγαλήτορος Ὠκεανοῖο
Ὑγροπόροις γαίης ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί᾽ ἔχουσαι.

Virgilius eas fluviorum matres esse putavit; *Æn.* 8.

Nymphæ Laurentes, Nymphæ, genus amnibus unde est.

Has autem non solùm communi nomine appellavit Orpheus, in illo Hymno, sed etiam *Hamadryadas*, cùm inquiat:

Κοῦραι Ἁμαδρυάδες, φιλοπαίγμονες.

Id sanè effectum est, quia Nympharum aliæ sunt creditæ cœlestes, aliæ terrestres, aliæ fluviales, aliæ marinæ, aliæ stagnorum præsides, quam divisionem fecit Mnesimachus Phaselites. Et Homerus de quadam varietate harum ita mem. *Hymno in Venerem:*

Ἤ τις Νυμφάων, αἵ τ᾽ ἄλσεα καλὰ νέμονται,
Ἢ Νυμφῶν, αἳ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσι,
Καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ βήσσεα ποιήεντα.

Terrestres Nymphæ putatæ sunt à nonnullis Cererem & Bacchum educâsse. Cœlestes Nymphæ credebantur esse animæ sphærarum, quas etiam *Musas* vocarunt, ac vires, quæ inde ad nos venirent. Terrestrium aliæ sylvis præerant, ut *Dryades*, aliæ montibus, ut *Oreades*; aliæ singulis arboribus, ut *Hamadryades*, aliæ pascuis & floribus, ut *Napeæ*. Fluviorum præsides *Naiades* dicebantur; stagnorum & lacuum *Limniades*. Quas verò fontibus præesse putarunt antiqui, *Ephydriades* appellarunt. Hermocreon,

Νύμφαι Ἐφυδριάδες, ταῖς Ἑρμοκρέων τάδε δῶρα
Εἵσατο καλλινάων πιδακος ἀντιάσας.
Χαίρετε, καὶ στείβοιτ᾽ ἐρατοῖς ποσὶ τόνδε δόμον
Τὸν δ᾽ ἀέναον, καὶ ὕδατος πιμπλάμεναι πάλιν.

Aliæ marinæ putabantur, ut *Nereides*. Quòd verò loca nonnulla Diis variis forent consecrata, & quâ de causâ id fieret, testatur Dion. Halicarn. *lib.* 1. hoc pacto: Ὄρη μὲν καὶ νάπας Πανὶ, λειμῶνας δὲ καὶ τεθηλότα χωρία Νύμφαις, ἀκτὰς δὲ καὶ νήσους πελαγίοις δαίμοσι. Τῶν δὲ ἄλλων, ὡς ἑκάστῳ τι θεῷ καὶ δαίμονι οἰκεῖον. Unde & in monte S. Bernardi, vulgò *der Vogelberg*, e quo posterior Rhenus oritur: in loco scaturiginis, quondam sacellum fuisse Nymphis dicatum, cujus adhuc vestigia supersunt, refert Sprecherus *Pallad. Rhæt. lib.* 7. Pausanias *in Phocicis*, quandam ex Nymphis *Lilæam* nominat, Cephisi filiam, atque alibi, de Nomiâ indigenâ Arcadum, mentionem facit, atque Nymphas non esse quidem omnino sempiternas, sed innumerabilem penè annorum numerum vivere, idque ex antiquorum poëtarum sententiâ. Afflabantur vates non minùs Nympharum, quàm cæterorum Deorum numine, quare Pausan. *in Messeniacis* refert, nonnullos earum numine afflatos civitatum ruinas prædixisse. Lac autem & oleum eis offerebatur, cùm sacra fierent. Theocritus in *Viatoribus*:

Στασῶ δὲ κρατῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
Ταῖς Νύμφαις, στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.

Consueverunt quoq; capras illis immolare. Idem *ibidem*,

Τὸ Κραιναλὲς μοι ἔδωκε τὸ ποικίλον, ἀιξ᾽ ἔσονται
Ταῖς Νύμφαις τὰν αἶγα.

His etiam mel offerri solitum quidam putarunt, quia floribus delectarentur, è quibus mel conficitur: è quorum opinione Virgilius illas flores colligentes inducit,

—— *Tibi lilia plenis*
Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais
Pallentes violas, & summa papavera carpit.

Alii id contigisse maluerunt, quòd ille Aristæum, quem putantur educasse, mellis & olei conficiendi viam docuerint. Offerebatur & vinum; ut Apollinis responsum declaravit apud Eusebium Nat. Comes.

Nymphæ Catabassi, locus Hetruriæ, circa Rom. via Cornelia, 13. m. p. ab urbe. *S. Ninfa*, Baron.

Nymphæa, Inf. juxta Adriam, ubi Calypso habitavit, Stephan. Alia circa Samum Jonicam, Plin.

Nymphæum, opp. Tauricæ Chersonesi apud Theodosiam urb. *Ciprico*, teste Nigro. Item promuntorium geminum Macedoniæ: unum ad rad. montis Athi in latere Australi, *Capo Ninfeo* ex tab. recent. Nunc *Capo de monte Santo*, Baudrandus. Alterum in orâ maris Jonii, apud Apolloniam & Aoum fluvium, *Capo Pali* Lucearo. Lucan. *lib.* 5.

Nymphæumq; tenent, nudas Aquilonibus undas.

Nymphæum, balneum apud Rom. præclarum, qualia 12. fuere in urbe, inter quæ Nymphæum Alexandri Sev. & Marci Imper. apud Septizonium, illustria fuere.

Nymphæus, Meliorum, qui coloni in Cariam deducti erant, Dux: ejus amore ducta Carina puella Car insidias popularium aperuit: cujus indicio eas in auctores vertit. Vide Polyæn. *libr.* 8. 646.

Nymphæus, portus Macedoniæ, Cæs. 3. m. p. ab urbe Lissa. Item Sardiniæ, Ptol. Item, fluv. Latii, Plin. apud Circæos, post Asturam, *Storace* incolis. Item, fluv. Mesopotamiæ, Ammian. in Tigrim fluens.

Nymphais, Pamphylii maris Insula, Plin.

Nympharum antrum, Vide *Phorcynus portus.*

Nympharum cubile, Vide *Solis Insula.*

Nympharum Fanum, Vide *Jatamana.*

Nympharum Inf. Lydiæ, quæ ad sonum tibiarum moveri dicitur, in medio stagni. *Saltuaris* Plin.

Nymphas, in Arcadiâ est, Pausan. *lib.* 8. Inde fons *Nymphasius*, Stephano.

Nymphidius, matre libertinâ ortus, (quæ corpus decorum inter servos libertosque principum vulgaverat) ex C. Cæsare se genitum ferebat. quoniam forte quadam habitu procerus & torvo vultu erat: cui Nero consularia insignia tribuit, Tacit. XV. 73. Postea Præfectus Prætorio, corruptis militibus, impetium molitus est sibi; verùm in conatu ipso oppressus, Idem *Hist.* 1. 5.

Nymphis, filius Xenagoræ, Heracleotes, historicus, qui res gestas ab Alexandro libb. 24. composuit; item de Heracleâ libb. 13. usque ad eversionem tyrannorum, & ad 3. Ptolemæum. Suidas. Ælian. *lib.* 7. *de anim. cap.* 3. Athen. *lib.* 12. & 13. Vide Voss. *Hist. Gr.* 1. 16. Gesner. *in Bibl.*

Nymphodorus, Amphipolites, de Asiaticorum legibus & ritibus libros composuit, Clem. Alex. 1. *Stromat.* Item *Nymphodorus* Syracusius, de Sicilia scripsit, *in Asia Periplo*, citatur ab Athenæo *lib.* 6. 7. & 13. Vide Voss. *Hist. Gr. lib.* 3. *pag.* 393. & 394.

Nymphon, vir quidam Colophonius, Cic. *ad Qu. fratrem lib.* 1.

Nyphaus, mons Phthiotidis, quodam topiario naturæ opere spectabilis, Plin.

Nyphates, mons Armeniæ min. Ptol. Plin.

Nypsius, Neapolitanus, fortitudine & prudentiâ excellens, Dionysii Jun. contra Syracusanos, occiso Philisto, Dux, Diod. 16.

Nyrax, urbs Celticæ, Stephan.

Nysa, Bacchi nutrix, quam Plinius ait sepultam fuisse prope Scythopolim.

Nysa, seu *Nissa*, urbs Armeniæ min. Episc. sub Archiep. Cæsariensi, 60. mill. p. à Cæsarea in Ort. Melitenen versus. Gregorio Nyss. no Præsule inclyta.

Nysa, urbs Arabiæ, sive, ut alii putant, Ægypti, Arabiæ propinqua, apud quam Bacchus, ut Diodoro placet, à Nymphis est educatus, unde *Dionysius* ex Διὸς, id est, Jove, & *Nysa* conflato vocabulo. Plin. 8. 13. *Nysam* Indiæ montem esse tradit, lacertas immensæ magnitudinis alentem.

Nysa, vel *Nyssa*, Indiæ civitas, à Libero Patre condita, teste Strabon. *libr.* 13. sita sub radicibus montis, quem Meron vocant. Virgil. *Æn.* 6.

Nec qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber agens celso Nysæ de vertice tigres.

Hinc *Via Nyssæa*. Dionys. *vers.* 1159.

Τήνγε Νυσαίην μιν ἐφημίζουσι κέλευθον.

Vide sis illic Eustathium. Item *Nysa* unus ex Parnassi verticibus Baccho consecratus. Juvenal. *Sat.* 7.

Quis locus ingenio; nisi cùm se carmine solo
Vexant, & dominis Cyrrhæ Nysæq; feruntur
Pectora nostra, duas non admittentia curas?

Lucanus *lib.* 8.

Et juga tota vacant Baccho Nysëia.

Idem *lib.* 1.

—— *Cyrhæa velim secreta moventem*
Sollicitare Deum, Bacchumq; avertere Nysâ.

Alia est *Nysa* in Thraciâ, Steph. Hom. *Iliad.* ζ. ubi de Lycurgo:

Ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας
Σεῦε κατ᾽ ἠγάθεον Νυσήϊον. ——

Vide sis illic Didymum, Nicander *in Alexipharmacis v.* 30.

Ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ ἀγλεύκοιο ὑποθλίψαντες ὀπώρην
Σιληνοὶ, κεραοῖο Διωνύσοιο τιθῆνοι,
Πρῶτον ἐπ᾽ ἀφρίζοντι ποτῷ φρένα θωρηχθέντες
Ὄμμασι δινήθησαν, ἐπὶ σφαλεροῖσι δὲ κώλοις
Νυσαίην ἀνὰ κλιτὺν ὑπέδραμον ἀφραίνοντες.

Decem *Nysas* enumerat Stephanus & Homeri Scholiastes; ubi supra. Vide Hesychium, in Νῦσα; & Casaubonum *ad Nysseni epistolam*. Item hominis proprium, Cic. 3. *de N. D. Dionysios multos habemus, primum Jove & Proserpinâ natum; secundum Nilo, qui Nysam interemit.*

Nysea, Megarensium emporium 18. stad. ab urbe distans, quod & *Minoa* vocatur.

Nyses, Africæ fluv. ex Æthiopiæ montibus oriens, Aristot.

Nysia porta, Africæ propriæ insula, flumine Tritone circumdata. Herodoto *Phila* dici videtur. Elegantem ejus descriptionem habes apud Diod. Sic. *lib.* 3. *cap.* 3.

Nysii, pop. Indiæ ult. inter Gangem & Jolida, Mela.

Nysirus, vide *Nisyros.*

Nyssa, Plin. *Nysa*, antè *Pythopolis*, & *Athymbra*, in Lydia, juxta Trallea

Tralles urbem & Tmolum; & nunc *Nisa*. Nyssa etiam *Dionysiopolis*, Vide ibi.

Nyssea via, circa Gangem, à Baccho calcata, unde & *Dionysia*. Dionysius Afer.

O.

O Litera hæc non indifferens solùm priscis fuit, sed & loco E posita: Hinc Vorsus, Vorster, &c. Item vicè *U* ut: *Servos*, *Volgos*: Etiam pro *Au*; inde *Plodo*, *Clostra*, *Coda*. Admiranti insuper, appellanti, & desideranti inservit: joco quoque & indignationi suffragatur. Symbolum præterea est æternitatis. De hac Ausonius, *de lit. monosyll.*

Hoc tereti, argutoq; sono legit Attica gens O,
Ω quod & Y. Græcum compensat Romula vox O.

Gregor. Turon. *Hist. lib.* 5. *cap.* 44. memorat Chilpericum R. novam literam O. Alphabeto Gallico, cum tribus illis Φ. X. Θ. insertum ivisse, severis hac de re legibus sancitis: sed rem successu caruisse. Vide Voss. *Aristarchum*.

O A.

Oa vicus Atticæ in Pandionide tribu. Vide Steph. in Oα.

Oaneum, Ptolom. *Onaum*, Nardo *Ciderifo*; opp. Dalmatiæ mar. apud prom. cognom. *Capo Sabioncello*, inter Peguntiam & Rhisinum, ad Arratum fluv. Labeatibus finitimum.

Oanes, Græcè Ω'άννης, animal biceps, cætera piscis, è cujus caudâ adnascebantur pedes humanis similes. Vox ei humana; ex mari autem Erythræo emersum Babylonium pervenisse ajunt, occidente verò Sole in mare rediisse; ab eo homines omnifarias artes, literas, agriculturam, ædium sacrationes, architecturam, & leges ponere didicisse, nec non quicquid ad vitam civilem pertinere potuit, h storiamque portentosissimam de Belo & Omarca; quam ex Polyhistore, Berosi exscriptore, discas licet apud Eusebium. Simulacrum autem ejus, usque ad Berosi tempora, id est, ad initia Græcæ monarchiæ servatum. Fusiùs autem ex eodem Beroso narrat Apollodorus, Oannes quatuor, Annedotos dictos, seculorum rectitudine è Rubro item mari comparuisse, quorum quisq; semihomo, & semipiscis. Horum secundi meminit Abydenus, & [illegible] figuram ei tribuit. Vix alibi de his mentio fit: verùm ab Helladio Besantinoo, in Chrestomathiâ, Oannem designatum esse merito suspiceris. Tradit is, hominem quendam nomine O'ῆν, è Rubro mari ascendisse, capite, manibus, pedibusque humanis; cætera membra piscem præ se tulisse: literas autem & astrorum scientiam ostendisse: quæ omnia sunt ipsissima penè Berosi de Oanne historia. Unde depravatum *Oannis*, in O'ῆν nomen, sentit magnus Scaliger à compendiosâ librariorum scriptione. Vide Seldenum, *de Diis Syris lib.* 2. *cap.* 3.

Oani, Taprobanæ insulæ gens, Ptol.

Oarus, urbs Lydiæ, Steph. & Siciliæ fluv. Pindarus, hodiè *Frascolari*. Vide Fazell. Bochart. *Geogr. Sacr. pag.* 605.

Oarus, Scythiæ Europææ fluv. Ptol.

Oasis, vide *Avasis*. Erat autem urbs gemina in medio Libyæ, teste Strabone. Minor *Alzagar*, recte Bar. long. 60. 15. lat. 26. 45. Major *Gademez*, Zieglero, long. 59. 30. lat. 23. 30. Hæc abest à Thebis Ægypti itinere septem dierum in occ. teste Herodoto, qui ait Samios eam urbem tenuisse. *Oassis* dicitur libr. Concil. Baudrando magna, magis ad Merid. nunc *Alguechet* quibusdam, parva, *Elecatb*, seu *Elocbet*, magis ad Sept. 90. m. p. à magna distans: utraque in Barca. Sed hæc tantùm ex conjectura, suntq; locis in mediis Lybiæ arenis, aquâ & vino abundantia, illicque habitantibus apta. Vide Zozimum *lib.* 5. & Olympiodori excerpta. Huc Eugenius & Macarius, ab Apostata Juliano relegati: Hilarius quoque eòdem se recepit, & in eodem deserto Nestorius exul obiit. Vide etiam Hieron. *in vita Hilarion.* Nicol. Sansonis *Geogr. &c.* Patria Apionis. Vide ibi.

Oaxes, fluv. Cretæ, frigidissimus, ab *Oaxe* Apollinis filio dictus. Rara hujus mentio apud veteres; nobis interim satis esse debet auctoritas Virgilii *Ecl.* 1.

Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

Quin & Vibius Cretæ fluv. facit, ut non audiendus sit Servius, qui in Mesopotamiâ ponit. Accedit argumentum ab Apollonio *lib.* 1. *Argon.* qui ait, Cretam dictam esse *Oaxida*. Vide Herodot. *lib.* 3. Varron. &c.

Oaxus, civitas Cretæ, ab *Oaxo* Minois, ex Acacallide filiâ, nepote; vel è situ loci, quòd *crepidines* Græci *Axes* vocant, Herodot. quoque *libr.* 4. & Varro, *Oaxum* urbem Cretæ faciunt, in qua Etearchus pater Phronymæ matris Bacchi regnavit, qui Cyrenen condidit. Civis *Oaxius*, Stephan.

O B.

Ob, Spiritus seu Dæmon. Vide Seld. *de Diis Syris.*

Obada, regio parva Nabatæorum, ubi *Obodes* rex, quem inter Deos numerant, sepultus est, Steph.

Obadia, Latin. *servus Domini*, filius Arnan, 1. Par. 3. Item filius Izrahia, 1. Paral. 7.

Obadias, aliis *Abdias*, quartus ex Prophetis minoribus: quem quidam eundem fuisse volunt, cum eo, cujus mentio, 3. Reg. 18. qui Prophetas Dei tempore persecutionis Achabicæ, in solitudine sustentavit. Epiphanio videtur is fuisse, qui ab Ochozia Reg. ad manum Eliæ injiciendam missus legitur, 4. Reg. 1. Nonnulli illum pauperis illius viduæ, de qua 4. Regum. 4. maritum fuisse asserunt. Hieronymus *cap.* 1. *in hunc Proph.* illum tempore Hoseæ fuisse statuit, sub Ozia, Joathamo, Achazo, & Ezechiâ Regibus Judæ: & Jeroboamo II. Rege Israëlis. Edomæorum ruinam prædixit, cap. unico. Torniel. A. M. 3238. In *Prophetiam* ejus prostant, Draconitis *Comment.* Rostochii. Gesneri item. octav. Hamburgi 1618. Grynæi *Prælectiones*. Liveleii *Annotationes*, octav. Londini, 1587. Marburius, Angl. quart. 1639. Merceri *Commentar.* fol. Genevæ 1565. Oecolampadius, Basileæ, 1535. Pilkintonius Angl. octav. 1562. Raynoldi *Commentarius*, Angl. quart. Londini 1613. Regius, Cellæ Saxonum, 1537. Reuteri *Comment.* quart. Francof. ad Oderam, 1617. Selnecceri *Explicatio*, Lipsiæ, 1567. Victoris *Elucidat.* inter opera. Willichii *Commentar.* Basileæ, 1546. Vide Crowæi *Elenchum*, & in *Abdias*.

Obal, filius Jectan, qui & *Hebal*, Gen. 10. Latinè *perversitas vetustatis*, vel *fluxus*.

Obana, oppidul. Assyriæ, Ptolom.

Obareni, pars Armeniæ, Stephanus ex Quadrato. Vide eum in Ω'τλωί.

Obdia, filius Asel. 1. Par. 8. Latinè *servus Domini*.

Obdora, regio Moscoviæ Septentr. juxta Oceanum Glac. inter Obium fluv. ad Or. & Petzoram ad Occ. Hic tantùm quædam arces recens à Moscis, in mediterr. conditæ. Ubi etiam Hugritschi & Vogulici: ejus pars Bor. versus oram Oceani *Frisia nova Occid.* Batavis.

Obed, pater Gaal, Jud. 9. Item filius Booz, pater Isai, avus Davidis: unus ex illustribus Christi progenitoribus: natus ex Rutha An. M. 2759. patri An. 95. Ruth. 4. Matth 1. Torniel. Salian. & filius Ophal, 1. Par. 2. Lat. *servus*, vel *operarius*.

Obed edom, nomen viri, è tribu Levi, apud quem Arca 3. menses, summo ejus bono, quievit, 2. Sam. 2.

Obedia, nomen viri, 1. Esdr. 8.

Obeliscus, structura est minor Pyramide, ex marmore, deorsum specie quadratâ, sursum in angustum desinens, Plin. Horum 4. Ægypti Reges 480. cubitorum excitarunt. Ramises Rex, qui tempore Trojæ captæ vixit, obeliscum 40. cub. fecit, adhibiti in opere 20000. hominum: cui Cambyses pepercit, Herod. Phius Rex alterum 45. cubitorum, Ptolomæus autem 88. erexit. Ex pluribus Romam advectis duo integri supersunt, unus in Vaticano, alter apud Lateranum.

Oberbartavia, opp. Curlandiæ, inter Duolinum & Heligonam opp. ejusdem Duc.

Obertus, vel *Hobertus Giphanius*, Gueldrus, Philosophiam A gentinæ docuit: dein Juris Professor Ingolstadii, alibique, gratus fuit Rodolpho 2. Imper. ejus Consiliarius factus. Scriptis editis inclytus: obiit Pragæ, An. 1609. ætat. 70. Vide Valer. Andr. *Bibl. Belg.* & in voce *Olbertus*.

Obius, aliàs *Carambucis*, fluv. Moscoviæ amplissimus, qui è *Kitaysko* lacu exiens, & à Merid. in Sept. tendens, Europam ab Asia separat; & per Tartariam Moscovit. fluens, receptis Portaca, Sala, & Tobolia, aliisque fluv. 6. ostiis in Oceanum Glac. se exonerat, inter Obdoram & Samojedam prov. Alius Æthiopiæ fluv. Latinis *Raptum*.

Oblivionis fluvius, Vide *Limæa*.

Oblogenes, pop. Cypri, quorum legatus Exagonus, volens in dolium serpentibus plenum missus est, quem illi linguâ demulcebant, Plin. *lib.* 28. *cap.* 3. Alii legunt *Ophiogenes*.

Oboca, fluv. Hiberniæ, Ptol. *Lichie*, teste P. Jovio. Nunc *Doro*, in Lagenia. Oritur in Com. Dublinensi, dein per Caterloghensem labitur, ubi juxta Arcloam port. & oppid. in mare Hibern. se exonerat, 35. m. p. infra Dublinum in Merid.

Obolcola, seu *Obulcula*, opp. Hispaniæ, nunc *Lora* quibusdam ad Bætim, in Vandalitia. Aliis *Marchena*, oppidul. ibidem, 5. leuc. ab Astigi in Occ. 9. ab Hispali in Ort. Ursonam versus.

Obolcon, nomen urbis, Steph.

Oboth, nomen loci, Num. 21. Israëlitarum mansio, cùm ex Ægypto proficiscerentur in terram Chanaan. Lat. *utres*.

Obotrita, vel *Obotrii*, German. pop. inter Holsatios ad Occid. & Pomeranos ad Ort. *Mekelburgen*, Crantzio. Aliis Scriptoribus celebrantur *Abotriti*, de quibus Tacitus Germ. *cap.* 43. *atras ad prælia noctes legunt*. Argumentum præbet ipsa nominis ratio. Germanicè enim *Abetritter* est, eques vespertinus sive nocturnus. Similis pugnandi moris fuêre studiosi *Basylienses*, Africæ populi.

Obracum, opp. amplum Serviæ, ad Drinum fluv. ubi Saniaci sedes, sub Turcis, P. à Via.

Obrapa, urbs Arabiæ fel. Ptolom.

Obrima, unum ex 3. fluv. Apamiam urbem, in Asiâ celeberrimam, ambientibus, Plin. 5. 29.

Obrimo, Proserpinæ cognomen, quòd, cùm vim ei videretur illaturus Mercurius, mugiit altius, unde factum, ut is manus abstineret, Cæl. Rhod. 26. 20.

Obrincus, vel *Obrinca*, ὁ Ὀβρίγκας, Ptolomæo, sed uni dictus, Gall. Belg. fluv. *Mosella*, Tacito & Ausonio, teste B. Rhenano, qui per Lotharingiam & Trevirenses in Rhenum ad Confluentes urbem fluit. Cluverio *Abrincas* videtur, fluv. vel potius amniculus *die Are*, vel *Aar*, qui infra Confluentes Mosellæ & Rheni, apud Sentiacum, in Rhenum effunditur. Vide Hadrian Valesium *in Notit. Gall.* Heroldus non fluvium significare docet, apud Ptol. sed eum Germ. tractum, quem hodie *Ober Rhingavv* vocant. Aliqui credunt, eo vocabulo significari superiorem partem Rheni fluminis, quasi diceret *Oberrhyn*.

Obris, Straboni & Pomponio Melæ. *Orobus*, Rufo, Festo Avieno, nomen fluvii nobilissimi Gall. Narbon. in Occitania, ex agro Gavillitano, per Biterensem urbem, inter Narbonem & Agatham in mare delabens. *Orobis*, Ptol. *l'Orobe*, Clusio. Oritur ex ultimus Cementis montibus, vix 3. leue. à Luteva in Occ. 10. fere ab agro Gabalitano in Austr. dein auctus minoribus aliquot, per Occitaniam infer. & ibi 2. leue. infra Bliterras, in mare Mediter. labitur, Baudrand. Secundùm Hadr. Valesium *in Notit. Gallia*, fontem suum habet in finibus Ruthenorum. Alluit Villam Magnam, veteri Abbatiâ illustrem, Redas, Ponticulos, Columbarium, Volutam, Rupem Fuscam, ad S. Nazarium, Cessenonem, Casulas, Beterras, & inter Villam Novam ac Castellum Novum, in mare effluit.

Obroatis, Persidis urbs, Ptol. *Obroatis* Ammiano, hodie *Omara*, teste Moletio.

Obsequens, vide *Julius Obsequens*.

Obtricum, sive *Obtricense*, Amm. *lib.* 20. opp. olim Eburonum, ad Mosam, idem quod aliis Trajectum superius, vulgò *Obtryck*. Nunc *Maestricht*. Vide *Trajectum ad Mosam*.

Obulco, Hispan. Bæt. urbs, Ptolom. *Pontificense* vocat Plinius. *Sicura* Nigro dicitur. Villanovanus *Ullam* Hirtii putat. *Porcuna* ex [vet Inscriptione, teste Morali, urbs Vandalitiæ, inter Cordubam ad Occ. & Giennium ad Ort. Aliis fuit ad rad. montium Marianorum. *Porcena* autem castr. regni Granat. 7. leuc. ab Almeria in Bor. Ilorcam versus, 30. fere ab Obulcone in Bor. Baudr.

Obultronius Sabinus, ærarii, tempore Neronis, Quæstor, qui jus hastæ adversus inopes inclementer exercuit, Tacit. 13. 28. A Galbâ postea interfectus, *Hist.* 1. 37.

O C.

Ocalea, vel *Ocale*, Bœotiæ oppid. Hom. in Catal. navium. Est autem prope Haliam, sic dicta à brevitate viæ à Thespiis in Thebas, opp. Ocaleæ proximum. Gent. *Ocaleus*.

Occa, fluv. Moscoviæ, haud longè à finibus Tartarorum Precopensium exoriens, & Vorotiniam, Collugam, Cerpachum, Corsivam, Colomam, Rhezaniam, Cazigorodiam & Murinam, præterlapsus, cursu in Arctum reflexo, auctusq; à Moscua, Clesma aliisq; fluv. in Volgam supra Novograd. infer. abit.

Occam Vilhelmus, Anglus, Theologus insignis. Floruit A. D. 1330. fuit Ordinis Minorum, & Johannis Scoti discipulus. Excommunicatus à Papa, quòd quædam adversus eum scripsisset, eodem tempore, quo Marsilius Patavinus idem fecit, ad Ludovicum Bavarum Imper. æquè excommunicatum, confugit, ad quem, ô Imperator, dixisse fertur: Tu me gladio defende à Papæ injuriis, ego te verbis ac scriptis defendam. Scoti dicta & scripta acerrimè impugnavit. Vide Trithem. *de script. Eccles.* & Lelandum, *in Collectan. de viris Illustr.*

Occara Antonini videtur Simlero *Ceara*, Ptolemæi. Chalcidiæ regionis in Syria.

Occarus, fluv. Brunsvicum urbem alluens, quo obstructo, Henricus Dux, urbi aquam immisit, An. 1606. aggere tandem à tempestate rupto, Thuan. *lib.* 133.

Occasio, à Poëtis Latin. Dea fingitur, à Græcis Deus, Καιρὸς, rerum gerendarum opportunitati præsidens. Hujus simulacrum ita pingebatur, ut pennatis pedibus volubili rotæ insisteret, vertigine quâdam velocissimâ se in orbem circumagens, priore capitis parte capillosâ, posteriore glabrâ. Quo commento, Occasionis brevitatem & inconstantiam denotare voluerunt, quæ, nisi cùm primùm se offerat, arripiatur, statim è manibus elabitur, nihilque nobis remanet præter pœnitentiam, quæ perpetua Occasionis fingitur esse comes. De effigie ejus Ausonius *Epigr.* 12. Posidippus, *in Epigramm.* Elias Vinetus, *in Auson.* Balduini *Iconol.*

Occia, septem & quinquaginta per annos summâ sanctimoniâ Vestalibus sacris præsedit; cùm lex ministerio virginum tantum annos triginta definiat. Obiit Tiberii principatu, qui in ejus locum Domitii Pollionis filiam, quòd mater ejus in eodem conjugio manebat, cepit, Tacit. 2. 86.

Occidens, apud Historicos, sæpè ponitur pro Imperio Occidentis vel Occidentali, cujus origo hæc. Monarchia Rom. ante Constantinum M. unica, ab hoc gemina quasi facta est, & Imperium in Occid. & Orientale distinctum. Moriturus enim Constantio minimo natu fil. Orientis imperium assignavit, sede ejus Constantinopoli fixâ: Constanti verò & Constantino, fratribus Constantii Occidentis imperium cessit, cui sedes Roma, sic ut huic sors trans Alpes, Gallia, Hispania & Britannia, illi verò Italia, Africa, Illyricum & Græcia attribueretur. Ab eo tempore Oriens Græcos, Occidens Latinos Imperatores habuit, nempe ab An. C. 339. Similiter Valentinianus fratri Valenti Orientem commisit, ipse Occidentis rebus componendis intentus, An. 367. Gratianus quoque Theodosium collegam lectum Orienti præfecit, sibi & fratri Valentiniano Occidente vindicato, A. 376. &c. Duravit id Imperium Occident. usque ad Augustulum, quo circa An. 476. ab Odoacro Herulorum Reg. pulso, Heruli, Gothi Longobardique rerum potiti sunt, per An. 300. His Exarchatus in Italia ab Imperatore Orientis oppositus est, per An. 156. qui tandem Papis cessit, An. C. 743. Divisionem hanc Imperii, Ecclesiæ quoque divisio, in Occidentalem, & Orientalem secuta est. Vide Sigon. Platinam, Baronium, &c.

Occimianum, castrum in Marchionatu Montisferrati, ubi vetusta Marchionum Montisferratensium habitatio sedesque fuit.

Occitania, vulgò *le Languedoc*, prov. Galliæ, inter mare Mediter. ad mer. & montes Arvernos ad Septentr. Rhodano in Provincia & Delphinatu in Ort. separatur, Guiennam ad Occid. habet. Catello prima Narbonensis est, in divisione Galliæ in 17. provincias ab Augusto facta. Cluverius verò, Marca, alii, volunt Galliam Narbon. prius Braccatam dictam comprehendisse Occitaniam, Sabaudiam, Delphinatum & Provinciam. Sirmondus, *notis in Sidon.* urbem & territorium Bliterarum Septimaniam dictum fuisse, à septima Legione, & hinc toti provinciæ nomen hæsisse, ait. Alii cum Scaligero, *in Auson.* hujus nominis originem arcessunt à 7. provinciis: utraque Narbonensi vid. utraque Aquitania, Novempopulania, Viennensi & Alpestri maritima. Una est ex præcipuis Galliæ, fertilitate nulli secunda: Glasti proventu sibi peculiari inprimis nobilis. Olim sub Romanis, ex fœderis occasione, quod cum Provinc. Occitaniæ intercesserat, Seculo 5. à Gothis occupata, Languedocia hinc dicta est, quasi *Landt-Got*, terra Gothorum: sede regni Tholosæ constitutâ, unde dein ejus fines Ligeri-tenus propagarunt, sub Erico seu Eurico, patre Alarici, quem Clodovæus magnus, prope Pictavium cæcidit. A Carolo M. postea præfecti huic provinciæ dati, Comites Tholosani dicti sunt, quorum primus Corson, seu Torsinus fuit: Dux ab Aimonio & Bern. Guidone dictus, qui titulus etiam Launobodi concessus, de quo Fortunatus *libr.* 2.

Launebodes enim post secula longa Ducatum
Dum gerit, instruxit culmina sacra loci.

Item Desiderio; in pugna contra Wisigothos, occiso; Austroaldo, &c. Secundus Comes fuit S. Wilhelmus *au Court-nez*, vel sec. alios *aux Cornets*, unde cornu inter insignia Principum Arausionensium, ab illo descendentium. Sub Ludovico Pio postmodum, Carolo Simplice, Hugone Capeto, &c. non exiguæ hic mutationum vices. Inter ultimos Comites eminuerunt, Hildefonsus, sub cujus patrocinio Petrus Bruis, & Henricus Monachus, puriorem religionem docuerunt, circa An. C. 1150. ac Raimondus, Valdensium seu Albigensium, uti vocati tum sunt veræ in Gallia doctrinæ confessores, defensor strenuus, circa An. C. 1210. Tandem Alphonsus, Comes Pictav. frater Ludovici 9. ductâ Johannâ, hærede Raimundi 7. cognom. Junioris, cùm improlis, cum uxore, decessisset, Philippus Audax Comitatum sibi vindicavit, An. 1271. Johannes Rex verò Coronæ univit, unà cum Normannia, Burgundia, &c. Comites inter 6. Pares Laicos fuere olim: Conventus Ordinum provinciæ quotannis habetur, & magnus est in illa hodieque Reformatorum numerus. Caput provinciæ Tolosa est: reliquæ urbes, Monspelium, Narbona, Nemausus, Carcassona, Bliteræ, Agatha, Uzetia, Albiga, (unde *Albigenses*,) Mimata, Anicium, Vivario, Bellicarium, &c. Catellus *Hist. Com. Tolos.* Marca *Hist. Bearn.* Bern. Guido, *de Com. Tolos.* Sirmond *epist.* 1. *lib.* 3. *Sidon.* Isac. Pont. *Itin. Gall. Narbon.* Nic. Bertrandus, *de gestis Tolos.* Davity, Cluverius, Papyrius Massonius, Duchenius, Merula, Pasquierus, Bouchetus, &c. Vide quoque *Aquitania*.

Occo, dictus *Scarlensis*, à Pago in Frisia natali. Scripsit Origines Frisiæ, sed fabulis non parum refertas. Ubbo Emmius, *hist. Fris.* Suffridus Petri, *de Orig. Fris.* Valerius Andr. *in Bibl. Belg.* Vossius, *de Histor. Lat. &c.*

Oceani ostium, vide *Fretum Herculeum*.

Oceanus, Cœli & Vestæ filius, maris Deus, maritus Tethyos, fluviorum, fontiumque omnium pater; sic dictus ab Ὠκὺς, quod est *velox*, quod præter Servium testatur Solinus *cap.* 36. his verbis: *Nam Ὠκεανὸς*, inquit, *quem Græci sic nominant à celebritate, &c.* Aliter Suidas, Ὠκεανὸς, παρὰ τὸ κεῖν, φέρω. Phœnices autem in navigationibus suis, per mare illud vastissimum, quo terram circumquaque cingi deprehenderunt, עוג Og suâ linguâ vocavere, id est, *mare ambitus*. Unde Græcis vox Ὠγὴν; quod Oceani fuit priscum nomen. Hesychius, Ὠγὴν, Ὠκεανός. Sic *in Alexandrâ* Lycophronis:

Γηγῶν ζωῶδεν Ὠγήνου Τιτηνίδος.

Et Pherecydes Syrus, apud Clem. Alex. *Strom.* 6. Ζὰς ποιεῖ φᾶρος μέγα τε καὶ καλὸν καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει Γῆν καὶ Ὠγηνὸν, καὶ τὰ Ὠγηνοῦ δώματα, id est, Oceani. Sanè עוג in Scriptura verbum Geographicum est, Esai. 40. 22. *Qui sedet super* עוג *Og circulum terræ.* Proverb. 8. v. 27. *Cùm constitueret* עוג *Og circulum super faciem abyssi.* Vide Job 26. v. 10. Porro *Oceanum* veteres rerum omnium patrem vocarunt, quia cuncta ex humiditate constare

suspica-

...abantur. Id quod etiam *Metaphys.* 1. annotatum ab Aristotele, & Thaletis respicit sententiam, qui principium rerum fecit aquam. Hinc forte & Orphei illud:

> Νηρέα μὲν πρώτιστα καλῶ πρέσβιστον ἁπάντων.

Homerus quidem diserte canit, *Iliad.* 4.

> Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Et *Iliad.* 21. ad nominis etymon veluti alludens:

> Ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
> Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσι.

Eidemque de causâ Ποσειδῶνα ῥοίθιον, vocat Apollonius. Observatu dignum hoc loco, Maris Atlantici nomen olim multo latius acceptum, quàm nunc accipi solet. Legimus enim *in Somn. Scipionis*, omnem terram, quæ colitur à nobis, Atlantico mari circumfundi. Et Strabo scribit, Indiam desinere in mare Orientale, & in Austrinum, Atlantici partem. Sane Suidas omnia maria navigabilia *Atlantica* vocari scribit. Et Aristoteles *libro de Mundo*, modò ejus sit, Τὸ δὲ πέλαγος τὸ ἔξω τῆς οἰκουμένης Ἀτλαντικὸν καλεῖται, καὶ ὁ Ὠκεανὸς περιῤῥέων ἡμᾶς. Herodotus quoque tantùm duo universi maris nomina novit, cùm *Atlanticum* mare & *Rubrum*, tùm quod Græci navigant, dictum postea *Mediterraneum*, unum esse, & idem scribit, *Caspium* verò esse alterum. Quo sensu fortè Zosimus Rhenum se in Atlanticum mare exonerare tradit, quod hodie *Germanicum* vocatur. Sic enim ille *lib.* 3. *pag. m.* 706. Τοῦ Ῥήνου κατὰ τοὺς τῆς Γερμανίας εἰς τὸ Ἀτλαντικὸν πέλαγος ἐκδιδόντος. *Oceanus* autem, interdum ponitur pro *Aëre*, unde Veteres Critici Hesiodi illud — παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην, interpretari primò omnium videntur ἐν τῷ ἀέρι; postea verò vocem Ὠκεανὸς ita sumpserunt, tanquam per se τὸν ἀέρα designaret. Unde Hesychius, Ὠκεανὸς. ἀὴρ, θάλασσα. Idem Ὠκεανοῖο πόροι, τὸν ἀέρα εἰς ὃν αἱ ψυχαὶ τῶν τελευτώντων ἀπέρχονται. Atque hinc Heroas suos, qui παρ' Ὠκεανὸν constituuntur, *Aëris in latis campis* constituit Maro. At Græci interpretes, magno se ἀπατήματι traduxerunt, cùm παρ' Ὠκεανὸν verterunt κατὰ τὸν Ὠκεανόν, quod & reliqui secuti sunt. Melius multò & prudentius Silius Italicus *ultra Oceanum* reddidit. Sic enim ille *lib.* 13.

> *Verùm ultra Oceanum sacro contermina fonti*
> *Lethæos latices, & sacra oblivia potat.*

Vide Heinsium *ad Hesiod. pag.* 63.

Oceanus, *l'Ocean*, seu etiam *la mer Oceane* Gallis, *el mar Oceano* Hispanis, *il mare Oceano* Italis, non solum Europam, Asiam, & Africam alluit, sed etiam Americam utramque, septentrionalem & meridionalem, uti terras Arcticas & Antarcticas. Duplex est in America, nempe Borealis, vulgò *mer de Nort*, qui totius Americæ orientalem partem lavat; & Australis, seu mare Austrinum, *mer de Sud*, quod aliter Pacificum, *mer Pacifique*, & Americæ occidentalem partem lavat; & sic dictum, quia primum ad austium detectum fuit respectu maris Borealis. His duabus partibus Oceani novi Orbis addita fuit tertia, nempe mare Magellanicum, *mer Magellanique* versùs fretum Magellanicum & regionem cognominem. In Europa autem, Asia, & Africa multiplex est; sed præcipuè reducitur ad quatuor partes amplissimas, nempe ad Oceanum Septentrionalem seu Glacialem & Scythicum versùs Boream, ad Oceanum Eoum, seu Indicum ad ortum, ad Oceanum Atlanticum in occasum, & tandem ad Oceanum Æthiopicum versùs meridiem. Sed de ejus partibus vide infrà.

Oceanus Æthiopicus, vulgò *Ocean Ethiopien* dictus, est versùs oram meridionalem Africæ.

Aquitanicus, inter ostia Ligeris & Pirenen, *mare di Guascogna*; extenditurque versùs oram Aquitaniæ.

Arabicus, (vide *mare Rubrum*) *mare di Arabia*.

Atlanticus, (vide *mare Atlanticum*) *mare d'Africa occidentale*.

Oceanus Austrinus, seu *mare Austrinum*, vulgò *mer du Sud*, dicitur aliter mare Pacificum, versùs partem occidentalem Americæ. Vide *mare Austrinum*, & *mare Pacificum*.

Azanius, vide *mare Azanium*.

Oceanus Barbaricus, vulgò *mer de Zanguebar*, pars est Æthiopici, versùs oram orientalem Africæ.

Oceanus Borealis, seu *mare Boreale*, vulgò *mer de Nort*, versùs orientalem partem Americæ. Vide *mare Boreale*.

Oceanus Brasilicus, vulgò *mer du Bresil*, juxta Brasiliam regionem Americæ meridionalis. Vide *mare Brasilicum*.

Oceanus Britannicus, vulgò *la Manche*, Gallis, *The British sea*, Anglis, *het Canael*, Belgis; est inter fretum Gallicum & Gobæum promontorium, seu inter Galliam & Angliam.

Oceanus Caledonius, vulgò *The Deucalidon sea* Anglis, *mer d'Escosse* Gallis, seu *Ocean Caledonien*, inter Scotiam & Islandiam.

Oceanus Canadensis, vulgò *mer de Canada*, seu *de la nouvelle France*, juxta Canadam seu novam Franciam regionem Americæ septentrionalis. Pars est maris Borealis.

Cantabricus, à Pyrene ad Nerium promontorium, *mare di Biscaja*, Ital. *mer de Biscaye*, Gallis, partem Borealem Hispaniæ rigat.

Cronius, pars maris Septentrionalis, nunc *mer de Petzora* dicitur, seu *mer Glaciale*, Gallis, *Mourmanskoy more*, Russis.

Deucaledonius, vide *Caledonius*; nam idem est.

Oceanus Eous, vulgò *Ocean Oriental*, seu *mer de la Chine* dicitur, & Sinas alluit.

Gaditanus, inter fretum Herculeum & mare Atlanticum, *mare di Cadiz*, veriùs est sinus; diciturque sinus Equarum, *Golfo de las Yeguas*, Hispanis.

Gallicus, vide *Aquitanicus*, quo paulò plùs patet, Aremoricos alluens. Galliam alluit ad occasum, & *mer de France* dicitur.

Germanicus, inter ostia Rheni & promontorium Cimbrorum. *Ocean Germanique*, Gallis, *die Noort zée*, Belgis, extenditur inter fretum Gallicum & Rubeam promontorium.

Glacialis, pars maris Septentrionalis, Scandinaviam alluens, *mer Glaciale*, vulgò.

Hesperius, post Atlanticum, usque ad frontem Africæ. Gallis, *mer de Guinée*, est inter Atlanticum & partem occidentalem Oceani Æthiopici, cujus pars est.

Hybernicus, inter Hiberniam & Britanniam, *mare d'Irlanda*, Italis, *mer d'Irlande*, Gallis, *The Irish sea*, Anglis dicitur, sub quo Verginius Oceanus.

Hyperboreus, pars septentrionalis inter Cronium & Scythicum. Gallis, *mer de Petzora & de Moscovie* dicitur, qui Sarmaticus aliis.

Indicus, (vide *mare Indicum*,) inter Rubrum & Eoum, *Ocean Indien*, seu *mer des Indes*, Gallis, *Oceano de las Indias*, Lusitanis. Indiam alluit, estque pars Oceani Orientalis.

Libycus, idem Atlantico & Hesperio, *mer du Cap Verd*, Gallis.

Oceanus Magellanicus, seu *mare Magellanicum*, vulgo *mer Magellanique*, versùs regionem cognominem & partem australem Americæ meridionalis. Vide *mare Magellanicum*.

Oceanus Mexicanus, seu *mare Mexicanum*, vulgò *mer de Mexique*, versus novam Hispaniam, regionem Americæ septentrionalis. Vide *Mexicanum mare*.

Occiduus, vulgò *mare di Portugallo*, Hispaniam ad occasum alluens. Aliàs Atlanticus, *Ocean Occidental* dicitur, seu *Ocean Atlantique*, versùs oram occiduam Africæ & Europæ. Ejus pars etiam *mer de Portugal* vocatur.

Oceanus Pacificus, seu *mare Pacificum*, vulgò *la mer Pacifique*, seu *la mer de Sud*, in America. Vide *Oceanus Austrinus*, & *mare Pacificum*.

Oceanus Persicus, vulgò *mer de Perse*, Persiam alluit inter sinum Persicum & ostia Indi fluvii.

Oceanus Peruvianus, vulgò *mer du Perou*, juxta Peruviam regionem Americæ meridionalis. Pars est maris Austrini seu Pacifici.

Rubrum mare, vide *Oceanus Arabicus*, vulgò *mer d'Arabie*.

Scythicus, pars Septentrionalis inter Hyperboreum & Sericum, *mer de Tartarie*, seu *des Kaimachites* nunc dicitur.

Septentrionalis, Scandinaviam, Sarmatiam, & Scythiam alluens, in Boream extenditur supra Norvegiam, Moscoviam, Tartariam, & novam Zemlam.

Sericus, inter Scythicum & Eoum, *mare del Catay*, seu *de Jedzo*.

Virginius, seu *Verginius*, (vide *mare Virginium*,) vulgò *mare d'Irlanda*, Gallis *mer d'Irlande*. Pars est maris Hibernici.

Oceani nomina alio ordine per circuitum:

Gaditanus, *Golfo de las Yeguas.*	Septentrionalis, *Ocean Septentrional.*
Atlanticus, *mer Atlantique.*	Glacialis, *mer Glaciale.*
Hesperius, *mer de Guinée.*	Cronius, *idem Glaciali.*
Æthiopicus, *mer d'Ethiopie.*	Germanicus, *mer d'Allemagne.*
Barbaricus, *mer de Zanguebar.*	Caledonius, *mer d'Escosse.*
Arabicus, *mer d'Arabie.*	Virginius, vide *Hibernicus.*
Persicus, *mer de Perse.*	Hibernicus, *mer d'Irlande.*
Indicus, *mer des Indes.*	Britannicus, *le Manche.*
Eous, *Ocean Oriental.*	Gallicus, *mer de France.*
Sericus, *mer de Jedzo.*	Aquitanicus, *mer de Gascogne.*
Scythicus, *mer de Tartarie.*	Cantabricus, *mer de Biscaye.*
Sarmaticus, *mer de Moscovie.*	Occiduus, *Ocean Occidental*,
Hyperboreus, *mer de Petzora.*	

inde Gaditanus, unde inchoatum est.

Ocelenses, Lusitan. pop. *Lancienses*, Plinio. Vide *Lancia*.

Ocelis, Ptol. *Ocila*, Plinio, *Acila*, Straboni, urbs & emporium Arab. Fel. ad Fauces sin. Arab. à Mochurâ, sive, ut nunc vocatur, Mecchâ 40. m. p. *Zidem* Nigro. *Capo de Celi* Rhamusio. Quibusdam *Zibit*; opp. amplum. Aliis est Castellum Alherda, 130. m. p. à *Zibit* in merid. 180. ab Adeno in Occid. longè à Meccha & Ziden in Occid.

Ocelli, promuntorium Angliæ, *Holdernesse* Camdeno, cujus extremitatem *Spurnhead* vocat.

Ocellus Lucanus, antiquus Philosophus, scripsit librum de universi naturâ, cujus textum è Græco in Latinum transtulit, collatisque (ut ait ipse) multis exemplaribus etiam MSS. emendavit, paraphrasi, & commentario illustravit Car. Emmanuel Vizzanius, An. D. 1546.

Ocelum, à Jul. Cæsare, *Comm. lib.* 1. dictum oppidum citerioris prov. extremum, vulgò *Esilles*, teste Vigenereo, oppid. Alpinum Gall. Narbon. in confin. Taurinorum. Aliis est *Oulx*, Italis *Ours*, pagus paulo remotior; *Ocey* Ferrario in finibus Sabaudiæ. Aliter Baudrandus: *Ocelum*, opp. Brigantiorum, *Exilles* est omnibus inquit, castrum probè munitum Delphinatus, ad Alpes Cottias, ad

Doriam fluv. in ipso limite Pedemontii, in valle Duriæ Segusini, vix 6. m. p. à Segusio in Occ. uti 5. à Brigantio in Ort. Hadrian. Valesius *in Not. Gall.* locat. inter montem Matronam seu Genebiam, & Segusium, sed huic propius facit.

Ocelum, Ocellum Durii Antonino, *Ocelu* Appiano, opp. seu pagus Hispan. Tarrac. in finibus Arevacorum, nunc castrum munitum, ad Durium fluv. ubi recipit *Tormes* fluv. in regno Legionis, in ipso limite Portugall. 6. leuc. infra Muandam in Afric. *Fermosello*, teste Baudrand. Item oppid. Hispan. in Callaicis mediterr. *Otero de Rey*, Moletio. Aliis *Mondonedo*, urbs Episcop. Gallæciæ, aliter *Mindonia*, 4. leuc. supra castrum *Otero del Rey*, in Bor.

Ocetis, insula maris Deucaledonii Scotiæ adjacens apud Orcada promunt. *Hethy* Camdeno, *Sandes* aliis. *Ranaldsda* Ortelio ex Lhuydo. Baudrando est ad Bor. Scotiæ, inter hanc & Orcades, quarum pars est, nunc *Hoy* & *Hethy* quibusdam, aliis *South Ranaes*, prope Picticum Fretum.

Ocha, mons Eubœæ. Item insula ipsa sic dicta. Strabo, καὶ Ὄχη δὲ ἐκαλεῖτο ἡ νῆσος, καὶ ἔστιν ὁμώνυμον αὐτῇ τὸ μέγιστον τῶν ἐν ταύτῃ ὀρῶν. Est & apud Plin. *Ocha* una è vetustis Eubœæ urbibus. אוקין *Oca*, Pœnis *angustum* sonat; quo nomine illos hanc insulam appellasse verisimile est, διὰ τὴν στενότητα, ut Græcos *Macrin* à longitudine. Mela, *Eubœa, &c. nusquam lata, duûm millium spatium habet ubi arctissima est.* Scylax, Τὸ δὲ πλάτος στενή ἐστιν Εὔβοια. Alexius Comicus in censu 7. insularum, Εὔβοια μακρὰ στενοφυής, Boch. Vide Casaub. *in Strab. lib.* 10.

† *Ochamum*, oppidul. primar. Ruthlandiæ Comit. in Anglia, ad amnem *Guvash*, 12. mill. Angl. à Licestria in Ort. Petroburgum versus; *Oakham*.

Oche, mons Eubœæ maximus, cum oppid. cognom. Plin. apud Carystum urb.

Ochesius, Ætolorum dux, vir longè præstantissimus, qui in bello Trojano interemptus est. Ejus mem. Hom. *Il.* 5.

Ochia, una ex 5. partibus Niphoniæ, maximè ad Sept. extensa, in qua 11. provinc. Primaria urbs est Jendum, *Jendo*, sedes regia Japoniæ.

Ochosias, filius Achab, regnare cœpit super Israëlem, in Samaria, anno mundi 3136. ante Christum natum 813. Hic impius, proavus & utrique parenti persimilis extitit: atque æger ex lapsu, misit consultum Deum Accaron, annon convalesceret: revertuntur nuntii, dicentes, occurrisse sibi hominem pilosum, renibus accinctum zona pellicea, qui dixerit, ut reverterentur, renuntiarentque minimè convaliturum. Ochosias Eliam esse, qui nuntios impedivisset, ratus, misit ad eum Tribunum cum quinquaginta militibus, ut eum adducerent, quos omnes ignis cœlitus demissus consumpsit: cùm totidem iterum misisset Ochosias, eodem fato correpti sunt. Tribunus autem, qui tertius missus est, supplex Eliam deprecatus est: qui Elias, ab angelo præmonitus, cum hoc Tribuno ad Ochasiam perrexit, tandem ab Elia increpatus est Ochosias, apud quem id ipsum locutus est, quod per nuntios primùm prædixerat. Itaque ex hac infirmitate obiit, nullis relictis liberis, quare successit ei frater Joram. Vide 3 Reg. 22. *cap.* 4. Reg. 1. *cap.* itemq; Joseph. *lib. Antiq.* 9. *cap.* 2. regnavit annos duos.

Ochosias, Latinè *possessio*, aut *visio Domini*, aliàs Joachaz quoque dictus, filius Joram, ex Athalia, non autem ejus Joram, qui fuit rex Israel, successit patri in regno Judæ, An. 12. Joram, filii Achab, Regis Israel, annos natus erat 20. cùm regnare cœpisset. Imperavit Jerosolymis anno tantùm uno, qui erat annus mundi 3151. ante Christum natum 797. impiè egit secutusque est domum Achab, de quo suprà mentionem feci, &c. cum eo gessit bellum adversus Hazael regem Syrorum. Iste Ochosias jussu Jehu, qui in regem unctus fuerat, interfectus est. Vide 4. Reg. 8. & 9. item Paral. 2. 22. Inierat societatem cum Joram, filio Achab.

Ochozath, amicus Abimelech regis Gerar. Gen. 26. Latin. *possessio, apprehensio*, vel *collectio*, aut *visio*, seu *fratru oliva*.

Ochran, pater Phegiel, principis tribûs Aser, Num. 1. Latinè *turbidus*, vel *conturbans*.

Ochsenfurtum, opp. Franconiæ, ad Mœnum, sub Episc. Herbip. 3. leuc. ab Herbipoli in Mer. Rotenburgum versus.

Ochus, rex Persarum, qui avaritiæ notâ adeo laboravit, ut urbem nunquam iniret, ne mulieribus congiarium impartiretur. Nam Cyrus lege sanxerat, ut, quò primùm rex Persarum ingrederetur, mulieres quotquot adessent, singulos auri nummos ab ipso rege acciperent. De *Ocho* Persarum rege Justinus *lib.* 10. *Hæreditas regni Ocho tradita, qui timens parem conjurationem, regiam, cognatorum cæde, & strage principum replet, nullâ non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordiâ permotus.* Ab Eunucho Bagoâ veneno necatus est, teste Diodoro Sic. *lib.* 17. Cujus cadaver ab interfectore felibus objectum est, & ossa quædam ipsius, exprobrandæ crudelitatis causâ, in manubria gladiorum sunt conversa. Ælian. ποικιλ. 6. 8.

Ochus, unus è Cyzicenis civibus, à Phliante, Bacchi fil. Argonauticæ expeditionis socio, in nocturno conflictu interemptus, Flaccus 3.

Ochus, fluv. Indiæ, Plin. 6. 16. seu potius Bactrianæ: sic enim idem Plin. 31. 7. *Præterea apud Bactros amnis Ochus, & Oxus ex appositis montibus deferunt ramenta.* Oritur autem ex Parapamiso monte, Oxoque fluv. congrediens, cum eodem in Margianâ reg. Caspium mare petit. *Obengir*, Castaldo. Baudrando oritur in confin. Imperii magni Mogolis; dein per *Balch*, & *Tocharestan*, Persiæ provincias fluens, rigatis Balchia & Badhasciano urbibus, aliisque in confinibus Zagatajæ, & auctus Balcano fluv. in Oxum se exonerat.

Ocila, portus Gebanitarum in Arabia fel. Plin.

Ocinarus, Lycoph. fluv. Brutiorum in Calabria cit. in Sinum Terinæum influens; *Savuto*, vide *Sabbatus*. Aliis est *Calibaco*, & *Calrico*.

Ocite, Insula parva Hibern. ad Occ. *Baz* incolis.

Ocka, vide *Occa*.

Ocnus, Tiberis & Mantus filiæ Tiresiæ vatis filius. Hunc Mantuam condidisse tradunt, & Æneæ in auxilium venisse, adversus Turnum Virg. testatur, *Æn.* 10.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantûs, & Tusci filius amnis,
Qui muros matrisq; dedit tibi Mantua nomen.

Idem hunc *Bianora* vocat *Eclog.* 9. teste Servio. Vide *Bianor*.

Ocnus, nomen cujusdam apud Inferos, quem effinxerunt perpetuò torquentem funem, astante asellâ; quæ quantum ille torsisset, statim prærodebat. Inde proverbium, *Ocnus funiculum torquet:* quod cum in eos omnes competat, qui non profuturam in re aliquâ operam collocant, tum in eos præcipue quadrat, qui cùm nihil neque laboris, neque industriæ ad augendam rem familiarem prætermittant, nihilo tamen redduntur ditiores; quòd domi habeant asellam, hoc est, uxorem prodigam, quæ, quicquid misellus multis sudoribus corrasit, strenue profundit. Propert. 4. 3.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Æternumq; tuam pascat asella famem.

Vide Plin. *cap.* 11. *lib.* 35. Quia autem summæ erat pigritiæ, non abigere asellum, ideo Aristoteles hunc Ocnum ait mutatum in Erodii genus omnium pigerrimum; ut post Politianum, qui jam hunc versum illustrarat, notat Turnebus *lib.* 8 *cap.* 1. Fabulam illam refert Pausan. *in Phocicis*, & interpretatur. Meminit Schol. Aristoph. *in Ranis*, & Diodorus *lib.* 2. Quærit autem Erasmus, *in Chiliadibus*, quare ὁ σχοινοπλόκος Ὄκνος dicendus sit potius, quàm asinus, qui fune pascitur. Nam, inquit, asinus ipse potius piger est, quàm ὁ σχοινοπλόκος. Atqui verba ipsa, quæ adducit ex Plutarcho (sunt autem ea *lib.* περὶ εὐθυμίας) solvunt dubium, cùm dicat: ὅτι ὁ σχοινοπλόκος πλέκει τὸν σχοῖνον καὶ καταφάγεται, & senex ille sinat ab asino funem depasci, neque abigat.

Ocolum, parva regio Eretriensium, Steph.

Ocra, Alpium pars humillima, quà ad Carnos accedunt, Ptolom. Strabo. Est etiam Venetorum urbs, apud Plinium.

Ocrazapes, qui & *Aserazapes*, rex Assyriorum 38. Successit Ophratani, A. M. 3174. usque ad An. 3214. Euseb. *in Chron.*

Ocrea, Umbriæ opp. excisum, cujus magna adhuc manent rudera apud Tiberim ex adverso Galesii, Ocriculo vicinum, minus 2. m. p. distans in Aust. vulgò *Ocre*.

Ocriculum, ultima Umbricarum urbium versus meridiem, Romæque proxima, urbs antiqua, cujus nomen alii plurali numero *Ocriculi* protulerunt. Oppidani inde sunt Ciceroni, Livio, ac Plinio, *Ocriculani*; Inscriptioni veteri & Stephani epitomatori *Ocricolani*, vulgò nunc oppid. incolis *Otricoli* vocatur. Οἱ Ὀκρίκλοι Straboni, τὸ Ὀκρίκολον Ptolemæo. Stephanus, Ὀκρίκολα, πόλις Τυῤῥηνῶν. Διονύσιος Ὀκλικαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, τὸ ἐθνικὸν Ὀκρικολανὸς, ὡς αὐτός φησι. Nescio autem, an ipsi Dionysio oppidi vocabulum formatum fuerit Ὀκρίκολα; nescio item, an Tyrrhenorum id ille fecerit oppidum; vereorque de suo id gentis nomen adjecisse Stephanum, cujus ætate Umbria etiam sub Etruriæ, sive, ut tum appellabant, Tusciæ titulo comprehendebatur. Baudrando oppid. dit. Pontificiæ est, inter Narniam ad Bor. & civ. Castellanam ad Mer. 28. mill. à Roma in Bor. 3. mill. infra confluentes Naris in Tiberim. Sed Ocriculum antiquum erat in planitie, juxta Tiberis ripam, ubi etiamnum testudines & columnæ, multaque alia antiquitatis vestigia.

Ocrinum, quod & *Damnonium*, Ptol. promuntorium Albionis in Cornubiâ reg. occidentalissimum, Antivestæ proximum, ubi opp. S. Michaelis, de quo *Capo di S. Michael* etiam nominatur; ab Exonia urbe 79. m. p. in occ. recedens. *The lands end*, Camdeno. Aliis est *Lezard point*. promont. Cornubiæ magis ad Austr. porrectum, 8. mill. Angl. ab Antivestæo seu Boerio in Eur. 12. ab opp. seu monte S. Michaëlis in Mer. Ex Camdeno, Speedo aliisq; Baudr.

Ocrisia, uxor Publii Corniculæ, Servii Tullii mater fuit, & Tanaquilis Reginæ ancilla captiva: Cæterum Plinius *lib.* 36. *cap.* 27. mira narrat de Ocrisia, qua via conceperit Servium Tullium. Ovidius *Fast.* 6.

Namq; pater Tulli Vulcanus, Ocrisia mater.

Ubi tamen *Ocresia* legendum ait N. Heinsius, quia Plutarcho, Ὀκρισία dicitur, Ὀκρησίαν autem semper vocat Halic. Dionysius. Apud Festum, in voce *Nothum*, *Oclisia* perperam dicitur.

L. Octacilius Pilitus, sub Sulla & Mario, servus primò, dein libertus docuit Rhetoricam, Præceptor Pompeji M. Historica quædam scripsit, Sueton, *de Gramm. Illust.* Hieron. *in Chron.* Martial. *lib.* 12. *epigr.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1.

Octavi-

Octapitarum, promuntorium Albionis, Ptol. *S. Davids head*, Camdeno. Est autem in Wallia reg. maxime occiduum, ubi Menevia urbs episcop. quæ *S. David*, dicitur, à Londino 192. m. p. in occid. à Mariduno reg. primaria 36.

Octapodes, pop. Scythiæ pauperrimi, dicti, quòd nihil possiderent, præterquam duos boves & carpentum seu currum, Erasmus *Adag.*

Octapolis, Lyciæ opp. Ptolem.

Octavia, gens à Velitris originem accepit, quam L. Tarquinius Superbus inter Romanas allegerat. Quæ cùm ad plebem se contulisset, rursus à Cæsare Dictatore inter Patricias relata est. Ex hac fuit *C. Octavius Rufus*; is quæstorius duos filios procreavit Cajum & Cneum. Cnei posteri summos in urbe honores adepti sunt: Caji præturæ gradum non excesserunt: ex his Augustus Cæsar descendit. Hanc assentationis gratiâ propter Augustum excellere dixerunt. Ipse autem Augustus nihil amplius, quàm equestri familiâ ortum se scribit, vetere, ac locuplete, & in quâ primus senator ejus pater fuerit. M. Antonius Libertinum ei proavum exprobrat Restionem è pago Turino, & avum argentarium. Cicer. *in epist. quâdam*, eum nepotem argentarii & filium adstipulatoris vocat. Utcunque tamen constat, Augusti patrem honestissimum virum fuisse, magnâque laude Macedoniam provinciam administrasse, idque ex ipsius Marc. Tullii testimonio, ubi ad Quint. fratrem scribens, hortatur eum, ut promerendis sociis vicinum suum Octavium imitetur.

Octavia, Octavii Cæsaris soror, Marcelli primò, dein Antonii Triumviri uxor, ex illo mater fuit filii cognom. qui filiam Augusti duxit, & Marcellæ, &c. ex illo, Antoniæ majoris, quæ Domitio Oenobarbo nupsit, & minoris, quæ uxor fuit Drusi, fratris Tiberii. Male habita à marito, à fratre vindicata est: ob virtutem magni à Romanis æstimata, à Fratre quoque delubrum aramque accepit, ut ex Dione discimus. Obiit An. 743. U. C. Sueton. *in Aug.* Plut. *in Anton.* Dion. *lib.* 48. 50. 54. *Hist.*

Octavia, Cl. Cæsaris & Messalinæ fil. Neronis uxor, prius Silano desponsata, cujus consuetudinem Nero citò aspernatus est, occiditque eam sub crimine adulterii: cùm antea sæpe frustra strangulare meditatus, dimisisset ipsam ut sterilem, respondissetq; comprimentibus amicis, sufficere ei debere uxoria ornamenta, & tandem in Pandatariam insulam relegasset: veneno quoq; fratre ejus Britannico sublato, Sueton. *in Claud. & Nerone.* Tacit. *Annal. lib.* 12. & 14. Dion. *Hist. lib.* 60. Levinus Hulsius, *in vita Cæs.* Tragicus tamen ille, qui Octaviam scripsit, in Ægyptum relegare videtur. Sic enim ille,

> —— *Date vela fretis*
> *Ventisq;, petat puppis rector*
> *Tandem Pharia litora terræ.*

Nisi si hoc vult, Alexandrinâ duntaxat navi avectam Octaviam. Aliàs reposuerim ego,

> *Pandatariæ litora terræ.*

Lips. *ad Tac. An.* 14.

Octavianum, villa fuit Octavii Imper. sub Vesuvio monte, 5. m. p. à Neapoli, 7. ab urbe Nola, ubi & mortuus est P. Legorius.

Octavianus, Antipapa, Romanus, nomine Victoris 4. Alexandro 3. oppositus, à Friderico Imperatore An. 1161. Concilio Ticini habito, Alexandrum deposuit, in Galliam profugum. Obiit An. 1164 Radevic. *lib.* 2. Otto Frising. *de rebus Frid.*

Octavianus, Romanus, Cardin. Legatus in Siciliam & Galliam, in negotio Philippi Augusti, qui Ingeburge Danicâ repudiatâ, Agnetem Meraniam ducturus erat, Ciaccon. Onuphr. Baron. *in Annalib.* Item, ex familia Ubaldinorum, Arch. Bononiæ & Cardin. Legatus in Romandiolam & Siciliam, contra Manfredum, dein Venetias, in Lombardiam & Galliam, Obiit An. 1274. Onuphr. *hist. Pap.* Auberius *hist. Cardin* Ciacconius, &c.

Octavianus de S. Gelasio, Episcopus Engolismensis: Æneida, epistolas Ovidii, & aliquot Odysseæ libb. Gallico carmine juvenis expressit, &c. Obiit An. 1502. Pater Melini de S. Gelasio & frater Jacobi, Episc. Uzetensis, Moretius *Diction. Hist.*

Octavianus de Martinis, doctrinâ & eloquentiâ illustris, seculo 15. Peroravit coram Sixto 4. de vita S. Bonaventuræ. *Oct. Vestrio*, IC. celebris, Imolâ oriundus. Scripsit *mores judiciorum*, *Practicam*, &c. Floruit, An. 1573.

Octaviolca, mel. *Ottaviolca*, *Hordunia* Moletio, urbs Cantabrorum, versus oram litor. maris Cantabrici. Aliis *Espinnosa*, oppidul. Biscajæ, in ipso limite Asturiæ, vix 2. leuc. ab ora, & fere 3. à Fano S. Andreæ in Afric. 9. à Laredo in Occid. 12. ab Ordunia, 9. circ. à fontibus Iberi in Bor.

Octavius, vel *Octavianus Cæsar*, vide *Augustus*.

M. Octavius, Historicus priscus, auctori de Origine gentis Romanæ laudatus. An idem cum Octavio Hersenno, Macrob. *Saturn. lib.* 3. *cap. ult.* Cn. *Octavius*, Consul, pepulit Cinnam collegam, An. 667. U. C. surrogato L. Corn. Merulâ huic, qui manu armatâ, Mario Sertorioque junctus, advenit injuriam ulturus. Item, Poëta & *Historicus*, Horatii σύγχρονος, nimio potu exanimatus, Petr. Victor. *lib.* 14. *cap.* 7. *var. Lect.* Voss. *de Hist. & Poët. Lat.*

Octavius, Fanensis, dictus *Cleophilus*: Docuit in aliquot Italiæ *Academiis*, *Principibus* Medicæis & Curiæ Romanæ gratus. Prosâ versuque varia edidit: à Socero veneno peremptus, Ann. 1490. ætat. 43. Franc. Polyardus, *in ejus vita*. Pierius Valerianus, *lib.* 2. *de infel. Lit.* Voss. *de Hist. Lat.*

Octavius Avitus, & Petilius Faustinus furta Virgilii adnotarunt, notantes unde quæque carmina surriperentur, ut ait Servius.

Qu. Octavius, à L. Cinnâ collegâ suo interfectus, Pædianus.

Octavius, tribunus legionis cum Crasso in Parthis cæsus, Polyæn. *libr.* 7.

Octavius Sagitta, plebei tribunus, Pontiæ mulieris nuptæ amore vecors, ingentibus donis adulterium & mox ut omitteret maritum, emercatus est; suum matrimonium promittens ac nuptias ejus pactus. Sed mulier vacua, prætexens alia, promissis non stetit. Quam ille, nocte unâ ad solatium impetratâ, nihil metuentem, post expleram libidinem, ferro transverberavit, reque cognitâ (nam initiò suum facinus illud libertus profitebatur, se patroni injurias ultum esse) postquam tribunatu abierat, sententiâ patrum & lege Corneliâ de Sicariis damnatus est, Nerone tertiùm & Valerio Messalâ Coss. Tacit. 13. 44.

Octavum, urbs Africæ propriæ, August.

Octodurum, Hispan. Tarrac. urbs ad Durium fluv. in Vaccæis, Ptolem. vulgò *Toro*, long. 14. 52. lat. 41. 00. Aliis *Sarabris* rectius, Ferrarius.

Octodurum, vel *Octodurus*, vulgò *Martenach*, teste Simlero, opp. olim, nunc pagus Veragrorum in Gall. Narbon. apud Rhodanum fluv. inter Allobroges & Sedunos, long. 28. 38. lat. 45. 28. Cæsar *Octoduri* meminit *lib.* 3. Antoninus à summo Pennino distare 25. m. p. & à Tarnada 12. m. p. scribit. In libro Provinc. dicitur *Civitas Vallensium*; apud Viterbiensem, *Ottodurum*. Quondam Vallensium caput, & sedes Episcopi, quæ postmodum, ob nimbi ruinam oppido tantùm non everso, Sedunum translata est. Hic plurimæ inscriptiones Rom. loci antiquitatem testantur, Simler. *de Vall. lib.* 1. Guilhm. *lib.* 4. *pag.* 445. Munsterus *Cosmogr. lib.* 3. Plantin. &c. Baudrando opp. est Vallesiæ, cum arce, 12. m. p. à Seduno in Occ. 8. ab Agauno in Eurum 32. ab Augusta Prætoria in Boream, Bernam versus.

Octogesa, opp. Hispan. Tarracon. apud Iberum fluv. in regno Arragonio; *Etovisa*, Plinio. *Etovissa*, Livio. *Mequinenza* hodie, teste Morali. *Hitona* autem Episcopo Gerundensi.

Ocula, opp. Siciliæ, apud Magellam.

Ocyalus, unus ex Phæacibus tempore Alcinoi regis, Homerus, *Odyss.* 7.

Ocypete, una Harpyiarum, *à celeri volatu* nomen habens. Sorores habuit Aëllo & Celæno, cum quibus Strophadas insulas fertur incoluisse.

Ocyroë, Nympha, Chironis Centauri & Chariclûs Nymphæ filia, ità dicta *à celeriter fluendo*, quòd in rapidi fluv. ripis nata esset. Hanc poëtæ fabulantur fuisse fatidicam, eandemque in equam tandem conversam, Ovid. *Met.* 2.

> *Ecce venit rutilis humero projecta capillis*
> *Filia Centauri, quam quondam Nympha Cariclo*
> *Fluminis in rapidi ripis enixa vocavit*
> *Ocyroën.* —— ——

OD.

Odagana, oppid. Arabiæ des. Ptolem.

Odaja, sive *Odejas*, soror Naham, 1. Paral. 4. Latinè *laus*, seu *confessio Domini*.

Odaren, nomen viri, 1. Macchab. 9.

Oded, propheta, 2. Par. 15. Lat. *sustentans*, *tenens*, aut *erigens*.

Odenatus, Princeps vel Decurio Palmyrenorum, multa adversus Saporem Persarum regem præclare gessit, sec. 3. contra quem limites Rom. Imperii fortiter defendit: Quietum & Balistam rebellantes coërcuit, Augusti tandem titulum meritus. Zenobiæ uxoris, consiliis & fortitudine omni ævo memorabili, adjutus, totum ferme Orientem sub jugum misit: à nepote Mœonio, in medio felicitatis & victoriarum cursu, imperantibus Galienis, sublatus, Trebell. Pollio, *de* 30. *Tyr. in vita Valer. & Galien.*

Odera, oppidum Ducat. Oppaviensis in Silesia parva, in limite Moraviæ, ad fontes Oderæ fluv. 4. mill. Germanicis ab Olomucio in Ortum.

Odera, fluv. German. *Oder* vulgò dicitur. Sunt qui illum à Ptolemæo *Viadrum* vocari autumant. *Oderam* vocant, ab aucupibus vocabulo mutuato, qui speculas avibus speculandis captandisque constitutas, *Odri* appellant, hodieque hujusmodi speculæ in Moraviâ, ad fontem Oderæ, ab aucupibus constituuntur, Metel. Quibusdam *Guttalus* etiam dictus. Baudrando oritur in Silesia, juxta oppidul. Oderam, in ipso confin. Moraviæ; dein recipit Oppam fluv. rigatisque Ratisboria, Vratislavia, Glogavia maj. & Crossâ: hinc per Marchiam Brandeburg. Francofurtum ad Oder. rigat, uti Lebusium & Custrinum, ubi Wartam recipit; tandem in Pomeraniam tendens, infra Stetinum lacum efficit *das Groß Haff*, & duas insulas Usedomii & Vollini: seque in mare Balt. exonerat tribus ostiis, *Psin*, *Swine*, & *Divvenovv*.

Odera, amnis Britanniæ min. Corisopitum rigat, & in Ocean. Aquitan. labitur.

Odericus, Franciscanus Forojuliensis, An. 1310. scripsit Itineratium, quod Wadingus vocat, *de Mirabilibus mundi, &c.* Voss. *de Hist. Lat.* Bollandus, *in vita ejus.*

Odessus, urbs Mysiæ infer. cum monte eognomine ad Euxinum mare, inter Mesembriam & Dionysiopolim. Stephanus illam Almydesso proximam facit. Ejus mem. Ovid. *lib.1. Trist. eleg. 9.*

Inde Mesembriacos portus & Odesson, & arces
Prætereat dictas nomine, Bacche, tuo.

Est & *Odessus*, amnis ibidem. Vide Stuckium, *ad Arrianum, pag.* 189.

Odetus Colinius, Cardinalis Castellionæus, Archiepisc. Tolosanus, &c. filius Caspatis Colinii, Galliæ Mareschalli, ex Ludovica Montmorantia, frater Caspar:s, famosi illius Galliæ Admiralis, & Francisci Andelotii, qui primus ex Gallica nobilitate puriorem religionem publicè professus est. Ingenio, eruditione, zelo veritatis, rebus pro Religione orthodoxâ gestis, exilio, inclytus. Ductâ Elizabethâ Hautevillanâ, obiit in Anglia, ubi apud Reginam Elizabetam, cui gratissimus erat, res Religionis in Gallia magnâ curâ promoverat, An. 1571. Thuan. *in Histor.* Albinæus *hist. lib.* 4. *cap.* 14. Bouchetus, SanMartanus, &c.

Odevia, nomen viri. Vide *Odaja.*

Odia, nomen viri, 1. Esdr. 8. Idem significat quod *Odejas*. Item, Ægæi maris Insula, Plin.

Odiaa, seu *Siam*, urbs ampla Indiæ ulterioris, emporium celebre, regni Siami caput, & sedes regia, nonnullis etiam *Judia*. Juxta Menanum fluv. 30. leuc. Gall. circiter ab ora littor. maris Ind. in Bor. Vide *Judia.*

Odilo, 5. Abbas Cluniacensis, fil. Beraldi M. Mercurii Domini ex Gerberga: successit Majolo, An. 994. præfuitque An. 54. benignus & mitis. Scripsit vitam Majoli, Adelheidæ Imperatricis, hymnos aliquot, homilias quatuordecim, &c. Obiit An. 1048. æt. 87. Vossius, Morerius, *Diction. hist.* Hic, cùm ad Vulcani ollam, in Sicilia gemitus audiisset, Purgatorium inde exstruxisse dicitur. Sigebertus *in Chron.* Lætus *Comp. hist. univ.* Cui alterum accessit fulcrum, à Benedicto VIII. qui post mortem nigro caballo insidens apparuit, rogavitque, Odilo pro se oraret. Platina, Johan. Stella Venetus.

Odingtonus, Benedictinus Anglus, Philosophus & Mathematicus insignis, An. 1280. Scripsit *de motibus Planetarum, & de mutatione aeris.* Pitseus, *de Ill. Angl. Scr. pag.* 362.

Odites, unus ex Centauris, Ixionis ex Nube fil. à Mopso interfectus in nuptiis Pirithoi. Ovid. *Met.* 12.

—— *Mopso jaculante biformis*
Occubuit, frustraq; loqui tentavit Odites,
Ad mentum linguâ, mentoq; ad guttura fixo.

Odiva, vir quidam in Dalmatiâ ab Odoacro Tyranno victus, An. D. 483.

Odiupolis, regio Heracleæ juxta Pontum, Stephan.

Odmana, Palmyrenæ urbs, Ptolem.

Odo, Archiepiscopus Cantuariensis, cœlibatum Sacerdotum in Anglia, cum Dunstano Archiep. Glasconensi, vehementer ursit, circa An. C. 950. Polyd. Virg. *lib.* 6. Vide *Dunstanus.*

Odo, Regens Galliæ, vide *Eudes*. Item, Monachus S. Mauri, scripsit vitam Com. Burcardi. Item, Anglus, in Euclidem, Chronica, &c. scripsit. Ann. 1180. Item cognom. *Alexanus*, Cardinalis, scripsit Astronomicum quoddam opus, Ann. 1251. Villanius, *libr.* 6. *cap.* 82.

Odo, 2. Abbas Cluniac. Gallus, discipul. S. Remigii Antissiodorensis: Principum Pontificumque arbiter. Obiit An. 944. scripsit plurima. Vide Morer. *Diction. Hist.* Item, dictus *Cantianus*, Benedictinus, sec. 12. Thomæ Cantuariensi familiaris, à Joh. Salisburiensi impensè laudatus. Scripsit in Pentateuchum, in 4. libb. Regum, Psalmos, & Evangelia. Præterea, *De onere Philistim*, *de Moribus Ecclesiasticis*, *de Vitiis & Virtutibus animæ, &c.* Obiit An. 1160. Pitseus, *de Illustr. Angl. Script.* Item, dictus *Ceritonensis*, Cistertiensis Anglus, eloquentiâ inter primos sui ævi: Principibus gratus. Scripsit Homilias, Proverbia, &c. An. 1181. sub Henrico 2. Angliæ Reg. Carolus Visch. *in Bibl. Cistert.* Pitseus, &c.

Odo de Odis, Patavinus, Medicus celebris, An. 1538. Vide Tomasium *in Elog. Ill. Patavin.* Justum *in Chron. Med.* Vander Linden.

Odo Rigaltius, Lugduno oriundus, Archiep. Rotomagensis: expeditionis sacræ comes, An. 1267. post Ludovici 9. in Africa mortem, à Philippo Audaci, cum Petro Duce Alenconio & aliquot aliis Præsulibus, Galliæ Regens dictus, obiit An. 1275. Scripsit in Magistr. Sententiarum, Homilias, tractatum de visitandis Parœciis, &c. Morerius, *Diction. Hist.*

Odo Severus, Danus, ex idololatris parentibus in Anglia natus. Latinè & Græce doctus, versu prosaque promptus, ab Eduardo R. Archiepiscopus Cantuariensis factus est. Scripsit Poëmata, Epistolas, statuta Synodalia, tractatum de præsentia Corporis JESU CHRISTI in Eucharistia, & historica quædam, obiit Ann. 959. Pitseus *de Ill. Angl. Script.*

Odo Sullius, Episcopus Parisiensis, nepos Theobaldi, Campaniæ Comit. maximis negotiis adhibitus. Scripsit Statuta Synodalia. Obiit An. 1208. Morerius *Diction. Hist.*

Odoacer, filius Ediconis seu Edicæ Herulorum, Scirrhorum & Turcilingiorum rex, An. D. 476. ab iis, qui Nepoti favebant, vocatus, Danubium transgressus est & in Italiam Veronam pervenit, persecutusque Oresten Gothum, victum, qui Momyllum fil. suum Augustum creaverat, Ticino inclusit, urbemque tandem captam militibus diripiendam præbuit, die 23. Augusti proclamatus Rex Italiæ. Novâ hac dignitate modestè usus, multa Orthodoxis, Arianus quamvis, concessit: Ravennam in potestatem accepit; tandem Romam profectus, Momyllum Augustulum, qui præ metu imperio se abdicaverat, in Lucullanum Campaniæ castrum in exilium ejecit, atque ita finis factus est Imperio Occidentali, quod steterat post victum Pompejum, incipiendo à Julio Cæsare A 522. Rugienses post hæc, Germaniæ ad mare Balthicum pop. prælio vicit, captivo illorum Rege Feretho seu Pheba, cum uxore Gisa, in Italiam misso. Cujus filius Fridericus, fugâ elapsus in Mœsiam, à Theodorico Gothorum Reg. Amali fil. copias impetravit, quibus in regnum suum restitueretur: sed denuo pulsus est ab Odoacro, qui postea à Theodorico ipso bello petitus, post varias fortunæ vices, Ravennæ inclusus, & post longam obsidionem & obsessis, & obsidentibus defatigatis, pace factâ, à Theodorico ad convivium vocatus trucidatusq; est, An. D. 493. Vide Procop. *de bello Goth. lib.* 1. Jornand. *de rebus Goth.* Cassiodor. *in Chron.* Nicephorum, Paul. Diaconum, &c.

Odoja, nomen viri, 1. Par. 5. Lat. *laus*, vel *confessio Domini.*

Odollam, civitas Judææ à Roboam constructa, 2. Par. 11. Videtur esse eadem quæ *Adullam* dicitur. Hodieque vicus parvus ad Or. Eleutheropoleos, Hieron. Nomen item speluncæ, 1. Regum. 22. Latin. *testimonium*, seu *ornamentum illis*, aut *testimonium*, sive *ornamentum suæ miseriæ*, vel *transitus*, seu *præda suæ miseriæ.*

Odomanti, populi Thracii, quorum meminit Thucyd. *libr.* 2. Vide *Hodomanti.*

. *Odones*, pop. Thraciæ. Dionysius, *Bassaricôn lib.* 14.

Μαίδων τ' ἀγέλαι φῦλα καὶ Ὀδόνες ἰσχύοντες.

Stephanus.

Odonia, seu *Odnia*, id est, *laus*, seu *confessio Domini:* Filius Asana, 1. Par. 9. Filius Elioenai, 1. Par. 5.

Odoranus, Monachus, An. 1045. scripsit *Chronica rerum in Orbe gestarum*. Possevin. *in appar.* Vossius *de Hist. Lat.* Pithæo *in Annalibus Gall.* & Baronio *A. C.* 875. laudatus.

Odorna, aliàs *Orna*, vulgò *l'Orne*, fluv. Austrasiæ, Fortunato notus *lib.* 10. *carm.* 12. qui in Mosellam effluit, medio inter Metas & Theodonis villam spatio, & fronti suo appositum habet vicum cognom. inter Mosam & Mosellam situm, sed Mosæ propiorem, Veroduno & Castello Domini Villari non multum distantem, caput olim pagi cognom. Hoc alluit fluv. dein Stagnum castellum, Bosciacum, Confluentem, ubi fluviolum recipit, & ad Ricomontem in Mosellam devolvitur, minime navium capax. Hadrian. Valesius *in Notit. Gall.*

Odornensis pagus, in Austrasia. Dividebatur in duos Comitatus, sub filiis Ludovici Pii. Quorum prior, Sarachouvæ super. proximus, quem Bernardus Comes habuerat, obtigit Ludovico Germ. Regi, An. 870. Posterior, qui Temagi Comitis erat, inter Tullense & Barrense territor. obvenit Carolo Gall. Reg. in divisione regni Lotharii. Promittitur hic pagus à vico *Orna*, ad Mosellam usque. Dictus ab Odorna, aliàs Orna, vulgò *l'Orne* fluvio. Vide *Odorna.*

Odreja villa, in capitulis Caroli Calvi memoratur, inter villas regias, aliis *Andriaca*. Miræo videtur inter Ambianos & Atrebatas urbes sita fuisse.

Odrussa, unus ex Ducibus auxiliaribus Æetæ Colchorum, contra Persen, quem potatorem & prolixâ barbâ horridum describit, Val. Flacc. Vide Argon. 594.

Odrysæ, pop. Thraciæ circa Hebrum fluv. Solinus. Hos Thucydides inter Abderam & Istrum collocat. Laonicus eos *Moldavienses* esse putat. Horum civitas *Odrysa* Straboni dicitur. Hinc *Odrysius*, Claud. *in Gigantomachia:*

Primus terrificum Mavors non segnis in hostem
Odrisies impellit equos, quibus ille Gelonos
Sive Getas turbare solet. ——

Statius *Achilleidos lib.* 1.

Sic cùm palantes Phlegræa in castra coirent
Cælicolæ, tamq; Odrysiam Gradivus in hastam
Surgeret, & Libycos Tritonia tolleret angues, &c.

Silius Ital. *libr.* 7.

Non graviore movent venti certamina mole
Odrysius Boreas, & Syrtim tollere pollens
Africus. —— ——

Valer. Flacc. *lib.* 5.

—— *Odrysio gaudebant carmine Phocæ.*

Id est Orpheo. Ubi alii *Othrysio.*

Oducia, opp. Vandalitiæ, *Lora* Morali, vel juxta.

Odysseia, *Edissa* Cicer. *Ulyssis portus*, Plinio. *Capo Marzo*, teste Fazello, port. & promunt. Siciliæ in Australi orâ ad Pachynum, ultra Motyam urb. delatum. Nune *Porto di Palo*, cum prom. cognomine in valle Neætina, 8. mill. à Pachyno in Occid. Camarinam versus. Baudrand.

Odyssus, corruptè pro *Odessos.*

Œa.

O E.

Oea, Tripoleos in Africâ urbs. Οἶα apud Stephan. est in Ἀφρικῇ, Phœnices vocant Oeeatis. Ἐῶα Ptolemæo, Silio Æa, Apulejo Æea, mendosè Oeea, in Antonino, & Occa in Isidoro. In situ ejus graviter errat Callimachus, cum eam e loco ejus, qui fuit juxta mare, ad Tritonem amnem admovit his verbis,

Ἐν τε Τρίτωνος ἐφ' ὕδασιν Ἀσβύσται.

Quod in Africano poëtâ minus ferendum. Vide Bochart. Geogr. pag. ... Nunc Baudrando Tripolis, quod V.

...us, Orphei pater, teste ipso, in fine Argonauticorum, modò Libyes:

—— —— Εὔδηλος μήτηρ
Γείνατό μ' ἐν λέκτροις μεγαλήτορος Οἰάγροιο.

Apollonius Argon. lib. 1.

Πρῶτά νυν Ὀρφῆος μνησώμεθα, τόν ῥά ποτ' αὐτὴ
Καλλιόπη Θρήϊκι φατίζεται εὐνηθεῖσα,
Οἰάγρῳ σκοπιῆς Πιμπληΐδος ἄγχι τεκέσθαι.

Vide sis illic Scholiasten. Plato in Convivio: Ὀρφέα τὸν Οἰάγρου. Hinc Oeagrius, Virgil. Georg. 4.

Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus.

Ubi Servius ait, Oeagrum Orphei patrem fuisse fluvium, à quo Hebrus nat... & ... eo Hebrum dictum Oeagrium.

Oeagrus, Histrio tragicus insignis, in magnò apud Athen. pretio. Aristoph. Vesp. & Schol.

Oeanthe, Oeanthia, Pauf. & Melæ, oppidum Achajæ in finibus Locrorum Ozolorum in orâ sin. Corinthiaci, ex adverso Ægiræ opp. Peloponnesi.

Oeaso, promunt. Vasconum, in Hispan. Tarrac. in orâ Oceani Cantabrici, in Guypuscoa reg. cum opp. excisò, Aiso Ganbaro & Clusio ... Easo n Melæ, Olarso Plinio, Jarso Marciano, Orsona Appiano, Idanus à Strabone, teste Pinciano. Baudrando in ipso limite Aquitaniæ. Nunc le Figuier, juxta ostia Bidassoæ fluvii, prope Fontem Rapidum. Oeaso autem seu Oeasopolis urbs, nunc dirutà, Oarçon dicitur, ... tantùm pagus, ad amnem Leço, in valle, 2. leuc. à Fonte-Rapido in Afr. 2. à Fano S. Sebastiani in Ori. ad radicem Pyrenæorum. Aliis Oeaso est Fons Rapidus, & Olarso non Oiarçon.

Oeasonis, opp. Hispan. Tarracon. apud Easonem promuntor. Fuenterabia Ortelio. Urbs parva sed permunita, cum arce, in ora maris Cantabr. juxta Oeasonem promunt. & ostia Bidassoæ fluv. in ipso Gall. confinio. Crevit ex ruinis Oeasonis antiquæ. A Bajonâ urbe Aquitanicâ 6. leuc. in occ. recedens. Aliis est S. Sebastian, opp. ejusdem oræ à Fonte-Rapido 5. leuc. in occid. Baudrando est Fons-Rapidus, Vide ibi.

Oebalia duplex fuit. Una quæ & Laconia dicta fuit, ab Oebalo Argum filio cognominata. Hinc Oebalius, Statius Achill. 1.

Solverat Oebalio classem de litore pastor
Dardanus. Hinc Oebalides. Ovid. in Ibin,
Quo puer Oebalides ictus ab orbe cadit.

Id est, Hyacinthus, qui Lacon fuit, ab Apolline disco interfectus. Ovid. Fast. 5. ubi de Castore & Polluce:

Effugere Oebalidæ cursu potuere sequentes.

Hinc Oebalis. Statius 1. Sylv. 2.

—— Queis purpura sæpe
Oebalis, & Tyrii moderator livet aheni.

Altera vero in Italiâ juxta Tarentum urbem. Virg. Georg. 4.

Namq; sub Oebaliæ memini me turribus altis,
Quâ niger humectat flaventia culta Galesus,
Corycium vidisse senem.

Est enim Galesus Calabriæ fluv. Tarento proximus, teste Livio. Hinc Oebalia matres, quæ Latinæ nurus Ovid. Fast. 3.

—— Mens celebrare Calendas
Oebaliæ matres non leve pondus habent.

Oebalus, Telonis filius, regis Capreanum Insulæ prope Neapolim. Virg. Æn. 7.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur. —— ——

Oebares, Satrapes Cyri, qui in prælio contra Medos primus fugit, omnesque, quibus præerat, secum traxit. Vide Polyæn. 557.

Oebares, Darii Hystaspis, qui post Magos sublatos regnavit, ..., cujus astutiâ in electione cæteris prælatus fuit, Polyæn lib. cap 485.

Oebalus, ex ducibus auxiliaribus Aeëtæ, in prælio per sinistrum ... interfectus est, Val. Flacc. 6. 246.

Oechalia, opp. multiplex. Strabo lib. 8. ... Cùm non sit ... Oechalia. Ubi Apollodorum reprehendit. ... Ille ... dicebatur, Oechaliam esse multiplicem; sed ex omnibus ... Euryti urbs appellaretur. Oechalias autem 5. esse ... annotat Eustathius. Ἐν ἑτέροις δέ φησιν, ὅτι Οἰχαλία ... Ἐρετρικῆς ὁμώνυμος τῇ Τραχινίᾳ καὶ τῇ περὶ τὴν Τρίκκην, καὶ τῇ Ἀρκαδικῇ ... τῇ ἐν Αἰτωλίᾳ. Locus autem Strabonis est in lib. 10. ubi de Oechaliâ in Euboiâ, quæ eadem est cum Chalcide, teste Plinio. Cæterum Oechalia, Euryti regia erat tractu Messeniaco, quam Hercules diruit, quia pactam filiam Jolen Eurytus ei non daret. Virg. Æn. 8. ubi de Hercule:

—— Ut prima noverca
Monstra manu, geminosq; premens eliserit angues,
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamq;, Oechaliamq;. ——

Ovidius Epist.

Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris.

Idem, Ponticorum quarto:

Alcides captâ traxit ab Oechaliâ.

Et Metam. 9.

Victor ab Oechalia Cenæo sacra parabat
Vota Jovi. —— ——

Vide Stephan.

Oechardas, vel Oechardus, Sericæ reg. fluv. Ptol. Tartar Nigroi. Oechardæ enim gens ibidem Ptol. qui Ammiano Chardi.

Oechus, Cariæ urbs, Stephan.

Oecolampadius Johannes, German. Haussschein: pro more virorum insignium ejus seculi, nomine Græce reddito. Winspergâ oriundus, inter primos sec. præt. Reformatores. Basileam vocatus, An. 1515. ut majoris templi Ecclesiastem ageret, ibi An. 1516. Theologiæ Doctor creatus est. Hinc ab Augustanis evocatus, locum mutavit. Monachus factus est, An. 1520. de quo instituto sic Erasmus: Quod scribis ab Oecolampadio factum, id sive judicio fecit, sive animi morbo, quando mutari non potest, precandum est, ut illi ac nobis quàm optimè vertat. Et paulò pòst, Tutum arbitror mali remedium ab animo potius petere, quàm à loco aut vitæ instituto. Epist. lib. 12. Inde cum se expliceuit, felici omine denuo Basileam delatus, An. 1522. privatim primò in ædibus A. Cratandri Typogr. eximii, egit, Chrysostomi nonnulla in Latium vertens: dein Martino Zanchero, parocho Martiniano, surrogatus, Pontificiam doctrinam palam impugnare cœpit, Ecclesiæque sic Basiliensis primus à Reformatione Pastor extitit. Hic A. 1525. scriptum de Eucharistia primum edidit, hoc titulo: De genuina expositione verborum Domini: Cui Suevici Doctores Syngrammâ suum opposuerunt, Antisyngrammate ab Oecolampadio exceptum. Dein An. 1528. unà cum Zvinglio respondit Lutheri majori Confessioni de Cœna Domini: Tandem eodem, cum ipso, quoque anno, 1531. piè mortuus, Basileæ, ætat. 49. Cal. Decemb. De cujus obitu vide præfationem Grynæi in Ezechielem Oecolamp. Ultima morientis vox fuit, Salva me CHRISTE JESU! Ejus uxor, matrona laudatissima, ut ante eum M. Ludov. Cellario, sic post eum Wolphgango Capitoni & Martino Bucero, omnibus viris doctissimis & clariss. raro singularisque fortunæ exemplo nupsit. Vide Urstis. Epit. Histor. Basil. cap. 9. Scripsit, præter ea, quæ jam memorata sunt, in omnes ferme Sacræ Scripturæ libros Annotationes, ἐξηγήσεις, Commentarios, Enarrationes, Conciones. Ejus imprimis lucubrationes in Prophetas aliquot minores mirum in modum à viris doctis probantur, Jac. Verheiden, in Effig. Eruditione, studiis, auctoritate, loco, ætate par Zvinglio: Idem. Quem utinam possem jure dolere, verba sunt ipsius Cardinalis Sadoleti, sic enim literæ & doctrina hominis postulabant. Huic in sacra statione successit Oswaldus Myconius.

Qui Domini verbum primus per Raurica sparsi
Templa, domus meritò nonne lucerna vocor?

Oecumenius, epitomator Chrysost. sec. 10. Opera ejus Græcè & Latinè, edita Parisiis, duobus Volum. An. 1631. Quibus adjuncta, quæ Aretæ Epise. Cæsar. in Cappadocia attribuuntur. Cuncta hæc vertit Joh. Hentenus, nempe Catenas in Acta Apost. Comment. in Epist. Jacobi, & alias Canonicas, &c. Sixtus Sen. Bibl. lib. 4.

Oedantium, urbs Illyriæ, Stephan.

Oedimus, sinus maris Ægæi, circa Doridem, inter Gnydum & Lorymam, Porphyrog.

Oedipodia, fons Thebanum, in Bœotia, mirabilis. Plutarchus in opuscul.

Oedipus, Laii Thebanorum regis & Jocastæ filius, ἀπὸ οἰδήματος τῶν ποδῶν, hoc est, à tumore pedum, ut Euripidi placet. Seneca Tragœdus.

Forata ferro gesseras vestigia
Tumore nactus nomen, ac vitio pedum.

Hunc pater, cùm ex Apollinis oraculo futurum intellexisset, ut à filio occideretur, pastori necandum tradidit; qui misericordiâ commotus, cùm invitus regiæ stirpi manus inferret, neque tamen regis imperium detrectare auderet, perforatis gladio plantis, vimineque trajecto, ex arbore suspendit, futurum putans, ut ita inediâ moreretur. Cæterum, cum Phorbas Polybi Corinthiorum vel Sicyoniorum regis pastor, illàc iter faceret, audito vagitu, eò accurrens, puerum servavit, reginæque, quæ liberis carebat, magni muneris loco obtulit, à quâ, veluti puer cælitus missus, filii loco educatus est, & à pedibus ex vulnere tumentibus Oidipus appellatus. Grandior deinde natu factus, cum se non Polybi filium audisset, patrem perquirere statuit, & consulto oraculo accepit, se in Phocide patrem inventurum. Quò cum venisset, ortâ inter Phocenses seditione, Laium conantem reprimere tumultum incognitum interemit. Postremo, tanquam oraculo lusus, Thebas petens, in itinere in Sphingem incidit, quam, problematibus solutis (unde

Terentii illud, *Davus sum non Oedipus*, cujus Plautus quoque meminit, *in Pœnulo.*) cùm occidisset, Thebas intravit, & quoniam Polybi filius credebatur, Jocastam matrem insciens uxorem duxit, & ex eâ 4. filios genuit. Postea vero, cum se matrem sibi conjugio copulasse, patremque occidisse cognovisset, dolore percitus, sibi ipsi in pœnam oculos eruit, quem postea cæcum Antigona filia circumduxit, & se occidere volentem prohibuit. Alii dicunt, quod repudiatâ matre, Astymedusam duxit uxorem, Athenas autem in voluntarium concessit exilium. Fabulam hujus habes apud Sophoclem, & Senecam *in Oedipo*, & Euripidem *in Phœnissis*, Diodor. *lib.* 1. Stat *lib.* 1. *Theb.* Senec. Hygin. Apollodor &c. Hinc *Oedipodionius* Ovid. *Met.* 15.

Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?

Oelandia, Insula Sueciæ, in mari Balth. Smalandiæ adjacens, e regione Calmariæ. Ibi oppid. præc. Borkholmia & Ostenbua, in ora Occ. Ad 70. mill. extenditur, à Sept. in Mer. & à Smalandia separatur, freto Calmariæ, *Calmar sund.*

Oemphyle, mons Dyrrachio imminens. Vib. Seq.

Oena, urbs Hetruriæ, in cujus medio altissimus fuit collis, ubi aqua in suprema parte, & sylvæ: de quâ Arist. *in lib. de admirand. auscultat.* Incolæ *Oenata*, *Oene* vero oppidum erat Argiæ, de quâ Hecatæus *lib.* 1. *histor.* *Oenoe* urbs Orum.

Oena, fluvius Assyriæ, inter quem & Tigrim Adjabena. Ammianus.

Oenæum, oppidum Asiæ min. circa Paphlagoniam, Niceæ & Glyceæ.

Oenanthia, opp. Sarmat. Asiaticæ in orâ maris Euxini. *S. Sophia*, Mercatori & Moletio. Ætoliæ item urbs parit ma. Polybius. Inter Acarnaniorum & Ætolorum fines.

Oenaria, urbs Tuscorum. Vide *Oena*.

Oene, Argiæ urbs, in Peloponn. Stephanus.

Oeneus, Calydoniæ rex, filius Parthaonis, qui ex Althæa, Phestii filiâ, Meleagrum, Tydeum, & Dejaniram genuit, Herculis postea uxorem. Hic, cum Dianam in sacrificiis suis per contemptum præteriisset, Dea

— *Oeneos ultorem spreta per agros*

Misit aprum, ut loquitur Ovid. *Met.* 8. qui reg. universam latissime vastavit, donec Meleager, collecto juventutis flore, eum interfecit. Post obitum filii Tydei, ab Agrii filiis spoliatus est regno, sed à nepote Diomede, extincto Agrio restitutus, Schol. in Aristoph. *Acharn.* Hinc *Oenides*, & *Oeneius*.

Oeneus, seu *Oenus*, fluv. Liburniæ parvus, in mare Adriaticum labens, Ptolem. *Tarsia*, Nigro & Moletio. Nunc *Fiume di Carnero*. Oritur ex montibus *della Vena*, in Carniola; dein Croatiam ab Istria separans, in sinum Carnarium se exonerat, juxta Vitopolim. Baudrandus.

Oeniadæ, urbs Acarnaniæ juxta Achelooum. Regio *Oenias* dicitur. Altera Thessaliæ, apud Oetam mont. Steph.

Oenandus, Episcopus, libere corripuit Anastasium semper arreptâ ejus veste, dicens, *Hac te veste, ô Imperator, in cœlum non sequetur.* Zonaras *in Anastas.*

Oenischi, vide *Heniochi*.

Oenipons, seu *Æni pons*, Comitatus Tirolensis metropolis, vulgò *Insprug*, sedes principum, ubi Camera & Parlamentum regionum Austriacarum. Baudrando urbs est ad Oenum satis culta, cum arce splendidâ, olim Principis sedes, nunc Imperatori subest, 20. mill. Germ. à Salisburga, 18. à Tridento. Ad radices Alpium Tridentinarum. *Veldidena*, antiquitus quibusdam. Hic Carolus Quintus à Mauritio Saxone, ob socerum Philippum Hassum, præter fas detentum, bello petitus, in fœdam ac miserabilem fugam conjectus, impedimentis exutus & ad pacem Protestantibus dandam, adactus est, An. 1552. Thuan. *lib.* 4. & 7. Alter *Oenipons* est *Oetingen*, Simlero; sed ille Æni legit. Sansoni & Cluv. est vicus *Alten Hohenavv*, in Bavaria super. vix 1. leuc. à Wasserburgo, 5. supra Oetingam, 6. à Monachio in Ort.

Oenisteria, Atheniensium sacra, quæ peragebantur ab ephebis pubescentibus, antequam lanuginem, comamque tonderent, Herculi vero vini certam mensuram offerebant. Horum meminit Hesychius, & Jul. Pollux.

Oeno, una fuit ex filiabus Anii & Dorippes, quibus id impertiverat Dionysius, ut, quicquid attigissent, in triticum statim, aut vinum, aut oleum verteretur. Unde dictæ *Oenotropæ*, quasi in novas formas omnia vertentes, Cæl. Rhod. 7. 15. Vide *Anius*.

Oenoanda, urbs Cabaliæ, in Lycia, Stephan. ad radices Tauri, 70. m. p. à Myra in Boream, uti 15. à Balbura, 30. à Bubone in Ort. paulo amplius à Cobyra.

Oenochalicorum, opp. circa Persidem videtur, apud Procopium, *lib.* 2. *Persicorum*.

Oenocibema, mons in finibus Africæ.

Oenochenum, fluvius Thessaliæ, Herod. *lib.* 7.

Oenoe, quæ & *Ephyra*, teste Strab. oppid. Elidis in Peloponneso ad Selleentem fluv. Est & opp. Icariæ insulæ, Stephan. Item aliud Atticæ, Thucyd. Apud torrentem, qui pluviis intumescens, magnâ vi aquarum campos ita vastat fissuris, ut terræmotibus agricolationem omnem perdat. Unde *Oenoe Charadram* Prov. in eos, qui sibi malum creant, in confin. Bœotiæ, inter Thebas ad Bor, & Athenas ad mer. ferè medium. Nunc fere in ruinis. It. Bœotiæ Ptol. *Oenoa* adhuc vulgò dictum. Est & *Oenoe* Ptol. opp. Laconicæ inter Bitulam & Gereniam, vulgò *Cidariso*.

Oenœus, fluvius Ætoliæ, contra Echinadas. Fortè idem cum Eveno.

Oenomaus, Martis filius, Elidis & Pisæ rex, Hippodamiæ pater; qui, cum ex oraculo se à genero interfectum iri didicisset, & filia tamen à multis procis ob formæ præstantiam ambiretur; curule certamen procis proposuit, eâ lege, ut filia victori in matrimonium cederet, victus mortem subiret. (Inde *Pisæiq; tori legem*, dixit Nemesianus:) Tredecim igitur victis & occisis, Pelops Tantali filius, amore puellæ captus, Myrtilum aurigam pretio corrupit, ut axes infirmos & fragiles currui subjungeret. Quo facto Oenomaus unà cum curru corruit, membrisque omnibus èruinâ collisis, jamque morti vicinus, Pelopem precatus est, ut vicem suam ulcisceretur. Quare, cùm Myrtilus pactum sibi perfidiæ præmium à Pelope contumeliosius exigeret, ab eo in mare præcipitatus est; eoque modo & puellâ & regno potitus Pelops, totam Chersonesum de suo nomine Peloponnesum appellavit. Vide Hyginum, Strab. &c.

Oenomaus, Cynicus Gadarensis, Porphyrio paulo superior. Scripsit περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον φιλοσοφίας, teste Suidâ, in Οἰνόμαος. Item περὶ Κυνισμοῦ, περὶ Κράτητος, καὶ Διογένους, καὶ τῶν λοιπῶν, teste eodem Suidâ, ubi supra. Meminit ejus Theodoretus *Therapeut. Serm.* 6. & 10. ubi ipse & Diogenianus de oraculorum mendaciis scripsisse dicuntur. Sec. 2 An. 119. Eus. *in Chron.*

Oenon, portus Locridis, ad sinum Corinthiacum. Thuc. *lib.* 3.

Oenona, appellata est prius *Ægina* insula, ut inquit Strabo, & Stephanus, & Plinius, *lib.* 4. quod etiam Pindarus pluribus locis confirmat in Nemeis & Isthmiis, aliique plurimi. Fuit autem insula sic fortasse dicta, ab *Oenone* nymphâ, quæ, ut testatur Pythænetus primo τῶν Αἰγινητικῶν libro, filia fuit *Budionis*, de cujus nomine gentem fuisse in eadem insulâ, scribit Didymus.

Oenone, duo Atticæ pagi, Strabo *lib.* 8. Hic Eleutheris, ille Marathoni vicinus.

Oenone, nympha Idæa, mutuo amore Paridis capta, cum ille adhuc incognitus circa Idam Phrygiæ pecus servaret. Hæc fatidica fuisse fertur. Paridique in Græciam navigandi prædixisse futurum, ut inde patriæ incendium secum referret. Extat epistola ejus ad Paridem, inter Ovidianas, quâ illum ad sui amorem revocare conatur. Author est Dictys Cretensis [illegible], Paridis interempti cadaver ad Oenonem fuisse relatum, ut ab illâ sepulturæ mandaretur: illam vero pristini amoris recordatione ad primum statim cadaveris conspectum mortuam concidisse, eodemque cum illo funere sepultam fuisse. Ovid. *de Rem. Am.*

Et Paris Oenonen summos tenuisset in annos,
Si non Oebaliâ pellice læsa foret.

Vide Parthenium, *Eroticôn cap.* 4.

Oenone, insula una Æacidarum, Stephan.

Oenoparas, agri Antiochiæ Syriacæ fluv. Strabo.

Oenophyta, Bœotiæ urbs, Thucyd. Myronidem Bœotos hîc superasse scribit Plutarchus.

Oenopia, insula, quæ & Ægina, Ovid. *Met.* 7.

Oenopiam veteres appellavere: sed ipse
Æacus Æginam genetricis nomine dixit.

Oenopides, vir Mathematicus ex Chio insulâ, Anaxagorâ aliquanto minor. Diod. Sic. *lib.* 1.

Oenostadium, urbs Germaniæ, seu potius pars urbis Passaviæ, juxta & infra confluentes Oeni fluv. in Danubium, ex adverso Passaviæ; *Innstat*.

Oenotri, pop. Italiæ, tractum illius inter Pæstum, ac Tarentum incolentes, quorum reg. *Oenotria*, partem Lucaniæ, Brutiorum, & Magnæ Græciæ complectens Virg. *Æn.* 1.

Est locus; Hesperiam Graii cognomine dicunt;
Terra antiqua, potens armis, atq; ubere glebæ.
Oenotri coluere viri: nunc fama minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.

Ubi vulgò male *Oenotrii*, Græci enim Οἴνωτρες vocant. Hinc dicta Italia *Oenotria*, sed discrimen interim, quare sic dicta. Aliqui dicunt ab *Oenotro* Arcade, Lycaonis filio, qui Italiam incoluit; in his Myrsilus Lesbius, Pausanias *in Arcadicis*, Antiochus Syracusanus, & Halicarn. Dionysius, cujus hæc sunt verba, *lib.* 1. *ubi de Arcadibus*: Πρῶτοι γὰρ Ἑλλήνων οὗτοι, περαιωθέντες τὸν Ἰόνιον κόλπον, ᾤκησαν Ἰταλίαν, ἡγουμένου αὐτῶν Οἰνώτρου τοῦ Λυκάονος, ἑπτακαίδεκα γενεαῖς πρότερον τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσαμένων, id est, annis 459. Ætatem quippe ipse Dionysius 27. annorum facit. Refellit hoc Cato *in Originibus*; & nomen hoc ducit ab *Oenotro*, rege Sabinorum, & Hetruscorum. Varro autem, illud refert ad *Oenotrum*, regem Latinorum. Servius tamen à *Vino* hoc nomen deducit, quod optimum in Italiâ; nam Græci *οἶνον*, *vinum* vocant. Consentit hæc opinio cum Virgilio ubi supra, cum Aristot. *lib.* 7. *Polit.* cum Strabone *lib.* 6. qui nullius factâ Oenotri mentione, tantum ajunt, eam, quæ prius dicta est Oenotria, vocatam deinde Italiam. Sed severissimè sententiam istam Goropius tuetur *lib.* 4. contra Dionysium, & Græcos alios, quos levitatis, proditionis, & sacrilegii arguit. Nam revera à vino dicta *Oenotria*, non à rege aliquo

Græco-

Græcorum. Græci enim, ambitione quadam, multorum Latinorum voces ad Reges suos transferunt, multasque terrarum orbis partes i.. esse colonias volunt. Inclinant autem multi in Janum Italiæ regem, qui ἀπὸ τοῦ οἴνου Οἰνωτρὸς dici videtur, ut ab Ebræo ... *Jain Janus*.

Oenotrides, quæ & *Oenotria* Plinio, insulæ maris Tyrrheni ante V... urb. Lucaniæ in orâ excisam, quarum una Pontia, *Ponza*, altera I...ia, & Iscia, *Ischia* vulgò. *Pontias* numero multitudinis legit ...o *lib.* 59.

Oenotrus, Rex Sabinorum, Varroni, vel Arcadum, Pausaniæ, qui Tarentini sinus incolis replevit, unde Oenotriæ nomen: quæ postea coloniis Græcorum aucta, magna Græcia dicta est, Virgil. *Æn.* 7.

Hunc Itala gentes, omnisq; Oenotria tellus.

Oenus, oppidulum Laconiæ, Stephan.

Oenus, fluv. Laconiæ juxta Spartam urbem fluens, Polyb.

Oenus, fluv. *Ænus* Ptol. *Inn*, ortus ex monte *Bernina*, uno ex Alpibus, ex duplici fonte, in Rhætia propria & in confin. vallis Telinæ: dein in Sept. tendens, per Comit. Tirolensem labitur ad Oen pontem, Hallam, & opp. *Schvvatz* & *Kufflain*: hinc per Bavariam fluens, Rosenhæmium, Hagam & Braunam rigat, tandemque auctus Acosa, Salza & Rota, aliisque fluv. minor. Danubio miscetur.

Oenussa, olim vocabatur Carthago, Steph. Item insula duplex maris Ægæi, una inter Tenedum & Samum; alia minor apud Chium, *Oenusa* Stephano.

Oenussæ, *Oenusa*, Pausaniæ insulæ parvæ tres Peloponnesi, ante Acritam promuntor. teste Pausaniâ, Plinio vero ante Messenen. *Oeniæ* a Mc... & *Thaegnusa*, *Sapienza* Sophiano. Sed hæc *Sphagia* aliis dic...r.

Oea, vicus in Leontide tribu, Stephan.

Oeonichus, infamis nefandis libidinibus, Scholiast. in Aristophan. Equit.

Oe..., opp. Tegeæ, Stephan.

Oeroe, insl. Bœotiæ in agro Plateensi, quam Asopus fluv. efficit una cum Gargaphiâ fonte, Pausanias.

Oescus, opp. Mysiæ infer. in Triballis, cum fluv. cognomine ex Rhodope monte, seu verius ex Hæmo, qui Cius videtur Herod... *Budum*, seu *Bydini* Lazio. Sed Nigro est *Blida*, oppid. ultra Rhat...iam 7. m. p.

Oesia, fluv. Galliæ, *l'Oise*. Oritur in Picardia, in ipso confin. Hannoniæ & Campaniæ; dein Guisiam, Feram & Calniacum rigat, hinc prope Noviodunum fluens, Axonam recipit supra Compendium, urbem Insl. Franciæ. Tandem rigatis Ponte S. Maxentiæ, Bellomontio & Ponte ad Oesiam, paulo infra in Sequanam se exonerat, 6. leuc. infra Lutetiam, Rothomagum versus. Vide Papyr. Masson *descr. Gall flum.*

Oesporis, oppid. Africæ mediterraneum, Ptol. *Sibaca* hodie, teste Marmolio.

Oestros, Pamphyliæ fluv. Melæ, *Oestrus*, dicitur Ptol.

Oestrymnus, promuntor. *Oestrimnus* Sinus, & in eo *Oestrymnides* insulæ, circa Hispan. in mari Atlant. forsan nunc Artabrum promunt. Gallæciæ, Ortel.

Oesyma, vel *Oesyme*, urbs Macedoniæ, inter Arethusam ad Occ. & Neapolim ad Ort. proximas urbes, non longe ab ostio Strymonis fluv. *Calla* ex tab. recent.

Oeta mons in finibus Thessaliæ. Doridi à tergo incumbens, apricum helleborì ferax, Plin. Pausan. Ovid. *Metam. lib.* 9.

Implevitq; suis nemorosam vocibus Oetam.

Morte & sepulchro Herculis nobilitatus, Plinius 4. 7. Silius Italicus *libr.* 3.

Inter quæ fulget sacratis ignibus Oete,
Ingentemq; animam rapiunt ad sidera flammæ.

Quod Virg. dixit Eclog. octavâ:

——— *Tibi deserit Hesperus Oetam.*

Ita accipiendum, quòd in eo monte stellæ videantur occidere, sicut in Idâ nasci. Hæc Servius. Imò potius Virg. dixit, quòd ab Oetâ oriantur. Vide Turneb. *Advers.* 28. 25. & Gevart. *ad Statium lib.* 5. *cap.* 8. Verba Livii *lib.* 46. pro ratione erunt: *Extremos ad orientem montes Oetam vocant.* Hinc factum, ut dies, nox, Sol, sidera dicantur oriri ab Oetâ. De ortu diei Seneca, *in Hercule Oetæo*:

Hæc, hæc renatum prima quæ videt diem
Oeta eligatur. ——— ———

Idem in *Hercule Furente, Act.* 1. describens diei ortum:

Jam caruleis evectus equis
Titan summum prospicit Oetam.

Papinius 5 *Sylv.*

...quina jam rediens Phœbe mihi respicit ægras
...igenas, totidem Oetæ, Paphiaq; revisunt
Lampades. ——— ———

Silius lib. ...

Vix dum clara dies summâ lustrabat in Oetâ
Herculis monumenta rogi. ———

De ortu noctis infinita sunt testimonia; duo tantùm adducam; Catull.

Jamdudum Oetaos ostendit Noctifer ortus.

De cujus vertus lectione adi Achillem Stat. Virg. *in Culice*:

Et piger aurato procedit vesper ab Oetâ.

Et hæc altitudinem montis hujus indicant. Longitudine autem maximè patet; incipit enim à Leucade in Epiro, & desinit in sin. Maliacum ad Thermopylas, inter Parnassum & Pindum extensus. Hic opp. *Oetaa*, teste Stephano, *Oetu* verò Diodoro, *Trachis* Straboni. Pop. *Oetæi*, Thucydidi vocantur. Mons hodie *Banina*, Sophiano. Baudrando *Banina*, mons Thessaliæ asperrimus, in limite Phocidis, cujus extrema ad Ort. *Thermopyla*. Ibi locus *Pyra*, ubi se Hercules combussit. Ei connectuntur ab auctoribus Coiax, Othris & Calidromus. Inter Pindum ad Bor. & Parnassum ad Merid. Sed longè incipit à Leucade in Ort. Nomen quoque Sinus maris, Ptolemæus.

Oetensii, Mysiæ infer. pop. Ptolem.

Oetes, Meliensium urbs, Diodor. Vide *Oeta*.

Oeteus, sinus parvus Thessaliæ, Ptol. ab Oeta monte, qui in eum procurrit. Vide *Maliacus*.

Oethyni, pop. juxta Pontum, Perottus.

Oetosyros, linguâ Scythicâ Apollo dicebatur.

Oetus, frater Ephialtis gigantis, filius Aloëi, Virgil. *Æneid.* 6. Lege *Otus*. Ὦτος enim est Homero. Vide *Aloeus*.

Oetylus, vel *Oetylum*, urbs fuit Laconiæ, ab *Oetylo*, Heroe, Steph. in orâ sinus Messeniaci, ad radic. Taygeti, 30. m. p. à Corone in Ort. paulo minus à Tænario prom. in Occ.

Oezenis, urbs Ponti, quæ deinde *Trapezus* dicta est, Steph.

O F.

Offa, Rex Merciorum, cæso Bernedo. Fossam ingentem ad regni sui partem eò melius defendendam duci curavit: bello illato Regibus Cantii, Saxoniæ Occ. &c. Ethelbertum Anglorum Or. Regem, sub prætextu filiam suam ei despondendi, è medio sustulit. Post varias victorias, jam senex illustres affinitates quæsivit, & scelerum pœnitentiam acturus Romam iter fecit, parte aliquâ bonorum Ecclesiæ, & pauperibus distributâ, regnoque Egfordo filio commisso: sub finem seculi 8. Polydor. Virgil. *Histor. libr.* 4. Duchen. *Histor. Angl.*

Offemburgum, urbs munita Sueviæ, Ortnaviæ tractus caput, 1. leuc. à Rheno, vix 2. Argentorato in Ort. sub Austriacis. Ferrar. Lymnæo opp. est imperiale Brisgavorum, ad Cynthium amnem, quasi Offonis Castellum: ab eo enim, ex Anglia in Germaniam profecto, extructum dicitur, An. 605. A parvis initiis eò processit, ut municipium Imperii factum sit. Frustra tentatum à Gallis, Ann. 1675.

Offenburgius Amandus, ex prosapia nobilissima, Reipubl. Basiliensis, per Ann. 40. singulare ornamentum. Hic inter Patritios ascriptus, cùm urbis nomine, unà cum aliis equestris ordinis viris, Sigismundum Imper. Romam usque assectatus fuisset, baltheo militari in ponte Tiberino decoratus, rediit An. 1433. Imperatoris postea, Concilii causâ, Basileæ commorantis, singulari gratiâ usus. Ob prudentiam ac fortitudinem rebus maximis adhibitus, legationes plurimas cum laude obivit. Obiit An. 1458. Urstis. *Epitom. Histor. Basil. cap.* 13.

Offidius mons, Vestinorum, in agro Aquilano.

Offo Angelus, in Germania prædicat. Pantal. *in Chron.*

Offora, seu *Ophora*, civitas in tribu Benjamin, Jos. 18.

Ofica, opp. Japoniæ, in insula parva cognom. inter Firandum ad Ort. & Gotum ad Austr. versus oram Ximoæ insl. Brietius.

Ofonius Tigellinus, prænomine *Cajus*, Patre Agrigentino, homine obscuro natus, Scylaceum à Cajo relegatus, quòd formosus & egens in Agrippinâ L. Domitii & Liviâ Vinicii conjugibus, Germanici filiabus suspectus haberetur. A Nerone post mortem Burrhi P. Mario, L. Asinio Coss. prætoriis cohortibus impositus & ex intimis libidinibus assumptus, Tacit. 14. 51. Othone imperante, pertinacissimè ad pœnam flagitatus & accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum & oscula & deformes moras, sectis novaculâ faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu sero & inhonesto, *Hist.* 1. 72.

O G.

Og, rex Basan, Num. 21. Deuter. 3. &c. Gigas immensæ magnitudinis, à Josue, occupato regno ejus, Argob seu Trachonitide, dicto, devictus & interfectus. Latinè *subcinericius panis*, aut *subsannatio*, vel Syriacè *detentus*, aut *impeditus*. Vide Vossium *de Idol. lib.* 1. *cap.* 26. & Dickinsonum *Delph. Phœnic. cap.* 2.

Oga, plur. num. olim portus pagi Constantini, ut & Barbaflot, Anglorum ex Britannia in Normanniam appulsu celebris, nunc obscurus & infrequens. Hodie *La Hogue Saint Vast*, id est, Oga S. Vedasti, vel Portus Oga, *Port de la Hogue*: positusque est locus ad amniculi Constantiam alluentis ostium. Ordericus Vitalis *Hist. lib* 13. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ogdolapis, fluv. navigabilis ex Alpibus fluens, Strab. *lib* 6.

Ogdomi, Marmaricæ Nomi gens, Ptol.

Ogdous, Ægypti Rex, *Nogaus* cognominatus, qui Memphim condidit

condidit à nomine filiæ. Hic prius *Veneteus* cognominatus fuit, Diodor. *lib.* 2.

Ogenus, antiquus quidam Deus, unde *Ogenidæ*, & *Ogenii* pro antiquis dicuntur, Steph. Vide *Oceanus*.

Ogerius de Rosseto, Mauriensis Episc. ex Allobrogibus, obiit Basileæ An. 1441. durante Concilio.

Ogina, uxor Caroli 3. Simplicis, fil. Eduardi 1. ex sorore Edelstani Angliæ Reg. Mater Ludovici 4. Ultramarini, quem auditâ mariti captivitate, in Angliam misit. Nupsit dein Herberto Veromanduo, Com. Trecensi, filio Herberti 2. qui Carolum in vinculis detinuerat: Mater ex illo Stephani, qui improlis obiit, An. 1019. & Agnetis, quæ Carolo Lothar. D. nupta, cum marito in carcere, obiit Aureliani.

Ogla, Insula Oceani Aquitanici, à littore Aquitan. 40. m. p. in Occid. distans.

Oglamus, Marmaricæ mons, Ptol.

Oglasa, vide *Dianum*. Aliis *Mons Christi* est, Insula parva, à Planasia 30. m. p. in Euronot. inter Corsicam & Ægilium 60. *Monte Christo* vulgò. Mel. mons excelsus. Pendet ex agro Senensi, sub magno Hetruriæ D. 15. m. p. ab Ilva insula in Ort. inter Planasiam ad Occ. & Igilium ad Ort. Baudr.

Oglonium, & *Uglonium*, q. *Oculonium*, pag. agri Mediol. frequens, apud Adduam fluv.

Ogmius, Hercules à Gallis sic dictus. Lucianus, Τὸν Ἡρακλέα οἱ Κελτοὶ Ὄγμιον ὀνομάζουσι φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ. *Ogmion*, id est, עגמין. *agemion*. Barbaros & peregrinos ita nominant, inquit Bochartus. Nempe, vel ex Phœnice Hercules, vel ex Africâ, aut Gadibus, ad Gallos se contulerat. Atque id ipsum ejus pictura referebat. Quippe pingebatur Γέρων ἐς τὸ ἔσχατον, ἀναφαλαντίας, πολιὸς ἀκριβῶς, ὅσαι λοιπαὶ τῶν τριχῶν, ῥυσὸς τὸ δέρμα, καὶ διακεκαυμένος ἐς τὸ μελάντατον, οἷοί εἰσιν οἱ θαλαττουργοὶ γέροντες. Vide Cæl. Rhodig 67.

Ogoas, nomen Dei apud Caras, qui Milasan incolebant, in cujus Dei templo maris fluctus & procella apparebat & proinde terrorem incutiebat.

Ogulnius Gallus, prænomine *Quintus*, decem Legatorum Princeps, ad Æsculapium Epidauro arcessendum, ab Romanis missorum.

Ogyges, Thebanorum, secundùm alios, Ogygiæ & Actes, quæ postea Bœotia & Attica dicta, Rex, qui Thebas Bœotias condidit circiter mille & quingentis annis ante Romam conditam. Idem & Eleusinem exstruxisse fertur. Sub hoc rege fuit diluvium magnum, teste Aug. *in lib.* 10. *de C. D. cap.* 8. non illud quidem maximum, quod Noæ temporibus contigisse sacræ literæ testantur; sed tamen majus eo, quod Deucalionis seculo bonam terræ partem inundavit; in quo magna pars subditorum ejus, an cum ipso rege periit. Vide infrà. An. 2292. post diluvium Noahi An. 636. ante Olympiades, 986. ante mortem Alexandri M. 1438. Cedren. *in Compend. Hist.* Jul. African, *in Euseb. lib.* 10. *de Præp. Ev.* Ricciol. *Chron. Reform. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. *&c.* Vide Moret. *Diction. Hist.* Dicebatur autem & *Ogygus*, & ex Atheniensium regibus primus omnium fuisse fertur, Euseb. *Chron. lib.* 1. Πρῶτος παρὰ Ἀθηναίοις (βασιλεὺς) μνημονεύεται Ὤγυγος. Etymologici Auctor, Ὤγυγος ἀρχαῖος βασιλεὺς Ἀθηναίων. Erat verò Neptuni filius & Alistræ. Isacius Tzetzes, *ad Lycophronem*: Ὁ δὲ Ὤγυγος υἱὸς ἦν Ποσειδῶνος, καὶ Ἀλίστρας. Stephanus filium Termeræ dicit, Ὠγυγία λέγεται καὶ ἡ Βοιωτία, καὶ ἡ Θήβη, ἀπὸ Ὠγύγου υἱοῦ Τερμέρας. Scholiastes Apollonii ex Corinnâ filium Bœoti tradit, *lib.* 2. Ὠγυγίας δὲ τὰς Θήβας ἀπὸ Ὠγύγου τοῦ βασιλεύσαντος αὐτῶν. Κόριννα δὲ τὸν Ὤγυγον Βοιωτοῦ υἱὸν εἶναι. Thebæ ab hoc rege & conditore, uti supra diximus, *Ogygiæ* cognominabantur, Pausan. *in Bœotic.* Τὴν δὲ γῆν Θηβαΐδα οἰκῆσαι πρῶτον λέγουσι τοὺς Ἔκτηνας, βασιλέα δὲ εἶναι τῶν Ἐκτήνων ἄνδρα αὐτόχθονα Ὤγυγον, καὶ ἀπὸ τούτου τοῖς πολλοῖς τῶν ποιητῶν ἐπίκλησις ἐς τὰς Θήβας ἐστὶν Ὠγυγίαι. Imo Bœotia universa *Ogygia* dicta, teste Strabone *lib.* 9. Ἡ νῦν τῆς Βοιωτίας ὑπάρξει, καλουμένης ποτὲ Ὠγυγίας. Quin & Thebarum urbis porta quædam *Ogygia* appellabatur. Pausanias ubi supra, Thebarum portas recensens: Ταῖς δὲ ἐπὶ ταύταις πύλαις, ὀνομάζουσιν Ὠγυγίας. *Præter eas portas, est quæ Ogygia nominatur.* Lutatius, *ad Statii Theb.* 7. *Una Thebarum porta ex septem Ogygia nuncupatur.* Tum antiqua quoque cuncta etiam *Ogygia* dicta. Hesychius, Ὠγύγια, ἀρχαῖα. Item, Ὠγύγιος, παλαιός, ἀρχαῖος. Ita Etymologus, Suidas, Eustathius: Ita Nicander *in Theriacis*, Ὠγύγιος δ᾽ ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται. Ubi Scholiastes, Ὠγύγιος ἀπὸ Ὠγύγου τινός, ὅς ἐστιν ἀρχαῖος, καὶ παλαιός. Philo Judæus de sacrificiis Abelis & Caini, Παλαιαῖς, καὶ Ὠγυγίαις ἐντραφέντας δόξαις. *Antiquis & vetustis opinionibus innutriri.* Atque uti ab antiquitate ejus vetera quæcunque *Ogygia* appellabant; ita quoque à potentiæ illo tempore magnitudine, magna omnia. Suidas, Ὠγύγιον, ἀρχαῖον, παλαιόν, ἢ ὑπερμέγεθες. Atque sic interpretatur apud Hesiodum, *in Theogon.* Jo. Meursius, cui hanc notam debeo;

Τοῖον ἄρ᾽ ὅρκον ἔθηκε θεοὶ Στυγὸς ἄφθιτον ὕδωρ
Ὠγύγιον. —— ——

Ac pro magno utitur quoque eâ voce Philo *libr.* *Quòd Deus sit immutabilis*: Ἀστείους μὲν λόγους, ἐπαινετὰς τε πράξεις ὠγύγιον ἀγαθὸν παρέχεται, id est, *Sermones quidem civiles, ac laudabiles actiones præterire, ingens vecordia est.* Et Ὠγύγιον ἄνθρωπον Heliodorus *hominem statura ingentis* appellavit. Porro ab *Ogyge* etiam Attica dicta *Ogygia*. Stephanus, in Ὠγυγία, ὡς Χάραξ φησὶν ἐν τοῖς Χρονικοῖς. Etiam Ægyptus, Bœotia, & Lycia. Videatur idem Stephanus, in Αἴγυπτος, Βοιωτία, Ὠγυγία. Hujus tempore Minerva conspecta fuit ad lacum Tritonidem. August. *de C. D.* 18. 8. *Minerva verò longè his antiquior. Nam temporibus Ogygi ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali fertur apparuisse ætate.* Eusebius *in Chron. Can.* Ὤγυγος ἐν Ἀττικῇ, τῆς νῦν Ἀττικῆς ἐβασίλευσεν, ὅτε παρθένος φανεῖσα περὶ τῇ Τριτωνίδι λίμνῃ, Ἀθηνᾶ καὶ Ἑλλήνων ὠνομάσθη. Hic condidit Eleusinem, aliasque urbes quasdam. Africanus apud Euseb. *Præp. Ev. lib.* 10. Ἀπὸ τῆς πεντηκοστῆς καὶ πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ Ὤγυγον, ὃς ἔκτισεν Ἐλευσῖνα. Pausanias de conditore urbis verbum nullum faciens, nominatam esse dicit ab Eleusine; quem Mercurii & Daïræ, cùm nonnulli filium dicerent, alii rursum Ogygi commemorabant. Locus iste est in Atticis, ubi in Eleusinis agit: Ἐλευσῖνα δὲ ἥρωα, ἀφ᾽ οὗ τὴν πόλιν ὀνομάζουσιν, οἱ μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι, καὶ Δαείρας, Ὠκεανοῦ θυγατρός. Τοῖς δέ ἐστι πεποιημένα, Ὤγυγον πατέρα. Hujus temporibus Mosen extitisse tradunt. Justinus Martyr *Orat. ad Gentiles*: Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Ὠγύγου τε καὶ Ἰνάχου, ὡς καὶ γηγενεῖς τινὲς τῶν παρ᾽ ὑμῖν εἰλήφασι γεγονέναι, Μωϋσέως μέμνηνται, ὡς ἡγεμόνος τε καὶ ἄρχοντος τοῦ τῶν Ἰουδαίων γένους. Idem tradit Africanus, apud Euseb. *Chron. lib.* 1. *& de Præp. Evangel. lib.* 10. aliique auctores. Verum tamen alii posteriorem eum volunt. Sub hoc, uti supra innuimus, accidit diluvium apud auctores πολυθρύλητον. Tatianus *contra Gentes*: Μνημονεύεται παρ᾽ Ἀθηναίοις Ὤγυγος, ἐφ᾽ οὗ καὶ κατακλυσμὸς ὁ πρῶτος. Meminit item ejus Nonnus *Dionys. lib.* 3.

Πρώτου γὰρ κελάδοντος ἐπωρνύμενος ὑετοῖο
Ὠγύγου, ἠλιβάτοιο δι᾽ ὕδατος αἰθέρα τέμνων,
Χθὼν ὅτε κεύθετο πᾶσα κατακλύζοντος.

Ex hoc diluvio sospitem eum evasisse, discimus ex Africano apud Euseb. *de Præp. Evang. lib.* 10. Φαμὲν τοίνυν ἐκ τοῦδε τοῦ συγγράμματος, Ὤγυγον, ὃς τοῦ πρώτου κατακλυσμοῦ γέγονεν ἐπώνυμος, πολλῶν διαφθαρέντων διασωθέντα, κατὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου τοῦ λαοῦ μετὰ Μωσέως ἔξοδον γεγονέναι. Quanquam periisse ipsum hoc diluvio, à Cedreno memoretur, his verbis: Ἐν δὲ τοῖς χρόνοις Μωσέως γέγονέ τις κύριος μέγας, ἐκ τῆς φυλῆς Ἰάφεθ, ὃς, αὐτόχθων ὤν, ἐβασίλευσε τῆς Ἀττικῆς ἔτη τριάκοντα δύο. Ὄνομα τῷ ἀνδρὶ Ὤγυγος, ἐπ᾽ αὐτοῦ γέγονε κατακλυσμὸς ἐν τῇ Ἀττικῇ μόνῃ, αὐτός τε ἀπώλετο, καὶ ἡ χώρα πᾶσα. Uxor Ogygi Thebe fuit, Jovis filia, ex Jodamâ Tithoni. Lycus in opere *de Thebis*, apud Isacium Tzetzem *Comm. in Lycophronem*: Ζεὺς μιγεὶς Ἰοδάμᾳ τῇ Τιθωνοῦ, τοῦ Ἀμφικτύονος, γεννᾷ Θήβην, ἣν δίδωσιν Ὠγύγῳ, ἀφ᾽ οὗ Ὠγυγία ἡ Θήβη. Filios ejus duos invenio; unum Cadmum, alterumque Eleusinem. Cadmus memoratur Suidæ, Ὠγύγια κακά, ἐπὶ τῶν ὀχληρῶν. ἐκ τοῦ σχεῖν Κάδμον, τὸν Ὠγύγου, διὰ τὰς θυγατέρας, κακοῖς περιπεσεῖν. De Eleusine Pausanias ubi supra: Ἐλευσῖνα δὲ ἥρωα, ἀφ᾽ οὗ τὴν πόλιν ὀνομάζουσιν, οἱ μὲν Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι τῆς Δαείρας, Ὠκεανοῦ θυγατρὸς λέγουσι, τοῖς δέ ἐστι πεποιημένα, Ὤγυγον εἶναι πατέρα. Filias plures habuisse, & in his Alalcomeniam, animadverto apud Pausaniam, *in Bœoticis*: Οἱ δέ, εἶναι καὶ τὴν Ἀλαλκομενίαν τῶν Ὠγύγου θυγατέρων, φασίν. Etiam Aulidem ille indicat, à qua Aulis, urbs Bœotiæ, nuncupata, *in Bœoticis iisdem*: Καὶ ὀλίγον ἀπ᾽ αὐτοῦ προσελθόντι ἐστὶν Αὐλίς. Ὠνομάσθαι δὲ ἀπὸ τῆς Ὠγύγου θυγατρός φασιν αὐτήν. Quin tres erant; hæ quas dixi, Aulis, & Alalcomenia, tertiaque Thelxinia, atque omnes Πραξιδίκαι nuncupatæ. Vide *Praxidice*.

Ogygia, quæ & *Calypsus* Homero, insula parva maris Ausonii Magnæ Græciæ ante promuntorium Lacinium adjacens, à litore 10. aut 12. m. p. recedens; ubi Ulysses à Calypso nymphâ hospitio acceptus est, Hom. *Odyss.* η.

Ὠγυγίη τις νῆσος ἀπόπροθεν εἰν ἁλὶ κεῖται,
Ἔνθα μὲν Ἄτλαντος θυγάτηρ δολόεσσα Καλυψὼ
Ναίει ἐϋπλόκαμος δεινὴ θεός. ——

Ubi Schol. Ὠγυγίη, ἡ Καλυψοῦς νῆσος. Hesychius, Ὠγυγίη, ὄνομα τῆς νήσου Καλυψοῦς. Item urbs maxima Mysiæ inferioris in confin. Thraciæ ad Hæmum montem, quæ & *Pristhlaba*, seu *Prestlaba*, & *Parastlaba*, Cedreno dicitur.

Ogygianum, Tusciæ colonia, Fragm. Catonis.

Ogylus, insula inter Peloponnesum, & Cretam, Steph.

Ogyris, insula maris Indici ex adverso oræ Arabiæ Fel. ad Ort. Erythræi regis monumento nobilitata. Ejus meminit Dionysius ὁ Περιηγητής, *vers.* 607.

Ἔστι δέ τοι προπάροιθε Καρμανίδος ἔνθεν ἄκρης
Ὤγυρις, ἔνθα τε τύμβος Ἐρυθραίου βασιλῆος.

Mela *lib.* 3. *cap.* 8. *Ogyris, quòd in ea Erythræ regis monumentum est, magis clara quàm cætera.* Sic quoque alii insulam hanc nominant. Strabo *Ogyrinam* videtur appellare: Ἀπὸ δὲ τῆς Καρμανίας ἱστορήκασι καὶ Νέαρχος, καὶ Ὀρθαγόρας, νῆσον Τυρρίνην κεῖσθαι νότιον πελάγιον ἐν διχιλίοις σταδίοις, ἐν ᾗ τάφος Ἐρύθρα δείκνυται, χῶμα μέγα ἀγρίοις φοίνιξι κατάφυτον. Salmasius nullum in toto Strabone locum isto corruptiorem extare putat, quique felicius emendari potuerit, quàm hoc modo; Ἀπὸ δὲ Καρμανίας ἄκρας φησὶ Νέαρχος Ὠγυρίδα νῆσον ἐρήμην κεῖσθαι. Addit etiam, nullum fuisse auctorem, qui Orthagoras dictus sit. Verùm fallitur. Indicorum Orthagoræ meminit semel, iterumque Ælianus. Meminit etiam

Philo-

Philostratus, *de vita Apollonii lib.3. cap.15.* Facilè verò sanari potest hic Strabonis locus. Scribe νήσου Ὠγυρίου, vel mutatione minima Γυρίνου. Sanè omnia Melæ exemplaria habent *Gyris*, non *Ogyris*. In Ptolemæo appellatur Ὄργανα, nonnulli tamen libri manu exarati legunt illic Ὤγυρις. Attamen Ὀργάνα etiam dicitur Arriano. Nimis autem longè à littore Carmaniæ removent hanc insulam Nearchus & Orthagoras, cùm bis mille stadiorum intervallum faciunt. Satis tamen bene cum hâc mensurâ convenit P[illegible] *lib.3. cap.28. Insula in alto objacet Ogenis, clara Erythrâ rege [illegible]. Distat à continento 225. m. p.* Non dubito, quin ita [illegible] Plinius, cùm sic habeant codices scripti, ac Ὤγυρις idem [illegible], quod Ὠ[illegible]. Eandem mensuram exhibet quoque Ptolemæus, [illegible] facile appareat, plerosque unum esse secutos; Certum tamen est errasse. Quocunque enim nomine insula hæc appelletur, sive *Ogyris*, sive *Gyris*, & *Gyrine*, sive etiam aliter, omninò hæc illa est, quæ vulgò *Gerun* vocatur. Non amplius 36. m. p. abest hæc à continente, ac sita in ipso sinus Persici ostio. Olim clara Erythræ regis sepulchro, sed nunc nobilissimo totius Orientis emporio longe clarior. Hebes est, aut saltem indoctus, qui non intelligit de Harmuziâ me loqui, Is. Vossius.

O H.

Oham, rex Hebron, Jos. 10. Latinè, *væ eis*, sive *tumultuans*, vel *conturbans*.

Ohel, filius Zorobabel, filii Phadajah, 1. Par. 3. Latinè, *tabernaculum*, *tentorium*, vel *splendor*.

Ohoza, filius Sesan, 1. Par. 2. Latinè, *deprecans*, vel *exspectans*, aut *incipiens*, vel *dolens*, sive *frater mihi*.

O I.

Oia, insula Aquitaniæ, 40. m. p. à littore, ubi monasterium, ante annos mille. Aliis *Ogia*, recentioribus quibusdam *Oye*, ob similitudinem nominis. Sed *Oye*, insula est in finibus Pictonum, contra Rupellam, posita, insulæ Radi adeo vicina, ut, recedente Oceano, ex altera in alteram sicco pede transeatur, 4. m. à littore. Vulgò *l'Isle de l'Oye*, cum vico cognomine, ab ansere vel auca dicta. *Oiam* vero credit Valesius *in Notit. Gall.* esse insulam, monasterio illustrem, nunc *l'Isle Dieu*, vel *Isle d'Ieu*, cum castello insigni; à maritimo Pictonum pago Herbatilico, 40. m. plus minùs distantem, inter insulam Herium, seu Nigri Monasterii, & Divam, Separis ostio proximam. Alia est insula *Aja*, cum cella ad Cluniacum monast. pertinens, *Agia* Innocentio 3. vulgò *l'Isle d'Ais*, quibusdam *l'Isle d'Aix*, in Oceano Santonico.

Oicles, filius Antiphatis, filii Melampodis, pater Amphiarai, vatis Argivi, Hom. *Odyss* 15.

Oileus, Locrorum rex, pater Ajacis, quem Οἰλῆος ταχὺς Αἴας, vocat Homerus. Virg. *Æn.* 1.

Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei.

Ojum, castellum Bœotiæ, apud Opuntem erat, Strab.

O L.

Olabi, Æthiopiæ sub Ægypto populi, Plin.

Olachas, fluv. Bithyniæ, cujus aquis perjuri arguuntur; nam illâ aspersi, uti flammâ urente patiuntur, teste Plinio.

Olane, unum ex Padi ostiis, *Olane* Polybio, *Volana* hodie Leandro. Item Armen. maj. urbs, Strabo.

Olepia, urbs Arabiæ fel. Ptol.

Olarso, opp. olim, nunc pagus Hispan. Tartacon. *Oiarzo* hodie, Idem quod *Oeaso* à nonnullis putatur, sed illud *Aiso* dicitur.

Olaus I. seu *Olavus*, Norvegiæ Rex, fidem Christianam magno zelo, in ditionibus suis propagavit, Magis toto regno pulsis: A Canuto Daniæ Angliæque Reg. primo deturbatus throno, dein ejus instigatu, à quibusdam suorum, occisus Ann. 1028. Adam de Bremen, *Hist. Eccl lib.2. cap.4. & seqq.* Olaus Magnus, &c.

Olaus II. Magnus, successit in Norvegiæ regno Achoni, qui, cum Scotiam invasisset, ab Alexandro Reg. ad internecionem cæsus, mœrore animi obierat, Ann. 1263. 1264. Buchan. *Histor. Scot. libr.* 7.

Olaus III. nepos Valdemari 4. Daniæ Reg. ex filiâ Margareta, successit Avo, in Daniæ regno. Mortuo dein Haquino patre Norvegiam Daniæ adjunxit: Scaniâque Hanseaticis civitatibus erepta, obiit immaturâ morte. Ei mater Ericum neptis suæ è sorore [illegible], Regem Norvegiæ, surrogavit, An. 1384. Vide Crantz. *lib.7. Dan. & Suec. 6. cap.39.*

Olaus Magnus, vide *Magnus*.

Olaus Petrus, inter cæteros pietatis labores, Biblia sacra primus in Suec[illegible] sermonem transtulit, quæ Gustavus Rex typis stanneis H[illegible] exprimi, ac in omnia templa regni distribui curavit. Circa A. C. [illegible]7. Chytræus *in Saxon. par.2.*

Olbasa, *Olbus*, Straboni, urbs Ciliciæ, *Albistaverasi* Moletio & alis. Altera in Cappadociâ apud Darandam urbs, ad radices Tauri montis.

Olbelus, urbs Macedoniæ, Steph. Gentile *Olbelius*.

Olbertus, *Orbertus*, vel *Albertus*, Abbas S. Jacobi, pius & eruditus. Scripsit historiam Vet. & Nov. Testam. ut & aliquot vitas SS. Obiit An. 1148. Sigebert. *de Scr. Eccles. cap.* 143. *& in Chron. Gembl.* Alterius Olberti Abbatis meminit, Voss. Vide & Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

Olbertus Folieta, Genuensis, Vide *Hubertus*, & Raphaëlem Sopranium *Script. Ligur.* Abbatem Mich. Justinianum, *de iisdem*, Laur. Crassum, *elog. literat.*

Olbi, urbs Ægypti, juxta Libyam, Steph. Gent. *Olbites*.

Olbia, urbs Sarmat. Europ. ad ostium Borysthenis fluv. teste Strabone, *Stapenor*, vel *Straperor*, teste Nigro, longit. 57.00. latit. 49.00.

Olbia, opp. Bithyniæ ad Propontidem, Nicææ, & Apamiæ proximum, *Velia* Sophiano, ubi *sinus Olbianus*, Melâ teste.

Olbia, urbs Pamphyliæ marit. in Lyciæ confin. inter Phaselidem ad Occ. & Attaliam ad Ort. *Acopende*, Moletio.

Olbia, Gall. Narb. urbs *Camatulicorum*, in orâ Provinciæ, inter forum Julii 5. & Telonem 8. leuc. cujus mem. Cic. & Mela. *Area* quibusdam. *Eres*, Poldo, vel, ut alii scribunt *Hyeres*, long. 27.40. lat. 42.00. Nunc oppidul. in ora littor. maris Medit. vix 3. leuc. à Telone in Ort. 11. à Foro Julii in Occid. hinc insulæ Stœchades vicinæ, quarum 5. *les Isles d'Hyeres*; circa quas optimum corallium, Baudrand. Huc appulit Ludovicus Rex, ex Syria reversus. Strabo tradit, Massilienses Rhodam quidem & Agatham barbaris Rhodani accolis; Taurentum autem & *Olbiam*, & Antipolim, ac Nicæam Salyis ac Liguribus Alpinis opposuisse: & oram à Massilia ad Varum usque promissam, loca Massiliensium habere, Taurentum, *Olbiam*, Antipolim, & Navale Cæsaris Augusti, Forum Julii, inter *Olbiam* ac Antipolim situm. Hinc & Marciano Heracleotæ *Massiliensium colonia* dicitur, inter Citharisten promuntor. & Argentei fluminis ostium. Stephano *Urbs Lignstica* dicitur, quia in agro Ligurum Gallorum à Massiliensibus condita. Proximus ei *mons Olbianus*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Olbia, urbs Sardiniæ. Hodie nomen in ruinis retinet, inquit Cluverius. Ab Jalo condebatur, teste Solino, in orâ orientali, ex adverso Corsicæ sita. *Ulgiensis urbs* Orosio, Claud. *de bello Gildon.*

Partem litoreo complectitur Olbia muro.

Vide Steph. qui nomen *Olbias* recenset. Baudrando etiam *Ulbia*, urbs fuit ampla Sardiniæ, in parte Bor. & in ora Or. Insulæ. Ejus ruinæ nunc dicuntur *Olbia rouinata*; ejusq; portus *Golfo di Siniscola*, 85. m. p. à Calari in Ort. & 52. à Tibula in Ort.

Olbisinii, vel *Olbisii*, gens circa Herculis Columnas, Steph.

Olbius, Arcadiæ amnis, quem Pausan. dicit Arcadibus nonnullis *Arcanium* appellari.

Olbius & Pullus, duo montis Esquilini vertices Supra *Olbium* clivum habitavit Servius Tullius auctore Solino, *cap.* 2. Quidam pro *Olbius*, legunt *Urbicus*.

Olbus, è ducibus auxiliaribus Æetæ, ab Colaxe in prælio cæsus, Val. Flacc. 6. 639. Vulgati codices *Nolbum* habent.

Olcachites, sinus Zeugitanæ regionis, Ptolem. ubi hodie *Alcon* civitas.

Olcades, Hispan. pop. intra Iberum fluv. quorum urbem Stephanus *Althæam* vocat. In regno Toleti esse prope urbem *Oleanna* dictam, putat Nebrissensis.

Olchinium, *Olcinium*, Livio, *Colchinium* olim, teste Plin. *Ulcinium* Ptolemæo, urbs Dalmatiæ marit. ad ripam Drilonis. *Dulcigno*, Volaterrano. *Pola* olim, teste Cantero in Lycophronem. Baudrando urbs Illyrici, nunc Albaniæ, cum portu capaci & arce, in ora maris Adriat. sub Turcis 24. m. p. circiter à Scodra in Cæc. 45. à Lissa in Occ. & 70. ab Epidauro in Eur. prope Sinum Illyricum, *Golfo de Drin.* Hinc *Olciniata* Livio.

Olcimus, Dioscor. mons & fluvius Macedoniæ, ubi ruta multa nascitur.

Olcinium, Liv. Vide *Olchinium*. Populi *Olciniata*.

Olcion, urbs Tyrrhenorum, Stephan.

Olda, seu *Oldus*, vulgò *le Lot*, fluvius Galliæ, in Aquitania. Oritur in Gabalis: deinde vix uno milliari à Mimate fluens, paulo pòst auctus aliis fluviis per Ruthenos fluit. ut &, per Cadurcos & Agennenses, ubi in Garumnam labitur, juxta Aguillonium oppidum, & 4. leucis infra Aginnum, Liv. Ansonius, Scal. Hadr. Valesio *in Notit. Gall.* vulgò *Oudon* est, qui per Cenomanos & Andegavos currens, in Meduanam defluit. Fluvius autem *le Lot*, est *Oltis*. Vide ibi.

Oldcastellus, Wiclefi discipulus, An. 1413, in vincula conjectus, Ann. 1417.

Oldemburgensis Comitatus, vulgò *le Comté d'Oldembourg*, provincia est Germaniæ, in Westphalia, inter Frisiam orientalem ad occasum, Ducatum Bremensem ad ortum, Diœcesim Monasteriensem ad austrum, & mare Germanicum ad Boream. Anteà Comites habuit proprios; sed à paucis annis deficiente stirpe, subest dominio Regis Daniæ. Ei etiam conjungitur Comitatus Delmenhorstensis; & ejus præcipua urbs est Oldemburgum.

Oldemburgum, vulgò *Oldemburg*, urbs Germaniæ, ad Hontam fluvium, in Westphalia, sub dominio Regis Daniæ à paucis annis, ex quo defecit stirps Comitum, quibus suberat, 25. m. p. distat à Brema in occasum, & 40. ab Emda in ortum.

Oldericus, vel *Ordericus Vitalis*, Monachus Lexoviensis, Anglus. Auctor historiæ Ecclesiast. cujus fragmenta in Bibl. Cluniacen. seculo 12.

Oldesalia, seu *vetus Salia*, vulgò *Oldenzeel*, à Saliis, populo Germaniæ haud ignobili, dicta, oppidum Belgii uniti, in Transisalania provincia, aliàs munitum: sed captum fuit primò à Mauritio, An. 1597. dein iterum per hujus fratrem Henricum Fridericum, anno 1626. ab Holandis, quibus etiamnum subest, & tunc ejus munitiones disjectæ fuere. Bello hoc fervente, à Gallis, quibus Episcopus Monasteriensis tum militabat, iterum captum receptumque.

Oldeslovia, vulgò *Oldeslo*, oppidum Daniæ, in Holsatiæ Ducatu, & in Wagria regiuncula, ad Travam fluvium, in confinio Germaniæ, 3. milliaribus Germanicis à Lubeca in occasum, Gluckstadium versùs, & ferè 5. ab Hamburgo in Cæciam distans.

Oldo, Cisterciensis Hispanus. Scripsit *Rationale divinorum officiorum*, &c. An. 1227.

Oldus, vulgò *le Lot*, fluvius Galliæ, in Aquitania. Dicitur aliter Olindus & Lotius. Vide *Olda*.

Olea & Palma, duo fontes in Bœotia, ad Delum montem, ubi Apollinem natum fabulantur.

Olearus, vide *Oliarus*.

Oleastrum, Hispan. opp. circa sinum Gaditanum, Ptol. Item Turdetanorum in Bæticâ: Antonino etiam est inter Tarraconem, & Dertossam. Item promunt. Maurit. Tingitanæ, *Capo di Gebba*, teste Marmolio.

Oleatrum, Hispan. urbs circa Saguntum, Strabo.

Olegium, *Oleza*, opp. seu pagus amplus agri Novariensis.

Olenatum, opp. Albionis in Angliâ, in ora Cumbriæ ad Occ. ubi Castrum *Linstock*, ad Vallum, Camdenus.

Olenius, viri Lemnii, ab uxore occisi, nomen, Flac. 2. 164.

Olennius, è primipilaribus regendis Frisiis impositus, qui exigendo imposita tributi nomine coria boum, ad prolixam formam Urorum, Frisios ad rebellionem concitavit, Tac. 4. 72.

Olenus, vir quidam, qui Lethæam duxit uxorem eximiâ pulchritudine, adeoque superbam, ut se Deabus præferret. Illæ autem, cùm de eâ supplicium sumere vellent, Olenus in se culpam uxoris transferre volens, unà cum illâ in lapidem conversus est, Ovid. *Met. lib.* 10.

Quiq; in se traxit crimen, voluitq; videri
Olenus esse nocens: tuq;, ô confisa figurâ
Infelix Lethæa tuâ, junctissima quondam
Corpora, nunc lapides, quos humida sustinet Ida.

Ab *Olenus* est adjectiv. *Olenius*, ut *Olenia Capra*, quam sic dictam volunt, quòd apud urbem Bœotiæ *Olenum* nutrita fuerit, ut est apud Strab. *lib.* 8. vel quòd in *ulnas Aurigæ* sive *Oleni* Vulcano prognati filiæ excepta fuerit. Aratus, *in Phænomenis*:

Ὠλενίην δή μιν αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται.

Ubi Scholiastes, Ὠλενίην λέγεται, διὰ τὸ ἐπὶ τῆς ὠλένης τοῦ ἡνιόχου, ἢ ὡς ἄλλοι, Ὠλένου θυγάτηρ. Ovid. *Fast. lib* 5.

Nascitur Olenia sidus pluviale Capellæ,
Illa dati cœlum præmia lactis habet.

Olenus, Galatiæ urbs, Ptolem.

Olenus, *Olenum* Plinio, urbs gemina, una Achajæ, in Peloponneso, inter Patras ad Ort. & Cyllenen ad Occid. ab *Oleno* Vulcani filio condita, & nominata, *Canigriza* hodie, ut quidam putant. *Chaminiza* Nigro. Baudr. in ora maris Jonii, media inter Patras in Cæciam, & Araxum promunt. in Africum. Altera Ætoliæ, inter Calydonem, & Chalcidem, ad Evenum fluv. *Oleno* adhuc dicta, tantùm pagus.

Olero, vulgò *Oleron*, oppidum Episcopale Bearniæ, sub Novempopulaniæ Archiep. sc. prope Gabarum fluv. in fastigio montis, ipsaque montium asperitate situm: *Ilurum* vocatur, apud Antoninum. Merula, Metel. Aliàs quoque *Iluro, Ilurona, Loronensium*, & *Elloronensium civitas*. A Normannis secul. 9. vastatum, à Vicecomitibus illius regionis reparatum est. A suburbio per Gabarum separatur. De Marca, *Hist. Bearn.* Arnoldus Oihenartus, *lib.* 3. *Not. utriusq; Vasconiæ, cap.* 13. Sammart. *Gall. Christ.*

Olerus, urbs Cretæ in alto loca sita, ultra Hierapytnam, hinc Minerva *Oleria*, & festum *Olerium*, in ejus honorem, Steph.

Olesnicius Nicolaus, primus puriorem religionem, in Polonia min. promovit, An. 1550. Pinczoviâ oppido suo Monachis ejectis. Ob quam rem, ab Episcopis, apud Regem accusatus, Nicolaum Rejum vindicem nactus est, Lætus *Compend. Univ. Hist.*

Oleum, flumen Hispan. Tarrac. Sexto Avieno.

Olganus, Bereris filius. Vide Steph. in Μιέζα.

Olgaria, regio Tartariæ magnæ, versus mare Caspium; *Olgar*, seu *Buchar*, & *Kalmuki*.

Olgasys, mons Galatiæ, *Olyssa*, Ptolemæo, ex quo fluv. Halys & Parthenius fluunt, Strabo.

Olia, Mesopotamiæ urbs, Ptol. *Elita* legunt Interpp.

Oliaros, insula in mari Ægæo, una Cycladum. Stephanus, Sidoniorum coloniam esse scribit, ac distare à Paro stad. 55. Ejus memin. Ovid. *Met.* 7.

At non Oliaros, Didymeq; & Tenos & Andros.

Hodie *Quiniminio* incolis vocatur, teste Nigro.

Oliba, Hispan. Tarrac. urbs, Ptolem. *Olit* vulgò dicitur. Est autem inter Pompelonem ad Bor. 7. & Tutelam ad Mer. 9. leuc. Al. potius *Oliva* est opp. in regno Navarræo, à Pompelone 12. leuc. à Tirulâ 10. versus Ort. quod magis probatur, inquit Ferrar.

Olibanus, vide *Clibanus*. Item mons Campaniæ, inter Neapolim & Puteolos, contra Nesitum insul. Pausilypo vicinus, *Monte di Pezzuoli*, Mazello. *Olibanum* verò, opp. Lucaniæ, Ferrar.

Olica, urbs Volhiniæ super. juxta paludem, cum tit. Duc. Radzivilliorum, in qua Dux Stanislaus, arcem munitiss. Templum & Academiam extruxit. Prope opp. *Klevan*, 5. mill. Germ. à Luceoria in Cæc. An. 1651. à Cosacis frustra tentata.

Olicana, urbs Britanniæ, Ptol. Lhuydo *Halifax* dicitur in Eboracensi comitatu, *Ilkely* verò Camdeno.

Oligyrtis, urbs Peloponnesi, Polyb. Aliis *Ologuntum*.

Olimacum, *Lymbach*, teste Lazio, opp. Pannoniæ super. in Hungariæ Stiriæque confiniis, geminum: unum ad Muram fluv. alterum ad Arrabonem, 3. leuc. inter se distantia; utrumque à Bolentio 5. in Ort. Baudrando prius *Nider Lymbach*, in Hungar. in colle, & confin. Stiriæ, vix 1. leuc. à Mura, 6. à Volcea palude in Occ. 4. à Canisa in Circ. totidem in Mer. ab altero *Ober Lymbach*, & 7. ab Arrabone fluv. Ex P. du Val.

Olina, Callaicorum Lucensium urbs in Hispan. Tarr. *Orna* fluv. apud Cænalem nominatur.

Olina, Gall. Lugd. fluv. Ptolem. inter Bojocasses & Lexovios, in Viducassibus tamen seu Bajoc. fluvii ostia, contractè *Olna*. Aliis *Olena*, vulgò *Orne*. Fontem habet, apud Olinonem: interluit Sajus, attingit Almaniscas, Fontenacum, Argentomum Castrum, Castellum Guntherii, Scocejum, Tauriacum, Pratella, Stratævillam, Lupiniacum, Cadonum, ad Oldonis & Olinæ confluentes; Portum, demum ad Suatæhammum, in Oceanum, effluit. Memoratus sæpe Gulielmo Notho, & Henrico 2. Anglorum Regibus, Ducibus Normannorum & Aquitanorum ac Com. Andegav. in suis literis. *Oldo* autem, vulgò *Ouden*: ad quem orientem est Alnetum, *Aunay*, Abbatia Cisterciensium, in Bajocassium finibus, 5. leuc. à Cadomo; Hadr. Valesii *Notit. Gall.* Villæ *Cathom*, id est, Cadomi, mentionem facit Richardus Normannorum Dux III, in donatione propter nuptias Adelæ facta, An. MXXVI. Indictione IX. Vide eundem.

Olinda, urbs Brasiliæ, caput Præfect. Pernambuci. Ab Hollandis capta An. 1629. sed deserta, nunc sub Portugall. cum toto tractu. In colle, cum portu capaci, prope ostia fluv. *Bibiribe*, cum arce S. Georgii.

Olino, cujus meminit Lib. Notit. *Holé*, nunc à Basileensibus nominari scribit Rhenanus, qui vicum esse vult cum nemusculo non procul à Basileâ, ubi multa antiquitatis monumenta effodiuntur.

Olinthus, urbs fuit Macedoniæ, in colle, in Paraxia prov. inter Sinus Toronaicum & Thermaicum.

Olissippo, vide *Olyssippo*.

Olitingi, Lusitaniæ oppid. inter ostia & Bætis & Anæ fluv. Mela *libr.* 3. *cap.* 1.

Olitis, fluv. Theodulfo *in Paræn.* Quibusdam *Oltis*, aliis *Oltus*, & *Oldus*. Avernis & Cadurcis montanis, per quos decurrit, *l'Old*, & *l'Ould*: in tabb. Gall. *Lot*, nunc *le Lot*: unus e tribus maximis & navigabilibus fluviis, quibus Garumnam augeri asserit Strabo, qui sunt: Tarnis, Olitis, Durandus. Recipit autem fluv. Triobrem, *Trieuvre*, Salam, *Sale*, & Viridem *Vert*, amnem ab aquæ colore sic dictum. Alluit Oratorium, Interamnam, Vivarium, Catenacum, Lupiacum, Salvianjacum, Galliacum, Calvinlacum, Sinaparias, Castrum S. Cirici, vicum S. Desiderii, Divonam Cadurcorum, Castellum Francum, Podium Episcopi, Candate, Villam Novam Aginnensium, vicum S. Liberatæ, Clariacum ac Aquilonem, & sic Garumnâ accipitur.

Oliva Petrus Johannes, Seriniano in Diœcesi Biliterensi oriundus, quædam de B. Virgine scripsit Clero minus grata, proin liber combustus, & post obitum, An. 1297, cadaver refossum est. Fuit ex fratribus Minoribus, & ab Angelo Clareno, Hubertino Casal. aliisq; impensè à sanctitate laudatur. Wadingus, *in Annal. Min.* Sixtus Sen. Antonin. *tit.* 24. *cap.* 9. §. 11. & 13.

Oliva, German. *Olven Kloster*, monasterium 1. tantùm mill. Prussico à Gedano, in Polonia, ubi pax coiit An. 1660 inter Imperatorem, Regesque Poloniæ, Sueciæ & Daniæ. Conditum An. 1180. à Subislao, Cassubiæ & Pomerelliæ Principe, aliquot Pomeraniæ Ducum sepulchris clarum. An. 1577. Gedanenses, cum Polonis bellum gerentes illud direptum solo æquarunt, quo nomine 200000. floren. ad ejus restaurationem solvere coacti sunt.

Olivares, Comit. Castellæ vet. prope Pontiam. Henricus Gusmannus Comes, Legatus Romæ Philippi 2. & Gaspar filius ejus, gratiâ Philippi 4. & infelici exitu celeberrimi.

Olivarum Mons, sive *Olivetum*, & *Mons Oliveti*, mons ad Orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente, Sabbathi habens iter ab Hierosolymâ. Act. 1. Luc. 19. Hic mons, postquam est idolis inquinatus הר המשחית *har hamaschith*, id est, *Mons corruptionis*, dicitur, & non solùm הר המשחה *har hamischa*, id est, *Mons Olivarum*, seu *Unctionis*, mutato elemento, & *Jod* addito, ut nimirum ad nomen alludatur, nec opprobrium desit.

Locus

locus, 1 Reg. 23. *Com.* 13. Retinent ibi LXX. Μισαδ, pro *Ma-* ..., & Chaldæus Paraphrastes מצור ... *Tourzathaja*, id est, ...*arum*, ibi habet. Hic David, Abfolomum fugiens ado... ...e JESVS CHRISTVS in cœlum gloriose ascendit. Vide ...e Vale, *in Itin. Tom.* 1.

...*ens*, fluv. inter Carcassonem ac Narbonem, memoratus ... Montiacensi ... in quo dicitur, inter Saracenos succenso ... suburbio, cum Carcassonam pergerent, & Wilhelmum ... Comites Francorum, prælium hic commissum. Supra ... in Atacem decurr. Valesius *Not. Gall.*

...*zatia*, urbs munita Portugalliæ, ad Anam fluv. à Castella... An. 1658. sed reddita, pace Olissiponensi, An. 1668. 3. ... Hen... in Mer. 12. leuc. Portugall. ab Ebora in Ort.

Oliver Caraffa, Archiep. Neapolit. à Paulo 2. purpuram acce... An. 1467. Dux expeditionis contra Turcas navalis, obiit An. ...

...*er Clissonius*, Conestabilis Galliæ, sub Carolo 5. & 6. Nobi... Cum Johanne Montfortio educatus, primum forti... specimen edidit in prælio Auraicensi. Dein, in Gallia, Bertrando Guesclino Connestabili præsto fuit, in variis contra Anglos pugnis egregie gestis: hinc illi mortuo successit. Caroli ... coronationi interfuit, militiaque egregiis legibus ordinatâ, in prælio ad Rosebecum, An. 1382. quo 40000. hostium periere, dextro cornu præfuit. In Britanniam dein missus, à Duce in vincula conjectus, ... que liberari, nisi ingenti lytro, potuit. Ab exule Petro Craonio, An. 1392. graviter vulneratus Lutetiæ est. Obiit paulo post, ... Galliæ eximium, Juven. de Urfinis, *Hist. Caroli* 6. ... Morray.

Oliver Cromvel, Angliæ Protector, seculo nostro notissimus.

Oliver Damn, Tonsor Ludovici 11. gratia apud Regem pollens, & ... muneribus adhibitus. Suspensus sub Carolo 8.

Oliver ..., primarius Præses Parlamenti Paris. Cancel... Francisco 1. Henr. 2. & Francisco 2.

Oliver Longus, Prior S. Bavonis, prope Gandavum, An. 1450. ... Val. Andr. *B. B.*

Oliver Maillardus, Brito, Franciscanus. Scripsit varia, Homi... sed ... inculta. Obiit Narbonæ, An. 1502.

Oliver Malmesburius, alias Elmerus, vel Egelmerus, Benedi... Anglus, An. 1060. Astrologica varia scripsit. Pitseus, *de* ... *Angl.*

Olivier de la Marche, Burgundus, nobilis Philippi Boni & Caroli ... Aulæ Mag. apud Philippum Castellæ Reg. Scripsit Commentarios, Chronica, &c. Obiit Bruxellis, An. 1501. Val. Andr. *B. B.*

Olivier Seraphinus, Cardin. Episcop. Rhedonensis; Lugduno ... Obiit An. 1609. Justus Lips. *Epist.* 53. *Cent.* 5. Ossat. *lib.* 2. *epist.* 4. & 48. *ep.* 143. Frizo, *Gall. Purp.*

Oliver ..., Anglus, An. 1550. Varia curiosa edidit, Pits... *de Script. Angl.*

Olivola, pars Venetiarum, in insula parva; *Castello*: In qua Ecclesia Patriarchalis S. Petri in *Castello*. Vide *Venetia*.

Olizon, urbs Magnesiæ in Thessalia. Homerus:

Καὶ Μεθώνην εἶχον, καὶ Ὀλιζῶνα τρηχεῖαν.

Strabo: ... Ad radices Pel... montis, ... parvitatem sic dicta. Inter Magnesiam ad Ort. & Me... ad Occ. 4... m. p. ab ostio Penei in Ort. Baudr.

...*zones*, Thraciæ gens, Suid.

... lacus Lituaniæ in limite Palatinatus Minscensis.

Olla, pater Hamel, 1. Par. 7. Latin. *elevatio*, vel *holocaustum*, aut *infans*, ... *felium*.

...*niani*, Italiæ pop. Plinius.

Olliona, urbs juxta Calpiam mare, Stephan.

Ollius, prænom. T. ..., Poppææ Sabinæ pater, quem honoribus ... functum amicitia Sejani pervertit, Tacit. 13. 45. Ubi ... codic. Farnes. legit Lipsius *Ellius*. Muretus suo in lib. notavit *T. Ælius*.

Ollius, Lombardiæ Transpadanæ fluv. l'*Oglio* Leandro Orius ... fontibus, supra Edulum, in ipso ... Rhætorum & vallis Tel... per ag... Brixianum ... in lacum Sebinum inde ad Cr... pauloque ... territorium Brixianum à Cremonensi se... tandem Duc. Mant ... aliquâ ex parte rigato, in Padum ...

..., Rex Nitiobrigum, à Senatu Rom. Amicus appellatus, ...

... *Olminium*, vide *Holminium*

...*m*, Megaridis, apud sinum Saronicum, in quo Pagæ ... mum, St...

... *Helmius*, fluv. Bœotiæ, juxta Heliconem, Stat. ... meminit.

... *Seleucia aspera*.

... Stephan.

... Gladiator, apud Misenum, cui in mortem ... ostendens uterum, *Ventrem feri*, Agrippina ... 4. 8.

Olobagra, urbs Macedoniæ, Stephan.

Olochara, Indiæ intra Gangem urbs, Ptolem.

Oloessa, insula circa Rhodum, Plin.

Olomutium, urbs Episcop. ampla & munita, Moraviæ caput, ad Moravam fluv. in Bohem. Capta à Suecis, diuque fortiter defensa, sed reddita pace Monaster. 26. mill. Germ. à Cracovia in Occid. Multis est *Eburum* antiq. quod Lazio tamen est *Borovva* vicus, in eodem tractu. Hic Jacobus Chulava, purioris religionis vindex, qui paulo ante fores carceris miraculose apertas habuit, exire tamen dubitavit, combustus est, An. 1468. jussu Episcopi, quem frustra Jodocus Episcop. Vratislaviensis monuerat, *rem non confici ussâ carne*. Camerarius *in Hist. Fratrum Boh.*

Olona, cella Vindocinensi Monasterio S. Trinitatis subjecta, in ora maris Pictonici; vulgo *Olone*. in solo arenoso posita, cum titul. Comitatus ac portu: hinc arenæ *Olonenses* nomen habent: Ager *Olonensis* salinis & vineis abundat. Hadr. Valesius, *Notit. Gall.*

Olonda, Sarmatiæ Asiaticæ gens, Ptolem.

Olonium, oppidul. Pictav. prov. in ora Oceani Aquitanici, cui adjacet burgus amplus, *Arenæ Olonenses*, Gall. *les Sables d'Olone*; cum portu capaci, ubi periti nautæ, 9. leuc. à Rupella in Circ. 7. à Lucione in Occid.

Oloosson, urbs Magnesiæ, Homerus, apud Steph.

——— πόλιν τ' Ὀλοοσσόνα λευκήν.

Cives, *Oloossonii*, Hesychius, Ὀλοοσσὼν, πόλις Θετταλίας. Forte Ὀλοοσσὼν legendum.

Olophyxus, urbs Macedoniæ in monte Atho, Herod.

Oloronensis, seu *Iluro in Benearnia*, urbs Benearniæ ad radices Pyrenæorum. Vide *Elorona*, & *Iluro*.

Oloros, urbs Macedoniæ. Vide *Olorus*.

Olpa, opp. Epiri in finibus Acarnanum. *Sopoto* Nigro.

Olspergium, nobilium puellarum cœnobium, in valle, Austriacæ ditionis, prope Rinfeldiam. An à Cadelocho, Aragoviæ Comitis, qui sub Arnulpho Imper. vixit, filio, quasi *Cadolsperg*; & corrupte *Olsperg*, dictum? Urstisio *hist. Basil.* ortum videtur eâ ætate, quâ religio Cistertiensium apud Burgundiæ Cistertium pullulavit, An. C. 1098.

Olssa, opp. Silesiæ, cum tit. Duc. 2. leuc. ab Vratislavia in Ort. versus Poloniam. Hinc *Olsensis Ducatus*.

Olulis, Cretæ urbs, Ptol. *Ole*, & *Ololo* Pineto. Altera Siciliæ in orâ Occid. excisa, inter Soluntem, & Thermas Himeriæ. Idem. *Olulo* adhuc dicitur.

Olurus, opp. Achajæ, non procul à Pallene, Steph.

Olus, urbs Cretæ; cives *Oluntius*, Steph.

Olybrius Flavius Anicius, Consul Rom. cum Probino, A. U. C. 1148. tanto apud Leonem Imper. in pretio, ut ei Placidiam, Valentiniani filiam, à Genserico remissam, uxorem dederit. Successit dein Anthemio, ope Ricimeri, septimo post mense cæsus à Gothis, Glycerio ei surrogato, A. C. 472. Pater Julianæ, quæ Areobindo, quem populus Anastasio substituere volebat, nupsit. Cassiodor. *in Chron.* Marcellin. Claudianus in Prob. & Olyb. Coss.

——— *Veteris quis facta Probini Nesciat, aut nimias laudes ignoret Olybri?*

Olyra, urbs Macedoniæ, Stephan. ex Theopompo.

Olyrus, urbs circa Naupactum. Hodie non extat.

Olympe, urbs Illyriæ.

Olympena, urbs Mysiæ circa Olympum, Plin.

Olympeium, Locus in Delo insula, *Athenæ novæ Hadrianæ* vocatæ, ab Atheniensibus, Stephanus. Harum meminit quoque vetus Lapis Mediolani. *Olympeum* etiam locus circa Syracusas videtur, apud Thucydidem *lib.* 6. & 7. Diod. 16. 546.

Olympia, urbs inter Ossam, & Olympum mont. non procul ab Elide & Pisa, civitatibus Græciæ; ubi erat templum Jovis Olympii, vel Olympici, mercatu, & celebritate illâ quinquennali ludorum Olympicorum nobilis, Strabo *lib.* 8. *Arfina* olim dicebatur, ut Nicanor scribit, à matre Oenoniai. Stephanus etiam *Pisam* prius vocatam tradit. Hodie *Langanico* dici scribit Castaldus, *Stauri* Nigro. Baudrando urbs Elidis, nuo. *Langanico*, in prov. *Belvedere*, inter Elidem in Circ. & Spartam in Eurum.

Olympia, *orum*, ludi ab Hercule instituti in honorem Jovis, A. M. 28..6. ante restaurationem ab Iphito factam, An. 442. circa Olympiam Eleæ reg. urbem: à quâ & nomen habent. Hercules enim, Augeâ Elidis rege superato, ejusque stabulo repurgato, in campis Olympiæ vicinis, juxta Alpheum fluv. sacrum certamen instituit, quod quinto quoque anno, vel, ut Lycophronis interpres asserit, quinquagesimo mense, celebraretur: idque eo consilio, ut, in illo certamine Græciæ juventus sese pentathlo, seu quinquertio exerceret, *castibus* scil. *cursu*, *saltu*, *disco*, & *palæstrâ*: usque velut meditationibus vero certamini præluderet. Fuerunt autem & Quinquennalia & per quinque dies celebrabantur, quod quinque fratres essent, Hercules, Peonæus, Epimedes, Jasius & Ida. Victor, qui Olympionices vocabatur, & qualem esse, ut Cicer. *pro L. Flacco* refert, apud Græcos judicabatur, prope esse majus & gloriosius, quam Romæ triumphasse, oleastro, vel, ut Aristoteli placet, oleâ, quæ Callistephanos dicta fuit, coronabatur; tantumque honoris ei habebatur, ut non per portas urbis, sed per ruinas murorum, sublimis in curru in patriam reveheretur. Hinc *Olympiacus*, Virgil. *Georg.*

Si quis Olympiaca miratus præmia palmæ,
Pascit equos. —— ——

Item *Olympicus*. Fuit apud Megarenses *Jovis Olympii*, seu *Olympici* celebris & Lucus & templum, in quo proditum est, ipsius Jovis Olympii simulachrum fuisse non affabre elaboratum, cujus *πρόσωπον*, id est, os seu facies ebore auroque constabat, reliquum verò corpus luto & gypso, opus Theocosmi Megarensis, adjutore Phidiâ. Supra Jovis caput Horæ erant, & Parcæ, uni enim Jovi fata parêre notissimum est, eundemque tempus, ubi opus sit, distribuere. Sanè & in conviviis primum poculum, seu primus crater, Jovi Olympio & Diis Olympiis sacer erat. Horat. *Carm.* 1. 1.

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat. —— ——

Lucianus *in Harmonide*, *τῶν μεγάλων Ὀλυμπίων* meminit, ubi *τὰ μεγάλα* non *πλεονάζει*, sed eò quòd in pluribus locis Græciæ certamina sacra celebrabantur sub Olympiorum nomine, ideo dixit *Olympia magna*, ad differentiam eorum, quæ minus celebria erant. Intelligit igitur Olympia magna, quæ Pisæ ad Alpheum celebrabantur, quæ & antiquissima à Pelope & Hercule erant, & celeberrima non solùm in totâ Hellade, sed etiam Italiâ, Siciliâ, Asiâ, Ægypto, Syriâ, Cyrenaicâ, concurrentibus ad spectaculum & athletas & quadrigas eò mittentibus: In his Chorœbum primum victorem refert Athenæus. Minora verò Olympia erant, quæ celebrabantur Dio Macedoniæ, ab Archelao rege instituta; quod nos docet Demosthenis Scholiastes, *ad Orat. περὶ παραπρεσβείας, his verbis*: Τὰ Ὀλύμπια δὲ πρῶτος Ἀρχέλαος ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας κατέδειξεν, ἦγε δὲ ἐπ' ἐννέα, ὥς φησιν, ἡμέρας ἰσαρίθμους ταῖς Μούσαις. Eodem nomine erant etiam Athenis, uti docet Pindari Scholiastes *ad Olymp.* 7. *ad hæc verba*: Κρατέων ἐν Ἀθήναις. Sic enim commentatur: Εἴη δ' ἂν ἤτοι Παναθήναια, ἢ τὰ Ἡράκλεια, ἢ τὰ Ὀλύμπια, &c. Vetus inscriptio Romana, de quâ Jos. Scaliger, *lib. de Emend. Temp.* 5. *pag.* 476. Olympia etiam post Panathenæa recenset, & Hesychius, Ὀλύμπια ὁ Ἀθήνησιν ἀγών. Item alia Olympia, quæ Smyrnæ, & alia, quæ Pergami, & alia Alexandriæ, quorum mentionem fieri in Pandectis asserit idem Scaliger. Respectu igitur horum omnium certaminum, quæ sub nomine Olympiorum diversis locis celebrabantur, dicta sunt *Olympia magna* ea, quæ Pisæ committebantur. Originem Olympiorum lege apud Pausan. *lib.* 5. Honorem ejus quod attinet Pind. *Od.* 1. *Olymp.* ait, hoc certamen excedere inter reliqua, non aliter atq; inter Elementa aqua excellit, inter opes aurum, Sol inter sidera: additque nihil se excellentius cantaturum, Μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν. Olympionicarum verò quatuor præmia fuere, quæ Ludovicus de La Cerda recenset, *ad prædictum Virgilii locum*. Primò Corona ex Oleastro, Archias, qui unico versu præmia certaminum quatuor ita inclusit:

Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Ubi *κότινος* Olympicos ludos respicit, & *Oleaster* signif. Aristophanes *in Pluto*, præcedente mentione Olympici certaminis, ita ait:

Τῶν ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας στεφανοῦσαν κοτίνου στεφάνῳ.

Philo *in lib.* ὅτι πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος. Ὑπὲρ κοτίνου, καὶ σελίνων ἄθλων ἀγωνισταὶ ἢ πλοῦτον. Nazianzenus loquens cum S. Cypriano *Oration.* 18. Τοῦτό σοι καὶ τῶν λόγων γέρας, καὶ τῆς ἀθλήσεως, ὁ κότινος Ὀλύμπιος. Ubi male Latinus Interpres vertit *Olivam Olympicam*. Oppianus *Κυνηγετικῶν quarto*:

—— Πολλοῖσιν ἐρεψάμενος κοτίνοισι.

Dio quoque Chrysostomus *Orat.* 27. nominans 4. illa præmia, unum eorum ponit *κότινον*. Stat. 6. *Thebaidos*:

Hunc pius Alcides Pelopis certavit honorem,
Pulvereumq; ferâ crinem detorsit olivâ.

Circumfertur & Græcus versiculus,

Ζηνὸς Ὀλύμπια νικῶντες φέρον ἀγεσίλαον.

Plinius in promptu est *lib.* 15. *cap* 4. *& lib.* 16. *c.* 44. Quædam etiam ad hanc rem observat ex Themistio Junius *lib.* 4. *cap.* 21. Secundò Corona ex oleâ. Virgilius *Georg.* 2.

Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ,
Dona feram. —— ——

Eurip. apud Plutarch. *in Alcib.* Olympionicen infert *δὶς στεφθέντ' ἐλαίᾳ*. Pindar. *Ode* 4. *Olymp.* Psaumidem Olympici certaminis victorem *ἐλαίᾳ στεφανωθέντα Πισάτιδι*. Vide Cæl. Rhod. *lib.* 12. *cap.* 19. Cui adjunge Artemidorum *lib.* 4. *cap.* 54. qui de Olympiis loquens utrumque nominat *ἐλαίαν*, & *κότινον*. Tertiò, Corona ex auro. Ideoque Pindarus Olympiam vocat, *ματέρα χρυσοστεφάνων ἀέθλων*. Quartò ferebant non solùm coronas in capite, sed palmam in manu. Vitruvius *libr.* 9. *Athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores instituerunt, uti non modò in conventu stantes cum palmâ & coronâ ferant laudes, sed etiam cùm revertuntur in suas civitates cum victoriâ, triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias invehantur, è req; publicâ perpetuâ vitâ constitutis vectigalibus fruantur.* Seneca *in Agamemnone*:

Cape hoc decorum ludicri certaminis
Insigne frontis, lævâ victricem tenens
Frondem, virenti protegas ramo caput,
Et ista donum palma Pisæi Jovis
Velamen eadem præstet, atq; omen tibi.

Hæc tantùm inveni, si quis alia, his adjungat. Nam verba illa *in Prologo Agathiæ*, οὐ γὰρ οἴομαι σελίνῳ γε ἤντινα, καὶ πίτυϊ οἱ Ὀλυμπιονῖκαι ἐν τοῖς κοτίνοις ἀνεδοῦντο. Hæc verba, inquam, novum præmium non faciunt, etiamsi apium nominetur; Nam apium præmium fuit tantum Nemeorum, sed ex dignitate Olympicorum natum, ut trium etiam reliquorum ludorum certatores *Olympionicæ* dicerentur, & sensu isto capiendus Agathias. Ulpianus *in Demosthen. Orat. contra Leptin.* insinuat præmium aliud: Οἱ μὲν γὰρ τῶν ἀγώνων εἰσὶ στεφανῖται, οἱ δὲ ἀργυρῖται. Sed non liquidum, an Olympicorum esset pecunia, & credibile non fuisse. Nam apud Herod. *lib.* 8. Tigranes laudat Græcos, quòd in Olympicis carent præmium, *στέφανον, ἀλλ' οὐ χρήματα*, De La Cerda. Vide *Iphitus*. Item Paul. Crusium *lib. de Epoch.* Origan. *T. I. Ephemer.* Scaliger. *de Em. Temp. lib.* 1. *&* 5. Petav. *lib.* 9. *de doctr. & in Ration. temp.* Torniel. Salian. Spond. *in Annal. V. T.* Langium, *de Annis Christi.* Ricciol. *Chron. Ref. T.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *&c.*

Olympias, Alexandri M. mater, ex Philippo Macedonum Reg. Filia Alexandri Epirotæ. Ob hujus superbiam maritus offensus, an ob adulterii suspicionem potius ? aliam superinduxit: necis mariti causâ credita; pugio enim, quo ille à Pausania confossus fuit, *Myrtales* nomen, quo illa in puellari ætate usa fuerat, habuit inscriptum. Alexandrum divinitatem affectantem risit: post hujus obitum, occisis Aridæo, Eurydice, Nicanore plurimisque aliis Macedonum nobilissimis, sæva: tandem in Cassandri potestatem Pydnæ redacta, & occisa est. Curt. Justin. Plutarchus, *in Alexandro*. Item venti nomen, Plin 2. 47.

Olympias, vidua sancta & Diaconissa Eccles. Constantinopolitanæ, tempore Chrysostomi. Filia Com. Anisii, neptis Præfecti Ablavii, qui celebris admodum fuit sub Constantino M. Nebridio nupta, celeberrimos Orientis Episcopos invitavit, à Greg. Nazianzeno absente insigni epithalamio exornata. Marito mortuo, cùm maximas possideret opes, Elpidii, Theodosii cognati, nuptias inhibita recusavit, illas in pauperes & Ecclesiæ usum liberaliter erogans. Obiit in exilio, cùm & Chrysostomus pulsus esset. Pallad. *Laus. Hist. cap.* 42. *& de vit. Chrys.* Sozom. *lib.* 8. Baron. *in Annal.*

Olympias, spatium quinque seu quatuor potius annorum. Vide Scaliger. *lib.* 2. *Auson. Lection. cap.* 23. & *lib. de Emend. Temp.* Seneca *in Hercule Insano. vers.* 839.

Quantus Eleum coit ad Tonantem,
Quinta cùm Sacrum revocavit æstas.

Ubi Farnabius, *Quarto quidem expleto anno, quinto ineunte; neque enim Olympias, aut lustrum quinq; absolutos annos compectitur.* Ibi etiam pro *coit* alii *ruit* malunt. Sanè Ovid. 1. *de Art. Am.*

Sic ruit ad celebres cultissima fœmina ludos.

Censorinus *de die Nat. cap.* 18. *Sed horum omnium* Πενταετηρίδας *maximè notandum temporibus Græci observant, id est, quaternum annorum circuitus, quas vocant Olympiadas.* Hoc esse verum spatium Olympiadis, videre est apud Dionys. Halicarn. *lib.* 1. *Rom. Antiq. pag.* 61. Nam centum viginti annos, triginta Olympiadas facere, disertè memorat. Vide Africanum citatum ab Eusebio, *libr.* 10. *Præp. Evang. pag.* 286. D. Cyrillum *Catech.* 12. quique illum locum in sua collectanea retulit, Suidam in Ὀλυμπιάς. Isidor. *lib.* 5. *cap.* 37. Solin. *cap.* 1. Quia verò hoc temporis spatium etiam *πενταετηρὶς* dicitur, ideo Poetæ pro solido quinquennio accepere, Ovid. *Pont.* 4. 6.

In Scythiâ nobis quinquennis Olympias acta est,
Jam tempus lustri transit in alterius.

Olympieium, locus in Delo, quem cùm Athenienses Adriani sumptu condidissent, Novas Athenas Adrianas vocarunt, Steph. Vide *Olympeum*.

Olympii, duo tibicines nobilissimi fuerunt, quorum prior discipulus fuit Marsyæ, Satyri ejus, qui Hyagnidis fuit filius; de quo Ovidius *lib.* 1. *Metamorph.* 6.

Illum ruricolæ silvarum numina Fauni,
Et Satyri fratres & tunc quoq; clarus Olympus,
Et nymphæ flerunt. —— ——

Fuit autem is, ut Suidas scribit, e Mysiâ regione tibicen & poëta melicus atque elegiacus princepsque illius Musicæ, quæ *κρουματική* dicitur, quæque per tibias fit. Hunc ante Trojanum excidium floruisse atque ab eo nomen sumpsisse montem Mysiæ, idem Suidas tradit. Odas multiplices hunc eundem invenisse, testatur Pindari Scholiastes, *in Pythiorum calce*. Vide auctorem Scholiorum *in Equites Aristophan pag.* 288. G. Fuit item alius junior e Phrygiâ tibicen, tempore Midæ regis, Suidas.

Olympiodorus, vir quidam, qui docuit Epaminondam tibiis canere. Item historicus Ethnicus, Thebis Ægypti oriundus, qui historiarum condidit libros 22. atque incepit ab Honorii Consulatu septimo, & Theodosii secundo, hoc est, An Dom. 407. desiit verò ubi Valentinianus, Placidæ & Constantii filius factus est Imper. Rom. hoc est, An. 425. Dicavit historiam suam Theodosio minori, Arcadii filio. Stylo usus est commentariis non historiæ, convenienti; quod nec ipse nescivit, ut qui libros suos Ὕλην, sive sylvam, historiæque materiam inscribat: uti Latini solent Commentarios, Auctor Photius, *Cod.* 80. apud quem etiam Excerpta admodum luculenta ex commentariis istis habemus, Voss. *Olympiodorus* scripsit in Threnos, & Ecclesiasten, itemq; in Meteora

...stotelis, & Hypotheses in librum Job. Sixt. Sen. *Bibl. Sac. lib.* 4. Diversus est *Olympiodorus* ille ὁ Ἀθηναίων στρατηγὸς, qui de Diogene Cynico nonnihil tradidit, teste Laertio *lib.*6.

Olympiodorus, Alexandrinus, Peripateticus; Præceptor Procli, commentatus est in quædam Aristotelis, & Platonis scripta, A.480. Fuit & *Olympiodorus* Alexidis apud eundem Laert. in Platone. Item *Olympiodorus* tibicen, magister Epaminondæ fuit, teste Aristoxeno apud Athen. *lib.* 4. Denique medicus quidam apud Plinium *lib.* 1. 12.

Olympius, Nemesianus, qui, teste Vopisco in vitâ Cæsarum, scripsit Halieutica, Cynegetica, &c.

Olympius præsul; natione Hispanus, inter Christianos scriptores commemoratur à Gennadio. Edidit librum adversus eos, qui naturæ non arbitrio vitam referunt. Item unus ex Italiæ Exarchis.

Olympus, Mysiæ rex, qui Jasi filiam, *Nepiam*, uxorem duxit, ut scribit Dionysius Milesius, habitavitque in loco, ubi ab uxoris nomine *Nepiæ Campus* est appellatus, juxta Cyzicum urbem, de quo meminit Callimachus, *in Hecale.*

Olympus, historicus, cujus ætatem satis indicat, quòd fuit medicus Cleopatræ, Julii prius, post Antonii, amasiæ, de quo Plutarch. *in Anton.*

Olympus, urbs Lyciæ mediterr. nunc *Leville*, quibusdam aliis *Aratia*, Baudrand. Item Pamphyliæ, & Ciliciæ in ora, inter Phaselidem & Coricum, sed periere.

Olympus, Sophiano adhuc *Olympo*, Nigro *Lacha*, inter Thessaliam, & Macedoniam mons, in quo nulli lupi, lautus plurima, omnium toto orbe terrarum altissimus, adeò ut supra ejus verticem nulla avium sublimetur, ut Apulejus de eo loquitur, *lib. de Deo Socratis.* Vide ipsum, & quæ ad lucem ejus Thuanus affert, ac asserit *lib.* 2. *de vitâ suâ*, *pag.*1322. Hanc ob causam & ipsi cœlo hoc nomen tribuitur, quo nihil altius est. Apulejus *de mundo*: *Hujus* (Dei scil.) *locum quærimus, qui neq; finitimus est terræ contagionibus, neq; tamen medius in aëre turbido, verùm in mundano fastigio, quem Græci οὐρανὸν rectè vocant, ut qui sit altitudinis finis; Et iidem eâ ratione Ὄλυμπον nominant, quem ab omni suscitatione, & perturbatione videns liberum. Neque enim caliginem nubium recipit, vel pruinas, & nives sustinet, nec imbribus caditur. Hac enim nec Olympo, qui est celsitudinis summa, contingere Poëta his verbis cecinit:*

Οὔλυμπόνδ' ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἔμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Ex quibus verbis intelligere licet, non omne cœlum, sed ejus altissimam tantùm, & remotissimam partem, in quâ Deorum sedes, Olympum antiquis appellatum. In Apocolocynthosi: *Placet in eum severè animadverti, eumq; quàm primum exturbari, & cœlo intra dies 30. excedere, Olympo intra diem tertium.* De summa serenitate ac tranquillitate quæ in Olympi montis vertice est, Lucanus *lib.* 2. *vers.* 266

——— *Melius tranquilla sine armis*
Otia solus ages, sicut cælestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.
Fulminibus propior terræ succenditur aër,
Imaq; telluris ventos, tractusq; coruscos
Flammarum accipiunt: Nubes excedit Olympus
Lege Deûm: minimas rerum discordia turbat:
Pacem summa tenent. ——— ———

Claudianus *de Mall. Theodori Consul. vers.* 206.

——— *Nec te tot limina rerum*
Aut tantum turbavit onus. Sed ut altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos, hyemesq; relinquit,
Perpetuum nullâ temeratus nube serenum,
Celsior exurgit pluviis, auditq; ruentes
Sub pedibus nimbos & rauca tonitrua calcat.

Sumitur etiam, pro ipso Jove. Virgilius,

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Et Nevius, à quo desumpsit Virgilius:

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

Apollonii Scholiastes sex montes hujus nominis enumerat; alii quatuor. Item Cyri Ἀνάβασις quædam *Olympus* vocabatur. Vide sis Ferrarium.

Olynthus, urbs Macedoniæ, seu Thraciæ, cui à Xenophonte attribuitur, quondam maxima, inter Athon mont. & Pallenen urb. à Mecybernâ opp. 20. stad. teste Suidâ, in Sithoniâ regione. *Rebus ... & ornata*, quemadmodum de eâ, *in tertiâ Verrina*, scribit Cicero: quam cùm Philippus Macedonum Rex obsideret, nec tamen vi capere posset, ejus custodes auro corrupit, atque hoc modo suæ ditioni adjecit. Postea verò ab Atheniensibus ... : quamvis non desint, qui à Philippo eversam ... ipsum quidam dixisset, Ἀλλ' οὐκ ἂν οἰκίσειέ γε πόλιν ... Idemque de ira dicendum esse, Plutarchus ... subvertere quidem, perdere, ac diruere posset, erigere verò ac ... gere minimè, *Lib. de cohib. ira.*

Olyra, fluv. prope Thermopylas, quem fabulantur conatum esse Herculis rogum extinguere, Strab. *lib.*9.

Olysse, Cretæ urbs sub Phæstis, Strab.

Olyssippo, *Ulyssippo* Melæ, *Olios Hippon* Ptolemæo, urbs maxima Lusitaniæ, ex pulcherrimis, ditissimis, & populosissimis Europæ: unde Hispanis, *Qui no ha visto Lisboa, no ha visto cosa boa.* Sedes regni, emporium, & Archiepisc. 7. collibus, ut Roma constans, ad Tagum fluv. ostiis ipsius vicina, vulgò *Lisbon.* Ab eâ *Olyssipponense promont.* vulgò *Capo di Spichel.* Erat autem municipium Romanorum. Vide Plin. 4. 22. Frustra ab *Ulysse* deducitur, cùm sit Phœnicium עליץ עבא *alis ubbo*, id est, *amœnus sinus.* In sinu sitam esse Mela observat: *Sinus*, inquit, *interjunt, & est in proximo Salacia, in altero Ulyssippo, & Tagi ostium.* Et sinum illum esse amœnissimum scribunt recentiores, Boch. Vide Mercatorem, Merulam P. 1. *Geogr.* Dam. Goès *descr. Olysipp.* Linschot. *Itiner.* & alios, long. 11. 00, lat. 35. 50. Baudrando melius *Olisippo* dicitur, Gallis *Lisbone*, 1. leuc. ab ostio Tagi est, 6. in Ort. ab Olisipponensi promuntor. seu Magno, nunc *Cabo de Roca Sintra*, & totidem à Barbario prom. *Cabo de Spichel*, in Sept. 20. ab Eborâ in Occ. 55. ab Hispali in Circ. 45. à Portu Cale in Mer. Cum palatio superbissimo & duabus arcibus permunitis. Regum Mausolea Belemi, quod Castrum est dim. leucâ ab urbe, visuntur. Capta fuit Olysipona, ab Alphonso II. Hispaniæ Reg. post cæsa Saracenorum LXXM. An. 793. Iterumque ab Alphonso I. Lusit. Reg. per socios sacræ militiæ, Mauris ingenti prælio superatis erepta est, An. 1147. Ejus suburbia jam in potestatem redacta, ob militis Angli avaritiam, deserere rursus coactus est Antonius Rex, An. 1589. In portu hujus urbis classem Hisp. an. 36. navium dissipaverunt Angli, An. 1585. auspiciis Elizabetæ Reginæ. Vide Thuani *Histor.*

Olyzon, opp. Thessaliæ, Hom. Fuit.

O M.

Omalis, Indiæ fluv. in Gangem se exonerans. Arrian. *in Ind.*

Omana, urbs Felicis Arabiæ, Stephan. *Omanum*, Ptolemæo, cujus populi *Omanitæ* dicuntur. Plinio verò *Omani* sunt. *Omanagda* hodie Moletio.

Omar, fil. Eliphaz, filii Esau ex Adâ uxore, Gen. 36. Lat. *dicens*, *amarus*, vel *exaltans.* Item Astrologus Arabs, aliàs *Aomar*, vel *Homar.* Scripsit *de Nativitatibus*: Hervagius edidit, cum Julio Firmico, An. 1532. Voss. *de Mathem. Scient. cap.*64. §. 10.

Omarium, urbs Thessal. in quâ Jupiter & Pallas coluntur, Steph.

Omarius, tertius è legatis, à Lacedæmoniis ad Darium, posthabitâ Alexandri amicitiâ missus, & à Parmenione, cum tribus collegis, ad Damascum captus, Curt. 3. 13. Mel. *Monimus.*

Omarus, successor, in imperio Turcico, Abubecheris, qui Mahomete genero mortuo, summam rerum ad se traxerat. Bostrâ captâ, Heraclii Imper. copias vicit, An. 635. Damascum & Phœniciam subegit, Hierosolymam & Antiochiam expugnavit: Ægyptum sub tributum redegit, An. 636. Ejus Ducum alter Mubavia, Hormisdâ Reg. Persarum victo, regnum Persarum occupavit, An. 639. Guil. Tyr. *lib.* 1. *cap.* 2. *&c.* Huic Omaro, ut filiam Eudoxiam despenderet Heraclius, suasit Cyrus Patr. sed suo malo. Niceph. Interemptus tandem à servo, in templo Hierosolymæ structo, successorem habuit Ottomannum, An. 644. Zonar. *tom.* 3.

Ombrea, Mesopotamiæ urbs, Ptolem.

Ombri, urbs Ægypti, proxima Copto. *Chana*, teste Ortelio.

Ombrici, pop. Illyrici, quos Peucerus *Crabaten* indigitat, qui potius sunt in eâ reg. quæ *Crabaten* appellatur, & multos alios populos complectitur: ex quâ reg. Carpis & Alpis fluv. in Istrum fluunt, teste Herod. *Ombrici*, teste Stephano, pop. Italiæ fuere ad sinum Adriaticum incolentes, ubi Padus subit mare, qui & *Ombri* Italis, apud quos etiam fluv. quidam *Ombrus* nominatur, diversus ab *Ombrone*, Ferrarius.

Ombrios, una ex insulis Fortunatis, Plin. 6. 36. *Isola di ferro* quibusdam: *Porto Santo*, vocatur Nigro, cui *Aprositos* Ptolemæi esse videtur. Sansoni nunc *Insula de S. Borondon*, 100. mill. à cæteris Fortunatis, in Occid.

Ombrones, pop. Sarm. Europ. Plin.

Ombrus, Italiæ fluvius, Stephan.

Omenogara, Indiæ intra Gangem urbs, Ptolem. Nunc *Hamedanager*, urbs regni Decani, in mediterr. versus fontes fluv. Mandovæ, 17. leuc. Hisp. supra Visaporam in Bor. 60. à Goa in Cæc.

Omeritæ, pop. cum quorum Rege prælio ancipiti decertaturus Adadus, Æthiopum rex, circa An. C. 541. votum fecit, se Christianam fidem Baptismumque amplexurum, quod victor ritè exsolvit, Lætus *in Compend. Hist. Univ.*

Omiza, Gedrosiæ oppidum, Ptolem.

Ommelandia, regio Frisiæ, circa Groningam: populosa & pascuis inclyta, Guicc. *descr. Belg.*

Ommirabihus, fluv. Barbariæ, regna Fezzæ & Marochi separans, qui in Ocean. Atlant. se dein exonerat, infra Azamurum; Antiquis *Asana*, seu *Asama*

Omne, opp. Amanorum in Arab. Felici, Plin.

Omœnus, Arab. Fel. insula, in sinu Persico, Idem.

Omole, vel *Homole*, Thessaliæ mons, Stephan. Et Thraciæ urbs. Apollonii Scholiastes. Ejus mem. Theocritus in *Thalysia*,

Τὸν μοι, Πὰν, Ὁμόλας ἐρατὸν πέδον ὅς τε λέλογχας.

Vide sis ibi Scholiasten. Virg. *Æn.* 7.

Ceu duo Nubigenæ, cùm vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Omolen, Othrynq; nivalem
Linquentes cursu rapido, dat euntibus ingens
Sylva locum, & magno cedunt virgulta fragore.

Omolium, Magnesiæ opp. Plin. 4. 9.

Omophagia, Græcorum festa, Bacchanalibus haud absimilia, de quibus Arnobius *lib.* 5.

Omphace, urbs Siciliæ, Stephan.

Omphale, regina Lydiæ, cui Hercules propter amorem servivit, multisque ab eâ muneribus est donatus, quod ad Sangarim fluv. serpentem multos homines interficientem interemisset. Hæc, ut tradit Donatus in Terentium, ipsum Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit; cum ipsa calathum & colum, cultusque fœmineos, sagittis & clavâ, leonisque tegmine mutasset. Terentius *in Eunucho*:

Qui minus quàm Hercules servivit Omphale.

Propertius, *lib.* 3. *eleg.* 11.

Omphale in tantum formæ processit honorem,
Lydia Gygæo tincta puella lacu,
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam durâ traheret mollia pensa manu.

Seneca *in Hippolyto*:

Natus Alcmenâ posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis;
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco.
Et manu, clavam modo quâ gerebat,
Fila deduxit properante fuso.
Vidit Persis, ditiq; ferax
Lydia regni, dejecta feri
Terga leonis; humeriq; quibus
Sederat alti regia cœli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.

Vide Athen. *lib.* 6. Plut. *in Theseo*. Ovid. 2. *de Art. Am.* & *in epist. Dejaniræ*. Apollodor. *lib.* 2. Meminit & Pausan. *in Atticis*. Non omittendus est Palæphatus, ubi de *Omphale*: Λέγεται ὡς λατρεύει Ἡρακλῆς ταύτῃ, ὁ δὲ λόγος μάταιος. Ἐξὸν γὰρ κακείνης κρατεῖν τὴν ὑπακούουσαν αὐτῷ, δουλεύειν. Ἐγένετο τοίνυν δή τι. Ὀμφάλη ἦν ἡ Ἰαρδάνου θυγάτηρ, Λυδῶν βασιλεύς, αὐτὴ ἀκούουσα τὴν ἰσχὺν Ἡρακλέους, ἐρασθεῖσα ἦλθεν αὐτῷ. Ἡρακλῆς πλησιάσας ἔμειν ἐκεῖ αὐτῆς, γίνεται δ' ἐξ αὐτῆς υἱὸς Λαομέδων· πολὺ μέρος δὲ αὐτῇ ἐποίει ὃν ἐστρατεῖτο ἡ Ὀμφάλη, οἱ δὲ δοκοῦντες ὑπείληφον λατρεύειν αὐτῇ. Vide & Nat. Com. *Myth.* & Leonicer. *lib.* 3. *cap.* 96.

Omphalium, locus Cretæ prope Thennas, & Onossum, alius Thessaliæ, Stephan.

Omphis, ad flumen Indum regioni imperitans, occurrit Alexandro M. sese dediturus: quo & permittente etiam regium insigne sumpsit & more gentis suæ nomen, quod Patris fuerat, *Taxilem* appellavere populares sequente nomine imperium, in quemcunq; transiret. Curt. 8. 6 l. 6. Diod. Siculo *lib.* 17. parte posteriore nuncupatur *Mophis*: quod in Curtio reponendum censet Jan. Gebh.

Omrai, pater *Amri*, 1. Paral. 9. Idem significat quod *Omar*, & Syriacè, *agnus*.

Omulus, Antoninum Pium Imper. reprehendens, dicensque, *cùm in domum alienam veneris, mutus & surdus esto*; impunè tulit. Vide Jul. Capitol. *in Antonino*.

O N.

On, civitas Ægypti, quæ & *Heliopolis*.

Onaba, Hispan. urbs, Ptolem.

Onaeum, Oeneum, Livio, promunt. & opp. Dalmatiæ, inter Epetium ad Occ. & Epidaurum ad Ort. apud ost. Naronis fluv. *Cabo Cumano* Sophiano, aliis *Cabo Lovischa* dicitur.

Onam, filius Soba, filii Seir Horræi, Gen. 36. Filius item Jeremeel ex Atarâ uxore, 1. Paral. 2. Latinè, *dolor*, aut *fortitudo*, sive *iniquitas eorum*.

Onan, filius Judæ ex Sue uxore suâ, 38. Latinè, *dolor, iniquitas*, sive *fortitudo*.

Onasimus, Constant. Imper. temporibus vixisse, fuisseque Cyprius, aut Spartanus Historicus, dicitur à Suidâ, qui & complura ejus scripta refert, sed ad oratoriam artem pertinentia, ut qui & Sophista fuerit; quemadmodum idem ille auctor est. Item, scriptor vitæ Probi & aliorum quorundam, Vopiscus *in Caro, &c.* Vide & *Onesimus*.

Onca, portæ Thebarum, Nam *Onca* secundùm Phœnices, Minerva est, Steph. Nonnus *Dionys. lib.* 44.

Λαὸς Ὀγκαίης ἐλελίζετο βωμῷ Ἀθήνης
Ὅς ποτε Κάδμος ἔδειμε.

Qui de *Oncâ* plura volet, legat aureum Seldeni libellum, *de diis Syris. Syntag.* 2. *cap.* 4. Mihi monuisse sufficiet, Deam bellorum Præsidem Ὄγκαν vocasse Phœnices, à verbo אגח *aggah*, quod Syris est *movere bellum*; proinde pro *Onca* nonnulli Ὄγγαν *Ongan*, vel *Oggan* scribunt, Hesychius Ὄγγα Ἀθηνᾶ ἐν Θήβαις, Bochart.

Onca, civitas Arcadiæ. Isacius *in Lycophronem*: oppidum Thebarum eidem. Et pagus Bœotiæ Phavorino.

Onceum, parva reg. Arcadiæ ab *Onco* illic dominante, Steph.

Oncha, vide *Uncha*.

Onchesmus, Epiri portus, Ptolem. *Santi Quaranta*, Sophiano. *Onchimus* vocatur Straboni. *Echinus* Plinii esse vult Villanovanus. Nunc *Orthino* Lauremberglo, 12. mill. pass. à Corcyra urbe in Boream.

Onchestus, Bœotiæ urbs, non procul à lacu Copaide, Strab. & Paus. Condita putatur ab *Onchesto* heroe Bœoto, Neptuni filio, & ab eo nomen accepisse. Ejus mem. Hom. *in Catalogo*,

Ὀγχηστόν θ' ἱερὸν Ποσιδήϊον, ἀγλαὸν ἄλσος.

Ubi Schol. Τόπος Βοιωτίας ἱερὸς Ποσειδῶνος. Εἴρηται δ' ἀπὸ Ὀγχηστοῦ τοῦ Βοιωτοῦ. Idem Homerus λεχεποίην, hoc est, *herbosum* vocat, *Hymn. in Mercurium*. Est & palus juxta Thebas, teste Æliano, & fluv. apud Mycalessum, teste Polybio. Statius, *lib.* 7. *Theb.*

——— *Neptunia proles*
Onchesti, quos pingueris Mycalessus in agris, &c.

Oncheus, nomen viri, quem prælatus in prœlio Colchico equus hastâ induit, Flacc. 6. 257.

Onchobrice, insula Arab. Fel. Plin.

Onchoe, urbs Phocidis, Stephan.

Oncium, Arcadiæ regiuncula, Pausan.

Ondicaone, vel *Ondicaove*, pop. Gall. Celt. Vide *Andes*.

Onebates, urbs Ægypti, Stephan.

Onega, lacus Moscoviæ peramplus, *Onega Ozero*, cujus pars Bor. est regni Sueciæ, pars Merid. Russorum. Medius inter mare Album ad Sept. & Ladogum lac. ad Occ. versus Novagradiensem & Wologdam provinc. in Ladogam lacum se exonerat, mediante Suerio fluvio.

Onejates, ex ducibus Basilii Imp. Classem Saracenorum in Euripo vicit, circa An. C. 879. Calvis. *in Cron*, Zonar. *tom.* 3.

Onelia, oppid. Italiæ, in ora Liguriæ, cum tit. Princip. Sabaudiæ Duci à Genuensibus An. 1672. ereptum, 10. m. p. ab Albingauno in Occid. Album Intemelium versus, à quo 20. m. p. distat, 28. à Monte Regali in Mer. Regio olei, vini, &c. feracissima.

Onenses, Hispan. cit. pop. Plin.

Onesiæ aquæ, quibusdam sunt *Bagneres*, oppidul. Aquitaniæ, in Bigerrensi tractu, ad Aturum fluv. 4. leuc. supra Tarbam in Bor. 7. à Palo in Eurum.

Onesicritus, quibusdam Æginerta, Diogenis Cynici sectator, in Alexandri comitatu fuit, qui ab eo ad Indiæ sophistas missus erat: atque ex iis etiam collocutus est cum Calano, nobili philosopho; qui postea in Persiam usque Alexandrum est secutus, ac spectantibus Macedonibus & Persis spontaneo ultimum diem vivicomburio clausit. Auctor Strabo *lib.* 15. quo res Indicas persequitur. Meminere *Onesicriti* præter Strabonem, qui multa imprimis ex eo refert, etiam Plutarch. *in Alex.* (ubi & leges, fuisse philosophum ex Diogenis Cynici contubernio) Agellius *libro nono, cap.* 4. & Qu. Curtius *libro nono*. Ad hæc ita Lucianus, *de Longævis*; Ὀνησίκριτος ὁ τὰ περὶ Ἀλέξανδρον συγγράψας. Item Ælianus *lib.* 16. *de Anim. cap.* 30. ubi vocatur Ὀνησίκριτος ὁ Ἀστυπαλαιεύς. Mentionem quoque ejus idem Ælianus facit *lib.* 17. *ejusdem operis, cap.* 6. Item Jo. Tzetzes *Chil.* 3. *Hist.* 113. Et qui antiquâ magis fide est, Arrianus *lib.* 6. ubi hæc leges: Τῆς δὲ αὐτοῦ νεὼς κυβερνήτης Ὀνησίκριτος, ὃς ἐν τῇ ξυγγραφῇ, ἥντινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραψε, καὶ τοῦτο ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας, κυβερνήτην ὄντα. Sed non in eo solùm fefellit, nam in multis ejus fides suspecta fuit. Neque tamen vulgaris navis gubernator fuit, sed regiæ, quod ipse agnoscit Arrianus *libr.* 7. ubi vocatur κυβερνήτης τῆς νεὼς τῆς βασιλικῆς. De stylo ejus ita censet Suidas, Xenophontem sibi imitandum proposuisse, sed elegantiam ejus assequi minimè potuisse. Vide Voss. *de Hist. Græc. lib.* 1. *cap.* 10. *&c.* Fuit item medicus.

Onesimus, Cyprius, seu Spartiata, tempore Constantini M. scripsit de Rhetoricâ, de statuum differentiâ, Præexercitationes, Declamationes, & alia, Suidas. Item Philemonis servus, vide Epist. ad Philem. Episcopus deinde Ephesi, & Martyr, sub Trajano, lapidibus Romæ obrutus, quò à Proconsule invitatus venerat. Ignat. *Epist. ad Ephes.* Baron *in Annal.*

Onesiphorus, vir quidam fidelis, 2. Tim. 1.

Onetorides, Atheniensis ex illis ducibus, qui cùm noctu in urbem quadringentos & viginti armatos, ad liberandas Demetrii præsidio Athenas, & interficiendum præfectum Heraclidem, introduxissent, consilio per Hieroclem Carem prodito interfecti sunt ipsi, Polyæn. *lib.* 5.

Onevatha, Phœniciæ urbs, Lib. Notit.

Oniabathes, urbs Ægypti, Stephan.

Onias I. summus sacerdos apud Judæos, post Jaddum, sub Ptolomæo Lagi fil. Præfuit An. 14. successit Simeon Justus.

Onias II. filius hujus, quòd tributum Ptolomæo Evergeti negasset, penè exitii causa populo suo fuit. Pater Simeonis 2. cui successit filius.

Onias III. sub quo Heliodori historia contigit. In Ægyptum fugere coactus, templum ibi Hierosolymitano simile condidisse dicitur, quod ad Vespasiani usque tempora duravit. Ab Antiocho Epiphane Sacerdotio motus, Jasonem fratrem successorem habuit, qui

qui dignitatem pecuniâ emerat; occisus A.3882. Vide 1.Macc.12. Torniel. Salian. Spond. *in Annal. V.T.*

Onii, montes Achajæ, haud longè ab Isthmo Corinthiaco: extenti usque ad Bœotiam. Urbs Heliopolitis Nomi in Ægypto, apud Ptolomæum. *O'nei* populi & *Onii* Regio, ibidem. Josepho lib.14. *Antiq. cap.14. & lib. 1. Bell. Jud. cap. 7.* *Onion*, civitas est, sita eodem tractu Heliopolitano, apud eundem Josephum *l.7. Halo. ad finem ferè*, quam 80. stadiis à Memphi abesse scribit. Ab *Onia* pontifice Judæorum exstructam, scribit Euseb. *in Chron.* Item cum *Onia* regione Egesippi.

Oningis, urbs Vandalitiæ, inter Cordubam ad Occ. & Acci ad Orum, a Scipione Afr. excisa, Liv. nunc urbs præclara *Jaen*, Morali.

Onisia, Cretica insula parva, contra Ithacum prom. & opp.

Onium, locus in Peloponneso, Polyæn. *lib. 2. in Epamin. cem. 3. & lib. 4.* Sic quoque Thucydidi & Xenophonti, *lib. 6. Græc. & 7.* ubi circa Corinth. videtur; ubi *Onii*, nempe montes. Circa *Onium*, vel *Oneum*, opp. Cenchreis proximum, pugnatum esse inter Thebanos & Lacedæmonios Xen. testatur.

Onkelos, Rabbinus, auctor paraphraseos Chaldaicæ Pentateuchi: floruit ante Christum natum. Proin malè confunditur, cum Aquila Pontico, qui Græcus erat, & post Christum viguit. Petrus Galat. *lib.1. cap.3.* Torniel. &c.

Onna, emporium Arab. Fel. Stephan.

Ono, Latine, *dolor*, *fortitudo*, seu *iniquitas ejus*, civitas in tribu Benjamin, quam ædificavit Samad, filius Elphaal, 1.Paral.8. Item vallis. 1.Esdr. . & .Esdr.6.

Onoba, civitas inter sacrum promunt. & Herculeas columnas, Plin. *libr. 3. cap. 1.* Mela *libr. 3.* Strab. *libr. 3.* vide sis ibi Casaubonum, & Bochart. *de Phœn. Col. lib. 1. cap. 34.* & Vossium *ad Melam*, *pag. 226.*

Onobala, amnis Siciliæ, de quo sic Vir magnus, *de Phœn. Col. lib. 1. cap. 28.* Prope Tauromenium, inquit, est amnis Tauromenius, quem Appianus appellat *Onobalem*: Παρὰ Ταυρομένιον, inquit, τὸν ποταμὸν τὸν Ὀνοβάλαν, καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης· καὶ ὁρμίσατο ἐς τὴν Ἀρχηγέτην, ἄξιον τοῦ Θεοῦ, ὡς χαρακτῆρ ὑπάρχειν ἐνταῦθα, καὶ ἀπέχει τοῦ Ταυρομενίου. Veneris sacrum intelligit, de quo in Vaticani Proverbiorum appendice, ex emendatione Cluverii: Γέρα Ναξίων, Γέρρα Σικελοὶ λέγουσι τὰ ἀνδρεῖα καὶ γυναικεῖα αἰδοῖα. Ἡ γὰρ ἐν Σικελίᾳ Νάξος πλῆθος ἐπιδείκνυσιν Ἀφροδίτης, ἐν ᾧ μεγάλα αἰδοῖα ἀνάκειται. Naxus hic idem est, quod Tauromenium, quam condiderunt, qui è Naxis erant reliqui. Unde Plinius: *Colonia Tauromenium quæ antea Naxos.* Et Solinus; *Colonia Tauromenia, quam prisci Naxum vocabant.* Itaque in his Nonii: *Et sunt gerra fascini, qui sic in Naxo insula Veneris ab incolis appellantur*: errore manifesto Naxo insulæ, uni Cycladum, id tribuitur, quod Naxi Siculæ proprium erat. Nam, præter Proverbiorum authorem, quem citavimus, Hesychius etiam, & Phavorinus, & author Etymologi, Γέῤῥα παρὰ Σικελοῖς dici scribunt, τὰ γυναικεῖα, καὶ ἀνδρεῖα αἰδοῖα. Nisi quod Etymologus solùm habet, τὰ γυναικεῖα. Atque hinc colligere est, cur Tauromenius amnis à Appiano nomine vocetur *Onobalas*, nempe propter αἰδοῖα, & fascina, quæ pendebant à templo Veneris ad illius ostium exstructo. Arabice enim hodieque עגבלה *Onbala*, muliebre pudendum est, vel, ut pressius loquar, id ipsum quod Samiis νύμφη, aliis κλειτορὶς & μύρτον. Bochartus.

Onobalistaria, Hispan. urbs. Vide *Ossobona*.

Onobrisates, pop. Galliæ Aquitanicæ, Plin.

Onochonus, fluvius Thessaliæ in Peneum influens, ab exercitu Xerxis bibendo exsiccatus, Herodot. & Plin.

Onochrinum, Lazio *Kevv*. opp. seu pag. nunc Pannoniæ infer. ad Danubium, è regione Booniæ. Lib. præfect.

Onogoris, Colchidis urbs, sic dicta, ut refert Agathias, ab Hunnis, qui & *Onogori* vocabantur, ibidem prælio victis.

Onogunduri, vide *Bulgari*.

Onoldinum, seu *On-* & *Anspachium*, opp. Franconiæ cum Castro, sub proprio Marchione, e familia Brandeb. ad amnem cognom. mill. German. à Norimberga in Occ. 10. à Bamberga in Merid. Hinc Marchionatus Onoldinus, cujus familiæ origo arcessenda est, à Johanne Georgio Electore Brandeburg. filii Joachimi 2. communi patre omnium hodiè ex gente hac Serenissi. superstitum. Hujus filius tertius Joachimus Ernestus, An. 1603. nactus est, ditionem Anspacensem, seu Onoldsbacensem, in Franconia: in Belgico, Juliaco bello An. 1610. fortitudinis variis speciminibus editis Bello verò Palatino, quo An. 1620. castra duci Bavariæ opposita habuit, à Spinola mortem à dexteritate & fortuna elusus est, quod suos fidem amitteret; quasi causam *Unionis*, cujus dux erat, fideliter administraret. Obiit An. 1625. pater Friderici, qui Norlingensi periit: Christiani, qui Blæsis mortuus est & Al..., qui natus An. 1620. Joh. Fridericum genuit, Spener. *Syll. Geneal. Historica.*

Onomacritus, sortilegus Atheniensis, Musæi socius, ab Hipparcho Athenis expulsus, Herod. *in Polyhymn.* *Onomacritum*, Atheniensium vatem, Clem. Alex. ait vixisse circa Olympiadem 50. Sed verisimilius est, eum scripsisse 60. Nam addit, claruisse tempore principatus Pisistratidarum. Atqui Pisistratus, qui ter tyrannidem invasit, primò eam obtinuit Olymp. 51. An.1. obiit autem Olymp. 63. An. ult. Hujus Onomacriti poëmata sunt ea, quæ Orphei dicebantur; Item χρησμοί, sive responsa, quæ Musæo adscribebantur. Vide Suid. & Voss. *Poët. Græc. pag. 23.*

Onomacritus Locrus, legum Scriptor, in Cretam, jussu divino, peregrinationem suscipit. Vide Aristot. *l. 2. Polit. fin.*

Onomarchus, Philomeli frater, (apud Diodor. 16.540.) filius Euthycratis, Aristot. *lib. 5. Pol. 4.* Phocensium dux in locum Philomeli subrogatus, cæsus in Thessalia à Philippo Macedone, suspenso cadavere, pœnas dedit sacrilegii in Delphos commissi Olympiadis centesimæ sextæ An. 4.

Onomastorides, secundus è Legatis à Lacedæmoniis, ad Darium, spretâ Alexandri amicitiâ missus, proditâ Damasco, in Parmenionis venit potestatem, Curt. 3. 60.

Onomastus, libertus Othonis, sceleri corrumpendorum Prætorianorum militum à Patrono præfectus, Tacit. *Hist. 1. 25.*

Onomatheopolis, Hispan. *Nombre de Dios*, opp. recens Americæ, in Isthmo, 25. leuc. à Panama urbe in Bor. Nunc semidirutum, incolis Portum Belum ad Occ. translatis.

Onophas, secundùm Ctesiam, unus è septem Persis, qui contra Magum Smerdin, Cyri filium se simulantem & regnum occupantem, conjuravit.

Onophas, quoque fuit mille navium classi, in expeditione Xerxis, præfectus.

Onophrius, usque adeò solitudinis erat amator, ut An. 60. hominem non videret, unde agrestis adeò factus est, ut superiore corporis parte totus & barbâ & capillis tegeretur, pudendis arborum cortice, & foliis coopertis. Vixit An. 70. herbis, & baccis silvestribus contentus. Vide quoque *Onuphrium*.

Onor, urbs Indiæ intra Gangem, regni cognom. caput, in Canara, & ora Oceani Malabarici. *Ponaran* Malabaris. Cum portu capaci & arce satis valida, sub Lusitanis, 18. leuc. Hispan. à Goa in Merid. Regnum autem Onorum subest Regi Baticalæ, estque parvum, versus oram littor. extensum.

Onosarta, Syriæ Primæ urbs, ex Conc. Chalced.

Ontarius, *Ontario*, seu *Lacus S. Ludovici*, lacus novæ Franciæ, versus Occid.

Onthyrion, urbs Thessaliæ juxta Arnen. Steph.

Onugnathos, id est, *Asini maxilla*, promuntor. Laconicæ in Peloponneso, inter ostia Eurotæ fluv. & Maleam promunt. *Capo Xili*, Nigro dicitur.

Onuphis, urbs celebris Ægypti, Stephan.

Onuphrius Panvinius, Veronensis, Monachus Ordin. S. Augustini. Continuavit Platinæ vitas Paparum, aliaque scripsit plurima, multâ eruditione, antiquitatis inprimis peritiâ, refertissima. Dedicavit Vitas Pio 5. Ann. 1566. quas Jacobus Strada Mantuanus, amicus, illi furtim subductas, Venetiis ediderat An. 1557. In qua editione varia menda deprehendit & sustulit. Idem Historiam gen. Paparum & Cardinalium scribere paravit; obiit Panormi, An. 1568. æt. 39. Petramellar. *in præf.* Possevin. *in app.* *par.* &c.

Onychion, locus Cretæ, ab ungue anchoræ in eum infixo, cùm Amyclæi coloniam misissent, Stephan.

Onytes, nomen viri proprium, quod Donatus dicit, aut Gentile esse, aut Patronymicum: Sed hoc non procedit, quia neque Patronymicum in *tes* exit; neque *Onytes*, à quâ gente veniat, usquam lectum est. Servius, *in Æn. 12.*

Onyxus, vide *Callichoron*.

OO.

Ooli, Hebr. *Oholi*, Lat. *deprecans*, sive *expectans*, aut *incipiens*, vel *dolens*, sive *frater mihi*. Civ. in tribu Aser. Hier. *in L. H.*

Ooliab, filius Achisamech, Exod. 31. Latinè, *tabernaculum*, vel *splendor patris*.

Oolibama, uxor Esau, filia Aox, Gen. 36. Item nomen principis ibidem. Lat. *tentorium meum excelsum*, sive *splendor excelsorum*.

Oenæ, insulæ Boreales, *Alandt* Mercatori, in fronte Finlandiæ sitæ, in mari Baltico. Quarum populus ovis avium & avenâ vitam transigunt, teste Mela, & Plin. 4. 13.

Oexellum, vide *Uxellum*.

Oozam, filius Assur ex Naarâ uxore, 1. Paral. Latinè, *apprehensio eorum*, sive *possessio*, aut *visio eorum*.

OP.

Opalia, dies festus, Opi Deæ dicatus. Erant autem Opalia post Saturnalia, vel eodem die, quia Opem Saturni conjugem esse crediderunt.

Opane, vel potius *Opone*, Æthiopiæ sub Ægypto urbs, Ptolem, *Opii* Mercatori.

Opertanei, Dii quidam sic dicti, Mar. Capella *lib.1.* *In primâ cœli regione, sedes habere memorantur post Jovim; Dii Consentes, Penates, Salus, ac Lares, Janus, Favores, Opertanei, Nocturnusq.* Meminit Plinius sacrorum Opertaneorum.

Ophanitæ, pop. Sarmat. Asiat. juxta Opharium fluv. (qui in Lagoum influit) incolentes, teste Plinio, ubi *Opharus* lacus.

Ophel, nomen muri vel turris Jerusalem, non procul à templo. Latin. *turris, obscuritas*, vel *nebula*.

Ophelas Cyrenensis, cum ingentibus copiis advenit: quem Agathocles audiit amantem esse puerorum: quare ei proprium filium misit obsidem Heraclidem, egregiâ formâ; præceptumque dedit puero, ut paucos dies resisteret. Ut venit puer, Cyrenensis, ejus specie captus, amplexabatur obsidem & in eodem demulcendo occupabatur. Agathocles repente, Syracusanis inductis, *Ophelam* occidit, exercitum omnem superavit filiumque inviolatum recuperavit, Polyæn. *lib.* 5.

Ophelias, Ptolemæi Primi dux, adversus Thimbronem Cyrenenses affligentem cum copiis missus; re feliciter gestâ ac Thimbrone vivo capto, Cyrenenses ditioni Ptolemæi adjecit, Diodor. *lib.* 18. *cap.* 639.

Opheltes, fil. Lycurgi regis Thracum, vide *Archemorus*.

Opheltes, Cyzicenus, in conflictu nocturno, a Telamone, occisus, Val. Flacc. 3. 198.

Ophensis civitatis populi in Africa sunt, apud Tacitum, *Hist.* 4. 50. Circa Leptin & Garamantas. Sed *Opensis* legendum contendunt, Cujacius & Lipsius.

Ophera, civitas in tribu Benjamin, Jos. 18. *pulvis, plumbum*, vel *hinnulus*.

Ophim, filius Benjamin, Genes. 46. Latin. *thalamus*, sive *coopertus*, aut *litus maris*.

Ophiodes, insula sinus Arabici, oræ Ægypti ante Berenicem urb. adjacens, in quâ Topazius lapis est, teste Strabone. *Agathonis insula* Ptol. dici videtur. *Angarina* vulgo ex tab. recent.

Ophiogenes, pop. Asiæ ad Hellespontum, ictus serpentum solo tactu levantes, & imposita manu venenum à corporibus extrahentes, teste Plinio ex Crate Pergameno.

Ophiomagi, pop. Ind. Or. serpentibus vescentes; licet tanti sint, ut tauros vivos hauriant, Plin. Forsan *Ophiophagi*. Vide ibi.

Ophion, vir, qui cum Eurynome uxore, quam genuit Oceanus, ante Saturnum rerum potitus est, quem Saturnus fugavit. Apollon. *Argon. lib.* 1. *de Orpheo canente*:

> Ἤειδεν δ' ὡς πρῶτον Ὀφίων Εὐρυνόμη τε
> Ὠκεανὶς νιφόεντος ἔχον κράτος Οὐλύμποιο.
> Ὥς τε βίῃ καὶ χερσὶν ὁ μὲν Κρόνῳ εἴκαθε τιμῆς,
> Ἡ δὲ Ῥέῃ, ἔπεσον δ' ἐνὶ κύμασιν Ὠκεανοῖο.

Item Gigantis nomen apud Claudian. 3. *de raptu Pros.* Denique unus ex Cadmi sociis, qui e dentibus serpentinis nati fuerunt, unde & nomen traxit. Ὄφις enim Græce *serpens* dicitur. Ovid. *Metam. lib.* 3.

> *Quinq; superstitibus; quorum fuit unus Echion.*
> *In sua jecit humi monitu Tritonidis arma.*

Ophiophagi, Æthiopiæ populi, Plin. & Solinus, *cap.* 36.

Ophir, signif. *cineream*, seu *incinerationem*, aut rectius *cineream*, ac *pulverulentam terram*. Ebraicè אופיר. Estque nomen reg. & terræ sic dict. ab *Ophir* filio Jectanis, nepote Eberi ex Gen. *cap.* 10. *vers.* 29. utpote qui cum fratre suo Havilah hanc terram occupavit, ibidemque, factâ linguarum confusione, & variâ populorum migratione, sedem posuit. Ut igitur India (ea scil. quæ intra Gangem) etiam dicta est Havilah: ita ab Ophiro quoque altera Indiæ pars (quæ est extra Gangem) nomen est sortita, & dicta est *Ophir*. Ita enim tunc moris erat, ut quas quis terras primus occupasset, eas pro se, suisque posteris possideret, atque iis nomina daret. Id quod totidem verbis nobis inculcat Hieronymus *de Loc. Ebr. Fuit unus de posteris Eber, nomine Ophir, ex cujus stirpe venientes à fluv. Cophene usq; ad regionem India, quæ vocatur Serie, habitasse refert Josephus.* Josephus Acosta arbitratur, quod, quemadmodum nostri homines Indiam vocant quamcunque longius dissitam regionem, sub eâque Americam, Mexico, Chinam, & Brasiliam comprehendunt: Ita quoque in scripturâ, nomine *Ophir* & nomine *Tharsis* notari terram, aut locum quemlibet procul remotum. Non videtur longè recedere ab hac opinione Johan. Gorop. Becanus. Optimo jure, inquit, Atlanticus orbis Ophir dictus est, quo non aliud in Japeti, cujus Atlas nepos fuit, linguâ denotatur, quàm id quod *Ultra* jacet. Et sane multis difficultatibus satisfieri posset, si hæc teneatur opinio. Sive enim in Americam, sive in Africam, sive in Siam Indicam excurrisset Solomonis classis, quod factum, An. M. 3043. semper tamen in *Ophir*, id est, in remotam provinciam ivisse dici potest. Attamen ex sequentibus manifestum fiet, quòd Ophir propriè hic accipiatur, noterque certam istam Indiæ Orientalis partem, quam diximus. Quis enim Solomonis classem in incertum evagatam esse & certum sibi terminum præfixum non habuisse credet? Neq; ullus vel in sacrâ, vel profanâ historiâ locus est, in quo Ophir incertum aliquem terræ tractum significet. Neq; eadem ratio denominationis in *Indiâ* & *Ophir* est. Nam Hispani & eorum more nos Angli quoque Indiam vocamus utramque Orientalem & Occidentalem *East & West Indies*; sed falsò & impropriè. Cùm vera *India* Asiæ regio, sit ab insigniori fluvio *Indo* nominata. Hoc itaque posito, quòd Ophir certum quendam locum significet, quis autem, & ubi terrarum sit, porro est dispiciendum.

I. Primus hic Autorum census est, qui Ophir Solomonæam in Africâ ponunt. Et ii quidem iterum in quatuor classes discinduntur, quorum aliqui in Cuspide Meridionali, aliqui in umbilico Mediterraneo, aliqui in medio litorali ad Ægyptum, aliqui deniq; in Fronte Africæ minoris, ad confinia Numidiæ, sollicite *Ophiram* indigitant. Primi igitur opinantur, Ophir esse *Melinden*, seu *regnum Melindanum*, ut Bartholdus Nihusius *in Tract. Chorogr.* quod in potentissima & litorali reg. *Zangibar*, præ aliis regnis præcellit, & avorum nostrorum memoriâ humanissimos & erga exteros benevolos Reges habuit, hodieque Lusitanorum mercatorum frequentiâ admodum celebratur. In eo metropolis & sedes regia *Melinda*, sita fere sub Circulo Æquinoctiali, quæ cum suâ viciná *Quiloa* ditissimarum aurifodinarum plena est, uti Joanni Regi Lusitanorum nunciavit Petrus Covillanius, primus Abyssinorum & Indicorum emporiorum lustrator, apud Joh. Petr. Maffæum *Hist. Indic. libr.* 1. Secundi, citante Cornelio à Lapide *in Hierem.* 10. Ophir esse Angolam in Æthiopiâ arbitrantur, quia Josephus dicat classem Solomonis, præter aurum, etiam Æthiopica mancipia advexisse; Est autem ista Angola, sub ipso Circ. Æquinoct. ad fluv. *Onchu*, ut Nilum se exonerantem. Tertii longius progrediuntur, & ad *Zophalam* confluunt, ibique Ophiram statuunt, ut Volaterranus; Struckius, & plurimi Lusitanorum apud Lud. Venetum *in descript. Navig. Indic.* Est autem ea *Zophala*, aliàs *Cefala*, sub imâ Africâ ad Oceanum Ægyptiacum sita, non procul à Trop. Capric. aurifodinis prænobilis terra, ex quâ Lusitanis magna auri copia transportatur. Quarto pro Ophirâ locum aliqui ex R. D. Kimchi aliorumque, qui Latinum Interpr. avidius quàm decet, sequuntur, opinione assignant in Africâ *Carthaginem*, eo potissimum fundamento ducti, quia *Tarshish* & *Ophir* hic conjungi videntur, tanquam nomina ejusdem reg. *Tharsis* autem in multis Scripturæ locis vertitur a Vulgato, & intelligitur quoque ab Hieronymo *Carthago*. Sed hæc sententia plane repudianda est. Nam *Primo*, ut ὕστερον πρότερον faciam, quo minus credam Carthaginem esse Ophiram, ut Tharsis, hæc immota sunt fundamenta. 1. Quia tempore Solomonis Carthago nondum erat in rerum naturâ, utpote quæ demum annis post Solomonem centum & ultra est ædificata. 2. Portus Solomonis navigationis non Joppe fuit, ex quo versus Ægyptum & Numidiam facilis fuisset in mari Mediterraneo, in regnum Carthaginensium expeditio; sed Esiongeber in lit. Rubri maris, ex quo in mari Indico, Æthiopico & Atlantico, superato *Capite bonæ Spei*, incredibilis, & planè dispendiosa videtur navigatio. *Secundò*, quantum ad *Angolam* Æthiopicam spectat, illa Ophir esse non potest, quia non maritima, sed mediterranea ora est, neq; ita dives auro, quàm aliis metallis, imprimis autem ære. Imò in Josepho nihil de mancipiis Æthiopibus invenio, quòd ea classe Solomonæâ sint advecta, ut aliàs diffiteri nolimus, quòd Solomoni tantopere ob divitias & magnificentiam celebrato undequaque dona allata & sic forte etiam ex Æthiopiâ tales vernæ dono mitti potuerint, sed istâc navigatione asportatos esse nullibi legitur. Deinde quòd *Zophala*, aut *Melinde* Ophiræ titulo non veniant, ex his conficitur rationibus. Nam primò *Melinde* & *Zophala* viciniores sunt portui Arabico, quàm ut triennalem navigationem requirerent. Sanè Covillanus Lusitanicus, horum locorum explorator, in Melindes & Zophalæ loca excurrit, & inde reversus est Dairum in semestri anni spatio, quum hujus pelagi non admodum gnarus esset. Secundò, quæ regio nullos pavones gignit, nullum gemmarum pretiosarum genus, nullumque argentum habet, ea non potest esse Ophir Solomonis. Atqui Zophala, & Melinde nullas gemmas, nullum argentum habent, quod habet Varer. *in Com. suo Topogr. lit. cap.* 8. Ergo.

II. Novus nunc adeundus Orbis est, cum iis, qui Ophiram nostram, ex orbe veteribus cognito, versùs occidentem in *Americam* transportant. Hi in tres abeunt sententias. Primi ponunt in *Hispaniolâ*, secundi in *Peru*, tertii in *Peruanâ* & *Mexicana* ditione simul conjuncti. Primò in *Hispaniolâ* eam ponunt Genebrardus ad An. M. 3150. & Vatablus ad 3. Regum. 9. Et sanè Chr. Columbus, cum hanc terram primo patefecit, sæpe dicere solitus est, se Ophir Solomonis invenisse, teste Petro Martyre. Secundò in *Peru* ponunt Ben. Arias Montanus, Joh. Goropius Becanus, & M. Marinus Brixianus *de Arca Noe*, in voce *Ophir*, & plures alii. Tertio conjunctim in Peru & Mexico collocant Malvenda, & Gregor. Garcias! Quibus quoque *Quarta* posset accenseri non neminis sententia, qui in insulis Solomonis ad novam Guineam sitis, Ophiram esse sitam asserit. Hæc quoque sententia stare non potest. Et quo minus posset, istud unicuique æquo rerum æstimatori cogitandum relinquo, videlicet, Nunquid consentaneum sit, Solomonem ex mari Rubro (ibi enim navigium ejus solvit) relictâ Indiâ orientali, viciniori ac notiori, multoque rerum pretiosarum fertiliori, atque minus periculosâ aditu, immenso circuitu navigationem ad novam reg. Americ. Peruensem, suscepisse, cùm ad eam reg. ex Joppe vel alio portu maris Mediterr. per fretum Gaditanum multo breviori, faciliori & magis usitatâ navigatione pervenire potuisset? Porro quare Solomon ex remotis adeo oris peteret, quod viciniores affatim suppeditabant?

III. Relictâ itaque Americâ, saniores Geographi & interpretes in eo conveniunt, quòd Ophir Asiæ aliqua & Orientalis plaga mundi sit, in proprio tamen ejus situ signando in varias scinduntur partes. 1. Primò autem, eam in *Urphen* aliqui collocant, insula

scil.

[illegible] in mari Rubro sitâ; Additque Bochartus, Οὐφὶρ esse fœmi[illegible] bicum, ex אופיר, quasi *Terram ditissimam* dicas; tradi[illegible] Solomonis parentem Davidem naves eò misisse pe[illegible]m, apud Euseb. *Præp. Evang.* 9. 4. putat denique, ex [illegible] e nominis *Urphen* dictam esse *Ophir*. At præterquam, [illegible] nominalis non sit genuina, neque tam difficilis, [illegible] longa, neque tam sumptuosa ea fuisset navigatio, si ad [illegible] insulam in Rubro mari itum fuisset. Quid quod ea *Ur*[illegible] il vel parum rei mercatoriæ contineat, atque producat. [illegible] do, alii eam ad imam Persiam in regno *Ormuz* trans[illegible] la & vicinum, & auri prægnans est. Cæterùm hæc loca [illegible] sunt, quàm ut expeditionem triennalem requirant; & [illegible] ibi multum auri & margaritarum, tanta tamen ubertas [illegible] carum rerum non est, quanta in reliquis Indiæ pro[illegible] ut igitur huc venisse dicatur classis aurifera, ulterius [illegible] progressa non negatur. 3. Tertiò non procul ab hoc re[illegible]. Hornius *Observ. ad Sulp. Severum*, qui ex H. Grotio opinatur esse *Aphar*. *Cogitemus*, inquit, *an fortè non in Indiam* [illegible] *naves Phœnissæ & Judaicæ, sed ad oppidum adsitum* [illegible] *Arabico*, [illegible] *ad Oceanum spectat, quod* Aghar *vocat Arrianus*, [illegible] Saphar, *Ptolemæus* Saphora, *Stephanus* Sapphirinam, *ut Indi nem* [illegible] *tulerint, inde autem petierint longius ab Indiâ* [illegible]. A[illegible] lo Hornio arbitrio *Aghar*, quod oppidi nomen est, non potest esse *Ophir*, quæ totam regionem complectitur. 4. [illegible] Bochartus refert ad Zeilam, seu Taprobanem, in quâ [illegible] quem Phœnices & Græci appellarunt *Ophir*. Eam [illegible] igas, ita habe. Duplicem terram Ophir facit [illegible] ma[illegible] Unam in Arabiâ prope Sabæos, alteram in India. [illegible] *Cossani* in Ptolemæi, & Stephani, cujus incolas Dio[illegible] & Agatharchides *Casandos* vocat. Hanc vocat Da[illegible] ex quâ Rex ille tot pondo auri acceperit, 1. Chro[illegible] un in Indiâ ponit scil. in Taprobane, vulgò Zeilan, & [illegible] esse statuit. 5. Quintò, Massæus [illegible] esse Indiam extra Gangem, ad urb. quæ Ptolemæo [illegible] *peon*, hodie autem vocetur *Pegu*, cum quia ibi copia [illegible] maxima, tum quia ex Bomferri, ex Familiâ Fran[illegible] rdotis, natione Galli, literis constet, quod Pegusii origi[illegible] à Judæis exulibus ducant, qui à Solomone damnati ad [illegible] aurifodinas, hæc loca primùm tenuerint. 6. Sextò, A[illegible] Malacam referunt, Regionis Indiæ Gangeticæ maritimam, quæ [illegible] potentissima & opulentissima fere omnium est, omniumque [illegible] ad Solomonem allatarum apprime dives. 7. Septimò, [illegible] Ophiræ situm assignat insulæ Sumatræ, quæ profert [illegible] argentum & marmor testudini simile, gemmas præterea [illegible] præcipuæ bonitatis. 8. Octavo, audiendus quoque [illegible] Josephus, *Antiq. lib. 1. cap. 2.* qui Ophiram vocat Chersone[illegible] Auream, seu Auream Terram, quem sequuntur Theodore[illegible] & Procopius. [illegible] Denique Lipenius, ex quo hæc desumuntur, [illegible] Ophiram in Indiâ Orientali statuit, ita putat ejus quantita[illegible] tem & situm non ita esse in una & alterâ insulâ, aut regione coar[illegible] dum, ut vel sola Sumatra, vel sola Pegu, vel alia aliqua insula [illegible] sit, sed extendenda potius hæc Aurea Chersonesus sit, & [illegible] cum amplectatur quàdam in Sumatrâ, Malacâ, Sian, [illegible] Bengala aliisque conterminis ac finitimis insulis, & conti[illegible] quas omnes Ophiri Jectanici nepotes longâ serie [illegible] & habitaverunt. Ortelio, Barrosio aliisque fuit, [illegible] urb. Africæ in ora Orient. quod forsan melius, [illegible] Σωφὶρ [illegible] tur Origeni in Job 22. 24. Sic enim ille, [illegible] τὴν Σωφὶρ τὴν Ἀραβίαν εἶναι. *Sophir* id est *Ophir*. Ita legitur in Græca versione, S. repetito per[illegible] ex [illegible] Σωφὶρ verò Hesychio, cui χώρα dicitur [illegible]

Ophis, [illegible] Arcadiæ, juxta Mantineam, in Alpheum labens [illegible]

Ophis, fluv. Cappadociæ in Pontum Euxinum defluens, Arrian. Stuckius eum [illegible] putat, quem Plin. in Lagoum am[illegible] se exonerare [illegible]

[illegible] *ita*, Hæretici quidam, ex Nicolaïtis & Gnosticis oriundi, [illegible] au[illegible] tore, a *serpente* sic dicti, quia Christum serpentem il[illegible] a quo Eva tentata, fuisse, vel in hoc animal se mutasse, bla[illegible] marunt. Quoties [illegible] erstima sua sacra peragebant, elicuerunt [illegible] ex suo [illegible], qui volutari per omnia, quæ oblaturi [illegible] solebat: Tum ea a Jesu Christo sanctificata dictitantes, [illegible] porrexerunt, Origen. *lib. 6. C. Celsum*, [illegible] *de Præscr. cap.* 47. Irenæus *lib. 1. cap.* 34. Epiphanius [illegible] Augustin. *de hæres.* Theodoret. *hæret. fab. lib.* 1. Baron. A[illegible]

[illegible] ocidis urbs, Herodotus. *Amphiclea* Pausaniæ, *Am*[illegible]

[illegible] ntes fluv. sic dictus, teste Pomponio Læto.

[illegible] dus cœleste, stellis 16. constans, quod Poëtæ Latini [illegible] ed dentes, *Anguitenentem* appellarunt. Qui Astro[illegible] P[illegible] cum conscripserunt, Herculem esse putant, qui adhuc [illegible] agiens, angues à Junone immissos manibus præ[illegible] Æsculapium esse volunt. Cic. 2. *de N. D. Atque hac* [illegible] *a tergo, propter caput autem Anguitenens*

Quem claro perhibent Ὀφιοῦχον *nomine Graii:*
Hic pressu duplici palmarum continet anguem.
Ejus & ipse manet religatus corpore torto:
Namq; virum medium serpens sub pectore cingit.

Ovidius *Metam. lib.* 8.

Qui medius Nixiq; genu est Anguemq; tenentis.

Ophiui, filius Zabab, 1. Paral. 2. Latinè, *judicans*, vel *orans*. Lege *Ophlal*.

Ophiusa, insula in mari Balearico, Ptolem. ex duabus Pityusis minor (nam major Ebusus dicitur) propter *serpentum* copiam inculta, inde & *Colubraria* Latinis dicta, nunc *Formentera*, vix 4. m. p. ab Ebusâ in Mer. 5. milliaria lata. Rhodus quoque insula sic olim vocabatur, Strab. *lib.* 14. Vide Stephanum, in Βέσβικος, Κύθνος, Αἰδοῦς, Ῥόδος, Τῆνος, & Τύρας. Item insula non procul à Cretâ, Plin. 4. 12. Item urbs Mysiæ. Aliis urbs est Germano-Sarmatiæ, in Bastarnis, in limite Daciæ, ad Tyram fluv. Ubi nunc *Czarne*, Castrum Podoliæ infer. in limite Moldaviæ 45. m. p. supra ostium Tyræ in Occ. Baudr. Val. Flacc. *lib.* 6.

—— *Gelidis pollens Ophiusa venenis.*

Ophlones, pop. Sarmatiæ Eur. Ptolem.

Ophni, חפני, Lat. *pugnus*, vel *pugillus*, aut *cooperiens*, filius Eli Sacerdotis, cum fratre Pineha, in prælio contra Philistæos, ob impietatem, occisus. 1. Sam. 1. & 4.

Ophni, עפני. Latinè, *volens*, sive *lassitudo*, aut Syriacè, *plicatio*, nomen civitatis, Jos. 18.

Ophra, filius Maonathi, 1. Paral. 4. Latinè, *pulvis*, *plumbum*, vel *hinnulus*.

Ophradus, fluv. circa Indum, Plin.

Ophrateus I. Assyriorum rex, post Piricadem. A. 3104. per A. 20. Successit *Ophrateus II.* usque ad An. 3173.

Ophthis, urbs Lybiæ, Ægypto adjacens, Stephan.

Ophyusa, vide *Tina*.

Opie, pop. juxta Indum fluv. Idem.

Opici, pop. Campaniæ, qui postea *Ausonii*, teste Aristotele dicti sunt, juxta Tyrrhenum mare incolentes, & in Latium novum etiam extensi. A linguarum colluvie sic dicti, sive à serpentibus, ut Stephano placet, quasi *Ophicos* dicas. Cæterùm *Opicum*, teste Festo, pro *Osco* ponitur, & *sordidum*, *immundum*, aut *obscœnum* signif. Juven. *Sat.* 3.

Divina Opici rodebant carmina mures.

Id est, fœdi, & putidi. Idem *Sat.* 6.

Nec curanda viris Opica castigat amica
Verba. —— ——

Id est, quæ non Latinè loquerentur, sed Opicè, hoc est, barbarè, Plin. 29. 1. sub Catonis personâ: *Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos, quàm alios Opicos appellatione fœdant.* Vide Cluver. *Ital. Antiq.* 3. 9.

Opigena, ab *Ope* Juno sic dicta, quam matronæ colebant, quod eam *opem* quoque ferre in partu laborantibus credebatur.

Opilio, Consul cum Vincomalo, A. U. C. 1206.

Opilius Macrinus, obscuris parentibus ortus, Maurusii generis, proditor, & necis Caracallæ conscius, Imperator ab exercitu salutatus est, anno mundi 4180. à Christo nato 218. unà cum Diadumeno, filio formosissimo. Hic Artabano, Parthorum regi, graviter necem suorum civium vindicanti, quos occiderat Caracalla; primò restitit: postea missis legatis petiit pacem, quam libenti animo, interfecto Caracallâ, Parthus concessit. Inde, cum se Antiochiam recepisset, ac luxuriæ operam daret, justam causam necis suæ præbuit exercitui: fugiens itaque cum filio, in vico quodam Bithyniæ, occiditur: caput ejus ablatum ad Heliogabalum perfertur, Jul. Capitol. Ael. Lam. vixit annos 50. imperavit menses 14. Vide *Macrinus*.

Opiniomsta dicti, ab adversariis, qui tempore Pauli 2. neminem in terris Vicarium Christi se verè dicere posse, nisi qui Christi quoq; paupertatem imitaretur, docuerunt, Spond. *A. C.* 1467. *n.* 12.

Opinum, Corsicæ insulæ opp. Ptolem. *Pino* hodie vocatur. Nunc *Opino* Baudrand. Estque tantùm mons, 8. mill. à littore Or. 4. ab Aleriæ ruinis in Occid. Curiam versus 13. uti ab Acciæ ruderibus in Merid. 34. à Bastia.

Opis, Nympha, Dianæ comes, Virgil. *Æn.* 11.

Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.

Item civitas, juxta quam Tigris influit in mare Rubrum, Herodot. *libr.* 1.

Opisina, Thraciæ urbs mediterranea, Ptolem. forte quæ *Opizum* Antonino.

Opiter Virginius Tricostus, Consul, Cameriam cepit, A. U. C. 253. ab ejectis verò Regibus 8.

Opitergium, Carnorum oppid. inter Cenetam & mare Adriaticum, nunc *Oderzo*, vel *Uderzo*, & *Ovederzo* dictum, Ptolemæus. Οὐενετίας δὲ μεσόγειοι πόλεις, Οὐικετία, Βελοῦνοι, Ἄκελοι, Ὀπιτέργιον, Ἄλτινον. Tacitus *Histor lib.* 3. *Primus ac Varus occupantes Aquilejæ proxima quaque, & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur.* Amm. Marc. *lib.* 29. *Obsessa à Quadis ac Marcomannis Aquileja diu, Opitergiumq; excisum.* Corruptissimè apud Strabonem *lib.* 5. [illegible] & [illegible] legitur pro Ὀπιτέργιον, & Κωγκορδία. Populi Opitergini, Lucan. *lib.* 4.

Hic Opitergiis moles onerata colonis
Constitit. —— ——

Long. 34. 10. lat. 45. 30. Baudrando opp. Marchiæ Tarvisinæ, sub Venetis, ad amnem Moteganum, 12. mill. à Tarvisio in Cæciam Utinum versus, 12. à Ceneta in Eur. ab Aquileja 45. in Occid. 35. ab Utino. Direptum fuit ab Attila, An. 452.

Opites, Argivi proprium, quem Hector in bello Trojano interfecit, Homer. *Iliad.* λ.

Opitulus, dictus est Jupiter, quasi *Opis lator*, in rebus dubiis & malis, Festus.

Opium, Ponti Cappadocici urbs.

Opizum, Thraciæ urbs. Anton.

Opon, promuntorium Cretæ in Occid. vergens.

Oporinus Johannes, Germ. *Herbster*, celebris, doctus, & elegans typographus Basiliensis, Buchole. *in Ind. Chronol.* Hic & sui & prisci seculi Scriptorum ingentem numerum, summâ fide in publicum edidit, ac immensis in hanc rem laboribus sumptibusq; impensis, nomine suo immortalitati consecrato, obiit A. 1568. æt. 60. Vide Urstis. *Epit. hist. Basil. cap.* 9. *&c.*

Posteritas, obstricta mihi non nomine vano es,
Per me namq; audis secula prisca loqui.

Opoton, Palæstinæ opp. Ptol. quod Chrysorrhoa amne irrigatur. Opotane urbis memoria est in Concil. Chalcedonensi.

Opotura, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Oppavia, urbs Silesiæ, ad Oppam amnem, caput Duc. cognom. cum arce antiqua, 3. leuc. à Ratiboria in Occ. uti à Carnovia in Eur. 9. ab Oppolio in Mer.

Oppenheiminum, urbs Palatinatus infer. ad Rhenum, inter Moguntiacum ad Bor. & Wormatiam ad Austr. in colle, paucis inhabitata. Imperialis est urbs, sed Elect. Pal. oppignerata.

Oppia, una ex Vestalibus, quæ convicta stupri, viva defossa est. Hæc enim talium pœna mem[illegible]ratur. Juvenalis:

—— *Cum quo nuper vittata jacebat,*
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Oppianus, Poeta & Grammaticus eximius, Agesilai & Zenodotæ filius, ex Anazarbo, sive (ut Suidæ placet) Coryco, Ciliciæ civitate. Scripsit Ἁλιευτικὰ, & Κυνηγετικὰ elegantissimis versibus, in quibus Virgilium, quà potè, secutus est, quæ Antonino Caracallæ obtulit, non sine doctrinæ suæ maximâ commendatione. Hujus poëmata cùm apud Imperatorem recitata essent, donatus est in singulos versus aureo statere, ut viginti millia aureorum pro omnibus acceperit, Suidas. Vixit annis 30. & sæviente in civitate Anazarbi paulo pòst peste, obiit parentes relinquens superstites: Cives autem eum sepelierunt, & sumptuosam statuam illi erexerunt cum hoc epigrammate:

Ὀππιανὸς κλέος εἷλον ἀοιδῶν, ἀλλά με μοίρης
Βάσκανος ἐξήρπαξε μίτος, κρυερός τ' Ἀΐδης με
Καὶ νέον ὄντα κατέσχε, ἀοιδῆς ὑποφήτην.
Εἰ δὲ πολὺν με χρόνον ζώειν μίμνειν φθόνος αἰνὸς
Εἴασεν, οὐκ ἄν τις μοι ἴσον γέρας ἔλλαχε φωτῶν.
Oppianus vatum decus immortale fuissem,
Invida ni gelidum rapuisset Parca sub Orcum
Me juvenem, placida clarum splendore Camœna.
Ni livor longa violasset tempora vitæ,
Non mihi laude parem quenquam terra alma tulisset.

Eusebius *in Chron.* Scaliger. *exercit.* 218. *&* 225. *& in Poët. &c.* Suidas, &c.

Oppidum, idem cum *Urbe*, tametsi quidam *Urbem* majus aliquid *Oppido* esse arbitrentur. Julius Cæsar *lib.* 7. nunc Avaricum *Oppidum* maximum, in finibus Biturigum, nunc pulcherrimam propè totius Galliæ *Urbem* appellat: Item *Oppidum* Biturigum Noviodunum, ac mox *Urbem* cum cæteris vocat: quum 20. *Urbes* Biturigum incensas ait. Idem Vesontionem *Oppidum* maximum Sequanorum esse scribit, quæ modò *Urbs*, modò *Oppidum*, Jonæ præ cæteris dicitur. Lutetiam quoque *Oppidum* Parisiorum nuncupat, quæ, uti Vesontio, caput Gentis erat. & *Urbs* Parisinæ ac Parisiensis Civitas Gregorio appellatur. Ita & Cicero 4. *in Verr.* Syracusas sæpissimè *Urbem*, semel tamen *Oppidum* vocat. Ita & Tacitus Divodurum Mediomatricum *Oppidum* nuncupat, caput utiq; nobilis Gentis. Mela quoque & Plinius nomine *Urbis* & *Oppidi* promiscuè utuntur. Vide Hadr. Valesium *Præf. in Not. Gall.*

Oppidum novum, vulgò *Rabach*, teste Nigro, urbs Mauritaniæ Tingitanæ mediterr. inter Tingi 62. & Volubilim colon. 74. m. p. ex Itiner. Anton.

Oppidum novum alterum, sed apud Ptolemæum. *Oppidon* tertiæ inflexionis, *Mezuna*, teste Marmolio, colon. & urbs Mauritan. Cæsar. mediterr. à Rusuccurro 86. m. p. introrsum, à Tigandâ 32. à Vagis 72. olim ex primis. Est & *Oppidum*, urbs Episcopalis Brutiorum in Calabriâ ulteriori, sub Archiepisc. Rhegino. *Oppido* etiam vulgò dicta.

Oppius Chares, Grammaticus, in Gallia docuit, Sueton. *c.* 3. *de Illustr. Gramm.* Item *Oppius*, seu *Opilius*, laudatus Macrobio, *lib.* 2. *Saturn. cap* 14. *&* 11. Item *C. Oppius*, cui attribuitur Comment. Cæsaris, de bello Hispan. Item vitæ virorum Illustrium, A. Gell. *lib.* 7. *noct. Attic. cap.* 1. Plin *Hist. nat. lib.* 11. *cap.* 45. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 13. Vide *Caius Oppius*.

Oppolium, urbs Silesiæ, ad Oderam fluv. caput Duc. cognom. aliàs oppignorata Poloniæ Reg. cum tractu adjacente, satis extenso. Munita. A Suecis capta bello German. sed reddita pace Monaster. 7. leuc. à Ratiboria in Septent. 9. fere à Vratislavia in Merid. vix sex à confin. Poloniæ. Hoc Ducatu, ut & Ratiboriæ, item titulo Principis German. placatus Betleemus Gabor, Transylvaniæ Princeps, qui Regis Hungariæ titulo sumpto Austriam invaserat, diadema Ferdinando 2. armis depositis, reddidit, A. C. 1619. Joh. Cluverus, *in Hist. Epit.*

Ops, *opis*, filia Cœli ex Vestâ, soror & conjux Saturni, quæ & *Rhea*, & *Cybele*. *Ops* autem idcirco dicta putatur, quòd terræ ope vita hominum sustentetur, Cic. *lib.* 2. *de N. D. Terram opem Latini idcirco nominant, quòd opes omnes è terrâ.* Unde & Plutus in Thesmophoriis unà cum Cerere colitur, Aristophan. Refertur apud Hesych. Ὦπις, unde nostrum *Ops* ait Scaliger. Ab Ὦπις autem vel Ὦπις, ἐπιζέσθαι *colere*, ut *Venerari* à *Venere*. Porro *Ops*, vel *Opis* pro Rhea, ut supra diximus, Latinum est, pro Diana autem Græcum Ὦπις, & Οὖπις, Dorice. Vetus Poëta apud Macrobium, *lib.* 5. *cap.* 22.

Ὑψιῶσαι τυχάνι Ὦπι βλητῆρι ἰῶν.

Callimachus *Hymn.* 3.

Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι, φαεσφόρε.

Meursius Tibullus 1. 4.

At qui non audit Musas, & vendit amorem,
Idææ currus ille sequatur Opis:
Et ter centenas erroribus expleat urbes,
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

Turrigeram voca. Ovidius *Trist.* 2.

Ipse quoq; Ausonias Cæsar matresq; nurusq;
Carmina turrigeræ dicere jussit Opi. V. *Cybele.*

Opsicella, Cantabriæ in Hispania urbs, Strabo. *Lacetyma* Nebrissensi.

Opsius, prænomine *Marcus*, Prætura functus, qui cupidine consulatus scelerate T[illegible]ium Sabinum, illustrem Equitem Romanum, pervertere adjuvit, Tacit. 4.

Opta, urbs Castellæ nov. à Concha 22. leuc. Toletum versus 7. *Guete*, & *Huete*: haud obscura.

Optatus, libertus Cæsaris, præfectus classis sub Tiberio Claudio Principe, scaros à mari usque Carpathio petitos inter Ostiensem & Campaniæ oram sparsos disseminavit. Ab eo tempore frequentes in Italiæ litore inveniuntur, Plin. 9. 7.

Optatus, Afer, Episcopus Milevitanus, sub Valentiniano & Valente Impp. Ann. 368. Ejus extant de Schismate Donatistarum contra Parmenianum Donatistam libri septem, cum Notis & Emendationibus Meric. Casauboni Canonici Cantuariensis, Londini, An. D. 1631. Excellens Orthodoxiæ defensor, obiit An. 380. Hieronym. *de Scr. Eccles. cap.* 11. Augustin. *de doctr. Christ. lib.* 2. *cap.* 40. *contra Parm &c.* Honor. Augustod. *de lumin. Eccl.* Balduinus & Albaspinæus, *in notis*, Pithœus, Possevinus, &c.

Optiletis, Minerva dicta est ab oculis, quos ὀπτίλλους Dores appellant. Refert enim Plutarch. *in Vita*, cùm Lycurgus privatorum luxum sustulisset, divitibusque ob hoc factus esset invisus, quendam insolentem hominem, Alcandrum nomine, alterum oculum Lycurgo eruisse, posteaq; Lycurgum in ejus calamitatis memoriam templum statuisse, quod *Optiletim* vocavit. Pausaniæ communi Græcorum Dialecto Ὀφθαλμίτις nuncupatur.

Opuntius, nomen cujusdam luci Athenis, quem bis Aristophan. *Avibus* traducit, cui ob rapacitatem & mores incommodos *Corvus* nomen inditum.

Opus, *puntis*, civitas Locrorum Epicnemidiorum, non procul ab Asopo fluvio. Olim Episc. sub Archiepisc. Atheniensi. Strabo. Plin. Ptolem. Ovid. *Ponticorum lib.* 1. *eleg.* 4.

Cæde puer factâ Patroclus Opunta reliquit.

Hinc *Opuntius*, ut *sinus Opuntius* in Ægæo. Et *Opuntii* opp. Phocensibus Bœotis finitimi. Ab *Opoente* quodam Eleo dictam volunt. Dicitur etiam *Opois*, teste Vadiano. Sic Orpheus *in Argon.* passim Ὀπόεις, Ὀπόεντα extulit, quæ vox vel *succulentum*, vel *foraminosum* signif. Baudrando urbs fuit Opuntiorum in Bœotia, 55. mill. pass. à Chalcide in Circ. uti 15. ab ostiis Cephissi fluvii totidemque ab ora Eubœæ.

O Q.

Oquia, insula parva Japoniæ, in ora Bor. Niphoniæ insulæ cum oppido cognomine, Brietius.

O R.

Or, (vide *Horeb.*) mons Arabiæ petrææ, Petræ urbi proximus, in finibus Sodomorum.

Ora, vulgo apud Curt. 8. 56. *Nora*, Indiæ urbs ab Alexandro expugnata, Arrianus. Circa Indi partes superiores. Carmanniæ, Ptolemæus.

Ora Aurea, vulgo *la Coste d'or*, Gallis: *Goud Cust*, Batavis, ora littoralis Guineæ regionis in Africa. Extenditur ad 130. leucas inter oram dentium ad occasum & fluvium *de la Volta* dictum. Sed

per

per terras longè lateque extenditur; estque Guineæ pars præcipua. In ea sunt regna Asbinum, *Asbin*, Aximum, *Axime*, Commendum, *Commendo*, Fetum, *Fetu*, Acancum parvum, *Acanes peti*, Sabum, *Sabou*, Fantinum, *Fantin*, & Akara, *Akara:* quæ omnia jure clientelari pendent à Rege Acanao majori, qui *Akim* dictus, valde potens est; & ejus urbs præcipua 60. leucis Gallicis distat ab arce S. Georgii de Mina in Boream. In ora autem littorali sunt plurimæ arces Europæorum.

Arces Europæorum in ora Aurea Guineæ:

Arx S. Georgii de Mina, *la Mine*, in ditione Holandorum.
Aximum, *Axime*, Holandorum.
Botrum, *Botru*, Holandorum.
Caput Corsum, *Capo Corso*, Anglorum.
Christianoburgum, *Christiansbourg*, Danorum.
Cormentinum, *Cormentin*, Holandorum.
Eniachamum, *Eniacham*, Anglorum.
Fridericoburgum, *Friderichsbourg*, Danorum.
Moura, seu Nassovia, *la Moure*, Holandorum.

Ora dentium, vulgò *Coste des dents*, Gallis, *Quaquacust*, Holandis, ora Guineæ regionis, in Africa, sic dicta, quòd in ea reperiantur innumeri dentes Elephantium. Per 80. leucas Gallicas extenditur ab occasu in ortum, nempe à promontorio Palmarum, ubi desinit ora *Malaguettæ*, ad fluvium Asenum, ubi incipit ora Aurea. In ea nulla urbs alicujus momenti, sed tantùm aliquot portus & pagi multi.

Ora dives, vulgò *Costa Ricca*, provincia Americæ septentrionalis, in nova Hispania & in Præfectura generali Guatimalæ, inter utrumque mare Boreale & Austrinum, atque inter Veraguam provinciam ad ortum & Nicaraguam ad occasum; subestque dominio Hispanorum, qui in ea habent urbes Carthaginem, *Cartago*, Castrum Austriacum, *Castro d'Austria*, & Nicoiam, *Nicoia*.

Ora Piscaria, vulgò *la Coste de la Pescherie*, tractus Indiæ intra Gangem, in ora sinus Gangetici, inter promontorium Comorinum ad austrum & Negapatamum ad Boream, in ditione Principis Maduræ, è regione Ceylani insulæ. Vide *Piscaria ora*.

Oraba, Osroenæ reg. urbs, Lib. Not.

Oræa, Pausan. regiuncula Peloponnesi, circa Trœzen urbem Argiæ in ora ad ortum vergens. Cujus meminit Stephan. Postea *Anthia*, Paulus *in Corinth*.

Oraculum Dianæ, Ptolem. fuit in ora Arabiæ felicis ad ortum, inter sinum Sachalitem & Persicum, haud procul à Didymis montibus, & Corodamo promontorio.

Oracula alia olim memorata: de quibus Plutarchus & Lucianus in Pseudomante.

Ammonis, *vide* Hammonis.
Branchidarum, quod & Milesium, *vide ibi*.
Chrysopolitanum, in Bithynia apud Chalcedonem.
Clarium, in Jonia apud Colophonem, ex quo Apollo Clarius dictus est.
Delium, in Delo insula, ubi Apollo responsa dabat.
Delphicum, apud Delphos urbem Phocidis, omnium Apollinis celeberrimum.
Dindymæum, in Phrygia, ubi Cybele consulebatur.
Dodonæum, apud Dodonam urbem & sylvam Epiri, ubi Jovis Vates dabant responsa.
Hammonis, in Marmarica, ubi Jupiter formâ hirci colebatur, & responsa dabat.
Milesium, in Joniæ & Cariæ confinio, apud Miletum urbem, quod & Branchidarum.
Malli, in Cilicia, *vide* Mallus.
Pataræum, apud Pataram urbem Lyciæ, seu in ora Pamphyliæ.
Pellæum, apud Pellam urbem Macedoniæ, teste Luciano, sive apud alios in Pelethronia regione, ad Pelii montis radices, ubi in dracone Æsculapius dabat responsa.
Phaselidis, urbis littoralis Ciliciæ, ubi consulebatur Apollo.
Sinopæum, apud Sinopen urbem Paphlagoniæ.
Urii Jovis in Bithynia, idem quod Chrysopolitanum, ut videtur.
Fuere & alia: sed prædicta clariora.

Orani, gens in Sarmatiâ Asiaticâ, Plin.

Oranum, vulgò *Orano* Hispanis, *Oran*, Gallis, urbs parva Barbariæ, cum arce probè munita, in ora maris Mediterranei & in regno Algerii, sub dominio Hispanorum ab anno 1509. quo capta fuit à Cardinali Ximenio; estque in colle aspero, portum habens satis capacem & tutum. Dicta fuit aliàs Quisâ, & nunc *Guharan* incolis illius tractus; estque sub Diœcesi Toletana, quanquam longè à Toleto dissita in Meridiem.

Orata, cognomen Sergii cujusdam, de quo Cicer. *in libris de Oratore*.

Oratus, fluvius Scythiæ Europææ, in Pontum Euxinum influens, Ovid.

Oratha, urbs fuit Mesopotamiæ, teste Stephano. Urbs Messenes, Tigride fluv. inclusa, Idem. Cujus tamen hodie nulla fit in tabulis Geographicis mentio.

Oratianus, Consul cum Gadalaipho, An. U. C. 1119. Lege *Gratianus*.

Oratorium, urbs Galliæ, in Marchia, ad Sevam amnem, 9. leuc. à Lemovico in Bor. Pictavium versus, à quo 13. leuc. distat, 2. à Belaco; *Dorat*.

Oratorium, Congregatio sacra, in Commun. Rom. à Philippo Nerio Florentino, Romæ, instituta, & approbata à Gregorio 13. An. 1575. à Paulo 5. confirmata, An. 1612. Hinc Cardin. Baronius, inter alios prodiit. Item alia Congregatio, quæ JESV nomen gerit, in Gallia, à Cardin. Berullo fundata, An. 1611. confirmata à Paulo 5. An. 1613. in Gallia & Belgio crevit. Inter alia, vacant erudiendæ Juventuti, in Collegiis: Clericis instruendis, in Seminariis, & populo docendo in templis. Vide Moretium, *in Diction. Histor.*

Oratorius, Alemannorum rex, A. U. C. 1109.

Oraxus, Ortel. *Astruno*, fons Campaniæ ad Leucogæum collem, inter Neapolim & Puteolos oculis, dentibus & ulceribus salutaris, Plin. 18. 11.

Orba, fluv. Helvetiæ, cujus mirabilis admodum est ex lacu Juriensi exitus. Cùm enim ex illo lacu, per subterraneos meatus & cavernas nemini visus effluat, tandem, post longum satis intervallum, ex rupe erumpit, non procul à pago *Vallorbe*, Joh. Baptista Plantinus *in Helvetia nov. antiq.*

Orba, vide *Verbigenus*.

Orbana, Dea quæ Romæ ad ædem Larium Aram habuit, Plin. *lib. 2. cap. 7.* Lege *Orbona*. Arnobius: *Orbona Dea in cujus tutelâ erant orbati liberis parentes.*

Orbanassa, Pamphyliæ urbs, Ptolemæo.

Orbas, fluv. Phrygiæ, circa Celænas.

Orbelia, regio Macedoniæ, ab *Orbelo* monte, qui eam à Mœsiâ dirimit, & cum Hæmo connectitur, in limite Thraciæ, cujus meminit Plin. 4. 10. *M. Caropnitze*, teste Lazio.

Orbesiona, Armeniæ min. reg. Ptol.

Orbetellum, vulgò *Orbitello*, oppidum munitum Italiæ, in Hetruria & in territorio Senensi, intra stagnum cognom. prope oram maris Tyrrheni, & ad radices montis Argentarii; subestque dominio Hispanorum cum ditiuncula adjacente. Distat 35. mill. pass. à Centumcellis in occasum, & 50. ab Ilua insula in ortum; pendetque in spiritualibus ab Abbate Trium Fontium, ad Aquas Salvias, prope & extra Romam. Fortiter restitit Turcis sub Carolo 5. & Gallis, An. 1646. Notandum est Orbetellum fuisse aliàs sub dominio Reipublicæ Senensis. Sed ex quo Sena cessit magno Duci Hetruriæ, Hispanus retinuit Orbetellum cum oppidis Telamone, Portu Herculis, Portu S. Stephani & Monte Argentario; eaque præsidiis & arcibus munivit: unde tractus adjacens in orâ maris Tyrrheni dicitur *Stato delli presidii* ab incolis.

Orbilius, Beneventanus Grammaticus, militiam primò secutus, dein tempore Ciceronis profitebatur, vir acer in discipulos, ac *plagosus* propterea ab Horatio dictus, scripsit varia. Vixit propè ad centesimum annum, amissâ jampridem memoriâ, relicto ex sese Orbilio, & ipso Grammatico. Tranquillus, *de claris Gramm.*

Orbiniacum, vicus est Turonum, in horum Biturigumque confinio, 2. plus minus leuc. à fluv. Caro, vulgò *Orbigni*. Greg. *sub finem. Hist. Fr.* Ei proximum est Cerate, vulgò *Ceray*: nec procul Tauriacum, vicus Turonum, nunc *Truje*, inter Andriam & Carum amnes, situs. Hadr. Valesius, *Notit. Gall.*

Orbis Terræ, seu *Mundus*, vulgò *le Monde ou la Terre universelle*, dividitur in antiquum orbem seu ab antiquis cognitum, & novum seu recèns detectum. In orbe antiquo sunt tres partes, nempe Europa, *l'Europe*, quæ minor est, sed magis populosa & culta: Africa, *l'Afrique*, quæ Europæ subjacet, & ab ea Mediterraneo mari dirimitur, per Æquatorem secta, & Asia, *l'Asie*, nobis aliquando *le Levant*, quę Europæ & Africę subtenditur. In orbe novo seu recèns detecto est America, *l'Amerique*, quæ duplex est, nempe America septentrionalis, quæ aliquando Mexicana dicitur ab ejus urbe præcipua, & America meridionalis, quæ etiam Peruviana dicitur. Præter has quatuor orbis partes sunt etiam duæ aliæ, nempe terra Arctica seu Borealis incognita, *la terre Artique*, in qua nova Zemla, Gronlandia, seu Terra Viridis, & Spitzberga, seu regio Montium Acutorum, cum aliis multis sinubus & fretis; & terra Antarctica seu Australis, incognita, *la terre Australe*, in qua nova Holandia, nova Zelandia; terra Concordiæ & Magellanica, cum multis insulis & regionibus ad austrum extensis: de quibus, sicuti de Arcticis, pauca aut nulla sunt dicenda; & de his ultimis partibus nondum constat, quæ sint orbis antiqui, & quæ partes orbis novi; sed tantùm dignoscitur orbis partes esse sex, nempe Europam, Asiam, Africam, Americam, terras Arcticas, & terras Antarcticas.

Orbis novus, vulgò *le nouveau Monde*, pars orbis amplissima recèns detecta, nempe An. 1492. à Christophoro Columbo Genuensi. Dicitur aliter Indiæ occidentales, *les Indes occidentales*, seu melius America, *l'Amèrique*. Ejus pars Borealis, versus Grœnlandiam, Islandiam & Finlandiam, casu à piscatoribus Hollandis inventa, & oblivioni tradita, coli rursus cœpta est, An. 1390. Ortel. *in Theatr.* Vide *America*.

Orbita, Indiæ populi, Stephan.

Orbitum, vide *Oropitum*, & *Herbanum*.

Orcades, insulæ maris Caledonii, Scotiæ ad Bor. adjacentes, inter illam & Norvegiam, numero 40. Plinio; 30. verò Pomponio, ab He-

ab Hebudibus 5. dierum navigatione in Ort. distantes. Magnæ Britanniæ regi parent, à Danis oppignoratæ, quorum rex Canutus illas, cum Islandia, sibi subjecit, An. 1062. Saxo Gramm. *lib.* 11. *Orkney* Camdeno. Juven. *Sat.* 2.

—— —— Arma quidem ultra
Litora Juvernæ promovimus, & modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.

Claudianus, citante Ferrario,

Orcades; incaluit Pictorum sanguine Thule.

Extenduntur à Sept. in Merid. Harum 11. majores insulæ sunt Pomonia, *Mainland*, præc. Hoya, Ranalsa, Merid. & Bor. Siapinsa, Rasa, Flotta, Westra, Eda, Sandia, & Stromza. Haud pridem Ducali tit. insignitæ. Suntque in his tantùm aliquot castra, cum opp. *Kirkual*, in Pomonia. A Scotia Pictico freto divisæ, Baudrand. In his neque serpens ullus, neque aliud veneno infestum animal vivere potest: incolæ bibones insignes & vivaces, medicinæ usum ignorant, Camden. *descr. M. Britannia.*

Orcas, vide *Tarvidum.*

Orcelis, vulgò *Horiguela*, teste Clusio. *Oribuella* aliis, urbs Bastitanorum in Hisp. Tarrac. ad Taderum fluv. Ptolem. In regno Valentiæ, 4. leuc. infra Murciam in Ort. 9. ab Alonis in Occ. uti 5. ab ora sinus Illicitani, 24. à Valentia. Satis parva paucisque habitata, Baudrand.

Orcka, Babyloniorum urbs, Ptolem. *Urchao*, aliis dicitur. *Ur Chaldæorum*, in sacris literis, patria Abrahami.

Orchalis, tumulus Bœotiæ in finibus Haliarti ad Heliconem vergentibus, qui postea *Alopecos* dictus fuit, Plut. *in Lysandro.*

Orchanis, Turcarum Imper. Prusiam Græcis Imperatoribus ademit, An. D. 988.

Orchanes, seu *Urchanes*, filius minimus Ottomanni, duobus fratrum victis, Imper. Turcarum factus: in Mysia, Phrygia, Lycaonia, Lydia, Caria, &c. feliciter res gessit. Nicæam, Nicomediam aliaque magni nominis loca cepit, socero Caramaniæ Regi, & Impp. Græcis formidabilis. Obiit Ann. 1359. Hegiræ 760. Imperii 32. ætat. 80. Chalcondylas *Histor. Turc.* Leuncl. *in Pandect. Turc.*

Orchamus, Assyriorum Rex, Achæmenidis filius, qui ex Eurynome conjuge Leucothoen filiam suscepit, quam postea vivam defodit, quòd cum Sole concubuisset. Domitius *in Comment. in Ibin Ovidii*, & Ovidius ipse *Met.* 4. Lege *Orchamus.*

—— Leucothoe multarum oblivia fecit;
Gentis odoriferæ quam formosissima partu
Edidit Eurynome, sed postquam filia crevit,
Quàm mater cunctas, tam matrem filia vincit.
Rexit Achæmenias urbes pater Orchamus: isq;
Septimus à prisci numeratur origine Beli.

Et paulo pòst:

—— Ille ferox immansuetusq; precantem,
Tendentemq; manus ad lumina Solis. &, Ille
Vim tulit invita, dicentem, defodit altâ
Crudus humo; tumulumq; super gravis addit arenæ.

Orcheni, secta quædam Astronomorum Chaldæorum. Item, pop. Arabiæ des. Ptolem.

Orchestena, prov. Armeniæ maj. Strab.

Orchianum, seu *Vitorchianum*, castrum Hetruriæ, in ditione Pontif. in prov. Patrimonii, 6. mill. à Viterbio in Cæc. Polymartium versus.

Orchimus, filiam habuit Cydippen, Stephanus in *Lindo.*

C. Orchius, Tribun. plebis, tertio ante anno quàm Cato Censor fieret, legem tulit de Senatus sententiâ, quæ dicta est *Orchia*, quâ præscribebatur numerus convivarum, Macrob *Sat.* 3.

Orchoe, vide *Orche.*

Orchomenus, sive *Orchomenum*, opp. geminum; unum Bœotiæ inter Elateam ad Septent. & Coroneam ad Merid. proximas urbes, adhuc *Orchomeno* dictum: ubi templum Charitibus, hoc est, Gratiis dicatum erat: olim ditissimum, ac potentissimum, cui Thebani tributa pendebant. Hujus solum à talpis ferme evertebatur, authore Plinio. Nunc tantùm castrum est *Orcomeno*, in Stramulipa prov. Livadiæ, sub Turcis. Alterum in Arcadiâ inter palustria & paludosa loca, Mantineæ urbi proximum. Est & *Orchomenus* fluv. Thessaliæ, *Minyejus* ante, postea *Minterius* dictus, teste Strabone, cum opp. cognomine. Hom. *Iliad.* β.

—— —— Οἱ δὲ
Ἀσπληδόνα ναῖον, ἰδ' Ὀρχομενὸν Μινύειον.

Ubi Schol. Τὸν ἐν τῇ Βοιωτίᾳ λέγει Ὀρχομενὸν, τὸν ὑπὸ Μινύου βασιλευθέντα, τὸν ὀνομασθέντα ἀπὸ Ὀρχομενοῦ τοῦ Διὸς υἱοῦ, καὶ Ἑρμίππης τῆς Βοιωτοῦ. Παραρρεῖ αὐτὸν ποταμὸς Μινύας, ἀφ' οὗ Μινύαι ἐκλήθησαν οἱ τὴν χώραν κατοικοῦντες. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Ὀρχομενὸς τῆς Ἀρκαδίας, ὃν πολύμηλον καλεῖ ὁ Ποιητὴς, καὶ ἕτερος τῆς Θετταλίας. Ovidius *Metamorph.* 6.

Orchomenosq; ferax; & nobilis ære Corinthus.

Statius *Theb. lib.* 4.

Dives & Orchomenos pecorum, & Cynosura ferarum.

Hesychius. Ὀρχομενὸς, πόλις Βοιωτίας, ἣν Μινύειον καλοῦσι.

Orcus, Molossorum Rex, anno fere ante Rom. conditam 717.

Orcus, Thessaliæ fluv. è Stygiâ palude profluens, aquis adeò pinguibus, ut Peneo fluvio, in quem illabitur, olei in modum supernatet. Hinc factus est locus fabulæ, ut Orcus Inferorum fluvius esse dicatur, cujus apud Deos sanctissimum semper habitum sit juramentum. Apud Hesiodum vulgò legas Ὅρκον τινυμένας. Ubi Interpp. *Perjurium vindicantes.* Quis verò unquam audivit ὅρκον esse perjurium? Sanè in MS. (notante Grævio) legitur. Ὅρκον γεινόμενον, *Orcum natum*, Et sic legisse videtur Virgilius, *Georg.* 1.

—— Quintam fuge; pallidus Orcus
Eumenidesq; satæ. —— ——

Ubi Servius, *Hesiodus Orcum quintâ Lunâ dicit natum.* Ex Celso quoque tradit, Orcum esse jurisjurandi Deum, pallidum dictum, quia jurantes trepidatione pallescant. Apud Orcum enim defunctas animas jurare, ne quid suos, quos in vitâ reliquerunt, contra fas adjuvent. *Orcus* autem Latinis est Pluto, summus inferorum Deus. Cic. *in Verr. Ut alter Orcus venisse Ætnam, & non Proserpinam, sed ipsam Cererem rapuisse videatur*, hoc est, alter Pluto. Plautus *in Pœnulo: Quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiserit.* Nonnullis tamen Charon est. Glossæ Philoxeni. *Orcus*, Χάρων. Quin & Sil. Italicus Cerberum *Orcum* vocat:

—— Illatrat jejunis faucibus Orcus,
Armenti quondam custos immanis Iberi.

Ut veteres videantur omnibus inferis tribuisse nomen *Orci*, quod à Græcis illos accepisse certum est, qui Ὅρκον vocarunt sepulchrum, ut benè observat maximus Scaliger ad Varronem ex Menandro. Vide Grævium *ad Hesiod pag.* 91.

Orcynia, locus Cappadociæ, ubi Eumenes ab Antigono victus, Plutarchus.

Orcynium, Lesbi mons. Theophrastus, *Ordrymnus* Plinio, & *Ordunum* vocatur.

Ordæa, urbs Macedoniæ, Stephan.

Ordalium, vox medii ævi, ab *Or* id est, magnum, & *dael*, id est, judicium. Judicium fuit ferri, aquæ, ignis, duelli, &c. in German. Angliæ, Gallia, &c. frequens priscis temporibus: Duodecim igniti vomeres *Ordalium* apud Græcos fuerunt. Unde Ludovicus Ludovici Regis filius, decem homines cum aqua calida, decem cum ferro calido, & decem cum aqua frigida ad judicium Dei, de Lotharingia cum Carolo Calvo disceptans, misit, qui omnes illæsi reperti sunt, A. C. 876. Liber autem per ferrum candens, rusticus per aquam, jus suum probare solitus erat. Vide Aimon. *lib.* 5. *c.* 34. Sigebert. *ad An.* 966. inprimis Spelmannum *in Glossar. Archaol.* qui formam judicii per *Ordalium* prolixè exequitur, atque Exorcismos Aquæ, adjurationem Ferri, Panis item ordeacei & Casei ex antiquitate diligentissimè eruit. Cæterùm Belgic. *Ordeel*, Germ. *Urtheil*, idem cum *Ordalio* videtur, nisi quòd illa in genere quodvis judicium significent.

Ordesus, Sarmatiæ Europææ urbs, ad Axiacen fluv. Item fluv. ingens, qui Istro miscetur, Herodot.

Ordonius I. Legionis & Asturiæ Rex, post patrem Raimirum 1. An. 850. A Toletanis, contra Saracenos rebellantibus, in auxilium vocatus, post res parum prosperè gestas, obiit An. 862. Ex Nunnia, Alphonsi 3. Garciæ, *Ordonii* 2. & Froilæ, parens.

Ordonius II. Almansorem Maurorum Principem ingenti prælio vicit, cæsis hominum 70000. Obiit An. 923. pater Alphonsi 4. qui à Froila patruo regno exutus est, donec post 14. menses, illud obtinuit, usque ad An. 931. quo Raimirus 2. frater, illo in monasterium detruso, regnare incepit, usque ad An. 950.

Ordonius III. hujus filius successit, perpetuo cum subditis bello implicitus.

Ordonius IV. Malus, filius Alphonsi 4. usurpavit regnum, An. 955. paulo pòst pulsus à Sanctio 1. filii Raimiri 2. fratre Ordonii 3. Vasæus, Turquetus, Mariana *Hist. Hisp.*

Ordovica, populus Albionis in orâ ad Ort. quorum urbs *Bervicium*, *Bervvick*, vel *Barvvick*, in Scotiæ Angliæque confinib. teste H. Boethio,

Ordovices, popul. Albionis, quos Lhuydus Cestrienses. & Salopienses in Angliæ Walliæque confinio, ac Lancastrenses esse putat. Aliis sunt in Comit. Montis Gomerici, in Merviniâ & Arvoniâ, in agro Denbighens. & Flintensi. Quibus addit Camdenus Monam insulam. Baudrando fuerunt, ubi nunc Wallia Bor. Habebant ad Or. Comavios, ad Merid. Demetos, ad Occ. & Boream mare Hibern.

Ordovicum, mel. *Nordovicum.* Vide ibi.

Ordunia, opp. Biscajæ, versus montes, 9. leuc. à Flaviobriga in Mer. 5. ab ora Oceani Cantabr.

Oreades, Nymphæ montium, ἀπὸ τοῦ ὄρους, quod *montem* sign. Virgil. ubi de Diana,

—— Quam mille secutæ
Hinc atq; hinc glomerantur Oreades.

Ovid. *Metam. lib.* 8.

Talibus agrestem compellat Oreada dictis.

Oreb, Ebr. חורב, Latine, *desertum*, vel *solitudo*, sive *destructio*, aut *siccitas*, aut *gladius*, mons in des. Madianitarum, Psal. 106. qui *Sinai* aliàs dicitur, in quo data fuit lex Mosi. Est & nomen petræ. Exod. *cap.* 17.

Oreb, Ebr. עורב, Latinè, *corvus*, *suavis*, aut *fidejussor*; vel *commiscens.*

mistrum, aut vespertinus. Vir Midianita cum Zebo à Gideone interfectus. Jud. 7, Psal. 83. Jos. *lib. 5. cap.* 8.

Orobatis, urbs Persidis in mediterraneis, Ptol. Vide *Obroatis*.

Orebites, Hussitarum quidam dicti, Æn. Sylv. *Hist. Boh cap.* 43.

Orebroa, seu *Orebrogia*, parva & unica urbs Nericiæ, in Suecia prope Melerum lac. 4. leuc. Suec. ab Arboga in Occ.

Oreges, unus ex colliculis Imai montis, Plin. 5. 15.

Oregrunda, oppidum Uplandiæ in Suec. cum portu in ora sinus Bothnici, e regione *Grisson* insulæ, 7. leucis Suecicis ab Upsalâ in Ortum.

Oreine, insula in fin. Arabico, Arrian. in Periplô. *Maczua* fortè hodie, Ramusio teste.

Orelhanus, seu fluv. Amazonum, in Amer. Merid. inter Guajanam, & Brasiliam.

Orelacum, urbs Alverniæ super. ad Jordanum fluvium. Vide *Aureliacum*.

Oremius Nicolaus, Papam Antichristum esse docuit, eodem tempore, quo Johannes de Rupescissa, Franciscanus, Apocalypsin contra Papas exposuit: in Galliâ. Jussu Caroli 5. Regis Biblia sacra in linguam vernaculam convertit, sec. 14. Mornæus *in myst. iniq.* Joh. Balæus *lib.* 6. *&c.* Vide quoque, in voce *Nicolaus*.

Orenæ, pop. Celtiberiis proximi ab austro.

Orenocus, fluv. ingens Americæ Mer. aliter *Paria*, seu *Yuyapari* incolis. Recipit fluv. plures, & regionem Pariani à Gujana separans, in mare Bor. se exonerat latissimo ostio, ubi plurimæ insulæ & prope Trinitatis insulam.

Orephanta, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol. *Rotas* Castaldô.

Oreos, urbs Eubœæ. Gentile *Orites*. Steph.

Orosiesis, vel *Oriesius*, Eremita Ægyptius, sec. 4. Scr. *regulam de Instit. Monachorum, &c.* Morer. *in Dict. Hist.*

Oresitrophus, unus ex canibus Actæonis ἀπὸ τῶ ὄρεων, καὶ τρέφειν, quasi *in montibus educatus*. Ovid. *Met.* 3.

—— *Oresitrophus basis in armo.*

Oresta prius dicta est *Hadrianopolis*, ab Oreste condita.

Orestæ, Epiri pop. Molossis finitimi, ab *Oreste* sic dicti, qui cum insania liberaretur, & præ pudore cum Hermione & Oreste filio fugeret, in hanc terram pervenit. Strabo, Plin. Luc. *lib.* 3.

Tum furor extremos Romanus movit Orestas.

Baudrando pop. fuere Macedoniæ, versus mare Adriat. inter Elymiotas ad Bor. & Epirum ad Mer. à qua dirimitur Acroceraunits montibus. Eorum urbs fuere *Orestia*, quæ forte *Argos Oresticum*, sed situs ignoratur & Amantiæ duæ urbes, una ad Mare; altera in Mediterran.

Orestæ, populus Asiæ in Gedrosiâ, ultra Carmaniam, *Oritæ* Straboni.

Oreste, urbs quædam, cujus Hecatæus in Europâ meminit, Steph. [illegible]chius O'ρέστη, χωρίον Εὐβοίας.

Orestes, Agamemnonis & Clytemnestræ filius; cui soror Electra necem parari ab Ægystho, qui patrem Agamemnonem interfecerat, matremque constupraverat, prævidens, ipsum per pædagogum in Phocidem clam ablegat, ad Strophium Phocensium principem, qui Agamemnonis sororem duxerat. Illic 12. annos moratus cum pædagogo suo Argos rediit, ubi, sub specie hospitum Phocensium, quos Strophius miserat, ut Orestis obitum nunciarent, [illegible] missis ad Clytæmnestram, eam cum Ægystho adultero, con[silio] [E]lectrâ, in ultionem patris occidit. Deinde Pyrrhum quoque, Macar[e]i sacer[d]otis ope, in templo Apollinis interfecit, eo quod Hermionem, Menelai filiam, sibi prius desponsatam, rapuisset. Propter quæ scelera furiis agitatus est, quibus non antè purgari potuit, quam ad aram Dianæ Tauricæ à Pylade perductus, perpetrata facinora expiasset. Obiit, magnâ cum Pylade familiaritate contractâ, An. M. 2948. regni 70. Pater Tisamenis, Penthili & Cometis, successorum. Vellejus Paterc. *lib.* 1. Pausan. *in Messen.* Euseb. *in Chron.* A'πὸ τῶ ὄρεος, id est, *à monte* dictus est, vel ob magnam & monstrosam corporis magnitudinem, quod septem cubitos longitudine æquasse Herodotus & Solinus prodiderunt; vel, ut immanes ac feros ejus mores exprimerent, id quod Eusebius vult, *Præp. Evang. lib.* 4. & ante Eusebium Plato. De furore ejus multa Sophocles, in *Electrâ*, Euripides; in *Oreste*, Valer. Flaccus *lib.* 7. & alii authores. Virgilius,

—— *Scenis agitatus Orestes.*

Juv. Sat. 1. *Nec dum finitus Orestes*; scil. fabula de Oreste. Probus [ref]ert, diu illum hoc furore vexatum didicisse tandem ex responso, non prius se liberatum iri, quàm flumine esset abluitus, quod septem fluminibus confunderetur; atque ita tandem in Rhegini [illegible] purgatum ad pristinam mentem rediisse; cujus & V[arro] meminit, *Rerum Humanarum lib.* 10. Neronem etiam de Or[este] [illegible] cantasse, idque in scenâ, apud Suetonium lega[s]. [illegible] *Oræsteæ*, ut *Orestea Dea* apud Ovid. & *fides Orestea* apud Cla[udianum]. Vide *Pylades*, & *Iphigenia*.

Ores[illegible] quidam prædator nocturnus, qui, dementiæ [illegible] deprehensus diripiebat. Vide Aristophan. *Achar.* [illegible] p. 426. *A.*

Orsites, inter duces Alexandri Magni. Curt. 4. 108.

Orestes, Archelai Macedoniæ regis filius, qui, patre à Cratero [occ]iso, impubes regnum adeptus est, sed, perfidiâ tutoris Aeropi, è medio sublatus, percussori suo in sexennium vacuam dominationem fecit.

Orestes, Præfectus urbis, circa An. C. 423.

Orestes, Patricius & Magister militiæ, sub Nepote Imper. throno inhians, Ravennam venit, ibique fil. Romulum Augustulum Imperatorem proclamavit, An. 475. Ab Odoacro, Placentiæ, occisus, Paulo fratre victo, & Augustulo in exilium pulso. Cassiodor. *in Chron.* Jornand. Paulus Diac. Procopius, &c.

Orestes, Præfectus Sardibus, sub Magorum imperio. Postea jussu Darii Histaspis interfectus. Is Polycratem Samiorum tyrannum in crucem egit.

Orestes, Consul cum Lampadio, An. U. C. 1283.

Orestes, cognomen familiæ cujusdam, de gente Aufidiâ, apud Romanos. Item, Patr. Hierosolymitanus, An. C. 1006.

Oresthasion, urbs Arcadiæ, ab *Orestheo*, Lycaonis filio, Stephan. ex Pausaniâ. Postea *Orestium* dicta.

Oresti, pop. Scotiæ. Vide *Horesti*.

Orestia, urbs Orestis, in monte supra Macedoniam eminente, in quâ natus est Ptolemæus Lagi filius, primus Ægypti rex. Alia est Arcadiæ. Steph.

Orestiades, vide *Hecatontachiria*.

Orestion, locus Arcadiæ, ubi Orestes ab Echidna morsus interiit, Steph. eadem cum *Oresthasio*.

Orestis portus, apud Plinium est in orâ Calabriæ ulterioris. *Porto Ravaglioso*, teste Barrio. Item reg. Macedoniæ, Ptolemæo, (& opp. ejusdem reg. Livio) quæ *Orestias* Straboni, in quâ Amantia opp. Ptolem. quod *Orestia* Stephano, & *Orestis* Livio dicitur, cujus populi *Orestæ*, Plin.

Oresundicum fretum, maris Baltic. inter Scaniam ad Ort. & Selandiam ad Occ. ubi naves Daniæ Reg. tributum solvunt, in singulos malos. Valde restrictum est, inter Coronæburgum & Elsingoburgum. Adjacent ei Haphnia, Malmoa, aliæque urbes, vulgò *Sund*. Vide *Sundicum fretum*.

Oretæ, pop. Sarm. Asianæ ad mare Euxinum, inter Cercetios, & Achæos incolentes. Dionysius,

—— Καὶ οἱ πὰρ Εὐξείνοιο
Κερκέτιοι τ' O'ρεῖται τε, καὶ ἀλκήεντες A'χαιοί.

Ita vulgò quidem locus iste legitur. Atqui *Oretarum* nomen alibi, ni fallor, non invenitur. *Toretas* hic locat Plinius Cercetis propinquos, in promuntorio quodam, quod etiam *Toreticum* Ptolemæus vocat. Stephano quoque Τορέται ἔθνος Ποντικὸν dicitur. Eadem etiam gens esse videtur, quos *Toreatas* nominat Mela, sed Mæoticæ, non Ponticæ, oræ incolas, quos etiam Mæoticis gentibus annumerat Strabo, *lib.* 11. Ut dubitari possit, an utrumq; mare eorum fines attigerint; an à Mæotide ad Pontum demigrarint. Extra dubium verò est (inquit Montanus) hic legendum esse Κερκέτιοι Τορέται τε, quamvis Eustathius O'ρεῖται legerit.

Oretani, pop. Hispan. Tarraconensis, quorum regio *La Mancha* in regno Castellæ novæ. Plinius eos *Germanos* cognominat. Eorum urbs Ptolemæo *Oretum Germanicum* vocatur. *Calatrava* hodie, teste Clusio. *Oreto* verò Morali, ab Almagro (ex ruinis Oreti extructo, vel aucto, ut Vetus Inscriptio indicat) 4. leuc. recedens apud Anam fluv. long. 16. 30. lat. 39. 15. Baudrando fuere, ubi nunc prov. *La Mancha*, & pars Occ. prov. *La Sierra*.

Orethus, fluvius Siciliæ apud Panormum, *Fiume della Muraglia* Leandro. Victoriâ Metelli adversus Hasdrubalem Carthaginensem memorabilis. Baudrando etiamnum *Oreto*, in ora Bor. Oritur ex montibus, & post cursum 8. m. p. 1. mill. à Panormo ad Ort. in mare Tyrrh. se exonerat.

Oretum, vide *Oretani*.

Oreum, Eubœæ insulæ urbs, Plin. in ora maris Ægæi, 50. m. p. à Chalcide in Bor. *Horæus*, Ptolemæo vocatur. Pausanias tradit, eàm quoque *Istiæam* vocatam. Thucydides *Hestiæam* legit. Camerarius, *in suis Homericis Commentariis*, dicit, eam prius *Talentiam* dictam. Stephanus *Histiæam* scribit, & suô tempore Oropum nuncupatam addit. *L'Oreo* hodie Sophiano, opp. tenue, Baudr.

Oreus, Liber Pater dictus est à *montibus*, in quibus ei fieri sacrificia solebant.

Orexartes, vide *Jaxartes*.

Orga, Strabon. *Orgas*, fluvius Phrygiæ magnæ, in Mæandrum, apud Apameam, influens. Variè ab Urbibus, quas irrigat, hodie dicitur.

Orgalema, urbs juxta Istrum, Stephan.

Organa, Minerva sic dicta. Hesychius, O'ργάνη ἡ A'θηνᾶ, ἢν καὶ E'ργάνην, ἀπὸ τῶν ἔργων λέγουσι.

Organa, insulæ Arabiæ Fel. adjacens, Ptol. Arriano autem insula est in sinu Persico. *Ormus* hodie, ut putat Ferrarius, vel alia insula non longè distans. *Tyrrhina* Straboni vocatur. *Cuove* vulgò & *Alchosam* Arabibus nominari vult Thevetus. Idem etiam (viderit ipse quàm benè) *Serapidis insulam* putat. Baudrando insula est Arabiæ fel. in ora, in mari Arabico, extra fauces sinus Persici, & extra trajectum ex ea in Carmaniam. Nunc *Mazira*. Oblonga est, vix 30. m. p. ab ora Arabiæ, 140. à Corodamo prom. in Afr. 300. ab Armuzia in Merid.

Orgas, vel *Orga*, Phrygiæ magnæ fluv. in Mæandrum apud Apameam urb. influens, Strab. Plin.

Orgasi, Scythiæ intra Imaum pop. Ptol. *Organæi* Nigro.

Orge, *Sulgas* Straboni, melius *Sulga*. *La Sorgue*, teste Jo. Poldo, fons & fluviolus Gall. Narbon. in Provinciâ, in Comit. Vindaxino. Oritur è fonte Vallis **Clusæ**, *Vaucluse*, & in Rhodanum se exonerat supra Avenionem. **Vide** *Sulga*. *Sorge* legendum apud Plinium videtur, de quo vide **mirum apud illum**, *lib. 18. cap. 22.* Nam in eo herbæ quædam nascuntur, quas boves avidè, capite in aquam merso, decerpunt & edunt, quas tamen certum est, non nisi imbribus ali. Hadriano Valesio, videtur esse *Fons-Asiorgue*; aliàs *Font-Esiorgue*, in tabb. Geogr. unde Lertius, *le Lers*, oritur, qui Macerias attingit, atque A:eia aucto, cum ipso Garumnæ accedit. Hunc Lertii fontem in Pyrenæis intra 24. horas vicies quater increscere ac decrescere dicunt: qui si est *Orge* Plin. *Fonsaſl Orgue*, vel *Fonteſt Orgue* potius scribi debet: *Notit. Galliæ*.

Orgelium, *Orgia*, Ptolem. *Orgella*, Lib. Concil. & *Urgella*, urbs Hispan. citer. in Catalauniâ ad mont. Pyrenæorum radices. Ortelius illam in Arragoniâ collocat. Baudrando *Urgel* incolis, urbs Cataloniæ, ad Secorim fluv. in Comitatu Ceretaniæ, 5. leuc. Hisp. à confin. Galliæ in Merid. 20. à Perpiniano in Occid. 28. à Barcinone in Sept. 9. à Solsona. Pop. *Orgelitani*, & *Urgellenses*.

Orgessum, urbs Maced. Livio, an *Orgysus* Polyb.

Orgetorix, apud Helvetios, longè nobilissimus & ditissimus fuit, regni cupiditate inductus, conjurationem nobilitatis fecit, de Galliâ occupandâ, cujus rei accusatus mortem sibi conscivit. Cæterum omnia nomina Gallica, quæ Cæsar in X. terminat, apud Helvetios in X. literam scripta fuisse probabile est. Itaque ex *Ehrenrich* fecit *Orgeutrix*. Alii deducunt ab ὀργὴ voce, Germanis quoq; usitatâ, pro bello & tumultu, q. d. *hominem bellis gaudentem & deditum*, non pati gratiâ.

Orgia, Hispan. Tarr. urbs, in fin. Oretanorum, à Toleto 28. leuc. Murciam versus, *Alcaraz* Wernero; Aliis *Orgaz*, opp. amplum Toleto finitimum, ab eo 5. leuc. Oretum versus quod verisimilius videtur.

Orgia, Bacchi sacra, alio nomine *Bacchanalia*, *Dionysiaca*, *Trieterica*, de nocte celebrari solita, omni posthabito pudore, teste Livio, in Thraciâ primùm ab Orpheo instituta, à quo etiam *Orphica* dicta sunt, Diodoro Siculo authore. Virgilius *Georg. 4.* ubi de Orpheo:

Inter sacra Deum nocturnaq; Orgia Bacchi.

Idem *Æn. 4.*

—— *Qualis commotis excita sacris*
Thyas, ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusq; vocat clamore Cithæron.

Ovid. *Met. 11.* (ubi de Baccho agit.)

—— *Cui Thracius Orpheus*
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.

Statius 1. *Achilleidos*:

Lucus Agenorei sublimis ad Orgia Bacchi
Stabat. —— —— ——

Idem *lib. 2.*

—— *Quid si Bacchea ferentes*
Orgia, Palladias aut circumvideris aras!

Claudianus,

—— *Dubitassent Orgia Bacchi*
Cui furerent. —— ——

Inde Hesychius, Ὀργιάζειν, τελεῖν Διονύσῳ. Catullus *in Ariadnâ*:

Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis,
Orgia, quæ frustrà cupiunt audire profani.

Juvenal. *Sat. 6.*

Talia secretâ celebrabant Orgia tædâ,
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.

Nomen traxerunt ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est, *à furore*, vel *irâ*, ut censet Eusebius *de Præp. Ev.* Phurnutus, & alii: vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est, *montibus*, quòd in montem Cithæronem sacra illa ex Thraciâ primùm transtulerit Orpheus; vel ἀπὸ τῶν ὀργάδων, hoc est, *consecratis alicui Deo locis*. Vel ἀπὸ τοῦ εἴργειν, id est, *arcendo*, quòd profani arceantur sacris; id quod Apollonii interpres *lib. 1.* etiam affirmat his verbis: Ὄργια, μυστήρια παρὰ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους αὐτῶν. Addit; ἢ τὰ ἐν ὀργάσι γινόμενα. ὀργάδας δὲ συμφύτους τόπους καλοῦσι, καὶ ὑγρούς. Possis etiam à ῥέζω deducere, cujus præteritum ἔοργα, ut ita dicantur quasi θεῖα ἔργα. Est & verbum Ὀργᾷ, idem Græcis quod ἐφίεται, hoc est, appetere, quâ in significatione usus est quandoque Aristoteles *in Problem.* τμημ. δ'. Et Hesychius, Ὀργᾷ, ἐπιθυμεῖ. Quid si quis inde auspicium nominis deducere velit, cùm constet, omne eos turpitudinis genus exercuisse in iis sacris. Hinc verbum Ὀργιάζειν, quod idem est cum θύειν, teste Suidâ, & Ὀργιῶνας Bacchi sacerdotes in specie, & eorum cœnæ δεῖπνα Ὀργεωνικὰ Athenæo. Nam aliàs etiam aliorum sacrorum antistites Ὀργιῶνας dictas invenio. Scribit enim Servius, omnia apud Græcos sacra *Orgia* significasse, sicut *ceremonias* apud Latinos; additque propriè dicta *Orgia*, causâ turpitudinis à pop. Rom. fuisse antiquata. Facit quoque nobiscum Strabo *lib. 10. Plurimi Græcorum totum ceremoniale negotium, quod* Orgia *vocant, tum Bacchanale & Choricum, & sacrorum mysteria Libero Patri attribuerunt.* Cæterùm *Orgia* pro omnibus ceremoniis, ut diximus, capiuntur. Unde idem Strabo: *Cybelem præcipuo venerantur honore, ejus Orgia frequentantes.* Hinc Ὄργια κύπριδος, id est, *Amorum sacra*, in Epigrammate. Dixit quoque Plato generaliter, Ὀργιάζω θεῶν, *sacrificiis placo Deum*. Ita Μουσῶν Ὄργια, apud Aristophan. *in Ranis*. Hinc Prop. 3. 1.

Primus ego ingredior puro de fonte Sacerdos,
Itala per Graios Orgia ferre Choros.

Sic Stat. 5. *Sil. Epitaph. in fil.*

—— *Quæ vestra sorores*
Orgia Pieria, quas incestavimus aras?

Orgomena, urbs Illyriæ, Stephano, eadem fortè cum ejus *Orgalenia*.

Orgon, insula prope Thusciam. Idem.

Orgonesus, vide *Urgo*.

Oria, Salentinorum civ. in colle sita: Episcop. sub Archiep. Tarentino: hodie non magni nominis. Meliùs *Uria*, Lat.

Oribasius, Juliani Imper. familiaris, à quo & Quæstor Constantinopolitanus factus est. Scripsit libros Medicinæ 72. ad Julianum, & eorum epitomen in libris 9. ad Eustathium fil. de Regno, & de Affectibus. Suidas. Eunapius verò Sardinius, *in lib. Sophist. Oribasius*, inquit, *Pergamenus genere, in eloquentiâ pariter & medicinâ profecit, Julianoq; propterea, ut medicus, fuit accersitus; invidiâ deinde succedentium Principum bonis privatus, ac in exilium ad Barbaros missus, animum Philosophi semper in calamitate retinuit. Tantâ autem apud eas nationes gratia & opinione ob doctrinæ, & medicinæ experimenta perseveravit, ut pro Deo penè coleretur.* Ab exilio dein revocatus est. Scripsit, vide supra, varia. Idem. Castellanus, *in vita Medicor.* Justus *in Chron. Med.* Vander Linden, *de Script. Med.* Voss. *de Philos. cap. 12. §. 28. &c.*

Oribasius, nomen canis Actæonis, apud Ovid. *Metam. 3.* ab Ὄρος, *mons*, & βαίνω, *ascendo*:

Pamphagus & Dorceus, & Oribasus, Arcades omnes.

Oricum, vel *Oricus*, *Orco* hodie, teste Nigro, opp. Epiri maritimum, inter Acroceraunia ad Aust. & Aulonem urb. Macedoniæ ad Bor. à Brundusio 58. m. p. quot ab Japygio promont. Salentinorum. Dionysius *vers. 399.*

Ὠρικόν θ' ὑπὲρ αἶαν, ἱδρύνται Ἑλλάδος ἀρχή,
Πολλὸν ἀπεχομένη, διαστῇ ζωθεῖσα θαλάσσῃ,
Αἰγαίῃ, Σικελῇ τε. —— ——

Propert. 1. 8.

Ut te felici vectam per cærula remo
Accipiat placidis Oricos æquoribus.

Lucanus *lib. 3. vers. 187.*

Tunc qui Dardaniam tenet Oricon.

Ubi *Dardaniam* vocat ab Heleno & Andromache Dardanis ibi regnantibus. Hecatæus apud Stephanum, Μετὰ δὲ Βουθρωτὸς πόλις, μετὰ δὲ Ὠρικὸς λιμήν; Plin. 2. 89. *Epidaurus & Oricum insulæ esse desierunt*, Horat. *Carm. 3. Od. 7. Ille Notis actus ad Oricum.* Hic *Oricus* mons Polybio, ubi *Oricia terebinthus*; Virg. *Æn. 10.*

Inclusum buxo, aut Oriciâ terebintho.

Ubi Servius, *Oricos civitas est Epiri, juxta quam nascitur Terebinthus, nigrum lignum habens folia, in buxi speciem.* Inde Prop. *lib. 3.*

Sed Thya thalamo, aut Oriciâ terebintho.

Baudrando urbs fuit Chaoniæ, in Epiro, in ora maris Jonii, prope Aulonæ portum, de qua multa Livius. Ad radic. montis Acrocerauniii, cum portu capaci, 60. mill. ab Hydrunto in Ortum. *Orcha*, Nigro.

Oriens, in vet histor. pro Asiæ parte, quæ nobis versus Or. est, fortè Parthia, Assyria & Armenia major. Vide quoque in voce *Occidens*.

Origarium, meliùs *Origaxium*, palus est Comaclensis, in Duc. Ferrariensi, sub dit. Pontif. vulgò *le valli di Comachio*; inter ostia Padi fluv. ad Bor. & Ravennam ad Mer. Vide *Comaclum*.

Origenes, autor Ecclesiasticus, Alexandrinus, fil. Leonidæ martyris, sub Severo: discip. Clementis Alex. vide infra, cui successit. Mortuo patre, in summa rerum inopiâ, bonis videlicet fisco addictis, fœminæ cujusdam opulentæ munificentiâ adjutus est. Scholam primò Grammaticam Alexandriæ, dein Theologicam, permissu Demetrii Episc. cùm vix An. 18. esset, aperuit. Fideles in fide confirmavit, Idololatras multos convertit, plurimos martyres in discipulorum numero habuit, Gregorii quoque Thaumaturgi præceptor. Hujus dogmata quædam damnata sunt, cùm in varios errores incideret, quos Augustinus, *libro de Hæreticis*, commemorat. A quo *Origeniani* dicti, qui eum sequuntur. Vide infra. Virilia sibi amputavit, ne molestam sibi Venerem experiretur, quoque minus suspecta esset ejus cum matronis virginibusque, quas Theologiam non minus, ac mares docebat, conversatio: Imitatus Hierophantas, Atheniensium sacerdotes, qui sorbitione cicutæ se castrabant, quò castius in sacerdotio viverent. Sequuti eum hic Valesiani hæretici, nimis liberaliter verba Christi accipientes. Dein varia itinera adornavit, Romam ad Zephyrinum Episc. ad Mammæam, matrem Alexandri Severi, cum qua de fidei mysteriis disseruit, &c. Alexandriam redux, complures hæreticos convertit. Dein à Demetrio heterodoxias accusatus, Tyrum concessit, ubi Hexapla sua confecit. Vide infra: nihilominus & sic errorum suspectus. Proin Romam denuò profectus, confessionem fidei Fabiano Episcop. obtulit, dein Cæsareæ docuit,

in Deciana persecutione gravissima passus, obtulisse dicitur, diabolicâ Judicis fraude inductus, Idolo thus, apud Epiphan. aliis id in dubium vocantibus. Obiit Tyri An. 254. ætat. 69. Præceptores ejus erant Clemens Alex. & Ammonius. *Secundus Ecclesiæ magister post Apostolos*, dicitur Hieronymo. Sena millia librorum scripsisse, unde συνταξίτης, vel σύνταξις ... dictus, author est Epiphanius *Hæres.* 4. Hexaplorum conditor fuit, qui cùm duabus posuisset columellis sacrum contextum, semel Hebræis, atque iterum Græcis literis, duabus his columellas addidit quatuor, scil. versionem 70. Interpp. Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, unde & *Hexapla* dicebantur. Parum probè de Origene sensit Theod. Beza. Sic enim ille, *Epist.* 29. *Est certè hic scriptor adeò omnibus modis impurus, sive ita ipse scripsit, sive depravata postea fuerunt ejus scripta, ut nullam in Ecclesiâ authoritatem in rebus controversis mereatur.* De Doctrinâ quoque ejus hæc breviter notavit Epiphanius; κακῶς δογματίσας τὰ περὶ πίστεως, καὶ τὰ πλεῖστα τῶν γραφῶν κακῶς φράσας. Quidquid horum sit, inter Origenem & scripta ejus discernendum est, quorum ille innocens, hæc fortè hæreticorum, sub illustri ejus nomine orbi impositum euntium, fraude, corrupta esse potuerunt. Certè non exiguæ disceptationis jam olim materia fuerunt; dicente Cassiodoro: *Ubi benè, nemo melius, Ubi malè, nemo pejus.* Genebrardus opera ejus collecta edidit, Parisiis, duobus volum. in fol. An. 1574. Eusebius ejus apologiam scripsit, sub nomine martyris Pamphili. Idem & Ruffinus jam tum aliique & Petrus Halloisius, Jesuita, haud pridem præstitit. Epiphan. *hær.* 64. *& de Pond. ac mens.* Hieronym. *in Catal. cap.* 54. *&c.* Euseb. *in Chron. & Hist.* Socrat. *Hist. lib.* 6. *cap.* 12. *&c.* Quidam credunt duos fuisse Origenes. Philosophum Platonicum unum, alterum Christianum. Vide Euseb. *Hist. lib.* 6. *cap.* 19. Valesium, *in Euseb. pag.* 120. *Adamantius*, ob studiorum & laborum tolerantiam, dictus est. Obiit in summâ paupertate An. D. 255. Vide Suidam, in Ὠριγένης. *Orus* autem nomen fuit regis Ægyptii, imò apud Etymologum etiam Grammatici. Atque, ut ἀπὸ τοῦ Διὸς proprium est nomen Διογένης, quasi *Jovigenam* dixeris, sic ἀπὸ τοῦ Ὧρου est Ὠριγένης, quasi *Origenam* dicas. Aliud visum Andreæ Schotto, *suis in Origenem Observationibus, lib.* 1. *contra Celsum*, ubi eum tradit ita vocari, qu. Ὀρειγενῆ, hoc est, *montigenam*, quemadmodum Ascetæ quidam Chrysostomo, *Homil* 13. *in Epist. ad Ephes.* οἱ ἐν τοῖς ὄρεσι vocantur, & Laërtio Heraclitus Ephesius dicitur, ἐν τοῖς ὄρεσι διαιτώμενος. Sed præterquam quòd prima in Ὄρος sit correpta, in Ὠριγένης porrecta, hoc nihil ad Origenem Alexandriæ natum & educatum, ubi *Or*, seu *Orus* pro Numine colebatur, & ab eo quoque hominibus nomen id fuit, ut, quin inde *Origenes* appelletur, minime sit dubitandum.

Origeni, Melæ *Origeviones*, pop. Hispan. Tarrac. in finibus Cantabrorum, per quos Nesva flum. decurrit, quorum urbs prim. *Flaviobriga*, dein *Flavionavia*.

Origeniani, vel *Origenistæ*, Hæretici, qui, sicut Pelagius, erroribus, ex Origenis Libro *de Principiis*, haustis: docebant, Jesum Christum, non esse *Filium Dei*, nisi ex gratia adoptionis, eum cum hominibus comparatum, Veritatem: cum Deo, mendacium esse, &c. Animam, ante corpus creatum, in cœlo peccare, Solem, Lunam, Stellas & aquas supracœlestes animatas esse; in Resurrectione corpora fore globosa, Dæmonum cruciatus aliquando finitum iri, &c. Etiam quidam illorum obscœnitates Gnosticorum reduxerunt. Monachi Ægypti & Nitriæ inprimis hac hæresi infecti erant, quæ Romam transiit traductione falsâ Ruffini libri hujus, cui magis sinceram versionem Hieronymus opposuit: Etiam 4. 5. & 6. sec. adhuc turbas dedere; damnati à Theophilo Alex. Epiphanio, &c. unà cum libris Origenis, quorum lectio vetita. Idem renovatum Concil. Oecum. Constantinopolitano 2. An. 533. Aug. *de hæres. cap.* 43. *&c.*

Origiacum, urbs Pleumosiorum, in Gall. Belg. est *Orchies*. opp. Flandriæ Gall. medium inter Duacum in Africam & Tornacum in Cæc. 4. leue. ab Insulis in Merid. sub Gallis ab An. 1667. Cluv. Baudrandus.

Origo, mima, & meretrix. Horat. *lib.* 1. *Sat.* 2.

—— *Marsaus amator Originis.*

Orillacum, oppidum Alverniæ.

Orine, Arr. Ramusio *Maczua*, Ins. sinus Arabici, Æthiopiæ contra Adulim urbem adjacens, fortè *Orneon*. Ptol.

Oringis, vel *Oningis*, *Jaen*, ut Morali videtur, urbs Hispan. Bæt. in Vandaliâ, à Scip. Africano expugnata, & excisa, teste Livio, nunc inter præclaras urbes habita.

Orinus, fluv. Illyrici in Mysiæ confin. qui in Drinum excipitur. Callistus. Niceph.

Orinus, Ptolem. Thucyd. *Erineus*, fluvius Siciliæ, per agrum Neetensem, inter Assinarium & Cacyparin fluens, marique inter Syracusas & Elorum exceptus: *Miranda*, & intus *Fiume di Noto*, Fazello.

Orsobates, Sogdianorum ac Mardorum in exercitu ad Arbelà cæso, ductor, Curt. 4. 58.

Oriela, vulgò *Orihuella*. Vide *Orcelis*.

Orion, Poëtis venator est, & satelles Dianæ, auditor Atlantis, qui doctrinam de cœlestibus motibus, & stellis ex Lybiâ in Græciam attulit. Nomen ejus quidam ab οὖρον, quod signif. differentias temporum anni, ver, æstatem, &c. deducunt. Quanquam Strabo appellatum eum velit *Oriona*, quòd esset educatus in *Orao* opp. Eubœæ. Grammatici verò ab οὔρου derivant, id est, *urinâ*, quia Cosmicus occasus Orionis in Novembri ciet sævas tempestates; unde Virgilius dixit,

Sævus ibi Orion hybernis conditur undis.

Sanè Plinius, *lib.* 11. *cap.* 28. Orionem nominat inter noxia sidera, ita etiam alii. Excitat quippe tempestates ortu suo & occasu. De ortu Virgilius *Æn.* 1.

Cùm subito assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit. —— ——

De occasu Horatius, *Epod.* 10.

Nec sidus atrâ nocte amicum appareat,
Quâ tristis Orion cadit.

Utrumque Aristoteles conjunxit, *lib.* 2. *Meteor.* scribens, Orionis δύσιν, καὶ ἀνατολὴν χαλεπὴν, *dirum esse ortum occasumq;*. Sed aliam causam affert Lactantius, Statii vetus Scholiastes, *in lib.* 7. *Thebaidos*. Fabula sic se habet: Pelasgus pauper quidam, *Oenopeus* nomine, vel *Oenopion*, (*Hyreus* autem Ovidio dicitur) Jovem, Neptunum & Mercurium susceperat hospitio. Qui referendæ gratiæ copiam dedere precandi quod vellet. Pelasgus orbus filium optavit. Dii in corium bovis immolati mingunt, defossumque post novem menses tolli jubent, tum igitur natus est Orion. Ovid. *Fast.* 4.

Hunc Hyreus, quia sic genitus, vocat Oriona,
Perdidit antiquum litera prima sonum.

Vide Palæphatum, *de Orione*. Hic postea adultus strenuus venator extitit, Dianæque comes adhæsit. Verùm cùm corporis robori satis fidens jactitaret, nullam esse feram, quam conficere non posset, Terra hominis insolentiam non ferens, scorpionem peperit, cujus ictu Orion interiit; Diana autem eum in cœlum transtulit, & juxta Tauri sidus constituit. Contra tamen Lucanus, scorpionem hunc à Dianâ immissum tradit, aliorumque Deorum miseratione in cœlum fuisse translatum. Sic enim ille *lib.* 9.

—— *Quis fata putaret*
Scorpion, aut vires maturæ mortis habere?
Ille minax nodis, & recto verbere sævus,
Teste tulit cœlo victi decus Orionis.

Ejusmem. Nicander, *in Alexipharmacis*, statim ab initio;

Τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε
Σκόρπιον ἐκ κεντροῖο τεθηγμένον, ἦμος ἐπέχευε
Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠαρίωνι,
Ἀχράντου ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.

Et paulo post:

Τοῦ δὲ πέρας ...
Οἷα ...

Horatius autem Dianæ telis eum confossum occubuisse tradit in his:

—— *Notus & integræ*
Tentator Orion Dianæ
Virgineâ domitus sagittâ.

Oarion dicitur Catullo. Sic enim ille,

Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.

Scriptum reliquit Dorion, *in lib. de piscibus*, Orionem filium fuisse Neptuni & Brylles Minois filiæ, quæ sententia fuit etiam Hesiodi. Huic sororem addiderunt Candiopen. Fabulantur præterea hunc munus à patre Neptuno impetrasse, ut tam super undas, quàm super terram posset incedere. Alii tamen tantæ fuisse magnitudinis senserunt, ut nulla esset tanta profunditas, è quâ non humeri saltem extarent è mari, quam sententiam sequi videtur Virgilius *Æn.* 10.

—— *Quàm magnus Orion,*
Cùm pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna, viam scindens, humero supereminet undas.

Hic cùm postea in Chium ad Oenopionem venisset, Æropen illius uxorem vitiare conatus est. Qui graviter ferens, illud comprehenso Orioni oculos effodit, & mox extra suam reg. ejecit; Sic postea in Lemnum profectus à Vulcano perbenignè excipitur, qui ejus misertus Cedalionem unum è famulis ei ducem viarum dedit, unde in orientem ad Solem profectus ab eo sanitati restitutus est, ac lumen recuperavit. Deinde contra Oenopionem arma suscepit, quem à civibus suis sub terrâ occultatum, cùm non speraret se amplius posse invenire, in Cretam profectus est, ubi ob insolentiam à scorpio, ut supra dictum, occisus est, uti quoque restatut Euphorion in his: Συγκυνηγῶν δὲ οὗτος Ἀρτέμιδι, ἐπιχειρῶν αὐτὴν βιάζεσθαι, ὀργισθεῖσα δὲ ἡ Θεὸς, ἀνέδωκεν ἐκ τῆς γῆς σκορπίον, ὃς αὐτὸν πλήξας κατὰ τὸν ἀστράγαλον ἀπέκτεινε. Quidam verò maluerunt occisum fuisse à Dianâ, quia illam invitasset, ut disco secum luderet. Alii quia vim Opi uni è virginibus, quæ Dianam ex Hyperboreis secutæ fuerant, inferre voluerit, à Dianâ confixum sagittis existimarunt, ut ait Apollodorus *lib.* 1. Neque verò ipsius solùm Orionis magna fuit arrogantia; sed etiam Side ejus uxor dicitur ausa fuisse cum Junone de formâ contendere, quare ad inferos fuit ab illâ dejecta. Porro fabulam Orionis ad Naturalem Philosophiam doctè applicat, & explicat Nat. Comes *lib.* 8. *cap.* 13. Astronomiam ejus vide apud Cæsium, & Hesychium in

Ὠρίων. Nos impræsentiarum paucula tantùm de magnitudine ejus dicemus. Fuit enim Homero teste, si historicè spectes, maximus & procerissimus ævi sui. In Odyss. λ. πελώριος dicitur. Ibidem ait Otum & Ephialtem μηκίστους omnium fuisse,

—— Μετά γε κλυτὸν Ὠρίωνα.

Vide quoque Plin. *lib.* 7. *cap.* 16. Atque sic utrumque Hemisphærium obsidens, secundùm longitudinem obtinere dicitur partes septendecim; secundùm latitudinem verò triginta. Hinc Manilius *in Sphærâ barbaricâ*,

—— *Orion magni pars maxima cœli.*

Et Pindarus *in Isthmiis*, φύσιν Ὠριωνείαν, pro *immani corpulentiâ* dixit. Theocritus *in Thalysiis*, *vers.* 52.

Ἔσσεται Ἀγεάνακτι καλὸς πλόος ἐς Μιτυλάναν,
Χὤταν ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ
Κύματα, χ' Ὠρίων ὅτ' ἐπ' Ὠκεανῷ πόδας ἴσχει.

Idem in Ἡρακλίσκῳ,

Ὠρίωνα κατ' αὐτὸν, ὁ δ' ἀμφαίνει μέγαν ὦμον.

Aratus: Οἷος καὶ ἐπιχθόνιος φαίνει μέγαν Ὠρίωνα.

Orippo, Anton. opp. Vandalitiæ, ab Hispali 9. mill. apud Italicam, Gades versum, Ferrar.

Orisgontes, ab aliis vocatur *Orgiagontes*, à Plutarcho *Origontes*, Rex Pisidarum seu Gallo-Græcorum, cujus uxor Chiomara inter captivos cuidam Tribuno in custodiam data, cùm ab eo vi stuprata esset, de injuria tacuit, & pòst, impetratâ redemptione, marito adulteram Tribunum interficiendum tradidit.

Orisia, urbs Iberiæ, Stephan.

Orisiides, ins. 2. in sinu Arabico, Ptolem.

Orita, populi Indiæ liberi, Stephan. ex Strab. *lib.* 15. versus Occ. ad Arbim fluv. *Oritæ* etiam Polybio: *Oritani*, Liv. pop. Achajæ, Opuntiis finitimi, Ferrar.

Oritanum, urbs Eubœæ, Plin.

Orithyia, filia Erechthei Athenarum Regis, quam cùm Boreas adamaret, neque bonâ cum gratiâ nuptias ejus posset impetrare, vi eam rapuit, raptamque tulit in Thraciam, & ex eâ Zethen & Calaim suscepit, qui cum Argonautis in Colchos navigarunt, & Harpyas fugaverunt. Nomen habet ἀπὸ τοῦ ὄρεος, *monte*, & θύω, *concitor*. Quidam tradunt, eam raptam à Boreâ Strymonis filio, inter quos Hesagoras, idque Poëtas ab homine transtulisse ad ventum. At Hermias Platonicus scripsit, Aquilonis impetu eam ex alto præcipitatam, atque inde datam fabulæ occasionem. Eleganter describit hunc raptum Apollonius *Argon. lib.* 1. quem potissimum imitatur Ovid. *Metam.* 6. Meminit & Plato *in Phædro*, ubi Socrates quoque fabulam refert ad ventum Borealem, qui ipsam cum Pharmaceâ ludentem de proximis petris dejecerit. Propert. *lib.* 3.

Infelix Aquilo, rapta timor Orithyia.

Actias Orithyia dicitur Virgilio *Georg. lib.* 4. Hinc Musæus,

Ἀτθὶς δ' ᾔδετο Βορέην ἁρπάγμενα κάλλιπε Νύμφης.

Nonnus, *Dionys. lib.* 1.

Ναὶ λιτομαι, Βορέης, ὡς ἥρπασας Ἀτθίδα Νύμφην.

Dionysius factum hoc ait ad Ilissum, cùm alii juxta fontem Cephisium contigisse velint. Sic enim ille, *vers.* 424.

Πρὸς αὐγὰς Ἀττικῆς ὕδωρ,
Τοῦ διὰ Πανιάδος φέρεται ῥόος Ἰλισσοῖο,
Ἔνθα ποτὲ Βορέης κατ' ἀνήγαγεν Ὠρείθυιαν.

Suidas Ὠρείθυια ἡ τοῦ Βορέου ἐρωμένη. Vide Nat. Com. 8. 2. & Cælium Rhodig. 15. 23.

Orithyia, Marthesiæ filia, Amazonum post matrem Regina, tum ob belli industriam, tum ob perpetuam virginitatem, conspicuam se, ac mirabilem præstitit. Hæc ubi comperit, bellum vim quoque sororibus suis illatam ab Hercule & Theseo, hortatur comites in ultionem, frustraque Ponti sinum, & Asiam domitam esse dicit, si Græcorum non tam bellis, quàm rapinis, pateant. Auxilium à Rege Scytharum capit. Sed ante prælium dissensione orta, ab auxiliis desertæ Amazones, belloque ab Atheniensibus victæ, receptaculum tamen habuere castra sociorum, in regnumque reversæ sunt. Ei Penthesilea successit. Justin. *lib.* 2. *cap.* 4. Boecat. *de clar. mul. cap.* 18.

Orium, vide *Oricum*.

Oriundus, fluv. Illyrici, prope urbem Scodram, in Barbanam flum. influens, Liv.

Orixa, urbs regni Golcondæ, prov. cognom. caput, in monte, in mediterr. 100. m. p. ab ora sinus Gangetici. Hinc regnum Golcondæ antea *regnum Orixæ* dictum. Vide *Maffæum*.

Oriza, urbs Palmyrenæ, Ptolem.

Orlium, opp. Poloniæ min. ubi Seniores Fratrum, indicto conventu, ut & postea Vlodaviæ, de ritibus disceptantibus, in Lithuania & Polonia, convenerunt, circa A. C. 1630. Sunt autem Seniores in unione Fratrum Bohemorum, Pastores & Ministri, quibus munera Ecclesiastica & Jus Ordinationis committi solet. De Fratribus vide in voce *Fratres*.

Ormanus, fluv. Arab. Fel. per oram ad Ort. in mare Rubrum apud Didymos montes decurrens, Ptol.

Ormenium, mons Bithyniæ apud Claudiopolin urb. *Ermenidag*, Turcis, teste Leunclavio. *Ormenium* quoque Straboni opp. Thessaliæ ad sinum Pagasæum.

Ormion, Episcopatus sub sede Hierapolitana in Syria, Guilielm. Tyrius.

Ormisdates, Persarum Rex, An. D. 273.

Ormus, Item, *Armuzia*, *Ormuzium*, & *Organa*. Tartar. *Neorokin*. Persiæ inclyta fuit civitas, emporiumq; celebre, ad sinum Pers. situ eleganti, ac unionum copiâ nulli urbium secundum. Sita est in insulâ, & omnibus maritimis civitatibus fuit præferenda. Abest à continenti spatio 12. m. p. aquarum autem potu suavium, annonæq; mira ibi caritas; invehuntur itaque fermè omnia, quæ victum incolis suppeditant. Expugnata est hæc urbs, An. D. 1507. à Lusitaniæ Regis Præfecto marino, qui eam tributum ingens annuatim pendere coëgit. His autem erepta est à Persis, auxilio Anglorum, An. 1621. arxque diruta. Nunc urbs à paucis incolitur, eque ruinis ejus crevit emporium in viciniis, *Bandar Abassi*. Mercurium Ægyptium huc Coloniam deduxisse, auctor est Hayto. Post Christum natum, sec. 9. vel 10. Princeps quidam Mahometanus Insulâ potitus est, qui unà cum Successoribus suis, tributarius fuit Regi Persarum: quam eùm adeò necessariam commercio Indico viderent Lusitani, occuparunt eam sub Albuquercio Duce, An. 1507 arce ibi validâ extructâ: Tandem, ut dictum, in Persarum potestatem devenit. Solum hic totum sal, adeoque Solis ardore exustum intolerabili æstuat calore. Vide inprimis P. de Valle, *Itiner. tom.* 2. & 3. & in voce *Armuzia*.

Orna, aliàs *Olina*, fluv. Normanniæ, *Orne*. Argentanum & Cadomum rigat, & ad Strehamum oppid. mari Britann. excipitur. Vide *Olina*.

Ornan, vir, 2. Par. 1. qui 2 Reg. 25. *Areuna* dicitur. Lat. *exultans, arca earum, lux filii*, aut *lux*, seu *maledictio permanens*.

Ornea, Argiæ urbs in Peloponnes. ubi prælium inter Lacedæmon. & Argivos commissum, Diod. Item urbs inter Corinthum & Sicyonem.

Ornea, Priapi sacra, quem Corinthii *Orneum* vocabant. Celebrabant hæc festa Nymphæ juxta Colophonem.

Orneus, Centaurus, Ixionis & Nubis filius. Ovidius *Metamorph. lib.* 12.

Ornithia, venti Septentrionales. Columella *lib.* 11. *cap.* 2. *Decimo Kalend. Martii, Leo desinit occidere, venti Septentrionales, qui vocantur Ornithia, per dies triginta esse solent.* Vide Plin. 2. 47. Ab *Avium* adventu dicuntur.

Ornithon, oppidum Phœnices in orâ inter Tyrum & Sidonem, Strab. Plin.

Ornospades, Parthus, à Rege Artabano patriâ pulsus, haud inglorius Tiberio, cùm Dalmaticum bellum conficeret, auxiliator, ideoque civitate Romanâ donatus. Cùm Tiridates à Romanis in Parthicum regnum à L. Vitellio collocaretur, multis equitum millibus in castra venit, ac, repetitâ amicitiâ Regis, multo apud eum honore Mesopotamiæ præfectus est, Tacit. 6. 37.

Ornytus, Cyzicenus, singulari comitate exceptis hospitio Argonautis, ab iisdem, in conflictu nocturno, per errorem cæsus est, Flaccus 3. 173.

Oroanda, urbs Pisidiæ. Plin.

Orcandes, mons Asiæ, Tauri pars, de quo Plin. 5. 27.

Oroates, Straboni fluv. Susianæ maximus, illam à Persìde disterminans, & in sin. Persicum se exonerans. *Oroatis* Ptolemæo. *Tiritiri* Castaldo.

Oroba, urbs Assyriæ mediterranea, Ptol.

Orobatis, urbs Persidis in mediterraneis, Idem.

Orobii, pop. fuere Galliæ Transpad. ubi nunc pars Ber. Ducatus Mediol. versus Comum. Eorum urbes fuere Bergomum, Comum & Forum Licinii, Brietio. A Sept. Euganeis erant contermini, uti ab Or. ab Occ. Lepontiis, à Mer. Insubribus.

Orobis, Gall. Narbon. fluv. Ptol. *Obris*, Pomponio: *l'Orbe* Clusio hodie dicitur. Biliterus præterfluit, ex Cebennis ortus, & in mare, infra Serinianum se exonerat. Vide *Obris*.

Orocana, Mediæ urbs, Ptolem.

Orodes, rex Parthorum, qui Crassum cum fil. Publio cepit & occidit, An. 701. U. C. aquilis & ingenti captivorum vi potitus. Dicitur, Crasso aurum liquatum in os infudisse, avaritiam ei tot sacrilegiorum totuplicisque injustitiæ causam, exprobrantem. Dein Cassium Brutumque sequutus, infelicioribus Fatis usus est, Vellej. Patere. *lib.* 2. Appian. *in Parth.* Justin. *lib.* 42. *cap.* 4. Florus, Eutrop. Orosius, &c. Plutarcho in *Crasso* est Ὑρώδης, Africano apud Eusebium Ἡρώδης, malim utrobique Ὀρώδης, ex Velleio, Floro, Appiano, & aliis. *Morodem* vocare videtur Servius *ad Æn.* 11. sed videtur tantùm, nam locus iste est mendosus, uti ostensum Gerardo Vossio filio, *ad Vellejum, pag.* 67. Item nomen viri à Mezentio interfecti, Virg. *Æn.* 10.

Orodes, alius Parthorum Rex, cœtu popularium facto, cæsus in sacrificio, vel (ut alii) in venatu, ob crudelitatem, Jos. *lib.* 18. Item, Artabani fil. Armeniæ Rex, Tac. *lib.* 6.

Orodiensis Comit. *Czongrad*, prov. parva Hungar. infer. versus Tibiscum fluv. & confinia Transylvaniæ, sub Turcis, inter Comit. Torantaliensem ad Bor. & Conadiensem ad Mer.

Orodopes, insula parva Phœnicis, prope Tyrum.

Orolaunum, Gall. Belg. opp. in Ducat. Lucemburgensi, Anton. Vulgò *Arlun*, quasi *Aram Lunæ* dicas, longit. 27. 15. latit. 49. 45.

Baudrando *Arlon*, urbs parva sed munita, in colle, sub Hispan. Aliis in Cæresiis, vix 2. leuc. à limite Lotharingiæ & Barrensis tractus, in Bor. 6. à Monmedio in Cæc. Media inter Lucemburgum ad Ort. & Neocastrum ad Occid. Valesio *in Notit. Gall.* est *Arlon*, castrum montanum ducatus Luciliburgensis, Marchiæ tit. gaudens. Ponitur in Itin. Æthici, inter Epoissium ac Auderhaunalem vicos, medius in itinere Durocortoro Treviros. In divis. regni Lotharii An. C. 870. vocatur *Arlon*, inter Dulminse & Vaurense, &c. *Arlonis castrum* nomine corrupto dici, tradit Lupus, qui ante An. 831. de Maximino Episc. Trevirorum scripsit.

Oromandrus, urbs Armeniæ min. Ptolem.

Oromansaci, pop. Belgii inter Morinos, Gessoriaco proximi, in Picardiæ, Artesiæ, Flandriæque confin. ubi Audomarum urbs, *Guinnes* & *Ardres* oppida sunt. Baudrando pop. fuere sub Morinis, juxta fretum Gall. ubi nunc tractus Picardiæ Bor. in quo Ardrensis Præfectura, & ditio recuperata, ubi Comit. Oisensis & Guinensis, ubi Caletum, Ardra, & Guinea, urbes Gall. in limite Artesiæ & Flandriæ.

Oromedon, mons Co insulæ altissimus, Theocrit. *Idyl.* 7.

Γῶν ὀρέας ηχεμφᾶ τηλίσα λέφη Ωρομέδοντ@.

Ubi Casaubonus, *Probo eam interpretationem, quæ Oromedontem esse montis nomen statuit, Videtur enim mons ille à Gigante ibi occiso & obruto sic esse dictus.* Sanè *Oromedon* Gigantis nomen est, apud Propertium *lib.* 3.

Te duce vel Jovis arma canam, cœloq; minantem
Cœum, & Phlegræis Oromedonta jugis.

Vide sis Theocriti *Schol. ad locum prædictum.*

Oronaim, vel *Horonaim*, duo vici, quà via est Assyrios, sive duæ urbes Moabitarum: una superior, altera inferior, Isa. 15. Latin. *iræ*, vel *furores*, aut Syriacè, *libertates.*

Oronda, Reuthero. *Onda*, opp. regni Valentiæ, inter Saguntum & Incibulim, Dertusam versus, ab Oro R. condirum.

Orondici, pop. fuere Galatiæ, Ptolem.

Oronius Modestus, magnus Britannici generis vates fuit ex Bardorum poetarum numero doctissimus.

Orontas, Artaxerxis affinis, pedestribus copiis ad bellum Cyprium præfectus, cum Evagora pacem fecit, ei pacatum regnum relinquens. Calumniæ postea, quà Teribazum petiverat, damnatus & supplicio affectus. Vide Polyæn. *libr.* 7. 494. Diodorus, Sic. *lib.* 15.

Orontes, Mysiæ Satrapa, defecit cum aliis ab Artaxerxe: quare à sociis summa ei rerum commissa est. Sed, spe præmiorum ex perfidia consequendorum, socios Artaxerxi prodidit. Diodor. 15. 5. Polyæn. *lib.* 7.

Orontes, Prætor Armeniæ, ex Epigonis Alexandri Magni. Vide Polyæn. *lib.* 4. *com.* 3. *in Eumene.*

Orontes, Lyciorum dux in bello Trojano, qui capto Ilio cum Æneà in Italiam navigans, naufragio periit. Virg. *Æn.* 1.

Orontes, *Typhon* prius teste Strabone, *Ophites* Pomponio Læto, *Ladon* Philostrato; fluv. maximus Syriæ, ex monte Libano profluens, multisque urbibus irrigatis, in quibus Antiochia, quam interluit, ad Seleuciam Pieriam in Syrum pelagus delabitur. Variè legitur. *Osonz* iurus, teste Theveto, *Soldino* apud ostia; interius *Fer*, teste W. Tyrio. *Farfaro* autem Olivario. Hujus meminit Ovidius *Metamorph.*

Arsit & Euphrates Babylonius, arsit Orontes.

Prop. *lib.* 2. *cap.* 23.

Et quas Euphrates, & quas mihi misit Orontes.

Dionysius *vers.* 919.

Τῆς δ' ἀὖ διὰ ἀυλαλίω ηχλαζόμενος ὑγρὸς Ὀρόντης
Ἀ ασετ@, Ἀ'ντιόχοιο μέσω διὰ γαῖαν ὀρίζων.

Juvenal. *Sat.* 3.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.

Ejus ostium nunc *porto Simone*, à monasterio cognom. in arduo monte ad ejus oram sito, Baudr. Hinc *Oronteus*. Prop. *lib. el.* 2.

Aut quid Orontea crinem perfundere myrrhâ.

Juxta hunc fluv. laudatissima bombyx. Item *Orontes*, mons Mediæ, Ecbatanis incumbens, Ptol.

Orontius Finæus, Mathematicus celebris, filius Francisci, Medici Delphinatis, Professor Regius, à Francisco I. constitutus An. 1530. scripsit in Geometria, Optica, Geographia, Astrologia, &c. complura. Obiit An. 1555. horâ natali, Anton. Mizaldus Med. *in ejus vita.* Scævola Sammart. *elog. lib.* 1. Voss. *de Scient. Math.* Moterius *Diction. Histor.*

Oropi, Episcop. sub Anazarba sede, G. Tyrius.

Oropita Catoni, *Oropitum* Antonino, *Orobitum*, seu *Orbitum*, in tabulâ Desiderii Regis, *Herbanum* Plinio, *urbs vetus* P. Diacono, *Urbsvetana*, & *Urbevitanum* Procopio, urbs Hetruriæ mediterranea, inter Viterbium in Bor. 20. & Perusiam in Merid. 30. m. p. *Orvieto* Leandro dicitur, long. 36. 20. lat. 42. 24. In ditione Pontif. ad Peliam fluv. qui paulo supra recipit Glanim, 3. autem mill. infra cadit in Tiberim. In colle, situ permunita, caputque agri adjacentis, vulgò *Territorio d'Orvieto*, 50. mill. à Roma in Bor. 15. à confin. territorii Senensis in Ort. Baudr.

Oropus, vulgò *Zucamini*, teste Alexandro Zardo, *Susamino*, Nardo, opp. Bœotiæ in Atticæ confin. in orâ, inter Chalcidem 20. & Tanagram 18. mill. à Thebis 36. ab Athenis 44. Quod cùm Athenienses vastassent, à Romanis 500. talentis mulctati sunt, teste Agellio. Item urbs Macedoniæ, patria Seleuci Nicanoris, ab *Oropo* filio Lycaonis dicta. Item opp. Eubœæ, quod Aristoteli *Graa* dicitur. Item, Syriæ urbs, *Telmissa* quoque, teste Stephano, quem sis consule.

Orori, civitas, 2. Regum. 23.

Orosa, quæ & *Alinza*, Ptolem. urbs Mediæ mediterranea, inter Nazadam, & Arsifacam ad Orr. *Archiech* Castaldo.

Oroscopa, Africæ urbs, de qua lis inter Masinissam & Carthaginenses, Appian. *in Pun.*

Orosines, Thraciæ fluv. Plinio.

Orosius, Hispanus patriâ, domo (ut Joh. Gerundensis tradit) Tarraconensis, sub Arcadio & Honorio vixit, ut Prosper, *in Chronicis*, ait. Hic, cùm Româ ab Alarico Gothorum rege captâ, gentiles, & hujus, & omnium calamitatum causam in Christianos conjicerent, composuit, hortatu B. Augustini, septem historiarum libros: quibus ostendit, ab Orbe condito, usque ad tempus, quo illa scriberet, (id spatium ipse dicit annorum esse quinquies mille sexcentorum, & duo de viginti) maximas semper atque atrocissimas, per orbem, calamitates contigisse. Scriptor est planè utilis, sed qui scriptores Græcos non legerit: imò Græcarum literarum expers fuit. In temporibus etiam crebrò fallitur, ut vel illa ostendunt, quæ in eo castigavit Scaliger, *in Animadversionibus Eusebianis.* Vide Voss. *Hist. Lat.* 2. 14. qui de eo fusè agit *Hist. Pelag.* 1. 17. & in voce *Paulus Orosius.*

Orospeda Straboni, *Ortospeda*, Ptolemæo, mons Hispan. Tarrac. post Pyrenæum maximus, longè, lateque diffusus, varia habens nomina, à locis quæ attingit. In Celtiberis enim *Sierra de Molina* dicitur, teste Floriano, in Arevacis & Carpetanis *Palomera d'Avila*, *Puerto di Somma siera*, *del Pico*, & *della Tablada*, in regno Castellæ vet. In regno autem Legionensi apud Callaicos, *Sierra di Ponsria* vocatur. Baudrando Mons est valde extensus, per Carpetanos & Bastitanos, à Tago fluv. nempe ad oram maris Mediterr. per Castellam nov. regnum Murciæ & partem Or. regni Granatæ. Ejus partes dicuntur *Sierra de Segura*, *Sierra d'Alcaraz*, *montes de los Alpujaras*, in regno Granatæ, & alibi aliter. Sed non extenditur versus regnum Legion. neque per Castellam vet.

Orpha, uxor Chelion, filii Elimelech Bethlehemitæ, Ruth. 1. Lat. *cervix*, vel *cervicosa* sive *suscitatio*, vel *denudatio oris.*

Orpheus, ut sensit Myrleanus Asclepiades, Apollinis & Calliopes, unius Musarum, filius fuit. Virg. *in Pollione:*

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis, atq; huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

Apoll. verò *lib.* 1. *Arg.* Oeagri, & Calliopes filium facit:

Πρῶτά νυν Ὀρφῆα μνησώμεθα, τόν ῥά ποτ' αὐτὴ
Καλλιόπη Θρήικι φατίζεται εὐνηθεῖσα
Οἰάγρῳ, σκοπιῆς Πιμπληίδος ἄγχι τεκέσθαι.

Alii Oeagri, & Polymniæ, alii Menippes, alii Thamyridis filium fuisse voluerunt, atque Jalemum & Hymenæum hujus fratres fuisse constat. Hunc à Mercurio, sive ut alii habent, à patre Apolline lyram accepisse ferunt, eàque tantum valuisse, ut illius cantu sylvas, & saxa moverit, fluviorum cursum inhibuerit, ferasque mitiores reddiderit. De quibus postea. Quamvis autem multi fuerunt Orphei, restante Suidâ, omnia tamen cæterorum facinora ad vetustissimum Thracem, Oeagri filium referuntur, qui, ut Tzetzes ait, *Hist.* 399. *Chil.* 12. fuit Herculis coætaneus, ac floruit annis 100. ante bellum Trojanum. Hic primus omnium apud Græcos de Astrologia scripsit. Lucianus *de Astrolog.* Ἕλλησι δὲ οὔτε παρ' Αἰθιόπων, οὔτε παρ' Αἰγυπτίων ἀστρολογίης πέρι οὐδὲν ἤκουσαν, ἀλλά σφισι Ὀρφεὺς, ὁ Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης πρῶτος ταῦτα ἀφηγήσατο. Idem primus Bacchi sacra in Græciam introduxit, & in monte Bœotiæ Thebis, ubi Liber Pater natus est, sacra illa, quæ *Orphica* vocantur, in quibus ipse postea fuit laceratus, instituit, ut ait Lactantius, *de falsâ Religione.* Hic multa humanæ, politicæque vitæ utilia invenit, ut ait Pausan. *in Bœot.* Deorum initia, & universam Theologiam primus aperuit. Scripsit de Elementorum inter se mutuâ generatione, de vi amoris in rebus naturalibus, de Gigantomachiâ, de Raptu Proserpinæ, de Cereris erroribus, de laboribus Herculis, de Idæorum, & Corybantum sacrorum ritibus, de occultis oraculorum responsis, de Venereis & Minervæ sacrificiis, de luctu Ægyptiorum Osiridis causâ, ac de illorum lustrationibus, de vaticiniis, de observationibus auspiciorum, de situ fibrarum, de somniorum interpretatione, de signis ac prodigiis, deque illorum expiationibus, de expiatione inferorum, de ratione & motu astrorum, quo pacto Dii irati placari possint, &c. de quibus omnibus se scripsisse testatur in suo Argonauticorum, quæ sub illius nomine circumferuntur. Non defuerunt, qui Orpheum & Amphionem magos Ægyptios fuisse arbitrati sint, ut ait Pausan. *in post. Eliacis.* Uxorem habuit Eurydicen, cujus amore cùm flagraret Aristæus, eamque insequeretur, ut captæ vim inferret, illa per loca devia fugiens à serpente in herbâ latente icta interiit. Virgilius *Georg.* 4.

Illa quidem, dum te fugiens per flumina praceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella

Servantem ripas altâ non vidit in herbâ.

Tum fama est, Orpheum sumptâ citharâ ad inferos descendisse, atque cum mirificam quandam lamentationem cecinisset, lacrymas inferis excitasse; Plutone deinde placato ac Proserpinâ, severissimis mortuorum regibus, cantûs suavitate non solùm obtinuisse, ut ipse post visam Eurydicen in lucem rediret, sed etiam, ut eam secum abduceret; ea tamen conditione, ne prius respiceret, quàm ad superos pervenisset. Verùm cùm ille amoris impatiens respexisset, uxorem amisit. Hunc inquiunt, cùm ad inferos descendisset, ibi Deorum omnium laudes cecinisse, præterquam Liberi Patris, quem per oblivionem prætermisit: quare iratus Dionysus furorem suis Bacchis immisit, à quibus apud Hebrum fluv. fuit discerptus, membraque ejus per agros sparsa, ut à canibus vorarentur: sed tamen à Musis dicuntur fuisse collecta, & in Dio Macedoniæ loco sepulta. Alii dixerunt, à Jove fuisse percussum fulmine, sicut Leonides testatur hoc epitaphio:

Θρήϊκα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν,
Ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.

Fertur ejus caput in Hebrum dejectum cum lyrâ in Lesbum delatum fuisse, atque ibi sepultum, Lyram autem inter sidera relatam, & à singulis Musis, quarum laudes eximiè cecinerat, novem insignibus stellis insignitam. Alii memorant, illum post mortem Eurydices cæterarum mulierum conjugium sprevisse, multisque persuasisse hominibus, malum ingens esse fœminam; quare cùm multi abstinerent à nuptiis fœminarum, ab illis per simulata Liberi Patris sacrificia discerptus fuit, teste Apollodoro, *libro de Diis*. Alii turpissimam causam tradiderunt, ajunt enim, cum παιδεραστίας authorem fuisse, quam ita attigit Ovidius:

Ille etiam Thracum populis fuit author amores
In teneros transferre mares; citraq; juventam
Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

Vide Rhod. 15. 19. Pausan. *in Bœot.* indignatas ait Thracum fœminas, quòd ob cantûs suavitatem multos viros secum abduceret. At Gelous Apollodorus *in Philadelphis*, judicem Calliopem electam fuisse inquit à Jove, contendentibus Venere & Proserpinâ de Adonide; quæ cùm Adonidem communem adjudicasset, Venus indignata mulieres in Orpheum filium ejus concitavit. Alii dicunt, ita Venerem vertisse amorem omnium mulierum in Orpheum, ut ab illis raptim captus, dum inter se contenderent de Orpheo, fuerit laniatus. Agatharchides Cnidius *lib.* 22. *rerum Asiaticarum*, Orpheum scripsit, mortuâ Eurydice, venisse ad Aornum in Thesprotidem, ubi pervetus erat oraculum evocandarum animarum; ibi cùm Eurydicem sibi adesse putasset, seque deceptum comperisset, sibi mortem conscivisse. Inde scripsit Pausanias, lusciniás quæ forent circa sepulcrum Orphei in Thraciâ, cantum emittere cæteris omnibus suaviorem. Denique alii vitæ pertæsum, post mortem uxoris, sibi manus intulisse inquiunt præ mœrore. *Vetustissimum poëtarum*, appellat Lactant. *lib.* 1. Poëmata 39. composuisse dicitur, quæ temporum injuriâ periere. Hymnos enim & versus, qui illi vulgò tribuuntur, φασιν ὑπὸ Ὀνομακρίτου τοῦ Ἀθηναίου συντεθεῖσθαι, ait Tatianus. Clarissimus Vossius, Orphea hunc nunquam fuisse putat, sed esse nomen ab antiquâ Phœnicum linguâ, quâ usi Cadmus, ejusque posteri, atque à scientiâ nomen hausisse. *Arifa* enim Arabibus est *scire*; Unde *Arif*, *sciens, doctus*. Hanc sententiam verisimiliorem facit, quod Cicer. *lib.* 1. *de N. D.* refert, Aristotelem prodidisse Orphea illum nunquam fuisse, quæ verò carmina ejus nomine circumferuntur, ea à Pythagoricis attribui *Cecropi* cuidam, vel, ut legi debet, *Cercopi*. Nota etiam, Origenem negasse ulla Orphei scripta suo ævo extitisse, *lib.* 1. κατὰ Κέλσου. Fabulam Orphei optimè omnium fusè tractat Virgil. *Georg. lib.* 4. Et

Proximus huic, longo sed proximus intervallo

Ovidius *Metam. lib.* 11. Vide Boëtium *de Consol. Phil.* 1. 3. Mythologiam ejus habes apud Nat. Com. *lib.* 7. *cap.* 14. Et eam quoque breviter innuit Horatius, *ad Pisones*:

Sylvestres homines, sacer, interpresq; Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones.

Plurimi Poëtæ, ut nil dicam de mirâ Alexandri Severi Imper. devotione, qui in larario suo, inter Divos Principes, & animas sanctiores, coluit Christum, & Abrahamum, Orpheum & Apollonium, Lamprid. *in Severi vita*; sunt in laudibus ejus decantandis, apud quos, imo & Oratores ac Philosophos movit Orpheus suâ citharâ & cantilenâ Homines, Deos, Astra, Fluvios, Mare, Ventos, Arbores, Volucres, Animalia, Lapides, Montes, Inferos.

I. Homines. Calpurnius, *Ecl.* 2.

Convenit umbrosa quicunq; sub ilice lentus
Pascit oves. ——

Plato quoque in *Protagora*, ait Protagoram ipsum homines cantu & eloquentiâ demulsisse ὥσπερ Ὀρφεύς.

II. Deos. Calpurnius ubi supra,

—— *Faunusq; pater Satyrisq; bicornes*
Adsuerant, sicco Dryades pede, Najades udo.

Silius Italicus *lib.* 11.

Auditus Superis, auditus Manibus Orpheus.

III. Astra. Hæc, si non ipse, certè ejus lyra ex fictione Manilii. Nam de hâc, quæ in cœlo est, ita ille,

Tunc silvas & saxa trahens, nunc sidera ducit:
Et rapit immensum mundi revolubilis orbem.

IV. Fluvios. Apoll. *lib.* 1. *Argon.*

—— —— Ποταμῶν τε ῥέεθρα.

Horatius *Carm. lib.* 1.

Arte maternâ rapidos morantem
Fluminum cursus. ——

Prop. *lib.* 3. cum illo loquens:

—— *Te concita dicunt*
Flumina Threiciâ detinuisse lyrâ.

Seneca *in Hercul. Furente*:

Ars quæ præbuerat fluminibus moras.

Et in Medeâ,

Ille vocali genitus Camœna,
Cujus ad chordas modulante plectro
Restitit torrens. ——

Calpurnius,

Et tenuere suos properantia flumina cursus.

Sidonius *Panegyr. Anth.*

Cùm starent Hebri latices, cursuq; ligato
Fluminis attoniti carmen magis unda subiret.

Boëtius, ubi *de Orpheo*:

Sylvas currere mobiles,
Amnes stare coëgerat.

V. Mare. Antipater, *in carmine de Orpheo*, inter alia nominat πολυηχέα ἅλα, *mare obstrepens*, quod ille flexit suo cantu. Inde pulchra illa fictio Valerii & Papinii de nave Argo per mare euntes; quam Orpheus suo cantu dirigebat, elemento illi imperans. Ait prior *libr.* 1.

Nec verò Odrysius transtris impenditur Orpheus,
Haud pontum remo subigit, sed carmine tonsas
Ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.

Posterior *lib.* 5. *Thebaidos*.

—— —— *Oeagrius illic*
Acclivus malo mediis interjonat Orpheus
Remigiis, tantosq; jubet nescire labores.

Utrique Silium adjungas, qui sic *lib.* 11.

Quin etiam Pegasæa ratis, cùm cærula nondum
Cognita terrigenis, pontoq; intrare negaret,
Ad puppim sacra citharâ eliciente carina,
Adductum cantu venit mare.

VI. Ventos. Calpurnius *de Orpheo*:

Desistunt tremulis decurrere frondibus Euri.

Horat. ait, *lib.* 1. *Carm. Od.* 12. tardatos Orphei arte,

Fluminum cursus, celeresq; ventos.

Seneca, *in Medeâ*, de rebus Orphei: *Siluere venti.* Antipater *lib.* 3. *Anthologia*, dat illi domitum ἀνέμων βρόμον, *ventorum impetum*. Et usurpat verbum κοιμήσεις, *consopies*.

VII. Arbores. Euripides, *in Bacchis*, de Orpheo: Συνάγε δένδρεα, *conduxit arbores*. Dio Chrysostomus *Orat.* 53. Φυτὰ nominat inter alia. Et *Orat.* 73. ita ait, Ἐπὶ δὲ τὰ δένδρα ἀφικνοῖντο ἅμα τοῖς ἄνθεσι καὶ ἄνθη, *concurrisse arbores ad illum, unà cum fructibus, & floribus.* Antipater inducit πλαγχθείσας δρύας, *permultas quercus.* Senecâ *in Medea*, *Sylvas trahit.* Et Ovidius *eleg.* 1. *lib.* 4. *Trist.* *Cùm traheret sylvas Orpheus.* Horatius: *insecutæ Orphea sylvæ.* Et,

—— *Auritas fidibus canoris*
Ducere quercus. —— ——

Claud. 2. *de laud. Stilic.*

—— *Orpheo migrantes pectine sylvas.*

Idem *in Præf. lib.* 2. *de Rap. Pros.*

Sylvaq; Bistoniam sæpe secuta Chelyn.

Sidonius Apollinaris,

—— —— *Digitisq; canoris*
Compulit auritas ad plectrum currere sylvas.

VIII. Volucres. Calpurnius,

Et quæcunq; vagis altum ferit aëra pennis.

Seneca *in Herc. Fur.* *Aves traxerat.* Et *in Medeâ*:

Cui suo cantu volucris relicto
Adfuit totâ comitante sylvâ.

Ovidius *Metam.* 10.

—— *Attonitas etiamnum voce canentis*
Innumeras volucres. —— ——

Silius,

Immemor & dulcis nidi, positoq; volatu,
Non mota volucris captiva pependit in æthra.

Orpheus ipse de avibus,

—— Ἐπεὶ δὲ λάθοντο καλιῆς.

Dio Chrysostomus *Orat.* 78. meminit τῶν ὀρνίθων καταπετομένων πρὸς αὐτὸν (Ὀρφέα) ᾄδοντα. Et *Orat.* 32. numerat πτηνὰ καὶ ὀρνέα.

IX. Animalia, Euripides *in Bacchis*; inter res Orphei numerat, θῆρας ἀγρώτας, *feras sylvestres*. Ut etiam Dio *Orat.* 32. τὰ θηρία ἡμέρωσε, *feras mansuefecit*. Et 78. meminit τῶν θηρίων κηλουμένων ὑπὸ τῆς ᾠδῆς, καὶ παρεπομένων πρᾴως, καὶ ἀκουόντων, *ferarum*, quæ

qui ejus voce lenibebantur, adstabantq; prope illum mansuetè, & quietè. Prox. *lib.* 3. *Orpheu te tenuisse feras.* Ovid. 3. *Art. Am.*

——— *Pictas obstupuisse feras.*

Pausanias quoque *lib.* 9. ait; vidorri statuam Orphei, quam circumstabant Feræ expressæ in marmore, atque ære. Boëtius *de Cons. Philosoph. lib.* 3.

Junxitq; intrepidum latus
Sævis cerva leonibus;
Nec visum timuit lepus
Jam cantu placidum canem.

Et hoc miraculo pulchre Claud. ubi supra de Orpheo jam cessante à Musicâ,

Sæva feris Natura redit, metuensq; leonem,
Implorat cithara vacca tacentis opem.

X. Lapides. Antipater petras inducit ab Orpheo θελχθείσας *mulsas*. Apollon. *Argon.* 1.

——— ——— Πέτρας

Θέλξαι ἀοιδάων ἐνοπῇ. Orpheus ipse *in Argon.*

Πέτραι δ' ἐπεβρόμεον; *sonuerunt saxa*, videlicet ad Vatis modos. Dio Chrysost. *Orat.* 53. λίθους κηλεῖν καὶ ἄγειν, *delinire saxa & ducere.* Et *Orat.* 78. καὶ τὰς λίθους κινουμένας, καὶ ξυνιόντας, ὥσπερ μεγάλα τεμάχια ἀθροιζόμενα λίθου πλησίον αὐτοῦ. Ovidius *lib.* 3. *de Art. Am.*

Saxa ferasq; lyrâ movit Rhodopeius Orpheus.

Et *lib.* 3. *Amor.*

Duraq; percussam saxa secuta lyram.

Seneca in Medeâ,

——— *Qui saxa cantu mulcet.*

XI. Montes. Orpheus ipse *in Argon.*

Εὖτε δ' ἄκρας κορυφὰς, καὶ οὔρεα δενδρήεντα

Πήλιον. Cassius Parmensis:

Convulsosq; suis scopulos radicibus egit.

Silius Italicus,

Non illo Pangæa juga, aut Mavortius Hæmus,
Non illo modulante sonos stetit ultima Thrace,
Cum sylvis venere feræ, cum montibus amnes.

Claud. *lib.* 3. *de Consul. Honorii:*

——— *Rhodopeia saxa*
Orpheis animata modis.

Sidon. Apollin. *in Panegyr. Anthemii Aug.*

Qui cantu flexit scopulos.

XII. Inferos. Virgil. *Georg.* 4.

Quin ipsæ stupuere domus, atq; intima lethi
Tartara, cæruleosq; implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitq; inhians tria Cerberus ora,
Atq; Ixionei vento rota constitit orbis.

Ovidius 3. *Art. Am.* ait illum movisse,

Tartareosq; lacus, tergeminumq; canem.

Idem *Metamorph.* 11.

Talia dicentem, nervosq; ad verba moventem
Exangues flebant animæ. ———

Seneca *in Hercul. Eurip.*

Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos.

Silius Italicus;

——— ——— *Pallida regna*
Bistonius vates, flammisq; Acheronta sonantem
Placavit plectro, & fixit revolubile saxum.

Orphidius Benignus, primæ Legionis; cognomine *Adjutricis* legatus, in conflictu primæ & unius & vicesimæ, occisus. Tacit. *Hist. lib.* 2. *cap.* 43.

Orphitus, Consul cum Prisco, A. U. C. 901.

Orphitus, vide *Pactius*.

Orphneus, unus ex equis Plutonis à *tenebris* nomen habens. Claud. *in fine lib.* 1. *de Rapt. Pros.*

Orphneus crudele micans, Æthonq; sagittâ
Ocyor, & Stygii sublimis gloria Nycteus
Armenti, Diuiq; notâ signatus Alastor.

Orrea, oppidum fuit Africæ, inter Sitifim 18. & Saldas coloniam 57. mill. pass.

Orrhea, Forfair, vel *Forfar*, teste Camdeno, opp. Scotiæ in Angusiâ reg. inter Brechinum ad Ort. & Duncaledinum ad Occ. 12. m.pass. Aliis est *Nevvcastle*, opp. Northumbriæ apud Tinam fluv. à Dunelmo 12. m. p. in Bor. Bervicum versus. Item opp. Mysiæ sup. ad Margum fluv. in Danubium influentem, *Horreum Margi*, Antonino. Baudrando ad Moravam fluv. est. Nunc opp. Serviæ, *la Guardia*, 60. mill. pass. à Viminatio, in Merid. versus Scardum montem.

Orsa, opp. Indiæ intra Gangem, Ptolem.

Orsa, opp. munitum Lithuaniæ, ad Boristhenem, ubi Orsçam amnem recipit. A Moscis haud pridem captum, 18. leuc. Polon. à Smolensco in Occid. 12. à Mohilovia in Bor. Vitebscum versus, cum arce valida. Hic Sigismundus I. Poloniæ Rex Basilium Moscum, ob ademptum Smolenscum, XL M. cæsis, superavit, Ductoribus exercitus, omni gentis senatu & IV M. captis, A.C. 1514. Cromer, *in Orat. fun. Sig. I.*

Orsara, Arm. min. urbs Ptol. *Tonasa* Antonini, ut putat Simlerus, ipse autem legit *Horsa* ex codicibus forte mendosè.

Orsia, vide *Orisia*.

Orsillus Persa, patricidium Bessi perosus, transfugit ad Alexandrum, Curt. 5. 55.

Orsilochus, filius Idomenei, qui patrem sequutus ad expeditionem Trojanam, quum per totum bellum ex voto omnia successissent, in exitu rei, ob insolentiam, dum obstaret totis viribus, ne ex prædâ capti Ilii sors debita daretur Ulyssi, ab eo occisus est. Item filius Alphei fluv. Homer. *Iliad.* 5. & nomen Trojani cujusdam, de quo Virgil. *lib.* 11.

Orsima, opp. Æthiop. sub Ægypto, Plin.

Orsines, Satrapa Darii ultimi, ab septem Persis oriundus, ad Cyrum quoque, nobilissimum regem originem sui referens. In exercitu, qui ad Arbela cæsus, Persis aliisque multis copiis præfuit. Calumniis Bagoæ Eunuchi, tanquam sepulchrum Cyri spoliasset, eversus & ab Alexandro interfici jussus. Vide Curt. 10.

Orsojum, oppid. probè munitum Duc. Cliveusis, ad Rhenum, Juris est Brandeburgici, sub clientela tamen Hollandorum, 3. leuc. supra Vesaliam in Mer. 4. à Geldria in Ort, paulo supra Rhenobergam. Captum à Gallis, An. 1672. sed desertum An. 1674.

Orsologiacum, urbs Galatiæ, inter Ancyram & Nisam, Antonin. Forte *Orsologia*, Ptolem.

Orsona, Urso colonia Straboni; & Plinio, quæ & *Genua Urbanorum*, eidem Plin. *Ursa*, autem Aulo Hirtio, opp. amplum Hisp. Bæticæ; Ducatus, & Academia in Vandalitia, inter Hispalim 8. & Malaccam 16. ab Astigi 5. leuc. in Merid. *Ossuna* Morali. Baudrando urbs parva, & culta Vandalitiæ, 13. leuc. ab Hispali in Ort. Vide *Urso*.

Orsura, Italiæ urbs circa Samnium aut Campaniam, P. Diac. in *Longob.* Forsan *Sora* hodie.

Ortalus, prænomine Marcus. Q. Hortensii ex filio, belli civili Brutiano occiso, nepos; illectus à D. Augusto, liberalitate decies sestertium, uxorem ducere, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur. Qui, cum quatuor filiis, sublaris, in paupertate manifestâ censum suum à Tiberio sublevari peteret, durius repulsus est. Tacit. An. 2. & Suetonius *in Tiberio.* Val. Max. *lib.* 3. ubi *Corbio* vocatur. Forsan hic est, ad quem Catullus *Epigr.* 66.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocet à doctis Ortale virginibus.

Ortana, oppidum Navarræ; 5. à Pompelone leuc. *Arta*; ô aliis, locus excisus.

Ortelius Abrahamus, Antverpianus, ob summam Geographiam, Ptolemæus sui seculi dictus. Vulgavit Tabulas, Thesaurum, Theatrum Geogr. O. T. Synonyma Geographica, aliaque sublimi suo ingenio dignissima. Obiit An. 1598. ætat. 72. Franc. Suvertus, *in ejus vita.* Valer. Andr. *Bibl. Belg. &c.* Symbolum ejus; Orbis, cum lemmate, *Contemno & Orno, mente, manu.* Bucholcer. *Ind.* Philippi 2. Geogr. fuit.

Ortenburgum, opp. Carinthiæ super. ad Dravum fluv. in confin. dit. Salsburg. vix 5. mill. Germ. supra Villacum in Occ. 6. à Ponte ad Fellam seu à confin. Foro-Juhi & dit. Venetæ in Bor.

Ortesium, urbec. Benearniæ, ad Gabarum Palensem fluvium 7. leuc. ab Elorona in Boream, uti à Palo in Circ. 10. à Bajona in Ort. *Ourtes.* Hic docuit Lambertus Danæus, Theologus exercitatissimus, obiitque An. 1576.

Orthagoras, tyrannus Sicyonis; quem dominatum per liberos in annos centum propagavit, humanè & comiter imperans. Successere verò illi Myron & Clisthenes.

Orthagoras, de rebus Indiæ volumen condidit. Ælianus *de An. lib.* 16. *cap.* 35. & *lib.* 17. *cap.* 6.

Orthagoras, vide *Satyrus.*

Orthe, Magnesiæ civitas Plinio, Perrhæbiæ verò Straboni, quæ quibusdam (ut idem scribit) *Phalannæorum arx* credita fuit. Vide *Hippia.*

Orthaga, Mesopotamiæ urbs, Ptolem.

Orthia, Diana apud Lacedæmonios, in cujus sacrificiis adolescentuli, qui *Bomonicæ* dicebantur, aris superpositi contendere solebant, qui plura verbera sustineret. Plut.

Orthiumagus, locus marit. Phœniciæ, Polyæn. *in Ant. com.* 9.

Orthocorybantii, pop. Scythiæ in Asiâ, Herod. *lib.* 3.

Orthopagos; vide *Thurium.*

Orthosia; *Antaradus* prius; teste Plinio; *Orthosias* Straboni, *Orthosis* Dionysio, *Tortosa* Moletio & aliis, urbs Phœnices Episcop. sub Archiepisc. Tyrio in orâ, inter Balaneas ad Arct. 24. & Tripolim ad Austr. 50. m. p. Item cognomen Minervæ ab *Orthosio* Laconiæ mont. in reg. Peloponnesi. Item, urbs Cariæ marit. in confin. Pisidiæ, Episc. sub Archiep. Staurop ol. Ferrar.

Orthura, urbs Ind. citer. ampla & regia in mediterr. apud oram in Ort. inter Narsingam & Bengalam, à quâ in Occ. ad 200. leuc. abest. *Orissa* Castaldo. Aliis nunc *Gingi*, urbs ampla Indiæ citer. aliàs regni Bisnagaris, nunc propr i regni caput, cum arce ampla & permunita in colle, 70. m. p. circiter ab ora sinus Ganget. in Occ. 260. à prom. Comorino in Bor.

Orthus, canis, qui Geryonis armenta custodiebat, appellatus est: fuitque Echidnæ filius, Cerberi frater, quem, unà cum Eurytione

rytione Pastore, ab Hercule scribit interemptum, Hesiodus *in Theogonia*, Silius Italicus, *lib.* 13.

—— Illatrat jejunis faucibus Orthus,
Armenti quondam custos immanis Iberi.

Orton, melius *Ortona*, Italiæ opp. in Marrucinis, non longè ab Aterno amne. Strabo *lib.* 5. Μεζὺ Ἄτερνον Ὄρτων, ἐπίνειον Φρεντανῶν. Ptolemæus falsò Pelignis tribuit; ut magnus est Italiæ turbator. Πολίχνιον, inquit, Σάχρι πτωμῶν ἐκβολαί, Ὄρτων. Hodie etiam *Ortona* vocatur, cognom. *à mare*, long. 38. 35. lat. 42. 40. Baudrando urbs fuit Frentanorum, in ora maris Adriat. nunc urbs Episcop. Aprutii citer. 12. mill. à Theate in Ort. 8. ab Anxano in Bor. Cum portu fatis tuto.

Ortopula, *Ortopla*, Ptol. opp. Liburniæ litoralis, inter Seniam ad Occ. & Vegiam ad Ort. *Ortopola* Moletio.

Ortospana, Paropanisi in Asia urbs, Ptolemæo. *Candahor*, Castaldo.

Ortospanum, Indiæ urbs, inter Arachosiorum urb. 50. & Indum fluv. 337. m. p. distans, Plin.

Ortospeda, vide *Orospeda*, & Boch. *de Ph. Col. lib.* 1. *cap.* 34.

Ortygia, Delos à copiâ coturnicum sic dicta. Est & lucus Ephesiorum, teste Tacito, & alius apud Panormum Milesiorum Strab. Insula quoque Siciliæ apud Syracusas. Virg. *Æn.* 3.

Linquimus Ortygiæ portus, pelagoq; volamus.

Vide Stephan. in Ἔφεσος, & Δῆλος.

Orvinium, Halicarn. opp. Aboriginum, ubi Minerva culta, à Mephila 40. stad.

Orvium, promontorium Hispan. Tarrac. Ptolemæo. *Orubium* in Lat. exempl.

Oruros, locus Mesopotamiæ, Plin. terminus Imper. Roman. à Zeugmate 250. m. p. 10 Ortum, versus Tigrim fluv.

Orus, Ægypti rex, ante U. C. an. plus minus 830. Cognom. Pharao, post Amenophin 2. vel Memnonem, circa An. M. 2469. regnavit An. 38. An Busiris, ob sævitiam, & Thebas conditas, pyramidesque substructas famosus? Euseb. *in Chron.* Item Apollo sic dictus apud Ægyptios: Et Grammaticus quidam apud Eustath. *in Iliad.* λ. ubi etiam cum Ælio Dionysio, & Alexandro Cottyaensi conjungitur. Vide Etymologum, in Πάτμος, & Seldenum, *de Diis Syriis Synt.* 2. *cap.* 16. Item Historicus, vel Geographus, cujus meminit Steph. in Νικίου κώμη.

Oruza, urbs Palæstinæ. Concil. Chalc.

Oryander, Satrapes Darii Persicus, Ægypto impositus, ob cujus crudelitatem Ægyptii defecerunt, Polyæn. *lib.* 7.

Orychion, locus Atticæ.

Oryx, locus Arcadiæ ad Ladonem fluv. Pausan.

O S.

Os Mæotidis, Herodoto *Fretum Cimmerium*, vulgò *Stretto di Caffa*. Vide *Bosporus Cimmerius*.

Os Ponti, vide *Bosporus Thracius*.

Osaa, Sardiniæ opp. Ptol. nunc viculus. Simlerus dubitat, num sit *Othoca* Antonini. *Salino* Nigro dicitur, *l'Oseo* Ferrario.

Osaias, nomen viri, 2. Esdr. 12. Lat. *salvator*, vel *salus Domini*.

Osbernus, seu *Osbertus*, Anglus Benedictinus, Ann. 1074. sub Guilielmo Conquestore, Lanfranco familiaris, præcentor Eccles. Cantuariensis, eruditione inclytus, scripsit vitam S. Dunstani, &c. Pitseus, Baleus, Molan. *in not. Usuardi*, Baron. *A. C.* 840. 855. *&c.* Possevin. Voss. Item, alius, An. 1140. in varios S. Scripturæ libros commentatus, Pitseus. Item alius, An. 1136. Clarentiâ oriundus. Scripsit vitam S. Eduardi, Pitseus, Voss. &c.

Osbertus Pickenguam, Carmelita Anglus, Doctor Parisiensis: inter primos sui seculi, scripsit in Magistrum sententiar. tractatus Theologicos, &c. Obiit An. 1330. Pitseus *de Scr. Angl. &c.*

Osborium, locus in Germania, ubi Concilium à S. Annone, Archiepiscop. Coloniensi celebratum, An. 1062 in quo, præsente Henrico 4. Imper. Cadalous Parmæ Episcop. Antipapa, nomine Honorii 2. sumpto, condemnatus est, & electio Alexandri 2. rata habita. Ubi sit, ignoratur.

Osca, vulgò *Huesca*, urbs Hispan. citer. in regno Arragonio. Hic Sertorius Academiam, educationi juventutis instituit, & vitam morte commutavit. Plut. *in Sertorio*. Vellejus: *Sertorium inter cœnam Etosca interemit.* Imo *Osca*, Strab. *lib.* 3. de eodem Sertorio, Ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκῃ, ita enim egregiè emendavit Cl. Puteanus; ubi olim corrupté Ἰλέρδᾳ. Florus etiam 3. 22. Oscam inter urbes recenset, quæ Sertorio occiso in potestatem Romanorum venere. Locus illius ita scribendus est; *Ipsa quoq; in Romanam fidem venere urbes, Osca, Thermes, Tutia, Valentia, Uxama*. long. 21. 20. lat. 43. 00. Olim urbs Ilergetum, in Valentinia tractu, ad Isuelam fluv. 9. leuc. à Cæsaraugusta in Cæc. 8. à Jacca in Merid. 7. à Barbastro in Occid. parva sed culta. Ex nummis antiquis legit Anton. Augustinus *V. V. Osca*, & exponit *Urbs Victrix Osca*. Baudrand. Episcop. est sub Archiepisc. Tarraconensi olim, nunc Cæsaraugustano. Hic Concilium An. C. 598. Æræ Hispan. 636. Conciliorum Volum. 14. editio Lupar.

Osca, opp. Hispan. Tarracon. in Bastitanis, *Escua* Plinio, nunc vulgò *Huescar*, vel *Guescar*, in regno Granatæ, in confin. Murciæ, versus montes, cum tit. Ducat. inter Basti 7. & Caravaccam in Bor. 10. leuc.

Oscana, urbs Gedrosiæ, Ptolem.

Oscarus, vel *Oscara*, vulgò *Ouscle*, teste Cænali, fluv. Gall. Celt. per Burgundiam (Divionem urbem intersluens) in Ararim fluv. inter Auxonam & Suram fluens. Ferrar. Piscibus prædives. Ad hunc Gundobaldus, Burgund. Rex victus est à Chlodoveo Francorum Reg. Gregor. Tur. *Hist. Franc. lib.* 2. *cap.* 32. *& lib.* 3. *cap.* 19. Dedit pago *Oscarensi* nomen, qui continebatur Arari ac Oscarâ & Tillâ fluminibus, à pago Divisionensi distinctus, &c. *Uscarensis* quoque nonnunquam dicitur. Præterlabitur hic fluv. Columbaria, Divionem, Robur, Longam, Cuttem, & contra Latonam in Ararim defluit, Hadr. Valesius *in Notit. Gall.*

Oscella, opp. Insubriæ in Lepontiorum confinio apud Montem Sempronium, Ptolem. *Domo d'Oscela*, Italis dicitur, long. 39. 10. lat. 45. 08. In ea valle, quam *Tosa* flum. à summis Alpibus, ut Ticinus, ortum perluit, infimâ parte jacens. *Thum* Germ. ab Dominico ibi, id est, Canonicorum Collegio. Unde hodie nomen *Dum d'Oscela* habet, & *Vallis de Oscella*, Germ. *Eschenthal*.

Oscellus, Insula amnica, ubi Normanni extruxerant castellum, in eo à Danis, duce Welando, obsessi, An. C. 861. in Sequana: vulgò à similitudine, Rostrum Asini, *l'Isle de Bedasne*, aliàs *Tourville* & *Oissel* dicitur, id est, Torulina, & *Oscellus*, & 25. arvi acras, prati tres, ac viminetum continere fertur, Hadr. Vales. *in Notit. Gall.*

Oschophoria, festa Atheniensium, hanc ob causam instituta. Athenienses ob cædem Androgeo, Cretensibus ad 9. An. pœnæ causâ 7. adolescentes, totidemque puellas, oraculi jussu, pendere cogebantur. Cumque tertia pensio jam exigeretur, Theseus cum reliquis profectus, illâ tributi vexatione patriam liberavit, & in rei memoriam Ὀσχοφόρια, cum suis redux, constituit. Χαριστήρια ἀποδιδοὺς, ut ait Proclus, Ἀθηνᾷ καὶ Διονύσῳ, οἱ αὐτῷ κατὰ τὴν Δῆλον ἐπέφανον. Alii in honorem Liberi Patris & Ariadnæ instituta tradiderunt; vel quod reditus in id tempus incidisset, quo fructus autumni colliguntur. Plutarch. utrumque tangit, Φέρειν δὲ Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι, διὰ τὸν μῦθον, ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον. Et postremò hoc mihi cum Plutarcho magis placet; cui & ipsa ratio nominis adstipulatur, ἀπὸ τοῦ φέρειν τὰς ὤσχας. At ὤσχη apud Harpocrationem, est κλῆμα βότρυς ἐξηρτημένους ἔχον. Unde Hesychius, Ὠσχοί, κλήματα βοτρύων γέμοντα. Porro solennitatem auspicabantur adolescentes duo ex ordine nobilium & divitum electi. Harpocration ex Philochoro, Ἐπὶ τῆς κρίσεως τῆς νομίμου τοὺς καλλιστεύοντας Ὀσχοφόρους καταλέγειν δύο τῶν ἐφήβων καὶ πλούτῳ διαφέροντας. Atque hi adolescentes habitu muliebri ornabantur. Proclus *in Chrestomathiâ*: Τοῦ χοροῦ δὲ δύο νεανίαι κατὰ γυναῖκας ἐσταλμένοι, κλῆμά τε ἀμπέλου κομίζοντες μεστὸν εὐθαλῶν βοτρύων (ὁκαλεῖτο δὲ αὐτὸ ὄσχην, ἀφ' οὗ καὶ τοῖς μέλεσιν ἡ ἐπωνυμία) τῆς ἑορτῆς κατήρχοντο. Præterea certamen cursûs inter adolescentes committebatur: quos omnes & patrimos, & matrimos & genere nobiles esse oportebat; cursu autem à Bacchi templo ad Minervæ Sciradis contendebant. Scholiastes Nicandri *in Alexipharmacis*: Ὀσχοφόροι δὲ λέγονται Ἀθήνησι παῖδες ἀμφιθαλεῖς, ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλάς· οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. Hesychius, Ὠσχοφόρια, παῖδες ἀμφιθαλεῖς ἁμιλλώμενοι, οἱ φέροντες τὰς ὤσχας εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. Hoc Minervæ templum erat in Phalero. Hesychius, Ὠσχοφόριον· τόπος Ἀθήνησι Φαληροῖ, ὅθεν τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν. Nam alterum erat Minervæ templum in Sciro, pago inter Athenas & Eleusinem, de quo dicemus in *Scirophoria*. Vide Castellanum *de Fest. Græcorum*.

Osci, pop. Campaniæ in Latii & Samnii confin. *Sidicini* postea dicti, teste Strab. quorum urbs Teanum. Virgil. *Æneid.* 7.

Oscorumq; manus. ——— ———

Sic ab oris fœditate dicti. *Osci* enim apud veteres, turpitudinis, libidinis, & sermonis notantur, autore Festo ex Titinnio. Unde *Oscè loqui*, proverb. dicitur de iis, qui turpiter, & impudicè loquuntur. *Oscè* etiam & *Volscè* fabulari dicuntur, qui Latinè nesciunt loqui. Scopticè Horatius,

——— *Messi clarum genus Osci.*

Oscius, mons & fluv. Thraciæ ex eodem monte apud Rhodopen non longè ab Hebro fluvio, Thucyd.

Osculatorium, Icon pacis, ut vocant, cui in Missa oscula impingunt Pontif. Rom. De quo vide Spelmannum *in Gloss. Archæol.*

Oscum, locus augurum, in agro Vejenti, Fest.

Oscus, Thuscorum Rex, Ann. ante U. C. 540. Ejus insigne fuit serpens.

Oscus, Othonis libertus, classi contra Gallicam Narbonens. præfectus, ad observandam honestiorum fidem invitatus. Tacitus *Histor.* 1. *cap.* 87.

Osdara, Armeniæ minoris urbs, Antonin. forsan eadem cum *Asdara*.

Osee, filius Ela, Phacæo Israelis rege occiso, thronum occupavit: à Salmanassare oppugnatus, regnum ei tributarium reddidit; Excussurus jugum, fiduciâ Suæ Ægypti Regis, à Salmanassare Samariæ obsessus est, quâ post triennii moram captâ, Israelitarum tribus 10. in Mediam & Assyriam translatæ, inde in omnes partes

Septen-

Septentrionales Asiæ se extenderunt. Hos, sub Cyro, ex parte in Judæam rediisse, statuunt Cyrillus, Theodoretus & Theophylactus. Hic regni Israelitici finis, hic terminus fuit, A. M. 3314. An. 255. postquam à regno Jehudæ fuit avulsum, 4. Regum. 15. 17. 18. Nomen item Prophetæ filii Beeri, qui princeps 12. minorum Prophet. ex tribu Issachar, prophetavit, sub Ozia, Joachamo, Achaso, Ezechia, & Jeroboamo 2. Jehudæ Israelisque Regibus. Populo scortationem spiritualem acerbè exprobare jussus, ejus captivitatem prædixit. Vixit circiter An. 100. ejus Prophetia continetur cap. 14. Hieron. *in Prol. Galeato & alibi.* Epiphan. *de vit. Prophet.* Salian. Torniel. *in Annal.* Bellarmin. *de Script. Eccles.* Rivetus, Coccejus, &c. *in Hoseam.* V. ibi. Item Josue sic dictus, filius Nave, Num. 13. Lat. *salvator*, aut *salvus*.

Osericta, insula parva, ubi sylva Cedrorum conspiciebatur, è quibus electrum in petras defluebat, Plin. Cluverio est *Oesel*, insula maris Balt. prope Livoniam, quæ aliàs *Latris* etiam dicta, *Osilia* recentioribus prope os sinus Rigensis. Vide ibi.

Osi, pop. Germ. quos Althamerus ponit in Silesiâ, ubi *Oppeln*, & *Neysse* urb. sunt. Reyneccius verò in Westphaliâ, quorum urbs est *Osenburg*, vel *Osnaburg*, quasi *Osorum burgum*, à Monasterio 6. leuc. in Bor. Bremam versus: Et ab his forte *Osenfurtum*, Franconiæ. Rantzovius verò in insula maris Baltici, quam *Oesel* vocat. Baudrando fuere, versus Viadrum fluvium: Cluverio aliisque, ubi nunc major pars Silesiæ, urbesque *Oppelen*, *Ratibor*, *Tropph*, *Neysse*, cum minuta parte Poloniæ super.

Osiana, urbs Cappadociæ, Antonino.

Osiander Andreas, sen. Bavarus. Norimbergæ primam concionem habuit. An. 1522. Hinc in Prussiam profectus, Ann. 1548. ob librum *Interim*, bellum ibi Osiandricum movit, *Hominem justum esse justitia Dei essentiali*, asserens, obiit An. 1552. ætat. 54. Vir αὐτοδίδακτος, & aliàs inter suos magni nominis. Edidit Harmoniam Evangel. Græc. Latin. cum Annotat. Basil. 1516. 1537. Franc. 1541. Paris. 1564. Animus in eo fuit confidens, & mores neutiquam moderati ac suaves, Melch. Adami, Calvinus *ad Melanchth.*

Osiander Andreas, Jun. filius Lucæ, Ministri Tubingensis, (qui in Utr. Testam. Annotationes 3. Volum. fol. scripsit, aliaque, & obiit An. 1604.) Natus est Blabeuræ, agri Wirtemberg. oppido, Concionator & Consil. Aulæ Wirtemberg. Theologiæ D. Abbas cœnobii Adelbergensis & proxim. Eccles. Superintendens, Præpositus Tubing. & Cancellarius. Edidit Sacr. Biblia, cum observat. Theolog. Theologus vigilans, prudens, constans, obiit An. 1617. ætat. 55. Melch. Adami *in vita Theol. Germ.*

Osiander, vide quoque *Andreas* & *Lucas*.

Osiba, Albaniæ urbs, Ptolem.

Osica, Albaniæ urbs, Idem. An *Harmozica* Strab.

Osicerda, vel *Osera*; teste Varrerio, opp. Hisp. Tarrac. in regno Arragonio. Ptol. Plinius *Osigerdense* vocat.

Osii, & *Osili*, gens Sarmat. Eur. Ptol.

Osilia, insula maris Baltic. cum urbe ad os sinus Venedici, Livoniæ pars; vulgò *Oesel*. Sub Sueeis An. 1646. cùm prius sub Danis esset. Vix 3. mill. Germ. ab ora Curlandiæ in Bor. 5. ab Esthonia in Occid. Circuitus 100. m. p. Ibi sunt Aresburgum & Sonneburgum arces. Vix 1. leuc. in Merid. à Daghoa insula, 16. mill. German. à Riga in Circ. 11. à Pirnavia, 10. à Vinda in Boream. Aliis *Latris*.

Osincum, pagus Corsicæ, ad Hieri fluv. ortum, Ptolem. *Omiso*, ut putatur, hodie dicitur.

Osintici, urbs Hispan. Bæt. Plin.

Osiris, Jovis filius ex Niobe Phoronei filiâ. Argivis imperavit: sed subditis subiratus fratri Ægialeo regnum tradidit, profectus in Ægyptum est, quam legibus egregiis instructam, Rex tenuit. Isis maritus, quæ & Isis dicta, varias artes Ægyptios docuit, unde uterque pro Deo incolis. Tandem discerptus à suis inimicis, in bovem transformatus fingitur, præcipuæ non apud veteres modò Ægyptios, sub nomine Apidis & Serapidis, sed & hodiernos Indos, venerationis. Vide Alex. Rossæum, *in Mystagogo Poëtico*, & de Valle, *Itiner. tom.* 4. Hujus nomine non solùm Sol intelligebatur apud Ægyptios, verum etiam Dionysius sive Bacchus. Jupiter quoque pater, justus & dux, quique unà cum Anubi Gigantes ex Italia expulisse legitur. Quibusdam *virum beatum* significare videtur, & proinde rectissime derivari, ab אשר *Aschre*, *beatus*, & איש *Isch*, vir. Aliis Ægyptiacum placet etymon. Scribit enim Plutarch. *Os* apud Ægyptios designare *multum* & ἶρι *oculum*. *lib. de Is. & Os.* quod etiam approbat Eusebius, cui propterea, ut Dionysus, πολυόφθαλμος dicitur. Idque cum Solis significato probè congruit. Eadem ratione justum esse dixerunt. Quid ita? Annon Orpheus affirmat Solem esse δικαιοσύνης ὄμμα? Annon Theologi veteres Justitiam prodiderunt è medio Solis throno per cuncta propagari, omniaque dirigere? Ex Plutarchi libro etiam colligitur Osirim Nilum vocari, & nigro fuisse corporis colore: & Hellanico teste, Ὄσιριν appellatum à sacerdotibus, proprio verò nomine *Arsaphen* dictum, quod Plutarch. tamen parum probat, qui & eum nomen accepisse ait, ἐκ τοῦ ὁσίου ἱεροῦ, *ex sacro sancto*. Hinc Suidas, *Deum hunc alii Jovem esse dixerunt, alii Nilum, propter modium, quod in capite habet, & cubitum, mensuram aquæ scilicet.* Plinio *Pan*, *Serapis*, & *Ammon* dicitur. Cultus tandem & Romæ fuit, pluresque ei ædes & templa extructa fuisse ex P. Victoris, & Onuphrii Panvinii descriptionibus 14. Regionum urbis apparet. Columnæ ejus, teste Diodoro, hujusmodi fuit inscriptio: Πατὴρ μέν ἐστί μοι Κρόνος, νεώτατος θεῶν ἁπάντων. Εἰμὶ δὲ Ὄσιρις ὁ βασιλεὺς, ὁ στρατεύσας ἐπὶ πᾶσαν χώραν, ἕως εἰς τοὺς ἀοικήτους τόπους τῶν Ἰνδῶν, καὶ τοὺς πρὸς Ἄρκτον κεκλιμένους μέχρις τῶν τοῦ Ἴστρου ποταμοῦ πηγῶν, καὶ πάλιν ἐπὶ τἄλλα μέρη ἕως Ὠκεανοῦ. Εἰμὶ δὲ υἱὸς Κρόνου πρεσβύτατος, καὶ βλαστὸς ἐκ καλοῦ τε καὶ εὐγενοῦς, σπέρματος συγγενὴς ἐγενήθην ἡμέρας, καὶ οὐκ ἔστι τόπος εἰς ὃν ἐγὼ οὐκ ἀφῖγμαι, διαδοὺς πᾶσιν ὧν ἐγὼ εὑρετὴς ἐγενόμην. Agriculturam Ægyptios docuit, quod beneficium occasio procul dubio fuit, quamobrem pro Deo cultus sit. Tibull. *lib.* 1. *el.* 7.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaq; non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durà cædere falce comam.

Suidas, Ὄσιρις. Τοῦτον οἱ μὲν λέγουσιν εἶναι τὸν Διονύσιον, οἱ δὲ, ἄλλον, ὃν ὑπὸ Τυφῶνος ἀδελφοῦ ἐσπαράχθαι, καὶ μέγα πένθος γενέσθαι τοῖς Αἰγυπτίοις, καὶ τοῦ σπαραγμοῦ μνήμην ποιεῖσθαι ἐπὶ πάντα τὸν χρόνον. Typhon ille frater ejus fuit, Diod. Sic. *lib.* 1. Φασὶ γὰρ νομίμως βασιλεύοντα τῆς Αἰγύπτου τὸν Ὄσιριν ὑπὸ Τυφῶνος ἀναιρεθῆναι τοῦ ἀδελφοῦ, βιαίου καὶ ἀσεβοῦς ὄντος. Ejus memin. Juvenalis *Sat.* 8.

Exclamare libet populus, quod clamat Osiri
Invento. —— ——

Id est, non minori lætitiâ, quàm Ægyptii exultant, ubi invenerint Apim bovem, qui Osiridem, id est, frumenti Inventorem repræsentet, exclamantes εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν· Athenagoras Orator in legatione pro Christianis. Per hunc jurare solebant veteres, Horatius 1. *Epist.* 18.

—— *Licet illi plurima manet*
Lacryma, per sanctum juratus dicat Osirim,
Credite, non ludo. —— ——

Non prætermittendum est hoc loco, quod de Osiride habet Mercurius ille Trismegistus, in τῇ Κόρῃ τοῦ Κόσμου. Osiris ibi σωμάτων ἑκάστου ἔθνους ἡγεμὼν, καὶ ἰσχύος, καὶ ῥώμης καθηγητὴς appellatur, nominibus purâ, quæ ad eum propriè apud Ægyptios spectabant. Eum nempe corporum, adeoque nervorum, uniuscujusque gentis, virium item ac roboris ductorem esse, sive ducem obrendebant Hierophantæ. Vide plura de Osiride, apud Seldenum *libr. de Diis Syris*, & in voce *Apis*.

Osismi, Cæsari, *Osismii*, Pomponio & Plinio, pop. Gall. Celt. in ultimo recessu Britanniæ minoris, ad Boream, quorum tractus adhuc *Osismer*, teste Bertrando Argentræo, dicitur. *Timios* vocat Pythæas apud Strabonem, qui eos quoque *Sismios* appellat. Ibi nunc Diœceses Trecorensis & Leonensis. Eorum urbes fuere, Vorganium caput eorum, vulgò *le Quiendet* castrum, Staliocanus portus, *S. Paul de Leon*, & Brivates, *Brest*, Baudrandus. Cæsar suprà memoratus numerat eos, inter maritimas civitates, quæ Oceanum attingunt, atque inter socios belli Venetici, inter Unellos & Curiosolitas, *lib.* 2. & 3. *Comm.* cum quibus, ut & Rhedonibus, sena millia armatorum, Vercingetorigi contulerunt, *lib.* 7. Plinius sec. in Lugdunensi Gallia, inter Abrincatuos ac Ligerim eos ponit; Claud. Ptolemæus eos in eadem Gall. ultimos usque ad Gobæum prom. facit, quia in ora Oceani Aremorici ad Occid. versa sunt ultimi. *Oxismi* quandoque, & *Oximensei* quoque dicuntur; unde factum, ut pro Oximis prope Sajos facilè à quibusdam haberentur. Illorum urbs Vorganium Ptolem. *Vorgium*, tabb. Peuting. ubi Maurorum Osismiacorum præsidium sub præfecto fuisse, indicat Not. Imp. Rom. *civitas Ossismorum* quandoque vocitatur. Hanc apud Bertr. Argentræum, Britannico nomine, *Cozquevudet*, hoc est, urbem veterem appellari, tradit Samson: quâ ante multa secula dirutâ, ex ejus antiqua diœcesi ac unica sede, tres esse factas, nim. Leonensem, Trecorensem ac Briocensem, *S. Pol de Leon*, *Treguier*, & *S. Brieu*, sed de ista urbe veteri, quam Albertus *Lexobiam* quoque vocat, nil apud graves auctores reperitur. Et, regnante quidem Carolo Calvo, ex Monasterio S. Brioci sedem Episcopalem factam esse constat, à Nomenoio Regulo Brittonum, in Osismiis: At *civitatis Osismiorum* nomine utra designetur, Tregorensis, à quo Episcop. cui ibi sedes, nomen habet, (*Treguer*, aut *Land triguier*,) an Leonensis (*S. Paul de Leon*) & utra alteram vetustate præcedat, haud facile dictu est, Hadrian. Valesius, *Notit. Galliæ*.

Osius, Episcopus Cordubensis, in Hispan. Natus An. 257. Durante persecutione Diocletiani & Maximiani fidem admirabili constantiâ confessus, Confessoris elogium à Synodo Sardicensi, S. Athanasio, aliis, meruit. A Constantino M. ob virtutem usq; adeò est magni habitus, ut eum in rebus ad Ecclesiam pertinentibus subinde consuleret. Zelo religionis fervens, Donatistarum, Arianorum, aliorum hæreticorum odia in se concitavit: Alexandriam missus est à Constantino, qui Concilium ibi contra Meletianos, Arianos, & Colluthi sectatores, item de Paschatis observatione, celebrabat. Princeps postea legatorum, in 1. Concil. Niceno, ex parte Sylvestri Episc. Rom. præsedit in Concil. Sardicensi, A. 347. Hæreticorum malleus: qui, ut eum in suas partes pertraherent, nullum

rytione Pastore, ab Hercule scribit interemptum, Hesiodus *in Theogonia*, Silius Italicus, *lib.* 13.

—— Illatrat jejunis faucibus Orthus,
Armenti quondam custos immanis Iberi.

Orton, melius *Ortona*, Italiæ opp. in Marrucinis, non longè ab Aterno amne. Strabo *lib.* 5. Μεξὺ Ἄτερνον Ὄρτων, ἐπίνειον Φρεντανῶν. Ptolemæus falsò Pelignis tribuit; ut magnus est Italiæ turbator. Πελιγνῶν, inquit, Σάχεν πόλεμῶ ἐκβολαὶ, Ὄρτων. Hodie etiam *Ortona* vocatur, cognom. *à mare*, long. 38. 35. lat. 42. 40. Baudrando urbs fuit Frentanorum, in ora maris Adriat. nunc urbs Episcop. Aprutii citer. 12. mill. à Theate in Ort. 8. ab Anxano in Bor. Cum portu satis tuto.

Ortopula, *Ortopla*, Prol. opp. Liburniæ litoralis, inter Seniam ad Occ. & Vegiam ad Ort. *Ortopola* Moletio.

Ortospana, Paropanisi in Asiâ urbs, Ptolemæo. *Candahor*, Castaldo.

Ortospanum, Indiæ urbs, inter Arachosiorum urb. 50. & Indum fluv. 337. m. p. distans, Plin.

Ortospeda, vide *Orospeda*, & Boch. *de Ph. Col. lib.*1. *cap.*34.

Ortygia, Delos à copiâ *coturnicum* sic dicta. Est & lucus Ephesiorum, teste Tacito, & alius apud Panormum Milesiorum Strab. Insula quoque Siciliæ apud Syracusas. Virg. *Æn.*3.

Linquimus Ortygiæ portus, pelagoq; volamus.

Vide Stephan. in Ἔφεσος, & Δῆλος.

Orvinium, Halicarn. opp. Aboriginum, ubi Minerva culta, à Mephila 40. stad.

Orvium, promuntorium Hispan. Tarrac. Ptolemæo. *Orubium* in Latt. exempl.

Oruros, locus Mesopotamiæ, Plin. terminus Imper. Roman. à Zeugmate 250. m. p. in Ortum, versus Tigrim fluv.

Orus, Ægypti rex, ante U. C. an. plus minus 830. Cognom. Pharâo, post Amenophin 2. vel Memnonem, circa An. M. 2469. regnavit An. 38. An Busiris, ob sævitiam, & Thebas conditas, pyramidesque substructas famosus? Euseb. *in Chron.* Item Apollo sic dictus apud Ægyptios: Et Grammaticus quidam apud Eustath. *in Iliad.* λ. ubi etiam cum Ælio Dionysio, & Alexandro Cottyaensi conjungitur. Vide Etymologum, in Παίτυμος, & Seldenum, *de Diis Syris Synt.*2. *cap.*16. Item Historicus, vel Geographus, cujus meminit Steph. in Νικίυ κώμη.

Oruza, urbs Palæstinæ. Concil. Chalc.

Oryander, Satrapes Darii Persicus, Ægypto impositus, ob cujus crudelitatem Ægyptii defecerunt, Polyæn. *lib.*7.

Oryehion, locus Atticæ.

Oryx, locus Arcadiæ ad Ladonem fluv. Pausan.

O S.

Os Mæotidis, Herodoto *Fretum Cimmerium*, vulgò *Stretto di Caffa*. Vide *Bosporus Cimmerius*.

Os Ponti, vide *Bosporus Thracius*.

Osaa, Sardiniæ opp. Ptol. nunc viculus. Simlerus dubitat, num sit *Othoca* Antonini. *Salino* Nigro dicitur, *l'Oseo* Ferrario.

Osaias, nomen viri, 2. Esdr. 12. Lat. *salvator*, vel *salus Domini*.

Osbernus, seu *Osbertus*, Anglus Benedictinus, Ann. 1074. sub Guilielmo Conquestore, Lanfranco familiaris, præcentor Eccles. Cantuariensis, eruditione inclytus, scripsit vitam S. Dunstani, &c. Pitseus, Baleus, Molan. *in not. Usuardi*, Baron. *A. C.* 840. 855. *&c.* Possevin. Voss. Item, alius, An. 1140. in varios S. Scripturæ libros commentatus, Pitseus. Item alius, An. 1136. Clarentiâ oriundus. Scripsit vitam S. Eduardi, Pitseus, Voss. &c.

Osbertus Pickenguam, Carmelita Anglus, Doctor Parisiensis: inter primos sui seculi, scripsit in Magistrum sententiar. tractatus Theologicos, &c. Obiit An. 1330. Pitseus *de Scr. Angl. &c.*

Osborium, locus in Germania, ubi Concilium à S. Annone, Archiepiscop. Coloniensi celebratum, An. 1062 in quo, præsente Henrico 4. Imper. Cadalous Parmæ Episcop. Antipapa, nomine Honorii 2. sumpto, condemnatus est, & electio Alexandri 2. rata habita. Ubi sit, ignoratur.

Osca, vulgò *Huesca*, urbs Hispan. citer. in regno Arragonio. Hic Sertorius Academiam, educationi juventutis instituit, & vitam morte commutavit. Plut. *in Sertorio.* Vellejus: *Sertorium inter cœnam Etosca interemit.* Imo *Osca*, Strab. *lib.* 3. de eodem Sertorio, Ἐπλάγη δ' ἐν Ὄσκῃ, ita enim egregiè emendavit Cl. Puteanus; ubi olim corruptè ἴλερδα. Florus etiam 3. 22. Oscam inter urbes recenset, quæ Sertorio occiso in potestatem Romanorum venere. Locus illius ita scribendus est; *Ipsæ quoq; in Romanam fidem venere urbes, Osca, Thermes, Tutia, Valentia, Uxama.* long. 21. 20. lat. 43. 00. Olim urbs Illergetum, in Valcitonia tractu, ad Isuelam fluv. 9. leuc. à Cæsaraugusta in Cæc. 8. à Jacca in Merid. 7. à Barbastro in Occid. parva sed culta. Ex nummis antiquis legit Anton. Augustinus *V V Osca*, & exponit *Urbs Victrix Osca*. Baudrand. Episcop. est sub Archiepisc. Tarraconensi olim, nunc Cæsaraugustano. Hic Concilium An. C. 598. Æræ Hispan. 636. Conciliorum Volum. 14. editio Lupar.

Osca, opp. Hispan. Tarracon. in Bastitanis, *Escua* Plinio, nunc vulgò *Huescar*, vel *Guescar*, in regno Granatæ, in confin. Murciæ, versus montes, cum tit. Ducat. inter Basti 7. & Caravaccam in Bor. 10. leuc.

Oscana, urbs Gedrosiæ, Ptolem.

Oscarus, vel *Oscara*, vulgò *Ouschè*, teste Cænali, fluv. Gall. Celt. per Burgundiam (Divionem urbem interluens) in Ararim fluv. inter Auxonam & Suram fluens. Ferrar. Piscibus prædives. Ad hunc Gundobaldus, Burgund. Rex victus est à Chlodoveo Francorum Reg. Gregor. Tur. *Hist. Franc. lib.*2. *cap.*32. *& lib.* 3. *cap.*19. Dedit pago *Oscarensi* nomen, qui continebatur Arari ac Oscarâ & Tillâ fluminibus, à pago Divisionensi distinctus, &c. *Uscarensis* quoque nonnunquam dicitur. Præterlabitur hic fluv. Columbaria, Divionem, Robur, Longam Curtem, & contra Latonam in Ararim defluit, Hadr. Valesius *in Notit. Gall.*

Oscella, opp. Insubriæ in Lepontiorum confinio apud Montem Sempronium, Ptolem. *Domo d'Oscela*, Italis dicitur, long. 39. 10. lat. 45. 08. In ea valle, quam *Tosa* flum. à summis Alpibus, ut Ticinus, ortum perluit, infimâ parte jacens. *Thum* Germ. ab Dominico ibi, id est, Canonicorum Collegio. Unde hodie nomen *Dum d'Oscela* habet, & *Vallis de Oscella*, Germ. *Eschenthal*.

Oscellus, Insula amnica, ubi Normanni extruxerant castellum, in eo à Danis, duce Welando, obsessi, An. C. 861. in Sequana: vulgò à similitudine, Rostrum Asini, *l'Isle de Bedasne*, aliàs *Tourville* & *Oissel* dicitur, id est, Torulina, & *Oscellus*, & 25. arvi acras, prati tres, ac viminetum continere fertur, Hadr. Vales. *in Notit. Gall.*

Oschophoria, festa Atheniensium, hanc ob causam instituta. Athenienses ob cædem Androgeo, Cretensibus ad 9. An. pœnæ causâ 7. adolescentes, totidemque puellas, oraculi jussu, pendere cogebantur. Cumque tertia pensio jam exigeretur, Theseus cum reliquis profectus, illâ tributi vexatione patriam liberavit, & in rei memoriam Ὠσχοφόρια, cum suis redux, constituit, Χαριστήρια ἀποδιδοὺς, ut ait Proclus, Ἀθηνᾷ καὶ Διονύσῳ, οἱ αὐτῷ κατὰ τὴν Δῆλον ἐπιφάνησαν. Alii in honorem Liberi Patris & Ariadnæ instituta tradiderunt: vel quòd reditus in id tempus incidisset, quo fructus autumni colliguntur. Plutarch. utrumque tangit, Φέρουσι δὲ Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι, διὰ τὸν μῦθον, ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον. Et postremò hoc mihi cum Plutarcho magis placet; cui & ipsa ratio nominis adstipulatur, ἀπὸ τῆς φορᾶς τῶν ὄσχων. At ὄσχη apud Harpocrationem, est κλῆμα βότρυς ἐξηρτημένους ἔχον. Unde Hesychius, Ὄσχαι. κλήματα βοτρύων γέμοντα. Porro solennitatem auspicabantur adolescentes duo ex ordine nobilium & divitum electi. Harpocration ex Philochoro, Ἔπειτα τῆς κοινῆς στρατείας νομίσαι τοὺς καλουμένους Ὠσχοφόρους καταλέγειν δύο τῶν γένει καὶ πλούτῳ προεχόντων. Atque hi adolescentes habitu muliebri ornabantur. Proclus *in Chrestomathiâ*: Τῆς χορῶ δὲ δύο νεανίαι κατὰ γυναῖκας ἐσταλισμένοι, κλῆμά τι ἀμπέλου κομίζοντες μεστὸν εὐθαλῶν βοτρύων (ἐκάλουν δὲ αὐτὸ ὄσχον, ἀφ' οὗ καὶ τοῖς μάλιστα ἡ ἐπωνυμία) τῆς ἑορτῆς κατήρχοντο. Præterea certamen cursûs inter adolescentes committebatur: quos omnes & patrimos, & matrimos & genere nobiles esse oportebat: cursu autem à Bacchi templo ad Minervæ Sciradis contendebant. Scholiastes Nicandri *in Alexipharmacis*: Ὠσχοφόρια δὲ λέγονται Ἀθήνησι παῖδες ἀμφιθαλεῖς, ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλὰς, οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου, ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. Hesychius, Ὠσχοφόρια, παῖδες εὐγενεῖς ἐφῆβοι καταλέγονται, οἱ φέροντες τὰς ὄσχας εἰς τὸ τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Εἰσὶ δὲ κλήματα ἔχοντα βότρυς. Hoc Minervæ templum erat in Phalero. Hesychius, Ὠσχοφόριον· τόπος Ἀθήνησι Φαληροῖ, ὅθεν τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν. Nam alterum erat Minervæ templum in Sciro, pago inter Athenas & Eleusinem, de quo dicemus in *Scirophoria*. Vide Castellanum *de Fest. Græcorum*

Osci, pop. Campaniæ in Latii & Samnii confin. *Sidicini* postea dicti, teste Strab. quorum urbs Teanum. Virgil. *Æneid.* 7.

Oscorumq; manus. —— ——

Sic ab oris fœditate dicti. *Osci* enim apud veteres, turpitudinis, libidinis, & sermonis notantur, autore Festo ex Titinnio. Unde *Oscè loqui*, proverb. dicitur de iis, qui turpiter, & impudicè loquuntur. *Oscè* etiam & *Volscè* fabulari dicuntur, qui Latinè nesciunt loqui. Scopticè Horatius.

—— Messi clarum genus Osci.

Oscius, mons & fluv. Thraciæ ex eodem monte apud Rhodopen non longè ab Hebro fluvio. Thucyd.

Osculatorium, Icon pacis, ut vocant, cui in Missa oscula impingunt Pontif. Rom. De quo vide Spelmannum in *Gloss. Archaeol.*

Oscum, locus augurum, in agro Vejenti, Fest.

Oscus, Thuscorum Rex, Ann. ante U. C. 540. Ejus insigne fuit serpens.

Oscus, Othonis libertus, classi contra Gallicam Narbonens. præfectus, ad observandam honestiorum fidem invitatus. Tacitus *Histor.* 1. *cap.* 87.

Osdara, Armeniæ minoris urbs, Antonin. forsan eadem cum *Asdara*.

Osee, filius Ela, Phacæo Israelis rege occiso, thronum occupavit: à Salmanassare oppugnatus, regnum ei tributarium reddidit. Excussurus jugum, fiduciâ Suæ Ægypti Regis, à Salmanassare Samariæ obsessus est, quâ post triennii moram captâ, Israelitarum tribus 10. in Mediam & Assyriam translatæ, inde in omnes partes

Septen-

Septentrionales Asiæ se extenderunt. Hos, sub Cyro, ex parte in Judæam rediisse, statuunt Cyrillus, Theodoretus & Theophylactus. Hic regni Israëlitici finis, hic terminus fuit, A. M. 3314. An. 255. postquam à regno Jehudæ fuit avulsum, 4. Regum. 15. 17. 18. Nomen item Prophetæ filii Beeri, qui princeps 12. minorum Prophet. e tribu Isaschar, prophetavit, sub Ozia, Joathamo, Achaso, Ezechia, & Jeroboamo 2. Jehudæ Israëlisque Regibus. Populo scortationem spiritualem acerbè exprobare jussus, ejus captivitatem prædixit. Vixit circiter An. 100. ejus Prophetia continetur cap. 14. Hieron. *in Prol. Galeato & alibi.* Epiphan. *de vit. Prophet.* Salian. Torniel. *in Annal.* Bellarmin. *de Script. Eccles.* Rivetus, Coccejus, &c. *in Hoseam.* V. ibi. Item Josue sic dictus, filius Nave, Num. 13. Lat. *salvator*, aut *salvus*.

Oserila, insula parva, ubi sylva Cedrorum conspiciebatur, è quibus electrum in petras defluebat, Plin. Cluverio est *Oesel*, insula maris Balt. prope Livoniam, quæ aliàs *Latris* etiam dicta, *Osilia* recentioribus prope os sinus Rigensis. Vide ibi.

Osi, pop. Germ. quos Althamerus ponit in Silesiâ, ubi *Oppeln*, & *Neisse* urb. sunt. Reyneccius verò in Westphaliâ, quorum urbs est *Osenburg*, vel *Osnaburg*, quasi *Osorum burgum*, à Monasterio 6. leuc. in Bor. Bremam versus: Et ab his forte *Osenfurtum*, Franconiæ. Rantzovius verò in insula maris Baltici, quam *Oesel* vocat. Baudrando fuere, versus Viadrum fluvium: Cluverio aliisque, ubi nunc major pars Silesiæ, urbesque *Oppelen*, *Ratibor*, *Tropph*, *Neysse*, cum minuta parte Poloniæ super.

Osiana, urbs Cappadociæ, Antonino.

Osiander Andreas, sen. Bavarus. Norimbergæ primam concionem habuit, An. 1522. Hinc in Prussiam profectus, Ann. 1548. ob librum *Interim*, bellum ibi Osiandricum movit, *Hominem justum esse justitia Dei essentiali*, asserens, obiit An. 1552. ætat. 54. Vir *αὐτοδίδακτος*, & aliâs inter suos magni nominis. Edidit Harmoniam Evangel. Græc. Latin. cum Annotat. Basil. 1516. 1537. Franc. 1541. Paris. 1564. Animus in eo fuit confidens, & mores neutiquam moderati ac suaves, Melch. Adami, Calvinus *ad Melanchth.*

Osiander Andreas, Jun. filius Lucæ, Ministri Tubingensis, (qui in Utr. Testam. Annotationes 3. Volum. fol. scripsit, aliaque, & obiit An. 1604.) Natus est Blabeuræ, agri Wirtemberg. oppido, Concionator & Consil. Aulæ Wirtemberg. Theologiæ D. Abbas cœnobii Adelbergensis & proxim. Eccles. Superintendens, Præpositus Tubing. & Cancellarius. Edidit Sacr. Biblia, cum observat. Theolog. Theologus vigilans, prudens, constans, obiit An. 1617. ætat. 55. Melch. Adami *in vita Theol. Germ.*

Osiander, vide quoque *Andreas* & *Lucas*.

Osiba, Albaniæ urbs, Ptolem.

Osica, Albaniæ urbs, Idem. An *Harmozica* Strab.

Osicerda, vel *Ossera*, teste Varrerio, opp. Hisp. Tarrac. in regno Arragonio, Ptol. Plinius *Osigerdense* vocat.

Osii, & *Osili*, gens Sarmat. Eur. Ptol.

Osilia, insula maris Baltic. cum urbe ad os sinus Venedici, Livoniæ pars; vulgò *Oesel*. Sub Suecis An. 1646. cùm prius sub Danis esset. Vix 3. mill. Germ. ab ora Curlandiæ in Bor. 5. ab Esthonia in Occid. Circuitus 100. m. p. Ibi sunt Aresburgum & Sonneburgum arces. Vix 1. leuc. in Merid. à Dagboa insula, 16. mill. German. à Riga in Circ. 11. à Pirnavia, 10. à Vinda in Boream. Alias *Latris*.

Osincum, pagus Corsicæ, ad Hieri fluv. ortum, Ptolem. *Omiso*, ut putatur, hodie dicitur.

Osintum, urbs Hispan. Bæt. Plin.

Osiris, Jovis filius ex Niobe Phoronei filiâ. Argivis imperavit: sed subditis subiratus fratri Ægialeo regnum tradidit, profectus in Ægyptum est, quam legibus egregiis instructam, Rex tenuit. Ius maritus, quæ & Isis dicta, varias artes Ægyptios docuit, unde uterque pro Deo incolis. Tandem discerptus à suis inimicis, in bovem transformatus fingitur, præcipuæ non apud veteres modò Ægyptios, sub nomine Apidis & Serapidis, sed & hodiernos Indos, venerationis. Vide Alex. Rossæum, *in Mystagogo Poëtico*, & de Valle, *Itiner. tom.* 4. Hujus nomine non solùm Sol intelligebatur, apud Ægyptios, verùm etiam Dionysius sive Bacchus. Jupiter quoque pater, justus & dux, quique unà cum Anubi Gigantes ex Italiâ expulisse legitur. Quibusdam *virum beatum* significare videtur, & proinde rectissime derivari, ab אשר *Aschre*, *beatus*, & איש *Isch*, vir. Aliis Ægyptiacum placet etymon. Scribit enim Plutarch. *Os* apud Ægyptios designare *multum* & *Iris oculum*, *lib. de Is. & Os.* quod etiam approbat Eusebius, cui propterea, ut Dionysius, πολυόφθαλμος dicitur. Idque cum Solis significato probè congruit. Eadem ratione justum esse dixerunt. Quid ita? Annon Orpheus affirmat Solem esse δικαιοσύνης ὄμμα? Annon Theologi veteres Justitiam prodiderunt è medio Solis throno per cuncta propagari, omniaque dirigere? Ex Plutarchi libro etiam colligitur, *Osirim* Nilum vocari, & nigro fuisse corporis colore: & Hellanico teste, Ὄσιριν appellatum à sacerdotibus, proprio verò nomine *Ἀρσάφην* dictum, quod Plutarch. tamen parum probat, qui & eum nomen accepisse ait, ἐκ τοῦ ὁσίου ἱεροῦ, *ex sacro sancto*. Hinc Suidas, *Deum hunc alii Jovem esse dixerunt, alii Nilum, propter modium, quod in capite habet, & cubitum, mensuram aquæ scilicet.* Plinio *Pan*, *Serapis*, & *Ammon* dicitur. Cultus tandem & Romæ fuit, pluresque ei ædes & templa extructa fuisse ex P. Victoris, & Onuphrii Panvinii descriptionibus 14. Regionum urbis apparet. Columnæ ejus, teste Diodoro, hujusmodi fuit inscriptio: Πατὴρ μέν ἐστί μοι Κρόνος, νεώτατος θεῶν ἁπάντων. Εἰμὶ δὲ Ὄσιρις ὁ βασιλεύς, ὁ στρατεύσας ἐπὶ πᾶσαν χώραν, ἕως εἰς τοὺς ἀοικήτους τόπους τῶν Ἰνδῶν, καὶ τοὺς πρὸς Ἄρκτον κεκλιμένους μέχρις τῶν τοῦ Ἴστρου ποταμοῦ πηγῶν, καὶ πάλιν ἐπὶ τἆλλα μέρη ἕως Ὠκεανοῦ. Εἰμὶ δὲ υἱὸς Κρόνου πρεσβύτατος, καὶ βλαστὸς ἐκ καλοῦ τε καὶ εὐγενοῦς, σπέρματος συγγενὴς ἐγεννήθην ἡμέρας, καὶ οὐκ ἔστι τόπος εἰς ὃν ἐγὼ οὐκ ἀφῖγμαι, διαδοὺς πᾶσιν ὧν ἐγὼ εὑρετὴς ἐγενόμην. Agriculturam Ægyptios docuit, quod beneficium occasio procul dubio fuit, quamobrem pro Deo cultus sit. Tibull. *lib.* 1. *el.* 7.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexperta commisit semina terra,
Pomaq; non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durâ cadere falce comam.

Suidas, Ὄσιρις. Τοῦτον οἱ μὲν λέγουσιν εἶναι τὸν Διονύσιον, οἱ δὲ, ἄλλον, ὃν ὑπὸ Τυφῶνος ἀδελφοῦ ἀναιρεθῆναι, καὶ μέγα πένθος γενέσθαι τοῖς Αἰγυπτίοις, καὶ τοῦ ἀπαρχῆς μνήμην ποιεῖσθαι ἐπὶ πάντα τὸν χρόνον. Typhon ille frater ejus fuit, Diod. Sic. *lib.* 1. Φασὶ γὰρ πρώτους βασιλεύοντα τῆς Αἰγύπτου τὸν Ὄσιριν ὑπὸ Τυφῶνος ἀναιρεθῆναι τοῦ ἀδελφοῦ, βιαίου καὶ ἀσεβοῦς ὄντος. Ejus memin. Juvenalis *Sat.* 8.

Exclamare libet populus, quod clamat Osiri
Invento. —— ——

Id est, non minori lætitiâ, quàm Ægyptii exultant, ubi invenerint Apim bovem, qui Osiridem, id est, frumenti fationem repræsentet, exclamantes εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Athenagoras Orator in legatione pro Christianis. Per hunc jurare solebant veteres, Horatius 1. *Epist.* 18.

—— *Licet illi plurima manet*
Lacryma, per sanctum juratus dicat Osirim,
Credite, non ludo. —— ——

Non prætermittendum est hoc loco, quod de Osiride habet Mercurius ille Trismegistus, in τῇ Κόρῃ τοῦ Κόσμου. Osiris ibi σωμάτων ἐκείνου ἔθνους ἡγεμὼν, καὶ ἰσχύος, καὶ ῥώμης καθηγητὴς appellatur, nominibus purâ, quæ ad eum propriè apud Ægyptios spectabant. Eum nempe corporum, adeoque hominum, uniuscujusque gentis, virium item ac roboris ductorem esse, sive ducem obtendebant Hierophantæ. Vide plura de Osiride, apud Seldenum *libr. de Diis Syris*, & in voce *Apis*.

Osismi, Cæsari, *Osismii*, Pomponio & Plinio, pop. Gall. Celt. in ultimo recessu Britanniæ minoris, ad Boream, quorum tractus adhuc *Osismer*, teste Bertrando Argentræo, dicitur. *Timios* vocat Pythæas apud Strabonem, qui eos quoque *Sismios* appellat. Ibi nunc Diœceses Trecorensis & Leonensis. Eorum urbes fuere, Vorganium caput eorum, vulgò *le Quioudet* castrum, Staliocanus portus, *S. Paul de Leon*, & Brivates, *Brest*, Baudrandus. Cæsar suprà memoratus numerat eos, inter maritimas civitates, quæ Oceanum attingunt, atque inter socios belli Venetici, inter Unellos & Curiosolitas, *lib.* 2. & 3. *Comm.* cum quibus, ut & Rhedonibus, sena millia armatorum, Vercingetorigi contulerunt, *lib.* 7. Plinius sec. in Lugdunensi Gallia, inter Abrincatuos ac Ligerim eos ponit; Claud. Ptolemæus eos in eadem Gall. ultimos usque ad Gobæum prom. facit, quia in ora Oceani Aremorici ad Occid. versa sunt ultimi. *Oxismi* quandoque, & *Oximenses* quoque dicuntur; unde factum, ut pro Oximis prope Sajus facile à quibusdam haberentur. Illorum urbs Vorganium Ptolem. *Vorgium*, tabb. Peuting. ubi Maurorum Osismiacorum præsidium sub præfecto fuisse, indicat Not. Imp. Rom. *civitas Ossismorum* quandoque vocitatur. Hanc apud Bertr. Argentræum, Britannico nomine, *Cozqueoudet*, hoc est, urbem veterem appellari, tradit Samson: quâ ante multa secula dirutâ, ex ejus antiqua diœcesi ac unica sede, tres esse factas, nim. Leonensem, Trecorensem ac Bricorensem, *S. Pol de Leon*, *Treguier*, & *S. Brieu*, sed de ista urbe veteri, quam Albertus *Lexobiam* quoque vocat, nil apud graves auctores reperitur. Et, regnante quidem Carolo Calvo, ex Monasterio S. Brioci sedem Episcopalem factam esse constat, à Nomenoio Regulo Brittonum, in Osismiis: At *civitas Osismiorum* nomine utra designetur, Tregorensis, à quo Episcop. cui ibi sedes, nomen habet, (*Treguer*, aut *Land triguier*,) an Leonensis (*S. Paul de Leon*) & utra alteram vetustate præcedat, haud facile dictu est, Hadrian. Valesius, *Notit. Galliæ*.

Osius, Episcopus Cordubensis, in Hispan. Natus An. 257. Durante persecutione Diocletiani & Maximiani fidem admirabili constantiâ confessus, Confessoris elogium à Synodo Sardicensi, S. Athanasio, aliis, meruit. A Constantino M. ob virtutem usq; adeò est magni habitus, ut eum in rebus ad Ecclesiam pertinentibus subinde consuleret. Zelo religionis fervens, Donatistarum, Arianorum, aliorum hæreticorum odia in se concitavit: Alexandriam missus est à Constantino, qui Concilium ibi contra Meletianos, Arianos, & Colluthi sectatores, item de Paschatis observatione, celebrabat. Princeps postea legatorum, in 1. Concil. Niceno, ex parte Sylvestri Episc. Rom. præsedit in Concil. Sardicensi, A. 347. Hæreticorum malleus: qui, ut eum in suas partes pertraherent, nullum

nullum non moverunt lapidem. Persuaserunt igitur Constantio Imper. ut illum ad se accersitum, seu blanditiis seu minis, ab insigni hoc orthodoxias zelo abduceret. Sed is vocati ejus Mediolanum constantiâ perculsus, ad Ecclesiam suam eum remisit. Paulo pôst literis ab eodem tentatus, pari animi robore obstitit, epistolâ egregiâ, quam Athanasius refert, Imperatori respondens: quâ Ariani irritatiores non quieverunt, donec à Constantio denuo Sirmium vocatus, ibi in vincula conjiceretur; ubi per annum detentus est, non reverente novo hoc Achabo, verba sunt Athanasii, neque canos Præsulis, neque virtutem ejus, tanti in Ecclesia nominis, Ann. 355. Episcoparus Osii 60. Tandem tamen malis tot fessus, Hætericorum Confessioni Syrmii formatæ, subscripsit, & diuturnæ vitæ splendorem decrepitus senex hac infirmitate obscuravit, tantùm non in portu naufragio facto. Interim biennio pôst, morti vicinus tantam culpam pœnitentiæ lachrymis eluit, Arianismo anathematizato. Ab Athanasio *epist. ad Solit. apol.* 1. *&c.* & Augustin. *lib.* 1. *contr. Parm.* impensè laudatus, obiit A. 375. ætat. 100, Episc. 62. vel 63. Lapsum ejus, tanquam vulgi rumore, non certâ famâ sparsum, memorat Sulpic. Severus. Vide insuper Euseb. *in vita Constant. & Hist.* Theodoret. Sozomen. Zosimum, Baron. *in Annal.* Hermantium, *in vita S. Athanasii, &c.*

Oslaveslu, locus in Merciorum regno, ubi Concilium An. 821. sub Wulfredo Arch. Cantuariensi.

Osman, Imperator Turcarum, patri Achmeto I. vix duodecennis successit, An. 1618. Exercitu 400000. militum instructus, An. 1621. invasit Poloniam; successu parum felici; unde amissis circiter centum millibus, Constantinopolim redux, Mustaphæ patrui sui jussu, qui pridie à Janizeris in thronum erat evectus, die 21. Mart. ejusdem anni, strangulatus est.

Osmiana, oppid. Lithuaniæ, in Palatinatu Vilnensi, 7. mill. à Vilna in Ort. Minskum versus, juxta Olmianam amnem.

Osmundus, Episcop. Salisburiensis, in Anglia, floruit sec. 11. Auctor diversorum tractatuum Ecclesiasticorum, quorum meminit Polydorus Virg. *lib.* 9. *rer. Angl.* Vossius *lib.* 2. *de Hist. Lat.* Possevinus, *in appar.*

Osmus, fluv. Mysiæ, Cedrenus. *Sladutza*, Leunclavio.

Osnabrugum, urbs Westphaliæ, Hanseatica, Episcop. sub Arch. Colon. facta à Carolo M. An. 776. Vide Aventin. *lib* 3. Ad Hasam fluv. sub proprio Episcop. Pace inter Imperat. & Sueciæ Regem An. 1648. celebris, 8. mill. German. à Monasterio in Cæc. 15. ab Oldenburgo in Mer. Caput & unica urbs Episcopatus Osnabrug. qui ad 40. mill. pass. à Septentr. extenditur in Merid. vix 25. mill. pass. ab Ortu in Occident. Habet à Septentr. Occident. & Merid. ditionem Episcop. Monaster. ab Or. Principatum Mindensem, & Comitat. Ravensbergensem. Præsules hujus urbis enumerant Crantzius, Bruschius & Cratæpolius. Hodiernus est, Ernestus Augustus, filius Georgii Ducis Luneburgici, rami Cellensis, celeberrimi bello German. qui obiit An. 1641. Hic, jure familiæ ex pace Monaster. collato, Episcopatui præest, egregiâ prole ex Sophia Palatina, & re insigniter ad Trevirim. An. 1675. in prælio contra Crequium, quo flos copiarum Gall. à Germ. fusus cæsusque est, gestâ, inclytus: jam Suecis, inter Confœderatos feliciter obnitirur, in ducatu Bremensi, haud pridem Carolostadio, arce munitissimâ, inter alia, expugnato. Vide *Osi*, & *Ossenburgum.*

Osochor, Rex Ægypti An. ante U. C. 170.

Osones, oppidum olim, nunc pagus Pannoniæ superioris. *Zanto*, teste Lazio.

Osopium, urbs Carnorum apud Tilavemptum fluv. *Osopo* hodie.

Osornum, oppid. regni Chiles, ab Hisp. excitatum, inter Andes montes & Chilvensem Archipelagum.

Osorton, Rex Ægypti, An. fere 110. U. C.

Osphagus, fluv. Macedoniæ apud Erigonem, Livius.

Osphryon, unus ex illis, qui Athenis Hermas mutilârunt, quos traducit cum Pisiâ & Diitrepho, Cratinus, fabulâ nomine χείρωσι. Vide Scholia in Aristoph. *Aves* 577.

Osquidates, pop. Gall. Aquitanicæ, Plin. 4. 15. Fuere pop. campestres & montani in Aquitania & Novempopulania; Campestres fuere sub Datiis, inter Aturum fluv. & Benebarnos; Montani verò fuere pars Elusatum, & inter Elusam ad Merid. & Vazates ad Bor. ubi nunc *Les petites Landes*, Baudr.

Osrhoene, reg. Syriæ in Mesopotamiæ confinio, in quâ Edessa & Nicephorium urbes juxta Euphratem fluv. An hodie *Tsisire*, in prov. Diarbeck. Hic Concil. ab 18. Episcop. An. 197. habitum, in quo de celebratione Paschatis actum est. Procop. Pausan. Dion, Ammian. Marcellinus, Stephanus Byzant. alii. Pop. *Osroeni*, de quibus vide Herodianum, *sub fin. lib.* 6. *& princ. lib.* 7.

Ossa, Italiæ fluvius in Tusciâ, Ptolemæo. *Fiora* hodie dicitur. Baudrando nunc *Albegna*, in territorio Senensi, & 4. mill. ab Orbetello in Boream, Telamonem versus, in mare Tyrrhenum se exonerat.

Ossa, Sophiano *Monte Cassovo*, Pinero *Olira*, mons excelsus Thessaliæ, Centaurorum stabulum, quem Seneca dicit Olympo quondam fuisse conjunctum, & Herculis aut in opera abscissum, ab eâ parte ubi per Tempe fluit Peneus fluvius. In hoc esse fertur tanta pinorum copia, ut inflexione, atque reflexione ramorum tonitrua referantur. Quod Lucanus *lib.* 1. terigit:

Quantus pinifera Boreas cùm Thracius Ossa
Rupibus incubuit, curvato robore pressæ
Fit sonus, aut rursum redeuntis ad æthera sylvæ.

Virg. *Georg.* 1. ubi de Cœo & Typhœo:

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atq; Ossæ frondosum involvere Olympum.

De quorum montium substructione Græci & Latini frequentissimè agunt, Hom. *Odyss.* 11.

Ὄσσαν ἐπ᾽ Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ᾽ Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν᾽ οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη.

Antipater Sidonius,

—— Οὐκ Ὄσσῃ Πήλιον ἀνθέμενος.

Ovidius *Fast.* 1.

Sic petitur cœlum, non ut ferat Ossan Olympus,
Summaq; Peliacus sidera tangat apex.

Horat. *lib.* 3. *Od.* 4. sine mentione Ossæ:

Fratresq; tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

Seneca *in Hercul. Fur.*

Videat sub Ossâ Pelion Chiron suum:
In cœlum Olympus tertio positus gradu
Perveniet, aut mittetur.

Et *in Agamemnone,*

—— *Stetit impositâ*
Pelion Ossa; pinifer ambos
Pressit Olympus. ——

Ovidius *Metam.* 1.

Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossa.

Sidon. Apoll. ad Magnum Felicem plures conjungit:

Nec Phlegra legis ampliata rura,
Missi dum volitant per astra montes,
Pindus, Pelion, Ossa, Olympus, Othrys.

Item mons Peloponnesi, Strab. Item urbs Macedoniæ, Ptol.

Ossaria, oppidum agri Perusini, juxta lacum Perusinum, quo in loco Annibal Romanos cecidit; hinc ab ossium multitudine, quæ post eam stragem Romanorum militum hic remansere, nomen loco inditum *Ossariæ*. Vide *Osteodes.*

Ossenburgum, sive *Osnabrugum*, insignis Saxoniæ civitas, à Julio Cæsare erecta, duobus Canonicorum collegiis celebris. Multum sibi lucri ex cinericio & lineo panno comparat; sub paucis annis munitior facta: situ amœnam obtinet vallem, amnique Hasâ irrigatur. Carolus M. Saxonibus post 33. annorum bellum edomitis, Widekindi etiam arce, huic urbi vicinâ; expugnatâ, eaque imposito præsidio firmatâ, decem in Saxoniâ Episcopatus instituit, quorum præcipuum Osnaburgensem esse voluit. Summè etenim hanc urbem præ cæteris coluit, cui privilegium novæ Scholæ concessit, ubi Græcæ & Latinæ literæ e viris doctis traderentur, Munsterus. Vide *Osi*, & *Osnabrugum.*

Osseria, vulgò *Ossery*, urbs Hiberniæ Episcop. sub Archiep. Dublinensi, in Laginia reg. Fano S. Canici propinqua, ad 3. m. pass. recedens. Camdeno autem & aliis non urbs est, sed comitatus, qui Episcopatum habet conjunctum Kilkenniensi, cujus sedes Episcop. Kilkennia est, seu Fanum S. Canici.

Osseriates, Ptol. *Oseriates*, Plinio, pop. Pannoniæ sup. apud Dravum fluv. incolentes, Jasiis & Colctianis finitimi.

Osset, opp. Hispan. Bæt. quod & *Julia Constantia*, Plinio, Hispali finitimum, sed excisum, *Triana* Pinero: *Sevilla la Vesa* Marinæo. Nunc in Vandalitia, *Triana*, urbs ex adversa parte Bætis fluv. contra Hispalim, Baudr.

Ossigi, quod *Laconicum* cognom. opp. Hispan. conventus Cordub. Plinius.

Ossigitania, urbs Hispan. Bæt. Idem.

Ossilago, Dea, ossium solidatrix, Arnob. *lib.* 4.

Ossonaba, urbs Lusitaniæ excisa. *Lusturia* Plinio, *Onoba* Melæ, *Sonoba*, Straboni. *Exuba* Mauris dicta, *Estoy* Hispanis, & *Estombar* aliis, apud Sylvam urb. quæ illi successit, longit. 11. 30. latit. 37. 00. Baudrando urbs Lusitaniæ. Nunc *Silves* quibusdam, aliis *Estombar*, pag. 1. leuc. in Merid. paulo amplius ab ora Sinus Gaditani, 8. leuc. Hispan. à promuntorio Sacro in Ort. Fanum versus. In regno Algarbiæ, 23. leuc. a Salacia.

Osseria, vide *Osseria.*

Ostama, urbs Arabiæ felic. Ptolem.

Ostenda, urbs Flandriæ munita, cum portu satis commodo, in ora maris German. celebris triennali Hispan. obsidione. Quidam addunt tres menses, cum totidem septimanis, diebus & horis. Dedita est Alberto Archiduci, An. 1604. Intra paludes, 3. leuc. à Novoportu in Cæc. 4. ferè à Brugis in Occid. uti à Dixmuda in Bor. sub Hispan. quibus solus hic portus in Flandria superest.

Osteodes, insulæ Siciliæ adjacentes ab eâ parte, quâ Africam spectat, Plin. 3. 8. vulgò *Li Pozzelli.* Nomen Græcum est *ab ossibus* defunctorum ibi fame à Carthaginensibus interfectorum, teste Diodoro Siculo. Baudrando aliter *Ustica*, quod vide. Insul. Æoliarum Occidentalior, 36. mill. ab Ericusa in Oceas. 70. à Solunte, urbe Siciliæ in Bor.

Osterhosum, opp. Bavariæ infer. Merel.

Osterlandia, tractus Misniæ, sub Duce Saxon. Altenburgensi, maj. ex parte. Inter Thuringiam ad Occ. Voitlandiam ad Merid. Naumburgensem Diœcesin & Lipsiensem tractum ad Bor. cum reliqua Misnia ad Ort. Ejus urbs præc. Altenburgum.

Osterwicum, aliis *Ostrovicum*, opp. Halberstadiensis Princip. ad amnem Ossam, ubi aliàs sedes Episc. sub Elect. Brandeburg. 3. mill. Germ ab Halberstadio in Occ. 5. fere à Brunsvico in Mer.

Ostha, Indiæ citer. urbs. Ptolem.

Ostia, urbs ad ostia Tiberis sita, ab Anco Martio condita, teste Livio destructa à Saracenis. Sita in ipso mari fluminisque confinio, ab urbe Româ 16. m. p. distans. Ad Cardinalem seniorem, à quo Pontif. Max. coronatur, pertinet. Hic Fausta mulier uno partu duos mares, & duas fœminas peperisse dicitur. Strabo τὰ Ὤστια dicere solet, ubi alii τὴν Ὠστίαν vocant. Dion. Halic. *lib.* 2. Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς θαλάσσης ἀγκῶνι πόλιν ὁ βασιλεὺς ἐτείχισεν, ἣν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος Ὠστίαν ὠνόμασεν, ὡς δ᾽ ἂν ἡμεῖς εἴποιμεν θύραν. Festus, *Ostiam urbem ad exitum Tiberis in mare fluentis, Ancus Martius rex condidisse, & fœminino appellasse vocabulo fertur.* Quòd autem Strabo ait, Ostiam esse ἀλίμενον διὰ τὴν πρόσχωσιν, repugnat Dionysius, cujus hac de re verba operæ pretium fuerit attexere: Ἐπεὶ γὰρ ἔγνω κατασκευάζειν ἐπὶ ταῖς ἐκβολαῖς αὐτοῦ, λιμένι χρησάμενος αὐτῷ τῷ τοῦ ποταμοῦ στόματι. Εὐρύνεται γὰρ ἐπὶ πολὺ τῇ θαλάττῃ συμβάλλων, καὶ κόλπους λαμβάνει μεγάλους οἵους οἱ κράτιστοι τῶν θαλαττίων λιμένων. Ὃ δὲ μάλιστα θαυμάσειεν ἄν τις, οὐκ ἀποκλείεται τὸ στόμα ὑπὸ τῆς θαλαττίας θινὸς ἐμφραττόμενον. Idem Dionys. affirmat, Tiberis ostium unum esse γνήσιον, quo mare ingrediatur. Ac Rutilius ita scribit:

Tum demum ad naves gradior, quâ fronte bicorni
Dividuus Tiberis deteriora secat.
Lævus inaccessis fluvius vitatur arenis,
Hospitis Æneæ gloria sola manet.

Baudrando fuit urbs alias Latii, aliter *Ostia Tiberina*, nunc Campaniæ Reg. 12. mill. à Roma in Merid. in ora maris Tyrrh. ad ostia Tiberis, vix uno aut altero à Portu in Ort. Ejus Episcop. semper Decanus est Collegii Cardinal. sed non ab illo, verùm à primo Cardin. Diacono Papa coronatur. In ruinis, propter cœli gravitatem ferme inculta. Hic Monica obiit, D. Augustini mater. Inde *Ostiensis Lacus*, hodie penè exsiccatus; & *Ostiensis Porta*, una ex Portis Romæ, quæ *Tergemina*, & vulgò *Porta di S. Paulo* vocatur & *Via Ostiensis*, quæ Ostiam deducit.

Ostiarius, secundus ordo in Ecclesia, juxta Hieronymum. Isidor. Jun. *Ad* Ostiarium *pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat & aperiat templum Dei, & omnia, quæ sunt intus, extraq; custodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles projiciat.* Hieronymus, *Secundus* Ostiariorum *locus est, qui claves regni cœlorum tenent; quæ Patriarchis dantur, quoniam præsunt portis Hierusalem, atq; inter bonum & malum habentes judicium aperiunt quod nemo claudit, & claudunt, quod nemo aperit.* Vide Alcuin. & Spelmann. *Glossar. Archæol.*

Ostiones, pop. ad Oceanum occidentalem, Stephano; quos etiam *Cossinos* vocari ait. Pytheas apud Strabonem *Ostiæos* vocat.

Ostippo, urbs Hispaniæ Bæticæ, in orâ litorali, à Calpe 6. leucis Malacam versus, olim sub Hispalensi conventu, Plin, vulgò *Estepona*. long. 15. 25. lat. 36. 00.

Ostobarà, urbs Bactrianæ, Ptolem,

Ostorius Sabinus. Eques Romanus, Sorani accusator, ob quod Nero ei duodecies & Quæstoria insignia tribuit, Tac. 16.

Ostorius Scapula, apud quem, in celebri convivio, Antistius probrosa in Neronem carmina recitavit. Et cùm *Scapula* nihil audivisse pro testimonio dixisset, adversis testibus creditum, Tacit. *lib.* 14. *cap.* 48. Eum tamen Antistius, repertus, apud Pammenem, Chaldaicæ vanitatis peritum; quæ de ortu vitaque Scapulæ erant composita, rerum novarum detulit apud Neronem. Unde ille apud finem Ligurum, nunciante suprema adesse centurione, manu servi usus, jugulum pugione abrupit, fortitudinemque adversum hostem sæpe spectatam in se vertit. Idem *lib.* 16. *cap.* 14.

Ostra. Umbriæ opp. Ptol. Pop. *Ostrani* Plinio dicuntur.

Ostrache, pagus Frisiæ, S. Bonifacii martyrio celebris.

Ostracine, urbs Palæstinæ in Ægypti confin. cui à Ptolemæo tribuitur. *Seragioni* Pineto, long. 64. 15. lat. 31. 50.

Ostracismus, species judicii popularis apud Athenienses. Heraclides ab Hippiâ tyranno, Pisistrati filio, adversus eos, qui tyrannidem appeterent, institutum scribit. Ælianus verò à Clisthene: [illegible] Ὀστρακισμὸς dictus, ab Ὄστρακον, *testula*, in quâ nomen [illegible] urbe pellere cupiebant, inscriptum fuit: Vide Arist. 3. *Polit.* & Plut. *in Aristide & Themistocle.* De authore Ostracismi [illegible] *ad Euseb pag.* 47. De quo tamen aliter sentit Maussacus *ad Harpocrationem pag.* 139. *& seq.* Hesychius, Ὀστρακισμὸς, [illegible] ἐν ὀστράκοις γεγράφθαι. Athenienses enim, cùm potentiam [illegible] civis alicujus formidare inciperent, testulis inscribebant [illegible] nomen & comitiis inferebant. Tum cujus plures testæ in urnam erant conjectæ, is de concilii sententiâ ab aris, atque focis projectus 5. aut 10. annorum spatio vertere solum compellebatur. bonis tamen ejus interea illibatis. Irrita erant, & nulla ista comitia, nisi supra 6. civium millia concilio interfuissent. Hinc ὀστρακισμὸς apud Thucydidem, de *extorribus & exsulibus*. Abibant autem tales exsulatum Argivam, ubi quia bos erat æneus visendæ magnitudinis, per jocum dicebantur servare bovem. Tandem verò hoc more damnandi adeò abusus est populus, multorum capitum bellua, ut etiam optimos, ac benè meritos cives sæpe ejiceret, qualis Theseus, quem exegerunt in Scyrum, Solon legislator, Aristides, quo justior nemo, Miltiades clarus victoriis, gravis orator Pericles, liberalis Cimon, qui agrorum suorum sepes sustulit, ut hospites, & ex civibus quicunque opus fructibus haberent, impunè frui possent, Fungerus. Antiquatus est tandem, ejecto per hunc Hyperbolo, homine contempto & humili. Vide Erasmum in *Adag. Centur.* 1. *Chiliad.* 2. Cornelium Nepotem, *in Miltiade, &c.*

Ostrini montes, Scaligero *Mapalia*, aliis *Stabula*, montes Trojæ, Ferrario.

Ostrogium, oppid. munitum Volhiniæ super. ad Horinum fluvium, cum tit. Ducat. 3. mill. German. à Zaslavia in Occid. vix 1. à Miedireczo.

Ostrogothi, Gothi qui Orientem versus habitant. Sic *Ostrogothi*, vel Gothi Orient. vocabantur olim, qui Italiam tenuerunt; ad discrimen Wisigothorum, seu Gothorum Occident. qui Hispan. occupavere. De prioribus Claudian. *lib* 2. *in Eutrop.*

Est opus: Ostrogothis colitur, mixtisq; Gothunnis.

Hæc vulgò vocis origo: Grotius verò *in Hist. Goth.* docet, ab iis nomina hæc à patria jam deportata fuisse; namque & Vopiscus circa Claudii tempora Austrogotthorum, id est, *Ostrogothorum* meminit, & Cassiodorus ab antiquo Ostrogotha Reg. qui imperante Romanis Philippo, floruit, nomen ortum docet. Horum Regum Genealogiam, vide apud eundem Grotium. Tejas ultimus illorum Rex fuit. Populi hi, Arcadio & Honorio imperantibus, invaserunt Phrygiam, Lydiam, & Pamphyliam. Vide Claudian, Zosimum, Eutropium. Martianus partem Pannoniæ, Zeno, partem Illyrici illis concessit, Malchus *in Byzant. Histor.* Sub Walamiro dein ac fratre ejus Theudemiro multa egregiè gesserunt; Latissimè illorum regnum sub Theodorico patuit. Nam præter Italiam & Siciliam tenebat Rhætiam, Noricum, Dalmatiam, cum Liburnia Istriaque partem Pannoniæ & Galliæ: pendebant ei tributa Alemanni, Hispaniam quoque tutoris nomine Rex administrabat. Vide plura apud Grot. *Ibid.*

Ostrogothia, regio Sueciæ in Gothia, sub qua sunt prov. Ostrogothia propria, & Smalandia, cum Oelandia & Gothlandia, insula in mari Balt. Habet à Sept. Suconiam, ab Or. mare Balt. à Mer. Blekingiam & Scaniam, ab Occid. Westrogothiam. *Ostrogothia* autem *propr.* est inter Suconiam ad Bor. Westrogothiam ad Occ. mare Balt. ad Ort. & Smalandiam ad Mer. Ejus urbes Norcopia, Nordholmia, Sudcopia, Kelmium & Stegeburgum.

Ostrorogius Constantinus, e ducibus Sigismundi I. Polon. Reg. magnâ clade fudit Tartaros, A. 1506. Salom. Neigeb. *Hist. Polon. libr.* 7. Ex qua nobilissima familia Jacobus Comes, Evangelium amplexus, ædes suas Poznaniæ, in suburbio sacris concionibus dicavit, defunctus Anno 1568. postquam Fratrum Confessionem Fidei Sigismundo Augusto Reg. obtulisset, An. 1564. benignè acceptam & approbatam. Duravit Ecclesia hæc Ostrorogana, quæ prima in Polonia maj. doctrinam Evangelii amplexa est, per annos 86. usque ad An. 1636. quo cum 19. aliis, ab hostibus, dissipata est, templis ademptis. Vide Lætum *in Comp. Hist. Univ.*

Ostunum, urbs prov. Hydruntinæ, Episc. sub Archiepisc. Brundusino, in colle, versus oram maris Adriat. & limites agri Bariani, 16. mill. à Brundusio in Occ. 22. à Tarento in Cæc.

Osvinius, vide *Osvvaldus*.

Osvvaldus, Rex Northumbriæ, post Eduinum, & filios, virtutis ingens cultor, Christianam fidem in ditione sua propagavit, Episcopis e Scotia vocatis, qui cùm Anglicum non callerent idioma, conciones ipsorum Anglicâ transtulit linguâ, ut ab omnibus intelligi possent. Circa An. 624. victor hostium. Occisus tandem à Pando Merciorum Rege. Ei successit frater Osui, in regno Northumbriæ, cujus partem Oswinus Princeps etiam tenebat: qui occisus est à priore, victo quoque Merciorum Rege, utroq; regno potito: sed regno Merciorum Osui à Vulfero exutus, reliquum vitæ tranquillus exegit, templis Monasteriisque fundandis intentus. Obiit sub finem sec. 7. Beda, *Hist. Angl.*

Osvvaldus, Anglus, Canonicus Wincestriensis, floruit sec. 10. Discipulus Abbonis Floriacensis. Scripsit diversas epistolas, pietate & eruditione inclytus. Obiit An. 992. Pitseus *de Ill. Angl. Scr.* Item, Monachus Worcestriensis, qui liberalitate prioris adjutus, celeberrima Galliæ, Angliæque Monasteria invisit, scriptisque quibusdam editis, obiit An 10 0. Item, Carthusianus, A. 1430. Scotiæ prior. Scriptis & pietate clarus. Item, alius eodem tempore, Anglus: Johanni Gersoni Parisiis familiaris, Anglis, Hibernis, Scotis Principibus admirationi fuit. Hujus hortatu Jacobus I. celebre Carthusianorum monasterium fundavit. Obiit An. 1450. Petrejus *Bibl. Carthus.* Sutorius, *lib.* 2. *vita Carthus.* Possevin. *in appar. sacro*, Pitseus *de Script. Angl.*

Osvvaldus Berus, Medicus Basiliensis, floruit sec. præt. urbis Hippocrates, in Epitaphio dictus. Obiit An. 1567.

Osvvaldus Myconius, Lucernas, primarius Ecclesiæ Basiliensis pastor, post Oecolampadium, cujus vestigia strenuè sequutus est. Obiit Ann. 1552. Vide *Myconius*.

O T.

Otaces, cum Latri Iberorum Dux, in auxiliis Persæ, contra Aeeten, apud Val. Flacc. *lib.* 6. 122. in vulg. Codd. *Sotaces*, legebatur.

Otadini, seu *Otadeni*, populi Albionis, ultra Tinam amnem, Ptolem. *Otadini* etiam, teste Camdeno; putantur autem in Northumbriâ contineri, & Episcopatu Dunelmensi. Baudrando fuerunt in ora Oceani Germ. ubi nunc Northumbria, in limite Scotiæ, & inter ostia Tuvædæ fluv. ad Septen. & ostia Tinæ ad Merid. Cujus primaria *Oeocastrum*.

Otanes, Persa, vir nobilis, unus ex his qui cum Dario in Magos conjurarunt, Herod. *lib.* 3. Is oræ maritimæ à Dario præfectus, post Megabyzum, Byzantium, Chalcedonem, Antandrum, Lemnum, & Imbrum cepit, Herod. *lib.* 5.

Otaxes, alius ab Otace, qui inter auxilia Persæ, assumpto Panis habitu, Colchis terrorem incusserat, sed ab Arone occisus est. Vide Valer. Flacc. 6. versu. 530.

Otene, vide *Motene*.

Otesini, pop. Italiæ extincti, in Gallia Tog. Plin.

Othei, filius Ammihud, 1. Paral. 6. Latinè, *tempus meum*, vel *iniquitas mea*.

Othingarus, floruit An. 980. Episcop. in Dania, Selandiam & Scaniam convertit.

Othir, nomen viri, 2. Par. 26. Lat. *excellens*, aut *residuus*.

Othmarsen, oppidum Sungoviæ, quod putant aliqui nomen sumpsisse ab *Idolo Martis*, cui templum ibi sacrum fuit: id ejus imago paucos ante annos hîc inventa comprobat, Metel.

Othni, nomen viri, 1. Par. 26. Lat. *tempus*, aut *hora mea*.

Otho M. Sylvius, ex Hetruscorum regum genere, Eques Rom. Neroni primùm amicus, dein ad Galbæ partes se applicuit: à quo cùm adoptari frustra sperasset, illo, cum Pisone quem huic ipsi prætulerat, jugulato, per scelus adeptus est imperium, quod cùm adversus Vitellium ad Bebriacum, pagum inter Cremonam & Veronam, victus tueri non posset, sibi vim attulit, A. C. 69. Imper. mense 2. die 5. qui per totam vitam paulò mollior in solâ morte fortis visus est illis *Qui tunc vivebant homines atq; ævum agitabant*, ut loquitur Ennius, Plut. Tacit. Juvenal. *Sat.* 2.

Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis,
Actoris Arunci spolium: quo se ille videbat
Armatum, cùm jam tolli vexilla jubebat.

Otho I. Roman. Imperat. Ann. Dom. 936. successit patri suo Henrico primo, victis Hungaris, Bohemisque immortalem gloriam adeptus. M. Tancredum fratrem nothum rebellem, Principesque æmulos oppressit, fratri tamen Henrico supplici pepercit, Bavariâ ei donatâ. Boleslaum Principem Bohemiæ, Haraldumq; Daniæ, domuit & vasallos fecit. Ludovicum Transmarinum affinem adversus Hugonem defendit regnoque restituit. Dein in Italiam profectus Berengarium compescuit, Ticinoque capto, viduam Lotharii sibi junxit. Redux Ludolphum filium successorem designatum, insidiatorem coercuit, cum complicibus ejus; Conrado Lotharingo, Friderico Moguntino, &c. ceputque Ratisbonam: dein versis in Hungaros armis, An. 955. ingenti victoriâ potitus est, Duce Wormatiæ occiso, & Sarmatis Principibus duobus superatis. Post hæc rebellantem Berengarium victum, unà cum uxore Bambergam in perpetuos carceres misit. Comitiis Wormatiæ habitis Othonem fil. Aquisgrani coronari curavit. Joannem 13. Pontificem, qui in omnem libidinem effusus, & à Clero incestus ac scelerum gravissimorum coram Imper. accusatus erat, insuper urbem Romam perfidè in manus Adelberti filii Berengarii tradiderat, Româ pepulit, Leonem 8. creandum curavit, qui Imperatori jus eligendi Pontifices ac investituram Cleri restituit, An. 964. Hunc postea à Romanis pulsum, obsessâ, & fame captâ urbe, pulso Benedicto 5. restituit. Illi mortuo Joannem 14. surrogavit, quem à Romanis pulsum, per Principes Capuanos reduxit, supplicio de Magistratu sumpto: Adalbertum subegit, Saracenos Italiâ expulit, Græcis, ob legatos suos contumeliosè habitos, Apuliam atque Calabriam ademit, tributumque illos ingens pendere coegit. Fundatis tandem variis Episcopatibus, obiit Magdeburgi, Ann. 973. Luitpr. *lib.* 4. *cap.* 7. 8. 9. *& lib.* 6. *cap.* 7. Vitic. *lib.* 2. Schaphnaburg. *in Chron.* Otto Frising. *l.* 6. *c.* 19. Crantzius *lib.* 3. *cap.* 27. Sigon. *lib.* 6. *&* 7. Aventin. *lib.* 4. *Annal. Boj.* Flodoardus, Baronius *in Annal.*

Otho II. Rom. Imper. dictus *Sanguinarius*, successit Othoni 1. patri, quo vivo jam coronatus, Græcos, Saracenosque in Italiâ vicerat. Mortuo patre, agnatum suum Henricum Bavariæ D. Imperium sibi vindicantem Ratisbonæ oppugnavit, proscripsit, exilio multavit. Bavaros rebelles subegit. Danum, Bohemum & Polonum terruit. A Lothario Rege, quòd Carolo fratri ejus inferiorem Lotharingiam, sub Imperii fide, concesserat, Aquisgrani vix non oppressus, recipientem se Lutetiam usque persequutus est, & de Lotharingia pro lubitu statuit. Pace dein illi datâ, An. 980. rogatu Benedicti 7. in Italiam transgressus, Græcos Impp. adortus est, sed ab iis Saracenorum auxilio victus, in Calabria ad Basentellum, Italorum perfidiâ, captus, persolutoque lytro, & beneficio Græcæ linguæ, Mercatorem se simulans, scaphâ effugit: Beneventum exussit, de Principibus Italis, convivio ferali eos in Vaticano excipiens, pœnas meritas sumpsit, hinc *Sanguinarius* ab illis, sicut à Saracenis, quos in mari cruentissimo devicerat prælio, *Pallida Saracenorum mors*, dictus. Obiit, post Comitia Veronæ habita, Romæ, an sagittæ venenatæ vulnere, an animi mœrore? Ann. 983. Imper. 10. mens. 7. Leo Ostiens. *lib.* 2. Dietmar. *lib.* 3. *Chron.* Sigebertus, Marianus Scotus, Crantz. &c.

Otho III. Rom. Imper. cognom. *Rufus*, successit patri Othoni 2. juvenis admodum, fide subditorum & prudentiâ Theophaniæ matris. Henricum Bavarum exulem, sub prætextu tutelæ, Imperium raptantem, restitutâ Bavariâ placavit, Boleslaum Bohemum, & Miecziflaum Polonum repressit. Crescentium Nomentanum Consulem, dominium Romæ sibi vindicantem exterruit, Johanni 16. ab illo pulso, Gregorium 5. substituit; huic iterum à Crescentio surrogatum Johannem 17. mutilavit, & exulantem in Germaniam misit; Gregorio 5. mortuo Gerbertum, dictum Sylvestrum 2. substituit: Crescentium, asino aversâ facie vinctum, unà cum 12. aliis, contra datam fidem, suspendio affecit. Jus eligendi Imperatorem penes solos Germanos esse, decrevit. Mariam Augustam, fœminam procacissimam, cujus impulsu Comitem Mutinensem innocentem securi percusserat, convictus à vidua Comitis, *per laminam candentem*, combussit. In Poloniam profectus, septem ibi Episcopatus instituit. Inde in Italiam reversus, A. 1000. Saracenos Capuæ obsidione depulit. Ab Italis denuo rebellantibus, tantum non oppressus, industriâ suorum evasit: venenato Chirothecarum munere, à Crescentii viduâ, quæ Imperatorio conjugio inhiabat, sublatus, Ann. 1002. ætat. 40. nullâ prole relictâ. Ei successit Henricus 2. Sub Othonis hujus Imperio, Odilo Abbas, gemitibus ad Vulcani ollam, in Sicilia auditis, Purgatorium inde effecit. Sigebert. *in Chron.* Brunoque Episc. Augustanus, subornatus ab Italis, ut contra Epistolam Hulderici, pro Cœlibatu, scriberet, miserè amputatis manibus & capite à Clericis mutilatus est. M. Chemnit. *in exam. de Cœlib.* Cæterùm vide Ditmar. Petr. Damianum, Blondum *dec.* 2. *lib.* 3. Sigon. *lib* 7. *ad An.* 996. *&c.*

Otho IV. filius Henrici Saxoniæ D. post Henricum 6. ab Electoribus quibusdam Rex Roman. salutatus, & Aquisgrani coronatus, adversarium habuit, ab aliis electum, Philippum Sueviæ D. mortui Imper. fratrem: à quo ad Spiram victus, Brunsvigi obsessus, auxiliaribusque superatis ad fugam in Angliam compulsus, tandem pacem, & Beatricem filiam impetravit, hac lege, ut à titulo & re Imperii abstineret, quamdiu ipse superstes esset, post mortem succederet. Quo facto A. 1208. legem tulit: *ne quisquam Imperium hæreditate sibi vindicaret.* In Italia dein, dum Marchionatum Ravennæ, Romandiolam, Tusciam, Apuliam, Calabriam, aliaque Imperio erepta recuperare nititur, ab Innocentio 3. excommunicatus est, opposito ei ab Electoribus Friderico 2. A. 1210. Fœdere postea cum Angliæ Reg. & Flandriæ Comite contra Philippum Augustum Gall. Reg. inito, prælio ad Bovinas, An. 1214. commisso, vix fugâ evasit. Ab æmulo imperio exutus, obiit Brunsvicæ, ubi septennio privatus vixerat, An. 1218. Crantz. *lib.* 7. *Saxon.* 37. Abbas Ursperg. Trithem. *in Chron.* Rigordus, Nauclerus, Sigonius, *lib.* 16. *&c.*

Othò, Bavarorum Dux, Hungariæ rex factus, à Ladislao, Transylvaniæ præfecto captus, & in carcerem conjectus est.

Otho, Brunsvic. Duc. quartus maritus Johannæ 1. Neap. Reginæ, cui, rege Balearium Jacobo Arragonio repudiato, nupserat: Clementis 7. partes, contra Urbanum 6. sectatus, Carolum Dyrrachinum, Apuliæ ab Urbano Regem creatum, infestum habuit: qui Othonem cum Johanna cepit, ipsoque in sacello interfecto, hanc suspendit, eo loci, ubi quondam Andreæ mariti gulam fregerat. Paul. Æmil. *lib.* 10. Theodor. à Niem. *lib.* 11. *de Schism.* *cap.* 24. 37. Bonfin. *dec.* 2. *lib.* 10.

Otho, nomen plurimorum Palatinorum, Saxoniæ, Brandeburgi, Bavariæ, &c. Principum. De quibus suo tempore: Unicus addatur,

Otho Wittelspachius, cognom. *Illustris*, quintus hujus nominis, consecutus est à Friderico 2. Imper. Palatinatum, An. 1235. Alius filio ejus Ludovico id tribuentibus, qui communis Palatinorum & Bavarorum, quotquot hodie supersunt, pater est.

Otho de S. Blasio, quod Monasterium est, in Diœcesi Constantiensi, floruit Ann. 1200. Epitomator Chronici Othonis Frising. alia quoque scripsit. Nauclerus, *lib.* 1. *gener.* 38. Vossius, *de Histor. Latin. lib.* 2. *&c.*

Otho Brunfeldius, Moguntinus, Medicus & Mathematicus, scriptis inclytus, An. 1530.

Otho Frisingensis, Episcopus, filius Leopoldi Ducis Austriæ, ex Agnete, filia Henrici 4. Imperat. Frater uterinus Conradi 3. patruus Friderici Barbarossæ, frater Leopoldi Bavariæ, Henrici Austriæ, Gertrudis Bohemiæ, Berthæ Poloniæ Ducum, Itæ Marchionissæ Monferratensis, & Conradi Episcopi Salisburgensis: Non minus ingenio & eruditione inclytus. Primùm, patris curâ, in Collegio Neoburgi ab illo fundato educatus, aliquandiu dein Lutetiæ literis incubuit; Abbas exin Monast. cujusdam Ordin. Cisterc. in Burgundia factus, postmodum verò ad Episcopatum Frisingensem, in patriam revocatus: An. 1148. Conradum Imper. in Orientem secutus est: inde redux in Burgund. rediit, obiitque

Ann.

Ann. 1158. In Philosophiâ & Historiis egregiè versatus: condidit Chronicon libb. 7. à M. C. usque ad An. 1146. cum libro 8. de fine Mundi, & Persecutione Antichristi. Cuspinianus & Christianus Urstisius ediderunt. Porro scripsit libb. 2. de vita Friderici Barbarossæ; Continuavit Radericus, Monachus Frisingensis. Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. Henriquez, *in Fasc. Cisterc.* Onuphr. Trithemius, Possev. Baron. Simler. &c.

Otho Heurnius, Ultrajectinus, scripsit *Antiquitatum Philosophiæ Barbaricæ libros* 2. *&c.* sub initium seculi hujus. Valerius Andr. *Bibl. Belg.*

Otho, gentili nomine, *Junius*, tribunus pleb. qui, cùm damnatâ Acutiâ, præmium accusatori decerneretur, intercessit; sed mox in exilium propterea pulsus est, Tac. *lib.* 8. *cap* 47.

Otho Morena, auctor vitæ Friderici Barbarossæ, quam filius ejus Acerbus absolvit. Vossius, Simler. Baron. Possev. &c.

Otho Roscius, Tribunus plebis, tulit legem, quâ cautum est, ne quis in numero equitum sit, qui 400. H. S. non habeat, Nostræ monetæ 3125. libras, LLoyd. Juv. *Sat.* 3.

—— —— Exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, & sedeant hic
Lenonum pueri, quocunq; in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius; inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesq; lanistæ,
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Othoca, urbs Sardiniæ, Antonin.

Othocarus, Bohemiæ Rex, A. D. 1271. Vide *Ottocarus.*

Otholia, fil. Jeroam, 1. Par. 9. Lat. *tempus*, sive *hora Dei.*

Otholinia, regio Scotiæ ad Ort. vergens; *Fife*, ubi Andreapolis.

Othomanni, Turcarum Impp. ab *Othomanno* quodam, qui primus ejus gentis Imperator fuit; etiam *Osmanus* dictus, filius Orthoguli rustici. Hic egregiis fortitudinis, contra Christianos popularesque speciminibus editis; plurimas Asiæ min. provincias, cum Sultanis, quibus parebant, exiguâ rebellium quorundam manu subnixus, subjugavit. Partem dein Cappadociæ & Bithyniæ occupavit, captisque Sinope, Bursâ, &c. aliisque plurimis magni nominis urbibus, Zulimi illud Oraculum, quo lupos in Bithyniâ sede fixâ, tandem sceptro Byzantino potituros esse, prædixerat, verum reddidit. Voti semper compos, nisi quòd Nicæam & Philadelphiam frustra tentavit; Benignus, magnificus, & dignus à successoribus habitus, cujus cognomento Ottomanni dici hodieque glorientur. Obiit An. 1326. Hegiræ 727. Imp. 27. vel 28. Chalcondylas, *Hist. Turc.*

Othona, opp. Albionis reg. Essexiæ; *Ithancester* Camdeno videtur, locus non procul à Camaloduno.

Othonia, sylva German. in Sueviæ & Franconiæ confin. apud Rhenum, inter Nicrum & Rhenum fluv. vulgò *Ottenvvaldt.*

Othoniel, filius Kenez, & frater Caleb minor natu generque; Jos. 15. 1. Paral. 4. de tribu Juda, 4. Dux Israëlit. judicavit populum Israël anno mundi 2600. In eo fuit spiritus Domini, egressusque est ad pugnam & tradidit Dominus in manus ejus Chusam-rasathaim Regem Syriæ, cui Israelitæ servitiam annis 8. & oppressit eum. Hic judicavit Israëlem quadraginta annis, & mortuus est, A. M. 2640. Judic. 3. Joseph. *Antiq. lib.* 5. *cap.* 7. Othoniel latinè sonat, *tempus Dei*, sive *hora Dei.*

Othriones, Maced. pop. Plin. inter Amantios & Lyncestos.

Othrisii, vide *Otrisii.*

Othronienses, pop. circa Mæoniam, Plin.

Othronus, urbs, vel insula ad Merid. Siciliæ, aut sec. alios Meliteeæ, Stephan.

Othryades, Spartiata, qui, cùm inter Argivos & Spartanos convenisset, ut 300. utrinque delecti de agro Thyreatico inter se decernerent, & utri superiores extitissent, eorum regio foret; unus hic tantum victor è Spartanis superfuit. Quum verò duo, qui ex Argivis reliqui erant, fugissent, castris suorum relictis, ajunt, Othryadem, spoliatis prius hostium corporibus, & ad sua castra relatis armis, deinde erecto tropæo, cruoreque suo insignito, ac Jovi dicato, & in scuto suo, quum adscripsisset, *Vici*, quia puderet Spartam reverti ob socios interfectos, ibi mortem conscivisse. Vide Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 2. Meminit ejus Herodotus, Plutarch. *in Paral.* Strabo, & Suidas. Quibus adde Senecæ locum *in Suasoria*, quem sic lege; *Othryades penè à sepulchro victor digitis vulnera gessit, ut tropæa Laconum inscriberet. En dignum Deo in Spartam sacramento virum, cujus ne litera quidem fuere sine sanguine.* Nec omittendum illud Crinagoræ, Ὀθρυάδην Σπάρτης τὸ μέγα κῦδος.

Othrys, Thessaliæ mons, non procul ab Oetâ; Centaurorum olim sedes & Lapitharum, Strabo *lib.* 9. *Delacha* incolis vocatur. *Nivalis* Virgilio dicitur, quod fortè hausit ex Nicandro; sic enim ille *Theriacis vers.* 145.

Ναὶ μὴν καὶ νιφόεντα φέρει δυσπέμφελος Ὄθρυς
Φωλεὰ —— ——

Ubi Schol. Ὄθρυς, ὄνομα ὄρους Θεσσαλίας. Ex utroq; Stat. *Theb.* 3.

—— —— Non ocyus alti
In terras cadit ira Jovis, si quando nivalem
Othryn, & Arctoa gelidum caput institit Ossa.

Idem *Achilleidos lib.* 1.

—— Jam nubibus ingemit Othrys.

Pinos dat ei Val. Flaccus, *lib.* 6.

Qualiter exosus Pyrrhæ genus, à nova rursus
Jupiter, atq; omnes fluvium si fundat habenas;
Ardua Parnassi lateant juga, cesserit Othrys
Piniger, & mersis decrescant rupibus Alpes.

Oties, Græcè Ὠτιεῖς, pars Cypriorum, Steph.

Otinum, oppidul. Holsatiæ, in Wagria, cum castro; *Outin*, sedes Administr. Episcopi Lubecensis, è Ducibus Holsatiæ. *Eutyn*, quibusdam fere medium inter Lubecam & Chilonium, 5. mill. German. utrinque.

Otlo, vel *Otholon*, Monachus Fuldensis, floruit sec. 10. Auctor vitæ S. Primiani, &c. Canis. *in Antiq. lect.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. Surius, Christoph. Brouverius, &c.

Otreus, Cissei filius, Hecubæ frater. Hesychius, Ὀτρεὺς καὶ Μύγδων βασιλεῖς Φρυγίας.

Otreus, è Mariandinis Princeps, Procus Hesionæ Trojanæ, ab Amyco interfectus, Valer. Flacc. *lib.* 4. *vers.* 162. Filius Dascyli & Anthemoïsæ, Tantali ac Lyci fluminis nepos, in bello Colchico, quod Perses contra Aeëten movit, ab Ambeno hastæ fragmine occisus, *lib.* 6. *cap.* 252.

Otriculum, vide *Ocriculum.*

Otrisii, vide *Odrisii.*

Otroea, oppidul. in finibus Bithyniæ, paulo supra Ascanium lacum, Strab.

Otrye, opp. fuit Phrygiæ magn. in confin. Lydiæ. Cujus opp. *Othronienses*, Plin.

Ottera, Marthesiæ filia, quâ regnante Amazonum imperium in id opulentiæ, gloriæ ac famæ pervenit, ut Eurystheus rex, quasi rem impossibilem, Herculi imperarit, ut Amazonum reginæ arma sibi afferret.

Otthora, urbs Phœniciæ, lib. Not.

Ottinga, opp. Sueviæ, ad Vernitium fluv. sub proprio Comite, 2. mill. German. à Nerolinga in Caec. Norimbergam versus, 6. ab Eistato in Occ.

Otto, vide *Otho.*

Ottocarus I. Bohemiæ Rex, prius Przemislaus dictus, Philippi Suevi Imper. partes quòd egregiè tueretur, ab eo Rex coronatus est, An. 1199. Quem cùm divortio suo offendisset, An. 1208. dimidiâ parte regni mulctatus, tam obstinatè se Ottoni, ejus æmulo, applicuit, ut diceretur *Ottogarus*, quod Germanis denotat, *in solidum Ottonis.* Dubrav. *in Hist. Bohem.* Spangenberg. *in Chron.*

Ottocarus II. Rex Bohemiæ, à Stiriis *Dux* Stiriæ creatus, usurpavit Ducatum Austriæ, vel potius ductâ in uxorem Margaretâ Austriacâ, acquisivit, An. 1247. Stiriam Belæ Reg. concessit, Prutenos vicit; Montem Reg. condidit, obtinuitque Anno Christi cIɔ CC LXIX. Carinthiam, sed diu conservare non potuit. Nam cùm eò arrogantiæ provectus esset, ut, contempta Imperii Majestate, de clientalibus Bohemiæ beneficiis Cæsari Rudolpho Habsburgio sacramentum dicere nollet, citatur ad Augustam Vindelicorum sub gravissimis pœnis, uti se sistat, ac de injustè occupatis Imperii provinciis, neglectaque ejus Majestate rationem reddat. Ridet citationem Ottocarus, neminemque ad Comitia, qui pro se respondeat, mittit. Interim legati, ab Austriæ ordinibus missi, Augustam ad Cæsarem Principumque conventum perveniunt, & apud Cæsarem Principesque gravissimè de injuria crudelitateq; Ottocari conquesti sunt, decernitur communi principum sententiâ legatos ad Bohemum mittendos, sed cùm ii indigna in Cæsarem Imperiique Principes probra pro responso retulissent, omnium consensu decreto bello, ad id justa Cæsari auxilia promissa fuerunt: At cùm utrinque maximæ collectæ essent copiæ, & Cæsar cum suis in Austriam contendisset, Ottocarus de prælii eventu, Cæsaris prudentiam ac vim veritus, dubitans, intercessione duorum hinc inde Antistitum, pacem cum eo facit, restitutâ Austria, dictoque de Bohemiæ cæterisque ejus provinciis Cæsari sacramento, in genua (dum hæc fiunt, ante Cæsarem sedens, inspectante Bohemorum, Hungarorum, & Germanorum exercitu: qua de re, ut indigna, ab uxore hominibusque turbulentis, Rex Ottocarus acerbè acriterque reprehensus, violata pace, cum ingenti exercitu Austriam invadit: exit contrà Cæsar Rodolphus, Germanorum copiis Hungarorumque auxiliis stipatus, ac haud procul oppido Marchecco, cum Ottocaro congressus, eum XIV. M. cæsis superat occiditque Ann. 1278. Æn. Sylv. *Histor. Bohem.* Natal. Metel. Regnum tamen filio Venceslao, elocatâ ipsi Juttâ filiâ reliquit, Alberto filio Austriâ donatâ, Ann. 1282. Bonfin. *Decad.* 2. *lib.* 8.

Ottonia, Crantzio *Tirholam*, insula maris Balt. Cimbriæ Chers. adjacens, sub regno Daniæ.

Ottoniel Discalsius, JC. Patavinus celebris, docuit Jus utrumque An. 42. scriptis excellentissimis æternam famam meritus. A Rodolpho secundo, Imper. Comitivâ, & à Veneta Republ. Equestri dignitate honoratus. Obiit An. 1607. ætat. 71. Tomasin. *in elog. Illustr. Vir. Patav.*

Ottonium, urbs Fioniæ insulæ prim. in ejus fere umbilico, media inter Neoburgum ad Ort. & Mildefatiam ad Occ. 2. leuc. Danicis,

ab

ab ora sinus Codani in Austr. uti 9. ab Athusia, 14. à Slesvico in Bor. 18. ab Hafnia in Occid. *Odensee*. Condita ab Haraldo Reg. sicque dicta in honorem Othonis I. Imperat. Hic conventus ab Episc. regni habitus, An. 1257.

Ottorocorra, Sericæ reg. urbs, Ptol. *Salgora* Mercatori. Popul. etiam *Ottorocorra*, *Attacori* Plinio, teste Villanovano.

Otus, vide *Aloeus*.

Otys, Paphlagonum rex, qui à Persis ad Agesilaum defecit. Xenophon. *lib.* 4.

O V.

Ovatio, ignobilior species triumphi, cui initium An. 250. vel 251. à Romanis datum: tum, cùm Cons. Posthumius Tubertus, victis Sabinis, inter populi circumfusi applausus, myrteam capite corollam gestans, Urbem ingressus est. Vide Dionys. *lib.* 5. Plin. *lib.* 15. *cap.* 29. Sigon. *in Fast. Comment.*

Ovetum, urbs Legionis, insignis. Asturiæ Ovetensis caput, ad Astam fluv. quo reliquiæ Gothorum confugere, 16. leuc. Hispan. à Legione urb. in Circ. 6. ab ora maris Cantabrici in Merid. 18. ab Asturica in Boream, Episc. sub Archiepisc. Castellano. Aliàs regni Ovetani caput, & regia sedes, cùm post obitum Roderici, Gothorum Reg. ultimi, Christiani à Mauris expulsi, & in Asturias compacti, Principem Pelagium elegerunt, An. 717. qui Ovetanum regnum instituit, quod Legionensis, An. 913. fermentum fuit; Tum enim Ordonnus 2. Regis Legion. titulum sumpsit. Hispanis *Oviedo*, hic Concilium, An. 878. & 901.

P. Ovidius Naso, Poëta Rom. patriâ Sulmonensis, familiâ equestri, ut ipse de se testatur, cujus historiam habes Trist. *lib.* 4. *eleg.* 10. Vide & *lib.* 3. *Amor. eleg.* 15. Natus est, Ann. 711. U. C. Hirtio & Pansâ Coss. *Cùm cecidit fato Consul uterq; pari*, uti legimus loco citato. Institutus Latinis literis, patris jussu, ad Oratoriam facultatem se contulit; à quo tamen instituto, postea factus arbitrii sui, resiliit, totoque pectore Poeticam, cui natus videbatur, amplexus est. Sub Marco Varrone, in Asiam profecto, militavit; ut ipse testatur *lib.* 1. *Trist. Eleg.* 2.

Non peto, quas quondam petii studiosus Athenas,
Oppida non Asiæ, non mihi visa prius.

Scripsit quamplurima vulgò nota, ex quibus dolendum est, interiisse Halieutica, Medeam, & sex libros Fastorum posteriores. Uxorem habuit, post unam, aut alteram repudiatam, Fabiam Perillam, formâ & integritate morum præstantem. Sustulit & filiam, ex quâ bis avus factus est. Cùm autem Augustum, apud quem summo in pretio fuerat, imprudenter offendisset, in Scythas relegatus est, annos natus quinquaginta. Cujus exilii, de quo ubique tristissimè queritur, causas fuisse duas testatur; unam, quòd libros de Art. Am. in gratiam an Juliæ, an Liviæ? composuisset; alteram, errorem quendam in Augustum, sed cujusmodi fuerit, ut ubiq; ipse dissimulat, ita nec divinari quidem potest; nec scire ipse quidem voluit, sicut inquit:

Et quid præterea peccarim, quærere noli.

Cùm autem exilium annis 8. & mensibus quibusdam pertulisset, in eo demum obiit, Olymp. 199. Ruffo & Flacco Coss. An. C. 17. Tiber. Imper. 5. Tomis autem sepultus est, uti tradit Eusebius, quæ quibusdam *Kiour*, aliis *Temisvar* dicitur. Gaspar Bruschius, Laurentius Mullerus, Glandorpius, &c. sepulchrum ejus, An. 1508. Sabariæ, German. *Stain*, in Austria, ad Savum, repertum esse scribunt, cum hoc Epitaphio:

Hic situs est vates, quem Divi Cæsaris ira
Augusti, patriâ cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra: Hunc illi Fata dedere locum.

Sed non sapiunt Augusti seculum hi versus. Fertur quoque Isabella, Hungariæ Regina, Petro Angelo Bargæo, ostendisse calamum argenteum, Belgradi repertum, cum his verbis: *Ovidii Nasonis calamus*. Seneca *Declam. lib.* 2. *declam.* 1. scribit, se vidisse Ovidium declamantem apud Rhetorem Arellium Fuscum, cujus auditor fuerat, ut Varronis admirator, habitumque declamatorem bonum, verbis minimè licenter usum, nisi in carmine, in quo non ignorârit vitia sua, sed amarit. Rogatum enim aliquando ab amicis, ut tolleret tres versus, illo contra tres versus excipiente, quum utrique suos descripsissent, repertos esse eosdem. Ex quo apparet summi ingenii viro judicium non defuisse, ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum, quum interim & hoc dictum usurparit: *Decentiorem faciem esse, in quâ nævus aliquis esset.* Genetum reliquit Cornelium Fidum. Nomen ejus quod attinet, O'ἴδιον ovicula est. Sic ab *asino Asinius*, à *porco Porcius*. Verùm de Ovidio nos alibi plura. L. Loydius. Vide etiam Senec. *quæst. natur. lib.* 3. *cap.* 27. Vellej. Paterc. *lib.* 2. Euseb. & Hieron. *in Chron.* Jul. Cæs. Scal. *lib.* 6. *Poët.* Muret. Cameratium, Regium, Passeratium, Vossium. &c.

Ovilabis, urbs fuit Norici Ripensis, ubi nunc opp. *Wels*, in Austria infer. ad Traunam fluv. 7. m. p. infra *Lampach*, cœnob. Lentiam versus, à qua 12. m. p. in Mer. abest, Cluver.

Ovinia lex, quâ sancitum est, ut Censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in senatum legerent: Quo factum est, ut qui præteriti essent, & loco moti, haberentur ignominiosi. Nam antea præteriti Senatores in opprobrio non erant; quum, ut ante Reges sibi legebant, sublegebantque, quos in consilio publico haberent, ita post illos exactos, Consules quoque, & Trib. Militum consulari potestate conjunctissimos sibi quosq; Patriciorum, & deinde Plebejorum legebant, Sext. Pompejus.

Q. Ovinius, ab Aug. Cæs. punitus est, quòd cùm Senator esset Romanus, lanificio, textrinæque Reginæ Cleopatræ præesse non erubuisset. Orosius *lib.* 6. *cap.* 49. Eutrop. *lib.* 1.

Ovinius, Vatinii libertus, roganti Ciceroni de valetudine patroni, *Rectène omnia?* quum respondisset, *Rectè:* tum Cicero, *Ergo mortuus est*, inquit, Quinctil. *lib.* 3. *cap.* 4.

Ovinius Camillus, Senator antiquæ familiæ sub Alex. Severo, cui rebellionem molienti non modò pepercit Cæsar, sed gratias insuper egit, quòd curam Reipubl. quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte in se reciperet, Lampridius.

Ovinius Gallicanus, Consul, cum Septimio Basso, Anno U. C. 1069.

Ovinius Paternus, Coss. cum Fl. Cl. Augusto, An. U. C. 1021. Aureolum vicit variis prœliis, 350. Gothorum millia cecidit.

Ovinum pratum, vulgò *die Schaffmatte*, pars est Juralli montis, in agro Basiliensi, quæ per Sisgoviam ascendentes transmittit, nomine à pascuis accepto, Urstisius *epit. hist. Basil. cap.* 1.

Ovu, locus in Scythia, Jornandi, forte circa fluv. Obium, *Olys*, qui antiquis *Carambucus*. Vide ibi.

Ouporum, Moletio *Obrovazo*, opp. Liburniæ medit. inter Blanonam & Nedinum, ab eo 3. leuc. à Jadera vet. 6. in Bor. in medio Nedinum.

Ousta, seu *Austa*, fluv. parvus Britanniæ minoris. Oritur prope Quintinum opp. dein aliquot amnibus auctus, in Vidanam cadit, prope Redonum opp. Gall. *Ouste*.

O X.

Oxama, vel *Uxama*, urbs Hispan Tarracon. Ptolem. Hodie *Osma* in regno Castellæ vet. excisa, Episc. sub Archiepisc. Burgensi, inde 18. leuc. in Merid. Ex ejus ruinis crevit opp. vicinum *Borgo d'Osma*, ubi sæpe moratur Episc. Oxomensis, 9. leuc. à Segontia in Circ. Media inter Bilbilim ad Ort. & Pintiam ad Occidentem. Vide *Uxama*.

Oxartes, e Regione Nautaca, inter dedititios Alexandri Magni, persuasit Sysimithri dedere Petram Alexandro, Curt. 8. 14. Legendum autem apud Curtium putendit Janus Gebhardus *Oxyartes*. Nam hic Rhoxanis Pater, Paropamisadarum & Bactrianorum Regulus, Diod. 18. *pag.* 618.

Oxatres Darii, ultimi Persarum Reg. frater, robore corporis & animi fortitudine multum inter Persas eminens, ab Alexandro, post mortem Darii, in cohortem amicorum receptus, omni vetustæ claritatis honore servato, Curt. 6. 8.

Oxea, seu *Oxia*, insula Propontidis, Nicet. Cedren.

Oxea, insulæ eædem, quæ *Echinades*, Steph. in *Dulichium*.

Oxeas, Herculis ex Megarâ fil. Boceat.

Oxei, pop. Epiri inter Nicopolim & Naupactum, Apton.

Oxiane, palus, sive stagnum Sogdianæ regionis, quod Oxus fluvius efficit. *Chorasmuni*, teste Nigro. Populi *Oxiani* Ptolemæo vocantur.

Oxidates, nobilis Perses, à Dario capitali supplicio destinatus, cohibebatur in vinculis. Huic Alexander liberato Satrapiam Mediæ attribuit, Curt. 6. 8. Sed videtur, ob injurias in provinciales, inde iterum esse remotus, submisso in ejus locum ab Alexandro Magno Arsace, *lib* 8. 19.

Oximum, vulgò *Hyesmes*, opp. Gall. Celt. in Normanniâ clarum, inter Aquilam & Cadomum, long. 21. 20. lat. 48. 54. In colle. 4. leuc. à Sagio in Bor. 8. ab Aquila in Occ. uti 9. à Falesia, 16. à Cadomo in Eur. Baudtandus. Aliter *Exmes*, sub Sajensi Episcopo, qui nonnunquam ibi sedem habuisse potuit, nunquam autem civitas hæc aut sedes Episcopi Sajensis primaria, aut caput gentis fuit, Sagis semper subjecta. Hinc Pagus *Oximensis*, vulgò *l'Hiesmois*, aut *le pays d'Hiesmois*, qui pagos mox dictos duos, Alentionensem & Sajensem, olim contexuit. In hoc villa Tasiliacum, vulgò *Ville Taillac*, Fortun. *de vita Germ. cap* 54. Item locus qui *Monsfortis* dictus, *Oximus*, & Gusceprum (*Gassay*) memorantur Orderic. Vital. *lib* 6. Incolæ *Oximenses*, & *Oximi* dicuntur, *lib.* 8. & 13. Vide Hadr. Valesium, *Notit. Galliæ.*

Oxione, pop. Sarm. Eur. Tacitus *de mor. Germ.*

Oxopium, urbs Mysiæ Asiaticæ, Plin.

Oxonia, vel *Oxonium*, urbs Angliæ Episcopalis, & Academia totius orbis terrarum longe celeberrima, fundata, ab Alfredo Rege An. 895. hortatu Noëti, viri doctissimi. Athenæ nostræ nobilissimæ, uti loquitur Camdenus, Angliæ μουσεῖον, & ἱερὸν, imo Sol, oculus, & anima, literarum & sapientiæ clarissima officina, unde Religio, Humanitas, & Doctrina, in omnes regni partes uberrimè distribuuntur. Hanc seculo 14. Johannes Viclefus, Theologiæ Professor ibidem, illustravit. De quo vide in voce *Viclefus*. Urbs egregia, & nitida, sive privatorum ædificiorum elegantiam, sive publicorum dignitatem (inter quæ *Bibliotheca Bodlejana*, & *Theatrum Scheldonianum* præcipue excellunt;

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.)
sive situs salubritatem, & amœnitatem spectes. Planitiem enim ita obvallant nemorosi colles, ut hinc pestilenti Austro, illinc tempestuoso Zephyro excluso, tantùm serenantem Eurum, & Aquilonem *αἰθρηγενέα*, & corruptionis vindicem admittant, unde ab hoc situ *Bellositum* quondam dictum fuisse produnt scriptores. Nonnulli, qui tamen, meâ opinione, fallacem opinionis succum imbiberunt, hanc *Caer Vortigern*, & *Caer Pember* Britannicè appellatam, & nescio quos Vortigernos, & Mempricios extruxisse opinantur. Quodcunque vero Britannicis temporibus fuerit, Saxones *Oxenford* appellarunt, eâ plane significatione, quâ Græci suos *Bosphoros*, & Germani suam *Ochsenfurt* ad Oderam habent, à *Boum scil. vado*, quo etiam sensu Britannis nostris *Rhidychen* vocatur. Lelandus tamen probabili conjecturâ ab *Ouse* fluvio, qui Latinè *Isis*, nomen deducit; & *Ousford* vocatum fuisse arbitratur, cùm insulæ amnicæ, quas *Isis* hic dispergit, *Ousney* dicantur. Plura vide apud Camdenum, & Brianum Twynum, *in Antiquitatis Academiæ Oxoniensis Apologiâ*. Propediem verò, favente Deo, visuros es librum vere aureolum, plurimi laboris, nec min. judicii, ubi *Oxonia, sive celeberrimæ universitatis Oxoniensis Historia, ex intimâ antiquitate luculenter illustratur. Authore Antonio Vucod, Collegii Mertonensis in eâdem Universitate Artium Magistro.* Cujus laudes, integerrimam erga me amicitiam, & singularem in hisce studiis industriam & scientiam deprædicabo, *Dum thymo pascentur apes, dum rore cicadæ*, LLoyd. Prodiit An. 1672. Distat hæc urbs ad Tamesin sita, 60. m. p. à Bristolio in Ort. uti 40. à Glocestria; in limite Bercheriæ Comit. Aliàs urbs Atrebatum fuit, nunc caput eorum est, Baudtand.

Oxoniensis Comitatus, qui versus Tamesin, olim regni Merciorum antiqui pars. Habet ab Or. Northingamiam, ab Occ. Glocestriam, à Merid. Bercheriam, à Sept. Warvicensem Comit. Hic Concil. An. 1222. à Stephano Langtono, Archiep. Cantuariensi celebratum.

Oxus, fluvius ingens Sogdianæ per Margianam in Hyrcanum mare decurrens. *Geichon*, Rhamusio; *Deijtan* Nigro. Aliis *Xa Cappanach* Persis, teste Theveto. *Monarach* Arabibus. *Nicaprach* incolis. *Abiamu* Castaldo. Ejus mem. Dionys. *vers.* 746.

—— —— Οἳ ἐπὶ γαῖαν
Σογδιάς, τῆς διὰ μέσσον ἐλίσσεται ἱερὸς Ὦξος,
Ὅς ῥα λιπὼν Ἠμωδὸν ὄρος, μίσγει Κασπίδος βένθει.

Hunc fluv. medium terminum inter Bactrianam & Sogdianam, ut Jaxarten inter hanc & Sacas, statuit Eratosthenes apud Strab. *lib.* 11. affirmans, *διείργειν Σάκας μὲν καὶ Σογδιανοὺς τὸν Ἰαξάρτην, Σογδιανοὺς δὲ καὶ Βακτριανοὺς τὸν Ὦξον.* Cum quo satis consentit Ptolem. *lib.* 6. *cap.* 12. *&* 13. Neque in cæteris Dionysio malè cum his convenit, nisi quòd Oxum affirmet per mediam Sogdianam fluere: quæ loquendi forma apud eum nova non est, cùm de fluv. loquitur, qui reg. alicujus terminos tantùm perstringit, quod facit, ubi de Tyberino fluv. loquitur, *vers.* 351. Montanus, Arrian. *de Exped. Alex. lib.* 3. Ὁ δὲ Ὦξος ποταμὸς ῥέει μὲν ἐκ τοῦ ὄρους τοῦ Καυκάσου, ἔστι δὲ ποταμῶν μέγιστος τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὅσους γε δὴ Ἀλέξανδρος καὶ οἱ ξὺν Ἀλεξάνδρῳ ἐπῆλθον, πλὴν τῶν Ἰνδῶν ποταμῶν, οἱ δὲ Ἰνδοὶ πάντων μέγιστοί εἰσιν. Ἐξίησι δὲ ὁ Ὦξος ἐς τὴν μεγάλην θάλασσαν, τὴν κατ' Ὑρκανίαν. Διαβαίνειν δὲ ἐπιχειρῶν αὐτῷ τὸν ποταμὸν πάντῃ ἄπορος ἐφαίνετο. Τὸ μὲν γὰρ εὖρος ἦν ἐς ἓξ μάλιστα σταδίους, βάθος δέ, οὐδὲ πρὸς λόγον τοῦ εὔρους, ἀλλὰ πολὺ δή τι βαθύτερος καὶ ψαμμώδης. Καὶ ῥεῦμα ἰσχυρόν, ὡς τὰ καταπηγνύμενα πρὸς αὐτοῦ τὰ ἐκ τῆς γῆς χαλεπῶς, οἷα δὴ οὐδὲ βεβαίως κατὰ τῆς ψάμμου ἱδρυμένα. Qu. Curtius 7.10. *Quarto die ad flumen Oxum perventum est: hic quia limum vehit, turbidus semper, & insalubris est potu.* Meminit fluv. hujus Achamed Gerapsi fil. in Themiris histor. eumque *Ghaion*, *Gihon*, & *Jihunc* vocat, qui Chorasanam regionem à Mauranharia distinguit.

Oxybii, Ligurum gens Straboni & Stephano, *Oberrois* Dalechampio. Baudrando popul. Provinciæ fuere, inter Deceates ad Ort. & Argenteum fluv. ad Occid. in ora maris Mediterran. ubi Forum-Julii & Forum-Voconii.

Oxycanus, Præsfotum, Indiæ gentis rex, Curt. 9. 8.

Oxydates, nobilis Persa, Idem 6.2.

Oxydracæ, Indiæ citer. pop. à quibus cùm Alexandrum liberasset Ptolemæus, *Soter*, id est, *salvator*, cognominatus est. Alii fabulosa esse tradunt, quæ de Oxydracis dicuntur, Stephan. Vide Q. Curtium *lib.* 9. *cap.* 4.

Oxylitgam, Leuncl. *Aurichysar*, vel *Siurichisar*, castr. Saracenum, in Mysiæ, Thraciæ & Maced. confinio, Cedren.

Oxylus, Eliorum Rex justissimus ac præstantissimus, qui vetuerat mutuam pecuniam in suam cuiquam agri partem dare, nec licebat cuiquam eam oppignerare, ut quisque haberet, quod coleret. Aristot. 6. *Polit.* 4. Pausan. *lib* 5. Strabo *lib.* 10.

Oxymagus, Indiæ fluv. in Gangem irrumpens, Arrian. *in Ind.*

Oxynia, Græc. urbs, ad Jonem fl. qui se cum Peneo jungit, Strab.

Oxynthes, Atheniensium rex, An. ante U. C. 390.

Oxyrynchus, civitas Ægypti ad Nilum, templis monasteriisque refertissima, tempore Evagrii; ab *Oxyryncho* pisce, quem colebant cives, sic dicta, Ptol. Strabo *lib.* 17.

Oxythres, frater Artabazi, Polyæn. 7. 524.

O Z.

Oza, nomen viri, 1. Par. 6. Item filius Abinadab, percussus divinitus, quòd ad sustentandam arcam manum exporrexisset, 2. Samuel. 6. Lat. *fortitudo*, vel *capra*.

Ozaca, urbs ampla Niphoniæ, cum arce splendidissima Imperatoris, haud pridem extructa, in teg. Jetsena, in ora sinus amplissimi, in meditullio insulæ, 50. m. p. à Meaco in Eur.

Ozan, pater Phaltiel, principis tribûs Issachar, Num. 34. Latinè, *fortitudo*, aut *capra earum*.

Ozazin, nomen viri, 1. Par. 15. Latin. *fortitudo Domini*.

Ozecarus, fluv. Lusitaniæ, nunc *Zezare*. Oritur prope Guardam urb. in prov. *Beira*; dein auctus Nabane, Beselga, aliisque flum. minoribus, in Tagum se exonerat, 7. leuc. supra Scalatim in Cæc.

Ozen-sara, urbs à *Sara* filiâ Ephraim condita, 1. Paral. 7. Latinè, *auricula carnis*, vel *consanguinitatis*, aut *auricula fermentata*, vel *remanens*, sive *statera carnis*, *consanguinitatis*, vel *residui*.

Ozene, urbs Indiæ citer. Ptol. *Pali* Castaldo.

Ozi, עזי filius Bocci, 1. Par. 6. Filius item Thola, 1. Par. 7. Lat. *fortis*, vel *fortitudo mea*, aut *hircus meus*.

Ozi, אזני nomen viri, Neh. 3. 25. Lat. *tunc*, vel *aut iste*.

Ozia, filius Amasiæ regis Juda, aliàs etiam *Azarias* dictus, satis laudabiliter præfuit, bello etiam contra Philistæos, Ammonitas & Arabes felix; Posteà leprâ percussus, quòd sacris functionibus se immiscuisset. Obiit An. M. 3277. regni 52. Interea Jotham fil. clavum tenuit, 3. Regum. 26. 2. Par. 26. Filius item Caath, 1. Par. 6. *fortitudo*, vel *hircus Domini*.

Ozian, nomen viri, 1. Par. 24. Idem sign. quod *Ozias*.

Oziel, filius Bela, 1. Par. 7. Filius Caath, Ex. 6. Id. sig. quod *Ozias*.

Ozines, nobilis Persa, defectionem ab Alexandro M. moliens oppressus est à Cratero, & in vincula conjectus, Curt. 9. 53.

Ozni, filius Gad, Num. 26. Lat. *auris*, vel *statera mea*.

Ozogardana, oppidi nomen apud Am. Marcell. circa Mesopotamiam esse videtur, ubi Trajani tribunal ostenditur.

Ozolæ, *Ozoli* Plinio, pop. Achajæ, Ætolis finitimi, ad sinum Corinthiacum. Vide *Locri*; quorum alii ad sinum Corinthiacum, alii ad sinum Euboicum sunt.

Ozviecimum, opp. Palatinatus Cracoviæ ad Vistulam fluv. ubi Sa'am recipit, cum tit. Duc. vix 3. mill. Germ. à confin. Silesiæ in Ort. Cracoviam versus 7. Arcem habet ligneam, & paludibus cinctum est. German. *Auschwitz*, & An. 1454. in Poloniæ Regis possessionem rediit.

Ozzala, Galatiæ urbs, Antonin.



P | P A



Consonans muta, aspirationem ignorat, nisi in vocibus Græcis, ut *Phaëton, Philetas, &c.* Aliquando in *B.* vertitur, ut *Byrrhus, Balatium*, pro *Pyrrhus, Palatium.* Etiam nota erat vel Populi, vel Partis, &c. Vide Voss. *in Aristarcho.* Ausonius, *de litt. monos.* de Consonante hac ita loquitur:

Ausonium si P. scribas; ero Cecropium P.
Et Rho de Græco mutabitur in Latium P.

P A.

Pacamores, populi Peruviæ, ad confluentes Maranionis in fluv. Amazonum, P. Texeira.

Pacarius, vide *Decimus*,

Pacatianus, Conf. cum Cæcilio Hilariano, An. U. C. 1084.

Pacatus Minutius, Grammaticus, scripsit de Tragicis & Comicis dictionibus, item de proprietate Atticæ, ac Doricæ linguæ. Vide *Drepanius.*

Pacensis, vide *Æmilius.*

Pacensis colonia & urbs. Vide *Pax Augusti.*

Pacheres, Atheniensis quidam belli peritissimus, qui Mytilenen & Lesbum de Persis recepit, Olymp. 89.

Paches, Notium oppugnans Hippiam Ducem Pisuthnæ postulavit, ut e munimentis ad colloquium exiret, fide datâ se illæsum & vivum eum remissurum. Postquam verò processit, custodiâ ei circumdatâ, Notium vi cepit: atque tum Hippiam vivum in urbem induxit, quemadmodum in fœdere promiserat, & postea jaculis confecit. Polyæn. *lib.* 3. Cujusdam *Pachetis* Atheniensis, ut videtur, qui Mitylenem cepit, meminit Aristot. *libro quinto Politicorum, cap.* 4.

Pachia, promont. Sardiniæ, Ptolem.

Pachiri, montes in Asiâ minori.

Pachomius, Abbas seu Pater Eremitarum, in Scythiâ; à juventute ad senium usque optimè conversatus, quem neque circa corporis sanitatem, neque circa animi passionem Dæmon aliquando decepit, si Sozomeno credas, *lib.* 8. *cap.* 6.

Pachomius, Abbás Ægyptius, ex milite idololatra Licinii, vel Maxentii. Discipul. Palæmonis Eremitæ, super serpentes ambulasse, & à Crocodilis ab una Nili ripa in alteram transvectus esse, fertur. *Ad populum phaleras!* Variis monasteriis conditis, obiit An. 350. vel 360. Ejus *Monita* edidit Gerardus Vossius, unà cum operibus Gregorii Thaumaturgi. Dionysius Petitus vitam ejus latinè transtulit. Vide Gennad. *cap.* 7. *de Vir. Illustr.* Trithem. Bellarmin. Possevin. Baronium, &c. Item Patr. Constantinopol. An. 1500. usque ad Annum 1513. Turcicis insidiis multùm infestatus, Onuphr. *in Chron.*

Pachynus, sive & meliùs *Pachynum*, unum ex tribus Siciliæ promuntoriis, Peloponnesum spectans, ab aëris crassitudine, ut vulgò creditur, nomen habens. Nam παχὺ, pingue & crassum sonat. Bochartus verò ab Ebræo בחון *bachon*, seu *Bachun* deducit, quæ vox Tyriis *speculam* signif. *B.* & *P.* permutatis. *Pachynus enim turrim habet speculam in mare prominentem*, uti loquitur Fazellus, *Dec.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1. Vulgò *Capo Passaro*, estque in ora Or. Siciliæ, ubi ad Austr. vergit, 60. mill. à Melita insula, in Bor. 140. à Peloro in Mer. Baudr. Quantitatem priorum syllabarum pro licentiâ suâ variant Poëtæ. Dionysius primam corripit & secundam,

Ἄκρα δὲ οἱ Πάχυνίς τε Πιλωρίς τε Λιλύβη τε.

Idem alibi secundam produxit,

—— Καὶ μέχρι πολυκλύστου Παχυνοῦ.

Virgilius itidem priorem brevem fecit, *Æn.* 3.

Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni.

Quam tamen Ovidius producere non dubitat, *Met.*

E quibus imbriferos versa est Pachynos in Austros.

Pachynus portus, vulgò *Porto Longobardo*, teste Fazello, portus Siciliæ inter Pachynum promunt. & Moryam urbem excisam.

Paciacum, Brittoni memoratum *Philippidos* 3. & 4. Orderico *lib.* 12. dicitur *Castellum Pacejum*; Oppidum autem est ad Auturam fluv. in Aulercis Eburovicibus, inter Ebroicas & Meduntam medium, hodie *Pacy*: corruptè *Passy*. Hadrian. Valesius *Notit. Galliæ.*

Pacianus, Episcopus Barcinonensis, genere, castitate, eloquio, vitæ sanctitate & eruditione illustris. Sub Valente Imper. floruit, obiit sub Theodosio M. An. 380. vel 388. scripsit Parænesin ad Pœnitentiam, Epistolas contra Novatianos, tractatum parvum de Baptismo. Hujus filio Dextro, Prætorii præfecto, inscripsit Hieronymus librum de Scriptoribus Ecclesiasticis, *cap.* 106. *Cat.* Baron. *in Annalib.*

Pacidianus, vide *Esernius.*

Pacifici, seu *Pacificatores*, illi dicti sec. 5. qui Henoticon Zenonis Imper. sequuti, sub specioso concordiæ inter Catholicos & errones sarciendæ prætextu, Fidem destructum ibant, Concilio Chalcedonensi stabilitam. Evagr. *lib.* 3. Baron. *A. C.* 842. *num.* 25. Item Anabaptistæ, sec. præt. qui in pagis oberrantes, se Evangelistas jactarunt, plurimis deceptis.

Pacificus Maximus, Asculo oriundus, obiit sub initium præter. seculi, An. ætat. 100. Scripsit contra Angelum Politianum, Poëmata de Lucretia, Virginia, bellis Cyri, Syllæ & Marii, &c. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 8.

Pacificus Novariensis, Franciscanus, sec. 15. scripsit *summam Pacificam.* Floruit Ann. 1470. Wading. *in Bibl. Minor.* Bellarm. *de Script. Eccles.* Possevin. *in Appar. sacro, &c.*

Pacinus, unus ex nepotibus Volsinii regis, cognomento Luculli, à quo *Pacinates* Italiæ populi.

Paconus, insula Siciliæ inter Lilybæum & Africam, Ptol.

Paconius, vide *Cæsar Sextius.*

Paconius, prænomine *Marcus*, C. Silani Asiæ Proconsulis legatus, ejusdemque accusator; quem post illa reum majestatis Tiberius interfecit, admonitu scurræ cujusdam, Sueton. *Tib. cap.* 61.

Paconius Agrippinus, Marci filius è Stoicâ disciplinâ. Huic exercitanti supervenit, qui diceret, Fuge ocius, damnatus es: exilio, inquit, an morte? Exilio. Bona autem quid? Non ablata tibi. Ariciam ergò euntes istic prandeamus, Arrian. *lib.* 1. *cap.* 1.

Pacoria, Mesopotamiæ urbs, Ptolem.

Pacorus, Parthorum Rex, in pugnâ, quâ Crassus victus, rem egregiè gessit. Antigono favens, Hierusalem venit prætextu componendæ seditionis obortæ, inter Judæos: Illis partim Phaselo, & Hyrcano, partim Antigono faventibus, revera autem principatum Antigono traditurus: Itaque per dolum Phaselum ad Barsaphanem, Persarum satrapam, mittit: Phaselus cum Hyrcano à Parthis ligatus est, quibus talenta mille, ac mulieres quinquaginta pollicitus erat Antigonus. Hac viâ Judææ Rex à Pacoro constitutus Antigonus, Hyrcano sibi à Parthis tradito, dentibus aures præcidit, ne quando summum obiret sacerdotium: nam lex tantùm integros admittebat. Labieno quoque Pompeji amico, dein Cassio Brutoque affuit. Hujus pater Orodes, Crassum Rom. dolo circumventum interfecerat, vide supra, quam maculam Ventidius Bassus, Marci Antonii legatus, delevit, Pacorum cum exercitu ad internecionem cædens, An. 715. U. C. Vide Egesip. *lib.* 2, Joseph. *lib.* 14. *cap.* 22. *&c.* Vellej. *lib.* 2. Justinum *lib.* 42. Dion. Flor. Eutrop. &c. Martialis,

Quicquid in Arsaciâ Pacorus deliberat aulâ.

Pacta, seu *Pacta*; urbs Siciliæ maritima Episc. in orâ occiduâ apud Tyndaridem urb. excisam, ab eâ 6. m. p. in Merid. recedens; à Com. Rogerio, victis Saracenis, condita. *Patti* vulgò dicitur.

Pactia, apud Stephanum est insula una Cycladum; *Πακτία.* Vide *Pactya.*

Pactius Africanus, delator, qui Neroni Scribonianos concordiâ opibusque insignes ad exitium monstravit, Tacit. *Hist.* 4. 41. Ideò sub Vespasiano senatu proturbatus est.

Pactius Orphitus, primipilaris, qui, contra Corbulonis imperium, cum Parthis confligens fusus; ob id increpitus & extra vallum cum copiis tendere jussus est, Tac. 13. 36. At Mureto *Pactius* insolitum apud Romanos vocabulum videtur; quare ille legit, *P. Attius.*

Pactius, fluv. Apuliæ Peucetiæ per oram inter Barium ad Occ. & Brundusium in Ort. fluens, Plin. 3. 11. *Cava.*

Pactolus, hodie *Sarabat*, ex tabb. recent. Lydiæ fluv. ex monte Tmolo nascens, & per Sardianum agrum in Hermum influens, qui & *Chrysorrhoas*, ab eo quòd aureas secum traheret arenulas, ex quo Midas in eo se lavisset. Plutarch. *in Pactolo*: Πακτωλὸς ποταμός ἐστι τῆς Λυδίας, ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Χρυσορρόας. Scholiastes Apollonii: Ὁ νῦν Χρυσορρόας λέγεται. Plinius, *Et ex eo profluente Pactolo, eodemque Chrysorrhoâ.* Et ex eo Solinus, *Quem aurato fluore inclytum aliter Chrysorrhoan vocant.* Virgil. *Æn.* 10

—— *Pactolusque irrigat auro.*

Ovidius *Metam.* 11.

Pactolumque petit, quamvis non aureus illo
Tempore. —— ——

Lucanus *lib.* 3.

Passaq; ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon, quâ culta secas non vilior Hermus.

Silius *lib.* 1.

Hic certant, Pactole, tibi Duriusq;, Tagusq;.

Juvenalis *Sat.* 14.

Sed cujus votis modò non suffecerat aurum,
Quod Tagus, & rutilà volvit Pactolus arenà.

Claudius.

Dives Pactolus rutilas despumat arenas.

Lycophron *in Cassandrâ*: Χρυσοῤῥόα Πακτωλοῦ ποτά. Dionysius Periegetes,

——— Τόθι Πακτωλὸς ἑλίσσων,
Χρυσὸν ὁμοῦ δίνῃσιν ἐφελκόμενος κελαρύζει.

Max. Tyrius *Dissert.* 34. Χορηγοῦσι δὲ καὶ οἱ ποταμοὶ τῶν βασιλέων ταῖς τρυφαῖς, Πακτωλὸς χρυσὸν, Νεῖλος πυρὸν, Χοάσπης ὕδωρ. Strabo *lib.* 3. dat huic fluvio χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ, *multa auri ramenta.* Eadem habent Dio Prusaensis *Orat.* 78. & Philostratus *lib.* 6. *de Vitâ Apollonii Tyanai, cap.* 16. Herodotus quoque & Athenæus ceterique, dant illi χρυσοῦ ψῆγμα. Aurea verè Apollonii similitudo est *lib.* 4. quæ & huc spectat:

Ἤ ὅτε καλὰ νάοντος ἐπ' ὀφρύσι Πακτωλοῖο
Κύκνοι κινήσωσιν ἑὸν μέλος, ἀμφὶ δὲ λειμὼν
Ἑρσήεις βρέμεται ποταμοῖό τε καλὰ ῥέεθρα.

Nonnus *Bassaricon. lib.* 41.

Οὐ τότε Σάρδιες ἦσαν, ὅτε Πακτωλίδος ὄχθης
Χρυσῷ ἐρευγομένης ἀμαρύσσεται ὄλβιος ἰλύς.

Ab eodem Nonno *lib.* 21. celebratur ὄλβος Πακτωλίδος ὄχθης. Idem *lib.* 10.

Πακτωλὸς κελάρυζε χέων χρυσαυγέος ὕδωρ.

Et *libro proximo*:

Ἀπάλῳ ῥόος ἦεν ἐρευθιόωντι μετάλλῳ.

Denique ab eodem alibi χρυσαυγὴς & βαθύπλουτος appellatur. Sophocles quoque *in Philoctete*, Εὔχρυσον, eum dixit; Claudian. 1. *in Ruffin.*

——— *Non stagna rubentis*
Area Pactoli. ——— ———

Varro *in Lege Mænià*, dat illi *aureas undas.* Auctor Thebaidos, *opulenta vada.* Idem Varro *in Hecatombe*, citante Nonnio: *Ladon fluens sub Sardibus flumen tulit aureum later.* Quin & Tibull. [illegible] *lib.* 3.

——— *Lydius aurifer amnis.*

Et Prop. *lib.* 1. *eleg.* 6.

Lydia Pactoli tingit arata liquor.

Horatius proverbialiter *in Epod. Od.* 13.

Sis pecore, & multâ dives tellure licebit,
Tibiq; Pactolus fluat. ———

Vide *Midas.*

Pactorum portus, in Tauricâ Chersoneso. *Calamita*, teste Nigro, inter Ctenuntem & Chersonesum opp. in orâ Austr.

Pactya, Plin. *Pactye*, Sophiano *Pazzs*, & *Panido*, urbs Thraciæ, ad Propontidem, ex adverso Caridiæ, apud Lysimachiam, Item insula, vide *Paros. Pactya* etiam Plin. Insulæ parvæ Lyciæ, contra Taurum, apud Chelidonias insulas.

Pactyes Straboni, mons Joniæ, Epheso penè imminens, *Monte de Fegena* hodie.

Pacura, urbs Mæsoliæ, in Ind. cit. Ptolem.

Pacus, locus Syriæ, in monte Amano, ubi Galbanus provenit.

Pacuvius, Brundusinus poeta, Tragœdiarum scriptor, A. 600. U.C. Ennii poetæ ex sorore nepos. Romæ picturam exercuit, ac fabulas venditavit: Inde Tarentum transgressus, prope nonagenarius diem obiit. Hier. *in Chron. Euseb.* Plin. *lib.* 35. *cap.* 4. *&c.* Ejus epitaphium extat apud Agellium, *lib.* 1. *cap.* 24.

Adolescens, tametsi properas, hoc te saxum rogat,
Ut se aspicias, deinde quod scriptum est legas:
Hic sunt poetæ Pacuvii sita Marci
Ossa: Hoc volebam nescius ne esses. Vale.

Hic, ut Quintilianus ait, gravitate sententiarum, pondere verborum, authoritate personarum clarissimus fuit, citra tamen nitorem. Horatius,

——— ——— *Aufert*
Pacuvius docti famam senis, Accius alti.

Ejus lectione & imitatione antiquarii delectabantur. Pers. *Sat.* 1.

Sunt quos Pacuviusq; & verrucosa moratur
Antiopa, arumnis cor luctificabile fulta.

Mart. *lib.* 11.

Attonitusq; legis terrai frugiferai,
Accius & quicquid Pacuviusq; vomunt.

Pacuvius, legatus Cn. Sentii in Syriâ, mortuo Germanico sub Tiberio, de quo sic Seneca *epist.* 12. *Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, cum vino & illis funereis epulis se sepelisset, quasi sibi parentavert, sic in cubiculum ferebatur à cœnâ, ut, inter plausus exoletorum, hoc ad symphoniam caneretur*, βεβίωκε, βεβίωκε, *nullo non se die extulit.*

S. Pacuvius Taurus, quum munus ab Augusto peteret, diceretque, rumore sparsum, pecuniam haud parvam ipsi à Cæsare datam; *Sed tu*, inquit Cæsar, *noli credere.* Idem Tribun. Plebis tulit ad populum, ut mensis Sextilis Augustus vocaretur, estque eo nomine plebiscitum factum, ut scribit Macrob. *lib.* 1. *cap.* 12. Factum ejus in adulando Augusto, dum illi divinos honores tribuens sacrificat, & simul illum cum filio suo dicit hæredem ex æquo se relinquere, non quòd quicquam haberet, sed quòd accipere vellet, pete ex Dione *lib.* 53.

Pacyris, Plin. meliùs *Hypacris*, fluv. Scythiæ Eur. Oritur in limite Moscoviæ; dein per Tartariam Precopensem ad Carcinem, unde *Carcinites* dicitur, fluens, ibi in sinum Carcinitem se exonerat, longè à palude Mæotica in Occ. Nomen recens ignoratur.

Padæi, pop. Indiæ extremi ad ortum, quos ægrotos ante quàm moriantur vorare, Herodotus testatur. Tibullus *libr.* 4. *Panegyr. ad Messalam*,

Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus.

Padasia, urbs Galatiæ, Cedr. *Phadasia* Curopal.

Padeborna, urbs Westphaliæ Episc. sub proprio Episc. à Carolo M. qui ibi Comitia celebravit, An. 777. instituto; conflagravit An. 999. inter Monasterium 12. mill. German. in Ort. & Casellam ferè 10. in Circium, dissita, Lupiæ fontibus proxima. Hanzeatica, satis culta. Caput *Episcopatus Padeborn.* qui inter Duc. Brunsvic. ad Ort. ditionem Monaster. & Duc. Westphaliæ ad Occid. Comitatum Lemgoviæ ad Bor. & Ditionem Hasso-Cassellanam est, ad Merid. ad 40. m. p. extensus à Sept. in Mer. Reliquæ urbes Brachelia & Vvarburgum.

Padinates, pop. Gall. Cispadanæ, juxta Padum incolentes, Regiatibus finitimi, quo nomine Guastallenses vocari possunt.

Padua Venetorum urbs: ab Antenore, ante Romam, condita, postea sub his fuit. Dein ab Attila destructa, à Narsete reparata, diu Longobardis paruit. Horum regno extincto, refloruit sub Italiæ Regibus, exin proprios Tyrannos passa, tandem sub Venetorum imperio acquievit. Capta ab Imper. Maximiliano primo, mox recepta, & ab eodem frustra obsessa est, An. 1519. Solum habet fertile, unde Proverb. *Bolonia la grassa, Venetia la guasta, ma Padoüa la passa.* Propugnaculum est Venetorum, ex parte Lombardiæ: Ædes ibi magnificæ, Academia celeberrima, fundata à Carolo M. Patria Livii, &c. Reliquorum illustrium Patavinorum Catalogum pertexuit Jac. Phil. Thomasinus. Vide & Riccobon. *de Gymnasio Patavino.* Angel. Portenarium, *de Felicitate Patavina.* Bernardin. Scardeonium, *de Illustr. Patav.* Adde Plin. *lib.* 6. Liv. *lib* 1. Strab. *lib.* 15. Melam. *lib.* 2. Paul. Diac. *lib.* 15. Blondum *lib.* 2. Leandr. Albertum *descr. Ital.* Guil. Cortusium, *de novit. Pad.* Monachum Patavinum, *hist. ab An.* 1207. *usq; ad An* 1270. *&c.* Hic Concil. An. 1350. à Clem. 6. celebratum, per Legatum Guidonem Bononiensem. Vide & *Patavium.*

Padula, nobile Lucaniæ oppidum.

Padura, Jo. Maldonato *Arrya Gorriaga*, opp. Hisp. Tarrac. in finibus Cantabrorum.

Padus, fluv. Italiæ, nulli amnium claritate inferior, præcipuè pœnâ Phaethontis nobilis, de quâ vide *Eridanus*; sic enim amnis iste Græcis Poëtis dici solet. Mart. 10. 12.

Et Phaethontei qui petis arva Padi.

De vocabulo *Padi*, ita Plin. 3. 16. *Pudet à Græcis Italiæ rationem mutuari. Metrodorus tamen Scepsius dicit; quoniam circa fontem arbor multa sit picea, quæ Pades Gallicè vocetur; Padum hic nomen accepisse. Ligurum quidem linguâ, amnem ipsum Bodincum vocari: quod significet fundo carentem.* Hoc etiam gravissimus auctor Polybius attestatur *lib.* 11. *his verbis*: Παρὰ γὰρ τοῖς ἐγχωρίοις ὁ ποταμὸς προσαγορεύεται Βόδιγκος. De origine ejus Pomponius, *lib.* 2. *cap.* 4. *Padus ab imis radicibus Vesuli montis exoritur. Visendum fontem* ejus appellat Plin. *ubi supra.* Atqui spissus est error Blondi, qui docet, fontis hujus nomen proprium fuisse *Visendus.* Quippe quid Plinius, epitomatorque ejus Solinus *visendo fonte* intellexerint, disertè ostendit alius Plinii epitomator Martianus Capella, *lib.* 6. *in descriptione Italiæ his verbis*: *Padum amnem mons Vesulus, inter montes Alpium elatior, gignit fonte mirabili, qui in Ligurum finibus flumen creat.* Polybius innuit, duos saltem Padi fontes esse. Sic enim ille, *ubi supra*: Ὁ δὲ Πάδος, inquit, πολυμοὶ ἔχει τὰς πηγὰς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων. Servius verò *ad Æneid.* 11. *Alii Padum tribus fontibus nasci dicunt.* Et Isidorus Originum *lib.* 13. *cap.* 21. *Padus à jugis Alpium fusus, ex tribus fontibus oritur, ex quibus uni vocabulum est Padus.* Ac totidem sanè fontes ejus hodieque nascuntur, inquit Cluverius, sub prædicto lacu *è gremio*, ut loquitur Plinius, *Vesuli montis*, sive *ab imis*, ut Mela ait, *ejus radicibus exorientes*: quorum unus reliquis duobus situ inferior est, longeque uberior, qui *Padus* olim propriè dictus est. Inde unus jam factus amnis per saxa præcipitia delabens, strepitum, fragoremque edit ingentem. Plinius *ubi supra*: *Padus è gremio Vesuli montis, visendo fonte profluens, condensq; sese cuniculo, in Forovibiensium agro iterum exoritur.* Et Epitomator ejus Solinus: *Submersus cuniculo rursus in agro Vibiensi extollitur.* Itemque Capella, *Dehinc fluvius mersus in penita agri Vibiensis emergit.* Nempe à dicto præcipitio in plana dejectus, tantâ aquarum copiâ, quanta versandæ molæ frumentariæ sufficiat, nullo tamen certo alveo, per saxeum solum tria ferme millia passuum, ad vicum usque, cui vulgare vocabulum *Paisana*, defertur. Heic cuniculo se condit, ita ut vix exigua quædam vestigia supra terram appareant. Inde post duo millia rursum emergit

receptisque aliis subinde atque aliis fluminibus, mirum in modum augetur, idque sub ortum Canis. Plinius ex emendatione magni Cluverii: *Augetur ad Canis ortus, liquatis nivibus, aquis: & quamvis torrentior, nil tamen ex rapto sibi vendicans.* Patet hoc ex epitomatore Solino, qui eandem rem ita refert, *cap.* 8. *Intumescit exortu Canis, tabefactis nivibus, & liquentibus brumæ pruinis: auctusq; aquarum accessione 30. flumina in Hadriaticum defert mare.* Mattianus quoque Capella: *Canis ortu diffusior. Nam solutis Alpium nivibus flagrantiâ Solis æstivi, exuberat ultra gurgitis ripas; nulliq; gloriâ nobilium amnium cedens, 30. receptis fluminibus, Hadriaticum mare magnâ opimus granditate perfundit.* Insignis est locus Polybii *lib.* 2. quem transcribere non gravabor. Ὁ δὲ Πάδος ποταμὸς ἔχει μὲν τὰς πηγὰς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, καταφέρεται δ' εἰς τὰ πεδία, ποιούμενος τὴν ῥύσιν ὡς ἐπὶ μεσημβρίαν. Ἀφικόμενος δὲ εἰς τοὺς ἐπιπέδους τόπους, ἐκκλίνας τῷ ῥεύματι, πρὸς ἕω φέρεται δι' αὐτῶν. Ποιεῖ δὲ τὴν ἐκβολὴν εἰς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν μυχούς. Τὸ δὲ πλεῖον ἀποτέμνεται μέρος τῆς πεδιάδος χώρας εἰς τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ἀδριατικὸν μυχόν. Ἄγει δὲ πλῆθος ὕδατος, οὐδενὸς ἔλαττον τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποταμῶν, διὰ τὸ τοὺς ῥύακας, τοὺς ἐπὶ τὰ πεδία νεύοντας, ἀπό τε τῶν Ἄλπεων, καὶ Ἀπεννίνων ὀρῶν εἰς τοῦτον ἐμπίπτειν ἁπάντας ἐκ παντὸς μέρους. Μεγίστῳ δὲ καὶ καλλίστῳ ῥεύματι φέρεται περὶ Κυνὸς ἐπιτολήν, αὐξόμενος ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἀποτηκομένων χιόνων ἐν τοῖς προειρημένοις ὄρεσι. Ostia Padi quod attinet, duo facit Polybius, *ubi supra*: Ποιεῖ δὲ τὴν ἐκβολὴν δυσὶ στόμασι εἰς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπους. Septem verò memorat Mela *lib.* 2. *cap.* 4. *Padus ab imis radicibus Vesuli montis exortus, parvis se primum fontibus colligit: & aliquatenus exilis & macer, mox aliis amnibus adeò augescit atq; alitur, ut se per septem ad postremum ostia effundat.* In eandem mentem & Herodianus *lib* 8. Ὁ δὲ Μάξιμος ἀπὸ τῆς Ῥαβέννης ἄρας, ἐπείγετο ἐς Ἀκυληΐαν, διὰ τῶν τελμάτων ἃ ὑπό τε Ἠριδανοῦ ποταμοῦ πληρούμενα καὶ περικειμένων ἑλῶν, ἑπτὰ στόμασιν ἐς θάλατταν ἐκχεῖται. Ὅθεν καὶ τῇ φωνῇ ἐκείνων καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι Ἑπτὰ πελάγη τὴν λίμνην ἐκείνην. Idem quoque tradit Plinius: *Quia largius vomit*, inquit, *Septem maria dictus facere.* Atque hinc tandem natus est Apollonii error, quo Rhodanum Ἑπτὰ διὰ τμηθέντα καὶ λιμνῶν ἀνερευγόμενον in mare effluere tradit, *lib.* 4. quia hoc de Eridano, id est, de Pado acceperat, quem ille unà cum Æschylo, unum eundemque cum Rhodano amnem esse credit. *Populifer* Ovidio dicitur:

Frigidus Eurotas populiferq; Padus.

Olorifer Claudiano:

Cygnus oloriferi venit ab amne Padi.

Padi inundationis meminit Lucanus, *lib.* 4.

Sic Venetus stagnante Pado fusoq; Britannus
Navigat Oceano. —— ——

Idem *libro* 6.

Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, & totos concutit agros.
Succubuit si quà tellus, cumulumq; furentem
Undarum non passa, ruit: tum flumine toto
Transit, & ignotos aperit sibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt, donante Pado. ——

Sed nimium sibi & fluvio isti indulget, *lib.* 2.

Quoq; magis nullum tellus se solvit in amnem
Eridanus, fractasq; evolvit in æquora sylvas,
Hesperiamq; exhaurit aquis.
Non minor hic Nilo, si non per plana jacentis
Ægypti Libycas Nilus stagnaret arenas.
Non minor hic Istro, nisi quòd, dum permeat orbem
Ister, casuros in quælibet æquora fontes
Accipit, & Scythicas exit non solus in undas.

Baudrandus sic habet: *Padus*, vulgò *le Po*, Germanis *Pavv*, oritur ex Alpibus & Vesulo monte, in ipso limite Galliæ & Delphinatus, in Marchionatu Salutiarum, ex triplici fonte. Hinc prope Salutias fluens, paulò infrà recipit fluvios Peleum, Varætam, Mairam, & Maleam, postea versus Carmaniolam labitur & Carinianum, uti in suburbiis Augustæ Taurinorum, ubi recipit Doriam minorem, et infrà Sturam & Doriam Balteam fluvios. Inde in occasum tendens, Vercellam rigat, Crescentinum, & Tridinum; ubi ex ditione ducis Sabaudiæ exiens, Casalem Montisferrati primariam rigat; postea recepto Sessite fluvio, per Mediolanensem Ducatum fluens paulò infra Valentiam, Tanarum fluvium recipit, uti & Scriviam, Staffoiam, & Ticinum flumen paulò infra Papiam seu Ticinum; quibus auctus atque Trebia, prope Placentiam urbem Ducatus cognominis caput labitur, receptoque Addua, Cremonam rigat. Hinc auctus Taro, Parma, & Nicia fluviis Ducatus Parmensis, per Mantuanam ditionem fluit; ubi auctus Ollio, Gabello, Mincio, aliisque minoribus, tandem in ditione Pontificia & Ducatu Ferrariensi in duo brachia scinditur ad castrum Stellatam, quorum maximum, *Po grande* dictum, 20. milliaribus supra ejus ostia iterum in duas partes dividitur, ex quibus major etiam *Po grande*, seu *di Venetia* dicitur; & paulò infra in sinum Venetum se exonerat, hujus ostium dicitur *Porto Viero*; minor autem dicitur *Po di Ariano*, ab oppidulo cognomine, per ostium *Porto di Goro* dictum etiam in sinum Venetum se exonerat, vix 10. milliaribus à præcedenti in meridiem. Ex duabus autem primis partibus seu brachiis Padi ad Stellatam, minor alveus, dictus *Po di Ferrara*, seu *Po morto*, sensim oblimatur; ita ut æstate ferè careat aquis, ut ego aliquoties vidi: sed paulò pòst auctus Scultenna, Rheno Bononiensi, & aliquot aliis amnibus, paulò infra Ferrariam urbem in duo brachia scinditur, quorum unum, quod ad Boream est, vulgò *Po di Volana* dicitur, & in mare Adriaticum labitur per ostium *Porto di Volana* dictum: aliud autem, quod meridionale est, *Po di Argenta*, seu *Po di Primaro* dicitur, & per ostium *Porto di Primaro* dictum in mare Adriaticum se exonerat; ità ut hodie sint tantùm quatuor ostia Padi à quatuor ejus brachiis dicta, nempe Fossa Philistina, *il Po grande*. Fossa Carbonaria, *il Po di Ariano*, Volane, *il Po di Volana*, & Padusa, *il Po di Argenta*. Caprasia autem & Sagis non sunt alvei Padi, sed tantùm incilia, quibus se exonerat stagnum Comaclenum in sinum Venetum.

Padusa, fossa ex Pado Ravennam usque ducta, Plinius, *Augustâ fossâ Ravennam trahitur, ubi Padusa vocatur, quondam Messanicus appellatus.* Unde ita legitur apud Blondum: *Is est S. Alberti locus, unde per fossam Padusa Messanicam 12. milliaria Ravennam itur.* Blondum postea secuti sunt plerique alii. At verò si hic alveus *Messanicus Padus* fuit dictus, sive *Messanica fossa*; certè idem alveus & Padusa appellandus erit, ex iisdem Plinii verbis, quod tamen minimè sic intellexit ipse Blondus, falsumq; esse ex Virgilio patet, qui *piscosum amnem* vocat Padusam, *Æn.* 11. ut videre est in his:

Haud secus atq; alto in luco, quum fortè caterva
Consedere avium; piscosove amne Padusa
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.

Ubi Servius, *Alii dicunt, Padusam esse partem fluminis Padi, in quam descenditur fossâ.* Vargius *in elegiis*:

Et placidam fossa quà jungunt ora Padusam,
Navigat Alpini flumina magna Padi.

Ubi apertissime distinguitur inter ipsum Padusam & fossam. Claudianus *in Epithalamio Palladii & Celerinæ*:

Eridani ripas & raucæ stagna Padusæ
Diffugiens nudavit olor. ——

Vide plura apud Cluver *de Ital. Ant. lib.* 1. *cap.* 35. Baudrando hæc Fossa aliter *Messanicum ostium*, & *Spineticum*, itemque *Vatreni portus*, à Vatreno fluv. qui Forum-Cornelii alluit, etiam *Padusa magnus* dictus est, quia præc. erat ostiorum Padi: *Spinetum* à fluv. Spine; ad quem urbs Spina condita erat. Hodie Padus Argentanus, superiùs, Padus Primari, à castris cognom. & alicubi *Canale di S. Alberto*, ab incolæ manu ducto, aliquot mill. supra ejus ostium, quod nunc *Porto di Primaro*. Sed sensim oblimatur.

Pæan, hymnus in laudem Apollinis, sicut Dithyrambus in laudem Bacchi, qui teste Polluce, post victoriam; nonnunquam etiam avertendorum malorum causâ cani solebat. Καταχρηστικῶς autem, pro omni Deorum laude, ponitur. Unde opus suum Pindarus, de Deorum omnium laudibus, *Pæana* inscripsit. Specialim verò, ut dixi, *Pæan* Apollinis fuit, addo & Martis. Sic enim Suidas clarè distinguit: Παιᾶνες δύο ἦσαν, Ἐνυάλιος, ὃν ἦδον, ὡς καὶ ἀπὸ τῆς μάχης ἴοιεν, καὶ ἕτερος ὅτε ἐνίκων. Et clariùs: Δύο Παιᾶνας ᾖδον οἱ παλαιοί· πρὸ μὲν τοῦ πολέμου τῷ Ἄρει, μετὰ δὲ τὸν πόλεμον, τῷ Ἀπόλλωνι. Accepit hæc Suidas (annotante de la Cerda) ab Scholiaste Thucydidis; ubi enim Græcus scriptor *lib.* 1. dicit: Ἐπαιωνίσαντες αὐτοῖς ἐς ἐπίπλουν, *Pæan bis clamatus ad navalem congressum*: Scholiast. subdit ipsa verba, quæ apud Suidam habentur. Ovid. 1. *de Art. Am.*

Dicite Io Pæan, & Io bis dicite Pæan,
Decidit in casses præda petita meos.

Propert *lib.* 3.

—— —— *Victorq; canebat*
Pæana Amphion ripâ; Aracynthe, tuâ.

Virgilius *Æneid.* 6.

—— *Lætumq; choro Pæana canentes.*

Ubi Servius, *Laudes Apollinis propriè; abusivè verò omnium Deorum.* Quin & Apollo ipse *Pæan* dictus est. Juvenalis,

Parce precor Pæan, & tu depone sagittas.

Hesychius verò, Παιάν, Ζεὺς τιμᾶται ἐν Ῥόδῳ, ἢ εἶδος ᾠδῆς. Apollinem verò sic dictum volunt, ἀπὸ τοῦ παίειν, hoc est, à *feriendo*, quia Pythonem sagittis suis confecit. Fortè verò à *medendo*, nomen habet. Hesychius Παιὰν ὄνομα, καὶ ἰατρός. Idem: Παιώνια, φάρμακα ἰατρικά, ἢ θεραπεία.

Pæanium, opp. Acarnaniæ, Polyb.

Pæanius Sophista Græcus, Eutropii historiam Græcè vertit. Ejus metaphrasis cum aliis Romanæ historiæ scriptoribus edita est, à doctissimo Frid. Sylburgio.

Pæantiades, & *Pæantius* Philoctetes dicebatur, id est, Pæantis filius. Lege *Pœantiades*.

Pædaretus, proprium nomen viri ἀπὸ τῆς παιδείας καὶ ἀρετῆς, ut vulgò volunt, hoc est, à *disciplinâ* & *virtute*. Non electus inter trecentos haud ægrè tulit, quia tot in civitate se essent præstantiores. Plutarch. *in Lycurgo*: Ὁ μὲν γὰρ Παιδάρητος, οὐκ ἐγκριθεὶς εἰς τοὺς τριακοσίους, ἀπῄει μάλα φαιδρὸς, ὥσπερ χαίρων, ὅτι βελτίονας αὐτοῦ τριακοσίους ἔχοι ἡ πόλις.

Pæmani, Belgii pop. Cæsar. *Peelanders* (hi in Brabantia sunt) eos vertit Divæus; Leodio autem in Arduennâ sylvâ sunt, ubi nunc *Pemons* vicus est. Baudrando in Eburonibus, versus Mosam fluv.

luv. ubi pars Occid. Ducatus Luxemburg. & minuta pars dition. Leodienſis, verſus Fanum S. Huberti. Veſtigia nominis ſervat *Pomont*, vicus in illo tractu.

Paea, inſula maris Atl. Ptol. Quid nunc ſit, non conſtat.

Paon, Medicus peritiſſimus, quem Homer. *lib.* 5. *Iliad.* ſcribit curaſſe Plutonem, graviter ab Hercule vulneratum; à quo *Paonia* herba dicitur, quam invenit; & *Paonius* adjectivum, id eſt, *medicinalis.* Virgil. *Æneid.* 7.

Paoniis revocatum herbis & amore Diana.

Euſtath. aliiq; ipſum hoc nomine Apollinem intellectum volunt.

Paon, Amathuſius, utrum inter hiſtoricos locum habere debeat, nondum conſtat. Memoratur Plutarcho, *in Theſeo.* Vide etiam *Paones.*

Paones, pop. Macedoniæ in Myſiæ ſuper. confinio, à Philippo domiti, quos Herodotus ad Strymonem fluv. deſcribit; Dio ad Rhodopen montem; Ptolemæus ad ortum Haliacmonis fluvii. Horum regio *Paonia*, Strab. Plin. & Ptol. intra montes. Sic dici volunt, à *Paone* Endymionis filio, Epei fratre, qui victus curſu ab Epeo (ſicut inter eos convenerat) imperium victori dedit, & in Macedoniam ſeu Thraciam ad amnem Axium diſceſſit. Hos memorat Ovidius *Ponticorum lib.* 2. *eleg.* 2.

Adde triumphatos modò Paonas, adde quieti
Subdita montana brachia Dalmatia.

Alii Pæoniam circa Axium fluv. deſcribunt Emathiæ finitimam. Xylander autem, quos Strabo Παίονας & Παννονίους appellat, eoſdem putavit eſſe, & indiſcriminatim, tum illos Pannonios vocat. Sed fallitur vehementer. Nam Pæoniam, ut oſtendimus, Macedoniæ & Thraciæ faciunt Geographi finitimam: Pannoniam autem hinc procul ſummovent, ad μυχὸν fere Adriatici ſinus, ubi eſt Segeſtica; nec aliter Ptolemæus docet, nec Plinius. Eſt autem error antiquus eorum, qui *Paonas* & *Pannonios* confundunt; non ferendus tamen, ut Dioni, qui poſt patrem Pannoniæ præfuit, & loca illa diligenter oculis luſtravit, ulla fides. Is *lib.* 49. poſtquam docuit, Romanos à *pannis* appellaſſe *Pannonios*, eos qui νέμονται πρὸς τῇ Δαλματίᾳ παρ' αὐτὸν τὸν Ἴστρον, ἀπὸ Νωρικοῦ μέχρι τῆς Μυσίας τῆς ἐν τῇ Εὐρώπῃ, ſubjicit mox, de iſto Græcorum errore: Τῶν δὲ Ἑλλήνων τινὲς τἀληθὲς ἀγνοήσαντες, Παίονας σφᾶς προσεῖπον, ἀρχαίου μέν του προσρήματος ὄντος, οὐ μέντοι καὶ ἐκεῖ, ἀλλ' ἔν τε τῇ Ῥοδόπῃ, καὶ πρὸς αὐτῇ τῇ Μακεδονίᾳ τῇ νῦν μέχρι τῆς θαλάσσης. Ὅθεν περ καὶ ἐγὼ ἐκείνους μὲν Παίονας, τούτους δὲ Παννονίους, ὥσπερ που καὶ αὐτοὶ ἑαυτοὺς, καὶ Ῥωμαῖοι σφᾶς καλοῦσι, προσαγορεύσω.

Paonia, Minerva ab arte medendi ſic dicta eſt, bonaque valetudine, quam præſtare credebatur.

Papia, Mauritaniæ Cæſ. opp. Ptolem.

Paſarca, pop. ſub Caucaſo, Stephan. N. L.

Paſtanus ſinus, à *Paſto* urbe dictus, qui & Poſidoniates; *Golfo Agropolitano*, à Leandro vocatur.

Paſtum, Lucaniæ opp. Græcis Ποσειδωνία à Neptuno ſcil. unde etiam *Neptunia* Paterculo dicitur, Plin. 3. 5. *Oppidum Paſtum, Graiis Poſidonia appellatum: ſinus Paſtanus.* Strabo *lib.* 5. Τὸ τῶν Πικεντίνων ἔθνος, μικρὸν ἀπόσπασμα, τῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ Πικεντίνων, ὑπὸ Ῥωμαίων εἰς τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον μετῳκισμένον, ὃς νῦν Παιστανὸς καλεῖται, καὶ ἡ πόλις Ποσειδωνία, Παῖστος, ἐν μέσῳ τῷ κόλπῳ κειμένη. Non longè abeſſe à Silaro fluvio innuit, Ptolem. Σιλάρου ποταμοῦ ἐκβολαί, Παῖστον. Mela 2. 5. *Paſtanus ſinus*, (nunc *Golfo di Salerno*,) *Paſtum oppidum, Silarus amnis.* Silius Italicus *lib.* 8.

——— *Nunc Picentia Paſto M. t.*

Conditores ejus quod attinet, Solinus *lib.* 8. *Notum eſt*, inquit, *Paſtum à Dorenſibus conſtitutum.* Sed aliter Martianus, Heracleotis, in Περιηγήσει.

Προσεχεῖς δὲ τούτοις εἰσὶ πάλιν Οἰνωτροί,
Μέχρι τῆς Ποσειδωνιάδος ὠνομασμένης.
Ἣν φασι Συβαρῖται ἀπῴκισάν ποτε.

Lege Συβαρίτας ex emendatione magni Cluverii. Oppidum hoc roſarum abundantiâ valdè ab antiquis celebratur. Prop. *lib.* 4. *el.* 5.

Vidi ego odorati victura roſaria Paſti,
Sub matutino cocta jacere Noto.

Ovidius *Metam.* 15.

Leucaſiamq; petit, tepidiq; roſaria Paſti.

Idem *Ponticorum* 2. *eleg.* 4.

Cal habiq; Paſtanas vincet odore roſas.

Martial. 42. *ep. lib.* 4.

Paſtanis rubeant æmula labra roſis.

Hæ roſæ autem, ob cœli clementiam, bis in anno producebantur (Majo ſcil. & Septembri,) Virgil. *Georg.* 4.

Forſitan & pingues hortos qua cura colendi
Ornaret, canerem; biferiq; roſaria Paſti.

Martialis 12. 31.

Pomaq; nec bifero ceſſura roſaria Paſto.

Claud. *de nuptiis Honorii & Maria:*

——— ——— *Vel flore ſub uno.*
Cùm gemina Paſtanâ roſa per jugera regnant.

Aliis etiam floribus abundare Pæſtum author eſt Martialis; *lib.* 9. *epigram.* 27.

Paſtanas violas, & cana liguſtra colono,
Hyblais apibus Corſica mella dabit.

Nunc vicus ſemidirutus eſt, *Peſti*, in ora Princip. ulter. regni Neap. 6. mill. ab oſtiis Silari fluv. in Mer. uti 22. à Salerno, 18. à Velia in Boream, Baudrand.

Paſula, opp. Hiſpan. Bæt. in Vandalitia & conventu Hiſpalenſi. *S. Domingo*, teſte Moletio; quod aliquibus non probatur, cùm *S. Domingo de Silos* ſit in finibus Vectonum: niſi ſit geminum.

Paſuri, qui & *Paſures* Plin. pop. Luſit. circa Tagum fluv. *La Comarca de Covilhan*, Jac. Vaſconcello.

Paſus, vide *Apaſus*. Eſt autem urbs Troadis inter Lampſacum, & Parium oppida. Vide Strab. *lib.* 3. Heſychius, Παισός, πόλις, καὶ ποταμός.

Patalia, pars Thraciæ, Stephan. N. L.

Pati, pop. Thraciæ inter Hebrum & Melam fluv. quorum regio *Patica* Arriano dicitur. Æno urbi proximi fuere.

Patidus, Conſul cum Caſſio Aproniano, An. U. C. 875.

Patovium, urbs Pannoniæ ſuper. id eſt, Auſtriæ, Ptolem. *Patovionem* Tacitus ſcribit, *lib.* 19. A ii *Patoniam*, vulgò *Beita*. Sane id Græcis codicibus legitur Πατάουιον.

Patus, vide *Caſennius*.

Patus, famoſus exercendis apud ærarium ſectionibus, accuſator Pallantis ac Burrhi, tanquam conſenſiſſent, ut Cornelius Sulla claritudine generis & affinitate Claudii, cui per nuptias Antoniæ gener erat, ad imperium vocaretur: Sed tum vanitatis manifeſtus in exilium projectus eſt, & tabulæ exuſtæ ſunt, quibus obliterata ærarii monimenta retrahebat, Tacit. 13. 23.

Patus, vir quidam, qui in Ægyptum, causâ pecuniæ comparandæ, navigans ſubmerſus eſt. Prop. *lib.* 3. pecuniam alloquens:

Tu Patum ad Pharios tendentem lintea portus,
Obruis inſano terq; quaterq; mari.

Cæcina *Patus*, Arriæ maritus, cui, cùm in partibus Scribonianis contra Claudium fuiſſet, ad mortem adacto, uxor extractum è ſuo vulnere pugionem porrexit hâc voce: *Non dolet.* Tacit. *An.* 16. Dio *lib.* 60. Plin. 3. *epiſt.* 16. Martial. *lib.* 1. *ep.* 14.

Caſta ſuo gladium cùm traderet Arria Pato,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pate, dolet.

Paga, urbs Achajæ in Megaride, verſus Iſthmum Corinthiacum, in ora ſinus, quæ & *Pega* Græcis, à Philippo, Amyntæ fil. ſubactæ, Olymp. 106. Ann. 3. Hodie *Pago*. Hinc *Pagai* populi, de quibus Plinius, *lib.* 4. *cap.* 7. Baudrando nunc *Livadoſta*, 20. m. p. a Megara in Occid.

Paganalia, Feſta agriculturæ causâ ſunt inſtituta, in *pagis*, à quibus & illis nomen. Solebant enim rune temporis, ut & in Sementinis Feſtis, ſolemni pompâ circumire, atque luſtrare pagum, & liba quotannis Deorum aris inferre, id quod haud obſcure etiam Ovidius indicat, *Faſt. lib.* 1.

Pagus agat feſtum, pagum luſtrate coloni,
Et date Paganis annua liba focis:
Placentur matres frugum, Tellusq; Ceresq;
Farre ſuo gravida, viſceribusq; ſuis.

Regem Tullium horum auctorem eſſe, produnt Halicarnaſſeus Dionyſius ac D. Hieronymus. Celebrabantur autem menſe Januario, & quidem poſt Sementinas.

Pagani, communiter ruſtici, à pagis vicisque quos incolebant, olim dicti: unde *Paganica feria*, ſeu *Paganalia*, de quibus ſupra. Hinc Auſonius *in epiſt. ad Theonem*, tædas vocat *lumina paganica.* Idem *in Moſella*, Faunos *Numina paganica*, id eſt, Deos paganorum, vel vicanorum nominat. Peculiariter Idololatræ à Chriſtianis, non Gentiles modò, ac Ethnici, ſed etiam *Pagani* dicuntur: propterea quòd poſt adductos ad fidem urbium Imperii Romani incolas, diu in agris, in pagis, aut vicis, veteris ſuperſtitionis reliquiæ remanſerunt. Unde Greg. Tur. *in vita Nicetii*, ut & *in Hiſt. Fr.* Idololatras, ubicunque habitarent, non ruris modò, ſed etiam urbium incolas, nunc *Paganos*, nunc *Ruſticos*, ac *crudam ruſticitatem* promiſcuè appellat. Galli hodieque agreſtes quidem *Payſans*, ſimulachrorum verò cultores *Payens* vocitant, utroque nomine deducto à *paganis*. Hadr. Valeſius *Praf. in Notit. Gall.* Alii *Paganorum* nomen hinc ortum volunt, quòd Conſtantius Imper. qui meros Chriſtianos in exercitu ſuo eſſe voluit, in bello contra Magnentium, ethnicos exauctoratos in *pagos* ablegaverit, circa An. C. 352. Vide Eutrop, *lib.* 10. Hinc *Pagania*, nefandi Gentilium cœtus. Synodus ſub Carlomanno Duce Franc. An. 742. *Capitul. lib.* 5. *cap.* 2. Populus Dei *paganias* non faciat: ſed ut omnes ſpurcitias Gentilitatis abjiciat, ſive prophana ſacrificia mortuorum, ſive ſortilegos, vel divinos, ſive phylacteria & auguria, ſive incantationes, ſive ſacrilegos ignes, quos *Nodfyrs* vocant, &c. apud Spelmannum *Gloſſar.*

Paganorum inſula, Marcel. Comes. *Pago* Ortelio, videtur inſula Illyrici apud oram Liburniæ. Vide *Curicta*.

Pagaſa, ſeu *Pagaſa* Ptolomæo ac Straboni, opp. Theſſaliæ, in Magneſia prov. non procul à Pelio monte, à quo propinquus ſinus *Pagaſicus* appellatur Plinio; *Pagaſaus* Melæ, *Pagaſiticus* autem Straboni, nunc *Golfo d' Almiro*. *Vollo* nunc opp. dicitur, aliis autem *Armiro*. Hic Tyro mortuum virum morte ſibi illata ſecuta eſt ſponte, Pius *lib.* 2. *cap.* &c. Juxta hanc urbem Argo navis ædificata

ficata fuit, quam inde *Pagasaam* vocant. Ovidius *Metam.* 13.

Litoraq; intravit Pagasaâ Colcha carinâ.

Lucanus *lib.* 2.

Ut Pagasaa ratis peteret cùm Phasidos undas.

Propert. *lib.* 1. *eleg.* 20.

Namq; ferunt olim, Pagasa navalibus Argon
Egressam longè Phasidos isse viam.

Quia autem ex sinu Pagasico Argonautæ profecti sunt, ideo urbem Pagasas, quæ nomen sinui dedit, plerique dici volunt, ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πηχθῆναι τὴν Ἀργώ. Οἱ δὲ πιθανώτεροι ἡγοῦνται τοὔνομα τῷ τόπῳ τεθεῖσθαι τοῦτο ἀπὸ τῶν πηγῶν, αἳ πολλαί τε καὶ δαψιλεῖς ῥέουσι. *At* (ex sententiâ Strabonis) *probabilius alii statuunt, loco nomen esse à fontibus* (Dorice παγαῖς,) *qui frequentes ibi, largiq; fluunt.* Scepsius etiam, apud Apollonii Scholiasten. *lib.* 1. *Pagasas* dici asserit, ἀπὸ τοῦ παγαῖς περιέχεσθαι τοὺς τόπους. Vide *Cicynethus.* Baudrando distat hæc urbs 8. m. p. à Demetriade in Occ. eratque Pherarum navale: crediturque fuisse, ubi nunc *Vello*, portus commodus & munitus.

Pagasus, viri nomen. Virgil. *Æn.* 11.

Pagida, sive Belus, rivus in Phœniciâ ad Carmelum promunt. Vide Plin. 5. 19.

Pagoargas, opp. ad mare Rubrum, Plin. 6 29.

Pagos, mons Æolidis apud Meleten fluv. Pausanias. Meles autem apud Strab. fluv. est Joniæ, Smyrnam circumfluens. Forte autem per utramque regionem decurrit, in Æolide oriens, & in Joniâ desinens.

Pagra, nunc *Begras*, urbs Syriæ, in Pieria reg. & Ciliciæ confin. ad montem Amanum, *Pacra* Anton. inter Alexandriam, in ora 16. & Antiochiam intus 25. m. p. Πάγραι Seldeni MS.

Pagrasa, Indiæ extra Gangem urbs, Prol. *Perpers* Castaldo.

Pagus, antiquum Corinthii nomen, Stephan.

Pagus, apud Historicos, Comitatum, territorium, districtum, Comitis unius diœcesin in Germania & Gallia significat. Sic Cæsar *libr.* 1. *bell. Gall.* Helvetiam totam in quatuor *Pagos* divisam fuisse refert: qui hodie in XIII. tractus, Gallice *Cantons*, id est, Latinè *Angulos*: German *Ort* distribuuntur. Idem *lib.* 4. *Comm.* Suevos centum *Pagos* habuisse: & *lib.* 6. Principes Regionum, Pagorumque apud Germanos, commemorat. Sic Plinius, portionem Scandinaviæ, ab Hillevionum gente, quingentis incoli *Pagis* scribit, &c. Orta vox ex German. *pach*, vel *bach*, id est, rivus: ut *Pagus* notet plures villas juxta rivum aliquem positas. Bebelius apud Freherum *Orig. Palatin. part.* 1. Idem apud Belgas *Beke*, & Gallos *Bec*: quod urbium nominibus frequentissime adjicitur: Hinc *Orbacum*, *Resbace*, Caudebec seu *Calidus Beccus*. Pagus quoq; aliquando *Paga*, in Thracia & Armenia maj. *Strategia*: apud Judæos *Toparchia*, in Ægypto *Præfectura*, seu *Nomus*: Angl. *Shira*; vet. Celticâ linguâ *Gouva*, quod hodieque apud Helvetios, *Göuu.* Singulis *Pagis* suus & unus modò plerunque præerat Comes: ita ut pro *Pago* Comitatus, & vicissim sæpe acciperetur. Sic *Pagus* Atoariensis & Comitatus Atoariensis, in Chron. Besuensi. *Pagus* Parisiensis, &c. *Civitas* quoque olim dicebatur, quamvis aliquando à *Pago*, seu *Pagis* minoribus distinguitur, Spelmannus *in Glossar.* & Hadr. Valesius *in Notit. Gall.* A *Pagus*, dicuntur *Pagenses*, ejusdem *Pagi*, sive Comitatus accolæ; qui & inde etiam *Compagenses* vocantur. Ab eodem vox Gall. *Pais* orta *g.* in *i.* vel *y*, ut sæpe, ita hic converso. Iidem.

Pagyda, fluv. Africæ propr. *Bulus* etiam Plinio.

Pagyru, nomen fluvii & civitatis, à qua *Pagyrita* populi. *Pacyris* Plinio vocatur, *lib.* 4. *cap.* 12.

Paisana, lapicidinæ marmorum nobilium in Pedemontio.

Pala, vicus Corsicæ, Ptolem. meliùs *Palla*, oppidum Corsicæ. Vide *Palla.*

Palacia, castrum Vandaliciæ, 5. leuc. Hisp. ab Hispali in Merid. Nebrissam versus totidem, 2. à Bæti fluv. Vulgò *Palacios.*

Palacium, vel *Palatium*, urbs Thraciæ Chers. Strab.

Palæa, Strab. *Pelandre* Lusign. opp. olim nunc pag. Cypri mediterr. Item opp. Cephaleniæ, Polyb.

Palæalazica statio, ad mare Euxinum, in Sarmatia Asiatica, ex Arriani Periplo.

Palæapolis, Strab. Insula parva Hispan. forsan quæ nunc *les Medes* dicitur, cum altera adjac. in ora Cataloniæ, prope Emporias opp. & ostia Sambrocæ fluv. *le Ter*, cum castro & vico.

Palæbeudos, Ptolem. *Beudos* Plinio, oppidum Phrygiæ magnæ excisum.

Palæbyblos, Plin. urbs Phœniciis, vide *Byblos*, apud Adonidem flu. sub monte Libano gemina, nova & vetus.

Palæmon, filius Athamantis & Inûs, alio nomine Melicertes dictus. Hujus mater, eum virum tanto furore correptum videret, ut Learchum, alterum ex filiis, saxo allideret, jamque sibi similem exitum videret imminere, alterum filium, nomine Melicertem, ulnis complexa, in mare se præcipitavit, amboque Dii marini facti sunt, mutatisque nominibus, mater *Leucothea*, hoc est, *alba Dea*, dicta est, crediturque eadem esse cum *Aurorâ*, quæ & *Matuta* à Latinis nominatur: Ille verò à Græcis *Palæmon*; à Latinis, quòd *portubus* præesse putetur, *Portunus* est appellatus. Apotheosin eorum narrat Ovidius *lib.* 4. *Metam.*

Innuit oranti Neptunus, & abstulit illis,
Quod mortale fuit, majestatemq; verendam
Imposuit, nomenq; simul, faciemq; novavit,
Leucotheaq; Deum cum matre Palæmona dixit.

Idem Ovidius *alibi*:

Et juvenem possim sperare Palæmona nando,
Miraq; quem subito reddidit herba Deum.

Scribit Pausanias *in Atticis*, Melicertam à Delphine exceptum fuisse, cùm cecidisset è saxo Moluride & in Corinthiorum Isthmum expositum, mutato nomine, Palæmonem fuisse appellatum, atq; inter cæteros honores petram istam illi fuisse consecratam, & Isthmicos ludos illi à Sisypho, Æoli filio, fuisse institutos, qui tunc imperabat Corinthiis, cùm esset Melicerta fratris filius: atque primùm pinu, deinde apio sicco victores ibi coronati sunt. Musæus quoque in eo libro, quem *de Isthmiis* conscripsit, duo certaminum genera celebrari solita in Isthmo scribit, alterum in honorem Neptuni, alterum in Melicertæ. Ejus meminit Orpheus *in Hymnis*:

Σύντροφε Βάκχου χοροῖο Διωνύσου πολυγηθοῦς,
Κικλήσκω σε Παλαῖμον ἐπ' εὐιέροις τελεταῖσι,
Ὃς ναίεις πόντοιο βυθοὺς βαθυκυμάνοις ἁγνοὺς,
Ἐλθὲ εὐμενέων ἱλαρῷ γήθοντι προσώπῳ,
Καὶ σώζειν μύστας κατά τε χθόνα, καὶ κατὰ πόντον.
Ποντοπλάνοις γὰρ ἀεὶ ναυσὶν χειμῶνος ἐναργὴς
Φαινόμενος σωτὴρ, μόνος θνητοῖς ἀναφαίνῃ
Ῥυόμενος μῆνιν χαλεπὴν κατὰ πόντιον οἶδμα.

Euripides quoque *in Iphigenia, in Tauris*, custodem & servatorem navium Palæmonem vocavit:

Ὦ ποντίας παῖ Λευκοθέας, νεῶν φύλαξ,
Δέσποτα Παλαῖμον ἵλεως ἡμῖν γενοῦ.

Inde *Palæmonius* adject. Claudianus,

Cuncta Palæmonius manus explorata coronis
Adsit. —— —— ——

Statius,

Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo.

Vide Nat. Com. *lib.* 8. *cap.* 4. Hesych. Παλαίμων, Ἡρακλῆς.

Palæmon, Grammaticus Vicentinus, qui Romæ vixit, sub Tiberio & Claudio Impp. tantâ vir arrogantiâ, ut M. Varronem porcum appellaret; secum autem & natas & morituras literas jactaret. Luxuriæ quoque ita indulsit, ut sæpius in die lavaretur, nec sufficeret sumptibus, Tranquillus. Ejus mem. Juv. *Sat.* 6.

—— —— *Odi*
Hanc ego quæ repetit, volvitq; Palæmonis artem.

Idem *Sat.* 7.

Quis gremio Enceladi, doctiq; Palæmonis affert,
Quantum grammaticus meruit labor?

Quærant eruditi, quisnam *Palæmon* ille fuerit, de quo Martialis *lib.* 2. *epigr.* 86.

Scribat carmina circulis Palæmon.

Palæmonius, Argonautarum unus, quem Orpheus claudum fuisse his verbis innuit:

Ἐν δὲ Παλαιμόνιος Λέρνου νόθος ἤλυθεν υἱὸς,
Σίνεσι δὲ σφυρὰ δισσὰ, πόδας δ' οὐκ ἦεν ἀρτίος,
Τοὔνεκεν Ἡφαίστοιο γόνοι καλέεσκον ἅπαντες.

Palæmyndus, urbs Cariæ, non longe à Myndo constructa.

Palæocastrum, nunc *Balikesre*, Leuncl. opp. Troadis apud Alexandriam.

Palæocastrum, meliùs *Policastrum*, aliàs *Buxentum*, urbec. penè deserta Lucaniæ, in ora maris Tyrrh. in limite Basilicatæ provinc. Hinc sinus Laus *Golfo di Policastro*, 55. mill. à Salerno in Eur. vix 10. ab Apennino in Occid. 20. à Marsico novo in Merid. distat; *Policastro.*

Palæocastrum, oppid. Cretæ, cum arce aliàs munita, & portu in parte Bor. Insulæ in Candiæ territ. à qua 8. mill. in Occ. Rithymum versus abest, ad rad. collis, sub Turcis; *Palæocastro.*

Palæpaphus, Cypri urbs; Veneri sacra. Vide *Paphos.*

Palæpatma, empor. Ind. cit. Arrianus in Periplo.

Palæpharsalus, urbs Thessal. Vide *Farsalus*, & *Pharsalus.*

Palæphatus, scriptor antiquus, patriâ Parius, aut (ut alii malunt) Prienæus, Artaxerxis tempore natus, teste Suidâ, qui ἀπίστων, hoc est, *rerum incredibilium* volumina quinque scripsit. Item, Athenienensis, Poëmatum heroicorum auctor; Item Abydenus, disc. ip. Aristotelis, pariter scriptis inclytus. Item Ægyptius, an Atheniensis, opera quædam historica scripsit. Hinc *Palæphatius*, Virgilius *in Ciri*:

Infamem tali meritò rumore fuisse
Docta Palæphatiâ testatur voce papyrus.

Cæterùm de variis Palæphatis vide Vossium, *de Hist. Græc. lib.* 1. *cap.* 9. & *lib.* 3. *pag.* 395. 396. Cœl. Rhodig. *lib.* 30. *antiq. lect. cap.* 34. Lil. Girald. *dial.* 2. *Hist. Poët.*

Palæpolis, vulgò *Poggio reale*, urbs vetus Campaniæ apud Neapolim, quæ illi successit, teste Ambr. Leone. Aliis *Torre di Gisparelli*, locus quoque Neapoli vicinus.

Palærus, Acarnaniæ urbs, Strabo.

Palæscamandrus, fluv. Phrygiæ, seu Mysiæ, Plin. 5. 30.

Palæscepsis, Troadis civitas, in convalle Æsapi fluv. inter Assum, & Antandrum proximas urbes, Cleanthi: qui auctore Scholiaste

Aristo-

Aristophanis in Equites, scribit hoc à Rege Persarum datum Themistocli in vestem, sicut Percoten in stragula. Hoc autem nomen ad alia multa loca extendi annotat Strabo. *Elmachani*, Moletio. Baudrando urbec. Mysiæ maj. in ora sinus Adramytteni, inter Antandrum ad Ort. & Assum ad Occ. 20. m. p. à Scepsi in Eur.

Palæste, vicus Epiri apud Oricum urbem, Lucan. *lib*. 5.

Lapsa Palæstinas uncis confixit arenas.

Ubi Grotius *Apamestinas* legendum jubet; nam *Apameste* est, in prominente parte Italiæ, quæ ad Epirum accedit, contra Apsum Eur. Vide Plin. & Ptolemæum.

Palæstina, provincia Syriæ Arabiæ contermina. Herodotus totam Syriam vocat Palæstinam. In eâ quinque civitates continebantur, *Gaza*, *Ascalon*, *Gath*, *Accaron*, & *Azotus*. Vide Plin. *lib*. 5. *cap*. 20. Alii *terram Sanctam* vocant, in Galilæam ad Bor. Judæam cum Idumæâ ad Austrum, & Samariam in medio divisam. Sane Ptolemæo, Straboni, ac Tacito, Syria Palæstina eadem ipsa est quæ Judæa. Aliis diversæ sunt; sic Ebræi à Palæstinis disterminantur. Papinius *Sylv*. *lib*. 5.

—— *Palæstini simul, Ebraicꝗ; liquores.*

Quod libentius (inquit Seldenus) adduxi, ut magni ejusdem poëtæ nimis depravatam, in Glauciæ Epicedio; lectionem inde emendarem. In eo ita legitur:

Quòd Cilicum flores, quòd munera graminis Indi,
Quodꝗ; Arabes Phariiꝗ; (palam est, vidiꝗ;) liquores
Arsuram lavere comam. ——

Quid (malum) *palam est vidiꝗ;*? Tantúsne Poëta tantæ monimentum oscitantiæ etiam ridiculum infarciret? Quæ habent heic Domitius, Cælius Rhodiginus, etiam & ipse Gevartius, planè frigent. Restituimus:

Quodꝗ; Arabes Phariiꝗ; Palæstiniꝗ; liquores.

Palæstina aqua, pro Tigride ponitur apud Ovid. *Fast*. *lib*. 2.

Inꝗ; Palæstinæ margine sedit aquæ.

Sittacena enim reg. Assyriæ à Tigride flu. irrigata, *Palæstina*, teste Plinio, nominatur. Tibull. 1. *eleg*. 7.

Alba Palæstino sancta columba Syro.

Silius Italicus *lib*. 3. *de Tito Vespas*. loquens:

—— —— *Hic fera gentis*
Bella Palæstinæ primo delebit in ævo.

Ubi *bellum Judaicum* intelligit. *Palæstina* itaque olim *Chanaan* dicta, Judæam, Samariam, & Galilæam complectitur: Dio *lib*. 36. *Ταύτῃ μέν πως ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἐγένετο, οὕτω γὰρ τὸ σύμπαν ἔθνος, ὅσον ἀπὸ τῆς Φοινίκης μέχρι τῆς Αἰγύπτου παρὰ τὴν θάλασσαν τὴν ἔσω παρήκει, ἀπὸ παλαιοῦ κέκληται.* Baudrando pars Asiæ, olim *Terra Canaan*, postea *Judæa* exteris. Divisa fuit aliàs in 12. Tribus, à Bor. in Mer. extensa. Habet à Sept. Syriam, ab Occ. mare Mediterr. ab Or. Arabiam des. à Mer. Arabiam Petræam. Ejus partes fuere Galilæa, Samaria, Judæa; Idumæa & Decapolis trans Jordanem. Urbes præc. Hierosolyma, caput; Cæsarea, Ascalon, Gaza, Joppe, Bostra Idumææ, Sebaste, Accon seu Ptolemais & Tiberias. Nunc hæc reg. *Terra Sancta* dictâ subest Turcis, à 152. annis. Cùm enim Saracenorum jugo pressa gemeret, expeditio in eam suscepta est An. C. 1094. eoque ad sexagies centena M. hoc & seqq. annis se contulerunt, Duce Godofrido Bullionæo, qui, Solymanno victo, Hierosolymam cepit, Rex ibi designatus, A. 1099. cui mortuo successit frater Balduinus I. An. 1101. postquam ibidem jam A. 1090. Ordo Vallis Umbrosæ, & Hospitaliorum institutus esset. Quemadmodum ordo Templariorum, eodem loci originem cepit, An. 1118. Balduino I. successit gener Fulco, Comes Andegav. A. 1131. qui equi lapsu mortuus, An. 1141. Balduinum II. & Almericum, fratris successorem A. 1163. reliquit. Hunc excepit Balduinus III. Epilepticus, A. 1173. qui Balduinum IV. quinquennem fil. Regem creavit, quo triennio pòst mortuo, Guido Lusinianus, Balduini leprosi affinis, regnum suscepit, unde civile bellum, hincque ruina regni, occupati à Saladino, A. 1187. rege, metropoli, cruce captis. Quare nova Christianorum in terram Sanctam An. 1190. suscepta expeditio, Philippi Gall. & Richardi Angliæ Regg. ductu; sed nil nisi Tyrus, Ptolemais, Antiochia & Cyprus obtenta, quæ Guidoni vendita est, An. 1192. post quem Almericus Cyprum & Palæstinæ loca tenuit, quo mortuo, An. 1205. post quinque annorum interregnum, evocatus è Gallia Johannes Brenna, ductâ Almerici privignâ, Rex declaratus est, An. 1210. cùm prius in Ungaria fratres duo de regno contendentes, ita convenissent, ut qui fortius se in Palæstina gessisset, regnum domi teneret, An. 1200. Iterum expeditio in Palæstinam decreta est, Ann. 1215. in Concil. Lateranensi, quo tempore ex sola Anglia LXM exierunt. Fridericus dein II. Imper. Jolantâ Johannis Brenni filiâ ductâ regnum obtinuit, An. 1229. quo mortuo inter factiones Venetam & Genuensem de novo rege litigatum, tandemque rex Cypri Hugo Lusignanus creatus est, An. 1269. quo anno Jacobus Arragoniæ Rex expeditionem eôdem infeliciter tentavit, classe amissâ. Postmodum Hugonis jus in dubium vocatum, quod cùm Maria Domicella Carolo Siculo vendidisset, hinc iterum discordiæ, Sultani successus, Hugonis in Cyprum fuga & mors: Sicque *Latini ex Syria & Palæstinâ, ignaviâ, perfidiâ, dissidiis suis, anno à victoria Godofredi 194. planè exclusi sunt*, *An*. C. 1292. Peucer. *in Chron*. De novo ergo expeditio, decreta in Concil. Lugdunensi, Ann. 1274. sequentibusꝗ; annis varia Christianorum molimina sunt suscepta, sed frustra. Mansit siquidem in Sultanorum Ægypti potestate Palæstina, donec Turcis cessit. De Palæstina accuratissimè scripserunt Jac. Bonfrerius *Not. ad tabb. Adrichomii*, & Joh. Lightfootus *Animadvers. in Chorographiam sacram*. Vide Beckmannum *Histor. Orbis Terr*. Item in vocibus *Judæa* & *Terra S*. Est & altera *Palæstina*, prope Thraciam, de qua Lucanus *lib*. 5.

Palæstinus quoque prius Strymon, fluv. Macedon. dictus est, Plutarch.

Palæstrium, opp. in Macedonia, Plin. *lib*. 4. *cap*. 10.

Palætyrus, vocabatur antiqua Tyrus Phœniciæ urbs, in continenti sita, e regione novæ Tyri, quæ in mari erat condita, Steph.

Palamedes. Nauplii Eubœæ regis filius ingeniosissimus, (à quo *Naupliades* à Poëtis dictus est) acerrimus Ulyssis inimicus fuit, à quo tandem iniquo judicio circumventus est, & ab exercitu lapidibus obrutus. Nam cùm omnes totius Græciæ principes ad bellum Trojanum convocarentur, Ulysses, quem uxoris juvenculæ amor domi retinebat, insaniam simulavit, & quò melius rei fidem faceret, junctis diversæ naturæ animalibus, salem serebat. Palamedes autem, ut viri astutiam deprehenderet, Telemachum filium aranti objecit: quo viso Ulysses aratrum subitò suspendit, ne eum læderet. Quo argumento simulatione deprehensâ, invitus est pertractus. Deinde verò, cùm in Thraciam frumentatum missus esset Ulysses, & nihil inde attulisset, neque quidquam se invenisse diceret: Palamedes, eòdem missus, plurimum frumenti advexit. Quamobrem Ulysses invidiæ stimulis agitatus, adulterinam, Priami nomine, epistolam scripsit, in quâ agebat Palamedi proditionis gratias, commemorabatꝗ; secretum auri pondus esse transmissum, quod ipse Ulysses per corruptos servos in tentorio ejus infodi curarat. His igitur literis in Græcorum concilio recitatis, Palamedes proditionis accusatur. Ibi Ulysses, reo adesse simulans, hostilibus literis nihil fidei habendum contendit, easque re ipsâ facilè posse coargui, si Palamedis tentorium scrutarentur: In quo si aurum inveniretur, nullum illum supplicii genus recusare. Missi itaque, qui tentorium ejus perscrutarentur, cùm aurum invenissent, Palamedes velut proditionis convictus lapidibus obrutus est. Hic fertur Trojano bello 4. literas invenisse θ. ξ. χ. φ. Hic etiam calculorum ludum, & mensurarum ac ponderum rationem excogitavit, & suffragia; quibus in liberando, judicandoque nunc utimur, primus omnium reperit, Polyd. Virgil. Astrologiæ insuper peritus fuisse dicitur, annumque ad cursum Solis, & menses ad cursum Lunæ accommodasse, primusque in castris visam atque reformidatam Solis Eclipsim naturalem, minimeque timendam esse docuisse; præterea ordinationem aciei, ac tesseras, hoc est, symbolum bellicum; & vigilias invenisse. Numeri inventorem fuisse affirmat Plato: *Ἢ οὐκ ἐννενόηκας ὅ φησιν ἀριθμὸν εὑρεῖν;* Sophocles de eodem:

Οὗτος δ' ἐφηῦρε τεῖχος Ἀργείῳ στρατῷ
Σταθμῶν τ' ἀριθμῶν καὶ μέτρων εὑρήματα
Κἀκεῖν' ἔταξε. —— ——

Euripides *in Phœnissis*:

Καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι, καὶ μέρη σταθμῶν
Ἰσότης ἔταξε, κἀριθμὸν διώρισε.

Et Manilius *lib*. 4.

Qui primus numeros rebus, qui nomina summis
Imposuit, certumꝗ; modum, propriasꝗ; figuras.

Quæ omnia à gruibus fertur didicisse. Illæ enim non nisi acie instructâ volant, electo duce, quem sequantur, depositisque in extremo agmine, qui gregem voce contineant, & qui noctu ceteris dormientibus excubias obeant. Inter volandum etiam mutatis subinde ordinibus, literas quasdam videntur effingere, quas etiam ab iis primus observasse fertur Palamedes. Hinc à Poëtis *Palamedis aves* grues dicuntur, Mart. *lib*. 13.

Turbabis versus, nec littera tota volabit,
Unam perdideris si Palamedis avem.

Vide quoque Plin. *Hist. nat. lib*. 7. *cap*. 72. Philostr. *in hero*. Meurs. *Græcia ludibunda, seu de ludis Græc*. Dan. Sutorem, *Palam. sive de Aleatoribus*. Nomen ejus quod attinet, Ebræi Doctores & Professores publicos (inquit Fungerus) מורים *Morim*, & מלמדים *Melammedim* vocant; unde natum nomen *Palamedis*. Sane Phœnicii, quorum lingua Hebraicæ fuit affinis, plurima nomina Græcis tradiderunt, qui suo idiomati accommodarunt ea, ac de rerum inventoribus suo more gloriari solent.

Palamedes Eleates Grammaticus, scripsit Onomasticon de Tragicis & Comicis dictionibus, ac de proprietate Atticæ, ac Doricæ linguæ, Suidas. Vide Voss. *de Hist. Græc. pag*. 396. & Scholiast. *in Aristophan. fab*.

Palamedes Forbinius, à Ludovico X. suâ operâ hærede Caroli 3. Andeg. constituto, Provinciæ præfectus, à Carolo VIII. depositus, obiit An. 1508. Virtute inclytus, Mezeray *Hist. Gall*. Nostradamus & Bouch. *Hist. Prov*.

Palamedium, oppidum fuit Troadis, Plin.

Palamus, oppid. munitum Cataloniæ, cum portu, in ora maris Mediterr. 7. leuc. à Gerunda in Ort. 7. ab Emporiis in Mer. 22. à Barcinone in Cæc.

Palanda, Indiæ extra Gangem urbs in Aureâ Chersoneso. *Pari*

dicitur **Castaldo**. **Aliis fuit, ubi** nunc *Palimban*, urbs ampla Sumatræ, in parte Austr, in ora contra Barcam **Inf. in mari Ind.** Sed hæc ex conjectura tantùm, Baudr.

Palanta, Ptol. *Balagna* quibus d. **opp. Corsicæ, in ora Occ. 10.** mill. à Calvio in Bor.

Palanteum, urbs in Palatino **monte.** Vide *Palatinus.* Item urbs Arcadiæ. Vide Stephanum.

Palantia, urbs Hisp. Tarracon. **Ptol. Vaccæorum colonia, pop.** *Palantini.* Vide Stephanum. **Baudrando** *Palencia*, urbs Legionensis regni, ad Arrionem fl. qui paulo infra cadit in Pisoracam, in limite Castellæ vet. 12. leuc. Hisp. à Burgis in Occ. 15. à Legione in Eur. Dicta quoque **olim** *Palentia in Vaccæis* : magni tum nominis, hodie antiquæ famæ decus ægre tu-tur. V. insuper Melam, Strabonem, Livium, Merulam *descr. Hisp. &c.* Hic Concilium, à Petro de Luna, qui dein Antipapa electus est, nomine Clementis 7. An. 1388. celebratum : in ejus verò diœcesi, Pinciæ, aliud An. 1322. à Legaro Johannis 24. habitum est.

Palas seu *Palatium*, *Pfaltz*, castr. Germ in Rheni Inf. unde Palatinatui infer. nomen, 2. leuc. infra Bingium, medium ferme inter Moguntiacum & Confluentes, 5. mill. Germ. utrinque. In ditione Serenissimi Electoris Palatini, cujus familiæ origo, ut antiquiora omittam, est ab Ottone 1. Com. Palatino Schirensi, abavo Ottonis, ad quem postea Bavariæ Ducis dignitas delata est, à Friderico I. Imp. circa A. C. 1180. Hujus fil. Ludovicus, à Friderico II. Imp. consecutus est Palatinatum, cùm ejus filio Ottoni uxor Agnes, hæres Palatinatus, Henrici Saxonis filia daretur. Pater hic fuit Ludovici Severi, qui communis Palatinorum & Bavarorum, quotquot hodie supersunt, Sator, Rudolfo primogenito cum Elector. dignitate Palatinatum reliquit. Sed hic à fratre, Ludovico Imp. ditione exutus, Obiit in Anglia An. 1319. Ei successit à Ludovico restitutus. filius Adolphus Simplex, qui spontè Rudolfo cæco Electoratum concessit, hunc tertius frater Rupertus excepit, Academiæ Heidelb. fundator, mortuus An. 1390. Mortuo patruo successit Rupertus jun. pater Ruperti Imp. qui defunctus An. 1410. communis lincarum Palatinarum, quæ dein prosatæ, Pater extitit. Filius enim ejus primogenitus Ludovicus Barbatus, in Electoratu successit, præses Concilii Constantiensis, cujus posteritas in Ottone Henrico, mortuo A. 1559. defecit. Stephanus verò, quartus Ruperti Imp. filius, duas lineas dedit, è duobus filiis; ex Friderico Simmerensem, ex Ludovico Bipontinam: de qua suo loco. Friderico successit Johannes I. fil. pater Johannis II. qui obiit An. 1557. Ei successit filius Fridericus III. Pius dictus, agnati quoque Ottonis Henrici, in Electoratu, An. 1559. successor. Sub hoc Catechesis Heidelbergensis publicata, variaque de Religione colloquia habita sunt. Illum excepit fil. Ludovicus, qui mortuus An. 1583. Frater fuit Joh. Casimiri, expeditionibus in Galliam Belgicamque, pro Religione, susceptis inclyti: Neostadiensis Academiæ quam *Casimirianam* dixere, auctoris. Successit patri Ludovico fil. Fridericus IV. Sincerus, sub cujus auspiciis Unio inita, An. 1610. Pater is Friderici V. fuit, qui jubilæo An. 1617. in ditione sua instituto solennes gratias pro accensâ luce Evangelii, Deo egit, dein à Bohemis Rex electus A. 1619. variis Fortunæ vicibus, & excelsi ubique animi constantiâ clarissimus, obiit An. 1632. Pater Caroli Ludovici, moderni Electoris, Sapientiæ laude inclyti, cui, ex Conjuge Hassiaca, unicus filius Carolus, Electoralis dignitatis hæres, natus est, An. 1651. V. Phil. Jac. Spenerum *syll. Geneal. Hist.*

Hos ô Christe tua conserva robore dextra,
Et pelle insidias, exitiumq; procul!

Palatia, V. *Palacia.*

S. Palatii Fanum, urbs infer. Navarræ. Sub Rege Galliæ.

Palatinatus infer. seu *Rheni*, prov. Germ. à Rheno bipartita, sub Elect. Palatino. Cujus Urbes Heydelberga prim, Birkenfeldia, Cæsaropolis, Cruciniacum, Franckenthalium & Simmera. Pessimè bello German. nupero & hodierno, accepta: Habet à Sept. dit. Moguntinam, uti & partim ab Or. & Duc. Wirtembergicum; ab Occ. ditionem Trevir. & Duc. Bipontinum, à Mer. Alsatiam & Marchionatum *Bad.* Huic Prov. insertæ sunt ditiones Spir. & Wormatiensis, satis angustæ; ejusque pars antè fuit Ducatus Bipontinus.

Palatinatus sup. prov. est Germ. in circulo Bavariæ, inter Bohemiam ad Ort. Franconiam ad Occ. Bavariam ad Mer. Ejus Urbs prim. Amberga. Nunc sub Bavariæ D. qui Elector quoque esse cœpit bello Germ.

Palatinus, Apollo dictus est à *Palatio*, ubi Augustus Apollini, post Aruspicum responsa, ædem construxit, porticibus & Bibliothecâ Latinâ Græcaque valde celebrem, unde est illud apud Horatium *in Epp.*

—— Et tangere vitet
Scripta Palatinus quæcunq; recepit Apollo.

In eo templo fuit columna quædam 50. pedum, dubium pretione, an pulchritudine nobilior, cortineque aureæ ab Augusto, conflatis omnibus aliis imaginibus, Apollini Palatino dicatæ. Aliàs vox hæc, modò pro Aulicis in genere, modò pro Optimatibus, apud Historicos sumitur. Hinc *Palatina* officia, quibus aulici honorantur: ut, Stabulariorum, Gillonariorum, est autem *Gillo*, vasis genus, Argentariorum, Coquorumque præpositi, vel si qui, præter hos, superiori ordine vel gradu præcedunt, Wisegothorum *legg. l. 2. t. 4. l. 4.* apud Spelmannum in *Gloss.* A *Palas* regione, non à *Palatio*, nomen *Palatini* deducit B. Rhenanus *l. 3. p. 235.* V. quoque in voce *Comites.*

Palatinus mons Romæ, inhabitatus longo tempore ante urb. conditam à Valentiâ Itali filiâ, inde ab Evandro, qui & arcem in eo constituit. Idem inter septem colles præcipuus, ideoque celebris præ reliquis varias sui nominis causas habet apud auctores bonos. Nam & *Palatium* dictum constat, quod Arcades cum Evandro *palantes*, i. e. nullo ordine vagantes in illum locum venerint, Varrone teste. Quanquam alii nomen trahant à *Palatinis*, i. e. Aboriginibus, quod hi venientes ex agro Reatino, qui appellatur *Palatium*, ibi consederint. Addit Varro, existimare nonnullos, inditum hoc illi nomen, à *Palatiâ* Latini uxore. Sunt qui à *Pallante* Evandri proavo deducunt. Alii à *Palatho* Hyperborei filiâ, quæ ex Hercule Latinum susceperit; nonnulli à sepulto *Pallante*, quem à Turno occisum canit Virgilius. Livius primò vocatum censet *Palantium*, à *Palanteo* Arcadiæ urbe, inde *Palatium*. Præter hos omnes, sunt qui à pecorum *balatu*, quæ ibi solebant pasci, anteaquam incoleretur, nomen ejus derivant; quapropter *Balantium* nominavit vetus Poeta Nævius, cui & Festus astipulari videtur his verbis: *Palatium mons Romæ est appellatus, quòd ibi pecus pascens balare consueverit.* Solinus verò scribit, quosdam auctores esse, datum ei nomen à *Pale*, pastorum Deâ, Fungerus. Vide Vossium in *Palatium.* Nunc *monte Palatino*, ejusque pars Foro Boario obversa *Palazio magiore*, à palatio Cæsarum ibi aliàs excitato.

Palatiolum, villa Regia, una de minoribus; quam Pipinus Monasterio Suburbano S. Dionysii pro anima patris sui Caroli ibi sepulti dedit. Vulgò *Paleijol* olim, hodie *Palaiseau*, titulo Marchiæ nunc illustris. In agro Parisiensi Had. Valesius *Notit. Gall.* Vocabant autem Galli olim Villas Regias aut fiscales, *villas Palatii & Palatia*, à Regum ibi palatiis.

Palatiolum, opp. Foro-Julii. V. *Palatium.*

Palatium, urbs Diocletiani, quam nunc nautæ *Spalatum* vocant. Eusebius *in Chronicis* : *Diocletianus haud procul Salonis in villa sua Palatio moritur.* V. *Spalatum.*

Palatium, forsan Castr. agri Brixiani, *Palazzelo*, cum ponte ad Ollium fl. in limite agri Bergomensis, medium inter Brixiam ad Ort. & Bergomum ad Occ. in regiune. *Franzacurta*, 4. mill. à Sebino lacu in Mer.

Palatium, locus in Lemovicibus, civ. Lemovicis proximum, *le Palau*, prode Taurionem fl. mox in Vigernam casurum. Vel etiam alterum, eidem amni adsitum, sed à civ. Lemovicum remotius: ubi Petrus Ep. Lemovicensis (qui *Concilio Agathæ habito Messallâ U. C. Consule, anno 22. regni Domni Alarici R.* inter cæteros subscripsisse legitur,) commoratus fo.ibus, proin *Episcopus de Palatio* dictus est: Sed & in ipsa urbe Lemovicis locus fuit hoc nomine: Nam ubi in plerisque Imperii Rom. urbibus, paulò celebrioribus, sic Lemovicis Imperatores & Cæsares *Palatium* habuere, ubi, dum provincias suas obirent; commodè possent habitare, alieno non egentes hospitio. His *Palatiis*, stante Imperio Rom. majores Magistratus, his successores Imperatorum ac Cæsarum, in Galliis, Reges Vesigothorum ac Burgundionum & victores utriusque gentis Franci reges usi sunt. Unde, quoniam Reges Vesigothorum raro admodum, ac fere nunquam Lemovicas tum adibant, potuit Petrus Episcopus ejus in urbis Palatio habitare atq; ex eo appellationem trahere. V. Hadrian. Valesium *in Not. Gall.*

Palatium, planities retro Basilicam, in urbe Basilea, amœnissima; ubi firma moles contra Rheni alluentis undas: cum tilia, ob ramos orbiculariter diductos, duplici columnarum serie fulta. Germ. *die Pfaltz.* Hoc è loco cives, tempore Ludovici Bavari Imp. cui, invito Papâ, constanter adhæserant, legatum quondam Rom. diras ipsis intentantem fulminaque Pontificia ferentem, è sublimi præcipitem dedisse, ex Vitodurano Monacho Stumpfius refert. Restaurata est hæc structura operosiore sumtu, A. C. 1512. ut ex versibus Henr. Glareani; circa arborem, exaratis patet:

Julius Ecclesiæ dum præfuit ecce secundus,
Dum sceptra Imperii Maxmilianus habet.
Hoc opus excisum est, quo Rhenum cernere amœnum,
Quo nemora, & campos, monticulosq; pates.
Quo geminas turres & mœnia conspicis urbis,
Concentus audis dulcisonosq; modos.

V. Christ. Vrstisii *Epitomen Hist. Basil.*

Palatua, Dea in cujus tutelâ *Palatium* esse putabatur.

Palatual, sacrificium, quod Romæ fiebat in *Palatio.*

Palatualis, Flamen, qui ad sacrificandum *Palatuæ* Deæ constitutus erat.

Palbus, mons Africæ.

Paleis, *Palæa* Polybio; *Palichi* Sophiano, op. seu pagus hodie Cephalleniæ inf. Pop. *Palenses* Pausaniæ, qui *Dulichii* quoque vocantur. Strab. *lib.* 10.

Palensa Vallis, Italis *Plenia*, vel *Breunia*, una ex tribus Præfecturis

fecturis ditionis Bilitionensis, sub imperio trium antiquissimorum Helvetiæ pagorum. V. *Bilitionum.*

Pales, pastorum vel pabuli Dea. Hanc quidam, teste Servio, Vestam, Deorum matrem vocant; Virg. *Ecl.* 5.

Ipsa Pales agros, atq; ipse reliquit Apollo.

Et in tertio Georgicorum:

Te quoq; magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso. ——

Fuit hæc Dea, vel hic Deus (nam Varro masculino genere habet) præcipuo honore à pastoribus culta; ideo ab Ovidio *Fast.* 4. invocatur:

Alma Pales, faveas pastorum sacra canenti.

Huic hæc sacra fiebant, ut lupos abigeret, auctores Ovidius ac Tibullus, Prior:

—— *Et tepido lacte precare Palem.*

Posterior: *Et placidam niveo spargere lacte Palem.*

Ideo *fecundam* Calpurnius vocat. Nominis rationem quod attinet, vide Boch. *de Phœn. Col. lib.* 2. *cap.* 9.

Palæsimundus, urbs & fluv. Taprobanæ insulæ. Plin. 6. 22. *Patzin* Vineto.

Palfuriana, vulgo *Brufagana*, opp. Cataloniæ; 18. m. p. à Tarracone. Augustinus Lubing.

Palfurius Sura, Orator & Causidicus, ob suspicionem quod cum Vitellianis sensisset, senatu à Domitiano fuit amotus, Juvenal. *Satyr.* 4.

Si quid Palphurio, si credimus Armillato,
Quicquid conspicuum pulchrumq; ex æquore toto
Res fisci est, ubicunq; natat.

Paliam, Sericæ urbs. Ptol. *Panconia* Castaldo.

Palianum, opp. munitum Campaniæ Rom. cum. tit. Duc. Columnarum, in ditione Pontif. 25. mill. à Roma in Ort. Sotam versus.

Palibothra, urbs Indiæ citer. *Palimbothram* vocat in Indicis Arrianus. *Ava* Mercatori, *Vothara* Nigro. Quibusd. est *Helobas*, urbs ampla, in Imperio M. Mogolis, ad Gangem, ubi recipit Semenam, 300. m. p. ab Agra in Ort.

Palibotri, reges Indorum à magnanimo *Palibotro* multo tempore sic dicti, sicut olim apud Ægyptios *Pharones*, apud Romanos *Cæsares*. Alex. ab Alex. 1. 2.

Palica, Dionys. *Paliconia*, oppidul. Siciliæ, ol. Urbs ad lacum Palicorum. V. *Palici.*

Palicenus, sive *Palicinus*, fons in Siciliâ. Steph. Vide *Palici.*

Palici, vel ut alii *Palisci*, gemini fratres, Jovis filii & Thaliæ Nymphæ, vel, ut alii volunt, Ætnæ. Tradunt enim hanc Nympham, à Jove, in Siciliâ juxta Simæthum amnem, non longe à Catinâ urbe compressam, metu Junonis optasse, ut sibi terra dehisceret, & ab irâ Deæ istius se occultaret. Quibus precibus exauditis, terra molliter dehiscens, intra viscera sua eam recepit, ubi illa legitimo tempore gemellos peperit, quos terra denuo se aperiens in lucem edidit: Unde & *Palici* dicti sunt; ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, quòd in terram demersi *denuo sint reversi*. Quam verum sit hoc etymon, postea videbimus. Ostendunt autem accolæ 2. lacus, ex quibus fratres hosce putant emersisse, eosque *dellos* vocant, qui tantâ olim in veneratione habiti sunt, ut circa eos juramenta exigi solerent, si quis in furti suspicionem incidisset, prius tamen accepto fidejussore, qui si juranti quid accidisset, præstaret, quod exitus ostenderet. Nam quum rei negatæ fides quærebatur, & jusjurandum à suspecto petebatur, uterque ab omni contagione mundus ad Crateras accedebat; deinde loci Numine invocato, jurabat; quod si jure fiebat, discedebat illæsus: si verò malè juratum esset, mox in lacu peribat perjurus. Magnâ præterea veneratione erat Palicorum templum, quòd cùm Siciliam sterilis annus arefecisset, divino Palicorum responso admoniti Siculi certum sacrificium fecerunt, post quod statim reversa est ubertas. Quapropter Siculi omne genus frugum congesserunt in Aram Palicorum, quæ ob id *pinguis* à Virgilio dicitur *Æn.* 8. —— *Symethia circum*

Flumina, pinguis ubi & placabilis Ara Palici.

Palicorum Græcum etymon obtrudunt nobis Macrobius & Servius. Sed hæ Gerræ Siculæ sunt, inquit Bochartus, nugæque nugacissimæ, ab Æschylo & aliis, non alia de causâ confictæ, quàm ut è Græcâ linguâ *Palicorum* nomen peterent, quod est plane Punicum. *Palici* enim פליחין *Palichin* vel *Pelichin* à Pœnis nominati sunt, ut Athenis Σεμνοὶ θεοὶ voce *à veneratione* deductâ. Syris enim verbum פלח *pelach* sig. *colere & venerari.* Quo ipso nomine Æschylus ipse insignivit, *his verbis:*

Σεμνοὺς Παλικοὺς Ζεὺς ἐφίεται καλεῖν.
Summos Palicos Jupiter venerabiles
Velut vocari. ——

Et verò Palicos non Jovis, sed Adrani esse filios ex Hesychio discimus: Ἀδρανὸς, inquit, δύο γενέσθαι υἱοὶ Παλικοί; quod multo est verisimilius, quia tam Palici, quàm Adranus sunt ἐντόπιοι θεοὶ, extra Siciliam nullibi noti.

Palici, qui & *Delli*, & *Crateres* nominantur, lacus, sive fontes in Siciliâ sunt, qui continuâ eructatione, ad 3. circiter cubitus in altum efferuntur, cadentesque in seipsos recipiuntur. Horum historiam & nominis originem, vide apud Macrob. & Diod. Sic. *in fine lib.* 11. & apud Fazellum, qui scribit, eos hodie *Naphthia* vocari. *Palicam* urb. & *Palicinum fontem* habet Stephanus.

Palietum, oppidum Aprutii, ita dictum quòd aratores tritâ facta, quotannis paleam immensis acervis collectam hic relinquunt.

Palikanus, Tribunus plebis qui anno U. C. DCLXXXI. auctor fuit Pompejo restituendæ tribunitiæ potestatis, quam rem ut indicaret, rostra Libertati sacra in Denariis signavit. & ex alterâ parte ipsius Libertatis caput cum inscriptione, *Libertatis*, & *Palikanus*. Totum autem nomen est *M. Lollius* (nisi potius *Atilius*, ex Sallustii fragmento, nominandus sit.) *Palikanus.*

Palilia, vel, ut alii, *Parilia* sacra Palis Deæ. Hesychius: Παλίλια, ἑορτή. Οἱ μὲν τῇ Πάλῃ, ἔνιοι δὲ τῷ Πανί. Hæc à pastoribus in agris fiebant 1. Calend. Maji, quo die Romulus urbem fundavit, vel ad lupos arcendos, morbosque à pecore pellendos, seu pro partu pecoris. In hoc die festo, palearum accensi acervi certo ordine in loco plano collocabantur, quos pastores saltando transiliebant. (Solinus à *partu Iliæ* dici vult, unde *Parilia*. Vide Fungerum.) Ovid. *Fast.* 4.

Moxq; per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.

Prop. 4. 1. *Annuaq; accenso celebrare Palilia fœno.*
Qualia nunc curto lustra novantur equo.

Idem *eleg.* 4. *ejusdem libri:*

Urbi festus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Unde Ovid. *Met* 14. —— *Festisq; Palilibus urbis*
Mœnia conduntur. —— ——

Cic. *lib.* 2. *de Divinatione*: *L. Tarutius Firmanus, familiaris noster, imprimis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus:* Suetonius, *in Caligula cap.* 16. *Decretum autem, ut dies, quo cepisset imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rursus urbis conditæ.* Ovid. *Fast.* 4.

Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos,
Quod fit natali nunc quoq; Roma, tuo.

Idem *Fast* 6.

Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
Cum flamma custos æde recepta Dea est,

Id est, 40. natales & annos. Vide Dionys. Halic. *Ant. lib.* 1. Plut. *in Romulo*, & Casaub. *ad illud Persii lib.* 1.

Et focus, & porci, & fumosa Palilia fœno.

Palmibanum, forsan alias *Palanda*: V. ibi. vix 200. mill. à freto Sundæ in Bor. Malaccam versus, sub proprio Rege. Portum habet capacem.

Palimbon, ep. sub Arch. Damasceno, G. Tyrio.

Palimbothra, urbs Indiæ. Civis *Palimbothrenus.* Steph.

Palindromos, Arab. Fel. promuntor. *Acila* Plinii est, teste Villanovano.

Palinurus, vel *Palinurum*, Lucaniæ promunt. haud longè à Veliâ, inter Pæstum & Talaum, vulgò *Capo di Palinuro*, in prov. Principatus ulter. in ora maris Tyrrh. 17. mill. à Palicastro in Occ. 26. à Pæsti in Mer. Baudr. Ita dictum à *Palinuro*, navis Æneæ gubernatore, qui somno oppressus unà cum gubernaculo in mare decidit, totoque triduo fluctibus jactatus, quarto demum die ad litus Velinum adnavit; jamque terram tenebat, cùm loci ejus accolæ spe prædæ impetum in eum fecerunt, occisumque & spoliatum denuò in mare abjecerunt. Quod ob facinus, cùm Velini postea gravi pestilentiâ laborarent, oraculo moniti, ut Palinuri Manes placarent, lucum ei consecrarunt, cenotaphiumque erexerunt in promunt. quod ab eo *Palinuri* nomen obtinuit. Virg. *Æn.* 6.

Æternumq; locus Palinuri nomen habebit.

Dicitur autem *Palinurus*, qu. *iterum mejens*. πάλιν enim *rursus*, οὖρον *urinam* sign. Ad quam etymologiam alludit Martialis *libr.* 3. 68.

Minxisti, Pauline, semel currente carinâ;
Mejere vis iterum? jam Palinurus eris.

Palistorum, vel *Palicorum* stagnum in Siciliâ, sulphurei odoris. Unde Ovidius *Pontic.* 2. *eleg.* 10.

Ætnæosq; lacus & olentia stagna Palici.

Idem *lib* 5. *Met*

Stagna Palicorum ruptâ ferventia terrâ.

Apud Stephanum legitur, Κρήνη τις ἐν Παλικοῖς, apud Philosophum verò *in lib. de Mirabilibus*, ἐν Παλικοῖς.

Palitra, urbs fuit Macedoniæ, ex quo oriundus Antipater, Idæi Filius, Suid.

Palla, urbs à latere merid. Corsicæ. Ptol. *Pola* vulgo, à Bonifacio op. 6. m. p. distans in occid. Baudrando nunc est *Bonifacio*, urbs munita Corsicæ, in latere Austr. juxta fretum *Taphros*, ex adverso Sardiniæ; ex Cluver. & Brietio. V. *Bonifacium.*

Pallades, virgines erant, quas Thebani apud Ægyptios Jovi sacrabant, de quibus Strabo *lib.* 17. in hunc modum: *Jovi, quem præcipuè colunt, virgo quædam genere clarissima & specie pulcher*

pulcherrima sacratur, ὡς καλοῦσι οἱ Ἕλληνες Παλλάδας. Ea, pellicis more, cum quibus vult coit, usq; ad naturalem corporis purgationem. Post purgationem viro datur, sed prius quàm nubat, post pellicatus tempus in mortua morem lugetur. Idem habet Eustath. *ad Iliad. α.* & *Odyss. ι.*

Palladium, Palladis simulachrum, quod Romæ in æde Vestæ fuit, cujus memin. Herodianus *lib.* 1. Id fuit è ligno compactum, movens oculos, atque hastam, quam manu gestabat, ut scribit Servius. Nam cùm apud Trojam in honorem Palladis arx, & in ejus summo templum illi ædificaretur, è cœlo cecidit, & locum sibi in eo templo delegit, nondum coopertâ æde; moxque ab Apolline redditum est oraculum, ejus civitatis futurum exitium, si id simulachrum extra muros portaretur, Ovid. *in Fast.* Quod factum est, tempore belli Trojani, cùm Diomedes & Ulysses cuniculis, vel, ut alii dicunt, cloacis ascenderent in arcem, tum occisis custodibus simulachrum sustulerunt. Vide Meurs. *in Lycophr.* Virgilius *Æneid.* 2.

——— ——— *Impius ex quo*
Tydides sed enim, scelerumq; inventor Ulysses
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusq; cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas.

Palladius, Episcopus Helenopolitanus, Galata, An. 401. Chrysostomi, durante etiam hujus persecutione, amicus fidus. Decennio post Chrysostomi obitum Romam veniens, sub Zosimo Episc. cum Theodoro, Diacono Rom. sæpius collocutus, Dialogum de vita Chrysostomi, edidit. Origenismi accusatus, non multum Hieronymo favit, cum Rufino intimâ familiaritate conjunctus. Discipulus fuit Evagrii Pontici, & Pelagianismi quoque suspectus. Obiit sec. 5. Epiphan. *Epist. ad Joh. Hieros.* Socr. *lib.* 4. *Hist. cap.* 18. & 23. Cassiod. *Hist. Trip. lib.* 8. *cap.* 1. Joh. Damasc. *de his qui in fide dorm.* Niceph. *lib.* 11. *cap.* 44. Baronius, Voss. Possevinus, &c. Idem cum auctore *historiæ Lausiacæ*, vide infra. Non verò confundendus cum *Palladio* Diacono, qui à Cælestino, A. 430. in Scotiam missus, ut Pelagio obniteretur, ibi Episcopus primus obiit. Vide Balæum *Cent.* 14. & Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *de Lat. lib.* 3.

Palladius, Theologus Danus, in illo regno, junctus Hemmingio, Reformationis opus strenue promovit, sec. præt.

Palladius, nomen viri proprium, qui de Agriculturâ scripsit. Item Sophista Græcus, qui in 6. lib. Hippocratis commentatus est. Vander Linden, *de Script. Med.*

Palladius, hæreticus, post Petrum Fullonem, in sedem Antiochenam intrusus, cum Petro Mongo, Pseudoepiscopo Alexandrino arctam familiaritatem coluit. Obiit An. 496. Baron. *in Annalib. An.* 486. & 496.

Palladius Galata, historicus, floruit sub Theodosio M. Vitas aliquot sanctorum in literas retulit; quæ vulgò *Historia Lausiaca* dicitur, quia nuncupata est *Lauso* præfecto. Opus hoc certis diebus in Ecclesiâ prælegi solere, ex Triodio ostendit in Glossario suo clarissimus Joh. Meursius, qui & primus hunc scriptorem Græcè edidit. Vide suprà.

Palladius Methonæus, filius patris cognominis, floruit sub Constantino M. Præter orationes ac disputationes varias etiam historicum ac philologicum opus contexuit de festis Romanorum, ut è Suida & Phot. *Cod.* 132. cognoscimus.

Palladius Niger, seu Fuscus, Patavinus, floruit An. 1470. à Sabellico *Ænead.* impensè laudatus. Scripsit in Catullum, de Insulis, &c. Justinopoli, urbe Istriæ, ubi Professor erat, Scardeon. *de clariss. Patavinis.*

Palladius Rutilius Taurus, Medicus, floruit Ann. 129. scriptis clarus. Justus *in Chron. Med.* Vander Linden *de Script. Med.*

Pallana, in Laconia sita, Strab.

Pallanteum, vide *Palanteum*. Virgil. *lib.* 8.

——— *Posuere in montibus urbem*
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

Pallantias, ut Callimachus refert, lacus, alio nomine *Triton*, ex quo Palladem genitam volunt.

Pallas, adis, filia Jovis, ex cerebro ejus prognata, sapientiæ, disciplinarumque omnium Dea, quam Latini Minervam vocant. Sic dicta, secundum quosdam, quòd ab eâ *Pallas* sit interemptus, aut διὰ τὸ ἀναπεπαλάχθαι ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός, aut ex *Pallante* palude, juxta Festum. Quid quòd aliqui datum velint nomen ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, alii à saliendo, sive saltando in bello. Eustath. *in Iliad.* α. Τὸ δὲ λέγειν οὕτω κληθῆναι αὐτήν, ἐπειδὴ ἐν τῇ Γιγαντομαχίᾳ Πάλλαντά τινα ἐφόνευσε γίγαντα, ἢ ὅτι ἐκ τῆς τοῦ Διὸς συνεπάλθη κεφαλῆς, ἢ ὅτι κεραυνωθείσης Σεμέλης βλαβείσης, καὶ τοῦ Διονύσου ἀπαιωρουμένου ἐμβρύου, ... τοῦ ... Nonnulli ab Ebræo פלץ *palas*, id est, *agitare*, quia quatit hastam, vel quia mens est in perpetuâ agitatione, unde παλλὰς significaret agilitatem animi, essetque epitheton, non proprium nomen. Alii denique à verbo פלא quæ vox Ebræis admirabile quiddam sonat. Vide Fungerum, in *Pallas*.

Pallas, antis, filius Evandri, qui à patre iis copiis, quas Æneæ auxilio misit, præfectus, magnâ jam hostium strage editâ, à Turno est interfectus. Vide Virgil.

Pallas, antis, historicum volumen condidit de mysteriis Mithræ, Porphyr. περὶ ἀποχῆς *lib.* 2. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3.

Pallas, Claudii Cæsaris libertus, ditissimus, qui Crasso fertur ditior vicies, & quinquies centenis millibus, Plin. 33. 10. Vide Tacit. *Annal. lib.* 12. Et Plin. *ep. lib.* 8. *epist.* 5. Juven. *Sat.* 1.

——— ——— *Ego possideo plus*
Pallante & Licinis. ——— ———

Pallas, Pandionis filius, Ovid. *Met.* 7. Hunc Stephanus scribit habitasse in Diacria tribu Atticæ. Vide Scholia *in Crabr.*

Pallas, nomen paludis, in Africa.

Pallene, quæ & *Phlegra* Herodoto, *Patalene* Ptolemæo dicitur; penins. Macedoniæ ad sinum Thermaicum, cujus isthmus *Pallenensis* Plinio dicitur, quæ & penins. Cassandriæ ab Eustath. nominatur, *Pallenea* à Val. Flacco. Virg. *lib.* 4. *Georg. de Proteo*:

Hic nunc Emathiæ portus, patriamq; revisit
Pallenen. ——— ———

Hîc *Pallene*, opp. teste Plinio & Stephano, *Canistro*, teste Sophiano hodie, Nardo autem *Tarcho*, seu *Tarso* dictum, Cassandriæ finitimum. Vide Steph. in Παλλήνη. Cui *Pallene* Sitonis Clethiq; (ut Egesippus ait) filia à se nomen dedit: gigantum bello insigne fuit. Habet triangulam basim meridiei obversam. Theagenes aliter hanc historiam narrat: *Pallene*, inquit, quæ veteri nomine *Phlegra* dicebatur, homines tenuerunt, quibus immanitas & superbia morum Gigantum nomen dedit; in hos prælium ineunte Hercule, fulmina de cœlo visa sunt ferri, donec se fugæ commiserunt, magnaque victoriâ superati sunt: Unde rumor in vulgus belli contra Deos manavit, Mela *lib.* 11. *cap.* 2. *Pallenen* inter Thraciæ loca recenset & soli tàm patentis esse refert, ut quinque urbium sedes sit atque ager. Hinc *Pallenæos*, Stat. *lib.* 4. *Sylv. Carm.* 2.

Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.

Claudianus,

Pallenæa Jovi mutavit flumina Cyclops.

Pallenidis Minervæ fanum inter Athenas & Marathonem alicubi, Herodot. 1. Polyæn. *lib.* 1. *Pallenidis Pagi*, apud Euripidem Heraclidis.

Pallium, Insigne honoris atque dignitatis, quod Archiepiscopis aut Metropolitanis confert Pontifex, è lana: quæ desumitur à duobus agnis candidis, qui die Agnetis, in templo illi sacro Romæ, cùm in missa imploratur Agnus Dei, super altare ponuntur, postea traduntur Basilicæ D. Petri Subdiaconis, in pascua mittendi, suoq; tempore tondendi. Latum est tres digitos, ab humeris in pectus atque renes propendens: ad extremum sunt laminæ plumbeæ tenues, ejusdem latitudinis, Sleidan. *lib.* 13. Spelmanno habet circulum desuper humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte dependentes: quatuor autem cruces purpureas antè & retro, à dextris, & sinistris: sed à sinistris duplex est, à dextris simplex. Tribus acubus aureis ante pectus, super humerum & post tergum, affigitur. Dicitur *plenitudo Pontificalis officii*; quoniam, antequam Metropolitanus *pallio* decoretur, nec Clericos ordinare, nec Ecclesias dedicare, nec aliquem Episcopatui inaugurare potest. Postquam hoc modo contextum est, defertur unà cum aliis ad corpora divi Petri ac Pauli, ubi certis precibus expeditis, relinquuntur per noctem unam: altera die Subdiaconi illa recipiunt. Traditur dein multis cum ceremoniis, & deferentibus mandatur, ne supra noctem unam in eodem loco subsistant. Hanc mercem magnâ pecuniæ vi redimunt Archiepiscopi, intra spatium trimestre, illoq; in sacrificiis atque Missis inprimis utuntur. Neque verò licet antecessoris uti Pallio, sed quisque sibi tenetur illud Romæ comparare: imo cum talis alterius Ecclesiæ Archiepiscopus vel Metropolitanus evadit, novum sibi emere necesse habet. Sleidanus *lib.* 4. & 13. Græci *Pallia* à Rom. Pontificibus redimere desierunt, circa An. C. 934. Lætus *Comp. Hist. Univ.* Vide prolixè de *Pallio* disserentem, prædictum Spelmannum *in Glossar.* & in *Pragmatica.*

Pallon, opp. Arabiæ fel. Plin.

Pallura, urbs Indiæ citer. Limyricæ regionis, Ptolem.

Palma, colonia & urbs prim. Balearis majoris Episcop. sub Archiepiscop. Tarracon. Nunc *Mallorca* incolis, ampla, probe munita, in parte Occ. Ins. 24. leuc. à Magone in Occ. 34. à Tarracone in Mer. 40. à Valentia in Ort. sub Hispan.

Palma, oppidum Vandalitiæ, ad confluentes Singilis fluvii, in Bætim, vix 2. leucis infra Astigim, 12. ab Hispali in Ort. Cordubam versus.

Palma, arx munitissima Foro-Julii, sub Venetis re[c]ens ab ipsis extructa, in mediam regionis, prope Na[tis]onem fluv. versus limites Comitatus Goritiæ. Media inter Utinum in Circ. & Aquilejam in Eur. 10 m. p. utrinque, 13. ab ora Sinus Veneti in Bor. 15. à Goritia in Occid.

Palmaria, insula maris Tyrrheni contra Tarracinam, inde 37. m. p. distans, proxima Pontiæ, *Palmarola* Nigrò. Vide *Pandaria*. Item, Insula parva maris Ligust. in ore portus Lunensis, apud Portum Veneris, ab eo freto angustissimo divisa. Ortel. Ferrar.

Palmarii, dicti milites Galli, expeditione in terram Sanct. defuncti, sicut enim eò profecturi crucem Hierosolymit. è panno rubro palliis assuere solebant, proin cruciati, *Croisez* dicti: ita reduces palmam manibus gestabant, hinc *Palmarii* appellati, & privilegiis ornati, institutore Ludov. IX. Spelmannus.

Palmeritta, vide *Matthæus*, & *Matthias*.

Palmyra, *Amegara*, Castaldo, & Ortelio, *Faid* Sansoni, urbs Syria Archiepisc. in Arab. Des. confin. inter Damascum 225. & Seleuciam magnam ad Tigrim 533. ab Antiochiâ magnâ 240. in Ort. Palmyrenæ regionis, quæ *Arden* Castaldo dicitur, caput, nunc *Fayd* Sansoni, ut dictum. Pop. *Palmyreni*, qui & *Adrianopolitæ* dicti, urbe ab Adriano reædificatâ, teste Stephano. Horum regina Zenobia fuit. Vide *ibi*.

Palmytes, Hesychius Παλμύτης, Αἰγύπτι© Θεός.

Paloda, *Blechinfield*, ut Lazio videtur, opp. Daciæ, cujus ager sic in Transylvaniâ appellatur. Item oppidum Pannoniæ superioris in Hungariâ, nunc *Palotta*, inter Taurinam oppid. & Datam opp. 2. leucis.

Palonius, vide *Marcellus*.

Palpellius Hister, prænom. *Sextus*, Legatus Tiberii Cæs.

Papurius Sura, auctor diarii, de vita Galieni Imper. Trebell. Pollio, Voss. *de Hist. Lat. lib.2. cap.4.*

Palsas, fluvius Mauritaniæ, Plin.

Palsicium, oppidum Istriæ, Plin.3. 19. Nunc in ruinis.

Paltos, *Boldo* nunc, oppid. Phœnices in orâ apud Byblum urb. quod Niger *Gibel* indigetat, cùm *Gibel* sit ipsa Byblos. Ejus mem. Strab. Mela & Artemidorus in Epitome. Hic Memnon filius Auroræ, ut fabulantur, sepultus est. Pop. *Palteni*.

Palum, vulgò *Po*, urbs Aquitaniæ ad Gabarum Palensem fluv. Benehamiæ caput, sedesque Parlamenti cum palàtio superbo, ab Henrico Albretano extructo, & castro, 1. leuc. supra Lascuram in Eur. 4. ab Olorone in Orc. fere 9. à confin. Aragoniæ in Bor. Henrici M. natalibus clara. De Marca, *Hist. Bearn.*

Palum, vulgò *Palo*, castrum Ducatus Bracciani, gentis Ursinæ, in prov. Patrimonii, tantisper munitum; in ora maris Tyrrh. 18. mill. à Roma in Occ. Centumcellas versus; an *Alsium* antiquorum? an Villa Virginii Rufi, prope Alsium?

Palumbarium, opp. Aprutii, ad rad. Majellæ montis, in jugo montis situm.

Palus, oppidum Andaluziæ, *Palos de Moguer*, in ora Oceani, unde primùm Columbus solvit in Americam, 3. August. 1492. Ad ostia fluv. Luxiæ, *Tinto*, in Ocean. & sinum Gaditanum, 15. leuc. ab Hispali in Occ. 9. ab ostio Anæ fluvii.

Palus, à lacu eo tantùm differt, quòd aliquando exsiccatur, sicuti Pontinæ in Latio contigit; lacus verò nunquam, Ferrar. *Sed paludes Pontinæ non sunt exsiccatæ*, Baudrand.

Nomina paludum apud veteres famosiorum:

Acherusia, vulgò *Lago di Janna*, Epiri. Altera Campaniæ, *Lago della Colluccia*.

Amadoca, Sarmatiæ Europææ.

Ambracia, *dell' Arta*, Epiri, Ferrar. meliùs dicitur Ambracius sinus, *Golfo dell' Arta* vulgò, Baudrand.

Argita, *di Der*, Hiberniæ.

Aria, *Lago di Burgian*, Ariæ.

Arsissa, *Lago di Giocho*, Armeniæ majoris, quibusdam est *lac de Vastan*, aliis *la mer d' Armenie*.

Artynia, *Lago di Jubat*, Mysiæ in Asia.

Ascania, *Lago di Isnich*, Bithyniæ.

Byce, *Sesoban*, apud Tauricam, Ferrar. Baudrando *Palus Byce*, seu *Buges*, in Taurica Chersoneso, nunc *Suza Morsi* dicitur ab incolis illius tractus.

Camerina, *di Camarana*, Siciliæ.

Chelonidæ, *seu* Chelonides, *di Gaoga*, Libyæ interioris.

Coloë, *Barcena*, Æthiopiæ.

Gallicæ paludes, *Lagune di Venetia*.

Glanis, *la Chiana*, Hetruriæ.

Hialea, *Palina*, Pannoniæ inferioris.

Latera, *Estang*, Galliæ Narbonensis, Ferrar. Baudrando *Palus Latera*, seu *Latara* dicitur, *l'Estang de Latte*, seu etiam *l'Estang de Magielone*, à quibusdam.

Lerna Peloponnesi, *Lerna*.

Literna, *Lago di Patria*, Campaniæ.

Lugea, *Zirknitzersée*, Japodum.

Lychnites, *Lago di Exsechia*, Armeniæ majoris.

Lycomedis, *di Serta*, Libyæ interioris.

Mæotis, *Mare della Zabacche*, Sarmatiæ, Ferrar. Baudrando *Palus Mæotis*, sinus est amplissimus, seu potius mare Sarmatiæ; vulgò *Mar de Zabacche*, seu *de la Tana* dictum, *Limen* accolis.

Matiana, *di Van*, aliis *di Actamar*, Mediæ.

Maria, *d'Alessandria*, Ægypti. Ferrar. Baudrando *Palus Maria* seu *Mareotis*, nunc *Lago di Buchiara* dicitur.

Nigrites, *di Guber*, Libyæ interioris, Ferrar. Baudrando *Palus Nigritis*, nunc *Lago Guarda* dicitur.

Nuba, Libyæ interioris.

Oxa & Oxiana, *Lago d' Amu*, Sogdianæ.

Padusa, *Canal di San Alberto*, Æmiliæ fluvius est.

Palica, *Naphtia*, Siciliæ.

Pontina, *di Terracina*, Latii, Ferrar. Baudrando *Palus Pontina*, seu, & veriùs, *Paludes Pontinæ* vulgò dicuntur, *le paludi Pontine*, in parte australi seu maritima Campaniæ Romanæ.

Reatina, *di Rieti*, in Sabinis.

Salapina, *di Salpe*, Apuliæ, Ferrar. Baudrando *Palus Salapina*, vulgò *Lago Salso* dicitur.

Sirbonis, *Stagnone*, Palæstinæ & Ægypti, Ferrar. Baudrando *Palus Sirbonis*, nunc *le Baranguerlis* vulgò dicitur ab incolis illius tractus, & sensim deficit.

Stymphalis, *Lago di Vulsi*, Arcadiæ.

Styx inferior, & Arcadiæ, eadem superiori.

Thospites, *Gabacu*, Armeniæ majoris.

Tritonis, *seu* Tritonias, *di Caps*, Africæ.

Volcæ, *Balaton*, Pannoniæ superioris.

Pamberga, vide *Bamberga*, & *Gravionarium*.

Pambotades, Δῆμος, Ἀττικῆς Ἐρεχθηΐδ© φυλῆς, Steph.

Pamelius, vide *Jacobus*.

Pamenothus, ab Ægyptiis mensis appellatus, sicut & Chronius & Anthesterion, Alex. ab 3. 24.

Pamia, seu *Apamia*, urbs Comit. Fuxensis ad Alburacim fluv. 3. leuc. à Fuxio in Bor. 9. à Tolosa in Mer. uti 6. à Rivis in Eurum; *Pamiers*. Ita propriè Arx dicitur, cùm urbs Fredelacum fuerit appellata. Hic Abbatia sæculo 8. à Comitibus Carcassonensibus fundata est, & Rogerius Bernardus, Comes Fuxensis Fredelacum urbem cum arce Pamia, Abbati donavit. An. 1149. eum cujus successoribus Comiti non rarò lis fuit. Episcopalis facta est, An. 1296. à Bonifacio 8. primumque Præsulem habuit Bern. Saissetium, qui cum Comite pacem fecit. Fuit autem tum sub Archiep. Narbonensi, donec Tolosanâ Eccles. in Archiepiscopalem evectâ, à Johanne 24. huic subesse cœpit. Bellis civilibus plurimum passa, nunc indies reparatur, Guil. Perierius, *Annalib. Fux.* Bertrandus Elias, *Hist. Fux.* Petrus Olhagaray, *hist. Fux.* de Marca, *Hist. Bearn.* Des Cases, *hist. Fux. &c.* Vide quoque *Apamia*.

Pamisus, *Panisus* Ptolemæo, qui & *Amathus*, *Mamaus*, & *Arcadiacus*, à Strab. nominatur, & *Pamissus*, fluvius Messeniæ in Peloponneso, cujus ostia à Messene 300. mill. absunt. *Stromio* Nigro. al. *Tifeo*, al. *Spirnazza*. Est & Thessaliæ fluv. in Peneum se exonerans: itemque Mysiæ infer. inter Odessum, & Mesembriam in mare Euxinum influens.

Pammenes, Dux Atheniensium, missus Megapolitanis auxilio, contra Mantinenses, Eleos, aliosque Arcadas socios, Olympiadis centesimæ quartæ anno tertio. Vide & Polyænum *lib.5.* Tandem suspectus initorum cum hoste consiliorum, ab Artabazo comprehensus, & fratri Oxythræ & Dibicto missus, *lib.7.*

Pammenes, ob Chaldæorum artem exsulavit, multorum amicitiis innexus, tempore Neronis.

Pammilia, sacra erant apud Græcos: de quibus copiosè Lil. Gyraldus.

Pammonia, locus in Europâ, ubi vipera serpens reperitur. Nicander *in Theriacis*.

Pampanis, vicus mediterr. Ægypti, Ptol. *Papa* ab Anton. & *Ripampane* in Lib. Not. vocari asserit Simlerus.

Pamphagi, Æthiopiæ populi, omnibus rebus vescentes. Vide Plinium *lib.6. cap.30.*

Pamphila, Epidamno oriunda, filias Soteridis ex Socratida, sub Nerone. Ex consortio mariti, qui probè literatus erat, aliorumque tantum doctrinæ hausit, ut ipsamet Historiam miscellaneam scripserit, libb. 8. Suidas eam libb. 33. constituisse, illamque insuper Ctesiam in libb. 3. contraxisse, aliaque edidisse refert. A. Gellius *lib.15. cap.17.* citat lib. 29. hist. ejus. Vide & Diog. Laërt. Phot. *Cod.* 175. Suid. Diogen. *in Pittaco*. Socr. &c.

Pamphile, mulier textrix peritissima, Plin.

Pamphilus, Atheniensis fœnerator insignis, Remp. administraverat, qui cùm ærarium expilasset peculatusque convictus esset, publicata sunt universa ejus bona.

Pamphilus, celebris Pictor. Eurystheus Herculi vivo infestus semper fuit & inimicus summus. Mortuo Hercule *Heraclidas*, id est, *liberos Herculis*, & qui à partibus illius stetêrant, pertinacissimè est insectatus: cujus sævitiam cùm neque ferre neque repellere posse se agnoscerent, tandem ad Athenienses opis gratiâ supplices venerunt. Chærephon tragicus Poeta horum miseriam postea carmine descripsit. Dein Pamphilus insignis pictor in Stoa, in porticu Atheniensium, mirè expressit.

Pamphilus, Neoclidis filius, Platonis auditor; qui circa Phædonis principium, dicit, illum inter eos, qui in acie ceciderunt, decem dies jacuisse, triduoque postquam inde sublatus fuerat, impositum rogo revixisse, ac mira quædam tempore mortis visa narrasse.

Pamphilus Presbyter, Eusebii Cæsariensis necessarius, tanto Bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut bonam partem voluminum Origenis suâ manu descripserit. Martyrio coronatus est, apud Cæsaream Palæstinæ sub Maximiano, An. C. 308. Dicitur in carcere suo biennali, in apologia Origenis desudasse, quam postea absolverit Eusebius; qui quantâ veneratione hunc martyrem coluerit, vel hinc intelligi potest, quòd ejus nomen suo adjunxerit, & composuerit de vita illius libb. 3. qui perierunt. Hieron. *de Scr. Eccles. cap.75.* Euseb. *Hist. lib. 6. & seqq.* Phot. *Cod.* 118. Baron. *in Annal.* Suidas tres Pamphilos commemorat, duos scilicet Grammaticos, quorum alter Sicyonius genere de Grammaticâ picturâque ac scriptoribus claris scripsit. Alter Alexandrinus Dictionarium edidit,

edidit, quod *Pratum* appellavit. Tertius Atheniensis fuit Reip. expilator, unde proverbium; *Pamphili furtum.* Vide supra.

Pamphilus, pictor egregius, Apellis victor, qui neminem minoris talento in disciplinam admittebat, nec minore tempore quàm annis decem.

Pamphilus Amphipolita, aut Sicyonius, aut Nicopolita, (nec enim de patriâ convenit) φιλογράμματος, præceptor Aristotelis inter alia illustrium pictorum historiam scripsit, teste Suidâ, cui Philosophus dicitur. Unde opinari quis posset, esse Pamphilum Platonis discipulum. Composuit quoq; libros tres de R. R. quorum, præter Suidam, etiam meminere Geoponica Constantino dicata. Vide Diog. Laërt. *in Epic.* Antoninus Liberalis narrationem vicesimam tertiam, quæ de Batto est, exscripsit ex lib. 1. Pamphili cujusdam, & iis quos Pamphilus secutus erat. Etiam Athen. *lib.* 13 refert ex quodam Pamphilo, Abydi esse templum Ἀφροδίτης Πόρνης. Fortassis is est Pamphilus Alexandrinus, cujus idem meminit *libb.* 2. 3. 8. 9. Vossius, *de Hist. Gr. lib.* 1. & 3.

Pamphylia, quæ & *Mopsopia*, teste Plinio, regio minor. Asiæ ad Austr. versus oram litt. maris, quod Pamphylium appellatur, inter Lyciam ad Occid. & Ciliciam ad Ort. à Phrygia magnâ Tauro monte divisa. Urbes quondam habuit celebriores Olbiam modò dirutam, & Ataliam, nunc Sataliam. Regio est vinetorum & olearum fertilitate nulli postponenda, pascuis etiam fœcundissima, quamvis habeat sua arenis molesta. Amnes ejus nobiliores sunt Cataractas, Cayscrus, Eurymedon, apud quem Cimon Atheniensis Persas navali prælio superavit, & Melas. Omnis montana ex Tauro, quo premitur, in mare procumbit. In ipsa Ptolemæus has regiunculas assignat: Corbaliam, quæ & Lyciæ partem occupat, Pirygiam, quam majorem nonnulli dicunt, & Pisidiam. Nostræ autem ætatis homines, postquam Turcarum tyrannidi subjecta est, binas ejus dynastias faciunt: partem ejus quæ Pisidiæ, Isauriæque & Cappadociæ finitima est, *Caramaniam* vocantes, à Caramanno, uno ex septem Turciæ primoribus, ab Othomanno expulso: littorea autem Pamphylia, nunc *Scandalera* appellatur. *Settalia* teste Giravâ, *Zina* Theveto, *Caraman* Nigro dicitur. *Scandalor* eidem Nigro est pars occidua & ad mare terminata. Pamphyliæ inter poëtas meminit Stat. *lib.* 1. *Silv. Carm* 4.

Hunc quoq; perq; novem timuit Pamphylia messes.

Hinc *Pamphylius* adject. Lucan. *lib.* 8.

—— —— *Pamphylia puppi*

Occurrit tellus. —— ——

Baudrando terminatur à Sept. Pisidiâ & Lycaoniâ prov. uti etiam tantisper Phrygiâ magnâ. Nunc pars est Occid. Caramaniæ prov. sub Turcis. Item Pamphylia, urbs Mediæ, Stephan.

Pampilone, metropolis Navarræ regni, cujus incolæ à fide Christiana apostatæ, à Carolo M. revocati sunt, Crantz. *lib.* 2. *cap.* 14. 15. An. C. 809. Primus Aragoniæ & Pampilones Rex Abareas fuit, An. 895. Vide *Pompejopolis.*

Pamprepius, poëta Panopolitanus, floruit sub Zenone, etiamq; gratiâ apud eum valuit. Magni fuit Procli discipulus, inque religione Gentili perstitit, nec id dissimulavit, ubi omnes viderer in urbe Christianos. V. de eo multis disserentem Suidam, & Voss.

Pan, quem pastorum, venatorumque Deum, & universæ vitæ rusticanæ præsidem crediderunt antiqui, cujus fil. fuerit, non satis constat. Homerus, *in Hymnis*, Mercurii filium facit:

—— Ἑρμείαο φίλον γόνον ἔννεπε Μοῦσα,
Αἰγιπόδην, δικέρωτα, φιλόκροτον.

Herodotus, *in Euterpe*, Penelopen matrem ejus fuisse refert: Πανὶ δὲ τῷ ἐκ Πηνελόπης, ἐκ ταύτης γὰρ καὶ Ἑρμέω λέγεται γενέσθαι. Durius autem Samius in eo libro, quem scripsit de Agathocle, Penelopen cum omnibus procis rem habuisse narrat, è quorum congressu Pana inquit natum fuisse. Πᾶν enim Græcis *totum* vel *omne* signif. Homer. autem in Hymnis sic dictum putat; quia Deorum omnium mentes delectaverit, cùm citharam nuper natus scitè pulsaret:

Πᾶνα δέ μιν καλέεσκον, ὅτι φρένα πᾶσιν ἔτερψε.

Veteres autem ita Pana pinxerunt, ut nihil ex toto universo in eo prætermissum videatur. Habet enim cornua in radiorum Solis, & cornuum Lunæ similitudinem. Rubet ejus facies ad ætheris imitationem, in pectore Nebridem habet stellatam, ad stellarum imaginem: pars ejus inferior hispida est, propter arbores, virgulta, feras. Caprinos pedes habet, ut ostendat terræ soliditatem. Hic à nonnullis Demogorgonis filius creditur fuisse, & fistulam composuisse 7. imparibus calamis simul conjunctis, propter harmoniam cœli. Traditur enim cum Cupidine aliquando pugnasse, (à quo superatus est) & incidisse in amorem Syringis, seu Syringæ virginis, quam, cùm transire Ladonem Arcadiæ amnem non posset, Nympharum precibus in palustrem calamum mutatam vidit; è quo statim composuit fistulam, quæ ex puellæ nomine apud Græcos *Syrinx* est vocata, Bion. *Idyll.* 3.

Ὡς σύριγγα πλαγίαυλον ὁ Πάν, ὡς αὐλὸν Ἀθάνα.

Virgilius *Eclog.* 2.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit. —— ——

Idem *Eclog.* 8.

Panaq; qui primus calamos non passus inertes.

Propert. 3. 3.

—— *Calami Pan Tegeae tui.*

Redeo autem ad etymon, in quo planè etiam nobiscum facere videtur Orpheus, *universam* sub ejus nomine *naturam* intelligens. Verba ejus sunt:

Πᾶνα καλῶ κρατερόν τε θεόν, κόσμοιο τὸ σύμπαν,
Οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασίλειαν,
Καὶ πῦρ ἀθάνατον· τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ Πανός.

Colebatur per totam Arcadiam, potissimum tamen in Lyceo & Mænalo montibus. Virgil. *Eclog.* 10.

Pan Deus Arcadiæ venit.

Ovidius *Fast.* 2.

Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades, Arcadiis pluribus ille jugis.

Propertius,

—— *Arcadio pinus amata Deo.*

Alcæus,

Ἰὼ Πὰν Ἀρκαδίας μεδέων κλεεννᾶς.

Quin & Simonides hunc vocat τραγόπουν καὶ Ἀρκάδα. Dixi Deum hunc montibus gaudere. Hom. *in Hymn.*

—— Ὅς πάντα λόφον νιφόεντα λέλογχε,
Καὶ κορυφὰς ὀρέων, καὶ πετρήεντα κάρηνα.

Testes quoque Horatius ac Ovidius. Ille *lib.* 1. *Od.* 4.

—— *Deum cui pecus, & nigri*
Colles Arcadiæ placent.

Hic *Fastorum* 2.

Ipse Deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus, & subitas concitat ille feras.

Ab istâ subitâ concitatione *terrores Panici*, Græcè Πανικὰ δείματα vocabantur, de quibus in Miscellaneis vir summus Angelus Politianus. Appositè Valer. Flacc. *lib.* 3.

Ludus & ille Deo, pavidum præsepibus aufert
Cùm pecus, & profugi sternunt dumeta juvenci.

Cicer. *lib.* 5. *Epist. ad Atticum, Scis enim quadam Πανικὰ dici.* Hyginus *in Capricorno: Hic enim dicitur, cùm Jupiter Titanas oppugnaret, primus ob ecisse hostibus terrorem, qui Panicos dicitur.* Hinc aliquibus *Pan* dictus videtur, à verbo Ebræo פון *Pun*, vel *Pon*, *attonitus est*, ita ut dubius sit animi, ne planè pereat; Et פן *Pen* adverbium dubitantis est. Mali autem ominis habebantur hi terrores apud veteres, teste Plutarch. *in Cæsare*, & ex eo Dionys. Halic. *lib. cap.* 16. Qui tamen Dionysius Fauno hos terrores Romanos adscribere solitos fuisse testatur, unde *Faunum* eundem esse cum *Pane*, probat Bochartus ὁ μέγας. Sed nihil opus est argumentis, cùm in eam rem expressa sint testimonia veterum. Sextus Aurelius Victor *de origine gentis Romanæ*; *Hunc Faunum pleriq; eundem Sylvanum à sylvis, & Inuum Deum, quidam etiam Pana dixerunt.* Rutilius *lib.* 1. *Itiner.*

Hoc Inui castrum fama fuisse putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala sylvis,
Sive suos patrios incola Faunus init.

Fuit etiam venatorum Deus, qui si favisse putaretur venatoribus, ab illis colebatur à venatione reversis: at si frustra laborassent, scillas in illum conjiciebant, uti testatur Theocritus *in Thalys.*

Κἢν μὲν ταῦθ' ἔρδῃς, ὦ Πὰν φίλε, μή τί τυ παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε καὶ ὤμους
Τανίκα μαστίσδοιεν, ὅκα κρέα τυτθὰ παρείη.

Ovidius quoque *in epist. Phædra*, unà cum Diana Panes & Satyros venantium præsides facit:

Sic tibi secretis agilis Dea saltibus adsit,
Sylvaq; perdendas præbeat alta feras.
Sic faveant Satyri, montanaq; numina Panes,
Et cadat adversâ cuspide fossus aper.

[Nam non unum solummodo, sed plures Panes fuisse apud veteres legimus. Theocr. *in Amaryllide.*

—— Τό τοι γένος ἢ Σατυρίσκοις
Ἐγγύθεν, ἢ Πάνεσσι κακοκνάμοισιν ἐρίσδει.

Propertius 3. 16.

Capripedes calamo Panes hiante canent.]

Sed quid venatorum Deum fuisse dicimus? Ipsemet Pan fuit venator, ut ait Theocritus *Idyll.* 1.

—— Τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες, ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας
Ἀνίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται, ἐντὶ γα πικρός.

Memoriæ prodidit Isacius, Pana Deam Echo adamasse, quare eum maritum Echûs appellavit Theætetus, *in his Carminibus:*

Ὑλοβάτας, φιλόδενδρος, ὀρειαύλω πόσις Ἠχοῦς,
Πάνσκοπος, ἀκτερὰν μηλόφυλαξ ἀγέλας.

Quam amicam ejus nominavit Archias, *in his:*

Ἠχὼ πετρήεσσαν ὁρᾷς φίλε, Πανὸς ἑταίρην
Ἀντίτυπον φθογγὴν ἔμπαλιν ᾀδομένην.

Fuit etiam à Lunâ amatus, cùm in niveum arietem pulcherrimum se convertisset. Virg. *Georg.* 3.

Munere sic niveo lanæ (si credere dignum est)
Pan Deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans, nec tu aspernata vocantem.

Porro libidinosum finxerunt hunc Deum, propter spermaticarum

rationum copiam, ideoq; Nymphas non solùm insequi, sed etiam pueros formosos. Hesychius, Πᾶνες, τοὺς ἐπτοημένους σφοδρῶς περὶ τὰς συνουσίας ἔλεγον. Coluerunt etiam Πᾶνα piscatores, cùm in locis mari propinquis plerumque versaretur, quem etiam ἁλίπλαγκτον Sophocles, *in Ajace*, vocat. Offerebatur huic Deo lac & mel in pastorum poculis, quod significavit Theocritus, *in Viatoribus*:

Στασῶ δ' ὀκτὼ μὲν γαυλὼς τῷ Πανὶ γάλακτος,
Ὀκτὼ δὲ σκαφίδας μέλιτος πλέα κηρί' ἐχοίσας.

Quare non ritè sacrificabant, qui tauros illi immolabant, aut qui in aureis poculis lac aut vinum offerebant, cùm vasa ex eo metallo superis ac cœlestibus Deis, non autem terrestribus vel pastorum curam habentibus convenirent. Apollonius Smyrnæus,

Ἀρχοτέροις Θεὸς εἰμι, τί μοι χρυσέοις δέπασσι
Σπένδετε, τῷ δ' Ἰταλῷ χεῖτε μέθυ Βρομίῳ,
Καὶ ῥαιὸς ταύρων πέτρῃ προσδέετε τένοντας,
Φείσασθ', ἐ τούτοις θύμασι τέρπομαι.
Πὰν ὁ πετρωρείτης, αὐτόξυλος, ἀγροδίαιτος
Εἰμὶ καὶ ἰχθυόεις γλυκυπότης κύλικος.

Pinus Pani arbor sacra fuit. Alex. ab Alexandr. *libr. 4. cap. 17.* Propertius 1. 18.

Vos eritis testes, si quos habet arbor honores
Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.

Ovidius de Lupercalibus, qui erant sacerdotes Panis, *Fast. 2.*

Ipse ego Flaminiam poscentem februa vidi,
Februa poscenti pinea virga data est.

Pinus, inquam, grata Pani arbos, & inde nectit coronam. Ovidius *Fastor. 1.*

Pars tibi qui pinu tempora nexa geris.

Idem *ibidem*:

Pan videt hanc, pinuq; caput præcinctus acutâ.

Et *in epist. Oenones*:

Cornigerumq; caput pinu præcinctus acutâ
Faunus. —— ——

Et *lib. 3. Fastorum.*

Pinigeris Fauni Manalis ora capit.

Lucretius *lib. 4.*

—— —— *Cùm Pan*
Pinea semiferi capitis velamina quassans.

Unde apud Stat. *lib. 2. Sylvarum*, Pan ipse loquitur,

—— *Et nostra fluctant tua germina pinus.*

Festa ejus dicebantur *Lupercalia*, fiebantque in Aventino monte, mense Februario, quorum author fuit Evander. Plutarch. *de def. Oracul.* refert, nautas Insulam quandam præternavigantes, audivisse vocem, *Magnus Pan mortuus est*: quod tum factum creditur, cùm CHRISTO in carne præstito, omnis hæc Gentilium Deorum superstitio cessavit. Vide etiam Justinum *libr. 43.* Herodot. *in Euterpe, &c.*

Panachai, iidem qui *Panhellenes*.

Panacra, montes Cretæ, Callimachus. Gentile *Panacræus*, & *Panacris*, fœmin. gen. *Panacron* autem urbs Cypri, Gentile *Panacreus*, vel *Panacrius*.

Panæi, gens Edonica non procul ab Amphipoli.

Panætius, Equitum Atheniensium Magister, apud Aristophan. *Equit. 1. Sc. 3.*

Panætius, Philosophus Stoicus, patriâ Rhodius. Is fuit Scipionis præceptor, quem in Ægyptum comitatus est; & Lælii sapientis amicus. Floruit An. 625. U. C. Suid. *in Panætio.* Hunc imitatus est Cicero libris de officiis, ipso teste, *lib. 3.* *Panætius igitur qui sine controversia de officiis accuratissimè disputavit, quemq; nos, correctione quâdam adhibitâ, potissimum secuti sumus, &c.* Item primus in Siciliâ tyrannus, An. 140. U. C. Olymp. 42. apud Leontinos, Aristoteles 5. Polit. 10. & 12. Euseb. *Chron.* Factus est autem hoc modo tyrannus: cùm Leontini bellum adversus Megarenses gererent de finibus agrorum. Dux belli creatus, primùm egenos & pedites adversus Mercatores atque Equites irritavit, quòd illi longè deteriori conditione in pugnis uterentur, hi verò commodissimâ. Deinde pro portis armorum numerum atque delectum habere instituit: Equos aurigis traditos pabulatum ducere jussit. Sexcentos verò scutatos habens idoneos & expeditos ad eruptionem: horum principi numerationem armorum permisit. Ipse verò sub arbores captaturus umbram concessit, aurigisque persuasit, ut impetum in Dominos facerent. Illi conscensis equis incursionem in eos fecerunt, atque armis, quorum numerus habebatur, direptis, nudos atque inermes trucidarunt, atque scutati in eam cædem consenserunt, citatoque cursu urbem occupaverunt & Panætium Tyrannum constituerunt, Polyæn. 5.

Panætolium, quasi *totam* continens *Ætoliam*; mons Ætoliæ altissimus, Plin. 4. 2.

Panæum, urbs juxta Indum fluv. Steph.

Panæus, pictor, Phidiæ frater, pinxit prælium Atheniensium apud Marathonem factum, Plin. 35. 8. Induxit etiam in æde Minervæ tectorium lacte & croco subactum. Idem 36. 23. sed ibi *Panænus* legitur.

Panagæa, Diana dicta est, quòd vagaretur, & per nemora montesq; oberraret. Quin domicilium etiam subinde mutat nunc apud superos, nunc inferos agens. Ne specie quidem semper eadem, sed nunc pleno orbe, nunc mutila, nunc nulla. Unde natum proverb. *Panagæa Diana.*

Panagium, & *Appenagium*, apud Francos, illa prædiorum dominiorumque portio est, quâ in Reges minoribus suis filiis in patrimonium largiuntur. Aliàs ab antiquo Franciæo, *Abbannen*, excludere, *quòd acceptâ hac portione exclusos se à regni successione intelligant*, Hotom. *Francog. cap. 9.* An quasi πᾶν ἄγιον. Chopinus *de domanio Franciæ lib. 1. cap. 6.* An à *pane*, ut significet prædium, datum ad alimoniam filiorum? An tandem *ab appendendo*, quasi appennagium coronæ? Vide Spelmannum, *Gloss. Archæol.*

Panagra, Lybiæ inter. Urbs, Ptolem.

Panama, urbs Episcop. & empor. celeberrimum Amer. Merid. in prov. *Terra firma*, cum portu, in orâ maris Austrini, & arce munita, sub Hispan. in loco parum salubri. Ipsa urbs lignea est tota, 17. leue. Hisp. ab orâ maris Bor. in Mer. Hinc

Panama Isthmus, tractus parvus 17. leuc. quo America Sept. conjungitur Merid. in *Terra firma*, inter Panamam & mare Austr. ad Mer. & Portum Belum, ad mare Bor. in Sept.

Panariste, aulica fœmina Beronices Reginæ, uxoris Antiochi, cujus ingenio regnum Asiæ à Tauro ad Indiam retentum in officio est, donec pater Ptolemæus ex Ægypto admovisset, Polyæn. *lib. 8. cap. 63.*

Panarucanum, urbs Javæ insulæ, in parte Or. juxta Fretum Balambuanum, cum portu capaci. Vix 30. m. p. ab urbe Passaruano in Ort. 60. à Balambuano in Sept.

Panassa, Indiæ intra Gangem opp. Ptol. *Pandassa* Mercatori.

Panathenæa, Erichthonius Vulcani filius Minervæ festum instituit, & Ἀθήναια q. d. *Minervalia*, vocavit. Harpocration; Ἤγαγε δὲ τὴν ἑορτὴν ὁ Ἐριχθόνιος ὁ Ἡφαίστου, καθά φησιν Ἑλλάνικός τε καὶ Ἀνδροτίων, ἑκάτερος ἐν πρώτῃ Ἀτθίδος· πρὸ τούτου δὲ Ἀθήναια ἐκαλεῖτο. Πρὸ τούτου, hoc est, *ante Theseum.* Ille enim omnibus Atticæ populis in unam civitatem redactis, instauravit, &, ut inquit Plutarchus, Παναθήναια θυσίαν ἐποίησε κοινήν. Pausanias *in Arcadicis*: Τούτῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι Ἀθήναια ὄνομα ἦν. Παναθήναια δὲ κληθῆναί φασιν ὑπὸ Θησέως, ὅτι ὑπὸ Ἀθηναίων ἐτέθη συνειλεγμένων ἐς μίαν ἁπάντων πόλιν. Suidas, Παναθήναια, Ἀθήνῃσιν ἑορτὴ ἐπὶ τῷ ὑπὸ Θησέως γενομένῳ συνοικισμῷ. Πρῶτον ὑπὸ Ἐριχθονίου τοῦ Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς, ὕστερον δὲ ὑπὸ Θησέως συναγαγόντος τοὺς δήμους εἰς ἄστυ. Sed Theodoretus *lib. 1. Græcanicarum affectionum, sive sermonum de Fide*, eorum authorem Orphea facit. Cæterum duplicia fuere, Magna, & quinquennalia; Parva & annua. Harpocration, Διττὰ Παναθήναια ἤγετο Ἀθήνησι· τὰ μὲν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, τὰ δὲ διὰ πενταετηρίδος, ἅπερ καὶ μεγάλα ἐκάλουν. Eadem totidem verbis Suidas. Verùm author argumenti, quod orationi Demosthenis *contra Midiam* præfigitur, magna quinquennalia, sed parva triennalia, fuisse tradit: Διάφοροι παρ' Ἀθηναίοις ἤγοντο ἑορταί. ἐν αἷς ἦν τὰ Παναθήναια, ἅπερ ἦν διπλᾶ, μικρά τε καὶ μεγάλα. Καὶ τὰ μὲν μεγάλα κατὰ πενταετηρίδα ἐπελεῖτο, τὰ δὲ μικρὰ κατὰ τριετηρίδα. Falsus igitur est Scholiastes Aristophanis *in Pace*, ad hunc versum,

Καὶ σοι τὰ μεγάλ' ἡμεῖς Παναθήναι' ἄξομεν.

Οὐχ, inquit, ὡς καὶ μικρῶν ὄντων τοῦτό φησι, ἀλλ' αὔξων τὴν χάριν. Dixi festum communiter ab omnibus Atticæ pop. actum: nam & singuli bovem mittebant instaurandis sacrificiis; hinc ea carnium copia, quæ tantæ multitudini in epulas sufficeret. Scholiastes Aristoph. *in Nebulas*, Ἐν τοῖς Παναθηναίοις πόλεις ἐπέμπον βοῦς, ὅθεν δαψίλεια τῶν κρεῶν. Nec verò siccam fuisse viscerationem, argumento sunt pocula maximæ capacitatis, & ut Athenæus ait, Δίχοα καὶ μείζονα, h. e. *duorum congiorum & majora*, quæ ab eodem hoc festo Παναθηναϊκὰ. In pompa senes olei ramum gestabant, quos ideo Θαλλοφόρους appellabant. Aristoph. *in Vespis*,

Οὐκέτι περιβλέπον ὄχλος
Χρήσιμος ἐστ' οὐδ' ἀκμῇ.
Σκαπτόμενοι γὰρ ἂν ἐν
Ταῖσιν ὁδοῖς ἀπάσαις
Θαλλοφόροι καλοῦμεν.

Cui muneri deligebantur senes, non illi quidem passi & rugosi, sed formâ præstantes, & in ipso vergentis ætatis occasu vigorem aliquem ostentantes. Xenophon *in Convivio*: Ἀλλ' οὐδὲ μέν τοι ταύτῃ γε ἀπημελεῖτο τὸ κάλλος, ὡς ἐγὼ προσομοιάζω, ἐπεὶ ὥσπερ γε παῖς γίγνεται καλὸς, οὕτω καὶ μειράκιον, καὶ ἀνὴρ καὶ πρεσβύτης. Θαλλοφόρους δὲ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται, ὡς συμπαρομαρτοῦντος πάσῃ ἡλικίᾳ τοῦ κάλλους. Hæc ille. Hisce ceremoniis Minervam oleæ inventricem ostendebant: quò etiam spectat, quòd oleâ coronabantur Athletæ, præmiique loco vas olei accipiebant. Suidas, Καὶ ὁ νικῶν στεφανοῦται ἐλαίᾳ πλεκτῇ. Scholiastes Comici, Κέραμον ἐλαίου ἐλάμβανον οἱ νικῶντες. In hunc usum symbolam conferebant, quicunque olivera possidebant: unde ἀπὸ τοῦ μείρεσθαι, i. e. *dividere*, ipsas oleas μορίας appellari tradiderunt. Aristophanis Schol. *in Nebulis*: Μορίαι, ἐλαῖαι ἐκλήθησαν, διὰ τὸ πάντας ἀνθρώπους κατὰ μέρος ἐλαίας ἀναγκάζεσθαι μέρος τι παρέχειν εἰς τὰ Παναθήναια. In eadem pompâ circumferebatur peplum à virginibus contextum, in quo gesta Minervæ depicta conspiciebantur. Meminit ejus Euripides *in Hecubâ*. Ad quem locum Scholiastes: Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις ὑφαίνειν τὰς παρθένους τῇ

τῇ Ἀθηνᾶ πέπλον, ἔχοντα τὰς ἀριστείας τῆς Θεῦ πολεμικῆς ἄσης καὶ ἃ κατὰ Γιγάντων ἐποιήσατο μετὰ τῦ Διός. Ὑφαίνετο δὲ ἐν τοῖς Παναθηναίοις. Comici Enarrator, Enceladum in peplo expressum ait, quem Minerva occidit: τῷ πέπλῳ ἐνύφαντο Ἐγκέλαδος, ὃν ἀνεῖλεν Ἀθηνᾶ. Generatim Proclus *in Timaeum Platonis*: Ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τὰς Γίγαντας νικωμένας ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων Θεῶν. Sed observabatur hic mos in magnis Panathenaeis tantum, quae singulo quinquennio celebrabantur. Plautus *in Mercatore*:

Neque nisi quinto quoq; anno posse invisere
Urbem, atq; extemplo inde ut spectavissem peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum à patre.

Harpocration quoque mem. πέπλυ τῦ ἀναγομένυ τῇ Ἀθηνᾶ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις. Itaque non video, quâ ratione possit excusari, quod in Scholiis Comici legitur ad *Equites*: Ἐπεποιεῖτο δὲ ὁ πέπλος καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν, καὶ ἐπεμπέτο ἐν τοῖς Παναθηναίοις. Hic praeterire nequeam ritum in peplo notabilem; quòd sc. ei nomina benè de Rep. meritorum intexerentur. Suidas, Νικήσαντες Ἀθηναῖοι πέπλον ἐποίησαν τῇ Ἀθηνᾷ, ἐνεποίκιλαν τὰς ἀρίστας ἐν αὐτῷ. Eadem habet Aristoph. Scholiastes. Respexit hunc morem Virgilius, seu quisquis alius *in Ciri*:

Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cùm castae solvuntur vota Minervae,
Tardaq; confecto redeunt quinquennia lustro.

Unde viros fortes & bono patriae natos, Aristophanes in *Equitibus*, appellat ἀξίυς τῦ πέπλυ. Λαμπαδηδρομίας cum Promethiis & Vulcanalibus, Panathenaea com nunes habuerunt; nisi quod in his equites decurrerent. Plato *lib. 1. de Rep.* Λαμπὰς ἔσται πρὸς ἑσπέραν ἀφ' ἵππων τῇ Θεῷ. Et Xenophon *in Convivio*: Ἦν γὰρ Παναθηναίων τῶν μεγάλων ἱπποδρομία. Hos ludos in veste tinctâ spectare nefas erat, uti constat ex Nigrino Luciani. Castellanus.

Paneade, locus Palaestinae, apud quem Noradinum, operâ Templariorum, Balduinus vicit, A.C. 1150. P. Æmilius *l.5*.

Pancale, insula una Cycladum, quae & *Amorgos*. Steph.

Pancalerium, urbs Pedemontii, ad Padum fl. 9. mill. supra Augustam Taurin. in Mer. Savillanum versus totidem, sub Sabaudiae Duce; *Pancalieri*.

Pancastrum, locus Britanniae Inf. ubi Hengistus, ab Aurelio Ambrosio Britonum strenuo duce, praelio superatus & interemtus est. A.C. 456. Polydor. *Hist.l.3.*

Panchaea, Inf. Arabiae fel. in Oceano, ubi Fanum Jovis Triphylii, Diodoro. Item, Arabiae Troglodyticae pars, quae ostio sinus Arabici adjacet. Regio tota ferè fructifera est, vini maximè & thuris abundans, quod praeter Arabiam nullis est terris. Regio thurifera, spectat ortum Solis aestivi, undique rupibus invia, & à dextris maris scopulis inaccessa. Sylvarum longitudo est 30. mill. Germ. Latitudo dimidium ejus. Vide Voss. *ad Melam*. 3. 9. Virg. *Georg*. 2.

Totaq; thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Idem *Georg*.4 — *Panchaeis adolescunt ignibus arae.*

Ovid. *Met*. 10.

Cinnamaq; costumq; suam, sudataq; ligno
Thura ferat, floresq; alios Panchaia tellus.

Claud. 2. *Rapt.*

Quicquid thuriferis spirat Panchaia sylvis.

De hoc thure capiendi Lucretius, Claudianus, Tibullus, Arnobius sub nomine *odorum*, *ramorum*, *mercium*, *resinae*. Ait primus *lib*. 2.

Araq; Panchaeos exhalat propter odores.

Alter *de* 3. *Consul. Honor.*

Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

Tertius *l*.3. *Illic, quas mittit dives Panchaia merces.*

Quartus *lib*.7. *Panchaicas ardere resinulas.* Hic Mons Sina, qui & Oreb, in quo Moses legem accepit; Hic Phoenix avis, Plin. & Sardonyx gemma.

Panda, Dea à Romanis in summâ veneratione habita, sic dicta, quòd *pandat*, i. e. *aperiat* viam. *Panda* item dicta Dea pacis, à *pandendo* seu aperiendis Urbis portis, ut censet Turnebus. Aliam tamen sententiam adfert Arnobius, *lib. 4. adversus Gentes*, qui & *Panticam* appellatam scribit: *Quòd T. Tatio, ut Capitolinum capiat collem, viam pandere atq; aperire, permissum est, Dea Panda est appellata, vel Pantica.* In Glossis Philoxeni est: *Panda*, Εἰρήνης Θεός. Apud Varronem *lib. 1. de vitâ pop. Romani*, Ælius hanc Deam eandem putat cum Cerere, dictaque *à pane dando*. Varronis verba nobis servavit Nonius, in verbo *Pandere*, ubi refert: *Hanc Deam Ælius putat esse Cererem; sed quòd ei, qui in Asylum confugisset, panis daretur, esse nomen fictum à pane dando Pandere, quod est aperire.* Verùm *pando* non est à *panem do*, & more suo ludit Varro, cùm Ælii sententiam in medium adferat, eamque probare videatur. Neque Panda est Ceres, cùm apertè ipse Varro eam à Cerere diversam faciat his versibus apud Gellium *lib*. 13. *cap*. 13.

Ted' Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes, & Minerva, Fortuna, ac Ceres.

Panda, Merciorum Rex, à quo victus praelio, caesusque Osvvaldus, Northumbriae Rex: cujus frater Olvvinus tandem Pandam, publicis supplicationibus indictis, superavit, ejusque regnum suo adjecit. An. 642. 655. 658. Beda *Hist. Ang.* Polyd. *l*. 14.

Panda, op. non procul ab Alexandria, quod est Sogdianorum. Plin. 6. 16. V. *Drepsa*.

Panda, fl. in Siracis. Tac. XII. 16.

Panda, Indiae pop. qui eum Deriade contra Bacchum pugnaverunt; hi soli teguntur foeminis. Steph.

Pandama, filia in India, ab Hercule adoptata, cui attribuit partem Indiae Mer. ad mare vergentem, populumque subjectum in 365. vicos seu pagos distribuit, quotidie uni duntaxat pago regio tributo imperato. V. Polyaen.

Pandane, porta Romae à *pandendo* dicta, quòd semper pateter ad res, quae in urbem ferebantur. Eadem dicebatur *Libera* à *libertate*.

Pandanorum regio Ind. cit. Ptol. Hanc Niger putat Oxydracarum esse.

Pandaria, vel & mel. *Pandataria*, Plinio & Solino, *Pandateria* Tacito, ins. parva maris Tyrrheni in sinu Puteolano, Palmariae & Pontiae finitima, ab eis in occ. ante Cajetam recedens, inde 250. stad. distans. In hanc Ins. Domitianus Imp. Flaviam Domicellam, Flavii Clementis patruelis sui uxorem, quòd Christianismum cum marito amplexa esset, relegavit. A. C. 95. Euseb. *l*. 3. *c*. 17. Joh. Xiphilinus, Hieron. Baudrando nunc *S. Maria*; versus oram Latii est, 8. mil. à Pontia Ins. in Occ. 18. à Taracina in Mer. Sed 30. circiter à sinu Puteol. in Occ. pendet ex prov. Terrae Laboris, regni Neap. Palmaria autem, omnium Occidentalior, prope Pontiam Ins. *Palmaruola* hodie dicitur. Etiamque ol. omnes illae Ins. leu scopuli Monachis repleti.

Pandarus, Lycaonis fil. Hom. *Iliad*. δ. jussu Minervae certamen Menelai & Paridis jactu teli diremit. Virg. *Æn*.5.

Tertius Eurytion, tuus ô clarissime, frater,
Pandare, qui quondam jussus confundere foedus,
In medios telum torsisti primus Achivos.

Pandarus, Alcanoris Idaei fil. unà cum fratre Bitiâ à Turno interfectus. Virg. *Æn* 9.

—— *Tum Pandarus ingens*
Emicat, & mortis fraternae fervidus irâ
Effatur, &c.

Pandates, gazae custos regiae, sub Artaxerxe. Nepos *Datame*.

Pandeletus, Sycophanta quidam Athenis, litigiosus, malitiae nomine traductus à Comicis, de quo vide plutibus Scholia in Aristoph. *Nubes Act. III. Sc.*

Pandemus, meretriculae cujusdam nomen. Caelius Rhodiginus.

Pandion, 5. Athen. R. Erichthonii Athenarum regis, filius, in regno patri successit. Apollodorus *lib* 3. Ἐριχθονίυ δὲ ἀποθανόντος καὶ ταφέντος ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀθηνᾶς, Πανδίων ἐβασίλευσε. Fuisse autem regem quintum Eusebius testatur: Ἀθηναίων ἐβασίλευσε πέμπτος Πανδίων. Sub eo tanta fuit frugum vinique copia, ut Cererem & Bacchum in Atticam tunc venisse finxerit Poëtarum audax licentia. Sed felicitas tanta mox non exiguo infortunio interpolata est. Nam cum illi filiae fuissent Procne & Philomela; priorem Tereo Thracum regi, cujus ope Ponti regem profligaverat, uxorem dedit; qui postea Philomelam violavit, praetextu visendae sororis à patre abductam, uti postea videbimus in *Philomela*, & *Procne*. Pandion autem filiarum casu acerbissime afflictus, nimio animi moerore vitam finiit, an. regni 40. Euseb. *in Chron*. Ovid. *Met*.6.

Hic dolor ante diem, longaq; extrema senectae
Tempora, Tartareas Pandiona misit ad umbras.

Idque, anno regni sui quadragesimo, teste bus Eusebio ac Hieronymo. Vide plura de eo apud Meurs. *De Reg. Athen. l*. 2. Hinc *Pandionius* pro *Attico*. Ovid. *Met*. 15. ut vulgò habetur,

Quid Pandioniae restant, nisi nomen, Athenae.

Lucanus *de Pallade*:

Et Pandioniae qua cursu protegit arces.

Pandion, Cecropis 2. Athenarum regis filius, qui patri suo in regno successit. Hieronymus: *Atheniensibus regnavit Pandion alter*. Vide Meurs. *de Reg. Athen. lib*. 2. *cap*. 15.

Pandion, rex Indicus tempore Augusti Caesaris. Strabo *lib*. 15.

Pandora, Hesiodo fingitur prima mulier a Vulcano Jovis jussu fabricata, quam singuli dii donis suis ornaverunt, unde & nomen suum sortita est, teste Hesiodo:

—— Ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
Δῶρον ἐδώρησαν. ——

Pallas enim sapientiae donum ei contulit, Venus formae, Apollo Musices, Mercurius eloquentiae. Hanc postea cum pyxide clausâ missam fuisse tradunt ad Epimetheum, (quia humano generi malè cupiebat Jupiter, ob Promethei audaciam, qui ignem è coelo furatus ferulae inclusum detulerat in terras) qui illâ receptâ, & pyxide apertâ, cui omne malorum genus inerat, terram morbis calamitatibusque replevit. Pandorae nomine Naturam repraesentari, docent Mythologi. V. Pausan. *in Attic*. Al. Rossaeum, in *Mystagogo Poëtico*, &c. Item mater Deucalionis, à quâ Thessalia *Pandora* dicta est. Est & nomen vel epitheton Terrae. Hesychius: Πανδώρα, ἡ Γῆ, ὅτι τὰ πρὸς τὸ ζῆν πάντα δωρεῖται, ἀφ' ὧν καὶ ζῶμεν.

Pandora,

Pandora, filia Erechthei Atheniensium regis, quæ unà cum Protogeniâ sorore, ingruente Bœotio bello, se pro patriæ salute ultro immolandam præbuit; quod factum est in pago Hyacintho, unde & virgines Hyacinthides sunt cognominatæ.

Pandore, Indorum pop. qui degunt in convallibus. Vivunt annos ducentos, in juventute sunt candido capillo, in senectute verò nigro.

Pandosia, urbs gemina: una Brutiorum (licet Strabo in Lucania reponat) in monte, apud præterfluentem Acheruntem flu. capta, cum Cosentia, à Romanis, V. Liv. *l.*10. & excisa, apud oppidulum vulgò *Castel Franco*, quod, teste Barrio, locum tenet Pandosiæ, in territ. Consentino, inter Consentiam & Mont. Altum 6. m. p. circiter. Hic Alexander, rex Epiri, ab oraculo delusus (cùm, quæ Pandosia sibi fatalis esset, haud præmonitus fuisset) Tarentinis opem ferens à Brutiis obtruncatus est. Altera in Epiro ad flu. Acherontem quoque, ubi Pandosia lacus, teste Plinio, in Cassiopeæ & Thesprotiæ confin. in ipsâ Thesprotiâ.

Pandrosos, filia Cecropis Atheniensium regis, soror Aglauri, & Herses. Ovid. *Met.*2.

Pars secreta domûs ebore ac testudine cultos
Tres habuit thalamos, quorum tu, Pandrose, dextrum,
Aglauros lævum, medium possederat Herse.

Pandulphus, cognom. Masca, Pisanus, Cardinalium numero à Lucio 3. A. 1182. ascriptus est. Historiæ Pap. fuit auctor. An idem cum eo, qui, in epitome hist. Siculæ Petrus, dicitur Chronicum Damasi continuasse? Voss. *de Hist. Lat. l.*2. *c.*53. Onuphr. & Ciaccon. *in vita Pontif.* Auberius *Hist. Cardin.* Eisengrien, &c.

Paneas, fons Palæstinæ in Cœlesyria, unde Jordanis flu. effluit apud Cæsaream Philippi urb. nunc eversam, quæ & *Paneas* dicta est, à Sidone urbe Phœniciæ 20. m. p. in ort. recedens. Item, reg. in tribu Nephthalim, ab urbe Paneade nomen adepta.

Panebi, pop. Arabiæ; de quibus sic scriptum legimus. Si quando rex moritur, corpus ejus quidem defodiunt, caput verò auratam in templo augustissimo consecrant, dicantque. Alex. ab Alex. *lib* 3. *cap.*2.

Panellenes, omnes Græci sic vocantur, Paus. Steph. Item, *Panachai*, V. *Panhellenes.*

Panelus, urbs circa Pontum, sic dicta ab Heracleotâ quodam, ex posteris Penelei, ducis in bello Trojano, qui illuc ex Bœotiâ venit. Steph.

Panephysis, opp. Ægypti, Ptol.

Paneura, Indiæ intra Gangem Urbs, juxta Indum fl. Steph.

Paneus, pictor egregius. Vide *Panæus.*

Pangæus, *Malaca* & *Castagna* Bellonio, mons Thraciæ in Macedoniæ confin. Philippis urbi imminens, *Pangæa* Virg. *Georg.* 4.

Atque Pangæa, & Rhesi Mavortia tellus.

In hoc, teste Herodoto *Musâ* 7. aurea sunt & argentea metalla. Cinnamis eum abundare ait Ferrarius deceptus loco Claudiani, ubi legendum est:

—— —— Panchaia turgent
Cinnama —— ——

Lucan. *lib.*1. —— —— *Video Pangæa nivosis*
Cana jugis, latosque Æmi sub rupe Philippos.

Statius *Theb.* 10.

Perfindunt inarata diu Pangæa juvenci.

Hinc *Pangæus.* Lucan *lib.*7.

Pindus agit gemitus, Pangæaque saxa resultant.

Val. Flac. *lib.*1.

Carbasa Pangæâ Boreas speculatus ab arce.

Pangius, Provincia regni Congiani, olim fuit libera suo vivens jure, sed jam propter finitima bella, sub regis Congiani est tutela, eumque pro domino agnoscit. Versus Aquilonem Sondi conterminâ, versus meridiem Batia, versus occidentem ad comitatum Congi, versus orientem extenditur usque ad montes Solis. Natal. Metel.

Panhellenes, simpl. pro Græcis apud Hesiod. ubi de Sole hyber.

—— Βράδιον δὲ Πανελλήνεσσι φαείνει.

Ubi non vertendum *universis Græcis*, ut vulgò; sed simpliciter Græcis. Πανέλληνες enim, tempore Hesiodi, Homeri, & Archilochi appellabantur Græci, ad differentiam Ἕλληνες propriè sic dictorum. Hellenes autem tunc temporis dicebantur Phthiotidis incolæ, quod nomen acceperunt ab *Hellene* Deucalionis filio, qui illius partis Thessaliæ rex fuit. Ante hunc nominabantur Γραικοί, quod Latini retinuerunt. Hinc Homerus Achillis populares & subjectos vocat Myrmidonas & Hellenas Achilles autem imperabat Phthiotidi. Hi itaque cùm propriè dicerentur Ἕλληνες, reliqui Græciæ populi dicti sunt Πανέλληνες. Vide Thucydidis procemium, Strabonem *lib.*8. Apollodor. *lib.*1. *Bibliothec.* *Panhellenia* autem sacra totius Græciæ vocantur.

Panhellenius, mons Æginæ, in Sinu Saronico, Gyrald. nunc *monte de Engano.*

Pania, vetus nomen Arcadiæ. Stephanus. Alibi verò navale esse scribit Ciliciæ, circa campum Alcium.

Paniada, & *Panias* & *Panium*, Vide *Paneas.*

Paniardis, urbs Sarmatiæ Asiat. Ptol.

Panyasis, Samius vel Heraclidensis: an Dioclis, an Polyarchi filius? Scripsit poema de Hercule, aliaque frequenter laudata Athenæo, Stephano Byzant. Hygino &c. V. Suid. Possevin. *in appar.* Gesner. *in Bibl.* Voss. *de H. G. l.*4 *c.*6. Item alios, junior scripsit de Somniis lib. 2. V. Lil. Giraldum, *dial.* 3. *de Poët.*

Panigalia, vicus agri Tarvisini.

Panigena, urbs Ind. cit. Ptol. *Nanigana* Interpp.

Panionia, V. *Jonia.*

Panionium, locus sacer in Mycale promunt. in Sept. vergens, communiter ab universis Jonibus Neptuno Heliconio dicatus. Hunc in locum quotannis conveniebant Jones ad peragenda sacrificia, quæ & ipsa *Panionia* dicebantur. Stephanus: Πανιώνιον, τέμενος, καὶ πόλις ἐν τῇ παραλίᾳ τῶν Ἐφεσίων. Herodotus non urbem, sed χῶρον ἱερὸν vocat. Sic enim ille *lib.* 1. Τὸ δὲ Πανιώνιόν ἐστι τῆς Μυκάλης χῶρος ἱερὸς πρὸς Ἄρκτον τετραμμένος, κοινῇ ἐξαραιρημένος ὑπὸ Ἰώνων Ποσειδῶνι Ἑλικωνίῳ. Ἡ δὲ Μυκάλη ἐστὶ τῆς ἠπείρου ἄκρη, πρὸς ζέφυρον ἄνεμον κατήκουσα Σάμῳ. Ἐς τὴν συλλεγόμενοι ἀπὸ τῶν πολίων Ἴωνες ἄγεσκον ὁρτὴν τῇ ἔθεντο οὔνομα Πανιώνια. Herodoto consonat Strabo *l.*14. Πρῶτον δ' ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ τὸ Πανιώνιον, τρισὶ σταδίοις ὑπερκείμενον τῆς θαλάσσης, ὅπου τὰ Πανιώνια, κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι, καὶ θυσία. Meminerunt etiam Plinius *lib.* 5. *cap.* 29. Itemque Pomponius Mela. Plinius ita: *In orâ, quâ Trogylia appellatur, Gessus amnis. Regio omnibus Jonibus sacra, & ideo Panionia appellata.* Mela verò sic: *Ubi est Panionium sacra regio; & ob id eo nomine appellata, quòd eam communiter Jones colant.*

Panis, vel *Panides*, rex Chalcidis, qui, quia satis imprudenter Hesiodum Homero prætulit, ejus stultum ac ineruditum judicium abiit in proverbium, *Panidis suffragium.* Philostratus *in Euphorbo.*

Panis, urbs Thraciæ, in Europa prov. ex Synodo 6. Constantinop. Item Ins. in Sinu Arabico, Ptol. forsan *Orine* Arriani in Periplo.

Panis nomine frumentum venit, *l.*1. & *ibid.* Bartol. *Cod. de frument. verb. Constant. II lib &c. Civilis Panis* nomine, sunt qui simpliciter annonam intelligant: cui vendendæ qui præest, dicitur *Sitostasius*; si sit Magistratus, qui curat, *Perissochoregia* nuncupatur, Cœl. Rodig. *l.*9 *c.*16. &c. *Panis Fiscalis* populi est annona, vel quod populo erogatur e fisco. *Panis gradilis* dicitur, qui e gradibus, qui in unaquaque urbis regione erant ad pistrina, præbebantur populo. Prudentius *cont. Symmachum:*

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.

Panis Curiæ, quem Galenus *lib.* 2. ad *Glauc.* vocat *Syncomistum:* Hic inter exquisite purum, & furfuraceum medius est. *Panis militum*, qui militibus, id est, nobilioribus Monasterii vasallis, apponebatur; Hic ideo forte adoraceus fuit & purissimus. *Panis ordei* tandem; quia ordeaceus vel totus furfuraceus fuit: operariis dabatur in stipem & corrodium, Spelm. *Glossar. Archæol.*

Panisci, Dii sylvestres, qu. per diminutionem dicti minuti illi Panes, sicut à Satyro Satyriscus.

Panissa, fluv. Thraciæ non procul ab Apolloniâ. Plin. *libr.*4. *cap.* 11. *Panizza* Molet. 10.

Panisus; V. *Pamisus.*

Panium, promuntorium Europæ; parallelum Cyaneis insulis, ut illud ex Dionysio Byzantino describit Gyllius. Vulgò *Phanarium* dicitur.

Panium, specus est licet umbrosa, amœnissima tamen, in altissimi saxosique montis, qui *Panius* appellatur, radice sita, in tr. Nephthalim; ex hoc Jordanes effluit.

Panius, Josepho *Panion*, mons & locus Cælesyriæ apud Ort. Jordanis, & Paneadem seu Cæs. Philippi, nunc *Pelin*, Masio.

Pannias, Assyriorum rex 25. vel 23. secundùm alios, Lampari successit, A. M. 2758. Regnavitque usque ad an. 2802. Excepit eum Sosarmes. Euseb. *in Chron.*

Pannonia, reg. Europæ maxima, inter Danubium ad Bor. à Metanastis Jazygibus separantem, & Saum fluv. ad merid. dividentem, ac inter Noricum ad occid. & Mysiam ad ort. contenta; In superiorem (quæ *Prima* Rufo, Marcellino, & Lib. Notit. dicitur) in quâ *Ala Flaviana*, seu *Vienna*, ut nunc vocant, *Flexum*, seu *Posonium*, *Arrabo*, sive *Jaurinum*, *Sabaria*, *Savaria*, seu *Gracium* & *Petovio* urbes continentur: Et inferiorem ad ortum, in quâ *Buda*, *Strigonium*, *Alba Regalis*; *Colocia*, *Quinq. Ecclesiæ*, *Sirmium*, & *Taurinum* urbes sunt; divisa. Utraque *Hungaria* nominatur, non tamen ex æquo; Nam Hungaria trans Danubium usque ad Carpatum montem extensa Jazyges Metanastas complectitur, & Pannonia partem Austriæ, & Styriæ, Carniolæque comprehendit. Ex quo error Ortelii patet, Pannoniam super. Austriam appellantis, cùm modicam partem Austriæ (in quâ Vienna & Sopronium) tantùm contineat, maximaque Austriæ ac Stiriæ pars cum Carinthia & Carniola sit in Norico. Erant autem Pannones Celtica natio: quorum terram primus intravit Jul. Cæsar, Tiberius reddidit tributariam: possederunt dein Hunni, Gothi, Alii. Ovid. *Trist.* 2.

Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda.

Pop. *Pannonii.* Idem Ovid. *ad Liviam:*

Summaque dispersi per juga Pannonii.

Hinc *Bannonicus.* Mart. 8. 14.

Dum nova Pannonici narratur gloria belli.

Et *Pannonis* fœm. Lucan. *lib.* 6.

Pannonis haud aliter post ictum sævior ursa,
Cùm jaculum parvâ Libys amentavit habenâ,
Se rotat in vulnus, telumq; irata receptum
Impetit, & secum fugientem circuit hastam.

Horum mem. Dionys. *vers.* 321.

Πρὸς δ᾽ ἐπὶ τοῖσι Γέρραι καὶ Νωρικὰ ἄστ᾽ ἐρυμνὰ,
Παιόνιοι, Μυσοί τε. ——

Solinus *cap.* 24. *Jam Pannonia viro fortis, & solo plano læta, atq; uber Dravo Savoq; inclytis amnibus circumfluа.* Ferrar. Baudrando. *Pannonia*, regio Europæ perampla, inter Danubium ad septentrionem & ortum, quo Jazyges Metanastæ ab ea separantur, & inter Noricum ad occasum, & Illyricum ad meridiem; fuitque etiam aliquando pars Illyrici Occidentis latè sumpti. Duplex fuit, nempe prima seu superior, quæ magis ad occasum, ubi nunc pars orientalis Austriæ, maxima pars Stiriæ, Carniola, Cellejensis Comitatus, pars Vindorum Marchiæ & Sclavoniæ; & secunda seu inferior, quæ ad ortum spectat, ubi nunc magna pars Hungariæ inferioris cum parte Sclavoniæ. Nunc sæpe Pannonia pro Hungaria sumitur, *la Hongria*, & vice versa. Sed Hungaria Jazyges Metanastas comprehendit etiam cum Pannonia inferiori & minuta parte seu orientali Pannoniæ superioris. Sic igitur Hungaria vix hodie tertiam sui partem in veteri Pannonia habet, de cujus partibus vide in voce *Hungaria*. Pannoniæ autem antiquæ urbes præcipuæ fuere Segesta seu Sciscia, Petovio, Emona, Nauportum, Vindobona, Scarabantia, Sirmium, & Taurunum.

Pannonia Savia, Lib. Not. quæ & Riparia seu Ripensis, Bubalia Aurelio Victori, Sirmiensis Cassiodoro, Cibaliensis Paulo Diacono, pars Pannoniæ inferioris, circa Saum fluvium, ubi Amantini populi Plinio. quæ partim Hungaria, partim Bossina, & partim Sclavonia nunc dicitur.

Pannonia Valeria, Lib. Not. quæ & Valeria simpliciter, pars Pannoniæ superioris, in qua Stiria ad ortum continetur. De Pannonia Ovidius *libro secundo* Tristium:

Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda.

Urbes Pannoniæ & Jazygum sive Hungariæ hujus temporis, sub Austriacis:

Altemburgum, *Altemburg*, seu *Ovvar.*	Posonium, *Presburg.*
	Sopronium, *Edenburg.*
Arrabo, *Rab*, seu *Javarin.*	Thata, *Dotes.*
Bistricia, *Bistricz*, seu *Nevvsol.*	Tirnavia, *Tyrna.*
Cassovia, *Caschavv.*	Tokæum, *Tokay.*
Crumerum, *s.* Comaria, *Komara.*	Varasdinum, *Varasdin.*
Eperiæ, *Eperies.*	Vesprimium, *Vesprim.*
Fileeum, *Filex.*	Unguaria, *Unghvvar.*
Nitria, *Neytracht.*	Zagrabia, *Zagrab.*
Papa, *Papa.*	Zatmaria, *Zatmar.*

Urbes Pannoniæ & Jazygum sive Hungariæ hujus temporis, sub Turcis:

Agria, *Erlavv.*	Novoselium, *Ovvar*, seu *Nevvhansel.*
Alba Regalis, *Stulvveissemburg.*	Pestum, *Pest.*
Bodroga, *Bodrock.*	Petrowaradinum, *Petervvarden.*
Bosna, *vel* Basiana, *Posega.*	Quinque Ecclesiæ, *Funfkirken.*
Buda, *Offen.*	Segedinum, *Seged.*
Canisia, *Canischa.*	Segetum, *Zygeth.*
Cenadium, *Chonad.*	Sirmium, *Sirmisch.*
Centum colles, *Zashalom.*	Solnocum, *Zolnock.*
Colocia, *Coloz.*	Strigonium, *Gran*, seu *Strigonie.*
Copanum, *Kopan.*	Taurunum, *Belgrade.*
Debrecinum, *Debrecyn.*	Temesvaria, *Temesvar.*
Hatuanum, *Hatuan.*	Vacia, *Vaitzen.*
Lippa, *Lippa.*	Valponum, *Valpon.*
Mursa, & Mursia, *Ezeck.*	
Novigradum, *Novigrad.*	

Panodorus, Monachus Ægyptius, sec. 5. condidit Chronologiam, ex Eusebio, quem magno cum judicio correxit. Syncellus, Scaliger *Animadvers. in Euseb.*

Panolbius, Epicus poeta, epitaphium scripsit in Hypatiam Erythræi filiam, item carmen ad Eutherium, atque alia.

Panomphæus, Jovis epitheton à πᾶς *omnis*, & ὀμφὴ *vox*, sive quòd ab omni lingua colatur, sive quòd omnium voces audiat. Ovid. *Metam.* 7.

Ara Panomphæo vetus est sacrata Tonanti.

Hesychius: Πανομφαῖος, ὁ πᾶσαν φήμην, καὶ μαντείαν, ἀναφαίνων, τισὶ κληδόνα.

Panope, sive *Panopea*, nympha marina, Nerei & Doridis filia. Virgil. *Georg.* 1. & 4. Item urbs Phocidis mediterr. & fons Athenis, Hesychius, Πανόπη, πόλις Φωκίδος. Ovid. *Metam.* 3.

Jam vada Cephisi, Panopesq; evaserat arva.

Dicta à Panopen, Phoci f.

Panopes, Acestæ regis Siciliæ comes, venator egregius. Virgilius *Æneid.* 5.

Tum duo Trinacrii juvenes Helymus Panopesq;
Assueti sylvis, comites senioris Acestæ.

Panopolis, urbs erat Ægypti, in Thebaide, ad Or. Nili ripam, inter urbem Apollinis magnam ad Bor. & Copton ad Austr. ab eo in Bor. 94. m. p. distans. Nonni Patria, qui Evangelium D. Johannis Græcè versu hexametro descripsit. Vide *Panos.*

Panops, Hesychius: Πάνοψ, ἥρως Ἀττικὸς, ἔστι δὲ αὐτοῦ ναὸς καὶ ἄγαλμα καὶ κρήνη.

Panoptes, Idem Hesychius: Πανόπτης, πολυόφθαλμος, Ζεὺς, Ἀχαιοί.

Panormitanus, vide *Nicolaus Tudeschius.*

Panormus, Siciliæ urbs, Ptolem. & caput, hodie *Palermo*, testibus Aretio & Fazello. Totius Italiæ pulcherrima, soli ubere, situ, ædificiis, commercio, nobilitate, opibus, fontium salientium copiâ tantâ, ut Neapolitani horum æmuli, dicant; *à Palermo l'aqua non val niente:* Aliàs quoque *Panhormum & lutus pulchrum.* Polybius hanc *lib.* 1. in 2. partes distinguit, in veterem nempe & novam, quas Neapolin & Palæopolin vocat. Hanc unà cum Solunte & Motye Pœnis illis antiquissimis attribuit Thucydides *lib.* 6. Μοτύην καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον, &c. οἰκήσαντες. Hæc, ut Polybius author est *lib.* 1. Ἣν βαρυτάτη πόλις τῆς τῶν Καρχηδονίων ἐπαρχίας. Ac Diodorus *lib.* 22. eandem habere asserit, λιμένα κάλλιστον τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν, ἀφ᾽ οὗ καὶ τὴν πόλιν συμβέβηκε τετυχέναι ταύτης τῆς προσηγορίας. Quod ipsum mirari subit, unde Græcum habuerit nomen urbs, quam nec Græci condidisse, nec nisi serò admodum obtinuisse leguntur. Proinde verisimile est, aliud Panormi nomen in usu fuisse apud Pœnos, puta לבתין *Leptin*, id est, ὅρμον, *stationem*, Boch. Ejus mem. Sil. *lib.* 14.

Tergemino venit numero fœcunda Panormus.

Baudrando est prope ostia Orethi fluv. 4 m. p. à monte Regali in Bor. 60. à Lilybæo in Cæc. 140. à Messana in Occ. uti fere 150. à Peloro prom. sedes Proregis Habet Palatium regium & castrum munitum cum præsidio Hispan. in valle Mazaræ. Hic Frider. II. Imper. à Manfredo filio dolo dicitur necatus, ut regnum arriperet. Baudr. Ferr. Leand. Albertus, *Descr. Ins. Ital.*

Panormus, opp. multiplex. Unum Cretæ, Ptolem. cujus meminit Plinius. *Mirabello* nunc Nigro, *Volismeni* pagus Bellonio in orâ Boreali. Alterum Macedoniæ in orâ apud Athon mont. Ptolemæo. *Teristo* Ortelio, *Macri* Moletio. Tertium in Samo insula, Liv. *Macri* quoque Nardo. Quartum Achajæ, Polyb. Plin. Pausan. Thucyd. in Peloponneso juxta Rhium promunt. contra Naupactum. Quintum Chersonesi Thraciæ, Plin. inter Elæum & Caridlam. Sextum in Phrygiâ ad Hellespontum apud Cyzicum. *Palermo* Leunclavio.

Panormus, portus multiplex. Unus Epiri apud Oricum Straboni, inter Acroceraunia & Onchesmum, *Palermo* Moletio. Alter Atticæ, Ptolem. Paus. *Raphei* Sophiano, inter Sunium & Cynosuram promontoria Alius Cephalleniæ ins. teste Porphyrio.

Panòs, Ægypti civitas, ubi & Panis simulacrum magnum habetur. Vide Stephanum. Nonni Poetæ patria fuit, qui inde *Panopolites* appellatur.

Panos insula, urbs Æthiopum, quæ & *Adulis.*

Panos vicus, juxta mare Rubrum est, qui & *Panon.* Gentile *Panocomites*, Stephan.

Panta, Palæstinæ urbs, inter Balanæas & Laodiceam, Baudr.

Pantacles, videtur è militaribus Atheniensibus fuisse, quem ut imperitum ac præposterum in se armando, traducit Aristophanes *Ran. Act.* 4. *Sc.* 2. Vide Schol. 261.

Pantanus, vel *Pantenus*, Theologus eruditissimus, primus Scholæ Ecclesiasticæ præfuit apud Antiochiam, An. D. 181. Euseb. *Hist. Eccles. lib* 2. *cap.* 32. 36. & *lib.* 5. *cap.* 10.

Pantanus, celebris Scriptor Eccles. sec. 3. Ex Stoico Zelator fidei, hanc Indis prædicavit, à Demetrio Episc. Alexandrino illuc missus: Ubi Evangelium Matthæi Hebr. reperisse illincque Alexandriam detulisse fertur. Docuit hic sacras literas, per plures annos, Clementis Alexandrini præceptor. Floruit autem sub Severo, & Antonino Caracalla. Euseb. *lib.* 5. *cap.* 10. Hieronym. *de Script. Eccles. & epist.* 84. *ad Magn.* Baron. *An. C.* 185. &c. Idem cum præcedente.

Pantagias, vel *Pantagies*, Fazello *Porcari & Bruca*, fluvius Siciliæ, valde quidem exiguus, Sil. *lib.* 14.

—— *Ac facilem superari gurgite parco*
Pantagiam. —— ——

Sed rapidissimi cursûs, quique magno murmure per multa saxa in mare præceps devolvitur. Hunc mirâ vocum contractione *Pantagiam* dictum volunt, quasi Πανταχοῦ πατάγιον, *ubiq; obstreperum.* Servius *in lib.* 3. *Æn. Hic fluvius Siciliæ cùm plenus flueret, implebat sonitu penè totam Siciliam, unde &* Pantagias *dictus*, quasi ubique sonans. *Hic postea, cùm Cereri quærenti filiam obstreperet, tacere jussus est numinis voluntate.* Et Vibius, *in Catalogo fluminum: Pantagias Siciliæ ita dictus, quòd sonitus ejus decurrentis per totam insulam auditus est, usq; eo, donec Ceres quærens filiam comprimeret eum.* At, ut cætera taceam, *Pataciam* appellarunt Græci veteres, non *Patagiam*, Thucydides *libr.* 6. de Lamo quodam; Ὑπὲρ Παντακύου τε ποταμοῦ Τρώτιλόν τι ὄνομα χωρίον οἰκίσας. In Ptolomæo

lomæo legitur: Παιδὸς χυ πολεμοῦ ἐκβολαί, quasi à recto Παίδαχος. Fallor (inquit Bocharius) an Pœni פתק pattak vocabant à verbo Syro פתק petak, id est, jaculari, projicere, & cum impetu propellere. Unde Claud. *de Rap. lib.*2.

—— *Et saxa rotantem*
Pantagiam. —— ——

Vide Cluver. *de Sic. Ant. lib.* 1. *cap.*11.

Pantagnostus, tertius Polycratis Samii frater, cujus ope tyrannidem hic Samiorum invasit, Polyæn. *lib.*1.

Pantaleon Henricus, Medicus & Historicus insignis, natus Basileæ Ann. 1522. docuit in Academia Ann. 40. Obiit Anno 1595. Ejus inter alia extat opus, de illustribus Germaniæ Viris, *das Heldenbuch.*

Pantalia, urbs Thraciæ, Procop.

Pantanus, lacus Apuliæ in Italia, Plin. *lib.*3. *cap.* 11. *Lago de Lesina*, Leandro.

Pantapoleon, impostor quidam Eustathio memoratus in Hom. *Odyss.* α.

Panthea, Abradatæ, Susii ductoris uxor fuit formâ & castitate præcellens: hæc à Cyro majore capta, Araspæ Medo servanda traditur, qui apud Cyrum affirmat, nondum esse ortam hac pulchriorem: nec tamen eam adiit aut accersivit Cyrus, ne à rebus gerendis avocaretur: quare & ipsa id beneficii à marito petit, ut strenuè pro Cyro pugnet. Qui cùm inter pugnandum occumberet, in demortui Viri pectus imposito hæc se jugulat capite: tres quoque astantes ubi eos jusserat, quod factum erat intuiti, districtis acinacibus ibi se jugulant. Xenoph. *l.*7. *Cyri pæd.* & Cæl. Rhod. *lib.*13. *cap.*33. Vide *Abradates.*

Pantheium, locus Atticæ, 60. stad. ab Ilisso fluv. ubi olivâ coronabantur Olympionicæ, Suid.

Pantheon, templum Romæ, sic dictum, quòd in Martis Venerisque imaginibus, sub ipso templo constitutis omnium Deorum imagines effictæ erant. Sive quòd templum ipsum rotundum sit, coeloque simile, & sic quoque omnium Deorum habitatio censeatur. Pantheon Jovi ultori ab Agrippâ factum fuit. Hodiè appellatur Templum Div. Mariæ rotundæ, inter reliqua antiquorum opera integerrimum. Baudrando in cultum Deorum omnium fuit extructum, à M. Agrippa, Augusti genero, opere Corinthio. Muro continuo 30. palmarum circumducitur, unicâ tantùm januâ, unico quoque foramine in supremo culmine lumen admittit. Altum, latumque 144. pedes in circuitu; cum porticu 16. columnarum. Restauratum fuit ab Adriano, Septimio Severo, & Aureliano. Bonifacius autem IV. Phocâ Imper. illud Mariæ Virg. omnibus sanctis mirâ metamorphosi sacravit. Vide *Agrippa.*

Pantheus, & *Panthus*, vir Trojanus unus ex primoribus urbis. Virgilius *Æneid.* 2.

Quo res summa loco Pantheu? quam prendimus arcem?

Panthoides, patronymicum, pro Euphorbus Panthoi filius, quem Pythagoras philosophus dicebat se fuisse in bello Trojano, & à Menelao interfectum esse. Pythagoras ipse apud Ovidium *Metamorph.* 15.

Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.

Vide Philostrat. *in Euphorbo.*

Pantia, insula non procul à sinu Cajetano. Lege *Pontia.*

Panticapaa, meliùs *Panticapæum*, Plin ac Stephan. *Vospero*, teste Nigro, urbs Tauricæ maxima ad Bosporum Cimmerium, *Bosphorium* olim, teste Plinio. Sansoni *Pantica* nunc, in Tartaria Precop. 90. m. p. à Theodosia.

Panticapes, fluv. Scythiæ Europææ per Lithuaniam fluens in Euxinum mare, Nomadas à Georgis separans, teste Plinio. *Przepes*, vel *Przypicks*, teste Peucero; *Conscavado* Mercatori. Nunc *Veresklo* Sansoni, in Volhinia infer. Oritur in Moscovia, & auctus aliquot fluv. in Borysthenem se exonerat, 150. m. p. infra Kioviam in Eur. Quintus fluv. est ab Istro inter celebres apud Herod. *lib.* 4. Dionys. *vers.* 314.

Κεῖθι γὰρ Ἀλδήσκος καὶ ὕδωρ Παντικάπαο,
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσι, διάνδιχα μορμύροντε.

Panticum, locus Bithyniæ, apud Chalced. Anton.

Pantipolis, Indiæ intra Gangem urbs. Ptolem.

Pantomatrium, oppidum Cretæ maritimum, Plin. *lib.*4. *cap.*12. *Milopotamo*, Pirteto.

Panuco, regio novæ Hispan. sub præfectura Mexicana; inter sinum Mexic. ad Ort. & novam Biscajam ad Occ. longa 100. leuc. ab ora ad Occ. paulo minus lata; ubi aliquot coloniæ Hispanicæ, nempe *S. Jago de los Valles*, *San Luis de Tampico*, &c. & *Panuco*, ad fluvium cognom. parvi circuitus, quibusdam etiam *S. Estevan del puerto*, vix 12. leucis ab ora sin. Mexic. 80. à Mexico in Cæc.

Panyasus, Macedoniæ fluv. Ptol. *Spirnassa* Theveto. Est autem inter Dyrrhachium urb. & Apsum fluv.

Panysus, fluv. Mysiæ infer. in Euxinum mare inter Mesembriam & Odessum influens. *Paniza* Nigro.

Paochinga, urbs, ex præc. Huquamensis prov. regni Sinarum, intra colles, ad radicem montis Lungi. Habet sub se quatuor alias Urbes, Martinius.

Paoganum, urbecula Sinarum munita aliàs, contra Tartaros, in Pechinensi prov. ad Sancanum fluv.

Paoninga, urbs secunda Suchuensis prov. Sinici Imper. ad fluv. Kialing, sub qua 9. Urbes.

Paotinga, urbs secunda Pechinensis provinc. sub qua 19. Urbes in mediterran. ad radicem montium. De his vide Martinium, *Atl. Sin.*

Papa, urbecula Hungariæ munita, cum arce, ad amnem *Marchaltz*, sub Austr. media inter Arrabon. ad Bor. & Vesprimum ad Met. vix 3. leuc. Hung. à Turcicæ dit. confinio.

Papæus, Jupiter apud Scythas, Herod. *lib.*4.

Papeberga, & *Babenberga*, urbs Franconiæ, vulgò *Bamberg*. Patria Joachimi Camerarii.

Papellius Ister Consul, cujus tempore bubo infausta avis Capitolii cellam intravit, propter quod Nonis Martiis urbs lustrata est eo Anno, Plin. 10. 12.

Paphages, rex Ambraciæ, qui cùm obviam factus esset leænæ catulis suis stipatæ, ab eâ occisus est.

Paphara, urbs reg. Cyrrhesticæ, in Syria, Ptol.

Paphlagonia, *Roni* Castaldo, *Bolli* aliis, regio Asiæ minor. ad Pont. Euxin. Galatiæ pars Borealis Ptolemæo inter Bithyniam ad Occid. & Cappadociam ad Ori. Galatiâ ad Aust. cohærente. Baudrando est, inter Pontum Euxin. ad Bor. & Galatiam ad Merid. ad 160. m. p. extensa versus oram litor. ubi ejus urbes præc. Sinope, Teuthrania *Tripoli*, seu *Tribicelli* hodie; & Amisus, ex P. de Via. In hac prov. Mahometes à Calojohanne, per fil. Emanuelem victus est, An. 1138. Vastata est à Cosacis, An. C. 1616. Nomen habet à *Paphlagone*, Phinei filio, teste Stephano. Populi *Paphlagones*, quos superstitiosos ac stolidos esse affirmat Lucianus in Pseudomanti. Strabo *lib.* 7. Plin. Ptolem. Steph. Byzantinus, Dionys. Africanus, qui sic ait:

Paphlagones post hos, Mariandiniq; sequuntur.

Horum meminit etiam Dionys. *vers.* 787.

Παφλαγόνες δ᾽ ἐπὶ τοῖσιν ἐπ᾽ αἴνοισι νέμονται,
Καὶ Μαριανδυνῶν ἱερὴ χθών. ——

A *Paphlagone* Phinei filio, uti diximus, *Paphlagoniam* deducit Stephanus. Ita etiam Constantinus Porphyrogenneta *Them.* 7. *Paphlagones* deducit, ἀπὸ Φινέως τοῦ πρώτου τὴν Παφλαγονίαν οἰκίσαντος, ὃς εἶχεν υἱὸν Παφλαγόνα ἐξ οὗ καὶ ἡ χώρα τὴν προσηγορίαν ἐκληρώσατο. Fortasse autem, inquit vir Magnus, Phinei filius pro *Paphlago*, fuit *Phaleg*, unde *Paphlagonia*, compositio nomine פאה פלג dicta fuerit, hoc est, *plaga Phalegi*. Id enim propriè פאה pea. Homerus eos à fortitudine commendat. *Iliad.* ε.

Ἀρχὸν Παφλαγόνων μεγαθύμων ἀσπιστάων.

Idem *Iliad.* ν.

Τὸν μὲν Παφλαγόνες μεγαλήτορες ἀμφιπένοντο.

Paphnutius, Episcopus Ægyptius Confessor, ex illis, quos Maximinianus, dextris erutis oculis, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnaverat. Sed in hoc tanta virtutum inerat gratia, ut signa per eum non minus, quàm dudum per Apostolos fierent. Nam & Dæmonas verbo tantùm fugabat, & ægros solâ oratione curabat: sed & cæcis visum dedisse dicitur, & paralyticos ad stabilitatem corporis revocasse. Hunc Constantinus Imper. in tantâ veneratione & affectu habuit, ut sæpius eum, intra Palatium evocatum, complecteretur, & illum oculum, qui in confessione fidei erat evulsus, avidioribus osculis demulceret; Ruffin. *Eccles. Hist. lib.*10. *cap.*4. Is Concilio adfuit Niceno, in quo cùm cæteri Patres legem laturi essent, quâ conjugium Sacerdotibus prohiberetur, contradixit, honorabiles confessus nuptias, & castitatem esse dicens concubitum cum propria conjuge. Interfuit quoque Concilio Tyrio & Sardicensi, pauloque post obiit. Socr. *lib.* 1. *cap.* 8. Ruffin. *lib.* 1. Athanas. Baronius, *An. C.* 325. Histor. Trip. Sozomen. *lib.*2. *cap.* 22. &c.

Paphos, Cypri civitas, Veneri quondam sacra, hodie in ruinis, *Baffo*. Virgil.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos.

Horat. *Carm.* 1. *Odyss.* 30.

O Venus, regina Cnidi Paphiq;
Sperne dilectam Cypron.

In hac urbe ante nuptias, puellæ dotem quæsituræ, in honorem Veneris, in litore se prostituebant. Just. *lib.*18. Ptolemæus, Mela, Pomponius *lib.*2. Strabo *lib.*14. Plin. 5. 31. Hinc Nonnus *in Bassaricis*, *lib.* 13.

Καὶ Πάφον ἁβροκόμων στεφανηφόρον ὅρμον Ἐρώτων.

Paphos nova, Cypri insulæ urbs, Ptol. *Neapaphos* Plinio. *Bapho* Nigro. Paphum ab Augusto Imper. *Augustam* appellatam scribit Dio *lib.* 54. sed veteremne an novam, non discernit. Duæ enim sunt in Cypro, teste Ptolemæo.

Paphus, Pygmalionis filius ex Eburneâ matre. Cùm enim olim Pygmalion in Cyprum insulam pervenisset, comperissetque mulieres omnium libidini obsequentes, cœlibem vitam ducere statuit. Porro cùm ingenio valeret, essetque sculptor insignis, dicitur sibi ex candidissimo ebore muliebre sculpsisse simulachrum, omnibus venustatis, formæque numeris, quoad fieri potuit, absolutum. In quo cùm homo ingeniosus artem suam miraretur, in ejus amorem incidit, oravitque Venerem (quæ summâ cum veneratione id

tempotis

temporis in Cypro colebatur) ut uxorem sibi concederet statuæ suæ eburneæ simillimam. Quibus precibus à Venere exauditis, Pygmalion domum rediens statuam suam animatam invenit, servatisque iisdem lineamentis, eodemque candore, in formosissimam virginem transformatam. Cujus postea concubitu usus, ex eâ Paphum filium suscepit, qui & patri in regno successit, condiditque urbem in Cypro, quam de suo nomine *Paphum* vocavit. Ovid. *Metamorph.* 10.

Ille Paphum genuit, de quo tenet insula nomen.

Construxit etiam in eâ templum & aram in honorem Veneris, quæ à loco *Paphia* dicta est, cui diu solo thure sacrificatum est.

Papia, quæ & *Flavia* aliquando in antiquis nummis, olim *Ticinum*, urbs Insubriæ post Mediolanum clarissima. Quondam Ostrogothorum, & Longobardorum sedes. Carolus Calvus Bosonem affinem, Regem Provinciæ & Papiæ Ducem creavit, An. 876. Synodo dein, hic coactâ, Victor Papa Alexandrum III. cum patre ejus candelis accensis execratus est, Ann. 1159. Martinus V. quoque hic Concilium indixit, An. 1423. quo postea Senas translato, ossa Viclefi exhumata sunt. Hic etiam Galeatius Mantuanus hybernans, à Papiensi puella, quam unicè amabat, jussus, in fluvium præceps iit. Pontanus. Item fluvius ejusdem nominis. Vide *Ticinum*.

Papianilla Sidon. Massono *Serlivia*, lacus Galliæ in finibus Arvernorum.

Papias, D. Joannis auditor, D. Polycarpi condiscipulus & socius, Hierapoleos civitatis Episcopus fuit. Eloquio, pietate, eruditione omnigenâ illustris, sed parum firmo judicio. Auctor quinque libb. quos edidit cum tit. *Expositio Verborum Domini nostri*. Opinionem de felicitate piorum millenaria, in hac vita, primus fovit, ex non intellecto Apocalypseos loco, minimè tamen hæreticis Chiliastis accensendus, quibus hæc felicitas non pura & spiritualis est, sed in turpissimis voluptatibus transfigitur. Vide Euseb. *Eccles. Hist. lib.* 3. *capp.* 33. 35. & 39. Hieronym. *de Script. Eccles.* Baron. *An.* C. 118. *&c.*

Papias, seu *Pappus*, Alexandrinus, discip. Theonis Philosophi, sub Theodosio M. Descriptionem terræ edidit, & tractatum de Lybiæ fluviis. Vide *Pappus*.

Papias, Grammaticus, qui scripsit Dictionarium Latinum ordine literarum.

Papiense territ. *il Pavese*, pars est Duc. Mediolan. versus Ticinum urb. In duas partes à Pado scinditur, habetque ad Boream agrum Mediolan. ad Ortum Laudensem, & Duc. Placentinum, ad Merid. ditionem Genuensem, ad Occid. agros Dertonensem & Alexandrinum. Ejus etiam pars est Laumellina tractus. Urbes sunt Ticinum, Mortaria, Voghiera, & Bobbium.

Papinianus, J. C. Severo Principi gratissimus, Scævolæ discipulus, qui ei in advocatione fisci successit. Is est, cui filios suos Severus moriens commendavit, sed deinde ab Antonino Caracallâ securi percussus est. Causâ necis traditur, quòd Caracalla, interfecto fratre Getâ, ei mandaverit, ut & in Senatu, & apud populum facinus dilueret: illum autem respondisse, *Non tam facile parricidium excusari posse, quàm fieri.* Spartianus, *in Sev. Geta & Carac.* ubi eum Jurisprudentiæ decus, & thesaurum legum appellat. Dion. *in Caracalla*, Herodian. *lib.* 4. Fischard. *de vit. Jurisc.* Fuerat Advocatus Fisci primò, dein Prætorio præfectus.

Papinius, prænomine *Sextus*, consulari familiâ Gn. Acerronio, C. Pontio Coss. repentinum & informem exitum dilegit, jacto in præceps corpore. Causâ ad matrem referebatur, quæ pridem repudiata, adsentationibus atque luxu pepulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret. Igitur accusata in Senatu, quanquam genua patrum advolveretur, urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum juventæ exiret, Tacit. 6. 49.

Papinius Statius, Neapolitanus, inter Heroicos poëtas relatus, haud ignobili genere ortus est. Quidam scribunt, majores ejus oriundos esse Epiro, diuque versatos Sellis, non sine admiratione ingenii & probitatis. Patrem Papinium habuit, qui, ob insignem eruditionem, egregiasque virtutes, Neapoli civitate donatus est, in qua Statius poëta natalem suum habuit. Composuit multa & varia poëmata, Vide *Statius*, & Crinitum *de Vit. Poët.*

Papinogroda, urbs recens Moscoviæ Bor. in Petzora provinc. ad Petzoram fluv. in ipso Siberiæ limite.

Papiria, sive *Papisia*, gens patricia Romæ fuit, minorum gentium, teste Cicer. Habuit cognomina *Mugillanus, Crassus, Cursor, Prætextatus, Maso* & *Patus*, è quibus nobilissimæ familiæ Mugillanorum, Crassorum & Cursorum. Vide *Papyrius*.

Papiria, gens fuit etiam Plebeja, *Carbonis* nomine insignita.

Papiriana fossa, vide *Fossa*.

Papirianum Jovio, quod aliis *Pyrenianum*, *Perpignan*, urbs Galliæ Narb. caput Comit. Ruscinon. Excitata è ruinis Ruscinonis, à qua dimidia leuc. Gall. distat. Ad Thetim fluv. vix 3. leuc. ab ora maris Medit. in Occ. 9. à Narbone in Mer. Antea sub Hispan. sed Ann. 1642. à Gallis expugnata, iis nunc subest. Habet arcem permunitam, sedesque est Episc. Elnensis, ab An. 1604.

Papirius, prænomine Manius, ex patriciis, vir quietis studiosus, post reges ejectos, primus creatus rex Sacrificulus. Videatur Livius *lib.* 11.

Papirius, centurio, à Mutiano ad cædem L. Pisonis Proconsulis Africæ missus: de quo vide Tacit. *Hist.* 4. 49.

Papirius ager, in Latio circa Tusculum.

Papirius lacus, seu *Papirianus*, lac. parvus Hetruriæ, in provinc. Patrimonii, 3. mill. à lacu Sabatino in Ort. Campaniam versus, in Sabatia tractu; *Lago di Strettia cappa*. L. Holstenius, Ahi.

Papitium, urbs Paphlagoniæ, Stephan.

Papius Mutilus, prænomine *Marcus*, & *Quintus Poppeus*, Consules fuêre suffecti, ab Augusto Cæsare An. U. C. IↃCCLXI. sub quibus Lex de maritandis Ordinibus ab Imperatore, quamvis invito populo, perlata: quæ inde *Papia Poppæa* dicta, quam perperam Alexander ab Alexandro, Beroaldus ac Zasius *Papiam Pompejam* appellant.

Papo Johannes, Senator Parlamenti Paris. sec. præt. Scripsit Syllogen Senatuscoss. & Tres Notarios. Moretius *in Dict. Hist.*

Pappa, Orondicorum urbs in Galatia, Ptol.

Pappenhaimum, opp. Sueviæ, ad Alemannum fluv. sub proprio Comite. Vix 3. leucis ab Aichstatto in Occident. Nerolingam versus 5.

Pappus Alexandrinus, floruit sub Theodosio M. Scripsit octo *Mathematicarum collectionum* libros. Idem Mathematicâ συντάξει in Ptolemæum magnum sibi nomen consecutus est. Etiam supersunt ejus explicationes, in Aristarchum Samium, de magnitudinibus & distantiis Solis ac Lunæ. Convertit Latinè, ut & Aristarchum, Federicus Commandinus. Editus est Pisauri Ann. 1572. Librum quoque de fluviis Libyæ, nec non universalem Chorographiam reliquit.

Paprimis, urbs Ægypti, Stephan.

Papuli Fanum, urbecula Occitaniæ Episcopal. versus montes, juxta amnem *Lampi*, 9. leuc. à Tolosa in Eur. Carcassonem versus 5. in tractu Auraicensi *Lauraguais*, prope castellum Arianorum, A S. Papulo, quem à Pappo, *Pappolum*, & *Pappulum* vett. dixere, Galli *S. Papoul*: qui nomen suum dedit illustri veterique Cœnobio, quod *Monasterium S. Papuli* in Tolosano pago dicitur Ludovico Pio, *in Constit. de Mon. Regni ac Imperii sui, An.* 817. ut & huic urbeculæ, quæ distat à Castro Novo Arrii, 3. mill. pass. Diœcesis Sanctipapulensis in Volscis Tectosagibus continet 45. parœcias, ut Morer. ait: & ut Valesius habet, civitatem S. Papuli; Castrum Novum Arrii, *Castelnau d'Arri*; Mansum S. Puellarum, *les Mas saintes Puelles*; Montem Maurum, *Montmaur*: Villam Novam, Verdunum, *Notit. Gall.*

Papuorum reg. id est, *Nigrorum*, pars Terræ Australis, angusto freto à nova Guinea separata; Europæis vix nota versus oram littoralem.

Papyrius Carbo, cum dentibus natus, Plin *lib.* 7.

Papyrius, à velocitate *Cursor* dictus, Dictator, quum Consulem se, adversis ominibus, contra Samnites progressum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus, edixit Fabio Rutiliano, seu, ut alii legunt, Rulliano, Magistro equitum, quem exercitui præposuit, ne manus cum hoste consereret. Sed cùm ille opportunitate ductus pugnasset, ac vicisset, An. 429. U. C. reversus eum securi ferire jussit: Ille in urbem confugit, nec supplicem Tribuni tuebantur, Deinde parentis lacrymis, populus veniam precibus impetravit. Papyrius item de Samnitibus triumphavit: Postquam illos An. 435. quoque, missis sub jugum eorum 7000. & Luceriâ captâ: atque denuo An. 445. superasset. Liv. *lib.* 9. Aur. Victor, *de Viris Illustr. cap.* 31. Florus, &c.

Papyrius Cursor, superioris filius de Samnitibus secundùm patrem, omnium pulcherrimam victoriam reportavit, Ædemque Fortunæ de manubiis faciendam locavit.

Papyrius Crassus, quum Privernates intra mœnia fugasset, ac pro rebus benè gestis triumphus ei negaretur, in monte Albano triumphavit, & pro laureâ usus est myrteâ coronâ, Valer. *lib.* 4.

Papyrius Massonius Johannes, Advocatus Parlamenti Parisiensis. Jesuita primùm, Neapoli per biennium docuit, dein in Galliam reversus eodem munere aliquot in locis functus est. Ordine post hæc Jesuitico relicto, Carolo IX. epithalamium scripsit, aliaque, quæ ipsi nomen ingens pepererunt. Juri dein Andegavi, sub Balduino, operam dedit, unde Advocatus postmodum Parlamenti evasit. Edidit historiam Papatum, Annales Galliæ, Elogia Virorum illustrium, descriptionem fluviorum Galliæ aliaq; multâ eruditione referta. Obiit An. 1611. ætat. 67. ex Dionysia Godarda nullâ prole susceptâ. Ejus vitam, in frontispicio Elogiorum, descripsit Jac. Aug. Thuanus, optimus Massonii amicus. Idem Massonius Papyriæ familiæ elogia scripsit.

Papyrius Mugillanus, Consul. Gesnerus meminit etiam *Papyrii* Frontonis, item Justi, qui ambo Jurecoss. celebres, item *Papyrii* Prætextati, Grammatici, *in Bibl.*

Papyrius Prætextatus, nobilis adolescens, ex eo cognomen assecutus, quòd in prætextâ & adolescentiâ magnopere visus est sapere. Cùm enim à patre duceretur in Curiam, in eâque fortè arcana quædam tractarentur, domum reversus, interrogatusque à matre, Quidnam in Senatu actum esset: *Ut dua*, inquit, *uni nubere possint.* At illa manè convocatis matronis ad Curiam properat,

perat, rogatque, ut eâdem lege viros duos habendi licentia sit etiam fœminis. Re cognitâ ingenium & constantia pueri laudata est. Macrobius.

Papyrius fœnerator, cùm C. Publium nobilem adolescentem, quem ob æs alienum paternum nexum habebat, quòd stuprum pati nollet, contumeliis ac plagis afficeret, re ad Senatum delata, damnatus est, lex deinde lata, ne quis in corpora libera ob æs alienum jus haberet, Liv. *lib.8.* Valer. Max. *de pudicitia*, *T. Veturium pro Publio*, & *C. Plotium* pro *Papyrio* nominat.

Para, urbs Brasiliæ, in parte Bor. versus ostia fluv. Amazonum, sub Lusitanis. Hinc Præfectura Paræ. Sunt tamen aliquot coloniæ Lusitanorum in hoc tractu.

Parabolani, plebeji quidam famulitio Ecclesiarum, Xenodochiorumq; deputati, & quasi adscriptitii glebæ: ut sicut illis omnino ab agrorum culturâ recedere non licebat; ita his à servitio ægrorum, qui in Nosocomiis residebant. Sic dicti, quia se in periculum maximum conjecerunt, ut qui ægrotos publicè in Alexandriâ civitate curabant. Grassante enim, ut non rarò assolet, peste, & ipsi rapiebantur, & id muneris contemptâ vitâ suscipiebant. Horum quingenti vel sexcenti erant sub Episcopo, quod non parum negotii Ægypti Præfectis facessebat. *L. 12. Cod. Theodos. de Episc. & Cler.* Baronius, *An. C.* 416.

Parabolus, insula parva contra Phœnicem, Mela.

Parabyston, forum Athenis, in quo undecim viri judicabant, & quidem res viliores. Vide Meursium *Atticarum Lectionum lib. 2. cap. 9.* & Maussaeum *ad Harpocrationem.*

Paracelsus Philippus Aurelius Theophrastus Bombastus, natus in pago Hohenheim, vel Einsideln, ditionis Tigurinæ. Solicitè educatus à Patre, qui JC. & filius nothus Principis cujusdam erat, ad Medicum studium se mature applicuit, profectioneque in Galliam, Hispaniam, Italiam, & Germaniam institutâ, multum profundæ eruditionis sibi conciliavit. Reversus in Helvetiam, Basileæ docuit, Chymicamque faciens Medicinam, famam sibi magnam comparavit. Offensus à Judice, qui ob Joh. Lichtenfelsium Canonicum expectatione omnium citius sanatum, eum consueto salario, licet ipsi longè amplius ab ægro promissum esset, contentum esse jussit, in Alsatiam se recepit. Ordinariâ medendi ratione omissâ, Galenoque spreto, Medicorum odium in se concitavit, nec Theologiæ quidem parcens, in aliquot errores prolapsus dicitur. Opera ejus tr. volum. habentur, cum tit. *Opera Medico Chymica sive Paradoxa.* Obiit, An. 1541. An. 48. cùm ipse vi artis suæ aliis secula promisisset, Salisburgi sepultus: *Scriptor pluribus oppugnatus, quàm intellectus,* Tycho. Vide Voss. *de Phil. cap. 9 §.2.* Quenstedt. *de patr. doct.* Crassum, *Elog. Literat.*

Paracheloitæ, popul. apud Thessalos circa Maliam urbem, ad Acheloum fluv. & apud Ætolicos, Strabo. Alios in Phthiotide ponit Stephanus.

Paradisus, opp. Syriæ, seu Phœnices, ab hortorum amœnitate nomen nacta. ad Sept. Libani, supra Antaradum cum fluv. cognomine. Plin. Ptol. Item pagus Siciliæ, Steph.

Paradisus, quem Dominum Deum in Eden plantasse meminit Moyses, his verbis: ויטע יהוה אלהים גן בעדן *vajitta Jehova Elohim gan beheden*, transferentibus id Septuaginta; ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς Παράδεισον ἐν Ἐδὲμ, ut non tam voluptatem, quàm nomen proprium istius loci accepisse videantur. Origine autem *Paradisus* vox Persica est. sicut Xenophon non solùm testatur hortos à Persis *Paradisos* appellari, verùm etiam Plutarchus *in Demetrio* & Philostratus *in vitâ Apollonii Tyanei*, cùm ita scribit: Μέμνων ὁ Δαμὶς αὐτοῖς θήραν γενέσθαι τῶν ἐν τοῖς παραδείσοις χαιρόντων, οἷς ὗς λέοντάς τε [illegible] τοῖς βαρβάροις καὶ ἄρκτοι καὶ παρδάλεις. Et Pollux, Παράδεισοι. βαρβαρικὸν εἶναι δοκεῖ τοὔνομα, ἥκει δὲ καὶ εἰς συνήθειαν ἐκ [illegible] Ἑλληνικήν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ Περσικῶν. Etenim Persæ nominabant Paradisos, ampliores hortos δένδρα ἔχοντας ἥμερα, interdum etiam vivaria, ut quibusdam placere video. Agellius *lib. 2. cap. 20.* *Vivaria nunc dicuntur septa quadam loca, in quibus feræ vivæ pascuntur.* Et paulo pòst, *Vivaria, quæ nunc vulgus dicit, sunt quos Παραδείσους Græci vocant.* Quocirca Vandalorum regum paradisum in Africâ pulcherrimum & amœnissimum fontibus non tantum irriguum, sed etiam arboribus pomis onustis plenum fuisse, scribit Procopius. Unde Hesychius, παράδεισον τὴν βασιλικὴν [illegible] interpretatur. Valeant ergo, qui cum Scholasticis *Paradisum* dici volunt qu. *parans Dei visum.* Valeant, qui eum Suidâ peregrinæ hujus vocis originem aut παρὰ τὸ δεῖσαι, id est, [illegible], aut παρὰ τὸ τὴν δίαιταν, id est, βελτίων [illegible], arcessunt. Tandem hanc vocem receperunt literæ sacræ. Ait enim Solomon Eccles. 2. *Feci mihi hortos, & paradisos* (*ganoth vepardesim*) *& plantavi in eis omne lignum fructiferum.* Canticorum quoque 4. & Nehemiæ 2. eandem vocem reperias. In Novo Testamento est translata à S. Lucâ & D. Paulo ad æternam illam & beatam Dei, angelorum, & animarum felicium sedem, ut cùm Christus inquit latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Eâdem significatione accipitur Apocal. 2. ubi *vincenti lignum vitæ promittitur, quod est in paradiso.* Ubi fortè Seleuciani negarunt fuisse olim Paradisum terrenum, ut & Origenes *lib. 4.* περὶ ἀρχῶν pueriliter ratiocinatur, haud fore aliquem usque adeo stupidum, ut putet Deum agricolam fuisse, & arbores plantasse in Paradiso. Sed eum confutat Epiphanius. Quin ipsa creatio, verbo Dei facta, redarguit ineptias tales; nec esse in Paradisi historiâ semper quærendas allegorias monet Hieronymus. Fuit itaque Paradisus aliquis terrenus, sed ubi fuerit, ab eruditis disputatur. Sunt qui sub Æquinoctiali circulo constituunt, & nomine *gladii*, *torridam zonam* accipiunt. Alii in altissimis montibus ponunt, ut ad Lunarem usque circulum pertingat, aquarum diluvii expers. Nonnulli extra orbem nostrum locum illi faciunt, mysticè intelligentes omnia illa, quæ de eo commemorantur. Philo quoque Judæus cœlum intelligit. Sed hanc ejus opinionem improbat & rejicit Theodoretus multis modis, tum pariter his verbis: Ἐδὲμ οἱ μὲν τὸν παράδεισον αὐτὸν λέγεσθαί φασιν, οἱ δὲ τόπον τινὰ, ἐν ᾧ καὶ παράδεισος ἦν, ὥσπερ καὶ ὁ Ἀδὰμ ἐπλάσθη. Καὶ ὁ Ἀδὰμ ἀπὸ τῆς γῆς ἐν Ἐδὲμ γεγενημένης ἀνομάσθη, ἤτοι γῆς τὸ ὄνομα. Quanquam posteriora hæc minime sint vera, eo quòd Adamus nomen tulerit à terrâ, quæ Ebræis dicitur אדמה *Adama.* In quâ regione ergò plantatus est hortus hic voluptatis? Probabiliter loqui ac scribere videntur, qui locum ejus designant in Mesopotamiâ inter Judæam & Arabiam, maxime circa Babylonem & Seleuciam, ubi Tigris & Euphrates 4 flumina suo concursu constituunt, supra Babylonem autem uno alveo recipiuntur, & infra rursus dividuntur in flumina duo, aut potius in Chaldæâ vel Assyriâ. Sed & hanc sententiam evertere conantur nonnulli, non satis animadvertentes, ubi primi isti homines vixerint, ubi rursum condiderint, ubi Nineve prius condita ab Assur, à quo circumjacens regio Assuria, vel (quod idem est) Assyria est dicta. Suspicionis etiam nonnihil injicit, quòd inter Magorum præcepta, quorum in Chaldæâ & proximis regionibus magna fuit auctoritas, Paradisi quoque mentio fiat his verbis:

Ζήτησον παράδεισον. —

Quanquam mysticè eos de Paradiso loqui intelligat Psellus, qui disertis verbis Χαλδαϊκὸν παράδεισον vocat, & alio loco ἱερὸν παράδεισον κατὰ Χαλδαίους, quasi fuerit indubitatum sui temporis, esse aliquem Paradisum Chaldaicum. At quia perierat aquis diluvii vastatus, atque ideo digito monstrari non poterat, mysticè intelligendum existimarunt, sicut & nonnulli Christianorum Theologi. Adde quòd versus Orientem habitaverint Adam, Cain, Abel, & ab eodem tractu coloniæ fuerint in alias regiones deductæ. Post cataclysmum enim venit in Ægyptum Mizraim, id est, Ægyptus, ut Chus in Æthiopiam. Atqui Orientalis regio est Chaldæa, cujus incolæ quoque non falsò, Arcadum instar, sed magno jure se, omnium hominum antiquissimos jactare solent. Jam & ipse hortus voluptatis plantatus fuisse legitur à Deo, Genes. 2. מקדם *Mikedem*; quam vocem licèt Onkelos *à principio* vertat, Hieronymus *ab exordio*, Aquila ἀπ᾽ ἀρχῆς, Theodoretus ἐν τοῖς πρώτοις, Symmachus ἐν πρώτης; quasi ante conditum mundum extiterit Paradisus; tamen horum sententiæ omnino standum non est, cùm eadem vox *ab Oriente* quoque significet, teste Aben Ezra & aliis. Atque hâc adeo de causâ Septuaginta vertetunt κατὰ τὰς ἀνατολὰς, id est, *ad Orientem*, respicientes ad locum, non ad tempus. Baudrandus ait fuisse multis in Armeniâ majori versus montem Ararath; ex illa enim reg. profluunt 4. illi fluvii Scripturæ memorati, nempe Euphrates, Tigris, Phison postea Phasis. & Gehon, qui postea Araxes. Gehon enim fluvium Chaldaice significat, uti Araxes Persicè: Et in his partibus ponuntur etiam pop. *Etopes* quibusdam. Sed alii aliter. Hoc certum est, ante hominem formatum extitisse Paradisum. Ante mundum verò creatum non extitisse, vel inde probari queat, quòd terrestris fuerit, arbores in se fructiferas habens, fluviorumque & regionum Orientalium mentio fiat in ejus descriptione. Credibile quoque est, temperatissimam fuisse regionem hanc, atque ideo priscos illos homines vitam in plures, quàm nos, annos produxisse, cùm nondum immanis illa ventris ingluvies, verè Hydra Lernæa, irrepsisset in mundum, quæ jam & morbos plures genetat, & manes anticipat. Cæterùm periit Paradisus terrestris, eversus aquis diluvii, horridus jam & incultus, aut certè pristinâ amœnitate destitutus. Quo fluitè faciunt prorsus, quicunque eum inquirunt, eò quòd ab aliis locis quoad splendorem, culturamque, dignosci haudquaquam possit. Falluntur etiam Judæi, qui in terreno Paradiso etiamnum versari putant Thisbitem Eliam, & Enoch, cùm in cœlestem reverà translati sint, de quo Salvator locutus est pendens in cruce, & B. Paulus, 2. Cor. 12. ubi se raptum esse affirmat in Paradisum tertium adusque cœlum, atque ibidem multa audivisse verba arcana, quæ homini aperire non licet. Hæc ex Fungero. Videat eruditus Lector tractatum Anglicano sermone conscriptum, cujus titulus est: *A discourse of the Terrestrial Paradise.* Londini, excudebat Jac. Flesherus, A. D. 1666.

Parataca, urbs Mediæ, pop. *Parataceni* Straboni, & Plinio, ac *Paretaceni* Herodoto in Perside, ubi *Paratacene* regio Ptolemæo, *Paritaca* Arriano. *Paretacene* Straboni, inter Persidem & Parthiam. Ita varie de loco memoris ab auctoribus scribitur.

Paratonium, *Berton* Mercatori & aliis, urbs Marmaricæ, olim Episcop. & præcipua in orâ Boreali ac maritima, inter Apolloniam urbem Cyrenaicæ, ad Occ. 390. & Alexandriam Ægypti in Ort. 144. m. p. à Catabathmo 900. stad. in Occ. Ovid. *Met. 9.*

Isi, Paratonium, Mareoticaq; arva, Pharumq;

Baudrando nunc *Alberto*; urbecula & emporium regni Barcæ, in ora maris Mediterr. 180. mil. p. ab Alexandria in Occ. sub Turcis. Hinc *Paratonius*: Lucan. *lib.* 3.

Usq; Paratonias Eoa ad litora Syrtes.

Paragoja, vulgò *Paragoja*, seu *Calamianes*, insula Oceani Indici, per centum leucas in longum porrecta, inter Bornei insulam in Circium & Manillam in Eurum. Distat 17. leucis Hispanicis à Bornei insula, à qua pendet. Dicitur aliter Puloamum; estq; una ex Philippinis insulis latè sumptis.

Paragonticus sinus, Ptolem. *Golfo de Gugerath* nunc, teste Nigro, sinus Carmaniæ, ultra Armozum & Carpellam promontorium, Paragon, Paragontis apud Ptolæm.

Paraguaja, seu *Paraguaria*, vulgò *le Paraguay*, regio amplà Americæ meridionalis, quæ pro majori parte subest dominio Hispanorum. Terminatur ab Oriente Brasilia regione, à meridie Magellanica, & ab Occidente Peruvia & regno Chiles. In ea sunt aliquot provinciæ, nempe Paraguaja propria, *le Paraguay*, Tucumania, *le Tucuman*, Urvagia, *Urvaig*, Parana, *Parana*, Guaira, *Guaira*, Chaca, *Chaco*, & provincia fluvii Argentei, *Rio de la Plata*: Et in his provinciis sunt multæ coloniæ Hispanorum. Paraguaja autem propria provincia est inter Brasiliam ad ortum & Paraguajum fluvium ad occasum, versus lacum *de los Xarajes* extensa. Sed urbibus caret & coloniis.

Paragua.æ latè sumpta urbes:

Acaraiga, *Acaraig.*	Fanum S. Jacobi, *Sant Jago del Estero.*
Assumptio, *l'Assomption.*	Fanum S. Michaëlis, *San Miguel de Tucuman.*
Bonus Aer, *Buenos Ayres.*	Itapoa, *Itapoa.*
Civitas regia, *seu* Guaira, *Ciudad Real.*	Nova Corduba, *Nueva Cordoua.*
Conceptio, *la Conception.*	
Fanum S. Fidei, *Santa Fé.*	

Paraguajus, vulgò *Paraguay*, fluvius ingens Americæ meridionalis, in Paraguaja regione. Oritur ex lacu *de los Xaraies* dicto; deinde in austrum tendens, auctusque jam plurimis amnibus, recipit fluvios Argenteum, Paranam, Purpureum, Album, Salsum, Tertium, Carcarannam, Urvagium, seu Uraguajum, & alios; quibus auctus, per latissimum ostium in mare Magellanicum se exonerat inter promontoria sanctæ Mariæ & S. Antonii.

Paraiba, vulgò *Paraiba*, urbs munita Americæ meridionalis, in Brasilia regione, cum portu capaci, sub Lusitanis. Ab ea provincia adjacens dicitur *Capitania de Paraiba*, Præfectura Paraibæ. Urbs ipsa sedet ad fluvium cognominem, vix 8. milliaribus distans ab ora maris Borealis. Dicta fuit etiam *Frederickstadt*, Frederica, à Batavis, qui eam expugnaverant An. 1634. Sed inde ejecti fuere fortiter à Lusitanis, à quibus urbs ipsa dicitur persæpe *nossa Senora das Nieves*, seu Sancta Maria ad Nives. Et adjacent arx Sanctæ Catharinæ, & arx S. Antonii.

Paralau, Cappadociæ oppidum, in Lycaonia, teste Ptol.

Parali, Athenis dicti maritimi, inter Diacrios Oligarchicos & Pediacos Democraticos medii, de quibus Plutarch. *Solone*.

Paralipomena, Hebræis *Dibre Hajamin*, alter Chronicorum libb. duo, pars Canonis Vet. Test. ubi ea, quæ in reliquis libris Historiis prætermissa, continentur. Autor in abdito est: Interim, *in libro hoc omnis eruditio Scripturarum continetur*. Hieronym. *præfat. ad lib. Paralip.* In Paralipomena, vel *partes*, extant, Angeloni *Stromata*. Antoninus. Bedæ *Expositio*. Crommius, Lovanii, 1631. Hieronymus. Jacobus R. Don Joseph Aben Jechija, de Lapide, *Comment.* fol. Antverpiæ, 1642. Lavateri *Comm.* fol. Heidelb. 1590. Leonhartus, Lipsiæ, 1614. Malvenda. Nezenus. Pauinius. Piscatoris *Comm.* Procopius. Gaz. Rabanus. Sanctii *Comm* fol. Lugd. 1615. Serarii *Comm. posthumi*, fol. Lugduni, 1618 Strigelii *Scholia*, octav. Neoltadii 1571. Theodoreti *Quæstiones Selectæ*. Tostatus, &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

Paralus, Minoæ urbis à Carthaginensibus præfectus, amicus Dionis, quo adjutore quoque usus est in destruendo tyranno, Diodor. 16.

Paralus, vir qui primus longam navem invenit, Plin. 7. Sunt & *Parali* in Atticâ, qui *Paraliam* incolunt, Stephan. Plutarchus *Paralos*, factionem unam e tribus, quæ Athenis erant, Solonis tempore intelligit. Est etiam *Paralus* urbs Melitensium in Thessaliâ, Stephanus.

Parana, vulgò *Parana*, fluvius Americæ meridionalis. Oritur ex Guayra provincia; & deinde auctus fluviis Tibagiva, Yguasia, & aliis, per Paranam provinciam labitur; & rigatis aliquot coloniis Hispanorum, in Argenteum fluvium se exonerat. Hinc

Parana, vulgò *Parana*, provincia Americæ meridionalis, in Paraguaria regione. Habet à septentrione Guairam provinciam, à meridie Urvagiam, & ab occidente provinciam fluvii Argentei, suntque in ea quatuor coloniæ Hispanorum, nempe Fanum S. Ignatii, *S. Ignatio*, Itapoa, *Itapoa*, seu *l'Incarnatione*, Acaraiga, *Acaraig*, seu *la Natividad*, & Fanum Sanctæ Mariæ de Iguazu, *S. Maria de Iguazu*.

Paranaiba, vulgò *Paranayba*, fluvius Americæ meridionalis. Oritur in confinio Brasiliæ, & in Amazonum fluvium cadit versus ejus ostia, teste Petro Texeirâ. Hinc

Paranaiba, vulgò *Paranaiba*, provincia Americæ meridionalis, paulò supra ostia Amazonum fluvii, ubi in eum influit Paranaiba fluvius, & versùs limites Brasiliæ, teste Petro Texeirâ.

Parapasius, unus ex Parthorum regibus, qui & *Arsaces* dictus fuit. Alex. ab Alexand. 1. 2.

Paraphilus, Patr. Hierosolymitanus, successit, An. 416. Johanni 2. Successorem habuit Juvenalem, An. 429. Baron. *in Annal.*

Parapiani, populi Indiæ non procul ab Indo fluvio, Plinius *lib.* 6. *cap.* 23.

Parapotamia, oppid. Phocidis ad Cephisum fluv. Strabo. Item regio proxima Tigri fluv. Plin.

Pararenchus, nomen viri cujusdam sic dicti, quòd simularet dormientem, quò impunitius uxor ejus mœcharetur. Alciatus *lib.* 4. *Parergon cap.* 6. Pararenchus, inquit, ἀπὸ τοῦ ῥέγχειν dictus est, quod rostro seu naso sterteret, & somnum in mensâ simularet, ut est apud Festum. Quod & à quodam Galbâ factum fuisse Plutarch. auctor est, dum C. Mæcenati in uxoris suæ amorem effuso, obsequeretur. Unde proverbium, *Non omnibus dormio*. De hujusmodi curucis Juvenalis, *Sat.* 1.

Cùm leno accipiat mœchi bona, si capiendi
Jus nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.

Parasia, Polyb. regio Mediæ, ad Ort. vergens. Ubi *Parrhasii* populi, Strab.

Parasinum, opp. Tauricæ, cujus terra vulnera sanat, Plin.

Parasium, urbs olim Episcop. in Cenomanis Italiæ, apud Forum Juntuntorum, inter illud & Cremam, ab Henrico 4. Imperatore excisum.

Parasius, filius Philonomiæ cujusdam, quæ, cùm pastoris concubitu prægnans facta geminos enixa esset, Parasium videlicet & Lycastum, metu patris abjecit eos in Erymanthum, ubi in concavam quercum delati, lupam repererunt, quæ abjectis propriis catulis eosdem lactavit. Author Plutarchus.

Parasilaba, urbs Mysiæ infer. in Bulgariâ, à Joanne Zimisco Imper. expugnata, à quo *Jannipolis* dicebatur, teste Curopalate.

Paratiana, urbs Mauritaniæ Cæs. Antonino.

Paravai, pop. Thesprotiæ in Epiro, sic dicti, quòd juxta *Avon* fluv. hoc est, παρὰ Αὖον incolant, Steph.

Parca, urbs Jazygum Metanastarum, Ptol.

Parca, filiæ Jovis ex Themide, aut ex Nocte, Chao, Necessitate, &c. Deæ fatales, humanæ vitæ stamina dispensantes. Dictæ autem videntur *Parcæ à partu*, teste Varrone, eò quòd nascentibus hominibus bona malaque conferre censeantur. Sed durius cula hæc immutatio. Et, si id esset, una tantùm foret Parca; Nisi fortè dicas, pro triplici partûs mense tres fuisse Parcas, atque hoc *Nona*, & *Decima* vocibus firmari. Sed hanc qui sententiam sequatur, *tertia Parcæ* nomen itidem à numero sumptum ostendat, necesse est. Si tamen *Parcam* qu. *Partam* dici cum Varrone statuere lubet, quanto melius dixeris, *Parcam* sive *Partam* dici à *partiendo*, quia unicuique per eam fatalis vitæ suæ portio obtingat. Sane & Græci similiter Μοίρας ἀπὸ τοῦ μείρειν vocant, hoc est, *dividere, partiri*. Aliis, & pluribus, placet, *Parcis* inde nomen esse, quòd minimè *parcant*: quod etymon adferunt Apulejus, Martianus Capella *lib.* 4. Donatus *de barbarismo*. Servius *ad* 4. *Eclog.* aliique. Hinc à Statio *duræ* dicuntur, *Theb.* 6.

Sed juvenem duræ prohibebant discere Parcæ.

Eidem Statio *sævæ* & *graves* vocantur, *Sylv.* 2.

O sævæ nimirum gravesq; Parcæ.

Idem *ibidem*:

—— *Subitas inimica levavit*
Parca manus. —— ——

Ab Ovidio *tetricæ*:

Moverunt tetricas tam pia vota Deas.

Ab Horatio *iniquæ*: *Carm.* 2.

Unde si Parcæ prohibent iniquæ.

A Propertio *immites*, *lib.* 4.

Immites habuit Cornelia Parcas.

A Tibullo *tristes*, *lib.* 3.

Aut si fata negant reditus, tristesq; sorores.

Denique *inexorabiles* passim audiunt. Martialis:

Lanificas nulli tres exorare sorores
Contigit, observant quam statuere diem.

Omitto Græcos. Atqui antiphrasis, ut ait Vossius, est nugale Grammaticorum commentum, merumq; inscitiæ asylum. Quare audiendus Jul. Scalig. qui *lib. de R. Poëticâ* 3. *cap.* 90. *Parca*, inquit, *quia parcant, una enim tantùm dicitur filum incidere; duæ verò, altera vitam dare, altera vitæ tractum continuare. A pluribus igitur fit nominatio. Quin illa quoque parcit, sustinet enim aliarum opus, quoad fatorum jussibus pareat.* Hæ autem Parcæ tres esse sorores finguntur, *Clotho* scil. *Lachesis*, & *Atropos*, ita concordes, ut nulla unquam illarum dissensio, sicuti cæterorum Deorum, audita fuerit. Jovis autem ac Themidis fuisse filias scriptum reliquit Hesiodus *in Theogoniâ*, hoc pacto:

Δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας
Εὐνομίην τε Δίκην τε καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν,
Αἵ ἔργ' ὠραίουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι,
Μοίρας θ' ᾗς πλείστην τιμὴν πόρε μητίετα Ζεὺς,

Κλωθώ τε

Κλωθώ τε, Λάχεσίν τε καὶ Ἄτροπον, αἵτε διδοῦσι
Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε.

Idem tamen Poëta, *in eodem libello*, inter Noctis filias Parcas numerat:

Καὶ Μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους.

Cui sententiæ accessit etiam Orpheus, qui ita scripsit *Hymno in Parcas*:

Μοῖραι ἀπειρέσιοι, Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης.

Harum primam natu minimam, colum volunt gestare; secundam grandiorem nendo humanæ vitæ terminum præfinire; tertiam maximam natu, filum incidere, hoc est, vitam tempore statuto abrumpere. Apulejus Parcarum ternarium numerum, à triplici tempore ductum, existimat. Nam quod in fuso perfectum est, præteriti temporis habet speciem, & quod in digitis torquetur, momenti præsentis indicat spatia: & quod nondum ex colo tractum est, futuri & consequentis seculi posteriora videtur ostendere. Veracitatem Parcis fere tribuunt antiqui: Horatius *in Carmine Seculari*:

Vosq; veraces cecinisse Parcæ.

Ovidius:

Nec tua veridicæ discunt responsa sorores.

Et ante utrosque Catullus *in Argonauticis*:

Talia præfantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.

Idem *ibidem*:

Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.

Quæcunque enim Parcæ facta esse volunt, infecta fieri nequeunt, Tibullus *lib.1. cap.7.*

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli dissolüenda Deo.

Seneca Tragœdus:

Non illa Deo vertisse licet
Quæ nexa suis currunt causis.

Idem *in Hercule Furente*:

Duræ peragunt pensa sorores,
Nec sua retro fila revolvunt.

Has Parcas officio suo sedulò fungentes graphicè admodum describit Catullus, ubi supra; cujus versus non possum non adscribere:

His corpus tremulum, complectens undiq; vestis
Candida purpureâ talos incinxerat orâ,
At roseo niveæ residebant vertice vittæ,
Æternumq; manus carpebant rite laborem,
Læva colum molli lanâ retinebat amictam,
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis, dum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atq; ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaq; horridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in leni fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisonâ pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas.

Pardocas, nomen servile, Aristoph. *Ranis*, *Act. II. Sc.6.*

Paredum, quibusdam *Parejum*, ad fluv. Brebincam, 2. leucis à Ligeri, in Comit. Carolensi; Morer. numeratur inter Prioratus ad Cluniacum pertinentes, in Privil. Ludovici Crassi, Ann. 1119. Hodie *Paray le Moinal*, vocatur locus, id est, *Paredum* monachale, & Monasterium in pago Augustodunensi habet Cluniaco subjectum. Est & *Paredum Fratrum*, non procul à Burbone Anselli, à Fratribus seu Monachis ita cognominatum, *Paray le Frairy* vulgò. Hadr. Valesius *in Notit. Gall.*

Parejum Monachium, opp. Burgundiæ, in agro Carolensi, ad amnem *la Brebinche*, vix 2. leuc. à Ligeri fl. 11. ab Augustoduno in Mer. Rodumnam versus; *Paray le Monial.* V. *Paredum.*

Paremphis, urbs Ægypti. Steph. Hujus meminit nummus Tiberii Imp. apud Goltzium.

Parentalia, erant sacra funesta, quæ fiebant ab antiquis in honorem mortuorum, à *parentando*, quod parentibus justa celebrare significat, licet etiam transferatur ad alios. In his fieri solebant ἀνακλήσεις τῶν νεκρῶν, *evocationes mortuorum.* Aderant propinqui, qui parentes ob defunctum consolabantur. Latini etiam, inquit Fungerus, *feralia* nominarunt, à *ferendis* epulis, vel à *feriendis* pecudibus. Ovidius *in Fastis*, originem aperit Latinorum respectu,

Hunc morem Æneas, pietatis idoneus author,
Attulit in terras, juste Latine, tuas.
Ille Patris Genio solennia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicere novos.

Parentium, Istriæ, urbs Ep. parva, Steph. vulgo *Parenzo*, sub Venetis 7. mill. ferè ab Æmonia in mer. ferè media inter Justinopolim ad Bor. & Polam ad Austr. 28. mill.

Parermeneutæ, Hæretici Sec. 7. S. Scripturam, pro lubitu, ad suorum errorum patrocinium, detorquentes. Johann. Damasc.

Pares Curiæ, Regis, vel Regni, quos Tacitus *Comites* vocat, sunt in genere, qui in eadem Curia pari funguntur potestate, parique lege & conditione vivunt. Convasalli, seu Conclientes ejusdem Curiæ seu dominii, pari classe constituti: Burchardo *Socii* dicti. Horum est de rebus judicare, ad Curiam illam spectantibus, prædiorum transactionibus interesse, & de iisdem fidem facere, testimoniumque adhibere. Origo vel à Gallorum ambactis, apud Cæsarem, vel à centenis apud Tacitum Comitibus, qui per pagos jus dicebant, & Principi Concilium aderant, vel eo altius à centumviralibus apud Romanos judicibus, arcessitur, &c. Hi prisco jure feudali domino adesse tenebantur in causis quibuslibet gravioribus, domi consilio, foris armis, ubique fide, obsequio, & necessario auxilio. Ipsi insuper de se ipsis cognoscebant, neque nisi secundum judicium *Parium* suorum judicabantur. L. Longob. *libr. 3. titul. 8. libr. 4. Conrad. Imp.* In specie,

Pares Franciæ; sunt XII. Ministri coronæ Gallicæ, & principes Consiliarii Parlamenti Paris. *Curia Parium* propterea dicti. Horum *Sex Ecclesiastici*, Nempe Arch. Remensis, Episcop. Lingonensis, Laudunensis. *Duces Pares*; Bellovacensis, Noviodunensis, Cabillonensis, *Comites Pares Sex Laici*, Burgundiæ, Normanniæ, Aquitan. *Duces*; Flandriæ, Tholosæ & Campan. *Comites.* Instituti sub Roberto Sapiente. Favin. *de offic. Coronæ Gall. l 3. c.1.* Tiller. Pasq. Duch. &c. Exemplum Regum suorum sequutos ait Had. Valesius, non duces modò & Comites, atque adeo Episcopos, sed etiam parvorum oppidorum nonnunquam & castellorum, dominos, qui suos sibi *Pares* plerunque numero XII. habere voluerint. Hinc qui Ducibus assidebant, in privatis judiciis aut in conventibus publicis, *Pares Ducatus* aut *Pares Curiæ*, Aquitanicæ, vel Burgundicæ & similium: qui Comitibus aderant Barones aut Proceres, *Pares Comitatus* Flandriæ v. g. aut *Pares Curiæ* Flandrensis: qui in consilio erant Episcopis Barones, hujus aut illius *Episcopatus Pares* vocatos esse. Certe Lambertus *Chronico de Comit. Gisnens.* duodecim Curiæ Flandrensis *Pares & Barones* fuisse: ac Comitatum Gisnensem totidem *Pariatus* ac *Baronatus* à priscis temporibus habuisse, atque etiam duodecim *Pares vel Barones* castro Ardæ Arnoldoque Domino Ardensi subjectos fuisse refert. Similiter & Johannes Parisiensis *in memor. Histor.* Optimates Germaniæ, qui Imperatorem eligunt, numero XII. esse ait, *Paresq;* etiam appellari. V. Valesium *Notit. Gall. in Durocortoro Remorum.* Iidem *Consiliarii* vocati: Unde Philippus Valesius R. Gall. An. 1339. in literis suis, Johannem Lingonensem Episcopum Consiliarium suum appellat, quod modò laudatus Valesius *Parem* interpretatur: qui idem ex Chartulario Ecclesiæ Lingonicæ, ad An. 1275. XII. *Parium Franciæ* hunc ordinem affert: *Comes Flandriæ, Dux Aquitaniæ, Dux Burgundiæ, Dux Normanniæ, Comites Tolosæ & Campaniæ: Episcopi Bellovacorum, Noviomagi & Catalaunorum, Comites Pares: Antistites Remorum Laudunii & Lingonum, Duces.* Adduntque, *Comites Britanniæ, Niverni, Atribatum, Andicavorum, Marchiæ, splendore & potentiâ ad Pares proximè accedunt: quibus adjungi possunt Comites Blesenses, Antissiodorenses, Ternodorenses, Durocassini, Claromontenses, oppidi S. Pauli: domini Burbonii, Bellijoci & Codiciaci.* V. eundem in voce *Lingones.*

Paretaceni, vel *Paresitaceni*, Vide *Parætaca.*

Pareus, David, Francostenii Silesiorum natus, A. 1548. Theologus Heidelbergensis celeberrimus: Commentariis in Scripturam solidè elaboratis, & dispp. adversus Robertum Bellarminum immortale nomen adeptus est. Extremus ipsi labor, in poliendo corpore doctrinæ, à Zach. Ursino collecto, fuit. Obiit Heidelbergæ, ubi 38. ann. docuit, A. C. 1622. æt. 74. postquam triennio antè per quietem vidisset, totam urbem occulto incendio undiquaque fumigantem, arcemque flammis sævissimis conflagrantem: atque hoc viso exclamasset, *ô Deus clementissime, averte sinistrum omen, & serva Sareptam tuam!* Quòd de Monarchico regimine liberius scripsisset, Comm. ejus a. Rom. Londini alibique exustos, refert Guil. Crowæus *Elench. Scriptorum S.* Pater fuit Philippi: Utriusque Opera 3. Volum. fol. excusa sunt Francof. 1647. & seorsim alibi.

Pareus serpens, διὰ τὸ παρειὰς μείζους ἔχειν dictus, vel διὰ τὸ ἐπαίρεσθαι τὰς παρειάς, quòd maxillas habeat inflatiores & majores, raró mordet, neque ferè unquam lædit.

Paria, insula parva Phœnicii maris ante Joppen urbem Palæstinæ, *Arsuffo* ex tab. recent.

Paria, Regio Americæ meridionalis, prope oram maris Borealis, in provinc. *Terra ferma*, à Christophoro Columbo detecta, in qua ingentia coccinei sive Brasilici ligni nemora lucusque. Arbores ipsæ in non credibilem altitudinem excrescunt, fama est plerasque vix sedecim virorum brachiis comprehendi posse, Merel. Inter fluv. Orenocum ad Ort. & Venezuelam ad Occid. Pars est præcipua Vandaliriæ, quæ hinc *Paria* sæpe dicitur. In ea est una alteraque colonia Hispan. Vide *Nova Vandalitia.* Hinc & *Paria sinus*, pars maris Bor. in Pariam excurrens, inter ipsam ad Occ. & Trinitatis Inf. ad Ort. Baudrandus.

Pariani, populus in Hellesponto, qui Amorem Deum venerantur.

Paricane, urbs Persica, Stephan.

Pariedrus, & *Pariedri*, numeri plur. *Paryadris* Ptolem. *Leprus* Jovio, mons Armeniæ altissimus ex quo Euphrates & Araxes flum. profluunt.

Parienna, opp. German. in Silesiâ, oppid. Gothinorum. Nunc *Frideck* Villanovano, ad radices montium, in ipso limite Moraviæ, vix 8. mill. pass. ab Odera fluv. Brietio autem est *Parn*, Moraviæ oppidulum.

Parilia, vide *Palilia*.

Parimeus lacus ingens, in Gujana reg. Jaois, pop. *Roponovini*, longè ab ora maritima, instar maris amplissimus, sed Europæis nomine tantùm & Famâ notus.

Parinacora, prov. regni Peruviæ, versus Andes, inter Urbem Regum ad Circ. & Lacum Titiacam ad Eur. sub Hisp.

Paris, *idis*, Priami & Hecubæ filius, alio nomine *Alexander* dictus, cujus matri, cùm illa se facem ardentem parere somniasset, conjectores responderunt, Fore, ut filius, quem in utero gestabat, causâ esset excidii Trojani. Quâ re cognitâ, Priamus puerum, ubi primùm fuit natus, Archelao servo exponendum tradidit. Contra Hecuba cùm materno affectu, tum infantuli formâ commota, curavit, ut furtim nutriretur à pastoribus in Idâ monte. Ubi cùm adolevisset, Oenonen Nympham amavit, & compressit, suscepitque ex eâ duos filios. Porro eùm in dirimendis controversiis esset æquissimus, maximam justitiæ famam sibi compa: avit, adeo ut orta inter Deas, Junonem, Palladem, & Venerem disceptatione de formæ præstantiâ, propter aureum malum à Discordiâ ad Pelei nuptias illatum, in quo scriptum erat; *Detur pulcherrimæ*, judex sit constitutus. Quas cùm vidisset nudas, sententiam tulit secundùm Venerem, quæ pulcherrimam fœminarum illi promiserat, neglecto regno, quod pollicebatur Juno, & contemptâ, quam Pallas offerebat, sapientiâ. Prop. 2. 2.

> *Cedite jam Divæ, quas pastor viderat olim*
> *Idæis tunicam ponere verticibus.*

Ovidius 1. *de Art.*

> *Luce Deas, cœloq; Paris spectavit aperto,*
> *Cùm dixit Veneri; Vincis utramq; Venus.*

Coluthus in *de Helena raptu*:

> —— Αὐταὶ γὰρ ἰθύνεσθε μελῦσαι
> Ἰδαίης ὀλυμπέλων ἐπὶ σκοπιῆς Φαλάκρης,
> Καὶ Πάριν οἰοπόλευσιν ἐφεζομένου θοώκοις,
> Καὶ Χαρίτων βασίλειαν ἀγαλλομένην Ἀφροδίτην.

Præterea cùm esset fortissimus, in agonali certamine, quod ad Trojam agebatur, cùm alios omnes superavit, tùm ipsum etiam Hectorem, qui cùm ægrè ferret à pastore se esse superatum, gladiumque in eum stringeret; Paris illi aperuit, se ejus fratrem esse germanum, quod & allatis crepundiis probavit. Sic igitur cognitus à patre receptus est. Deinde constructis viginti navibus, sub specie legationis, ad repetendam Hesionem, in Græciam missus est, ubi à Menelao hospitio est receptus. Verùm eùm ille necessariâ de causâ in Cretam navigare cogeretur, Paris sibi occasionem rei benè gerendæ oblatam ratus, Helenam, quam mutuo amore deperiebat, rapuit, & in Asiam abduxit. Herodotus tamen author est, in Græciam venisse, absente Menelao, Helenæque pulchritudine captum, Spartam expugnasse, illamque etiam renitentem, & omnes regios thesauros rapuisse, & ob id postea Helenam à viro recipi meruisse. Prop. 2. 15.

> *Ipse Paris nudâ fertur periisse Lacænâ,*
> *Cum Menelao surgeret è thalamo.*

Horatius *lib*. 2. *Odyss*. 15.

> *Pastor cum traheret per freta navibus*
> *Idæis Helenam perfidus hospitam.*

Ovidius 2. *de Art. Am.*

> *Talis ab armiferis Priameius hostes Amyclis,*
> *Candida cum raptâ conjuge vela dedit.*

Statius *in Achilleide*:

> *Solverat Oebalio classem de litore pastor*
> *Dardanus, incautas blandè populatus Amyclas.*

Ex hoc raptu secutum est bellum Trojanum, in quo singulari certamine cum Menelao Paris congressus, cùm penè vinceretur, à Venere pugnæ subtractus est. Postremo Hectore ac Troilo fratribus occisis, eùm ipse, sumpto arcu & sagittis, quibus plurimum valebat, Achillem, sub prætextu despondendæ Polyxenæ sororis, in templo Thymbræi Apollinis interfecisset, ipse quoque à Pyrrho, sive (ut aliorum est opinio) à Philoctete occisus est, post cujus mortem Helene Deiphobo nupsit. Hunc Homerus ubique parum strenuum inducit, amoribusque ac citharæ, quàm tractandis armis aptiorem. Unde est illud apud Ovidium *in Epistola Helenes*:

> *Bella gerant alii, tu Pari, semper ama.*

Paris, rex Galliæ, anno fere ante Romam conditam 660. Hic urbem Parisiensem, omnium florentissimam condidit, ac de suo nomine vocavit, Maneth. & Ann. *in Comment. ejusdem*.

Paris, histrio, Libertus Domitiæ, Neronis amitæ, qui solebat Neronis luxus intendere cœnæ tempore, ejusque animum demulcere, Cornel. Tacitus. Tranquillus ait à Domitiano eum fuisse interfectum, quasi gravem adversarium. Idem scribit Domitianum uxorem repudiasse Paridis histrionis amore perditam. Eum intelligit Juvenalis, cùm ait:

> *Quod non dant proceres, dabit histrio.*

Quem alibi palam nominat; ut *Sat*. 6.

> *Utq; magis stupeas, ludos, Paridemq; reliquit.*

Et Satyrâ proximâ, de Papinio Statio:

> *Esurit, intactam Paridi nisi vendit Agaven.*

Ejus instigatione Juvenalis à Domitiano ab urbe in Ægyptum missus est. Vide *Juvenalis*. Paridis epitaphium apud Martialem tale extat:

> *Quisquis Flaminiam teris, viator,*
> *Noli nobile præterire marmor.*
> *Urbis deliciæ salesq; Nili,*
> *Ars & gratia, lusus & voluptas,*
> *Romani decus & decor theatri,*
> *Atque omnes Veneres, Cupidinesq;*
> *Hoc sunt condita, quo Paris sepulchro.*

Paris, Vide quoque *Alexander*, *Johannes*, *Julius*, *Matthæus*.

Parisades, rex Ponti tempore Alex. Magni, Polyæn. 7.

Parisii, pop. Gall. Celt. Horum meminit Cæsar *Comment. lib*. 6. referens, illos cum Senonibus fœdus perpetuum iniisse, 40. aut 50. Ann. ante quàm ipse Gallis bellum inferret. Horum quidem gentium in Gallia populi, liberi tamen & sui juris tum erant, nec nisi domesticis Magistratibus, aut Regibus, & totius Galliæ concilio paruerunt, quod contra Samsonem, monet Valesius. Cùm dein *lib*. 7. ad Alesiam obsidione liberandam armata est Gallia, imperata leguntur *Turonibus & Parisiis & Helvetiis sena millia*. Celtis potius, quàm Belgis accensiti, apud eundem *lib*. 1. *& 11.* Plinio in Gallia Lugdun. ponuntur, inter Meldos & Trecasses; ut & Claudio Ptolemæo, qui eorum urbem Λουκοτεκίαν vocat. A sinistra ripa Sequanæ, ad fines Carnutum & Senonum ac Meldos pertinent; à dextra Meldorum, Sylvanectum, Bellovacorum, & Velocassium diœcesibus coarctantur: è quibus Velocasses & Meldi Celticæ, Bellovaci ac Sylvanecti Belgicæ adscribuntur. Quæ ad sinistram ripam sunt Parisiorum, in Celtica: quæ ad dextram, in Belgarum finibus propriè consistunt: quæ tamen inter dextrum Sequanam & lævum Matronam Parisiacæ diœceseos sunt in Briegio, Celtica sunt. Intra horum fines fluunt Sequana, Matrona ac Isara: & minores fluvii Crodoldus *le Crou*, qui Rodonum *Rone* recipit; Edera, *Jerre*: Beveta *Bievre*: Urbia seu Orgia, *Orge*; qui Ivetam & Remandam recipit, & Junna *Juine*, nec non Separa, *Sevre*, qui vico suo nomen dedit, ut & Edera ac Beveta. Eorum urbs Episcop. ac Regia, ad Sequanam fluv. interfluentem; urbs *Parisium* Zosimo, *Parisius* à Ven. Fort. ab aliis *Lutetia Parisiorum*, vulgò *Paris* dicitur. An à Samothe, an à Paride 17. Rege Gallorum vett. condita? Certè Româ antiquior, Euseb. Julius Cæsar ejus meminit *lib*. 7. & Julianus Apostata, qui diu ibi moratus est. Nominis originem quidam à Paride Trojano, alii à Luco, octavo Gallorum Rege, nonnulli à Paride Romi filio, vel Iside ibidem culta, vel à Parrhasiis Arcadiæ pop. ab Hercule huc deductis, vel à λευκότης, *candor*, vel à παῤῥησία, *loquendi libertas*, arcessunt. Vide Guilielm. Briton. *lib*. 1. *Philipp.* qui tamen, cum plurimis aliis, à luto Lutetiam, quia in loco uliginoso sita est, dictam mavult. *Non Urbs sed Orbis est*: & Carolus V. an Sigismundus? dixit olim, se in Gallia vidisse, *Mundum, Urbem & Pagum*, Lutetiam, Aurelianum & Pictavium. Palatium, ubi Parlamenti, quod à Philippo Pulchro fixum redditum est, sedes, prisca fuit regia. Lupara hodierna est, à Ludovici XII. temporibus. Hanc Philippus Aug. inchoavit, ærarii sedem & illustrium virorum tum carcerem: Carolus V. reparavit & auxit: quod idem Franciscus I. &c. facere perrexerunt. Ludovicus XIV. insignem ei addidit colophonem. Academia hìc celeberrima, fundata à Carolo M. aucta à Ludovico VII. & Philippo Augusto, &c. Hæc Evangelio æterno, ut vocabant, à fratribus Prædicatoribus publicato, se opposuit, circa An. C. 1280. Matth. Paris. *in Henr*. 3. Indulgentias publico scripto refutavit, An. C. 1350. Mornæus, *in Myster. Iniq.* Ludovico XI. in gratiam Pontificis, Pragmaticam sanctionem abolere volenti, perniciosissimum id Regi Regnoque fore demonstravit, &c. Dicitur continere hodiè vasto ambitu ædes 50000. Vicos 413. à Clodovei I. tempore, qui hanc sibi sedem elegit; indies novâ accessione aucta: portas 17. cum totidem ferme magnificis suburbiis, è quibus id, quod S. Germani nomen habet, amplitudine & ædificiorum splendore, pulcherrimis Galliæ civitatibus palmam dubiam reddit. Multa olim hæc Urbs à Normannis passa, An. 845. & 856. ab iisdem obsessa An. 886. & 890. sub regno Ludovici Ultramarini non parum afflicta est. Capta ab Anglis, sub Carolo VII. & à Ligistis, quibus illam Henricus IV. memorabili fame in extremas angustias redactam, denuo eripuit, Thuan. *in Hist*. Tota ferme arsit, Ann. 585. ante quod infortunium, dum fundamenta alicujus ædificii locarentur, serpentem muremque æneum effossum, quæ velut imagines astrales (*Talismans*) hactenus ab incendio urbem tutam præstiterint, secundùm superstitiosam vett. traditionem, narrat, Greg. Turon. *Hist. Franc.* Iterum arsit, An. 1034. contrà, aquarum eluvionem sensit, An. 1206.Onienâ *Parisiensi*, non exiguam labem sibi contraxit, An. 1572. Vide Thuan. *in Histor.* cujus parens illud, *Excidat illa dies ævo*, propterea in ore habuit. Nec tamen Ecclesia

Reformatorum, cui in hac urbe Massonius Riverius, summæ pietatis & eruditionis vir, Andegavi eodem anno funesto mactatus, prima fundamenta jecerat: cuique superædificarunt Jacobus Ripanus Andegavensis, & hic martyr: Colongius & Antonius Sadeel, circa An. C. 1554. extingui potuit, usque ad hæc tempora. Plura vide apud Morer. *in Dict. Hist.* Hic Concilium An. 362. à S. Hilario Pictaviensi, contra Arrianos habitum, & fides, de Consubstantialitate Filii stabilita est, excommunicato Saturnino Arelatensi. An. 555. quo Saffaracus Episcop. ob crimina depositus. An. 557. An. 575. quo Gontranus Rex litem, inter Chilpericum & Sigebertum exortam, componere conatus est. An. 624. à Clotario 2. celebratum. An. 824. ubi de imaginibus actum: decrerumque, *nec stulta præsumptione abolendas, nec superstitiosâ affectione adorandas, sed memoriæ causâ habendas*, contra Concil. Nicenum 2. An. 828. à Ludovico Pio, ad Deum contra Normannos implorandum. An. 846. An. 1050. ab Henrico 1. contra Berengarium, An. 1059. quo Philippum 1. fil. hic coronari voluit. Ann. 1073. 1091. 1145. contra Gilbertum Episcopum Pictav. 1147. contra eundem, 1186. & 1188. à Philippo Aug. pro Terra Sancta. An. 1196. quo Philippum Reg. legati Papæ cogere volebant, ut Agnetem Meraniam dimitteret. An. 1202. contra Eberardum. An. 1210. contra sectatores Almerici, A. 1212. 1223, contra Albigenses: ut & A. 1225. &c. Porro Ann. Chr. 1610. à Parlamento liber Bellarmini Cardin. de potestate Pontificis R. in temp. damnatus, & An. 1611. ejusdem authoritate Jesuitæ jussi sunt subscribere his assertionibus: *Concilium supra Papam esse: Papæ in temporalibus potestatem esse nullam: Non licere ei Reges excommunicare: Clericos crimen læsæ Majestatis incurrere: Quæ in Confessione ad Remp. spectantia cognoscuntur, omnino deferenda esse*: Cui actui Condæus Princeps, & Episcopi Belluacensis ac Laudanensis, pares Regni, interfuere. An. 1612. hic condemnatus Edm. Richerii, *de Eccles. & Pol. potestate*, liber, &c. Archiepisc. facta à Gregorio XV. An. 1622. Galliæ est caput, & totius Europæ maxima. Tractus adjacens *le Parisis* limites perdidit; estque in prov. Insulæ Franciæ. Vide *Lutetia*, & infra *Parisiorum ager*. Sunt & *Parisii*, qui & *Parisi* pop. Albionis in Angliâ, quorum tractus *Holdernesse* in Comit. Ebor. teste Camdeno, dicitur. An ex prioribus orti? Eorum urbs *Petouaria*. Ptolem.

Parisiorum ager, aliis *Parisiacus* terminus, vel pagus appellatur. Ejus finibus nunc continentur à dextra ripa Sequanæ Francia propriè dicta, non tamen tota. Ager Parisiacus (*le Parisis*) veteris Pagi vix quinta portio: & Alnetum (*l'Aunay*) à vico cognom. A sinistra pagus Joviacensis, vulgò *Josas*, aliàs Huripensis; & pagus Castrensis, quorum alter Joviaco *Jouy*, alter Castris, *Chastres* nomen suum debet: Vallis Galliæ *le Vau de Gallie*, à Gaudii Valle Abbatia, *Joye en Val*, & Meo Gaudio *Monjoye*, usque ad Versalias & Monasteriolum, ac Vicum S. Chlodoaldi pertinens: atque inter Sequanam ac Matronam pais Briegensis pagi. Alii Pagum *Parisinum*, Gallicè *le Parisi*, à porta urbis Lutetiæ hinc ad Brivam Isaræ, inde ad Clojam *Claye*, pertinere asserunt.

Castella in Agro Parisiaco:

Braja, *Braye Comte Roberi.*	*le Chastel.*
Bruerïæ, *les Brujeres.*	Gornacium, *Gournay.*
Caprosia, *Cheuvreuse.*	Livriacum, *Livry.*
Castra, *Chastres.*	Lusarchiæ.
Castra in Bria.	Malliacum, *Marly le Chastel.*
Castrum Forte, *Chateaufort.*	Malus Repastus, *Maurepas.*
Cauda, *la Queñe.*	Mons Gajus, *Mongé.*
Confluentes Isaræ & Sequanæ,	Mons Letherici, *Montlebери.*
Conflans.	Mons Maurentiacus, *Morancy.*
Corbolium, *Corbeil.*	Torciacum, *Torci.*
Fossatum Bataudarum, *Fossez.*	Turnomium, *Tournon.*
Gomedum Castellum, *Gomets,*	Villa Petrosa, seu Villa Pirosa.

In Parisiacæ Ecclesiæ finibus vetera Chartaria numerant vicos amplius 360. quibus accessere recentiores, circiter 70. de quibus vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Parisus, Strab. Pannoniæ fluv. per Scardiscos in Danubium fluens.

Parita, urbs Veraguæ, cum portu in ora maris Austrini. Hinc sinus *Parita.*

Parium, civitas Asiæ in regione Mysiæ min. ad Propontidem, mill. p. à Lampsaco in Orr. Cyzicum versus, 35. circiter, ex quâ fuit Neoptolemus cognomento Glossographus, vir memoratu dignus, Strab. *lib.* 10. & 12. Parii quoque ortus est Archilochus poëta Iambographus, unde Horatius,

——— *Parius ego primus Jambis, &c.*

Nonnulli tamen hunc ad *Paron* insul. referre. Vide Steph. in Πάριον, qui à *Pario*, Jasonis filio dictum tradit. Juxta hanc urbem teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 2. gentes sunt quæ Ophiogenes vocantur. In eodem oppid. Cupido nudus fuit par Veneri Cnidiæ nobilitate & industriâ, atque & Thespiis in Bœotia, præcipuè cultus, cujus Sacra *Erotidia* dicta. Item apud Colchos & Idalium, Catull. & apud Ægyptum urbem, Pauf. & apud Samios, ubi *Eleutheria*. Ejus meminit Val. Flacc. *lib.* 2.

Jam juga Percotes, Pariumq; infame fragosis
Ex superavit, Pythiamq; vadis.

Pario adhuc Sophiano, *Parisio* Nigro. Ab Homero *Adrastiam* appellatam tradit Plinius; Eandem & *Pastos* apud Homerum dici scribit Camerarius.

Parius, Tarsensis quidam, quem supra Dianæ ædem decumbentem febris adeo vehemens corripuit, ut eum tandem oppresserit. De illo Hippocrates *lib.* 3. *de morbis vulgaribus*, ejusque interpres Galenus *Comment. lib.* 3.

Parlamentum, à Gall. *parler*, id est, loqui, Colloquium signat solenne omnium Ordinum Regni, authoritate solius Regis, ad consulendum, statuendumque de negotiis regni, indictum. *Parliamentum* & *Parlementum* quibusdam. Hujus specimen inter Normannos, Saxones, Britannos quærunt Philologi. Britannos tepide, ex illo Cæsaris *lib.* 5. *Summa imperii belliq; administrandi* Communi Concilio *permissa est Cassivelanno*. Sed in his Conciliis, nec Regis adfuit præsentia, nec auctoritas. Saxonum mos, è Germanorum agnoscitur, *De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes*, Tacit. Conciliorum igitur duo posthac, apud Anglos, genera: Ecclesiasticum, quod expediebant Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Clerus; præsentibus etiam sæpe ipso Rege, cum Magnatibus populique Senioribus: Seculare, cui post Regem aderant Prælati antedicti, & Aldermanni (aliàs Seniores atque Sapientes Regni) hoc est, Duces, Comites, Proceres & Magistratus nonnulli. Inas Rex Occidentalium Saxonum, An. 712. leges suas condidit, *Concilio & documento Cenredi patris, Hedde & Erkenvvold: Episcoporum, omniumq; Aldermannorum, & Seniorum sapientum populi sui, magnâ etiam servorum Dei frequentiâ.* Guilielmus postea I. Conquestor dictus, à conquirendo, id est, acquirendo Angliam, terram totam inter Magnates suos sic disposuit, ut suum quisque patrimonium de Rege teneret in Capite per servitium plerumque Baroniæ. Hinc Magnates Barones Regis, & Barones Regni nuncupantur, Regni etiam Capitanei, quòd in Capite, id est, à Rege tenuere, & in librum *Domesdei* conscribuntur singuli. Patrimonia horum quisque sua feodorum nomine dispartitur suis quisque clientibus, quos vulgò *Milites* vocant: & hi vicissim inter Tenentes suos & Colonos. Hi Feodales domini ex assensu Vasallorum suorum, qui *Pares feodi & Curia sua* dicti, leges ferebant, de rebus feodi sui: & Rex perinde Consilio & assensu Baronum suorum leges olim imposuit universo regno, & consentire inferior quisque visus est, in persona domini sui capitalis. Convenire igitur solebant Barones Regis, quoad opus fuerat, ter quotannis ad Aulam Regiam, nempe ad Natale Domini, ad Pascham & ad Pentecosten, cum quibus Rex coronatus publice de negotiis Regni constituit. Hunc morem mutavisse Henricus I. plebe ad Concilium Saresberiense acceitâ, fertur à Polydoro Virg. sed malè: Johannes enim Rex demum non tam *Parliamentum*, nam hoc nomen non tum emicuit, sed *Communis Consilii Regni* formam & coactionem perspicuam dedit, Chartaque suâ Anno Regni sui 17. statuit observandam. Post susceptionem sic plebis in Comitia Parlamentaria, Magnatum potestas coërcita est, adeoque eorum labefactata superbia, ut adversus Regem nemo suscitare ausus fit novorum quidpiam, si de regno non ageretur. Sed ecce nova incommodorum seges, &c. Vide Spelmannum *Glossar. Archæol. de Anglia Parlamentis prolixè disserentem.* De Galliæ *Parlamentis*, hæc solùm addam: Illorum X. sunt: 1. *Parisiense*, quod sub se habet Picardiam, Franciam, Belsiam, Campaniam, tractum Lugdunensem, Bituricum, Borbonium, Pictaviam, & Arverniam. 2. *Rotomagense*, sub quo Normannia. 3. *Redonense*, cui subest Britannia min. seu Armorica. 4. *Burdigalense*, sub quo Lemovicium, Petrocorium, Guienna, & in Vasconia, Ducatus Albretanus. 5. *Tolosanum*, quod habet Languedokiam, Cadurcum, Rutenium: Et in Vasconia, Armaniacenses, Bigerrones, & Comingenses. 6. *Aquense*, sub quo Provincia. 7. *Gratianopolitanum*, sub quo Delphinatus. 8. *Divionense*, sub quo Burgundia. 9. *Benearnense*, quod Benearniam continet. 10. *Mettense*, Mediomatricum, Tullum, & Verdunum. Quibus An. C. 1657. undecimum accessit, *Ensishemense*, Ensishemii, pro Landgraviatu utriusque Alsatiæ erectum. Vide Thulden, *ad h. A. p.* 119.

Parma, nomen fluvii in Italiâ, in Longobardia Cispad. Oritur ex Apennino, in confin. dit. Genuensis, versus Apuam, dein in Boream tendens, per Duc. Parmensem, Parmam rigat, & 10. m. infra in Padum se exonerat. Ab hoc urbs inter Placentiam & Cremonam sita *Parma*, urbs Episcop. sub Archiepisc. Bononiensi, & Ducatus tit. insignis, appellata est. Hæc patria fuit Cassii poëtæ, quem ideo *Parmensem* vocat Horatius, itemque Macrobii, viri ingenio ac doctrinâ præstantis, ut & Gerardi Sagarelli, Fratricellorum doctoris celebris. Nomen antiquum hodie retinet. Oppidani inde dicuntur *Parmenses* Ciceroni, Plinio & Martiali. At Stephano sunt inusitato Romanis, ut arbitror, vocabulo *Parmani.* Πάρμα, inquit, πόλις Ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν Παρμανός, ἢ Παρμησιός. Illa Græca, hæc Romana erat formatio. De ipso oppido sic Strabo *lib.* 5. Πόλεις δ' εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου, καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς, Πλακεντία μὲν καὶ Κρεμώνη πλησιαίτατα κατὰ μέσην που τὴν χώραν, μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα καὶ Μουτίνη καὶ Βονωνία. Ptolemæus, Ἡ δὲ Γαλλία ἡ Τογάτα ἔχει πόλεις τάς δε. Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον. Πάρμα Κολωνία. Plin. *lib.* 3. *cap.* 15. *Intus Colonia, Bononia, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia. Oppida Casena,* Clater-

Claterna. Quando Colonia huc sit deducta, ostendit Livius *lib.* 39. *Eodem*, inquit, *anno Mutina & Parma Coloniæ Romanorum civium sunt deductæ: bina millia hominum, in agro, qui proximè Bojorum, ante Tuscorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt.* Annus is fuit urbis Romæ 569. quo anno Coss. fuere M. Claudius Marcellus, & Q. Fabius Labeo. Longo tempore post, quum sub Augusto Imper. novos colonos accepit, cognomenta ei tum addita, quæ antiquus lapis refert hoc modo: COL. JUL. AUG. PARMA. A quo primùm ædificata fuerit, variè tradiderunt scriptores. Sicardus Cremonensis à Chryso Trojano, Pallantis Comite, Judicum Israelis tempore conditam, & ab ipsius authoris nomine *Chrysopolim* dictam scribit, id est, *civitatem auream*: Paramam Leander primùm à Thuscis, quæ gens hanc regionem diu possedit, conditam, & à principatu coloniarum *Parmam* denominatam arbitratur. Sita est in Æmilia via in plano, quinis ab Apennino P. M. tam salubri cœlo est, ut Plinius inter exempla censûs, quem suis temporibus Impp. Cæss. Vespasiani pater filiusque Censores egerunt, Parmenses 120. natos annos tres, 130. binos edidisse memoriâ prodiderit. Hic cum fratres Prædicatores mulierem nobilem hæresis Catharorum convictam, exussissent, plebs tumultu concitato omnes urbe exegerunt, An. Chr. 1280. Blondus *Dec.* 2. *lib.* 9. Sigon. *lib.* 20. Duc. cognom. caput est, à fluv. *Parma* in duas partes secta. Amplâ, probè culta, picturisque elegantissimis ornata, cum arce validâ & palatio superbissimo; Vix 10. mill. à Pado in Merid. Media ferè inter Mutinam ad Ort. & Placentiam ad Occid. Academiam hic fundavit, An. 1599. Rainucius Farnesius. Labente Imperio, urbs varios habuit dominos, à Frider. Barbarossa per biennium frustra obsessa. Post alias Fortunæ vices, Petrus Lud. Farnesius, à Paulo 3. patre suo Dux Parmæ creatus est, An. 1545. indignante Carolo 5. qui tamen Margaretam, filiam suam notham, pace factâ, Octavio elocavit. E quo conjugio natus est Alexander, ille Belgicis bellis adeò celebris Hispanorum Dux. Vide & Agathiam *lib.* 1. Leandr. Alb. *descript. Ital.* Sansovinum, Thuanum, Grotium, Stradam, &c. Lana illius olim in pretio. Martial. *lib.* 14.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis. —— ——

Idem *lib.* 5. *epigr.* 13.

Tondet & innumeros Gallica Parma greges.

Idem *lib.* 4. *epigr.* 37.

Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi.

Et *lib.* 2. *epigr.* 3. 4.

Te Lacedæmonio velat toga lota Galæso,
Vel quam seposito de grege Parma dedit.

Parmenas, nomen Diaconi unius ex 7. Sub Trajano martyrio coronatus est, An. C. 109 Act. 6.

Parmenianus, Episcopus Schismaticus, in Africa; à Donatistis Donato surrogatus, An. 368. Ab Orthodoxis ad disquisitionem invitatus, tenuit venire, eò quòd illi immundi essent. Refutatus ab Optato, *lib.* 1. & Augustino.

Parmenides, Eleates Philosophus, Xenophanis an Anaximandri ? auditor, atque amicus, cujus meminit Plato, atque ejus nomine dialogum scripsit, vocavitque *Parmenidem*, sive *de ideis*. Hic carmine physiologiam expressit, sicut Empedocles & Hesiodus: Duplicem autem eam statuit, unam, quæ veritate constaret; alteram, quæ opinione. Primus apprehendisse dicitur eundem esse Luciferum & Hesperum; alii autem Pythagoram dicunt. Vixit Olymp. 86. An. 3. 8. U. C. Primus etiam terram rotundam, & in medio mundi; duo elementa, ignem & aerem: Solem frigidum & calidum, primum hominem è sole genitum, &c. dixit. Item Rhetor, Suid. Diog. Laërt. *lib.* 9. *vita Phil.* Theophr. Plut. Sextus Empiricus, Clemens Alexandrin. Proclus, &c. Fragmenta Philosophi exhibet Henr. Stephanus, *de Poësi Philosoph.*

Parmenio, inter Alexandri M. comites maximè dilectus, occisus tandem ejus jussu: de quo plurima Curt. & Plutarch.

Parmeniscus, Grammaticus & Astrologus, quàm sapienter de autumno ac vindemiis scripserit, refert Plinius *lib.* 18. *cap.* 31. Idem commentatus est in Aratum, & historiam Astrorum scripsit, laudatam Hygino, & Varroni, *lib.* 9. *de L. L.* Vide Vossium *de Histor. Græc. pag.* 397. *& de Scient. Math.*

Parmeno, nomen viri apud Comicos.

Parmensis ditio, inter Duc. Mediol. ad Bor. & Occid. Ducatum Mutin. ad Ort. & dition. Lucensem parteınque vallis Macræ ad Merid. Partes habet, Ducatum Parmensem & Placentinum, Statum Buxeti, & Princip. Vallis Tari pro maj. parte, quibus annumerabantur antea Ducatus Castrensis, & ditio Roncilionis, in provincia Patrimonii. Dux est è gente Farnesia, Duc. verò Parmensis strictè sumptus, est inter Mutinensem ad Ort. & Placentinum ad Occid.

Parmensis ditionis Urbes:

Burgus S. Domnini, *Borgo S. Donino.*	Buxetum, *Busseto.*
	Florentiola, *Fiorenzuola.*
Burgus Vallis Tari, *Borgo di Val di Taro.*	Parma, *Parma.*
	Placentia, *Piacenza.*

Parnassus, urbs Episcopalis Cappadociæ, in Galatiæ confin. ad fontes Melæ fluv. 140. m. p. ab Ancyra in Eur. 80. ab Amasia in Merid. ad radices montium. Quid nunc sit, non constat. Item, urbs Asiæ minoris.

Parnassus, mons Phocidis, ubi plurima & laudatissima Laurus, hodie *Liacura*, Soph. Apollini & Musis sacer, 2. vertices habens, quorum unum Tithorea vocari, alterum Hyampeum, author est Herodotus. Cithæron autem & Helicon, quos Servius male putavit esse Parnassi juga, montes ab hoc diversi, licet non admodum disjuncti, sunt. Hujus autem duo juga sunt *Cyrrha* & *Nisa*. Juvenalis *Sat.* 7.

Quis locus ingenio, nisi cùm se carmine solo
Vexant, & dominis Cyrrhæ Nisæq; feruntur
Pectora nostra duas non admittentia curas.

Magnitudinem ejus innuit Strabo *lib.* 9. ubi Heliconem (quem Hesiodus vocat ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε) καὶ τε ὕψος καὶ περίμετρον *altitudine & ambitu* scribit esse Parnasso ἐνάμιλλον, hoc est, *conferendum*: De quo Theophr. *hist. pl lib.* 3. *cap.* 3. Ἐν γε τοῖς μεγάλοις ὄρεσιν οἷον τῷ ἐν Παρνασῷ, *in magnis montibus, ut in Parnasso.* Unde Παρνασσῶν μεγέθη, apud Aristophanem in *Ranis*, & ἄνθρακες Παρνάσσιοι pro *magnis* in Acharnanensibus. Altitudinem satis innuit Ovidius *Metam.* 1.

Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus, superatq; cacumine nubes.

Catullus, *Parnassi è vertice summo.*

Et Lucanus:

Cardine Parnassus gemino petit æthera colle
Mons Bromio, Phœboq; sacer.

Persius *in Prologo*:

Nec in bicipiti somniasse Parnasso Memini.

Seneca:

Gemina Parnassi nivalis arx trucem sonitum dedit.

Statius *Thebaid.* 1.

—— *Si stagna petit Cyrrhæa bicorni.*

Idem:

—— *Summaq; biverticis umbrâ*
Parnassi residens. —— ——

Proinde Nonno *in Dionysiacis*, δικόρυμβος, hoc est, *biceps* dicitur. Quòd autem Seneca *nivalem* arcem dixerit, habuit forte ex Homero, qui sic *in Hymnis*, de Parnasso:

Ἵξεο δ' ἐς Κρίσην ὑπὸ Παρνησὸν νιφόεντα.

Unde quoque, ni fallor, Euripides in Phœnissis νιφοβόλον vocat. Lauru abundasse hunc montem innuit Virg. *Georg.* 2.

—— *Etiam Parnassia laurus*
Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.

Quo circa Nonnus εὐδένδρον, hoc est, *bonas arbores habentem* vocat. *Parnassi deserta avia* dixit Virgilius *Georg.* 3. Hausit forsan ex Pindaro, cui *Ode* 10. *Pyth.* Παρνάσιος μυχὸς dicitur. Pausanias *in Atticis*, Gallos, cùm in Græciam irrupissent, ait, Delphos, ad diripienda Delphici templi donaria se contulisse; incolas autem iis occurrisse, ac tum crebra de cœlo fulmina, & divinitus ac sponte avulsa de Parnasso saxa Gallorum aciem percussisse. Quò allusit Propertius *lib.* 2. *eleg.* 31.

Altera dejectos Parnassi vertice Gallos.

Et planiùs *lib.* 3. *eleg.* 13.

Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice, diras
Gallica Parnassi sparsit in arma nives.

Priùs hic mons *Larnassus* dictus fuit, à *Larnace* arcâ Deucalionis, quæ eò delata, autore Stephano cum Apollonii Interpr. Post diluvium verò, *Parnassus* vocabatur, ab heroe *Parnasso*, uti tradit Hellanicus. Lege Lilium Gyraldum *Synt. de Musis*. Peucerus ab Ebræo הר *Har* & נחש *Nahas* deducit; litera p. loco h. adscripta in compositione. *Har* autem est *mons*; *Nahas* verò *augurium*, ac *divinatio*, qu. dicatur *mons divinationis*. Nam Oraculum Delphicum sedem habuit ad radices Parnassi.

Parnes, mons Atticæ vitifer. Statius *lib.* 12.

Dives & Hegaleos nemorum, Parnesq; benignus
Vitibus. —— ——

Genitivus casus *Parnethos* apud Aristoph. *in Nubibus*. Et hic mons & *Parnassus* alludunt ad Syrum פרנס *parnis*, hoc est, *pascere*, unde פרנום *pirnus*, pascuum, Bochart.

Parnessus, Asiæ mons inter Ariana & Bactrianam, Dionysius *vers.* 737.

—— Κυρμοῦ ὑπὸ Παρνησσοῖο.

Hi plerisque Παροπαμισοὺς, Ptolemæo verò Παροπανισοὺς dicitur, unde per syncopen fit Παρπανισοὺς. & iteratâ eâdem syncope Παρνισοὺς. Παρνασοὺς enim apud Dionysium legendum docet Salmasius, & ex variantibus lectionibus prolat Montanus.

Parnetes, cognomen Calistrati Atheniensis Principis, qui, quia instituit, ut in judiciis & concionibus nummuli distribuerentur, locum proverbio dedit: *Obolum repetit Parnetes.*

Parni, Nomades quidam, qui Arsace viro Scythâ duce Parthiam invaserunt, eamque obtinuerunt, quum antea Ochum accolerent, Strabo *lib.* 11.

Parnopius, Apollo dictus est apud Bœotios, sive *à mure*, qui apud

apud Æolos παρνόπιος dicitur, sive à culicibus, qui sic apud Bœotos nominantur. Pausanias autem ideo *Parnopium* vocat, quòd infestas agro Atheniensi locustas, hoc est, πάρνοπας de regione propulsaverit.

Parnus quidam, qui ob amissam naviculam, cum obviis quibusque litigabat. Hinc adagium: *disceptare ob Parni scaphulam*, id est, ob res minutulas multum movere litium & querelarum. Diogenianus *apud Erasmum*.

Parochiæ, de harum origine Anastasius dicit, Fabianum Pontif. al. per Regiones Romam divisisse Diaconis. Et Luitprandus: Fabianus 7. Diaconos in urbe Roma in 7. Regiones ipsius urbis divisit. Dionysius autem, Presbyteris Ecclesias divisit & Cœmiteria, & *Parochias*, & Diœceses instituit. Post hæc Marcellinus Papa, 25. titulos, q. diœceses esse voluit. In Angliam *Parochiarum* originem primus Romà deduxit Honorius Doroberuensis Arch. V. Romanus ipse & Gregorii M. discipulus. Vide Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Parodana, Persidis urbs, Ptolem.

Paræcopolis, urbs Macedoniæ intra montes in Mysiæ confin. Ptolemæo.

Parætea, regio prope mare Rubrum, Steph.

Paron & Heraclides, Ænii fratres, Cotyn extinxerunt, à quo pater eorum contumeliâ erat affectus, Aristotel. V. Politic. 10. Plutarcho, adversus Coloten, *Python* dicitur. Idem in Apophth. ait, ideo ab istis Cotyn sublatum, quòd homo nefarius istorum patri vim intulisset. Vide Demosth. contra Aristocrat. Laërt. in vita Plat. & Suidam.

Paropamissadæ, *Paropanissadæ* Ptolemæo, pop. fuere Asiæ, quorum regio *Paropanissus* dicta; eratque pars Asiæ, sub Persis, inter Bactrianam ad Occid. Indiam ad Ort. Ara bosiam ad Austr. & Caucasum ad Bor. Quorum regio nunc *Sablestan* Castaldo & alus dicitur, & regia *Carura*, seu *Ortospana*. vel *Ortospanum*. Baudiandoerant, ubi nunc *Cabul*, provinc. in dit. M. Mogolis, cum maxima parte Candahariæ prov. ex G. Sansone. Ptolemæus veteres hujus regionis incolas, maximè feros fuisse, extra omne reliquorum hominum commercium, in casis laterititus habitantes, cum Curtio *lib.* 7. refert, qui addit, solum egenum & sterile, exercitui Alexandri non parum fuisse infestum. Vide etiam Strabon. *lib.* 11. Plinium, &c.

Paropamisus, *Paropamissus* Plinio, *Paropanisus* Ptolemæo, *Parnasus* Aristoteli, *Parnessus*, vel *Parnissos* Dionysio, mons excelsus Paropamissadarum, Tauri pars, ex quo Bactrus fluv. oritur. *Calchistan* Castaldo & Moletio. Ex eo etiam Indus fluv. profluit, refluitus Plinio, & Arriano. Hujus montis jugum altissimum *Navagra* à M. Paulo Veneto vocatur, *Pamer* verò Mercatori dicitur.

Paropus, opp. Siciliæ in ora Occ. contra Usticam insulam. Populi *Paropini*, Plin. Periit funditus.

Paroræa, urbs Arcadiæ, Steph. Alia Macedonum, Idem.

Paroreia, Thraciæ urbs, vicina Macedonibus, Livius. *Parorei* populi, Plinio.

Paros, *Pario* Sophiano, insula maris Ægæi, una Cycladum, prius *Pactya*, & *Minoa*, teste Plinio, dicta. *Demetrias*. *Zacynthus*, *Hyria*, *Hylessa*, & *Cabarnis* Steph. Venetis à Turcis, cum Eubœa A. 1470. erepta. Olim Episcop. sub Archiep. Rhodio. Nunc Græci hic Archiepiscopum habent. Ita dicta putatur, à *Paro*, Jasonis filio, vel ab Arcade quodam *Paro* Parrhasii filio, Plin. 4. 12. In eâ est oppidum etiam *Parum* vocitatum. In hac insula marmor candidum proveniebat, ad Deorum simulachra maximè expetitum, idque à loco *Parium* dicebatur. Unde Ovidius *Metam. lib.* 7.

> —— *Planamq; Seriphon,*
> *Marmoreamq; Paron.* ——

Sidonius Apollinaris:

> *Candentem jam nolo Paron, jam nolo Caryston.*

Horat. *lib.* 1. *Carm. Od.* 19.

> *Urit me Glyceræ nitor*
> *Splendentis Pario marmore purius.*

Strab. *lib.* 10. Πάρος ἡ Παρίᾳ λίθῳ λεγομένη, ἀρίστη πρὸς τὴν μαρμαρογλυφίαν. Virgil. *Georg.* 3.

> *Stabunt & Parii lapides, spirantia signa.*

Et libro primo:

> *Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo*
> *Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.*

Idem *lib.* 3.

> —— *Viridemq; Donysam*
> *Olearon, niveamq; Paron.* ——

Ovidius 1. *Amorum*:

> *Aspicit illa gemens albo, & sine sanguine vultu,*
> *Caeduntur Pariis qualia saxa jugis.*

Seneca in *Hippolyto*:

> *Lucebis Pario marmore clarius.*

Paros frigidam habet aquam & mulieres formosas apud Aristoph. quod adagii speciem habet, quo significamus; Non esse commodum sine incommodo. Hic mures non reperiri feruntur. Hinc etiam proverbium: Ἀναπαριάζειν, de illis, qui pacta & conventa violant. Item insula Liburnorum Stephano, quem fis censule in voce *Paros*. Vide *Pharia*. *Paros*, Nicanore teste, apud Stephanum etiam *Zacynthus* dicta est. An quia זכות *Zachuth*, Phœnicibus erat sublimitas, ut infra docebimus, ubi de insula *Zacyntho*? Certè Zacynthus, ita Parus montosa fuit & sublimis. Dioscorides *Antholog. lib.* 3. *cap.* 12.

> Οὔτε Πάρος νῆσος αἰπυτάτην ἱερῶν.

Parii porro montes profundis cuniculis scatent, & Soli tam inaccessis, ut candidum marmor in iis latens, non nisi ad lucernas, erui possit. Unde factum, ut *lychnites*, seu *lucernarius* diceretur Parius lapis. Plin. *lib* 36. *cap.* 5. locutus de Chiis quibusdam sculptoribus magni nominis: *Omnes autem tantùm candido marmore usi sunt à Paro insulâ, quem lapidem cœpere Lychniten appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut author est Varro.* Λίθον λυχνίτην ob id ipsum appellat Callixenus Rhodius, apud Athen. *lib.* 5. ubi de thalamego Philopatoris: ἵδρυτο δ' ἐν αὐτῷ τῆς τῶν βασιλέων συγγενείας ἀγάλματα εἰκονικὰ λίθου λυχνίτου. A cuniculis inde, quos diximus. nomen habere *Paron* insulam, statim agnoscet, quisquis sciet, Ebreis פרון *pera* ex Esr. 2. 20. & פרעא *paro* Syris esse terræ cuniculum, Bochartus.

Parospus, fluv. Indiæ, in Cophen influens, Plin.

Parosta, Tauricæ Chersonesi urbs, Ptol. Niger scribit *Parasinum* quibusdam esse. Hujus Plinius meminit, dicitque terram ejus omnia vulnera sanare.

Parparon, Παρπάρων, Stephano, regio Æolidis in Asiâ, ubi Thucydidem obiisse ferunt. Alii *Perinem* vocant.

Parpodizum, Thraciæ urbs, Antoninus, *Tarpodizum* legit Simlerus.

Parrasini, populus Asiæ, circa Sogdianam, Plinio, Curtio Indiæ ult. pop.

Parrasium, vide *Parasium*.

Parrhasia, *Parrhasia* Plin. *Parrhasii* Strab. & Vib. opp. reg. & pop. Arcadiæ in Peloponneso, ubi *Parrhasium nemus* Statio, & *Parrhasius mons* Hesychio. Lycaonis patria fuit, à quo universa Arcadia à poëtis quandoque *Parrhasia* dicitur. Virgil.

> *Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.*

Ovidius *Fastor.* 2.

> *Aliaq; Trœzene, Parrhasiaq; nives.*

Est autem *Parrhasia* Stymphalo finitima. *Parrhasis* etiam nomen gentile dicitur. Ovid. *Trist.* 1. 3.

> *Versaq; ab axe suo Parrhasis Arctos erat.*

Parrhasius, Ephesius, an Atheniensis? tempore Socratis, pictor insignis, sed *quo nemo insolentius & arrogantius sit usus gloriâ artis*, Plin. Hic primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, expressit, & artificum confessione in lineis extremis palmam adeptus est. Superatus tamen est à Timante in Ajace. Idem venit in certamen cum Xeuxide. Et cum ille detulisset uvas pictas tanto successu, ut in scenam aves advolarent; ipse detulisse linteum pictum traditur, ita verita e repræsentatâ, ut Xeuxis, alitum judicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse aves fefellisset, Parrhasius autem se artificem, Plinius *lib* 35. *cap.* 10. Cæterum pictor fuit parum castus, vide Sueton. *in Tiber.* Quintil. *lib.* 12. *cap.* 10. Diod. Sic. *lib.* 26. Athen. *lib.* 12. Vasarium & Ridolphum, *vit. Pict.* Fillebenium *de Pictor.* Ciceron. *lib.* 1. *de Distinct.* Horatius, *Ode* 8. *lib.* 4.

> —— —— *Artium,*
> *Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas.*

Propert *lib.* 3.

> *Parrhasius parvâ vindicat arte locum.*

Parrhax Parthus, cliens paternus Meherdatis: cujus dolo hic vinctus traditusque Gotarzi victori, Tac. 12. 14.

Parrodunum, opp. Rhætiæ, idem cum Parthano, Laz.

Parsia, & *Parsiana*, Paropanisi urbes, Ptol.

Parsueti, Asiæ montes. *Nochdariasari* Castaldo. Vide *Taurus*.

Parta, Persidis urbs, Ptolem.

Parthanum, urbs in Vindelicis, Anton. *Partenkirch*, oppidulum ad Loysam fluv. in Bavaria, nominat Simlerus. Ibi Fridericus, ab Henrico Imper. victus

Parthaon, filius Jasonis Pheræi, quare sic appellatus, sequentia docebunt. Habebat Jason fratrem Merionem ditissimum, sed simul tenacissimum: quem puero sibi nato advocabat, invitatis quoque Thessalorum Principibus, ut tamen frater primas illius negotii sustineret. *Merione* in his rebus occupato, Jason venationem obtendens, ad Pagasas usque progressus est, ubi Meriones sedem ac familiam habebat: milites hastatos circumdedit, vi Dissensatoribus factâ, vigintique argenti talenta extulit, summo studio ad cœnam rediit. Meriones, cognito domum esse vastatam, puero nomen *Parthaon*, ἀπὸ τοῦ πεπορθῆσθαι τὴν οἰκίαν, quod domus ejus vastata atque expilata sit, imposuit, Polyæn. *lib.* 6.

Parthenæum, urbs Pictaviensis prov. ad Toarum amnem. Media inter Toarcium ad Bor. & Fanum S. Maxentii ad Mer. 6. leucis utrinque uti 12. à Salmurio in Austr. 10. à Pictavio in Occ.

Parthenaspates, Parthorum rex à Trajano designatus, An. C. 115. pauló post à Parthis pulsus est.

Partheni, Plin. *Parthini* Pomponio ac Dioni, Illyrici populi, quos hodie *Ragusienses* licebit appellare.

Parthe-

Parthenia, vicus prope Pontum. Samos etiam olim sic dicta est, teste Stephano. Cùm autem Nicander

—— Βάρ©- αἰνοιο γαίης Παρθενίης,

dixit, *Samiam terram* intellexit, teste Scholiaste.

Parthenia, Spartani bello Messeniaco, per annos viginti occupati, metu ne interim Sparta tota viris nudaretur; maximè juvenes ex castris temisêre in urbem eosque passim cum virginibus congredi jusserunt, ex quibus postea nati, incerto patre, dicti sunt *Parthenia*, quasi *filii Virginum*. Hi cum postea à reversis Spartanis sese pro spuriis ac nothis haberi viderent, nec ad ullam Reipubl. partem admitti; scirent tamen se Spartano sanguine editos, conjurarunt dolose contemtus cum Helotis, de Optimatibus trucidandis. Quo consilio patefacto, duce Phalanto, aliò migrare sunt coacti. Hinc ergo delati in magnam Græciam Tarentum condidere.

Parthenias, fluv. Peloponnesi, per Elidem fluens, ibique Epinam opp. interluens, Pausan. Strab. Alias *Parthenius*.

Parthenicum pelagus, apud Steph. Diac. in vita Stephani Jun. forte mare, quod à Constantinopoli protenditur ad Boristhenem, nempe pars Occ. maris Euxini.

Parthenicum, castrum Siciliæ, in ora Occ. *Sala di Partenico*, in colle, in prov. Mazaræ, 4. mill. ab ora maris Tyrrh. medium inter Panormum in Cæc. & Castrum ad mare in Africum, 15. utrinque milliar.

Parthenicum promontor. Sansoni est *Kiderleri*, in ora Bospori Cimmerii, ubi exit e pal. Mæotide.

Parthenium, urbs Eubœæ, ac alia Thraciæ. Item Mysiæ.

Parthenius, Poëta Nicæus, ex Nicæa opp. Liguriæ, quod hodie *Nizza della Paglia*, Ferrar. elegiacus, diversorumque metrorum scriptor: A Cinnâ in bello Mithridatico captus, deinde ob ingenium manumissus: Vixit usque ad Tiber. Cæsarem, qui ejus scriptis admodum delectabatur. Hoc præceptore usus Virgilius in Græcis, ut apud Macrobium legere est, *Sat.* 5. 17. Etiam quædam ex ejus carmina expressit: ut ibidem legis de versu istoc, *Georg.* 1.

Glauco & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Quod ex illo Parthenii,

Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνώῳ Μελικέρτῃ.

Item ad imitationem ejus. Poëma, cui *Moretum* titulus, composuisse dicitur. Quòd si Virgilii fuit præceptor, omninò alius ab eo videatur, quem ad Tiberii usque tempora vixisse ait Suidas. Nisi eo placet ad Tiberii tempora referri à Suidâ, quia dicarit suum opus Tiberio; quod facere potuit, simul ac rem bello præclarè gerere cœpit; id verò fuit annis 29. ante Principatum ejus. Auctor quoque fuit hic Parthenius elegantissimi libelli, περὶ ἐρωτικῶν παθημάτων, qui hodie superest, ac narrationes continet collectas ex scriptoribus benè antiquis, sed deperditis: ut vel hoc nomine gratissimus esse debeat Philologiæ & veteris Historiæ studiosis. Eum dicavit auctor Corn. Gallo Foroj. Juliensi, primo Ægypti præfecto. Quid mirum? Erat enim Gallus poëta egregius, & amorum minimè vacuus, quod vel ex Maronis eclogis notum est: At similiter Parthenius, & poëta nobilis fuit, & qui amatorio se argumento inprimis oblectaret. Planè enim verisimile fit, esse hunc Parthenium illum, quem Suidas dicit esse Heraclidis, & Eudoræ, sive, ut Hermippus putabat, Tethæ filium, patriâ Nicænum, vel juxta alios, Myrleanum, qui præter Aretes, conjugis suæ, encomium, ac tres libros de laudibus uxoris, aliaque nonnulla etiam elegias in Venerem scripsit; Nec tempora repugnant; Nam Poëta ille, ut ait Suidas, belli Mithridatici tempore captus fuit, posteaque ob eruditionem manumissus est, ac pervenit usque ad tempora Tiber. Cæsaris. Quanquam majus hoc quidem videatur intervallum, quàm ut scriptor ille tot annos post captivitatem fuerit superstes. Nam à morte Mithridatis, usque ad imperium Tiberii, anni sunt 76. Sed fortassis erat adolescens admodum, cùm caperetur, valdeque senex cùm decederet. Aut hoc verum est, aut Tiberii tempus apud Suidam intelligi debet, non quo imperare, sed quo florere cœpit, ut cùm Rhætos ac Vindelicos vicit. Id spatium totis undetriginta annis minus erit. Potuit autem circa ista tempora Tiberio aliquid dicare, unde Suidas forte crediderit, eum vixisse imperante Tiberio. Ex Parthenio hoc verbum à Marone expressum Gellius refert, *lib.* 13. *cap.* 25. Μεταμορφώσεις quoque edidit; ut ex Plutarcho & Eustathio scitur, item Suidâ in Νίκαιᾳ, ubi Parthenius hic *Nicenus* vocatur. Eas Metamorphoses Ovidium secutum fuisse peregit verisimile. *Archelaida* ejus nominat Hephæstion: *Herculem*, *Iphiclum*, *Anthippen*, *Delum*, *Epicedium in Auxithemin*, & *Propempticon* celebrat Stephanus: ac meminit quoque Probus *in Eclog.* 3. *Virgilii*, & Artemidorus *libr.* 4. Ὀνειροκριτικῶν. Vide Suid. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 1. *& de Poët. cap.* 8. Gesner. *in Bibl. &c.* Alius omninò ab hoc est *Parthenius* Chius, cognomento *Chaos*, ex Homeri, ut creditum, posteritate unus, qui de patre suo Thestore scripsit, teste Suidâ. Alius *Parthenius* Phocensis, cujus meminit Stephanus in Γέρλοι ac Δακίδαι. Alius denique *Parthenius* Grammaticus, Dionysii Grammatici discipulus, cujus ætatem ex magistro cognoscimus. Nam Dionysius ille floruit usque ad Trajanum, ut Suidas docet. Est puto, hic Παρθένι©- ὁ Διονύσιυ, quem, ἐν πρώτῳ περὶ τῶν παρὰ τοῖς ἱστορικοῖς λέξεων ζητυμένων, Athenæus citat *lib.* 9.

Parthenius, cubicularius Domitiani Imper. de quo sæpe Martial. Vide Dionem Cass. *lib.* 67. *in Domitiano.*

Parthenius, fluv. Paphlagonum in Pont. Eux. influens, Hesych. Per mediam Amastrianorum urbem fluit. Sic dictus, teste Stephano, vel quòd Diana virgo frequenter in eo venaretur, vel quòd placido, tanquam virgineo gradu, profluat;

Ὡς ἀγκαλὰ εὔκελον, ὡς ἀέρι παρθένι©- εἶσι.

Vel quòd virgo Palætinis regia filia in eo submersa sit. Item fluvius Arcadiæ, ex montibus illius ortus. Item fluv. Sami, qui & *Imbrasus*. Item fluv. Sarm. Eur. Ejus meminit Arrianus; itemque Ovid. *Pont.* 4.

Partheniusque rapax, & volvens saxa Cynapes
Labitur, & nullo tardior amne Tyras.

Ubi cùm *rapacem* vocat, secundum etymon ab Ethnicographo productum planè evertit. Item fluv. Bithyniæ, *Partheni*, Moletio; *Dolap*, Nigro. Est etiam promuntorium prope Heracleam. Est item *Parthenius*, portus in litore Brutio: & mons in Arcadiâ sic dictus, qu. *Virgineus*, à *Virginibus*, quæ ibi Veneti frequenter sacra facere solebant, vel venari, ut vult Servius. Virg. *Eclog.* 10.

—— *Non me ulla vetabunt*
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.

Propertius 1. 1.

Nam modò Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille videre feras.

Claudianus 2. *de raptu:*

Jam neq; Partheniis innectere retia lustris,
Nec pharetram gestare libet.

Ovidius *Epist.* 9.

Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen,
Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos.

Item *Parthenium nemus* apud Stat. *Theb.* 4.

Parthenius, vide *Imbrasus*.

Parthenopæus, filius Meleagri & Atalantæ. Nonnulli perhibent illum Martis & Menalippes fuisse filium, sive Milanionis, qui fuit rex Arcadiæ. Hic Thebana bella puer admodum petiit, ac in iisdem obiit mortem. De illo plurimum Statius *in Theb.* Eum apud inferos vidit Æneas. Virgil. *Æn* 6.

—— *Hic inclytus armis*
Parthenopæus, & Adrasti pallentis imago.

Parthenope, una Sirenum, quæ præ dolore, quòd prætereuntem Ulyssem cum sociis in scopulos cantu pellicere non potuissent, in mare se præcipitarunt. Harum aliæ alia in loca; Parthenope autem eò delata est, ubi postea condita fuit Neapolis, primaria urbs Campaniæ, regni Neapolis caput, emporiumque celeberrimum, in ora maris Tyrrheni; amplitudine & incolarum frequentiâ insignis, quæ ab ejus nomine etiam Parthenope est appellata: Neapolin autem postea dictam volunt hanc urbem, quòd ab Augusto fuerit instaurata: Sed hoc verum esse non potest. Nam etiam apud Lycophronem, qui Ptolemæi temporibus multis ante Augustum annis claruit, *Neapolis* hæc urbs appellatur, & cives ejus *Neapolitani*: quos scribit quotannis ad templum Parthenopes faces ferre consuevisse. Verisimilior est itaque aliorum opinio, qui hanc urbem à Cumanis conditam tradunt: qui cùm in eo loco Parthenopes corpus in veteri monumento conditum reperissent, nomen ejus urbi indidere. Sed postquam loci ubertate atque amœnitate majorem in modum frequentari civitas cœpit, veriti ne Cumæ deserentur, diruendi Parthenopen consilium inivere. Quo facto mox immani pestilentiâ vexati, oraculo moniti sunt, ut novam urbem restituerent. Cui oraculo obtemperantes, urbem paulo ante dirutam splendidius instaurarunt, & ex responsi verbis atrepto nomine *Neapolin*, hoc est, *novam urbem* appellavetunt. Dionysius:

—— Καμπανῶν λιπαρὴν πέδον, ἔνθα μέλαθρα
Ἁγνῆς Παρθενόπης. —— ——

Plin. *lib.* 3. *cap* 5. *Neapolis, Chalcidensium & ipsa, Parthenope à tumulo Sirenes appellata.* Otio deditam esse civitatem, sequentia testimonia firmant. Horat. *Epod.* 5.

Et otiosa credidit Neapolis.

Ovidius *Metam.* 15.

—— *Et in otia natam*
Parthenopen. —— ——

Silius *principio lib.* 12.

Nam molles urbi ritus, atq; hospita Musis
Otia, & exemptum curis gravioribus ævum.

Virgilius *in fine Georgicorum:*

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Parthenope, insula parva maris Tyrrh. quibusdam *Ventotiene*, cum alia min. adjacente, versus Sinum Formianum, 20. mill. à Cajeta in Mer. 12. ab Ænaria insula in Ort.

Parthenopolis, oppid. Mysiæ in Asia, ad Hellespontum, & urbs Macedoniæ, sic dicta à filiabus Getæ sti, filii Mygdonis, quæ cùm agrestes & inhumanæ essent; pater, ut eas ad civiliorem vitam invitaret, civitatem earum gratiâ condidit.

Parthenopolis, etiam *Magdeburgum* dicta est, quòd ibi Diana Virgo culta; quod etiam etymon Germ. testatur, Vide *ibi*.

Parthenubieron, id est, *virginis templum* & *Parthenacra*, nomen loci & promuntorii ante Chersonesum Bospori urbem, Strabo. Incola *Parthenius*.

Parthia, Asiæ regio, perampla, ab occasu Mediâ, ab Aquilone Hyrcaniâ, ab ortu Arianâ, à meridie Carmaniæ desertis terminata. *Parthienen* Qu. Curtius vocat *lib* 6. *cap*.2. ubi docet Parthos Scytharum progeniem esse, quod & Dionysius testatur. *Parthiam* quidem à *Parthyene*, ut totum à parte distinguit Ptolemæus, qui in illa urbes 25. numeravit, quarum præcipua Hecatompylos, quam quidam *Hisphahanum* esse contendunt, Parthyenen Parthiæ provinciam faciens, sed ab eo in hâc re dissentit Strabo *lib*.11. cui tota regio, quæ *Parthia* Ptolomæo est, *Parthyene* dicitur, cum quo Polybius & alii consentiunt. Stephanus Byzantinus: *Λέγονται δὲ καὶ Πάρθοι, καὶ Πάρθιοι, καὶ Παρθυαῖοι. Καὶ Παρθυαία ἡ χώρα, καὶ Παρθυηνή.* Fuit initio obscura & minus valida gens, deinde nobilissima & potentissima evasit. Vide infrà & Dionem Cassium, *lib*.40. *in rebus Crassi*, ubi accuratè de iis exponit. Recentiores Latini aliquàndo Parthiæ nomen ad totum Parthicum, seu Persicum imperium, sub Arsacidis acquisitum extendunt. Ita Solinus *cap*.59. *Parthiam, quanta omnis est, à Septentrione Hyrcanio claudi* affirmat; & *regna in eâ duo de viginti* numerat. Baudrando Parthia etiam regio fuit perampla, Hyrcaniam, Margianam, & Parthiam propr. inter Mediam & Ariam, nunc *Khomus* dictam; & *Chorasan* ex parte Occ. comprehendens. Horum situm ac mores his versibus describit Dionysius ὁ Περιηγητὴς, *vers*. 1039.

Ἀλλ' ἤτοι πυλέων μὲν ὑπαὶ πόδα Κασπιάδων
Πάρθοι ναιετάουσιν ἀρήιοι ἀγκυλότοξοι,
Παύριοι πολέμοιο δαήμονες· οὐ γὰρ ἀρότρῳ
Αὔλακ' ἐπιθύνουσι διαχίζοντες ἀρούρας,
Οὐδὲ μὲν ἐν νήεσσιν ἅλα τμήγουσιν ἐρετμοῖς,
Οὐδὲ νομοὺς φέρβουσι βοῶν χλόος, ἐκ δὲ γενέθλης
Νηπίαχοι τόξοισι καὶ ἱπποσύνῃσι μέλονται·
Αἰεὶ δ' ἠχήεσσα ἀνὰ χθόνα δοῦπος ἀκόντων,
Ἠὲ βελέων, πάντῃ δέ τ' ἀελλοπόδων δρόμος ἵππων
Θυνόντων· οὐ γάρ σφι θέμις δόρποιο πάσασθαι,
Πρὶν πολέμου μόχθοισι κάρην ἱδρῶτι παλῦναι.
Φέρβονται δ' ἄγρῃσι δορυκτήτου βιότοιο.
Ἀλλ' ὅμως, καὶ δῆριν ἀμαιμακέτους περ ἰόντας
Αὐσονίης βασιλῆος ἐπετρήσαν ἀκωκῇ.

Parthos autem è Scythiâ primùm profectos *Parthiam* ab ipsis dictam occupasse refert Justinus, *lib*. 41. idque nominis indicio probat, quòd *Scythico sermone Parthi exules dicantur*; quod & Eustathius, aliique confirmant. Regionem hi nacti sterilem & desertam, atque ob hoc ipsum Macedonibus neglectam, in tantum sequentibus seculis potentiâ creverunt, ut cum Romanis de Imperio Orbis contenderent. Arsaces conditor hujus monarchiæ fuit, cujus successores *Arsacidæ* dicti, præfuerunt, usque ad Artabanum, quo ab Artaxerxe Persa occiso, Regnum hoc post 400. An. utpote inchoatum Ann. ante Christum 250. finitum est, An. Chr. 227. Vide suprà, & insuper Justin. *lib*. 41. Herodian. *lib*. 6. Agathiam *lib*. 1. Plin. Appian. &c. Ex Parthiæ Regibus Phraate, fraude Thermusæ pellicis, & filii ejus sublato, Phraataces regnum rapuit, An. Chr. 16. mox subditis propterea invisus periit: surrogato Orode, sed & hic ob sævitiam sublatus Ann. 17. Tum Romæ Vonones, obses à Phraate patre datus, in regnum missus, sed ab Artabano victus est, An. Chr. 34. Tacit. *Annal. lib*.6. Huic iterum à Sinnacè & Abdo Eunucho pulso, submissus est à Tiberio Tiridates, qui à L. Vitellio in regnum deductus, mox à Parthis, revocato Artabano, iterum expulsus est, An. 36. interim hunc per Alanos graviter afflixit Imperator. Postea dissidiis intestinis cæso Artabano, Gotarzes frater regno potitus est, An. 47. Meherdatis à Romanis missi victor, An. 49. Huic Vonones successit, An. 50. quem brevi Vologeses filius excepit. Idem *lib*. 11. & 12. Joseph. *Antiq. lib*.20. *cap*. 2. Hic rebus variis præclarè gestis inclytus, tandem tamen à Cæsare regnum petere & accipere coactus est, Tacit. *Annal. lib*.15. Dion. *lib*. 63. An. Chr. 64. Postea magna Parthiæ pars à Trajano subacta, Parthanaspatem ab eo Regem accepit, An. 107. 115. sed Æl. Adrianus Psamatorisim impositum Parthis amovit, An. 120. Antoninus Pius Parthorum Regem ab Armeniorum expugnatione solis literis repulit, An. Chr. 151. Vologeses quoque ab Antonino Phil. ad incitas redactus est, Ann. 166. Dion. *lib*. 71. ut & à Severo Artabanus, An. 201. quem sub prætextu nuptiarum filiæ; oppressit Caracalla, Ann. 218. Idem *lib*. 78. Iterum sub Macrino victorem, An. 226. regno exuit Artaxerxes, ut dictum. Arcu plurimum valuerunt *Parthi*, quo vel fugientes hostibus plurimum detrimenti afferebant. Virgil. *Georg*.3.

Fidentemq; fugâ Parthum, versisq; sagittis.

Idem *lib*. 4. *de apibus*:

— *Aut ut nervo pulsante sagittæ,*
Prima leves ineunt siquando prælia Parthi.

Horatius *lib*. 1. *Carm*.

— *Et versis animosum equis*
Parthum dicere. — —

Et *lib*. 2. *Od* 13.

Miles sagittas & celerem fugam Parthi

Idem *alibi*:

Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

Claudian. — *Refugo quæ sit fiducia Partho.*

Catullus,

Seu Sacas sagittiferosq; Parthos.

Ovidius 1. *de Art. Am*.

Tergaq; Parthorum, Romanaq; pectora dicam,
Telaq; ab adverso quæ jacit hostis equo.

Idem *ibidem*:

Ut celer aversis utere Parthus equis.

Idem *alibi*:

— *Parthus tutus ab hoste fugâ est.*

Propertius *lib*. 2. 10.

Jam negat Euphrates equitem post terga tueri.

Idem *lib*.3. *eleg*.7.

Parthorum astutæ tela remissa fuga.

Et *lib*. 4. *eleg*. 3.

Subdolus & versis increpat arcus equis.

Seneca *in Oedipo*:

Vidit & versas equitis sagittas
Terga fallacis metuenda Parthi.

Idem *in Thyeste*:

Nil armis & inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus, cùm simulat fugas.

Boëtius *lib*. 5.

Rupis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax.

Statius 1. *Sylv*.

— *Arcuq; horrenda fugaci*
Armenia. — —

Lucan. *lib*. 1.

— *Torto Balearis verbere fundæ*
Ocyor, & missâ Parthi post terga sagittâ.

Unde *refugi* dicti ab eodem *lib*. 6.

— *Fragili circumdata testâ*
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.

Erant porro vino libidinique dediti, sed bello laboreque indefatigabiles. Tandem superstitiosè admodum & venerabundè Regi suo obsequium impendisse dicuntur, osculis pedum & servili supplicatione: quin eum adituri terram ore tangebant, teste Xenophonte. Virgilius *Georg*. 4.

Præterea regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Observant. — —

Martial. *lib*.10. *epigr*. 71.

Frustra blanditiæ venitis ad me,
Ad Parthos procul ite pileatos
Et turpes, humilesq;, supplicesq;
Pictorum sola basiate regum.

Parthini; popul. Macedoniæ, Plin. 3.23. Illyrici circa Epidamnum; Baudr. falsò pro Ragusinis habiti.

Parthium; regiuncula Campaniæ Gallicanæ superioris, nomen illi à Burgo, qui vulgò *Perte* ad Matronam dicitur: Regio ipsa vocatur *le pays de Parthois*. Metropolis ejus est *Vitriacum*, Metel. & Merula.

Parthus, urbs Illyrica, Stephan.

Parthyene, vide *Parthia*.

Partiscum, Jazygum Metanastarum urbs, Ptol. Est autem in Hungariâ Transdanubianâ Agriæ urbi finitima, ab eâ in Ott. & Merid. recedens. *Cechometh* Nigro, *Parosczlo* verò teste Lazio.

Partula, Dea quæ puerperiis præesse credebatur, Tertull.

Partunda, aliis *Parunda*, Dea parientium, quæ & *Lucina*, & *Ilithyia*.

Parva Deppa, locus Guineæ; in ora Maleguettæ, cum fluv. cognomine, ubi aliàs Francorum colonia, à Deppensibus extructa, An. 1365. & postea derelicta; *petit Dieppe*.

Paryadris, mons Armeniæ maj. Ptol. Vide *Pariedrus*.

Parysades, Leuconis filius, Satyri nepos, Spartaci pronepos, mortuo fratre Spartaco, Ponti regnum suscepit, Olympiadis centesimæ septimæ anno quarto tenuitque annos triginta octo, Diodor. *lib*.16. *pag*. 538.

Parysatis, aliquot fœminarum principum in Persia nomen. Inprimis illustris Xerxis filia, uxor Darii posterioris, qui Nothus dictus est, Artaxerxis Mnemonis & Cyri Junioris mater: Ginge famulâ ad veneficia usa est, Plutarch. Hæc iniqua & infesta nurui Statiræ necem intulit, hoc pacto: Cultelli partem veneno contigit, reliquâ parte à veneno intactâ. Hoc cultello avicula quædam ovi magnitudine (*Rhyndacem* Persæ nominant) secatur in duas partes. Ac partem quidem dimidiam à veneno immunem Parysatis sibi sumit & comedit: veneno contactam Statiræ porrigit. Illa autem ubi vidit Parysatidem, quæ alteram partem sibi postea dederat, comesse partem suam, quòd non satis animadvertere potuisset, quid ab illis actum esset: etiam ipsa suam partem cum illâ comest. Irascitur matri ob hanc causam Rex & Gingem comprehendi jubet Parysatidis ancillam. Vocatur in judicium

dicium Ginge & à judicibus, ut innocens absolvitur; sed à rege damnata necatur. Hinc mater Parysatis filio & ille matri succenset, Ctesias.

Pasargada, Persidis urbs, Ptolem. regia olim, *Chilquera* Theveto. Nunc *Darabegerd* incolis, *Valasegerd* Arab. satis adhuc culta, in tractu *Darabegerd* dicto. Fuit autem prope Carmaniam, à Cyro ibi loci condita, ubi Astyagen prælio vicit; & nomen quidem ipsum *Περσῶν στρατόπεδον*, hoc est, *Persarum castra*, significare, testatur tum Eustath. tum Steph. de urbibus, cujus verba sic se habent: *Ταὶ δὲ Πασαργάδας ἔκτισεν ὁ Κῦρος ἐφ' ᾧ τόπῳ ἐπολέμησε Ἀστυάγην ἐνίκησεν. Ὀνομάζεται δὲ ἡ πόλις ἑρμηνευομένη Περσῶν στρατόπεδον.* Sed tunc esset *Parsagada*. Dionysius verò *Pasargadas*, non tanquam urbem, sed gentem nominat; cui genti proculdubio Pasargadæ urbs, quam cum locis vicinis tenuere, nomen dedit. Sic enim ille, *Πέρσαι Σάβαι, μετὰ τοὺς δὲ Πασαργάδαι.* Qu. Curt. *lib.* 10. ubi de Alexandri ex India in Carmaniam reditu: *Ventum est*, inquit, *inde Pasargadas; Persica gens est; cujus Satrapes Orsines erat.* Scribitur & *Passargada*.

Pasarna, Lavinianensis præfecturæ urbs, in Armenia minor. Ptolemæus.

Pascha, impropriè signif. agnum Paschalem, dies festos, totamque illam celebritatem & observationem, imò apud B. Paulum ipsummet Christum per agnum Paschalem adumbratum; propriè verò *transitum* notat, non enim trahit originem nominis à verbo *πάσχω*, quod Latinis est *patior*, affirmante id Lactantio, verùm ab Ebræo פסח *Pasach*, hoc est, *transilivit*, vel *transivit*, inde *Pesach*, *transitus*, Græcis *πάσχα*, nempe festus dies Judæorum in memoriam, quòd transiit seu præterit Dominus ædes filiorum Israël, & non percussit primogenita eorum. Institutio festi prolixè extat, Exod. 12. Nazianzenus *oratione de Paschate: Cùm quidam*, inquit, *Pascha nomen esse putarent salutaris passionis Domini, convertentes vocem Hebraam Gracè Pascha hunc diem nominarunt. Quod cùm usus recepisset, usitatiorem quoq; reddidit hanc vocem, velut sanctiori nomini assentientibus auribus.* Philo Judæus existimat, significari eo nomine *διαβατήρια*, id est, sacrificia quæ transituri libamus; sed fallitur. Melius Symmachus vertit *ὑπέρβασιν*, id est, *transgressum*, seu *transitum*. Theodotion *Φασέκ* reliquit, ad *Pesach* omninò alludens. Drusius existimat, vocabulum illud concinnatum à Græcis, ita ut pro Hebraico ח scriberent χ, sicut in aliis multis, ad finem verò adjicerent א, ut solent Chaldæi & Syri in nominibus propriis, ipsamque aspiratam פ mutarent in tenuem P. Vide Fungerum. Hoc Pius I. post Hyginum Episcopus Romæ, non more Judaico, sed tantùm dominico die celebrari voluit, An. Chr. 156. Hinc Polycarpus ex Asia Romam, ad controversiam hanc finiendam, pervenit, An. Chr. 166. cum quo Anicetus, Pii successor, statuit, celebrationem Paschatis liberam esse, nec *propter ceremoniarum dissonantiam, rumpendam esse fidei consonantiam*, Iren. *lib.* 3. *cap.* 3. Platina *in vita ejus*. Sed acrior Victor Ecclesias Asiaticas, quòd Pascha 14. Lunâ celebrarent, excommunicavit: An. 196. cui Asiatici Episcopi se opposuere; Polycrates inprimis, Synodali epistolâ scriptâ. Idem fecit Irenæus Lugdun. Episcopus An. 198. Euseb. *lib* 5. *cap.* 23. Iterum de die Paschatis observando, in Ecclesia litigatum, An. 316. sed finita lis Concilio Niceno, An. 325. Euseb. *lib.* 10. *cap.* 6. 7. Socr. *lib.* 1. *cap.* 6. *&* 8. *&c.*

Paschalis I. Rom. Pontif. 96. An. D. 817. successit Stephano IV. sine consensu Ludovici Pii Imper. electus; apud quem, sicut & Stephanus fecerat, se propterea purgavit, monitus, *ne in posterum Majestatem læderet.* Primicerii & Nomenclatoris excæcati ac occisi accusatus, Leonem imitatus est, & crimen jurejurando negavit. Platina, *in vit. Pontif.* Leonem V. Imper. ob Imaginum cultum abolitum excommunicavit, benignè exceptis Iconolatris, è Græcia profugis. Lotharium Imper. ipso Paschatis die coronavit, An. 822. obiit An. 824. Successit Gregor. IV.

Paschalis II. Thuscus, prius Rainerius dictus, Urbanum II. An. 1099. excepit; Antipapam Gilbertum excommunicavit, tyrannis quibusdam oppressis, pacem Italiæ utcunque dedit. Guastallæ in Lombardia, & Trecis in Campania, Concilium celebravit. Cum Henr. I. Anglo, & Henrico IV. & V. Impp. ob Investituram litigavit, ad sanguinem usque An. 1111. Qui postremus, cùm eum ac Proceres ejus Romæ obsedisset, vix non oppressus: multis millibus aut ferro deletis aut Tiberi mersis, coronationem & investituram tamen extorsit, libero è captivitate dimisso Paschali, postquam hostiæ parte sumptâ, alterâ Cæsari datâ, dixisset: *Sicut pars hac vivifici corporis divisa est, ita divisus sit à regno Christi Domini nostri, qui pactum hoc violare tentaverit*, Sigon. *lib.* 10. *ad An.* 11. *&* 22. Sed hic Imperatore vix in Germaniam regresso, fœderis & Sacramenti immemor, Saxones contra ipsum concitavit; à quibus superatus Imper. Investituram omnem Episcopo Rom. remisit. Obiit An. 1118. plurimas scripsit epistolas. Sigebert. Pandulphus, Platina, Ciacconius, &c.

Paschalis, Archidiaconus Ecclesiæ Rom. Antipapa electus est, contra Sergium I. sed obiit paulò pòst An. 687. Alius Antipapa, contra Alexandrum III. Hic erat Guido de Crema, ab Adriano IV. Cardinalis creatus. An. 1155. & missus in Germaniam, ad animum Friderici Barbarossæ Imper. demulcendum: in cujus gratiam Octaviano, qui Victoris nomen assumpserat, adhæsit, eique mortuo sub nomine *Paschalis*, successit: neque cessavit schisma, namque Paschalem hunc defunctum; An. 1164. Callistus excepit, donec tandem malis fractus Imperator Venetiis ad pedes Alexandri procubuit. An. C. 1169. Sigon. *lib.* 12. Nauclerus *gener.* 40. *&c.* Baronius, *An. C.* 1164. *&* 1170. Ciacconius *in vita Pontif.*

Paschasinus, Episcopus Lilybæi, Legatus Leonis M. ad Concil. Chalcedonense: Genserici in Siciliam irruptione factâ An. 454. captivus abductus est. Scripsit ad Leonem P. Epist. quæ inter hujus Epistolas 63. est. Vide Isidor. *cap.* 11. *de Vir. Illustr.* Adon. *in Chron.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 17. Baron. *in Annal. &c.*

Paschasius, Hispanus, martyr sub Genserico Gothorum rege, Paul. Diaconus.

Paschasius, Diaconus Rom. Laurentio, contra Symmachum electo præstò fuit. Scripsit libb. 2. de Spiritu Sancto, &c. Obiit Ann. 512. Gregor. *lib.* 4. *dialog. cap.* 40. *&* 41. Sigebert. *cap.* 11. *de Script. Illustr.* Vossius *lib.* 2. *de Hist. Lat. cap.* 20. Possevinus, Trithemius, &c.

Paschasius Rotbertus, Abbas Corbiacensis, floruit sub Ludovico Pio & Carolo Calvo. Opera ejus uno Volumine in fol. edidit Sirmondus, Parisiis Ann. 1618. In quibus, libri 12. Commentar. in Matthæum. 3. Explicationum in Psalmos 44. Quinque in Threnos. Unus de Corpore & Sanguine JESU CHRISTI in Eucharistia, ad mentem Sacræ Scripturæ: Epistola ejusdem argumenti: Vita tandem Adelardi, Ruffini & Valerii. Obiit An. 851. Lupus Ferrerius *ep.* 56. 57. 58. Sigebert. *cap.* 97. *de Vir. Ill.* Honor. Augustod. *lib.* 4. *de Lumin. Eccl.* Voss. &c.

Paschillus, Romæ vates ridiculus, aut potius statua lapidea, cui prædictiones & statuas affigunt, item dicteria, quæ in suo nomine non audet quis evulgare. Lil. Gyrald. 4. *Synt. Histor. Deor.* Lege *Pasquillus*.

Pasias, mangonium equorum exercuit, eoque facultates suas egessit. Hujus meminit Schol. *in Aristoph. Neb.*

Pasicana, urbs Indiæ cit. Ptolem.

Pasipeda, similiter, eidem.

Pasiphae, filia Solis, Minois Cretæ regis uxor, quam fabulæ ferunt Tauri amore captam fuisse, Dædalique operâ, quæ ligneæ eam vaccæ inclusit, voti compotem factam Minotaurum peperisse, mediâ parte hominem, reliquâ Taurum referentem: quod monstrum postea in Cretensi Labyrintho Theseus dicitur interfecisse, Ariadnes ope adjutus. Servius Minois scribam tradit nomine *Taurum*, cum Pasiphae mutuo ejus amore captâ, in Dædali ædibus, concubuisse, expletisque legitimis mensibus gemellos peperisse; quorum alter *Minos*, alter *Tauro* scribæ similis extiterit, indeque factum esse locum fabulæ, ut Pasiphae monstrum biforme traderetur peperisse. Vide Nat. Com. *lib.* 6. *cap.* 5. Virgilius *Æneid.* 6.

Hic crudelis amor tauri, suppostaq; furto
Pasiphae, mistumq; genus, prolesq; biformis,
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefanda.

Idem *Eclogâ* 6.

Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaen nivei solatur amore juvenci.

Propertius *lib.* 2.

Uxorem quondam magni Minois (ut ajunt)
Corripuit torvi candida forma bovis.

Idem *lib.* 3. *eleg.* 18.

Testis Cretæi fastus quæ passa juvenci,
Induit abiegna cornua falsa bovis.

Idem *lib.* 4. *eleg.* 7.

Una Clytæmnestra stuprum vehit, altera Creta
Portat mentita lignea monstra bovis.

Vide Plut. *in Theseo.* Plat. *in Minoë*, Palæphatum, Hyginum, &c. Silius Ital. *lib.* 8.

Hinc genus orditur Minos, immistaq; tauro
Pasiphae. —— ——

Inter alia spectacula Romæ exhibitus est hic Pasiphaes nefandus cum tauro concubitus. Martialis *epigr.* 5. *de Spectac.*

Junctum Pasiphaen Dictæo, credite, tauro
Vidimus, accepit fabula prisca fidem.

Pasiris, urbs Sarmatiæ Eur. Ptolemæo.

Pasiteles, sculptor egregius in Græciâ natus, & civitate Romanâ donatus, Plasticen matrem statuariæ, sculpturæque & cælaturæ esse dixit, & cùm esset in omnibus his summus, nihil unquam fecit, antequam finxit, Plin. 35. 12.

Pasithea, una Gratiarum, filia Jovis & Eurynomes, soror Thaliæ, & Euphrosynes. Item Nympha marina Nerei & Doridis filia. Hesiod. *in Theog.* Et Atlantis filia ex Æthrâ.

Pasitigris, nomen quo Tigris fluv. ubi remeavere aquæ, appellatur, Plin. *lib.* 6. 20. Strabo *lib.* 15. *Καὶ ὁ Πασιτίγρις, ὃς ἐκ τῆς Οὐξίας καὶ αὐτῆς ῥεῖ.* Adscribam de hoc fluv. quæ habet Qu. Curtius: *Rex*, inquit, *quartis castris pervenit ad flumen, Pasitigrim incolæ vocant; Oritur in montibus Uxiorum, & per quinquaginta stadia sylvestribus ripis praceps inter saxa devolvitur. Accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveo præterit, jam navium patiens: sexcenta stadia sunt mollioris soli, per quod leni tractu aquarum Persico mari se insinuat.*

Passa, urbs Thraciæ, Stephanus.

Passagium, apud medii ævi scriptores, transitum notat: item pecuniam, vel censum pro hoc impensum. Aliquando pro expeditione quavis transmarina sumitur, qualis Christianorum est in terram Sanctam. Ex quo Bulla Sixti III. Principes Christian. ad sacram expeditionem in Turcos exhortantis, missa Philippo Palatino Elect. Ann. 1481. *Passagium* inscribitur. Vide Spelmannum, *Glossar. Archæol.*

Passala, navale Mylassiensium, Stephan.

Passalon, Ægypti urbs, Ptolem. *Pesla* Antonini est, ut æstimat Villanovanus. *Fescia* in Lib. Notit. credit dici Simlerus.

Passalorhynchitæ, Hæretici, Sectatores Montani: digito ori admoto, perpetuum silentium professi sunt, abusi Psalm. 141. *versu* 3. seculo secundo. Hieronymus suo adhuc tempore in horum quosdam, dum Ancyrâ in Galatiam iter faceret, incidisse se refert. Iidem nares quoque obstruxerunt, Philastr. *de hær. cap.* 77. Augustin. *cap.* 63. Baron. *in Annal.*

Passanda, parva regio, sive locus apud Adramyttium urbem, Stephanus.

Passarvanum, urbs Javæ insulæ in parte Or. versus fretum Balambuanum, cum portu, media inter Panarucanum ad Ort. & Jortanum ad Occid.

Passer, cognomen *Cetronii*, in antiq. Inscr.

Passer, nomen loci, cujus meminit Mart. 6. 42.

> *Non mollis Sinuessa, fervidiq;*
> *Fluctus Passeris, aut superbus Anxur.*

Passeratius Johannes, Trecensis, Professor Regius Parisiis, Criticorum sui seculi inter primos. Sub Cujacio primùm Juri operam dedit Avarici, dein Petri Rami successor, Eloquentiam professus est. Edidit quædam egregia; Auxit Calepinum, & elegantiores literas immensum juvit. Unoculus erat, & in ædibus Memmii An. 30 moratus, obiit paralysi Ao. 1602. æt. 73. Sibi ipsi Epitaphium scripsit per 5. An. clinicus, at lætus & præsens. Vide Scævol. Sammart. *elog. lib.* 4.

Passienus Crispus, primus maritus Domitiæ, cujus pecuniariam litem adversus fratrem Ænobarbum defendit, ut est apud Quint. *lib.* 6 *cap.* 2 Deinde Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno elatior inter primarios cives emicuit, bis Consul, & Oratoriis ingenii. Ejus est scitum illud in C. Cæsarem; Neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse. Vide Tacitum & Senecam. Plinius eum scribit arborem motum eximiam sic adamasse, ut non modò osculari, complectique, verùm etiam cubare sub illâ, vinumque illi effundere solitus sit, *lib.* 16. *c.* 24. Municeps fui. Visellensis, plurimas sponte causas apud centumviros egit; pro quâ re in Basilicâ Juliâ ejus statua posita est. Possedit bis millies sestertiûm, cujus hæreditate mortui sub initia Claudiani Imperii ditatus est Nero. Periit verò per fraudem Agrippinæ, quam hæredem reliquerat, & funere publico elatus est.

Passienus Paulus, eques Romanus, sub Flaviis ac deinceps claruit. Poëta fuit elegiacus, patriâ Mevaniensis ex Umbriâ, Propertii nepos, vel pronepos, cumque in elegiis imitabatur. Plinius *lib.* 6. *epist. ad Romanum: Mirificæ rei non interfuisti; nec ego quidem, sed me recens fabula excepit: Passienus Paulus, splendidus eques Romanus, & imprimis eruditus, scribit elegos: Gentilitium hoc illi. Est enim municeps Propertii, atq; etiam inter majores suos Propertium numerat. Is cùm recitaret, ita cœpit*, PRISCE JUBES: subdit deinde, ut eo sic exo sto, Priscus Jabolenus, egregius Jurisconsultus, sed dubiæ sanitatis respondent, *Ego verò non jubeo:* atque inde magnus ortus sit risus, eaque res Paulieno attulerit multum frigoris. Cæterùm de tribus *Passienis*, avo, patre, & filio, multa Andreas Schottus dissertatione de claris apud Senecam Rhetoribus. Is, de quo nunc agimus, ab elegis postea se ad Lyrica convertit, atque uti in elegis Propertium, ita in Lyricis Horatium sibi imitandum proposuit. Testis idem Plin. *lib.* 9. *ep. ad Severum:* ubi & plura de ejus laudibus. At planè alius est *Passienus*, qui sesquiseculo pòst sub Gallieno Proconsul Africæ fuit, uti Trebellius Pollio narrat, Vossius.

Passeris, urbs Ægypti, Stephan.

Pastona, civitas ad Euphratem, Plin. 5. 24.

Pastophori, sacerdotes sacrosancti Ægyptiorum, honoratiores cæteris; sic dicti quòd ferant pallium Veneris, cui nomen est *Pastos. Pastophoros* etiam Venus dicta est. Vel etiam, quòd cujuscunque Dei, cujus erat templum, thalamum ferant, id est, ædiculam e sacram. Vide Apuleium 11 *Metam.* Hinc *Pastophorium*, tabernaculum, seu thalamus, in quo habitat Præpositus templi: Plura apud Joh. Dallæum, *de cultibus religiosis Latinorum, lib.* 6 *cap.* 6. ubi de hujus vocis usu apud Patres, prolixè agit. Hesychius, *παστοφόριον, τὸ τὸν παστὸν φέρον*, (*παστὸς* autem Thalamus est:) *ἢ συναγωγὴ, ἢ ναὸς θεοῦ*; ubi per *Synagogam* fortè proseucham intelligit, in qua Judæi ad preces & sacra conveniebant.

Pastor, Consul cum Æliano, An. U. C. 915.

Pastor, Presbyter castissimus, qui studio castitatis servandæ matrem ad se venientem cellâ clausâ repulit.

Pastor Albenacensis, vel *Sarratius*, Cardin. & Archiepiscopus Ebrodunensis, obiit Ann. 1354. Avenione. Scripsit varia in auctores tum sacros, tum prophanos: inprimis Historiam Ecclesiasticam sui temporis. Ciaccon. *in vit. Pontif.* Wading. *in Ann. Minor. &c.*

Pastos, oppid. ad Ægæum mare, non procul à Neapoli regione Thraciæ, Plin. 4. 11.

Pastovia, oppidul. Cornubiæ in Anglia, cum portu, in orâ littorali maris Vergivii, ad ostia Alani fluv. 50. m. p. ab Antivestæo prom. in Cæc. Vulgò *Paastovv*.

Pastrana, oppid. Castellæ novæ, cum titul. Ducat. ad Tagum fluvium, quibusdam Paterniana, 13. leuc. à Madrito in Ort. uti 18. à Toleto.

Pasumena terra, scribunt Volaterranus & Leander sic à Strabone vocari eum tractum Tusciæ, quem vulgò *Il Consentino* vocant.

Pasus, Thessalus, in exercitu Alexandri Magni, ab Aridæo missus ad Equites Macedonas, extra Babylonem tendentes, de finiendâ cum Peditibus discordiâ, Curt. 10. 32.

Pataci, sic dicuntur Dii à Phœnicibus, quos in triremium proris circumferunt. Herodotus habet *Παταϊκοὶ*. Sic enim scribit *Musâ quartâ: Τοῖσι Φοινικηΐοισι Παταΐκοισι, τοὺς οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρῴρῃσι τῶν τριηρέων περιάγουσι.* Hesych. *Παταϊκοὶ, Θεοὶ Φοίνικες, οὓς ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν.* Itaque cùm vox sit Phœnicia, meritò dici putatur à פתיחון *pethica*, id est, *titulus*, qui aperit rei nomen, Bochart.

Patacus, vetus author an historicus fuerit, videndum apud Voss. *lib.* 3. *de Hist. Gr. pag.* 398.

Pataga, civitas Arabiæ. Plin. 6. 27.

Patage, quæ & *Platage* & *Amorgos*, ins. inter Sporadas, Pl. 4. 12.

Patagones, popul. Americæ Mer. in Magellanica reg. prope oram Bor. freti Magellanici & maris Brasilici. Regio eorum à Ferd. Magellano primùm detecta est. Sed nulla in ea urbs.

Patala, urbs Italiæ. Steph.

Patala, urbs in Indi fluminis insulâ, *Patalena* Ptolomæo, *Pattala* duplici TT. scribit Arrianus. *Patalu* fortè Plinii. *Pathalam* regionem habet Curt. IX. 45. *Petana* videtur Diodoro *lib.* 3. *Pattalena*, apud Strabonem dicitur Insula, & *Pattala* ejus oppidum. In Indi ostio inter illud & Baracenins. *Petacal* hodie Castaldo. *Diu* vel *Babul* Pineto vocatur: *Parimuth* Theveto. Aliis est *Cambaja*, urbs ampla Indiæ cit. regni cognom. caput, in intimo recessu sinus Barigazeni, sub M. Mogole, 300. m. p. ab ostio Indi fl. in Ort. Baudrandus.

Patalena, dea, quæ præesse segetibus existimatur, cùm spicæ, & folliculi patescunt, ut scilicet spicæ exire possint. Arnobius *Patellanam* vocare videtur, & *Patellam*, ex quibus una patefactis, altera patefaciendis rebus præstituta.

Patales, portus Indiæ celeberrimus. Plin. 2. 73.

Patalus, insula vicina Cariæ. Steph.

Patara, V. *Patarorum urbs.*

Patarini, qui & *Cathari*, *Publicani*, *Gazari* ab adversariis, *Passagieri* ab exilio, *Albigenses* ab Albigio, *Lugdunenses* à Lugduno, *Waldenses*, à Petro Valdo, *Henriciani*, ab Henrico Monacho, &c. dicti: Papam Sec. 11. & 12. Antichristum, Ecclesiam Rom. matrem fornicationum pronuntiabant, puritatem Sacramentorum & dogmatum tuebantur: Flacc. *in Catal. Test. Ver.* Quòd enim à Lucifero res visibiles creatas statuisse, conjugium adulterium, rubum ardentem, ludibrium vocasse &c. dicuntur, id ipsis affictum. An à *Pati*, quia omnia potius pati, quàm seculi idololatriam sectari, maluerunt? Iidem *Consolatores*, in Lombardia, *Boni homines* in Germania communiter vocitati sunt. Sigonius *Patarinos* hac occasione dictos vult: Cùm Mediolani Guido Archiepisc. celebrato Episcoporum conventu, Clericis uxores habere permisisset, hinc secessio facta, & quia uxorati in Patria conveniebant, *Patarini* dicti sunt *lib.* 9. *Ad An.* 1058. quæ appellatio deinde ad omnes à Lat. Ecclesia diversum sentientes est extensa. Hinc Wilhelmus Nogaretus Gallus, qui cum Sciarrâ Columna, auspiciis Philippi Pulchri, Ananiæ cepit Bonifacium VIII. ab hoc irato, *Patarini* convitio affectus est, A. 1303. V. Masson. *lib.* 3.

Patarorum urbs, seu *Patarâ*, nunc *Patera*, seu *Paterea* Castaldo, urbs Lyciæ, Baudrando in ora maris Pamphylii, prope ostia Xanthi fl. Patarî opus. Strab. *lib.* 14. in quâ Apollo 6. hybernis mensibus oracula reddebat. Patria S. Nicolai, Myræ Episcopi. Hinc *Patareus*; ut apud Horatium,

> *Delius & Patareus Apollo.*

Item *Patareius*. Ovid. *Met.* 1.

> —— *Mihi Delphica tellus,*
> *Et Claros, & Tenedos, Patareaq; regia servit.*

Statius *Theb.* 1.

> *Phœbe parens, seu te Lycia Patarea nivosis*
> *Exercent dumeta jugis.*

Mela 1. 15. ubi de Lyciâ: *Atq; ut multa oppida, sic præter Patara non illustria. Illam nobilem facit delubrum Apollinis, quondam opibus & oraculi fide, Delphico simile.* Ubi vir doctissimus Isaacus Vossius: Alio ordine, inquit, Plinius hæc oppida recenset atque Mela. Ille quippe prius Xanthum, deinceps Patara nominat. Rectè tamen uterque. Limyra enim proficiscentibus Xanthos oppidum vicinius erit Pataris. Verùm Xanthi ostia remotiora; & ultra Patara erant sita. Xanthos enim mediterranea urbs

urbs est, Patara verò sita erant ad ipsum mare. Nam, quod Scylax ait, ad Patara adverso amne Xantho navigari, id falsum est, omnino verum est vel errasse Scylacem, vel ita scripsisse: *Ξάνθος, δι' ȣ̃ ἀνάπλȣς εἰς πόλιν. Πάταρα πόλις ἣ καὶ λιμένα ἔχει.* Valdè autem errat Salmasius, quum existimat hanc esse urbem, quam Dionysius Alexandrinus vocat *Παταρηΐδα ἄκρην.* Versus illius aliter quàm ipse facit, sunt corrigendi hoc modo:

—— *Τὰς κεῖνος ἑλίσσεται ἐν ἁλὶ κόλπος*
Νήχυτος, ἔνθα καὶ ἔνθα βαρυνόμενος προβολῇσι.
Τȣ̃ μὲν ἐπὶ προχοῇ Παμφύλιοι ἀμφινέμονται,
Ὅσσον ἐπὶ προβέβηκε Χελιδονίων ἐπὶ μυχῶν.
Σῆμα δ' ἔχει ζεφύρȣ Παταρηΐδα τηλόθεν ἄκρην.

Patara urbs nullum efficit promuntorium, portu enim præcingitur. Licet verò exigua aliqua litoris hic esset prominentia, quæ tamen nulla est, non tamen *μεγάλην ἄκρην* appellasset, ut alibi facit,

Τὴν δὲ μετ' ἀντολίην Χελιδονίας γαῖαν
Τρεῖς ποτὶ μεγάλης Παταρηΐδος ἔνδοθεν ἄκρης.

Illud verò plane à ratione alienum, quòd ostendere conatur idem vir doctissimus. Dionysium hic per magnum Pataraeidis promuntorium intelligere portum Patarensem. Nam quis unquam portus & promuntoria confudit? Longè verò diversa fuit mens Dionysio: *Παταρηΐδα ἄκρην* vocavit ille totum Lyciæ promuntorium, sive peninsulam. Sciendum enim, Lyciæ oram, quæ à Chelidoniis usque ad Telmessum extenditur, valde in mare prominere, & peninsulam efficere. Ideo alio in loco Dionysius,

Πρὸς δ' ἄλα κεκλιμένην Λύκιοι χθόνα ναιετάουσι.

At verò, in tabulis Ptolemaicis tantum abest ut Lycia in mare excurrat, ut potius immensum quantum intus recedat. Verùm id non tam errore factum est Ptolemæi, quàm librariorum, qui tabulas confecerunt. Taurus quippe mons, à Pisidicis descendens jugis, multis in hoc mare exit promontoriis. Ab alia parte mons Gragus & ipse quoque satis longè in mare evehitur. Hi duo montes efficiunt magnum istud Lyciæ promuntorium, quod multa alia continet promuntoria, multos quoque portus, & non paucas urbes. A Pataris verò, præcipuâ hujus promuntorii seu peninsulæ urbe, *Παταρηΐδα ἄκρην* vocat Dionysius. Meminit & Hesychius, sed ex Dionysio, ut arbitror: *Παταρηΐς, πόλις καὶ ὄρος Λυκίας.* Stephanus *Λυκίαν χερρόνησον* vocat, quod non de Patarensi portu, sed de totâ peninsulâ accipiendum est. Addit idem nominis originem, nempe dictum esse *ἀπὸ Πατάρας* quod *κίστην* & *κιβωτὸν* interpretatur: *Ἀλέξανδρος Σαλακίαν κίστην φησὶ φέρειν ἱερὰ τȣ̃ Ἀπόλλωνος ἐν πελάγει. Ἐςὶ δὲ ταῦτα πέμματα λύρας τε, καὶ τόξα καὶ βέλη οἷς παίζειν νηπίȣς οἴας.* Hic Apollo 6. mensibus, ut Lucian. ait, nullâ hyemis factâ mentione, ut supra, responsa dabat, reliquis sex mensibus Deli. Servius. Hic & Acesteus ortus & Helicon Caristius, peplum Palladis contexuere, de quibus Prov. *Acesei & Heliconis opera* pro exquisitissimis. Ferrar.

Patavia, seu *Batava castra* vocatur vulgò Latinè ea urbs Germaniæ ad Danubium sita, ampla admodum, sed tota fere lignea, quam incolæ *Passavv* vocant, Bruschio teste. Urbs fuit aliàs Vindeliciæ, in confinio Norici, nunc in Bavaria inf. ad confluentes Oeni in Danubium, à quo triplex efficitur, *Passavv* nempe dicitur præcipua Urbs, quæ Vindelicia cis Oenum, ubi aliàs *Batava castra*; *Instat* ea pars Urbis, quæ in Norico juxta & infra confluentes Oeni, ubi aliàs Bojodurum: *Ilstat* autem est pars, quæ trans Danubium fl. ex adverso Patavii. Sub Episc proprio, cum tractu adjacente. Estque inter Duc. Bavariæ ad Occ. & Austriam super. ad Ort. Haud pridem fœdo conflagravit incendio. Eique adjacet ex adverso Oberhusium arx & sedes Episc. in monte, juxta Ilstadium. Celeberrimam hanc urbem fecit Pax Religionis, à Carolo V. Imp. ibi Germaniæ concessa, cujus tenor: *Propter Religionem nulla cuiquam exhibeatur molestia.* A. C. 1552. V. Thuan. *Hist. lib.* 7. &c.

Patavium, civitas Italiæ, recentiore nomine *Padua* appellata; V. ibi. Ampla & munita, sed non æquè culta, agri Patavini caput, Episc. sub Arch. Aquilejensi, sub Venetis, ad Medoacum fl. Academiâ, à Frider. Imp. & Cœlestino Pontif. erectâ insignis. Hujus Urbis originem è Trojanæ urbis ruinis auctores deduxerunt. Mela 2. 4. *Urbium, quæ procul à mari habitantur, opulentissimæ sunt, ad sinistram, Patavium Antenoris, Mutina & Bononia, Romanorum coloniæ.* Solinus *cap.* 8. *Notum est, Patavium ab Antenore constitutum.* Mar. Capella *lib.* 6. *Patavium Antenor condidit.* Ælian. *de Anim.* 14. 8. *Πόλις ἐςὶν ἐν τοῖς ὑπὸ τȣ̃ ἑσπέρȣ χωρίοις Ἰταλικοῖς, καὶ ὄνομα αὐτῇ Πατάβιον. Ἀντήνορος ἔργον εἶναι λέγȣσι τȣ̃ Τρωός.* Virg. *Æn. lib.* 1.

Antenor potuit, mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi;
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti.
Heic tamen ille urbem Patavi, sedesq; locavit
Teucrorum; & genti nomen dedit, armaq; fixit
Troïa. ——

Vide sis illic Servium, & Livium, *initio lib.* 1. Idem Servius ex emendatione magni Cluverii: *Patavium autem dictum, vel à Padi vicinitate, vel, ut alii putant, à palude Paduâ, quæ vicina civitati est, quasi Padavium: vel ἀπὸ τȣ̃ πέτεσθαι, quòd captato augurio dicitur conditum, vel, quòd avem telo petiisse dicitur* (Antenor) *& eo loco condidisse civitatem.* Atqui de ave petitâ, vel de Augurio, Grammaticorum ineptorum putidum est commentum, inquit Cluverius; & Græcâ linguâ Trojanum voluisse novæ urbi nomen imponere, minimè credibile est. A magno, nobilique amne, haud ita longe dissito, vocabulum ei quæsitum esse, nihil absonum fuerit. Ab Antenore tamen esse inditum dubitari potest, quando Celticam formationem habere videtur, quasi *Padavv*; quod postea Latini suo ore formarunt *Patavium*: ut *Bataviam* vocaverunt, Batavorum ad Rheni ostia agrum, qui incolis erat *Batavv.* A Venetis igitur Illyriis fortè nomen inditum fuerit urbi, in quam postea cum sociis receptus est à Trojâ captâ profugus Antenor, quemadmodum ad alterum mare, in Latii ac Romæ urbis partem cum suis Æneas: hinc posterioribus auctores, conditoresque earum urbium existimati sunt. Strabo *lib.* 5. *Παταβιον* vocat. *Πατάβιον*, inquit *πασῶν ταύτη ἀρίστη τὴν πόλιν*: ibidemque *τὴν εὐανδρίαν τῆς πόλεως καὶ τὴν εὐτυχίαν* celebrat. Livii patria & Valerii Setini Aponinati, qui Argonautica, Apollonium Rhod. imitatus, sub Domitiano Imper. scripsit, teste Crinito. Urbs ab Attila, Dei flagello, direpta, An. C. 452. Cum Vincentinis bellum gessit, A.C. 1140. Carrarienses dominos accepit, An. 1308. quos dominatu exuit Johannes Galeacius, An. 1403. Blondus, *dec.* 2. *lib.* 10. Transiit dein sub imperium Venetorum, quorum urbem Patavini, post Aquileiæ excidium, condidere. His à Maximiliano I. Imp. erepta, An. 1509. moxque recepta est. Ferrar. &c. Populi *Patavini.* Unde Martialis 11. 17.

Tu quoq; nequitias nostri lususq; libelli
Uda puella leges; sis Patavina licet.

Idem 14. 143. vellera Patavina commendat,

Vellera cùm sumant Patavinæ multa trilices;
Et pingues tunicas serra secare potest.

Patavium, Urbs in Ponto, sive Bithyniâ. *Polmen* hodie dicta. Alter *Claudiopolis.*

Patavium, locus in Belsa, corruptè *Patajum*, vel *Patejum*, vulgò *Patay en Beausse*, sicut ex Alingavia in Turonibus factum est, *Lengay* aut *Langey*, literâ u. elisâ. Parochiæ *de Patajo*, mentio fit in literis Anni 1221. Prioris *de Patajo*, in literis datis An. 1191. regnante Philippo: In aliis Prioratus *de Patejo*, membrum Monasterii S. Florentini bonæ vallis nuncupatur. V. Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Patellarii, Dii sic dicti, quòd *patellis*, quæ vasa erant in sacrificiis usurpari solita, placarentur. Plautus *in Cistellaria*:

Dii me omnes magni, minuti, & patellarii.

Pater, inter Monachos Ecclesiæ primitivæ is dicebatur, qui Decanis præfuit, eorumque muneris rationem exegit. De his Augustinus *l.* 1. *de moribus Eccl. Cathol. c.* 31. *Hi verò* Patres *non solùm sanctissimi moribus, sed etiam divinâ doctrinâ excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nullâ superbiâ consulunt* Filiis, *magnâ suâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisq; habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum* Patrem, *& conveniunt ad singulos* Patres, *terna, (ut minimum) millia hominum* &c. Idem voce *Papa* indigitatur, hodieque Græci Ecclesiastas suos *Papas* vocant, teste P. de Valle *Itin. Tom.* 4.

Patera, (inquit Bochartus) sunt sacerdotes Apollinis, oraculorum interpretes, à verbo פתר *patar*, i. e. *interpretari.* Unde Joseph פותר *poter* dicitur, quia interpretabatur somnia, Gen. 40. 41. Ausonius, in Professoribus Burgigalensibus, ubi de Attio *Paterâ*, vel *Paterio*,

Beleni sacratum ducis è templo genus,
Et inde vobis nomina.
Tibi Patera, sic ministros nuncupant
Apollinares mystici.
Fratri patriq; nomen à Phœbo datum,
Natoq; de Delphis tuo.

De his ita Hieronymus *Epist.* 150. *ad Hedybiam: Majores tui Paterius, atq; Delphidius; quorum alter, antequam ego nascerer, Rhetoricam Romæ docuit, alter, me jam adolescentulo, omnes Gallias prosâ versuq; suo illustravit ingenio.*

Paterculus, Romanus quidam, cujus filia Sulpitia semel matronarum sententiâ pudicissima fœmina judicata est, & electa ex centum præcipuis, quæ simulachrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret. Plin. 7. 35.

Paterculus Vellejus, Historicus, de quo vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 21. & in voce *Vellejus.*

Pateria, insula non procul à Lemno. Plin. 4. 12.

Paterniacum, Gall. *Bayerne*, Germ. *Pätterlingen*, oppid. Helvetiæ, haud procul Ebroduno, antiquum, quod conjicitur tum ex commodo loci situ, tum ex inscriptione Jovi facta, in marmore rotundo, super ponte Brojæ: *Jovi O. M. Genio. Loci. Fortunæ Reduci. D. Ap. Pius. Augustus. dedic.* An à Graccho Paterno, cujus meminit inscriptio Villariæ, nomen & ortum accepit? Igne illud, Cæsaris tempore, periisse credit Guillim. *p.* 39. Joh. Bapt. Plantinus, olim ad Brojæ trajectum vicum fuisse putat, qui postea ex Aventici ruinis in opp. excreverit: V. ejus *Helv. Nov. Ant.*

Paterniana, Hisp. Tarraconensis urbs. Ptol. *Pastrana* Mariana dicitur. Aliis est *Paternoa*, oppidul. Valentiæ ab ea Urbe 2. leuc. distans, sed situs non congruit.

Paterniani, Hæretici, Symmachi Samaritani, & Patritianorum errores sectati. Carnem Dæmonis opus statuentes, omni impuritatis genere se polluebant. Seculo quarto; mox tamen coerciti. Augustin. *de hær. c.* 85.

Paternum, Castr. Campaniæ Rom. in dit. Pontif. & ora maris Tyrrh. ubi aliàs villa Plinii Jun. *Paterno*. L. Holstenius.

Paternum, Lycophroni *Crimissa*, Barrio *lo Ciro* opp. Græciæ magnæ, in ora, ubi sinus Tarentinus incipit, 24. m. p. à Crotone urbe in Bor. Roscianum versus ad 36. Cariato proxima. Item, opp. Siciliæ, Hadrano propinquum, 4. m. p. distans à Rogerio Com. adversus Saracenos extructum; *Paterno*.

Fl. *Paternus*, Consul cum Fl. Anicio Maximo, anno U.C. 1196.

Pathissus, *Tibiscus* Ptolemæo, *Tyssa* vel *Theissa* Lazio, fluv. ingens Jazygum Metanastarum in Hungariâ Transsanubianâ à Carpate monte profluens, longoque tractu in Danubium inter Petrovaradinum opp. ac Taurunum urb. decurrens, Solnocum & Segedinum urbes alluens, Jazygasque à Dacis separans. *Tibisis* Herodoto, & *Parthiscus* Ammiano dicitur.

Pathmos, V. *Patmos*.

Pathros, & *Pathrusim*. Vide Bochart. *Phaleg. lib.* 4 *cap.* 27.

Patinaria via in Sabinos ducebat, ut & *Quintia*.

Patinus Carolus, Doctor Medicus Parif. rei nummariæ peritiâ, scriptisque de illa editis, clarus: Patavii docet.

Patiorus, Siciliæ mediterraneæ urbs. *Palazzolo* hodiè, teste Aretio.

Patisama, Indiæ intra Gangem urbs, Ptolem.

Patizites, vir Persa, magus, Smerdim fratrem suum similem Smerdi fratri Cambysis, Persarum Regem declaravit. Fuit enim præfectus Cambysis, apud Persas.

Patmos, Icarii maris insula Plinio & Straboni, nomen antiquum hodie retinet, si Nigro creditur. *Palmosa* verò novo nomine eam vocat Sophianus. Hæc teste Plinio *lib.* 4. *cap.* 12. patet circuitu triginta m. p. in Arabicâ Paraphrasi, per B. scribitur בטמוס *Batmos*. Nomen habet, ex conjecturâ Bocharti, à terebinthis. Syris enim terebinthus est בטמא *batmo*, ut Chaldæis *butma*, & Arabibus *botom*, unde Barbaris *bottin*, & *albottin*. Et, ut author est Dioscorides, nascitur terebinthus in Judæâ, Syriâ, Cypro, Libyâ, καὶ ἐν ταῖς Κυκλάσι νήσοις. Quòd sequutus Isidorus *Orig. lib.* 17. *cap.* 7. terebinthinam afferri asserit ex *Arabiæ partibus, atq; Judæa, & Syriâ, Cypro & Africâ, & insulis quoque Cycladibus*. E quo numero est Patmos, latè sumpto vocabulo, quomodo illi sumunt. Baudrando est in mari Ægæo, ferè 40. m. p. ab Icaria insula in Mer. totidem à Co, in Boream. P. de Via nunc *Petina* dicitur, & insula Palmos ei adjacens ad Mer. *Palmosa*. Incolæ ejus Græci sunt Christiani, sed Magistratus & urbium præfecti Turcæ. Huc D. Johannes Evangelista à Domitiano relegatus fuit, ibique Apocalypsin scripsit, Nat. Met. vide Apoc. 1. 9. In ea esse monasterium Calojerorum Bellonius scribit, in quo ea laveris manus ostenditur, cui ungues increscunt, tametsi fuerint resecti; eam D. Joannis manum esse Græci affirmant; at contrà Turcæ esse manum alicujus ex ipsorum Prophetis jactant, &c. Urbem habet Episcop. sub Archiepisc. Rhodiensi, Ferrar.

Patocensis argenti fodina Peruviæ, singulis diebus XXX M. Philippicûm dare, scribitur. Jos. A Costa *de Nat. nov. Orb. l.* 4.

Patracorii, Galliæ pop. Ptolem. vulgò *Perigort*. Legitur hodie *Petrocorii*.

Patra, civitas Archiepisc. in Achaja, *Badra*, & *Balulathra*, id est, veteres Patræ, Turcis, & nunc florens, Ferrar. quam Pausanias *Aroën* dici prius solitam scribit; mox à *Patreo*, mœnibus ampliatis nomen accepisse, quod nunc habet. Plin. 4. 4. Silius *lib.* 15.

Tum lustrata Ephyre, Patræq; & regia Pleuron.

Et ante eum Ovid. *Metam.* 6.

Messeneq; ferox, Patræq; humilesq; Cleonæ.

Leunclav. *Pand. Turc.* Item *Patra* in Phthiotide Laonico, quæ *Patra Thessalica* dicuntur à D. Paulino, apud Thermopylas. Ad *Patras* victus Mahometes III. An. 1602.

Patrasis, urbs Pontica, Stephan.

Patres, dicti, quos Romulus ætate, prudentiâ, opibus pollentes numero 100. legit, penes quos Consilium Reip. esset: his, idem dein alios 100. addidit, Tarquinius verò Priscus 300. esse voluit. Iidem ob ætatem *Senatus*, item *Patroni*, dicti: qui autem ex illis geniti, *Patriciorum* venerunt nomine. Alii secundam Patrum Centuriam Tarquinium modò memoratum, ex Plebe, addidisse dicunt, qui appellati *Senatores minorum gentium*: Brutum verò tertiam adjecisse, & tum *Patres conscriptos* dici cœpisse. Quid inter hos Plebejosque actum, V. Liv. Florum, Lazium de *Rep. Rom.* Alexandr. *Genial. dier. l.* 2. *c.* 2. &c. In Ecclesia peculiariter sic dicti sunt, qui doctrinæ eminentiâ, scriptorumque dignitate, doctrinam fidei insigniter illustrarunt, & confirmarunt. Quales *Sec.* 1. Apostoli & viri Apostolici, Prochorus, Barnabas, Clemens &c. Seculo II. & III. Ignatius, Hegesippus, Justinus Martyr, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Melito Sardensis, Clemens Alex. Tertullianus, Hippolytus Martyr, Origenes Cyprianus, Gregorius Neocæsatiensis, Arnobius, Lactantius, &c. *Sec. IV.* Eusebius Emissenus, & Cæsariensis, Athanasius, Cyrillus, Hilarius Pictaviensis, Optatus, Ambrosius, Basilius, Ephræmus Syrus, Gregorius Naz. Cæsarius, Gregorius Nyssenus, Prudentius, Epiphanius &c. *Sec. V. & VI.* Chrysostomus, Sixtus Senensis, Hieronymus, Ruffinus, Augustinus, Prosper, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Fulgentius Afer, &c. V. quemvis *suo loco*, &, de scriptis eorum, tum genuinis, tum suppostitiis, Rivetum *in Critico Sacro*, Dalæum *de usu Patrum*, &c.

Patriagada, locus Persicus, Stephan.

Patriamphes, vir Persa, Xerxis auriga, Herod. *lib.* 7.

Patriarcha, nomen dignitatis Eccles. Burchardus *l.* 1. *c.* 53. *ponendi* Patriarchæ, *ubi apud Ethnicos primi Flamines*. Constituti Concilio Nic. circa An. C. 325. Patriarchatus tres, à quibus aliæ Ecclesiæ dependerent, Romanus, Antiochenus & Alexandrinus, Sozom. *l.* 1. *c.* 17. Dein, in Concilio Constantinop. A. 385. sancitum, ut Episcopus Constantinopolitanus, in perpetuum diceretur *Patriarcha*: cujus sedes Antiochenæ & Alexandrinæ prælata est, Concilio Chalcedon. sub Martiano Imper. habito, An. 451. cui decreto Episc. Rom. Leo restitit, ortumque inde infelix de titulo *Universalis* certamen: Hierosolymitana quoque Ecclesia Patriarchatus titulo & sede decorata est Conc. Niceno retro memorato, sed salvâ jurisdictione Metropolitæ Cæsareensis: demum Conc. Constantinopolitano II. An. 553. ei Metropoles Cæsarea, & Scythopolis: ut & Berytus & Rubensis, quarum illæ sub Antiocheno, hæc sub Alexandrino Patr. fuerant, subjectæ sunt. Hodieque aliqua horum in Ecclesia Græca umbra superest. Sub finem seculi præteriti, cùm Clemens VIII. Henricum IV. Galliæ R. consilia *de Patriarcha* in Gallia creando seriò agitare cerneret, anathemate illum exolvit, V. Thuan. *in Histor.*

Patriciacum, vulgò *Precy*, aliàs *Percy*, locus in Diœcesi Augustodunensi, Prioratu insignis, ad Floriacense Monasterium pertinente, qui inter Prioratus circiter 25. & Præpositur. s S. Floriaco subjectas, tertium tenet locum. Aimonius Floriacensis Mon. *de mir. Benedicti lib.* 2. *c.* 15. villam vocat, in Augustodunensi territorio Burgundiæ sitam: eamque ab Echardo Comite Burgundionum ditissimo Fratribus Floriacensis Monasterii collatam, refert: Ibidem Solmariceuse prædium *Patriciacensi* cœnobio subditum memorat. A *Patricio* nomen accepit. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Patricii, Romæ olim dicti, qui è *Patribus* geniti, V. *Patres*. Hi Plebeiis contradistincti, inter quos frequentes, circa administrationem Reip. lites, de quibus Histor. Rom. scriptores consulendi. De illis autem Procopius Goth. *Hist. lib.* 4. *Multi pridem senatorii ordinis, Totila jussu, in Campania morabantur. Hi simul intellexerunt, armis Romanis Romam teneri, profugi è Campania urbem petebant. Cùm id fieri sentirent Gothi, proxima præsidia tenentes, conquisitos sedulò eos, qui* Patricii *vocantur, per villas agrosq; interfecere omnes.* Sic dicti quoque, quos Constantinus M. e publico Senatu, in Consistorium & privatum consilium Principis velut Senatum domesticum cooptavit, provinciæque alicujus præfecturâ donavit: aliàs Comites Consistoriani, & sacri Consistorii dicti, & solummodo Illustres. Carolus postea Magnus, *Patritius Romanus*, i. pater totius Reip. à populo Rom. creatus est, An. 774. sicque ei ad Imperium via strata, & unà concessum est, per singulas Provincias, Archiepiscopos & Episcopos, instituere Pontificem quoq; eligere, &c. A. 800. Sigon. *l.* 4. *ad An.* 774. Hinc & Galliæ Reges, Romanorum *Patritii*. Videndus Meursius &c. inter cœtera Venericum, seu Walthramum proferens, *in apologia* 2. *Legitur, Stephanum Papam venisse ad Regem Pipinum, & postulasse patrocinium ejus contra Haistulphum, Regem Longobardorum, ac ipsius Patrocinii gratia decrevisse: quemlibet deinceps Regem Francorum esse Patricium Romanorum.* Hinc Provinciarum Satrapæ, etiam in Occidente, postea dicti sunt *Patricii*, atque denuo Illustres. Sic in Historiis Angl. V. Limnæum Enucl. *l.* 1. *c.* 3. Spelmannum *Glossar. Archæol.* &c.

Patricii, Dii octo erant. *Janus, Saturnus, Genius, Pluto, Bacchus, Sol, Luna, Tellus*, qui & ipsi magnos in mundi administratione magistratus gerere putabantur.

Patricii purgatorium, Scrip. Hib. *Ellanu Frugadori*, teste Guilelmo Camdeno, locus Hiberniæ, per quem olim in inferos erat descensus, ex vita S. Patricii Episcopi; ubi mira narrantur. In Ultonia reperitur, Comitatu Donegalliæ Ferrar. Baudrando *Patricii purgatorium*, vulgò *le purgatoire de S. Patrice* Gallis, *S. Patrikes purgatory* Anglis, crypta est Ultoniæ sive specus angustior subterranea, juxta lacum *Ernu Lisser*, de qua narrant S. Patricium Hiberniæ Apostolum, cùm sedulò navasset operam, ut hujus provinciæ populum converteret, & in hunc finem multa de futura vita disseruisset, & auditores ejus contemptum contra arguerent, nisi documenta sive specimina illorum & gaudiorum & dolorum, de quibus verba fecerat, vidissent, se usum fructumque præsentium voluptatum vel spe vel metu rerum nescio quarum sut narum minimè amissuros: Ille, ut fertur, obnixè Deum precatus, hoc impetravit, ut supplicia & cruciatus, quæ impii post hanc vitam perpessuri sunt, ibidem oculis subjicerentur; ut hac tandem ratione

tione faciliùs & delicta & Ethoicos mores, qui adeò firmiter in Hibernicorum mentibus insederant, radicitus evelleret.

Patricius, vicus Romæ dictus, quòd ibi *Patricii* habitaverint, jubente Servio Tullo, ut si quid adversus illum molirentur, ex locis superioribus opprimi possent.

Patridava, Lazio *Petterſdorff*, opp. Valachiæ.

Patrimonium S. Petri, prov. Italiæ, sub Pontif. inter Tiberim ad Ort. & partim ad Sept. Marcam ad Occid. mare Tyrrh. ad Merid. ejus caput Viterbium. Estque inter Campaniam ad Ort. & Ducat. Castrensem ad Occ. Aliàs pars Hetruriæ.

Patrimonii S. Petri Urbes:

Balneoregium, *Bagnarea.*	Nepetum, *Nepi.*
Bracianum, *Braciano.*	Sutrium, *Sutri.*
Centumcellæ, *Civitavecchia.*	Tuscania, *Toscanella.*
Cornuetum, *Corneto.*	Viterbium, *Viterbo*, provinciæ caput.
Mons Phisco, *Monte Fiascone.*	
Vulsinium, *Bolsena.*	

Patripassiani, Hæretici, Patrem & Spiritum S. cum Filio, passos delirantes. Vide *Sabellius.*

Patritius, Consul cum Hypatio, An. U. C. 1254.

D. Patritius, D. Martini sororis filius, Ann. D. 433. à Celestino Papâ in Hiberniam missus, Hibernos ad Christi fidem assiduis sacri Evangelii prædicationibus, vitæ probitate, honestisque moribus, & exemplis apprime Christianis statim convertit: Secundus eorum, post Palladium, Episcopus, per An. 60. postquam in juventute servus An. 16. ætat. à 1 An. usque 24. dura passus fuisset. Sigebert. *in Chron An. C.* 432. Baron. *An. C.* 431. Baleus, *de Script. Angl. Cent.* 1. *cap.* 43. *&c.*

Patrobas, nomen viri, Roman. 16. Alius est de quo Martialis *lib.* 2. *epigr.* 32.

Vexat sæpe meum Patrobas confinis agellum,
Contra libertum Cæsaris ire times.

Patrobius, Neronis Imper. libertus, qui arenam Nili ad debellanda corpora palæstræ studiis sibi ex Ægypto advehi faciebat, Plin. *lib.* 35. *cap.* 13. A Galba punitus; sed ante ejus tumulum caput à militibus, nec non lixis calonibusque suffixum ac laceratum est, Tacit. *Hist. lib.* 1. *cap.* 49.

Patrocles, terrarum historiam condidit. Erathostene saltem antiquiorem fuisse cognoscimus inde, quòd eum hic testem laudavit, ut docet Strabo *lib.* 11. Patriam ejus non addit. Sciri alioquin posset, an alius sit *Patrocles* Thurius, de quo Clemens *in Protreptico.* Etiam *Patroclis* nescio cujus senarii aliquot leguntur, apud Stobæum *Serm. de Insperatis eventibus.* Vossius.

Patrocli insula, Pausan. *Patrocli vallum* Strab. Insula parva Atticæ, inter Piræum port. & Sunium prom. Ferrar.

Patroclides, assentator Philippi, Macedonum regis.

Patroclides, inter Politicos Athenienses & non exiguâ auctoritate; sed infirmitatis suæ nomine ridebatur etiam à Comicis, quòd vestimenta concacaret, unde & χύτης, hoc est, *Cacator*, vulgò audiebat. Vide Aristoph. *Avibus e usq. Scholiasten.*

Patroclus, Menoetii filius & Stheneles, qui occiso per ludum astragalorum Cleonymo, seu, ut aliis placet, Æante Amphidamantis filio, solum vertens, in Phthiam venit, ubi à Peleo propter generis propinquitatem susceptus est, & unà cum Achille apud Chironem educatus, cum quo arctissimâ amicitiâ junctus vixit: postea etiam eum eo ad expeditionem Trojanam profectus est, ubi armis Achillis indutus cum Hectore pugnans, ab eodem confossus occubuit. Quod cùm resciviſſet Achilles, tametsi, propter ereptam sibi ab Agamemnone Briseida, bello abstinere omnino constituisset, nihilominus mutato proposito, acceptis etiam à Thetide matre aliis armis, à Vulcano fabricatis, ad bellum rediit, nec prius quievit ex animo, quam socii mortem crudelissimè vindicasset. Ovidius:

Cæde puer factâ Patroclus Opunta reliquit.

Sidonius Apollinaris:

Sic Phrygium Emathiâ victorem cuspide poscens
Æacides, cæsi luctum frænavit amici.

Lucianus ait, Patroclum fuisse Achillis parasitum, & morionem Idomenei regis Cretæ, qui ad Trojam cum Græcis pugnavit. *Actorides* Ovidio dicitur *Metam. lib.* 13.

Reppulit Actorides, sub imagine tutus Achillis,
Troas ab arsuris cum defensore carinis.

Item Menoetiades. Idem Ovid. *in Epp.*

Sive Menœtiaden falsis cecidisse sub armis.

Patroclus, dives quidam fuit, sed maximè sordidus ac parcus. Hic enim, posteaquam ad summas opes evectus est, aut, ut alii dicunt, ex quo natus est, nunquam balneo usus est, parsimoniæ causâ. Taxatur ab Aristophane *in Pluto.* Unde proverbium; *Patroclo sordidior*, Erasmus.

Patroclus, temporibus Neronis, ad Consulatum usque ex infimo genere provectus, juxta Capitolium inambulationem struxit cum latrinis, quas Martialis *lib.* 12. *epigr.* 78. appellat *sellas Patroclianas* à conditore. Sunt tamen, qui sic dictas volunt hasce cellas à *Patroclo* Aristophanico, qui χέζας qu. cacator audiebat. Vide Turneb. *Advers.* 3. 26. & supra, in *Patroclides.*

Patron, Dux 4000. Græcorum, in exercitu Darii, fide erga Regem ad ultimum invictâ.

Patronus Volusianus, Consul cum Gallieno Augusto. Anno U. C. 1011.

Patrovissa, urbs Transylv. in limite Moldaviæ, ad montium rad. vix 6. mill. ab Aluta fluv. 15. leuc. Germ. à Libinio in Occ. siti 23. ab Alba Julia; *Brassavv.*

Patruinus, vide *Manlius.*

Pattacion, infamis quidam calumniator; cui cùm mos esset bonis viris calumnias struere, hoc tandem fœdo quæstu parare rem deprehensus, convictusque pœnas capite luit, & popularibus comitiis lapidatus est, quòd fur esset, & ædium perfossor. Unde proverbium: *Pattacione calumniosior.*

Patulcius, Janus sic dictus, quòd tempore belli portæ ejus *pateant.* Vel ab aperiendi, secundùm anni partes, præsertim veris & hyemis vicissitudine. Ovid. *Fast.* 1.

Inde vocor Janus, cui cùm Cereale sacerdos
Imponit libum, farraq; mista sale,
Nomina ridebis: modò namq; Patulcius idem,
Et modò sacrifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit, rudis illa vetustas,
Nomine diversas significare vices.

Patumus, urbs Arabiæ. Stephan. Gentile *Patumius*, vel *Patumenus.*

Patycus, urbs Oenotrorum mediterran. Stephan. *Paula* Barrio. Vide ibi.

Patzinaca, populus Scythiæ Eur. qui & *Basilii*, quorum regio *Podolia* Ortel. Sed Podolia regio Bodenorum aliis, aliis Tyrangitarum.

Pavaodos, urbs insulæ Mindanao, unius ex Philippinis, Nat. Metel.

Pauca, opp. olim, nunc pagus, aliis *Paula*, hodie est *Porto Polo*, in Corsica, Brietio. Aliis est in situ *Talabo*, in ora Occ. Insulæ ad ostia Titiani fluvii, 30. mill. à Bonifacio in Circ. Baudr.

Paventia, Dea ab antiquis constituta, ut averteret *pavores* ab infantibus, atque inde etiam appellata, teste D. August.

Paula, Romana quædam mulier, quæ, mortuo marito Toxocio, suas facultates indigentibus erogavit. Discipula erat Hieronymi, pietate & ingenio illustris: Scipionum Gracchorumque tradux: mater ex marito filii unius, & filiarum quatuor. Hebræam addidicit linguam, in secessu Bethlehemitico, quò eò exactius sacram Scripturam, delitias suas, intelligeret. Obiit An. 404. indelibatum Virtutum Christianarum exemplar. Ætat. 56. mens. 8. die 21. Hieron. *in eius vita, in Epist. &c.*

Paula, oppid. Calabriæ cit. *Paola*, quibusdam est Patycos, 10. mill. à Cosentia in Occid. 13. ab Amantea in Boream, vix 2. ab orâ maris Tyrrh.

S. Pauli fanum, opp. Britann. min. olim *Leon*, Episcopi sede clarum, Metel.

Pauliacum, de quo sic Filibertus Gemeticensis Abbas: in fundo Amalbertii illustris ac potentis Viri *Pauliaco*, ad 10. lapidem à Gemetico Cœnobium Puellarum est, cui Austraberta Virgo prudens, & nobilibus parentibus genita præest. A *Paulo* aliquo nomen accepit: nunc *Poüilly* Ecclesiâ S. Austrabertæ & oppidulo etiamnum clarum. Monasterium verò *Pauliacense* à Normannis pridem eversum est, & ex Abbatia Prioratus evasit. Alterius *Pauliaci*, Floriaco Monasterio proximi, meminit Adrevaldus *de mirac. S. Benedicti, cap.* 37. Hic pagus nunc *Poüilly* dicitur, prope Floriacum. Vide Hadr. Valesii *Notit. Gall.*

Pauliacus, nunc *Pouillac*, pagus Aquitaniæ ad Garumnam, ex adverso Blaviæ 6. leucis infra Burdegalam in Circium. Vide quoque supra.

Paulianista, vide *Paulus Samosatenus.*

Paulina, Sentii Saturnini, Syriæ Præsidis sub Augusto, conjux, nobilis & prudens matrona, dolo sacerdotum Romæ in æde Isidis stuprum passa est, idque circa initia principatûs Tiberii. Historia sic habet: Nobilis quidam, Mundus nomine, impudico ejus amore flagrans, cùm nec prece, nec pretio ducenties mille drachmarum, illius castitatem inflectere posset, fame emori constituit. Quod ut averteret Ida, una ex patris ejus libertinis, Isidis Sacerdotes auro corrupit, ut illi Paulinam ad secretum cum Anubi colloquium invitarent, sic enim cupere Deum. Paret Paulina, & in idolejo decumbens, à Mundo ignara decipitur. Quod cùm postea resciviſſet, maritus tantum effecit apud Tiberium, ut Isiacos illos popas, cum prædicta Ida, cruci affixerit, idolo in Tiberim, Mundoq; in exilium conjecto. Jos. *Ant. lib.* 18. *cap.* 4. Boccat. *de Mul.*

Paulina, Senecæ Philosophi uxor, cum marito, à Nerone condemnato, mori voluit: jamque venas, ad ejus exemplum, inciderat, sed impedivit conatum Nero. Nihilominus per reliquum vitæ, in vultu pallor, sanguinis exhausti & conjugalis amoris indelebile signum, remansit. Vide Tacitum *Annal. lib.* 15.

Paulini prædia, Poreatio *Villa di Ruvignau*, villa & locus Carnorum, apud Forum-Julii, Plin.

Paulinus, Episcopus Trevirensis, successor S. Maximi. Contra Arianos fidem egregiè tuitus, horum artibus in Phrygiam deportatus est, ibique exul obiit. An. 356. Hieron. *in Chron.* Sulpic. Sev. *lib.* 2.

lib. 2. Athanas. *epist. ad Sol. & apol. de fuga.* Socrates *lib.* 2. *cap.* 9. Sozomen. *lib.* 4. *cap.* 8. Item, Presbyter, discipulus Ephremi, in S. Scriptura probe versatus, & magni in Ecclesia nominis. Nihilominus, mortuo Magistro, dominandi cupidus, ad Schismaticos transiit. Gennad. *cap.* 3. *de Vir. Illustr.* Item, auctor lib. *de initio Quadragesimæ, de die Dominico Paschæ: de Pœnitentia: de Obedientia: de Neophytis.* Item, Vir eruditione insignis, in aula Theodosii Jun. Occisus hujus jussu, quod Eudoxia Imperatrix pomum insigne à marito muneri acceptum, illi tradidisset.

Paulinus Antiochenus, Episcop. Eustathio surrogatus, tum cùm Meletius quoque præesset. Accusatus Sabellianismi, contrarium probavit, testimonio nate Athanasii. Dein quoque cum Meletio pace facta, Romam venit, Damasi opem contra Flavianum, Meletii successorem, imploraturus. Obiit An. 389. Socrat. *lib.* 3. Theodoret. *lib.* 3. Sozomen. *lib.* 6. Ruffin. *lib.* 1. Baronius *in Annal. An. C.* 362. *& seqq.* Item, Episcopus Antiochenus, Philogoni successor, Ann. 19. Obiit An. 324.

Paulinus Aquilejensis Patriarcha, Grammaticus insignis, Carolo M. gratus. Scripsit de SS. Trinitate, adversus Elipantum Toletanum, & Felicem Urgelitanum, qui liber *Sacrosyllabus* dictus est. Duchenius aliud ejusdem auctoris contra, eundem Felicem, opus edidit. Obiit An. 803. sedis 26.

Paulinus, Nolanus Episcopus, adeò misericors fuit, ut cùm in captivis redimendis omnes fortunas suas effudisset, filium viduæ mulieris, corpore suo in ejus vicem servituti addicto, redemerit, Diaconus. Natus erat Burdigalæ, vel in agro ejus, discipulus & amicus Ausonii. Vide hunc *epigr.* 24. quod Paulinus gratus agnovit, illius Carmini sic respondens:

Tibi disciplinas, dignitatem, literas,
Linguæ & famæ decus,
Provectus, altus, institutus debeo, &c.

Dein Consul Romæ factus, An. C. 375. postea à Delphino, Episc. Burdigalensi, baptismum accepit, atque in solitudinem cum Therasia, vel Teresia uxore se subduxit: quod cum Ausonius non probaret, causâ hujus mutationis, vel in atram Paulini bilem, vel in Uxoris pellaciam rejectâ, *ep.* 34.

Si prodi Pauline, inquit, *times, nostræq; vereris*
Crimen amicitiæ, Tanaquil tua nesciat istud.

Cui iterum Paulinus:

Nec Tanaquil mihi, sed Lucretia Conjux.

Post hæc, in Italiam profectus, sub Ambrosio, in S. Scriptura & omnifariâ virtute accuratius edoctus, Nolæ dein Episcopus factus est. A Vandalis postmodum in Africam abstractus, rediit Nolam, ibique obiit, An. 431. ætat. 78. Scripsit Epistolas & Poëmata; quæ edidit Heribertus Rosweidus, Jesuita, An. 1622. cum notis variorum. Vide Ambros. Augustin. Hieron. Gregor. Eucher. Cassiodor. &c. Item Auson. *in Epist.* Idacium & Prosper. *in Chron.* Sulpic. Sev. *Hist. lib.* 2. Gennad. *Catal. cap.* 48. Sigebert. *cap.* 14. Barthium *Adversf. lib.* 60. Scaliger. Vossium, Baronium, Gabrielem Urbænum, *Chron. Burdigal. &c.* Primus hic usum Imaginum Historicarum in templis invenisse legitur, rejectum etiam tum à Basilio, Cyrillo, Augustino, Chrysostomo, Epiphanio, &c. Mart. Chemnitius *de Imaginibus.*

Paulinus Consul, cum Johanne, An. 1251. U. C. cum Juliano, anno celebrati Concilii Niceni. Item cum Optato, octennio post. Item, Presbyter Mediolan. qui Augustini suasu, ipsi vitam S. Ambrosii inscripsit; An. 401. vel 402. stylo admodum simplici exaratam. Vide Sigebert. *de Viris Illustr. cap.* 14. Isidor. *Hispal. cap.* 17. Jac. du Brueil, *notis ad Isid.* Baron. *in Annal.*

Paullinus Pompejus, sub Nerone Exercitui Germanico præpositus, inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coercendo Rheno absolvit, Tac. 13. 53.

Paullus, nomine *Julius*, è Batavis regiâ stirpe, à Fontejo Capitone falso rebellionis crimine interfectus, Tacit. *Hist.* 4. 13.

Paulmium, Arx Turoniæ, Vicecomitatus titulo præstat: Vivarium ei adjacet duorum fere milliarium, muro cinctum; Merul. Merula.

Paula, Calabriæ inferioris oppidum, cujus ager vinum optimum generat, imprimis Romæ laudatum.

Paulon, hodie *Palion*, fluv. Liguriæ, in confin. Gall. Narbon. apud Nicæam urb. cis Varum.

Paulus, cognomen familiæ Æmiliæ.

Paulus Apostolus, Doctor Gentium, cujus sanctitudinem, & res gestas tribus libris complexus est vir eruditissimus Cl. Dausquius, Santomarius, Canonicus Tornacensis. Historia ejus breviter sic habet: Natus Tarsis, Ciliciæ urbe, ex parentibus Hebræis, qui cives Romani erant, Sauli primò nomen habuit. Ad pedes Gamalielis in Lege instructus, An. circiter ætat. 34. tantus ejus Zelator evasit, ut & eorum vestimenta, qui Stephanum, ejus cognatum, lapidaverant, custodiret, & literis à Principe Sacerdotum impetratis Damascum pergeret, Christianorum etiam nomen deleturus. Sed in itinere, divino monitu territus, ex lupo ovis, ex hoste hyperaspistes, ex persecutore Pastor Ecclesiæ Christianæ factus est. Quæ porro sequuntur, illa omnia in Actis Apostolicis, à cap. 8. usque ad finem, divino Spiritus dictamine, notata habentur. Desinunt illa in captivitate Pauli primâ, quâ postquam ad Cæsarem Romam appellavit, difficili navigatione eò devectus est, An. Chr. 59. Ubi Afranio Burrho commissus, in ejus privato hospitio, vinctus docuit Evangelium, nemine prohibente: inde externis etiam Ecclesiis, per epistolas, confirmatis. Biennio exacto, absolutus ac dimissus à Nerone, visitatis Ecclesiis Orientalium, Italiam, Galliam, Hispaniamque illustravit. Persecutione tandem primâ, sub Nerone, sæviente, cum aliis fidelibus Romam pertractus, post novem mensium carcerem, & Simonem Magum, coram Principe, è sublimi deturbatum, capite plexus est. Scripsit 14. Epistolas, quæ verus Ecclesiæ thesaurus, & sanctarum animarum pretiosissimæ sunt deliciæ. Quarum series hæc videtur esse: Binas ad Thessalonicenses, scripsit An. C. 52. Ad Galatas unam, An. 56. Binas ad Corinthios, An. 57. Dein, ad Romanos, quæ *minor Catechesis & Compendium Fidei* cluet, Ann. 62. ut &, ad Philippenses, Philemonem, Colossenses, Ephesios & Hebræos. Priorem ad Timotheum exaravit, An. 66. ut & Epistolam ad Titum. Ultimam, nempe posteriorem ad Timotheum, scripsit è carcere, paulo ante martyrium, quo coronatus est, An. Chr. 67. Neronis Imper. 13. Vide ejus Historiam, ut dictum, in Actis Apost. ejus verò divinam doctrinam, in ejus Epistolis: De quibus Augustinus judicat, neminem Apostolorum hoc electo Dei vase fusius, clarius & simul sublimius scripsisse. Vide insuper Euseb. Hieron. Ambrosium, Chrysostomum, Sophronium, Oecumenium, Crocium, Coccejum &c. *in Epist. Paulin.* Petavium, Scaligerum, & Ricciolum, *Chronol. Reform. l.* 9. *c* 1. *&* 2. Raptum ejus in tertium cœlum, cujus meminit, 2. ad Cor. 12. quidam triduo illo contigisse volunt, quo *neq; vidit, neq; bibit aut edit quicquam*; Act. 8. v. 9. Alii id quatuordecim interjectis annis factum esse, malunt, *cùm ex revelatione rursum ascendit Hierosolymam, expositum eis Evangelium, quod prædicaret inter Gentes*, Cap. 2. *ad. Gal. vers.* 2. Unde tam acris paulò post ejus in Petrum invectiva, cùm simulatione illius, suo operi, ad quod cœlitus accinctus erat, remoram poni doluisset, *vers.* 11. *& seqq.*

Paulus I. successit fratri Stephano II. Papæ. An. 757. Constantinum Copronymum ad imaginum cultum perducere frustra conatus, fundavit varia templa, Pipini R. ope contra Græcos & Longobardos imploratâ. Obiit An. 767. Anastas. *in ejus vita*, Baron. *in Annal.*

Paulus II. Venetus, prius Petrus Barbus vocatus, nepos Eugenii IV. successit Pio II. An. 1464. Formosus primò, dein Marius appellari gaudens, absterritus est: bibax, superbus, literarum osor. Cardinales purpurâ donavit, *Omnia jura in scrinio pectoris sui recondita esse*, jactavit: Jubilæum ad ann. 25. contraxit, in adulterio strangulatus est, An. 1471. æt. 53. Rivetus *in Jesuita vap.* Platina & Baleus, *in vita ejus.*

Paulus III. nomine Alex. Farnesius, Romanus, excepit Clementem VII. An. 1534. Pater impurus, sororis ac filiæ contaminator, matris interemtor. Renascentis passim Evangelii lumine perstrictus, cùm ejus splendorem ferre non posset, id extinctum ivit. Et primò quidem Mantuæ Concil. indixit, Nicæaq; inter Carolum V. & Franciscum Gall. R. decennales inducias fecit; Dein, instante ad preces Protestantium, Cæsare, An. 1545. Concil. Oecum. Tridenti convocavit: sed ita, *ut Episcopi larvæ non homines, sed simulachra, quæ nervis moventur alienis, & Dædali statuæ essent.* V. Andr. Dudithium, Episc. Quinquecel. Concilii hujus Assessorem, *in ep. ad Maximil. II.* P. Suavem *lib.* 2. *p.* 147. Post sessiones postea 7. sub prætextu aëris minus salubris Bononiam transtulit, frustra inhibente Cæsare, & Cardinali S. Crucis minante, curaturum se, ut in Adicen projiciatur. Idem *p.* 229. Inquisitionis porro auctor, Cæsari, ob *Interim* Germanis concessum, succensuit, P. Aloysio filio suo notho Parmam & Placentiam dedit: sed ob tyrannidem & scelera hic à conjuratis sublatus, etsi & Pater submonuisset, & dæmon evocatus ex antica nummi parte conjuratores, sed valde obscurè, indicasset. Thuan. *Hist. lib.* 1. 4. 6. Sleidan. *Hist.* Tandem inobedientiâ Octavii nepotis perculsus, in morbum incidit, quo & expiravit, postquam sæpius ingeminasset: *Felix si nunquam genuissem*; Cœtera eruditus, & non ultimæ notæ Poëta, varias scripsit ad Erasmum, Sadoletum, alios, epistolas, & in aliquot Ciceronis Epist. commentatus est. Vergerius, Baleus, Sleidanus, Moreriius *in Diction. Histor.*

Paulus IV. Neapolitanus, prius Joh. Petrus Caraffa, successit Marcello II. Ann. 1555. æt. 80. Latinè, Græcè & Hebraicè doctus; Theatinorum auctor, Severus in delinquentes, privilegiis Pop. R. concessis statuam ex marmore meruit. Cognito decreto Augustano, vehementer excanduit, Ferdinando increpito, quòd, inscio se, tractationem de Religione instituisset: Imo, ut fastus erat maximi, Cæsari & Ferdinando, gravia interminatus est, Regibus cunctis se superiorem esse, ad Oratores, dicens: Archiepiscopatus Goæ in India, Cameracensem, Mechlimensem & Ultrajectinum, in Belgio instituit. Henricum II. Galliæ R. ad recuperandum regnum Neapol. incitavit, sub Maria R. omni ope superstitionem Rom. in Angliam reducere nixus est. Moriturus, Cardinalibus Inquisitionem, ut sanctissimum officium, commendavit, quæ tamen ipsum adeò invisum reddiderat, ut cùm animam ageret, carcer Inquisitionis succensus à furente plebe

plebe Cœnobium Dominicanorum Inquisitorum in summo discrimine impetuque in Capitolium facto, statuæ marmoreæ Pontificis, capite dextraque truncatæ, toto triduo per urbis vias volutatæ ac in Tyberim tandem projectæ fuerint, insignibus Carafarum omnibus uno die sublatis, & cadavere Pontificis tenui pompâ sepulto. Ann. 1559. Thuan. *Hist. lib.* 23. Scripsisse dicitur, *de Symbolo, de Emendanda Ecclesia, ad Paulum III. Regulas Theatinorum &c.* Rupiposæus *Nomencl. Cardin.* Victorel. *addit ad Ciacc.* P. Suavis *lib.* 5. *p.* 460. Duchenius, *in ejus vita.* Sadoletus & Hosius, *in Epist. &c.*

Paulus V. Senensis, dictus Camillus Borghesius, Leonis XI. successor, Ann. 1605. Titulos nimis insolentes, in librorum inscriptionibus, *Paulo 5. Vice Deo, Christ. Reip. Monarchæ invictissimo & Pontificiæ omnipotentiæ conservatori acerrimo*, admisit. Morn. *in præf. myst. Iniq.* Venetos, quód Ecclesiasticos jurisdictioni suæ subjicerent, neque Brixianum monachum Augustin. undecennis Virginis stupratorem, Scipionem Saracenum monachum, cognatæ matronæ stupri intentati reum, Brandolinumque Valdemarum, Nerversiani cœnobii antistitem, veneficii, incestus & magiæ convictum Papæ traderent, sed ipsimet illos debitis pœnis afficerent, excommunicavit: Leonhardo Donato D. *brutum id fulmen* appellante, quo Veneti, minime territi, more solito sacra peragi jussere. Tandem, nullâ ope ab Hispano R. obtentâ, eos, sed cum jactura existimationis non mediocri, anathemate solvit: Quippe Jesuitæ à Venetis pulsi, ne quidem post pacem admissi sunt. Franciscam Pontianam, viduam Rom. & Carolum Borromæum Sanctis adscripsit. Formulam juramenti fidelitatis à Jacobo VI. suis latam improbavit. Bartholomæum Borghesium, qui se spurium ejus dicebat, Lutetiæ strangulari comburique curavit. R. bullium, Apostatam infamem, admirabili Dei judicio, capite truncari, An. 1611. jussit. Voce horrendâ territus, cùm Missam celebraret; Controversiam de Conceptione B. Virginis inter Dominicanos & Jesuitas, in Hispania exortam, frustra componere studuit: Universo per Italiam Clero duplicatas decimas, in sumtus belli Bohemici, imperavit. A Regibus Congi, Indiæ, Japoniæ, per legatos salutatus, Obiit Ann. 1621. æt. 69. Iidem V. etiam Thuan. *Hist l.* 137. Lucium *Hist. Jesuit. lib.* 4. *cap.* 8. Jac. Revium *in Vita ejus.* Sethum Calvis. *in Chron.* A. Rivetum, *in Jesuita vap. c.* 16. *sec.* 19.

Paulus I. Episc. Constantinopolitanus, pietate & doctrinâ insignis, Concilio Niceno interfuit. Ann. 340. electus. Pulsus ab Eusebio Nicomediensi Ariano, hoc mortuo, revocatus est, Ann. 342. à populo; sed, Macedonio ab Arianis electo, jussu Constantii iterum exturbatus, Romam venit, ubi plurimi tum Episcopi exules morabantur. Dein, rogatu Constantis, restitutus; pauló tamen pòst, Constantio connivente, qui Macedonium in sedem suam reducere laborabat, à nebulone quodam abreptus, Thessalonicam primò, dein Singram in Mesopotamia, tandem Emesam in Phœnicia, deportatus est. Imo hinc Cucusam delatus, Hæreticorum manibus ibi strangulatus, Obiit Ann. 351. Corpore ejus, Theodosii M. jussu, postea Constantinopolim translato. Athanas. *epist. ad Solit.* Socr. Sozom. *lib.* 4. Theodoret. *lib.* 2. Baronius *in Annal. &c.*

Paulus II. Monothelita, à Constante Imp. filio Constantini Heraclii nepote, Episc. factus, hæreseos suæ venenum, in Africam usque sparsit, Ann. 646. Excommunicatus à Theodoro P. legatos ejus fustigari & è civitate expelli curavit: Imperatori auctor, ut Typum vulgaret, Obiit Ann. 651. Ejus memoria Synodo 6. damnata, & nomen è Dypticis sacris erasum est. Baron. *in Annal.*

Paulus III. Theodoro successit, Ann. 685. Obiit An. 691. Successit Callinicus. Idem.

Paulus IV. Cyprius, Nicetæ successor, An. 780. imaginum usum in Ecclesia meritò improbavit. Theophan. *lib.* 23. sponte dignitate cessit, Ann. 784.

Paulus, Patr. Alexandrinus, Theodosio & Gajano pulsis, surrogatus est, Ann. 536. Accusatus, quód conscius fuisset cædis Oeconomi Eccl. Alex. depositus, & in exilium missus est. Obiit Ann 537. Liberatus *in Brevi. cap.* 23. Baronius, *Ann. C.* 536. 537.

Paulus I. Episc. Antiochenus, V. *Paulus Samosatenus.*

Paulus II. Severo hæretico successit, An. 519. cui per biennium restiterat. Ob mores, depositus, Ann. 521. Successit Euphrasius. Evagr. *lib.* 4. *cap.* 4. Baron. *in Annal.*

Paulus, primus Anachoreta, cui in latebris solitariam ferarum vitam agenti, corvus quotidie dimidiatum panem afferebat. Cùm autem eò venisset Antonius, ut Paulum ipsum videret, corvus integrum attulit panem, & propter novum hospitem panem duplicavit. Non pauciores quingentis Monachos habens, 300. orationes de unoquoque die reddebat: Et ne numero fortè delinqueret, 300. lapides ponebat, & singulis orationibus lapidem mittebat in sinum. Expensis verò lapidibus, orationes sciebat esse completas, Sozom. *lib* 8.

S. Paulus, congregatio Clericorum Regul. Vide *Barnabitæ.*

Paulus, JC. celebris, sec. 2. cum Ulpiano & Papiniano, à consiliis fuit Pescennino Nigro, aliis quoque sub Severo muneribus functus. Spartian. *in Pescennino.* Lampr. *in Alex.* Item, Episcopus scripsit de Pœnitentia, Gennad. *de Vir. Illustr.* Item Presbyter Pannonius, de Virginitate, de Mundi contemptu, &c. scripsit. Idem.

Paulus Ægineta, Medicus celeberrimus, An. 420. sub Honorio & Theodosio Jun. Peregrinatione longâ defunctus, Galenum contraxit, aliaque edidit plurima. Justus *in Chron. Medic.* Vander Linden, *de Scr. Med.*

Paulus Æmilius, cognom. Macedonius, Consul. Filius Lucii Pauli, in clade Cannensi interfecti. De Liguribus triumphavit, Perseoque Macedonum Reg. victo, denuo triduanum triumphum meruit, amissis durante pompâ duobus filiis. Imperialem togam in ludis Circensibus gestandi jus nactus. Liv. *lib.* 44. Justin. *lib.* 33. Vellej. *lib.* 1. Aur. Victor. *de Vir. Illustr. cap.* 56. Plut. *in ejus vita.* Flor. Eutrop. Oros. Vide in voce *Æmylius.* Item, nomen Historici Veronensis. Qui à Ludovico 12. in Galliam abductus, Historiam Gall. elaboravit, per An. 30. libb. 10. comprehensam: à Pharamundo, usque ad Ludovic. 12. Continuavit Arnolphus Feronius. Stylus ejus Laconicus, & subinde obscurus est. Obiit Ann. 1529. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 139. Just. Lips. *not. in lib.* 1. *Polit.* Duchenius, *de Auctoribus Hist. Gall.*

Paulus Alciatus Johannes, Hæreticus, Mediolano oriundus. Ex milite libertinus, ex libertino Arianus. In Polonia, cum Gregorio Blandrata, Valentino Gentili, Lælio Socino, aliis hæresin hanc docuit: Uti tres Personas, ita tres essentias in Trini ate statuens, sic tamen ut solus Pater verus Deus sit, Filius verò & Spiritus S. licet æterni & omnipotentes, tamen Patre inferiores sint, essentiâ non eâdem, sed aliâ minoris notæ, ab illo acceptâ. Fulsus, cum sociis, à Sigismundo Augusto, Turcismum amplexus, periit Anno 1561.

Paulus Aresius, Episcopus Dertonæ, Mæcenas literatorum. Scripsit Sermones, tractatus Philosophicos & Theologicos: inprimis *Delle sacre Imprese, Libb.* 6. Laur. Crassus, *elog. literat. P.* 2.

Paulus Atavantius, Florentinus, Servita. Scripsit de Origine sui ordinis, &c. Obiit An. 1499. ætat. 80. Mich. Pocrantius, *de Scr. Flor.* Voss. Possevinus, &c.

Paulus Axius, Orator, & Poëta, Rhetoricam docuit Burdigalæ, Ausonio fami iaris: qui epistolas aliquot, centonem Nuptialem, & versus de Bissula ad illum scripsit, *Edyll.* 27. & 28. & *epist.* 11. 12. & *seqq.* Elias Vinet. *in Auson.* de Marca *Hist. Bearn. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. &c.

Paulus Barbus, dictus Soncinas, à loco natali, in ditione Veneta, Dominicanus. Thomæ & Capreoli epitomator, varia edidit. An. 1510. Leand. Alberti & Alph. Fernandez *de Vir. Ill. Dom.*

Paulus Benius, Urbinas, Professor Patavinus, scriptis inclytus. Obiit An. 1611. Jac. Thomasin. *in elog illustr. Patav. &c.*

Paulus Biscontius, Carmelita Siculus, Archiep. Panormitanus, An. 1440. Varia Theologica scripsit; Lucius *Bibl. Carmel &c.*

Paulus Bosetus, Carmelita Narbonensis, An. 1410. scripsit quædam. Vide Voss. *de Hist. Lat.*

Paulus Burgensis, Episcopus Hispanus, sec. 15. ex Judæo natus, opulento & erudito. Ab Henrico III. Castellæ R. filii Johannis II. educationi admotus, Cancellarius regni & Patr. tandem Aquilejensis factus, obiit An. 1435. Scripsit Additiones, ad Nicolai Lirani notas Biblicas; item *Scrutinium Scripturarum, in 2. libb. divisum.* Ejus filii, Alphonsus, in Episc. Burgensi, Patris successor, composuit *Anacephalæosin Regum Hispaniæ*: Consalvus, Placentiæ in Hispan. Præsul, & Alvares Garcia, scripsit Historiam Johannis II. R. Mariana, *lib.* 19. *Hist. cap.* 8. Status Sen. *Bibl S. lib.* 4. &c. Dicere solebat Paulus, Judæis non nisi caute fidendum, generi hominum hypocrytico, mendaci, perfido, &c.

Paulus de Castro, Neapolitanus, JC. celebris. Unde tritum: *Si Bartholus non esset, Paulus esset.* Jus ultra An. 50. docuit Florentiæ, Bononiæ, Senæ & Patavii; ubi obiit Ann. 1437. Opera ejus Venetiis, Francofurti, &c. edita. Gesner. *in Bibl.* Fischard. *in vit. Jurisconf. &c.*

Paulus Crassus, Medicus Patavinus, scriptis clarus, seculo præt. Riccobon. *de illustr. Patav.* Castellan. *in vita illustr. Med.* Vander Linden, *de Scr. Med.*

Paulus Diaconus, dictus Warnefridus, seu Winfridus, Longobardus, filius Warnefridi, ex Theodelinda. Diaconus Aquilejensis, dein Cancellarius Desiderii Reg. hoc à Carolo M. devicto, inter captivos, in Galliam est abductus. Ob insignem eruditionem multorum amicitiâ sibi conciliatâ, quód suspectus esse cœpisset, in Caprariam insulam relegatus est. Inde ad Arichim, Beneventi Principem, Desiderii generum, se recepit; quo mortuo, Monachus Montis Cassini factus, obiit seculo 9. Auctor historiæ Longobardorum, *libb.* 6. Scripsit etiam, Angilrami rogatu, Acta Episcoporum Metensium, vitas quorundam SS. alia. Etiam pars Histor. miscellaneæ ei tribuitur. Walefridus Strabo, *de div. Off. cap.* 28. Voss. *de Histor. Latin. lib.* 2. *cap.* 30. Sigebert. *de Viris Illustr. cap.* 80. Morerius *in Diction. Hist.* Ejus operâ, textus Evangelicos & Epistolas singu is Dominicis adaptavit, Carolus Imper. Sigebertus *in Chron.* Rhegino *lib.* 2. Item Alius, Diaconus Eccles. Neapol. sub Carolo M. Vertit vitam S. Mariæ Ægyptiæ, à Sophronio Episcop. Hierosolym. Græcè conscriptam. Sigebert. *Catal. cap.* 69. Henric. Gandav. *cap.* 8. Item, Cardinal. qui vitas Paparum scripsit, Voss. *de Hist. Lat.* Item, Hispanus, floruit An. 610. Item, Nestorianus

Persa

Persa. Scripsit *de Judicio*. Vide Acta Concilii Lateran. Anno 649. habiti.

Paulus Donatus, Carmelita Italus, sec. præt. scripsit varia, Luc. *in BB. Carmel.*

Paulus Florus, seu *Paulus Cyrus Florus*, Historicus, sub Justiniano: Principis hujus gesta carmine exposuit: Silentiarius Cæsaris. Idem versu Sophiæ templum descripsit, &c. Agath. *lib.* 5. Suid. Voss. *de P. G. & de H. lib.* 4. *cap.* 20. *de H. L. lib.* 2. *cap.* 19.

Paulus Fabius Priscus, Consul cum L. Vitellio, Ann. U. C. 786. post celebrata decennalia Tiberii, supplicio cum Collega affectus.

Paulus Foxius, Archiepisc. Tholosanus, Caroli 9. & Henrici 3. ad varios Principes Legatus. Eruditorum Mæcenas, obiit Romæ An. 1584. Sammart. *elog. doct. Gall. lib.* 3. Thuan. *Hist.*

Paulus Geminensis, Monachus montis Cassini, à nativitate cæcus. Scripsit in Psalmos, Jeremiam, Evangelia, Epistolas Paulinas & Apocalypsin. Item, de controversiis Græcorum & Latinorum.

Paulus Gualdus, Vincentinus, JC. & Theologus magni nominis. Scripsit vitam Vincentii Pinelli, obiit An. 1621. Filius Josephi JC. Thomasin. *de Vir. illustr. Patav.*

Paulus Jovius, Historicus scriptis celebris, sed qui venalem calamum Thuano *lib.* 11. habere videtur. Como Longobardus, primò Medicinam fecit, dein Episcopus Nucerinus à Clemente 7. factus, hujus nihilominus, cùm Comensem Episc. impetrare non posset, avaritiam passim perstringit. A Francisco I. annuâ pensione honoratus est, sed post hujus mortem, à Connestabile Montmorantio illâ privatus, lib. 31. hist. acriter in hunc invehitur: multum gratiæ, multum odio dans. Obiit An. 69. ætat. à nato Christo 1552. Florentiæ: Medicææ familiæ encomiastes. Historia ejus constat libb. 45. quæ desinit in An. 1544. Idem scripsit Elogia Virorum Illustr. tractatum de imaginibus symbolicis, &c. Ejus Epitaphium:

Hic jacet heu! Jovius Romanæ gloria linguæ,
Par cui non Crispus, non Patavinus erat.

Paulus Langius, Benedictinus Germanus; scripsit Chronica Episcoporum de Zeiz.

Paulus Lulmius, Bergomensis, Augustinianus, scriptis celebris, obiit Cremonæ, An. 1484. Jac. Bergom. *lib.* 15. *Chron.* Trithem. *in Catal.* Voss. &c.

Paulus Middelburgensis, Episcopus Foro-Semproniensis, Zelandus. Medicinam & Mathemata Lovanii addidicit, dein in Italiam profectus Ducis Urbinatis medicus factus, hujus ope, ut & favore Maximiliani I. infulam nactus est. Scripsit libb. 14. *de Paschali observatione*, libb. 19. *de die Passionis Dominicæ, &c.* Obiit Romæ, An. 1534. ætat. 89. Princeps Mathematicorum sui seculi. Jul. Cæsar Scalig. *Exercit.* 266. *in Card.* Voss. *de Scient. Mathem.* Val. And. *B. B.* Ughelius *Ital. Sacrâ.*

Paulus Montanus, Ultrajectinus, obiit An. 1587. Auctor libri, *de Tutela.* Valer. *Bibl. Belg.*

Paulus Orosius; Presbyter Tarraconensis, discipulus Augustini, ad hunc, An. 414. ab Eutropio & Paulo, Hispan. Episcopis missus, ut illis contra hæreticos auxilio esset, annum apud ipsum commoratus est, & in Sacræ Scripturæ notitiâ mirum in modum profecit. Scripsit ejus hortatu, Historiam libb. 7. à Mundo condito, usque ad An. C. 416. Item, Apologiam liberi arbitrii, contra Pelagium; ut & de erroribus Apollinaris & Origenis. Vide Gennad. *cap.* 39. *Catal.* Cassiodor. *cap.* 17. *divin. Lect.* Prosper *in Chron.* Honorat. Augustod. *de Lum. Eccles.* Scaliger. *in Animadv. Euseb.* Casaub. *Exerc.* 1. *in appar. Bar. Sect.* 12. Justum Lips. *Comm. in lib.* 4. *Annal. Taciti.* Voss. *Histor. Pelag lib.* 1. *cap.* 17. & *de Histor. Lat. lib.* 2. *cap.* 14. Gesner. *in Bibl.* Possevin. *in appar.*

Paulus Parutus, Venetus, maximis Reip. muneribus defunctus. Obiit An. 1598. editis Discursibus Politicis, Historiâ Venetâ, &c. Laur. Crassus, *elog. Vir. literar.*

Paulus Perusinus, Carmelita Gallus, Bibliothecarius Roberti Siciliæ Reg. scripsit plurima, inprimis in Magistrum Sent. Obiit A. 1344. Phil. Bergom. *lib.* 13. *suppl. &c.* Item JC. Italus celebris.

Paulus Riccius, Germanus, filius ex Judæo Christiani, scripsit quædam magni æstimata, Gesner. *in Bibl.* Ejus elogium condidit Erasmus; *lib.* 1. *epist. ad Ricc. Bartol.*

Paulus de Roma, Augustinianus Italus, scripsit *de usu Clavium*, An. 1474.

Paulus Rondininus, Carmelita Florentinus, sec. præt. celebris. Lucius *in BB. Carm.* Alegr. *in Parad. Carmel.*

Paulus Samosatenus, Hæresiarcha. Episcopus Antiochiæ, post Demetrium, An. 262. Negavit cum Sabellio, distinctionem divinarum Personarum; docuit cum Artemone, Verbum descendisse in Jesum Christum, indeque, postquam per eum facienda expedierit, ad Patrem se recepisse. Imo duas Personas in Domino nostro asseruit, Filium Dei Verbum, & Christum, quem ante Mariam fuisse inficiatus est: Hunc Filii Dei nomine, ob sanctitatem suam, donatum fuisse deliravit, &c. Hujus erroribus, ut obviam iretur, à *Dionysio Alexandrino*, aliisque Episcopis Antiochiæ congregatis, condemnatus: ejuravit hæresin, metu, sed paulo post illam denuò sparsit. Quo audito, Episcopis iterum Antiochiæ congregatis, à Malchione convictus, & à Patribus Synodi depositus est, Ann. 270. Avaritiâ sordidus, ambitione tumens, auræ popularis avidus, aliorum contemptor, luxu perditus; ut Epist. Synodalis habet. Surrogatus ei Domnus est, filius Demetriani, qui illum præcesserat. *Paulianistæ*, Pauli hujus infelicis sectatores. Vide Euseb. *Hist. lib.* 7. *cap.* 22. 23. 24. Epiphan. *hæres.* 65. Augustin. *de Hær. cap.* 44. Niceph. *lib.* 6. *cap.* 30. Dionys. Alexandrinum, *Epist. adv. Paul. Samosat. &c.*

Paulus Servita, celeberrimus Venetæ Reip. Theologus, causam hujus contra Paulum V. acriter defendit; hinc, à percussoribus immissis, aliquot vulneribus, in ipsa urbe, graviter sauciatus, sec. hoc floruit. Vide *vitam ejus.*

Paulus Silentiarius, vide *Paulus Florus.*

Paulus Tricastinus, nomen dedit urbi Delphinatus Episcop. quæ civilibus Galliæ bellis multa passa est. Duchenius *ant. Urb.* Vide Ptolem. *lib.* 2. *cap.* 10. Sil. Italic. *lib.* 3. Evangelii doctrina hic per An. 40. sec. præt. prædicata est.

Paulus Venetus, Foro-Juliensis, an Cretensis? Venetiis educatus, Eremita Augustinianus evasit. Philosophus & Theologus inter primos. Scripsit contra Judæos, Sermones, tractatus quosdam Philosophicos, &c. Obiit Ann. 1429. Phil. Bergom. *lib.* 14. Pamphilus *in Chron. Erem. S. Aug.* Trithem. *de Scr. Eccles.* Possevin. *in appar. S. &c.* Vide quoque *Marcus Paulus Venetus.*

Pavoasanum, urbs Africæ, insulæ S. Thomæ prim. in mari Guineæ, sub Lusitanis, cum arce munita, in ora littor. cum portu capaci. Capta fuit & vastata ab Hollandis, sed recepta à Lusitanis.

Pavor, & *Pallor*, Dii à Tullo Hostilio figurati & culti, Augustinus, Liv. *lib.* 1. & Lactantius.

Paupertas, Dea, quam Aristophan. *in Pluto*, Πενίαν vocat ac describit. A Gadaræis summâ in veneratione habita est, quòd crederetur artes invenisse, industriam, & hominum ingenia acuere, Arrianus. Hanc ore pallido, Furiæ similem, nisi quod facem non præfert, pingunt. Theocritus:

Ἁ Πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει,
Αὕτα τῶ μόχθοιο διδάσκαλος.

Pausanias, Macedonum rex, obiit Olympiad. 96. anno tertio, dolo & insidiis Amyntæ, tantùm anno unico regno potitus. Post quem regnum scelere quæsitum Amyntas viginti quatuor annos tenuit.

Pausanias, cognatione regiæ Macedonum stirpi annexus: qui, occiso ab Illyriis Amyntâ, ope Thraciæ regis Regnum ad se trahere adfectabat, Diod. 16.

Pausanias, Rex Lacedæmoniorum, cum Lysandro. Quibus contra Athenienses, Corinthiis & Argivis junctos, missis, hic occisus est, An. 359. U. C. Ille verò indignationem civium veritus, Tegeæam se contulit, ubi paulò post fato functus est. Regni anno 14.

Pausanias, Dux Lacedæmoniorum celebris, virtutibus æquè ac vitiis insignis. Ejus fortitudo in prælio ad Platæas, quo Mardonius fusus, An. 275. U. C. egregiè emicuit. Sed successu insolentior factus, inprimis cùm & mari Persas superasset, Byzantio illis erepto; majora viribus agitare & remissis sine lytro captivis Xerxis amicitiâ & affinitate ambitâ, totius Græciæ imperio inhiare cœpit. Quod cùm suboluisset Ephoris, in templo Minervæ, quò se receperat, neci est datus. Cornel. Nepos, *in ejus vita.* Thucyd. Diod. Plutarch. &c.

Pausanias, Macedo adolescens, qui Philippum Macedonem interfecit. Hic primis pubertatis annis stuprum per vim passus ab Attalo fuerat, & quod deterius est, convivis uti scortum ultro oblatus: de quâ injuriâ apud Philippum sæpe questus, cùm eum ridentem facinus videret, iram in eum convertit, & ultionem, quam ab inimico non poterat, ab iniquo judice exegit. An. 418. U. C. Trogus Pompejus.

Pausanias, Cleombroti filius, Lacedæmoniorum dux, res multas bello feliciter gessit. Contra Athenienses, qui bellum excitaverant, missus, eos pacatos reddidit, ejectis ex urbe decem tyrannis. Fugatus à civibus Olympiad. 96. An. 3. cùm regnasset An. 14. Suffectus Agesipolis filius.

Pausanias, Cæsariensis grammaticus, æqualis Aristidi; scripsit de constructione librum unum, problematum item unum, Philostrat. Alius ab hoc celebratur à Suidâ, cui *Lacon historicus* dicitur; scripsit de Hellesponto; item Laconica, *Chronica*, de Amphictyonibus, ac de festis Laconicis. Vide Phot. *cod.* 53.

Pausanias, Geographus, qui τῆς Ἑλλάδος περιήγησιν scripsit, Philostrato teste; Discipulus fuit Herodis Attici, qui sub Adriano, & Antonino Pio magnum adeò nomen habuit inter Sophistas. Patria ei fuit Cæsarea Cappadociæ. Declamavit non solùm Athenis, sed etiam Romæ, ubi senex decessit. Plura de eo apud Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 14. & Frid. Sylburgium *notis in Pausaniam*, *pag.* 133. *edit. Hanoviæ*, 1613.

Pausias, pictor Sicyonius, Bryetis filius, Pamphili Macedonis discipulus; qui Glyceram corollariam textricem adamavit, eamque depinxit humi sedentem, & coronas ex floribus plectentem, quod opus ex argumento, *Stephanoplocon* appellavit; Ejus tabulam Lucullus duobus talentis emit. Hic primus lacunaria, & cameras pingere instituit. Ejus memin. Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 7.

Vel cum Pausiacâ torpes insane tabellâ;

Vide Plin. 21. 2. & Varr. *de R. R. lib.* 3.

Pausilypum, promont. Campaniæ apud Mergillinen, non procul à Neapoli, ab eâ ad 3. mill. p. Puteolos versus distans. Ἀπὸ τῆς παύσεως τῆς λύπης, hoc est, *à mœroris cessatione* sic dictum. Vide Cluv. *Ital. Ant. pag.* 1150.

Pausimachus Samius, inter eos qui terrarũ historiam literis fuerint persecuti, à Festo Avieno refertur, in descriptione Oræ marit.

Pausimachus ille, prisca quem genuit Samos.

Pausinus, Liburniæ fluv. Plin. nunc *Buzanich*, Ortel.

Pauson, Pictor in Comœdiis, ob paupertatem traductus. Fuit verò adeò extremæ inopiæ, ut Aristoph. *Pluto* 2. *sc.* 5. eum fingat auxilii gratiâ à *Penia* vocari. Hinc *Pausone mendicior*. Prov.

Pausula, opp. fuit Piceni, in Comit. Firmano, aliàs castr. *Pausule*; nunc in ejus ruderibus extat pagus *Monte dell'Olmo*, Camill. Lilius in histor. Camertia.

Pausulani, pop. Piceni, quorum ager Pausulensis, & pagus *Pausul.* Vide *Pausula*.

Pautalia, Daciæ mediterraneæ civitas fuit Herocli; *Palutzo*, Leunel. opp. Thraciæ mediterr. Ptolem.

Pax, hoc est, εἰρήνη, ut *Dea* colebatur ab antiquis: Juvenal.

Ut colitur Pax, atq; fides, &c.

Ejus simulacrum ita effictum legimus, ut puerum Plutum manu gestaret, quo symbolo indigitatum, non ex bello, sed ex pace divitias, & opes comparari. Effingebatur etiam cum spicis, interdum cum oliva, & nonnunquam lauro coronabatur: quin & cum rosa; & nonnunquam cum solo caduceo significabatur.

Pax, urbs Peruviæ, inter montes ad Ort. & lacum Titicacam ad Occ. ab eo circiter 96. m. p. sub Hispan.

Pax Augusta, Plinio *Pax* & *Colonia Pacensis*, Straboni *Pezaugusta*, seu *Pazaugusta*, hodiè *Badajox*, urbs aliàs Lusitaniæ, nunc prover. Extremadurae caput, in Regno Legionensi, in ipso convinc. Portugalliæ. Ampla & permunita est, in colle, cum arce; frustra tentatâ à Lusitanis Ann. 1658. Ei adjacet ex adverso Anæ fl. Arx S. Christophori, 3. leuc. distat ab Elvis in Ort. uti etiam 15. ab Ebora, 4. ab Oliventia, 25. ab Hispali in Bor. juxta confluentes Xevoræ fl. in Anam.

Pax Julia, urbs Lusitaniæ, satis culta, cum tit. duc. vulgò *Beja* & *Pacca*. Sunt qui hanc *Pacem Augustam* esse velint, sed antiquæ obstant inscriptiones. Probè est haud pridem munita; 2. leuc. ab Ana fl. 13. ab ora Oceani Atlantici. Baudr.

Paxa, insf. duæ maris Jonii, inter Leucadiam & Corcyram; quarum major *Ericusa* etiam olim, nunc *Paxu*, minor verò *Antipaxu* nominatur. Sub Venetis, Pargensibus Epirotis concessæ, ut ibi armenta sua nutriant. Pendent à Corcyræo prætore.

Paxaa, Pomponii Labeonis uxor, amore mariti, damnationem voluntariâ morte occupantis, per abruptas venas, sanguinem effudit. Paullo Fabio, L. Vitellio Coss.

Paxos, Insf. parva maris Jonii inter Ithacam & Echinades, potius scopulus, absque incolis. Plut.

Pazinaca, è Bulgaria ejecti; à Constantino IX. Ann. 1025. à Constantino Monomacho ad pacem triennalem adacti A. 1047.

P E.

Peapolis, eadem cum Herbipoli. V. ibi.

Pebilium seu *Peblisium*, oppidum Scotiæ merid. in Tuvedalia prov. ad Tuvedam fl. 15. mill. Scot. ab Edinburgo in mer. Carleolum versus 30. circiter.

Pecaja, opp. Occitaniæ cum arce munita, ad tutelam Salinarum, prope ostia Rhodani, 1. leuc. ab Aquis mortuis in Ort. totidem ab ora maris Medit. in Bor. Nemausum versus 6. leuc.

Peccamus Johannes, Arch. Cantuariensis, doctrinâ, scriptis, muneribus, virtute inclytus; parentibus egenis natus. Discip. Bonaventuræ, velut Oraculum Theologiæ sui ævi: Docuit Parisiis, in Angliâ, Romæ. Obiit Ann. 1292. V. Harpsfeld. *Hist. Angl. sec.* 13. *cap.* 8. Wading. *in Annal. Min.* Walsingam. *A.C.* 1279. *& seqq.* Pitseum, *de Scr. Angl.*

Pecentinum, seu *Percentinum*, Lazio *Pekaricz* opp. Panni. inter Sisciam ad Occ. & Cibalim ad Ort. 82. m. p. Antonin.

Pechinensis prov. una ex 15. partibus Imp. Sinarum, & primaria. Terminatur ab Or. Leaotonia, & Gange sinu, ab Occ. Xansia, à Mer. Xantonia & Honania provv. à Sept. separatur à Tartaria montibus & muro Sinensi. Est in parte Bor. In ea sunt octo Urbes præc. nempe Pechinum seu *Xuntien*, Imperii caput, Paotinga, Hochienum, Chintinga, Xunta, Quanpinga, Taminga & Junpinga, sub quibus 130. urbes min. V. Martin.

Pechinum, i. palatium regium Septentr. aliter Xuntienum, i. obediens cœlo, urbs amplissima, ex præcipuis totius Orbis, Imp. Sinici caput; ab Ann. 1404. quo sedes regia eò translata est è Nanquino ab Imper. Taisungo. Fere innumeris referta est incolis, quanquam pluries vastata ultimo bello Tartar. Nunc restauratur, & indies pulchrior evadit, sub Tartaris. Ei subsunt 26. urbes min. Est in planitie, ad rad. montium cum superbissimo palatio Imper. 100. m. p. in Mer. à muro Sinensi, 70. à sinu Ganget. in Occ. In parte totius Imp. Sept. M. Martinius.

Pecunia Dea, Augustinus. Deæ pecuniæ commendabantur ut pecunioși essent: eodem teste, *Æsculanum*, & ejus filium *Argentinum* Deos habebant antiqui. De his vide versus elegantes Menandri, qui extant apud Stobæum in oratione, quæ inscripta est *Pluti Laus*, quibus consonat Petronii Arbitri pulchrum carmen, cui tale est initium:

Quisquis habet nummos, felici naviget aura, &c.

Fuerunt ad hæc *Lucri Dei*, lucris præpositi, ut adversus gentes prodit Arnobius, à lucro denominati. Aliàs *Pecunia*, pro pecude: & expressius *Pecunia viva*, apud Scriptores medii ævi. Item pro bonis: Unde *Pecunialis* causa res omnis, quæ est in bonis aut facultatibus: Equi, Aurum, Argentum, Arma, Vestes, Utensilia, &c. V. Spelmanni *Glossar. Archaol.*

Peda, V. *Pedum*.

Pedaus, Antenoris fil. nothus. Hom. *Iliad.* 7.

Pedalii, Indorum populi, qui in sacrificiis nihil aliud à Deo petebant, quàm justitiam, arbitrati se omnium rerum compotes futuros, si eam consequerentur.

Pedalium, in Ptol. exemplaribus Latinis est Cypri promont. *Pedasium* etiam nonnulli habent. Mercator, *Cabo de Griego* vocat.

Pedanius Costa, omissus à Vitellio in consulatu, ingratus ipsi, ut adversus Neronem ausus & Verginii exstimulator. Tacit. *Hist.* 2. 71.

Pedanius Secundus, Urbis præfectus à servo interfectus: seu negatâ libertate, cui precium pepigerat; sive ob amorem exoleti infenso & dominum amatum non tolerante: Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano Coss. Tacit. 14. 42.

Pedasus, Bucolionis maximi filiorum Laomedontis filius, frater Æsepi ex Abarbareâ nymphâ. Hom. *Iliad* 6. Item civitas Pylo vicina, vini ferax, ut idem Hom. author est *Iliad.* 9. Item opp. Cariæ mediterr. à Cyro Pythanchio Duci datum. Athen. Item unus ex equis Achillis, ut idem tradit *Iliad.* 16.

Pedasus, V. *Methone*.

Pedellus, V. *Bedellus*.

Pedemontana regio, olim regio Taurinorum, nunc *Pedemontium* vocatur, tanquam *pedem montium* dicas; quoniam ad radices Alpium est, quæ Galliam, Sabaudiamque ab Italiâ dividunt. Fines ejus ponunt Geographi ab Oriente Padum; à Meridie Ligurum Alpes, à sept. Duriam Ripariam. *Ducatus Taurinus* sub Longobardis appellabatur, à quibus in provinciæ formam, cui dux præerat, redactus est. Hodie sub ditione Ducis Sabaudiæ. Plura de hac regione habet Domin. Niger. vulgò *Piemont*. Baudrando aliàs *Gallia Subalpina*, Regio est ampla, inter Duc. Mediol. & Montisferrati ad Ort. Vallesiam ad Bor. Genuensem dit. & Com. Niceæ ad Austr. Sabaudiam & Delphinatum ad Occ. à quibus separatur Alpibus Cottiis & Grajis. A Pado bifariam scinditur. Partes ejus sunt Pedemontium propr. Ducatus Augustanus, Marchion. Segusinus, & Eporediæ. Item Salutiarum & Cevæ: Comit. Astensis & Domin. Vercellense. Quidam nunc addunt tractum Canaveosem, & partem Montisferrati, Duci concessam pace Clarasci. In *Pedemontanas* valles, Convallenses, Angruniam, & alias, à Valdensibus habitatas, copiis ductis Comes Trinitensis, inaudito crudelitatis genere in miseros ac innocentes grassatus est, Ann. C 1560. V. Thuan. Hist. *lib.* 27. Christoph. Bitur. *in Persev. Conv.* Quæ ibidem prius & ab eo tempore usque ad nostram ætatem acta, exhibet fideliter Legerus *Hist. Vald. Gall. & belg. in fol. editâ Lugduni Bat. ante paucos annos.* Caput totius reg. est Augusta Taurinorum, *Turin*, ubi sedes Ducis. V. *Gallia Subalpina*.

Pedemontium propr. continet territoria Taurini, Carmiani, Fossani, Montis Regalis, Cunei, Savilliani & Clarasci: à Sept. in Mer. extenditur.

Pedentissum, V. *Pindenissus*.

Pediaci, Athenis dicti, in plano habitantes, Democratici, quos Pisistratus contra Diacrios concitavit. Aristot. V. Polit. 5.

Pediadis, reg. Bactrianæ; per quam Oxus fl. decurrit. Polyb.

Pediai, secundi ordinis, in regione Attica, quibus secundum Solonis leges præfuit Lycurgus.

Pediarchus, sagittariorum Gelonis Dux. V. Polyæn. *l.* 1 *in Gelone*.

Pedianus, V. *Asconius*.

Pedias, tribus Atticæ. Steph.

Pediculi, Italiæ pop. Apulis & Salentinis conterminí. Plin. *lib.* 3. *cap.* 7.

Pedili, populi ad cavum Alpium incolentes. Plin.

Pedita, urbs Sumatræ, in parte Bor. vix 50. m. p. ab Acemo in Ort. Pacemum versus. Cum portu satis capaci. Sub rege Acemi, cum regno cognom.

Pedius, pictor mutus, qui Pedii Consularis, triumphalisque filius fuit, Plin. 25. 4.

Pedius Blesus, motus sub Nerone Senatu, accusantibus Cyrenensibus violatum ab eo thesaurum Æsculapii, dilectumque militarem precio & ambitione corruptum. Tacit. XIV. 19. Senatorio ordini ab Othone redditus. Hist. *lib.* 77.

Pedius, cognomine *Quintus*, C. Julii Cæsaris ex sorore nepos, sub eo in Gallia legionis legatus, ab eoque postea inter hæredes adscriptus, gessit consulatum cum Cæsare Juniore, Hircio & Pansâ interemptis. Hujus lege damnati sunt Cassius & Brutus, cæterique percussores Cæsaris. Decessit in eodem honore Vir præter consularem dignitatem triumphalis quoque.

Pedna, Ins. parva maris Ægæi, circa Lesbum, scopulis instar illum circumstans. Plin.

Pednelissus, urbs Pisidiæ. Steph. V. *Pindenissus*.

Pedo, vide *Albinovanus*.

Pedum, op. in Latio, olim à Camillo consule captum. Liv. Stephano *Peda* dicitur: Πέδα, πόλις Αὐσονική, τὸ ἐθνικὸν Πεδανός. Ex antiquissimo aliquo hæc habuit auctore, qui vetustissimo illo usus est vocabulo *Ausoniæ*, pro Italiæ nomine. Hinc *Pedana regio*, Horat. *lib.* 1 *ep.* 4. *ad Tibullum*:

Albi nostrorum sermonum candide Judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedanâ.

Ubi vetus Commentator: *Pedana regio inter Tibur & Præneste fuit, ab oppido Pedo, quod non longè fuit ab Urbe: sed modò non est.*

Pega, vicus Megarensium, *Paga* Plinio. Vide Steph. Nunc *Livadosta*, in ora sit. sinus Corinthiaci 25. m. p. à Megara in Occ. Urbs Brietio.

Pegasa, urbs Cariæ. Steph.

Pegasides, Musæ sic dictæ à *fonte*, qui πηγὴ dicitur, quem *Pegasus* ictu ungulæ fingitur aperuisse.

Pegasium stagnum, à Pegasi ungula procreatum, circa Ephesum, sicut & Hippocrene. Plin. Hinc *Pegasis*, Ovid. *epist.* 5.

Pegasis Oenone Phrygiis celeberrima sylvis.

Pegasus, nomen viri Virgil. Æn 11.

Pegasus, ex Eleutheris, Bœotiæ urbe, Dionysi sive Bacchi simulachrum detulit secum in Atticam: quod Attici cùm non eo quo par erat, honore excepissent, non impunè tulerunt. Nam ab irato Deo morbus inguinum ipsis est immissus insanabilis. Proin de remedio desperantes miserunt Oraculum, aliquos consultum: qui reversi unicum hoc remedium fore dixerunt, si omni honore Deum ornarent. Quare dicto audientes, quà publicè, quà privatim, Phallos in honorem Bacchi erexerunt. Scholia *in Aristoph. Acharn. p.* 383. G.

Pegasus, Jurisconsultus, qui sub Vespasiano Urbi præfectus fuit. Pomp. *lib.* 2. *Sect. ult. D. de Origine Juris*: *Cassio Cælius Sabinus successit; Proculo Pegasus, qui temporibus Vespasiani Præfectus Urbis fuit.* Juv. *sat.* 4.

——— *Raptâ properabat abollâ*
Pegasus, attonitæ positus modò villicus Urbi.
Anne aliud tunc præfecti? Quorum optimus ille
Interpres Legum sanctissimus, omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inani
Justitiâ. ——— ———

Fuit & Consul; eoque Consule Senatusconsultum, quod de ejus nomine *Pegasianum* est appellatum, exiit. Unde ei hoc nomen, vide Menagii *Juris Civilis Amœnitatum cap.* 17.

Pegasus, equus alatus, ex Medusæ sanguine procreatus; qui cùm in Heliconia avolasset, saxum ungula feriens fontem aperuit, qui ex eo *Hippocrene*, i. e. *fons Caballinus*, uti Persius interpretatur, est appellatus. Postea verò cum ex Pirene, fonte Corinthio, biberet, à Bellerophonte, qui tunc temporis expeditionem in Chimæram parabat, captus est. Cumque is rerum terrestrium tædio ductus, in cœlum evolare conaretur; indeque terram despiciens, timoreque perculsus è sublimi decidisset, Pegasus nihilominus cursum servans, in cœlum evolasse dicitur, ibique inter sidera constitutus est. Unde Manilius,

Aerius nascetur equus, cœloq; volabit.

Horat. *Carm. lib.* 4.

——— *Exemplum grave præbet ales*
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem.

Propert. *Visus eram molli recubans Heliconis in umbrâ,*
Bellerophontei quà fluit humor equi.

Statius *in Genethliaco Lucani*:

Pendentis bibit ungulæ liquorem.

Hinc *Pegaseus*. Propertius 2. 30.

Non si Pegaseo vecteris in aere dorso.

Aliqui ἀπὸ τῆς πηγῆς, h. e. *à fonte* dictum volunt. Alii ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι, i. e. *à compingendo*. Longè aliter Bochartus *de Animal. lib.* 2. *cap.* 6. *Pegasus*, inquit, *cujus originem ad Persicum referunt, equus fuit fræno adsuetus.* Ebræis enim & Syris פג *pag*, vel פגא, *paga*, *frænum* sig. & סוס *sus equus* est. Inde compositum פגא סוס *Pegasus* fuit, sc. ἵππος χαλιναγωγούμενος. Quidam Pegasum tamen navis esse voluerunt. Ovid. *ep.* 5.

Pegis, Car, intimus Psammetichi, & acerrimus instinctor atque a[illegible]; ad invadendum Ægypti regnum. Vulgò male *Pigres dicitur*; cùm in Græco sit Πίγρης. Vide Polyænum *libro septimo*.

Pegu & Aracan regna proximè sita sunt ad fines Bengalæ, ubi initium [illegible] littora sua porrigunt, inter Eurum, & Euroaustrum usque ad civitatem portumque Mariauan, qui est in provincia Pegu, distatque milliaribus 70. à Bengala, situs sub decimo sexto gradu, à quo provincia Sian incipit. Utrumque regnum tam Aracanum, quàm Peguanum abundant rebus quibuscunque necessariis, præsertim auro, atque gemmis: invenias enim illic rubinos, spinellos, saphyros, hyacinthos, robassos, granatos &c. Ea regna quotidie frequentantes, certò affirmant, regem Peguanum habere Elephantem toto colore candidum, quem tanquam sacrosanctum supplex veneratur. Mos est apud Peguanos, ut advenas negotiatores interrogent, quandiu illis hærere velint, qui si certum tempus definierint, offerunt illi puellas nubiles complures, ex quibus unam sibi deligens advena, cum parentibus illius contrahit certo pretio pro ea retinenda secum, donec ibi manserit; inito contractu, hospes puellam domi suæ retinet, quæ & ancillæ & uxoris partes obit: elapso mansionis tempore solvit amicis aut parentibus puellæ, quantum ex pacto debet digrediturque benâ veniâ, puella æque proba & honesta ac prius, redit ad parentes, nec ulla ex parte deterior putatur, nec turpior. Quòd si postea puella desponsetur marito, isque vel totius regni princeps fuerit, & advena, cum quo prius consueverat, in eum locum aliquando revertatur, commoraturus ibidem denuo aliquandiu, tum iterum petit pactam sibi prius puellam tradi, quæ absque ulla mariti tergiversatione, & absque omni infamiæ nota, advenam sequitur, illique adhæret, quandiu præsens adest, quo iterum digrediente, ipsa maritum repetit: Præterea, si quis sponsus alicujus status gradusve, vel etiam parentibus nobilibus prognatus fuerit, huic deligunt aliquem ex advenis, solicitantes eum precibus, ut prima nocte cum sponsa cubare, eamque deflorare dignetur, offerentes illi honorarium satis honestum, ducentes id magno honori, atque beneficium amplum interpretantes, quod tanto labore & molestia per ipsum sublevati sint, atque hunc morem non nobiles tantum, sed ipse rex observat religiosè. Multi ex Peguanis ad caput pudendi, appendunt nolam unam, alii duas, tres, [illegible] admodum sonantes, jugandium magnitudine trajectas inter cutem carnemque, atque ea consuetudo ex eo invaluit, quod Peguani Sodomitico peccato ut plurimum sunt dediti: nolæ itaque appenduntur, ut eo impedimento interposito, illud turpius declinent. Fœminæ & puellæ nudæ incedunt, duntaxat ad pudenda concisum habentes succinctorium, quod inter eundum in anteriori parte ventilando fatiscat, detectis sæpe ex toto ipsis etiam pudendis, quod eo fit, ut viros in sui amorem pelliciant, horrendumque Sodomiæ peccatum devitetur. Sunt quidam inter Peguanos, qui filiabus recens natis pudenda filo consuunt, relinquentes duntaxat foramen admodum angustum, per quod vesicam exonerent: adultis deinde & desponsatis, sponsus suturam aperit, cultro peracuto. Vulnus incisum curant peculiari unguento. Ejusmodi mulieri in aula Archiepiscopi Goensis locos incidit Chyrurgus. Stirpem ducere Pegusii existimantur, ab Judæis exulibus, qui a Salomone damnati ad Ophirinas aurifodinas erant. Est hoc Regnum in India extra Gangem, aliàs amplissimum, à quo 26. regna pendebant, nempe Abdiara, Arracanum, Ava, Bacajum, Brama, Cablanum, Canaranum, Caorium, Cassubum, Caconiæum, Comotæum, Jangoma, Largoræum, Mandranella, Manarium, Martinum, Moantæum, Pronum, Tanguum, Tan[illegible]æum, Tavæum, Tincum, Tipoura, Totæum, Transiana & Vilepum, cum regno Peguano. Nunc valde imminutum, & pluries destructum à Regibus Arracani, Bramæ, & Tangui, continet tantùm Peguanum regnum propr. cum uno alterove adjacente. Estque inter Tunchinum ad Ort. & Arracanum ad Occ. Primaria urbs est

Pegu, emporium celebre & sedes regia. Duplex est urbs, vetus & nova, cum palatio superbissimo Regum, ad fl. cognom 80. m. p. ab ostiinus Gangetici in Bor. 160. ab Arracano in Ort. Quibusdam etiam *Onxa*. Barbosa, Linschot. &c.

Peguntium, Ptol. *Peguntia* Plin. urbs Illyrici mediter. in orâ Dalmatiæ, inter Salonas ad occ. & Epidaurum ad ort. *Almissa*, teste Nigro. Baudrando Urbs Dalmatiæ, in ora maris Adr. ex adverso Bratiæ Ins. à qua vix 5. m. p. distat, & 20. à Salonis in Ort. Naronam versus 55. circiter, sub Turcis.

Peibus lacus, aliter *Peibas*, partim & ad Ort. est in Moscovia, partim autem ad Occ. in Livonia, sub Suecis. In eo aliquot Ins. & per fl. *Puddes* in sinum Finnicum se exonerat. Circuitus 120. m. p. circiter.

Peirescius Nicolaus Claudius Fabri, Senator Parlamenti Provinciæ, ingenio inter primos sui seculi: Philosophus acutissimus, Mathematicus eximius. Obiit Aquis Sextiis, A. 1637. In Academia Rom. funebri oratione, aliquot Cardinalibus præsentibus, in literatorum panegyri, honoratus. Elogia ejus, linguis quadraginta expressa, in uno volumine habentur, cui titulus, *Panglossia, sive Generis humani lessus, in funere delitii sui.* V. Gassendum *in ejus vita*. Buchæum, *Histor. Prov. lib.* 1. 10. Pittonum, *Hist. Urb. Aquensis.*

Peisida, fl. amplus Tartariæ Moscoviticæ, trans. Obium. In Oceanum Tartar. se exonerat. Fontes non bene noti sunt, cum tractus ille haud pridem à Samojedis, M. Moscoviæ D. subditis sit detectus, estque pars Tartariæ desertæ.

Peiso, lacus Norici in confin. Hungariæ & Austriæ, *Neusidler See*. Lazio.

Pejum, Tolistobogiorum in Galatia castellum, Strab.

Pelagia, mulier Antiochena, voluptatibus & illecebris primùm deditissima. Tandem meliori spiritu ducta, aspernari cœpit, quod antea amabat maximè.

Pelagia, Inf. Hispan. an *Scombraria*?

Pelagia, Nigro *Conigliere*, Inf. 5. inter Siciliam & Afr. *Tarichia*, vel *Phœnicorum* Inf. Straboni.

Pelagius, primus Rex Legionis; ex priscis Wisigothis oriundus, aliquandiu Saracenis in Hispania dominantibus subjectus fuit. Sed ab illis duriter habitus, jugum excussurus, Ducem se fecit Christianorum, qui in Asturiæ montibus perfugium habebant. Ab his Rex electus, copiis comparatis, Saracenos vicit, primaque fundamenta jecit regnorum Asturiæ, Legionis & Oveti, An. 717. feliciter imperans, usque ad Ann. 736. vel 737. Mariana, *Histor. Hispan.* Vasæus *in Chron.*

Pelagius I. Romanus, Vigilio Pseudo-Episcopo Rom. successit, Ann. 555. magni æstimatus à Justiniano Imper. Hujus tempore Episcop. Aquilejensis, Concil. 5. recipere nolens, diuturni schismatis auctor extitit. Obiit A. 559. Epistolæ ejus sedecim supersunt, Anastas. *in Pelag.* Baron. *in Annal.* Successit Johannes III. quem, cum Pelagio primo è Græco vitas Patrum deserti transtulisse, volunt *Phot. Bibl.* 198. Sigebert. *in Catal. cap.* 117. & 118. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 20. Possevin. *in appar. &c.*

Pelagius II. Romanus, Benedictum I. excepit, An. 577. filius Winigilli, quod Gothicum nomen. Sine consensu Imperatoris electus, quòd Roma à Longobardis tum obsessa: hac liberatâ, per Gregorium Diaconum Tiberium placavit, consensu ejus impetrato: *Nil enim tum à Clero, in eligendo Pontifice agi solebat, nisi ejus electionem Imperator approbasset*, Sigebert. *in Chron.* Episcoporum Istriæ schismate tunc Ecclesia scissa, & Johannes Jejunator, Episc. Constantinop. Episcopi Universalis titulum sumpsit. Sed restitit Pelagius, *ac titulum illum nemini, ne quidem Pontifici Rom. convenire*, docuit: Morn. *in Myst. Iniq.* Obiit An. 590. Successorem nactus Gregorium M. Habentur ejus 10. epistolæ.

Pelagius, Patricius, sub Zenone. Scripsit Homericum centonem, Historiam, &c. Ab Imp. quem crebro à vitiis dehortari solebat, relegatus & strangulatus est. Ann. 490. Marcellin. *in Chron.* Cedren. *in Comp.* Zon. *T. in Annal.* Item Episc. Oveti auctor Historiæ à Weremundo 2. usque ad Alphonsum 8. Vasæus, *in Chron. c.* 4. Item, Benedictinus Hisp. Cardinalis & Legatus Honorii 3. in Orientem. An. 1213. Mariana *lib.* 12. *cap.* 4. Spondus *in Annal.*

Pelagius, hæresiarcha, An. Dom. 415. De quo vide sis Vossium *de Historiâ Pelagianâ*, è M. Britannia oriundus, Scotus an Hibernus? *Serpens Britannicus* proin Prospero dictus. Monachus primò, aliquot annos satis laudabiliter vixit, secundùm Augustin. & Chrysost. qui apostasiam ejus multis lachrymis deflevit: quamvis non idem scribant Isidorus Pelusiota & Hieron. Ingenio subtili & acri præditus, magno animi fervore concionatus est, styli elegantiâ & orationis flosculis auditoribus imponens. Philosophiâ quoq. non leviter tinctus inflatusque, in Impeccabilitatis errorem primùm incidit, credidítque cum Stoicis omnimodam ἀπάθειαν. Dein Gratiâ JESU CHRISTI negatâ, viribus Liberi Arbitrii vitam æternam acquiri posse, docuit. Horum deliriorum manifestus esse cœpit primò in Oriente, An. 405. Romæ dein: quâ à Gothis direptâ, cum discipulo Cælestio, in Africam trajecit, inde in Palæstinam delatus: ubi Epistolâ ad Demetriadem exaratâ, & libro de Natura edito, Ecclesiæ se hostem apertè professus est. Præsulibus Diospoli, Palæstinæ hac de re congregatis adulatus, effecit, ut absolveretur: itâque omni in Hieronymum effusâ, qui primus contra eum scripserat, quatuor libb. de Libero arbitrio evulgatis, Augustino imponere conatus est. Sed ab hoc Viro Dei insigniter refutatus, à Conciliis Africanis condemnatus, ab Innocentio, Zosimo & Cælestino Episcop. Rom. excommunicatus, edicto tandem solemni Honorii Imper. Româ cum asseclis pulsus, in patriam rediit: ubi à St. Germano Antissiodorensi & St. Lupo Trecensi, convictus & confusus, in hæresi periit. Præter jam memorata, negavit Peccatum originale: post regenerationem, hominem impeccabilem esse, etiam Gratiam meritis quæri asseruit, &c. Discipuli ejus *Pelagiani*, Concilio Ephesino condemnati, plurimos tamen sectatores habuere, diversis temporibus, errorem adeò carni gratum facilè amplexos. Hos egregiè refutavit, hortatu Africæ Conciliorum, Augustinus libb. de Remissione peccatorum, de Spiritu & litera, de Gratia J. C. de Peccato Orig. contra Julian. &c. Vide etiam *cap.* 88. *de hæret.* Prosper. *Carm. de ingrat. &c.* ut & in voce *Semipelagiani.*

Pelagius Alvares, vel *Alvares Pelagius*, Juris primò Doctor Bononiæ, dein Franciscanus, disc. fuit Duns Scoti. Pœnitentiarius postea Johannis 22. factus, in patria Hispania, Episcopatum nactus est. Hoc usum Papam contra Occamum, Trithemius refert. Obiit An. 1340. Sepultus Hispali. Wading. in *Annal & Bibl.* Willot. *Athen. Gall.* Trithem. *de script Eccl.*

Pelago, spado Neronis, quem ille centurioni, & manipulo 60. militum, quasi satellitibus, ministrum regium, ad patrandam cædem Rubellii Plauti præposuit, Tac. XIV. 59.

Pelagon, nomen viri. Ovid. *Met.* 8.

Pelagonia, regio Siciliæ. Stephan. Alii, ut Plinius, in Macedoniâ ponunt, & *Tripolim* dicunt, auctore Strabone, quòd *tribus urbibus* constaret.

Pelamydium, suburbium Constantinopolitanum, Cedreno.

Pelargus Christophorus, Theologus cum paucis comparandus. Natus Suidniciæ in Silesia, An. C. 1565. Theologiam Francofurti ad Oderam docuit, Superattendens generalis. Scripsit Comm. in Pentateuchum & Johannem: Explicationes in Psalmos 16. 22. 29. & Ps. Pœnit. Quæstiones & Resp. in Matthæum: Meditationes, in quædam Lucæ loca. Expositionem in Acta Ap. Ὑπομνήματα in Judam, &c. Obiit A. 1628. Vir in omni antiquitate & literatura versatissimus, Bergius *in Prax. Cath.*

Pelasgia, reg. Græciæ circa extremam partem Macedoniæ, versus Achajam, olim Thessalia dicta; à quâ *Pelasgi* populi, quasi *Pelargi*, quoniam errabundi, ritu *ciconiarum*, per multas regiones iverunt, Strabone teste. Vel à Pelasgo Jovis filio. Hesychius: Πελασγοί, οἱ Θετταλοί. Aliquando latius extenditur hæc vox, nempe ut universos Græcos comprehendat. Ovid. *Met.* 13.

Si mea cum vestris valuissent vota Pelasgi.

Idem ibidem,

Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasgâ
Arma tulisse refert? ——

Id est, pro navibus Græcis. Strabo Pelasgos Græciæ populos vetustissimos vocat, qui, ut ex Hesiodo idem refert, ab Arcadiâ originem duxerunt, eos quippe è Lycaone natos extitisse ait, quem Pelasgus procreavit. Æschylus autem *in Danaidibus*, eorum genus ex Argis Mycenarum extitisse prodidit: Peloponnesum enim & Pelasgiam vocatam fuisse, testis est Ephorus. Euripides quoque, *in Archelao*, Danaum illum 50. filiarum genitorem, Argos venientem, Inachi urbem habitasse commemorat, quique antea Pelasgi nominabantur, ut Danai dehinc vocarentur, lege Græcâ sanxisse. Plerique etiam gentes Epiroticas appellavere *Pelasgicas*. Lesbos quoque *Pelagia* dicta fuit; & habitantibus Troadem Cilicibus finitimos *Pelasgos* nuncupat Homerus. Argos quoque Pelasgicum Thessalia dicitur inter eruptiones Penei & Thermopylas, usque ad montanum Pindi tractum. Jovem quoque Dodonæum idem Poëta *Iliad.* 16. *Pelasgicum* vocat. Hi sub Peucetio, Japyge & Oenotrio in Italiam colonias deduxerunt, ad ripam Padi, in Calabria & versus sinum Tarentinum, sed sub Pico dein, Aboriginum Rege, Hetruriam incolere cœperunt. Pausan. *in Arcad.*

Pelasgia, Inf. maris Ægæi. V. *Lesbos.*

Pelasgicus sinus, vide *Pagasicus.*

Pelasgiota, pop. fuere Thessaliæ, quorum prov. *Pelasgiotis*, erat inter Pieriam ad Bor. & Thessaliotidem ad Mer. uti & Magnesiam ad Ort. versus Peneum fl. Urbes fuere Larissa, Scotusa, Gonnus, & Atrax.

Pelasgis, Ceres dicta est à *Pelasgo* Dryopæ filio. Palæph.

Pelasgus, rex Sicyoniorum 25. annis fere ante U. C. 430. V. quoque *Pelasgia.*

Pele, nomen 2. civitatum Thessaliæ, quarum una Eurypylo; altera Achilli parebat. Steph.

Pele, parva insula quædam. Steph.

Peleces, urbs Libyæ. Steph.

Pelecus, Libyæ Urbs, Steph.

Peleg, sive *Phalig*, fil. Heber, pater Reu, Gen. 10. Linguarum divisio sub tempus nativitatis ejus contigisse creditur. Ita senserunt doctissimi interpretes, Mercerus & Pererius. Nomen igitur *Phaleg* non ex futuro eventu fuit inditum, sed ex eo, quod jam factum, & præteritum fuerat. Nam quia proximè post linguarum divisionem, Heber genuit filium suum primogenitum, idcirco è re illâ tam memorabili nomen filio imposuit. Rectè itaque Flavius Josephus *Ant. lib.* 1. Ἐκλήθη δὲ Φάλεγος, inquit, ἐπειδὴ μετὰ τὸν ἀποδασμὸν τῆς οἰκήσεως τίκτεται.

Pelinaria, civitas in sinu Troglodytico, ex Africæ latere non procul à Pindis. Plin. 6. 29.

Pelendones, Hisp. Tarr. pop. in Castellâ veteri. Plin. *Medina Celi* Pineto est. Aliis inter Calagurrim ad Bor. & Numantiam ad Austr. seu inter Vascones & Arevacos. Eorum Urbes fuere Augustobriga, Savia, & Numantia; quanquam hæc ultima aliis sub Arevacis. Eorum tractus nunc est pars Castellæ veteris, versus fontes *Durii* & limites Arragoniæ, prope montem Caunum, Baudr.

Pelestini, pop. Umbriæ, inter Eugubium & Tifernum, quorum locus adhuc *Plesteja*, R. Vitio: ubi Publicum opp. *Pesbico*, intra montes, Comitatus, à Castro Durantis 7. m. p. à Tiferno Tiberino 12.

Pelethronia vallis, ad rad. Pelei montis. Ibi Æsculapius Draconem Pellæum educasse fertur: ad quem accedebant responsa petituri. Lucian. Pausf.

Pelethronii, Lapithæ à *Pelethronio* oppido Pelio monti subjecto sic dicti. Hi primi omnium frænorum usum invenisse dicuntur, & equorum domandorum artem. Virgil. *Georg.* 3.

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyrosq; dedere
Impositi dorso; atq; equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Aliter autem Plinius. 7. 56. ubi *Pelethronium* virum quendam nominat, qui primus strata equorum, & frænos invenerit. Et, ut videas, inquit de la Cerda, nihil in hâc re firmum: Lysias gravis orator, ἐν τῷ λόγῳ ἐπιταφίῳ ita ait loquens de Amazonibus:

bus: Πρῶτος δὲ τὸ πῶλον ἐφ' ἵππους ἀναβῆναι. Ideoque forsan Pindarus illas ἀΐππους vocat *Od.* 8. *Olymp.* Quin Plinius ibidem primam gloriam equitationis Bellerophonti tribuit. Et Ælian. *lib.* 9. *Var. Hist. cap.* 16. viro cuidam Italo, quem scribit nominatum fuisse Marem, de quo Itali ipsi fabulabantur, fuisse anteriore parte hominem, posteriore equum. Quem vulgi sermonem ita explicat author: Δοκεῖ δέ μοι πρῶτος ἵππῳ ἀναβῆναι, χαλινὸν ἐμβαλὼν αὐτῷ, εἶτα ἐκ τούτου διφυὴς πιστευθῆναι. Sophocles in *Oedipo Colon.* inventionem fræni Neptuno tribuit, saltem in Atticâ. Ad quam opinionem allusit Papinius 6. *Theb.*

——— Neptunus equo, si certa priorum
Fama patet, primus teneris læsisse lupatis
Ora, & litoreo domitasse in pulvere fertur.

Palæphatus autem & pleríque alii hoc inventum Centauris attribuunt; πρότερον (inquit) γὰρ οὐκ ἠπίσταντο ἐφ' ἵππων ὀχεῖσθαι, ἀλλὰ μόνον ἁρμασιν ἐχρῶντο. Hoc placitum Virgilio ubi supra, & meritò. Juvant enim ejus sententiam versus isti Manilii *Astronomicorum libr.* 4.

At quibus in bifero Centauri corpore sors est
Nascendi concessa, libet conjungere currus
Ardentes & equos ad mollia ducere fræna.

Peleus, Æaci & Æginæ fil. qui ex Thetide genuit Achillem, qui *Pelides* inde dicitur. Castissimus sui temporis mortalium fuit. Amatus ab Hippolytâ Acasti uxore, & ad stuprum sollicitatus cùm adduci non potuisset, ab eâdem, tanquam insidiator pudicitiæ suæ, apud virum accusatus fuit. Quod edoctus Acastus Peleum in solitudinem eduxit, nudatumque armis feris objecit, recedensque dixisse perhibetur; Si innocens es, servaberis. Cùm jam à feris periturus esset, Dii ipsi gladium à Vulcano fabrefactum, per Mercurium, subjecerunt; quo periculum evasit. Narratur & fabula hoc modo: *Peleus* in Patria, cum Telamone, fratrem Phocum dolo interemit, confugitque ob id Phthiam, ad Eurytum filium Actoris, à quo fuit expiatus. Ibi, cùm in venatione Calydonii apri, forte fortunâ Eurytum obvium occidisset, rursus exulavit in Jolcon, apud Acastum atque ab ipso purgatur. *Astydamia* verò, Acasti uxor, illicito hospitis amore succensa, persuadere eidem conatur consuetudinem stupri. Quo non obtento, ob continentiam Pelei, calumnias intendit, tanquam pudicitiam suam tentasset. Maritus à se expiato veritus manus inferre, secum in Pelion venatum ducit ac somno oppressum destituit, gladio illius in fimo bubulo abscondito. *Peleus* expergefactus, non invento ense, videt sibi à Centauris exitium instare; sed servatur à Chirone, ab eoque repertum gladium recipit. Quòd autem Thetis nupsisse dicitur Peleo, illud ad connubium Maris & Terræ pertinet. Nam Πηλεὺς à πηλὸς lutum; quo etiam respexere olim, cùm dicerent; Μὴ δεῖν τὸν Οἰνέα Πηλέα ποιεῖν: *Oenea non convertendum esse in Pelea.* Nimirum Οἰνεὺς & Πηλεὺς, heroum nomina, ponuntur pro οἶνος vinum, & πηλὸς lutum: Ut sententia sit, cavendum esse pincernæ, ne vinum effundat in terram, atque ita lutum faciat, quemadmodum ex Athenæo, Demetrio, Eustathio, *in Orat. Institut. lib.* 4. *cap.* 6. retulit Vossius. Quem vide *de Theologiâ Gentili, lib.* 2. *cap.* 79.

Pelia, Tusciæ amnis Catoni in Originibus: *Paglia* hodie Leandro ex Viterbiensi.

Peliala, urbs Mesopotamiæ, Ptol.

Pelias, *liæ*, fil. Neptuni & Tyrûs, Salmonei regis filiæ, frater Æsonis, magnam Thessaliæ partem ditione tenuit. Filium habuit Acastum, qui Argonautas comitatus est, secundùm Apollonium & Valerium. Orpheus nullam de Acasto mentionem facit. Diodorus quoque *lib.* 5. masculis filiis Peliam caruisse scribit. Filias habuit *Alcestin, Amphinomen & Evadnem*, de quibus idem *eodem libro.* Habuit & *Pelopeam*, de quâ Apollonius in I. Is cùm sortem accepisset se illius manibus moriturum, quem altero pede nudo ad se venientem vidisset, omnibusque Diis Junone exceptâ solemnia forte sacra faceret, *Jason* ad sacra festinans Junonem Deam sub vetulæ specie in Anauri ripâ invenit. Eam Jason humeris acceptam transvexit, altero calceo sub torrentis cœno relicto, sicque ad Peliam adiit. Eo viso rex oraculi admonitus cogitare cœpit, quo pacto illi mortem moliretur. Cumque intelligeret, nullâ eâ tempestate rem esse majoris periculi, quàm vellus aureum, quod in templo Martis apud Colchos erat, nepoti persuasit, ut ad id rapiendum eò proficisceretur, auxilium opesque suas pollicitus. Quod tamen consilium tantum abfuit, ut illi ex sententiâ successerit, ut aureo vellere potitus Jason, magnâ cum gloriâ in patriam redierit: Pelias autem tandem filiarum suarum manibus interfectus est, idque instinctu Medeæ, quæ integræ ætati se illum restituturam simulabat. Ovid. *Met.* 7. Val. Flac. *Argon. lib.* 1.

Æmoniam primis Pelias frænabat ab annis
Jam gravis, & longus populis metus, illius omnes
Jonium quicunq; petunt: ille Othryn & Æmum,
Atq; imum felix versabat vomere Olympum.

Pelias, Ins. circa Drepanum, nunc *Colombana di Trapani* Wolfio.

Pelias, *adis*, Achillis hasta, quam nemo præter Achillem ob magnitudinem vibrare poterat. Hanc à Pallade decorticatam & politam, à Vulcano cuspidatam fuisse ferunt. Ovid. *Met.* 13.

——— Nec non oneroja gravuq;
Pelias hasta potest imbellibus esse lacertis.

Idem *Epist.* 3.

Transeat Hectoreum Pelias hasta latus.

Hom. *Iliad* Π.

Ἔγχος δ' οὐχ ἕλετ' οἶον ἀμύμονος Αἰακίδαο,
Βριθὺ, μέγα, στιβαρόν· τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν
Πάλλειν, ἀλλά μιν οἶος ἐπίστατο πῆλαι Ἀχιλλεύς,
Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε Χείρων
Πηλίου ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσι.

Peligni, pop. in 4. regione Italiæ, Marsis finitimi, quorum caput fuit Sulmo, Ovidii patria, teste seipso *Ponticorum libr.* 4. *eleg.* 14.

Gens mea Peligni, regioq; domestica Sulmo.

Marsis fuisse conterminos, vel ex hoc Cæsaris patet loco, *Belli Civilis lib.* 1. *Domitius ipse circiter* 20. *cohortes Albâ ex Marsis & Pelignis, & finitimis regionibus coegerat.* Samnitibus etiam vicinos fuisse Livius testatur, *lib.* 26. ubi de Annibale: *Ex Campaniâ in Samnium, inde in Pelignos pervenisse.* Eos inter Μικρὰ ἔθνη numerat Strabo *lib.* 5. Nomen eorum quod attinet, mirum in modum apud Græcos auctores, Diodorum atque Appianum corruptum legitur. Apud priorem *lib.* 20. in Xenippi Atheniensis magistratu exscriptores fecere Παλινίας, & in Phereclis magistratu Παλινῖς. Apud posteriorem *Civ. lib.* 1. Μαγλῖνοι. Festus Pelignos ex Illyrico ortos fuisse tradit. A Sabinis verò originem eorum ducit Ovidius *Fast. lib.* 3.

Et tibi cum proavis; miles Peligne, Sabinis
Convenit. ——— *miles* ———

Apud hos pessima vina nascebantur. Martialis *lib.* 1. *epig.* 27.

Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis,
Uva nec in Tuscis nascitur ista jugis.

Idem *lib.* 13. *ep.* 121. Cujus Lemma *Pelignum*,

Marsica Peligni mittunt turbata coloni,
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

Pelignianus, Consul cum Pomponio, an. U. C. 983.

Pelignus Julius, olim Claudio familiaris, cùm privatus conversatione scurrarum iners otium oblectaret, ignavi animi & deridiculo corporis juxta despiciendus; posteà Cappadociæ Procurator, Tacit. 12. 49.

Pelinæus, mons Chii altissimus est. Ita Strabo *lib.* 14. Πελιναῖον ὄρος ὑψηλότατον τῶν ἐν τῇ νήσῳ. Ælianus scribit Πελιναῖον, *lib.* 16. *de Anim. cap.* 39. Ita etiam Pindari Scholiastes *Pyth.* 10. Unde Πελιναῖος ὁ Ζεὺς ἐν Χίῳ apud Hesychium, & Phavorinum. Hinc in Dionysio pro eo quod vulgò legitur,

Καὶ Χίος ἠλιβάτου Πελλήναίου ὑπὸ πέζαν,

rescribendum, ἠλιβάτου Πελιναίου. Ita enim legisse Avienum docet versio:

Tumq; Chius patulæ prospectans arva Pelinnæ.

Sub hoc monte vetustissimæ Chiorum historiæ referunt, quondam latuisse draconem μεγέθει μέγιστον, portentosæ magnitudinis, qui insulares aliquandiu territavit sibilis suis, donec incendio absumeretur. Rem narrat Ælianus, ubi supra. A dracone tam immani Chii mons, quem diximus, Phœnicio sermone vocatus est פלא נחש *Peli-naas*, id est, *stupendi serpentis*, Bochartus.

Pelinna, urbs Thessaliæ in Phthiotide, à *Pelino* Oechalei filio dicta.

Pelinnæum, opp. Macedoniæ erat, in finibus Athamanum, Limneæ oppid. proximum, à M. Acilio Consule Philippo Regi ablatum, Liv. *lib.* 6. *dec.* 4.

Pelion, Thessaliæ mons Ossæ & Olympo attiguus, in sinum Pelasgicum incumbens, verticem habens pineto, reliquam partem quercineo nemore tectam. Ovid. *Fast.* 5.

Pelion Æmoniæ mons est obversus in Austros:
Summa virent pinu: cætera quercus habet.

Altum vocat Virgilius *Georg.* 3. *Ingentem* Statius *lib.* 1. *Achilleidos.* Homerus, Πήλιον εἰνοσίφυλλον appellat. Ornis etiam abundare hunc montem testatur Val. Flac. *hoc versu:*

Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.

Hic Pelium nemus apud Quintil. hodie *Petras* Tzetzæ. Hinc *Pelius* adjectivum, Cic. *pro Cœlio ex veteri poëta:*

Utinam ne in nemore Pelio.

Item *Peliacus*, Catullus:

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

Item Thusciæ mons, apud montem Tuniatum; ex quo Pelia fluv. Item urbs Thessaliæ, & alia Illyriæ, Steph.

Pelium, oppid. Macedoniæ, in finibus Dassaretum, à Romanis captum, Liv. *lib.* 1. *dec.* 4.

Pella, colon. & urbs Macedoniæ in Emathiâ, inter Berthœam & Larissam, natalibus Philippi & Alex. M. clara. *Jeniza* Sophiano. In Botiæa tractu, *Zuchria* hodie, Nigro; ampla, vix 12. m. pass. ab ora Thermaici sinus in Occ. Ædessam versus 28. uti à Thessalonica in Afric. 135. à Pydna in Bor. inter ostia Erigonis & Ludiæ fluv. Nunc Græcis τὰ παλάτια, id est, parva Palatia; & est locus, sub dit. Beroënsium, ubi quotidie marmora, & regiarum ædium fun-

fundamenta eruuntur. Hic Regiam Philippi & Alexand. fuisse incolæ credunt. *Jenizza* autem, seu melius *Janizza* est novum opp. à Turcis primum excitatum, 8. horis à Berrhœa, Turcis *nova civitas* significans, Critopulus. De eâ Lucanus *lib.* 10.

Exiguo secura fuit Provincia Pella.

Hinc *Pellæus.* Juvenal. *Sat.* 13.

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.

Martialis *lib.* 9. *epigr.* 44.

Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui citò perdomito victor in orbe jacet.

Pella, vel *Pelle*, præclara Palæstinæ in Cœlesyria, trans Jordanem civitas est, Episcop. in tribu Manasse & quidem una ex undecim topatchiis Judææ, inter quas ordine septima recensetur. Sita autem est, partim in Decapoleos, partim in Petrææ regionum confinis. Nam ab Austro quidem Decapoleos, à Septentrione verò Petrææ regionis terminus est. Aquis diversis emanantibus locis hæc civitas dives est: eique regio fertilis adjacet, in qua multa castella sunt. Eò omnes Christiani, cùm à Romanis obsideretur Jerusalem, divino oraculo moniti, se receperunt, Euseb. *lib.* 3. *cap.* 5. & 11. *Pella* item in Thessaliâ & quarta in Achajâ, teste Stephan. qui primam à *Pella* conditore dictam scribit, Strab. *lib.* 16. Plin. *lib.* 4. &c. *Bunomos* quondam & *Bunomia* dicta, teste Herodoto. *Pellæa gula*, apud Martialem pro Ægyptiacâ Alexandrinâ, ab Alexandro Pellæ Macedoniæ nato, qui Alexandriam condidit *lib.* 13. *epigramm.* 85.

Princeps Niliaci raperis, Coracine, macelli:
Pellææ prior est gloria nulla gulæ.

Pella, mons Æthiopiæ.

Pellaconta, fluv. Mediæ ad oram Arabiæ, qui Buram oppidum præterfluit, Plin. 6. 26.

Pellaus, pagus Babyloniæ, seu Chaldææ apud Characem oppid. & Ostia Tigridis & Teredonem urbem.

Pellaon, Adriatici, seu Veneti sinus oppidum, Plin. 3. 10.

Pellana, Pallena Diodoro, *Pellene* Polybio, quæ & *Tripolis*, opp. Laconicæ in Peloponneso in Arcadiæ confin. à Plinio in ipsa Arcadia ponitur, ubi *Pellanius fons.*

Pellenaus, vide *Pelinaus.*

Pellene, Pellina Stephano, *Taracha*, & *Tachara* aliis, incolis *Diacopton*, aliis *Tarso*, opp. Achajæ in Peloponneso, à sinu Corinth. 60. stad. in Austrum recedens, inter Phliuntem & Buram. Hujus lanæ nobiles ab antiquis habebantur, ex quibus lacernæ fiebant, quæ in ludis & certaminibus Junonis victoribus loco præmii dabantur, authore Julio Polluce: Unde proverbio *Tunica Pellenica*, vel *Pellenæa* apud Suidam, de splendidâ veste dicitur.

Pellicanus Conradus, Rubeaci, in Alsatia, natus Ann. 1478. ex primis fuit, qui linguam Hebraicam in lucem revocarunt: cum Capnione, qui primus in Germania hanc linguam excolere cœpit, Tubingæ ei incubuit. Postea Franciscanorum Basiliensium Guardianus fuit, sed sub exortum Evangelii Solem cucullâ amandatâ, Christum sequutus, Theologico studio plurimum contulit: dein post Jacobi Leporini obitum, An. Chr. 1526. Tigurum evocatus, publicè ibi Theologiam, Græcamque linguam docuit: & suis in omnes Vet. Testam. libros Comment. doctrinam Evangelicam multum promovit. Habentur opera ejus 7. Volum. fol. Tiguri impressa, An. 1537. *Sacrarum litterarum peritissimus, Interpres, & Hebr. linguæ primus fere apud Christianos Professor*, Humfr. *in vitâ Juelli. Vir candidus, sincerus, integer, ab ostentatione omni alienissimus*, Melch. Adami *in ejus vita.* Obiit Tiguri Ao. 1556. ætat. 78. Pictus est ab Holbenio, imaginique hoc tetrastichon subjunctum legitur:

Bis septem lustris vixi, & quinq; insuper annos:
Fatidico quare cum Simeone precor:
Nunc in pace tuum Deus ô! dimitte Ministrum,
Detur & in Christi regna redire tui!

Pellidi, pop. fuere Sardiniæ, Liv.

Pelodes, Epiri portus, *Pagania* Moletio, & sinus Susianæ ad sinum Persicum.

Pelon, locus Episcopalis Syriæ sub Archiepiscop. Scythopolis, 6. Tyrius.

Pelope, vicus Lydiæ juxta Phrygiam, Steph.

Pelopea, Thyestæ filia, quæ à patre gravida facta, insigni formâ infantulum peperit, quem recenter natum, ne turpitudo sua palam fieret, feris devorandum in sylvis reliquit. Evenit autem, Diis ita volentibus, ut pastor quidam illac iter faciens, in puerum incideret, qui misericordiâ motus, domum suam illum detulit, lacteq; caprino educavit, unde & *Ægisthus* appellatus est. Item Tragœdia de *Pelopea.* Juvenal. *Sat* 7.

Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Pelopia, urbs Ephesi, quæ Lyco fluvio alluitur, Plin. 5. 29.

Pelopidas, Thebanus, vir clarissimus, ab inimicis, quibus virtutes ejus invidiæ erant, in exilium ejectus est. Cadmæam à Phœbida Spartanorum, quorum factio ipsum patriâ expulerat, occupatam, Olympiad. 99. feliciter recepit, Epaminondæ in omnibus expeditionibus, prælio inprimis Leuctrico & obsidione Spartæ, comes. Legatus ad Artaxerxem, magno apud illum in pretio fuit. Ab Alexandro tandem, Pheratum tyranno, offensus, cùm Patriæ bellum contra illum suasisset, in prælio victor occubuit. An. 390. U. C. Olymp. 104. Xenoph. *lib.* 6. Diodor. *lib.* 15. Polyb. *lib.* 1. Corn. Nepos & Plut. *in vita ejus.*

Pelopis, insula parva, seu scopulus Argiæ, ante Methanam opp.

Peloponnesia, mulier quædam, quæ quinquies quaternos enixa est. A Paulo J.C. commemoratur *in lib* 3. *F. Si pars hæredit. pet.*

Peloponnesus, ampla Græciæ regio, nobilissima totius Europæ peninsula, Isthmo angustissimo (quem muro Hexamilo circumdedit Emanuel Imper. cùm Turcas urbi exitium moliri animadverteret; Laonic. *lib.* 4. sub initium seculi 15.) Græciæ annexa, inter duo maria, Ægæum & Jonium, platani folio similis (unde Dionysius,

—— Πέλοπος δ' ἐπὶ νῆσος ὑπερθε
Εἴδομένη πλατάνοιο μυουρίζοντι πετήλῳ.

Idem habent Strabo *lib.* 8. & Plin. *lib.* 4. *cap.* 4.) angulosis recessibus duos efficiens sinus, ab ortu Saronicum, Crissæum, sive Corinthiacum ab occasu 6. m. angustiis diremptos. Hæc quidem proprie non est insula, sed χερσόνησος. Sed isthmi angustia effecit, ut non tantùm insula nominetur, verùm etiam inter insulas quandoque numeretur, ut à Ptolemæo *lib.* 7. *Peloponnesus* autem dicta est à *Pelope*, Tantali filio, qui è Phrygiâ coloniam eò deduxit, ibique regnavit, teste Strabone *lib.* 7. (Πέλοπος μὲν ἐκ τῆς Φρυγίας ἐπαγαγόμενον λαὸν εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν Πελοπόννησον) cùm antè Plinio & Apollodoro testibus, *Ægiala, Apia, Argos* & *Pelasgia* diceretur. *Argos* etiam, teste Strabone *lib.* 8. tota insula olim vocata (ut multis testimoniis ex Homero adductis probat) & quidem *Argos Achaicum*, ut à Thessaliâ distingueretur, quam *Argos Pelasgicum* vocarunt. Peninsula hæc in 6. regiones divisa est: Ita Mela *lib.* 2. *cap.* 3. *In Peloponneso Argolis, Laconice, Messenia, Achaja, Elis, Arcadia.* Baudrando lata est hæc regio, quæ *Morea* hodie dicitur, à Sept. in Mer. 150. m. p. nempe à Corinthio ad Tænarum prom. Longa 175. m. p. ab Ort. in Occas. seu à Scyllæo promontor. ad Cheloniatem, 380. m. p. à Sicilia in Ort. 70. à parte Occ. Cretæ in Circ. Ejus partes olim erant 8. nempe Achaja propr. Arcadia, Argia, Corinthia, Elis, Laconia, Messenia & Sicyonia, omnes versus oram littor. præter Arcadiam. Nunc partes sunt quatuor, *Ducatus Clarentiæ*, ubi al. Achaja propr. Sicyon & Corinthus. *Belvedera*, olim Elis & Messenia; *Saccania*, seu Romania min. olim Argia, & *Tzaconia*, ubi Laconia & Arcadia; Tota sub Turcis à 200. annis, & tempore Mahometis 2. Tzaconia aliter *Mainotarum tractus*, ubi Mainotæ, sui fere juris, sub clientela Turcarum. Bellum *Peloponnesiacum* dictum olim, quod hujus regionis incolæ gesserunt, contra Athenienses, ab An. 323. U. C. Olymp. 87. usque ad An. 350. quo Athenæ captæ. Strab. *lib* 8. Plin. *lib.* 8. Pausan. *in Art.* Thucyd. Xen. Diodorus Siculus, &c.

Peloponnesi urbes præcipuæ:

Argos, *Argo.*	Megalopolis, *Leontari.*
Corinthus, *Coranto, & Corto.*	Messene, *Messeniga.*
Corone, *Coron.*	Methone, *Modon.*
Dyme, *Clarence.*	Nauplia, *Napoli de Romanie.*
Elis, *Belvedere.*	Patræ, *Patras.*
Epidaurus Lymeta, *Malvasia.*	Pylus, *Navarin.*
Leuctrum, *Mayna.*	Sicyon, *Basilica.* In ruinis jacet.

Sparta, *Misitra.*

Pelops, Tantali, Phrygiæ regis & Taygetes filius, cujus pater cùm Deos in terris peregrinantes hospitio excepisset, ut certo aliquo argumento divinitatem eorum experiretur, filium suum illis epulandum apposuit; à cujus esu cùm Dii cæteri abstinuissent, sola Ceres humerum ejus assumpsit. Quem cùm Jupiter deinde ad vitam revocasset, eburneum humerum ei restituit. Ad quem quidem humerum, post ejusdem Pelopis mortem, variа morborum sanabantur genera, & multiplicia edebantur miracula. Plin. 19. 3. Ovidius *Metam.* 6.

Tamen hunc quoq; dicitur unus
Flesse Pelops, humeroq; suas ad pectora postquam
Deduxit vestes, ebur ostendisse sinistro
Concolor hic humerus, nascendi tempore dextro,
Corporeusq; fuit: manibus mox ista paternis
Membra ferunt junxisse Deos, aliaq; repertis,
Qui locus est juguli medius, summoq; lacerti
Defuit, impositum est non comparentis in usum
Partis ebur; factoq; Pelops fuit integer illo.

Unde Virgilius *Georg.* 3.

—— *Humeroq; Pelops insignis eburno,*
Acer equis. —— ——

Tibullus 1. 14.

—— *Carmina ni sint,*
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

Papinius *lib.* 4. *Theb.*

Truncatusq; Pelops, & sævo pulvere sordens.

Pind. *Od.* 1. *Olymp.* Ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον *ebore insignem humerum ornatum.* Et Apoll. n. *lib.* Πέλοπος ὦμον. Et Nazianz. *Orat.* 1. *contra Julianum*, Ἐξ ἧς (κρεουργίας) ἐπίσημος Πέλοπι ὁ ὦμος καὶ τῷ ἐλέφαντι. Dio Chrysost. *Orat.* 8. Περὶ δὲ τοῦ Πέλοπος ἔλεγον, ὅτι καὶ τὸν ὦμον ἐλεφάντινον ἔχει. Hic postea

postea cùm adolevisset, in Elidem se contulit, cui id temporis Oenomaus imperabat. Is cùm unicam filiam haberet, nomine Hippodamiam, eamque formosissimam, & regni totius hæredem, eamque nominibus multis procis ambitam, nulli tamen eam voluit collocare, quòd à genero suo se interfectum iri intelligeret. Hanc itaque rationem excogitavit, ut procis curule certamen proponeret (habebat enim equos velocissimos, ex ventorum flatu, procreatos) eamque certaminis legem, ut victor filiæ nuptiis potiretur, victus mortem subiret. Cumque jam multos certamine victos neci tradidisset, tandem Pelops, amore Hippodamiæ incensus, cùm equis suis parum fideret, Myrtilum, Oenomai aurigam, pecuniâ corrupit, ut axes fragiles currui subjungeret. Quo facto, Oenomaus aurigæ perfidiâ, fracto curru collapsus, membrisque omnibus ex ruinâ collisis, cùm se morti vicinum esse animadverteret, Pelopem oravit, ut vicem suam ulcisceretur. Cui ille morem gerens, Myrtilum perfidiæ præmium importunius exigentem in mare præcipitavit, quod ab eo Myrtoum vocabatur. Pelops autem uxore & regno potitus, universam Chersonesum à nomine suo Peloponnesum appellavit. Strabo *lib*.8. Catull. *de Achille:*

Troicaq; obsidens longinquo mœnia bello,
Perjuri Pelopis vastabit tertius hæres.

Propert. *lib*. 3.

Quidve Clytæmnestra, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus.

Horatius *Od*. 1. *Carm*. 6.

Nec sævam Pelopis domum.

Seneca:

Argos, & sævi Pelopis Mycenæ.

De Pelope plura, Nat. Com. *lib*.7. *cap*. 17. & Alexand. Rossæus *in Mystag. Poët.*

Peloris, idem quod *Pelorus*. Item ostrei genus, à magnitudine sic dictum, ut ait Eustath. Πελωρὶς λέγεται διὰ τὸ μέγεθος, cum quo congruens Athenæus *lib* 3. ita scribit, Πελωρίδες ὠνομάσθησαν παρὰ τὸ πελώριον. Plinius *lib*. 31. *cap*. 11. inter cancrorum genera numerare videtur. Lucrino in lacu præcipuæ fuere. Horatius *Serm*. 2. *Sat*. 4.

Murice Bajano melior Lucrina Peloris.

Pelorus, seu *Pelorum*, unum ex 3. Siciliæ promontoriis, quod in Italiam vergens, Scyllæ adversum est; Baudrando in ora Orient. ubi Borealis incipit, ex adverso Calabriæ, à qua vix 6. m. p. in Occ. ut 10. à Messana in Bor. in valle Nemorensi; ei imposita turris speculatrix seu Pelori dicta, 140. m. p. à Pachyno in Bor. Ita dictum à *Peloro*, Annibalis gubernatore; quem is in Syriam fugam parans (ut Pomponio placet) ibi interemit, se ab eo proditum ratus, eo quòd procul intuenti continua videbantur esse litora, pelagusque minime pervium. Huic postea, innocentiâ ejus cognitâ, statuam posuisse dicitur Val. Max. *Lib*.9. *cap. de Temeritate, ex*. 4. Pelorum hunc ab Anniba e interfectum arbitratur eo tempore, quo is à Petiliâ solvens in Africam reditum parabat, à suis revocatus, ut patriæ periclitanti opem ferret adversus Scipionem. Quæ sententia videtur multò verisimilior. Non enim video, quid ex Africâ Syriam petenti in Siculo freto fuerit negotii; nisi quis hoc prætexat, vi tempestatis eò fuisse appulsum: quanquam legimus etiam antè Pelorum dictum. *Pelorus* (inquit Bochartus) articulo addito Græcis vulgò dicitur ὁ Πέλωρος. Quod Pœni sic acceperunt, quasi diceretur הובל הראש *hobel-haros*, vel *hobel-horos*, id est, ad verbum *Gubernator*, sive *Nauclerus Ducis*. De eo Silius *lib*. 14.

Celsus arenosâ tollit se mole Pelorus.

Dicitur & *Pelorias*. Ovid. *Fast*. 4.

Jamq; Peloriaden, Lilybæaq; jamq; Pachynon
Lustrarat. —— ——

Ita Græci. Polyb. *lib*. 1. Τὸ δὲ εἰς τὰς ἄρκτους κεκλιμένον ἀκρωτήριον προσαγορεύεται Πελωρίας. Peloris Dionysio vocatur, ubi de tribus *Siciliæ* promontoriis:

Ἄκρον δ' εἰσὶ οἱ Πάχυνός τε, Πελωρίς τε Λιλύβαιόν τε.

Angustiori linguâ, seu cuspide in mare excurrit, quàm reliqua duo promuntoria. Virgil. *Æn*. 3.

Angusti rarescent claustra Pelori.

Ovid. *Metam* 15.

Evinctaq; fretum, Siculiq; angusta Pelori.

Dixi supra Pelorum Italiæ objectum fuisse. Confirmant id passim auctores. Ovid. *Met*. 5.

Dextra sub Ausonio manus est subjecta Peloro.

Statius *Sylv*.

Brutia Sicanium circumspicit ora Pelorum.

Dionysius Orbis descriptor:

Ἠπείροιο Πελωρὶς, ἐς Αὐσονίην ὁρόωσα.

Apollonii Scholiastes *ad lib*. 4. Τὸ τέλος ἀκρωτήριον ἀφορᾶ πρὸς Ἰταλίαν, ὁ Πελωρίας. Hodie *Cabo de la torre del faro* vocatur. Vide *Cluver. de Sic. Ant. lib*. 1. *cap*.6.

Pelsnicia, opp. Poloniæ min. ubi Lasocius, loci dominus, circa An. C. 1550. Evangelicam doctrinam annuntiari curavit. Quemadmodum Stadnicius Dubeciæ, aliique alibi. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Pelta, urbs Phrygiæ majoris, Steph. Nunc *Pelti* seu *Felti* Leuncl.

Peltini, Lycaoniæ populi, Plin.

Peltinus campus, Asiæ min. locus, quem Strabo suo tempore *Phrygiæ campum* dictum scribit, *lib*. 13.

Pelva, Pannoniæ opp. Anton.

Pelus, insula juxta Chium. Gentile *Pelusius*. Steph. Mons item Tusciæ apud Catonem.

Pelusium, opp. in extremâ Ægypti orâ, quæ Casiotidi contermina est, à quo & extremum Nili ostium, cæteris Orientalius, quo Ægyptus ab Asiâ terminatur, *Pelusium*, seu *Pelusiacum* vocatur. Nunc *Carabes* Tyrio, Lucan. *lib*.8.

In vada decurrit Pelusia septimus amnis.

Vicus, *Belbais* hodie, teste G. Tyrio, seu *Belves*: ex ejus ruinis crevit Damiata, urbs ei ferè adjacens, in adversa ripa Nili Pelusiaci. Prope oram littor. maris Mediterran. 150. mill. ab Alexandria in Ort. 120. à Memphi in Cæc. sub Turcis. *Æliopolis* olim dicta, ab Ælio Principe, qui eam triplici cinxerat muro; Sabellicus. Incolæ *Pelusiotæ*, quos Pathrusæos esse, ut nonnulli volunt, falsum est, cùm ob alias causas, tum maxime, quia Ezechielis *cap*. 30. *vers*. 14. & 15. diversa loca sunt *Pathros*, & *Sin*, id est, *Pelusium*, ut rectè interpretatur Hieronymus. Nam Pelusio nomen fecit πηλὸς. hoc est, *lutum*, Strabo *lib. ult*. Καὶ αὐτὸ δὲ τὸ Πηλούσιον κύκλῳ περίκειται ἔχει ἕλη ἃ τινες Βάραθρα καλοῦσι, καὶ τέλματα. Et paulo pòst ὠνόμασται δ' ἀπὸ τοῦ πηλοῦ. Meritò ergo (inquit Bochartus) Pelusium סין *Sin* appellatur à Syris, quibus סין id ipsum est, quod Græcis πηλός. Rursus Ezechiel dicit, *Sin* esse מעון מצרים, hoc est, robur Ægypti, quia ex illâ parte Ægyptus est aditu maximè difficilis. Strabo *lib*. 17. Ταύτῃ δὲ καὶ δυσείσβολός ἐστιν ἡ Αἴγυπτος. Et Diodorus *lib*.15. Μάλιστα τὸ Πηλουσιακὸν στόμα κατεσκεύαστο, διὰ τὸ κεῖσθαι μὲν αὐτὸ πρῶτον πρὸς τοὺς ἀπὸ Συρίας πορευομένους. Suid. Πηλούσιον, &c. κλεὶς τῆς Αἰγύπτου καὶ εἴσοδος καὶ ἔξοδος. Polyænus *lib*.7. *Stratagem*. Καμβύσης Πηλούσιον ἐπολιόρκει. Αἰγύπτιοι καρτερῶς ἀνθίσταντο, ἀποκλείοντες τῆς Αἰγύπτου τὰς ἐμβολάς. Juxta Pelusium est optima lens. Virgilius *Georgicôn lib* 1.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Ubi Servius: *Pelusium unum est de 7. ostiis Nili, ubi optima lens nascitur, unde* κατ' ἐξοχὴν *locutus est*. Martial. *lib*.13. *epigr*.5.

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem.

Ausonius *Idyll*. 12.

Et Pelusiaco de semine plana teres lens.

Ubi *planam* & *teretem* dicit, quia *duo genera ejus in Ægypto, alterum rotundum, nigriusq; alterum suâ figurâ*, uti loquitur Plinius *lib*. 18. *cap*. 28. Inde Alexandrini φακῆς ὀξυσίτοφοι τῷ φακίῳ ὀψωνοῦντες, hoc est, *lente plurimum vescebantur*: ac tota urbs πλήρης φακινῶν, plena lenteorum, teste Cynulco apud Athenæum, *lib*. 4. Bochart.

Pelysia, opp. Hungar. Comit. Pelysiensis caput, qui inter Danubium ad Ort. Comitatum Albensem ad Occ. & Strigoniensem ad Bor. versus Budam extenditur, sub Turcis. A Vaccia 15. m. p. in Afric. Albam reg. versus 26. & 20. à Buda in Occ.

Pemba, prov. regni Congiani, in corde q. regni.

Pemma, opp. in Arabiâ. Plin. 6. 29.

Pempte, urbs Ægypti: Inde *præfectura Pemptitis*, Steph.

Penates, Servio sunt omnes Dii, qui domi coluntur: patriæ iconculæ, quibus vino & thure frequenter p'il i faciebant. Dion. Halicarn. *lib*.1. *Hist*. Cicero, *pro Domo sua*. Cartarius *in imag Deor*. A *penus* dicti, teste Tullio *lib*. 2. *de Nat. Deorum*; nempe quia coluntur in *penetralibus*, hoc est, *penitus ædibus*, ut Isidorus ait *extremo lib*.8. Eoque alludere videtur Poeta *Æn*. 1.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere Penates.

Atque ideirco Festus *penetralia* dicit esse *Deorum Penatium sacraria*. Qui *penates* dici putant, quasi *penes nos nati*, aut *quorum beneficio penitus vivamus & sapiamus*, ut ἐτυμολογίζει Macrobius *lib* 3. *cap*. 4. analogiâ ipsâ refelluntur. Nam ut à *magnus* est *magnas*, unde *magnates*; à *summus*, *summas*, unde *summates*; ab *optimus*, *optimas*, unde *optimates*: sic à *penus* est *penas*, unde *penates*. *Penas* olim fuisse in usu, cognoscimus ex eo, quòd Dionysius Halicarnasseus *lib*. 1. scribat, se in pervetustâ æde sub Veliâ conspexisse Deorum *Penatium* signa, cum inscriptione ΔΕΝΑΣ: quod ipse fatetur esse ΠΕΝΑΣ. Porro qui sint Dii *Penates*, non satis convenit; Cùm alii putent esse *Neptunum*, & *Apollinem*; alii *Jovem*, *Junonem*, & *Minervam*; alii *Cœlum*, & *Terram*. Hetrusci verò, quemadmodum tradit Arnobius *lib*. 3. Deos *Consentes*, sive *Complices*, quorum & numerum & nomina, ignota esse docent. Et hæc ratio videri possit, cur Romanorum *penates* (quos esse em esse, ac *Samothracas* Cassius Hemina scripsit, teste Macrobio *lib*. 3. *cap*. 4.) dicantur *Samothraces*, idque pro *Samthraces*, ab Ebræo סתר id est, *occultare*, unde & *Saturnus* dicitur. *M*. insertum, ut in *simpulum*, *ambubaja*, *&c*. Similitudo vocis *Samthraces* errori præbuit ansam, ut putaretur, Dardanum Deos hosce ex Samothraciâ in Phrygiam, Æneam verò ex Phrygiâ in Italiam detulisse, quemadmodum scribit Varro *lib*. 2. *rerum humanarum*, Vossius. Vide Nat. Com. *lib*.4. *cap*.2.

Penax, Codex Croylandiæ, sub Joffrido Abbate, MS. *Pulcherrimumq; Penacem per incendium illud tunc perdidimus, & valde sumptuosum de omni genere metalli, pro varietate siderum & signorum, mirabiliter fabrifactum. Saturnus enim plumbeus, Jupiter autem*

autem aureus, Mars verò ferrugineus, Sol de aurichalco, **Mercurius** *Electrinus, Venus de stanno, & Luna fuit de argento. Coluri & omnia signa Zodiaci, juxta suas naturas, suas imagines & colores, variis formis & figuris arte fabrili sortientes, multiplicitate tam gemmarum, quàm metallorum, & tam oculos quàm ingenia intuentium, supra modum solicitabant. Non erat tale Nader notum aut nominatum. Rex Franciæ quondam illud* Turketulo *dederat, & ille in suo obitu communi Bibliotheca, tam pro ornamento, quàm pro juniorum documento commendaverat, jam igne vorace consumptum, & in nihil liquefactum.* Ortus vocabuli: Pinax *est pugilaris ephemeris, tabula* **manualis ex** *pinis facta.* Pinax *etiam dicitur tabula, in qua Philosophi figuras faciunt in supposito pulvere,* Vitruv. &c. Spelmano. *Gloss. Archaeol.*

Penbrochium, urbs Walliæ Meridion. in Anglia cum castro & portu. Paucis mill. à mari Hibern. vix 4. à portu *Milfordhaven*, vix 4. m. p. ab ora maris Verginii, uti 22. ab Octopitarum prom. in Eur. Caput Comitatus cognom. qui versus Octopitarum promont. & oram maris Verginii, ubi aliàs Demetæ populi, juxta Cardiganiam & Maridunensem prov. situs est, quibus ad Ortum terminatur.

Penda, insula Oceani Æthiop. in ora Zanguebariæ reg. contra Mombaciam urbem & Melindam, media fere inter Magadoxam ad Bor. & Quiloam ad Merid.

Pendenium, castrum munitum Cornubiæ, juxta Volemuthum port. in ora maris Britann. in colle, vix 13. m. p. à Damnonio prom. in Cæc. 28. ab Antivestæo prom. in Ort.

Penejus, Nigro *Igliaco*, fluv. Elidis, in mare Jonium labens, inter Araxum & Chelonatem prom.

Peneleus, unus est ex quinque Bœotorum Ducibus, Homerus *in Catalogo*.

Penelope, Icarii filia, Ulyssis uxor, inexpugnabilis castitatis mulier, ac pudicitiæ exemplar, quæ absente totos viginti annos marito, nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem, quam viro discedenti dederat, secundis nuptiis violaret. Cùm autem proci acriùs instarent, atque vim illaturi viderentur, tantum moræ ab illis sibi pepigit, quantum telæ, quam tum in manibus habebat, absolvendæ sufficeret. Quod cùm impetrasset, mulier astuta, quicquid interdiu texuerat, noctu retexebat; eoque commento eorum cupiditatem in reditum mariti distulit, qui ab illâ sub mendici habitu hospitio susceptus, procos ad unum omnes interemit, Hom. *Odyss.* Ovid. *ep* 1. Boccatius *de claris mul.* Dictam autem volunt *Penelopen*, ab avibus, quæ *Penelopes* dicuntur, sive *Meleagrides*, cùm antea *Arne* diceretur, quasi abjecta & repudiata. Ferunt enim, cùm ab Icario, Peribœâque parentibus esset exposita, ab hoc avium genere fuisse educatam. Hujus fabulam diversimodè ab Homero, aliisque traditam latè explicat Nat. Comes *lib. 8. cap. 24. Difficilis procis* Horat. dicitur, *Car. lib. 3. Od* 10. Prop. *lib. 3.*

Nec fida Evadne, nec pia Penelope.

Ælian. *Var. hist.* 14. 45. Γυναῖκας τῶν Ἑλλήνων ἐπαινοῦσι, Πηνελόπην, Ἄλκηστιν, καὶ τὴν Πρωτεσιλάου. Hinc *fides Penelopea* apud Ovid. *Trist. lib. 5. eleg. 15.* Mart. procastâ posuit *lib. 1. epigr 63.*

—— *Penelope venit, abit Helene.*

Idem *lib. 11. epigr. 8.*

Penelope licet esse tibi sub principe Nerva.

Propertius *lib. 2. eleg. 9.*

Penelope potuit bis denos salva per annos
Vivere, de multis fœmina digna procis.

Nomen habet à πήνης, vel πήνη *tela*, & λόπος, id est, *vestis*, quasi è tela vestem componens. Inde

—— *Vos tenui pragnantem stamine fusum*
Penelope melius, levius torquetis Arachne.

Penesta, pop. Thessaliæ, Stephan.

Penestia, regio Illyriæ, Liv.

Peneius, fluv. Elidis in Peloponneso, in mare Jonium labens inter Araxum & Chelonatem promuntoria. *Igliaco* Nigro. Item Siciliæ fluvius Theocriti Scholiastæ.

Peneus, fluv. Thessaliæ inter Ossam & Olympum decurrens, collibus dextra lævaque molliter curvis. Ex Pindo monte oritur & per Tempe in sinum Pegasicum influit. Ovid. *Met. 1.*

Est nemus Hæmoniæ, prærupta quod undique claudit
Silva: vocant Tempe, per quæ Peneus ab imo
Effusus Pindo spumosis volvitur undis:
Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit, summasque aspergine silvas
Impluit, & sonitu plusquam vicina fatigat.

Catullus:

Quale ferunt Graji Peneum propter amœnum.

Torrens dicitur Senecæ,

Novâ concurrit Thessalus torrens viâ.

Ἀργυροδίνης Homero,

Οὐδ' ὅγε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ.

Hujus fluvii ripâ Daphne in laurum fingitur commutata. Unde *Peneia Daphne* apud Ovidium; & *Peneia laurus* apud Val. Flaccum. Hodie *Salampria* Sophiano; *Pezin* verò Theveto dicitur. Recipit fluvios Jon, Pamissum, Phœnicem, Curalium & Apidanum; dein Larissam rigans, 40. m. pass. infra ad Ort. inter Olympum & Ossam, prope Thessalica Tempe in sinum Thermaicum se exonerat, Baudrand.

Pengabum, id est, quinque aquæ, regnum Indiæ propr. sub M. Mogole. Aliter *Lahoria*; à quinque fluv. irrigatur. Habet à Sept. Cassimeriæ regn. à Mer. Jenupariam, ab Occ. Multanum. Urbs præc. Lahorium.

Penica, urbs Misniæ, ab Anneberga 3. leuc. Lipsiam versus, quot à Chemnitio distans; *Penigk*.

Penidas, unus ex amicis Alexandri Magni, qui specie legati missus est ad Scythas, qui Europam incolunt, nuntiatum, ne Tanaim amnem regionis injussu regis transirent; simul contemplatum locorum situm & illos quoque Scythas, qui super Bosporo incolunt, visum, Curt. *lib. 6. cap.* 40.

Pennina Alpes, aliis *Pennina*, & *Pœnina* Plinio *lib. 3. cap* 17. Marcellino *lib.* 15. *&c.* ab Hannibalis, Pœnorum ducis, transitu dictæ videntur: & scribit Jovius apud Bardum, qui vicus est inter Eporediam & Augustam Salassorum, ubi vallis arctissime coit, literas coribus insculptas ostendi, transitus hujus monumentum. Sed gravissimi autores aliâ in Italiam viâ Pœnum penetrasse tradunt, & Merula censet, ejus exercitum, in varia agmina divisum, pluribus locis trajecisse. Imo ex Polybio *lib.* 3. apparet, Hannibalem per Allobrogum fines, aut Vocontiorum, id est, per Delphinatum transiisse, ut ait Sabellic. *Enn.* 5. *lib.* 1. Aliis *Pennina*, qu. *Pinnina* dicuntur, à celsi cacuminis eminentia, quod *Penum* incolæ, *Pennum* antiqui, qu. *Pinnam*, dixere. Alii à *Pen* Deo ibi culto, quem Jovem fuisse, docet Cluverius *lib. 1. cap. 26.* vocis originem arcessunt. Nisi forte is *Pan* fuit, Veragris *Pen* appellatus. Sunt autem *Pennina* ex Alpes, quæ ab Octoduro Augustam Prætoriam versus porriguntur, summusque *Penninus* Aoron. is est, quem montem Jovis *Mont jou* vocant multi superioris & nostræ ætatis scriptores; & qui hodiernâ appellatione vocatur *Mons S. Bernardi major*, Gall. *Grand S. Bernard.* Lazius, *Pinzgivv* interpretatur. Vestigium nominis veteris, apud Salassios est, in valle *Pennina*, quæ Augustâ Prætoriâ seu Salassorum ad *Penninum* ducit. *Valesianorum* hanc vallem esse opinatur Rhenanus, sed situs non patitur: nec suffragium impetrat Cluverius *lib. 2. cap. 6.* cùm *Penninos* ad totum Valesianorum tractum extendit, nimis enim sic Orientem versus illos proroga, quemadmodum Jovius, & Martianus ad Meridiem nimis. *Pennini* jugi incolas Veragros Livius ponit, unde sententiæ superius allatæ fulcimentum non leve. Lips. *in Tacit. Histor. lib. 1. cap. 61.* Simlerus *de Alp.* Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nova & Antiq.* Tseudus, Livius, &c. Vide quoque in *Pennina*.

Peninsula, pars Gall. Belg. extrema ad Occ. & Bor. *la basse Bretagne.* Item, opp. Hispan. Tarr. *Chersonesus* Straboni, in ora regni Valentini, in confinib. Catalon. vulgò *Peniscola*, inter Dertusam ad Boream, & Castellanorum oppidum in Austr. 6. leucis Valentiam versus.

Peninsula vett. clariores & majores: Aurea Chersonesus, quibusdam *Sumatra*, insula Indiæ ulter. cum Penins. Sed revera est tantum ipsa Peninsula, quæ aliter *Malacensis*; ab Odia seu Indiæ urbe prim. regni Siami Malaccam usque, à Sept. in Mer. extensa; Cimbrica, nunc Holsatia & Jutia, *Jutland*; Peloponnesus, omnium maxima; Taurica, *Gazaria*, & *Tartaria minore* Sarmatiæ; Thraciæ, ubi Callipolis & Sestus.

Penna Fidelis, locus Castellæ vet. ubi Concilium A. 1302. Vulgò *Penna Fiel.*

Penna S. Johannis, vide *Pinna*.

Penne, opp. Gall. Narbonensis, ad lacum Lemannum, in itinere inter Augustam Prætoriam, & Augustam Rauracorum occurrens. *Neufville*, seu *Villeneuf*, Simlero. Ad lacus caput, medio inter Tarnadam sive S. Mauritium, & Viviscum itinere, sed huic propius. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. Antiq* Sed Cluverius tradit *Penne lucum*, ita enim Antonino dicitur, esse Novillam vicum, ad Rhodani ripam, dictumque sic, quasi sacrum Jovi nemus. De *Penno* Veragrorum Deo, vide in *Penina*.

Pennelocus, ab Æthico in itinere à Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum, memoratur locaturque inter *Tarnadas* & *Bibiscum*, à Tarnadis 13. à Bibisco 9. millibus passuum distans. Tabula Peutingeriana *Pennolucos* appellat, inter *Viviscum* similiter & *Tarnias*. Simlerus, qui Æthicum Scholiis illustravit, *Nüvvenstatt* ad lacum Lemanum forsitan esse ait, qui locus à Nostris *Villeneuve*, & *Villeneuf* dicitur. Nam quod Novavilla, seu novum Oppidum linguâ nostrâ; idem Germanicâ *Nüvvenstatt*, seu *Novumstadium*, aut *Novostate*. *Pennelocos* in codicibus Æthici nonnullis reperiri asserit Surita. Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & supra.

Penninus, vulgò *Mont S. Bernard*, Simlero. Aliis *le grand Bernard*, pars est Alpium, quæ ab eo *Pennina*, inter Sedunum ad Bor. & Augustam Prætor. ad Mer. Vide *Penina*.

Pennocrucium, oppid. Albionis in Angliâ inter Viroconium 23. & Etocetum 12. m. p. in Staffordia reg. ubi nundinæ fiunt equorum, in itinere inter Rutupinum portum & Vallum occurrens, Anton. *Pencridg* Camdeno.

Pentacomia, fuit castellum Syriæ Euphratensis, Procop. sed G. Tyrio Episc. locus sub Rabba Moabitarum.

Pentadactylus, mons Ægypti ad sinum Arabic. apud Berenicen urb. *Pentadactylum* Ptolem. inter Berenicen, & Bazium prom.

Penta-

Penstadia, Diaconissa Eccles. Constantinop. quòd à Chrysostomi partibus staret, accusata incendii in urbe excitati, cedere hinc voluit, sed à Chrysostomo per *epistolam* 94. monita, mansit, Baron. *An. C.* 404.

Pentagramma, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Pentapolis, reg. Cyrenaicæ mari Libyco exposita, à numero urbium, quæ sunt in illa, appellata, scil. *Berenice*, *Arsinoe*, *Ptolemais*, *Cyrene*, & *Apollonia*. Baudrando Pentapolis fuit Asiæ min. regio, in qua 5. Urbes Doridis, Camiros, Cnidus, Cos, Jalysus & Lindus. Vide Schol. Theocrit. *ad Idyll.* Item regio Palæstinæ ad lacum Asphaltiten, in quâ Sodoma & Gomorrha, & aliæ urbes tactæ de cœlo. Item urbs Hetruriæ Episcop. Nepitæ, & Sutrio proxima, nunc excisa: locus apud Mont. Rosulum *Stracciacappe* nominatur. Alterius quoque in Italia circa Anconam Pentapolis regio meminit Nicephorus, cujus Civit. Ariminum, Pisaurum, Fanum, Auximum, & Ancona.

Pentateuchus, id est, quinque volumina, sic dicta à Græcis pars Scripturæ Canon. Vet. Test. quinque Libros Mosis, nempe Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, in se complectens. In hunc extant: Abarbenel. R. Abrahàm. Alardi *Pericope Triglossometrica* octav. Magd. 1618. Alstedius, octav. Amamæ *Censura Vulg. Edit. Pentateuchi*, quart. Franc. 1614. Aretii *Commentarii breves*, octav. Bernæ, 1603. Arnulphi *Veterum in expon. Pentateucho modi* 13. quart. Paris 1620. Augustini *Quæstiones*. Babingtoni *Annotationes Consolatoriæ*, Angl. Londini, 1637. Rabbenu Bechai. Beda. Bezæ *Lex Mosaica*, Genevæ 1577. Bonfrerius. Borrhai *Commentarii*, fol. Basileæ An 1561. Bravi *Collectanea aurea*, fol. Compluti 1595. Brentii *Commentar.* Bruno. Bythneri *Clavis linguæ S.* octav. Cantabrigiæ 1648. Calliæ *Emblemata Sacra*, sedec. Heidelberg. 1591. Calvini *Comment.* Capponus. Chaskuni Hebr. Chytræi *Enarratio*, fol. Witeb. 1590. Crommii *Theses Theol.* Lovanii 1630. Cyrilli *Glaphyra*, 2. tom. fol. Paris. 1605. Drusii *in loca difficiliora Comment.* quart. Franek. 1627. Fagii *Exegesis*, Isnæ 1540. Ferus. Galesinius. Gazæus. Gelli *in loca plur.* Angl. fol. Londini 1659. Glassii τεχνὴς χριστολογίας *Mosaica*, quart. 1651. de Hales. Heerbrandus. Jansenii *Commentaria*, quart. Lovanii 1641. R. Isaac ben Arama. Isidorus. Ben Israel, *Conciliator*, quart. 1633. Junii *Explicatio Analyt.* de Lapide. Malvenda. Marbachius Marius, de Marzilla. R. Menachem de Lonzano. Mengeorgius. Morlini *Tropologia*, octav. Saling. 1537. R. Moses bar Nachman. Nezeni *Exercitationes*, quart. Lips. 1610. de Oleastro. Palladii *Comment.* Pagnini *Catena argentea*, Paulutius. Pavonus. Piscatoris *Quæstiones*, Purmannus Rabanus. Rabbath Hebr. Ridderus Belg. Rupertus. Samson. Sarcerius. R. Schem Tof. *Sohar* R. Simeonis ben Jochai. Steuchi *Annotat.* Strigelius. Talonis *S. historia*, quart. Londini. Tanchuma, Hebr. Theodoretus. Theodotus. Tostatus. Waltherus, Zephyrus. Vide Crowæi *Elench.*

Pente, fluv. Angliæ, ad quem pag. *Ithancester*, Bed.

Pentele, vicus in Antiochide tribu.

Pentelensis, mons Atticæ, apud Hymettum, à Penthelde tribu Athen. dictus. *Pentelicus* Strab. & Paus.

Penteleum, urbs Peloponnesi, Plutarch.

Pentelia, mons Arcadiæ, ex quo Ladon manat, Hesych.

Penthalidæ, Principes Mitylenæi, dicti à Penthilo, Orestis filio, qui cùm petulantius se gererent, ac circumvagantes in urbe obvios clavis pulsarent, à Megacle quodam, injuriæ ejus impatiente, occisi sunt. Aristot. 5. *Polit.* 10.

Penthesilea, Amazonum regina, quæ, teste Justino *lib.* 2. Oteræ, sive (ut alii) Orithyiæ successit in regno: Ejus Trojano bello inter fortissimos viros, cùm auxilium Priamo adversus Græcos ferret, magna virtutis documenta extitere. Virgilius:

> *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
> *Penthesilea furens.* —— ——

Ubi Servius: *furens*, quia sororem suam in venatione confixit, simulans se cervam ferire. Cùm Trojanis opem ferret, ab Achille occisa est. *Prima*, inquit Plinius, *libr.* 7. *cap.* 56. *securim invenit.* Propertius *lib* 3. *cap.* 11.

> *Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis,*
> *Mæotis Danaum Penthesilea rates.*

Ubi *Ausa*, quia præter sexum. Ita Virgilius de eâ, ubi supra:

> *Audetq; viris concurrere virgo.*

Ovidius *in Ep Cydippes*:

> *Non ego constiteram sumptâ peltata securi,*
> *Qualis in Iliaco Penthesilea solo.*

De Penthesileâ plura vide, apud Q. Calabrum *lib.* 1.

Pentheus, filius Echionis ex Agave conjuge, filiâ Cadmi, qui cùm Liberi patris sacra aspernaretur, ità nominis, à matre & sorore in furorem versis, laceratus est. Ἀπὸ τοῦ πένθεος, id est, *à luctu* accessit nomen. Unde Theocritus *in Lenis*, ubi historiam hanc narrat:

> Ἐξ ὄρεος πένθημα καὶ οὐ Πενθῆα φέροισαι.

Ovidius à matre & sororibus cæsum ait, quia aper illis visus sit, cùm sacra sperneret: sic enim ille *Metam.* 3.

> *Prima suum misso violavit Penthea thyrso*
> *Mater: Io, gemine, clamavit, adeste sorores:*
> *Ille aper in nostris errat qui maximus agris;*
> *Ille mihi feriendus aper.* ——

Catullus & Persius in vitulum mutatum prodiderunt. Persius *Satyr.* 1.

> *Et raptum vitulo caput ablatura superbo.*

Unde fortè Theocritus:

> Μάτηρ μὲν κεφαλὰν μυκήσατο παιδὸς ἑλοῖσα.

Μυκηθμὸς enim propriè τῶν βοῶν. Hesychius: Μυκηθμός, βοῶν βοή. Oppianus Pentheum in taurum commutatum fuisse scribit, sorores autem in pardales, *Cyneg.* 4.

> Πενθῆα μὲν ταῦρον ἰδεῖν, φοίνιον ὄμμα,
> Ἀγαύη τ' Ἰνώ τε, κέρας δ' αὐτίκα μετώπῳ.
> Ταῖσι δὲ γλαυκιόωντι ἐοικότα θηρὸς ὀπωπὴν,
> Καὶ χροιὰν ποικίλην, κατέχευεν δ' ἐπὶ νώτῳ
> Ῥινοὶ ὑπεμεῖναι, καὶ ἄγρια θηρὸς φῦλα.
> Αἱ δὲ θεοῦ βουλῇσιν ἀμειψάμεναι χροιὰ καλὰ
> Παρδάλιες, Πενθῆα σκοπιάσιν ἐλάσασαι.

Ab his tamen diversùs Porphyrio *in Od.* 2. *Horat.* ubi eum fulmine tactum periisse scribit, non ob Orgiorum contemptum, sed quòd Liberum patrem custodiâ clausum teneret. Nat. Comes *libr.* 5. *cap.* 13. hanc fabulam explicat; & Pentheum laudatum regem fuisse verisimile est, qui quòd ebrietatem tollere conaretur, à furiosis subditis malè exceptus, & conviciis tum publicis, tum privatis discerptus sit.

Penthile, urbs Lesbi, Stephan.

Penthilus, Arcadiæ & Messeniorum Rex, filius Orestis, processit in Thraciam usque, sexaginta ferè post Troicas res annis. A Smerde sublatus, quòd ab eo percussus & ab uxore ipsius pedibus insuper tractus esset. Videatur Arist. 5. *Polit.* 10.

Penthylus, filius Demonoi, qui è Papho naves duodecim in auxilium Xerxis eduxit, quas obortâ tempestate amisit. Ipse verò captus multa de exercitu Xerxis Græcos edocuit. Herod. *lib.* 7.

Pentri, pop. Samnii: quorum urbs est Bovianum, Liv.

Pentuma, locus apud montem Soracte, in Hetrur. Cujus meminit Greg. M.

Peparethus, insula parva Macedoniæ in mari Ægæo, una Cycladum. *Lemene* Nigro; *Saraquino* Castaldo; *Opula* aliis, 25. mill. pass. in Occ. à Magnesiæ ora, inter Thermaicum sinum ad Bor. & Pelasgicum ad Mer. uti 90. m. p. circiter ab Atho monte, Eubœam versus 45. In tabb. nauticis *Piperi* dicitur, Baudr. Oppidum habet ejusdem nominis, estque olivifera. Ovid. *Met.* 7.

> *Et Gyaros, nitidæq; ferax Peparethos olivæ.*

Quondam *Evonus* dicta fuit, ut Plinius tradit. Locus autem Plinii, quem citat auctor, est *lib.* 4. *cap.* 12. sed pro *Evonum* scribendum *Evœnum*, id est, Εὔοινον monet Bochartus: talis enim erat hæc insula. Ita habetur in Heraclidis politiis: Αὕτη ἡ νῆσος (inquit) εὔοινός ἐστι, καὶ εὔδενδρος, καὶ σῖτον φέρει. In Philoctete Sophoclis legitur; Ἐς τὴν εὔοινον Πεπάρηθον, *vers.* 549. Itaque à verbo פרה *para*, quod *parere*, & *feracem esse* sonat (duplicatis radicalibus) primò *Perpareth* factum, dein *Peparet*h, altero R. pereunte, Bochart.

Peperina, Indiæ intrà Gangem insula, Ptolemæo. *Qualpenea*, Castaldo.

Pephnon, urbs Laconiæ, Apollodotus insulam esse scribit, Stephanus.

Pepinus, cognom. *Brevis*, Francorum rex, Caroli M. pater, filius erat Caroli Martelli, frater Carolomanni: post paternæ hæreditatis divisionem, hoc in Italiam digresso, regno inhians, apud Zachariam Papam, tantum effecit, ut is, à Sacramenti religione Gallis solutis, Childericum legitimum Reg. tonsum, in Monasterium detruserit, Pipino Rege pronuntiato. Qui coronatus A. 752. fratris sui Grifonis rebellione sedatâ, Narbonam Saracenis eripuit, Britonesque Venetiis captis, sub jugum misit. Dein à Stephano 2. in Italiam vocatus, Longobardos sub Aistulpho, Romanorum agros assiduis bellis vexantes, prælio aggressus vicit, & oppressit: Exarchatu, ut voto se solveret, sedi Romanæ donato, An. 756. sicque ob amplissima hæc beneficia in Romanos Pontifices, & in Ecclesiam collata, augustum *Christianissimi Regis* titulum sibi, & successoribus suis meruit in hodiernum usque diem, Munster. *lib.* 2. *Cosm.* E secunda in Italiam expeditione redux, Saxonibus bellum intulit, Gaifrum vel Wafrum, Aquitaniæ D. septies vicit, eoque à suis occiso, ditione ejus potitus est, An. 768. Obiit hydrope, in Fano S. Dionysii, An. eod. ætat. 54. regni 16. Ex Bertha, vel Bertrada pater Caroli M. ut dictum, Carolomanni Austrasiæ Reg. & Ægidii Monachi, &c. Vide auctores historiæ secundæ familiæ Gall. Reg. editos à Pithæo, Frehero, & Duchenio, Bouchetum, *de Orig. fam. Gall.* Sammart. *lib.* 7. *Hist. Geneal. Gall.*

Pepinus Crassus, seu Heristellus, Major Domus Gall. filius Ansegisi, nepos Arnulphi, Episcopi Metensis. In Austrasia regnare cœpit, An. 687. sed à Theodorico 4. & Ebroino ejus Majore Domus victus est, Martino collegâ & agnato occiso. Dein felicior, sub Clodoveo 3. Childeberto & Dagoberto 3. rerum potitus est. Vicit sæpius Bertharium, An. 691. Radbodum Frisium, An. 707. Wilerum Suevum, An. 709. & 712. Obiit An. 714. Ex Plectrude Druidis, Campaniæ D. Grimoaldi Majoris Domus, & Sylvini Monachi: ex Alpaide verò, pater Caroli Martelli & Childebrandi, qui tertiæ Familiæ stirps fuit. Hanc digamiam reprehendens Hu-

bertus Episcop. Leodiensis, à Dodone, Alpaidæ fratre, occisus est. Aimon. *cap.* 48. &c. Vide & *Pipinus.*

Pepinus I. Italiæ Rex, filius Caroli M. ex Hildegarde, à Patre An. 781. Romam deductus, ibi ab Adriano I. baptismum & coronam accepit. Hunnos pepulit, illorum regione vastatâ, Saracenos in Corsica devicit, Venetos superavit. Obiit Ann. 810. ætat. 33. Pater, ex impare thoro, Bernardi, genitoris Pepini II. qui Bernardum II. suscepit, Herbertum & Pepinum, Com. Sylvanectensem. Nithard. *lib.* 2. Dupleix & Mezeray, *Hist. Gall.*

Pepinus, Aquitaniæ Rex, filius Ludovici Pii: odio Juditæ novercæ contra Patrem rebellis, illum in vincula conjecit. Obiit An. 838. Ex Ingetrude, filia Theodeberti Comitis, pater Pepini, à Carolo Calvo monasterio S. Medardi, in Suessionum urbe, inclusi, A. 852. Caroli Archiepisc. Mogunt. post Rabanum Maurum, & duarum filiarum, Sammart. *Hist. Geneal. Gall.*

Pepuza, Phrygiæ urbs apud Cabillum, nunc in ruinis, unde *Pepuziani* hæretici dicti: qui Montanistarum deliria sectati, fœminas habebant Episcopas & Presbyteras. Vocabant hunc locum Hierosolymam, quo undique homines confluere voluerunt. Epiphan. *hæres.* 49. Augustin. *de hæres. cap.* 27. Euseb. *Histor. lib.* 5. Baron. *An. C.* 173.

Pepylychnus, Ptolemæo fluv. est, quo Macedoniam ab Australi parte terminari scribit.

Pequinensis, & *Pequinum*, vide *Pechinensis*, & *Pechinum.*

Pera, urbs Pisidiæ. Item, Thessaliæ, Steph.

Pera, Lat. etiam *Cornu Byzantii*, Græc. *Chrysoceras*, urbs Thraciæ, prope Constantinopol. nunc *Galata*, verius suburbium, ubi Latini degunt.

Pera, seu *Chrach*, metropolis Arabiæ super.

Pera, structura contra fluctuum impetus, tam in mari quàm in fluminibus. A Latino *petra*, vel potius Gall. *Pierre.* Hinc immensa illa moles, quæ Garumnthiæ in Anglia visitur, ex ingentibus trabibus, maximeque vi fixorum, *Pera*, dicitur. Spelmannus *Glossar. Archæol.* Propriè ex saxis, postmodum ex quacunque materia *Pera* fiebant. Hinc *Peraria*, machina bellica, quâ lapides emittebant; aliàs *Petraria*, magni usus, olim tam in navali, quàm pedestri prælio, inprimis in obsidionibus. Hodie grandia illa tormenta ænea, quæ uno explosu lapidum imbrem eructant in hostem, dicuntur *Perrieres*, & *Fowlers* Anglis, id est, Aucupes, quia uno explosu, ut in aucupio, stragem faciunt multiplicem, Idem.

Peræa, Judææ pars ulterior, Ægypto proxima, Plin. 5. 14. Regio & toparchia, in tribu Gad sita, trans fluvium: longitudo ejus est à Pella usque ad Macheruntam, latitudo verò à Philadelphia, Arabia, Silbonitide usque ad Jordanem. Irrigatur autem abunde montanis torrentibus & fontibus aquæ perennis, quoties illi Syrio æstuante defecerint. Item Syriæ oppidulum, Steph. Item reg. parva Cariæ marit. contra Rhodum insulam, Polyb. Item opp. Æolidis Mitylenæorum colonia, Liv. *lib* 37.

Perabe, & *Perabus*, opp. fuit Thessaliæ, Steph.

Perambulatio, vide *Terminalia.*

Perantia, urbs Ætoliæ, Stephan.

Perasippus, unus e Legatis, quem Lacedæmonii, violatâ Alexandri societate, ad Darium miserant, proditâ Damasco cum collegis tribus à Parmenione captus, Curt. 3. 60.

Perce, antiquum nomen Thraciæ, Stephan.

Perceiana, urbs Hispan. circa Emeritam Aug. Antonino.

Percennius, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles in Pannonicis legionibus, seditionum quæ in Tiberii principatus initia inciderunt, auctor & flabellum. Adventu Drusi Tiberii F. ad cæterorum terrorem interfectus.

Perces, Hispan. fluv. ab incolis sic dictus; aliàs Bætis, Stephan. *Βαῖτις, πόλις ... Πέρκης λέγεται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων.* Nempe *Perca* factum ex ברכה *berca*, id est, à *stagno.* Quem in *Certem*, aut *Certim* mutarunt Librar. *imperiti* in his Livii *lib.* 28. *Martius superato Bæti amne, quem incolæ Certim appellant.*

Percope, civitas juxta Pontum, quæ Trojanis auxilium misit, Homerus.

Percosius; Trojanorum amicus, omnium longè doctissimus scientiâ divinandi futura. Cujus filii Adrastus & Amphius fuere: quos neque admirandâ patris doctrina, neque paterna sollicitudo à morte subtrahere potuit, cùm eos retinere conaretur, ne ad Trojanum bellum, ubi morituri erant, proficiscerentur.

Percote, quæ & *Percope* olim dicta fuit, urbs littor. Troadis, Stephan. In ora Mysiæ. Val. Flac. *lib.* 2.

Jam juga Percotes, Pariumq; infame fragosis,
Exuperant Pythiamq; vadis.

A Persarum R. Themistocli vestes & stragula data. Hinc *Percosius* nom. gent. Val. Flac. *lib.* 3.

—— *Primas conjunx Percosia vestes*
Quas dabat, & picto Clite variaverat auro.

Percusa, V. *Pertusa.*

Perdiccas I. Macedoniæ R. per an. 48. jussit moriturus, filium Argæum, in loco quem elegerat sibi, ossa sua recondere: addito, quamdiu successores sui hic tumularentur, tamdiu sceptrum in eorum familia mansurum. Justinus *lib.* 7. narrat, in Alexandro M. Regis hujus familiam extinctam esse, qui avito tumulo non fuerit illatus: Alexandriæ enim Ægypti sepeliri voluit.

Perdiccas II. fil. Alexandri, Peloponnesiaco bello, Græcis rebus immixtus: Atheniensibus modò favit, modò obstitit. Regnavit an. 23. Thucyd. *lib.* 3. 4. 6. *&c.* Diod. *l.* 12. *&c.*

Perdiccas III. filius Amyntæ tertius, post fratres, Alexandrum & Ptolomæum, regnavit an. 6. Occisus in prælio, contra Illyrios.

Perdiccas, Orontæ fil. Macedo, inter comites Alexandri M. qui etiam in regni partem successit. Tantâ simul audaciâ & fortitudine fuit, ut leænâ præsente, catulos e cubili per vim auferret. Mortuo Alexandro, sororem ejus Cleopatram sibi junxit, rerum summam ad se tracturus: & multum eum juverat annulus illi ab Alexandro morituro, tanquam *dignissimo*, traditus. Aggressurus postea Ptolomæum Lagum, in Ægypto, in transitu Nili, per seditionem, occisus est. Diodor. *lib.* 18. Quint. Curt. &c. Vide Ælian. *ποικιλ. lib.* 12. *cap.* 39. Curt. *lib.* 10. Diod. *lib.* 18. & 19. Nepot. *Eumene.*

Perdicia, reg. & portus Lyciæ. Steph.

Perdix, venator fuit infando matris Polycastes amore correptus, quam & contaminavit. Unde *Perdicis libido* abiit in proverbium, pro efferâ, turpi ac infami. Cælius.

Perdix, nomen propr. Cauponis cujusdam Athenis claudi; à quo Prover. *πέρδικος σκέλος*, *Perdicis crus*, V. Schol. *in Aristoph. Aves.*

Perdix, Dædali nepos, quem, cùm serræ usum primus reperisset, à patruo invidiâ perdito ab excelsâ quadam turri fecune præcipitatum; deorumque misericordiâ in avem sui nominis transformatum: quæ etiam nunc ruinæ illius memor, vitat sublimia, humi nidum construens. Vide Ovid. 8. *Met.* Hæc possunt esse historica; Metamorphosis verò conficta est, ex similitudine ominis; & ad *perdicis* naturam accommodata.

Perdix, præsagus Britannicus vates, prognosticator insignis, Claruit sub Rivallone rege anno mundi 3210. ante Christi adventum 760. Esaia super Judam & Hierusalem prophetante.

Pereaslavia, opp. amplum Ucraniæ, in Volhinia infer. & Palatinatu Kiovensi, trans Borysthenem, ad fl. *Trubicz*, qui 2. mill. infra cadit in Borysth. Probè munitum est & cultum, 10 mill. Germ. à Kiovia in Eur.

Peregia, *Peretzaz*, seu *Beretzaz*, urbs Hungar. super. Comit. Peregiensis, qui versus Tibiscum, inter Comit. Motamatusiensem ad Ort. Ungensem ad Bor. & Ugoghensem ad Austr. situs est, caput: vix 5. m. p. à Tibisco fl. in Bor. 45. à Cassovia in Ort. ubi totidem à Tokæo, sub Austria. is.

Peregrinus, Consul cum Æmiliano, an. U. C. 996.

Peregrinus, Philosophus gentilis, religionis Christianæ lucri causâ simulator, etiam carcerem toleravit, sed collectâ non parvâ pecuniâ ex eleemosynis Sanctorum, defecit, *fatu sibi*, ajens, *ist hospitalitate Christianorum.* An. C. 78. Eus. *Chron.* Item, Vir pius, Gallos, à Sixto missus; in fide confirmavit; unà cum illo ad mortem raptus, A. C. 130. Platina *in vitis Pontif.*

Peregrinus Landenbergius, ab Alberto Imp. Undervvaldiis præfectus impositus, Henrico Melchtalio duriter habito, quippe cui oculos eruit, maximaque bonorum parte mulctavit, omnium odium sibi attraxit: solicitatâ demum Bomgartii, incolæ, uxoris eximiæ pudicitiâ, à marito in balneo cæsus est. Stumpf. *in Chron. Helv.* Undervvaldii verò non ipsum Præfectum sed vicarium ejus cæsum memorant. Quidquid horum sit, Henrici prædicti filius Arnoldus, paternæ injuriæ occasione, fœderis Helvetii prima cum duobus sociis fundamenta jecit, An. C. 1307. Simler. *de Rep. Helvet. &c.*

Pereus, Thessaliæ regio. Steph.

Perennus, Præfectus prætorio & Minister status, sub Commodo Imp. auctoritate suâ immaniter abusus: cum tota familiâ suâ, jussu Principis, occisus est. Lamprid. *in Commod.*

Perennius, præfectus prætorio sub Commodo Imp. ejusque satelles crudelissimus. Lampridius. Idem cum priore.

Perenotus Nicolaus, Burgundus, quanto ortu humili, tanto obsequiis promptior, pervigili industriâ artes aulæ, consiliorum arcana, sigillum Caroli V. Imp. adeptus, functusque per annos viginti, eadem filio Antonio, V. infra, reliquit. Hugo Grot. *Histor.*

Perenotus Antonius, Cardin. Granvellanus, Arch. Mechliniensis & Vesuntinus: cum Cardinali Lotharingo, totius Christiani orbis turbo. Vesuntione natus ex Nicolao, filio ferarii fabri, magnâ authoritate & gratiâ apud Carolum V. Imp. per an. 20. nobili V. supra Patri successit, & rerum administrationi admotus, eloquio, ingenii promtitudine, linguarum literarumque peritiâ, dexteritate in plurimis Legationib. obeundis, eidem Imperatori se probavit, à quo filio Philippo II. commendatus, tantum effecit, ut Belgicæ res consiliis suis, sicuti Albani armis, regerentur. Hinc illæ turbæ: quibus commotus Rex, illum, primarium Margaretæ Parmensis consiliarium, in Hispaniam revocavit: deinde in Burgundiam legatum, mox Romæ electioni Pii V. interesse jussit, porro Neapolis Vice Regem effecit. Tandem, Lusitaniam occupaturus, ipsi denuo in Hispaniam vocato, summam illius regni

regni credidit. Obiit Hispali, An. 1586. æt 70. P. Jovius *Hist. lib.* 45. Thuan. *Hist.* Bembus *epist. lib.* 7. Hugo Grotius *in Annal. Belg. &c.* qui postremus de illo: *In eo industria, vigilantia, ambitio, luxus, avaritia, bona malaq; omnia excellebant.* Item *Ferdinandum Alba ducem & Antonium Perenotum, Atrebatum Antistitem patre individuos quondam rerumq; maximarum administros, eodem honore Philippus II. amplexus est.* Et pauló post: *Sed ut Albani ferum ac superbum, ita subdolum Perenoti ingenium; dum Principis magnitudini studeret, nihil ultra pensi habentis, totidem gentes, quot utrumq; novere, incusant; præcipuè* Germani, *qui Landgravii vincula non alio imputantes, amborum potentiam inter præcipuas belli causas prætulere; lib.* 1.

Pereslavia, urbs Rostoviæ, prov. in Moscov. media fere inter Jeroslaviam ad Bor. & Moscuam ad Austr.

Pereta, Inf. parva, apud Ravennam Urb. ab ea 12. m. p. distans. *Peraeum* Sigonio.

Persica, & *Pertunda*, has Deas statuerunt antiqui: hanc quidem, quod in cubili præsto esset, dum virginalem scrobem effoderent mariti: illam, quod voluptates perficeret inoffensa dulcedine.

Perga, & *Perge*, Pamphyliæ in Pisidia op. ab Attaliá urbe 70. m. p. & ora maris Pamphylii in Bor. recedens. Versus Antiochiam Pisidiæ, 35. juxta Cataractem fl. Hic erat Dianæ templum, de quo Cic. *Verr.* 3. quæ inde *Pergaa*, teste Melá, *Pergasia* veró teste Stephano, diceba.ur. Dionysius *vers.* 854.

Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες
Κώρυκος, Πέργη τε καὶ ἠνεμόεσσα Φάσηλις.

Pergi hodie dicitur Sophiano.

Pergama, V. *Pergaa.*

Pergama, n. pl. arces Trojanæ, quæ quoniam altissimæ erant, omnia alta ædificia *Pergama* sunt appellata, teste Servio. Item locus Cretæ, ubi Lycurgi sepulchrum. Plut.

Pergamia, locus Cretæ, ubi Lycurgi sepulchrum, Plut. Plinio *Pergamum.*

Pergamum, urbs Thraciæ mediter. Ptol.

Pergamus, arx summa urbis Trojanæ, Hesychius. Πέργαμος, ἡ ἀκρόπολις Ἰλίου.

Pergamus, urbs Troadis, seu Mysiæ mediter. ad Caicum fl. diu sub Attalicis regibus fortunata, caput exigui regni, quod an. circiter 470. U. C. sub Philætero, Lysimachi Thraciæ R. ærarii præfecto, inchoatum, succedente ipsi nepote Eumene, transiit ad Attalum 1. regem, qui regnavit Ann. 44. Et Eumenes 2. successit, per an. 42. Hunc Attalus 2. frater excepit, per an. 41. vetus tutor Attali 3. qui improlis defunctus, An. 621. U. C. pop. R. hæredem instituit. Sic postea Romanorum provincia fuit, expugnata à Musl. m. Saracenorum Præfecto, etsi cives crudeli sacro se ad defensionem obstrinxissent, An. C. 718. Apud hanc chartæ usus inventus est, quæ nunc quoque vulgó *Pergamena* dicitur; ab Attalo, ut Ælianus; vel ab Eumene, ut Plinius ait, condita, & Galeni patria. Fuit olim Episc. sub Arch. Ephesino, dein Metropolit. In hâc urbe Æsculapium medicinam exercuisse, ibique officinam habuisse Lucianus in Jatromenippo tradit. Martialis 9. 17.

Consilium formæ speculum, dulcesq; capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo. Erat Pergami pavimentum, opus Zenodori præclarum, Vitruv. Hic Carpus, Paphylus & Agathonica passi, An. 170. Eusebius, *lib.* 5. *cap.* 2. & 3. Hodie *Pergamo*, teste Sophiano. Strab. *l.* 13. Plin. *lib.* 5. *cap.* 30. *lib.* 13. *c.* 11. Justin. *l.* 27. Polyb. *l.* 5. Paneirolus *de mirab.* P. 2. *tit.* 13.

Pergantium, urbs Ligurum. Steph. Nunc *Berganson*, ex adverso Stœchadibus Inf. Hucusque enim Liguria protendebatur. Hodie est oppid. cum arce munita, in ora littorali prov.

Pergase, vicus in Erechtheide trib. Steph.

Pergola, olim *Strangoli* dicta, arx est in Naxo maris Ægei insula; apud eam templum est amplissimum, Baccho erectum, cujus statua marmorea affabrè facta adhuc ibi spectatur. Nat. Met.

Pergus, lacus Siciliæ apud Ennam urb. ubi à Plutone raptam esse Proserpinam fabulantur. Claudianus *lib.* 2. *de Raptu:*

Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur; & nemorum frondoso margine cinctus
Vicinis pallescit aquis. Admittit in altum
Cernentes oculos, & latè pervius humor
Ducit inoffensos liquido sub gurgite visus:
Imaq; perspicui prodit secreta profundi.

Pergusam vocat Ovidius *Met. lib.* 5.

Haud procul Ennæis lacus est à mœnibus altus
Nomine Pergusa. ——

Ita vulgó creditum. Verùm de Pergusà nugæ sunt, inquit vir doctissimus Nic. Heinsius, qui totum locum sic excudi voluit,

Haud procul Hennæis lacus est à mœnibus altæ,
Nomine Pergus, aquæ; non illo plura Caystros
Carmina cygnorum labentibus audit in undis.
Silva coronat aquas, cingens latus omne, suisq;
Frondibus, ut velo, Phœbeos submovet ignes.
Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores,
Perpetuum ver est.

Percus dicitur Jul. Firmico. *Lago di Goridan*, hodie, teste Laurent. Anania.

Periada, Urbs Eubœæ, Strab.

Perialla, antistes mulierum apud Delphos vaticinantium, ætate Cleomenis.

Periander, Corinthiorum rex, unus è 7. Sapientibus, Cypselo patri in regno successit, 38. Olymp. regnavitque fat diu. Rogatus, cur in tyrannide perseveraret, cùm esset sapiens, respondit: *Et sponte & invitum cedere, periculosum.* Crudelior igitur, & magna suspicione agebat, stipatus semper militibus, otiosos in foro & otiantes usque formidans: Quapropter continuó erat in bellis, navalibus præsertim. Dicitur & Isthmum perfodere voluisse; & uxorem adeó dilexisse, ut etiam cum mortuá concubuerit. Vide Diog. Laert. *in ejus vitâ.* Domesticis malis afflictus, Obiit Olymp. 48. an. regni 44. Voluptatem fluxam, gloriam immortalem esse, dixit: neque firmiores excubias benevolentia civium esse, agnovit, Arist. *Pol. l.* 5. *c.* 12. Eus. *Chron.*

Periander, Ambraciæ tyrannus, ab exoleto suo occisus, quód eum inter pocula interrogasset, num ex se gravidus factus esset. Aristot. V. *Polit.* X.

Periarchus, Lacedæmoniorum navarchus, in bello Corinthiaco Olymp. XCVI. anno secundo. Diod. XIV. 441. Cecidit in conflictu navali, ad Physcum Cherronesi.

Peribæa, Eurymedontis Gigantis filia, ex quâ Neptunus Nausithoum suscepit, Alcinoi patrem. Hom. *Od.* 7.

Peribolus, Rhodiorum vicus, juxta Byzant. *Rodocinion* Gyllica.

Pericles, fil. Xantippi ex Agarista, vir clarissimus Atheniensis, qui Remp. 40. an. gubernavit; pollebat enim authoritate & eloquentiâ, unde *Olympium* Comici vocarunt, quód tonare in concionibus, ac fulmen ejicere videretur. Zenonis & Anaxagoræ disciplinæ commissus, Philosophiæ peritiam tantam consecutus est, ut ipsos magistros æmulos haberet. Ut gratiam Atheniensium sibi conciliaret, omnem movit lapidem: Cimonem, quód sibi non faveret, per Ostracismum removit, paulo póst revocatum: Dux copiarum in Peloponneso lectus, regionem longè lateque vastavit ingenti prælio e. Sicyonios, ad fluv. Nemeam victor. Blanditiis Aspasiæ, scorti, permotus Samiis in gratiam Milesiorum, bellum movit: postquam in Acarnania quoque res præclaras gessisset. Bellum contra Lacedæmonios ut continuarent, Atheniensibus persuasit, ne pace factâ, rationem reddere teneretur: quapropter, fraude cognitâ, muneribus suis exutus quidem, sed brevi iterum póst redditus est. Habuit in administratione Reip. adversarium Thucydidem Melesium, virum nobilem ac potentem. Suggestum ascensurus, Diis vota faciebat, ne verbum se imprudente aut invito effflueret, quod ad Remp. minus pertineret. Vide Ælian. *Var. Hist. lib.* 4. Quum Sophoclem haberet in magistratu collegam, ac simul aliquando cum eo navigasset, collaudassetque Sophocles formam pueri prætereuntis inter graves sermones: *Non solùm*, inquit, *Sophocles, magistratum decet manus, sed etiam oculos habere continentes.* Thucydide quondam vociferante, quód nimis multa ex publico pro ædificiis erogasset: ipse ad populum dixit; Si ita eis videtur, de suo erogaturum, modó ejus nomen inscribi in operibus pateretur: Responderunt, Sumptus omnino fieri debere. Quidam dicunt ab eo institutum, ut declamationes fierent exercitationis causâ, utque extemporalis oratio haberetur. Obiit peste, Olymp. 87. An. 325. U. C. Solitus est dicere, quoties summam rerum capesseret; se præesse hominibus liberis, Græcis, Atheniensibus, &c. Vide Plutarchum, *in ejus vita.* Diod. Sic. *l.* 12. Thuc. *l.* 2. 3.

Pericles, unus ex iis Ducibus, qui, prælio ad Inf. Arginusas commisso, à populo Atheniensi publico supplicio affecti sunt. V. Scholia *in Aristoph. Ran. Act. V. sc.* 1.

Periclidas, ex illis Legatis unus, qui octavo Peloponnesiaci belli anno, ad Athenienses componendæ controversiæ, à Lacedæmonis missi sunt. Scholia *in Aristoph. Equit. p.* 336. *F.*

Periclymenus, Nelei fil. frater Nestoris & Chromii, *Hom.* 2. *Odys.* Cui à Neptuno avo concessum erat, ut in quas visum esset formas se posset transformare. Testatur hoc Euphorion, *in his;*

—— Περικλύμενον τ' ἀγέρωχον
Ὄλβιον, ᾧ πόρε δῶρα Ποσειδάων Ἐνοσίχθων
Παντοῖ' ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φάνεσκεν
Αἰετός· ἄλλοτε δ' αὖτε πελίσκετο, θαῦμα ἰδέσθαι,
Μύρμηξ· ἄλλοτε δ' αὖτε μελισσῶν ἀγλαὰ φῦλα,
Ἄλλοτε δεινὸς ὄφις, καὶ ἀμείλιχος, εἶχε δὲ δῶρα
Παντοῖ' οὐκ ὀνομαστά, τά μιν καὶ ἔπειτα δόλωσε
Βουλῇ Ἀθηναίης. —— ——

Quum igitur Hercules bellum contra Neleum gereret, ipse in muscam versus ab Hercule, consilio Palladis, quæ illum prodebat, clavâ interfectus est, quum ille aculeum Herculi, ceu solent muscæ graviores, immisisset. Ovid. *lib.* 12. *Met.* fabulatur, Periclymenum in Aquilam versum, ab Hercule, quem plurimum unguibus uncis infestabat, sagitta in sublimi confossum:

Mira Periclymeni mors est: cui posse figuras
Sumere quas vellet, rursusq; reponere sumptas,
Neptunus dederat, Nelei sanguinis auctor.
Vertitur in faciem volucris: quæ fulmina curvis

Ferre solet pedibus, Divum gratissima Regi.
Viribus usus avis, pennis, rostroq; redunco
Hamatisq; viri laniaverat unguibus ora.
Vertit in hunc nimium certos Tirynthius arcus.

Hunc inter Argonautas recensent Apollonius, & Val. Flaccus. Quorum hic *lib.* 1.

Σὺν δὲ Περικλύμενος Νηλήϊος ὦρτο νέεσθαι,
Πρεσβύτατος παίδων, ὅσσοι Πύλῳ ἐξεγένοντο
Νηλῆος θείοιο. Ποσειδάων δέ οἱ ἀλκὴν
Δῶκεν ἀπειρεσίην, ἠδ' ὅττι κεν ἀρήσαιτο
Μαρνάμενος, τὸ πέλεσθαι ἐνὶ ξυνοχῇ πολέμοιο.

Peridmetum, Thraciæ opp. Laonico.

Perierbidi, Sarm. Asiaticæ gens, Ptol.

Perigordium, vel *Periguria*, civitas Petrocoriorum primaria, à Ptolemæo *Vessuna Petrocoriorum* dicta, quod adhuc nomen est rotundæ turri, quæ satis integra conspicitur: sita est in meditullio regionis cujus est metropolis. Vulgò *Perigueux*, Metel. Merula.

Perilaus, in Exercitu Macedonico, à Philippo Aridæo missus ad Perdiccam & Leonatum cæterosque Equites extra Babylonem tendentes, de finiendâ cum copiis pedestribus discordia armisque ponendis. Curt. X. 32.

Perilampes, quidam Athenis Periclis sodalis & amicus, qui alendis pavonibus abundabat, de quo Aristoph. *Vesp.* & Plutarch. *Pericle.*

Perillus, Atheniensis faber ingeniosissimus, qui Phalaridi Agrigentinorum tyranno taurum ex ære fabricavit, cui januam in latere posuit, ut, quum inclusus reus subjectis ignibus torqueretur, mugitum, non hominis vocem emittere videretur. pro quo invento, cùm munus à crudelissimo tyranno Phalaride, qui novis hominum tormentis delectabatur, postulasset, in eo ipse, ut eam pœnam primus experiretur, includi à tyranno jussus, ac suppositis ignibus exustus est. Plinius 34. 8. *Perillum nemo laudat sæviorem Phalaride tyranno, qui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne subdito, & primus eum expertus cruciatum justiore sævitiâ.* Ovid. *in Arte:*

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit. infelix imbuit auctor opus.

Hinc *Perilleus.* Idem *in Ibin:*

Ære Perilleo veros imitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente sono.

Et *Trist.* 5. 1.

Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, & bovis ore queri.

Propert. *lib.* 2.

Nonne fuit satius duro servire tyranno,
Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo?

Lucianus *Perilaum* vocat, non *Perillum.*

Perillus, fœnerator, & Jurisperitus. Horat. *Serm.* 2. *Sat.* 2.

Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis quod tu nunquam rescribere possis.

Perimede, Veneficæ nomen apud Theocritum *Idyl.* 2. Ubi Scholiastes ait eandem esse, quæ Homero Agamede dicitur,

Ἡ τόσα φάρμακα εἴδη ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

Prop. *l. secundo.* —— *Non hic nocturna Cytæis,*
Nec Perimedea gramina lecta manu.

Perimele, ins. maris Jonii, una Echinadum, aspectu jucunda, ut Ovidius testatur *lib.* 8. *Met.* ubi Perimelem Nympham Hippodamantis filiam in insulam conversam describit.

Perimula, *Patane* Castaldo ex levi, ut videtur, conjectura, urbs aureæ Chersonesi; ex quâ *sinus Perimulus* Ptolemæo.

Perimulicus sinus, pars Oceani Indici. Nunc *Golfo di Siam*, in India ulter. juxta auream Chersonesum. Sanso.

Perincari, urbs Indiæ citer. Ptol. *Pelagonga* Castaldo.

Perinthus, quæ & *Heraclea*, urbs Thraciæ ad Propontidem, inter Byzantium ad Bor. 60. & Apros in Notolib. 48. m. p. Ejus mem. Ptolemæus, Marcellinus & Zosimus. Hæc olim *Mygdonia* dicta fuit, postea verò *Heraclea*, ab *Hercule* sc. uti Tzetzes tradit, *Chil.* 3. *num.* 100. *Perintheras* Antonino est. *Peralia* quoque vocata fuit, ut scribit Procopius, de ædificiis Justiniani. *Pera* hodie Volaterrano; *Rodosto* Bellonio; *Pantiro* Castaldo, *Heraclia* Sophiano & Nigro dicitur. Urbs nunc parva Heraclea, cum portu, in ora Propontidis, 60. m. p. à Byzantio in Afric. 20. à Rhedesto in Bor. & 48. ab Apris in Ort. aliàs in Corpialica Thraciæ prov. Baudr.

Peripatetici, Philosophi Athenis, quorum originem ita assignat Cicero, *Academicarum Quæstionum lib.* 1. *Platonis autem authoritate*, inquit, *qui varius & multiplex, & copiosus fuit, una & consentiens duobus vocabulis philosophiæ forma instituta est, Academicorum & Peripateticorum: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam cùm Speusippum, sororis filium, Plato Philosophiæ quasi hæredem reliquisset; duos autem præstantissimos studio, atq; doctrinâ Xenocratem Chalcedonium, & Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo: illi autem, qui Platonis instituto in Academiâ, quod est alterum gymnasium, cœtus erant, & sermones habere soliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utriq; Platonis ubertate completi, certam quandam disciplinæ formulam composuerunt, & eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nullâ affirmatione adhibitâ, consuetudinem disserendi reliquerunt.* Eandem Peripateticorum originationem tradit Laertius *in Aristotele*; Hesychius quoque: Ἡ δὲ Περιπατητικὴ φιλοσοφία ὠνομάσθη, διὰ τὸ ἐν Περιπάτῳ, ἤτοι κήπῳ, διαλέγεσθαι αὐτῆς Ἀριστοτέλην. Sed Ammonius *in Categor.* auctor est, Platonem ipsum docuisse ambulantem: atque ab hoc primo Peripatetico, post ejus excessum, Xenocratis auditores vocatos Peripateticos ex Academiâ, Aristotelis autem Peripateticos, ex Lyceo; Tandem Xenocraticos, nomine Peripatetici omisso, à loco solùm dictos Academicos: & contra Aristoteleos, nomine loci præterito, ab actione solùm vocatos Peripateticos. Vide Diog. Laert. *in Aristot.* & Voss. *de Philos. sect. c.* 17.

Periphas, Thessalus quidam pater Lapithæ. Steph. Item unus ex comitatu Pyrrhi, quem unà cum illo Priami regiam oppugnantem Virgilius inducit, *Æn. lib.* 2.

Periphoretus, Artemonis cujusdam cognomen, deliciis adeo effœminati, ut nunquam nisi lecticâ pensili circumlatus, domus suæ limen transiret; dictus ἀπὸ τοῦ περιφέρεσθαι, qu. *circumlatilis.*

Periphosimus, Lybiæ infer. portus. Ptol.

Peripolis, Plin. *Peripolium* Thucyd. op. Bruttiorum in finibus Locrensium, ad Halecem fluv. in orâ Calabriæ ulter. medium inter Leucopetram, & Herculeum promont. 18. m. p. apud Bovam urb. à Rhegio 30. mill. *Amendolia* hodie, teste Barrio. Aliis *Pagliopoli*, pagus vicinus, loco editiore, ultra Bovam ad 3. m. p. Patria Praxitelis. Ferrarius.

Peripoltas, vates fuit ex Thessalia, qui Opheltem regem, suosque in Bœotiam populos ducens, familiam multis deinde temporibus nobilissimam ex se reliquit.

Perirrheusa, ignobile op. circa Ephesum. Plin. 5. 31.

Perisades, Illyrici pop. Strabo *lib.* 7.

Periscelis, Gall. *Jartiere*, Germ. *Hosenband*, Ordo Eq. in Anglia nobilissimus, institutus an instauratus ab Edvardo III. qui, cùm in chorea regali Comitissæ Salisburiensis cruralem fasciam, humi prolapsam, sustulisset, risus ab aulicis, ad eos conversus dixisse: *Honny soit, qui mal y pense*, & addidisse, eum qui in hanc fasciam cavillatus esset, felicem se æstimaturum, illâ si dignus judicaretur: Hinc convocatis Proceribus An. C. 1345. vel 1350. sub auspiciis S. Georgii, quem tunc Anglia protectorem agnovit, Ordini dedisse initium fertur. Equitum numerus fixus est, XL. qui à Rege acceperunt insignia; periscelidem in sinistro crure, cum lemmate, de quo supra. Postea fascia collo circumligata est, quam Henricus V. rosis albis cæruleisque distinxit, Jacobus VI. verò in carduos, occasione Scotiæ Ord. convertit. Præcipui Europæ Principes huic Ordini inseri, honori ducunt. Polydor. Virg. *lib.* 19. Harpsfeld. *S. XIV. c.* 14. *Hist. Eccl.* Walsinghamus *in Eduardo* 3. Duchenius *Hist. Angl. lib.* 15. Froissardus *lib.* 1. Camdenus, Favinus, Tilletus, Mezeræus, Morerius &c.

Peristacium, urbs Thraciæ, ad Propontidem; *Peristasis*, inter Hexamilium seu Lysimachiam ad Austr. 10. & Myriophytum ad Arctos 12. m. p.

Peristere, urbs Phœnicum. Steph.

Peristerides, ins. parvæ maris Ægæi Joniæ adjacentes; ante Smyrnam. Plin.

Peristhenes, urbs Ponti, condita Olymp. 43.

Peritheorium, locus Episc. sub sede Constantinop. Curopal.

Perithœda, vicus in tribu Oeneide. Steph.

Permessus, flu. Bœotiæ, ex Helicone monte profluens, & in lacum Copaidem apud Haliartum op. influens, *Permeso* adhuc appellatus. Strabo *l.* 8. Pausan. *in Bœot.* Virg. *Ecl.* 6.

Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum,
Aonas in montes ut duxerit una sororum;
Utq; viro Phœbi Chorus assurrexerit omnis.

Ubi *Permessi flumina* pro ipso Permesso, phrasi poeticâ, quâ Græci quoque delectati; nam & de hoc ipso flumine Nicander *in Theriacis:*

—— Παρ' ὕδασι Περμησσοῖο.

Prop. *lib.* 2. *el.* 13.

Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes,
Sed modò Permessi flumine lavit Amor.

Martialis *Permessida* vocat, *lib.* 7.

Quid tibi cum Cyrrhâ? quid cum Permessidos undâ?

Idem *lib.* 8.

Cùm siccare sacrum largo Permessida posset
Ore, verecundam maluit esse sitim.

Hic fluvius & Holmius, quia ex Helicone fluunt, sunt Musis sacri, de quibus Hesiodus *in Theogonia:*

Καί τε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο
Ἢ Ἵππου κρήνης, ἢ Ὀλμειοῦ ζαθέοιο.

Permi, pop. olim Sarm. Eur. nunc Moscoviæ, quorum tractus hodie Permia, *Permsky*, inter fl. Duinam ad Occ. & Obyum ad Ort. in mediterr. inter Condoram prov. & Czeremisses pop. sub Moscoviæ duce. Primaria ejus Urbs ad Kamam fl. est *Permia magna*, versus Siberiam & Czeremissos, Moscis *Permauvelski.*

Pernambuci praefectura, prov. Brasiliæ, inter Præfecturas Tamaracæ ad Bor. & Sereglppæ ad Austr. antea sub Hollandis, nunc Lusitanis. Extenditur versus oram per 60. mill. suntque in ea 12. urbes seu opp. Primaria Urbs est Pernambucum, in ora maris Bor. V. *Olinda*.

Pernavia, urbs munita Estoniæ, cum portu ad ostium fl. cognom. 33. m. p. à Revalia in mer. Rigam versus 90. circiter, in ora sinus Rigensis. Urbs est Hanzeatica, cum arce capaci sub Suecis ab Anno 1617.

Perno, urbs Thraciæ. Steph.

Perniciacum, seu *Perticiacum*, seu *Perviacum*, in tabb. Peuting. *Pernacum*, locus Brabantiæ est, *Peruveu* Simleio.

Pero, Nelei filia ex Chloride filiâ Amphionis, soror Nestoris & Periclymeni, eximiâ pulchritudine, quam cùm multi certatim proci uxorem sibi deposcerent, Neleus, qui id temporis irreconciliabili odio ab Hercule dissidebat, negavit se cuipiam illam desponsurum, nisi prius boves Herculis abactos ad se adduxisset. Quod cùm Bias Amythaonis, & Aglaiæ fil. à fratre Melampode adjutus præstitisset, uxorem eam accepit. Homer. 12. *Odyssea*.

Peroe, fons in Bœotiâ. Pausan.

Perona, urbs munita Picardiæ, ad Somonam fl. & intra paludes 8. leuc. ab Ambiano in Ort. 5. à Cameraco in Mer. uti 7. ab Atrebato; frustra pluries ab Hisp. tentata.

Peronticum, Thraciæ urbs. Ptol. *Verdiso* Mercatori.

Perorsi, pop. Æthiopum in fine Mauritaniæ, qui quadrupedum ferarum modo vagi sunt, & earum visceribus vescuntur. Plin. 6. 30. *Petorsi* Steph.

Perozes, Persarum rex, A. D. 457. Bello Hunnis Euthalitis, seu albis illato, imprudentius copiis intra rupes implicatis, sub ictu victoris fuit. Qui ipsum liberum dimittere pollicitus est, hac lege, ut se adoraret, & in posterum à bello abstineret. Perozes, Magorum consilio, hoste rogato, ut versus Orientem solem consisteret, adoravit non illum, sed oriens astrum. Dimissus in regnum rediit: sed fidei datæ immemor, cùm paulo pòst majoribus copiis Hunnos aggredi in animo haberet, in insidias pertractus, periit cum exercitu: an. regni 20. Fœderatus erat Zenonis. V. Procop. *lib. 1. de bello Pers.* Agathiam. &c.

Perpenna Hostilius Licinianus, Imperator, Decii tempore, salutatus: paulo pòst peste obiit. Marcus *Perpenna*, Consul Romanus, Aristonico fil. notho Eumenis victo, qui Attali regnum testamento legatum Populo Rom. occupaverat; Pergami fato functus est. Liv. *lib.* 59. Vell. Paterc. *l.* 2. Strabo *lib.* 13. *&c.*

Perpenna, vir Romanus, bello Sertoriano à Pompejo in Hisp. victus. Hic cùm partes Marianas sectaretur, Qu. Sertorium, quocum prius magnâ amicitiâ dimicaverat, inter epulas nihil sibi timentem interfecit, ut solus imperio in Hispaniâ potiretur. Plut. *in Sertorio*.

Perperene, vicus Phrygiæ, in quo Deæ à Paride judicatæ fuerunt. Strab. V. infra.

Perperesia, vicus Asiæ non procul ab eo loco, quo Deas à Paride judicatas esse dicunt. *Perperene* apud Ferrarium ex Strab.

Perpetuus, Consul cum Corneliano, an. U. C. 989.

Perpinianum, urbs Galliæ Narb. ab Hispania A. 1642. revulsa, subest Gallis. *Papirianum* quibusd. V. ibi. Hic Antipapa Petrus de Luna, dictus Benedictus 12. concilium celebravit, An. 1408. Cum arce fortissima, ad fluv. *Tet.* 3. leuc. à mari. Sedes Episc. Elnensis. Guiled Niem, *lib. 3. de Schism. c. 37.* Surita, *Ind. l 3.* crevit ex ruinis Ruscinonis vet.

Perranthes, mons vel tumulus Epiri, Ambraciæ urbi imminens. Liv. nunc *monte di Larta*.

Perre, seu *Perri*, urbs erat Syriæ, inter Taurum & Samosata, à qua 24. m. p. in Occ. aberat. Episc. sub Arch. Hieropolitano. Tyrius.

Perrhabe, vicus Thessaliæ, Steph. populi *Perræbi*, qui Lapitharum potentiâ fracti, fugerunt in Ætoliæ montana Pindo monti proxima, quæ reg. ab ipsis *Perrhæbia* dicta est, & Pindus *Perrhæbus*. Prop. 3. 3.

Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi.

Perrhasia, urbs Thusciæ, una ex duodecim, quæ principales vocantur. Steph. Forte *Perusia*

Perrhida, vicus in Antiochiâ Trib. Steph.

Perrona Viromanduorum, Primus ejus loci meminit Fortunatus Presbyter, ante annos circiter 1070. *in vita S. Rhadegundis*, quam manuscriptam legi: in qua *Perunna villa* appellatur, id est vicus *Peronna*. Ajunt Furseum, natione Scotum, cùm ex insula Hibernia venisset in Gallias, ab Erchinoaldo illustri Patricio & Principe (sic Majorem domûs vocant) honorificè exceptum; quodam loco nomine Latiniaco donatum, ut ibi Cœnobium ædificaret, quemadmodum fecit, ac *in vico Veromanduorum Perrona* ab eodem sepultum esse, in Basilica SS. Apostolorum, quam ibi construxerat: cujus corpus post annos 4. incorruptum in cultiorem Basilicam, à se & à Leutsinde conjuge sui conditam, honorificè ob crebras mirasque virtutes Erchinoaldus transtulerit. Ita verus auctor *libri de Vita S. Fursei* refert. Beda *in libri 3. Historiæ Anglicanæ, capite* 19. scribit, Erchinoaldum Majorem domûs Regiæ, quem *Erconvaldum Patricium* vocat, corpus B. Fursei *in villa sua Perrona*, in Basilica, quam exstruendam curaverat, sepeliri jussisse. Ultanus Fursei & Foillani frater, in vico Veromanduorum *Perrona*, ad flumen Suminam Monachis Abbas egregius præfuit, & Theoderico Chlodovei junioris minimo filio regnante decessit. Existimo Erchinoaldum beneficio Regis *Perronam* possedisse: propterea quòd ibi & palatium habuit, & filium suum baptizari jussit, & Fursei corpus eodem deportandum, ac duas ibi Basilicas, alteram post alteram constituendas curavit, & primarii loci habitatores è familia ejus fuerunt: sed quoniam villa fiscalis esset, morte Erchinoaldi, cui data fuerat, fisco esse restitutam *Perronam*. Certè *Palatium Perronensis vici* liber *de Vita Fursei* appellat, & Chronicon Fontanellense *Peronam Palatium*: in quo dicuntur *anno 849. mense Januario Chlotarius & Carolus Rex ad Peronam Palatium accessisse.* Villas autem Regias constat à re *Palatia* dici, & Reges nostros eò convenire olim consuevisse. Cæterum Cœnobium *Perronense* ab Erchinoaldo Patricio exstructum, in quo B. Furseus Scotus sepultus est, & cui Ultanus Fursei frater Abbas præfuit, *Scotorum Monasterium* vulgò olim appellabatur: propterea quòd Scotum Abbatem & nonnullos ejusdem nationis Monachos, & Furseum ac Ultanum auctores cum Erchinoaldo conditoresque suos habuit. Certè Annales Metenses in anno 690. *Perronam Scotorum Monasterium* nuncupant; Sermo vetus, de relatione corporum SS. Quintini & Cassiani, *Peronam Scotorum*, Rigordus & Guillelmus Brito *castrum Peronam*. *Perrona* porrò ut in Veromanduis sita est, Augustæ Veromanduorum Episcopis olim subjecta exstitit; nunc Noviomagi Antistitibus, qui eorum in locum successerunt, paret. Vicus est in Hainoo proximus Binchio vel Binsio, *Bins*, dictus similiter Perrona, *Perrone*. *Peronam opidum Veromandense* vocat Appendix Chronici Guillermi Nangiacensis, *in an.* 1303. Vita Sancti Fursei vetustissima, ab Andrea Chesnio edita ex parte, *Palatium Perronensis vici*, nec non *villam Perronam* vocat, & *Montem Cygnophii qui Perrona nuncupatur*. In alia Vita S. Fursei quam scriptam legi, *Præparabo Montem Cygnopum, qui Perrona nuncupatur:* item, *deduxerunt ad Montem Cygnopum.* *Perrona* igitur vel *Perunna*, alio nomine *Mons Cygnopus* dicebatur potius quàm *Mons Cygnophii*. Quidam Chronographi *castrum Parronam*, & *castellum Perronam*, Frodoardus *Perronam*, aliàs *Parionam* vocat. Radulfus Veromanduorum Comes, Hugoni de Clecriis *Perona Comes* dicitur. Quod autem suprà dixi, *Perronam Scotorum Monasterium*, & *Perronam Scotorum* olim nuncupatam esse, nemo mirari debet. Nam multa in Gallia à Scotis Hibernis Monasteria olim exstructa sunt: in primis Monasterium Latiniacense à Furseo; à fratre ejus Foiliano Vun... me vel Fossense in pago Leodiensi; ab Ultano amborum germano Cœnobium Perronense, S. Fursei tumulo inclytum; à Sidonio Fursei populari & (ut putant) propinquo in Caletis *Monasterium S. Sidonii, S. Saens*; Monasterium Luxoviense in Vosago à Columbano; à Gallo ejus populari ac discipulo Monasterium S. Galli. Monasteria S. Martini, & S. Pantaleonis in urbe Colonia Scoti quoque rexere. Omitto Bobium in Italia à Columbano conditum, & Cœnobium S. Petri in urbe Toringiæ Erfesfordia, quod *Monasterium Scotorum* Lambertus Schafnaburgensis vocat. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Perronius, V. *David*.

Persa, Oceani ac Tethyos filia, ex quâ Sol Æetam fertur suscepisse. Hyginus *in fab. poet.* Item Persidis incola, V. *Persia*, & nomen Fab. Plautinæ.

Persa, urbs juxta Euphratem & Samosata.

Persacra, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Persæ, olim *Chorsori*, Plin. *Artæi* Herod. *Achæmenii* Poët. *Elymæi* Suidæ, qui Asiæ diu imperium tenuerunt, usque ad Alexandrum M. Ferrar. pop. Asiæ, quorum reg. Persia, regnum amplum inter mare Caspium ad Bor. & mare Indicum ad Mer. ubi aliàs Parthorum seu Persarum Imp. cujus partes præcipuæ fuere 5. nempe Aria ad Ort. Media ad Occ. Parthia ad Bor. Persis ad Austr. & Sogdiana, quæ maximè ad Sept. extensa erat inter Jaxartas & mare Caspium. Baudr. V. *Persia*.

Persepolis, urbs Persidis; à Perseo condita, teste Strab. *lib.* 15. quam postea Alexander ebrius demoliri jussit. Non longè suam fuisse ab Araxe innuit idem Strabo, *ubi supra*: Πρὸς αὐτῇ δὲ Περσεπόλει, τὸν Ἀράξην διέξιν. Subdit, Ἦν δὲ ἡ Περσέπολις ἔχουσα βασίλεια ἐκπρεπῆ, κάλλιστα τῇ πολυτελείᾳ τῶν κειμένων. Describit hanc urbem Diodorus diligentissimè: ejus incendium omnes commemorant. Fuerat extructa, ut idem Diod. Siculus *lib.* 1. ait, ex direptione Thebarum Ægyptiacarum. Combusta est ab Alexandro, hortatu maximè Thaidis, nobilis scorti. A. M. 3724. Miror autem, cùm dicat Qu. Curt. Persæpolim semel incensam, & dirutam, nunquam postea resurrexisse, recenseri tamen à Ptolemæo, non secus ac si tunc quoque floruisset. Qu. Curtii verba sunt hæc, quæ propter elegantiam adscripsi: *Hunc exitum*, ait, *habuit regia totius Orientis, unde tot gentes ante jura petebant: patria tot regum; unicus quondam Græciæ terror, molita decem millium navium classem, & exercitus quibus Europa inundata est, contabulato mari molibus, perfossisque montibus, in quorum specus fre-*

tum immissum est. Ac ne longâ quidem ætate, quæ excidium ejus secuta est, resurrexit, Casaubonus. Nunc rudera ejus *Chilminare*, i. 40. columnæ, tot enim supersunt in ruinis. Inter Scirasum & Haspahamum. In amœnissima planitie, 1. leuc. circiter à fl. *Bradamir*, qui veteribus Araxis. Altitudo, pulchritudo & firmitas harum columnarum apparent, ex illis, quæ supersunt, quæ cum reliquarum basibus omnes in admirationem rapiunt, ut hoc opus omnem antiquitatem haud dubiè superet. Idem confirmat inscriptio in tabula Jaspidea, cujus characteres ignoti. Omnes sunt triangulares, aut pyramidales, vel instar obelisci. Meminerunt hujus palatii Arianus, & Justinus, omnium autem exactissime Diodorus an Ælianus? Arx universa triplici muro cincta fuit. Sepulchra quoque Regum visuntur ad latus montis, ad cujus rad. Arx jacet. V. T. Herbertum, Plin. *l. 6. cap.* 26. Curt. *l.* 5. Diod. Sic. *lib.* 17. Ælian. *lib.* 1. *cap.* 59. Præcipuè autem P. de Valle *αὐτόπτην*, *Itiner. tom.* 2. Sunt tamen, qui *Chehil Minara* aliud quiddam esse credant, à ruinis priscæ Persepoleos: cùm hæc fuerit long. gr. 91. secundùm Ptolomæum, & Geographos: *Chehil Minara* verò gradu 96. Morerius *Dict. Hist.*

Persæus, Philosophus, Antigoni amicus, quem cum Archelao præsidiariis militibus Acrocorinthi imposuit. Polyænus *lib. 6. in Arato.* Postea proditâ per quatuor fratres Syros Acrocorintho refugiens, Cenchreas ad Antigonum evasit.

Persarmenia, reg. inter Persiam & Armen. ab utraque nomen accipiens.

Persea, fons circa Mycenas in Peloponneso. Pausan.

Perseis, Nympha marina, Oceani & Tethyos filia. Hesiod.

Persephone, Jovis & Cereris filia, Latinis *Proserpina*, quam ab Orco in Sicilia raptam fuisse poetæ fabulantur. Ovid. *Fast.* 4.

At neq; Persephone digna est prædone marito.

Idem *in Ep. Cydippes.*

Persephone nostras pulsat acerba fores.

Tibul. *At mihi Persephone nigram denunciat horam.*

Propert. *lib* 2.

Sat sis magna, mei, si tres sint, pompa, libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

Sic dicta qu. Φερσεφόνη, i. e. φέρουσα ἄφενος, *ferens divitias*, quæ sc. è terrâ petantur. Hesychius. Vide *Proserpina.*

Perses, rex Macedonum, qui ab Æmilio victus, & in acie captus, ductus est in triumpho Romam cum filiis, periitque in carcere animi mœrore confectus, vel, ut alii tradunt, vigiliis maceratus. Fingere solebat, & mentiebatur se ab Achille genus ducere. Livius autem nothum & spurium fuisse scribit, & invidiâ fratrem Demetrium ac criminatione falsâ de medio sustulisse. Propertius *lib.* 4.

Et Persen proavi simulatum pectus Achillis.

Vel, ut alii legunt,

Et Persem proavo stimulantem pectus Achille.

Silius de Philippo illius Persæ patre,

Hic gente egregius, veterúq; ab origine regni,
Æacidum sceptris, proavoq; tumebat Achille. V. *Perseus.*

Alius Solis & Persæ Nymphæ fil. rex Tauricæ regionis crudelissimus. Alius frater Hesiodi.

Perseus, Jovis fil. ex Danae Acrisii Argivorum regis filiâ, quam Jupiter, commutatus in speciem aurei imbris, vitiavit. Acrisius enim, cum ex Oraculo didicisset, futurum aliquando, ut à nepote occideretur, filiam munitissimæ turri inclusit. Jupiter itaque Danaes amore captus, cùm alius non pateret aditus, in aureum imbrem versus, per tegulas turrim ingressus est, puellæq; frustra jam arctâ custodiâ servatæ stuprum intulit. Quo ex concubitu cùm illa gravida effecta esset, indignatus Acrisius, filiam unà cum nepotulo arcæ includi jussit, atque in mare projici, futurum ratus, ut ventis, undisque obruerentur. Quæ res illi omnino cecidit præter opinionem. Nam arca ad Dauniæ litus delata, & à piscatore reperta est: in quâ quum Danaen cum filio invenisset, utrumque Pilumno regi obtulit; qui cùm genus & patriam ejus didicisset, Danaen quidem uxorem duxit; Perseum v. Polydectæ, Seriphi R. seu Dictyi, hujus fratri, educandum tradidit, qui postea adultus, talaria & falcatum ensem, nomine Harpen, à Mercurio; à Minerva autem Ægidem accepit; quibus fretus expeditionem adversus Gorgonas suscepit. Erant autem eæ sorores 3. *Medusa, Stheno, & Euryale*; Æthiopiæ extrema incolentes, angues pro capillis habentes, oculumque unicum, quo vicissim utentes, quotquot eas aspiciebant, in saxa vertebant. Id veritus Perseus, à Pallade Ægidem accepit, ex ære fulgentissimo, in quo, veluti speculo, effigiem earum impunè intueri posset. Adortus itaque Medusam, cùm & ipsa, & angues sopiti essent, unico ictu illam interemit, caputque ejus abscissum in Ægide collocavit; quo Atlantem Mauritaniæ regem hospitio ipsum excludentem in montem commutavit. Hoc etiam capite Seriphiensibus populis ostenso, eos omnes Perseus mutavit in lapides. Post hæc Andromedam, marino monstro expositam, periculo liberavit, liberatamque uxorem duxit; Phineo, ejusque fautoribus, qui sponsam ei præripere conabantur, partim occisis, partim in saxa commutatis. Postremò cum uxore in Seriphum insulam reversus, Acrisium ibi offendit, quem jactu disci imprudens interfecit. Hyginus tamen *Fab. Poet.* 63. author est, Danaen unà cum filio suo non in Italiam, sed in Seriphum insulam delatam fuisse, ibique Polydectæ regi nupsisse, ibi cùm Acrisium avum suum jactu disci (ut jam diximus) imprudens interemisset, dolorisque impatientiâ extabesceret, Jovis patris sui miseratione, in cœlum translatus est. Perseus habitus est Jovis filius, propter raram felicitatem. Suscepit expeditionem adversus Gorgonum gentem, cujus regina erat Medusa. Intulit inde bellum Mauritaniæ, decertavit armis cum Æthiopibus, apud quos nuptias celebravit cum Andromedâ Cephei regis filiâ. Postea reversus in Græciam, occupavit regnum Argivorum, devicto Prœto suo patruo, & Polydecte, Seriphi insulæ regulo, à quibus multis injuriis erat affectus. Agro dein Tirynthio contentus, Mycenas condidit, ubi posteri ejus per annos 100. regnarunt. Ad extremum constituit in Helicone ludum literarium: quo beneficio tantam consecutus est celebritatem, ut à Poetis & Mathematicis, laudibus, encomiisque in cœlum usque, ut ajunt, evectus, & inter sidera collocatus sit. Tantas autem res confecit incredibili celeritate, & versutiâ ingenii, ideoque fingitur talaribus & gladio Mercurii, galeâ Orci, & clypeo Palladis fuisse instructus. Nam talaria celeritatem, gladius Mercurii calliditatem, galea Orci consilium tectum, & clypeus Palladis raram felicitatem significat. Per caput verò Medusæ, cujus aspectu omnes convertebantur in saxa, significantur immensæ Gorgonum opes, quibus ille potitus, omnes, quos bello adortus est, subegit: nam in Insulis Occidentalibus, ubi Gorgonum gens habitabat, olim fuerunt maximæ opes totius orbis terrarum, teste Platone. Vide Ovid. *lib.* 4. & 5. *Metam.* Plut. Euseb. Nat. Com. *lib.* 7. *cap.* 12. & 18. & Alex. Rossæum *in Mystagogo Poët.* Prop. 2. 30.

Non si Pegaseo vecteris in aere dorso,
Nec tibi si Persei moverit ala pedes.

Ovid. 2. *de Arte:*

Nec suus Andromedæ color est objectus ab illo,
Mobilis in gemino cui pede penna fuit.

Unde à Catullo *Pennipes* dicitur. Idem Ovid. *lib.* 3. *Tr.*

Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas Perseu, Dædale, sive tuas.

Val. Flac. *lib.* 1. —— *Nunc aerii plantaria vellet*
Perseos. —— ——

Hinc *Perseus* adject. Prop. *lib.* 3.

Stellaq; Perseâ Phorcidos ora manu.

Hinc *Persea* arbor, quam in Ægypto Perseus plantavit, teste Callimacho:

Καὶ τριτάτη Περσῆος ἐπώνυμος, ἧς ὀρόδαμνον
Αἰγύπτῳ κατέπηξε, ——

Nicander autem, in Mycenis hanc arborem plantari tradit, in *Alexipharmacis*, hoc pacto.

Καί τε κολαστειΦθιλα μετ᾽ ἀγρώτου ἐλαίω,
Σκληρὰ ἐπὶ Περσείης κάρυα βλάβος εἰς ἐρύκει.
Περσεὺς ἥν ποτε ποσσὶ λιπὼν Κηφηΐδα γαῖαν,
Ἀρχὴν ἀποτμήξας ἅρπῃ γυίωσε Μεδούσης,
Ῥεῖα Μυκηναίῃσιν ἐνιζήσας ἀρούρῃς,
Κηφεὺς νίν ἄορα, μύκης ὅθι κάππεσεν ἅρπης,
Ἄκρον ὑπὸ πρηῶνα Μελανθίδος, ἔνθα τε νύμφη
Λαγγείη πήγμα κένο Διὸς τεκμήριο παιδί. V. *Acrisius, Andromeda, Danae,*

Perseus, ultimus Macedonum Rex successit an. U. C. 575. Philippo Patri: qui cùm eum exhæredaturus esset, ut regnum Antigono filio fratris tutoris sui traderet, Perseus quid agerettur subolfaciens, æmulum occidit. Bello contra Romanos inferre, ingenti strage victus est ad Pydnam, eque fuga retractus, à Paulo Æmylio in triumpho Romam ductus est. Regni à ... Liv. *lib.* 40. Justin. *lib.* 33. Plut. *in vita P. Æmylii.* Vellejus Paterc. Eutr. Flor. &c.

Perseus, de Rep. Lacedæmon. scripsit, auctore Athenæo *lib.* 4.

Persia, *Persis* Ptol. Plin. & Melæ, *Farsian*, & *Farsistan* incolis; teste Castaldo, Provincia Asiæ notissima atque clarissima, inter Susianam ad occ. & Carmaniam ad ortum; atque inter Parthiam ad Bor. & sinum Persicum ad merid. commenta. Baudrando Imperium est potentissimum, sub quo comprehenditur Parthorum Imper. Habet à Sept. mare Caspium & Zagatajam reg. ab Or. Indiam propriam, ab Occ. ditionem Turcarum & Arabiam desert. à Mer. autem Oceanum Ind. & Sinum Persicum. Sicque extenditur ab Ortu in Occ. ab Indo fl. ad Tigridem. Nunc tota sub Sophis. Comprehendit has antiquorum provv. Mediam, Hyrcaniam, Margianam, Assyriam, ex parte, Susianam, Parthiam, Ariam ad Ort. Paropanisum, Chaldæam, Persiam, Caramaniam, Drangianam, Arachosiam & Gerdosiam. Nunc autem sunt 18. præcipuæ numero, nempe *Servan*, *Gilan*, *Dilemon*; *Ayrack*, *Agemi*, ubi aliàs Media; *Tabarestan* & *Gorgian*, ubi Hyrcania; *Khœmus*, aliàs Margiana & Parthia ex parte; *Churdistan*, antea pars Assyriæ; *Chorasan*, al. Parthia ex parte; *Yerack*, al. Babylonia; *Chusistan* Susiana; *Farsi* Persis; *Kherman* & *Sisistan*, aliàs Caramania; *Macheran* Gedrosia; *Candahar* Arachosia; & *Sablestan* aliàs Drangina, aut circum circa

ta. Totius reg. caput fuit aurea Tabrisium, postea Casbinum, Nunc Aspahamum. Populi *Persæ*, quos à *Perseo* tulisse nomen affirmat Eustathius *Iliad. α.* cùm inquit: Περσεὺς παρωνυμίζει τοὺς Πέρσας. Quod etymon à Q. Curtio approbatum invenio. Atqui probabilior sententia Bocharti est, qui Persis nomen ex re fuisse scribit, id est, ab equitatu, quo maximè valebant, equitare è teneris annis edocti. Herodotus: Παιδεύουσι τοὺς παῖδας τρία μοῦνα, ἱππεύειν, καὶ τοξεύειν, καὶ ἀληθίζεσθαι. Quâ tamen disciplinâ primus illos imbuit Cyrus. Antea enim, ut tradit Xenophon *lib.* 1. *Cyrop.* Ἐν Πέρσαις, διὰ τὸ χαλεπὸν εἶναι καὶ τρέφειν ἵππους, καὶ ἱππεύειν, ἐν ὀρεινῇ οὔσῃ τῇ χώρᾳ, καὶ ἰδεῖν ἵππον σπάνιον. At Cyro sic providente (ut narrat idem *lib.* 4.) Persæ ex peditibus equites facti, equis deinceps ita assueverunt, ut, οὐδεὶς ἄν, inquit, τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἑκὼν ὀφθείη Περσῶν οὐδαμῇ πεζὸς ἰών. Itaque ex tam repentinâ mutatione factum, ut hæc regio פרס *Paras*, & incolæ פרסאי *Persæ* dicerentur, id est, *equites*. Arabice enim *Pharas est equus*, & *Pharu eques*, Ebraice *Paras*. A Græcis quoque dicti sunt Κηφῆνες, à seipsis Ἀρταῖοι, teste Herodotô. Dicuntur & Ἀχαιμένιοι, à reg. *Achæmenia*, secundùm Stephanum. Suidas & Cedrenus *Magusæos* vocant. Persarum veterum mores fuse refert Herodotus *lib.* 1. Historia paucis hæc est. Sub variis etiam Principibus, usque ad Cyrum, qui an. 1. Olymp. 55. U. c. 195. avo suo materno Astyage, Rege Medorum pulso, regni Persici fundamenta locavit: Anno post 22. captâ Babylone, primus Monarcha: quod imperium duravit an. 229. sub 13. Regibus, Dario Ocho ab Alexandro M. superato, sub Græcis, Romanis; Parthis regnum hoc esse cœpit, donec An. C. 227. Artaxerxes Persa, excusso Artabani Parthorum R. jugo, secundam Pers. Monarchiam orsus est, quæ duravit per an. 632. usque ad Jezdegirdem vel Hormisdam 4. ab Otmaro, Saracenorum R. occisum. In horum potestate mansit, an. 418. donec Gelal-edinus Sultanus, Gelaleæ æræ auctor, illis exturbatis, rerum potitus est. Successores ejus, à Tartaris, duce Tamerlane, pulsi sunt, A. 1398. cui quatuor Principes, factionis *Arietis nigri* successere. Post quos, Ulum-Cassanes, ex familia Asembejorum, & factione *Arietis albi*, Joonchain Regem cum fil. Acen Ali sustulit, regno potitus, ab ann. 1469. usque ad 1478. vel 1485. Quo defuncto misere laceratæ Persia, sed ab Ismaele Ulunecassanis, ex filia, nepote, recreata est, qui fortis, prudens & felix, quidquid majores possidebant, dominatu complexus est. Regnavit autem usque ad initium præc. seculi, & ab eo Sophi numerantur. Inter hujus successores Schah Abbas, cognom. Magnus, regnum magnoperè auxit; uti inprimis apud P. de Valle, *Itiner. tom.* 2. & 3. ubi quidquid de insigni hac Monarchia scitu dignum, exactissime annotatum est; videre licet. Religio Persarum hodierna Mahometana est, sed à Turcica diversa. Dicunt enim; Ali à Mahomete successorem destinatum fuisse, qui honor illi ab Abubekere, Omaro & Osmane præreptus. Aliter Alcoranum explicant, alios sanctos, alias Moscheas habent. Sub finem sec. 14. *Sofi* quidam, ex posteris Ali se esse jactans, novam attulit doctrinam, missumq; se divinitus dixit, ut gloriam Ali à tot retro seculis sepultam pristino splendori redderet: Huic in hodiernum usque diem adhærent, &c. V. præter hic passim laudatos, Cluverium, Du Val, Sansonem, Agathiam, Cedrenum, Guil. Tyrium, Haitonem, Sanutum, Bizardum Leunclavium, Chalcondylam, Paul. Jovium, Olearium, Thomam Herbertum, Paulum Venetum, Vinc. Blancum, Thevenotum, Pouletum, Gabr. Chinonem, Busbequium, Thom. Minadoum, Marmolii Africam &c. Item, Monachum Isaac, *in explic. Can. Pers.* Christmanno. Commentar. in Alfragam, *tit. de Cal. Pers.* Scaliger. Petav. &c. De regno Persarum libros tres scripsit Barn. Brissonius. De Idololatriâ eorundem veteri Strab. *lib.* 15. Τιμῶσι δὲ καὶ Ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθρην, καὶ Σελήνην καὶ Ἀφροδίτην, καὶ πῦρ, καὶ ἀνέμους, καὶ ὕδωρ. Habuit ex Herod. *lib.* 1. Θύουσι δὲ Ἡλίῳ τε καὶ Σελήνῃ, καὶ Γῇ, καὶ πυρί, καὶ Ὕδατι, καὶ Ἀνέμοισι. Persas plurimum sagittis valuisse, auctores sunt Xenophon *lib.* 1. *Pæd.* qui loquens de studio Persarum in Venatione, ait habere illos τόξα καὶ τὰ φαρέτραν: Procop. *lib.* 1. *de bello Persico*: Πέρσαι σχεδὸν τι ἅπαντες τοξόται. Meminit etiam jaculorum Persicorum, & sagittarum Heliodorus *lib.* 6. & 9. *Histor. Æthiop.* & Herod. *lib.* 1. Polyb. *lib.* 5. Oppianus 2. *Halieut.* adjicit, illos excogitasse artem adjiciendi venenum sagittis: Πέρσαι φαρμακτῆρι: ὀϊστεύματα χρίσαντες. S. Ambrosius *lib.* 6. *Hexaëm. Gens Persarum ferox bellis, valida sagittis.* Hinc Virgilius *Georg.* 4.

Quaq; pharetratæ vicinia Persidis urget.

Laertius *lib.* 5.

Ἐξ ἧπερ Περσῶν τοξοφόρων βασιλεύς.

De Persis Dionysius 1056.

Μέσσῃ γάρ τ' Ἀσίης βασιληΐδος ἔθνεα ἴσχει,
Μέσσῃ δ' ἄσπετον ὄλβον ἐοῖ μεγάροισιν ἔθεντο,
Οἳ πρὶν Μηονίης καὶ Σάρδιας ἐξαλάπαξαν.
Χρύσεια γὰρ κείνοισι μὲν ἐπὶ χροῒ τεύχεα φαίνει,
Χρύσεια δ' αὐτ' ἵπποισιν ἐπὶ γαμφηλῇσι χαλινά,
Χρυσᾶ δ' ἀμφὶ πόδεσσιν ὑποδήματα πέδιλα.
Τόσσος γάρ σφισιν ὄλβος ἀπείρεσιος.

Hunc Persicorum armorum apparatum, in prælio ad Issum cum Alexandro gesto, describit Quint. Curtius *lib.* 3. *Illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatasq; tunicas gemmis etiam adornatas.* Dion Chrysostomus *Orat.* 2. *de Regno*: Χρυσῶν φαλάρων καὶ χαλινῶν, ὁποῖα τοὺς Πέρσας φασὶν ἐπιλέγειν. Splendidis hisce indumentis, post victum demum Crœsum, eos consuevisse testatur Ammianus Marcell. *lib.* 24. *Armillis uti, monilibusq; aureis, & gemmis assuefacti post Indiam victam & Crœsum.*

Persia propria, alias *Persis*, nunc *Farsi*, prov. est Imperii Pers. versus Austrum, mare Indicum & Os Sinus Persici, inter Aspahamum ad Bot. & Armuziani ad Austr. Ejus præc. Urbs *Schiras*.

Persiæ urbes præcipuæ:

Ardebilia, *Ardevil.*	Guadela, *Guadel.*
Armuzia, *Ormus.* Nune semidiruta.	Heratum, *seu* urbs Rosarum, *Herat.*
Aspahamum, *Hispaham*, Persiæ nunc Regia.	Lara, *Lar.*
	Mexatum, *Mexat.*
Catmania, *Cherman.*	Pasagarda, *Darabegerd.*
Casbinum, *Casbin.*	Sieistanum, *Sieistan.*
Cassianum, *Cassian.*	Sirasium, *Sciras.*
Comum, *Com.*	Sumachia, *Scamachie.*
Derbentium, *Derbent.*	Susa, *Souster.*

Tabrisium, *Tauris.*

Reliquarum urbium, oppidorum, pagorum, castrorum, aliorumq; in amplo hoc regno locorum catalogum, cum distantia eorum à se invicem, & quæ utique notatu digna, exhibet, in præcedentibus jam laudatus, Petrus de Valle, Patricius Romanus, *Itinerarii sui tomo secundo & tertio.*

Persicum mare, & *Persicus sinus*, pars maris Rubri (quod Arabiam Felic. ad ortum alluit) inter Arabiam ad Merid. & Carmaniam, Persidem, & Susianam ad Bor. ingrediens, & alluens, in longitudinem 10000. stad. patens ex Strabone, at ex recentioribus 225. leucis Hispan. inter Teredonem, seu ostia Tigridis ad Occ. & Armuziam inf. ad os illius in Ort. Mela. 3. 8. *Persicus, quà mare accipit, utrinq; rectis lateribus grande ostium, quasi cervice complectitur: deinde terris in omnem partem vastè & æquâ portione cedentibus, magno littorum orbe pelagus incingens, reddit formam capitis humani.* Ubi non potuit alio nomine sinum hunc appellare Mela, atque ab omnibus appellatur. Unum tantùm inveni Theophrastum, cui sinus Persicus etiam vocetur Arabicus. Verba ejus *lib.* 4. *cap.* 19. sic concipienda sunt: Ἐν Τύλῳ δὲ τῇ νήσῳ (κεῖται δ' αὕτη ἐν τῷ Ἀραβικῷ κόλπῳ τοῦ μὲν ἐπὶ ἕω) τοσοῦτον πλῆθος εἶναί φασι δένδρων, ὅτ' ἐκβαίνει ἡ πλημμυρίς, ὥστ' ἀποχαρακοῦσθαι. Et sane nulla est ratio, cur non æquè Arabicus, ac Persicus nominetur sinus, cùm portionem ejus majorem cingant Arabes. Ad distinctionem tamen alterius Arabici, Persici sibi cognomen adscivisse videtur, Is. Vossius. Baudrando Persicus sinus, nunc *Mer d'Elcatif*, seu *Golfe de Perse*, & *de Bassora*; estque inter Persiam ad Bor. Arabiamque ad Austr. & Occ. In eum Tigris influit; estque plurimis Insulis refertus, in parte Merid. Conjungitur Oceano Arabico seu Indico per fretum Mosandanum, quamvis à multis sinus Armuzianus credatur etiam ejus pars. Extenditur ad 500. m. pass. ab Euro in Circ. sed major ejus latitudo, à Septentr. in Bor. vix est 160. mill. pass.

Persis, pars fuit ampla Australis Imperii Pers. ubi Caramania, quæ ad Ort. Susiana, quæ ad Occid. & Persis propria, quæ inter utramque versus Sinum Persicum; cujus caput fuit Persepolis. Item pro tota Persia. Vide ibi.

Persius, doctissimus Romanorum: Cicero *de Orat. C. Lucilius homo doctus, & perurbanus dicere solebat; Ea quæ scriberet, neq; se ab indoctissimis, neq; à doctissimis legi velle: quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quàm ipse de se: qui etiam scripsit: Persium non curo legere (hic enim fuit, ut notamus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus) Lelium Decimum volo, quem cognovimus virum bonum, & non illiteratum, sed nihil ad Persium.* Hæc Cicero.

Persius Flaccus, Poeta, Volaterranis, Hetruriæ opp. natus, claruit iisdem ferè temporibus, quibus Domitius Nero Imperium urbis Romæ suscepit. In Grammaticis præceptorem habuit Rhemnium Palæmonem Vincentinum, qui gravissimas inimicitias dicitur exercuisse cum M. Varrone: In Rhetoricâ Fl. Virginium. Annæum verò Cornutum, qui Philosophiæ studio excelluit, magnâ diligentiâ, singularique observatione coluit. *Sat.* 5.

—— *Teneros tu suscipis annos*
Socratico Cornute sinu, &c.

Vide Casauboni notas ad Persii vitam à Probo, aut alio vetusto auctore scriptam. Quinctilianus *libr.* 10. *Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit.* Martialis 4. 29.

Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quàm levis in totâ Marsus Amazonide.

Persona, pro rectore Ecclesiæ. Vide Spelmann. *Glossar.*

Perta, oppidum in Galatiâ, Ptolem.

Pertensis pagus, vulgò *le Partou*, ab oppidulo ejusdem nominis adjacente flumini Matronæ appellationem traxit. In Præcepto *Ludovici Imper. Augusti, anno* 19. *imperii domini Ludovici Pissimi Aug.* dato, memoratur his verbis: *Audo venerabilis Abbas Monasterii, cujus vocabulum est Ders, quod constat esse constructum in pago Pertense super fluvium Ivera, quod olim vocabatur Puteolus, &* S. Ber-

S. Berchario Abbate, cujus corpus ibidem requiescit, Childerico Rege Francorum *constructum*. Hic pagus Campaniæ Gallicæ *Pertisus* etiam dicitur in Capitulis Caroli Calvi, id est, *Pertensis*; *Partensis* Nithardo *in lib.* 1. *pagus Portinsis*, hoc est, *Portensis*, Frodoardo in Historia Ecclesiæ Remensis; *Portensis* quoque in Divisione Regni Lotharii sic: *Barrense, Portense, Salmoringum*. *Partensem* quoque Barrensibus proximum facit Nithardus in libro locoque laudato, eum pagum inter *Blesensem* & *utrosq; Barrenses* ponens. Ut appareat *Partensem pagum* Nithardi, & *Portensem*, in Capitulis Caroli Calvi seu in divisione Regni Lotharii, unum eundemque esse. Fatendum tamen est, *pagum Portensem* in Divisione Regni Lotharii, & apud Frodoardum non male pro pago *Portiano* accipi posse. Oppidulum, quod pago nomen dedit, Martino Bellajo *in lib.* 10. bis *Parte* dicitur, cæteris *Perte*, estque oppido S. Desiderii proximum: quod municipium *Pertam*, vel *Partam* vocari posse, docent varia nomina pagi ab ipso cognominati: quem pagum *Pertensem, Partensem*, ac *Portensem* olim promiscuè nuncupari consuevisse, suprà docuimus. Valesius.

Pertharus exul, successit in Italia Grimoaldo, Rebelli Alachi, à quo victus fuerat, intercessione filii Cuniberti, veniam dedit, Cunibertum successorem reliquit. An. Chr. 673. 689. P. Diacon. *lib.* 5. *Longob. cap.* 33.

Perthia, prov. parva. Scotiæ merid. à Savo fluv. in duas partes secta: ibi opp. præc. Perthum, communiter *S. John Stovvn*. Habet ad Ort. Anguisiam, ad Occ. Strathearniam, ad Merid. Fifam prov. Ab Austro Atholiæ adjacet. Urbs autem Perthum, 12. mill. pass. abest à Dunkeledino in Austr. 23. à Strevelino in Cæc. 32. ab Edimburgo in Bor.

Perthia, Ptolem. quibusdam *la Pergola*, castrum dit. Pontif. in Ducat. Urbinatensi, 8. m. p. à Callio in Ort. ad amnem Cesanam, 13. m. p. à Foro Sempronii in Merid.

Perticus, vulgò *le Perche*, prov. Galliæ, inter Belsiam ad Ort. Normanniam ad Bor. & Cenomanos ad Occid. ubi aliàs Aulerci Diablintres. Ejus caput est Noviodunum, seu Novigentum, *Nogent le Retrou*, Baudrand. Valesio *Perticus saltus*, quem Nithardus *saltum Perticam*, *Perticam silvam* Vita Betharii Carnutensis Episcopi, *Particum saltum* Chronicon Fontanellense vocat, nomen *pago Pertico*, vel *Perticensi* dedit, *le Perche*: cujus incolæ *Perticenses* vocantur, *les Percherons*. *Pertici saltus* meminit Theodulfus hoc versu, de fonte Sartæ scribens, *in Epistola ad Modoinum Augustodunensium Episcopum*:

Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.

Aimoinus Floriacensis Monachus, ætate Regis Rotberti ante annos 650. *In Lugdunensi Gallia silva* (inquit) *multa, sed eminentior cateris Perticus*. Idem scribit Hugo. Guillelmus Brito, nunc *Perticum*, nunc & *Perticam* appellat. Sic enim *in* 3. *Philippidos*,

Pertica Rotroldo gaudet nemorosa recepto.

Id est, Novigentro Rotroldi vel Rotroci. Ordericus quoque modò *Particum* vel *Perticum*, modò *Perticam* nuncupat, *Proceres Partici & Corbonia* memorans, & *Nogentum in Pertica*. In saltu pagoque *Pertico* oritur & Autura. *Saltum Particum, & abditissimam solitudinem silva qua Particus dicitur*, vocant vetera acta B. Launomari. Durabat adhuc silva *Perticus* regni Henrici I. Ann. 1. ante annos 645 Gaufridus enim Vicecomes Castridunensium, qui Abbatiam S. Dionysii Novigenti fundavit, in suis literis datis An. 1. regni Henrici, Christi 1032. ita loquitur: *Omnibus hominibus illorum omnes saltus meos, exempto Pertico, ita concedo*. Item: *Et homo illorum* (*Monachorum*) *intra saltum Pertici habitet*. Gaufridus Castri Moritoniæ Comes, filius Rotroci Comitis, nepos Gaufridi Vicecomitis Castri Duni, inter Jogunam fluvium & castrum Nogentum, vel Nogiomum Basilicam Dionysii Mart. ab avo & patre inchoatam absolvit: cujus in literis hæc leguntur: *Pasnadium omnium porcorum de silva Resno & de omnibus forestis meis do: Perticum verò ad usum meum & ad usum Monasterii S. Dionysii ita in proprio meo retineo, ut quacunq; fuerint ad usum Monasterii necessaria, ex eo Monachi faciant, & homo illorum intra saltum Pertici habitet. Do etiam totam decimam tam de Pertico, quàm de omnibus saltibus meis. Omnes meos saltus consuetudinarios esse jubeo usibus Ecclesia, & habitaculis Monachorum, exempto Pertico, ita concedo, ut &c.* Ex quibus intelligitur, *Perticum saltum* circa Novigentum Rotroci, vel Nogentum castrum, & circa Jogunam amnem, vel Jogniam, *Huinam* vulgò dictum, fuisse adhuc, domino Odone Palatino Comite, majore ex parte intactum: quem *saltum Perticuli* appellat Urbanus Papa in literis, quibus donationem Gaufridi confirmat. Gaufridus III. Comes Perticensis in litteris datis An. 1205. *in forestibus* (inquit) *meis de Bellismo, Resno, Maurissilva, Pertico, Campo Rotundo, & cateris Comitatus mei*. In Inventario domus Alentionensium Comitum An. 1313. memorantur *la forest du Perche*, & *la forest de Reno*, id est, *silva Perticus*, & *silva Resno*: Maurisilva vulgò vocatur *Maurisseure*. In literis datis An. 1090. Robertus Comes Pertici *nemorum consistentium in Pertico* meminit, & permittit Monachis St. Dionysii Novigenti in Carnutibus *summarium unum habere in Nemore quod dicitur Perticulum. ad mortuum nemus*. *Perticulum*, vel *Perticulus* silva vel nemus, vocatur *le bois de Perchet*; ut Clergerius observat. Wanelo Turonicæ Basilicæ St. Martini Thesaurarius in literis datis An. 1046. *Pertici* silvæ mentionem facit hisce verbis: *Deinde angeoeis* (Sanctimonialibus S. Aviti in pago Dunensi *S. Avy*) *pastionem centum porcorum in silva mea, qua vocatur Perticus, & ligna ejusdem silva ad calefaciendum seu operandum, ubicunq; opus fuerit sibi, absq; ulla calumnia & consuetudine*. *Monasterium S. Aviti de Castriduno* vocat Alexander Papa suis in literis, & *lucum Pertici datum ei à Wanelene Thesaurario*, St. Martini Turonensis scribit. Avitum hunc *in vasta Pertici solitudine commorantem* vocat vetus scriptor libri, *de Vita S. Leobini Carnutensis Episcopi*, seu Fortunatus, seu quis alius: quem & *tunc temporis moratum Eremitam in Pertico*, & à Leobino juvene bis aditum, ac ibidem mortuum ait. Gregorius Turonicus Episcopus, *in libro de Gloria Confessorum*, ejusdem meminit his verbis: *Avitus Abbas Carnoteni Pagi, quem Pertensem vocant, honorificè apud Aurelianensem urbem humatus est; super quem Fideles Christiani Ecclesiam construxerunt: cumq; anniversarius ejus assumptionis dies cum summo coleretur honore, &c.* Legendum est omnino emendandumque *Perticensem*. Erat enim Avitus Abbas & Monasterium suum habebat in ea parte *pagi Perticensis*, quæ ad *Carnutes* Diœcesimque Carnutinam pertinebat, & ob id non suâ solùm & propriâ, sed etiam pagi *Carnoteni* appellatione potuit designari. Apparet igitur jam ante An. 1080. *Pertici* ac *Perticensis pagi* nomen notum ac usitatum atque literis mandatum fuisse à scriptore Gallo, cujus sedes ab ipso pago non longè aberat. Hæc regio 4. ad populos pertinet, quatuorque Diœceses, ut ait Samson. Partem ejus a iam sibi vindicant Cenomani, aliam Saii, aliam Aulerci Eburovices, aliamque Carnutes: e quibus Cenomani sunt provinciæ Lugdunensis tertiæ; Saii & Eburovices Lugdunensis secundæ; Carnutes Senoniæ seu quartæ Lugdunensis. Errant Marlianus & Samson: quorum alter Unellos pro Perticensibus habet, alter posterior Aulercos Diablintes, quem alibi refellimus. Sub Saiis sunt Bellismum, Moritonium, & Petraria, *la Perriere*, ac Curbio *Corbon*, oppida Regia vel municipia: in Diœcesi Carnutina Novigentrum Rotroci; in Cenomanica Ceto, *Ceton*, aliaque loca Pertici Goëti. Ita *Perticum* sub 3. tantum Episcopatibus esse asserit Clergerius: qui & *Perticum* dividi ait 4. in partes, in agrum Francicum, *terre Françoise*; *Perticum majorem*, *le Grand Perche*, qui & propriè *Perticus* dicatur, & Bellilmum, Moritonium, Petrariam ac Novigentrum Rotroci contineat; in *Perticum Goëti*, à Guillelmo Goeto ita dictum, aliàs *Perticum minorem*, *le Perche Goüet*, vel *Petit Perche*: ubi Aito, *Auton*, Basochia, *la Bazoche*, Mons Mirabilis, *Mommiral*, Avallocium vel Alogia, *Alvia*, & Brajectum, *Brou*, quinque Baronatus eminent. Quartam *Pertici* partem nuncupari scribit dominia distracta, *les terres demembrées*: cui parti adscribantur Castellum Novum in Teodemerensi pago, *Chasteau Neuf en Timerais*, Senonciæ, *Senonches*, Campus Rotundus, *Champ Rond*. Fuit olim sub Comitibus Trecensibus, dein ad Alenconios pervenit, postea regno unitus est hic Comitatus, Mor. Vide Ægid. Bry de la Clergerie, *Hist. de Percke*, *&c.*

Pertinaculum, in libr. 2. *de Vita Bernardi Abbatis Claravallensis*, quem Bernardus Abbas Bonæ Vallis, aut si codicibus fidem habere malumus, Arnaldus vel Hernaldus composuit, *in cap* 6. *Pertinaculi* fit mentio hisce verbis: *Itaq; apud Pertinaculum hinc & inde conveniunt*, Guillelmus videlicet Comes Pictaviæ, Abbas Claræ Vallis Bernardus, & Episcopus Carnutensis, de pace Ecclesiæ Aquitanicæ acturi. *Pertinaculum* velut à pertinacia dictum est, ut retinaculum, crepitaculum, miraculum. Mabilio Monachus pius & doctus, qui Bernardi opera ante aliquot annos magna cum cura edidit, *Partiniacum* heic legit; *Partiniacum* quoque vocat Alanus *in compendiosa Vita S. Bernardi cap* 21. alii *Partinacum*. Vulgò *Partenay* dicitur: quod est oppidum in agro Pictonico. Legi literas *Hugonis dicti Archiepiscopi, Militis, domini Partiniaci. Volventi, & Mareventi*, datas An. 1263. Volventum autem (*Vouvant*) & Mareventum *Mervant*, *Partiniaco* proxima sunt loca. *Partiniacum* & *Partiniacense castrum*, proximum *Secundiniaco castro*, (*Secondigni*) memorant literæ, Philippo apud Francos regnante datæ circa annum 1100. *Partenacum* vocant Rigordus in An. 1207. & Guillelmus Armoricus. Valesius.

Pertusa, urbs Africæ erat, Carthagini finitima. Item opp. Hisp. citer. ad Canadrum fluv. prope Oscam urbem, hodieque *Pertusa*, inter Oscam & Montionem, ab Ilerda 50. mill. pass. Antonius Ferrarius.

Perusa, opp. Pedemontii, cum arce munita, unde Valli nomen, ad rad. Alpium, juxta Clusonem amnem. Hic, ob religionem, in incolas sævitum, An. 1561. Vide Thuani *Hist.* Legeri *Hist. Valdens. &c.* Nunc sub Gallis, ab Ann. 1631. vix 3. mill. à Pinarolo in Boream.

Perusia, antiquissima urbs Hetruriæ, hodie Episcop. à quo ager Perusinus nomen accepit. Urbis initia Marius Podianus hæc commemorat; Noë, inquit, quem antiquitas Janum vocavit, in Italiam, post universale diluvium profectus & in lævam Tiberis egressus, coloniis 12. seu pagis hoc situ, qui *Umbria* vocatur, conditis, vicum dehinc his in collibus ædificavit ex tuguriis, nomine indito *Turrena Augustalis*, seu Principalis: Id est, locus quem nunc *Burneam* corruptè, pro *Turnea*, seu *Turrena* Perusini nominant: Vallis subjecta quæ inter hunc collem & propinquum, in quo dein alia civitatis pars condita intererat, *Vallis Jani* dicta, a

nuar

nunc corruptè *Vallianum* appellatur. Hæc tantæ urbis initia fuere 161. post universale diluvium anno: dein 121. Ano. elapsis, magno incremento loci, altero in colle, qui contentus erat, ubi nunc *Mons Solis* dicitur, ædificia quoque construxere Armenii, Janigeni, Gryphonii cum filiis & nepotibus huc ex Armenia profecti, comiterque ab Armenio Janigeni recepti, à quo collem hunc colendum sumpsere, quem domiciliis ædificatum *Perusiam* dixere, seu *Gryphoniam*, idem enim lingua Scythica significat, ipsamque gentem Perusinos seu Gryphonios ab insigni *Gryphi*, quod ejus gentis Janigenarum erat, & Perusini ad hunc usque diem conservarunt. Sita autem est Perusia in monte Apennino, majori agri parte frugiferis & amœnis assurgente collibus; naturâ loci, urbs & arce, à Paulo III. ibi extructâ, permunita est, nobilibus ædificiis nitens, itemque nobili ac largo fonte, qui medium urbis habet. In hac L. Anton. ab Oct. Augusto obsessus, cùm extremâ fame laboraret, coactus est deditionem facere. Hinc *Perusina fames*, Prov. Lucan. *lib.* 1.

Has, Cæsar, Perusina fames, Mutinaq; labores
Accedant fatis. —— ——

Baudrando *Perusia*, urbs est in ea parte Hetruriæ, quæ paret Pontifici Rom. caput agri Perusini. Arcem habet munitam, estque ampla & culta, 12. mill. ab Assisio in Occ. 28. ab Oropito, seu Urbevetо in Bor. Urbinum versùs 40. Ab ea lacus Trasimenus 9. mill. inde distans, hodie dicitur lacus Perusinus, *Lago di Perugia*, cujus circuitus est 22. mill. habetque tres insulas. Perusinorum 4500. cæsos à Romanis, Publio Decio Consule, scripsit Livius *dec.* 1. *lib.* 10. Postea arsit Civili bello, de quo supra: Dein à Totila Gothorum Reg. integrum septennium obsessa, capta, destructa; à Narsete recepta & reparata est: Postmodum sub Longobardis fuit, donec à Galliæ Regibus Pontificiæ sedi donata est. Plurimum Guelphorum Gibellinorumque dissidiis passa. Sedes Legati. Vide Plin. Liv. Tacit. Clem. Alexandr. &c. Hic Academia quoque celebris. Adde Leandr. Alb. *descr. Italiæ.* Incolæ *Perusini.* Trogus *lib.* 20. *Perusinos originem ab Achæis ducunt.* Straboni, Ptolemæo, ac Dioni Περουσία; Diodoro, Appiano, ac Procopio Περουσία; Stephano Περουσινοι dicitur. Hodie *Perugia* dicitur.

Perusinus ager, vulgò *il Perugino* incolis, tractus est Hetruriæ, in ditione Pontificia, inter Tiberim fluvium & Umbriam ad ortum, & Clanim pa ndem ac agrum Florentinum ad occasum: sic dictus à Perusia ejus urbe primaria.

Peruvia, vulgò *le Perou* Gallis, *Peru* Hispanis, regio perampla, plurimis auri & argenti fodinis nobilitata, & aliàs regnum potentissimum Americæ meridionalis, quæ inde etiam persæpe dicitur *Peruviana.* Peruvia autem Reges aurea habuit proprios, Incas dictos, per An 600. nunc autem subest dominio Hispanorum. Vide infra. Ejus longitudo à septentrione in meridiem est circiter 600. leucarum versus oram maris Pacifici, latitudo autem 90. circiter ab ortu in occasum, seu à montibus ad mare Pacificum, quanquam in aliquot locis sit strictior seu major. Terminatur à septentrione Præfecturâ Popajan, à meridie regno Ciles, ab occasu mari Pacifico seu Austrino, ad ortum verò habet regiones pro majori parte incognitas. Dividitur ab Hispanis in tres partes seu Præfecturas, suntque Præfectura Regum, *Audiença de los Reyes*, quæ in medio, ubi urbs Regum, Cuscum, & Peruvia regio propria, quæ perampla, & à septentrione in meridiem in duas partes secta Andibus montibus. Præfectura Quiti ad Boream, *Audiença de Quito*, ubi provinciæ Quitoa, Quixorum, & Pacamorum: & Præfectura Charcarum, *Audiença de los Charcas*, quæ etiam *de la Plata* dicitur, estque versus meridiem porrecta, ubi provinciæ Chica, Charcarum & Montana. Totius regionis caput erat Cuscum aliàs, nunc Civitas Regum seu Lima, ubi residet Prorex. Primùm detecta fuit An. 1525. à Pizarro Hispano, qui, discordiâ civili collisis fratribus duobus regionem occupavit, Atabalippâ Rege, contra fidem datam, strangulato, in id furoris Hispanos insatiabili auri cupiditate agente: sed dedit mox perfidiæ pœnas Pizarrus, ut suo loco videre est. Satis civiles ibi populi, Solem adorabant, hocque majorem quendam Deum, nomine *Pachacamac.* De ea mira narrantur apud omnes auctores, uti de ejus fertilitate, templis, viis publicis, & Imperio ante Hispanorum adventum. Tum enim omnis domestica supellex ex auro, quo domus quoque intectæ erant: nec mirum cùm sola aurifodina Potocina incredibilem hujus metalli vim Hispaniæ Regi quotannis exhibeat. Videantur Linscot. *in Amer.* Garcilassus, Herrera, Acosta, Marianus, Laëtius, Prudentius Sandavol. *in Vita Caroli V.* Spondus, *An. Chr.* 152 num 20. & alii.

Peruviæ urbes præcipuæ:

Arequipa, *Arequipa.*	Guamanga, *Guamanga*
Argentina, *la Plata.*	Guancabilica, *Guancabilica*
Arica, *Arica.*	Guayaquilum, *S. Jago de Guayaquil*
Barca, *Barza.*	Pax, *la Paz.*
Civitas Regum seu Lima, *Los Reyes ò Lima.*	Portus Vetus, *Puerto Viejo.*
Cuscum, *Cusco.*	Potosium, *Potosi.*
Fanum Sanctæ Crucis de Monte, *S. Cruz de la Sierra.*	Quitum, *Saint Francisco de el Quito.*
Fanum S. Michaëlis, *S. Miguel.*	Trugillum, *Truxillo.*

Pescennius, vir Ciceroni perbenevolus; ut ipse ait, scribens Terentiæ uxori *libr.* 14. *Fam. epist.* 4. *Pescennius est perbenevolus nobis, quem semper spero tui fore observantem.*

Pescennius Festus, Historicus, apud Lactant. Firm. *de fals. rel. lib.* 1. *cap.* 21.

Pescennius Niger, Imper. Roman. cujus vitam scripsit Ælianus. Vide *Niger.*

Pesclavium, opp. Rhætiæ, apud Ort. Adduæ fluv. inter Tiranum 15. & Pontem Rasinum 20 m. p. Curiam versus; *Puschlauff*, Ital. *Pusciavo*, in valle Tellina, non obscurum.

Pesendia, Æthiopiæ sub Ægypto gens, Ptol.

Pesici, Hispan. Tarraconensis popul. in orâ maris Cantabrici. *Pæsici* Ptolem. quorum urbs Flavionavia, *S. Ander*, in ora, inter Laredum ad Ort. 8. & Santillanam ad Occ. 5. leuc.

Pessinus, untis, *Possene* Theveto, urbs Galatiæ in Phrygiæ magnæ confin. cui adscribitur à Livio, sub Agdisti monte, in quo Atys tumulatus creditur, teste Pausaniâ *in Atticis*, ad confluentes Galli fluv. in Sangarium, vix 50. m. p. ab Ancyra in Mer. uti 30. à Therma. P. de la Ruë, hodie locus ignobilis, in tractu *Chiangare*, teste Castaldo. Hic Cybele, cujus simulachrum augustum ibi habebatur, culta est, quæ idcirco *Pessinuntica* dicta fuit, teste Apulejo. Meminere ejus Strabo *lib.* 12. & Livius *lib.* 29. *Civitatem eo tempore recens religio invaserat, invento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cœlo lapidatum inspectis. Quandocunque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italiâ, vincique posse, si mater Idæa Pessinunte Romam advecta esset.* Idem ibidem: *Oratores Romani Pergamum ad Regem* (Attalum) *venerunt. Is legatos comiter acceptos, Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrumque iis lapidem, quem matrem Deûm esse incolæ dicebant, tradidit, & deportare Romam jussit.* In cujus honorem ludi Megalesii instituti. Fuit autem simulachrum à Scipione Nasica, optimo Romanorum judicato, exceptum. Herod. *lib.* 1. Αὐτὸ μὲν τὸ ἄγαλμα Διοπετὲς, ὥς λέγουσι· οὔτε γὰρ τὴν ὕλην, οὔτε τεχνίτην ὅστις ἐποίησε γινωσκόμενον, οὐδὲ ψαυστὸν χειρὸς ἀνθρωπίνης. Τοῦτο δὲ πάλαι ἐξ οὐρανοῦ κατενεχθῆναι λόγος εἴς τινα τῆς Φρυγίας χῶρον. Πεσινοῦς δὲ ὄνομα αὐτῷ, τὴν δὲ προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ οὐρανοῦ πρῶτον ἐκεῖσε ὀφθῆναι. Quæ sequuntur, Latinè auscribam: *Licèt apud alios compertum, pugnam illic Ilum Phryga, Tantalumque Lydum inter se conseruisse, sive de viâ ortam, sive potius ob raptum Ganymedis. Cumque diu æquis viribus decertatum foret, ac permulti utrinque cecidissent, nomen ex eâ clade loco esse impositum. Hic etiam fama fert Ganymedem, ipsum trahentibus in diversa germani, atque amatoris manibus, vitâ esse orbatum, sublatumque è medio, pro calamitatis solatio, relatâ ad Jovem raptorem fabulâ, divinis fuisse honoribus affectum. In hoc, quem diximus, Pessinunte, Phryges olim Orgia celebrant, ad ipsum fluvium Gallum, à quo etiam evirati Deæ sacerdotes cognominantur. Sed ubi res Romana crevit, responso accepto, mansurum imperium, atque ad summam auctum iri, si Pessinuntiam Deam ad se transferrent: missi in Phrygiam legati sunt petitum Deæ simulachrum. Quod quidem facile concessum est, consanguineos se dictitantibus, atque oriundos ab Æneâ Phryge. Quum itaque navigio devectum simulacrum ad ipsas Tiberis fauces appulisset, quibus tum Romani vice portuum utebantur, confestim divinâ quadam vi navigium substitit, neque ullis Romani pop. certatim trahentis moveri viribus potuit, donec Vestalis Sacerdos adesset. Ea, cùm virginitatem perpetuò servandam polluisse falsò argueretur, damnationem metuens, supplex petiit à populo, ut judicium de se Deæ Pessinuntiæ committerent. Quo impetrato, zonam recinxit, clarè precata, ut si intemeratam se esse, ac virginem Dea sciret, navim progredi juberet. Quæ ubi dixit, statim alligatam zonam manu ducta navis sequi cœpit. Ita sunt pariter Romani manifestam numinis divinitatem, atque innocentiam virginis admirati.* Hæc Herodianus.

Pesium, Jazygum Metanastarum urbs, Ptolem.

Pestum, vide *Pæstum.*

Pestum, vulgò *Pesth*, urbs Hungar. ad Danub è regione Budæ, in planitie, sub Turcis; aliàs munita, caput Comit. Pestensis, qui inter Comitatus Zolnacensem ad Ort. Pelysiensem ad Occ. Novigradensem ad Bor. & Tolnensem ad Mer.

Pesuri, pop. Lusitaniæ, Plin. Quorum tractus *la Comarca di Covilhan*, teste Resendio, apud Tagum & Cudam fluv.

Petalia, Eubœæ urbs, Strabo.

Petaliæ, insulæ quatuor in Euripo Euboico. Plin. apud urb. Chalcidem, in aditu ipsius Euripi, è regione Atalantis, ad egressum Euripi, Ferrar.

Petalus, unus ex iis, qui in aulâ Cephei regis, Perseo vim inferre conati, ceciderunt. Ovid. *Met.* 5.

Petalus irridens, Stygias cane cætera, dixit.

Petanium, seu *us*, insula Lusitaniæ, *Perzguero*, I. Marianæ, aliis *Pesegueiro*, in ora Occid. inter Villam Formosam & Sinium oppidum.

Petas, nomen Comici servi, sicut Sosias ac Xanthias. Vide Schol. in Aristoph. Acharn.

Petavonium, *Superatiorum* dictum, opp. Asturum cis mont. in Hispan. Tarracon. Ptolem. *Venenza* hodie Ambr. Morali. Ubi nunc vicus *Vaneça*, in tractu *Tierra Cabrera de Leon*, in regno Legionensi, in limite Gallæciæ. Baudr.

Petelia, Lucanorum metropolis, occurrit apud Samnites, quà Romà in Græciam pedestri itinere itur. Strabo *lib.* 6. hodie *Policastro.* Baudrando urbs Brutiorum olim, nunc *Policastro*, castrum parv. in Calabria ulter. versus montes, & fontes Tacinæ amnis.

Petelinus lucus, apud Romam erat, extra portam Flumentanam. Liv. Plut. hodie nihil ejus apparet.

Petellides Gnosius, historias composuisse dicitur Hygino in *Poët. Astronom*, quo loco de Arctophylace tractat.

Petenisus, Galatiæ opp. Ptolem.

Peteon, urbs Bœotiæ, Stephan.

Petesucus, Rex Ægypti, qui primus in Heracleopolite domo ædificavit Labyrinthum, Plin. 36. 13.

Petigores, pars Circassiorum; qu. *Pient Zeorstki*, Polon. id est, incolæ 5. montium. Sunt juris sui, sub Principibus plurimis; De nomine Christiani. Eorum regio est inter Mæotidem Pal. Pontum Euxinum & Colchidem, versus Tanaim & Verdanum fluvios; tota montibus sylvisque maximis horrens.

Petilia, Plinio, Ptolemæo, ac Stephano, Magnæ Græciæ urbs, non procul à Lacinio promontorio; à Philoctete condita, ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, ut volunt, id est, *à volando*, quòd ex volatu avium sumpto augurio, ibi futuræ urbi locus sit delectus, inter Siberinam ad Ort. 9. m. p. & Tabernam ad Occ. 10. 12. mill. ab ora Sinus Scyllacei in Bor. uti 6. ab urbe Belcastro, quæ ex ejus ruinis crevit, 90. ferè in Cæc. à Policastro, urbe Lucaniæ, sed L. Holstenio *Petilia* fuit, ubi nunc *Strongoli* urbs Episc. Calabriæ. Virg. *Æn.* 3.

Parva Philoctete subnixa Petilia muro.

Πετηλία Straboni. Vide *Petelia*.

Petilianum, oppid. permunitum Hetruriæ, in confinio ditionis Pontific. Antè proprios habuit Comites è Famil. Sfortia, nunc à M. D. Hetruriæ emptum; vix 5 mill. à Soana in Ort. 12. ab Acula in Afr. Orbetellum versus circ. 30.

Petilianus, Pseudoepiscopus Cirthæ, in Africa, Donatistarum errores tuitus, illos, qui ob peccatum se occiderent, veros martyres esse docuit. Loquax, sed ingenio & eruditione mediocri. In celebri illo colloquio, cui Augustinus interfuit, Ann. 411, Donatistarum caput.

Petilii, Tribuni plebis, qui P. Cornelio Scipioni Africano diem de Repetundis dixerunt.

Petilius, scriba qui in agro suo septem libros Pontificum Latinos totidemque Græcos invenit: sed postea septem Græci à Petilio Prætore Urbani cremati sunt: Latini magnâ diligentiâ servati.

Petillius Cerialis, legionis nonæ in Britannia legatus; postea bellum Germanicum sub Vespasiano administravit. Agresti cultu & notitiâ locorum custodias Vitellii elapsus. Tac. *Hist.* 3. 59.

Petina, vide *Ælia*.

Petina, urbec. Istriæ, *Pedena*, Episcop. sub. Patr. Aquil. Prope fontes Arsiæ fluv. sub Imperatore, 22. mill. à Pola in Bor. 30. à Justinopoli in Eur. uti 15. ab Alpibus & confinio Germ.

Petinesca, seu *Petinisca*, est *Biel*, seu *Bienne*, opp. olim Sequanorum, nunc Helvetiorum, ad lacum Biellensem, 6. mill. Germ. à Friburgo in Bor. Basileam versus, 4. à Soloduro in Occid. Novocastrum versus. Baudrand. ex Cluverio. Guillimanno est oppidul. *Büren*, in ditione Bernensium, ad Arolam situm. Gaudardo *Petinesca*, vel potius *Pedinesca* eò loci fuit, ubi hodie est viculus *Tribey*, medio scil. Aventico Salodurum usque itinere, non procul à Nidovio, inter Arolam, & fluv. Telam; pagosque *Jens* & *Schvvanden*, quousque olim per mediam paludem, antiqua illa Romanorum via, (quæ hodieque aliquibus in locis integra apparet, vulgò *der Heyden Weg*, *der Römer Weg*, *das hoch Gestrass*,) in lineâ rectâ pertingebat. Quod probatur ex nomine *Tribey*, quasi Tripes, ex ruderibus ædificiorum, ruinis veteris cujusdam arcis, variis numismatis ibi repertis, loci commoditate, fossa ex vicina Arula omnis generis mercibus advehendis opportuna, &c. Vide Johan, Baptist. Plantinum *Helv. Nov. Antiq.*

Petirgala, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Petitius Rufus, Prætorius, qui cupidine consulatus per Sejanum adipiscendi, cujus voluntas non nisi scelere quærebatur, sceleratè Titium Sabinum, amicum domûs Germanici, pervertit. Tacitus *lib.* 4. *cap.* 68.

Petitus Samuel, Gallus. Edidit inter alia, *Leges Atticas, cum libero Commentario*: Opus Juris, Literarum & Rei antiquariæ studiosis utilissimum, quod inscripsit Franc. Augusto Thuano. Prodiit illud Parisiis An. 1635 in fol.

Petrverius castrum, Ludovicus, cognomine Crassus Francorum Rex, in literis datis An. 1119. inter Prioratus 45. Cluniacensis Monasterii in Regno suo positos, ante annos 600. numerat *Prioratum de Petiveris*: quam *Ecclesiam S. Petri Pituerensis* in literis An. 1130. idem nuncupat; *Ecclesiam de Petuerio* appellat Honorius PP. II. in literis An. 1125. *Belsa Pituerienss* nomen suum dedit hic locus, ut Autricum Carnutum *Belsa Carnotensi*, Castellum Dunum, *Belsa Dunensi*, ut in Belsa notavi. In literis Leonis PP. VI. inter villas Ecclesiæ Aurelianensis S. Crucis *Petuerius* numeratur. In literis Eugenii PP. III. datis Ann. 1150. *Ecclesia S. Georgii Piviverensis*, *castrum Piveris*, & *Piverum Vetus* ad Ecclesiam Aurelianensem pertinere dicuntur. Anastasius Papa *pagi Pitverensis*, & *castri* à quo nomen habet, meminit. *In pago Pituerensi, tàm in castro quàm juxta castrum.* In literis Caroli Calvi Franc. Regis *Pedeverius* vocatur, uti suprà *Petuerius* non semel, in Hugonis Regis Franc. tabulis *curtis Peduerius*. Legi litteras Philippi Francorum Regis An. 1089. datas, in quibus hæc verba reperi: *In possessione super vadum Pitueris Ecclesiam unam.* Ludovicus Franciæ Rex, Philippi filius, *Pontem Piveris* memorat, atque Ecclesiam eo in loco ad Cluniacum pertinentem; literæ Joh. Aurelianensis Episcopi, quibus Odo Archidiaconus Maudunensis subscripsit; *Ecclesiam S. Petri Pitueris*. Incertus Monachus Floricensis *in libri de Miraculis S. Benedicti*, *cap.* 32. *Bosonis Villa quadam*, *S. Patris nostri* (*Benedicti Floriacensis*) *dicitur possessio, juxta castrum quod Petueris vocatur*, *sita*: & *in cap.* 11. *Tescelinum Petuerensem virum Nobilem* appellat, qui sub se Milites haberet. Variè ergo à variis appellatur, & diversas accipit terminationes, *Petveris*, *Pitiveris*, *Pedeverius*, *Peduerius*, *Petuerius*, *Pituerius*, *Pitueris*, *Petueris*, *Piveris*, *Piverum*: & nunc *villa*, aut (quod idem est) *curtis* cognominatur; nunc *castrum* nobiliore titulo nuncupatur. *Petveris*, *Pitveris*, *Pitueris*, aut *Petueris*, vel declinatur ut navis, & turris: vel certè est sextus casus pluralis à recto *Petiverei*, & declinatur sicuti Aureliani, Turoni, Parisii. Hoc castrum haud dubiè dictum est ab amniculo *Pituere*, cui pontem habet impositum: cùm suprà *vadum Pitueris*, & *Pontem Piveris*, de alio quàm de amne castri Pituerensis accipere non possimus. Vulgò dicitur *Putiviers*, & vicus ei proximus *Putiviers le Vieil*, ante An 520. *Piverum Vetus* Eugenio Pontif. III. suprà dictus. *Petiviers*, & *Pitiviers* alii scribunt rectius: pro quo plerique *Pluviers* mendosè efferunt. Ab eo castro nomen accepit *pagus Petiverensis*, vel *Pituerensis*, Carolo Calvo aliisque memoratus, *le Pitueras*: in quo est *Joviacum* cum Ecclesia S. Andreæ Ecclesia Baptismali, *Jouy en Pitueras* vulgò dictum. Ab eodem castrò cognominata est olim pars Belsiæ *Belsa Pituerensis*. Inter sex Ecclesiæ Aurelianensis Archidiaconatus secundum locum tenet *Archidiaconatus Pitverensis*, uni Archidiaconatui majori, seu Aurelianensi postpositus, prælatus cæteris, nimirum Archidiaconatui Belsæ, Archidiaconatui Secaloniæ, Balgentiacensi, & Solliacensi. Valesius *Notit Gall.*

Petnelissus, vide *Pednelissus*.

Petorsi, magna & populosa gens Libyæ, Steph.

Petosiru, Ægyptius Mathematicus insignis, Plinius *lib.* 7. *cap.* 48. Juvenal. *Sat.* 6.

—— *Capiendo nulla videtur*
Aptior hora cibi, nisi quam dederit Petosiris.

Petovio, Col. & urbs Pannoniæ sup. in Stiria ad Dravum fluv. *Petavium* Ptolemæo, *Petobio* Ammiano, *Pœtovio* Appiano & Antonino, vulgò *Pettavv* Lazio & Rhenano, Baudrando urbs Stiriæ infer. in ipso limine Sclavoniæ, sub Arch. tamen Salisburg. 9. leuc. à Celeja in Cæc. totidem à confin. Hungariæ in Occ. *Volpia Petavio*, in vet. inscr. apud Card. Barberinum; *C. Julio C. f. Petavione*, &c.

Petra, cognomentum Equitum Illustrium Romanorum, à Suilio rei Valerio Asiatico additi, quòd domum suam Mnesteris & Poppææ congressibus præbuissent. Tacit. 11. 4.

Petra, seu *Petra deserti*; Arabiæ op. Nabatæorum metropolis, unde ea pars *Petræa* nuncupatur. Steph. Dicta fuit demum Cyriacopolis & Mons Regalis, undè hodie *Krach de Montreal*. Olim Archiep. sub Patr. Hierosolymitano, cùm prius sub Alexandrino fuisset. V. Plin. *lib.* 6. *cap.* 28. Strab. *lib.* 16. Ptol. &c.

Petra, Urbs Moabitarum, forsan Rabba.

Petra, op. Siciliæ, Πέτρα πόλις, teste Ptolemæo. Oppidani Diodoro Πετρῖνοι, unde Ciceroni & Plinio *Petrini*, *Petrenses* verò Solino *cap.* 11. *Stagnum Petrensium*, inquit; *serpentibus noxium est*, *hominibus salutare*. Silio *lib.* 14. hoc op. derivativo vocabulo dicitur *Petraa* Sic enim ille;

Romanos Petraa duces, Romana petivit
Fœdera Callipolis, lapidisq; Engyon artus.

Ptolemæus, magnus totius Orbis terrarum, non tantùm Siciliæ, turbator, rectè quidem Petram Engyo ab occasu opposuit, at malè ac perperam utrumque opidum inter Ennam & Syracusas locavit. Hodie *Petraglia* vocatur; teste Cluverio, qui plures *Petras* in hâc insulâ olim fuisse; & etiamnum esse affirmat.

Petra, op. Macedoniæ in orâ maris Jonii apud Dyrrhachium, *Lachi*, teste Nigro. Ejus meminit Lucanus *lib.* 6. *vers.* 16. & 70.

Petra Divisionis; petra est in deserto Maon; rupes maxima, in qua David cum suis à Saulo & exercitu ejus, in modum coronæ cinctus; ob subitam & inexpectatam Philistinorum irruptionem liberatus est.

Petra Ficta, vulgò *Pierre Fite*, vicus pagi Parisini; inter Ecclesias ad Monasterium S. Dionysii pertinentes, &c. V. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Petra Honorii, aliter *Britinorium*, urbs Romandiolæ, 8. mill à confin. magni Ducis Hetruriæ, 18. mill. à Ravenna, 8. à Cæsena in Occ. uti 17. à Faventia; satis parva, in colle; *Bertinoro*.

Petra Incisa, opp. Palæstinæ, in ora, inter Cæsaream ad mer. 10. & Carmelum ad Bor. 22. m. p. Hodie *Castel Pelegrino*.

Petra Incisa, castrum parv. Lugduni, in rupe excelsa, ad Ararim, situ munitum, *Pierre encise*.

Petra Lata, vulgò *Pierre Laie*, seu *Pierre Lée*, vicus pagi Parisiensis, cui nomen petra dedit latitudine notabilis. In decanatu Montis Maurentiaci. V. Valesium *Notit. Gall.*

Petra Maricorum, Merulæ *Pietra de Merazzi*, vel *di Mariti*, opp. Liguriæ, apud Tanarum fluv. ab Alexandria 5. m. pass. Ticinum versus fere 30.

Petra Oreb, ab Oreb, principe Madianitarum, in tribu Ephraim, circa illam occiso,

Petra Pertusa, V. *Porta Raurica.*

Petra Sancta, ol. *Fanum Feroniæ* Brietio, oppidul. Sub M. Hetruriæ D. in ora maris Tyrrh. infra fines ditionis Lucensis, 15. m. p. à Luca in Occ. Sarzanam versus.

Petrachus, Plut. *Petrochous*, mons seu montis crepido, Bœotiæ Cheroneæ urbi imminens.

Petra magna portus, in ora Marmaricæ, inter Ardanim prom. & Panormum port. à Creta 500. m. p. in Mer. haud procul à Catabathmo. Ptol. *Portus magnus*, Strab.

Petra parva portus, in ora Marmar. ad Occ. inter Batrachum portum & Antipyrgum. Ptol.

Petra Pons, Pons *Petreus*, & Petræ *Fons*. Frodoardus *in Chronico*, ejus loci meminit his verbis: An. 938. *Gulebertus cum Lotharienfibus Hugoni & Heriberto venit in adjutorium contra Regem Ludovicum: castrumq; Petrapontem vi capiunt.* Castrum hoc à ponticulo lapideo nomen videtur accepisse, positumque est ad amniculum in pago Laudunensi, non longè à Letia, *Liesse*, ac *Pierrepont* etiamnum dicitur. Alter est *Petra Pons* in pago Picardiæ Santeriensi, inter Gornacum ad Aronam & Montem Desiderii: qui nunc in vicum redactus, vulgò *Pierre pont* nuncupatur. Tertius est *Petreus Pons* aut *Petra Pons* in pago Ducatuque Barrensi. *Petræ Pons* à Frodoardo memoratus, postea *Petri Pons* dici occœpit, & ejus incolæ *Petripontenses*. Certè Guibertus Abbas Novigenti de Vita sua *Montiacutanos*, *Petripontenses*, *Feranos*, *Codiciacenses* junctim commemorans, non alios quàm *castri Petrapontis* ab Frodoardo celebrati incolas *Petripontensium* nomine designavit. Alius est *Pons Petreus*, Gregorio Turonico Episcopo memoratus in *lib. 5. cap. 18.* Guntchramni & Childeberti Regum colloquio an. 577. habito nobilis, in confinio Burgundiæ atque Austriæ: *Qui ad Pontem quem Petreum vocant conjuncti sunt, consalutantes se.* Iste *Pons Petreus*, Nostris vocatur *Pontpierre*, positusque est ad flumen Mosam inter castella Motam (*la Mote*) & Novum Castellum, (*Neuf Chastel*) vicus nunc ignobilis in silva ac monte Vosago. *Petra Fons* locus est in Suessionibus pagoque Vadensi; hodieque *Pierrefons*, aliàs *Pierrefont* vocatus, à fonte qui è petra vel saxo oriebatur, cognomen trahens. In litteris an. 1178. datis *dominum Petræ Fontis* reperio ante annos ferè quingentos. *Petræfons* in quodam Polyptycho dicitur, in quo *Prioratus S. Sulpicii de Petra Fonte, in Diœcesi Suessionensi* memoratur. Est & *Petra Fons* vel *Petreus Fons*, locus in Sequanis Comitatuque Burgundiæ, *Pierrefontaine*. Had. Vales. *in Notit. Gall.*

Petra Sirenum, V. *Sirenussæ*.

Petræa, nympha, Oceani ac Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.*

Petram, urbs Lazica, quæ etiam *Justinianea* appellatur à Justin. Imp. quod ex ejusdem Novellis annotavit Stukius.

Petrarcha Franciscus, sui seculi Phœnix Philos. Orator & Poëta celeberrimus, qui literas humanitatis, post longa silentia, mortuas ab inferis revocavit; filius Petrarchæ Parentini, ex Brigitta vel Lieta Carrigiana, qui ambo Florentini, è patria, Guelphorum Gibellinorumque dissidiis pulsi, Aretium commigrarant, edito ibi in lucem filio hoc, An. 1304. V. ipsummet, *in epist. ad Posterit.* Postea Avenionem, ubi tum Pontificum sedes, delati, filium Carpentoractum miserunt, Grammaticæ, Rhetoricæ & Dialecticæ vacaturum. Hìc quadriennio exacto, Monspelium venit, & Bononiam, quadriennio rursus ibi, triennio illic studio juris dato, Avenionem inde ann. æt. 22. rediit: in Galliam hinc, & Germ. excursione factà, Romam pervenit; illiusque moribus accuratè perspectis, illam *Babylonem* esse agnovit: eodem tempore, quo Brigitta in Papatum acriter declamavit. V. Petrarch. & Mornæum, *in Myster.* p. 1074. Avenionem redux, in vicino secessu, Lauræ innotuit, scriptis ejus tantopere celebratæ: Hìc Bucolicis suis, hìc libb. 2. de vita Solitaria, hìc Africà, quod poëma est in laudem Scipionis Africani compositum, &c. editis. Eodem dein tempore Romam, Parisiosque vocatus, ut Laurum utrobique capesseret, illam prætulit, suasu Columnæ amici; quò cùm iret, Neapoli à Roberto Bono R. magnificè exceptus, rogatusque est, ut ipsi Africam suam inscriberet. Romæ ergo coronatus, omnibus sui seculi admirationi, Principumque deliciis fuit. Archidiaconatum Parmæ favore Dominorum Corregii nactus; varios Episcopatus, imo purpuram à Papa, hac conditione, ut sibi sororis pudicitiam prostitueret, oblatam, quod frater dein, sed promisso frustratus fecisse legitur, magnanimus respuit: in mores & vitia, tum in Ecclesia grassantia, passim gravissimè invectus, ut ejus opera *incastrata* satis superque: imò fortè magis *castrata* testantur. Galliæ, post obitum Lauræ, pertæsus, rediit in Italiam, à Vicecomite Galeatio intimis consiliis adhibitus, Pataviique Canonicatum impetravit. Domo post hæc, in loco, *Arqua* dicto, emtà, ibi cum Asserigo amico quinquennium degit: à Florentinis, tum misso Boccatio, & paternorum bonorum restitutione promissà, frustra revocatus, Philosophicis enim & Poeticis suis scriptis ibi ad umbilicum perductis, paulo pòst Obiit, An. 1374. V. præter opera ejus, Pogg. Florent. *hist. de avar.* Boccat. *Præf. Geneal. Deor. & alibi.* Volaterran. *lib.* 12. *Anthrop.* Jac. Bergom. *lib.* 13. *Chron. suppl.* Paul. Jov. & Papyr. Masson. *in elog.* Trithemium, Bellarminum, *de Script. Eccl.* Lil. Giraldum, Scaliger. Crinitum, Possevinum, Leandr. Albert, Erasm. Vossium, Possev. Scard. &c. inprimis Jac. Phil. Thomasinum. *in Petrarcha Redivivo*, Grenallium, *le Sage resolu &c.*

Petraria, V. *Pera.*

Petrejus Atinas, Cimbrico bello primipilus sub Qu. Catulo, exclusam ab eo legionem suam hortatus, Trib. suum dubitantem per castra hostium erumpere, interfecit, legionemq; eduxit: donatus propterea coronâ gramineâ ob servatum exercitum. Plin. 22. 6.

Petrejus, Legatus sub C Antonio Cos. Catilinam vicit, & occidit. Legatus Cæsaris in Galliâ multa præclara gessit. Post à Cæsare, cum Pompeji partes secutus esset, primum in Hispaniâ, iterum deinde in Africâ victus cum rege Jubâ, se cum eodem mutuis vulneribus confecit. Cæsar. Sallust. Appianus.

Petrejus, prænomine *Marcus*, in exercitu Cæsaris in Galliâ legionis 8. Centurio, dum Gergoviæ portas exscindere conabatur, à multitudine oppressus, morte suâ manipularibus effugium dedit. Cæsar *Comment.* 7. 50. alii libri *Petronius* habent.

Petrejus, Thessaliæ nobil. fovit Cæs. partes. Cæs *lib.* 3. *civ.* 35.

Petri Johannes, Langendorfensis, Chalcographus apud Basilienses celebris, diligentiâ & dexteritate suâ plurimis ad idem studium excitatis, Obiit An. 1511. à Johanne Frobenio inscriptione sepulchrali honoratus. Ejus ex fratre nepos Adamus *Petri*, utriusque Fœd. libros à Luthero translatos, typis exscripsit, piorumque desiderio primus satisfecit: Basileæ. Obiit, An. C. 1527.

Petriana, Camdeno *Peteril*, opp. Cumbriæ, apud Carleolum urb. & Itunam fl.

Petricovia, oppidul. Poloniæ inf. in Palatin. Siradiensi, ubi comitia ad lites Nobilium componendas, hyberno tempore. Vix 2. leuc. à Pileza fl. 4. à confin. Poloniæ sup. 2. à Suadia in Ort. satis elegans & cultum, in paludoso loco An. 1640. fere totum deflagravit. Ibi aliàs palatium fuit regium, sed vetustate collapsum. Hìc varia concilia. Comitiis ibidem celebratis An. 1552. Raphaël Lefzczinius, Prætor Radzzeioviensis, qui ad Reformatos transierat, gravi oratione ad Regem habitâ, liberrimè mores Prælulum taxavit, quibus causâ proin cadentibus, plurimi ad Evangelicam Religionem secesserunt. Virgil. Musæus *de Evangel. Or. in Pol.* Joch. Bielskius *Chron. Pol. lib.* 5. *p.* 594. Iterum An. 1578. Synodo hic habitâ Ecclesiarum Poloniæ maj. & Lithuaniæ, mutus ac confirmatus consensus est. Cont. *Eccl. Polon.* Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Petrina, Urbs Croatiæ munita in limite Turcico ad Colapim fl. sub Austriacis. Capta & fortiter recepta.

Petrinum, op. cum arce Campaniæ apud Sinuessam urb. excisam. Horat. *Ep. lib.* 1. *ad Torquatum:*

Vina bibes iterum Tauro diffusa, palustres
Inter Minturnas, Sinuessanumq; Petrinum.

Rocha di M. Dragone, teste Cluverio. *Petrinum* etiam, inquit Ferrarius, op. amplum Salentinorum apud Neritum urb. 3. m. p. distans, Aletium versus 13.

Petroburgum, urbs Angliæ episc. inter Bedfordiam 24. & Lincolniam 40. mill. Vulgò *Peterborough*, ad Ninum fl. in Comit. Northantoniæ, 34. mill. Angl. à Lincolnia in Mer. Huntingdoniam versus 13. paulo plus ab ora Oceani Germ. in Afr. Baudr.

Petrocia, vulgò *Peirusse*, vetustissimum castrum Arverniæ sup. bello contra Waifarium, Aquitanorum Ducem à Pipino Francorum R. captum. Eginhardus *Annal. An.* 767.

Petrocoriensis prov. Aquitaniæ, satis ampla, irrigua, montosa quidem & aspera, fertilis tamen: fontibus salubribus abundans, metallorum ferax. Sub Comitibus propriis, usque ad Carolum VI. sub quo Duci Aurelian. concessa, postea coronæ unita est. Inter Lemovicensem & Caduic. prov. ad Ort. Ingulismensem ad Bor. Agennensem ad mer. & Santonensem ad Occ. Ejus Urbes præc. Sarlatum, Bergeracum, & caput, *Petrocorium* seu Vesunna, an à Venere ibi cultas? quæ satis ampla & culta, Episc. ad Illam fluv. sedet, 2. leuc. à Burdegala in Cæc. Lemovicum versus, 13. à Tutela in Occ. 10. ab Inculisma in Mer. Inscriptionibus, Amphitheatrorum ruderibus &c. antiquitatem testatur. A Barbaris sæpe vastata, bellis civilibus quoque gravia passa est. Cæs. *lib.* 7. *Comm.* Plin. *lib.* 4. *cap.* 19. Ptol. *lib.* 2. *cap.* 7. Sidon. Ap. *ep.* 11. *lib.* 8. Scal. *lib.* 8. *de E T.* Boirius, *Antiq. Petrocor.* Joh. Puteanus, *de Episc Petroc.* Morerius. V. & *Petrocorii.*

Petrocorii, *Petrogori* Plin. pop. & urbs Gall. Aquitan. Pop. *les Perigourdins*, & regio *Perigord* appellatur; urbs verò quæ Aimoino & al. posterioribus Petrogoricum, & Petregorica, vulgò *Perigueux*, inter Burdigalam 20. & Lemovicos, 12. leuc. quot ferme ab Engolismâ. Ferrar. Valesius de illis hæc habet: Qui Cæsari in *lib.* 7. *Petrocii*, vel potius *Petroëii*, id est, *Petrocorii*, Straboni quoque *Petrocorii* dicuntur Πετροκόριοι, adnumerari 14. Gentibus Aquitaniæ Julianæ conterminis, eique ab Augusto attributis & adjunctis; Ptolemæo sub Cadurcis *Petrocorii*; Plinio in

Aquitania *Petrogori*. In veteribus Notitiis nunc *Petrocorii* & *Petrocorei*; nunc *Petrogorii*, & *Petrogorici*; nonnunquam *Petragori*, & *Petragorici* nuncupantur; aliis *Petrocori, Petrogori, Petregori*: vulgò *Perigordins* aut *Perigourdins* appellantur à Nostris, quasi Petrocoriani. Quibusdam videntur *Petrocorii*, à petris seu lapidibus nomen accepisse, propterea quòd eorum ager est lapidosus. Ego *Petrocorios* nomen esse Gallicum Gentis Gallicæ seu Celticæ, quæ post Aquitaniæ populis adscripta sit, magis crediderim; nihilque ad *petras* in summo terræ *corio* nascentes, vocabulum istud pertinuisse. *Petricordios* quidam & *Petricordiates* dixere. Certè Paullinus qui libros 6. *de Vita S. Martini*, versibus scripsit, & Perpetuo Turonensi Episcopo dedicavit, vocatur *Petricordius* à patria suâ, & in alio vetere codice *Petricordias*. *Petricordias* declinavere Nostri (nisi nos codices isti decipiunt) ut Vasas, Elusas, Atrebas. In quibusdam tamen membranis vocatur hic *Paullinus de Petricordia*, hoc est, de urbe Petrocoris. Claudio Ptolemæo *Petrocoriorum urbs* est *Vesùna*, *Ouèsuna*. In tabula Peutingeriana dicitur *Vesonna* sic. *Mediolano Santonum, Condate* (*Cognac*,) *Sarrum*, *Vesonna*. In Itinerario Æthici, in itinere à Burg dala Argantomagum occurrit *Vesunna*, inter Aginnum Nitiobrigum & Augustoritum Pictonum, ab Aginno 53. ab Augustorito 49. millibus passuum distans. Vetus marmor ibi repertum urbis meminit hisce verbis: *Tutelæ Aug. Vesunna secundus Soter D. S. D.* Apud Magnonem, qui suum cuique Genti caput adjungere consuevit, ista legimus: *Petragorius*, *Vesonna*. Hodieque hæc urbs bifariam dividitur in civitatem veterem & novam: vetus civitas unà cum turri vetertima admirandi operis nomen priscum servat, vocaturque *Vesuna* aut *Vesunna*, *Visune*, ut ait Scaliger, quem Savaro sequitur. Addit Scaliger, *Augusta Vesunna Petrocoriorum vetustissimum splendorem testari adhuc Romanas inscriptiones; Amphitheatrum, & turrim, quæ sola nomen Vesunna retineat.* In veteri capite Basilicam Stephani Martyris, quæ major Ecclesia erat, & Episcopium amplissimum Calviniani everterunt. *A Vesunna Vesunnici* Sidonio dicuntur epistolâ 11. *lib.* 8. Vesunnæ incolæ, urbis ad flumen Elam positæ. In veteribus Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ *civitas Petrocoriorum* appellatur variis corruptisque nominibus, ut suprà indicavimus, & provinciæ Aquitanicæ 2. civitas sexta ac ultima nominatur, uti & *in Chronico* Roberti. Sed apud Gervasium Tisleberiensem & in recentioribus Notitiis eadem urbs penultimum obtinet locum, Aginno quod mireris præposita. Rectè autem Jos. Scaliger, *in expositione Notitia Galliarum*, *civitatem Petrocoriorum* Episcopatum Petrocoriorum urbis interpretatur; & *civitatem* nunc *Episcopatum*, nunc *pagum* exponit. Quippe in Notitiis *civitas* non modò urbem caput Gentis, aut unum ex capitibus, sed etiam totum urbis agrum pagumve aut Diœcesin designat. Postea *Vesunna* nomen vetus deposuit, & exemplo multarum Galliæ urbium, Gentis cujus erat caput nomine censeri maluit, dicique *Petrocori* & *Petrocorii* vulgò *Perigueux*. Sic Sulpicius Severus *in lib.* 2. *Historia Sacra*; *Paternum à Petrocoriis* Sacerdotio pulsum tradit. Apollinaris Sidonius *Petrogoros in epist.* 6. *l.* 7. appellat. Paullinus Presbyter apud Gregorium *Pegasium Petrocorius* præter cæteros Sacerdotes Fide ac religione floruisse ætate suâ scribit. Fortunatus *lib.* 4. *Carmine* 8. *Chronopium Episcopum civitatis Petrocorica* mortuum laudat: quæ urbs etia in priscis Conciliis appellatur; *urbs Petrecors*; in Gestis Pippini Francorum Regis; *civitas Petragorica* Aimoino, Hugoni, Roberto, Gervasio, cæterisque recentioribus *Petrocori* nunc duas Diœceses continent: *Petrocoricam* veterem, *Sarlatensem* recentiorem, ex Episcopatu civitatis Petrocoriex detractam. *Pagus Petrocoricus*, vulgò dicitur *le Perigord*, quasi *Petrigordius*; & in superiorem inferioremque dividitur, *Petricordia tellus* Theodulfo dictus. Hunc *Pagum Petrogoricum* appellat Gregorius, quem Gesta Dagoberti & Aimoinus sequuntur; *Petrocoricum*, & *pagum Petrocoreum* Fredegarius; *Petrigoricum*, & *pagum Petrocorricum* Gesta Pippini Francorum Regis; *territorium Petragoricum* Eginhardus; *Petrocericum* rectè veteres rerum Pippini Annales. Hic pagus ante an. 300. *Pierregort*; & *Peregort* dicebatur. Ex quibus intelligitur, ut in priscis Notitiis, sic à veteribus rerum Francicarum scriptoribus nomen Gentis *Petrocoriorum* vel *Petrocororum* variè esse corruptum, & nunc *Petrogoros*, nunc *Petragoros*, & *Petregoros* multo sæpiùs quàm *Petrocoros* eos appellatos fuisse. Vales.

Petrodava, Daciæ op. Ptol.

Petromantalum, op. Gal. Celt. ad Sequanam fluv. à Lut. Paris. ad 22. leuc. Rothomagum versus, Meulano opido propinquum; 4. leuc. distans. Quibusd. est *Mante*, mel. *Medunta*, V. ibi. urbs Carnutum ad Sequan. nunc in prov. Ins. Franciæ. Suntque qui credant Petromantalum opp. fuisse Velocassium, ubi nunc *Magny* opp. Vulxini Francici, 14. leuc. à Lutetia in Circinm. Rothomagum versus. 4. à Medunta in Bor. Gisortium versus. Baudrando. Valesio *in Notit. Gall.* à petra sive monte saxeo ad quem situm est, ita dictum: vulgò *Mante*. Robertus Abbas Montis S. Michaëlis *in Chronico*, *Medantam* vocat, nec non *Medantem*, & *Medantiam*: inter quam & Pacejum *Marcam* ponit, id est limitem Franciæ atque Normanniæ: *Medantense castrum* nuncupant litteræ Philippi I. Francorum Regis *Meduntam* appellitant & Willelmus Armoricus *in Philippide*, Samson Remensis Archiepiscopus, cæterique recentiores; *Medantam* Ordericus *in libr.* 12. Radulfus de Diceto *Mantuam* mendosè; *castrum Meduntense* Sugerius in Ludovico Crasso; *Medontam* Robertus Comes Mellenti in litteris suis; *castrum Medantam* Ludovicus Francorum Rex an. 1171. Auctor Chronici Fontanellensis, cujus aliquot paginas Andreas Chesnius edidit in tomo II. Rerum Francic. à Chronico Fontanellensi Lucæ Acherii planè diversas, *Petromantalum* non pro *Medunta* sed pro *Pistis* accepit, his verbis: *Pista castrum, quod olim Petremantulum vocabatur*: ubi legendum *Petremantalum* vel *Petromantalum*. Sed cùm Æthicus *Petromantalum* vel *Petromantalium* nunc inter Rotomagum & Lutetiam; nunc inter Cæsaromagum Bellovacorum & Brivam Isaræ ponat, atque à Rotomago 16. mill. passuum distare notet, à Lutecia 29. à Cæsaromago 17. à Brivaisaræ 14. nemo non videt hunc *Petromantali* situm nequàquam in Pistas, sed in *Meduntam* apprimè convenire. *Meduntensibus* sua erat, ut usitato utar nomine, Communitas vel Communia. In quibusdam litteris quas in Chartario Fiscannensi legi, hæc reperio. *Actum est hoc N. Majore Communitatis Medunta, istis Paribus, Otone de Ver, Gaufrido Familia, Huberto de Arnovilla, Bartholomeo Peilecoc.* Unde apparet opidanis, qui communitatem habebant, *Majorem* suum & *Pares* seu Scabinos suos, hoc est, judicem & assessores fuisse. Proxima est castro *Medunta Medunta Villa*, *Mante la Ville*, eo cognomine à *Medunta castro* distincta, quod olim *Mante le Chasteau* cognominatum esse non dubito: sicut cognomen docet hujusce vici ei proximi; qui *Medunta Villa* nuncupatur. Sic Nelfa castellum, & Nelfa villa, Gomedus castellum, & Gomedus villa, Malliacum castellum, Malliacum villa, ac plurima alia loca, alia aliis vicina, & his cognominibus distincta occurrunt in Galliis.

Petronia, familia Romæ nobilissima: è qua Mamertini, Septimiani, Turpiliani, Volusiani, &c. Coss. aliique viri clarissimi. Vide infra.

Petronia, uxor Vitellii privati adhuc: quòd eam Dolabella in matrimonium postea accepit, non ultima fuit causa, cur Dolabella, jussu Vitellii, occideretur, Tac. *Hist.* 2. 63.

Petronia, fluviolus Latii ad Romam fluens in Tiberim, quem magistratus in campo aliquid acturi transibant. Festus.

Petronius, Episcopus Bononiensis. Scripsit de Electione Episc. an potiùs pater ejus? Gennad. *de Vir. Illustr.* qui Petronius quoque dictus, præfectus Prætorio fuit, virtute & eloquio illustris. Obiit, sub Theodosio & Valentiniano 3. Eucher. Lugdun. *Epist. ad Valerian.* Honorat. Augustod. *de Lum. Eccl. &c.*

Petronius, Ægypti præfectus ab Augusto missus Cornelio Gallo successit, adversus Æthiopas bellum gessit, quibus regina Candace imperabat, virili quidem animo mulier, sed altera capta oculo, Strabo *lib.* 17.

Petronius, Ælii beneficio ex humili loco ad equestrem ordinem pervenerat; mox cùm Ælius Placentiæ, ne in manus hostium veniret, gladio incubuisset, Petronius quoque, qui morientem juverat, super eum cecidit. Valer. Max. *de Amicitia*.

Petronius, pater Vespasiani Cæsaris.

Petronius, tribunus legionis à Parthis cum Crasso interemptus Polyæn. *lib.* 7.

Petronius, Syriæ Præfectus, quem Caligula jussit, ut statuam suam, in templo Hierosolymitano, collocaret. Joseph. *lib.* 18. *c.* 11 *Antiq. Jud.*

Petronius, Norici procurator, qui concitis auxiliis & interruptis fluminum pontibus fidus Othoni putabatur, Tac. *Hist.* 1. 70.

Petronius, Poeta, cujus aliqua de medicinâ versibus conscripta ad nostram ætatem pervenerunt, Volat.

Petronius, C. aut T. Arbiter, Poeta sub Nerone, qui Principis sui vitam sub exoletorum nominibus descripsit. Proconsul Bithyniæ, postea Consul. *Elegantia Arbiter*, Tacito dicitur *Annal. lib.* 12 ubi narrat, ut se erudito luxu perdiderit. Non minus *Nequitia Arbitrum* dixeris; scriptorem, ut jam alii dixere, *purissima impuritatis*. Æmulum nactus Tigellinum, qui voluptatum scientiâ ab illo superari ægrè ferebat, conjurationis in Cæsarem accusatus, & in custodiam conjectus est. Ubi, venis incisis, obiit: libro suo propriâ manu obsignato & ad Neronem misso, sed vase 300. sestert. confracto, ne id Imper. sibi vindicaret. An. Chr. 66. Hunc quidam Massiliensem, quidam Provincialem faciunt, interim certum nobilissimam Petroniorum Romæ familiam fuisse. De eo judicia veterum ac juniorum accuratè editores collegerunt. Ubi plures *Petronios* invenias. P. Petronium, Rhetorem: Alium Grammaticum. Vide *Petronius Episcopus*, alium Afranium: Alium, dictum Indum: alium cognom. Antigenidem, Pisauro oriundum. C. Petronium Hilarium, ex eadem urbe: Petronium Apollodorum; Maxim. Pontif. apud Romanos ethnicos; &c. Vide Tacit. *Annal. lib.* Plin. *lib.* 37. *cap.* 2. Fulgent. *lib.* 1. *Myth.* Sidon. Apollin. *Car.* 9. *ad Mag. Felic. & ad Narbon.* Lil. Giraldum, *in vita Poët.* Petr. Pithœum, Binetum, Bellovacen. Janum Douzam, Guirandum Scaligerum, Lipsium, Bourdelotum, Turnebum, &c. *Notis in Petron. &c.*

Petronius, prænomine *Cajus*, erudito luxu notus & ignaviâ, ad famam & Proconsulatum Bithyniæ, deniq; consulatum pervenit Posthæc arbiter elegantiæ Neroni assumptus, æmulatione Tigel-

lin

lius, amicitiam Scevini objectantis, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione & majore parte familiæ in vincula raptâ traditus. Vide Tacit. 16. 18. 19. Vide supra.

Petronius Diodorus, Medicus, scripsit Antilegomena, citatur à Plinio *lib.* 20. *cap.* 8.

Petronius Granius, Centurio octavæ legionis sub Cæsare Gallico bello militans, cùm navis ejus, quâ Quæstor designatus in Africam vehebatur, in Scipionis potestatem venisset, & cæteris interfectis, Quæstor Scipio incolumitatem polliceretur; respondit, Cæsarianis aliis incolumitatem dare, non accipere consuevisse: Quo dicto se gladio transverberavit, Plut. *in Cæsare.*

M. Petronius Passer, memoratur Varroni *de R. R. lib.* 3. Fors hic est M. ille *Petronius*, qui Catonem à Cæsare Consule in carcerem duci jussum, sequutus est. Quumque Cæsar increparet, quòd ante senatus dimissionem digrederetur, *Malo*, inquit, *esse cum Catone in carcere, quam hic tecum.*

Petronius Perpenna, Constantinianas Thermas in pristinum splendorem restituit.

Petronius Priscus, disjectâ conspiratione Pisonianâ, in insulas Ægæi maris à Nerone rejectus, Tacit. 15. 72.

Petronius Turpilianus, Consularis, Consul fuit Anno urbis 814. Successor Suetonio Paullino legato, in Britanniam à Nerone missus; qui non irritato hoste neque lacessitus honestum pacis nomen segni otio imposuit; Tacit. 14. 39. Huic Nero post detectam ac dissipatam conjurationem Pisonianam triumphale decus tribuit, *lib.* 15. *cap.* 72. à Galba ex Hispaniâ in urbem veniente tanquam Neronis dux occisus est. Idem *Hist.* 1. 6.

Petrosa, oppidum Pedemontii.

Petrosaca, parva reg. Arcadiæ, Steph.

Petrosidius, prænomine *Lucius*, aquilifer, qui cùm Ambiorigis magnâ multitudine premeretur, aquilam intra vallum projecit, ipse pro castris fortissimè pugnans occiditur, Cæsar *lib.* 5. *Comment. cap.* 38. à quo mons maximus circa Leodium *Petrosius* appellatur.

Petrossa, insula Ciliciæ, Stephan.

Petrovaradinum, opp. Hungariæ infer. ad Danubium, in Comit. Sirmiensi, inter Taurunum ad Ort. & Sirmium ad Occid. 25. m. p. utrinque, sub Turcis.

Petrus, nomen unius Apostoli ex duodecim, à Christo Domino sic nominati, Joan. 1. qui primus *Simon* dicebatur. Cæterùm de vitâ & gestis Sancti Petri, vide Salmeronem *Tom.* 12. *Tract.* 60. *pag.* 387. Compendium ejus historiæ hoc est: Bethsaidâ oriundus, Simonis nomen habuit, Petrus postea dictus, cùm ab Andrea fratre, ad Christum adductus, ad Apostolatum vocaretur; Joh. 1. 43. Christo; in mari occursurus, *timuit*, Matth. 15. 30. Illum, veram & unicam Ecclesiæ petram *confessus*, Matth. 16. 16. factus est unus, ex duodecim fundamentis Ecclesiæ, Ephes. 2. 20. Apocal. 21. 19. *insistente unico imo Angulari lapide Jesu Christo*, Ephes. 2. 20. Objurgans Christum; de imminente sua passione verba facientem, Satanas à mitissimo Agno appellatus est, & ab ipso abscedere jussus, eodem Matth. 16. 23. Ejus gloriam vidit, cum Jacobo & Johanne, Cap. 17. Nihilominus, quæ hominis infirmitas est; cùm sibi relinqueretur, Dominum suum tertiâ vice abnegavit, Matth. 25 69. *& seqq.* postquam; non expectato ipsius jussu, in Malchum gladium strinxisset. Ad pœnitentiam admissus, Apostolatui, quo exciderat; restitutus est; Joh. 21. Post ascensionem Christi, cujus testis erat cum reliquis Apostolis, Actor. 1. cum iisdem Spiritus sancti donis cumulatissimè perfusus, Cap. 2. magno Zelo concionari, miraculisque doctrinam Evangelii confirmare cœpit. Concilio I. Hierosolym. in quo Præsidem agebat Jacobus, Actor. 15. 13. *columna* dictus, juxta Petrum & Johannem, Galat. 2. 9. interfuit. Concreditum dein sibi *Apostolatum Circumcisionis*, Galat. 2. 7. sicut *Evangelium præputii* Paulo, è tertio cœlo reduci, egregiè obivit, nisi quòd, dum in illorum gratiam cum Gentibus edere renuit, acriter increpitus est. Gal. 2. 11. *& seqq.* à Paulo, Gentium Apostolo. Divinas dein Epistolas suas binas, ad advenas dispersionis, per Pontum, Galatiam, Cappadociam; Asiam & Bithyniam scripsit: In quibus Unicum illud animarum nostrarum λύτρον, *Sanguinem pretiosum agni inculpati, & incontaminati*, CHRISTI, 1. Epist. 1. 19. unicum medium Christum cognoscendi, *firmissimum illum sermonem, vel lucernam in obscuro loco splendentem, &c.* 2. *Epist.* 1. *vers.* 19. fidelibus inculcat: de Antichristi initio, indole, artibus & pœna eosdem præmonet, 2. *Epist.* 2. *&c.* An Romæ fuerit? disceptatum jam olim acriter. Saltem non Ecclesiam illam fundasse, vel sub Claudio ibi fuisse; ipsa series historiæ Actuum Apostolicorum collata cum Epistola ad Galatas & ad Romanos, evincit: Raptum eum Romam Persecutione I. sub Nerone fervente, cum Paulo, aliisq; fidelibus, ex Provinciis martyrioque ibi coronatum, An. 67. Imperii Neronis A. 13. quidam volunt. Postquam jam Ecclesia florentissima, vel à Barnaba sub Tiberio, vel à Spectatoribus Missionis Spiritus Sancti donum reducibus, vel ab Andronico & Junia, cognatis Pauli, vel ab Urbano, Coadjutore Pauli in Christo, fuisset fundata. Pareus, *in* 1. *cap. Rom.* Bulling. *in cap.* 16. Euseb. *lib.* 2. *cap.* 2. Tertull. *Apol. cap.* 5. Oros. *lib.* 7. *cap.* 4. Cum reliquis Apostolis & fratribus Domini, *sororem uxorem circumduxisse*, 1. Cor. 9. *vers.* 5. legitur, cùm Paulus cœlibem egerit vitam. Hæc paulo antè martyrii coronam nacta est, inclamante B. Petro, *O Conjux, memento Domini!* Vide Auctores Læto, *Compend. hist. Univ. pag.* 26. citatos, &c.

In *I.* Ejus *Epistolam* extant: Alleji *Prælectiones*, Angl. fol. Londini. Ametii *Lectiones*, duodec. Bibliandri *Comm.* octav. Clementis Alex. similiter. Crellii Socin. *Commentar. in cap.* 2. Fevardentius. Folengii *Comment.* octav. 1555. Gerhardus. Hegendorffii *Annotationes*, Basileæ 1529 Laurentii *Commentariu*, quart. Amstelod. 1641. Lutheri *Enarratio*, & Majoris. Pareus. Schlichtingius Socin. Schotani *Conciones*, in quart. 1644. Franeq. Seineccerí *Comment.* Welleri *Enarratio*, octav. Lipsiæ, 1567. 1568. Winckelmanni *Comment.* octav. Giessæ, 1608. Vide Crovvæi *Elench.*

In *II. Epist.* prodierunt: Amesii *Lectiones*. Bibliander. Fevardentius. Folengius. Gerhardus. Hegendorffius. Laurentius. Lutherus. Medi *Expositio cap.* 3. Angl. Major. Pococki *in* 2. *Petri*, Sasboldi *Explicatio*. Schlichtingius Socin. Schotanus. Seineccerus. Wellerus. Winckelmannus, Ibid. De egregio hoc Apostolo plura, apud Clem. Alexandr. *tractat. de Sermon.* Euseb. *in Chron. & Histor. &c.*

Petrus, tertius Imperator Orientis, è Latinis, fil. Petri Cortenæi: Maritus primò, Agnetis Niverniæ; dein Jolandæ Hannonicæ, sororis Balduini & Henrici Impp. his, ex parte uxoris, successit, coronatus Ann. 1217. sed à Theodoro Comneno, Principe Dyrrachino, per insidias, in convivio occisus est, An. 1218. Ejus primogenitus Philippus, contra Gallos, in prælio ad Bovinas conflixit, in Avenionis dein obsidione, mortuus An. 1226. Robertus verò & Balduinus, filii sequentes, prudentiâ Jolantæ matris, imperium tenuerunt. Pater ejus filius erat quintus Ludovici VI. Crassi, qui fratri Ludovico Jun. in Orientem comes, Obiit Ann. 1182. ætat. 63. Continuat. Aimonii, Rogerius Hoveden, Guil. Tyr. *Histor. lib.* 21. *cap.* 30. *&c.* *Antissiodorensis* quibusdam hic Imper. dicitur, quòd socer ejus Guido Comit. Nivernius, Antissiodorensis, &c. esset.

Petrus I. Arragonum Rex, successit An. 1094. patri Sanctio I. in obsidione Huescæ occiso. Reparatis viribus, cæcidit Maurorum 40000. eodem ann. iterumque an. 1096. quatuor eorum Reges confœderatos superavit, Huescâ captâ. Navarræ quoque Rex fuit, post Patrem; qui illam agnato suo. Sanctio IV. eripuerat. Obiit An. 1104. Successit frater Alphonsus. Roderic. Mariana & Turquet, *Hist. Hispan.*

Petrus II. excepit Ann. 1196. patrem Alphonsum II. Bellum Regi Navarræ, in gratiam Castellani Reg. intulit, semper successu secundo rerum usus. Coronatus Romæ Ann. 1204. ab Innocentio III. cum reliquis Hispaniæ Principibus, fœdere contra Mauros inito, prælio contra Mahometem Viridem, Maroci Reg. prope *Sierra Morinâ*, interfuit, An. 1212. Albigensibus, ob puriorem doctrinam, gravia passis in Gallia, suppetias tulit, in prælio, contra Simonem Montfortium, occisus. An. 1213. Surita *Ind. Reg. Arrag. lib.* 1. Mariana, *lib.* 11. *&c.*

Petrus III. post patrem Jacobum I. regnare cœpit, An. 1276. Navarram frustra oppugnavit: redux, turbis domesticis, quas fratres ejus ciebant; exceptus est. Maritus Constantiæ, filiæ Manfredi Siculi, Carolum Andegav. I. Siciliæ regno excutere frustra itidem conatus, Pontifici dein & Michaëli Palæologo junctus, Vesperis Siculis, quidquid Gallici nominis ibi terrarum usquam erat, extinxit, ac illò appulsus, Siciliæ Rex coronatus est: Carolum Claudum, fil. Caroli Reg. cepit, à Martino IV. excommunicatus, Arragoniæ regno Carolo Valesio tradito: cujus Pater, Philippus Audax, illud occupaturus, Ruscinonensem Comitatum aliaque loca sub potestatem redegit; Petro in prælio occiso, successit in Sicilia fil. Jacobus, in Arragonia Alphonsus. Idem, ut & Fazell. P. Æmyl. &c.

Petrus IV. cognom. *Ceremoniosus*, successit patri Alphonso IV. An. 1336. *Criminosus*, potius secundùm alios, ob sævitiam, dicendus. Majoricam & Comit. Ruscinonensem Jacobo Reg. eripuit, fratremque proprium Ferdinandum occidit. Bella dein plurima suscepit; sed parum felix. Ambitiosissimus porrò, inierim literatorum, Astrologorum inprimis, Mæcenas: Philosophici lapidis investigationi intentus, ne sacris quidem reditibus pepercit. Obiit Barcinone, An. 1387. ætat. 75. Surita *lib.* 3. *ind.* Mariana *lib.* 15. 16. 17. 18. Hier. Blancus, *de reb. Arrag.*

Petrus Crudelis, Castellæ R. successit patri Alphonso XI. A. 1350. an. æt. 16. plurimum nobilium sanguine, sub initium statim regni, madens. Ductam dein Blancam, fil. Petri I. Com. Borbonii, triduo post nuptias, in vincula conjecit, ut eò liberius Mariâ Padillâ potiretur. Etiam Johannam de Castro sibi junctam, brevi iterum repudiavit. Quibus ut & aliis moti Proceres regni, sub auspiciis Henrici & Friderici, fratrum ejus, contra ipsum conjurarunt: sed plurimis illorum, cum Friderico necatis, etiam Blancam Reginam veneno in carcere sustulit: Hinc iterum turbæ, quarum caput Henricus, frater ejus nothus, qui Bertrandi Guesclini suppetiis nixus, Toleto capto totâ ferme Castellâ potitus est. Petrus, ad desperationem adactus, ad Maurorum auxilia circumspexit: transiit in Aquitaniam, & ab Anglis in regnum restitutus est, An. 1376. sed ab Henrico Gallicis opibus adjuto, An. 1369. in prælio occisus, regnare & sævire desiit. Princeps crudelissimus, qui primariis è nobilitate Hisp. sublatis,

ne proximis quidem pepercit. Mariana *Hist. Hisp. lib.* 16. & 17. Surita *Ind. lib.* 13. Froissard. *lib.* 1. Argentræus *Hist. Brit.* Vita Guesclini &c.

Petrus Justus, seu Crudelis, Lusitaniæ R. post Alphonsum IV. patrem, An. 1357. cum eodem tempore, Petrus IV. Rex Arragoniæ, & Petrus R. Castellæ, sævitiâ suâ Hispaniæ graves essent. Interim hic Justitiæ amans, subditos in pace gubernavit, in illos solos sævus, qui patris jussu, pellicem ejus, Agnetem de Castro, è medio sustulerant. Obiit An. 1367. Mariana *lib.* 17. *c.* 9. Duard. *in Gen. Reg. Portug.*

Petrus Arragonius, Rex patris Siciliæ, An. 1337. post patrem Fridericum, fil. Petri III. Arrag. R. & successorem fratris Jacobi I. Nullâ re memorabilis, Obiit An. 1342. Villani. *lib.* 11. Fazell. Surita, &c.

Petrus, dictus *Alemannus*, Rex Hungariæ, nepos ex Sorore S. Stephani, huic successit, An. 1638. Quòd nimium Germanis faveret, pulsus ab Hungaris, An. 1042. restitutus est, ope Henrici III. Imp. An. 1044. Tandem à subditis, in venatione, captus & visu orbatus, Obiit. Bertius *lib.* 2. *rerum Germ.* Bonfin. *Hist. Hung.*

Petrus I. Cypri R. ex familia Lusignana, patri Hugoni successit, An. 1360. Infideles Salatiâ, aliisque locis exuit, An. 1362. In Franciam dein profectus, hujus Angliæq; Reges Avenione permovit, ut præsente Urbano V. expeditionis sacræ fidem darent. Paulo pòst tamen, argento & copiis contentus domum rediit, & Alexandriam An. 1365. captam diripuit, A fratris ministris occisus, An. 1369. Filius ejus

Petrus II. qui ob ætatem minorem dictus est Petrinus: Obiit An. 1382. Stephan. *hist. Cypri.*

Petrus, Comes Alenconius, quintus fil. S. Ludovici. Obiit Salerni, An. 1283. improlis.

Petrus I. Dux Borbonius, fil. Lud. I. nepos Roberti, è S. Ludovico nati. Cubicularius Galliæ, atque maximis muneribus defunctus, post varia fortitudinis specimina edita, occisus est in prælio Pictaviensi, An. 1356. Ex Isabella, fil. Caroli Valesii, pater Ludovici II. & septem filiarum.

Petrus II. Dominus de Bello lusu, quartus fil. Caroli I. successit fratri suo, Johanni II. Ingenio & auctoritate florentissimus. Maritus Annæ, filiæ Ludovici XI. Regens erat regni, sub Carolo VIII. Obiit An. 1503. Pater Susannæ, quæ Carolo Connestabili Gall. nupsit.

Petrus I. Dux Britanniæ, fil. Roberti II. Comitis Druidensis. Duxit An. 1213. Adelheidam, hæredem Guidonis Thuartii, ex Constantia filiâ Conani parvi, Britanniæ Ducis. Obiit in mari, ex Oriente redux. An. 1250. æt. 63. Pater Johannis I. Rufli.

Petrus II. fratri Francisco II. successit, An. 1451. Obiit An. 1457. sine liberis. Arius, Com. Richemontius, Connestabilis Galliæ, fil. Johannis V. successit nepotibus suis Francisco II. & Petro II. ex fratre Johanne VI. Argentræus & Pazius, *Hist Brit.*

Petrus, cognom. pusillus Carolus Magnus, Comes Sabaudiæ, septimus fil. Thomæ I. Sacris destinatus contra animi propensionem, petiit ab Amadeo fratre, portionem hæreditatis natalibus suis dignam: Animo & virtute inclytus. In Angliam transiens, Henrico III. à Consiliis & legationibus fuit, variis ab illo terris donatus. Bonifacio dein Amadei filio mortuo 1263. revocatus, ad successionem, exclusis nepotibus ejus ex Thoma Flandriæ Com. fratre, Obiit An. 1298. Animosus, prudens, felix, aliquot accessionibus auxit Sabaudiam. Guicheno *Hist. Sab*

Petrus I. Episc. Alexandrinus, post Theonam, An. 300. pietate, doctrinâ, constantiâ, sub Diocletiano & Maximiano, probatâ, illustris. Deposito Meletio, Ep. Lycopolitano, ob crimina, ab hoc pulsus, fideles ex exilio per literas ad constantiam est adhortatus. Redux, captus & capite truncatus est. A. 310. cum Presbyteris, postquam Ecclesiam suam Alexandro Presbytero commendasset, hortatus ut eam ab Ario diligenter tueretur: quod & hic præstitit. De Visione ejus, quâ *Dominus scissam sibi ab Ario vestem*, conquestus est, V. Paron. *in Annal. sub Dioclet.* P. Oros. *lib.* 7. *cap.* 18. Scripsit Canones Pœnitentiales, & tractatum de divinitate. Arium excommunicavit, quòd Meletii schisma foveret, &c. Euseb. *Hist. l.* 8. & 9. Hermant. *vita S. Athanasii.*

Petrus II. comes laborum S. Athanasii, huic successit, A. 371. ab Arrianis, Lucio surrogato, paulo pòst pulsus. Elapsus è vinculis, Romam venit, usque ad An. 377. ibi commoratus, quo in Sedem suam rediit. Gregorio Nazianzeno electo Episc. Constantinopolitano, gaudium literis testatus est, paulo post tamen Maximo favit. Facilior æquo in hæreticos, Obiit An. 380. Greg. Naz. *Orat.* 24. & *de vita sua.* Socr. *lib.* 4. Sozomen. *lib.* 6. Theodoret. *lib.* 4. Rufin. *lib.* 2.

Petrus III. V. *Petrus Mongus.*

Petrus IV. Monothelita, intrusus, sed pulsus An. 649.

Petrus I. Episc. Antiochenus, V. *Petrus Fullo.*

Petrus II. Cardinalis, electionem Nicolai II. plurimum juvit. Ciaccon. *in vit. Pontif.*

Petrus, Episc. Hierosolymitanus, successit Johanni An. 525. Ingens Zelotes: subscripsit tamen ingratiis Edicto Justiniani, contra 3. Capitula evulgato, Obiit An. 546. Niceph. *in Chron.* Facundus *lib.* 1. Evagr. *lib.* 4. Vide *Petrus Casa*, & *Petrus Paln.*

Petrus, Pseudoepiscopus Constantinopolitanus, Monothelita, Pyrrho surrogatus An. 653. Obiit Ann. 656. Baronius *in Annal.* V. *Petrus Thomas.*

Petrus, Archipresbyter Romanus, Schismatis auctor, post Johannem V. à clero, sicut Theodorus æmulus ejus, à militibus electus est. Cui tamen Cononis electio finem imposuit. Anastas. *in vit. Pontif.* Baronius *in Annal.*

Petrus, Presbyter Eccl. Edessanæ. Varia scripsit, imprimis epicedium S. Ephremi, Gennad. *Catal. Ill. Vir.*

Petrus Abalardus, Abbas. Opera ejus, & Heloïsæ conjugis ejus Abbatissæ, hic enim libro titulus, prodiere Parisiis, A. 1616. V. *Abaillardus.*

Petrus Ægidius, scripsit Historiam Eccl. Valdensium, ab An. 1160. usque ad An. 1643. Gall. Genevæ impressam, An. 1644.

Petrus Alcionius, uti doctrinâ celebris, ita ebriositate infamis. Paul. Jov. *elog. cap.* 121.

Petrus Alexander, Atrebas, Carmelita, scripsit complurâ, sec. præt. Gesner. *in Bibl.*

Petrus Alfonsus, Judæus Hispanus, fide Christi suscepta, scripsit contra Judæos: Item *de Scientia & Philosophia.* A. 1110.

Petrus de Alinco, Cardin. & Episc. Cameracensis: Compendio ortus. Docuit Philosophiam & Theologiam Parisiis: dein Eleemosynarius Caroli VI. factus, tandem Infulâ positus est, An. 1398. A Rege maximis negotiis, schismati imprimis, quo tunc Ecclesia misere lacerata erat, finiendo adhibitus, magnâ cum libertate, sed non æquali successu, rem gessit. In Conc. Pisano, à Johanne XXIV. purpurâ donatus, Constantiensi quoque interfuit, Præses in Sess. 3. Obiit Avenione, An. 1426. scriptis inclytus, quæ tamen nondum in unum opus collecta prodiisse, miratur Morerius, *in Diction. Hist.* V. ibidem, & Voss. *de Hist. Lat.*

Petrus Amelius, Episc. Senogalliæ, in Duc. Urbinensi. Iter Gregorii 9. Avenione Romam profecti, descripsit. Ann. 1376. Papyr. Massonius *in Greg* 9. &c.

Petrus de Ancharano, celebris Doctor Bononiensis. Discipulus Baldi insignis, à Patribus Concilii Pisani, contra adversarios, adhibitus, Roberti imprimis Bavariæ D. legatis, acriter obnixus est. Scripsit Comment. in Decretales, & Clementinas: Item Consilia varia. Obiit Bononiæ: Juris Canonici speculum & Civilis anchora, in epitaphio dictus. Forst. & Fichardus, *in vit. Jurisc.* Puteanus, *Hist. Schism.* Gesner. *in Bibl.*

Petrus Anglus, Dominicanus, varia edidit, An. 1340. Pitseus *de Scr. Angl.*

Petrus Antonius Cataldus, Professor Bononiensis, Mathematicis scriptis insignem Famam adeptus.

Patrus Antonius Petri, & *P. A. Rusticus*, ille IC. Placentinus, hic Medicus ex eadem urbe, ambo scriptis inclaruerunt.

Petrus Apamiensis, Eutychianus & Acephalus, in sedem urbis hujus intrusus, sanctos Canones rejecit, Præsulum Orthodoxorum nomina eradi jussit, heterodoxis substitutis & junctus Severo Antiocheno, in Syriæ Monachos, immaniter sævit. Condemnatus, in Synodo Constantinop. à Mena instituta, An. 536.

Petrus Apianus, dictus *Binewitz*, Leisnicâ Misnicus, illustris Mathematicus, Caroli V. favorem meruit. Auctor Cosmographiæ, aliorumque scriptorum egregiorum. Obiit Ingolstadii, ibi Professor, An. 1552.

Petrus Apollonius Collatius, Presbyter Novariensis. Scripsit Poëma de obsidione Hierosolymæ *libb.* 6. 4. Seculo 15. V. Barth. *Advers. lib.* 23. *cap.* 27. Margarinum Bignæum, *in Ind. Chron. Bibl. PP.* Voss. *de H. L. lib.* 3. *de Poët.* &c. Frigidiusculus Poëta, & alicubi infelix. Scaliger *de Poët*: Opus ejus Antverpiæ, ab Adriano Vander Burch, Brugensi, editum. &c.

Petrus Aponus Patavinus, cognom. Conciliator, Philosophus & Medicus, inter primos sui seculi; Astrologus non ignobilis, à Pontificibus & Italiæ Principibus maximi habitus. In illo ignorantiæ seculo, velut sidus, emicuit: Obiit An. 1316. antequam Inquisitioni subjiceretur, quòd Magiæ suspectus imperitis esset. Nihilominus effigies ejus exusta, & tres librorum ejus, nempe *Heptameron: Elucidarium Necromanticum P. de Abano*, & *Liber experimentorum mirabilium de annulis, secundùm* 28. *mansiones Lunæ*, prohibiti sunt. Scripserat insuper de diebus Criticis, Conciliatorem differentiarum Philos. &c. & opus Rabbi Abraham Aben Esræ vertit. Ejus statuam jussit Fridericus Urbini D. inter illustrium vir. imagines & senatus Patavinus, inter Livii, Alberti & Julii Pauli, cum insigni elogio, collocari. V. Bernardin. Scardeonium, *Hist. Pat. lib.* 2. *cap.* 9. Thomasin. *elog. ill. Patav.* Naudæum, *Apologia cap.* 14. Justum *Chron. Med.* Vander Linden &c.

Petrus Arablaus, Cancellarius Galliæ, sub Ludovico Hutino, Purpuram à Johanne 22. An. 1316. nactus, paulo pòst Obiit.

Petrus de Aranda, Episc. Calaritanus, Aulæ Magister Alexandri VI. misit Indulgentias, carnis esum licitum credidit, Purgatoriumque inficiatus est. An etiam, unicum principium legis Mosaicæ, tria verò Christianæ, aliaque erronea statuerit, satisfactionem Christi, & Inferos negando? fides penes auctores. Depositus est, & moli Adriani inclusus, An. 1500.

Petrus Arcudius, Presbyter Corcyrensis, à Clemente VIII.

magnis

magnis rebus adhibitus: ab equo graviter læsus triennio post, in Collegio Græcorum, Romæ, obiit. Scripsit de Concordia Ecclesiæ Occ. & Orient. &c. multaque priscorum opera vertit. Vide Janum Nic. Erythræum, *in Pinac. &c.*

Petrus Aretinus, Tuscus, ingenio magis, quàm stirpe inclytus. Poëta ingeniosus & delicatus; sed Satyricus, ne maximis quidem Principibus pepercit, *flagellum Principum* dictus: ob quam causam à Francisco I. Carolo V. aliis, magni emptus est. Unde ille adeò insolens factus, ut aureum cuderet nummum; cum inscriptione: *il divino Aretino:* & in postica parte: *I Principi tributati da' Popoli, tributano il Servidor loro.* Sed aliquoties baculis egregie demulsus, & æmulum nactus Nic. Francum, pauló remissior esse cœpit. Opera ejus, inprimis, Dialogi, Epistolæ & Discursus, &c. ob impietatem prohibita. Sub vitæ finem composuit, sub nomine Partenii Etiri, quod ejus Anagramma est, Paraphrases in Psalmos Pœnitentiales, vitas aliquot SS. & cætera. Obiit Venetiis. Epitaphium ejus:

Qui giace l'Aretin, Poëta Tosco,
Che d'ognun disse malo, fuor che di Dio,
Scusandosi col dir' jo no'l conosco.

Laurentius Crassus, *elog. Vir. literatorum, P. I.*

Petrus Arvernus, Dominicanus, A. 1260. discip. Thomæ, scripsit in Aristotelem, Gesner. *in Bibl.*

Petrus Aubussonus, M. Magister Ord. Melit. & Cardinalis, Gallus. Vide Bosium, Nabaratum, Boissatum, & Balduinum, *Histor. Melit. &c.*

Petrus Aureolus, cognom. *Doctor Facundus*, Picardus. Archiepisc. Aquensis, Obiit An. 1322. Scripsit de immacul. Conceptione B. Virginis, Breviarium Bibliorum, Comment. in Magistrum Sent. Vide Morerium *in Dict. Hist.*

Petrus de Balsamo, Sebusianus, illustribus natalibus ortus, Archiepisc. Vesuntinus & Cardinalis, à Duce Sabaudiæ ad Concil. Lateranense missus: cum Genevensem Episc. vi retinere conaretur, bis à civibus pulsus est. Obiit An. 1544. Chiflet. *in Vesont.* Morerius *in Dict. Hist.*

Petrus Barignanus, Pisauri natus, Poëta, sec. præt.

Petrus Bella Pertica, Episc. Antissiodorensis, post Petrum Mornæum, sub Philippo Pulchro, magnis negotiis adhibitus, Obiit Parisiis, An. 1307. Idem.

Petrus Belonius, Doctor Medicus Parisiensis: Itinerarium Judææ, Ægypti, Græciæ, Arabiæ, &c. edidit. Scripsit etiam de Piscibus, Avibus, &c. Item Commentar. in Dioscoridem, quem cum Theophrasto Gallicè vertit, aliaque egregia. Apud Henricum II. Carolum IX. Cardinalem Turnonium inprimis in magno pretio. Occisus An. 1564. Simler. *in Bibl. Gesn.*

Petrus Berratus, Narbonensis Carmelita, Clementis 6. Confessionarius, Ann. 1350. Scripsit *Placita Theologica, Repertorium, &c.* Gesner. *in Bibl.*

Petrus Bertius, Flander, Lugduni Batav. docuit, libris Orthodoxam fidem tuitus: dein Apostata Parisios venit, inter Cosmographos regios à Ludovico XIII. numeratus. Obiit, Ann. 1629. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Petrus Bertrandus, Senior; Cardinalis & Episcop. Augustodun. filius Matthæi, ex Agnete l'Empereur. Primò juri operam dedit, quod diu professus est Avenione, Monspelii, Aureliani & Lutetiæ; Philippo Longo gratus, & Johannæ Burgundicæ, uxoris ejus Cancellarius. Jurisdictionem Ecclesiasticam sub Philippo Valesio magno cum successu tuitus: Scripsit *de Origine & usu Jurisdictionum*, fundavitque Parisiis Collegium Augustodunense, Obiit An. 1348. Hujus frater Guilelmus, Episcopus erat Noviodunensis, Morerius *in Diction. Hist.* Alius, cognom. *Junior*, prioris ex sorore nepos, illi in Episc. Nivernensi, successit, dein Atrebatensis Præsul factus, purpuram quoque à Clemente VI. accepit. Ad Episcopat. Ostiæ postmodum promotus, Carolum IV. Romæ coronavit, Idem. Alius, Mutinensis, Dominicanus, Concilio Tridentino interfuit, à Paulo III. missus; purpuram muneri accepit, à Julio III. Obiit sub Paulo IV. An. 1558. ætat. 57. Ughel. *Italia sacra*, Petramellarius, &c.

Petrus Binsfeldius, Lucemburgicus, Canonicus Trevirensis. Scripsit Enchiridion Theologiæ Pastoralis, &c. Valer. Andreæ *Bibl. Belgic.*

Petrus Blesensis, Archidiaconus Bathonensis, in Anglia, inter primos sui seculi. Guilielmi II. Siculi educationi admotus, Henricoque II. Angliæ Regi gratus fuit: Cancellarius Præsulum Londinensium, & Cantuariensium: scripsit nomine Alexandri III. Pontif. ad Suldanum Ægypti. Obiit A. 1200. edidit Epistolas, &c. quæ An. 1667. cum eruditis notis, prodierunt. Matthæus Paris. *Hist. Angl.* Baron. in *Annal. &c.*

Petrus Blomevenna, Leodiensis, Carthusianus, scriptis clarus, Obiit An. 1536.

Petrus Boisrosseus, Brito, Orator insignis, scriptis inclytus, Gesner. *in Bibl.* Obiit An. 1566. Parisiis.

Petrus de Bonifacio, Nobilis è Provincia, Alchymiæ & Poëseos peritus. Obiit An. 1383. Nostradamus, *Vit. Poët. Provinc.*

Petrus Braniquellus, Episcopus Neostadiensis, An. 1410. Scripsit historiam utriusque Testamenti.

Petrus Brunus, Carmelita, Burdigalensis, scripsit quædam, sec. præt. Lucius *in B. Carm.*

Petrus Brusius, seu *Bruisius*, puriorem religionem, per An. 20, Tolosæ docuit, Ann. 1150. ob id, persecutione sæviente, exustus. Ejus tempore Hildegardis Monialis, futuram magnam religionis mutationem prædixit: & Henricus Monachus, Petri discip. majori fervore, post Magistri obitum, rem aggressus, Missas pro mortuis, Sanctorum invocationes, Cœlibatum, Peregrinationes, &c. oppugnavit, Pontificumque & Antistitum fastu luxuque damnato, fere Galliam totam doctrinâ suâ implevit, ut *Basilica sine plebibus, plebes sine sacerdotibus essent.* Flaccius *in Cat. Testium Ver.* Mornæus *in myst. pag.* 683. Bernardus, *lib.* 3. *cap.* 5. *Epist.* 240. 241. *Sermon.* 66. *in Cant.* Quæ autem hæreses horrendique errores ipsi affinguntur, facilè recidunt in calumniæ auctores.

Petrus Brutus, Venetus, Episcopus Cattari egregium scripsit contra Judæos opus, An. 1490.

Petrus Bunellus, Tolosanus, eruditione floruit, sec. præt. Obiit An. æt. 47. Taurini. Epistolas ejus collegit Car. Stephanus. Vide Scævolam Sammart. *elog. lib.* 1.

Petrus Burrus, Brugensis, Canonicus Ambianus, floruit seculo 15. scriptis inclytus. Obiit An. 1507. ætat. 75. Val. Andr. *Bibl. Belg.* Gesner. *in Bibl.*

Petrus Calo, Venetus, Dominicanus, scripsit vitam SS. An. 1300. Leander Alb. *de Vir. Ill. Ord. Dominic.*

Petrus Canisius, Neomagensis, Jesuitarum in German. primus Provincialis, scriptis inter suos celebris, interfuit Concilio Tridentino. Obiit Friburgi, in Collegio à se fundato, An. 1597. æt. 77.

Petrus Cantor, scripsit expositionem in 12. Prophetas minores, item Dictionarium Theologicum, &c. Obiit An. 1197. Gesner. *in Bibl. Belg.*

Petrus Capuanus, Cardinalis, à Clemente III. missus, Sacerdotum Cœlibatum in Polonia ursit: Et Poloni quidem non ægrè paruere, at in Bohemia cum hoc ipsum ageret, parum abfuit, quin à Sacerdotibus occideretur. Eo tempore & Dani Sacerdotes uxoratos habuerunt. Circa An. Chr. 1190. 1196. M. Cromerus *lib.* 7. *Histor. Polon.*

Petrus Carbo, Carthusianus Germanus, scriptis clarus. Præterito seculo.

Petrus Carpentarius, Tolosanus, JC. & Advocatus regius. Scriptis inclytus.

Petrus de Casa, Episcopus Vasionensis, cum Patr. Hierosolymitani titulo. Scripsit in Magistr. Sententiarum, in Politicam Aristotelis, & Homilias aliquot. Obiit Ann. 1348. Columbius, *de Episcop. Vasionens.*

Petrus Cassiodorus, Italus, quòd Papam Antichristum esse scripsisset; cum Petro, Joh. Bitterensi Franciscano, refellus & combustus est. Circa An. 1300. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Petrus de Castello, seu *Castellanus*, Lingo, sub Francisco I. floruit. Humaniorum literarum Parisiis Professor, post Budæum Regiæ Bibliothecæ præfuit. Episcopus Aurelianensis tandem factus, Obiit An. 1552. Eloquio & elegantiorum literarum peritiâ, inter primos sui seculi. Hospital. *lib.* 1. *&* 6. *Epist.* Thuan. *Histor. lib.* 3. Scævola Sammart. *elog. lib.* 1. *&c.* Vide quoque *Castellanus*.

Petrus Castellonovanus, Nobilis & Poeta Provincialis, An. 1276. Nostradamus *de Poet. Provinc.*

Petrus de Cellis, Gallus, Benedictinus Abbas, & Episcopus Carnutensis. Ejus libb. 9. Epistolarum, edidit Sirmondus cum notis. Scripsit etiam Libr. *de Panibus: Mosaici tabernaculi mystica expositionis libros* 2. Item *de Conscientia.* Obiit Ann. 1187. Morer. *in Dict. Histor.*

Petrus Cholinus, Tugio Helvetius, Tiguri Professor, An. 1540. quosdam libros Ver. Testamenti vertit, Gesn. *Bibl.*

Petrus Chrysologus, Archiepisc. Ravennas, post Johannem; An. 433. Ejus supersunt 176. homiliæ. Eutychi Monacho, per literas apud illum conquesto; de Flaviano Constantinop. respondit graviter, An. 449. Obiit An. 450. Vide Henr. Antissidior. *lib.* 6. *vita S. Germ.* Rubeum *Hist. Raven.* Ughel. *T.* 2. *Itin. Sacr.* Sixtum Sen. *lib.* 4. *Bibl. Sacr. &c.*

Petrus Ciacconius, Toletanus, Varro sui temporis dictus: Scripsit, de ponderibus & mensuris: Obiit An. 1581. Janus Nic. Erythræus, *P. I. Pinac. cap.* 112.

Petrus Cirvellus, Arrago, Mathemata Compluti docuit, scriptis inclytus. An. 1520. Cardinali Ximenio gratus, Voss. *de Scient. Mathem. cap.* 15. §. 18. *& cap.* 65. §. 7.

Petrus Cluniacensis, cognom. Venerabilis, ex familia Comitum S. Mauritii, in Arvernis, proinde & Petrus Mauritius dictus. Generalis sui Ordinis, An. 1122. post Hugonem II. cujus disciplinam, negligentiâ Pontii, unius ex antecessoribus, collapsam restituit: Petro de Bruis; & Henrico Monacho, purioris doctrinæ egregiis præconibus, obnixus, in Provincia, Occitania & Aquitania. Obiit An. 1157. Scripta ejus, cum notis Duchenii, prodierunt, An. 1614. Vide Bernhard. *Epist.* 277. *&* 283. Henric. Gandav. *cap.* 29. Matth. Parisiens. &c. Continent 6. libb. epist. librum contra Judæos, alium contra Petrum Bruisium; Sermonem de Transfiguratione: Libb. 2. de miraculis sui temporis: Carmina & Hymnos: Statuta Cluniacensia, &c.

Petrus

Petrus Collumierius, Gallus, Cardinalis & Archiepisc. Rotomagensis: tuba belli sacri contra Albigenses, Franciscanis infensus, in morte graviter punitus, An. 1253.

Petrus Comestor, Trecensis, SS. literarum notitiâ celebris. Cancellarius Eccles. Parisiensis, dein Canonicus regul. S. Victoris in eadem Urbe, Obiit Ann. 1198. Scripsit Historiam Scholasticam, quam Gualterus Hunterus, Anglus postea contraxit, &c. Non fuit frater Petri Lombardi & Gratiani, cùm hic Tuscus, ille Novariensis esset. Voss. *de Histor. Lat lib.2. cap.53.* Claud. Hemeræus, *de Academ. Paris.* Nicol. Camuzatus, *Antiquit. Trecens.* Morerius *in Diction. Histor.*

Petrus de Corberia, Antipapa Johanni XXII, sub Nicolai V. nomine oppositus, à Ludovico Bavaro Imper. postquam hic Romam cepit, An. 1329. Cessit postmodum. Villanius, Nauclerus, &c.

Petrus de Corbolio, Canonicus & Doctor Parisiensis, Archiepisc. postea Senonensis, Obiit An. 1222. Rigord. Alberic. Vincentius Bellov. Trithemius, Antonin. Henricus Gandav. &c.

Petrus Cornelius Brederodius, Hagâ Batavus, JC. muneribus & scriptis inclytus. Valer. Andr. *Bibl. Belg. pag.* 731.

Petrus Cotonus, Gallus Jesuita, magni inter suos nominis, Henrico M. & Ludovico 13. à Confessionibus: Inter alia, ex Dæmone locum Scripturæ sciscitatus est, quo Purgatorium probetur. Vide Lud. Lucium, *Hist. Jesuit.* Obiit An. 1626. ætat. 63.

Petrus Craon, antiquus Poëta Gallus, An. 1250.

Petrus Cugnerius, Advocatus gener. Parlamenti Paris. Egregiâ Oratione, quæ incipit: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo*, Jurisdictionem Ecclesiasticam Regum Principumq; superioritati præjudicare, ostendit, coram Philippo Valesio Reg. An. 1329. temerariam usurpationem illam vocans, & in Præsulum mores acriter invectus: Inter hæreticos propterea relatus, Morer. *in Dict. Hist.*

Petrus Cunæus, Flissinganus, Orientalium lingg. & Rabbinicorum arcanorum scientissimus: Scripsit *de Rep. Hebræorum*, *Sardos venales, &c.* Valer. Andr. *Bibl Belg.*

* *Petrus de Dacia*, Philosophus & Astronomus, An. 1300. Scripsit *de Calculo seu Computo.*

Petrus Damianus, Cardin. & Episcopus Ostiensis, ex nobilissima familia de Honestis, Ravennæ oriundus: Calamo linguâque inservivit Ecclesiæ. Obiit An. 1072. ætat. 66. Opera ejus Lugduni, An. 1623. edita: Continent Epistolarum libb. 8. Homilias & vitas SS. Historiam Legationis in Gallia obitæ, Hymnum de gloria Paradisi, ex verbis Augustini consarcinatum, &c. Vossius, Morerius, *Diction Histor.*

Petrus Diaconus, Græcus, cum Græcis ex Oriente, ob controversiam inter Victorem, Concilii Chalcedonensis defensorem, & Monachos Scythiæ, contendentes, an dicendum: Aliquem ex Trinitate pro nobis crucifixum esse, obortam, Romam venit, An. 519. Scripsit de Incarnatione & gratia Jesu Christi ad Fulgentium & alios Africæ Præsules: quod Fulgentio occasionem, de Incarnatione Verbi, scriptum insigne edendi præbuit. Alius, Diaconus Ostiensis continuavit Chronicon Leonis Ostiensis, ab An. 1086. usque ad An. 1138. Ætatis An. 5. Monachus Montis Cassini factus. Scripsit plurima alia, inprimis *de Ortu & vita SS Monasterii Cassiniensis*, *de Viris Illustribus, &c.* Floruit sec. 12. Alius sec. 9. auctor vitæ Athanasii, Archiepisc. Neapolitani; Obiit An. 872. Gesner. *in Bibl.* Vossius *de Histor. Lat. lib. 2. & 3.* Baronius *in Annal.* Possevin. *in apparatu, &c.*

Petrus Dresdensis, Misniâ Germanus, puriorem religionem professus, sec. 15. patriâ pulsus est; hinc in Bohemiam profectus, ibiq; Evangelium insigni zelo concionatus, scriptis quoque veram fidem defendit; Primus Pragæ, sub U. S. corpus & sanguinem Dominicum ministrandum esse docuit, Æneas Sylv. *cap. 35.* Bonfin. Johannis Hussi, cum Jacobo Misnensi, Hier. Pragensi, Johan. Jelivicio, Stephano Paletio, &c. συνεργὸς, An. 1410. In Misniam reversus, Ludimoderator primùm Misniæ fuit, dein Chemnicii & Zuiccaviæ: Ubi Hymnos Ecclesiasticos, ante introitum templi quibusdam diebus festis decantandos, item de natali Christi Cantica, in quibus Latinis Germanica mixta, quæ hodie etiam in usu, composuisse dicitur. Fabricius, apud Bucholc.

Petrus Durandus, Gallus, Poëta. Morer. *in Dict. Hist.*

Petrus Eremita, Picardus nobilis, multum juvit Expeditionem sacram, sec. 11. dum ex Oriente redux, miserum ibi Christianorum statum Urbano II. exposuit, qui in Concilio Claræmontano, in Gallia celebrato An. 1096. relatione Viri permotus, ad liberandum Orientem Gallos cohortatus est. Interim, reditu in terras illas adornato, Petrus animos Orientalium præparavit, interfuitque prælio prope Nicæam, in Bithynia commisso, An. 1096. dein expugnationi Hierosolymæ, per Godofridum Bullionæum, A. 1099. Post quæ, in stabilienda iis in locis fide, egregiâ porro operâ navatâ, Obiit Ann. 1115. Guil. Tyr. *lib.* 1. Pilipp. Bergom. *lib.* 12. Baron. *in Annal.* Adrianus Morlerius *Antiquit. Ambian.* Primus modum orandi per calculos excogitavit, Polyd. Virg. *lib. 5. cap. 9. de Invent. rerum.*

Petrus Espinæus, Archiepisc. Lugdunensis, eloquens, & eruditus. Purpuræ desiderio impensè ardens, cùm favore Henrici III. illam nancisci non posset, tatus ab æmulo Espernonio sibi obicem poni, in Ducis Guisii castra transiit: quo occiso in Comitiis Blesensibus, captivus detentus An. 1588. mortem, S. Malini nepotis beneficio, effugit. Liberatus postmodum, obstinatissimè Ligistis adhæsit, Ducis Meduanii intimus; cui Lugduno semel servato, cùm secundâ vice resistere civibus frustra conaretur, quo minus legitimo Regi se dederent, mœrore animi interiit, A. 1599. Thuan. *Hist. lib.* 81. 101. & 122. Avila, *bell. civ. Gall. &c.*

Petrus Faber, Præses Tolosanus, eruditione, probitate & scriptis inclytus. Scævola Sammart. *elog lib.* 4.

Petrus de S. Fide, Carmelita Anglus, scripsit in Epistolas Paulinas, &c. Pitseus *de Scr. Angl.*

Petrus Flandrinus Cardinalis, Gallus. Obiit An 1381.

Petrus Foissæus, seu Foxius, Cardin. Archiepisc. Arelatensis & Vicecomes Avenionensis, adhæsit Benedicto XIII. à quo purpurâ donatus est, usque ad tempus Concilii Constantiensis: Interfuit creationi Martini V. & in Arragoniam missus, schismatis ibi extinxit reliquias. Obiit Avenione, Ann. 1464. ætat. 78. Fundator Collegii Foxiani, Tolosæ. Item, alius Cardin. dictus *Junior*, filius Gastonis IV. ex Eleonora Navarræa, prioris ex fratre nepos. Ingenio, eruditione & dexteritate agendorum inclytus. Sub Sangdæo, JC. celeberrimo Ticini, Juri operâ navatâ, Doctor creatus. Obiit An. 1490. Vide Morer. *in Dict. Hist.*

Petrus de Fontibus, Veromanduus, floruit sub S. Ludovico. Scripsit opus de Justitia & Politia, sub titulo, *Li livres la Reigne*, Ann. 1270.

Petrus Forcadellus, Gallus, Mathematum Professor, Parisiis, maximi sub Henrico III. nominis. Scripsit plurima, frater Jacobi J C.

Petrus Forestius, Cardinalis, Episcopus Parisiensis, Archiepisc. Rotomagensis & regni Cancellarius. Jus docuit Aurelianis & Andegavi, magnâ nominis famâ: dein Parisios profectus à Philippo Val. Advocatus Gen. factus est, inde Infulâ purpurâque donatus. Ab Innocentio VI. in Siciliam missus, negotiis etiam maximis subinde in Gallia adhibitus est. Johanne Reg. in prælio capto, à statibus regni muneribus exutus suis, Burdigalam se recepit, inde in Angliam transiit, Regis liberationi intentus. Redux, cùm sibi insidias strui cerneret, inde in aulam Pontificis transiit, & prope Avenionem sede sibi selectâ, Obiit peste Ann. 1361. Frizo *Gall. purp.* Curvasserius *Histor. Episc. Cœnoman.* Froissardus, Morerius, *Diction. Histor.*

Petrus Fullo, Pseudo-Episcopus Antiochenus. Hic, ex Monasterio quodam Acœmitarum, ob Eutychianismum, exturbatus, Constantinopoli aliquandiu magnâ vitæ licentiâ commoratus est; favore dein idem sententium Procerum, in familiam Zenonis, qui Leonis Imper. gener erat, irrepsit, eique pietatis externâ specie imposuit: Illum postea Comitem Orientis creatum, Antiochiam, ubi Præfecturæ sedes, secutus, Apollinaristis se junxit, contra Martyrium Episc. eumque Nestorianismi per calumniam accusatum, sede deturbavit, se ipso intruso. Postmodum verò Episcopatu motus, nihilominus, gratiâ Zenonis, adhuc in urbe remansit, Episcopo Stephano ad altare, per subornatos, trucidato. Redditus An. 482. à Zenone sedi, Calendion Antiocheno in exilium pulso, mox hæresin prodidit, Hymno qui *Trisagion* dicitur, addito: *qui Crucifixus est pro nobis*; sic eum Valentinianis, Eutychianis, Apollinaristis & Sabellianis se facere ostendens. Ab Episcopis Orientis monitus frustra, condemnatus est in Synodo Constantinopol. ab Acacio, quamvis amico, &c. Quæ omnia flocci pendens fidelibus molestiam facessere perrexit, etiam Cyprum Insulam suæ jurisdictioni subjicere conatus: Dogmata sua quò fœcundius spargeret, Xeniam quendam Episc. Hierapolitanum, quamvis servum natum, & lustralibus baptismi undis nondum tinctum, creavit. Obiit tandem Ann. 486. Theodoret. *lib.* 1. Nicephor. *lib.* 15. & 16. Baron. *in Annalib.*

Petrus Fulvius, Picto, Poëta admodum ingeniosus, Sammart. *elog. lib.* 2.

Petrus Galandus, Picardus, Philosophiam docuit Parisiis, scriptis Latinè & Gallicè editis inclytus, Obiit An. 1559.

Petrus Garnengus, Carmelitarum in Turonibus provincialis, Brito natione, Historiam Eccles. edidit, &c. Obiit An. 1471. Possevin. *in appar.* Lucius *in Bibl. Carm.*

Petrus Gensianus, Poëta Gallus, An. 1304.

Petrus Gilkenius, & *Gudelinus*, Jurecoss. insignes, ille Ruremondâ, hic Lovanio oriundus: scriptis inclyti. Vide Valer. Andr. *in Bibl. Belg.*

Petrus Gillius, Albiensis, Græcè, Latineque doctissimus, Philosophus, & Philologus insignis. Missus à Francisco I. literatorum Mæcenate, in Græciam & Asiam, ut manuscripta undique probæ notæ conquireret, inde redux à piratis captus & in Africam abductus est. Cardinalis postmodum Armeniaci curâ & liberalitate dimissus, Romæ, ubi Evergetam suum salutatum advenerat, Obiit An. 1555. ætat. 65. Edidit descriptionem Bosphori Thracici & urbis Constantinopol. Vertit quoque Latine Commentarios, in 12 Proph. Theodoreti, Historiam animalium Æliani, &c. Alia quædam ipsi à domestico surrepta, sub adulterino hujus nomine, prodita leguntur. Thuan. *Histor. lib.* 16. Gesner. *in Bibl.* Sammart. *lib.* 1. *elog.*

Petrus

Petrus Gonzales de Mendoza, Hispanus, Cardin. Archiepisc. Toletanus, stirpe, doctrinâ, liberalitate, zelo illustris: Granatæ expugnationem plurimum juvit, Obiit An. 1495. Vertit Sallustium, Virgilium & Iliadem Homeri. Albericus *Hist. Cardin. t.2.*

Petrus Gravina, Poëta Italus, in aula Aragoniæ Principum, qui tum in Sicilia rerum potiti, magni habitus: postea favore Magni Capitanei Consalvi, Canonicatum Neapol. imperravit. Prospero dein Columnæ adhæsit; ob Epigrammatum conficiendorum dexteritatem, impensè à Sannazario laudatus. Neapoli à Ludovico XII. capta, pleraque ejus scripta perierunt. Obiit An. ætat. 74. infortunio memorabili. Vide Paul. Jov. *elog. cap.*74.

Petrus Gringorius, Lotharingus, Poëta & Orator, varia edidit, inter quæ: *Les menus propos de mere sotte*, An. 1520.

Petrus Guilelmus, Cardinalis ab Alexandro III. creatus, Cancellarius fuit & Bibliothecarius Ecclesiæ. Continuavit vitas Paparum Anastasii, à Nicolao I. usque ad Paschalem II. Ann. 1071. Onuphr. & Ciaccon. *in vitis Pontificum.*

Petrus Heinius, Archithalassius Reipubl. Belgicæ, debellavit An. 1628. Classem Argentiferam Hispanorum, ad Mantacæum: cui inerant, præter alias merces, argenti partim cusi, partim in laminas fusi, onera 46. id est, tonnæ 300. auri. Biennio pòst, in conflictu Dunkerkano, victor occubuit.

Petrus Ickanus, Cantuariensis. Scripsit Parisiis, An. 1274. Genealogiam Angliæ Reg. &c. Balæus & Pitsæus, *de Scr. Angl.*

Petrus Johannis, sec. 12. ob quædam heterodoxa, post mortem refossus & exustus. Paul. de Castro, &c.

Petrus Iterius, Cardinalis, JC. sui seculi excellentissimus. Obiit Avenione, An. 1367. Onuphr. & Bosquet. *in Innoc. 6. &c.*

Petrus Justinianus, Venetus: Scripsit Historiam patriam, libb. 13. An. 1570. Alius Genuensis, Italicè plurima ingeniosè scripsit. Raphaël Sopranius *Script. Ligur.*

Petrus Lasena, Neapolitanus: Scripsit *de iis, quæ in aquis pereunt, &c.* Obiit An. 1636. Ingeniosissimus auctor, Laur. Crassus, *elog. Viror. liter.*

Petrus Legionensis, vide *Anacletus Antipapa.*

Petrus Leonius, Spoletanus, Astrologus & Medicus insignis: quòd ejus incuriâ Laurentius de Medicis obiisset, in puteum præceps datus est. Paul. Jov. *elog. cap.*35.

Petrus Lisetus, Arvernus, primarius Præses Parlamenti Paris. Posteà Abbas S. Victoris, floruit An. 1570. editis magno numero scriptis inclytus.

Petrus Lombardus, cognom. Magister Sententiarum, Novarâ, Longobardiæ oppido, oriundus, eruditione inclytus, Episcopus Parisiensis fit, An. 1160. cedente ipsi Philippo, filio Ludovici VI. & fratre Ludovici VII. Obiit An. 1164. Scripsit libb. 4. Sententiarum, in quos plures Viri eruditi in Communione Rom. commentati sunt, quàm in Petri Apostoli Epistolas, quem tamen Caput Ecclesiæ suæ esse volunt. Propositio tamen: *Christus secundum quod est homo, non est aliquod:* improbata à Scholasticis & condemnata est ab Alexandro III. Certè ab hoc tempore, ut loquitur Trithemius, Philosophia secularis, S. Theologiam inutili suâ curiositate fœdare cœpit, & in diversas sectas abiit. Edidit præterea Commentar. in Psalmos, & Epist. Paulinas. Vide Matth. Paris. *Hist. Angl.* Sixt. Sen. *Bibl. S. lib.5. & 6. &c.*

Petrus Loyerus, Andegavensis, Philosophus, JC. Poëta, Polyglossus, eruditione omnigenâ & scriptis insignis.

Petrus Lucius, Carmelita Bruxellensis; scripsit Florentiæ An. 1594. suam Bibliothecam Carmeliticam. Vide de aliis ejus scriptis Possevin. *in appar.* Alegr. *in Parad. Carm.*

Petrus de Luna, vide *Benedictus* 13.

Petrus Luxemburgicus, Cardin. Episcopus Metensis, filius Guidonis Com. S. Pauli, ex Mathilde Castellionæa. Obiit An. 1387. ætat. 18. Moreriusin *Diction. Hist.*

Petrus Malombra, Pictor Venetus, literatum non rudis. Obiit An. 1618. Eques Rodolfius, *P.2. vita Pict.*

Petrus de Marca, Archiepiscop. Parisiensis. Palo Benearnensis, Parlamenti hujus Præses, in exilio mulctandâ puriore Religione, quâ per 50. An. Principatus hic beatus fuerat, omnem navavit operam. Obiit Parisiis, Ann. 1662. Auctor Historiæ Benearnensis; scripsit insuper, de Concordia Sacerdotii & Imperii; de Primatu Lugdunensi, Cataloniam illustratam, Marcam Hispanicam, &c. Baluzius, *in ejus vita.* Morer. *in Dict. Hist.*

Petrus Martyr, Theologus insignis, nomine *Vermilius*, natus est Florentiæ Ann. 1500. Canonicus primò Regul. S. Augustini; Græcam literaturam & Philosophiam Patavii addidicit: Hebrææ verò & Theologiæ Bononiæ incubuit: tanto cum successu, ut, accedente nativâ facundiâ, inter Italiæ Concionatores meritò princeps haberetur. Lectis dein Neapoli, Zvinglii Buceríque scriptis, & conversatione usus Johannis Valesii JC. Hispani, qui in Germania puriorem Religionem edoctus erat, ipsemet nomen Christo dedit, & alios etiam, magno cum zelo, ab Idololatria seculi abducere satagit. Accusatus Romæ, quòd clandestinis cœtibus concionaretur, amicorum, Deique inprimis favore, exivit ictum. Interim Neapoli discedens, Lucam pervenit, ubi Emanuelem Tremellium, Celsum Martinengum, Paulum Lasicium, & Hieronymum Zanchium, ejusdem salutaris doctrinæ notitiâ imbuit: à quibus plurimi postmodum Lucensium conversi, in Helvetiam habitatum concesserunt, & ei vicinam Helvetiam. Cognito adventu Pauli III. Lucâ, cùm symmystis suis A. 1543. discessit, Bernardino Ochino, Generali Capucinorum, qui tum veræ Religionis mirum amorem incensus erat, itineris comite assumpto. Pervenit Tigurum, inde Basileam, postmodum Buceri suasu Argentoratum concessit, ubi publicè Evangelium docuit. Hic uxore ductâ, cùm eruditionis ejus fama longe lateque dimanaret, sub Eduardo VI. cujus tempore Papismo abolito Evangelii lux denuo splendere cœpit, Oxonium vocatus ibi, de Cœna Domini, disputavit, An. 1549. cùm eodem tempore, Mart. Bucerus & Paul. Fagius Cantabrigiam essent invitati. Post Eduardi mortem, sævâ sed brevi Mariæ tyrannide pulsis Orthodoxis, An. 1553. Argentinam rediit, hinc Tigurum honorificè vocatus. Interfuit postmodum Colloquio Possiaceno, An. 1561. coram Carolo 9. inter utriusque partis Theologos habito, & cum Theodoro Beza, Orthodoxiam egregiè tuitus est. Scriptis magno numero & eruditione operibus inclytus, Obiit in Domino, An. 1562. cùm in procinctu esset respondendi Johanni Brentio, qui ipsum, & Bullingerum edito libro lacessiverat. Beza *in Icon.* Thuan. *Hist. lib.* 3. Gesner. *in Bibl.* Simler. *in epitom.* Item alius, cognom. *Anglerius*, Mediolanensis, Ferdinando Hispan. Regi à consiliis fuit, An. 1502. Scripsit de Navigatione Oceani libb. 30. Paul. Jov. *in elog. cap.* 124. Voss. *de Histor. Latin.* Vasæus, *Chron. Hispan. cap.* 4. Verheiden, &c. ut plures alios omittam.

Petrus Mongus, Hæreticus, post Timotheum Ælurum, in sedem Alexandrinam se intrusit, Ann. 477. cum verus Episcopus Timotheus Solofaciolus Canopi ageret. Pulsus a Zenone, hoc sedi suæ reddito, nihilominus in urbe hæsit, Ecclesiæ molestus. Restitutus dein ab Imperatore, cùm Timotheo defuncto surrogatus Johann. Talaida ei non placeret, Henotici acris extitit defensor. Simulatâ postea Concil. Chalcedonensis observatione, Orthodoxis impositurus, sectatorum non paucos amisit, qui dein Acephalorum sectam constituerunt. Post quæ in fideles immaniter sæviens, civili cuidam belli simulachro occasionem dedit, cui vix extinguendo Zeno fuit. Obiit Anno 490. Evagrius *libr.* 3. Baronius *in Annalibus.*

Petrus Montaureonus, Parisiensis, Mathematicus & Poëta, fervente civilibus bellis Galliâ interfectus.

Petrus Nannius, Belga, scriptis inclaruit. Val. Andr. *Bibl. Belg.* Paul. Jovius, &c.

Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus, sec. 15. Scripsit Vitas SS. Vassæus, *in Chron. Hisp. cap.* 5. Voss. *de Hist. Lat.* Possevin. *in appar.* Gesner. *in Bibl. &c.*

Petrus Nogentius, scripsit in Mag. Sententiarum, A. 1404.

Petrus Nolascus, fundator Ordinis Redemptionis Captivorum: odio Albigensium, natali Galliâ relictâ, bonis divenditis in Hispaniam concessit, ibique captivorum sub Turcico jugo liberationi animum intendit, An. 1218. Primus sui Ord. Patriarcha: qui quarto voto, Captivos redimendi, se supra reliquos, adstringunt. Obiit An. 1249. Inter SS. relatus ab Alexandro 7. Ann. 1664. Mariana *lib.* 12. *cap.*8. Morerius *Dict. Hist.*

Petrus Notarius, è Ducibus Justiniani, Cabadem, ac pòst ejus filium Cosroem sæpius vicit. Circa An. Chr. 528. Procop. *de bello Pers. lib.*1.

Petrus Opmerus, Amstelodamus. Auctor Chronologiæ. Vide Beyerlinck, Valerii Andr. continuatorem.

Petrus Osma, Hispanus, docuit Theologiam Salamanticæ, sec. 15. Hic quòd Confessionem auricularem, velut institutum humanum; rejiceret, hæreticis accensitus & à Sixto IV. condemnatus est, Gesner. *in Sixto* 4.

Petrus de Palude, Dominicanus, Doctor Parisiensis, & Patriarch. Hierosolymitani titulo celebris, floruit sec. 14. A Johanne XXII. & Benedicto XII. magnis negotiis adhibitus, Philippo quoque Longo & Philippo Valesio utiliter servit; ab hoc ad Sultanum Ægypti missus, ut ille paulò remissius Christianos haberet. Scripsit in Magistrum Sent. De Causis potestatis Eccles. de Confessione, Postillas in universa Biblia; Homilias, cum tit. *Thesaurus novus:* Chronicon Regum Hierosolym. Itinerarium Ultramarinorum, cum tit. *Liber bellorum Domini.* Commentaria in Psalmos, &c. Obiit An. 1342. Lutetiæ. Vide Guichenon *in Hist. Sebusiana.*

Petrus Paparinus, Episcopus in Delphinatu, varia edidit. Seculo præter.

Petrus Passerinus, Italus, tractatus aliquot Historicos edidit. Voss. *de Hist. Lat.*

Petrus Paulus Parisius, Cardinalis, Neapolitanus gente, Juris Utriusque Consultissimus, Bononiæ Patavique docuit. A Paulo 3. dein Romam vocatus, purpuram ibi accepit, Ann. 1539. aliquot insuper Episcopatibus auctus. Tridentino Concilio, ex tribus Papæ Legatis unus, interfuturus, Obiit Ann. 1545. Paul. Jovius *Histor. lib.* 42. *&c.*

Petrus Paulus Vergerius, Justinopoli oriundus, Philosophus, JC. & Orator insignis, eruditione inter primos sui seculi. Linguarum, Græcæ inprimis, peritissimus, discipulus Chrysoloræ. Patavii varia scripsit egregia, primusque Arriani versionem edidit. Ann. 1430.

Petrus Paulus Vergerius, JC. & Episcopus Justinopolitanus, eruditione inclytus. Franciscl Spiræ, qui metu humano impulsus verâ Religione ejuratâ, in calamitatem incidit toto orbe notissimam, miserabilis exempli spectator, mitius de Evangelicorum doctrina sentire incepit. Ob quod suis suspectus, & apud Paulum III. accusatus, postquam inprimis Germanicâ legatione defunctus rediisset, jussus est hæreticos refutando suspicionem à se amoliri. Quod ille dum facere laborat, & Theologorum Orthodoxorum scripta accuratius evolvit, victus vi veritatis, ipsemet Confessor evasit, & quia omnia in Italia intuta videbat, unà cum fratre, qui similiter Episcopus erat, in Rhætiam concessit: Scriptis contra Idololatriam Romanam editis inclytus, Obiit Tubingæ, Ann. 1565. Paulus Jovius, *elog. cap.* 111. Volaterran. *in anthrop.* Vossius *de Hist. Lat. lib.* 3. *&c.*

Petrus Peregrossus, Mediolanensis, JC. celeberrimus, Cardinalis. Obiit sub Bonifacio VIII.

Petrus Pictaviensis, Monachus Cluniacensis, Scripsit *Summam historicam Bibliæ*.

Petrus Pistorius, Trecensis, Græcè, Latineque doctissimus: Lauduni, juventuti erudiendæ intentus, Sammartan. *elog.* Alius, Pictaviensis, similiter eruditione inclytus, sec. præt.

Petrus Placcus, Engolismenensis, Advocatus regius, sub Francisco I. Scripta varia edidit. In laniena Parisiensi occisus, Anno 1572.

Petrus Plaonus, vel *Plaoutus*, Doctor Paris. magni nominis, seculo 15. Nomine Universitatis Parisinæ, interfuit Concilio Pisano, Ann. 1409. in cujus sessione 13. rationibus solidissimis probavit, Ecclesiam supra Papam esse: addens hanc communem esse sententiam Academiæ Parisiensis, Tolosanæ, Andegavensis, & Aurelianensis, Putean. *Hist. Schism.*

Petrus Pontanus, Brugensis, cæcus & eruditus. Valer. Andr. & Gesner. *in Bibl.*

Petrus Præmonstratensis, Auctor Chronici, cui tit. *Biblia pauperum*, Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. & 3.

Petrus Primodeus, Nobilis Andegavensis. Scripsit de Academia Gallica.

Petrus Raimondus, Poëta provinc. A. 1226. Nostradam. *de Poët. Provinc.* Item alius, Carmelitarum Generalis, An. 1342. Scripsit in Magistrum Sent.

Petrus Ramus, vide *Ramus*.

Petrus Ranzanus, Siculus. Legatus apud Matthiam Corvinum, Condidit Annales libb. 61. cum Auctoribus Hungaricis, Vossius *de Hist. Lat.*

Petrus Richerius, Carmelita primùm, dein puriorem religionem amplexus, fidus Evangelii Minister. Calvino familiaris, aliquandiu Genevæ docuit, postmodum cum aliquot aliis Ministris Genevensibus, plurimisque è Gallia fidelibus, sub auspiciis Nicol. Durandi Villagagnonis, à Gaspare Colinio, famoso illo Galliæ Admiralio, in Floridam & Brasiliam missus, ut Evangelium illis gentibus annunciaret, munere suo magno cum zelo functus est. Sed Villagagnonis perfidiâ tam præclaro opere disturbato, mersisque Oceano Vermilio, Burdo & Bordælo, incolumis elapsus, Genevam rediit, An. 1555.

Petrus Riezius, Poëta Gallus, Ann. 1280. Claud. Fauchetus, *lib. de Poët.*

Petrus Rogerius, Arvernus, Poëta. Nostradam. *de P. Prov.*

Petrus de S. Juliano, scripsit de origine Burgundionum, antiquitates Augustodunenses, Cabillonenses, &c.

Petrus Schotus, Canonicus Argentinensis, Poëta, JC. Historicus, &c. Ingenio inter primos sui seculi: Scripsit varia. Obiit An. 1491. ætat. 31. Trithem. *in Catal.* Pantaleo *lib.* 2. *de viris Illustrib. German.*

Petrus Seguierus, Parisiensis, Præses Parlamenti: eruditione & prudentiâ inclytus. Pater Petri & Antonii, similiter Præsidum, avus Petri Cancellarii, ex Petro. Sammart. *elog. lib.* 3.

Petrus Strozzius, Mareschallus Galliæ, gente Florentinus. Francisco I. & Henrico II. in Italia, Scotiâ alibique egregiè inservit. Occisus in obsidione Theonisvillæ, An. 1558. Pater Philippi.

Petrus Sutor, Gallus, Carthusianus. Scripsit *de vita Carthus. instituto: de triplici D. Annæ connubio, &c.* Obiit An. 1537.

Petrus Thomas, Carmelita, Vasco. Episcopus Cypri & Patr. Hierosolymit. Obiit An. 1366.

Petrus Turellus, Divionensis, Mathematicus insignis, sub Ludovico XII. & Francisco I. scriptis inclytus.

Petrus du Val, Episcopus in Normannia, Præceptor filiorum Francisci I. Concilio Tridentino & Colloquio Possiaceno interfuit. Scriptis variis inclytus, Obiit An. 1564.

Petrus Valcernaus, Cistertiensis. Scripsit Historiam Albigens.

Petrus de Valle, Patritius Romanus, eruditione, peregrinatione in Orientem duodecennali, linguarum plurimarum peritiâ, edito inprimis *Itinerario* eruditissimo, quod quatuor tomis constans, Turciæ, Persiæ, Indiæque res accuratissimè exhibet, & in plurimas Europæ jam linguas translatum habetur, illustris. Obiit Romæ ante aliquot lustra.

Petrus Vallerius, Vernegus, & Vidalius, Poëtæ Provinciales. Nostradamus.

Petrus Venerabilis, vide *Petrus Cluniacensis*.

Petrus Verberius, vide *Petrus Aureolus*.

Petrus Veronensis, acer Valdensium persecutor: ab Innocentio IV. cum Stanislao Cracoviensi sanctis annumeratus est, An. Chr. 1250. Pantal. *in Chronol.*

Petrus de Vineis, Germanus, Cancellarius Friderici II. Imper. floruit seculo 13. Ingenio, eloquentiâ, eruditione, maximisque negotiis summâ fide administratis, inclytus: Imperatori in controversiis, quæ ipsi cum Gregorio IX. & Innoc. IV. intercedebant, magno zelo servit: Scripsit *de Potestate Imperiali*, libb. 6. Epistolarum, &c. Fulgos. Nihilominus, pecuniâ à Pontifice corrumpi se tandem passus, per Medicum veneno propinato, Fridericum tollere conatus est. Qui veneno, quod Medicum prægustare coëgerat, animadverso, cum lachrymis exclamavit: *Væ mihi, Petrus dimidium animæ meæ capitales mihi insidias comparavit: in quo in posterum quiescam?* Sigon. *lib.* 18. Suspendio igitur necato Medico, misero Petro oculos erui, & per Italiæ urbes circumduci, jussit; sed is capite posti carceris illiso ignominiæ se subduxit, An. 1249. Volaterr. *lib.* 23. *Anthrop.* Trithem. *de Vir. Illustrib.* & *de Script. Eccles.* &c.

Petrus Viretus, vide *Viretus*.

Petuaria, Ptolem. oppidum Parisiorum, in Angliâ, Camdeno. Aliis Beverlacum, oppidulum Eboracensis provinciæ ad Austrum, versus Albi æstuarium, 8. ab ora Oceani Britann. in Occident. 4. mill. Angl. ab Hullo portu, In Bor. ab Eboraco 10. in Ort. *Beverley* vulgò.

Petubastis, Rex Ægypti, An. ante U. C. 70.

Petuscum, dicta est ea regio Urbis, quam Romulus obversam posuit eâ parte, in quâ plurimum erat agri Romani ad mare versus, & quâ mollissimè adibatur urbs, quum Hetruscorum agrum à Romano Tiberis discluderet, & cæteræ vicinæ civitates colles aliquos haberent oppositos. Festus.

Petzora, prov. Moscoviæ Sept. versus Waigatium fretum & mare Glaciale, ac inter Condoram, Siberiam & Samojedam provincias. Ibi oppid. præc. versus oram, & fluv. cognom. qui sex amplis ostiis in mare Glaciale evolvitur, juxta opp. & arcem *Pustejezero*. Ad utramque fluv. ripam sunt montes *Ziemnoipojas*, id est, cingulum terræ.

Peucalei, pop. Indiæ ulter. Gangaridis finitimi, Dionys.

Peuce, insula Mysiæ infer. ad ostia Istri fluv. *Barillana*, Leon. Gorecio; *Pizina* verò Nigro. Ejus meminit Claudian. *de* 4. *Consulat. Honor.*

Corporibus premitur Peuce per quinq; recurrens
Ostia. —— ——

Lucanus *lib.* 3.

—— *Sparsamq; profundo*
Multifidi Peucen unum caput alluit Istri.

Martial. *lib.* 7. *epigr.* 84.

I liber ad Geticam Peucen, Istrumq; tacentem.

Dionysius, ubi de Istro:

Πεύκηνπερι ... [illegible] Πόντω.

Valer. Flacc. *lib.* 8.

Insula Sarmatica Peuce stat nomine nymphæ,
Torvus ubi & ripâ semper metuendus utrâq;
In freta per sævos Ister descendit Alanos.

Idem ibidem:

—— —— *Ostia donec*
Danubii, viridemq; vident ante ostia Peucen.

Hinc *Peucini* apud Tac. Si autem iidem sunt cum Bastarnis, causa non est, quin Germani fuerint. Vide *Peucini*.

Peuce, unum est ex 6. ostiis Istri, quod aliter *Sacrum ostium*; a Merid. magis extensum, Sanso, Brietius.

Peucelaotis, Indiæ regio circa Indi fluv. originem, Arrian. qu ibidem habet *Peuceliotin* urbem. Plinius *Peucolain* vocat oppi circa Indum.

Peucerus Gaspar, Medicus & Mathematicus Germanus, celeberrimus, gener Melanchthonis. Augusto Saxoniæ Elect. in Reformatos sæviente, decennalem toleravit captivitatem, nec dimissionem ejus ipse Maximilianus II. Imper. ab Augusto obtinere potuit: monuit hunc tamen, *Nostrum non est imperare conscientiis aut quenquam ad fidem vi cogere.* Inde tandem liberatus, Obiit Dessaviæ, An. C. 1601. ætat. 78. *Histor. Carc.* Casp. Peuceri.

Peucestes, Macedo, ab Alexandro Magno Ægypto dedita collegâ Rhodio Æschylo cum quatuor millibus militum tue jussus, Curt. 4. 71.

Peucestes, Alexandri Magni clypei gerulus, post victoriam Ind cam in numero corporis custodum. Satrapes deniq; Persidis.

Peucestes, Alexandri Magni servator. Vide Quint. Curtiu *lib.* 9. *cap* 5.

Peucetia, vulgò *Terra di Bari*, Apulia sic ad alterius differe tiam (quæ *Daunia* dicitur) nominata; reg. Italiæ in regno Ne politano, ad oram maritimam, inter Apuliam Dauniam (à q Aufido fluvio separatur) ad Occid. & Japygiam ad Ort. In q Barium metropolis. Pop. *Peucetii* Plinio, Straboni, & aliis. O dius *Metam.* 14.

Peucetiosq; sinus, Messapiaq; arva reliquit.

Peuc

Peucini, pop. fuere Germano-Sarm. inter Bastarnas ad Ort. Veneros ad Bor. Lygios ad Occ. & Daciam ad Merid. ubi & Bulanes, Avarini, Biessi, Piengitæ & Peucini proprii; in eo tractu, ubi nunc Russia nigra. Sansone, & aliis testibus.

Peucolaus, conjurationis, contra Alexandrum Magnum in Arris initæ, particeps Dymno, Curt. 6. 44. Alius ejusdem nominis in Sogdianis cum tribus millibus peditum præsidio relictus, Idem *lib. 7. cap. 64*.

Peucron, Mæotidis paludis filius ex auxiliis Persæ, in bello Colchico occisus, Valer. Flacc. *lib. 6. vers. 565*.

Pensin, ex antiquioribus Reipubl. Atheniensis administratoribus, qui mille Sagittarios instituit urbis præsidium agitaturos, quibus eo quoque *Pensini* dicti. Vide Scholia Aristophan. *Acharn. pag. 573. E.*

Peutingerus, vide *Conradus Peutingerus*.

Pexodorus, Minimus è fratribus Adæ, Cariæ reginæ: sorore regno expulsâ, imperium tenuit annos quinque, occupans illud Olymp. 109. An. 4. aliàs legitur *Pizodorus*.

Pezelius Christophorus, Germanus, magni nominis Theologus. Primò Wittembergæ docuit, sed cùm Formulæ Concordiæ subscribere recusaret, cum Casparo Crucigero, Henrico Mollero, Friderico Videbramo, &c. A. 1576. primò sub custodiam missus, ab Augusto Elect. mox extra fines dimissus est. Inde Bremam delatus, ibi docuit. Extant ejus scripta in Genesin, in Psalmos Graduum, in 3. pr. Cap. Joann. &c. Opera 7. volum. 8. Neostadii 1597. Obiit An. C. 1604. æt. 65. Regenvolscius habet, An. C. 1600. æt. 81.

Pezzanum, vel *Banzanum*, hodiè *Bolsanum*, municipium Marchiæ Tarvilinæ, in Comitatu Tirolensi; amne alluitur Sarcâ.

P F.

Pfalzgravii, vox medii ævi, Palatii Comites, qui & Majores domus, & præfecti rectoresque Palatii dicuntur, ut Eginhartus, Jornandes, Aimonius scribunt. Speculum Saxon. *lib. 3. Art. 53. qualibet provincia Teutonica terra suum habet Palansgravionatum: quæ antequam à Romanis superabantur, Regna fuerunt, à quibus ipsa in Ducatus nomina fuerunt permutata: attamen illustres in vasallos & vexillorum feudum reservarunt, quæ ipsis per imperium jam sublata sunt.* Vide Cujac. *de feud. pag. 16. l. antepenult.* & suprà in voce *Comites Palatini*.

Pfullendorfium, urbs parva Imperialis, in ea parte Sueviæ, quæ Hegovia, *Hegovv* dicitur, ad fluv. *Cell.* Vide Limnæum Enucl. *lib. 4. cap. 45.* Itæ Brigantinæ *de Pfullendorf*, maritus Adelbertus vel Albertus *Dives* dictus, Landgravii Alsatiæ titulum primus gessit: pater Rudolfi, qui ex duobus filiis, Rudolfo quidem minori, Comites ultimos Habspurgicos, Lauffenburgios & Kyburgios, qui sec. 15. defecere: ex majore autem natu Alberto Sapiente, Rodolfum I. Imper. progenuit. Vide in voce *Austria*.

P H.

Phabiranum, urbs aliàs Cauchiorum, nunc Saxoniæ inferioris munita, Hanzeatica, & emporium celebre, vulgò *Bremen* Petr. Apiano, ad Visurgim fluv. in Frisiæ confin. A Mercatoribus Bremensibus, semina Christianismi in Livonia sparsa sunt, circa An. Chr. 1160. Crantz. Cromerus *lib. 6.* Vide *Brema*.

Phaccusa, opp. olim, nunc pagus Ægypti, inter Nilum & sinum Arabicum, Strabo. *Phacusa* Ptolem. *Phacussa* Stephan.

Phacee, vel *Pekah*, Romeliæ, vel Remaliæ fil. Phaceiâ, in convivio, occiso, à militibus Rex Israëlis proclamatus est, An. M. 3276. impietate & injustitiâ infamis. Achazum Judæ Reg. 120000. occisis superavit; ob sævitiam in Judæos exercitam à Proph. Obed increpitus, captivos sine lytro remisit: ab Osea paulo pòst occisus, An. M. 3296. regni 20. Vide 4. Reg. 15. 2. Par. 28. Joseph. *Antiq. Jud. lib. 9. cap. 11, 12. 13.* Torniel & Salian. *An. M. 3276. & seqq.* Latin. *aperiens*.

Phaceia, filius Menahem, Patri successit, vide 4. Reg. 15. & in voce *Phacee*. Lat. *apriens Dominus*.

Phacium, oppidum Thessaliæ, Thucyd. *lib. 4.* Gentile *Phacius*, Stephanus.

Phacussa, vide *Phaccusa*.

Phadaia, pater Zebda, 4. Reg. 23. Filius Jechoniæ, 1. Paral. 2. Latin. *redemptio Domini*.

Phadassur, vel *Pedazur*, pater Gama'iel principis tribûs Manasse, Num. 1. Latinè, *redemptor fortis*, vel *redimens petra*, vel *redemptio æstimationis*.

Phaizana, Cappadociæ Castellum, Arriano.

Phalon, nomen viri; 1. Esdr. 2. Lat. *redemptio ejus*, aut Syriacè, *jugum*, vel *juga*, scil. boum.

Phaca, proprium nomen fuit Cremyoniæ.

Phæacia, insula maris Jonii Epiro adjacens, quæ & *Corcyra*. Pop. *Phæaces*, otio olim, luxuique dediti; unde *Phæacem* pro homine bene curato, ventrique & gulæ addicto usurpat Horatius, *Epist. lib. 1. ad Valam*.

> *Pinguis ut inde domum possim, Phæaxq; reverti.*

Phæaces autem sic dicti sunt, qu. *eminentes*, ex Arabicâ linguâ, quâ פיאק *Phaik* dicitur, qui vel opibus, vel dignitate præ cæteris eminet. Unde Poëta eos appellat Ἀγχιθέους, id est, εὐδαίμονας, ut rectè interpretatur Hesychius, post veteres Scholiastas. Ex quo rerum successu factum, ut tandem insolescerent, & nimio fastu turgerent, quod ex Aristotele colligit idem Hesychius, in Κερκυραίων, Bochartus. Phæacum regio mirâ pomorum copiâ pollet, Ovidius *Metam. 15.*

> *Proxima Phæacum felicibus obsita pomis*
> *Rura petunt.* —— ——

Juvenalis *Satyr. 5.*

> —— —— *Illa jubebit*
> *Poma dari, quorum solo pascaris odore,*
> *Qualia perpetuus Phæacum auctumnus habebat.*

Propertius 3. 2.

> *Nec mea Phæacias æquant pomaria silvas.*

Lege *Phæacas*.

Phæax, Eloquentissimus Orator, qui facundiâ suâ jam mortem judicum sententiis dictam effugit, Schol. in Aristoph. *Equit. 364. B.*

Phæbiana, seu *Phæniana*, urbs fuit Rhætiæ latè sumptæ in Vindelicia. Nunc est *Babenhausen* oppidul. Sueviæ, ad Guntiam fluv. 12. mill. pass. à Memminga in Bor. Aliis & meliùs est opp. *Burgavv*, ad Mindelam fluv. Marchionatus ampli caput, in Suevia, sub Austriacis, 18. mill. pass. ab Ulma in Ort. 22. ab Augusta Vindelicorum in Occid.

Phæcasia, una Sporadum, inter Helenam ad Occ. & Pholecandrum ad Ort.

Phædimus, unus ex Ducibus Macedonibus, qui Eumenem Antigono prodidere.

Phædimus, cursor nobilis. Statius *lib. 6.*

> *Et bis Isthmiacâ victor clamatus arenâ*
> *Phædimus, alipedumq; fugâ prægressus equorum*
> *Ante Dymas.* —— ——

Phædimus, Byzantius fuit Elegiographus poëta.

Phædon Atheniensis, in convivio à 30. Tyrannis necatus. Hujus filiæ virgines erant, quæ, ut virginitatem servarent, invicem se complexæ in puteum se præcipitavere. Fuit alius hoc nomine Elidensis, Socratis auditor, ingenio liberali: qui, (ut quidam scripserunt) servivit lenoni, perinde qu. meritorius puer, quæstuariumque mancipium. Eum Cebes Socraticus emisse dicitur, habuisseque in philosophorum disciplinis, atque is postea illustris philosophus fuit, cujus nomini Plato librum *De immortalitate animæ* dedicavit. Auctor sectæ Eliacæ, Plisthenem Elidensem, successorem habuit. Vide Gell. *lib. 2. cap. 18.* Macrob. *lib. 1. Saturn. cap. 11.* & Diog. Laërtium *in vitis Philosoph.*

Phædra, Minois Cretensium Regis filia, uxor Thesei, quæ amore Hippolyti privigni capta, cum ipsum adducere non potuisset, ut parentum thalamum conspurcaret, apud patrem eum detulit, tanquam stuprum sibi inferre voluisset. Cui delationi temerè fidem adhibens Theseus, Neptunum invocavit, ut de filio supplicium sumeret. Cujus precibus exauditis, Neptunus Hippolyto in maris litore currum agitanti phocas immisit, quarum conspectu territi equi, relictâ viâ, currum per saxa & avia traxerunt, Hippolytumque frustra retinentem, lorisque implicitum, varias in partes distraxerunt. Phædra autem suâ sponte laqueo vitam finivit, Plut. Vide Diod. Sic. *lib. 5.* & *Hippolytus.* Prop. 2. 1.

> *Seu mihi sint tangenda novercæ pocula Phædræ.*

Ausonius:

> *Suasi quod potui, tu alios modo consule. Dic quos?*
> *Phædra & Elisa tibi dent laqueum, aut gladium.*

Phædria, Arcadiæ vicus, apud Pausaniam. Rupes sic dicta apud Delphos. *Phædriades* Petræ hæ sunt, Diodoro *lib. 16.*

Phædrus, unus ex discipulis Platonis, cujus nomine Plato librum edidit, qui inscribitur *Phædrus*.

Phædrus, Poëta Latinus, libertus Augusti, gente Thrax, Æsopi fabulas jambico vertit carmine. Avienus *in Præfat. fabul.* Martialis *Epigr. 20. lib. 3.* Nicol. *Rigaltius, epist. ad Jac. August. Thuan.* Nitidissimè prodiit An. 1665. Amstelodami, cum notis eruditis Johannis Laurentii JC.

Phædyma, Otanis nobilis Persæ filia, Herodotus *lib. 4.*

Phæmonoë, vel potius *Phemonoë*, virgo prima Delphici Apollinis vates fuisse dicitur, carmenque Heroicum invenisse. Plin. *lib. 10.* Strab. *lib. 9.* Lucan. *lib. 5.*

> *Phæmonoën errore vagam, curisq; vacantem*
> *Corripuit, cogitq; fores irrumpere templi.*

Phænarete, vide *Amphitheus*.

Phæniana, Rhetiæ urbs, Ptolem. Alio nomine *Phæbiana castra*. Vide ibi. Hodie *Bebenhusium*. Vide etiam *Febiana*.

Phænias, Philosophus Peripateticus, discip. Aristotelis. Scripsit Historiam Tyrannorum, &c. Diog. Laërt. Athen. Plutarch. Suid. Vossius *de Hist. Gr. lib. 1.*

Phæno, seu *Phænon*, *Fenon* Hieronym. castrum Israëlitarum in deserto, olim urbs, ubi homines ad metalla fodienda damnabantur, unde *Metallum Fenense*, inter Zoaram & Petram, in Edom, nunc vicus.

Phænodemus, qui condidit antiquas historias, laudatus à Schol. in Aristoph. Crabr.

Phanomerides, mulierum Laconicarum epitheton ab Ibyco primitus excogitatum. Plutarchus: Ἡ Λάκαινα φαινομηρίς. Etiam Peleus ad Euripidem, *in Andromache*, de Spartanis mulieribus verba faciens:

— Οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις
Σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη.
Αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους,
Γυμνοῖσι μηροῖς, καὶ πέπλοις ἀνειμένοις
Δρόμους, παλαίστρας τ' οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ
Κοινὰς ἔχουσι. — —

Hinc est, quòd Poëtæ eas *nudas* vocant. Ovidius *in Epist. Paridis ad Helen.*

More tuæ gentis nitidâ dum nuda palestrâ
Ludis & es nudis fœmina mixta viris.

Et Propertius 3.13.

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palestræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii;
Quòd non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros.

Phasana, oppidum erat Arcadiæ, ad Alpheum, Olympiæ finitimum, Pindar.

Phastum, oppid. Cretæ in territ. Matii, nunc in ruinis à multis annis; *Festo*. Item, opp. Macedoniæ, Livio, in Estiotis.

Phasula, Ptolem. Vide *Fesula*, urbs Hetruriæ Episcop. excisa, in colle, apud Florentiam, inde 2. m. p. ab Atlante condita, & de filii nomine dicta, ex primis Tuscorum coloniis.

Phatelinus, aliis *Facellinus*, fluv. Siciliæ, apud Pelorum promunt. ubi templum erat Dianæ.

Phaethon, Clymenes Nymphæ & Solis filius fuisse dicitur, qui cùm Epapho, Jovis filio, non cederet, seque Solis filium esse gloriaretur, hunc falsò gloriari inquit Epaphus, teste Ovidio, *Metamorph. lib.* 1.

Nunc Epaphus, magni genitus de semine tandem
Creditur esse Jovis, perq; urbes juncta parenti
Templa tenet: fuit huic animis æqualis & annis
Sole satus Phaethon, quem quondam magna loquentem,
Nec sibi cedentem, Phœboq; parente superbum,
Non tulit Inachides: Matriq;, ait, omnia demens
Credis, & es tumidus genitoris imagine falsi.
Erubuit Phaethon, iramq; pudore repressit,
Et tulit ad Clymenen Epaphi convitia matrem.

Quæ scripta sunt etiam à Tzetze *Chil.* 4. *Hist.* 137. At Pausanias *in Atticis*, Cephali satu natum esse ex Aurorâ Phaethontem scribit: quod etiam testatur Hesiodus *in Theogoniâ*:

Τιθωνῷ δ' Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν,
Αἰθιόπων βασιλῆα καὶ Ἠμαθίωνα ἄνακτα·
Αὐτάρ τοι Κεφάλῳ φιτύσατο φαίδιμον υἱὸν
Ἴφθιμον Φαέθοντα, θεοῖς ἐπιείκελον ἄνδρα.

Fabulati sunt igitur, Phaethontem Epaphi contumeliis inflammatum, ut nobilitatem sui generis universis hominibus patefaceret, ad Solem patrem suum contendisse, & precibus tandem impetrasse, ut is jure jurando polliceretur, quicquid Phaethon poposcisset, se concessurum. Tum verò Phaethon rogavit, ut currum, lucisque administrationem sibi per unum diem concederet: id cùm graviter ferret Sol, neque tamen negare posset, quod jurando affirmaverat, multis rationibus conatur filio persuadere, ne rem tam arduam aggrederetur, quæ multò majorem peritiam & animi constantiam requireret. Verùm cùm nihil neque monendo, neq; deterrendo, neque rogando, ut à re tantâ abstineret, proficeret, invitus illi currum habenasque equorum tradidisse dicitur, ut luculentissimè scripsit Ovidius *Mutationum lib. secundo*, & Lucianus *in Dialogis Deorum*. Cùm igitur acceptum currum, ob metum Scorpionis, retinere intra certam viam Phaethon ignorasset, effecit, ut modò terrarum orbis acerbitate caloris propinquioris conflagraret, regionesque vel ad cardines mundi insuetum æstum sentirent; modoque tellus Æthiopum gravissimis, & insuetis frigoribus premeretur. Id cùm sensisset Jupiter, veritus ne genus animantium penitus periret, fulmine cœlesti Phaethontem de curru dejecit: qui ad ripas Eridani cecidit, ut ait Apollonius *lib.* 4. *Argonaut.*

— Ἐς δ' ἔβαλον μύχατον ῥόον Ἠριδανοῖο
Ἔνθα ποτ' αἰθαλόεντι τυπεὶς πρὸς στέρνα κεραυνῷ,
Ἡμιδαὴς Φαέθων πέσεν ἅρματος ἠελίοιο
Λίμνης ἐς προχοὰς πολυβενθέος, ἡδ' ἔτι νῦν περ
Τραύματος αἰθομένοιο βαρὺν ἀνακηκίει ἀτμόν.

Cicer. *De Officiis: Phaethonti filio Sol facturum se esse dixit, quicquid optasset. Optavit, ut in currum tolleretur; Sublatus est, atq; is antequam constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat, & hoc promissum patris non esse servatum.* Lucretius *lib.* 5. inquit, Solem post mortem filii collegisse equos, atque suetum cursum peregisse:

At pater omnipotens, irâ tum percitus acri,
Magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram: Solq; cadenti
Obvius æternam suscepit lampada mundi;
Disjectosq; redegit equos, junxitq; trementes,
Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans.

Fingitur autem Phaethon, qui dicitur fuisse Liguriæ Princeps, Astrologiæ peritissimus, decidisse de curru paterno (inquit Lucianus) eo quòd investigavit cursum Solis, præventusque morte, artem reliquit imperfectam. Ejus verò tempore, nempe An. M. 2530. Euseb. *in Chron.* de cœlo delapsæ sunt flammæ, quibus (ut Author *lib. de Mundo* meminit) multæ regiones ad Occidentem exustæ sunt. Hanc ob causam, fingitur orbis terrarum, eo currum agente, inflammatus. Fabula autem ad mores relata exprimit imaginem temerarii & ambitiosi Principis, qui gloriâ & regnandi cupiditate incensus, cogitat sublimia, & *concipit æthera mente*, uti loquitur Ovidius, qui in hâc fabulâ pingendâ poëseos omnia ornamenta singulari quodam artificio adhibet. Horat.

Terret ambustus Phaethon avaras
Spes. — —

Ovidius *lib.* 1. *Trist.*

Vitaret cœlum Phaethon, si viveret; & quos
Optarat stultè, tangere nollet equos.

Hinc *Phaethonteus.* Claudianus:

Et Phaethontea perpessus damna ruina
Eridanus. — —

Martialis *lib.* 4. *epigr.* 25.

Æmula Bajanis Altini litora villis,
Et Phaethontei conscia sylva rogi.

Item *Phaethontis.* Idem Mart. *epigr.* 32.

Et latet, & lucet Phaethontide condita gutta.

Et *Phaethontias*, unde *Phaetontiades* Virgilio, *Ecl* 6.

Tum Phaetontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atq; solo proceras erigit alnos.

Id est, sorores Phaethontis, quæ dum extinctum fratrem insolabiliter lugerent, conversæ sunt in alnos, vel ut alii volunt, in populos, quarum lachrymæ in Electrum erant conversæ. Dionysius *de situ Orbis*:

Τοῖς δ' ἐπὶ Πυρηναῖον ὄρος, καὶ δώματα Κελτῶν,
Ἀγχόθι πηγάων καλλιρρόου Ἠριδανοῖο,
Οὗ ποτ' ἐπὶ προχοῇσιν ἐρημαίην ἀνὰ νύκτα
Ἡλιάδες κώκυσαν ὀδυρόμεναι Φαέθοντα.
Κεῖθι δὲ Κελτῶν παῖδες ὑφήμενοι αἰγείροισι,
Δάκρυ ἀμέλγονται χρυσαυγέος ἠλέκτροιο.

Ovidius *Metam.* 2.

Inde fluunt lachrymæ, stillataq; Sole rigescunt
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Idem *Pont.* 1. 2.

Vos quoq; Felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora nova.

Valer. Flaccus *lib.* 5.

Flebant populeæ juvenem Phaethonta sorores.

Lucanus *lib.* 2. *de Eridano:*

Hunc fabula primum
Populeâ fluvium ripas umbrasse coronâ:
Cumq; diem pronum, transverso limite ducens,
Succendit Phaethon flagrantibus æthera loris,
Gurgitibus ruptis penitus tellure perustâ,
Hunc habuisse pares Phœbeis ignibus undas.

Papinius *Theb. ult.*

Sic Hyperionium tepido Phaethonta sorores
Fumantem lavere Pado, vix dum ille sepulchro
Conditus, & flentes stabant ad flumina sylvæ.

Qu. Smyrnæus *lib.* 5.

Ἤλεκτρον δ' ἐπὶ τοῖσι δαίδαλα, τὸν ῥά τε φασὶν
Ἔμμεναι ἠελίοιο πανομφαίοιο θυγατρῶν
Δάκρυ', τὸ δὴ Φαέθοντος ὑπὲρ κταμένου χέαντο,
Μυρόμεναι μεγάλοιο παρὰ ῥόον Ἠριδανοῖο.

Vide Diodor. Sic. prolixè hanc fabulam interpretantem, *lib.* 4.

Phaëtusa, Heliadum una, Soror Phaëtontis: fratris interitum deflens, in populum versa fingitur. Ovid. *Metam. lib* 2. *fab.* 2.

Phaus, urbs Peloponnesi circa Argiam, Diod. *lib.* 15.

Phagita, à Pationo *Cornelius* denominatus, Sullæ libertus, ut tradit Suetonius *Cæsaris Vitâ cap.* 74. à quo se C. Julius Cæsar, cùm ab inquisitoribus premeretur, duobus talentis redemit. Plutarchus *Crasso*.

Phago, onis, mimus, quo Val. Aurelianus mirè delectatus est. Fuit adeò gulosus, & vorax, ut adhibitus mensæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, verveecem & porcellum uno die comederit, biberitque orcam vini. Flav. Vopiscus.

Phagres, urbs Thraciæ ad Strymonem fl. sub monte Pangæa. Gentile *Phagresius*, & *Phagresensis.* Steph. ex Thucyd. *lib.* 2. *Murus Pierius* Herodoto.

Phagrorion, quæ & *Phagroriopolis.* Civis *Phagriopolites.* Alex. Polyhistor in Ægyptiacis. Steph. Cæterùm *Phagroriopolis*, ut videtur, à *phagris* piscibus nomen habet: Sicut & *Phagroriopolitana* præfectura, & regio sita in sinu Arabico ad mare Rubrum. Strab. *lib.* 17.

Phabat-

Phahat-Moab, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *dux Moab* ... ux, *sive fovea ex patre*.

Phai, nomen Adar, regis septimi in Edom. 1. Par. 1. qui Gen. 36. dicitur *Phau*. Lat. *ululans*, aut *gemens*, aut *apparens*.

Phainus, nomen Grammatici, apud Schol. in Aristoph. sæpius laudati.

Phalachthia, Thessaliæ urbs, Ptolom.

Phalacra, cacumen Idæ montis, ubi cæsa est materies, è quâ fiebant naves Paridis (quæ ideo Φαλακραῖαι κόραι Lycophroni dicuntur) post id temporis nudata arboribus à calvitie nomen invenit.

Phalacreus, vicus Libyæ. Item Æoli filius. Hom. *Odyss.* 10.

Phalacrina, vicus Sabinorum, patria Vespasiani & Titi Impp. hodieque *Falacrino*, in ipso limite Umbriæ, 3. mill. à lacu Velino; ad radices montis, medius inter Reate ad Ort. & Interamnam ad Occ. teste Guibisio.

Phalacrium, prom. Siciliæ, inter Pelorum & Mylen; *Capo Rasocolmo*, V. *Falacrium*.

Phalacron, promontorium Corcyræ. Steph.

Phalacus, filius Onomarchi, à Patruo Phayllo, Phocensium dux, in suum locum relictus, adjuncto ei Mnaseâ, Olympiadis centesimæ septimæ anno primo. Infamatus dein sacrilegio cedere ducatu Phocensium coactus est. Diod. 16. 539. & 540.

Phalæsia, urbs Arcadiæ. Pauf. *lib.* 2.

Phalagni, opp. Arabiæ fel. *Phalbini* Interpp.

Phalaiah, nomen viri. 2. Esdr. 8. Lat. *miraculum*, sive *occultum Domini*.

Phalanges, pop. Æthiopiæ, in ora Or. ad Sinum Barbaricum. Plin. Ubi *Phalangis* mons, Ptol.

Phalangites, seu *Phalangias*, præcipuæ auctoritatis, inter pedites Alex. M. Diod. XVIII.

Phalangius, filius Carcini, de quo Schol. in *Crabron*.

Phalanna, urbs Perrhæbiæ à *Phalanne* Tyri filiâ. Hecatæus *Hippiam* vocat. Ephorus *Phalannon*. Alia est Cretæ, quæ *Phalanna* dicitur, teste Stephano.

Phalanthus, Lacedæmonius quidam, Tarenti in Italiâ conditor. Nam cùm in eo bello, quod Lacedæmonii cum Atheniensibus an Messeniis? Aristodemo R. gesserunt, utrinque vires atritæ essent, Spartani juventute exhausti edixerunt, ut virgines quibuslibet nullo discrimine sui copiam facerent. Sedatis autem bellis, juvenes incertis parentibus nati, cùm & patriæ & sibi essent opprobrio (nam *Partheniatæ* dicebantur) accepto duce Phalantho, qui auctor consilii fuisse dicitur, octavo ab Hercule, patriam reliquerunt, delatique ad breve oppidum Calabriæ, quod Tharos Neptuni filius condiderat, id auxerunt, & prisco nomine Tarentum appellarunt, Olymp. 19. Pausan. *in Messeniacis* Justin. *lib.* 3. Euseb. *in Chron.* Horat. *Carm.* 2. *Od.* 6.

Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Ubi vetus Commentator: *Phalanthus Lacedæmonius fuit, ejectus patriâ hâc de causâ, quòd absentibus Lacedæmoniis, eorum filiæ ex servis gravidæ peperérant: quos filios tali culpâ genitos, reversi à bello Lacedæmones, patriâ ejecerunt: quorum dux Phalanthus fuit, qui Tarentinam condidit civitatem, ut fertur, octavus ab Hercule.* Unde Silius *lib.* 11.

Inde Phalanthæo levitas animosa Tarento
Ausonium laxare jugum.

Martialis *lib.* 8. 28.

Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Quâ saturat Calabris culta Galesus aquis.

Et *lib.* 5. *ep.* 38.

Agnâ Galesi mollior Phalanthini.

Phalanthus, urbs & mons Arcadiæ, Pauf. *lib.* 8.

Phalanx, Arachnes frater, Atticæ reg. incola, ubi adolevisset, artem militarem à Pallade didicisse fertur, cùm Arachne soror omnia illa diligenter didicisset, quæ spectant ad telæ conficiendæ & ad suendi artificium. At cùm Phalanx rem habuisset cum sorore, fama est, ira facti turpitudine commoram esse Deam, utrique graviter facinus tulisse, ut ambos in serpentes viperas verterit. Arachne gravida ex fratre, jussa est à Pallade, non sine summo vitæ discrimine, parere; quare à filiis corrosa fuit: quod etiam cæteris ejusdem generis dicitur postmodum accidisse. Nat. Com. *lib.* 6. *cap.* 22.

Phalara, civitas à *Phalaro* amne Jthomiæ Minervæ proximo. Plin. 4. 7. Item urbs Thessaliæ prope Lamiam. Steph.

Phalaris, crudelissimus Agrigentinorum tyrannus, qui præter cætera novorum suppliciorum instrumenta, taurum æneum habuit, Perilli cujusdam arte fabricatum, in quem immissi damnati, igne subjecto, bovis mugitum edebant: cujus muneris nomine cum artifex non leve munus speraret, jussu tyranni in Taurum conjectus primus artis specimen præbuit. Ipse quoque Phalaris, cùm nimia ejus atrocitas ulterius ferri non posset, facto in eum universorum civium impetu, correptus ei ipsi tauro, quo alios exusserat, inclusus, vivus crematus est. Potitus est autem Phalaris tyrannide, an. 2. Olymp. 52, secundùm alios 30. eaque duravit an. 16. Supersunt adhuc literæ Abaridis ad hunc, cum responsione tyranni: nisi fortè à Luciano hæ suppositæ, ut Lil. Giraldus *Dial.* 3. *Poët.* retur. V. quoque Euseb. *in Chron.* Just. Juven.

——— *Phalaris licet imperet, ut sis*
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro.

Inde Φαλαρισμὸς pro tyrannide, apud Cicer. *lib.* 7. *ad Attic. ep.* 12.

Phalaris, Tusciæ urbs Catoni, *Phalerium* Straboni & Halicarnasseo. Hodie *Falare* vocari scribit Leander.

Phalarus, fl. Bœotiæ, in Cephissidem lacum influens. Pauf.

Phalasarna, urbs Cretæ. Steph. *Contarini* Pineto.

Phalasia, prom. Eubœæ, inter Oræum Urb. & Dionem prom. Ptol. Φαλασσία MS. Seldeni.

Phalces, priscus Dux, auxilio veniens Persæ, contra Aceten, Colchorum R. Flac. VI. *vers.* 89. occisus est, ab Argo, Phryxi filio, in conflictu *vers.* 554.

Phalcidon, Thessaliæ urbs, de quâ vide Polyænum *lib.* 4. *in Philippo*, *Com* 18.

Phaleas, Philosophus, & legum lator, patriâ Chalcidonensis, qui omnium bonorum æquationem induxit. Aristotel. 11. *Politic. cap.* 7.

Phaleg, vel *Peleg*, filius Heber, natus An. M 1788. cùm pater 35. ageret, cum esset annorum 31. genuit Reu, an. mundi 1819. ante Christum 2143. vixitque postea 239. annos. Phaleg autem *divisionem* Hebræi vocant. Dictus igitur Phaleg, quoniam secundùm divisionem habitationum natus est, quando in linguas terra divisa est. Hujus temporibus, initium ac originem cœpisse regnum Scytharum narratur, sub rege; nomine *Tanau*. De hoc Phaleg Gen. 10. Luc. 3. Idem nomen est libri insignis *Samuelis Bocharti*, Sacræ Philologiæ in Gallia illustrissimi sideris, haud pridem extincti.

Phaleha, nomen viri. 2. Esdr. 3. Lat. *scissura*, vel Syriacè *obsequium*.

Phalel, nomen viri. 2. Esdr. 3. Lat. *cogitans, orans*, vel *judicans*.

Phalenus, Zacynthius, legatorum Artaxerxis, ad victum Cyri Junioris Exercitum, princeps, qui eos arma tradere & supplices ante prætorium Regis clementiam experiri jubeiet.

Phalereus, Demetrius, Philosophus, dictus à *Phalero* portu, sive à *Phalariâ* provinciâ, Phanostrati fil. Theophrasti auditor, Athenis præfectus à Cassandro Macedonum principe, cùm esset civis: qui (ut author est Strabo) non modò popularem non destruxit potentiam, sed etiam melius reformavit. Verùm tandem invidia valuit, ut post Cassandri obitum, in Ægyptum fugere coactus sit, & ejus inimici statuas plures trecentis conflavere. Hic posteà morsu aspidis periit, cum multa apud Ptolemæum in calamitoso otio scripsisset.

Phalereus, quidam, deploratus à medicis vomicæ morbo, cùm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoste. Plin. 7. 50.

Phalerium, vide *Phalaris*, & *Faleria*.

Phaleron, vicus & navale Atticæ, V. *Phalerus*. Neapolis etiam urbs in Opicis, in quam Parthenope Siren ejecta est, sic vocabatur. Alia est Thessaliæ juxta Oetam, quam Rhianus *Phalaron* & *Phaleron* vocat. Steph. à Romanis deleta, Livio.

Phalerus, Alconem Patrem habuit sagittandi, ut ferè omnes Cretenses, peritiâ celebrem: Qui cùm *Phalerum* infantem adhuc Draco spiris implicuisset, eâ arte arcum intendit, ut Draconem confixerit, puero illæso. *Phalero* postea Athenienses, ut Jasonis comiti, aram erexerunt.

Phalerus, portus Athenarum, nunc *porto Leone*, estque Urbi conjunctus. Ortelio tamen Pyræus portus sic dicitur, à Leone marmoreo, qui ad littus jacet.

Phalet, fil. Jahaddai, 1. Par. 2. Item fil. Azmoth, ibidem. Lat. *liberatio*, sive *expulsio*.

Phaleth, fil. Jonathan. 1. Par. 2. Lat. *ruina*, sive *judicatio*.

Phaliga, vicus medius inter Seleuciam Pieriæ, & Seleuciam Mesopotamiæ. Steph.

Phalisci, *Pomiferi* & *Junonicolæ* Ovid. dicti, vide *Falisci*.

Phalius Corinthius, ab Hercule oriundus, Eratoclidæ fil. qui Corcyrenses colonos habitatum Epidamnum deduxit. Thuc. *l.* 1.

Phallica, apud Athenienses Bacchi sacra dicebantur, à Pegaso Eleutheriensi instituta. Quum enim Pegasus Bacchi imagines ex Eleutheris, civitate Bœotiæ in Atticam reg. portaret, irrisus est ab Atheniensibus. Quod Bacchus ægrè ferens, pudenda hominum morbo gravissimo infestavit. Sciscitantibus autem iis, quo pacto liberari possent, responsum datum est, unicum remedium esse; Si eum honore & pompâ Bacchum exciperent: quod factum fuit. Ex ea re tum privatim, tum publicè lignea virilia thyrsis alligantes per eam solennitatem gestabant. V. *Dionysia*.

Phallu, fil. Ruben. Gen. 46. Lat. *mirabilis*, aut *occultus*.

Phalora, urbs Thessaliæ, inde *Phalorensis*, & *Phalorites*. Rhianus *Phaloriam* vocat. Steph.

Phalorias, urbs Locrid. s. Civis *Phaloriens*. Steph.

Phalsæburgum, seu *burgus Palatinus*, urbes C. Lotharingiæ, aliàs munita, in confin. Alsatiæ, ad radic. Vogesi montis, cum tit. Princ. sub Gallis, ab aliquot annis. 7. leuc. Lotharingicis ab Argentina in Circ. Divodurum versus, 16. à Nanceio in Ort.

Phalti, fil. Radhu, Num. 13. filius Lais, 1. Reg. 25. Est & nomen urbis 2. Reg. 23. Lat. *liberatio*, sive *expulsio*.

Phaltias, fil. Ananiæ. 1. Par. 3. Lat. *liberatio*, aut *expulsio Domini*.

Phaltiel, idem. Fil. Ozan, Num. 34. Princeps tribus Issachar, fil. Lais, 2. Reg. 3.

Phamizon, vicus Amasex, Australior Amiso, incolæ *Phamizonita*, regio *Phamizontis*, quæ & *Neapolis*. Steph.

Phamizonium, opp. Cappadociæ ad Irin fl. Plin. *lib. 6. cap. 3.*

Phana, promunt. Chii, sic dictum quòd Latona illic apparuerit. Steph. V. Schol. *in Aristoph. Aves*. *Phanæa* dicitur Ptolemæo, *Phaneus mons* Vibio. *Capo Mastiche* Sophiano, & Bellonio, *Panale* verò Favolio, *in suo Hodœporico Byzantino*. Virgil. *Georg. 2.*

Tmolus & assurgit quibus & Rex ipse Phaneus.

Ubi sis vide Lud. de la Cerda.

Phanagoria, *Matriga* Theveto, *Mapotrinica*, Moletio, urbs olim episc. Sarmatiæ Asianæ ad Bosporum contra Theodosiam urbem Tauricæ. *Phanagore* Dionys. *vers. 552.*

Ἠ'δ' ἐπὶ Φαναγόρη τε καὶ ἔνκλιΘ- Ἑρμώνασσα. Ad Corocondamum lacum, prope Bosporum Cimmerium, vix 6. m. p. à Corocondama Urbe in Bor. ubi aliàs Bosphorani pop. & nunc Circassii. Quid nunc sit, non constat. Corocondama enim est *Taman*. & Panticapæum *Pantico*, à quo 15. m. p. in ort. distat, uti 70. à Theodosia in Cæc. Baudr.

Phananita, V. *Arabia sup.* seu *Petræa*.

Phanaræa, urbs Cappad. circa Thermodoontis fl. Fontem. Strabo, Plin. Non extat.

Phanarena, urbs Cappad. circa Thermodoontis fluv. fontem. Strabo, Plin. Non extat.

Phandana, urbs Armeniæ maj. Ptol. *Phandalia* Interp.

Phandora, vel *Pandora* Plin. pop. Indiæ, in convallibus degentes, candido in juventute, nigro in senecta capillo.

Phaneas, nobilis Carthaginensis, qui bello Punico tertio ad Romanos defecit. Livius.

Phanesii, pop. in insulis Oceani Septentrionalibus, qui, teste Solino cap. 32. habent aures adeo effusas, ut totum corpus illis contegant.

Phaneta, Græci apparentem dicunt Deum, quoniam, cùm adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuit. Sol etiam sic dicitur.

Phaneus, vir Halicarnasseus, qui cùm diu in amicitiâ & societate Amasis, regis Ægypti fuisset, tandem accusatus ex Ægypto ad Persas transfugit, & Cambysæ trajicere volenti in Ægyptum adhæsit, ejusque consilio Cambyses usus est: & cùm viam non satis commodam ad trajiciendum comperiret, hic eum docuit per Arabiam iter facere. Herod. *lib. 1.*

Phaneus, mons in Chio insf. ferax optimi vini. V. *Phana*.

Phania, vir quidam fuit, qui, quia falsam de se præbuit opinionem, quasi multarum divitiarum vim domi constructam ac reconditam haberet, ejus dissimulatio abiit in proverbium, *Phania ianua*.

Phanias, libertus App. Pulchri, Cic. *ep. Fam. lib. 3*

Phanocles, Poeta Græcus, Voss. *de H. Gr. lib. 1.*

Phanodemus, historicus, cujus mem. Halicarnasseus Dionysius *lib. 1.* ubi memoriæ mandasse eum scribit *Attica Antiquitates*. V. Voss. *de H. Gr. l. 1. pag. 399.* & Scholia *in Aves*.

Phanodicus, Deliaca scripsit, quorum *lib. 9.* citat Apollonii Scholiastes *in lib. 1.* Meminit. & *Phanodici* Laertius in Thalete & Biante. V. Voss *Hist. Gr. lib. 1.*

Phanos, Scribæ Judicialis, apud Athenienses, nomen, litigiosi ac malefici, apud Aristoph. Equit.

Phanostratus, Archon Athenis, An. 2. Olymp. 99.

Phanoteus, urbs Phocidis. Steph.

Phantastici, Hæretici. V. *Gajanita*, & *Julianus Halicarnassensis*.

Phantia, urbs Troadis, à Cumæis condita. Gent. *Phantæus*. Steph.

Phanuel, vel *Phanuela* Josepho, qui & *Peniel*, locus extra torrentem Jabboc in finibus Amorrhæorum in Rubeniâ sorte, ubi Jacob, qui deinde Israel, totâ nocte cum Angelo luctatus est. Gen. 32. Hæc civitas Gedeonis exercitui panes negavit, cujus turrim destruxit Gedeon, & habitatores occidit. Judic. 8. Fuit autem contigua Tripoli, ubi mons Libanus desinit. Item fil. Sesak. 1. Par. 8. & pater Annæ prophetissæ. Luc. 1. Lat. *videns Deum*, vel *faciem Dei*. Ideoque Strabo *Faciem Dei* vocat, *lib. 16.* Τῇ δὲ Τριπόλει συνεχές ἐστι τὸ τοῦ Θεοῦ Πρόσωπον, εἰς ὃ τελευτᾷ ὁ ΛίβανΘ- τὸ ὄρΘ-. Item civ. juxta Sichem, in tribu Ephraim. 3. Reg. 12.

Phanus, fuit quispiam, qui, quum uxorem haberet adulterii suspectam, atrii fores sic occlusit, ut non nisi cum stridore, sonituque possent aperiri: verùm cùm illa per tegulas adulterum admitteret, vicini per jocum dicebant: *Phani ostium*; quo proverbio innuebant, aliquid servatum frustra.

Phaon, juvenis Lesbius, qui à Venere Alabastrum unguenti dicitur accepisse, eoque oblitus omnium formosissimus evasisse, eximiâque pulchritudine, cùm alias mulieres Mitylenæas, tum præcipuè Sappho poetriam ad sui amorem allexisse. Extat epistola Sapphûs ad Phaonem, inter Ovidianas.

Phara, vel *Phura*, famulus Gedeonis. Jud. 7. Item urbs 1. Mach. 9. Lat. *frugifer*, aut *crescens*, sive *vacca*.

Phara, Africæ propriæ Urbs, à Scipionis militibus incensa, Strab.

[illegible]cides, navarchus Lacedæmonius, Dionysio super. contra Hi[illegible]nem & Carthaginienses auxilio missus, Olymp. 96. an. 1. De eo Polyæn. *lib. 2. 132.* ubi vitiosè legitur *Sarnacides*.

Phare, vel *Phera*, urbs Cretæ à Milesiis condita. Plin. 4. 2. Item urbs Messenes, ex quâ erant Aphareriadæ. Gentile *Pharaites*. Alia Achaiæ. Gentile *Phareis*, vel *Pharais*. Alia Bœotiæ. Gentile *Plinresetis*. Vide Steph.

Pharai, nomen viri. 2. Reg. 23. Lat. *hiatus*, sive *apertio*.

Pharam, rex Jerimoth. Jos. 10. Lat. *onager eorum*, vel *ferocitas eorum*, aut *fructificatio matris*, vel *taurus matris*.

Pharambara, Mediæ opp. Ptol.

Pharamia, urbs Ægypti, in littore maris, non longè à Nili ostio, *Carabeix* dicto, G. Tyrius. Qui & inter Pharamiam & Taphium duas minimas Ægypti urbes scribit primum Nili ostium, quod Syriam versus est, in mare effundi.

Pharamundus, An. Dom. 429. vigesimus quartus Francorum Rex, à Franciâ Orientali in Occidentalem suam transtulit sedem, legemque tulit, quam Salicam vocant. Munst. *lib. 2. Cosm.* V. *Faramundus*.

Pharan, vel *Paran*, *Faran*, adhuc in tab. recent. urbs Arabiæ Petrææ, & mons ad sinum Arabicum in Ægypti confinio. Ptol. Lat. *pulchritudo*, sive *laus*, aut *gloriatio*, vel *propagines*.

Pharan, desertum amplissimum, vastissimum, invium & inaquosum, continens à monte Sinai usque Cadesbarne iter undecim dierum, cujus terra nec arari potest, nec seri, tota arida & sterilis & squalida est, inhabitabilis, hominibus, villis, domibus & casis carens, ubi nec homines videntur, nec bestiæ, nec aves, imò nec arbores, nec germen aliquod, sed non nisi rupes & montes saxosi, altissimi, asperrimi, undique prærupti & præcipites: terra autem cœloque aquarum penuria est, jacent arenæ steriles, quas ubi vapor solis accendit, fervido sole exurente vestigia intolerabilis æstus existit. Hac Israel perrexit transiens ex Ægypto, in terram Canaan.

Pharao, rex Ægypti. Suidas: Φαραὼ, οὕτως ἐκαλοῦντο πάντες οἱ βασιλεῖς Αἰγύπτου, ἀπὸ τοῦ πρώτου Φαραώ. *Pharao* autem cognomen erat dignitatis, ut scribit Eusebius. Et Josepho, *in Antiquitatibus*, Pharaonis nomen, secundùm Ægyptios sig. Regem. Sic enim ille: Ὁ Φαραὼν κατ' Αἰγυπτίους βασιλέα σημαίνει. Quum ergo hoc honorificum nomen sit, malè refertur ad Hebræum פרע *nudare*, quòd auxilio Dei nudatus fuerit. Isidorus 7. 6. *Pharao nomen est non hominis, sed honoris, sicut apud nos Augusti appellantur reges cùm propriis nominibus censeantur. Exprimitur autem in Latinum denegans eum, utiq. Deum, sive dissipator ipsius: populi enim Dei fuit afflictor.* Apud Arabes autem, quorum dialectus Ægyptiaca vocabula multa habet admixta, פרעון *pharaon* est *crocodilus*, quò Ezechiel allusisse videtur *cap. 29. & 32.* Boch.

Pharao, Ægypti Rex, Sarâ Abrahamo ereptâ, tantopere divinitus afflictus est, ut eam illibatam, cum muneribus, marito reddere fuerit coactus, An. M. 2014. Genes. 12. Jos. *Antiq. Jud. lib. 1. c. 8.* Alius, cujus somnia interpretatus est Josephus, ab ipso dein ad Præfecturam regni totius evectus. V. *Josephus*. Alius, qui Israëlitas gravi onere pressit. V. *Moses*. Alius, filiam Salomoni elocavit, 3. Reg. 3. *An. M* 3021. Alius, dictus *Nechao*, Vide ibi. Alius, Sedeciæ auxiliaturus, victus à Babyloniis est: Gazam tamen in reditu diripuit. Jer. 37. 4. Jos. *Antiq. lib. 10. cap. 20.* Torniel. A. M. 3444.

Pharasmanes, Hiberorum Rex, fratri Mithradatiâ Tiberio conciliatus, cujus & conatus, in obtinenda Armenia, strenuè adjuvit, contra Orodem. Tac. 6. 33.

Pharastia, Mediæ urbs, Ptol.

Pharathon, civitas Ephraim in monte Amalech. Judic. 12. Lat. *dissipatio*, vel *ruptura*, aut *denudatio ejus*, vel Syriacè *vindicta ejus*. Hinc fuit Abdon Judex pop. Israël. Jos. *de bello Jud.*

Pharathus, urbs Galilææ.

Pharax, Lacedæmoniorum navarchus, ab obsidione Cauni, à Pharnabazo cum magnis copiis adventante urbanis subsidio depulsus. Diod. *lib. 14.*

Pharbathus, urbs Ægypti.	Stephan.
Pharbetus, urbs Eretriensium.	
Pharcidon, urbs Thessaliæ.	

Pharenses, pop. Asiæ ad fl. Melan, in reg. Joniæ. Strab. *lib. 8.*

Phares, fil. Juda ex Thamar nuru suâ. An. M. 2314. secundum Torniellum frater Zaræ, pater Hesron & Hamul: Unus ex Progenitoribus CHRISTI. Gen. 8. Matth. 1. 3. Lat. *divisio*.

Phares, fil. Machir ex Maachâ uxore. Lat. *eques*, aut *dividens*, sive *exponens*, vel *declarans*.

Pharia, Ptolemæo, Pliniòque: Straboni verò *Pharus*, insula contra Dalmatiam, & Jaderam, quæ nunc vulgò *Lisna* Illyrico sermone dicitur. Est urbs episc. in eâ cognom. à quâ *Pharienses* pop. Ptol. Sub Venetis.

Pharion, fl. Armeniæ in Tigrim effluens. Plin. 6. 27.

Pharis, urbs Laconiæ: cives *Pharita* Pausaniæ, vel *Phariets* Homero.

Pharisæi, secta quædam apud Judæos, orta temporibus belli Punici tertii, cujus sectæ homines, non modò victu vitæque instituto à reliquo vulgo secreti erant, sed etiam veste & corporis

cultu:

cultu: quapropter Pharisæi vocantur, quæ dictio idem Hebræis sonat, quod Latinis *separati*. Suidas, Φαρισαῖοι, οἱ ἑρμηνευόμενοι ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν, καὶ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων, εἴς τε τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου, καὶ ἀκριβέστατον, καὶ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα. Φαρὲς γὰρ καλεῖται τῇ Ἑβραΐδι γλώττῃ, ἀφορισμὸς ἑρμηνεύεται, ἢ διαιρετή. Auctores Sectæ hujus, Hieronymo *in Esai. c.* 8. fuerunt Sammai & Hillel. Jejunarunt secundo & quinto die hebdomadis, à vini & quidquid vitam haberet, esu abstinentes. Spinas infra togis suffigebant, ut inter incedendum iis crura compungerentur. Asseribus, quibus lapilli instrati, incubantes, renes lumbis succinxerunt funibus, seque ipsos castrarunt, ut continentiores essent: quod quidem non ab omnibus observatum est. Ultra decimas à Lege injunctas pendebant etiam 30. & 50. partem, statutis sacrificiis alia sponte superaddebant, vota exactè servantes. Sed ejus generis hominum tanta fuit simitas, ut multo plus laborarent probi videri; quàm esse; tanta superbia; ut neminem alterius sectæ virum bonum existimarent, quapropter Christus ubique exagitat eorum vanitatem: Et certè, cùm tanti rigoris non alius scopus esset, quàm popularis aura, in tantum potentiæ tandem creverunt, ut ultimis Judæorum Regibus formidolosi evaderent, qui sæpe illorum ministerio uti coacti sunt. Cœterum μετεμψύχωσιν crediderunt, & Astrologiæ Judiciariæ impensè erant dediti, V. Jos. Ant. *lib.* 18. *c.* 2. & *de B. I. lib.* 12. *cap.* 12. Epiphan. *in panar. lib.* 1. *cap.* 16. Baron. *in Ap. Annal. Eccl.* Martinium, in *Pharisæus*, & Funger. in *Pharisai.*

Pharmacia, mel. *Pharmacias*, parvus sinus est ad Bosporum Thracium in Europâ. *Therapia* hodie dicitur, teste Gyllio. In ora Thraciæ, vix 1. mill. ab ora Bithyniæ in Occ. 3. ab ore Bosphori ad Fanum, 8. à Constantinopoli in Cæe. Idem.

Pharmacotrophi, Asiæ pop. Margianis, & Susianis finitimi, qui se veneno alere consueverunt, unde & nomen illis inditum est. Pl. 6. 16.

Pharmacusa. Bellonio *Farmaco. Parmosa*, Ins. maris Ægæi, in quà Cæsar à piratis captus, & Attalus occisus. V. *Pharmacusa*. Suet. Plut. Steph.

Pharmacusa, duæ ins. exiles juxta Atticam reg. in mari Salaminiaco; in quarum alterâ Straboni *libr.* 9. sepulchrum Circes visitur; alia est supra Miletum, in quà Attalus occisus est. Duplici σ scribit Stephanus.

Pharmatenus, fl. Cappadociæ in Arriani periplo.

Pharmicas, Bithyniæ urbs, Plin.

Pharnabazus Cretensis, Pharnabazi filius, olim Darii & postea Artaxerxis satrapes. Movit Atheniensibus bellum, Lacedæmoniis verò suppetias tulit. Dein Ægyptum ingressus per Nili ostium re infectâ reversus est. Alcibiadem interfecit. &c. Vide Cornel. Nepotem, *Lysandro & alibi*, Thucyd. Xenoph. Diod. Sic Plut. &c.

Pharnabazus Persa, à Dario ultimo, in locum Memnonis substitutus Curt. 3. 8. Vinctus Amphotero & Egilocho traditus, proditâ Chio. *lib.* 4. 46.

Pharnace, Cinnyræ mater. Hesych. Κινύρας, Ἀπόλλωνος καὶ Φαρνάκης παῖς, βασιλεὺς Κυπρίων. Phœnicium verò nomen est פרנקא *Pharnace*, quod *delicias* sonat. Bochartus.

Pharnaces, pop. Ægypti, qui in oculis geminas pupillas habent; aspectu quoque nocent. Plin 7. 2. *Haud dissimile his genus Pharnacum in Æthiopiâ prodit Damon, quorum sudor tabem contactis corporibus afferat.*

Pharnaces, Pharnabazi filius. Satrapes Regis, cujus meminit Aristoph. *Avib.* 591.

Pharnaces, nobilis Perses, frater uxoris Darii ultimi, occubuit in prœlio, ad Granicum amnem, Olymp. centesimæ decimæ an. 3.

Pharnaces, Mithridatis, Ponti regis filius, seditione exercitus contra Patrem excitatâ, illum eò angustiarum redegit, ut sibi ipsi necem consciscerer. Dein, quum, ut ait Florus, magis discordiæ civilis inter Pompejum & Cæsarem fiduciâ, quàm virtutis suæ, infesto in Cappadociam agmine rueret, hunc Cæsar aggressus, uno & non toto prælio obtrivit more fulminis, quod uno eodemque momento, venit, percussit, abscessit. Unde est illud Suetonii *in Cæsare cap.* 37. *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum*; Veni, Vidi, Vici, *non acta belli significantem, sicut cæteri, sed celeritatis confecti notam.* V. quoque Vellej. Paterc. *lib.* 2. Flor. *lib.* 3. Dion. &c. Item primus Cappadociæ R. Ricciolus *Chron. Reform. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 5.

Pharnaces, librarius T. Pomponii Attici, Cic. *Epist.* 44. *lib.* 13.

Pharnach, pater Elisaphan, principis tribus Zebulun. Num. 34. Lat. *taurus percutiens*, vel *percussus*, aut *confusus*, sive *fructificatio armatum.*

Pharnacia, vel *Pharnacea*, reg. & urbs Pontica inter Cerasuntem & Trapezuntem. Steph. *Farnace* adhuc Theveto, sed *Platana* Pineto.

Pharnacum, urbs Phrygiæ. Steph.

Pharnuchus Asibenus, vel *Nasibenus*, ut vult Salmasius, Persicam historiam condidit. Author Steph. in Ἀντιόχεια.

Pharnutis, fl. Bithyniæ apud Nicæam urbem; quam præterfluit. Suid.

Pharodini, vel *Pharodini*, Germ. pop. Ptol. *Mekelburger*, teste Gemma Frisio, *Suardones* Taciti, uti placet Peucero, ubi nunc Pomerania Occ. V. *Suardones.*

Pharos, vel *Pares*, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *pulex*, vel *culex*, sive *fructus tinea.*

Pharos, olim Ægypti ins. oblonga, parvaque, Canopico Nili ostio objecta; à Menelai nauclero ibi sepulto dicta, Ferrar. dicique unius navigatione (si Homero credimus) à continenti dirempta. Sic enim ille, *Odyss.* 4.

> Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ.
> Αἰγύπτου προπάροιθε (Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι.)
> Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
> Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν.

Ad quæ verba Aristides, in descriptione Ægypti ait: Ἐγὼ μὲν οὐκ ἔχω πιστεῦσαι. Nempe Pharos distat ab Alexandriâ, tantum stad. 7. aut, ut alii, m. p. Aristides ubi supra, Καί τοι τό γε νῦν ἠπείρου ἀπέχει Φάρος ἑπτὰ μάλιστα σταδίους. Amm. Marcel. *lib.* 22. *Insula Pharos, ubi Protea cum Phocarum gregibus diversatum Homerus fabulatur inflatius, à civitatis litore mille passibus disparata.* Vide sis Palmerium *pag.* 487. Habuit hæc insula, ubi, ob angustias loci urbem exstruere frustra conatus Alexander M. magnificentiæ tamen memoriam reliquit, Strabo *lib.* 17. turrim ingentem ex candido marmore, in petrâ sitam, 800. talentis à Ptol. Philadelpho, An. 470. U. C. 174. Olymp. Sostrati Cnidii architecti operâ extructam, quæ & ipsa *Pharos* dicta est; & inter 7. Orbis miracula recensetur, in quâ noctu accensæ faces navigantium cursum regebant. A cujus similitudine, cæteræ quoque speculæ, similem in usum constructæ *Phari* vocantur. Vide Martinium, & Fungerum in *Pharos*, ut & Petrum de Valle, *Itiner tom.* 1. Luc. *lib. ult.*

> *Tunc claustrum pelagi cepit Pharon: insula quondam*
> *In medio stetit illa mari, sub tempore vatis*
> *Proteos: at nunc est Pellæis proxima muris.*

Id est, Alexandriæ adjacet. Et ante illum Ovid. *Met.* 15.

> *Fluctibus ambita fuerant Antissa, Pharosque*
> *Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.*

Mela 2. 17. *Pharos Alexandriæ nunc ponte conjungitur, olim (ut Homerico carmine proditum est) ab iisdem oris cursu diei totius abducta: & si ita res fuit, videri potest conjectantibus in tantum mutata causas Nilum præbuisse, dum limum subinde, & præcipuè cùm exundaret, litori annectens, auget terras, spatiumque augescentium in vicina vada promovet.* Ubi vir doctus: Pomponii tempore, Pharus non jam amplius ponte, sed mole continuâ Alexandriæ conjungebatur, idque impensis Cleopatræ. Fallitur vir magnus ad Eusebium, cùm negat id Cleopatram fecisse, & Sostrato Cnidio tribuit. Ita sese res habet. Pharus prius octo stadiorum intervallo distabat. Sed insula hæc, ut inquit Cæsar 3. *de Bello Civ. à superioribus Ægypti regibus, nempe Ptolemais, in longitudinem passuum 900. in mare jactis molibus, angusto itinere, & ponte cum opido conjungitur.* Strabo, & Josephus, ubi agit de 70. Interpp. vocant, ἑπταστάδιον χῶμα. Verùm moles ista non continua, sed interrupta erat duobus pontibus, quorum unus vicinus erat turri Phariæ, qui etiamnum extat, alter verò propior urbi, & fortior, ut ait Hirtius de bello Alexandrino. Per hunc præcipuè egressus erat in Eunosti portum, qui est is, quo Turcæ privatim utuntur, quemque Christianis ingredi non licet. Cæsar autem fornicem, quo pons iste sustinebatur, quique etiam erat aquæ ductus Pharitis, lapidibus jussit oppleri, ne Alexandrinis ex uno in alterum portum aditus pateret. Cleopatra verò fuit, quæ opus absolvit, & isthmum perduxit, si fides, non Tzetzæ tantùm & Cedreno, sed Amm. Marcellino & auctori Fastorum Siculorum. Verùm illi omnia miscent, & uni Cleopatræ tribuunt, quæ Sostrato Cnidio, quæ Philadelpho & aliis Ptolemæis, erant tribuenda. Ineptè præterea fretum istud faciunt 4. m. p. & Dexiphanem, Dexiphanis filium; & illum æqualem Cleopatræ. Unum quod Cleopatra fecit, est, quòd ἑπταστάδιον χῶμα urbi conjunxit, ponte everso. Turrim verò Phariam esse Philadelph. jussu extructam à Sostrato Cnidio, vel ipsa inscriptio luculenter docere posset. Inepti sunt itaque, qui vel Cleopatræ, vel Alexandro M. opus hoc tribuunt, ut faciunt Arabes, & verus Scholiastes *in Lucianum necdum editus*: Verùm rectè is vastam hujus turris molem describit, ambitum ei tribuens parem Pyramidibus, altitudinem verò tantam, ut à 100. m. p. sit conspicua. Ait enim, quòd sit περίεργον σταδιαῖος τὴν περίμετρον, ἐπὶ πολὺ τοῦ ἀέρος ἀνέχων, ὡς ἀπὸ ρ' ὁρᾶσθαι μιλίων. Hoc ipsum affirmat Geographus Nubiensis, qui à cursûs distantiâ ignes Phari percipi adfirmat, cursum vocans intervallum centum m. p. Altitudinem verò Phari idem docet 300. cubitorum. Ridiculum posset videri id quod in quorundam legitur itinerariis, tantam molem insistere 4. cancris vitreis. Utrum hoc verum sit, necne, exploratu difficile est, quia Turcæ inferiores Phari partes & angulos præsertim, munimentis suis obruerunt, nec Christianis aditus illuc patet. Interim, hoc non esse recens commentum, colligo ex fragmento vetusti auctoris de miraculis mundi, quod penes me extat, cujus hæc sunt verba: *Secundum miraculum est Pharus Alexandrina, super quatuor cancros vitreos, per passus viginti sub mari fundata. Hoc namque mirum, quomodo tam magni cancri fieri possent, vel quomodo deportari & non frangi valerent: qualiter fundamenta superhærere potuerint; & quomodo sub aquâ cæmentum stare valeat, & quare cancri non frangantur, & quare non lubricent desuper jacta fundamenta. Hanc Pharum* Sostratus

Cnidius

Cnidius construxit in Alexandriâ. Puto Sostratum ornatûs gratiâ ad basin Phari, proximè superficiem maris, cancros istos addidisse, tanquam si iis tota moles niteretur. Vitreos autem fuisse cancros istos impossibile est, sed proculdubio ex durissimo aliquo lapide Æthiopico, qualis est Obsidianus, quem vitri generibus annumeratum fuisse testatur Plinius, exsecti fuere. Forsan etiam ex marmore Memphitico, quod & ipsum est gemmantis naturæ. Atque hæc quidem omnia unius Sostrati fuere opera. Verum etiam antequam hæc tam vasta moles exstrueretur, puto Pharum navibus præluxisse. Quin Græcum sit vocabulum, nullus dubito; ut enim à φαίνω est φανός, & deinde φανερός, sic quoque à φάω & φάος est φαρός, & hinc φάρος, translato accentu in priorem syllabam, ut semper fit, cùm ex adjectivis fiunt substantiva. Cæterùm ignes illi, qui in Pharis disponuntur, quandocunque ex ingenti cernuntur intervallo, coire & corrivari videntur, ac stellæ instar apparent. Hoc sæpe incautis & ignaris imposuit nautis, qui ita coarctatam Phari lucem conspicati, & Canopum, aliamve stellam rati in arenæ Marmaricæ cursum suum direxerunt. Statius videtur Lunæ comparare istas nocturnas flammas:

Lumina noctivagæ tollit Pharos æmula Lunæ.

Sed hoc tantum verum est, si è propinquo videantur. Tum enim vix ulla aliquando differentia apparet, inter Lunam, & alterum istud lumen. Hæc clarissimus Vossius. Pergit: Mirum est veteres quosdam tam religiosos fuisse Homeri cultores, ut maluerint rerum naturam & situm regionum ad ejus poësin componere, quàm ipsum erroris arguere, aut saltem poëmata ejus ad rei veritatem exigere. Nempe quod Tuscis est Dantes, id illis fuit Homerus. Nulla erat scientia, quam ex Homero solo non existimarent esse petendam, ne medicinâ quidem exceptâ, aut chirurgicâ. Quia Homerus scripsit, Pharum navigatione diei abesse ab Ægypto, ideo scil. mutandus fuit Ægypti situs naturalis; nullo aliunde petito argumento, quam ex aggestione limi. Verùm hoc insigniter confutavit Bochartus, quem vide. Mihi valde probabilis videtur opinio Eratosthenis, dicentis, Homero ignota fuisse Nili ostia. Explodit hanc tamen Strabo, non sequi inquiens, ut ignota fuerint, quia non meminit, nam neque patriæ meminisse. Verùm, ut puto, non benè assecutus est Eratosthenis mentem Strabo. Eratosthenes ideo dixit, Homerum ignorasse ostia Nili, non quia eorum nullam faciat mentionem, sed quia Pharum à Nilo diei navigatione abesse tradidit. Hoc ut intelligatur, sciendum est, Nilum ab Homero vocari Ægyptum, quod omnes norunt. Cùm ergo dicit Pharum ab Ægypto, sive Nilo, diei navigatione esse remotam, manifestè intelligit Pelusiacum Nili ostium. Tantum enim circiter spatium uno die percurrere potest navis vento secundo, uti ait Homerus, impulsa. Si ergo per Ægyptum intellexit remotissimum à Pharo ostium, clarum est eum ignorasse cætera Nili ostia. Baudrando *Pharos*, nunc *Farion*, fuit in ora maris Mediterr. insula. Nunc Continens, cum turri seu specula & oppid. tenui, ubi commorantur, qui antea Alexandriæ degere consueverant, aliquot nempe mercatores & piscatores, à paucis annis, Alexandriâ fere desertâ. Eustathius in promunt. insula Antipharon speculam fuisse testatur, nunc *Garofalo*. Ferrar.

Pharos, insula Illyrici, à Pariis, Olymp. 98. Ann. 4. adjuvante Dionysio, colonis repleta. *Lesina* Italis & Procopio, *Phara* Porphyrogen. *Haar* Slavis, ab Or. in Occid. ad 60. m. p. extensa, 10. mill. pass. à Corcyra Melana in Bor. Bratiam insulam versus, à qua vix 3. distat. Habet Urbem Episcop. cognom. in parte Occid. 17. m. p. à Spalaro in Merid. 60. à Narona in Occid. sub Venetis. Strabo, Plinius, &c.

Pharpar, vel *Pharphar*, profundus & amœnus Damasci fluvius est, in tribu Manasse, qui in radicibus Libani montis, Damasco propinquis, emanans, eam urbem intersecat, deinde Antiochiam tendens, ejus mœnia allambit, tandemque mari Mediterraneo commiscetur, 4. Reg. 5.

Pharparides, pars Tauri montis, Plin. 5. 17.

Pharrasii, vide *Prasiana*.

Pharsalia, à *Pharsalo* oppido, dicitur tota Thessalia. Lucanus *libr.* 1.

—— *Diros Pharsalia campos*
Impleat. —— ——

Item Lucani poëma, quod scripsit de bello Civili inter Cæsarem & Pompejum:

—— *Pharsalia nostra* (inquit ipse)
Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.

Pharsalos, hodiè *Farsa*, Thessaliæ oppid. Episcop. sub Archiepisc. Larissæo, deinde Archiepisc. sub Patr. Constantinopolitano, ad Enipeum fluv. Catullus:

Pharsalon coëunt, Pharsalia tecta frequentant.

Lucanus *lib.* 6.

Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis.

Hinc *Pharsalici campi*, pugnâ inter Cæs. & Pomp. memorabiles. Hi postea Philippici dicti sunt, sive à *Philippo* rege, sive à *Philippis* urbe vicinâ, Steph. Vide *Farsalus*, & *um*.

Pharsam, Rex Jerimoth, unus ex quinque Regulis, qui Adonizedecho auxiliati, cum illo, in victoris manus pervenerunt. Vide *Adonizedecus*.

Pharsandatha, filius Aman, Esth. 9. Latinè, *revelatio menstrui*, vel *commotionis suæ*, aut *equitis commotio*, sive *stercus menstruorum*, vel *commotiones ejus*.

Pharsuasa, filius Cabadis Persarum Reg. ob quem seductum, Manichæi omnes, unà cum Episc. suo Indagaro, libris combustis, internecione deleti sunt, An. C. 524.

Pharua, nomen viri, 3. Reg. 4. Latinè, *floridus*, aut Syriacè, *volens*.

Pharuda, nomen viri, 1. Esdr. 2. Lat. *separatio*, vel *dispersio*.

Pharum, locus in Anglia, postea *Strevaeshalch*, & hodie *Witbie* dictus. Hic virginum olim cœnobium, cui S. Hilda præfuit, cujus precibus Synodus hîc habita, An. 664. Beda, *Hist. lib.* 3. *cap.* 25.

Pharus hodiernus, vulgò *Phanarion*, ad os Bosphori Thracii in Pontum Euxinum, in ora Thraciæ, prope Panium promuntorium. P. Gyllius.

Pharus, fluv. Ciliciæ, Suid.

Pharusii, vel *Phaurusii*, pop. Africæ ultra Mauritaniam, Mela *lib.* 3. *cap.* 10. *Deinde Pharusii, aliquando, tendente ad Hesperidas Hercule, dites: nunc inculti, & nisi quòd pecore aluntur, admodum inopes*, Plin. *lib.* 5. *cap* 8. *Pharusii quondam Persæ, comites fuisse dicuntur Herculis ad Hesperidas tendentis.* Ubi Salmasius legit, *per se comites*, & interpretatur, suâ sponte, prorsus ridiculè, inquit Isac. Vossius. Vulgatam enim lectionem veram esse, apparet ex Sallustio, qui in Jugurthino, ubi de Herculis exercitu in diversas oras dilapso agit, addit; *Ex eo numero Medi, Persæ, & Armenii navibus in Africam transvecti, proximos nostro mari locos inhabitavere: Sed Persæ intra Oceanum magis, hique alveos navium inversos pro tuguriis habuere.* Nempe Persas illuc concessisse scribit, ubi hic Pharusios describit Pomponius. Dionysius:

Ἄγχι δὲ Μαρμαρίδαι πεπταμένης Αἰγύπτοιο,
Γαιτοῦλοί τ' ἐφύπερθε, καὶ ἀγχίγυοι Νιγρῆτες·
Ἑξείης δ' ἐπὶ τοῖς, Φαυρούσιοι. ——

Vide Strab. *lib. ult.* ubi de Mauris.

Pharybus, Ptolem. *Helicon* Pausaniæ, *Bephyrus* Lycophr. *Baphyrus* Liv. fluv. Macedoniæ, in mare Ægæum, ad Dium urb. decurrens, *Faribo* vulgò, qui post 70. stadia ab ortu suo conditur, ac 20. rursus emergit. Φάρυβος MS. Seldeni.

Pharycadon, urbs in Estizorum plagâ, quam alluit Peneus fluv. Strabo *lib.* 9.

Pharyge, urbs Locridis, quam Homerus *Tarphen* vocat. Hinc Pharygæa, Steph.

Pharygium, prom. Phocidis, Strab.

Pharynga, vicus Phocidis, non longè ab Acturio monte, Plut. *in Phoc.* Quidam *Pharyga* legunt.

Phasaelis, urbs Judææ, Steph. ex Josepho.

Phasania, oppidum Africæ supra min. Syrtim, Plin. *lib.* 5. *cap.* 5. Popul. *Phasanii*.

Phasca, urbs Armeniæ majoris, Ptolem.

Phasea, nomen viri, 2. Esdr. 2. Latinè, *transitus*.

Phaseida, nomen loci, 3 Machab. 15.

Phaselis, Moletio *Fionda*, nomen urbis Episcop. Mela 1. 14. *Phaselis à Mopso condita, finis Pamphyliæ.* Hanc alii Pamphyliæ, alii Lyciæ, alii Cilicum urbem esse dixerunt. Hoc mirantur viri eruditi, neque minus istud, quòd cum Strabo hanc vocet πόλιν ἀξιόλογον, tribusque portubus instructam, Lucanus tanquam oppidulum describat; ait namque *lib.* 8.

—— *Te primùm, parva Phaseli,*
Magnus adit. Nam te metui vetat incola rarus,
Exhaustæque domus populis, majorque carinæ
Quàm tua turba fuit. ——

Verùm ita sese res habet. Phaselis à Lyciis olim fuit habitata, Lyciæque attributa fuit primitus. Pamphyliis verò latè oram maritimam tenentibus, Pamphyliæ annumerata fuit urbibus, licet incolæ essent Lycii. Postmodum opportunitate sinûs allecti, & invitati à Cilicibus, ipsi quoque piraticæ se applicuerunt, aut saltem piratis receptaculo fuere, desertâ communi Lyciorum societate, vel suâ sponte, vel ejecti ab illis. Tum Cilicum dicta fuit urbs Phaselis. Deinceps Publ. Servilius eam evertit. Propter incolarum itaque paucitatem, *parvam* eam vocat Lucanus. Nam, si aliter intellexerit, & exiguum oppidulum fuisse existimarit Phaselida, valdè erravit. Siquidem Asconius Pædianus, Corycum, Olympum & Phaselida, tres magnas Cilicum appellat urbes, Isac. Vossius. Ejus meminit Dionysius:

Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες,
Κώρυκος, Πέργη τε, καὶ ἠνεμόεσσα Φάσηλις·

Incolæ hujus urbis, quia solerent pisciculos salsos diis sacrificare, citra sanguinem, eorum sordidus tenuisque sacrificandi mos abiit in proverbium: *Phaselitarum sacrificium*, & *sacrificium sine fumo*. Plin. Ptolem. &c.

Phaselis, *Phaselum*, *Fasellum*, & *Phaselis*, oppidum in descensu montis Ephraim, situm in campo palmeris consito, quod Herodes senior Ascalonita, in honorem Phaseli, fratris sui, à Parthis necati, condidit, atque ita nominavit, estque in tribu Ephraim.

Phaselus, Hierosolymæ præfectus ab Antipatro Herodis filio, An. U. C. 710. Josephus. Item Antipatri ex Cypride fil. Herodis Judææ regis nepos.

Phaselussa, duæ insulæ Libyæ prope Sin fluv. Steph.

Phasga, vel *Pisgah*, mons Moabitarum, Num. 21. Latinè, *collis, altitudo*, vel *munitio*; in tribu Ruben. Ubi Moyses, non procul à Nebo monte, obiit. Quia vehementer abruptus, vocatur *excisus*; seu potius vertex ipse montium Abarim.

Phasiana, reg. circa Phasim fluv. & Pop. *Phasiani*, Diod. *lib.* 14. quos ab Ægyptiis oriundos, in Colchidem migrasse scribit Strabo. Hinc Phasiani, aves Columella *lib.* 8.

Phasianum mare, pars Or. est Ponti Euxini, versus oram Colchidis & ostia Phasis. Nunc *Mer de Mingrelie*, à prov. adjacente Sanso, Baudrand.

Phasianum, castellum Equitum Rhod. in Apulia Peucetia.

Phasis, insula parva, apud fluv. cognom. unde Pavo primum exportatus, Isidor. Ibidem herbæ venenatæ nascuntur.

Phasis, urbs Colchidis, Episcop. sub Archiepisc. Trapezuntio, *Fasso*, ita is, urbs etiamnum ampla, in regione Mingrelia, ad ostium Mend. fluv. cognom. inter Apsarum ad Mer. 60. m. p. & Dioscuriadem ad Bor. 110. circiter distans.

Phasis, fluvius celeberrimus, cujus elegans admodum descriptio extat apud Arrianum *in Periplo Ponti Euxini*. Virgil. *Georg.* 4.

—— *Phasimq; Lycumq;*

Quæ conjunctio ad laudem utriusque fluvii. Siquidem teste Strabone *lib.* 11. Ποταμοὶ πλείους μὲν εἰσιν ἐν τῇ χώρᾳ, γνωριμώτατοι δὲ Φᾶσις μὲν καὶ Λύκος. Ut plerique tradunt, Colchorum, ut Plutarchus (sive quisquis author illius libri) *libro de Fluminibus & Montibus*, Scythiæ fluvius, est. Sic dictus fuit, teste Eustath. *in Dionys.* à Colchide, cujus filius Colchus fuit. Alii volunt appellatum à *Phasi* nymphâ in eum conversâ. Ita Stukius ex Valerio Flacco. Atqui *Phasidis* hujusce nemo, quod sciam, mentionem facit, versus autem Valerii sic legendi sunt:

Barbarus in patriis sectatur montibus Æam
Phasis amore furens, pavidas jacit illa pharetras
Virgineo turbata metu, discursibus & jam
Deficit, ac volucri victam Deus alligat undâ.

Plutarchus, *ubi supra*, ab initio *Arcturum* fuisse nominatim scribit; nimirum à situ regionis frigidæ versus Arcturum; sed postea hujusmodi quodam casu Phasin fuisse appellatum. Phasis enim Solis & Ocyroæ fil. matrem suam in adulterio deprehensam interemit. Furore itaque correptus, semetipsum in Arcturum præcipitavit, unde postea fluvius *Phasis* fuit cognominatus. Stukio videtur hoc nomen sortitum, vel à claritate limpidâ, quam Arrianus ei tribuit, quasi Ἀλφαινὸς, vel (cujus idem testis est) coloris illius mutabilitate, quòd variæ crebræque sint illius φάσεις, hoc est, modo hoc, modo illo colore appareat. *Phasidis* vocabulum (inquit Bochartus) pro rivo, vel flumine mere Syrum est. Sic Psalmo Syro 42. 2. על פצידא דמויא (*al phaside demoio*) *ad rivos aquarum*. Procopius, *lib.* 2. *de bello Persico*, ab initio ortûs sui *Boam* dicit appellari; hodie corrupto vocabulo *Phasa*, vel *Fasso* dicitur. Ortum suum ducit (ut Plinius inquit) in Moschis, ut Strabo, in Armeniâ, ut Dionysius, à monte Armenio; Versus ejus hi sunt:

—— —— Ἔνθα τε Φᾶσις
Κιρκαίου κατὰ νῶτον ἑλισσόμενος πεδίοιο,
Εὐξείνου περὶ χεῦμα θαλάσσης ἐκπροχέηται ἄχρις,
Ἀρξάμενος τὸ πρῶτον ἀπ' οὔρεος Ἀρμενίοιο.

Apoll. *lib.* 2. eum oriri dicit:

—— —— Ἀμαραντῶν
Τηλόθεν ἐξ ὀρέων, πεδίοιο δὲ Κιρκαίοιο.

Amaranta autem (ut ibidem Scholiastes) vel urbs est in Ponto, vel montes Colchici, unde (secundùm Herodotum) Phasis delabitur. Quo ignorato Egestratus Ephesius Phasidis portus ἀμαράντους, hoc est, ἀειθαλεῖς, καὶ ἀμαράντους, id est, *semper florentes* reddidit. Amaranta autem esse montes Colchorum, Ctesias quoque *lib.* 2. prodidit. Stephanus Amarantos populos dicit esse, inter Colchos, apud quos Phasis fluv. nascitur, unde à quibusdam *Amarantius* dicitur. Atque hæc de illius ortu, quem ex Armeniâ duci, inter omnes ferè authores satis constat. De exitu ejus (inquit Lud. de la Cerda) quæstio aliqua, sed non incerta. Aliqua, nam Hecatæus Milesius scripsit, in Oceanum influere, sed non ita incerta; nam certum, influere in Euxinum ex Apollonii Scholiaste, ex Agathiâ, ex Eratosthene 3. *Geogr.* ex aliis. Ergo cùm Hecatæus nominat Oceanum, credibile intellexisse mediterraneum. Regio, per quam fluit, sive quæ illi adjacet, *Phasiana*, & illius incolæ *Phasiani* Diodoro Siculo dicuntur. Xenophon quoque *lib* 4. à Phaside 40. mill. pass. biduo confectis, obvios se habuisse dicit in montium verticibus Chalybas, *Taochos* & *Phasianos*; quos Heraclides, *de politiis*, commendat, ut quàm maxime hospitales: Φιλόξενοι δ' εἰσὶν, ἐν οἷς, ὥστε τοὺς ναυαγοὺς ἐφοδιάζειν, καὶ τρεῖς μνᾶς διδόντας ἀποπλεῖν (μάλιστα διδόναι ἀποπλέουσι) *hospitum ita sunt amantes, ut naufragium passis viaticum præbeant, & abnavigantibus tres minas largiantur*. Et de iisdem sic Agathias *lib.* 3. Εἰ γὰρ τοῖς ἔθνεσι τοῖς ὑπὸ τὴν ἑτέραν βασιλείαν τελοῦσιν, οὐκ οἶδα ἔγωγε ἄλλο οὕτω κλεινόν τε φῦλον καὶ ὄλβιον, πλούτου τε ὑπερβολῇ, καὶ πλήθει κατηκόων, τόπων τε ἀρετῇ, καὶ ἀφθονίᾳ τῶν ἐπιτηδείων, καὶ τῇ τῶν ἠθῶν εὐκοσμίᾳ τε καὶ ἀστειότητι, *inter nationes, quæ sub alieno imperio constitutæ sunt* (id est, extra Romanam ditionem) *nullam equidem aliam vidi ita celebrem atq; felicem, tam opum excellentiâ, quàm multitudine subditorum, locorum etiam opportunitate, abundantiaq; rerum necessariarum, ac morum elegantiâ & dexteritate.* Bochartus. Hos Hippocrates *lib. de aere, aquis & locis* Φασιανοὺς vocat, vitamque agere dicit in paludibus, domos ligneas, & ex arundinibus in ipsis aquis habere extructas, neque inde multum ad emporia, urbesque prodire, verùm naviculis quibusdam ex uno ligno fabrefactis sursum ac deorsum commeare. Aquas habere calidas, & stagnantes, à Sole putrefactas, imbribusque auctas. Regionem illorum calidam, aquosam ac densam, imbribus magnis, & impetuosis obnoxiam. Ob hanc cœli terræque constitutionem, & fructus insalubres, qui ibi nascuntur, qui nunquam maturescunt; & incolæ magni, corpulenti, quorum neque juncturæ, neque venæ apparent, colore pallido, qualis eorum qui morbo Regio laborant, linguâ gravissimâ ob aërem obscurum, & humidissimum, ad laborem à naturâ segnes. Hinc *aves Phasiani*, Anglicè *Phesants*, Martial. *lib.* 3. *epigr.* 58.

Et impiorum Phasianum Colchorum.

Et *epigr.* 77. *ejusdem libri.*

Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aves.

Et *lib.* 13. *epigr.* 72.

Argivâ primùm sum transportata carinâ,
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

Fluvius hic multis nominibus clarissimus est. Primò urbibus celeberrimis, quibus illius ripæ vestitæ, atque ornatæ fuerunt. Ut *Tritace*, *Cygnus*, & quæ (teste Plinio) in illius faucibus sita est *Phasis*, *Polistonia* hodiè, Colchorum (ut Strabo tradit) emporium, quod ex aliâ parte amni præcingitur, ex aliâ lacu, ex aliâ mari, unde biduo triduove Amisum, Sinopemq; navigatur. Præterea, quæ (ut inquit Plinius) maximè inclaruit, Æa 15. m. p. à mari, ubi Hippus & Cyanus, sive Cyaneus, vasti amnes in eum confluunt, quæ urbs Milesiorum est colonia; item Dioscurias, uti testatur Marcellinus, hucusque nota. Per hunc fluvium Argonautæ cum Jasone in Colchos navigarunt ad rapiendum vellus aureum. Unde Ovid. *Metamorph.* 7.

Multaq; perpessi claro sub Jasone tandem
Contigerant rapidas limosi Phasidos undas.

Idem *lib.* 4. *de Ponto*:

Et quondam Graiis Phasi petite viris.

Catullus:

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus,
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas,
Phasidis ad fluctus, & fines Æetæos.

Valer. Flaccus *initio operis*:

Fatidicamq; ratem; Scythici quæ Phasidos oras
Ausa sequi. —— ——

Hinc proverbium illud natum:

Δὶς Φᾶσιν ἤδη τανῦν ἔχω τὸν δρόμον.

Unde Plin. 26. 8. *Alvi causâ ad Phasim navigatur.* Prop. 1. 20.

Namq; ferunt olim Pagasæ navalibus Argo
Egressam longè Phasidos isse viam.

Theocritus *in fine Idyllii* 13.

Πεζὸς δ' ἐς Κόλχους τε καὶ ἄξενον ἵκετο Φᾶσιν.

Magnam præterea, ut Euphrates, Nilus, aliique fluvii Phasis quoque agros fœcundandi vim obtinet. Hinc illud Lucani:

Colchorum qui rura secat ditissima Phasis.

Admirabilis porro est fluvii hujus profunditas (est enim ut inquit Procopius *lib.* 2. *de bello Persico*, *sub finem*, si quis alius, maximè profundus) Theocritus, *ubi supra*;

—— Βαθὺν δ' εἰσέδραμε Φᾶσιν.

Et Orpheus *in Argonaut.* Φᾶσιν δινήεντα. Val. Flaccus,

—— *Finem cùm Phasidis alti*
Transierit Persis. —— ——

Deinde ejusdem latitudo, quam Procopius magnam; Xenophon *lib.* 4. Ἀναβάσ. circiter 20. p. esse dicit: non sine causâ igitur ab Apollonio εὐρὺς, & εὐρύῤῥους *lib.* 2. dictus fuit. Unde Prov. *Neque Phasis mala eluat.* Denique ejusdem celeritas tanta est, teste Procopio, *ubi supra*, ut in mare Euxinum prorumpens longè distinctus feratur, nusquam cæteris aquis commixtus, ita, ut ex eo pura bibendi nautis in medio pelago sit facultas. Hinc optimo jure ab Ovidio & Val. Flacco *rapidus* dicitur. Apollonius *lib.* 2.

Φᾶσις δινήεις εὐρὺν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει.

Hinc Marcellinus *lib.* 2. tremebundis cursibus eum Colchos dicit attingere. Val. Flacc. *lib.* 5.

Magnus ubi adversum spumanti Phasis in æquor
Ore ruit. —— ——

Mirum itaque, ab Agricola inter tardos & leniter fluentes fluvios enumerari, & ab Hippocrate στασιμώτατον, & ἠπιώτατον ῥέοντα vocari. Æschylus *in Prometheo soluto*, Europæ atque Asiæ διδύμων, καὶ μέγαν τέρμονα Phasin vocat. Frigiditatem ejus haud obscurè innuit Statius *in Theb.*

—— *Non ulla nurus nec alumna nivosi*
Phasidis. —— ——

Idem *Sylv.* 3.

Vinceret aspectu gelidi non Phasidis ales.

Idem *ferum* & *horridum* in Sylvis appellat, Claudianus:

— Calcabitur asper
Phasis equo. — —
Vide plura apud Siukium Scholiis *in Periplum Ponti Euxini.* Item *Phasis* fluvius in Taprobane, Steph.

Phasſha, filius Jether, 1.Paral. 7. Latinè, *diminutio oris*, vel *os diminutum*.

Phassur, vel *Pashur*, filius Emmer, Sacerdos Judæus, malè tractatum Jeremiam, in carcerem conjecit: qui nihilominus judicia Dei toti populo, ipsique peculiariter imminentia annuntiare neutiquam cessavit, Jer. 20. Filius Melchiæ, Jer. 21. Pater Gedaliæ, Jer. 38. Latinè, *extendens*, vel *multiplicans libertatem*, vel *principatum*, aut *expandens foramen*, vel *albedinem*.

Phastea, urbs in Sacis.

Phaterunesos, insulæ desertæ nomen circa Thraciæ Chersonesum, Plinius.

Phatnites, nomus Ægypti, Plin.

Phatniticum, ostium Nili, vide *Pathmeticum*.

Phatuel, pater Joëlis prophetæ, Joël. 1. Latinè, *bucella*, *persuasio*, vel *dilatio Dei*.

Phatusa, vicus Zosimo, *libr.* 3. *Anatha* Marcellini est, qui eum Euphrate flumine circumlui scribit. Hîc Gordianus Imperator sepultus.

Phau, nomen urbis Adar Regis 7. in Edom, Gen. 36. quæ 1.Par. 1. dicitur *Phai*. Lat. *ululans*, *gemens*, aut *apparens*.

Phauda, urbs in Sidenâ planitie post Themiscyram juxta Pontum, Strabo *lib.* 12.

Phavena, prov. Armeniæ, Strab.

Phavorinus, Arelatensis, Trajani, ac inprimis Adriani tempore floruit. Ἀνδρόγυνος, ut etiam Suidas, imò & Philostratus *in Vitis Sophistarum*, ait; vel juxta alios, Eunuchus. Sanè senex quoque imberbis erat, & voce acutâ ac stridulâ, ut Eunuchi esse solent. Interim rerum amatoriarum erat callentissimus, usque adeò, ut in adulterio etiam deprehensus dicatur; quod & Lucianus *in Eunucho* narrat. Nam etsi nomen ipsum reticeat, tamen cùm patriam & ætatem exprimat, satis docet, quem signet. Ab Adriano Cæsare aliquando culpatus ob sermonem, quem defendere optimâ ratione posset, silere maluit. Reprehendentibus hoc amicis, dicebat, nolle sibi cum eo negotium esse, qui triginta haberet legiones. Autor Spartianus *in Hadriano*. Interdum tamen cum eo contendit; quæ res plusquam satis erat periculosa. Nam Adrianus eos, à quibus eruditione vinceretur, odio tanto prosequebatur, ut plerosque eorum è medio tolleret. Nota res ex Xiphilino, qui memorabilem historiam refert de architecto Apollodoro, ejusque cæde. Itaque Phavorinus tria in se miranda esse dicebat, quòd homo Gallus Græcè loqueretur, quòd Eunuchus adulterii causam ageret, quòd cum Imperatore disceptaret & viveret. Philostratus. Multa admodum, eaque & philosophica, & historica scripsit, de quibus Vossium fis adi.

Phaura, insula parva Atticæ, ante Zosterem prom. Strab.

Phausania, urbs Sardiniæ Episcop. sub Archiepisc. Turritano, in ora ad Ort. Cujus sedes hodie Emporiensi juncta, inde 60. mill. pass. ut à Sassari recedens; *Terra nova*.

Phausga, urbs Armeniæ maj. Ptolem.

Phayllus, qui in Olympiis cursu vicit, Ὁπλιτοδρόμος, hoc est, *armatus decursor* insignis ac celeber, quem nominarunt ὁπλιτοδρόμον. Alius fuit Athleta victor, Olympiade octavâ. Tertius præmiator ac fur, Scholia *in Aristophan. Acharn. pag.* 381. *G.* 2. Quin & Quinquertio fuit, de quo Græci *in Epigr.* quod Latinum apposuimus:

Saltum ad quinq; pedes quinquaginta; Phayllus
Discum ad centum egit quinq; minus pedibus.

Meminit quoque Aristophanes *Crabron. pag.* 516. *E.* & fortasse illum innuit, quem ajunt teste Eustathio in Dionysii περιηγητὴν, unius navis Imperatorem fuisse, quam Crotoniatæ auxiliarum miserunt, Græciæ periclitanti, in bello Persico. Illic *Phaullus* dicitur ter vicisse Pythia.

Phayllus, Onomarchi Phocensis frater, qui eo in Thessaliâ occiso, summam imperii suscepit, ac, damna accepta correctutus, magnam mercenariorum multitudinem contraxit, mercedes duplicavit, & à sociis auxilia advocavit, Olympiadis centesimæ sextæ anno quarto, sed anno sequenti tabe extinctus est.

Phazael, primogenitus filius Antipatri, frater Herodis M. A Patre, qui per infirmitatem Hyrcani creverat, Hierosolymæ præfectus est, sapiens & modestus. Ab Antigono & Parthis in palatio obsessus, Ducem eorum aditurus, ab illo captivus retentus est: Ut non tam mortem, quàm ignominiam effugeret, caput petræ illisit, variis monumentis, ut turre Phasaëlis & urbe eognom. in valle Jerichuntis conditâ, honoratus à fratre. Dicitur Antigonus ei vulnerato Medicos summisisse, qui vulneribus venena inspergerent. Joseph. *Antiq. lib.* 14. *& 16. cap.* 9. *lib.* 1. *de B.*

Phazemonitis, reg. Ponti in Cappadocia, Megalopolis à Pompejo M. nominata, ubi ex *Phazemone* vico Neapolin urb. condidit, teste Strabone. *Phamizonium* Plinio; *Phamizon* Stephano, ad Amisum fluv.

Phea, vel *Pheia*, urbs Elidis, Homerus:

Φειᾶς πὰρ τείχεσσι Ἰαρδάνου ἀμφὶ ῥέεθρα.

Hesychius, Φειά, πόλις Θεσσαλίας, lege τῆς Ἠλείας. Bochart. & Palmer. Et nunc *Phea*; in ora Chelonitis sinus, 10. m. p. ab ostiis Alphei fluv. in Occ. versus Chelonitem prom. 25. Baudr.

Phebol, insula juxta Arab. sinum, Autor lib. de Mundo.

Phecadum opp. erat mediterr. Macedoniæ, circa Gomphos. Liv. meminit ejus de bello Pharsf.

Phedael, filius Ammiud, princeps tribûs Nephthali, Numer. 34. Lat. *redemptio Dei*.

Phedius, Delphico oraculo sapientissimus judicatus, atque felicissimus, ut qui pro patriâ occubuisset, Plin. 7. 46.

Phegea, urbs Azaniæ in Arcadia à *Phege* rege Phoronei fratre condita. Prius vocabatur *Erymanthus*, postea *Psophis*, Stephan. Nunc *Dimizana* Nigro, ad Erymanthum fluv. in limite Elidis, 33. m. p. ab Elide urbe, Argos versus. Baudr.

Phegea, vicus in tribu Ægeide, & *Phegæa* alius vicus in tribu Pandionide. Gentile utriusque *Phegæus*, Steph.

Phegeus, pater Alphesibœæ, qui Alcmæonem, quum jussu patris matrem occidisset, & ob eam rem Furiis agitaretur, purgavit, eique Alphesibœam filiam matrimonio locavit, Ovid. *Met.* 9.

Phegeus, vide *Phlegelas*.

Phegiel, filius Ocran, princeps tribus Aser, Numer. 1. Latinè, *obviatio*, vel *deprecatio Dei*.

Phegus, vicus in tribu Erectheide: tribulis *Phegusius*, Steph.

Pheldas, vel *Pildash*, filius Nahor ex Melcha, Gen. 22. Latinè, *ruina*, aut *judicium triturae*.

Pheleja, filius Elionai filii Naariæ, 1. Paral. 3. Latinè, *miraculum Domini*.

Phelelia, nomen viri, Nehem. 11. Latinè, *cogitans*, vel *ornans Dominum*, sive *judicium Domini*.

Phelesses, pop. vicini Umbris, juxta Japygiam, Steph.

Pheleth, pater Hon, Num. 16. Lat. *ruina*, sive *judicatio*.

Phelethi, nomen populi, sive legionum quarundam David, 2. Regum. 1. Idem.

Phelleus, mons Atticæ, & cujusvis loci habentis saxa, & super iis terram pinguem ac olivetis idoneam, Stephan. Vide Schol. *in Acharn*.

Phellia, fluv. Laconicæ, Pausan.

Phelloë, pag. erat Achajæ, apud Ægiram, Idem.

Phellus, & *Antiphellus*, regiones Lyciæ. Stephanus, quem fis vide.

Phellus, Sophiano *Fellos*, urbs Lyciæ, prope oram littoralem, 10. m. p. à Myra in Mer. Pataram versus 15. vix 6. ab Antiphello in Occid. 50. à Cauno in Ort. inter ostia Xanthi & Limyri fluviorum, Baudr.

Phellus, locus in Attica: Item Festum, in honorem Bacchi, Athenis institutum. Item opp. Elidis, apud Olympiam, Strab.

Phelti, nomen viri, 1. Esdr. 12. Lat. *liberatio*, vel *expulsio*.

Pheltia, nomen viri, 2. Esdr. 10. Filius Banajæ, Ezech. 11. Lat. *liberatio*, aut *expulsio Domini*.

Phemia, urbs Arnæ à *Phemio* Ampycis filio, Steph.

Phemius, Homeri præceptor, citharœdus, quem ipse Homerus inducit Odyss. *α*. cantantem in convivio procorum. Non quòd ille Ithacensis ἀοιδὸς verè fuerit Homeri magister: sed Poëta, in memoriam sui præceptoris, adfinxit huic Ithacensi citharœdo hoc nomen.

Phemius, de reditu Græcorum à Trojâ scripsit, Plutarch.

Phemius, Ægæi pater. Isacius *ad Lycophronem*: Φασὶ τὸν Αἰγέα Φημίου εἶναι, παῖδα Αἰγέως δὲ Θησέα.

Phemonoë, prima Apollinis Delphici sacerdos, teste Pausaniâ, quæ carmen heroicum dicitur invenisse, in quo carminis genere, oracula edidit. Primus, quem fecit, latinè sic sonat versus:

Et pennas volucres, & apes date mella favosq;.

Euseb. *in Chron.* Strabo *Geogr. lib.* 9. Pausan. *in Phoc.* Plin. *lib.* 10. *cap.* 3. Est & Phœbados nomen apud Lucanum. Sunt qui Phœbi filiam dicant fuisse. Meminit ejus Hesiodus *in Theogon*.

Phenenna, vel *Peninna*, id est, *gemma*, sive *facies nostra*, altera uxor Elcanæ, 1. Regum. 1. Item urbs Azaniæ, Clitoriæ vicina, Boream versus.

Pheneum, opp. Arcadiæ, ubi Moly herba nascitur. Popul. *Pheneatæ*, qui adorant Mercurium quintum. Cicer. *lib.* 3 *de N. D.* ubi de Mercuriis: *Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui & Argum dicitur interemisse, &c.*

Pheneus, opp. & lacus Arcadiæ in Alpheum defluens, cujus aqua nocturno tempore perniciosa, diurno tempore salutaris est. *Feneo* hodie, Ovid. *Metam.* 15.

Est lacus Arcadiæ (Pheneum dixere priores)
Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto;
Nocte nocent pota, sine noxâ luce bibuntur.

Phennesia metalla, locus Palæstinæ, ad quem Christiani damnabantur. Vide *Pheno*.

Phenustus, urbs Episc. sub sede Becerræ Arabiæ, G. Tyrius.

Phera, *Cheramidi* Sophiano & al. opp. Messeniæ, in orâ sinûs Messeniaci, inter Messenen ad Bor. & Abeam ad Austr. ad radices montis Taygeti, inter confinia Laconiæ ad Ort. & ostia Pamisi fluv. ad Occ. 15. m. p. à Messene in Cæc. vix 10. ab Abæa in Circ. Baudrand. Item oppidum in Achajâ Peleponnesiacâ, Ptolemæo, *S. Georgio* Nigro.

Phera, *Fera* adhuc, teste Leunclavio, & *Jenizar*, teste Nardo, opp. Thessaliæ geminum, ad distantiam 8. stad. in Pelasgiâ regione à Pelio monte 180. stad. distans, teste Strabone, à Pagasis 90. inter Demetriadem & Pharsalum, apud Bœbeidem lacum. Hinc *Pheræus* Alexander tyrannus quidam dictus apud Plutar. *in Pelopidâ*, ab uxore suâ Thebe ob pellicatûs suspicionem interfectus est, teste Cicerone *lib. 2. de Officiis*, & Valer. Maxim. *lib. 9. cap. 13.* Ovidius *in Ibin*:

Inq; tuo thalamo jugulatus, more Pheræi,
Qui datus est letho conjugis ense suæ.

Fuit & *Phera*, opp. Atticæ inter Megara & Thebas.

Phera, urbs Magnesiæ, hodie *Jenizar* aut *Sidro*, 90. stadiis à Pagasis in Circ. & 160. à Pelio monte in Occ. Briet. Baudr. V. supra.

Pheræa, Arcadiæ urbs, Sophiano.

Pheraules, vir quidam Persa, qui ex paupere dives à Cyro factus, desiderio pristinæ tranquillitatis affectus, ac molestiarum, quas sibi divitias importasse querebatur, multitudine offensus, omnium bonorum suorum possessionem in Sacam quendam transtulit, id sibi tantum excipiens, ut ab eo tanquam hospes, atque etiam parcius aleretur. Vide Xenophon. Κύρ. παιδ. *lib.* 8.

Phereclus, fuit navium architectus, qui naves Paridis ad raptum Helenæ ituri fabricavit. Coluthus:

Ἔνθα πανυστέριοιο διαιζόμεναι δρυὸς ὕλης
Ἤελπεν, ἀρχεκάκοιο τελεφροσύνῃσι Φερέκλου,
Ὅς ποτε μεγαίροντι χαριζόμενος βασιλῆϊ
Νῆας Ἀλεξάνδρου δρυοτόμῳ τεκτήνατο χαλκῷ.

Pherecrates, Atheniensis, poeta Comicus, Olymp. 89. militavit sub Alex. M. docuitque fabulas 17. Suidas. Jul. Pollux. Alii, Platoni familiarem fuisse, refert Athen. *lib. 3. 13. &c.* Alius à Deucalione ortus. Cic. 1. *Tusc. Qu.* Hujus μισανθρώπους laudant Schol. *in Aristoph. Vespas.*

Pherecydes, Syrius, Pittaci discip. Olymp. 55. de quo Apulejus in *Floridis*; *Quinetiam Pherecydes Syro ex insula oriundus, qui primus versuum nexu repudiato, conscribere ausus est passivis verbis, soluto locutu, liberâ oratione.* Vixit regnante Servio Tullo. Cicer. *in Tusc. Qu. Pherecydes Syrus primùm dixit, animos hominum esse sempiternos; antiquus sanè; fuit enim meo regnante gentili.* Etiam ætatem inde cognoscimus, quòd magister fuit Pythagoræ, teste Jamblicho *in ejus vitâ*. Item quòd Thaletis Milesii præceptor erat, ut Tzetzes ait, *Chil. 2. Hist. 55.* ubi & vixisse dicitur temporibus prædivitis Crœsi, primusque invenisse eclipses, ac periodos Lunæ. Primus omnium de naturâ & de Diis, scripsit, ut ex Theopompo refert Laertius. Constabat autem θεογονία ejus libris decem. Iis deorum ortum & successionem complectebatur, ut est apud Suidam. Morbo obiit pediculari, teste Aristotele *extremo lib. 5. de hist. Anim.* Divinandi insuper arte instructus, navibus è portu solventibus naufragium prædixit: terræ motus prævidit, &c. Vide Laertium *in ejus vitâ*, Vossius.

Pherecydes, historicus Atheniensis. Meminit ejus Germanicus in Arateis, ubi de Tauro, & Plejadibus. Admodum antiquum fuisse ostendit Dionys. Halicarn. *lib.* 1. Nempe vixit Darii Hystaspidæ temporibus. Vide Voss. *de Hist. Gr. pag.* 445. Alius *Pherecydes*, memoratur Sorano *in Hippocratis vitâ*, ubi genealogiam Hippocratis dicitur consignasse. Vide Laërt. *lib.* 1. Voss. *lib. 4. cap. 4. de Hist. Gr. pag.* 400.

Pheredamus, nomen Comici Senis, apud Aristoph.

Pheredus, Atheniensium rex 25. Vincentius: sed legendum *Phereclés*, teste Meursio.

Pherendates, Persa, ab Artaxerxe Ocho, Ægypto, post ejectum Nectanebum, præfectus, Olymp. 107. An. 3.

Pherendis, opp. Armeniæ maj. Ptolem.

Pherenice, vide *Berenice*.

Pherenicus, Heracleota, fabulosa magis quàm historica cecinit, heroico carmine, Hamadryadum originem enarrans, Athen. *lib.* 3. Testis etiam à Tzetze adducitur *Chil. 7. Hist.* 144. *populi.*

Pherenicus Thebanus, popularis status, contra Oligarchicos, defensor.

Pherephatta, Proserpina. Unde sacrum apud Cyzicenos Φερεφάττια, de quibus Plutarchus *in Lucullo*, & Appianus *in Mithridaticis*.

Pheretima, uxor Batti, regis Cyrenæi, mater Arcesilai, prudens & magni animi fœmina, quæ post casum filii, opibus Aryadis, Ægypti Satrapæ, regnum recuperavit, Polyæn. 8.

Pherezæi, populi, de quibus id solùm ex Scripturâ constat, eos habitasse in montanis & silvestribus locis. Hinc agreste hominum genus fuisse colligas, qui cùm procul ab urbibus in solis pagis degerent, *Pherezæi* dicti sunt non immeritò. Hebræi quippe pagos פרזות *pherazoth*, paganos פרזים *Pherazim* vocant.

Pherinum, opp. Thessaliæ, Liv.

Phermæ, mons Ægypti, apud Scetim. Ubi Paulus Eremita vixit. Aliis *Pherme*, singul.

Phermesta, filius Aman. Est 9. Lat. *ruptura fundamenti*; vel *rupturam ponens.*

Pheron, vide *Amenophis.*

Pheronia, opp. Sardiniæ, Ptol. Aliis *Feronica.*

Pherora, Herodis Judæorum regis frater veneno periit.

Phersephone, eadem quæ *Proserpina*; de quâ Isacius *in Lycoph.* Περσεφόνη δὲ καὶ Ἴσις, καὶ Γῆ, καὶ Ῥέα, καὶ Ἑστία, καὶ Πάνδωρα, καὶ ἕτερα μυρία ὀνομάζεται. Tellurem intelligit, quod clariùs elucet ex Φερσεφόνης etymo, de quo Hesychius, Φερσεφόνη ἡ τῆς Δήμητρος θυγάτηρ ἡ φέρουσα τὸ ἄφενος, τουτέστι τὸν πλοῦτον, διὰ τῆς χρείας, ἀπὸ τοῦ φέρειν ὄνησιν.

Phescennium, V. *Fescennia* & *um.*

Phesdommim, locus, 1. Par. 11. Lat. *portio*, vel *diminutio sanguinum*, aut *tacentium*, vel *dissimulantium.*

Phethur, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *extendens*, vel *multiplicans libertatem*, vel *principatum.*

Phesse, fil. Ethon. 1. Par. 4. Lat. *transitus*, sive *claudicatio.*

Phesti, locus Latii, ab urbe 5. m. p. ubi Ambarvalia agebantur. Strabo.

Phestum, Liv. *Phestos*, Ptol. *Oista* Moletio opp. Thessaliæ, in Estiotide reg. circa Gomphos. In cod. Græco Ptol. *Phestos.*

Phestus, Sicyoniorum Rex 22. an. ante U. C. 490.

Phetheja, nomen viri. 1. Par. 24. Lat. *porta Domini*, sive *aperuit Dominus.*

Phethrusim, filius Esraim. Vide Bochartum in Phaleg. *lib. 4. cap. 27.* cujus titulus, *Pathrusæi.*

Pheugarum, Cheruscorum in Germ. urbs. Ptol. vulgò *Halberstad.* Saxoniæ urbem ejus loco ponunt Apianus, & Irenicus. V. *Halberstadium.*

Phia, vide *Phea.*

Phiala, sive *Phiale*, *fons* alter, ex quo Jordanis fluvius, in tribu Manasse, ut Joseph. & Egesipp. testantur, ducit originem, qui quidem situs est in regione Trachonitide, non longè à via, quâ à Cæsarea Philippi seu Paneade, inter Orientem & Austrum, in Thraconitidem ascenditur. Est autem fons hic imperscrutabilis profunditatis, ac semper inter sua labra cohibet undam perpetuò aqua plenus, nec unquam deficiens, nec unquam exuberans. Hic per subterraneos meatus labens, dein emersus, statim alterum facit Jordanis alveum, & cum primo ad Urbem Dan se immiscet. Baudrandus. *Medan*, teste Brochardo. Est & fons Nili. Plin.

Phialia, *Phigalia* Pausaniæ ac Stephano, *Phigaléa*, Athenæo; *Phygalea* Polybio, opp. Arcadiæ in Pelopon. apud Mantineam ac Tegeam, proximas urb. *Davia* Nigro, al. *Neospiti.*

Phiara, Sagarautenæ in Cappad. Urbs, Ptol.

Phibalis, locus terræ Megaricæ, quidam Atticæ tribuunt, ubi optimæ ficus. Vid. Schol. in Aristoph. Acharn.

Phibionitæ, Hæretici, Gnosticorum propago. Epiphan. *hær.* 6. & Theodoret. *lib. 1. hæret. fab.*

Phicari, pop. Ind. ad *Caucasum*, montem, ubi Topazius lapis.

Phicaria, V. *Ficaria.*

Phiceum, mons Bœotiæ. Steph. Ubi Sphinx, Plut.

Phicol, Princeps exercitûs Abimelech. Gen. 21. Lat. *omnis lingua*, aut *oris perfectio*, sive *consummatio.*

Phicores, Mæotici populi in Asiâ. Mela.

Phidalia, uxor Byzantis. V. Steph. in *Gynæcopolis.*

Phidaliæ sinus, Suidas. *Santa copa* Petro Gyllio, vel *Sarantacopa*, sinus parvus admodum apud Byzantium ad Bosp. Thracium. Baudrando etiam *Mulierum sinus*, in Thraciam excurrit, ex adverso Neocastri Asiat. 7. m. p. à Constantinopoli in Bor. ex Gyllio.

Phidamus, Epicureus, poeta admodum lascivus.

Phidias, nobilis statuarius, qui in ebore sculpendo citra æmulum claruit. Cic. *de Orat. Phidiæ simulacris nihil in eo genere perfectius.* Diis tamen (ut inquit Quinctilianus) quàm hominibus efficiendis melior. Inter hujus opera maximè commendata est Minervæ statua, quam Athenis Olymp. 87. ex ebore fecit 36. cubitorum altitudine, in cujus clypeo Amazonum pugnam, & Gigantomachiam insculpsit, in soleis verò Centaurorum & Lapitharum certamen. Hanc in Acropoli urbis collocavit: dein pulsus in Elidem venit, ubi occisus est. Proximam commendationem meruit Jupiter Olympius, ab ipso in exilio factus, & ipse totus ex ebore, & Romæ in porticibus Octaviæ, Venus. Plin. 35. 8. Hic etiam statuam Nemesis Deæ denum, cubitorum apud Rhamnuntem Atticæ opidum, fecit quæ in manu mali ramum tenebat, ex quo parva surgebat complicatio, ubi teste Antigono, inscriptum erat, *Agoracritus Patrius fecit.* Hunc enim discipulum suum Phidias adeò dilexit, ut nomen ejus operi inscripserit. Initio pictor fuit & Minervæ clypeum Athenis pinxit, Pausan. in *Eliacis*, Plut. *in Pericle.* Scholiastes Aristoph. *fab. de Pace.* Plin. Suid. Hinc *Phidiacus.* Prop. 3. 9.

Phidiacus signo se Jupiter ornat eburno.

Martialis 7. 55.

Phidiaco si digna Jovi dare templa paravit,
Has petat à nostro Pisa sonante manus:

Ovid. *Pont.* 4. 1.

Bellica Phidiacâ stat Dea facta manu.

Stat. *Sylv.* 2. 2.

Si quid adhuc vacuâ tamen admirabile Pisa
Phidiacæ rasere manus.

Phidile, mulieris nomen, ἀπὸ τοῦ φείδεσθαι, à parcendo. Hor. *Od. 23. lib.* 3.

Cœlo supinas si tuleris manus
Nascente Lunâ rustica Phidile; &c.

Phidippus, proprium nomen viri Thessali. Homerus.

Phidon, Rex Argivorum, frater Carani, primi Macedonum R. Ponderis & mensuræ auctor fertur: Junctus Pisanis, 8. Olympiada celebraturis, exclusit Elienses, Euseb. *in an.* 1217. *Abrahami.* Pausan. *in Eliacis.*

Phidon Argivus, qui ibi Tyrannidem tenuit. Aristot. *l.* 5. *Pol.* 10. de illo plura Herod. *l.* 6. Strab. *l.* 8. Pausanias *l.* 11. Plin. *l.* 7. *c.* 56.

Phidon, Corinthius, legum lator antiquissimus, Arist. *l.* 2. *Polyt.*

Phigalea, vide *Phialia.*

Phigalei, pop. Peloponnesi, Messeniis proximi, vino adeò dediti, ut in cauponis assidue versentur, domos suas cum uxoribus hospitibus locantes. V. Pausan.

Phigamus, Cappadociæ fl. Arr. in Periplo.

Phigia, urbs Arabiæ fel. Ptolemæo.

Phihahiroth, locus in quo castrametati sunt Hebræi, revertentes ex Ægypto. Exod. 14. Quarta mansio eorum. Num. 33. Lat. *os libertatis*, vel *os sculptum.*

Phila, è filiabus Antipatri, natu maxima, Cratero pro præmio navatæ contra Græcos operæ, à Patre collocata. Olymp. centesimæ decimæ quartæ anno tertio.

Phila, urbs Macedoniæ; quam Demetrius, Antigoni filius, *Gonatas* cognominatus, juxta Peneum fluv. condidit. *Fello* hodie Nardo. Item ins. parva Lybiæ intra Tritonem fluv. in quâ Nysa opidum, ad quod unicus est aditus. Est & ins. parva Gall. Narb. inter Leronem & Phœnicem, teste Plinio. Ferrar.

Philace, amator Stratoclis. Plut.

Philadelphia, urbs gemina: una Lydiæ, adhuc *Philadelfia* cognominata, urbs olim episcopalis, sub archiep. Sardiano, nunc & ipsa metropolis, inter Sardes 28. & Tripolim supra 30. m. p. ac inter Ephesum ad oc. & Tiberiopolim ad ort. 60. a Thyatira 64. in merid. ad Tmoli mont. radices, terræmotibus vexata. Altera in Cœlesyriâ, *Amana*, & *Astarte* olim Stephano. *Rabbath* Ebræis, teste D. Hieronymo, episc. sub Arch. Bostreali, Gadaræ & Areopoli finitima, in Decapolitanâ reg. à Philadelpho rege condita. Est & *Philadelphia* urbs Ciliciæ, Episc. sub Metropol. Seleuc. Plin. Strabo, Ptolomæus, &c. Cum Polycarpo 12. ex Philadelphia passi sunt, Ann. C. 167. Eus. *lib.* 4. *cap.* 15.

Philadelphia, Ægypti urbs, Steph. Altera item Arabiæ Callisto, quæ eadem forsan cum D. Hieron. Philadelphia.

Philadelphus, rex Ægypti qui Bibliothecam fecit Alexandriæ fere 50000. librorum continentem. Idem libros Moysis curavit per 70. Interpretes ex Hebræo in Græcum sermonem verti. Vide *Ptolomæus.*

Philæ, op. Ægypti in Thebaide. Est & insula Ægypti parva, aspera & undique prærupta. Ptol. & Heliod. Lucanus *lib. ult.*

Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
Qua dirimunt Arabum populis Ægyptia rura
Regni claustra Philæ.

Philæni, fratres Carthaginenses, qui pro finium suorum propagatione se vivos sepeliri sustinuerunt. Nam cum, inter Carthaginienses & Cyrenenses, de finibus controversia incidisset, placuit, ut certo tempore duo viri ex utraque civitate egrederentur, & ubicunque sibi obvii fierent, ibi utriusque ditionis termini essent. Itaque Carthagine egressi Philæni, cùm aliquot passuum millia in fines Cyreneorum processissent, indignati adversarii se esse præventos, optionem Philænis proposuerunt, mallentne ad fines suos retrocedere, an eo in loco vivi defodi: illisque respondentibus, se patriæ salutem vitæ anteferre, à Cyrenensibus, qui viribus superiores erant, vivi ibidem sunt defossi. Quo in loco Carthaginienses, ne eximia illorum in patriam pietas ullâ temporum injuriâ obliteraretur, duas illic aras constituerunt, quas à fratrum horum nomine, *Philænorum aras*, vocaverunt. Vide Salustium *in bello Jugurthino.* Hæ Strabonis ætate non extiterunt, ut ipse refert.

Philæni vicus, & *Philænorum aræ*, Villanovano *Porto Sabia*, Castaldo *Lecudia*, Zardo *Hernich* opp. Africæ, in ora Syrtis magnæ, in Cyrenaicæ confin. *Nam* nunc, Marmolio, non *Hernich*, quæ Berenice potius. A fratribus Philænis dicta. V. *Philæni.*

Philænum, Germ. urbs Ptol. ampla & munita Belgii; ad Damsteram amnem, 3. fere leuc. ab ora maris Germ. quam *Groningen* Frisiæ, V. ibi, interpretantur. Sed *Phleum*, est in Græcis codicibus.

Philagrius, medicus insignis, Galeni contemporaneus, natione Epirota. Vide Suidam.

Philagrus, Sophista Cilix, auditor Lolliani, iracundus maximè. Cæl. Rhod. 11. 41.

Philagus, Balacrorum Dux, in exercitu Alexandri M. nuper in societatem ascitorum, Curt. IV. 108.

Philaida, vicus in Ægeide, à *Philao* filio Ajacis, & Lysides filiæ Coroni Lapithæ. Tribulis *Philaides*. Steph.

Philammon, filius Apollinis ex Chione Nymphâ; clarissimus carmine & citharâ.

Philarchi, Arabiæ Fel. pop. Strabo.

Philaretus, nomen viri proprium.

Philastrius, Episc. Brixianus, interfuit Concilio Aquilejæ celebrato, An. 381. cum Ambrosio, Justo &c. Augustino Mediolani innotuit. Doctrinâ & sanctitate celebris; Scripsit de Hæresibus, librum. Obiit Ann. 387. A Gaudentio successore laudatus. Sixtus Sen. *B. S. lib.* 5. *ann.* 17. Trithem. *de Scr. Eccl.* Voss us *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 9.

Phileas, Geographus, quàm antiquus fuerit, argumento est, quòd memoratur Dicæarcho in fragmento de Græciæ descriptione ad Theophrastum. Atque idem testis adducitur, ic Epitome Artemidori Ephesii. Estque is qui in Περίπλῳ citatur à Stephano in Ἀσίᾳ. Meminit hujus Phileæ quoque Etymologus in Ἀγαμ-θεῖν. Divulgavit quoque librum de Asia. Macrob. *Sat.* 5. 20. At planè alius est beatus Martyr *Phileas*, Episc. Ægyptius, sub Diocletiano & Maximiano, passus, An. 302. Auctor egregiæ epistolæ, Eusebio *Hist. lib.* 8. laudatæ, quâ tormentorum genera, quibus fideles excruciari soliti, recenset: de quo Hieronymus *in Scriptoribus illustribus*, qui eum in Martyrum laudem quoque librum composuisse, & disputationem cum Judice, ad Idolis sacrificandum invitante, edidisse ait, ut & Nicephorus *lib.* 7. *cap.* 9.

Phileas, regio Byzantii: Gentile *Phileates*. Alii *Phineam* vocant. Stephan.

Philecia, opp. Germ. Ptol. *Phelicia* Interpp. Quid nunc sit, non constat.

Philelphus, nomine Franciscus, omnium suæ ætatis poetarum excellentissimus, Romam accitus, artis Oratoriæ præcepta ad Ciceronis imitationem quosdam ingenuos adolescentes docuit; inter quos & Alexandrinus Alexander se plurimum profecisse testatur, *lib.* 1. *cap.* 23.

Philemon, Colossensis fuisse videtur, ad quem D. Paulus *Epistolam*, in gratiam Onesimi servi, conscripsit. V. *Onesimus*. In Epistolam hanc prostant: Attersoll, in fol. Angl. 1618. Brentii *Commentarius*, Inter opera. Crellii Sociniani *Prælection.s.* Danæi *Comm.* an. 1579. ut & Feuardentii, Parisiis 1587. Gentilis *Commentar.* 4. Norib. 1618. Godeau. Gomari, *Explicatio Locor. select.* inter opera. Hummelius fol. Jonesii *Expositio*, fol. Londini 1612. 1618. 1635. Paræus, Rollocus octav. Genevæ, 1602. Sculteti *Observationes Gramm. Hist. Log. & Theol.* Franc. 1624. Witebergæ, 1630.

Philemon, poeta Comicus, fil. Damonis, sub Antigono, qui quamvis (ut inquit Quintilianus) pravis sui temporis judiciis, Menandro sæpe prælatus, unde hic ad illum dicere solitus est: *Quæso, Philemon, bonâ fide dic mihi, cùm me vincis non erubescis?* consensu tamen omnium meruit secundus credi. Scripsit inter alia ἔμπορον: quam in Mercatore Plautus imitatus, sic loquitur:

Græcè hæc vocatur Emporos Philemonis,
Eadem latinè Mercator Marci Acci.

Alius ab hoc testis laudatur Plinio 4. 13. & 37. 2. Videtur fuisse scriptor Solino non absimilis. Vossius.

Philemon, junior, Comici filius; auctor 54. Comœdiarum. Suid. Item alius, asinum ficus depascentem videns, risu crepuit, etiam Philomedus dictus. An idem cum priore? Valer. Max. *lib.* 9. *cap.* 12. *ex.* 14.

Philemon, rusticus quidam, qui cùm Jovem & Mercurium hospitio excepisset sub paupere tecto, unà cum Baucide uxore in arbores conversus est, & domus ejus in templum, ut refert Ovidius *Metam. lib.* 8. Fabula hæc docet, hospitalitatem & frugalitatem esse Deo gratam, & apud Poetam (cujus nonnulli existimant Philemonem hunc fuisse villicum) extant elegantissimæ rerum rusticarum hypotyposes.

Philene, Orof. *Phyla* Xen. Diod. Steph. opp. Atticæ, inter Athenas & Tanagram, ab Athenis 100. stad. apud Stat. *lib.* 4. *Thebaid.*

—— *Sensit scopulosa Philene,*
Fletaq; cognatis avibus Meleagria Pleuron.

Pylene alii legunt, opp. Ætoliæ.

Philenis, meretrix, quam Philocrates Poeta Græcus carminibus suis laceravit. De hâc Martialis *lib.* 7. Lege *Philænis.*

Philenorium, urbs in Arnæâ regione Bœotiæ, à *Philenore* Ætolo. Gentile *Philenorius*. Steph.

Philepsius, traditur non modò pauper fu sse, sed monstrosus: præterea garrulus: qui tamen fabellis ingeniosè recitandis totam operam navabat, ut vel hac ratione vitam facilius toleraret. Traductus est à Platone Comico.

Phileros, tabellarius quidam, de quo Cicero *ad Pætum lib.* 9. *Epist.* Item urbs Macedoniæ. Plin.

Philesius, cognomen Apollinis. Boccatius *lib.* 3. *Philesia* quoque templa vocat idem Apollini consecrata, quæ ab osculo Branchidis, sive à certamine puerorum *Philesia* vocari dicit. Græci φιλήσιον *amabilem* dicunt, quia lumen Solis exoriens, amabili veneratione oculorum consalutatur.

Phileta, circa Catiam urbs. Porphyrogen.

Philetærus, Eunuchus, Thesaurarius Lysimachi, huic, ob Agathoclem fil. occisum infensus, Pergamum se recepit, tyrannide ibi per an. 20. potitus. Obiit 490. U. C. 119. Olymp. Eumenes frater ei successit. Strabo *lib.* 13. Justin. *lib.* 17. Pausanias &c. Item Atheniensis, Poeta Comicus [: fil. Aristophanis, 20. fabularum auctor. Suidas.

Philetærus, Cres, Dux Antiochi Hieracis, qui à fratre Seleuco deficiens victus ac postea victores dolo aggressus fudit. Polyæn. *l.* 4.

Philetas, Grammaticus & Poeta elegiographus ex insulâ Co, Phi-

Philippi & Alex. M. ætate floruit, præceptor Ptolemæi Philadelphi. Scripsit Elegias & Epigrammata: an idem cum Phileta Historico? V. infra. Suis carminibus celebravit Battidem puellam, quam adamavit; fuisse fertur corpore adeo tenui, ut necesse fuerit ei plumbum adhibere, ne ventorum flatu raperetur. Ælian. & Athenæus. Propert. lib. 2.

Tu satius memorem Musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.

Idem lib. 3. eleg. 1.

Callimachi manes & Coi sacra Philetæ,
In vestrum quæso me sinite ire nemus.

Et Eleg. 9.

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis Coe poeta tuis.

Papinius in epithalamio Stellæ & Violantillæ, lib. 1. Sylv.

—— Hunc ipse Choro plaudente Philetas,
Callimachusq; senex Umbroq; Propertius antro
Ambissent laudare diem. ——

Hinc Philetæus. Prop. 3. 3.

Ora Philetæa nostra rigavit aqua.

Idem 4. 6. *Cera Philetæis certat Romana corymbis*

Philetas, Historicus. Α'τάκτα tradidit literis, quæ Athenæus citat lib. 11. Item Α'τακτα, sive *Indigesta*, quorum idem meminit lib. 3. n. 34. Ex eodem ad Hermen citat historiam Parthenius, *in Eroticis*. Meminit & Stephanus in Γ'εχαι & Φλιοῦς, & Etymologus, in Α'ωθ@ & aliis. Sitne hic idem cum priore Coo, vide Voss. *de H. Gr. lib. 3. pag. 401. & c. 7. de Poët.*

Philetus, vir quidam, qui à fide Christi excidit. 2. Tim. 2. Item Antiochenus episcopus, An. D. 219. post Asclepiadem, præfuit usque ad an. 230. quo Zebenes ei surrogatus est. Item Patr. Constantinopolitanus sec. 14. post Calixtum.

Phileum, civitas Germaniæ in eâ reg. quæ hodie Frisia vocatur. *Groeningen* Apiano. V. *Philaum*.

Philia, insula. Vide *Tacompsus*. Item promunt. Thraciæ ad os Pont. Euxini. Ptol. *Filea* in tabb. recentibus. Ubi *Phinopolis* opp. Ptol. Melæ ac Plin.

Philibertus I. Venator, Sabaudiæ D. successit Amadeo Patri an. æt. 6. sub tutela Jolantæ Franciæ, matris: cui Ludovicus XI. Frater, Dux Burgundiæ &c. de administratione litem moverunt: Unde plurima mala. Obiit nimio venationis & decursionum equestrium usu, Lugduni, An. 1482. æt. 17. Carolus frater ei successit. Guicheno.

Philibertus II. Pulcher, fil. Philippi Comitis Sebusiani, dein Sabaudiæ D. huic successit. An. 1497. æt. 17. Carolum VIII. in Italiam moventem, cum Patre sequutus, dein jam Dux Ludovicum XII. Mediolanum invasurum comitatus est: in maximis Italiæ turbis pace domi prudenter servatâ: Liberalitate insuper & clementiâ inclytus. In venatione cum crudos cibos avidius ing[ur]gitasset, Obiit An. 1504. æt. 24. improlis. Guicheno *Hist. Sabaud.* V. quoque *Emanuel Philibertus*.

Philibertus Naillacus, magnus Melitæ Mag. A. 1396. Prudentiâ & fortitudine per an. 25. inclytus. Obiit 1421. Bossius *Hist. Melit.*

Philicus, Poëta tragicus græcus, unus ex Pleiade: sub Ptolomæo Philadelpho. Phalæcus versibus nomen commodasse fertur, an quia primus inventor, an quia istiusmodi versuum genere uti amavit? Voss. *de Poët. Gr.* V. alios apud Suid.

Philicus, ins. ante Taprobanam.

Philides, quidam equorum nutritor, à quo cum Themistocles equum dono postulasset, passusque esset repulsam, minatus est, se domum ejus continuò ligneum equum facturum. Quo ænigmate significavit se propinquorum accusationes & crimina in eum conjecturum. Plut. *in Them.*

Philinus, Agrigentinus; scripsit Historiam Rom. contra Carthaginenses: dicitur his nimium favisse; quod si fecit, nullum mirum est, cum Annibalis in bello comes fuerit. Corn. Nepos *in Annibale*. Polyb. lib. 1. Diod. Sic. in *Eclog. l. 23. & 24.*

Philippa Geldrica, fil. Adolphi Egmontii D. uxor Renati Lotharingiæ D. ex illo mater 12. liberorum. Obiit An. 1547. æt. 85. Hilario Costus, *Elog. fœm. Ill.*

Philippa Pratensis, fœmina Parisina, eruditione insignis, sub finem sec. præt.

Philippenses, V. *Philippi*.

Philippi, *Filippo*, adhuc vulgò, colon. & urbs Macedoniæ [a]tate condita, an instaurata à Philippo R. in Thraciæ confin. apud mont. Pangæi radices, olim *Crenides*, teste Diod. Siculo apud oram maris Ægæi, olim clara, nunc penè jacens & deserta. Ovid. *Met. lib. 15.*

Emathiiq; iterum madefient cæde Philippi.

Virgil. lib. 1. *Georg.*

Romanas acies iterum videre Philippi.

Hic campi Philippici, ubi inter Cæs. & Pomp. pugnatum est, postea verò inter Augustum & Cassium. Pop. *Philippenses*, ad quos è captivitate, epistolam scripsit B. Paulus, cuius vitæ subsidia ab illis liberaliter adjutus. Meminit hujus urbis D. Lucas Act. Ap. 16. 12. Ε'κεῖθεν εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδ@ τῆς Μακεδονίας πόλις. Datis quoque olim vocabatur, unde proverbium, Δάτ@ ἀγαθῶν, ob aurifodinam sc. non longè ab eâ existentem, Appian. V. Liv. Plutarchum Vellejum, Dionem, Florum, aliosque scr[ipt]ores. In sacram ad *Philippenses* Epistolam, prodierunt: Brentii *Comm.* Calixtus. Coccejus. Crellii Socin. *Prælectionis*. Dalæi *Concionis*, Gall. 2. Vol. 8. Erasmi *Comm. Homiliæ*. Go[ss]eau. G[...] *Expl. loco difficil.* Hofmanni *Comm.* 8. Basileæ. 1541. Martini *Ana[lysis]* Musculi *Comm.* 4. Noremb. 1628. Musc. Olevian *Nota.* 8. Herbornæ 1588. Quistorpius. Scbotani *Analysis & Comm.* Francof. 4. 1657. Stevartius. Vasquez. Velasquez. Vorstius. Weinrichii *Explicatio.* 4. Lipsiæ 1618. Welleri *Enarrat.* 8. Norimb. 1561. Zanchii *Comm.* Zuinglii, *Annotationes*. V. Crovvæi *Elenchum*.

Philippicus Bardanus, Romanorum Imp. ex familia illustrissima: à Tiberio Absimaro in exilium pulsus, quòd ipsi prædictum erat, hunc successorem Imperii fore, ope dein Justiniani Jun. revocatus, & exercitui contra Chersonen urb. misso ab Imp. præfectus est. Paulò post Justiniano, & filio ejus Tiberio summotis, ipse à militibus Imperator salutatus, Ann. 711. parum laudabilem se præstitit. In gratiam Monachi cujusdam Monotheletæ, decreta 6. Concilii Gen. abolere conatus est, eodem tempore, quo Imperium undique incursionibus Bulgarorum patebat: secundo imperii anno ab Anthemio excæcatus, & in carcerem conjectus sub ann. salutis. 713. Zonar. & Theoph. *in Annal.* P. Diac. *l. 6. c. 34.*

Philippides, Comicus poeta, haud ignobilis, sub Alexandro M. Olymp. 140. Fil. Phitodis, frater Morsimi, qui quoque ambo Poëtæ: 45. fabulas scripsit. Athen. lib. 15. Jul. Pollux lib. 9. Lysimacho familiaris, cum ex eo quæreret Rex, quidnam optaret? Respondit, quidquid tibi placuerit, præter arcana tua. Ætate jam provectâ, quum in certamine poetarum præter spem vicisset, gaudio repente mortuus est: quod & Diagoræ Rhodio accidit. Suidas.

Philippides, cursor Atheniensis, eâ nempe tempestate, quâ in Græciam Persarum venit exercitus, unicæ noctis spatio, mille & quingenta stadia, pedibus confecisse perhibetur, ut Lacedæmoniis Persarum adventum palam faceret, eosque ut præstò essent, admoneret. Leonic. Thom. *lib. 3. cap. 9.*

Philippina, vulgò *les Philippines*, insulæ Asiæ, à Philippo II. Rege Hispaniæ sic dictæ, quia ejus auspiciis habitatæ fuerunt an. 1564. Sunt in Oceano Eoo, inter Sinas ad Boream & Moluccas insulas ad meridiem, quanquam inde longè distantes. Earum præcipua & maxima est Manilla, *Manilha*, insula longe ceteris major, & versùs Boream. Aliæ insulæ sunt Mindanoa, *Mindanao*, Paragoia, *Paragoja*, seu *Calamianes*, Mindora, *Mindora*, Tandaja, *Tandaya*, seu la *Philippine*; Cebua, *Cebu*, seu *los Pintados*. Parraja, *Parraya*, Masbata, *Masbat*, Sabunra, *Sabunra*, Matania, *Matan*, Lubana, *Luban*, Cappula, *Ca[pu]l*, Abuja, *Abuyo*, Bantonia, *Banton*, Bohalia, *Bohol*, Viridis, *Verde*, Nigrorum, *dos Negros*, & S. Joannis, *de San Ivan*, & aliæ minores; subetantq; omnes dominio Hispanorum, qui inibi habebant multas arces: Sed à paucis annis Mindanoa insula ab eis defecit, uti Paragoja & minores ei adjacentes, & ægrè Manillam insulam servant cum aliquot aliis in vicinis. Earum præcipua urbs est Manilla in insula cognomine, ubi Præfectus Hispanus commoratur. Jam detectæ fuerant an. 1520 à Ferdinando Magellano Lusitano, qui in insula Cebua occisus fuit: suntq; 1200. ad minus, & paucis tantùm milliaribus inter se distant. Ipsarum autem urbes præcipuæ præter Manillam sunt Mindanoa, *Midanao* seu *Tabouc*, Caceria, *Caceres de Camarintha*, Nova Segovia, *Nueva Segobia* seu Cagajon, Villa Jesu, *Villa Jesu*, seu *Cebu* & aliquot aliæ.

Philippoburgum, vulgò *Philipsburg*, arx munitissima Germaniæ, ad Rhenum fluvium, quæ antea *Udenheim* dicta. Nomen sortitur à Philippo Christophoro *de Sœteren* Spirensi Episcopo, simul q; Archiepiscopo Trevirensi; & subest Regi Franciæ ab an. 1644 Distat una leuca cum dimidia à Spira in meridiem, ut 4. ab Heidelberga; estq; intra limites ditionis Episcopi Spirensis, in Palatinatu inferiori.

Philippopolis, quæ & *Trimontium*, & *Hadrianopolis* Ptolemæo, qui in re hac deceptus est, cum Hadtianopolis, teste Sexto Rufo, sit urbs diversa; de qua suo loco: *Ponoropolis*, Plinio, Plutarcho, & Suidæ, Calybe Straboni, urbs Thraciæ archiepiscopalis, ad Hebrum fluvium, *Filippopoli* adhuc nostratibus, *Filibe* Turcis, & *Presrem*, adhuc fulgens, ubi sedes Præfecti est, inter Sardicam ad occasum 100. & Hadrianopolim in ortum versùs Byzantium 56. mill. pass. à Philippis 90. in Boream, apud Rhodopen montem. De Philippopoli sic in lib. 2. *Itinerarii*,

A Macedum Rege hæc nam cum sit structa Philippo,
Jure Philippopolis dicitur illa suis. Vocabatur etiam *Dulonpolis*, & *Pulendena*, Jornand. Hic Antisynodus ab Arrianis, contra Synodum Sardicensem habita An. D. 349. Theodoret *lib. 2. c 8.* Capta est à Friderico I. Barbarossa, cum Adrianopoli & Iconio, An. C. 1189. Paulus Æmil *lib. 6.* iterumque ab Amurathe occupata, An. C. 1359. cum Hipsala & Adrianopoli. Laonic. *lib. 1.* &c. Eadem, appellatur quoque *Eumolpias* Sexto Rufo. Baudrando hæc urbs etiamnum ampla sub Turcis, quanquam sine mœnibus, inter montes Hæmum ad Circium, & Rhodopen ad Eurum 40. m. p. utrinq; distat. Philippi Cæsaris opus est in Bessica tractu Thraciæ.

Philippopolis, vulgò *Philippeville*, oppid. permunitum Belgii, in Hannonia, à Maria Hung. Reg. excitatum an. 1555. Subest domi-

nio Regis Franciæ pace ad Pyrenæos a. 1660. Distat 2. leucis Gallicis à Mariæburgo in Bor., uti 6. à Rupe Regia, & 8. à Namurco in Afric.

Philippopolis, seu Philippostadium, *Philipstadt*, urbs recens Sueciæ, trina stagna, 25. m. p. à Wenero lacu & à Carolostadia in Cæciam distans, 50. autem à Mariæstadia in Boream.

Philippopolis, Ciudaddel Ré Phelipe, urbs Americæ meridionalis, ab Hispanis excitata magnis impensis in Magellanica regione, ut fretum Magellanicum obstruerent Anglis & Batavis, idq; an. 1585. irrito tamen conatu; & pauló post illius urbis incolæ aut occisi à Barbaris, aut fame necati, omnes malé periere: ita ut nunc ejus rudera dicta sint ab Anglis & Batavis *Porto Famine*, sed portus famis.

Philippus, proprium Viri, filii Thessali. Homet.

Macedoniæ & Syriæ Reges, &c.

Philippus I. Macedoniæ R. sextus, Argæi fil. patri successit, per annos 35. Ubbo Emmius *lib. 5. rer. Chron pag.* 153. Jansson. *Atlas maj. pag.* 39. Tirinus *in Chr. S. cap.* 41. Petav. P. 2. *Rat. temp. lib. 2. cap.* 14. *& lib. 9. de doctr. temp. cap.* 49. *ac Paralip. pag.* 848. *&* 867. Picciol. *Chron. Ref. t.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *&* 8.

Philippus II. Amyntæ fil. cui quatuor filii Reges erant, quorum hic natu minimus, Perdiccæ fratri successit, Olymp. 105. A. 394. U. C. præterito fratris fil. per ætatem ad regnum minus apto. Alex. Magni pater, rei militaris peritissimus, rebusque gestis clarissimus, Macedoniæ regnum, quod angustis antea finibus continebatur, adeò ampliavit, ut centum quinquaginta populi in Macedonum ditione numerarentur. Hic regni rebus ordinatis, Athenienses ad Methonem fudit, ibi oculo amisso, dein pace illis datâ Pæonios Illyriosque vicit, captâ Larissâ. Thessalos postea subjugavit, ductaque Olympiade Neoptolemi Molossorum R. filiâ Alexandrum genuit: Byzantium obsidens discedere coactus est, ut se Scythis opponeret, quos astutiâ vicit. In reditu cum Triballis rebellibus conflixit, equo confosso occidendus, ni à filio protectus fuisset. Ad Græciæ dominatum aspirans, cùm Athenienses sibi solos obstare videret, id effecit, ut Amphictyonum suffragiis Græcorum Dux legeretur, ad Locros reprimendos. Tum illis, bello indicto, Thermopylis superatis, duas urbes eripuit, eosque cum Thebanis ad Chæroneam prælio vicit: Pace denuo Atheniensibus post hæc concessâ, Olympiadem repudiavit, unde Alexander ex aula se subduxit. Tandem majora volvens, totius Græciæ D. contra Persas declaratus, dum se accinxit ad tantæ molis expeditionem, submisso ab Olympiade pugione, cui *Myrtalis* nomen inscriptum erat, à Pausaniâ quodam adolescente Ægis fuit interfectus, qui cùm de stupro per vim ab Attalo illato. apud Regem questus esset, & pro rei indignitate ultionem frustra postulasset, seque etiam irrideri animadverteret, iram in Regem convertit, & ultionem, quam ab inimico non poterat, ab iniquo judice sumpsit. An. 418. U. C. 111. Olymp. 24. regni. Natus fuit Pellæ. quæ Macedoniæ civitas est, & Regum sepulchris nobilitata, An. 371. U. C. Puer quondam bis obses datus ab Alexandro fratre, primùm Illyriis, deinde Thebanis, conciliandæ pacis gratiâ, illo tempore per triennium in domo Epaminondæ summi ducis rudimenta exercuit. Diod. Sic. *lib.* 16. 17. Justin. *lib.* 7. 8. 9. Plut. *in Al.* Pausanias, Curtius, Arrianus, Euseb. &c. Hinc *Philippica*, φιλιππικοὶ λόγοι, orationes Demosthenis *in Philippum regem*, & Ciceronis *in Antonium*. Item *Philippeus*, seu *Philippicus*, aut *Philippus* etiam, aureus nummus, cujus frequens apud Plautum mentio est. Horat. *lib.* 2. *Epistolarum*,

Rettulit acceptos, regale numisma Philippos.

Philippus III. Alexandri M. frater, Macedonum rex, Olympiadis jussu interfectus, alio nomine *Aridæus*. V. ibi.

Philippus IV. patri Cassandro successit An. 456. U. C. unicumque annum regnavit. Justin. *lib.* 15. *&* 16. Diod. Sic. Euseb.

Philippus V. Demetrii III. fil. Rex Macedoniæ, sub tutela Antigoni 2. dicti Dosonis: qui cum tit. Regis præfuit an. 12. donec ei Philippus an. æt. 16 successit, Olymp. 139. U. C. 533. Hic fœdere cum Achæis, contra Ætolos inito, *Sociale* bellum gessit: secundo rerum successu usus, quandiu Attali consiliis regebatur: hujus dein filiâ corruptâ, ipsoque cum filio veneno sublato ab Heraclide Pontico & adulatoribus aulæ in transversum actus, ab Ætolis, Zacyntho & Naupacto amissis, victus est. Contra Attalum dein, Pergami R. bellum gerens, Abydenos ad desperationem adegit. Post quæ, bello indicto à Romanis, in Epiro virtute T. Qu. Flaminii primò, Olymp. 145. dein seq. anno in Thessalia victus pacem petiit: Belli prima origo, quòd cùm videret Annibalem feliciter in Italiâ res gerentem, Legatum ad eum de societate misit, qui in reditu à M. Valer. Flacco præfecto classis interceptus cum literis, missusque ad Senatum est, hinc statim Levinus Consul contra eum est missus, qui cùm Regem agentem Apolloniæ, incautum, semique sopitum nocte intempestâ adoriretur: Ille in Macedoniam cum exercitu terrestri itinere fugit, incensis prius, ne hostis potiretur, suis navibus. Regnum tamen servavit, verùm hac lege, ut quidquid in Græcia obtinuerat, desereret, filiumque secundogenitum Demetrium obsidem Romam mitteret. Quo mortuo, Perseum, quem ob mores exhæredaturus erat, successorem accepit, fato functus Olymp. 150. regni 42. Polyb. *lib.* 16. Justin. *lib.* 29. 30. *& seqq.* Flor. Plutarchus, Inprimis autem Livius, *ubi de bello Macedonico.*

Philippus, Rex partis Syriæ, fil. Antiochi Gryphi, frater alterius Antiochi: regno inter varios Principes, intestinis bellis inter se collisos, tum discerpto. Joseph. *lib.* 13. *cap.* 21. *Philippus*, sub quo Syriæ regnum defecisse dicitur, Olymp. 171.

Viri olim præclari.

Philippus, Lysimachi frater vix adultus, pedes Regem Alexandrum per quingenta stadia in regione Nauta vectum comitatus est loricâ indutus atque arma gestans. Post hæc, in lattu quodam cum Barbaris conflixit strenue. Sed postquam Barbari in fugam effusi deseruêre silvas: animus, qui in ardore pugnæ corpus sustentaverat, liquit, subitoque ex omnibus membris profuso sudore arboris proximæ stipiti applicitus exspiravit. Curt. 8. 16.

Philippus, filius Antipatri, qui cum fratre Jollâ potum Alex. M. prægustare solitus, in aqua frigida venenum habens, eam prægustatæ potioni regis supermisit. Curt. X. 17.

Philippus, Medicus Alex. Magni, Q. Curt. & Plut. *in vita Alex.* Hic gratus eo usq; regi erat, ut cùm Parmenio literas ad Alexandrum dedisset, quibus eum monebat, ut ab insidiis Philippi, velut ab hoste Dario corrupti, sibi in ægritudine caveret, Alexander exploratam habens Medici fidem, poculum ab ipso Philippo præparatum hauserit, & literas Parmenionis eidem legendas tradiderit. *Philippos* etiam Rom. viros claros legimus, inter quos L. *Philippus* Orator, Crassi adversarius, Cic. 3. *de Oratore.*

Philippus, Thessalorum Dux in exercitu Alexandri Magni. Curt. IV. 108. In Indiâ, ubi eum Prætorem Alexander Magnus reliquerat, ex vulnere à populo inflicto mortuus. X. 3. Meminit quoque Diodorus, in rebus Alexand. M. cujusdam Philippi, quem Balacri filium facit. *lib.* 17.

Philippus, fil. Herodis M. frater Herodis Antipæ, procurator Gaulonitidis, Ituræ & Trachonitidis constitutus à Romanis, apud quos educatus fuerat, Augusto gratus: etiam partem ditionum Zenodori insuper nactus est. Sapiens & modestus: quo sine prole defuncto, Tiberius ditionem ejus Syriæ junxit. Luc. *cap.* 3. Jos. *Ant.* 17. 1. *&* 13. *lib.* 18. 6.

Philippus, Proconsul, cujus jussu Polycarpus martyrium subiit, sub Antonino Phil. An. C. 167. Euseb. *lib.* 4. *cap.* 15. Item Gortynæ Episc. circa An. C. 175. Item Ægypti Præfectus, cum filia Eugenia & Clem. Alexandrino, passus, sub Septimio Severo, A. C. 208.

D. Philippus, unus ex Apostolis Domini, ex Betsaidâ oriundus, post Petrum, vocatus, Clem. 3. Strom. is fuisse videtur, cui Christus dixit, *Sine mortuos sepelire mortuos:* primus Evangelium Samariæ prædicavit: Dein, post Christi ascensionem, Scythiæ provinciis quibusdam ad fidem conversis, Hierapoli urbe sup. Asiæ, quam concionibus suis quoque dignatus erat, crucifixus & lapidatus est, æt. 87. Imp. Claudii 10. Joh. *cap.* 1. Matt. 8. & 10. Hier. Baron. An. C. 31. & 54. Vide quoque Euseb. *Eccl. Hist. lib.* 3. *cap.* 31.

Philippus, genere Cæsariensis, unus ex septem Diaconis, qui & Evangelista cognominabatur, Simonem Magum primò Samariæ, dein divino monitu Eunuchum reginæ Candaces in viâ quæ Gazam tendit, baptizavit: Ejus filiæ erant prophetissæ, uti legitur in Actis Apostolorum, 6. 8. 21. Eus. *Hist lib.* 3. Hier. 1. *c. Jovin.*

Philippus, Amphipolites historicus, fecit libros Rhodiacorum novendecim, & alia. Suidas. Item *Philippus*, Caricarum rerum scriptor à Strabone laudatus *lib.* 14. Is est Philippus Theangelensis, quem in libro de Caribus & Lelegibus citat Athenæus *lib.* 6. Item *Philippus* Megaricus memoratur Laertio, *in Stilpone*. At difficile est dicere, utrum alius, an aliquis istorum sit Philippus iste, qui Ortum Apollinem ex Ægyptio fecit Græcum, multi adeo ejus nominis fuerunt, & eos inter *Philippus* Abucara, cujus scholia sunt quæ in Hephæstionem leguntur. *Philippus* item Chalcidensis Plutarcho memoratur *in Alexandro.* Vossius *H. G. lib.* 3.

Philippus Pœnus, nobile scortum à L. Flaminio in Galliam perductus, in cujus gratiam ille, eductum quendam è carcere in convivio ad spectaculum, jugulari jussit. *lib.* 39. Livius.

Imperatores Romani.

Philippus, Rom. Imp. Gordiano successit, qui tam tetrici & tristis animi fuisse dicitur, ut jam tum à quinquennali ætate nullo cujusdam commento ad risum solvi potuerit, aut ab inflexæ naturæ torvitate dimoveri, Sept. Aurelianus. Marcus Julius ... per pictus, Arabs cognom. Prætorianæ cohortis, sub Gordiano III. præfectus, eum in bello contra Persas sequutus est, eadque inde in lecticâ occiso, Imperator proclamari voluit, A. 244. Hanc parricidii notam ut elueret, salutaribus legibus Remp. ordinavit, & pacis dulcedine subditos permulcere conatus est. Paci proin cum Sapore Persar. R. factâ, Romæ Ludos seculares magnificentissime celebravit, An. 248. Urbis C. 1000. Christianum fuisse refert Euseb. *lib.* 6. 31. sed fidem non impetrat. Occisus pauló post & ipse Veronæ Ann. 249. filiusque ejus cognom. à Patre Cæsar creatus, inter amplexus matris Ottaciliæ Severæ similiter necatus est. Jul. Capitolinus *in Vita Gordian.* Aur. Victor *in Philipp.* Cassiodor. *in Chron.*

Philippus, Sueviæ D. Imperator Occ. fil. Friderici Barbarossæ fratri Henrico VI. successit; cùm Electorum quidam Ottonem Saxoniæ D. ei opposuissent, Ann. 1198. auctore Innocentio III qui juraverat: *se ablaturum Philippo diadema regium aut amissurum insigne Apostolicum.* Ursperg. *in Chron.* Hinc turbæ. Sed is Ottone[m]

nem ad Spiram victi, Brunsuigi obsedit, auxiliaribusque ejus superatis ad fugam in Angliam compulit: pacem tamen petenti, filiam uxorem dedit, hac lege, ut à titulo & re Imperii, se vivo, abstineret; post mortem succederet. Occisus ab Ottone Vitelsbachio, cui, quòd homicidio se polluisset, promissam fil. Cunigundem dare recusaverat: hic enim comperto, Imperatorem in brachio utroque venam incidisse, in cubiculum irrumpens illum Bambergæ interemit. An. 1208. Crantz. *lib.7. cap.*15. 25. 78. Arnold. Lubec. *lib.6. cap.*1. 2. Aventin. *lib.*7. &c.

Philippus Curtenæus, Imper. titularis Constantinopolitanus, & Thessaliæ R. fil Balduini II. Imper. à Græcis pulsi. Maritus Beatricis, filiæ Caroli I. Neap. & Siciliæ R. Thessaliæ regnum Philippo hujus filio, Brundusii, donavit, An. 1274. Obiit An. 1298. Pater Catharinæ, quæ an 1299. rupta Carolo Valesio, filio minori natu Philippi Audacis R. à Bonifacio 8. Romæ coronata est. Horum filia Catharina Valesia, Philippo Siculo nupsit, filio quarto Caroli II. Claudi: qui primis nuptiis sibi junxerat Tomaram, hæredem Nicephori, Romaniæ Despotæ: dotisque loco A. 1332. titulum Imper. Constantinopolitani accepit: eorum primogenitus Robertus, Dux Leucadiæ, Imperium frustra quærens sibi vindicare, obiit Neapoli, An. 1364. Idem frater ejus *Philippus II.* conatus, obiit An. 1368. Pater *Philippi II.* ex Elizabeta Hungarica: qui admodum juvenis similiter obiit. Sammartan. *Histor. Geneal. Gall.* Duchenius, &c.

Galliæ Reges.

Philippus I. Galliæ Rex, vivente Henrico I. Patre, coronatus Rhemis. Ann. æt. 7. illi successit, An. 1060. sub tutela Balduini V. Flandriæ Com. qui Adelheidam Henrici sororem uxorem habebat; magnâ curâ & prudentiâ regno per Ann. 6. administraro. Hujus filii postmodum à Philippo utcunque defensi, contra Robertum Frisiæ Com. qui Flandriam illis ereptum ibat. Cum quo, Rex, cùm arma non ex voto succederent primo impetu, cognatis turpiter desertis, pacem iniit. Nec magis felix contra Guilielmum Conquestorem fuit; cujus potentia ipsi formidolosa evaserat. Hinc fons belli inter utramque gentem. Ob superinductam quoq; uxori legitimæ Baltadram Monfortiam, quæ uxor erat Fulconis Comitis Andegav. à Papa excommunicatus, ut in gratiam cum Ecclesia rediret, pellicem quidem removit, interim mansit animus in ignaviam & voluptates proclivis. Claromonte tum bellum sacrum decretum, tesserâ ab Urbano III. *Deus vult*, datâ, & Christiani sub Godofredo Bullioneo, ad expeditionem in Orientem se accinxerunt, sed Philippus ingens hoc opus parum juvit. Obiit Meloduni An. 1108. regni 47. ætat. 59. Ex Bertha, filius Florentii, Hollandiæ Comitis, pater Ludovici VI. Crassi, &c. Dupleix, & Mezeray *Hist. Gall.*

Philippus *II.* Francorum Rex, optimus & bellicosissimus, ob idque ***Augustus*** cognominatus, sicut A-Deo-datus, quòd parentibus jam ætate provectioribus natus esset, successit Patri Ludovico Juniori, illo adhuc vivo coronatus: Ann. 1180. Sub initium statim regni, in impios & blasphemos severus, quorundam seditiosos conatus repressit: audito dein, Hierosolymam à Turcis captam esse, ad Saladinum opprimendum, sequente mox Richardo Anglorum Reg. in Asiam navigavit; ubi Aconem & Ptolemaidem expugnavit, 17000. Saracenorum occisis, sed paulo pòst morbo coactus, rediit, Northmanniam, & Aquitaniam bello de Anglorum Rege cepit, ab illo reduce victus. Duravit bellum An. 5. Postea Ingeburge uxore repudiatâ, ut aliam superinduceret, Ecclesiast. censuram incurrit, quam ut evitaret, promtum præstitit obsequium. Ob Arcturum dein, Johannis Angliæ Regis ex fratre nepotem, à Johanne Sine-terris, qui Richardo successerat, occisum, bellum Anglis denuo movit: totâ Normanniâ, 270. Ann. postquam Rolloni concessa fuerat, recuperatâ. Othonem III. Imperatorem & Ferrandum Flandrensem Anglo auxilium ferentem ingenti prælio ad Bovinas An. 1214. fudit: in quo & Ferrandus captus, & innumera hostium millia cæsa sunt: Postquam classis ejus navium trecentarum à Ferdinando destructa fuisset. Frustra tandem Regem Angliæ per Ludovicum filium regno excurere missus, Obiit An. 1223. ætat. 57. regni 43. sexaginta millibus aureorum ad bellum sacrum legatis. Ex Isabella Hannonica, pater Ludovici VIII. & ex Agnete Merania Philippi, Bononiæ Comitis. Rigord. *in ejus vita*, P. Æmil. *lib.*5. 6. 7. Matth. Paris. *in Johanne.* Crantz. *lib.*7. *cap.* 35. Guilielmus Brito *in Philipp.* Hic Rex cum nasceretur, vidit per quietem Adela mater filium ex se natum, calicem humano sanguine Proceribus miscere, Æmil. *lib.* 5. Idem urbem Andegavensem dirutam restituit, & Judæos Franciâ expulit. Idem.

Philippus *III.* D. Ludovici filius, Francorum Rex, An. D. 1270, in Africa, mortuo ibi Patre, salutatus est, *Audax* cognomine Post quæ, Saracenis victis, in Galliam redux, patrui Alphonsi Comitis Pictaviensis & Tholosani hæreditatem adiit, in ordinem redacto Comite Foxio. Datâ dein Henrici Navarræ Reg. filiâ Johannâ filio suo Philippo, regnum illud acquisivit: sed idem in Castella facturus, in gratiam Alphonsi de la Cerda, sui ex Blanca sorore nepotis, frustra fuit. Ex Isabella Arragonia, quam tenerrimè amavit, pater Ludovici, veneno sublati, Philippi Pulchri successoris, Caroli Comitis Valesii & Roberti: hâc amissâ An. 1271. Mariam, filiam Brabantiæ D. secundis nuptis sibi junxit: quam Brossius quidam, qui ex infima fæce ad Regis familiaritatem emerserat, veneni filio propinati apud maritum detulit, sed ipsemet flagitii convictus, meritas dedit pœnas. Arragoniam tandem, Petro, qui Siculis vesperis Gallicum nomen in Sicilia extinxerat, excommunicato, Carolo Valesio fratri à Martino IV. adjudicatam, vindicaturus, Petrum ad Gerundam vicit & lethaliter vulneravit: sed peste pereunte exercitu, & ipse in reditu Perpiniani decessit. An. 1285. regni 16. ætat. 48. successit filius Philippus Pulcher. Ex Maria, uxore secunda, suscepit Ludovicum, caput Comitum Ebroicensium, Regum Navarræ, Mariam Eduardo I. nuptam & Blancam, Rodolphi Austriaci, Bohemiæ Regis uxorem. Vide *Gesta Philippi, quem Audacem cognominant.* Mezeray *Hist. Gall.*

Philippus IV. Pulcher, Francorum Rex, successit Patri Philippo III. An. 1285. jam Navarræ Rex, per uxorem Johannam, Henrici I. hæredem. Parlamentum Parisiense sedentarium reddidit, justitiæ egregius cultor: Eduardum primum ad causam dicendam Lutetiam citavit, eo non comparente. Guiennâ ipsum exuit; & per Johannem Harcurtium, ac Matthæum Montmorantium, Classis præfectos, Dorobernium diripuit. Quare Eduardus fœdus iniit cum Adolpho Imperatore, Duce Barensi & Comite Flandriæ: sed primo ultra minas non progresso, secundi ditiones Philippus vastavit. Flandrenses variis præliis domuit. Vidonem Comitem cum filia cepit, neque Eduardus misso in Galliam exercitu socerum liberare valuit: ipse ad Furnas victus memorabili prœlio. A. 1296. Pace dein factâ ac matrimonio firmatâ, Anglo Philippus Aquitaniam restituit, Flandriam verò, Vidone denuo capto, occupavit. A Brugensibus, qui Gallos omnes, ob avaritiam Præfecti Jacobi Castellionæi Com. S. Pauli interemerant, lacessitus, sub Roberto Comite Artesiæ & Connestabili exercitu illuc misso, injuriam ulturus, à Vidonis filiis, clade magnâ ad Curtracum, An. 1302. superatus est, & 700. aurea calcaria in trophæum suspensa: Vicit tamen eos post ad Fanum Audomari, Atriam & Tornacum, sed minori clade, tandemque iis pacem dedit. Post hæc, à Bonifacio VIII. ob Episcopum Apamensem, propter insolentiam carceri inclusum, excommunicatus, illi scribenti; *Scire te volumus, quòd in spiritualibus & temporalibus nobis subes*; generosè respondit: *Philippus Bonifacio salutem modicam, sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, secus credentes fatuos & dementes reputamus:* Synodoque Parisiis convocatâ, Papam gravissimorum criminum convictum condemnavit, eumque per Vilelmum Nogaretum Ananiæ captum, Romam ignominiosè deduci curavit: ubi paulo post indignatione mœrori mistâ, obiit, *ut canis.* Successor Benedictus XI. Bonifacii acta rescidit, idemque fecit Clemens V. qui Philippi hortatu, in Concilio Viennensi Ordinem Templariorum sustulit. Adulteros porro Rex nuruum suarum, verendis avulsis, cute nudari, uncoque trahi ac suspendi curavit, illis rejectis. A plebe ob falsam monetam, culpâ Engerani Merinii, Lutetiæ tumultuantem, obsessus, seditionem oppressit. Obiit Rex magnanimus, An. 1314. regni 29. Putean. *contentio inter Philippum Pulchrum & Bonifacium* 8. Paul Æmil. Gaguinus, &c. Pater fuit Ludovici Hutini; Philippi Longi Caroliique Pulchri successorum, & Isabellæ uxoris Eduardi 2. A Bonifacio Pontifice sacris interdictus; & à Benedicto XI. absolutus est. Vide supra & Annal Franciæ.

Philippus V. Longus, Franciæ & Navarræ Regens, An. Dom. 1317. fratri Ludovico Hutino successit, cùm uxor ejus prægnans relicta, masculum quidem, sed non vitalem, peperisset: frustra Carolo Valesio & Eude IV. Burgund. D. regnum in Johannam, Hutini filiam transferre conatis. Hæc enim Navarræ regno contenta, Philippo Com. Ebroicensi marito illud, dotis loco, attulit. Sic Philippus regno potitus, æmulos sibi conciliavit, paceque cum Scotis initâ, Judæos regno pepulit. Obiit An. 1322. Poëta & Poëtarum Mæcenas. Ei frater Carolus Pulcher, cui dein Philippus Valesius, excluso Eduardo Angliæ Rege, Philippi V. ex sorore, nepote, successit. Vide *Gall. Annales.*

Philippus VI. Valesius, filius Caroli Valesii, nepos Philippi IV. Francorum Rex suffectus in locum Caroli Pulchri, cui sine liberis mortuo genere proximus erat, vi legis Salicæ, prælatus Eduardo III. filio Isabellæ, cui Philippus Pulcher pater erat, An. 1328. Ludovicum Flandriæ Com. tutatus, eodem anno ad Montem Cassellum Flandros ingenti clade afflixit, quâ ceciderunt ferè 20. M. hominum. Domum redux, Jura Ecclesiastica tuendo, nomen *Catholici* meruit. Ab Eduardo dein Angliæ Rege Ambiani, ob Aquitaniam, more solito, homagium accepit, præsentibus Navarræ, Majoricæ, & Bohemiæ Regibus. Quo irritatior Anglus, cum Roberto Artesio, & Imperatore fœdus iniit, Flandris quoque, sub Jacobo Artevilla cerevisiario, concitatis: Ann. 1338. Cameraco frustra obsesso Eduardus, Philippi classes 300. navium ad Slusas, 30000. hominum occisis mersisque superavit, An. 1339. Postea Ann. 1346. in Normannia, ad Cressiacum, eundem majori clade vicit, ubi inter 32000. Gallorum cæsa, Johannes Bohemiæ Rex, & Rex Balearium numerati, ipse Philippus duobus vulneribus gravis vix evasit. Post hæc Caleium Anglus cepit, quod demum An. 1558. post An. 210. receptum est. Interea, Philippus Comitatu Russinonensi & Monspelio, à Jacobo Balearium Reg. acce-

pto, Campaniaque & Briâ regno unitis, Delphinatu insuper ab Humberto Principe muneri accepto, damna accepta quodammodo reparavit. Obiit An. 1350. ætat. 57. regni 23. Generosus & fortis, sed quòd salarium tributum primus instituisset, Rex legis *Salicæ* ab Anglis dictus est. Ex Johanna Burgundica, filia Roberti II. pater Johannis Reg. &c. Froissard. *Chronol.* Mezeray *Histor. Gallica.*

Philippus, Primogenitus Ludovici Crassi, Rex coronatus An. 1129. equi lapsu interiit, An. 1131. Item cognom. Rudis, fil. Philippi Augusti, ex Agnete Merania, Comes primò Claromontis, dein Boloniensis & Dammartinus, ob Mathildem uxorem. Pater Johannæ, quæ Scævolæ Castillionæo nupsit. Item, Dux Aurelian. filius Philippi VI. ex Blanca, filia posthuma Caroli Pulchri, nullâ prole susceptâ, obiit, An. 1375. Item, filius Ludovici XIII. frater hodierni Regis, primò Henriettæ Britannicæ, dein filiæ Electoris Palatini Caroli Ludovici maritus.

Hispaniæ Reges.

Philippus I. Pulcher, Archidux Austriæ, filius Maximiliani I. Imperatoris, ductâ Johannâ, hærede Ferdinandi & Isabellæ, Hispaniæ Rex, clemens & pacificus. Obiit Burgis, An. 1506. ætat. 27. An quia in pilæ lusu æstuans nimis avidè frigidam hausit? Pater Caroli V. & Ferdinandi Imperat. ut & quatuor filiarum. Mariana *Histor. Hispan.*

Philippus II. filius Caroli V. ex Isabella Lusitanica. Nondum Rex, suscepit ex Maria Johannis III Lusitaniæ Reg. filia Carolum: eâ mortuâ An. 1545. Mariam reginam Angliæ duxit, sed hac lege, ut tantùm maritus ejus, non verò regni Rex esset. Et Belgium Pater tradidit, An. 1555. & paulo pòst regnum, diademate ipsi Bruxellis imposito. Paulum mox IV. quòd sibi jus regni Neapolitani conferre nollet, per Albanum sic terruit, ut *ille dissolvi cuperet.* Induciis quinquennalibus nondum finitis, fœdere cum Anglis inito, Picardiam ingressus, Gallos memorabili prælio, ad Fanum Sancti Quintini vicit; Anno sequente iisdem ad Gravelingam fractis: unde tota nobilitate Gallicâ in Flandriæ carceribus detentâ, cùm illi S. Scripturæ lectione tædium discuterent, prima Reformationis in Gallia origo. Interim Caleto, Dunkerkâ & Theonis villâ à Galliæ Reg. captis, pax tandem Cameracensis, Galliæ damnosa admodum, coiit, & Elizabetha filia Henrici II. quæ Carolo filio ejus promissa fuerat, ipsi data est: Unde hujus indignatio, & aliis quoq; accedentibus causis, Patris jussu inflicta mors, Anno quo

FILIVS ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos:

Sequutus ipsius Reginæ, non sine veneni suspicione, obitus. Paulo ante Belgici motus orti, quorum originem, vicissitudines, successum, Vide apud Thuan. *Histor.* & Grotium *Annal. Belg.* Quos malum omen antecesserat, ingens naufragium classis & regiæ supellectilis, cùm è Belgio in Hispaniam se contulisset. Lutheranismum in Hispania crudelissimè extirpavit, non tantùm Hispali plurimis Confessoribus, sed & Pinciæ, 28. è præcipua nobilitate, ipso spectante, igne consumptis. In prælio ad Naupactum, per Johannem Austrium, feliciter rem contra Turcas gessit, Lusitaniæ regnum, per Albanum, intra 70. dies occupavit; classe stupendâ Ann. 1588. contra Angliam infelicissimo successu emissâ: quam tamen calamitatem, in speciem, constantissimè tulit. In Gallia deinde per plures annos Ligam fovit, contra legitimum hæredem, Henricum IV. qui bellum ipsi An. 1595. indixit, cui An. 1598. finis impositus est, pace Vervinensi. Summa, in cubiculo suo sedens tranquillus totum orbem commovit, Imperatoribus & Pontificibus pro lubitu creatis. Obiit phthiriasi, pediculorum tantâ copiâ ex ægro corpusculo erumpente, ut *multis manibus circa unum laborantibus, minima tamen pars sordium esset, quæ egerebatur.* An. Chr. 1598. præfato. Vide Grotium *in Annal. & Hist.* Thuanum, Stradam, &c. Datis prius Filio imperandi præceptis: inter quæ, *Belgicas prov. sibi conciliet, & momenta causæ Navarreæ à peritis probisq; viris examinanda curet.* Ferdinandus enim Catholicus, An. 1512. Johanni Labretano Navarræ Regis regnum, prætextu negati transitus, & amicitiæ cum Ludovico XII. eripuerat: Et Carolus V. Philippo filio in mandatis quidem dederat, ut Johannem Labretanam, familiæ hæredem, sibi uxorem jungeret, hac lege, ut jus suum in Navarram Philippo conferret. Sed successu id caruit, proin Philippus II. ut dictum, monitis ad Filium, quæstionem suæ fidei à Patre secreto codicillo commendatam testatus est, verùm variis occupationibus districtum non potuisse illam satis diligenter excutere; proin filio mandavit, momenta causæ à peritis probisq; hominibus examinanda curaret, &c. Referente Becmanno *Hist. Orbis terr. cap. 1. de regno Hispan. ex Thuan. lib. 120.* Ex Elizabetha Francica, pater Isabellæ Claræ Eugeniæ, quæ postea Alberto Archiduci nupta Belgium tenuit, & Catharinæ Sabaudiæ D. ex Anna verò Maximiliani II. filia, Philippi III. successoris. Cabrera, Mariana, Turquet. *bello Hisp.* Strada *de bello Belg.* Brantomus, *vita Elizabethæ*, cum jam citatis auctoribus collati.

Philippus III. Patri successit, ex Margareta Austriaca, filia Caroli Archiduc. & Mariæ Bavaricæ, pater quatuor filiorum, & totidem filiarum: quarum maxima natu Anna, Ludovico XIII. nupsit, An. 1615. Maria autem Ferdinandi III. uxor evasit. Induciis duodecennalibus An. sec. hujus 7. initis, Turcarum classem, in mari Mediterraneo, Florentinis ac Melitensibus junctus profli-
gavit: cum Sabaudo, pro Mantuano, variâ fortunâ rem ges
Barcinonensem Comit horrendo diluvio An. 1617. vix non ami
Ferdinando II. auxiliis summissis, Palatinatum per Spinolam occ
pavit. Obiit An. 1621. æt. 43. regni 23. successit fil.

Philippus IV. qui aviam mox, mulctatis pravis Parentis co
liariis, reformavit, Casalim frustra obsedit, in Rhætia per Pon
jum Plantam, in fideles, immaniter sævit. Bellum cum Belg
mortuo Alberto & Isabellâ, per Ferdinandum fratrem infelic
continuavit. Principi Rohanio, Reformatorum in Gallia Duci,
xilia pollicitus dicitur; an hinc dissidii inter coronas scintilla, q
An. 1635. in flammam aperti belli erupit, cùm Electorem Tre
rensem, qui Gallico patrocinio tutum se credebat, infestaret. C
ptum hoc bellum variâ fortunâ, tandem pace ad Pyrenæos ini
An. 1660. & conjugio Ludovici XIV. cum Maria Teresa filia P
lippi, finem accepit: nisi quòd paulò pòst in Flandriam Galli ir
ptione factâ, plurimas urbes sui juris fecerunt: quod tamen p
Aquisgranensis quoque composuit. Rex prudens, sed par
fortunatus, amisit An. 1640. Cataloniam, & Lusitaniam: quar
illa tandem recepta, hæc sub proprio Rege hodieque floret. Pa
pòst Neapolis seditione immani exarsit, quæ & ipsa pacata; al
quoque cum Fortuna colluctatus, Obiit An. 1665. Pater Caroli
nati An. 1661. ex Maria Anna, Ferdinandi II. fil.

Philippus, Navarræ Rex, dictus Bonus & sapiens, filius Ludov
nepos Philippi Audacis Galliæ Reg. ductâ Johannâ, filiâ unicâ I
dovici X. Hutini regnum adeptus est, An. 1329. Huic Alphon
de la Cerda aliquot provincias, quæ olim ad Navarræ regnum p
tinuerant, donavit. Cum vicinis pacem coluit, ope illis con
Mauros sæpissimè latâ. Obiit, aliquot vulneribus, in obsidio
Algesiræ, in regno Granat. acceptis, Ann. 1343. ætat. 42. Pa
Caroli Mali successoris, *Philippi* Comitis Longavillani, occisi
prælio An. 1363. Ludovici, in Apulia mortui, An. 1372. &c. Vi
Morerium *in Diction. Hist.*

Duces Burgundiæ, Comites Flandriæ, Duces Sabaudiæ, &c.

Philippus I. ex prima Ducum Burgundiæ familia, qui ex R
berto Roberti Reg. filio orti, patrem habuit Eudem IV. matr
Johannam fil. Philippi Longi Reg. ob hanc Comes Artesiæ quo
Obiit ante Patrem An. 1346. Pater ex Johanna, filia Guilielmi I
noniensis, postea Johanni Galliæ Reg. nupta, *Philippi II.* qui A
successit, An. 1349. Obiitque improlis, An. 1361. Sic Burgun
ad coronam rediit. Postea Johannes Rex, *Philippo* filio Turon
Duci, qui in prælio Pictaviensi re fortissime gestâ *Audacis* elogi
meruit, Ducatum Burgundiæ concessit, qui I. ex posteriore
miliâ hoc nomine fuit. Ex Margareta, filia unica Ludovici I
Com. Flandriæ, Philippi II. Ducis Vidua, Pater Johannis succ
soris, Antonii Brabantiæ D. *Philippi*, Nivernii & Rethelii Co
qui duo in prælio Azincurtiano, obierunt, An. 1415. &c. A Car
V. Sapiente, unus ex Caroli VI. filii tutoribus declaratus, virit
Regni ususest, ad Ludovicum socerum, contra Gandavenses a
spiciis Philippi Arrevillæ insurgentes juvandum: rebellibus
Rosebecum victis, An. 1382. Biennio pòst, mortuo comite, hæ
ditionem pacavit. Dein, per Regis infirmitatem, Regens con
tutus, æmulum nactus est Ludovicum D. Aurelian. fratrem C
roli VI. Unde utriusque familiæ dissidium, Regno fatale. Ob
in Hannonia, An. 1404. ætat. 63.

Philippus II. filius Johannis, jussu Caroli VII. Gall. Reg. occi
Boni cognomentum tulit, natus An. 1395. Patri successit An. 14
Mortem Patris ulturus, Anglis præsto fuit, contra Carolum V
& VII. postea verò, cum Carolo D. Aurelian. filio Ludovici, r
conciliationem iniit. Nihilominus clam infensus Carolo VI
filium ejus Ludovicum, qui è Gallia se subduxerat, excepit hos
tio. Auctor Ordinis aurei velleris, plurimis munificentiæ spe
minibus editis, Belgii 17. provincias ferme omnes sub Imperio
uniit. Obiit Brugis, An. 1467. ætat. 72. Ex Isabella, filia Johan
Lusitaniæ Regis, pater Caroli Audacis, successoris & ultimi Bu
gundionum D. Paradin. *Annal. Burgundiæ.* Jacob. Marchant
in Comment. Flandr. Heuterus, *rerbus Burgund.* Golutus, Petr
de S. Juliano, &c.

Philippus Burgundus, Episcopus Ultrajectinus sec. 16. Legat
hic à Maximiliano I. ad Julium II. interrogantibus, post reditum
qui placuisset Roma: *Nullum locum magis placere*, respondit, *si*
scelerum fæx, (quos Curtisanos *vocant) procul istinc ablegaretur.* C
ves Rom. qui veteres nominantur, graves esse dicebat. *Sacrificoru*
Episcoporum, Cardinalium, Pontificis M. non minus impudente
quàm impurum luxum ac fastum ita execrabatur, ut affirmaret,
non dubitare, quin gentiles & Pagani, castius innocentiusq; vixeri
quàm hi. qui nunc Christiano orbi religionis leges præscribunt. Add
bat, *se vidisse Cardinales quosdam primi nominis, dum sacra reliqu*
populo & præcipuè Germanis nostris venerandæ ostenderentur, exer
linguis ac digitis in turpem modum compositis, nostrorum simplicit
insultasse. Nihil apud hoc hominum genus, præter aurum, & quæ
nominari nefas sit, sacrum esse, &c. Geratdus Noviomagus, *in vi*
ejus, Margaretæ Austriacæ dedicata, apud Lætum *Compend. Hist.*
Univers.

Philippus, Flandriæ Comes, filius Theodorici Alsati, nep
Theodorici I. Lotharingiæ Duc. Patri successit An. 1168. Aliqu
negotii cum Philippo Augusto Gall. Rege habuit, dein pace cu

tofacta, comes ipsi in Orientem fuit: Occisus in obsidione Acræ, An. 1191. Margareta soror ei successit, uxor Balduini VIII. Marchantius *in Comment. Flandr.*

Philippus I. Comes Sabaudiæ, filius Thomæ I. ab Innocentio IV. Archiep. Lugdunensis creatus, An. 1245. postea Amadeo IV. Bonifacio Rolando & Petro mortuis, Comitem Sabaudiæ, exclusis Thomæ fratris filiis, se declaravit, ductâ Adelheidâ, filiâ Ottonis II. Burgundiæ Comitis. Obiit hydropicus & improlis, Ann. 1285. Matthæus Paris. *Histor. Angl. in Henr.* 3. Paradinus & Guichenonus, *Histor. Sabaud.*

Philippus II. filius Thomæ III. princeps Achajæ, Pedemontii, &c. hoc à patruo Amadeo V. ipsi concesso. Ductâ Isabellâ Principe Achajæ & Moreæ, ex illa numerosam prolem suscepit: Variis exercitus bellis, obiit An. 1334. Iidem.

Philippus, Sabaudiæ Dux, filius quintus Ludovici V. ne ob egregias dotes majoribus natu umbram faceret, à Patre in aulam Caroli VII. Galliæ Reg. missus, postea Comes Sebusianorum à Patre factus est. Dein, cum paulo acrius se opponeret iis, quos Anna Cypria mater præter meritum evexerat, jussu Ludovici XI. Regis Galliæ in vincula conjectus, postmodum Aquitaniæ Præfecturam accepit, Eques quoque S. Michaëlis factus: Idem à Philippo Bono, Burgundiæ D. qui ad ejus liberationem non parum opis attulerat, eques quoque aurei velleris, & utriusque Burgundiæ Præfectus creatus est, Caroli VII. in expeditione Italica comes, redux Delphinatus præfecturam accepit. Post Caroli Job, Amadei mortem, jam Sabaudiæ D. Ann. 1496. ætat. 58. pepercit inimicis, Aulam celeberrimam habuit, & peculiarem curam populo, qui ipsum perdidit, An. 1497. impendit. Ex Margareta Borbonia, pater Philiberti II. & Ludovicæ, matris Francisci I. Ex Claudina verò Brossia, Caroli III. qui Philiberto II. successit, *Philippi*, qui caput fuit, familiç Nemorosiç, Genevensis & Aumaliç, &c. ut & Philibertæ, quæ Juliano Medicæo, fratri Leonis X. nupta, à Francisco I. Nemorosio Ducatu donata est, &c. Guich. *Hist. Sabaud.*

Philippus, Hassiæ Landgravius, cognom. *Magnanimus*, filius Guilielmi mortui An. 1509. ex Anna Megapolitana. A Francisco Sickingensi primò infestatus; dein An. 1525. in rusticis tumultibus, cùm sui quiescerent, proximos Buchovios compressit, tum ad Franckenhusam cladi Munezeri interfuit, suos ad fortitudinem masculâ oratione cohortatus. Evangelium amplexus Ann. 1526. Monasteria in Scholas & Xenodochia convertit, unde primordia Acad. Marpurgensis: ubi ejus auspiciis, colloquium, inter Lutherum, Melanchthonem, Zuinglium, Oecolampadium habitum est, An. 1529. Inter Smalcaldici fœderis primos auctores, Confessione cum sociis Imperatori oblatâ, peculiari fœdere sibi Tigurinos, Basileenses & Argentoratenses junxit. Ulricum Wirtembergicum, profligato ad Laufenam Austriaco præfecto Philippo Palatino, restituit, An. 1534. Ex hoc, Imperii nomine, Monasterium urbem ab Anabaptistis infessam, oppugnavit. Henricum Brunsvicensem, urbi cognomini infestum, ditione exuit, captumque cum filio An. 1545. Zigenheinæ detinuit, &c. Armis dein contra Cæsarem sumptis, cum Joh. Friderico Saxoniæ Elect. victus An. 1547. cùm Hallam ad Carolum venisset, contra fidem datam, ab Albano, jussu Cæsaris, instinctu Granvellani, qui dolo vocum *einig, & ewig* ei illuserat, detentus, sed à Mauritio genero, pulso Oeniponte Carolo, liberatus est, quinquennio pòst. Obiit A. 1567. Pater Guilielmi, &c. Vide Thuan. *Histor.*

Philippus Maria, Vicecomes Mediolanensis, filius Johannis Galeacii, fratri Johanni Mariæ successit, An. 1412. Obiit An. 1446. Jovius *Hist. Mediol. Duc.* præter jam supra memoratos,

Viri Illustres.

Philippus, Episcopus Hierosolymitanus, post Benjaminum, Euseb. *in Chron. An.* 114. Item, Pseudopapa, post Paulum I. pulsus postea, Anastas. *in vit. Pontif.* Item, Episc. Cretensis, scripsit contra Marcionem. sec. 2. Hier. *de Scr. Eccl.* Item, presbyter, Hieronymi discipulus. Scripsit in Hiobum, &c. Gennad. *Catal. Vir. Illustr.*

Philippus Albertus, Carmelita Germanus, cognom. de Nussia, loco natali, prope Francofurtum. Docuit Theologiam Parisiis & Coloniæ, scripsitq; in Canticum, in Magistrum Sent. Homilias, &c. Trithem. *de Vir. Ill. &c.*

Philippus Albinius, Anglus, Mathematicus & Philosophus insignis: edidit *Canones Tabularum, &c.* Lelandus & Pitseus; *de S. A.*

Philippus Aldegondius, vide *Marnixius.*

Philippus Alenconius, Cardin. Archiepisc. Rotomagensis, fuit filius Caroli Magnanimi, Comitis Alenconii, qui, frater Philippi Valesii, obiit in memorabili prælio ad Cresciacum, quo Galli ab Edwardo III. victi. Cum Carolo V. aliquid negotii habuit, lite paulo pòst compositâ. Vicarius Generalis status Eccles. ab Urbano VI. creatus, paulo pòst ab eodem, ne Clementis VII. partes amplecteretur, verito, dignitatibus suis exutus est. Sed à Bonifacio IX. restitutus, Obiit Romæ, An. 1397. Duchenius & Auberius *Histor. Cardin.* Moreri us, *in Dict. Hist.*

Philippus Apianus, Mathematicus insignis, docuit Ingolstadii, *sec. præt.* scriptis inclytus. Voss. *de Scient. Mathem.*

Philippus Bastonus, Carmelita Anglus, floruit An. 1320. Frater Roberti, similiter Carmelitæ, qui eruditione, pietate, scriptis celebres. Lucius, Pitseus.

Philippus Benitius, fundator Ordinis Annunciatæ, Florentinus. Obiit An. 1285. Morerius *in Dict. Hist.*

Philippus Bergomensis. vide *Jacobus Phil. Forestius.*

Philippus Beroaldus, Bononiensis, eruditione inter primos sec. 15. Humaniores literas Parisiis, Parmæ, alibi docuit. Opera ejus edita Basileæ, An. 1513. Obiit An. 1510. Pater *Philippi*, sub Leone X. Bibliothecæ Vaticanæ præfecti: quem inter illustres sui seculi poëtas collocant Lilius Gyraldus, & Erasmus, *in Ciceron.* Floridus Sabinus, *Lect. Subcisiv. lib.* 2. *cap.* 9. *&* 19. Pierius Valerianus, *de infel. liter. lib.* 1. Paul. Jovius, *elog. cap.* 51. *& lib.* 3. *de vita Leonis* X. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. Gesner *in Bibl.* Possevinus *in Appar.*

Philippus Beverlaus, Anglus, scripsit in Philosophiam Aristotelis. Pitseus, *in append.*

Philippus Boncompagnus, Cardinal. nepos Gregorii XIII. Venetiis, Henricum III. e Polonia reducem excepit, magnis negotiis adhibitus. Obiit An. 1586. ætat. 38. sub Sixto V.

Philippus, cognom. *Bonus*. Burgundiæ Dux, ejus Johannis filius, qui ad Monterellum occisus est, & multos in Franciâ motus excitavit sub regg. Carolo VI. & VII. vixitque usque ad imperium Ludovici XI. *Chron. Burgund.* Vide supra.

Philippus Bosquerius, Franciscanus. ex Hannonia, obiit, A. 1631. Opera ejus volum. 3. prodierunt. Henr. Willotus, *Athen. Franc.* Valer. Andr. *B. B.*

Philippus Brasserius, hujus popularis; Edidit *Sidera illustr. Hannoniæ Script.* An. 1637. & *Bibliothecam Hannoniæ*, An. 1639.

Philippus Bromierdus, Dominicanus Anglus, voce scriptisque inclytus, An. 1490.

Philippus Cabassolius, Episcop. Cavallonensis, purpuram accepit ab Urbano V. cum Patriarch. Hierosolymitani titulo. Ditioni Pontificiæ à Gregorio XI. præfectus, cùm Paparum sedes Avenio esset, Obiit Perusii, An. 1372. Scripsit *de Nugis Curialium*, & Homilias. Petrarchæ familiaris, Vide hujus *lib.* 2. *epist.* 1. *&* 2. *& lib.* 4. *epist.* 95. *&* 96.

Philippus Chabotius, Baro Brionius, Francisco I. gratus; ab hoc Admiralius Galliæ & exercituum in Sabaudia ac Pedemontio D. creatus est: cum illo Ticini captus, in tractatu Hispaniensi egregiam operam navavit. Massiliam strenue contra Borbonium Principem tutus, tandem Burgundiæ præfecturam accepit. Obiit An. 1543. Brantomius, *tom.* 1. *Vir. Ill.* Morer. *in Dict. Hist.*

Philippus Chambræus, Cardin. Bononiensis: gravis & eruditus, Obiit Romæ, A. 1550. Thuan. *lib.* 3. *Hist.* Duchen. *Hist. Burg. lib.* 4. Justellus, *Histor. Tur.* Auberius *Hist. Card.*

Philippus Cluverius, Gedanensis, celebris seculi hujus Geographus; descriptione veteris Germaniæ, Italiæ, Siciliæ & Introductione ad Geographiam, famam immortalem meruit. Obiit Lugduni Batav. An. 1623. ætat. 43.

Philippus Cominæus, Argentonii Dominus, gente Flander, Historicus eximius. An. ætat. 8. in Aulam Caroli Audacis transiit; mox muneribus variis adhibitus. Dein An. 1464. ad Ludovicum XI. Galliæ Reg. se applicuit, à quo magni æstimatus, & negotiis gravissimis admotus, cum Helena Chambra, ex Comitiva in Andibus familia, conjugium iniit. Variarum linguarum, Gallicæ inprimis, Germanicæ & Hispanicæ peritus, Latinæ prorsus rudis; doctos viros amavit, & ut judicio, rerum usu insigni præditus fuit, Historiam sui temporis Gallicè scripsit; complexus res gestas An. 34. sub Ludovico XI. & Carolo VIII. Dignus Philippus Alexandris, Lipsii judicio. Hanc postea in linguas varias translatam vidimus. Tandem tamen, postquam Ludovici Cubicularius, Pictavii Seneschallus aliisque muneribus amplissimis functus fuisset, proditionis accusatus, triennium in vinculis fuit: sed, ab omnibus desertus, ipsemet sui apologista auctor fuit, ut incolumis dimitteretur. Obiit in Pictonibus, Ann. 1509. ætat. 64. Pater Johannæ, Renato Britoni, Com. Penthenriæ, nuptæ. Lips. *not. ad lib.* 1. *Polit.* Marchantius *Comm. Flandr. lib.* 1. Voss. *de Hist. Lat.* Duchenius, *Hist. Castellion.* Sleidanus, &c.

Philippus Decius, Mediolanensis, JC. insignis, Pisis docuit, ibi conjugio contracto, dein Ticini Professor fuit. Concilii Pisani defensor, direptis ædibus, in Galliam se recipere coactus, biennium Avarici fuit: Valentiam dein à Ludovico XII. invitatus, Senator Parlamenti ibi factus est. In patriam tandem redux, Obiit Senis, An. 1535. ætat. 80. Opera ejus sæpè edita. Paul. Jovius, *elog. cap.* 88. Fichard. *in vit. Jurisconf.* Gesner. *in Bibl. &c.*

Philippus Eichstadius, Episcop. hujus in Bavaria urbis, pietate & scriptis inclytus, An. 1322. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2.

Philippus Ferrarius, Cardinal. Tolosanus, vel secundùm alios, Siculus, floruit An. 1394. Ab Urbano VI. variis Legationibus adhibitus, Trithem. *de Vir. Illustr.* Alegr. *in Parad. Carmel.* Alius, Geographus doctissimus, Alexandriâ oriundus, Professor regius Mathematum Ticini: Edidit An. 1605. Epitomen Geographiæ libb. 4. Dein Topographiam in Martyrologium Roman. Topographiam Poëticam, &c. Inprimis *Lexicon Geographicum*; quod An. 1627. post auctoris mortem, qui anno antè obiit, Mediolani editum, à Baudrando Paris. ingenti accessione auctum, ante paucos annos denuo prodiit.

Philippus Gezza, Dominicanus Romanus, Cardinal. ab Urbano VI. creatus est An. 1378. Præsulum sui ævi doctissimus: Scripsit

in Physicam Aristotelis. Obiit Ann. 1384. Onuphr. & Ciaccon. *in Urban.* 6.

Philippus Grevius, Cancellarius Parisiensis, eruditione claruit, Anno 1237.

Philippus Gualterus, Castellionæus, Insulis Flander, Theologus & Poeta, Ann. 1250. Scripsit *Alexandreida*, libb. 10. *Flores super Psalterium, Morale dogma Philosophorum, de Mahumeto, &c.* Henr. Gandav. *in Catal.* Sixtus Senensis *in Bibl. Sacr.* Barthius, *Adverf. lib.*22. *cap.*16. *&* 30. *lib.*1. Voss. *de Hist. & Poët. Lat.* Obiit Castellione, juxta Epitaphium ejus:

Insula me genuit, rapuit Castellio nomen,
Perstrepuit modulis Gallia tota meis.

Philippus Harvengius, cognom. *ab Eleemosyna*, Abbas in Hannonia, Ordin. Præmonstrantium, S. Bernhardi amicus. Scripsit vitam S. Augustini, &c. Commentaria in Canticum, de Clericorum dignitate, &c. Quæ omnia Duaci edita, An. 1620. Voss. *de Hist. Lat.* Val. Andr. *B. B.*

Philippus Huraldus, Cancellarius Galliæ. Filius posthumus Rodolphi, Brtonis, bello Neapolit. occisi. Postquam Pictavii literis vacasset, Historiæ postmodum se dedit, inde Parisiis Præsidis Thuani filiâ ductâ, Henrici Andii primò Cancellarius, variisque Præfecturis ornatus, postea Birago successit, An. 1578 donec An. 1588. à Rege mandato accepto, domi se continuit. Sub Henrico IV. revocatus in Aulam, ibi denuò officio suo functus est, usque ad An. 1599. quo obiit ætat. 72. Thuan. *Hist. lib.* 3. Scævola Sammart. *elog. lib.*4. & *Hist. Geneal.* Mezeray *Hist. Gall. &c.*

Philippus Kersbelius, Gandavensis, an Siculus? Carmelita, scripsit de Conceptione immaculata B Virginis, contra Vincentium de Novo Castro, Jacobinum. Obiit Lutetiæ, An. 1585.

Philippus Leidensis, Hollandus, Jus Canonicum Parisiis docuit; Principibus suis, Episc. Ultrajectino & Gregorio XI. charus. Obiit An. 1386. scripsit, *de Reipubl cura & sorte principantis*: quod Joh. Severinus edidit Lugduni Batav. An. 1516.

Philippus Lenoncurtius, Cardinal. Archiepisc. Remensis, ab Henrico III. & IV. ut & Sixto V. in pretio habitus. Obiit An. 1592. Marlot. *de Arch. Remens. &c.*

Philippus de Levis, Cardinal. Metropolitanus Eccl. Arelatensis. Obiit Romæ, An. 1475. Saxius *Pontif. Arelat. &c.*

Philippus Lucemburgicus, Cardin. magnis negotiis præfuit. Ab Alexandro VI. in Galliam missus, ad dissolvendum matrimonium Ludovici XII. cum Johanna, dein iterum sub Julio II. eodem Legatus iit. Præfuit Sedi Atrebatensi cum magna nominis fama. Obiit An. 1519, ætat. 74. Monumentum ejus intestinis bellis disjectum. Nicolaus Vignerius, *Hist. Lucemburg.* Corvaserius, *Hist. Episcop. Cœnoman.* Frizo *Gall. Purpur.* Duchenius & Auberius, *Histor. Cardinal. &c.*

Philippus Maria, Papiæ dominus, Galeatii Mediolani ducis fil. Hist. Mediolan.

Philippus Montanus, & *Montcalerius*, ille Doctor Parif. Erasmi amicitiâ inclytus: hic Franciscanus, floruit sec. 14. Ambo scriptis clari.

Philippus Mornæus, Vir tam pacis quàm belli artibus clarissimus, è Plessiaca familia. Scriptis publicis, de Ecclesia, optimè meritus, inter quæ *Mysterium Iniquitatis: de Eucharistia, &c.* qui postremus liber, linguâ vernaculâ scriptus, cùm, ob styli elegantiam, per omnium volitaret manus, Theologi Pontificii periculum veriti, passim in concionibus in eum invehebantur. Hinc cum collatione institutâ, Rege præsente ac Proceribus, David Perronius Episc. Ebroicensis, quædam falsò, quædam verbis truncatis, in illo, ex Patribus & Scholasticis allegata, à Mornæo, contenderet, An. 1600. hic sibi à Perronio editionibus castratis ac mutatis impositum conquestus, libello edito causam defendit. Henrico IV. Regi, à quo Salmurio Præfectus datus, charissimus fuit. Vide Thuan. *Hist. lib.* 23. Petr. Matth. *in Henr.*4. Isacum Casaubonum *in Epist. &c.*

Philippus Nerius, Fundator Presbyterorum Oratorii, in Italia: Florentinus: Oration adeò intentus, ut sæpe quadraginta horas in ea continuaret. Obiit An. 1595. æt. 80. Inter SS. relatus à Gregorio XV An. 1622. Anton. Galenus, *in eius vita.*

Philippus Parisiensis, priscus Poëta Gallus, An. 1260.

Philippus Portius, Carnutensis, Abbas: Henrici Andii gratiâ florens, eum in Poloniam secutus est, reducemque ad Patrium regnum capessendum iterum deduxit. Eo mortuo, in Normanniam se recepit, in qua sub obsequium Henrici IV. redigenda, non parum laboravit. Poëta Gallus insignis, scripsit poëmata varia, quæ uno volumine edita, cum versione Gallica Psalmorum Davidis. Modestiâ inter primos sui seculi, ut qui Archiepisc. quoque Burdigalensem recusare ausus est. Obiit An. 1606. ætat. 61. Sammart. *elog. lib.*5. *&c.*

Philippus Ribbetius, Provincialis Carmelitarum, in Catalonia, Obiit An 1391. Scripsit varia. Trithem. *de Vir. Illustr.* Luc. *Bibl. Carm.* Vossius, &c.

Philippus Sidetes, Sidâ Pamphyliæ oriundus, sub Theodosio: Chrysostomi familiaritate illustris. Scripsit Historiam Christianam libb. 24. Socr. *Hist. lib.*7. *cap.*27. Niceph. Calixt. *lib.*14. *c.*29. Phot. *Cod.*35. Andr. Schottus, *not. ad Phot.* Voss. *Hist. Pel. lib.*1. *cap.*38. *& de Hist. Gr. lib.*2. *cap.*20.

Philippus Strozza, filius Petri, Mareschallus Galliæ, natus Venetiis, Ann. 1541. an. ætat. 7. in Galliam missus est, ut ibi literas & arma tractare disceret. An. 15 ætatis, sub Carolo Cossæo meruit. Dein Caleti expugnationi, &c. interfuit: post Andelotii mortem Præfecturâ donatus pediatus Gallici. Ab Henrico III. Sancti Spiritus eques creatus, pauloque post, cum classe in Lusitaniam, Antonium adjutum missus est; Ab Hispanis, in quorum manus incidit, contra militiæ jura necatus, Ann. 1582 Brantom, *Commentar. lib.*4. Avila, *bell. Civil Gall.* Mezeræus *Hist. Gall.*

Philippus Villerius, ex nobili familia de Insula Adami, Gallus, M. Magister Ordin. Melitensis, Ann. 1521. quem honorem ei invidens Andreas Amaratus Lusitanus, Rhodi amittendæ occasionem præbuit. Cùm enim Solimannus An. 1522. illâ frustra aliquandiu oppugnatâ, jam re infectâ discedere pararet, Amarati Cancellarii & Judæi Mediti monitu, in obsidione perstetit. Sic Magister, deditionem facere coactus, tanto in honore apud victorem fuit, ut benignissimè ab ipso exceptus, rogaretur secum manere. Sed frustra, Villerius inde in Cretam, & Siciliam nave, cujus velo unico inscriptum, *Afflictis spes unica rebus*, delatus, Viterbium tandem pervenit, quod oppidum ipsi donatum est à Clemente VII. Melitâ dein à Carolo V. Equitibus concessâ, illuc profectus, An. 1530. Obiit An. 1534. æt. 70 Jacob. Bossius, Petrus Boissatus, & Joh. Balduinus, *Histor. Melit. lib* 18. 19. *& seqq.* Bellorarius, *lib.*17. Jac. Borbonius, *de Obsidione Rhodi.* Spond. *in Annalib.*

Philippus Vitriacensis, Poëta Gallus, Episcopus Meldensis. Metamorphoses Ovidii Gallicè vertit, in gratiam Johannæ Borboniæ, uxoris Caroli Quinti. Obiit Anno 1351. Morerius *in Diction Histor.*

Philippus Wielanus, nobilis Belga, amplissimis sub Philippo I. muneribus functus; Scripsit Historiam Flandriæ, &c. Obiit A. 1519. Vide Valer. Andr. *B. B.* Sander. *lib* 3. *de Gand Scr.* Voss. *de Hist. Lat. lib.*3. *cap* 10. Philipp. Labbeum, *de Phil. &c.*

Philiscum, opp. Parthorum ad Euphratem, non procul à Damasceno campo, Plin.

Philiscus, Atheniensium Tyrannus, Olymp. 23. Item cælator egregius, qui Venerem in Octaviæ porticu, item Latonam, Dianam, Musas novem & Apollinem nudum insculpsit. Item alius, de quo Dion s epitome *in Pompejo*: Κικέρωνα φυγόντα εἰς Μακεδονίαν Φιλισκός τις ἐξ Ἀθηνῶν αὐτῷ γενόμενος γνώριμος, φιλοσόφοις λόγοις παρεμυθήσατο.

Philiscus, Comicus Græcus, auctor fabularum quarundam, Suid. Alius, dictus *Agrius*, quia de Apibus scripsit, ruri semper versatus, Plin. *lib.*11. *cap.* 9.

Philiscus, ab Artaxerxe Persarum rege, missus, ad Græcos, de communi inter se pace ineundâ. Re, propter Thebanos consentire propositis conditionibus nolentes, irritâ, rediit in Asiam, bis mille mercenariis apud Lacedæmonios relictis, mercede jam persolutâ. Diod. 15. 494. *p.* Olymp. 102. An. 4.

Philistæi, *Philistiim*, sive *Philistini*, populi Judæis finitimi, à Mesraim filio Cham progeniti, regionem inferiorem ad mare mediterraneum, quæ rectiùs *Philistina* dicitur, à Castro peregrinorum, seu Dor aut Cæsarea Palæstinæ, vel turre Stratonis usque ad Gazam aut torrentem Ægypti possederunt, est in tribu Dan. Vide *Phylistiim.*

Philistides, Geographicum tractavit argumentum; Plinius *libr.* 4. *cap.* 12.

Philistina Fossa, quod alii *Tartarum* vocant, inquit Plinius, unum ex Padi ostiis. *Fossena* Leandro, & C. Fabricio. Tartari fluvii etiam Tacitus meminit. Nunc *Po grande*, ramus præcipuus Padi, versus ejus ostium, in quem influit Tartarus, in loco *la Fuosa*; idcirco Tartarum ostium Padi dictum fuit etiam, quod antea *Porto delle Fornaci*; nunc *Porto Viero*, eò quòd Veneti fossam perduxerunt ad Portum Vierum, aliquanto magis ad Austr. ostium verò *Porto delle Fornaci* obturarunt, Baudr.

Philistion, Nicæus, poëta Comicus, Socratis ætate, nimio risu mortuus est. Euseb. *in Chron.* Olymp. 196. Ann. 3. Epiphan. *de Manich.* Marcellin. *Chron.* Sidon. Apollin. *lib.* 2. *ep.* 2. Item Locrensis medicus, Gell. 17. 12. De priore Martialis 2. 41.

Mimos ridiculi Philistionis.

Philistion, Magnesius, Poëta Comicus, floruit Romæ, post Horatium paulo. Inventor Mimorum, juxta Cassiodorum. An idem cum præcedente? Vide ibi. Plurimi certè utrumque distinguunt.

Philistius, Milesius, Musicæ primùm operam dedit, evasitque clarissimus tibicen. Ad oratoriam demum conversus, auditor fuit Isocratis. Alius Syrarusanus, historiographus, propinquus Dionysii tyranni, posteà ab hoc in exilium pulsus, quòd illo inscio Leptinis fratris filiam sibi junxisset. In exilio scripsit res Siculas libris 12. qui liber à priscis impensè laudatur. Dein sub Dionysio jun. revocatus, classe comparatâ illum contra Syracusanos, à quibus pulsus erat, defensurus, victoriâ excidit: quare sibi ipsi necem conscivit Diod. *lib.*16. Plut. *in Dione.* Joseph. *lib.*1. *contr. Appion* Voss. *de Hist. Gr. lib.*1. *cap.*6.

Philix, nutrix Domitiani Imper. Sueton.

Phillis, Delius, περὶ αὐλητῶν Athenæo citatur, *lib.*14.

Phillis

Phyllis, Thraciæ reg. Pangæo monti circumjecta, *Phyllis* Stephano dicitur.

Philyra, mater Chironis Centauri, à quâ Chiron *Phillyrides* dictus est, teste Servio *in lib.3. Georg.*

Philo, is fuit, qui ex Proserpinâ filiâ, quam in balneis conspexerat; sustulisse creditur Mercurium: quem cùm vellet exponere, consuluit mathematicum quendam, à quo hoc accepit responsum, puerum futurum maximum rerum divinarum interpretem: quo nomine eum servavit ac diligenter educavit. Hic Mercurius *Hermes Trismegistus* vulgò vocatur.

Philo, scriptor Eratosthene antiquior, literis prodidit navigationem in Æthiopiam, Strab. *libr.2.* Non dubium autem, quin Antigonus Carystius hunc ipsum Philonem signet *Histor. Mirab. cap.160.* At non æquè apertum est, idemne, an alius *Philo* signetur à Josepho *libr. 1. contra Apionem*: saltem *Philo* Byblius esse nequit; qui Josepho junior fuit. Fuit & *Philo* Thebanus, quo Plutarchus teste utitur, *in Alexandro.* Item *Philo* Metapontinus, tibicen & Poëta. Stephanus in Μεταπόντιον. Vitruvius alterius ejusdem meminit, *in Præfat. lib.7.* Item *Philo*, qui librum scripsit de armamentario Athenis à se extructo, opere planè admirando; quod à Syllâ fuisse incensum Plutarchus testatur, *in Sylla*, & Appian. *de bello Mithridatico.* Idem fortè *Philo* est, qui de machinis scripsit, Tzetzæ memoratus *Chil.2. Hist.35.* Fuit etiam *Philo* Heracleota, cujus de rebus mirabilibus librum citavit, Porphyrius *libr.* περὶ Στυγὸς; atque inde fortasse sunt miranda illa, quæ de Galli Gallinacei, graculi, & apum amore erga hominem ex Philone prodit Ælianus *lib.12. cap.37.* Fuit præterea *Philo* Philosophus, cujus historiam Ecclesiasticam, *in Annalibus suis*, laudat Michaël Glycas, Constantin. Porphyrog. *de Them. Occ. cap. 9.* Vossius *de Histor. Græc. lib.2.3.4.* Leo Allat. *de Philonibus.* Alius præterea est *Philo* Byzantius, qui de 7. orbis miraculis scripsit, quem debemus U. C. Leoni Allatio, qui eundem edidit, scholiisque doctis illustravit Romæ, An. D. 1640.

Philo, Academicus, Clitomachi discipulus, Romæ profitebatur; quò profugerat Mithridatico bello, atque à Cicerone cultus est.

Philo, Judæus, Alexandriæ natus, disciplinisque omnibus eruditus, in nostrâ & Græcorum philosophiâ benè versatus, eloquentiæ Platonis adeò æmulator, ut proverbium fuerit: *Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat.* In divinis autem legibus & patriis institutis, quantus fuerit, ex his quæ nobis librorum suorum tradidit monimentis, palam est, sec. 1. Temporibus Caji Cæsaris, quanta acciderent Judæis mala, descripsit, ubi & suam legationem pro Judæis apud ipsum Imperatorem retulit. Sub Claudio, iterum Romam profectus, cum Christianis ibi contulisse, inque horum gratiam tam benignè de S. Marci discipulis, quos Alexandriæ habebat, sensisse creditur. Opera ejus ultimò Parisiis prodierunt, An. 1640. cum versione Sigismundi Gelenii, &c. Dividuntur in 3. partes: quarum 1. *Cosmopoëtica*, 2. *Historica*, 3. *Juridica, seu Legalia* continet. Vide plura de eo apud Joseph. *Antiq. lib.18. c.10.* Clem. *1. Strom.* Euseb. *Hist. lib. 2 cap.18. lib.7. Præp. Evang. & in Chron. An. Chr. 34. 37. 39.* Hieron. *in Catal. Prol. in Marc. &c.* Phot. *Cod.* 103. 104. 105. Epiphan. Augustin. Oros. Rufinum, Isidorum, Theodoret. Suidam, Niceph. Trithem. Petavium, & Vossium *de Hist. Græc. pag.* 191.

Philo Carpathius, Episcop. ab Epiphanio ordinatus, sub finem sec. 4. Commentatus est in Canticum Cantic. Vertit Stephanus Salvacius, Suid. *in Lex.* Bellarm. *de Scr. Eccl.* Possevin. *in appar.*

Philo Herennius; Byblius genere, grammaticus tempore Adriani Imp. de cujus imperio scripsit, & multa alia. Vide Suid. Sixtum Sen. Miræum: inprimis autem Voss. *de Hist. Gr. lib.2. cap.*10.

Philo, statuarius, Hephæstionem expressit, Tatianus.

Philobœotus, mons Bœotiæ in Elaticis campis. Plut. *in Sylla.*

Philocalia, castellum in Themiscyrenâ, non procul a Tripoli fluvio & castello, Plin. 6. 4.

Philocandrus, insula Cycladum, Ptolemæo. Vide *Pholegandrus.* Baudrando *Policandro*, insula parva maris Ægæi, 20. m. p. à Milo Ins. in Ort. 55. à Creta in Bor.

Philochorus, Atheniensis, vir doctissimus & vates tempore Eratosthenis, extinctus insidiis Antigoni Macedoniæ regis ob amicitiæ suspicionem cum Ptolemæo rege. Scripsit Atthidis libros 17. qui continent res gestas Atheniensium, & reges, & magistratus, usque ad Antiochum cognominatum *Deum*, aliaque complura, Suidas. Ejus sextum laudant, Scholia *in Aristoph. Ranas, Act.1. Sc.5.* Vide ibid. *Act.3. Sc.1.* Fuit Cycni fil. ἱεροσκόπος.

Philocles, Archon Athenis, Olympiad. 97. An. 1. Item Olymp. 114. An. 3.

Philocles, Atheniensis, poëta Tragicus, non ita multo post Euripidem, Æschyli ex sorore nepos, ab iracundiæ vitio *Bilis* appellatus. Vel etiam Ἁλμίων, ab ἅλμη, salsâ amarugo. Patrem habuit Philopithem. Facie fuit imprimis fœdâ, capiteq; in cristæ formam acuminato. Unde *Corydus* dictus. Scripsit fabulas centum, reliquit quoque filios nomine Philippum & Morsimum, & ipsos Poëtas Tragicos, Suidas.

Philocles, Carcini filius, de quo Scholiast. in Aristophan. *Crabr. & Aves.*

Philocles, Ptolemæi Dux, qui Caunum, corruptis annonæ præfectis, redegit in potestatem, Polyæn. *lib.3. in fine.* Alii codices habent *Diocles.*

Philocles, Poëta Comicus. Vide de aliis Philoclesi, Scholia *in Aristophanis Aves pag.* 554. Item *pag.* 601. 602.

Philocrates, Athenis quidam, qui questum avibus exercebat, de quo Aristoph. *in Avibus.*

Philocrates, vir Atheniensis, proditionis notâ infamis apud Demosthenem. Alius ejus nominis edidit Θετταλικά, quorum *lib. 2.* citat Athenæus *lib. 6.*

Philocrene, Bithyniæ oppidum apud Gregoram, circa Nicæam videtur.

Philoctemon, luxuriosus quidam Athenis, qui continuò agitabat convivia. Vide Aristophanem *in Crabronibus*, & *Scholiastem pag.* 520. E.

Philoctetes, Pæantis filius, comes Herculis, cui idem moriens in Oetâ monte mandavit, ne corporis sui reliquias cuiquam indicaret: idque jurare eum adegit, deditque pro munere pharetram & sagittas Hydræ felle intinctas. Quare cùm postea Delphicò oraculo moniti essent Græci, ad evertendam Trojam, sagittis Herculis opus esse, inventus Philoctetes, & de Hercule interrogatus, negavit primùm se scire, quid illi accidisset: cùm verò illi vehementius urgerent, tandem mortuum esse confessus est: cumque illi instarent, ut sepulchrum ejus sibi indicaret, ne jusjurandum violaret, ictu pedis locum ostendit. Posthæc, cùm ad bellum Trojanum duceretur, quòd ipse solus Lernæis sagittis uti posset, unius sagittæ casu, in pede, quo Herculis tumulum monstraverat, vulnere penè immedicabili affectus est; cujus fœtor, cùm à Græcis ferri non posset, in Lemno relictus est. Verùm, occiso Achille, Ulysses in Lemnum regressus, ad Trojam illum reduxit, ubi & Pariden, singulari certamine ab eo provocatus, sagittis interfecit. Eversâ autem Trojâ, pudore, ne in patriam æger rediret, impeditus, in Calabriam venit, ibique Petiliam condidit, tandem verò operâ Machaonis medici sanatus est. Porro Philoctetem hydro morsum ajunt Sophocles & Lycophron. Theocritus, *in Arâ*, addit hoc ei contigisse, dum contemplaretur sepulchrum Troili, ab Achille occisi, quòd in templo Apollinis Thymbræi erat. Vide Ovid. *Metam.* Natalem Com. &c. Prop. *lib. 2.*

Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon.

Ovid. *Trist. 5. eleg. 2.*

Penè decem totis aluit Pæantius annis
Pestiferum tumido vulnus ab angue datum.

Fabulam narrat Servius, *ad illud Æn. 3.*

Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Argonautam facit Valer. Flacc. *lib. 1.*

Tu quoq; Phryxeos remo Pæantie Colchos
Bis Lemnon visure petis, nunc cuspide patris
Inclytus, Herculeas olim moture sagittas.

Philodemus, περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ Σμινθίων Athenæo memoratur, *lib. 10.* Haud scio, an alius à Philodemo Epicuro, natione Gadarensi, qui à Strabone *lib. 16.* inter celebres Gadaræ viros memoratur. Is Poëta fuit, vixitque Ciceronis ætate, à quo memoratur, *in Pisonem.* Ubi sic Ascon. Pedianus, *Philodemum significat, qui fuit Epicureus, illâ ætate nobilissimus, cujus & poëmata sunt.* Lil. Gyraldus suspicatur eundem, quem nominat Horatius *Serm. 1. Sat. 3. Gallus hanc Philodemus ait* Vide Lil. Gyrald. *Dial. de Poëtis*, & Gassend. *in vita Epicuri lib. 2. cap. 6.*

Philodemus, Fullo primùm, dein Poëta Comicus; quem Aristophanes sæpe ridet; Athenæo quoque memoratur.

Philodocus, secundus ex illis, quos Lacedæmonii Rhodum, ad sedandam factionem Atheniensium, quæ ibi recrudescebat, miserunt. Olymp. 97. An. 2.

Philogelos, non puto verum nomen fuit, sed fictum, nempe se ita vocavit, quia lib. suo ridiculas esset narrationes complexus. Unam earum refert Tzetzes *Chil. 8. Hist.* 150.

Philogonus, Antiochensis Episcopus, An. Dom. 318 post Vitalem. Operam dedit, ut reliquiæ incendii, persecutione Diocletianæâ excitati, abolerentur, fortiterque Licinii quoque furore tolerato, Confessoris nomen meruit. Nascenti Arianismo in sua diœcesi obnixus strenuè, ab Ario multis injuriis est affectus, Obiit An. 324. Successit S. Eustathius. Theodoret. *lib. 1. cap. 2. & 6.* Baron. *in Annal.* Hermantius, *in vita Athanasii.*

Philolaus, Crotoniates, Pythagoricus quidam philosophus, cujus tres libb. Plato, cùm tenui admodum esset pecuniâ, decem millibus denariûm mercatus est, quod pretium à Dione Syracusano acceperat. Omnia Harmoniâ & Necessitate fieri docuit, terramq; circulariter moveri credidit: Demetrius quoq; eum primum de natura rerum scripsisse refert. Hic cùm aliquem discipulorum è vinculis liberare vellet, unum librorum suorum Dionysio tyranno obtulit, quem hic Platoni tradidit, iste autem illo ad Timæum suum conficiendum usus est. Alii addunt, Platonem ab amicis, ejus scripta redemisse, illum verò tyrannidis in patria affectatæ accusatum, animi mœrore diem obiisse. Diog. Laërt. *l.8.* Alius Corinthius, qui Thebanis leges dedit, ex familia Bacchiadum, amicus Dioclis, qui Olympia vicit: sed ubi ille civitatem deseruit, commotus, ob amorem matris Alcinoæ, Thebas migravit, atque ibi ambo defuncti sunt.

Habitavit igitur ob hujusmodi causam apud Thebanos, legesque illis descripsit, & de aliis quibusdam, & de sobole procreandâ, quas illi proletarias vocant. Et hoc præcipue ab illo provisum, ut numerus hæreditatum conservetur. Aristoteles 2. *Politic. cap. ultimo.*

Philologus, nomen viri, Rom. 16.

Philombrotus, Archon Atheniensis Olymp. 46. cujus anno secundo Pediæi, Diacrii & Patalii, seditionem novam propter æris alieni, quo demersi erant, magnitudinem, Athenis excitarunt; cui malo, cùm finis nullus appareret, Soloni, civi Atheniensi seditio componenda, & Respubl. novis legibus constringenda, commissa est, Plutarch.

Philomedes Lampreus, Nicanore Piræeo imminente, cùm plebiscitum fecisset, ut Athenienses omnes arma caperent & Phocioni Imperatori parerent, à Phocione id neglectum est.

Philomedus, Phocensibus, qui à Thebanis ac Thessalis bello petebantur, promittens, se bellum feliciter confecturum, cùm Dux esset creatus, prætextu belli mercenarios collegit, affatimque sacris pecuniis ad eam rem abusus, Ducatum belli convertit in Tyrannidem. Polyæn. *libr.* 5. Fotte rectius legitur *Philomelus*. Vide *ibi.*

Philomela, Pandionis Atheniensium regis filia, quam Tereus, Thraciæ rex, qui Prognem sororem ejus uxorem duxerat, visendæ sororis prætextu, à patre abductam, in itinere violavit, & ne flagitium cuiquam indicaret, linguam ei præcidit, arctissimæque custodiæ eam inclusit. Verùm illa (uti erat lanificii peritissima) rem omnem, quo gesta erat ordine, in telâ depinxit; eamque per famulam ad Prognem misit: quæ quamvis sororis injuriâ gravissimè commota, ultionem tamen in Orgiorum tempus distulit, quo tempore magnâ mulierum catervâ comitata, thyrsisque & pellibus instructa, sororem carceri eripit, & in regiam perducit, ubi communicato cum illa consilio, Itym filium suum jugulat, patrique comedendum apponit: illoque epulis tam nefandis jam satiato, sub finem cœnæ pueri caput in convivium affert. Quo agnito, Tereus furore percitus, cum stricto gladio uxorem insequitur, in upupam commutatur, etiam nunc cristam militarem in capite gerentem. Progne autem in hirundinem, Itys verò in Phasianum, indè in Phassam, φάσσα. Servius Danielis. Philomela denique in Lusciniam, etiam hodie de Terei injuria suavissimo cantu conquerentem. Qui fabulam hanc fabulam, ad cantûs harmoniam, & sonorum, qui ex avibus audiuntur, varietatem referunt. Alii ad mores, & dicunt hanc fabulam docere, cohibendos esse effrænatos animi motus, quibus homines ad furorem compelluntur. Impetus autem Venereus, & vindictæ cupiditas reddunt homines insigniter immanes. Ac tyrannus libidinum sordibus inquinatus, rectè fingitur in upupam commutatus. Vide *Tereus*, Meursium *de Reg. Athen. ubi de Pandione.* & Ovid. *Metam. lib.* 6. Martialis 14 75.

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Virgilius Georg 4.

Qualis populeâ mœrens Philomela sub umbrâ
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit, at illa
Flet noctem, ramoq; sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.

Vix credas (inquit Ludovicus de la Cerda) ut ingenia Poëtarum aspiraverint ad gloriam hâc comparatione: adeò sæpè illam advocant. Ab uno Sophocle septies assumitur, semel *in Ajace*, semel *in Antigone*, bis *in Trachiniis*, ter *in Electrâ*. Ab Homero bis *Odyss.* 16. & 19. Eam usurpat Euripides *in Phœnissis*, Qu. Calaber *libr.* 12. & 7. Oppianus 1. *Halieut.* & 5. Moschus *epitaphio Bionis*, Callimachus *in lavacro Palladis*, Nonnus *Bassaricôn secundo.* Ἀδέσποτος quidam Anthologiæ *libro tertio.* Usi sunt etiam eâdem comparatione Latini, quorum versus apponam. Catullus *ad Ortalum:*

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias, assumpti fata gemens Ityli.

Ovidius *Fast.* 5.

Quacunq; ingreditur, miseris loca cuncta querelis
Implet, ut amissum cùm gemit ales Ityn.

Et *in Epistol.*

Quin etiam rami positis lugere videntur
Frondibus, & nullæ dulce queruntur aves.
Sola virum non ulta piè mœstissima mater
Concinit, Ismarium Daulias ales Ityn.

Pedo Albinovanus *de morte Drusi:*

Talis, in umbrosis mitis nunc denique sylvis,
Deflet Threicium Daulias ales Ityn.
Halcyonum tales, ventosa per æquora, questus
Ad surdas tenui voce sonantur aquas.

Sen. *in Hercul. Oet.*

—— —— *Fugit vultus*
Philomela suos, natumq; sonat
Flebilis Ityn.

Octavia apud eundem secum loquens:

—— —— *Repete assuetos*
Jam tibi questus, atq; æquoreas
Vince Halcyonas, vince & volucres
Pandionias. —— ——

Papinius 9. *Thebaidos*, Halcyones tantùm memorat:

Fluctivagam sic sæpe domum, madidosq; penates
Halcyone deserta gemit, cùm pignora sævus
Auster, & algentes rapuit Thetis invida nidos.

Philomelium, urbs magnæ Phrygiæ, Strab. *lib.* 12. versus cor Galatiæ Austr. & Fontes Mæandri, 4. m. p. ab Apamea in Bor à Peltis in Ort. Gentile *Philomeleus.*

Philomelus, Phocensium dux, templum Delphicum occupa Locrenses vicit. Dein, sociis ejus à Locrensibus & Thebanis peratis, ipse à Bœotis, in loco arboribus denso, circumventu in rupe quadam conclusus, obstructo exitu, se ipse præcipi dedit, ne in hostium manus veniret, Olymp. 106. An 3. Et unum erat ex tribus mortis sacrilegis destinatæ generibus. *Pl meli* meminit Justinus *lib.* 8. *cap.* 1. Item Pausan. *in Phoc.* Dio *lib.* 16. &c. Apud Polyænum verò *lib.* 5. malè appellatur Φιλο δ@ pro Φιλόμηλ@.

Philomelus, apud Martialem ponitur, pro ditissimo citharœ *lib.* 4. *epigr.* 5.

—— *Nunquam sic Philomelus eris.*

Idem *lib.* 3. *ep.* 31.

Plus habuit Didymus; plus Philomelus habet.

Philomenes, Paphlagonum rex, à quo insequentes principes gnomen sumpserunt, Alex. ab Alex. *lib.* 1. *cap.* 1.

Philomolphus, Asiæ min. opp. Nicetas.

Philon Ænian, à Græcis in Asia ab Alexandro constitutis, excessum ejus defectionem agitantibus, Dux electus, de quo v Diodor *lib.* 18.

Philon, medicus nobilis, qui cùm medicamenta quædam medendi usum exquisitissimè concinnaret, & egregias quasd Alexipharmacas facultates, eas Deorum manus appellabat, ve divinas & salutares. Cæl. Rhod. 16. 10.

Philon Phocensis, pecunias sacras administravit, quarum c rationem reddere non posset, sacrilegii damnatus est, & ulti cruciatibus affectus, animam efflavit, Olymp. 108. An. 2.

Philon, Phricodemi Tyranni filius, Polyæn. *lib.* 8.

Philonides, Melitensis quispiam, aliis Meliti filius, qui quia prægrandi corpore, cæterùm adeò insulsus & indoctus, ut Pl lius eum è Camelo, Theopompus Aphrodisius & al nuro matre asinâ natum dixerint: Hinc abiit in proverbium, *Indol Philonidis.*

Philonius, portus Corsicæ, Ptol. *Porto vecchio* hodie Leandr Nigro. Aliis *Porto Favone*, Favonii portus. Vide ibi.

Philonomia, Nyctimi & Arcadiæ filia, dum in venationibus c Diana versaretur, in Martem incidit, qui, sumptâ pastoris for gravidam puellam effecit. Ea verò gemellos enixa, patris m in Erymanthum ejecit infantes, qui Deorum providentiâ illa delati ad cavam quandam quercum dicuntur, ubi cùm lupa qu dam lustra haberet, propriis abjectis in fluentum catulis, inf tibus ubera præbuit, quod quidam Telephus pastor conspic susceptos pueros educavit, ut suos Et alterum quidem Lycastu alterum verò Parrhasium appellavit. Hi deinde Arcadiæ regn successione consecuti sunt.

Philonomus, & Callias, fratres Catanenses. Stobæus, *ex Æl no*, refert, flammas incendii ex Ætnâ erumpentes miraculosè c fisse duobus filiis in humeros sublatos parentes senes efferentib Verba adscribam: Περὶ τῆς φιλαδελφίας. Ο᾽λυμπιάδι φασὶ τῶν A ... , ὅτι καὶ Φιλόνομ@ καὶ Καλλίας οἱ Καταναῖοι τοὺς ... πατέρας ἀράμενοι, ... τῆς φλογὸς ... ... τῆς εἰς τὸ ... Τὸ ... ...

Philonus, pagus in Ægypto inter Nilum & sin. Arabicum, Str Pentapoleos reg. vicus in Africâ, Ptolem.

Philophron, 5000. militum Pelusii, in præsidio collocatoru contra ingruentes Persas, Præfectus, Diod. *lib.* 16.

Philopœmen, Megalopolitanus, Dux Achæorum præstanti mus, Lacedæmonios, & Messenios multis cladibus afflixit. F tis & eruditus, Græcorum ultimus. Fuerat discipulus Ecdemi Diophanti Philosophi. Primum fortitudinis specimen edidit expugnatione Patriæ, quam Cleomenes Spartanorum R. occup verat. Dein Antigonum Tutorem, Achæorum hypetaspiste sequutus, in Sparta occupanda, utilem ei navavit operam: Vic postea prope Messenam, in Peloponneso, contra Ætolos, Rom norum fœderatos. Paulo pòst, prope Mantineam, Machanida tyrannum Lacedæmoniorum in pugna interemit. A Nabide h jus successore mari victus, mox terrâ refudit cladem: cùm i superato Spartam captam mœnibus nudavit, abrogatisque L curgi legibus Spartanos Achæis subjecit. Captus Olymp. 149. Democrate Messeniorum tyranno, neci datus est. Plutarchus, *ejus vita.* Polyb. Liv. &c.

Philoponus Johannes, Hæresiarcha. Grammaticus celebris Al xandr. An. 535. Constantinopoli contra Severum & Proclum, fid hostes, scripsit, sed in Tritheit. hæresin prolapsus: Resurrectione

scrip

scripto negavit, Concilio quoque Chalcedonensi rejecto: eadem enim numero corpora tum resuscitatum iri, cum Origene inficiatus est: A Leontio Monacho, Ephremo, & Georgio Pisida egregiè refutatus. Phot. *cod.* 21. 43. 55. 75. 215. & 240. Suid. Niceph. *lib.* 18. *cap.* 47. *&* 48. *&c.*

Philos, ins. contra Persidem non procul à Casandrâ. Plin. 6. 25. Baudrando Ins. sinus Persici, prope Persidem. Scribitur etiam *Phyles*.

Philostephanus, Cyrenæus, historicus, Callimachi familiaris, floruit sub Ptolomæo Philadelpho. Scripsit de fluviis, rebus Epiroticis, Cypriis &c: V. Athen. *lib.* 7. *&* 8. Plut. *in Lycurgo*. Clem. 1. *Strom.* Possev. *in app.* Gesner. *in Bibl.* Vossium *de Hist. Gr. l.* 1. *c.* 15.

Philostorgius, Cappadox; Fil. Carterii ex Eulampia, sub Valentiniano & Valente natus, Ann. 367. sub Theodosio Juniore, Ecclesiasticæ historiæ libros edidit 12 pro 12. literis, quas habemus in nomine ejus; Opus antiquitatis multa egregia referans. Stylo usus fuit satis eleganti, sed undique erga Aetianæ seu Eunomianæ sectæ homines amorem, erga Catholicos, Athanasium inprimis, odium prodidit. Poëticum magis quàm historicum ejus stylum esse, Photius judicat, qui eum in epitomen redegit, à Jac. Godofredo editam. Nicephorus Calixtus, ex hoc Philostorgio, quem *Deo invisum* vocat, multa in Historiam suam transtulit. Eidem liber contra Porphyrium attribuitur. Phot. *cod.* 40. Godofr. *in vita & Proleg. &c.* Vide plura de eo apud Vossium *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 21.

Philostratus, Atheniensis quidam Leno, & cultus in vestitu nimium studiosus. Aristoph. *Equit.* 1. V. Scholia *p.* 350. *F.*

Philostratus Lemnius, temporibus Severi Imp. ejusque uxoris Juliæ, epistolarum magister, ut ipse planè monstrat, *in vitâ Apollonii Tyanei*; scripsit vitas Sophistarum ad Severum, de vitâ Apollonii libros 8. Juliæ hortatu, prætere Heroica, quæ hodie extant, Dictionarium, &c.

Philostratus, hujus pater Athenis docuit Neronis, an Vespasiani & Titi tempore: scripsit Panegyricos, plures ac declamationes oratoribus valde probatas, compluraque alia, quæ è Suida commemorantur.

Philostratus, tertius, superioris filius, docuit Athenis; Sub Macrino & Heliogabalo. Scripsit Panathenaicum, Trojam, paraphrasin Homeri clypei. Iconas huic multi referunt. Ejus nominis & quartus fuit, Ægyptius, Philosophus & Sophista. Suid. Phot. *cod.* 44. 150. 241. Vide Vossium *lib.* 2. *c.* 15. *de Hist. Gr. p.* 234. *&c.*

Philotas, Parmenionis fil. conjurationis in Regem insimulatus, cùm tormentis impar esset, crimen fassus, & ab exercitu, signo dato, more patrio lapidibus obrutus est. Curt. *lib.* 6. *cap.* 11.

Philotas Angæus, tertium locum, inter Chiliarchas, præmium fortitudinis ab Alexandro Magno, cùm in Sattrapene moraretur, militum teste militum turbâ. Curt. V. 10. Forsan is est, quem Diodorus scribit *libr.* 17. fuisse Cadmeæ præfectum: atque eidem attributam Phrygiam Hellesponto adjacentem *lib* 8.

Philotas, è Puerorum nobilium cohorte Alexandri Magni, conjurationis Hermolao in regem particeps. Curt. 8. 33.

Philotas; unus ex comitibus Alex. Magni, cui post ejus mortem Ciliciæ regnum sorte obtigit.

Philotera, mater Milonis, percussoris Deidamiæ, à filio interfecta. Polyæn. *cap.* 8.

Philotera, urbs juxta Troglodyticam à Satyro condita, Apollodorus *Philoteridem* vocat. Est etiam *Philotera* Cœlesyriæ. Vide Stephan.

Philoteris, civitas in litore sinus Arabici, aliàs *Arsinoe* dicta. Stephanus.

Philotimus, Ciceronis libertus, ut ipse scribit *Epist. lib.* 3. *ep.* 9. *ad Appium*.

Philotis, ancilla apud Romanos, quæ, quum post urbem captam, sedato Gallico motu respublica vix statum suum tueretur, & Fidenates opportunitatem invadendi Romani nominis aucupati, præfecissent sibi Posthumium Livium Dictatorem, mandatique ad Senatum missis postulassent, ut si vellent reliquias suæ civitatis manere, familias sibi & virgines dederentur, Patribus in ancipiti deliberatione suspensis, pollicita est se cum ceteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram. Habitu itaque matrum familias, & virginum sumpto, hostibus, cum prosequentium lachrymis in signum doloris, traditæ sunt; quæ cum à Livio in castris distributæ essent, viros plurimo vino provocarunt, diem festum apud se esse simulantes, quibus sopitis, ex arbore caprifico, quæ castris proxima, signum Romanis dederunt, qui cum repentinâ incursione Fidenates profligassent, Senatus beneficii memor, Philotin cum ceteris ancillis manumitti jussit, dotem ex publico eis fecit, & matronalem habitum gestare concessit, diemque ipsum nonas *Caprotinas* nuncupavit, ab illa *caprifico*, ex quâ signum victoriæ ceperant, & *Caprotina* culta Juno, & sacrificium annuâ solennitate celebratum, in quo lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti adhibitum fuit. Plut. Varro, *Ovid. lib.* 2. *de Arte Amandi:*

Porriga & ancilla, quâ pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus. V. & Polyæn. *lib.* 8.

Philoxenus, Alexandri M. per Joniam, præfectus, Polyæn. *l.* 1.

Philoxenus, Athenis quidam mollis & aliorum pellex. V. Schol. *in Aristoph. Vespas.*

Philoxenus, Cythereus, Poëta Dithyrambicus, floruit Olympiade 95. qui cùm Dionysii pellicem Galateam deperiret, tum rivalem in Lapidicinas amovit tyrannus. Hinc Philoxenus aufugiens carmen edidit, in quo fingit Dionysium cum Galateâ pecudes pascere & inter pascendum citharam pulsare. Dionysium autem Cyclopem vocat, non solùm quod in amandâ Galateâ cum Cyclope conveniret Homerico, sed & eum rideret, quòd visu esset hebetiore. V. infra, *Philoxenus*, *Poëta lyr.*

Philoxenus, Philosophus, qui gruis collum sibi exoptabat, quò diutius ciborum & poculorum sapore oblectaretur. Aristot. *Ethic.* 3. 9.

Philoxenus, tibicen Jonius insignis, de quo Polyæn. *lib.* 11.

Philoxenus, Grammaticus Alexandrinus, Romæ scripsit de monosyllabis verbis, de Hellenismo, de genere linguarum, & alia. Suidas.

Philoxenus, Eretriensis, pictor, Nicomachi discipulus, cujus tabula nullis postponenda Cassandro regi picta, continuit Alexandri prælium cum Dario. Idem pinxit & Lasciviam, in quâ tres Sileni commessabantur. Hic præceptoris celeritatem assecutus, breviores etiamnum quasdam picturæ vias, & compendiarias invenit. Plin. 31. 10.

Philoxenus, Cytherius, poeta Lyricus, scripsit Lyrico carmine Æacidarum genealogiam. Hic, cùm aliquando apud Dionysium tyrannum ageret, tragœdiasque ejus, in quibus ille ambitiosissimus erat, minimè laudaret, conjectus est in Latomias; Inde extractus post aliquod tempus, cùm iterum juberetur poëmata ejus approbare, totum perlegi audiit; quo facto prompte surgens, *ad Latomias rursus*, respondit, indeque Tarentum aufugit. Dionysio verò eum per literas revocare conanti, respondit hoc tantùm monosyllabon, *Non*, sæpius iteratum. Suidas. A *Philoxeno* Cytherio dithyrambos esse inventos, putavit Pindari Scholiastes. Sed hâc parte magis fidem meretur Herodotus, *in Clio*. Is Arionem Lesbium sive Methymnæum, fabulâ de vectore Delphino nobilem, primum fuisse ait, qui Corinthi docuerit dithyrambos. Atq; idem etiam proditum ab Aristotele, ut testis est Proclus, *Chrestomathiâ*. Sanè Philoxenus hic multò post Herodotum vixit; nempe Platonis temporibus. Nam & is Syracusanorum tyranno Dionysio juniori familiaris fuit, ut Pausanias, *in Atticis*, ait. Sed idem ab eo est interemptus, postquam eum figurate deriserat in Cyclope suo, sive de amoribus Cyclopis & Galateæ. Meminere Athenæus *l.* 1. Ælianus *Var.* 12. 44. *&* 47. Idem convivium scripsit, unde quædam adducit Athenæus *lib.* 1. 4. *&* 14. Cujusmodi ejus dictio, & ingenium fuerit, If. Casaubonus dicet, *Animadversionum in Athenæum l.* 4. *c.* 11. Ne... plane ad lasciviam & nugas comparata.

Philoxenus, Consul cum Probo, An. U. C. 1278.

Philozoï, uxor Tlepolemi, generosa & mariti amans heroina; quæ cùm reliquiis sociorum tristem viri casum ad Trojam didicisset, ingenti luctu primùm confusa, dein memoriæ & honori conjugis certamina instituit, in queis pueri certarent, & victores populi albæ frondibus coronarentur: apud Polyænum legitur *Philixo*.

Philyllius, à plerisque creditur auctor Jamborum, de urbibus, ut cognoscimus ex Athenæo *lib.* 3. 4. 9. Alius fuit veteris Comœdiæ poeta, Athenæo *lib.* 14. & Polluci *lib.* 7. memoratus.

Philyra, filia Oceani, ex quâ Saturnus in equum conversus, Chironem Centaurum dicitur suscepisse, qui à matre *Philyrides*, & *Philyrejus* dicebatur. Hanc fabulam ad Medicinæ & Chirurgiæ artem refert N. Comes *Mythol.* 4. 12. Scribitur autem hoc nomen, & ejus derivativa simplici *l*; poetæ tamen suo jure, ut primam syllabam extendant, geminant hanc consonantem.

Philyra, pro Lindavia, apud Germ. Poëtas. V. *ibi.*

Philyres, pop. juxta Pontum. Dionys. *v.* 766.

Μάκρωνες, Φίλυρές τε, καὶ οἱ μόσυνας ἔχουσι
Δούρατέας. ——

Val. Flac. *lib.* 5.

Mossynichi, vos & stabulis Macrones ab altis,
Byzeresq; vagi, Philyraq; à nomine dicta
Litora. —— ——

Phina, Macedoniæ op. ad oram Heracleam. Plin. 4. 10.

Phinees, fil. Eleazari. Ingenti pro gloria Dei Zelo actus, Zambri Principe tribus Simeonis, cum Cosbi filia Madianit. R. interfecto, impetravit à Deo, ad justitiam ipsi factum hoc imputari, ut Pontificatus in Eleazari familia perpetuò maneret, ipse postmodum eo functus: Num. 25. Torniel. *A. M.* 2583. 2594. Filius item Heli sacerdotis. 1. Reg. 1. Latinè *aspectus*, aut *facies confidentiæ*, vel *protectionis*. V. *Ophni* quoque.

Phineum, locus Ponti, à *Phineo* conditus. Steph.

Phineus, Agenoris fil. Hellanico; Hesiodo verò Phœnicis & Cassiopeæ, Agenoris nepos, frater Cilicis, Dorycli & Atamni. Hic rex Arcadiæ, vel, ut alii, Thraciæ, vel, ut rursus alii, Paphlagoniæ, uxorem duxit Cleopatram (quam quidam Sthenobœam vocant) ex quâ genuit Oryrhum & Crambum, ut Sophocles, ut alii, Mariandynum & Thynum; vel, ut rursus alii, Palæmonem & Phinea: quibus, mortuâ priore conjuge, Harpalycen, Calais & Zethæ sororem, novercam superinduxit; quamvis Flac-

cus Valetius non Harpalycen, sed Cleopatram Boreadum sororem vocet, cui etiam Apollonii Scholiastes subscribit, qui *lib.* 2. dicit, Phineum Cleopatram Boreæ & Orithyiæ filiam uxorem duxisse secundam verò Idæam, Dardani filiam, novercam superinduxisse: cujus suasu filios suos ex Cleopatrâ susceptos excæcavit. Quapropter & ipse excæcatus est à Diis, & Harpyiæ contra eum missæ, quæ cibos & mensam ejus turpissimè fœdarent. Postea verò devenientibus ad ea loca Argonautis, à Calai & Zethe, fratribus alatis, rursus ad Strophadas insulas fugatæ sunt. At Orpheus, Phineum, insanientem uxoriis philtris, dejecisse è scopulo duos filios autumat, quare à Zete & Calai, ut durius exilium perpeteretur, in Bistoniam ablegatum & ab aliis luce privatum asserit. Postremò occisus est ab Hercule, cùm is in solitudine liberos Phinei offendisset excæcatos, competissetque eos calumniis novercæ ejectos fuisse. Apollonius *lib.* 2. *Argonaut.*

Ἔνθα δ᾽ ἐπάκτιον οἶκον Ἀγηνορίδης ἔχε Φινεὺς,
Ὃς περὶ δὴ πάντων ὀλοώτατα πήματ᾽ ἀνέτλη,
Εἵνεκα μαντοσύνης, τήν οἱ πάρος ἐγγυάλιξε
Λητοΐδης, οὐδ᾽ ὅσσον ὀπίζετο καὶ Διὸς αὐτοῦ,
Χρείων ἀτρεκέως ἱερὸν νόον ἀνθρώποισι.
Τῷ καὶ οἱ γῆρας μὲν ἐπὶ δηναιὸν ἴαλλεν.
Ἐκ δ᾽ ἕλετ᾽ ὀφθαλμῶν γλυκερὸν φάος, οὐδὲ γάνυσθαι
Εἴα ἀπειρεσίοισιν, ὅσσα οἱ αἰεὶ
Θέσφατα πευθόμενοι περιναιέται οἴκαδ᾽ ἄγειρον.

Prop. 3. 5. *Aut Alcmaonia furia, aut jejunia Phinei.*

Virgil. *Æn.* 3. —— *Strophades Grajo stant nomine dicta*
Insula, Jonio in magno, quas dira Celano,
Harpyiaq; colunt alia, Phineia postquam
Clausa domus, mensasq; metu liquere priores.

Val. Flaccus *lib.* 4.
Postera non cassa Minyis Aurora retexit
Noctis iter; nova cuncta vident, Thynnaaq; juxta
Litora, fatidici panis horrentia Phinei.
Dura Deûm, summoq; lues urgebat in ævo.
Quippe nec extorrem tantùm, nec lucis egentem,
Insuper Harpyia Typhonides, ira Tonantis,
Depopulant; ipsoq; dapes prædantur ab ore.
Talia prodigia, & tales pro crimine pœnas
Perpetitur, spes una seni, quòd pellere sævam
Quondam fata luem dederant Aquilone creatis.

Statius *lib* 8.
Qualis, post longa Phineus jejunia pœna,
Nil stridere domi volucres ut sensit abactas,
(Nec dum tota fides) hilaris mensasq; torosq;
Nec turbata feris tractavit pocula pennis.

Phinni, V. *Fenni.*

Phinon, civitas Idumæorum. Gen. 36. Lat. *gemma*, sive *aspiciens*, aut *os æternitatis*, vel *os filii*: aut ex Hebr. & Syro *os piscis*, ab *ore*, sc. non ab *osse*.

Phinon, una mansionum Israëlit. in deserto, Num. 33. V. *Phaeno.*

Phinopolis, urbs Ponti à *Phineo* dicta. Steph. *Phinopoli* adhuc Sophiano, seu *Fispoli* aliis, apud Philiam prom. urbs Thraciæ marit. haud procul ab ore Ponti, inde paulo supra 5. m. p. recedens. Ex Plin. Ferrarius.

Phinthia, Siciliæ fons, in quem, ut Apion refert, nihil immergi potest, sed omnia fluitant, Plin. 35. 2. Φιντιὰς Diodoro. Unde Phalaridi in epp. opidani sunt Φιντιεῖς. Item amicus Damonis cujusdam, ut ex Plutarcho invenimus. Quanquam apud Val. Max. & Cicer. *de Off. Pythias* dicitur.

Phintonis, *Phinton* Capellæ, ins. inter Sardiniam & Corsicam. Plin. Ptol. *Isola rosa* Ortelio, *Isle de Figo* Pineto.

Phirasi, Scandiæ Ins. pop. Ptol. *Franci* Turnebo, cujus opinionem rejecit F. Hotoman. *in Francogalliâ*, & meritò quidem, ut à vero alienam.

Phirricus, V. *Claudius.*

Phirstimus, Persidis fluv. in Sinum Pers. influens, inter Sitiogagum, quo Pasagardas 7. diebus navigatur, & Granium, qui per Susianam fluit. Plin.

Phiscon mons, urbec. longa Hetruriæ, *Monte Fiascone*, in prov. Patrimonii: 10. m. p. ab Orvieto in Mer. Romam versus 50. circiter. Dicitur & *Mons Phiscon.*

Phisera, op. seu pagus Corsicæ, in ora Occ. Ptol. *Figari*. V. *Fisera.*

Phison, vel *Pison*, i. e. *oris mutatio*, sive *multitudo*, sive *extensio*, fluvius è Paradiso fluens. Gen. 2. qui ab Euseb. & Hieronymo *in Qu. Hebr.* dicitur *Ganges*. Hesychius, Φείσων ποταμὸς Παραδείσου ὁ ἑρμηνεύεται στόμα χρῆμα, παρὰ δὲ Ἕλλησι Γάγγης. Alcimus Avitus,
Quartus dehinc Phison, quem nominat India Gangen. Forte *Phasis* hodie Baudr. Becmanno, *Phison* & *Gichon*, sunt alvei Euphratis & Tigridis, in quos scinduntur, antequam Oceanum ineant: & *Phison* fortè Naharmalca hodiernus, Gichon verò Naharsares, in *Histor. Orbis Terr. cap.* 3. *Hydrogr.*

Phiternus, mel. *Tifernus*, fluv. Italiæ, nunc *Fortore* Magino, in mare Adriaticum se exonerat. V. *Tifernus.*

Phithom, i. e. *buccella eorum*, aut *oris consummatio*, sive *persuasio*, vel *dilatatio eorum*, urbs quam ædificarunt filii Israelis Pharaoni regi Ægyptiorum. Exod. 1.

Phiton, fil. Micha. 1. Par. 8.

Phla, ins. parva in palude Tritonide. V. Herodot. *lib.* 4.

Phladirtinga, oppidul. Hollandiæ, 2. leuc. à Delphis in M[...] totidem à Roterodamo in Occ. Brilam versus. Aliàs permun[...] nunc absorptus simul cum arce mœnibus, voragine Mosæ fl. [...] latè ripas & littora adedit, succedaneam operam addente m[...] tantùm tenuis pagus & piscatorum sedes est; *Vlaerdingen.*

Phlanates, pop. Illyrici, qui & *Flanates*, à quibus *sinus Fla*[...]*ticus*. Plinius.

Phlanon, urbs & portus juxta Absyrtum insulam post Alou[...] Stephanus.

Phlegelas, ultra Hydaspen Indiæ rex, qui popularibus suis [...] lere agros, ut assueverant, jussis, Alexandro adventanti cum [...] nis occurrit; nihil quod imperaret detrectans. Curt. 9. 6. à D[...] doto vocatur Φηγεὺς *Phegeus lib.* 17. 61 t.

Phlegithon, fluv. infernalis flammis æstuantibus rapidus, [...] *urendo* sic dictus; quam etymologiam poetæ passim innuu[...] Author *Culicis*,
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis.

Silius *lib.* 13. —— *Exundantibus urit*
Ripas sævus aquis Phlegethon.

Idem *ibidem*,
Ardenti Phlegethonte natas fornacibus atris.

Statius *Theb.* 4.
Fumidus atra vadis Phlegethon incendia volvit.

Seneca *in Thyeste*:
Phlegethon arenas igneus totas agens.

Virgil. *Æneid* 6.
Qua rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetq; sonantia saxa.

Hinc *Phlegethonteus*. Claud. 1. *de Raptu*,
Et Phlegethontea requierunt murmura ripa.

Et *Phlegethontis*. Ovid. *Met.* 5.
—— *Sparsumq; caput Phlegethontide lymphâ.*

Phlegia, Bœotiæ Urbs, Steph. apud Cephissum fl.

Phlegias, unus e Cyzicenis, qui, raptâ face piceâ, decurrit ar[...] in Minyas, Flacc. 3. 128.

Phlegon Trallianus, libertus Augusti (nonnulli Adriani, cu[...] historiam edidit, dicunt) historiam scripsit Olympiadum libris [...] usque ad Olymp. 229. De Fastis Romanorum libros 2. Item de n[...] minibus locorum urbis Romæ, & epitomen Olympionicorum [...] bris duobus. Ejus fragmentum solùm de historia Olympiadu[...] ut & de tractatu, *de Longævis*, superest: etiam initium libri *de A*[...]*rabilibus* amissum. Suidas, Phot. *cod* 97. Item viri Sancti nome[...] Roman. 16.

Phlegon, unus ex equis Solis, ἀπὸ τοῦ φλέγειν, quod est *ure*[...] dictus. Ovid. *Met.* 2.
Interea volucres Pyroeis, Eous, & Æthon
Solis equi, quartusq; Phlegon.

Phlegra, urbs Macedoniæ, in quâ Gigantes olim cum cœlest[...]bus conflixere, & ab Hercule extincti erant. Hanc Eudoxis p[...] stea *Pallenen* dictam scribit. Steph. Silius *lib.* 2.
Tradunt, Herculeâ prostratos mole Gigantes
Tellurem injectam quatere, & spiramine anhelo
Torreri latè campos, quotiesq; minatur
Rumpere compagem impositam, expallescere cœlum

Ubi loquitur de *Phlegræo campo*, qui est in Campaniâ juxta Cuma[...] De quo vide Cluverium *Ital. Ant. p.* 1144. Hinc *Phlegræus*. Ovi[...] *Met.* 10.
—— *Prius cecini plectro graviore Gigantes,*
Sparsaq; Phlegræis victricia fulgura campis.

Propertius 3. 11.
Issent Phlegræo melius tua funera campo.

Poetæ fabulâ hâc in comparationibus suis plerumque utuntur[...] Lucan. *lib.* 7.
Non aliter Phlegrâ, rabidos tollente Gigantes,
Martius incaluit Siculis incudibus ensis,
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
Spiculaq; extenso Pæan Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in ægida crines,
Pallenea Jovi mutavit fulmina Cyclops.

Statius *Theb.* 2.
Non aliter (Getica si fas est credere Phlegra)
Armatum immensis Briareus stetit æthera contrà,
Hinc Phœbi pharetras, hinc torva Palladis angues,
Inde Pelethroniam præfixâ cuspide pinum
Martis, ac hinc lasso mutata Pyracmone temnens
Fulmina, cùm toto nequicquam obnixus Olympo
Tot queritur cessare manus.

Idem 1. *Achilleidos.*
Sic cùm palantes Phlegræa in castra coirent
Cælicolæ, jamq; Odrysiam Gradivus in hastam
Surgeret, & Libycos Tritonia tolleret angues,
Ingentemq; manu curvavit Delius arcum,
Stabat anhela metu solum Natura Tonantem

Ressi

Respiciens, quando illi hyemes, tonitruq; vocaret,
Nubibus igniferam qui fulmina posceret Ætnam.

Silius *lib.* 9.

Tollitur immensus deserta ad sidera clamor,
Phlegræis quantas effundit ad æthera voces
Terrigenûm campis exercitus, aut sator ævi
Quantâ Cyclopas nova fulmina voce poposcit
Jupiter, extructis vidit cùm montibus ire
Magnanimos raptum cœlestia regna Gigantes.

Et *lib. ult.*

Qualis odoratis descendens Liber ab Indis,
Egit pampineos frenatâ tigride currus:
Aut cùm Phlegræis confecta mole Gigantum
Incessit, campis tangens Tirynthius astra.

Val. Flac. *lib.* 6. —— *Tremebundaq; pulsu*
Natat humus: quatit ut sævo cùm fulmine Phlegram
Jupiter, atq; unus Typhœa verberat arvis.

Atque hæc poetæ. Theagenes verò & Eudoxus, qui ad historicam fidem pugnam hanc reducere conantur; Pallenen, inquiunt, quæ veteri nomine Phlegra vocabatur, homines tenuerunt, quibus immanitas & superbia morum, Gigantûm cognomen peperit. In hos, ineunte prælium Hercule, fulmina de cœlo missa sunt; donec ii fugere coacti sunt, & ingenti victoriâ superati. Ex hac re rumor in vulgus ortus; ut Gigantes moverint bellum Diis. Id autem ideo fictum est, quoniam ea regio tota sulphure plurimo scatet. Hinc fit, ut ventorum impulsu excitetur passim ignis, qui, cùm exitum è cavernis natura expetat; dum luctatur assidue, terram tandem quatit, & commovet, exuritque frequenter; unde & nomen sortitur, *φλέγω* enim Græcè *exurere, ardereq;* significat.

Phlegræi campi, V. *Forum Vulcani.*

Phlegyas, Martis fil. Rex Lapitharum in Thessaliâ; pater Ixionis, & Coronidis Nymphæ, quam cùm ab Apolline vitiatam sensisset, confestim irâ percitus templum ejus Delphis incendit. Quapropter Apollo iratus, ipsum sagittis interfectum ad inferos detrusit; ubi hâc pœnâ afficitur, ut sub ingenti saxo ruinam minanti sedens, semper illud casurum suspicetur ac timeat. Stat. in *Theb.* —— *Phlegyam subter cava saxa jacentem*
Æterno premit accubitu. ——

Phlegyæ, populi insulani Thessaliæ, à *Phlegyâ* Ixionis patre; cognominati. Hi, cùm sacrilegi essent, Deosque & homines spernerent, ab irato Neptuno, immisso diluvio; submersi sunt. Virg. *Æn.* 6.

—— *Phlegyasq; miserrimus omnes*
Admonet. —— ——

Phlegyas, urbs Bœotiæ, à *Phlegyâ* Martis & Chryses filio. Stephanus.

Phlia, nomen urbis, apud Diod. XIV. ubi, adductis suis peltastis, plures trecentis cecidit Iphicrates.

Phlias, Argonauta, Bacchi filius. Val. Flac. *lib.* 1. *Argonaut.*

Et quem fama genus non est mentita Lyæi
Phlias, immissus patrios de vertice crines.

Apollonius *lib.* 1.

Φλείας δ' αὖτ' ἐπὶ τοῖσιν Ἀραιθυρέηθεν ἵκανεν.

Ubi Schol. Πόλις Πελοποννήσου ἡ Ἀραιθυρέα, ἐν ὁρίοις τῆς Σικυῶνος κειμένη, ἡ νῦν ὀνομαζομένη Φλιοῦς ἀπὸ Φλιοῦντος τοῦ Διονύσου, καὶ Χθονοφύλης; καὶ αὐτὸς δὲ Διόνυσος Φλιεὺς ὀνομάζεται ἀπὸ τοῦ φλύειν τὸν οἶνον, ὅ ἐστιν ἀναβλύζειν.

Phlius, *untis*, à *Phliante* conditore, teste Pausaniâ, op. Peloponnesi geminum: Unum in Sicyoniâ reg. prius *Arantia*, & *Arethyrea*, teste Strabone. *Tri* Sophiano, *Rupela* Laonico, *Phlica* Pineto, à Corintho 30. stad. in occ. à litore 20. ad fontes Asopi fl. 12. m. p. ab ora Sinus Corinthiaci, in Mer. 18. à Corintho in Occ. Alterum in Elide, teste Plinio, à Cyllene 15. m. p. à litore 2. ab Olympiâ 63. Quid sit, non constat Baudrando; nisi forsan Pylus Eliaca, V. ibi. Populi *Phliasii* Xenophonti fide & fortitudine clari. Hic Axiothea Phliasia, cum Lasthenia Mantinea; discipula Platonis, habitu virili induta, in Auditorium veniebat, ex Laertio Ferrar.

Phlius, op. Argiæ, in ora Sinus Argolici, 25. m. p. à Nauplia in Ort.

Phloea, Dea, Proserpina sc. ut quidam volunt, quibus favet Hesychius: Φλοιάς; τὴν Κόρην τὴν θεὸν οὕτω καλοῦσι Λάκωνες. Nempe ut Latinis *Liber* Bacchus, *Libera* Proserpina: Sic Græci *Liber* Φλοιεὺς; *Proserpina* Φλοιά. De Libero indicant verba Plutarchi: Ἔνιοι δὲ Διονύσου τοῦ Φλοιοῦ.

Phlogius, Herculis comes, expeditione in Amazonas, ab eo relictus, Argonautis se juxta Sinopen adjunxit. Val. Flac. 5. 115.

Phlurys, Maurit. Cæsariens. op. Ptol.

Phlyeis, vicus in Cecropide tribu. Steph.

Phlygadia, mons Illyrico & Adriæ obversus. Strabo. *Filez* Lazio. Inde, cùm altus sit, mare Adr. conspicitur.

Phlygonium, urbs Phocidis. Steph.

Phlya, in Atticâ municipium, tribus Cecropidis secundum, vel Ptolemaidis, Hesychio. Hinc tribulis istius Municipii *Phlyeus*, apud Aristoph. *Vesp.* 445.

Phobetor, Somni fil. sic dictus ἀπὸ τοῦ φοβεῖν, quod est *perterrefacere*, *Icelus* autem Superis dicitur, quia omnium animantium formam inducere posset. Est enim ἴκελος *similis*, Ovid. *Met.* 11.

Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. —— ——

Phoca, Ins. parvæ Cretæ ante Sammonium promuntorium adjacentes. Plin.

Phocæa, urbs Æolidis in orâ, inter Cumam ad Bor. & Smyrnam ad merid. à quâ 25. m. p. recedit, apud ostia Hermi fl. episc. sub Archiep. Smyrnensi. Baudrando hodie *Fochia vecchia*, in ora maris Ægæi, etiamnum urbs munita, & emporium, cum portu capaci & amplo, cui adjacet altera Phocæa, *Fochia nova*. Média est inter Cumam & Smyrnam, & 10. m. p. ab ostiis Hermi fl. abest. *Phocis* Melæ, Atheniensium colonia. Mem. ejus Lucanus *lib.* 3.

Et post tralatas exusta Phocidis arces.

Item *Phocæa* alia, oppidum Cariæ, juxta Mycalen mont. Plin. *Phocenses* Joniæ pop. patrium solum communi consilio relinquentes, se non reversuros jurejurando, additis devotionibus, & execrationibus, polliciti sunt, & in Galliam profecti Massiliam urb. condiderunt, ut authores sunt Herod. *lib.* 1. Justin. *lib.* 43. *& seqq.* Ammian. Marcell. *lib* 15. & Strabo *lib.* 4. Hinc ortum adagium est: *Phocensium execratio*, de jurejurando multis vinculis astricto; ut Horat meminit *Epod.* 16. à quo *Phocæi* dicuntur. *Phocenses* quoque, Phocidis in Græciâ pop. de quibus tem.... ignam fecisse narrat Plutarch. Hi enim in prælium contra Thessalos exeuntes, mulieres & liberos in unum locum congestos, ubi ipsi à Thessalis victi essent, & interfecti, comburendos illico mandarunt iis, quos ad custodiam reliquerant: quod consilium & mandatum etiam mulieres ipsæ approbarunt, licèt non adimpletum fuerit, victoriâ adversus Thessalos reportatâ. Ex eâ deliberatione natum est proverbium: *Phocensium desperatio*, de stulto & insano consilio. *Phocæi*, etiam & *Phocenses* dicuntur, & *Phocaici*, pop. Æolidis in Asiâ, & Phocidis in Græciâ, qui & *Cyrrhæi* & *Castalii* quoque apud poetas dicuntur.

Phocaria, ins. maris Ægæi ex adverso Atticæ. Plin.

Phocarum insula, in sinu Arabico. Strabo. Sunt & tres Ins. in sinu eodem; Jeracum, Phocarum, & Chelonon Id.

Phocas, Romanorum Imperator, vel potius tyrannus Orientis, ex centurione, Ann. Dom. 602. De quo Sanctus quidam Monachus, cum Deo disceptans, cur tam impium Christianis imposuisset Imperatorem, responsi loco accepit; deteriorem alium inveniri potuisse nullum, & hoc meruisse hominum flagitia. Coronatus à Patr. Cyriaco, in templo Constantinopoli vicino; dein Urbem intravit, Mauritio Imp. cum filiis suis occiso. Mox Imperatricem filiasque similiter sustulit, cùm dictum esset, superesse Mauritii filium Theodorum nomine, An. 607 Clementiæ ....laudem affectans, ut Nicephorus ait, *lib.* 18. *cap* 38. *& seqq.* vel potius, ut Cedrenus, *in Annal.* hæreticus, crudelis, sanguinarius, ipso vultu furorem præ se ferens: paulò pòst omnis generis sceleribus animum laxavit, matronis pro arbitrio illudens, maritis ignominiæ impatientibus occisis. Eo tempore, Chosroes, Persarum R. mortem Mauritii amici ulturus, Syriam, Palæstinam, Phœniciam, Armeniam, Cappadociam subitò occupavit, Chalcedonem usque excursione factâ: eùm ab altera parte Avares, Dalmatæ plurimique alii Europam vastarent. Interea pergens sævire Phocas, præcipuos Procerum neci dedit, plurimis in exilium ejectis, qui Heraclio juncti, ejus copias disjecerunt. Photinus quoque, cujus uxorem rapuerat, ipsum in Palatio oppressum pullaque induitum veste ad Heraclium deduxit: qui eum graviter priùs objurgatum, manibus pedibus & genitalibus truncatis, tandem An. 610. capite plecti jussit. Hic Phocas Bonifacio 3 petenti, titulum *Universalis* concessit, atque sedem Rom. caput omnium Ecclesiarum constituit: terribili Dracone, cum serpentum immani caterva, in Tiberi viso. Aimon. *lib.* 4. *cap.* 4. Platina *in Bonif.* Sigebert. *in Chron.* H. Spon. *de orig. temp.* Gregor. *in Epist* Hist. Misc. *l.* 17. Theoph. Zonaras, &c.

Phocas, V. *Nicephorus. II.*

Phocas, Grammaticus, qui de Nomine & Verbo scripsit.

Phoce, op. Bœotiæ.

Phoceas, agri Leontini in Siciliâ op. Thucyd.

Phocenses, pop. Hetruriæ, quorum op. *Focetchio*, inter Florentiam, Lucam, & Pisis situm, apud lacum cognominem, à Lucâ 20. m. p. Alios ab Andronico in ordinem coactos, A. 1336. &c. vide in *Phocæa*, & *Phocæi.*

Phoceus, Oleni Lelegis filius exul, Cyzici minister interior, in conflictu nocturno, à Telamone occisus Flac. 3. 204.

Phocheret, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *oris exterminatio*, vel *concisio.*

Phoci, gens Ichthyophagis vicina. Agatharchides.

Phocias, Thessaliæ fl. Vibius. *Phœnix* legit Simlerus.

Phocides, Atheniensis, vicit Stadium, Olympiade centesimâ quartâ, ab Arcadibus & Pisæis actâ.

Phocion, Atheniensis, vir clarus, cognomento *Bonus*, discip. Platonis & Xenocratis, semper pauper, cùm ditissimus esse posset, propter frequentes ei delatos honores. Hic neque ridere, neque lacrymare ab ullo unquam est visus. Et in concione cùm quis dixisset: *Cogitabundus videris, ô Phocion*: *Rectè*, inquit, *conjectas*: *Cogito enim, si qua valeo in his brevitate uti, quæ apud Athenienses dicturus sum.* Hic cùm legati Philippi Macedonum regis, contra quem bellum, pro patria, feliciter gesserat, ingentia munera offerrent,

rent, hortarenturque, ut ea acciperet (quamvis enim ipse facilè his careret, liberis tamen ejus esse necessaria, quibus difficile foret in summâ paupertate ad paternam gloriam pervenire) *Si mei*, inquit, *similes erunt, idem hic agellus alet eos, qui me ad hanc dignitatem perduxit: si dissimiles, nolo meis impensis illorum ali, augeriq; luxuriam*. Plutarch. *in Phocione*. Idem ab Alexandro Magno tentatus, generosè restitit. Tandem Pireæo, eo Archonte, ab hostibus occupato, An. 436. U. C. capitis, quasi conjurationis conscius, damnatus & morte An. ætat. 80. affectus, prohibitus est à liberis sepeliri. Nam inimici ejus edixerunt, ut cadaver Atticis finibus exportaretur. Conopio verò quidam, curandis funeribus quæstum facere solitus, mercede acceptâ, in Eleusinam deportavit cadaver, ibique igne, ex agro Megarico sumpto, id concremavit. Mulier dein quædam, cum ancillis aliquot, Cenotaphion ibidem constituit, atque Diis manibus umbræque Phocionis parentavit: cineres autem collectos gremioque reconditos, intra domesticos comportavit Lares, ac tellure defossos sepelivit. Nec multò pòst ejus reliquiæ inventæ resipiscentibus Atheniensibus, publicis sumptibus tumulatæ sunt. Vide quoque Corn. Nep. *in Phocione*.

Phocion, Peripateticus Hispanus, scripsit librum Cornucopiæ, multæ variæque doctrinæ refertissimum, Gellius.

Phocis, regio Achajæ, inter Bœotiam & Ætoliam ad Occid. in qua Delphi urbs, & Parnassus mons cum Helicone. Ovidius *Metamorph*. 1.

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis.

Dionysius *vers*. 437.

Τοῖς δ' ἐπὶ Φωκὶς ἄρουρα ποτὶ ἀντολίην τε καὶ ἠῶ,
Ἐκκεχυμένη βορέηθεν, ...
Παρνησοῦ ὑφόεντος ὑπὸ πτυχί.

Hujus incolæ, à Philomelo incitati, diripuerunt Delphicum templum & Locrenses vicerunt, Olymp. 106. Unde bellum sacrum: quo Phocenses, licet Atheniensibus & Spartanis juncti, à Thebanis & Locrensibus superati sunt. Philomelus, de rupe in præceps iit, post quem Onomarchus, postquam Thebanis aliquandiu fortiter restitisset, à militibus suis in mare præcipitatus est, sicque similiter uno ex tribus mortis sacrilegis destinatæ generibus periit. Hujus filius Phalæcus, hostes quidem vicit, tandem verò occisus, bello finem dedit, Olymp. 108. Urbes tum Phocidis destructæ, & incolæ ad vitam rurestrem damnati sunt. Strabo *lib*.9. Plin. *lib* 4.c.3. Diod. Sic. *lib*.16. Pausan. *in Phoc*. Justin. Oros. &c.

Phoclis, Arachosiæ urbs, Ptolem.

Phocra, mons Maurit. Tingitanæ, Ptol. Vulgò *Gebelelhadith*, id est, mons ferreus.

Phocus, Phocionis filius, qui cùm paternas opes prodigo luxu dilapidasset, Atheniensibus usque adeò invisus factus est, ut occurrentes omnes diffamatorem sui generis nuncuparent.

Phocus filius Æaci. Ovid. *Metam*.7.

Excipit Æacides illos in limine Phocus.

Phocusa, insula una Sporadum, Plin.4. 12.

Phocusæ, duæ ins. in Ægyptio pelago, Ptolem.

Phocylides, Milesius, Poeta Græcus, floruit An. 4. Olymp. 60. Stylus ejus purus, mores probi, lectio ad bene loquendum & vivendum utilis: teste Eusebio, sed alius ab eo, cuius carmen hodie habemus; hic enim multo recentior est, & quidem Judæus Alexandrinus, si non potius Christianus, quòd ex Resurrectionis dogmate ipsi perspecto colligere est. Suid. Vossius, *de P. G.* Faber, *Epit. vitarum Poët. Gr.*

Phoda, oppidum Arab. Fel. Plin.

Phœbadius, aliis Phibadius, Sœbadius, Fitadius, vulgò S. Fiarius, Episcop. Aginnensis, sanctitate & doctrinâ eminens, sec. 4. confessionem Fidei ab Arianis Syrmii publicatam, refutavit scripto egregio. Vide Bibl. PP. Dein in Concilio Ariminensi cum Servatio Tungro, An. 359 Orthodoxiam tuitus est. Interim ei ab Arianis impositum, & ille pacis amore abreptus, Confessioni in speciem orthodoxæ, sed quæ venenum sinu fovebat, subscripsit. Verùm errore cognito, quæ fecisset, retractavit. Vixit adhuc An. 392. scripsit quoque alia quædam, cùm Hieron. *de Script. Eccl. cap.* 108. solius scripti supra laudati meminerit: sed illa perierunt. Sulpic. Sev. *Hist. Sacra lib.*2. Ambrof. *ep*.70. *&c.*

Phœbea palus, æstuarium Argiæ regionis, Pausan. ad Sinum Saronicum, quæ & *Saronis*.

Phœbas. adis, Phœbi sacerdos, quæ divino correpta furore, consulentibus ex tripode oracula edebat, Sidon.

Phœbatis, Macedoniæ urbs, Polyb.

Phœbe, eadem quæ Diana & Luna, à fratre *Phœbo* sic dicta, Ovid. *Metam*. 1.

Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe.

Phœbe, & *Elaira*, Leucippi filiæ. Stephanus in *Aphydnis*. Item fœmina quædam, de quâ Paulus 16. ad Roman. Συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην τὴν ἀδελφὴν ἡμῶν οὖσαν διάκονον τῆς Ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς.

Phœbe, Inſ. parva Propontidis, vel scopulus potius, Plin.

Phœbi, Mauritaniæ Tingit. promont Ptolem. Nunc *Cabo de Gomera*, juxta mare Ibericum, 14. leue. Hispan. in Eur. ab Abyla monte, & freto Herculeo: nunc in regno Fezza & prov. Errifis, juxta urbem Gomeram, Baudr.

Phœbia, opp. Sicyoniorum, Stephan.

Phœbidas, Polyæno *Phœbiadas*, Lacedæmonius, ab Ephoris ... xilio Amyntæ, adversus Olynthios & Thracas, missus, Dio... 15. 467. Occupavit Cadmæam Bœotorum: Erumpens ex The... contra Bœotos quingentis suorum amissis concidit, multis ac... sis vulneribus, Olymp. 100. An. 4.

Phœbigena, cognomen Æsculapii, à patre *Phœbo*. Virg... *Æneid*. 7.

Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.

Phœbus, idem qui *Apollo*, sive *Sol*. Jovis & Latonæ filius, ec... partu cum Dianâ editus, divinationis & Musicæ Deus à Poëti... bitus, & Medicinæ repertor. Sic dictus juxta Cornificium... τοῦ φοιτᾶν βίᾳ, hoc est, *quod vi feratur*. ut & Macrobius refer... 1. 17. Plerique nominatum putant à specie & nitore, nonn... sordibus, à quibus is purgat. Nam φοιβᾶν est *purgare*, & φοι... καθαρόν, & φοιβαῖος ... *Phœbum* quasi φάων appellat, id est, *à luce*, & *vitâ*, vel p... quasi φαέθων. Didymus ex Hesiodo, ἀπὸ τῆς φοίβης, *purita... luce*. Fungerus.

Phœbus, libertus Vespasiani adhuc privati: postea Imper... ab admissionibus.

Phœdinus, à Nicocreonte tyranno ob pulchritudinem A... philes uxoris, occisus, Plut.

Phœmos, lacus Arcadiæ, Ovid. *lib*.15. *Metam*.

Phœnebitis, Panopolitanæ præfecturæ vicus, Suid. Vale... hæret. patria.

Phœnicæum, mons Peloponnesi, Corintho imminens, S... Incolæ *Phœnicæi*.

Phœnice, reg. Syriæ maritima, inter reliquam Syriam ad... Eleutherio fluv. distterminante, & Palæstinam ad Merid. Ch... fluv. ab eâ divisa; Miserè terræmotu afflicta est, An. 446. paulo ante Simeon Monachus, flagello arrepto, columnarum in foro erant, compluribus percussis, clamasset: *State firmiter vi namq; saltandum vobis erit*. Lætus *Comp. Hist. Univ.* Hic... polis, Byblos, Tyrus & Sidon, urbes quondam claræ. Pop... *nices*, apud Poët. *Pygmalionæi*, & *Agenoridæ*, quos Josephus a... est invenisse Græcas literas. Sanè Lucanus *lib* 3.

Phœnices primi (famæ si creditur) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Phœnices, inter alia, de nimio caupo... nandi studio apud Pind... notantur. Unde adagium, *Phœnicum more*, de compensat... quæ fieri solet de manu in manum; quod fit, ubi res est cur... mine incertæ fidei; Sic enim caupones faciunt, manu dan... mul & recipientes. Fuere & astuti ac insidiosi, ut adagium a... prodierit apud Diogen. & Suidam: *Phœnicum pacta*, in vaf... astutos, quales fuere Phœnices, qui hospitio terræ per diem &... ctem impetrato, jussi abire, responderunt, illum diem & no... nondum præteriisse. Phœnices primi mercaturam exercuis... runtur, uti ex Sophocle legitur. Dionysius *vers*. 904.

Οἱ μὲν ἐπ' ἠϊόνεσσι, ... Σύριοι κεκλέαται,
Οἱ δ' ἄλλοι ἰξὺν ἔχοντες ἐπωνυμίην Φοίνικες,
Τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασι,
Οἱ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο,
Καὶ βαθὺν οὐρανίων ἄστρων πόρον ἐφράσσαντο.

Herculi coturnicem immolabant, quòd odore illius is vitæ... ditus fabulosè referatur, apud Athen. *lib* 9. Unde *coturnix... culem*, Proverb. apud Zenodotum. Abundabat hæc regio mi... gypso, gemmâ, liliis, myrtis, & circa Orontem myrrhâ; ... maximè Tyrio nobilis, Ferrar. Nunc secundo loco (inqui... chartus) se offerunt Phœnicum navigationes, qui paulo post... tem Mosis à Josuâ & Israelitis è patria solo pulsi, primò In i... nices litora, mox per totum mare Mediterraneum cœperu... diffundere, & in multis Europæ, Asiæ, & Africæ locis col... disseminare. Partem in Africam concessisse colligere ct... Procopii *Vandalicis*, ubi meminit columnarum in Afr... tanâ erectarum cum Phœniciâ inscriptione: ΗΜΕΙΣ ΕΣ... ΟΙ ΦΥΓΟΝΤΕΣ ΑΠΟ ΠΡΟΣΩΠΟΥ ΙΗΣΟΥ ... ΛΗΣΤΟΥ ΥΙΟΥ ΝΑΥΗ, Hoc est: *Nos ii sumus qui... runt à facie Josuæ latronis filii Nave*. Phœnices scripserant, i... est conjectare אנו בורחים מפני יהושע איש חמס בן נון. I... navibus pugnare, regio jure uti, vicinos subjugare, &c. a... cuerunt: in omni exercitiorum genere dexterrimi. Strabo *li...* Plin. *lib*.5. *cap*.12. Joseph. *in Antiq.* Cluver. *lib*. 5. *intr. Geogr.* *nicum* porro vel *Phœnicia* nomen, sit licèt pervulgatum, ob... tamen est originis, & perincertæ. Sunt qui ἀπὸ τῶν φοινίκ... palmarum copiâ *Phœniciam* dictam volunt; alii à colore ... matis, unde scil. in Syriæ litora migraverint primi Phœnices... à purpuræ colore puniceo, cujus Tyri magnus proventus... ἀπὸ τοῦ φόνου, à *cædibus*, quibus fuerint olim impensè d... alii à *Phœnice* Tyrio, cujus in poëtarum fabulis multa m... Plerique recentiorum nomen Hebræum esse putant, à ... interpolatum, quod quidem Scaliger פנחס *Pinchas*, F... פנק *Paneck*, alii פנג *Pannag*, scribi volunt, nullis auth... freti: Cùm Hebræus scriptor vetustus nullus extet, qui P... ciam vel Phœnices his nominibus appellaverit. His igitur ...

Bo

Bochartus *Phœnicum* vocabulum Græcum esse non diffitetur; sed quomodo Græcæ sunt tot populorum, urbium, fluminum nomenclaturæ, quas ex Hebræâ linguâ desumptas Græci ad suæ typum sic effinxerunt, ut viderentur apud se natæ. Ita ex *Moph* fecere *Memphin*; ex *Bosra*, *Byrsam*; ex torrente *Jabboc*, *Jobacchum*; ex torrentibus *Kedron*, & *Kison*, torrentes τῶν κέδρων, καὶ τῶν κισσῶν, id est, *cedrorum*, & *picarum*. Eâ planè ratione *Phœnicum* vocem à Græcis effictam fuisse putat vir magnus ad instar Hebraicarum בני ענק *bene Anak*, ac si *filios Anak*, vel *Anacaos* dixeris. Item *Phœnix*, ἥρως ἡ Ἀθήνησιν, teste Hesychio. Vide Meurs. *Attic. Lect. pag.* 311. Phœnicia Baudrando aliàs pars erat Syriæ: Duplexque fuit, Propria, ubi Tripolis, Botrys, Biblus, Berytus & Sidon: & Phœnicia Libani, seu Damascena, ubi Damascus, Heliopolis, Abyla Lysaniæ, & Cæsarea Paneas.

Phœnice, insula parva maris Ægæi, Sigæo promunt. objecta: & oppid. Epiri mediterr. inter Antigoniam & Hecatompedum, Polyb. Liv. Ptolem.

Phœnicia, vide *Phœnice*. Item nomen totius illius terræ spatii, quod à fluv. Eleuthero, juxta mare Mediterraneum, Pelusiam usq; se olim extenderat: postea verò limites contractiores facti sunt.

Phœnicium mare, vulgò *Mer de Sourie*, sic in S. Scripturis dictum est Mare magnum; estque pars maris Mediterr. ad Ort. maximè extensa, versus oram Syriæ & Phœniciæ.

Phœnicus, urbs Cretæ, & insula juxta Lyciam. Est & *Phœnicus* stagnum, Thucyd. *lib.*8.

Phœnicus, mons Bœotiæ, Thebis imminens, Strab. Item Lyciæ, qui & *Olympus*, cum opp. cognom. Liv.

Phœnicus, portus Cretæ, in parte Austral. territorii Cydoniæ. Nunc *Fenichia*, 25. mill. pass. in Ort. à promunt. *Criumetopon* dicto. Item, insula parva Lyciæ, Stephan. & portus Siciliæ, Ptolem. Vide *Neustathmos*.

Phœnicusa, Ptolem. *Phœnicodes*, Fazello *Felicur*, & *Fenicusa*, una Æoliarum, à Lipara 10. mill. pass. in Occ. totidem circuitu patens, Ericusam versus 5. mill. Straboni tamen inter Ericusam 10. & Didymen 30. mill. distat.

Phœnicussæ, duæ insulæ in Libyco sinu juxta Carthaginem. Est etiam civitas Phœnicum in Syriâ, Steph.

Phœnix, Agenoris filius, Cadmi frater, qui Phœnicibus imperavit, à quo *Phœnicia*, ut quidam volunt.

Phœnix, Amyntoris filius, præceptor Achillis, qui cùm matris suæ hortatu cum patris concubinâ rem habuisset, diris impetitus à patre, relictâ Hellade, in Thessaliam sese contulit, ad Peleum regem, qui illi Dolopum procurationem commisit, filiumque Achillem in disciplinam tradidit, quem etiam ad bellum Trojanum comitatus est, ut ipse narrat apud Hom. *Iliad* 9. Hic oculis tandem captus est. Ovid. *in Ibin*,

Id quod Amyntorides videas, trepidusq; minister
Pertentes baculo luminis orbus iter.

Phœnix, Cretæ insul. urbs Ptolem. *S. Niqueta* Nigr., urbs item & mons non procul à Rhodo. Baudrando hodie *Nichita*, oppidul. Cretæ in orâ Austr. in prov. Cydoniæ, vix 5. m. p. à *Sfachia* oppid. in Ort. & 30. à Cydonia in Merid. ad radices montium. Licet aliis sit *Fenice*, pag. ejusdem tractus, 18. m. p. à Nichita in Occid. Item Lyciæ portus, Ægypti vicus, Siciliæ oppid. Thessaliæ & Achaiæ fluv. Mons Cariæ, in ora, contra Rhodum, inter Gnidum ad Occ. & Caunum ad Ort. cum castro & fluv. cognom. Moletio *Anconitas* vulgò, à Dædala oppido & monte 1500. stad. Plin. Strabo, Ptolemæus.

Phœnix, avis Arabica, solitaria, aquilæ magnitudine, auri fulgore circa collum, cætera purpurea, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus. Vide Plin. 11. 2. & Horapollinem *pag.* 96. Vivere secundùm alios proditur annis 340. juxta alios 600. secundum alios denique 1460. Maximè vulgarum, quingentos annos vivere. Seneca *Epist.* 42. *Nam ille alter fortasse* (sapiens) *tanquam Phœnix, semel anno quingentesimo nascitur.* Ipse se reseminat. Ovidius *Metam.* 15.

Una est quæ reparet, seq; ipsa reseminet ales,
Assyrii Phœnica vocant, &c.
Hæc ubi quinq; suæ complevit secula vitæ, &c.

Quæ si vera sint, præclaram imaginem Resurrectionis hæc avis omnino præbet. Et verò argumenta Resurrectionis, ab eâ, non pauci Patrum ducere solent. Ut Tertullian. *de Resurrect. cap.* 13. Ambros. *de fide Resurrect.* itemque *lib.* 6. *in Hexam. cap.* 23. Zeno Veronensis *de Resurrect.* & alii. Sed & non pauci profanorum auctorum addicunt, ut Plinius, Tacitus, Dio, Victor, Mela, &c. qui & visam quandoque hanc avem tradunt, & ejus descriptionem exhibent. Dubitat Gregor. Nazianzen. *Orat.* 37. quæ de Spiritu S. est, itemque Origin. *contra Celsum lib.* 4. Sed & B. Maximus planè negat, *lib. ad Petrum Illustrem apud Photium pag.* 306. Vide Donati Marcelli *dissertatiunculam de hâc avi*, *ad* 6. *An. Taciti*, *cap.* 33. & Petrum de Valle, *Itiner.*

Phœnix, mons Normanniæ, apud Bajocensem urb. vulgò *Crismont*, Item, *Mont de Bayeux*.

Phœtia, urbs Acarnaniæ, à *Phœtio* fil. Alcmeonis, filii Amphiarai, Polyb. *lib.* 4. Dicitur quoque *Phœtium*, Steph.

Phogor, quæ & *Beelphegor*, villa Judææ, apud Bethlehem, pòst *Phagora*, Hieronymo. Item, Mons in terra Moab, sic dictus ob immensam celsitudinem, Hieronymo *Agri specula* nominatur.

Phogor, vide *Baal Peor*.

Pholegandrus, insula una Sporadum. *Philocandrus*, Ptolem. & Hesychio. *Phlegandrus* est Punice פלך גונדרי *Phelec-gundari*, hoc est, *tractus lapidosus*. Rectè Bocharium sic conjectasse, doceant hæc Strabonis *lib.* 10. quæ inde descripsit Stephanus: Φολέγανδρος, ἣν Ἄρατος σιδηρείην ὀνομάζει διὰ τὴν τραχύτητα. Arati versus sic se habet:

Ὢ Ἀντοῖ σὺ μῆνεις γε σιδηρείη Φολεγάνδρῳ.

Phollathi, nomen viri, 1. Par. 26. Lat. *opus meum*.

Pholoë, Nigro *Xiria*, mons Peloponnesi, in Arcadiâ, sylvosus, nivosus, & excelsus, Pisæ Olympiæ proximus. Hujus meminit Ovid. *lib.* 2. *Fastor.*

Testis erit Pholoë, testes Stymphalides undæ.

Statius 3. *Theb.*

Unus ut ex sylvis Pholoës habitator opacæ.

Sidonius Apollinaris:

Passim per Pholoën jacet nivosam.

Lucanus *lib.* 3.

—— Tunc linquitur Æmus
Thracius, & populum Pholoë mentita biformem.

Inde *Pholoëticus*. Sidon. *in Paneg. Majoriano:*

—— Non sic Pholoëtica monstra
Atq; Pelethronios Lapithas Semeleius Evan
Miscuit. —— ——

Est etiam famulæ cujusdam textricis nomen. Virg. *Æn.* 5.

Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ,
Cressa genus Pholoë, geminiq; sub ubere nati.

Pholoë, mons Thessaliæ, proximus Othry, ubi Hercules centaurum aggressus est.

Pholon, oppidum fuit Arcadiæ, à Pholo centauro dictum. Stephanus.

Pholous, urbs Arcadiæ, à *Pholo* Centauro, Stephan.

Pholus, unus ex Centauris, Ixionis ex Nube fil. qui Herculem ad Pirithoi nuptias euntem hospitio excepit, eoque in tumultu, qui inter Lapithas & Centauros ejusdem in nuptiis exortus est, occubuit. Ovidius. Virg. *Georg.* 2.

—— —— Ille furentes
Centauros letho domuit, Rhœtumq; Pholumq;.

Papinius 2. *Theb.*

Qualis in adversos Lapithas erexit inanem
Magnanimus cratera Pholus.

Claudian. *præfat. ad nupt. Hon. & Mar.*

—— Quæ flectere Rhœton,
Quæ rigidum poterant plectra movere Pholum?

Theocritus *Idyll.* 7.

Ἆρά γε πᾳ τοιόνδε Φόλῳ κατὰ λάινον ἄντρον
Κρατῆρ' Ἡρακλῆι γέρων ἐστάσατο Χείρων,

Phon, urbs Archiepiscopalis Asiæ, G. Tyrio. Nunc quid sit, ignoratur.

Phora, Armen. maj. urbs, Ptolem.

Phoraga, Ariæ urbs. Idem.

Phoraphal, Rex Babylonis, Joseph. Aliis *Phul* dicitur.

Phoratha, filius Aman, Esth. 9. Latinè, *fructificatio*, sive *multiplicatio*, aut *sortilegus*.

Phorba, urbs Achæorum in Thessaliâ. Gentile *Phorbantius*. Stephanus.

Phorbantia, insula Siciliæ ante Drepanum urbem. *Lavenso* Fazello.

Phorbantium, mons Trœzenis, Stephan.

Phorbas, filius Priami & Epithesiæ, Stasippi Mygdoniæ regis filiæ, inter fratres natu maximus, adeò ut Priami frater potius, quàm filius videretur. Quam ob causam cùm pater eum, veluti emeritum, à prælio juberet abstinere, illo tamen invito, non semel in pugnam descendit, & post multa egregia facinora, favente Mercurio, edita, tandem à Menelao est obtruncatus. Hujus imagine assumptâ, Somnus Deus Palinurum decepit. Virgilius *Æneid.* 5.

—— Puppiq; Deus consedit in altâ
Phorbanti similis, funditq; has ore querelas.

Servio dicitur fuisse Triopæ filius, pater Ilionei Trojani, comitis Æneæ. Alius pastor Polybi Corinthiorum regis. Alius, cujus meminit Ovid. *Metam.* 11.

—— Nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.

Phorbas, 5. Atheniensium princeps, anno ante U. C. ferè 200. Alius Argivorum rex, sextus, post Criasin, Ann. M. 2466. Regnavit ann. 35. Rhodum Insulam à serpentum immani multitudine liberam reddidit. Anno ante U. C. ferè 830. Eusebius *in Chronicis*.

Phorca, palus Latii in Marsis, ab urbe Roma 500. stadiis, Isacius. Vide *Fucinus lacus*.

Phorcus, sive *Phorcys*, Ponti ac Terræ filius. Hesiodus *in Theogon.*

Αὐτις δ᾽ αὖ Θαύμαντα μέγαν καὶ ἀγλάορον Φόρκυν,
Γαίῃ μισγόμενος, καὶ Κητὼ καλλιπάρῃον.

Varro tamen Theseæ, alii *Thoosa* legunt, Nymphæ ac Neptuni filium fuisse scribit, qui filias habuit Phorcynidas scil. & Gorgonas, Medusam, Sthenonem & Euryalen, de quib. Pindarus Pythiis. Item Thoosam, quæ cum Neptuno conjuncta Cyclopem peperit Polyphemum. Ovid. Varro. Hesiodus, Homer. *lib.* 1. *Odyss.*

Ἀλλὰ Ποσειδάων γαιήοχος ἀσκελὲς αἰὲν
Κύκλωπος κεχόλωται, ὃν ὀφθαλμοῦ ἀλάωσεν
Ἀντίθεον Πολύφημον, ὅου κράτος ἐστὶ μέγιστον
Πᾶσιν Κυκλώπεσσι. Θόωσα δέ μιν τέκε Νύμφη,
Φόρκυνος θυγάτηρ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος.

Genuit etiam serpentem, qui mala Hesperidum tuebatur, ut ait Hesiodus:

Κητὼ δ᾽ ὁπλότατον Φόρκυϊ φιλότητι μιγεῖσα
Γείνατο δεινὸν ὄφιν, ὃς ἐρεμνῆς κεύθεσι γαίης
Πείρασιν ἐν μεγάλοις παγχρύσεα μῆλα φυλάσσει.

Genuit & Scyllam ex Hecate, ut sensit Acusilaus. Apollonius *libr.* 4.

Ἠὲ παρὲξ Σκύλλης στυγερὴν κευθμῶνα νέεσθαι
Σκύλλης, Αὐσονίης ὀλοόφρονος, ἣν τέκε Φόρκυϊ
Νυκτιπόλος θ᾽ Ἑκάτη, τήν τε κλείουσι Κράταιιν.

Fuit autem, si ad Historiam spectemus, Sardiniæ atque Corsicæ rex, qui ab Atlante navali prælio superatus, in ea pugna submersus sit, neque usquam postea inventus, quare creditus fuit, se in Deorum marinorum numerum recepisse. Vide Palæphatum, Περὶ τῶν τοῦ Φόρκυνος θυγατέρων, ubi Poetarum fabulam refutat, Phorcynem scil. 3 filias, quæ inter se unum duntaxat oculum habentes, illo vicissim utebantur, habuisse.

Phorcynus, portus Ithacæ Insul. ubi Nympharum antrum.

Phoriami, locus Elidis inter Parthenium insidiis aptus, utpote in angusto situs, Stephan.

Phorica, urbs Arcadiæ. Idem.

Phorisia, Asiæ populi, Mela.

Phormio, Crotoniata dux, bello navali Lacedæmonios vicit. Item dux Atheniensium, post Calliam, in bello Peloponnesiaco, Polyæn. 3. de quo Scholia, *in Aristoph Equit.* Dux Atheniensium, rei nauticæ peritissimus, felicissime aliquoties res mari gessit; in prælio duplici contra Lacedæmonios navali 57. naves victor depressit. Diod. Sic. *lib.* 12. Thucyd. *lib.* 2.

Phormio, Archon Athenis, Olymp. 96. An. 1.

Phormio, philosophus; Thucydides *lib.* 2. Peripateticus. Cicer. 2. *de Orat.* Cùm, inquit, Annibal Carthagine expulsus, Ephesum ad Antiochum venisset exul, & ad Phormionem audiendum, propterea quòd ejus nomen erat in magnâ apud omnes gloriâ, invitatus esset ab hospitibus suis, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio, & de omni re militari. Tum cùm cæteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quærebant ab Annibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Hic Pœnus non optimè Græcè, sed tamen liberè respondisse fertur, multos se deliros senes sæpè vidisse, sed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidisse neminem.

Phormisius, homo inquietus, comam alens, aspectu terribilis, crassus & prolixâ barbâ. Traducitur à Comicis, ob munerum avaritiam. Vide Schol. *in Ranas Act.* 4. *Sc.* 1. Quibusdam ibidem est servi nomen.

Phormium, vicus Fori Julii, supra quem fons est mirabilis, in quo lignum dejectum, lapideo cortice obducitur, & virgulta foliaque immersa lapidescunt.

Phormus, Syracusanus Comicus. Geloni tyranno familiaris, cujus filiis præfectus, docuit fabulas septem, quas commemorat Athenæus, novumque vestimenti genus in scenam introduxit. Vide Olympiad. 72. Aristotel. *de A. P.* Lil. Girald. & Vossium, *de Poët.*

Phornacis, Bæticæ urbs in Turdetanis. Ptol. Versus montes Marianos, nunc *Alhama*, opp. Vandalitiæ, in Extremaduræ confin. 9. leuc. à Cordubâ in Bor. versus Aquas Lupias, Baudr.

Phorobrentarium, urbs Libyæ, Stephan.

Phoroneus, filius Inachi fluv. 2. Argivorum Rex, qui initio dispersos populos in urbem coëgit, quam appellavit *Argos Phoronicon.* Regnavit An 60. usque ad An. M. 2307. quo Apis successit. Spartus ejus fil. Spartam condidit. Euseb. *in Chron.* Salian. *in Annal.* Hinc *Phoronis*, & *Phoroneus*.

Phorontis, Asiæ min. oppidum, in Cariæ finibus, circa Joniam, Plinius.

Phortzemum, urbs Marchion. Durlacensis, ad Entium fluvium, ubi Nagoltium recipit, in Suevia, 2. leuc. à Durlaco in Ort. 7. ab Heydelberga in Merid. uti 6. à Spira, & 8. ab Haguenoa in Ort. *Phorca* quibusdam.

Phorum, portus in Attica, Psyttaliæ insulæ oppositus, Strabo.

Phorunna, urbs Thraciæ, Stephan. ex Strab.

Phosebh, filius Jephlat, 1. Par. 7. Latinè, *fragmentum tuum*, sive *diminutio tua.*

Phosphorion, corruptè pro *Bosphorion*, portus Byzantii; ut indicat Stephanus in Βόσπορος.

Phosphorus, Latinè, *Lucifer*, Stella Veneris. Martialis, *Phosphore redde diem.* Vide *Lucifer.*

Phostonia, una ex insulis Halcyoniis, Suidas.

Photinaeon, urbs Thessaliæ, Stephan.

Photinus, Lugdunensis Episcopus Polycarpi discipulus, religionis causâ supplicio affectus. Anno Salutis 169. ætatis suæ 80. al. 90. Euseb. *lib.* 5. *cap.* 2. *Hist. Eccles.* Item hæreticus, Episcop. Syrmii, Ann. Dom. 355. Ingenio, doctrinâ, eloquio pollens; primis functionis suæ annis egregiè docuit, postmodum non contentus renovare errores Sabellii, Pauli Samosateni, Cerinthi & Ebionis, divinam Christi naturam negavit, tum demum Christum incepisse docens, cùm in Jordane baptizatus Spiritum Sanctum acciperet. Damnatus in variis Synodis. ab ipsis quoque Arianis Syrmii An 357. congregatis rejectus est. Tandem sede motus, scripsit contra Gentiles, &c. Photinianorum seu Scotinianorum caput. Epiphan. *hær.* 73. Theodoret. *hær. fab. lib.* 2. Tripart. *Hist. lib.* 5. *cap.* 5. Sulpic. Sev. *lib.* 2. Baron.

Photius, Patr. Constantinopolitanus, stirpe, divitiis, rerum usu, & eruditione illustris. Summis in Aula honoribus defunctus, etiam ad Patriarchatum, utpote S. Tharasii ex sorore nepos aspiravit: pulsoque à Bardâ Ignatio, licet Eunuchus & Laicus, ejus in locum substitutus est, Ann. 858. quem ut tueretur, Synodo 320. Præsulum, cui Zacharias & Rodoaldus, Legati Nicolai I. intererant, celebratâ, Ignatium condemnavit. Excommunicatus propterea à Papa, altero Concilio hunc vicissim anathemate ferit, in amicos cognatosque Ignatii immaniter sæviens. A Basilio Macedone postea, restituto Ignatio pulsus, & Concilio habito condemnatus: post obitum Ignatii An. 878. miro stratagemate usus, in gratiam Basilii, & sedem denuo irrepsit. Contexuit enim commentitiam genealogiam, quâ ostendere nisus est, Basilium à Tiridate Armeniæ R. descendere, illi imposito nomine *Beclas*, ex initialibus literis nominis ejus, uxoris Eudoxiæ, & Constantini, Leonis, Alexandri ac Stephani filiorum, constante: Characteribus Alexandrinis, in pervetusta papyro. Tum inter rarissimos libros in Bibliotheca hoc commento reposito, curavit id per Theophanem, Bibliothecarium, amicum suum, Imperat. ostendi. Quod cùm nemo explicare posset, accersitus Photius, Basilio fictitios ortales evolvit, sic sede iterum potitus: sed sub Leone Philosoph. Basilii filio, A. 886. denuo deturbatus est. Interim, si non de Ecclesia, saltem de literis plurimum meruit. Scripsit Bibliothecam, ab Andrea Schotto, versam: ubi ad examen vocat Auctores 280. quorum fragmenta apud ipsum exstant. Fecit hoc fratris Tharasii suasu, dum ab Imperatore in Assyriam missus, ibi aliquandiu subsistere necesse habuit. Edidit quoque Epist. 248. Nomocanonem, titulis 14. Acta 7. Conciliorum Gener. in compendium contracta, &c. Nicetas *in vita Ignatii.* Anastas. *in vit. Pontif* Zonaras, *Annal. tom.* 3. Vossius, &c.

Phovibagina, Trocmorum in Galatiâ opp. Ptolem.

Phoxus, Phocæensium Dux, à quo Lampsacum condita, Polyæn. *lib.* 8.

Phoxus, Chalcidis tyrannus, à nobilitate & plebe, conjunctis viribus, ejectus, Aristot. 5. *Polit* 4.

Phraaspa, urbs Mediæ, Stephan.

Phraates, filius Orodis, occisus à fil. Phraataee, quem ex pellice genuerat. Demetrium II. Nicanorem, Syriæ R. apud se captivum, filiam suam Rhodogynen uxorem sumere coëgit: Romanis captivos & vexilla Crasso erepta reddidit. Joseph. *Antiq. lib.* 18. *cap.* 3. Sansovinus *lib.* 2. *Chron.* secutus Trogum Pompejum & Justinum, quatuor hujus nominis habet: Heron. Bardius verò *in Chron.* duos tantùm recenset. Vide quoq; Riciol. *Chron. Ref. T.* 1. *lib.* 5. *cap.* 9.

Phraates, Parthorum Rex, quo expulso ob tyrannidem, Tiridates regnum occupavit. Quo tamen rursus dejecto restitutus Phraates ab Augusto fuit. Justinus *lib.* 24. Dio *lib.* 54. Horatius *lib.* 2. *Od.* 2.

Redditum Cyri solio Phraaten,
Dissidens plebi numero beatorum
Eximit virtus. ——

Idem 1. *Epist.* 12.

Jus imperiumq; Phraates
Cæsaris accepit genibus minor.

Filium cognominem habuit, Tacit. 6. 31. Vide *infra.*

Phraates alius, post hunc, Patris interfector, maritus matris, brevi regno pulsus facinorum odio. Vide Joseph *lib* 18.

Phrada, urbs Drangianæ, quam Alexand. M. postea *Prophthasiam* vocari voluit, Stephan.

Phradates, quadraginta quadrigas, magno Caspianorum agmine, in exercitu Darii, qui ad Arbella cæsus est, ductavit: fuit Satrapes Tapurorum; ac postea in fidem ab Alexandro receptus: ob crudelitatem in carcerem conjectus est.

Phraganda, populi Thraciæ videntur, apud Livium *lib.* 26.

Phragmon, statuarius & pictor egregius.

Phrahates, Phraatis filius per Sinnacen & Abdum, splendidissimos Parthorum, à Tiberio, contra Artabanum, postulatus Rex. Sed apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum sumit, patriis moribus impar morbo absumptus est, Tacit. 6. 31. 32.

Phrahates, ſatrapa Parthus, validiſſimam præfecturam obtinens, Tacit. 6. 42.

Phrangi, populi Italiæ, prope Alpes Parthenio Phocæenſi, Stephanus.

Phranicates, Parthorum Imper. qui cum Ventidio apud Trapezunta decertavit, Strabo *lib.* 16.

Phraortes, Rex Medorum, cognom. Artines, ſucceſſit Dejoci cognom. Arſaci. In obſidione Ninives occiſus, Ann. 119. U. C. regni 22. Olymp. 36. Ei ſucceſſit Cyaxares fil. cognom. Aſtibaras. Herodot. *lib.* 1. Diodorus Sic. &c.

Phraortes, Rex Indorum, ad quem Apollonius Tyaneus pervenit: quem cùm de victu interrogaret, reſpondit: *Tantum vini bibo, quantum Soli ſacrifico; quæ autem venando acquiro, paſcuntur alii, mihi ſat fuerit ipſa exercitatio. Cibus mihi olera & palmarum fructus, multa mihi quoq; ex arboribus naſcentia, quæ manus hæ plantaverunt.* Philoſtratus *in Vit. Apollonii.*

Phraſaortes, vide *Madates.*

Phraſiclides, Archon Athenis. Olymp. 102 An. 2.

Phrataphernes, præfectus Maſſageris & Dahis, regionum confinio adjunctis, miſit ad Alexandrum, qui facturum imperata pollicerentur, Curt. 8.

Phrataphernes, Satrapa, poſt Darii mortem, profugit in Hyrcaniam, ſeque Alexandro dedidit, Curt. 6. 22.

Phrazi; Bactrianæ urbs, Ptolem.

Phrearrhi, vicus Athenis in tribu Leontide, à *Phrearrho* inſigni heroë Athenis, Stephan.

Phriata, Garſauriæ in Cappadociâ opp. Ptolem.

Phregena, vide *Fregena.*

Phretes, populi Libyci, Stephan.

Phricion, mons Locridis ſupra Thermopylas, cujus incolæ, Æoles & Phricanes dicuntur, cùm *Phricies* potius dicendum eſſet; dictus eſt à *Phricio* Centauro, quem occidit Hercules: olim *Cries* dicebatur. Eſt & Lariſſa *Phriconis* cognominata, vel *Phricontis.* Incolæ *Phricones*, Stephan.

Phricodemus, Oeantiorum tyrannus, Polyæn. *lib.* 8.

Phritigernus, Rex Gothorum Occid. ſec. 6. Valentis opem contra Athalaricum Gothorum Or. Reg. imploravit, per Wlphilum Epiſcop. Arianum; qui characteres excogitavit, Bibliaque in linguam ſuam tranſtulit: quam ut facilius obtineret, cum pleraque ſubditorum parte Arianiſmum & ipſe amplexus eſt. Ammian. Marcellin. *lib.* 18. Hieron. *in Chron.*

Phrixa, opp. fuit Triphyliæ, poſtea *Phæſtus*, Steph. 50. ſtadiis ab Olympia. Hinc *Phrixæus.*

Phrixus, portus Sarm. Aſiat. apud fauces Boſphori Cimmerii, Steph. Flumen Argiæ, inter Temenium & Lernam in mare fluens, Pauſ. Opp. Lyciæ, Stephano.

Phronima, filia Etearchi Regis Cretæ, quæ ſuaſu novercæ in aquas à patre juſſa eſt præcipitari, Themiſone quodam ſceleris miniſtro, Herodotus *lib.* 4.

Phrontis, Phryxi filius, ex Chalciope Æetæ filio.

Phrudis, Gall. Belg. fluv. Ptolem. *Some* Becano, *Sambri* verò Cænali. Sed hic in Moſam defertur, ille in Ocean. Britan. Ferrar. Baudrando Phrudis *Bresle* fluv. eſt parvus, qui Caletes ab Ambianis ſeparat, ut & Normanniam à Picardia. Oritur ſupra Albamalam; & aliquot auctus rivulis, in Oceanum Brit. ſe exonerat, paulo infra Augum oppid. 6. leuc. ab Abbavilla in Occ. uti & 12. ab Ambiano.

Phrugundiones, Sarmatiæ Europææ gens, Ptol.

Phruri, Scythica gens Sericæ vicina. Dionyſius:

Καὶ Τόχαροι, Φροῦροί τε, καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν.

Ubi aliqui Φρῦνοι.

Phrurium, promunt. Cypri, inter Zephyrium promunt. ad Occ. & Curium urb. ad Ort. *Capo Bianco* Mercatori. Item Indiæ intra Gangem urbs, Ptol. Nunc *Golconda* quibuſd.

Phruſino, vide *Fruſino.*

Phryges, fl. Aſiæ, Phrygiam magnam à Caria dividens, Pauſan.

Phrygia, regio Aſiæ min. gemina: *Magna* Ptolemæo, ſeu *Major* Xenophonti, Livio, & aliis, quæ & *Pacatiana* in Lib. Notit. & Concil. dicitur, & *Salutaris*; in quâ Synnada, & Laodicea metropoles, tota mediterranea. *Germian* Caſtaldo, *Durgat* verò Turcis, teſte Leunclavio; Galatiæ, Pamphyliæ, Lydiæ, Cariæque confinis. Altera *Minor*, quæ Epicteros, teſte Strabone, dicta eſt & Helleſpontiaca, & Troas Ptolemæo, Myſia verò Plinio, *Sarcum*, vel *Sarram* Caſtaldo, in quâ urbes Alexandria, & Dardanum in orb., & intus Ilium, ſive Troja. Baudrando *Phrygia magna*, regio ampla eſt, inter Bithyniam ad Bor. Galatiam ad Ort. Pamphyliam & Lydiam ad Merid. & Myſiam ad Occas. quâ ſeparatur à *Phrygia parva*. Tota nunc ſub Turcis eſt. Ejus Metropoles Synnada, Laodicea, & Hierapolis; extenditurque per 230. leuc. à Circ. in Eur. nempe à Bithynia, ad confin. Pamphyliæ, ſed non æquè lata. Plin. *lib.* 5. *cap.* 32. Strab. Ptol. Cluver. Pop. *Phryges.* Virg. *Æn.* 9.

O verè Phrygiæ, neq; enim Phryges, ite per alta
Dindyma. —— ——

Vel à Phrygia Cecropis filia, vel à Phryge fluvio. Antiquitas eos *Bryges* appellavit, uti docet Herodotus *in Polyhymnia*: qui addit, ſic dictos eſſe, priuſquam tranſmigraſſent in Aſiam. Strabo habet Βρίγας, & Βρίγυας. *Brigantes* eoſdem nominari ab Herodiano tradidit Stephanus. Item locus inter Bœotiam & Atticam Stephan. Porro *Phryges* barbari ac ſervili ingenio eſſe feruntur, qui ſolis verberibus in officiis continentur, unde Proverbium: *Phryx verberatus melior*, teſte Suidâ; quod & Cicer. habet *in Orat. pro L. Flacco*, ubi ait, *Phrygem* plagis meliorem fieri ſolere. Illud quoque: *Serò ſapiunt Phryges:* non ſolùm ab Andronico, ſed etiam à Tullio *in epiſt. Famil.* uſurpatur in eos, quos ſerò pœnitet malè ſeu ſtultè factorum. Phrygum Cannacas Rex, qui & *Cannacus*, & *Annacus* Stephan. cùm ſuprà 300. annos vixiſſet, conſultum oraculum quando moriturus eſſet, reſpondit, *mortuo Cannacâ, omnia peritura.* Quapropter omnes flere & orare, tantum ut malum Deus averteret. Unde adagium, *Cannacæ more plorare*, apud Zenod. de gravi luctu. Phrygia onagris abundat; ut & Lycaonia, Arcadia, India, & Mauritania, ubi velociſſimi, Ferunt. In hac reg. totam civitatem cum piis combuſtam eſſe, ſub Diocletiano Imp. habet Lætus *Comp. Hiſt. Univ.* ex Euſeb. *lib.* 8. *cap* 6. & 12.

Phrygius, ex Nelei poſteris, amore Pieriæ, ſeditionem & diſſidium cum Mileſiis Myuntem incolentibus compoſuit. Polyænus, *libr.* 8.

Phryna, meretrix apud Athenas, de quâ Athen. *lib.* 13. & Quintil. *lib.* 2. *cap.* 15. *Et Phrynen non Hyperides actione, quanquam admirabili, ſed conſpectu corporis, quod illa ſpecioſiſſimum alioqui deductâ nudaverat tunicâ, putant periculo liberatam.* Athenæus *lib.* 13. ex ſexto κωμῳδουμένων Herodici refert duas fuiſſe *Phrynas*, quarum una à Rhetoribus dicta ſit Σηστὸς, ἀπὸ τοῦ σήθειν, quia amatores ſuos quaſi cribro cerneret, & fortunis excuteret. Altera Theſpica, adeò opulenta, ut Thebarum ſe mœnia inſtauraturam ſponderet, dummodo hoc aſcribere vellent Thebani: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΜΕΝ ΚΑΤΕΣΚΑΨΕΝ, ΑΝΕΣΤΗΣΕ ΔΕ ΦΡΥΝΗ Η ΕΤΑΙΡΑ.

Phrynichi, fuerunt quatuor. Unus inſignis poëta, filius Polyphradmonis. Alter Choroclis filius, actor Tragicus. Tertius Poëta Comicus. Quartus dux Athenienſis, collega Aſtyochi, Scholia *in Ariſtoph. Aves* 576. *D.* 2.

Phrynichus, Archon Athenis, Olympiadis centeſimæ decimæ anno quarto.

Phrynichus, Dux Athenienſium, cujus auſpiciis victi Athenienſes admodum ipſi infenſi erant, tanquam Proditori. Addunt Scholia *in Ariſtoph. Ran. Act.* 2. *Sc.* 6. in eum cùm multi Comicorum ac Tragicorum indigne invehe rentur, infamiâ notatos illos omnes fuiſſe.

Phrynichus, Samiorum Dux, jamjam urbem Athenienſibus proditurus, cùm in clarâ ſuſpicione haberetur, & res ad manifeſtum indicium ſpectaret; ipſe antevertit, quidque futurum eſſet, civibus aperuit. Polyæn. *lib.* 1.

Phrynichus, Athenienſis, Olymp. 67. Tragicus, Melanthæ fil. Theſpinis diſcipulus, qui primus vultum fœmineum protulit in ſcenam, & tetrametrum reperit; filium habuit Polyphragmonem, poëtam & ipſum Tragicum: docuit tragœdias novem. Alter item Athenienſis, Comicus, Olymp. 86 inter ſecundos antiquæ Comœdiæ, qui docuit fabulam unam. Jul. Pollux, Suid. &c. Alius Bithynicus Sophiſta, qui ſcripſit de Atticis dictionibus à Nunneſio editis. Alius, Orator, tempore Antonini & Commodi Impp. Auctor *Apparatus Oratorii*, libb. 36. Phot. *Bibl. Cod.* 158 Suidas, libb. 47. Alii, 74. habent. Item Lacedæmoniorum proditor, quem vetus Comœdia notavit, de quo extat proverbium: *Phrynichi lucta.*

Phrynichus, Eunomidæ filius, ob inconcinnitatem Comœdiarum, & ob introductos in ſingulis cnemas ac ſarcinas geſtantes traductus. Vide Scholia in Ariſtoph. *Ranas Act* 1. *Sc.* 1. Vide *in Veſp.* 444. E. 2. *Phrynichi* cujuſdam quadragenta viris Athenis adulantis, ad conciliandam potentiam meminit. Ariſtotel. 5. *Politic.* 6. Thucyd. *lib.* 8.

Phrynon, *nontis*, cum Pittaco, ob Sigeum, ſingulari certamine congreſſus & ab eo reti, quod ſub ſcuto occultaverat, involutus, mortem oppetiit; & ſic adverſario victoriam conceſſit. Vide Polyænum *libr.* 1.

Phrynondas, hoſpes Athenienſis: homo verſutus, maleficus impoſtor, ſummus rerum malarum artifex, adeò ut quoties inſigniter malum accipi volebant antiqui, *Phrynondam* appellarent. Vide Proverb. *Phrynondas alter*, apud Eraſmum.

Phryx, gentile à *Phrygia* deductum; cujus fœmininum eſt *Phrygia*. Virgil. *Æn.* 6. Item fluv. Phrygiæ min. *Phrygius* Strab. & Hylius: A quo regio nomen accepit.

Phryxa, vide *Phrixa*

Phryxæum mare, quod Eubœam ad Mer. circa Caphareum promuntor. alluit

Phryxi Oraculum, apud Albanos, ubi Arietis immolatio vetita, Strabo *libr.* 11.

Phryxus, mel. *Phrixus*, Athamas Æoli filius, frater Cretheos, patruus Æſonis & Peliæ; ex *Nephele* uxore Phryxum & *Hellen* ſuſtulit: poſteà verò *Nephele* in nubem conversâ, *Inonem* Cadmi filiam duxit. Ea, cùm more novercarum privignos odiſſet, Æolicis fœminis perſuadebat, ſemina terræ mandanda torrerent: terra autem toſta, ſementis grana ſuſcipiens, infecunda permanſit, &

magna proinde penuria subsecuta est. Quâ de re ad Apollinem missi, qui oraculum sciscitarentur & ab Inoue muneribus corrupti, nunciarunt, oraculum poscere, ut *Phryxus*, & *Helle* mactarentur, quod, etsi Athamas diu facere recusavit, necessitate tamen compellente Phryxum & Hellen ante aram mactandos constituit: verùm *Nephele*, mater eorum, nube suâ ad eos devecta, ut fugerent præcepit, tradiditque arietem lanam auream habentem, quo pontum eâ parte, quâ angustior est, transfretarent. Sed Helle, muliebri pavore perculsa, in mare decidit atque undis submersa ponto nomen indidit. Phryxus verò, Colchos se contulit atque ibi arietem, Mercurii consilio, Jovi Phryxio sacrificavit, Æetæque regis filiam duxit uxorem, quam alii *Chalciopen*, alii *Jophossam*, alii *Evieniam* appellant. Pherecydes ei cognomen *Chalciope* & *Ophiusa* fuisse scribit. Ex eâ Phryxus quatuor sustulit liberos *Argum*, *Phrontim*, *Melana*, & *Cithisoron*, quem Ephorus *Cythorum* appellat, addit quintum *Presbonem* Epimenides. Vellus autem aureum in templo suspendit, quod postea Jason Medeæ arte adjutus abstulit. Aries verò inter sidera locatus, pristinam effigiem tenuit, qui à *Phrixo*, *Phrixeus* appellatus. Fabulæ occasio, quia Phryxus, cùm ipsi cum noverca non conveniret, cum thesauris paternis, nave cui *Arietis* insigne, Colchos se recepit. Apollodor. Hygin. Ovid. *Metam. lib.* 7. Apollon. *lib.* 2.

Ἀτρεκέως οἴεσθε τὸν ἀκούετε χρὶ πλέο@ αὐτοὶ
Φρίξον, ὅστις πτολίεθρον ἀφίκετο Αἰήταο
Κριοῦ ἐπεμβεβαώς, τόν ῥα χρύσειον ἔθηκεν
Ἑρμείας, &c.

Ovidius *in Ep. Leandri*:

Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,
Vixq; manet portu tuta carina suo.
Hoc mare cùm primum de virgine nomina mersâ
Quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto.
Est satis amissâ locus hic infamis ab Helle:
Utq; mihi parcat, nomine crimen habet.
Invideo Phrixo, quem per freta tristia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.

Manilius *lib* 4. *Astronomicôn*:

—— *Testis tibi laniger ipse,*
Cùm vitreum findens aurato vellere pontum,
Orbatumq; suâ Phrixum per fata sorore,
Phasidos ad ripas & Colchida regna revexit.

Columella *lib.* 10.

Mox ubi Nubigenæ Phrixi nec portitor Helles.

Statius *Theb.* 5.

Gentibus æquorei redierunt vellera Phrixi.

Martialis *lib.* 8. *epigr.* 28.

Non Athamantheo potius me mirer in auro,
Æolium dones si mihi Phrixe pecus.

Idem *ibidem epigr* 51.

Stat caper Æolio Thebani vellere Phrixi
Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror.

Vide Nat. Com. *lib* 6. *cap.* 9.

Phthas, Vulcanus dictus est, quatenus sine mendacio peragit omnia, & artificiosè simul cum veritate. Gyrald. *Syntag.* 13.

Phthelеon, opp. Thessaliæ, ad Sin. Pagasicum, inter Demetriadem & Thebas Phthiotidis; *Fiteleo*.

Phthembutis, Ægypti Nomus, Ptolem.

Phthenotes, Ægypti Nomus, Idem.

Phtherigius, mons Syriæ, Rhoso urbi imminens, in ora, ubi Piapis fluvius exoneratur.

Phthia, urbs Thessaliæ, patria Achillis, unde *Phthius* dicitur ab Horatio *in Odis*:

—— *Troja prope victor alta*
Phthius Achilles.

Ejus meminit Ovidius *Metam.* 13.

Quis locus A acis Phthiam hac Scyronve ferantur.

Virgilius *lib.* 1. *Æneid.*

Cùm domus Assaraci Phthiami, clarasq; Mycenas
Servitio premeret. —— ——

Item portus Marmaricæ, Ptolem. Plin. Strab. *Porto del Patriarcha*, teste Moletio.

Phthinopolis, Plinio *Phinopolis*, Vide ibi.

Phthinthia, opp. seu pagus Siciliæ mediterr. in orâ Australi ad fluv. cognominem, inter Camarinam, & Terram novam in mare influentem. *Drilo*, teste Nigro.

Phthiotis, una ex 4. Thessaliæ partibus, Strabo. *Phthia* Polybio, in qua Thebæ, metropol. vulgò *Ziton*. Hinc *Phthius*, & *Phthieus*.

Phthira, Cariæ mons, Stephan.

Phthirophagi, pop. Sarmatiæ Asianæ in Corocondama penins. teste Strabone ad Euxinum mare.

Phthontis, Ægypti vicus, Ptolem.

Phthuris, Æthiopiæ oppidum, unum ex iis, quæ C. Petronius, quum ab Augusto Ægypto præfectus esset, expugnavit, Plinius *lib.* 10. *cap.* 39.

Phthuth, Maurit. Tingitanæ fluv. extra Herculis columnas, in Oceanum Atlanticum influens, inter Solis mont. & Phut oppid. *Tensift* Castaldo, *Fez* Varrerio. Sansoni oritur ex Atlante; dein inter provv. Marochiam & Hascoram fluens, ut & inter Duccalam & Heam, in regno Marochio, aliquot auctus fluv. paulo infra Azafiam in Oc. Atlanticum influit.

Phua, Hebr. פוה Fil. Issachar, Gen. 46. Latinè *hic*, adverb. loci, aut *os, oris*.

Phua, Hebr. פועה. Nomen obstetricis cujusdam Hebræorum, Exod. 1. Lat. *gemens, ululans*, vel *apparens*.

Phul, Rex Ninives, secundùm alios Præfectus Assyriorum, regnare incepit, An. M. 3238. Hujus amicitiam Menahem Israelis Rex magnâ auri vi sibi conciliavit. Obiit An. 3285. successit Theglatphalasar, 4. Reg. 15. Lat. *ruina*, vel *faba*.

Phulassar, Babylon. rex, qui Josepho *Tadaphassar*, Olymp. 1.

Phulbelochus, rex Babyloniorum, an ante U. C. ferè 70.

Phundusii, Ptol. pop. Germ. quorum urbs *Ripen*, in Cimbrica Chers. à Slesvico Urbe, 14. leuc. in Circ. Ferrar.

Phunon, civ. quondam Principum Edom, dein viculus, ubi æris metalla damnatorum suppliciis effodiuntur. Hic castrametati sunt filii Israël profecti de Salmona, Numer. 23. Latinè, *gemma*, sive *aspiciens*.

Phuphena, Armen. min. urbs, Ptolem. *Eustana* Antonino, teste Simlero.

Phurnita, urbs Libyæ, Steph.

Phusca, *Physcus* Diod. & Strab. urbs Cariæ marit. *Fiesco* Moletio, inter Lorymam ad Occ. & Caunum ad Ort.

Phuth, filius Cham, Gen. 10. Inde *Phuthai*, Mauritaniæ popul. Josepho *lib.* 1. *cap* 6. qui fluv. ibi cognominem habet, hodie *Tensift*. Vide Boch *Geogr. Sacr lib* 4 *cap.* 32.

Phuthi, filius Sobal, 1. Paral. 2. 2. Latinè, *seducens*, aut *buccella*, sive *latitudo*.

Phutiel, id est, *pinguedo Dei*, nomen viri, Exod. 6.

Phutiphar, Hebr. פוטיפר. Eunuchus Pharaonis, herus Josephi, Gen. 37. Lat. *saginatus taurus*. vel *pinguedinis fructificatio*.

Phutiphar, Hebr. פוטיפרע, Nomen sacerdotis Heliopoleos, soceri Josephi, Gen. 41. Lat. *pinguedinem dissipans*, vel *pinguedinis denudatio*, aut Syriacè, *pinguedinis vindicta*.

Phya, mulier Attica, procera & formosa, quam Pisistratus, cùm tertium esset Athenas occupaturus, Palladis armis ornatam, ante se in curru collocavit, atque opinionem populo injecit, tanquam à Minerva reduceretur. Vide Herodot. *lib.* 1. & Polyæn.

Phycocle, urbs Æmiliæ marit. Epis. sub Archiepisc. Ravennate, inde 15. m. pass. Ariminum versus 20. ubi sal coquitur, ingensque illius proventus est in totâ Æmiliâ: urbs ob aëris insalubritatem à paucis habitata. *Cervia* vulgò dicitur.

Phycus, *untis*, promuntor. Cyrenaicæ apud Cyrenen urb. inde introrsum ad 12. mill. distantem. Est etiam castrum, quod Niger scribit ab Italis nautis *Cabo de Carena*, & a Barbaris *Baxasen* dici. Lucan. *lib.* 9.

—— *Sævas merium Phycunta rapinas*
Sparsit. —— ——

Baudrando *Phycus*, promunt. & portus, nunc *Capo di Cairoan*, 12. m. p. distat à Cyrene in Bor. 225. à Creta in Merid. versus Syrtim maj. 50. circiter ab Alexandria in Occ.

Phycussæ, insulæ Libyæ: sic dictæ, quòd plenæ sint *fucis*, id est, algis. Incolæ *Phycussai*, aut *Phycussii*. Steph.

Phygadum Insula id est, *exulum*, in Sinu Arab. Strabò.

Phygela, oppidum Pannoniæ à *fugitivis* conditum, ac sic dictum, Plin. *lib.* 5. *cap.* 29.

Phygellus, vir quidam, de quo B. Paulus 2. Tim. 1.

Phyla, Atticæ reg. castellum, Tanagræ finitimum, Trogus.

Phylace, opp. Thessaliæ in Epiri, seu Molossidis (quæ est regio Epiri) confin. à *Phylaco* Deionis filio conditum. In hoc Protesilaus regnavit, unde ipse *Phylacides* dictus. Ejus mem. Lucan. *lib.* 6.

—— *Prima Rhoetëia litora pinu*
Quæ tetigit Phylace, Pteleosq; & Dorion ira
Flebile Pieridum. —— ——

Phylace etiam Pausan. & Apollod. locus est Peloponnesi in Arcadiâ, unde Alpheus fluv. oritur. *Phylace* quoque Hermopolitana, urbs Ægypti ad Nilum, *Benisuaif* Zeiglero, cui etiam *Phylac. Thebaica* est in eadem reg. quam *Munia* dici idem ait. Item *Phylace* Macedoniæ opp. in Pieriâ reg. inter Laussam & Pellam. Plin Ptolem. Baudrando quid sit hodie, non constat. Interpres Theocriti ait, non procul esse à monte Othri. Sedet ad fontes Milis fluv 35. m. p. à Larissa in Circ. 60. à Pella in Merid.

Phylacensii, Bithyniæ pop. Ptolem.

Phylacterium, vasculum est de argento, vel auro, vel crystall vel ebore, &c. in quo Sanctorum cineres, vel reliquiæ reconduntu Cùm enim Elnidius fideles *Cinericios* vocaret, quòd cineres servabant, statutum fuit in Ecclesia, ut honorificè in pretiosis vascul servarentur. A φυλάττειν. Vide Durand. *Ration. lib.* 3. *n.* 26. Sumit quoq; pro munimine magico adversus ægritudines, infortunia, dæmones, quod ductum à Judæorum superstitione, qui Decalogo i scripta *Phylacteria*, veluti Numina tutelaria, deferebant. Hujusmo munimina prohibita fuerunt Concil. Ratisbonensi An. Ch. 74 præsente Karlomanno Duce & Principe Francorum habito. Vi Hieron. *in Matth. cap.* 23. & Spelmann. *Gloss. Arch.*

Phy

Phyle, vicus in Oeneide tribu. Steph.

Phyleus, unus e ducibus Græcorum, qui ad Trojam navigarunt. Hom.

Phylistium, pop. Palæstinæ hinc fortè dictæ, in Ægypti confin. quorum Urbes Gaza, Afcalo, Azotus, Jamnia & Anthedon. *Philistæi* etiam dicuntur. V. ibi.

Phylita, gens Indiæ intra Gangem. Ptol.

Phylla, uxor Demetrii Poliorcetæ, ex qua Stratonicen, Seleuci uxorem, fuscepit.

Phylleius, mons, urbs, & regio Pireſiæ in Macedonià. Apollonius 1. *Argon.*

Phyllidas, fcriba Archiæ, Polemarchi Thebani, qui operam dabat conjuratis; has partes fuſcepit, ut ad polemarchos epulari & indulgere Genio, & litare Veneri cogitantes, matronas quasdam nobiles & formofas perduceret.

Phyllis, Muficus, nuptialia quædam carmina feciſſe videtur, ex Schol. in *Ranas. Act. V. Sc. 2.*

Phyllis, Lycurgi, Thracum regis filia, quæ Demophoonta, Thesei filium, ex Trojano bello redeuntem, hofpitio lectoque excepit, acceptâ prius ab eo fide, ut domi compofitis rebus fefe uxorem duceret. Profectus itaque Demophoon, cùm ultra ftatutum tempus variis aſtrictus negotiis in patriâ detineretur, Phyllis amoris impatientiâ, & doloris impulſu, quòd fe fpretam crederet, laqueo vitam finivit, & converſa eſt in arborem amygdalum fine foliis. Poſtea reverſus Demophoon re cognitâ, amplexus eſt truncum, qui, velut fponfi fenſiens adventum, folia emiſit. Unde etiam *phylla* dicta funt folia, à *Phyllide* fc. quæ antea *petala* dicebantur. Item puellæ ruſticæ nomen apud Virg. *in Eclogis:*

Phyllida amo ante alias.

Item *Phyllis*, nutrix Domitiani Imp. Sueton. *in Vitâ Dom. cap.* 17. *Cadaver ejus populari fandapilâ per veſpillones exportatum, Phyllis nutrix in fuburbano ſuo Latinâ via funeravit.*

Phyllis, amnis Bithyniæ, à quo *Phylli*, & *Phyllienſes*, dicuntur Strab. ac Stephano. Item reg. Thraciæ apud Pangæum montem. Herod. *lib.* 7.

Phyllos, reg. Arcadiæ. Sed apud Strab. op. Theſſaliæ, Lariſſæ propinquum, ubi erat fanum Apollinis, Mideæ opp. vicinum. Statius *Thebaidos* 4.

Aptior armentis Midea, pecoroſaq; Phyllos.

Phyſca, Mygdonidis in Macedoniâ urbs. Ptol.

Phyſce, Mœſiæ infer. op. Ptol. *Chosabet* Nigro.

Phyſcella, Macedon. urbs ad Mecyberneum finum. Pomponius, Plin.

Phyſcia, urbs Lyciæ in alto monte. Steph.

Phyſcos, op. Cariæ in orâ contra Rhodum. Strabo. Item portus & il. Rhodi. Steph *Gatura* nunc, teſte Ortelio. Eſt & mons Magnæ Græciæ apud Crotonam urbem. Theocr. denique op. Locridis à Phyſco Ætolo conditum. Steph.

Phyſicus Jupiter, antiquis aër. Theon.

Phytæum, urbs Æoliæ. Steph Gentile *Phytæus.*

Phytalmius, Neptunus à Trœzenilis fic dicus, à quibus extra murostemplum Neptuno erectum fuerat, quòd eorum precibus mortus non amplius abuam falſam frugibus infpergeret. Heſychius idem cognomen Jovi tribuit, qui e poetis *hominum ſator atq; Deorum* vocari folet. Eſt autem φύειν idem quod *ſerere*, feu *plantare*

Phyteum, Elidis urbs. Gentile *Phyteates*. Steph.

Phyton, dux Rheginorum contra Dionyſium. Diod. 14. 451. *f.* alii fcrib. *Phæton*. Hic deditâ Rhegio, altiſſimo tormento, juſſu Dionyſii, alligatus eſt; ejuſque filius mari ſubmerſus. Cùm hoc ipſi à quodam miniſtro Dionyſii indicaretur, reſpondit, uno die feliciorem illum eſſe fe. Poſt hæc circumductus eſt per urbem flagris & omni cruciatu exagitatus, comitante præcone, qui proclamaret, infolito fupplicio ideò à Dionyſio addictum eſſe, quòd civitati bellum contrà fe movere perſuaſiſſet. Poſthæc, cùm Dionyſius animadverteret quoſdam milites, ejus miſericordiâ commotos, fpectare tumultum, & vereretur, ne ab iis eriperetur, juſſit tum cum omnibus cognatis fubmergi in mari.

Phytonia, Tyrrheni maris inſ. Mela.

Phytus, V. *Prophytus.*

Phyxium, Elidis in Peloponneſo urbs. Polyb.

Phyxius Jupiter, quòd fugientibus auxilietur, & ad quem confugiant ii, quibus eo loci periculum immineat, dictus.

Phyzania, Africæ regio. Ptol.

P I

Piacularis, porta Romæ appellata, ob quædam *piacula*, quæ ibi fieri folebant.

Piacus urbs Siciliæ. Cives *Piaceni*. Steph.

Piada, Sericæ urbs Ptol. *Peim* Mercatori.

Piala, Scythiæ pop. qui cum Parthis ex æquo vivunt ac degunt. Plin. 6. 17.

Piala, Cappadociæ in Ponto Galatico urbs. Ptol.

Pialia, urbs Theſſaliæ ſuper Cercetium mont. Steph.

Piarenſii, Myſiæ infer. gens. Ptol.

Piaſa, pop. juxta Pontum. Steph.

Piaſtus, civis Cruſvicenſis, fe patremque agriculturâ apumque curâ cum aliquandiu fuſtentaſſet, poſt Popielum, Princeps à Polonis conſtitutus eſt, Ann. 842. Virtute & auctoritate ſuâ Remp. non parum antea turbatam in integrum reſtituit: regiâ Cruſviciâ Gnezenam tranſlatâ, Obiit An. 861. æt. 120. Cromerus *Hiſt. Polon. lib.* 2. Pater Ziemoviti; qui, militaris diſciplinæ auctor, Bohemos Caſſubiosque devicit, & amiſſas Popieli ignaviâ provincias recuperavit. Huic Leſcus fil. fuit, adverſus quem Henricus Auceps Miſnenſem ac Brandeburgenſem Marchias conſtituit: Pater Ziemomisli, quo genitus Miciſlaus, ductâ Boleſlai Bohemiæ Ducis filiâ Dambrovicâ Chriſtianâ, ab eâdem ipſe facris initiatus, gentem ſuam primus ad fidem, An. 965. perduxit. Hujus fil. Boleſlaus Chrobri, primus genti *Regium* titulum intulit, an ab Ottone III. Imp. delatum, (an fponte à Miciſlao fil. ſumtum, ſub Conrado II?) Hujus conſtitutioni militem defenſioni regni, intra breve tempus, ſemper paratum attribuunt. Succeſſere Miciſlaus & Otto fil. quorum hic ab illo pulſus, à Conrado II. reſtitutus, dein à milite cæſus eſt: illi Maſovia adempta à Maſlao pocillatore, & Moravia à Bohemis. Ei ex Rixa Palatina natus Caſimirus, e Cluniacenſi monaſterio in thronum revocatus eſt, *Petri nummo* tum Pontifici conceſſo. Hic Maſlai victor extitit, ſed Henrico III factus eſt tributarius. Pater Boleſlai Audacis, qui bellicâ laude clarus, Henricum IV. civili bello occupatum cernens, regium diadema iterum ſumſit; Sed in tyrannum degenerans, dirisque à Pontifice devotus, An. 1081. dicitur ipſe ſibi manus intuliſſe. Ejus frater Vladiſlaus Hermannus, reverentiâ potius Imperii, quàm Pontificis interdicto, regio nomine abſtinens, *Princeps* vocari voluit. Pater hic fuit Boleſlai Crivouſti, qui ad Vratiſlaviam, *in Canum campo* ab Henrico V. Imp. victus eſt, Polonis victoriam ſuæ genti adſcribentibus, qui eum 46. acie decreviſſe, ſemper victorem, ſcribunt, niſi quòd ultimo bello adverſus Ruſſos circumventus eſt, ignaviâ Scarbimiri Palatini Cracov. cui ob id *pellis leporina, fuſus & colus* à Boleſlao miſſa; qui proin voluntario ſuſpendio periit, poſteritate ejus Caſtellanis ſuis poſtpoſitâ. Obiit An 1139 eodem cum Alexandro M. temperamento prædirus. Pater Vladiſlai, (qui à fratribus pulſus, Conradum Glogoviæ, Boleſlaum verò & Miecislaum Sileſiæ inferioris ac ſup. Duces reliquit) Miciſlai, (qui quartâ vice regno potitus, obiit An. 1202. pater Vladiſlai ſi[illegible]atoris, cujus fil. Primiſlaus, mortuus An. 1257. Præmiſlaum poſtumum ſucceſſorem habuit, qui excuſſo Imperii obſequio An. 1295. regium diadema denuo aſſumpſit, ἄτεκνος mortuus: primus arg. n eæ monetæ in Polonia auctor creditus, cùm antea monetâ coreaceâ Poloni uterentur,) & Caſimiri. Hic à Patre, cujus quintus erat filius, in teſtamento prætereitus, quia currus à 4. rotis geſtetur, ipſe autem in medio currus ſeſſurus & ad ſummum faſtigium perventurus eſſet: Princeps optimus, niſi quòd in molliorem lexum pronior, legibus Remp. inſtruxit. Mortuus An. 1194. Ei ſucceſſit fil. Leſcus, quo à Suantopulco D. Pomerelliæ occiſo, A. 1227 regno potitus eſt fil. Boleſlaus Pudicus, qui vitâ exceſſit A. 1279. ἄτεκνος; E Patrui ejus Conradi poſteris Vladiſlaus Locticus, diadema ſumſit, A. 1310. cùm Ludovicus Bav. Imp. à Pontifice profcriptus, & domi impeditus eſſet. Hic mortuus An. 1333 ſucceſſorem habuit filium ex Hedvige Caliſienſi Caſimirum M. qui optimus Rex, ſi libidinem excipias, regnum inſigniter excoluit, & Acad. Cracovienſi A. 1364. inſtitutâ exornavit: tandemque An. 1370. in *Piaſtea* familia, qui Polonis imperaſſet, ultimus, vivendi finem fecit. Succeſſit ex Carolo Roberto Hung. R. filius Ludovicus, ſcriptus à Caſimiro hæres. Plura V. apud Spener. *Sylloge. Geneal. Hiſtor.* Cæterum continuata eſt *Piaſtorum* familia, à Principibus Mazovianis, & utriuſque Sileſiæ Ducibus, his imprimis, quorum poſtremus Georgius Wilhelmus, Eccl. Reform. i lis in regionibus unicum, poſt Deum, columen, Obiit Ann. 1675. æt. 15. poſtquam ann. 900. *Piaſtea* ſtirps floruiſſet.

Piaſus, Pelaſgorum Dux. Strabo *lib.* 13.

Pibracus Guido, Tholoſanus. Vid. *Guido*. Conſule quoque Carolum Paſchalem, *in ejus vita*. Sammart. *elog. lib.* 3. Thuan. *in Hiſt. &c*

Pica, Inſula *Ilha de Pico*, in Atlantico mari, 15. mill. Longitud. nomen habet à monte *Pico*, qui altitudine montem Pico Canariæ ſuperare dicitur. In inſula Tercera ſereno cœlo conſpici facillimè poteſt, & ut vix uno milliari diſtare videatur, cùm fere 25. mill. diſtantia computetur: nam in extremitate inſulæ, Fayal verſus ſitus eſt mons: Ejus vertex ultra nubes tendit, cùm mons nubibus cœli & Horizonte tectus ſit. Forma huic inſulæ ideò magna, quia fructifera eſt, lignum fert copioſè: cedrum nempe ac pretioſum illud, quod *Teixo* vocant. Hic naves fabricantur, ob lignum copiam: regio edicto cavetur, ne quis illud violet, cùm miniſtri regii duntaxat illud ſecandi curam habeant. Metel. Una eſt ex Terrariis, ſeu Aſſoribus, prope Fayalis & S. Georgii Inſ. Extenditur ab Ortu in Occ. ad 45. m. p. ſuntque tantùm aliquot caſtra & pagi in ea, ſub Luſitanis. P. du Val, Baudrandus.

Picardi, à Picardo Belga ſic dicti, Adamitarum errores incruſtabant, An. 1414. ſi vera referunt Auctores. Idem nomen, per convicium, tributum fuit Valdenſibus, an ex eo, quia Petrus Valdus, cùm Lugduni tutò vivere amplius non poſſet, in Picardiam longum poſt ſe diſcipulorum agmen trahens, conceſſerat, illâ

illâ ferme totâ in suas partes pertractâ, circa An. C. 1170. Reinerius *in Bibl. &c.* & hinc illis ex Hussitis, qui à Calixtinis secessione factâ, omissis bellis, tantùm intenti fuerunt puritati doctrinæ propagandæ & disciplinæ Ecclesiasticæ arctioribus vinculis astringendæ & conservandæ. A. 1457. Qui *Fratrum* nomine notissimi, An. 1508. cùm proscripti essent, Varadiensi Episcop. decretum extorquente, hic vesicam paulo pòst levaturus, miserè scroto ad paxillum currus alliso, periit, aliisque persecutoribus repentè extinctis, in proverbium abiit: *Quem vivere piget, Picardos aggrediatur.* Johann. Comen. *in Annal. Fratr.* In hos, Lutherus, adhuc Pontificius, graviter invectus est, *tom.* 1. *Vittemberg. in* 1. *præc. V.* Æn. Sylv. *cap.* 42. *Boh.* Dubrav. *lib.* 26.

Picardia, Gall. Belg. provincia, una ex regni maximis, nitidissimis, cultissimis & populosis admodum urbibus nobilis, quarum caput est Ambianum ad Samonam fluv. Annal. Gall. Huic nomen à teli genere, quod *Piques* vocant, cujus usus apud illos primùm inventus sit. Valesius inde libentius deducit, quòd vino aut levi convitio facilè ad iracundiam concitentur: pungi enim *se piquer*, & rixam *une pique* Gallis notat, qui & Flandrenses propterea *Eigennuts Flamans*, quasi flammato corde & irâ facilè ardescentes, vocant. Tractus ob fertilitatem *Parisiorum horreum* dicitur: vinum non fert, quæ tamen hominum potius, quàm agri pigrities. Ortel. Merula. In confin. Belgii, inter Campaniam ad Ort. Hannoniam Artesiamque ad Bor. mare Britann. & Normanniam ad Occ. & Insulam Franciæ ad Mer. sita est, continetque majorem partem prov. Belgicæ II. Nunc ejus partes sunt septem: Comitatus nempe Bononiensis, Ponticum *le Pontieu*, Ambianensis ager, Sanguitersa *la Sancerre*, Veromanduensis ager, Tirascia, & Recuperata ditio. Cùm antea partes ejus essent etiam tractus Bellovacensis, Noviomensis, Laudunensis, & Valesia; sed nunc sunt sub Præfectura Inf. Franciæ. A paucis annis Præfecturæ generali Picardiæ adjuncta fuit Artesia, antea pars Belgii. Erant aliàs in illa regione Ambiani, Suessiones ex parte, Gessoriacus, pagus Oromansaci, & Veromandui. Duchen. *Antiq. Gall.* Joh. Surhovius, *Picard. Belg. descr.* Adr. Morlerius *Hist. Ambian.*

Pagi majores finibus Picardiæ inclusi.

Ambianensis, *l'Amienois.*	Morinensis vel Tarvennensis.
Bellovacensis, *le Beauvaisis.*	Noviomagensis, *le Noyonois.*
Bononiensis, *le Boulonois.*	Silvanectensis, *le Senlisien.*
Laudunensis, *le Laonois.*	Suessionicus, *le Soissonnois.*

Veromandensis, *le Vermandois.*

quorum cuilibet minores pagi attribuuntur, de quibus V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Picardiæ urbes præcipuæ:

Abbavilla, *Abbeville.*	Fanum S. Quintini, *S. Quentin.*
Ambianum, *Amiens.*	Fara, *la Fere.*
Ardra, *Ardres.*	Guisia, *Guise.*
Bononia, *Boulogne.*	Hamum, *Ham.*
Caletum, *Calais.*	Monstrolium, *Monstreuil.*
Capella, *la Capelle.*	Perona, *Perone.*
Castelletum, *le Castelet.*	Rola seu Rodium, *Roye.*
Corbeia, *Corbie.*	Rua, seu Fanum S. Spiritus,
Dulendium, *Dourlens.*	*Rüe.* Vid. & *Picardi.*

Piceleo, opp. amplum Duc. Mediol. in Cremonensi territ. & limite Laudensis tractus & Cremensis, cum arce munita, ad Adduam, medium inter Cremonam & Laudem Pompejam, 5. tantum mill. à confin. ditionis Parmensis; *Puighitone.* Crevit ex ruinis Fori Jutuntorum.

Picendaca, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Piceni, populi Italiæ, e Sabinorum agro profecti, quoniam ductu auspicioque *Pici* iter ingressi erant (quam avem Marti sacram credidere veteres) hinc *Picenorum* nomen deinde nacti, ut ait, Strabo, regionem hanc prius incoluere Pelasgi. Huic *Marchiæ Anconitanæ* nomen, à Longobardis, ortum, qui post excessum Narsetis, Italia tota occupata, Romani imperii funditus extirpandi consilium cœperunt, & magistratuum veterum formas novis turbarunt institutis. Ita suam dominationem in senas divisere præfecturas. Quaternæ *Ducatus* appellabantur, erantque Beneventanus, Spoletinus, Forojuliensis & Taurinus: binæ *Marchionatus*, nimirum Anconitanus & Taruisinus. Picenum itaq; Longobardi *Marchiam* dixere, & *Anconitanam*, ab Ancone oppido, quòd in eo, tanquam nobilissimo præcipuoque, regionis universæ, Marchiones sedem ac domicilium habere solebant. Regionis hujus limites sunt, ad Orientem, Prætutini populi, cum Truento amne; ad Meridiem Sabini, Vilumbri, Umbri Ducatus Spoletini gentes cum Apennino; ad Septentrionem, sinus Adriaticus; ad Occasum, Gallia Togata, nunc *Romanula*, cum Isauro amne. Urbes habet præcipuas, Pisaurum, Fanum Fortunæ, Senam Gallicam, Urbinum, Camerinum, Asculum, ipsamque Anconam à Syracusanis, Dionysii tyrannidem fugientibus conditam. In hac Picena regione lapidibus pluit, qui strages illas indicabant facturas, quas Italiæ intulit Annibal: *Tit. Liv. lib.* 1. V. *Picenum.*

Picentes, pop. Piceni, Vid. *Picenum*, & pop. regni Neap. Vide *Picentini.*

Picentia, Picentinorum op. quod caput Gentis fuit, teste Strabone *lib.* 5. Τῶν δὲ Πικεντίνων ὑπῆρχε μητρόπολις Πικεντία. Silius *lib.* 8.

—— *Nunc sese ostendere miles*
Leucosia è scopulis, nunc quem Picentia Pæsto
Misit. —— ——

Mela 2. 4. *Pæstum opidum, Silarus amnis, Picentia.* *Picentum* Stephano dicitur. *Vicentiam* hodie vocari tradit Leander. V. Cluver. *Ital. Ant. lib.* 4. *cap.* 6. V. *Picentini.*

Picentini, populi divisi fuere à Lucanis Silaro fluvio, fueruntq; ubi nunc pars Borealis Principatus citerioris, in regno Neapolitano, juxta sinum Salernitanum. Brietius autem credit Surrentum, Vicum Æquensem, Massam, & Stabias non fuisse aliàs Picentinorum urbes, sed Campaniæ, uti etiam sunt hodie.

Urbes Picentinorum hodie exstantes:

Amalphis, *Amalfi*, archiepiscopalis.
Caprea, insula cum urbe episcopali sub Archiepiscopo Amalphitano, *Capri.* Urbs parva.
Cava, *la Cava*, vulgò, episcopalis recens sub Archiepiscopo Salernitano.
Lycteræ, *Lectere*, episcopalis sub Archiepiscopo Amalphitano, parva.
Massa Lubrensis, *Massa di Sorrento*, episcopalis sub Archiepiscopo Surrentino.
Minor, *Minori*, episcopalis sub Archiepiscopo Amalphitano, parva.
Nucera, *Nocera de Pagani*, episcopalis sub Archiepiscopo Salernitano.
Ravellum, quasi Rebellum, *Ravello*, episcopalis sub Archiepiscopo Amalphitano. Sedes juncta Scalensi, parva.
Salernum, *Salerno*, archiepiscopalis, Principatus citerioris caput, olim Academia.
Sarnus, *Sarno*, episcopalis sub Archiepiscopo Salernitano.
Scalæ, *Scala*, episcopalis sub Archiepiscopo Amalphitano.
Stabiæ, *Castel à mar di Stabia*, quasi Stabiæ novæ, episcopalis sub Archiepiscopo Surrentino.
Surrentum, *Sorrento*, archiepiscopalis.
Vicus Æquensis, *Vico di Sorrento*, episcopalis sub Archiepiscopo Surrentino, parva.
Interiere Pompeii, Stabiæ, & Æqua.

Picenum, Picentium regio, qui Umbris & Sabinis ab ortu Solis proximi fuerunt. Dicitur & *Picenus ager*, vocabulo adjectivo: quod etiam in aliis rebus ad hoc solum pertinentibus usurparunt veteres Romani. Horat. *lib.* 2. *Sat.* 3.

—— *Picenis excerpens semina pomis.*

Juvenal. *Sat.* 11.

Signinum, Syriumq; pyrum, de corbibus iisdem
Æmula Picenis & odoris mala recentis.

Martial. 1. 43.

Nec de Picenis venit oliva cadis.

Auson. *Ep.* 3.

Qualis Picena populator turdus oliva
Clunes opimat cereas.

Plutarcho ac Ptolemæo, gens ipsa dicitur, Πικηνοὶ, regio verò Appiano *Civil. lib.* 1. Πικηνὶς, quæ Polybio *lib.* 2. & Straboni *lib.* 5. est Πικεντίνη, quo vocabulo gentilitio Romani quoque usi sunt. Polybio *lib.* 3. ac Dion. *lib.* 63. gens dicitur ad superum mare, ut omnibus pariter Latinis, Πικέντες. Stephano verò corruptè Πικεντῖνοι. Regio verò eorundem eidem τὸ Πικεντινόν. Ὀμβρικοὶ, inquit, ἔθνος Ἰταλικὸν περὶ τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον, μέσον τοῦ Πάδου καὶ Πικεντινῆς. De origine gentis ita, Plin. 3. 13. *Orti sunt à Sabinis, voto vere sacro.* Et Strab. *lib.* 5. Ἔστι δὲ παλαιότατον ἔθνος οἱ Σαβῖνοι, οἱ καὶ αὐτόχθονες. Τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαμνῖται. Et eodem libro postea: Ἔστι δ' ἡ Πικεντίνη μετὰ τὰς τῶν Ὀμβρικῶν πόλεις, τὰς μεταξὺ Ἀριμίνου καὶ Ἀγκῶνος· ὥρμηνται δ' ἐκ τῆς Σαβίνης οἱ Πικεντῖνοι, δρυοκολάπτου τὴν ὁδὸν ἡγησαμένου τοῖς ἀρχηγέταις, ἀφ' οὗ τὸ ὄνομα. Πῖκον γὰρ τὸν ὄρνιν τοῦτον ὀνομάζουσι, καὶ νομίζουσιν Ἄρεως ἱερόν. Festus: *Picena regio, in quâ est Asculum: dicta quòd Sabini, quum Asculum proficiscerentur, in vexillo eorum picus consederit:* Forsan, à similitudine vocabuli *Picentium*, Latinis occasio nata fabulam de pico ave fingendi. Quam tamen longè aliter construxit, lepidiusque adornavit Silius, non à volucre, sed ab homine, nomen, originemque gentis deducens. Sic enim ille *lib* 8.

Et qui Picena stimulat telluris alumnos,
Horridus & squamis & equinâ Curio cristâ
Pars belli quàm magna venit!
Hic & quos pascunt scopulosa rura Numanæ;
Et queis litorea fumant altaria Cupra,
Quiq; Truentinas servant cum flumine turres;
Cernere erat. —— ——
Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon,
Murice nec Libyco; statq; humectata Vomano
Hadria, & inclemens hirsuti signifer Asculi.
Picus quondam, nomen memorabile ab alto
Saturno, statuit genitor, quem carmine Circe
Exutum formâ volitare per æthera jussit,
Et sparsit plumis croceum fugientis honorem.

De ubertate regionis ita tradit Strabo *lib.* 5. Οἰκοῦσι δ' οἱ Πικεντῖνοι ἀπὸ τῶν ὀρῶν ἀρξάμενοι μέχρι τῶν πεδίων καὶ τῆς θαλάττης, ἐπὶ μῆκος ἔχοντες ηὐξημένην μᾶλλον ἢ πλάτος τὴν χώραν, ἀγαθὴν πρὸς ἅπαντα,

βελτίω

μάλα δὲ τοῖς ξυλίνοις καρποῖς ἢ σιτηροῖς. Liv. *lib.* 22. *Hannibal in agrum Picenum devertit iter, non copiâ solùm omnis generis frugum abundantem, sed refertum prædâ.* De incolarum frequentiâ Plin. 3.13. *Quinta regio Piceni est; quondam uberrimæ multitudinis CCCLX. millia Picenum in finem pop. Romani venere.* Plura vide apud Cluver. *Ital. Ant. l.* 2. *c.* 11. De *Piceno* doctissimus Ferrar. ista habet. *Picenum*, regio Italiæ, quæ hoc tempore *la Marca d' Ancona* nominatur, ab Esi fluvio, qui ab Umbria ad occasum separat, à Truento fluvio ad ortum, qui illam ab Aprutio dividit, (quanquam Picenum ultra Truentum apud Plinium & Ptolemæum extenditur) ad austrum Apennino monte, qui ab Umbris & Sabinis separat, ad Boream mari Hadriatico terminata. Urbes hac tempestate claræ, Ancon, Firmum, Macerata, & Asculum. Populi Piceni Plinio, Picentes Straboni & Livio. Silius *lib.* 8.

Et qui Picena stimulat telluris alumnos.

Picenum à pica, quæ vexillo Sabinorum cùm Asculum proficiscerentur insedit, dictum putat Festus. V. supra. Secundùm Baudrandum, *Picenum*, vulgò creditur *la Marche d' Ancone*, provincia ditionis Pontificiæ, in Italia; sed revera complectitur etiam partem Aprutii ulterioris, cum majori parte Marchiæ Anconitanæ, cujus pars occidentalis aliàs erat in Umbria, ubi urbes Æsium, Camerinum; & nunc ejus præcipua urbs est Ancon in ora maris Adriatici.

Urbes hujus temporis Piceni:

Æsium, *Iesi*, episcopalis, *aliàs in Umbria.*
* Ancon, *Ancona*, portus & emporium.
* Asculum, *Ascoli*, episcopalis sub Archiepiscopo Firmano.
* Auximum, *Osimo*, episcopalis
* Camerinum, *Camerino*: episcopalis, in Umbriæ confinio, aliàs in Umbria.
Cingulum, *Cingoli*, olim episcopalis.
Cupra Montana. Vide Ripa.
Fabrianum, *Fabriano*, oppid. ex maximis Italiæ, aliàs in Umbria,
* Firmum, *Fermo*. archiepiscopalis.
* Lauretum, *Loreto*. episcopalis recens.
* Macerata, sic vulgo, episcopalis (& academia) sub Archiepiscopo Firmano,
Recinetum, *Recanati*, episcopalis: sedes juncta Lauretanæ
Ripa Transona, episcopalis recens sub Archiepiscopo Firmano.
Septempeda, *S. Severino*, episcopalis sub Archiepiscopo Firmano.
Tollentinum, *Tollentino*, episcopalis sub Archiepiscopo Firmano. Sedes juncta Maceratensi.

Interiere Helvia Ricina, Potentia, & Numana.

Picis mons, mons Italiæ, ad fontes Sontii & Natisonis. Jornandes de rebus Gothicis; *Attila* primâ adgressione Aquilejensium obsedit civitatem: cujus ab oriente muros Natiso amnis, fluens à monte Picis, ambit. Vulgò *M. di Venzone.*

Picnesii, Mysiæ sup. pop. Ptol. *Erjech* Castaldo.

Pico, seu *Picus*, mons in Insula Taneriffa, in mari Atlantico, montium omnium, quos sol videt, eminentissimus creditur, exptelsissimè in medio mari, ad milliaria 60. conspicuus: quem nisi Julio & Augusto mense conscendere nulli cuiquam licitum est; cæteris etiam mensibus omnibus nive obsitus est, licèt in subjectis insulis locisque finitimis aliis, nullo unquam tempore appareat. Ad illum conscendendum & exuperandum triduo integro opus est; ex quo, summâ parte plano, & æquabili, circum adjacentes insulæ cœlo sereno & tranquillo existente, undiquaq; expressè despici & numerari possunt, licèt illarum quædam ad 50. mill. inde dissitæ sint. Mensibus geminis adeundo monti commodis, inibi lapis sulphureus eruitur devolviturque, mittitur postmodum in Hispaniam, Met. Hujus, ab Anglis quibusdam mercatoribus, ad summum usque fastigium, in quo sclopetis aliquot explosis, M. Britanniæ Regis sanitati vino litarunt, conscensi, descriptionem lectu dignissimam, V. in Hist. *Societatis regiæ Londinensis.* Est & mons in Insula *Pica*, V. *ibi.*

Picolmayus, fl. Paraguariæ. Oritur in Peruvia, prope urbem Argenteam, *de la Plata*: & post longum cursum, auctus aliis fl. in flumen Argenteum se exonerat.

Picquinium, opp. Picardiæ, ad Somonam fl. 2. leuc. infra Ambianum in Occ. Abbavillam versus.

Pitra, stagnum Africæ in Marmar. apud Hammonis oraculum, cis illud 100. stad. qua Alex. Magn. cùm ad illud oraculum consulendum pergeret, transiisse fertur. Diod. Siculus.

Picta, diversorium Larii, in via Latina, ab urbe 30. m. p. apud Anton. in Itinerario.

Pittacium, Epistola est brevis & modica, vel schedula de membrana excisa, vel illa particula corii, quæ soleæ repeciatæ insuta est, *πιττάκιον*: an mel. à barbaro *pittance*, quod Anglis hodieque rem exiguam denotat. Latinis *Breve.* Hincmaro non semel *Pitacium*, & *Pitaciolum* dicitur. V. infra *in Pitanciaria*

Pictavi, *Pictones* Cæsari, Plinio ac Straboni, populi Gall. Aquit. cum tit. Comit. & urbs episc. sub archiepisc. Bituricensi & Academia: Cum regni tit. à Gothis, quos Clodoveus exegit hinc, ut & totâ Aquitaniâ. Merula. Olim enim sub Romanis erat provincia, sub Aquitaniæ nomine: à Vandalis postmodum, Hunnis, Alemannis, duce Crocco vastata est sec. 5. urbe Pictavio direptâ. Sub Honorio Imp. à Romanis Wisigothis est cessa, qui ut modò dictum à Chlodoveo A. C. 510. inde exacti sunt. A Caroli M. temporibus comites habuit, quales Abbo, Ricuinus, Renaldus, duo Bernardi, duo Ranulfi, duo Eblesii, & decem, quibus Guilielmi nomen, quorum ultimi filia Eleonora, uxor primò Ludovici Jun. Regis, dein ab hoc repudiata, Henrico II. Duci Normanniæ, postea Angliæ Regi nupsit, Guiennâ cum Normanniâ dotis loco illi allatâ. Horum filio Johanne sine Terris, ob feloniæ crimen ditionibus An. C. 1204. exuto, postea Alphonso filio Ludovici VIII. aliisque Regum filiis apennagii loco concessa est, subinde ab Anglis denuo infestata, donec iis toto regno exactis à Carolo VII. regno est innexa, An. C. 1436. Bellis civilibus, præt. sec. Princeps Condæus, Reformatorum Dux, rerum hic potitus est, V. Patr. Rogerium *Picton. descript.* Joh Beslium, *Geneal. des Comt. de Poict.* Annales Aquitaniæ, Histor. Pictav. Froissardum, Duchesnium, Thuanum *Histor. &c.* Gall. *Poictou.* Ejus capita duo, Augustoritum, quod postea à gente *Pictavi* cognominari occæpit, inter 6. provinciæ Aquitanicæ sec. civitates penultimum olim locum, dein habitâ ratione dignitatis ac potentiæ, primas post Burdigalam nactum. V. infra in *Pictavium*: & Limonum, quam urbem hodie fatetur se ignorare Hadr. Valesius. Ager *Pictonum*, Pictavensem olim episcopatum tantùm continebat, nunc tres Episcopatus complectitur, Pictavensem veterem, Malliacensem & Lucionensem recentiores, ex Monasteriis factos, imminuto Pictavensi. Incolæ *Poitevins*: Froissardo, Marolio, aliisque *Petaux*, sic ut Bituriges Cubi *Biaaux*, quos utrosque cum Normannis, Picardis, Genuensibusque conjungunt, atque à lancearis cataphractis equitibusque distinguunt, peditesque faciunt. Nempe milites variarum gentium, ex quibus lecti erant, nominibus designari solebant. V. infrà quoque in *Pictaviensis Provincia*

Pictaviensis prov. ampla aliàs pars Aquitaniæ, extenditur pro maj. parte ab Ortu in Occ. habet ab Or. Turonensem prov. & Marchiam, à Sept. Ducatum Andegav. & Britanniam min. Ab Occ. Oceanum Aquitan. & à Mer. Santonensem & Engolismensem prov. Ejus prim. est Pictavium.

Pagi hac Provincia comprehensi.

Arbatilicus, *Arbauge.*	Niortensis, *le Niortois.*
Castellairaldensis, *le Chastelleraudois.*	Ratiatensis, *le pays & Duché de Rez.*
Lausdunensis, *le Lodunois.*	Tesaigicus.
Lucionensis, *le Lussonois.*	Toarcensis, *Toüarcois.*
Madalgicus, *le Mauge.*	Vastinensis *Gastinois*, à squalore & silvis suis cognominatus.
Mirebellensis, *le Mirebalais.*	

Urbes, oppida ac castella celebriora.

Asper mons, *Asprement.*	Metullum castrum, *Melle.*
Augustoritum Pictonum, vel Pictavium, V. ibi.	Mirabellum, *Mirebeau.*
Auriniacum.	Mons acutus, *Montagu.*
Bellus Visus, *Beauvoir sur mer.*	Monscontorius, *Monconour.*
Calviniacum, *Chauvigny.*	Mons Morillonis, *Monmorillon.*
Castanetum, *Chastaigneraye.*	Mortenia, *Mortagne.*
Castrum Heraldi, *Chastellerand.*	Mortuum Mare. *Mortemar.*
Castrum Toarcis, Toüars.	Niortium, *Niort.*
Duracium, idem.	Parthenaum, *Parthenay.*
Fontenæum, *Fontenay.*	Pictavium, caput provinciæ, *Poictiers.*
Ganachia, *la Ganache.*	Ricolocus, *Richelieu.*
Gentiacum, *Gensay.*	Rupes ad Jonem, *Roche sur Jon.*
Liciniacum, *Lusignan.*	Secundiniacum *Secondigni.*
Lodunum, *Loudun.*	Taifalia *Tifauge.*
Luciacum, *Lussal.*	Tremolia *Trimouille.*
Lussonia, *Luçon.*	Turris Talemundi, *Talmond.*
Malleacum, *Maillezais.*	Volventum, *Vouvant.*
Maxentii Fanum, S. *Maixent.*	

Pictavium, Gall. *Poitiers.* Ad Clanim fl. 30. leuc à Mediolano Santonum in Cæc. 35. à Biturico, Pictonum caput. Civitas amplissimi est circuitus, sed non æquè culta. Ridiculè quibusdam à Pictis, qui è Scythia advenere, condita, dictaque: antequam enim hi in Britannia sedes fixissent, jam magni nominis Pictavium erat: potius Gallorum opus videtur. Hic vetus castrum, è Romanis sine dubio conditum, qui & Amphitheatrum aliaque insignia ædificia hic extruxere. Parlamenti Parisiensis sedes fuit, sub Carolo VII. qui celebris hic Academiæ auctor est, An. C. 1431. fundatæ, cujus elogium apud Scaligerum vide. In prov. Pictaviensi superiori, seu mediterranea. Præt. seculo Urbs in Reformatorum fuit potestate, donec capta est à Marescallo S. Andreano, An. C. 1562. Iterum, sed frustra obsessa est ab Admirali Colinio, illam duce Guisio defendente. Obsidionem Libergius prolixè descripsit, Ecclesiam Pictaviensem S. Martialis fundasse creditur: quæ Præsules inter alios clarissimos habuit S. Hilarium, Justinum, Maxentium, Gelasium, Anthemium, Pientium, Emmeranum, Venantium Fortunatum, &c. Cathedralis Ecclesia D. Petro sacrata est, Dim. leucâ ab urbe, in itinere Bituriga ducente lapis visitur, quadratus, 25. pedes largus, latus 17. quatuor aliis lapidibus innixus, de quo multa incolæ fabulantur, ipsi inscriptum hoc distichon:

Hic lapis ingentem superat gravitate Colossum,
Ponderis & grandi sidera mole petit,

Strabo

Strabo *lib.* 4. Ptolem. *Geogr.* Cæsar *Comm.* Ammian. Marcell. *lib.* 16. Gregor. Turon. *lib.* 2. 5. *&c.* Petrus Roger. *Pict. descr.* Scævola Sammart. *Elogium Pictavii.* Joh. Beslius, *des Evesques de Poict.* Sincerus *Itiner. Gall.* Duchesnius &c. Hîc Concilium habitum An. C. 589. quo Basina & Chrodieldis, Lubovejæ Abbatissæ obsecundare recusantes, excommunicatæ sunt. Gregor. Turon. *lib.* 10. *cap.* 8. An. Ch. 1010. 1029. 1075. contra Berengarium, &c. Vide Moretium, *Diction. Histor.*

Picti, pop. Britanniæ secundæ, h. e. Scotiæ, quorum reg. Deucaledonia Marcellino, sed aliis Laudonia reg. putatur. Hi hodie linguâ Scoticâ *Phichtiaid*, teste Lhuydo vocantur. Eorum mem. Mamertinus *in suo Panegyrico.* Claud. *de vict. Stiliconis,*

Perlegit exsangues Picto moriente figuras.

Hos è Scythiâ in Britanniam profectos, ac in Scotiâ consedisse autor est Beda; Alii è Dania advenisse dicunt, sic à *pictura*, quâ utebantur, dictos; quibus Scoti successere. Ubi hodie Scotia cis Tavum fl. seu meridionalis, versus Angliam. Boëthius, Buchan. Leslæus, *Hist. Scot.* Matth. Paris, Duchenius, &c. *Hist. M. Britannia.* Camden. *descr. M. Brit. &c.*

Pictiaca sylva, in territ. Aurelianensi. V. *Pitiacus.*

Picticum fretum, inter Orcades & partem Sept. Scotiæ; *Pichtlands Fyrth.* V. *Fretum Picticum.*

Picticus murus, in Anglia Bor. V. *Murus Picticus.*

Pictones, vide *Pictavi.*

Pictonum prom. Aquitaniæ, hodie *Talmond*, opp. 8. leuc. à Luciona in Occ. in ora Oc. Aquitanici, 18. leuc. ab ostio Ligeris in Mer.

Picuentum, Histriæ urbs mediterranea. Ptol. *Pinguento* Leandro: in monte, apud ortum Nauporti fl.

Picumnus, Deus, qui in sacris Romanis adhibebatur. Æmilius Macer *in Theogoniâ.*

Picus, rex Latinorum, Saturni fil. Fauni pater successit patri, An. 2757. primus Aboriginum R. per an. 37. Latini regis avus, augurum peritissimus, qui à Circe adamatus, cùm spreto ejus conjugio, Carmentem Nympham duxisset uxorem, ab iratâ Deâ, virga percussus fertur, & mutatus in avem sui nominis. Quod idcirco fingi creditur, quoniam primus hâc ave usus est auspiciis, de quo satis prolixe Ovidius *Met.* 14. quam fabulam Virgilius in tres versus optime contraxit, *Æneid* 7.

—— *Lævâq; ancile gerebat*
Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumq; venenis
Fecit avem Circe, sparsitq; coloribus alas.

Festus: *Picus rex pico ave utebatur, ut Verrius ait, ob augurium, à quo sic dictus.* Vide Dion. Halicarn. *Hist. Rom. lib.* 1. Aurel. Victor. *de Orig. gentis Rom.*

Picus Johannes, Mirandulæ & Concordiæ Princeps, fil. Johannis Francisci; Phœnix ingeniorum dictus, & *Monstrum sine vitio,* Scaliger. Anno ætat. 24. defendit Romæ theses 900. Dialectico-Theologico Mathematico-Magico-Cabalistico-Physicas, magno cum plausu. Quas cùm æmuli ejus suspectas reddere conarentur, Innocentius VIII. illis examinatis, 13. earum rejecit. Has editâ apologiâ tuitus, inter alia memorat, unum ex Censoribus interrogatum, quid Cabala esset? respondisse, hæreticum esse pessimum, qui scripserit contra Jesum Christum. Obiit Ann. 1494. ætat. 31. prout ipsi Lucius Bellantius Senensis prædixerat, Florentiæ eodem die, quo Carolus VIII. urbem intraverat. Nepos ejus Joh. Franciscus opera patrui Basileæ edidit, *Heptapli* titulo: Continent illa *Conclusiones 900. Apologiam, de Ente & Uno: De Hominis dignitate Regulas* 12. *Comment. in Psal.* 15. *De Christi regno & Vanitate mundi: Expositionem Orationis Domin. Epistolas; in Apologiam Disp. lib.* 12. *In Platonis Conviv. lib.* 3. *Elogia:* Paulus Jovius *Elog. cap.* 39 Naudæus, Phil. Beroaldus, Marsilius Ficinus, &c.

Picus Johannes Franciscus, Princeps Mirandulæ, fil. Galeacii, nepos prioris, studiis similiter se dedit. Sed Scholasticis nimium addictus, non satis Latinus est: occisus à Galeoto, ex fratre Ludovico, nepote, noctu unà cum filio Alberto. An. 1533. Opera ejus, cum Patrui scriptis edita; Ubi agit *de studio divinæ & humanæ Philosophiæ, lib.* 2. *De morte Christi & propria cogitanda, libb.* 3. De Uno & Ente, &c. Paul. Jov. *in elog. cap.* 7. Possevin. *in appar.* Spondus *in Annal.*

Picus Johannes, Parisiensis Carthusianus. Commentatus est, in Canticum, Edidit Jodocus Badius, An. 1524. Petr. *Bibl. Carthus.*

Pida, Ponti Galatici urbs in Cappadociâ, Ptol.

Pidan, oppidum Æthiopiæ ad sinum Rubri maris, Plin. 6. 29.

Pidibotas, Æthiopiæ sub Ægypto opp. Plin.

Pidorus, urbs circa Athon montem, Herodot.

Pidosus, Insula parva Cariæ, apud Halicarnassum urb. Nunc fortè *Isola di S. Pietro.* Plin. Ferrar.

Pidytes, vir Percosius ab Ulysse interemptus in bello Trojano, Homer. *Iliad.* 7.

Piengitæ, Europææ gens, Ptolem.

Pientia, olim Corsinianorum, urbs agri Senensis, in colle, patria Æneæ Sylvii, postea *Pii II.* illic patre exulante nati, à quo dicta & Episcop. effecta est, sub Archiepisc. Senensi. Parva sed culta, 6. m. p. à Monte Politiano in Occid. uti 10. à confinio dit. Pontif. 13. à Clusio, 25. à Sena in Eur.

Piephigi, Daciæ populi, Ptolem.

Piera, Peloponnesi fons, inter Elidem & Olympiam, Pausan.

Pieres, Macedoniæ pop. circa Dardanos, Plin.

Pieria, Pythæ, viri inter Milesios clarissimi, filia, cujus cum Phrygio conflatus amor, dissidium, inter Milesios Myunta incolentes & Nelei posteros, composuit. Vide Polyæn. *lib.* 8.

Pieria, reg. gemina; Una Macedoniæ, cum opp. cognomine, inter Axium & Peneum flumina, *Veria* Nigro. Altera Syriæ cum monte in Cassiotide reg. qui *Monte Nero* dici videtur Ortelio, ex Guil. Tyrio. Reg. autem Pieria in orâ, inter Ciliciam & Phœnicen sita est, ubi Seleuciâ urbs præcipua cognomento *Pieria.* Picem habet Naricæ, Indicæ, Idææ, & Illyricæ comparandam.

Pierius, Presbyter Alexandrinus, sub Diocletiano Imper. & Theone Episc. floruit. Eloquens disputator, concionator insignis, propterea parvus Origenes dictus. Scripsit 12. libb. de Ecclesiæ priscis ceremoniis, sed Spiritum Sanctum, Patre Filioque inferiorem eum fecisse, refert Photius, *Cod.* 119. Etiam in Hoseam commentatus est, &c. Martyris Pamphili præceptor. Euseb. *Hist. lib.* 7. Hieron. *in Catal. cap.* 76. Nicephor. *Hist. lib.* 6. *cap.* 35. Item, Johannes *Pierius* Valerianus, Bolzano Venetiæ oppido oriundus, sui doctissimus seculi. Scripsit Hieroglyphica, Comment. in Virgilium, &c. Obiit Patavii, An. 1550. ætat. 82. Gesner. *in Bibl.* Item Johan. *Pierius*, Toletanus, Poëta & Orator excellens, Compluti docuit. Obiit Ann. 1540. ætat. 33. Opmer. *in Chronol. Orbis Univers. pag.* 486.

Pierius sinus, mare Thraciæ juxta Pangæum montem, ubi Oesyme & Chrysopolis urbes, Thucyd.

Pierius, mons Thessaliæ, Musis sacer. In hoc monte quidam Musas natas volunt, atque inde *Pieridas* appellatas, quanquam alii à *Pieriâ* reg. & alii à *Pieri* filiabus, quas cantu vicerunt, dictas malunt: qui & *Pierus* Festo & Pausaniæ, in Macedon. confin. apud montem Olympum, ubi opp. ejusdem nominis, Pheris proximum, de quo Plinius, cum lacu cognomine, teste Pausan.

Pierus, Macedo quidam prædives, qui ex Euippe uxore 9. suscepit filias, quæ Musas ad certamen cantus provocare ausæ, & ab illis superatæ in totidem picas mutatæ sunt; unde postea Musæ earum nomen, veluti tropheum usurpantes, *Pierides* vocabantur.

Pierus, fluv. Achajæ in Peloponneso, Pheras oppidum alluens Et Plin. opp. Thessaliæ cum monte, & Pausan. mons Macedoniæ cum lacu, qui tamen, teste Æliano, est in Thessaliâ.

Pietas, Dea ab antiquis culta, cujus sacellum ab Attilio dicatum, in quo habitasse dicitur ea, quæ uberibus patrem in carcere saluit.

Pietas Julia, vide *Pola.*

Pigelasus, urbs Cariæ, Stephan.

Pigres, Halicarnasseus, frater Artemisiæ; uxoris Mausoli Suidas.

Pigrum mare, pars maris Arctoi, seu Caledonium mare, supra Scotiam, in Boream extensum, versus Schetlandicas Insulas & Islandiam.

Pihachiroth, locus Ægypti circa mare Rubrum.

Pila, nomen loci, Soph. 1. Lat. *contusio*, vel *mortariolum.*

Pont. *Pilatus*, Judææ procurator à Romanis constitutus, qui Christum morti adjudicavit. Vide Matth. 26. & 27. & reliquos quoque Evangelistas confer. Tacitus *Annal.* 13. *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem, Pontium Pilatum, supplicio affectus erat.* Hic postmodum, in Samaritanos crudelissime sæviit, omnibus ferme neci traditis: propterea à Vitellio, Syriæ præside, apud quem superstites graviter conquesti erant, Romam citatus est, ut coram Imper. causam diceret. Sub Caligula dein in exilium pulsus, biennio pôst, prope Viennam in Delphinatu, sibi ipsi necem conscivit. Vide porro Euseb. *in Chron.* Oros. *lib.* 7. Cassiodor *in Chron.* Nicephor. *lib.* 2. Baron. *in Annal.* A *Pilato*, mons quidam Lucernæ urbi Helvet. imminens, nomen habet, aliàs *Mons fractus:* è quo tempestatum indicia certissima petunt Lucernates, Simler. *Comm. de Alpibus.* Gesnerus eum descripsit. In hoc laculus quoque est, *Pilati lacus* dictus, situs in loco paludoso solitario, collibus, à quibus liquescentes nives defluunt, undique cincto, ac sylvis circumdato, ne à quoquam irritetur. Vulgo enim persuasum est, toti regioni ex tempestatibus & inundatione periculum imminere, si quidquam de industria injiciatur. Sed ridet hæc Gesnerus *in descr. ejus pag.* 52. Interim famæ auctoritatem conciliat vicinorum rigor, qui montem conscendentibus sollicitè injungunt, ne paludem turbent. Vadian. *in Pompon. Melam.* De eo Paulus Eremita *Descr. Helvet. Mirum*, inquit, *quod eo lacu vulgus nugatur, sed nec fidem meretur, nec habet.* Joh. Bap. Plantinus *Helv. Nov. Antiq. &c.*

Pilavia, arx munita Prussiæ Duc. ad transitum ex mari Baltico in Habum sinum. & Königsbergam, ubi portus commodus naves excipit; 7. mill. ab hac in Occ. sub Elect. Brandeb. Capta à Suecis An. 1626. sed reddita.

Pileati, ex Longobardis quidam, sicut reliqui *Capillati*, dicti sunt: illos Sacerdotes, hos seculares vocabant. Vide Jornand. *de rebus Goth. cap.* 11. & supra in voce *Capillati.*

Pile

Pileus Modicensis, dictus à loco natali, in territorio Mediolanensi. JC. celebris, scripsit An. 1200. *de Origine judiciorum*: quod opus correxit & auxit Justinus Goblerus, Basileæ impressum. Alia quoque eidem attribuuntur. Trithem. *in Catal.* Gesner. *in Bibl.*

Pileus Supportationis, Anglic. *Cap of Maintenance.* Julius Papa hujusmodi *Pileum* cum gladio misit Henrico VIII. Angliæ Regi, Ann. Chr. 1514. *Pilei Regii* mentio fit in prima coronatione Richardi I. apud Hovedenum, *lib.* 43. cùm ait: Deinde venerunt Godofredus de Luci portans *Pileum Regium* & Johannes Marescallus juxta eum, portans duo calcaria aurea, magna ponderosa, Spelmannus *Glossar.*

Pilgrinus, Bethavensis & Laureacensis Episc. jussu Geisæ, Hung. Reg. Ugros convertit, An. 966. Aventinus *lib.* 5.

Pilloria, æ, Cowello *Pillorium*, aliàs *Collistrigium*: à Gall. *Pil.* Est supplicii machina ad ludibrium magis, quàm pœnam, quo quis super pegmate constitutus, comprehensoque inter fauces duarum tabularum ideo cavatarum collo, spectaculum populo præbetur deridendum. An à græco πύλη & ὁράω, quod delinquens quasi per januam emisso capite prospiceret? An à Gall. *Pilleur*, depeculator; Cujusmodi sunt Pistores, cui hominum generi puniendo hoc supplicii primò institutum est. Hi enim suis in pane fallaciis Remp. depeculantur; à quo & ipsa sua nequitia *Pilleurie* dicta fuit, quasi depeculatio: Et sic vox propriè ad naturam delicti spectar, non ad supplicii instrumentum, quod suo vocabulo *Collistrigium* nuncupatur. Suadere id videtur Statutum de Pistoribus, ubi dicitur: *Subeat judicium Pilloriæ.* Vide Spelmannum *Glossar.*

Pilorica, legit Clusius, *in antiquis inscriptionibus*, dicitque significare fluvium Castellæ veteris, in Hisp. vulgo *Pisuerga* dictum.

Pilsenum, seu *Pilsna*, urbs Bohem. ad fluv. Misam, probè munita & ampla, 9. mill. Germ. à Prag in Occid. 6. à limite Palatinatus super. 11. ab Egra versus ortum hybernum. Expugnata est, à Mansfeldio, An. 1618. cùm olim ab Husitis frustra esset tentata.

Pilsna, urbs Poloniæ super. in Palatin. Sandomir. caput territorii adjacentis, prope Vistulam fluv. aliquot mill. supra Sandomiriam, vulgo *Pilsno*. Hic Boleslaus Bohemus Ottonem II. Imper. An. C. 976. gravi clade affecit.

Pilumnus, Jovis filius, ejus Apuliæ partis, quæ postea Daunia dicta est, rex, qui Danaen Acrisii filiam ad Apulum litus unà cum Perseo filio delatam, uxorem duxit, & Danaum ex eâ suscepit Turni patrem. Servius *Picumnum*, & *Pilumnum* fratres fuisse ait, quorum ille stercorandorum agrorum usum invenerit, unde & *Sterculinus* est: Pilumnus verò *pilandi* frumenti rationem, unde & *pilum* ab ipso nomen volunt accepisse.

Pilus Eliaca, vide *Pylus Eliaca*.

Pimolisa, castellum Ponticæ reg. intra Halyn, à quo reg. *Pimolisena*, Steph. quæ forte *Pimolitis*, Strab.

Pimpla, mons Macedoniæ in Thessaliæ confin. Olympo vicinus, Musis sacer, qui *Pimpleus* Catullo dicitur; ubi & fons ejusdem nominis, unde Musæ *Pimplea* & *Pimpleides* dicuntur. Horatius 1. *Od.* 26.

Necte meo Lamia coronam
Pimplea dulcis. ——

Statius *Sylv. lib.* 4.

Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur
Pirenes. —— ——

Pimpla, locus Phocidis, apud Parnassum, Musis sacer, Pausan.

Pimprana, urbs citra Indi fluv. partes superiores, Arrianus.

Pinamus, urbs Ægypti, Stephan.

Pinara, urbs Lyciæ mediterr. valde amœna, Episcop. sub Archiepisc. Myrensi, adhuc *Pinara* vulgò. Popul. *Pinaritæ* Plinio ad mont. Cragum. Apud Stephanum *Artymnesos* vocatur, qui addit omnia rotunda linguâ Lyciorum *Pinara* dici.

Pinaria, insula maris Ægæi, Plin. Joni, Ferrario, apud Echinades. Cùm Virgil. ait *lib.* 8. *Æneid.*

Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Videtur potius familiæ.

Pinarolium, urbs Pedemontis, cum arce permunita, ad Chisonem amnem, & radices Alpium. Anteà Sabaudici Juris, sed ab An. 1631. Gallis paret. In ipso Delphinatus limite, 12. mill. Pedemont. ab Augusta Taurinorum in Afric. 19. à Segusio in Merid. Salutias versus 10.

Pinarius, & *Potitius*, Arcadiæ duo senes, quibus, qualiter coli vellet, ostendit Hercules, scilicet ut manè & vesperi ei sacrificaretur. Perfecto itaque matutino sacrificio, cùm circa Solis occasum essent sacra repetenda, Potitius prior advenit, Pinarius postea extis comesis Unde iratus Hercules statuit, ut Pinariorum familia tantùm ministra esset, epulantibus Potitiis & complentibus sacra, unde & *Pinarii* dicti sunt, ἀπὸ τῆς πείνης id est, *à fame*. Nam senem illum Pinarium constat alio nomine nuncupatum, Servius, Virgil. *Æneid* 8.

Primusq́; Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Pinarius Natta, in Jul. Montanum, *ortus & occasus* subinde inferentem, quum quidam illum audiendum negasset: *At ego*, inquit, *paratus sum illum audire ab ortu usq; ad occasum.* Sen. *ep.* 123.

M. Pinarius Posca, Prætor, An. U. C. 572. Sardiniam tenuit; Corsos in Corsicâ domuit, 2. millibus eorum in acie cæsis, quâ clade compulsi illi obsides dederunt, & ceræ centum millia pondo. In Sardiniâ similiter, contra Iluenses, secunda p[illegible] fecit. Idem cùm legem Annalem ferret, dissuasor M. Servilius: *Dic mihi*, inquit, *M. Pinari, num si contra te dixero mihi maledicturus, ut cæteris fecisti? Ut sementem feceris*, inquit, *ita metes*, Cicer. 2. *de Orat.* ubi perperam *Rusca* legitur.

Pinarus, fluv. juxta Issum urb. inter Ciliciam & Syriam, Steph. Ejus meminit Dionysius Periegetes, uti viuere est, *in his:*

Καὶ τοῦ μὲν πλείων πεδίων ἐπιμίσγεται ὕδωρ
Τηλόθι ἐρχομένων, Πυράμοιό τε καὶ Πινάροιο,
Κόλπον τε σκολιοῖο μέσον διὰ Ταρσὸν ἰόντος.

De sinu Issico seu mari Cilicio loquitur.

Pincia, vide *Pintia*.

Pinciacum, oppidum Gall. in finibus Carnutum, ad Sequanam, caput pagi Pinciacensis; vulgò *Poissy*. A Pincio dictum est, sicut Sollemniacum, à Sollemne, Luciliacum, à Lucilio, Lucaniacum, à Lucano, &c. Plura vide apud Hadrianum Valesium, *Notit. Galliæ*.

Pinciana Porta, quæ & *Collatina*.

Pinciana aqua, quæ & *Egejiana* in Siciliâ apud Egestam urbem; hodie non extant.

Pincius mons, collis Romæ, inter portam Salariam & Flaminiam extensus, olim extra urbem, à *Pincio* Senatore dictus, apud quem facta ædes Trinitatis; *Sallustianus* etiam dictus, & *Collis hortulorum*, Sueton. Vulgò adhuc *Monte Pincio*.

Pinczovia, oppidum minoris Poloniæ, ubi Nicolaus Olesznicius, loci dominus, circa An. C. 1550. religionem Evangelicam doceri jussit, Episcopis frustra obnitentibus eumque apud Regem accusantibus. Scholam hic postea celebrem aperuit Fr. Stancarus, cùm adhuc errores, quos sinu fovebat, absconderet: Gregoriusque Orsacius primus Rector constitutus est, circa An. Ch. 1553. postmodum verò, Synodis tum hic, tum Sendomiriæ & Vladislaviæ habitis, quibus Joban. à Laseo intererat, Stancari hæresis condemnata est: quod repetitum in celebri Synodo Xianzensi, An. 1560. Lasicius *de gestis Fr. lib.* 5. & 7. Salomon Neigeb *lib.* 8. *p.* 477. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Pindarus, Poeta Thebanus, Lyricorum apud Græcos princeps, Æschylo Tragico æqualis, Olymp. 75. Discipulus Lasi Hermionei & Myrtidis, quæ Corinnæ hera fuit. Scripsit linguâ Doricâ innumera, sed nobis supersunt, *Olympia, Pythia, Nemea*, & *Isthmia*, quæ nunc sola extant. Fertur inprimis sublimis verborumque & sententiarum copiâ, unde & inimitabilem esse affirmat Horatius *libro* 4. *Ode* 2. Lacedæmonii in reliquam Bœotiam sævientes, Thebis in Pindari gratiam pepercerunt. Huic etiam tantum tribuit Alex. M. ut cum Thebas everteret, ac in omnes sine discrimine sævitet, An. 130. post Pindari mortem, unius Pindari penatibus, familiæque parci jusserit. De morte ejus tradit Valerius, quòd in gremio pueri adamati expirarit. Stephan. Byzantius eum non Thebis, sed in loco obscuro, cui Cynocephalos nomen, mortuum tradit, anno ætat. 55. ut Suid. vult, an obiit grandior natu? Verum de Pindaro, cæterisque Græcis ac Latinis Poëtis, quorum scripta extant, nos alibi plura, L.Lovdius. Vide Euseb. *in Chron.* Thom. Mag. *in vita Pind.* Suid. Plin. Voss. Lilium Giraldum, Fabrum, &c.

Pindarus, Thebanus, Auctor poëmatis, de expugnatione Trojæ: Basileæ alibique editi, Barthius *Adverſ. lib.* 19. 23. 29. & 58. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Lat.*

Pindarus, Ephesiorum tyrannus, qui Epheso in captivitatis discrimine versanti à Crœso avunculo suo jussus discedere, successit in Peloponnesum cum parte substantiæ, Pasidi cuidam tum filii tutelâ, tum bonorum curâ delegatâ. Ælian. ποικίλ. *lib.* 3. *cap.* 26.

Pindasus, mons Troadis, ex quo Cetius fluv. oritur, Pergamum urb. præterfluens, Plin.

Pindenissus, oppid. Ciliciæ in Syriæ confin. ad Amanum mont, quod M Cicero Imperator cùm esset, oppugnavit, nomenque ex eo opp. sibi dari, sicut à *Numantiâ* devictâ dictus est *Numantinus* Scipio, exoptavit. Cicer. ad *M. Cœlium*: *Oppugnavi quinq; & viginti diebus, aggeribus, vineis, turribus, oppidum Pindenissum munitissimum, tantis operibus, ut mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi.* Ptolemæus Πινδενισσός, Stephanus autem Πινδενισσὸν vocat. Polybius quoque, quem per omnia sequitur Strabo, Πινδενισσεῖς hujus opp. incolas vocat.

Pindus, *Mezzovo* Sophiano & Laonico, mons Macedoniæ (inter illam & Ætoliam, ac inter Epirum & Thessaliam) ingens, Ætolos ab Acarnanibus dividens. Ex quo Inachus & Æas, teste Strabone, & Peneus, teste Ovidio, flum. effluunt. Vide Strab. *l.* 9. Propertius *Perrhabum* vocat, *lib.* 3. *eleg.* 5.

Aut cur Perrhabi tremuere cacumina Pindi.

Perrhæbos autem numerat in populis Ætoliæ Plinius *cap.* 1. *lib.* 4. Seneca Tragœdus:

Quâ celsus astris inserit Pindus caput.

Idem in Medeâ *ingentem* vocat, & alibi *nivalem*,

Pindi nivalis vertice, aut Nysa jugis.

Virgil. *Ecl. ult.*

Nam neq; Parnassi vobis juga, nam neq; Pindi.

Lucanus *lib.* 1.

—— Qualis vertice Pindi
Odonis Ogygio decurrit plena Lyao.

Ubi alii *Edonis.* Baudrando mons Epiri, Thessaliæ aliis. Excurrit ab Acrocerauniis jugis ad Thermopylas, & ex medio sui brachium emittit, quod Parnassum facit, & desinit in Heliconem. Videtur à Livio *Lincos* dici. Item Ciliciæ fluv. in sinum Issicum se exonerans, Strab.

Pinelum, urbecula munita Portugalliæ, in confinio regni Legion. ad amnem cognom. 4. leuc. à Durio fluv. in Merid. Guardam versus 6.

Pinetum, sylva *pinorum* in Æmylia apud Ravennam urb. inter illam & Cerviam occurrens. *La pineda* vulgò dicitur.

Pinetus, opp. Hispan. Tarracon. in fin. Callaicorum, inter Bracaram & Asturicam, Anton. Baudrando opp. Callaicorum Braccariorum. Hodie *Peneda*; estque vicus Portugalliæ, juxta fontes fluv. *Mourilho*, in provincia inter Durium & Minium, 12. leucis, à Bracara in Ort. vix 2. à confin. Gallæciæ in Merid. & 30. circiter ab Asturica in Occid.

Pingianum, urbs prov. Xamsiæ, in Imper. Sinarum, perampla & probe culta, juxta fluvium Fuenum, in planitie fertilissima; sub qua 33. Urbes.

Pingiva, urbec. munita Queicheæ prov. in confin. Suchuensis prov. Imperii Sinici. M. Martinius *Atl. Sin.*

Pingleanum, urbs quarta Xensiæ prov. Sinicæ, ad radices montium, prope fluvium *King.* Cui subsunt novem urbb. minores, Martinius.

Pinglum, seu *o*, urbs ampla Quansiæ prov. Sinicæ quarta. Ad fluv. *Ly*, intra colles; sub qua 7. Urbes. Idem.

Pingus, fluvius Mysiæ super. Plin. *lib.* 3. *cap.* 26. in Danubium se exonerans.

Pinitus, Episcopus Cnossius, in Creta insula. Floruit seculo 2. Ad Dionysium Corinthium scripsisse tractatum quendam dicitur, Hieron. *de Script. Eccles.*

Pinkeniacum, seu *Pinquiniacum*, locus Galliæ ad fluv. Suminam, non longè ab urbe Ambianis, Vicedominatûs ejus Ecclesiæ titulo insignis, vulgò *Piquigny*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pinna, urbs Episcop. Vestinorum in Italiâ, qui Prægutiis finitimi magis sunt Orientales. Pop. *Pinnenses*, Plin. 3. 12. Ejus meminit Silius *lib.* 8.

Quæ Fiscelle tuas arces, Pinnamq; virentem.

Pinna, castrum in finibus Nitiobrigum, à firmis pinnatisque muris dictum, vulgò *Penne d'Agennou*. A Simone Com. Montis Fortis ad deditionem compulsum est, An. C. 1212. Hoc munitissimum reddiderat Richardus Angliæ Rex, puteumque in eo fodi curaverat, cùm quasi caput & clavis esset totius territorii Aginnensis. Item castrum fortissimum olim in pago Albigensi, &c. similiter à pinnis murorum appellatum. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Pinon, Daciæ opp. Ptolem. *Phistona* Nigro.

Pinscum, urbs Polesiæ, ampla & culta, ad amnem Pinam, ubi in Pripetium cadit, 19. mill. German. à Brestia in Ort. Sed à Cosaccis capta, postea igne vastata est; *Pinsk*, in Polonia.

Pinsium, Palatium Romæ est ad Collatinam portam, quæ & ob id *Pinsiana porta* dicta est. Alex. ab Alex. *lib.* 4. *cap.* 16.

Pintia, opp. geminum: Unum Hispan. Tarracon. in Vaccæis & regno Castellæ vet. *Penafiel* Hieronymo Suritæ, apud Durium fluv. inter Vallisoletum & Arandam 9. leuc. sed Clusio & Marianæ ipsa urbs Vallisoletum esse videtur, vulgò *Valladolid*, urbs ampla, præclara, & Castellæ vet. conventus juridicus, ad Pisoracam fluv. qui paulo post in Durium cadit: Episcop. sub Archiepisc. Toletano, Academiâ insignis, & fuit persæpe Regum Hispan. sedes, In ipso limite Legionis, 7. leucis à Palentia in Merid. Abulam versus, 15. supra Senticam in Ort. Ibi obiit An. 1506. die 20. Maji Christoph. Columbus, & Ann. 1560. è præcipua nobilitate, spectante Rege ipso, Philippo II. viginti octo viri, ob religionem exusti sunt: cùm eodem tempore, & paulo antè Hispali, ubi Ecclesia occulta erat, ab Ann. 1555. in plurimos eadem flamma sævisset, Thuan. *Hist. lib* 23. Lætus *Comp.* Alterum in Sicilia excisum, in orâ Australi, inter Thermas & Selinuntem, ubi adhuc vestigia durant, teste Fazello.

Pintia nova, urbs Jucataniæ, versus oram Sinus Honduræ, satis culta, sub Hisp. *nueva Valladolid.*

Pintia nova, seu *Comayagua*, urbs Honduræ prim. media fere inter mare Boreal. & Austr. in limite Guatimalæ provinc. Haud pridem excitata ab Hisp. Episc. ab An. 1588. sub Archiepisc. Mexicano. In nova Hispania.

Pintia nova, seu *Fanum S. Johannis de Salis fodinis*, urbecula Peruviæ, in provincia Pacamorum, ad radices Andium montium, sub Hispanis.

Pintia nova, dicta fuit Guayangarum, urbs ampla, communiùs *Mechoacan*, prov. cognom. caput in nova Hispania. Vide *Mechoacanum.*

Pinton, insula inter Sardin. & Corsicam.

Pinus, Numæ filius, à quo *Pinarios* Herculis sacerdotes ortos vult Plutarchus.

Pinythus, Cretensium Episcoporum clarissimus, An. D. 176. Cnosii sedit. Item nobilis Grammaticus Romæ unà cum Epaphrodito liberto Neronis, Pausan.

Pinzon, Thraciæ opp. Procopius.

Pion, mons Joniæ apud Ephesum, in quo S. Timotheus Episcopus à pop. lapidatus sepultus fuisse dicitur.

Pionia, Straboni, *Pionia* Plinio, & Pausan. opp. Æolidis ad Caicum fluv. pop. *Pionita* Plinio.

Pior, Monachus insignis, cùm de domo patris ad philosophiam conversionis exiret, promisit denuo, nullum se propinquorum fore visurum. Post 50. verò annos, cum soror ejus ipsum videre vellet, non cessabat donec eum inspiceret: quam dum Episcopus loci jam grandævam propterea videret affligi, scripsit præsulibus eremi, ut Piorem mitterent. Ille autem obediens, & quendam assumens, venit ad patriam. Cumque ad januam domûs suæ accessisset, adventumq; suum nunciasset, veniente germanâ, clausis oculis dixit: *Ecce ego sum Pior, quantum vis, ô soror, aspectu satiare.* Tum illa, gratiis actis, Deum laudavit. At ille, oratione factâ, rediit in eremum. Is verò ambulans comedebat; cur autem id faceret, à quodam interrogatus, ita respondit: *Non*, inquit, *volo veluti necessario uti cibo, sed tanquam extraneum aliquid agere.* Pro quâ re ab alio rogatus, ait; *Ne dum comedo, anima voluptatem sentiat corporalem.*

Pipimisium, villa seu vicus Galliæ, in pago Briegio; hodie *Poinsy*, ad Matronam fluv. 2. aut 3. m. p. à civitate Meldorum. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pipinus, Caroli M. pater, Franciæ regnum virtute adeptus, cùm ex regio genere natus non esset, ob ignaviam scil. ejus, qui tum regnabat. Hic Leoni insidens olim depingebatur, atque sculpebatur, ut in fronte Ecclesiæ Parisiacæ cernitur, eò quòd in curte Ferratiensis cœnobii Leonem occiderat, Monachus Sancti Gall. *lib.* 2. *rerum Caroli Magni cap.* 23. Sic in palatio, antequam conflagraret, factum è lapide Caroli Magni patrem pueri videre meminimus, inquit Hadr. Valesius in *Ferraria.* Vide *Pepinus*, & Annales Franciæ.

Piraa, civitas insignis, *Amisus* olim dicta, teste Strab. *lib.* 12. Milesii eam condiderunt prius: deinde Cappadocus princeps, ut refert Theopompus: postea, ab Athenocle & Atheniensibus habitata fuit, & *Piraa* nuncupata.

Piraeus, sive *Piraus*, seu melius *Pyraus*, nunc *Porto di Setine*, ab urbe adjacente, vel *porto Leone*, à Leone marmoreo ibi ad littus sito, ad ostia Cephisi fluvii, portus Athenarum, 400. navium capax, à Themistocle, muro 2. m. p. urbi conjunctus. Catullus,

—— Curvis è litoribus Pirai.

Propertius *lib.* 3.

Inde ubi Pirai capient me litora portûs.

Portus Piræei tutissimus fuit, unde Stat. *lib.* 12. *Theb.*

—— Trepidis stabilem Piraea nautis.

Ovidius *Fastorum* 4.

Sunion expositum, Piraaq; tuta recessu
Liquit. —— ——

Idem *Metam.* 6.

Cecropios intrat, Piraaq; litora tangit.

Scylax Caryandensis; Ὁ δὲ Πειραιεὺς λιμένας ἔχει γ. Ubi Isac. Vossius: Omnes fermè arbitrantur, Piræeum ideo triplicem dictum, quòd tres portus comprehenderet; nimirum ipsum Piræeum, Phalerum, & Munychiam. Verùm quâ ratione Phalerus, & Munychia, Piræei portus dici mereatur, equidem non video; & prorsus omni id ratione caret. Nam quamvis uno murorum claustro septi essent, diversi tamen erant portus, maximoque à se invicem distabant spatio. Sed disertè docet Pausanias, jam antequam Themistocles Phalerum & Munychiam, Piræeo junxisset, tres habuisse portus; Θεμιστοκλῆς δὲ ὡς ἦρξε (τοῦτε γὰρ πλέουσιν ἐπιτηδειότερος ὁ Πειραιεὺς ἐφαίνετο οἱ προκεῖσθαι, καὶ λιμένας τρεῖς ἀνθ' ἑνὸς ἔχειν τοῦ Φαληροῦ) τοῦτ' σφίσιν ἐπίνειον εἶναι κατεσκευάζετο. Nullus itaq; dubito, quin ideo triplex dictus sit Piræeus, quòd tres diversæ stationes in eo essent. Et sanè, ex his tribus stationibus, unam Piræei nomine fuisse insignitam, facilè mihi persuadeo. Alteram dictam fuisse Κανθάρου, videtur innuere Hesychius: Κανθάρου, λιμὴν οὕτω καλεῖται ἐν Πειραιεῖ. Tertia appellata est Ζέα, Hesych. Ζέα, ἡ Ἐσχάτη παρὰ Ἀθηναίοις, καὶ εἷς τῶν ἐν Πειραιεῖ λιμένων ἀπὸ τοῦ περατοῦ, τῆς ζειᾶς. Ἔχει δὲ ὁ Πειραιεὺς λιμένας τρεῖς κλειστούς. Ubi rectè κλειστοὺς appellat tres hosce portus, sive stationes; septo namque Munychiæ continebantur. Ideo Munychiam Rhodiorum urbi comparat Strab. *l.* 9. Τὸ μὲν παλαιὸν ἐπετείχιστο καὶ συνῴκιστο ἡ Μουνυχία, παραπλησίως ὥσπερ ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις, προσειληφυῖα τῷ περιβόλῳ τὸν Πειραιᾶ, καὶ τοὺς λιμένας πλήρεις νεωρίων. Is. Vossius.

Piraica, regio Oropiorum, in Attica, olim Atheniensibus subditorum, Thucyd. Nunc nomen & memoria periit.

Piranum, opp. Istriæ, post Attilæ vastationem excitatum.

Pirariolum, opp. agri Tarvisini.

Pirata, pro milite maritimo, ἀπὸ τοῦ πειρᾶν, id est, transire, vel pervagari. Asser Menevens *Epist.* in *vita Alfredi*: *Rex*, inquit, *Alfredus jussit cymbas & galeas, id est, longas naves fabricari per regnum, ut navali prælio hostibus adventantibus obviaret. Impositisq;* piratis *in illis, vias maris custodiendas permisit.* Hoc sensu *Archipirata*, præfectur

fectus est nautarum, seu Admiralius, ut hodie dicitur. Sic in Charta regis Edgari, An. D. 971. confectâ, testium unus, Martusin *Archipiratam* se vocat. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Pirene, fons ad radicem Acrocorinthi, Musis sacer, cujus aqua suavissima est ad potandum, teste Strabone. Statius *Sylv.* 1. 4.

Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur
Pirene. —— ——

Caballinus fons dicitur Persio *in Prologo*, qui *pallidam* quoque ibidem vocat. Statius *in Genethliaco Lucani:*

Lucani proprium diem frequentes,
Quisquis collibus Isthmiæ Dionis
Docto pectora concitatus œstro,
Pendentis bibit ungulæ liquorem.

Idem *Theb. lib.* 3.

It comes Inoas Ephyre solata querelas,
Cenchreæq; manus: vatum quâ conscius amnis
Gorgoneo percussus equo.

Ubi Lactantii vetus interpres: *equo Pegaso, cujus ungulâ percussus locus, fontem effudit, qui Hippocrene dicitur: hoc enim fonte qui labra probuerit, poeta fiet.* Similem errorem vides eruditi grammatici, et quem in Persii Scholiaste notat magnus Casaubonus. Quia enim sciebat, fontem Musis dicatum Hippocrenem dictum, falsò pro Pirene Hippocrenen hic hariolatur. Hujus fontis aqua ἀλαμπής, καὶ πότιμος dicitur Straboni, Pausaniæ quoque πιεῖν ἡδύς, & apud Athenæum, *omnium levissima.* Quòd igitur *pallidam Pirenen* vocat Satyricus, vel ad fabulam referendum, & luctum Pirenæ matris Cenchriæ, ex cujus lachrymis fontem hunc manasse fabulantur, auctore Pausaniâ: vel ad pallorem, quem sibi etiam studio, & arte interdum conciliabant isti famæ negotiatores poëtæ.

Piresia, Thessaliæ civitas, olim *Asterion* dicta, teste Stephano; cujus meminit Orpheus *in Argonaut.*

Pirides, insulæ in mari Ægæo, Anton.

Pirina, Siciliæ oppidum, Idem.

Pirithous, Ixionis filius non ex Nube, quemadmodum Centauri, sed ex legitimâ uxore, famâ Thesei motus, ejus fortitudinis periculum facere constituit. Proin armentis ipsi abactis eum in se concitavit: mox Viri virtute compertâ, illi firmissimo amicitiæ fœdere conjunctus, ejus etiam ope Centauros, qui sibi Hippodamen sponsam præripere conabantur, superavit. Mortuâ verò Hippodame, ita illi cum Theseo convenit, ut uxorem, nisi ex Jove natam, nullam ducerent: & cùm jam Theseus ejus ope Helenam Jovis & Ledæ filiam rapuisset, nec alia eo tempore nosceretur, quæ Jovis esset, præter Proserpinam, Plutonis conjugem, ad rapiendam illam simul profecti sunt ad inferos. Verùm Pirithous, primo impetu, à Cerbero interfectus est: cui cùm Theseus opem ferre conaretur, ab eo in catenis est servatus, donec Hercules ab Eurystheo ad inferos missus eum liberavit. Fuit autem, secundùm historiam, Proserpina, filia Aidonei, Molossorum Regis, à cujus cane Cerbero Pirithous discerptus est. Vide Plutarch. *in Theseo.* Ovid. &c. Horatius:

Nec Lethæa valet Theseus abrumpere charo
Vincula Pirithoo. ——

Thesei & Pirithoi amicitia in proverbium jampridem abiit. Auctorum itaque hâc in re testimoniis supersedebimus, hoc tantùm impræsentiarum annotantes; scil. horum disjunctionem monstrosissimis ingeniis adscribi. Martial. 7. 23.

Te fingente nefas Pyladen odisset Orestes,
Thesea Pirithoi destituisset amor.

Claudian. *lib.* 1. *in Ruf.*

Talem progenies hominum si prisca tulisset,
Pirithoum fugeret Theseus, offensus Orestem
Desereret Pylades, odisset Castora Pollux.

Auson. *ad Pont. Paulinum epist.* 24.

Impie Pirithoo disjungere Thesea posses,
Euryalumq; suo socium secernere Niso:
Te suadente fugam Pylades liquisset Oresten;
Nec custodisset Siculus vadimonia Damon.

D. Pirminius, ex Augia majore, Germaniæ insula, omnes venenatas effugavit bestias, adeò ut in hodiernum usque diem in eâ non inveniantur, & illatæ non maneant, aut moriantur, Munster. *lib.* 3. *Cosmograph.*

Pirna, oppidulum Misniæ, ad Albim fluv. vix 3. mill. German. supra Dresdam in Merid. ubi pax inter Ferdinandum II. Imper. & Saxoniæ Elect. cui subest, inita; 3. leuc. à limite Bohemiæ. Hic, ut & Dresdæ Saxoniæ Elector, Protestantibus Bohemiâ, totaque ditione Austriacâ pulsis, perfugium præbuit, Ann. 1628. aliis in Poloniam delatis. Apol. Fratr. *contra Samuel. Martin.* Captum est & fere excisum, à Banirio Suecici exercitus duce, circa Ann. Chr. 1640.

Piroboridava, Mysiæ infer. oppidum, Ptolemæo. *Brailano*, teste Nigro, ad Danubium in Moldaviæ confin. Sed levi conjecturâ, *Ferrarius.*

Pirum, *Daciæ* urbs, Ptolem. *Megies*, seu *Megesvvar* Lazio, in *Transylv.* Sed situs non congruit.

Pirum tortum, vicus Austriæ infer. ad Danubium, Cluver. 6. leuc. supra Viennam in Occasum, *Pixendorf.*

Pirus, Lambrasi filius, Thracum princeps, profectus ad bellum Troj. à Thoante, Ætolorum rege interficitur, Hom. *Iliad.* 4.

Pirusta, Ptolemæo in quintâ Europæ tabulâ, *Pirusa:* in extremâ Dalmatiæ parte, versus Macedoniam easdem ponere videtur. Strabo autem *lib.* 7. *Piruscas* vocat & in inferiori Pannoniâ locat. Plinius *Pyreos* appellare videtur. *Albenasi* Vigenerio fortè. *Tirustas* verò gentem Dassaretiorum, qui Illyricis sunt finitimi, refert Livius *lib.* 45. Ubi nescio an *Tiraustas* dicat, pro *Piraustas.*

Pisa, urbs Peloponnesi ad Alpheum fluv. & mont. Pisæum, de quo Plut. Regio *Pisatis* dicitur Straboni. Virgil. *Georg.* 3.

Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ.

Hinc *Pisæus*, nomen gentile. Ovid. *Am. lib* 2.

Ad quam penè Pelops Pisæo concidit axe.

Pisæ Milo tyrannus, cùm subditos variis tormentis affecisset, ab eis in mare demersus est. Ovid. *in Ibin:*

Utq; Milo, sub quo cruciata est Pisa tyranno,
Vivus in occultas præcipiteris aquas.

Sic dictam volunt; vel à *Piso* Apharei filio, vel à *Pisâ* filiâ Endymionis, Stephan.

Pisæ, plural. num. Tusciæ oppidum, inter Arnum & Auserem amnes, à *Pisæis* conditum, Elidis populis, Strabone teste *lib.* 5. qui Nestorem ad Ilium secuti, in reditu tempestate disjecti, alii quidem Metapontum, alii litus Tyrrhenum tenuerint, ubi à nomine relictæ patriæ, Pisas condiderunt: in solo frumenti & vini generosissimi fœcundo. Sedes hodie Ordin. Equestr. S. Stephani, qui ibi in templo huic dicato, magnâ cum pompa, statis temporibus conveniunt. Templum cathedrale nititur columnis ex marmore 72. portæque ejus ex ære, quæ ex templo Salomonico huc translatæ finguntur: turris inclinata, Palatium, Curia, Hortus Medicus, & Collegium, visu digna hîc conspiciuntur. *Pissa* duplici *ss.* habent Ptolomæus & Lycophron. Baudrando urbs ampla est, cum arce permunita, aliàs sui juris & potens Respubl. quæ Sardiniam è manibus Saracenorum vindicavit, Carthaginem domuit, & egregiam Christianis Orientalibus navavit operam. Capta à Galeatio, An. 1390. expugnata à Florentinis, restituta libertati, An. 1494. per Carolum VIII. Gallorum Reg. demum An 1509. ad M. Hetruriæ Ducem devoluta est, 6. mill. ab ostiis Arni. Ibi Academia Instituta Ann. 1309. & Concilium celebratum, Ann. 1409: Nunc parum populosa est. Alpheas vocat Virg. *Æn.* 10.

Hos parere jubent Alphea ab origine Pisæ.

Claudian. *de bello Gildonico:*

—— *Nec Alphea capiant navalia Pisæ.*

Rutilius *lib.* 1.

Elide deductas suscepit Etruria Pisas.

Ejus meminit Lucanus *lib.* 2.

Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Pisæ.

Quia jam supra Concilii alicujus hic celebrati mentio facta est; paulo prolixior historia non abs re erit. Concilium 1. ab Innoc. II. hîc habitum, An. 1134. cui Præsules ex Gallia, Germania & Italia intererant: quo Anacletus Antipapa excommunicatus est, & contra Schismaticos varia ordinata. Iterum An. 1409. cùm diuturno & horribili schismate Ecclesia laboraret, Gregorio XII. Romæ, & Benedicto XIII. Avenione sedente. Gregorius enim, in electione ad Unionem juramento adstrictus, cùm postea ne audire quidem de concordia vellet: Pasquillo exprobrante, *Absolutionem à juramento, à Diabolo ei factam esse.* Theodor. à Niem. *tract.* 6. *Labyr. c.* 29. Sorbona insuper decrevisset, Ecclesiam Gallicam nullo jure obstrictam esse, ut Papæ pecunias pendat, nisi in tribus causis, Monstrel. *lib.* 1. *cap.* 67. Aliique ad remedia clamarent, Cardinales secessione factâ, hic Concilio 180. Episc. 300. Abbatum, 282. Theologor &c. celebrato, utroque Papâ deposito, tertium in theatrum produxere Alexandrum V. Quo brevi defuncto Johannes XXIV. se fraude obtrusit. Tertium An. 1511. à Ludovico XII. Galliæ R. hic indictum, indeque Mediolanum & Lugdunum translatum est, in quo contra Julium II. sceleratum hominem, de emendando Ecclesiæ statu actum: nummo aureo à Ludovico Neapoli cuso, cum elogio: *Perdam Babylonis nomen*, Thuan. *Hist. lib.* 1. *pag.* 11. *edit. Gen* Acta Concilii Pisani, edita in 4. Ann. 1612. Plura de Urbe, Vide apud Leandr. Albert. *descr. Ital.*

Pisander, filius Bellerophontis, quem in Solymo bello cecidisse Homerus ait, *Iliad.* 9.

Pisander, Camircus. (Camirus autem Rhodi civitas est) Eumolpi tempore poëta, ut nonnullis placet, antiquior Hesiodo.

Pisander, homo procerus, & timidus, & *Camelus*, & *Agaso* dictus. De eo vide Suid. & Schol. *in Aves.*

Pisander, Lycaonius sub Alexandro, Mammeæ versificator, scripsit variam historiam, libb. sex; de Jovis & Junonis nuptiis; Suidas.

Pisander, Nestoris filius, Suidas. Et unus procorum Penelopes; Ovidius *Epist.* 1.

Quid tibi Pisandrum, Polybumq; Medontaq; dirum,
Eurymachiq; avidas, Antinoiq; manus.

Pisander, Poëta Gr. Olympiade 33. libris duobus res gestas Herculis prosequutus est. Alia ei attribuuntur, quæ potius Aristæus sibi vindicet. Suid. Pausan. *in Arcad.* Hygin. *in poët. Astron.* Censorin. *in fragm. cap.* 9. Fulgentius *lib.* 1. *Mythologia*, &c.

Pisani, pro præstita Lothario Saxoni, contra Rogerium Normannum, ope, sibi nisi, *Legum Romanarum Pandectarum* volumen, priscis admodum literis exaratum, & inter rudera quædam, repertum, petierunt, An. 1137. Eorum urbs Pisæ, Vide *ibi*.

Pisanum, castrum validis fossis & turribus cinctum, quod in occidua civitatis Hierosolymæ parte à Christianis, Pisarum Italiæ oppidi incolis, tempore, quo terræ sanctæ tenebant dominium, constructum est, ubi primum Pisani, deinde Saraceni, nunc verò Turcæ à terræ sanctæ peregrinis accipiunt tributum.

Pisanus tractus, pars Hetruriæ, inter agros Florentinum & Senensem ad Ort. ditionem Lucensem ad Boream, & mare Tyrrh. ad Occ. Nunc sub Hetruriæ M. Duce. Ibi Pisæ, tractus caput, Liburnus portus & emporium, *Livorno*, & Volaterræ in mediterr.

Pisaon, in Pelagonia est. Gentile *Pisaus*, Stephan. Inter Jolcum & Sepiadem prom. in ora maritima.

Pisaurus, Piceni fluv. à quo *Pisaurum* civitas Umbriæ ei superposita nomina a est, antiquissima, Rom. Colonia. Destructa à Totila, à Bellisario reparata est. Subfuit dein Malatestis, Sfortiis, Riveriis, donec ad sedem Pontificiam pervenit. Sita est in planitie, & flumine *Foglia* interluitur. Munita, cum arce, quæ olim Ducum sedes Hodie *Pesaro* dicitur, Servius verò scribit, Pisaurum dictum, quòd illis *aurum pensatum* sit. Nam cùm Camillus Gallos interemisset, aurumque quod Galli à Româ acceperant pro Capitolio non everso, recepisset, & signa civitati appendisset, civitati nomen dedit, Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Urbs hæc cœli gravitate vehementer laborat, præcipuè mensibus æstivis, ut adeo paucissimi hic mortales annos 50. superare, nec multi ad eam ætatem pervenire soleant; quamobrem æstuante aere, potissimeque sub Canicula, tot absumuntur pueri, ut absque ingenti dolore commemorari nequeat. Nunc Ducatus Urbini est, in ditione Pontif. in ora maris Adriat. Ampla & elegans, media inter Senogalliam ad Ort. & Ariminum ad Occid. Baudrand. Hic superbum visitur palatium, *Poggio Imperiale* dictum, quod Constantius loci quondam dominus extruxerat. Vide præter jam laudatos, Livium *lib.* 33. *&* 41. Procop. *lib.* 3. Agathiam, Sabellicum, Leandr. Albertum *descr. Ital. &c.* Vibius Sequester *in Catalogo fluminum*: *Pisaurus, qui & Isaurus, ut Lucanus, à quo civitas Pisaurum, de quâ Catullus:*

Moribundâ sede Pisauri.

Lucani locus est *lib.* 2.

Crustumiumq; rapax, & junctus Sapis Isauro.

Alii *Isapis*.

Pisca, Indiæ intra Gangem urbs, Ptolem.

Piscaria, urbecula probè munita Italiæ, sub Venetis, ad lacum Benacum, ubi Mincius ex eo effluit, in agro Veronensi, in ipso limite agri Brixiani & Duc. Mantuani, 15. mill. à Verona in Occid. Brixiam versus 25. *Peschiera*. Vide *Ardelica*.

Piscaria ora, tractus Indiæ cit. in ora Sinus Gangetici, inter Negapatanam ad Bor. & prom. Comorinum ad Austr. è regione Ceylani Inf. sub Principe Maduræ. Ibi unionum maxima piscatio.

Piscator Johannes, Scholæ Sigenensis Nassoviorum Professor Theolog. cujus in Nov. Testam. Methodici extant Commentarii. Obiit Argentinæ A. 1546. Item in Schola Nassovica Herbornensi Professor Theol. celeberrimus, vertit Germ. Biblia. Scripsit Expositionem selectorum dictorum V. T. cum Analysi: Quæstiones in Octateuchum: Theses Exegeticas in 5. pr. cap. Gen. In Utrumq; Testam. 3. Vol. fol. &c. Obiit Herbornæ An. 1625. ætat. 80. Andr. Regenvolscius, *in Syst. Hist. Chron. Eccl. Sclavonicarum*.

Piscena, Gall. Narbon. oppidum, Ptolem. *Pesenas* Joh. Poldo. Baudrando urbs lepida & culta Occitaniæ, ubi sæpe comitia provinciæ. Ad Arauraris fluv. in colle, 5 leuc. ab Agatha in Boream, ubi vix 4. ab ora maris Medit. terr. 9. à Montepessulano in Occ. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pisciacum, vulgò *Poissy*, oppid. Insulæ Franciæ, ad Sequanam, 5. leuc. à Lutetia in Cæsariam Rothomagum versus Natalibus S. Ludovici, Franc. Regis clarum, 1. leuc. infra confluentes Oesiæ in Sequanam. Vide *Possiacum*.

Pisciota, opp. Lucaniæ, *Buxentum*, Plin.

Piscuri, Asiæ pop. inter Dahas, Strabo.

Pisenor, Centaurus, Ixionis, & Nubis filius.

Piseus, rex Tusciæ, An. ante U. C. 260, æneam tubam invenisse dicitur, Plin. 7. 56.

Pisias, Argivorum dux, æqualis Epaminondæ, apud Xenoph.

Pisias, unus ex Hermocopidis, perversissimis mortalium. Vide Aristoph. Schol. *Aves*. 577.

Pisida, fluv. Tartariæ desf. Moscoviæ ditionem à Tartaris dividit, & in mare Glaciale se exonerat.

Pisidæ, antea *Solymi* vocati à Solymo Jovis & Chaldenæ filio, dein *Pisidæ*, à *Pisida* Populus est barbarus juxta Aspendum & Ciliciam habitans, Stephan.

Pisidia, *Versacegli*, seu *Versacili*, Turcis, Leuncl. à Versaco, urbe prim. sedeq; Præfecti, quæ olim Antiochia Pisidiæ, Asiæ reg. Bithyniæ, Isauriæ, & Pamphyliæ finitima, cujus opp. enumerantur, *Selga*, *Salagassum*, *Pednelissum*, *Adadata*, *Brias*, *Grenna*, & alia nonnulla. Pop. *Pisidæ*; de quibus Livius *lib.* 38. ubi de expeditione Manlii in Pisidiam & vicina loca: *Inde in agrum Salagassinum uberem fertilemq; omni genere frugum ventum est. Colunt Pisidæ optimi bello regionis ejus.*

Pisidium, oppid. Asiæ min. maritimum, haud procul Seleu... Diod. *Posidium* legit Holstenius.

Pisidon, portus in Africâ propriâ, Ptolem. *Moarat* Marmo... Melius *Pisida*, nunc *Zoara* Sansoni: estque urbs regni Tripoli... in ora maris Med. terr. permunita, haud pridem tamen direpta... Equitibus Melit. Cum portu capaci, 180. m. p. à Tripoli nov... Occ. versus Syrtim min.

Pisilis, Cariæ opp. inter Calbin fluv. & Caunum urb. Strab...

Pisinates, Umbriæ pop. Plin.

Pisinda, Afr. Propriæ, & Pamphyliæ urbs, Ptol.

Pisingara, Armen. min. opp. Ptol.

Pisinoë, una Sirenum.

Pisinus, vide *Pessinus*.

Pisis, urbs & mons Armeniæ vel Susianæ. Civis *Pisideus*. ... *sidiâ* fit enim *Pisideus*, Steph.

Pisistrati, insulæ tres sunt Joniæ prope Ephesum, apud Plin... *Anthine*, *Myonnesos*, & *Diarrheusa*. Nunc ex Epheso nominat... Ferrari is.

Pisistratus, Larissæus historicus, Suidas. Item Nestoris & ... rydices fil. Homer. *Odyss.* 3

Pisistratus, Hippocratis filius, Atheniensis tyrannus, claru... nere, eloquentiâ verò tantâ, ut eâ deliniti Athenienses, liber... quâ nihil charius habebant, se sponte exuerent, illiusque facu... sanctitatem Solonis, qui Numen fuerat civitatis, posthabe... Alii tem hoc modo narrant. Pisistratus in Salamina Insula o... panda re fortiter feliciterque gestâ, majora agitare cœpit. M... titus igitur, sibi insidias strui, corporis custodes sibi permitti p... quod factum: Horum ope Acropoli potitus est. Unde p... pulsus, per Phyam, Minervæ habitu indutam eam recuperavit. ... cundò pulsus, in exilio an. 11. fuit; sed tertiâ vice restitutus, ir... rium porro quietum tenuit, per an. 18. Obiit Olymp. 7... L... 128. Successerunt ei Hippias & Hipparchus filii, Artes libe... maxime fovit. Bibliothecam primus Athenis publicavit, q... Xerxes urbe potitus ad Persas transtulit. Eam deinde multis... annis Seleucus Nicanor restituendam curavit. A. Gell. *lib*... *&* 17. Plutarch *in Solone*. Herod. *Clio*. Thucyd. Euseb Tr... Floruit tempore Servii Tulli Roman. regis. Videndus om... Meursii *Pisistratus*.

Pisistratus, Orchomeniorum rex, cùm nobilitatem odio ... ctaretur, plebis studiosus erat. quare in Senatu eum necare d... verunt. Discerptum igitur intra sinus condunt, ac solum e... dant. Plebeia dehinc multitudo, conceptâ suspicione, in cu... advolat. Regis autem filius ætate minor, nomine Telesima... conspirationis conscius, ex curiâ turbam extraxit. Patrem... supra mortalem speciem ad Pisæum mont. magnâ velocitat... ferri commentus est, eâq; fraude plebem obduxit. Plut. *Para*...

Piso, Aquitanus, de quo Cæs. 12.

Piso, prænomine *Cajus*, Calpurnio genere ortus ac mult... signesque familias paternâ nobilitate complexus, facundus... gitor adversus amicos, ignotis quoque comi sermone & congr... Corpore procero, decorâ facie. Sed haud moribus gravis, ... ptatibusque deditus conjurationem adversus Neronem cœpi... Silio Nervâ & Attico Vestino Coss. Tacit. 15. 48.

L. Piso, Cathi Consularis Legatus, gestô in urbe summo M... stratu, V. C. DCC. XLII. ab Helvetiis cæsus est.

Piso Licinianus, M. Crassi & Scribonia filius, à Galbâ adopt. ab Othone verò trucidatus. (Vide Tacit. *Hist.* 1. 43.) in foribus ... pli Vestæ, ministris Sulpicio Floro & Statio Murco.

Piso, prænomine *Lucius*, citerioris Hispaniæ Prætor, quem ... nelio Cosso, Asinio Agrippâ Coss. quidam grestis, nationis ... mestinæ, pace incuriosum, ex improviso, in itinere adortus ... vulnere in mortem adfecit: ac pernicitate equi profugus, ... quam saltuosos locos attigerat, dimisso equo, per derupta & ... sequentes frustratus, neque diu fefellit, nam prehenso ducto ... proximos pagos equo, cujus foret cognitum, & repertus cùm ... mentis edere conscios adigeretur: voce magna, sermone p... frustra se interrogari, clamitavit. adsisterent socii ac spectarent... nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eliceret, idemq... postero ad quæstionem retraheretur, eo nisu proripuit se custo... saxoque caput adflixit, ut statim exanimaretur. Sed *Piso* Terr... norum dolo cæsus habetur; qui pecunias è publico interce... acrius, quàm ut tolerarent barbari, cogebat, Tacit. 4. 45.

Piso, prænomine *Lucius*, consularis, cum aliis duobus ve... libus publicis à Nerone præpositus, Tac. 15. 18. jussu Muciani ... fectus in Africa, *Hist.* 4. 48 49.

L. Piso, Patre Censorio natus, triumphale decus in Thraci... ritus, *Urbis Custos*, ebrietati deditus, majorem partem no... convivio exigebat, usque in horam sextam ferè dormiebat. ... cium tamen suum, quo tutela urbis continebatur, diligent... administravit. Quod rarum in tantâ claritudine generis, ... gesimo ætatis anno, fato obiit Co. Domitio & Camillo S... niano Coss. Tacit. *Annal. lib.* 6. 10. Seneca *Epist.* 84. Hujus *L. Piso* quoque dictus socer C. Cæsaris, qui censor cum Appio ... dio anno urbis DCCIII.

Piso, cui quidam *Publii*, quidam Lucii prænomen tribuunt, cùm dictus sit *M. Piso*, consul cum M. Messalâ anno U. C. 693. Fuit hic orator ille, qui Cicerone natu major & triumfalis, biennio tamen serius consulatum assecutus est. De quo vide Ciceronem *in Bruto* & Asconium Pedianum *in Oratione contra L. Pisonem*. V. infra.

Pisona, vulgò *Posching*, pagus Vindeliciæ in Bavaria, inter Straubingam & Decheldorpium in Ort. apud Danub. aliis *Pisonianum*, vulgò *Weschel*.

Pisones, nobiles Romani, ex Numæ Pompilii familiâ, sic dicti, vel à piso, ut à *lente*, *Lentuli*; vel à *pinsendo*, uti Plinius censet, cum quo auctor *Panegyrici ad Pisonem* facit, quando scribit:

—— *Nam quid memorare necesse est,*
Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat?
Claraq; Pisonis tulerit cognomina prima,
Fumida callosâ cùm pinseret hordea dextrâ?

Fuit autem Calpurniæ gentis cognomen. Ex hac familia *Piso* L. Calpurnius, cognom. *Frugi*, Tr. Pl. Cons. & Censor: floruit ab U. C. an. 600. usque ad an. 640. Ann. 605. Censorino & Manilio Coss. Legem tulit Tribunus, *de Pecuniis repetundis*. Consul fuit cum Posthumio Albino. An. 606. secundo Bello Punico: cum Pop. Læna, An. 615. cum Fulvio Flacco A. 619. cum Minutio Scævola, A. 621. Censor tandem cum Metello Balearico fuit. IC. Orator insuper & Historicus insignis. Ejus meminit Cicero *in Bruto*, *lib. 2. de off.* 64. sed majori cum elogio Plin. *Hist. nat. lib. 2. cap.* 53. Adde A. Gell. *l. 11. c. 14.* Voss. *de H. L. l. 1. c. 6.* Anton. Augustinum de *Legibus*. C. Calpurnius *Piso*, Cons. cum M. Attilio Glabrione An. 687. U. C. tulit Legem Calpurniam *de ambitu*. V. Ciceron. *in Bruto*: qui ibidem Marci quoque *Pisonis* meminit; Græcè doctissimi, & in causa veteri summam gloriam meriti. *Pisonis*, qui de Mario scripsit, mentionem injicit Plut. L. Calpurnius *Piso*, cum Corn. Lentulo Consul erat, A. 753. U. C. quo CHRISTUS natus est. *Piso* alius à Galba adoptatus, jussu Ottonis, necatus est, An. C. 69. &c. Vid. quoque Cassiodor. *in Fast. Consul.* Patin. *de fam. Rom.* Hinc *Pisonianus*. ut *Pisonianum vitium*, i. e. mira libido loquendi; quo vitio laboravit L. Piso. B. Hieronymus *ad Oceanum*: *Primùm sponsulus noster obmutuit: deinde Pisoniano vitio, cùm loqui nesciret, tacere non potuit.* V. supra.

Pisonis villa, prope Bajas, quam ferunt Neronem sæpius animi gratiâ adiisse. Tacit. *Ann* 1. hodie *Truglio*.

Pisonium; mel. *Posonium*, quod V. ut & *Flexum*.

Pisorus, Armen. min. urbs. Anton.

Pisraca, fl. Hisp. Tarr. per Vacczos, in Durium fluens; apud Septimancam oppid. Vallisoleto Urbe & Edonia oppid. rigatis; Hisp. *Pisuerga*.

Pisslum, vulgò *Peson*, Castellum Gall. ad ripam Liderici flum. inter Fractam Vallem & Vindocinum. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Pispiri, mons Ægypti, Palladio *mons S. Antonii*; aliàs in territ. *Alexandrino*.

Pissaum, ab Orpheo recensetur promontorium, inter ea loca, per quæ iter faciebant Argonautæ. Melius legitur *Pessaum*.

Pissantini, pop. in Macedoniâ. Polyb.

Pissirus, vel *Pistirus*. Thraciæ urbs. Herod.

Pisti, locus ubi Carolus Calvus Concilium habuit. An. 864. An ad Sequanam, an in Normannia? Blondello est *Poses*. Vide tab. Geogr. in edit. Concil. Cellotium *not. ad Concil. Duacense*, & Had. Valesium *Not. Gall.*

Pistas; V. *Pisciacum*.

Pistirum, Thraciæ emporium. Steph.

Pistor; Jupiter dictus est, quòd Romanos, quo tempore à Gallis obsessi, propter famem, de deditione cogitabant, in somnis admonuisset, ut ex omni frumento quod habebant, panes facerent, eosque in hostium castra jacerent. Ita enim futurum, ut desperatâ victoriâ Galli animis conciderent; atque ipsi superatis hostibus obsidione liberarentur. Ovid. *Fast.* 6.

Esse Ceres visa est; jaciunt Cerealia dona;
Jacta super galeas longaq; scuta sonant.
Posse fame vinci spes excidit, hoste repulso
Candida Pistori ponitur ara Jovi.

Pistoria; *Pistorium* Plinio; *Ad Pistores* Antonino, urbs Hetturiæ Episc. ad mont. Apennini radices; fere media inter Florentiam ad Ort. & Lucam ad Occ. hodie *Pistoia* Celebris clade Catilinæ, Nigrorum & Alborum dissidiis, Cancellariorum item & Panzadicorum turbis. Hic altare in templo S. Jacobi argento obductum, cum 10. ex eodem metallo lychnuchis; In templo Humilitatis, Leonis 10. Clem. 7. Cosmi & Alexandri statuæ; & magnifica admodum ædificia: Unde *Pistoia la bene strutta*, vulgò dicitur. Leand. Alb. *descr. Italiæ*. In agro Florentino, ad amnem Stellam; vix 12. m. p. ab agro Bononiensi, & dit. Pontificia. Patria Clement. IX. è gente Rospigliosa.

Pistrensis villa, pagus Pannon. infer. ad Danubium, patria Sozomeni, à Sirmio urbe 26. m. p. teste Ammiano, distans in ort. contra Petrovaradinum, qu. medius inter Bononiam & Taurinum. *Bistricz*, teste Lazio.

Pistris, nomen navis apud Virg. *Æn.* 5 Ubi alii legunt, *Pristis*.

Pisuthnes, meminit Polyæn. *lib. 3. in Pachete*.

Pisye, urbs Cariæ. Dicitur & *Pitye*. Capiton *Pityussam* vocat. Steph.

Pitanciaria, à Gall. *Pitance*, obsonium cujuscunque generis, carnis, piscium &c. exceptis, ut quidam volunt, pane & vino. Meliùs de istis portiunculis intelligitur, quæ viritim distribuuntur, sic ut propriè idem sit, quod rei cujusvis portiuncula, vel pars exigua, aliàs *Pictacium*, *Pitacium* & *Pitaciolum*. Hinc & *Pite* Gallis pro minima nummi portiuncula; quadrante sc. vel hemiobolo. Unde *Pitanciarius*, in Monasteriis Collegiisque dictus est, qui suam cuique eduliorum portionem subministrat: cujus officium *Pitanciaria* vocitatur. V. Henric. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Pitane, urbs Æolidis in Asiâ, non procul à Caïci fluv. ostio, duobus insignis portubus, cujus incolæ *Pitanæi* & *Pitanitæ* nominantur. Baudrando Urbs Mysiæ maj. versus oram maris Ægæi, 60. m. p. circiter ab Æolide. Fama est apud Pitanam lateres inventos esse, qui super aquas innatarent, quod & de aliis locis traditum est, ut Massiæ in Bætica, Plin. Ovid. *Met.* 7.

Æoliam Pitanen à lævâ parte reliquit.

Item *Pitane* op. Laconicæ mediter. ad Eurotam fluv. & op. Macedoniæ marit in orâ orientali. Pitane urbs à Pelalgis capta, illis servire coacta fuit, donec ab Erythræis liberata, in pristinam libertatem vindicata est. Hinc adagium: *Pitane sum*, de iis, qui redacti ad extremam calamitatem; rursus ad priorem fortunam restituti sunt, apud Zenodotum. Troadis quoque oppidum. Item fl. Laconicæ. Plin. Strab. Ptolom. &c.

Pitanus, Corsicæ fluv. unus ex tribus majoribus, in orâ occid. inter Hieram op. & Marianum promunt. Ptol. *Talabo* Castaldo. Aliis Titianus, in parte Occ. cum ora seu sinu cognom. Nunc *fiuminale d' Ornano*: portus verò *Golfo di Talabo*.

Pitaon, Cariæ urbs, à *Pitao* Phryge, Midæ amico dicta. Gentile *Pitaeus*. Steph.

Pitara; Æthiopiæ sub Ægypto opp. Plin.

Pitea, vide *Lampsacus*.

Pithecon- colpos, i. e. *Simiarum sinus*, portus in Libyâ juxta Carthaginem: Gentile *Pitheecocolpites*. Steph.

Pithecusa, insula Campano litori adjacens, non procul à Neapoli, à Virgilio *Inarime* dicta; à quibusdam etiam *Ænaria*, à statione navium Æneæ. Dicta Pithecusa (ut Ovid. *lib.* 12. *Met.* fabulatur) à Cercopibus, teterrimo hominum genere, quorum fraudem, perjuriumque exosus Jupiter, in simias eos commutavit. Græci verò simias πιθήκους vocant. Verùm hanc nominis rationem, tanquam fabulosam, rejicit Plinius *lib. 3. cap. 6.* docetque Pithecusas, non à simiis appellatas, sed à figlinis doliariorum, dolia enim Græci πίθους vocant. Habet autem hæc insula in vertice op. ejusdem nominis. Vide *Ænaria*.

Pithecussa, Ins. 3. parvæ Afric. ubi simiæ pro Diis colebantur. Diodorus.

Pithnissa, vel *Pitnissa*, urbs Lycaoniæ. Steph.

Pitho, dea flexanima, illa dicendi præses; quam Ennius *Suadam*, Quinctilianus *persuadendi deam*, Horatius *Suadelam*, & Cicero *leporem* vocat. Plin. Colebatur & Diana cognomine *Pitho* Corinthi: Item una ex Atlantidibus.

Pithœus, Petrus, Trecensis. Discip. Turnebi & Cujacii, brevi Magistros æquavit: ab Henrico 3. magnis muneribus adhibitus, postmodum multùm momenti attulit, ad Lutetiam sub obsequium legitimi sui Regis, Henrici 4. redigendam. Inde peste sæviente egressus, Nogentiaci ad Sequanam obiit. Ann. 1596. Kal. Nov. qui dies ipsi natalis fuerat. Plurimos edidit libros, Varro sui temporis non immeritò dictus. Josias Mercerius vitam ejus descripsit, in fronte Consuetudinum Trecensium; quod opus à Pithæo conditum est. Sammart *Elog. l.* 4. Papyr. Masson. *in elog. Part.* 2. Fratrem habuit Franciscum, Advocatum Paris. eruditione similiter inclytum.

Pitholai promunt. circa Arab. sinûs fretum in Æthiopiâ. Strab.

Pitholaus, cum Lycophrone, Pheræorum tyrannidem obtinuit, occiso per dolum affine Alexandro: sed à Philippo Macedone ejectus, Olymp. 107. an. 1.

Pitholeon; Rhodius, poeta trivialis & abjectus, qui cùm in confinio utriusque linguæ natus esset, confuso sermone epigrammata quædam futilia conscripsit, in quibus perquam ridicule Græca Latinis miscuit, cujus mem. Horatius. 1. *Serm. Sat.* 10.

Pithon, Crateæ fil. Macedo, inter corporis custodes Alexandri M. Vide *Python*.

Pithonis, locus Asiæ in campis apertis, ubi ciconiæ primo adventus sui tempore congregantur, Plin. 10. 23. Mira ibi narrantur, V. *Pithonoscome*.

Pithonobaste, Indiæ extra Gangem urbs. Ptol.

Pithonoscome, locus Asiæ in campis apertis, ubi Ciconiæ primo adventûs sui tempore congregantur, & eam quæ ultimo advenerit, lancinant universæ, atque ita abeunt. Plin. 10. 23.

Pithos, vicus in tribu Cecropide, ἀπὸ τῶν πίθων, à vasis seu doliis quæ illic fiunt. Steph.

Pithuerium, *Pluviers*; urbs Belsiæ, quibusd. *Pithiviers*, ad *Oeuf* amnem, in Aurelianensi tractu, media inter Milliacum ad Cæc. & Aurelias in Afric.

Pitiacus & *Pictiaca sylva*, nunc *Cella S. Aviti*, loc. in territorio Aurelian. ubi eremus vasta, & Cœnobium S. Aviti. Ferr. Forsan, *Patay* oppidul. Baudr.

Pitinum, Umbrorum mediter. op. Ptol. Ubi Novanus fl. solstitio æstivo fervens, siccatur in Bruma. Plin. Baudrando urbs fuit Ep. Valeriæ, non longè ab Amiterno. Nomen & vestigia supersunt. 2. mill. p. & paulo plus à civ. Aquila, in Aprutio, in loco *Torre di Pitino* teste L. Holstenio.

Pitnissa, Lycaoniæ op. Steph.

Pitornius, Latii fluv. per lacum Fucinum impermixtus transiens; *Juvencus*, seu *Invectus* Plinio, ut quidam falsò scribunt, cùm *invectus* ibi participium sit, non nomen fluvii.

Pittacus, Philosophus Mitylenæus, unus ex septem Græciæ sapientibus, qui ex Lesbo tyrannum Melanchrum depulit, exortoque deinde inter Athenienses, Mitylenæosque bello, Phrynonem Olympionicem celebrem, hostium ducem ad singulare certamen provocavit, rete que quod occulte secum attulerat, implicitum facilè superavit, quâ ex pugnâ Retiariorum, & Mirmillonum factiones originem sumpsisse putantur. Hoc facto commoti Mitylenæi tyrannidem ei tradiderunt: quâ tamen paulo pòst sponte se abdicavit. Obiit An. æt. 70. Olymp. 52. Diog. Laërtius, *in ejus vita.* Strabo *lib.* 13. Euseb. *in Chron.* Fuit autem tempore Crœsi regis. Hujus illud: *Providere oportet, ne casus veniant; si fortè venerint æquo animo tolerare.* Fuit alius *Pittacus* legislator (Phavorinus & Demetrius *in Homonymis*) qui minor est appellatus, & 600. versibus leges suas complexus est. Ælianus *de Var. hist.* i Pittacum quendam commemorat, qui de molâ pistrinâ encomium conscripsit, ut in parvo argumento vim dicendi ostentaret.

Pittacus, nepos Pori, Indorum regis. Vide Polyænum *lib.* 4.

Pittalus, Medicus Atheniensis, qui discipulos reliquit. Vide Schol. in Aristoph. *Acharn.* 4. 5. *p.* 420. *F.* 2. *&* *in Crabrones.*

Pitthea, op. Peloponnesi apud Trœzena, vel ipsa Trœzen in orâ Argiæ. Plut. Hinc *Pittheus.* Ovid. *Met.* 5.

Est prope Pittheam tumulus Trœzena sine ullis
Arduus arboribus. —— ——

Pittheus, Thesei avus maternus, qui Trœzene regnavit, de quo Plut. *in Theseo.* Hic primus Rhetoricam docuisse, & de ea scripsisse dicitur, Pausan. *in Corintò.* quod tamen simile vero non est. Nummum ejus Flavius Ursinus exhibet. V. Voss. quoque *de Reth. nat. & const.* c. 9 Hinc *Pittheis*, patronymicum fœmininum, quo poetæ utuntur pro Æthrâ Pitthei filiâ matre Thesei. Ovid. *in ep. Ariad. Theseo:*

Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ
Filius. —— ——

Pituanius, prænom. *Lucius*, Mathematicus imperante Tiberio, saxo Tarpejo dejectus. Tacit. *lib.* 2. 32.

Pitulani, Umbriæ pop. Plinius.

Pitulum, Latii op. Plin.

Pityaa, urbs inter Parium & Priapum. Steph. Apoll. *Arg. l.* 1.

—— Ζαθέην τε παρήμειβον Πιτύειαν.

Ubi Schol. Ἡ Λάμψακος τὸ πρότερον Πιτύεια προσηγορεύετο, ἣν τινες Πιτύαν ὀνομάζουσι, περὶ δὲ φασιν ὅτι Φρίξος γενόμενος ἐνταῦθα ἀπέθετο πιτυρὸν ἔνθα, καὶ ἀπὸ τούτου ἡ πόλις ὠνομάσθη. Θρᾷκες γὰρ τὸν Θησαυρὸν Πιτύην λέγουσι.

Pityassus, Pisidiæ urbs. Strabo.

Pitynda, Metropolis Indiæ intra Gangem. Ptol. Seu *Pytindra*, in ora sinus Gang. nunc forsan *Narsingapatan*, in regno Golcondæ.

Pityodes, Straboni *Pityusa*, Stephano *a*, Ins. parva Propontidis, ad Hyrium prom. in Hellesponto.

Pityonesus, ins. parva Peloponnesi contra Epidaurum. Plin. *Schilla* in tabb. recent. in Sinu Saronico, 6. m. p. à littore, ab Ægina Ins. 17.

Pitys, i. e. *pinus*, Puella erat, quam Pan & Boreas rivales amabant: Illa Panis amore magis afficiebatur, unde æmulatione motus, puellam in petras impulit ac neci tradidit. Terra miserta cladem, plantam puellæ cognominem produxit, quæ arbor nunc quidem Pana germine suo coronat: Flet autem ubi Boream afflantem percipit. Auctor *Geoponicum lib.* 11. *cap.* 11.

Pityus, opp. Sarm. Al. apud fines Colchidis, ad mare Eux. in finibus Heniochorum, terminus quondam Imperii R. Plin. à Dioscuriade, urbe Colchorum extrema 360. stad. in Occ. Ab Heniochis direptum. Item fl. ejusdem nominis, Plin.

Pityusa, ins. parva sinûs Argolici ante Hermionen. Sunt & *Pityusæ*, ins. duæ in mari Iberico, angusto freto inter se divisæ, quarum major Ebusus, minor Ophiusa. Ita Strabo, Idem & Ptolemæus docet. Pomponius quoque Mela idem sentire videtur, licet Pityusas utramque communi appellatione dici non moneat. At Plinio longè alia mens, qui utrique huic insulæ nomen Ebusus convenire ait; & Colubrariam sive Ophiusam aliam facit à Pityusis. Longè falluntur, qui Plinium Straboni & Ptolemæo conciliare quærunt. Diodorus Siculus eosdem cum Plinio sequi autores videtur, Πιτυοῦσσαι enim agnoscit unam magnam insulam, in quâ urbs sit quæ appellatur Ἔρεσος: nisi ejus codex sic corrigendus & legendum Ἔβυσος. Idem Diodorus annotat Pityusam à copia τῶν πιτύων, quas illa insula fert, nomen invenisse. Plinius à frutice pineo. Casaub. Baudrando Insulæ duæ sunt in mari Mediterr. inter Balearem maj. ad Ort. & prom. Dianium Sinumque Sucronensem ad Occ. Vulgò *las Islas de Yviça*, pendentque à regno Majoricæ: earum major & quæ ad Bor. Ebusus, *Yviça*, castrum habet cognom. cum tribus villis & salis fodinis. Minor, quæ Ophiusa *La Formentera*, ad Austr. extensa, ob serpentes deserta est, parique circuitus.

Pius I. Aquileiâ oriundus, post Hyginum Episc. Rom. An. 156. Pascha celebrari jussit, Dominicâ post 14. d. mensis Martii. Martyrii coronam accepit, An. 165. Aniceto successore. Scripsit duas epistolas ad Justum Viennensem. Genebr. *Chron. lib.* 3. Ciacconius, Platina, Duchenius &c. *in vit. Pontif.*

Pius II. prius Æneas Sylvius Bartholomæus Piccolomineus, Senensis. Mater ejus Victoria de Fortiguerra parituram se filium mitratum somnians, id in familiæ ignominiam fore interpretata est, cùm in degradatione Clericorum mitra chartacea illis imponi soleat: Aliud Fata voluere. Cum cura educatus, ad studia animum applicuit, ingenio & eruditione inclytus. Ætatis an. 26. in Concilio Basiliensi, à Secretis fuit Dominico primùm Capranico Cardinali, dein aliis quoque Præsulibus, inprimis Cardin. Albergato, à quo in Scotiam missus est. Redux à Concilio Referendarii, Abbreviatoris, Cancellarii, & Agentis Gener. muneribus auctus, Argentinæ, Francofurti, Constantiæ, in Sabaudia & Rhætia, res ejus curavit: Præpositus hinc Ecclesiæ Collegialis S. Laurentii, quæ Mediolani est, factus. Interim plurima edidit opera, in quibus, quàm honeste de Concilio senserit, satis ostendit: Eugenio IV. pro meritis passim notato. Secretarius dein Felicis V. & Friderici postmodum III. Imper. ab hoc Poëticâ lauro donatus est, variis legationibus Romæ, Mediolani, Neapoli, in Bohemia &c. defunctus. A Nicolao V. post hæc magnis negotiis in Austria, Hungaria, Moravia, Bohemia & Silesia adhibitus, jam Episcopus Senensis, Ratisbonæ & Francofurti in Comitiis, de bello Sacro, præclare disseruit. A Calixto III. Cardinalis creatus, Ann. 1456. ei tandem successit, An. 1458. Pii II. nomine sumto. Tum statim ad Christianos Principes contra Turcas unendos animum applicuit, Concilio Mantuam indicto, An. 1459. postquam Ferdinando fil. notho Alphonsi, contra familiam Andegavensem, regnum Neapolit. confirmasset: unde Bellum. Ecclesiæ hostibus pro virili obnixus, variis terris auxit dominium. In difficilimis etiam rebus intrepidus, animo in sarum bellum tam promto fuit, ut ipsemet copiarum, quas jam paratas habuerat, Dux esse voluerit. Sed dum Anconæ solvere parat, morte præventus, Obiit A. 1464. æt. 58. Sedis 6. Opera ejus Basileæ edita, An. 1571. in quibus quòd Pontifex quædam retractasset, scommate notatus est: *Quod Æneas probavit, Pius damnavit.* Non dubitant eruditi, quin & ipse auctor sit Commentariorum, qui sub nomine Johan. Gobelini Personæ, qui ei à secretis erat, prodierunt. V. Joh. Aretinum, Vossium, Onuphrium, Ciacconium, Lud. Jacob. *in Bibl. Pontif.* Joh. Antonium Campanum *in ejus vita:* hancque in frontispicio operum ejus &c. Crebro in ore Pontifex hic habuit: Sacerdotibus magnâ ratione ereptas nuptias, majori restituendas videri. Joh. Baleus *in vita ejus.*

Pius III dictus Franciscus Tudeschinus, Pii II. ex sorore nepos, successit spurcissimo Alexandro VI. 1503. non sine veneni suspicione paulo pòst mortuus, die post electionem 26. in epistolis Marsilii Ficini, Philelphi, Sabellici &c. notissimus. Successit Julius II. Papa admodum sceleratus. Ciacconius, Victorellus, Duchenius, *in ejus vita.*

Pius IV. Mediolanensis, nomine Joh. Angelus Mediguinus seu Medicis, frater Marchionis Mariniani, successit Paulo IV. Ann. 1559. Natus festo Paschatis, electus Papa festo nativitatis & coronatus festo 3. Regum, 18. hominibus in turba obrutis, pluribusque læsis: Initio clementem, sed non Caraffis se exhibuit: Cardinali Caraffâ in mole Adriani carnificis manu strangulato, & fratre ejus Palliani Principe, capite plexo, in carcere. Melitâ à Turcis obsessâ non parum sollicitus; Concilium Tridenti an. sec. 61. Protestantes Germaniæ Principes ad illud per literas & Legatos invitando, restauravit: sed diplomata non resignata, cum acri responso Legatis remissa sunt. Thuan. *lib* 23. *&* 28. Quod & à Rege Daniæ factum: Elizabetha autem Legatum ex Belgio in Angliam transiturum aditu arcuit. Sic inchoato à solis Communioni Rom. addictis Concilio, Carolus 9. calicis usum in cœna Domini, postulavit obnixe, opponente se acriter Cardinali S. Angeli. Idem Bavariæ D. Albertus exposcens, obtinere non potuit: nec ipse Imperator Ferdinandus I. Iidem Principes petebant insuper, ut conjugium Cleri. is permitteretur. Sed & hoc negatum. Tandem finitum Concilium An. 1563. in quo nihil correctum, sed vetera mala publicâ auctoritate investita sunt: Synodusque à Germanis spreta, à Gallis non admissa est, dicente Claudio Espensæo, *in Concilio id demum fieri, quod nationi placeat Italicæ.* Et Claudio Sanctio: *in Synodo Tridentina, plus nobis quàm Spiritui S. tributum e*... Lætus, *Compend. hist. Univ.* Finito Concilio Papa, spectaculis variisque oblectamentis intentus, conjuratione Accoltii vix non periit. Obiit tandem A. 1565. ex nimio Veneris usu, ut vulgò dictum sit, *Eum per eandem partem animam profudisse per quam accepisset.* porro Thuan. *Hist. lib.* 36. 38. 39. Jac. Revium *in Hist. Pontif.* Successit Pius 5.

Pius V. dictus Michael Gislerius, successit Pio IV. Ann. 15.. Inquisitionis acerrimus propugnator: Inquisitor generalis, ... sub Paulo IV. Inquisitionis auctore. Captos Julium Zoanetum ... trum Carnesecam, aliosque, ob leves hæreseos suspiciones, exuri ...

ninus Aonium Palearium, quòd dixisset: *Inquisitionem esse sicam districtam.* Meretrices urbe excedere jussit, Catechismum, Breviarium & Missale, à Concilio ipsi injunctum, edidit. Elizabetham Reg. excommunicavit; Carolum IX. contra Protestantes pecuniâ juvit: Cæsarem, ut pacis conditiones cum Turca rumperet, hortatus, *fidem aut juramentum infideli non esse servandum*, duxit. Philippo II. ut Carolum fil. qui Belgis favere visus erat, tolleret, auctor fuit, patrato facto gratias Patri egit, dono insuper misso, rosâ & gladio. Armis, Regi huic & Venetis junctis, prælio contra Turcas, ad Naupactum, victoriam juvit, anno 1571. cum anno antè Cosmum Magnum Hetruriæ D. creasset, non permittente Maximiliano II. ut illum Regem crearet, imo interminante, *si Pontifex ulterius jura imperii invaderet:* tandem tamen, ad intercessionem Principum, Francisco C. F. titulum M. Ducis, sed ut Imperii beneficiario, confirmante, Bodinus *de Rep. lib.* 1. *cap.* 9. Thuanus *Histor. lib.* 60. & 62. Caraffis tandem restitutis in bonorum possessionem, & Ordine Humiliatorum abolito, ad Inquisitionem Tribunalis Pontificio majoris vocatus, Obiit An. 1572. beatis demum annumeratus An. 1672. à Clemente X. Duchenius, Pap. Massonius, Thom. Moniotus &c. *in ejus vita.* Anton. Sen. Gratus & Louvetus, *de Vir Ill. Ord. Prædic.* Victorel. *addit. ad Ciacon.* Carolus Jacob, *Bibl. Pontif. &c.*

Pius, Metellus sic dictus quòd a Furio Tribuno reditum exoravit. Antoninus quoque Imp. *Pius* dictus est, quòd animum à belli ferocitate alienum haberet, malletque vivum, ut ajebat, civem servare, quàm 1000. hostes trucidare. Dio. Alex. *libro*, 1. *cap.* 2.

Pizarrus Franciscus, Hispanus, Peruviam detexit & occupavit. Hunc exposititium fuisse dicunt, & ad fores templi cujusdam, omnium misericordiæ, ab impudica matre, objectum: dein cum à Capitaneo Consalvo Pizarra pro filio agnitus esset, in pago Truxillo porcos custodiisse. Horum uno perdito, cùm ad patrem reverti timeret, Hispalim primò, dein in Indias aufugit. Huic Didacus Almagrus, à natali pago dictus, itidem genere tam vili, ut quis pater ejus esset, nunquam sciri potuerit, se junxit: qui duo in Peruvianum regnum irrumpentes, An. 1525. in Atabalipam R. subditosq; ejus primò, dein, cùm de immensa præda dissidium oreretur, in seipsos immaniter sævierunt. Et Ferdinandus quidem, frater Pizarræ, Almagrum; hujus verò filius Franciscum Pizarram vicissim e medio sustulit. Consalvus tertius Pizarræ frater, utriusque necem ultus, tam insolens evasit, ut Carolus V. Petrum Gascam, IC. in Peruviam mittere coactus fuerit, qui malis mederetur. An. 1546. Mariana, *lib.* 26. Thuan. *lib.* 1. Sandoval. *in Carolo* 5. *&c.*

Pixodorus, V. *Pexodorus.*

Placas, vel *Placensius*, Ciliciæ mons, Hesych.

Place, urbs Hellesponti, civis *Placius*, Gentile *Placianus*, Steph.

Placentia, vulgò *Piacenza*, colon. & urbs antiquissima, episc. sub archiep. Bononiensi in Gall. Togatâ circa finem Æmiliæ apud Padum fluv. non longè Trebiam fluv. excipientem; ampla & populosa, utpote in qua 25000. civium, Farnesiorum hodie Principum in Ducatu Parmensi, inter Mediolanum & Parmam. Hîc Cælius à Cinna & Mario obsessus, cum Petronio, cui se interficiendum præbuit, interiit. Liv. Ejus in agro salsi sunt fontes, è quibus sal candidissimum excoquitur: & ferri fodinæ, ubi *Ferraria.* Silius *l.* 8.

Certavit Mutina quassata Placentia bello. Baudrando, urbs olim Anamanorum, in Gallia Cispad. nunc Duc. Placentini caput, sub Parmæ Duce. Arcem habet probe munitam, & 1. mill. à Pado distat, 18. mill. supra Cremonam in Occ. Papiam versus. Hinc tractus seu Duc. Placentinus: Qui habet ab Or. Ducatum Parmensem, à Sept. & Occ. Ducatum Mediolanensem, à Mer. separatur à dit. Genuensi Apennino. Pendent ab eo etiam 4. castra trans Padum, ad Bor. Laudem Pompejam versus. Hîc quoq; Concil. An. 1095. quo de Praxeda, ab Henrico III. repudiata, & de Bertrada ac Philippo I. Gall. R. auxiliis item Alexio Comneno summittendis actum. Item An. 1132. ubi Anacletus excommunicatus. V. Leandr. Alb. *desc. Ital.* Humbert. Locatium, *de Placentia.*

Placentia, urbs Hisp. Tarrac. in Lusitaniæ confin. inter Salamanticam ad Bor. & Emeritam ad Aust. 22. leuc. Baudrando Urbs Vettonum in Lusitania, nunc Extremaduræ, in regno Legionensi: Aliis *Deobriga*; seu crevit ex ejus ruinis. In planitie fertilissima, vulgo *la Vera de Placentia* 12. leuc. à Cauria in Ort. Toletum versus 14. circiter.

Placentia, urbs Castellæ vet. Episc. sub Arch. Toletano. In colle sita, cum arce. Item Urbs tractus Armeniaci, in Gall. Item, in agro Rheno, ejusdem regni.

Placentia, Arx novæ Franciæ, in ora Or. Ins. Terræ novæ, recens à Francis extructa, cum portu adjacente & oppidulo.

Placia, Mysiæ op. juxta Cyzicum, Milesiorum op. Plin. 5. *ult.*

Placiada, Atticæ municipium, Suidas. Apud cujus incolas moris erat, adulteros punire graviter, impactis in pudendam corporis partem raphanis, qui apud illos miræ magnitudinis esse dicuntur. Quòd si raphani forsasse non fuissent ad manum, stelæo utebantur, i. e. ligneo ligno.

Placidia Galla, filia Theodosii M. Soror Honorii & Arcadii; capta ab Alarico Româ, hujus captiva, Oros. *lib.* 7. vel Ataulphi successoris evasit, huicque nupta, tantum egregiis moribus apud maritum valuit, ut ipsum ab Imperio vastando averteret. Sic excessit is Italiâ Barcinoneque An. 415. occisus est. Remissa ad Honorium Placidia, Constantio, Consuli & Patritio denuo nupsit, An. 417. quo brevi mortuo, educationi filii Valentiniani III. intenta fuit. Ingenio & pietate singulari prædita, variasque vitæ hujus vicissitudines, inprimis filio adhuc minorenni, experta: Obiit An. 449. Ravennæ sepulta. Nummus ejus coronam cœlitus ei demissam, cum imagine pueri in ulnis, repræsentat. Prosper, Idacius, Isidor. *in Chron.* Olympiod. *apud Phot.* Historia Miscell. &c.

Placidia, virgo, Valentiniani III. Imp. & Eudociæ filia, quæ repudiatis opibus, nulli rei præterquam saluti studebat. Hujus mater, cùm Maximo infensa, Gensericum Romam vocasset, ab illo cum duabus filiabus in Africam abducta, & Eudoxia quidem jun. Hunerico desponsata est, Placidia verò Constantinopolim remissa, Senatori Olybrio nupsit.

Placidianus, Consul cum An. Tacito an. U. C. 1125.

Placidus, alio nomine *Julius*, cohortis tribunus, Vitellium Imper. e latebra pudenda Palatii protraxit, vinctum tergum pone manus. Tacit. *Hist.* 3. 85.

Placilla, Theodosii Magni Imp. uxor: non regni fastigiis elata est, sed potius amore succensa divino. Repente ergo, ut venit ad purpuram, claudorum atque debilium maximam habebat curam, non servis, non aliis ministris utens, sed per seipsam agens, & ad eorum habitacula veniens, dans unicuique quod opus haberet. Sic etiam per Ecclesiarum xenodochia discurrens, suis manibus ministravit infirmis, ollas eorum tergens, jus gustans, efferens cochlearia, panem frangens, ciboque administrans, calices abluens, & alia cuncta faciens, quæ servis & ancillis mos est solenniter operari. Illis autem, qui ei talia nitebantur prohibere, dicebat: Aurum distribuere, imperii est opus: Ego autem, pro ipso imperio, hoc opus offero bona mihi omnia conferenti. Nam viro suo sæpe dicere erat solita, *Oportet te semper, marite, cogitare, quid pridem fueris, quid modo sis: Hæc si semper cogitaveris, ingratus benefactori non eris, sed imperium, quod suscepisti, legitimè gubernabis, & harum rerum placabis authorem.* Theodoret. *Eccl. Hist.* 5. 31. Item hi. Arcadii Imp. pietate similiter inclyta.

Pladarei, pop. Septentrionales. Steph.

Plagereum, locus Siciliæ inter Agrigentum & Syracusas, Anton.

Plagia, Liguriæ portus, 15. m. p. à Vintimilio, Nicæam versus. Anton.

Plagiaria, Hisp. urbs, inter Olyssiponem & Emeritam Anton. *Nuestra Sennora de Betove* nunc, ad 2. leuc citca fines Extremaduræ.

Planus, urbs Cariæ. Steph.

Planaria, ins. ultra Corsicam, à specie sic dicta, quòd æqualis freto existat, ideoque navigii fallax. Plinius 3. 6. Eadem cum *Planasia*.

Planasia, ins. parva maris Tyrrheni, inter Ilvam & Corsicam, Baudrando versus partem Austr. Ins. Ilvæ, à qua vix 6. aut 7. mill. in Mer. distat. Tota in planitie, sub M. Hetruriæ D. 30. mill. p. à Corsica in Ort. Item *Planasia*, ins. Gall. Narbon. teste Strab. post Stœchadas, quæ S. *Marguerite* Dalechampio dicitur, in ora Provinciæ, olim *Lera*. Hic Agrippa, Augusti nepos, Tiberii jussu est necatus. Tac. *lib.* 1. Annal. V. *Lera.* Item op. ejusdem Galliæ ad Rhodanum fluv. Strabo. *Pont S. Esprit*, teste Jo. Poldo, inter Vivarium 4. & Avenionem ad Aust. 8. leuc.

Plancina, nupta Gn. Pisoni, palam lætâ morte Germanici, cùm Piso caderet, precibus Liviæ defensa erat. Post ejus mortem petita veneficii criminibus, suâ manu, sera magis quàm immerita supplicia persolvit. Tacit. 6. 26. Ser. Galbâ, L. Sullâ Coss.

Plancius, Romanus quidam, qui, teste Eusebio, cùm Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.

Plancta, insulæ maris Euxini, apud eos, quæ & *Cyanea.* Herod. *lib.* 4. Ἔπλεε ἐπὶ τὰς Κυανέας καλευμένας, τὰς πρότερον Πλαγκτὰς Ἕλληνές φασιν εἶναι. Scylax Caryand. Αὗται δέ εἰσιν αἱ Κυάνεαι, ἃς λέγουσιν οἱ Ποιηταὶ Πλαγκτὰς πάλαι εἶναι, καὶ διὰ τούτων πρώτην ναῦν πρᾶξαι τὴν Ἀργὼ, ἥτις εἰς Κόλχους τὸν Ἰάσονα ἤγαγεν. Strabo *lib.* 3. Τὰς δὲ Κυανέας ἐποίησε παραπλησίως ταῖς Πλαγκτάς. De Homero loquitur, cujus versus ex Odys. μ', heic apponam,

Ἔνθεν μὲν γὰρ πέτραι ἐπηρεφέες, προτὶ δ' αὐτὰς
Κῦμα μέγα ῥοχθεῖ κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης.
Πλαγκτὰς δή τοι τάς γε Θεοὶ μάκαρες καλέουσι.
Τῇ μὲν δ' οὐδὲ ποτητὰ παρέρχεται οὐδὲ πέλειαι
Τρήρωνες, ταί τ' ἀμβροσίην Διὶ πατρὶ φέρουσιν.
Ἀλλά τε καὶ τῶν αἰὲν ἀφαιρεῖται λὶς πέτρη.
Ἀλλ' ἄλλην ἐνίησι πατὴρ ἐναρίθμιον εἶναι.
Τῇ δ' οὔπω τις νηῦς φύγεν ἀνδρῶν ἥτις ἵκηται,
Ἀλλά θ' ὁμοῦ πίνακάς τε νεῶν καὶ σώματα φωτῶν
Κύμαθ' ἁλὸς φορέουσι, πυρός τ' ὀλοοῖο θύελλαι.
Οἴη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντοπόρος νηῦς.
Ἀργὼ πασιμέλουσα παρ' Αἰήταο πλέουσα,
Καί νύ κε τὴν ἔνθ' ὦκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας,
Ἀλλ' Ἥρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦεν Ἰήσων.

Plancus Lucius Munatius, Rom. ex familia antiquissima. Condidit, an reparavit Lugdunum, cùm Proconsul in Galliis esset, Ann. 711. U. C. Anno pòst Consul cum M. Æmilio Lepido fuit. Statua ejus Basileæ in Curia, cum egregia inscriptione, cernitur. V. Plut. *in Annibale*, & in voce *Munatius.*

Plancus, adulandi artifex, in magna apud Fulviam Antonii gratiâ, de cujus adulatoriis moribus vide sis Appianum *libro tertio Civil.*

Plancus, vide *Munatius.*

Planeta, tunica seu vestis sacra, oras sparsas habens, de qua vide Hieron. *in Epit. Nepotiani, ad Heliodor. tom. lib.* 25. Matth. Paris. *in Henrico* 3. *pag.* 683. & Henricum Spelmannum *Glossario Archaeologico, &c.*

Planeta, Herodot. Plin. Vide *Plancta.*

Plangenses, Umbriæ gens, Plin.

Planities Libani, subter montem Hermon, in tribu Aser; apud Jesaiam *cap.* 11.

Planudes Maximus, Monachus, unus ex conservatoribus Græcæ linguæ. Transtulit Græcè libellum, de moribus regendis, qui *Cato* inscribitur. Convertit & in eandem linguam opera D. Augustini, annis aliquot ante Constantinopolim captam. Dicitur & fabulas, quæ Æsopi nomine circumferuntur, collegisse. E Latino certè in Græcum transtulit Ovidii Metamorphoses, & Heroidas, Macrobii Saturnalia, & Somnium Scipionis. Collegit & libros 7. Epigrammatum Græcorum qui extant. Mortuus est antequam Constantinopolis à Turcis capta est. Vide supra in voce *Maximus Planudes.*

Plarai, Epiri pop. Stephan.

Plarassa, urbs Cariæ, Idem.

Plata, seu *Provincia de Rio de la Plata*, Provincia Peruviæ, in America meridionali, antea *Chuquisaca* dicta, ingentibus excelsisque rupibus septa, innumeris irrigatur fluviis, à meridie, China terminatur, Chilienses Occiduum latus tenent, septentrionem Brasilia & Charchantes claudunt, oriens oceano finitur. Ipse *Platanus* fluvius, incolis *Paranaguazu*, è maximis totius mundi, in Charchantibus ortus, magnis Mæandris effectis, prope Ningaram, in Parana sese exonerat. Americus Vesputius primus mortalium ad hujus *Argyrei*, sive *Plata* fluvii portum delatus est, Metel. Vide *Argentea.* Item urbs Americæ Merid. in prov. *de los Charcas*, cum Archiepisc. à Paulo V. fundato. Ampla, opulenta & argenti venis inclyta: unde & nomen illi. Vide Morerium *in Dictionario Historico.*

Platæa, ins. maris Ægæi, una Sporadum, ab Astypalæa 60. mill. pass. *Placeda* vulgò. Item insula Cyrenaicæ ante Cyrenen, Herod. *lib.* 4. Cujus cives *Platæenses*, & regio *Plataica* dicitur, teste Stephano. Cæterùm à *Platæis* Bœotiæ, quas Hom. sing. num. Πλάταιαν vocavit, similiter *Platæis*, vel *Plataiatis.*

Platææ, *arum*, civitas Bœotiæ, templo Jovis Liberatoris celebris, sub Cithærone monte, non longè à Thebis, Steph. Dicta à *latitudine* remorum. Non procul ab hâc urbe Pausanias & Aristides Mardonium, Xerxis ducem & consobrinum, superaverunt, Olympiad. 75. Sub initium belli Peloponn. à Thebanis capta est, quibus perfidiâ incolarum occisis, ab illis destructa est. Idem passa est à Lacedæmoniis. Thucyd. *lib.* 2. Pausan. *in Bœot.* Strabo.

Platææ, insulæ tres parvæ ante Troadem urbem Mysiæ apud Ascanias.

Platage, ins. inter Eubœam & Andrum, quondam *Patage*, nunc *Amorgos* appellatur, Plin 4. 11. Vide *Mergo.*

Platamodes, locus Peloponnesi à Coryphasio 120. stadiis distans, Strab.

Plataneus, Bithyniæ fluv. Plin.

Platanistus, Peloponnesi promunt. Plin. *lib.* 4. *cap.* 5. Est & Arcadiæ fluv. Steph. Et Æolidis promunt. Plin. Item Pamphyliæ aut Ciliciæ maritimus locus Straboni.

Platanius, Bœotiæ flumen, Pausan.

Platanus, urbs Phœniciæ, Steph. Mediterr. inter Antiochiam magnam 25. & Laodiceam 40. m. p. Anton.

Plate, insula ante Troadem, Plin.

Platea, insula in mari Ægæo, quæ & *Paros*, & *Minois* dicitur. Item ins. Libyæ. Gentile *Plateates*, & *Plateites*, Stephan.

Plateis, insula juxta Lyciam, Idem.

Platerus Thomas, Sedunus, Ecclesiæ, Scholæ, R. P. Q. Basil. Seminario pari fide & dexteritate præfuit, annos plus minus 38. Obiit An. Ch. 1582. octogenario major, pater Felicis & Thomæ, de quibus infra.

Platerus Felix, prioris filius, Archiater Basiliensis, per Ann. 57. Academiæ per Annos 43. Medicinæ Professor celeberrimus, sextùm Rector. Natus est Basileæ An. 1536. quo ipso anno Erasmus Roterod. ibidem mortalitatem explevit: ad Medicinam animo applicato, tantum profecit, ut non solùm Patriæ salutatis, sed & Christianissimæ Catharinæ, Magni Henrici IV. Galliæ Reg. sorori unicæ, Saxonicis item, Lotharingicis, Brandenburgicis, & Wirtembergicis Principibus gratissimus fuerit. Extant ejus *de partium corporis humani structura & usu libb.* 3. *tabulis explicati & Iconibus illustrati, fol. Basileæ per Ambr. Frobenium*, An. 1583. *de Febribus*, *Praxis Medica*, quæ omnium manibus teritur, &c. Obiit Ann. 1614 ætat. 77.

Platerus Thomas, Felicis frater, itidem celebris in Basiliensi Acad. Medicinæ post eum Professor. Pater alterius *Felicis*, qui natus An. 1605. similiter Basiliensis Archiater famigeratissimus, Logicam primò, dein Physicen in Academia Patria, ultra 20. annos, magna cum fide docuit; Postea in amplissimum Reipublicæ Senatum allectus, prudentiæ, pietatis, animique à seculi sordibus abhorrentis, clarissima edidit specimina: Post Patrui hic *Praxi* illustri accessione locupletatam, aliosque egregios ingenii fœtus ad prælum paratos, Obiit sexagenario major, An. C. 1671. *Plat rorum* gloriæ S.

Stat Pietas invicta Polo, sed dedita cunctis
Fama triumphali vos vehit axe plagis.

Musæum *Platerianum* à Felice Seniore collectum, juxta varios rerum naturalium gradus pulcherrimo ordine dispositum, continet præter lapidum, mineralium, concharum, seminum genera pene innumera, herbas vivas in octo Librorum volumina mirabili industria digestas, & icones variorum piscium, avium ac quadrupedum aliquot libris ad vivum depictas, etiam partes quasdam animalium nota aliqua insignes, corpora sceleta, aliaque ad rem medicam spectantia, denique exotica, multa etiam ab Indis petita, toreumata resque alias miro artificio elaboratas.

Platia, insulæ parvæ Creticæ ante Sammonium promunt. Plin. In ora Or. Cretæ, nunc forsan *Diclassa* & *Cardes.*

Platina, Veronensis, homo doctus, & antiquitatum studiosus, scripsit de vitâ & moribus Pontificum Rom. usque ad Paulum I. Prænomen ei Bartholomæus fuit. Romæ floruit, ubi à Paulo IV male habitus & in carcerem quadrimestrem conjectus; sub Sixto I Bibliothecæ Vaticanæ præfuit. Obiit ibidem peste; Ann. 148 ætat. 60. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. Gesner. *in Bibl.* Paul. Jov. *in elog. cap.* 9. Leander Albert. *in descript. Verona.* Volaterran. *anthr. lib.* 2 Bergom. *in supplem. Chron.*

Platina, vulgò *Piadena*, pagus agri Cremonensis in via inter Cremonam & Mantuam, medio fere itinere, Bapt. Platinæ, vitarum Pontificum scriptoris, Patria. Lloyd.

Plato, Philosophus insignis, sectæ Academicæ princeps, Aristonis & Parectoniæ filius, ex humerorum *latitudine* sic dictus cùm antea ex avi nomine *Aristocles* vocaretur. Hic adhuc adolescens palæstrâ se exercuit; picturæ operam dedit, Tragœdiasque & poëmata quædam conscripsit. Post hæc ad Socratem se contulit, sub quo brevi tantum in philosophiâ profecit, ut non immeritò *divinus Plato*, & *Philosophorum Homerus* fuerit appellatus. Cratylum dein, posteaque Hermogenem audiit. Etiam Megaram se, ut Euclidem; Cyrenen, ut Theodorum Mathematicum; i M. quoque Græciam, ut Philolaum & Eurytum, Pythagoricos, si conciliaret, contulit. Vide infra. Is quod ad Dialecticam pertinet, primus res ipsas distinxit, quo modo plurimas, quas habuere antiqui, dubitationes sustulit. Fuit varius, multiplex, ac tantæ eloquentiæ, ut Jovem (si Græcè voluisset) Platonicè loquuturum philosophi dicerent. Peccat autem eo, (inquit Vossius) quod multum gaudet metaphoris, iisque non verecundis, sed audacibus, & planè poëticis, atque φορτικαῖς: Philosophiæ siquidem magis convenit dictio propria, aut tralationes receptæ, & usitatæ. Ad poëticam autem dictionem prope accedere Platonem, non Aristotelis modò judicium est, sed & Dionysii Halicarnassensis. Imò in dialogis suis poëticè magis loquitur, quàm Comœdia facit, ut multos sensisse, testis est Cicero *in Bruto.* Athenis, uti diximus, primùm Socrati dedit operam; deinde cùm licuit per ætatem, in Italiam profectus est, ut Pythagoreos audiret, ubi Philolai Crotoniatæ librum, de sectâ Pythagoreâ, centum minis etiam in rei familias difficultate mercatus est, ex quibus multa in suum Timæum transtulit. In Ægyptum deinde properans, oleum secum mercaturæ gratiâ vexit, ut viat eo suppeditaret, ubi libros Mosis legisse creditur. Etiam in Indiam cogitaverat, ut ibi cum Gymnosophistis colloqueretur, sed Asiaticis bellis inhibitus est Athenas reversus est, in Academia docuit: Physicam quidem, secundùm Heracliti: Logicam, Pythagoræ; Ethicam verò juxta Socratis mentem: Philosophiâ sic à tribus excellentissimis Græciæ Philosophis mutuatâ. Consistebat autem illa in Dialogis 10. in quibus sub Socratis, & Timæi, suam: sub Gorgiæ verò & Protagoræ nominibus, aliorum sententiam exponit. Credidit is unum Deum, cui tamen Dæmones & Heroas associat: & dolet Tertullianus *tractat. de Anima*, omnes hæreticos è dialogis ejus de Republ. & Ideis subsidia errorum mutuatos esse, *hæretica Idearum sacramenta*, illas propterea vocans; additque *in Ideis Platonicis Gnosticorum hæretica semina relucere.* Fatendum tamen, primos Ecclesiæ Patres fere omnes Platonicos fuisse, hujusque Philosophiam reliquis omnibus antetulisse. Scribit quoque Augustinus *lib.* 7. *Confess.* libris ejus utiliter se ad intelligentiam variatum veritatum Orthodoxarum usum fuisse, ibique ferme totum Evangelii Johannis initium se repetisse. Imo Justinus Martyr, Clemens Alexandr. Eusebius, alii, ipsum de Trinitate aliquam quoque notitiam habuisse crediderunt, &c. & Moses Atticus à Numenio Pythagorico, dictus est. Clem. 1. *Strom.* Ter in Siciliam navigavit, primùm Ætnæ flagrantis visendæ gratiâ, ut Apulejus ait: Reversus, apud Æginam captus est à piratis, ac minis 30 venundatus: deinde à Nicete Cyrenæo redemptus. Iterum rediit, sub juniore Dionysio, spe liberandi Siciliam. Sed paulo post expulso Dione, & ipse suspectus remigravit. Tertiò cùm maximè nollet, rogatus ab Archytâ, ut Dionem tyranno reconciliaret, iterum ingressus, ab eodem Dionysio obviam procedente, quadrigis excepti

cepti

ægitus est. Demum in suspicionem veniens, vix rogante, & spondente pro eo Archytâ, dimissus. An. ætat. 81. placidissimo decessit obitu, die natali, Olymp. 108. ante C. N. 347. vel 348. ut Cicero & Seneca tradunt, ut Laërt. verò, in nuptiis discumbens, Horat.

Pythagoran, Anytiq; reum, doctumq; Platona.

Plinius eum *sapientiæ antistitem* vocat. *Sublimis apex philosophorum & culmen* dicitur Arnobio *adversus Gentes lib.* 1. Quin & Cicero philosophorum aliquem laudans, *semper*, inquit, *excepto Platonem.* Cum parvulus aliquando dormiret, apes, facundiæ omen, in labellis ejus consederunt. *Philosophorum quis dubitet Platonem esse præcipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divinâ quadam & Homericâ? Multum enim supra prosam orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instructus*, Ita de eo Quintilianus *lib.* 10. *cap.* 1. Vide Bessarionem quoque *in Calumn. Plat.* Marsilium Fic. *in Phil. Plat.* Voss. *de Sectis Phil. cap.* 12. Meursium, &c.

Plato, alter Atheniensis, poëta priscæ Comœdiæ, tempore Aristophanis, cujus fabulas Pollux, Suidas & Athenæus commemorant. Item alius Poëta. Tres item alios Diog. Laërt. recenset: unum Rhodium Philosophum, discipulum Panætii: alium Peripateticum, de ludo Aristotelis: tertium Praxiphanis discipulum. Vide Laërt. *in Plat. lib.* 3. Athen. *lib.* 4. 6. 7. 10. Jul. Pollucem, *lib.* 6. *cap.* 33. *lib.* 7. *cap* 29. *lib.* 10. *cap.* 24. *&c.* Alius denique Martyr, qui, pro fide Christianâ, imperante Maximiniano, passus est, paternamq; hæreditatem, dum viveret, pauperibus est largitus.

Plato Atheniensis, qui supplementum militum, peditum quinq; millia, equites mille Alexandro M. in Mediam adduxit, Curt. 5. 37.

Plato, Castellum in Amurgo, seu Mergo, Insula.

Plato, portus in Insula Mergo.

Plavia, urbs Voigtlandiæ, in Misnia; *Plavven.* Ad Elsteram fluv. media fere inter Cygneam ad Cæc. & Curiam ad Africum. Sub Elect. Saxoniæ, 4. mill. Germ. à confinio Bohemiæ.

Plavia, opp. Duc. Megapolitani, ad lacum cognom. ubi ex eo Elda effluit; 6. mill. Germ. à Gustrovia in Mer. 10. à Domitio in Ort. uti ab Havelberga in Bor.

Plavis, fluv. Venetiæ, vide *Anassus.* Ex altis montibus decurrit, juxta Belunum urbem cœli inclementiâ laborantem; *la Piave.*

Plautia Herculanilla, triumphali patre nata, Claudio Imper. nupsit, cum qua divortium ille fecit, ob libidinem, probra & homicidii in virum suspicionem. Ex hac Claudium suscepit & Drusum, quem puberem amisit, pyro per lusum in sublime jactato, & hiatu oris excepto strangulatum, cui & filiam Sejani desponderat.

Plautianus, Consul cum Getâ Cæsare, An. U. C. 955. ex humili loco, ad summam fortunam, sub Severo Imper. evectus. Romæ præfectus. Antonino Imper. filio, suam filiam, dato ei, quantum reginis 50. satis fuisset, elocavit; sævus & superbus, Christianorum acerrimus hostis, illos circa An. inprimis 203. & 204. immaniter exagitavit, V. persecutionis auctor; Jussu tandem Antonini, cui insidias struxerat, in palatio, occisus est, filio filiaque in Liparam Ins. relegatis, ubi plurima passi, tandem Antonino mandante, neci quoque sunt dati. Dio, Herod. & Spartian. *in Severo & Caracalla*, Euseb. *Hist. lib.* 5.

Plautius, seu *L. Plotius*, Gallus, primus Rhetoricam Romæ docuit: Crassi tempore, Olymp. 173. Hier. *in Chron.* Sueton. *de clar. Rhet.* Cicer. *epist. ad Titin.* se tum infantem fuisse refert. Fabius *lib.* 2. *cap.* 4. *Plautius* Sylvanus, Consul An. 752. U. C.

Plautius, Romanus quidam, quum ob uxoris obitum dolore incredibili torqueretur, mortemque appeteret, in rogum se conjecit, quem togatum, calceatumque corpori uxoris junxerunt amici. Valer. Max. *de amore conjugali.* Item Poëta Comicus, Varro, Gellius, *lib.* 3. *cap.* 3.

Plautius, prænom. *Aulus*, primus Consularium, provinciam fecit Britanniam. Tacit. *Agric.* 14.

Plautius Lateranus, famosus Messalinæ adulter; ob id ordine motus, sed ab ipso Principe Claudio Senatui redditus. Conjuravit in Neronem, Consul designatus, amore in Rempubl. Silio Nerva & Attico Vestino Coss. ideoque capite multatus, Tacit. 15. Vide de eo quoque Arrianum Epictet. *lib.* 1. *cap.* 1.

Plautius Silvanus, prænomine *Tiberius*, Prætor incertis causis Aproniam conjugem in præceps jecit; tractusque ad Cæsarem ab L. Apronio socero, turbatâ mente respondit, tanquam ipse somno gravis atque eò ignarus, & uxor sponte mortem sumpsisset. Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum; in quo reluctantis & impulsæ vestigia cernebantur. Refert ad Senatum, datisque judicibus *Urgulania*, Silvani avia, pugionem nepoti misit, quod perinde creditum, quasi Principis monitu, ob amicitiam Augustæ cum Urgulaniâ. Tac. 4. 22. decimo Tiber. Imper. anno.

Plautius Varus, Præturâ functus, perversor sub Vitellio Dolabellæ in Aquitaniam ab Othone sepositi. Tacit. *Hist.* 11. 63.

Plautus M. Accius, poëta Comicus, patriâ Sarsinas, *Plotus* ab initio, teste Festo, appellatus à pedum *planitie*, quos *Plotos* Umbri vocant. Vixit Pacuvii, Attiique ætate, nempe extremis aliquot annis belli Punici 2. sive Annibalici, ac proximis 17. Nec enim possum assentire B. Hieronymo *in Chronicis*, qui sic scribit ad ann. 1, Olymp. 146. *Plautus ex Umbriâ Sarsinas Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistorem se locaverat. Ibi quoties ab opere vacasset, scribere fabulas solitus, ac vendere.* Is annus erat U. C. 555. quo Coss. erant Serv. Sulpic. Galba Max. & C. Aurelius Cotta. Id ab Hieronymo ex Tranquillo exscriptum ait Scaliger, *in Animadv.* Sed difficulter credo ita scripsisse Tranquillum. Nam ann. post 13. superfuisse ex Cicerone cognoscimus, qui auctor est *in Bruto*, mortuum An. U. C. 570. P. Claudio Pulchro, & L. Portio Licino, Coss. i Olymp. 149. Vossius. Idem Cicero *urbano, ingenioso & faceto genere jocandi refertum eum* scripsit. Et Varro ex Ælii Stilonis sententiâ, *Musas*, dixit, *Plautino sermone locuturas fuisse, si Latinè loqui voluissent.* Hinc *Plautinus.* Horat.

At nostri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere sales, &c.

Vide insuper Cicer. *lib.* 1. *de Offic. & lib.* 3. *de Orat.* Horat. *l.* 2. *epist.* 1. Hieron. *in Chron.* Lil. Giraldum & Crinitum, *de vit. Poët.* A. Gell. *lib.* 3. *cap.* 3. Ubi ex Varrone hos de Plauto versus refert:

Postquam est morte captus Plautus,
Comœdia luget, Scena est deserta,
Deinde risus, Ludus, jocusq; & numeri
Innumeri simul omnes collachrymarunt.

Plautus Elianus, Pontifex, qui restitutum, jussu Vespasiani, Capitolium, lustratâ Suovetaurilibus areâ & super cespitem redditis extis, consecravit, Tacit. *Hist.* 4. 53.

Plautus, vide *Rubellius.*

Plebs, oppidum agri Tarvisini.

Plectrudis, uxor Pipini Crassi seu Heristelli, Majoris Domus, ingenio & animi robore insignis. Post mortem mariti, A. 714 regno ipsa, nomine Theobaldi nepotis præfuit, & verita fortitudinem & ingentem animum Caroli Martelli, quem Pipinus ex Alpaida susceperat, captivum eum Coloniæ detinuit. Sed Galli muliebre imperium pertæsi, Plectrudis amicis è medio sublatis, An. 715. Ragenfredum Majorem Domus elegerunt, fœdere cum Radbodo, Frisiæ D. inito. Interea & Car. Martellus feliciter elapsus est, quod Plectruden longe pejus habuit. Obiit paulo pòst. Greg. Tur. *in app. cap.* 10. & 105. Ado *in Chron.* Aimonius, Tilletus, Dupleix, &c.

Plecusa, ancillæ nomen, Martialis 2. 66.

Et cecidit sectis icta Plecusa comis.

Plegerium, Indiæ opp. ad Choaspen fluv. Strabo.

Plegra, Galatiæ civitas, Ptol. 5. 6.

Plejas, & *Plejades*, Latinè *Vergiliæ* dicuntur, à verni temporis significatione, quo navigatio incipit, quemadmodum Græcis ἀπὸ τοῦ πλεῖν, hoc est, *à navigando*, Πλειάδες nominantur, ut quidam volunt. Plejadum enim ortus vernus navigationis tempus indicavit. Ovidius *Fastor.* 4.

Ore micant Tauri septem radiantia flammis
Sidera, &c.

Poëtæ filias faciunt Atlantis, ex Plejone Nymphâ, ideoque *Atlantidas* Virgilius dixit, earumque nomina finxerunt, *Electram, Alcyoneen, Celæno, Meropen, Steropen, Taygetam, Majam.* Valde autem inter se constipatæ sunt hæ stellæ: Unde *glomerabile sidus* Manilius vocat. Propertius:

Plejadum denso cur coit igne chorus.

Ubi alii *spisso.* Seneca *in Medeâ:*

Et densi latitant Plejadum greges.

Hæ tempestatem concitare solent. Horat. *lib.* 4. *Od.* 14.

Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Plejadum choro
Scindente nubes.

Propertius *lib.* 2. *cap.* 16.

Non hac Plejades faciunt nec aquosus Orion.

Statius 9. *Theb.*

—— *Cùm Plejadas hauris* (tempestas)
An nigrum trepidis impingit Oriona nautis.

Lucanus *lib.* 9.

Ibit & imbriferâ siccas cum Plejade Thebas.

Claudianus:

—— *Madidaq; cadente Plejade.*

Statius *Theb.* 4.

—— *Neq; enim violentior exit*
Amnis humo, quum Taurum aut Plejadas hausit aquosas.

Idem primam syllabam corripuit, *Sylv.* 1. 3.

Hac per & Ægæas hyemes, Pliadumq; nivosum
Sydus, & Oleniis dignum petiisse sub astris.

Valer. Flaccus *lib.* 5.

—— *Densaq; sequuntur*
Plejades, & madidis rorantes crinibus ignes.

Pherecydes has tradit 7. sorores fuisse, Lycurgi filias ex Naxo ins. Liberi patris nutrices, ab Jove inter sidera relatas, ne vim ab Orione paterentur. Reliqui Atlantis filias faciunt. Ovid. *ubi supra:*

Plejades incipiunt humeros relevare paternos,
Quæ septem dici, sex tamen esse solent.
Seu quòd in amplexus sex hinc venere Deorum:
Nam Steropen Marti concubuisse ferunt;
Neptuno Alcyonen, &, te formosa, Celæno
Majan, & Electram Taygetamq; Jovi.
Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit:
Pœnitet, & facti sola pudore latet.

Vide Nat. Com. *lib. 4. cap. 7.* Nomen quoque septem Poëtarum in Græcia fuit, sub Ptolemæo Philadelpho, quorum Lycophron obscurissimus, *Alexandram*, poëma edidit. Sic seculo præt. *Plejas* Poëtarum in Gallia dicta, Morer. *in Dict. Hist.*

Pleione, Nympha Oceani & Thetyos fil. uxor Atlantis, ex quâ *Plejadas* suscepit. Ovid. *Fast. 5.*

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, quà patet, ambit aquis.
Hinc sata Pleione, cum cœlifero Atlante
Jungitur, ut fama est, Plejadasq; parit.

Plemmyrium, fluv. Siciliæ agrum Syracusanum, per quem labitur, crebris rigans inundationibus, unde & nomen accepisse videtur ἀπὸ τοῦ πλημμυρεῖν, quod est *exundare*. Virg. *Æn. 3.*

Sicanio prætenta sinu jacet insula contra
Plemmyrium undosum: nomen dixere priores
Ortygiam. ——

Stephanus castellum Siciliæ vocat, alii promuntorium faciunt, *Massa Olivieri* Fazello, apud Anapi fluv. ostium: ubi *Plemmyria* insula parva, *Isola di San Martiano*, à Syracusis vix 3. mill. pass. ab ostio Anapi 2. Ferrar.

Plemmidicus Sagax, insignis Britannorum vates ac Philosophus, (*Plemmidium* Lilius Gyraldus appellat;) ex Druidarum religione vetusta.

Plerai, gens circa Dalmatiam, Strabo.

Plescovia, urbs ampla Moscoviæ versus Livoniam, caput Duc. cognom. Russis *Pskovva*, juxta fluv. *Veliki reca*, 40. m. p. à confinio Livoniæ in Ort. 60. à lacu Peiba in Eur. Muro cincta est; à Basilio D. proditione Sacerdotum occupata, An. 1509. Obsessa dein & capta est à Stephano Polon. R. An. 1581. Iterum à Gustavo Adolpho An. 1615. qui mox Mosco auri vim magnam pendenti pacem concessit. In quatuor partes, singulas muro cinctas, dividitur. Caput *Ducatus Plescoviensis*, qui maximè ad Occ. extenditur, inter Ingriam ad Bor. Livoniam ad Occ. Lithuaniam ad Merid. & Duc. Novogardiæ magnæ ad Ort. Cùm antea esset sui juris, à Joanne Basilide An. 1509. occupatus est.

Plesimachus, scripsit νόστους, hoc est, reditum Græcorum in patriam. Plutarch. *de Flum.*

Plessura, fluvius ad quem Rhætorum Curia, oppidum elegans, situm est.

Plestina, lacus, vide *Trasumenus.*

Plestinia, opp. Marsorum in Italia, Plin.

Plestorus, Thracum Deus, sed incertum utrum naturalis, an animalis. Huic Persa Oeobazus sacrificatus, Herod. *l. 9.* Οἰόβαζον ἐκφυγόντα ἐς τὴν Θρηΐκην, Θρήϊκες Ἀψίνθιοι λαβόντες ἔθυσαν Πλειστώρῳ ἐπιχωρίῳ θεῷ τρόπῳ τῷ σφετέρῳ.

Pletauri, pop. Lusitaniæ, Strabo.

Pleumosii, pop. Belgii, Nerviis finitimi, quorum teg. magna ex parte Flandria est, teste Becano; in quâ Hypræ, Furnæ, & Dixmuda urbes, seu, teste Huberto Leodio, ubi Gortryck, urbs ad Legiam fluv. à Tornaco 5. leuc. Gandavum versus 8. Baudrando pop. fuere Galliæ Belg. in Morinis, inter Nervios, Atrebates & Gordunos, ubi nunc urbes Tornacum, Insulæ & Origiacum, majorque pars Diœcesis Tornacensis, in Flandria Gallicana.

Pleuron, *Pleurone* Ptolem. & Pausan. opp. Ætoliæ mediterr. ad Evenum fluv. proximum Calydoni, *Melengria* Statio cognominatum, & *Pleuronia* Straboni, nunc *Boxichistran*, Sangallo, in MS. Bibliothecæ Barberinæ. Cujus meminit Ovidius *lib. 7. Metamorph.*

Adjacet his Pleuron, in quâ trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe,

Statius 8. *Theb.*

—— *Nunc torva Pylenes*
Agmina, nunc mœsta fundent Pleuronis alumnos.

Plexaure, Nympha, Oceani & Tethyos fil. Hesiod.

Plimuthum, opp. munitum Angliæ, in Devoniæ Comit. cum portu capaci, ad ostia fluv. *Tamer*, in limite Cornubiæ. Haud pridem frustra obsessum, 30. mill. Angl. ab Exonia in Occid. versus Damnonium prom. Emporium est celebre.

Plimuthum novum, opp. novæ Angliæ, in confinio novæ Hollandiæ, cum portu in ora littorali maris Borealis.

Plinius Secundus Veronensis, dictus Senior, temporibus Vespasiani & Titi vixit, quorum negotia administrabat: noctibus verò & successivis (ut ipse inquit) temporibus, opus De rerum naturâ libb. 27. conscripsit, ubi multa falsa, ex aliorum relatione accepta, unus omnium parcissimus temporis. Idem Neronis quoque historiam, vitam Pomponii Secundi, de bellis Germanorum, aliaque scripsit. Periit in horrendo montis Vesuvii incendio, An. Ch. 79. dum ejus causam indagare vellet. Vide omnino Plin. Juniorem *lib. 3. epist. 5. & lib. 6. epist. 16.* in quibus omnis vitæ ejus ratio exponitur. Videndus quoque Vossius *de Hist. Latin. lib. 1. cap. 29.* Tacit. *in Annal.* Hieronym. *in Chron.* Budæus, Turnebus, Lipsius, &c. *in Plin. &c.* Fuit alter *Plinius* C. Cæcilius Secundus, Novocomensis, ex prioris sorore natus, & ab avunculo in nomen & cætera jura adoptatus; discip. Quintiliani, eloquentiâ, virtute, & sanctitate vitæ ac morum, aut maximus ipse, aut inter maximos sui seculi viros fuit. Floruit sub Trajano, cujus & Panegyricum opus insigne scripsit. Habemus ejus Epistolarum libros, verissimum Attii eloquentiæ exemplum, ex quibus vita ejus & mores disci possu[nt]. Amplissimis muneribus defunctus, Præfecturam quoque Bithyn[iæ] gessit, in qua Christianorum moribus exploratis, non pepercit i[is] solùm, sed & eos per Epist. Trajano commendavit, cui hic in[...] stum reddidit responsum, Tertull. *in apolog.* Vitæ hominum il[lu]strium, illi vulgò tributæ, Aurelii Victoris sunt. Euseb. *in Chron. Hist.* Voss. *de Hist. Lat. l. 1.* Gesn. *in Bibl. &c.* Mart. 10. 19. de *Plinio*

Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum studet auribus virorum,
Hoc quod secula posteriq; possint,
Arpinis quoq; comparare chartis.

Malè autem hos confundit Hieronymus, *Chron. Eusebiano*, *Nu[m.]* 2125. & ex duobus Pliniis unum nobis, quantum in se fuit, co[n]cinnavit. Id quod dignum animadversione suâ existimavit Sc[a]liger, quem ibi, si lubet, vide.

Plinthine, opp. Marmaricæ ad fines Ægypti, & Alexandriæ fi[ni]timum, Steph. *Torre de gl' Arabi* Moletio.

Plistianax, vide *Cleandridas.*

Plistarchia, opp. Cariæ, quod & *Heracleum* quoque dicebat[ur] teste Stephano.

Plisthanus, Philosophus Eliacus, successit Phædoni, & success[o]rem habuit Menedemum, Diog. Laert. *in Phæd. lib. 2.*

Plisthenes, Pelopis ex Hippodamiâ fil. qui cùm juvenis mo[re]retur, Agamemnonem & Menelaum filios suos parvulos At[reo] fratri commendavit, qui eos suscepit, filiorumque loco educa[vit] & ob id Atrei filii habiti *Atridæ* vocabantur.

Plistonax, Pausaniæ filius Lacedæmoniorum dux, cujus res g[e]stas vide, apud Thucydidem.

Plistonicus, vel *Plistonices*, author, de quo Athenæus. Item Ap[...] nis cujusdam cognomen, qui non multo tempore Plinio super[ior] fuit, ut ipse ultimo volumine testatur.

Plistus, fluv. Phocidis Parnassum montem circumfluens, ac sinum Corinthiacum apud Cirrham opp. labens. Ejus memi[nit] Strab. *lib. 9.* Ubi sis Casaubonum adi.

Plitania, insulæ ante Troadem, Plinius.

Plocum, vulgò *Ploczko*, urbs Poloniæ infer. Episc. sub Archiep[isc.] Gnesnensi, ad Vistulam, cum arce, 14. leue. à Varsavia in Occ. [...] tuniam versus 9. ut 10. à Lancicia in Cæ. Caput Palatinatus [co]gnom. quem, mortuo Janusio Mazoviæ Duce, Johannes Alb[er]tus Poloniæ R. regno incorporavit, unà cùm Mazovia Duc. cu[jus] tum pars fuit, An. 1501. Cromerus *lib. 30.*

Plœna, Wagriæ in Holsatia urbs, cum arce splendida, inter [...] minum lacum; nec longè hinc arx Ranzoviana; 4. leue. à C[o]lonio in Merid. Lubecam versus 6. Sub proprio Principe è ge[nte] Ducum Holsatiæ.

Plota, ins. duæ maris Jonii, quæ & *Strophades* Plinio, Straboni Apollonio dicuntur, vulgò *Strivali.* Vide *Strophades.*

Plota, Æoliæ insulæ sic dictæ, Dionys. *in Periegesi:*

Τὴν δ' ἄρ μετ' Αἰόλου εἰσὶ πελώριοι ἐν ἁλὶ νῆσοι,
Ἑπτὰ δέ οἱ τήνγ' εἰσὶν, ἐπώνυμοι ἀνδράσι Πλωταί·
Οὕνεκα μέσσον ἔχουσι περίπλοον ἀμφιέλικτον.

Plote quidem una ab Homero nominatur, *Odyss. κ'*, quo nomi[ne] eum Æoli insulam appellasse, testatur Eustathius: videtur tam[en] is unus esse ex locis ab Homero nominatis, quorum certum titi[...] non citius invenias, quàm sutorem qui utres consuit, quibus ve[nti] in Ulyssis gratiam, ab Æolo inclusi, ut facete apud Strabonem [ait] eatur Eratosthenes. Montanus.

Plothia, vicus in tribu Ægeide, Steph.

Plotina, Trajani Cæsaris conjux, sanctitate, probitate, & om[ni]bus, quæ in muliebrem sexum cadunt, virtutibus ornata. Pri[mâ] vice palatium ingressa, professa est promptam se esse egredi, qu[æ] primùm fuerit jussa. Deinaudito, tributorum onere pressas pr[o]vincias gemere, maritum monuit, minimè id è re & gloria impe[rii] esse. Ut Adrianus adoptaretur, operam dedit, qui grati animi [er]standi ergò, Nemausi, Plotinæ acceptâ morte, templum, palatii & amphitheatrum, cujus rudera supersunt, in ejus honorem c[on]truxit. Dion & Spartian. *in Adriano.* Angelon. *Hist. Aug.*

Plotinopolis, Thraciæ urbs, Ptolem. *Plovdin* Nigro.

Plotinus, Philosophus Platonicus, Ægyptius natione, è civit[ate] Lyco, discipulus Ammonii, Philosophi Christiani, præceptor P[or]phyrii, Gallieni, Taciti & Probi temporibus. Sub Philippo, R[o]mæ docuit, non Idololatras modò, sed & Christianos habens [au]ditores, à quorum religione non multùm abhorrere creditus [...] Civitatem conditurus, ad Platonis ideam, Galieni Imper. op[em] imploravit, sed hic à Consiliariis suis est absterritus. Fuit corp[ore] gracili, tenui valetudine, morboque sacro obnoxius, Suidas. Sc[ri]psit de rebus Philosophicis libros 54. in Enneadas sex distribu[tos] quos Latinè interpretatus est Marsilius Ficinus. Porphyrius ill[i] quoque contra Gnosticos scripsisse addit. Doctrinam ejus id[em] modò laudatus Ficinus egregiè explicuit. Obiit, An. 270. æt. Amelii præceptor: tantâ virtutis veneratione superstitibus [di]lictâ, ut aræ passim ipsi, veluti Deo, extruerentur. Porphyrius *vita ejus*, Draconem sub morientis lectulo visum refert; quod familiari, ut vocant, Genio ei tribuendo, occasionem præbu[isse] videtur. Luculentum ejus encomium apud Firmicum leg[...]

ch. lib. 1. Matheseos cap. 3. qui etiam mira admodum de Plotini morte narrat.

Plotius Crispinus, quem aretalogum fuisse cognominatum, quod garrula scripserit carmina, Porphyrius est Author. Hic Stoicam sectam professus, atque idem poeta fuit; sed cujus versus numero forent multi, levis verò ponderis. Cùm in aliis locis ejus meminit Horatius, tum *Sat.* 1. *lib.* 1.

Ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

Plotius Firmus, è manipularibus, dein vigilibus præpositus à militibus, post cædem Galbæ, alter Præfectus Prætorii lectus, Tacitus *Hist.* 1. 46.

Plotius Gallus, patriâ Lugdunensis, dicendi præceptor, Romæ profitebatur, à quo se Cicero *lib. de Oratore*, unà cum Quinto fratre Latinas literas edoctum fuisse testatur; à Tranquillo autem inter Rhetores ponitur.

Plotius Griphus, à Cæsare Vespasiano, in Senatorum ordinem additus ac legioni præpositus, Tacit. *Hist.* 3. 52. In hunc Tertio Juliano ablata Prætura collata est, *Hist.* 4. 39.

Plotius, prænomine *Marcus*, centurio Cæsaris, in colloquio ad Apsum fluvium, à Pompejanis vulneratus. Cæs. *lib.* 3. *de Bello Civili, cap.* 19.

L. Plotius, poëta, qui, teste Tullio, carus fuit C. Mario, quia gesta sua ab eo celebrari posse arbitraretur.

Plotius Tucca, ut eum vocat Cornutus, vetus Persii interpres, qui de Tuccetis loquens Gall. Cisalpinæ, prius ait dictum *Tuccam*, postea verò appellatum esse *Tuccam*. Horat.

Plotius & Varius Sinuessa Virgiliusq;
Occurrunt, animæ quales neq; candidiores
Terra tulit, neq; queis me sit devinctior alter.

Plotus, vide *Plautus*.

Plubium, Sardiniæ oppidum, Ptolem. *Sossari* Nigro. Baudrando est in ora Bor. contra Corsicam. Nunc *S. Reparata*, vicus, 15. m. pass. à Turritana urbe in Sept.

Pluitalia, Ptolem. *Pluvialia* verò Plinio, una ex insulis Fortunatis, quam Bacchius *Isola del ferro* vocari scribit. *Lanzerota* verò Nigro dicitur. Est Occidentalior aliis Canariis, 16. leuc. à Palma insula in Merid. 6 à Gomera. Circuitus 7. leuc. Hispan. circiter. *Isla de Hierro*, Hispan.

Plumbaria, insula parva Hispan. Tarracon. in orâ orientali, apud Ferrariam promuntor. *Plumbariam* quoque invenio apud Ptolem. sed in Sardoo mari.

Plumbinum, vulgò *Piombino*, opp. amplum & munitum Hetruriæ, in agro Senensi, in ora maris Tyrrheni, sub propr. Principe, è gente Ludovisia. Cum præsidio tamen Hispan. Medium ferè inter Orbetellum in Eur. & Liburnum in Circ. 50. mill. utrinque, uti à Senis, 10. ab Ilva Ins. quæ sub eodem Principe. Crevit autem Plumbinum ex ruinis Populonii. Fons hic insignis, è quo canalibus quasi, ad littus latices dulces ducuntur, in usum nautarum.

Plurium, vulgò *Pluri*, pagus ingens & opulentus Rhætorum, apud Clavennam opp. in Insubrum confin. à Clavenna 4. m. pass. ad oppidi modum excultus. Huc vicini pagi omnes conveniebant olim, utpote Præfecti, quem *Potestatem* iis in locis vocare mos, sedem, ubi et summum ac merum, Rhætorum nomine, imperium in subjectos. Sed vicus casu montis imminentis Ann. 1618. cum omnibus incolis horribiliter oppressus est:

Heu tot divitias, tot opes, fastigia montis
In vallem injiciens obruit una dies!

Ibi è saxo lebetes torno ad coquinæ usum cavati, venenum injectum rejicere dicuntur, unde per totam Italiam expetiti. Dan. Heremita *Helv. descr.*

Plusius Jupiter, id est, dives, colebatur hoc cognomine à Græcis, cujus templum fuit apud Lacedæmonios.

Plutarchus Chæronensis, Philosophus, Historicus & Orator, floruit sub Nerva, Trajano & Adriano Impp. Discipul. Ammonii fuit primum, dein in Græcia & Ægypto, eruditos adiit, ubique exactissimè omnibus annotatis. Exin Romam profectus, magno ibi in pretio fuit. Nam & Trajano innotuit, cui libros Apophthegmatum dedicavit vir eruditissimus, & ab eo etiam in Illyricum missus est Consulari potestate, scriptumque omnibus Illyricis magistratibus, ut absque eo nihil agerent. Reversus in patriam, ibi obiit, postquam Prætor vel Archon Cheroneæ fuisset: sub Antonino Pio. Scripsit quoque vitas virorum, apud Rom. & Græcos illustrium, &c. Elogia ejus apud veteres permulta habemus. Quale quod Tauro, apud Agellium, dicatur *vir doctissimus, ac prudentissimus*; & ab Agellio, *homo in disciplinis gravi authoritate*. Himerio Sophistæ Bzyno, *in laudatione filii Rufini*, θειότατ☉. Eunapio, præfatione *operis de vitis Sophistarum*, ἡδονιστ☉, item τῆς φιλοσοφίας ἁπάσης Ἀφροδίτη καὶ λύρα. Fertur quoque Theodorus Gaza rogatus, si necesse foret libros in mare dare præcipites, quem postremo vellet demersum, respondisse, Plutarchum. Plura de eo apud Rualdum & Vossium videnda. De moribus suis ita scripsit ipse, *lib. de superstitione*: Ἐγωγ' ἂν ἐθέλοιμι μᾶλλον ἀνθρώπους λέγειν περὶ ἐμοῦ, μήτε γενέσθαι, τὸ παράπαν, μήδ' εἶναι Πλούταρχον, ἢ λέγειν ὅτι Πλούταρχός ἐστιν ἄνθρωπ☉ ἀβέβαι☉, εὐμετάβολ☉, εὐχερὴς πρὸς ὀργὴν, ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι τιμωρητικός, μικρόλυπ☉. Fuit & Plutarchus Jun.

Item alius à secretis Justiniano Imper. hujus vitam condidit. Joh. Rualdus, *in vita Plut.* Photius *cod* 245. 259. 269. *Voss. lib.* 2. *cap* 10. *de Hist. Græc.* De variis Plu a chis vide Jonsium, *de Script. hist. philosoph. lib.* 3. *cap* 6.

Plutia, Siciliæ urbs, Cicero *in Verrem*. *Plaza* Aretio. Gemina, nova & vetus, optimè habitata, ab Enna 12. m. p. in Austr.

Plutium, urbs Tyr henorum Gentile *Plutinus*, Steph.

Pluto, Saturni filius ex Ope conjuge, frater Jovis & Neptuni, qui cùm ad regni divisionem venissent, Plutoni, qui natu minimus erat, & *Agesilaus* vocabatur, pars Occidentis obtigit, secus inferum mare: Jovi plaga Orientalis; Neptuno insulæ. Hinc datus est locus fabulæ, Jovi imperium cœli, Neptuno maris, Plutoni inferorum obtigisse. Quam fabulam ad divisionem Orbis, à Noabo, inter tres hujus filios factam ingeniose applicat, Joh. Gerhard. Vossius, *de Orig. & progr. Idololatr.* Tribuuntur illi quatuor equi furvi, & claves manibus gestare fingitur, ut indigitetur, claves mortis in ejus manu esse, & per quatuor hominis ætates currum illius volvi. Diodor. Sicul. *lib.* 4. *Bibl.* Vincentius Carrarius *de Imag. Deorum, &c.* Ἀπὸ τοῦ πλούτου nomen accepit. Quare *Dis* quoque vocatur. Docet id Cicer *de Nat. D.* his verbis: *Terrena res omnis atq; natura, Diti patri est dedicata, qui dives, ut apud Græcos Πλούτων, quòd recidant omnia in terras, & oriantur e terris.* Potius autem *Pluto*, à verbo פלט *palat*, hoc est, *eripuit, præstatus est, custodivit.* Nam in terrâ tutò latent, & reconduntur omnia. Cur Proserpinam rapuisse dicitur, vide in *Proserpina*. Dicitur *Pluto* divitiarum dominus, quia in terrâ, opes & metalla latent, unde effodiuntur. Vocabatur & *Orcus* ab הרכוש *harcus*, sive רכוש, id est, *facultates, opes, divitiæ*. Inde *Richesses* Gallis. Dux item *Erebi*, id est, ערב *hereb*, scil. *vespera*, quòd sub terrâ omnia tenebrosa, & sine luce sint.

Plutonium, locus Phrygiæ magnæ, apud Hierapolim, ubi spiracula Ditis, Strab.

Plutus, à Græcis fingitur divitiarum Deus, quem in adventu claudum esse volunt, recessu alatum: hoc nimirum innuentes, quòd serius quidem opes contrahantur, partæ autem, nisi frugaliter dispenses, velocissimè dilabantur. Eundem & cæcum faciunt, & judicii expertem, propterea quòd indignissimum quemque opibus affluere videamus, probos autem in re tenuissimâ versari. Hujus domicilium constituit Posidonius, in subterraneis Hispaniæ locis, eò quòd regio ea metallorum fœcunditate reliquis antecellat. Vide Aristoph. *in Pluto* Vinc. Cartar. *de Imag. Deor.*

Pluviale, inter vestes Episcopales. Formula degradationis Archiepiscopi. Pontifex degradator indutus amictu, albâ, cingulo, stolâ & *pluviali* rubeis, ac mitrâ simplici, baculum pastoralem sinistrâ tenens, ascendit ad locum prædictum, & ibidem sedebit in faldistorio: apud Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Pluvialia, vide *Pluitalia*.

Pluvius, Jupiter dictus est, quòd Athenis esset simulachrum à Jove pluviam precantis. Tibullus:

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.

De Ægypto loquitur, quæ, teste Claudiano:

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis, in solo tanta est fiducia Nilo.

Plynea, insula Nili, Stephan.

Plynteria, festum apud Athenienses, Suidas. Vide Castellanum *de festis Græcorum pag.* 217.

Plynus, urbs Lybiæ, Atlanti proxima. Hic Atlas natus creditur, Herodot.

Plysenum, Thraciæ opp. Procopius.

P N.

Pnebebis, urbs Ægypti. Gentile *Pnebebites*, Steph.

Pneventia, Piceni opp. Strabo,

Pneumatici, vide *Macedoniani*.

Pnigeus, vicus in Ægypto, prope Phœnicum portum, è reg. Pedoniæ ins. juxta Parætonium, Strabo *lib.* 16.

Pnups, Æthiopiæ vicus circa Nilum, Ptolem.

Pnyx, forum, sive locus judicii Athenis: sic dictus ἀπὸ τῆς πυκνότητος, id est, *à densitate ædium*, per vicos olim conjunctarum, Steph.

P O.

Poblicius, vide *Ancus*.

Poblicius, prænomine *Marcus*, Cn. Pompeji Magni in Hispaniâ legatus pro prætore, ut est in argenteo denario: ut videri possit hoc nomine extraordinarium imperium ornari solitum fuisse, apud Romanos, cùm absente magistratu, cui provincia decreta erat, ejus magistratus legatus aliquò mitteretur cum imp. ad rem gerendam.

Pocutia, regiunc. Russiæ nigræ, in parte Austr. inter fontes Tiræ fluv. & Carpates montes. Ibi tantùm tria oppida, Halicia, Zidacovia & Coloma; In limite Transilvaniæ & Moldaviæ. Ibi etiam est Sniatinum, opp. amplum, in Pruthi sinistro margine.

Podagra Diana sic dicta, Clem. *in Protrept.* Ἔστι δὲ καὶ Ποδάγρας ἄλλης Ἀρτέμιδ☉ ἐν τῇ Λακωνικῇ ἱερόν.

Podalia, urbs Lydiæ, Stephan. Baudrando opp. erat Lyciæ, in

in Miliade tractu versus confinia Phrygiæ, ad fontes Xanthi fluv. 70. mill. pass. à Lymira in Circ.

Podalirius, Æsculapii filius, ob insignem medicinæ peritiam è Cretâ insulâ unà cum fratre Machaone ad bellum Trojanum evocatus. Item Italus quidam. Virg. *Æn.* 12.

—— —— *Podalirius Alsum*
Pastorem, primaq; acie per tela ruentem
Ense sequens nudo super imminet.

Podandus, oppidum Ciliciæ erat, apud Tarsum, in mediterr. inter Faustinopolim 26. & Alexandriam ad Amanum montem 108. m. p. ab Ægis 21. Ferrar.

Podarge, una Harpyiarum, *à pedum velocitate* nomen habens, ex quâ Zephyrus ventus Xanthum & Balium, Achillis equos, progenuit. Hom. *Iliad.* 16.

Podargi, Thraciæ pop. Stephan.

Podargus, Hectoris auriga, Homer.

Podiebradia, arx Bohemiæ, à Podiebradio Reg. nomen sortita, ubi plurimi Taboritarum, in gratiam Rokyzanæ, cujus consilus Rex auscultabat, captivi detenti, Ann. 1468. Camerar. *in Hist. Fr. Bohem. &c.*

Podiebradius Georgius, Bohemiæ, post Ladislaum, Rex. Natus An. 1420. specimen futuræ virtutis edidit in prælio apud Thaboritas, Ann. 1438. Gubernator Bohemiæ electus, astu occupavit Pragam, An. 1441. Parasito interroganti, cur Hussitis potius adhæreret, quàm receptos ritus sequeretur, prudenter respondit: *Mihi persuasa est mea religio; si tuam sequar, homines forte fallam, animæ meæ contrarius: Deum qui corda inspicit, nequeo fallere, &c.* Rex declaratus, An. 1458. Papam, & hujus instinctu, Matthiam Corvinum Hung. Regem, quem ad id fastigii promoverat, infestos sensit. In Rokyzanæ, Fratribus succensentis, gratiam, his durum se præbuit: donec Matthias Dolanseius, decennali carcere constanter tolerato, per quietem vidit, *occidere Lunam, deinde Solem:* Postridie enim Rokyzanæ morte auditâ, de Regis quoque morte conjecit, quæ contigit, An. 1471. Filii ejus Principes Monsterbergenses facti sunt, ipsi autem Vladislaus, Casimiri Poloniæ Regis filius, successit. Bucholc. *Ind. Chron.* Lætus, &c.

Podiolenum, in Arausionensi Diœcesi, ab urbe Arausione non multum abest, à Caderossa minus, Prioratum haber St. Johannis Bapt. titulo illustrem, ac Cluniaco subjectum. Dictum à situ, quòd in *podio* seu monte Rhodano imminente positum sit. Ita enim olim montem Galli dixere. unde tot locis *Podii* nomen, quæ in celsis montibus posita. Ex Podio dein Podiolum & hinc *Podiolenum*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Podium Andegavense, oppidum Galliæ, *le Puy en Anjou*, sic dictum ad differ. alterius in Velaunis. Est in limite provinc. Pictav. Aliter *le Puy Nostre-Dame*; prope amnem *le Thoue*, 3. leuc. à Salmurio, in Merid. 8. ab Andegavo in Eur. De plurim s aliis in Gall. *Podiis*, Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Podlassia, vide *Polacchia.*

Podoce, Indiæ intra Gang. urbs & emporium, Ptolem. *Pedophitan* vocat Niger.

Podolia, Poloniæ reg. ampla, ad Orient. & Meridiem, Lithuaniæ, & Russiæ contermina. Agro tam fertilis est, ut ejus gramen perticam 3. diebus supercrescendo contegat, & aratrum in locis graminosis derelictum paulo pluribus sepiat & cooperiat. Mellis quoque ibi maxima copia. Podolicam & Russicam nobilitatem, cum Polonica omni jure exæquavit Vladislaus Rex, An. 1434. sed Podolica à Tartaris fere cæsa est, unà cum Michaële Buciacio, Palatino Provinciæ, Russiæ columine, An. 1438. cùm antea hic patriam à Sutrigellone strenuè vindicasset, confirmatus cereo nomine regis sibi transmisso, ex quo jussus erat lumen quærere, si errare nollet. Vide Cromer. *Hist. Polon. lib* 16.18. 19.21. *&c.* Baudrando pars est Lithuaniæ latè sumptæ. Habet à Septentr. Volhiniam, à Merid. Moldaviam, ab Occid. Russiam Nigram. Duplex est, *Superior*, quæ ad Occid. ubi Caminiecum & Barium; *Inferiorq;*, ad Ort. ubi Braclavia urbs. Ibi arces plurimæ & oppida notæ minoris. Sed pessimè à Tartaris Cosacisque est haud pridem habita.

Poduce, apud Ptolem. urbs Taprobanæ.

Pœan, pater Philoctetis, qui ab eo *Pœantiades*, & *Pœantius* dicitur.

Pœanthe, insula parva Ponti Euxin. juxta Phasidis ostium, ut eam describit Orpheus. Hanc Sigismundus Herbersteinius *Satabella* vocat, *in suis commentariis Moscoviticis.*

Pœcila petra, Ciliciæ opp. marit. Strab. *Paxoli* Mercatori.

Pœcilasium, urbs Cretæ, Ptol. vulgò *Pentalo.*

Pœcile, porticus clara Athenis, quam Polygnotus Thasius gratuitò pinxit, cùm partem ejus Mycon mercede pingeret, in quâ Stoici philosophabantur, Plin. *lib.* 35. *cap.* 9. Latinè *varia*, sive *variegata*. In hâc autem porticu Zeno discipulos docebat, unde *Stoica* secta nomen accepit, & philosophi Stoici nuncupati, qui antea Zenonii ab ipso doctore appellabantur. στοὰ enim Græcè *porticus* dicitur. Fuit & in Elide porticus *Pœcile*, quæ à Plinio *Heptaphonos* appellatur, quoniam *septies eadem vox* in eâ reddebatur.

Pœdiculi, Italiæ pop. Strabo, ubi de Japygiâ: Τοὺς δὲ αὐτοὺς Πεύδικλοι λέγουσι, μάλιστα οἱ Πελικῖνοι. Apud Appian. Πεύδικλας pro Πευδίκλας. Val. Max. *lib.* 7. *Ex Apuliâ quoq; & Fidiculis.* Ubi *Pediculis* legendum, docet Cluverius.

Pœdicum, Ptolem. Lazio *Peckfelde*, oppid. Carinthiæ, 3. leuc. à Villaco in Eur.

Pœessa, urbs in Ceo. Civis *Pœessius*, Stephan.

Pœmandria, vide *Tanagra.*

Pœmani, Arduennæ sylvæ incolæ, ubi nunc vicus *Pœmon* esse asseritur.

Pœmanium, urbs sive castellum. Est etiam parva reg. Cyzici, Steph. Alii *Pœmœnion* habent.

Pœmen, mons Ponticæ reg. à quo Parthenius profluit per mediam Amastrim. Incolæ *Pœmenii*. Est etiam mons Macedoniæ *Pœmenium*, cujus incolæ similiter *Pœmenii*, Steph.

Pœmenis, canis fœmina, ex eorum canum numero, qui Actæonem lacerarunt: ita dicta, quòd in servandis gregibus *pastoris* quodammodo officio fungeretur, Ovid. *Met.* 3.

Pœna, & *Beneficium*, pro Diis habitos apud quosdam Æthiopiæ populos legimus: Sunt qui non ab Æthiopibus, sed ab Assyriis & Persis hos cultos fuisse asserunt; illam quòd malorum, hunc quòd bonorum largitorem esse opinantur, Alex. ab Alex. *lib.* 18. *cap.* 11.

Pœni, *Carthaginenses*, qu. *Phœni* dicti, qui à *Phœnicibus* orti fuere, ut ait Servius in illud Virgilii *Æn.* 1.

—— *Ponuntq; ferocia Pœni*
Corda, volente Deo. ——

Derivativum diphthongum *œ*, in *u* mutat. ut *Punicus*. Virgil.

Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris urbem.

Hinc *malum Punicum*; unde Cratetis dictum, apud Laërt. *Sicut omnibus malis Punicis inest aliquod granum putre: sic nemo est, qui omni prorsus vitio careat.* Et *Punica fides* pro fallaci, ab ejus gentis peculiari perfidiâ in proverbium abiit. Hinc *Puniceus* aliud adject. Ovidius *in Ibin, de M. Regulo:*

Vel quæ qui redimi Romanos turpe putavit,
A duce Puniceo pertulit, ipse feras.

Puniceum etiam & *Punicum* dicitur, quod colorem rubentem haber. Ipse enim color ille *Punicus*, sive *Puniceus* appellatur, qu[illegible] Græcis Φοινικοῦς est. Virg. *Æn.* 12.

Cùm primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit.

Hinc *Punicare* verbum, pro *Puniceum colorem trahere*, seu *habere*, apud Apul. *princ. lib.* 3. *Metamorph. Commodum Punicantibus phaleris Aurora roseum quatiens lacertum cœlum inequitabat.* Item *Punicanus* adject. aliud apud Cicer. legitur *in orat. pro Murena. Punicani lectuli*, quibus Carthaginenses uti solebant.

Pœnina castra, Lazio *Pintzgavv*, & *Pyntzgavv*, locus Norici in territorio Salsburg.

Pœnina vallis, Æg. Tschudo *Val Pellina*, vallis Alpibus Pœninis subjecta. In Vet. Inscr. marmorea. Vide *Penninus.*

Pœninæ Alpes, seu *Pennina*, *Pœna* Ptolemæo, *Pœninus* mo[ns] Livio. Hodie *M. Maggiore di St. Bernardo*, *Groß St. Bernhartsber[g]* Germanis, vel etiam *Monte di Giove* Leandro, mons qui Allobroges & Centrones à Salassis, hoc est, Gall. Narbonens. in quâ Sa[b]audia, ab Italiâ separat. Baudrando extenduntur inter Summu[m] Penninum *le grand St. Bernard*, & Adulam montem, *le mont S[t.] Gothard*, ex quo Rhodanus, Rhenus, Ticinus & Arola scaturiu[nt] inter Lepontios & Sedunos pop. In hoc monte, ob terræ def[e]ctum, mortuorum corpora glacie condi, ad cœnobium D. Be[r]nardi, testis est Dan. Heremita *descr. Helv.* Vide *Penninus.*

Pœnius Postumus, Præfectus castrorum, in Britannia, secun[dæ] Legionis, cognitis Quartadecimanorum Vicesimanorumque pr[o]speris rebus, quia pari gloriâ Legionem suam fraudaverat abnu[erat]que contra ritum militiæ, jussu ducis seipsum gladio transfi[xit]. Tacit. 14. 37.

Pœonia, quæ & *Peapolis*, vide *Herbipolis.*

Pœonia, vide *Paonia:* pars Macedoniæ, à Pœone, Endymio[nis] filio, dicta.

Pœtovio, vide *Petovio*, & *Petavium.*

Pœus, pars Pindi, e quo Peneus fluv. Strab.

Pegesania, prov. Prussiæ, ad Occid. Passariæ ripam. Urbs pri[ma] *Hollandia*, Metel.

Poggium Bonitii, oppid. agri Florentini, *Peggibonzi*: 20. mil[l.] Florentia in Mer. Senas versus 12. circiter, ad amnem Elsam.

Poggius Bracciolinus, vel Brandolinus, vulgò Poggius Flor[en]tinus, natus in pago Terra-Nova, territorii Aretini. Fuit à [se]cretis Eugenio IV. & Nicolao V. quo officio sub octo Ponti[fici]bus se defunctum esse ipse scribit. Anno ætat. 72. Florentiam vocatus est, ut Patriæ Reipubl. eandem operam præstaret. [E]ditione insigni fuit, Græcè inprimis & Latinè doctissimus, E[ma]nuelis Chrysoloræ olim discipulus: Bessarioni quoque famil[iaris] extitit. Ob sales & faciles jocos gratus omnibus, nisi quòd S[eve]ricus magis quibusdam videretur: Invectus in Laur. Vallam acriter. Scripsit varia, ut de varietate fortunæ; Epistolarum duos, in quarum illa, quam ad Leonhardum Aretinum scrips[it] de Hieronymo Pragensi, cum Johan. Husso, in Concilio C[on]stantiensi, ustulato ob religionem, magnificè sentit. Porr[o Hi]storiam Florentinam, quæ parum laudis habet: canente [A.] Sincero:

Dum Patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

...a quoque quædam etiam minus probata, edidit, plurimosque ...tores e Græco transtulit. Constantiæ, Concilio durante, inci... in opera Quintiliani & Asconii: ibidem descripsit libb. Cice... de Finibus & Legibus, qui nondum in Italia prius visi erant. ...An. 1459. æt. 80. Alibi filii illius Jacobi meminimus, alterius ..., qui Leonis X. familiaritatem meruit. Paul. Jov. *in elog. cap.* ... Raphael Volaterran. *lib.* 21. Phil. Bergomensis, *in suppl. Chron.* ... C. 1416. Hugolin. Verrinus, *lib.* 2. *Ital. Illustr.* Erasm. *in Cic.* ... *in Bibl.* Possevin. *in appar.* Voss. *de H. L. lib.* 3. *cap.* 5.

Pogla, Pamphyliæ urbs. Ptol.

Pogorgas, Æthiopiæ sub Ægypto op. Plin.

Pogon, Trœzeniotum portus in Pelopon. Strabo.

Pola, Istriæ munita civitas (ubi *Polaticus sinus*, qui & *Flanaticus*. Vulgò *Il Carnero*, quòd ibi nautæ periclitentur, & *Polaticum Promontorium*, de quo Steph.) quondam à Colchis condita, sed postea facta Colonia Romanorum. Mela 2. 4. *Pietas Julia* Plinio 3. 10. in descriptione Istriæ. Fuit (inquit Bochartus) in Istriæ & Italiæ con finis *Pola* urbs à Colchis exulibus condita, quod ipsum Polæ nomen significasse testantur hæc Callimachi, apud Strab. *lib.* 1. & 5.

Ἀγρεῖ ἐκτίσσαντο τὸ μὲν Φυγάδων κε ἐνίσπει
Γραικὸς, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε Πόλας.

Nempe פלה *pala* in *Piel* Hebræis & Syris est *separare, auferre, amovere*. Inde *Pol* Colchis *exulem*, vel *exilium* sonabat. Cum portu capaci, sub Venetis. 60. m. p. à Tergeste in Mer. Anconam versus 96. circiter.

Polacchia, seu *Podlassia*, prov. parva Poloniæ inter Mazoviam ad Occ. & Lithuaniam ac Polesiam ad Ort. A sept. extenditur in Mer. Ejus prim. urbs est Bielka.

Polanus à Polansdorff Amandus, Theologus Basiliensis, solidâ eruditione inclytus. A. 1561. natus Oppaviæ Silesiorum, familiâ nobili, in Academia Basil. docuit, scriptis & familiaritate cum Beza, Tossano, Sohnio, Stuckio, Pareo, Pitisco, aliis Theologis celeberrimis, immortale nomen adeptus. Extant ejus, *Exegesis Analyt. Vaticiniorum V. T. de Christo, Comm. in Ps.* 14. 15. 16. 22. *Jeremiam, Ezechielem, Danielem: Partitiones, Theses & Analyses in Hoseam & Malachiam, ad Coloss.* &c. *Syntagma item in Fol.* &c. Obiit Basileæ An. 1610. æt 49. De hoc Melchior Adami *in vita Theol. Germ.* ita inter alia: *Illustres in hoc fuerunt vera pietas & eruditio; valuit ingenio juxtà ac judicio: scientiâ linguarum principum & Ecclesiasticæ antiquitatis.*

Polata, pop. Albaniæ versus montem Nigrum & lacum Scodræ, ...episc. nunc in ruderibus jacens; *Pulati.*

Polaticum, prom. in Istria, hodie *punta del Promontore*, Magis in mare Adr. maximè executit, 6. m. à Pola in Ortum.

Polaticus Sinus, *il Quarnero*. V. *Pola.*

Polemarchus, apud Athenienses dictus est qui belli præfectus erat, & aderat regibus, ut Pausanias indicat, cum scribit Erechtheum regem Jone Zuthi filio in bello Eleusinio Polemarcho usum esse. Munus ejus tempore pacis fuit jus inter cives & peregrinos dicere. *Jul.* Pollux.

Polemarchus, maj. Lysiæ Oratoris Frater.

Polemius, Consul cum Urso, an. U. C. 1090.

Polemius, Hæresiarcha, erroribus suis ex Apollinatis operibus, An. C. 373. haustis; inter alia docuit, in Christo, ex Verbo & Carne, mixtionem factam esse. Theodoret. *lib.* 4. *de hær. fab.* Epiphan. *hær.* 77. & 78. Discipuli ejus *Polemiani* dicti, aliquando cum Apollinaristis confunduntur.

Polemniacum, opp. aut castrum potius in Sequanis, vulgò *Poligny*, ad amniculum, qui in Dubim effluit. V. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Polemon, rex Lyciæ, An. Dom. 55.

Polemon, Zenonis Rhetoris filius, ad regnum Ponti, concessu Antonii & Augusti, pervenit. Dio in actis anni 729. Uxorem habuit Pythodorin, prudentiæ aliarumq; virtutum nomine laudatam.

Polemon, minimus frater Amyntæ & Simmiæ, amicissimus Philotæ; & ideò cùm Philotas torqueretur, profugit: quem tamen defessum à comitibus & hæsitantem inter revertendi fugiendique consilium occuparunt ac vinctum reduxerunt. Deprecantibus ... & amicis Alexandrum, absolutus est. Curt. 7.

Polemon, philosophus Atheniensis, Academicus, Philostrati fil. qui cùm in juventute petulans esset, & aliquando ebrius & ..., Xenocratis scholam ingressus fuisset, ejus oratione, quæ tunc de pudicitiâ erat; adeò mores immutavit, tantumque in philosophiâ profecit, ut Xenocrati in Scholâ succederet. Probitate, ... animi & constantiâ inclytus: à furioso cane aliquando læsus, ne colorem quidem vultus mutavit, rumoreque vulneris per totam urbem disperso, quid contigisset, rogavit. Obiit Olymp. 127. senex admodum. Diogenes *lib.* 4. *in Polemone*, eum multa scripsisse testatur; Suidas verò nihil scriptum reliquisse asserit. Horat.

——— *Faciesne quod olim*
Mutatus Polemo. ——— V. etiam Euseb. *in Chron.*

Polemon, cognomento *Helladicus*, genere Iliensis, historicus nobilissimus, æqualis Aristophanis Grammatici, Panætii discipulus. Scripsit de origine civitatum, Phocidis, Ponti, Laconiæ geographiam, & de cursu solis libros tres. Suidas. Item ἐπιγράμματα τῶν ἀναθημάτων κατὰ φυλὰς, V. Scholia *in Aristoph. Aves.* Alius è Laodiceâ Cariæ, qui Smyrnæ vixit, æqualis Herodis Attici, sub Adriano Imper. ad quem legatus quandoque Smyrnæorum missus, ab eo honorificè exceptus est. Vide Voss. *de Hist. Gr. p.* 119. & 404.

Polemon, Sophista & Orator, sub Trajano. Dicax admodum; morti vicinus rogavit amicos, ut quàm citissimè sepeliretur, ne Sol suo funeri insultaret. Podagrâ vexatus cùm mortem optasset, & ob id reprehensus esset: *aliud mihi date corpus*, respondit, *& libenter vobiscum manebo.* Scripsit quædam, Philostr. *in vit. Soph.* Suid. Item, fil. Evergetæ, Hist. Gr. Descriptionem terræ edidit, &c. Suid. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 18. Gesner. *in Bibl.*

Polemonium, Cappadociæ urbs. Ptol. in ora Ponti. *Vatiza* Nigro, aliis *Leona*, inter Amisum, ac Trapezuntem. Portum habet cognominem, teste Stephano.

Polendos, ins. maris Ægæi, parva & deserta ad Chersonesum Thraciæ. Plin.

Polentia, vel *Pollentia*, vulgò *Polenzo*, urbs Liguriæ apud Tanarum fluv. cujus rudera inter Tanarum & Braidam op. latè sparsa cernuntur; manet castrum exiguum, ad ripam Tanati, ab Alba Pompeja 7. m. p. à Clatasco & Braida 2. Hic Stilicho feliciter adversus Visigothos pugnavit. Claudianus,

O celebranda mihi cunctis Pollentia seclis!

Hinc *Polentinus* adj. Statius *Sylv.* 2. 6.

Seu Polentinos mersissent flumina saltus.

Polentia altera, in Piceno, *M. Melone*, op. amplum in colle inter Maceratam & Septempedam 10. m. p. Pop. *Polentini* Plinio, Pamphilus scribit illam prorsus interiisse. *Polentia* item, *Pollentia* Ptolemæo, op. Balearis maj. non obscurum apud Alcudiam urb. hinc 5. m. p. in Bor. Licet Moletius ipsam Alcudiam esse putet. Nunc *Puglienza*, in parte Or. Ins. versus Minoricam.

Polentina plebs, vulgò *Polenta*, pagus Æmiliæ inter Ravennam urb. 24. m. p. & Apennini mont. radices Bretinorio urbi finitimus, teste Hieronymo Rubeo.

Polesia, aliter *Palatinatus BreslIensis*, est pars magni Duc. Lithuaniæ ad Austr. versus Russiam nigram & Volhiniam super. Extenditur ab Ortu in Occ. Primaria ejus Urbs est Brestia.

Polesii, civitas quædam, & cives similiter. Steph.

Poletes, internuncius Epidauriorum ad Illyricos, de quo Alex. *lib.* 4. *cap.* 10.

Poleto, fluv. Maurit. Cæsariensis.

Poleur, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Polianus, Macedoniæ mons circa Epirum. Steph.

Polias, Minerva dicta est, qu. urbana, quòd ea delectaretur urbibus, ad differentiam ejus, quæ extra muros ædes sacras habebat. Lucianus *in Lapithis*: Ὤμοσα κατὰ τῆς Πολιάδος μὴ εἰληφέναι, i. e. *Juravi per Poliadem, me non cepisse.*

Policastrum, quibusd. *Palaeocastrum*, urbec. Episc. regni Neap. in Principatu citer. in ora sinus Lai, qui hinc *Golfo di Policastro* dicitur. 55. m. p. à Salerno in Eur. 17. à. prom. Palinuri in Ort. versus confin. Basilicatæ 8. circiter.

Polichna, urbs Troadis, *Bilenos* Turcis, Leuncl. Civis *Polichnaeus*. Est & urbs Cretæ. Civis *Polichnites.* Steph.

Polichnion, *Hieron Romelias*, teste Gyllio, Fanum Europæ Byzantinorum, Strab. & Polyb. apud Byzantium urbem.

Polichnium, mel. *Polinium*, opp. aliàs munitum Comit. Burgundiæ, 3. leuc. à Salinis in Afr. 7. à Dola in Mer. Genevam versus.

Polieum, urbs Italiæ, quæ prius *Siris* dicebatur. Steph.

Polieus Jupiter, i. civilis, vel urbis Præses aut custos, ab Atheniensibus cultus.

Polimatrium, civitas Italiæ in D. Petri, quod vocant, patrimonio. Blondus.

Poliniacensis pag. quibusd. est *S. Paul*, opp. Attesiæ, caput comitatus perampli, medium fere inter Atrebates ad Ort. & Monasteriolum ad Occ. 5. leuc. uti ab Aria in Mer. & à Tervanna, 8. autem à Fano S. Audomari. Dicitur melius *Fanum S. Pauli.*

Poliniacum, urbec. prov. Barianæ, regni Neap. in ora maris Adr. ep. sub Ar. Barensi, 18. mill. à Bario in Ort. Monopolim versus 5. Dicitur & *Pulinianum.* Sita in edita ac prærupta rupe, sub qua cavernæ plurimæ, in quas undæ magno impetu irrumpentes, levique cursu rursum exeuntes, perjucundos quosdam sonos edunt.

Polion, locus in Lesbo.

Polis, urbs Ægypti, civis *Polites*, & *Polieus*, quo nomine Jupiter illic colitur. Fœmin. *Polias.* Steph.

Polisma, civitas Troadis ad ripas Simoentis. Strabo *lib.* 13.

Polites, Priami fil. ex Hecubâ, quem Pyrrhus captâ urbe in conspectu patris interfecit. Virg. *Æn.* 2.

Politia, urbs Achaiæ. Steph. *Politianus*, V. *Angelus Politianus.*

Politicεorgas, Asiæ propriæ reg. apud Plin. quæ postea *Aphrodisias.* Pontianus *Politice*, & *Orgas* divisim legit, duasque ac diversas regiones facit.

Politium, opp. Siciliæ amplum, apud montem Nebrodidem, à Petra 6. m. p. à Nicosia 24. Panormum versus 46. apud ortum Himeræ fl. Item, opp. Marrucinorum, in Aptutio; *Polizzi.*

Politorion, urbs Latinorum, quam Martius Rex Romam transtulit. Steph. Ubi nunc *Polini* pagus, Volaterr.

Polium, Steph. *Polieum*, prius *Siris*, V. ibi.

Polla Argentaria, Lucani uxor, mulier doctissima, quæ juvit maritum in emendandis tribus primis libris Pharsaliæ, Stat. 1. *Sylv.*

Hunc casta titulum decusq; Polla,
Jucunda dabis allocutione.

Idem *lib.* 2. *Sylv. Genethl. Lucani*, Calliopem sic introducit, in laudem Pollæ, canentem:

Nec solùm dabo carminum nitorem:
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atq; ingenio tuo decoram:
Qualem blanda Venus, daretq; Juno.

Huic Statio post mariti obitum, posteà nupsisse dicitur; unde Sidon. Apollinaris *Carm.* 23. inquit *Argentaria Polla dat Poëtas*. Vid. Martial. *lib.* 7. *epigram.* 10. Sirmondum, *notis in Sidon.* & in voce *Lucanus*.

Pollentia, potentiæ Dea, à Romanis culta.

Pollentia, op. in maj. Balearium inf. Plin. V. *Pollentia*. Fuit altera *Pollentia* juxta Alpes inclyta lanarum nobilitate. Plin. 8, 48. *Hispania nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes cani.* Columella 7. 2. *Sunt etiam suapte naturâ pretio commendabiles colores pullus atq; fuscus: quos præbent in Italiâ Pollentia, in Baeticâ Corduba.* Sil. Ital. *lib.* 8.

——— ——— *Fuscique ferax Pollentia villi.*

Mart. *lib.* 14. *epigr.* cui Lemma, *Lanæ Pollentinæ*:

Non tantùm pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet & calices hæc dare terra suos.

Pollio, prænomine *Annius*, cum filio Viniciano, majestatis apud Tiberium postulatus. Sed cùm Cæsar eorum caussam, ut ipse eum Senatu nosceret, distulisset, evaserunt. Tacit. 6. 9. Ille est Pollio, qui postea in Neronem conjuravit, amicorum ejus præcipuus, *lib.* 15. Gener Bareæ Sorani, maritus Serviliæ.

Pollio, vide *Asinius*.

Pollio Julius, Prætoriæ cohortis tribunus, sub Nerone, Tacit. XIII. 15. qui postea Præfectus Prætorio, sub Othone.

Pollio, prænomine *Vedius*, inter amicos Augusti luxu infamis, nam piscinam habebat refertam murænis, quem piscem ille non ad delicias paraverat, sed ad pœnas. Humanâ enim carne eas alebat. Servi domesticique, si quid deliquerant, dabantur ad hos pisces. Fors fuit, ut cœnaret apud eum Augustus; puer qui ad cyathos erat, dum porrigit potum, crystallinum fregit pretii grandioris & simul fracta ejus vita. Jubetur ab immiti domino murænis objici in piscinam. Puer accidit ad Cæsaris pedes; non vitam sed aliam mortem petit, ne u piscibus esca fit in terrâ. Obstupuit inauditam sævitiam Cæsar, dimitti puerum jubet, simul adferri ad se quicquid in domo crystallinorum: allata frangi comminuique & abjici in piscinam. Idem testamento Cæsari legavit Pausilypum; & ex ejus dirutâ domo facta Romæ porticus, quæ *Livia* dicta.

Pollis, Lacedæmoniorum Classis in Naxo præfectus, Diod XV. Polyæn. *lib.* 3. *in Chabria, comm.* 11.

Dollupice, Liguriæ civitas inter vada Sabatia, & Albingaunum. *Finale* Simlero.

Pollustini, Latii pop. non procul ab Albano monte. Plin. 3. 5.

Pollutia, filia L. Vete is. conjux Rubellii Plauti, à Nerone, mariti cædi postea adjecta, Tacit. XVI. 10.

Pollux, Jovis & Ledæ fil. frater Castoris, qui, cùm immortalis esset (utpote eodem ovo cum Helenâ prognatus) à Jove fertur petiisse, ut sibi cum fratre jam vitâ functo immortalitatem suam partiri liceret: quâ re impetratâ, alternis vicibus mori dicuntur, & reviviscere. Cui fabulæ occasionem dedit *Geminorum* sigm natura, quorum altero oriente, alter occidit. Virgi ius,

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,
Itq; reditq; viam toties.

Ubi *alternâ morte* sumpsit vel à Pindaro, *Od.* 10. *Nem.*

Μεταμειβόμενοι δ' ἐναλ-
λὰξ ἁμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ
Δὶ νέμονται, τὰν δ' ὑπὸ κεύθεσι γαίας.

Vel ab Hom. *Odyss.* 11.

Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε
Τεθνᾶσι. ———

Græcè Πολυδεύκης dicitur, quoniam vivus fuit πολυδευκέστατος; & post mortem in Deorum numerum receptus unà cum fratre nautas servet & sospitet. Δεῦκος γὰρ τὸ γλυκὺ, inquit Etymologus. Vide *Castor*.

Jul. Pollux, Naucratita, Grammaticus sub Commodo Imper. præcipiebat Athenis. Decessit annos natus 58. Scripsit ad Commodum Onomasticon lib. 10. scripsit & alia quædam, quæ non extant. Suid. V. *Julius Pollux*.

Polocska & *Polocium*, urbs Lithuaniæ, olim caput Duc. cognom. nunc Palatinatus. Ampla, probè munita cum duplici arce, juxta fluvios Divinam & Polottam. Capta à Moscis, qui eam tantis machinis oppugnaverant, ut XLM. rusticorum in illis trahendis occuparentur, & crudeliter tractata, an. 1563. sed fortiter à Stephano R. recepta 1579. haud pridem iterum à Moscis expugnata, sed & recuperata.

Polonga, locus Samogitiæ ad mare Balt. inter Heeligaviam Curlandiæ & Memelium Prussiæ, à quo 3. leuc. in Bor. *Polangen*.

Polonia, quæ à *planitie terræ* (quam ipsi vernaculè etia *Pole* vocant) nomen habet; vasta regio est, quæ Schlesiæ ad proxima est, Hungaris, Lithuanis & Prutenis contermina. ditur in Majorem & Minorem. Major dicitur, quæ Septentr. cit, hanc Varta fl. intersecat, habetque *Gnesnam*, *Posnaviam* figniora loca. Minorem vocant, quæ ad Merid. vergit, hab nobilem urb. Cracoviam, ad caput Vistulæ, quæ regionem d sitam: reliquæ civitates parum nitidæ. Sclavorum gens est, bus in Bohemia per Czechum, in Polonia verò per Lechum fundata sunt, An. C. 600. Scythicæque originis, sed clariti men, & humanitate longè à Sarmatarum veterum asperitat na, multaque comitate in hospites. Obtinuit primùm dign regiam anno 1001. ab Ottone tertio Rom. Imp. primusque norum rex, fuit Boleslaus Chabri, filius Micislai, de quo Historia paucis hæc. Lechus, de quo supra, primus Polon dicitur, cujus posteritas per an. fere 100. regnavit, usque ad A 700. Cromer. *lib.* 1. Hac extinctâ XII. Palatini præfuerunt, q ad tyrannidem prolapsis Cracus Dux creatus est. Hoc nati C Lechus & Venda, quæ post fratres clavum tenuit, A. C. 750. *lib.* 2. Hac mortuâ rursus XII. Palatini constituti sunt, an. C Dein tres Lesci successive imperarunt, quorum postremi n pielus regiam Cracoviâ Gnieznam, inde Cruszviciam trans Ann. C. 810. Hujus fil. Popielo II. à muribus corroso, sec Interregnum, An. C. 823. Piastus dein Princeps gentis evasit, C. 842. qui Gnieznam sedem regni iterum transtulit. Hujus pe regnarunt usque ad Casimirum M. quo An. C. 1370. extincto gnum è Piastea familia, ad Ludovicum Hungariæ R. Casimi sorore nepotem, transiit. Huic Sigismundus gener succe quem Hedvigis, Ludovici pra fati minima natu fil. maritus J. lo, Vladislaus post Baptismum, vocatus, excepit, An. C. 1386. Vladislaus fil. successit, An. C. 1434. qui Hungariæ quoque creatus, prælio ad Varnam, contra Turcas, occubuit, An. C. 1. Substitutus ei in Polonia frater Casimirus, cui fil. Johannes bertus successit, An. C. 1492. Hunc fratres Alexander & S mundus excepere: cui ultimo extincto An. C. 1548. successi Sigismundus Augustus, qui ex Jagellonica fami ia ultimus, C An. C. 1572. Huic surrogatus est Henricus, Caroli IX. Gal frater, An. C. 1573. post quem Stephanus Batorius electus est, ritus Annæ Jagellonicæ, An. C. 1576. quo mortuo An. C. Sigismundus Suecus, Sigismundi Augusti è sorore Catharina pos, regno admotus est: pater Vladislai, qui successit An. C. 1 Hunc frater Casimirus postea, e Sigismundi Sueci familia po mus excepit. Post quem Michael Visnevicius à Proceribus ctus est, cui An. C. 1674. mortuo, surrogatus est Johannes C necius, prius exercituum regni summus Dux, qui fortiter hoc t pore contra Thracas rem gerit. Primus Polonorum Ducum gionem Christianam suscepit Miziflaus, qui cæcus natus, sept ætatis anno visum miraculosè receperat, An. C. 965. Hic Gn nensem & Cracoviensem Episc. instituit, Cromerus *lib.* 3. deín doctrina, non per Silesiam solùm & Germaniam, sed et Poloniam longè lateque sparsa est, sec. 15. Hinc sub Jagell Cracoviæ rum Hussitis Disputatio est instituta, A. C. 1431. eo cessu, ut templum S. Crucis his concessum sit, ad sacra verna sermone obeunda, plurimique ex Polon ca nobilitate, impr Corybutus Regis patruelis, Bohemis accesserint. Sic Evangel in regno in ditione inprimis Abrahami Zban ci florere insign cœpit, sed & mox Andream Boinium Episc. Poznaniensem vem sensit adversarium. Cromer. *lib.* 21. Academia post hæc C coviensis, adhærens Concilio Basiliensi, Legato Pontificis A 1448. nihil honoris exhibuit, & Casimirus Rex An. C. 1460. re tit Pontifici, pro arbitrio Episcopatus distribuere volenti. Sed dein 16. satis florentes in regno Ecclesiæ fuerunt, neque hactenus penitus extinctæ. V. infra in *Polonia major* & *minor*. Ex ma domos ferme omnes componunt, plerasque luto linunt. P regionis palustris est & nemorosa. Potus genti cerevisia. Vin rissimus usus, nec vineæ cultura cognita. Equitatu in bello m mè pollet. Ager frumenti ferax: multa ferarum venatio. M abundat, habet & salis copiam, qui ex terrâ eruitur. Habet & fodinas in jug s montium, nec non sulfuris. Sub regno Polo continentur Lithuania, Samogitia, Massovia, Volhinia, Pod & Russia, quæ Meridionalis dicitur. Cromerus, Bonfinius, M tletus. Ferarto tres regni metropoles sunt, Gnesna Poloniæ Archiep. sub qua 12. urbes Episc. Riga, Archiep. Livoniæ, sub 7. Episcopatus & Leopolis Russiæ Archiep. sub qua quatuor u Episcopales. Baudrando, *in insigni opere Geographico*, Gallis *lonia* dicitur *la Pologne*, *Polonia* Hispanis & Italis, regnum peramplum Europæ, ubi aliàs Germano-Sarmatia cum parte entali Germaniæ, prope Vistulam fluvium. Terminatur à Sep trione mari Baltico, Livonia, & Moscovia seu Russia Alba, à etiam terminatur ab ortu, ab Occasu Germaniâ, & à meridie H garia, Transylvan a. & Moldavia. Dividitur autem in duas tes, nempe in Poloniæ Regnum proprium, *le Royaume de Pol* & magnum Ducatum Lithuaniæ, *le grand Duché de Lithuanie* loniæ regni partes sunt Polonia superior seu parva, *la petite Pol*

ci

cujus caput Cracovia, totius regni primaria; Polonia inferior seu magna, *la grande Pologne*, cujus caput Posnania; Mazovia, *la Mazovie*, cujus caput Vvarsavia, regia sedes; Cujavia, *la Cujavie*, ubi Vladislavia; Prussia, *la Prusse*, cujus primaria Gedanum; & Russia Nigra, *la Russie Noire*, ubi Leopolis. Magni Ducatus Lithuaniæ partes sunt Lithuania propria, *la Lithuanie*, cujus caput est Vvilna; Volhinia, *la Volhinie*, ubi Luceoria; Podolia, *la Podolie*, ubi Camenecium; Polesia, *la Polesie*, ubi Brestia, & Samogitia, *la Samogitie*, ubi Mednichia: Sed ab anno 1386. Lithuania cum suis partibus Poloniæ adjecta est per Jagellonem Ducem, qui postea Vladislaus dictus fuit. Dividitur etiam aliter Polonia in viginta quatuor Palatinatus, & in octoginta septem Castellanias; sed prior divisio communior est.

Poloniæ urbes præcipuæ:

Bielsca, *Bielsk*, Polachiæ.
Braclavia, *Braclavv*, Podoliæ.
Braslavia, *Braslavv*, Lithuaniæ.
Brestia, *Brzesci*, Polesiæ.
Calisia, *Kalisch*, Poloniæ inferioris.
Camenecium, *Kaminiek*, Podoliæ.
Chelma, *Chelm*, Russiæ nigræ.
Cracovia, *Crakovv*, Poloniæ superioris.
Elbinga, *Elbing*, Prussiæ Regiæ.
Gedanum, *Dantzick*, Prussiæ Regiæ.
Gnesna, *Gnesna*, Poloniæ inferioris.
Kiovia, *Kiovv*, Volhiniæ.
Lancicia, *Lencici*, Poloniæ inferioris.
Leopolis, *Lvvovv*; Russiæ Nigræ.
Lublinum, *Lublin*; Poloniæ inferioris.
Luceoria, *Lucko*, Volhiniæ.
Mariæburgum, *Maryenburg*, Prussiæ Ducalis.
Mcislavia, *Mcislavv*, Lithuaniæ.
Mednichia, *Medniki*, Samogitiæ.
Minscum, *Minsk*, Lithuaniæ.
Novogroda, *Novogrodek*; Lithuaniæ.
Plocum, *Plocsko*, Mazoviæ.
Polocska, *Poloczk*; Lithuaniæ.
Posnania, *Posnan*, Poloniæ inferioris.
Premislia, *Przemysl*, Russiæ Nigræ.
Regiomons, *Konigsberg*, Prussiæ.
Sandomiria, *Sandomirz*; Poloniæ superioris.
Siradia, *Sirad*, Poloniæ inferioris.
Torunia; *Thorn*, Prussiæ Regiæ.
Troca, *Troki*, Lithuaniæ.
Varsavia, *Warzavv*, Mazoviæ.
Vilna, *Wilna*, Lithuaniæ.
Vitepscia, *Witepsek*, Lithuaniæ.
Vladislavia, *Wladislavv*, Cujaviæ.

Polonia major, seu *inferior*, Gall. *la grande Pologne*, pars est ampla regni Poloniæ; in ejus occiduâ parte, quâ in Boream tendit, Pomerellia & Pomerania, quâ in occasum prona est, Electoratu Brandeburgico & Silesiâ terminatur. Meridionales ejus fines Silesiam & minorem Poloniam respiciunt, Orientalesque Mazoviæ contigui sunt: Sunt autem in ea septem Palatinatus. In hac Nobilitas Posnaniæ congregata, sec 15. restitutionem Calicis in Cœna Domini acriter ursit, ab Episcop. Poznaniensi elusa. Postea Fratribus qui Bohemiâ tum pulsi, quamplurimi Poznaniam, Curnicum, & Szamotuliam appulere, Andreas Comes à Gorka, Castellanus Poznaniensis, sacra publicè Poznaniæ administrandi potestatem dedit, An. C. 1547. cui cœtui, post varias persecutiones, Pastor obtigit An. C. 1550 Georgius Israël, & patronus insignis Jacobus Ostrorogius Comes, An. C. 1568. extinctus: postquam Confessionem fidei, nomine Ecclesiarum, Regi obtulisset, A. C. 1564. Hæ postea quò majori vinculo cum Lithuanicis unirentur, Consensus in Synodo Petricoviensi, A. C. 1578. initus est, & Synodo Vladislaviensi A. C. 1583. confirmatus. Quæ sequuta V. apud Lætum *Epit. Hist. Univ. &c.*

Polonia minor, seu *superior*, Gall. *la petite Pologne*, pars est regni Poloniæ, sic dicta, ut à majori discernatur. A meridie æ montibus Hungaricis, ab occasu Silesiæ, à septentrione majori Poloniæ, & ab ortu Podlachiæ & Russiæ Rubræ finitima est; comprehenditque Palatinatus Cracoviensem, Sandomiriensem, & Lublinensem. In hac Nicolaus Olesznicius primus videtur puriorem cultum promovisse, concesso Evangelicis sacris loco in opp. suo Pinczovia, A. C. 1550. quod idem mox Pelnieiæ suæ Lasocius fecit: Dubeciæ Stadnicius, alii alibi postea cùm in Comitiis Petricoviæ habitis, An. C. 1552. Episcopi causâ cecidissent, plurimi è primaria quoque nobilitate à Latinis secesserunt. Sed Ecclesiæ quies turbata non parum à Stancaro est, cujus hæresis Synodis Sendomiriæ, Vladislaviæ, Pinczoviæ habitis, est condemnata: inprimis celebri illa Xianzensi An. C. 1560. Blandrata, post Stancarum, non minores turbas dedit, Socini veneno Poloniæ illato, circa An. C. 1563. Consensus postea Confessionis Bohemicæ, Augustanæ & Helvetiæ Sendomiriæ initus est, An. C. 1570. & An. C. 1573. cùm de eligendo novo Rege ageretur, religioni earum est, procurante id Johanne Firlejo Palatino Cracoviensi, Viro zeli pleno. Post quæ Smaleius Ecclesiis gravis fuit, in Synodo Lublinensi An. C. 1612. in societatem recipi postulans, rejectus. Academiæ Cracoviensi cum Jesuitis ingens contentio exarsit, Ann. Ch. 1626. Varia dein Evangelicis templa adempta. Vide Lætum *Histor. Univ.* Plura de Polonia, V. apud Volaterranum, Munsterum, Mercatorem, Ortelium, Merulam, Maginum, Bertium, Cluverium, Nicolaum & Guil. Sansonem, Brietium, Du Val &c. *in oper. Geogr.* Alex. Gaguinum Veronensem *Sarmatiæ Eur. descript.* Andr. Cellarium, *Novâ descr. Polon.* Sanlovinum *Chron. lib.* 1. Ricciolum *Chron. Reform.* Math. Michovium *de Sarmatia, & in Chron. Polon.* Martin. Cromerum, *Hist. Polon.* Erasmum Stellam *descr. Borussiæ*, Davidem Chytræum *de Russorum ac Tartar. relig.* Phil. Callimachum, *Hist. Polon. contra Turcas.* Salom. Neigebaur. *Hist. Polon.* Volumen Historicorum Polon. Baron. *Annal.* Bzovium, Spond. Rainaldum *Contin. Annal. Eccl.* Thuanum *Histor.* Mat. Crovecium *in l. admon. ad Sig. Augustum.* Ioach. Bielscium *Chron. Polon.* Virg. Musæum *de Evangelii in Pol. origine & progressu.* Payen, Rupiforrium &c. *Itin. Pol.* Davity *Descr. Pol.* Fulstinum *Hist. Pol.* Moter. *Dict. Hist.* Lætum *Comp. Hist. Univ. &c.*

Poltymbria, civitas Thraciæ. Steph.

Polus, histrio in Græciâ illustris, qui gestus, & vocis claritudine, & venustate cæteris anteibat. Egit Tragœdias Poetarum: Athenis etiam Electram Sophoclis poetæ urnam cum Orestis ossibus gestantem; quem actum scitè adeò ac doctè absolvit, ut imagines rerum verbis exprimens, spectatores ad fletum & lachrymas compulerit.

Polus, Agrigentinus Sophista, Gorgiæ auditor, primus in oratione invenisse dicitur paria & antitheta, & similiter desinentia, quod minimè verum, sed jam inventis sæpe usum fuisse constat. Hæc Philostratus. Suidas scribit, eum genealogiam eorum, qui ad Trojam profecti sunt, scripsisse, simul & navium catalogum.

Polusca, Liv. Halycarnasseo *Polus*, opp. fuit Latii, olim Volscorum caput. Pop. *Pollustini* Plin. Interiit prorsus.

Polyagos, una Sporadum Plin. Ptol. à Caprarum multitudine. 70. m. p. à Delo in Met. Sophiano *Policandro.* Nigro *Falconara.* Melius *Polagusa.* Ferrar.

Polyanus Sardianus, temporibus Cæsaris Dictatoris & Antonii Triumviri; scripsit orationes judiciales, triumphi Parthici M. Antonii libros tres. Fuit alter ejusdem nominis Macedo genere, qui de Thebis scripsit, & de re militari, ad Antoninum & Commodum, V. Casaubon. *in Polyænum*, Suidam &c. Alius insignis Mathematicus fuit, qui Epicurum postea secutus est, totamque Geometriam falsam credidit. Cic. *l* 4. *Acad. Qu.* V. Euseb. *lib.* 1. *Chron*, Voss. Gesner. Possevinum, &c.

Polyandus, urbs Cataoniæ, in Armenia min. Ptol. Sed Interpp. habent *Padyandus.*

Polyani, à *Polyano* quodam dicti sunt Pindi accolæ. Strab. *lib.* 7.

Polyanthus, Cyrenæus, librum reliquit de ortu Asclepiadarum. Sext. Emp. *lib.* 1. *Adv. Mathem. cap.* 12.

Polyanus, mons Macedoniæ, in confinio Epiri, Pindo monti maj. finitimus. Strab.

Polyara, urbs Cariæ. Civis *Polyareus.* Steph.

Polyarchus, frater major Eryxûs, viduæ reginæ Cyrenensis, qui Laarchum tutorem, pro tyranno se gerentem confodit. Polyæn. 8.

Polybianum, Lazio, *Leybnicz*, opp. Stiriæ, ad fl. Muram, medium inter Græcium & Pœtovionem 4. leuc.

Polybidas, Agesipolidi, ad Olynthum mortuo, substitutus Dux, res ibi præclarè gessit, Olynthios obsidione clausit, & tandem sub potestatem Lacedæmoniorum redegit. Olymp. 100. An. 1.

Polybius, rex Corinthiorum, qui, cùm liberis careret, Oedipum Laii patris jussu in sylvâ expositum, & à pastore inventum pro suo educavit. Lege *Polybus.*

Polybius, è Megalopoli civitate Arcadiæ, fil. Lycortæ, qui caput fuit Reip. Achæorum, præceptor Scipionis Africani: cui, Læliοque Romæ innotuit, post Patrem, à Rep. patria Legatus ad Ptolomæum Epiphanem, indeque ad Cons. Romanum, in Thessalia res gerentem: occasione hinc in Urbem proficiscendi captatâ. Hic scripsit Romanam historiam libris quadraginta. Incipit à fugâ Cleomenis Spartiatæ, & Persei Philippi Macedonum regis, postbac Romam attingit, ab initio primi belli Punici, usque ad finem Macedonici, per ann. 53. Horum duo primi, præliminares tantùm, Romam à Gallis captam succinctè narrant. Sed pars pleraque aut tota periit, aut mutilata ad nos pervenit cum fraude generis humani: Neque aliud nobis restat, quàm 5. priores libb. cum epitome 12. seqq. fortè à M. Bruto facta, qui Polybii lectionem ipsi Ciceroni anretulit. Nicolaus V. primus Polybium edidit, qui dein auctior prodiit, editione inprimis Casauboni, qui illum egregiis notis insuper illustravit. Recta & salutaria ubique ejus monita: & quem ego (Lipsii verba sunt) hoc magis Principibus commendatum velim, quòd anxia in eum inquisitione non opus, sed sensus suos aperit & revelat ipse. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 19. Item vates Corinthius, qui filio Trojam proficiscenti, & multis aliis mortem prædixit. Cicero.

Polybius, Medicus; gener, discipulus & successor Hippocratis. Scripta ejus hodieque habentur. Justus *in Chron.* Vander Linden *de Script. Med.*

Polybœa, Dea. Hesychius: Πολύβοια, θεός τις, ὑπ᾽ ἐνίων Ἄρτεμις, ὑπὸ δὲ ἄλλων Κόρη, nempe à βόω, sive βόσκω, *pasco*, ut idem sit ac Homeri Πουλυβότειρα, aut Παμβῶτις γῆ, quod apud Sophoclem *in Philoctete*. Ac fortasse similiter Heracleenses, matrem ejus Cererem dixere Παμβώτειαν, licèt apud Hesychium nunc legatur: Πάμπτειον, ἡ Δημήτηρ ἐν Ἡρακλείᾳ.

Polybotus, urbs Phrygiæ magnæ. Lib. Conc.

Polybus, Sicyoniorum rex, ann. ante U. C. 550. Item Auctor antiquus, qui scripsit de semine humano. Et unus ex procis Penelopes. Ovid. *Epist.* 1.

Quid sibi Pisandrum, Polybumq́; Medontaq́; Dirum, &c.

Polycarpus, Smyrnensis episc. A. D. 91. Johannis Evang. discipulus, Ecclesias totius Asiæ doctrinâ suâ instruxit, exemploque confirmavit. Romam profectus, ut cum Aniceto Episc. de celebratione Paschatis conferret, varios in itinere Valentini & Marcionis fraudibus irretitos convertit: Huicque Romæ, cum in eum forte incideret, ab illo interrogatus, an non se nosset, respondit, *Omnino: Primogenitum te Diaboli agnosco.* Redux in Asiam, pro Christianâ fide palam, & spectante populo in amphitheatro combustus est, teste Volaterrano, An. 167. Vid. Euseb. *Eccl. Hist. lib.* 4. *cap.* 5. *& in Chron.* An. C. 157. & 167. Hieron. *in Cat. cap.* 17. Iren. *lib.* 3. *adv. hær. cap.* 3. Tertullian. *de præscr. cap.* 32. Socr. 5. 21. Phot. *cod.* 126. Jac. Usserium *in edit. epist. Polycarpi &c.*

Polycaste, Nestoris filia.

Polycharmus, cælator eximius, qui Venerem lavantem sese ac Dæda unà stantem sculpsit marmore. Plin.

Polychronius, Episc. Apameæ. Ann. C. 420. Frater Theodori Mopsvestii, & discip. Diodori Tarsensis. An auctor Commentar. in Danielem? An idem cum Episc. Hierosolymitano? cujus Actorum meminit Nicolaus I. in ep. ad Michaelem Imp. Sed hæc supposititia judicat Baronius. An. C. 431. Gesner. *in Bibl.*

Polycrea, Soror & uxor Æati, ex quibus Thessalus natus. De hujus fœminæ ingenio Plut. & Polyæn. VIII.

Polycles, Atheniensis, ex conjuratis, qui Heraclidem, Demetrii præfectum, urbe ejicere affectabant. Polyæn. *lib.* 5.

Polycles, Cyrenensis, vicit stadium, Olymp. centesimâ octavâ.

Polycletus, Libertus Neronis ad componendas Paulini & Classiciani discordias missus. Verùm cùm ingenti agmine Italiæ Galliæque gravis Oceanum transmisisset, & militibus quoque Romanis terribilis incederet; hostibus irrisui fuit, apud quos, flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat. Tacit. XIV. 39. Meminit quoque ejus *Hist.* 1. 37.

Polycletus, statuarius eximius, diligentiâ ac decore supra cæteros facilè vincens, uti loquitur Quinctilianus. Nam ex ære signa fecit scriptorum præconio nobilitata. Cum primis fecit astragalizontes, h. e. talis ludentes, quo opere nullum absolutius judicant. Fuit Sidonius, ac discipulus Ageladis. Duas eodem argumento statuas fecit: alteram arte suâ, alteram verò de vulgi opinione, quam de sententiâ cujusvis prætereuntis cælaverat. Quibus perfectis turbam admittit, ac primùm sua ostensa magnopere laudatur: altera deinde non æque. *Atqui, scitote*, inquit, *quòd hanc quam tantopere laudatis, ego feci: quam verò vituperatis, vos fecistis.* Ælian. *de Var. hist.* V. Plin *lib.* 33. *cap.* 13. *& lib.* 34. *cap.* 8 Juven. *Hic aliquid præclarum Euphranoris aut Polycleti.* Hinc *Polycleteus* adj. Stat. *Sylv.* 2. 2.

—— Quod ab arte Myronis,
Aut Polycleteo jussum est quod vivere cælo.

Idem. 4. *Sylv.* 6.

Quod Polycleteis visum est spirare caminis.

Polycritus, Larissensis historicus, cujus meminerunt Athenæus, *lib.* 12. Jul. Pollux, *in Onom. lib.* 2. *cap.* 4. *mem.* 31. Ælianus *lib.* 16. *cap.* 41. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. Gesner. *in Bibl. &c.*

Polycrates, Olymp. 62. Sami Tyrannus, opibus & felicitate apud historicos inclytus, qui, quoad vixit, non tam fortunæ alumnus dici potuit, quàm partus. Nam aliquando, ut aliquid infortunii habuisse videretur, annulum projecit in mare, quem tamen cocus ejus redinvenit in pisce. Sed mors infamis & ærumnosa docuit neminem ante obitum meritò dici posse felicem. Ad postremum enim, à Persarum Satrapâ Oronte dolo captus & crucifixus. Olymp. 64. Thuc. *lib.* 1. Strabo *lib.* 14 Herod. *lib.* 3. Euseb. *Chron.* Fuit & hoc antiquior alius. Item Ephesiorum præsul octo ex parentibus Episcopis prognatus, temp. Severi Imp. In Synodo Episcoporum Asiæ, Pascha celebrandum d. 14. Lunæ, statuit, literis hac de re ad Victorem Episc. R. qui Asiaticos excommunicârat, satis acriter scriptis, Hieronymus, *de Scr. Eccl.* Euseb. *Hist. lib.* 5. *cap.* 9. *&* 23.

Polycrates, post superatum, ad Platæas, Mardonium, vulgante rumore, sub ejus tentorio ingentem thesaurum esse defossum: locum istum pecuniâ redemit & diu multumque perscrutatus est terram. Cùm nihil reperisset, misit Delphos, Apollinem sciscitatum, ubi reperire posset. Ferunt Apollinem respondisse, *Omnem lapidem move*, quod postea in proverbium abiit. Polycrates autem iste fuit Atheniensis. V. Scholia *in Aristophanis Equites*, *p.* 333. *D.*

Polycreta vel *Polycrita*, Puella Naxia, à Diogneto Erythræorum duce capta & loco uxoris habita. Milesiis quodam tempore vino & somno demersis, misit tabellas plumbeas, placentæ insertas, ad fratres, quibus monebat, ut sepultos vino ac somno opprimerent: Diognetum verò sibi donum exemit ab exitio: Polyæn. VIII

Polycrita, nobilis mulier e Naxo insulâ, quæ insperato gaudio pene exanimata ultimum spiritum emisit. Plut. *de claris mulieribus*, & Arist. apud Gellium.

Polycritus, Mendæus, nomen sibi peperit historiâ Dionysii Tyranni, Laertius. Idem videtur esse, quem res Siculas carmine Heroico panxisse narrat Arist. *lib. de Mirab.* At fortasse alius est, cujus meminit Plut. *in Alexandro*, tres enim hujus nominis urbes erant, in Sicilia, Thracia & Ægypto. Plin. 23. 2.

Polydamas, nobilis Trojanus, Antenoris & Theanûs sororis Hecubæ filius, qui, quamvis Lycasten Priami filiam ex concubinâ susceptam, uxorem duxisset, cum Antenore tamen patre suo urb. Trojanam dicitur Græcis prodidisse. Item Panthei fil. Hom. *Iliad.* Persius *Sat.* 1.

Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem
Prætulerint. —— ——

Ubi ingeniosissimè poeta duos versus *Iliad.* χ. (errant qui alterum horum aliunde petant) hoc unico expressit,

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Et statim:

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Sic M. Tullius utrumque Homeri versum usurpat, *ep.* 5. *ad Atticum lib.* 2. *&* 1. *lib.* 7. *Aliter senserot* Αἰδέομαι *non Pompejum modo*, sed Τρῶας καὶ Τρῳάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. *Quis? Tu ipse scilicet, laudator & scriptorum & factorum meorum.* Vide & *ep.* 16. *libri* 8. *Polydamas* & Ciceroni & Persio est alterius Catonis, aut ipsius virtutis nomen. Ineptè nimis quod argutatur de eâ voce antiquus Scholiastes. Is Latinâ voce exprimit *multinuba*, quia sc. δάμαρ, est *conjux*, & multitudinem uxorum putat Neroni exprobrari. Quid putidius hoc commento? etsi non defuerunt qui probarent; Præterea falsissimum est, Polydamantem describi à Poetâ, garrulum & ineptum. At quot locis ejus virtutem prædicat? velut *Iliad* μ.

Ὣς μὲν ἄρ᾽ Ἕκτορ᾽ ἵππων καὶ ἀμύμονι Πουλυδάμαντι.

Componit eum cum Hectore, & quidem honestissimo elogio adjecto, cùm Hectoris nudum nomen posuisset: ut quem loco depresserat posterius nominans, virtutis testimonio attolleret. Postea vocat ἀμύμονα, & consilium illius laudat:

Βουλῇ Πουλυδάμαντος ἀμύμονος πείθεσθε.

Alibi πεπνυμένον *prudentem*. *Iliad* Σ.

Τοῖσι δὲ Πουλυδάμας πεπνυμένος ἦρχ᾽ ἀγορεύειν.

Polydamas, Pancratiastes, æmulatus Herculem, leonem in Olympo monte, inermis superavit, taurum ingentem apprehensis extremis pedibus retro tenebat, currum agitatum sese opponendo alterâ manu comprehensum ex cursu retrahebat, in equosque insiliebat, dejecto aurigâ. Accersitus à Dario, Artaxerxis magni filio, ter apud eum ex provocatione victor fuit. Postremò post cœnam in cavernâ, cùm saxum in vertice ruinam minaretur, diffugientibus convivis, confisus ipse viribus suis, ac manibus posse illud sustinere putans, oppressus est. Plin. *lib.* 7. *cap.* 49. Valer. *Max. lib.* 9. *cap.* 12. *ex.* 18. Pausan.

Polydamas, Prætorum unus Alexandri M. intimus Parmenionis, per quem & hunc sustulit. Curt. VII.

Polydectes, Magnetis fil. Rex Seriphi insulæ. Hic Perseum Jovis & Danaes filium educavit, cujus tandem ingenium veritus, audaciamque & ferocitatem, sub prætextu æternæ gloriæ, illum ad superandam Gorgonem Medusam impulit: qua devictâ redeunti Perseo cùm semper detraheret, conversus est ab illo in silicem, monstrato capite Medusæ. Ovid. *Met.* 5. Alii apud Dictyn, fratrem hujus, Danaen cum Perseo, hospitatam esse tradunt. V. *Danae & Perseus* Item Lacedæmoniorum R. frater Lycurgi. V. *Charillus*.

Polydeucea, Laconicæ fons ad Therapnem urb. V. Strab. *lib.* 9.

Polydice, mulier quædam, quæ Pterelam patrem, Thebarum regem, Creonti prodidit, & occidi suasit. Servius.

Polydora, Nympha Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* Item insula juxta Cyzicum. Steph. V. infra.

Polydora, Ins. parva Propontidis, juxta Cyzicum. Plin. Diod. Steph. Incolæ *Polydorenses*, & *Polydorii*

Polydori tumulus, locus Thraciæ, apud Ænon urb. ubi is à Rege Thraciæ, cui à Priamo Patre commendatus erat, occisus est. Plin.

Polydorus, Lacedæmoniorum Rex, qui civibus suis cum Messeniis viginti annorum bello implicitis, tandem rei finem ut imponeret, & Messenios ad prœlium eliceret, simulavit cum Theopompo, alterius familiæ Rege simultatem: à cujus regressu egressi Messenii, à fronte & à tergo circumventi, vi subacti sunt.

Polydorus, fil. Alcamenæ, pater Euryeratis, Lacedæmonius, Heraclides. Herod. VII.

Polydorus, frater Jasonis Pheræi, qui, secundùm quosdam, ut Dux Thessalorum Principatum Græciæ affectantium & Pheræorum Dominus fieret, fratrem dolo occidit, An. 3. Olymp. 102. Præfuit autem Thessalis annum saltem unum: à Fratre Alexandro vicissim veneno sublatus.

Polydorus, Rhodius, cælator nobilis, qui ex unio lapide fecit Laocoontem & liberos, nexusque mirabiles. Plin. *libr.* 34. *cap.* 8. *& lib.* 36. *cap.* 7.

Polydorus, Priami fil. ex Hecubâ, quem pater initio belli Tro-

jus incertum communis Martis exitum metuens, cum magno auri pondere educandum tradidit Polymnestori Thraciæ regi, tanquam hospiti, amico & genero suo. Sed ille deletâ Trojâ, cæterisque Priami ferè omnibus liberis interfectis, auri cupiditate adductus, Polydorum in litore spatiantem telis aggreditur, & frustra opem Deorum hominumque implorantem, occidit, cæloque tumulum injecit; cui postea myrtus increvit, sanguineis guttis distillans. Quod cùm mater Hecuba intellexisset, simulavit se ingens adhuc auri pondus velle illi secretò indicare, quod pro filio acciperet. Quod avarus rex verum existimans, mox ad Hecubam profectus illius unguibus occæcatus est. Extat tamen & alia de Polydoro opinio, nempe Græcos per Thraciam venientes hunc cepisse; Priamum autem redimentem filium, Græcis pro eo dedisse urbem, quæ postea ab eventu *Antandros* dicta est: quâ accepta illos tamen nihilominus Polydorum lapidibus obruisse, Servius in *Æn.* 3. Hinc *Polydoreus* Ovid. *Met.* 13.

En Polydoreo manantem sanguine terram.

Item *Polydorus* alius, Priami filius ex Laothoe Altai Lelegum regis filiâ: quem Achilles cum fratre Lycaone in bello Trojano interemit.

Polydorus Virgilius, seu Vergilius, Urbinas, vixit seculo 15. & 16. Eruditione famam meritus. Edidit Ann. 1499. *de Inventoribus rerum lib.* 8. Dein in Angliam profectus, ut ibi denarium S. Petri colligeret, gratiâ Principum Anglicorum potitus est, & Archidiaconatu auctus. Tractatum de prodigiis publici juris fecit, Londini, An. 1526. Dein, ultimam manum Historiæ Angl. imposuit, eamque Henrico VIII. inscripsit, An. 1533. libb. 26. Scripsit etiam proverbia, &c. Obiit Ann. 1555. Paul. Jov. *in Elog. cap.* 135. Henr. Savilius, *in edit. Scr. Angl.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3.

Polyeuctus, Patr. Constantinopolitanus, post Theophylactum, An. 956. Constantino Porphyrogennetæ acriter obnoxius; Nicephorum Phocam, qui, uxori suæ superstiti adhuc, aliam superinduxerat, ex Ecclesia ejecit, idemque Johannem Zimiscem à sacris arcuit, quòd Nicephorum occidisset. Obiit Ann. 970. Curopalates, & Baronius *in Annalibus*. Item Poeta Comicus, Athen. libro 10.

Polygamistæ, Hæretici, qui licere cuique tot uxores, quot vellent, ducere, statuerunt. Horum auctor Bernardinus Ochinus erat, qui Genuæ primò Capucinorum, dein veræ religionis professionem aliquandiu mentitus; tandem in varios errores prolapsus est. Seculo præter.

Polygius, Mercurius dictus est, cui Herculem clavam consecrasse, eamque paulo pòst iterum pullulasse, quòd esset ex oleastro, refert Pausanias.

Polygnotus, patriâ Thasius, floruit Olymp. 90. pictor antiquissimus. Quintil. *lib.* 12. & Plin. *lib.* 33. 13. & 34. 8. & 35. *cap.* 6. & 9. Valesii quoque sunt Plutarch. *in Cimone*, Pausanias & Ælianus. Item Statuarius insignis, Plin. *lib.* 34.

Polyhistor, Apion sic dictus, Gell. 5. 14. Item *Polyhistor* historicus à Photio reponitur inter eos, è quibus contexuit librum octavum. Poterat idem videri ac Alexander Polyhistor; sed apertè ab eo Photius ipse *lib.* 8. distinguit. Vide *Alexander Polyhistor.*

Polyhymnia, Musarum una. Aliqui *Polymneiam* vocant, à *multitudine memoriæ* scilicet. Historiæ, an Rhetoricæ Præstita? Pingitur coronam ex margaritis constantem, & togam candidam gestans: manu dexterâ ad perorandum exertâ, cum volumine in lævâ, cui inscriptum, *Suadere*. Plutarch. *in Sympos.* Balduin. *Iconol.* Horat. *Od.* 1. *lib.* 1.

——— *Si neq; tibias*
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Ovidius 5. *Fastorum*:

Dissensere Deæ, quarum Polyhymnia cœpit.

Polyidus, medicus, qui Glaucum Minois filium mortuum ad vitam revocavit porrectâ herbâ, cujus usum didicerat à Dracone, quem viderat draconi cuidam mortuo herbam illam porrexisse, eumque illius herbæ operâ ad vitam revocasse. Palæphatus, Apollodor. *lib.* 3. Fuit quoque *Polyidus*, qui de arte machinali scripsit, teste Vitruvio Pollione *præfat. lib.* 7. Apud Censorinum quoque, *fragmenti cap.* 9. quidam *Polyidus* inter Musicos Olymp. 95. memoratur; ubi perperam *Pondos* legit Carrio. Vide quoque Pausan. in *Att.* Clem. 1. *Strom.* Hygin. Voss. &c.

Polyidus, Poëta Dithyrambicus, præterea Pictor ac Musicus insignis, floruit Olymp. 95.

Polymartium, urbs Hetruriæ olim Episcop. nunc castrum cum Ducis titulo in ditione Pontificia, 14. mill. pass. supra civitatem Castellanam in Circ. Orivetum versus, medium inter Viterbium & Hortam, in prov. Patrimonii; *Bomarzo.*

Polymedium, Troadis oppidum Hellesponto adjacens, Plinius *lib.* 5. *cap.* 3.

Polymemon, ab Alexandro Magno, claustra Nili fluminis, deditâ Ægypto, cum 30. triremibus tueri jussus, Curt. 4. 72.

Polymestor, Milesius puer, cùm à matre locatus esset ad caprarios pastus, ludicro leporem consecutus est, & ob id statim productus à gregis domino Olympiade 46. victor in stadio meruit coronari.

Polymnestor, Thracum tyrannus. Vide *Polydorus*, & Euripidem *in Hecubâ*. Ovid. *Metam.* 13.

——— ——— *Capit impius ensem*
Rex Thracum, juguloq; sui demisit alumni.

Propertius *lib.* 3.

Et scelus accepto Thracis Polymnestoris auro.

Polymnestus, Miletis filius, poëta Colophonius, carmen Orthium vel, ut alii vocent, Orthrium, conscripsit: item quod ab eo *Polymnestium* dictum est. Sminthia quoque in Rhodo cecinit, ut ex Athenæo videre est. Ob fœditatem reprehensus, ab Aristophane *in Equitibus*: imo & Cratino memoratus, ut Suidas docet; adhæc Alcmani & Pindaro. Atque ex his antiquitatem ejus cognoscimus. Celebrant quoque eum Plutarchus & Pausanias. Nomen non inscitum, sig. enim *multu ambitus*, ut Homero πολύμνηστη, ea, cujus multi sint, aut fuerint, μνηστῆρες, hoc est, *proci*. Vossius.

Polynices, filius Oedipi, Thebanorum regis, ex nefando Jocastæ matris concubitu, frater Eteoclis, quibus pater, sponte in exilium proficiscens, regnum eâ lege reliquerat, ut alternis annis regnarent. Verùm cùm Eteocles, cui utpote natu majori Polynices pribres regnandi vices concessit, fratri suo regno cedere recusaret, ille Argos sese contulit ad Adrastum regem, qui filiam suam nomine Argiam uxorem illi despondit, contractisque quàm maximis potuit viribus, unà cum Tydeo, altero genero, Thebanis bellum intulit, cujus is fuit exitus, ut duo fratres singulari certamine congressi, mutuis vulneribus caderent. Quinetiam cadaveribus rogo impositis, flamma dicitur se divisisse, tanquam implacabile illud odium, quod inter vivos extiterat, ne morte quidem potuerit finiri. Statius *in Thebaide*.

Polypercon, Prætor Alexandri Magni, & in ejus exercitu peregrini militis dux. Post mortem Alexandri, ab Antipatro ægroto & moribundo summam rerum accepit. Vide *Polysperchon.*

Polyphemus, inter Cyclopas omnes, qui centum fuisse memorantur, viribus corporis formæque magnitudine præstantissimus fuit; quibus verò parentibus ortus fuerit, nondum constat. Apollonius *Argon. lib.* 1. illum Neptuno & Europâ Tityi filiâ natum fuisse tradit, *in his carminibus*:

Ταίναρον αὖτ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανεν,
Τὸν ῥα Ποσειδάωνι ποδωκηέστατον ἄλλων
Εὐρώπη Τιτυοῖο μεγασθενέος τέκε κούρη.
Κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
Οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
Ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.

Andron verò Tejus & Polidonius Polyphemum patre Elatâ ac matre Stilbe Nymphâ natum fuisse memorant. Conon, *in Heracleâ*, Elasi & Amymones eum filium fuisse scribit. Homerus autem *Odyss.* 1. Neptuni & Thoosæ filium facit. Hunc in speluncâ habitare solitum, & oves in Siciliâ custodire, magis notum est, quàm ut indigeat explicatione, cùm in eadem Tragœdiâ etiam id scribat Euripides & Hom. *in Odysseâ*. Martialis:

Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.

Hic Galatæam Nympham fertur adamasse, Acim verò puerum, quem sibi illa præferebat, saxo interemisse: Ulyssem quoque vi tempestatis in Siciliam delatum antro suo inclusit, quatuorque ex comitibus ejus devoravit, reliquos eodem mortis genere perempturus, nisi prævertens Ulysses vino nigro eum inebriasset, altoque sopore obruto adusto stipite oculum eruisset. Virgilius *Æneid.* 3.

——— *Domus sanie dapibusq; cruentis*
Intus opaca, ingens, ipse arduus, altaq; pulsat
Sidera. ——— ——— ———
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cùm corpora nostro
Prensa manu magnâ medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieq; aspersa natarent
Limina: vidi atro cùm membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impunè quidem; nec talia passus Ulysses,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoq; sepultus
Cervicem inflexam posuit, jacuitq; per antrum
Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commista mero: nos magna precati
Numina, sortitiq; vices, unà undiq; circum
Fundimur: & telo lumen terebramus acuto,
Ingens quod torva solum sub fronte latebat
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.

Ubi ex his verbis:

——— *Jacuitq; per antrum Immensum,*

Auctores colligunt magnitudinem Cyclopis, utpote qui totum antrum occupasset. Ad quam pertinent Lucilii versus, apud Crinitum:

Multa hominum portenta in Homero versificata
Monstra patent: quorum imprimis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes. ——— ———

Ovidius *Metamorph.* 14.

Hæc & plura ferox (Polyphemus) *me luridus occupat horror*
Spectantem vultus etiamnum cæde madentes,
Crudelesq; manus, & inanem luminis orbem,
Membraq; & humano concretam sanguine barbam.
Mors erat ante oculos, mentiq; hærebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum
Ter quater affligi sociorum corpora terræ,
Quæ super ipse jacens, hirsuti more leonis
Visceraq; & carnes, oblisisq; ossa medullis
Semianimesq; artus avidam condebat in alvum.

Homerus *Odyss.* 9.
Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥστε σκύλακας ποτὶ γαίῃ
Κόπτ᾽ ἐκ δ᾽ ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.
Τὰς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὁπλίσσατο δόρπον,
Ἤσθιε δ᾽ ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ᾽ ἀπέλειπεν
Ἔγκατά τε, σάρκας τε καὶ ὀστέα μυελόεντα.

Multi, inquit Servius, Polyphemum dicunt unum habuisse oculum, alii duos, alii tres, sed totum fabulosum est. Nam hic vir prudentissimus fuit, & ob hoc oculum in capite habuisse dicitur, id est, juxta cerebrum, quia prudentiâ plus videbat. Verùm Ulysses eum astutiâ superavit, & ob hoc eum excæcasse fingitur. Vide Hygin. &c.

Polyphilus, nomen adscititium Francisci Columnæ, qui *Hypnerotomachiam* scripsit, sec. 15. Voss. *de Hist. Lat.*

Polyphontes, rex quidam, qui fratrem interfecit, quòd intellexisset ab eo sibi parari insidias. Gellius 4.2.

Polyphradmon, nepos Polyphradmonis, Pater Phrynichi; ob carminum præstantiam & suavitatem *Apis* dictus. Vide Scholiast. *in Aves Aristoph.* Vixit 70. Olympiad. & tragœdias composuit, Suidas.

Polypodusa, insula Cnidia. Gentile *Polypodusæus*, Steph.

Polypœtes, filius Pirithoi & Hippodamiæ, Homer. *Iliad.* 12.

Polyren, urbs Cretæ, quòd habeat *multas oves*, quas ῥῆνας vocant, Stephanus.

Polysperchon, ex ducibus Alexandri Magni, fortitudine inclytus: tutor Principum, mortuo Alexandro, ab Antipatro constitutus. Libertatem hic restituit Græciæ urbibus, & in Macedonia potens, Herculem, fil. Alexandri eò vocatum, neci dedit: Postea in prælio occisus, cùm jam antè filium perdidisset. Curt. *lib.* 4. 5. *& seqq.* Diod. Sic. *lib.* 18. *&* 20. Justin. *lib.* 13.

Polystephanus, historicus, inter alios laudatur à Scholiaste Apollonii *in lib.* 1. & Gellio 9.4. qui eum reponit inter Græcos scriptores non parvæ authoritatis: sed quorum libri contineant res inauditas, & fidem penitus excedentes. Item *Polystephanus* olim dicebatur Tibur, Italiæ urbs, Steph. Vide *Præneste.*

Polystratus, miles Macedo, qui confossum, sed tamen spirantem adhuc Darium, in valle quadam fortè reperit, Curt. *lib.* 5.58.

Polytelia, opp. Mesopotamiæ.

Polytimetus, Scythiæ intra Imaum fluv. Ptol. Sogdianæ fluv. apud Qu. Curtium. *Amo* Nigro dicitur.

Polytropus, à Lacedæmoniis missus dux adversus Arcades, cum mille civibus, quingentis Argivis & Bœotiis exsulibus. Sed apud Orchomenum Arcadum à Pycomede occisus est, Diodor. 15.

Polyxelus, Comicus Græcus, cujus fabulas enumerat Suidas.

Polyxena, Priami filia formosissima ex Hecubâ conjuge, quam Pyrrhus Achillis filius Trojâ captâ, ad patris tumulum jugulavit. Ferunt enim Achillem, cùm ad Trojam bellum gereret, Polyxenam fortè in mœnibus conspectam adamasse, eamque uxorem sibi postulasse. Quod cùm Priamus annuisset, placuit, ut in Thymbræi Apollinis templum convenirent, pacis nuptiarumque fœdera inituri. Verùm cùm id rescivisset Paris, post Apollinis simulacrum sese occultavit, Achillemque nil tale opinantem sagittâ interfecit. Captâ deinde Trojâ, cùm & Polyxena viva in hostium manus pervenisset, Achillis umbra Græcorum proceribus in somnis apparuit, præcipiens, ut Polyxena, cujus nuptiarum prætextu erat interfectus, inferias sibi mitteretur, cujus crudelitatis Pyrrhus ministrum se præbuit. Ovid. *Metam.* 13.

Placet Achilleos mactata Polyxena manes.

Propertius *lib.* 2.
Nec minus hæc nostri notescet fama sepulchri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.

Hinc *Polyxenius*. Catullus *in Nupt. Pel. & Thet.*
Alta Polyxeniâ madefient cæde sepulchra.

Polyxenus, inter Græcorum duces numeratur ab Homero *Iliad.* 2.

Polyxenus, Atheniensis, cùm quendam juvenem humanâ specie augustiorem conspexisset impudiceè, amisso visu cæcus factus est, Plutarch. *in Paral.*

Polyxo, xûs, mulier ex Lemno insula Apollinis vates, quæ Lemniaci sceleris dux & hortatrix fuit. Nam cùm Lemni mulieres, ob spretam Venerem, hircum olerent, maritique ex Thracia uxores sibi eam ob causam asciscerent, Polyxûs instinctu omnem virilem sexum interemerunt, solâ Hypsipyle exceptâ, quæ Thoanti patri suo pepercit, Statius 5. *Theb.*

Polyzelus, Archon Athenis, Olymp. 103. An. 2. Item Poëta Græcus.

Polyzelus Rhodius, celebratur in Solone. Scripsit inter alia etiam Rhodiaca, quæ citat Athenæus *lib.* 8. Meminit ejus quoque Jul. Pollux, 10.21. & 15.21. Plaut. *in Sol.* Hyginus *in Poëtic. Astronom.* ubi de Ophiucho tractat. Vide quoque Voss. *de Hist. Græc.* Item alius Messenius, Olymp. 50. historiographus, Ibyci poetæ pater, ut videtur, Suid. in Ἴβυκος.

Pomaria, arx Lombardiæ Cispad.

Pomarius, Hercules dictus, quòd apud Bœotos illi malis sacra fieri mos esset. Vide proverb. *Pomarius Hercules.*

Pomerania, Wandalica reg. ad mare Balticum sita, sic dicta à Pomesano, Viduntri primi Borussiorum Regis filio; *Pomesania* primò, Metel. à primis verò cultoribus patriâ linguâ, hoc est, Wandalicâ, *Pamorzi* appellata est, ab indigenis inhabitata & propriis dominis gubernata; alienis autem nunquam subjecta fuit. A Boleslao Polono ad fidem Christi, cum Cassubia, compulsa est, An. C. 1120. est ubique fertilis, aquis irrigua, stagnis abundans, navibus pervia, dives agris, pascuis, pomis, lignis, rivis, montibus, venatione, pecore, piscibus, frumento, butyro, melle, cerâ, & aliis similibus rebus. Est quoque optimè culta civitatibus, oppidis, arcibus & vicis; nec ullus est locus in eâ vacuus, aut incultus, nisi quem aut lacus, aut montes occupant. Usa est ante susceptum Christianismum linguâ Wandalicâ, moribusque propriis vixit, donec Romano Imperio subacta est. Tunc enim unà cum religione, Saxonicam linguam amplexa est, quam in hunc usque diem retinet, Munsterus. Olim sub propriis Ducibus, quorum familiæ origo à Mistevone Vandalorum Rege arcessitur: Hujus, inter alios, filius Bogislaus, pater fuit Suantibori: qui à Bela Ungaro, auspiciis Mieislai Poloniæ Reg. victus, & ad fidem adductus, mox in libertatem & gentilismum se vindicavit. Ejus filii Wratislaus & Ratiborus Citeriorem, Suantopulcus verò & Boguslaus, Ulteriorem Pomeraniam sortiti sunt: quorum posteriorum stirpe extinctâ in Mestovino, An. 1295. partem ditionis Crucigeri occuparunt. An. 1313. reliquâ cis Stolpam ab agnatis vindicatâ. E prioribus Ratisbori linea, in Bartholomæo An. 1224. deleta est, Wratislaus verò familiam diutius propagavit, ab Ottone Bambergensi baptizatus. Pater Casimiri & Bogislai II. qui à Friderico Barbarossa, An. 1181. duces creati sunt, datâ in Imper. sessione. E Casimiri stirpe ultimus Casimirus III. Obiit An. 1271. Bogislaus genuit Bogislaum III. & Barnimum I. qui mortuus An. 1287. per filium, Ottonem & Bogislaum, Stettinensem & Wolgastensem ramum sevit. Otto Stetinum nactus est, pater Barnimi M. qui, in casum deficientis prolis Brandeburgicis successionem addixisse dicitur: cujus posteris in Ottone III. Ann. 1464. extinctis, acre propterea bellum, inter Brandeburgicos, quibus Fridericus III. feudum contulerat, & agnatos Wolgastensis rami, ortum est. Bogislaus IV. Wolgastum tenuit, pater Wartislai IV. qui præter Wartislaum V. prosevit Bogislaum V. cui Pomerania Or. & Barnimum IV. cui Occidentalis cessit. *Prioris* posteritas desiit in Erico I. An. 1459. cujus ex sorore nepos Christophorus C. Pal. Rheni, post avunculum, Septentrionalium regnorum Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ rex electus est. *Posterior*, conditor arcis Wolgastanæ, cum Barnimo III. à Carolo IV. *Venatoris Imperii* dignitate exornatus est. Mortuus An. 1365. reliquit Bogislaum ἄπαιδα, & Wartislaum VI. Cum cujus posteris An. 1471. Albertus Brandeburgicus convenit, ut Stetinensem Ducatum à se in feudum acciperent. Cumque iterum Bogislaus X. homagium negaret, ad arma rursus, sed res denuò composita est, connubio Margaretæ Brandeburgicæ. Hic, è Palæstina redux, Wittebergæ Lutherum audiit: Extinctus An. 1523. Ex filiis ejus Georgius, cum Brandeburgicis iterum transegit, An. 1528. ut quoties homagium ducibus præstaretur, simul juramento successio in casum futurum firmaretur. Alter Barnimus, per Bugenhagium, in ditionem Evangelicam doctrinam induxit. Ei successit An. 1573. ex fratris filio Philippo, natus Joh. Fridericus, qui absque mascula prole obiit, An. 1600. ut & fratres ejus Barnimus V. An. 1603. & Casimirus IX. An. 1605. Duo supererant Philippi filii, Bogislaus XIII. qui An. 1606. defecit & Ern. Ludovicus, quorum ille, Philippum II. genuit, mortuum An. 1618. Franciscum, & Bogislaum XIV. qui ultimus familiæ, totius Pomeraniæ dominus, à Cæsareanis miserè expilatus est, An. 1627. recepto dein in ditiones Gustav. Adolphi exercitu, Ann. 1630. Obiit Ann. 1637. Cujus successi[o] cùm, ex antiquo pacto, ad Brandeburgicos deferenda fuisset, pace Monasteriensi ita dispositum est, ut Marchiones Ulteriori, cum aliis quibusdam *Æquivalentia* nomine, contenti, Citeriorem Pomer. cum Rugia Suecis relinquerent: sed hodierno bello rursu[s] Elector Brandeburgicus jus antiquum persequitur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylleg. Geneal. Hist.* Baudrando Pomerania, *Pommer[n]* incolis, *Pomeranie* Gallis, provincia Germaniæ, ad mare Balticum Ducatus titulo nobilis ab Anno 1181. est in circulo Saxoniæ superioris. Terminatur à septentrione mari Baltico, ab oriente Prussi[a] à meridie Marchiâ Brandeburgicâ, & ab occidente Ducatu Mega[…] lopolitano, Antea Duces habuit proprios; sed mortuo Bogusla[o] ultimo Duce, Pomerania bipartita fuit pace Monasteriensi & O[s]nabrugensi; Pomerania enim citerior seu cis Oderam Huvim[…] concessa fuit Suecis, cum tribus ostiis Oderæ, & *Dam*, & *Golnov[…]* oppidis trans Oderam, & Rugia insula in mari Baltico: Pomerania verò ulterior seu inter Oderam & Prussiam concessa fuit Ele[…]

Eto

ctori Brandeburgico. Pomerania autem dividitur in decem partes, suntque Ducatus Stetinensis, *Herzogthumb Stetin*, Principatus Rugiæ, *Furstenthumb Rugen*, Dominium Barthense, *Herrschafft Bardt*, Dominium Volgaltense, *Herrschafft Wolgast*, & Comitatus Gutzoviensis, *Graffschafft Gutzkou*, in citeriori, & sub Dominio Suecorum: Ducatus verò Pomeraniæ, *Herzogthumb Pommern*, Ducatus Cassubiæ, *Herzogthumb Cassuben*, & Ducatus Vandaliæ, *Herzogthumb Venden*, in ulteriori, sub Electore Brandeburgico; ut etiam Dominium Buthovii, *Herrschafft Butovv*, & Dominium Lavemburgi, *Herrschafft Lovvenborch*, quæ duo ipsi concessa fuere à Rege & regno Poloniæ. Totius autem provinciæ caput est Stetinum, *Stetin*, ad Oderam.

Pomeraniæ urbes:

Anclamum, *Anclam*: Suecis subest.
Bardum, *Bardt*, Suecis subest.
Butovium, *Butovv*, Brandeburgico subest.
Caminum, *Camin*, Brandeburgico.
Colberga, *Colberg*, Brandeburgico.
Golnovia, *Golnovv*, Suecis.
Gripswaldia, *Gripsvvalde*, Suecis.
Gutzovium, *Gutzkovv*, Suecis.
Lavemburgum, *Lovvenborch*, Brandeburgico.
Stetinum, *Stetin*, Suecis.
Sundia, *Stralsund*, Suecis.
Treptovia, *Treptovv*, Brandeburgico.
Volgastia, *Wolgast*, Suecis.
Vollinum, *Wollin*, Suecis.
Usedomia, *Usedom*, Suecis.

Pomerellia, regiunc. Prussiæ regiæ, inter Vistulam fluv. ad Ort. & Pomeraniam ad Occ. ubi urbes Conitza & Slochova.

Pomeriola, valgò *Pomereaulx*, pag. agri Cameracensis.

Pomeriola, oppidum regni Legion. à Legione 3. leuc. *Manzanilla*, vel *Manzera*. Item opp. Hispan. Bæt. inter Hispalim 7. & Eleplam 4. leucis.

Pomerium, opp. regni Valentiæ, *Mancanera*.

Pomerius, vide *Julius Pomerius*. Hunc confundit Trithemius, aliique cum Juliano Toletano, cui etiam hoc nomen fuit. Sed ille 5. seculo, hic demum sub finem septimi floruit. Gennad. *de Script. Illustr.* Isid.

Pomesania, tractus Prussiæ Duc. aliquot leucis ab Elbinga in Austr. uti à Marizburgo, sub Electore Brandeb. ubi opp. Salfelda, Lipstadium & Osterodia.

Pometia, urbs olim Italiæ, Latinorum colonia, juxta Pontinam paludem. A Romanis deleta, quòd ad Auruncos defecisset. Livius *lib. 2. dec. 1.*

Pometina, una ex 35. tribubus pop. Romani.

Pomona, Nympha Latialis, hortorum Dea: quam cùm Vertumnus miserè deperiret, in alias atque alias identidem sese formas transmutavit, ut saltem amatæ conspectu frui posset. Tandem in anum conversus multis argumentis ei persuadere conatur ut Vertumno nubat. Verùm cùm nihil aliud, quàm operam se ludere animadverteret, pristinâ resumptâ forma non admodum invitæ vim intulit, nuptiisque ejus est potitus. Picus quoque Latinorum rex eam adamavit, propter quod Circe conjux illum in avem sui nominis transmutavit. Inde *Pomonalis*, Flamen Pomonæ Deæ. Alex. ab Alexand. 6. 12. *Post aliquot verò tempestates, aucta civitate quum augeri sacerdotia oporteret*, 15. *Flamines constituti fuere, qui omnes à Diis, quibus sacra faciebant, cognomenta sortiti sunt, quorum primus Dialis, ultimus Pomonalis.* Ejus meminit Ovidius *Metam.* 14.

Rege sub hoc Pomona fuit, quâ nulla Latinas
Inter Hamadryades coluit solertius hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera fœtûs,
Unde tenet nomen. ——

Pomona, insula Orcadum primaria, cum urbe cognomine, vulgò *Kirckvval*; insula verò *Mainland* dicitur, ab Ortu in Occ. extensa ad 22. m. p. In ea sunt 8. castra cum urbe c. prim. Carcoviaca *Kirkvval*, in parte Bor. Insulæ, vixque 15. m. p. distat ab ora Scotiæ in Sept. Baudr.

Pomona, locus Latii, in agro Solonio, in via Ostiensi, media inter Romam & Ostiam, utrinque supra 8. mill. pass. à Pomona Dea pomorum.

Pompæi Dii, qui & *Averrunci*, vide *Emissarii*.

Pompeja, Sexti Pompeji ex Scribonia, filia; desponsa Marcello, pignus pacis cum Triumviris initæ: sed non deducta, nupsit postea Scriboniо Liboni.

Pompeja, uxor tertia Jul. Cæsaris, filia Pompeji. Hanc mortuâ Calpurniâ Cæsar sibi junxit, mox repudiatam, ob adulterii cum Clodio, inter Bonæ Deæ sacra, suspicionem. *Non enim culpâ solum, sed & etiam suspicione Cæsaris uxorem vacare debere*, dixit: Sueton. & Plutarchus, *in Julio*.

Pompeja Macrina, uxor Argolici, à Tiberio in exilium missa, Tacit. *Hist.* 6. 18.

Pompeja Paullina, filia Pompeji Paullini, Consularis & vectigalibus præfecti, uxor L. Annæi Senecæ.

Pompeja Plautina, Imperatrix optima, quæ Julianum Impet. maritum suum divertit, ab extorquendâ populo pecuniâ, & colligendo fisco. Sextus Aurel. Item Cn. Pompeji filia, & neptis Syllæ, uxor Julii Cæs. quæ ab eo repudiata fuit, quòd venisset in suspicionem adulterii cum Clodio commissi inter sacra Bonæ Deæ. V. supra.

Pompeja tropæa, locus Hispan. in Gall. Narbon. confin. ad Pyrenæi montis radices, apud Templum Veneris, à Narbone 56. m. p. in Astrum.

Pompejacum, castrum pagi Aginnensis, ubi S. Vincentius passus dicitur; cujus sepulcrum ibi stanneis tegulis, à Leontio Burdigal. Episcop. tectum ostenditur. A Pompejo aliquo denominatum: dicitur quoque *Passio S. Vincentii.* Gregor. Tur. *Hist. lib. 7. cap. 35. lib. de gloria Mart. &c.* Vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Pompejanum, villa Ciceronis prope Nolam, à Neapoli 12. m. p. Locus hodie *Pomigliano*, teste Ambrosio Leone. Blondo autem *S. Maria Nuntiata*, vel *Anontiata*.

Pompejanus Ælianus, juvenis Quæstorius, tanquam flagitiorum Fabiani in subdendo testamento gnarus, Italiâ & Hispania, in quâ ortus erat, prohibitus est tempore Neronis, Tacit. 14. 41.

Pompejanus Lupercus, Consul cum Attico Atiliano, An. U. C. 881. Alius Consul cum Lolliano Avito, An. U. C. 961.

Pompeji, *Pompejum* Sallustio, Senecæ, ac Tacito, colon. & opp. Campaniæ in orâ apud Sarnum fluv. Stabias urb. & Vesuvium mont. ubi nunc *Castel à mare di Stabia*, teste Collenutio, à Neapoli 18. m. p. Salernum versus, ab Hercule conditum, cùm boves Geryonis abduceret, teste Solino. Baudrando, hodie *Torre del Anunciata*: in ora Sinus Neap. ad ostia Sarni fluv. Dicitur & *Pompejanum*: 10. mill. pass. à confinio Princip. citer. L. tamen Holstenio *Pompeji* fuere, ubi nunc maxima visuntur rudera, loco, qui *Civita* vulgò, ubi Ambrosius Nolanus Stabias fuisse credidit. Hinc *Pompejanus*, Stat. *Sylv. lib. 1. Carm. 2.*

Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.

Pompeji villa, locus Campaniæ apud Avernum lacum, *Magnavello* hodie, ab Hercule conditus, cùm boves Geryonis abduceret. Sed hic locus *Pompeji* est, de quo prius. Ferrarius.

Pompejopolis, Metropolis Navarræ, Episcop. sub Archiepisc. Burgensi. Vulgò *Pampelone*: à Pompejo fundata, Vasconum caput. Hanc Carolus M. in Hispaniam transiens, captam mœnibus nudavit, An. 778. Ejus & Aragoniæ, primus Rex Abarca factus est, An. C. 895. Vasæus *in Chron.* Sub Hispanis hodie, à quo Navarræ regnum Johanni Albretano Reg. ereptum est. Cum arce à Philippo II. extructa. Prudentius Sandovalius, *de Episcop. Pompejop.* Garibay, *lib. 22. & seqq.* Strabo *lib. 3.* Mariamma *lib. 3. & seqq.* Marca, *Hist. Bearn.* Oihenart. *Notit. utriusq. Vasconiæ.* Favin. *Hist. Nav. &c.* Hic Concilium An. 1032. 1355. 1459. læsusq; in obsidione Ignatius Lojola, Jesuitici Ord. auctor. Vide *Pampilone*.

Pompejopolis, urbs gemina; Una Ciliciæ maritima, prius *Soli*, dein à Pompejo, victis piratis, nomen accepit. Episcop. postmodum facta, sub Archiepisc. Seleuciensi, nunc excisa & in vicum redacta; *Polesoli* dicta, inter Sebasten & Lamum ad Occid. & Tarsum ad Ort. Altera in Paphlagoniâ, prius Eupatoria, postea devicto Mithridate à *Pompejo M.* sic appellata, & ipsa eversa. Fuit hæc olim Metropolitæ sedes, sub Patr. Constantinop. Plin. Ptol. Solin. Pompon. Mela, &c. Prior *Trajanopolis* etiam dicta, ibi enim Trajanus obiisse fertur.

Qu. Pompejus, primus ex hac familia, Consul, contra Numantinos missus, ab eisque superatus, turpem & ignominiosam pacem fecit, Florus. Hujus filius, sive nepos, Cn. Pompejus Strabo, Magni Pompeji pater, Novocomum coloniam deduxit; in bello sociali Imperator creatus, de Picentibus triumphavit, vir admodum duræ disciplinæ. Cùm ei non prorogaretur magistratus, Cinnæ se hostem professus, tandem cruento cum illo prælio, in urbis conspectu, conflixit. Peste dein per utrumq; exercitum grassante, & ipse obiit: cujus ablati voluptas jacturâ civium pensata est. In ejus cadaver sævierunt cives, ipse verò nihil unquam, nisi in rem suam egisse, dicitur. Plut. *in Pompejo.* Vell. Paterculus *lib. 2.* qui plures Pompejorum familias fuisse scribit.

Cn. Pompejus, prioris ex Lucilia filius, qui ex rerum gestarum magnitudine, *Magni* cognomen invenit. Natus An. 648. U. C. eodem tempore, quo Cicero, ut hic testatur *de Orat.* ad Eloquentiæ culmen pervenire cùm posset, militarem gloriam prætulit: Impensè laudatus à Vellejo Pat. Quamprimum togam virilem sumpsit, meruit sub Patre. Dein anno ætat. 23. cum legionibus tribus proprio ære conductis, L. Syllæ partes secutus est, ab eoque ad ulciscendos inimicos in Africam missus, Siciliam recepit, Domitium primùm expugnavit, deinde & Jarbam regem cepit, de quo triumphavit ante legitimam ætatem, An. 673. U. C. Quare ab exercitu Syllæ *Magnus* est salutatus. Syllâ paulo pòst mortuo, Lepidum Româ cedere coëgit, quòd acta Syllæ rescindere vellet, arma capientem, junctus Catulo vicit. Inde contra Sertorium in Hispan. profectus, Metelli copiis sese conjungens eum cum totâ factione sustulit: iterum triumpho potitus, paulo ante Consulatum: quo durante Tribunis P. potestatem ademptam reddidit. Mox delectus Imperator ad bellum Piraticum, tribus mensibus id confecit. Dein successor L. Lucullo missus, de Mithridate triumphavit. Tigranem Armeniæ regem ei ad genua procumbentem in regnum restituit, Inde Medos, Iberos, Albanos, Colchos, Heniochos, Achæos,

Parthos & Judæos debellavit, capto eorum rege Aristobulo. Romam reversus, incredibili omnium lætitiâ exceptus est, inprimis quòd dimissis copiis, contra omnium opinionem, urbem intrasset: Triumphum autem egit magnificentissimum, maximâ, ab omni hominum memoriâ, prædâ ærario illatâ: Ad apicem felicitatis evectus, Europâ, Asiâ & Africâ triumphatis. Post hæc Cæsaris, cujus potentiam jam subvereri inceperat, filiâ Juliâ ductâ, cum illo Crassoque Triumviratum init, sed minimè diuturnum inter æmulos. Extinctâ dein cum filiolo uxore Julii Cæsaris filiâ, Corneliam Scipionis filiam, à P. Crasso M. filio viduam relictam uxorem duxit. Neapoli demum acutissimâ febre correptus, parum abfuit à morte, quæ si contigisset, melius cum eo actum fuisset, ob insequentis belli civilis calamitatem. Cum enim Hispaniam sibi decerni curasset, Cæsar autem arma ponere juberetur: hic Rubicone trajecto, Romam venit, unde profectus Pompejus, in Siciliam primo, dein in Hispan. tandem in Macedoniam fuerat, cum immenso exercitu. Mox Pharsalicâ pugnâ à Cæsare insequente, copiis longè inferiore, superatus, in Ægyptum fugiens, regis perfidiâ, consilio Theodoti præceptoris, ib Achillâ præfecto interfectus est. A. 706. U.C. pridie diei natalis, Vellej. Paterc. *Hist. lib.* 2. Plut. *in Pomp.* Florus *lib.* 4. Appianus, Dion, Eutrop. Euseb. Oros. &c. Filios reliquit Cn & Sext. Pompeios: quorum ille apud Mundam Hisp. urbem terrestri, hic apud Siciliam navali prælio superatus fuit. V. infra. Lucan. *lib.* 1.

> —— *Alter* (Pompejus) *vergentibus annis*
> *In senium longoq; togæ tranquillior usu*
> *Dedidicit jam pace ducem: famæq; petitor*
> *Multa dare in vulgus: totus popularibus auris*
> *Impelli, plausuq; sui gaudere theatri.*
> *Nec reparare novas vires, multumq; priori*
> *Credere fortunæ: stat magni nominis umbra.*

Pompejo M. Adrianus Imp. in Ægypto, apposito versu:

> *Ossa viri magni tenui quàm clausa sepulchro!*

parentavit, An. Chr. 132. Ælius Spart. *in vita ejus, &c.*

Cn. Pompejus, filius Pompeji M. juvenis incredibili vigore, & militari penitus ingenio, ingenti comparato exercitu, paternis amicis undiq; auxilia ei summitrentibus, prælio ad Mundam, prope *Ronda Vieja* hodie, in regno Granatæ, Cæsarem eò adegit, ut de victoria desperans, jam sibi mortem consciturus esset. Post tamen, hoc, suorum monitu, redintegrante prælium victus, in fuga periit. Frater ejus *Sextus* jun. fugâ elapsus est, animo inquieto & ultionem spirante. Hic servis piratisque collectis, Siciliâ potitus: postmodum cum Augusto & M. Antonio pacem init: quos cùm in nave sua convivio excepisset, *in Carinis*, se illos excepisse jocatus, quod nomen Pompejanis ædibus erat, tum ab Antonio Romæ possessis; accessit quidam ab amicis, eum submonens, ut, utroq;, quod facilè poterat, sublato, se Dominum Orbis faceret: Sed is noluit, fidei illis datæ, memorabili in omne ævum exemplo, tenax. Renovato dein bello, mari victus, ad Antonium se recepit, inde in Asiam transiit, ubi Titius eum captum Miletum deduxit, dein Antonii & Planci Syriæ Præsidis jussu, occidit. Vellej. Paterc *lib.* 2. Florus *lib.* 4. Dion *Hist. R.* Hirtius vel Opius, *Bell. Hispan.* Plutarch. *in vita Cæs. & Antonii, &c.*

Sext. Pompejus, cum Apulejo Consul; dein Asiæ proconsul, comite Valer. Max. à quo *lib.* 4. *cap.* 7. plenâ manu laudatur. Vocat ibidem clarissimum & disertissimum virum. Nec dissentit Ovidius, qui vitam illi suam fortunasque non uno loco refert acceptas, ut *lib.* 4. *de Pont. Eleg* 1. *&* 4. 5. ut appareat hunc Sextum amicum unice fuisse Musis studiisque. Hujus pater Sext. Pompejus. Hisp citer. princeps, quum horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, levatusq; sanatis pedibus mirabili modo, hoc postea remedio usus est, Plin.

Qu. Pompejus Rufus, Syllæ e filiâ nepos, Tribunus Plebis cum T. Numantio Planco adversissimus Miloni; in cujus causâ dixerat paucis pòst diebus, quàm Clodius esset occisus; *Milo dedit, quem in Curiâ cremaretis: Ego dabo, quem in Capitolio sepeliatis.* Idem Milonem ad se venientem in hortos, aspiciens, misit nuntium, ne veniret.

Qu. Pompejus Bithynicus, summo studio di ens, multaque doctrinâ, incredibilique labore atque industriâ. Hujus actio non satis commendabat orationem; in hâc enim satis erat copiæ, in illâ leporis parum. Cicero. *in Bruto.* Festus quoque de eodem sic ait: Pompejus Bithynicus è supellectili regiâ signum ephebi mitram tenentis, arenamque tuentis, exercitationis gratiâ, more Græcorum, Romam portavit, & in Capitolio posuit.

Pompeius Columna, Cardinalis. Filius Hieronymi, nepos Prosperi, Ducis celeberrimi, & Johannis similiter Cardinalis. Occiso patre in seditione, à Prospero fratre tutore suo, traditus est viris eruditis, qui ipsum in liberalibus artibus instituerent. Sed ad arma inclinatior, diu in bello meruit, donec, Tutoris jussu, Ecclesiasticam vitam amplecteretur, ut Johannis patrui beneficiis frui posset. Fecit id ægrè, & Episcopatu, aliquorque Abbatiis vix ornatus, ab Hispano quodam ad duellum provocatus comparuit: sed impeditus ab accurrentibus amicis, quò minus certamine penitus defungeretur, ex indignatione sacerdotalem tunicam in frusta discerpsit. Post hæc, vano de Julii II obitu, rumore sparso, coacto juvenum globo, Capitolium occupavit, hinc beneficiis suis orbatus, quæ agnato ejus concessa sunt. Reconciliatus tamen cum Julio, ab hoc per literas ad se vocatus est: sed cùm Episcopi titulus in iis non adesset, in furorem actus, illas recusavit recipere. A Leone dein X. purpurâ donatus, subscripsit electioni Adriani VI. contra Julium de Medicis, quem oderat; quorum contentio, etiam post Adriani mortem, per bimestre electionis dilatæ causa fuit. Unde Epigramma:

> *Ecce iterum è summo dejectam culmine Romam*
> *Pompeii & Julii mens furiosa premit.*
> *Brute pium, Photine pium nunc tingito ferrum,*
> *Quid servasse juvat, si peritura fuit?*

Lite dein compositâ, ex familia Medicea Clemens VII. emersit: quæ postmodum ita recruduit, ut hinc Roma bis caperetur, semel ab ipso Cardinali, juncto Hugoni Moncadæ; dein à Connestabili Borbonio, An. 1526. & 1527. Tandem Vice Rex Neapolis factus. Obiit An. 1532. æt. 53. Mæcenas literatorum, liberalis & magnanimus. Scripsit opus, in laudem Fœminei Sexus. Paul. Jov. *in vita Columan.* Guiccard. *lib.* 10. Auberius *Hist. Cardin.*

Pompejus, tribunus militum, detectâ conjuratione Pisonianâ, exutus tribunatu, quasi Principem non quidem odisset, sed tamen existimaretur, Tacit 15.71.

Pompejus Lenæus, Pompeji M. libertus, Grammaticus insignis, qui de herbis & plantis scripsit, Commentariosque Mithridatis de Medicina Latine vertit. Plin. *lib.* 25 *cap.* 2.

Pompejus Longinus, Prætoriæ cohortis tribunus gratiâ Galbæ constitutus; ideo, oriente seditione, Prætorianorum manibus coërcitus exarmatusque est, Tacit. *Hist.* 1. 31.

Pompejus Macula, de quo sic Macrobius *Saturn. lib.* 2. Faustus Syllæ filius, quum soror ejus eodem tempore duos mœchos haberet; Fulvium Fullonis filium, & Pompejum Maculam; *Miror*, inquit, *sororem meam habere Maculam, quum Fullonem habeat.*

Pompejus Paullinus, vectigalibus publicis à Nerone præpositus, Tacit. *Hist.* 15. 18.

Pompejus Planta, auctor belli, inter Othonem & Vitellium gesti. Lips. *in lib.* 2. *Tac* Item, Nobilis Rhætus, qui patriæ suæ, & popularium proditor, Philippo III Hispaniarum R. in Laniena Voltutenorum, operam suam vendidit, immaniter in fideles sæviens. Hist. Rhæticæ.

Pompejus Propinquus, Belgicæ Procurator, Tacit. *Hist* 1.12. à Vitellio interfectus, 58.

Pompejus Saturninus, eruditione & scriptis inclytus: de quibus vide Plin. *lib.* 1. *epist.* 16.

Pompejus Silvanus, consularis legatus in Mœsico exercitu, senex dives, Tacit. *Hist.* 2. 86.

Pompejus Urbicus, illustris Eques Romanus, ob adulterium cum Messallinâ jussu Claudii supplicio subjectus, Tacit. 11. 35.

Pompelon, urbs Hisp. Tarr. Vasconum seu Navarræ metropolis, & conventus juridicus, à Pompejo M. condita, & *Pompejopolis* dicta, teste Strabone. Vulgò *Pampelona*, An. 735. unà cum Jacca, Virovesca, &c. victis Mauris, ab Alphonso R. recepta, sedet ad Argam fluv. 20. leuc. Gall. à Bajona in Merid. 16. à Calaguri to Cæc. 39. à Cæsaraugusta in Bor. Perinun ta, cum arce valida à Philippo II. Rege extructa, sub Hispanis, ex quo Navarram occupavit Ferdinandus Aragoniæ R. Quibusdam *Martua* dicta fuit. Popul. *Pompelonenses*. Plin. *lib.* 3. *cap.* 3.

Pompelon nova, urbs novæ Granatæ, versus montes, recens ab Hisp. extructa, in America.

Pompilius, secundus Romanorum rex, qui & *Numa*, dictus est. Hinc *Pompilius* adj. ut *Pompilius sanguis* apud Horatium.

Pompilius, Theophrasti Peripatetici servus, qui postea inter illustres philosophos est habitus, Gellius 2. 13.

Pompilius Andronicus, Syrus, Grammaticus celebris, docuit Romæ, Jul. Cæsaris præceptor. Hunc quoque Cicero, jam Prætor, frequentare solitus est. Dicitur tandem Cumas se recepisse, & inopiâ pressum, Annales suos vendidisse. Suet. *in illustr. Gramm.*

Pompiscus Arcas, Dux plenus consilii & manu promptus, de quo Polyæn. *lib.* 5.

Pompo, Civis è Curibus, oppido Sabinorum, Pater Numæ Pompilii.

Pomponatius Petrus, Mantuanus Aristotelis sectator insignis, docuit Bononiæ & alibi, Pauli Jovii præceptor. Cum Aristotele & Averroë, Animarum mortalitatem asseruit: Reprehensus, respondit, se hoc dogma ut Philosophum defendere; ut Christianum vero improbare. Sed propriè horum neuter fuit, verùm juventutis corruptor. Scripsit, *de Fato, & de incantationum occulta potestate.* Obiit stranguriæ cruciatibus tortus. An. 1512. æt. 63. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 71. Ricciol. *Chron. reform.*

Pomponia, nomen matris Scipionis; alii *Pompejam* vocant.

Pomponia Græcina, Soror vel filia Pomponii Græcini, qui consul sub Augusto; & ad quem Elegia Ovidii *lib.* 4. *de Ponto.* Plautio nupta, Christianismi, sive ut tunc confundebatur, Judaismi accusata, ac mariti judicio permissa est. Is prisco instituto propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit & insontem nunciavit, Nerone secundum L. Pisone Coss. Tacit. *Hist.* 13. 31. Longa huic Pomponiæ ætas & continua tristitia fuit. Nam, post *Juliam* Drusi filiam, dolo Messalinæ, interfectam, per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi mœsto egit, idque illi imperitante Claudio impunè mox ad gloriam vertit.

Pomponiana, inf. Gall. Narbon. una Stoechadum, ante Massiliam sita. Plin. 3.5. *Porsacros*, Sansoni. Honorato Boucheo est *Porquerolles*, altera Ins. ei adjacens ad Occ. Telonem versus. Vide *Stoechades*.

Pomponii, à Numæ F. fluxerunt, quanquam plebeji: cognominibus Mathone, Attico, Musâ, Molone, Flacco & Vitulo distincti. Summos Romæ honores adepti fuerunt. Sunt qui *Pomponios* ante Urbem conditam fuisse scribant majorumque gentium Patricios existimant eos fuisse, ex qua gente fuit Faustulus Romuli educator. Duplex forte etiam Pomponiorum gens fuit.

Pomponius, tribunus plebis, cùm T. Manlio Patricio diem, urgentibus Servilio Ahala & L. Genutio Coss. dixisset, à Filio ejus T. Manlio, posteà Torquato dicto, ad secretum colloquium vocatus, & gladio stricto multo terrore coactus est dimittere accusationem ac jurare, se Patris ipsius causâ nunquam consilium plebis habiturum.

L. Pomponius, Bononiensis, Atellanarum scriptor, quem Solinus ait, quod mirum, nunquam ructasse. Olymp. 173.

Cn. Pomponius, orator, patronus acer, acerbusque dicendo, & lateribus pugnans. Cic. *in Oratore*. Julius item *Pomponius* secundus, tempore Quinctiliani, inter Tragicos longè princeps. Plinius *lib.* 14. *cap.* 4. eum cœnam C. Principi Germanici filio dedisse ait, in qua vinum 160. annorum fuit

Pomponius Atticus, nobilis eques Rom. excellenti ingenio, amicus Ciceroni imprimis fuit. Qui postquam vidit Cinnæ tumultu Remp. esse turbatam, secessit Athenas, ubi longo tempore moratus, & civitatem, & omnium gratiam moribus elegantissimis promeruit, linguamque ita probè didicit, ut *Attici* nomen adsequeretur. Rebus Romæ pacatis, redux; à patruo Q. Cæcilio heres scriptus est. Ciceroni familiaris, datâ ei sorore amicitiam firmavit arctius, Hortensio simul comprehenso. Bello Civili, inter Cæsarem & Pompejum, Antonium item & Brutum ita se gessit, ut utrinque probaretur: & affinitatem ejus Agrippa quæreret. Honores oblatos constanter renuit, studiis intentus: non aliis servis, nisi qui anagnostæ quoque essent, usus. Condidit Annales, Elogia virorum M. versus aliaque tum Græcè tum Latinè. Humanitate, divitiisque præditus fuit, quibus amicos libenter impertiebat. Nam & Ciceronem ab urbe pulsum opibus juvit, & Brutum ab urbe fugientem minis 100. prosecutus est. Erat alioqui gravissimus, ut quæ religiosè polliceretur, præstare niteretur. Mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat. Cic. *in Bruto*, *&* *Epist.* Plin. *lib.* 35. *cap.* 2. *&c.* Plut. & Cornelius Nepos *in ejus vitâ*. Seneca *ep.* 21. *Nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinent. Nihil illi profuisset gener Agrippa, & Tiberius progener, & Drusus Cæsar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, ni Cicero illum applicuisset.*

Pomponius Bassus, Consul cum Aurelio Fusco, an. U. C. 1010.

Pomponius Bellievræus, Cancellarius Galliæ; fil. Claudii, primarii Præsidis Curiæ summæ Gratianopol. ex Ludovica Faya, Lugdunensi. Postquam Tolosæ & Patavii literis vacasset, Senator Curiæ Camberiacensis, urbe tum à Gallis captâ, constitutus; mox negotiis in Gallia, Germania, Anglia, Polonia, Italia maximis; imprimis Verbini, ubi pax tum fervebat, adhibitus; eques dein ab Henrico M. creatus est, Ann. 1599. Literatus, & Literatorum fautor: Interfuit collationi Peronianæ, ann. 1600. Obiit Ann. 1607. æt. 78. A. Thuano; Pap. Massonio, Scævola Sammartan. pro funere laudatus. Ex Maria Pruneria, pater Nicolai, primarii Præsidis Parl. Parisiensis, avus Pomponii similiter Præsidis, Alberti & Claudii, Archiepiscoporum Lugdunensium.

Pomponius Flaccus, an. 772. Mœsiam provinciam administravit; posteà Syriæ à Tiberio sub initio principatûs præpositus, quòd noctem continuamque biduum epulando potandoque secum consumpsisset. Suetonius.

Pomponius Gauricus, Neapolitanus, Astrologi Paulo III. charissimi, Lucæ, frater. Poëta, plurima scripsit poëmata. Item de Architectura, & Physiognomia, libros edidit, ut & vitas Poëtarum Græcorum: Alchymiæ quoque, nec sine successu, vacasse dicitur. Disparuit tandem, an occisus à nobilis cujusdam fœminæ, quam ille deperibat, cognatis? Paul. Jov. *in elog. doct. c.* 75.

Pomponius Januarius, Consul cum Maxim. Aug. a. U.C. 1040.

Pomponius Labeo, Mœsiæ præfuerat; dein male administratæ provinciæ atque aliorum criminum postulatus, prohibitus est Cæsaris domo: Ille per abruptas venas sanguinem effudit; æmulata est conjux Paxæa. Paullo Fabio, L. Vitellio Coss. Tacit. VI.

Pomponius Lætus Julius, Neapolitanus; fil. nothus Principis Salernitani. Floruit, cum Platina & Callimacho, sub Pio 2. non æquè sub Paulo II. æstimatus: contra quem conjurationis initæ particeps, Venetias profugit. Reversus postea Romam, Philosophiam vitâ, nullâ Religionis curâ habitâ. Edidit epitomen vitæ Cæsarum, à morte Gordiani, usque ad Justinum III. scripsit de Mahomete quoque, de Magistratibus Rom. Obiit Ann. æt. 70. sub Alexandro VI. in extrema inopia. Sabellicus, qui discipulus ejus fuerat, *in vita illius*. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 40. Etiam *in Cicer.* Angelus Polit. *in Miscell. cap.* 73, Lilius Giraldus, *in Hist. Poët. dial.* 4. Pierius Valerianus, *lib.* 2. *de infel. liter.* Voss. *de H. L. libro tertio.*

Pomponius Mela, Hispanus, Mellariâ oriundus, ubi nunc *Bejar de Melena*, in regno Granatensi, sec. 1. insigni opere *de situ orbis* clarissimus, Alphonsus Garcia Metamorus, *de doctis Hisp. viris*.

Pomponius Rufus, Historicus. Valer. M. *lib.* 4. *cap.* 4. Item Cons. cum Cn. Pompeio Ferocio Liciniano. Jul. *Pomponius* Sabinus, Interpres Virgilii. An idem cum Pomponio Læto? Voss. *de H. L. l.* 3.

Pomponius Secundus, prænom. *Publius*, Consul An. 782. U. C. iterum sub Cajo An. C. 794. Scriptor Tragœdiarum, cujus vita à Plinio jun. descripta, *lib.* 14. *cap.* 4. Quintil. *lib.* 10. 1. Fabius *lib.* 8. *cap.* 3. Ter. Maurus, *in Contin.* Voss. *de P. L.*

Pomponius Sextus, Jurisconsultus, ex Pandectarum libris notissimus, cum Ulpiano, & Paulo, discipulus Papiniani. Alexandro Severo à Consiliis, multum sub imperio ejus valuit. Scripsit complura, in Codice & Pandectis sæpe laudata. V. Forster. *Hist. Juris Civ. lib.* 2. *cap.* 79. Nic. Henelium, *de vett. Jurisc.* Gesner. *in Bibl.* Lamprid. *in Alexandro Severo.*

Pomponius Silvanus, Proconsul Africæ, à Provincialibus accusatus, sed absolutus, senectutem orbam ac pecuniosam ultra eorum vitam produxit, qui ipsi periculum facessèrent. Tacit. XIII 52.

Pomponius Victorinus, Consul cum Aur. Probo Aug. a. U.C. 1034.

Pomptina palus, Vide *Pontina*.

Pomptinus, prænomine *Cajus*. Allobroges, post Catilinæ conjurationem rebellantes, domuit, Ann. C. 694. usque ad ann. 699. triumphum tamen non egit.

Poneropolis, urbs Thraciæ sub Rhodope monte sita, deinde *Philippopolis* ab instauratore, & postremo *Trimontium* à situ dicta, Plin. 4. 11.

Pongibautum, oppidul. Arverniæ, Metel.

Pons ad Icaunam, vulgò *Pont sur Yonne*, oppidum Galliæ, in Vastinensi tractu, ad Icaunam, & in limite Campaniæ, 3. leucis infra Senones in Boream Lutetiam versùs.

Pons ad Sequanam, *Pont sur Seyne*, oppid. est Galliæ, in Campania provincia, ad Sequanam flumen, decem leucis à Trecis distans in Circium Lutetiam versùs.

Pons Ælii, op. Angliæ in Northumbriâ, inter Novum castrum, & Morpetum. *Ponteland*, teste Camdeno.

Pons Ælius, *Ponte di S. Angelo*, unus ex pontibus Romæ apud molem Hadriani, quo ex urbe in Vaticanum transitur.

Pons Æmilius, qui primum sublicius, postea lapideus, *Marmorato* nunc. Juvenal. *Sat.* 6.

Cùm tibi vicinum se præbeat Æmilius pons.

Pons Altus, locus Becco Monasterio, in Nortmannia, proximus. Vulgò accolis *Pont Autou*.

Pons Archiepiscopi, *Puente del Arcobispo*; oppidum Hispaniæ, in Castella nova, cum ponte ad Tagum fluvium, 15. leuc. Hispanicis infra Toletum in occasum Talaveram versus.

Pons Arcuensis, seu Pons Arcus, i. fornicis, *le Pont de l'Arche*, urbs Galliæ, in Normannia provincia, ad Sequanam fluvium, cum arce munita, tribus leucis supra Rothomagum in Austrum Ebroicum versùs. Non procul à Sequanæ, & hinc Auturæ, inde Indellæ Confluentibus. Apud Valesinghamium *Pont de la Arche Cueroise* nominatur, i. *Pons arcus currentis*, ibi enim Sequana parvam Insulam facit, & arcus ab uno ponte per Insulam decurrunt ac tendunt ad alterum. Nisi si mavis *Pontem Arcus Quadrati* interpretari, i. arcuum quadratorum: quippe pons ille non rectus, sed curvus & obliquus est: qualem Fregellæ in Campania felice habent, ab eo *Pons curvus* dictæ. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pons Audomari, *Pont-Audemer*, urbs parva Galliæ, in Normannia provincia, ad Rillam fluvium, 2. leucis ab ejus ostiis, & 10. à Rothomago in occasum, Cadomum versus. Sic dicta, quòd Audomatus, vir Francus ibi Rilelam parvo ponte junxerit, locumque possederit. Cluverio *Breviodurum* Æthici videtur. Oppidani ejus & municipes, qui communitate fruebantur, non leges solùm, sed etiam reditus quosdam, annulum quoque ad signandas literas, & judices. nimirum Majorem & Pares aut Scabinos, arcas, multasque alias res olim communes habuere. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Pons Aufidi, Anton. in Apulia, à Venusia 18. m. pass. ab Equotutico 69. Hodie non extat.

Pons Aurelius, P. Vict. *Ponte Rotto*, pons Romæ disjectus, inter Ælium, & Sublicium seu Cestium. Ferrar. Baudrando dirutus est, cujus vix visuntur vestigia. Ideo caret nomine.

Pons Aureoli, *Pontirolo*, pagus Insubriæ ad Adduam fluvium, inter illum & Brembum, ubi Aureolus interfectus à Claudiano Imperatore, à Bergomo 13. m. p. à Mediolano 26.

Pons Axonæ, Cæsari: *Comment lib.* 2. memoratus, de quo V. Hadr. Valesium *Notit Gall.*

Pons Beli, fluvii: quem, eo loco, qui inter Ptolemaidem & pontem interiacet, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo, in ejusdem urbis obsidione Fredericus Frederici Suevi Imperatoris, filius, cum Germanis defendendum suscepit: Venetis & Genuensibus ad Ptolemaidis Orientem, Flandris autem, Hollandis & Frisiis ad ejus Septentrionem stationem habentibus. Herold. *cont. bel. sacr. lib.* 2. *cap.* 7. est in tribu Aser.

Pons Bellovicinus, vulgò *Pont Beauvoisin*, op. Galliæ, in Delphinatu, ad Gieram fluvium, cujus oppidi minor pars, quæ trans

 pontem,

pontem, est juris Sabaudici. Vix 2. leucis distat à Rhodano fluvio in meridiem, Gratianopolim versùs 6. circiter.

Pons Cæsaris, ad quem Ludovicus XIII. Gall. Rex Matris Reginæ copias in fugam conjecit, An. C. 1619.

Pons Candidus, Cassiod. *Condiniani* Jornandi, pons erat Ravennæ proximus, ad 3. mill. pass. distans.

Pons Castellanus, opp. Umbriæ, quod origine Joannes Pontanus, vir omni disciplinarum genere præstantissimus, illustravit.

Pons Centesimus, pons & oppidum Umbriæ, ad Tiniam fluvium, inter Fulginium 5. & Nuceriam 7. mill. pass.

Pons Centinus, *Ponte Centino*, locus Italiæ, seu potiùs diversorium sine ponte in agro Orivetano, & in ditione Pontificia; atque in confinio agri Senensis. 5. milliaribus distat ab Acula in Boream Radicofanum versùs.

Pons Cestius, P. Vict. *Ponte di S. Bartolomeo*, Romæ, ad insulam Lycaoniam, quo in regionem Transtyberinam transitur.

Pons Episcopi, *Pont l'Evesque*, oppidum Galliæ in Normannia provincia, ad Tuccam fluvium, 3. leucis infra Lexovium in Boream versùs Portum Gratiæ, & duabus leucis ab ora maris Britannici distans.

Pons Elaveris, vulgò *Pont Alier*, locus Galliæ ad Elaverim: unde nobili familiæ nomen.

Pons Eræ, *Ponte à Era*, oppidulum Hetruriæ, in agro Pisano, ad Eram fluvium, qui paulò infrà in Arnum se exonerat. 16. milliaribus distat à Pisis in ortum Florentiam versùs.

Pons Fabricius, *Ponte Giudeo*, quòd Hebræi Romæ ibi habitent. Ferrar. Baudr. *Ponte de quattro capi* hodie dicitur ab omnibus.

Pons Felix, *Pontafella*, oppidulum Germaniæ, in Carinthia superiori, intra Alpes, ad Fellam amnem, & in ipso limite Italiæ, sub dominio Episcopi Bambergensis, 6. milliaribus Germanicis distat ab Utino in Boream. Ibi ordinarius transitus ex Italia in Germaniam, Viennam versùs.

Pons Ferri, Amm. in Syria, super Oronte, ab Antiochia 7. m. p.

Pons Gardonis, *le Pont du Gard*, pons Galliæ admirandi operis, à Romanis exstructus, ad Gardonem fluvium, in Occitania, inter Avenionem ad ortum & Nemausum in occasum.

Pons Janiculensis, P. Vict. *Ponte Sisto*, & *Ponte Rotto*, Romæ. à Sixto IV. instauratus. Vide *Aurelius*.

Pons Inferni, vulgò *die Teuffelsbrugg*, in monte S. Gothardi, supra Sillinium, pagum Uraniorum, juxta Ursam fl. prope Ursarium vicum. Hujus meminit Platina *in Pio secundo*. Vide Simler. *de Alpibus*.

Pons Longus, in Parisiis atque Suessionibus, à longitudine nomen habet. Gall. *Pont long*.

Pons Longus, Ant. in Apulia, à Siponto 50. mill. pass.

Pons Lucanus, G. Tyr. super Aniene, apud Tibur urbem, opus Trajani Cæsaris De quo carmen:

Pons superabatur Lucanus, Plautius olim.

hodie *Ponte Lucano*, uno milliari distat à Tibure Romam versùs.

Pons Mammolus, *Ponte Mamolo*, apud Romam in via Tiburtina, *Mammæus* potiùs, à Mammæa matre Alexandri Severi dictus, De quo *lib.* 3. *Itinerarii*:

Tandem pons altus dictus de matre Severi
Mammæus fessos Romanam ducit in urbem.

distat ab urbe Roma 6. mill. pass. in ortum.

Pons Mansuetinus, Anton. *Babolza*, rectè Lazio, oppidum Panoniæ, inter Possegam 6. & Zigetum in Cæciam 4. leucis, à Sopianis 25. mill. pass.

Pons Milvius, P. Vict. *Ponte Molle*, urbis Romæ extra portam Flaminiam, ab urbis ingressu 2. fermè mill. pass. distans. Ibi Constantinus Magnus Magnentium devicit.

Pons Muræ, vulgò *Pruck an der Muer*, urbs Germaniæ, ad Muram fluvium, in Stiria superiori, 5. leucis à Græcio in Circium Lintium versùs.

Pons Nevius, seu *Nevia*, Anton. *Ponferrada*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in Gallæcia, inter Austricam 14. & Villam Francam Gallæciæ in occasum 5. leucis, Ferrar. Baudrando hodie *Puente de Neyra* dicitur; & 2. leucis distat à Luco Augusti in meridiem, ad amnem Neyram, 17. leucis ab oppido *Ponferrada* in Circium.

Pons Nomentanus, P. Vict. *Ponte Lamentano*, in via Nomentana super Aniene in Sabinis: per quem in ipsos Sabinos ibatur.

Pons Novus, vulgò *le Pont neuf*, pons Lutetiæ, ad Sequanam fluvium, ab Henrico IV. Rege Galliæ extructus, & totius Europæ superbissimus.

Pons Palatinus, P. Vict. qui & Senatorius, in urbe Roma, *Ponte S. Maria*, apud montem Palatinum, dicitur etiam *Ponte rotto*, quia semidirutus jacet.

Pons Quadratus, in Parisiis, pagoque Briegio, non procul Latiniaco: *Pontquarré*.

Pons Reginæ, vulgò *Puente la Reyne*, oppidum Hispaniæ, in Navarræ regno, ad Argam fluvium, 4. leucis à Pompelone Calagurim versùs.

Pons Remigii, vulgò *Pont de Remy*, oppidum Galliæ, in Picardia provincia, ad Somonam fluvium, 2. leucis supra Abbavillam Ambianos versùs. In dextra ripa vicum habet & pontem Suminæ impositum: in capite verò pontis seu in sinistra fluminis ripa, castellum. A S. Remigio loci Patrono, Monstrelet *lib.* 1. & *lib.* 2. *cap.* 120. Nunc plerisque *Pontdermy* dicitur. q olim nobili familiæ inter Picardos nomen dedit. Hadria sius *Notit. Gall.*

Pons Rivi alti, seu *Rialtinus*, vulgò *Ponte de Rialto*, pons ficus Venetiarum, antea Sublicius; sed An. 1591. ex lapi no ductus, majorem canalem jungit; estq; unius arcus tar

Pons Sai, pons lapideus est, Ligeri impositus, longus o à vico adjacente cognominatus, hodie *Pont de Sé*. Quidai mero plurali *Pontes Sai* vocant, *les Ponts de Sé*, propterea insulæ aliquot interjacentes pontem interrumpunt, ita unus, sed plures pontes dici posse videantur. Hadrian. *Notit. Gall.*

Pons S. Maxentii, vulgò *Pont S. Maixence*, oppidum G Oesiam fluvium, 3. leucis à Sylvanecto in Boream distat vincia Insulæ Franciæ, & in Valesia tractu.

Pons S. Nicolai, vulgò *le Pont de S. Nicolas*, pons est Gal antiquus & miræ structuræ, à Romanis excitatus supra Ga fluvium, in Occitania, 2. leucis à Ponte Gardonis distans, à Nemauso, & una ab Ucetia.

Pons S. Spiritus, vulgò *Pont S. Esprit*, urbs Galliæ, in O regione, cum arce permunita & ponte ad Rhodanum flu leuc. supra Avenionem in Boream, Vivarium versus 3. circ

Pons Saravi, vulgò *Sarbruck*, seu *Sarbrick*, oppidum Lo giæ, ad Saravum, sub proprio Comite, in limite Palatin leucis à Bipontio in occasum Metas versùs, & 10. ab a Boream. Vide infra.

Pons Sarnix, Anton. *Sarbruck*, oppidum Germaniæ sup sic à ponte nominatum, inter Alsatiam & Lotharingiam, ram fluvium, inter Cæsaream Lutram, & Metas 8. leucis. Pons Saravi, *Kauffmans Sarbruck* Germanis, *Sarebourg* Gall Lotharingiæ, aliàs Imperialis & libera, nunc Galliei juris, a vum fluvium, ad radices Vogesi montis, 8. leucis ab Arge in occasum distans Mediomatrices versus, & 6. à Marsalic tum; estque satis parva.

Pons Scaldis, Anton. *Condet*, oppidum Belgii: ab ipso po minatur, ad Scaldem fluvium, in Hannonia, à Valencenis leucis Tornacum versùs. Alii est ipsa urbs Valencenæ. S est locus Belgii, in Nerviis, hodie *Escaupont*, pagus Hanno Scaldim fluvium, una leuca supra Condæum in meridien lencenas versùs 2.

Pons Sociorum, Anton. in Pannonia, à Mansuetino 25. mi totidem à Sopianis, Aquincum versùs.

Pons Sorgiæ, seu *Sorgæ*, vulgò *Pont de Sorgue*, oppidum Ga provincia & Comitatu Venuslino, ad Sorgiam fluvium, fere inter Arausionem ad Boream & Avenionem ad Merid.

Pons Sturæ, vulgò *Ponte Stura*, oppidum Italiæ, in Ducatu tisferrati, aliàs munitum, ad Padum fluvium, ubi recipit S 3. milliaribus supra Casalem, & uno à Tricino distans

Pons Sublicius, P. Vict. Vide *Sublicius pons*, & *Pons Æmi*

Pons Tiluri, Anton. in Dalmatia, à Salonis 16. m. p.

Pons Timavi, Anton. super Timavo fluvio, in Carnis, ab leja 7. mill. pass.

Pons Tirensis, Cicer. in Latio erat inter Arpinum & Mint super Liri.

Pons Trajani, Dion. in Mysia superiori, ad Danubium, verinum urbem. Ubi adhuc durant vestigia. Alter in H Lusitanica, *Alcantara*, oppidum super Tago fluvio, non rum, in Extremadura regione, à Placentia urbe 8. leuc. in au Emeritam versus 9. Ferrar. Baudrando *Pons Trajani*, aliter Cæsarea, *Alcantara*, urbs aliàs Lusitaniæ, hodie Estremadu vinciæ, à qua ordo militaris nomen sumpsit, 18. leucis distat centia in occasum, & 12. ab Emerita in Boream; estque par munita, in limite Portugalliæ. Vide *Norba Cæsarea*.

Pons Tremens, in via S. Gothardi montis, in ascensus, quà l spectat, medio, unde ad cacumen usque nil nisi nuda rupe nivibus & glacie multa: dictus, quòd ascendentes, pericul tremant. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. antiq.*

Pons Vaticanus, P. Vict. super Tiberi Romæ excisus: ap vestigia apud xenodochium S. Spiritus, à quo denominaba

Pons Velius, vulgò *Pont de Veile*, oppidum Galliæ, in provincia, ad Velium amnem, una leuca à Matiscone & ab in ortum.

Pons Vetus, vulgò *Ponte Vedra*, oppidum Hispaniæ, in Ga ad amnem *Loriz*, 4 leucis ab ora Oceani in ortum, & 8. à postella in meridiem.

Pons Ursionis, locus in Normanniæ Britanniæque confinio *Orson*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide infra.

Pons Ursonis, vulgò *Pontorson*, oppidum Galliæ, in Norm & in confinio Britanniæ minoris, ad Letram fluvium, Co qui paulò infrà cadit in mare Britannicum, medium inter A cas ad ortum, & Dolam ad occasum, duabus leucis à Monte Michaëlis.

Pontarlium, oppidum Comitat. Burgundiæ, in confin. H tiorum, ad rad. Jurassi, prope fontes Dubii fluv. 9. leucis à tione in Merid.

Pontanus Joh. Jovius, vel Jovianus, Umber. Patre in seditione populari amisso, Neapolim concessit, ubi Præceptor Alphonsi jun. Regis Neapol. primo, dein eidem à secretis & consiliis fuit. Scripsit historiam bellorum Ferdinandi I. cum Johanne Andegav. aliaque egregia prosâ versuque. Obiit Ano. 1505. æt. 78. Hoc sibi Epitaphium fieri voluit: *Sum Johannes Jovianus Pontanus, quem amaverunt bonæ Musæ, suspexerunt viri probi, honestaverunt Reges, Domini. Scis jam, quis sim, aut quis potius fuerim. Ego verò te hospes, noscere in tenebris nequeo: Sed, te ipsum ut noscas, rogo.* Petrus Sandeus, *Epit. de Regib. Sicil.* Erasmus, *in Cic.* Giraldus, *dial.* 1. *de Poët.* Voss. *de* H. L. Leander Alb. *desc. Ital.*

Pontanus Lud. Spoletinus, J. U. D. Protonotarius Pontificius, insigni eruditione, memoriâ divinâ, atque eloquentiâ admirabili præditus: ab Aragoniæ Rege ad Concil. Basiliense missus, obiit Basileæ. An. C. 1439. ab Æneâ Sylvio, epicedio insigni ornatus: in cujus scriptis etiam specimina divinæ Pontani mentis, quæ per biennium in Concilio edidit, reperiuntur. Urstis. *Hist. Basil.* V. Forster. *Hist. Jur. Civ. lib.* 3. *cap.* 33. Gesner. *in Bibl.*

Pontanus Rogerius, Carmelita, scripsit *de mirabilibus*.

Pontes, & *Pontacum*, oppidum Belgii in Picardiâ, Anton. Vide *Ponticum*.

Pontes, nunc *Paunton* Camdeno, pagus Albionis in Angliâ ad Thamesin fl. inter Londinum & Oxonium: vel *Reading*, pagus vicinus, teste Lhuydo. Al. *Colbrook*, pagus apud Buckingham op. indigitatur, op. agri Buckinghamiensis in confin. Middlesexiæ: *Paunton* verò est *Ad pontem* in agro Lincolniensi.

Pontes, Castellum Daciæ in Danubii ripâ contra Theodotam op. Vide Procop. *de ædificiis Justin.*

Pontes Ambianorum, Æthico inter Ambianos & Gesoriacum, Cluverio est *Pont à Selane*, ad ostium Altejæ fluv. aliàs *Pont Asselane*, qui ait, magnam partem veterum Ambianorum finium, inter Sumonam & Altejam flumina ab hisce Pontibus nomen accepisse, ac dici hodieque *le Ponthieu*, seu Pagum *Pontivum*.

Pontes Cæsaris, opp. Galliæ ad Ligerim, cum ponte prælongo, aliis munitum; Vix 1 leuc. ab Andegavo; *Pont de Cés* quibusd. *Pons Cæsaris*.

Pontes Icaunæ, Gall. *Pons sur Yonne*, opp. Gall. à multitudine pontium Icaunæ impositorum. Sunt & *Pontes* in Santonibus, eandem ob rationem sic dicti, ad amnem in Carantonum influentem. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pontes Oeni, vulgò *Oeting* op. Vindeliciæ ad Oenum fluv. in Bavariâ.

Pontes Sequanæ, Gall. *Pons sur Seines*, olim à numero pontium ibi Sequanæ impositorum. *Ad duodecim Pontes*, hodie oppidulum est ad Sequanam jam Albâ auctum; continens duas insulas, quas ibi Sequana continet, & 10. vel etiam 12. pontes hodieque habet. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Sic *Ad Duos Pontes*, opp. est Marchiæ titulo illustre, ad Saravum amnem. Gall. *Deux ponts.* Similiter *Tres Fontes & Septem Fontes*, monasteria Abbatiis clara, alterum, in Duc. Barrensi, alterum in Episcop. Augustodunensi ad Ligerim, prope Borbonem Aselli, à fontium numero nomen accepere. Idem.

Pontes Tersenini, vulgò *Schœstern*, pagus Vindeliciæ in Bavariâ inter Ambram & Parthanum, teste Simlero.

Pontesium, opp. Galliæ, vulgò *Pontoyse*. V. *Pontisara*.

Pontius Thiardus, Episc. Cabillonensis, eruditione & linguarum peritiâ insignis. Poëta Gallus, Mathematicæ quoque, dein Philosophiæ Platonicæ, tandem Theologiæ se dedit. Ronsardo, Portio, Perronio familiaris. A Carolo IX. & Henr. III. magni æstimatus. Scripsit varia: *Discursum de die & Anno, Manticen, Universum, Ephemerides octavæ sphæræ, de Cœlestibus Asterismis &c.* Obiit Ann. 1605. Scævola Sammart. *lib.* 5. *Elog.* Thuan. *Hist.* Morerius *in Diction. Hist.*

Pontia, empta ingentibus donis, à Sagitta Tribuno, ad adulterium, & maritum omittendum, hac lege, ut vacua in Octavii Sagittæ domum nuberet. Diversam à marito pacti pœnituit, quare Sagitta spretus, nocte unâ ad desiderium leniendum impetratâ, atque libidine expletâ, in cubiculo ferro transverberavit nihil tale metuentem; Ipse dein à Patre Pontiæ accusatus, & condemnatus est. Tacit. XIII. 44.

Pontia, notissimâ crudelitate mater. Juven. *Sat.* 6.

Nos utinam vani: sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerisq; meis aconita paravi.

Martialis 2. 34.

O mater, quâ nec Pontia deterior.

Pontia, inf. gemina: una maris Tyrrheni in sinu Formiano, seu paulo supra illum, contra Tarracinam urb. Latii, cum urbe, olim Colonia eodem anno, quo Suessa teste Livio *lib.* 9. deducta, in quam cives Romani damnati deportabantur. Vulgò *Porte*, non longè à Palmariâ in sinu Cajetano, in quâ turtures & coturnices, cum ad Italiam veniunt, primâ volaturâ requiescendi causâ, paucos dies morantur, Varro. *Pontia* pl. num. apud Plin. legitur. Altera in eodem mari ante Veliam urb. Lucaniæ, cum Isaciâ, vel Iscâ. Baudrando *Pontia*, hodie *Ponza*, inf. prov. Terræ laboris, antea incolis vacua, sed à paucis annis exculta, cum vico & turri, sub dominio utili Ducis Parmæ, 12. m. p. à Circejo prom. in Mer. uti 20. à Terracina.

Pontianus, Român. Episc. 17. An. D. 231. Ab Alexandro Severo, apud quem falsò delatus erat, relegatus in Sardiniam: A Maximino verò ejus successore verberibus adeò dedolatus, ut animam efflaret, An. 235. Euseb. *in Chron. & Hist. lib.* 6. Anastas. *in vit. Pontif.* Baron. *in Annal.* Alius Consul, An. U. C. 960.

Pontico, vel *Pontigo*, villa regia Austrasiorum Regum fuit, sub Merovingis ac Carolovingis etiam, Synodis Episcoporum, inprimis An. C. 876. celeberrima. Vulgò *Pontion*. Ad flumen Ornam, in Pago Pertensi, non procul à Victoriaco Incenso. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Ponticum, vulgò *le Ponthieu*, regiunc. Picardiæ, aliis Comitat. Pontivensis. Extenditur versus ostia Somonæ fluvii, ubi Abbavilla, Pons Remigii, Monstrolium, Rua & Crotojum; Estque inter Quantiam fluvium & Bononiæ Comitatum ad Boream: Normanniam ad Meridiem & Ambianensem tractum ad Ortum. *Pontus*; seu *Pontinia* quibusdam. Hic tractus Anglici juris factus est, cùm Eduardus primus, Angliæ Rex, uxorem duceret Eleonoram, Ferdinandi, Castellæ Regis, filiam, ex Joanna Conjuge, quæ filia erat Simonis, Pontium Comitis: Sed postea incolæ, instigante Guidone sancti Pauli Comite, præsidiarios quos Rex Eduardus ibi reliquerat, exturbarunt, Regique Francorum Carolo V. se dediderunt. Nomen habet à Pontium multitudine. Merula. Metel. Baudrandus. Hadr. Valesius *in Notit. Gall.* hunc pagum non à Pontibus, sed *Pontiu* olim dictum vult, quod Gallicum nomen est, sicut *Tellau*, & *Vimau*. Vide ibi.

Ponticum mare, vide *Euxinum*. Hoc cæteris dulcius, & natantia in Propontidem ejicit. Macrob. 7. *Saturn. cap.* 29.

Ponticus, annorum ferè 15. puer, martyrium passus est.

Ponticus, poëta Rom. Propertio æqualis, qui sic ad eum scribit, *eleg.* 7. *lib.* 1.

Cùm tibi Cadmea dicantur, Pontice, Thebæ,
Armaq; fraternæ tristia militiæ.

Idem non dubitat eum cum Homero componere. Continuò enim subjungit:

Atq; ita sim felix, primo contendis Homero.

Nec Thebanum bellum modò cecinisse, sed etiam amores, cognoscimus *ex lib. ejusdem eleg.* 9. Ovidio etiam conjunctissimus fuit, ut ostendit istoc:

Ponticus heroo, Battus quoq; clarus Jambis,
Dulcia convictus membra fuere mei.

Ponticus Virunius, vel *Virumnius*, Trevisanus. Composuit, An. 1490. epitomen Historiæ Angl. in gratiam familiæ Badœriorum, qui, Veneti tum, Anglicæ originis erant. Item Commentarios in Statium, Claudianum, &c. Plura alia quoque prosâ versuq; scripsit. Trithem. *in Cat.* Philipp. Bergom. *lib.* 16. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Lat.*

Pontificia ditio, seu *Status Ecclesiæ*, *Stato della Chiesa* Italis, *l'Estat de l'Eglise* Gallis, pars est Italiæ, à septentrione in meridiem protensa per 240. milliaria, nempe à castro *Francolino* in Ferratiensi Ducatu Terracinam usque. Ejus autem major latitudo nempe à Centumcellis Anconam usque est 120. milliarium. Sed multò minor est in aliis locis, præsertim in Romandiola, ubi valde restringitur, inter Hetruriam & mare Adriaticum; subestque dominio Rom. Pontificis. Terminatur hæc ditio à meridie mari Tyrrheno, ab ortu regno Neapolitano, ab occasu Hetruria & Ducatu Mutinensi, à septentrione autem mari Adriatico & dominio Veneto. Ejus partes seu provinciæ sunt Campania Romana, *la Campagna di Roma*, provincia Patrimonii S. Petri, *la provincia del Patrimonio di S. Pietro*, Sabina, *la Sabina*, Ager Orvietanus, *il territorio d'Orvieto*, Ager Perusinus, *il territorio di Perugia*, Umbria, seu Ducatus Spoletanus, *l'Ombria*, Marchia Anconitana, *la Marca d'Ancona*, territorium Civitatis Castelli, *il territorio di Città di Castello*, Ducatus Urbinas, *il Ducato di Urbino*, Romandiola, *la Romagna*, Ager Bononiensis, *il Bolognese*, & Ducatus Ferrariensis, *il Ducato di Ferrara*. Subsunt etiam dominio Rom. Pontificis Avenio & Comitatus Vindascinus in Gallia, *le Comtat Venaissin*, uti Beneventum in regno Neapolitano, cum ejus territorio aliàs peramplo, ut liquet ex diplomate Clementis VI. Pontificis Romani Ann. 1350. sed nunc ab Hispanis valde restringitur. Totius ditionis Pontificiæ urbs præcipua est Roma, *Roma*, quæ Italiæ caput. Crevit autem maximè hæc ditio liberalitate Francorum Regum Pipini & ejus filii Caroli Magni, & donatione Ludovici Pii ejus nepotis. Sub Clemente VIII. Pontifice Romano, Ducatus Ferratiensis rediit ad ditionem Pontificiam, uti etiam Ducatus Urbinas sub Urbano VIII. Barberino Pontifice Romano, deficiente masculâ prole.

Pontificiæ ditionis urbes præcipuæ:

Ancona, *Ancona.*	Fulginium, *Foligno.*
Ariminum, *Rimini.*	Imola, *Imola.*
Asculum, *Ascoli.*	Macerata, *Macerata.*
Bononia, *Bologna.*	Orvietum, *Orvieto.*
Camerinum, *Camerino.*	Perusia, *Perugia.*
Faventia, *Faenza.*	Pisaurum, *Pesaro.*
Ferraria, *Ferrara.*	Ravenna, *Ravenna.*
Firmum, *Fermo.*	Reate, *Rieti.*
Forum Livii, *Forli.*	Roma, *Roma.*

Spole-

Polybœa, Dea. Hesychius: Πολύβοια, θεός τις, ὑπ' ἐνίων Ἄρτεμις, ὑπὸ δὲ ἄλλων Κόρη, nempe à βόω, sive βόσκω, *pasco*, ut idem sit ac Homeri Πουλυβότειρα, aut Παμβῶτις γῆ, quod apud Sophoclem *in Philoctete*. Ac fortasse similiter Heracleenses, matrem ejus Cererem dixere Παμβώτιν, licèt apud Hesychium nunc legatur: Πάμπωτις, ἡ Δημήτηρ ἐν Ἡρακλείᾳ.

Polybotus, urbs Phrygiæ magnæ. Lib. Conc.

Polybus, Sicyoniorum rex, ann. ante U. C. 550. Item Auctor antiquus, qui scripsit de semine humano. Et unus ex procis Penelopes. Ovid. *Epist.* 1.

Quid sibi Pisandrum, Polybumq; Medontaq; Dirum, &c.

Polycarpus, Smyrnensis episc. A. D. 91. Johannis Evang. discipulus, Ecclesias totius Asiæ doctrinâ suâ instruxit, exemploque confirmavit. Romam profectus, ut cum Aniceto Episc. de celebratione Paschatis conferret, varios in itinere Valentini & Marcionis fraudibus irretitos convertit: Huicque Romæ, cum in eum forte incideret, ab illo interrogatus, an non se nosset, respondit, *Omnino: Primogenitum te Diaboli agnosco.* Redux in Asiam, pro Christianâ fide palam, & spectante populo in amphitheatro combustus est, teste Volaterrano, An. 167. Vid. Euseb. *Eccl. Hist. lib.* 4. *cap.* 5. *& in Chron.* An. C. 157. & 167. Hieron. *in Cat. cap.* 17. Iren. *lib.* 3. *adv. hær. cap.* 3. Tertullian. *de præscr. cap.* 32. Socr. 5. 21. Phot. *cod.* 126. Jac. Usserium *in edit. epist. Polycarpi &c.*

Polycaste, Nestoris filia.

Polycharmus, cælator eximius, qui Venerem lavantem sese ac Dædalum stantem insculpsit marmore. Plin.

Polychronius, Episc. Apameæ. Ann. C. 420. Frater Theodori Mopsvestii, & discip. Diodori Tarsensis. An auctor Commentar. in Danielem? An idem cum Episc. Hierosolymitano? cujus Actorum meminit Nicolaus I. in ep. ad Michaelem Imp. Sed hæc supposititia judicat Baronius. An. C. 431. Gesner. *in Bibl.*

Polyclea, Soror & uxor Atati, ex quibus Thessalus natus. De hujus fœminæ ingenio Plut. & Polyæn. VIII.

Polycles, Atheniensis, ex conjuratis, qui Heraclidem, Demetrii præfectum, urbe ejicere affectabant. Polyæn. *lib.* 5.

Polycles, Cyrenensis, vicit stadium, Olymp. centesimâ octavâ.

Polycletus, Libertus Neronis ad componendas Paullini & Classiciani discordias missus. Verùm cùm ingenti agmine Italiæ Galliæque gravis Oceanum transmisisset, & militibus quoque Romanis terribilis incederet; hostibus irrisui fuit, apud quos, flagrante etiam tùm libertate, nondum cognita libertorum potentia erat. Tacit. XIV. 39. Meminit quoque ejus *Hist.* 1. 37.

Polycletus, statuarius eximius, diligentiâ ac decore supra cæteros facilè vincens, uti loquitur Quinctilianus. Nam ex ære signa fecit scriptorum præconio nobilitata. Cum primis fecit astragalizontes, h. e. talis ludentes, quo operè nullum absolutius judicant. Fuit Sidonius, ac discipulus Ageladis. Duas eodem argumento statuas fecit: alteram arte suâ, alteram verò de vulgi opinione, quam de sententia cujusvis prætereuntis cælaverat. Quibus perfectis turbam admittit, ac primùm sua ostensa magnopere laudatur: altera deinde non æque. *Atqui, scitote*, inquit, *quòd hanc quam tantopere laudatis, ego feci: quam verò vituperatis, vos fecistis.* Ælian. *de Var. hist.* V. Plin. *lib.* 33. *cap.* 13. *& lib.* 34. *cap.* 8. Juven. *Hic aliquid præclarum Euphranoris aut Polycleti.* Hinc *Polycleteus* adj. Stat. *Sylv.* 2. 2.

—— *Quod ab arte Myronis,*
Aut Polycleteo jussum est quod vivere cœlo.

Idem. 4. *Sylv.* 6.

Quod Polycleteis visum est spirare caminis.

Polycritus, Larissæus historicus, cujus meminerunt Athenæus, *lib.* 12. Jul. Pollux, *in Onom. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 31. Ælianus *lib.* 16. *cap.* 41. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. Gesner. *in Bibl. &c.*

Polycrates, Olymp. 62. Sami Tyrannus, opibus & felicitate apud historicos inclytus, qui, quoad vixit, non tam fortunæ alumnus dici potuit, quàm partus. Nam aliquando, ut aliquid infortunii habuisse videretur, annulum projecit in mare, quem tamen cocus ejus redinvenit in pisce. Sed mors infamis & ærumnosa docuit neminem ante obitum meritò dici posse felicem. Ad postremum enim, à Persarum Satrapâ Oronte dolo captus & crucifixus. Olymp. 64. Thuc. *lib.* 1. Strabo *lib.* 14. Herod. *lib.* 3. Euseb. *Chron.* Fuit & hoc antiquior alius. Item Ephesiorum præsul octo ex parentibus Episcopis prognatus, temp. Severi Imp. In Synodo Episcoporum Asiæ, Pascha celebrandum d. 14. Lunæ, statuit, literis hac de re ad Victorem Episc. R. qui Asiaticos excommunicârat, satis acriter scriptis, Hieronymus, *de Scr. Eccl.* Euseb. *Hist. lib.* 5. *cap.* 9. *&* 23.

Polycrates, post superatum, ad Platæas, Mardonium, vulgante rumore, sub ejus tentorio ingentem thesaurum esse defossum: locum istum pecuniâ redemit & diu multumque perscrutatus est terram. Cum nihil reperisset, misit Delphos, Apollinem sciscitatum, ubi reperire posset. Ferunt Apollinem respondisse, *Omnem lapidem move*, quod posteà in proverbium abiit. Polycrates autem iste fuit Atheniensis. V. Scholia *in Aristophanis Equites, p.* 333. *D.*

Polycreta vel *Polycrita*, Puella Naxia, à Diogneto Erythræorum duce capta & loco uxoris habita. Milesiis quodam tempore vino & somno demersis, misit tabellas plumbeas, placentæ insertas, ad fratres, quibus monebat, ut sepultos vino ac somno opprimerent: Diognetum verò sibi donum exemit ab exitio: Polyæn. VIII.

Polycrita, nobilis mulier e Naxo insulâ, quæ insperato gaudio pene exanimata ultimum spiritum emisit. Plut. *de claris mulieribus*, & Arist. apud Gellium.

Polycritus, Mendæus, nomen sibi peperit historiâ Dionysii Tyranni, Laertius. Idem videtur esse, quem res Siculas carmine Heroico panxisse narrat Arist. *lib. de Mirab.* At fortasse alius est, cujus meminit Plut. *in Alexandro*, tres enim hujus nominis urbes erant, in Sicilia, Thracia & Ægypto. Plin. 23. 2.

Polydamas, nobilis Trojanus, Antenoris & Theanûs sororis Hecubæ filius, qui, quamvis Lycasten Priami filiam ex concubinâ susceptam, uxorem duxisset, cum Antenore tamen patre suo urb. Trojanam dicitur Græcis prodidisse. Item Panthei fil. Hom. *Il.* Persius *Sat.* 1.

Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem
Prætulerint. —— ——

Ubi ingeniosissimè poeta duos versus *Iliad.* χ. (errant qui alterum horum aliunde petant) hoc unico expressit,

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Et statim:

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Sic M. Tullius utrumque Homeri versum usurpat, *ep.* 5. *ad Atticum lib.* 2. *&* 1. *lib.* 7. *Aliter sentero?* Αἰδέομαι *non Pompejum modò*, sed Τρῶας καὶ Τρῳάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. *Quis! Tu ipse scilicet, laudator & scriptorum & factorum meorum.* Vide & *ep.* 16. *libri* 8. *Polydamas* & Ciceroni & Persio est alterius Catonis, aut ipsius virtutis nomen. Ineptè nimis quod argutatur de eâ voce antiquus Scholiastes. Is Latinâ voce exprimit *multinuba*, quia sc. δάμαρ, est *conjux*, & multitudinem uxorum putat Neroni exprobrari. Quid putidius hoc commento? etsi non defuerunt qui probarent; Præterea falsissimum est, Polydamantem describi à Poetâ, garrulum & ineptum. At quot locis ejus virtutem prædicat? velut *Iliad* μ.

Οἳ μὲν ἅμ' Ἕκτορ' ἴσαν καὶ ἀμύμονι Πουλυδάμαντι.

Componit eum cum Hectore, & quidem honestissimo elogio adjecto, cum Hectoris nudum nomen posuisset: ut quem loco depresserat posterius nominans, virtutis testimonio attolleret. Posteà vocat ἀμύμονα, & consilium illius laudat:

Βουλῇ Πουλυδάμαντος ἀμύμονος πειθόμενοι.

Alib: πεπνυμένον *prudentem. Iliad* Σ.

Τοῖσι δὲ Πουλυδάμας πεπνυμένος ἦρχ' ἀγορεύειν.

Polydamas, Pancratiastes, æmulatus Herculem, leonem in Olympo monte, inermis superavit, taurum ingentem apprehensis extremis pedibus retro tenebat, currum agitatum sese opponendo alterâ manu comprehensum ex cursu retrahebat; in equosque insiliebat, dejecto aurigâ. Accersitus à Dario, Artaxerxis magni filio, ter apud eum ex provocatione victor fuit. Postremò post cœnam in cavernâ, cùm saxum in vertice ruinam minaretur, diffugientibus convivis, confisus ipse viribus suis, ac manibus posse illud sustinere putans, oppressus est. Plin. *lib.* 7. *cap.* 49. Valer. *Max. lib.* 9. *cap.* 12. *ex.* 18. Pausan.

Polydamas, Prætorum unus Alexandri M. intimus Parmenionis, per quem & hunc sustulit. Curt. VII.

Polydectes, Magnetis fil. Rex Seriphi insulæ. Hic Perseum Jovis & Danaes filium educavit, cujus tandem ingenium veritus audaciamque & felicitatem, sub prætextu æternæ gloriæ, illum ad superandam Gorgonem Medusam impulit: quâ devictâ redeunti Perseo cùm semper detraheret, conversus est ab illo in silicem, monstrato capite Medusæ. Ovid. *Met.* 5. Alii apud Dictyn, fratrem hujus, Danaen cum Perseo, hospitatam esse tradunt. V. *Danae & Perseus.* Item Lacedæmoniorum R. frater Lycurgi. V. *Charillus.*

Polydeucea, Laconicæ fons ad Therapnem urb. V. Strab. *lib.* 9.

Polydice, mulier quædam, quæ Pierelam patrem, Thebarum regem, Creonti prodidit, & occidi suasit. Servius.

Polydora, Nympha Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* Item insula juxta Cyzicum. Steph. V. infra.

Polydora, Insl. parva Propontidis, juxta Cyzicum. Plin. Diod. Steph. Incolæ *Polydorenses*, & *Polydorei*.

Polydori tumulus, locus Thraciæ, apud Ænon urb. ubi is à Rege Thraciæ, cui à Priamo Patre commendatus erat, occisus est. Plin.

Polydorus, Lacedæmoniorum Rex, qui civibus suis cum Messeniis viginti annorum bello implicitis, tandem rei finem ut imponeret, & Messenios ad prœlium eliceret, simulavit cum Theopompo, alterius familiæ Rege simultatem: à cujus regressu egressi Messenii, à fronte & à tergo circumventi, vi subacti sunt.

Polydorus, fil. Alcamenæ, pater Eurycratis, Lacedæmonius, Heraclides. Herod. VII.

Polydorus, frater Jasonis Pheræi, qui, secundùm quosdam, ut Dux Thessalorum Principatum Græciæ affectantium & Pheræorum Dominus fieret, fratrem dolo occidit, An. 3. Olymp. 102. Præfuit autem Thessalis annum saltem unum: à Fratre Alexandro vicissim veneno sublatus.

Polydorus, Rhodius, cælator nobilis, qui ex uno lapide fecit Laocoontem & liberos, nexusque mirabiles. Plin. *libr.* 34. *cap* 8. *& lib.* 36. *cap.* 7.

Polydorus, Priami fil. ex Hecubâ, quem pater initio belli Tro-

jus incertum communis Martis exitum metuens, cum magno auri pondere educandum tradidit Polymnestori Thraciæ regi, utpote hospiti, amico & genero suo. Sed ille deletâ Trojâ, cæterisque Priami ferè omnibus liberis interfectis, auri cupiditate adductus, Polydorum in litore spatiantem telis aggreditur, & frustra fidem Deorum hominumque implorantem, occidit, cæsoque tumulum injecit, cui postea myrtus increvit, sanguineis guttis distillans. Quod cùm mater Hecuba intellexisset, simulavit se ingens adhuc auri pondus velle illi secretò indicare, quod pro filio acciperet. Quod avarus rex verum existimans, mox ad Hecubam profectus illius unguibus occæcatus est. Extat tamen & alia de Polydoro opinio, nempe Græcos per Thraciam venientes hunc cepisse; Priamum autem redimentem filium, Græcis pro eo dedisse urbem, quæ postea ab eventu *Antandros* dicta est: quâ acceptâ illos tamen nihilominus Polydorum lapidibus obruisse, Servius in *Æn.* 3. Hinc *Polydoreus* Ovid. *Met.* 13.

En Polydoreo manantem sanguine terram.

Item *Polydorus* alius, Priami filius ex Laothoe Altai Lelegum regis filiâ: quem Achilles cum fratre Lycaone in bello Trojano interemit.

Polydorus Virgilius, seu Vergilius, Urbinas, vixit seculo 15. & 16. Eruditione famam meritus. Edidit Ann. 1499. *de Inventoribus rerum libb.* 8. Dein in Angliam profectus, ut ibi denarium S. Petri colligeret, gratiâ Principum Anglicorum potitus est, & Archidiaconatu auctus. Tractatum de prodigiis publici juris fecit, Londini, An. 1526. Dein, ultimam manum Historiæ Angl. imposuit, eamque Henrico VIII. inscripsit, An. 1533. libb. 26. Scripsit etiam proverbia, &c. Obiit Ann. 1555. Paul. Jov. *in Elog. cap.* 135. Henr. Savilius, *in edit. Scr. Angl.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3.

Polyeuctes, Patr. Constantinopolitanus, post Theophylactum, An. 956. Constantino Porphyrogennetæ acriter obnixus; Nicephorum Phocam, qui, uxori suæ superstiti adhuc, aliam superinduxerat, ex Ecclesia ejecit, idemque Johannem Zimiscem à sacris arcuit, quòd Nicephorum occidisset. Obiit Ann. 970. Curopalates, & Baronius *in Annalibus*. Item Poeta Comicus, Athen. *libro* 10.

Polygamistæ, Hæretici, qui licere cuique tot uxores, quot vellent, ducere, statuerunt. Horum auctor Bernardinus Ochinus erat, qui Genev. primò Capucinorum, dein veræ religionis professionem aliquandiu mentitus, tandem in varios errores prolapsus est. Seculo præter.

Polygius, Mercurius dictus est, cui Herculem clavam consecrasse, eamque paulo pòst iterum pullulasse, quòd esset ex oleastro, refert Pausanias.

Polygnotus, patriâ Thasius, floruit Olymp. 90. pictor antiquissimus. Quintil. *lib.* 12. & Plin. *lib.* 33. 13. & 34. 8. & 35. *cap.* 6. & 9. Videndi quoque sunt Plutarch. *in Cimone*, Pausanias & Ælianus. Item Statuarius insignis, Plin. *lib.* 34.

Polyhistor, Apion sic dictus, Gell. 5. 14. Item *Polyhistor* historicus à Plinio reponitur inter eos, è quibus contexuit librum octavum. Poterat idem videri ac Alexander Polyhistor; sed apertè ab eo Plinius ipse *lib.* 8. distinguit. Vide *Alexander Polyhistor*.

Polyhymnia, Musarum una. Aliqui *Polymneiam* vocant, à *magnitudine memoria* scilicet. Historiæ, an Rhetoricæ Præstita? Pingitur coronam ex margaritis constantem, & togam candidam gestans: manu dexterâ ad perorandum exertâ, cum volumine in læva, cui inscriptum, *Suadere*. Plutarch. *in Sympos.* Balduin. *Iconol.* Horat. *Od.* 1. *lib.* 1.

—— *Si neq; tibias*
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Ovidius 5. *Fastorum*:

Dissensere Deæ, quarum Polyhymnia cœpit.

Polyidus, medicus, qui Glaucum Minois filium mortuum ad vitam revocavit porrectâ herbâ, cujus usum didicerat à Dracone, quem viderat draconi cuidam mortuo herbam illam porrexisse, eumque illius herbæ operâ ad vitam revocasse. Palæphatus, Apollodor. *lib.* 3. Fuit quoque *Polyidus*, qui de arte machinali scripsit, teste Vitruvio Pollione *præfat. lib.* 7. Apud Censorinum quoque, *fragmenti cap.* 9. quidam *Polyidus* inter Musicos Olymp. 95. memoratur. Ubi perperam *Pondos* legit Carrio. Vide quoque Pausan. *in Att.* Clem. 1. *Strom.* Hygin. Voss. &c.

Polyidus, Poëta Dithyrambicus, præterea Pictor ac Musicus insignis, floruit Olymp. 95.

Polymartium, urbs Hetruriæ olim Episcop. nunc castrum cum Ducat. titulo in ditione Pontificia, 14. mill. pass. supra civitatem Castellanam in Circ. Orivetum versus, medium inter Viterbium & Horam, in prov. Patrimonii; *Bomarzo*.

Polymedia, Troadis oppidum Hellesponto adjacens, Plinius *lib.* 5. *cap.* 3.

Polymnemon, ab Alexandro Magno, claustra Nili fluminis, deditâ Ægypto, cum 30. triremibus tueri jussus, Curt. 4. 72.

Polymnestor, Milesius puer, cùm à matre locatus esset ad caprarios pastus, ludicro leporem consecutus est, & ob id statim productus à gregis domino Olympiade 46. victor in stadio meruit coronari.

Polymnestor, Thracum tyrannus. Vide *Polydorus*, & Euripidem *in Hecubâ*. Ovid. *Metam.* 13.

—— —— *Capit impius ensem*
Rex Thracum, juguloq; sui demisit alumni.

Propertius *lib.* 3.

Et scelus accepto Thracis Polymnestoris auro.

Polymnestus, Miletii filius, poeta Colophonius, carmen Orthium vel, ut alii vocent, Orthrium, conscripsit: item quod ab eo *Polymnestium* dictum est. Sminthia quoque in Rhodo cecinit, ut ex Athenæo videre est. Ob fœditatem reprehensus, ab Aristophane *in Equitibus*: imo & Cratino memoratus, ut Suidas docet: adhæc Alcmani & Pindaro. Atque ex his antiquitatem ejus cognoscimus. Celebrant quoque eum Plutarchus & Pausanias. Nomen non inscitum, sig. enim *multis ambitus*, ut Homero πολύμνηστη, ea, cujus multi sint, aut fuerint, μνηστῆρες, hoc est, *proci*. Vossius.

Polynices, filius Oedipi, Thebanorum regis, ex nefando Jocastæ matris concubitu, frater Eteoclis, quibus pater, sponte in exilium proficiscens, regnum eâ lege reliquerat, ut alternis annis regnarent. Verùm cùm Eteocles, cui utpote natu majori Polynices pribres regnandi vices concesserat, fratri suo regno cedere recusaret, ille Argos sese contulit ad Adrastum regem, qui filiam suam nomine Argiam uxorem illi despondit, contractisque quàm maximis potuit viribus, unà cum Tydeo, altero genero, Thebanis bellum intulit, cujus is fuit exitus, ut duo fratres singulari certamine congressi, mutuis vulneribus caderent. Quinetiam cadaveribus rogo impositis, flamma dicitur se divisisse, tanquam implacabile illud odium, quod inter vivos extiterat, ne morte quidem potuerit finiri. Statius *in Thebaide*.

Polypercon, Prætor Alexandri Magni; & in ejus exercitu peregrini militis dux. Post mortem Alexandri, ab Antipatro ægroto & moribundo summam rerum accepit. Vide *Polysperchon*.

Polyphemus, inter Cyclopas omnes, qui centum fuisse memorantur, viribus corporis formæque magnitudine præstantissimus fuit; quibus verò parentibus ortus fuerit, nondum constat. Apollonius *Argon. lib.* 1. illum Neptuno & Europâ Tityi filiâ natum fuisse tradit, *in his carminibus*:

Ταίναρον αὖτ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανεν,
Τόν ῥα Ποσειδάωνι ποδωκηέστατον ἄλλων
Εὐρώπη Τιτυοῖο μεγασθενέος τέκε κούρη.
Κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
Οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
Ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.

Andron verò Tejus & Posidonius Polyphemum patre Elatâ ac matre Stilbe Nymphâ natum fuisse memorant. Conon, *in Heracleâ*, Elasi & Amymones eum filium fuisse scribit. Homerus autem *Odyss.* 1. Neptuni & Thoosæ filium facit. Hunc in speluncâ habitare solitum, & oves in Siciliâ custodire, magis notum est, quàm ut indigeat explicatione, cùm in eadem Tragœdiâ etiam id scribat Euripides & Hom. *in Odysseâ*. Martialis:

Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.

Hic Galateam Nympham fertur adamasse, Acim verò puerum, quem sibi illa præferebat, saxo interemisse: Ulyssem quoque vi tempestatis in Siciliam delatum antro suo inclusit, quatuorque ex comitibus ejus devoravit, reliquos eodem mortis genere perempturus, nisi prævertens Ulysses vino nigro eum inebriasset, altoque sopore obruto adusto stipite oculum eruisset. Virgilius *Æneid.* 3.

—— *Domus sanie dapibusq; cruentis*
Intus opaca, ingens; ipse arduus, altaq; pulsat
Sidera. —— —— ——
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cùm corpora nostro
Prensa manu magnâ medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieq; aspersa natarent
Limina: vidi atro cùm membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impunè quidem; nec talia passus Ulysses,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoq; sepultus
Cervicem inflexam posuit, jacuitq; per antrum
Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commista mero: nos magna precati
Numina, sortitiq; vices, unà undiq; circum
Fundimur: & telo lumen terebramus acuto,
Ingens quod torva solum sub fronte latebat
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.

Ubi ex his verbis:

—— *Jacuitq; per antrum Immensum,*

Auctores colligunt magnitudinem Cyclopis, utpote qui totum antrum occupasset. Ad quam pertinent Lucilii versus, apud Crinitum:

Multa hominum portenta in Homero versificata
Monstra patent: quorum imprimis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes. —— ——

Ovidius *Metamorph.* 14.

Hæc & plura ferox (Polyphemus) *me luridus occupat horror*
Spectantem vultus etiamnum cæde madentes,
Crudelesq; manus, & inanem luminis orbem,
Membraq; & humano concretam sanguine barbam.
Mors erat ante oculos, mentiq; hærebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum
Ter quater affligi sociorum corpora terræ,
Quæ super ipse jacens, hirsuti more leonis
Visceraq; & carnes, oblisisq; ossa medullis
Semianimesq; artus avidam condebat in alvum.

Homerus *Odyss.* 9.

Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥστε σκύλακας ποτὶ γαίῃ
Κόπτ' ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.
Τὰς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὡπλίσσατο δόρπον,
Ἤσθιε δ' ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν
Ἔγκατά τε, σάρκας τε καὶ ὄστεα μυελόεντα.

Multi, inquit Servius, Polyphemum dicunt unum habuisse oculum, alii duos, alii tres, sed totum fabulosum est. Nam hic vir prudentissimus fuit, & ob hoc oculum in capite habuisse dicitur, id est, juxta cerebrum, quia prudentiâ plus videbat. Verùm Ulysses eum astutiâ superavit, & ob hoc eum excæcasse fingitur. Vide Hygin. &c.

Polyphilus, nomen adscititium Francisci Columnæ, qui *Hypnerotomachiam* scripsit, sec. 15. Voss. *de Hist. Lat.*

Polyphontes, rex quidam, qui fratrem interfecit, quòd intellexisset ab eo sibi parari insidias, Gellius 4.2.

Polyphradmon, nepos Polyphradmonis, Pater Phrynichi; ob carminum præstantiam & suavitatem *Apis* dictus. Vide Scholiast. *in Aves Aristoph.* Vixit 70. Olympiad. & tragœdias composuit, Suidas.

Polypodusa, insula Cnidia. Gentile *Polypodusæus*, Steph.

Polypœtes, filius Pirithoi & Hippodamiæ, Homer. *Iliad.* 12.

Polyren, urbs Cretæ, quòd habeat *multas oves*, quas ῥῆνας vocant, Stephanus.

Polysperchon, ex ducibus Alexandri Magni, fortitudine inclytus: tutor Principum, mortuo Alexandro, ab Antipatro constitutus. Libertatem hic restituit Græciæ urbibus, & in Macedonia potens, Herculem, fil. Alexandri eò vocatum, neci dedit: Postea in prælio occisus, cùm jam antè filium perdidisset, Curt. *lib.* 4. 5. *& seqq.* Diod. Sic. *lib.* 18. *&* 20. Justin. *lib.* 13.

Polystephanus, historicus, inter alios laudatur à Scholiaste Apollonii *in lib.* 1. & Gellio 9.4. qui eum reponit inter Græcos scriptores non parvæ authoritatis: sed quorum libri contineant res inauditas, & fidem penitus excedentes. Item *Polystephanus* olim dicebatur Tibur, Italiæ urbs, Steph. Vide *Praneste.*

Polystratus, miles Macedo, qui confossum, sed tamen spirantem adhuc Darium, in valle quadam fortè reperit, Curt. *lib.* 5. 58.

Polytelia, opp. Mesopotamiæ.

Polytimetus, Scythiæ intra Imaum fluv. Ptol. Sogdianæ fluv. apud Qu. Curtium. *Amo* Nigro dicitur.

Polytropus, à Lacedæmoniis missus dux adversus Arcades, cum mille civibus, quingentis Argivis & Bœotiis exsulibus. Sed apud Orchomenum Arcadum à Pycomede occisus est, Diodor. 15.

Polyxelus, Comicus Græcus, cujus fabulas enumerat Suidas.

Polyxena, Priami filia formosissima ex Hecubâ conjuge, quam Pyrrhus Achillis filius Trojâ captâ, ad patris tumulum jugulavit. Ferunt enim Achillem, cùm ad Trojam bellum gereret, Polyxenam fortè in mœnibus conspectam adamasse, eamque uxorem sibi postulasse. Quod cùm Priamus annuisset, placuit, ut in Thymbræi Apollinis templum convenirent, pacis nuptiarumque fœdera inituri. Verùm cùm id rescivisset Paris, post Apollinis simulacrum sese occultavit, Achillemque nil tale opinantem sagittâ interfecit. Captâ deinde Trojâ, cùm & Polyxena viva in hostium manus pervenisset, Achillis umbra Græcorum proceribus in somnis apparuit, præcipiens, ut Polyxena, cujus nuptiarum prætextu erat interfectus, inferias sibi mitteretur, cujus crudelitatis Pyrrhus ministrum se præbuit. Ovid. *Metam.* 13.

Placet Achilleos mactata Polyxena manes.

Propertius *lib.* 2.

Nec minus hæc nostri notescet fama sepulchri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.

Hinc *Polyxenius.* Catullus *in Nupt. Pel. & Thet.*

Alta Polyxeniâ madefient cæde sepulchra.

Polyxenus, inter Græcorum duces numeratur ab Homero *Iliad.* 2.

Polyxenus, Atheniensis, cùm quendam juvenem humanâ specie augustiorem conspexisset impudicè, amisso visu cæcus factus est, Plutarch. *in Paral.*

Polyxo, xûs, mulier ex Lemno insula Apollinis vates, quæ Lemniaci sceleris dux & hortatrix fuit. Nam cùm Lemni mulieres, ob spretam Venerem, hircum olerent, maritique ex Thracia uxores sibi eam ob causam asciscerent, Polyxûs instinctu omnem virilem sexum interemerunt, solâ Hypsipyle exceptâ, quæ Thoanti patri suo pepercit, Statius 5. *Theb.*

Polyzelus, Archon Athenis, Olymp. 103. An. 2. Item Poëta Græcus.

Polyzelus Rhodius, celebratur in Solone. Scripsit inter alia etiam Rhodiaca, quæ citat Athenæus *lib.* 8. Meminit ejus quoque Jul. Pollux, 10. 21. & 15. 21. Plaut. *in Sol.* Hyginus *in Poëtic. Astronom.* ubi de Ophiucho tractat. Vide quoque Voss. *de Hist. Græc.* Item alius Messenius, Olymp. 50. historiographus, Ibyci poetæ pater, ut videtur, Suid. in Ἴβυκος.

Pomaria, arx Lombardiæ Cispad.

Pomarius, Hercules dictus, quòd apud Bœotos illi malis sacra fieri mos esset. Vide proverb. *Pomarius Hercules.*

Pomerania, Wandalica reg. ad mare Balticum sita, sic dicta à Pomesano, Vidunti primi Borussiorum Regis filio, *Pomesania* primò, Merel. à primis verò cultoribus patriâ linguâ, hoc est, Wandalicâ, *Pamorzi* appellata est, ab indigenis inhabitata & propriis dominis gubernata; alienis autem nunquam subjecta fuit. A Boleslao Polono ad fidem Christi, cum Cassubia, compulsa est, An. C. 1120. est ubique fertilis, aquis irrigua, stagnis abundans, navibus pervia, dives agris, pascuis, pomis, lignis, rivis, montibus, venatione, pecore, piscibus, frumento, butyro, melle, cerâ, & aliis similibus rebus. Est quoque optimè culta civitatibus, oppidis, arcibus & vicis; nec ullus est locus in eâ vacuus, aut incultus, nisi quem aut lacus, aut montes occupant. Usa est ante susceptum Christianismum linguâ Wandalicâ, moribusque propriis vixit, donec Romano Imperio subacta est. Tunc enim unà cum religione, Saxonicam linguam amplexa est, quam in hunc usque diem retinet, Munsterus. Olim sub propriis Ducibus, quorum familiæ origo à Mistevone Vandalorum Rege arcessitur: Hujus, inter alios, filius Bogislaus, pater fuit Suantibori: qui à Bela Ungaro, auspiciis Miecislai Poloniæ Reg. victus, & ad fidem adductus, mox in libertatem & gentilismum se vindicavit. Ejus filii Wratislaus & Ratiborus Citeriorem, Suantopulcus verò & Boguslaus, Ulteriorem Pomeraniam sortiti sunt: quorum posteriorum stirpe extinctâ in Mestovino, An. 1295. partem ditionis Crucigeri occuparunt, An. 1313. reliquâ cis Stolpam ab agnatis vindicatâ. E prioribus Ratisbori linea, in Bartholomæo An. 1224. deleta est, Wratislaus verò familiam diutius propagavit, ab Ottone Bambergensi baptizatus. Pater Casimiri & Bogislai II. qui à Friderico Barbarossa, An. 1181. duces creati sunt, datâ in Imper. sessione. E Casimiri stirpe ultimus Casimirus III. Obiit An. 1271. Bogislaus genuit Bogislaum III. & Barnimum I. qui mortuus An. 1287. per filium, Ottonem & Bogislaum, Stetrinensem & Wolgastensem ramum sevit. Otto Stetinum nactus est, pater Barnimi M. qui, in casum deficientis prolis, Brandeburgicis successionem addixisse dicitur: cujus posteris in Ottone III. Ann. 1464. extinctis, acre propterea bellum, inter Brandeburgicos, quibus Fridericus III. feudum contulerat, & agnatos Wolgastensis rami, ortum est. Bogislaus IV. Wolgastum tenuit, pater Wartislai IV. qui præter Wartislaum V. prosevit Bogislaum V. cui Pomerania Or. & Barnimum IV. cui Occidentalis cessit. *Prioris* posteritas desiit in Erico I. An. 1459. cujus ex sorore nepos Christophorus C. Pal. Rheni, post avunculum, Septentrionalium regnorum Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ rex electus est. *Posterior*, conditor arcis Wolgastanæ, cum Barnimo III. à Carolo IV. *Venatoris Imperii* dignitate exornatus est. Mortuus An. 1365. reliquit Bogislaum ἄπαιδα, & Wartislaum VI. Cum cujus posteris An. 1471. Albertus Brandeburgicus convenit, ut Stetinensem Ducatum à se in feudum acciperent. Cumque iterum Bogislaus X. homagium negaret, ad arma rursus, sed res denuò composita est, connubio Margaretæ Brandeburgicæ. Hic, è Palæstinâ redux, Wittebergæ Lutherum audiit: Extinctus An. 1523. Ex filiis ejus Georgius, cum Brandeburgicis iterum transegit, An. 1528. ut quoties homagium ducibus præstaretur, simul juramento successio in casum futurum firmaretur. Alter Barnimus, per Bugenhagium, in ditionem Evangelicam doctrinam induxit. Ei successit An. 1573. ex fratris filio Philippo, natus Joh. Fridericus, qui absque mascula prole obiit, An. 1600. ut & fratres ejus Barnimus V. An. 1603. & Casimirus IX. An. 1605. Duo supererant Philippi filii, Bogislaus XIII. qui An. 1606. defecit & Ern. Ludovicus, quorum ille, Philippum II. genuit, mortuum An. 1618. Franciscum, & Bogislaum XIV. qui ultimus familiæ, totius Pomeraniæ dominus, à Cæsareanis miserè expilatus est, An. 1627. recepto dein in ditiones Gustavi Adolphi exercitu, Ann. 1630. Obiit Ann. 1637. Cujus successio cùm, ex antiquo pacto, ad Brandeburgicos deferenda fuisset, pace Monasteriensi ita dispositum est, ut Marchiones Ulteriori, cum aliis quibusdam *Æquivalentia* nomine, contenti, Citeriorem Pomer. cum Rugia Suecis relinquerent: sed hodierno bello rursus Elector Brandeburgicus jus antiquum persequitur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Hist.* Baudrando Pomerania, *Pommern* incolis, *Pomeranie* Gallis, provincia Germaniæ, ad mare Balticum, Ducatus titulo nobilis ab Anno 1182. est in circulo Saxoniæ superioris. Terminatur à septentrione mari Baltico, ab oriente Prussiâ, à meridie Marchiâ Brandeburgicâ, & ab occidente Ducatu Megalopolitano. Antea Duces habuit proprios; sed mortuo Bugislao ultimo Duce, Pomerania bipartita fuit pace Monasteriensi & Osnabrugensi; Pomerania enim citerior seu cis Oderam fluvium concessa fuit Suecis, cum tribus ostiis Oderæ, & *Dam*, & *Golnow* oppidis trans Oderam, & Rugia insula in mari Baltico: Pomerania verò ulterior seu inter Oderam & Prussiam concessa fuit Ele-

ctori

ctori Brandeburgico. Pomerania autem dividitur in decem partes, suntque Ducatus Stetinensis, *Herzogthumb Stetin*, Principatus Rugiæ, *Furstenthumb Rugen*, Dominium Barthense, *Herrschafft Barde*, Dominium Volgastense, *Herrschafft Wolgast*, & Comitatus Gutzoviensis, *Graffschafft Gutzkou*, in citeriori, & sub Dominio Suecorum: Ducatus verò Pomeraniæ, *Herzogthumb Pommern*, Ducatus Cassubiæ, *Herzogthumb Cassuben*, & Ducatus Vandaliæ, *Herzogthumb Venden*, in ulteriori, sub Electore Brandeburgico; iterum Dominium Buthovii, *Herrschafft Butovv*, & Dominium Lavemburgi, *Herrschafft Lovvenborch*, quæ duo ipsi concessa fuere à Rege & regno Poloniæ. Totius autem provinciæ caput est Stetinum, *Stetin*, ad Oderam.

Pomeraniæ urbes:

Anclamum, *Anclam*: Suecis subest.
Bardum, *Barde*, Suecis subest.
Butovium, *Butovv*, Brandeburgico subest.
Caminum, *Camin*, Brandeburgico.
Colberga, *Colberg*, Brandeburgico.
Golnovia, *Golnovv*, Suecis.
Griphisvaldia, *Gripsvvalde*, Suecis.
Gutzovium, *Gutzkovv*, Suecis.
Lavemburgum, *Lovvenborch*, Brandeburgico.
Stetinum, *Stetin*, Suecis.
Sunda, *Stralsund*, Suecis.
Treptovia, *Treptovv*, Brandeburgico.
Volgastia, *Wolgast*, Suecis.
Vollinum, *Wollin*, Suecis.
Usedomia, *Usedom*, Suecis.

Pomerellia, regiunc. Prussiæ regiæ, inter Vistulam fluv. ad Ort. & Pomeraniam ad Occ. ubi urbes Conitza & Slochova.

Pomeriola, vulgò *Pomereaulx*, pag. agri Cameracensis.

Pameriola, oppidum regni Legion. à Legione 3. leuc. *Manzanilla*, vel *Manzera*. Item opp. Hispan. Bæt. inter Hispalim 7. & Elepiam 4. leucis.

Pomerium, opp. regni Valentiæ, *Mancanera*.

Pomerius, vide *Julius Pomerius*. Hunc confundit Trithemius, aliique cum Juliano Toletano, cui etiam hoc nomen fuit. Sed ille 5. seculo, hic demum sub finem septimi floruit. Gennad. *de Script. Illustr.* Isid.

Pomesania, tractus Prussiæ Duc. aliquot leucis ab Elbinga in Austr. uti à Mariæburgo, sub Electore Brandeb. ubi opp. Salfelda, Lipstadium & Osterodia.

Pometia, urbs olim Italiæ, Latinorum colonia, juxta Pontinam paludem. A Romanis deleta, quòd ad Auruncos defecisset. Livius *lib.* 2. *dec.* 1.

Pometina, una ex 35. tribubus pop. Romani.

Pomona, Nympha Latialis, hortorum Dea: quam cùm Vertumnus miserè deperiret, in alias atque alias identidem sese formas trasmutavit, ut saltem amatæ conspectu frui posset. Tandem in anum conversus multis argumentis ei persuadere conatur, ut Vertumno nubat. Verùm cùm nihil aliud, quàm operam se ludere animadverteret, pristinâ resumptâ forma non admodum invitæ vim intulit, nuptiisque ejus est potitus. Picus quoque Latinorum rex eam adamavit, propter quod Circe conjux illum in avem sui nominis transmutavit. Inde *Pomonalis*, Flamen Pomonæ Deæ. Alex. ab Alexand. 6. 12. *Post aliquot verò tempestatis, aucta civitate quum augeri sacerdotia oporteret*, 15. *Flamines constituti fuere, qui omnes à Diis, quibus sacra faciebant, cognomenta sortiti sunt, quorum primus Dialis, ultimus Pomonalis.* Ejus meminit Ovidius *Metam.* 14.

Rege sub hoc Pomona fuit, quâ nulla Latinas
Inter Hamadryades coluit solertius hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera fœtûs,
Unde tenet nomen.

Pomona, insula Orcadum primaria, cum urbe cognomine, vulgò *Kirckvval*; insula verò *Mainland* dicitur, ab Ortu in Occ. extensa ad 22. m. p. In ea sunt 8. castra cum urbe ec. prim. Carcovica *Kirckvval*, in parte Bor. Insulæ, vixque 15. m. p. distat ab ora Scotiæ in Sept. Baudr.

Pomona, locus Latii, in agro Solonio, in via Ostiensi, media inter Romam & Ostiam, utrinque supra 8. mill. pass. à Pomona Dea pomorum.

Pompei Dii, qui & *Averrunci*, vide *Emissarii*.

Pompeja, Sexti Pompeji ex Scribonia, filia; desponsa Marcello, pignus pacis cum Triumviris initæ: sed non deducta, nupsit postea Scribonio Liboni.

Pompeja, uxor tertia Jul. Cæsaris, filia Pompeji. Hanc mortuâ Calpurniâ Cæsar sibi junxit, mox repudiatam, ob adulterii cum Clodio, inter Bonæ Deæ sacra, suspicionem. *Non enim culpâ solum, sed & culpa suspicione Cæsaris uxorem vacare debere*, dixit: Sueton. & Plutarchus, *in Julio*.

Pompeja Macrina, uxor Argolici, à Tiberio in exilium missa, Tacit. *Hist.* 6. 18.

Pompeja Paullina, filia Pompeji Paullini, Consularis & vectigalibus præfecti, uxor L. Annæi Senecæ.

Pompeja Plautina, Imperatrix optima, quæ Julianum Imper. maritum suum divertit ab extorquendâ populo pecuniâ, & colligendo fisco. Sextus Aurel. Item Cn. Pompeji filia, & neptis Syllæ, uxor Julii Cæs. quæ ab eo repudiata fuit, quòd venisset in suspicionem adulterii cum Clodio commissi inter sacra Bonæ Deæ. V. supra.

Pompeja tropæa, locus Hispan. in Gall. Narbon. confin. ad Pyrenæi montis radices, apud Templum Veneris, à Narbone 56. m. p. in Astrum.

Pompejacum, castrum pagi Aginnensis, ubi S. Vincentius passus dicitur; cujus sepulcrum ibi stanneis tegulis, à Leontio Burdigal. Episcop. tectum ostenditur. A Pompejo aliquo denominatum: dicitur quoque *Passio S. Vincentii*. Gregor. Tur. *Hist. lib.* 7. *cap.* 35. *lib. de gloria Mart. &c.* Vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Pompejanum, villa Ciceronis prope Nolam, à Neapoli 12. m. p. Locus hodie *Pomigliano*, teste Ambrosio Leone. Blondo autem *S. Maria Nuntiata*, vel *Anontiata*.

Pompejanus Ælianus, juvenis Quæstorius, tanquam flagitiorum Fabiani in subdendo testamento gnarus, Italiâ & Hispania, in quâ ortus erat, prohibitus est tempore Neronis, Tacit. 14. 41.

Pompejanus Lupercus, Consul cum Attico Atiliano, An. U. C. 881. Alius Consul cum Lolliano Avito, An. U. C. 961.

Pompeji, **Pompejum** Sallustio, Senecæ, ac Tacito, colon. & opp. Campaniæ in orâ apud Sarnum fluv. Stabias urb. & Vesuvium mont. ubi nunc *Castel à mare di Stabia*, teste Collenutio, à Neapoli 18. m. p. Salernum versus, ab Hercule conditum, cùm boves Geryonis abduceret, teste Solino. Baudrando, hodie *Torre del Annunciata*: in ora Sinus Neap. ad ostia Sarni fluv. Dicitur & *Pompejanum*: 10. mill. pass. à confinio Princip. citer. L. tamen Holstenio *Pompeji* fuere, ubi nunc maxima visuntur rudera, loco, qui *Città* vulgò, ubi Ambrosius Nolanus Stabias fuisse credidit. Hinc *Pompejanus*, Stat. *Sylv. lib.* 1. *Carm.* 2.

Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.

Pompeji villa, locus Campaniæ apud Avernum lacum, *Magnavello* hodie, ab Hercule conditus, cùm boves Geryonis abduceret. Sed hic locus *Pompeji* est, de quo prius. Ferrarius.

Pompejopolis, Metropolis Navarræ, Episcop. sub Archiepisc. Burgensi. Vulgò *Pampelone*: à Pompejo fundata, Vasconum caput. Hanc Carolus M. in Hispaniam transiens, captam mœnibus nudavit, An. 778. Ejus & Aragoniæ, primus Rex Abarca factus est, An. C. 895. Vasæus *in Chron.* Sub Hispanis hodie, à quo Navarræ regnum Johanni Albretano Reg. ereptum est. Cum arce à Philippo II. extructa. Prudentius Sandovalius, *de Episcop. Pompejop.* Garibay, *lib.* 22. *& seqq.* Strabo *lib.* 3. Mariamna *lib.* 3. *& seqq.* Marca. *Hist. Bearn.* Oihenart. *Notit. utriusq. Vasconiæ.* Favin. *Hist. Nav. &c.* Hic Concilium An. 1032. 1355. 1459. læsusq; in obsidione Ignatius Lojola, Jesuitici Ord. auctor. Vide *Pampilone*.

Pompejopolis, urbs gemina; Una Ciliciæ maritima, prius *Soli*, dein à Pompejo, victis piratis, nomen accepit. Episcop. postmodum facta, sub Archiepisc. Seleuciensi, nunc eversa & in vicum redacta; *Polejoli* dicta, inter Sebasten & Lamum ad Occid. & Tarsum ad Ort. Altera in Paphlagoniâ, prius Eupatoria, postea devicto Mithridate à *Pompejo M.* sic appellata, & ipsa eversa. Fuit hæc olim Metropolitæ sedes, sub Patr. Constantinop. Plin. Ptol. Solin. Pompon. Mela, &c. Prior *Trajanopolis* etiam dicta, ibi enim Trajanus obiisse fertur.

Qu. Pompejus, primus ex hac familia, Consul, contra Numantinos missus, ab eisque superatus, turpem & ignominiosam pacem fecit, Florus. Hujus filius, sive nepos, Cn. Pompejus Strabo, Magni Pompeji pater, Novocomum coloniam deduxit; in bello sociali Imperator creatus, de Picentibus triumphavit, vir admodum duræ disciplinæ. Cùm ei non prorogaretur magistratus, Cinnæ se hostem professus, tandem cruento cum illo prælio, in urbis conspectu, conflixit. Peste dein per utrumq; exercitum grassante, & ipse obiit: cujus ablati voluptas jacturâ civium pensata est. In ejus cadaver sævierunt cives, ipse verò nihil unquam, nisi in rem suam egisse, dicitur. Plut. *in Pompejo.* Vell. Paterculus *lib.* 2. qui plures Pompejorum familias fuisse scribit.

Cn. Pompejus, prioris ex Lucilia filius, qui ex rerum gestarum magnitudine, *Magni* cognomen invenit. Natus An. 648. U. C. eodem tempore, quo Cicero, ut hic testatur *de Orat.* ad Eloquentiæ culmen pervenire cùm posset, militarem gloriam prætulit: Impensè laudatus à Vellejo Pat. Quamprimum togam virilem sumpsit, meruit sub Patre. Dein anno ætat. 23. cum legionibus tribus proprio ære conductis, L. Syllæ partes secutus est, ab eoque ad ulciscendos inimicos in Africam missus, Siciliam recepit, Domitium primùm expugnavit, deinde & Jarbam regem cepit, de quo triumphavit ante legitimam ætatem, An. 673. U. C. Quare ab exercitu Syllæ *Magnus* est salutatus. Syllâ paulo pòst mortuo, Lepidum Româ cedere coëgit, quòd acta Syllæ rescindere vellet, arma capientem, junctus Catulo vicit. Inde contra Sertorium in Hispan. profectus, Metelli copiis sese conjungens eum cum totâ factione sustulit: iterum triumpho potitus, paulo ante Consulatum: quo durante Tribunis Potestatem ademptam reddidit. Mox delectus Imperator ad bellum Piraticum, tribus mensibus id confecit. Dein successor L. Lucullo missus, de Mithridate triumphavit. Tigranem Armeniæ regem et ad genua procumbentem in regnum restituit, Inde Medos, Iberos, Albanos, Colchos, Heniochos, Achæos, Parthos

Parthos & Judæos debellavit, capto eorum rege Aristobulo. Romam reversus, incredibili omnium lætitiâ exceptus est, inprimis quòd dimissis copiis, contra omnium opinionem, urbem intrasset: Triumphum autem egit magnificentissimum, maximâ, ab omni hominum memoriâ, prædâ ærario illatâ: Ad apicem felicitatis evectus, Europâ, Asiâ & Africâ triumphatis. Post hæc Cæsaris, cujus potentiam jam subvereri inceperat, filiâ Juliâ ductâ, cum illo Crassoque Triumviratum iniit, sed minimè diuturnum inter æmulos. Extinctâ dein cum filiolo uxore Julii Cæsaris filiâ, Corneliam Scipionis filiam, à P. Crasso M. filio vi suam relictam uxorem duxit. Neapoli demum acutissimâ febre correptus, parum abfuit à morte, quæ si contigisset, melius cum eo actum fuisset, ob insequentis belli civilis calamitatem. Cùm enim Hispaniam sibi decerni curasset, Cæsar autem arma ponere juberetur: hic Rubicone trajecto, Romam venit, unde profectus Pompejus, in Siciliam primò, dein in Hispan. tandem in Macedoniam fuerat, cum immenso exercitu. Mox Pharsalicâ pugnâ à Cæsare insequente, copiis longè inferiore, superatus, in Ægyptum fugiens, regis perfidiâ, consilio Theodoti præceptoris, ab Achillâ præfecto interfectus est. A. 706. U.C. pridie diei natalis, Vellej. Paterc. *Hist. lib.* 2. Plut. *in Pomp.* Florus *lib.* 4. Appianus, Dion, Eutrop. Euseb. Oros. &c. Filios reliquit Cn & Sext. Pompeios: quorum ille apud Mundam Hisp. urbem terrestri, hic apud Siciliam navali prælio superatus fuit. V. infra. Lucan. *lib.* 1.

—— *Alter* (Pompejus) *vergentibus annis*
In senium longoq; toga tranquillior usu
Dedidicit jam pace ducem: famaq; petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plausuq; sui gaudere theatri.
Nec reparare novas vires, multumq; priori
Credere fortunæ: stat magni nominis umbra.

Pompejo M. Adrianus Imp. in Ægypto, apposito versu:

Ossa viri magni tenui quàm clausa sepulchro!

parentavit, An. Chr. 131. Ælius Spart. *in vita ejus, &c.*

Cn. Pompejus, filius Pompeji M. juvenis incredibili vigore, & militari penitus ingenio, ingenti comparato exercitu, paternis amicis undiq; auxilia ei summittentibus, prælio ad Mundam, prope *Ronda Vieja* hodie, in regno Granatæ, Cæsarem eo adegit, ut de victoria desperans, jam sibi mortem consciturus esset. Post tamen, hoc, suorum monitu, redintegrante prælium victus, in fuga periit. Frater ejus *Sextus* jun. fugâ elapsus est, animo inquieto & ultionem spirante. Hic servis piratisque collectis, Siciliâ potitus: postmodum cum Augusto & M. Antonio pacem iniit: quos cùm in nave sua convivio excepisset, *in Carinis*, se illos excepisse jocatus, quod nomen Pompejanis ædibus erat, tum ab Antonio Romæ possessis; accessit quidam ab amicis, eum submonens, ut, utroq; quod facilè poterat, sublato, se Dominum Orbis faceret: Sed is noluit, fidei illis datæ, memorabili in omne ævum exemplo, tenax. Renovato dein bello, mari victus, ad Antonium se recepit, inde in Asiam transiit, ubi Titius eum captum Miletum deduxit, dein Antonii & Planci Syriæ Præsidis jussu, occidit. Vellej. Paterc. *lib.* 2 Florus *lib.* 4. Dion *Hist. R.* Hirtius vel Opius, *Bell. Hispan.* Plutarch. *in vita Cæs. & Antonii, &c.*

Sext. Pompejus, cum Apulejo Consul; dein Asiæ proconsul, comite Valer. Max. à quo *lib.* 4. *cap.* 7. plenâ manu laudatur. Vocat ibidem clarissimum & disertissimum virum. Nec dissentit Ovidius, qui vitam illi suam fortunasque non uno loco refert acceptas, ut *lib.* 4. *de Pont. Eleg* 1. *&* 4. 5. ut appareat hunc Sextum amicum unicè fuisse Musis studiisque. Hujus pater Sext. Pompejus. Hisp citer. princeps, quum horreis suis ventilandis prçsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, levatusq; sanatis pedibus mirabili modo, hoc postea remedio usus est, Plin.

Qu. Pompejus Rufus, Syllæ e filiâ nepos, Tribunus Plebis cum T. Numantio Planco adversissimus Miloni; in cujus causâ dixerat paucis pòst diebus, quàm Clodius esset occisus; *Milo dedit, quem in Curiâ cremaretis: Ego dabo, quem in Capitolio sepeliatis.* Idem Milonem ad se venientem in hortos, aspiciens, misit nuntium, ne veniret.

Qu. Pompejus Bithynicus, summo studio di ens, multaque doctrinâ, incredibilique labore atque industriâ. Hujus actio non satis commendabat orationem; in hâc enim satis erat copiæ, in illâ leporis parum. Cicero. *in Bruto.* Festus quoque de eodem sic ait: Pompejus Bithynicus è supellectili regiâ signum ephebi mitram tenentis, arenamque tuentis, exercitationis gratiâ, more Græcorum, Romam portavit, & in Capitolio posuit.

Pompeius Columna, Cardinalis. Filius Hieronymi, nepos Prosperi, Ducis celeberrimi, & Johannis similiter Cardinalis. Occiso patre in seditione, à Prospero fratre tutore suo, traditus est viris eruditis, qui ipsum in liberalibus artibus instituerent. Sed ad arma inclinatur, diu in bello meruit, donec, Tutoris jussu, Ecclesiasticam vitam amplecteretur, ut Johannis patrui beneficiis frui posset. Fecit id ægrè, & Episcopatu, aliquotque Abbatiis vix ornatus, ab Hispano quodam ad duellum provocatus comparuit: sed impeditus ab accurrentibus amicis, quò minus certamine penitus defungeretur, ex indignatione sacerdotalem tunicam in frusta discerpsit. Post hęc, vano de Julii II obitu, rumore sparso, coacto juvenum globo, Capitolium occupavit, hinc beneficiis suis orbatus, quæ agnato ejus concessa sunt. Reconciliatus tamen cum Julio, ab hoc per literas ad se vocatus est: sed cùm Episcopi titulus in iis non adesset, in furorem actus, illas recusavit recipere. A Leone dein X. purpurâ donatus, subscripsit electioni Adriani VI. contra Julium de Medicis, quem oderat; quorum contentio, etiam post Adriani mortem, per bimestre electionis dilatæ causa fuit. Unde Epigramma:

Ecce iterum è summo dejectam culmine Romam
Pompeji & Julii mens furiosa premit.
Brute pium, Photine pium nunc stringite ferrum,
Quid servasse juvat, si peritura fuit?

Lite dein compositâ, ex familia Medicea Clemens VII. emersit: quæ postmodum ita recruduit, ut hinc Roma bis caperetur, semel ab ipso Cardinali, juncto Hugoni Moncadæ; dein à Connestabili Borbonio, An. 1526. & 1527. Tandem Vice Rex Neapolis factus. Obiit An. 1532. æt. 53. Mæcenas literatorum, liberalis & magnanimus. Scripsit opus, in laudem Fœminei Sexus. Paul. Jov. *in vita Columm.* Guiccard. *lib.* 10. Auberius *Hist. Cardin.*

Pompejus, tribunus militum, detectâ conjuratione Pisonianâ, exutus tribunatu, quasi Principem non quidem odisset, sed tamen existimaretur, Tacit 15. 71.

Pompejus Lenæus, Pompeji M. libertus, Grammaticus insignis, qui de herbis & plantis scripsit, Commentariosque Mithridatis de Medicina Latine vertit. Plin. *lib.* 25 *cap.* 2.

Pompejus Longinus, Prætoriæ cohortis tribunus gratiâ Galbæ constitutus; ideo, oriente seditione, Prætorianorum manibus coërcitus exarmatusque est, Tacit. *Hist.* 1. 31.

Pompejus Macula, de quo sic Macrobius *Saturn. lib.* 2. Faustus Sullæ filius, quum soror ejus eodem tempore duos mœchos haberet; Fulvium Fullonis filium, & Pompejum Maculam; *Miror*, inquit, *sororem meam habere Maculam, quum Fullonem habeat.*

Pompejus Paullinus, vectigalibus publicis à Nerone præpositus, Tacit. *Hist.* 15. 18.

Pompejus Plama, auctor belli, inter Ottonem & Vitellium gesti, Lipsi. *in lib.* 2. *Tac* Item, Nobilis Rhætus, qui patriæ suæ, & popularium proditor, Philippo III Hispaniarum R. in Laniena Volturenorum, operam suam vendidit, immaniter in fideles sæviens. Hist. Rhæticæ.

Pompejus Propinquus, Belgicæ Procurator, Tacit. *Hist* 1. 12. à Vitellio interfectus, 58.

Pompejus Saturninus, eruditione & scriptis inclytus: de quibus vide Plin. *lib.* 1. *epist.* 16.

Pompejus Silvanus, consularis legatus in Mœsico exercitu, senex dives, Tacit. *Hist.* 2. 86.

Pompejus Urbicus, illustris Eques Romanus, ob adulterium cum Messallinâ jussu Claudii supplicio subjectus, Tacit. 11. 35.

Pompelon, urbs Hisp. Tarr. Vasconum seu Navarræ metropolis, & conventus juridicus, à Pompejo M. condita, & *Pompejopolis* dicta, teste Strabone. Vulgò *Pampilona*, An. 735. unà cum Jacca, Virovesca, &c. victis Mauris, ab Alphonso R. recepta, sedet ad Argam fluv. 20. leuc. Gall, à Bajona in Merid. 16. à Calaguri in Cæc 39. à Cæsaraugusta in Bor. Permunita, cum arce valida à Philippo II. Rege extructa, sub Hispanis, ex quo Navarram occupavit Ferdinandus Aragoniæ R. Quibusdam *Martua* dicta fuit. Popul. *Pompelonenses*, Plin. *lib.* 3. *cap.* 3.

Pompelon nova, urbs novæ Granatæ, versus montes, recens ab Hisp. extructa, in America.

Pompilius, secundus Romanorum rex, qui & *Numa*, dictus est. Hinc *Pompilius* adj. ut *Pompilius sanguis* apud Horatium.

Pompilius, Theophrasti Peripatetici servus, qui postea inter illustres philosophos est habitus, Gellius 2. 13.

Pompilius Andronicus, Syrus, Grammaticus celebris, docuit Romæ, Jul. Cæsaris præceptor. Hunc quoque Cicero, jam Prætor, frequentare solitus est. Dicitur tandem Cumas se recepisse, & inopiâ pressum, Annales suos vendidisse. Suet. *in illustr. Gramm.*

Pompiscus Arcas, Dux plenus consilii & manu promptus, de quo Polyæn. *lib.* 5.

Pompo, Civis è Curibus, oppido Sabinorum, Pater Numæ Pompilii.

Pomponatius Petrus, Mantuanus Aristotelis sectator insignis, docuit Bononiæ & alibi, Pauli Jovii præceptor. Cum Aristotele & Averroë, Animarum mortalitatem asseruit: Reprehensus, respondit, se hoc dogma ut Philosophum defendere; ut Christianum verò improbare. Sed propriè horum neuter fuit, verùm juventutis corruptor. Scripsit, *de Fato, & de incantationum occulta potestate.* Obiit stranguriæ cruciatibus tortus. An. 1512. æt. 63. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 71. Ricciol. *Chron. reform.*

Pomponia, nomen matris Scipionis; alii *Pompejam* vocant.

Pomponia Græcina, Soror vel filia Pomponii Græcini, qui consul sub Augusto; & ad quem Elegia Ovidii *lib.* 4. *de Ponto* Plautio nupta, Christianismi, sive ut tunc confundebatur, Judaismi accusata, ac mariti judicio permissa est. Is prisco instituto propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit & insontem nunciavit, Nerone secundùm L. Pisone Coss. Tacit. *Hist.* 13. 31. Longa huic Pomponiæ ætas & continua tristitia fuit. Nam, post *Juliam* Drusi filiam, dolo Messalinæ, interfectam, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi mœsto egit, idque illi imperitante Claudio impunè mox ad gloriam vertit.

Pompo-

Pomponiana, insl. Gall. Narbon. una Stœchadum, ante Massiliam sita. Plin. 3. 5. *Porfecros*, Sansoni. Honorato Boucheo est *Porquerelles*, altera Insl. ei adjacens ad Occ. Telonem versus. Vide *Stœchades*.

Pomponii, à Numæ F. fluxerunt, quanquam plebeji: cognominibus Mathone, Attico, Musâ, Molone, Flacco & Vitulo distincti. Summos Romæ honores adepti fuerunt. Sunt qui *Pomponios* ante Urbem conditam fuisse scribant majorumque gentium Patricios existimant eos fuisse, ex qua gente fuit Faustulus Romuli educator. Duplex fortè etiam Pomponiorum genus fuit.

Pomponius, tribunus plebis, cùm T. Manlio Patricio diem, urgentibus Servilio Ahala & L. Genutio Coss. dixisset, à Filio ejus T. Manlio, posteà Torquato dicto, ad secretum colloquium vocatus, & gladio stricto multo terrore coactus est dimittere accusationem ac jurare, se Patris ipsius causâ nunquam consilium plebis habiturum.

L. Pomponius, Bononiensis, Atellanarum scriptor, quem Solinus ait, quod mirum, nunquam ructasse. Olymp. 173.

Cn. Pomponius, orator, patronus acer, acerbusque dicendo, & lateribus pugnans. Cic. *in Oratore*. Julius item *Pomponius* secundus, tempore Quinctiliani; inter Tragicos longe princeps. Plinius *lib.* 14. *cap.* 4. eum cœnam C. Principi Germanici filio dedisse ait, in quâ vinum 160. annorum fuit

Pomponius Atticus, nobilis eques Rom. excellenti ingenio, amicus Ciceroni intimus fuit. Qui postquam vidit Cinnæ tumultu Remp. esse turbatam, secessit Athenas, ubi longo tempore moratus, & civitatem, & omnium gratiam moribus elegantissimis promeruit, linguamque ita probè didicit, ut *Attici* nomen adsequeretur. Rebus Romæ pacatis, redux, à patruo Q. Cæcilio hæres scriptus est. Ciceroni familiaris, datâ ei sorore amicitiam strinxit arctius, Hortensio simul comprehenso. Bello Civili, inter Cæsarem & Pompejum, Antonium item & Brutum ita se gessit, ut utrinque probaretur: & affinitatem ejus Agrippa quæreret. Honores oblatos constanter renuit, studiis intentus: non a iis servis, nisi qui anagnostæ quoque essent, usus. Condidit Annales, Elogia virorum M. versus aliaque tum Græcè tum Latine. Humanitate, divitiisque præditus fuit, quibus amicos libenter impertiebat. Nam & Ciceronem ab urbe pulsum opibus juvit, & Brutum ab urbe fugientem minis 100. prosecutus est. Erat alioqui gravissimus, ut quæ religiosè polliceretur, præstare niteretur. Mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat. Cic. *in Bruto, & Epist.* Plin. *lib.* 35. *cap.* 2. *&c.* Plut & Cornelius Nepos *in ejus vitâ*. Seneca *ep.* 21. *Nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinent. Nihil illi profuisset gener Agrippa, & Tiberius progener, & Drusus Cæsar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, ni Cicero illum aperuisset.*

Pomponius Bassus, Consul cum Aurelio Fusco, an. U. C. 1010.

Pomponius Bellievræus, Cancellarius Galliæ; fil. Claudii, primarii Præsidis Curiæ summæ Gratianopol. ex Ludovica Faya, Lugdunensi. Postquam Tolosæ & Patavii literis vacasset, Senator Curiæ Camberiacensis, urbe tum à Gallis captâ; constitutus; mox negotiis in Gallia, Germania, Anglia, Polonia, Italia maximis, imprimis Verbinii, ubi pax tum fervebat, adhibitus; eques dein ab Henrico M. creatus est, Ann. 1599. Literatus, & Literatorum fautor: Interfuit collationi Perronianæ, ann. 1600. Obiit Ann. 1607. æt. 78 A. Thuano, Pap. Massono, Scævola Sammartan. pro funere laudatus. Ex Maria Pruneria, pater Nicolai, primarii Præsidis Parl. Parisiensis, avus Pomponii similiter Præsidis, Alberti & Claudii, Archiepiscoporum Lugdunensium.

Pomponius Flaccus, an. 772. Mœsiam provinciam administravit; posteà Syriæ à Tiberio sub initio principatûs præpositus, quòd noctem continuumque biduum epulando potandoque secum consumpsisset. Suetonius.

Pomponius Gauricus, Neapolitanus, Astrologi Paulo III. charissimi, Lucæ, frater. Poëta, plurima scripsit poëmata. Item de Architectura, & Physiognomia, libros edidit, ut & vitas Poëtarum Græcorum: Alchymiæ quoque, nec sine successu, vacasse dicitur. Disparuit tandem, an occisus à nobilis cujusdam fœminæ, quam ille deperibat, cognatis? Paul. Jov. *in elog. doct. c.* 75.

Pomponius Januarius, Consul cum Maxim. Aug. a. U. C. 1040.

Pomponius Labeo, Mœsiæ præfuerat; dein malè administratæ provinciæ atque aliorum criminum postulatus, prohibitus est Cæsaris domo: Ille per abruptas venas sanguinem effudit; æmulata est conjux Paxæa. Paullo Fabio, L. Vitellio Coss. Tacit. VI.

Pomponius Lætus Julius, Neapolitanus; fil. nothus Principis Salernitani. Floruit, cum Platina & Callimacho, sub Pio 2. non æquè sub Paulo II. æstimatus: contra quem conjurationis initæ particeps, Venetias profugit. Reversus posteà Romam, Philosophum vixit, nullâ Religionis curâ habitâ. Edidit epitomen vitæ Cæsarum, à morte Gordiani, usque ad Justinum III. scripsit de Mahomete quoque, de Magistratibus Rom. Obiit Ann. æt. 70. sub Alexandro VI. in extrema inopia. Sabellicus, qui discipulus ejus fuerat, *in vita illius*. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 40. Erasm *in Cicer.* Angelus Polit. *in Miscell. cap.* 73. Lilius Giraldus, *in Hist. Poët. dial.* 4. Pierius Valerianus, *lib.* 2. *de infel. liter.* Voss. *de H. L. libro tertio.*

Pomponius Mela, Hispanus, Mellariâ oriundus, ubi nunc *Bejar de Melena*, in regno Granatensi, sec. 1. insigni opere *de situ orbis* clarissimus, Alphonsus Garcia Moramorus, *de doctis Hisp. viris*.

Pomponius Rufus, Historicus. Val. er. M. *lib.* 4. *cap.* 4. Idem Cons. cum Cn. Pompeio Ferocio Liciniano. Jul. *Pomponius* Sabinus, Interpres Virgilii. An idem cum Pomponio Læto? Voss. *de H. L. l.* 3.

Pomponius Secundus, prænom. *Publius*, Consul An. 782. U. C. iterum sub Cajo An. C. 794. Scriptor Tragœdiarum, cujus vita a Plinio jun. descripta, *lib.* 14. *cap.* 4. Quintil. *lib.* 10. 1. Fabius *lib.* 8. *cap.* 3. Ter. Maurus, *in Centin.* Voss. *de P. L.*

Pomponius Sextus, Jurisconsultus, ex Pandectarum libris notissimus, cum Ulpiano, & Paulo, discipulus Papiniani. A Alexandro Severo à Consiliis, multum sub imperio ejus valuit. Scripsit complura, in Codice & Pandectis sæpe laudata. V. Forster. *Hist. Juris Civ. lib.* 2. *cap.* 79. Nic. Henelium, *de vett. Jurisc.* Gesner. *in Bibl.* Lamprid. *in Alexandro Severo.*

Pomponius Silvanus, Proconsul Africæ, à Provincialibus accusatus, sed absolutus, senectutem orbam ac pecuniosam ultra eorum vitam produxit, qui ipsi periculum facesserent. Tacit. XIII 52.

Pomponius Victorinus, Consul cum Aur. Probo Aug. a. U. C. 1034.

Pomptina palus, Vide *Pontina*.

Pomptinus, prænomine *Cajus*. Allobroges, post Catilinæ conjurationem rebellantes, domuit, Ann. C. 694. usque ad ann. 699. triumphum tamen non egit.

Poneropolis, urbs Thraciæ sub Rhodope monte sita, deinde *Philippopolis* ab instauratore, & postremo *Trimontium* à situ dicta. Plin. 4. 11.

Pongibautum, oppidul. Arverniæ, Merel.

Pons ad Icaunam, vulgò *Pont sur Yonne*, oppidum Galliæ, in Vastinensi tractu, ad Icaunam, & in limite Campaniæ, 3. leucis infra Senones in Boream Lutetiam versùs.

Pons ad Sequanam, *Pont sur Seyne*, oppid. est Galliæ, in Campania provincia, ad Sequanam flumen, decem leucis à Trecis distans in Circium Lutetiam versùs.

Pons Ælii, op. Angliæ in Northumbriâ, inter Novum castrum, & Morpetum. *Penteland*, teste Camdeno.

Pons Ælius, *Ponte di S. Angelo*, unus ex pontibus Romæ apud molem Hadriani, quo ex urbe in Vaticanum transitur.

Pons Æmilius, qui primum sublicius, postea lapideus, *Marmorato* nunc. Juvenal. *Sat.* 6.

Cùm tibi vicinum se præbeat Æmilius pons.

Pons Altus, locus Becco Monasterio, in Normannia, proximus. Vulgò accolis *Pont Auton*

Pons Archiepiscopi, *Puente del Arçobispo*; oppidum Hispaniæ, in Castella nova, cum ponte ad Tagum fluvium, 15. leuc. Hispanicis infra Toletum in occasum Talaveram versùs.

[P]*ons* Arcuensis, seu Pons Arcus, i. fornicis, *le Pont de l'Arche*, urbs Galliæ, in Normannia provincia, ad Sequanam fluvium, cum arce munita, tribus leucis supra Rothomagum in Austrum Ebroicum versùs. Non procul à Sequanæ, & hinc Auturæ, inde Indellæ Confluentibus. Apud Valesinghamium *Pont de la Arche Cueroise* nominatur, i. *Pons arcus currentis*, ibi enim Sequana parvam Insulam facit, & arcus ab uno ponte per Insulam decurrunt ac tendunt ad alterum. Nisi si mavis *Pontem Arcus Quadrati* interpretari, i. arcuum quadratorum: quippe pons ille non rectus, sed curvus & obliquus est: qualem Fregellæ in Campania felice habent, ab eo *Pons curvus* dictæ. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pons Audomari, *Pont-Audemer*, urbs parva Galliæ, in Normannia provincia, ad Rillam fluvium, 2. leucis ab ejus ostiis, & 10. à Rothomago in occasum, Cadomum versus. Sic dicta, quòd Audomarus, vir Francus ibi Risslam parvo ponte junxerit, locumque possederit. Cluverio *Breviodurum* Æthici videtur. Oppidani ejus & municipes, qui communitate fruebantur, non leges solùm, sed etiam reditus quosdam, annulum quoque ad signandas literas, & judices, nimirum Majorem & Pares aut Scabinos, arcas, multasque alias res olim communes habuere. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Pons Aufidi, Anton. In Apulia, à Venusia 18. m. pass. ab Equotutico 69. Hodie non extat.

Pons Aurelius, P. Vict. *Ponte Rotto*, pons Romæ disjectus, inter Ælium, & Sublicium seu Cestium. Ferrar. Baudrando dirutus est, cujus vix visuntur vestigia. Ideo caret nomine.

Pons Aureoli, *Pontirolo*, pagus Insubriæ ad Adduam fluvium, inter illum & Bremburn, ubi Aureolus interfectus à Claudiano Imperatore, à Bergomo 13. m. p. à Mediolano 26.

Pons Axonæ, Cæsari: *Comment lib.* 2. memoratus, de quo V. Hadr. Valesium *Notit Gall.*

Pons Beli, fluvii: quem, eo loco, qui inter Ptolemaidem & pontem interjacet, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo, in ejusdem urbis obsidione Fredericus Frederici Suevi Imperatoris, filius, cum Germanis defendendum suscepit: Venetis & Genuensibus ad Ptolemaidis Orientem, Flandris autem, Hollandis & Frisiis ad ejus Septentrionem stationem habentibus. Herold. *cont. bel. sacr. lib.* 2. *cap.* 7. est in tribu Aser.

Pons Bellovicinus, vulgò *Pont Beauvoisin*, op. Galliæ, in Delphinatu, ad Gieram fluvium, cujus oppidi minor pars, quæ trans

Aa 3 pontem,

pontem, est juris Sabaudici. Vix 2. leucis distat à Rhodano fluvio in meridiem, Gratianopolim versùs 6. circiter.

Pons Cæsaris, ad quem Ludovicus XIII. Gall. Rex Matris Reginæ copias in fugam conjecit, An. C. 1619.

Pons Candidus, Cassiod. *Condmiani* Jornandi, pons erat Ravennæ proximus, ad 3. mill. pass. distans.

Pons Castellanus, opp. Umbriæ, quod origine Joannes Pontanus, vir omni disciplinarum genere præstantissimus, illustravit.

Pons Centesimus, pons & oppidum Umbriæ, ad Tiniam fluvium, inter Fulginium 5. & Nuceriam 7. mill. pass.

Pons Centinus, *Ponte Centino*, locus Italiæ, seu potiùs diversorium fine ponte in agro Orivetano, & in ditione Pontificia; atque in confinio agri Senensis. 5. milliaribus distat ab Acula in Boream Radicofanum versùs.

Pons Cestius, P. Vict. *Ponte di S. Bartolomeo*, Romæ, ad insulam Lycaoniam, quo in regionem Transtyberinam transitur.

Pons Episcopi, *Pont l'Evesque*, oppidum Galliæ in Normannia provincia, ad Tuccam fluvium, 3. leucis infra Lexovium in Boream versùs Portum Gratiæ, & duabus leucis ab ora maris Britannici distans.

Pons Elaveris, vulgò *Pont Alier*, locus Galliæ ad Elaverim: unde nobili familiæ nomen.

Pons Eræ, *Ponte à Era*, oppidulum Hetruriæ, in agro Pisano, ad Eram fluvium, qui paulò infrà in Arnum se exonerat. 16. milliaribus distat à Pisis in ortum Florentiam versùs.

Pons Fabricius, *Ponte Giudeo*, quòd Hebræi Romæ ibi habitent. Ferrar. Baudr. *Ponte de quattro capi* hodie dicitur ab omnibus.

Pons Felix, *Pontafella*, oppidulum Germaniæ, in Carinthia superiori, intra Alpes, ad Fellam amnem, & in ipso limite Italiæ, sub dominio Episcopi Bambergensis, 6. milliaribus Germanicis distat ab Utino in Boream. Ibi ordinarius transitus ex Italia in Germaniam, Viennam versùs.

Pons Ferri, Amm. in Syria, super Oronte, ab Antiochia 7. m. p.

Pons Gardonis, *le Pont du Gard*, pons Galliæ admirandi operis, à Romanis exstructus, ad Gardonem fluvium, in Occitania, inter Avenionem ad ortum & Nemausum in occasum.

Pons Janiculensis, P. Vict. *Ponte Sisto*, & *Ponte Rotto*, Romæ, à Sixto IV. instauratus. Vide *Aurelius*.

Pons Inferni, vulgò *die Teuffelsbrugg*, in monte S. Gothardi, supra Sillinium, pagum Uraniorum, juxta Ursam fl. prope Ursarium vicum. Hujus meminit Platina *in Pio secundo*. Vide Simler. *de Alpibus*.

Pons Longus, in Parisiis atque Suessionibus, à longitudine nomen habet. Gall. *Pont long*.

Pons Longus, Ant. in Apulia, à Siponto 30. mill. pass.

Pons Lucanus, G. Tyr. super Aniene, apud Tibur urbem, opus Trajani Cæsaris. De quo carmen:

Pons superabatur Lucanus, Plautius olim.

hodie *Ponte Lucano*, uno milliari distat à Tibure Romam versùs.

Pons Mammolus, *Ponte Mamolo*, apud Romam in via Tiburtina, *Mammæus* potiùs, à Mammæa matre Alexandri Severi dictus. De quo *lib.* 3. *Itinerarii*:

Tandem pons altus dictus de matre Severi
Mammæus fessos Romanam ducit in urbem.

distat ab urbe Roma 6. mill. pass. in ortum.

Pons Mansuetinus, Anton. *Babolza*, teste Lazio, oppidum Pannoniæ, inter Possegam 6. & Zigetum in Cæciam 4. leucis, à Sopianis 25. mill. pass.

Pons Milvius, P. Vict. *Ponte Molle*, urbis Romæ extra portam Flaminiam, ab urbis ingressu 2. fermè mill. pass. distans. Ibi Constantinus Magnus Magnentium devicit.

Pons Muræ, vulgò *Pruck an der Muer*, urbs Germaniæ, ad Muram fluvium, in Stiria superiori, 5. leucis à Græcio in Circium Lintium versùs.

Pons Nevius, seu *Nevia*, Anton. *Ponferrada*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in Gallæcia, inter Austricam 14. & Villam Francam Gallæciæ in occasum 5. leucis, Ferrar. Baudrando hodie *Puente de Neyra* dicitur; & 2. leucis distat à Luco Augusti in meridiem, ad amnem Neyram, 17. leucis ab oppido *Ponferrada* in Circium.

Pons Nomentanus, P. Vict. *Ponte Lamentano*, in via Nomentana super Aniene in Sabinis: per quem in ipsos Sabinos ibatur.

Pons Novus, vulgò *le Pont neuf*, pons Lutetiæ, ad Sequanam fluvium, ab Henrico IV. Rege Galliæ extructus, & totius Europæ superbissimus.

Pons Palatinus, P. Vict. qui & Senatorius, in urbe Roma, *Ponte S. Maria*, apud montem Palatinum, dicitur etiam *Ponte rotto*, quia semidirutus jacet.

Pons Quadratus, in Parisiis, pagoque Briegio, non procul Latiniaco: *Pontquarré*.

Pons Reginæ, vulgò *Puente la Reyne*, oppidum Hispaniæ, in Navarræ regno, ad Argam fluvium, 4. leucis à Pompelone Calagurim versùs.

Pons Remigii, vulgò *Pont de Remy*, oppidum Galliæ, in Picardia provincia, ad Somonam fluvium, 2. leucis supra Abbavillam Ambianos versùs. In dextra ripa vicum habet & pontem Suminæ impositum: in capite verò pontis seu in sinistra fluminis ripa, castellum. A S. Remigio loci Patrono, Monstrelet *lib.* 1. *cap.* 24 & *lib.* 2. *cap.* 120. Nunc plerisque *Pontdormy* dicitur, qui loci olim nobili familiæ inter Picardos nomen dedit. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Pons Rivi alti, seu *Rialtinus*, vulgò *Ponte de Rialto*, pons magnificus Venetiarum, antea Sublicius; sed An. 1591. ex lapide ... no ductus, majorem canalem jungit; estq; unius arcus tantum.

Pons Sai, pons lapideus est, Ligeri impositus, longus 1000. pa... à vico adjacente cognominatus, hodie *Pont de Sé*. Quidam in numero plurali *Pontes Sai* vocant, *les Ponts de Sé*, propterea quòd ... insulæ aliquot interjacentes pontem interrumpunt, ita ut non unus, sed plures pontes dici posse videantur. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Pons S. Maxentiæ, vulgò *Pont S. Maixence*, oppidum Galliæ, a... Oesiam fluvium, 3. leucis à Sylvanecto in Boream distat, in provincia Insulæ Franciæ, & in Valesia tractu.

Pons S. Nicolai, vulgò *le Pont de S. Nicolas*, pons est Galliæ pe... antiquus & miræ structuræ, à Romanis excitatus supra Gardone... fluvium, in Occitania, 2. leucis à Ponte Gardonis distans, totide... à Nemauso, & una ab Ucetia.

Pons S. Spiritus, vulgò *Pont S. Esprit*, urbs Galliæ, in Occitani... regione, cum arce permunita & ponte ad Rhodanum fluvium, ... leuc. supra Avenionem in Boream, Vivarium versus 3. circiter.

Pons Saravi, vulgò *Sarbruck*, seu *Sarbrick*; oppidum Lotharingiæ, ad Saravum, sub proprio Comite, in limite Palatinatus, ... leucis à Bipontio in occasum Metas versùs, & 10. ab altero i... Boream. Vide infra.

Pons Sarnix, Anton. *Sarbruck*, oppidum Germaniæ superiori... sic à ponte nominatum, inter Alsatiam & Lotharingiam, ad Saram fluvium, inter Cæsaream Lutram, & Metas 8. leucis. Alii se... Pons Saravi, *Kauffmans Sarbruck* Germanis, *Sarebourg* Gallis, urb... Lotharingiæ, aliàs Imperialis & libera, nunc Gallici juris, ad Saravum fluvium, ad radices Vogesi montis, 8. leucis ab Argentorat... in occasum distans Mediomatrices versus, & 6. à Marsalio in ortum; estque satis parva.

Pons Scaldis, Anton. *Condet*, oppidum Belgii: ab ipso ponte nominatur, ad Scaldem fluvium, in Hannonia, à Valencenis urbe ... leucis Tornacum versùs. Alii sest ipsa urbs Valencenæ. Sanso... est locus Belgii, in Nerviis, hodie *Escaupont*, pagus Hannoniæ, a... Scaldim fluvium, una leuca supra Condatum in meridiem, Valencenas versùs 2.

Pons Sociorum, Anton. in Pannonia, à Mansuetino 25. mill. pas... totidem à Sopianis, Aquincum versùs.

Pons Sorgiæ, seu *Sulgæ*, vulgò *Pont de Sorgue*, oppidum Galliæ, i... provincia & Comitatu Venaissino, ad Sorgiam fluvium, medium fere inter Arausionem ad Boream & Avenionem ad Merid.

Pons Sturæ, vulgò *Ponte Stura*, oppidum Italiæ, in Ducatu Montisferrati, aliàs munitum, ad Padum fluvium, ubi recipit Sturam 3. milliaribus supra Casalem, & uno à Tricino distans.

Pons Sublicius, P. Vict. Vide *Sublicius pons*, & *Pons Æmilius*.

Pons Tiluri, Anton. in Dalmatia, à Salonis 16. m. p.

Pons Timavi, Anton. super Timavo fluvio, in Carnis, ab Aquileja 7. mill. pass.

Pons Tirensis, Cicer. in Latio erat inter Arpinum & Minturnas super Liri.

Pons Trajani, Dion. in Mysia superiori, ad Danubium, apud Severinum urbem. Ubi adhuc durant vestigia. Alter in Hispani... Lusitanica, *Alcantara*, oppidum super Tago fluvio, non obscurum, in Extremadura regione, à Placentia urbe 8. leuc. in austrum Emeritam versùs 9. Ferrar. Baudrando *Pons Trajani*, aliter Norba Cæsarea, *Alcantara*, urbs aliàs Lusitaniæ, hodie Estremaduræ provinciæ, à qua ordo militaris nomen sumpsit, 18. leucis distat à Placentia in occasum, & 12. ab Emerita in Boream; estque parva, se... munita, in limite Portugalliæ. Vide *Norba Cæsarea*.

Pons Tremens, in via S. Gorbardi montis, in ascensus, quà Italiam spectat, medio, unde ad cacumen usque nil nisi nuda rupes, cum nivibus & glacie multa: dictus, quòd ascendentes, periculo viso tremant. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. antiq.*

Pons Vaticanus, P. Vict. super Tiberi Romæ excisus: apparent vestigia apud xenodochium S. Spiritus, à quo denominabatur.

Pons Velus, vulgò *Pont de Vesle*, oppidum Galliæ, in Bressi... provincia, ad Velum amnem, una leuca à Matiscone & ab Ara... in ortum.

Pons Vetus, vulgò *Ponte Vedra*, oppidum Hispaniæ, in Gallæcia ad amnem *Loriz*, 4 leucis ab ora Oceani in ortum, & 8. à Compostella in meridiem.

Pons Ursionis, locus in Normanniæ Britanniæque confinio, *Pont Orson*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide infra.

Pons Ursonis, vulgò *Pontorson*, oppidum Galliæ, in Normannia & in confinio Britanniæ minoris, ad Lerram fluvium, *Covesnon* qui paulò infrà cadit in mare Britannicum, medium inter Abrincas ad ortum, & Dolam ad occasum, duabus leucis à Monte Sancti Michaelis.

Pontarlum, oppidum Comitat. Burgundiæ, in confin. Helvetiorum, ad rad. Jurassi, prope fontes Dubii fluv. 9. leucis à Vesontione in Merid.

Ponte

Pontanus Joh. Jovius, vel Jovianus, Umber. Patre in seditione populari amisso, Neapolim concessit, ubi Præceptor Alphonsi jun. Regis Neapol. primò, dein eidem à secretis & consiliis fuit. Scripsit historiam bellorum Ferdinandi I. cum Johanne Andegav. aliaque egregia prosâ versuque. Obiit Ano. 1505. æt. 78. Hoc sibi epitaphium fieri voluit: *Sum Johannes Jovianus Pontanus, quem amaverunt bonæ Musæ, suspexerunt viri probi, honestaverunt Reges, Domini. Scis jam, quis sim, aut quis potius fuerim. Ego vero te hospes, noscere in tenebris nequeo: Sed, te ipsum ut noscas, rogo.* ...ius Sandeus, *Epit. de Regib. Sicil.* Erasmus, *in Cic.* Giraldus, ... 1. *de Poët.* Voss. *de* H. L. Leander Alb. *desc. Ital.*

Pontanus Lud. Spoletinus, J. U. D. Protonotarius Pontificius, magni eruditione, memoriâ divinâ, atque eloquentiâ admirabili præditus: ab Aragoniæ Rege ad Concil. Basiliense missus, obiit Basileæ, An. C. 1439. ab Æneâ Sylvio, epicedio insigni ornatus: in cujus scriptis etiam specimina divinæ Pontani mentis, quæ per biennium in Concilio edidit, reperiuntur. Urstis. *Hist. Basil.* V. Forster. *Hist. Jur. Civ. lib.* 3. *cap.* 33. Gesner. *in Bibl.*

Pontanus Rogerius, Carmelita, scripsit *de mirabilibus*.

Pontes, & *Pontacum*, oppidum Belgii in Picardiâ, Anton. Vide *Ponticum*.

Pontes, nunc *Paunton* Camdeno, pagus Albionis in Angliâ ad Thamesin fl. inter Londinium & Oxonium: vel *Reading*, pagus vicinus, teste Lhuydo. Al. *Colbrook*, pagus apud Buckingham op. in... op. agri Buckinghamiensis in confin. Middlesexiæ: Pan... verò est *Ad pontem* in agro Lincolniensi.

Pontes, Castellum Daciæ in Danubii ripâ contra Theodoram ... Vide Procop. *de ædificiis Justin.*

Pontes Ambianorum, Æthico inter Ambianos & Gesoriacum, Cluverio est *Pont à Selane*, ad ostium Altejæ fluv. aliàs *Pont Asseline*, qui ait, magnam partem veterum Ambianorum finium, inter Samonam & Altejam flumina ab hisce Pontibus nomen accepisse, & dici hodieque *le Pontieu*, seu Pagum *Pontivum*.

Pontes Cæsaris, opp. Galliæ ad Ligerim, cum ponte prælongo, aliàs munitum: Vix 1. leuc. ab Andegavo; *Pont de Cés* quibusd. *Pons Cæsaris*.

Pontes Icaunæ, Gall. *Pons sur Yonne*, opp. Gall. à multitudine pontium Icaunæ impositorum. Sunt & *Pontes* in Santonibus, eandem ob rationem sic dicti, ad amnem in Carantonum influentem. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pontes Oeni, vulgò *Oeting* op. Vindeliciæ ad Oenum fluv. in Bavariâ.

Pontes Sequanæ, Gall. *Pons sur Seines*, olim à numero pontium ibi Sequanæ impositorum. *Ad duodecim Pontes*, hodie oppidulum est ad Sequanam jam Albâ auctum; continens duas insulas, quas ibi Sequana continet, & 10. vel etiam 12. pontes hodieque habet. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Sic *Ad Duos Pontes*, opp. est Marchiæ titulo illustre, ad Saravum amnem. Gall. *Deux ponts*. Similiter *Tres Fontes* & *Septem Fontes*, monasteria Abbatiis clara, alterum, in Duc. Barrensi, alterum in Episcop. Augustodunensi ad Ligerim, prope Borbonem Aselli, à fontium numero nomen accepere. Idem.

Pontes Tersenini, vulgò *Schæftern*, pagus Vindeliciæ in Bavariâ inter Ambram & Parthanum, teste Simlero.

Pontesium, opp. Galliæ, vulgò *Pontoyse*. V. *Pontisara*.

Pontheus Thiardus, Episc. Cabillonensis, eruditione & linguarum peritiâ insignis. Poëta Gallus, Mathematicæ quoque, dein Philosophiæ Platonicæ, tandem Theologiæ se dedit. Ronsardo, Portio, Perronio familiaris. A Carolo IX. & Henr. III. magni æstimatus. Scripsit varia: *Discursum de die & Anno, Manticen, Universum, Ephemerides octava sphæra, de Cœlestibus Asterismis &c.* Obiit Ano. 1605. Scævola Sammart. *lib.* 5. *Elog.* Thuan. *Hist.* Morerius *in Diction. Hist.*

Pontia, empta ingentibus donis, à Sagitta Tribuno, ad adulterium, & maritum omittendum, hac lege, ut vacua in Octavii Sagittæ domum nuberet. Diversam à marito pacti pœnituit, quare Sagitta spretus, nocte unâ ad desiderium leniendum impetratâ, atque libidine expletâ, in cubiculo ferro transverberavit nihil tale metuentem; Ipse dein à Patre Pontiæ accusatus, & condemnatus est. Tacit. XIII. 44.

Pontia, notissimâ crudelitate mater. Juven. *Sat.* 6.

Nos utinam vani: sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerisq; meis aconita paravi.

Martialis 2. 34.

O mater, quâ nec Pontia deterior.

Pontia, ins. gemina: una maris Tyrrheni in sinu Formiano, seu paulo supra illum, contra Tarracinam urb. Latii, cum urbe, olim Coloniâ eodem anno, quo Suessa teste Livio *lib.* 9. deducta, in quam cives Romani damnati deportabantur. Vulgò *Porce*, non longè à Palmariâ in sinu Cajetano, in quâ turtures & coturnices, cùm ad Italiam veniunt, primâ volaturâ requiescendi causâ, paucos dies morantur, Varro. *Pontia* pl. num. apud Plin. legitur. Altera in eodem mari ante Veliam urb. Lucaniæ, cum Isaciâ, vel Isciâ. Baudrando *Pontia*, hodie *Ponza*, ins. prov. Terræ laboris, antea incolis vacua, sed à paucis annis exculta, cum vico & turri, sub dominio utili Ducis Parmæ, 12. m. p. à Circejo prom. in Mer. ut 20. à Terracina.

Pontianus, Roman. Episc. 17. An. D. 231. Ab Alexandro Severo, apud quem falsò delatus erat, relegatus in Sardiniam: A Maximino verò ejus successore verberibus adeò dedolatus, ut animam efflaret, An. 235. Euseb. *in Chron. & Hist. lib.* 6. Anastas. *in vit. Pontif.* Baron. *in Annal.* Alius Consul, An. U. C. 960.

Pontico, vel *Pontigo*, villa regia Austrasiorum Regum fuit, sub Merovingis ac Carolovingis etiam, Synodis Episcoporum, inprimis An. C. 876. celeberrima. Vulgò *Pontion*. Ad flumen Ornam, in Pago Perrensi, non procul à Victoriaco Incenso. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Ponticum, vulgò *le Ponthieu*, regiunc. Picardiæ, aliis Comitat. Pontivensis. Extenditur versus ostia Somonæ fluvii, ubi Abbavilla, Pons Remigii, Monstrolium, Rua & Crotojum; Estque inter Quantiam fluvium & Bononiæ Comitatum ad Boream: Normanniam ad Meridiem & Ambianensem tractum ad Ortum. *Pontus*, seu *Pontinia* quibusdam. Hic tractus Anglici juris factus est, cùm Eduardus primus, Angliæ Rex, uxorem duceret Eleonoram, Ferdinandi, Castellæ Regis, filiam, ex Joanna Conjuge, quæ filia erat Simonis, Pontium Comitis: Sed postea incolæ, instigante Guidone sancti Pauli Comite, præsidiarios quos Rex Eduardus ibi reliquerat, exturbarunt, Regique Francorum Carolo V. se dediderunt. Nomen habet à Pontium multitudine. Merula. Metel. Baudrandus. Hadr. Valesius *in Notit. Gall.* hunc pagum non à Pontibus, sed *Pontiu* olim dictum vult, quod Gallicum nomen est, sicut *Tellau*, & *Vimau*. Vide ibi.

Ponticum mare, vide *Euxinum*. Hoc cæteris dulcius, & natantia in Propontidem ejicit. Macrob. 7. *Saturn. cap.* 29.

Ponticus, annorum ferè 15. puer, martyrium passus est.

Ponticus, poëta Rom. Propertio æqualis, qui sic ad eum scribit, *eleg.* 7. *lib.* 1.

Cùm tibi Cadmeæ dicantur, Pontice, Thebæ,
Armaq; fraternæ tristia militiæ.

Idem non dubitat eum cum Homero componere. Continuò enim subjungit:

Atq; ita sim felix, primo contendis Homero.

Nec Thebanum bellum modò cecinisse, sed etiam amores, cognoscimus *ex lib. ejusdem eleg.* 9. Ovidio etiam conjunctissimus fuit, ut ostendit istoc:

Ponticus heroo, Battus quoq; clarus Jambis,
Dulcis convictus membra fuere mei.

Ponticus Virunius, vel *Virumnius*, Trevisanus. Composuit, An. 1490. epitomen Historiæ Angl. in gratiam familiæ Badœriorum, qui, Veneti cum, Anglicæ originis erant. Item Commentarios in Statium, Claudianum, &c. Plura alia quoque prosâ versuq; scripsit. Trithem. *in Cat.* Philipp. Bergom. *lib.* 16. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Lat.*

Pontificia ditio, seu *Status Ecclesiæ*, *Stato della Chiesa* Italis, *l'Estat de l'Eglise* Gallis, pars est Italiæ, à septentrione in meridiem protensa per 240. milliaria, nempe à castro *Francolino* in Ferrariensi Ducatu Terracinam usque. Ejus autem major latitudo nempe à Centumcellis Anconam usque est 120. milliarium. Sed multò minor est in aliis locis, præsertim in Romandiola, ubi valde restringitur, inter Hetruriam & mare Adriaticum; subestque dominio Rom. Pontificis. Terminatur hæc ditio à meridie mari Tyrrheno, ab ortu regno Neapolitano, ab occasu Hetruria & Ducatu Mutinensi, à septentrione autem mari Adriatico & dominio Veneto. Ejus partes seu provinciæ sunt Campania Romana, *la Campagna di Roma*, provincia Patrimonii S. Petri, *la provincia del Patrimonio di S. Pietro*, Sabina, *la Sabina*, Ager Orvietanus, *il territorio d'Orvieto*, Ager Perusinus, *il territorio di Perugia*, Umbria, seu Ducatus Spoletanus, *l'Ombria*, Marchia Anconitana, *la Marca d'Ancona*, territorium Civitatis Castelli, *il territorio di Città di Castello*, Ducatus Urbinas, *il Ducato di Urbino*, Romandiola, *la Romagna*, Ager Bononiensis, *il Bolognese*, & Ducatus Ferrariensis, *il Ducato di Ferrara*. Subsunt etiam dominio Rom. Pontificis Avenio & Comitatus Vindaseinus in Gallia, *le Comtat Venaissin*, uti Beneventum in regno Neapolitano, cum ejus territorio aliàs peramplo, ut liquet ex diplomate Clementis VI. Pontificis Romani Ann. 1350. sed nunc ab Hispanis valde restringitur. Totius ditionis Pontificiæ urbs præcipua est Roma, *Roma*, quæ Italiæ caput. Crevit autem maximè hæc ditio liberalitate Francorum Regum Pipini & ejus filii Caroli Magni, & donatione Ludovici Pii ejus nepotis. Sub Clemente VIII. Pontifice Romano, Ducatus Ferrariensis rediit ad ditionem Pontificiam, uti etiam Ducatus Urbinas sub Urbano VIII. Barberino Pontifice Romano, deficiente masculâ prole.

Pontificiæ ditionis urbes præcipuæ:

Ancona, *Ancona.*	Fulginium, *Foligno.*
Ariminum, *Rimini.*	Imola, *Imola.*
Asculum, *Ascoli.*	Macerata, *Macerata.*
Bononia, *Bologna.*	Orvietum, *Orvieto.*
Camerinum, *Camerino.*	Perusia, *Perugia.*
Faventia, *Faenza.*	Pisaurum, *Pesaro.*
Ferraria, *Ferrara.*	Ravenna, *Ravenna.*
Firmum, *Fermo.*	Reate, *Rieti.*
Forum Livii, *Forli.*	Roma, *Roma.*

Spole-

Spoletum, *Spoleto*. Viterbium, *Viterbo*.
Tifernum, *Citta di Castello*. Urbinum, *Urbino*.

Pontina, mel. *Pomptina*, Volscorum palus juxta Forum Appii, haud longè à Tarracinâ, distat ab urbe 25. m. p. quam Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. non longè fuisse, à Circeis dicit, quem locum 24. urbium fuisse Mutianus ter Consul prodidit. Lucan. *lib.* 3.

Et quà Pontinas via dividit uda paludes.

Martialis *lib.* 10. *epigr.* 73.

Nec qua paludes delicata Pontinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.

Idem *lib.* 13. *epigr.* 109.

Pendula Pontinos qua spectat Setia campos.

Exsiccata est à Corn. Cethego Consule, cui ea provincia obvenerat; agerque ex eâ factus, Liv. *lib.* 47. Insequentibus deinde seculis, iterum exsiccata à Theodorico Gothorum rege, ut ex ejus inscriptione in eo loco cernitur. Latrunculorum autem fuisse sedem Juvenalis *Sat.* 3. ostendit:

Interdum & ferro subitus grassator agit rem;
Armato quoties tuta custode tenentur
Et Pontina palus & Gallinaria pinus.

Alii in Latio constituunt, quorum sententiâ à Virgilio *Satura palus* dicitur, ut putat ex Hermolao Erythræus. Hodie *Ausente palude* vocari, scribit Leander Albertus. Baudrando αὐτόχθω erat palus Latii, seu Campaniæ Rom. hodie *Paludi Pontine*, quæ non exsiccata est, & vix exiccari potest, propter amplitudinem ejus & plures amnes, in eam influentes. Extenditur enim inter Neptunium, Norbam, Sermonetam, Setiam, Privernam, Terracinam & oram maris Tyrrh. & in eam fluunt Astura, Nymphæus, Usens, Amasenus, aliique min. Per hanc tamen Trajanus viam saxo stravit ingenti sumptu, cujus adhuc reliquiæ visuntur.

Pontiniacum, pag. Gall. cum cœnobio, in Diœces. Antissiod. Item opp. Britann. min, 8. leucis in Occ. à Rhedonis, 4. à Josselino; *Pontigny*.

Pontinus, vir fortissimus, laborum, periculorum, consiliorum Ciceronis socius, ut ipse testatur *de Provinc. Consul. Modò ille meorum laborum, periculorum & consiliorum socius Cn. Pontinus fortissimus ortum repentè bellum Allobrogum, atq; hâc sceleratâ conjuratione excitatum, prælio fregit, eosq; domuit, qui lacessierunt, at eâ victoriâ contentus, Republicâ metu liberatâ, quievit.* V. *Pomptinus*.

Pontinus Aquila, cum esset Tribunus plebis, triumphanti Cæsari, prætervectoque unus è collegis non assurrexit. Unde Cæsar indignatus: *Repete ergo*, inquit, *à me Aquila Rempublicam tribunus.* Et per aliquot dies nihil cuiquam pollicitus est, nisi sub exceptione: *Si tamen per Pontium Aquilam licuerit.* Conjuravit cum Bruto & Cassio in Cæsaris necem, fuitque unus ex percussorum numero. Periit in conflictu Mutinensi, Bruti Legatus. Sueton. *in Cæsare.* Cic. *ep. fam. lib.* 10. Dio *lib.* 46.

Pontinus, mons Argiæ, cum fluv. cognom. in Erasinum labente, Pausan.

Pontiopolis, vide *Fanum S. Pontii Tomeriarum.*

Pontisara, seu *Pons ad Oesiam*, *Pontoise*, urbs insulæ Franciæ, in Vexino Francico in clivo, ad Oesiam fluv. 6. leucis à Lutetia in Circ. Rothomagum versus.

Pontius, D. Cypriani Diaconus, & comes individuus, usque ad ultimum supplicii diem, exilium cum ipso sustinuit, egregio de ipsius vitâ & exitu volumine relicto. Hieron. *de Script. Eccles.* Honor. Augustod. *de lum. Eccl.* Item Martyr, in Gallia. Idem.

Pontius Aufidianus, Romanus civis, qui ubi rescivit filiam suam à Fannio Saturnino pædagogo corruptam, utrumque morte punivit, Valer. Max.

Pontius Fregellanus, stuprorum Albucillæ minister, decreto Senatûs amisit ordinem Gn. Acerronio, C. Pontio Consul. Tacit. *Histor.* 6. 48.

Pontius Telesinus, prænomine *Lucius*, Philosophus atque insignis vir, collega in consulatu C. Suetonii: ob artes egregias exulavit sub Nerone.

Pontones, locus Gall. à pontonibus nomen habens, proximus aquis Tarbellicis, ad fluv. Aturrum, vulgó *Ponton*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Pontremulum, pernobile ac opulentum oppid. Tusciæ, in radicibus Apennini.

Pontus, reg. Asiæ min. à *Ponto* rege sic dicta, ab Occid. Haly fluv. ab Oriente Colchide clausa: à Meridie minori Armeniâ, à Sept. mari Euxino terminata, Strabo. Ptolemæus verò *lib.* 5. paulo aliter: *Pontus*, inquit, *ab occasu ore Ponti, & Thracio & Bosporo: à Meridie regione, quæ propriè Asia dicitur: à Sept. parte maris Euxini terminatur.* Est autem hæc reg. in qua floruit Gamba Episcop. An. Chr. 175. & Ecclesia insigniter, sub Diocletiano, cum aliis, pressa fuit, venenorum in primis ferax, unde & fabula de Medeæ veneficiis locum videtur arripuisse. Virgil. *Ecl.* 8.

Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris; nascuntur plurima Ponto.

Veneni quoque Pontici, & herbarum Ovidius quoque meminit. Seneca *in Herc. Oet.*

Quas Pontus herbas generat aut quas Thessala
Sub rupe Pindus. —— ——

Virgilius *Georg.* I.

—— *Virosaq; Pontus*
Castorea. —— ——

Hinc *Ponticus*. Ovid. *de Nuce:*

Sic ubi detracta est à te tibi caussa pericli,
Quod superest tutum, Pontice Castor, habes.

Pontus Cappadocius, Ptolemæo est pars Cappadociæ ve Colchidem. Arrianus *in Periplo maris Euxini*, vocat eam Th nicam, cùm scribit Ophim fluvium Thianiicam regionem à C chide dividere.

Pontus, vide *Ponticum*. Item pag. Geldriæ, *Pont*, apud Geldr urb. Item, fluv. Macedoniæ, Sintiam urbem alluens, haud lo ab Heraclea urbe, quæ *Sintica* dicitur, Stephan. Item, regio ropæ, pars Mysiæ inferior. itidem ad mare Euxinum. Ovidius *de Ponto.*

Pontus, totum illud mare quod à palude Mœotide usque Tenedum protenditur: Sed ubi primum se arctat, à Tenedo cipiens, à casu *Helles* vocatur *Hellespontus*; ubi se expandit, *Propontis*, ubi iterum arctatur *Thracius Bosporus*, ubi autem latè diffu ditur Pontus Euxinus; qui curvatus in figuram Scythici arcûs c mittitur ostio Mæotidis paludis, idque ostium *Cimmerius Bospo* vocatur. Figurate autem pro quovis mari ponitur.

Pontus idem mare multiplex, Ptolem. *Galaticus*, qui Paphlag niam alluit; *Polemoniacus*, qui partem Cappadociæ, post Ther scyram, in qua Polemonium urbs. *Cappadocius*, qui reliquam C padociæ oram, in qua Cerasus & Trapezus, quæ regiones Justin no *Hellenopontus*. Vel tres sunt Cappadociæ partes.

Pontus Euxinus, vide *Axenus*. *Mare Cimmerium* vocat Or sius, *Caucaseum* Apollonius *lib.* 4. *Mare Ponticum* nominant H ratius & Plutarchus *in Pompeio & Eumenide*; Ptolemæus etiam Jornandes hoc nomine illud novere. Herodotus *mare Boreale*, *lib.* 4. ἀξιοθεητότατον, id est, *maximè spectatu dignum* vocat. Pontu hunc veteres arcui Scythico compararunt. Manilius:

Euxinus Scythicos Pontus sinuatus in arcus.

Dionysius:

Ἐκ τοῦ δ' ἂν καὶ Πόντον ἴδοις δολιχόσκιον εἶδος,
Τόξῳ εἰσάμενον σκολιῷ ὅμματι τεῖχε.

Strabo: Εἰκάζουσι δέ τινες τὸ σχῆμα τῆς περιμέτρου ταύτης ἐντεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ. Plin. *lib.* 4. *cap.* 12. *Retro curvatus magno litoris flexu in cornua utring; porrigitur, ac si planè arcus Scythici form* Valer. Flacc. *lib.* 4.

Atq; hâc Europam curvis anfractibus angit,
Hâc Asiam, Scythicum specie simulatus in arcum.

Lucanus *lib.* 8.

Bosporon, & Scythis curvantem litora Pontum
Spectamus. —— ——

Color illius albus est, unde Theocr. *in Dioscuris:*

Ἀγρὼ καὶ κρύεντος ἀπειρεσίου σῆμα Πόντου.

Quærit Aristoteles *in Problem.* Cur mare Ponticum candidius fi quàm mare Ægæum? Respondit, hoc ideo accidere, quòd lacu omnes mari sint candidiores; jam verò Pontus, teste Nasone:

—— *Stagno similis, pigraq; paludi est.*

Quod itaque ab Appiano, & hodie à nautis *mare Nigrum* dicitur non ad illius colorem, vel profunditatem, sed cœli conditionem referendum est; unde Pomponius Pontum hunc ait esse nebulosum, cui astipulatur Valer. Flacc.

Illic umbrosa semper stant æquore nubes.

Et Apollonius, Ἠερόεν στόμα Πόντου. Hujus aquam dulcem esse in nuit Strabo *lib.* 1. Διὸ καὶ γλυκύτερον εἶναι τὸν Πόντον. Ejus dulcedinis rationem assignant, cum eodem Strabone, scriptores omnes, concursum scilicet plurimorum in Pontum ingredientium fluminum. Nec tamen existimandum ὅλον δι' ὅλου, ut ita loquar mare hoc dulce esse, sed partem tantùm ejus supernam, infernam autem salsam. Ovidius *in Ponticis:*

Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas,
Nec patitur vires æquor habere suas.
Innatat unda freto dulcis, leviorq; marina est,
Quæ proprium mixto de sale pondus habet.

Baudrando *Pontus Euxinus*, vulgò *mer Noire*, seu *mer Majeur* Gallis, *mare Maggiore* Italis, Germanis *Schwvartz zée*, Græcis *Maur. Thalassa*, Turcis *Caradenisi*, & Russis *Zorno More*, est inter Mœsiam inferiorem & Thraciam ad occasum, Asiam minorem ad meridiem, Colchidem ad ortum, & Sarmatiam Europæam, & Sarmatiam Asiaticam ad Boream. Ei jungitur palus Mæotis per Bosphorum Cimmerium ad Boream, uti & Propontis per Bosphorum Thracium ad austrum. Ejus autem partes sunt mare Caucaseum versùs Sarmatiam, & mare Phasianum versùs Colchidem, uti etiam Carcinites sinus: Et ejus major longitudo ab ortu in occasum est 900. mill. pass. latitudo autem à septentrione in meridiem est 300. mill. pass. circiter; vixque 400. mill. pass. distat ab ora proximiori maris Caspii in occasum, teste Guil. Sansone.

Popajana, vulgò *le Popayan*, regio ampla Americæ meridionalis, in Terra firma, versùs montes. Dicitur ab Hispanis *Governacion de Popayan*; estque inter mare Austrinum ad occasum, Peruviam ad austrum, regnum novum Granatæ ad ortum, & Gubernium Carthagenæ novæ ad Boream; estque à septentrione in meri-

meridiem extensa. Ejus caput est Popajanum, *Popajan*. Aliæ urbes sunt Fanum sanctæ Fidei de Antiquaria, *Santa Fé d'Antequera*, Caramanta, *Caramanta*, Arma, *Arma*, Fanum sanctæ Annæ de Anzerma, *Santa Anna de Anzerma*, Cartago, *Cartagena*, Calium, *Cali*, Amaguera. *Amaguer*, Timana, *Timana*, Pastum, *Pasto*, & Ageda, *Agreda*, sub Hispanis.

Popajanum, vulgò *Popayan*, urbs Americæ meridionalis, provinciæ cognominis caput, & Episcopalis sub Archiepiscopo sanctæ Fidei, juxta fluvium sanctæ Marthæ & versùs ejus fontes, in mediterraneis, 140. m. p. ab ora maris Austrini in ortum.

Popanium, urbs Tyrrhenorum. Aristot. *in Mirabilibus*.

Poperinga, urbecula Flandriæ, inter Hypras ad Ort. & Casletum ad Occ. 2. leuc. ad amnem cognom. sub Hisp.

Popsinga, vel *Bopfingen*, urbec. Imperialis, in ea parte Sueviæ, quæ *Riess* dicitur, ad fluv. *Eger*.

Popelus, Poloniæ Rex, post Patrem, Lescum IV. An. 816. Obiit quinquennio post, relicto Filio cognom. qui à muribus cum tota familia, ob sævitiam, devoratus legitur. Et à Polonis Piastus surrogatus est, An. 842. Cromer. *Hist. Polon.*

Popilii, à *Pompiliis* diversi leguntur; quorum princeps *M. Popilius*: qui cùm Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum lænâ faceret, quòd erat Flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione nunciatâ, ut erat lænâ amictus, ita venit in concionem, seditionemque eùm authoritate, tum oratione sedavit, Cicer. *in Bruto*. Hic etiam 2. Consul cum M. Fabio Ambusto factus, Tiburtes bello vicit, agris eorum vastatis. Duabus quoque aliis vicibus Consul fuit; sæpiusq; circa An 404. U.C. Gallos fudit, absente per morbum Corn. Scipione Collegâ. Livius, Valer. Max. Vellej. Paterculus, &c.

Popilius, legatus ad Antiochum, qui Ptolemæum Regem amicum populo Rom. obsederat, missus nunciatum ut à sociis populi Rom. abstineret, cunctantem verò responsumq; differentem virgâ circumscripsit, ne ultra spatium illud differendo exiret: ex quo territus Antiochus bellum omisit. Liv. *lib.* 45. & Val. Max.

M. Popilius, à Numantinis, eum quibus pacem factam irritam censuerat, cum exercitu fusus, fugatusque est, Liv. *lib.* 55. Hic deinde, ob rem suâ culpâ male gestam, in exilium est actus.

C. Popilius Lænas, Ciceronem occidit, patronum suum in causâ capitis, Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 3.

Poppæa Sabina, Poppæi Sabini filia, cunctas ætatis suæ fœminas pulchritudine supergressa, gloriam reliquit filiæ, quæ scortum Neronis. Hanc genuit ex priore Marito T. Ollio. Post nupta Scipioni & à Messalina subversa. Tacit. 11. initio.

Poppæa Sabina, Tito Ollio Quæstorio patre nata, sumpto nomine ab avo Poppæo Sabino Consule & Triumphatore, nupsit Rufo Crispino, equiti Rom. ex illo filii mater; dein corrupta ab Ottone, qui postmodum Imperator evasit, hujus uxor aliquandiu fuit: donec, Ottone coram Nerone illam sæpius mirum in modum laudante, illius hic cupidine inflammatus est: quod videns adultera, effecit apud Neronem, ut Otto, sub specie Præfecturæ Lusitanicæ, removeretur, quo facto, Neronis uxor fuit, quam duodecimo die, post divortium Octaviæ, in matrimonium accepit. Hanc dilexit unicè filiâ ex illa susceptâ, Memmio Regulo & Vergilio Rufo Coss. & tamen ipsam quoque ictu calcis occidit, quòd se ex aurigatione seròreversum gravida & ægra conviciis incesserat. Huic Poppææ omnia alia fuere, præter honestum animum: sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præferebat, & lascivia tamen utebatur: famæ nunquam pepercit, maritos & adulteros non distinguens. Delicata magnifica, & elegantiæ usque adeo studiosa, ut quotidie asinino lacte suæ formæ mederetur. Vide Sueton. *in Nerone & Ottone*. Luxu supra modum diffluebat autore Plin. *lib.* 28. 12. & 33. *cap* 11. in hæc verba, *Nostra ætate Poppæa conjux Neronis principis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoq; induere solebat.* Adde Tacit. *lib.* 13. 14. 15. 16. *Annal.* Dion. & Xiphilin. *in Nerone*.

Poppæus Sabinus, modicus originis principum amicitiâ Consulatum ac triumphale decus adeptus; maximisque provinciis per 24. annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quòd par negotiis, neque supra erat. C. Cestio & M. Servilio Coss. fine anni suâ sponte non fato concessit vitâ, Tacit. 6.

Poppæus Sylvanus, Consularis, sex millium Dalmatarum recentem delectum, Vespasiani partibus adduxit. Tacit. *Hist.* 3. 50. dein pecuniis à privatis accipiendis præpositus. *Ibid.* 4. 47.

Poppæus Vopiscus, ab Othone Collega Verginio in consulatu destinatus, prætextu veteris amicitiæ, plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Tacit. *Hist.* 1 *cap* 77. Rhenan. *Pompejus* legit pro q. nomen scriptoris. inepte. Cùm *Poppæus* iste *Vopiscus*, cognomine *Sylvanus* T. *Virginio* forte *Ruffo* fuerit Collega, auctore Frontino *de Aquaductibus*.

Popularia, sacra erant, quæ ab omnibus civibus fiebant, nec erant privatarum familiarum, sed omnium communia, ut à Diis impetrarentur quæ spectabant ad communem populi salutem.

Populetum, Cataloniæ monaster. ubi sepulchra Regum Aragoniæ. Vit 1. leuc. à monte Albo, 6. à Tarracone in Boream. Ilerdam versus. *Poblet*.

Populi plurimi à nobis descripti sunt: in quibus aliquot ita ab aliorum consuetudine recedunt, ut non inter homines, sed inter feras censendi videantur. In iis nonnullos uti prodigiosos hic subjicere libuit.

Populi prodigiosi monstrosive, ex Plinio, libris 6. & 7. & aliis scriptoribus.

Abarimi, (Abarimon nomen est regionis montis Imai) populi Scythiæ, qui plantas adversas habentes cursu velocissimi sunt, Plinio *lib.* 7. *cap.* 2. auctore.

Androgyni, populi Africæ, utroque sexu præditi; dextra parte viriles, læva fœminei.

Anthropophagi, populi humana carne vescentes, non solùm in Asia & Africa multis in locis reperiuntur, sed, quod mirum est, etiam in Italia fuere; veluti Læstrygones apud Formias, & Cyclopes apud Ætnam montem Siciliæ.

Arimaspi, populi Scythiæ uno oculo constantes in medio frontis: de quibus plura apud Herod. trans mare Hyrcanum inter Massagetas & Sacas incolentes, teste Strabone.

Arimphæi, populi Scythiæ sive Sarmatiæ Asianæ, in montibus Riphæis, calvi & simas nares habentes.

Artabatitæ, populi Scythiæ vagi veluti quadrupedes: de quibus Plinius *lib.* 6. *cap.* 30.

Astomi, populi Indiæ apud Gangis fluvii ortum montes incolentes, qui ore carentes, ut nomine ipso declaratur, foramen habent exiguum, per quod respirant & cibum levissimum capiunt, potiùs florum odore vitam degentes. Plin. 7. 2. & Strab. *lib.* 15.

Bithiæ, Populi Scythiæ, quorum fœminæ duas habent in oculo pupillas; de quibus Ælianus in sua historia.

Blenæ, Claudiano; Bleptæ Melæ, Blemmyes Strab. & Plin. populi Æthiopiæ apud Nilum, qui oculos in pectore habuisse feruntur.

Budini, sunt populi Sarmatiæ oculis cæsiis, pediculos edentes.

Cabri, sunt populi German. quos Tacitus corpore durissimo fuisse & strictis artubus scribit, *lib. de moribus Germanorum*.

Candei. sunt populi Troglodyticæ, qui Ophiophagi dicuntur, quòd solùm serpentibus vescantur, teste Plinio *lib.* 6. *cap.* 29.

Centauri, sunt populi Thessaliæ ab omnibus scriptoribus, præsertim Poëtis, memorati; quorum pars superior hominem, inferior equum referebat.

Choromandæ, sunt populi Indiæ, quos Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. sine voce stridentes esse, corpore hirtos, oculos glaucos habere dentesque caninos scribit.

Cimmerii, sunt populi Sarmatiæ, quos in perpetua caligine versari ferunt. Horum meminit Virgil. & Ovidius.

Cyclopes, sunt populi Siciliæ in monte Ætna, Vulcani ministri, quos uno oculo tantum præditos, anthropophagos fuisse ferunt.

Cynamolgi Plinio, & Cynocephali, sunt populi Æthiopiæ capita habentes canina. Vide Plin. *lib.* 6. *cap.* 30.

Dardani, sunt populi Mysiæ, quorum fœminæ in viros mutatæ leguntur, auctore Saxone Grammatico.

Enotocœti, sunt populi Africæ, quibus aures ad pedes usque demittuntur; de quibus Strabo *lib.* 17.

Fanesii, sunt populi Oceani Septentrionalis, in insula Basiliæ, qui aures tam parentes habent, ut tota iis corpora contegant. Plin. *lib.* 4. *cap.* 13.

Gigantes, multis in locis reperti, ab omnibus scriptoribus memorantur; immoderatæ seu monstruosæ magnitudinis, uti apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 16. sed & nostra tempestate in novo orbe inventi sunt in ea regione, quæ in austrum vergit. Hos in Thessalia ab Hercule extinctos refert Strabo *lib.* 7.

Gymnites, sunt populi Æthiopiæ, Troglodytis finitimi, in quavis corporis parte nudi vagantes, sic à nuditate dicti. De quibus Plinius *lib.* 6. *cap.* 30.

Hellusii, sunt populi Germaniæ Septentrionales, quos Tacitus solo vultu homines, reliqua parte corporis feris similes esse refert.

Himantopodes, Indiæ populi, quos serpendo incedere Plinius loco citato scribit.

Hippocentauri. sunt populi Thessaliæ, quorum meminit Plinius cum aliis. Vide *Centauri*.

Hippopodes, sunt populi Basiliæ insulæ Septentrionalis, sic dicti quòd pedes equinos habeant, Plin. *lib.* 4. *cap.* 13.

Monoculi, populi, qui uno oculo præditi sunt, memorantur; sed ubi gentium sint, haud docent.

Monomeri, sunt populi Septentrionales, qui uno crure velociter incedunt, ab Aulo Gellio referuntur *lib.* 9. *cap.* 4.

Monosceli verò populi Æthiopiæ, Troglodytis finitimi, qui uno crure saltuatim pernicissimè moventur, plantam patentem habentes; unde & Sciopodes dicuntur, teste Plinio *libro septimo capite secundo*.

Nigræ, sunt populi Æthiopiæ, Regem monoculum habere dicuntur ex Plinio loco citato.

Nisicastes, & *Nisitæ*, sunt populi Æthiopiæ apud oram maris, ternis aut quaternis oculis præditi, memorantur à Plinio *libr.* 6. *cap.* 30.

Ocypodes, sunt populi Africæ adeò veloces, ut cursu equos superent, teste Strabone *lib.* 15.

Olabi, & *Syrbothæ*, sunt populi Libyæ, quos Plinius loco citato octonûm cubitorum altitudine constare scribit.

Orientis populos intimos, alios sine ore, alios sine naribus, foramen

Polla Argentaria, Lucani uxor, mulier doctissima, quæ juvit maritum in emendandis tribus primis libris Pharsaliæ. Stat. 1. *Sylv.*

Hunc casta titulum decusq; Polla,
Jucunda dabis allocutione.

Idem *lib.* 2. *Sylv. Genethl. Lucani*, Calliopem sic introducit, in laudem Pollæ, canentem:

Nec solùm dabo carminum nitorem:
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atq; ingenio tuo decoram:
Qualem blanda Venus, daretq; Juno.

Huic Statio post mariti obitum, posteà nupsisse dicitur; unde Sidon. Apollinaris *Carm.* 23. inquit *Argentaria Polla dat Poëtas.* Vid. Martial. *lib.* 7. *epigram.* 10. Sirmondum, *notis in Sidon.* & in voce *Lucanus.*

Pollentia, potentiæ Dea, à Romanis culta.

Pollentia, op. in maj. Balearium ins. Plin. V. *Pollentia.* Fuit altera *Pollentia* juxta Alpes inclyta lanarum nobilitate. Plin. 8. 48. *Hispania nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes cani.* Columella 7. 2. *Sunt etiam suapte naturâ pretio commendabiles colores pullus atq; fuscus: quos præbent in Italiâ Pollentia, in Bæticâ Corduba.* Sil. Ital. *lib.* 8.

—— —— *Fuscìq; ferax Pollentia villi.*

Mart. *lib.* 14. *epigr.* cui Lemma, *Lana Pollentina:*

Non tantùm pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet & calices hæc dare terra suos.

Pollio, prænomine *Annius*, cum filio Viniciano, majestatis apud Tiberium postulatus. Sed cùm Cæsar eorum caussam, ut ipse cum Senatu nosceret, distulisset, evaserunt. Tacit. 6. 9. Ille est Pollio, qui postea in Neronem conjuravit, amicorum ejus præcipuus, *lib.* 15. Gener Bareæ Sorani, maritus Serviliæ.

Pollio, vide *Asinius.*

Pollio Julius, Prætoriæ cohortis tribunus, sub Nerone, Tacit. XIII. 15. qui postea Præfectus Prætorio, sub Othone.

Pollio, prænomine *Vedius*, inter amicos Augusti luxu infamis, nam piscinam habebat refertam murænis, quem piscem ille non ad delicias paraverat, sed ad pœnas. Humanâ enim carne eas alebat. Servi domesticique, si quid deliquerant, dabantur ad hos pisces. Fors fuit, ut cœnaret apud eum Augustus; puer qui ad cyathos erat, dum porrigit potum, crystallinum fregit precii grandioris & simul fracta ejus vita. Jubetur ab immiti domino murænis objici in piscinam. Puer accidit ad Cæsaris pedes; non vitam sed aliam mortem petit, neu piscibus esca fit in terrâ. Obstupuit inauditam sævitiam Cæsar, dimitti puerum jubet, simul adferri ad se quicquid in domo crystallinorum: allata frangi comminuique & abjici in piscinam. Idem testamento Cæsari legavit Pausilypum; & ex ejus dirutâ domo facta Romæ porticus, quæ *Livia* dicta.

Pollis, Lacedæmoniorum Classis in Naxo præfectus, Diod XV. Polyæn. *lib.* 3. *in Chabria, comm.* 11.

Pollupice, Liguriæ civitas inter vada Sabatia, & Albingaunum. *Finale* Simlero.

Pollustini, Latii pop. non procul ab Albano monte. Plin. 3. 5.

Pollutia, filia L. Veteris, conjux Rubellii Plauti, à Nerone, mariti cædi postea adjecta, Tacit. XVI. 20.

Pollux, Jovis & Ledæ fil. frater Castoris, qui, cùm immortalis esset (utpote eodem ovo cum Helenâ prognatus) à Jove fertur petiisse, ut sibi cum fratre jam vitâ functo immortalitatem suam partiri liceret: quâ re impetratâ, alternis vicibus mori dicuntur, & reviviscere. Cui fabulæ occasionem dedit *Geminorum* signi natura, quorum altero oriente, alter occidit. Virgilius,

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,
Itq; reditq; viam toties.

Ubi *alternâ morte* sumpsit vel à Pindaro, *Od.* 10. *Nem.*

Μεταμειβόμενοι δ' ἐναλλὰξ ἁμέραν τὰν μὲν παρὰ πατρὶ φίλῳ Δὶ νέμονται, τὰν δ' ὑπὸ κεύθεσι γαίας.

Vel ab Hom. *Odyss.* 11.

Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε Τεθνᾶσι. —— ——

Græcè Πολυδεύκης dicitur, quoniam vivus fuit διαρκης πολυδεύκης; & post mortem in Deorum numerum receptus unà cum fratre nautas servet & sospitet. Δεῦκος γὰρ τὸ γλυκύ, inquit Etymologus. Vide *Castor.*

Jul. Pollux, Naucratita, Grammaticus sub Commodo Imper. præcipiebat Athenis. Decessit annos natus 58. Scripsit ad Commodum Onomasticon lib. 10. scripsit & alia quædam, quæ non extant. Suid. V. *Julius Pollux.*

Polocska & *Polocium*, urbs Lithuaniæ, olim caput Duc. cognom. nunc Palatinatus. Ampla, probè munita cum duplici arce, juxta fluvios Divinam & Polottam. Capta à Moscis, qui eam tantis machinis oppugnaverant, ut XLM. rusticorum in illis trahendis occuparentur, & crudeliter tractata, an. 1563. sed fortiter à Stephano R. recepta 1579. haud pridem iterum à Moscis expugnata, sed & recuperata.

Polonga, locus Samogitiæ ad mare Balt. inter Heiligaviam Curlandiæ & Memelium Prussiæ, à quo 3. leuc. in Bor. distat, *Polangen.*

Polonia, quæ à *planitie terræ* (quam ipsi vernaculè etiamnum *Pole* vocant) nomen habet, vasta regio est, quæ Schlesiæ ad Occ. proxima est, Hungaris, Lithuanis & Prutenis contermina. Dividitur in Majorem & Minorem. Major dicitur, quæ Septentr. aspicit, hanc Varta fl. intersecat, habetque *Gnesnam*, *Posnaviamq;* insigniora loca. Minorem vocant, quæ ad Merid. vergit, habetque nobilem urb. Cracoviam, ad caput Vistulæ, quæ regionem dividit, sitam: reliquæ civitates parum nitidæ. Sclavorum gens est, à quibus in Bohemia per Czechum, in Polonia verò per Lechum regna fundata sunt, An. C. 600. Scythicæque originis, sed clarissima tamen, & humanitate longè à Sarmatarum veterum asperitate aliena, multaque comitate in hospites. Obtinuit primùm dignitatem regiam anno 1001. ab Ottone tertio Rom. Imp. primusque Polonorum rex, fuit Boleslaus Chabri, filius Micislai, de quo infra. Historia paucis hæc. Lechus, de quo supra, primus Poloniæ R. dicitur, cujus posteritas per an. fere 100. regnavit, usque ad An. C. 700. Cromer. *lib.* 1. Hâc extinctâ XII. Palatini præfuerunt, quibus ad tyrannidem prolapsis Cracus Dux creatus est. Hoc nati Cracus, Lechus & Venda, quæ post fratres clavum tenuit, A. C. 730. Idem *lib.* 2. Hâc mortuâ rursus XII. Palatini constituti sunt, An. C. 760. Dein tres Lesci successive imperarunt, quorum postremi fil. Popielus regiam Cracoviâ Gnieznam, inde Cruszviciam transtulit, Ann. C. 810. Hujus fil. Popielo II. à muribus corroso, secutum Interregnum, An. C. 823. Piastus dein Princeps gentis evasit, An. C. 842. qui Gnieznam sedem regni iterum transtulit. Hujus posteri regnarunt usque ad Casimirum M. quo An. C. 1370. extincto, regnum è Piastea familia, ad Ludovicum Hungariæ R. Casimiri ex sorore nepotem, transiit. Huic Sigismundus gener successit, quem Hedvigis, Ludovici supra fati minimæ natu fil. maritus Jagielo, Vladislaus post Baptismum, vocatus, excepit, An. C. 1386. Huic Vladislaus fil. successit, An. C. 1434. qui Hungariæ quoque Rex creatus, prælio ad Varnam, contra Turcas, occubuit, An. C. 1444. Substitutus ei in Polonia frater Casimirus, cui fil. Johannes Albertus successit, An. C. 1492. Hunc fratres Alexander & Sigismundus excepere: cui ultimo extincto An. C. 1548. successit fil. Sigismundus Augustus, qui ex Jagellonica familia ultimus, Obiit An. C. 1572. Huic surrogatus est Henricus, Caroli IX. Gall. R. frater, An. C. 1573. post quem Stephanus Batorius electus est, maritus Annæ Jagellonicæ, An. C. 1576. quo mortuo An. C. 1586. Sigismundus Suecus, Sigismundi Augusti è sorore Catharina nepos, regno admotus est: pater Vladislai, qui successit An. C. 1629. Hunc frater Casimirus postea, e Sigismundi Sueci familia postremus excepit. Post quem Michael Visnevicius à Proceribus electus est, cui An. C. 1674. mortuo, surrogatus est Johannes Czarnecius, prius exercituum regni summus Dux, qui fortiter hoc tempore contra Thrcas rem gerit. Primus Polonorum Ducum religionem Christianam suscepit Mizislaus, qui cœcus natus, septimo ætatis anno visum miraculose receperat, An. C. 965. Hic Gniezuensem & Cracoviensem Episc. instituit, Cromerus *lib.* 3. Hussi dein doctrina, non per Silesiam solùm & Germaniam, sed etiam Poloniam longe lateque sparsa est, sec. 15. Hinc sub Jagellone, Cracoviæ cum Hussitis Disputatio est instituta, A. C. 1431. eo successu, ut templum S. Crucis his concessum sit, ad sacra vernaculo sermone obeunda, plurimique ex Polonica nobilitate, inprimis Corybutus Regis patruelis, Bohemis accesserint. Sic Evangelium in regno in ditione inprimis Abrahami Zbaroci florere insigniter cœpit, sed & mox Andream Boricium Episc. Poznaniensem gravem sensit adversarium. Cromer. *lib.* 21. Academia post hæc Cracoviensis, adhærens Concilio Basiliensi, Legato Pontificis An. C. 1448. nihil honoris exhibuit, & Casimirus Rex An. C. 1460. restitit Pontifici, pro arbitrio Episcopatus distribuere volenti. Seculo dein 16. satis florentes in regno Ecclesiæ fuerunt, neque hactenus penitus extinctæ. V. infra in *Polonia major & minor.* Ex maceriâ domos ferme omnes componunt, plerasque luto linunt. Plaga regionis palustris est & nemorosa. Potus genti cerevisia. Vini rarissimus usus, nec vineæ cultura cognita. Equitatu in bello maximè præstat. Ager frumenti ferax: multa ferarum venatio. Melle abundat, habet & salis copiam, qui ex terrâ eruitur. Habet & æris fodinas in jugis montium, nec non sulfuris. Sub regno Poloniæ continentur Lithuania, Samogitia, Massovia, Volhinia, Podolia, & Russia, quæ Meridionalis dicitur. Cromerus, Bonfinius, Munsterus. Ferrario tres regni metropoles sunt, Gnesna Poloniæ maj. Archiep. sub quâ 12. urbes Episc. Riga, Archiep. Livoniæ, sub qua 7. Episcopatus & Leopolis Russiæ Archiep. sub qua quatuor urbes Episcopales. Baudrando, *in insigni opere Geographico*, Gallis *Polonia* dicitur *la Pologne*, *Polonia* Hispanis & Italis, regnum est peramplum Europæ, ubi aliàs Germano-Sarmatia cum parte orientali Germaniæ, prope Vistulam fluvium. Terminatur à Septentrione mari Baltico, Livonia, & Moscovia seu Russia Alba, à qua etiam terminatur ab ortu, ab Occasu Germania, & à meridie Hungaria, Transylvania, & Moldavia. Dividitur autem in duas partes, nempe in Poloniæ Regnum proprium, *le Royaume de Pologne*, & magnum Ducatum Lithuaniæ, *le grand Duché de Lithuanie*. Poloniæ regni partes sunt Polonia superior seu parva, *la petite Pologne*,

cujus

cujus caput Cracovia, totius regni primaria; Polonia inferior seu magna, *la grande Pologne*, cujus caput Posnania; Mazovia, *la Mazovie*, cujus caput Vvarsavia, regia sedes; Cujavia, *la Cujavie*, ubi Vladislavia; Prussia, *la Prussie*, cujus primaria Gedanum; & Russia Nigra, *la Russie Noire*, ubi Leopolis. Magni Ducatus Lithuaniæ partes sunt Lithuania propria, *la Lithuanie*, cujus caput est Vvilna; Volhinia, *la Volhinie*, ubi Luceoria; Podolia, *la Podolie*, ubi Camenecium; Polesia, *la Polesie*, ubi Brestia, & Samogitia, *la Samogitie*, ubi Mednichia: Sed ab anno 1386. Lithuania cum suis partibus Poloniæ adjecta est per Jagellonem Ducem, qui postea Vladislaus dictus fuit. Dividitur etiam aliter Polonia in triginta quatuor Palatinatus, & in octoginta septem Castellanias; sed prior divisio communior est.

Poloniæ urbes præcipuæ:

Bielska, *Bielsk*, Polachiæ.
Braclavia, *Braclavv*, Podoliæ.
Braslavia, *Braslavv*, Lithuaniæ.
Brestia, *Bressici*, Polesiæ.
Calisa, *Kalisch*, Poloniæ inferioris.
Camenecium, *Kaminiek*, Podoliæ.
Chelma, *Chelm*, Russiæ nigræ.
Cracovia, *Crakovv*, Poloniæ superioris.
Elbinga, *Elbing*, Prussiæ Regiæ.
Gedanum, *Dantzick*, Prussiæ Regiæ.
Gnesna, *Gnesna*, Poloniæ inferioris.
Kiovia, *Kiovv*, Volhiniæ.
Lancicia, *Lencici*, Poloniæ inferioris.
Leopolis, *Lvvovv*, Russiæ Nigræ.
Lublinum, *Lublin*, Poloniæ inferioris.
Luceoria, *Lucko*, Volhiniæ.
Mariæburgum, *Maryenburg*, Prussiæ Ducalis.
Moslavia, *Meislavv*, Lithuaniæ.
Mednichia, *Medniki*, Samogitiæ.
Minscum, *Minsk*, Lithuaniæ.
Novogroda, *Novogrodek*, Lithuaniæ.
Plocum, *Ploczko*, Mazoviæ.
Polocska, *Poloczk*, Lithuaniæ.
Posnania, *Posnan*, Poloniæ inferioris.
Premislia, *Przemysl*, Russiæ Nigræ.
Regiomontis, *Konigsberg*, Prussiæ.
Sandomiria, *Sandomirz*, Poloniæ superioris.
Siradia, *Sirad*, Poloniæ inferioris.
Toronia, *Thorn*, Prussiæ Regiæ.
Troca, *Troki*, Lithuaniæ.
Varsavia, *Warzavv*, Mazoviæ.
Vilna, *Wilna*, Lithuaniæ.
Vitepscia, *Witepsek*, Lithuaniæ.
Vladislavia, *Wladislavv*, Cujaviæ.

Polonia major, seu *inferior*, Gall. *la grande Pologne*, pars est ampla regni Poloniæ; in ejus occidua parte, quâ in Boream tendit, Pomerellia & Pomerania, quâ in occasum prona est, Electoratu Brandeburgico & Silesiâ terminatur. Meridionales ejus fines Silesiam & minorem Poloniam respiciunt, Orientalesque Mazoviæ contigui sunt: Sunt autem in ea septem Palatinatus. In hac Nobilitas Poznaniæ congregata, sec 15. restitutionem Calicis in Cœna Domini acriter ursit, ab Episcop. Poznaniensi clusa. Postea Fratribus qui Bohemiâ tum pulsi, quamplurimi Poznaniam, Curmicum, & Szamotuliam appulere, Andreas Comes à Gorka, Castellanus Poznaniensis, sacra publicè Poznaniæ administrandi potestatem dedit, An. C. 1547. cui cœtui, post varias persecutiones, Pastor obtigit An. C. 1550 Georgius Israël, & patronus insignis Jacobus Ostrorogius Comes, An. C. 1568. extinctus; postquam Confessionem fidei, nomine Ecclesiarum, Regi obtulisset, A. C. 1564. Hæ postea quò majori vinculo cum Lithuanicis unirentur, Consensus in Synodo Petricoviensi, A. C. 1578. initus est, & Synodo Vladislaviensi A. C. 1583. confirmatus. Quæ sequuta V. apud Lætum *Epit. Hist. Univ. &c.*

Polonia minor, seu *superior*, Gall. *la petite Pologne*, pars est regni Poloniæ, sic dicta, ut à majori discernatur. A meridie montibus Hungaricis, ab occasu Silesiæ, à septentrione majori Poloniæ, & ab ortu Podlachiæ & Russiæ Rubræ finitima est; comprehenditque Palatinatus Cracoviensem, Sandomiriensem, & Lublinensem. In hac Nicolaus Oleszolcius primus videtur puriorem cultum promovisse, concesso Evangelicis sacris loco in opp. suo Pinczoviâ, A. C. 1550. quod idem mox Pelniciæ suæ Lasocius fecit: Dubetiæ Stadnicius, alii alibi postea cùm in Comitiis Petricoviæ habitis, An. C. 1552. Episcopi causâ cecidissent, plurimi è primaria quoque nobilitate à Latinis secesserunt. Sed Ecclesiæ quies turbata non parum à Stancaro est, cujus hæresis Synodis Sendomiriæ, Vladislaviæ, Pinczoviæ habitis, est condemnata: inprimis celebri illâ Xianzensi An. C. 1560. Blandrata, post Stancarum, non minores turbas dedit, Socini veneno Poloniæ illato, circa An. C. 1563. Consensus postea Confessionis Bohemicæ, Augustanæ & Helvetiæ Sendomiriæ initus est, An. C. 1570. & An. C. 1573. cùm de eligendo novo Rege ageretur, religioni cautum est, procurante id Johanne Firlejo Palatino Cracoviensi, Viro zeli pleno. Post quæ Smalcius Ecclesiis gravis fuit, in Synodo Lublinensi An. C. 1612. in societatem recipi postulans, rejectus. Academiæ Cracoviensi cum Jesuitis ingens contentio exarsit, Ann. Ch. 1626. Varia dein Evangelicis templa adempta. Vide Lætum *Histor. Univ.* Plura de Polonia, V. apud Volaterranum, Munsterum, Mercatorem, Ortelium, Merulam, Maginum, Bertium, Cluverium, Nicolaum & Guil. Sansonem, Brietium, Du Val &c. *in oper. Geogr.* Alex. Gaguinum Veronensem *Sarmatiæ Eur. descript.* Andr. Cellarium, *Novâ descr. Polon.* Sansovinum *Chron. lib.* 1. Ricciolum *Chron. Reform.* Matth. Michovium *de Sarmatia, & in Chron. Polon.* Martin. Cromerum. *Hist. Polon.* Erasmum Stellam *descr. Borussiæ*, Davidem Chytræum *de Russorum ac Tartar. relig.* Phil. Callimachum, *Hist. Polon. contra Turcas.* Salom. Neigebaur. *Hist. Polon.* Volumen Historicorum Polon. Baron. *Annal.* Bzovium, Spond. Rainaldum *Contin. Annal. Eccl.* Thuanum *Histor.* Mat. Crovecium *in l. admon. ad Sig. Augustum.* Ioach. Bielscium *Chron. Polon.* Virg. Musæum *de Evangelii in Pol. origine & progressu.* Payen, Rupisfortium &c. *Itin. Pol.* Davity *Descr. Pol.* Fulstinum *Hist. Pol.* Morer. *Dict. Hist.* Lætum *Comp. Hist. Univ. &c.*

Polymbria, civitas Thraciæ. Steph.

Polus, histrio in Græciâ illustris, qui gestu, & vocis claritudine, & venustate cæteris anteibat. Egit Tragœdias Poetarum: Athenis etiam Electram Sophoclis poetæ urnam cum Orestis ossibus gestantem; quem actum scite adeò ac doctè absolvit, ut imagines rerum verbis exprimens, spectatores ad fletum & lachrymas compulerit.

Polus, Agrigentinus Sophista, Gorgiæ auditor, primus in oratione invenisse dicitur paria & antitheta, & similiter desinentia, quod minimè verum, sed jam inventis sæpe usum fuisse constat. Hæc Philostratus. Suidas scribit, eum genealogiam eorum, qui ad Trojam profecti sunt, scripsisse, simul & navium catalogum.

Polusca, Liv. Halycarnasseo *Polus*, opp. fuit Latii, olim Volscorum caput. Pop. *Pollustini* Plin. Interiit prorsus.

Polyægos, una Sporadum Plin. Ptol. à Caprarum multitudine. 70. m. p. à Delo in Mer. Sophiano *Policandro*. Nigro *Falconara*. Meliùs *Polagusa*. Ferrar.

Polyænus Sardianus, temporibus Cæsaris Dictatoris & Antonii Triumviri; scripsit orationes judiciales, triumphi Parthici M. Antonii libros tres. Fuit alter ejusdem nominis Macedo genere, qui de Thebis scripsit, & de re militari, ad Antoninum & Commodum, V. Casaubon. *in Polyænum*, Suidam &c. Alius insignis Mathematicus fuit, qui Epicurum postea secutus est, totamque Geometriam falsam credidit. Cic. *l.* 4. *Acad. Qu.* V. Euseb. *lib.* 1. *Chron.* Voss. Gesner. Possevinum, &c.

Polyandus, urbs Cataoniæ, in Armenia min. Ptol. Sed Interpp. habent *Padyandus*.

Polyani, à *Polyano* quodam dicti sunt Pindi accolæ. Strab. *lib.* 7.

Polyanthus, Cyrenæus, librum reliquit de ortu Asclepiadarum. Sext. Emp. *lib.* 1. *Adv. Mathem. cap.* 12.

Polyanus, mons Macedoniæ, in confinio Epiri, Pindo monti maj. finitimus. Strab.

Polyara, urbs Cariæ. Civis *Polyareus*. Steph.

Polyarchus, frater major Eryxûs, viduæ reginæ Cyrenensis, qui Lanachum tutorem, pro tyranno se gerentem confodit. Polyæn. 8.

Polybianum, Lazio, *Leybnicz*, opp. Stiriæ, ad fl. Muram, medium inter Græcium & Pœtovionem 4. leuc.

Polybidas, Agesipolidi, ad Olynthum mortuo, substitutus Dux, res ibi præclarè gessit, Olynthios obsidione clausit, & tandem sub potestatem Lacedæmoniorum redegit. Olymp. 100. An. 1.

Polybius, rex Corinthiorum, qui, cùm liberis careret, Oedipum Laii patris jussu in sylvâ expositum, & à pastore inventum pro suo educavit. Lege *Polybus*.

Polybius, è Megalopoli civitate Arcadiæ, fil. Lycortæ, qui caput fuit Reip. Achæorum, præceptor Scipionis Africani: cui, Læliique Romæ innotuit, post Patrem, à Rep. patria Legatus ad Ptolomæum Epiphanem, indeque ad Cons. Romanum, in Thessalia res gerentem: occasione hinc in Urbem proficiscendi captatâ. Hic scripsit Romanam historiam libris quadraginta. Incipit à fugâ Cleomenis Spartiatæ, & Persei Philippi Macedonum regis, posthac Romam attingit, ab initio primi belli Punici, usque ad finem Macedonici, per ann. 53. Horum duo primi, præliminares tantùm, Romam à Gallis captam succinctè narrant. Sed pars pleraque aut tota periit, aut mutilata ad nos pervenit cum fraude generis humani: Neque aliud nobis restat, quàm 5. priores libb. cum epitome 12. seqq. forte à M. Bruto facta, qui Polybii lectionem ipsi Ciceroni antetulit. Nicolaus V. primus Polybium edidit, qui dein auctior prodiit, editione inprimis Casauboni, qui illum egregiis notis insuper illustravit. Recta & salutaria ubique ejus monita: & quem ego (Lipsii verba sunt) hoc magis Principibus commendatum velim, quòd anxia in eum inquisitione non opus, sed sensus suos aperit & revelat ipse. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 19. Item vates Corinthius, qui filio Trojam proficiscenti, & multis aliis mortem prædixit. Cicero.

Polybius, Medicus; gener, discipulus & successor Hippocratis. Scripta ejus hodieque habentur. Justus *in Chron.* Vander Linden *de Script. Med.*

Polybœa, Dea. Hesychius: Πολύβοια, θεός τις, ὑπ' ἐνίων Ἄρτεμις, ὑπὸ δὲ ἄλλων Κόρη, nempe à βόω, sive βόσκω, *pasco*, ut idem sit ac Homeri Πουλυβότειρα, aut Παμβῶτις γῆ, quod apud Sophoclem *in Philoctete*. Ac fortasse similiter Heracleenses, matrem ejus Cererem dixere Παμβώτιν, licèt apud Hesychium nunc legatur: Πάμπωτιν, ἡ Δημήτηρ ἐν Ἡρακλείᾳ.

Polybotus, urbs Phrygiæ magnæ. Lib. Conc.

Polybus, Sicyoniorum rex, ann. ante U. C. 550. Item Auctor antiquus, qui scripsit de semine humano. Et unus ex procis Penelopes. Ovid. *Epist.* 1.

Quid sibi Pisandrum, Polybumq; Medontaq; Dirum, &c.

Polycarpus, Smyrnensis episc. A. D. 91. Johannis Evang. discipulus, Ecclesias totius Asiæ doctrinâ suâ instruxit, exemploque confirmavit. Romam profectus, ut cum Aniceto Episc. de celebratione Paschatis conferret, varios in itinere Valentini & Marcionis fraudibus irretitos convertit: Huicque Romæ, cum in eum fortè incideret, ab illo interrogatus, an non se nosset, respondit, *Omnino: Primogenitum te Diaboli agnosco.* Redux in Asiam, pro Christianâ fide palam, & spectante populo in amphitheatro combustus est, teste Volaterrano, An. 167. Vid. Euseb. *Eccl. Hist. lib.* 4. *cap.* 5. *& in Chron.* An. C. 157. & 167. Hieron. *in Cat. cap.* 17. Iren. *lib.* 3. *adv. hær. cap.* 3. Tertullian *de præscr. cap.* 32. Socr. 5. 21. Phot. *cod.* 126. Jac. Ussérium *in edit. epist. Polycarpi &c.*

Polycaste, Nestoris filia.

Polycharmus, cælator eximius, qui Venerem lavantem sese ac Dædalsam stantem insculpsit marmore. Plin.

Polychronius, Episc. Apameæ. Ann. C. 420. Frater Theodori Mopsvestii, & discip. Diodori Tarsensis. An auctor Commentar. in Danielem? An idem cum Episc. Hierosolymitano? cujus Actorum meminit Nicolaus I. in ep. ad Michaelem Imp. Sed hæc supposititia judicat Baronius. An. C. 431. Gesner. *in Bibl.*

Polyclea, Soror & uxor Æati, ex quibus Thessalus natus. De hujus fœminæ ingenio Plut. & Polyæn. VIII.

Polycles, Atheniensis, ex conjuratis, qui Heraclidem, Demetrii præfectum, urbe ejicere affectabant. Polyæn. *lib.* 5.

Polycles, Cyrenensis, vicit stadium, Olymp. centesimâ octavâ.

Polycletus, Libertus Neronis ad componendas Paullini & Classiciani discordias missus. Verùm cùm ingenti agmine Italiæ Galliæque gravis Oceanum transmisisset, & militibus quoque Romanis terribilis incederet; hostibus irrisui fuit, apud quos, flagrante etiam tùm libertate, nondum cognita libertorum potentia erat. Tacit. XIV. 39. Meminit quoque ejus *Hist.* 1. 37.

Polycletus, statuarius eximius, diligentiâ ac decore supra cæteros facilè vincens, uti loquitur Quinctilianus. Nam ex ære signa fecit scriptorum præconio nobilitata. Cum primis fecit astragalizontes, h. e. talis ludentes, quo opere nullum absolutius judicant. Fuit Sidonius, ac discipulus Ageladis. Duas eodem argumento statuas fecit: alteram arte suâ, alteram verò de vulgi opinione, quam de sententiâ cujusvis prætereuntis cælaverat. Quibus perfectis turbam admittit, ac primùm sua ostensa magnopere laudatur: altera deinde non æquè. *Atqui, scitote*, inquit, *quòd hanc quam tantopere laudatis, ego feci: quam verò vituperatis, vos fecistis.* Ælian. *de Var. hist.* V. Plin *lib.* 33. *cap.* 13. *& lib.* 34. *cap.* 8 Juven. *Hic aliquid præclarum Euphranoris aut Polycleti.* Hinc *Polycleteus* adj. Stat. *Sylv.* 2. 2.

—— *Quod ab arte Myronis,*
Aut Polycleteo jussum est quod vivere cælo.

Idem. 4. *Sylv.* 6.

Quod Polycleteis visum est spirare caminis.

Polycritus, Larissæus historicus, cujus meminerunt Athenæus, *lib.* 12. Jul. Pollux, *in Onom. lib.* 2. *cap.* 4. *tmem.* 31. Ælianus *lib.* 16. *cap.* 41. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. Gesner. *in Bibl. &c.*

Polycrates, Olymp. 62. Sami Tyrannus, opibus & felicitate apud historicos inclytus, qui, quoad vixit, non tam fortunæ alumnus dici potuit, quàm partus. Nam aliquando, ut aliquid infortunii habuisse videretur, annulum projecit in mare, quem tamen cocus ejus redinvenit in pisce. Sed mors infamis & ærumnosa docuit neminem ante obitum meritò dici posse felicem. Ad postremum enim, à Persarum Satrapâ Oronte dolo captus & crucifixus. Olymp. 64. Thuc. *lib.* 1. Strabo *lib.* 14 Herod. *lib.* 1. Euseb. *Chron.* Fuit & hoc antiquior alius. Item Ephesiorum præsul octo ex parentibus Episcopis prognatus, temp. Severi Imp. In Synodo Episcoporum Asiæ, Pascha celebrandum d. 14. Lunæ, statuit, literis hac de re ad Victorem Episc. R. qui Asiaticos excommunicârat, satis acriter scriptis, Hieronymus, *de Scr. Eccl.* Euseb. *Hist lib.* 5. *cap.* 9. *&* 23.

Polycrates, post superatum, ad Platæas, Mardonium, vulgante rumore, sub ejus tentorio ingentem thesaurum esse defossum: locum istum pecuniâ redemit & diu multumque perscrutatus est terram. Cùm nihil reperisset, misit Delphos, Apollinem sciscitatum, ubi reperire posset. Ferunt Apollinem respondisse, *Omnem lapidem move*, quod postea in proverbium abiit. Polycrates autem iste fuit Atheniensis. V. Scholia *in Aristophanis Equites, p.* 333. *D.*

Polycreta vel *Polycrita*, Puella Naxia, à Diogneto Erythræorum duce capta & loco uxoris habita. Milesiis quodam tempore vino & somno demersis, misit tabellas plumbeas, placentæ insertas, ad fratres, quibus monebat, ut sepultos vino ac somno opprimerent: Diognetum verò sibi donum exemit ab exitio: Polyæn. VIII.

Polycrita, nobilis mulier è Naxo insulâ, quæ insperato gaudio pene exanimata ultimum spiritum emisit. Plut. *de claris mulieribus*, & Arist. apud Gellium.

Polycritus, Mendæus, nomen sibi peperit historiâ Dionysii Tyranni, Laertius. Idem videtur esse, quem res Siculas carmine Heroico panxisse narrat Arist. *lib. de Mirab.* At fortasse alius est, cujus memini. Plut *in Alexandro*, tres enim hujus nominis urbes erant, in Sicilia, Thracia & Ægypto. Plin. 23. 2.

Polydamas, nobilis Trojanus, Antenoris & Theanûs sororis Hecubæ filius, qui, quamvis Lycasten Priami filiam ex concubinâ susceptam, uxorem duxisset, cum Antenore tamen patre suo urb. Trojanam dicitur Græcis prodidisse. Item Panthei fil. Hom. *Il.* 12. Persius *Sat.* 1.

Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem
Prætulerint. —— ——

Ubi ingeniosissimè poeta duos versus *Iliad.* χ. (errant qui alterum horum aliunde petant) hoc unico expressit,

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Et statim:

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Sic M. Tullius utrumque Homeri versum usurpat, *ep.* 5. *ad Atticum lib.* 2. *&* 1. *lib.* 7. *Aliter senjero? Αἰδέομαι non Pompejum modò*, sed Τρῶας καὶ Τρῳάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. *Quis? Tu ipse scilicet, laudator & scriptorum & factorum meorum.* Vide & *ep.* 16. *libri* 8. *Polydamas* & Ciceroni & Persio est alterius Catonis, aut ipsius virtutis nomen. Ineptè nimis quod argutatur de eâ voce antiquus Scholiastes. Is Latinâ voce exprimit *multinuba*, quia sc. δάμαρ, est *conjux*, & multitudinem uxorum putat Neroni exprobrari. Quid putidius hoc commento? etsi non defuerunt qui probarent; Præterea falsissimum est, Polydamantem describi à Poetâ, garrulum & ineptum. At quot locis ejus virtutem prædicat? velut *Iliad* μ.

Οἱ μὲν ἅμ' Ἕκτορ' ἴσαν καὶ ἀμύμονι Πουλυδάμαντι.

Componit eum cum Hectore, & quidem honestissimo elogio adjecto, cùm Hectoris nudum nomen posuisset: ut quem loco depresserat posterius nominans, virtutis testimonio attolleret. Postea vocat ἀμύμονα, & consilium illius laudat:

Βουλὴ Πουλυδάμαντος ἀμύμονος πείθοιτο.

Alib: πεπνυμένον *prudentem. Iliad* Σ.

Τοῖσι δὲ Πουλυδάμας πεπνυμένος ἦρχ' ἀγορεύειν.

Polydamas, Pancratiastes, æmulatus Herculem, leonem, in Olympo monte, inermis superavit, taurum ingentem apprehensis extremis pedibus retro tenebat, currum agitatum sese opponendo alterâ manu comprehensum ex cursu retrahebat, in equosque insiliebat, dejecto aurigâ. Accersitus à Dario, Artaxerxis magistrello, ter apud eum ex provocatione victor fuit. Postremò post cœnam in cavernâ, cùm saxum in vertice ruinam minaretur, diffugientibus convivis, confisus ipse viribus suis, ac manibus posse illud sustinere putans, oppressus est. Plin. *lib.* 7. *cap.* 49. Valer. *Max. lib.* 9. *cap.* 12. *ex.* 18. Pausan.

Polydamas, Prætorum unus Alexandri M. intimus Parmenionis, per quem & hunc sustulit. Curt. VII.

Polydectes, Magnetis fil. Rex Seriphi insulæ. Hic Perseum Jovis & Danaes filium educavit, cujus tandem ingenium veritus, audaciamque & felicitatem, sub prætextu æternæ gloriæ, illum ad superandam Gorgonem Medusam impulit: quâ devictâ redeunti Perseo cùm semper detraheret, conversus est ab illo in silicem, monstrato capite Medusæ. Ovid. *Met.* 5. Alii apud Dictyn, fratrem hujus, Danaen cum Perseo, hospitatum esse tradunt. V. *Danae & Perseus* Item Lacedæmoniorum R. frater Lycurgi. V. *Charillus.*

Polydeucea, Laconicæ fons ad Therapnem urb. V. Strab. *lib.* 9.

Polydice, mulier quædam, quæ Pierelam patrem, Thebarum regem, Creonti prodidit, & occidi suasit. Servius.

Polydora, Nympha Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* Item insula juxta Cyzicum. Steph. V. infra.

Polydora, Insl. parva Propontidis, juxta Cyzicum. Plin. Diod. Steph. Incolæ *Polydorenses*, & *Polydorei*

Polydori tumulus, locus Thraciæ, apud Ænon urb. ubi is à Rege Thraciæ, cui à Priamo Patre commendatus erat, occisus est. Plin.

Polydorus, Lacedæmoniorum Rex, qui civibus suis cum Messeniis viginti annorum bello implicitis, tandem rei finem ut imponeret, & Messenios ad prœlium eliceret, simulavit cum Theopompo, alterius familiæ Rege simultatem: à cujus regressu egressi Messenii, à fronte & à tergo circumventi, vi subacti sunt.

Polydorus, fil. Alcamenæ, pater Eurycratis, Lacedæmonius, Heraclides. Herod. VII.

Polydorus, frater Jasonis Pheræi, qui, secundùm quosdam, ut Dux Thessalorum Principatum Græciæ affectantium & Pheræorum Dominus fieret, fratrem dolo occidit, An. 3. Olymp. 102. Præfuit autem Thessalis annum saltem unum: à Fratre Alexandro vicissim veneno sublatus.

Polydorus, Rhodius, cælator nobilis, qui ex uno lapide fecit Laocoontem & liberos, nexusque mirabiles. Plin. *libr.* 34. *cap* 8. *& lib.* 36. *cap.* 7.

Polydorus, Priami fil. ex Hecubâ, quem pater initio belli Trojani

jus incertum communis Martis exitum metuens, eum magno cum pondere educandum tradidit Polymnestori Thraciæ regi, utpote hospiti, amico & genero suo. Sed ille deletâ Trojâ, cæterisque Priami ferè omnibus liberis interfectis, auri cupiditate adductus, Polydorum in litore spatiantem telis aggreditur, & frustra fidem Deorum hominumque implorantem, occidit, cæloque tumulum injecit, cui postea myrtus increvit, sanguineis guttis difflüens. Quod cùm mater Hecuba intellexisset, simulavit se ingens adhuc auri pondus velle illi secretò indicare, quod pro filio acciperet. Quod avarus rex verum existimans, mox ad Hecubam profectus illius unguibus occæcatus est. Extat tamen & alia de Polydoro opinio, nempe Græcos per Thraciam venientes hunc cepisse; Priamum autem redimentem filium, Græcis pro eo dedisse urbem, quæ postea ab eventu *Antandros* dicta est: quâ acceptâ illos tamen nihilominus Polydorum lapidibus obruisse, Servius *in Æn.* 3. Hinc *Polydoreus* Ovid. *Met.* 13.

En Polydoreo manantem sanguine terram.

Item *Polydorus* alius, Priami filius ex Laothoe Altai Lelegum regis filiâ: quem Achilles cum fratre Lycaone in bello Trojano interemit.

Polydorus Virgilius, seu Vergilius, Urbinas, vixit seculo 15. & 16. Eruditione famam meritus. Edidit Ann. 1499. *de Inventoribus rerum libb.*8. Dein in Angliam profectus, ut ibi denarium S. Petri colligeret, gratiâ Principum Anglicorum potitus est, & Archidiaconatu auctus. Tractatum de prodigiis publici juris fecit, Londini, An. 1526. Dein, ultimam manum Historiæ Angl. imposuit, eamque Henrico VIII. inscripsit, An. 1533. libb. 26. Scripsit etiam proverbia, &c. Obiit Ann. 1555. Paul. Jov. *in Elog. cap.* 135. Henr. Savilius, *in edit. Scr. Angl.* Voss. *de Hist. Lat. lib.*3.

Polyeuctes, Patr. Constantinopolitanus, post Theophylactum, An. 956. Constantino Porphyrogennetæ acriter obnoxus; Nicephorum Phocam, qui, uxori suæ superstiti adhuc, aliam superinduxerat, ex Ecclesia ejecit, idemque Johannem Zimiscem à sacris arcuit, quòd Nicephorum occidisset. Obiit Anu. 970. Curopalates, & Baronius *in Annalibus*. Item Poeta Comicus, Athen. *libro* 10.

Polygamistæ, Hæretici, qui licere cuique tot uxores, quot vellent, ducere, statuerunt. Horum auctor Bernardinus Ochinus erat, qui Gener. primò Capucinorum, dein veræ religionis professionem aliquandiu mentitus; tandem in varios errores prolapsus est. Seculo præter.

Polygius, Mercurius dictus est, cui Herculem clavam consecrasse, eamque paulo pòst iterum pullulasse, quòd esset ex oleastro, refert Pausanias.

Polygnotus, patriâ Thasius, floruit Olymp. 90. pictor antiquissimus. Quintil. *lib.* 12. & Plin. *lib.* 33. 13. *&* 34. 8. *&* 35. *cap.* 6. *&* 9. Videndi quoque sunt Plutarch. *in Cimone*, Pausanias & Ælianus. Item Statuarius insignis, Plin. *lib.*34.

Polyhistor, Apion sic dictus, Gell. 5. 14. Item *Polyhistor* historicus à Plinio reponitur inter eos, è quibus contexuit librum octavum. Poterat idem videri ac Alexander Polyhistor; sed apertè ab eo Plinius ipse *lib.*8. distinguit. Vide *Alexander Polyhistor*.

Polyhymnia, Musarum una. Aliqui *Polymneiam* vocant, à *magnitudine memoriæ* scilicet. Historiæ, an Rhetoricæ Præstita? Pingitur coronam ex margaritis constante m, & togam candidam gestans: manu dexterâ ad perorandum exertâ, cum volumine in læva, cui inscriptum, *Suadere*. Plutarch. *in Sympos.* Balduin. *Iconol.* Horat. *Od.*1. *lib.*1.

—— *Si neq; tibias*
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Ovidius 5. *Fastorum*:

Dissensere Deæ, quarum Polyhymnia cœpis.

Polyidus, medicus, qui Glaucum Minois filium mortuum ad vitam revocavit porrectâ herbâ, cujus usum didicerat à Dracone, quem viderat draconi cuidam mortuo herbam illam porrexisse, eumque illius herbæ operâ ad vitam revocasse. Palæphatus, Apollodor. *lib.* 3. Fuit quoque *Polyidus*, qui de arte machinali scripsit, teste Vitruvio Pollione *præfat. lib.* 7. Apud Censorinum quoque, *fragmenti cap.* 9. quidam *Polyidus* inter Musicos Olymp. 95. memoratur; Ubi perperam *Pondos* legit Carrio. Vide quoque Pausan. *in Att.* Clem. 1. *Strom.* Hygin. Voss. &c.

Polyidus, Poëta Dithyrambicus, præterea Pictor ac Musicus insignis, floruit Olymp. 95.

Polymartium, urbs Hetruriæ olim Episcop. nunc castrum cum Ducat. titulo in ditione Pontificia, 14. mill. pass. supra civitatem Castellanam in Circ. Orivetum versus, medium inter Viterbium & Hortam, in prov. Patrimonii; *Bomarzo.*

Polymedia, Troadis oppidum Hellesponto adjacens, Plinius *lib.* 5. *cap.* 3.

Polymemes, ab Alexandro Magno, claustra Nili fluminis, deditâ Ægypto, cum 30. triremibus tueri jussus, Curt. 4. 72.

Polymnestor, Milesius puer, cùm à matre locatus esset ad caprarios pastus, ludicro leporem consecutus est, & ob id statim projectus à gregis domino Olympiade 46. victor in stadio meruit coronari.

Polymnestor, Thracum tyrannus. Vide *Polydorus*, & Euripidem *in Hecubâ*. Ovid. *Metam.* 13.

—— —— *Capit impius ensem*
Rex Thracum, juguloq; sui demisit alumni.

Propertius *lib.*3.

Et scelus accepto Thracis Polymnestoris auro.

Polymnestus, Miletii filius, poëta Colophonius, carmen Orthium vel, ut alii vocent, Orthrium, conscripsit: item quod ab eo *Polymnestium* dictum est. Sminthia quoque in Rhodo cecinit, ut ex Athenæo videre est. Ob fœditatem reprehensus, ab Aristophane *in Equitibus*: imo & Cratino memoratus, ut Suidas docet; adhæc Alcmani & Pindaro. Atque ex his antiquitatem ejus cognoscimus. Celebrant quoque eum Plutarchus & Pausanias. Nomen non inscitum, sig. enim *multis ambitus*, ut Homero πολυμνήστη, ea, cujus multi sint, aut fuerint, μνηστῆρες, hoc est, *proci.* Vossius.

Polynices, filius Oedipi, Thebanorum regis, ex nefando Jocastæ matris concubitu, frater Eteoclis, quibus pater, sponte in exilium proficiscens, regnum eâ lege reliquerat, ut alternis annis regnarent. Verum cum Eteocles, cui utpote natu majori Polynices priores regnandi vices concessit, fratri suo regno cedere recusaret, ille Argos sese contulit ad Adrastum regem, qui filiam suam nomine Argiam uxorem illi despondit, contractisque quàm maximis potuit viribus, unà cum Tydeo, altero genero, Thebanis bellum intulit, cujus is fuit exitus, ut duo fratres singulari certamine congressi, mutuis vulneribus caderent. Quinetiam cadaveribus rogo impositis, flamma dicitur se divisisse, tanquam implacabile illud odium, quod inter vivos extiterat, ne morte quidem potuerit finiri. Statius *in Thebaide*.

Polypercon, Prætor Alexandri Magni; & in ejus exercitu peregrini militis dux. Post mortem Alexandri, ab Antipatro ægroto & moribundo summam rerum accepit. Vide *Polysperchon*.

Polyphemus, inter Cyclopas omnes, qui centum fuisse memorantur, viribus corporis formæque magnitudine præstantissimus fuit; quibus verò parentibus ortus fuerit, nondum constat. Apollonius *Argon. lib.* 1. illum Neptuno & Europâ Tityi filiâ natum fuisse tradit, *in his carminibus*:

Ταίναρον αὖτ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανεν,
Τὸν ἐκ Ποσειδάωνος ποδωκηέστατον ἄλλων
Εὐρώπη Τιτυοῖο μεγασθενέος τέκε κούρη.
Κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
Οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
Ἴχνεσι τεγγόμενος διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ.

Andron verò Tejus & Posidonius Polyphemum patre Elatâ ac matre Stilbe Nymphâ natum fuisse memorant. Conon, *in Heracleâ*, Elati & Amymones eum filium fuisse scribit. Homerus autem *Odyss.* 1. Neptuni & Thoosæ filium facit. Hunc in speluncâ habitare solitum, & oves in Siciliâ custodire, magis notum est, quàm ut indigeat explicatione, cùm in eadem Tragœdiâ etiam id scribat Euripides & Hom. *in Odysseâ*. Martialis:

Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.

Hic Galateam Nympham fertur adamasse, Acim verò puerum, quem sibi illa præferebat, saxo interemisse: Ulyssem quoque vi tempestatis in Siciliam delatum antro suo inclusit, quatuorque ex comitibus ejus devoravit, reliquos eodem mortis genere pempturus, nisi prævertens Ulysses vino nigro eum inebriasset, altoque sopore obruto adusto stipite oculum eruisset. Virgilius *Æneid.* 3.

—— *Domus sanie dapibusq; cruentis*
Intus opaca, ingens, ipse arduus, altaq; pulsat
Sidera. —— —— ——
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cùm corpora nostro
Prensa manu magnâ medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, servieq; aspersa natarent
Limina: vidi atro cùm membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impunè quidem; nec talia passus Ulysses,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoq; sepultus
Cervicem inflexam posuit, jacuitq; per antrum
Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commista mero: nos magna precati
Numina, sortitiq; vices, unà undiq; circum
Fundimur: & telo lumen terebramus acuto,
Ingens quod torva solum sub fronte latebat
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.

Ubi ex his verbis:

—— *Jacuitq; per antrum Immensum,*

Auctores colligunt magnitudinem Cyclopis, utpote qui totum antrum occupasset. Ad quam pertinent Lucilii versus, apud Crinitum:

Multa hominum portenta in Homero versificata
Monstra patent: quorum imprimis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes. —— ——

Ovidius *Metamorph.* 14.

Hac & plura ferox (Polyphemus) *me luridus occupat horror*
Spectantem vultus etiamnum cade madentes,
Crudelesq; manus, & inanem luminis orbem,
Membraq; & humano concretam sanguine barbam.
Mors erat ante oculos, mentiq; harebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum
Ter quater affligi sociorum corpora terra,
Qua super ipse jacens, hirsuti more leonis
Visceraq; & carnes, oblisisq; ossa medullis
Semianimesq; artus avidam condebat in alvum.

Homerus *Odyss.* 9.

Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥστε σκύλακας ποτὶ γαίῃ
Κόπτ'· ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.
Τοὺς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὡπλίσσατο δόρπον,
Ἤσθιε δ' ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν
Ἔγκατά τε, σάρκας τε καὶ ὀστέα μυελόεντα.

Multi, inquit Servius, Polyphemum dicunt unum habuisse oculum, alii duos, alii tres, sed totum fabulosum est. Nam hic vir prudentissimus fuit, & ob hoc oculum in capite habuisse dicitur, id est, juxta cerebrum, quia prudentiâ plus videbat. Verùm Ulysses eum astutiâ superavit, & ob hoc eum excœcasse fingitur. Vide Hygin. &c.

Polyphilus, nomen adscititium Francisci Columnæ, qui *Hypnerotomachiam* scripsit, sec. 15. Voss. *de Hist. Lat.*

Polyphontes, rex quidam, qui fratrem interfecit, quòd intellexisset ab eo sibi parari insidias, Gellius 4.2.

Polyphradmon, nepos Polyphradmonis, Pater Phrynichi; ob carminum præstantiam & suavitatem *Apis* dictus. Vide Scholiast. *in Aves Aristoph.* Vixit 70. Olympiad. & tragœdias composuit, Suidas.

Polypodusa, insula Cnidia. Gentile *Polypodusæus*, Steph.

Polypœtes, filius Pirithoi & Hippodamiæ, Homer. *Iliad.* 12.

Polyren, urbs Cretæ, quòd habeat *multas oves*, quas ῥῆνας vocant, Stephanus.

Polysperchon, ex ducibus Alexandri Magni, fortitudine inclytus: tutor Principum, mortuo Alexandro, ab Antipatro constitutus. Libertatem hic restituit Græciæ urbibus, & in Macedonia potens, Herculem, fil. Alexandri eò vocatum, neci dedit: Postea in prælio occisus, cùm jam antè filium perdidisset. Curt. *lib.* 4. 5. *& seqq.* Diod. Sic. *lib.* 18. *&* 20. Justin. *lib.* 13.

Polystephanus, historicus, inter alios laudatur à Scholiaste Apollonii *in lib.* 1. & Gellio 9.4. qui eum reponit inter Græcos scriptores non parvæ authoritatis: sed quorum libri contineant res inauditas, & fidem penitus excedentes. Item *Polystephanus* olim dicebatur Tibur, Italiæ urbs, Steph. Vide *Præneste.*

Polystratus, miles Macedo, qui confossum, sed tamen spirantem adhuc Darium, in valle quadam fortè reperit, Curt. *lib.* 5. 58.

Polytelia, opp. Mesopotamiæ.

Polytimetus, Scythiæ intra Imaum fluv. Ptol. Sogdianæ fluv. apud Qu. Curtium. *Amo* Nigro dicitur.

Polytropus, à Lacedæmoniis missus dux adversus Arcades, cum mille civibus, quingentis Argivis & Bœotiis exsulibus. Sed apud Orchomenum Arcadum à Pycomede occisus est, Diodor. 15.

Polyxelus, Comicus Græcus, cujus fabulas enumerat Suidas.

Polyxena, Priami filia formosissima ex Hecubâ conjuge, quam Pyrrhus Achillis filius Trojâ captâ, ad patris tumulum jugulavit. Ferunt enim Achillem, cùm ad Trojam bellum gereret, Polyxenam fortè in mœnibus conspectam adamasse, eamque uxorem sibi postulasse. Quod cùm Priamus annuisset, placuit, ut in Thymbræi Apollinis templum convenirent, pacis nuptiarumque fœdera inituri. Verùm cùm id rescivisset Paris, post Apollinis simulacrum sese occultavit, Achillemque nil tale opinantem sagittâ interfecit. Captâ deinde Trojâ, cùm & Polyxena viva in hostium manus pervenisset, Achillis umbra Græcorum proceribus in somnis apparuit, præcipiens, ut Polyxena, cujus nuptiarum prætextu erat interfectus, inferias sibi mitteretur, cujus crudelitatis Pyrrhus ministrum se præbuit. Ovid. *Metam.* 13.

Placet Achilleos mactata Polyxena manes.

Propertius *lib.* 2.

Nec minus hac nostri notescet fama sepulchri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.

Hinc *Polyxenius*. Catullus *in Nupt. Pel. & Thet.*

Alta Polyxeniâ madefient cade sepulchra.

Polyxenus, inter Græcorum duces numeratur ab Homero *Iliad.* 2.

Polyxenus, Atheniensis, cùm quendam juvenem humanâ specie augustiorem conspexisset impudicè, amisso visu cæcus factus est, Plutarch. *in Paral.*

Polyxo, xûs, mulier ex Lemno insula Apollinis vates, quæ Lemniaci sceleris dux & hortatrix fuit. Nam cùm Lemni mulieres, ob spretam Venerem, hircum olerent, maritique ex Thracia uxores sibi eam ob causam asciscerent, Polyxûs instinctu omnem virilem sexum interemerunt, solâ Hypsipyle exceptâ, quæ Thoanti patri suo pepercit, Statius 5. *Theb.*

Polyzalus, Archon Athenis, Olymp. 103. An. 2. Item Poëta Græcus.

Polyzelus Rhodius, celebratur in Solone. Scripsit inter alia etiam Rhodiaca, quæ citat Athenæus *lib.* 8. Meminit ejus quoque Jul. Pollux, 10. 21. & 15. 21. Plaut. *in Sol.* Hyginus *in Poëtic. Astronom.* ubi de Ophiucho tractat. Vide quoque Voss. *de Hist. Græc.* Item alius Messenius, Olymp. 50. historiographus, Ibyci poëtæ pater, ut videtur, Suid. in Ἴβυκος.

Pomaria, arx Lombardiæ Cispad.

Pomarius, Hercules dictus, quòd apud Bœotos illi malis sacra fieri mos esset. Vide proverb. *Pomarius Hercules.*

Pomerania, Wandalica reg. ad mare Balticum sita, sic dicta à Pomesano, Viduntí primi Borussiorum Regis filio, *Pomesania* primò, Merel. à primis verò cultoribus patriâ linguâ, hoc est, Wandalicâ, *Pamorzi* appellata est, ab indigenis inhabitata & propriis dominis gubernata; alienis autem nunquam subjecta fuit. A Boleslao Polono ad fidem Christi, cum Cassubia, compulsa est, An. C. 1120. est ubique fertilis, aquis irrigua, stagnis abundans, navibus pervia, dives agris, pascuis, pomis, lignis, rivis, montibus, venatione, pecore, piscibus, frumento, butyro, melle, cerâ, & aliis similibus rebus. Est quoque optimè culta civitatibus, oppidis, arcibus & vicis; nec ullus est locus in eâ vacuus, aut incultus, nisi quem aut lacus, aut montes occupant. Usa est ante susceptum Christianismum linguâ Wandalicâ, moribusque propriis vixit, donec Romano Imperio subacta est. Tunc enim unà cum religione, Saxonicam linguam amplexa est, quam in hunc usque diem retinet, Munsterus. Olim sub propriis Ducibus, quorum familiæ origo à Mistevone Vandalorum Rege arcessitur: Hujus, inter alios, filius Bogislaus, pater fuit Suantiboti: qui à Bela Ungaro, auspiciis Micislai Poloniæ Reg. victus, & ad fidem adductus, mox in libertatem & gentilismum se vindicavit. Ejus filii Wratislaus & Ratiborus Citeriorem, Suantopulcus verò & Boguslaus, Ulteriorem Pomeraniam sortiti sunt: quorum posteriorum stirpe extinctâ in Mestovino, An. 1295. partem ditionis Crucigeri occuparunt, An. 1313. reliquâ cis Stolpam ab agnatis vindicatâ. E prioribus Ratisbori linea, in Bartholomæo An. 1224. deleta est, Wratislaus verò familiam diutius propagavit, ab Ottone Bambergensi baptizatus. Pater Casimiri & Bogislai II. qui à Friderico Barbarossa, An. 1181. duces creati sunt, datâ in Imper. sessione. E Casimiri stirpe ultimus Casimirus III. Obiit An. 1271. Bogislaus genuit Bogislaum III. & Barnimum I. qui mortuus An. 1287. per filium, Ottonem & Bogislaum, Stettinensem & Wolgastensem ramum sevit. Otto Stetinum nactus est, pater Barnimi M. qui, in casum deficientis prolis, Brandeburgicis successionem addixisse dicitur: cujus posteris in Ottone III. Ann. 1464. extinctis, acre propterea bellum, inter Brandeburgicos, quibus Fridericus III. feudum contulerat, & agnatos Wolgastensis rami, ortum est. Bogislaus IV. Wolgastum tenuit, pater Wartislai IV. qui præter Wartislaum V. prosevit Bogislaum V. cui Pomerania Or. & Barnimum IV. cui Occidentalis cessit. *Prioris* posteritas desiit in Erico I. An. 1459. cujus ex sorore nepos Christophorus C. Pal. Rheni, post avunculum, Septentrionalium regnorum Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ rex electus est. *Posterior*, conditor arcis Wolgastanæ, cum Barnimo III. à Carolo IV. *Venatoris Imperii* dignitate exornatus est. Mortuus An. 1365. reliquit Bogislaum ἄπαιδα, & Wartislaum VI. Cum cujus posteris An. 1471. Albertus Brandeburgicus convenit, ut Stetinensem Ducatum à se in feudum acciperent. Cumque iterum Bogislaus X. homagium negaret, ad arma rursus, sed res denuò composita est, connubio Margaretæ Brandeburgicæ. Hic, è Palæstina redux, Wittebergæ Lutherum audiit: Extinctus An. 1523. Ex filiis ejus Georgius, cum Brandeburgicis iterum transegit, An. 1528. ut quoties homagium ducibus præstaretur, simul juramento successio in casum futurum firmaretur. Alter Barnimus, per Bugenhagium, in ditionem Evangelicam doctrinam induxit. Ei successit An. 1573. ex fratris filio Philippo, natus Joh. Fridericus, qui absque mascula prole obiit, An. 1600. ut & fratres ejus Barnimus V. An. 1603. & Casimirus IX. An. 1605. Duo supererant Philippi filii, Bogislaus XIII. qui An. 1606. defecit & Ern. Ludovicus, quorum ille, Philippum II. genuit, mortuum An. 1618. Franciscum, & Bogislaum XIV. qui ultimus familiæ, totius Pomeraniæ dominus, à Cæsareanis miserè expilatus est, An. 1627. recepto dein in ditiones Gustavi Adolphi exercitu, Ann. 1630. Obiit Ann. 1637. Cujus successio cùm, ex antiquo pacto, ad Brandeburgicos deferenda fuisset, pace Monasteriensi ita dispositum est, ut Marchiones Ulteriori, cum aliis quibusdam *Æquivalentiæ* nomine, contenti, Citeriorem Pomer. cum Rugia Suecis relinquerent: sed hodierno bello rursus Elector Brandeburgicus jus antiquum persequitur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Hist.* Baudrando Pomerania, *Pommern* incolis, *Pomeranie* Gallis, provincia Germaniæ, ad mare Balticum, Ducatus titulo nobilis ab Anno 1181. est in circulo Saxoniæ superioris. Terminatur à septentrione mari Baltico, ab oriente Prussiâ, à meridie Marchiâ Brandeburgicâ, & ab occidente Ducatu Megalopolitano. Antea Duces habuit proprios; sed mortuo Boguslao ultimo Duce, Pomerania bipartita fuit pace Monasteriensi & Osnabrugensi; Pomerania enim citerior seu cis Oderam fluvium concessa fuit Suecis, cum tribus ostiis Oderæ, & *Dam*, & *Golnow* oppidis trans Oderam, & Rugia insula in mari Baltico: Pomerania verò ulterior seu inter Oderam & Prussiam concessa fuit Ele-

ctori

ꝺori Brandeburgico. Pomerania autem dividitur in decem partes, suntque Ducatus Stetinensis, *Herzogthumb Stetin*, Principatus Rugiæ, *Furstenthumb Rugen*, Dominium Barthense, *Herrschafft Bardt*, Dominium Volgastense, *Herrschafft Wolgast*, & Comitatus Gutzoviensis, *Graffschafft Gutzkou*, in citeriori, & sub Dominio Suecorum: Ducatus verò Pomeraniæ, *Herzogthumb Pommern*, Ducatus Cassubiæ, *Herzogthumb Cassuben*, & Ducatus Vandaliæ, *Herzogthumb Venden*, in ulteriori, sub Electore Brandeburgico; ubi etiam Dominium Buthovii, *Herrschafft Butovv*, & Dominium Lavemburgi, *Herrschafft Lovvenborch*, quæ duo ipsi concessa fuere à Rege & regno Poloniæ. Totius autem provinciæ caput est Stetinum, *Stetin*, ad Oderam.

Pomeraniæ urbes:

Ancłamum, *Anclam*: Suecis subest.
Bardum, *Bardt*, Suecis subest.
Butovium, *Butovv*, Brandeburgico subest.
Caminum, *Camin*, Brandeburgico.
Colberga, *Colberg*, Brandeburgico.
Golnovia, *Golnovv*, Suecis.
Griphisvaldia, *Gripsvvalde*, Suecis.
Gutzovium, *Gutzkovv*, Suecis.
Lavemburgum, *Lovvenborch*, Brandeburgico.
Stetinum, *Stetin*, Suecis.
Sunda, *Stralsund*, Suecis.
Treptovia, *Treptovv*, Brandeburgico.
Volgastia, *Wolgast*, Suecis.
Vollinum, *Wollin*, Suecis.
Usedomia, *Usedom*, Suecis.

Pomerellia, regiunc. Prussiæ regiæ, inter Vistulam fluv. ad Ort. & Pomeraniam ad Occ. ubi urbes Conitza & Slochova.

Pomeriola, vulgò *Pomereaulx*, pag. agri Cameracensis.

Pomeriola, oppidum regni Legion. à Legione 3. leuc. *Manzanuda*, vel *Manzera*. Item opp. Hispan. Bæt. inter Hispalim 7. & Eleplam 4. leucis.

Pomerium, opp. regni Valentiæ, *Mancanera*.

Pomerius, vide *Julius Pomerius*. Hunc confundit Trithemius, utique cum Juliano Toletano, cui etiam hoc nomen fuit. Sed ille 5. seculo, hic demum sub finem septimi floruit. Gennad. *de Script. Illustr.* Isid.

Pomesania, tractus Prussiæ Duc. aliquot leucis ab Elbinga in Austr. nti à Mariæburgo, sub Electore Brandeb. ubi opp. Salfelda, Lipstadium & Osterodia.

Pometia, urbs olim Italiæ, Latinorum colonia, juxta Pontinam paludem. A Romanis deleta, quòd ad Auruncos defecisset. Livius *lib.* 2. *dec.* 1.

Pometina, una ex 35. tribubus pop. Romani.

Pomona, Nympha Latialis, hortorum Dea: quam cùm Vertumnus miserè deperiret, in alias atque alias identidem sese formas transmutavit, ut saltem amaræ conspectu frui posset. Tandem in anum conversus multis argumentis ei persuadere conatur, ut Vertumno nubat. Verùm cùm nihil aliud, quàm operam se ludere animadverteret, pristinâ resumptâ forma non admodum invitæ vim intulit, nuptiisque ejus est potitus. Picus quoque Latinorum rex eam adamavit, propter quod Circe conjux illum in avem sui nominis transmutavit. Inde *Pomonalis*, Flamen Pomonæ Deæ. Alex. ab Alexand. 6. 12. *Post aliquot verò tempestates, aucta civitate quum augeri sacerdotia oporteret, 15. Flamines constituti fuere, qui omnes à Diis, quibus sacra faciebant, cognomenta sortiti sunt, quorum primus Dialis, ultimus Pomonalis.* Ejus meminit Ovidius *Metam.* 14.

> *Rege sub hoc Pomona fuit, quâ nulla Latinas*
> *Inter Hamadryades coluit solertius hortos,*
> *Nec fuit arborei studiosior altera fœtûs,*
> *Unde tenet nomen.*

Pomona, insula Orcadum primaria, cum urbe cognomine, vulgò *Kirckvval*; insula verò *Mainland* dicitur, ab Ortu in Occ. extensa ad 22. m. p. In ea sunt 8. castra cum urbe ec. prim. Carcoviaca *Kirkvval*, in parte Bor. Insulæ, vixque 15. m. p. distat ab ora Scotiæ in Sept. Baudr.

Pomona, locus Latii, in agro Solonio, in via Ostiensi, media inter Romam & Ostiam, utrinque supra 8. mill. pass. à Pomona Deæ pomorum.

Pompai Dii, qui & *Averrunci*, vide *Emissarii*.

Pompeja, Sexti Pompeji ex Scribonia, filia; desponsa Marcello, pignus pacis eum Triumviris initæ: sed non deducta, nupsit postea Scribonio Liboni.

Pompeja, uxor tertia Jul. Cæsaris, filia Pompeji. Hanc mortuâ Calpurniâ Cæsar sibi junxit, mox repudiatam, ob adulterii cum Clodio, inter Bonæ Deæ sacra, suspicionem. *Non enim culpâ solùm, sed & culpa suspicione Cæsaris uxorem vacare debere*, dixit: Sueton. & Plutarchus, *in Julio.*

Pompeja Macrina, uxor Argolici, à Tiberio in exilium missa, Tacit. *Hist.* 6. 18.

Pompeja Paullina, filia Pompeji Paullini, Consularis & vectigalibus præfecti, uxor L. Annæi Senecæ.

Pompeja Plautina, Imperatrix optima, quæ Julianum Imper. maritum suum divertit, ab extorquendâ populo pecuniâ, & colligendo fisco. Sextus Aurel. Item Cn. Pompeji filia, & neptis Sylla, uxor Julii Cæs. quæ ab eo repudiata fuit, quòd venisset in suspicionem adulterii cum Clodio commissi inter sacra Bonæ Deæ. V. supra.

Pompeja tropæa, locus Hispan. in Gall. Narbon. confin. ad Pyrenæi montis radices, apud Templum Veneris, à Narbone 56. m. p. in Astrum.

Pompejacum, castrum pagi Aginnensis, ubi S. Vincentius passus dicitur; cujus sepulcrum ibi stanneis tegulis, à Leontio Burdigal. Episcop. tectum ostenditur. A Pompejo aliquo denominatum: dicitur quoque *Passio S. Vincentii*. Gregor. Tur. *Hist. lib.* 7. *cap.* 35. *lib. de gloria Mart. &c.* Vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Pompejanum, villa Ciceronis prope Nolam, à Neapoli 12. m. p. Locus hodie *Pomigliano*, teste Ambrosio Leone. Blondo autem *S. Maria Nuntiata*, vel *Anontiata*.

Pompejanus Ælianus, juvenis Quæstorius, tanquam flagitiorum Fabiani in subdendo testamento gnarus, Italiâ & Hispania, in quâ ortus erat, prohibitus est tempore Neronis, Tacit. 14. 41.

Pompejanus Lupercus, Consul cum Attico Attiliano, An. U. C. 881. Alius Consul cum Lolliano Avito, An. U. C. 961.

Pompeji, *Pompejum* Sallustio, Senecæ, ac Tacito, colon. & opp. Campaniæ in orâ apud Sarnum fluv. Stabias urb. & Vesuvium mont. ubi nunc *Castel à mare di Stabia*, teste Collenutio, à Neapoli 18. m. p. Salernum versus, ab Hercule conditum, cùm boves Geryonis abduceret, teste Solino. Baudrando, hodie *Torre del Anunciata*: in ora Sinus Neap. ad ostia Sarni fluv. Dicitur & *Pompejanum*: 10. mill. pass. à confinio Princip. citer. L. tamen Holstenio *Pompeji* fuere, ubi nunc maxima visuntur rudera, loco, qui *Cività* vulgò, ubi Ambrosius Nolanus Stabias fuisse credidit. Hinc *Pompejanus*, Stat. *Sylv. lib.* 1. *Carm.* 2.

> *Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.*

Pompeji villa, locus Campaniæ apud Avernum lacum, *Magnavello* hodie, ab Hercule conditus, cùm boves Geryonis abduceret. Sed hic locus *Pompeji* est, de quo prius. Ferrarius.

Pompejopolis, Metropolis Navarræ, Episcop. sub Archiepisc. Burgensi. Vulgò *Pampelone*: à Pompejo fundata, Vasconum caput. Hanc Carolus M. in Hispaniam transiens, captam mœnibus nudavit, An. 778. Ejus & Aragoniæ, primus Rex Abarca factus est, An. C. 895. Vasæus *in Chron.* Sub Hispanis hodie, à quo Navarræ regnum Johanni Albrerano Reg. ereptum est. Cum arce à Philippo II. extructa. Prudentius Sandovalius, *de Episcop. Pompejop.* Garibay, *lib.* 22. *& seqq.* Strabo *lib.* 3. Mariamma *lib.* 3. *& seqq.* Marca. *Hist. Bearn.* Oihenart. *Notit. utriusq. Vasconiæ.* Favin. *Hist. Nav. &c.* Hic Concilium An. 1032. 1355. 1459. læsusq; in obsidione Ignatius Lojola, Jesuitici Ord. auctor. Vide *Pampilone.*

Pompejopolis, urbs gemina; Una Ciliciæ maritima, prius *Soli*, dein à Pompejo, victis piratis, nomen accepit. Episcop. postmodum facta, sub Archiepisc. Seleuciensi, nunc excisa & in vicum redacta; *Polesoli* dicta, inter Sebasten & Lamum ad Occid. & Tarsum ad Ort. Altera in Paphlagoniâ, prius Eupatoria, postea devicto Mithridate à *Pompejo M.* sic appellata, & ipsa eversa. Fuit hæc olim Metropolitæ sedes, sub Patr. Constantinop. Plin. Ptol. Solin. Pompon. Mela, &c. Prior *Trajanopolis* etiam dicta, ibi enim Trajanus obiisse fertur.

Qu. Pompejus, primus ex hac familia, Consul, contra Numantinos missus, ab eisque superatus, turpem & ignominiosam pacem fecit, Florus. Hujus filius, sive nepos, Cn. Pompejus Strabo, Magni Pompeji pater, Novocomum coloniam deduxit; in bello sociali Imperator creatus, de Picentibus triumphavit, vir admodum duræ disciplinæ. Cùm ei non prorogaretur magistratus, Cinnæ se hostem professus, tandem cruento cum illo prælio, in urbis conspectu, conflixit. Peste dein per utrumq; exercitum grassante, & ipse obiit: cujus ablati voluptas jacturâ civium pensata est. In ejus cadaver sævierunt cives, ipse verò nihil unquam, nisi in rem suam egisse, dicitur. Plur. *in Pompejo.* Vell. Paterculus *lib.* 2. qui pinces Pompejorum familias fuisse scribit.

Cn. Pompejus, prioris ex Lucilia filius, qui ex rerum gestarum magnitudine, *Magni* cognomen invenit. Natus An. 648. U. C. eodem tempore, quo Cicero, ut hic testatur *de Orat.* ad Eloquentiæ culmen pervenire cum posset, militarem gloriam prætulit: Impensè laudatus à Vellejo Par. Quamprimum togam virilem sumpsit, meruit sub Patre. Dein anno ætat. 23. cum legionibus tribus proprio ære conductis, L. Syllæ partes secutus est, ab eoque ad ulciscendos inimicos in Africam missus, Siciliam recepit, Domitium primùm expugnavit, deinde & Jarbam regem cepit, de quo triumphavit ante legitimam ætatem, An. 673. U. C. Quare ab exercitu Syllæ *Magnus* est salutatus. Syllâ paulo pòst mortuo, Lepidum Româ cedere coegit, quòd acta Syllæ rescindere vellet, arma capientem, junctus Catulo vicit. Inde contra Sertorium in Hispan. profectus, Metelli copiis sese conjungens eum cum totâ factione sustulit: iterum triumpho potitus, paulo ante Consulatum; quo durante Tribunis P. potestatem ademptam reddidit. Mox delectus Imperator ad bellum Piraticum, tribus mensibus id confecit. Dein successor L. Lucullo missus, de Mithridate triumphavit. Tigranem Armeniæ regem ei ad genua procumbentem in regnum restituit. Inde Medos, Iberos, Albanos, Colchos, Heniochos, Achæos, Parthos

Parthos & Judæos debellavit, capto eorum rege Aristobulo. Romam reversus, incredibili omnium lætitiâ exceptus est, inprimis quòd dimissis copiis, contra omnium opinionem, urbem intrasset: Triumphum autem egit magnificentissimum, maximâ, ab omni hominum memoriâ, prædâ ærario illatâ: Ad apicem felicitatis evectus, Europâ, Asiâ & Africâ triumphatis. Post hæc Cæsaris, cujus potentiam jam subvertere inceperat, filiâ Juliâ ductâ, cum illo Crassoque Triumviratum iniit, sed minimè diuturnum inter æmulos. Extinctâ dein cum filiolo uxore Julii Cæsaris filiâ, Corneliam Scipionis filiam, à P. Crasso M. filio sui suam relictam uxorem duxit. Neapoli demum acutissimâ febre correptus, parum abfuit à morte, quæ si contigisset, melius cum eo actum fuisset, ob insequentis belli civilis calamitatem. Cùm enim Hispaniam sibi decerni curasset, Cæsar autem arma ponere juberetur: hic Rubicone trajecto, Romam venit, unde profectus Pompejus, in Siciliam primò, dein in Hispan. tandem in Macedoniam fuerat, cum immenso exercitu. Mox Pharsalicâ pugnâ à Cæsare insequente, copiis longè inferiore, superatus, in Ægyptum fugiens, regis perfidiâ, consilio Theodori præceptoris, ab Achillâ præfecto interfectus est. A. 706. U.C. pridie diei natalis, Vellej. Paterc. *Hist. lib.* 2. Plut. *in Pomp.* Florus *lib.* 4. Appianus, Dion, Eutrop. Euseb. Oros. &c. Filios reliquit Cn & Sext. Pompejos: quorum ille apud Mundam Hisp. urbem terrestri, hic apud Siciliam navali prælio superatus fuit. V. infra. Lucan. *lib.* 1.

—— *Alter* (Pompejus) *vergentibus annis*
In senium longoq; toga tranquillior usu
Dedidicit jam pace ducem: famæq; petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plausuq; sui gaudere theatri.
Nec reparare novas vires, multumq; priori
Credere fortunæ: stat magni nominis umbra.

Pompejo M. Adrianus Imp. in Ægypto, apposito versu:

Ossa viri magni tenui quàm clausa sepulchro!

parentavit, An. Chr. 132. Ælius Spart. *in vita ejus, &c.*

Cn. Pompejus, filius Pompeji M. juvenis incredibili vigore, & militari penitus ingenio, ingenti comparato exercitu, paternis amicis undiq; auxilia ei summittentibus, prælio ad Mundam, prope *Ronda Vieja* hodie, in regno Granatæ, Cæsarem eò adegit, ut de victoria desperans, jam sibi mortem consciturus esset. Post tamen, hoc, suorum monitu, redintegrante prælium victus, in fuga periit. Frater ejus *Sextus* jun. fugâ elapsus est, animo inquieto & ultionem spirante. Hic servis piratisque collectis, Siciliâ potitus: postmodum cum Augusto & M. Antonio pacem iniit: quos cùm in nave sua convivio excepisset, *in Carinis*, se illos excepisse jocatus, quod nomen Pompejanis ædibus erat, tum ab Antonio Romæ possessis; accessit quidam ab amicis, eum submonens, ut, utroq;, quod facilè poterat, sublato, se Dominum Orbis faceret: Sed is noluit, fidei illis datæ, memorabili in omne ævum exemplo, tenax. Renovato dein bello, mari victus, ad Antonium se recepit, inde in Asiam transiit, ubi Titius eum captum Miletum deduxit, dein Antonii & Planci Syriæ Præsidis jussu, occidit. Vellej. Paterc. *lib.* 2. Florus *lib.* 4. Dion *Hist. R.* Hirtius vel Opius, *Bell. Hispan.* Plutarch. *in vita Cæs. & Antonii, &c.*

Sext. Pompejus, cum Apulejo Consul; dein Asiæ proconsul, comite Valer. Max. à quo *lib.* 4. *cap.* 7. plenâ manu laudatur. Vocat ibidem clarissimum & disertissimum virum. Nec dissentit Ovidius, qui vitam illi suam fortunasque non uno loco refert acceptas, ut *lib.* 4. *de Pont. Eleg* 1. *&* 4. 5. ut appareat hunc Sextum amicum unicè fuisse Musis studiisque. Hujus pater Sext. Pompejus. Hisp. citer. princeps, quum horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, levatusq; sanatis pedibus mirabili modo, hoc postea remedio usus est, Plin.

Qu. Pompejus Rufus, Syllæ e filiâ nepos, Tribunus Plebis cum T. Numancio Planco adversissimus Miloni; in cujus causâ dixerat paucis pòst diebus, quàm Clodius esset occisus; *Milo dedit, quem in Curiâ cremaretis: Ego dabo, quem in Capitolio sepeliatis.* Idem Milonem ad se venientem in horros, aspiciens, misit nuntium, ne veniret.

Qu. Pompejus Bithynicus, summo studio discens, multaque doctrinâ, incredibilique labore atque industriâ. Hujus actio non satis commendabat orationem; in hâc enim satis erat copiæ, in illâ leporis parum. Cicero, *in Bruto.* Festus quoque de eodem sic ait: Pompejus Bithynicus è supellectili regiâ signum ephebi mitram tenentis, arenamque tuentis, exercitationis gratiâ, more Græcorum, Romam portavit, & in Capitolio posuit.

Pompejus Columna, Cardinalis. Filius Hieronymi, nepos Prosperi, Ducis celeberrimi, & Johannis similiter Cardinalis. Occiso patre in seditione, à Prospero fratre tutore suo, traditus est viris eruditis, qui ipsum in liberalibus artibus instituerent. Sed ad arma inclinatior, diu in bello meruit, donec, Tutoris jussu, Ecclesiasticam vitam amplecteretur, ut Johannis patrui beneficiis frui posset. Fecit id ægrè, & Episcopatu, aliquotque Abbatiis vix ornatus, ab Hispano quodam ad duellum provocatus comparuit: sed impeditus ab accurrentibus amicis, quò minus certamine penitus defungeretur, ex indignatione sacerdotalem tunicam in frusta discerpsit. Post hæc, vano de Julii II obitu rumore sparso, coacto juvenum globo, Capitolium occupavit, hinc beneficiis suis orbatus, quæ agnato ejus concessa sunt. Reconciliatus tamen cum Julio, ab hoc per literas ad se vocatus est: sed cùm Episcopi titulus in iis non adesset, in furorem actus, illas recusavit recipere. A Leone dein X. purpurâ donatus, subscripsit electioni Adriani VI. contra Julium de Medicis, quem oderat; quorum contentio, etiam post Adriani mortem, per bimestre electionis dilatæ causa fuit. Unde Epigramma:

Ecce iterum è summo dejectam culmine Romam
Pompeji & Julii mens furiosa premit.
Brute pium, Photine pium nunc tingite ferrum,
Quid servasse juvat, si peritura fuit?

Lite dein compositâ, ex familia Medicea Clemens VII. emersit: quæ postmodum ita recruduit, ut hinc Roma bis caperetur, semel ab ipso Cardinali, juncto Hugoni Moncadæ; dein à Connestabili Borbonio, An. 1526. & 1527. Tandem Vice Rex Neapolis factus, Obiit An. 1532. æt. 53. Mæcenas literatorum, liberalis & magnanimus. Scripsit opus, in laudem Fœminei Sexus. Paul. Jov. *in vita Columnæ.* Guiccard. *lib.* 10. Auberius *Hist. Cardin.*

Pompejus, tribunus militum, detectâ conjuratione Pisonianâ, exutus tribunatu, quasi Principem non quidem odisset, sed tamen existimaretur, Tacit 15. 71.

Pompejus Lenæus, Pompeji M. libertus, Grammaticus insignis, qui de herbis & plantis scripsit, Commentariosque Mithridatis de Medicina Latinè vertit. Plin. *lib.* 25 *cap.* 2.

Pompejus Longinus, Prætoriæ cohortis tribunus gratiâ Galbæ constitutus; ideò, oriente seditione, Prætorianorum manibus coërcitus exarmatusque est, Tacit. *Hist.* 1. 31.

Pompejus Macula, de quo sic Macrobius *Saturn. lib.* 2. Faustus Sullæ filius, quum soror ejus eodem tempore duos mœchos haberet; Fulvium Fullonis filium, & Pompejum Maculam; *Miror*, inquit, *sororem meam habere Maculam, quum Fullonem habeat.*

Pompejus Paullinus, vectigalibus publicis à Nerone præpositus, Tacit. *Hist.* 15. 18.

Pompejus Planta, auctor belli, inter Ottonem & Vitellium gesti. Lips. *in lib.* 2. *Tac.* Item, Nobilis Rhætus, qui patriæ suæ, & popularium proditor, Philippo III. Hispaniarum R. in Laniena Volturenorum, operam suam vendidit, immaniter in fideles sæviens. Hist. Rhæticæ.

Pompejus Propinquus, Belgicæ Procurator, Tacit. *Hist.* 1. 12. à Vitellio interfectus, 58.

Pompejus Saturninus, eruditione & scriptis inclytus: de quibus vide Plin. *lib.* 1. *epist.* 16.

Pompejus Silvanus, consularis legatus in Mœsico exercitu, senex dives, Tacit. *Hist.* 2. 86.

Pompejus Urbicus, illustris Eques Romanus, ob adulterium cum Messallinâ jussu Claudii supplicio subjectus, Tacit. 11. 35.

Pompelon, urbs Hisp. Tarr. Vasconum seu Navarræ metropolis, & conventus juridicus, à Pompejo M. condita, & *Pompejopolis* dicta, teste Strabone. Vulgò *Pampelona*, An. 735. unà cum Jacca, Virovesca, &c. victis Mauris, ab Alphonso R. recepta, sedet ad Argam fluv. 20. leuc. Gall. à Bajona in Merid. 16. à Calaguri in Cæc. 39. à Cæsaraugusta in Bor. Permunita, cum arce valida à Philippo II. Rege extructa, sub Hispanis, ex quo Navarram occupavit Ferdinandus Aragoniæ R. Quibusdam *Martua* dicta fuit. Popul. *Pompelonenses*, Plin. *lib.* 3. *cap.* 3.

Pompelon nova, urbs novæ Granatæ, versus montes, recens ab Hisp. extructa, in America.

Pompilius, secundus Romanorum rex, qui & *Numa*, dictus est. Hinc *Pompilius* adj. ut *Pompilius sanguis* apud Horatium.

Pompilius, Theophrasti Peripatetici servus, qui postea inter illustres philosophos est habitus, Gellius 2. 18.

Pompilius Andronicus, Syrus, Grammaticus celebris, docuit Romæ, Jul. Cæsaris præceptor. Hunc quoque Cicero, jam Prætor, frequentare solitus est. Dicitur tandem Cumas se recepisse, & inopiâ pressum, Annales suos vendidisse. Suet. *in illustr. Gramm.*

Pompiscus Arcas, Dux plenus consilii & manu promptus, de quo Polyæn. *lib.* 5.

Pompo, Civis è Curibus, oppido Sabinorum, Pater Numæ Pompilii.

Pomponatius Petrus, Mantuanus. Aristotelis sectator insignis, docuit Bononiæ & alibi, Pauli Jovii præceptor. Cum Aristotele & Averroë, Animarum mortalitatem asseruit: Reprehensus, respondit, se hoc dogma ut Philosophum defendere; ut Christianum verò improbare. Sed propriè horum neuter fuit, verùm juventutis corruptor. Scripsit, *de Fato, & de incantationum occulta potestate.* Obiit stranguriæ cruciatibus tortus. An. 1512. æt. 63. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 71. Ricciol. *Chron. reform.*

Pomponia, nomen matris Scipionis; alii *Pompejam* vocant.

Pomponia Græcina, Soror vel filia Pomponii Græcini, qui consul sub Augusto; & ad quem Elegia Ovidii *lib.* 4. *de Ponto.* Plautio nupta, Christianismi, sive ut tunc confundebatur, Judaismi accusata, ac mariti judicio permissa est. Is prisco instituto propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit & insontem nunciavit, Nerone secundùm L. Pisone Coss. Tacit. *Hist.* 13. 31. Longa huic Pomponiæ ætas & continua tristitia fuit. Nam, post *Juliam* Drusi filiam, dolo Messalinæ, interfectam, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi mœsto egit, idque illi imperitante Claudio impunè mox ad gloriam vertit.

Pompo-

Pomponiana, inf. Gall. Narbon. una Stœchadum, ante Massiliam sita. Plin. 3.5 *Porsecros*, Sanfoni. Honorato Boucheo est *Porquerelles*, altera Ins. ei adjacens ad Occ. Telonem versus. Vide *Stœchades*.

Pomponii, à Numæ F. fluxerunt, quanquam plebeji: cognominibus Mathone, Attico, Musâ, Molone, Flacco & Vitulo distincti. Summos Romæ honores adepti fuerunt. Sunt qui *Pomponios* ante Urbem conditam fuisse scribant majorumque gentium Patricios existimant eos fuisse, ex qua gente fuit Faustulus Romuli educator. Duplex forte etiam Pomponiorum gens fuit.

Pomponius, tribunus plebis, cùm T. Manlio Patricio diem, urgentibus Servilio Ahala & L. Genutio Coss. dixisset, à Filio ejus T. Manlio, posteà Torquato dicto, ad secretum colloquium vocatus, & gladio stricto multo terrore coactus est dimittere accusationem ac jurare, se Patris ipsius causâ nunquam consilium plebis habiturum.

L. Pomponius, Bononiensis, Atellanarum scriptor, quem Solinus ait, quod mirum, nunquam ructasse. Olymp. 173.

Cn. Pomponius, orator, patronus acer, acerbusque dicendo, & lateribus pugnans. Cic. *in Oratore*. Julius item *Pomponius* secundus, tempore Quinctiliani; inter Tragicos longè princeps. Plinius *lib.* 14. *cap.* 4. eum cœnam C. Principi Germanici filio dedisse ait, in quâ vinum 160. annorum fuit.

Pomponius Atticus, nobilis eques Rom. excellenti ingenio, amicus Ciceroni imprimis fuit. Qui postquam vidit Cinnæ tumultu Remp. esse turbatam, secessit Athenas, ubi longo tempore moratus, & civitatem, & omnium gratiam moribus elegantissimis promeruit, linguamque ita probe didicit, ut *Attici* nomen adsequeretur. Rebus Romæ pacatis, redux, à patruo Q. Cæcilio hæres scriptus est. Ciceroni familiaris, datâ ei sorore amicitiam strinxit arctius, Hortensio simul comprehenso. Bello Civili, inter Cæsarem & Pompejum, Antonium item & Brutum ita se gessit, ut utrinque probaretur: & affinitatem ejus Agrippa quæreret. Honores oblatos constanter renuit, studiis intentus: non aliis servis, nisi qui anagnostæ quoque essent, usus. Condidit Annales, Elogia virorum M. versus aliaque tum Græcè tum Latinè. Humanitate, divitiisque prædinus fuit, quibus amicos libenter impertiebat. Nam & Ciceronem ab urbe pulsum opibus juvit, & Brutum ab urbe fugientem minis 100. prosecutus est. Erat alioqui gravissimus, ut quæ religiosè polliceretur, præstare niteretur. Mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat. Cic. *in Bruto, & Epist.* Plin. *lib.* 35. *cap.* 2. *&c.* Plut. & Cornelius Nepos *in ejus vitâ*. Seneca *ep.* 21. *Nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinent. Nihil illi profuisset gener Agrippa, & Tiberius progener, & Drusus Cæsar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, ni Cicero illum applicuisset.*

Pomponius Bassus, Consul cum Aurelio Fusco, an. U. C. 1010.

Pomponius Bellievraus, Cancellarius Galliæ; fil. Claudii, primarii Præsidis Curiæ summæ Gratianopol. ex Ludovica Faya, Lugdunensi. Postquam Tolosæ & Patavii literis vacasset, Senator Curiæ Camberiacensis, urbe tum à Gallis captâ, constitutus; mox negotiis in Gallia, Germania, Anglia, Polonia, Italia maximis, imprimis Verbinii, ubi pax tum fervebat, adhibitus; eques dein ab Henrico M. creatus est, Ann. 1599. Literatus, & Literatorum fautor: Interfuit collationi Perronianæ, ann. 1600 Obiit Ann. 1607. æt. 78 A. Thuano; Pap. Massono, Scævola Sammartan. pro funere laudatus. Ex Maria Pruneria, pater Nicolai, primarii Præsidis Parl. Parisiensis, avus Pomponii similiter Præsidis, Alberti & Claudii, Archiepiscoporum Lugdunensium.

Pomponius Flaccus, an. 772. Mœsiam provinciam administravit; posteà Syriæ à Tiberio sub initio principatûs præpositus, quòd noctem continuumque biduum epulando potandoque secum consumpsisset. Suetonius.

Pomponius Gauricus, Neapolitanus, Astrologi Paulo III. charissimi, Lucæ, frater. Poëta, plurima scripsit poëmata. Item de Architectura, & Physiognomia, libros edidit, ut & vitas Poëtarum Græcorum: Alchymiæ quoque, nec sine successu, vacasse dicitur. Disparuit tandem, an occisus à nobilis cujusdam fœminæ, quam ille deperibat, cognatis? Paul. Jov. *in elog. doct. c.* 75.

Pomponius Januarius, Consul cum Maxim. Aug. a. U. C. 1040.

Pomponius Labeo, Mœsiæ præfuerat; dein malè administratæ provinciæ atque aliorum criminum postulatus, prohibitus est Cæsaris domo: Ille per abruptas venas sanguinem effudit; æmulata est conjux Paxæa. Paullo Fabio, L. Vitellio Coss. Tacit. VI.

Pomponius Lætus Julius, Neapolitanus; fil. nothus Principis Salernitani. Floruit, cum Platina & Callimacho, sub Pio 2. non æquè sub Paulo II. æstimatus: contra quem conjurationis initæ particeps, Venetias profugit. Reversus posteà Romam, Philosophum vixit, nullâ Religionis curâ habitâ. Edidit epitomen vitæ Cæsarum, à morte Gordiani, usque ad Justinum III. scripsit de Mahomete quoque, de Magistratibus Rom. Obiit Ann. æt. 70, sub Alexandro VI. in extrema inopia. Sabellicus, qui discipulus ejus fuerat, *in vita illius*. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 40. Erasm *in Cicer.* Angelus Polit. *in Miscell. cap.* 73. Lilius Giraldus, *in Hist. Poët. dial.* 4. Pierius Valerianus, *lib.* 2. *de infel. liter.* Voss. *de H. L. libro tertio.*

Pomponius Mela, Hispanus, Mellariâ oriundus, ubi nunc *Bejar de Melena*, in regno Granatensi, sec. 1. insigni opere *de situ orbis* clarissimus, Alphonsus Garcia Matamorus, *de doctis Hisp. viris*.

Pomponius Rufus, Historicus. Valer. M. *lib.* 4. *cap.* 4. Item Consul cum Cn. Pompeio Ferocio Liciniano. Jul. *Pomponius* Sabinus, Interpres Virgilii. An idem cum Pomponio Læto? Voss. *de H. L. l.* 3.

Pomponius Secundus, prænom. *Publius*, Consul An. 782. U. C. iterum sub Cajo An. C. 794. Scriptor Tragœdiarum, cujus vita à Plinio jun. descripta, *lib.* 14. *cap.* 4. Quintil. *lib.* 10. 1. Fabius *lib.* 8. *cap.* 3. Ter. Maurus, *in Contin.* Voss. *de P. L.*

Pomponius Sextus, Jurisconsultus, ex Pandectarum libris notissimus, cum Ulpiano, & Paulo, discipulus Papiniani. Alexandro Severo à Consiliis, multum sub imperio ejus valuit. Scripsit complura, in Codice & Pandectis sæpe laudata. V. Forster. *Hist. Juris Civ. lib.* 2. *cap.* 79. Nic. Henelium; *de vett. Jurisc.* Gesner. *in Bibl.* Lamprid. *in Alexandro Severo.*

Pomponius Silvanus, Proconsul Africæ, à Provincialibus accusatus, sed absolutus, senectutem orbam ac pecuniosam ultra eorum vitam produxit, qui ipsi periculum facesserent. Tacit. XIII 52.

Pomponius Victorinus, Consul cum Aur. Probo Aug. a. U. C. 1034.

Pomptina palus, Vide *Pontina*.

Pomptinus, prænomine *Cajus*, Allobroges, post Catilinæ conjurationem rebellantes, domuit, Ann. C. 694. usque ad ann. 699. triumphum tamen non egit.

Poneropolis, urbs Thraciæ sub Rhodope monte sita, deinde *Philippopolis* ab instauratore, & postremo *Trimontium* à situ dicta. Plin. 4. 11.

Pongibautum, oppidul. Arverniæ, Metel.

Pons ad Icaunam, vulgò *Pont sur Yonne*, oppidum Galliæ, in Vastiniensi tractu, ad Icaunam, & in limite Campaniæ, 3. leucis infra Senones in Boream Lutetiam versùs.

Pons ad Sequanam, *Pont sur Seyne*, oppid. est Galliæ, in Campania provincia, ad Sequanam flumen, decem leucis à Trecis distans in Circium Lutetiam versùs.

Pons Ælii, op. Angliæ in Northumbriâ, inter Novum castrum, & Morpetum. *Ponteland*, teste Camdeno.

Pons Ælius, *Ponte di S. Angelo*, unus ex pontibus Romæ apud molem Hadriani, quo ex urbe in Vaticanum transitur.

Pons Æmilius, qui primùm sublicius, postea lapideus, *Marmorato* nunc. Juvenal. *Sat.* 6.

Cùm tibi vicinum se præbeat Æmilius pons.

Pons Altus, locus Becco Monasterio, in Normannia, proximus. Vulgò accolis *Pont Autou*.

Pons Archiepiscopi, *Puente del Arçobispo*; oppidum Hispaniæ, in Castella nova, cum ponte ad Tagum fluvium, 15. leuc. Hispanicis infra Toletum in occasum Talaveram versùs.

Pons Arcuensis, seu Pons Arcus, i. fornicis, *le Pont de l'Arche*, urbs Galliæ, in Normannia provincia, ad Sequanam fluvium, cum arce munita, tribus leucis supra Rothomagum in Austrum Ebroicum versùs. Non procul à Sequanæ, & hinc Auturæ, inde Indellæ Confluentibus. Apud Valesinghamium *Pont de la Arche Cueroise* nominatur, i. *Pons arcus currentis*, ibi enim Sequana parvam Insulam facit, & arcus ab uno ponte per Insulam decurrunt ac tendunt ad alterum. Nisi si mavis *Pontem Arcus Quadrati* interpretari, i. arcuum quadratorum: quippe pons ille non rectus, sed curvus & obliquus est: qualem Fregellæ in Campania felice habent, ab eo *Pons curvus* dictæ. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pons Audomari, *Pont-Audemer*, urbs parva Galliæ, in Normannia provincia, ad Rillam fluvium, 2. leucis ab ejus ostiis, & 10. à Rothomago in occasum, Cadomum versus. Sic dicta, quòd Audomarus, vir Francus ibi Riselam parvo ponte junxerit, locumque possederit. Cluverio *Breviodurum* Æthici videtur. Oppidani ejus & municipes, qui communitate fruebantur, non leges solum, sed etiam reditus quosdam, annulum quoque ad signandas literas, & judices, nimirum Majorem & Pares aut Scabinos, arcas, multasque alias res olim communes habuere. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Pons Aufidi, Anton. in Apulia, à Venusia 18. m. pass. ab Equotutico 69. Hodie non extat.

Pons Aurelius, P. Vict. *Ponte Rotto*, pons Romæ disjectus, inter Ælium, & Sublicium seu Cestium. Ferrar. Baudrando dirutus est, cujus vix visuntur vestigia. Ideo caret nomine.

Pons Aureoli, *Pontirolo*, pagus Insubriæ ad Adduam fluvium, inter illum & Brembum, ubi Aureolus interfectus à Claudiano Imperatore, à Bergomo 13. m. p. à Mediolano 26.

Pons Axonæ, Cæsaris *Comment lib.* 2. memoratus, de quo V. Hadr. Valesium *Notit Gall.*

Pons Beli, fluvii: quem, eo loco, qui inter Ptolemaidem & pontem interiacet, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo, in ejusdem urbis obsidione Fredericus Frederici Suevi Imperatoris, filius, cum Germanis defendendum suscepit: Venetis & Genuensibus ad Ptolemaidis Orientem, Flandris autem, Hollandis & Frisiis ad ejus Septentrionem stationem habentibus. Herold. *cont. bel. sacr. lib.* 2. *cap.* 7. est in tribu Aser.

Pons Bellovicinus, vulgò *Pont Beauvoisin*, op. Galliæ, in Delphinatu, ad Gieram fluvium, cujus oppidi minor pars, quæ trans

pontem,

pontem, est juris Sabaudici. Vix 2. leucis distat à Rhodano fluvio in meridiem, Gratianopolim versùs 6. circiter.

Pons Cæsaris, ad quem Ludovicus XIII. Gall. Rex Matris Reginæ copias in fugam conjecit, An. C. 1619.

Pons Candidus, Cassiod. *Condiniani* Jornandi, pons erat Ravennæ proximus, ad 3. mill. pass. distans.

Pons Castellanus, opp. Umbriæ, quod origine Joannes Pontanus, vir omni disciplinarum genere præstantissimus, illustravit.

Pons Centesimus, pons & oppidum Umbriæ, ad Tiniam fluvium, inter Fulginium 5. & Nuceriam 7. mill. pass.

Pons Centinus, *Ponte Contino*, locus Italiæ, seu potiùs diversorium sine ponte in agro Orivetano, & in ditione Pontificia; atque in confinio agri Senensis. 5. milliaribus distat ab Acula in Boream Radicosanum versùs.

Pons Cestius, P. Vict. *Ponte di S. Bartolomeo*, Romæ, ad insulam Lycaoniam, quo in regionem Transtyberinam transitur.

Pons Episcopi, *Pont l'Evesque*, oppidum Galliæ in Normannia provincia, ad Tuceam fluvium, 3. leucis infra Lexovium in Boream versùs Portum Gratiæ, & duabus leucis ab ora maris Britannici distans.

Pons Elaveris, vulgò *Pont Alier*, locus Galliæ ad Elaverim: unde nobili familiæ nomen.

Pons Eræ, *Ponte à Era*, oppidulum Hetruriæ, in agro Pisano, ad Eram fluvium, qui pauló infrà in Arnum se exonerat. 16. milliaribus distat à Pisis in ortum Florentiam versùs.

Pons Fabricius, *Ponte Giudeo*, quód Hebræi Romæ ibi habitent. Ferrar. Baudr. *Ponte de quattro capi* hodie dicitur ab omnibus.

Pons Fellæ, *Pontafella*, oppidulum Germaniæ, in Carinthia superiori, intra Alpes, ad Fellam amnem, & in ipso limite Italiæ, sub dominio Episcopi Bambergensis, 6. milliaribus Germanicis distat ab Utino in Boream. Ibi ordinarius transitus ex Italia in Germaniam, Viennam versùs.

Pons Ferri, Amm. in Syria, super Oronte, ab Antiochia 7. m. p.

Pons Gardonis, *le Pont du Gard*, pons Galliæ admirandi operis, à Romanis exstructus, ad Gardonem fluvium, in Occitania, inter Avenionem ad ortum & Nemausum in occasum.

Pons Janiculensis, P. Vict. *Ponte Sisto*, & *Ponte Rotto*, Romæ, à Sixto IV. instauratus. Vide *Aurelius*.

Pons Inferni, vulgò *die Teuffelsbrugg*, in monte S. Gothardi, supra Sillinium, pagum Uraniorum, juxta Ursam fl. prope Ursarium vicum. Hujus meminit Platina *in Pio secundo*. Vide Simler. *de Alpibus*.

Pons Longus, in Parisiis atque Suessionibus, à longitudine nomen habet. Gall. *Pont long*.

Pons Longus, Ant. in Apulia, à Siponto 30. mill. pass.

Pons Lucanus, G. Tyr. super Aniene, apud Tibur urbem, opus Trajani Cæsaris. De quo carmen:

Pons superabatur Lucanus, Plautius olim.

hodie *Ponte Lucano*, uno milliari distat à Tibure Romam versùs.

Pons Mammolus, *Ponte Mamolo*, apud Romam in via Tiburtina, *Mammæus* potiùs, à Mammæa matre Alexandri Severi dictus. De quo *lib. 3. Itinerarii*:

Tandem pons altus dictus de matre Severi
Mammæus fessos Romanam ducit in urbem.

distat ab urbe Roma 6 mill. pass. in ortum.

Pons Mansuetinus, Anton. *Babolza*, teste Lazio, oppidum Pannoniæ, inter Possegam 6. & Zigetum in Cæciam 4. leucis, à Sopianis 25. mill. pass.

Pons Milvius, P. Vict. *Ponte Molle*, urbis Romæ extra portam Flaminiam, ab urbis ingressu 2. ferme mill. pass. distans. Ibi Constantinus Magnus Magnentium devicit.

Pons Mura, vulgò *Pruck an der Muer*, urbs Germaniæ, ad Muram fluvium, in Stiria superiori, 5. leucis à Græcio in Circium Lintium versùs.

Pons Nevius, seu *Novia*, Anton. *Ponferrada*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in Gallæcia, inter Austricam 14. & Villam Francam Gallæciæ in occasum 5. leucis, Ferrar. Baudrando hodie *Puente de Neyra* dicitur; & 2. leucis distat à Luco Augusti in meridiem, ad amnem Neyram, 17. leucis ab oppido *Ponferrada* in Circium.

Pons Nomentanus, P. Vict. *Ponte Lamentano*, in via Nomentana super Aniene in Sabinis: per quem in ipsos Sabinos ibatur.

Pons Novus, vulgò *le Pont neuf*, pons Lutetiæ, ad Sequanam fluvium, ab Henrico IV. Rege Galliæ extructus, & totius Europæ superbissimus.

Pons Palatinus, P. Vict. qui & Senatorius, in urbe Roma, *Ponte S. Maria*, apud montem Palatinum, dicitur etiam *Ponte rotto*, quia semidirutus jacet.

Pons Quadratus, in Parisiis, pagoque Briegio, non procul Latiniaco: *Pontquarré*.

Pons Reginæ, vulgò *Puente la Reyne*, oppidum Hispaniæ, in Navarræ regno, ad Argam fluvium, 4. leucis à Pompelone Calagurrim versùs.

Pons Remigii, vulgò *Pont de Romy*, oppidum Galliæ, in Picardia provincia, ad Somonam fluvium, 2. leucis supra Abbavillam Ambianos versùs. In dextra ripa vicum habet & pontem Suminæ impositum: in capite verò pontis seu in sinistra fluminis ripa, castellum. A S. Remigio loci Patrono, Monstrelet *lib. 1. cap. 146. & lib. 2. cap. 120.* Nunc plerisque *Pontdormy* dicitur, qui locus olim nobili familiæ inter Picardos nomen dedit. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Pons Rivi alti, seu *Rialtinus*, vulgò *Ponte de Rialto*, pons magnificus Venetiarum, antea Sublicius; sed An. 1591. ex lapide Istriano ductus, majorem canalem jungit; estq; unius arcus tantum.

Pons Sai, pons lapideus est, Ligeri impositus, longus 1000. pass. à vico adjacente cognominatus, hodie *Pont de Sé*. Quidam in numero plurali *Pontes Sai* vocant, *les Ponts de Sé*, propterea quòd ibi insulæ aliquot interjacentes pontem interrumpunt, ita ut non unus, sed plures pontes dici posse videantur. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Pons S. Maxentiæ, vulgò *Pont S. Maixence*, oppidum Galliæ, ad Oesiam fluvium, 3. leucis à Sylvanecto in Boream distat, in provincia Insulæ Franciæ, & in Valesia tractu.

Pons S. Nicolai, vulgò *le Pont de S. Nicolas*, pons est Galliæ perantiquus & miræ structuræ, à Romanis excitatus supra Gardonem fluvium, in Occitania, 2. leucis à Ponte Gardonis distans, totidem à Nemauso, & una ab Ucetia.

Pons S. Spiritus, vulgò *Pont S. Esprit*, urbs Galliæ, in Occitania regione, cum arce permunita & ponte ad Rhodanum fluvium, 7. leuc. supra Avenionem in Boream, Vivarium versus 5. circiter.

Pons Saravi, vulgò *Sarbruck*, seu *Sarbrick*; oppidum Lotharingiæ, ad Saravum, sub proprio Comite, in limite Palatinatus, 4. leucis à Bipontio in occasum Metas versùs, & 10. ab altero in Boream. Vide infra.

Pons Sarnix, Anton. *Sarbruck*, oppidum Germaniæ superioris, sic à ponte nominatum, inter Alsatiam & Lotharingiam, ad Sarram fluvium, inter Cæsaream Lutram, & Metas 8. leucis. Aliis est Pons Saravi, *Kauffmans Sarbruck* Germanis, *Sarebourg* Gallis, urbs Lotharingiæ, aliàs Imperialis & libera, nunc Gallicæ juris, ad Saravum fluvium, ad radices Vogesi montis, 8. leucis ab Argentorato in occasum distans Mediomatrices versus, & 6. à Marsalio in ortum; estque satis parva.

Pons Scaldis, Anton. *Condet*, oppidum Belgii: ab ipso ponte nominatur, ad Scaldem fluvium, in Hannonia, à Valencenis urbe 2. leucis Tornacum versus. Aliis est ipsa urbs Valencenæ. Sansoni est locus Belgii, in Nerviis, hodie *Escaupont*, pagus Hannoniæ, ad Scaldim fluvium, una leuca supra Condatum in meridiem, Valencenas versùs 2.

Pons Sociorum, Anton. in Pannonia, à Mansuetino 25. mill. pass. totidem à Sopianis, Aquincum versùs.

Pons Sorgiæ, seu *Sorgiæ*, vulgò *Pons de Sorgue*, oppidum Galliæ, in provincia & Comitatu Venuslino, ad Sorgiam fluvium, medium ferè inter Arausionem ad Boream & Avenionem ad Merid.

Pons Sturæ, vulgò *Ponte Stura*, oppidum Italiæ, in Ducatu Montisferrati, aliàs munitum, ad Padum fluvium, ubi recipit Sturam, 3. milliaribus supra Casalem, & uno à Tricino distans

Pons Sublicius, P. Vict. Vide *Sublicius pons*, & *Pons Æmilius*.

Pons Tiluri, Anton. in Dalmatia, à Salonis 16. m. p.

Pons Timavi, Anton. super Timavo fluvio, in Carnis, ab Aquileja 7. mill. pass.

Pons Tironsis, Cicer. in Latio erat inter Arpinum & Minturnas, super Liri.

Pons Trajani, Dion. In Mysia superiori, ad Danubium, apud Severinum urbem. Ubi adhuc durant vestigia. Alter in Hispania Lusitanica, *Alcantara*, oppidum super Tago fluvio, non obscurum, in Extremadura regione, à Placentia urbe 8. leuc. in austrum, Emeritam versùs 9. Ferrar. Baudrando *Pons Trajani*, aliter Norba Cæsarea, *Alcantara*, urbs aliàs Lusitaniæ, hodie Estremaduræ provinciæ, à qua ordo militaris nomen sumpsit, 18. leucis distat à Placentia in occasum, & 12. ab Emerita in Boream; estque parva, sed munita, in limite Portugalliæ. Vide *Norba Cæsarea*.

Pons Tremens, in via S. Gothardi montis, in ascensus, quà Italiam spectat, medio, unde ad cacumen usque nil nisi nuda rupes, cum nivibus & glacie multa: dictus, quòd ascendentes, periculo viso, tremant. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. antiq.*

Pons Vaticanus, P. Vict. super Tiberi Romæ excisus: apparent vestigia apud xenodochium S. Spiritus, à quo denominabatur.

Pons Velius, vulgò *Pont de Vesle*, oppidum Galliæ, in Bressia provincia, ad Velium amnem, una leuca à Matiscone & ab Arare in ortum.

Pons Vetus, vulgò *Ponte Vedra*, oppidum Hispaniæ, in Gallæcia ad amnem *Loriz*, 4 leucis ab ora Oceani in ortum, & 8. à Compostella in meridiem.

Pons Ursionis, locus in Normanniæ Britanniæque confinio, *Pont Orson*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide Infra.

Pons Ursonis, vulgò *Pontorson*, oppidum Galliæ, in Normannia & in confinio Britanniæ minoris, ad Letram fluvium, *Couesnon*, qui pauló infrà cadit in mare Britannicum, medium inter Abrincas ad ortum, & Dolam ad occasum, duabus leucis à Monte sancti Michaelis.

Pontarlum, oppidum Comitat. Burgundiæ, in confin. Helvetiorum, ad rad. Jurassi, prope fontes Dubii fluv. 9. leucis à Vesontione in Merid.

Pontanus Joh. Jovius, vel Jovianus, Umber. Patre in seditione populari amisso, Neapolim concessit, ubi Præceptor Alphonsi jun. Regis Neapol. primò, dein eidem à secretis & consiliis fuit. Scripsit historiam bellorum Ferdinandi I. cum Johanne Andegav. aliaque egregia prosâ versuque. Obiit Ann. 1505. æt. 78. Hoc sibi Epitaphium fieri voluit: *Sum Johannes Jovianus Pontanus, quem amaverunt bonæ Musæ, suspexerunt viri probi, honestaverunt Reges, Domini. Scis jam, quis sim, aut quis potius fuerim. Ego verò te hospes, noscere in tenebris nequeo: Sed, te ipsum ut noscas, rogo.* Franciscus Sandeus, *Epit. de Regib. Sicil.* Erasmus, *in Cic.* Giraldus, *dial. 1. de Poët.* Voss. *de* H. L. Leander Alb. *desc. Ital.*

Pontanus Lud. Spoletinus, J. U. D. Protonotarius Pontificius, insigni eruditione, memoriâ divinâ, atque eloquentiâ admirabili præditus: ab Aragoniæ Rege ad Concil. Basiliense missus, obiit Basileæ, An. C. 1439. ab Æneâ Sylvio, epicedio insigni ornatus: in cujus scriptis etiam specimina divinæ Pontani mentis, quæ per biennium in Concilio edidit, reperiuntur. Urstis. *Hist. Basil.* V. Forster. *Hist. Jur. Civ. lib.3. cap.33.* Gesner. *in Bibl.*

Pontanus Rogerius, Carmelita, scripsit *de mirabilibus.*

Pontes, & *Pontacum*, oppidum Belgii in Picardiâ, Anton. Vide *Ponticum*.

Pontes, nunc *Paunton* Camdeno, pagus Albionis in Angliâ ad Thamesin fl. inter Londinum & Oxonium: vel *Reading*, pagus vicinus, teste Lhuydo. Al. *Colbrook*, pagus apud Buckingham op. indigitatur, op. agri Buckinghamiensis in confin. Middlesexiæ: *Paunton* verò est *Ad pontem* in agro Lincolniensi.

Pontes, Castellum Daciæ in Danubii ripâ contra Theodoram op. Vide Procop. *de ædificiis Justin.*

Pontes Ambianorum, Æthico inter Ambianos & Gesoriacum, Cluverio est *Pont à Selane*, ad ostium Altejæ fluv. aliàs *Pont Asselane*, qui ait, magnam partem veterum Ambianorum finium, inter Sumonam & Altejam flumina ab hisce Pontibus nomen accepisse, ac dici hodieque *le Ponthieu*, seu Pagum *Pontivum*.

Pontes Cæsaris, opp. Galliæ ad Ligerim, cum ponte prælongo, aliàs munitum: Vix 1. leuc. ab Andegavo; *Pont de Cés* quibusd. *Pons Cæsaris*.

Pontes Icaunæ, Gall. *Pons sur Yonne*, opp. Gall. à multitudine pontium Icaunæ impositorum. Sunt & *Pontes* in Santonibus, eandem ob rationem sic dicti, ad amnem in Carantonum influentem. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pontes Oeni, vulgò *Oeting* op. Vindeliciæ ad Oenum fluv. in Bavariâ.

Pontes Sequanæ, Gall. *Pons sur Seines*, olim à numero pontium ibi Sequanæ impositorum. *Ad duodecim Pontes*, hodie oppidulum est ad Sequanam jam Albâ auctum; continens duas insulas, quas ibi Sequana continet, & 10. vel etiam 12. pontes hodieque habet. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Sic *Ad Duos Pontes*, opp. est Marchiæ titulo illustre, ad Saravum amnem. Gall. *Deux ponts.* Similiter *Tres Pontes* & *Septem Fontes*, monasteria Abbatiis clara, alterum in Duc. Barrensi, alterum in Episcop. Augustodunensi ad Ligerim, prope Borbonem Aselli, à fontium numero nomen accepere. Idem.

Pontes Tersenini, vulgò *Schœflern*, pagus Vindeliciæ in Bavariâ inter Ambram & Parthanum, teste Simlero.

Pontesium, opp. Galliæ, vulgò *Pontoyse.* V. *Pontisara.*

Pontus Thiardus, Episc. Cabillonensis, eruditione & linguarum peritiâ insignis. Poëta Gallus, Mathematicæ quoque, dein Philosophiæ Platonicæ, tandem Theologiæ se dedit. Ronsardo, Portio, Perronio familiaris. A Carolo IX. & Henr. III. magni æstimatus. Scripsit varia: *Discursum de die & Anno, Manticen, Universum, Ephemerides octavæ sphæræ, de Cœlestibus Asterismis &c.* Obiit Ann. 1605. Scævola Sammart. *lib.5. Elog.* Thuan. *Hist.* Morerius *in Diction. Hist.*

Pontia, empta ingentibus donis, à Sagitta Tribuno, ad adulterium, & maritum omittendum, hac lege, ut vacua in Octavii Sagittæ domum nuberet. Diversam à marito pacti pœnituit, quare Sagitta spretus, nocte unâ ad desiderium leniendum impetratâ, atque libidine expletâ, in cubiculo ferro transverberavit nihil tale metuentem; Ipse dein à Patre Pontiæ accusatus, & condemnatus est. Tacit. XIII. 44.

Pontia, notissimâ crudelitate mater. Juven. *Sat. 6.*

Nos utinam vani: sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerisq; meis aconita paravi.

Martialis 2. 34.

O mater, quâ nec Pontia deterior.

Pontia, inf. gemina: una maris Tyrrheni in sinu Formiano, seu paulo supra illum, contra Tarracinam urb. Latii, cum urbe, olim Colonia eodem anno, quo Suessa teste Livio *lib. 9.* deducta, in quam cives Romani damnati deportabantur. Vulgò *Ponce*, non longe à Palmariâ in sinu Cajetano, in quâ turtures & coturnices, cum ad Italiam veniunt, primâ volaturâ requiescendi causâ, paucos dies morantur, Varro. *Pontiæ* pl. num. apud Plin. legitur. Altera in eodem mari ante Veliam urb. Lucaniæ, cum Isaciâ, vel Iscia. Baudrando *Pontia*, hodie *Ponza*, inf. prov. Terræ laboris, antea incolis vacua, sed à paucis annis exculta, cum vico & turri, sub dominio utili Ducis Parmæ, 12. m. p. à Circejo prom. in Mer. et 20. à Terracina.

Pontianus, Român. Episc. 17. An. D. 231. Ab Alexandro Severo, apud quem falsò delatus erat, relegatus in Sardiniam: A Maximino verò ejus successore verberibus adeò dedolatus, ut animam efflaret, An. 235. Euseb. *in Chron. & Hist. lib. 6.* Anastas. *in vit. Pontif.* Baron. *in Annal.* Alius Consul, An. U. C. 960.

Pontico, vel *Pontigo*, villa regia Austrasiorum Regum fuit, sub Merovingis ac Carolovingis etiam; Synodis Episcoporum, inprimis An. C. 876. celeberrima. Vulgò *Pontion.* Ad flumen Ornam, in Pago Pertensi, non procul à Victoriaco Incenso. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Ponticum, vulgò *le Ponthieu*, regiunc. Picardiæ, aliis Comitat. Pontivensis. Extenditur versus ostia Somonæ fluvii, ubi Abbavilla, Pons Remigii, Monstrolium, Rua & Crotojum; Estque inter Quantiam fluvium & Bononiæ Comitatum ad Boream: Normanniam ad Meridiem & Ambianensem tractum ad Ortum. *Pontus*, seu *Pontinia* quibusdam. Hic tractus Anglici juris factus est, cùm Eduardus primus, Angliæ Rex, uxorem duceret Eleonoram, Ferdinandi, Castellæ Regis, filiam, ex Joanna Conjuge, quæ filia erat Simonis, Pontium Comitis: Sed postea incolæ, instigante Guidone sancti Pauli Comite, præsidiarios quos Rex Eduardus ibi reliquerat, exturbarunt, Regique Francorum Carolo V. se dediderunt. Nomen habet à Pontium multitudine. Merula. Metel. Baudrandus. Hadr. Valesius *in Notit. Gall.* hunc pagum non à Pontibus, sed *Pontiu* olim dictum vult, quod Gallicum nomen est, sicut *Tellau*, & *Vitmau*. Vide ibi.

Ponticum mare, vide *Euxinum*. Hoc cæteris dulcius, & natantia in Propontidem ejicit. Macrob. *7. Saturn. cap. 29.*

Ponticus, annorum ferè 15. puer, martyrium passus est.

Ponticus, poëta Rom. Propertio æqualis, qui sic ad eum scribit, *eleg. 7. lib. 1.*

Cùm tibi Cadmea dicantur, Pontice, Thebæ,
Armaq; fraternæ tristia militiæ.

Idem non dubitat eum cum Homero componere. Continuò enim subjungit:

Atq; ita sim felix, primo contendis Homero.

Nec Thebanum bellum modò cecinisse, sed etiam amores, cognoscimus *ex lib. ejusdem eleg. 9.* Ovidio etiam conjunctissimus fuit, ut ostendit istoc:

Ponticus heroo, Battus quoq; clarus Jambis,
Dulcis convictus membra fuere mei.

Ponticus Virunius, vel *Virumnius*, Trevisanus. Composuit, An. 1490. epitomen Historiæ Angl. in gratiam familiæ Badœriorum, qui, Veneti tum, Anglicæ originis erant. Item Commentarios in Statium, Claudianum, &c. Plura alia quoque prosâ versuq; scripsit. Trithem. *in Cat.* Philipp. Bergom. *lib. 16.* Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Lat.*

Pontificia ditio, seu *Status Ecclesiæ*, *Stato della Chiesa* Italis, *l'Estat de l'Eglise* Gallis, pars est Italiæ, à septentrione in meridiem protensa per 240. milliaria, nempe à castro *Francolino* in Ferrariensi Ducatu Terracinam usque. Ejus autem major latitudo nempe à Centumcellis Anconam usque est 120. milliarium. Sed multò minor est in aliis locis, præsertim in Romandiola, ubi valde restringitur, inter Hetruriam & mare Adriaticum; subestque dominio Rom. Pontificis. Terminatur hæc ditio à meridie mari Tyrrheno, ab ortu regno Neapolitano, ab occasu Hetruria & Ducatu Mutinensi, à septentrione autem mari Adriatico & dominio Veneto. Ejus partes seu provinciæ sunt Campania Romana, *la Campagna di Roma*, provincia Patrimonii S. Petri, *la provincia del Patrimonio di S. Pietro*, Sabina, *la Sabina*, Ager Orvietanus, *il territorio d'Orvieto*, Ager Perusinus, *il territorio di Perugia*, Umbria, seu Ducatus Spoletanus, *l'Ombria*, Marchia Anconitana, *la Marca d'Ancona*, territorium Civitatis Castelli, *il territorio di Città di Castello*, Ducatus Urbinas, *il Ducato di Urbino*, Romandiola, *la Romagna*, Ager Bononiensis, *il Bolognese*, & Ducatus Ferrariensis, *il Ducato di Ferrara.* Subsunt etiam dominio Rom. Pontificis Avenio & Comitatus Vindascinus in Gallia, *le Comtat Venaissin*, uti Beneventum in regno Neapolitano, cum ejus territorio aliàs peramplo, ut liquet ex diplomate Clementis VI. Pontificis Romani Ann. 1350. sed nunc ab Hispanis valde restringitur. Totius ditionis Pontificiæ urbs præcipua est Roma, *Roma*, quæ Italiæ caput. Crevit autem maximè hæc ditio liberalitate Francorum Regum Pipini & ejus filii Caroli Magni, & donatione Ludovici Pii ejus nepotis. Sub Clemente VIII. Pontifice Romano, Ducatus Ferrariensis rediit ad ditionem Pontificiam, uti etiam Ducatus Urbinas sub Urbano VIII. Barberino Pontifice Romano, deficiente masculâ prole.

Pontificiæ ditionis urbes præcipuæ:

Ancona, *Ancona.*	Fulginium, *Foligno.*
Ariminum, *Rimini.*	Imola, *Imola.*
Asculum, *Ascoli.*	Macerata, *Macerata.*
Bononia, *Bologna.*	Orvietum, *Orvieto.*
Camerinum, *Camerino.*	Perusia, *Perugia.*
Faventia, *Faenza.*	Pisaurum, *Pesaro.*
Ferraria, *Ferrara.*	Ravenna, *Ravenna.*
Firmum, *Fermo.*	Reate, *Rieti.*
Forum Livii, *Forli.*	Roma, *Roma.*

Spole-

Parthos & Judæos debellavit, capto eorum rege Aristobulo. Romam reversus, incredibili omnium lætitiâ exceptus est, inprimis quòd dimissis copiis, contra omnium opinionem, urbem intrasset: Triumphum autem egit magnificentissimum, maximâ, ab omni hominum memoriâ, prædâ ærario illatâ: Ad apicem felicitatis evectus, Europâ, Asiâ & Africâ triumphatis. Post hæc Cæsaris, cujus potentiam jam subvereri inceperat, filiâ Juliâ ductâ, cum illo Crassoque Triumviratum iniit, sed minime diuturnum inter æmulos. Extinctâ dein cum filiolo uxore Juliâ Cæsaris filiâ, Corneliam Scipionis filiam, à P. Crasso M. filio vi suam relictam uxorem duxit. Neapoli demum acutissimâ febre correptus, parum abfuit à morte, quæ si contigisset, melius cum eo actum fuisset, ob insequentis belli civilis calamitatem. Cùm enim Hispaniam sibi decerni curasset, Cæsar autem arma ponere juberetur: hic Rubicone trajecto, Romam venit, unde profectus Pompejus, in Siciliam primò, dein in Hispan. tandem in Macedoniam fuerat, cum immenso exercitu. Mox Pharsalicâ pugnâ à Cæsare insequente, copiis longè inferiore, superatus, in Ægyptum fugiens, regis perfidiâ, consilio Theodori præceptoris, ab Achillâ præfecto interfectus est. A. 706. U. C. pridie diei natalis, Vellej. Paterc. *Hist. lib.* 2. Plut. *in Pomp.* Florus *lib.* 4. Appianus, Dion, Eutrop. Euseb. Oros. &c. Filios reliquit Cn & Sext. Pompejos: quorum ille apud Mundam Hisp. urbem terrestri, hic apud Siciliam navali prælio superatus fuit. V. infra. Lucan. *lib.* 1.

Alter (Pompejus) *vergentibus annis*
In senium longoq; togæ tranquillior usu
Dedidicit jam pace ducem: famaq; petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plausuq; sui gaudere theatri.
Nec reparare novas vires, multumq; priori
Credere fortunæ: stat magni nominis umbra.

Pompejo M. Adrianus Imp. in Ægypto, appolito versu:
Ossa viri magni tenui quàm clausa sepulchro!
parentavit, An. Chr. 132. Ælius Spart. *in vita ejus, &c.*

Cn. Pompejus, filius Pompeji M. juvenis incredibili vigore, & militari penitus ingenio, ingenti comparato exercitu, paternis amicis undiq; auxilia ei summittentibus, prælio ad Mundam, prope *Ronda Vieja* hodie, in regno Granatæ, Cæsarem eo adegit, ut de victoria desperans, jam sibi mortem conscirurus esset. Post tamen, hoc, suorum monitu, redintegrante prælium victus, in fuga periit. Frater ejus *Sextus* jun. fugâ elapsus est, animo inquieto & ultionem spirante. Hic servis piratisque collectis, Siciliâ potitus: postmodum cum Augusto & M. Antonio pacem iniit: quos cùm in nave sua convivio excepisset, *in Carinis*, se illos excepisse jocatus, quod nomen Pompejanis ædibus erat, tum ab Antonio Romæ possessis; accessit quidam ab amicis, eum submonens, ut, utrumq;, quod facilè poterat, sublato, se Dominum Orbis faceret: Sed is noluit, fidei illis datæ, memorabili in omne ævum exemplo, tenax. Renovato dein bello, mari victus, ad Antonium se recepit, inde in Asiam transiit, ubi Titius cum captum Miletum deduxit, dein Antonii & Planci Syriæ Præsidis jussu, occidit. Vellej. Paterc. *lib.* 2. Florus *lib.* 4. Dion *Hist. R.* Hirtius vel Opius, *Bell. Hispan.* Plutarch. *in vita Cæs. & Antonii, &c.*

Sext. Pompejus, cum Apulejo Consul; dein Asiæ proconsul, comite Valer. Max. à quo *lib.* 4. *cap.* 7. plenâ manu laudatur. Vocat ibidem clarissimum & disertissimum virum, Nec dissentit Ovidius, qui vitam illi suam fortunasque non uno loco refert acceptas, ut *lib* 4. *de Pont. Eleg.* 1. *&* 4. 5. ut appareat hunc Sextum amicum unicè fuisse Musis studiisque. Hujus pater Sext. Pompejus. Hisp citer. princeps, quum horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, levatusq; sanaris pedibus mirabili modo, hoc postea remedio usus est, Plin.

Qu. Pompejus Rufus, Syllæ e filiâ nepos, Tribunus Plebis cum T. Numatio Planco adversissimus Miloni; in cujus causâ dixerat paucis post diebus, quàm Clodius esset occisus; *Milo dedit, quem in Curiâ cremaretis: Ego dabo, quem in Capitolio sepeliatis.* Idem Milonem ad se venientem in hortos, aspiciens, misit nuntium, ne veniret.

Qu. Pompejus Bithynicus, summo studio di ens, multaque doctrinâ, incredibilique labore atque industriâ. Hujus actio non satis commendabat orationem; in hâc enim satis erat copiæ, in illâ leporis parum. Cicero. *in Bruto.* Festus quoque de eodem sic ait: Pompejus Bithynicus è supellectili regiâ signum ephebi mitram tenentis, arenamque tuentis, exercitationis gratiâ, more Græcorum, Romam portavit, & in Capitolio posuit.

Pompeius Columna, Cardinalis. Filius Hieronymi, nepos Prosperi, Ducis celeberrimi. & Johannis similiter Cardinalis Occiso patre in seditione, à Prospero fratre turore suo, traditus est viris eruditis, qui ipsum in liberalibus artibus instituerent. Sed ad arma inclinatior, diu in bello meruit, donec, Tutoris jussu, Ecclesiasticam vitam amplecteretur, ut Johannis patrui beneficiis frui posset. Fecit id ægrè, & Episcopatu, aliquotque Abbatiis vix ornatus, ab Hispano quodam ad duellum provocatus comparuit: sed impeditus ab accurrentibus amicis, quò minus certamine penitus defungeretur, ex indignatione sacerdotalem tunicam in frusta discerpsit. Post hæc, vano de Julii II obitu, rumore sparso, coacto juvenum globo, Capitolium occupavit, hinc beneficiis suis orbatus, quæ agnato ejus concessa sunt. Reconciliatus tamen cum Julio, ab hoc per literas ad se vocatus est: sed cùm Episcopi titulus in iis non adesset, in furorem actus, illas recusavit recipere. A Leone dein X. purpurâ donatus, subscripsit electioni Adriani VI. contra Julium de Medicis, quem oderat; quorum contentio, etiam post Adriani mortem, per bimestre electionis dilatæ causa fuit. Unde Epigramma:

Ecce iterum è summo dejectam culmine Romam
Pompeji & Julii mens furiosa premit.
Brute pium, Photine pium nunc tingite ferrum,
Quid servasse juvat, si peritura fuit?

Lite dein compositâ, ex familia Medicea Clemens VII. emersit: quæ postmodum ita recruduit, ut hinc Roma bis caperetur, semel ab ipso Cardinali, juncto Hugoni Moncadæ; dein à Connestabili Borbonio, An. 1526. & 1527. Tandem Vice Rex Neapolis factus, Obiit An. 1532. æt. 53. Mæcenas literarorum, liberalis & magnanimus. Scripsit opus, in laudem Fœminei Sexus. Paul. Jov. *in vita Columa.* Guiccard. *lib.* 10. Auberius *Hist. Cardin.*

Pompejus, tribunus militum, detectâ conjuratione Pisonianâ, exutus tribunatu, quasi Principem non quidem odisset, sed tamen existimaretur, Tacit 15. 71.

Pompejus Lenæus, Pompeji M. libertus, Grammaticus insignis, qui de herbis & plantis scripsit, Commentariosque Mithridatis de Medicina Latine vertit. Plin. *lib.* 25 *cap.* 2.

Pompejus Longinus, Prætoriæ cohortis tribunus gratiâ Galbæ constitutus; ideo, oriente seditione, Prætorianorum manibus coërcitus exarmatusque est, Tacit. *Hist.* 1. 31.

Pompejus Macula, de quo sic Macrobius *Saturn. lib.* 2. Faustus Syllæ filius, quum soror ejus eodem tempore duos mœchos haberet; Fulvium Fullonis filium, & Pompejum Maculam: *Miror*, inquit, *sororem meam habere Maculam, quum Fullonem habeat.*

Pompejus Paullinus, vectigalibus publicis à Nerone præpositus, Tacit. *Hist.* 15. 18

Pompejus Planta, auctor belli, inter Othonem & Vitellium gesti. Lips. *in lib.* 2. *Tac* Item, Nobilis Rhætus, qui patriæ suæ, & popularium proditor, Philippo III. Hispaniarum R. in Laniena Voltureuorum, operam suam vendidit, inhumaniter in fideles sæviens, Hist. Rhætiæ.

Pompejus Propinquus, Belgicæ Procurator, Tacit. *Hist* 1. 12. à Vitellio interfectus, 58.

Pompejus Saturninus, eruditione & scriptis inclytus: de quibus vide Plin. *lib.* 1. *epist.* 16.

Pompejus Silvanus, consularis legatus in Mœsico exercitu, senex dives, Tacit. *Hist.* 2. 86.

Pompejus Urbicus, illustris Eques Romanus, ob adulterium cum Messallinâ jussu Claudii supplicio subjectus, Tacit. 11. 35.

Pompelon, urbs Hisp. Tarr. Vasconum seu Navarræ metropolis, & conventus juridicus, à Pompejo M. condita, & *Pompejopolis* dicta, teste Strabone. Vulgò *Pampelona*, An. 735. unà cum Jacea, Virovesca, &c. victis Mauris, ab Alphonso R. recepta, sedet ad Argam fluv. 20. leuc. Gall. à Bajona in Merid. 16. à Calaguri in Cæc. 39. à Cæsaraugusta in Bor. Permunita, cum arce valida à Philippo II. Rege exstructa, sub Hispanis, ex quo Navarram occupavit Ferdinandus Aragoniæ R. Quibusdam *Martua* dicta fuit. Popul. *Pompelonenses*, Plin. *lib.* 3. *cap.* 3.

Pompelon nova, urbs novæ Granatæ, versus montes, recens ab Hisp. extructa, in America.

Pompilius, secundus Romanorum rex, qui & *Numa*, dictus est. Hinc *Pompilius* adj. ut *Pompilius sanguis* apud Horatium.

Pompilius, Theophrasti Peripatetici servus, qui postea inter illustres philosophos est habitus, Gellius 2. 13.

Pompilius Andronicus, Syrus, Grammaticus celebris, docuit Romæ, Jul. Cæsaris præceptor. Hunc quoque Cicero, jam Prætor, frequentare solitus est. Dicitur tandem Cumas se recepisse, & inopiâ pressum, Annales suos vendidisse. Suet. *in illustr. Gramm.*

Pompiscus Arcas, Dux plenus consilii & manu promptus, de quo Polyæn. *lib.* 5.

Pompo, Civis è Curibus, oppido Sabinorum, Pater Numæ Pompilii.

Pomponatius Petrus, Mantuanus Aristotelis sectator insignis, docuit Bononiæ & alibi, Pauli Jovii præceptor. Cum Aristotele & Averroë, Animarum mortalitatem asseruit: Reprehensus, respondit, se hoc dogma ut Philosophum defendere; ut Christianum vero improbare. Sed proprie horum neuter fuit, verùm juventutis corruptor. Scripsit, *de Fato*, & *de incantationum occulta potestate.* Obiit stranguriæ cruciatibus tortus. An. 1512. æt. 63. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 71. Ricciol. *Chron. reform.*

Pomponia, nomen matris Scipionis; alii *Pompejam* vocant.

Pomponia Græcina, Soror vel filia Pomponii Græcini, qui consul sub Augusto; & ad quem Elegia Ovidii *lib.* 4. *de Ponto.* Plautio nupta, Christianismi, sive ut tunc confundebatur, Judaismi accusata, ac mariti judicio permissa est. Is prisco instituto propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit & insontem nunciavit. Nerone secundùm L. Pisone Coss. Tacit. *Hist.* 13. 32. Longa huic Pomponiæ ætas & continua tristitia fuit. Nam, post *Juliam* Drusi filiam, dolo Messallinæ, interfectam, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi mœsto egit, idque illi imperitante Claudio impunè mox ad gloriam vertit.

Pompo-

Pomponiana, inf. Gall. Narbon. una Stoechadum, ante Massiliam sita. Plin 3.5 *Porfecros*, Sansoni. Honorato Boucheo est *Porquerolles*, altera Ins. ei adjacens ad Occ. Telonem versus. Vide *Stoechades*.

Pomponii, à Numæ F. fluxerunt, quanquam plebeji: eognominibus Mathone, Attico, Musâ, Molone, Flacco & Vitulo distincti, Summos Romæ honores adepti fuerunt. Sunt qui *Pomponios* ante Urbem conditam fuisse scribant majorumque gentium Patricios existimant eos fuisse, ex qua gente fuit Faustulus Romuli educator. Duplex forte etiam Pomponiorum genus fuit.

Pomponius, tribunus plebis, cùm T. Manlio Patricio diem, urgentibus Servilio Ahala & L. Genutio Coss. dixisset, à Filio ejus T. Manlio, posteà Torquato dicto, ad secretum colloquium vocatus, & gladio stricto multo terrore coactus est dimittere accusationem ac jurare, se Patris ipsius causâ nunquam consilium plebis habiturum.

L. Pomponius, Bononiensis, Atellanarum scriptor, quem Solinus ait, quod mirum, nunquam ructasse. Olymp. 173.

Cn. Pomponius, orator, patronus acer, acerbusque dicendo, & lateribus pugnans. Cic. *in Oratore*. Julius item *Pomponius* secundus, tempore Quinctiliani; inter Tragicos longè princeps. Plinius *lib. 14. cap. 4.* cum cœnam C. Principi Germanici filio dedisse ait, in quâ vinum 160. annorum fuit.

Pomponius Atticus, nobilis eques Rom. excellenti ingenio, amicus Ciceroni imprimis fuit. Qui postquam vidit Cinnæ tumultu Remp. esse turbatam, secessit Athenas, ubi longo tempore moratus, & civitatem, & omnium gratiam moribus elegantissimis promeruit, linguamque ita probe didicit, ut *Attici* nomen adsequeretur. Rebus Romæ pacatis, redux, à patruo Q. Cæcilio hæres scriptus est. Ciceroni familiaris, datâ ei sorore amicitiam strinxit arctius, Hortensio simul comprehenso. Bello Civili, inter Cæsarem & Pompejum, Antonium item & Brutum ita se gessit, ut utrinque probaretur: & affinitatem ejus Agrippa quæreret. Honores oblatos constanter renuit, studiis intentus: non aliis servis, nisi qui anagnostæ quoque essent, usus. Condidit Annales, Elogia virorum M. versus aliaque tum Græcè tum Latinè. Humanitate, divitiisque præditus fuit, quibus amicos libenter impertiebat. Nam & Ciceronem ab urbe pulsum opibus juvit, & Brutum ab urbe fugientem minis 100. prosecutus est. Erat alioqui gravissimus, ut quæ religiosè polliceretur, præstare niteretur. Mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat. Cic. *in Bruto, & Epist.* Plin. *lib. 35. cap. 2. &c.* Plut & Cornelius Nepos *in ejus vitâ*. Seneca *ep. 21. Nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinent. Nihil illi profuisset gener Agrippa, & Tiberius progener, & Drusus Cæsar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, ni Cicero illum applicuisset.*

Pomponius Bassus, Consul cum Aurelio Fusco, an. U. C. 1010.

Pomponius Bellievræus, Cancellarius Galliæ; fil. Claudii, primarii Præsidis Curiæ summæ Gratianopol. ex Ludovica Faya, Lugdunensi. Postquam Tolosæ & Patavii literis vacasset, Senator Curiæ Camberiacensis, urbe tum à Gallis captâ, constitutus; mox negotiis in Gallia, Germania, Anglia, Polonia, Italia maximis, imprimis Verbinii, ubi pax tum fervebat, adhibitus; eques dein ab Henrico M. creatus est, Ann. 1599. Literatus, & Literatorum fautor: Interfuit collationi Perronianæ, ann. 1600. Obiit Ann. 1607. æt. 78 A. Thuano; Pap. Missonio, Scævola Sammartan. pro funere laudatus. Ex Maria Prunetia, pater Nicolai, primarii Præsidis Parl. Parisiensis, avus Pomponii similiter Præsidis, Alberti & Claudii, Archiepiscoporum Lugdunensium.

Pomponius Flaccus, an. 772. Mœsiam provinciam administravit; posteà Syriæ à Tiberio sub initio principatûs præpositus, quòd noctem continuumque biduum epulando potandoque secum consumpsisset. Suetonius.

Pomponius Gauricus, Neapolitanus, Astrologi Paulo III. charissimi, Lucæ, frater. Poëta, plurima scripsit poëmata. Item de Architectura, & Physiognomia, libros edidit, ut & vitas Pictorum Græcorum: Alchymiæ quoque, nec sine successu, vacasse dicitur. Disparuit tandem, an occisus à nobilis cujusdam fœminæ, quam ille deperibat, cognatis? Paul. Jov. *in elog. doct. c. 75.*

Pomponius Januarius, Consul cum Maxim. Aug. a. U. C. 1040.

Pomponius Labeo, Mœsiæ præfuerat; dein malè administratæ provinciæ atque aliorum criminum postulatus, prohibitus est Cæsaris domo: Ille per abruptas venas sanguinem effudit; æmulataque est conjux Paxæa. Paullo Fabio, L. Vitellio Coss. Tacit. VI.

Pomponius Lætus Julius, Neapolitanus; fil. nothus Principis Salernitani. Floruit, cum Platina & Callimacho, sub Pio 2. non æquè sub Paulo II. æstimatus: contra quem conjurationis initæ particeps, Venetias profugit. Reversus posteà Romam, Philosophum vixit, nullâ Religionis curâ habitâ. Edidit epitomen vitæ Cæsarum, à morte Gordiani, usque ad Justinum III. scripsit de Mahomete quoque, de Magistratibus Rom. Obiit Ann. æt. 70. sub Alexandro VI. in extrema inopia. Sabellicus, qui discipulus ejus fuerat, *in vita illius*. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 40. Erasm *in Cicer.* Angelus Polit. *in Miscell. cap.* 73, Lilius Giraldus, *in Hist. Poët. dial.* 4. Pierius Valerianus, *lib. 2. de infel. liter.* Voss. *de H. L. libro tertio.*

Pomponius Mela, Hispanus, Mellariâ oriundus, ubi nunc *Bejar de Melena*, in regno Granatensi, sec. 1. insigni opere *de situ orbis* clarissimus, Alphonsus Garcia Motamorius, *de doctis Hisp. viris.*

Pomponius Rufus. Historicus. Valer. M. *lib. 4. cap. 4.* Item Conf. cum Cn. Pompejo Ferocio Liciniano. Jul. *Pomponius* Sabinus, Interpres Virgilii. An idem cum Pomponio Læto? Voss. *de H. L. l. 3.*

Pomponius Secundus, prænom. *Publius*, Consul An. 782. U. C. iterum sub Cajo An C. 794. Scriptor Tragœdiarum, cujus vita a Plinio jun. descripta, *lib. 14. cap. 4.* Quintil. *lib. 10. c.* Fabius *lib. 8. cap. 3.* Ter. Maurus, *in Centim.* Voss. *de P. L.*

Pomponius Sextus, Jurisconsultus, ex Pandectarum libris notissimus, cum Ulpiano, & Paulo, discipulus Papiniani. A Alexandro Severo à Consiliis, multum sub imperio ejus valuit. Scripsit complura, in Codice & Pandectis sæpe laudata. V. Forster. *Hist. Juris Civ. lib. 2. cap. 79.* Nic. Henelium, *de vett. Jurisc.* Gesner. *in Bibl.* Lamprid. *in Alexandro Severo.*

Pomponius Silvanus, Proconsul Africæ, à Provincialibus accusatus, sed absolutus, senectutem orbam ac pecuniosam ultra eorum vitam produxit, qui ipsi periculum facessèrent Tacit. XIII 52.

Pomponius Victorinus, Consul cum Aur. Probo Aug. a. U. C. 1034.

Pomptina palus, Vide *Pontina*.

Pomptinus, prænomine *Cajus*, Allobroges, post Catilinæ conjurationem rebellantes, domuit, Ann. C. 694. usque ad ann. 699. triumphum tamen non egit.

Poneropolis, urbs Thraciæ sub Rhodope monte sita, deinde *Philippopolis* ab instauratore, & postremo *Trimontium* à situ dicta, Plin. 4. 11.

Pongibautum, oppidul. Arverniæ, Metel.

Pons ad Icaunam, vulgò *Pont sur Yonne*, oppidum Galliæ, in Vastinensi tractu, ad Icaunam, & in limite Campaniæ, 3. leucis infra Senones in Boream Lutetiam versùs.

Pons ad Sequanam, *Pont sur Seyne*, oppid. est Galliæ, in Campania provincia, ad Sequanam flumen, decem leucis à Trecis distans in Circium Lutetiam versùs.

Pons Ælii, op. Angliæ in Northumbriâ, inter Novum castrum, & Morpetum. *Ponteland*, teste Camdeno.

Pons Ælius, *Ponte di S. Angelo*, unus ex pontibus Romæ apud molem Hadriani, quo ex urbe in Vaticanum transitur.

Pons Æmilius, qui primum sublicius, postea lapideus, *Marmorato* nunc. Juvenal. *Sat.* 6.

Cum tibi vicinum se prebeat Æmilius pons.

Pons Altus, locus Becco Monasterio, in Normannia, proximus. Vulgò accolis *Pont Autou*

Pons Archiepiscopi, *Puente del Arçobispo*, oppidum Hispaniæ, in Castella nova, cum ponte ad Tagum fluvium, 15. leuc. Hispanicis infra Toletum in occasum Talaveram versùs.

Pons Arcuensis, seu Pons Arcus, i. fornicis, *le Pont de l'Arche*, urbs Galliæ, in Normannia provincia, ad Sequanam fluvium, cum arce munita, tribus leucis supra Rothomagum in Austrum Ebroicum versùs. Non procul à Sequanæ, & hinc Auturæ, inde Indellæ Confluentibus. Apud Valesinghamum *Pont de la Arche Curroise* nominatur, i. *Pons arcus currentis*, ibi enim Sequana partam Insulam facit, & arcus ab uno ponte per Insulam decurrunt ac tendunt ad alterum. Nisi si mavis *Pontem Arcus Quadrati* interpretari, i. arcuum quadratorum: quippe pons ille non rectus, sed curvus & obliquus est: qualem Fregellæ in Campania felice habent, ab eo *Pons curvus* dictæ. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pons Audomari. *Pont-Audemer*, urbs parva Galliæ, in Normannia provincia, ad Rillam fluvium, 2. leucis ab ejus ostiis, & 10. à Rothomago in occasum, Cadomum versus. Sic dicta, quòd Audomarus, vir Francus ibi Risellam parvo ponte junxerit, locumque possederit. Cluverio *Breviodurum* Æthici videtur. Oppidani ejus & municipes, qui communitate fruebantur, non leges solum, sed etiam reditus quosdam, annulum quoque ad signandas literas, & judices, nimirum Majorem & Pares aut Scabinos, arcas, multasque alias res olim communes habuere. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Pons Aufidi, Anton. in Apulia, à Venusia 18. m. pass. ab Equotutico 69. Hodie non extat.

Pons Aurelius, P. Vict. *Ponte Rotto*, pons Romæ disjectus, inter Ælium, & Sublicium seu Cestium. Ferrar. Baudrando dictus est, cujus vix visuntur vestigia. Ideo caret nomine.

Pons Aureoli, *Pontirolo*, pagus Insubriæ ad Adduam fluvium, inter illum & Brembum, ubi Aureolus interfectus à Claudiano Imperatore, à Bergomo 13. m. p. à Mediolano 26.

Pons Axonæ, Cæsari: *Comment lib. 2.* memoratus, de quo V. Hadr. Valesium *Notit Gall.*

Pons Beli, fluvii: quem, eo loco, qui inter Ptolemaidem & pontem interjacet, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo, in ejusdem urbis obsidione Fredericus Friderici Suevi Imperatoris, filius, cum Germanis defendendum suscepit: Venetis & Genuensibus ad Ptolemaidis Orientem, Flandris autem, Hollandis & Frisiis ad ejus Septentrionem stationem habentibus. Herold. *cont. bel. sacr. lib. 2. cap. 7.* est in tribu Aser.

Pons Bellovicinus, vulgò *Pont Beauvoisin*, op. Galliæ, in Delphinatu, ad Gieram fluvium, cujus oppidi minor pars, quæ trans

pontem, est juris Sabaudici. Vix 2. leucis distat à Rhodano fluvio in meridiem, Gratianopolim versùs 6. circiter.

Pons Cæsaris, ad quem Ludovicus XIII. Gall. Rex Matris Reginæ copias in fugam conjecit, An. C. 1619.

Pons Candidus, Cassiod. *Condiniani* Jornandi, pons erat Ravennæ proximus, ad 3. mill. pass. distans.

Pons Castellanus, opp. Umbriæ, quod origine Joannes Pontanus, vir omni disciplinarum genere præstantissimus, illustravit.

Pons Centesimus, pons & oppidum Umbriæ, ad Tiniam fluvium, inter Fulginium 5. & Nuceriam 7. mill. pass.

Pons Centinus, *Ponte Centino*, locus Italiæ, seu potiùs diversorium sine ponte in agro Orvetano, & in ditione Pontificia; atque in confinio agri Senensis. 5. milliaribus distat ab Acula in Boream Radicofanum versùs.

Pons Cestius, P. Vict. *Ponte di S. Bartolomeo*, Romæ, ad insulam Lycaoniam, quo in regionem Transtyberinam transitur.

Pons Episcopi, *Pont l'Evesque*, oppidum Galliæ in Normannia provincia, ad Tuceam fluvium, 3. leucis infra Lexovium in Boream versùs Portum Gratiæ, & duabus leucis ab ora maris Britannici distans.

Pons Elaveris, vulgò *Pont Alier*, locus Galliæ ad Elaverim: unde nobili familiæ nomen.

Pons Eræ, *Ponte à Era*, oppidulum Hetruriæ, in agro Pisano, ad Eram fluvium, qui paulò infrà in Arnum se exonerat. 16. milliaribus distat à Pisis in ortum Florentiam versùs.

Pons Fabricius, *Ponte Giudeo*, quòd Hebræi Romæ ibi habitent. Ferrar. Baudr. *Ponte de quattro capi* hodie dicitur ab omnibus.

Pons Fellæ, *Pontafella*, oppidulum Germaniæ, in Carinthia superiori, intra Alpes, ad Fellam amnem, & in ipso limite Italiæ, sub dominio Episcopi Bambergensis, 6. milliaribus Germanicis distat ab Utino in Boream. Ibi ordinarius transitus ex Italia in Germaniam, Viennam versùs.

Pons Ferri, Amm. in Syria, super Oronte, ab Antiochia 7. m. p.

Pons Gardonis, *le Pont du Gard*, pons Galliæ admirandi operis, à Romanis exstructus, ad Gardonem fluvium, in Occitania, inter Avenionem ad ortum & Nemausum in occasum.

Pons Janiculensis, P. Vict. *Ponte Sisto*, & *Ponte Rotto*, Romæ, à Sixto IV. instauratus. Vide *Aurelius*.

Pons Inferni, vulgò *die Teuffelsbrugg*, in monte S. Gothardi, supra Sillinium, pagum Uraniorum, juxta Ursam fl. prope Ursarium vicum. Hujus meminit Platina *in Pio secundo*. Vide Simler. *de Alpibus*.

Pons Longus, in Parisiis atque Suessionibus, à longitudine nomen habet. Gall. *Pont long*.

Pons Longus, Ant. in Apulia, à Siponto 50. mill. pass.

Pons Lucanus, G. Tyr. super Aniene, apud Tibur urbem, opus Trajani Cæsaris. De quo carmen:

Pons superabatur Lucanus, Plautius olim.

hodie *Ponte Lucano*, uno milliari distat à Tibure Romam versùs.

Pons Mammolus, *Ponte Mamolo*, apud Romam in via Tiburtina, *Mammæus* potiùs, à Mammæa matre Alexandri Severi dictus, De quo *lib. 3. Itinerarii:*

Tandem pons altus dictus de matre Severi
Mammæus fessos Romanam ducit in urbem.

distat ab urbe Roma 6. mill. pass. in ortum.

Pons Mansuetinus, Anton. *Babolza*, rectè Lazio, oppidum Pannoniæ, inter Possegam 6. & Zigerum in Cæciam 4. leucis, à Sopianis 25. mill. pass.

Pons Milvius, P. Vict. *Ponte Molle*, urbis Romæ extra portam Flaminiam, ab urbis ingressu 2. fermè mill. pass. distans. Ibi Constantinus Magnus Magnentium devicit.

Pons Muræ, vulgò *Pruck an der Muer*, urbs Germaniæ, ad Muram fluvium, in Stiria superiori, 5. leucis à Græcio in Circium Lintium versùs.

Pons Nevius, seu *Nevia*, Anton. *Ponferrada*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in Gallæcia, inter Austuricam 14. & Villam Francam Gallæciæ in occasum 5. leucis, Ferrar. Baudrando hodie *Puente de Neyra* dicitur; & 2. leucis distat à Luco Augusti in meridiem, ad amnem Neyram, 17. leucis ab oppido *Ponferrada* in Circium.

Pons Nomentanus, P. Vict. *Ponte Lamentano*, in via Nomentana super Aniene in Sabinis: per quem in ipsos Sabinos ibatur.

Pons Novus, vulgò *le Pont neuf*, pons Lutetiæ, ad Sequanam fluvium, ab Henrico IV. Rege Galliæ extructus, & totius Europæ superbissimus.

Pons Palatinus, P. Vict. qui & Senatorius, in urbe Roma, *Ponte S. Maria*, apud montem Palatinum, dicitur etiam *Ponte rotto*, quia semidirutus jacet.

Pons Quadratus, in Parisiis, pagoque Briegio, non procul Latiniaco: *Pontquarré*.

Pons Reginæ, vulgò *Puente la Reyne*, oppidum Hispaniæ, in Navarræ regno, ad Argam fluvium, 4. leucis à Pompelone Calagurrim versùs.

Pons Remigii, vulgò *Pont de Remy*, oppidum Galliæ, in Picardia provincia, ad Somonam fluvium, 2. leucis supra Abbavillam Ambianos versùs. In dextra ripa vicum habet & pontem Sumināæ impositum: in capite verò pontis seu in sinistra fluminis ripa, castellum. A S. Remigio loci Patrono, Monstrelet *lib. 1. cap. 146. & lib. 2. cap. 120.* Nunc plerisque *Pontdormy* dicitur; qui locus olim nobili familiæ inter Picardos nomen dedit. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Pons Rivi alti, seu *Rialtinus*, vulgò *Ponte de Rialto*, pons magnificus Venetiarum, antea Sublicius; sed An. 1591. ex lapide Istriano ductus, majorem canalem jungit; estq; unius arcus tantum.

Pons Sai, pons lapideus est, Ligeri impositus, longus 1000. pass. à vico adjacente cognominatus, hodie *Pont de Sé*. Quidam in numero plurali *Pontes Sai* vocant, *les Ponts de Sé*, propterea quòd ibi insulæ aliquot interjacentes pontem interrumpunt, ita ut non unus, sed plures pontes dici posse videantur. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Pons S. Maxentiæ, vulgò *Pont S. Maixence*, oppidum Galliæ, ad Oesiam fluvium, 3. leucis à Sylvanecto in Boream distat, in provincia Insulæ Franciæ, & in Valesia tractu.

Pons S. Nicolai, vulgò *le Pont de S. Nicolas*, pons est Galliæ perantiquus & miræ structuræ, à Romanis excitatus supra Gardonem fluvium, in Occitania, 2. leucis à Ponte Gardonis distans, totidem à Nemauso, & una ab Ucetia.

Pons S. Spiritus, vulgò *Pont S. Esprit*, urbs Galliæ, in Occitania regione, cum arce permunita & ponte ad Rhodanum fluvium, 7. leuc. supra Avenionem in Boream, Vivarium versus 5. circiter.

Pons Saravi, vulgò *Sarbruck*, seu *Sarbrick*; oppidum Lotharingiæ, ad Saravum, sub proprio Comite, in limite Palatinatus; 4. leucis à Bipontio in occasum Metas versùs, & 10. ab altero in Boream. Vide infra.

Pons Sarnix, Anton. *Sarbruck*, oppidum Germaniæ superioris, sic à ponte nominatum, inter Alsatiam & Lotharingiam, ad Sartam fluvium, inter Cæsaream Lutram, & Metas 8. leucis. Aliis est Pons Saravi, *Kauffmans Sarbruck* Germanis, *Sarebourg* Gallis, urbs Lotharingiæ, aliàs Imperialis & libera, nunc Gallici juris; ad Saravum fluvium, ad radices Vogesi montis, 8. leucis ab Argentorato in occasum distans Mediomatrices versus, & 6. à Marsalio in ortum; estque satis parva.

Pons Scaldis, Anton. *Condet*, oppidum Belgii: ab ipso ponte nominatur, ad Scaldem fluvium, in Hannonia, à Valencenis urbe 2. leucis Tornacum versùs. Aliis est ipsa urbs Valencenæ. Sansoni est locus Belgii, in Nervis, hodie *Escaupont*, pagus Hannoniæ, ad Scaldim fluvium, una leuca supra Condatum in meridiem, Valencenas versùs 2.

Pons Sociorum, Anton. in Pannonia, à Mansuetino 25. mill. pass. totidem à Sopianis, Aquincum versùs.

Pons Sorgiæ, seu *Sorgæ*, vulgò *Pont de Sorgue*, oppidum Galliæ, in provincia & Comitatu Venaissino, ad Sorgiam fluvium, medium ferè inter Arausionem ad Boream & Avenionem ad Merid.

Pons Sturæ, vulgò *Ponte Stura*, oppidum Italiæ, in Ducatu Montisferrati, aliàs munitum, ad Padum fluvium, ubi recipit Sturam, 3. milliaribus supra Casalem, & uno à Tricino distans

Pons Sublicius, P. Vict. Vide *Sublicius pons*, & *Pons Æmilius*.

Pons Tiluri, Anton. in Dalmatia, à Salonis 16. m. p.

Pons Timavi, Anton. super Timavo fluvio, in Carnis, ab Aquileja 7. mill. pass.

Pons Tirensis, Cicer. in Latio erat inter Arpinum & Minturnas, super Liri.

Pons Trajani, Dion. in Mysia superiori, ad Danubium, apud Severinum urbem. Ubi adhuc durant vestigia. Alter in Hispania Lusitanica, *Alcantara*, oppidum super Tago fluvio, non obscurum, in Extremadura regione, à Placentia urbe 8. leuc. in austrum, Emeritam versùs 9. Ferrar. Baudrando *Pons Trajani*, aliter Norba Cæsarea, *Alcantara*, urbs aliàs Lusitaniæ, hodie Extremaduræ provinciæ, à qua ordo militaris nomen sumpsit, 18. leucis distat à Placentia in occasum, & 12. ab Emerita in Boream; estque parva, sed munita, in limite Portugalliæ. Vide *Norba Cæsarea*.

Pont Tremens, in via S. Gothardi montis, in ascensus, quà Italiam spectat, medio, unde ad cacumen usque nil nisi nuda rupes, cum nivibus & glacie multa: dictus, quòd ascendentes, periculo viso, tremant. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. antiq.*

Pons Vaticanus, P. Vict. super Tiberi Romæ excisus: apparent vestigia apud xenodochium S. Spiritus, à quo denominabatur.

Pons Velius, vulgò *Pont de Vesle*, oppidum Galliæ, in Bressia provincia, ad Velium amnem, una leuca à Matiscone & ab Arari in ortum.

Pons Vetus, vulgò *Ponte Vedra*, oppidum Hispaniæ, in Gallæcia, ad amnem *Loriz*, 4 leucis ab ora Oceani in ortum, & 8. à Compostella in meridiem.

Pons Ursionis, locus in Normanniæ Britanniæque confinio, *Pons Orson*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide infra.

Pons Ursonis, vulgò *Pontorson*, oppidum Galliæ, in Normannia, & in confinio Britanniæ minoris, ad Letram fluvium, *Couesnon*, qui paulò infrà cadit in mare Britannicum, medium inter Abrincas ad ortum, & Dolam ad occasum, duabus leucis à Monte sancti Michaelis.

Pontarlum, oppidum Comitat. Burgundiæ, in confin. Helvetiorum, ad rad. Jurassi, prope fontes Dubii fluv. 9. leucis à Vesontione in Merid.

Pontanus Joh. Jovius, vel Jovianus, Umber. Patre in seditione populari amisso, Neapolim concessit, ubi Præceptor Alphonsi jun. Regis Neapol. primò, dein eidem à secretis & consiliis fuit. Scripsit historiam bellorum Ferdinandi I. cum Johanne Andegav. aliaque egregia prosâ versuque. Obiit Ann. 1505. æt. 78. Hoc sibi Epitaphium fieri voluit: *Sum Johannes Jovianus Pontanus, quem amaverunt bonæ Musæ, suspexerunt viri probi, honestaverunt Reges, Domini. Scis jam, quis sim, aut quis potius fuerim. Ego verò te hospes, noscere in tenebris nequeo: Sed, te ipsum ut noscas, rogo.* Petrus Sandeus, *Epit. de Regib. Sicil.* Erasmus, *in Cic.* Giraldus, *dial. 1. de Poët.* Voss. *de* H. L. Leander Alb. *desc. Ital.*

Pontanus Lud. Spoletinus, J. U. D. Protonotarius Pontificius, insigni eruditione, memoriâ divinâ, atque eloquentiâ admirabili præditus: ab Aragoniæ Rege ad Concil. Basiliense missus, obiit Basileæ, An. C. 1439. ab Æneâ Sylvio, epicedio insigni ornatus: in cujus scriptis etiam specimina divinæ Pontani mentis, quæ per biennium in Concilio edidit, reperiuntur. Urstis. *Hist. Basil.* V. Forster. *Hist. Jur. Civ. lib.*3. *cap.*33. Gesner. *in Bibl.*

Pontanus Rogerius, Carmelita, scripsit *de mirabilibus.*

Pontes, & Pontacum, oppidum Belgii in Picardiâ, Anton. Vide *Ponticum.*

Pontes, nunc *Paunton* Camdeno, pagus Albionis in Angliâ ad Thamesin fl. inter Londinium & Oxonium: vel *Reading*, pagus vicinus, teste Lhuydo. Al. *Colbrook*, pagus apud Buckingham op. indigitatur, op. agri Buckinghamiensis in confin. Middlesexiæ: *Paunton* verò est *Ad pontem* in agro Lincolniensi.

Pontes, Castellum Daciæ in Danubii ripâ contra Theodoram op. Vide Procop. *de ædificiis Justin.*

Pontes Ambianorum, Æthico inter Ambianos & Gesoriacum, Cluverio est *Pont à Selane*, ad ostium Altejæ fluv. aliàs *Pont Asselane*, qui ait, magnam partem veterum Ambianorum finium, inter Summonam & Altejam flumina ab hisce Pontibus nomen accepisse, ac dici hodieque *le Ponthieu*, seu Pagum *Pontivum.*

Pontes Cæsaris, opp. Galliæ ad Ligerim, cum ponte prælongo, aliàs munitum: Vix 1. leuc. ab Andegavo; *Pont de Cé*; quibusd. *Pons Cæsaris.*

Pontes Icaunæ, Gall. *Pons sur Yonne*, opp. Gall. à multitudine pontium Icaunæ impositorum. Sunt & *Pontes* in Santonibus, eandem ob rationem sic dicti, ad amnem in Carantonum influentem. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Pontes Oeni, vulgò *Oeting* op. Vindeliciæ ad Oenum fluv. in Bavariâ.

Pontes Sequanæ, Gall. *Pons sur Seines*, olim à numero pontium ibi Sequanæ impositorum. *Ad duodecim Pontes*, hodie oppidulum est ad Sequanam jam Albâ auctum; continens duas insulas, quas ibi Sequana continet, & 10. vel etiam 12. pontes hodieque habet. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Sic *Ad Duos Pontes*, opp. est Marchiæ titulo illustre, ad Saravum amnem. Gall. *Deux ponts.* Similiter *Tres Fontes & Septem Fontes*, monasteria Abbatiis clara, alterum, in Duc. Barrensi, alterum in Episcop. Augustodunensi ad Ligerim, prope Burbonem Aselli, à fontium numero nomen accepere. Idem.

Pontes Tersenini, vulgò *Schœstern*, pagus Vindeliciæ in Bavariâ inter Ambram & Parthanum, teste Simlero.

Pontesium, opp. Galliæ, vulgò *Pontoyse.* V. *Pontisara.*

Pontheus Thiardus, Episc. Cabillonensis, eruditione & linguarum peritiâ insignis. Poëta Gallus, Mathematicæ quoque, dein Philosophiæ Platonicæ, tandem Theologiæ se dedit. Ronsardo, Portulo, Perronio familiaris. A Carolo IX. & Henr. III. magni æstimatus. Scripsit varia: *Discursum de die & Anno, Manticen, Universum, Ephemerides octavæ sphæræ, de Cœlestibus Asterismis &c.* Obiit Ann. 1605. Scævola Sammart. *lib.*5. *Elog.* Thuan. *Hist.* Morerius *in Diction. Hist.*

Pontia, empta ingentibus donis, à Sagitta Tribuno, ad adulterium, & maritum omittendum, hac lege, ut vacua in Octavii Sagittæ domum nuberet. Diversam à marito pacti pœnituit, quare Sagitta spretus, nocte unâ ad desiderium leniendum impetratâ, atque libidine expletâ, in cubiculo ferro transverberavit nihil tale metuentem; Ipse dein à Patre Pontiæ accusatus, & condemnatus est. Tacit. XIII. 44.

Pontia, notissimâ crudelitate mater. Juven. *Sat.* 6.

Nos utinam vani: sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerisq; meis aconita paravi.

Martialis 2. 34.

O mater, quâ nec Pontia deterior.

Pontia, ins. gemina: una maris Tyrrheni in sinu Formiano, seu paulò supra illum, contra Tarracinam urb. Latii, cum urbe, olim Colonia eodem anno, quo Suessa teste Livio *lib.* 9. deducta, in quam cives Romani damnati deportabantur. Vulgò *Ponce*, non longè à Palmariâ in sinu Cajetano, in quâ turtures & coturnices, cum ad Italiam veniunt, primâ volaturâ requiescendi causâ, paucos dies morantur, Varro. *Pontiæ* pl. num. apud Plin. legitur. Altera in eodem mari ante Veliam urb. Lucaniæ, cum Isaciâ, vel Isciâ. Baudrando *Pontia*, hodie *Ponza*, ins. prov. Terræ laboris, antea incolis vacua, sed à paucis annis exculta, cum vico & turri, sub dominio utili Ducis Parmæ, 12. m. p. à Circejo prom. in Mer. 20. à Terracina.

Pontianus, Roman. Episc. 17. An. D. 231. Ab Alexandro Severo, apud quem falsò delatus erat, relegatus in Sardiniam: A Maximino verò ejus successore verberibus adeò dedolatus, ut animam efflaret, An. 235. Euseb. *in Chron. & Hist. lib.* 6. Anastas. *in vit. Pontif.* Baron. *in Annal.* Alius Consul, An. U. C. 960.

Pontico, vel *Pontigo*, villa regia Austrasiorum Regum fuit, sub Merovingis ac Carolovingis etiam, Synodis Episcoporum, inprimis An. C. 876. celeberrima. Vulgò *Pontion.* Ad flumen Ornam, in Pago Pertensi, non procul à Victoriaco Incenso. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Ponticum, vulgò *le Ponthieu*, regiunc. Picardiæ, aliis Comitat. Pontivensis. Extenditur versus ostia Somonæ fluvii, ubi Abbavilla, Pons Remigii, Monstrolium, Rua & Crotojum; Estque inter Quantiam fluvium & Boloniæ Comitatum ad Boream: Normanniam ad Meridiem & Ambianensem tractum ad Ortum. *Pontus*, seu *Pontinia* quibusdam. Hic tractus Anglici juris factus est, cùm Eduardus primus, Angliæ Rex, uxorem duceret Eleonoram, Ferdinandi, Castellæ Regis, filiam, ex Joanna Conjuge, quæ filia erat Simonis, Pontium Comitis: Sed postea incolæ, instigante Guidone sancti Pauli Comite, præsidiarios quos Rex Eduardus ibi reliquerat, exturbarunt, Regique Francorum Carolo V. se dediderunt. Nomen habet à Pontium multitudine. Merula. Metel. Baudrandus. Hadr. Valesius *in Notit. Gall.* hunc pagum non à Pontibus, sed *Pontiu* olim dictum vult, quod Gallicum nomen est, sicut *Tellau*, & *Vitmau.* Vide ibi.

Ponticum mare, vide *Euxinum.* Hoc cæteris dulcius, & natantia in Propontidem ejicit. Macrob. 7. *Saturn. cap.* 29.

Ponticus, annorum ferè 15. puer, martyrium passus est.

Ponticus, poëta Rom. Propertio æqualis, qui sic ad eum scribit, *eleg.* 7. *lib.* 1.

Cùm tibi Cadmeæ dicantur, Pontice, Thebæ,
Armaq; fraternæ tristia militiæ.

Idem non dubitat cum eum Homero componere. Continuò enim subjungit:

Atq; ita sim felix, primo contendis Homero.

Nec Thebanum bellum modò cecinisse, sed etiam amores, cognoscimus *ex lib. ejusdem eleg.* 9. Ovidio etiam conjunctissimus fuit, ut ostendit istoc:

Ponticus heroo, Battus quoq; clarus Jambis,
Dulcis convictus membra fuere mei.

Ponticus Virunius, vel *Virumnius*, Trevisanus. Composuit, An. 1490. epitomen Historiæ Angl. in gratiam familiæ Badœriorum, qui, Veneti tum, Anglicæ originis erant. Item Commentarios in Statium, Claudianum, &c. Plura alia quoque prosâ versuq; scripsit. Trithem. *in Cat.* Philipp. Bergom. *lib.* 16. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Lat.*

Pontificia ditio, seu *Status Ecclesiæ, Stato della Chiesa* Italis, *l'Estat de l'Eglise* Gallis, pars est Italiæ, a septentrione in meridiem protensa per 240. milliaria, nempe à castro *Francolino* in Ferrariensi Ducatu Terracinam usque. Ejus autem major latitudo nempe à Centumcellis Anconam usque est 120. milliarium. Sed multò minor est in aliis locis, præsertim in Romandiola, ubi valde restringitur, inter Hetruriam & mare Adriaticum; subestque dominio Rom. Pontificis. Terminatur hæc ditio à meridie mari Tyrrheno, ab ortu regno Neapolitano, ab occasu Hetruria & Ducatu Mutinensi, à septentrione autem mari Adriatico & dominio Veneto. Ejus partes seu provinciæ sunt Campania Romana, *la Campagna di Roma*, provincia Patrimonii S. Petri, *la provincia del Patrimonio di S. Pietro*, Sabina, *la Sabina*, Ager Orvietanus, *il territorio d'Orvieto*, Ager Perusinus, *il territorio di Perugia*, Umbria, seu Ducatus Spoletanus, *l'Ombria*, Marchia Anconitana, *la Marca d'Ancona*, territorium Civitatis Castelli, *il territorio di Città di Castello*, Ducatus Urbinas, *il Ducato di Urbino*, Romandiola, *la Romagna*, Ager Bononiensis, *il Bolognese*, & Ducatus Ferrariensis, *il Ducato di Ferrara.* Subsunt etiam dominio Rom. Pontificis Avenio & Comitatus Vindascinus in Gallia, *le Comtat Venaissin*, uti Beneventum in regno Neapolitano, cum ejus territorio aliàs peramplo, ut liquet ex diplomate Clementis VI. Pontificis Romani Ann. 1350. sed nunc ab Hispanis valde restringitur. Torius ditionis Pontificiæ urbs præcipua est Roma, *Roma*, quæ Italiæ caput. Crevit autem maximè hæc ditio liberalitate Francorum Regum Pipini & ejus filii Caroli Magni, & donatione Ludovici Pii ejus nepotis. Sub Clemente VIII. Pontifice Romano, Ducatus Ferrariensis rediit ad ditionem Pontificiam, uti etiam Ducatus Urbinas sub Urbano VIII. Barberino Pontifice Romano, deficiente masculâ prole.

Pontificiæ ditionis urbes præcipuæ:

Ancona, *Ancona.*	Fulginium, *Foligno.*
Ariminum, *Rimini.*	Imola, *Imola.*
Asculum, *Ascoli.*	Macerata, *Macerata.*
Bononia, *Bologna.*	Orvietum, *Orvieto.*
Camerinum, *Camerino.*	Perusia, *Perugia.*
Faventia, *Faenza.*	Pisaurum, *Pesaro.*
Ferraria, *Ferrara.*	Ravenna, *Ravenna.*
Firmum, *Fermo.*	Reate, *Rieti.*
Forum Livii, *Forli.*	Roma, *Roma.*

Spole-

Spoletum, *Spoleto*. Viterbium, *Viterbo*.
Tifernum, *Citta di Castello*. Urbinum, *Urbino*.

Pontina, mel. *Pomptina*, Volscorum palus juxta Forum Appii, haud longè à Tarracinâ, distat ab urbe 25. m. p. quam Plinius *lib.3. cap.5.* non longè fuisse, à Circeis dicit, quem locum 24. urbium fuisse Mutianus ter Consul prodidit. Lucan. *lib.3.*

Et quà Pontinas via dividit uda paludes.

Martialis *lib.10. epigr.73.*

Nec quæ paludes delicata Pontinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.

Idem *lib. 13. epigr. 109.*

Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos.

Exsiccata est à Corn. Cethego Consule, cui ea provincia obvenerat; agerque ex eâ factus, Liv. *lib.47.* Insequentibus deinde seculis, iterum exsiccata à Theodorico Gothorum rege, ut ex ejus inscriptione in eo loco cernitur. Latrunculorum autem fuisse sedem Juvenalis *Sat.3.* ostendit:

Interdum & ferro subitus grassator agit rem;
Armato quoties tuta custode tenentur
Et Pontina palus & Gallinaria pinus.

Alii in Latio constituunt, quorum sententiâ à Virgilio *Satura palus* dicitur, ut putat ex Hermolao Erythræus. Hodie *Aufente palude* vocari, scribit Leander Albertus. Baudrando αὐτόχθων erat palus Latii, seu Campaniæ Rom. hodie *Paludi Pontine*, quæ non exsiccata est, & vix exiccari potest, propter amplitudinem ejus & plures amnes, in eam influentes. Extenditur enim inter Neptunium, Norbam, Sermonetam, Setiam, Privernam, Terracinam & oram maris Tyrrh. & in eam fluunt Astura, Nymphæus, Ufens, Amasenus, aliique min. Per hanc tamen Trajanus viam saxo stravit ingenti sumptu, cujus adhuc reliquiæ visuntur.

Pontiniacum, pag. Gall. cum cœnobio, in Diœcef. Antissiod. Item opp. Britann. min. 8. leucis in Occ. à Rhedonis, 4. à Josselino; *Pontigny*.

Pontinus, vir fortissimus, laborum, periculorum, consiliorum Ciceronis socius, ut ipse testatur *de Provinc. Consul. Modò ille meorum laborum, periculorum & consiliorum socius Cn. Pontin is fortissimus ortum repentè bellum Allobrogum, atq; hâc sceleratâ conjuratione excitatum, prælio fregit, eosq; domuit, qui lacessierunt, at eâ victoriâ contentus, Republicâ metu liberatâ, quievit.* V. Pompti ius.

Pontinus Aquila, cum esset Tribunus plebis, triumphanti Cæsari, prætervectoque unus è collegis non assurrexit. Unde Cæsar indignatus: *Repete ergo*, inquit, *à me Aquila Rempublicam tribunus.* Et per aliquot dies nihil cuiquam pollicitus est, nisi sub exceptione: *Si tamen per Pontium Aquilam licuerit.* Conjuravit cum Bruto & Cassio in Cæsaris necem, fuitque unus ex percussorum numero. Periit in conflictu Mutinensi, Bruti Legatus. Sueton. *in Cæsare.* Cic. *ep. fam. lib.10.* Dio *lib.46.*

Pontinus, mons Argiæ, cum fluv. cognom. in Erasinum labente, Pausan.

Pontiopolis, vide *Fanum S. Pontii Tomeriarum*.

Pontisara, seu *Pons ad Oesiam*, *Pontoise*, urbs insulæ Franciæ, in Vexino Francico in clivo, ad Oesiam fluv. 6. leucis à Lutetia in Circ. Rothomagum versus.

Pontius, D. Cypriani Diaconus, & comes individuus, usque ad ultimum supplicii diem, exilium cum ipso sustinuit, egregio de ipsius vitâ & exitu volumine relicto. Hieron. *de Script. Eccles.* Honor. Augustod. *de lum. Eccl.* Item Martyr, in Gallia. Idem.

Pontius Aufidianus, Romanus civis, qui ubi rescivit filiam suam à Fannio Saturnino pædagogo corruptam, utrumque morte punivit, Valer. Max.

Pontius Fregellanus, stuprorum Albucillæ minister, decreto Senatûs amisit ordinem Gn. Acerronio, C. Pontio Consul. Tacit. *Histor.6.* 48.

Pontius Telesinus, prænomine *Lucius*, Philosophus atque insignis vir, collega in consulatu C. Suetonii: ob artes egregias exulavit sub Nerone.

Pontones, locus Gall. à pontonibus nomen habens, proximus aquis Tarbellicis, ad fluv. Aturrum, vulgò *Ponton*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Pontremulum, pernobile ac opulentum oppid. Tusciæ, in radicibus Apennini.

Pontus, reg. Asiæ min. à *Ponto* rege sic dicta, ab Occid. Haly fluv. ab Oriente Colchide clausa: à Meridie minori Armeniâ, à Sept. mari Euxino terminata, Strabo. Ptolemæus verò *lib.5.* paulo aliter: *Pontus*, inquit, *ab occasu ore Ponti, & Thracio & Bosporo: à Meridie regione, quæ propriè Asia dicitur: à Sept. parte maris Euxini terminatur.* Est autem hæc reg. in qua floruit Gamba Episcop. An. Chr. 175. & Ecclesia insigniter, sub Diocletiano, cum aliis, pressa fuit, venenorum in primis ferax, unde & fabula de Medeæ veneficiis locum videtur arripuisse. Virgil. *Ecl.8.*

Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris; nascuntur plurima Ponto.

Veneni quoque Pontici, & herbarum Ovidius quoque meminit. Seneca in *Herc. Oet.*

Quas Pontus herbas generat aut quas Thessala
Sub rupe Pindus. —— ——

Virgilius *Georg. 1.*

—— *Virosaq; Pontus*
Castorea. —— ——

Hinc *Ponticus*. Ovid. *de Nuce:*

Sic ubi detracta est à te tibi causa pericli,
Quod superest tutum, Pontice Castor, habes.

Pontus Cappadocius, Ptolemæo est pars Cappadociæ versus Colchidem. Arrianus *in Periplo maris Euxini*, vocat eam Thiannicam, cùm scribit Ophim fluvium Thiannicam regionem à Colchide dividere.

Pontus, vide *Ponticum*. Item pag. Geldriæ, *Pont*, apud Geldriam urb. Item, fluv. Macedoniæ, Sintiam urbem alluens, haud longè ab Heraclea urbe, quæ *Sintica* dicitur, Stephan. Item, regio Europæ, pars Mysiæ inferior. itidem ad mare Euxinum. Ovidius *lib. de Ponto.*

Pontus, totum illud mare quod à palude Mœotide usque in Tenedum protenditur: Sed ubi primum se arctat, à Tenedo incipiens, à casu *Helles* vocatur *Hellespontus*; ubi se expandit, *Propontis*, ubi iterum arctatur *Thracius Bosporus*, ubi autem latè diffunditur Pontus Euxinus; qui curvatus in figuram Scythici arcûs committitur ostio Mæotidis paludis, idque ostium *Cimmerius Bosporus* vocatur. Figuratè autem pro quovis mari ponitur.

Pontus item mare multiplex, Ptolem. *Galaticus*, qui Paphlagoniam alluit; *Polemoniacus*, qui partem Cappadociæ, post Themiscyram, in qua Polemonium urbs. *Cappadocius*, qui reliquam Cappadociæ oram, in qua Cerasus & Trapezus, quæ regiones Justiniano *Hellenopontus*. Vel tres sunt Cappadociæ partes.

Pontus Euxinus, vide *Axenus*. *Mare Cimmerium* vocat Orosius, *Caucaseum* Apollonius *lib. 4.* *Mare Ponticum* nominant Horatius & Plutarchus *in Pompejo & Eumenide*; Ptolemæus etiam & Jornandes hoc nomine illud novere. Herodotus *mare Boreale*, & *lib. 4.* ἀξιοθεητότατον, id est, *maximè spectatu dignum* vocat. Pontum hunc veteres arcui Scythico compararunt. Manilius:

Euxinus Scythicos Pontus sinuatus in arcus.

Dionysius:

Ἐκ τοῦ δ' αὖ καὶ Πόντον ἴδοις διξήλατον εἶδος,
Τόξου ἐεισάμενον σκολιοῦ ἀμφοῖν τόξου.

Strabo: Εἰκάζουσι δέ τινες τὸ σχῆμα τῆς περιμέτρου ταύτης ἐντεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ. Plin. *lib. 4. cap. 12.* *Retro curvatus magno litorum flexu in cornua utrinq; porrigitur, ac si planè arcus Scythici forma.* Valer. Flacc. *lib. 4.*

Atq; hâc Europam curvis anfractibus angit,
Hâc Asiam, Scythicum specie simulatus in arcum.

Lucanus *lib. 8.*

Bosporon, & Scythia curvantem litora Pontum
Spectamus. —— ——

Color illius albus est, unde Theocr. *in Dioscuris:*

Ἀγχοῦ καὶ νιφόεντος ἀπεχθομένοιο στόμα Πόντου.

Quærit Aristoteles *in Problem.* Cur mare Ponticum candidius sit, quàm mare Ægæum? Respondit, hoc ideo accidere, quòd lacus omnes mari sint candidiores; jam verò Pontus, teste Nasone:

—— *Stagno similis, pigraq; paludi est.*

Quod itaque ab Appiano, & hodie à nautis *mare Nigrum* dicitur, non ad illius colorem, vel profunditatem, sed cœli conditionem referendum est; unde Pomponius Pontum hunc ait esse nebulosum, cui astipulatur Valer. Flacc.

Illic umbrosæ semper stant æquore nubes.

Et Apollonius, Ἠερόεν στόμα Πόντου. Hujus aquam dulcem esse innuit Strabo *lib.1.* Διὸ καὶ γλυκύτερον εἶναι τὸν Πόντον. Ejus dulcedinis rationem assignant, cum eodem Strabone, scriptores omnes, concursum scilicet plurimorum in Pontum ingredientium fluminum. Nec tamen existimandum ὅλον δι' ὅλου, ut ita loquar, mare hoc dulce esse, sed partem tantùm ejus supernam, infernam autem salsam. Ovidius *in Ponticis:*

Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas,
Nec patitur vires æquor habere suas.
Innatat unda freto dulcis, leviorq; marina est,
Quæ proprium mixto de sale pondus habet.

Baudrando *Pontus Euxinus*, vulgò *mer Noire*, seu *mer Majeur* Gallis, *mare Maggiore* Italis, Germanis *Schwvartz zee*, Græcis *Mauro Thalassa*, Turcis *Caradenisi*, & Russis *Zorno More*, est inter Mœsiam inferiorem & Thraciam ad occasum, Asiam minorem ad meridiem, Colchidem ad ortum, & Sarmatiam Europæam, & Sarmatiam Asiaticam ad Boream. Ei jungitur palus Mæotis per Bosphorum Cimmerium ad Boream, uti & Propontis per Bosphorum Thracium ad austrum. Ejus autem partes sunt mare Caucaseum versùs Sarmatiam, & mare Phasianum versùs Colchidem, uti etiam Carciniies sinus: Et ejus major longitudo ab ortu in occasum est 900. mill. pass. latitudo autem à septentrione in meridiem est 300. mill. pass. circiter; vixque 400. mill. pass. distat ab ora proximiori maris Caspii in occasum, teste Guil. Sansone.

Popajana, vulgò *le Popayan*, regio ampla Americæ meridionalis, in Terra firma, versùs montes. Dicitur ab Hispanis *Governation de Popayan*; estque inter mare Austrinum ad occasum, Peruviam ad austrum, regnum novum Granatæ ad ortum, & Gubernium Carthagenæ novæ ad Boream; estque à septentrione in meri-

meridiem extensa. Ejus caput est Popajanum, *Popajan.* Aliæ urbes sunt Fanum sanctæ Fidei de Antiquaria, *Santa Fé d'Antequera*, Caramanta, *Caramanta*, Arma, *Arma*, Fanum sanctæ Annæ de Anzerma, *Santa Anna de Anzerma*, Cartago, *Cartagena*, Calium, *Cali*, Amaguera, *Amaguer*, Timana, *Timana*, Pastum, *Pasto*, & Agreda, *Agreda*, sub Hispanis.

Popajanum, vulgò *Popayan*, urbs Americæ meridionalis, provinciæ cognominis caput, & Episcopalis sub Archiepiscopo sanctæ Fidei, juxta fluvium sanctæ Marthæ & versus ejus fontes, in mediterraneis, 140. m. p. ab ora maris Austrini in ortum.

Popanium, urbs Tyrrhenorum. Aristot. *in Mirabilibus.*

Poperinga, urbecula Flandriæ, inter Hypras ad Ort. & Casletum ad Occ. 2. leuc. ad amnem cognom. sub Hisp.

Popsinga, vel *Bopsinga*, urbec. Imperialis, in ea parte Sueviæ, quæ *Riess* dicitur, ad fluv. *Eger.*

Popielus, Poloniæ Rex, post Patrem, Lescum IV. An. 816. Obiit quinquennio pòst, relicto Filio cognom. qui à muribus cum tota familia, ob sævitiam, devoratus legitur. Et à Polonis Piastus surrogatus est, An. 842. Cromer. *Hist. Polon.*

Popilii, à *Pompiliis* diversi leguntur; quorum princeps *M. Popilius*: qui cùm Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat Flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione nunciatâ, ut erat lænâ amictus, ita venit in concionem, seditionemque cùm authoritate, tum oratione sedavit. Cicer. *in Bruto.* Hic etiam 2. Consul cum M. Fabio Ambusto factus, Tiburtes bello vicit, agris eorum vastatis. Duabus quoque aliis vicibus Consul fuit; sæpiusq; circa An 404. U.C. Gallos fudit, absente per morbum Corn. Scipione Collegâ. Livius, Valer. Max. Vellej. Paterculus, &c.

Popilius, legatus ad Antiochum, qui Ptolemæum Regem amicum populo Rom. obsederat, missus nunciatum ut à sociis populi Rom. abstineret, cunctantem verò responsumq; differentem virgâ circumscripsit, ne ultra spatium illud differendo exiret: ex quo territus Antiochus bellum omisit. Liv. *lib.* 45. & Val. Max.

M. Popilius, à Numantinis, cum quibus pacem factam irritam censuerat, cum exercitu fusus, fugatusque est, Liv. *lib.* 55. Hic deinde, ob rem suâ culpâ male gestam, in exilium est actus.

C. *Popilius* Lænas, Ciceronem occidit, patronum suum in causâ capitis, Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 3.

Poppæa Sabina, Poppæi Sabini filia, cunctas ætatis suæ fœminas pulchritudine supergressa, gloriam reliquit filiæ, quæ scortum Neronis. Hanc genuit ex priore Marito T. Ollio. Post nupta Scipioni & à Messallina subversa. Tacit. 11. initio.

Poppæa Sabina, Tito Ollio Quæstorio patre nata, sumpto nomine ab avo Poppæo Sabino Consule & Triumphatore, nupsit Rufo Crispino, equiti Rom. ex illo filii mater; dein corrupta ab Ottone, qui postmodum Imperator evasit, hujus uxor aliquandiu fuit: donec, Ottone coram Nerone illam sæpius mirum in modum laudante, illius hic cupidine inflammatus est: quod videns adultera, effecit apud Neronem, ut Otto, sub specie Præfecturæ Lusitanicæ, removeretur, quo facto, Neronis uxor fuit, quam duodecimo die, post divortium Octaviæ, in matrimonium accepit. Hanc dilexit unicè filiâ ex illa susceptâ, Memmio Regulo & Vergilio Rufo Coss. & tamen ipsam quoque ictu calcis occidit, quòd se ex aurigatione serò reversum gravida & ægra conviciis incesserat. Huic Poppææ omnia alia fuere, præter honestum animum: sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præferebat, & lascivia tamen utebatur: famæ nunquam pepercit, maritos & adulteros non distinguens. Delicata magnifica, & elegantiæ usque adeo studiosa, ut quotidie asinino lacte suæ formæ mederetur. Vide Sueton. *in Nerone & Ottone.* Luxu supra modum diffluebat autore Plin. *lib.* 28. 11. *&* 33. *cap.* 11. in hæc verba, *Nostra ætate Poppæa conjux Neronis principis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoq; induere solebat.* Adde Tacit. *lib.* 13. 14. 15. 16. *Annal.* Dion. & Xiphilin. *in Nerone.*

Poppæus Sabinus, modicus originis principum amicitiâ Consulatum ac triumphale decus adeptus; maximisque provinciis per 24. annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis, neque supra erat. C. Cestio & M. Servilio Coss. fine anni suâ sponte non fato concessit vitâ, Tacit. 6.

Poppæus Sylvanus, Consularis, sex millium Dalmatarum recentem delectum, Vespasiani partibus adduxit. Tacit. *Hist.* 3. 50. dein pecuniis à privatis accipiendis præpositus. *Ibid.* 4. 47.

Poppæus Vopiscus, ab Othone Collega Verginio in consulatu destinatus, prætextu veteris amicitiæ, plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Tacit. *Hist.* 1 *cap* 77. Rhenan. *Pompejus* legit putatq; nomen scriptoris, ineptè. Cùm *Poppæus* iste *Vopiscus*, cognomine *Sylvanus* T. *Virginio* fortè *Ruffo* fuerit Collega, auctore Frontino *de Aquæductibus.*

Popularia, sacra erant, quæ ab omnibus civibus fiebant, nec erant privatarum familiarum, sed omnium communia, ut à Diis impetrarent quæ spectabant ad communem populi salutem.

Populetum, Cataloniæ monaster. ubi sepulchra Regum Aragoniæ. Vix 1. leuc. à monte Albo, 6. à Tarracone in Boream. Ilerdam versus. *Poblet.*

Populi plurimi à nobis descripti sunt: in quibus aliquot ita ab aliorum consuetudine recedunt, ut non inter homines, sed inter feras censendi videantur. In iis nonnullos uti prodigiosos hîc subjicere libuit.

Populi prodigiosi monstruosive, ex Plinio, libris 6. *&* 7. *& aliis scriptoribus.*

Abarimi, (Abarimon nomen est regionis montis Imai) populi Scythiæ, qui plantas adversas habentes cursu velocissimi sunt, Plinio *lib.* 7. *cap.* 2. auctore.

Androgyni, populi Africæ, utroque sexu præditi, dextra parte viriles, læva fœminei.

Anthropophagi, populi humana carne vescentes, non solùm in Asia & Africa multis in locis reperiuntur, sed, quod mirum est, etiam in Italia fuere; veluti Læstrygones apud Formias, & Cyclopes apud Ætnam montem Siciliæ.

Arimaspi, populi Scythiæ uno oculo constantes in medio frontis: de quibus plura apud Herod. trans mare Hyrcanum inter Massagetas & Sacas incolentes, teste Strabone.

Arimphæi, populi Scythiæ sive Sarmatiæ Asianæ, in montibus Riphæis, calvi & simas nares habentes.

Artabatitæ, populi Scythiæ vagi veluti quadrupedes: de quibus Plinius *lib.* 6. *cap.* 30.

Astomi, populi Indiæ apud Gangis fluvii ortum montes incolentes, qui ore carentes, ut nomine ipso declaratur, foramen habent exiguum, per quod respirant & cibum levissimum capiunt, potiùs florum odore vitam degentes. Plin. 7. 2. & Strab. *lib.* 15.

Bithiæ, Populi Scythiæ, quorum fœminæ duas habent in oculo puppillas; de quibus Ælianus in sua historia.

Blenæ, Claudiano, Bleptæ Melæ, Blemmyes Strab. & Plin. populi Æthiopiæ apud Nilum, qui oculos in pectore habuisse feruntur.

Budini, sunt populi Sarmatiæ oculis cæsiis, pediculos edentes.

Cabri, sunt populi German. quos Tacitus corpore durissimo fuisse & strictis artubus scribit, *lib. de moribus Germanorum.*

Candæi. sunt populi Troglodyticæ, qui Ophiophagi dicuntur, quòd solum serpentibus vescantur, teste Plinio *lib.* 6, *cap.* 29.

Centauri, sunt populi Thessaliæ ab omnibus scriptoribus, præsertim Poëtis, memorati; quorum pars superior hominem, inferior equum referebat.

Choromandæ, sunt populi Indiæ, quos Plinius *lib.* 7. *cap.* 2. sine voce stridentes esse, corpore hirtos, oculos glaucos habere dentesque caninos scribit.

Cimmerii, sunt populi Sarmatiæ, quos in perpetua caligine versari ferunt. Horum meminit Virgil. & Ovidius.

Cyclopes, sunt populi Siciliæ in monte Ætna, Vulcani ministri, quos uno oculo tantum præditos, anthropophagos fuisse ferunt.

Cynamolgi Plinio, & Cynocephali, sunt populi Æthiopiæ capita habentes canina. Vide Plin. *lib.* 6. *cap.* 30.

Dardani, sunt populi Mysiæ, quorum fœminæ in viros mutatæ leguntur, auctore Saxone Grammatico.

Enotocæti, sunt populi Africæ, quibus aures ad pedes usque demittuntur; de quibus Strabo *lib.* 17.

Fanesii, sunt populi Oceani Septentrionalis, in insula Basiliæ, qui aures tam patentes habent, ut tota iis corpora contegant. Plin. *lib.* 4. *cap.* 13.

Gigantes, multis in locis reperti, ab omnibus scriptoribus memorantur, immoderatæ seu monstruosæ magnitudinis, uti apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 16. sed & nostra tempestate in novo orbe inventi sunt in ea regione, quæ in austrum vergit. Hos in Thessalia ab Hercule extinctos refert Strabo *lib.* 7.

Gymnites, sunt populi Æthiopiæ, Troglodytis finitimi, in quavis corporis parte nudi vagantes, sic à nuditate dicti. De quibus Plinius *lib.* 6. *cap.* 30.

Hellusii, sunt populi Germaniæ Septentrionales, quos Tacitus solò vultu homines, reliqua parte corporis feris similes esse refert.

Himantopodes, Indiæ populi, quos serpendo incedere Plinius loco citato scribit.

Hippocentauri, sunt populi Thessaliæ, quorum meminit Plinius cum aliis. Vide *Centauri.*

Hippopodes, sunt populi Basiliæ insulæ Septentrionalis, sic dicti quòd pedes equinos habeant, Plin. *lib.* 4. *cap.* 13.

Monoculi, populi, qui uno oculo præditi sunt, memorantur; sed ubi gentium sint, haud docent.

Monomeri, sunt populi Septentrionales, qui uno crure velociter incedunt, ab Aulo Gellio referuntur *lib.* 9. *cap.* 4.

Monosceli verò populi Æthiopiæ, Troglodytis finitimi, qui unò crure saltuatim pernicissimè moventur, plantam patentem habentes; unde & Sciopodes dicuntur, teste Plinio *libro septimò capite secundo.*

Nigræ, sunt populi Æthiopiæ, Regem monoculum habere dicuntur ex Plinio loco citato.

Nisicastes, & *Nisitæ*, sunt populi Æthiopiæ apud oram maris, ternis aut quaternis oculis præditi; memorantur à Plinio *libr.* 6. *cap.* 30.

Ocypodes, sunt populi Africæ adeo veloces, ut cursu equos superent, teste Strabone *lib.* 15.

Olabi, & *Syrbothæ*, sunt populi Libyæ, quos Plinius loco citato octonûm cubitorum altitudine constare scribit.

Orientis populos intimos, alios sine ore, alios sine naribus, foramen

men unum, quo respirent, potum calamis, & grana avenæ in cibum trahant, habentes, alios sine labris, alios sine lingua, & sermone nutibus utentes, Plinius loco eodem memorat.

Oxiones, sunt populi Germaniæ, quos Tacitus facie tantùm hominibus, cæterùm feris similes esse refert.

Pandoræ, sunt populi Indiæ, quibus Plinius in juventute canescere, in senecta verò nigrescere capillos, *lib.7.cap.2.* testatur.

Paramedesiæ, sunt populi Asiæ, Bactrianis proximi, prorsùs agrestes, ab eodem memorantur.

Pharnaces, sive *Pharinaces*, sunt populi Æthiopiæ, quorum viri tabem sudore adferunt, fœminæ vel ipso visu nocent, ut Plinius *lib.7.cap.2.* scribit.

Ptoembari, populi sunt Africæ, qui canem pro Rege habent, ut idem Plinius *lib.6.cap.30.* tradit.

Pygmæi, sunt populi Indiæ orientalis cubitales, cum gruibus bellum gerentes, teste Plinio *lib. 7. cap.2.* cum Strabone, Mela, & aliis: qui & alibi reperiri feruntur.

Satyri, multis in locis, sed præcipuè in montibus Indiæ, qui non alio quàm formâ hominem referant, corpore toto hirti ac villosi, pernicissimi in Cartadulorum regione, Plinio *eodem loco.*

Sciopodes, sunt populi Æthiopiæ, Troglodytis finitimi, qui tam latas plantas habent, ut illarum umbrâ se ab æstu & solis ardore tueantur; unde nomen assecuti sunt. Plin. *lib.7. cap.2.*

Struthopodes, sunt populi Indiæ, quorum viri cubitales, fœminæ plantas habent minimas, quasi struthionum.

Syrbothæ, sunt populi Æthiopiæ, octonum cubitorum magnitudine constantes, ut Plinius *lib.6. cap.30.* refert.

Tentyritæ, populi Ægypti, qui solo olfactu & aspectu crocodilos fugare feruntur.

Troglodytæ, populi Æthiopiæ, qui in speluncis degunt, ab omni hominum commercio abhorrentes, ut Plinius loco citato refert, cursu velocissimi.

Populifugia, festa erant, quæ Romæ mense Junio celebrabantur, uti docent Varro & Macrobius. Sunt autem ideo dicta, quòd eo die repentino tumultu fugeret popul. Rom. in bello Gallorum cum Romanis. Ovid. *Fast.* 2.

Est locus, antiqui Capreæ dixere paludem:
Fortè tuis illic, Romule, jura dabas.
Sol fugit, & removent subeuntia nubila cœlum,
Et gravis effusis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther,
Fit fuga, &c.

Populonia, Juno dicta est, quòd ex maris & fœminæ conjunctione, cui præesse credebatur, novi subinde populi creentur.

Populonia, & *Fulgora*, nomina Dearum apud Senecam, in libro de Superstitione, quæ adhibebantur, ne populationes & fulgura fierent.

Populonia, *Populonium* Plinio & Straboni; *Populonium* Ptolemæo & Stephano, urbs Hetruriæ in orâ maris Tyrrheni, contra Ilvam insul. 10.m.p. distantem. Excisâ à Nicera, Duce Imperatoris Constantinop. Bernardo, Caroli M. nepote, Italiæ dominante. Hic & Gensericus Wandalorum Rex à Basilio, Leonis Imperat. Duce, superatus est. Ferrar. Direpta quoque est à Solimanno, An. Chr. 1552. Meminit *Populoniæ* Virgilius *Æn.* 10.

Sexcentos illi dederat Populonia mater.

Baudrando Populonium prom. nunc *Capo Campana*, prope Populonii rudera, in ora maris Tyrrh. contra Ilvam insulam, à qua 12. m. p. in Bor abest, uti 5. à Plumbino in Occ.

Populum, opp. Aprutii, ubi ligneo ponte transitur Aternus fluv.

Porata, Prut Peucero, fluv. Sarmatiæ Europææ per Moldaviam in Istrum influens, qui *Poritus* à Ptolemæo videtur appellari, nec situs repugnat, Ferrarius. Et iam *Sorata* Baudrando, Græcis Pyrethos, Romanis Hierassus, fluv. Daciæ. Ortus in Russia Nigra, per Moldaviam, auctus aliquot fluv. & rigatis Jassio aliisque urbibus, ibi in Istrum se exonerat. Vide *Hierassus*.

Porcellius, Poëta Neapolitanus, floruit Romæ, sec. 14. præter meritum, à Friderico Urbini D. magni habitus. Lil. Girald, *Dial.1. de Poët. sui ævi*, de hoc scribit: *Porcelli in versu naturam potius, quàm industriam laudaverim.* Vide quoque Volaterr. *in anthrop.* Voss. *de Hist. Lat. lib.3.*

Porchetus Salvaticus, Genuensis, floruit An. 1315. Carthusianus, scripsit egregium contra Judæos opus, quo non ex S. Scripturis solum, sed & ex Talmudistarum & Cabalistarum libris, veritatem Religionis Christianæ demonstrat. Editum Parisiis An. 1520. Idem scripsisse dicitur, *de Entibus & Unis*: in Bibl. Jacobinorum Genuæ. Barthol. Paschetus *de Genua.* Augustin. Justinian. *Annal. Genuens.* ad An. Ch. 1299. Augustin. Schiaffinus, *Hist. Eccles. Gen.* Gesner. *in Bibl.* Raphaël Sopranius, *Script Ligur.*

Porcia, filia Catonis Uticensis, uxor Bruti; excelsi animi fœmina. Didicit Philosophiam, elegantioribus animum literis imbuit, supra sexum fortis. Marito conjurationem contra Cæsarem meditante, ipsa se in femore graviter læsit, ut ipsi palam faceret, se ad quævis perferenda satis firmi animi esse. Mortuo Bruto supervivere nolens impedita est à suis, sed tandem ardentibus prunis in os ingestis mortem invenit. Plut. *in Bruto.* Valer. Max. *lib.3. cap.2. ex.16.* & *lib.4. cap.6. ex.6.* Boccatius, *de Claris Mul. cap.80.*

Porcia gens, in Catonum & Liciniorum familias distincta, Tusculo oriunda.

S. Porciani opp. in diœcesi Arvernorum, pagoque Burbonensi, vulgò *S. Porcain*: dictum à S. Porciano Abbate, qui ibi floruit sub Theodorico Chlodovei filio. Inter Vernolium & Varennas, ad fluvium Cicaulam *Sioule*, patria Durandi à *S. Porciano.* Valesius *Notit. Gall.*

Porcifera, fluv. Liguriæ, ex Apennino, in mare Ligusticum, apud Genuam, per vallem 10.m.p. decurrens; *Porcevera*, Leandr. Plin. *Porcobera* etiam in tab. antiq. ænea.

Porcilia, oppidum agri Tarvisini.

Porcius, gentis Romanæ nomen, ex quâ Catones fuerunt. Appellatio à *porcu* est. Sunt enim plura pop. Rom. nomina, ab utroq; pecore, majore juxta atque minore petita; de quo Varro *de R. R. lib.2. cap.1.* Celebris *Porcia* Catonis filia, Bruti uxor cum doctrinâ ac fide, tum constantiâ ac fortitudine exitûs. Quippe quæ ne marito superviveret, ardentes favillas hausit ore, seque è vitâ ejecit. De quâ Dio *lib.41.* & Val. Max. 4 6. & Plut. *in Bruto.* Vide supra.

Porcius Cato, vide *Cato*.

Porcius Festus, Præses Palæstinæ & Judææ, Act. 24.

M. Porcius Latro, Orator celebris, Senecæ familiaris, magni nominis. An Cordubensis patriâ? Febre quartanâ molestâ & diuturnâ correptus, sibi ipsi necem intulit, Ann. 750. U. C. Ipsi quidem Declamatio contra Catilinam tribuitur, sed tanto Viro digna non est. Senec. *in præf. Contr. & lib.1.* Voss. *de Rhet. nat. cap.15. &c.*

Porcius Licinius, Poëta Latinus, sub initium secundi belli Punici, An. 536. U.C. A. Gell. *lib.17. cap.ult.* hos ejus versus refert:

Punico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam Romuli in gentem feram.

An idem, qui Consul fuit? Vide *Licinius*.

Porcius Septimius, Rhætiæ procurator, incorruptæ erga Vitellium fidei, Tacit. *Hist.3. 7.* Rectiùs tamen legerim ex Vaticano & Veneto *Septiminus*, ne uni duarum familiarum nomina addantur.

Pordoselene, insula juxta Lesbum cum urbe cognomine. Aliqui, ut civiliùs loquantur, *Poroselenen* dicunt, Steph.

Poreus, pagus cum cœnobio Picardiæ, ad Somonam fluv. inter Ambianos & oram.

Porina, fluvius Peloponnesi, apud Cyllenen, Achæorum & Pheneatum terminus, Pausan. Nomen ab ipsa urbe etiam hodie recipit.

Pornopioni Apollini sacra facere dicuntur Bœotii, ne culicibus provincia obnoxia redderetur. Lege *Parnopioni.*

Perolissum, fluv. Sarm. Eur. Ptolem.

Poroselene, ins. maris Ægæi, cum opp. cognom. apud Lesbum.

Porphyreum, Postello *Cayfa*, Rauwolfio *Hayphe*, urbs Phœnicis, apud oram littor. & Carmeli radicem. Populi *Porphyreonii* & *onitæ*, Stephanus.

Porphyrion, Gigas vastissimus, unus ex iis qui superis bellum intulerunt. Horatius:

Nam quid minaci Porphyrion statu, &c.

Claudianus *in Gigantomachiâ*:

——— *Te Delphica laurus*
Stringat Porphyrion, Cirrhaaq; templa teneto.

Porphyrion, urbs Phœniciæ, ad Carmeli montis radices, Steph. Item vetus Horatii Commentator.

Porphyrione, insula in Propontide ante Cyzicum, Plin. *lib.5. cap. ult.* *Isola di Chizico* hodie.

Porphyris, insula in sinu Laconico, à purpura, vel à porphyrite lapide. Hæc & *Cythera*, ab urbe, Veneris natalibus clara. Hodie *Cerigo*. Sub Venetis. Eam Sinan Ciga is Archipelagi speculam vocare solitus est. Davity *de Rep. Ven. P.3. pag.190.*

Porphyrite, oppid. Arabiæ prope Ægyptum. Stephan. in Thebaide est, Euseb.

Porphyrius, philosophus Tyrius, clarâ ortus prosapiâ, à puero usus præceptore Longino, viro doctissimo. Sub finem seculi 3. Prius *Malchus* vocabatur, deinde ob vestem regiam purpuream, quâ ob nobilitatem utebatur, *Porphyrius* à Sophista Longino, qui ejus in Rhetoricis Præceptor erat, dictus est. Romam postea profectus Plotinum audivit, unà cum Origene & Amelio condiscipulis. Inde in Siciliam navigans, apud Lilybæum morbo correptus, à Plotino magistro, qui eò se contulerat, & præsenti & philosophicâ oratione recreatus est, adeò ut statim convaluerit; moxque Romam simul repetens, ibidem obiit, sub finem Imperii Diocletiani, ut videtur quibusdam, relictis operibus, in quibus contraria & pugnantia inter se videtur asserere. Causa putanda est, quòd, quæ prius probaverat, ea postea retractaverit. Eum Christianum primò fuisse, scribunt Augustinus *de C. D.* Socrates, alii; postea verò, quòd correctionis impatiens esset, defeivisse. Lactantius duorum meminit Philosophorum, qui contra Christianos scripserint, quorum prior sine dubio hic Porphyrius fuit. Vide infra. Describit eum, velut sub velo Philosophi omnibus vitiis coopertum, avarum simul ac luxuriosum, quique opibus suis ipsos Judices corruptos habuerit in potestate. Ejus opera sunt, de Divinis nominibus liber unus. De Principiis, duo. De Materiâ, 6. De Anima, 5. De Animalium abstinentiâ, 4. De Cognoscendo seipsum, 4. Quòd una fuerit Platonis Aristotelisque secta, libb. 7. In Historiam Juliani

Chaldæi Philosophi, libri quatuor. Contra Christianos, libri quindecim. Vitæ Philosophorum. In Dialecticam Isagoge, aliaq; complura. Floruit Aureliani Cæsaris temporibus, usque ad Tacitum & Probum Impp. Suidas. Adversus autem libros, quos contra nos edidit, Methodius, Eusebius, & Apollinaris 30. voluminibus apologiam edidere, Hieronymus. Vide illum *in præf. Catal. Script. Eccles.* Cyrill. *lib. 1. contr. Julian.* Theodoret. Suidam, Scaligerum, Voss. *de Hist. Gr. pag.* 243. Et Jonsium *de Script. Hist. Phil. lib. 3. c.* 15. Plura quoque legi possunt apud Eunapium, qui vitam Porphyrii à nemine editam primus literis mandavit, & Cl. Virum L. Holstenium, *tract. de vitâ & script. Porphyrii*, quæ olim combusta, Theodosii M. jussu An. 448. esse, patet ex Actis Concil. Ephesini.

Porphyrius, Episcop. Gazensis, An. 400. ab Ethnicis gravia passus, patienter illa tulit. Cùm postea impetrasset, ab Arcadio Imp. ut Marnæ idolejum celeberrimum Gazæ destrueretur, neque id à ministris Cæsareis pecuniâ corruptis effectui daretur, Constantinopolim profectus, quod petebat, obtinuit. Morer. *Diction. Hist.*

Porphyrius, Pseudo Episcopus Antiochenus, vitiis infamis, post S. Flavianum, An. 404. se intrusit: sævus dein in incolas, militibus pecuniâ corruptis, illos ad sacra sua coegit. Obiit Ann. 408. surrogato ei Alexandro. Theodoret. *libr.* 5. Baronius *in Annalib.* Item auctor Panegyrici Constantini, versibus constantis; Scripsit in exilio, unde revocatus est. Prodiit hoc scriptum, An. 1595. Hier. *in Chron.* Fulgent. *Mythol. lib.* 2. Beda *de arte metri.* Rabanus Maur. *Prol. lib. de laud. S. Crucis.* Baron. *An.* 325. *n.* 90. 2. *edit.*

Porphyrussa, insula. Vide *Porphyris*, & *Cythera*.

Porrima, soror, sive comes Carmentæ matris Evandri. Ovid. 1. *Fastor. vers.* 633.

Porrima placantur, Postvertaq; sive Sorores,
Sive fugæ comites, Manalis nympha, tua.

Porsena, rex Hetruscorum, cujus regni caput Chisium, hodie *Chiusi*, in Tuscia, erat. Hic pro restitutione Tarquiniorum Romanis bellum intulit; cumque jam ex Janiculo in urbem irrueret, Horatii Coclitis virtute retardatus est, donec pons à tergo solveretur. Post hæc, cùm urbem obsidione cinxisset, Ann. 247. U. C. nihilque se proficere intelligeret, acceptis obsidibus, ad sua se recepit, incredibili Romanorum virtute perterritus, cujus specimen viderat in Clælia virgine & Q. Mutio, qui solus castra hostium ingressus, unum ex purpuratis per errorem pro rege occidit, statimque captus, cùm Porsena exquisitissima illi supplicia comminaretur, dextram in focum injecit, nullâque vultûs mutatione exussit, partim ut regi fidem faceret, nullis se tormentis posse perterreri; partim, ut dextrâ suâ, quæ in cæde aberrans purpuratum satellitem pro rege occiderat, pœnam sumeret. Plura apud Livium *lib.* 2. Plutarchum, Dionys. Halicarnasseum, *lib.* 5. Flor. *lib.* 1. *cap.* 10. Eutrop. Oros. &c. Horatius *in Epodis*:

Minacis aut Etrusci, Porsena manus.

Martialis:

Urere quam potuit contempto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.

Virgilius mediam dictionis hujus syllabam consonante licenter geminatâ extendit. *Æn.* 8.

Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentiq; urbem obsidione premebat,
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

Porsica, Stephano *Porsa*, opp. fuit Mesopotamiæ ad Euphr. apud Samosata, unà cum illis excisum.

Porta, in Oriente, Aulam denotat cujuscunque Principis: Sic à Georgianorum Regina, ad *Portam* suam, invitatum se refert P. de Valle, *Itiner. tom* 3. Κατ' ἐξοχὴν *Portam* Ottomannicam seu Turcarum Imp. aulam significat. Imo & *Limen* portæ pro Aula sumitur: quod tutissimum Asylum, Persis proin *Astanè i Doulèt*, id est, Limen Beatitudinis vocatur. Cui simile illud: *Ad limina Apostolorum*, quibus verbis Romæ, modò Petri Basilica, modò Aula Pontificis indigitatur. Idem *tom.* 2.

Porta Augusta, Hisp. Tarr. in Vacc. opp. *Torquemada* Taraphæ.

Porta Capena, vulgò *di S. Sebastiano*, unde via Appia. Ejus meminit Ovid. *Fast. lib.* 6.

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositum dextra porta Capena via.

Martialis:

Capena grandi porta quà pluit gutta.

Juvenalis *Satyr* 3.

Substitit ad veteres arcus, madidamq; Capenam.

Porta Carmentalis, à Carmentâ, quam Romani uti Deam templo illi extructo coluere, nominata est, ad radices montis Capitolini, versus Tiberim, nunc non extat. Virg. *Æneid.* 8.

—— —— *Monstrat & aram,*
Et Carmentalem Romano nomine portam.

Quæ & *Carmentis* ab Ovid. dicitur *lib.* 2. *Fast.*

Carmentis porta dextra est via proxima Jano:
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.

Portacra, Tauricæ Chersonesi urbs, Ptolem.

Portæ urbis Romæ:

Agonensis quæ & Collina, & Quirinalis, postremò Salaria, *Porta Salara*. Unde via Salaria incipit.

Aurelia, apud molem Hadriani, sed hodie non exstat. Inde via Aurelia per Hetruriam Centumcellas ducens.

Capena, vide supra.

Carmentalis, vide suprà.

Cœliomontana, quæ & Asinaria, *di S. Giovanni*: unde via Valeria & Tusculana, quæ & Campana Ciceroni.

Collatina, postea Pinciana, vulgò etiam *Pinciana*: unde via Collatina. Meminit illius Ovidius *lib.* 2. *Fastor.*

Accipit arata juvenem Collatia porta.

Hinc Collatinus, nomen viri: De quo Ovidius *ibidem*:

Hostis ut hospes init penetralia Collatini.

Collina. Vide *Agonensis*. De ea Ovid. *in Fastor. lib.* 4.

Templa frequentari Collina proxima porta
Nunc decet. —— ——

Esquilina, & Exquilina, *Maggiore*: unde via Prænestina, & Gabina.

Fenestralis porta, Plutarcho in cæde Tarquinii nominari cœpit, sic dicta, quòd Tanaquil uxor Tarquinii per fenestram allocuta populum Romanum placavit: ubi tamen ea fuerit nemo docet. De illa Ovidius *lib.* 6. *Fastor.*

Nocte domum parva solita est intrare fenestra:
Unde Fenestralis nomina porta tenet.

Ferentina, quæ & Latina, vulgò *Porta Latina*: unde via Latina.

Ficu nensis, quæ & Viminalis, *di S. Agnese*: unde via Nomentana, *Porta Pia* nunc.

Flumentana, vulgò *Porta del popolo*: unde Flaminia via, & Cassiana, & Claudia, Ferrar. Baudrand. erat prope Tiberim fluvium, versus Carmentalem portam & pontem sanctæ Mariæ, teste Famiano Nardino.

Fontinalis, postea Septimiana, *Settimiana*.

Gabiusa, vulgò *di San Lorenzo*: unde via Prænestina, & Gabina, & Tiburtina. Vide *Esquilina*.

Janiculensis, vulgò *di S. Pancratio*: unde via Vitellia.

Latina, vide *Ferentina*.

Navalis, quæ & Portuensis, *di Ripa*: unde via Portuensis. *Porta Portese* dicitur, prope Ripam, ad Tiberim.

Ostiensis, quæ & Trigemina, *di S. Paolo*: unde via Ostiensis, & Laurentina.

Pandana, olim Saturnia, & semper aperta: quæ nunc non exstat. An eadem cum porta Capitolii, quod Nardinus pluribus probare nititur.

Pinciana, vide *Collatina*.

Portuensis, vide *Navalis*.

Quirinalis, vide *Esquilina*.

Ratumena, à Ratumena auriga, qui per eam in Capitolium ingressus est, ut Plinius *lib.* 8. *cap* 42. testatur.

Salaria, vide *Ostiensis*. Trigemina apud Plautum *in Captivis Act.* 1. *Scena* 1.

Vel extra portam ire trigeminam ad saccum licet.

Ferrar. Baudrando hodie *Porta Salara*, aliàs Agonensis & Collina dicta fuit. Vide ibi. Sed valde distat ab Ostiensi.

Triumphalis, vulgò *di S. Pietro nel Vaticano*: unde via Triumphalis, inter Aureliam & Claudiam, hodie non exstat.

Viminalis, vide *Ficulnensis*, seu *Figulnensis*.

Porta Albaniæ, Ptol. Vide *Caucasia porta*.

Porta Amani, Plin. quæ Pylæ Amanicæ Ptol. Pylæ Amanides Straboni, & Portæ Ciliciæ *Bogras*, à Pagris urbe, vulgò dictæ, per quas ex Cilicia in Syriam transitur, ab Isso urbe 270. stadiis, teste Xenophonte, distantes.

Porta Caspia, Plin. (Vide *Caspia*) ab Ecbatanis 20. mill. pass. apud Plinium, ubi numerus depravatus videtur. A portis Caspiis (quarum transitus angustus est, & valde difficilis ob magnam serpentum copiam & liquorem salis ex cautibus corrivatum, impedientemque transitum, nisi fiat hyeme) Cyrus fluvius (unde Caspium mare incipit appellari) 700. mill. pass. abest: Indus verò 1960. stadiis, teste Plinio *lib.* 6. *cap.* 15. ubi & Bactra 3700. stadiis distare continetur.

Porta Caucasia, Plin. Vide *Caucasia*.

Porta Cilicia, Strab. Vide *Porta Amani*.

Porta Ferrea, seu porta Ferrea. *Derbent*, & *Demircapi*, urbs Albaniæ in Asia ad Caspium mare. Vide *Porta Caucasia*.

Porta Media, Strab. ad Zagrum montem, per quas ex Media in Parthiam transitus est.

Porta, seu *a Raurica*, jugum in monte Jura, apud Birsæ caput: Saxum est ingens, citeriorem vallem, quam Grandem & Monaster. vocant, ab ulteriore, quæ ad B. Himmerii vallem, atque Burgundiam min. seu Aventicensem pagum ducit, velut de industria dirimens. Hunc obicem ante multa secula humana pervicit industria, ingenti eâ rupe in amplissimam portæ magnitudinem pertractâ, Caspiarum ad instar in Asia portarum, 6. mill. Basileâ, in ditione Episcopi. Vulgò *Pierreport*, aut *Pierrepertuis*. Quidam id operis Cæsari adscribunt, aliis aliter sentientibus. Inscriptio supra portam petræ variè legitur. Munsterus eam sic refert:

Numinis Augusti via ducta per ardua montis
Feliciter petram scindens in margine fontis. Vel,
Nimis angusti, &c.
Fecit iter, &c.

Petrus Pithœus autem verba sic legi posse existimavit: *Numini Augustorum via facta per Q. Ur. Pater.* V. II. *vir. Col. Helvet.* Et huic quidem Guillimannus *de reb. Helvet. pag.* 38. illi verò Merula adstipulatur. Chr. Urstisius *Epit. Hist. Basil.* Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. Antiq.*

Portgrevius, & *Portgravius*, est portus præfectus, apud scriptores medii ævi: Imo & oppidorum etiam urbiumque præfecti, præsertim maritimarum, vel portu aliquo insignium sic dicti sunt. His successere Majores & Balivi in Anglia, à Normannicis Regibus appellatione impositâ, vel potius Aquitanicis. Londinum enim Balivos non accepit, ante annum primum Richardi I. circa An. C. 1190. Majorem verò non ante decimum Regis Johannis, circa An. C. 1210. cùm prius esset sub *Portgresiorum* regimine. Henricus Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Porthmia, vicus ad ostium Mæotidis paludis, Steph.

Porthmos, id ipsum est quod nos fretum dicimus; unde apud Juven. *Porthmeus* pro Portitore ponitur,

—— *Tetrumq; novitius horret Porthmea.*

Est & opp. Eubœæ, Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. & 4. 12. *Portimo* vel *Portmo* in ora, apud Eretriam.

Portia, filia Catonis. Vide *Porcius*. Hæc, auditâ morte Bruti mariti apud Philippos interfecti, sibi mortem intulit. Matt. *lib.* 1.

Conjugis audisset fatum quum Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas;
I nunc & ferrum turba molesta nega.

Porticanus, Præstorum, Indicæ gentis, Rex. Hic, urbe ab Alexandro Magno expugnatâ, in arcem confugit ac legatos de conditione deditionis misit ad regem. Sed antequam adirent eum, duæ turres cum ingenti fragore prociderunt, per quarum ruinas Macedonas evasêre in arcem: quâ captâ, Porticanus cum paucis repugnans occiditur, Curt. 9. 43.

Porticus, oppidum Romanulæ inter asperrima juga. Mille ab eo passuum intervallo locus est, quem *Infernum* vocant accolæ, ubi terra gravis & nigricans cum specu quaternorum ferè pedum latitudine, flammam, si accenso sulphure ignis admoveatur, emittente, quâ ligna quoque, si ponas viridia, deflagrant, extinguitur autem panno laneo superinjecto.

Porticus, Romæ plures fuere: in his *Livia*, & *Octavia*, ab Augusto ædificatæ. Una in viâ sacrâ juxta templum Pacis, cujus meminit Ovidius 6. *Fast.*

Disce tamen veniens ætas: ubi Livia nunc est
Porticus, immensa tecta fuere domus.

Eadem *Claudia* dicta. Martialis:

Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat.

Altera *Octavia*, gemina: una à *Cn. Octavio* in Circo Flaminio: altera ab Augusto in *Octaviæ* sororis honorem apud theatrum Marcelli, constructa. Tertia *Pompeja*, à *Cn. Pompejo* exædificata. Ovidius 1. *de Art. Am.*

Tu modò Pompeja lentus spatiare sub umbrâ,
Cùm Sol Herculei terga Leonis habet.

Propertius *lib.* 2. *eleg.* 32.

Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis.

Durat Porticus *Septimii Severi*, apud Fanum S. Angeli in Piscina, & Porticus *Metelli*, apud viam faciam & Forum, ubi nunc ædes D. Laurentii in Miranda. Sic & Porticus integra ante Pantheon, Vett. dicta *Prothyrion*.

Portius Licinius, vetus poëta, scriptor epigrammatum. Gellius *lib.* 17. *cap.* 21. *Portius autem Licinius serius Poëticam Romæ cœpisse dicit in his versibus:*

Pœnico bello secundo, Musa pinnatô gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

Etsi enim rudia quædam initia Poëseos Latinæ fuerint, mox à primo bello Punico, ut ex iis fabulis, quas Livius Andronicus, & haud longè post eum Cn. Nævius populo dedisse constat, videtur tamen hic Portius vel Porcius Licinius, ob illustre incrementum, quod mox sumpserit bello Punico secundo, eo præsertim tempore ejus initium statuere. Quò etiam respexit Horatius *lib.* 2. *epist.* 1. ubi de Pop. Rom. scribit:

Serus enim Græcis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus, quærere cœpit,
Quid Sophocles, quid Thespis, & Æschylus utile ferrent.

Hujus *Licinii* meminit idem Gellius *lib.* 19. *cap* 9. ubi quosdam ejus versus producit. Nobili prosapiâ apud Romanos ortum putat Gyraldus, *de Hist. Poët. Dial.* 10. Torrentius verò *Comment. ad Horat.* Libertum à Porciorum aliquo manumissum.

Portospana, Carmaniæ urbs Ptol. *Ortospana* Ammiano.

Portuensis via, quæ ab urbe ad Ostiam ducebat, vel ut Ferrarius, ad Portum Romanum.

Portuensis porta, una è Romanis portis, de quâ ac similibus Alex. ab Alexand. 4. 16.

Portugallia, regnum hæreditarium Europæ, in parte Occidua Hisp. exiguum, sed fertilitate & opulentiâ vix ulli secundum. Diu olim sub Mauris, quibus partim à Ferdinando Castellæ & Legionis Rege, An. C. 1052. partim ab Henrico Burgundo ereptum est, qui Teresiâ, filiâ nothâ Alphonsi VI. Castellani ductâ, illud Rex in pace obtinuit. Inter hujus successores, Sebastianus, qui avo suo Johanni III. successerat, An. 1557. Africam primò ingressus, An. 1574. secundâ expeditione illuc susceptâ, in prælio à Mauris, ad *Alcazar* commisso, occisus est, A. 1578. æt. 25. regni 22. Hunc excepit Henricus Cardin. filius quintus Emanuelis R. Obiit; An. 1580. Hujus frater major natu, Ludovicus Bejæ D. susceperat ex Jolanta, impare conjuge, Antonium, qui titulum Regis sumpsit, An. eodem; Sed Philippi II. armis victus ad Alcantaram, in Gallia exul, Parisiis obiit. An. 1595. Sic Hispanicum jugum tulit Portugallia, usque ad An. 1640. quo sub Philippo IV. Hisp. R. Lusitani excusso jugo tam gravi, Ducem Brigantiæ Johannem IV. Regem elegerunt; cui Alphonsus VI. fil. successit, quo in Ins. Terceram deportato, Frater, Petrus, regnum hodie administrat. Titulis his uti solent Portugalliæ Reges: *Rex Lusitaniæ, Algarbiæ, citra & ultra Africa maria, Dominus Guineæ, Navigationis & Commercii Æthiopici, Arabici, Persici, & Indici*, Anton. Vasconcellos, *Anaceph. Reg. Lusitan.* Godofredus, Conestagius, Duardus, Viperanus, Eduardus, Nugnez, &c. *Hist. Portug.* Damian. Goëzius, *de Olisipp.* Mariana Turq. &c. *Hist. Hisp.* Sammart. *Geneal famil. Gall.* Auctores *Hisp. Ill. Volum.* 1. &c. Baudr. *Portugallia*, vulgò *Portugal* Hisp. & Gallis, *Portogallo* Italis, regnum est Europæ in parte occidentali Hispaniæ, ubi aliàs major pars Lusitaniæ cum parte Callaicorum. Antea sub Philippo secundo, ut dictum, adjectum fuerat reliquæ Hispaniæ post obitum Henrici Regis. Sed iterum An. 1640. ab ea separatum est, & Regem proprium, cui etiamnum subest, admisit. Terminatur ab occidente Oceano Atlantico, uti etiam à meridie ex parte Algarbiæ, quæ ei annexa est, à septentrione Gallæciâ, & ab oriente regno Legionis, Extremadura, & Vandalitia. Portugalliæ partes seu provinciæ sunt quinque, nempe provincia inter Durium & Minium, *Entre Douro e Minho*, Transmontana, *Tra los montes*. Extremadura, *Estremadura Portoghesa*, Beira, *Beira*, & provincia inter Tagum & Anam, *Alentejo*, seu *Entre Tejo è Guadiana*. Totius regni caput est Olisippo, *Lisboa*, quæ etiam sedes regia, ad Tagum fluvium. Subsunt etiam Regi Portugalliæ Algarbiæ regnum, *Reyno do Algarve*, in Hispania, Brasilia, *le Bresil*, regio ampla Americæ meridionalis, in quatuordecim præfecturas divisa, Azores insulæ, *les Isles Azores*, in Oceano Atlantico, ubi Madera insula, & insulæ Capitis Viridis, *les Isles du Cap Verd*. Habet præterea Rex Portugalliæ plurimas arces in ora regni Congi, in Æthiopia inferiori, ut Fanum S. Pauli Loandæ, in ora Angolæ, & insulas S. Thomæ, Anniboni, Ferdinandi Pai, & Principis, in mari Guineæ. Possidet etiam in ora orientali Africæ arces Sofalam, Mozambicum, Mombaziam, & alias Zanguebariæ regionis. In India verò orientali habet Goam urbem amplam cum annexis in ora Malabariæ, uti Basemum, Damanum, Onorium, Mangaloram, & Barceloram, cum plurimis arcibus in illa ora, Dium arcem & insulam parvam in ora regni Guzaratarum, atque Amacaum in ora provinciæ Cantoniæ, in Imperio Sinarum, cum aliquot locis in ora occidentali sinus Gangetici. Insignia regni quinque scutulæ, eò quòd Alphonsus, Mauris victis quinque regulorum signis potitus sit, An. Chr. 1139. qui idem Ulyssibonam per sacræ militiæ socios recepit. Initium regni quidam volunt à populo quodam Lusitaniæ *Gali*, vernaculè *Galos* aut *Galoses*, Portus civitatis conditore; quam Mauris ereptam Castellæ Rex Comitatus caput constituerit, cujus primi Comites *Portus-Gali*, dicti, qui dein Duces, tandem Reges effecti, Metellus, Merula. Vide quoque in voce *Lusitania*, & infra in *Portus Cale*.

Portugalliæ urbes præcipuæ:

Beja, *Beja*.	Guardia, *Guarda*.
Braccara, *Braga*.	Miranda, *Miranda de Douro*.
Brigantia, *Braganza*.	Olisippo, *Lisbona*.
Conimbrica, *Coimbra*.	Portus, *Porto*.
Eluas, *Eluas*.	Portus alacris, *Portalegre*.
Ebora, *Evora*.	Viseum, *Viseu*.

Portunalia, inter 4. Græciæ celeberrima certamina numerantur, in honorem Palæmonis, quem Latini *Portunum* vocant, quæ & *Isthmia* dicebantur ab *Isthmo* Peloponnesiaco, ubi celebrata sunt.

Portunata, ins. Illyrici sive Liburniæ, Plin. *Vegia*, teste Mer. Sed Vegia aliàs *Caricta* fuit. Proin non benè, quid sit, constat, Baudr.

Portunus, Deus maris, à *portubus* quibus præsidere putabatur, nomen habens. Servius, *in illud Virg. Æn.* 5.

Et pater ipse manu magnâ Portunus euntem
Impulit. ——

Erat verò Inûs filius. Ino autem *Leucothoë* seu *Matuta* dicta est. Ovidius *Fast.* 6.

Leucothoë Grajis, Matuta vocabere nostris,
In portus nato jus erit omne tuo.

Vide *Palæmon*.

Portus, vulgò *Porto*, urbs Hetruriæ, in provincia Patrimonii S. Petri, in ditione Pontificia, 12. milliaribus à Roma distans in meridiem, & uno ferè ab ora maris Tyrrheni. Portum habuit aliàs superbissimum, à Claudio exstructum, & à Trajano reparatum, cujus vix

vix visuntur vestigia. Urbs ipsa diruta jacet, ægrè à quatuor aut sex incolis habitata propter aëris inclementiam.

Portus Abucini, quatuor Civitatibus prov. max. Sequanorum & tribus castris ultimo loco subjicitur, *in Vett. Notit.* Ad Lacum Lemanum, inter Coloniam Equestrem & Lausanam, vulgò *Bouchillon.* An *Bussigny* vicus, ad fl. Venogiam, *la Venoge*, prope Lausanam. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Portus Acaxutla, vulgò *Puerto de Acaxutla*, portus est amplus Americæ septentrionalis, in nova Hispania, & in Guatima a provincia, in ora maris Austrini, prope opp. Trinitatis, sub Hisp.

Portus Alacris, vulgò *Portalegre*, urbs munita Portugalliæ, aliàs Amæa, episcopalis sub Archiepiscopo Bracarensi, in provincia inter Tagum & Anam dicta, in confinio Estremaduræ Legionensis, ad fontes fluvii Caiæ. 9. leuc. Hispanicis distat ab Eluis in Boream, & 5. à Valentia Alcantaræ in occasum.

Portus Augusti, Anton. Procop. Cassiod. qui & Romanus, *Porto*, urbs Hetruriæ prorsus excisa, apud ostia Tiberis, contra Ostiam urbem etiam extinctam 2. mill. p. distantem, ab urbe Roma 16. m. pass. in meridiem. Manet episcopatus, unus è sex qui Cardinalibus antiquioribus conferuntur. Erat & portus Augusti in ora Galliæ Narbonensis, ad ostia Rhodani fluvii, ab Arelato 38. m. p. distans ex Itinerario Antonini.

Portus Bajocensis, vulgò *port en Bessin*, portus Galliæ, in Normannia, & in ora maris Britannici, prope Bajocas urbem, à qua vix una leuca distat in Boream.

Portus Ballii, hodiè *Portbail*, ad Oceanum, in pago Constantino Galliæ, emporio olim celebris. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Portus Belus, vulgò *Porto Belo*, urbs novæ Americæ meridionalis, in ora maris Borealis, cum portu capacissimo & duplici arce. 18. leucis distat à Panama in septentrionem; estque in provincia Terræ firmæ, & crevit ex ruinis Onomatheopolis. Subest Hispanis, & nuper capta & direpta fuit ab Anglis.

Portus Busalcius, opp. agri Tarvisini.

Portus Calensis, *Portugallo*, (unde nomen regno Lusitanorum) & *Porto*, ac *C. Puerto*, urbs Lusitaniæ, ad ostia Durii fluvii, episcopalis sub Archiepiscopo Bracarensi, inde 8. leucis, ab Ulyssipone 47. in Boream, sic à Cale pago proximo denominata. Ferr. Baudrando, *Portus* Cale, *Porto*, seu *Ciudad de Puerto*, Belgis *Port à Port*, urbs est ampla & emporium celebre Hispaniæ, in regno Lusitaniæ, prope ostia Durii fluvii, & vix una leuca distans ab ora Oceani Atlantici, in provincia inter Durium & Minium dicta. 7. leuc. distat à Bracara in meridiem, & 12. à Lameca in occasum.

Portus Corcagiæ, vulgò *Corck haven*, portus est Hiberniæ, in Momonia provincia & Corcagiensi Comitatu, in ora maris Vergivii. Amplissimus est, & verius æstuarium, 12. mill. pass. distans à Corcagia urbe in meridiem.

Portus Corvi, vulgò *Puerto del Cuervo*, portus est cum castro in parte orientali insulæ Corvi, unius ex Tertiariis insulis, & prope Florum insulam, sub Lusitanis.

Portus Crematus, vulgò *Puerto Quemado*, portus Americæ meridionalis, in provincia Terræ firmæ, & in ora maris Austrini, in limite Popayani, prope promontorium Currentium, cum castro recenti, sub Hispanis.

Portus Delphini, vulgò *Portofino*, oppidulum Italiæ, cum arce in ora orientali Liguriæ, & portu tantisper capaci, sub dominio Reipublicæ Genuensis. 20. milliaribus distat à Genua in ortum, Rapallum versus 3.

Portus Desideratus, vulgò *Port desiré*, portus Americæ meridionalis, in Magellanica regione, inter ostium Argentei fluvii ad Boream, & terram Ignium ad meridiem.

Portus Dianæ, vulgò *Stagno di Diana*, portus est Italiæ, in ora orientali Corsicæ insulæ, cum stagno adjacente. Parvus est, & partim arenâ obductus, prope Aleriæ urbis rudera.

Portus Dives, vulgò *Puerto Ricco*, seu Fanum Sancti Joannis de Portu divite, S. *Juan de Puerto Ricco*, urbs episcopalis Americæ septentrionalis, munita, cum arce duplici & portu capacissimo in parte Boreali insulæ cognominis, in mari Boreali. Capta fuit & vastata ab Anglis anno 1595. & iterum à Batavis anno 1615. Subest autem dominio Hispanorum; & dicitur etiam Fanum S. Joannis de portu divite. Vide ibi.

Portus Divitis insula, vulgò *Isla de Puerto Ricco*, insula amplà Americæ septentrionalis in mari Boreali. Dicitur aliter *Isla de S. Juan de Puerto Ricco*, incolis *Boriquen.* Detecta fuit ab Hispanis anno 1493. & ab ipsis exculta anno 1510. Ejus longitudo ab ortu in occasum est 30. leuc. Hispanicarum, latitudo verò 20. circiter.

Portus Equorum, vulgò *Puerto de Cavallos*, portus est Americæ septentrionalis, in Hondura provincia novæ Hispaniæ, & in ora maris Borealis sinusque Honduræ. Capax est admodum; ibique aliàs fuit Fanum S. Joannis de portu Equorum dictum, nunc dirutum. 35. leuc. Hisp. distat à Pintia nova seu Comaiagua in Boream.

Portus Ericis, Anton. *Lerice*, oppidum in ora Liguriæ extrema, ad portum Lunæ, ultra portum Veneris 3. m. p.

Portus Famis, vulgò *Porto Famine*, portus Americæ meridionalis, in ora Boreali freti Magellanici, sic dictus, quia aliàs ibi excitata fuerat urbs Philippopolis, cujus incolæ fame necati perierunt. V. *Philippopolis.*

Portus Formosus, *Beauport* Gallis, *Bahia hermosa* Lusitanis, *Mossel Bay* Belgis, portus est Africæ, in Cafreria regione maximè ad austrum, inter sinum sanctæ Catharinæ ad occasum & sinum sancti Francisci in ortum, 90. leucis Lusitanicis circiter distans à promontorio Bonæ Spei in ortum.

Portus Formosus, *Puerto hermoso*, portus Americæ septentrionalis, in parte meridionali Hispaniolæ insulæ seu Dominici, cum castro. Extenditur ad aliquot milliaria, & 18. leucis Hispanicis distat à Dominicopoli in occasum.

Portus Francisci Draci, *Puerto di Francisco Drac*, portus est maximus Americæ septentrionalis, in parte occidentali Californiæ insulæ, ubi ad Boream tendit versùs promontorium Mendocinum. Sic dicitur, quod illuc appulerit celebris ille Argonauta Franciscus Dracus Anglus, dum orbem terrarum circumnavigaret; estque forsan in illo tractu nova Albion regio, de qua tanta controversia fuit inter scriptores, ut credere est ex plurimis argumentis.

Portus Gori, vulgò *Porto di Goro*, Portus Italiæ, in Ducatu Ferrariensi, seu meliùs unum ex quatuor ostiis Padi fluvii, ubi per fossam Carbonariam, *Podi Ariano* dictam, in mare Adriaticum cadit; & 10. mill. pass. distat ab ostio rami præcipui Padi seu portus Vietii in meridiem, sub dominio Summi Pontificis. Ei adjacet tantùm turris parva ad ejus tutelam.

Portus Gratiæ, vulgò *le Havre de Grace*, oppidum munitissimum Galliæ, cum arce instructissima & portu, in Normannia, & ad ostium Sequanæ fluvii, 18. leucis infra Rothomagum in Circium, & 15. à Cadomo in Cæciam, 10. autem à Lexovio in Boream; estque in ora maris Britannici. Cum arce munitissima. Franciscus I. autem urbem munire cœpit; contra Anglorum potentiam: in quorum manus tamen pervenit bello civili; sed recepta, Ann. C. 1563. V. Thuan. *Hist. lib.* 34.

Portus Hannibalis, Mel. *Villanova*, teste Vasconcello, (sed Floriano & Taraphæ est *Albor*, oppidum vicinum, ubi plura sunt vetustatis vestigia) oppidum Lusitaniæ maritimum, apud Sacrum promontorium, à Lacobrica 2. leucis.

Portus Herculis, Val. Max. *Villa Franca*, portus cum arce Liguriæ, inter portum Monœci & Nicæam urbem, à qua 2. mil. pass. in ortum recedit. Baudrando nunc *Monacho* dicitur ab omnibus, estque oppidum munitum cum arce & portu capaci, 6. milliaribus à Nicæa in ortum distans, versus Albium Intemelium totidem. V. *Herculis Monœci portus*: & *Portus Monœci.*

Portus Herculis alter, Strab. Anton. portus cum oppido in orâ Hetruriæ, ad montem Argentarium, apud Cosas urbem excisam, à Centum cellis 40. mill. pass. distans, (in medio Graviscæ) *Porto Ercole*; sub Hispanis.

Portus Herculis item, Plin. *le Formicole*, portus Brutiorum, in ora Calabriæ ulterioris, apud Tropeam urbem, ab ea 5. mill. pass. in ortum Nicoteram versùs. Aliis est Tropea.

Portus Leonum; vulgò *Puerto de los Leones*, portus est Americæ meridionalis, in parte orientali Magellanicæ, regionis prope ostium fluvii *Desaguadero* dicti; & 60. leucis Hispanicis à portu Desiderato in Boream distans.

Portus Longus, *Porto Longone*, arx munita Italiæ, in Hetruria & Ilua insula, paucis abhinc annis ab Hispanis exstructa è regione Plumbini, à quo 12. m. p. distat in meridiem; 54. ab Urbatello in occasum, & totidem à Liburno in meridiem.

Portus Ludovici, vulgò *le Port Loüis*, oppidum munitum Galliæ, in Britannia minori, aliàs Blabia dictum, *Blavet*, ad ostia fluvii Blabiæ. Portu gaudet capaci. 12. leucis distat à Dariorigo Venetorum in occasum; & 15. à Corisopito in ortum, in ora Oceani Aquitanici.

Portus Lunæ, Strab. *Golfo della Spezzia*, portus Liguriæ maximus, in Hetruriæ confinio, apud ostia Macræ. Ejus meminit Qu. Ennius apud Pers. *Sat.* 6.

Lunæ portum est operæ; cognoscere cives.

Portus Magdalenæ, vulgò *Puerto de la Madalena*, portus est Americæ septentrionalis, in ora meridionali Californiæ insulæ; & satis frequentatur ab Hispanis, dum ex Acapulco in Philippinas insulas tendunt.

Portus Magnus, tergeminus: Plin. Ptol. unus Hispaniæ Bæticæ; *Almeria*, urbs episcopalis sub Archiepiscopo Granatensi; inde 19. leucis recedens, sic ab Almarico Gothorum Rege conditore, seu instauratore, nominata, teste Mariana. Sunt qui Almeriam Abdaram veterem dictam putant: sed Abdara nunc *Adra* dicitur, ab Almeria (quæ illi in episcopali sede subrogata est) 7. leucis in occasum recedens. Hæc ab Hispanis anno salutis 1147. ejectis Mauris, recuperata est. Alter, in Mauritania Cæsariensi, *Marzaquivir*, sub Hispanis, apud Quizam seu Auranum urbem, sub eisdem, inter illam ad ortum & Sigam ad occidentem. Tertius, Albionis, in ora Angliæ australi, contra Vectim insulam, *Portsmouth*, teste Lhuydo, apud Hamptonam, & portum Hammonis; vulgò *Port-Hammon.* Erat & Portus Magnus, teste Strabone, in Bœotia, inter Aulidem & Oropum.

Portus Magnus Camdeno & aliis est *Portesmouth*, oppidum Angliæ meridionalis, cum portu capaci in ora maris Britannici & Hantoniæ provinciæ, prope portum *Southampton* dictum, & contra Vectim insulam.

Portus Mauritius, *Porto Moriso*, oppidum oræ Liguſticæ, inter Albingaunum ad ortum 19. & Tabiam oppidum ad occaſum 22. m. paſſ. Oneliæ oppido propinquum, 2. m. diſtans. Baudrando, oppidum eſt Italiæ, in ora occidentali Liguriæ, ſatis cultum & lepidum, in colle, prope Onelam, & medium inter Savonam ad Cæciam, & Nicæam ad occaſum, 36. m. p. utrinque diſtans; ſed portu caret, ſubeſtque dominio Reipublicæ Genuenſis.

Portus Meneſthei, Strab. Ptol. *Porto di S. Maria*, oppid. amplum Hiſpaniæ Bæticæ, in ora, inter Cæſarianam & Fanum Luciferi, urbes proximas, à Cæſariana 2. leucis, contra Gades inſulam proximam, à Fano Luciferi 6. in ortum Cæſarianam verſus, ab Hiſpali 15.

Portus Milfordia, vulgò *Milford haven*, portus Angliæ, in Vallia, & in Comitatu Penbrochienſi, in ora maris Virginii. Extenditur ad aliquot milliaria, prope Penbrochium.

Portus Monachi, *Muncken-haven* Danis, *Port de Minck* Gallis, portus eſt Americæ, ſeu meliùs Terræ Arcticæ, in nova Dania, ſic dictus à Monacho Dano, dum illas partes luſtraret hiſce ultimis temporibus.

Portus Monœci, Strab. Ptol. Herclemannicus Antonino, *Monaco*, oppidum oræ Liguſticæ, cum arce in ſcopulo firmiſſima, inter Albintemelium ad ortum 10. & Nicæam ad occaſum 7. mill. paſſ. Hujus meminit Lucanus.

Quaq; ſub Herculeo ſacratus nomine portus
Urget rupe cavâ pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus: ſolus ſua litora turbat
Circius & tutâ prohibet ſtatione Monœci.

Ubi pro eodem *Portum* Monœci & Herculis ſumit. V. *Monæcus*.

Portus Naonis, opp. agri Tarviſini.

Portus Navonius, Anton. *Porto Navon*, Corſicæ in ora, inter Portum Syracuſanum & Philonium. Vid. *Navonius*, ſeu *Favonius*.

Portus Novus, vulgò *Port neuf*, portus eſt Americæ ſeptentrionalis, in nova Francia, & in parte Boreali fluvii S. Laurentii, prope ejus oſtium.

Portus Olivula, ſeu etiam Oliva quibuſdam, vulgò *le port de Villefranche*, portus eſt Galliæ Narbonenſis, in Comitatu Nicæenſi, prope Nicæam urbem, cujus propriè portus eſt, & Villam francam oppidum, ſub dominio Ducis Sabaudiæ, in ora maris Mediterranei; eſtque admodum capax.

Portus Oreſtis, Plin. *Porto Ravaglioſo*, in ora Brutiorum, ad oſtia Metauri fluvii, à Tauriano 3. m. paſſ.

Portus Oſtium, vulgò *Porteſmouth*, oppid. eſt Angliæ, in Hantonia provincia & in inſula *Portſey* dicta, cum arce & portu capaciſſimo in ora maris Britaunici. Aliis autem eſt Portus magnus, teſte Camdeno.

Portus Pacis, vulgò *Puerto de la Paz*, portus Americæ ſeptentrionalis, in parte Boreali Hiſpaniolæ inſulæ, è regione Teſtudinis inſulæ, ubi aliquot coloniæ Francorum à paucis annis.

Portus Paulæ, vulgò *Porto di Paula*, portus eſt ditionis Pontificiæ, in Campania Romana, & in ora maris Tyrrheni, prope Circejum montem, cui lacus ſanctæ Mariæ jungitur. Portus ille duo millia navium recipere poteſt, & viſuntur circumquaque Romani portus veſtigia. Sed quotidie arenâ oppletur.

Portus Primarius, vulgò *Porto di Primaro*, portus Italiæ, in ditione Pontificia & Ducatu Ferrarienſi, ubi ramus minor Padi, dictus Padus Argentanus ſeu Padus Primarius, *Po di Primaro*, in mare Adriaticum ſe exonerat. Ei adjacet turris Gregoriana ad ejus tutelam, & caſtrum Primarium dictum.

Portus Regius, vulgò *Puerto Real*, portus eſt Hiſpaniæ, in Vandalitia provincia, & in ora contra Gades inſulam. Dictus fuit aliàs Gaditanus portus.

Portus Regius, vulgò *Puerto Real*, portus Americæ ſeptentrionalis, in Tabaſca provincia novæ Hiſpaniæ, in ora ſinus Mexicani & in limite Jucataniæ, juxta urbem beatæ Mariæ de Victoria.

Portus Regius, vulgò *Port Royal*, portus Americæ ſeptentrionalis, in nova Francia, & in Acadia provincia, cum oppido Francorum, aliàs capto ab Anglis, ſed poſtea Francis reſtituto pace Bredana anno 1667. eſtque in intimo receſſu ſinus Gallici, cum portu capaciſſimo.

Portus Regius, vulgò *Port Royal*, portus Americæ in parte Boreali Floridæ, prope Virginiam, ubi aliàs Fortalitium fuit Francorum.

Portus Romanus, Martyrol. (Vide *Portus Auguſti*) à Claudio Imperatore ædificatus, & à Trajano inſtauratus, ſed à Saracenis ſolo æquatus.

Portus Romatinus, Plin. *Porto Gruaro*, oppidum amplum Carnorum, ad Romatium fluvium, apud Concordiam urbem exciſum, ab ea 2. m. p. diſtans, ſedes Epiſcopi Concordienſis, à Venetis 45. m. Aquileiam verſùs ſupra 30. ab Utino 28.

Portus Sanctus, Inſula in mari Atlantico, diſtat à Sacro promontorio ferè mill. ſexcentis, à Madera 40. & niſi nubes cœlum obumbrarint, altera alteram videt. Parva admodum eſt, utpote, quæ 25. tantùm mill. circuitu patet. Circa annum 1427. à nautis detectoribus, qui periculoſâ ac dubiâ ejus navigatione emenſa, & ſuperata, hunc locum ſic vocari in rei memoriam voluere. Profert hæc inſula innumeras fruges. Cuniculis inprimis ſcatet: colligitur ibi ſanguis draconis, qui lacryma eſt arboris: ſtato enim anni tempore incolæ arbores ferro ſauciant, quæ ita inciſæ anno ſequenti gummam emittunt per inciſiones, quæ decocta in ahenis, & defæcata, ſanguis efficitur, quem dicunt *Sanguinem Draconis*: arbor è qua fluit, fructum, ceraſi inſtar, producit menſe Martio, guſtu eximium. Portu caret inſula, ſtationem verò habet ſatis commodam. Metel. Baudrando, *Ilha de Puerto Santo*, inſula eſt Oceani Atlantici, prope Maderam inſulam, à qua 8. m. p. tantùm diſtat in Cæciam. Circuitus eſt 8. leucarum; ſubeſtque dominio Luſitanorum, à quibus detecta fuit anno 1428. Sed nullam habet arcem.

Portus S. Antonii, vulgò *Puerto de Sant Antonio*, portus eſt Americæ ſeptentrionalis, in regione nova Gallæciæ, in nova Hiſpania, & in Xaliſca provincia, in ora maris Pacifici ſeu Auſtrini.

Portus S. Joannis, vulgò *Puerto de San Juan*, portus Americæ ſeptentrionalis, in Nicaragua provincia novæ Hiſpaniæ, in ora maris Borealis, & ad oſtia fluvii *Deſaguadero* dicti.

Portus Sanctæ Mariæ, vulgò *Puerto de S. Maria*, opp. Hiſpaniæ, in Vandalitia, in ora Oceani. V. *portus Meneſthei*.

Portus Sanctæ Mariæ, *Port de Sainte Marie*, oppid. Galliæ, in Aquitania & Aginnenſi tractu, ad Garumnam fluvium, 3. leuc. infra Aginnum in Circium Burdegalam verſùs.

Portus Santonum, Ptol. *la Rochelle*, urbs aliàs munitiſſima Aquitaniæ, in ora. Vide *Rupella*.

Portus S. Petri, vulgò *Puerto de San Pedro*, portus Americæ meridionalis, in Urvagia provincia Paraguaiæ, ad oſtia fluvii Magoi, in ora, inter Braſiliam & fluvium Argenteum.

Portus S. Stephani, vulgò *Porto S. Stephano*, portus eſt Thuſciæ, in ora maris Tyrrheni, & in Senenſi agro, ad radices montis Argentarii, ſub dominio Hiſpanorum, cum caſtro munito. 7. milliaribus diſtat ab Urbatello in occaſum, & totidem à Telamone in meridiem.

Portus Securus, vulgò *Puerto Seguro*, urbs Americæ meridionalis, in Braſilia auſtrali, verſùs oram maris Braſilici, ſub Luſitanis. Ab ea provincia adjacens dicitur *Capitania de Puerto Seguro*, Præfectura portus Securi, inter Præfecturam inſularum ad Boream, & Præfecturam Spiritus Sancti ad meridiem.

Portus Shepeus, vulgò *Skepe haven*, portus ampliſſimus Hiberniæ, ſeu veriùs æſtuarium in Hibernia & in Comitatu Dungalenſi verſùs Boream.

Portus Vaſci, vulgò *Puerto Guaſco*, portus Americæ meridionalis, cum oppido in parte Boreali regni Ciles verſùs Boream & Peruviam, atque in ora maris Pacifici, ſub Hiſpanis.

Portus Velinus, Virg. *Porto di Caſtel l' à mare*, in Lucania, apud Veliam urbem extinctam. Cujus meminit Virgilius *lib. 6. Æneidos*:

Injice, (namq; potes) portusq; require Velinos.

Portus Veneris, vulgò *Port Vendres*, portus capaciſſimus Galliæ Narbonenſis, in Comitatu Ruſcinonenſi, & in ora maris Mediterranei, prope Caucoliberim & juxta Aphrodiſium promuntorium, ubi aliàs Veneris Fanum. Ei adjacet in clivo arx S. Elmi dicta; eſtque in ipſo limite Hiſpaniæ & Cataloniæ provinciæ 17. m. paſſ. diſtat à Perpiniano in Eurum.

Portus Veneris, Ant. Ptol. *Porto Venere*, oppidul. cum arce oræ Liguſticæ, contra Palmariam inſulam parvam, apud os portus Lunenſis, ex adverſo Ericis in ortum, 3. m. p. inde diſtans, à Genua 60. in ortum Lunam ſeu Sarzanam verſùs. Hic Theſaurus Linguæ Latinæ habet portum Veneris pro promont. Veneris, *Capo de Croux*.

Portus Vetus, vulgò *Puerto Viejo*, portus Americæ meridionalis, cum urbe cognomine, in Peruviæ regno & in Quitoa regione, juxta oram maris Pacifici. 180. mill. paſſ. diſtat à Quitoa urbe in occaſum, & 220. à Fano S. Michaëlis in Boream, ſub dominio Hiſpanorum.

Portus Vetus, vulgò *Porto vecchio*, portus Italiæ cum oppido cognomine in ora orientali Corſicæ inſulæ verſùs auſtrum, cum ſinu capaci; aliaſque oppidum Aliſta dictum fuit, teſte Brietio. 15. m. p. diſtat à Bonifacio in Boream.

Portus Vierius, vulgò *Porto Viero*, portus eſt Italiæ, in ditione Veneta, & in limite ditionis Venetæ, ubi ramus Padi fluvii præcipuus, *Po grande*, ſeu *Po di Venetia* dictus, in mare Adriaticum ſe exonerat, 10. mill. paſſ. à portu Gori diſtans in Boream Venetias verſùs.

Portus Ulyſſis in Sicilia, Plin. *Lognina*, teſte Fazello cum Aretio, inter Acim opp. & Catinam urbem, apud Engyum, nunc ſaxis ex Ætna monte injectis oppletus. V. *Odyſſia*.

Portus Volane, antea Olana, vulgò *Porto di Volana*, portus eſt ditionis Pontificiæ, in Ducatu Ferrarienſi, cum caſtro cognomine, ubi Volane alter ramus minor Padi fluvii, vulgo *Po di Volana* dictus in mare Adriaticum ſe exonerat; eſtque medius inter portum Vierium ad Boream & portum Primarium ad meridiem, 40. mill. à Ferraria diſtans in ortum, & 11. à Comaclo in Boream.

Portus à veteribus memorati præter jam dictos:

Argous, *Porto Ferraro* vel *Ferraio*, Ilvæ inſulæ.

Bonus portus, *Porto Bo*, Sarmatiæ.

Brigantinus, *Porta della Corunna*, Gallæciæ.

Brivates, *Breſt*, Britanniæ, in Gallia, oppidum & portus.

Cenchreæ, *Porto di Cenchres*, Peloponneſi.

Creſa,

Greia, *Porto Malfetan*, Cariæ.
Cyphanta, *Porto dalle Botte*, Peloponnesi, Ferr. Baudrando verò Cyphanta, portus nunc *Stilo* dicitur, in ora sinus Argolici.
Delphini portus, *Porto Fin*, Liguriæ.
Edron, *Porto di Chioza*, Venetiæ.
Elææ, *Porto Parga*, Epiri apud Nicopolim.
Jamnetorum, *Porto di Zania*, Palæstinæ.
Icius portus, *Calais*, Galliæ Belgicæ oppidum, Ferr. Baudrando Icius portus, nunc est *Vissen*, castrum Comitatus Bononiensis, ad fretum Gallicum, 3. leucis à Caleto in occasum.
Illicitanus, *Porto di Alicante*, Hispaniæ Tarraconensis.
Liburnus, & Ligurnus, & Labro, *Livorno*, Thusciæ oppidum & portus.
Libyssonis, *Porto di Torre*, Sardiniæ.
Manarmanis portus, *Marna*, Frisiæ oppidum.
Medoacus, *Porto di Molameco*, Venetiæ.
Minoa, *Altamura*, Cretæ, & Peloponnesi.
Moscha, *Porto di Meschat*, Arabiæ felicis.
Mysocaras, *Aman*, Mauritaniæ Tingitanæ opp. & portus.
Naustathmus, *Porto Bonandrea*, Cyrenaicæ.
Novus portus, *New Haven*, Albionis.
Odyssia, sive Ulyssis portus, *Porto di Pali*, Siciliæ.
Onchesmus, *Porto Santi quaranta*, Epiri, Ferrario. Baudr. verò Onchesmus portus, nunc *Orchino* dicitur.
Panormus Epiri, *Porto Raguseo*, Macedoniæ *Macri*, Atticæ *Porto Rafti*, & Marmaricæ *Porto Salonf.*
Pauloonius, *Porto Filon*, Corsicæ. Aliis *Porto Vecchio.*
Phœnicus, *Porto di Noti*, Siciliæ. Aliis *Falconara.*
Pisidon, *Porto Zoara*, Africæ.
Rhizus, *Risso*, Cappadociæ oppidum & portus.
Rusibis seu Rutubis, *Azamor*, Mauritaniæ Tingitanæ oppidum & portus.
Saliocanus, *Morlay*, Britanniæ in Gallia oppidum & portus,
Saliocanus, seu melius Staliocanus, portus in Britannia minori, nunc est *S. Paul de Leon*, seu *Leondoul*, urbs in ora Boreali.
Schœnus, *Porto Scheno*, Peloponnesi.
Selinus, *Porto Alberto*, Marmaricæ.
Sesippi portus, *Porto Serifo*, Arabiæ.
Siur, *Porto Estigraffo*, Africæ.
Sybota, *Porto Svota*, Epiri.
Syracusanus, *Sant. Bonifacio*, Corsicæ oppidum, sec. Ferrarium. Syracusanus portus aliis est *Golfo di S. Amanza.*
Trajanus, *Porto Frangozo*, Thusciæ. Aliis *Pescara.*
Tretos, *Lor*, Arabiæ felicis.
Trulla, *Porto Sel*, Arabiæ felicis.
Ulyssis portus. Vide *Odyssia.*

Porus, Indiæ rex miræ proceritatis, & animi verè regii, Alexandro M. fortiter restitit, sed prælio difficili victus, in victoris potestatem pervenit. Interrogatus, qui haberi vellet; *regiè* respondit: quod responsum Alexander admiratus, illum in regnum restituit. Tandem suorum dolo interfectus est. Plut. Claudianus,

Tradita captivo spatiosior India Poro.

V. Curt. *lib.* 8. Arian. *cap.* 5.

Porus Cyrenensis, Olymp. 105. stadii victor.

Porus Malieus, Olymp. 106. stadii victor.

Posega, urbs Sclavoniæ, ad Oriavvam fl. aliàs *Picentina*, 8. m. p. à Savo fl. in Bor. 30. à Gradischia in Ort. Caput Comit. Posegensis, qui inter Dravum ad Bor. Savum ad Austr. Comitatum Valkoniensem ad Ort. & Zagrabiensem ad Occ. est. Sub Turcis. Ibi olim Breuci pop.

Posideon, mensis Græcorum, Latinis *December.*

Posidippus Cassandreus, Comicus, docuit anno tertio post Menandri mort. cujus fabulas 30. commemorat Suidas, Lil. Girald. Voss. Alius, qui librum scripsit de Cnido, Clementi, Tzetzi *Chil.* 7. *Hist.* 144. Arnobio memoratus. Quædam epigrammata ejus in Anthologiâ leguntur: Ac seu hujus, seu alterius meminit quoque Stephanus in Βάρις, & semel iterumque in Ζέλεια; Item Athenæus, Stobæus &c.

Posidium, *Arsinoe*, Ptol. *Suez*, vulgò op. Ægypti ad intimum sin. Arabici recessum. Emporium celebre, in quo solebant merces Africas exponere, ut inde per Cayrum & Alexandriam Venetias perferri possent. 15. m. p. ab Arsinoe in Bor. & ab eo æstus maris ad 4. m. p. recedit. Baudr.

Posidium, promunt. *Capo Fagona* Theveto, promunt. Bithyniæ ad Propontidem in sinu Olbiano. *Fanum Neptuni* Melæ. Alterum, promunt. Phthiotidis ad sinum Pagasicum inter Demetriadem & Larissam ad Merid. *Selassis* Theveto, aliis *Capo Passara* dicitur. Tertium, promunt. Cariæ apud Miletum in Joniæ con. fin. cum op. cognomine, olim Apollinis oraculo clarum, *Capo di Melano.* Item portus Epiri, mel. prom. Corcyræ ins. obversum, apud Buthrotum urb. *Capo Risotto* ex tabb. recent. Baudrando ad fauces Buthroti Sinus, nunc *Capo Strovili*, estq; Buthroto obversum.

Posidon, Græcum *Neptuni* nomen, quod ex Græcâ linguâ explicare Grammatici frustra conantur; inquit Bochartus, cùm Africum esse doceat Herodotus, *in Euterpe.* Verba sunt: Οὐδαμῶν ἀπ' ἀρχῆς Ποσειδέωνος οὔνομα ἐκτήκασι, εἰ μὴ Λίβυες, καὶ τιμῶσι τὸν θεὸν τοῦτον αἰεί. Nempe Ποσειδῶν, aut Ποσειδῶν est Punicum פשיטן *Pesitan*, quod *latum & expansum* sonat. Ubi Scheva primæ syllabæ est expressum per o breve, ut in *Sodomâ* & *Solomone.* T. & D. permutata sunt ut in Τητες, & Τηδες. & κιτυρας & κιδυρας ex Chaldæo כתרא *Cithra* Itaq; Ποσειδῶν & *Japhet* plane sunt synonyma: utrumq; vero à latitudine: quod apprimè quadrat Neptuno maris Deo, de quo Phornutus: Εὐρύστερνος, *lato pectore vocatur Neptunus, ob maris latitudinem, quemadmodum dictum est*, ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης. Dicitur quoque eandem ob causam, εὐρυκρείων καὶ εὐρύοπα, *latè imperans*, ac *latisonans.*

Posidonia, (Vide *Pæstum*) urbs Lucaniæ. Pop. *Posidoniata*, & *Posidoniates sinus* pro *Pæstano.*

Posidonium, (*Posidonia* Stephano) promunt. Brutiorum ad Columnam Rheginam ex adverso Pelori promunt. Siciliæ, *Capo di Volpe*; sed hoc *Canis* aliis dicitur.

Posidonius, philosophus Apamiensis, discipulus & successor Panætii (Strabo *lib.* 14.) sed Rhodius existimatus, quia Rhodi vixit ac philosophatus est. Hic cùm aliquando morbo articulari laborasset gravissime, fertur sæpe dixisse (erat enim Stoicus) *Nihil agis dolor; quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.* Venit Romam Marcelli tempore, scripsitque multa, inprimis Historiam, quâ Polybium continuavit, quam quidam Possidonio Alexandrino vindicant: Sed tempus non convenit. Ut videre est ex Cicerone, qui Possidonii fuit discipulus, Strabone, &c. Vide Vossium *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 24. *pag.* 154. *de Phil. Sect. cap.* 19. §. 12.

Posidonius, Olbiopolita, historicus, qui Atticas historias libris 4. scripsit: Item Libycam lib. 11. Item de regione Tyriâ; adhæc de Oceano, & aliis quæ juxta cum sunt, atque alia nonnulla. Suidas.

Posidonius, mel. *Possidius*, Africæ Præsul, Augustini contubernalis, cujus etiam vitam scripsit; præterea homiliarum libros 7. Epistolarum totidem aliarumque rerum complures. Isidor. & Sigebert. *de Ill. Scr.* Item nomen viri, 2. Mach. 14.

Posnania, urbs Poloniæ inf. comitatus cognom. caput, ad Wartam fl. Cum arce elegante, estque inter colles. 8. leuc. Pol. à Gnelna in Occ. Francofurtum ad Oderam versus, 20. mill. Germ. ab Uratislavia in Bor. uti 50. à Cracovia. Probe culta, in planitie, Ep. sub Ar. Gnesnensi. Hic Andreas Bonius Episc. quinque Sacerdotes Bohemos publice cremavit, qui in Abrahami Zbancii dirione, hujus jussu, Evangelium prædicaverant, circa Ann. 1438. Sed postea, nobilitas majoris Poloniæ, sub finem seculi XV. restitutionem calicis, hic congregata, vehementer ursit: Marrbias quoque Syonius, occulte mediâ nocte, magno cum profectu ibidem docuit, circa An. 1540. Ex in Ecclesiæ Posnaniensi An. 1550. Pastor datus est à Bohemis Georgius Israel, Isbiocio Episc. frustra obnitente; concessitque sacris ædes suas in suburbio Jac. Comes Ostrorogius, quo Mæcenate Ecclesia usa est, usque ad Ann. 1568. Interfuit Synodo Vlodislaviensi Stanislaus Comes à Gorka, Palatinus Posnaniensis, An. C. 1583. Sub Sigismundo dein Rege tum hic, tum Vilnæ, Evangelicis minæ intentatæ, unde commoti Proceres Thorunii Synodo A. 1595. celebratâ, Syncretismum inter Confessiones Augustanam, Helveticam & Bohemicam renovatunt, gravaminaque libello comprehensa ad Regem transmiserunt, qui illis satisfecit. Sed hoc ipso irritatiores adversarii, furore studiosorum accenso, templum Evangelicorum exusserunt: quo postea reparato, denuo privati illi sunt A. C. 1636. sicque Ecclesia Ostrorogana, quæ prima in Maj. Polonia Evangelium susceperat, post annos 86. dissipata est. Lærus *Compend. Hist. Univ.*

Posonium, Germ. *Presburg*, urbs prim. Hungariæ sup. ad Danubium, cum arce in colle, 8. leuc. à Vienna in Ort. Neoselium versus totidem; 1. à confin. Austriæ sup. & 8. à Comara in Circ. uti 7. ab Arrabone. Comit. cognom. caput, qui inter Moraviam est ad Bor. Austriam ad Occ. Danubium ad Mer. & Comitatus Transchiniensem & Nitriensem ad Ort. Capta urbs à Betleemo Gabore, An. 1619. sed reddita. Aliàs quoque *Pisonium & Flexum.* Hung. *Poson.* Auctor *Itin. Germ. lib.* 5.

Hic ubi Posonium consurgit mœnibus altis,
Limes Teutonicis, Hungaricisq; Viris.

V. de urbe hac pluribus Cluver. Ortel. Sansonem &c. Missus huc à Clemente V. legatus, ut Hungaros, Caroln Martello, filio Caroli II. Neap. R. se subjicere nolentes ad obsequium reduceret, Concilium ibi habuit, Ann. 1309. Rainald. *Annal.* Fumæus *Hist. Hung.* Evangelica religio ab An. 1674. hinc planè exulat, Pastoribus pulsis, &c.

Possessor, Episc. Afer celebris admodum. Ab Arianis Africâ expulsus, An. 517. Constantinopolim se recepit, indeque Hormisdam Episc. Rom. de Monachis Scythiæ monuit, qui Fausto Rejensi adhærere, contra Augustinum, dicebantur. Qui cùm in responsoriis in Monachos actius inveheretur, unus horum, scriptâ apologiâ, Possessorem Pelagianismi reum peregit. Baron. *in Annal.*

Possevinus Antonius, Jesuita Mantuanus. A Gregorio XIII. in Poloniam est missus, ad Regem illum cum Moscis conciliandum: inde Romam redux, cùm in Henrico IV. ad Rom. communionem pertrahendo multum sudaret, paulò post Urbe pulsus est. Obiit An. 1611. æt. 78. Scripsit Bibliothecam & apparatum sacrum, &c. Phil. Alegambes, *in Bibl. Scr. Societ.* J. Spondus, *An. C.* 1594. *n.* 1. *&c.*

Possi-

Poissiacum, vulgò *Poissi*, Lat. *Pisciacum*; urbs Inf. Galliæ, celebris natalibus S. Ludovici, Monasterio Monialium, ex illustrissimis Galliæ familiis, & Colloquio de Religione, inter Cardinalem Lotharingum & Theodorum Bezam, Theologum Genev. instituto, An. 1561. Cujus historia hic paucis habet. Coram Carolo IX. R. matre ejus Catharina, Principibus sanguinis, Episcopis, Cardinalibus, Consiliariis status, Proceribusque plurimis utriusque religionis, ut & Theologis Reformatis, inter quos Theodot. Beza, Aug. Marloratus, Joh. Ma o & Joh. Spina, Petrus Martyr, Joh. Viretus, Franciscus Morellus, &c. E quibus præcipuè Beza & Martyr partes sustinuere: Hospitalius Cancellarius oratione primùm habitâ, de utilitate & necessitate Colloquii disseruit. Tum Beza, postquam calumniam Cardin. Lotharingi Oecolampadio impactam diluisset, flexis genibus Confessionem Fidei augustissimam fusâ oratione edidit, Ecclesiâ ab Anabaptistis & Libertinis vindicatâ. Dein Transubstantiationem cum Consubstantiatione refutavit, Confessionemque scripto comprehensam Regi obtulit: In disputationis æstu cùm dixisset, licet omnes fideles in S. Cœna participent corpori & Sanguini CHRISTI, tamen si ad spatium loci respiciatur, Corpus Christi tantum abesse à pane & vino, quantum cœlum à terra: cum indignatione adversariorum auditus est, poscente Card. Turnonio, ut Colloquium, cui impar erat, abrumperetur. Post aliquot dies admissis rursus Protestantibus, Beza Lotharingo respondit, ac de Ecclesia, notisque ejus disseruit. Porro disputatum de Cœna Domini & Vocatione Ministrorum. Hic cum Lotharingo non succederet, Ecclesias Gallicas & Germanicas committere studuit, suasit, ut Augustanæ Confessioni Reformati subscriberent: Interrogatus, an idem facere paratus esset, tacuit. Tandem Cardinalis Ferrar. Nuntius Pontif. cum Jac. Layneo, Hisp. Generali Jesuitarum adveniens, acriter increpitâ Reginâ, quòd in colloquium consensisset, imperiosum Collationi finem imposuit. Cæterùm V. *Pisciacum*.

Possidius, Vid. *Posidonius Episc.*

Possis Magnesius, Amazonum historiam condidit, Athen. *lib.* 7. Idem *lib.* 12. testimonium petit ex eo *in tertio de Magnetibus*; unde etiam consignatæ res, atrias cognoscimus.

Postellus, vide *Guilielmus Postellus*.

Posthumia, virgo Vestalis, de incesto causam dixit, crimini obnoxia ob suspicionem cultûs elegantior s, ingeniumque l berius, quàm virginem deceret. Tandem Pontificis maximi sententiâ absoluta, qui eam abstinere jocis, colique sanctè potius, quàm scitè jussit. Volat. *ex Plutarcho*.

Posthumia, Servii Sulpitii uxor, cujus sæpe meminit Cicero *Epist. lib.* 4.

Posthumius Albinus, missus contra Jugurtham, ab eoque corruptus auro, patriam magno damno affecit. Idem de Vaccæis ac Lusitanis triumphavit, Livius.

Posthumius Cominius Auruncus, Cos. cum T. Largio Flavio, An. U. C. 253. Iterum cum Sp. Cassio Viscellino An. U. C. 261.

Posthumius Ebutius Helva, Consul cum M. Fabio Vibullano, An. U. C. 313.

Posthumius Tubero, Magister Equitum Æmilii Mamerci Dictatoris, in primâ Dictaturâ contra Volscos: mox in eodem bello à Qu. Cincinnato Cons. ejus genero Dictator dictus, de eis triumphavit: quam victoriam funestavit mors filii, viri magnâ virtute: quem quòd injussu suo, occasione rei bene gerendæ, pugnam iniisset, securi percussit, Livius.

A. Posthumius, Tubertus cognom. Consul, An. 251. U. C. Urbem, victis Sabinis, ingressus, myrteum in capite sertum gestans, Ovationi occasionem præbuit. Dein creatus est Dictator in bello Latinorum, quod Tarquinii fuga excitavit, confugientis ad generum suum Manlium, ducem Tusculanorum. Itaque An. 251. U. C. collatis signis ad lacum Regillum, cùm victoria utrinque nutaret, Magister equitum Romanis equis frænos detrahi jussit, ut irrevocabili impetu ferrentur in hostes: ubi tandem aciem Latinorum Romani fudere. In eo prælio visi sunt 2. juvenes acriter pugnare, quos post pugnam ad præmia quæsitos, Dictator reperire non potuit. Ratus itaque eos Castorem & Pollucem, eis communi titulo templum dedicavit. Hic uno ex filiis amisso, cùm regni spe excidisset Tarquinius, Cumas se recepit. Cælius Rhod. *ex Livio*.

L. Posthumius, post Cannensem pugnam Consul in Galliam profectus, à Boiis cum exercitu profligatus, ne caperetur, magno studio cadere in prælio contendit. Cujus inventi caput præcidentes barbari, ovantes in templo obtulerunt, idque factum vas erat, in quo in solennibus libarent, Liv. *lib.* 22.

Sp. Posthumius, ac T. Veturius Coss. apud Furcas Caudinas, deducto in locum iniquum exercitu, cum nulla evadendi spes esset; fœdere cum Samnitibus facto, & 600. equitibus Romanis obsidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes sub jugum mitterentur, iidemque auctore Posthumio, qui in Senatu suaserat, ut eorum deditione, quorum culpâ tam turpe fœdus ictum erat, publica fides liberaretur, cum 2. Tribunis plebis, & omnibus qui fœdus spoponderant, dediti Samnitibus non sunt recepti, Livius.

Posthumus, qui & *Sylvius*, Æneæ filius ex Laviniâ, quæ mortuo Ænea Ascanii timens insidias, confugit ad sylvas, & illic Sylvium enixa est, qui *Posthumus*, quòd patre mortuo natus esset, dictus est. Ascanius autem, quoniam sine liberis periit, Sylvio, qui & ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium. Vide *Sylvius*. Plura de hâc voce sis consule Fungerum in *Posthumus*.

Posthumus M. Cassius Latienus, Gallus, vir fuit bello fortissimus, atque in pace constantissimus, in omni quoque vita gravis, usque adeo, ut Saloninum filium suum eidem Gallienus in Gallia positum crederet, quasi custodi vitæ, morum & actuum Imperialium institutori. Sed ut plerique asserunt (quod ejus non convenit moribus) postea fidem fregit, & occiso Salonino, cum Albino, cujus curæ commissus erat, An. 260. sumpsit Imperium. Ut autem verius plerique tradiderunt, cùm Galli vehementissime Gallienum odissent, puerum autem apud se imperare ferre non possent, eum, qui commissam regebat provinciam, Imperatorem appellarunt, missisque militibus adolescentem interfecerunt. Sic omnibus Gallis acceptissimus, Gallias per An. 10. instauravit, submotis omnibus Germanicis gentibus. Sed cùm se gravissimè gereret, Lolliani operâ interemptus est, cum fil. Cajo Junio Cassio Latieno Posthumio, Cæs. & Augusto. Trebell. Poll. *de* 30. *Tyrann.* Aur. Vict. Oros. &c.

Postia, Italiæ civitas à Samnitibus obsessa, Lænate & Rutilio Consulibus.

Postnatus, nomen filii, qui post primogenitum natus est, id est, secundi. Hodie ex nova occasione *Postnati* dicuntur, in Scotia, qui nati sunt, post translationem coronæ Angliæ, ad Jacobum Regem; cùm hac ipsâ distinctione fiunt omnium jurium Anglicanorum participes. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archaeol.*

Postoina, seu *Pistoina*, Corn. Scheppero *Adelsberg*, opp. Japodum in Carinthia, in monte, inter Tergestum & Labacum 30. m. p.

Postropaa, locus Calabriæ, cujus mem. Stephanus Byzantinus, ut habet Barrius, qui urbem *Tropeam* hod e d ctam interpretatur. Urbs Drusiorum in ora Calabriæ ult. apud Vaticanum prom. in fine Sinus Hipponiatis, contra Amantiam. Episc. sub Archiep. Rhegino, à Nicotera 8. m. p. in Occ. ab Hipponio 12. in Austr. Ferrar.

Postverta, Dea apud Romanos, una ex Carmentibus, quæ partui fœminarum præsidebat. Vide Gell. 16. 16.

Postumia via gemina, Una circa Hostiliam opp. ad Padum, inter Ferrariam & Mantuam, Tacit. Altera in Liguria, inter Genuam & Dertonam, *Via Costuma* nunc, per Runcum, Volam, Arquatam, Seravallem & Novas ducens. Vet. Ins. Aug. Justinianus.

Postumius Tyrrhenus, qui piraticam duodecim lembis exercuerat, tanquam amicus Syracusas accedens, à Timoleonte comprehensus & supplicio affectus est, Olymp. 110. An. 2. Diod. 16.

Postus Albus, locus Hisp. Bæt. 12. m. p. à Meliaria, Anton. Forsan melius *Portus Albus*, Simler.

Potamena, Origenis discipula, formosissima fœminarum & martyrum. Etenim, inquit Euseb. *lib.* 5. *cap.* 6. *hist.* in nostram usque memoriam ab incolis loci perennis virtutum Potamenæ fama celebratur, quòd immensos & innumeros agones, primo pro virginitate & pudicitiâ desudaverit: deinde etiam pro martyrio exquisita, atque inaudita tormenta pertulerit: atque ad ultimum unà cum venerabili matre Marcellâ ignis supplicio consummata est: Et carnificem Basilidem in tormentis existens ad Christi confessionem & fidem convertit, qui & ipse quoq; martyrio coronatus est.

Potamon, Alexandrinus, Philosophus, sub Augusto. Caput Sectæ Electivæ. Scripsit varia. Diogen. Laert. *in Præf. Phil. vit.* Suidas, Voss. *de Sect. Phil. cap.* 21.

Potamon, Lesbius vel Mitylenæus, Rhetor, sub Tiberio. Fil. Lesbonactis, Philosophi lectissimi. Hunc Imper. hisce literis tutatus est: *Potamonem. Lesbonactis filium, si quis offendere, eiq; incommodare ausus fuerit, consideret secum, an mecum bellum gerere valeat.* Docuit Romæ, ubi elogium edidit Tiberii, cum historia Alexandri M. de limitibus Samiorum libro, Panegyrico Bruti, & tractatu, de Oratore perfecto. Strabo *lib.* 13. Hesych. Suidas, Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 7. Gesner. in *Bibl.* Possevin. *in appar. &c.*

Potamosacum, Stephano *Sacon*, fluv. & insula Æolidis.

Potamius, Episc. Arianus Olisipponensis, sec. 14. à fide defecit, ut à Constantio Imper. agrum quendam obtineret. Dein Ursacio & Valenti junctus, divinitate CHRISTI negatâ, literas hac de re undiquaque misit, ab Osio Cordubensi refutatus. Quod ægrè ferens effecit apud Imper. ut hic Syrmium vocaretur. Agrum dein suum, apostasiæ præmium, visurus, linguâ ejus divinitus percussâ antequam illuc perveniret, obiit. Marcellin. *libell.* Hilar. *adv. Arrian.* Baronius *in Annal.* Hermant. *vita Athanas. lib.* 8. *cap.* 2.

Potamus, opp. Atticæ, Plin. *l.* 4. *c.* 7. Harpocration verò Ποταμὸς, δῆμος τῆς Λεοντίδος. ὁ δημότης Ποτάμιος, Strabo.

Potamus, Thraciæ fluv. Marcianopolim urbem interluens, Jornand. *Fium di Marciopoli.*

Potentia, Picenorum urbs, Ptol. *S. Maria di Loretto*, Ferrar. Baudrando urbs fuit Piceni excisa, cujus vestigia apparent ultra dextram fluv. cognom. ripam, nomenque superest in Abbatia proxima, *St. Mariæ ad pedem Potentiæ*, ubi veteris pontis arcus lapideus & vet. sepulturæ moles latericia, ut & pavimentum sub terra Musivi operis. Locus ille mille p. & paulo amplius à Recinetensi portu distat. Ex L. Holstenio. Item oppidum Lucanorum mediterr. Ptolem. *Potenza* Leandro.

Potentiana, Germ. *Theten*, Hung. *Adom*, opp. Pannoniæ infer. ad Danub. inter Budam urb. 2. m. & Altinum opp. 22. in Eur.

Potho-

Potheroeus, fl. Cretæ, inter Gnosson & Gortynam fluens, Vitruv.

Pothinus, & *Achillas*, Pompeji, ex acie Pharsalicâ ad Ptolem. Ægypti regem fugientis, interfectores fuerunt. Lucan. *lib.* 8.

Ausus Pompejum letho donare Pothinus.

Potho, Presbyter Prumiensis, in diœc. Treverensi. Scripsit An. 1152. libb. 6. *de Domo Dei*, & unum, *de magna domo sapientiæ*. Prodierunt An. 1532. Bellarm. *de Script. Eccl.* Val. Andr. *Bibl. B.*

Poticara, urbs Persiæ, Ptolem.

Potidæa, Macedoniæ urbs, olim *Cassandria*, Plin. *lib.* 4. *cap.* 10. Ad Isthmum Pallenes, Corinthiorum colonia, Atheniensibus fœderata, & vectigalis. Cùm defecisset, longâ obsidione domita est & vastata, Schol. *in Equit.*

Potidania, urbs Ætoliæ, Stephan.

Potipason, urbs Episcop. Africæ. Syn. V. Constantin.

Potiphar, Josephi Patr. Dominus. Πετεφρὴς Josepho dicitur.

Potitius, vide *Pinarius*. Hæc gens in 12. familias divisa, ob sacra vulgata, omnis interiit, circa An. U. C. 445.

Potina, Dea, quam veteres *à potando* dixerunt.

Potniades, Deæ dictæ fuerunt, furorem facientes, hoc est, μανιώδεις. Non procul verò à Potniis, Bœotiæ urbe, puteum fuisse legimus, ex quo si aquâ haustâ fuisset ab equis indigenis, furore agitabantur. Unde Dearum nomen.

Potnia, oppid. geminum: unum Bœotiæ, Thebis proximum, ubi *Potniæ fons*, teste Æliano. Ibi Glaucus ab equis dilaceratus traditur. Alterum in Magnesiâ, teste Plinio, in Macedon. & Thessal. confin. Neutrum perdurat. Apud Potniam autem pascua esse, in quibus asini in rabiem vertantur, scribit Plin. 25. 8. A Potniâ verò *Potniam*, & *Potnias*. Virg. *Georg.* 3.

—— *Quo tempore Glauci*
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.

Vide *Glaucus*.

Potosium, urbs ampla Peruviæ, ad radices Potosii montis. In parte Austr. in regione *de los Charcas*, 18. leuc. Hisp. ab Argentea in Occ. versus Aulagam seu Patium lacum 8. & Aricam ad mare Pacificum 80. circiter, à Cusco urbe 160. in Mer. 360. leuc. ab urbe Boni aëris in Occ. Urbs perculta, indies crescit, licèt in arido solo sita. Ei adjacet mons cognom. ubi argentifodinæ præstantissimæ, detectæ An. 1544. sub Hisp. quæ singulis diebus supra XXX. M. Philippicûm olim dederunt, sed à paucis annis sensim deficiunt.

Potterus Franciscus, Anglus. Scripsit *Explicationem numeri Bestiæ 666.* quâ tum veram ejus exponendi rationem ostendit, tum Characteres exquisitissimos, quibus Antichristus, omnisque ejus Hierarchia ad vivum depingitur, solidè eruit. Latio donatus liber, à Joh. Schönauero, Basil. prodiit ibi An. 1656.

Potulatensii, Ptol. populi Daciæ, quorum urbs *Lippa*, teste Lazio; est, à Cenadio urbe 8. leucis in ortum, à Temesuaria totidem paulóve plus in Boream, urbs pulchra.

Povisia, Script. Brit. *Povvus*, & *Povvesland*, regio Cambriæ seu Walliæ, teste Lhuydo; in qua Sabrina fluvius ex Plynlimone monte oritur.

Povvatania, vulgò *Povvhatan*, regio Americæ septentrionalis, in Virginia versus Boream, ubi aliquot coloniæ Anglorum & Hibernorum à paucis an. versùs partem Occid. sinus Chesapeaci.

Povvatanus; vulgò *Povvhatan*, fluvius Americæ septentrionalis, in Virginia, quam bifariam ferè secat, & deinde in Oceanum se exonerat, prope Chesapeacum sinum. Ei adjacet Jacobipolis, Anglorum colonia; estque navigabilis per 20. m. p.

Povvisia, vulgò *Povvis* incolis, *Povvuland* Anglis, regio fuit Angliæ, in Wallia, & antiquitus Reges habuit proprios, tempore Roderici Magni An. 870. Sub ea erat regio *Povvis*, terraq; omnis Vagæ Sabrinæque fluminibus interjecta. Ab Austro & Occasu hyemali, Wallia australi; fluminibusque Vaga & Tivio, ac aliis terminis inclusa fuit, ab Arcto Guinetia seu Venedotia, & ab ortu Angliæ confiniis à Cestria usque ad Vagam paulò supra Herefordiam terminabatur; & posteà in Pouvisiam Vadociam, *Vadoc*, Pouvisiam inter Vagam & Sabrinam fluvios, & Pouvisiam Venvidiam; *Wenvvinvvyn*, divisa fuit; ejusque primaria urbs erat *Mathravval*, à qua etiam dicta fuit aliquando ipsa regio, teste Joanne Speedo; ibique sunt nunc Comitatus Radnoria, Herefordia, Montgomeriensis, & pars occidentalis Salopiensis, teste Hunfredo Lhuydo.

P R.

Praaspa, & *Praspa*, Steph. Dion. *Phraata* Appiano Alexandrino, urbs erat Mediæ quondam regia, Praaspa Stephano in Atropatia, qui etiam Phraaipan habet.

Praci, vel *Pracia*, populi sic dicti à *Prace*, qui relictâ Epiro Laconiam inhabitavit, Stephan.

Prævani, urbs Illyriæ, Idem.

Practium, Hom. Strab. oppidum fuit Mysiæ, in Asia, ad Hellespontum; cum fluvio cognomine inter Abydum & Lampsacum urbes situm; teste Strabone. Unum ex iis quæ Trojanis auxilia miserunt, ut apud Homerum. Vide Strab. *lib.* 13. Hesych. πράκτιον, ...

Præcia, Rom. mulier, venustate formæ nulli secunda, quæ suâ pulchritudine Cethegum sibi adeò devinxit, ut nihil ab eo probaretur, nisi quod illa jussisset. Plut. *in Lucullo.*

Præconius, L. Ælius Stilo ob id cognominatus, quòd præco purpurâ latiore tunicæ usus fuerit, Plin. 33. 1. Ubi alii *Præconinus*.

Præconnesus, Insula in quam Nicephorus Patr. imaginum defensor, à Leone Armenio Imp. relegatus est. Latus Comp. *Hist Univ.*

Præcopia, urbs Tauricæ Chersonesi, à veteribus Græc. *Eupatoria*, Pompejopolis, sacer lucus. Dromon vel Cursus Achillis seu Grecida, Heracleum vel Heraclea appellata, Mercat. Metel. V. *Precopia*.

Prædestinatiani, bona opera fidelibus nil prodesse docuere, sec. 5.

Prædium Joseph, quod dedit Jacob filio suo Joseph, supra fratres suos: estque apex amœnus & fertilis in tribu Ephraim, in quo ossa Joseph ex Ægypto allata sepulta sunt.

Præfectura, non tam officii, quàm urbis in qua Præfectus mittebatur, nomen est. Hinc præfecturæ (quas post municipia retulimus) urbes erant, ad quas Præfecti, qui jus dicerent, ex urbe Roma mittebantur. Harum conditio mutabatur; nam ex municipio præfectura, vel è contrà ex præfectura municipium fiebat, & ex utroque colonia sive ex colonia præfectura aut municipium. Nonnunquam ex his civitates jure civitatis donatæ creabantur. Hic præfecturas, quæ & municipia & coloniæ factæ leguntur, subjiciemus.

Præfectura, quæ Municipia, vel etiam Coloniæ fuerunt, in Italia:

Acerræ, in Campania.	Cumæ, in Campania.
Alliphæ, in Samnio.	Formiæ, in Latio novo.
Anagnia, in Latio.	Fundi, in Latio.
Aquinum, in Latio.	Gabii, in Latio.
Aricia, in Latio.	Liternum, in Campania.
Arpinum, in Latio.	Neapolis, in Campania.
Atella, in Campania.	Nursia, in Umbria.
Atina, in Latio.	Placentia, in Gallia Togata.
Bononia, in Æmilia.	Præneste, in Latio.
Cære, in Hetruria.	Privernum, in Latio.
Calatia, in Campania.	Puteoli, in Campania.
Calenum, in Campania.	Reate, in Sabinis.
Cales, in Campania.	Saturnia, in Hetruria.
Capua, in Campania.	Sora, in Latio.
Casilinum, in Campania.	Suessa, in Campania.
Casinum, seu Cassinum, in Latio.	Suessula, in Campania.
Claudia, in Hetruria.	Tiber, in Latio.
Cora, in Latio.	Verafrum, in Samnio.
Cosa, seu Cossa, in Hetruria.	Vulturnum, in Campania.

Urbes, quæ coloniæ, aut municipia, vel præfecturæ non erant, civitates fœderatæ dicebantur, idque tam in Italia quàm extra. Tametsi quæ in Italia jure civitatis donabantur, cum prius essent coloniæ, aut municipia, aut præfecturæ, civitates quidem, at non fœderatæ, vocabantur.

Præfectus prætorio, apud Gallos idem cum Majore Domus. Symphor. Campegius *lib.* 4. *de Orig. & Geneal. Caroli M. fol. E.* 11. scribit: *Tempore Theodorici Regis, Francorum inertiâ Regum*, Prætorio præfectus proximam à Rege dignitatem obtinebat. Ad hanc potentissimi quique Francorum summâ contentione nitebantur, &c. Is erat Major Domus. Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

Præguttii, qui & *Præguttiani*, & *Præcutini*, Italiæ pop. in Piceno, trans Truentum fluv. in Aprutiâ, reg. *Abruzzo* vulgò dicitur.

Prælati Ecclesiæ olim vocabantur, ne dùm Superiores, ut Episcopi; sed etiam inferiores, ut Archidiaconi, Presbyteri, Plebani & Rectores Ecclesiarum: Et rectè quidem Rectores ipsos Ecclesiarum, cùm ex more Regum dicantur inthronizari, sic nominari ait. Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.* Meliùs eum Scriptura Episcopos, seu Inspectores, Dispensatores mysteriorum divinorum, Ministros, &c. vocaverit.

Præmiacum, Vineto *Preugnac*, vel *Pregnac*, pagus agri Burdigalensis, apud Garumnam fluv. à Burdigala 6. leucis Agennum versus. De quo Fortunatus *lib.* 1.

Præmissum, aliter *Athenæum*, id est, Minervium, non procul à Vesuvio, Strab.

Præmonstratum, pagus geminus cum Cœnobio: unus in Gall. Celt. in Normanniâ, in territorio Bajocensi, teste Cænali. Alter in Belgio in sylvâ Arduennâ apud Laudunum urbem Picardiæ, vulgò *Premonstré*. Vide Munster. *lib.* 3. Baudr. Burgus est Galliæ, in Picardia, cum Cœnobio, unde *Ordo Præmonstratensis*, cujus Generalis ibi moratur, 3. leuc. à Lauduno in Occid. Noviodunum versus 6. circiter. Sunt etiam aliquot ejusdem Ord. Cœnobia in Arduenna Silva & in Normannia: nullus autem locus *Præmonstratum* dictus, Morer. *in Dict. Hist.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & infra in voce, *Pratum Monstratum*.

Præneste, urbs Latii una ex celeberrimis, in finibus Æquorum, à Româ 24. m. p. versus Fucinum lacum, Memoratur Plauto, Ciceroni, Varroni, Virgilio, Propertio, Horatio, Livio, Dionysio, Vellejo, Val. Maximo, Straboni, Plinio, Statio, Juvenali, Suetonio, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Floro, Solino, Itinerariis, Servio Honorato, Martiano Capellæ, Festo, Stephani Epitomatori, & aliis. Vocabulum ejus declinatur in Genitivo ac Dativo tantùm, ut *Tergeste, Ateste, Soracte, Reate, Teate.* Virg. *Æn* 7.

Quiq; altum Præneste viri, quiq; arva Gabinæ
Junonis, gelidumq; Anienem & roscida rivis
Hernica saxa colunt. ——

Horat. *Carm. lib.4. Od.4.*

—— *Seu mihi frigidum*
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuere Bajæ.

Statius *Sylv. 4. Carm.4.*

Hos Præneste sacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra.

Et fœminino genere, ut omnia oppidorum licet effari nomina. Virgilius *Æneid.8.*

Qualis eram, cùm primam aciem Præneste sub ipsâ
Stravi. —— —— ——

Juvenalis *Satyr.3.*

Quis timet, aut timuit gelidâ Præneste ruinam?

Propertius *lib.2. eleg.32.*

Nam quid Prænestis dubias, ô Cynthia, sortes,
Quid petis Æœi mœnia Telegoni?

Et quemadmodum *Soracte*, Hetruriæ mons, & *Reate*, Sabinorum oppidum, Græc. dicebantur Σώρακτος & Ῥέατος, ita *Præneste* etiam Dionysio, ac Straboni, & Plutarcho, & Appiano, Stephanoque Πραίνεστος dicitur. Apud Plautum, *in Capteivveis*, τὴν Πραινέστην, corrupte pro Πραίνεστον positum censet Cluverius. Oppidani passim Πραινεστῖνοι, corrupte apud Appianum Ἐμφυλ. α. Πραινίσιοι. Dionysio *lib.5.* sunt Πραινεστηνοί. De nominis origine sic tradit Pompejus Festus: *Præneste dicta est, quia is locus, quo condita est, montibus præstet.* Sed hoc ille aliunde habuit. Servius ad supra scriptum locum Virgilii *Æn. lib.7. Altum Præneste, Cato dicit, quia is locus montibus præstet, Præneste oppido nomen dedit.* Sane meragrammatica, non historica, est originatio. Stephani epitomator ita tradit: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Πραινέστου, τοῦ Λατίνου, τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοῦ. Martian. Capella *lib.6. Præneste conditum ab Ulyssis nepote Præneste; licèt alii velint Cæculum conditorem.* At illud antiquius in primis tradidit auctor Zenodotus Trœzenius: quem Dionys. *lib.2.* testatur Umbricæ gentis historiam scripsisse: quanquam Suidas etiam alium referat Zenodotum, Ephesium, natione Alexandrinum, qui Romæ nescio quibus temporibus vixerit, Solin. *c.8. Præneste conditum est, ut Zenodotus refert, à Præneste, Ulyssis nepote, Latini filio: aut, ut Prænestini sonant libri, à Cæculo.* De hoc Cæculo ita canit Virgil. *Æn.7.*

Nec Prænestinæ fundator defuit urbis;
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inventumq; focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus. —— ——

Vide sis illic Servium. Apud Plut. *in Parallelis*, tertius memoratur urbis Prænestinæ conditor: Τηλέγονος, inquit, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, ἐπὶ ἀναζήτησιν τοῦ πατρὸς πεμφθεὶς, ἐμαθε πόλιν κτίσαι, ἔνθα ἂν ἴδῃ γεωργοὺς ἐστεφανωμένους, καὶ χορεύοντας. Γενόμενος δὲ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενος ἀγροίκους πρινίνοις κλάδοις ἐστεφανωμένους, καὶ ὀρχήσει προσδιατρίβοντας, ἔκτισε πόλιν ἀπὸ τοῦ συγκυρήματος, Πρίνιστον ὀνομάσας, ἣν Ῥωμαῖοι παραγώγως Πραίνεστον καλοῦσιν, ὡς ἱστορεῖ Ἀριστοκλῆς ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν. Hinc Plin.3.5. *Prænestini: urbe quondam Stephane dicta.* Ut innumeros passim alios, ita circa hanc etiam fœdum nobis tradidit errorem Stephanus: cujus epitomator, Τίβουρις, inquit, πόλις Ἰταλίας. Αὕτη Πολυστέφανος ὠνομάζετο πρότερον. Hunc errorem Stephanus ex Strabone hausisse videtur, oscitanter perlecto; Sic quippe ille habet *lib.5.* Πραίνεστος δ' ἐστὶν ὅπου τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον. Ἀμφότεραι δ' αἱ πόλεις αὗται τῇ αὐτῇ προσιδρυμέναι τυγχάνουσιν ὀρεινῇ. Διέχουσι δ' ἀλλήλων ὅσον σταδίους ἑκατόν, τῆς δὲ Ῥώμης Πραίνεστος μὲν καὶ διπλάσιον, Τίβουρα δ' ἔλαττον. Φασὶ δ' Ἑλληνίδας ἀμφοτέρας Πραίνεστον γοῦν Πολυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον. Ἐρυμνὴ μὲν οὖν ἑκατέρα, πολὺ δ' ἐρυμνοτέρα Πραίνεστος. Ἄκραν γὰρ ἔχει τῆς μὲν πόλεως ὑπερθεν ὄρος ὑψηλὸν, ὄπισθεν δ' ἀπὸ τῆς συνεχούσης ὀρεινῆς αὐχένι διεζευγμένον, ὑπεραῖρον καὶ δυσὶ σταδίοις τούτου πρὸς ὀρθίαν ἀνάβασιν. Πρὸς δὲ τῇ ἐρυμνότητι καὶ διώρυξι κρυπταῖς διατέτρηται πανταχόθεν, μέχρι τῶν πεδίων, ταῖς μὲν ὑδρείας χάριν, ταῖς δὲ ἐξόδων λαθραίων, ὧν ἐν μιᾷ Μάριος πολιορκούμενος ἀπέθανε. Ταῖς μὲν οὖν ἄλλαις πόλεσι πλεῖστον τὸ εὐερκὲς πρὸς ἀγαθοῦ τίθεται, Πραινεστίνοις δὲ συμφορὰ γεγένηται διὰ τὰς Ῥωμαίων στάσεις, καταφεύγουσι γὰρ ἐκεῖσε οἱ νεωτερίσαντες, ἐκπολιορκηθέντων δὲ, πρὸς τῇ κακώσει τῆς πόλεως καὶ τὴν χώραν ἀπαλλοτριοῦσθαι συμβαίνει τῆς αἰτίας μεταφερομένης ἐπὶ τοὺς ἀναιτίους. Tanta hujus urbis antiquitas est, ut 1500. amplius An. ante natum Christum condita fuerit. Hinc etiam inter alios prisci Latii populos connumerata fuit, Liv. *lib.2. Præneste ab Latinis ad Romanos descivit.* Amplam tenuisse ditionem, patet ex ejusdem Livii *lib.6. Octo præterea oppida erant sub ditione Prænestinorum. Ad ea circumlatum bellum.* Coloniam postea factam Romanorum ex Cicer. *Catilinariâ primâ* patet: *Quid cùm te Præneste, in primis, occupaturum nocturno impetu esse considere; sensistine, illam coloniam meo jussu, meis præsidiis, custodiis, vigiliisq; esse munitam?* Sed municipium etiam fuisse, testantur lapides antiqui; tum Florus atq; Festus: quorum ille *lib.3. c.21.* quod est de bello Civili Mariano: *Possitus singulorum hominum ferè pœnis municipia Italiæ splendidissima sub hastâ venierunt, Spoletium, Interamnium, Præneste, Florentia.* Ut verò Florus, inter splendidissimas Italiæ urbes, Præneste computat, ita Appian. *Civil. 1.* inter opulentissimas; eandem cum Floro historiam narrans de bello Mariano: Τὴν πόλιν, inquit, διήρπαζε πολυχρηματωτάτην ἐν τοῖς μάλιστα τότε οὖσαν, ἕως μὲν δὴ καὶ Πραίνεστος εἱλεῖτο. At nihil pene æquè celebre fuit Præneste, ac *Fortunæ Primigeniæ* in innumeris fere lapidibus cognominatæ templum. Unde Statius 4. *Sylv. 4. sacrum* vocat. Et Silius *lib.8.*

—— —— *Sacrisq; dicatum*
Fortunæ Præneste jugis. ——

Lucanus: —— *Vidit Fortuna colonos*
Prænestina, suos cunctos simul ense recisos.

Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.3. pag.933.* Baudr. hæc urbs Latii olim, hodie Campaniæ Rom. & dit. Pontif. intra montes; *Palestrina*, 21. mill. p. à Roma in Ort. æstiv. seu 170. stadiis inter Tibur, à quo in Eur. 12. m.p. abest & Anagniam. Olim tum summo in jugo montis assurgebat, & ubi hodie arx incolitur, tum ad radices ipsius montis, ubi Cryptarum & parietinarum vett. plurima monumenta sub æde Fortunæ, quæ montis in clivo constructa, gradatim opere ambitiosissimo assurgebat. Sed antiqua illa civitas à Bonifacio VIII. diruta, & in valle reædificata fuit. Sita est prope Veresim fluv. estque Episcopatus, uni ex 6. antiquioribus Cardinal. tribui solitus. Vide Joseph. Mariam Suaresium, Ep. Vasionensem, *de antiq. Præn.*

Prepesinthus, vel *Prepsinthus*, ins. parva maris Ægæi, una Sporadum, à Melo parum distans in Austrum, *Arzentara* Nigro. *Argentiera*, Baudr. prope oram Meli Bor. juxta prom. Album. Strabo dicam scribit Artemidoro, quòd *Prepesinthum, Gyarum & Oliarum* Cycladibus accenseat; Tamen de *Gyaro* Varro & Hyginus, & de *Oliaro* Plinius, Stephanusque idem sentiunt. De *Prepesintho* præter Geographos, eosque paucissimos, non meminit ullus veterum, quod quidem sciam. Nempe propter saxa, aut arenas deserta fuit insula; sed propter saxa potius, ut suspicatur Bochart. Nam *Prepesinthum* dici putat, pro *Tresesintho*, quomodo πίσυρες pro τέσσαρες, quasi *saxosam* dixeris. Syris enim & Phœnicibus טרשא *tarsa*, & primâ geminata טרשישא *tarsisa, saxum* aut *rupem* sonat.

Præpositus Jacobus, Antverpiæ Evangelium docuit, dum Lovanii Martinus Dorpius, Trajecti Johannes Rhodius, Delphis Cor. Horvius, & Grapheus Hagiensis eodem munere fungebantur, An. C. 1521. Hi Nov. Test. primò, dein tota Biblia, in idioma Belgicum transtulerunt, &c. Abrah. Scultetus *in Annal. Belg. &c.*

Præsens, Cos. cum Rufino, An. U. C. 905. Alius Consul cum Albino, An. 998.

Præsidium, oppid. Angliæ in Com. Warwicensi, Conventriæ urbi finitimum, *Warvvick* Camdeno.

Præsidius, Consul cum Asterio, An. U. C. 1247.

Præstes, Minerva, quòd *præiret*, & se veluti ducem hominibus exhiberet. Dicebatur etiam *Astes*, quia *astat* viro bono, laterique ejus hæret comes fidelis. Macrob. Capella, Festus.

Præsti, Indiæ gens, Qu. Curtio *lib.9. cap.34. Præsida* forte male legitur pro iisdem, in Orosii *lib.3. cap.19.*

Præstolantes, dicti milites, quos Arminiani, causæ suæ diffidentes, conscripserant, prudentiâ Mauritii Principis exauctorati, An. C. 1617. Sequuta dein synodus Dordracena, An. 1618.

Præsus, urbs Cretæ, Stephan.

Prætetia, parva reg. non procul ab Adriâ.

Prætextatus, Consul cum Attico, An. U. C. 994.

Prætextatus, Præfectus urbis Romæ, luxu Pontificum viso, Papæ Damaso dicere solitus est: *Facite me Romæ Episcopum, & ero statim Christianus.* Circa An. 367. Hieron. *ad Pammachium*; qui idem testis est, divitias illos acquisivisse, partim piis oblationibus matronarum, partim fraudibus, osculando capita earum: *ad Nepot. ad Eust. & cap. 2. Mich.*

Prætides, corruptè pro *Prœtides.*

Prætius, urbs Mysiæ maj. in mediterraneis.

Prætor, variæ de hoc authorum sententiæ. Sunt enim, qui hoc nomine primùm appellatos Consules dicunt, atque ita à *Præeundo* deductum *Prætoris* nomen. Sed enim distinguere hunc à Coss. videntur 12. Tab. leges apud Cic. *l.3. de Legg. Regio Imperio duo sunto, iiq; præeundo, judicando, consulendo, Prætores, Judices, Consules appellantor. Militiæ summum jus habento, nemini parento, &c.* Ita Juvenal. *Satyr. 10. vers. 36. Prætorem* vocat, quem mox *vers. 41. Consulem* dixit. Quem locum interpretes aliò trahunt, quàm debebat, uti notat Faber. Prætores autem exercitus esse duces, inque bello præire solitos patet ex Cicerone, Cæsare, Gellio, Macrobio, Asconio Pædiano; quin sæpe gestum ab iis bellum. Etenim sub M. Thermo Prætore prima fecit stipendia Cæsar. Ejusdem dignitatis vir M. Acilius triumphavit de rege Antiocho, & victis Ætolis. Missus in Hisp. Scipio Africanus Prætor An. æt. 25. ut & Sempron. Gracchus Prætor Galliam domuisse legitur. Græci quoque ut plurimum *Prætorem* στρατηγὸν, id est, *belli ducem* interpretantur. Licuit ergo illis auctoritatem exercere suam in castris. Sed, an præsente Consule? Major hujus & auctoritas & potestas fuit; Itaque id non ita liberum; aut concessum fuit eo præsente. Alii volunt Veteres omnem magistratum, cui pareret exercitus, appellasse Prætorem. Hinc tabernaculum ducis dici *Prætorium*, quod στρατήγιον Josepho dicitur *lib. 3.* Ἁλώσ. Hinc esse nomen *portæ prætoriæ* in castris, & *præfectum prætorio* constitutum sub Principibus, sicut Arcadius & Pomponius tradiderunt, datâ illi pleniore licentiâ ad publicæ disciplinæ emendationem. Utcunque, à *præeundo*, seu jure.

in exercitu, nomen eum arcessere volunt. Pomponius autem & Fenestella, à *praeesendo* deducunt. Primus Prætor fuit Sp. Furius Camillus, M. fil. qui quoniam jus dicebat urbanis, appellatus est *Prætor urbanus*. Penès hunc adeò erat omnis publici privatiq; juris potestas, ut & novum jus condere posset, & abrogare vetus. Cùm enim Coss. occuparentur finitimis bellis, & proinde, qui jus diceret, in civitate non esset, Prætor creatus est, qui jus redderet, donec illi abessent, bello distenti, teste Livio, etsi Fenestella referat causam creationis, in diuturna certamina patrum. Cùm enim alterum Consulum ex plebe creari concessissent, simul obtinuerunt, ut & minor magistratus crearetur ex patribus, qui, quòd populo præiret, Varroni *Prætor* dictus est. Apud Ciceronem, ubi supra, audit hic *juris disceptator*, item *juris civilis custos*; cui quoque tantum honoris est attributum, ut *jus* ejus *Honorarium* appellaretur. Annis verò aliquot elapsis, propter peregrinorum turbam in urbem confluentium, additus illi fuit alter Prætor, *Peregrinus* dictus, idque factum An. U.C. fere 12. supra quingentesimum. Utriusque autem potestas adeò par erat, ut alter alterius decreto intercederet, si quis appellasset, teste Asconio *in 3. Verr.* Quanquam dignitas Urbani fuerat major, qui & propterea dictus est *Major*, ut peregrinus *Minor*. Aucto tandem magis & magis imperio, auctus simul fuit Prætorum numerus, usque ad octodecim, teste Fenestellâ. Nam 4. adjecit Corn. Sylla. Inde 16. esse voluit Augustus, atque his Claudius adjecit duos. Imò captâ & occupatâ tandem Sardiniâ, totidem sunt creati Prætores, quot Provinciæ in ditionem pervenerant. Insignia & ornamenta Prætorum fuerunt 6. lictores, cum totidem securibus (quamvis Paulus Æmilius 12. habuisse dicatur) Prætexta, sella curulis, hasta jurisdictionis signum, gladius quæstionum, denique albi equi *niveiq; ad frana Quirites*, uti loquitur Juvenalis. Magistratus tamen ejus tantùm annuus erat, ut & edicta ab eo proposita. Vide Lazium *lib. sec. Comment. de Rep. Rom.* ubi eorum sedes, ornamenta, insignia, ministeria, familiæ, satellites fusissimè ex Romanis historicis describuntur.

Prætoria Augusta, urbs Daciæ, vulgò *Brassovv*. Latinè *Corona*, & *Stephanopolis*. Germ. *Cronstat*, in Transylvania.

Prætorium, Pannoniæ super. urbs, Ptol. Simlerus putat ab Antonino *Prætorium Latum vicorum* dici, & hodie *Pridanich* nominari, auctore Moletio.

Prætorium, Angliæ oppid. *Coventrie* Talboto. *Patrington* verò Camdeno in agro Eboracensi Baudr. olim opp. Parisiorum, nunc pag. *Paterington*, in tractu *Holdernesse*, in prov. Eboracensi, ad Abi æstuar. Vix 3. mill. Angl. ab ora Oceani Anglici, inter Ocelum prom. ad Eur. & Peruariam ad Circ.

Prætorium maritimum Dalmatiæ, in portu Hyllis, nunc *S. Arcangelo*. Rudera ejus in territ. Traguriensi, vulgò *Traù Vecchio*, J.Luc.

Prætorium, circa Armeniam min. opp. Anton.

Prætutium, oppidum Piceni, Ptol. Sil. *lib* 15.

Tum quæ vitiferos domitat Prætutia pubes
Læta laboris agros. —— ——

Vide *Praguttii*.

Prævalis, & *Prævalitana* reg. pars fuit Illyrici, inter mare Adriat. ad Occ. Illyricum sinum ad Mer. & Scardum montem ac Epidaurum ad Bor. ubi nunc pars Albaniæ.

Praga, urbs Germ. amplissima, Bohemiæ regia, & Archiepisc. à Clem. VI. Pont. Rom. metropolis effecta. Vide *Marobudum*, *Casurgis* Ptolem. Eam aggere atque muro Primislaus tertius Bohemorum dux, cinxit, & ab ejus uxore Libussâ, à *limine*, quod Bohemicè *Praga*, inditum urbi nomen. Tres in partes dividitur, parvam, veterem, ac novam. Parva sinistrum latus Muldavæ fluv. occupat, colleque conjungitur, in quo sita est regia. Vetus in plano jacet, universa magnificis operibus adornata. Jungitur minori lapideo ponte 24. arcuum. Æn. Sylvius. Est ad Muldavam fluv. qui 3. leuc. infra in Albim cadit. Academiam habet à Carolo IV. Imp. erectam, An. 1370. Cum castro probè munito, 15. mill. Germ. à Budorissa in *Bor.* Dresdam versus 18. circiter, & 20 ab Egra in Ort. Sub Imperatore cum toto regno. Capta est à Johanne Bohem. R. pulso Henrico Carinthiæ Duce, An. 1311. cives Wenceslaum R. in carcerem conjecerunt, An. 1392. Urbs iterum à Gregorio Podiebrado astu occupata, An. 1441. aliquoties quoq; seculo hoc obsessa, capta, recepta est. Sub initium sec. 15. Johan. Hussus, Hieron. Pragensis, uterque Wiclefi discipuli, veteris salutis doctrinam magno zelo hic annunciantes, fundamenta jecerunt Ecclesiæ *Fratrum* florentissimæ: quæ per 2. secula in Bohemiæ regno divinitus conservata, nuperis bellis Bohemicis gravissima quæque passa est, reliquiis in Silesiam & vicinam Poloniam translatis. Vide Cluver. *descript. Germ.* Æn. Sylv. *Hist. Boh.* Bartium, *de reb. Germ.* & in voce *Fratres*.

Pragmatica Sanctio, nomen Edicti, à Carolo VII. Gall. R. Lutetiæ promulgati, An. 1439. cujus historia paulò altius repetita, hæc est. Olim, ut in aliis provinciis, ita in Gallia, si quis vacaret Episcop. vel Abbatia, Canonici & Monachi eligendi facultatem habebant; minora verò sacerdotia, ab Episc. & Patronis conferebantur: dein literæ omnes de rebus sacris, aut beneficiis, in sua quæque prov. disceptabantur. Has electiones Pont. Rom. eversum euntes, per *Reservationes*, atque *Gratias expectativas*, uti vocant, emolumentum omne Romam & ad se derivabant, litibus omnibus, etiam *primæ instantiæ*, eodem evocatis. Restitit animosè Ludovicus IX. tulitq; legem An. C. 1267. ut mos antiquus retineretur, nec ullum eo nomine tributum Romanæ sedi persolveretur. Vide Bochell. *Decr. Eccl. Gall. lib. 4. cap. 2.* Et valuit lex multis annis, successu tandem temporis ei derogante: donec Concil. Basil. aucupium istud denuo sustulit, veteribusque legibus restitutis, Annatas exigi prohibuit: quod decretum Carolus VII. de quo supra, re cum suis deliberata, Edicto, quod *Pragmaticam Sanctionem* vocant, confirmavit. Nec impetrare potuit Pius II. à Ludovico XI. ut ea aboleretur, demonstrante Regi Senatu supremo, quid Clodovæus, Carolus M. Philippus Deodatus, Ludovicus IX. Philippus Pulcher, Ludovicus Hutinus, Johannes, Carolus V. Carolus VI. quid ipsius denique pater, in eo statuissent. Interque alia ostendente: *Nisi Sanctio patris valeret, quotannis è Galliis Romam elatum iri decies centena millia aureorum*: (Hinc & in Germania saltem sub unius Maximiliani I. Imp. ætate, à septem Archiep. Mogunt. is sibi succedentibus loco *pallia* redempta in Pont. Rom. thesaurum intulerunt 175000. aureorum, quolibet 25000 pendere coacto: ac Jacobus Arch. moriturus non tam angi se de instante morte, quàm de tanto subditorum onere, testatus est.) Cumq; nihilominus Rex assensurus Papæ videretur, Procurator regius & Schola Parisina, magnis animis obsistebant, & provocabant à Pont. ad Concil. Dein Ludovicus XII. graves hoc nomine inimicitias exercuit cum Julio II. donec Franciscus I. qui Ludovico successit, cum Leone X. certis conditionibus Bononiæ transegit. Non omnis tamen hodieq; in Gallia Sanctionis vigor extinctus est, subinde, occasione se præbente, non inconspicuus. Vide Bochell. supra laudatum, Carolum Molin. *Comm. in Edict. Henr. II. contra parvas datas & abusus Curiæ Rom.* Nic. de Clemang. *tract. de Annatis non solvendis.* Duarenum *lib. 1. de sacr. Eccl. Minist. cap. 6.* Marc. Ant. *de Dominis lib. 9. de Rep. Eccl. cap. 9. &c.*

Pramnium, mons vel scopulus in insul. Icaro, unde *Pramnium vinum* cognominatum est, quod quidam quoque Φαρμακίτην appellant. Athen. *lib. 1. ex Eparchide & Semo.* De *Vino Pramnio* sic, inter alia, Athenæus scribit *lib. 1.* Εἶναι ἐν Ἰκάρῳ φησὶ Σῆμος, Πράμνιον πέτραν, καὶ παρ' αὐτῇ ὄρος μέγα, ἀφ' οὗ τὸν Πράμνιον οἶνον, ὃν καὶ φαρμακίτην τινὰς καλεῖν. Δίδυμος δὲ Πράμνιον φησὶ οἶνον, ἀπὸ Πραμνίας ἀμπέλου ὑποκαλουμένης. Οἱ δὲ ἰδίως τὸν μέλανα. Ἔνιοι δὲ ἐν τῇ καθόλου τὸν πρὸς παραμονὴν ἐπιτήδειον, οἱονεὶ παραμόνιον ὄντα. Οἱ δὲ πραΰνοντα τὸ μένος, ἐπεὶ οἱ πίνοντες εὐάρεστοι.

Pras, urbs Perrhæbiæ, Stephan.

Prasia oppidum, est in orâ Laconicæ maritimâ, quod ab Atheniensibus captum fuit, vastatum ac dirutum.

Prasiæ, vicus Athenis in Pandionide tribu. Incola *Prasius*, Steph.

Prasiana, ut Gillius, vel *Praxiana*, ut alii codices legunt. Πρασιανὴ legit codex Gesneri, Æliano Indiæ regio est, ubi ait simias maximis canibus non esse minores magnitudine. *Prasii* sunt etiam Plutarcho *in Alexandro*. *Pharrasii* Curt. *lib 9. 7.* *Tabrasii* sunt apud Diod. Pro Ταβρασίοις tamen, mavult Βρασίους legere Ortelius.

Prasias, palus in quâ Pæones habitant prope Obelum montem.

Prasii, Indiæ populi, Plin. 6. 18. *Sed omnium in Indiâ prope, non modò in hoc tractu, potentiam, claritatemq; antecedunt Prasii, amplissimâ urbe, ditissimaq; Palibothra.* Stephano Indiæ populus, qui contra Bacchum militavit.

Prasinus, equus Commodi, cui mortuo sepulchrum in Vaticano sumptuosissimum fecit princeps, sicut olim Bucephalo suo fecit Alexander. Alex. ab Alex. *lib. 6. cap. 14.* De *Prasina* agitatorum *factione*, vide Suet. *in Nerone, cap 22.* ibique Torrentium.

Prason, promunt. juxta mare Rubrum, Steph.

Praspenum, vide *Praaspa*

Prassæbi, gens Thesprotica, Steph.

Prassum, seu *Prasum*, Ptol. & Steph. Æthiop. inter. promunt. Hodie *Capo de Correntes*, Sansoni, in ora Cafrериæ leg. 180. leucis Hispan. à Mosambico in Mer. versus prom. Bonæ spei, è regione Insulæ Madagascariæ.

Prastillus, urbs Macedoniæ, aliàs *Crastillus*, Steph.

Prasum, Cretæ opp. Merid. versus.

Prasutagus, Icenorum rex, qui Neronem cum filiabus suis fecit hæredem.

Pratinas, Poëta Gr. floruit Olymp. 71. Primò Satyras, dein quoq; tragœdias condidit, æmulus Æschinis. Athen. *lib. 9. Suid.*

Pratita, qui & *Paredoni*, pop. circa Hyrcanum mare ad Portas Caspias. Plin.

Pratolinum, castrum Hetruriæ, in valle, ubi M. Ducis delitiæ & horti amœnissimi, 5. mill. à Florentia in Bor. *Pratolino*.

Prattala, vicus amplus Arragnviæ, in territ. Basiliensi, ab urbe bihorio distans: in planitie, ad montis radices, amplissimis pratis virente, cum arce eleganti. Olim sub nobilibus *ab Eptingen*, Basiliensibus postea pretio datus. Monstratur adhuc in prom. vicino locus, ubi arcem olim *zum Adler*, id est, Aquilæ castrum ingenui hi coluere, unde & Aquilam transversam fusci coloris & aliam supra galeam prominentem, in insignibus gerunt. E regione vici, ad Rheni ripam, inclyta olim Augusta Raurica. Vide ibi: & Urstis. *Epitom. Hist. Basil. cap. 3.*

Pratum, vulgò *Prato*, opp. amplum Hetruriæ, ad amnem Bisentium, medium inter Florentiam ad Ort. & Pistoriam ad Occ. in territ. Flor. sub M. Duce. Vulgi verbo Batulum Apuliæ, Fabrianum Piceni, Crema Lombardiæ, Pratum Tusciæ inprimis celebrantur.

Pratum Monstratum, vel *Præmonstratum*, Gall. *Premonstré*, locus ubi Norbertus monasterium nobile, caput Ordinis Præmonstratensium condidit, in diœcesi Laudunensi. Cœpit autem is institui An. 1120. Ex *Prato* Latini fecere diminutiva *pratula*, & *pratella*; Galli *preaux*, *presles*, & *pradelles*: quorum nominum multa sunt in Gallia loca. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Prausi, Strab. pop. Gall. ex quibus Brennus prodiit. Horum locus *Broja*, vel *Labroja*, in Burgundiæ Comitatu, Gollusio.

Praxagoras Atheniensis, sub Constante, Constantio & fortè adhuc Juliano Ap. Ann. æt. 19. scripsit historiam Regum Atheniensium, libb. 2. An. 22. de vita Constantini M. libb. 2. quem, Ethnicus licèt, omnibus Impp. reliquis præfert. Item, de vita Alexandri M. libb. 6. V. Photium, *Cod.* 62. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. Possev. *in app.*

Praxaspes, nobilis Persa, qui Smerdim Cambysæ fratrem, jussu regis, occidit. Herod. *lib.* 3.

Praxeas, hæreticus Asiaticus. Montani primùm discipulus, quo deserto & ad Pium Episc. R. delato, ipse postea in hæresin prolapsus est, quam Monarchici posteà, Sabelliani & Patropassiani amplexi sunt. Ter relapsus, plures negabat personas in Trinitate: sed eundem Patrem & creasse omnia, & in cruce pependisse: quòd (ut dicebat) communicata pluribus monarchia autoritatem principatûs minuat. Hujus argumentis respondebat Tertullian. *de præscript. & adv. Praxeam.* Vide Optat. *lib.* 1. *contr. Parmen.*

Praxidice, nympha ex Tremilo filium habuit Cragum, qui Lyciæ monti nomen dedit, Steph. Suidas in Πραξιδίκη· Διονύσιος δὲ, ἐν κτίσεσιν, Ὠγύγου (φησὶ) θυγατέρες. Ἀλαλκομενίαν, Θελξίνοιαν, Αὐλίδα, ἃς ὕστερον Πραξιδίκας ὀνομασθῆναι. Earum ædem & jusjurandum in eâdem fieri solitum, apud Haliartios fuisse, refert Pausanias *in Bœoticis*: Ἁλιαρτίοις δὲ ἐστιν ἐν ὑπαίθρῳ θεῶν ἱερὸν, ἃς Πραξιδίκας καλοῦσιν. Ἐνταῦθα ὀμνύουσι μὲν, ποιοῦνται δὲ οὐκ ἐπίδρομον τὸν ὅρκον. Harum una, Tremilo nupta: à quâ Lycia *Tremila* dicta. Panyasis apud Steph. in Τρεμίλη·

Ἔνθα δ' ἔναιε μέγας Τρέμιλος, καὶ ἔγημε θύγατρα,
Νύμφην Ὠγυγίην, ἣν Πραξιδίκην καλέουσι.

Eximiè autem ex his culta, ut videtur, Alalcomenia; quia nempe ipsa Minervam, Deam Athenis tutelarem, educasset. Itaque per excellentiam hæc simpliciter Πραξιδίκη dicta fuerit; ceditaque dicta ac facta ad finem perducere. Hesychius, Πραξιδίκην δαίμονά τινα φασὶ, τὴν ὥσπερ ἐπιτιθεῖσαν τέλος τοῖς τε λεγομένοις, καὶ πραττομένοις. Inde est, quòd Menelaus, capto Ilio domum redux, quasi opere perfecto, simulacrum dedicaverit. Pausanias *in Laconicis*: Μενέλαος δὲ Ἴλιον ἑλὼν, καὶ ἔτεσιν ὕστερον ὀκτὼ μετὰ Τροίας πόρθησιν, οἴκαδε κομισθεὶς, ἄγαλμα θεᾶς Πραξιδίκας ἱδρύσατο. Erat verò simulacrum ejus nihil, præter caput: namque hoc solùm dedicabant. Suidas, Πραξιδίκη, Θεὸς, ἧς κεφαλὴν μόνην ἱδρύοντο. Et ut simulacra ejus nihil nisi caput erant, ita quoque capita tantùm victimarum immolabant. Hesychius, *ubi supra*: Διὸ καὶ τὰ ἀγάλματα κεφαλὰς γίνεσθαι, καὶ τὰ θύματα ὁμοίως. Ita locum illum legit Meursius; non καὶ τὰ θαύματα. Ejus quoque sacra commemorat Orpheus *in Argonauticis*:

Ὄργια Πραξιδίκης. ——

Praxilla, Poetria quædam Scholiorum auctor, quæ & cantica quædam παροίνια, in vino & compotationibus accini solita, scripsit, ut tradit Scholiorum auctor *in Aristophanis Crabrones*, *pag.* 519.

Praxilla, Sicyone poëtria, quæ inter 9. Poëtrias Lyricas, in suis cantionibus Adonidem inducit ab inferis interrogatum, quid apud superos reliquerit, respondere, *Solem, cucumeres, & mala.* Quod cùm vehementer insulsum videretur, cucumeres & mala cum Sole componere, abiit in Proverb. *Stupidior Praxillæ Adonide.* Dicitur Poëseos Praxillææ inventrix, Olymp. 82. Supersunt versus ejus ad Calaim missi. Euseb. *in Chron.* Athen. *lib.* 13. Pausan. *in Lacon.*

Praxilus, urbs Macedoniæ. Gentile *Praxilius*, Steph.

Praxion, res Megaricas condidit, teste Suidâ, & Aristoph. Schol.

Praxiphanes, historicus citatur Marcellino, *in vitâ Thucydidis.* Meminit & Laertius *in Platone.*

Praxiteles, marmoris sculpendi insignis artifex, Romæ, Pompeji M. tempore, duplici præcipuè Venere nobilitatus, Gnidiâ & Coâ, quæ ob artis præstantiam, magnam mortalium vim in eas insulas ad sui spectaculum allexerunt. Sed Gnidia vesano amore juvenis cujusdam insignis, qui delituit in templo, simulachroque cohæsit; tum Nicomedis æstimatione regis, grandi Gnidiorum ære alieno permutare eam conantis, plus famæ adepta est. Natus est in extremâ Italiæ orâ, quam Magnam Græciam olim vocabant, deinde ob artis excellentiam civitate Romanâ donatus est; quam plurimis etiam egregiis signis ornavit. Scripsit, (teste Varrone) 5. volumina nobilium operum in toto orbe. Ejus Romæ opera, Triptolemus, Flora, Ceres in hortis Servilianis, Boni Eventûs, & Bonæ Fortunæ simulacra in Capitolio: item & Mænades, & quas Thyadas vocant & Caryatidas, & Sileni in Asinii Pollionis monumentis, & Apollo & Neptunus. Plin. *lib.* 33. *cap.* 34. & 36. 5. Claruit autem potissimum candido marmore, quod ab insulæ nomine, in quâ effodiebatur, Parium dicitur. Prop. *lib.* 3. *eleg.* 2.

Praxitelem Parius vindicat arte lapis.

In Catalectis:

Nec me Praxiteles Scopasve fecit.

Vide Anthol. *lib.* 4. de ejus Venere. Hic cùm Satyrum ex Pario marmore, & Cupidinem ex Pentelico lapide summâ industriâ elaborasset, Phrynen meretricem insigneque scortum amore deperiisse fertur: à quâ interrogatus, Quodnam opus haberet formosissimum? Tacuit ipse, spondens autem ei quod eligeret se daturum. Technâ verò quâdam Phrynes servus accurrit, Officinam Praxitelis ardere nuntians. Intentus itaque Praxiteles, impendio resistere sperans, foras repentè sese proripuit, inquiens; *Nihil misero mihi ex laboribus superest, si Satyrus & Cupido conflagrarint.* At Phryne; *Ne festines*, inquit, *calliditate tantùm meâ circumventus es.* Tali itaq; astutiâ Cupidinis simulachrum Phryne à Praxitele dono accepit. Id autem, eâ mortuâ, à Thespiensibus octingentis aurinis comparatum, Cajus Cæsar Romam advexit, quod postea à Claudio Imper. remissum, Nero denuo abstraxit. Athen. *lib.* 12. Theocr. *Schol. Idyll.* ait, duos fuisse Πραξιτέλεις, τὸν μὲν ἀρχαιότερον, ἀνδριαντοποιὸν, τὸν δὲ νεώτερον ἀγαλματοποιόν· οὗτος δὲ ἦν ἐπὶ Δημητρίου τοῦ βασιλέως. Hinc *Praxitelius.* Cic. *de Divinat. In omni marmore non necesse est inesse Praxitelia capita.*

Preciani, pop. Aquitaniæ, proximi Bigerronibus seu Bearniæ & Hisp. citeriori. *Bear* hodie, aut *Bajonne.* *Precins*, autem Vigenereo, *Annot. in Cæsarem.*

Precius, Etruriæ lacus. Aliis *Prelius.* Ejus mem. Cic. *Orat. pro Mil.* Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 474.

Precopia, vulgò *Precops*, urbs Tauricæ Chers. aliàs *Taphra.* Hinc Taur. Chers. nunc *Tartaria Precopensis* dicitur seu *minor.* Inter Bugem lacum ad Ort. & Carcinitem Sinum ad Occ. in ipso Isthmo. V. *Præcopia*, Item, *Tartaria min.* seu *Precopensis.*

Pregedundus, Vide *Fregedundus.*

Premislaus, Vide *Primislaus.*

Premislia, vulgò *Przemysl*, urbs ampla Russiæ nigræ, ad amnem *San*, Ep. sub Arch. Leopoliensi. 10. leuc. à limite Poloniæ maj. in Ort. 16. à Sandomiria in Mer. Hungariam versus 12. circiter. Arcem habet munitam in colle, estque elegans & probè culta.

Prendavesi, pop. Daciæ, quorum op. *Perennium* Lazio.

Prenicus, mons Liguriæ, in territ. Genuensi, à Genua 5. m. p. ubi vallis & pagus *Preneco*, apud vallem S. *Urciceni.* August. Justin an.

Prepis, mollis quidam & nefandâ libidine infamis Athenis, de quo Aristoph. Acharnan. *Act.* 3. *Scen.* 4. *Schol. pag.* 411.

Presbyter, quid in Ecclesia significet, notum. Sozomenus *l.* 8. *cap.* 12. Petrum, qui sub Arcadio & Honorio floruit, *Archipresbyterum* nuncupat: Socrates verò *lib.* 6. *cap.* 9. *Protopresbyterum* Alexandrinæ Eccl. atque hoc à gradu, ut videtur. Eâdem compositione in Orient. imperio *Protopapa* occurrit, quasi Archipapa; sed ut Codinus indicat, secundas obtinens ab Archisacerdore. Spelmannus *in Glossar. Archæol.*

Presbytera, aliàs pro vidua seniori, quæ in Ecclesiâ suo fungebatur munere: Conc. Laodic. *can.* 11. Aliàs de Uxore *Presbyteri* dicitur. Concil. Antissiod. An. 590. celebrati *can.* 21. *Non licet* Presbytero *in uno lecto cum* Presbytera *sua dormire*; *nec Diacono, nec Subdiacono.* Cui Binnius ut fucum faciat: Frequentissimè, inquit, *Presbyteræ* in Conciliis nominantur mulieres cœlibem agentes vitam illæ, quarum viri *Presbyteratus* ordine initiati vel erant, vel fuerant. Ita intelligendus est, ait, Canon. 21. Conc. Antissiod. Hæc ille, *notis ad Concil. Laodic.* Sed ex antiquo MS. Chronico *de gestis Henrici I.* Ann. 1105. refert Spelmannus, supra laudatus: *Et Ancelmus Archiepiscopus Cantuaria prohibuit Sacerdotibus Uxores non prohibitas*: eundemque subnectere ait, ac si ad rem novam denotandam: *prodigia alia atq; alia consecuta.*

Presbyterium, pars quoque Ecclesiæ dicta, quæ aliàs, Chorus vel potius ipse psallentium chorus. Angl. *the Quier.* Vita Leonis Pap. 4. *Tom.* 3. *An.* 618. *b.* apud eundem Spelmannum, *in Glossar.*

Prespa, *Apsalus* Ptolemæo, op. Macedon. & lacus apud Achridum urb. teste Cedreno cum Curopalate.

Pretiosi Johannis seu *Presbyteri Johannis* Imperium, ubi fuerit, non satis constat. Doctioribus tamen in Asia fuit, versus Tartariam; quanquam alii malè Abassinorum Imper. Presbyterum Johannem vocarint: De cujus erroris origine disserit Godignus, *cap.* 5. In Tartaria circa Cathayam regnarunt, ante multa secula, Imperatores Nestorianorum, dicti *Juhanna* communi nomine, ab Europæis Presbyteri Johannes, quorum potentia à Zingi Tartaro destructa fuit. Eo tempore, quo Lusitani Indiam detegebant, magna per Europam fama erat Presbyteri Johannis, quo tamen loco esset, ignorabatur. Quare, cùm Petrus Coillanus audivisset in Æthiopia esse Imper. Christianum potentissimum, credidit ipsum esse, qui Presbyter Johannes diceretur: Hic ergo primus Abassinum Imper. sic appellare cœpit, errore dein in omnes sparso. Vide *Abassini.*

Priasus, urbs Cretæ. Steph.

Priamus, Laomedontis fil. qui, Ilio ab Hercule everso, unà cum Hesione sorore in Græciam abductus est captivus. Postea tamen, auro redemptus, Ilion instauravit simul & exornavit, regniq; limites usq; adeò protulit, ut non solùm Trojæ, sed totius ferè Asiæ rex videretur. Felix 50. filiis pater: quorum 17. vel secundùm Hom. 19. ex justâ uxore (Hecubâ sc. Cissei Thraciæ regis filiâ) cæteros ex pellicibus habuit. Nomen ei ab eventu inditum, quòd puer ab Hercule captus, auro redemptus fuisset: Πρίασθαι siquidem emo significat. Etymologus: Πρίαμος ἐκ τοῦ πρίω, τὸ πωλῶ, τὸ ὀνομα-

ἐκ ταύτης ἔτεχε. Antea *Podarces* dictus fuit, teste Lycophrone. In bello Trojano vidit filios suos ferè omnes ab hostibus interfectos. Tandem capto Ilio & ipse à Pyrrho Achillis filio occisus est prope aram Jovis Hercei, in sanguine filii. An. regni 40. Virg. *lib.* 2. *Æn.* Horatio *dives Priamus* dicitur *Carm. lib.* 1. *Od.* 10. quia divites aurarias, vel auri fodinas, sive auri venas habuit juxta Abydum. Strabo *lib.* 14. Ὁ δὲ Πρίαμος πλοῦτος ἐκ τῶν ἐν Ἀβύδῳ περὶ Ἄβυδον χρυσείων μέταλλων. Ovid. *lib.* 3. *de Arte:*

—— —— *Troja maneret,*
Praeceptis Priami si foret usa senis.

Cic. *lib.* 1. *Tuscul. Priamum totâ progenie orbatum, quum ad aram confugisset, hostilis manus interemit.* Seneca *in Troade:*

—— *Ille tot Regum parens,*
Caret sepulcro Priamus, & flammâ indiget,
Ardente Trojâ. —— ——

Virgil. *Æn.* 2.

Hac finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incensam, & prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis, terrisq; superbum
Regnatorem Asiae: Jacet ingens litore truncus:
Avulsumq; humeris caput, & sine nomine corpus.

Unde Manil. *lib.* 4. —— *Priamumq; in litore truncum.*

Seneca Tragœdus,

Sigaea premit litora truncus.

Ennius majori ludibrio *semiassum* ait; sic enim ille in *Andromache:*

O pater, ô patria, ô Priami domus,
Septum altisono cardine templum,
Vidi ego te adstante ope barbaricâ
Tectis caelatis laqueatis
Auro, ebore instructum regificè;
Hac omnia vidi inflammarier,
Priamo vi vitam evitarier,
Jovis aram sanguine turparier.
Heu relliquias semiassi regis, denudatis ossibus,
Per terram sanie delibutam, fadè divexarier.

Ejus imperium, quibus olim finibus terminaretur, ex Homero Geographus ostendit, in haec verba *lib.* 13. Ὁ Ποιητὴς ἀπὸ τῆς περὶ Ἄβυδον τόπων καὶ τῶν περὶ τὴν νῦν Κυζικηνὴν χώραν ὑπαγορεύει μάλιστα τὰς Τρώας ἄρξαι μέχρι τοῦ Καΐκου ποταμοῦ, διῃρημένας κατὰ δυναστείας εἰς ὀκτὼ μερίδας, ἢ καὶ ἐννέα. Virg.

—— *Nec Priami regnorum eversor Achilles.*

Prop. *lib.* 2.

Et Phoebi & Priami diruta regna senis.

Idem *lib.* 4.

Longaevum ad Priami vera fuere caput.

Quinctus Ennius:

Cum veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo.

Priapeia, carmen obscœnum, quod nonnulli Tibullo, alii Ovidio adscribunt.

Priaponnesus, insula in sinu Ceramico. Plin. 5. 31. Hoc tempore caret habitatoribus & nomine. Ferrar.

Priapus, Liberi patris & Veneris fil. quem superstitiosa antiquitas hortorum praesidem credidit, addo & portuum. Leonidas vetus poeta:

Τοῦτ᾽ ὁ Πρίηπος ἐγὼ ἐπιτέλλομαι ὁ λιμενίτης.

De quo vide Vossium *de Idol. lib.* 2. *cap.* 7. & Dempsterum ad Rosinum *lib.* 2. *cap.* 20. Idem & Lampsacenus dicebatur, à Lampsaco, non ignobili Troadis urbe, ad Hellespontum sita, in quâ & natus creditur. Ferunt enim, Venerem Liberi patris amore captam, ei ex Indiâ redeunti obviam prodiisse, coronamque illi ex rubenti rosâ, tum primùm ex sanguine suo enatâ obtulisse, eaque illum coronatum, tanquam sponsum suum sequi se jussisse. Verùm cum ex illius concubitu gravidam sese & partui vicinam animadverteret, Lampsacum sese contulit, ut ibi partus tempus expectaret. Juno interim Zelotypiâ exagitata, cùm se parturienti opem ferre simularet, peractâ prius incantatione, deinde & utero ejus contracto fœtum ejus cùm caeteris omnibus partibus deformem, tum praegrandi pene dehonestatum reddidit. Quem cùm mater recens natum vidisset, pudore affecta pro neglecto habuit, Lampsacique reliquit. Verùm eum postea adultus Lampsacenis mulieribus nimium gratus esset, à civibus ejectum ferunt. Ob quam rem, quum nescio quo malo postea premerentur, templa ei & sacra constituerunt, factusque etiam hortorum Deus est. Immolabant ei asinum, quòd cùm olim in festo Magnae matris, ad quod omnes Dii convenerant, epulisque satiati noctem lusibus ducebant, Lotidi nymphae, sive, ut aliis placet, Vestae humi dormienti vim inferre conaretur, intempestivo asini, quo Silenus vehebatur, clamore excitata Virgo, manu eum rejecerit, magno omnium, qui aderant, risu. Ovid. 1. *Fast.* Hyginus verò tradit, ob id Lampsacenos asinum ei immolare consuevisse, quòd ab eo, cùm de magnitudine pudendi certarent, superatus videretur. V. Diod. *lib.* 5. Caeterùm Priapus recens est Deus, & ab Hesiodo ignoratus. *Fulgentius* inter Semones collocat, & cœlo receptum nondum esse perhibet, propter tenuitatem meritorum. Athenaeus ait esse Dionys. *l.* 1. Τιμᾶσθαι παρὰ Λαμψακηνοῖς ὁ Πρίαπος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διονύσῳ, ἐξ ἐπιθέτου καλούμενος οὕτως, ὡς Θρίαμβος καὶ Διθύραμβος. Giraldus tantùm Bacchi comitem esse tradit. Priapus (ut ait Theocriti *Schol. in Idyll.* α) παρ᾽ ἐνίοις ὁ αὐτὸς ἐστὶ τῷ Διονύσῳ, ἐκ τῆς ἰσομεγολογίας τῷ φαλλῷ. Ἔστι γὰρ οἷον ἢ Βελτίων, διὰ τοὺς ἐν τοῖς Βακχικαῖς καὶ μίμοις ἐκβαίνοντας, ἢ Πρίαπος ὁ ἀτείρεμος τὸ αἰδοῖον. Virgil. *Eclog.* 7.

Sinum lactis, & hac tibi liba Priape quotannis
Expectare sat est; custos es pauperis horti.

Idem *Georg.* 4.

Et custos furum atque avium, cum falce salignâ,
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Horat. *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;*
Cum faber incertus scamnum, faceretne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego furum aviumq;
Maxima formido.

Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 1.

Pomosisq; ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saevas falce Priapus aves.

Vide Mart. 6. 49. & 8. 40.

Priapus & *Priapum*; *Laspi*, teste Nigro; urbs Mysiae Asianae ad Hellespontum marit. cum fluv. cognomine. Pario & Lampsaco finitima. A Priapo Deastro, qui ibi colebatur, illamque condidit. Virg. *lib.* 4. *Georg.*

Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Plin. insulam sic vocat circa Joniam, & *Priapis*, reg. seu tractus.

Triarius, rex Alemannorum, cum XXXM. hominum oppressus, à Gratiano Imp. An. C. 380. Oros. *lib.* 7. *cap.* 19. *&c.*

Priene, *Palathia*, teste Nigro, urbs Joniae maritima in Cariae confin. quae & *Cadme* Straboni dicta. Inter hanc & Miletum Maeander fluvius in mare excurrit. Dionysius,

Μαίανδρος λιπαρῇσι καθέλκεται εἰς ἅλα δίναις,
Μιλήτου τε μέσηγυ καὶ εὐρυχόροιο Πριήνης.

Solinus *cap.* 43. ubi de Maeandro: *Praecipitatur in sinum, qui Miletum dividit & Prienen.* Hanc urbem verò nihil magis nobilitavit, quàm *Panionia* ibi celebrata; & Bias ibi natus, unus è septem sapientibus habitus. Inde *Prienensis justitia* Proverb. de integerrimo judicio, apud Geographum *lib.* 14. quòd Bias justissimus fuerit. Fanum inter alia Minervae praeclarum habuit. V. *Bias.*

Priene, urbs Bithyniae. Synodus 6. Constantinop.

Prillapum, urbs Macedon. in Albaniâ reg. quae Castaldo *Albanopolis* Ptolemaei dici videtur. Glycas.

Prille, *Aprilis* Antonino fluv. & lacus Hetruriae apud oram litoream; fluvius *Bruno*, lacus verò *Lago di Castiglione* ab opidulo proximo ex tab. recent. dicitur; à Roseto Urbe 6. m. p. in Occ. Dicitur etiam *Lago di Buriano*, ex castro parvo non longè distante. Ferrarius.

Prima, Romuli, ex Hersilia, secundùm quosd. filia.

Prima Justiniana, vulgò *l'Ochrida*, urbs Archiep. Macedoniae. A Justiniano Imper. dicta, quae prius *Achridus* vocabatur. Niceph. 17. 28.

Primasius; Episcopus Adrumeti, in Africa, Ann. 553. interfuit V. Conc. Oecum. Constantinopoli habito, Augustini doctrinae addictissimus. Scripsit in Epistolas Paulinas, vel potius ex Augustino huc pertinentia excerpsit: Prodiit hoc opus sec. praet. Idem Commentarium in Apocalypsin, & de Haeresibus libb. 3. edidit, in quibus supplet, quae Augustinus omiserat, docens in primo, quid agant; in duobus reliquis, quibus indiciis se prodant haeretici. Huic dedicavit Junilius, similiter Afer Episc. librum, *de partibus divinae Legis.* Victor Tunnensis; *in Chron.* Cassiodor. *de div. Lect. cap.* 9. Isidor. *in Cat. cap.* 9. Trithemius, Bellarminus, Baronius &c.

Primianus, Episc. Donatista. Vide *Caverna Susa*, *Maximilianus Diaconus &c.*

Primis, vel *Primmis* Plinio; *Premnis* Straboni urbs Æthiopiae sub Ægypto apud Meroen ins. gemina, magna & parva. Ptol. Illa, nunc *Fremona*, in Abissiniâ. If. Vossius.

Primislaus I. Dux Bohemiae, post Crocum, Patrem filiarum trium, Belae, Techae & Libussae: quae ultima regno admota An. aet. 25. postquam praefuisset cum laude, an. 13. Primislao, qui rusticanus homo fuerat, mirâ Dei providentiâ, nupsit. Hic itaque jam Rex, egregias sanxit leges, regnavitque per an. 44. Obiit A. 676. aet. 90. filio Nezamislo successore relicto.

Primislaus II. fil. Ladislai III. dictus est *Victoriosus* & *Tutus aureus*. Permissu Philippi Imp. an. 1199. aureâ coronâ cinctus, hoc mortuo Ottoni IV. fideliter servivit: unde *Ottocarus* dictus. Obiit ann. 1231.

Primislaus III. seu Ottocarus II. successit Venceslao, fil. prioris, An. 1253. Hospitalitate & fortitudine inclytus, Carinthiam, Stiriam, Carniolam &c. occupavit. Quas reddere coactus à Rodolpho I. Imper. qui illas filio Alberto, capiti Austriacae familiae, conciliavit, importunis Uxoris hortatibus, fœdere rupto, arma sumsit, sed in praelio occisus est, Ann. 1278. regni 25. Æn. Sylv. *Hist. Bohem. &c.*

Primus, Episcopus Alexandrinus, An. Dom. 10.

Prinassus, urbs Cariae. Steph.

Princeps Archus, primus Beneventi *Principem* se dixit cùm eatenus Duces vocarentur. Leo Mars *p.* 466. & inungi se fecit, Ibid.

 Vla-

Vladislaus quoque Hermannus, regio nomine abstinuit, & *Princeps* Poloniæ dici voluit: quod obtinuit usque ad Primislaum, qui A.C. 1295. regium titulum iterum sumsit.

Principatus Citerior, vulgò *Principato citra*, provincia regni Neapolitani, in Italia, eo in tractu, ubi aliàs Picentini & pars occidentalis Lucaniæ. Terminatur à septentrione Principatu ulteriori & partim Campaniâ felici, ab occasu mari Tyrrheno, uti à meridie, & ab ortu Basilicata provincia. Est ampla, & extenditur ad 70. milliaria à Circio in Eurum. Totius provinciæ caput est Salernum, *Salerno*; sunt que præterea Amalphis, *Amalfi*, Nuceria, *Nocera*, Caput aqueum, *Capacio*, Marsicum novum, *Marsico novo*, & Sarnum, *Sarno*, cum aliis minoribus, subestque dominio Hispanorum, uti & Principatus Ulterior.

Principatus Vallis Tari, vulgò *il Prencipato di Val di Taro*, ditio est Italiæ, in Longobardia, ad radices Apennini montis, atque inter Ducatum Parmensem ad Boream & ditionem Genuensem ad meridiem. Aliàs Principes habuit proprios è familia Landorum; nunc autem subest dominio Ducis Parmensis, frustra reclamante Principe Auria. Extenditur ad 18. milliaria versus Tarum fluvium; & ejus præcipua oppida sunt Burgus Vallis Tari, *Borgo di Val di Taro*, & Campianum, *Campiano*, ubi arx permunita.

Principatus Ulterior, vulgò *Principato oltra*, provincia regni Neapolitani, in Italia, ubi aliàs Hirpini populi. Est versus Apenninum montem, inter Capitanatam ad ortum, Campaniam felicem ad occasum, & Principatum citeriorem ad meridiem. In ea sunt Beneventum, *Benevento*, provinciæ caput, quæ tamen subest Summo Pontifici, Compsa, *Conza*, Avellinum, *Avellino*, Arianum, *Ariano*, & Alcedonia, *la Cedogna*. Antiquitus major pars Principatus ulterioris erat in territorio Beneventano & in ditione Pontificia; cum enim Summi Pontifices urbem Beneventanam sibi semper reservassent cum territorio adjacente, quod terminari deberet ad ipsorum beneplacitum, Clemens Papa VI. Legatum misit Bertrandum Cardinalem Deucium, à quo habita omnium diligenti informatione & antiquorum limitum, terminos territorii Beneventani sic definivit diplomate Pontificio, quod servatur in Archivo civitatis; estque hujus tenoris: *Urget nos Apostolica servitutis &c. ex certa scientia limitamus per modum & terminos infrascriptos, Inprimis Castrum Pontis inhabitatum, & inde ascendere Castrum Casaldoni, Castrum Campi lattari, Castrum montis Leonis, Castrum Sancti Severi, Castrum Fragneti Monfortis, Castrum Fragneti Abbatis, Castrum Sancti Georgii Molendinarii, Castrum Sancti Andreæ de Molinaria, Castrum Petræ majoris, Castrum Paduli cum suo suburbio, sive Casali Sancti Archangeli, Castrum montis Mali, Casale Templani, Castrum Apicis cum casalibus, Castrum Moroni, Castrum Venticani, Castrum montis Militum, Castrum montis aperti, Castrum montis Fuscoli cum casalibus, Castrum Tufi, Castrum Altavilla, Castrum Cepalloni, Castrum Petra Strumiera, Castrum S. Martini, Castrum Cervinaria, Castrum montis Sarveli, Castrum Tocci cum casalibus, Castrum Torregusii, cum casali Popisii & aliis casalibus. Volumus itaq; &c. Datum Avenione septimo Kalendas Junii anno nono, salutis autem* 1350. Sicque territorium Beneventanum erat amplum; nunc autem ab Hispanis valde fuit imminutum; complectiturque tantùm in præsentia Castra S. Angeli de Cupola, Mortam, Panellam, Montem Orsi, Maccolum, Sciarram, Pastenam, Balneariam, S. Marci à montibus, S. Lucii, S. Angeli, & Francavillam: quæ omnia vix 3. aut 4. milliaribus distant à Benevento.

Principis insula, vulgò *Ilha do Prencipe*, insula Africæ in sinu Æthiopico, detecta à Lusitanis, quibus etiamnum subest; & 120. mill. pass. distat ab insula S. Thomæ versùs Boream & oram Guineæ, à qua 90. mill. pass. distat.

Prinoessa, Ins. parva Epiri, ante Leucadiam, *Isola di S. Maura*; veluti scopulus. Plin. Ferrar.

Priola, urbs prope Heracleam.

Priolas, Lyci Mariandynorum regis frater, Dascyli filius, Tantali nepos, ab Amyco occisus. Secundùm aliquos non frater Lyci, sed filius fuit.

Prion, Getarum Princeps auxilio Persæ contra Æëten veniens, ab Jasone occisus in prœlio. Val. Flac. VI. 620.

Prion, vulgò *Prim*, fl. Arabiæ fel. ad montem Prionotum, in mare Rubrum & Sinum Sachalitem influens, Ptolom. Item mons Coi Ins. Plin.

Prionotus, Molctio *Sachalat*, mons Arabiæ fel. in ora Or. apud Syagrum prom.

Pripetus, fl. Poloniæ, *Przipiecz*. Oritur in Russia N. & in Palatinatu Brzeziensi, paulò supra Holounam arcem, dein per Polesium fluens Pinam & Jasioldam fl. recipit infra Pinscum, ubi postea Steram, Horinum, Stuckam, Olevvskam, aliosque, quibus auctus per Ucraniam, ac Palatinatum Kyoviensem fluens, ibi in Borysthenem cadit, 2. m. Germ. infra Czernobolum, uti 7. super Kioviam. *Pripetius* etiam.

Prisca, adjutrix Pauli. Rom. 16.

Prisca, & Maximilla, 2. mulieres Pseudoprophetissæ, & Montani hæretici meretrices. Euseb. 5. 16.

Priscianus, Cæsariensis, claruit Athenis tempore Justiniani Imp. Scripsit de arte Grammaticâ, ad Julianum cons. ad Chosroën verò Persarum regem lib. de naturalibus quæstionibus. Convertit in Latinum sermonem Dionysii, de situ Orbis, carmina. Sunt qui scribunt, hunc ab initio Christianum, deinde fidei desertorem fuisse. Volater. Pars operum ejus ab Elia Vineto aliisque edita. Floruit Constantinopoli, An. 525. Cassiodor. V. Gesner. in Bibl. &c. Nomen ejus, in codice antiquissimo & emendatissimo *Prascianum* esse, notat alicubi Hadr. Valesius.

Priscilla, uxor Aquilæ Pontici. *Act.* 18.

Priscilla, Matrona Rom. suasu Marcelli I. Episc. R. Cœmeterium, ad humandos Martyres & fideles, extruxit, An. 306. Item, fœmina illustris, Montani discipula: unde *Priscilliani*, Montani sectatores; minimè cum Priscillianistis confundendi. De quibus *in Priscillianus*.

Priscillianus, Hæresiarcha, caput Priscillianistarum. Hispanus, stirpe nobili, opulentus, ingenio, eruditione & eloquio valens: laboris præterea, insomniæ, aliarumq; molestiarum patiens, ab avaritia alienus, sed superbus. Adventu in Hispaniam Marci cujusdam, qui Gnosticorum abominationes in Galliis asserat, & in Hispaniam delatus, inprimis carnis voluptates auditoribus instillabat, huic mox adhæsit, sub humilitatis profundæ velo vitia tegens, & à fœminis velut vir Dei cultus, sectâ hac detestandâ brevi longè lateque serpente. Ultra deliria Gnosticorum, deliravit insuper, Animam de substantia divina decisam, dum per 7. cœlos delabitur, in manus incidere Principii mali, à quo corpori immittatur. Hoc autem è duodecim partibus constare dixit, quarum cuivis signum quoddam cœleste præsit. Esum animalium, conjugiumque damnavit, matrimonii nuptiæ celebrasses. Voluntatem hominis Astris subesse, & fatali necessitati, Dominumq; nostrum simul Patrem esse & Spiritum S. docuit, personas cum Sabellio confundens. Singulis Dominicis & festo Nativ. jejunium suis indixit, quia CHRISTVM veram carnem assumsisse non credidit. Sectatores ejus, quoties apud Orthodoxos S. Cœnam sumebant, panem sacrum intra os retinuerunt; mendacium licitum esse rati, plurimis hæresibus consarcinatis, solo nomine à Manichæis differebant. Volumen habuerunt *Libram* dictum, in quo 12. quæstiones, velut totidem unciæ, horrenda eorum dogmata continebant. Cæsaraugustæ, ab Episcopis Catholicis condemnati, Ann. 381. in pejus ierunt, & Priscillianum Episcopum crearunt. Hinc ope Gratiani Imp. imploratâ ab Orthodoxis, illi templis, pagisque pulsi sunt: quod edictum vulgo ingentem incussit metum: At Salvianus, Instantius, & Priscillianus in Italiam transgressi, obtinuerunt per amicos, ut Rescripto Imperatorio restituerentur. Redierunt ergo triumphabundi, licet ægerrimè ferrent, quòd à Damaso Romæ, ab Ambrosio Mediolani, & Delphino Burdigalæ tantâ vi ipsis esset resistum. Post Gratiani mortem, Concilio Burdigalensi denuo damnati, An. 385. provocarunt ad Maximum, qui Imperio arrepto, Treviri sedebat: ubi Priscillianus, atrocium criminum convictus, capite luit. Nondum tamen secta in Hispania extingui potuit, imo velut Martyr Priscillianus à suis habitus, & per nomen ejus juratum est. Sub Honorio tandem ejus rescripto, A. 407. duobusque aliis Conc. in Hispania habitis Ann. 447. tutius condemnati sunt. V. Leon. *epist.* 93. August. *hær.* 70. Sulpic. Sev. *Hist. Sacr. l.* 2. Baron. An. C. 381. Turibius, Episc. Asturicæ, 16. præcipuos horum errores, S. Leoni Episc. Rom. detexit, V. supra.

Prisciniacum, pag. territorii Lugdunensis, ad Calaronem fluv. Desiderii Viennensis Episcopi martyrio nobilis. A Priscino seu Priscinin, possessore suo aut conditore. Vulgò *Brignau*, aliàs *Brigniez*. Caloro autem inter Lugdunum & Viennam, in Rhodanum decurrit, contra castrum S. Symphoriani, vulgò *Garon*. Had. Valesius *Notit. Gall.*

Priscinus, Consul, an. U. C. 845.

Priscus, frater Philippi Imp. Syriæ, vicinarumque provinciarum Præses. Fratre suo tuo, An. 249. Imper. proclamatus est à militibus, sed à Senatu hostis judicatus, paulo pòst occisus est. Aurelius Victor *de Cæs.*

Priscus, venator, Martiali memoratus *lib.* 11.

Priscus Helvidius, sub Nerone Quæstor Achaiam administravit, quæstoriusque adhuc à Pæto Thraseâ gener adscitus, ab ejus moribus nihil æque ac libertatem hausit, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus; de quo Juvenalis,

Quale coronati Thrasea, Helvidiusq; biberunt,
Brutorum & Cassi natalibus. ——

Erant, quibus appetentior famæ videretur; quinetiam sapientibus, cupido gloriæ novissima exuitur. Tacitus. Probus quoque Grammaticus: Priscus, inquit, post damnationem Thraseæ soceri sui, interdictâ sibi Italiâ, Apolloniam concessit. Sed post interfectum Neronem restitutus à Galbâ, non aliter, quàm liberæ civitatis statu egit. Idem postea Vespasianum, in studio libertatis offendit, ut putaret (id optante Clodio) pristinum libertatis statum posse revocare; quo nomine reus, ac præter spem absolutus est.

Priscus, alio nomine *Julius*, à Vitellio, cum Alfeno Varo, Apenninum cum 14. prætoriis cohortibus & omnibus Equitum alis obsidere jussus. Tacit. *Hist.* 3. 55. Præfuit, sub eodem, prætoriis cohortibus ac victis partibus, seipsum interfecit, pudore magis quàm necessitate. Ibid. *lib.* 4. 11.

Pri-

Priscus Panites, sophista, floruit sub Theodosio Juniore, à quo variis Legationibus adhibitus est, teste Suidâ, qui & auctor est, eum præter epistolas ac declamationes, etiam condidisse historiam Byzantinam, & Attalicam libris 8. Priscum Rhetorem appellat Evagrius *lib.* 5. *cap. ult.* atque ait prodidisse res post Honorium & Arcadium consecutas. Fortasse est idem *Priscus*, quem Stephanus adducit, in Σάλωνα. V. Volaterran. *lib.* 3. *Anthrop.* Jornand. *de reb. Goth. cap.* 24. 35. 42. Voss. *de H. G. lib.* 4. Item Philosophus Juliano Ap. charus, Magiæ suspectus. Item *Priscus* Jabolenus, vetus IC. Item Sophista, Eunap. &c. Gesner. *Bibl.*

S. Privati monaster. Galliæ, in pago Gabalitano, vulgò S. *Brique*, dictum à Privato Gabalitanæ urbis Episcopo, qui ab Alemannis Gallias Croco Duce pervagantibus fustibus cæsus est, Valeriani & Gallieni principatu.

Privatium, vulgò *Privas*, opp. Occitaniæ, in tractu Vivariensi, vix 3. leuc. à Rhodano. Aliàs munitum, sed An. 1629. munitionibus nudatum. Ad flum. Arderescam, *Arderesche*, quod apud Pontem S. Spiritus Rhodano excipitur. V. Had. Valesium *Not. Gall.*

Privatus, Hæreticus, Episc. Africæ, in Synodo 24. Episcoporum condemnatus est. Quare cum 5. aliis Præsulibus apostatis conspirans, S. Cypriano Fortunatum, post Schisma Felicissimi, surrogavit. Cyprian. *Epist.* 30. *&* 35. *edit. Rigalt.* Baronius *in Annal.*

Privernum, urbs Volscorum in Latio, circa Ufentem fluv. & Forum Appii. Stephano Πριβέρνος, Ptolemæo verò Πριβέρνον, Straboni Πριβέρνον. Ejus mem. Virgil. *lib.* 11.

Priverno antiquâ Metabus cum excederet urbe,

Silius *lib.* 6.

——— *Levinus ab alto Priverno.*

Pop. *Privernates.* Idem Sil. *lib.* 8.

Sylla Ferentinos, Privernatumq; maniplos
Ducebat simul excitos. ——— Nunc *Piperno* opp. in monte, prope Aufentem fluv. & Pomptinas paludes, vix 5. m. p. à Setia in Eur. Adhuc satis amplum & cultum, in Campania Rom. Baudrandus. Quod Setiam & Norbam op. finitima infestasset, à Plautio Cons. dirutum fuit, teste Livio *lib.* 8.

Privernus, nomen viri. Virg. *Æn.* 9.

Prium, Ortelio ex Ptol. & Plin. fluv. Arab. Fel. & mons Cei insulæ: cum tamen *Prion* apud illos legatur, sitque mons Coi, non Ceæ.

Proæresius, adolescens è Cæsareâ Cappadociæ, Antiochiam venit, permotus famâ Ulpiani dicendi magistri, apudque eum primas tulit. Cum quo parvo post tempore Athenas profectus, sub Juliano sophistâ, adeò profecit, ut primus inter auditores esset. Hephæstionem condiscipulum & amicum comitem sibi adjunxit. Accersitus inde in Galliam, à Constantino Imp. apud eum in honore fuit. Romam postea petiit, ubi aliquot annos magnâ nominis famâ moratus, tandem opibus ac honoribus auctus, Athenas rediit, ubi magno exceptus applausu, extemporalem orationem habuit in Theatro. Suidas.

Proæresius, Philosophus & Orator, Sec. 4. Docuerat Rhetoricam Christianam, tum; cùm Julianus Apost. Christianis scholas clauderet. Deseruit itaque scholam potius, cum Musonio & Victorino, quàm ut quidquam contra conscientiam ageret. Baron. Ann. 362.

Proatia, urbs Thessaliæ. Steph.

Proanna, urbs Meliensium. Steph.

Proba Falconia, Romana puella; An. C. 410. Græcis Latinisque literis eruditissima: quæ truncatos Virgilii versus ad fidem & mysteria Catholicæ fidei convertit, fecitque de rebus à Christo gestis, & ejus morte, opus nobilissimum, quod *Centones* appellavit. Avia dein fuit Demetriadis, virginis pietate inclytæ. Romæ Alarico proditæ accusatâ, defenditur à Baronio, *in Annal.* 410. *an.*

Probalinthus, vicus in Pandionide trib. Steph.

Probatia, fluv. Bœotiæ apud Lebadeam urbem fluens, ad quem optimus calamus provenit. Theophrastus.

Probatopolis, Vide *Scaphusia.*

Probus M. Aur. Valerius, Imperator Rom. qui bello Sarmatico, transmisso Danubio, multa fortiter egit. Filius rustici Dalmatæ, tantum virtute effecit, ut post Tacitum; Imperator eligeretur An. 276. ab exercitu Orientali. Victoriis inclytus, vicit in Gallia 400000. Germanorum; dein, ut dictum, contra Sarmatas in Illyrio, & contra Gothos in Thracia rem egregiè gessit. Bonosum & Proculum, cum Saturnio, rebelles coërcuit. Ob prudentiam & dexteritatem cunctis acceptus, ab uno militum suorum, qui nimium rigorem disciplinæ exosus, se inutilem fore credidit, si imperator omnes hostes docuisset, occisus est, An. 282. Vita ejus ex Flavio Vopisco, Euseb. *in Chron.* Aur. Victore, Orosio, Eutropio &c. petenda est. V. Corn. Nepot. Titium *Probum* & Valerium *Probum.*

Probus, Consl. cum Arcadio Aug. an. U. C. 1159. Alius Cons. cum Basilio Juniori, an. U. C. 1236. Tertius Consl. cum Clementino, an. U. C. 1267.

Probus, Berytius, Grammaticus, Romæ docuit, non tamen, ut magistri personam sustineret, unum aut alterum, vel cum plurimum tres aut quatuor pomeridianis horis admittere solebat, cumque inter longos & vulgares sermones, legere quædam, idque perrarò. Nimis parva & exigua, de minutis quibusdam quæstiunculis edidit; Reliquit autem non mediocrem sylvam observationum sermonis antiqui. Ab initio enim ad studia se contulit, postquam in militiâ diu centuriatum petiisset. Tranquillus.

Probus, Martyr sub Genserico Gothorum rege, an. U. C. 1439.

Probus, Tullensis Episc. in Synodo Herbipolitana, ubi Legatus Pontif. de vita periclitatus est, contra Papas aculeatissimam habuit orationem, An. C. 1287. Aventinus *lib.* 7. *Annal. Boj.* Bulling. *de Conc. lib.* 2.

Procas, rex Albanorum, post patrem Aventinum, An. M. 3235. per an. 32. pater Amulii, & Numitoris, avus Romuli & Remi. Liv. *lib.* 1. Dionys. Halic. Euseb. Virg. *Æn.* 6.

Proximus ille Procas Trojanæ gloria gentis.

Ovid. *Met.* 14.

Jamq; Palatinæ summam Proca gentis habebat.

Procavus, mons Liguriæ, apud Genuam, ubi nunc arx, vulgò *Cassello*: qui mons desinit ad Pharum. Vet. Tab.

Procerastis, op. Bithyniæ ad Bosp. Thracium, e regione Byzantii, quod notiori nomine *Chalcedon* appellatur. Plin. 5. *ult.*

Prochone, ins. quæ aliis *Alone.* Steph.

Prochorus, nomen Diaconi. *Act.* 6. Cui quidam, sed falsò, attribuerant vitam Johannis Evang. quam idem opus cum *Circuitu Johannis* esse, credit Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2.

Prochyta, ins. Campaniæ in sinu Puteolano, Ænariæ proxima, angusto freto discreta, cui olim juncta fuisse putatur, à Neapoli 12. mill. pass. distans. Stephanus falsò Siciliæ insulam facit. Virgil. *Æn.* 9.

Tum sonitu Prochyte alta tremit, durumq; cubile
Inarime, Jovis imperiis imposta Typhœo.

Hanc Dionysius describit *lib.* 1. Sic dicta *à profusione*; nam quæ de Æneæ aut nutrice, aut cognatâ dicuntur, falsa sunt. Tu lege Servium, Pontanum, aliosque ad Virgilii adductum. Adi & Plinium *cap.* 6. *lib.* 3. Baudrando *Procbita*, Ins. est regni Neap. in mari Tyrrheno, & ora Campaniæ, prope & extra Sinum Puteolanum, inter Ænariam Ins. ad Occ. à qua vix m. p. abest, & Misenum prom. ad Ort. à quo similiter distat. Circuitus est 3. m. p. teste Cl. Nepote; eique adjacet ad Occ. parva Insula, *Isola di Vivara.*

Prochyta, Urbs Ins. cognom. Patria Johannis Prochytæ.

Procilius, Grammaticus, vir suis temporibus doctissimus. Cùm de peregrinis regionibus loquitur, commemorat apud Memphim, in aurea columnâ Ægyptiis literis scriptum; nunc demum Ægyptum liberam fore, cum in eam venissent Romani fasces. Lampridius.

Procilius, Historicus Lat. tempore Pompeii M. Scripsit varia; quorum memoria superest, apud Varr. *lib.* 4. *de L. L.* Plin. *Hist. Nat. lib.* 8. *cap.* 2.

Procilla Julia, Julii Græcini uxor, Cn. Julii Agricolæ mater, raræ castitatis femina. Tacit. *Agricol* 4. à Classe Othoniana, dum in templo (Liguriæ pars est) hostiliter populatur, interfecta est. *cap.* 7.

Procillus (integro nomine *C. Valerius Procillus*) vitiosè alii libri habent *Troacillum* & *Troancillum*, Princeps Galliæ provinciæ, Cæsaris familiaris. *Lib.* 1. *Comment.* 19. V. *Valerius Procillus.*

Proclais, urbs Indiæ intra Gangem. Ptol.

Procle, urbs Lydiæ. Steph.

Procles, frater Eurysthenis, qui per totum vitæ tempus inter se dissenserunt, & mutuum inter se odium foverunt.

Procles, Carthaginensis, celebratur Pausaniæ *in Messeniacis*, ubi judicium ejus refert de Alex. M. & de Pyrrho; itemque *in Corinthiacis*, ubi ex eo historiam affert de Medusâ.

Procles, Naxiorum dux, ingentibus promissis à Dionysio oneratus, patriam suam tyranno prodidit, mercedemque perfidiæ magnam pecuniæ vim & cognatos insuper suos incolumes tulit.

Proclidæ, Laconum familia; quæ postea *Eurytionidæ*, ut Plut. *in Lycurgo*: vel *Eurypontidæ*, ut Pausanias refert, dicti fuere. V. etiam *Lacedæmon.*

Proclus, Patr. Constantinopolit. post Nestorium, An. 434. discipulus Joh. Chrysostomi, Attico à secretis. Volusianum ad fidem perduxit, Hæreticis acriter restitit, non damnavit solum, sed & refutavit librum Theodori Mopsvestii. Obiit, An. 446. Scripsit Homilias aliquot, &c. Opera ejus edita Romæ, Ann. 1630. postquam jam quædam ejus scripta prodiissent, An. 1617. operâ Everhardi Elmenhorstii. V. Acta 4. Conc. Chalced. & 5. Constantinop. Cyrillum, *in expos. Symb. Nic. & ep.* 31. *ad Joh. Antiochenum.* Socr. *lib.* 7. *Hist. cap.* 26. 28. *& seqq.* Theodoret. *lib.* 5. *cap.* 36. Niceph. *lib.* 14. *cap.* 38. Phot. *cod* 53. Joh. Damasc. &c.

Proclus, Hæreticus, discip. Montani, à Gaio, homine erudito, coram Zephirino Episc. R. convictus. Laudatur impensè à Tertulliano, qui ab eo Montani deliria hausisse creditur. Euseb. *Hist. lib.* 6. Hieron. *de Scr. Eccl. in Gajo.* Baronius, *in Annal.*

Proclus, Lycius fuit, & si audimus Volaterranum *l.* 18. antiquior fuit Porphyrio & Jamblicho. Nam à Spartiano proditum ait, fuisse præceptorem M. Antonini, eumque ab eo ad Proconsulatum esse evectum. Proclus verò non Lycius, sed Siccensis fuit: estque inter hos 300. annorum intervallum. Sic Joannes Stœfflerus Justingensis, qui ait, vixisse temporibus Trajani, quod ex eo colligit;

ligit, quia discipulum habuerit Marinum Neapolitanum, quem sub Adriano ait vitam Procli scripsisse. Sed de Marini ætate fallitur. Quod liquebit, si dixerim de Procli ætate. Is autem claruit, Ann. Dom. 500. Ut qui Syriani fuit discipulus, eique successit in Scholâ, uti Proclo postea successit Marinus, quem vitam magistri scripsisse diximus. Πλατωνικὸν φιλόσοφον vocat Suidas. Extant ejus libri 6. de Theologiâ Platonicâ, qui Hamburgi primùm prodiere, An. Dom. 1616. Item supersunt, commentarii in Timæum & libros de Rep. Scripsit quoque de Orphei, Pythagoræ, & Platonis consensu in oraculis lib. 10. aliaque, quæ Suidas commemorat. Ex quo etiam cognoscimus, quàm Christianis fuerit infestus. In eo autem ratio fugit Stoefflerum, quod putaret, Proclum vocatum *Diadochum* à gemma ejus nominis, quæ beryllo similis, teste Plin. 37. 10. Διάδοχος enim appellatus est κατ' ἐξοχὴν ob successionem in Scholâ Platonicâ. Anastasio Imp. gratus, obsessâ à Vitaliano Constantinopoli dicitur classem ejus speculorum æneorum ope, instar Archimedis, combussisse. Tractatus ejus contra Christianos, à Philopono refutatus est. Vide Suid. Zonar. *Annal part.* 3. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Sectis Phil. c.* 16. *de Mathem. &c.* Vide Jonsium *de Script. Hist. lib.* 3. *cap.* 10.

Proclus, Malleotes patriâ, scripsit in sophismata Diogenis, & contra Epicurum.

Proclus, Naucratita, Philostrati præceptor, de quo vide Volaterranum.

Procolitia, Camdeno est *Prudhovv*, castrum Northumbriæ, à Novo castro 8. mill. in Occid. *Colecester* propinquum.

Proconnesia, ancilla apud Plin. quæ ejusdem diei coitu alterum domino similem, alterum ejus procuratori peperit infantem.

Proconnesus, quæ & *Neuru*, & *Elaphonnesus*, Plin. insf. Propontidis ante Cyzicum urb. *Marmora* hodie. Cum urbe Archiep. sub Patriarch. Constantinop. quæ saxea est, & in Boream Propontidis vergit. Baudrando meliùs *Praconnesus*; Insula parva Mysiæ min: in Propontide, inter Cyzicum ad Ort. & Hellespontum ad Occid. ex Samsone. Patria Aristeæ Poëtæ, qui scripsit Arimaspea & Theogoniam, sub Crœso & Cyro, quem fabulabantur defunctum, quoties vellet, animam resumpsisse.

Procopias, loci nomen. Goltzius, *ex Hadriani nummo.* Fortè *Precopia*, vide ibi.

Procopius, Cilix, tyrannus Constantinopolitanus, insurgens contra Valentinianum & Valentem Principem, purpuram Constantinopoli sumpsit, An. 364. tam initio felix, ut Valentem ad incitas redigeret. Anno pòst apud Natoliam Phrygiæ civitatem in ejus potestatem cum exercitu venit, proditus à 2. militibus, alligatusq; deinde duabus per vim reflexis arboribus, discerptus est. De proditoribus etiam sumptum supplicium. Hist. Trip. Capite plexum; quod ad Valentinianum in Galliam missum sit, alii habent, Ammian. Marcellin. *lib.* 25. *&* 26. Zosim. Sozom. *lib.* 6. *cap.* 8.

Procopius, præses Bithyniæ, sub Valente Aug. imperium invasit; pauló tamen pòst, militibus ab eo deficientibus, capitali pœnâ affectus est. Ammian. Marcell. *lib.* 26. Idem cum priore.

Procopius, filius Anthemii Imper. frater Marciani & Romuli: qui contra Zenonem insurgentes, fraude Hylli, insignis cujusdam impostoris, victi sunt.

Procopius, è Cæsareâ Palæstinæ, orator & sophista; scripsit res Justiniani, quas in Oriente, aut Occidente, aut Africa per Belisarium patricium gesserat, cujus scriba & comes in cunctis expeditionibus fuit. Senator dein lectus, cum titulis Illustris, tandem Præfectus quoque Constantinopolis factus est. Videtur Christianus, ex illis, quæ de ædificiis Justiniani disserit. Continet ejus Opus, libb. 8. 2. de bello Pers. quos Photus contraxit. 2. de Vandal. & 4. de Gothico. Composuit item alterum librum, quem inscripsit Ἀνέκδοτα, id est, *non edenda*, sive *non edita*: ubi Comœdiâ quâdam Justiniani & ejus uxoris Theodotæ vituperationem describit. Suidas. Vide Photin. *Codic.* 63. Vossium *de Histor. Græc. lib.* 2. *cap.* 22.

Procopius Gazensis, Rhetor & Sophista. Scripsit Catenam Patrum, in octo primos libros Sacræ Scripturæ: ob stylum & diligentiam, à Photio laudatus, *Cod.* 160. 206. *&* 207. reprehensus ob prolixas nimis digressiones. Conradus Clauserus Tigurinus, paraphrasin hujus operis edidit, A. 1555. Job. Curterius, epitomen Commentar. ejusdem auctoris in Jesaiam; publici fecit juris, An. 1580. Lud. Lavaterus, Tigurinus, vertit Annotationes ejus in 4. libb. Regum, & lib. 1. Paralip. Hermannus Hambergerus in 2. lib. Par. Johannes Meursius edidit Lugduni Bat. An. 1620. Vide Sixtum Sen. *lib.* 4. *Bibl. S. &c.*

Procopius Holy, Hussitarum Dux, post Ziscam, strenuè rem gessit, donec Sigismundus Rex, libertatem religionis permisit, promulgatis IV. articulis, qui *Compactata* dicti. Vide *ibi*. Circa An. Ch. 1425. 1433. 1434. Deum tum pro Bohemis pugnasse, tantosq; Imperatoris exercitus, non tam vi armorum, quàm terrore quodam cœlitus immisso profligatos esse, agnovit Concil. Basil. *Sess.* 4. Vide Mornæum *pag.* 1205. Bucholcerum *Ind. Chron.* Lætum *Comp. Histor. Univers. &c.*

Procris, Erechthei, Atheniensium R. fil. soror Orithyiæ, Cephali uxor, quam ille certo jaculo emisso interemit, ratus feram esse. Vide *Cephalus*; & Servium in illud Virgil. *Æn.* 6.

His Phædram Procrinq; locis, mœstamq; Eriphylen.

Fabulam latè prosequitur Ovidius *Metam.* 7. non procul à fine.

Procrustes, latro insignis in Atticâ reg. ad Cephisum fluv. habitans, qui cogebat hospites super lectum aliquem ascendere, quo si longiores fuissent, pars supereminens amputabatur: qui verò breviores, distendebantur; à quâ re etiam nomen illi inditum putant. Plutarchus *in Theseo*: Καὶ μικρὸν προελθὼν, Δαμάστην ἐν Ἐρινεῷ τὸν Προκρούστην ἀναγκάσας, αὐτὸν ἀπισῶν τοῖς κλίνταρσιν, ὥσπερ τοὺς ξένους ἐκεῖνος. *Torvus Procrustes* dicitur apud Ovid. *Epist.* 2. Idem *Met.* 7.

Viderat immitem Cephisias ora Procrustem.

Proculejus, eques Rom. Augusti amicissimus, qui pius sic ergà fratres suos Scipionem & Murænam fuit, ut spoliatis bello civili patrimonium suum ex integro divideret, quod cum eis jam antea diviserat. Plutarchus *in vitâ Antonii* ait, Antonium, paulo antequàm expiraret, admonuisse reginam Cleopatram, ut maximè omnium, qui cum Augusto erant, Proculeio se dederet. Mortuo autem Antonio, Augustum Proculeium misisse, ut curaret Cleopatram vivam in sua potestate habere. Demum verò, cùm illa arrepto ense voluisset sibi mortem inferre, Proculeium ensem è manibus ademisse. Vide Theod. Marcilium in illud Horat. *lib.* 2. *Carm. Od.* 2.

Vivet extento Proculeius ævo,
Notus in fratres animi paterni.

Juvenal. *Sat* 7.

Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculeius.
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?

Proculeius; prænomine *Caius*, frater Varronis Murenæ illius, qui in Augustum conspiravit; cujus etiam soror Mæcenati uxor: insigni tranquillitate vitæ, nullis Reipublicæ negotiis permixtus, cui filiam suam Augustus, Agrippâ defuncto, collocare agitavit.

Proculus, cognomen ejus, qui natus sit patre peregrinante procul à patriâ.

Proculus, Imperator, usque adeo libidinosus fuit, ut 100. Sarmatas virgines bello captas (ut ipse gloriabatur) gravidas reddiderit. Vopiscus.

Proculus, vir nobilis & clarus, hoc apud plebem de Romuli morte figmento usus est. Senatus finitimis bellis implicitus, consuetam annonæ largitionem plebi subtraxit: Romulus indignatus, plebi restituit, & complures ex primordiis supplicio affecit. Hi postmodum; in Senatu, regem minutim obtruncatum intra sinum condunt. Plebs igitur cum facibus ad curiam decursans, ab Ætio Proculo revocata est, cùm ejus orationi fidem adhibuisset. Is enim primarius in civitate vir, se Romulum in monte aspexisse dixit; qui humanâ augustior formâ divinitatem assecutus erat. Plutarch. *in Rom.*

Proculus, Grammaticus celebris, Præceptor M. Antonini Philosophi, ab hoc ad Proconsulis dignitatem evectus. Scripsit de admirandis rebus; quod opus sæpius laudat Treb. Pollio *in vitâ* 30. *tyrann.* inprimis *in Æmiliano.* Jul. Capitolin. *in Anton.* Euseb. *in Chron.* Item Poëta Latinus, imitator Callimachi. Ovid. *lib.* 4. *de Ponto eleg. ult.* Item, Episcopus Massiliensis, seculo 4. contendit cum reliquis Præsulibus Galliæ sec. Narbonensis de Primatu, quem etiam in Concil. Taurinensi obtinuit.

Proculus, J. C. celeberrimus, temporibus Alexandri Cæsaris; Auctor Epistolarum, libb. 8.

Proculus Geganius Macerinus, Consul cum L. Menenio Lanato, An. U. C. 315.

Proculus Tit. Ælius, Genuensis, suasu Viturgiæ uxoris & Lugdunensium, sub Aurel. Probo Cæsare in Galliâ imperium arripuit, sed ab eo victus, periit cum filio Herenniano. Vopiscus in *Proculo.*

Proculus Virginius Rutilius, Consul cum Sp. Cassio Viscellino, An. U. C. 268.

Proculus, vide *Cestius.* Item *Cervarius.* Item *Volusius.*

Procurator, pro parte Curiæ, fortè *an Informer.* Angl. *Procurator* rerum fiscalium, Angl. *the Kings Attorney.* Villæ *Procurator*, qui rem dominicam in villa promovet & tuetur, aliàs major villicus. Sic Germanis olim notus: & hodie quidem Hibernensibus è coloniâ Anglo-Saxonum oriundis, qui collectores proventuum ad dominum villæ; præsertim ad Rectorem Ecclesiæ pertinentium; *the Proctor* vocant. Vide officium ejus descriptum apud Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol. in voce, Major villicus.*

Procuri, urbs in insulâ Taprobanâ, Ptolem.

Procyon, sidus æstivum, Canis ortum prævertens, unde etiam à Latinis verbum ex verbo exprimentibus, *Antecanis* appellatur. Cicer. 2. *de Divin.*

Antecanis Procyon Graio qui nomine fertur.

Antecanis tamen nomen, videtur minus usitatum fuisse, & à Cicerone primùm confictum; unde Plinius *lib.* 18. *cap.* 29. sidus hoc nomen Latinum habere negat, nisi quis (inquit) *Caniculam* velit appellare. Columella tamen *lib.* 11. *cap.* 2. Caniculam manifestè distinguit à Procyone, hujus ortum Idibus Julii, illius 7. Calend. Augusti assignans: Caniculam nimirum appellans, quem nos Canem dicimus. Horat. *lib.* 3. *Od.* 29.

Jam

Jam clarus occultum Andromedæ pater
Ostendit ignem, jam Procyon furit.

Aratus eum sub Geminis locat:

Καὶ μὴν καὶ Προκύων Διδύμοις ὑπὸ καλὰ φαείνει.

Prodicus Cous, Scholiast. *in Aristoph. Nubes* Chium fuisse perhibent, vide infra. Sophista, Præceptor Euripidis, cujus quanta fuerit authoritas, ex Xenophonte deprehendere licet; qui in Bœotiâ captus, vadem pro reditu dedit. In Concilio Atheniensium magnam laudem adeptus est, quanquam voce graviore atque absonâ. Princeps recitavit orationem quinque drachmarum precio acceptâ, conatusque est in eâ civitate, primarios ex quaque nobili familiâ adolescentes, sibi devincire, quorum hospitium usui sibi & voluptati foret Philostratus. Addunt Scholia *in Nubes*, illum ob mollitiem pathicam malè audiisse. Suidas autem dicit, eum Chium fuisse, Gorgiæ ac Democriti temporibus, librumque edidisse, qui inscribitur Ὧραι, in quo finxit Herculem, virtuti pariter ac voluptati congressum, utrâque hunc ad se trahente, tandem à virtute persuasum, alteram sprevisse. *Prodicus* orationem ipsam, quæ soluta erat, primus pedibus construxit, & communes locos tractavit, ut Pythagoras. Vide Xenoph. *lib.* 2. Cicer. *lib.* 1. *Offic.* Sil. Ital. *lib.* 15. Quintil. *lib.* 9. *cap.* 1. *Prodicus* quoque medicus fuit, authore Plinio, Æsculapii discipulus, Selybriæ natus, qui medicinam instituit, quam *Jatralepticen* vocant.

Prodicus Phocæensis, Poëta Epicus. Pausan. Suid. Item, Hæreticus, Clem. 7. *Strom.* Vide *Adamitæ*.

Prodromei Dii, προδρόμιοι Θεοὶ, Dii, qui in præstructionibus ædificiorum ab antiquis colebantur, hinc & *Prodromia Juno*.

Prodromi, venti dicuntur, qui in ortu Caniculæ, Statis anni temporibus spirare solent.

Productum, oppidum Foro-Juliensium.

Proerna, Phthiotidis urbs. Livius *lib.* 36. Strabo *lib.* 9. Stephano *Proerna* neutro genere: Πρόερνα, πόλις Μηλιέων, ὑδατηρὰ.

Prœtides, Prœti Argivorum regis filiæ, quæ cùm formâ essent præstantissimâ, se Junoni ausæ sunt præferre. Quare irata Dea, talem iis immisit furorem, ut vaccas se esse arbitrarentur, ut in sylvas confugerent, postea autem helleboro sanatæ à Melampode dicuntur. Virgilius *in Sileno*:

Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.

Ovidius *Metam. lib.* 15.

Clitorio quicunq; sitim de fonte levarit,
Vina fugit; gaudetq; meru abstemius undis.
Seu vis est in aquâ calido contraria vino;
Sive, quod indigenæ memorant, Amithaone natus
Prœtidas, attonitas postquam per carmen & herbas
Eripuit furiis; purgamina mentis in illas
Misit aquas, odiumq; meri permansit in illis.

Quidam, inquit de la Cerda, has Prœtidas tres faciunt, *Lysippen, Hipponoen, Cyrianassam.* Alii duas, *Elegen, Calenen.* Prœtus pater fuit, rex Argivorum. Matrem faciunt Sthenobœam; Homerus Antiam, *Iliad.* ζ. Est apud Vitruvium *lib.* 8. *cap.* 3. elegans epigramma, quod inscriptum erat in lapide, apud eum fontem, ubi Melampus sacrificiis purgavit rabiem filiarum Prœti. Eudoxus *apud Stephanum* Fontem hunc in Azaniâ constituit, additque Melampodem in eum καθαρμοὺς ἐμβαλεῖν, quibus Prœtidas expiaverat; cui fonti hanc dat virtutem, ut gustantes illius aquam, nequeant deinceps vel odorem vini tolerare. Clem. *lib.* 7. *Strom. cap* 3. adducit, quibus rebus Prœtides fuerint expiatæ à furore, nimirum tædâ, scillâ, sulfure, bitumine. Adjungit Hervetus Ælianum, qui *caprino lacte*; & Plinium, qui *nigro helleboro*. Lege Politian. *Miscell. cap.* 50. ubi late de Prœtidibus.

Prœtus, Abantis regis Argivorum filius, de quo vide Homerum *Iliad.* ζ. Quomodo in saxum à Perseo mutatus fuerit, docet Ovidius *Metam. lib.* 5.

Victor Abantiades patrios cum conjuge muros
Intrat, & immeritæ vindex ultorq; parentis
Aggreditur Prœtum. Nam fratre per arma fugato
Acrisioneas Prœtus possederat arces,
Sed nec ope armorum, nec, quam male ceperat arce
Torva colubriferi superavit lumina monstri.

Progasia, Lydiæ opp. Stephan.

Progne, Pandionis regis Atheniensium filia, uxor Terei Thraciæ regis; qui, cùm Philomelæ, alteri Pandionis filiæ, sub prætextu visendæ sororis à patre abductæ, vim intulisset, vitiatæque linguam abscidisset: tam impotenter id tulit Progne, ut Itym, communem filium dilaceraret, patrique epulandum apposuerit. Quâ re tandem cognitâ, ex pueri capite sub finem cœnæ in convivium illato, Tereus furore correptus, gladium strinxit, uxoremque jam occisurus, in hirundinem eam videt conversam: Philomelam autem in avem sui nominis: Itym verò in Phasianum. Quin etiam ipse, dum novas hasce suorum transformationes admiratur, in upupam mutatus est. Juvenalis:

Grandia tragicis quicquid de Colchide torvâ
Dicitur & Progne. —— ——

Virgilius *Georg.* 4.

Et manibus Progne pectus signata cruentis.

Vide *Philomela*.

Progne, Insula parva Asiæ, apud Rhodum, Plin.

Promachidas, Heracleotes historicus, citatur ab Athenæo *lib.* 7. Vide Voss. *de Hist. Gr. pag.* 408.

Promachus, Macedo, & Novellius Tricongius, raræ gloriæ inter bibacissimos fuerunt; ille enim, quòd quatuor ingurgitasset cantharos uno haustu, ab Alexandro coronâ donatus est. Hic tres vini congios prandiolo uno ebibisse commemoratur. Promachum verò triduò pòst vini furor enecavit. Alex. ab Alex. 5. 11.

Promathidas, Scriptor quidam antiquus & fabulosus.

Promathion, Italiæ res condidit, Plutarch. *in Romulo.*

Promerus, regius quidam minister fuit; is Euripidem tragicum supra modum exosum habuit, delatus ab eodem aliquando nescio quo nomine apud Regem. Quare postea canes quosdam feros in poëtam solvit, à quibus devoratus interiit. Vide proverbium: *Promeri canes.*

Promethei jugum & antrum, vertex Caucasi in Albania; apud Diodor.

Prometheus, Japeti & Clymenes fil. teste Hesiodo *in Theog.*

Κούρην δ' Ἰάπετος καλλίσφυρον Ὠκεανίνην
Ἠγάγετο Κλυμένην, καὶ ὁμὸν λέχος εἰσανέβαινεν,
Ἡ δέ οἱ Ἄτλαντα κρατερόφρονα γείνατο παῖδα,
Τίκτε δ' ὑπερκύδαντα Μενοίτιον, ἠδὲ Προμηθέα
Ποικίλον, αἰολόμητιν.

Filium habuit Deucalionem. Apollonius *Argon. lib.* 3.

—— —— Ἔνθα Προμηθεὺς
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
Ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις, καὶ ἐδείματο νηοὺς
Ἀθανάτοις.

Hic fertur homines primum è luto finxisse, & universi generis hominum fuisse parens, vel potius artifex. Ovid. *lib.* 1. *Met.*

Sive recens tellus, seductaq; nuper ab alto
Æthere cognati retinebat semina cœli:
Quam satus Japeto mixtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantûm cuncta Deorum.

Claudianus:

—— *Ætheriis miscens terrena Prometheus*
Sinceram patri mentem furatus Olympo:
Namq; ferunt geminos, uno de semine, fratres
Japetionidas generis primordia nostri
Dissimili finxisse manu, quojcunq; Prometheus
Excoluit, multumq; innexuit æthera limo.

Nam fama est, Prometheum, cum hominem fingeret, portiones captas è singulis elementis suo operi admiscuisse, atque pro ipsorum elementorum temperamentis non solùm vires singulis corporibus addidisse, sed etiam motus animorum & mores. Qui verò etiam magis fabulosè rem aggressi sunt explicare, dixerunt, timorem leporis, astutiam vulpis, pavonis ambitionem, tigridum feritatem, leonum iracundiam, & magnitudinem animi fuisse hominibus ab ipso Prometheo injunctas: unde Horatius:

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undiq;
Desectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Hujus ingenium admirata Minerva, se illi daturam promisit, quicquid apud superos esset, quod ad operis perfectionem pertineret: cumque respondisset Prometheus, conjicere se non posse, quæ apud superos essent operi suo utilia, nisi præsens singula esset intuitus, Minervæ operâ in cœlum sublatus est, ubi cùm corpora omnia cœlesti igne videret animata, operi suo id utilissimum fore ratus, ferulam, quam secum attulerat, rotæ Solis admovit, eâque accensâ ignem detulit in terras, luteumque suum hominem eo animavit. Quòd Promethei furtum ægrè ferens Jupiter, Pandoræ, Epimethei uxori, pyxidem tradit ad virum perferendam, quam cùm ille aperuisset, mille morborum, aliarumque calamitatum generibus genus humanum implevit, quæ omnia tradit Hesiodus. Horatius *lib.* 1. *Od.* 3.

Post ignem æthereâ domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors, ——

Virgilius *in Sileno*:

Caucaseasq; refert volucres, furtumq; Promethei.

Vide Platonem *in Protagora.* Porro hunc ignem furatus est λαθὼν Δία τερπικέραυνον; uti loquitur Hesiodus, quod cùm rescivisset Jupiter, Vulcano imperavit, ut fœminam è luto componeret, quæ cùm astutissima esset, & omnibus artibus à Diis donata, vocata fuit Pandora; neque ante illam extitisse fœmineum sexum crediderunt, uti testatur Pausanias *in Atticis.* Hanc fabulantur missam fuisse à Jove ad Prometheum, cum omnibus malis in vasculo inclusis, quod munus cùm sprevisset Prometheus, illa ad Epimetheum contendit, qui, dempto vasculi operculo, omnia mala evolare sentiens, vix ultimam & in imo residentem spem occlusit, cum quâ vas illud servavit. Cùm verò Prometheus Jovis munus rejecisset, quòd insidias formidaret, dicitur à Mercurio, Jovis jussu, ad Caucasum montem adductus, & in speluncâ, quæ erat apud Paropamisadas, vinctus, uti testatur Strabo *lib.* 15. Dicunt prætereà huic additam fuisse Aquilam, Typhonis filiam, ut ait *libr.* 2. *histor.*

histor. Pherecydes, & Echidnæ Phorbantis, quæ jecur illius assiduè renascens laniaret ac deglutiret. Apollon. *lib.* 2.

Καὶ δὴ Καυκασίων ὀρέων ἀνέτελλον ἐρίπναι
Ἠλίβατοι, τόθι γυῖα περὶ στυφελοῖσι πάγοισιν
Ἰλλόμενος χαλκέῃσιν ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθεὺς,
Αἰετὸν ἥπατι φέρβε παλιμπετὲς ἀΐσσοντα.

Erat enim columnæ alligatus, neque ullo pacto se movere poterat: cui quantum jecinoris per diem ab aquilâ consumebatur, tantundem per noctem excrescebat, ne unquam doloris materia deficeret. Hesiodus *in Theogoniâ*:

Δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον
Δεσμοῖς ἀργαλέοισι, μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.
Καί οἱ ἐπ' αἰετὸν ὦρσε τανύπτερον· αὐτὰρ ὅγ' ἧπαρ
Ἤσθιεν ἀθάνατον· τὸ δ' ἀέξετο ἶσον ἁπάντῃ
Νυκτὸς, ὅσον πρόπαν ἦμαρ ἔδοι τανυσίπτερος ὄρνις.

Valer. Flaccus eum à vulture cruciari scribit. Vide Philostr. *lib.* 2. *de Vita Apollonii.* Duris autem Samius scriptum reliquit, non ob ignem raptum, sed quia Palladem amaverit, Prometheum conjectum fuisse in vincula, & ita excruciatum: cujus rei facit argumentum, quia ad montem Caucasum habitantes populi soli Jovi & Minervæ non sacrificabant, ut illius supplicii autoribus, cùm eximiè colerent Herculem, qui Prometheum è vinculis liberasset. Prometheum enim ab Hercule liberatum fuisse constat. Philostratus negat id à Thebano factum: Hesiodus omninò affirmat. Æschylus modò ab Hercule, modò à Jove liberatum narrat, & fabulam prorsus confundit. Alii à Vulcano solutum fabulantur. Fabulam quandam attigit Nicander *in Theriacis*, quæ apud antiquos circumferebatur, quòd ingrati homines, ad quos ignem Prometheus detulerat, furtum Promethei Jovi indicarint, pro quâ accusatione præmium perpetuam juventutem à Jove impetraverint. Hanc igitur quùm suo asello clitellario imposuissent redeuntes, asinusque gravi siti in itinere laboraret, ad fontem quendam pervenit, ubi serpens, ne ad aquam accederet, prohibuit, nisi prius peracto precio. Tum verò pactus est asinus, se, quodcunque haberet, esse daturum, ne siti periret. Inde senectutem exuunt quotannis serpentes, ac fiunt juvenes. Verba Nicandri sic se habent:

Ὠγύγιος δ' ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται,
Ὡς ὁπότ' οὐρανὸν ἔσχε Κρόνου πρεσβίστατος υἱὸς,
Νειμάμενος κασίεσσιν ἑκὰς περικυδέας ἀρχὰς
Ἰδμοσύνῃ, νεότητα γέρας πόρεν ἡμερίοισι
Κυδαίνων, δὴ γάρ ῥα πυρὸς ληιστῆρ' ἔνιπτον
Ἄφρονες, οὐ μὲν τῆς δὲ κακοφραδίης ἀπόναντο.
Νωθεῖ γὰρ κάμνοντες ἀμορβεύοντο λεπάργῳ
Δῶρα, πολυσκαρθμὸς δὲ κεκαυμένος αὐχένα δίψῃ
Ῥώετο, γωλειοῖσι δ' ἰδὼν ὁλκήρεα θῆρα
Οὐλοὸν, ἐλλιτάνευε κακῇ ἐπαλαλκέμεν ἄτῃ
Σαίνων, αὐτὰρ ὁ βρῖθος, ὃ δή ῥ' ἀνεδέξατο νώτοις
Ἤτεεν ἄφρονα δῶρον, ὁ δ' οὐκ ἀπανήνατο χρειῇ.

Menander verò, suavissimus poeta, meritò torqueri Prometheum inquit, non quia ignem, sed quia multo gravius malum, fœminam scil. invenerit:

Εἶτ' οὐ δικαίως προσπεπατταλευμένον
Γράφουσι τὸν Προμηθέα πρὸς ταῖς πέτραις,
Καὶ γίνετ' αὐτῷ λαμπὰς, ἄλλο δ' οὐδὲ ἓν
Ἀγαθόν; ὃ μισεῖν οἶμ' ἅπαντας τοὺς θεοὺς,
Γυναῖκας ἔπλασ' ὦ πολυτίμητοι θεοί,
Γένος ἀναρόν. —— ——

Vide Hyginum & Lucianum in *Prometheo*, Verulamium item, *de Sapientia Vet.* Fuit autem vir prudentissimus, qui Astronomiam primus Assyriis indicavit, & rationem fulminum deprehendit; quamobrem ignem cœlestem Jovi suffuratus, & in Caucaso ad saxum religatus fingitur. Hunc inter Deos recenset Catullus *in Argonaut.*

Post hunc consequitur solerti corde Prometheus;
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ;
Quam quondam, silici restrictus membra catenâ,
Persolvit pendens in verticibus præruptis.

Unde *συγγενῆ θεὸν* eum vocat Æschylus, & *πυρφόρον θεὸν* Sophocles *in Oedip. Colon.* Prop. *lib.* 2. *el.* 1.

Idem Caucaseâ solvet de rupe Promethei
Brachia, & è medio pectore pellet avem.

Martial. *epigr.* 7. *lib. Spectaculorum:*

Qualiter, in Scythica religatus rupe, Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem.

Claudianus:

—— *Hic volucrem vivo sub pectore pascit*
Infelix Scythicâ fixus convalle Prometheus.

Inde *Prometheus*. Prop. *lib.* 1. *eleg.* 12.

—— —— *An quæ*
Lecta Prometheis dividit herba jugis.

Ovidius *lib.* 2. *Amor.*

Quaq; Prometheo saxa cruore madent.

Ausonius *in Monosyllabis:*

Unde Prometheo de corpore sanguineus ros
Aspergit cautes, & dira aconita creat cos.

E Caucaso enim legebantur à veneficis herbæ ad incantationes. Seneca *in Medeâ:*

Congerit in unum frugis infausta mala,
Quæcunq; generat niveus saxis Eryx,
Quæ fert opertis hyeme perpetuâ jugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei.

Nomen habet *Prometheus*, *ἀπὸ τῆς προμηθείας*, id est, *à providentia.* Unde Hesiodo, *ἀγκυλομήτης, αἰολόμητις, ποικιλόβουλος*, & *πολυίδρις* dicitur. *Μητιόεντα* eum vocat Qu. Calaber. *Πολυμήτης* ab Oppiano vocatur, *αἰπυμήτης*, & *σοφιστὴς* ab Æschylo. *Callidum* eum vocat Horatius *lib.* 2. *Carm.*

—— *Nec callidum Promethea*
Revexit auro captus. —— ——

Unde Catullus, ut supra:

—— *Solerti corde Prometheus.*

Cæterùm in Historiâ veteri aliquantisper versatis (inquit Cassius) haud adeò operosum erit distinguere, quid poëticâ, & quid historicâ fide à poëtis de Prometheo sit dictum. *Non enim res ipsas gestas finxerunt poëtæ*, ut loquitur Lactantius *lib.* 1. *de Falsâ Relig. cap.* 2. *sed rebus gestis addiderunt quendam colorem.* Et hoc detracto, & quasi decoloratâ fabulâ, nuda nobis apparebit historiæ veritas. Apud Herodorum legere est in eo libro, quem composuit de vinculis Promethei; quod Scythiâ fluvio Aquilâ inundatâ, Prometheus, Scytharum rex, populis sibi subjectis res victui necessarias non suppeditare potuerit, atque eâ de causâ à Scythis in vincula conjectus sit. Quem tamen haud ita longè post Hercules in illas veniens regiones, à vinculis liberaverit, fluvio Aquilâ in Oceanum ducto. Agrœtas quoque *Rerum Scythicarum lib.* 13. eadem ferè scripsit. Verùm uterque non nudam, & sicuti gesta erat, sed adhuc fabulis & commentis quibusdam contaminatam recitant historiam. Audiamus igitur Polycharmum, *in Rebus Lyciis*, & Diodorum Siculum; qui scribunt, Nilum Ægypti fluv. aliquando, Sirio exorto, adeò intumuisse, ut, aggeribus ruptis, Ægyptum aquâ obruerit; imprimis autem illam partem, cui cum imperio præfuerit Prometheus: Et hunc fluvium, sive potius alveum Nili, ob aquæ violentiam & celeritatem (unde etiam viscera Promethei exedisse fabulantur) postea *Aquilam* esse nuncupatum. Herculem autem obturatis, quibus irruperat, locis, eum intra ripas coërcuisse, & sic Prometheum liberasse. Videtur *Magog* esse Prometheus, inquit Vir doctissimus *in Phaleg.* 1. Quia, ut Japheti fil. Magog, ita Prometheus Japeti. 2. Et Caucaso Prometheus affixus fuisse fingitur, quia vel ipse, vel gens Scytharum ab illo oriunda in Caucaso sedes fixit. 3. Et ignem è cœlo in terram detulisse, quia metallis omnigenis in Soanis, Colchide & Iberiâ effossis, artem metalla igne excoquendi aut invenit, aut à Tubalcaino inventam restituit. Id non latuit Æschylum, poëtam vetustissimum, qui Prometheum inducit ita loquentem:

Χαλκὸν, σίδηρον, ἄργυρον, χρυσόν τε τίς
Φήσειεν ἂν πάροιθεν ἐξευρεῖν ἐμοῦ;

4. Et tota fabula de Promethei corde vel hepate, quod ab aquilâ corrosum contabescit, videtur niti nomine *Magog*; quod ab Ebræo מוג *mug*, vel מגג *magag*, cujus Hithpael התמגג *hithmaggeg*, quod de animâ & corde usurpatum, *dissolvi & contabescere* significat, atque *animo frangi & cruciari.* Vide Lactant. Al. Rossæum, *in mystagogo Poëtico, &c.*

Promona, Liburnorum urbs, Appianus. In Illyrico; Hodie Mons ita vocatur, Siavè *Promina*, ubi vestigia antiquæ urbis, Joan. Lucius.

Promontoria præcipua:

Promontorium Acutum, *Cap Pointu*, promontorium est Americæ, in nova Francia & in parte occidentali insulæ Terræ novæ, versus sinum S. Laurentii.

Promontorium Album, *Cabo bianco*, est in America, & in parte Boreali Californiæ insulæ, supra promontorium Mendocinum.

Promontorium Album, *Cabo bianco*, est in America septentrionali & in Nicaragua provincia novæ Hispaniæ, prope sinum Salinarum, in ora maris Austrini.

Promontorium Album, *Cabo bianco*, est in America meridionali, in regno Peruviæ & in Quitoa provincia, inter sinum S. Michaëlis & Punam insulam, in ora maris Austrini.

Promontorium Album, *Cabo bianco*, est in eadem America meridionali, in Brasilia regione, & in præfectura Paraibæ, ad mare Boreale.

Promontorium Ancyræum, *Romion*, ad Bosphorum Thracium, ubi in Pontum Euxinum cadit à parte Asiæ.

Promontorium Antivestæum, *The lands End*, in Anglia, & in Cornubia provincia.

Promontorium Aphrodisium, *Cap de Creux*, in Hispania, ad radices montium Pyrenæorum, in limite Galliæ Narbonensis.

Promontorium Aromata, *Cap de Guardafuy*, in Africa, & in ora maris Arabici.

Promontorium Arsinarium, *Cap Verd*, in Africa, & in ora Oceani Atlantici.

Promontorium Artabrum, seu Nerium, & Celticum, *Cabo de Finisterra*, Hispaniæ, in ora Gallæciæ,

Promon-

Promontorium Bojadorum, *Cabo Bojador*, est in Luzonia insula, Philippinarum præcipua, in ejus parte septentrionali, ubi magis versus Sinas extenditur; 180. mill. pass. à Manilla urbe distans in Boream.

Promontorium Bonæ spei, *Cap de bonne Esperance*, in Africa. Vide *Caput Bonæ spei*.

Promontorium Boni desiderii, *Cabo de bueno Deseo* Lusitanis, est in parte Boreali novæ Guineæ, prope terram Nigrorum.

Promontorium Boreale, *Cap de Nort*, in America meridionali. Vide *Caput Boreale*.

Promontorium Canganorum, *Braychipult point*, Angliæ, in Vallia Boreali.

Promontorium Carambis, *Capo Pisello*, in Asia minori & in ora Ponti Euxini.

Promontorium Carolinum, *Cap Charles*, est in terra Arctica, & in Estotilandia regione, prope sinum Hudsonium; sicque dictum fuit ab Anglis, dum illas partes lustrarunt hisce ultimis temporibus.

Promontorium Carolinum, *Cabo Carlos*, est in Florida regione Americæ, & in ejus parte occidentali, versus sinum Mexicanum.

Promontorium Celebum, *Punta dos Celebes*, est in Celebi insula, in Asia, & in ejus parte Borealiori, versus Mindanoam insulam extensa.

Promontorium Charidemum, *Cabo de Gates*, Hispaniæ, in regno Granatensi.

Promontorium Christianum, *Cap Christian*, in Groenlandiæ regionis parte australi. Nuper detectum fuit à Danis.

Promontorium Ciamum, *Capo Spada*, in parte occidentali Cretæ insulæ.

Promontorium Condæum, *Cap de Condé* Gallis, *Cap Cecil* Anglis, *Cap d'Orange* Belgis, est in Guiana regione Americæ meridionalis, in ora maris Borealis, atque inter Cajanam insulam & promontorium Boreale.

Promontorium Coquibocum, *Cabo de Coquiboca*, est in Terra firma regione Americæ, & in Præfectura fluvii *de la Hacha*, juxta sinum Venezuelæ, ad mare Boreale.

Promontorium Corodamum, *Capo Razalgate*, in Arabia, versus Oceanum Persicum.

Promontorium Cotes, *Capo Spartel*, in Africa, ad fretum Herculeum.

Promontorium Cotochium, *Cabo de Cotoche*, est in America, & in parte Boreali Jucataniæ provinciæ novæ Hispaniæ, ad mare Boreale.

Promontorium Crucis, *Cabo de Cruz*, est in Florida regione Americæ septentrionalis, juxta sinum S. Spiritus, & ad mare Boreale seu sinum Mexicanum.

Promontorium Crucis, *Cabo de Cruz*, est in America, & in parte australi insulæ Cubæ, in sinu Mexicano, Jamaicam versus.

Promontorium Cumerium, *Monte S. Ciriaco*, Italiæ, in Piceno, & ad Anconam.

Promontorium Currentium, *Cabo dos Corrientes*, est in provincia Terræ firmæ & in ipso limite regni Popajani, ad mare Austrinum, in America meridionali.

Promontorium Damnonium, *Lezard point*, Angliæ, in Cornubia, versus mare Britannicum.

Promontorium Desideratum, *Cabo Deseado*, est in America meridionali & in terra Ignium, ad fauces freti Magellanici, versus mare Pacificum, ex adverso promontorii Victoriæ.

Promontorium Desideratum, *Cabo Dejeado*, est in Asia & in parte australi Terræ Nigrorum seu Papuorum, versus Moluccas insulas, in mari Indico.

Promontorium Dianium, seu Artemisium, & Ferraria, *Cabo Martin*, Hispaniæ, in regno Valentiæ.

Promontorium Dyrrachinum, *Capo de Palos*, est in Albania regione, prope Dyrrchaium urbem, in ora maris Adriatici.

Promontorium Elisabethæ, *Elisabeth Cap*, est in Terra Arctica, in ora Boreali freti Hudsonii.

Promontorium Epidium, *The mull of Cantir*, in ora meridionali Scotiæ.

Promontorium Episcopi, *Cap de l'Evesque*, est in nova Francia, in Canada provincia propria, & ad ostium meridionale fluvii St. Laurentii, contra Anticostiam insulam.

Promontorium Falsum, *Cabo Falço*, promontorium est Africæ, in Cafrena regione, maximè in austrum extensum, prope caput bonæ Spei, pro quo sæpe sumitur à præternavigantibus, unde ei nomen.

Promontorium Floridæ, *Cabo de Florida*, in America septentrionali. Vide *Caput Florida*.

Promontorium Francicum, *Cap François*, in America & in ora orientali Floridæ regionis, ad mare Boreale, prope ostium fluvii *Maji*.

Promontorium Fraudis, *Cabo del Engano*, est in Asia & in parte Boreali Luzoniæ insulæ, inter Philippinas præcipuæ, in mari Indico, prope novam Segoviam, & 100. mill. pass. à Manilla insula in Boream, Formosam insulam versus.

Promontorium Fraudis, *Cabo del Engano*, est in America & in parte orientali Hispaniolæ insulæ, in mari Boreali, versus Antillas insulas, 150. mill. pass. à Dominicopoli in ortum.

Promontorium Frigidum, *Cabo Frio*, in America meridionali & in Præfectura fluvii Januarii, in Brasilia Australi.

Promontorium Gallum, *Punta de Gallo*, in Asia & in parte australi Taprobanæ insulæ, in mari Indico, juxta Gallum urbem.

Promontorium Gerum, *Cabo de Guer*, Africæ, in regno Marrochii & in Hea provincia, in ora Oceani Atlantici, & prope Fanum Sanctæ Crucis.

Promontorium Gobæum, *le Four*, seu *S. Mahé*, Galliæ, in Britannia minori.

Promontorium Gracile, aliàs Raptum, *Cabo Delgado*, Africæ, in Zanguebaria regione, prope Quiloam urbem.

Promontorium Guadavarium, *Cabo Guadavari*, Asiæ in India intra Gangem & in regno Golcondæ, in ora sinus Gangetici, versus Masulepatanum emporium.

Promontorium Henriceæ Mariæ, *Cap Henriette Marie*, est in terra Arctica, versus sinum Hudsonium.

Promontorium Hermæum, seu Mercurii, *Cap Bon*, Africæ, in regno Tunetano.

Promontorium Hiemale, *Vervvinter Hoeck* Belgis, *Cap d'Hyver* Gallis, est in parte Boreali novæ Zemblæ, in mari Glaciali, & versus terras Arcticas.

Promontorium Honduræ, *Cabo de Honduras*, Americæ septentrionalis, in Hondura provincia novæ Hispaniæ. In mare Boreale & in sinum Honduræ maximè excurrit contra Turrim Juliam.

Promontorium Japygium, *Capo di S. Maria di Leuca*, Italiæ, in provincia Hydruntina.

Promontorium Infantis, *Cabo do Infante*, Africæ, in parte australi Cafreriæ regionis, & ad ortum promontorii bonæ Spei.

Promontorium Lacinium, *Capo delle Colonne*, Italiæ, in Calabria.

Promontorium Lilybæum, *Capo Boeo*, in Sicilia, versus mare Africum.

Promontorium Lytarmis, *Cap d'Oby*, in Sarmatia Asiatica, & in ora maris Glacialis.

Promontorium Machasacum, *Cabo Machasaco*, est Hispaniæ, in Biscaja provincia & in ora Oceani Cantabrici, prope Flaviobrigam.

Promontorium Malea, *Capo Malio ò di Santo Angelo*, in Peloponneso.

Promontorium Mendocinum, *Cabo Mendocino*, est in America, & in parte Boreali Californiæ insulæ.

Promontorium Minervæ, Plin. sic appellatur promontorium extremum Campaniæ, illam à Picentinis separans, quod Athenæum Straboni, Ptolemæo, & aliis Græcis dicitur, apud Massam urbem, contra Capreas insulam, inde ad 4. mill. pass. quot à Surrento, à Neapoli verò ad 30. recedens. Id vulgò *Capo di Massa*, & *Capo Campanella* nominatur. Cujus meminit Ovidius *lib.* 15. *Metamorphoseon:*

Inde legit Capreas, promontoriumq; Minervæ. Ferr. Baudr.

Promontorium Minervæ, in ora maris Tyrrheni, nunc *Capo Campanella* dicitur ab omnibus; estque contra Capreas insulam, & inter sinus Neapolitanum & Salernitanum, non est autem *Capo della Minerva*, ut malè Maginus posuit.

Promontorium Montis, *Cabo de Monte* Lusitanis, promontorium est Africæ, in Guinea regione, cum regno parvo cognomine, in ora Malaguettæ dicta; & 60. leucis Gallicis à Monte Leonis distat in Eurum.

Promontorium Montis Sancti, *Capo di Monte Santo*, est in Italia, & in ora orientali Sardiniæ insulæ, 45. millibus pass. à Calari in Cæciam.

Promontorium Mosandani, *Cabo de Mosandan*, in Arabia felici, ad fauces sinus Persici, & ex adverso Armuzii.

Promontorium Natalis, *Cap de Natal*, Africæ, in ora Boreali Madagascariæ insulæ, seu Delphinæ, ubi in ortum vergit.

Promontorium Nymphæum, *Capo di Monte Santo*, in Macedonia.

Promontorium Ocelum, *Spun Head*, Angliæ, in Vallia.

Promontorium Olisipponense & magnum, *Cabo de Roca*, Hispaniæ, in Portugallia.

Promontorium Pachynum, *Capo Passaro*, in Sicilia.

Promontorium Palmarini, *Cabo do Palmar*, Africæ, in Æthiopia inferiori, ad ostia fluvii *Zaire*, in limite regni Congi.

Promontorium Palmatum, *Cabo das Palmas*, Indiæ intra Gangem, in regno Golcondæ, & in ora sinus Gangetici.

Promontorium Patientiæ, *Cabo di Patientia*, in terra Esonis, & in ora versus Japoniam.

Promontorium Pelorum, *Capo di Faro*, in Sicilia, prope Messanam.

Promontorium Pembrochium, *Cap Pembrock*, in terra Arctica & in nova Wallia Boreali, prope mare Christianum.

Promontorium Populonium, *Capo Campanella*, Italiæ, in Hetruria, & in agro Senensi, prope Populonii rudera.

Promontorium Raptum, *Cabo Delgado*, Africæ, in ora Zanguebariæ.

Promontorium Rubeæ, *Nort Cap*, in parte Boreali Norvegiæ.

Promontorium Rubeum, *Cap Rouge*, est in America & in parte Boreali insulæ Terræ novæ, in nova Francia.

Promontorium Rupium, *Cabo dos Arecifes*, Africæ, in parte australi Cafreriæ regionis, ad ortum promontorii bonæ Spei.

Promontorium Ryssadium, *Cabo de Sierra Liona*, Africæ, in Nigritia.

Promontorium Sacrum, *Capo Corso*, Italiæ, in Corsica insula.

Promontorium Sacrum, *Cabo de Sant Vincente*, Hispaniæ, in Algarbia.

Promontorium Salinarum, *Cabo de Salinas*, est Americæ meridionalis, in provincia novæ Vandalitiæ, & in ora maris Borealis, versùs Trinitatis insulam.

Promontorium Samnonium, *Capo Salomon*, in ora Orientali Cretæ.

Promontorium Sanctæ Annæ, *Punta de S. Anna*, est in Africa & in Nigritia regione, prope Arguinum, & 250. mill. pass. à promontorio Viridi in Bor.

Promontorium S. Antonii, *Cabo de S. Antonio*, est in Africa & in ora occidentali Cafreriæ regionis.

Promontorium S. Augustini, *Cabo de S. Agostino* Lusitanis, *Cap de S. Augustin* Gallis, promontorium est Americæ meridionalis, in Brasilia regione & in Præfectura Pernambuci, cum arce munita in colle, à Batavis capta An. 1634. Sed hisce ultimis temporibus à Lusitanis recepta, ipsis etiamnum subest.

Promontorium S. Blasii, *Cabo de S. Bras* Lusitanis, *Cap de S. Blaise* Gallis, est in Africa & in parte australi Cafreriæ regionis, ad ortum promontorii bonæ Spei.

Promontorium S. Blasii, *Cabo de S. Bras*, est in Africa & in ora occidentali Cafreriæ regionis, in Æthiopia inferiori.

Promontorium S. Catharinæ, *Capo di Santa Catarina*, est in Italia & in ora occidentali Sardiniæ insulæ, prope Bosam.

Promontorium Sancti Francisci, *Cabo de Santo Francisco*, est in America meridionali & in Quitoa regione Peruviæ, in ora maris Pacifici.

Promontorium S. Francisci, *Cabo de S. Francisco*, est in Africa & in ora meridionali Cafreriæ regionis, ad ortum promontorii bonæ Spei.

Promontorium S. Francisci, *Cap de Saint François*, est in America septentrionali & in ora orientali insulæ Terræ novæ, in nova Francia.

Promontorium S. Georgii, *Cabo de S. Jorge*, aliis *Cabo Blanco*, est in America meridionali & in ora orientali Magellanicæ regionis, versùs Portum Desideratum.

Promontorium S. Germani, *Punta de S. German*, est in America septentrionali & in parte occidentali insulæ Portus divitis, Hispaniolæ obversa.

Promontorium S. Helenæ, *Punta de S. Helena*, est in America meridionali & in Quitoa regione Peruviæ, in ora maris Pacifici.

Promontorium S. Lazari, *Punta de S. Lazaro*, est in America septentrionali & in provincia Oræ divitis, in nova Hispania, in ora maris Pacifici.

Promontorium S. Luciæ, *Cabo de S. Luzia*, est in Africa & in ora occidentali Cafreriæ, versùs Caput bonæ Spei.

Promontorium S. Luciæ, *Punta de S. Luzia*, est in America septentrionali & in ora orientali Floridæ regionis, ad mare Boreale.

Promontorium S. Luciæ, *Capo di S. Lucia*, est in parte Boreali Sardiniæ insulæ Corsicæ obversa, ad fretum Taphros.

Promontorium S. Mariæ, *Cabo de S. Maria*, est in Africa & in ora orientali & Boreali Cafreriæ, Madagascariæ obversa, inter Zofalam & Mosambicum.

Promontorium S. Mariæ, *Cabo de S. Maria*, est in America meridionali, ad ostium Argentei fluvii, in Paraguaja.

Promontorium Sanctæ Mariæ, *Cabo di S. Maria*, est in America septentrionali & in ora Veragnæ provinciæ novæ Hispaniæ, in ora maris Pacifici.

Promontorium S. Mariæ, *Cabo de S. Maria*, est in Africa, in Nigritia regione, ad ostia Gambiæ fluvii.

Promontorium Sanctæ Mariæ, *Cabo de S. Maria*, est in Hispania & in Algarbiæ regno, contra Farum urbem, aliàs Cuneum promontorium.

Promontorium S. Mariæ, *Cabo de S. Maria*, est in America septentrionali & in parte occidentali Hispaniolæ insulæ, Jamaicæ obversa, in mari Boreali.

Promontorium S. Nicolai, *Cabo de S. Nicolo*, est in America septentrionali & in parte occidentali Hispaniolæ insulæ, ubi in Boream vergit, contra Cubam insulam, in mari Boreali.

Promontorium S. Nicolai, *Cabo de S. Nicolo*, est in Africa & in ora orientali Cafreriæ regionis, Madagascariæ obversa, ad ostia fluvii Sancti Spiritus.

Promontorium S. Romani, *Cap de S. Romain*, est in parte meridionali Madagascariæ insulæ seu Delphinæ, in Africa, & in mari Æthiopico.

Promontorium Sancti Thomæ, *Cabo de Santo Thome*, est in America meridionali & in præfectura fluvii Januarii, in Brasilia australi.

Promontorium Saturni, in Hispania, apud urbem Carthaginem, quæ abest à Julia Cæsarea urbe Mauritaniæ 187. millibus pass. teste Plinio.

Promontorium Scagense, *Scagen*, est in Dania & in Jutia Boreali, maximè ad Boream extensum, ad Codanum sinum, ex adverso Norvegiæ. Dicitur etiam Cimbricum promontorium.

Promontorium Scombraria, *Cabo de Palos*, Hispaniæ, in regno Murciæ.

Promontorium Scyllæum, *Capo Schilli*, in Peloponneso.

Promontorium Scythicum, *Cabo de penas de Guzan*, Hispaniæ, in Asturia.

Promontorium Sigæum, *Capo Gianizzari*, Asiæ minoris, in Mysia.

Promontorium Spiritus Sancti, *Cabo de San Spiritu*, est in Asia & in parte Boreali Tandajæ insulæ, in Philippinis.

Promontorium Sunium, *Capo delle Colonne*, Græciæ, in Attica.

Promontorium Tabinum, *Cap Tabin*, in Tartaria.

Promontorium Tacharigum, *Cabo Tacharigo*, aliàs Moticaria, est in Africa & in Zanguebaria regione, prope Melindam.

Promontorium Tænarium, *Capo Matapan*, in Peloponneso.

Promontorium Trileucum, *Cabo d'Ortegal*, Hispaniæ, in Gallæcia.

Promontorium Triremis, *Punta de la Galera*, est in Asia & in parte occidentali Mindanoæ insulæ, in Philippinis.

Promontorium Triremis, *Punta de la Galera*, est in America & in parte orientali insulæ Trinitatis, in mari Boreali, versùs oram novæ Vandalitiæ & insulam Tabaci.

Promontorium trium Cuspidum, *Cabo de tres Puntas*, est in Africa & in ora Guineæ regionis, versùs arcem S. Georgii de Mina, atque inter promontoria Palmarum, & Lupi Gundisalvi.

Promontorium Vaccarum, *Cabo das Vaccas*, est in Africa & in parte australi Cafreriæ regionis, versùs ortum promontorii bonæ Spei.

Pronapus, Pater Amyniæ Comati, qui toties ab Aristoph. aliisq; Comicis traducitur.

Pronasta, antiqui populi Bœotiæ, Steph.

Prone, mons Argiæ, apud Hermionem.

Pronea, & *Prumia*, vulgò *Pruym*, fluv. cum pag. & Abbatia, in Sylva Ardnenna, & finibus Trevirensium, in Suram fluv. influens. De quo Auson. *in Mosellana*. Vide *Prumia*.

Pronectus, inter oppida, quæ Phœnices in Bithynià condiderunt, inquit Bochartus, *Pronecti* fit mentio. Stephanus: Πρόνεκτος, πόλις Βιθυνίας, πλησίον τῆς Δρεπάνης, ἣν ἔκτισαν οἱ Φοίνικες. *Drepane* autem aliis *Drepanum*, & *Hellenopolis* erat ad Nicomediæ sinum, ut à Nicephoro describitur. Ibidem igitur Pronectus: quod & alii testantur, quibus *Prænetum*, vel *Prenetum* dicitur. Socrates *lib.6. cap.16.* Καταλαμβάνει αὐτὸν ἐν Πρενέτῳ, ἐμπόριον γὰρ τοῦτο κατὰ τὸν κόλπον τῆς Νικομηδείας κείμενον. Πραίνετος, vel Πραίνετον habent Cedrenus & Constitutiones Pontificiæ Impp. Orientalium. Et Antholog. *lib.1. cap.19.* epigramma habetur, Εἰς λουτρὸν ἐν Πραινέτῳ. Factum videtur nomen ex Syro בירנתא *biranta*, vel *birneta*, quod pro castro vel palatio passim occurrit, in Paraphrastis. Sed & Ebraicè בירניות *birnijot* sunt *arces*, aut *castella*, 2. Par. 17. 12.

Pronomus, tibicen quidam, cujus prolixa barba gestamine non admodum apposita professioni, abiit in proverb. *Pronomi barba*.

Pronus, Cephalleniæ insf. castellum, Polyb. *lib.5.* *Pronesus* Strab. Populi *Pronii* Lycophroni.

Propala, urbs Siciliæ, Stephan.

Propertius Sextus Aurelius, Elegiacorum poëtarum omnium facilè princeps, ex Mevaniâ, opp. Umbriæ, nunc Bevania, in Duc. Spoletano, oriundus. Quidam scribunt, ejus patrem Equestri dignitate ornatum, ac Triumvirali potestate fuisse: tum inter eos connumeratum, qui L. Antonium secuti Perusiâ captâ ex Octavii Cæsaris authoritate, ad aram Julii perducti, ibi occisi fuerunt. Illud omninò constat, hunc Propertium magnâ ex parte amissis bonis Romam se recepisse, quum patrem adhuc in tenerâ ætate amisisset; ubi propter ingenium statim amatus est à Corn. Gallo, & Mæcenate. Elegiarum 14. libros edidit. Hostiam puellam affectu dilexit incredibili, quam ficto nomine Cynthiam appellavit. In suis operibus secutus est Callimachum, Mimnermum, & Philetam Græcos; unde & se *Romanum* vocat *Callimachum*. De quo sic Jul. Scaliger: *Propertius facilis, candidus, verè elegiacus, tersior tamen quàm existimatus est à criticis: nam & amat quædam, quæ minimè sunt vulgaria.* *Propertium*, inquit Lipsius, *qui non amat, eum profectò Musæ non amant. Lepidissimum & nitidissimum poëtam* eum vocat eruditissimus Turnebus *lib.8. Advers. cap.2.* Idem *lib.11. cap.15.* *Tanta versuum Propertii jucunditas & amœnitas est; ut eos dictantibus Gratiis à poëtâ exceptos censeas. Tantùm optarem ad aliam potius, quàm amatoriam materiam beatam illam & candidam ingenii venam contulisset, ut à juventute tutius legi posset.* Ovid. *Trist.2.*

Invenies eadem blandi præcepta Properti.

Idem *lib.3. de Art. Am.*

Et teneri possis carmen legisse Properti.

Martia.

Martialis *lib.* 8.

Cynthia te vatem fecit lascive Properti.

Idem alibi,

Cynthia, facundi carmen juvenile Properti.

Vid. & Lil. Girald. *Dial.* 4. *Poet.* Crinit. *de Poet. Lat.* Passeratium, Voss. Marolum &c. Alius ab hoc est *Propertius*, ex quo Fulgentius Planciades, *libello ad Chalcidium Grammaticum*, citat: *Catillata juris vadimonia, publicum prostibulum.* Item,

Divitias nuptis conficit omnis amor.

Propertius celer, Praetorius sub Tiberio; cui veniam ordinis, ob paupertatem, petenti, Caesar decies H.S. largitus est, satis comperto paternas ei angustias esse. Tacit. *Ann.* 1. 75.

Propheta, dicti in V. T. ministri Dei, extra ordinem, excitati, ut populum docerent, vitia ejus, idololatriam inprimis carperent, miraculis & futurorum praedictione doctrinam sacram confirmarent, atque erigerent fideles, promissionibus de Messia futuro ejusque beneficiis. (Aliter paulò in N. T. vox sumitur, ut videre est, 1. Cor. 12. 28. & 14. 29. &c.) Horum quidam, divino jussu, prophetias suas literis consignarunt, quae Canoni illatae: dividunturque in *Majores*, quorum quatuor, *Esaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*: & *Minores*: quorum duodecim: *Hosea*, *Joel*, *Amos*, *Obadia* seu *Abdias*, *Jonas*, *Michaa*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Haggaeus*, *Zacharias* & *Malachias*. In *Prophetas Majores*, in universum spectatos, inter alia, in lucem prodierunt: Aquinatis *Comm.* exc. Ezechiele. Calv. Don Isaac Abarbenel, & R. Mosche Alschich exc. Daniele. Maldonatus. Origenis *Homiliae*. Pappus. Paulutius. Tossanius &c. Vide singulos *suis locis*. In *Minores* 12. extant; Adrianus. Atavantius, 1588. Beda. Calvinus. à Castro. Chytraeus. Cocceji τὸ Δωδεκαπρόφητον. Cyrilli Commentaria. Danaei *Explicatio locorum diff.* Drusii *Lectiones*. Fabritii *Conciones*, fol. Bernae, 1641. à Figueiro *Comm.* Forerius, Antverpiae 1567. Gualtherus, de Hales. Haymo. Heidenci *Expositio* 8. Witeb. 1610. Heilbrunnerus. Hemingius. Hesychius. Huchefon, Angl. fol. Lond. 1657. Hieronymus. R. Jonathan. Don Isaac Abarbenel. Lambertus, de Lapide. Lauretus. Lutherus. Medi *Diatribe*. Messanae *Paraphrasis*. Montanus. Oecolampadii *Annotationes*. de Palacio Johannes & Paulus. Pappus, Paulutius. Philippaei *Comment.* 4. tom. Paris. 1633. Quinquarboreus. Riberae *Comment.* fol. Coloniae 1610. Remigius. Rupertus. Sanctius. Sartorii *Paraphrasis & Annotat.* Basileae. Tarnovii *Comm.* quart. Rostochii. Tegetmeierus, Lipsiae. Theodoreti *in omnes Proph. exc. Esaiâ*. Tossanii *in* 12. *Pr. Min.* Basileae, 1558. Wigandi *Explanatio*, octav. Francof. 1566. Wolderi *Disputationes Analyt. cum Paraphr.* 4. Witebergae, 1617. V. Crowaei *Elenchum*, & singulos Prophetas, *suis locis*.

Prophthasia, Castaldo *Sistan*, urbs Drangianae prim. inter Alexandriam Ariae ad Occ. 199. & Arachosiam ad Ort. 200. mill. pass. Plin. Sed Stephano 4530. stad. ab Alexandria distat.

Prophytus, Pygelae Joniae urbis tyrannus, ut colligitur ex Polyaeno *lib.* 7. *in Mausolo com.* 2. ubi tamen Interpres legit *Phytus Ephesius*.

Propoetides, filiae Amathuntiae, aspernatae Venerem triviis vulgavere corpora, ob ejusdem Deae iram: quia verò ad pudorem induruerant, novissimè in lapidem transfiguratae sunt, ut inquit Lactantius. Ovid. *Met.* 10.

Sunt tamen obscoena Venerem Propoetides ausae
Esse negare Deam: pro quâ sua numinis irâ
Corpora cum formâ primae vulgasse feruntur.
Utque pudor cessit, sanguisque induruit oris,
In rigidum parvo silicem discrimine versae.

Propontis, uno nomine dicitur totum illud mare, quod ab Hellesponti angustiis, ad Thracium usque Bosporum, protenditur. Suidas, Προποντὶς, ἡ ἀπὸ τοῦ πόντου θάλασσα ἐν τῷ Βυζαντίῳ ἐπικειμένη. Dionysius,

—— Ὅππη στεινὸς ἔρχεται αὐλῶν
Σνειρόμενος Βοσπόροιο Προποντίδος ἔνδοθι πόντος.

Silius *lib.* 14.

—— *Pontumque sonantem*
Elicit angusto violentius ore Propontis.

Longitudinem ei tribuit Ovidius, *Ponticorum quarto*:

Misit in has si quos longa Propontis aquas.

Altitudinem Claudianus,

—— *Quorumque profundam*
Ingluviem non Aegaeus, non alta Propontis, &c.

Inde *Propontiacus*. Propert. 3. 22.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos
Tulle, Propontiacâ quâ fluit Isthmos aquâ.

Ovid. 1. *Trist.* 9.

Inde Propontiacis haerentem Cyzicon oris.

Baudrando *Propontis* vulgò *Mar di Marmora*, mare est inter Europam & Asiam; seu inter Asiam min. & Thraciam; ad 140. m. p. ab Ortu in Occ. extensum, ad 60. à Sept. in Mer. Ejus partes sunt Sinus Astacenus, *le Golfe de Comidia* & sinus Cius *le Golfe de Polmeur*: Illudque circumstant Constantinopolis, Chalcedon, Nicomedia, Cius, Perinthus, Cyzicus, Lampsacus, Prusa, Selimbria & Rhedestus. Undique terris cingitur, instar lacus, praeter ad Boream, ubi exit in Pontum Euxinum, per Bosphorum Thracium, uti ad Merid. per Hellespontum, in mare Aegaeum.

Proprietas, vocabulum à Jurisconsultis effictum, ad distinguenda dominia; significat plerumque merum & directum dominium, non usufructuarium: ut alias vocis hujus apud eosdem significationes omittam. Apud Historicos ver. & candidioris simplicitatis homines verba sunt Henr. Spelmanni, *proprietates* fuere praedia omnia, quae quis proprio jure possidebat, haereditario sc. & non conductitio, vel ex elocato: quod Angli vocant *taken to fearm*. Certum autem est, distinxisse eos praedia omnia in Propria & Fiscalina: priora illius arbitrio obnoxia, inconsulto domino ad haeredes transibant: posteriora in arbitrio dominorum erant, & cum vita accipientis finiebantur. *Glossar. Archaeol.*

Prosa, Dea, cui ara deprecandi gratia periculi ab aegro partu constituta est. Gellius 15. 16. Huic altera adversaria erat *Postversa* nominata, à perverso partu.

Prosactium, fl. ex Idaeis mont. profluens, & inter Hellespontum & Euxinum in mare se effundens. Arrian. *lib.* 1.

Proschion, regio Aetoliae. Steph.

Proselene, Phrygiae min. urbs. Ptol. *S. Ammia* Moletio, in ora, inter Adramyttium ad Bor. & Pitamen ad Mer.

Proseleni, vide *Arcades*.

Proserpina, Jovis & Cereris filia, quae cum in campis Ennaeis flores legeret, à Plutone rapta est. Ovid. *Met.* 5.

—— *Quo dum Proserpina luco*
Ludit, & aut violas, aut candida lilia carpit,
Penè simul visa est, dilectaque, raptaque Diti.

Orpheus tamen, *in Argonauticis*, videtur significasse Proserpinam non in specu, sed super mare latam fuisse, cum ita scribat:

Ὥς ποτε Φερσεφόνην τέρεν' ἄνθεα χερσὶ δρέπουσαν
Ἐξάπαφον συνόμαιμοι ἀν' ἄλσεα τε ἠδὲ μέγα ἄλσος.
Ἀυτὰρ ἔπειθ' ὡς μιν Πλούτων κυανοχαίτης
Ζευξάμενος, κούρην ἐπιβήσατο δαίμονος αἴσῃ,
Ἀρπάξας δ' ἔφερεν διὰ κύματος ἀτρυγέτοιο.

Scriptum reliquit Sophoclis Enarrator, Proserpinam raptam fuisse à Plutone, cum Narcissum colligeret, his verbis; ὅτι περὶ ἡ τὸν Πλούτωνα αὐτὴν ἁρπάσαι, τοῦτο ἐποίησε, συλλέγουσαν δέ φασιν αὐτὴν τὸν νάρκισσον ἁρπασθῆναι. Hanc cum Ceres diu frustra tota terrarum orbe investigasset, tandem à Cyane Nymphâ rem omnem edocta, petiit à Jove, ut communem filiam ab inferis sibi reducere liceret: quod eâ duntaxat lege impetravit, si nihil illa cibi apud inferos gustasset. Quare cum Ascalaphi judicio palam factum esset, aliquot mali Punici grana illam gustasse; omnis reditus spes illi fuit interclusa. Quod aegre ferens Proserpina, Ascalaphum commutavit in bubonem noctis avem, rerumque tristium semper nuncium. Postea tamen Ceres à Jove dicitur impetrasse, ut Proserpinae senis quotannis mensibus liceum apud superos, & totidem apud inferos cum marito esse liceret. Obtinuit deinde Proserpina, propter multas matris lachrymas & lamentationes, ut ejulatus, & capillorum lacerationes, & plagae, quae in funere familiarium & carissimorum fierent, in ejus honorem ederentur, tanquam quaedam sacrificia. Euripides *in Oreste*,

Καὶ τύπον τε κρατὸς ὃν λαχ' ὁ κατὰ χθονός
Νερτέρων Περσέφασσα καλλίπαις θεά.

Quae cum mortuorum esset regina, dicti sunt omnes ab Horatio, *in primo Carminum*, à Proserpinâ excipi, in his,

Mista senum ac juvenum densantur funera, nullum
Saeva caput Proserpina fugit.

Idem alibi,

Quàm penè furvae regna Proserpinae,
Et judicantem vidimus Aeacum.

In fabulis quoque narratur cujusque capitis crines abscindere Proserpinam; ut orco damnetur. Virg. *Aen.* 4.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Ubi loquitur ex opinione veterum, qui existimabant, eos qui morti essent proximi, à Proserpinâ primum tonderi, & his quasi primitiis Orco initiari, neque aliter posse obire diem suum. Inde apud Euripidem, aut Charon, aut Mors inducitur Alcestidis comam secans, his versibus,

Ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅδου δόμους,
Στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει.
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα.

Quae verba explicans Scholiastes ait: Ὡς ἔθος ὄντος τοῖς θανατοῦσι τοῦ μέλλοντος ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν. Statius item *lib.* 2. *Sylv.* de Glauciâ moriente sic canit:

Jam complexa manu crinem tenet infera Juno.

Ad rem hanc allusisse videtur Martialis 3. 43.

Non omnes fallis. Scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

Ei *sterilis vacca* dicabatur. Virg. *Aen.* 6.

—— *Ipse atri velleris agnam*
Aeneas matri Eumenidum, magnaeque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina vaccam.

 Scribit

Scribit hoc Arnobius *lib.* 7. Prudentius *contra Symmachum lib.* 2. post mentionem Proserpinæ:

Placatur vacca sterilis cervice resectâ.

In sacris mortuorum id usitatum est, teste Homero *Odyss.* 11. apud quem Ulysses, post mentionem *νεκύων*, subdit, *στεῖραν βοῦν*, *bovem sterilem.* Silius autem Italicus *lib.* 13. rem exprimit castitatis nomine, quod alii sterilitatis:

Ordine mactari pecudes jubet, acer operto
Ante omnes taurus regi, tum proxima Divæ
Caditur Ætnææ castâ cervice juvenca.

Mythologiam ejus pete ex Natali Comite *lib.* 13. *cap.* 16. & Al. Rossæo, *in mystag. Poët.* Adde his Augustin. *de C. D. lib.* 7. Euseb. *lib.* 3. *de Præp. Ev. &c.* Nomen *Proserpinæ* quod attinet, videtur vox esse origine Latina, non Græca, ut censet Cicero, à *serpendo* nimirum dicta. Serpunt enim per terram & ex terrâ, i. e. Cerere nascuntur fruges, quibus ea significatur. Quia verò eædem latent ad tempus, donec exiliant Solis calore elicitæ, atque in auras eductæ, fingitur hæc Dea rapta ab Inferorum, divitiarumque Deo Plutone. Inde Phurnutus explicans *μυθολογίαν*. Ἁρπάσαι δ᾽, inquit, ὁ Ἅδης τὴν θυγατέρα τῆς Δήμητρος ἐμυθεύθη, διὰ τὸν χρόνον ἐπὶ χρόνον τινὰ τῶν σπερμάτων κατὰ γῆς ἀφανισμόν. Quinimo Terram ipsam quoque dictam *Proserpinam*, quòd ex eâ *proserpant* fruges, notat B. Augustinus ex Varrone. Græcè Περσεφόνη dicitur, qu. φέρουσα τὸ ἄφενος, *divitias ferens*, authore Hesychio. Atqui vox ista, secundùm Etymologici Trilinguis auctorem, Hebræam habet originem; nempe à פרי *Peri, fructus*, & צפון *Saphun*, *tectus, opertus* vel צפון *Tsephun*, *absconditus.* Hæc à Plutone (quo nomine vis & natura terræ intelligitur, à verbo פלט *Palat*, h. e. *eripuit*, unde *Raptor* dictus poetis) rapta ad inferos dicitur, ut supra vidimus. Quæ omnia mendaces Græcos, Idololatriæ fascino dementatos, suis mythologiis vulgo illusisse, sibique ipsis horrendum in modum imposuisse demonstrant. Vide *Ceres.*

Prosodita, Marmaricæ nomi gens. Ptol.

Prosopis, ins. Nili fl. intra Deltam apud Herod. & Steph.

Prosopum, vel *Prosopon*, ins. Afr. parva ante Carthaginem. Steph.

Prospalta, vicus in Acamantide tribu. Steph.

Prosper, vixit tempore Sullæ & Ciceronis. Auctor libri de Antiquitatibus Tusciæ, qui periit. Is enim qui prodiit Ann. 1490. fœtus est ὑποβλιμαῖος Thomæ Fœdri: quod satis probatum libro, hac de re, Amstelodami edito, An. 1639.

Prosper, Aquitanicus. Valentiniani temporibus fuit, quem Burdigalensem vocat Joh. Aventinus. Leonis Papæ primùm notarius, ac post Episcopus Rhegiensis fuit. Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 17. *& de hær. Pelag. lib.* 1. *cap.* 18. Multa præclara scripsit pro gratiâ Christi contra Pelagianos, seseque S. Augustini discipulum & defensorem acerrimum demonstravit, uti loquitur Bellarminus *de Script. Eccles.* Chronologiam suam terminat, An. 455. quo creditur obiisse. Scripsit porro Poëma, contra Ingratos, Librum c. Collatorem &c. Quæ omnia sæpius edita. Libri tres de vita contemplativa, Juliani Pomerii sunt, falsò Prospero tributi. Sic duo libb. de vocatione Gentium, nec Ambrosii, nec hujus Prosperi, nec Prosperi, Episc. Aurelian. cujus Sidonius Apoll. meminit, *in Epist.* nec Prosperi, qui Ann. 527. concilio Carpentoractensi subscripsit, sed Afri cujusdam sunt, qui ad Demetriadem epistolam scripsit. Vide Victor. *de Cyclo Paschali.* Gennad. *de Ser. Eccl. cap.* 84. Phot. *cod.* 54. Fulgent. *lib.* 1. *ad Monim. cap.* 30. Aliosque plurimos laudatos Morerio *in Diction. Hist.*

Prosper Alpinus, Venetus. Medicus scriptis inclytus. An. 1591. Vander Linden, *de Scr. Med.*

Prosper Calanus, Medicus celebris: Romæ Bononiæque docuit, An. 1524. Justus *in Chron. Med.*

Prosper Farinacius, JC. insignis Romanus, suæ ipse fortunæ faber. Patavii studuit, inde Romam reversus, Advocatum egit, causarum maximè intricatarum: Judicibus plerunque ingenii dexteritate in suas partes pertractis. Procurator Fisci creatus, tanto rigore munus hoc administravit, ut plurimorum murmura excitaret, inprimis cùm sibi plurima permitteret, quæ in aliis severè ibat punitum. Et fortè aliquid gravius fuisset passus, ni Cardinalium quorundam gratiâ fuisset protectus. Ingenio vasto, magno & solido: in laboribus ferreus, quod Opera ejus 13. voluminibus comprehensa testantur. Primum est, *Tractatus de Hæresi.* 2. *De Immunitate Ecclesiæ.* 3. *Deciss. Rotæ Rom.* 4. *Repertorium de Contractibus.* 5. *Repert. de ultimis voluntatibus.* 6. *Praxis & Theorica criminalis* 7. *Repert. Judiciale.* 8. *Concilia.* 9. *Fragmenta*, 10. *Decisiones.* 11. *Variar. Quæst.* 12. *Tract. de testibus.* 13. *Decis. Posthumæ.* Obiit Romæ An. 1618. æt. 64. Jac. Phil. Thomasinus, *in elog. illustr. Patav.* Janus Nic. Erythræus, Pinac. P. 1. c. 132. Crass. *elog. hom. liter. P.* 1. De hoc Clemens VIII. dicere solitus est: *Esse excellentem farinam, in sacco nullius pretii.*

Prosper Podianius, Perusinus, JC. egregius, ditissimæ Bibliothecæ possessor: quam cùm Monachis quibusdam promisisset, neque promissis stetisset, hi egregiam Inscriptionem in marmore antè in rei memoriam factam, deleverunt, relictis solis his literis *D. O. M. I. Deo, Optimo, Maximo*, quas quidam lepidè interpretatus est, *Daturis Opes Meliores.* Janus Nicius Erythr. *Pinac. part.* 3. *c.* 71. Ludovicus Jacobus, *tract. de Bibliothecis.*

Prosper Stellartius, Tornacensis Augustinianus Mon. auctor plurium operum. Obiit An. 1626. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Prostropæa, urbs Siciliæ. Steph. V. *Postrophæa.*

Prosumnus vel potius *Prosymnus*, de quo sic Arnobius *lib.* 5. *Cum inter homines, inquiunt, esset adhuc Nysius, & Semeleius Liber, nosse inferos expetivit, & sub Tartari sedibus quidnam rerum ageretur, inquirere: sed cupiditas hæc ejus nonnullis difficultatibus impediebatur, quòd quà iret ac pergeret, inscitiâ itineris nesciebat. Prosumnus quidam exoritur, ignominiosus amator Dei, atq; in nefarias libidines satis pronus; qui se januam Ditis, atq; Acherusios aditus pollicetur indicaturum, si sibi gereret morem Deus, atq; uxorias voluptates pateretur ex se carpi. Deus facilis jurat potestatis futurum ac voluntatis se ejus, sed cùm primum ab inferis compos voti atq; expeditionis redisset. Viam comiter Prosumnus edisserit, atq; in limine ipso prostituit inferorum. Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias, atq; alias res omnes curiosâ inquisitione collustrat, ex viventium numero index ille decedit, atq; ex more sepelitur humano: emergit ab inferis Evius & recognoscit extinctum ducem. Qui ut fidem impleret pacti, & jurandi solveret religione se juris, locum pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum validissimum præsecans, dolat, runcinat, levigat, & humani speciem fabricatur in penis: figit super aggerem tumuli, & postica ex parte nudatus, accedit, subdit, insidit. Lasciviâ deinde furentis assumpta, huc atq; illuc clunes torquet, & meditatur ab ligno pati quod jamdudum in veritate promiserat.* Fabulam hanc narrant Clemens *Protreptico*, Theodoretus *de Martyribus Serm.* 8. Gregor. Nazianzenus στηλιτευτικῷ β. Hyginus *Poetico Astron. pag.* 186. Pausanias *in Corinthiacis*, Πολύμνον vocat.

Prosymna, pars Argolicæ regionis. Steph. ubi Juno colebatur, hinc *Prosympia* dicta. Plut. Incolæ *Prosymnei.* Ejus mem. Statius *lib.* 4. *Theb.*

Huic armat Larissa viros, huic celsa Prosymne.

Preta, ins. Bospori Thracii. Steph. Baudrando quid sit non constat. Sed, teste Gyllio, Protos Discos minor est sinus parvus Bosphori Thracii, hodie *Philaces*, in ora Bithyniæ, medius inter Chrysopolin & Nicopolim sin. & Protos Discos est hodie Cecri planities in illo tractu.

Protagoras, Abderites, ex epistolarum latore, Democriti auditor, natus est Menandro patre, Thracum locupletissimo, qui & Xerxem, adversus Græciam proficiscentem, domo, muneribusq; excepit: ob quam liberalitatem Magi qui cum eo erant, factâ à rege potestate, ejus filium Protagoram, tunc adolescentem suâ disciplinâ erudierunt: nam injussu regis eam communicare non licet, quòd de diis haud benè sentiunt, dubitareque se dicunt deos esse: Illis quoque clam sacrificabant, ne clarâ religionis professione illis servire, aut per illos nonnihil posse videantur. Ex hâc igitur consuetudine & ritu, Protagoras ab Atheniensibus condemnatus est: ut autem placet nonnullis, tantùm accusatus sponte exulavit. Cumque sparsas toto orbe triremes Atheniensium videret, parvo se navigio credens, insulas lustravit, ubi tunc mercede dicitur primus omnium profiteri cœpisse. Igitur Plato cùm videret, eum arte rhetoricâ intumescentem, ejus ideam longo sermone expressit. Ejus eruditio solida non fuit, in argutiis consistens, scripsit plurima, & in exilio obiit. Philostratus. De eo secus A. Gellius *cap.* 3. *lib.* 5. *& l.* 5. *c.* 3. Laert. *l* 9. Athen. *l.* 8. Suid.

Protagoras, de monstrosis quorundam Indorum formis, prodidisse quædam dicitur à Tzetze *Chil.* 7. *Hist.* 144.

Protagoras, astrologus, in quem Euphorion epicedium scripsit. Alius item Stoicus, Laertius. Et Salaminis rex, qui Persis se dedidit. Olymp. 107. an. 3. ejecto Evagorâ.

Protagorides, Cyzicenus historicus, scripsit de Ludis Daphnæis, prope Antiochiam celebrari solitis. Athen. *lib.* 3. & 4.

Protarchus, Trallianus historicus, laudatur Macrobio *l.* 1. *Sat. c.* 7.

Prote, ins. parva una ex Stœchadibus 3. in Jonio mari contra Ætoliam sita. Plin. 3. 5. magis ad Occ. extensa, Ferrar. *Prasonda* nautis, teste Nigro, cui etiam *Sphagia* Strabonis videtur: Ptolemæo tamen *Sphagia* & *Prote* duæ sunt insulæ. Baudrando est *Porquerolles*, in ora Provinciæ, à qua vix 1. leuc. distat, contra Olbiæ prom. & 3. ab Olbia in Mer. 2. autem à Mese seu Pomponiana Ins. in Occ. V. *Stœchades.*

Prote Justiniana, Agathias. V. *Tauresium.*

Proteas, Macedo, homo bibacissimus fuit. Cùm enim Alexander Magnus, in symposio quodam, cùm paulo liberiùs hausto mero comiter incaluisset, scyphum bicongium acceptum, vinoque repletum propinavit, hic quidem Proteas scyphum hilariter accipiens, multa priùs in regis laudem clara effatus voce, illum omnium convivarum profusissimo cum applausu, impigrè totum hausit: pauloque pòst, eundem scyphum spumanti plenum mero, idem Proteas expostulavit, ac primoribus degustatum labris Alexandro propinavit. Quem accipiens rex, generosè quidem ebibisse illum dicitur: indeque in morbum incidit, quo paulò pòst extinctus est. Quamobrem nonnullis inde datam fuisse loquendi ansam contenderunt, qui Alexandrum Dionysii, i. e. Bacchi, indignatione, immaturâ ætate extinctum fuisse prodiderunt, quoniam is patrias Bacchi sedes, Thebarum sc. urbem funditus evertisset, & ob illius æmulationem gloriæ, Indis bellum intulisset. Leon. *lib.* 3. *cap.* 89.

Protei columnæ, locus Ægypti extremus. Servius, Virgilius *lib. 11. Æneidos*,

Atrides Protei Menelaus ad usque columnas
Exulat.

Proterus, Ins. Illyrici Scylaci, nunc *Girona* in territorio Traguriensi, Slavè *Drivenich*, J. Lucius.

Proterius, Episc. Alexandrinus, in locum Dioscori, impudicitiâ, sævitiâ, hæresi & injustitiâ infamis, à Præsulibus Orthodoxis surrogatus, An. 452. maximorum malorum occasio fuit. Dum enim quidam Dioscorum repetunt, alii hunc tuentur, en rixæ, verbera, cædes; Cum Eutychianis blandè agens, ut illos ad Ecclesiam reduceret, nihil effecit; proin hi à Marciano Imper. in exilium pulsi: quo mortuo, in templo, ab illis postliminio reversis, occisus est, ipso Paschatis festo. Ann. 457. Evagrius *lib. 2. cap. 5.* Theodorus Lector *lib. 2. Collect.* Baronius *in Annal.*

Protervia, sacrificii genus, in quo quicquid ex epulis supererat, incendio dabatur. Ausonius,

Capripedes agitat quum lena Protervia Panas.

Albidius adolescens, quum universum patrimonium decoxisset, & ædes unas (quæ supererant) rerum desperatione dedisset incendio; ferunt Catonem hoc in eum cavillo usum fuisse: *Hic protervian fecit.* Facere autem proterviam, adagium est in prodigos, qui omnia absumunt usque ad assem. Macrob. 2. 2.

Protesilai turris & delubrum, *Protesileum* Strab. opp. Cherronesi, in ora, ex adverso Sigæi prom. Troadis. Plin. Sol.

Protesilaus, fil. Iphicli, unus ex Græciæ principibus: cui, quamvis oraculo prædictum esset, primum omnium in bello Trojano periturum, si eò proficisceretur; contemptis nihilominus vaticiniis, unà cum cæteris ducibus eò profectus est: cumque omnium primus è navi in terram exiisset, & in Hectorem incidisset, primus Græcorum omnium ab illo est interfectus. Ovid. *in Met.*

—— *Hectoreâ primus fataliter hastâ*
Protesilae cadis. —— ——

Vocatur & *Phylacides*, à *Phylace*, Thessaliæ opido. Uxorem habuit Laodamiam, Acasti filiam, quæ, cùm ejus interitum rescisset, hoc unum doloris sui solatium petiit, ut mortui umbram posset intueri, quod cùm à Diis impetrasset, in illius amplexibus expiravit. Extat illius epistola ad maritum suum, inter Ovidianas. Sunt ex adverso Heliensium urbis juxta Hellespontum in Protesilai sepulcro arbores, quæ cùm in tantum accrevere, ut Ilium aspiciant, inarescunt, rursusque adolescunt. Plin. 16. 44. Vide Philostrati Heroic. Græcè πρῶτος λαῶν. Ausonius autem videtur derivare ἀπὸ τοῦ πρῶτον ἱλάσασθαι τὸν θεόν: hoc versu:

Protesilae tibi nomen sic fata dederunt,
Victima quòd Trojæ prima futurus eras.

Sed fabula. Hunc Hyginus *Fab.* 103. tres horas impetrasse scribit, quibus cum Laodamiâ loqueretur. Unde Ausonius *in Cupidine cruciato*:

Præreptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas, vivi functiq; mariti.

Propertius 1. 19.

Illic Phylacides jucundæ conjugis heros,
Non potuit cæcis immemor esse locis,
Sed, cupidus falsis attingere gaudia palmis,
Thessalis antiquam venerat umbra domum.

Hinc *Protesilaeus*. Catullus,

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Protesilaeam Laodamia domum.

Protesilaum, urbs in Cherroneso ex adverso Sigæi. Strabo. V. *Protesilai* turris.

Protestantes, appellatio est, quæ Evangelicis tribuitur, eò quòd ab illis, quorum tum antesignani Elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Philippus Magnanimus Hassiæ Landgravius, Anhaldius, aliique Germaniæ Principes, in Comitiis Spirensibus, *Protestatio* adversus novum decretum, exhibita est, in Religionis negotio, die 19. Aprilis, An. 1529. petitumque, ut superioris Conventus decretum sartum tectum conservaretur, & sua cuique religio, juxta tenorem illius, permitteretur usque ad Concilium. Huic Principum *Protestationi*, communicato consilio, primi nominis civitates aliquot sese junxerunt, Argentina, Noriberga, Ulma, Constantia, Rutelinga, Vuindsheimium, Memminga, Lindavia, Campodunum, Hailbrunnum, Isna, Wissemburgum, Norlinga, Sangallum. *Hæc origo nominis Protestantium est, quod non solum in Germania, sed apud exteras quoq; gentes pervulgatum est, atq; celebre.* Sleidan. *Comment. lib. 6.* Horum confessionem Augustæ, cum sociis, Imperatori, obtulit suprà memoratus Philippus, An. 1530. ea in fundamento dogmata continentem, quæ suo ævo in Germania, in Iberia, in Celtis, in Oriente, in Ægypto, Lybia & in medio Mundi, i. Asia, ubi tum florentissimæ erant Ecclesiæ, viguisse, refert Irenæus *lib. 1. cap. 2. & 3. lib. 3. & 4.* Circa An. C. 180. Post bellum dein gravissimum in Germania obortum, captos *Protestantium Duces*, Johannem Fridericum El. Sax. & Philippum Hassiæ Landgr. A. 1547. &c. fusum tandem Oeniponte Carolum V. Imp. An. 1552. captivi liberati, & Passaviensi pace, *Protestantibus* libertas religionis concessa est, A. 1555. quod pace Monasteriensi A. 1649; solemniter confirmatum. Plura in hanc rem, Vid. apud Sleidan. *Comment.* Thuan. *in Histor. &c.*

Proteus, Deus marinus, Neptuni & Phœnices fil. teste Tzetze *hist.* 44. *Chil.* 2. qui in Pharo Alexandriæ habitavit, Toronenque ex Ægypto in Phlegram Pallenes profectus uxorem duxit, ex quâ filios suscepit Tmylum ac Telegonum, de quibus Eurip. *in Hecubâ.* Hi postea peregrinos crudeliter interimebant, cùm adolevissent, quorum sævitiam cùm Proteus æquo animo ferre non posset, impetrasse à patre Neptuno dicitur, ut in Ægyptum rursus ferretur: cujus preces cùm audivisset Neptunus, e quodam Pallenes hiatu speluncam sub mari fecit, in quâ illum in Ægyptum usque secum perduxit. Deinde cùm Hercules ob crudelitatem, quâ in hospites utebantur, Tmylum ac Telogonum obtruncasset, cognitâ filiorum cæde, neque lacrymas emisit, quia nefarii essent homines, neque risit, quod essent sibi, ut scripsit Theopompus *lib. 8. rerum Græcarum.* Xanthus verò scribit, in rebus Lydiæ, Proteum Oceani & Tethyos à quibusdam creditum fuisse filium. Euripides præterea, Psamathen uxorem illum duxisse tradit; è quâ Theonoen, & Theoclymenum marem suscepit. Habuit etiam Cabiram, Rhetiam & Idotheam filias, quæ Menelaum de reditu in patriam ambigentem, cùm diutius in Ægypto detineretur, docuit, ut recentibus pellibus phocarum indutus, unà cum sociis, tanquam phocis, se inter phocas dormire simularet, quo tempore sub meridiem Proteus in siccum exiens inter phocas dormire consuevit, atque illum dormientem comprehenderet, tamdiuque retineret in varias formas se mutantem, quamdiu in pristinam formam redierit. Dicunt enim modò in aquam, modò in ignem; modò in feras, in arbores, volucres & serpentes se vertere solitum. Unde proverbium, *Proteo mutabilior*: cujus auctor Homerus fuisse putatur, Sic enim ille *Odyss.* δ.

Ἀλλ' ἤτοι πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος,
Αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάρδαλις, ἠδὲ μέγας σῦς·
Γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ, καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον.

Cujus sententiam sic exprimit Virgilius *Georg.* 4.

Fiet enim subitò sus horridus, atraq; tigris,
Squamosusq; draco, & fulvâ cervice leæna;
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atq; ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.

Similiter Horatius *lib. 2. Sat.* 3.

Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus;
Cùm rapies in jus malis ridentem alienis,
Fiet aper, modò avis, modò saxum, & cùm volet, arbor.

Itemque Ovid. *Met. lib.* 8.

Nam modò te juvenem, modò te videre leonem:
Nunc violentus aper, nunc quem tetigisse timerent,
Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum:
Sæpe lapis poteras, arbor quoq; sæpe videri:
Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras; interdum undis contrarius ignis.

Denique Silius Italicus *lib.* 7.

Per varias lusit formas, & terruit atri
Serpentis squamis, horrendaq; sibila torsit,
Aut fremuit torvo mutatus membra leone.

Virgilius iterum; ubi supra:

—— *Ille suæ contra non immemor artis*
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemq;, horribilemq; feram, fluviumq; liquentem.

Menelaus, apud Lucianum, plures huicce transmutationis species concedit. Quomodo autem ignis aliquis in aquis degens esse possit, haud æque intelligit: Ὕδωρ σε γίνεσθαι, ὦ Πρωτεῦ, οὐκ ἀπίθανον, ἐνάλιόν γε ὄντα. Καὶ δένδρον ἐπιφορητόν. Καὶ ἐς λέοντα ὁπότε ἀλλαγείης, ὅμως οὐδὲ τοῦτο ἔξω πίστεως. Εἰ δὲ καὶ πῦρ γίνεσθαι δυνατὸν ἐν τῇ θαλάττῃ οἰκοῦντα, τοῦτο πάνυ θαυμάζω, καὶ ἀπιστῶ. Cæterùm Proteus hic, Ægypti rex, patriâ Memphites fuit, qui Pheroni in regno successit, regnavitque belli Trojani temporibus. Tradit eum Herodotus *lib. 2.* Paridem, cùm raptâ Helenâ patriam repeteret, vi tempestatis ad Canopicum Nili ostium fuisse appulsum; captumque à Thomi regionis ejus præfecto, ad Proteum regem missum fuisse: qui cùm ex servis Alexandri cognovisset, mulierem, quam ille secum vehebat, hospitis illius uxorem esse, absentique viro raptam fuisse, perfidiam hominis detestatus, illum intra triduum finibus suis excedere jussit; Helenam verò cum omnibus opibus, quas ille direptâ Spartâ secum vehebat, Menelao integram servavit. Expugnato itaque Ilio, cùm Menelaus revera cognovisset, uxorem eò nunquam advectam fuisse, sed à Proteo retentam, Canopi gubernatoris ductu in Ægyptum navigavit: qui cùm ibi diem suum obiisset, Canopico ostio nomen fecit. Menelaus autem, adito Proteo, uxorem suam liberalissimè ab eo habitam cum opibus universis accepit. Hunc Proteum rerum omnium principium esse ac Deorum antiquissimum putavit Orpheus *in Hymnis*:

Πρωτέα κικλήσκω, πόντου κληῗδας ἔχοντα,
Πρωτογενῆ, πάσης φύσεως ἀρχὰς ὃς ἔφηνεν,
Ὕλην ἀλλάσσων ἱερὴν ἰδέαις πολυμόρφοις,
Πάντιμος, πολύβουλος, ἐπιστάμενος τά τ' ἐόντα,
Ὅσσα τε πρόσθεν ἔην, ὅσα τ' ἔσσεται ὕστερον αὖτις.

Home-

Homerus:

Πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων ἅλιος νημερτὴς,
Ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος, ὅστε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδε. Ποσειδάωνος ὑποδμώς.

Virgilius *Georg* 4.

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus: magnum qui piscibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.
—— Hunc & Nymphæ venerantur, & ipse
Grandævus Nereus: novit namq; omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno visum est, immania cujus
Armenta, & turpes pascit sub gurgite Phocas.

Inde *Neptuni pastorem* eum vocat Papinius, *in Achilleide.* Theocritus *Idyll.* 12.

Ὡς Πρωτεὺς φώκας, καὶ θεὸς ὤν, ἐνέμε.

Horatius *lib.*1. *Od.* 2.

Omne cùm Proteus pecus egit altos
—— —— Visere montes.

Lucianus histrionem fuisse Protea arbitratus est, de quo ita scribit, *in Dialogo de Saltatione:* Δοκεῖ γάρ μοι ὁ παλαιὸς μῦθος καὶ Πρωτέα τὸν Αἰγύπτιον οὐκ ἄλλο τι ἢ ὀρχηστήν τινα γενέσθαι λέγειν, μιμητικὸν ἄνθρωπον, καὶ πρὸς πάντα σχηματίζεσθαι, καὶ μεταβάλλεσθαι δυνάμενον, ὡς καὶ ὕδατος ὑγρότητα μιμεῖσθαι, καὶ πυρὸς ὀξύτητα ἐν τῇ τῆς κινήσεως σφοδρότητι, καὶ λέοντος ἀγριότητα, καὶ παρδάλεως θυμὸν, καὶ δένδρου δόνημα, καὶ ὅλως ὅ τι καὶ θελήσειεν. Quæ verò de Protei mutabilitate poëtæ sunt commenti, ab Ægyptiorum regum consuetudine videntur emanasse. Iilis enim (teste Diodoro) mos erat, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, insignia principatûs, quandoque verò arborem, aliquando ignem, quandoque redolentia supra caput unguenta. Plato, *in Euthydemo*, fabulam exponit, de fallaciis, quibus sophistæ in disputando utuntur. Alii ad naturam rerum referunt: Horatius ad inconstantiam vulgi:

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Quidam ad veritatem ipsam accommodant, ut videre est apud Calcagninum & A. Bochium, *in Symbolicis quæstionibus*. Vide sis quoque N. Comitem *Mythol. lib.* 8 *cap.*8.

Prothenor, unus ex 5. Bœotorum ducibus, qui ad Trojam cum Græcis profecti sunt. Hom. *in Catal.*

Protheus, unus ex Græcorum ducibus, qui ex Magnesiâ ad Trojam venit, Homer.

Prothingi, pop. Scythiæ, trans Istrum. Zosimus *lib.*4.

Prothu, unus è Cyzicenis, in conflictu nocturno, à Polluce obtruncatus, Flacc. 3. 158.

Protodiaconus, qui inter Diaconos primus. *Ptotoforestarius:* in Anglia olim dictus, qui Forestæ Windesoriæ supremus fuit Justiciarius. Item *Protoforestarius Angliæ*, omnium Forestarum Justiciarius, seu Vicarius Regis. *Protopresbyter*, idem cum Archipresbytero, seu Episcopo. *Protospatharius*, Constabularius, Magister militum, Procop. qui aliàs dicitur Comes stabili, Connestabilis, &c. de quo vide in voce *Constabularius*. *Protovestiarius*, Thesaurarius Regius: Βεστιάριον enim Vestiarium, ærarium dixerunt, vel locum ubi thesauros recondebant, Ger. Vide Meurs. Spelmann. *Gloss. Arch.*

Protogenes, signif. aliquem *primi generis*, & à quo genus incipit. A poëtis sumitur pro eo, qui se talem confingit. Juven.

Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis. —— ——

Protogenes, pictor nobilissimus, patriâ Caunius; Demetrio R. pergratus. Palmam habet tabularum ejus Jalysus, qui est Romæ dicatus in templo Pacis: quem cùm pingeret, traditur madidis lupinis vixisse. quoniam simul famem sustinerent, & sitim, ne sensus nimiâ dulcedine obstrueret. Huic picturæ quater colorem induxit subsidio injuriæ & vetustatis, ut decedente superiore, inferior succederet. Est in eâ canis mirè factus, ut quem pariter casus & ars pinxerit. Non judicabat se exprimere in eo spumam anhelantis posse, cùm in reliquâ omni parte (quod difficillimum erat) sibi ipse satisfecisset. Displicebat autem ars ipsa, nec minui poterat, & videbatur nimia, ac longiùs à veritate discedere, spumaque illa pingi, non ex ore nasci, anxio animi cruciatu, cùm in picturâ verum esse, non verisimile vellet, absterserat sæpius, mutaveratq; penicillum, nullo modo approbans. Postremò iratus arti, quòd intelligeretur, spongiam eam impegit inviso loco tabulæ, & illa reposuit ablatos colores, qualiter cura optaverat, fecitque in picturâ fortuna naturam, Olympiadis 112. Plinius *lib.*35. *cap.* 10. Ælian *lib.*12. *&c.*

Protogenes, martyr, de quo vide Theodoretum *Eccles. hist. lib.*4. *cap.* 18.

Protogenia, Deucalionis. & Pyrrhæ filia. Homer. *Odyss.*19. Item filia Erechthei Atheniensium regis.

Protomacra. Bithyniæ opp. Ptolem.

Protropi, qui & *Abellinates*, pop. Apuliæ, non procul à Benevento. Plin *lib.*3. *cap* 11.

Protus, Phocensis quidam, qui à Gallis benignè exceptus, Massiliam non procul à Rhodani ostiis condidit. Plutarchus *in Solone*.

Proverbia, in Canone Vet. Test. à Salomone Reg. Israëlis Sapientiss. divinitus inspirato, conscripta, capp.31. comprehensa sunt. In *hæc*, vel partes, extant: Agelii *Comm.* fol. Parisiis 1611. Ambrosii *in cap.*30. 31. Arboreus. Augustinus. Basilii *Homiliæ*. Bayni *Comment. 7. Lingg.* fol. Paris. 1555. Beda. Boblii *Ethica Sacra*, quart. Ann. 1640. Brucciolus. Candidus. Cartwrighti *Comment.* quart. Amstelodami 1631. Danæus. Drusius. Duporti *Paraphrasis metrica*, seu Σαλωμῶν Ἔμμετρος, octav. Cantabr. 1646. Geieri *Enucleatio*. Giggeii *Interpretatio*, quart. Mediolani An. 1630. Gulielmus Paris. Hieronym. *Comment.* Holkoti item, quart. Parisiis, An. 1515. Honorius. Jansenius. Jermini *Comment.* fol. Anglicè, Londini 1638. Don Joseph aben Jechija, Hebr. de Lapide. Lavateri *Commentar.* fol. Tiguri An. 1586. Leigh *Annotationes*. Angl. Londini, An. 1657. Lorinus. Lutheri *Annotationes*. Maldonatus. Malvenda. Midrasch Mishle. Melanchthonis *Explicatio*. Mercerus. Munsteri *Annotat. Grammat.* Basil. An. 1524. Osorius. Patherius. Pelcanus. Pineda. Rabanus. Remus. de Roa. de Salazar *Expositio*, 2. Tom. fol. Paris. An. 1652. Salonius. Sidonius. Sixtus Sen. Strigelius. Tydichius. Valverdii *Comment. in cap. ultim.* Romæ, quart. Ann. 1589. Vide Crovæi *Elenchum Scriptorum*.

Provincia Romana, & *Provincia* simpliciter, Cæs. *la Provence*. regio Galliæ Narbonensis, inter Rhodanum & Alpes maritimas, in qua Galloligures Straboni. Ubi Aquæ, Arelatum, & Avenio, metropoles. Ausonius:

Fusa per immensum quondam Provincia regnum.

Baudrando nunc est provincia ampla regni Franciæ, inter Alpes maritimas ad ortum, Rhodanum fluvium ad occasum, Delphinatum ad Boream, & mare Mediterraneum ad meridiem. Ejus partes sunt etiam Comitatus Forcalquerii, *le Comté de Forcalquier*, qui ei unitus est, Avenio & Comitatus Vindascinus, *Avignon & le Comtat Venaissin*. sub dominio Rom. Pontificis, Principatus Arausicanus, *la Principauté d'Orange*, proprio Principi subditus, & Comitatus Nicæensis, *le Comté de Nice*, sub dominio Ducis Sabaudiæ. Totius autem provinciæ caput est Aquæ Sextiæ, *Aix*, ad Arcum amnem. Hic popul. quondam Vocontii, Cavares, Salii, Deceatæ, Oxybii, &c. Olim sub Liguribus fuit, sub Celtis, Gallis, dein ad Romanos devoluta nomen *Provinciæ* accepit. Ab his pervenit ad Visigothos, Burgundos, Ostrogothos, & Galliæ Reges: hinc ad Reges Burgundiæ, & Arelati. Bosonem, uxoris fratrem Carolus Calvus Imper. Regem Provinciæ ac Papiæ Ducem creavit, An. C. 876. Paul. Æmil. *lib.* 3. Post ro Comites habuit proprios: quorum primus Rotbaldus erat, cui Bolo successit, &c. qui regnarunt circa An. C. 915. vel 920. Gilbertus, mortuus An. 1112. filiam reliquit nomine Dulcem, quæ nupta Raimundo Berengario I. in familiam Comitum Barcinonensium Comitatum hunc intulit. Hunc varii excepere, usque ad Raimundum Berengarium V. qui extinctus An. C. 1245. quatuor habuit filias: quarum minima natu, *Provinciam* Carolo Duc. Andegav. fratri Ludovici IX. dotis loco attulit. Horum posteri præfuere, usque ad Carolum Meduanium, nepotem Renati Regis, qui Ludovicum XI. Gall. Reg. hæredem scripsit: Ita nobilissima hæc ditio An. C. 1481. Coronæ unita est, aëris temperie & telluris omnifariâ fœcunditate nulli secunda, inprimis quâ mari alluitur, ubi insignes portus Massiliæ, Tolonii, &c. Plurimi hic montes, raræ sylvæ, insignes fluvii: longitudo 34. leuc. latitudo 32. ambitus 58. Incolæ sobrii parvo contenti, ingeniosi: sub nomine *Troubadours*, vel *Trouveres* versus rythmicos invenerunt, teste Dante & Petrarchâ. Nec ullibi felicior magnorum ingeniorum proventus, sive tempora Honorati, Maximi, Leontii, Hilarii, Fausti, Gennadii, &c. quibus solitudines hujus provinciæ seminaria erant maximæ partis Episcoporum Galliæ: sive sequentia respiciantur, hinc enim Peirescius, Gassendus, &c. orti. An. Ch. 1560. in quosdam nobiles, ob religionem, hic acriter, sævitum. Thuan. *Histor.* Vide Nostradamum & Honor. Bouchæum *Histor. Provinc.* Ruffium *Hist. desc. Comt. de Prov.* Quercetanum *de laudibus Prov.* Moreriurn *Dict. Histor. & novo opere, quod de Viris illustr. Provinciæ promittit*, *&c.* præter Geographos & Historicos vett. omnes. Hadrianus Valesius, de insigni hac regione ista habet, Gallia *Narbonensis* à Metropoli sua, *Braccata* ante à veste incolarum dicta, à meridie Tuscum pelagus seu internum mare attingit; à Septentrione terminos habet montes Cebennam & Juram, aut ex Cæsare lacum Lemanum, & flumen Rhodanum; ab oriente amnem Varum & Alpium juga, quibus ab Italia discernitur; ab occidente Pyrenæum & Garumnam. Hanc Julius Cæsar. *in Commentariis rerum gestarum in Gallia*, nunc *Provinciam nostram*, id est, Provinciam Romanam, vel Romanorum, nunc *Galliam Provinciam*, sæpiùs absolutè *Provinciam* appellat; Cicero. *in Oratione pro M. Fontejo* modò *Galliam*, modò *Provinciam Galliam:* quòd ea pars Galliarum ut Italiæ propior, sic prior à Romanis subacta ac in formulam provinciæ redacta fuerat, multo antequam reliquam Galliam, nimirum Belgas, Celtas, & Aquitanos Julius Cæsar perdomaret. Eadem à Plinio *in lib.* 3. *cap.* 4. & à Solino *Narbonensis Provincia* appellatur, agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum nulli provinciarum postferenda, breviterque Italia veriùs quàm Provincia. Hæc primò divisa est in *Provinciam Narbonensem*, ac *Provinciam Viennensem*, deinde in quinque provincias, nimirum in *provinciam*

Viennen.

Viennensem, *provinciam Narbonensem primam*, *provinciam Narbonensem secundam*, *provinciam Alpium Grajarum & Penninarum*, *provinciam Alpium Maritimarum*: civitates autem circiter 38. continebat. Sed postea nescio quâ ratione factum est, ut *Provincia Narbonensis secunda*, excepto Vapinco, & *Provincia Alpina Maritima* tota, exceptâ metropoli Ebroduno, ac *pars Provinciæ Viennensis* dimidia, videlicet civitates *Vasio*, *Arausio*, *Cabellio*, *Avenio*, *Carpentoracte*, *Arelatum*, *Massilia*, propriè *Provincia* vocarentur, *Provence*, parte nomen totius sibi vindicante: quemadmodum sæpe aliàs contigisse video. Quando primùm, & à quo ea regio *Provincia* dicta sit, incertum est. Cornelius Tacitus, *in Vita Cnæi Julii Agricolæ soceri sui*, mihi pæne videtur *Provincialem* eo sensu usurpâsse: *Cnæus* (inquit) *Julius Agricola veteri & illustri Foro-Juliensium coloniâ ortus, statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerat, locum Græcâ comitate & Provinciali parcimoniâ mistum ac bene compositum.* Avitus Viennensis Episcopus, *in Epistola ad Faustum & Symmachum Senatores Urbis*: *Provinciam præfixis Regnorum terminatam limitibus* appellat, propterea quòd inter Ostrogothos & Burgundiones certis finibus divisa erat. Cassiodorus Senator *in libri Variarum 8. epistola* 10. modò *Gallias*, modò *Provinciam* (ut sæpe aliàs) absolutè nuncupat his verbis: *Mittitur igitur, Franco & Burgundio decertantibus, rursus ad Gallias tuendas. Adquisivit Reipublicæ Romanæ, aliis contendentibus, absque ulla fatigatione Provinciam.* Avitus autem & Senator unâ ambo ætate floruerunt ante annos 1160. Cyprianus *in Vita Cæsarii*, Arelatensis Episcopi, præceptoris sui, *Provinciam Arelatensem*, à capite regionis cognominat, quum scribit, *Theodericum Italiæ Regem missis ducibus suis Provinciam Arelatensem ingressum esse.* Hosce tres scriptores imitatus Gregorius Turonicus Episcopus, *Provinciam* eam passim vocat. Idem partem ejus alteram *Arelatensem Provinciam*, uti & auctor libelli de Vita Beat. Consortiæ; alteram *Provinciam Massiliensem* nuncupare consuevit. Quod ut intelligatur, notare convenit, mortuo Chlothario majore, à quatuor ejus filiis duas in partes divisam esse *Provinciam*, & alteram quidem *Arelatensem Provinciam* dictam, in qua Arelatum, Ugernum, Reji, aliæque urbes & castella vicique erant, Guntchramno Burgundionum Regi cessisse: alteram verò *Massiliensem Provinciam* appellatam, quæ Massiliam, Avenionem, Aquas Sextias, aliaque oppida & loca habebat, Sigiberto Austrasiorum Regi obtigisse. *Provinciæ Arelatensis* rectores apud nostros Historicos nonnunquam *Duces*, sæpiùs *Patricii* vocantur: Præsides *Provinciæ Massiliensis*, à scriptoribus rerum Francicarum *rectores Provinciæ*; nonnunquam *Præfecti*, atque etiam *Patricii* appellantur; Arigius & Asclepiodotus, qui patu alterutri præfuere, à Gregorio Romano Episcopo *Viri Gloriosi Patricii Galliarum*, item *Patricii in Galliis*: ut *in libr.* 13. *Rerum Francicarum* observavimus. Audoenus in Vita Sancti Eligii *Villam Ampuctum*, (*Ampuce* vulgò) *sitam in ripa Rhodani fluminis*, ponit in *regione, quæ propriè Provincia nuncupatur*, & *Episcopos Provinciæ* commemorat. *Provinciam Narbonensem* vocat Eghinardus hisce verbis: *Fecit idem à parte Meridiana, in littore Provinciæ Narbonensis ac Septimaniæ.* Petrus, qui de bello Albigensi scripsit, quum *in capite* 84. *Valentiam, Montilium Ademari, & castrum Crestam Provinciæ partibus* attribuit; satis ostendit, se *Dalfinatum* quem vocant, *Provinciæ* nomine designare: & (ut suprà observavi) Dalfinatus olim partim *Sapaudiæ* partim *Provinciæ* confinium regionum appellatione continebatur. *Provincia* autem nonnunquam & *Aquitania* impropriè dicta est ab *Aquis Sextiis* capite regionis. Certè Leo Marsicanus *in libri primi Chronici Cassinensis, capite ultimo*, Hugonem Arelatensium vel Provincialium Comitem, qui postea in Italia regnavit, *Aquitaniæ Ducem* appellat, hoc est, *Aquensium*, vel *Aquisextiensium*: quos *Aquitanos* vocatos, & ab his totam Provinciam *Aquitaniam* dictam esse Leoni non mirabitur, qui apud Plinium *in libri quarti, capite* 19. legerit, Aquarum Tarbellicarum incolas dici *Aquitanos*, *unde nomen provinciæ* Aquitaniæ, vel Aquitanicæ propriè dictæ. Gothiam etiam seu Septimaniam sæpe *Provinciæ* nomine comprehensam ac designatam esse reperio. Quippe Gregorius noster *Historiæ suæ, libri tertii, caput* 21. sic inscribit: *Quòd Theodobertus in Provinciam abiit* & tamen Theodobertum istum Gothiam tantùm petiisse, ac duo ibi in Biterrensi pago castella recepisse constat. Sigebertus *in Chronico* scribit, Ægidium Carolo Martello apud Francos dominante è Græcia venisse in Galliam, atque *in Provincia* virtutibus & sanctitate vitæ claruisse: quem in Gothia floruisse, Monasterium Sancti Ægidii in valle Flaviana oppidumque ejusdem nominis indicio est, à quo monasterio opidoque Gothia etiam *Provincia Sancti Ægidii* vocata est. Guibertus Abbas Novigenti, *in libro secundo Historiæ Hierosolymitanæ*, de Raimundo Comite Gothiæ, quem *Comitem Provinciæ* ac *Comitem Sancti-Ægidianum* vocat, sic refert: *Erat autem nostris Principibus ætate maturior, & exercitu (nisi quantum ad garrulos Provincialium mores spectas) nulli inferior.* Et *in libro septimo*: *Ingressis igitur Provincialibus*, Sancti-Ægidiani scilicet Comitis exercitu. Utrubique Guibertus, qui ante annos 500. vixit, Gothos Raimundi Comitis ditioni subjectos *Provinciales* vocat. Quippe præter *Provinciales* propriè dictos, *Burgundi*, *Arverni*, *Vascones*, & *Gothi*, in exercitu Christiano Europæorum Hierosolymam petentium, *Provinciales* communi nomine *appellabantur*: *cæteri verò Francigenæ*, vel Franci: sicuti scribit Raimundus de Agiles. Lucius P P. in literis Anno 1144. datis, *in Provincia Monasterium juxta Montem Pessulanum* Cluniacentium ditioni subjicit præ cæteris. Erat autem Mons Pessulanus cum Monasterio ei proximo in Gothia, ut est hodie. Petrus Monachus Vallium Cernaji de bello Albigensi, totam terram Comitii Tolosæ subjectam, nimirum Septimaniam totam, & partem Aquitaniæ ac Provinciæ inter Druentiam & Isaram uno & communi nomine *Provinciam*; incolas *Provinciales* appellat, cùm alibi, tum in præfatione operis, seu in literis ad Innocentium Papam libro suo præfixis. Veteres nostri Historici *Provinciam à Burgundia*, ut & à *Septimania Gothiave* distinguunt, & Avenionem, Massiliam, Nicæamque ei urbes attribuunt, *Nicæam Provinciæ Narbonensis Civitatem* appellando. Provinciale quoque ante Annos 400. compositum *Provinciam* etiam à *Burgundia* separat: & huic Lugdunensem ac Senonensem metropoles; illi *Aquensem*, ac *Arelatensem* adscribit. Notitia Episcopatuum Galliæ scripta paulò post Annum 1322. ambas similiter provincias distinguit: sed *Burgundiæ*, vel *Sapaudiæ* Darantasiensem tantùm ac Vesontiensem metropoles unà cum suffragantibus, hoc est, Sapaudiam & Sequanos, ac Helvetios; *Provinciæ Ebrodunensem*, *Arelatensem*, *Viennensem*, ac *Aquensem*, seu *Aquisextiensem* attribuit: quæ 4. Diœceses majorem Sapaudiæ partem, & Dalfinatum totum Provinciamque complectuntur. Contrà Gervasius Tilleberiensis & quædam Notitia Galliæ ei suppar *Provinciam Burgundiæ* nomine designant; ac ejus finibus includunt, *Burgundiæ* sex adscribendo metropoles ac provincias, Vesontiensem, Viennensem, Darantasiensem, Ebrodunensem, Aquensem, Arelatensem: quibus finibus non Sequani modò & Helvetii cum universa Sapaudia, sed etiam Dalfinatus atque *Provincia* continentur. At veteres nostri Annales Carolum Lotharii Augusti filium *Provinciam* vel *Provinciæ Regnum obtinuisse* tradunt, & *Provinciæ Regem* appellant: quem constat, exceptis Genevâ & Seduno, cuncta inter Lemanum, Rhodanumque, mare Gallicum & Alpes rexisse; trans Rhodanum etiam Lugdunum, Vivaria ac Ucetiam tenuisse: qui limites unà cum *Provincia* Dalfinatum ac Sapaudiam, quales nunc sunt, id est, Burgundiæ majorem partem includunt. Certè Appendix Chronici Guillelmi Nangiacensis, *Viennam urbem Provinciæ* in Anno 1311. appellat. Incolæ Provinciæ *Provinciales* Latinis scriptoribus; vulgò *Provençaux* vocantur. *Provincia* jaminde ab Anno Christi 900. Comitibus suis illustris, ex tribus provinciis facta est, nimirum ex Alpibus Maritimis, ex provincia Narbonensi 2. & ex provincia Arelatensi, Viennensis olim parte: ac 19. minimùm civitates complexa est, ex Alpibus maritimis quidem Diniam, Nicæam, Antipolim, Glannatevam, Sanitium, Vintium; ex Narbonensi 2. Aquas Sextias, Aptam, Rejos, Forum Julii, Segusteronem; ex provincia Arelatensi Arelatum, Massiliam, Avenionem, Arausionem, Vasionem, Cabellionem, Carpentorate, ac Telonem: cui numero Duces Sapaudiæ Nicæam exemere. Nam Arausio licèt Nassaviis pareat, & Avenio, Vasio, Cabellio, ac Carpentorate licèt Antistitibus Ecclesiæ Romæ obediant, non minùs tamen ob id quàm ceteræ pro urbibus *Provinciæ* haberi debent. Qui in *Provincia* dominabantur, *Comites Provinciæ & Foricalcarii*, vel *Forcalquerii* sunt dicti; nonnunquam à capite regionis *Comites Arelatenses*, aut *Arelatensium*. Auctor incertus, cujus Chronicon in Anno 1290. desinens Catellus edidit, *Fontem Calcariam*, vel potiùs *Calcarium*, & *Fontem Qualquerium* vocat locum à Nostris *Forcalquier* vulgò dictum: quum in Anno 1265. *Carolum Regem, Ducem Apuliæ, Principem Capuæ, Comitem Andegaviæ, Provinciæ, Fontis Calcariæ* nuncupat. Habuit autem *Marcam*, seu *Marchiam* suam *Provincia*. Unde Raimundus *Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, & Marchio Provinciæ*, in 3. litteris ad Ludovicum Francorum Regem cognomine juniorem vocatur & Constantia ejus uxor, cum Ludovico huic, fratri suo scriberet, se *ejus unicam sororem, Comitissam Tolosæ, Ducem Narbonæ, Marchisam Provinciæ* ipsa appellavit. Scribit Godefridus *in Annalibus*: *Comitem Tolosanum* Anno 1235. *de Marchia Provinciæ homagium præstitisse Imperatori, à quo eam recipiebat.* In Appendice Chronici Lamberti Schafnaburgensis hæc reperio: *Anno* 1160. *Ludovicus Provinciæ Comes Erfordiæ cum aliis Imperii Proceribus convenit; & auxilium contra Mediolanenses Imperatori conjurat*: id est, auxilium Imperatori jurejurando seu sacramento promittit. Nimirum *Provincia* Anno 1125. à Comitibus Tolosæ & Barcinonis nomine uxorum suarum dividi cœpta est duas in partes: quidquid *Provinciæ* est à Druentia ad Isaram, Comitatum Vindausrensem præter cætera continens, Alfonso Comiti Tolosano posterisque ejus cessit, cum dimidia parte Avenionis aliarumque urbium: reliquam *Provinciam* à Druentia ad mare, cum dimidio Avenionis & aliorum oppidorum Comes Barcinonensis obtinuit: conventumque;

tumque, ut hæc pars *Comitatus Provinciæ*; illa portio *Marchiæ Provinciæ* vocaretur, & ut hujus partis possessores *Comites Provinciæ*, illius domini *Marchiones Provinciæ* appellarentur. In decreto tamen Urbani Papæ II. Anno 1096. *Raimundum Comitem Tolosanorum, Ducem Narbonæ, & Marchionem Provinciæ* dictum reperio ante divisionem Provinciæ supra memoratam Anno 30. & Episcopum urbis Romæ jam tum in *Marchiam Provinciæ* totam, aut saltem in partem ejus sibi jus vindicavisse. *Notit. Gall.*

Provinciæ urbes:

Antipolis, *Antibe.*	Forum Neronis, *Forcalquier.*
Apta, *Apt.*	Maritima, *Marteques.*
Aquæ Sextiæ, *Aix.*	Massilia, *Marseille.*
Arausio, *Orange.*	Reji, *Riez.*
Arelate, *Arles.*	Sanitium, *Senez.*
Avenio, *Avignon.*	Segustero, *Sisteron.*
Caballio, *Cavaillon.*	Tarasco, *Tarascon.*
Carpentoracte, *Carpentras.*	Telo, *Toulon.*
Dinia, *Digne.*	Vasio, *Vaison.*
Draguinianum, *Draguignan.*	Vincium, *Vence.*
Foro-Julium, *Frejus.*	

Provinciæ Imperii Romani, extra Italiam:

Acarnania in Epiro.
Achaja cum Græcia, An. ab urbe condita 606.
Ægyptus, ab Augusto.
Æmi montis in Thracia.
Ætolia, pars Epiri, An. 567.
Africa minor, à Scipione Africano, capta Carthagine, An. 609.
Alpes Cottiæ & maritimæ, inter Augustum & Vespasianum.
Aquitania, ab Augusto, sub Hadriano gemina, 1. & 2.
Arabia proxima Ægypto, ab Augusto.
Armenia major, à Trajano.
Armenia minor, ab Augusto.
Asia, in qua Hellespontus, Phrygia, Jonia, Lydia, Caria, An. 565. à Lucio Scipione Africani fratre.
Assyria, à Trajano.
Augustanica. Aliis est Augustamnica.
Azarsavena trans Tigrim, à Galerio.
Bætica in Hispania.
Belgica gemina, 1. & 2.
Bithynia, à Pompejo magno, victo Mithridate.
Bœotia in Græcia.
Britannia, à Claudio sub Hadriano gemina, 1. & 2.
Byzacena, pars Africæ.
Cæsariensis in Mauritania.
Cantabria cum Asturia, ab Augusto.
Cappadocia, ab Augusto recuperata, & sub Tiberio in provinciam redacta.
Carduena trans Tigrim, à Galerio.
Cilicia, à Pompejo magno, & ante ipsum Anno 680. capta cum Isauria.
Comagenæ, sub Tiberio, & demum à Vespasiano.
Corsica, An. 523. quando ferè Sardinia, cui adjuncta fuit.
Creta, à Quinto Metello Consule, postea sub Augusto Cyrenaicæ adjuncta.
Cyprus, à Marco Catone.
Cyrenaica, sub Augusto Cretæ copulata, cùm Ann. 660. capta fuisset.
Dacia, à Trajano, victo Decebalo ejus Rege.
Dalmatia, ab Augusto, sed ante An. 599. expugnata.
Dardania, unà cum Mœsia & Thracia, ab Augusto.
Epirus, sub Hadriano gemina, 1. & 2.
Euphratesia, sub Hadriano, pars Syriæ.
Flaminia, sub Hadriano.
Galatia, ab Augusto.
Gallæcia in Hispania, sub Hadriano.
Gallia Cisalpina, à Marco Claudio Marcello.
Gallia Lugdunensis seu Celtica, à Cæsare, sub Hadriano gemina, 1. & 2.
Gallia Narbonensis, à Cæsare An. 633. priùs capta.
Gallia Transalpina, à Quinto Fabio Maximo.
Germania, sub Hadriano gemina, 1. & 2.
Hellespontus. Vide *Asia.*
Hispania citerior, An. 558. Cornelio Cethego & Quinto Minucio Consulibus.
Hispania ulterior, An. 548.
Illyricum primum, quando Macedonia, postea à Scipione Nazica, & ab Augusto demum.
Jonia. Vide *Asia.*
Isauria, pars Galatiæ.
Istria, ab Augusto cum Illyrico, sub Hadriano cum Venetia.
Italia à freto Siculo ad Alpes, sub Hadriano in multas provincias divisa, quæ sunt Æmilia, Brutii, Apulia, Campania, Liguria, Samnium, Picenum, Tuscia, Umbria, Flaminia, Alpes.
Liburnia, ab Augusto, sed priùs à Pompejo.
Libya, sub Agusto.
Lusitania, sub Hadriano.
Lycaonia, ab Augusto.
Lycia, ab Augusto.
Macedonia, An. 607. à Quinto Metello.
Mauritania, Cæsariensis & Sitifensis à Cæsare, & sub Hadriano etiam tertia Tingitana.
Mesopotamia, à Trajano, cum Assyria & Armenia.
Mœsia, ab Augusto, sub Hadriano gemina, superior & inferior.
Mysia. Vide *Phrygia.*
Noricum, ab Augusto cum Rhætia, Vindelicia, & Pannonia, sub Hadriano 1. & 2.
Novempopulonia, pars Aquitaniæ, sub Hadriano.
Nozena trans Tigrim, à Galerio.
Numidia, pars Africæ, à Quinto Mario An. 649. victo Jugurthâ Rege.
Osrhoena, pars Mesopotamiæ, Syriæ contermina.
Pamphylia tandem ab Augusto, cum Lycia, Lycaonia, Galatia, & Pisidia, in unam redactis.
Pannonia, unà cum Mœsia, ab Augusto, Bathone Rege victo, sub Hadriano gemina, 1. & 2.
Paphlagonia, ab Augusto, Pylæmone Rege mortuo, Bithyniæ addita.
Phrygia Pacatiana, in qua Laodicea.
Phrygia Salutaris, in qua Synnada.
Pisidia, ab Augusto, unà cum Lycia.
Pontus, ab Augusto Bithyniæ additus, à Pompejo conquisitus, postea à Nerone in provinciam redactus.
Pontus Polemoniacus.
Prævalitana, sub Hadriano.
Rhætia, sub Hadriano in duas, 1. & 2.
Rhenumana trans Tigrim, à Galerio.
Rhodope, pars Thraciæ.
Salassi & Alpes, sub Augusto provincia una.
Sardinia, An. 521. sive priùs, à Tito Manlio Torquato, inter primum & secundum bellum Punicum.
Scythia, sub Constantino magno præsidialis, eadem Sarmatia Europæa ad Euxinum.
Sicilia, An. 540. expulsis Pœnis, prima extra Italiam Romanorum provincia.
Singarena, pars Mesopotamiæ, à Trajano.
Syria, à Pompejo magno, victo Mithridate.
Thebais, pars Ægypti superior.
Thessalia, sub Augusto Prætoria effecta.
Thracia, An. 640. Thracibus victis.
Zabdicena trans Tigrim, à Galerio.

Summa provinciarum Europæ 58. sub Hadriano: quarum aliæ consulares, aliæ præsidiales; cùm antea aliæ proconsulares essent, aliæ prætoriæ. Ex his 17. in Italia, 6. in Hispania, 18. in Galliis & Britannia, 17. in Illyrico. Fuere etiam 6. in Africa, totidem in Thracia; reliquæ in Asia.

Alia provinciarum divisio.

Ægypti sex:

1. Libya superior.	4. Ægyptus propriè.
2. Libya inferior.	5. Arabia.
3. Thebais.	6. Augustanica.

Asianæ decem.

1. Pamphylia.	7. Phrygia Salutaris.
2. Hellespontus.	8. Lycia.
3. Lydia.	9. Caria.
4. Pisidia.	10. Insulæ, hoc est, Rhodos, Cos, Samos, Chios, Lesbos, cum aliis.
5. Lycaonia.	
6. Phrygia Pacatiana.	

Daciæ quinq.

1. Dacia mediterranea.	4. Dardania.
2. Dacia ripensis.	5. Prævalitana.
3. Mysia prima.	

Macedoniæ sex.

1. Achaja.	4. Thessalia.
2. Macedonia propriè.	5. Epirus vetus.
3. Creta insula.	6. Epirus nova.

Orientis quindecim.

1. Palæstina.	9. Palæstina secunda.
2. Phœnice.	10. Phœnice Libani.
3. Syria.	11. Euphratensis.
4. Cilicia prima.	12. Syria Salutaris.
5. Cyprus insula.	13. Osdroene, seu Osrhoene.
6. Arabia.	14. Mesopotamia.
7. Isauria.	15. Cilicia secunda.
8. Palæstina Salutaris.	

Ponticæ decem.

1. Galatia.	6. Pontus Polemoniacus.
2. Bithynia.	7. Helenepontus.
3. Honorias.	8. Armenia prima.
4. Cappadocia prima.	9. Armenia secunda.
5. Cappadocia secunda.	10. Galatia Salutaris.

Thracia sex.

1. Europa.
2. Thracia propriè.
3. Hæmi montis.
4. Rhodope.
5. Mysia secunda.
6. Scythia.

Provincia sub Augusto duodecim.

1. Hispania Lusitanica.
2. Hispania Tarraconensis.
3. Gallia Aquitanica.
4. Gallia Lugdunensis.
5. Gallia Celtica & Germania.
6. Pannonia.
7. Mœsia.
8. Dalmatia & Illyrici pars.
9. Cilicia.
10. Syria Cœle.
11. Syria, & oriens usque ad Euphratem.
12. Ægyptus, & pars Arabiæ.

Quibus adduntur Dacia, Armenia, Mesopotamia, & Arabia, à Trajano Imperatore conquisitæ, Italia omnis, & regna omnia, & principatus orbis Romani. Ex his cuique patere potest varie sub Imperatoribus Romanis provincias partitas fuisse, nec illas eosdem semper terminos habuisse, neque antiquas appellationes servasse, quales apud veteres scriptores habuere.

Alia divisio.

Provincia populi Romani duodecim.

1. Africa & Numidia.
2. Asia cis Halym fluvium & montem Taurum.
3. Hispania Bætica.
4. Gallia Narbonensis.
5. Sicilia.
6. Sardinia & Corsica.
7. Illyricum.
8. Macedonia.
9. Achaja, Thessalia, Ætolia, Acarnania, & Epiri pars.
10. Creta & Cyrenaica.
11. Cyprus.
12. Bithynia, Propontis, & Ponti pars.

Hæc sub Imperatoribus dividebantur in proconsulares & prætorias. Proconsulares erant Africa, Numidia, & Lybia, unam provinciam facientes; Asia cis Halym fluvium & Taurum montem, in qua Jonia, Lydia, Caria, Phrygia, Mysia, & Hellespontus, alteram provinciam proconsularem constituentes. Aliæ erant Prætoriæ, hoc est, Hispania Bætica, Gallia Narbonensis, Sicilia, Sardinia, & Corsica, Illyricum cum parte Epiri, Macedonia cum parte Græciæ, reliqua Græcia & Epirus, Creta, Cyprus, Bithynia, & Paphlagonia.

Provincia in quibus erant legiones Romanæ sub Augusto:

1. Adjutrix, Pia, Fidelis, in Germania inferiori.
2. Augusta, in Germania superiori.
3. Adjutrix, Pia, Fidelis, in Hispania.
4. Cyrenaica, in Africa.
5. Augusta, in Mœsia.
6. Galbica, in Syria.
7. Scythica, in Syria.
8. Macedonica, in Germania inferiori.
9. Victrix, in Hispania.
10. Ferrata R. F. C. in Syria.
11. Claudiana, Pia, Fidelis, in Mœsia.
12. Gemina, Pia, Fidelis, in Dalmatia.
13. Augusta, in Pannonia.
14. Hispaniensis, in Pannonia.
15. Fretensis, in Hispania.
16. Gemina, Pia, Fidelis, in Syria.
17. Claudiana, Pia, Fidelis, in Dalmatia.
18. Fulminatrix, in Ægypto.
19. Gemina, Pia, Fidelis, in Germania superiori.
20. Gemina, Martia, Victrix, in Germania superiori.
21. Apollinaris, in Pannonia.
22. Quarta, in Hermania superiori.
23. Quarta, in Germania inferiori.
24. Valeria, Victrix, in Germania inferiori.
25. Primigenia, Pia, Fidelis, in Ægypto.

His addebantur cohortes prætoriæ 8. cohortes urbanæ 3. Ex quibus omnibus Imperii Romani magnitudo dignoscitur.

Provinciæ Gallicæ:

Aquitania prima, in qua Bituricæ metropolis.
Aquitania secunda, in qua Burdigala metropolis.
Aquitania tertia, seu Novempopulonia, in qua Ausci metropolis.
Narbonensis prima, quæ & Viennensis secunda, in qua Narbo metropolis.
Narbonensis secunda, quæ & Viennensis tertia; in qua Aquæ metropolis.
Narbonensis tertia; quæ & Viennensis prima; in qua Vienna metropolis.
Lugdunensis prima, in qua Lugdunum metropolis.
Lugdunensis secunda, in qua Turones metropolis.
Lugdunensis tertia, in qua Rotomagus metropolis.
Lugdunensis quarta, in qua Senones metropolis.
Lugdunensis quinta, seu maxima Sequanorum, in qua Vesontio metropolis.
Belgica prima, in qua Remi metropolis.
Belgica secunda, in qua Treviri metropolis.
Alpium Grajarum, seu Viennensis quinta; in qua Tarantasia metropolis.
Alpium maritimarum, seu Viennensis quarta, in qua Ebrodunum metropolis.
Germania prima, seu superior, in qua Maguntia metropolis.
Germania secunda, seu inferior, in qua Colonia Agrippina metropolis.

Harum provinciarum civitates sunt, Aquitania prima:

Bituricæ metropolis, *Bourges.*
Rutheni, *Rodez.*
Arverni, *Clermont.*
Albiga, *Alby.*
Cadurci, *Cahors,*
Lemovici, *Limoges.*
Gabales, nunc Mimatum, *Mande.*
Velauni, nunc Aiicium, *le Puy.*
Additæ, Tutela, *Tulle.*
Sarlatum, *Sarlat.*

Aquitania secunda:

Burdigala metropol. *Bordeaux.*
Egolisma, *Angoulesme.*
Pictavi, *Poictiers.*
Agennum, *Agen.*
Santones, *Xaintes.*
Petrogorii, *Perigeux.*
Additæ, Luxiona, *Lusson.*
Maleaca, *Maillezau*, nunc Rupella, *la Rochelle*, ejus loco suffecta.

Aquitania tertia, seu Novempopulonia:

Ausci metropolis, *Aux*, vel *Ausch.*
Lectoracium, *Lectoure.*
Consoranni, *Conserans.*
Bearnenses, seu Bearnum, nunc Lascurra, *Lescar.*
Aquæ Tarbellicæ, *Dax.*
Convenæ, *S. Bertrand.*
Tarba, *Tarbes.*
Boatum, nunc Bajona, *Bayonne.*
Aturum, *Ayre.*
Elorona, *Oleron.*
Elusates, *Elsa*, vel *Eause*, nunc oppidum tenue.
Tarusates, *Tursan*. In ruinis jacet.
Vasates, *Basas.*
Additæ, Condomum, *Condom.*
Lumbarium, *Lombez.*

Narbonensis prima:

Narbo metropolis, *Narbonne.*
Tolosa, *Tolouse*, nunc metropolis.
Carcaso, *Carcassone.*
Biteræ, *Besiers.*
Elena, *Elne*, nunc Perpinianum, *Perpignan.*
Nemausus, *Nymes.*
Uzetia, *Usez.*
Luteva, *Lodesve.*
Agatha, *Agde.*
Magalona, *Maguelone*, nunc Mons Pessulus, *Montpellier.*
Additæ plures, Mons Albanus, *Montauban.*
Vabræ, *Vabres.*
Vaurinum, *Lavaur.*
Castra, *Castres.*
Pontiopolis, *S. Pons.*
Pamiæ, *Pamiez.*
Electa, *Alet.*
Papulopolis, *S. Papoul.*
Mirapiscæ, *Mirepoix*: quarum aliæ sub Narbona, aliæ verò sub Tolosa sunt, ut alibi dicetur.

Narbonensis secunda:

Aquæ, *Aix*, metropolis.
Regium, *Riez.*
Forojulium, *Frejus.*
Telo, *Toulon.*
Apta, *Apte.*
Segestero, *Sisteron.*
Antipolis, *Antibe*, nunc Grassa, *Grace.*

Narbonensis tertia, seu Viennensis:

Vienna metropolis, *Vienne.*
Gratianopolis, *Grenoble.*
Vivarium, *Viviers.*
Valentia, *Valence.*
Arelate, *Arles*, nunc metropolis.
Avenio, *Avignon*, nunc metropolis.
Massilia, *Marseille.*
Cabellio, *Cavaillon.*
Arausio, *Orange.*
Vasio, *Vaison.*
Tricastra, *S. Paul Troischasteaux*, olim Augusta Tricastinorum.
Dea, *Die.*
Vapingum, *Gap.*
Geneva, *Genevra*, & *Geneve.*

Alpium maritimarum:

Ebredunum, *Ambrun*, metrop.
Dinia, *Digne.*
Sanicium, *Senez.*
Glanatenna, *Glandesve.*
Vencia, *Vence.*
Cemela olim, nunc excisa. Ejus loco Nicæa, *Nice.*
Sollinia olim, & Rigomagum.

Alpium Grajarum, & Pœninarum.

Tarantasia Centronum, *Tarentaise.*
Sedunum in Valesia, *Sion*, & *Sitten.*
Mauriana, *Saint Jean de Maurienne.*

Lugdunensis prima:

Lugdunum metropolis, *Lion.*
Augustodunum, seu Hedua, *Autun.*
Matiscona, *Mascon.*
Cabilonum, *Challon.*
Lingones, *Langres.*

Lugdunensis secunda:

Turones, *Tours*, metropolis.
Cenomani, *le Mans.*
Rhedones, *Rennes.*
Nannetæ, *Nantes.*
Veneti, *Vannes.*
Osismii, postea Trecorium, *Treguier.*
Curiosolitæ, postea Corisopitum, *Cornuaille*, seu *Quimper.*
Leona, olim Diablintres, *S. Pol de Leon.*
Andegavi, *Angers.*
Additæ Dolis, *Dol.*
Briocum, *S. Brieu.*
Aleta, postea Maclovium, *Saint Malo.*

Lugdunensis tertia:

Rotomagus metropolis, *Rouen.*
Lexovii, *Lisieux.*
Ebroicæ, *Evreux*, olim Eburovices.
Abrincæ, *Avranches*, olim Abrincatui.
Bajocæ, *Bajeux*, olim Bellocasses.
Saji, postea Sagium, *Seez.*
Constantia Castra, *Coustances.*

Lugdunensis quarta:

Senones, *Sens*, metropolis.	Aureliani, *Orleans.*
Antisiodorum, *Auxerre.*	Carnutes, *Chartres.*
Trecasses, seu Trecæ, *Troyes.*	Meldæ, *Meaux.*
Parisii, *Paris*, nunc metropolis ab An. 1622.	Addita Nivernum, *Nevers.*

Sequanorum:

Vesontio metropolis, *Besanzon.*	Augusta Rauricorum, pro qua Basilea nunc, *Basle.*
Equestrium Nevidunum, postea Lausonium, *Losanne.*	Vindonissa, *Windisch*, pro qua nunc Constantia.
Aventicum, *Avenches.* Nunc episcopali sede caret.	

Belgica prima:

Remi metropolis, *Reims.*	Veromandui, *Vermand*, excisa.
Catalauni, *Chaalons.*	Cameracum, *Cambray*, nunc metropolis ab An. 1558.
Atrebates, *Arras.*	Silvanectum, *Senlis.*
Tarvanna, *Terovanne*, excisa. Pro qua nunc Bononia, Audomaropolis, & Ipræ.	Ambiani, *Amiens.*
	Additæ, Landunum, *Laon.*
Bellovaci, *Beauvais.*	Noviodunum, *Noyon.*
Suessiones, *Soissons.*	Bononia, *Bologne.*

Belgica secunda:

Treviri, seu Augusta Trevirorum, *Treves*, & *Trier.*	Tullum, *Toul*, olim Leuci.
Metæ, *Metz*, olim Mediomatrici.	Virodunum, *Verdun.*

Addi posset Belgica tertia, in qua metropoles tres, Cameracum, Machlinia, & Trajectum: sed de iis alibi.

Germaniæ superioris:

Mogontia, seu Mocontiacum, metropolis, *Magonza*: Germanis *Maintz*, Gallis *Mayence.*
Argentoratum, *Strasburg.*
Nemetes, postea Spira, *Speir, Spire.*
Vangiones, postea Wormacia, *Worms.*
Additæ plures fuere, de quibus alibi.

Germaniæ inferioris:

Colonia Agrippina, metropolis, *Coln*, seu *Cologne.*
Tungri, *Tongren*, pro qua nunc Leodium, *Liege.*
Additæ plures sunt, ut alibi dicemus.

De his provinciis & civitatibus agitur in Itinerario Antonini Augusti, & initio commentariorum Cæsaris *de bello Gallico*, elencho ibi earum à quodam ignaro apposito; nam & loca depravata nominantur magna ex parte, & civitatibus aliquot omissis alia loca, quæ ad rem non faciunt, subrogantur. Cujus rei te, ne decipiatis, admonendum duximus Baudrand. Vide & de provinciis Galliæ Hadr. Valesˌ. *Notit. Gall. in Præf.*

Provinciæ fœderatæ Belgii, seu Belgium unitum, & Batavum, *les Provinces unies du Pays-Bas*, seu *les Estats de Holande*, sunt provinciæ Boreales Belgii, quæ aliàs suberant dominio Regis Hispaniæ, eique obvenerant ex hæreditate Caroli ultimi Ducis Burgundiæ. Sed dum severiùs animadvertit Philippus II. eas ad defectionem impulit, qua instituto Dordraci Ordinum conventu, Regem Hispaniæ Principem suum ejuravere die 26. Julii, An. 1581. & se in libertatem vindicarunt, unde enata bella, quæ tandem sopita sunt pace Monasteriensi Ann. 1648. In his septem sunt provinciæ, nempe Holandia, *la Holande*, Zelandia, *la Zelande*, Gueldria pro majori parte cum Zutphaniæ Comitatu, *la basse Gueldre & le Comté de Zutphen*, Frisia occidentalis, *l'Ouvest Frise*, seu *la Frise*, Trans-Isalania, *l'Ouver Issel*, Ultrajecti Dominium, *la Seigneurie d'Utricht*, & Dominium Groningense, *la Seigneurie de Groningue.* Comitia Statuum Hagæ Comitis celebrantur. Sed Amsterodamum urbs est totius regionis amplissima. Provinciarum fœderatarum Belgii dominio subsunt etiam aliquot loca Ducatus Limburgici, Rhenoberga in ditione Coloniensi, Vesalia, Orsoia, Reesia, Genapum, & Emericum, in Ducatu Clivensi, Embda & Lierotia, in Frisia orientali, Trajectum ad Mosam, in ditione Leodiensi, Sylva Ducis, Breda, Bergæ ad Zomam, Lillo, Stenoberga, & Villelmostadium, in parte Boreali Brabantiæ, uti etiam Clausulæ, Axela, Hulstum, Agger Gandavensis, Isendicum, & Cassanda, in parte septentrionali Flandriæ. Vide supra in voce *Belga.* Hæ *Provinciæ* unitæ Belgii habent etiam, in Africa arcem S. Georgii de Mina, Caput Corsum, & aliquot loca in ora Guineæ regionis & Nigritarum. In America habent novum Belgium, uti insulas Curasoam, novam Valachriam, Sabam, S. Eustachii, & alias ex Antillis. In Asia autem eis subsunt Batavia urbs recens in Java insula, Malacca in India extra Gangem, Moluccę insulę in mari Indico pro majori parte, Amboina & Banda insulæ, uti & aliquot aliæ in illis partibus, plurimæ arces in ora occidentali sinus Gangetici, Columbum, Gala, Jafanapatanum, in Taprobana insula, & aliquot portus, uti etiam Cocinum, Cananora, & Cranganora, in ora occidentali Indiæ intra Gangem.

Provinum, vulgò *Provins*, opp. Galliæ, in Bria provincia, cujus caput exstitit. 4. leucis distat à Sequana in Boream, & 10. Meloduno in ortum, uti 18. à Lutetia in Eur. Trecas versùs. Sed & ad amnem *Vouzie*; Hinc rosæ laudatissimæ.

Provisores, in Eccl. Romana dicti, qui vel Episcopatum, vel Ecclesiasticam aliquam dignitatem in Romana Curia sibi ambiunt de futuro, quod *ex gratia expectativa* nuncupant: quia usque dum vacet expectandum est. Hos adversum, magnus fuit antiquorum statutorum apparatus, in Anglia ab anno 25. Eduardi III. quo conditum illud fuit, quod *de Provisoribus* appellatur. Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Proxeniades, nomen insignis Jactatoris Athenis. unde in proverbium venit κομπὸς Προξενιάδης, quòd multa inaniter promittere solebat & se falsò divitem faciebat. Vide Aristophan. *Vesp.* 451. C. Scholia videntur legisse *Proxenides.* Et ita appellat eum ipse Comicus *in Avibus* 595. *A.*

Proxenupolis, urbs juxta Naucratiam, Stephan.

Proxenus, Bœotus, magnâ apud Thebanos auctoritate & rei bellicæ experientiâ; hospes Xenophontis, captus à Tissapherne. Vide Polyæn. *lib.* 7. *cap.* 502.

Proxenus, Comment. fecit de Rep. Lacedæmon. teste Athenæo *lib.* 6. Item de Siculis itineribus, cujus primum citat Steph. *in* Γέλα.

Proximus, vide *Statius.*

Aurelius *Prudentius* Clemens, vir Consularis, Hispanus genere ex Cæsar-Augustâ, Christianæ religioni deditissimus. Adolescentiam & juventutem incontinenter actam sibi fatetur ipse & dolet. Septimum & quinquagesimum annum agens, res Ecclesiasticas vario carminum genere cœpit componere, docte & eleganter, nisi quòd interdum in vocibus peregrinis, & maximè Græcis, syllabarum quantitatem neglexit, quum tamen Græcas illum literas probè tenuisse testentur librorum ipsius inscriptiones Græcæ. Floruit Theodosii Magni, & filiorum ipsius temporibus, Hieronymo & Ambrosio Synchronus. Sæpius prodierunt hujus Auctoris opera, in quorum frontispicio Vita ejus habetur. Sunt autem illa, *Psychomachia*, *Cathemerinon*, seu de rebus divinis, *Peristephanon*, seu coronæ martyrum: *Apotheosis* seu de divinitate: *Hamartigenia*, seu de origine peccati: *Enchiridion utriusq. Testam.* Contra Symmachum, Præfectum Romæ, qui aram Victoriæ voluit reparare, libb. duo: De Creatione Mundi, quod periit. &c. Vide Walafr. Strab. *de reb. Eccles. cap.* 25. Aldum Manut. *in ejus vita.* Lil. Girald. *in Hist. Poët.* Voss. &c. Adde Gennadium, *cap.* 13. *Cat.*

Prudentius Jun. plenius Galindonus Prudentius, Episcop. Trecensis, post Adalbertum; gente Hispanus. Arbiter negotiorum maximorum sui temporis: ab Hincmaro Rhemensi circa explicationem difficillimorum Scripturæ locorum, consultus. Scripsit contra librum Johannis Scoti Erigenis, &c. Obiit An. 861. Flodoard. *Hist. Rem. lib.* 3. *cap.* 21. Camusat. *Antiq. Trec.* Barthius *Advers. lib.* 44. *cap.* 19. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. *&c.*

Prumia, monasterium, in quo Lotharius Imper. quum rerum curam filiis reliquisset, reliquum vitæ tempus exegit. Lege *Prumia*, est autem pagus cum Cœnobio, seu Abbatiâ in sylvâ Arduennâ, ad Prumiam fluv. inter Treviros 7. & Limburgum 6. mill. Germ. Fano S. Viti proxima, 3. leuc. distans. Vulgò *Prujm*: Baudrando castrum est cum Cœnobio amplo, Ordinis Benedictini, in dit. Electoris Trevir. qui hujus Abbatiæ perpetuus est administrator. Jurisdictionem habet satis latam in aliquot pagos vicinos: vix 2. leuc. à confin. Duc. Luxemburgensis in Ort.

Prusa, *Prusias* Solino, *Bursa* Bellonio, *Burusse* Turcis, teste Leunclavio, urbs Bithyniæ hoc tempore primaria, apud mont. Olympi radices, à Nicæâ 25. m. p. in Occ distans, Cotyæum versus 60. ex quâ pars Bithyniæ *Bursia* nominatur, Episcop. olim sub Archiepisc. Nicomediensi, sed postea metropolis facta. A *Prusia* rege Ann. mundi 3279. condita; amplissima ante Turcarum in Europam adventum regia, ab Othomanno eorum rege capta, An. Dom. 1327. post diuturnam obsidionem, incolisque dimissis regni ibi sedes posita est, Leuncl. *Hist. Turc.* Nicephor. *lib.* 7. 8 9. 10. Hic Asclepiades medicus claruit, qui senex lapsus scalis interiit, cùm multos sanitati restituisset, Plin. *lib.* 7. Hic etiam Dion Prusæus, qui scripsit lib. 10. de Virtute Alexandri M. &c. *Prusa altera*, *Prusias* Ptolemæo. *Cios* Stephano, urbs Bithyniæ maritima Episcop. in orâ, inter ostia Ascanii fluv. & Dascyleum urb. à quâ parum abest. Prusiæ magna cerasorum copia provenit, ut propterea *Cherasia* vulgò, & *Cheru*, teste Thevero, dicta fuerit. *Prusa tertia*, urbs Bithyniæ mediterranea ad Hippium mont. & fluv. *Prusias* Straboni, Episcop. sub Archiep. Claudiopolitano, quam Hylas fluv. & lacus alluunt. *Barech* hodie, ex tab. recent. à priore Prusa supra 50. m. p. in Boream distans. Hinc *Prusiacus.* Silius *lib.* 13.

Donec Prusiacas delatus segniter oras.

Baudr. *Prusa ad Hippium*, urbs Bithyniæ, 10. tantùm mill. ab ostio Hippii fluv. & ab ora Ponti Euxini & Mariandini sinus, 70. à priori Prusa in Bor. uti 60. à Nicea.

Prusias, cognomen. Cynægus, Bithyniæ Rex fuit, post Zeilam fratrem, prudens & ad omnes Fortunæ articulos se quax, ad quem, post memorabilem pugnam ad Magnesiam commissam, confugit Annibal, ab Antiocho à Romanis debellato discedens: tandem Prusias Q. Flaminio Romanorum Legato Annibalem prodidit: custodiis ac militibus regis vallatam domum ut sensit Annibal, venenum consumpsit. Prusias dein victo Perseo, Romam venit, Senatui indignè adulatus. Postea consilium cepit occidendi filii sui, dum minoribus filiis, quos ex noverca susceperat, atque Romæ habebat, favet: verùm à filio præventus ille ipsemet occiditur. V. Plut. *in Annibal.* Justin. *lib.* 31. 34. Item Liv. *lib.* 45. Polyb. &c.

Prusias,

Prusias, vide *Prusa*.

Prussi, Germaniæ populi, quorum reg. *Borussia*, & *Prussia*. V. *ibi*. Ab his erepta repetiit Zemovitus Polonus, An. 892. Cromerus *in Hist. Pol. lib.* 2. Conradus dein contra eosdem, Mazoviam suam infestantes, Crucigeros evocavit, concesso illis Culmensi tractu, & quidquid inter Vistulam ac Druentium fl. interjacet, qui mox ad Vistulæ ripam Thorunium condiderunt, Idem *lib.* 8. Naucl. *gen.* 41. Circa Ann. C. 1217. 1231. 1234. Ab his, ut & ab Ottocaro Bohemo, ad religion. Christianam *Prussi* adacti, A. 1260. cum jam antea à Boleslao ritus Christianos sibi imperatos mox exuissent, An. 1161. Horum postea crudelitate libidineve permoti, confœderationem ad illorum jugum excutiendum inierunt, moxque circiter 70. oppida arcesque uno die deficientes, Casimiro Poloniæ R. se subjecere, qui Crucigeros non parum attrivit, An. C. 1454. 1466. Cromer. *lib.* 22. profugos, sub Ferdinando, ex Bohemia, pastores receperunt, circa A. 1547. (inter quos Paulus Boslaeus, anno 1551. fato functus, Quidzini honorifice sepultus est:) libertate religionis exercendæ, ab Alberto Duce Pauli Sperati precibus concessa, in qua Pella vixerunt hi exules, usque ad An. 1574. Neque solùm in Ducali Prussia, à præfato Principe, per Speratum, Osiandrum & Funccium Reformatio feliciter suscepta est, Thuan *lib.* 1. Sed & in Regali plurimæ familiæ Evangelium amplexæ sunt circa A. C. 1550. Virg. Mafæus de *Evangel. Or. in Pol.* Turbavit tamen haud parum Ecclesias Osiander, qui Justitiam, per quam homo justificatur, essentialem Dei justitiam esse asseruit: de qua controversia Princeps Fratres consuluit, Lasicius *de gestis Fr. lib.* 6. Etiam Funccius, ex concionatore aulicus minister factus, A beiti senio abusus est, sed prudentiâ Sigismundi Augusti R. res composita, ipse verò capite luit, Ann. C. 1566. At anno 1574. veteram Fratribus, ne amplius ministris privatis, sed Polonicis Augustanæ Conf. in re divina uterentur, qui proin maximam partem in Bohemiam remearunt. Post Syncretismum dein inter Confessiones Augustanam, Bohemicam & Helveticam, in Synodo Thorunii habitâ, An. 1595. renovatum, exacerbati adversarii Prussiam rursus turbarunt, Mevæ & Stargardiæ templis ademptis. Hodie maxima ex parte Evangelicæ doctrinæ adhærent. V. infra.

Prussia, sive *Borussia*, regio ampla Germaniæ: Poloniæ Baud. cum tit. Duc. ac fertilissima. Nomen ejus à *Bructeris* populis derivatum creditur, voce nonnihil corruptâ ac fractâ: Bructeri enim ex Westphalia à Chamavis & Angrivariis ejecti, secedentes in Sarmatiam concessere, & ad Balthicum mare, dominis aut expulsis Ulmigeris consederunt. Verùm de Prussiæ nomine aliter sentit Erasmus Stella, ait enim Borussos populos, infelicitate suâ concitos, ad novas sedes capessendas, patriâ egressos in hæc loca delapsos esse, terramque vocabulo gentilitio *Borussiam* appellasse, quæ usque ad hodiernum diem unius literæ suppressione, *Prussia* vulgò dicitur: rei fidem facit, quòd etiamnum populi ad Riphæos habitantes, eodem penè sermone, quo hi utuntur. Prussi itaque Wigevonum populi sunt, ad Clylipenum sinum in Sarmatia Europæa, ac inter Vandalos numerantur: quorum sedes olim Burgundiones, Vatmi, Gothones, Fenni, Æstii, Sagnani, Sargatii, Sudini, Gelidani, Gillones, Charini, Sullones, Subarii, Hulmiferiq; tenuisse feruntur, à quibus etiam hodie pars Prussiæ ad Vistulam *Culmigera* vocitatur. Cromerus, *lib.* 3. *hist. Pol.* Merel. Munst. Erasmus Stella *de Boruss. antiq* Habet, inquit Baudrandus, à Sept. mare Balticum, ad Occ. Pomeraniam, à Mer. Poloniam infer. & Mazoviam, ab Ortu Lithuaniam & Samogitiam. Aliàs ejus partes seu Ducatus fuere XII. à totidem Ducis Veneduti filiis; Prima nempe & maximè Borealis Sclavonia à Sclavose, ubi civ. Ragneta, ad fl. *Memel*; Secunda Nadrovia, ubi postea conditum Georgenburgum, cùm ante nullas urbes haberet. Tertia Natangia, in qua Brandeburgum; Quarta Sambia, ab Ort. Natangiam attingens, aliter dicta Samlandia, Weitlandia & Austrasia, in qua Regiomons. Quinta Bartonia, Bartenlandia cum urbe cognom. forte *Bartenstein* Sexta Sudavia Sudavua, Lithuaniæ adjacens; Septima Galindia, versus Mer ubi Ortelesburgum. Octava Varmia, Ermelandia aliàs, versus Bor. cujus pars ad Episcopatum Varmiensem, pars ad Duc. Prussiæ pertinet. Nona Hockenlandia vel Pogesania, in qua Elbinga, & præcedenti adhæret. Decima Pomesania, cujus opp. Mariæburgum. Undecima Culmia, seu Duc. Culmensis, ubi Culmia Urbs. Duudecima Michovia seu Michelovia, ubi Strasburgum. Regio hæc Principes olim proprios habuit, sed idololatras, usque ad sec. 13. quibus Equites Ord. Teut. bellum intulerunt, diuturnum & cruentum. Hi Prussos subjugarunt, qui tamen aliquoties excusso jugo ad Paganismum reversi; tandem, cùm se Teutonicis viderent impares, Poloniæ Regi se submiserunt, An. 1420. Hinc novum bellum, quo tandem Equites victoriâ potiti sunt. Valterus, M. Mag Ordinis, Moscos, Prussiam Lithuaniamque ingressos, An. 1500. feliciter expulit. Postmodum Prussia Ducalis Principes nacta est ab An. 1525. quo, abrogato Ordine Teutonico, Albertus Marchio Brandeb. XXXIV. et ultimus Ordinis Magister, Evangelii doctrinam, à Luthero annunciatam amplexus, se Poloniæ Regi subjecit, & factus primus Dux Prussiæ, ejusdem clientelari jure, cum posteris suis retinuit possidendam partem illam, quæ nunc *Ducalis* dicitur. Nunc igitur Prussia in duas partes dividitur, scilicet in Prussiam *Regiam* Sarmatiæ ocellum & vectigalium officinam, quæ ad Occ. sub Poloniæ Reg. & *Ducalem*, quæ magis ad Ort. tendit, sub Elect. Brandeb. qui haud pridem obtinuit ut supremus Prussiæ Dominus in posterum esset. Totius Prussiæ caput est Gedanum, *Dantzick*, quæ etiam Prussiæ Regiæ primaria, uti Regiomons Ducalis. De Urbibus Prussiæ V. in voce *Borussia* Regio egregia & omnium rerum abundans, sylvis fluvisque referta. In hujus litoribus succinum colligitur. Adde prædictis, Gaguin. *in descr. Sarmatia.* Chytr. *in Saxon.* David. Chytr. *de Russorum relig. & sacrificiis &c.*

Pruvinum castrum Galliæ, in Briegio pago, vulgò *Provins*, ad fluv. Vosiam *la Vousie*: caput pagi *Pruviensis*. Optimos habere incolas dicitur, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Prymnis, 4. Corinthiorum rex, an. ante U. C. ferè 240.

Prymnesia, urbs Mæoniæ in finibus Lydiæ, sive Phrygiæ ac Mysiæ. Steph. à Mimætho condita. Nunc jacet.

Prymno, *us*, Nympha marina, Oceani ac Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.*

Pryslus, sic quidam Diod. codd. pro *Grylus*, Chalcidensis, vicit Olymp. 112.

Prytaneum, placet hic adscribere Etymologici magni verba, quæ sunt: Τόπος ἦν παρ' Ἀθηναίοις, ἐν ᾧ κοινῇ σιτήσεις τοῖς δημοσίοις ἐδέχεται ἐδίδοντο, ὅτι καὶ Πρυτανεῖον ἐκαλεῖτο, οἱονεὶ πυρεταμεῖον. Πυρὸς γὰρ ὁ σῖτος· ταμεῖον τοῦ σίτου δημόσιον ταμεῖον. Locus erat apud Athenienses, in quo cuilibet ex populo, bene de Rep. merito, alimenta præberi solebant. Unde & *Prytaneum* appellabatur, quasi *frumenti horreum*. Est enim πρυτανεύειν nihil aliud, quàm ταμιεύειν, & πρύτανις ὁ σιτοφύλαξ. In hoc ipso loco, ut sibi in posterum alimenta suppeditarentur, quoad viveret, dixit se meritum Socrates propediem moriturus. Suidas: Πρυτανεῖον οἶκος τοῖς Ἀθηναίοις ἐπιεικὴς δημόσιος, ὅθεν ἐσιτοῦντο δημόσια τῆς τοιαύτης τιμῆς παρ' αὐτοῖς τυχόντες· ἐπὶ γὰρ μεγάλοις κατορθώμασι, τὴν τοιαύτην ἀπεδίδοντο χάριν. Nec mirum, quòd Scholiastes. *in Aristophanis Pace*, prodiderit: ὅτι χρησμολόγοι σιτοῦνται ἐν πρυτανείῳ σιτήσεις. Atq; hinc facilius intellexerit quilibet, cur inscripserit Plutarchus *Sympos.* 4. *Probl.*4. Cimonem Atheniensem liberalissimum virum præstitisse domum suam πρυτανεῖον κοινόν. Fungerus. Dionysius πρυτανεῖα vocat Curias, in quibus sacra fiebant ab iis, qui maximam in urbe habent potestatem. Theocritus *Idyll.* 21.

——— Τὸ δὲ λύχνιον ἐν Πρυτανείῳ
Φαντὶ γὰρ αἰὲν ἄγρας τοῦδ' ἔχειν.

Ubi Palmerius: Mutat vir doctus (inquit) legendo ἄγαι, & credit omnem hujus loci obscuritatem hâc mutatione illustrare. Sed fateor, me non sapere, quid velit per hæc verba, quæ subjungit: *Conqueritur piscator ille obiter, & significat otiosum se planè, & longè opulentiam à se abesse; non esse tamen quòd sollicitus sit, cùm τὸ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ sit. quod quidem λύχνιον semper habet τὸ ἄγαι. Intelligit Lychnum, qui Athenis in gratiam Vulcani πῦρ ἀθάνατον habebat, sicut Romanorum Vesta.* In quibus verbis non video, quo modo conveniat piscatori egeno & Siculo se consolari ob perpetuitatem ignis, qui Athenis in Prytaneo servabatur. Plura ad hunc locum doctissimus Casaubonus, qui nihil mutat, & meliorem sententiam exhibet, sed tamen, quæ non usquequaque vera mihi videtur, & mihi non satisfacit, nec tamen aliquid habeo quid dicam. Meræ mihi sunt tenebræ, hic locus Saliari carmine obscurior, accedant alii & lucernam accendant. LLoyd. In Prytaneo Arcesilaus nimio potu suffocatus est. Ferr.

Prytanis. Ponti fl. Arrianus. Vide sis ibi Stuckium.

Przerovia, opp. Moraviæ, ubi Matthias Convaldensis, unus ex Bohemicæ Ecclesiæ Senioribus magni nominis, Obiit sub initium Sec. 15. Lasicius *de gestis Fr. lib.* 4.

P S.

Psacum, Cretæ promunt. Ptol. *Capo Spada* Nigro, in ora Bor. ubi incipit Occ. inter Cisamum & Dictamnum.

Psallentes, vel *Euchitæ*, V. *Massalini*.

Psalmi, vox sacra. Horum significatio laxa admodum est, cùm libri Canon. V. T. in Mosen, Psalmos & Prophetas dividuntur. Strictius vocem usurpant, qui illam ad denotandos 5. libros Poëticos, Jobum, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten & Canticum, adhibent. Per excellentiam, pro *Psalmis Davidicis*, quorum 150. frequentissimè sumitur. In hos, *in universum*, vel partes extant: Æneti *Tractatus*; octav. Lipsiæ 1574. Æpini *Enarrationes*. octav. Franc. 1555. Agathias. Agelii *Commentar.* Fol. Romæ 1607. Alcuinus. Alesius. de Aliaco. Amelry. Amesii *Lectiones*. octav. Amstelod. 1658. Amyraldi *Paraphrasis cum Annotat.* Salmurii 1662. Anastasius. Ansbertus. Antonius. Apollinaris. Aquaviva de Aquino. Arcularius. Arnobius. Artopæus. Aucherius. Avendano. Augustini *Tractatus*. de Avila. Ayguanus. Backii *Comment.* Backmeisteri *Explicatio Ps.* 16.21.22. oct. Rostochii 1605. Baro. Basilii *Homiliæ*. Barbarus. Baumbach. Beckii *Analysis Ps.* 2. quart. Basileæ 1618. Beda. Bellarminus. de Bello Visu. Benzonius. Bernæ, Bernardi *Sermones*. Beri *in Ps.* 118. 144 Basileæ 1551. Beumlerus, Bezæ *Paraphrasis*. Bocchii *Observationes Phys. Ethic. Polit. Histor.* octav. Antv. Plant. Bonaventura. Botta. Bovillus. Car. & Franc.

Franc. Bourdolosius. Brandmylleri *Conciones.* Bredenbachii *Commentar. in Ps. 69. pr.* fol. Col. 1560. Brentii *Decades* 11. Brunones tres. Buceri *Explan.* fol. per Rob. Steph. 1554. Buchananus. Buchius. Bugenhagii *Expositiones.* fol. Basil. 1524. Buonuccius. Bythneri *Lyra Prophetica.* quart. Londini 1664. Calderarius. Calovii *Annotat.* Calvini *Comment.* fol. Cambellanus. Campensis. de Carolis. Cassiodorus. à Castro. Cheekus. Cholinus *in Ps. 51.* quart. 1612. Chrysostomi *Homilia.* Chytræus David & Nathan. Ciconia. Cnisius. Coccejus. Cognatus. Colerus. Colius. Contarenus. Cooperi *Expositio Ps.* 51. & 119. Coppenii *Notæ.* quart. Heidelb. 1619. Corderius. Cornerus. Cramerus. Crommius. Cruciger. Crucius. Cubicularius. Delrio. Deucetus. Didymus. Draconites. Drieschii seu Drusii *Fragmenta & Interpr. Gr.* quart. Antv. 1581. Dubravius *in Ps.* 5. Duporti *Metaphrasis metrica*, quart. Cantabrig. 1666. Eberardi *Explicatio Psal.* 31. 90. 133. octav. Witeb. 1572. Engerdus. Epiphanii *Sylloge Interpretum.* fol. Basil. 1588. Ephrem. Erasmi *Enarration.* Elpenlæi *Comm. in Ps.* 130. Eusebius. Euthymius. Fabri *Psalterium quintuplex.* fol. Col. 1541. Fabricii *Conciones.* Faius *in Ps. 49. & 87.* octav. Gen. 1609. Felinus. Fevardentius. Figueiro. Finchii *Meditationes, in Ps.* 11. *pr.* duod. Jenæ 1618. &c. Flaminii *Paraphrasis & Notæ.* Flamma. Folengius. Ford. Formicarius. Fornerius. Frobenii *Analysis Ps.* 34. quart. Witeb. 1591. Gagnejus. Geileri *Prælectiones.* Genebrardus. Gerardi *Annotationes*, quart. Gesnerus. Ginnasius. Godeau. Golerus *in Ps.* 119. Germ. Gomezius. de Granada. Graphæus, Grevii *Conciones.* octav. Brixiæ 1600. Gregorii Nyss. *Comm. in Psalmorum Inscriptiones.* Grynæi *Enarratio Ps.* 19. 110. 133. octav. Genevæ 1579. Gualtheri *in Ps. 94. pr. Homiliæ.* Guilielmi. Haberkornii *Conciones.* Giessæ. 1672. quart. de Hales. Hamondus. de Harentals. Haymo. Helmichii *Analysis*, quart. Amstel. 1621. Hemingii *in Ps. 21. pr. Ps.* 25. 81. 84. *Enarrat.* Hempelii *Psalterium.* octav. Witeb. 1596. Herbornæ. Heresbachius. Hesbulii *Commentar.* fol. Helmstad. 1586. Hessus. Hieronymus. Hilarius. Hildershami *Theologia Pr. seu Concion. in Ps. 51. v. 9. pr.* Angl. & Belg. in quart. Hillesemii *Meditationes*, *in Ps. 15. pr. Ps.* 65. 133. Antv. & Col. Hoe *Explicatio Ps. 8. &* 110. Hofmannus. Honorius. Hoppeni *Paraphrasis*, octav. Antv. Plant. Ejusdem *de usu Psalmorum lib.* Hoppii *Elucidatio Ps.* 128. octav. Gorlitz. 1578. Hornoldus. Hulsii *Notæ*, duodec. Lugd. Bat. 1655. Hulsii *Enarrat. Ps.* 108. *ad* 118. Hyperii *Expositio Ps.* 12. 20. 22. Marp. 1542. Jansenii *Commentaria*, fol. Antv. 1614. Jansonius. Idiota. de las Infantas. à Jesu Maria. Joachimi *Psalterium* 10. *Chordarum*, quart. Venetiis. R. Joel ben Schuaf. Jonstoni *Paraphrasis.* Jorgius Dori. Joseph aben Jechija. Julius. Junii *Enarr. in Ps. 4. pr. dein* 101. 122. 123. Justinianus. Lake *in Ps. 1. &* 51. Angl. Londini 1629. Lameti *in Ps. 26. pr.* octav. Paris. 1548. de Lavel. Leigh *in Ps.* fol. Londini 1657. Lindanus. Lippomannus. Lombardus. Lonicehi *Ἐξήγησις.* Longlandi *Sermones* fol. Lond. 1518. Lorinus. Lossius. Ludolphus. Lutheri *in Psalmos 22. pr. &c.* Maçon. Magnetius. Major Georg. & Joh. Maldonatus. Malvendus. Marcellinus. Marcellus. Marloratus, fol. Martinius. Medrasch tehillim. Melanchthon *in Ps.* 2. 34. 100. *usq. ad* 133. Meronus *in Ps.* 145. Lugd. 1615. Metropagita *in Ps. 11. &* 109. Pragæ 1591. Meursii *Meditationes in Ps* 116. *& in partes 3. pr. Ps.* 119. duodec. 1604. Michaelis *Decachordon.* Col. 1600. Molinæi *Meditatio in Psal.* 123. Molleri *Enarratio* fol. Gen. 1661. Montani *Elucidat. in Ps. 31. pr.* quart. Antv. 1574. 1605. Morlinus. Moureti *Psalterium.* octav. Paris. 1586. de Muis *Comm. lit. & Histor.* fol. Paris. 1650. Musculus. Myconii *Enarratio Ps.* 101. Bremæ 1548. Mylii *Meditationes in Ps.* 23. Naclantus Nancelius. Naogeorgius. Nausea. Nicetas. Nobilius. Nicolsoni *Expositio*, Angl. fol. Lond. 1662. Oecolampadii *in Ps. 73 ad* 79. octav. Basil. 1543. Origenis *Homiliæ in Ps.* 36. 37. 38. Osiandri *Annotationes.* Osorius. Oswaldus. Palanterius. Pampolinanus. Panicarolæ *Paraphrasis.* Parez. à Pastura. Pelargi *Explicationes Ps.* 16. 22. 29. Peregrini *Discursus in Ps.* 51. Ital. Bononiæ 1579. Petavii *Paraphrasis Gr.* Pezelius *in Psalmos graduum*, octav. Brem. 1602. Pictorius. Picus. Piscatoris *Comment.* octav. Pitisci *Idea Conc.* quart. Francof. 1620. Pizza. Polanus *in* 14. 15. 16. 22. Porretanus. Pozo. Pricæi *Comment.* de Primis. Prosper. Pulsictus. Puteani *Catena Patr.* fol. Paris. 1530. Radmannus. Rapicius. Rathbertus. Regius. Remigius. Renaudianus. Rennecherus. Reuthius. Riveti *Enarrationes in quosdam Ps.* Rollocus. Rudingerus. Ruffinus. Sacratus. Sadeelis *Meditationes in Psalm.* 32. Sadoletus *in Psalm.* 50. *&* 93. Sampsonus. Sanctius. Sangrinus. Savanarola, *in Psalmos* Ital. octav. Venet. 1543. *In Ps.* 50. 70. 79. *Comment.* duodec. Tubingæ 1621. Sceptæi *Connexio liter.* quart. Romæ 1591. Scherzus. Schnephius Erh. & Theod. Sculteti Abr. *Idea Concion.* Sculteti Jac. *Analysis Log. Rhet.* octav. Witeb. 1619. Siberius. Sixtus Sen. Slotanus. Sohnii *Expositio*, *à Ps. 58. ad 69. & Ps.* 110. 130. octav. Sigenæ 1598. Stampelius. Stella. Stephani *Psalterium quintuplex*, fol. Paris. 1513. Stockle *Clavis.* octav. apud Comelin. 1604. Strigelius. Sylvestianus. Szegedinus. Tarnovii *Comm. in Ps.* 10. *pr.* quart. Rostochii 1628 Tegetmeierus Temple. Titelmannus. Theodoreti *Commentaria.* Toletus. Tossani *Dictionar. & in Ps. 2. Prælectiones.* Treminius. de Turre Cremata. Tuscanus. Tyraboschus. du Val. Varlenius. Velasquez. Vetterus. Vicatsius. de S. Victore Hugo & Richardus. Vitalis à Furno. Vitus Nic. & Theod. Vives. Ulenbergii *Paraphr. Ps.* 90. Coloniæ 1591. Waleri *Analysis Ps.* 110. Weitweiler. Welleius. Werstemius. Wicelii *Notæ*, Col. 1530. Widebrami *Psalterium.* Wigandus. Winerius. Willotus. Wirthenbergius. Witlingius. Wolfius *in Ps. 94. ad finem.* Zamariel *in Ps.* 32. Gall. octav. Zechneri *Analys. Exeget. &c. Ps.* 20. octav. Zichemii *in Ps.* 40. Antv. 1556. Zwingeri *Analysis Psalm.* fol. 1600. Zuinglii *Explicatio*, &c. V. Crowæi *Elenchum Scriptorum.* In *Psalmos Pœnitentiales*, in specie, extant: Alcuinus. de Aliaco. Arcularius. Aretinus. Atavantius. Backmeisterus. Balduini *Comm. cum textu triplici.* octav. Witeb. 1599. Berus. Basileæ 1551. Beurhusii *Analysis.* octav. 1589. Northusiæ. Bourghesii *Meditationes.* Duac. 1579. Buchii *Expositio.* Buratellus. Capnionis *Commentar.* octav. Tubingæ 1512. Croquetii *Sermones.* Gall. Duaci 1579. Fischeri Joh. *Commentarii*, Angl. fol. Lond. 1557. Fischeri Olw. *Expositio.* Ingolstadium 1565. Gedicci *Enarratio.* octav. Lips. 1595. Gerionis *Expositio*, & Gregorii M. Haywardus *in Psal.* 6. 32. & 130. Angl. & Germ. Hilcemeri *Anal. Log. & Rhet. Exp.* fol. Augustæ Vindel. 1616. Hildershami *Conc. in Ps. 51. vers. 9.* Angl. & Belg. quart. Ischurius. Lapidani *Meditationes.* octav. Lovan. 1530. Magerus. Major, octav. Witeb. 1565. Montani *Comm.* duodec. Antv. 1569. Nevillæus. Paris. 1556. Pelargus. Pepinus. Perrarcha. Reuchlinus. del Rio. Riveti *Meditationes.* 12. Arnheimi. 1638. Saja. Savanarola. Seberius. Siberius. Simpsonus. Stampelii *Explicatio genuina.* octav. 1611. Fr. March. Sirisou's *Paraphrasis*, Belg. Antverpiæ. Varlevicius. de la Vega. Vegius. Vives. Ulenbergius. Wicelius. &c. V. *ibid.*

Psalmorum cantus, in Ecclesiam Christianam introductus, duobus choris alternatim psallentibus, quod *Antiphonam* vocant, jam tempore Constantii Imp. Flaviano & Diodoro auctoribus. Altius tamen originem repetit Socrates *lib. 6. cap. 8. in Honorio & Arcadio*, referens Ignatium, Angelos antiphonis hymnis SS. Trinitatem collaudantes vidisse, hinc formam istam canendi Antiochenæ Ecclesiæ tradidisse. Rem à Græcis ad Latinos detulit Ambrosius. Sigebertus An. C. 387. A Romanis in Galliam pervenit, tempore Gregorii M. sub Carolo autem M. perfectionem accepit. V. Henr. Spelmann. *Gloss. Arch.* Cecinit *Psalmum* in eculeo Theodorus apud Ruffinum *l. 1. c.* 36. In templo Serapidis nocte, quæ dejectionem simulachrorum subsequuta est, sub Theodosio Maj. auditus est, qui *Halleluiah* & *Psalm.* caneret: apud eundem *l. 2. c. 25. &c.*

Psamathe, Nympha, Nerei filia.

Psamathe, Crotopi Argivorum regis filia, quæ ab Apolline compressa, Linum peperit, quem inter sentes occultatum canes dilacerarunt. Stat. 1. *Theb.*

Psamathe, fons & op. apud Thebas. Val. Flaccus *lib.* 1.

Qui tenet undisonam Psamathen, semperq; patentem
Tænaron Euphemus. —— ——

Psamathos, op. & portus Laconicæ in Pelopon. apud Tænarum urb. Plin. Paulan.

Psammenitus, Amasis fil. Ægyptiorum rex; qui à Cambyse victus, epoto sanguine taurino expiravit. Herod. *lib.* 3.

Psammetichus, rex Ægypti, cujus sævitiâ (testibus Herodoto ac Diodoro Siculo) ducenta millia hominum ex Ægypto in Æthiopiam profugere. Strabo *lib.* 16. *Tenessis regio vocatur, quam qui Psammetichum fugerunt, obtinent, & Sebritæ nominantur, hoc est, advenæ.* Hujus filias rapuerunt crocodili, inquit Ælianus, propter quod ipsum animal sanctum credidit. Hic Regnum Ægypti adeptus, litigantibus de antiquitate Arcadibus, Phrygibus ac Persis duos recens natos infantes conclusit in loco deserto, admissis capris ad lactandos & educandos pueros. Quidam non capras sed matres proprias, illarum linguis exsectis, adhibitas autumant, ne possent ab illis vernaculam audire & addiscere linguam. Triennio exacto idem rex virum silentem ad pueros intrare jussit. Quo viso illi adsilierunt, proferentes *Bec*, quod Phrygum linguâ sonat *Panem.* Exinde cognitum Phrygas cæteris antiquitate præstare. Vide *Sesonchosis.* Fuit autem *Psammetichus*, servus *Timenthis* Regis, qui, oraculi sorte intellectâ, apertè à Domino suo descivit, inducto contra eum magno Carum numero. Vide Polyænum *lib. 7. p.* 475. & Plutarchum *Artaxerxe.* Herod. *Musâ* 2. Hic ab 11. aliis regibus, qui tum in diversis Ægypti partibus regnabant, throno deturbatus, illos postmodum omnes sub jugum misit; in regnum restitutus. Filius ejus Necus, pater fuit *Psammidis*: qui ann. regni 6. in bello contra Æthiopas, obiit: Pater Apriis, cui pulso successit Amasis, pater *Psammetichi*, qui mense regni 6. captus à Cambyse, filiarum servitutem, & filii mortem fortiter ferens, amici periclitantis calamitati illachrymatus est. Idem Herodot. *lib. 2. &* 3.

Psammetichus, filius Gordii, frater Periandri, tyrannidem Corinthi per triennium tenuit. Aristot. V. Polit. 12.

Psammis, Ægyptiorum rex. Olymp. 44. V. *Psammetichus.*

Psammites, Ægyptiorum rex, Olymp. 98.

Psammus, Rex Ægypti, an. ante U. C. 38.

Psaphis, Oropiorum civitas in confin. Atticæ & Bœotiæ. Hic situm erat Amphiarai oraculum, ubi Amphiaraum fugientem, ut Sophocles ait, scissa Thebana tellus hausit cum armis, curruque quadrijugo. Strab. *lib.* 9.

Psaphon, vir quidam in Lybiâ, qui divinitatis opinionem affectans, quamplurimas aves cepit vocales, & humani sermonis doctiles, quas docuit sonare hæc verba; μέγας θεὸς Ψάφων, atque ita edoctas emisit in montes. At illæ quæ didicerant, canebant: ac reliquas item aves sonare docebant. Porro Libes, cùm ignorarent commentum, credentes id divinitus accidere, Psaphoni rem divinam facere instituerunt, ipsumque in Deorum numerum retulerunt. Unde Proverbium, *Psaphonis aves*.

Psapu, Sarmatiæ Asiat. fl. Ptol. *Psatu* Interpp.

Psatyriani Hæret. ex Arianis Synodo Antiochiæ, A. 360. habitâ, Filium quoad voluntatem Patri similem, inficiati, eum ex nihilo factum esse, quod & Arius primò statuerat, delirarunt: addentes, in Deo non differre Generationem à Creatione. Theodoret. *de hær. fab. lib.* 4.

Psebo, reg. interior, quàm Æthiopia, 5. itineribus ab eâ distans. Artemidorus stagnum esse scribit. Steph.

Psellus, Sub Constantino Ducâ (inquit Vir Clariss. Jo. Vossius) qui Isacio Comneno anno suffectus 1058. claruit πολυγραφώτατος ille Michael Psellus. Præfectus fuit studii Michaelis Ducæ, Constantini Ducæ filii: qui ann 1071. successit Romano Diogeni. Atque hæc satis liquent ex Zonaræ *Annalibus*. Hujus Pselli illustre est elogium, apud Annam Comnenam, *Alexiados lib.* 5. Cedreno dicitur τῶν φιλοσόφων ὕπατος. Vide Leonis Allatii dissertationem, de *Psellis*.

Psenaco, vicus in Athribite præfecturâ. Steph.

Psenerus, vicus Ægypti. Steph.

Psentris, Ægyptius vicus. Steph.

Psessi, pop. Tauriniæ. Steph.

Pseudartace, collis in Scythiâ. Steph.

Pseudo-Agrippas, à Tiberio peremtus. Tac. *Annal. lib.* 2. circa Ann. C. 16. *Pseudo Balduinus*, ad restim damnatus, à Ludovico VIII. Gall. R. A. 1226. Lipsius *Mon. Polit.* Matth. Paris. *Pseudodemetrius*, interemtus à Moscis, Ann. 1606. *Pseudo-Fridericus*, jussu Rudolfi I. Imp. combustus, Ann. 1285. *Pseudo-Josua*, à Præside Judææ Cuspio Fado debellatus, An. C. 45. Jos. *lib.* 20. *cap.* 2. 3. 6. *Pseudo-Mustapha*, variis apud Turcas turbonibus nomen. *Pseudo-Philippus*, post devictum Perseum, Romanis negotium facessivit: *Pseudo-Sebastianus*, qui triplex, sub finem sec. præt. & initium præsentis ab Hispanis sublatus. *Pseudo-Waldemarus*, Marchiam Ann. C. 1348. infestavit. Becmann. *Hist. Orbis Terr. &c.*

Pseudocelis, urbs Arabiæ fel. Ptol.

Pseudocorasium, litus magnum inter Corycum, & Seleuciam Isauricam. Ptol.

Pseudopenias, prom. Cyrenaicæ, super quo *Berenice* Urbs, Strab. *Capo Bernich* ex tab. rec.

Pseudostomum, unum ex ostiis Istri, Boreale, Plin. Ptol. ubi *Bialogrod*, urbs Mysiæ infer. hodie clara, sedesque Præfecti.

Psensenses, Ægypti rex, an. ante U. C. 225.

Psilas, Bacchus apud Amyclas, qu. *pennatus*; quòd homines non minus attollantur vino, quàm aves plumis: ψιλὰ γὰρ καλοῦσιν οἱ Δωριεῖς τὰ πτερά, uti loquitur Pausanias.

Psilo, insula circa Ephesum. Plin. 5. 3.

Psilis, fluv. Bithyniæ in Pontum Eux. influens. V. Stuckium *ad Arrianum pag.* 122. Baudrando *Psillis*, fl. Asiæ min. In Pontum Euxinum se exonerat, prope Thyniam prom. Bithyniæ & Ardacem opp. inter Calpin fl. ad Ort. & os Bosphori Thracii ad Occ. 35. m. p. circiter.

Psiltucis, V. *Psitulcis*.

Psilum, ostium parvum Danubii, Arrianus. *Stenostoma* Solino, *Spireostoma* Plinio. *Thiagola* Ptolemæo.

Psimada, regiuncula Isauriæ. Steph.

Psinaphus, Ægypti op. Ptol.

Psinectabis, vicus Ægypti. Steph.

Psittace, urbs juxta Tigrim. Steph.

Psittachemmis, vicus Ægypti. Steph.

Psittaci & Stelliferi, partium olim in Rep. Basiliensi nomina, exorta sub Bertholdo II. Episcopo Basil. circa An. C. 1250. Cùm enim, in duos ordines, Nobilium atque Plebejorum, populus, ut & in aliis urbibus, hic esset divisus, propter urbis autem amplitudinem, Nobilium multitudo supra modum crevisset, in duas tandem hi Societates abierunt, quarum dissidiis non parum detrimenti Resp. accepit. Et Scalarii quidem, Monachi, Rotbergii, aliique Psittacum viridem in campo candido gerentes, à *Psittaco* nomen mutuarunt; quibus favebant Comites Novocastrenses, Marchiones Hochbergii, Domini Röteliæ &c. Epringenses verò, Ufhemii, Ramstenii &c. in purpureo campo stellam gerentes candidam, Comites Habsburgenses, Ferretanos, Friburgenses, aliosque in partes suas pertraxerant. Sub Henrico III. Episc. cùm inter eum, & Rodolphum Habsburgicum bellum ortum esset, priores Episcopi partes tuiti sunt, pulsis in exilium posterioribus, quibus in Comitis ditione perfugium fuit: à quo, postmodum in Imperatorem electo, An. 1274. restituti sunt. Petrus I. dein Reichenstenius, Episcopatum nactus Ann. 1286 utramque societatem connubiis junxit, ordinavitque unà cum Senatu Basil. ut in posterum pari numero ex utriusque ordinis nobilibus, Senatores legerentur, atque ex uno Consul, ex altero verò Tribunus Pl. idque alternis vicibus, desumerentur. Quæ gubernandi forma diu duravit, donec a Nobilitate ad plebem translata est An. 1306. dissidiis inter Ottonem Episc. & Albertum Imper. gliscentibus, iterum in partes itum, & tumultu exorto Scalarii Monachique, factionis *Psittacorum*, urbe ejecti sunt, quòd Imperatori faverent, non nisi post 40. annos revocati Postmodum, cùm, tempore Concilii, cum exercitu adventanti Ludovico Galliarum Delphino ex utraque societate plurimi adhæsissent, exilio damnati, postetique ab honoribus exclusi sunt. Quod de nobilitate supererat, partim Ann. 1501. sub tempus fœderis à Rep. cum Helvetiis initi, partim An. 1529. cùm Reformationem urbs amplexa esset, suâ sponte excessit. V. Stumpf. *lib.* 12. *de Rauracis cap.* 25. *& seqq.* Albert. Argent. *Chron. pag.* 99. Item in voce *Basilea*.

Psitulcis, Indiæ ins. quæ & *Scillustis*. Plutarchus *in vit. Alex. Magni*. *Cillutam* appellat Arrianus. Quint. Curtius eam non nominat; quadringentis verò stadiis ab Indi fl. ostiis in mare remotam scribit. Quo nunc vocetur, non constat. Ferrar.

Psochemmis, oppidulum Ægypti. Steph.

Psophis, urbs Peloponnesi in Arcadiâ, prius *Phegia*, teste Pausaniâ, à conditore sic dicta, Tegeæ, Erymantho, Clitorio, ac Nonacri monti finitima. Ovid. *lib.* 5. *Met.*

Usque sub Orchomenon, Psophidaque, Cylleneque.

Hodie *Dimizana* Nigro, urbs in Azania, reg. Arcadiæ, ad Erymanthum fl. antea etiam *Erymanthus* dicta. Erat in limite Elidis. Fuere aliæ urbes hujus nominis apud Stephanum; in Acarnaniâ, in Libya, & in Achajâ. In Seldeni MS. Ψωφὶς ἡ πρὶν Φηγίς.

Psychia, ins. una Cycladum, aliàs *Amorgus*. Steph.

Psychium, op. Cretæ in orâ Austr. *Sichino* Mercatori, *Priorizâ* Nigro. *Sichimo* nunc, pagus, 10. mill. à Phœnico opp. in Ort. Baudrandus.

Psychrus, fluv. Thraciæ in agro Chalcidico in Macedoniæ confin. frigidissimus, ex quo oves bibentes agnos nigros pariunt. Aristoteles.

Psylli, pop. Libyæ supra Garamantes Plinio; in Pentapoli Ptolemæo; Syrtes attingentes, contra virus serpentum muniti; sic à *Psyllo* rege dicti, Nasamonibus finitimi, à quibus victi fuere. De his Cinna apud A. Gellium *lib.* 9. *cap.* 12.

Somniculosam ut Pœnus aspidem Psyllus.

Lucanus *lib.* 9.

—— Gens unica terras
Incolit à sævo serpentum innoxia morsu
Marmaridæ Psylli: par lingua potentibus herbis:
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
Vel cantu cessante, potest. Natura locorum
Jussit ut immunes misti serpentibus essent, &c.

Horum historiam vide apud Herod. *l.* 4. Plin. 7. 2. Sueton. *in Aug.* qui memorat, adhibitos ab Augusto, ut venenum e Cleopatræ vulnere exsugerent, quò superstitem illam in triumpho duceret. Dion. Cass. *lib.* 51. Plut. *in Catone Utic. &c.* De *Psyllis* poema Xenophanes Colophonius scripsit. Rem dignam risu narrat Gellius 16. 11. Psyllos, quòd aqua eos defecisset, arma adversus Austrum sumpsisse & omnes interiisse.

Psyllicus, sinus in Libyâ magnus & profundus, navigationis 3. dierum. Herodot. In ora Occ. maris Atlantici, apud Hesperios esse putatur.

Psyllis, fl. in Bosporo Ponti Euxini. Plin. 6. 1.

Psyllium, urbs Bithyniæ. Ptol. vulgò *Picello*, in ora maris Euxini, inter Heracleam Ponti ad Occ. & Tium ad Ort. 18. m. pass. apud Psyllis fl. à quo dicitur, ostia.

Psyra, ins. maris Ægæi apud Chium, inde 60. stad. in occasum distans, cum opp. cognomine, in quo vinum non provenit. Unde proverb. apud Suidam ex Cratino: *Psyra Bacchum*: sub. *non producit*. Stephanus: λαμβάνεται δὲ τὸ ὄνομα ἐπὶ εὐτελοῦς, διὰ τὸ εὐτελέστατον εἶναι τὴν νῆσον *Psyra* igitur vocem esse Phœniciam, nemo negaverit, qui sciet בסרא *bsira*, Chaldæis & Syris idem esse quod εὐτελῆ, *vilem* nempe ac *despicabilem*. Bochartus. Baudrando duplex est: Major, *Pissera* dicta, circuitus 20 m. p. cum portu & castro munito: & Minor, *Antipissera*, 4. mill. à majori in Occ. circuitus 10. mill. pass.

Psyttalia, ins. parva sinûs Saronici, inter Salaminem & Piræum. Strabo. Steph.

P T.

Ptelea, Ephesus olim dicta. Est & vicus in tribu Oeneide. Stephanus.

Pteleum, *Fitleo*, duorum opp. nomen, unum Thessaliæ, sed in ora Bœotiæ, Plin. in confin. Phthiotidis, apud Sperchium fl. alterum Messeniæ, Spartanis postea attributum. Ferrario in Jonia, apud Mimantum montem & Erythras Urb. etiam *Ptoleon*, fuit. Thessalicum Plinio est *nemus Pteleon*, tanquam si *ab ulmis* dicta fuisset Πτελεόν. Ejus menit. tum alii. tum Lucan. *lib.* 6.

—— Pteleosque & Dorion irâ
Flebile Pieridum. ——

Pteleuntis meminit Polyæn. *libro* 6. in Ariobarzane. Vide sis If. Voss. *ad Melam. lib.* 2. *cap.* 3.

Pteria,

Pteria, urbs munitissima Cappadociæ, à Cyro expugnata ac deleta. Herodotus.

Pterophoros, reg. Scythiæ circa Hyperboreos montes, damnata caligine. Hinc mos pennas in pileis gestandi processisse videtur, apud omnes pene Europæos. Ferratius. V. Plin. 4.12.

Pteros, Arab. Fel. ins. in Indico mari. Plin.

Pteroton Stratopedon, V. *Alata castra*.

Pterum, promunt. Mysiæ infer. Ptol.

Ptisciana, Maurit. Tingitanæ urbs mediter. Ptol. *Dar el Hamara* Marmolio.

Ptocostota, Oenotri. Vide Stephanum in *Drys*.

Ptoembari, Africæ pop. qui nullum regem præter canem habent, quem illi studiosè ac mirifice observant, ex illius motu ac nutu imperia, & quæ sint placita augurantes. Alex. ab Alex. 6. 2.

Ptoemphana, pop. Africæ, qui canem pro rege habent, sicut *Ptoembari*.

Ptolederma, Arcadiæ op. Pausanias.

Ptolemaum, Athenis gymnasium erat. Cic. *in ipso statim initio lib. 5. de Fin. Quum audissem Antiochum, Brute, ut solebam, cum M. Pisone in eo gymnasio quod Ptolemaum vocatur, &c.*

Ptolemaus I. Lagi filius, mortuo Alexandro Magno, ab equitibus primùm, deinde, communi omnium consensu, Ægypti Rex declaratur. Huic Africæ, Arabiæque pars cum Ægypto sorte venit: ex gregario milite eum Alexander, virtutis causâ, evexerat. In Ægypto, solerti industria, magnas opes paravit: Ægyptios insigni moderatione in favorem sui sollicitavit, & Reges finitimos obsequiis devinxit: terminos imperii, urbe Cyrene ampliavit, additâ Syriâ, Judæâ, Phœniciâ, Ciliciâ, & Cypro. Demetrium, Antigoni filium, bello vicit: captivos, omnemque prædam dimisit: se propter dignitatem, non propter prædam, pugnasse dictitans. Post hæc victor ipse à victo, navali prælio, vincitur: filium & fratrem atque amicos Ptolemæi captos, Demetrius pari antea munere provocatus in Ægyptum remittit: donisque inter ipsa bella contendunt: Tanto honestius tunc bella gerebantur, quanto nunc amicitiæ coluntur. Vide Justin. *libro* 13. 14. *&* 15. Legatos Alexandriâ misit Romam, conciliandæ amicitiæ gratia: imperavit annis 40. Cyprum & Phœniciam quoque, ut dictum, tenuit: ab eo omnes alii reges Ægyptiaci vocati sunt Ptolemæi. Obiit Olymp. 124. Pater ex Berenice, Ptolemæi II. Princeps literatus, Auctor Historiæ Alexandri M. Adde Polyb. *lib.* 2. Euseb. *Chron.* Joseph. Pausan. Dexippum, &c. Præter filium *Philadelphum* habuit, & *Ceraunum*. Decessit in rerum gestarum gloria, cum pauló antè, regni abdicatâ administratione, Regem filium constituisset *Philadelphum*, Trogus *lib.* 15.

Ptolemaus itaque *II. Philadelphus*, Lagi Ptolemæi filius junior, successit patri in regno Ægypti, Anno mundi, ut quidam volunt, 3680. ante Christum natum 282. Hic Stratonis discipulus doctissimus fuit: Bibliothecam insignem per Demetrium Phalereum paravit Alexandriæ, quæ usque ad Alexandrinorum & Romanorum bellum duravit: Judæos, qui in Ægypto erant, liberos permisit, vasa Eleazaro, summo sacerdoti Jerosolymorum, votiva transmisit, & divinas scripturas in Græcam linguam per septuaginta interpretes verti curavit. Hujus Frater, major natu, qui Seleucum vitâ regnoque Macedoniæ privaverat, amicitiam pacemque ac concordiam per epistolas deprecatur, professus deponere se offensam erepti paterni regni, neque amplius à fratre quæsiturum, quod honestius à paterno hoste recepisset. Eutr. *lib.* 2. Justin. *lib.* 17. D. Epiph. *in lib. de pond. & mensuris.* Josephus *libr. Antiq.* 22. *cap.* 2. Titus Liv. *Decad* 5. *lib.* 4. *&* 5. Dictus est hic Rex *Philadelphus*, per antiphrasin, eò quòd fratres suos vel è medio sustulerit, vel regno pepulerit, quò throno solus potiretur. Vide supra: Coronatus patre adhuc vivente. Obiit, fœdere prius cum Romanis inito, secundùm aliam à superiori Chronologiam, An. M. 3807. Regnavit autem An. 38. relicto *Ptolemao III. Evergete*. Hic, sorore Berenice, quæ Antiocho II. Theo nupserat, à marito occisâ, ultione ardens, Ciliciam, cum provinciis quibusdam trans Euphratem, & totâ fere Asiâ occupavit: rebellione Ægyptiorum revocatus, cum immensa præda, & 2500. simulachris Deorum, inter quæ illud erat, quod Cambyses, Psammetichi tempore, Ægyptiis eripuerat, rediit: Hinc à superstitiosis subditis *Evergeta* elogium nactus, Obiit An. M. 3833. 26. annis regno potitus; moriens successorem habuit *Ptolemaum IV. Philopatorem*; à quo veneno sublatus fertur. Justin. *lib.* 29. *&* 30. Polyb. *lib.* 2. Euseb. *in Chron.* Hieron. *in Dan.* Hinc, iterum per jocum, Philopator hic dictus. Idem matrem quoque, cum fratre & sorore sustulit. Quidam & uxorem addunt, postquam Agathocleæ, nobilis scorti, amore exarsisset. Reliquum vitæ effræni licentiâ transegit, vicit nihilominus Antiochum III. Magnum, Syr. R. Dein Hierosolymam perveniens, sub Simeone II. Pontifice, Sanctum ingredi conatus est, sed divinitus prohibitus, postquam in regnum rediit, in Judæos sævire volens, illis circo, ut occiderentur, inclusis, paulo post oblitus propositi, pepercit. Obiit, An. M. 3850. 27. An. regnavit. Polyb. *lib.* 5. Justin. *lib.* 30. Euseb. *in Chron.* Hieron. *in Daniel.* Torniel. & Salian. *in Annal. Vet. Test.* Post eum *Ptolemaus V. Epiphanes* regni gubernacula suscepit, eaque tenuit An. 23. Successit Patri An. ætat. 5. insidiis Agathocleæ pellicis, quæ cum sorore & matre Oenanthe, Regis morte dissimulatâ, raptisque thesauris, etiam filio necem illaturâ erat, ereptus à subditis, Romanorumque tutelæ commissus: Quo tempore Antiochus 3. Ægyptum invadens frustra fuit; qui ut facilius scopo potiretur, filiam Cleopatram Ptolemæo nuptum dedit, sed illa marito impensè favens, Patris conatus denuò elusit. Obiit relictis filiis 2. An. M. 3873. Euseb. *in Chron.* Hieron. *in cap.* 11. *Dan.* Polyb. Liv. Justin. &c. Post hunc *Ptolemaus VI. Philometor*, quòd matrem, quæ juniorem illi fratrem præferre contenderat, odisset, per antiphrasin dictus, quum 35. annis Ægypti regnum tenuisset, Cleopatrâ filiâ Alexandro Balæ, Syriæ Regi, quem throno expulit, datâ, Obiit An. M. 3808 Vide *Alexander I. Syria Rex*, fratremque suum *Ptolemaum VII. Evergetem* alterum, ab Alexandrinis *Cacergetem* dictum, moriens regem constituit. *Evergetes* autem, qui & *Physcon* dictus est, ignavus & luxu perditus, regnavit An. 29. Populis Syriæ, Demetrii Nicanoris imperium pertæsis, mercatoris cujusdam filium, Potarchum nomine, Regem dedit; qui ab Antiocho Sidete se adoptatum fingens, Alexandri nomen assumpsit, insuperque Zebina cognominatus est. Obiit An. M. 3937. Strabo *lib.* 17. Jos. Hist *lib* 13. Euseb. *in Chron.* Historiam quandam condidisse dicitur, Athen. *lib.* 2. *cap.* 12. *&c.* Huic *Ptolemaus VIII.* cognomento *Lathyrus* filius successit: Hic à Cleopatra matre throno pulsus, surrogato fratre Ptolomæo Alexandro, ope Alexandri Judæorum Reg. Judæam ingressus, Azotho capto, Judæos prope Jordanem vicit, immaniter in hos sæviens. Tandem, cùm in Ægyptum redire frustra tentasset, in Cyprum se recepit, postquam jam an. 17. regnasset, deturbatus An. M. 3954. Sed mortuo Fratre revocatus An. 3962. vel 63. regnavit denuo, usque ad An. M. 3970. sec. Euseb. vel 73. juxta alios. Justin. *lib.* 39. Joseph. *lib.* 13. *&c.*

Ptolemaus IX. dictus *Alexander I.* Vide ibi.

Ptolemaus X. vide *Alexander II.*

Ptolemaus XI. vide *Alexander III.*

Ptolemaus XII. dictus *Auletes*, filius nothus, an Regis Ptolemæi Alexandri, an Lathuri? à subditis, quos nimiis tributis pressos tenebat, pulsus, suffectâ filiâ ejus Berenice, quæ Archelao, Sacerdoti Pontico, nupserat, Romam petiit: inde, voto frustratus, Ephesum pervenit; paulo pòst autem, à Gabino Syriæ Proconsule, jussu Pompeji, pulsâ occisâque filiâ, restitutus est in regnum. Decessit paulo pòst, An. regni 13. Strabo *lib.* 17. Dio. *lib.* 39. Appian. *de bello Civ. lib.* 2. Post hunc *Ptolemaus XIII.* cognomento *Dionysius*, Cleopatræ frater, qui Pompejum post Pharsalicam cladem in Ægyptum fugientem interimendum curavit, suasu Theodoti Præceptoris, ope Achillæ, copiarum ducis: regnavit cum sorore annos 5. Cùm idem perfidis suorum consiliis aurem præbens, Cæsari quoque, ad quem Pompeji caput resectum transmiserat, insidias pararet, à Cæsare victus & Nilo mersus est. Appian. *de bell. Civil. lib.* 2. Eutrop. *Histor. Rom. lib.* 6. Oros. *lib.* 6. *cap.* 15. *&* 16. *&c.* Strabo *lib.* 17. Ptolemæorum stemma habes apud Paulum Manutium, *Quæsitis per Epist. lib.* 1. *epist.* 10. Hinc *Ptolemaeus*. Propertius:

Et Ptolemaea litora capta Phari.

Ptolemaus Alorites, Alexandro 19. Macedon. Rege per dolum interfecto, regnum ejus occupavit, idem tamen aliquot annis pòst à Perdiccâ passus est circa Olymp. 103. An. 4.

Ptolemaus Ceraunus, 30. Macedonum rex, fil. Ptolemæi Lagi, ex Eurydice: occidit proditorio astu Seleucum. Asiæ Syriæque Reg. & Macedoniam usurpavit, ductâ sorore propriâ Arsinoë, Lysimachi viduâ, quam tamen mox in insulam Samothraciam relegavit, filiis ejus Lysimacho & Philippo occisis. Dein pace cum vicinis factâ, à Gallis, Belgio Duce, victus periit, cùm ann. duntaxat regnasset. Olymp. 125. Polyb. *lib.* 2. Justin. *lib.* 17. *&* 24. Pausan. *in Phoc. &c.*

Ptolemaus, cognom. Apion, Cyrenensium Rex, filius nothus Ptolemæi Physconis: post regnum An. 20. sine liberis decedens, hæredem instituit S. P. Q. R. qui parvi hujus regni urbes liberas esse jussit. Justin. *lib.* 39. Liv. *lib.* 70. Euseb. *in Chr. &c.*

Ptolemaus, Cypri Rex, è familia Ægypti Regum, vitiis immersus, subditisque propterea exosus. Adventu Catonis cognito, sibi ipsi mortem conscivit, Vellej. Paterc. *Hist. lib.* 1.

Ptolemaus, Judæus, filius Abobi, auctoritate & divitiis pollens, Simonis Maccabæi, Judæorum Principis & Pontificis Max. filiam sibi conciliavit, magnis hinc muneribus adhibitus. Quo rerum successu, insolentior factus, familiam Maccabæorum extinguere, quò rerum potiretur, constituit. Socerum igitur in convivio occidit, viduâ ejus filiisque in carcere retentis. Sed cùm frustra percussores immisisset Johanni Hyrcano, tertio Simonis filio absenti, Dagonem, arcem prope Hierichuntem, se recepit. Ubi ab Hyrcano obsessus, Socrum & fratres uxoris in muro virgis cæcidit, minatus, ni Hyrcanus absisteret, se illos in præceps daturum: nihilominus, eo recedente, necem iis intulit, ad Zenonem cognom. Corylam, qui Philadelphiæ tyrannidem arripuerat, profugus, 1. Macc. *ult.* Joseph. *Hist. lib.* 13. *cap.* 14. *&* 15. *& lib. de bell. cap.* 2.

Ptolemaus, Vir pius, sub Antonino Philosopho, cùm prostibulum quoddam convertisset, à marito ejus apud Urbicum Romæ delatus, & unà cum Lucio quodam, qui ejus causam tuebatur, ad mortem raptus est, An. 162. Quâ occasione Justinus Martyr alteram Apologiam conscripsit. Petr. Halloxius *in vita Just. M.*

Ptole-

Ptolemaus, filius Agesarchi, Megalopoli oriundus, scripsit historiam Ptolemæi Philopatoris. Athen. Clem. Alexandrin. Item, Alexandrinus, cognom. Chennus, sub Trajano & Adriano, Grammaticus & Poëta. Scripsit *de Admirabilibus*. Vide Photium *Cod.* 190. Suid. Item Mendesius, sub Augusto & Tiberio. Sacerdos Ægyptius, scripsit historiam Regum Ægypti. Clem. 1. *Strom.* Euseb. *de Prap. Ev. lib.* 10. *cap.* 12. Tertull. *in apol cap.* 19. Cyrill. *lib.* 1. *contr. Julian.* Item Ascalonita Grammaticus, item Cytheræus Poëta. Lil. Girald. *dial.* 4. *Hist. Poët.* Gesner. *in Bibl.*

Ptolemeus, Hæresiarcha, discip. Valentini, seu *flosculus*, ut eum Irenæus, *lib.* 1. *cap.* 5. appellat. Magistri deliriis alia addidit, duas uxores Deo, Intelligentiam & Voluntatem tribuens, &c. Vide Tertullian. *Adv. Valent.* Epiphan. *hær.* 35. Baron. *A. C.* 175.

Ptolemaus, miles sub Decio apud Alexandriam, Christianæ religionis ergò supplicio affectus. Alius de quo, 1. Macc. 2.

Ptolemaus Claudius, Astrologus, natione Ægyptius, Pelusiota, Alexandriæ professus est, liberalium artium, ac Græcarum literarum studiis clarus temporibus M. Aurel. Antonini. Primus apud Græcos cœli rationem diligentius explicuit: inventaque ab Hipparcho instrumenta clarius demonstravit. De Musicâ, & rebus aliis, tum de Geographiâ absolutissimè scripsit. Sunt autem opera ejus, libb. 8. de Geographia, Almagestum *lib.* 13. de Judiciis Astrologicis libb. 4. Planisphærium, &c. Marcianus Heracleota, *in periplo*, Suidas, Voss. *de Hist. Græc. & Mathem.* Gesner. *in Bibl. &c.* Θειότατος καὶ σοφώτατος dictus. Fuerunt & alii hoc nomine, ut Pyrrhi regis filius, & Cypriorum rex, qui suis divitiis Romanorum locupletavit ærarium. Vide supra. *Ptolemæos* quoque sex, alios commemorat Suidas, quinque Grammaticos, & unum versificatorem: quorum opera ad nos minime pervenerunt. Josepus item alium ponit Abobi filium, Simonis ducis Judæorum generum, quem socer Jericho tempore belli Macchabaici præfecerat. At ille incensus regni cupiditate, invitatum ad cœnam, incautum interfecit. Vide supra.

Ptolemaus Lucensis, Episcop. in ditione Veneta. Condidit Annales, ab An. M. 1060. usque ad 1303. Prodierunt Lugduni, Ann. 1619. Item Historiam Eccl. usque ad Clementem VI. Ann. 1342. Edidit quoque Genealogiam Roberti Guichardi, ab aliis postmodum continuatam. Blond. *lib.* 13. Platina *in Luc.* 3. Volaterr. *Comm. Urbann. l.* 22. Voss. *de Hist. L.* Floruit sec. 14. V. quoq; *Ptolomaus.*

Ptolemaus, anus quædam, quæ quoad vixit, lites agitavit, nec unquam à causis dicendis feriabatur. Unde proverbium: *Lis Ptolemaica.*

Ptolemais, urbs quatergemina: Prima Æthiopiæ sub Ægypto, ad sinum Arabicum, quæ *Theron*, id est, *ferarum*, cognominatur à Ptolemæo, & *Epitheras* à Plinio, *Suachen* nunc dicta, à Berenice urbe ejusdem oræ 602. m. p. in Ort. Baudrando urbs est Troglodyticæ, hodie *Suaquen*, emporium celebre Abyssiniæ, cum portu capaci, in ora maris Rubri. Fere 120. mill. p. à confin. Ægypti in Merid. 300. à Martaba in Occ. & 350. à Berenice in Eur. Secunda Cyrenaicæ, in orâ litorali, antea *Barce*, nomen habens à *Ptolemao* rege conditore, *Tolometta* hodie, inter Arsinoen ad Occ. & Cyrenen ad Ort. Hic, Synodo à Synesio Episcopò celebratâ, Andronicus, Pentapoleos præfectus, impietatis, repetundarum, sævitiæ, blasphemiæque reus, excommunicatus; ad Episcoporum pedes se abjecit, & veniâ delictorum petitâ, in gratiam receptus est. Vide historiam & Formulam hujus excommunicationis, apud Synes. *epist.* 67. 58. 72. Baron. *in Annal.* Tertia Phœnices marit. apud Palæstinæ fines, olim *Ace* Plinio, *Acon* Ebræis, colonia quondam Cl. Cæsaris, teste Plinio *lib.* 5. *cap.* 19. *Ace* etiam Stephano, qui sic dictam prius putat, quòd ibi Hercules à vulnere curatus sit. Hodie *Acre*, & *S. Jean d'Acre* Gall. dicitur ab Europæis, quia Equites S. Johannis Hierosolymit. ibi sedem diu habuerunt, eamque fortiter contra Saracenos propugnarunt. Antea etiam *Tolemaida* dicta fuit; estque etiamnum Emporium à Gallis frequentatum. Sed paucis constat incolis; Sub Turcis. Vide infra. Quarta Ægypti in Thebaide, ad Nilum, inter urb. Crocodilorum, & Abydum, à quo 22. m. p. aberat in Bor. Barbaris erepta est, ab Aurelio Probo, An. Chr. 279.

Ptolemaus, fossa quædam Ægypti manu facta, ducta ab ostio Pelusiaco ad urb. Arsinoem in sinum Arabicum: sic dicta à *Ptolemao* rege; qui eam absolvit. Primùm enim à Necbao, Psammetichi filio inchoata, dein à Dario Persarum Reg. continuata, sed imperfecta relicta fuerat. Plin. Diodor. *Ptolemaeum fluvium* vocat Ælian. *de Anim. lib.* 12. *cap.* 29. Nunc arenis obducta est. Item Ciliciæ urbs, Strabo. Urbs quoque Arsenoitis Nomi in Ægypto, Ptolemæo.

Ptolemais, maritima & celebris Phœnices urbs est, versus Septentrionem à monte Carmelo quatuor, versus Merid. à Castro Lamberti totidem, ab Hierosolyma verò triginta sex milliaribus distans: hanc Aseritæ nunquam possederunt, quia ejus habitatores expellere non potuerunt. Insignis enim & munitissima urbs est, mirabilibus cincta muris & antemuralibus, portis, turribus, fossis & castris fortissimis, triangularem in modum clypei habens formam, cujus duo latera mari magno junguntur, tertium verò planitiem terræ respicit. Nam ab Oriente magnus atque planus latitudinis duorum milliarium civitati adjacet campus, fontibus irriguus, fertilis valde. Ab Austro, commodissimus atque multarum navium capax portus est, qui partim intra urbis mœnia, partim inter littus & mare situs, navibus tutam & tranquillam stationem, civitati verò maximum lucrum præbet: ædes tum publicæ, tum privatæ magnificæ atque pulcherrimæ. Hic 2000. Judæorum occisa, An. C. 67. Varias autem devastationes & incendia passa, à Balduino I. Palæstinæ Reg. occupata est, An. 1101. sed recepta à Saladino, An. 1187. quo victo, illa rursus potitus est Richardus Angliæ Rex, An. 1190. in qua obsidione Ordo Teutonicorum institutus est. Verùm Ægypti Sultanus illam denuo expugnavit, cæsis in urbe XXXM. hominum, Ann. Chr. 1291. Donec tandem in Turcarum Imperatoris potestatem redacta, ejus nunc acerbissimum servitutis jugum experitur, est in tribu Aser. Vide quoque supra.

Ptolomaus, Jubæ filius, Maurorum Rex, juventâ incuriosus & libertis obnoxius; ob quam rem Mauri servilia imperia bello mutaverunt. Hunc posteà Cajus, licèt consobrinum suum (erat enim & is M. Antonii ex Selenâ filiâ nepos) dimissum per viam interfici jussit.

Ptolomaus, Mathematicus, Othoni in Hispaniâ comes, conjecturâ illi prædixerat fore, ut in imperium adscisceretur. Posteà nunquam defuit, ad scelera instigans Othonem, ut Remp. invaderet. Vide quoque *Ptolemaus.*

Ptous, mons Bœotiæ, in quo Acræphium opp. erat, ubi Apollo natus traditur, teste Plutarcho. Hic monstri vertex esse fertur ex Homero *in Catal.* ac, teste Strabone, incumbit lacui Copaidi. In hoc monte erat Oraculum Apollinis, ad quod Thebani conveniebant, Strab. authore.

Ptua, Armeniæ minor. urbs, Ptolem.

Ptucci, oppidum Hispan. Bæt. mediterr. in Turdetanis, apud Anam fluvium.

Ptychia, insula juxta Corcyram: Gentile, *Ptychaicus* Steph.

P V

Puan, Arabiæ felicis urbs, Ptolem.

Publia, D. Joannis Chrysostomi mater, pulsata jussu Juliani Apostatæ à satellite quodam, quòd, contra illius edictum, virginum choros psallentium haberet. Theod. *lib.* 6. *cap.* 36. *hist. trip.*

Publicola, cognomen Publii Valerii, qui primus eum Bruto post expulsos Reges Consul declaratus est, quod *coleretur* à *populo*, seu quod ipse *populum coleret.*

Publius & Laberius, poetæ mimorum, Julii Cæsaris familiares ambo, sed Publius acceptior. Nam Laberii maledicentiâ, simul & arrogantiâ, Cæsar magnopere offendebatur. Is Publius genere Syrus fuit, conditione servus: puer enim & forma & ingenio à Domitio manumitti & erudiri meruit. Romam venit ad ludos Cæsaris, ubi mimos suos legit, magno ipsius populi applausu. Authores Gell. *lib.* 17. *cap.* 14. & Macrob. *lib.* 2. *Saturn. cap.* 14. Publius prænomen ejus, qui populo gratus fuit. Vide etiam Hier. *Catal.*

P. Ælius Ligo, cons. cum C. Popilio Lenate, an. urbis 582.

P. Ælius Pætus, cons. cum C. Sulpitio Longo, an. urbis 419.

P. Ælius Pætus, cons. cum C. Cornelio Lentulo an. urbis 553.

P. Ælius, sive *Helvius Pertinax*, Commodo successit, ecactusq; imperavit. Læti opera, ac decreto Senatus, anno mundi 4155. à Christo nato 193. Summâ de se exspectationem omnibus eum creet, Læti insidiis, qui imperium illi astruxerat, & militari factione Juliano, qui ei successit, non inscio, imò conscio, periit, anno ætatis 71. imperavit vix menses tres: cujus caput ab urbe delatum est in castra. Eutrop. *lib.* 8. Bap. Egna. *lib.* 1. Sext. Aurel. Vict. Hujus vitam vide fusius apud Julium Capitolium & Herodianum *lib.* 2.

P. Alphenus Varus, cons. cum P. Vinitio, an. urbis 754.

P. Catienus Philotimus, patronum adeo dilexit, ut hæres omnibus bonis institutus in ejus rogum seipsum jaceret, Plin. *l.* 7. *c.* 36.

P. Cepio, cons. cum Q. Volusio Saturnino, an. urbis 808.

P. Claudius Pulcher, consul, cum L. Porrio Licinio, anno urbis 570.

P. Claudius Pulcher, cons. cum M. Perpenna, an. urbis 662.

P. Cornelius Arvina, cons. 30. millia Samnitum prælio interfecit, an. urbis 448.

P. Cornelius Asina, cons. cum M. Minutio Rufo, an. urbis 533.

P. Cornelius Cossus, Trib. milit. consulari potestate, ann. urbis 341. iterum an. 350.

P. Cornelius Dolabella Maximus, cons. Gallos, Samnites, Lucanos, Brutios, Hetruscos, inita societate Romam petentes, delevit, an. urbis 470.

P. Cornelius Faleo, consul, cum T. Sempronio Graccho, ann. urbis 515.

P. Cornelius Lentulus, consul, cum Cn. Aufidio Oreste, anno urbis 683.

P. Cornelius Lentulus. cons. cujus opera præcipuè factum est, ut Cicero ab exilio rediret.

P. Cornelius Lentulus Caudinus, consul cum Licinio Varo, an. urbis 517.

P. Cornelius Maluginensis, Tribun. milit. Consulari potestate, anno urbis 352.

P. Cornelius Nasica, conf. Dalmatas domuit, an. urbis 599.
P. Cornelius Rufinus, conf. cum M. Curio Dentato, an. urbis 463.
Publius Cornelius Rufus, dormiens oculorum visum amisit, cùm sibi id accidere somniaret, Plin. *lib.7. cap.20.*
P. Cornelius Scapula, conf. cum M. Plautio Proculo, an. urbis 427.
P. Cornelius Scipio. Vide *Scipio.*
P. Curiatius Philo, consul cum M. Genutio Augurino, anno urbis 310.
P. Decius Mus, conf. bello Latino cum Tito Manlio Torquato, cùm oraculo responsum esset, eam partem superiorem futuram, cujux dux se ultrò diis manibus devovisset, ita cum collega pactus est, ut, cujus ex duobus cornu prius pedem retulisset, is se devoveret; cumque prior ea pars, in qua constiterat, hosti cederet, ipse solenni se certamine devovit pro salute exercitus, atque ita equo concitato, in confertos hostes se immisit, suaque morte suis victoriam peperit. Plut. *Paral.*
P. Decius Mus, superioris filius, patris exemplum imitatus, quarto consulatu se pro exercitu devovit, an. urbis 468.
P. Decius Pyrrhicus, conf. de Pyrrho victo nomen reportavit.
P. Fabius Maximus, conf. cum Qu. Tuberone an. urbis 743.
P. Furius Philo, conf. cum C. Quintio Flaminio, an. urbis 531.
P. Furius Philo, conf. cum Sex. Attilio Serrano, an. urbis 618.
P. Furius Medullinus, conf. an. urbis 282.
P. Gallus Camerinus, conf. cum Q. Loviano, an. urbis 787.
Publius Genutius Scipio Nasica, conf. de Boiis triumphavit, anno urbis 563.
P. Horatius, Decemvir legibus scribundis, an. urbis 303.
P. Horatius Trigeminus, conf. cum Sexto Quintilio Varo, anno urbis 301.
P. Julius Apulus, conf. cum L. Cornelio Lentulo, an. urbis 555.
P. Licinius Calvus, primus ex plebe Trib. mil. consulari potestate anno urbis 356.
P. Licinius Crassus, conf. cum M. Scipione, an. urbis 548.
P. Licinius Crassus, conf. cum C. Cassio Longino, an. urbis 583.
P. Licinius Crassus, conf. cum Cn. Lentulo Clodiano, anno urbis 657.
P. Lucretius Tricipitinus, Tribunus militum Consulari potestate, anno urbis 339.
P. Manlius Capitolinus, Tribun. milit. Consulari potestate, an. urbis 356.
P. Manlius conf. cum C. Papyrio Balbo, an. urbis 634.
P. Manlius Capitolinus, Tribun. milit. Consulari potestate, anno urbis 389.
P. Melius, Trib. milit. Consulari potestate, an. urbis 356.
P. Menenius, Trib. milit. Consulari potestate, an. urbis 356.
P. Minutius Augurinus, conf. cum T. Geganio Macerino, anno urbis 262.
P. Minutius Scævola, conf. cum Sp. Posthumio Paulo, anno urbis 580.
P. Pinarius Ruffus, conf. cum C. Julio Tullo, an. urbis 255.
P. Plautius Proculus conf. cum P. Corn. Scapula, an. urbis 427.
P. Popilius Lenas. conf. cum Sulpitio Galba, an. urbis 622.
P. Posthumius Tiburtus, conf. cum M. Valerio Voleso collega de Sabinis triumphavit, an. urbis 249. Iterum conf. cum Agrippa Menenio Lanato, de Auruncis triumphavit biennio pòst.
P. Rutilius, morbo levi impeditus, nuntiata fratris repulsa in Consulatus petitione, expiravit illico, Plin. *lib.7. cap.36.*
P. Rutilius Lupus, consul, bello sociali interfectus, anno urbis 964.
P. Rutilius Rufus, consul, cum M. Manlio Maximo, anno urbis 949.
P. Scipio Nasica, conf. cum C. M. Figulo, an. urbis 592.
P. Scipio Nasica Serapion, conf. anno urbis 616.
P. Scipio Nasica, consul, cum L. Calphurnio Bestia, anno urbis 643.
P. Sempronius Sophus, conf. cum P. Sulpitio Averrione, anno urbis 450.
P. Sempronius Sophus, conf. cum Claudio Rufo, an. urbis 485.
P. Sempronius Tuditanus, conf. in Brutiis Annibalem fudit anno 550.
P. Servilius, Cilicia à prædonibus liberata, Isauri urbe capta, Isaurici cognomen reportavit.
P. Servilius Geminus, conf. cum C. Aurelio Cotta, anno urbis 501. Iterum cum eodem an. 505.
P. Servilius Priscus, conf. Volscos, Sabinosque superavit, anno urbis 239.
P. Sestius Vaticanus, consul, cum L. Menenio Lanato, anno urbis 219.
P. Sestius, Decemvir legibus scribendis, an. urbis 303.
P. Silius Nerva, conf. cum Appio Junio Syllano, an. urbis 780.
P. Silius Nerva, conf. cum M. Apulejo, an. urbis 734.
P. Sulpitius Averrio, conf. cum P. Sempr. Sopho, an. urbis 450.
P. Sulpitius, Decemvir legibus scribendis, an. urbis 303.
P. Sulpitius Galba, conf. cum Cn. Fulvio Centumalo, an. urb. 543.
P. Sulpitius Longus, Trib. milit. consulari potestate, quo ann. Roma capta est à Gallis, ann. urbis scilicet 366.
P. Sulpitius Quirinus, conf. cum M. Messala, an. urbis 742.
P. Titinius Trib. mil. consulari potestate, an. urbis 356.
P. Valerius Asiaticus, consul cum L. Cornelio Syllano, anno urbis 798.
P. Valerius Flaccus, consul, cum M. Attilio Regulo, anno urbis 527.
P. Valerius Levinus, conf. à Pyrrho rege auxilio elephantorum victus. Plutarch. *in Pyrrho.*
P. Valerius Potitus, Trib. mil. Consulari potestate, anno urbis 373. Iterum biennio post tertium, ann. 376. Quartùm, ann. 280. Quintùm, an. 388. Sextùm, an. 389.
P. Valerius Publicola. Vide *Publicola.*
P. Valerius Publicola, conf. de Sabinis, Vejentibus & Etruscis triumphavit, an. urbis 279. Iterum conf. cum C. Claudio Sabino à servis concitatis, qui, Herdonio duce, Capitolium occupaverant, interfectus est, 25. annis post priorem Consulatum.
P. Vaticanus, conf. cum Q. Fusio Galeno, an. urbis 707.
P. Venutius, conf. cum P. Alpheno, an. urbis 754.
P. Veturius Geminus, conf. cum T. Ebutio Helva, an. urbis 255.
P. Virginius, Trib. mil. Consulari potestate, an. urbis 354.
P. Volumnius Aventinus, conf. an. urbis 393.
Pucialia, Bastitanorum urbs in Hispania, Ptol.
Pucinum, oppidum est Histriæ in Mediterraneis, Ptol. *lib.3. cap.1.* hodie *Prosecho*, in foro Julio situm est. Hinc vina à Plinio tantopere laudata, *Pucina* vocata, quæ nunc à Germanis *Beinfal* appellantur. Plin. *lib.14. cap.6. statim ab initio.*
Puclata, seu *Pudata*, urbs Macedoniæ, Anton. inter Larissam & Thessalonicam. Fortè *Pudna* aliorum. Aliis videtur *Pautalia* Ptolemæi.
Pudens, nomen viri, 2. Tim. 4.
Pudicitia, Dea culta est ab antiquis, cujus Romæ ædes fuit in foro boario & hæc quidem *Patricia* vocata: altera fuit *Plebeja*, cujus ædicula in vico longo, à Virginio posita, Festus.
Pudni, seu *Pudin*, opp. Arabiæ fel. Ptol. Nunc *Ziden* Sansoni, portus & emporium, in ora sinus Arabici, vix 60. mil. pass. à Mecca in Africum.
Pudor, ab antiquis, tanquam numen, colebatur, ejusque ara fuit Athenis, in Acropoli, ut ait Hesychius: à Græcis muliebri forma est effictus.
Puellarum castrum, arx permunita Edimburgi, in rupe prærupta ad Occ. Ibi enim Pictorum quondam Regum puellæ asservatæ. Ultimis Scotiæ motibus pluries capta.
Puerinum, oppidum Pedemontii.
Puganum, urbs Imperii Sin. in Queichea provincia, in confinio Junnani & Quansiæ prov. ad radices montium, Martin.
Pulani, fortium heroum, qui terram Sanctam Saracenis eripuerunt, degeneres erant filii: qui molles ac imbelles cum Saracenis trenguas inierunt. Marinus Sanutus *in de Secretis fidelium crucis Lib.3. cap.2.*
Pulata, pop. Albaniæ intra montes, ut Epilc. Pulatensis, ritus Latini. Sub Turcis. Vide *Polata.*
Pulcheria, beata & pia Imperatrix, filia Arcadii, soror Theodosii Jun. An. ætat. 16. à fratre Theodosio, Augusta pronuntiata, cum ipso imperavit. Fratrem egregiè educatum, ut supra sexum prudens erat, dein cum Athenaide, Leontii filiâ, quæ in baptismo Eudoxiæ nomen assumpserat, junxit. Quem cùm indiscriminatim, omnibus libellis supplicibus subscribere videret, libello ipsi oblato, quo Eudoxiam sibi servam tradi petebat, corrigere voluit. Quod ægrè ferens Imper. sororem Diaconissam voluit efficere, sed illa in prædium suum secessit. Ubi 3. vel 4. annis exactis, rediit in aulam, monitura fratrem, ut à Chrysaphio, qui bonitate Imper. abusus, illum in Eutychis partes pertrahere annisus est, caveret: Eoque mortuo, Martiano nupsit: Utriusque curâ Concilio Chalcedonensi celebrato. Obdormivit in Christo, Ann. Domini 453. ætat. 54. omnia sua pauperibus reliquit bona: multa autem construxit oratoria, domosque pauperibus, necnon sepulchra peregrinis ædificavit, intra quæ sancti Laurentii martyris templum construxit, Niceph. *histor. Eccles.* Venit à Latino *pulcher*, quod à Græco πολύχειρ, teste Jul. Scaligero *de causis L.L. lib.1. cap.22.* Inde forsan Anglicanum *Handsome*. Vide Concil. Chalced. Acta, Leon. *epist.* Theodoret. Baron. *in Annal. Eccl.*
Pulcheriopolis, Civ. Epiri novi, in notitia Hieroclis. A Pulcheria Aug. Porphyrogennetâ teste.
Pulchra sylva, hodie *Mortaria*, opp. permunitum Duc. Mediol. in agro Laumellino, ad Alboneam amnem. Capta à Gallis Ann. 1658, sed reddita.
Pulchrum, promontorium in Africâ, Livio. *Calon Acroterion* Polybius vocat. Carthagini adjacet adversus Aquilonem.
Pulsio, prænomine *Titus*, centurio, qui jam primo ordini appropinquavit, cum *L. Vareno* perpetuas controversias habens, & uter alteri anteferretur, omnibus annis de loco summis simultatibus contendens. Hic in confertissimos hostes irrumpens sequi adversarium jubet, & probandæ virtutis occasionem arripere. Verùm ab hostibus circumventus ab eodem ereptus periculo est; iterumq, *L. Vareno* cupidius instanti hostibus & in locum inferiorem dejecto tulit subsidium, de quibus vide Cæsaris *Commentar.5. cap.44.*

Etenim *T. Pulfio* posteà Bello Civili defecit ad Pompejum & exercitum, cui præerat C. Antonius, prodidit *lib. 3. de Bell. Civil.* Vetustissimus Codex Ursini habet *T. Pullo.* Ciacconio laudatur *T. Pulcio.*

Pulipula, Indiæ intra Gangem urbs, Ptolemæo. Quid nunc sit, non constat.

Pullaria, vulgò *Li Brioni*, insulæ aliquot parvæ Histriæ in sinu Flanatico adjacentes, Pollæ urbi vicinæ.

Pullus, seu, ut alii legunt, *Pullius*, alter Exquilini vertex montis: supra clivum *Pullum* habitavit Tarquinius Superbus, Solinus *cap. 2.*

Puloroffa, Insula quædam Oceani orientalis, ad insulæ Bali orientem sita, olim inculta & inhabitata: in quam Rex insulæ Bali proscripsit quosdam, qui in ipsum conspiraverant, ita eorum miseratus, cùm tamen eos mortis supplicio addixisset, à quibus hodie insula illa ab eo tempore habitatur: Regi quidem Bali subditi, sed tamen in insulam Bali intrare non audentes. Natal. Metel.

Pulteria, villa Galliæ in pago Laticensi, monasterio vet. S. Petri, à Gerardo Comite & uxore ejus Bertha extructo, nobilis. Vulgò *Poutieres*; in diœcesi Lingonica. Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

Pumentum, Lucanorum opp. mediterran. Strab. *lib. 6.* Barrius hoc in Calabria citer. describit, cui hodie *Cerenza* dicitur, vix 10. m. p. à limite Calabriæ ulter. ta. à Siberena in Circ. Xylander in suo Strabone, *Grumentum* legit.

Punicum, opp. Histriæ in mediterraneis. Ptol. 3.1. Plin. 14.6.

Puniceus, vide *Phœnix.*

Pupienus Marcus Claudius Maximus, Imper. à Senatu lectus, ut cum Balbino, post Gordianorum obitum, præesset. Hi ambo Maximinis se opposuerunt, prudentiâ & rerum usu inclyti: Sed ab iratis militibus occisi sunt, An. 238. Pupienus quidem An. ætat. 74. post imperium vix unius anni. Jul. Capitolin. *in Gord. & Maxim.* Herodian. *lib. 7.* Aur. Victor *de Cæs.*

Pupiniensis, ager in Latio circa Tuscul. teste Festo: cujus solum sterilissimum, teste Val. Maximo, adeò ut Varro *de R. R.* scripserit, neque vites, neque fœnum in *Pupiniâ* crescere.

Pupius, prænomine *Lucius*, Primipili centurio Pompejanarum partium, Auximo egrediens à Cæsaris militibus intercipitur; ad Cæsarem deducitur: sed statim dimittitur, Cæs. 1. *de Bell Civ. c. 13.*

Puppius, poëta tragœdus, teste Acrone Horatii Scholiaste, affectus spectantium ita movit, ut eos flere compelleret. Unde Horat.

—— *Lacrymosa poëmata Puppi.*

Pupulum, urbs à latere meridion. Sardiniæ.

Purchanus, oppidul. Campaniæ, ad Vesuvium: cujus memoria extat prope *Resino* vicum, ubi Templum *S. Mariæ de Purchano*, L. Holstenius.

Purgatio, seu *Judicium Dei*, sic à veteribus dicuntur probationes & sortilegia, quibus ad reatus examen usi sunt; *Ordalium*, & ejus species, scil. *Ferrum candens*, *Aqua fervida*, *& Aqua frigida*: Symbolum *Crucis*, & sacra ipsa *Eucharistia*: *Offa judicialis*, seu *Panis hordaceus* & *Caseus execratus*: *Duellum*, *&c.* Aimonius *lib. 5. cap. 34. ad Ann.* 876. Gregorius Tur. Jun. *lib. 11.* Formull. solenn. Lindenbr. *num.* 172. De ignito & aqueis examinibus, aliquid in voce *Ordalium*: de Cruce, de Offa Judiciali, &c. suo loco, dictum. *Purgationis* per Eucharistiam formula habetur, & probatur in Concil. Wormaciensi *ca. 15.* & *ca. 2. q 5. ca. 23.* Hoc examine Lotharium Lotharingiæ Regem, atrocius arguit Hadrianus II. P. de adulterio cum Waldrada pellice, contra interdictum Nicolai P. perpetrato, nec non Proceres & ministros ejus, qui aut tanti sceleris conscii, aut Waldradæ favissent excommunicatæ. Cùm enim omnes perceptâ Eucharistiâ innocentiam profiterentur, tremendo Dei judicio factum est, ut Lotharius Româ egressus, brevi mortuus sit: reliqui pleriqne ante anni illius exitum variis casibus sublati & populus ipse sævissimâ peste, tanquam hostili gladio, undiquaque correptus. Pluribus hæc Sigonius *de regno Ital. lib. 5.* & Regino, *ad An. C. 869. & 941. &c.* Quo hoc factum sit Numine, non hic differitur. At si digito Dei regerentur istæ probationes, cur aliquando abolitæ sunt? Sin minus, cur usque adeò in Ecclesia toleratæ. Reperiuntur in Ethnicorum historiis similia miracula, & probationes consimiles: Vide de Luco Feroniæ, sub monte Soracto, apud Strab. *Geogr. lib. 5.* de Hirpiis quibusdam familiis, in agro Faliscorum, apud Plin. *lib 7. cap. 2.* de fonte Artecomii & Daphnopoli, apud Eustath. *lib. 7. & 11. de amor. Ismenii*: de fonte quodam prope Ephesum, apud Achillem Tatium *de amor. Clitoph. lib. 8. pag. 206.* de Palicis, apud Stephanum, Aristotel. *lib. de admir. auditionibus*, Diod. Sic. *Bibl. lib. 2.* de fonte juxta Thianam, apud Philostr. *de vita Apollon. lib. 1.* Sic aquâ tingebant oculos jurantes, in Sardinia, Solinus de Sardiniis, Plin. *lib. 3. cap. 2.* Sed & aliæ probationum species erant. Tucca Virgo Vestalis, incesti criminis accusata, aquam cribro gestavit, Dionys. Halic. *lib. 2.* Plinius *lib. 28. cap. 2.* Valer. Max. *lib. 7. cap. 1.* Claudia navem cingulo traxit, Liv. *lib. 29.* Tertullian. *Apolog. &c.* & ejusdem argumenti est, quod Acron ad *Horatii lib. 1. Epist. 10.* notat, furti reos, acceptâ à sacerdote crustâ panis carmine infecti, patefieri. Cicero *de Nat. Deorum, sunt quædam bestiæ*, inquit, *quæ appareant in ardentibus fornacibus sæpe volitantes.* Videtur à Judæis pervenire ad Christianos istiusmodi probationum ritus: sumptis exemplis ab aqua amara, Num. 5. ad purgationem Zelotypiæ, & adulterii investigationem imperatâ: & à sortilegio, quo furti anathematisque reus exhibetur Achan, Josuæ *cap. 7.* nec non à Monomachia Davidis cum Goliatho, Samuel. *lib. 1. cap. 17.* Inter Christianos, qui igneo usi sunt examine, primus occurrit Briccius Episcopus Turonensis, S. Martini Diaconus & Successor, apud Gregor. Turonensem *lib. 2. cap. 1.* cujus, stupri à civibus accusati, vestimentum prunis impositum, illæsum apparuit. Simile quid de Montano Episcopo Toletano Ildefonsus Episcopus *in præfatione memorab. de viris Ecclesiæ*, narrat. Sed Briccii miraculo non crediderunt cives, ideoque artis magicæ insimulatum ejecerunt: verùm à Papa restitutus est. Apud Scotos, referente Bedâ, cùm S. Brigida lignum altaris, in testimonium virginitatis, tetigisset, viride factum est. Priscis autem legibus tria potissimum recepta sunt examinum genera, *Jurisjurandi, Duelli & Ordalii*; *Crucis* enim rarior usus fuit: Primum *purgationem Canonicam* appellabant; Secundum, *legem duellionum*: Tertium, *purgationem vulgarem*, aliàs legem apparentem, seu legem paribilem: quamvis sub *Purgationis* vulgaris nomine secundum & tertium videntur censeri, pariterque male audire & damnari. Tandem igitur prohibitæ sunt: & quidem *Aqua frigida*, à Ludovico Imper. defuncto An. C. 840. & successore ejus Lothario, qui idem *Crucis* quoque judicium sustulit. *Ferri* unà, & *Aquæ ferventis* examina inhibuit Stephanus V. Pontif. circa An. C. 887. epistolâ hac de re ad Humbertum, Episcop. Moguntinum, scriptâ, quod cùm parum valeret, Fridericus II. Imper. id ipsum denuo sancivit. *Duellum* Longobardis præcipuè gratum, cùm auferre non valeret priscus Rex Luitprandus, impium tamen denuntiavit. Atrocius dein impetierunt sequentium seculorum Theologi, præsertim Agobardus Episc. libro peculiari ad Ludovicum Pium scripto. Inhibuit Nicolaus P. epistolâ decretali ad Carolum Regem, Lotharii patruum exaratâ: vehementius tandem damnavit Concil. Tridentinum, *Sess. 25. c. 20.* Interim Canonum auctoritate posthabitâ ubiq; gentium mos adhuc dirus viguit semper, inter Ecclesiasticos quoq;: Unde Juretus, è M. SS. Ivoniano seculo, Anselmum quendam, thesauri Laudunensis Ecclesiæ custodem, in monomachiâ vicisse aurifabrum innocentem, refert, qui de his prolixe agit, Henr. Spelmannus *Glossario Archeol.*

Purgatorium S. Patricii, vide *Patricii purgatorium.*

Puritani, primitus in Angl. Colmanus, Buttonus, Halinghamus, Bensonus, aliique Ministri Verbi dicti sunt ab adversariis, qui sub Elizabetha Reg. receptam in Ecclesia Angl. disciplinam, Liturgiam & Episcoporum auctoritatem, in quæstionem revocare cœperunt, eo quòd parum à Pontificia in speciem abesset, & omnes ejus ritus, ad præscriptum Genevensis Ecclesiæ conformari cuperent. Quorum cùm nonnulli exauctorarentur, Beza *Epistol. ad Edmundum Grindalum*, Episcop. Londinensem, pro iis intercessit. Thuan. *Hist. lib. 42.* An. circiter 1565. 1573.

Purpuraria, insulæ maris Atlantici circa Fortunatas, Plin. 6. 30.

Purpureum mare, pars est maris Pacifici, à Sept. in Mer. extensa, inter novum regn. Mexic. ad Ort. & Californiam ad Occid. Sed non æquè lata, inter oram novæ Hisp. & prom. S. Lucæ. In California restringitur ad 200. m. p. *Mar Vermejo Hisp.*

Puscum, vulgò *Pautzke*, oppidul. Prussiæ reg. in Cassubiæ finibus, cum arce munita, ad sinum maris Balt. hinc *Pautzkerwiek* dictum. Captum à Suecis Ann. 1626. sequente anno receptum à Polonis: & An. 1655. frustra iterum obsessum à Suecis.

Pusicius, Martyr insignis. qui super omnes Persarum Regis artifices erat; Hic consistens & videns Ananiam trementem, cùm ad necem præpararetur, ait: *Paululum ò senex claude oculos, & securus esto, mox enim Christi videbis aspectum.* Cumque dixisset hoc, repente comprehensus, ad regem ductus, Christianus esse manifestatur, eò quòd pro dogmate fuisset locutus liberâ intentione de Martyribus. Tunc rex extraneo quodam & crudeli modo eum mori præcepit, ita ut, perforatâ cervice, exinde linguam ejus ejicerent. Hoc itaq; facto, quibusdam accusantibus, eriam ejus filia, virgo sacra, tunc comprehensa est, & perempta. Sozomen. *lib. 3. c. 1.*

Pusio & Secundilla, prodigiosi corporis homines, Plin. 7. 16.

Putei bituminis, qui erant in agro Sodomorum, ante subversionem & justitiam Dei: mox verò Sodomis deletis, lacus ibi, quem à scatenti bitumine Asphaltitem dixere, repentè extitit, erant in tribu Juda.

Puteolana moles, *il Molo*, apud Puteolos, à Caligula Cæs. inchoata: cujus magna adhuc pars ad lacum Lucrinum videtur.

Puteoli, post Lucrinum lacum (inquit Cluverius) sequitur oppidum *Puteoli* plur. num. Latinis ferè autoribus, exceptis poëtis, dictum; Græcis verò Δικαιάρχεια, sive Δικαιαρχία, & contractè Δικαρχία: quo frequenter Latini usi sunt poëtæ: ut Græci etiam sub Romanis Imp. sæpe usurparunt Ποτίολοι, sive Πατίολοι. Fama oppidi apud auctores est celeberrima; vulgari nunc vocabulo dicitur *Pozzuolo.* Plin. *lib. 3. cap. 5.* *Lacus Lucrinus & Avernus: dein Puteoli colonia, Dicæarchia dicti.* Strabo *lib. 5.* post descriptionem Lucrini, Avernique lacus: Ἑξῆς δ' εἰσὶν αἱ περὶ Δικαιαρχίαν ἀκταὶ καὶ αὐτὴ ἡ πόλις· ἦν δὲ πρότερον μὲν ἐπίνειον Κυμαίων, ἐπ' ὀφρύος ἱδρυμένον. Κατὰ δὲ τὴν Ἀννίβα στρατείαν συνῴκισαν Ῥωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Ποτιόλους ἀπὸ τῶν φρεάτων. Οἱ δὲ ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων, &c. Festus: *Puteolos dictos putant ab aqua calida putore: quidam à multitu-*

multitudine puteorum, earundem aquarum gratiâ factorum. Varro *lib. 4. de L. L. A puteis oppidum Puteoli, quòd sint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ; nisi à putore potius, quòd putidus sit odoribus sæpe ex sulfure & alumine.* Primos oppidi conditores quod attinet, quia id, Strabone teste, navale fuit Cumanorum, ab his conditum videri poterat. At Stephani Epitomator sic habet: Ποτίολοι, πόλισμα Σαμίων, ἥτις καὶ Δικαιάρχεια. Et B. Hieronymus *in Eusebii Chronicor. lib. 2.* sic tradit: Olymp. 64. A. 4. *Samii Dicæarchiam condiderunt, quam nunc Puteolos vocant.* Nobiles hic thermæ, & pons olim 390. passuum ab Impp. Romanis Bajas usque protensus; cujus hodieque dundecim columnæ visuntur. Morer. Du Val. *descr. Ital. &c.* Baudrando urbs fuit perampla & probè culta Campaniæ, nunc parva admodum, in colle, in ora litt. prov. Terræ laboris, cum portu capaci & tuto, in sinu cognom. ubi variæ villæ & delitiæ Impp. Roman. Dicta fuit *Flavia*, à Vespasiano, & amphitheatrum habuit peramplum, nunc semidirutum, uti & templum Jovis, à Calpurnio ædificatum in honorem Octavii Aug. nunc S. Proculo sacrum. Cum arce utcunque munita, sub Hisp. In ejus finibus 35. Balnea continentur, ex quibus calentes aquæ, variis morborum generibus utiles, emanant. Populi *Puteolani.* Inde *sinus Puteolanus*, de quo Cluver. *Ital. Antiq. lib. 6. 4. pag.* 1141. Hodie *Golfo di Pozzuolo*, sinus parvus maris Tyrrh. in ora Campaniæ, prope Puteolos & Bajas, ac inter promont. Miseni & Pausylipi, Insulamque Nisitam extensus: estque propriè pars sinus Crateris, seu Neapol. Laté tamen quibusdam pro ipso sinu Neapolit. sumitur.

Puteolus, castrum Galliæ, vulgò *le Puiset*, in diœcesi Aurelianensi, in Archidiaconatu Belsæ, qui unus est ex 6. Archidiaconatibus Eccles. Aurelianensis: à Ludovico Crasso dirutum. Item villa territ. Bituricensis, in Castellania Exoldunensi. De aliis *Puteolis* vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Puteus, apud Scotos ad supplicia usurpatus, quibus mares furcâ suspendere, fœminas puteo immergere mos: Unde jus furcarum *& putei.* Idem de veteribus Germanis tradit Cornel. Tacitus *de German. morib.*

Puteus S. Sigismundi, vulgò *S. Simond*, vicus Galliæ, ad Abbatem Monast. S. Maximini pertinens, in Archidiaconatu Balgentiacensi: ubi Sigismundus Burgundiæ Rex, jussu Chlodomeri R. Galliæ, cum conjuge ac filiis in puteum præcipitatus est, An. C. 524. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Puteus viventium aquarum, juxta viam, quæ Tyrum ducit, egregius est & admirabilis, atque versus Aquilonem à Saudalio castro pauló amplius, quàm miliari, versus Austrum veró à Tyro parvo miliari distat. Quamvis autem *Puteus* dicatur, sunt tamen quatuor fontes quadrati, quorum ille qui præcipuus est, in uno quoque quadrati latere quadraginta, reliqui veró viginti quinque cubitos habent, omnes muris fortissimis, de durissimis lapidibus insolubili opere obfirmatis, conclusi, unde varii ducuntur rivi. Est in tribu Aser.

Puticuli, appellati à *puteis*, quòd ibi cadavera in *puteis* obruerentur: vel quòd in his corpora *putrescerent.* Romæ extra Exquilias fuit locus publicus, ubi erat commune sepulchrum miseræ plebi. Varr. *lib. 4. de L. L.*

Putinga, urbec. regni Sinarum, in Queichea prov. munita, versus montes, in limite Suchuenfis provinc. Martinius.

Putiphar, Eunuchus, id est. Caput militiæ, & Præfectus prætorianæ cohortis Pharaonis. Josephum emptum, prudentiâ ejus & modestiâ captus, domui suæ præfecit: ab impudica dein uxore persuasus, illum in triennalem carcerem compegit. An hic Sacerdos Heliopolitanus, cujus gener postea Josephus factus est? Genes. 37. & 39. Hieron. *in Gen. cap. 41. & cap. 37. de Tradit. Hebr.* Torniel. *An. M. 2306. 2311. & 2319. n. 16.*

Putomajus, fluv. Americæ Merid. Oritur in Popajana reg. & post longum decursum in fluvium Amazonum se exonerat. Petr. Texeira.

P Y

Pyanepsia, sacra apud Athenienses. Authores in nomine variant. Harpocration à Lycurgo Ποιανοψίαν, ab aliis Πανοψίαν appellari tradit. Ποιανοψίαν, inquit, Λυκοῦργος ἐν τῇ κατὰ Μενεσαίχμου, καὶ ἡμεῖς Ποιανοψίαν ταύτην τὴν ἑορτὴν καλοῦμεν· οἱ δὲ ἄλλοι Ἕλληνες Πανοψίαν, ὅτι πάντας εἶδον καρποὺς τῇ ὄψει. Ἀπολλώνιος, καὶ σχεδὸν οἱ περὶ τῶν Ἀθήνησι ἑορτῶν γεγραφότες. At Πυανέψια, ἀπὸ τῶν κυάμων καὶ ἕψειν *à coquendis fabis.* Hesychius: Πυανέψια, ἑορτὴ Ἀθήνησι· εἴρηται δὲ παρόσον κυάμων ἐμπίμπλανται. Καὶ ἄγεται Πυανεψιῶνος ἑβδόμη, ἐπειδὴ ἕψουσι ἔτνος, οὕτως δὲ κέκληται ὁ μήν. Καὶ ἡ ἑορτὴ διὰ τὸ ἀθάρας ἕψειν, ἃ καλοῦσι πύανα. Sic lego; & sensus est: *Pyanepsia, festum Athenis; dictum veró est quatenus fabis implentur: & agitur septima die mensis Pyanepsionis; quoniam coquunt pulmentum; sic vocatur & mensis. & festum, quòd in eo pultem coquerent, quæ vocarentur Pyana.* Eustath. *ad Iliad. B.* Πυανεψιὼν δὲ, ὅτι μηνὸς ὄνομα παρ᾽ Ἀττικοῖς κυάμων ἑψήσει παρωνυμούμενος. Origo est à Theseo, qui è Cretâ reversus, annonæ reliquias in ollâ miscuit, & coctas simul sociis exhibuit. Plutarchus, Θάψας δὲ τὸν πατέρα, τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου τῇ ἑβδόμῃ τοῦ Πυανεψιῶνος μηνὸς ἱσταμένου. Ταύτῃ γὰρ ἀνέβησαν εἰς ἄστυ σωθέντες. Ἡ μὲν οὖν ἕψησις τῶν ὀσπρίων λέγεται γίνεσθαι διὰ τὸ σωθέντας αὐτοὺς εἰς ταὐτὸ συμμῖξαι τὰ περιόντα τῶν σιτίων, καὶ μίαν χύτραν κοινὴν ἑψήσαντες συνεστιαθῆναι, καὶ συγκαταφαγεῖν ἀλλήλοις. Votum Thesei memorat Scholiastes Aristophanis *ad Equites:* Τοὺς δὲ Θησέα φασὶ καθ᾽ ὃν καιρὸν Κρήτην ἔπλει κατασχόντα Δήλῳ διὰ χειμῶνα, εὔξασθαι τῷ Ἀπόλλωνι, κατεστέψαντα κλάδοις ἐλαίας, ὅταν σωθῇ, τὸν Μινώταυρον ἀποκτείνας, καὶ θυσιάζειν· καὶ τὴν ἱκετηρίαν ταύτην κατεστεψάντα ἑψῆσαι χύτραις ἀθάρης, καὶ ἔτνους, καὶ βωμὸν ἱδρύσασθαι. Διὸ καὶ Πυάνεψια δοκεῖ λέγεσθαι, οἷον Κυάμεψια, τὸ γὰρ πρότερον τοὺς κυάμους κυάνους ἐκάλουν. Quæ totidem verbis à Suidâ proferuntur; brevius autem ab Eust. *in Iliad.* χ. Castellanus.

Pycnus, fluv. Cretæ, Ptolem.

Pydara, Gyllio *Aqua dolce*, fluv. Thraciæ, inter Byzantium & Selymbriam. Vide *Athyras.*

Pydes, urbs & fluv. Pisidiæ, Steph.

Pydna, Macedoniæ opp. Ptolem. *Chitro* Sophiano, adhuc urbs ampla, prope ostia Aliacmonis, & Sinum Thermaicum, 50. m. p. à Thessalonica in Merid.

Pyenis, urbs Colchorum, Stephan.

Pygela, urbs Joniæ, Steph. & Polyæno *lib. 7. in Mausolo, Comm. 2.* Ephesinorum habet Etymolog. Πολίχνιον vocat Strabo *lib. 14.* Pomponius & Plinius scribunt per Φ. & nomen ἀπὸ τῆς φυγῆς ducunt: Melæ verba sunt: *Ibi à fugitivis, ut ajunt, condita (nomen famæ annuit) Phygela.* Plinii: *Juxta fugitivis conditum (uti nomen indicio est) Phygela.* Locus ubi fretum tajicitur, quo in Cretam itur. Vide *Phygela.* Ibi Dianæ templum, opus Agamemnonis, Strab.

Pygmæi, populi in extremis Indiæ montibus habitantes (Plinius *lib. 7. cap. 3.*) salubri cœlo semperque vernante fruentes, ternos dodrantes non excedentes: Sunt qui nomen eos habere volunt ἀπὸ τῆς πυγμῆς, id est, *pugno*, contra rationem; cùm ἀπὸ τοῦ πήχεος, id est, *cubito*, originatio deducenda sit. Πυγμαῖοι ergo erunt, quasi πηχυαῖοι, quippe *cubitales.* Hinc & *Spithamæi* dicuntur, quòd ternas *spithamas* longitudine non superant. Etymon hoc approbatur ab Eustathio, *in principio Iliad.* γ. & ab August. *de C. D. 16.* Hieronymus veró aliter *in 27. Ezech. Sive Pygmæi sunt* (inquit) *id est, bellatores, & ad bella promptissimi,* ἀπὸ τῆς πυγμῆς, *quæ Græci sermone in certamen vertitur.* Diversis locis ab auctoribus collocantur. In extremo Septentrione reperiri, quidam asserunt: Paulus Jovius ultra Lappones, in regione, quæ inter Corum & Aquilonem, perpetuâ opprimatur caligine, *L. de Leg. Moscovit.* hosque Olaus M. Screlingeros, id est, Cubitales appellat; quæ opinio à Samojedis cœterisque populis, intra circulum Polarem Arcticum viventibus, videtur tracta. His enim inconcinnum sæpe & quasi in nodum contortum corpus est, quod legitimâ statura suâ, tres cubitos vix excedat: unde more solito in cubitalem brevitatem contracti Pygmæi hi exierunt. Becmann. *Hist. Orbis terr. Geogr. & Civil.* Plinius, *ubi supra*, inter Indiæ gentes recenset. Pomponius *lib. 3.* ponit in eâ Arabiæ parte, quæ ultra sinum Arabicum in Æthiopiam vergit. Ibidem eos quoque collocare videtur Ptolemæus, si per *Nubas* intellexeris *Pygmæos*, uti Hesychius: Νῶβαι, Πυγμαῖοι, nec enim de aliis, quàm de his accipi possit locus iste Hesychii. Aristotel. *lib. 9. de Histor. An.* eos ad fontes Nili traducit. Verba ejus sic concipiuntur in libris manu exaratis: Οἷον οἱ γέρανοι ποιοῦσι· μεταβάλλουσι γὰρ ἐκ τῶν Σκυθικῶν πεδίων, εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου, ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ, οὗ καὶ λέγονται τοῖς Πυγμαίοις ἐπιχειρεῖν, οὐ γάρ ἐστι τοῦτο μῦθος. Quòd narratiunculæ huic fidem adstrueret Philosophorum summus, id concoquere non potuit, quisquis vulgatæ lectionis auctor fuit; ac propterea verba illa de pugnâ Pygmæorum cum gruibus suo modo reformavit. Quamvis autem fabella hæc excusa sit à Græculis, fingendi, & fabulandi semper cupidis, ratio tamen, quamobrem hoc in tractu Pygmæos collocarint veteres, hanc fuisse putat Clariss. Vossius; quòd Troglodytarum & Æthiopum multi essent κολοβοὶ sive recutiti. Hinc tot Coloborum gentes in Æthiopia. Idem veró Aristoteli & aliis nonnullis κολοβοὶ & Pygmæus, sive nanus. Κολοβοὺς enim *lib. 2. de Gen. Anim.* circa finem & alibi, vocat non illos tantùm, qui uno aliquo membro essent mutilati, sed eos etiam, quorum universæ corporis partes in utero matris oblæsæ, & justo essent breviores. Strabo *lib. 17.* iisdem in locis creditos quidem, sed confictos existimat, sumptâ inde fictionis occasione, quòd in Æthiopiâ interiori omnia fere animalia exigua nasci compertum sit. Contra Philostratus *lib. 3.* sub terrâ eosdem ponens, loca incolere scribit supra fluv. Gangem, cui cum Aristotele convenit in eo, quòd specus habitari dicit ab illis. Solinus in Thraciæ descriptione, ad Geraniam urb. juxta Strymonem & Hæmum creditos fuisse Pygmæos, & à gruibus pulsos ait. Vide Plin. *lib. 4. c. 11.* Horum mulieres quinto anno pariunt, & senescunt octavo: *Fama est* (inquit Plinius) *insidentes arietum, caprarumq; dorsis, armatos sagittis veris tempore, universo agmine ad mare descendere, & ova pullosq; gruum consumere, ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti, casas eorum luto, penniq; & ovorum putaminibus confici.* Stephanus eos sic dictos scribit, à *Pygmæo* Dori filio, Epaphi nepote. Qualia autem sint eorum corpora, eleganti similitudine docet Aristotel. *ubi supra:* Ὥσπερ οὖν οἱ ἐπὶ τῶν κυλικίων γραφόμενοι, μικροὶ μέν εἰσι, φαίνονται δὲ ἔχειν πλάτη, καὶ βάθη, ὁμοίως συμβαίνει καὶ

τοῖς

οἱ Πυγμαῖοι. Frustra quærunt viri eruditi (inquit Vossius) quænam sint illæ tabernarum picturæ, quæ effigiem hujusmodi Pygmæorum exhibeant. Scribendum; οἱ ἐπὶ κεμπύλων γραφόμενοι, vel, si mavis, καμπύλων, idem significante vocabulo. Tales nempe sunt Pygmæi, quales videntur esse imagines, quæ in curvis & sinuosis tabulis repræsentantur. Hinc rectè *curvatum* dixit Propertius *lib.* 4.

Pygmæus & ipse suos breviter curvatus in artus,
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

De pugnâ Pygmæorum cum gruibus passim poëtæ. Homerus *Iliad.* 3.

Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ
Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι.

Oppianus *Halieuticon lib.* 1.

Ὡς δ' ὅτ' ἀπ' Αἰθιόπων τε καὶ Αἰγύπτοιο ῥοάων
Ὑψιπετὴς γεράνων χορὸς ἔρχεται ἠεροφώνων
Ἄπλετος, ὑψόθι πύργον, ἐπεὶ χεῖμα φυγοῦσαι,
Πυγμαίων τ' ὀλιγοδρανέων ἀμφ' ἔριν ἀέθλων.
Τῶν δ' ἄρ ἰθυνόμενοι κατὰ στίχας εὐρέες ἔσμοὶ
Ἠέρα τε σκιάουσι, καὶ ἄλλυτον ὅρμον ἔχουσι.

Juv. Sat. 13.

Ad subitas Thracum volucres, nubemq; sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis.
Mox impar hosti, raptusq; per aëra curvis
Unguibus à sævâ fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in nostris risu quatiere: sed illic
Quanquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.

Hinc *Pygmæus* Ovid. 6. *Fast.*

Nec quæ Pygmæo sanguine gaudet avis.

Id est *grus.* Juv. *Sat.* 6.

——— *Breviorq; videtur*
Virgine Pygmæâ, nullis adjuta columnis,
Et levis erectâ consurgit ad oscula plantâ.

A Pygmæorum parvitate desumptum Prov. *Pygmæorum acrothinia Colosso adaptare*, apud Philostr. *in Niceta*, & Eust. *in Odyss.*

Pygmalion, Beli, alii habent, Magdenis, vel Mettinæ, Tyriorum regis fil. frater Didûs, quæ, cùm regnare deberet, spreta à subditis, Sicharbæ, quem Virgilius Sichæum nominat, viro opulentissimo, nupsit. Quo audito frater, cùm ardentissimâ auri cupiditate flagraret, ad Sichæi patruelis sui, & sororis suæ viri opes animum adjecit; illumque spe potiundi auri, ante aras dolo interemit. Cujus cædis cùm in somnis à mariti umbrâ certior facta esset Dido, clam sublatis thesauris, fugæque comitibus assumptis, naves conscendit, & in Africam appulsa, primùm Byrsam, deinde Carthaginem condidit. Virg. *Æn.* 1.

——— *Sed regna Tyri germanus habebat*
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor; ille Sichæum
Impius ante aras, atq; auri cæcus amore
Clam ferro incautum superat. ———

Idem *ibidem:*

——— *Portantur avari*
Pygmalionis opes pelago.

Hinc *Pygmalioneus.* Silius *lib.* 1.

Pygmalionea quondam per cærula terris
Pollutum fugiens fraterno crimine regnum,
Fatali Dido Libyes appellitur ora.

Vide Appianum *in Punicis.* Obiit Pygmalion, an. æt. 56. regni 47. statuæ amore, ob muliebris sexus odium, punitus. Joseph. *lib.* 1. *contr. Appion.* Justin *l.* 18. *Pygmalion* (inquit Boch.) est פוגמעליון *Pugmealion*, id est, *quies ab altissimo*, Deo sc. uno verbo Παυσύψι©-ος Ebræis est פומ, & *Elion* Deus Phœnicum, ut ex Sanchoniathone patet.

Pygmalion, Cilicis fil. qui ex eburneâ statuâ Veneris beneficio in puellam transformata, Paphum suscepit, Paphi Cypri urbis conditorem. Ovid. 3. *Met.* Videtur esse idem cum priori. Vide Boch. *Geogr. pag.* 370.

Pylacæum, Phrygiæ urbs, Ptol.

Pylades, Strophii Phocensis fil. indissolubili amicitiæ vinculo cum Oreste conjunctus. Nam cùm Clytemnestra, ab Ægystho adultero adjuta, Agamemnonem occidisset, Strophius Orestem adhuc puerum certissimæ neci subduxit, & in regno suo unà cum Pylade educavit. Posteaque cùm Orestes, gratiâ vindicandæ paternæ mortis, matrem peremisset, eamque ob rem in furorem versus esset, Pyladem perpetuum omnium suarum profectionum comitem habuit, & socium periculorum: tantaq; sese mutui amoris vehementiâ sunt prosecuti, ut alter pro altero mori non recusaret. Ovid. *Pont.* 2. *El.* 3.

Adfuit insano juvenis Phocæus Oresti.

Idem ibidem, *eleg.* 6.

Non ita vixerunt Strophio atq; Agamemnone nati.

Martialis,

Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.

Pylæ, quæ & *Pseudopylæ*, Inf. Sinus Arabici, ante portum Isidis, in reg. Troglodytarum. Plin.

Pylæ, locus Arcadiæ. Steph. Est & urbs Cappadociæ Evagrio. Item montes Æthiopiæ sub Ægypto. Ptolom. Hodie *Amara* dicti, ubi recentiores scribunt Prete Joannis filios à præsidibus custodiri.

Pylæ, opp. Asiæ, in Cappadociæ Ciliciæque confin. inter Halym fl. & Taurum montem. *Tauri Pylæ* Cic. *Ciliciæ pylæ* Diod.

Pylæ Ciliciana, inter Ciliciam & Syriam, hinc & *Syriacæ*, inter quas Chersus fl. V. *Porta Amani.*

Pylæ Getica, Hung. *Vascapu*, Germ. *Eysnthor*, ex Dacia Ripensi in Transylv. du unt.

Pylæ Persidis Arrian. *Susidis* Curtio, per quas in Persidem itur ex reg. Susiana.

Pylæ Raurica, V. *Porta Raurica.*

Pylæa, opp. fuit Trachiniæ, ad Oetam mont. apud Thermopylas: Unde *Sinus Pylaicus* Strab. qui & *Oetæus.* Erat & *Pylaicus conventus* Pylis. i. Thermopylis, 12. civitatum, Strab. *lib.* 9.

Pylæmenes, dux Paphlagonum, unus ex iis, qui venerunt in auxilium Trojanorum, atque in bello à Menelao interfectus est. Homerus.

Pylæus, Lesbi mons. Strabo.

Pylagora, Ceres dicta est, quòd *Pylagoræ*, i. e. legati, quos civitates Græciæ bis anno ad concilium Amphictyonum mittebant, de maximis rebus consulturos, prius ἐν πύλαις, i. e. ante portas huic Deæ rem divinam religiosissimè facere consuevissent.

Pylartes, vir Trojanus, ab Ajace in bello interfectus. Hom. *Iliad.* 11.

Pylene, Ætoliæ opp. Hom. *Il.* 2. Ejusmem. Papinius *Theb.* libro 8.

Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torva Pylenes
Agmina. ——— ———

Idem *Theb.* 4.

——— *Sensit scopulosa Pylene.*

Pylleon, Thessaliæ urbs. Livius.

Pylora, Persidis insl. Arrianus.

Pyloros, Cretæ mediter. urbs. Plin.

Pylum, Urbs Macedon. circa Illyridis fines videtur, apud Strabon.

Pylus, Tres olim fuere *Pyli*, juxta adagium apud Aristoph. quod etiam Plutarchus refert,

Ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο, Πύλος γέ μήν ἐστι καὶ ἄλλος.

(In eos dictum, qui supra alios gloriantur, quasi doctiores, aut fortiores, aut aliâ in re præstantiores.) Messeniæ erat una, hodie *Navarino*; urbs culta & permunita, ac emporium celebre, cum portu capaci, in Peloponneso, in tractu *Belvedere*, sub Turcis. Altera Arcadiæ, tertia verò hodieque *Pilos*, Elidis, sita inter Penei & Selleentis ostia. Omnes tres Nestorem sibi vindicabant, quarum ultima *Eliaca* dicta est, Brieno; estque ad Peneum fluv. vix 5. m. p. ab ejus ostio, & ab ora maris Jonii, 12. ab Elide in Occ. Nestori autem novem parebant urbes juxta Homerum, quas omnes ordine in Bœotiâ recenset. Harum verò caput erat ipsa Pylos, atque inde *Enneapolis* vocabatur. Huc quoque refer novem sedilia in litore Pylio extructa, apud Hom. *initio lib.* 3. *Odyss.* Quæ ita interpretatur Eustathius: Οἱ δὲ παλαιοί φασιν ἐννέα Πυλίους ἕδρας εἶναι διὰ τὸ καὶ πόλεις τοσαύτας ὑπὸ ἐξουσίαν εἶναι τοῦ Νέστορος. Inepti verò sunt, qui Nestorem tribus illis Pylis præfuisse credunt: Hoc enim quî potuit fieri, aut cur controversia fuisset, quam Pylum intellexisset Homerus? Itaque verum est; urbes Nestori subjectas, fuisse illas novem, quas ordine Homerus recensuit. Porro ab istis 3. *Pylis* dicta est regio *Triphylia.* Is. Voss. Ovid. *Epist.* 1.

Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva
Misimus: incerta est fama remissa Pylo.

Hinc *Pylius.* Idem *Ponticorum* 1.

Crede mihi Pylio Nestore major eris.

Martialis:

Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Vivat. ——— ———

Pylium mare, quod Messeniam juxta Pylum, alluit. *Pylii* populi qui Metapontum in Italia condidere.

Pylus, Insula Peloponneso vicina, quam in bello Peloponnesiaco Laches, Atheniensium dux occuparat, ibique castellum extruxerat, ex quo erumperet ad vastandam maritimam regionem Laconicam. Lacedæmonii hoc incommodum prohibere festinantes, navibus insulam ingressi, septingentos milites castello imposuerunt. Quo comperto, Athenienses magnum exercitum contra hoc præsidium, duce Cleone, miserunt. Qui post diuturnam obsidionem ad deditionem compulit captosque Athenas misit. Vide quoque Scholia *in Equites Aristoph. pag.* 291.

Pyndis, Æthiopiæ sub Ægypto op. Plin.

Pyra, pars Oetæ, ad Sinum Maliacum, ubi helleborum nascitur, Plin. Theophr. & Herculis corpus concrematum, Liv. *lib.* 36. Non longè *Pyrrha* Inf. Strab. unà cum Deucalione Inf. & *Pyrrha* prom. idem fortè cum *Pyra*.

Pyracmon, unus ex Vulcani ministris, quorum operâ in fabricando

cando utitur. Dictus ab *igne* & *incude*. Nam πῦρ Græci *ignem*, & ἄκμονα *incudem* vocant. Virg. *Æn.* 8.

Brontesq; Steropesq; & nudus membra Pyracmon.

Pyracmos, viri nomen à Cæneo interfect. Ovid. *Met.* 12.

Quinq; neci Caneus dederat, Styphelumq; Bromumq;
Antimachumq;, Helimumq; securiferumq; Pyracmon.

Pyra, Latii op. circa Minturnas. Plin. 3. 5. Nunc in ruinis.

Pyraa, pars Thessaliæ. Steph.

Pyrachmes, rex Eubœæ. Ptol. *in Parallelis*: Πυραίχμης, βασιλεὺς Εὐβοίων ἐπολέμει Βοιωτοῖς, ὃν Ἡρακλῆς ἔτι νέος ὢν, ἐνίκησε. Πώλοις δὲ προσδήσας, καὶ εἰς δύο μέρη διελὼν τὸν Πυραίχμην ἄταφον ἔρριψεν· ὁ δὲ τόπος προσαγορεύεται Πῶλοι Πυραίχμου· κεῖται δὲ παρὰ ποταμὸν Ἡράκλειον, χρεμετισμὸν δὲ ἀναδίδωσι πινόντων ἵππων, ὡς ἐν τρίτῳ περὶ ποταμῶν.

Pyrai, Dalmatiæ pop. Plin.

Pyraus portus. V. *Piraus*.

Pyramides, nihil aliud fuerant, quàm regum Ægyptiorum pecuniæ otiosa & stulta ostentatio. Harum enim una à 360000. hominum 10. Annorum spatio constructa traditur, tantâ impensâ, ut in alliis, cæpis & raphanis 1800. talenta fuerint insumta, Plinius *lib.* 26. *cap.* 12. Hasce moles faciendi causa à plerisque traditur, ne pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent. Plures in Ægypto passim extiterunt. Baudrando 20. sunt, nullæ tamen clariores tribus illis, de quibus Mela scribit, *lib.* 1. *c.* 9. quæ orbem implevere famâ, conspicuæ undique adnavigantibus, sitæ in parte Africæ, monte saxeo, sterilique inter Memphin op. & Delta. Unde Martialis,

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.

Baudrando vix 2. leuc. à Cayro distant in Occ. suntque quadrifrontes. Earum major in rupe sita habet basin 693. pedum Anglic. ex utraque parte. Altitudo eadem, & ad ejus summum ascensus est per 207. gradus. Excitata fuit à Chemi seu Cheope Rege. Secunda vix 200. p. abest à priori; ejusdem altitudinis, sed minoris circuitus, cùm ejus basis ex utraq; parte sit 560. pedum Anglic. seu 625. pedum Romanorum. Tertia vix à secunda distans jactu lapidis, sedet in tumulo. Latitudo ejus in utraque basi 320. pedum Angl. ut & altitudo. Aliæ autem 17. multò minores sunt, & à primis distant. Ex Joh. Greaves, Oxon. Acad. Prof. Sunt autem turres, inquit Solinus, fastigiatæ ultra excelsitatem omnem, quæ manu fieri possit. Sub his Ægyptiorum reges sepulti fuerunt. Sunt autem propriè Pyramides, moles Geometricâ ratione constructæ in modum flammæ (ἀπὸ τοῦ πυρὸς) ut à lato videlicet in acutum tendant. Ammianus Marcellinus *lib.* 22. *Pyramides ad miracula septem provecta, quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet, ultra omnem omnino altitudinem, quæ humanis manibus confici potest, erecta sunt turres ab imo latissima, in summitates acutissimas desinentes. Qua figura apud Geometras ideo sic appellatur, quòd ad ignis speciem τοῦ πυρὸς, ut nos dicimus, extenuatur in conum: quarum magnitudo, quoniam in celsitudinem nimiam scandens gracilescit paullatim, umbras quoque mechanicâ ratione consumit.* Aliqui dictas volunt ἀπὸ τῶν πυρῶν, h. e. *à tritico*, quo illic per regem collecto, magna annonæ caritas per Ægyptum secuta est. Docet id Stephanus περὶ πόλεων· Ὠνομάσθησαν δὲ Πυραμίδες ἀπὸ τῶν πυρῶν, ὡς ἐκεῖ συναγαγὼν ὁ βασιλεὺς, ἔδειμε ἐποίησε σῖτον κατὰ τὴν Αἴγυπτον. Videtur hoc etymon priori præferendum, eò quod *Pyramis* & πυρὸς conveniant primæ syllabæ modulo, contra quàm fit in πῦρ, ejusque derivatis. Pyramidis autem vocabulum forsan Ægyptiacum est; quod illis *Paramon*. Certè Arabes Ægyptiis vicini, *Haramon* vocant Pyramidem. Sicut *Alharaman* duæ Ægypti Pyramides in occidentali ripâ Nili dicuntur. *Haramon* itaque *Pyramis* dicta. Ita Græci palus ab ἴλῳ, *pubes* ab ἥβη. Sicut הרמון *harmon* Ebræis *arcem* & *palatium* denotat, uti ab altitudine quoque *Hermon* mons dictus videtur. Pyramidum primam, à Chemmi, secundam à Copho, tertiam à Rhodope excitatam, vult Morer. *in Diction. Hist.* qui citat Vattieri *Ægyptum*, Pouleti, *Itiner. Orientis*, Vinc. Blancum, Monconisium &c. Sed quis de his accuratius doctiusque scripsit Petro de Valle? *Itiner. tom.* 1. quem Vide si adi, operæ erit pretium. Luc. *lib.* 9.

Non mihi Pyramidum tumulis evulsus Amasis.

Propertius 3. 2.

Nam neq; Pyramidum sumptus ad sidera ducti.

Inde *saxa Pyramidum*, apud Statium *in Sylvis*.

Pyramus, adolescens Babylonius, qui Thisben mutuo amore prosecutus est: verùm cùm adeò à parentibus uterque observaretur, ut nullo modo se complecti possent, egredi urbem ad constitutum locum decreverunt. Quò quidem cùm prior pervenisset Thisbe, à leænâ illic transeunte perterrefacta in antrum vicinum confugit. Pyramus deinde adveniens, cùm velum, quod fugienti Thisbe è capite deciderat, eruentatum reperisset, eam putans à feris fuisse dilaniatam, gladio, quem secum habebat, sub moro arbore incubuit. Thisbe autem ex antro egressa, eùm Pyramum vulnere confectum vidisset, eodem se gladio confodit. Utrumque autem sub moro arbore occisum volunt, ejusque fructus, cùm antea candidi essent, ex eorum sanguine atrum colorem traxisse. Ovid. *Met.* 4.

Pyramus, fluv. qui per angustias Tauri montis per Ciliciam defertur marique apud Mallum Urbem excipitur. Ejus meminit Dionysius *v.* 866.

Καὶ τοῦ μὲν πλείστῃ πελαγοῦ ἐπιμίσγεται ὕδωρ
Τηλόθεν ἐρχομένου, Πυράμοιο τε καὶ Πινάρου.

Ubi Scholiastes: Ὁ δὲ Πύραμος ποταμὸς σκολιὸς ἐστι ῥεῖ, ὡς μέγιστος, καὶ καταπίπτων εἰς βυθεῖαν φάραγγα ψόφον ἀποτελεῖ βαρὺν σφοδρότατον, καὶ χοῦν δὲ πάνυ πολύν, ὡς ὁ χωρογράφος φησὶ προσάγει ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Διὸ καὶ χρησμὸς ἐξέπεσε ἐν ὑπερβολῇ τοιοῦτος·
Ἔσσεται ἐσσομένοις, ὅτε Πύραμος εὐρυδίνης
Ἠϊόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται.

Hesychius: Πύραμος, ποταμὸς Κιλικίας, ἄλλοι δὲ χόρτον ὑπὸ Αἰγυπτίων. Ejus meminere Strabo *lib.* 12. Arrianus *lib.* 1. & Qu. Curtius *lib.* 3. *c.* 4. Hodie *Malmistra* Nigro dicitur. *Leucosyros* olim, Steph. *Cornui* etiam Bellonio.

Pyrander, Quæstor Atheniensis, à populo saxis obrutus, quòd tempore belli triticum parcè suppeditaret. Plut. Alius historicus fuit, qui emisit Peloponnesiacorum libros, teste Plut. *in Par. c.* 37.

Pyranthus, urbs parva, aut vicus Cretæ, juxta Gortynem. Steph. Nunc in ruinis. Baudr.

Pyrasus, vir Trojanus, ab Ajace bello interfectus. Homerus. Item urbs Phthiæ Stephano sic dicta, quòd regio sit πυροφόρος, i. e. *tritici ferax*.

Pyreaus, portus apud Plaut. V. *Pyraus*.

Pyrechmes, luctator Ætolus, qui Degmentum Epeum singulari certamine vicit. Herod. *lib.* 6. Lege *Pyrachmes*.

Pyreicus, pictor nobilis, qui humilia secutus, humilitatis tamen summam gloriam adeptus est. Pinxit tonstrinas, sutrinas, asellos & obsonia. Plinius.

Pyrenaa, urbs Locridis. Steph.

Pyrenaa Venus, *Portus Veneris* Melæ, & aliis *Templum Veneris*, opp. Gall. Narbon. in confin. Hisp. *Capo de Creuz* hodie dicitur. Baudrando nunc *Port Vendres*, portus Gall. Narb. prope Caucoliberim opp. Comit. Ruscinonensis, in ora maris Mediterr. in ipso limite Cataloniæ; vix 8. m. p. ab Aphrodisio prom. in Bor.

Pyrenaus, mons Hisp. maximus, illam à Galliâ separans, ab Oceano in mare Mediterr. extensus ad 80. mill. Hispanica, ex cujus medio ferunt utrumque mare conspici. Vid. *infra*. Auson. *Epist.* 24.

—— Me Punica ledit
Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenai.

Dionysius *vers.* 288.

Τοῖς δ' ἐπὶ Πυρηναίου ὄρος καὶ δώματα Κελτῶν.

Hi montes Ptolemæo & Stephano Πυρήνη vocantur, ut & Sil. Italico *Pyrene*. Cornelio Nepoti & Liv. *lib.* 21. *cap.* 33. nuncupantur *saltus Pyrenaus*, quo nomine etiam Cæsar, Livius, Suetonius & Orosius appellarunt. *Alpes* vocantur ab Agellio, ex Varrone; nominat enim horum accolas *Hispanos Alpinos*. Cæterùm de *Pyrenais* duplex fabula jactatur, apud Græcos: Una de *Pyrenes* nomine dictis, Bebryeis regis filiæ, quæ ab Hercule illàc iter faciente vitiata, cùm metu patris aufugisset in sylvas, à feris discerpta esse creditur. Silius *lib.* 3.

Pyrene celsâ nimbosi verticis arce,
Divisos Celtis altè prospectat Iberos;
Atq; æterna tenet magnis divortia terris.
Nomen Bebrycia duxere à virgine colles,
Hospitis Alcida crimen, qui fortè laborum
Geryonis peteret cùm longa tricorporis arva
Possessus, Baccho sævâ Bebrycis in aulâ,
Lugendam forma sine virginitate reliquit
Pyrenen, &c.

Hanc fabulam meritò rejicit Plinius 3. 1. *Qua de Hercule*, inquit, *ac Pyrene, vel Saturno traduntur, fabulosa imprimis arbitror.* Alii ex Pyrenæo saltu incenso referunt argenti fluxisse rivos, unde maximas opes contraxerint Phœnices, cùm illud vili pretio ab accolis comparassent. Hujus conflagrationis meminere Aristoteles *in Mirabilibus* & Posidonius apud Strabonem, itemque Diodorus *lib.* 5. qui addit, τὰ μὲν ὄρη διὰ τὸ συμβεβηκὸς κληθῆναι Πυρηναῖα, *montes propter hunc casum Pyrenaos esse dictos*: tanquam ἀπὸ τοῦ πυρὸς συχνὰς ἡμέρας συνεχῶς ἐπιφλεγέντος, *ab igni qui per multos dies continuè exarserit.* Hæc illi. Bocharto autem nomen *Pyrenes*, vel *Pyrenaorum* montium videtur posse deduci, non absurdè ex Phœnicio פארני *purani*, pro *ramoso* sc. & *opaco*. Nempe Ebræis פארה *pura* vel *pora*, est *ramus*. Et ut ex רוחא *rucha*, *spiritus*, est רוחני *ruchani*, *spiritualis*: ita ex פארא *pura*, *ramus*, פארני *purani*, *ramosum* sonat, vel, quod idem est *opacum*: Qualem fuisse Pyrenæum, saltem à parte Hispaniæ, veteres disertè docent. Strabo *lib.* 3. Αὐτῆς δὲ τῆς Πυρήνης τὸ μὲν Ἰβηρικὸν πλευρὸν εὔδενδρόν ἐστι παντοδαπῆς ὕλης τε καὶ ἀειθαλοῦς. Diodorus *lib.* 5. Πολλῶν δὲ ὄντων ἐν αὐτῇ δρυμῶν, καὶ πυκνῶν τοῖς δένδρεσι. Silius *lib.* 3.

A Pyrenes frondosa cacumina montis.

Et postea de Pyrene per Pyrenæos montes oberrante, postquam ab Hercule compressa est:

Et promissa viri sylvis narrabat opacis.

Et *vers.* 442. de Annibale:

Jamq; per & colles, & densos abiete lucos
Bebrycia Pœnus fines transcenderet aula.

Inde

hic Pyrenæi saltus, in Corn. Nepote, Orosio & Æthico, qui hodieque nomen retinent. Baudrando hi montes inter Gall. & Hisp. ab Ortu in Oc. per 85. leuc. Hisp. nempe à Templo seu Portu Venerisin ora maris Medit. usque ad Fanum S. Sebastiani in ora Oceani Cantabr. extensi sunt. Dicuntur inter Cataloniam & Comit. Ruscinonensem *Col de Pertuis* prope Juncariam; inter Comit. Ruscin. & Ceretaniam *Mont Canigo*, in Ceretania *Col de la Preza*, inter Occitaniam & Cataloniam *Col de l' Argentiere* & *Port de Viella*; inter Aquitaniam & Aragoniam *Montes de Jacca* & *de S. Christina*, in Navarra *Monts d' Aldude*, inter Pompelonem & Fanum S. Johannis Pedeportuensis. Sed ex ejus medio non potest utrumque mare conspici. Eorum partes sunt etiam montes *Anti-Pyrenæi*, inter Occit. & Comitatum Ruscinonensem extensi per aliquot leucas. Profluunt autem ex Pyrenæis, qui Germanis peregrinatoribus, Compostellam invisentibus, etiam *der Runze fal* dicuntur, Arax, Aurigera, Garumna, Thetis, Gabarus uterque & Aturus, fluvii Gall. uti Arga, Aragonius, Gallæcus, Cinga, Noguera & Sicoris, fluvii Hisp. Ortelius credit etiam Montem S. Adriani partem esse Pyrenæorum, & hos non tantùm inter Gall. & Hisp. esse, sed hinc ad Occ. usque Oceanum & Celticum Prom. testibus Pomponio 3. Dione 53. & Orosio, *cap.* 21. sed ab omnibus *Montes Pyrenæi* dicuntur, qui Gall. ab Hisp. separant. Adhuc notandum, Pyrenæi vocabulum esse æquivocum, eoque nomine appellari non tantùm montes, qui Galliam separant ab Hispaniâ, sed etiam montem Germaniæ, prope sylvam Hercyniam, nomine *Pyrenen*, ex quo fluere Danubium scribit Aristoteles, *in Meteoris.* Hinc & Plinius *in Panegyrico*: *Germaniam quamplurimæ gentes, ac prope infinita vastitas interjacentis soli, tum Pyrenæus, Alpes, immensiq; alii montes, nisi his comparentur, muniunt, dirimuntq;.* Mons ille, cujus & B. Rhenanus meminit, hodie *Brenner* Germanis dicitur, ab urendo, ut putatur. Nam frigore urere etiam in media æstate experiuntur illi, qui in Comit. Tyrolensi eum aliquando superant. Baudrando, *Der Groß Verner* German. *le Grand Brenner* Gall. pars est Alpium Tridentinarum, inter Oenipontem ad Bor. & Bulzanum ad Mer. versus fontes Athesis fluv. *Hujus* præterea meminere Appian. Seneca Consol. ad Helv. *cap.* 6. Dionysius Philargyrus in Virgil. Georg. *l.* 4. *Brennum* vocat.

Pyrene, prom. Hisp. in ora Oceani Cantabrici. Quibusd. Fons rapidus seu Fuentaravia, arx in ipso limite Franciæ. Melius autem, ubi hodie *S. Sebastiano*, opp. amplum & munitum Hisp. aliàs in ipso limite Aquitaniæ, nunc in Ipuscoa prov. ad ostia fl. Meolaici, ubi mons Pyrenæus in Oceanum desinit.

Pyrene fons, apud Corinthum. Plin. Ovid. 2. *Metam.*

Pyrethi, Magi quidam in Cappadociâ, qui non cultro, sed stipite mactant. Strabo *lib.* 15.

Pyrgannum, Tusciæ locus maritimus. Anton.

Pyrgenses, Achaiæ pop. Plin.

Pyrgi, gorum, Pyrgum sing. num. Stephano, colonia & op. Hetruriæ, inter Antium, & Graviscas. Virg. *Æn.* 10.

Et Pyrgi veteres, intempestæq; Graviscæ.

Martialis *12.* 2.

Qui modò litoreos ibatis carmina Pyrgos.

Rutil. *lib.* 1.

Alsia prælegitur tellus, Pyrgiq; recedunt,
Nunc villæ grandes, oppida parva prius.

Unde Straboni πολίχνιον dicitur. Fuit & Cæretanorum navale: quibusdam est *S. Severa* hodie castrum Partimonii, in ora maris Tyrrh. Aliis est Fanum S. Marinellæ, castrum ejusd. prov. cum portu tantisper capaci, 6. mill. à Centumcellis in Ort. S. Severam versus totidem; 33. à Roma in Occ. Familiæ Barberinæ: in ejus excelsa turri legitur *Neopyrgon*. Forsan è ruderibus Pyrgi extructum; & Castrum Novum Purganum dici potest, quod verisimilius: cum ejus templum in vicino colle situm dicatur S. Maria de territorio Purgano, ubi et amnum rudera antiqui Pyrgi. Baudrandus Oppidani *Pyrgenses* Ciceroni ac Livio dicuntur. *Pergites* verò Stephano.

Pyrgion, historicus, celebratur libris de institutis Cretensium. Atheo. *lib.* 4.

Pyrgita, Hesych. Πυργίτης, ὁ Κρὴς.

Pyrgo, nutrix filiorum Priami. Virg. *Æn.* 5.

—— *Hic una è multis, quæ maxima natu*
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix.

Pyrgoteles, gemmarum sculptor eximius, à quo tantùm Alexander M. se in gemmis sculpi passus est, edictoque alios vetuit. Plinius.

Pyrgus, Marmaricæ urbs Mercatori, cui novo homine *Barda* dicitur.

Pyrgus, Græcis *Bergas* Leuncl. V. *Bergula*. Item castellum Eleorum, in Peloponneso. Liv. 7. *dec.* 3.

Pyrgus Euphranta, Marmolio *Eufrata*, opp. Africæ, in ora, ad Syrtim magnam, inter Macomades ad Occ. & Philænorum aras ad Ort. Ptol. Ferrar.

Pyri, vallis Raphaim, quam Josephus *sylvam fletus* vocat, juxta quam cœlitus David adjutus secundò Philistæos prostravit, ac longè lateque persecutus est.

Pyri mons, apud Ammianum, Joannes Heroldus interpretatur *Speyr*, Germaniæ urbem ad Rhenum, Episcopatu, & Camerâ Imperiali (ut vulgò loquuntur) decoratam. *Knytlingerstaig* Lazio; at *Heyligberg* è regione Heydelbergæ, Fr. Junio.

Pyrindus, & *Pyrnus*, urbes Cariæ. Steph.

Pyro, Nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theogoniâ.*

Pyrodes, Cilicis fil. qui primus è silice excussisse ignem dicitur. Plin. 7. 56.

Pyrous, entos, unus ex equis Solis. Ovid. *Met. lib.* 2.

Interea volucres, Pyroëis, Eous, & Æthon,
Solis equi quartusq; Phlegon.

Val. Flaccus *lib.* 5.

Et formidantem patrios Pyroenta dolores.

Item Martis sidus ab igneo colore dictum. Columella *lib.* 10.

—— *Nec Sirius ardor*
Sic micat, aut rutilus Pyrou. ——

Pyron, historicus, Annales conscripsit, teste Michaële Glycâ; qui errorem ejus refellit, quòd putarit, Adamum post 40. dies ingressum esse Paradisum.

Pyronæa, urbs Locridis, à *Pyrone* quodam dictâ. Steph. Aliis *Pyrenæa*.

Pyrpile, ins. sic dictâ, quòd ignis ibi primò repertus fuerit: hanc Delon dicunt esse.

Pyrrha, Epimethei fil. quæ fratris filio Deucalioni nuptum data est, à qua Thessália *Pyrrha* dicta, ut scribit Rhianus, Poëta Græcus. Hæc post diluvium unà cum marito, jactis post terga lapidibus, humanum genus reparasse fertur. Juvenalis *Sat.* 1.

Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.

Horat. *lib.* 1. *Od.* 2.

Terruit gentes, grave ne rediret
Seculum Pyrrhæ nova monstra questæ. V. *Deucalion.*

Pyrrha, Cariæ civitas juxta Myrtoum pelagus, & ins. circà Mæotim, quam pontus abstulit. Plin. 2. 92. Item urbs Joniæ, ad Mæandri ostia Prolemæo, nunc *Demonage*, teste Molerio. Est & Liguriæ vicus, item Phocidis, Magnesiæ, & Lyciæ. Item opp. Lesbi; cum monte, à Mitylene 80. stad. à Mania 100. in ora Occ. Eresso proximum.

Pyrrha, opp Eubœæ. Plin. Melæ.

Pyrrha, prom. Phthiotidis, ad Sinum Malliacum, ante quod duæ Ins. Pyrrha & Deucalion. Strab. In Pyrrha reg. aqua Amphrysi fœminas steriles facit, Plin. 31. 2. *Pyrrhe* verò Plin. Ins. parva est Cariæ seu Doridis, in Sinu Ceramico.

Pyrrhæa, quæ & *Pyrrha*, Thessalia sic dicta, à *Pyrrhâ* Deucalionis uxore. Strabo *ad calcem libri noni*: Καθόλυ δ᾽ ὅτι πρότερον ἐκαλεῖτο Πυῤῥαία ἀπὸ τῆς Δευκαλίωνος γυναικός. Rhianus, de variis Thessaliæ appellationibus:

Πυῤῥαίαν δή ποτε τήν γε παλαιότεροι καλέεσκον,
Πύῤῥης Δευκαλίωνος ἀπ᾽ ἀρχαίης ἀλόχοιο,
Αἱμονίην δ᾽ ἐξαῦτις ἀφ᾽ Αἵμονος, ὅν ῥα Πελασγὸς
Γείνατο φέρτατον υἱόν, ὁ δ᾽ αὖ τέκε Θεσσαλὸν Αἵμων.
Τῷ δ᾽ ἀπὸ Θεσσαλίην λαοὶ μετεφημίξαντο.

Pyrrhæi, Æthiopum gens in Libyâ interiori. Ptol.

Pyrrhander, sycophanta insigniter versutus, notæque malitiæ: Aristophanes *in Equitibus*:

Καὶ νὴ Δία ἦν γ᾽ ἡ Πυῤῥάνδρε τὸ μηχάνημα τοῦτο.
Ac per Jovem fuit quidem Pyrrhandrica ista techna.

Pyrrheum, pars fuit Urbis Ambraciæ, in Epiro, sive ejus suburbium, Plin.

Pyrrhias, Ithacensis negotiator, qui senem quendam ex piratarum manibus dato pretio redemit: non ob id, quòd eo sibi foret opus, sed partim quòd misertus esset senilis fortunæ, partim hominis oratione persuasus. Emit autem unà cum sene cados fictiles pice plenos, quos senex ille secum advehebat, idque authore sene. Deinde profectis piratis, quò Pyrrhiæ gratiam referret, senex, quòd non ob lucri cupiditatem, sed ob benevolentiam sese liberum fecisset, indicavit in cadis multam pecuniæ vim pici admixtam abditam esse. Quâ repertâ, cùm Pyrrhias derepente dives factus esset, magnitâce collaudavit senis erga se gratitudinem, & eidem bovem immolavit officii præmium: Unde Proverbium: *Nemo bene merito bovem immolavit, præter Pyrrhiam.*

Pyrrhica, propriè pugnæ equestris umbra & simulacrum, quæ & *Troja*, dicitur, πυῤῥίχη & ἱππασία Dioni, ut & Servius cum Donato ex Suetonii libro, de lusibus puerorum, scribit. *Decursus* Agellio, Græcis etiam ἀνάκλισις, & ἐνόπλιος. Nomen habet à *Pyrrho* Cydonæo, qui primus Cretenses sub armis saltare, ad Pyrrhii pedis sonum, instituit. Nicolaus apud Stobæum: Οἱ δὲ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ, καὶ τὴν ἐνόπλιον πυῤῥίχην ἐκπονοῦντες, ἥντινα πρῶτος εὗρε Πύῤῥιχος Κυδωνιάτης Κρὴς τὸ γένος. Alii dictam volunt, à *Pyrrho* Achillis filio, quem primum in tumulo patris sui armatum honoris gratiâ saltasse dicunt. Aristoteles tamen dicit, Achillem hujus lusûs inventorem fuisse. Eustathius vocat ἐνόπλιον ὄρχησιν καὶ Κρητικὴν. Fungerus.

Pyrrhicus, Laconum urbs libera. Pausan.

Pyrrhidæ, Molossorum reges à *Pyrrho* dicti. Alex. ab Alex. *lib.* 1. *cap.* 2.

Pyr-

Pyrrhion, Archon Athenis, Olymp. 98. An. 1. Diod. 14.

Pyrrho, philosophus, patriâ Eleus, primò pictor, vixit temporibus iisdem, quibus Theophrastus & Epicurus, Olymp. 110. Nam audivit Drysonem Stilponis filium, atque Anaxarchum Abderitem: quem etiam in Indiam comitatus est. Præsens quoque erat, cùm Indus Anaxarcho exprobraret, quòd regum aulas sectaretur, neminem autem doceret virtutem. Hoc Indus eò objecit, quia Anaxarchus esset è comitibus Alexandri Magni. Etiam Magos consuluit, aliosque virtutis & eruditionis famâ viros præstantes. Statuit, nihil homines, nisi per consuetudinem, facere; nihil honestum vel inhonestum, æquum vel iniquum, bonum vel malum esse. Solitudinis amator, in meditationibus suis interrumpi ægerrimè tulit. Vixit An. 90. Pontifex Max. sacrorum suæ gentis, jure quoque civitatis, ab Atheniensibus, donatus. Ab hoc *Pyrrhonii* Σκεπτικοὶ, quia semper σκέπτονται, hoc est, *rem considerant*, nec unquam decernunt. Item Ἀπορητικοὶ, quia semper ἀποροῦσι, hoc est, *dubitant*; Item Ζητητικοὶ, quia semper ζητοῦσι, *quærunt*, nec reperiunt. Denique Ἐφεκτικοὶ, quia longæ inquisitionis non alius eventus, quam ἐποχὴ, hoc est, *judicii suspensio*, sive *assensionis retentio*. Hi Summum Bonum in ἀταραξίᾳ, & Μετριοπαθείᾳ constituentes, solam animi ἐποχὴν nos perfectè beatos reddere, statuerunt: Acquiri autem hanc exacto discrimine specierum veri & falsi, quæ in qualibet re occurrunt. Huic fini peculiarem excogitarunt Topicam 10. locis mediisque examinandi quascunque res constantem: quæ ad 3. contracta, tandem in unum latitudine suâ reliqua omnia complexum, desinunt: quod Relatio est, cùm dicunt: *Omnia sunt ad aliquid*; ostendere volentes, nos nulla de re, nisi ex præjudiciis, vel comparativè judicare. Vide Diogen. Laërt. *in vita Pyrrhonis, lib.* 9. Sextum, *lib.* 1. *Hypol. cap.* 14. inprimis autem Voss. *de Sect. Philosoph. cap.* 20.

Pyrrhus, Achillis filius, ex Deidamiâ Lycomedis filiâ, ita dictus à fulvo colore capillorum, teste Servio. Hic *Neptolemus* quoque vocabatur, quòd admodum adolescens ad belli Trojani reliquias fuerit perductus. Erat enim in fatis, sine Æacidarum aliquo, Trojam capi non posse. In Ilii autem expugnatione primùm Politen, Priami filium, deinde patrem ipsum interfecit. Polyxenam Achillis patris sui Manibus inferias misit. Andromachen verò, quæ in prædam sibi cesserat, aliquandiu justæ uxoris loco habuit: quam deinde, Hermionem Menelai & Helenæ filiam ducturus, Heleno Priami filio uxorem tradidit. Erat autem Hermione multo antè à Tyndaro avo Oresti desponsata, cujus etiam mutuo amore tenebatur. Ægrè itaque ferens Orestes uxorem sibi eripi, ex insidiis Pyrrhum obtruncavit. Virgil. *Æn. lib.* 3.

Pyrrhus, rex Epirotarum, materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus: qui cùm à suis, ob odium paternæ crudelitatis, ad necem quæreretur, clam à matre subductus, ad Illyricos defertur, traditusque Heroæ Glauci regis uxori nutriendus fuit, ibi Rex eum adoptat, protegitque adversus Cassandrum Macedoniæ regem: his diebus mori Epirotæ, odio in misericordiam verso, eum in regnum revocant annos natum 11. Tum Neoptolemo victo adolescens, multa bella gessit tantoque successu, ut Tarentinos solus adversus Romanos tueri posse videretur. Tanta autem virtute crevit, ut quum imperium Orbis agitaret, (sicut *Cæcilius* scribit) & Romanos potentes videret, Apollinem de bello consuluerit: Ille autem ambiguè respondit:

Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse.

Hoc ad se dictum putans, auxilio Tarentinis contra Romanos venit. Primum fortitudinis specimen, prælio ad Ipsum exhibuit, victor contra Antigonum & Demetrium. Dein hoc à subditis pulso, illum denuo vicit, Macedoniæ regno potitus, Ann. 465. U. Cond. Olympiad. 122. Sed septimo pòst mense à Macedonibus exturbatus, Tarentinorum impulsu, cum immensis copiis mare trajecit, & ad Heracleam Romanos elephantis primùm visis territos, vicit: verùm magnâ suorum strage. Misso ab illis Fabricio ducentos captivos milites gratis Romam remisit, vicissimque Medicus ipsius à Romanis, quibus veneno Regem suum se sublaturum spoponderat, remissus est. Per Cyneam dein, pace frustra rogatâ, in Apuliâ denuo cum illis prope Asculum conflixit, dubiâ victoriâ, ipse vulneratus. Paulo pòst in Siciliam trajecit, ubi Syracusas veniens, victis bis Pœnis, multas civitates dum subegit, Rex Siciliæ sicut Epiri appellatus est. Filiis, Heleno, Siciliæ, Alexandro, Italiæ regnum destinavit. Postea bella aliquot feliciter cum Carthaginensibus gessit. Insolentior successibus factus, in odium Siculorum incurrit, unde obsidione Lilybæi discedere coactus, rediit in Italiam, à Tarentinis iterum anxiè imploratus. Tum tertio prælio, in Lucanis, à Conf. Curio Dentato ad internecionem victus, An. 3. Olympiad. 126. In Epirum reversus est, vix 7000. peditum, equitumque 5000. secum trahens. Postea à Pœnis navali prælio victus, ab Antigono Gonata, de quo suprà, auxiliares milites petit: non obtinens repente Antigonum vincit, fugat, Macedoniam capit, animo jam Græciæ, Asiæque regna meditatus: à Spartanis Argos petit, ubi Antigonum oppugnans, atque inter confertissimos hostes fortissimè dimicans, saxo de muris à fœmina jactato, occiditur, Ann. 482. U. C. 127. Olympiad. Ælianus noctuam hastæ ejus insedisse, nocte præcedente, refert, *Hist. Anim. lib.* 10. *cap.* 37. Vide Justin. *lib.* 17. 18. 23. *&* 25. Plutar. *in Pyrrho*, Liv. *lib.* 13. *&* 14. Polyb. Florum, Orosium, &c. Ovidius *Carm.* 3. *Odyss.* 6.

Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico:
Pyrrhumque, & ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemque dirum.

Juvenalis *Sat.* 14.

— *Dyrrhum immanem, gladiosque Molossos.*

Pyrrhus, 28. Macedonum rex, Olymp. 259.

Pyrrhus, Dædali filius in Græciâ omnium primus picturam invenit, ut Aristoteli placet.

Pyrrhus, Monachus Monothelita, post Sergium Patriarch. Constantinopolitanus, An. 639. Quòd conscius haberetur cædis Impet. Constantini, filii Heraclii, An. 641. in Africam profugus, ibi à Maximo orthodoxiam hausit. Nihilominus postea in Italiam veniens, hæreseos suæ venenum denuo sparsit, à Johanne IV. proin excommunicatus. Postea tamen sedi restitutus est, Ann. 652. quarto pòst mense mortuus: successit ei Petrus iisdem erroribus infectus. Theophan. *in Annal.* Nicephor. *in Chron* Anastas. *in vitis Pontif.*

Pyrrum, opp. fuit Pannoniæ sup. inter Pætovionem 68. & Siciliam 151. m. p. Anton. inter Stiriam & Croatiam.

Pyrus, oppidum Cariæ, Stephan.

Pysta, uxor Seleuci Callinici, marito circa Ancyram à Gallis interfecto, ab hostibus capta, abjecto regio vestitu, pauperrimæ famulæ habitu sumpto inter captivos venit. Ducta in Rhodum cum cæteris mancipiis confessa est quæ esset. Rhodii, redditâ emptori pecuniâ, splendidè eam ornatam Antiochiam miserunt. Polyæn. *lib.* 8. 644.

Pystira, insula ante Smyrnam, Plin. ubi aliæ aliquot, velut scopuli, circumstant, nautis *Isole delle Smirne.*

Pythenetus, libros περὶ Αἰγίνης consignavit, quorum è primo testimonium petit Apollonii Scholiastes, *lib.* 4. & Athen. *lib.* 13.

Pythagoras, Samius, Mnesarchi gemmarum sculptoris filius, Italicæ philosophiæ princeps, auditor Pherecydis Syri; post cujus mortem Hermodamanti jam seni, Creophili Nepoti, se in disciplinam dedit. Sub quo quum satis profecisse videretur, in Ægyptum navigavit, ut illorum Theologiam, ritus moresque cognosceret. Isocrates *in Busiride*: Πυθαγόρας ὁ ἀφικόμενος εἰς Αἴγυπτον, καὶ μαθητὴς ἐκείνων γενόμενος, τήν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐκόμισε, καὶ περὶ τὰς θυσίας τε, καὶ τὰς ἁγιστείας τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιφανέστερον τῶν ἄλλων ἐσπούδασεν. Clemens etiam in 1. *Strom.* edocet nos præceptoris nomen: Γεγένηται δὲ Πυθαγόρας μὲν Σώγχηδι τῷ Αἰγυπτίῳ ἀρχιπροφήτῃ μαθητεύσας. Deinde Astrologiæ, Chaldaicæque disciplinæ cupidus Babylonem sese contulit: ubi syderum cursus, eorumque in genituris hominum effectus, ut & multa de religione Judæorum est edoctus. In patriam redux, cùm Polycratis, an Syiosontis tyrannidem ægrè ferret, in magnam Græciam abiit, ibi Italicâ Sectâ constitutâ. Sapientis elogium recusavit, Philosophi appellatione contentus: quinquennali silentio, futuros auditores; vide infra, præparavit: totius sapientiæ arcanorum scientissimus, inprimis tamen in Mathematicis extitit admirandus. Novas in Arithmetica regulas invenit, Geometriamque à Mœri quodam excogitatam, ad perfectionem adduxit. Abstinentiæ & amicitiæ constantissimæ laude inclytus. Cæterùm neque ridens neque flens visus est unquam, tantæ apud sectatores venerationis, ut illud αὐτὸς ἔφα inde ortum. Auditores fertur habuisse non pauciores sexcentis, qui noctu ad eum confluebant; ex quibus clarissimi fuerunt Archytas Tarentinus, Alcmæon Crotoniata, Hippasus Metapontinus, & Philolaus Crotoniata. Primus τῆς μετεμψυχώσεως, hoc est, *transmigrationis animarum in alia corpora*, adstructor fuit, idque ut facilius persuaderet: primùm se Æthalidem Mercurii filium fuisse affirmabat. Cumque à patre optio sibi facta esset petendi quicquid vellet, excepta immortalitate, se ab illo petiisse, ut & vivens & vitâ functus, omnium quæ contigerant, memoriam haberet. Post Æthalidæ mortem, Euphorbum se fuisse ajebat, ac deinde Hermotimum, postea Delium quendam piscatorem, nomine Pyrrhum, mortuoque Pyrrho, se factum esse Pythagoram. Hanc opinionem de migratione animarum accepit ab Ægyptiis, teste Herodoto, quos festivè irridet Lucianus, in *dialogo Galli & Mycylli.* Crotoniatis & Metapontinis leges conscripsit, populusque luxuriâ diffluentes authoritate ac doctrinâ ad frugalem cultum revocavit, adeo ut & mulieres integritate ejus, vitæque severitate adductæ, auratas vestes, ornamentaque lasciviora, in templo Junonis consecrarent. Accusatum Magiæ eruditi excusant, quod idem de rota, ipsi à Fluddo tributa, intelligendum. Postremò cùm multos annos Crotone egisset, Metapontum commigravit, ubi & supremum diem obiit, quanquam aliis alia tradentibus. De mortis genere non satis constat, cùm quidam illum trucidatum, alii subitaneâ morte sublatum, nonnulli quoque à certo quodam, quem Philosophiam docere noluisset, cum discipulis, exustum dicant. An. 4. Olympiad. 70. U. Cond. 257. vel 278. ætat. 90. Quanti autem illum vivum fecerint Metapontini, post obitum ejus declatarunt, ædes ejus pro templo ei consecrantes, divinisque honoribus mortuum prosequentes. Quanta in veneratione sit hodieque, apud Indos, Zonæ inprimis torridæ incolas, à qui-

à quibus sub nomine *Brahmà*, quem pro supremo Deorum suorum habent, colitur. Vide apud Petr. de Valle *Itiner. tom.* 4. ubi planè egregia de immani horum Idololatrarum superstitione. Ovidius *Metamorph.* 15.

Vir fuit hic ortu Samius: sed fugerat unà
Et Samon & dominos; odioq; tyrannidis exul
Sponte erat, isq; licet cœli regione remotos
Mente Deos adiit: & quæ natura negavit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Discipulis suis per quinquennium silentium imposuit, qui ἀκουστικοὶ propterea dicti. Sidon. Apollinaris:

Asserit hoc Samius post docta silentia lustri
Pythagoras. ——

Claudianus:

At non Pythagoræ monitus, anniq; silentes.

Laertius *in Pythagora*: Καὶ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ κατεῖχον τὰς φωνὰς εἰς ἔτη πεντάετες. Πενταετίαν ἡσύχαζον, μόνον τῶν λόγων κατακούοντες. Meminerunt hujus quinquennii Gellius *lib.* 1. *cap.* 9. Plutarch. *de curiositate.* Lucianus βίων πρᾶσει, *Hermotimo, & Gallo.* Tzetzes *in Chiliadibus*, & alii non pauci. Animalium omnium carnibus, & à fabis religiosissimè abstinebat. Unde versus apud Clementem *lib.* 3. *Strom.*

Ἴσον τοι κυάμους τρώγειν, κεφαλάς τε τοκήων.

Empedocles quoque apud Gellium *lib.* 4. *cap.* 11.

Δειλοί, πάνδειλοι, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθε.

Fortasse tamen, cùm Pythagoras & Empedocles fabis jusserint abstinere, symbolicè sive ænigmaticè intelligi id voluerunt. Magnæ enim authoritatis scriptores tradunt, Pythagoram ipsum minimè fabis abstinuisse. In his est Aristoxenus Musicus, Aristotelis auditor, qui in libro, quem de Pythagorâ reliquit; *nullo sæpius leguminis Pythagoram dicit usum, quàm fabis, quoniam is cibus, & subduceret sensim alvum & levigaret.* Auctor Gellius, ubi supra, qui & verba Aristoxeni adscribit, atque addit, eos qui diligentius rem scrutati sunt, putant, ab Empedocle per κυάμους signari testiculos qu. οἱ τὸ κύειν αἴτιοι, καὶ αἴτιες τῦ κυεῖν ac propterea non à fabulo edendo, sed à Veneris proluvio voluisse eum homines abducere. Plura reperies apud Voss. *de Philos. Sectis cap.* 6. *& lib.* 4. *de Hist. Græc.* itemque apud Porphyrium, Diog. Laert. *in Pythag. lib.* 8. Phot. *Cod.* 259. Diod. Sic. Plutarch. Clementem Alex. Aul. Gellium, Eusebium, Naudæum *apol. cap.* 10. Ælian. *lib.* 17. *Histor. anim. cap.* 8. & Jamblichum *de vitâ Porphyrii.* Hinc *Pythagoreus.* Juvenalis:

Vitæ bidentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.

Pythagorici, & *Pythagoristæ* quomodo differant, docet Theocriti Scholiastes, *in Idyll.* 15. *vers.* 5.

Pythagoras, Evagoræ filius, Diodor. *lib.* 15. 460. recuperavit paternum regnum & bello Persico stetit à partibus Alexandri, Qu. Curt. *lib.* 4. 29.

Pythagoras, alius à priori, cujus patria nescitur, res Doriensium tractavit, Laert. *lib.* 8. Verisimile est, eundem esse, qui de Rubro mari scripsit, cujus meminit Athen. *lib.* 4. & 14. itemque Ælianus *de Anim.* 17. 8.

Pythagoras, Exoletus, cui Nero, in modum solemnium conjugiorum denupsit C. Lecanio, M. Licinio Coss.

Pythangeli, locus Ægypti, quem illi *Elephantorum venationem* appellant, Strabo.

Pythangelus, Poëta Tragicus, obscurus, & haud bonæ notæ, Aristoph. *Ran. Act.* 1. 2.

Pytheas, Archon Athenis, Olymp. 100. An. 1.

Pythermus, Ephesius historicus, historias composuit, Athen. *lib.* 7.

Pytheas, Geographus Massiliensis, tempore Ptolomæi Philadelphi: Scripsit *de ambitu terræ*; à Strabone variorum errorum convictus, inprimis quòd credidisset, supra Thulen neque mare, neque terram, sed corpus quoddam esse, ex iis que elemento compositum. Strabo *lib.* 2. 3. 4. 7. Plin. *lib.* 37. *cap.* 2. Voss. *de Hist. Græc. lib.* 1. *cap.* 18. *& lib.* 4. *cap.* 11. *de Philol. cap.* 11. §. 5. *de Mathem. cap.* 45. §. 1. *&c.*

Pythermus Phocensis, cùm Jonum, Æolumque legati Spartam appulissent, ex omnibus delegatus, qui postulata proponeret; purpureàque veste indutus, in Spartiatarum conventum processit, hortatusque est Lacedæmonios multis verbis, ad auxilium Jonibus ferendum, Herodot. *lib.* 1.

Pythes, Vir inter Milesios clarissimus, cujus filia Pieria, de qua Polyæn. 8.

Pytheus, vir quidam Xerxis temporibus, omnium suæ ætatis ditissimus; qui auro semper inhians, aurifodinas jugiter exercebat. Is quum aliquandò ex peregrinatione domum esset reversus, & cœnam parari postulasset, ejus uxor auream mensam illi apponi jussit, in quâ omnia ex auro fabrefacta obsonia: ac primo quidem aspectu gavisus est Pytheus: quo tandem satiatus, quum esurire se vociferaretur, neque se aurum id temporis exposcere diceret, inquit uxor, *Tu nullius rei præter hanc unam habendæ facultatem præbes.* Historiam narrat Plutarchus. *Pythius* Plinio est *lib.* 33. *cap.* 10.

Pythia, Bithyniæ locus, unde aquæ calidæ scaturiunt, Nicet. & Procop. 5.

Pythia, urbs inter Parium & Lampsacum: Apollonius *Pythicam* appellat.

Pythia, ludi Apollinares, in Apollinis honorem instituti, in Pythio Macedoniæ loco, ob cædem Pythonis serpentis nocentissimi, aut, ut Strabo *lib.* 9. scripsit, hominis sceleratissimi, cognomento *Draconis.* Ovid. *Metam.* 1. Victores hujus certaminis, teste Luciano, lauro coronabantur, additis pomis ex Apollinis templo desumptis. Vide *Pythes.* Item *Pythia* sacerdos Apollinis, eaq; virgo, quæ spiritu Dei afflata responsa consulentibus dabat.

Pythias, Pythagoræus, Damonis amicus, qui tamen Plutarcho & Jamblicho Φιντίας appellatur. Apud Cic. quoque 3. *de Offic. &* apud Valer. Max. *lib.* 4. *Phynthiam*, vel *Pynthiam* in antiquis codicibus scribi Petrus Daniel, & Turnebus *Adversar.* 20. 13. observarunt. Vide Latinum Pacatum, *in Panegyrico Theodosii cap.* 17.

Pythias, nomen ancillæ Octaviæ, Claudii filiæ, ex quâ cùm tormentis exsculpere vellet confessionem adulterii herilis cum Encero Tigellinus, castiora esse muliebria Octaviæ respondit, quàm os Tigellini.

Pythias, Ælian. via erat Macedoniæ, à Thessalonica ad Tempe Thessalica deducens.

Pythicus, fluvius Lydiæ, in Sinum Eleatem ad Myrinam urbem Æolidis fluens. Apud Urbem hodie de nomine Urbis dicitur, Agath.

Pythion Atheniensis, cum aliis ducibus & 420. militibus oppressus, dum Heraclidem, Demetrii præfectum, interimere & Athenis præsidium ejicere conjurarunt, Polyæn. *lib.* 5.

Pythion, Ptolem. *Pythaum.* oppidum fuit Macedoniæ mediterr. in finibus Pelasgiotarum, inter Dolicham ad Occ. & Gonnum ad Or. Liv. Plutarch.

Pythis, pictor egregius, qui de picturæ præstantiâ certavit cum Timagorâ Chalcidensi.

Pythis, Marmaricæ prom. in ora maris Mediterr. Ptol.

Pythium, intimus olim locus Gortynæ in Cretâ, Apollini sacer; vel juxta Astacenum sinum, unde *Procula Pythiana*, Steph.

Pythius, Apollo sic dictus à *Pythone* serpente, quem sagittis suis adhuc puer interemisse dicitur: aut certe ἀπὸ τῦ πυνθάνεσθαι, hoc est, *à consulendi usu.* Alii tamen sic dictum volunt ἀπὸ τῦ πύθεσθαι, hoc est, *à putrescendo*, eò quòd sine vi caloris nunquam fiat putrefactio.

Pythius, vide *Canius.*

Pytho, urbs Phocidis. Homer. *Iliad.* β. quam ἱερὴν, πετρήεσσαν vocat. Unde monendi sumus, errasse Gerbelium, imò Rhodiginum Cælium, qui epitheton pro nomine proprio urbis accipiunt. Hinc *Pythia* festa. Apud Menandr. *Pythia & Delia eadem tibi*, seu *hæc tibi & Pythia & Delia*, proverb. quo novissimum opus significamus. Polycrati enim Samiorum Tyranno, quærenti an ludos constitutos Pythios an Delios appellaret, Oraculum sic respondisse dicitur; quasi diceret, hoc esse postremum et parandum, cùm mors illi pauló post acciderit. Et quia Pythos sæpius cernerentur edito sito loco, hinc Proverb. *Iterum atq; iterum via versus Python*, in molestos in percunctando, Diogen.

Pythocles, nomen sibi aliquod paravit libris Italicorum, è quibus tertium memorat Plutarchus *Par. Min. cap.* 14. quartum verò advocat Clemens. 1. *Strom.* ubi Samius appellatur. Ac similiter vocatur Plutarcho *in Paral cap.* 41. ubi tertius ejus liber *de R. R.* citatur. Sed & idem Clemens *in Protrept.* tertium ejus librum celebrat περὶ ὁμονοίας, sive de concordiâ, Vossius.

Pythocles, Atheniensis, unus ex amicis Phocionis ejus factionis, quæ Optimatum causam agebat & cum Cassandro sentiebat; ideo cicutam bibere à populo coactus est.

Pythodoris, Polemonis, regis Ponti, uxor, prudentiâ aliisque virtutibus mirè ornata, quæ mortuo marito rebus regni præfuerat.

Pythodorus, Archon Athenis, Olympiadis centesimæ nonæ anno secundo. Iterum Olympiadis centesimæ undecimæ anno primo. Forsan is ille est, qui cum Sophocle Lacheti successit in provinciâ Siculâ. Vide Thucyd. *lib.* 3. & 4.

Pythodorus, Atheniensis, vicit stadio, Olymp. 103.

Pythodorus, sculptor eximius, Plin. *lib.* 36. *cap.* 5.

Python, serpens miræ magnitudinis, ex putredine terræ post diluvium Deucalionis nati. Hic à Junone Latonæ ex Jove gravidæ dicitur fuisse immissus, nullamque ei pariendi quietem concessisse, donec illa ad Asteriem sororem suam pervenisset, non multò antè in insulam commutatam: à quâ subrepta Dianam & Apollinem peperit: quarum illa vix dum nata, protinus matri obstetricis officium præstitit, fratremque nascentem excepit: qui postea memor injuriæ, quâ Python matrem suam affecerat, sagittis suis eum confixit. Cujus rei memoria, ne ullo temporis lapsu obliteraretur, sacra certamina instituit, quæ à nomine serpentis *Pythia* appellavit. Ovid. *Metam.* 1.

Hanc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Antè, nisi in damis, capreisq; fugacibus usus,
Mille gravem telis exhaustâ penè pharetrâ
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.

Neve operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia, perdomiti serpentis nomine dictos.

Videtur idem innuere Statius *Theb.6.*

Proxima vipereo celebravit libera nexu
Phocis, Apollinea bellum puerile pharetra.

Nomen arcessere videtur, ab Ebræo פתן *Pethen*, quæ cognationem habet cum verbo פתה *patha*, id est, *persuasit, illexit, decepit*. Cùm autem Sol radiis suis nubem caliginosam dissipat ac dimovet, Apollo sagittis Pythonem interimere dicitur. Vide Macrob. *Saturnal.* 1. 17. *Pytho* etiam dicitur oraculum Apollinis, vel certè locus, ubi oraculum edebatur. Tibullus 2. 3.

Delos ubi nunc Phœbe tua est? ubi Delphica Pytho?

Lucanus *lib.* 5.

—— *Seu barbaricâ cum lampade Pytho*
Arsit, in immensas cineres abiere cavernas,
Et Phœbi tenuere viam.

Ubi per *barbaram lampada* intelligit à Brenno illatas faces Delphis. Unde illud:

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.

Πνεῦμα Πύθωνος appellat Beat. Lucas in Actis, *cap.* 16. Plutarchus etiam *lib. de defectu Oraculorum*, significat omnes homines, qui spiritu fatidico correpti essent, *Pythones* appellari. De *Pythone* plura vide apud D. Dickinsonum *Delph. Phœnicizant. cap.* 1. 7. 8.

Python, ex Epigonis Alexandri M. Satrapes Mediæ, quem cùm Antigonus audisset, res novas moliri & defectionem meditari, simulabat se fidem nuntiantibus non habere. Ego verò, inquiens, nequaquam crediderim hoc agere Pythonem, cui ego quinque millia Macedonum armatorum & Thracum, nec non mille præfectura custodes paravi mittendos. His auditis Python credit humanitati & festinat ad accipiendum auxilium. Antigonus verò eum in medium Macedonum introductum comprehendi morte puniri jussit. Polyæn. *lib.* 4.

Python, vide *Paron*.

Python, orator Byzantius eloquentissimus apud Philippum Macedoniæ regem; cujus meminerunt Æschines ac Demosthenes, Diodor. 16.

Python, vel *Pythonoscome*, locus Asiæ, ubi primo adventus sui tempore conveniunt ciconiæ, & eam quæ ultima advenit, laniant universæ. Plinius & Solinus.

Pythonice, meretrix Atheniensis clarissima, ab Harpalo excita, ac dum in vivis fuit, regalibus donis culta; postquam excessit vitâ, magnifico sepulchro in Atticâ decorata. Vide Diod. 17. 620.

Pythopolis, civitas Asiæ in Mysiâ. Alia in Cariâ, *Nysa* dein dicta. Vide Stephan. Urbs dicta à Pythe seu Pytheo ditissimo illo. De quo & *Pythopolide* plurima Polyænus & Plutarchus: nam uxor cùm animadverteret, Pythem maritum, neglectâ agriculturâ, populum aurifodinis attinere, esurienti apposuit aureos pisces, obsonia cæteraque edulia ex auro, hacque prudentiâ pervicit, ut Pythes cives ad agriculturam dimitteret. Vide Polyæn. *lib.* 8. 618. Vide & *Pytheus*.

Pytionia, Insula parva maris Jonii, circa Corcyram.

Pytna, collis montis Idæ in Creta, apud Hierapytnam, quæ hinc dicta est, Strab. *lib.* 10.

Pyxa, Theocr. opp. Co insulæ, hodie non extat.

Pyxirates, Euphrates fluvius, versus scaturigines suas sic dictus est, Plin. *lib.* 5. *cap.* 34.

Pyxis, urbs in mediterraneâ parte Oenotrorum, Steph.

Pyxites, fluvius in Themiscyrenâ ad Trapezuntem, Plin. 6. 4.

Pyxus, untis, urbs Siciliæ à Miantho condita. Gentile *Pyxuntius*, Stephanus.



Q

Muta hæc consonans, non necessaria est, cùm C. ejus locum supplere posse videatur: fortè ab Hebræis mutuata; qui Koph suum vocali jungere solent, vocali aliâ sequente, proin nec absq; *U.* pronuntiari potest. A Latinis sæpè mutatur in *C.* Hinc *Sequor, Secutus, &c.* Transiit à Latinis ad Gallos, Italos, Hispanos, Anglos, Germanos, Hungaros & Dalmatas, qui tamen posteriores illâ rarius, & non nisi in Latinis vocibus, utuntur. Vide Auson. *de Litter. Monosyllab.* Vossium *in Aristarcho.* Methodum Latin. &c.

QV.

Quacerni, Plin. *Querquerni*, Anton. *Querquenna*, pop. Hispan. Tarracon. quorum opp. Forum & Aquæ Quacernorum Ptolem. Aquæ Querquennæ Anton. à Bracara 63. m. p. Asturicam versus, apud Tydem; hodie non extat.

Quadi, Germaniæ populi bellicosissimi. Tacitus: *Juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni, & Quadi agunt. Eaq; Germania velut frons est, quatenus Danubio prætexitur.* Ergo Quadi in Danubii ripâ: scil. infra Marcomannos. Ptolemæus: Ὑπὸ τὸν Ἑρκύνιον δρυμὸν Κουάδοι, ὑφ' οὓς τὰ σιδηρωρυχεῖα, καὶ ἡ Λοῦνα ὕλη, ὑφ' ἣν μέγα ἔθνος, οἱ Βαῖμοι, μέχρι τοῦ Δανουβίου. Bæmos verò eosdem esse, quos Marcomannos, maleq; heic ultra Bojohæmum, notat clarissimus Cluverius. Id tamen haud falsum, quòd sub Hercyniâ sylvâ, id est, sub Bojohæmo ponuntur Quadi. Ferri autem istæ secturæ fuerunt in eo montium jugo, quod à Moraviæ oppido Ostra, & fluvio *Moravva* ad Vistulæ fontem procurrit. Strabo *lib. 7. ex emendatione Cluverii:* Ἐν ταύτῃ δ' ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς, καὶ τὰ τῶν Σοήβων ἔθνη, τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ. (ἐν ᾧ ἐστι καὶ τὸ Βουίαιμον, τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον, εἰς ὃ ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάνους· ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου, μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον· νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε· καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ· ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε, καὶ κατεκτήσατο, πρὸς οἷς εἶπον, Λυγίους, τὸ μέγα ἔθνος, καὶ Ἀρμοίους, καὶ Γύτωνας, καὶ Βουργουνδίωνας. καὶ Σιδονὸς, καὶ τῶν Σοήβων αὐτῶν τὸ μέγα ἔθνος Σέμνωνας) πλὴν τά γε τῶν Σοήβων, ὡς ἔφην, ἔθνη, τὰ μὲν ἐντὸς οἰκεῖ, τὰ δ' ἐκτὸς τοῦ δρυμοῦ, καθάπερ τὰ τῶν Κουάδων, ὅμορα τοῖς Γέταις. A Dione *lib.* 17. ubique Quadi Marcomannis, ac Jazygibus conjunguntur. Ac sanè societatem ipsis armorum contra Romanos semper fuisse etiam posterioribus seculis, vel ex uno Marcellino satis patet *lib.* 17. *Augusto, inter hæc quiescenti, per hiemem apud Sirmium, indicabant nuntii graves & crebri, permixtos Sarmatas & Quados, vicinitate & similitudine morum, armaturaq; concordes, Pannonias, Mœsiarumq; alteram cuneis incursare dispersis.* Vide quæ sequuntur. Unde liquebit, Quadorum gentem ad fluv. Granuam usque tunc temporis pertinuisse. Quod etiam attestatur M. Antoninus Imp. sub quo, Danubio trajecto, in Imperium irruperunt, *in vitâ suâ, lib. 1. his verbis:* Τὰ ἐν Κουάδοις, πρὸς τῷ Γρανούᾳ. Adversus hos Quados Marcomannis junctos, non sine prospero successu bella gessisse An. 174. Imperatorem prædictum, autores sunt Dio Cassius, & Jul. Capitolinus. Sed & Lucianus *in Pseudomanti*, cujus hæc sunt verba: Ὅτε Θεὸς Μάρκος ἤδη τοῖς Μαρκομάνοις καὶ Κουάδοις συνεπλέκετο. Eam expeditionem celebriorem reddiderunt Christianæ legionis Melitinæ suppliciis impetrati cœlitus imbres, cùm exercitus siti ferè confectus jam esset. Meminere Tertullianus *ad Scapulam, & in Apolog. cap.* 5. & ex eodem atque Apollinario Euseb. *Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 5. *& Chron. lib.* 1. *&* 2. Nicephorus Callistus *lib.* 4. *cap.* 12. Zonaras *Annal. Tom.* 5. Xiphilinus *in Marco.* Orosius *histor. lib.* 7. *cap.* 15. Otho Frisingensis *Chron. lib.* 3. *cap.* 15. Joh. Aventinus *Bojor. Annal. lib.* 2. aliique. Quanquam illud Cassius, Arnuphis Ægyptii, vel Juliani, ut apud Suidam alius nescio quis, Magicis procurationibus, Marci ipsius precibus Capitolinus, moribus pietatique Claudianus, Christiano nomine iniquiores, adscribant, Gatakerus. Fuerunt hi pop. Phil. Cluverio, ubi nunc major pars Moraviæ, versus Occ. Sansoni incoluisse videntur totam Moraviam; erantque inter Lugios, Burios & Teracatrios ad Ort. & Marcomannos ad Occ. à quibus Hercyniâ sylvâ separabantur. *Quadorum* terram à Lecho, An. 565. occupatam, Silesiam & maj. Poloniam interpretatur Cromer. *lib.* 1. *Hist. Pol.*

Quadragesimalis jejunii institutio Telesphoro tribuitur, An. C. 140. verùm Irenæus, apud Euseb. *lib.* 5. *cap.* 23. dicit, fuisse consuetudinem ab hominibus simplicibus privatâ consuetudine introductam, ac addit: *Ad unitatem veræ fidei, non opus esse similitudine rituum in jejuniis.* Unde & variè illud observabatur, nec consistebat in abstinentia à carne, ut ex Ignatio ad Heronem Episc. Antiochenum, constat. Mar. Chemnitius *in Exam. de Jejunio.*

Quadrata, Romæ locus in Palatio, ante templum Apollinis dicitur, ubi reposita sunt, quæ solent adhiberi boni ominis gratiâ, quia saxo munitus est initio in speciem *quadratam.* Ejus loci Ennius meminit, eum ait:

Et qui se sperat Romæ regnare Quadratæ.

Ita author noster. At verò Ennius non Romæ locum aliquem peculiarem *Quadratam* vocat, sed totam Romam sic olim vocatam perhibet. Solinus *cap.* 1. *Dictaq; est Roma primùm Quadrata:* dein Ennii versum producit. Plutarch. *in Romulo:* Ῥωμύλος μὲν οὖν τὴν καλουμένην Ῥώμην Κουαδράτην, ὅπερ ἐστὶ τετράγωνον, ἔκτισε.

Quadrata, Germ. opp. Anton. Cluverio locus Pannoniæ, nunc vicus *Wiselburg*, ad Danub. inter Flexum & Arrabonem, in Hung. Item Italiæ mediterranea urbs, Lib. Not. Nunc pag. agri Astensis, *Quarta*, 4. m. p. ab Asta urbe, Casale versus 14. à Taurinis 22. In quodam Itiner. antiq. *Quadrata* plur. est.

Quadratæ, sive quadrangulares urbes; aliis vel oblongis, vel ad rotunditatem magna ex parte accedentibus:

Aquisgranum, *Aix la Chapelle*, Juliacensis Ducatus.
Ardra, *Ardres*, in Picardia.
Aria, *Aire*, in Artesia.
Arlhemum, *Haarlem*, in Batavis.
Babylon, *Bagdet*, in Assyria.
Bapalma, *Bapaume*, in Artesia.
Bastonia, *Bastogne*, in Lucemburgensi Ducatu.
Batavia, *Batavia*, in Java insula Indiæ.
Bommelia, *Bommel*, in Hollandia.
Breda, *Breda*, in Brabantia.
Burdigala, *Bourdeaux*, Aquitaniæ.
Calatia, *Gajazzo*, in Campania.
Caletum, sive Icius portus, *Calais*, Galliæ Belgicæ.
Casalensis urbs, *Casal*, in Liguria.
Cestria, *Chester*, in Anglia.
Cidonia, *la Canée*, in Creta insula.
Constantia, *Constance*, in Suevia.
Cuscum, *Cusco*, in Peruvia.
Damascus, *Damasco*, in Cœlesyria.
Delphi, *Delft*, in Hollandia.
Doncheriacum, *Donchery*, in Campania.
Dordracum, *Dort*, in Hollandia.
Ecbatana, *Tauris*, in Media.
Famagusta, olim *Hamacostos*, in Cypro.
Fessa, olim Volubilis, *Fez*, in Mauritania.
Franicheria, *Franeker*, Frisiæ.
Gallovidia, *Gallovvay*, in Hibernia.
Hailbruna, *Hailbrun*, in Suevia.
Heida, *Heyden*, Dithmarsiæ in Cimbria.
Hierosolyma, *Gierusalem*, in Palæstina.
Jadera, *Zara*, in Dalmatia.
Jaurinum, olim Arabo, *Giavarin*, Pannoniæ.
Jena, *Jena*, in Thuringia.
Julia Cæsarea, *Algier*, in Mauritania.
Krempa, *Krempen*, in Holsatia.
Leovardia, *Levvarden*, in Frisia.
Lucerna, *Lucerne*, in Helvetiis.
Luneburgum, *Lunenburg*, Saxoniæ.
Mariæburgum, *Marienbourg*, in Hannonia.
Melita vetus, *la Citta vecchia di Malta.*
Messana, *Messine*, in Sicilia.
Mozambicum, *Mozambique*, in Africa.
Moscha, *Moskovv*, in Sarmatia, regia Moschorum.
Novaria, *Novara*, in Insubria.
Ovaria, *Ovvar*, in Hungaria.
Panormus, *Palermo*, Siciliæ.
Rensburgum, *Rensbourg*, in Holsatia.
Ripa, *Ripen*, in Jutia.
Rotomagus, *Rouen*, in Normannia.
Rupella, olim Santonum portus, *la Rochelle*, in Aquitania.
Salodurum, *Soloturn*, in Helvetia.
Sedunum, *Sion*, & *Sitten*, in Valesia.
Senogallia, *Sinigaglia*, in Ducatu Urbinate.
Stada, seu Statio, *Staden*, in Ducatu Bremensi.
Stetinum, quasi Sidenum, *Stetin*, Pomeraniæ.
Tabernæ, *Saverne*, in Alsatia.
Taurinum, *Turino*, Galliæ Subalpinæ.
Ticinum, *Pavie*, in Insubria.
Tigurum, *Zurich*, in Helvetiis.
Trajectum inferius, *Utrecht*, in Batavis.
Tridentum, *Trente*, in Tirolio.

Tripolis, *Tripoli*, in Barbaria.
Venloa, *Venlo*, in Gueldria superiori.
Vinaria, *seu* Wimaria, *Weimar*, Thuringiæ.
Vintonia, *Vinchester*, in Anglia.
Visbuia, *Visbuy*, in Gothlandia insula.
Vitteberga, *Wittemberg*, in Saxonia inferiori.

Quadratum, Lib. Not. *Radtmansdor*, teste Lazio, oppidum Pannoniæ superioris, in Carniola, ad Saum fluvium, inter Vacorium ad occasum, & Labacum ad ortum 6. leucis. Sed hoc est in Norico, non in Pannonia. Aliis videtur esse *Gurckfeldt* in Croatia, à Labaco 10. in ortum, à Celeja 4. in Euronotum. Quadrata Antonino, de qua suprà. Hæc oppida sic dicta putantur ob quadratam formam; qualia sunt suprà memorata.

Quadratus, Apostolorum discipulus, Præsul Atheniensis, post Publium. Adriano, Christianos persequenti, apologiam obtulit, addiditque orationem tam insignem, ut Imperatoris animum ad mitiora inflecteret. Hieron. *de Scr.* Baron. *An.C.* 125. Euseb. *Hist. Eccl. lib* 3. *cap.*37. Vide etiam *Numidius*.

Quadratus, Romanus historicus, cognomento *Asinius*, Jonicâ dialecto Romanam historiam lib. 15. condidit. Opus autem suum *χιλιετηρίδα* inscripsit, quia complecteretur *annos mille*, teste Suidâ. Nempe historia erat ab U. C. usque ad annum Urbis millesimum, quo millenarius Agon à Philippis Impp. maximo fuit apparatu celebratus. Quod minus perspexit Suidas, qui perduxisse historiam ait, usque ad Alexandrum Mammeæ filium. Puto idem opus signari, quando Stephan. ex Asinio hoc Quadrato, vel secundum Ῥωμαϊκῆς χιλιάδος citat in Ἀϐίδιοι vel decimumquartum Ῥωμαϊκῆς χιλιαρχίας in Ὀξύϐιος, vel decimumquintum Ῥωμαϊκῶν in Θαλψίπολις. Etiam Parthyenica, sive Parthorum origines ac bella, in literas retulit, teste Capitolino *in Vero*; *Quod quidem & jam Quadratus, belli Parthici scriptor, incusatis Seleucenis, purgat.* Primum Παρθυωνικῶν librum Steph. advocat in Γηλὸς, tertium in Γερμανικεια & Ταρσὸς, octavum in Γάζαρα, nonum in Σόλυμα. Idem ἁπλῶς laudat Ἀσίνιον Κυάδρατον in Μεσοπλιὰν. Porro Παρθικὰ hic liber vocabatur in codd. vulgatis; unde Xylander fecit Παρθικά; sed scripserat Steph. Παρθυωνικὰ, nam Παρθυαία potissima est regio Parthiæ, unde synecdochicè Πάρθοι pro Παρθυαῖοι. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.*2. *cap.*16.

Quadratus, P. Vict. vicus Romæ in regione 14. Cujus fit mentio in veteri inscriptione sub Trajano Imperatore.

Quadriburgium, Amm. *Quactrardt*, teste Ortelio, pagus Germaniæ inferioris, inter Coloniam Agrippinam & Juliacum. Aliis est *Woeringen*, oppidum seu pagus ejusdem Germaniæ, ad Rhenum, inter Coloniam prædictam & Novesium in medio. Est & Quadriburgium in libro Notitiæ oppidum geminum: unum in Norico Ripensi, alterum in Valeria Ripensi.

Q. Cl. Quadrigarius, vetus historicus Romanus, Sisennæ ac Valerio Antiati æqualis. Vide Voss. *de Histor. Lat. lib.*1. *cap.*10. & in voce *Claudius*.

Quadrigella, vel potius *Quadrella*, à forma quadrata, vulgò *Charoller*, oppidum cum tit. Comit. in quo Denegontium, in rebus Pipini memoratum; *Digonia*, in priscis literis, Baroniæ titulo gaudens, vulgò *Digoim*, aliàs *Digoine*, ad Aretium, non longè ab ejus amnis & Ligeris confluentibus, inter Marciniacum & Burbonem Anselli. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Quadringentum, opp. Lombardiæ Cispadanæ, in Marchionatu Montisferrati, à 40. familiis nomen habet, Merula.

Quadruzia, Orderico Vitali *Hist lib.* 13. nunc *Carrouges*, oppid. Galliæ, prope rivulum in Olinam influentem, in Normannia. Inter milites vexilliferos Normanniæ, sub Philippo Aug. Dominus de *Carroges* numeratur. Dicitur *Castrum Carruca*, Wilelmo Gemeticensi Mon. *lib.* 6. *cap.* 8. à Roberto I. Norm. Dom. stabilitum: non procul à castro Danfronte. Nunc Comitatus est. Hujus loci dominus erat strenuus miles, qui violatam uxoris suæ pudicitiam, in singulari certamine, Grisii armigeri violatoris cæde vindicavit. Dictæ autem *Quadrugia*, à quadro, quòd essent quadratæ. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Quadurcum, nobile emporium Quadurcorum in Aquitaniâ, hodie *Cahors*, patria poëtæ Gallici Clementis Maroti. Sunt qui *Cadurcum* scribunt. Vide *ibi*.

Quædam mira & prodigiosa in gratiam studiosorum hic inserere libuit, quamvis à scopo nostro aliena, & à debito ordine; quærenda enim potius erant in titulo Mira, vel Prodigiosa: cùm verò tanta sit locorum copia ab *M.* ac *P.* incipientium, & tanta tenuitas elementi *Q*, utrique videri possit auctor consuluisse, catalogum huic loco inserendo.

Achemenis herba in hostes conjecta illos in fugam vertere traditur, teste Plinio, qui illam solitam à Regibus Persarum contra omnia corporis incommoda, & instabilitatem mentis comedi & bibi scribit *lib* 24. *cap.* 17.

Ad aquas Cutilias insulam visam, quæ die nocteque locum assiduè mutaret, idem testatur *lib.*2.

Agna locuta fertur, Bocchoro dynastâ Ægyptum administrante. Cœlius.

Agrippina Claudii uxor turdum habuisse fertur, qui loquendo homines imitaretur.

Alcippe mulier elephantem peperisse scribitur à Plinio *libro* 7. *capite* 3.

Amyclæ, urbs in Latio, à serpentibus deletæ feruntur, teste Plinio *lib.*8. *cap.*29.

Anates Ponticæ, teste eodem, venenis nutriuntur.

Anaxagoras Clazomenius nunquam ridere visus est, quod & de Crasso Crassi à Parthis cæsi avo refert Plinius *lib.*7. *cap.*19.

Ancillam serpentem peperisse initio belli Marsici, testatur Plinius *lib.*7. *cap.*3.

Anguillas, in Cabura fonte Mesopotamiæ, & Labra fonte Cariæ apud Gnidum, ita mansuefactas fuisse tradunt, ut non solùm cibos è manibus hominum caperent, sed & in aures impositas deferrent.

Antipater Sidonius Poëta, quo die natus est, semper febri correptus fuit, eodemque die defunctus traditur, teste Plinio *lib.*7. *cap* 51.

Aquilarum pennas aliarum avium pennas permixtas devorare, tradit Plinius *lib.*10. *cap.*3.

Argis Arescusam mulierem cùm nupsisset, mox in marem conversam, Arescontem dictum, visam Mutianus testatur apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 53. qui se vidisse testatur Lucium Cossicium civem Thisdritanum ex fœmina in marem mutatum nuptiarum die; & Casini, Publio Licinio Crasso & Cajo Cassio Longino Consulibus, puerum ex puella factum idem scribit.

Aristomenes Messenius, Atheniensibus ob calliditatem invisus, & dissectus, cor hirsutum & pilosum habere repertus est, teste Plinio *lib.*11. *cap.*37.

Armorum strepitus & tubarum sonitus ante & post Cimbricum bellum inchoatum exauditos, armaque cœlestia visa, & armatos ab ortu in occasum, & è contra concurrere, ab Amerinis & Tudertibus in tertio Marii consulatu visos esse testatur Plinius *lib.* 2. *cap.*57.

Aspidem in Ægypto ad cujusdam mensam catulos peperisse, idem Plinius refert.

Atys Crœsi Regis filius semestris, cùm quendam gladio patris jugulum feriturum vidisset, locutus fertur, teste Herodoto.

Aviola consularis in rogo revixisse traditur, licèt à flamma, nullo opem ferente, extinctus fuerit, teste Plinio *lib.* 7. *cap.*3. ubi & Cælium Tuberonem à rogo relatum scribit.

Bajis in Campania, balnea duo vicina sunt; in quorum unum canes conjecti, subitò destituti sensibus exspirasse videntur; in alterum verò, statim revivíscunt, ut ipsi propriis oculis inspeximus.

Baris herbæ tactu draconis catulum occisum ad vitam revocatum, tradit Xanthus Historiographus, qui idem testatur de Thylone à dracone occiso; Juba quoque, Plinio referente *lib.* 26. *cap.* 1. quendam in Arabia ad vitam herbâ revocatum testatur.

Bovem locutum Plinius *lib.*8. *cap.* 45 testatur. Ubi ait, propterea Senatum sub dio haberi cœptum fuisse.

Budda, Gymnosophistarum princeps, è latere virginem generatam refert apud Cælium Rhodiginum.

Casini puella in puerum mutata traditur, teste Plinio *libro septimo capite* 53.

Cato & Marcus Crassus nunquam risisse feruntur.

Cea insula fontem habet hebetes potantes facientem. Plinius *lib.*31. *cap.*2.

Cecina Volaterranus, quæ in bello fiebant per hirundines amicis nunciabat, quæ ad nidos suos redibant. Vide Plinium *lib.* 10. *capite* 24.

Ceneus sexum mutasse traditur: de quo Ausonius *edyl.* 6.

*Mœret in antiquam * Ceneus revocata figuram.*

* Alii libri Cœnis.

Cervus à Ptolemæo Rege ita educatus traditur, ut etiam Græcè loquentes intelligeret.

Cleon ex Daulia urbe Phocidis nunquam somniasse fertur, cùm multos annos vixisset, ut Plutarch. *in lib. de oraculis* scribit.

Clitorri in Arcadia lacus est, cujus aqua pota vini fastidium adfert, auctore Plinio *lib.* 31. *cap.* 2. & Andrii fontem septimo quoque die inebriare idem ex Mutiano refert.

Colossis flumen est, in quo lateres conjecti, lapides extrahuntur, ut scribit Plinius *lib.*31. *cap.*2.

Confidius funere elatus revixisse traditur.

Cornelius Rufus Consul Marii collega dormiens, ut somniarat, excæcatus est.

Cornix alba proverbium est de re rara. Hanc visam refert Cœlius *lib. antiquarum lectionum*.

Crotonem & Locros pestem nunquam expertos tradunt; testis est Plinius *lib.*2. *cap* 96.

Cyzici fontem esse qui potantes amorem deponere facit, testis Mutianus.

Daphidas sophista Delphos petens Apollinem consuluit, an equum amissum inveniret: responsum est, inventurum, sed deturbatum iri. Rediens incidit in Attalum Regem, quem lacesserat; à quo de saxo (cui equi nomen erat) præcipitatus est.

Delius rivus Eubœæ saxa irrigata in altitudinem crescere facit, auctore Plinio *lib.*3. *cap.*2.

Delphi

Delphines hominis amantes esse multis exemplis demonstratur à Plinio *lib.* 9. *cap.* 8. In iis, pueri apud Puteolos, qui delphini, quem cibo sibi familiarem reddiderat, dorso exceptus, per mare ferebatur, & ad litus incolumis restituebatur; donec illo ex morbo defuncto, delphinus, cùm puerum in loco solito non reperiret, & ipse mœrore confectus, interiit.

Demarchum Parrhasium, cùm pueri Jovi Lycæo in Arcadia immolati exta vorasset, in lupum conversum, post annos 10. pristinam recuperasse formam Plin. ex Copa refert.

Direptina Mithridatis filia gemino dentium ordine fuisse traditur.

Echeneis pisciculus naves, quamvis ventorum vi delatas magna, remoratur, teste Plinio *lib.* 23. *cap.* 1. Is remora ob id à Latinis dicitur.

Egles Samius athleta mutus, eùm quendam mala fide victoriæ præmium usurpare videret, indignatione commotus, locutus fertur.

Elephantem, super funes ambulasse, & litteras Græcas didicisse, Plin. ex Mutiano refert.

Epimenides Cretensis ab Agisarcho patre ad ovium custodiam destinatus, 50. annis in spelunca dormiisse traditur.

Euriphæus Cyrenæus, in superiori maxilla pro dentibus os habuisse fertur.

Euripidis ad sepulchrum in Macedonia duo rivi confluunt, quorum unus mortifer, alter salubris est. Plin. *lib.* 31. *cap.* 2.

Euthimenis filius, triennio ad tr escubitos excrevisse traditur.

Fanum Veneris Paphi aream habere, in qua nunquam pluit, scribit inter alios Plin. *lib.* 2. *cap* 96.

Fausta mulier Ostiensis 4. uno partu edidisse traditur, duos mares, & totidem feminas, teste Plin. *lib.* 7. *cap.* 3. Sed illud magis mirandum, quòd mulier nobilis in Batavis tot peperisse à Belgicis scriptoribus traditur, quot in anno sunt dies.

Formicæ formicas mortuas sepeliunt, teste Plinio *lib.* 11. *cap.* 30.

Fortunæ muliebris simulachrum bis locutum refert Titus Livius.

Fulmina Scythiam, & alias regiones Boreales, Ægyptum, Æthiopiam, & alias regiones Australes non attingunt, teste Plinio *lib.* 2. *cap.* 50. neque feriunt lauros, neque tecta pellibus vitulorum marinorum, neque aquilam, ut scribit Plin. *l.* 2. *c.* 55.

Gorgias Epirota, dum mater ad tumulum in funere deferretur, ex ejus utero prodiisse, & vagiisse traditur.

Græci Æsopum, Herculem, & Glaucum revixisse tradunt, seu potiùs fabulantur.

Grillum quendam, inter alios, à Circe in brutum mutatum iidem scribunt.

Gyari insulæ incolas à muribus fugatos scribit Plinius *libro* 8. *capite* 29.

Harpasis in Lycia cautes erat, teste Plinio, nulla alia vi hominis quàm unius digiti mobilis. V. Plin. *lib.* 2. *cap.* 96.

Hercules triplici dentium ordine fuisse traditur.

Hermotini Clazomenii anima egressa corpore, longèque pervagata, multa nuntiasse, & ad corpus rediisse traditur, scribit Plin. *lib.* 7. *cap.* 52.

Hierapoli in Syria, in lacu Veneris pisces fuisse, qui vocati adessent, & æedituis parerent, seque scalpendos præberent. Plin. *lib.* 31. *cap.* 2.

Jason Pheræus à quodam percussus, à vomica liberatus dicitur, à qua medicorum operâ nullâ potuerat liberari, teste Cicerone *lib.* 2. *de natura Deorum.*

Ilias Homeri in cortice nucis inclusa miro artificio, narratur à Plinio et Cicerone *lib.* 7. *cap.* 21.

Insulæ in lacu Cæcubo & Reatino fluctuant, ut scribit Plinius *libr.* 2. *cap.* 95. sic in Nymphæo saltuares appellatæ, & sylvæ alibi.

Insulæ enatæ in mari de novo Delos & Rhodos, postea Anaphe, Nea, Thera, Therusia, & Hiera, teste Plin. *lib.* 2. *cap.* 87.

Iphis sexum mutasse traditur. Dubium est an sit ille pictor, de quo Plin. *lib.* 35. *cap.* 10.

Iris sive arcus cœlestis quotidie Locris, & ad lacum Velinum videtur, ut scribit Plin. *lib.* 2. *cap.* 62.

Lacydi philosopho anser comes perpetuus fuit, ab ejus latere nunquam discedens, uti testatur Diogenes.

Laodiceæ platanus mutabatur in oleam ad Xerxis Regis adventum, teste Plinio.

Ligna injecta in flumen Ciconum, lacum Velinum, Surium Colchidis, & Picentinorum Silarum, lapidescunt, teste Plinio *lib.* 2. *cap.* 103.

Limiræ fons est, qui eum piscibus locum mutare solet: aliquid boni portendit, si cibum oblatum pisces accipiunt, mali si abigunt. Plin. *lib* 31. *cap.* 2.

Lunas tres noctu simul visas esse, Cneio Domitio & Lucio Annio Consulibus, testatur Plin. *lib.* 2. *cap.* 32.

Lusciniæ & sturni Græcè & Latinè locuti à Suetonio in vitis Cæsarum feruntur. Nos sturnum Hispanicè loquentem audivimus.

Lycos in India fontem esse, cujus aqua lucernæ ardent: quod & Ecbatanis contingere, scribit Plin. *lib.* 31. *cap.* 2.

Lymiris in Lycia, pisces fontis Apollini sacri ter fistulâ vocati ad augurium veniebant, ut ferunt. Plin. *lib.* 32. *cap.* 2.

Marcia Romæ, partu fulmine, quo icta fuit, exanimato, ipsa tamen supervixit, teste Plin. *lib.* 2. *cap.* 51.

Marcus Curius & Cneius Papirius Carbo cum dentibus nati feruntur, teste Plinio; unde prior Dentatus dictus est. Valeria quoque cum dentibus nata est, quod fuit illi exitiosum. V. Plin. *lib.* 7. *cap.* 16.

Maris quidam, parte antica homo, postica equus, annos 125. vixisse, & ter mortuus, ter revixisse traditur.

Memnonis statuam, ad ejus sepulchrum, oriente Sole sonum edere solitam tradunt Strabo *lib* 17. & Plin. *lib.* 36. *cap.* 7.

Montes duos in agro Mutinensi inter se concurrisse, Lucio Marcio & Sexto Julio Consulibus, scribit Plin. *lib.* 2. *cap.* 83.

Mortui quidam revixisse à Plinio referuntur *lib.* 7. *cap.* 52.

Mula mulum peperit, cùm Xerxes expeditionem in Græciam pararet. Theophrastus mulas gignere in Cappadocia scribit, Plinio referente *lib.* 8. *cap.* 44.

Naves è portu Carthaginis exeuntes è Lilybæo conspectas esse, auctores sunt Strab. & Plinius, nec conspectas solùm, sed etiam numeratas à quodam oculis lynceis.

Nausimenis Atheniensis uxor, cùm liberos in incestu deprehendisset, præ nimio horrore vocem amisit, ex Plutarcho.

Olachas, fluv. Bithyniæ, Briazûm templum alluens, perjuros velut flamma urit, teste Plin. *lib.* 31. *cap.* 2.

Oleas & prata in agro Marrucino sedes mutasse, via publica intercedente, sub Nerone, adnotat Plin. *lib.* 2. *cap.* 83.

Oppidum in Hispania à cuniculis, in Thessalia a talpis, in Gallia à ranis eversum traditur apud Plin. *lib.* 8. *cap.* 29.

Orchomenus, oppidum Eubœæ, duos habet proximos fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem affert. Plinius *lib.* 31. *cap.* 2.

Orionis sive Oti corpus in monte Cretæ repertum fuit, 46. cubitorum, teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 16.

Ovis in insula Co leonem peperisse fertur, à Nicippo, cujus ovis erat, mox insulæ principatu usurpato.

Partus aliquot prodigiosi à Plin. *lib.* 7. *cap.* 3. referuntur.

Perperena, populi Lydiæ, fontem habent, qui rigatam terram lapideam facit, ut scribit Plin. *lib.* 31. *cap.* 2.

Philetas Cous elegiographus corpore adeo tenui fuit, ut plumbum deferens incederet, ne à vento raperetur.

Philinus quidam toto vitæ tempore, nil, præter lac, gustasse traditur.

Philippus Rex Macedoniæ monitus ut à quadriga caveret, omnes quadrigas sustulit; sed gladio Pausaniæ, in cujus manubrio cælata erat quadriga, interfectus est.

Pluisse lacte & sanguine, Marco Attilio & Caio Porcio Consulibus; carne, Lucio Volumnio & Servio Sulpitio Consulibus; ferro in Lucania, paulò antequam Marcus Crassus à Parthis cæderetur cum militibus Lucanis; lanâ, apud Carissanum castrum; lateribus, cùm Milo interfectus est, scribit Plin *lib.* 2. *cap.* 58. Titus quoque Livius plura hujusmodi prodigia multis in locis recenset.

Pyrrhus Rex Epiri pollice pedis dextri lienosos curasse fertur.

Rhodi quotidie Sol aliqua hora videtur, teste Plinio.

Rivus in Judæa omnibus Sabbatis diebus siccatur, ut Plin. *lib.* 31. *cap.* 2. scribit.

Sagunti, dum illud expugnaretur, infans in uterum matris reversus traditur.

Samosatis stagnum emittit limum, qui aqua accenditur & terra restinguitur. Plin. *lib.* 2. *cap.* 104.

Servilii Julii statua, in templo Fortunæ incenso ab incendio servata traditur.

Siderin stagnum Indiæ, in quo omnia merguntur, esse tradit Plin. *lib.* 31. *cap.* 2.. * In aliis codicibus Siderim.

Smasnadoïdes Sybarita per annos 20. Solem neque orientem neque occidentem vidisse jactabat: quod & de Nestico legitur.

Soles plures simul visos, modò in oriente, modò in occidente, & semel in meridie à matutino tempore ad occasum in Bosporo; trinos verò sæpius, ut; Spurio Posthumio & Quinto Minutio, Quinto Martio & Marco Portio, Marco Antonio & Publio Dolabella, Marco Lepido & Lucio Planco Consulibus, tradunt Titus Livius & Plinius, qui suo tempore etiam id accidisse testatur sub Claudio Principe, & alibi. Solem toto eo anno, quo Cæsar interfectus est, pallidum visum fuisse scribit Plin. *lib.* 2. *cap.* 30. & 31.

Syracusis Sol quotidie apparet, sicuti & Rhodi, teste Plinio.

Tamarici fluvii Cantabriæ fontes duodecies siccari singulis diebus perhibentur, ut scribit Plin. *lib.* 31. *cap.* 2.

Tarquiniensem lacum ferunt duo nemora habuisse, nunc formæ triquetræ, nunc rotundæ, nunc quadrilateræ.

Telephus Herculis filius à cerva in sylva nutritus traditur.

Terra in agro Gabino & Reatino tremit, teste Plinio *libro* 2. *cap.* 94. 95.

Theon Stoicus dormiens ambulasse traditur apud Diogenem Laer-

Laertium; quod & servo Periclis accidisse ferunt, ita ut tecta dormiens conscenderet. Sed illud magis mirandum, agricolam quendam dormientem noctu boves aratro junxisse, atque somno durante arasse, quod nostra tempestate accidisse narratur. Vide Plinium *lib.* 31. *cap.* 2. ubi plurima mira narrantur de aquis.

Timarchus, Nicoclis Paphii filius, in utraque maxilla duplicem dentium ordinem habuisse fertur, teste Plin. *lib.* 11. *cap.* 37.

Zame, urbs Africæ, fontem habet, qui voces canoras facit, ut scribit Plin. *lib.* 31. *cap.* 2.

Zoroastes annos 20. in solitudine solo caseo vixisse, & quo die natus est risisse fertur: cui etiam cerebrum ita palpitabat, ut impositam manum repelleret. V. Plin. *lib.* 7. *cap.* 16.

Quæstor, sic dicitur, qu. *quæsitor*. Ulpianus lib. singulari, de officio *Quæstoris*: A genere *quærendi* Quæstores initio dictos, & Junius, & Trebatius, & Fenestella scribunt. Eandem quoque originationem ponit Beda, *de Orthographiâ*. Sed ut genus quærendi non unum, ita nec unum genus Quæstorum. Primi & antiquissimi in Urbe *quæstores rerum capitalium*, qui & citra συγχωρῇ *quæsitores* sæpe dicuntur. Sic vocat Cicero *in Divinat.* ad quam sic Asconius: *Quæsitor est prætor, de pecuniis repetendis quæstionem exercens, nam propriè quæsitores dicuntur criminalium quæstionum, ut Virgilius: Quæsitor Minos urnam movet.* Dicitur & *quæstor* parricidii. Festus: *Parricidii quæstores* (Sic emendat Scaliger, pro quo in vulgatis *parici*) *appellantur, qui solebant creari causâ rerum capitalium quærendarum. Nam parricida non utiq; is qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunq; hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilii regis his composita verbis*: SI QVIS HOMINEM LIBERVM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARICIDA ESTO. Idem: *Quæstores dicebantur, quòd quærerent de rebus capitalibus, unde qui talia quærunt, quæstores parricidi appellantur.* Hodie similiter in re Ecclesiasticâ dicuntur, *Inquisitores hæreticæ pravitatis*. Proximi antiquitate sunt *Quæstores urbani*, qui & *ærarii* dicti, quia præerant ærario, quod in æde Saturni erat. Hi demum creati liberâ Rep. ann. U. C. 269. ut ex Dionysio & Livio discimus. Nam quòd Tacitus & Pomponius, eos scribunt sub Regibus fuisse, id tantùm verum videtur de *quæstoribus parricidii*. Munus *urbanorum quæstorum* fuit, pecuniam publicam accipere, expendere, prædam ex hostibus captis vendere, signa militaria (erant ea vel ex auro, vel argento, velis enim non utebantur) in ærario asservare, & Consulibus in bellum ituris mittere, legatos qui Romam venerant, excipere, deducere, iis hospitium curare, ægrotantium curam gerere, mortuisque è publico munus facere. Etiam decreto Augusti Senatusconsulta asservanda iis tradita, quæ antè penes Ædiles ac Tribunos. Tertius *quæstor*, erat *provincialis*, qui unà cum proconsule, vel proprætore in provinciam exibat. Munus ejus versabatur, partim circa pecuniam attributam, partim circa vectigalem. Ejusdem erat à publicanis ex re frumentaria, portoriis, a'i sque exigere vectigalia, Romamque in ærarium referre. Ex hisce 3. *quæstorum* generibus primus dictus, à *quærendis criminibus*, secundus, tertiusque à *quærendis pecuniis*. Erat & quartum genus *quæstorum*, qui *principis*, sive *Augusti quæstores* dicti, alioque nomine *Candidati principis* vocabantur. Hi principis epistolas & orationes in Senatu legebant. Vid. Vossium in *Quæstor*.

Quæstus, communiter *Questus*, sed prius melius, à quæro, terra dicitur priscis, non quæ à parentibus accipitur hæreditariâ successione, sed quam suo quisque comparat labore & industriâ. Angl. *purchace lands*, & hujus regni Forensibus *terra perquisita*: Hinc quod plurium labore comparatur, *Conquestus* & *Conquestum* dicitur. Ad victoriam dein expugnationemque translata vox, & *Conquestor* pro victore dici cœpit: fortè ex eo, quòd Guilielmus I. Dux Normanniæ, qui *Conquestor* nuncupatus est, quòd non jure hæreditario successisset in regnum Angliæ, sed è legato Eduardi confessoris, i. juxta vetus Gallicum idioma, *per Questum & Conquestum*: postea in perquirendo jure suo, supra malæ fidei possessorem Haraldum R. insignem de eodem & Saxonibus victoriam reportasset, & jam inde non *Conquestor* solùm, sed & Victor Subactorque salutaretur: tum enim intelligi paulatim cœpit vox *Conquestor* pro notiori ejus attributo, Victore sc. & Subactore. Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Quancheum, urbs perampla Sinarum, Quantuniæ prov. caput, ex præcipuis totius Imperii. Aliàs *Jangcheng*, & persæpe vocatur Cantonia & Quantunia, *Canton*, ab exteris. Sub ea sunt 14. Urbes min. Estque emporium celeberrimum, valde ab Europæis frequentatum, juxta fl. *Ta*, qui paulo infra in Oceanum se exonerat; ideoque gaudet portu capaci & tuto, cum duobus castris probe munitis. Undique collibus vallatur; Circuitus est 4. mill. Germ. Die 20. Novemb. 1650. à Tartaris dolo capta, post obsidionem annuam, & fœde vastata est, cum maxima incolarum strage. Nunc tamen indies instauratur.

Quangnanum, urbs prov. Junnanæ in Sin. sed multis annis sub Rege Tunchini. Martin. Intra colles, ad radices montium, in limite Queicheæ prov.

Quangsia, urbs ex præcipuis Junnanæ, sub qua 3. aliæ. Jam pridem sub Rege Tunchini, cum tractu vicino.

Quangtum, urbs Sinarum, prov. Nanquinensis, ampla satisque culta, ad radices montium, 80. mill. pass. à Nanquino ad meridiem.

Quangpinga, Urbs Sinarum, ex præcip. & sexta Pechinensis prov. in parte ejus merid. versus Nanquinensem prov. sub qua 8. Urbb. minores.

Quansia, prov. Sinarum, in parte Merid. inter Quantoniam ad Ort. Junamum ad Occ. Queicheam ad Bor. & regnum Cocinsinæ ad Mer. fuitque ultima à Tartaris subjugata. Rigua est admodum, ejus urbs prim. Queilinum est. Decem aliæ ejus urbes præcipuæ sunt Lieucheum, Kingiva, Pinglum, Gucheum, Cincheum, Nanninga, Taipinga, Suminga, Chinganum & Tiencheum: sub quibus 78. Urbes. Sed quinque postremæ parent jam pridem Regi Tunchini.

Quansinga, seu *Quangsing*, Urbs Sin. tertia Quiansiæ prov. Inter montes altissimos, in ipso limite Chequlanensis prov. ad fontes fl. *Xangiao*. Hic optima charta conficitur, & sub ipsa sunt 7. urbes min. Hæc omnia ex M. Martinio.

Quantia, aliis *Quentus*, fl. angustus Gall. Belg. *la Canche*. Oritur in Artesia, ubi Lineium & Hedenum rigat; dein auctus Ternâ, per Picardiam fluens, Balbum Ramum attingit, Monasteriolum, Stapulas, & paulo infra Cellam Jodoci in mare Britann. se exonerat. Hinc natum nomen loci portu & commercio olim celeberrimi *Quentavichi* à Normannis vastati. Valesius.

Quantoa, pars ampla Niphoniæ Ins. inter Ochiam ad Ort. & Jetegenam ad Occ. In ea 9. regna seu principatus, in Japonia.

Quantunia, seu *Quangtung*, prov. ampla, duodecima Sinarum & præcipua inter meridionales. Cui à Sept. Chiansia & Huquania, ab Ortu Fochiensis, ab Occ. Quansia provv. & regnum Tunchinum; à Mer. irrigatur mari Eoo seu Sinensi. Ejus Urbes præc. sunt decem, Nempe *Quangcheu* caput prov. *Xaocheu*, *Nanhuing*, *Hœicheu*, *Chaocheu*, *Chaoking*, *Caocheu*, *Liencheu*, *Luicheu* & *Kiuncheu*: quibus jungi potest *Amacao seu Makon*; & ex his pendent 73. urbb. minores. Provincia est fertilissima & mitè rigua, aliàsque dicta fuit regnum Nanivæ. Martinius.

Quari, Gall. Narb. pop. inter Salios & Vocontios. Strab. *l.* 4.

Quariates, Gall. Narbon. pop. Plin. alio nomine *Cavara*, quorum metropolis est Avenio. Ferrario in Provinciæ mediterraneis, inter Suetros & Adunicates, juxta Alpes marit. fuisse dicuntur, quorum nullum opp. superesse ait.

Quaris, Ptol. urbs Bactrianæ provinciæ Asianæ, apud Oxum fluvium, eujus hodie, sicut & multarum ejusdem regionis, nomen ignoratur.

Quarius, Strabon. fluvius Bœotiæ, apud Coroneam urbem fluens, qui & Coralius ab Alcæo nominatur: præterit & Arnem oppidum. Est & alius hujus nominis fluvius in Thessalia, teste Strabone.

Quarqueni, Italiæ Transpadanæ populi, teste Plinio. Sed eorum nunc situs ignoratur.

Quarta, sive Quattensis legio, Lib. Not. gemina: una in Germania superiori, altera in Germania inferiori. Prior 22. inter legiones, altera 23. utraque sub Augusto. Locus præcisus ignoratur, quòd sub aliis Imperatoribus mutarent nomen & stationes.

Quartensis pagus, Lib. Not. *Weert*, pagus Belgii, in Brabantia, in Comitatu Hornensi, à Ruremunda urbe Geldricà 3. leucis in occasum, Tornohutum versus 9. Qui locus Quartum quoque nominatur. Sunt & alia hujus nominis loca: in quibus oppidum Hispaniæ Tarraconensis apud Valentiam urbem, ab ea 4. m. p. Toletum versus distans, vulgò etiam *Quart*. Quartum quoque castrum, sive pagus in Liguria, *Quarta*, apud Astam urbem, inde ad 4. mill. pass. Alexandriam versus recedens. De quo suprà in *Quadrata*.

Quartinus, cum C. Cassio Jurisconsulto Consul, sed suffectus. V. Josiam Mercerum, *ad Tacit. VI. Annal. cap.* 15.

Quartodecimani seu *Paschaita*, dicti sec. 2. ex Christianis illi, qui Judæorum consuetudinem secuti, decimâ quartâ Lunâ Pascha celebrarunt: quod cùm prius saltem charitatem læderet, in hæresin postea versum est, à Blasto, Valentini discipulo & Montanistis, qui ex fictitia revelatione sui Paracleti, dictitabant, non posse salvâ conscientiâ alio die Pascha celebrari, quàm 14. Et quidem Ecclesia, præsertim Orientalis, exemplo Johannis Apostoli, primùm eodem more usa fuit. In Occidentali verò Pius Episc. Rom. ne quidquam sibi cum Judæis, gente tunc ob crebras rebelliones Romanis exosa, commune esse videretur, sancivit Ann. C. 157. ut Pascha, non die 14. mensis, i. in proximo plenilunio post Æquinoctium vernum, sed die Dominicâ celebretur; cui instituto Successores ejus adeò tenaciter inhæserunt, ut Victor An. Ch. 196. omnes quartam decimam Lunam observantes, excommunicaret, acriter ob id objurgatus ab Irenæo Lugdunensi, Polycrate Ephesino, aliisque Episcopis, Euseb. *Hist. Eccl. l.* 5. *c.* 23. *& seqq.* Hoc dissidium tandem sustulit Concilium Nicenum, An. Chr. 325. per sequentes Canones. 1. Vigesimus primus Martii, habeatur pro die Æquinoctii. 2. Plenilunium in 21. Martii incidens, vel proxime sequens, habeatur pro Plenilunio Paschali. 3. Dies Dominica hoc sequens, fit dies Paschalis. 4. Sed si Plenilunium in ipsam Dominicam, vel Sabbatum antecedens inciderit, trans-

transferatur Pascha in Dominicam octiduo sequentem, ne unquam cum Christicidis concurramus. Idem *de vita Constant. lib.* 3. Theodoretus *Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 9. Victorin. *in prolegom.* Tempus igitur legitimum Alexandrinus postea Episcopus, cæteris quotannis indicabat, aut ipsi per Aureum numerum 19. Ann. inquirebant: donec Dionysius Abbas, An. Chr. 532. Terminos Paschales condidit. Beda *de rat. temp. cap.* 45. *& de* 6. *ætat. mundi ad An.* 4480. *ut & de æquin. verno.* Vide insuper Tertullian. *de Præscript.* Epiphan. *hær.* 50. Augustin. *hær.* 29. Baron. *An C.* 173. 180. 198. *&c.* item Petr. Megerlinum Mathem. Basil. *Disp. de Chronologia princ. & Computo Eccles.*

Quartus, nomen viri. Rom. 16.

Quebecum, *Quebec*, urbs recens Americæ septentrionalis, novæ Franciæ primaria, juxta fluvium S. Laurentii, cum arce munita quadrangulari Francorum. 300. milliaribus distat ab ora maris Borealis in occasum; ibique commoratur Episcopus Canadensis à paucis annis.

Queda, vulgò *Queda*, urbs Indiæ extra Gangem, in regno Siami, cum portu & emporio in ora sinus Gangetici, ex adverso Sumatræ insulæ, à qua distat 150. m. p. in ortum, Patanam versùs totidem; estque caput regni cognominis.

Quedelinburgum, vulgò *Quedelinburg*, oppidum Germaniæ, in Saxonia superiori, ab Henrico Aucupe, qui Mechtildem fil. primam ibi Abbatissam præfecit, conditum: aliàs sub dominio Abbatissæ propriæ, inter ditionem Halberstadiensem & Principatum Anhaltinum; 2. milliar. Germanicis distans ab Halberstadia in meridiem. Nunc paret Duci Saxoniæ cum tota ditiuncula adjacente.

Queicheu, vulgò *Queicheu*, provincia est ampla Imperii Sinarum, inter alias decimum quartum locum obtinens in parte occidentali; sed tota valde montuosa. Sunt tamen in ea octo urbes præcipuæ, nempe Queyanga, *Queyang*, Sucheum, *Sucheu*, Sunanum, *Sunan*, Chinyvenum, *Chinyven*, Xecienum, *Xecien*, Tunginum, *Tungin*, Lipinga, *Liping*, & Tuchum, *Tucho*: sub quibus sunt septuaginta quinque minores urbes aut arces. Terminatur autem hæc provincia, à septentrione Suchensi provincia, ab ortu Huquania, à meridie Quansia, & ab occasu Junnania, teste Martinio.

Queicheum, vulgò *Quicheu*, urbs est Sinarum, in Suchuensi provincia, cujus sexta est, juxta fluvium *Kiang*, in planitie, cultissima & mirè rigua, in parte occidentali provinciæ; sub ipsa sunt duodecim urbes, teste Martino Martinio.

Queilinum, vulgò *Queilin*, urbs ampla Sinarum, & Quansiæ provinciæ præcipua, juxta fluvium *Quei*, ad radices montium, & versùs confinia Huquanæ provinciæ; Ab ea pendent octo urbes minores.

Queitum, vulgò *Queite*, urbs Imperii Sinarum, & Honaniæ provinciæ secunda, in planitie, prope fluvium Cium, & in limite Xantoniæ provinciæ; & ab ea pendent octo urbes minores, teste Martino Martinio.

Queiyanga, vulgò *Queiyang*, urbs est ampla Sinarum, & Queicheæ provinciæ caput, intra colles, & ad radices montium, versùs Suchuenam provinciam; Ab ea pendent 18. urb. seu arces, teste Martino Martinio.

Quentavicus, oppidum Galliæ, in Picardia provincia & in Pontivo tractu, sic dictum quòd ad Quentum fluvium situm sit, quasi vicus Quenti. In eo situm fuit monasterium S. Judoci, cujus hodie nomen retinet locus iste, veteri omisso, vulgò *S. Josse sur mer*, teste Baluzio.

Querceium, vulgò *le Quesnoy*, urbs parva Belgii, sed munita, in Hannonia, Francici juris ab ann. 1654. 3. leucis distat à Landrecio in Boream, Valentianas versùs 2. & quinq; à Cameraco in ortum.

Quercus capita, Herod. & Tria capita, locus Bœotiæ, in montis Cithæronis ingressu, inter illum & Platæas.

Quercus fletus, est ad radices Bethel, in tribu Beniamin, ubi Debora nutrix Ribeccæ est sepulta.

Quercus Sichem. Græcè *Balanus*, sub qua Rebeccæ nutrix sepulta est, nominatur & Turris Sichem, in tribu Ephraim.

Quercus Sichem, quæ & *Therebinthus*: sub hac condidit Jacob idola suorum, est in tribu Ephraim.

Querimba, vulgò *Querimba*, insula Africæ, in ora Zanguebariæ regionis, contra sinum S. Lazari. Parva est admodum.

Querquerni, Plin. populi Hispaniæ citerioris, quorum nunc situs ignoratur; nisi quòd Gallæciæ erant finitimi.

Querquetulani, populi Latii, ex eorum numero, quos Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. interiisse nullo relicto vestigio scribit: quos 53. in Latio antiquo fuisse testatur.

Querquetulanus, mons urbis Romæ, idem cum Cœlio. V. *ibi*, ut & *infra*.

Querquetulanus, à *quercetu* dictum: ut Romæ *porta querquetulana*, quæ *querquetum* juxta se habuit intra muros; & *viræ querquetulanæ*, quæ Græcis *Hamadryades*. Festus: *Querquetulanæ viræ putantur significari nymphæ præsidentes querceto virescenti: quod genus sylvæ indicant fuisse intra portam, quæ ab eo dicta sit querquetulana.* Nominat & Varro *lib.* 4. *de L. L. sacellum querquetulanum.* Id quin Hamadryadum fuerit, dubitandum non est. Tacitus *lib.* 4. *Annal. Haud fuerit absurdum tradere, montem eum* (de Cælio sermo est) *antiquitus Querquetulanum, cognomento fuisse, quòd talis sylvæ frequens, fœcundusq; erat: mox Cælium appellitatum à Cæle Vibennâ, qui dux gentis Hetruscæ, cum auxilium appellatum ductavisset, sedem eam acceperat à Tarqu. Prisco, seu quis alius regum dedit.* Hæc Tacitus, ex cujus verbis simul discere est, unde *Cælius Mons* nomen acceperit. Vossius.

Quiansia seu Kiaosia, *Quiansi* & *Kiausi*, provincia est Imperii Sinarum, octavum locum obtinens, versus meridiem. Extenditur inter Chequianensem provinciam ad ortum, Quantuniam ad meridiem, Nanquinensem ad Boream, & Huquanensem ad occasum. Ejus urbes præcipuæ sunt tredecim, nempe Nanchangum, *Nanchang*, Jaocheum, *Jaocheu*, Quansinga, *Quansing*, Nankangum, *Nankang*, Kieuchianum, *Kieukiang*, Kienchanum, *Kienchang*, Vucheum, *Vucheu*, Linkianum, *Linkiang*, Kieganum, *Kiegan*, Xuicheum, *Xuicheu*, Juencheum, *Juencheu*, Cancheum, *Cancheu*, & Nanganum, *Nangan*: sub quibus sunt sexaginta quatuor urbes minores, ut pluribus narrat Martinius in suo Atlante Sinico.

Quies, hanc deam coluere Romani, ut refert *Augustinus*, quæ dea homines faceret quietos: Extra portam Collenam ædem habuit Romæ.

Quietis Fanum Liv. D. Aug. locus Latii via Lavicana, non longè ab urbe Roma occurrens, ubi templum SS. Petri, Pauli, & Marcellini. Ibi olim templum Quietis fuit.

Quietus, Vid. *Cluvidienus*.

Quillaus, Stat. mons Arcadiæ, teste Lutatio Placido. Cujus meminit Statius *in sylvu*.

Quiloa, pulchra est in Africâ civitas, prope reg. Zanguebariam, in insulâ posita, continenti vicina; cum arce. Mahumeticæ sectæ Regulum semper habuit, summum Christianorum inimicum. Ad hanc urb. cum Franc. Dalmaida. An. Dom. 1505. cum Lusitanicâ classe pervenisset, Regem ad se accersiri jussit, qui morbum simulans ad defensionem sese paravit. Itaque 720. Lusitani ad civitatis oppugnationem armantur, quâ devictâ, regeque in fugam converso, aliâque gubernationis administratione institutâ, civitatem hanc Portugalliæ regi tributariam fecerunt. Baudrando est urbs munita Africæ, in Quiloa insula, regni cognom. caput, in Zanguebaria regione & in ora Oceani Æthiopici. Emporium est satis celebre, & ei adjacet altera urbs, *Quiloa vetus* dicta, in ora insulæ obversa, 150. leucis Gallicis distans a Mozambico in Boream, sub dominio Lusitanorum.

Quimperleum, vulgò *Quimperlay*, oppidum Galliæ, in Britannia minori & in Cornubia tractu, ad amnem *Isotte*. Vix 2. leucis distat ab ora Oceani Aquitanici, & 10. à Corisopito in ortum, versùs Blaviam 3. circiter.

Quina, Ptolem. *Arrades*, teste Marmolio, colonia & oppidum Africæ propriæ mediterraneum, Urbinæ proximum & Themisæ, inter Bagradam & Tritonem flumina.

Quinctianus, vide *Afranius*.

Quinctii, gens inter Albanas nobilissima Romam, Albâ dirutâ, à Tullo translata, atque in Patricias Senatumque allecta. Romæ autem in multas se familias diffudit, quarum cognomina fuêre: Capitolinus, Cincinnatus, Barbatus, Pennus, Claudus, Crispinus & Flaminus. Gellii consulatus, censuras, triumphosque plures.

Quinctinopolis, urbs Galliæ Belgicæ, quæ & Fanum S. Quinctini, & Quinctinum, vulgò *S. Quintin*, urbs Picardiæ munitissima, ad Somonam fluvium, media ferè inter Noviomum & Cameracum: quam nonnulli Augustam Veromanduorum esse putant; sed hallucinantur, nam Augusta Veromanduorum à Fano S. Quinctini, 2. leucis abest, excisa jacens, ubi Abbatia nunc, adhuc *Vermand*, nomen antiquum retinens: nisi quis Fanum S. Quinctini novam Augustam Veromanduorum appellari velit, quasi ex ruinis veteris Augustæ ædificatam. Vide *Veromandui*. Ferrar. Baudrando *Quintipolis*, vulgò *S. Quentin*, urbs est Galliæ, in Picardia provincia, & in Veromanduis, 6. leucis distat à Perona in ortum, Guisiam versus 5. uti 9. à Novioduno in Boream, Cameracum versùs 7. circiter. Crevit ex ruinis Augustæ Veromanduorum, & capta fuerat ab Hispanis An. 1557. sed postea restituta est, Ann. 1559. pace sancita ad castrum Cameracense.

Quinctius Atticus, cum P. Sabino in Capitolium confugit: quem Vitelliani, umbrâ honoris & suâmet vanitate monstratum, quòd edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium, jecerat; catenis onerarunt & ad Vitellium deduxerunt, Tacit. *Histor. lib.* 3. 73. Cumque à militibus ad supplicium postularetur, placavit populum, confitendo se Capitolium incendisse, eoque mendacio evasit, *cap.* 75.

Quinctius Certus, Eques Romanus, à Decimo Pacario, Corsicæ Procuratore, interfici jussus, quòd ipsi de juvando Vitellio contra Othonem, Corsorum viribus, consentire noluisset, Tacit. *Histor. lib.* 2. *cap.* 16.

Quinda, Strab. Plutarch. urbs Ciliciæ supra Anchialen, eadem cum Anazarbo, teste Suida. Vide *ibi*. Anazarbus autem videtur urbs diversa à Quinda; quæ Straboni non urbs, sed castellum erat munitum, in quo Macedones thesaurum servabant.

Quingentiani, in Africa tumultuantes repressi An. C. 295. à Maximin a ο Diocletiani collega.

Quingium, oppidum Comitatus Burgundiæ, ad Lupam fluvium 6. leucis à Dola in Ort. 3. à Salinis in Boream, Vesuntionem versus. *Quingey*.

Quinpercorentinum, urbs Episcop. Britanniæ min. Metel.

Quinquatrus, sive *Quinquatria*, sunt dies festi Minervæ, quos Græci Παναθήναια vocant. Sosipater *lib. 1. Quinquatrus pluraliter, non Quinquatria: non enim dicti sunt quinq; dies atrus (f. atri:) sed quòd quinq; dies Iduum, quas atrum antiqui dicebant: sive à quinquando, hoc est, lustrando: quòd eo die arma ancilia lustrari sint solita*. Ego (inquit Vossius) nec priorem opinionem sequor (omnino enim *atrus* est vocis ἀχέλεξις, ut *simus* in *vigesimus*) nec posteriorem, cùm ita dicantur à *quinque*: nempe quòd fiat *post quintum diem Iduum Martiarum*: quod tamen de *majoribus tantum Quinquatribus* verum est. Nam *quinquatrus minuscula* erant *Idibus Junii*. Hanc sententiam sequitur Varro *lib. 5. de L. L. Ab Tusculanis post diem sextum Eidus vocatus sexatrus; & post diem septimum septimatrus: sic hic quòd erat post diem quintum Eidus, quinquatrus*. Item Gellius *lib. 2. cap. 21. In septentriones triones per sese nihil significare ajunt, sed vocabuli esse supplementum: sicut in eo quod quinquatrus dicamus, quod quinq; ab Idibus dierum numerus sit, atrus nihil*. Eadem sententia Festi, cujus hæc verba: *Quinquatrus appellari quidam putant à numero dierum, qui fere his celebrantur: qui scilicet errant, tam hercule quàm qui triduo Saturnalia, ac totidem diebus Compitalia: nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli ejus, exemplo multorum populorum Italicorum, enunciata est, quòd post diem quintum Iduum est is dies festus; ut apud Tusculanos triatrus, & sexatrus, & septenatrus, & Faliscos decimatrus. Minervæ autem dicatum eum diem existimant, quòd eo die ædis ejus in Aventino consecrata est*. Hactenus Festus. Opinionem autem quam is damnat, secutus est Ovid. *Fast. 3.*

Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ:
Nominaq; à junctis quinq; diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:
Causa, quòd est illâ nata Minerva die.
Altera, tresq; super rasâ celebrantur arenâ:
Ensibus exertis bellica læta Dea est.

Secundum quinquatruum diem natalem fuisse Ovidii, ait ipse, *Tristium lib 4.*

Lucifer amborum natalibus adfuit idem,
Una celebrata est per duo liba dies.
Hæc est armifera de festis quinq; Minervæ,
Quæ fieri pugnâ prima cruenta solet.

Natus ergo est sexto post Martias Idus. Sed & moris erat, ut ii dies jucundè, hilariterque traducerentur. Augustus ad Tiberium: *Nos mi liberi, Quinquatrus satis jucundè egimus: Lusimus enim per omnes dies, forumq; aleatorium calefecimus*. Lipsius.

Quinq; colles, Græc. πεντάλοφος, locus Laconicæ, à Lacedæmone 7. stad. ubi vinum generosum, Athen. *Monti di Misitra* vulgò.

Quinq; digitus, Græc. πενταδάκτυλος, mons Æthiop. sub Ægypto, ad Bazium promunt. desinens, apud Berenicen urbem, vulgò *Montagne di Ceser* dici videtur. Ptol. Ferrar.

Quinq; Ecclesiæ, Hungariæ infer. urbs, quæ à Turcis *Petschen*, à Germanis *Funfkirchen* appellatur. Ad amnem *Keoriz*, non longe à Dravo fluvio, Sub Turcis ab Ann. 1543. In Comitatu Tolnensi. Hic obiit Solimannus Imper. Turc. die 4. Sept. An. 1566. Arcem habet munitam, 6. mill. Germ. à Danubio in Occ. 23. à Tauruno in Circium. *Orogiazac*, Hung.

Quinquepagici, ex Helvetiis illi inprimis dicuntur, non qui primi fœdus fecerunt, hac enim ratione Urania, Suitia, Underwaldia, Lucerna & Tigurum *quinq; pagi* essent: Sed quinque illi, Lucerna, Urania, Suitia, Underwaldia & Tugium; qui Latinorum rituum mordicus retinentes, arctissimâ inter se familiaritate, forsan & peculiari fœdere, conjuncti sunt. Hi, à quo Helvetii ob religionem divisi, peculiares conventus instituunt, frequentissime omnium conveniunt & proprium quendam Senatum habent. V. Jos. Simlerum *de Rep. Helvet.*

Quinq; portus regni Angliæ, gaudentes immunitatibus, quas alii Portus dicti regni non habent, sunt *Hastingus, Romene, Hethe, Doveria, Sanduicus*. De quorum servitiis, quæ Regi debent, vide Henr. Spelmannum *Gloss. Archaol.*

Quinsaum, urbs ampl. Sin. & aliàs regia, M. P. Veneto. Tantæ magnitudinis Mendezio Ponto, Herreræ, Maldonato & Trigaltio, ut expeditus eques intra diei spatium vix illam circumdare cursu possit, utpote amb. leuc. 30. long. 10. lat. 5. Ibi portæ 470. tantæq; spissitudinis muri, ut duodeni equi commodè illos transmittere queant. Hormio est *Cambalu* hodie: Sed videtur nunc M. Martinio esse Hangcheum, provinciæ Chequinensis prim. aliàs *Kingsu*, seu *Kingsay* indoctis, id est, urbs verè regia; fuit enim Regum sedes versus An. 1300. & postea *Lingan* etiam dicta fuit. Ad fluv. *Ciengtang*, vix 40. m. p. ab ora maris Eoi in Occ. Etiamnum perampla, sub se habens 7. urbb. minores. M. Paulus *lib. 2. cap. 67*. Horn. *lib. 4. de orig. Gent. Americ. cap. 3*. Martin. *Atl. Sin.*

Quinta, matrona Christiana, Alexandriæ, sub Decio, pedibus per urbem rapta, An. C. 253.

Quintadecima, tributum singulis Civitatibus, oppidis, villis totius Angliæ ab antiquo impositum: certum autem ac definitum, quod tamen nec annuatim, nec sine Parlamentario decreto exigatur. Gall. *Quinziéme*, Angl. *the Tax*. Originem sumpsit è Saxonum *Danegeldo*. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archaol.*

Quintana, ludi genus, ad experiendam juvenum rusticanorum agilitatem, equorumque pernicitatem. Gall. *Quintaine*, & *Berfant*, Angl. *Quintane*, & *Whintane*. Ejus forma hæc: Erectæ trabi pertica incumbit versatilis, uno fine peram demittens, arenâ gravidam: altero tabulam affixam, quæ dum à currenti equite fortiùs hastâ impellitur, pera violentiùs circumacta, impellentis collum, ni citatius evaserit, fortiter verberat. Vide Matth. Paris. *in Henrico III. ad An.* 1253. & Henr. Spelm. *Gloss. Arch.*

Quintanæ, sunt in Itinerario Antonini; oppidum quondam ad Danubium fuisse ait Aventinus, quod in pagum evanuit, & *Kynrzen* hodie vocatur. Item Latii locus, in via Lavicana.

Quintamea, fluv. Vindeliciæ, in Bavar. ad Quintanas & Vilshovium opp. in Danubium fluens; *Vilß*.

Quintia prata, locus erat Romæ, trans Tiberim, apud navalia, 4. jugerum, Quintii Consulis seu Dictatoris, Liv. *lib. 3. cap. 1.* Ibi Papiniana regiunc. seu Papinius ager.

Quintia via, Romà in Sabinos ducens, Salariæ proxima, Onuphr.

Quintiacum, vulgò *Quinsay*, locus Galliæ, in finibus Pictonum diœcesique Pictaviensi, monasterio veterrimo ejusdem nominis nobilis. Hoc Filibertus Abbas Gemeticensis, multorum monasteriorum pater, regnante Theodorico Chlodovæi filio, Monachis replevit. Item alia in Galliis loca, quibus est vulgare nomen singulis, *Quincy*. Hadr. Valef. *Notit. Gall.*

Quintianæ aquæ, vide *Aquæ Quintianæ*.

Quintianum, Ortelio *Quintiana*, pag. agri Brixiensis: sed *Quintianum* locus erat Episc. Africæ, Optat. Afer.

Quintianus, adolescens nobilis, in Commodum, cujus soror Lucilla ægrè ferebat, sibi Crispinam Imperatricem anteferri, stricto pugione irruens: *Hunc*, inquit, *tibi senatus mittit*. Verùm à militibus comprehensus, amentiæ pœnas dedit, Herodian.

Quintilia, amasia Licinii poetæ.

Quintiliani, Montani sectatores, à Quintilla, quam velut prophetissam sequebantur. Quia pane & caseo Eucharistiam celebrabant, *Artotyritæ* dicti, fœminas Sacerdotiis & Episcopatibus præficiebant. August. *hær.* 27. Epiph. *hær.* 49. Baron. *An. C.* 173. &c.

Quintilianus Fabius, Rhetor Hispanus, ex civitate Calaguritanâ, quamobrem ipse quoque Hispanos provinciales suos vocat. Romam cum Galbâ venit, brevique tempore Domitiani principis nepotes erudiit. Ludum Romæ aperuit; unde Martialis:

Quintiliane vagæ moderator summe juventæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Primus è fisco salarium tulit, eoque dives evasit; unde Juvenalis *Satyr.* 7.

—— *Unde igitur tot*
Quintilianus habet saltus? ——

Incidit autem illius ætas in ea tempora, quibus inclinatio quædam sermonis Romani ad barbariem fieri cœperat. Avum habuit Quintilianum, cujus dicuntur esse declamationes, quæ Quintiliani nomine extant. Plura qui volet, legat politissimi Politiani præfationem, Fabii Institutionibus præfixam. Reliquit institutiones Oratorias. Vide quoque Hieron. *in Chron. Euseb.* Senec. *Proœm. lib.* 10. *Controvers.* 4. Voss. *Instit. Orator lib. 1. cap. 11. & cap. 15. de Rhetor. nat. ac Const.* Declamationes Hugolinus primò, dein Pithœus edidit.

Quintilianus, tribunus plebis, sub Tiberio, qui de libro Sibyllæ reperto ad Patres retulerat; ob id modicè à tribuno increpitus, Tacit. *lib. 6. cap. 12.*

Quintilis mensis ideo dictus est, quòd ordine *quintus* esset à Martio, qui apud antiquos primus anni mensis erat, sed postea in honorem Julii Cæs. Dictatoris, M. Antonio Cons. legem ferente, *Julius* appellatus est.

Quintilius, primus fuit ex his, qui Lupercalia, ante urbem conditam, celebravit, à quo *Quintiliorum* gens Patricia & Consularis manavit.

Quintillus Marcus Aurelius, frater Claudii Imper. huic successit, An. 270. ob rigorem nimium, decimo septimo imperii die à militibus occisus. Alii dicunt, eum, cùm Aureliano imparem se animadverteret, venas incidisse. Trebellius Poll. *in Claudio*. Vopisc. *in Aurel.* Euseb. *in Chron.*

Quintini Fanum, opp. Picardiæ, ubi tantâ clade Galli affecti sunt ab Hispanis, An. Chr. 1557. ut Lutetiæ cives passim diffugerent, tanquam ad portas esset Annibal. Vide Thuan. *Hist. lib.* 19. & in *Quinctinopolis*.

Quintinum, oppid. Britanniæ min. 4. leuc. à Fano S. Brioci in Mer. 5. à Lambalio in Occ.

Quintinus Johannes, Picardus, Sartor; junctus Copino, Libertinismum in Hollandia & Brabantia professus dicitur: Tornaci cum illo punitus An. 1530. Vide *Libertini*.

Quintius, cognomen; unde *Quintia porta*, trans Tyberim, à Qu. Cincinnato dicta. *Quintiorum* autem familia Romæ multiplex

plex fuit, in quâ Cincinnati, Flaminii, Crispini, Martii, diversis temporibus claruere, Volaterr. Vide *Quinctii*.

L. Quintius, Prætor, de provinciâ reversus, observatâ, quod mirum, Domitiani temporibus, præturæ maximâ castitate, cùm æger assidenti amico diceret, frigidas se habere manus, & renidens ille dixisset: *Atquin eas de provinciâ calidas paulo antè revocasti*: risit, delectatusque est, quippe alienissimus à suspicione furtorum. Contra, si hoc diceretur male sibi conscio, & sua furta recolenti, exacerbasset auditum. Macrob. *Sat.* 7.3.

Quintus, mel. *Quintilius*, Consul, cum Commodo Imperatore, an. U.C. 930. Item Consul, cum Prisco, an. U. C. 911.

Quintus Ælius Pætus, cons. cum M. Junio Pæno, an. U. C. 587.

Quintus Ælius Tubero, consul, cum P. Fabio Maximo, anno U. C. 743.

Quintus Æmilius Barbula, cons. cùm C. Jun. Bruto Bubulco, anno U. C. 437.

Quintus Æmilius Pappus, cons. cum C. Fabricio, an. U. C. 475.

Quintus Antonius Merenda, Tribun. Milit. Consulari potestate, ann. U. C. 334.

Quintus Apulejus Pansa, consul, cum M. Valer. Corvino, ann. U. C. 455.

Quintus Aquilinus, cons. cum Asiatico, an. U. C. 877.

Quintus Cæcilius Metellus, cons. cum L. Veturione Philone, anno U. C. 548.

Quintus Cæcilius Metellus, Achæos ad Thermopylas devicit, Pseudophilippum in suam potestatem redegit, Macedoniam recepit, unde & *Macedonicus* dictus est. Secundo consulatu, primùm à Gallis victus, postea eos vicit, ceciditque ex iis 5000.

Quintus Cæcilius Metellus, cons. Baleares vicit, unde *Balearicus* dictus est, an. U. C. 631.

Quintus Cæcilius Metellus Celer, consul, cum Afranio, anno U. C. 694.

Quintus Cæcilius Metellus Nepos, cons. cum P. Lentulo, quibus referentibus Senatusconsultum de Ciceronis reditu factum est, an. U. C. 697.

Quintus Cæcilius Metellus, Numidicus dictus à Jugurthâ Numidiæ rege devicto, tantæ constantiæ fuisse perhibetur, ut in exilium abire maluerit, quàm in leges per vim à Mario rogatas jurare; unde postea est à populo commoto, ob filii ejus Qu. Metelli lacrymas, (qui ob eam rem *Pii* cognomen tulit) revocatus.

Quintus Cæditius Longus, cons. cum L. Manlio Regulo, ann. U. C. 497. Alius cons. cum M. Valerio Corvino, an. U. C. 468.

Quintus Calphurnius Piso, consul, cum Fulvio Flacco, anno U. C. 619.

Quintus Cassius Longinus, consul, cùm A. Manlio Torquato, anno U. C. 590.

Quintus Curtius, Historicus Latin. Auctor vitæ Alexandri M. Ob excellentiam styli, quibusdam Livio Vellejoque antiquior, & ille omnino creditus, cujus Cicero meminit *lib.* 3 *epist.* 1. Aliis tamen potius vixisse videtur, sub Vespasiano, imo sub Trajano: utrisque pro sua sententia adducentibus, locum lib. 4. ubi de Tyro, & lib. 10. ubi de seculo suo loquitur. Nonnulli etiam longævum admodum illum facientes, vel eundem, vel saltem filium ejus esse credunt, de quo Suetonius, tanquam de insigni Oratore loquitur, *in Tiberio*; & Tacitus *lib.* 11. *Ann.* tanquàm Prætore & Proconsule Africæ: cui spectrum quoddam apparuisse, refert Plin. *lib.* 7. *epist. cap.* 7. Quidquid horum, egregius planè auctor est. Opus ejus constat libb. 10. quibus quæ desunt, supplevere Christ. Bruno & Freinshemius. Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 28. Raderum *in Prolus. ad Qu. Curtium, &c.*

Quintus Fabius Æmilianus, filius Æmilii Pauli Macedonici, frater Africani inferioris, in Fabiorum familiam adoptatus.

Quintus Fabius Labeo, consul, cum M. Claudio Marcello, ann. U. C. 557.

Quintus Fabius Maximus, Mag. Equitum, quòd contra præceptum L. Papyrii Dictatoris pugnasset, ab eo penè securi percussus, vixque tandem populi precibus dimissus est.

Quintus Fabius Max. cons. Allobroges, & Bituitum eorum regem perdomuit, an. U. C. 613.

Quintus Fabius Max. Servilianus, cons. Lusitanos devicit, sed fidem eis datam violavit, an. U. C. 612.

Quintus Fabius Maximus Verrucosus, vel Ovicula, vir tantæ prudentiæ, ut primus ex Romanis ducibus Annibalem armis invictum vicerit, non aliâ magis re, quam abstinendo à pugnâ, adeò ut inde *Cunctatoris* cognomen tulerit. Hinc Ennius:

Unus homo nobis cunctando *restituit rem.*

Quintus Fabius Rutilianus, vir egregiæ virtutis, Dictaturam & 5. Consulatus gessit, de Etruscis, Samnitibus, Umbris, & Gallis sæpius triumphavit. Gessit autem quintum Consulatum cum P. Decio filio, qui eo se anno devovit, an. U. C. 458.

Quintus Fabius Vibulanus, consul, cum Sexto Corn. Maluginensi, an. U. C. 269. Iterum cum C. Julio Tullo, ann. U. C. 272. *Alius*, cons. cum T. Æmilio Mamerco, ann. U. C. 287. Iterum biennio pòst cum T. Quintio Capitolino Æquos devicit. Alius Tribun. Milit. Consulari potestate, ann. U. C. 341. Iterum ann. U. C. 349.

Quintus Fulvius Flaccus, cons. cùm Appio Caudice, an. U. C 489. Alius cons. an. U. C. 575. Ligures vicit, ac de iis triumphavit. Alius cons. cum L. Corn. Lentulo, an. U. C. 516. Iterum cum Torquato, ann. U. C. 530. Bojos in deditionem accepit. Tertiò cum App. Pulchro, Pœnos ad Beneventum cecidit. Quartò cum Fabio Maximo Tarentum recepit, an. U. C. 545.

Quintus Fulvius Nobilior, consul, cum T. Annio Fusio, anno U. C. 601.

Quintus Fusius Calenus, cons. cum P. Vatinio, an. U. C. 707.

Quintus Haterius Antoninus, cons. cum D. Junio Syllano, an. U. C. 805.

Quintus Hortensius Nepos. Vide *Hortensius*.

Quintus Lecanius Bassus, cons. cum M. Licinio Crasso Frugi, anno U. C. 816.

Quintus Lepidus, cons. cum M. Lollio, an. U. C. 733.

Quintus Luctatius Catulus. Vide *Catulus*.

Quintus Mamilius Vitulus, cons. cum L. Val. Max. an. U. C. 488. Iterum cum L. Posthumio, an. U. C. 491.

Quintus Martius Philippus, cons. cum L. Æmilio, an. U. C. 488. Alius cons. à Liguribus victus, an. U. C. 569.

Quintus Martius Rex, consul, Stœnos, gentem Alpinam superavit, an. U. C. 636.

Quintus Martius Tremulus, cons. cum L. Cæsare, an. U. C. 690. Alius cons. de Hernicis triumphavit, an. U. C. 448.

Quintus Martius Varia, cons. cum L. Metello Cretico, anno U. C. 686.

Quintus Maximus Eburnus, cons. cum C. Licinio Getâ, anno U. C. 638.

Quintus Minutius Rufus, consul, cum Cn. Corn. Cethego, an. U. C. 557.

Quintus Minutius Thermus, consul, cum L. Corn. Merula, anno U. C. 571.

Quintus Mutius Scævola. Vide *Mutius*.

Quintus Nautius Augurinus, cons. cum C. Horatio Pulvillo, anno U. C. 297.

Quintus Niger, cons. cum T. Aproniano, an. U. C. 769.

Quintus Novianus, cons. cum P. Gallo Camerino, an. U. C. 787.

Quintus Opimius, consul, Transalpinos Ligures subegit, ann. U. C. 600.

Quintus Pedius, cons. cum puero Octavio in locum Hirtii & Pansæ, qui in Mutinensi prælio occubuerant, suffectus.

Quintus Pedo, cons. cum Val. Messalâ, an. U. C. 867.

Quintus Petilius Spurinus, consul, cum Cn. Scipione Hispalo, anno U. C. 587.

Quintus Pomponius Nepos, cons. cum L. Syllâ, an. U. C. 666.

Quintus Publius Philo, consul, cum Æmilio Mamerco, an. U. C. 317. Iterum cum L. Corn. Lentulo, an. 428. Tertiò, an. 434. Quartò, an. 448.

Quintus Quintilius Varus, in Germania bellum gerens sub Octavio Cæsare, cum 3. legionibus ad internecionem cæsus est, Suetonius.

Quintus Servilius Cæpio, cons. cum Q. Martio Philippo, an. U. C. 585. Alius cons. cum C. Lælio, an. U. C. 614.

Quintus Servilius Fidenas, Trib. Mil. an. U. C. 354. Iterum, an. 358. Tertiò, an. 361. Quartò, an. 366.

Quintus Servilius Hala, cons. cum L. Genutio Aventinensi, an. U. C. 391. Iterum cum eodem triennio pòst. Idem Dictator, an. 396. Tertium cons. cum C. Martio Rutilio, an. U. C. 414.

Quintus Servilius Priscus, Dictator, Æquos ac Labicanos vicit, anno U. C. 338.

Quintus Sulpitius Camerinus, Trib. Mil. an. U. C. 354. Iterum, an. 358. Alius, cons. cum C. Poppæo Sabino, an. U. C. 661.

Quintus Sulpitius Cossus, consul, cum M. Manlio Capitolino, anno U. C. 322.

Quintus Verannius, consul, cum Cn. Pompejo Gallo, anno U. C. 801.

Quintus Volusius Saturninus, consul, cum P. Cæpione, anno U. C. 808.

Quintus, locus Ital. apud Sarnum fluv. ubi Vitiges Rex Theodatum interfecit, Marcellinus.

Quiri, regio est Terræ Antarcticæ, à Ferd. Quiro Hispan. detecta, versus oram Austr. maris Pacifici. Sed non constat, ubi sit, an prope Insulas Salomonis, aut versus novam Zelandiam; nec ulla ibi Europæorum colonia.

Quirinalia, vocabant diem, quo sacra *Quirino* fiebant. Fiebant autem 12. Cal. Maji. De his Ovidius & Varro.

Quirinalis, collis Romæ dictus, quòd in eo *Quirini* templum esset, sive quòd in eum commigraverant Sabini à Curibus venientes: & *Quirinalis porta*, quòd eâ in collem Quirinalem iretur; vel quòd proximè eam esset Quirini templum. Hodie Italorum vulgus à duobus equis marmoreis, Phidiæ & Praxitelis operibus in hoc colle sitis, *Monte Cavallo* vocat.

Quirinius, vide *Sulpitius*.

Quirinus, de *Quiritium*, ac *Quirini* etymo, quanquam propriè pertineat ad propria, παρέργως aliquid addemus (inquit Vossius in *Quiritare*.) Meo judicio à *Curibus* est *Quirites*, & *Quirinus*, non

contra. Nam *Quirites* propriè qui *Cures* incolebant, Sabinorum oppidum, in quo regnabat Tatius: ut Romani, qui cum Romulo Romam tenebant. Verùm post fœdus ictum inter Romulum ac Tatium pro eodem populo habiti *Romani* & *Quirites*: unde *Quiritari*, pro *populi Romani auxilium implorare*. Dubium verò, num *Curibus* sit nomen à *Curis*, quæ Sabinis, Festo teste, hastam significat: an *hasta à populo hastato* sit impositum nomen. Ovidius de *Quirini* appellatione varias est contentus adduxisse opiniones, judicium verò suum non interponit. Sic enim ait *Fast.2.*

Sive quòd hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in astra Deus:
Sive suo regi nomen posuere Quirites;
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

Priorem Ovidii versum quod attinet, ei adstipulatur Dionysius Halicarn. *lib. 2.* Ῥωμ᾽ ἀρχαιολ· Κυρεῖς γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσι.

Quisa, meliùs *Cyisa*, portus Carmaniæ, inter Bagia & Alabagium, promunt.

Quiteva, regnum Æthiopiæ merid. antea pars regni Monomotapæ, versus Zanguebariam reg. cum urbe prim. cognom.

Quiton, prov. Peruviæ, in parte Bor. inter prov. Quixotum ad Ort. & mare Pacificum ad Occ. Urbs ejus prim. est *Quitum*. Longa est 80. leuc. lata 35. circiter. Nunc sub Hisp.

Quiton præfectura, Hispanicè *Audiença de el Quito*, una ex tribus præc. partibus Peruviæ, versus Bor. extensa, continens Quixorum, Pacamorum & Quitoam propriam, inter Popajanum ad Merid. fluvium Pulomayum & Amazonum ad Ort. Peruviam propr. ad Mer. & mare Pacificum ad Occ. sub Hisp.

Quitum, urbs Peruviæ, Episcop. sub Archiepisc. Limensi, penè sub linea æquinoctiali. Aliter *S. Francesco de el Quito*; in valle, intra montes, prope fontes fluv. Amazonum, 300. leuc. à Lima in Bor. 75. ab ora maris Pacifici in Ort.

Quivira, regio Americæ Septentrionalis, ad ultimum usque Occidentis limitem pertingens, in novo regno Mexicano, cœli inclementia & nimia paupertate penuriaque cognita, sicut Historia, quæ talis est, docet. Vasquii Coronati milites, cùm in Cevola nullum auri vestigium reperissent, ne vacuis manibus Mexicanas terras repeterent, fortunam tentare, & ulterius progredi statuebant, si qua usquam benignior sese fortuna offerret, in quam spem à multis accensi sunt, cùm Tichuico Tiguexam venissent. Illic enim Quiviræ famâ à quibusdam in majus celebratâ, credulis militibus persuasum est, Tatarrapum, Regem potentissimum, in Quivira longè lateque rerum potiri, lætis militibus, quòd tot terrarum spatia emensis aliqua melioris fortunæ spes affulsisset; continuatis itaque itineribus, Cicuicam, mox Quiviram pervenere; Cicuica 21. gradibus aut 220. penè æquinoctialibus passuum millibus à Quivira abest. Totum iter altis arenis hocce est impeditum, perpetua sterilitate infame, neque lapidem, neque herbam, aut arborem penè centesimo mill. habet. In arenosis hisce desertis oberrante Coronato exorta subito grandine, lapides pluit ovi anserini magnitudine; hujus rei novitate, Hispani mirum in modum consternati, ad lachrymas precesque versi cœlestem iram deprecabantur. Tandem Quiviram deventum, ubi Tatarrapum senem, pro quo tot tantosque labores exantlarant, nudum, æneo monili seu emblemate (quæ tota ipsius erat gaza) ornatum invenere. Milites, viso Tatarrapo cùm sua credulitate sese conferrent, fastiditis propositis hibernis, nihil morati, Tiguexam rediere. Quivira, quadraginta graduum habet altitudinem: secundum littus maris Regio satis pascua est. Vaccæ, quarum hic ingens copia, dorso incurvo sunt aut gibbose, instar Camelorum; ingentes quoq; instar leonum nutriunt canes, quorum opera in transmigrationibus jumentorum loco utuntur, Metel. Sita est versus Sualam montem & terminos Floridæ. Quibusdam Quivira est terra perampla, inter Fretum Aniani & Fretum Esonis. Sed quid sit, non constat inter scriptores, Baudrandus.

Quixi, *los Quixos*. pop. Peruviæ, in regno Bor. Conficiunt prov. inter Quitoam ad Occ. & Canelam ad Ort. Detecti An. 1557. ibi Hispanorum tantùm quatuor coloniæ, Batia, Archidona, Abula & Hispalis aurea.

Quiza, *Buiza*, Ptolem. Maurit. Cæsar. nunc regni *Algerii*, urbs maritima, *Orano* hodie Olivario; cum arce munita in colle, in ora maris Mediterr. prope portum magnum, 75. m. p. à Telensino in Ort. versus Tenezam, seu Jul. Cæsaream 90. & Algerium 200. Capta à Franc. Card. Ximenio, sub Ferdinando Aragonio, à quo tempore Hisp. subest.

Quiza, Carmaniæ portus. Arrian. ac Ptol. Vide *Quisa*.

Quodvult Deus, Episcopus Carthaginensis, tempore urbis hujus à Genserico captæ: quassatis navibus cum maxima Cleri parte impositus, Neapolim nihilominus tutò pervenit. Fortè is ipse est, cui Augustinus tract. de Hæresibus inscripsit. Prosper. & Marcell. *in Chron.* Baron. *An. C.* 439.



R — R A

R Litera, cujus pronuntiatio paulo asperior est, canina est, dicta quia horum animalium latratum imitari ejus pronuntiatio videtur. Hinc Pers. *Sat.* 1.

—— *Sonat hic de nare canina*
Litera. —— ——

In *S.* quandoque abit, ut *Arbos*, pro *Arbor*: *Odos*, pro *Odor*. Aliquando in *L.* vertitur. Ut à *Frater*, *Fratellus*: à *Caper*, *Capella*. Quò sine dubio allusit Ovid. *Fast. lib.* 5.

Afsera mutata est in lenem tempore longo
Litera, qua toto nomine prima fuit.

A Romanis sæpè sola posita est, ut Romam urbem indigitaret.

R A.

Raab, meretrix Chananæa, in Jerichuntis urb. devastatione, sola servata cum tota suâ familiâ, & omnibus quæ possidebat; quòd abscondèrit nuncios, quos eò miserat Josue, Jos. *cap.* 6. Torniel. *An. M.* 2584. *n.* 8. 15. *&c.*

Raab. Ægyptum esse quidam memorant. Lat. *superba*, aut *fortis*, vel *tumultuans*.

Raaja, filius Subal, 1. Paral. 4. Lat. *visio Domini*.

Raamias, nomen viri, 2. Esdr. 7. Lat. *tonitru Domini*, sive *malum à Domino*, aut *socius*, vel *pastor à Domino*.

Raba, urbs ad sinum Jonicum, Stephan.

Rabanus Maurus Magnentius, Archiepisc. Moguntinus, Scriptor seculi 9. celeberrimus, Fuldensis creditur. Philosophus ingens, Theologus summus, Poetarum sui seculi facilè princeps. Alcuino præceptore usus, primò Abbatiæ Fuldensi adhibitus est, cujus redditis cùm negligentius, sacris curis studiisque intentior, curasset, Monachorum importunis querelis cedens, ad Ludovicum Germaniæ Reg. se contulit, à quo Moguntinâ Infulâ ornatus est, An. 867. Synodos complures celebravit, Arbiter negotiorum sui temporis. Sententiæ *de Orali Manducatione Corporis Christi in cœna Domini*, jam tum spargi cœptæ, acriter restitit, diligens Augustini sectator, ejusq; sententiam Bertramus Presbyter, jussu Caroli Calvi, scripto edito defendit: eodem tempore & Johanne Scoto, de Eucharistia dogma Augustini egregiè tuito, Hospin. *in præf. ad libr. Conc.* Sub eo tamen Godescalcus Monachus, quòd Prædestinationem & reprobationem dari, nec Christum pro omnibus mortuum esse, ex S. Scriptura, doceret, duriter habitus est. Obiit An. 856. Opera ejus volum. 6. prodierunt Coloniæ Ann. 1627. in quorum fronte Vita ejus, à discip. Rodolpho, & lib. 3. alia à Trithemio conscripta habetur. Trithem. *in Cat. lib. de Scr. Eccl. & in Chron.* Annales Fuld. Lupus Ferrerius, *epist.* 40. Hermann. Marian. & Lambert *in Chron.* Serarius *in Mogunt. Præsul.* Vossius, Gesnerus, Christ. Brouverus *in Fuld. Hist. &c.*

Rabath, seu *Rabbat* Moabitis, urbs Terræ S. Archiep. sub Patr. Hierosolym. hodieque *Rabath*, trans Jordanem, P. de Via.

Rabathmoma, urbs tertiæ Palæstinæ, quæ nunc *Areopolis*.

Rabba, licèt diversè à *Rabbath* scribatur, videtur tamen eadem esse civitas, in tribu Juda, Jerem. 49. Latinè, *multa*, sive *magna*, aut *jurgium*, vel *impugnatio*.

Rabbath, quæ & *Rabba* filiorum Ammon, ob magnitudinem sic appellata, dicta & *Ammon*, *Amman*, postremùm *Philadelphia*, à rege Ægypti Ptolemæo *Philadelpho*, qui Arabiam tenuit cum Judæa. Urbs potens, regia & metropolis terræ Ammonitarum, Urbem hanc expugnavit Og, rex Basan, gigas, in qua monstratur lectus ejus ferreus, longitudinis novem, latitudinis quatuor cubitorum, est in tribu Gad.

Rabbatammana, urbs montanæ Arabiæ: profertur etiam in neutro genere, Steph.

Rabboth, civitas in tribu Issachar, Jos. 19. Lat. *fœnus*, aut *multitudo*, vel *jurgium*, sive *impugnatio*.

Rabelæsius Franciscus, ingenio ad jocos nato, sed plus æquo liberior, Chinonio Turonensis. Habitum Franciscanorum primò Pictavii sumpsit, mox illo abjecto, Medicinæ se applicuit, insignem in illa eruditionem adeptus. A Johanne Bellajo, cujus sanitatem curabat, Romam deductus, & in Pauli III. conspectum venire jussus, ne ipsi quidem pepercit. Scævola Sammart. *lib.* 1. *elog.* Obiit dein, in loco propè Parisios, ubi prædiolum aliquod munificentiâ Patroni possidebat, ridens & jocatus. Cùm enim ut in Domino moreretur, adstantes hortarentur, afferri sibi cucullæ quoddam genus, quod *Domino* vocant, jussit illoque capiti inducto, in Domino se obiturum dixit, Ann. 1534. Justus *in Chron. Med.* Vander Linden *de Script. Med. &c.*

C. Rabirius, eques Romanus, perduellionis, id est, læsæ majestatis accusatus à T. Labieno tribuno plebis, quòd Saturninum virum sceleratum, & hostem patriæ in tumultu occidisset; de quo extat oratio Ciceronis.

C. Rabirius, Poëta grandiloquus, usque adeo, ut hâc parte proximus à Virgilio crederetur. Descripsit bellum Actiacum inter Antonium & Octavium. Vellej. Paterc. *lib.* 2. Senec. *lib.* 6. *de Benef. cap.* 3. Meminit quoque ejus Ovid. *Pont. lib.* 4. *eleg. ult.*

—— *Magniq; Rabirius oris.*

Itemque Seneca *lib.* 6. *de Benef. cap.* 3. *Egregiè mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, cùm fortunam transeuntem aliò videbat, & sibi nihil relictum præter jus mortis, id quoq; si occupaverit, cito exclamare:*

Hoc habeo, quodcunq; dedi.

Maximè nostri ævi eminens, princeps carminum Virgilius, Rabiriusq;, Quintilianus tamen *lib.* 10. satis jejune laudat: *Rabirius ac Pedo, non indigni cognitione, si vacet.* Citat Fulgentius Planciades è Rabirii Satyrâ:

Abstemium merulenta fugit Metnenia nomen.

Ubi mirum secundam in *abstemius* corripi: nisi placet *οινώζοντ* esse. Sed, credo, diversus ille Rabirius. Imò fortasse ne Rabirius quidem. Nam in libris aliis est *Rubrius*, sed quis iste Rubrius, æquè incertum. Unde aliqui *Rutilius* emendant. Quibus quo minùs subscribam, in causâ illud est, quod Rutilii Satyrographi veterum nemo meminerit, Vossius.

Rab mag, princeps quidam, Jer. 39. Lat. *magister*, vel *princeps excindens*, vel *demergens*, aut *liquefaciens*.

Rabsaces, id est, *magister* vel *præpositus bibentium*, aut *magistri osculum*, vel *jacculus*, sive *multum bibens*, aut *osculans*, vel *magnus jaccus*. Princeps in exercitu Senacherib, 4. Reg. 11.

Rabsares, vel *Rabsaris*, magister vel præpositus Eunuchorum; princeps Babylonicus, Jer. 39.

Racata, pop. Germ. sub Quadis, ubi nunc pars Austriæ, ad Danub. Sansoni autem erant, ubi pars Hungariæ Sept. ad Danubium, versus Tirnam & Neoselium.

Raceburgum, urbs Saxoniæ infer. aliàs sub proprio Episcop. inter Ducatus Megalopolitanum & Lauemburgic. juxta lacum. Nunc sub Duce Megalopolit. pace Monaster. sed ejus castrum est Ducis Lauemburgici, ubi sæpe moratur, 6. m. Germ. à Suerino in Occ.

Rachal, civitas, quam David suorum spoliorum participem fecit, 1. Reg. 30. Lat. *susurro*, aut *aromatarius*, sive *negotiator*.

Rachel, id est, *ovis*, filia Laban, altera uxor Jacob, è quâ Josephum & Benjaminum sustulit, Gen. 29.

Rachelsburgum, seu *Raclitanum*, urbs Stiriæ inferioris ad Muram fluv. permunita, 4. leuc. à confin. Ungariæ in Occ. 6. à Græcio in Ort. sub Austriacis.

Rachemburgii, item *Regenburgii*, vulgò *Rachenburgers*, Judices erant apud Salices Ripuarios nonnullosq; alios German. populos, Comiti in curia sua, quam *Mallum* vocabant, assidentes, & in rebus pluribus semper adjuncti: Numero non definiti, plerumq; tamen septeni. An quasi *Sagibarones*, mutato *S.* in *R*, ut sit *Racha*, pro *Sacha*. Vide Alex. ab Alex. *pag.* 34. Dicti à Germ. *Racha*, hodie *Racht*, id est, causa, res, argumentum: unde *Rachten*, causam agere, & *Burgus* civitas, quasi causarum civitatis judices. Alii quasi Rectores civitatis, à prisco Saxon. *Ræcen*, regere: Bignonio iidem cum Scabinis videntur. Vide illum, & Henr. Spelm. *Gloss. Arch.*

Rachesis, in locum Hildebrandi, Italiæ Reg. electus, cùm contra fœdus provinciam Rom. vexaret, Zachariæ Pont. oratione motus, non solùm humi prostratus, cum adoravit, sed unà cum filio & uxore cœnobium ingressus est, An. C. 752. quod tum à Carolom anno quoque, Childerico, sed invito, aliisque factitatum. Successit frater Aistulphus, qui Exarchatui finem imposuit. Vide *Rachis*.

Rachis, Foro-Julii D. fil. Remnonis, in locum Aldebrandi, nepotis Luitprandi, Longobardorum Rex electus, An 744. Perusium obsedit, An. 750. precibus Zachariæ Pontificis inde avetsus. Postea in gratiam Aistulphi fratris regno se abdicavit. Paul. Diaconus *Histor. Langobard.* Vide *Rachesis*.

Racilia, uxor fuit L. Quintii Cincinnati. Hæc togam propetè tugurio viro postulanti prætulit: cùm mandata Senatus, togatus ut audiret, rogaretur à Legatis, quorum operi agresti intentum, nomine Senatus salutabant, Tit. Liv. *lib.* 3.

Racilia, primâ nocte cum marito, in conjugali amplexu, ruinâ thalami extincta. Vide *Inscript. Antiq. pag.* 268.

Racilius, Trib. plebis, qui de Clodianis facinoribus questus est in Senatu. Cit. *in Epist. ad Qu. fratrem.*

Raconicum, urbs Bohemiæ, prope Mizam fluv. 7. mill. Germ. à Praga in Occ. Egram versus 13. & 7. à Litometitio in Merid.

Radacophanum, opp. agri Senensis, versus montem Tuniatum, in monte excelso, cùm arce permunita, sub M. Duce Hetruriæ, 7. mill.

7. mill. à confin. dit. Pontif. Aliàs *Castrum S. Petri*; à Friderico I. extractum; *Radicofani*.

Radagisus, Scytha, Gothorum Rex, An. 405 cum immento exercitu Italiam ingressus, omnia longè lateque vastavit: cui Honorius se imparem sentiens, alios Gothos Hunnosque, sub Haldino & Saruso, conducere necesse habuit. Sed, antequam ad manus ventum, Radagisus panico terrore consternatus, quà venerat, rediit, in fuga, amissis captisque suis, tanto numero, ut gregatim venderentur, occisus. Prosper. & Marcellin. *in Chron.* Augustin. *Serm.* 29. *in Luc. & lib.* 5. *de C. D. cap.* 23. Oros. *lib.* 7. *cap.* 37.

Radaius, Dux auxiliaris Persæ, contra Aeeten, frater Fidonis, apud Val. Flacc. 6. *Argon.* 70.

Radbodus I. Frisonum Rex, post Adgillum Patrem, Ann. 679. regnavit An. 40.

Radbodus II. successit An. 749. fratri Gundewaldo, per An. 26. Annales Frisii.

Radbodus, Episcopus Ultrajectinus, nepos Frisonum Regis, in aula Caroli Simplicis educatus, ibi Nannonem, celebrem ejus ævi Philosophum, Præceptorem nactus est. Ab Arnolpho Imper. invitus infulâ donatus, Daventriæ plerunque, quòd Ultrajectum Danorum incursionibus pateret, commoratus est. Obiit Ann. 917. Scripsit vitas aliquot Sanctorum. Voss. *de Histor. Lat. lib.* 2. *cap* 39. Trithemius, *de Script. Eccl. & lib.* 2 *cap.* 38. ac *lib.* 3. *cap.* 255. Valer. Andr. *Bibl. B.* Joh. Beka & Guil. Heda, *de Episc. Ultraj.*

Raddai, quintus filius Isai, 1. Paral. 2. Latine, *descendens*, vel *dominans*.

Radegondis, Galliæ Regina, formâ & virtute inclyta. Filia fuit Berthari, Thuringiæ Reg. à Clothario I. abducta, bello, quod cum Childeberto gessit. Singulis annis solita legitur, integrum mensem in angusto & abjecto loco ad Deum preces fundere, An. 587. Gregor. Tur. Fortunatus, &c.

Radesia, vulgò *Retz*, tractus Britann. min. in prov. Nannetensi, & limite Pictavensi, cum tit. Duc. ubi opp. præcipuum Machicolium, versus ostia Ligeris, in Oceanum Aquitanic.

Radeverum, vicus Galliæ, in agro Bajocassino, vulgò *Raviers*: clarus olim Monasterio cognomine, quod pridem dirutum est, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Radevicus, Canonicus Frisingensis, Sacellanus & amicus Ottonis Episcop. Hujus vitæ Friderici Barbarossæ libb. duos superaddidit. Sed illo ante Ottonem mortuo, alius quidam illam continuavit. Ab an. 1160. usque ad 1190. Addita quoque Epistola, de itinere Friderici sacro. Bellarmin. *de Scr. Eccl.* Possevin. *in Appar.*

Radiantia, fluv. Franconiæ, *Rednitz*. Oritur in limite Palatinatus super. prope Visseburgum; dein aliquot auctus amnibus, prope Norimbergam, recipit Pegnitium; hinc per dit. Bambergensem fluens, paulò infra Bambergam Mœno miscetur.

Radiantia, etiam *Pegnesus* fluv. dictus est.

Radipons, Castrum olim Galliæ nobile, ad Indellam fluv. in Veliocassibus diœcesique Rotomagensi, proximum Floriaco *Fleury*. Hoc expugnavit Philippus Augustus An. C. 1202. Vulgò *Ratepont*, prope castrum Gaillardum, Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Radis, insula sinus Aquitanici, vulgò *l'Isle de Ré* Undecim circiter vicos continet, quos inter eminet Abbatia, *l'Abbaye*, à Duce Aquitanorum Hunoldo Ann. C. 744. post nonum principatus sui annum, extructa, & magnus vicus S. Martini, munimento & ancyrobolio ejusdem nominis notabilis; quorum alterum *Fort S. Martin*, alterum *Rade St. Martin* dicitur. Mare, quo *Radis* alluitur, nautis mare Ferum, aut Silvaticum, *la mer Souvage* appellatur. Est autem illa, ut & Uliarus, insula in finibus Santonum: ex quibus Olario diœcesi Santonicâ hodieque continetur, at Radis ei detracta est, postquam Malliacensis Episcopatus Rupellam est translatus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Radnoria, prov. seu Comit. Angliæ in Wallia Merid. inter Herefordiam & Salopiam ad Ort. & Cereticam Brechochiamque ad Occid. parvi circuitus. Cum urbecula cognom. quæ ad amnem *Somegill*, 15. mill. Angl. ab Herefordia in Circ. & 20. à Salopio in Meridiem abest.

Radolium, Monasterium Galliæ, ad Matronam, in Meldis, sesquimilliari distans à Monast. Jotro, vulgò *Reuil*: hodieque Cluniacensis Ordinis Prioratus. Hoc Rado, frater Adonis & Dadonis, Dagoberti Thesaurarius, condidit, si fidem Aimonus & Sigebertus merentur. Petri & Pauli patrocinio gloriatur, estque Caritati subiectum. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Radomia, opp. amplum Sandomiriensis Palatin. in Polon. super. 20. leuc. Polon. à Varsavia in Merid. Sandomiriam versus 15. circiter. Caput territorii adjacentis.

Radzivilius Nicolaus, Palatinus Vilnensis, Evangelium amplexus, in aula sua Fano S. Johannis opposita sacris locum concessit: Fautor literatorum: Apostasiæ à Lippomano Pontif. Legato accusatus, doctâ apologiâ ei respondit. Vide Chytr. *Saxon. lib.* 11. Joach. Bielscium *in Chron. lib* 5. Missus à Sigismundo August. juramentum fidelitatis à Valthero Pletembergio Ordinis Livon. M. Magistro exegit, privilegiique & religionis Aug. usu confirmato eum Ducem Curlandiæ & Semigalliæ pronuntiavit, An. C. 1561. mox Moscum talia ægrè ferentem, magnâ clade affecit, An. Ch. 1564. Lætus.

Radzivilius Christophorus, Palatinus itidem Vilnensis, templo celeberrimo in urbe, Evangelicis hostium fraude erepto, exercitioque in suburbium relegato, novam Ecclesiam erexit: Vir arte & Marte summus, Obiit An. Ch. 1640. senio curisque confectus. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Radulphus, Flaviacensis Monachus, in diœcesi Bellovacensi. Obiit Ann. 1157. Scripsit libb. 20. in Leviticum, &c. Alberic. *in Chron.* Trithemius & Bellarmin. *de Script. Eccles.* Possevinus, Sixtus Sen. Eisingrenius, Miræus, &c.

Radulphus, cognomen. *de Rivo*, Decanus Tungrensis, sec. 14. Theologiæ, Juris Canonici & Lingg. probè sciens. Scripsit *de Canonum observantia, de Psalterio observando, Historiam Episcoporum Leodicensium, Calendarium Eccles. &c.* Val. Andr. *Bibl. Belg.* Obiit An. 1403. Possevinus. Miræus, &c.

Radulphus Actonus, Presbyter Anglus, An. 1320. scripsit in Epistolas Paulinas, in Magistr. Sententiarum, Homilias, &c. Lelandus & Pitsæus, *de Script. Angl.*

Radulphus de S. Albano, Abbas Benedictinus Anglus, scripsit An. 1150. vitam S. Albani & Alexandri M. Pitsæus *de Script. Angl.*

Radulphus Arttentius, Picto, eruditione inclytus, An. 1101.

Radulphus Baldocus, Episcopus Londinensis, A. 1313. Auctor Historiæ Anglicæ.

Radulphus Bockingus, Dominicanus, An. 1270.

Radulphus Coggeshalus, Cistercicusis, An. 1228. Scripsit Chronicon Terræ sanctæ, &c.

Radulphus de Diceto, Decanus Londinensis, An. 1210. Scripsit *de Synodis, de Temporibus mundi, de Regibus Anglorum, &c.*

Radulphus Eleemosynarius, Benedictinus, Ann. 1160. Homiliarum Scriptor.

Radulphus de Fresburno, itinere in Orientem suscepto, Carmelitas in Angliam introduxit. Scripsit varia An. 1240.

Radulphus Marrhamus, Augustinianus. Condidit An. 1380. *Manipulum Chronicorum.*

Radulphus Niger, Auctor variorum Operum Historicorum, Anno 1217.

Radulphus Radcliffus, An. 1552. Grammaticus eruditissimus.

Radulphus Redictor, Franciscanus, An. 1350. Scriptus celebris.

Radulphus Schirvvinus, Presbyter Anglus, linguarum peritus.

Radulphus Spalaingius, Carmelita. Scripsit *Determinationes S. Scripturæ.*

Radulphus Strodus, Poëta, Ann. 1370. Itinerarii Terræ S. auctor, &c. Omnes laudati Pitsæo, *de Script. Angl.* Vide *Rodolphus.*

Retia, vide *Rhetia.*

Retiaria, Mysiæ super. opp. Ptolem. *Nicopoli* Nigro. Aliàs Daciæ Ripensis metropolis, nunc etiam *Arezar* Bulgaris.

Raga, urbs Mediæ fuit, in Atropatiana reg. & ora maris Caspii, prope Sinum Caspium, versus confinia Hyrcaniæ, 100. circiter mill. pass. ab Arsacia in Boream & 140. ab Ecbatana in Ort. forsan nunc *Rast*.

Ragaba, castrum ultra Jordanem, in Gerasinorum finibus situm, in tribu Manasse, quod Alexander Jannæus, Judæorum rex, obsidens, naturæ concessit. Joseph. *lib.* 13. *Antiq.* 21.

Ragau, filius Phaleg, 1. Paral. 1. qui *Reu*, Gen. 11. Lat. *socius*, aut *pastor*, *malum*, vel *confractio ejus.*

Rageia, Mediæ opp. à Nicanore conditum, Strab. Vide Boch. *Geogr. pag.* 106.

Rages, civitas apud Medos, Tob.

Ragimbertus, Dux Taurinensis, Luitperto adhuc infanti, regnum Longobardorum eripuit, An. 701. ab Ariperto tertio pòst mense depulsus. Paul. Diaconus, *Histor. Long.* Item, Abbas Floriacensis, An. 660. Auctor vitæ S. Walerici, &c.

S. Ragneberti opp. Segusianorum, ad Ligerim, olim *Occiacum*, ponte ac Monast. illustre, vulgò *S. Ramberti*. Fuit is Radeberti, provinciarum inter Ligerim & Sequanam ducis fil. Ebroini jussu occisus. Item opp. Brexiæ, 3. leucis à Rhodano, ad amniculum, qui Indim auget, olim *Vallis Vebronna* dictum. In ipso agri Lugdunensis, montisque Juræ confinio, in eremo, cum Monast. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ragnitia, urbs Prussiæ Duc. ad Rusnam fluvium, in limite Samogitiæ & Sclavonia tractu, 16. leucis Polon. à Regiomonte in Ort. Sub Electore Brandeb.

Raguel, sacerdos in urbe Madian, socer Mosis, Exod. *cap* 2. qui Exod. 3. *Jethro* dicitur. Latine, *pastor*, *amicus*, aut *confractio Dei.* Vide *Jethro.*

Raguel, pater Saræ, uxoris Tobiæ junoris, Tob. 1.

Raguel, Cordubensis, scripsit vitam S. Pelagii Martyris An. 925. Ambrosius Moralis edidit, *T.* 4. *Script. Hispan.*

Ragundona, Anton. *Robisch* Lazio, opp. olim nunc pagus cum cœnobio Pannoniæ super. in Stiria, medius inter Celeiam & Pœtovionem, 18. m. p.

Ragusia, seu *um*, Civitas libera Dalmatiæ; destructo Epidauro, cujus rudera 6. mill. inde in Or. vulgò *Ragusi vecchio*, ab Epidauritanis, in rupe maritim. λαῦ dicta conditum, unde *Lausium* prim. d. Porphyrog. Ferè tota conquassata est horrendo terræ motu, Anno 1667. Cum arce munita, & portu in ora maris Adriat. Emporium est celebre, & caput dit. Ragusinæ, cujus longitudo major à

Circio

Circio in Eur. est 60. m. p. sed latitudo vix 50. m. p. In qua etiam Stagnum, Hyllis penins. & Melita Insula in ora adjacenti. Amor libertatis efficit, ut Ducem singulis mensibus, & Præfectos singulis t. hebdomadibus mutent: ut Nobiles gladios non gerant, neque foris inscio Magistratu pernoctent, portæ serò admodum aperiantur: ut Turcis, Venetis, Papæ, Imperatori, Hispan. Reg. tributa pendant, &c. Dalmatis *Dubrounich.* Sub clientela Turcarum.

de Ragusio Johannes, Episcopus Arg. ntinensis, à Felice V. ob singularem eruditionem Cardinalis creatus, permultis Græcis codicibus chartaceaque suâ supellectile Bibliothecam Dominicanorum olim Basil. auxit, qui thesaurus publico Universitatis armario illatus est, An. C. 1559. Christ. Urstis. *Epit. Hist. Basil.*

Rabab, vide *Raab.*

Rababia, nomen viri, 1. Paral. 26. Latinè, *latitudo*, vel *platea Domini.*

Rabalaja, nomen viri, 1. Esdr. 2. Latinè, *socer*, *socius*, vel *pastor Domini.*

Raham, nomen viri, 1. Par. 2. Lat. *vulva*, sive *misericordia.*

Rahuel, filius Esau ex Basemath, Gen. 36. Item filius Jenaniæ, 1. Par. 9. Idem signif. quod *Raguel.*

Raja, filius Esrom, 1. Par. 2. Filius Jerameel, *ibid.* Lat. *excelsus, sublimis*, aut *projiciens.*

Raimundus I. dictus Berengarius & Arnolphus, Comes Provinciæ, etiam quartus hujus nominis Bareinonis Comes fuit. *Raimundus I.* enim Borellus, regnavit An. 24. Pater Berengarii Borelli. Hic genuit *Raimundum II.* Senior. qui regnavit An. 41. *Raimundus III.* Jun. huic successit: Pater *Raimundi IV.* Arnolphi, qui Comes Provinciæ evasit, ductâ Dulci, filiâ & hærede Gilberti Felicis. Obiit An. 1131.

Raimundus Berengarius II. Sen. Obiit An. 1162. cùm ipsi jus dubium faceret nepos.

Raimundus III. Jun. Occisus Nicææ, An. 1156.

Raimundus IV. Comes Provinciæ, donatione Ildefonsi fratris.

Raimundus Berengarius V. fortitudine & prudentiâ, apud omnes sui seculi Principes, inclytus. In bello contra Albigenses notus. Coercuit Proceres quosdam rebelles, & civitates nonnullas ad obsequium redegit. Obiit An. 1245. Ex Beatrice Sabaudica, pater Ludovicæ, quæ nupsit Ludovico IX. Eleonoræ, quæ Henrico III. Angliæ Reg. Sanctiæ, quæ Richardo Imper. juncta est, & Beatricis Comitis Prov. quæ Caroli I. Andegav. Neap. Hierosolym. & Siciliæ uxor fuit. Zurita *lib.* 1. *& seqq.* Nostradamus & Bouchæus, *Hist. Prov.* Rufins, *Hist. Com. Prov. &c.*

Raimundus I. Comes & Marchio Tolosanus, An. 855. à Carolo Calvo creatus. Obiit An. 863. Pater Bernardi II.

Raimundus II. filius Eudis, pater *Raimundi III.* Pontii.

Raimundus IV. S. Ægidii dictus, filius Pontii II. aut III, Obiit in obsidione Tripolis, An. 1105.

Raimundus V. patri Alphonso successit: contra Henricum II. Anglum, propter Tolosam, à Ludovico Juniori Reg. defensus. Obiit Nemausi, Ann. 1194. Pater ex Constantia, filia Ludovici Crassi, Raimundi VI. Senioris.

Raimundus VI. Albigensium, qui ob religionem, ab Innocentio III. prædæ omnium expositi erant, hyperaspistes, à Papa excommunicatus est, ditionibus ejus Simoni Montfortio, persecutorum Antesignano, adjudicatis, ex Concilii Lateranensis sententia, Ann. 1215. Unde gravissimi & diuturni belli origo. Hunc Papyrius Masson. *Hist. Gall. lib* 3. scribit, submisisse se Papæ legato, qui stolâ collo ejus injectâ tractum in Ecclesiam flagris compulerit, in templo verò Ægidii veste nudatum frequentissimo hominum cœtu virgis cæciderit: Moretius verò *Diction. Hist.* citra absolutionem mortuum refert, adeoque in semel agnita & fortiter defensa veritatis professione perseverasse innuit. Obiit Ann. 1222. Et ex Johanna Anglica, filia Henrici II. natus est,

Raimundus VII. Jun. qui Avenione potitus, contra Almericum Simonis Montfortii filium, bellum paternum strenuè diu continuavit, tandem pace cum S. Ludovico Gall. R. factâ, ad sacrum bellum accinctus, Obiit An. 1249. Ex Sanctia Arragonia, pater Johannæ, quæ nupsit Alphonso Comiti Pictav. fratri S. Ludovici. Catel. *Histor. Tholos.*

Raimundus Rogerius, Comes Fuxensis, fidelium, qui tum Albigenses dicti, partes strenuè tutatus, Carcassonâ eaptâ, in manus hostium devenit. Obiit Ann. 1222. Vide Ohagaray & Marcam, *Hist. Bearn. lib.* 8. Idem nomen plurimis Provinciæ, Aquitaniæ, Foxii, Barcinonis, Arragoniæ, &c. Principibus commune fuit.

Raimundus Agilius, seu de Podio, auctor *Historiæ Francorum, qui ceperunt Hierosolymam.* Comes Raimundi IV. S. Ægidii, in expeditione sacra: ejus Sacellanus.

Raimundus de Alto Ponte. Augustinianus Gallus. Explicuit sacram Scripturam Parisiis, Ann. 1420. & scripsit Commentar. in Epist. Paulinas, &c.

Raimundus Feraldus, nobilis Provincialis, Prior. Versu plurima scripsit An. 1300. Nostradamus.

Raimundus Jordanes, Abbas, floruit seculo 14. tractatibus suis 16. *Idiota* nomen præposuit: Edit. An. 1654. Vide *Theophilus Rainaldus.* Item Poëta Cadurcensis, An. 1206.

Raimundus Lullius, Catalaunus, in Majorica natus, Philosophiæ Arabum, Chymiæ & Medicinæ peritissimus. Scripsit, *Generales Artium libros, Logicales, Philosophicos & Metaphysicos, Variarum item Artium libros, Medicinæ & Juris utriusq., Libros spirituales, Prædicabiles, Quodlibeticos, & Disputationum.* Anno ætat. 40. Franciscano habitu sumpto, Saracenis in Africa Evangelium annuntiavit, in Mauritania lapidibus propterea obrutus, An. 1315. ætat. 80. Velut martyr in patria cultus.

Raimundus Lullius, Jun. de Terraga, cognom. Neophytus, ex Judæo Christianus, Dominici habitum induit in Arragonia. Interim judaizare pergens, eredidit Dæmonem aliquando cultu latriæ adorari posse, vi tormentorum abnegare Deum licere, omnem peccatorem hæreticum, Legem Mahometis æquè orthodoxam, ac Legem JESU CHRISTI esse, Deum malum non minus, ac bonum amare, &c. Vide de utroque Carol. Bouvillanum, *in vita Raimundi Lullii.* Wading. *in Annal. & Bibl. Min.* Andr. Schottum, *in Bibl. Hispan. &c.*

Raimundus Penafortius, vel *Rupifortius*, Dominicanus Barcinonensis, JC. eximius, à Gregorio IX. compilationi Decretalium, libb. 5. adhibitus est. Generalis sui Ordinis factus, Obiit An. 1275. Sanctis annumeratus, à Clemente VIII. An. 1601. Scripsit quoque Summam Raimundinam. Moret. *in Dict. Hist.*

Raimundus Puteanus, M. Mag. Hierosolymitanus, nobilis Delphinas. Cum Godofrido Bullionæo in Orientem profectus, post varia fortitudinis specimina edita, pauperum & peregrinorum curæ se Hierosolymæ consecravit. Successor Gerardi, præscripsit ordini regulam Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ: & equites armis instruxit, ad peregrinos defendendos. Obiit An. 1160. Bosius & Balduinus, *Hist. Melit. lib.* 1, *&c.*

Raimundus Romieu, Arelatensis, Poëta, An. 1355. Nostradam.

Raimundus Sebunde, Hispanus Philosophus, Medicus & Theologus, floruit, Ann. 1430. Egressus è patria, ut Lutetiæ doceret, Tholosæ à studiosis præter voluntatem defensus, ibi postmodum obiit. Scripsit *Theologiam naturalem*, seu Librum Creaturarum, titulis 330. quod opus Mich. Montanus Gallicè vertit. Trithem. *de Script. Eccles.* Gesner. *in Bibl. &c.*

Rainaldus, & *Reinerius.* Vide *Renaldus.*

Raina, opp. Bavariæ, prope confluentes Lichi in Danubium, in limite Sueviæ. Vix 2. leuc. à Donaverta in Ort. Neoburgum versus paulo plus. Pluries captum & direptum.

Raina, opp. Stiriæ, in Comit. Cilliensi, ad Savum fluv. in limite Carniolæ, aliàs *Collis* quibusdam 25. m. pass. à Cilleja in Ort. 22. à Metulo in Bor.

Rainerius, vide *Reinerius.*

Raithi, reg. cujus pop. *Ratheni* Ptol. apud Arabiæ Petr. plagam meridion. ad montana Arabiæ felic. circa Sinai montem Occid. versus: In mari Rubro, Basil. hinc in Ægypto fuisse, probat Aug. Lubinus.

Rakotius Georgius, in ditione Pauchoviensi & Ledniceusi, in Hungaria, Evangelicis è Moravia ejectis locum, Ann. 1628. concessit. Transylvaniæ postea princeps creatus, rebus gestis, toto orbe inclaruit.

Ralegus Walterus, navigationibus Indicis clarus, in Jacobum Britanniæ Reg. conjuravit, An. Chr. 1603. infelici successu. Vide Thuan. *lib.* 129.

Rama, nobilis civitas in tribu Benjamin, in monte sita, haud procul à Gabaon, Jos. 18. quam reædificavit Baasa, rex Israël, 3. Reg. 15. Latinè, *sublimis*, vel *projecta.* Nunc penè excisa. Item, civ. in tribu Aser. Hieron. *de L. H.*

Rama, vicus in tribu Nephthalim, haud procul ab urbe Sephet in excelso colle: Item Villa, in excelso colle, juxta Thecoam, in via quâ itur Hebron, ex qua videri poterant Jordanis, mons Abarim & mare Mortuum. In tribu Judâ. Item, villa sub monte, qui à Nazareth protensus includit vallem Carmeleon, juxta viam, quæ Sephoro ducit Tiberiadem. Aliæque villæ, omnes in colle.

Ramatha, urbs Syriæ in monte Ephraim, 1. Regum 1. 15. Hieronymus in Tamnitica reg. juxta Diospolim sitam scribit. Vocatur etiam *Ramathem*, & *Ramathaim.* Levitis data.

Ramath Lechi, locus, Jud. 15. *elevatio maxillæ.*

Ramberti Pratum, opp. Com. Forestii, Metula. Vulgò *Rubempré.* suos quondam ac domesticos dominos Marte claros habuit. In Ambianis ponit Joh. de Albineio Episcop. Tricastinus, apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Rambervilleria, opp. Lotharingiæ, ad Mortanam fluv. 7. leucis à Mirecurtio in Ort. Argentinam versus, & 9. à Marsalio in Mer. totidem ferè à Nancejo.

Rame, seu *Rama*, pag. Delphinatus, ad Druentiam fluv. juxta Alpes Cottias, prope montem *le Pertuis Rostan*, id est, foramen Rosanense, fauces Rosanenses. Est enim iter angustum inter duos montes, à loco proximo *Rosana*: Simlero. 4. leuc. infra Brigantium in Merid. Ebrodunum versus 2. circiter. Secundum Valesium *Rama*, vel *Roame* hodieque nomen servat, & dicitur *Rame*, vicus inter Brigantionem & Ebrodunum, fo à vetustate notabilis: inter Fraxinariam, *Froissiniere*, & Cantumlupæ, *Chanteloupe* medius, hinc pede montis, inde flumine angustatus, *Notit. Gall.*

Ramelos, è Ducibus auxiliaribus Persæ, contra Æeten, apud Valer. Flacc. 6. 530.

Ramerudum, vulgò *Rameru*, castrum Galliæ, 7. leuc. à civ. Tricassium, 1. ab Artiaco, vel Arceiis ad Albam flumen: Ejus cella seu Prioratus servat reliquias S Balsemi, à Vandalis trucidati. Had. Valesius *Notit. Gall.*

Ramesses, i. e. *tonitru*, vel *exprobratio tineæ*, aut *malum delens*, sive *dissolvens*, aut *confractus tineæ*, civitas in extremis finibus Ægypti, ab Israelitis condita, olim pagus Arsenoitis dicta. Hieronymus. Eversa. *Iskaal Lein Alschemes* Tudelensi.

Rameth, civitas in tribu Issachar. Jos. 19.

Rameus, propheta sub Jeroboam rege Israel. Joseph.

Ramirus, I. Leginnis R. successit Alphonso II. Casto, An. 824. Fil. Vermundi I. Contra Mauros insigni prælio victor, regnavit an. 26. Obiit An. 850.

Ramirus II. fil. Ordonni II. fratre Alphonso IV. in monasterium detruso, thronum conscendit. Saracenorum 80000. stravit, Ann. 930. iterumque decennio post eosdem vicit, Obiit tamen paulo pòst.

Ramirus III. fil. Sanctii I. ipsi successit, An. 967. Juvenis admodum, sed ob sævitiam, & luxum mox pulsus, An. 980. surrogato Vermundo II. Obiit biennio pòst. Turquetus *Hist. Hisp.*

Ramises, rex Ægypti (cujus ætate captum est Ilium) Obeliscum fecit 40. cubitorum, & alium longitudine undenis pedibus, per latera cubitis quatuor, quem fecisse dicuntur viginti hominum millia. Cujus operis admiratione factum est, ut cum Syenen op. expugnaret Cambyses rex, ventumque esset incendium ad crepidines Obelisci, extingui ignem juberet, molis reverentiâ. *Rhamses*, legendum, vel *Ramses*, ut est apud Plin. 36. 8. Hunc forsan intelligit Cornel. Tacitus, *Annal. lib.* 2. ubi sacerdos Ægyptius Germanico narrat, regem *Rhamsen*, Libyâ, Æthiopiâ, Medisque & Persis ac Bactranâ, & Scythiâ potitum, quasque terras Syri, Armenii, & contigui Cappadoces colunt, &c. hæc literis Ægyptiis ibi scripta in Obeliscis: de quibus Ammianus *lib.* 17. Idem forsan est Rampsinitus apud Herodotum *in Euterpe*.

Ramnes, vel *Rhamnes*, pro equitibus Romanis usurpat Persius: Eos sic vocat ab illis equitibus, quos cum Luceribus ac Tatiensibus instituit Romulus. Varro *lib. 4. de L. L. Ager Romanus primùm divisus in tres partes, à quo tribus appellata, Tatiensium, Ramnium, Lucerum. Nominata, ut ait Ennius, Tatienses à Tatio, Ramnes à Romulo, Luceres, ut ait Junius, à Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tusca, ut Volumnius, qui Tragœdias Tuscas scripsit, dicebat.* Ascon. Pedian. *in 3. Verr. Tribus principio tres fuerunt, Tatiensis una à Tatio rege, Ramnensis altera à Romulo, Lucerus altera à Lucumone, sive à Lucretino, sive à Luco, quem lucum asylum vocaverat Romulus.* Plin. *de viris Illustribus: Tres equitum centurias instituit, quas suo nomine Ramnenses, à Tito Tatio Tatienses, à Lucumone Luceres appellavit.* Plutarchus *in Romulo*: Φυλὰς δὲ τρεῖς καταστήσαντες, ὠνόμασαν τοὺς μὲν ἀπὸ Ῥωμύλου, Ῥαμνήνσης· τοὺς δὲ ἀπὸ Τατίου, Τατιήνσης· τρίτους δὲ Λουκερήνσης, διὰ τὸ ἄλσος, εἰς ὃ πολλοὶ καταφυγόντες, ἀσυλίας διδομένης, τοῦ πολιτεύματος μετέσχον· τὰ δὲ ἄλση λούκους ὀνομάζουσι. *A Romulo* nempe *Ramnes* dictos volunt. Robertus Titius verò putat esse à ῥάμνος, quod exponitur σοφὸς, καὶ ἐλλόγιμος. Sed corruptus eum decepit locus, quia legendum illic Ῥαμνήνσος. Vide Yvonem Villiomarum adversus Titium *lib. 5. cap. ult.* & Casaubon. in Athen. *lib.* 15. *cap.* 5. Vossius, Propertius *lib.* 4.

Hinc Tatius, Rhamnesque viri, Luceresque coloni.

Ovidius *Fastorum* 3.

Quinetiam partes totidem Tatiensibus ille,
Quosque vocant Rhamnes, Luceribusque dedit.

Ramoth, civitas sacerdorum, atque fugitivorum in tribu Gad, non procul à monte Galaad. Jos. 13. Habuit & suburbana in tribu Isaschar.

Ramses, vide *Ramises*.

Ramstenium, arx agri Basiliensis, sub Baronibus olim cognominibus, quorum familia nobilissima defecit in Rodolfo, Thuringi, A.C. 1390. florentis filio; qui cùm legitimâ prole careret, mortuus An. C. 1459. filio ejus naturali Joh. Bernardo à Gilgenberg, permissu Episcopi, arces *Gilgenberg* & *Landscron* cesserunt, castrum Zwingen ad Episcopatum rediit: Ramstenium, cum pago Breitenbach, ad Basilienses; Gilgenberg denique seu Liliomontium ad Solodurenses emtionis titulo pervenit. V. Christ. Urstisium *Epit. Hist. Basil.*

Ramus Petrus, Veromanduus, Vir doctissimus. Filius agricolæ, nepos carbonarii, qui ex nobilissima in Burgundionibus familia ortus, bellicis turbis solum vertere, & vitam carbonariam faciendo, sustentare se coactus est. Ingenio ad studia factus, Parisios venit, ubi brevi tantopere in illis profecit, ut Professor Eloquentiæ regius, & celeberrimus Orator evaderet. Magno apud omnes pretio, nisi quòd animadversiones ejus in Aristotelem, non paucos illi in Universitate Parisiensi hostes excitarunt: Alii quoque, quibus gloria eruditionis ejus officiebat, hinc prætextu sumto scribere contra ipsum conati sunt. Interea & Mathematicæ eruditionis apicem nactus, partem stipendii sui decidit, ut egregiæ hæ artes peculiari in cathedra in posterum docerentur: Accessit laudum cumulo puræ religionis cultus, ob quem cùm tutum se non satis in Gallia videret, Genevam se recipere cogitaverat, ut videre est ex Bezæ *ep.* 34. & 36. Sed aliter volente Deo, in egregia illa martyrum panegyri, quos Parisiensis laniena cruore suo tinxit, An. 1572. & ipse tot adoreis jam mactus, hanc quoque coronam cœlitus impetravit: Cadaver ejus à studiosis scuticis primò cæsum, dein in Sequanam projectum est. Scævola Sammar. *lib.* 2. *elog.*

Ranco, castrum Galliæ, vulgò *Rancon*, in alta rupe, ad Tardueram flum. in agro Encolismensi. Quibusdam *Ranconium*, aliis *Rancona*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Randa, vicus Persiæ, ad quem Chiles 3000. Persarum, novas res cogitantium concidit. Polyæn. *lib.* 7.

Randeja, Urbs Armeniæ, ad Arsanam fluv.

Randersium, opp. amplum Jutiæ Septentr. ad Cutium fluv. in Dioecesi Arhusiensi, 3. leuc. Dan. ab Arhusia in Bor. Alburgam versus 5.

Rani, pop. Scythiæ Caucasi accolæ, in Colchorum confin. Plin. 6. 7.

Ranimirus, undecimus Aragonum Rex crudelissimus: Barones regni potentissimos, se contemnentes, uno Convivio trucidavit. &c. V. *Ramirus*.

Rapa seu *Rapora*, urbs episc. Hiberniæ, in Ultonia & Comitatu Dungalensi, ad lacum Suvellium, cui unita est sedes Derriensis. Nunc vicus, 40. m. p. à Dungala in Cæc. 12. à Derrio in Occ. 45. ab Armacha in Bor. 20. à Banchorensi cœnobio in Occ. *Rapoe*.

Rapallum, opp. dit. Genuensis, in ora maris Ligustici, cum portu, 23. mill. circiter à Genua in Ort. Spetiam versus, 3. à portu Delphino. Hinc Sinus parvus adjacens *Golfo di Rapallo*; estque pars oræ Or. Ligusticæ, inter Lavaniam ad Ort. & portum Delphinum ad Occ. Item urbs Episc. Basilicatæ cum tit. Ducatus.

Rapersuila, opp. Helvet. ad lacum Tigurinum, cum ponte oblongo. Sub quinque minor. pagis, pluries sed frustra obsessum. 5. mill. Germ. à Tiguro in Eur. Curiam versus 12. V. *Rupertivilla*.

Rapha, fil. Benjamin. 1. Par. 6. qui & *Echi*. Gen. 46. Filius item Biana. 1. Par. 8. Lat. *medicina*, vel *medicus*, aut *relaxatio*, vel *Gigas*.

Rapha, nomen viri. 1. Par. 7. Lat. *relaxatio laquei*.

Raphael, nomen viri. 1. Par. 26. Lat. *medicina Dei*.

Raphael Cumanus, JC. insignis, scriptis celebris. Floruit Patavii, An. 1429.

Raphael, Fulgosus, Placentinus, eodem tempore JC. celebris, itidem varia edidit.

Raphaël Lesczinius, V. *Lesno*.

Raphel Volaterranus, Volaterrâ Tuscus, vixit usque ad initium Sec. præt. Scripsit *Commentarios Urbanos*, ad Jul. II. libb. 38. qui in tres divisi partes, continent Geographiam veterem, Anthropologiam seu vitam Virorum illustrium, & Philologiam, seu principia artium. Quidam ipsum Maffæum appellant & alia quoque scripsisse volunt. Paul. Jov. *in elog. cap.* 118.

Raphaël Urbinus, à patria dictus, Pictor excellentissimus Sec. præt. Fil. Johannis Sanctii, similiter Pictoris, qui cùm maturè deprehenderet, se institutioni filii parem non fore, illum Petro Perusino magnâ cum laude eandem artem tum factitanti commisit. Sed & hic mox à discipulo superatus est, qui hinc plerisque Italiæ urbibus obitis, tandem Michaëlis Angeli opera imitando peritiam suam consummavit. A Julio II. & Leone X. adhibitus ea pinxit Romæ, quæ præcipui thesauri loco ibi hodieque habentur. Cœterum fuit formâ virum decente, comis, affabilis, globo artis amantium perpetuo stipatus. Fidem matrimonii quidem dederat nepti cuidam Cardin. Bibiani, sed partim Cardinalatus spe lactatus, partim pro seculi locique more, Romæ enim plerunque vixit, vagis amoribus magis delectatus, morbo hinc contracto, Obiit An. 1520. æt. 37. die suo natali. Vasarius *hist. Pict.* Felibien. *de Pict. P. I.*

Raphaia, fil. Jesaiæ. 1. Par. 3. Fil. Thola. 1. Par. 7. Fil. Baana. 1. Par. 9. Lat. *medicina*, vel *relaxatio Domini*.

Raphaim, pop. quos Moabitæ *Emim*, Ammonitæ *Zanzummim* vocant. Deut. 2. In tribu Manasse. Item vallis juxta Jerusalem. Jos. 10. Lat. *Gigantes*, *medici*, aut *relaxati*.

Raphanea, seu *ea*, Civ. Chalcidis, Arcæ urbi contermina.

Raphane, urbs Mediæ, in confin. Parthiæ, Plin. *Apamia*.

Raphia, urbs Palæstinæ prope Jordanem. Ptol. Steph.

Raphidim, locus in solitudine non procul ab Horeb monte, ubi undecima Israelitarum mansio fuit. Num. 33. Lat. *reclinatoria*, sive *stramenta*, aut *remissa manus*, vel *medicina manuum*.

Raphon, loci nomen. 1. Mach. 5.

Rapinum, opp. Germ. duplex, amne tantùm discretum: antiquum *Alt Rapin*, & novum *nevv Rapin*, Comit. caput, in media Marchia Brandeburg. 8. mill. Germ. ab Havelberga in Ort. 9. à Berlino in Bor.

Rapolla, urbs Basilicatæ, parvi circuitus, media fere inter Melphum in Circ. & Venusiam in Eur. 5. mill. & 20. à Compsa in Ort. prope Apenninum, & limites Principatus Ulterior.

Rappersuila, V. *Rupertivilla*.

Rapsa, opp. in Pentapoli, sive Cyrenaïcâ reg. Plin. 5. 5.

Rapta, est Quiloa, emporium celebre, cum Ins. & prom. cognom. Portum habet capacem. V. *Quiloa*.

Raptum, promuntorium Æthiopiæ sub Ægypto. Ptolom. Steph.

Stephanus *Rapera*, & *metropolin* Barbariæ vocat. *Magalo* Mercatori. V. *Rapta*.

Raraſſa, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol. *Racang* Castaldo. Sed in Cod. Gr. *Craganſa* legitur.

Rarentus, urbs Italiæ. Steph.

Raria, campus in Eleusine, in quâ Triptolemus primùm seminasse dicitur. Stephanus: Ῥάριον, πεδίον ἐν Ἐλευσῖνι· καὶ Ῥαρία ἡ, Ῥαριὰς ἡ Δημήτηρ. Malè apud Hesychium: Ῥάριον, παιδίον, pro πεδίον. Nomen hoc inditum erat illi campo à *Rharo*, Triptolemi patre. Hesychius: Ῥᾶρος, ἰχνεύς, καὶ ὄνομα τοῦ Τριπτολέμου πατρός. Fil. hic erat Cranai, ut idem alibi: Κραναοῦ υἱὸς Ῥᾶρος.

Raſalena, locus in finibus Damasci, ubi Sanguinus, juratus quondam Christianorum hostis, castrametatus est; in tribu Aser. Tyr. 15. *bell. ſ.* 8.

Raſcia, pars regni Hung. latè sumti; à fl. *Raſca*, qui per eam in Moravam influit; regio est Sept. Serviæ; alias sub suis Regibus. Ibi Alba Græca, Semendria & Columba Urbes præc. Sub Turcis tota.

Raſcipolis, ducentorum Equitum, Macedonicorum, Pompejo auxilio missorum, Dux. Cæsar *lib.* 3. *cap* 4.

Raſeburgum, urbs Nylandiæ, in Finlandia, in ora Sinus Finnici, cum portu capaci, in limite Finlandiæ meridion.

Raſias, nomen viri. 2. Mach. 14.

Raſilena, i. caput aquæ, locus haud procul Tiberiade, ubi Saladinus aliquot diebus castra fixit.

Raſis, rex Syriæ. 4. Reg. 16. Lat. *voluntas*, vel *voluntarius*, aut *curſor*, sive *veredarius*.

Raſis, dictus Almansor, seu Alubetre Arazi, fil. Zachariæ, genere Arabs, institutione & educatione Africanus, Philosophorum & Medicorum sui temporis facilè princeps, An. C. 950. Scripsit egregia quædam, inter quæ *Continens* eminet, in quo, quidquid alibi usquam dixit, est complexus. Idem, in gratiam Miramamolini Balharabi, historiam Hisp. condidit. Paschalis Gallus, *in Bibl. Med.* Castellanus, *in vitis Medic.* Alb. Miræus, in Auctar. *de Sc. Eccl. cap.* 288. Gesnerus.

Raſta, milliare Germ. leucas duas, tria milliaria continens: eo forte sensu dictum, quo hodie apud eosdem *Raſte*, quietem, pensumque denotat, sic στάδιον Græcis, ἀπὸ τῆς στάσεως, à statione. V. Hieron. *Comment. in Joël,* 3. 18. Henric. Spelmannum *Gloſſar. Archaiol. &c.*

Raſtices, Sclavorum R. in angustias est redactus, à Ludovico II. Imp. qui Suenreboldo, ejus nepoti, regnum dedit, An. C. 870. Aventin. *lib.* 2.

Rata, Antonino. *Raga* Ptolemæo, Coritanorum urbs in Britanniâ. Vulgò *Leiceſter*, ut putat Camdenus. *Ratisford* v. Talboro.

Ratanèum, opp. Illyrici, apud Onæum prom. Peguntio finitimum, Plin. *Rat.*

Ratenovia, opp. in media Marchia Brandeb. ad Havelam fl. 11. mill. Germ à Berlino in Occ. 10. à Magdeburgo in Cæc. sub Elect. Brandeb.

Ratherius Monachus Lobiensis, in Diœc. Cameracensi; Simplicitate, prudentiâ, eruditione nulli secundus. Ab Hilduino Abbate in Italiam deductus, Hugonis R. favore Episcopatum Veronensem accepit: Unde paulò pòst, quasi hostibus ejus faveret, pulsus, revocatusque, secunda quoque vice deturbatus, in Belgium rediit, Leodiensis Ecclesiæ curam ab Arch. Coloniensi nactus: sed & hinc civium morositate expulsus, Veronam rursus venit, inde tertiùm dejectus, rediit unde primitus venerat. Obiit Ann. 974. Scripsit de Incarnatione Christi, de corpore & sanguine ejus, Opus Gramm. cui mirabilem induxit titulum, *Sparadorſum*, &c. quæ à Luca Acherio edita. Sigebert. *in Cat. cap.* 128. *& in Chr. ad An. C.* 928. *&* 933. Luitpr. *lib.* 3. Voss. *de Hiſt. Lat. lib.* 2. *cap.* 19. *&* 39. Gesnerus, Valer. Andr. *Bibl. B.* Chapevill. *de Geſtis Ratheri in Epiſc. Leod.* Ipse sibi hoc Epitaphium fecit:

Conculcate pedes hominum ſal infatuatum.

Ratiaſtum, Lemovicum urbs. Ptol. vulgò *Limoges*. *Rais* verò Bertrando. Agesinatum caput, ad Carantonium fl. Hodie *Inculiſma* Baudr. V. ibi.

Ratiatenſis vel *Ratenſis* pagus, à vico *Ratenſi* in finibus Pictonum, prope Namnetas, nomen habet: Hic Ligere amne à Britannia, cui tamen attribuitur, divisus est & tit. Ducatus gaudet, vulgò *le Duché de Raiz*, aliàs *Retz*. A vico *Ratiato*, intra terminum Pictavorum. Pictavienses Episcopi etiam *Ratiatenſes* dicti sunt, quia ibi aliquando sunt commorati. Vid. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Ratiboria, urbec. Silesiæ super. culta, caput Duc. cognom. ad Oderam fl. aliàs Poloniæ Regi oppignorata. 4. leuc. à Carnovia in Ort. versus limites Poloniæ super. 7. supra Oppolium in Merid. Hoc ut & Oppoliæ ducatu, placatus à Ferdinando II. Betleem Gabor, arma deposuit, An. C. 1619.

Ratiſbona, vulgò *Regenſpurg*, ad fl. Regen, urbs Vindeliciæ Ep. sub Ar. Salisburg. in Bavaria inf. ad Danubium, libera, pervetus, populosa & ampla, ubi Imperii Comitia fiunt. Olim *Auguſta Tiberii*, teste Aventino, utpote à Tiberio Cæsare condita, & *Colonia Quartanorum* dicebatur, quòd quarta legio Italica hic stationem firmam haberet. Paruit olim Bojorum regibus, quorum etiam sedes fuit, sed imperante Friderico I. libera facta, post Henricum Leonem proscriptum & Bavariam Ottoni Wittelspachio concessam, vectigalia tamen & portoria non asserunt, quæ hodieque partim Bojorum Principes, partim cives ex pacto obtinent. In limite est Palatinatus super. 15. mill. Germ. à Monachio in Bor. 17. supra Paravium in Occ. 16. ab Augusta Vindel. in Cæc. S. Petrum Patronum agnoscit, unde etiam insignia habet Claves decussatim positas. Pontem Danubium hic junxit Henricus V Imp. An. C. 1135. cui, quoad pilas altosque fornices, similem alium neque Danubius, neque Rhenus habet. Privilegiis insignibus donata est, à Friderico II. Carolo V Rodolfo II. Impp. Hic quoq; Primislaus Bohemiæ Princeps, sordido amictu victum ex gestatione lapidum, in fabrorum murariorum usum, quæsisse, postquam duplici prælio victus esset, An. C. 1197. refert Dubravius *Hiſt. Boh.* Matthias verò Imp. comitiis habitis Protestantes, ob gravamina inprimis Consilii Aul. & Cameræ Imp. non sublata, offendit, An. C. 1613. A Lucio Cyrenæo, Pauli Apostoli discipulo, Christi auspicium est educta circà Ann. C. 69. dein Episcopatus hic institutus fuit, à Carolo M. de cujus in civitatem juribus, Vid. Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 46. Ibidem Concil. à Carolo M. celebratum est An. 792. contra Felicem Urgel. Elipandi socium. V. Hundium *in Metrop. Salisburg.* Cluver. *deſcript. Germ. &c.* Colloquium ibidem inter Augustanæ Conf. Pastores & Jesuitas, institutum est à Maximiliano Bavaro, A. C. 1601. ubi ex parte illorum Ægidius Hunnius & Jac. Heilbrunnerus; horum Albertus Hungerus & Jac. Gressetus collocutores fuere: Absolutum id 16. sessionibus, actumque tantùm de auctoritate S. Scripturæ: Sed, cùm Augustani non aliam fidei normam, aliumque controversiarum Judicem, quàm Scripturam agnoscere vellent, re infectâ discessum est. V. Thuan. *Hiſt. lib.* 126. Augustana hic Confessio floret.

Ratomagum, opp. Gall. Celt. in fin. Biturigum, *Romorantin* Ortelio. 11. leuc. ab Aurelianis Lemovicos versus, inter Bituricas & Blesas 12.

Ratoſtathybius, fl. Albionis, Ptol.

Ratramnus, *Bertramus*, vel *Intramus*, Monachus Corbiacensis, & Presbyter, floruit Sec. 9. sub Carolo Calvo. S. Scripturarum scientissimus, & in humanioribus quoque literis probe versatus, Trithem. *Cat. Script. Ill.* judicio acri, eruditione, ac pietate inclytus; Scripsit de Prædestinatione, de Corpore & Sanguine Dom. N. I. C. quo opere, Rabani Mauri sententiam, contra Oralem Manducationem in S. Cœna jam tum doceri cœptam, Imperatoris jussu tuitus est, &c. Vide scripta hac de re insignis Theologi, Claudii, Reform. Eccl. Parisiensis Ministri, &c. Item Hospinian. *in præf. ad libr. Conc.*

Ratumenus, auriga, qui cùm in ludis Circensibus excussus fuisset, equi ejus cum coronâ & palmâ in Capitolium pervenerunt, sedemque ter lustrarunt. Ex quo factum est, ut porta, per quam intraverunt, *Ratumenia* diceretur.

Rava, urbs & Palatinatus Poloniæ maj. tota lignea, cum arce. 11. leuc. Pol. à Ploczca in Mer. 15. à Varsavia in Occ. Probe culta cum arce ad Ravam amnem.

Raucanum, V. *Rauranum*.

Rauciacum, vulgò *Rauci*, locus Campaniæ Gall. cum tit. Comitatus, à Ragenoldo Com. olim munitus. Villa quondam regia, ubi Carolus R. dona annua suscepit, An. C. 851. Sedet ad fluv. Axonam, ejusque Comes quartus fuit de septem Comitibus Paribus Campaniæ, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rauda, op. præclarum Hisp. Tarraconens. in Vaccæis, ad Durium fluv. in Castellà veteri. Vulgò *Aranda di Duero*. Inter Uxamam ad Ort. 10. & Vallisoletum in Occ. 16. leuc. à Burgis 14. in Austr.

Ravenna, urbs Gall. Togatæ, Æmiliæ archiep. & metropolis apud oram litoream, ubi rhombus laudatissimus, Plin. inter Ferrariam 50. & Ariminum in ort. 35. m. p. à Bononiâ 45. ab Anconâ, 102. Ἀρχαίαν πόλιν vocat Geographus *lib.* 5. Unde Claudianus *de* 6. *Conſ. Honorii*:

Dixit, & antiqua muros egreſſa Ravenna
Signa movet, jamq; ora Padi, portusq; relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æſtuat, & pronas puppes nunc amne ſecundo,
Nunc redeunte vehit, nudataq; litora fluctu
Deſerit, Oceani lunaribus æmula damnis.

Silius Italicus *lib.* 8.

Quiq; gravi remo limoſis ſegniter undis
Lenta paludoſæ proſcindunt ſtagna Ravennæ.

Sidonius Apollinaris *Carm.* 9.

Undoſa petiit ſitim Ravenna.

Nempe inter marinas paludes dulcibus aquis destituebantur Ravennates: Martialis:

Sit ciſterna mihi, quàm vinea, malo Ravennæ:
Cùm poſſim multo vendere pluris aquam.

Ranarum, culicumque multitudinem in his paludibus, adnotavit idem Martialis:

Meliusq; ranæ garriant Ravennates,
Et Hadrianus dulcius culex cantet.

Strabo

Strabo *libr.* 5. Ἐν δὲ τοῖς ἕλεσι μεγίστη μέν ἐστι Ῥάβεννα. Condita à Sabinis, Plin. anno post diluvium 480. Hic desidi Honorio, pugnacemque gallum urbi Romæ, tum ab Alarico captæ, præferenti, imperium victor abrogavit, An. C. 410. Dein sedes Theodorici Gothorum Reg. qui post triennii obsidionem Odoacrum ad deditionem coëgit, An. 490. Exin postquam Vitiges Gothorum Rex, victus à Belisario, & expugnata urbe captus est, An. C. 540. Exarchorum fuit, quos in Italiam Impp. Orientis miserunt. Horum primus Longinus, à Justino missus huc venit, An. 568. Huic successere Smaragdus, Romanus, Callinicus, Smaragdus iterum, Johannes Remigius, Eleutherus, Isaacus, Theodorus Calliopas, Olympius, Theodorus Calliopas iterum, alius Theodorus, Johan. Plato, Theophylactus, Johannes Rhizocopus, quem cives à Papa, qui Philippicum Bardanem excommunicaverat, excitati interemerunt, An. C. 712. Scholasticus & Paulus: Sub quo, ductu Luitprandi R. urbs à Longobardis capta, sed recepta est, An. 727. Venetorum ope. Eutyches, ultimus Exarchus Paulo successit, quem tota Italiâ pepulit Aistulphus, Longob. Reg. An. 752. quo victo, Pipinus Exarchatum sub Stephano II. Pontificiæ sedi donavit, An. 756. Proin hodieque Romandiolæ caput est. Sensim deficit, insignis victoriâ Ludovic. XII. An. 1512. Sub Pontif. aliàs in littore, nunc 5. mill. ab ora recedit. Baudrand. Ravennates ob Fanenses cum Venetis bellum gesserunt, An. Chr. 1140. Episcopus urbis, quòd à Valentiniano Imper. laneo donatus esset pallio, quali solus utebatur Imperator, Celestino Leonis M. successori, qui Primatum Papæ acriter propugnabat, eum dubium reddidit. Verùm Constantinus Pogonatus Imper. Benedicti II. sanctitate permotus, non solùm Clero Rom. pecuniam pro ordinatione Episcopi debitam remisit, sed Ravennatem etiam Episcopum, ut se ei subjiceret, jussit, An. C. 684. Vide Sigon. *Histor.* Lætum *Comp. Histor. Univers. &c.* Hîc porta ex marmore, & templum præc. quatuor istiusmodi columnatum ordinibus innixum: Concilium quoque habitum An. 901. quo Lambertus Imper. seu Italiæ R. confirmatus est, & An. 967. quo collapsum Ecclesiæ statum instauraturus Otto M. Johannem XIII. gravissimorum criminum reum, deposuit, substituto Leone VIII. Luitpr. *lib.* 3. *cap.* 12. *& lib.* 6. *cap.* 7. Sigon. *lib.* 7. *&c.* Adde Leandr. Alb. *descr. Ital.* Rubeum, *Histor. Rav.* Ughel. *Ital. sacr.*

Ravensberga, oppid. Westphaliæ, Comit. cognom. Caput, sub Elect. Brandeb. In colle, 18. mill. p. ab Osnabrugo in Mer. Padebornam versus 32. circiter, 30. à Monasterio in Ort. Mindam versus. Extenditur hic Comit. ad 20. m. p. inter Diœceses Monasteri. Osnabrug. & Mindensem, ac Comit. Lemgoviensem.

Ravensburgum, urbs parva Imperialis, in Suevia, ad amnem *Schuß*, in valle amœna, 6. mill. Germ. à Constantia in Ort. Memmingam versus totidem, 3. à Lindavia in Bor. uti 3. à Vagena, in Algeâ tractu. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 48.

Ravesteinum, oppidul. Brabantiæ, ad Mosam, cum regione adjacente, in limite Geldriæ, juris Neoburgici: Sed à Batavis servatur, 1. leucâ à Gravia in Occid. 4. à Sylva-Ducis in Ort. Neomagum versus.

Raugâ, vulgò *Roye*, castrum diœcesis Ambianensis in Gallia. In tab. Theodol. videtur *Rodium* dici. Certè & Rodium, aliàs Rode, opp. Hainoënsium in sylva Carbonaria dicitur, vulgò *Reux*, Comitivæ tit. illustre, in Camaracensi diœcesi, extramuranâ Abbatiâ S. Foillani illustre. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ravius, lacus Hiberniæ, fluv. cognominem emittens in Occid. per Connaciam fluentem, & inter Dumbrosam, ac Dungallam urbes in Oceanum labentem, Ptol. *Erne* ex tab. recent.

Rauraci, qui & *Raurici*, & *Rauriaci*, populus fuere Galliæ Lugd. nunc Germ. Helvetiis finitimi. Cæsar *Comm. libr.* 1. *de Helvetiorum expeditione loquens: Persuadent Rauracis, & Tulingis, & Latobrigis, finitimis suis, &c.* Plin. *lib.* 4. *cap.* 12. ubi de Danubio: *Ortus hic in Germania jugis montis Abnobæ, ex adverso Rauraci Galliæ oppidi*, & *cap.* 17. *ejusdem libri: Mediomatrices, Sequani, Raurici, Helvetii.* Fuere igitur in Rheni ripâ, inter Helvetios ac Sequanos. Hi oppidis suis, vicisque exustis, unà cum Helvetiis domo emigravere, capitum millia 23. quos C. Julius Cæsar in fines suos reverti, & oppida vicosque incensos restituere jussit: Eisdem ac Bojis 30. mill. hominum ad Alesiam obsidione liberandam esse imperata, idem Cæsar scribit: Oppida tempore Plinii Rauracos nulla habuisse, nisi unum, testis est ipse ubi suprà; nam si plura fuissent, nomen huic proprium tribuisset; quo ab reliquis discerneretur. Ne Ammiani quidem ævo plura fuisse existimo. Sic enim ille *lib.* 14. *Prope Rauracum ventum est, ad supercilia fluminis Rheni.* Ptolemæus vocat Αὐγοῦστα Ῥαυρικῶν, Antoninus, ac tabula Itineraria, *Augustum Rauracum*, ab Augusto; Coloniæ forsitan amplificatore: Plin. *lib.* 4. *c.* 7. *Coloniam Rauriacam*, à L. Munatio Planco Cos. deductam. Nomen *Augustæ* in vulgari usu permansit. Sequanis, id est, Provinciæ Max. Sequanorum attributa, ab Ammiano *Histor lib.* 15. & quia sedes Episcopatus fuit, *Civitas Rauracensis* non immeritò in Notit. Vett. dicitur. Concilio Agrippinensi Justinianus Rauricorum Episc. interfuit; postea Basileæ vicinia urbem, ab Alanis, Suevis, Burgundionibus, Vandalis & Alamannis Gallias ingressis captam prius, ac pessimè habitam exhausit, atq; Episcopatus Basileam translatus, aut potius ei adjunctus est. Extat etiamnum eodem loco pagus admodum exiguus, vulgò *Augst* dictus, 8. m. pass. supra Basiliam situs, ad confluentem Rheni & Egertii: ubi Rhenus primum inflectitur, & ab Occasu cursum ad Septentrion. convertit. Hic ingentis quondam urbis & clarissimæ coloniæ Romanæ rudera visuntur, certissimum pristinæ magnitudinis argumentum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Juliani tempore urbem destructam fuisse, patet ex Eunapii Sardiani historiâ; qui ita de Juliano: Ἤδη δὲ ἦν περὶ τὴν Ῥαυρίκων ἐπὶ φθορᾷ. Vide ibi Cluver. *de Ant. Germ. pag.* 353. Incolæ hodie *Basler* sunt Tschudo in territorio Basiliensi. Baudrand. inter Arolam fluv. & Juram mont. in limite Germ. sup. ubi nunc pagus Basiliensis & 4. urbes Sylvestres. Ejus urbes fuere Augusta Raurac. & Arialbinum, seu Basilea, ad flexum Rheni, ubi in Bor. tendit. Vide quoque infra in *Raurici.*

Rauranum, seu *Raraunum*, opp. Pictonum, in Aquitania, nunc *Rom*; oppidul. ad Divam amnem, fere 35. m. pass. ab Ingulisma in Bor. 5. leuc. à Fano S. Maxentii in Eur.

Raurici, vel *Rauraci*, pop. veteris Galliæ Celticæ, quorum tractus *Urichia* in valle Jurassi, antiquum nomen redolet. An quasi *Rauchracher*, quòd terra prope Rauricam Augùst. in asperas cœcat fauces? an quasi *Rauchaker*, à soli asperitate & tenacitate? Regio eorum, inter Helvetios & citeriores Sequanos, Rheno flumine terminata, provinciæ Sequanorum magnæ à Romanis quondam attributa est: Triquetra est, namque versus Ortum & Occid. in binos contrahitur & quasi fastigiatur angulos, tertio versus Boream protenditur. Majus Austrinæ plagæ objectum latus, Jura mons repræsentat; reliqua latera, Rhenus quidem versus Septentr. & Ortum, Birsa verò fluv. ad Occ. claudunt. Ortivum angulum Confluentia Helvetica tenet: In Occiduo cardine, sunt Portæ rupis perforatæ, quæ Rauricos cum Aventicis committunt: Borealem angulum Basilea occupat, sub elev. poli 47. graduum cum besse. Terra hæc omnis ferè montibus obducta est, utpote à Jurasso plurimis rupibus & collibus, ramorum instar emissis, exasperata, fertilis tamen in plurimis montium atque convallium locis & egregie habitata. Solus tractus circa Deli oppidum, vulgò *Delsperg* ad Portam usque petræam asperior est. Flumen in mediterraneis nullum præter Ærgitiam, non tamen ratium potentem. Sub Cæsare Raurici, gens tum libera, unà cum Helvetiis, novas sedes quæsitum, ad 23000. regione flammis vastatâ emigrarunt. Victi, Romanorum passi sunt jugum: sub Augusto colonis huc missis res eorum augustiores esse cœpere, princepsque urbs, jam pagus exiguus, amplior reddita est. Sequentibus seculis, Alemanni in has partes concessere, quorum rebus Francica potentia obtritis, regio Australiæ regno contributa est. E quorum principum posteritate, ante secula aliquot terræ hujus imperium habuerunt Comites Rinfeldenses, Habspurgii, Homburgenses, Uroburgenses, Tiersteniani, & Sogerenses. Harum familiarum quæ primæ duæ possederunt, ad Austriorum Archiduces; quæ intermediæ, ad Basilienses, devoluta sunt: reliquarum ditiones partim ad Episcopum Basil. ad Solodurenses partim pervenere.

Raurica reg. urbes, arces, pagi celebriores:

Augusta Raurica, caput olim gentis, nunc viculus, hodieq; *Augst.*
Basilea, in prioris locum successit, *Basel.*
Birseck, Dorneck, Gilgenberg, Homburg, } Arces.
Lauffena, Lauffenberga, Liechtstallum, } Oppid.
Mönchenstenium, castrum cum pago.
Ramstenium, arx.
Rinfeldia, opp.
Sarconium, *Säckingen*, opp.
Telimontium, *Telsperg*, opp.
Silgoja, tractus in agro Basil.
Sougeres, vicus.
Vainspergia arx, caput Comit. cognomin.
Vroburgum, arcis rudera.
Waldenburgum, opp.
Waldsburum, similiter.
Wartenbergum, arx eversa.
Wildenstenium, castrum fossis munitum.
Zuingense castrum, Birsæ imminens, &c.

Cœnobia Raurica.

Bellelagium, *Bellelay.*
Grãdis vallis, *Monster in Grãvalt.*
Beinwila, *Beinwviler.*
Lucela; *Lützel.*
Michelveldia.
Arcta vallis, *Engenthal.*
Rothusium.
Olspergium.
Iglinga.
Vallis speciosa, *Schonthal.*
Seckinga, universæ reg. antiquissimum & nobilissimum.

E quibus Michelveldia jam Pandochium est; Arcta valle, Beginæ expulsæ sunt, Ann. 1411. Rothusii sodalitium aliquot eremiticam vitam profitentium jamdudum defecit: Iglinga solo curatore hodie administratur, nomine Abbatissæ Olspergensis. Vide Christ. Urstisium *Epit. Hist. Basil. cap.* 1, 2, 3, 4. & supra in *Munatius Plancus.* Item *Rauraci.*

Familiæ illustriores, quarum dominia in hoc tractu fuere.

Bernovii, Bubendorfii, Efringii, Eptingenses, } Nobiles.
Falcostenii, Baron.
Habspurgii, Homburgii, } Comites.
Klenburgii, Baron.
Monachi, Nobil.
Ramstenii, Baron.

Rigolt-

Egoltschwiler, Nobil. | Tierstenii, Vroburgii, } Comites.
Iinseldii, Scugeri, } Comites. | Ziclempii, Nobiles, &c.

Rausimodus, Sarmatarum R. victus à Constantino M. & occisus, An. C. 321. Eutropius *lib.* 10. *&c.*

Rax, Lyciæ insula, Stephan.

Ray, fluv. regni Mogor, Natal. Metel.

Razias, ex Judæorum Senioribus unus, qui, postquam Antiocho aliquamdiu strenuè restitisset, sibi ipsi tandem, ne in hostis manum deveniret, necem conscivit, 2. Macc. 14. Torniel. *An. M.* 3873. *num.* 5. *&* 6.

Razon, filius Eliad, 3. Reg. 11. Lat. *tenuis, macilentus*, vel *secretum*, aut *secretarius*, sive *princeps*.

R E.

Rea, Insula Gall. in Oceano Aquitan. & ora Santoniæ, seu melius A[…]etensis tractus, à quo 2. leucis abest, 3. à Rupella in Occid. ex[…] ad 4. leucas ab Euro in Circ. Ibi locus præcipuus Fanum S. Martini, aliàs arx munita. Sunt & aliæ in illa arces. Antiquis *Reacus* insula, Hollandis *S. Martin Eylandt*.

Reama, urbs Arabiæ fœlicis, distans ab Adena, unius diei itinere: Ejus ager, si lignum [.]emas, fertilissimus est. Narrant qui superioribus annis ea loca frequentavere, esse in eis vervecum quædam genera, quorum cauda pondus habeat quadraginta quatuor librarum, cornibusque carere, pingues adeò, ut incedere nequeant. Natal. Metel.

Reate, oppid. aliàs Sabinorum, nunc Umbriæ; vocabulum ejus indeclinabile, ut *Ateste, Tergeste, &c.* nisi quòd ea habeant genitivum in *tis*. Græcis autem ὁ Ῥέατος, ut Præneste ὁ Πραινεστός. Hinc Straboni *libr.* 5. obliquus casus est τῷ Ῥεάτῳ, ac Dionysio *lib.* 1. aliquoties, ἀπὸ τοῦ Ῥεάτου. At Stephani epitomator habet: Ῥεᾶτον, πόλις Ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν Ῥεατῖνος. Ejus meminit Silius *libro* 8.

—— *Hunc Foruli, Magnaq; Reate dicatum*
Cœlicolûm matri. —— ——

Hinc Reatinus ager, Plin. *Campo pendente*, Baccio. Oppidi vetustissima est origo; quòd Aborigines, à Sabinis urbe suâ *Listâ* pulsos, intra sese recepisse, Dionysius *lib.* 1. testatur, quod ante bellum Trojanum factum est. Quapropter Virgilio *Æneid.* 7. in Catalogo Sabinarum urbium, non recenseri miratur Cluverius, quem sis vide *Ital. Antiqua pag.* 676. Sita est prope regnum Neapol. in ditione Pontific. fere media inter Narniam ad Occid. & Aquilam ad Ort. 25. utrinque mill. Deficit indies, propter aëris inclementiam & adjacentes paludes, Baudr.

Reatina palus, nunc *Lago de Riett*, in Umbria, inter Reate ad Ort. & Velinum lacum ad Occ. Parva est, & in Velinum lacum se exonerat, 5 m. p. infra Reate, in ipso limite Sabinæ.

Reatium, oppid. non obscurum Calabriæ ulter. apud Choniam, inde 5 m. p. à Siberena 10. *Mesuraca*, Barrio.

Rebbo, villa in finibus Eleutheropoleos, in tribu Juda, ad Solis Ort. Hieronymus *in L. H.*

Rebe, rex Madianitarum, Jos. 13. Lat. *quartus, quadratus*, sive *accubans*, vel *accubatio*.

Rebecca, filia Bathuel, uxor Isaac, Gen. 22. Lat. *saginata*, sive *impinguata*, aut *consentio obtusa*, vel *impedita*.

Rebello, oppidul. Duc. Megapolitani, juxta lacum *Muritz*, in limite Brandeb. 2. leuc. à Vara in Mer. uti 7. à Gustrovia; *Rebel*.

Rebellum, vulgò *Ravello*, urbecula Principatus citer. in monte, 3. mil. ab Amalphio in Bor. Noceram versus, 10. à Salerno in Occ. Surrentum versus.

Rebetb, fluv. regni Mogor, Natal. Metel.

Rebius Rebilus, vide *Aminius*.

Reblatha, vel *Rebea*, inclyta urbs, in terra Emath, ac tribu Nephthalim, juxta fluvium Jordanem sita, quæ limpidissimis fontis Daphnis aquis irrigatur, Jerem. 39.

Rebuffus Petrus Monspeliensis, J C. insignis, in patria primum, dein Parisiis Jus docuit. Scripsit Praxin Beneficiorum, Tractatum Concordatorum, &c. Collegitque Edicta, Statuta & Senatusconsulta Supremarum Curiarum. Gesnerus *in Bibl. Belgic. &c.* Sec[…] præter.

R[…]llius, apostata, post libellos famosos Romæ & alibi contra Prot[est]antes editos, admirabili Dei judicio, Pauli V. jussu, capite truncatus, illudque in Pontis S. Angeli extremo publicè ostentui expositum est, An. C. 1615. A. Rivetus *in Jesuita vap.*

Recanetum, civitas Italiæ, quæ priscis *Recinata* olim appellata est. Vide ibi.

Recaredus I. Wisigothorum, in Hispania, post Patrem Leuvigi[ld]um Rex, An. 586. prælio contra Guntramum Reg. prope Carcassonem, victor: ad imitationem Hermenigildi fratris, Arianismum ejuravit, variis Conciliis, Toleti, Narbonæ, &c. celebratis. Obiit, An. 601. regni 15. Pater Liubæ II.

Recaredus II. successit patri Sisebuto, Ann. 621. per 3. solùm menses, à Suintilo pulsus. Job. Biclarius & Isidor. *in Chron.* Marian. & Turquet. *Hist. Hisp.*

Reccath, civitas in tribu Nephthali, Jos. 12. Lat. *vacuitas, spatium*, aut *saliva*, vel *tempus*, quod pars capitis est.

Reccopolis, Morali *Almonacid*, urbs Carpetanorum, à Toleto 5. leucis in Ortum, Valentiam versus, à Leowigildo Rege condita. Locus apud *Almonacid*, oppid. quod nova Reccopolis dici potest, Ferrarius.

Recem, civitas in tribu Benjamin, Jos. 18. filius Hebron, 1. Paralip. 1. Rex item Madianitarum, Num. 31. quem Josephus *lib.* 4. scribit sui nominis condidisse urbem, à Græcis postea *Petram* dictam. Latinè, *vacuus*, vel *vanus*, vel *pictura varia*, aut *saliva eorum*. Idem Joseph. *cap.* 7. *lib.* 4. Ῥέκεμος ὃ πόλις ἐπώνυμος τὸ πᾶν ἀξίωμα τῶν Ἀράβων ἔχουσα γῆς. Et rursus: Ἀρεκέμη καλεῖται Πέτρα παρ' Ἕλλησι λεγομένη. Eusebius *de locis Hebraicis*: Ῥεκὲμ αὕτη ἐστὶ Πέτρα πόλις τῆς Ἀραβίας ἧς ἐβασίλευσε Ῥεκέμ. Quin tota regio indidem *Recem*, vel *Rocom* est appellata. Epiphanius *in hæresi Melchisedechianorum*: Ἐν τῇ Ἀραβίᾳ τῇ Πετραίᾳ Ῥεκέμ τε καὶ Ἐδὼμ καλουμένη. Vide Bochartum *de Phœn. Col. pag.* 765.

Recha, nomen viri, 1. Par. 4. Latinè, *tenera*, vel *delicata*.

Rechab, pater Jonadab, 4. Reg. 10. Filius Remnion, 2. Reg. 4. Lat. *equitatus*, vel *equitans*.

Rechabitæ, dicti posteri Jonadabi, filii Rechabi: Abstinentes, ex instituto avito, à vino, nihilque proprii possidentes, habitabant perpetuò in tentoriis. Sub Joakimo Rege metu Nabuchodonosoris Hierosolymam se receperunt, ubi commorati, cùm vinum à Jeremia oblatum bibere recusarent, exemplo immorigeris Judæis propositi, ipsisque divina benedictio promissa est, 4. Regum cap. 10. Jerem. 35. Torniel. *An. M.* 3151. *n.* 11. 3428. *n* 6. *&* 7. *&c.* Vide *Jonadab*.

Rechesvindus, vel Reccesicuntus, Visigothorum in Hispan. Rex, post Chindasvuinthum, vel Cindasiuntum, An. 649. regnavit An. 23. in pace. Obiit An. 672. Isidor. *in Chron.* Celebravit Concil. 8. 9. & 19. Toletanum, &c.

Rechila, Suevorum Rex, in Hispania, à patre Ermerico vel Hermerico, coronatus, An. 438. Vicit prælio Andevotum, occupavit Hispalim, Emeritam, Carthagenam, &c. Obiit An. 447. Arianus. Pater filii *Rechiarii* magis Orthodoxi, qui Aquitaniâ vastatâ, Cæsaraugustam cepit, provinciasque imperio subjectas malè habuit. Sed victus Ann. 456. à Theodorico II. Visigothorum Rege, cujus sororem conjugem habebat, & vulneribus gravis è fuga retractus, primò quidem in vinculis aliquandiu fuit, dein jussu victoris occisus est. Isidorus Hispal. *in Chron.* Mariana *Hist. Hispan.*

Rechois, fluvius est apud Thessalonicam, ut habet Procopius *in histor.*

Recinetum, vulgò *Recanati*, urbs est Piceni Episcopalis, oblonga, in colle, ex rupis Helviæ Recinæ crevit, 5. mill. à Laureto in Occasum, Maceratam versus 10. prope Potentiam fluvium. Sub Pontifice Rom.

Recollecti, rigidiores Franciscani, quorum Congregatio instituta, An. 1530. & approbata An. 1531. à Clemente VII. dicti à Spiritu recollectionis, Morer. *Dict. Hist.*

Rectus, via Damasci, *Euthia* Græcis.

Recuperata ditio, tractus est Galliæ, in parte Septentrionali Picardiæ prov. ubi Comitatus Guinensis & Oiensis, cum Caleto Sic dicta, ex quo Henricus Secundus, Galliæ Rex, eam ab Anglis recepit. Ann. 1558. Separatur à Flandria Agnione fluvio, à Comitatu Bononiensi montibus arenaceis S. Ingelberti. Vide Baudr.

Reda, opp. olim non infrequens ac incelebre Galliæ, inter Carcassonem ac Narbonem, nunc locus obscurus & desertus: at pagus *Redensis* hodieque clarus: vulgò *le Pays & Comté de Rasez*, & Electam *Alet*, ac castrum Limosum *Limous* continet. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Redastum, Ptolem. *Bisanthe*, Sophiano *Rodosto*, urbs Thraciæ ad Propontidem, inter Myriophitum 35. & Heracleam in Boream, 30. mill. pass.

Redarii, Germaniæ populi, ab Henrico Imperatore victi, Anno Domini 931.

Reddinga, urbs Bercheriæ, in Anglia, ad Tamesim fluvium, in limite Comitatus Buckinghamiæ, 20. mill. Anglicâ, ab Oxonio in Eurum distat.

Redemptio Captivorum, Ordo Milit. & Religiosus, fundatus à Petro Nolasco, Raimundo Rupifortio & Petro, Arragonum Reg. Præter tria consueta vota, quarto se tales obstringunt, redemptionis nempe illorum, qui sub Barbaris captivi detinentur: in quorum vicem etiam succedere neutiquam horrent. Vide *Petrus Nolascus*. Item, *Trinitarii*.

Rediculus, Deus extra portam Capenam à Romanis tum excogitatus, quando Annibal, dimissâ urbis obsidione, ex illo loco castra movit, quibusdam pia stigiis perterritus. Alexand. ab Alexandro 24. Hinc *Rediculi campi*, & *Fanum* Festo, locus in via Appia.

Redintuinum, Germaniæ urbs habet Ptolemæus. *Tein* Lazio dicitur, in Bohemiâ.

Redones, una ex civitatibus Armoricis, Cæsari *Comment. lib.* 7. cui sex millia militum à Vercingetorige imperata, Horum caput Condate Redonum ad Vicinoniam, qui inter Namnetas & Venetos oppidum in Oceanum influit, vel potius ad confluentem

fluvioli Likæ vel Illæ *Lile*, & Vicinoniæ; nomine Celtico confluentes significante appellatur, vulgò *Rennes*. Ab hac, quæ caput Britanniæ & sedes Ducum olim, Dux Britanniæ Comes *Redonensis*, apud Ivonem dicitur: ut Comes Provinciæ à capite regionis Comes Arelatensis; Dux Normanniæ Comes Rotomagensis; Comes Septimaniæ, Comes Tolosanus, &c. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* & in voce *Rhedones*.

Reema, regio sic dicta, à *Regma*, filio Chus, Ezech. 27. Latinè, *tonitru*, *exprobratio*, aut *malum quoddam*, sive *quadam societas*, aut *confractio*.

Reesium, urbec. probè munita, in Duc. Clivensi, ad Rhenum, juris Brandeburg. 3. leucis à Vesalia in Boream, 3. versus Schenkii arcem, vix 3. à Clivia in Ort.

Referendarius, Græcobarb. Ῥεφερενδάριος, idem qui magis Latinè *Relator* dicitur. In palatio Roman. Imperii *Referendarii* dicti sunt, qui supplicum desideria referunt & exponunt, jussionesque Principis Judicibus insinuant, Novell. 10. 113. 124. Officii formulam luculentam habes, apud Cassiodorum *lib. 6. cap. 17.* quâ & nominis ratio intelligitur, scilicet à referendo supplicibus responsa, Principis quasi Relator: *Referenti autem*, inquit, *non licet aliquid immutare*. In hoc quidem Magistris (apud Anglos) Requestarum non dissimilis, in aliis Cancellario propior. Horum dignitas inter spectabiles fuit: numerus sub Justiniano 14. sed is vetuit novos suffici, donec ad octavum usque demortui essent, eumq; numerum postea non excedi. Excrevit deinde nihilominus, sed ab Heraclio ad 12. redigitur. Erat & *Referendarius* secundæ pentadis, seu Classis Officialis in magna Ecclesia Constantinopol. cujus officium, *ad Imperatorem mitti & ad magnum Principem*, Codinus. Erat hic ex ordine Clericali. In aula Regum Francorum, *Referendarius* ideo dictus est, verba sunt Aimoini, *Hist. lib. 4. cap. 41.* quòd ad eum universæ publicæ deferrentur conscriptiones; ipseque eas annulo Regis, sive ab eo sigillo sibi commisso muniret. Sic Beatus Audoenus, qui & Dado dictus est, Dagoberti Reg. *Referendarius* fuit: id est, Cancellarius, ut in Aimoini margine annotatur. Quæ duo diversa munera erant Constantinopoli. Sed & Bignonius refert, quòd in diplomatibus primæ Francicorum Regum familiæ, cùm maximè *Referendarii* floruere, summorum etiam Cancellariorum mentio fiat. Sic ut forte *Referendarii* tum fuerint, quos supra diximus *Magistros Requestarum*, seu à libellis supplicum: Et habuerint forsitan proprium sui muneris Sigillum primario cuidam creditum. Sed confunduntur plerunque à recentioribus. Innotuit etiam *Referendarii* nomen & munus apud Reges Anglo-Saxones. Vide Curopalat. *pag.* 5. Aimoinum *loco supra citato*, Sigebertum *ad Ann.* 637. Bignonium *in Marculf. lib. 1. cap. 25.* Gregor. Turon. Henr. Spelmann. *Glossar. Archaeol. &c.*

Reformati, nomen prisco jam ævo in Ecclesia usitatum, quo illi insigniti, qui ab Ethnicismo ad fidem erant converti. Unde de Octavio suo Minucius Felix: *Cæcilium superstitiosis vanitatibus etiam nunc inhærentem, disputatione gravissimâ ad veram religionem reformavit.* Sequentibus dein seculis mansit usus vocis in Ecclesia, & sæpius de *Reformatione* actum. Sic inter alia Concilio Lugdunensi, Ann. Chr. 1274. habito, *Reformatio* Cleri tentata: Iterum Concilio Viennensi, Ann. 1311. tria tractata, de bello sacro, de *Reformatione* Ecclesiæ, & excidio Templariorum. Rursus quæsitam *Reformationem* Concilio Constantiensi, Ann. Chr. 1417. Sigismundus Imperator, obtinere non potuit. Proin Basileæ Concilio indicto, liberius quàm unquam aliàs in auctoritatem Pontificis inquisitum, Ann. Chr. 1433. & Reformationis aliquod fundamentum jactum: quæ seculo 15. sequuta est, Zuinglio in Helvetia, & Luthero in Germania, Evangelium annuntiantibus: ipsoque Adriano VI. Reformationem Ecclesiæ necessariam agnoscente. Ita priscâ appellatione *Reformati* dicti, qui à seculi superstitione divina gratiâ liberati sunt, à quibus postmodum cùm illi, qui Concordiæ formulæ nomen dedere, Lutheranorum appellatione se discretos vellent, mansit antiquum nomen iis, qui Helveticæ Confessioni sunt addicti; Cum quibus Ecclesiæ Fratrum societatem semel iterumque inierunt. Vide in voce *Fratres*: Historiam verò Reformationis exhibet Sleidanus.

Regalia, dicuntur jura omnia ad fiscum spectantia: Hæc perspicuè enarrarunt Sigon. *de regno Ital. Ann.* 973. Guntherus Ligurinus *lib.* 8. Radevicus *in Frideric. lib. 2. cap.* 5. Vide Henr. Spelm. *Glossar Archaol.*

Regardatores, apud Anglos, in Forestis regiis dicti sunt, quibus venationis cura demandatur: instituti ab Henrico II. Horum officium exhibet Spelmannus *Glossar.*

Regenna, vulgò *Regeane*, locus pagi Antissiodorensis, ad Episcopum Antissiodorensem pertinens, quem Bellaforestius ad Choram flum. positum esse ait.

Regenses, vel *Regienses*, popul. Galliæ Narbonensis, aliàs Albici, quorum urbs Reji Apollinaris, vulgò *Riez*, in Provinciâ, ad amnem Aunestram, 10. leucis ab Aquis Sextiis in Ort. Sanitium versus 6. 12 à Foro-Julio in Circ. Vide *Reji*.

Regeta, oppid. seu pagus Sabinorum, ab urbe Româ 35. m. pass. distans, *Ruglate*, teste Blondo.

Reggiensis Ducatus, provincia ditionis Mutinensis, inter Mutinensem Ducatum proprium ad Ort. Parmensem ad Occid. Mantuanum ad Bor. ac Carferonianam ad Merid. Urbs præcipua Regium Lepidi.

Regia Insula, sive *Regis scopulus*, Insula parva in territorio Traguriensi, in ora Sinus Veneti, Slavis *Kraglievac*, J. Lucio.

Regiacum, opp. vicinum Ambianis, vulgò *Arras*.

Regiana, opp. amplum Extremaduræ, ab Emerita 10. leuc. Hispalim versus, *Ellerena*; Aliis *Reyna*.

Regiates, nunc *Raggivolo*, castrum Italiæ, in Duc. Mantuano, in limite ditionis Mutinensis, sex milliaria à Pado in Ortum, uti à Vastalla.

Regifugium, 6. Kal. Aprilis, sacrum verò 6. Kal. Julii celebrabratur in commemorationem regum exactorum.

Regilla, Suetonio, *Regillus* Halicarn. *um*, Livio, oppidum erat Sabinorum, apud Tibetim, 20. mill. passuum à Roma supra Tibur.

Regillianus Quintus Nonius, Imperat. Roman. miro fortunæ ludiorio ad tantæ dignitatis fastigium evectus. Nam quum fortè milites aliquot apud ipsum cœnarent, exortaque esset quæstio, unde *Regilliani* nomen deductum foret; Grammatista, qui fortè aderat, deflectere hoc nomen à *rege* exorsus est: quâ voce, veluti omine quodam, exceptâ, succlamatum est protinus à militibus: *Merito itaq; rex eris.* Quum itaque postridie in publicum prodiisset, ab universis Imperator contra Galienum salutatus est; postquam strenuè contra Sarmatas semel atque iterum pugnasset: sed eodem Fortunæ ludibrio mox à militibus vitâ regnoque est exutus. An. 262. Trebell. Poll. *de 30. tyr.*

Regillus, est parvus lacus Plinio Latii in agro Tusculano, Livius *lib.* 2. Vide Cluver. *de Ital. Antiq. lib. 3. cap.* 5. Nunc *Lago di Castiglione*, prope Columnam castrum, inter Tybur ad Boream & Montem Algidum ad Merid. ex eo effluit Ola amnis, Arbanal, Kirchero. Sed L. Holstenio Regillus parvus est lacus ille sub Columna, & lacus S. Praxedis seu Castilionis est lacus Gabinus seu Burranus antiquorum, 14. m. p. ab urbe Roma.

Regina, Ptolem. *Reyna*, opp. Turdetanorum, mediterran. haud procul ab Ana fluv.

Regina Comitatus, prov. Lageniæ, in Hibern. Inter Regis Comitat. ad Ortum, Kildariam ad Occid. & Kilkennium ad Merid. *Queenes Countye* Angl. Hujus caput

Reginapolis, Anglicè *Queenestowne*, 22. mill. pass. à Kilkennio in Boream, 18. à Kildaria in Occid. In gratiam Mariæ Reginæ dicta.

Reginaldus, vide *Renaldus*.

Reginoburgum, opp. Bavariæ infer. Metel.

Reginogradecium, aliis *Hradecium Regina*, urbs Bohemiæ, ad Albim, 12. leucis à Praga in Ortum, Glacium versus 9. *Konigingretz*, Germanicè.

Reginum, seu *Regina castra*, vide *Ratisbona*.

Reginus, fluvius Germ. cadit in Danub. ad Reginum. Oritur in ipso limite Bohemiæ, è duplici fonte, dein per Palatinatum super. labitur; *Regen*.

Regiodunum, oppidum Bituricensis provinciæ ad Avarum fluvium, in limite Borboniensi, 7. mill. à Biturico in Merid. 8. à Niverno in Occ.

Regiomons, vide *Königsberga*.

Regiomontanus, celebris Astronomus, (cujus nomen Johannes Müllerus fuit,) Regiomonte oriundus, in Franconia. Philosophiam Lipsiæ didicit, dein Viennæ, sub Georgio Purbachio, Mathematicis studiis incubuit, tanto cum successu, ut illi mortuo Professor surrogaretur. Interim amicitiâ Bessarionis Cardinalis & amore Græcæ linguæ permotus, in Italiam transiit, Venetiis, Romæ, Patavii clarus: Ubi, à Bessarione rogatus, epitomen Almagesti Ptolomæi, quam Purbachius orsus est, feliciter absolvit. Romæ cùm fuisset, in libris à Georgio Trapezuntio versis varios deprehendit nævos: quod ægrè ferens Georgius, Regiomontani hostem se professus est: Hic verò in Germaniam rediit, Norembergæ sede fixâ. Inde precibus Sixti IV. revocatus Romam, ut Calendarii reformationi operam suam intenderet, paulo post adventum à Trapezuntii filiis trucidatus est, Ann. 1476. veritis ne gloria ejus paternam famam obscuraret. Alii peste illum obiisse dicunt, An. æt. 40. Scripsit varia, P. Jov. *in elog. cap.* 144. Gassend. *in vita Regiom. &c.*

Regiones, non modò provinciarum, sed etiam urbium magnarum partes sunt.

Regiones urbis Romæ quatuordecim ex Publio Victore, Sexto Rufo, & aliis.

1. Porta Capena, inter Cœliomontanam ad ortum & Aventinum montem ad occasum, ac inter Piscinam publicam & viam Appiam; ambitus pedes 12222. habet: in qua templa 4. vici 9. templa Martis, Fortunæ, Isidis, & Serapidis.

2. Cœliomontana, magnam Cœlii montis partem occupans, (pars enim altera in prima regione est) 12200. pedum: in qua vici 7. templa 4. Tulli & Ostilii cum regia, Bacchi, Fauni, & Claudii.

3. Isis & Serapis Monetæ, inter Cœlium montem & Exquilias

lis, quarum magnam partem occupabat, pedum 12450. in qua vici 8. templa 2. Serapidis Monetæ, & Concordiæ: thermæ Titi, Trajani, & Philippi Imperatorum, & amphitheatrum Veſpaſiani.

4. Templum Pacis, & via ſacra, quæ inde incipit, inter Palatium & Eſquilias, pedum 14000. vici 8. templa 9. (præter Pacis) Solis, Lunæ, Telluris, Concordiæ, Veneris, Remi, Auguſti, Nervæ, & Fauſtinæ.

5. Exquilina, magnam partem Exquiliarum occupans, cum monte Viminali, pedum 15900. vici 15. templa 6. Jovis Fagutalis, Junonis Lucinæ, Veneris Erycinæ, Minervæ medicæ, Sylvani, & Æſculapii; regia Servii Tullii; horti Planciani, & Mæcenatis; thermæ Olympiadis; amphitheatrum Caſtrenſe.

6. Alta ſemita, inter montem Quirinalem, & ſubjectam vallem ad lævam, pedum 15600. ubi vici 12. templa 13. Salutis, Serapidis, Apollinis, Floræ, Veneris, Hortorum Salluſtii, Quirini, Minervæ Flavianæ, Fortunæ Sejæ, Salutis, Fortunæ liberæ, Fortunæ publicæ, Fortunæ primigeniæ; thermæ 2. Diocletiani & Conſtantini.

7. Via lata, inter collem Hortulorum & Forum Trajani, attingens latus collis Quirinalis ad lævam, & dextrorſum Circum Flaminium, pedum 15600. ibi vici 10. templa 3. Spei, Fortunæ, & Quirini, præter templum Solis & Lunæ; fora 2. Suarium, & Archimonium.

8. Forum Romanum, inter Capitolium, Palatinum, & Tiberim, in plano, pedum 12867. ubi roſtra populi Romani, vici 12. fora 2. Romanum, & Cæſaris Auguſti; templa 4. Jani, Veſtæ, Romuli, & Penatum, præter templa Jovis optimi maximi & Julii Cæſaris, Carmentæ, & Minervæ, Nemeſis, Saturni, Veneris genitricis, Junonis maritalis, Auguſti, & Larum.

9. Circus Flaminius, maxima omnium, continens quicquid inter montes & Tiberim, excepta Via lata, pedum 30500. in qua vici 30. templa 8. Pantheon, Jovis, Jani, Bruti Callaici Apollinis, Neptuni, D. Antonini, Minervæ Chalcidicæ, Iſidis & Serapidis ſimul; circi 2. Alexandri, & Flaminius; campus Martius, cum obeliſco.

10. Palatium, totum montem Palatinum complectens, pedum 10700. ubi vici 7. templa 10. Jovis Statoris, Spei, Apollinis Palatini, Lunæ in Palatio ipſo, Jovis, Auguſti, Quirini apud Lupercal, Jovis purgatoris, Matris deum, & Febris in Palatio; domus Octavii patris Auguſti; Septizonium Severi; coloſſi 2. Jovis, & Apollinis.

11. Circus Maximus, planitiem continens inter Aventinum montem & Tiberim, ac inter Salinas & Tiberim, pedum 11500. in qua vici 8. templa 4. Mercurij, Caſtoris, Herculis in foro Boario, & Jani in foro Olitorio; velabra 2. majus in foro Olitorio, & minus.

12. Piſcina publica, ſpatium continens poſt circum Maximum ad montis Aventini radices, pedum 12000. ubi vici 12. horti Aſiniani; thermæ Antonianæ; Septizonium vetus.

13. Aventinus, totum Aventinum montem complectens præter thermas Antonianas, pedum 16200. in ea vici 17. templa 6. Lunæ, Dianæ, Bonæ deæ, Libertatis, Junonis reginæ, & Iſidis; thermæ 2. Varianæ, & Trajani; forum piſtorium.

14. Tranſtiberina, quicquid inter Tiberim & Vaticanum montem eſt continens, pedum 33689. ubi vici 23. templa 3. Fortunæ fortis, Fortunæ liberæ, & Apollinis in Vaticano; circus Vaticanus: thermæ 2. Septimianæ, & Hyemales; Aurelii Imperatoris moles, & ſepulchrum Hadriani.

Aliæ Romæ regiones poſtea ſuperioribus additæ:

1. Tabernulæ, ſic à tabernis, quæ ibi erant, dictæ.
2. Suburrana, à Suburra, vico regionis 2. in quo meretrices habitabant, nominata, usque ad Viminalem collem protenſa.
3. Collina, ſic à vicina porta appellata.
4. Faſciolæ, à qua titulus Eccleſiæ olim fuit.
5. Urſi pileati, qui apud portam Eſquilinam (ubi nunc ſacra ædes S. Bibianæ virgini dicata) erat.

Ambitus urbis 36. mill. paſſ. erat, ſuburbiis Oſtiam usque pertinentibus, & domibus usque Ocriculum, teſte Ammiano.

Regiones urbis Conſtantinopolitanæ quatuordecim:

1. In qua domus Placidiæ Auguſtæ, domus Marinæ, thermæ Arcadianæ, vici 29. domus 118. porticus duæ, balneæ privatæ 15. piſtrina publica 4. privata 15. gradus 4.

2. Incipit ab initio theatri minoris, molli clivo ſeſe attollens, ad mareque præcipitiis deſcendens. In ea Eccleſia magna & antiqua, ſenatus, tribunal gradibus purpureis, thermæ Zeuxippi, theatrum & amphitheatrum, vici 34. domus 98. porticus magnæ 4. balneæ privatæ 13. piſtrina privata 4. gradus 4.

3. Plana in ſuperiori parte, altera parte clivo prono ad mare deſcendens. In ea domus Pulcheriæ Auguſtæ, portus novus, porticus ſubrotunda, tribunal fori Conſtantini, domus 94. vici 7. porticus magnæ 5. balneæ privatæ 11. piſtrina privata 9.

4. Incipit à Milliario aureo, aſſurgens collibus læva, dextraque ad planitiem perducta, continens Milliarium aureum, Auguſteum, baſilicam, nymphæum, porticum Fanionis, liburnam marmoream, (navalis victoriæ monumentum) Eccleſiam St. Mennæ martyris, ſcalam Timaſii, domos 475. vicos 32. porticus magnas 4. balneas privatas 7. piſtrina privata 5. gradus 7.

5. Obliquior planitie producitur, in qua ædificia continentur. Ibi thermæ Honorianæ, ciſterna Theodoſii, thermæ Eudociæ, prytaneum, ſtrategium, forum Theodoſii, obeliſcus Thebæus quadrus, horrea olearia, nymphæum, horrea Troadenſia, & Valentiana, ac Conſtantiana, portus proſphorianus, ſcala Chalcedonenſis, domus 84. vici 23. porticus magnæ 7. balneæ privatæ 11. piſtrina publica 7. privata 2. gradus 9.

6. Modica planitie, utplurimum in devexo conſiſtens, quæ à claro foro Conſtantini ad ſcalam usque, ſive trajectum Sycænum, extenditur. Ibi columna purpurea Conſtantini, & ſenatus, domus 484. vici 22. porticus magna 1. balneæ privatæ 9. piſtrinum publicum 1. privata 17. gradus 17.

7. Superiore planior, circà mare declivior eſt, à parte dextra columnæ Conſtantini, usque ad forum Theodoſii porticibus extenditur: utrinque habet Eccleſias 3. Irenes, Anaſtaſiæ, & S. Pauli, columnam Theodoſii cum gradibus, thermas Caroſianas, domus 711. vicos 55. porticus magnas 6. balneas privatas 12. gradus 16.

8. Ex parte Tauri mare non attingit, anguſtior, ſed longior: continet partem fori Conſtantini, porticum ſiniſtram Taurum usque ad baſilicam Theodoſianam, Capitolium, domos 108. vicos 21. porticus majores 5. balneas privatas 10. piſtrina privata 5. gradus 5.

9. Prona tota, in auſtrum deflexa, mari contermina, continet Eccleſias 2. Cœnopolim & Omoneam, horrea Alexandrina, domum nobiliſſimæ Arcadiæ, thermas Anaſtaſianas, horreum Theodoſianum, domos 116. vicos 16. porticus majores 2. balneas privatas 15. totidem piſtrina privata, publica 4. totidem gradus.

10. In aliud urbis latus recedit, à nona platea magna, veluti fluvio, diviſa, planior, nec inæqualis, niſi juxta mare, pari longitudine & latitudine conſtans. In ea Eccleſia Sancti Acatii, thermæ Conſtantinianæ, domus Placidiæ, & Eudociæ, ac nobiliſſimæ Arcadiæ, nymphæum majus, domus 636. vici 20. porticus majores 6. privatæ, & piſtrina publica 3. privata 16. gradus 12.

11. Spatioſior, & nullâ parte mare attingens, partim plana, partim collibus inæqualis. In ea Eccleſia Apoſtolorum, palatium Faccilianum, domus Pulcheriæ, bos æreus, ciſterna Arcadiana & Modeſtiana, domus 503. vici 8. porticus majores 4. balneæ privatæ 14. piſtrinum publicum 1. privata 3. gradus 7.

12. Inter civitatem & portam plana, à latere ſiniſtro, ubi mari terminatur declivis, mœnium ſublimitate ornata. In ea porta aurea, & porticus Troadenſis, forum Theodoſii, columna gradibus intus pervia, Moneta, portus Theodoſii, domus 363. vici 11. porticus majores 3. balneæ privatæ 5. totidem piſtrina privata, gradus 9.

13. Sicæna dicitur, ſinu maris anguſto diviſo, & montis lateri affixa, navigiis frequentibus. Ibi platea cum planitie inter montes & littora; Eccleſia, thermæ, & forum Honorii, theatrum, navale, domus 431. porticus major 1. balneæ privatæ 5. piſtrina privata 4. publica 1. gradus 8.

14. A reliqua civitate diviſa, muro proprio vallatur: ſitu plana progreſſis à porta modicùm eſt, ſed latere dextro clivoſa usque ad medium plateæ; quod eſt pronum usque ad mare. Continet Eccleſiam, palatium, nymphæum, thermas, theatrum, luſorium, pontem ſublicium, vicos 11. domus 167. porticus majores 2. balneas privatas 5. piſtrinum privatum 1. & publicum 1. gradus 5.

Tota urbis longitudo à porta aurea ad mare recta lineâ eſt pedum 14076. latitudo 6150. Nonnihil ſub Turcis immutata eſt, 18. mill. paſſ. ambitu patens.

Regiopolis, urbs Lageniæ, in Hibern. 18. mill. paſſ. à Reginæpoli in Boream, 40. à Dublinio in Occid. Arlonam verſus 20. Caput Comitatus Regis, prov. quæ inter Connaciam ad Occid. Mediam Occidentalem ad Septentr. Kildariam ad Ort. & Comit. Reginæ ad Merid.

Regius mons & villa, vide in *Königsbergâ*.

Regiſtrum, meliùs *Regeſtum* quibuſdam, Spelmanno vox orta videtur ex Normannico ſeu antiquo vocabul. Gallico *giſter*, in lecto reponere, ſuo loco conſtituere. Hinc *Regiſtrum* Cancellariæ, codex, quo brevia Regia, tam Originalia, quam Judicialia formularum muneri inſcribuntur. *Regiſtrum* Eccleſ. parochialis, cui ſeriatim inſeruntur Baptiſmi, Matrimonia & ſepulturæ; à Cromwello ſumma cum laude, in Anglia, inſtitutum, An. C. 1538. regni Henrici VIII. 30. dum vices regias rum adminiſtraret. Injunxit enim Epiſcopis, ut non ſolùm hujuſmodi *Regiſtra*, ſed & Biblia ſacra Anglico ſermone in unaquaque Eccleſia haberentur, Henr. Spelmannus *Gloſſar. Archæol.*

Regium, oppid. Gall. Ciſalpinæ, à Lepido ædificatum; unde *Regium Lepidum* vocatur.

Regium, vide *Rhegium*, & in voce *Königsbergâ*.

Regius campus, locus prope Rhenum, inter Ryſam, Arulamque Helvetiorum fluv. Æmil. *lib.* 8. Vide *Campus Regius*.

Regius Lepidus, cujus meminit Tac. *Hist.* 11.50.

Regius Mons, vide *Regiomons.*

Regma, filius Chus, Gen.10. Idem sign. quod *Reema.*

Regnerus, Danus, Sept. Rex, pepulit Haraldum, huicq; faventi Ludovico Pio iratus per Normannos omnia vastavit, An.C.836.

Regni, Angliæ pop. Ptol. quorum opp. *Regnum* vulgò, *Ringvvood*, in agro Hantonensi, à Ventâ Belgarum 23. m. p.

Regnum, is Reip. status dicitur, in quo penes unum rerum summa est; aliquando absolutè, aliquando cum moderamine. Horum ordo, ex situ, non magnitudine aut nobilitate, per omnes Mundi partes, cum appellationibus Italicis, Gallicisque sequens est.

Regna Europæ:

Gallicum, *Regno di Francia, Royaume de France.*
Hispanum, *di Spagna, d'Espagne.*
Anglicum, *d'Inghilterra, d'Angleterre.*
Scoticum, *di Scotia, d'Escosse.*
Hibernicum, *d'Irlanda, d'Irlande.*
Bohemicum, *di Bohemia, de Boheme.*
Danicum, *di Danemarcha, de Danemarck.*
Norvegicum, *di Norvegia, de Norvvegue.*
Suecicum, *di Suetia, de Suede.*
Polonicum, *di Polonia, de Pologne.*
Moschicum, *di Moscovia, de Moscovie.*
Tauroscythicum, *di Tartaria, de la petite Tartarie.*
Dacicum, *di Transilvania, Moldavia, & Walachia, les païs tributaires du Turc.*
Turcicum, *del gran Turco, l'Estat du Turc en Europe.*
Hungaricum, *d'Ongaria, de Hongrie.*
Neapolitanum, *di Napoli, de Naples.*
Lusitanicum, *di Portugallo, de Portugal.*
Siculum, *di Sicilia, de Sicile.*
Sardoum, *di Sardegna, de Sardaigne.*

Regna Africæ:

Ægyptium, *Regno d'Egitto, l'Egypte,* seu *Misir.*
Tripolitanum, *de Tripoli.*
Africum, sive Tunisium, *di Tunisi, le Royaume de Tunis.*
Numidicum, *di Constantina, de Constantine.*
Mauritaniæ Cæsariensis, & Telensinum, *di Algieri, d'Alger.*
Mauritaniæ Tingitanæ, geminum; Fessanum, *di Fez*; Marochium, *di Marocco, de Maroc.*
Nigritarum multiplex, *di Negri, de païs des Negres.*
Guineæ, *de Guinée.*
Beninum, *de Benin.*
Æthiopum juxta Æquatorem ad occidentem multiplex, *di Damut, de Damout.*
Hesperiorum Æthiopum, *di Congo.*
Agisymbæ ad occasum, *di Loanga*, ad ortum, *di Cefala*, interiùs, *di Monomotapa.*
Prasium, *di Mozambique.*
Raptium, *di Quiloa.*
Melindium, *di Melinde.*
Azanium, *di Xoa e Barua.*
Troglodyticum, *di Adel.*
Barnagassium, *di Barnagasso, de Barnagas.*

Interiora:

Garamantum, *di Garama*, seu *de Berdoa.*
Nubarum, *della Nubia, de la Nubie.*
Meroës & Sabæ, *di Gueguera.*
Æthiopiæ, *del Prete Jani, du grand Neguz, ou l'Abissinie.*
Æthiopiæ ultra Æquatorem, *di Monomugi.*
Muiacum, *de Muiaco.*
Macocum, *de Macoco.*
Giringbomba, *de Giringbomba.*
Galarum, *des Gales.*

Hæc divisio Africæ partim antiqua, & partim recens est. Sed partes Africæ hodie aliter se habent. Vide *Africa.*

Regna Asiæ:

Asiæ minoris, *regno dell' Anatolia, l'Anatolie.*
Syriæ, *della Soria, la Sourie.*
Tyrium, *della Fenicia.*
Cœlesyriæ, *di Damasco, de Damas.*
Palæstinæ, *di Terra Santa, la Terre Sainte.*
Armeniæ majoris, *dell' Armenia maggiore, de l'Armenie.*
(Quæ omnia Turcis parent, cum Colchide, & Sarmatia juxta Euxinum mare.)

Hæc regna, seu meliùs regiones istæ, Asia minor, Armenia, Syria, sub qua Phœnicia seu Tyrium, & Cœlesyria cum Palæstina, subsunt dominio Turcarum; sed non Colchis & Sarmatia ad Pontum Euxinum, quæ proprios habent Reges.

Colchidis, *de la Georgie.*
Arabiæ multiplex, *l'Arabie.*
Babyloniæ, *di Bagdet.*
Persicum, *di Persia, la Perse.*
Mauralnahariæ, *de Maurenahet.*
Scythicum intra Imaum montem, *di Zagatay.*
Scythicum extra Imaum montem, *di Cambalu.*
Sericum, *del Catayo.*
Thibeti, *du Thibet.*
Tangutum, *de Tangut.*
Niucanum, *de Niuche.*
Indiæ citerioris, *dell' Indostan*, multiplex.
Cambaicum, *di Cambaja*, seu *Guzurate.*
Decanum, *di Decan.*
Calecutium, *di Calecut.*
Onorium, *d'Onor*, cui unitum est regnum Baticalæ.
Cananorium, *di Cananor.*
Colchicum, *di Cochin.*
Colaïcum, *di Coulan.*
Taprobanæ, *di Zeilan, de l'Isle de Ceylan*, multiplex.
Narsingæum, *di Narsinga*, meliùs *de Bisnagar.*
Orissæum, *d'Orissa*, meliùs *de Golconde.*
Maldivarum, *des Maldives.*
Indiæ ulterioris multiplex.
Gangeticum, *di Bengala.*
Arracanium, *d'Arracan.*
Avæum, *di Ava.*
Bermæum, *di Berma*, seu *di Brema.*
Martabanium, *de Martaban.*
Canaranum, *de Canarane.*
Tanguum, *de Tangu.*
Pegoum, *de Pegù.*
Cocinsinæ, *de la Cochinchine.*
Tunchinum, *du Tunquin.*
Malacitanum, *di Malacca.*
Aureæ Chersonesi, *di Sumatra, de l'Isle de Sumatra*, multiplex.
Jabadium, *della Giava, de l'Isle de Java*, multiplex.
Borneum, *de l'Isle Borneo*, multiplex.
Macassariæ, *de Macasar en l'Isle Celebes.*
Ternatæum, *de Ternate.*
Siamium, *de Siam.*
Cambojum, *de Camboïe.*
Sinarum, *della China, l'Empire de la Chine.*
Japonium, *del Giappone, le Japon.*

Regna novi Orbis, seu Americæ:

Mexicanum. *Regno del Mexico, de la nouvelle Espagne.*
Peruvium, *del Perù, du Perou.*
Brasilium, *del Brasil, du Bresil.*
Novum regnum Mexicanum, *du nouveau Mexique.*
Apalacitanum, *des Apalaches.*
Novum regnum Granatense, *le nouveau royaume de Grenade.*
Insularum, *di S. Domingo, des Isles S. Domingue & Cuba.*
Novæ Franciæ, *de la nouvelle France.*
Ciles, *du Chili* V. quodque suo loco.

Regom, filius Jahaddai, 1. Par.2. Latinè, *lapidans, lapidatus*, vel *purpureus.*

Regula, opp. Vasatensis tractus, in Aquitan, aliàs munitum, ad Garumnam fluv. alias *Squirs* dictum, Briet. 9. leuc. supra Burdegalam, 4. à Vasate in Cæc. *la Reole.* Hic Monaster. sub Abbat. Floriacensi.

Regulbium. opp. Cantii, apud ostia Tamesis, à Londino 40. mill. à Cantuaria 10. in Bor. *Reculver.*

Reguli Fanum, vulgò *Kirk-Reul*, postea Fanum S. Andreæ, seu Andreapolis urbs Scotiæ Archiepisc. in ora Fifæ Or. Diei itinere ab Edimburgo in Ort. ab Aberdonia plus duplo in Austr.

Regulus, & *Subregulus*, sæpe reperiri in Chartis & Conciliis Anglo-Saxonum, & illud fortè Comitem, hoc Vice-Comitem significare, refert Henr. Spelmann. *Glossar. Archæol.*

D. Regulus, Dionysii Areopagitæ discipulus, primus Sylvanecti, Gallicè *Senlis*, Episcopus, ad cujus adventum omnia corruerunt idola: quo quidem miraculo magna hominum caterva ad Christi fidem statim est conversa. *Annal Franciæ.*

M. Regulus, bipedum nequissimus, Domitiani delator, in quem ardentius declamans Nerva, febri correptus est.

Regulus, vide supra in vocibus *Aquilius, Attilius, Livineius*, item *Memmius.*

in *Regum* libros vel partes extant: Ambrosius Angelomi *Stromata*, fol. Coloniæ, An. 1535. Antoninus. Archirota. Augustinus. Beda. Bonfrerii *Comment.* fol. Parif. An. 1631. & Borrhai, fol. 1505. Basileæ. Brentius. Candidus. Causini *Regnum Dei*, fol. Paris. An. 1650. Crommius. Drusius, *in loca difficil.* Eucherius. Filholius. de Hales. Helingius octav. Norib. An. 1593. Hieronymi *Comment.* Isidorus Cordub. & Hispal. de Lapide. Leonhardi Ὑπομνήματα, octav. Lipsiæ, An. 1614. Martyr. Malvenda. Mendozæ *Comment.* 3. Volum. Lugduni, An. 1646. Nezenii *Exercitat.* Jenæ, An. 1611. Origenis *Homiliæ.* Paulutius. Procopius. Rabanus. Rangelius, 2. Volum. Parisiis An. 1621. Ribera. Rupertus. Sanctius. Serarius. Sopranes. Stephanus. Strigelius. Theodoreti *Quæstiones fol.* Tostatus. Varennii *Disputatio, de Ophira.* Antv, An. 1600. de S. Victore Hugo & Rich. Wellerus, Zanchii *Notationes & Quæstiones*, Romæ, An. 1553. &c. Vide Crowæi Elenchum.

Regum civ. vulgò *los Reyes*, seu *Lima*, V. ibi. Caput Peruviæ, in ora maris Pacifici, in valle Lima. Cujus portus *Callao*; Sedes Proregis Hisp.

Rehum, nomen viri. 1. Esdr. 2. Lat. *misericors*, aut Syriacè *amicus*.

Rei, nomen viri. 1. Reg. 1. Lat. *socius, pastor*, sive *confractiones*.

Reia, fil. Joel. 1. Par. 5. Lat. *visio Domini*.

Reji, vulgò *Riez*, urbs Provinciæ, ad Auvestram amnem, Ep. sub. Ar. Aquensi. Aliàs *Reji Apollinaris*, *Albecum Rejorum Apollinarium*, *Colonia Rejorum*; *Rejus* etiam & *civ. Rijensis*: Gregorio Tur. aliisque *Regium* quoque & *civ. Regiensium*: antiquissima est, quod ex inscriptionibus aliisq; insignibus monumentis, quæ hodieque ibi supersunt, elucet. Albiciorum olim caput, agrum habet omnium rerum feracem, situ egregia, Basilica B. Virginis similiter vetusta est admodum, Sidonio Apollinari *ad Faustum Rejensem*, memorata, ut quidam volunt: qui Eremi quoque S. Mauri, in Paludibus, in dioec. Rejensi, mentionem facit. Patria fuit præclarorum virorum, sedesque insignium Præsulum. 7. leuc. ab Aquis Sextiis in Ort. Sanitium versus 6. & à Segusterone 8. in Merid. Vid. Plin. *l.* 3. *c.* 4. Greg. Tur. *lib.* 4. *cap.* 37. Sidon. Apollinarem *lib.* 9 *ep.* 3. & *carm. Euch. ad Faustum*, Bertelium *in Histor. Præs. Regens. &c.* Hic Concilium habitum est An. C. 439. contra Arrianorum u n. Item An. C. 1285. quo inter alia, decretum est, ut publicæ preces fierent, pro liberatione Caroli II. captivi ab Aragonensibus detenti. Morerius *Dict. Hist.* V. *Regenses*.

Reinerius, Dominicanus, An. 1414. Pisis in patria, Theologiam docuit. Scripsit *Pantheologiam &c* Anton. Sen. *in Bibl. Domin.* S. Antonin. Volaterr. Leander Albertus. Idem contra Valdenses scripsit, de quibus inter alia memorat: propterea eos præ aliis perniciosos esse Ecclesiæ Rom. I. *quia secta eorum diuturnior: quidam quippe dicunt, quòd duraverit à tempore Sylvestri, alii à tempore Apostolorum.* 2. *Quia generalior, ferè enim nulla terra huius sectæ expers est.* 3. *Quod, cùm alii in Deum blasphemi sint, hujus homines juste vivant, bene omnia de Deo credant, omnesq; articulos Symboli confiteantur, solam Eccl. Rom. blasphement.* V. Biblioth. PP. p. 2. *edit. Paris. An.* 1624. *auctore Jacobo Gretsero.* & Sigon. *lib.* 14. *ad An.* 1179. Item, Prior Monasterii S. Jacobi Leodii, Obiit, An. 1130. Scriptor historicus: ut & Alius in Monast. S. Laurentii. Val. Andr. *B. B.* Obiit 1010. Item Forojuliensis, J. C. Anno 1358. Bartoli præceptor. Scripsit varia.

Reinerius Gemma, Frisius, Medicus & Mathematicus, A. 1550.

Reinerius Sacbonius Dominicanus, scriptis inclaruit. A. 1240.

Reinerius Solenander, Clivensis. Medicus in Belgio & Italia clarus. Valer. Andr. & Vander Linden *in B. B. & de Scr. Med.*

Reinoldus Joannes, Theologus Oxoniensis *Academiam in suo pectore gestasse* dictus, scriptis omnigenam eruditionem, antiquitatis supremis summam notitiam spirantibus, & colloquio cum Harto Jesuita inclaruit, Obiit An. C. 1605.

Reitesse, vulgò *Retest* primò, dein *Retel*, olim vicus, nunc opp. Galliæ, ad Axonam, in finibus Remorum, olim Comitem suum habuit, ac demum in Ducatus titulum atque Paritatis beneficio Henrici III. Regis adscendit. Caput novi pagi Reitesti ii, *Retelois*, qui olim pagi Portiani nomine & finibus continebatur ex parte, designabaturque, V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Rejus Nicolaus, Polonus, veritatis strenuus promotor, Nicolaum Olesnicium, qui primus in regno circa An. C. 155 . purioris Religionem in Pinczovio oppido suo, doceri permiserat, ab Episcopis apud Regem gravissime accusatum, intrepidè tuitus est. *Hunc Magnum jure vocaveris, sive quis ingenium, sive Polonici carminis respiciat artes, & vario scripta resperta sale, cùm delitium ingens & nobilitatis & aulæ esset.* Bielscius *Chron. Pol. lib.* 5. Musceus *de Evang. in Pol. orig. & progr.*

Remaclus Fuchsius Limburgensis, Medicus & Canonicus Leodiensis. Scripsit vitam Medicorum illustrium, &c. Obiit A. 1586.

S. Rembertus, Flander ab Friso ? Episc. Hamburgensis, tempore Caroli Calvi, & Caroli Crassi. Scripsit vitam S. Anscharii, Prædecessoris sui, de Virginitate, &c. Adam de Bremen, *lib.* 1. *cap.* 31. Alb. Crantz. *in Saxon.* Mejer, *in Annal. Flandr.* Suffridus Petri, *de Script. Fris.* Vossius, Molanus, Val. Andreæ &c.

Rembertus Dodonæus, Mechliniensis, Medicus Maximiliani II. Imp. Lugduni Bat. Professor. Obiit 1585. Botanices egregiè peritus. Scripsit Opus libb. 30. &c. Castellan. *in vit. Medic.* Val. Andr. *Bibl. Belg.* Vander Linden, *de Script. Med.*

Remeia, nomen viri 1. Esdr. 10. Lat. *excelsus Dominus*, aut *projectio Domini*.

Remi, gens Gall. Belgicæ, Cæs. *l.* 2. cujus caput Durocortorum Remorum, à Matrona, quod Celtas à Belgis dividit, non multum abest. Ejus fines longè trans fluv. Axonam usque ad Mosam fl. pertinent, quà parte Maceriæ sunt atque Mosomagus Remensis Ecclesiæ parœciæ. Agros Remorum memorat idem, patentesque campos frumenti feraces, à quibus Campaniæ *Remensi* nomen, V. Plin. *lib.* 19. *cap.* 5. Præcipuo semper honore Cæsar Remos habuit, secundo ab Æduis loco: clarissimi ac memoratu dignissimi Straboni dicuntur; *Remi fœderati* Plinio *lib.* 4. *cap.* 17. Hirtio *Socii & Amici* Romanorum, optime de Rep. meriti, *lib.* 8. Utebantur autem hi *Fœderati* suis legibus, & planè erant liberi. Fœdus civitatis Remorum cum Romanis initum designavit Tacitus *Histor. lib.* 4. Hirtius equites Remorum ac Lingonum evocavisse ait Cæsarem, quibus adversus Bellovacos uteretur. Lucanus *Remos* & Leucos optimos funditores agnoscit:

Optimus excusso Leucus Remusq; lacerto.

Ante Remigium Episc. quidquid nunc Remensi diœcesi & Laudunensi continetur, ad unos Remos solamque diœcesim Remensem pertinebat: hi veteres *Remorum* erant fines. Nunc diœcesis, ut à Remigio est imminuta, à Matrona ad Mosam, seu à Sparnaco ad Macerias Castrumque Reginaldi & Rupem Regiam, leucas 25. in long. patet, in latitud. circiter 15. terminos habet ab Oriente Trevíricam diœcesin, à Mer. Catalaunicam, ab Occ. & Sept. Suessionicam & Laudunensem.

Pagi Diœcesi Remensi comprehensi.

Argonna silva & pagus, *Argonne.*	Reitelinus.
	Remensis, i. ager Durocortori suburbanus.
Castrensis.	
Dulcomensis.	Stadinensis.
Montania, *la Montagne.*	pars Teoraciæ.
Molomagensis.	Vongensis &c.

Oppida, præter Metropolim.

Carolopolis ad Mosam.	Maceriæ ad Mosam.
Castrum Porcense ad Axonam.	Mosomagum ad Mosam.
Culmisciacum *Cormicy.*	Reitelte ad Axonam.
Doncherium ad Mosam.	Rupes reg. in Arduenna.
Fines ad Vidulam.	Sedanum ad Mosam.

Sparnacum ad Matronam &c.

Alia loca clara.

Avennacum *Avenay.*	*Fontaine.*
Altus mons *Omont.*	Grande Pratum.
Attiniacum, villa regalis.	Mons falconis in saltu Argonna.
Castellum Reginaldi.	Rumniacum.
Duciacum *Douzy.*	Sindunum, vel Senucum.
Fons Malberti *Maubert*	Vindonissa *Venderesse.*

Continet porro *Remensis* diœcesis Parœcias vicanas seu rusticas majores 469. minores 335. Abbatias cum urbanas tum vicanas 24. V. Marlotum *Hist. Metropolis Rem. lib.* 1. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & infra quoque in voce *Rhemi.*

Remi, Urbs præc. Campaniæ Gall. cum tit. primi Duc. & Arch. Antiquissimarum & pulcherrimarum Galliæ civitatum una. Ibi templum primarium elegantissimæ structuræ, in quo Reges coronari solent, oleo, ut dicunt, divinitus olim, tempore Clodovæi, demisso. Portæ hujus urbis Gentilium Deorum nominibus hodieque insignes sunt; caput est territorii Remensis exigui. Cæs. *de B. G. lib.* 6. *cap.* 4. Plin. *lib.* 4. *cap.* 17. Strabo *lib.* 4. Aimon. *lib.* 3. *cap.* 6. Hincmar. *in vita S. Remigii.* Flodoard. *Hist. Eccl. Rem.* Guil. Marlotus, *Hist. Rem. &c.* De Conciliis hic habitis, consule Morer. *Diction. Histor.* V. *Remi & Rhemi.*

Rem, pop. Germ. inf. quorum locus est pag. *Rindenen* Smetio; vel *Rhindenen*, in Duc. Cliv. inter Cliviam & Rhenum.

D. Remi, seu D. Remigii, aut Remuli fanum, oppidum Liguriæ peramœno situm est ac fertili agro, citris, palmis, medicis, limonibus, aliisque fructiferis arboribus mirifice ornato. Cum portu, in ora Genuensi.

Remigius, Episcopus Remorum, qui baptizavit Ludovicum illum regem, quem Galli *Clodovæum* vocant. Proin *Gallorum Apostolus* dictus. Illius ampulla ibidem quoque asservari dicitur; ex quâ Gallorum reges inungi solent, ac deinceps diademate jam. indè cingi. Obiit An. 535. Greg. Tur. *l. de gl. Confess. cap.* 79. & *Hist. Fr.* Sidon. Apollin. *lib.* 9. *ep.* 7. Flodoard. *Hist. Rem.* Hincmar. *in vita Rem.* Morerius *Diction. Hist. &c.*

Remigius, Arch. Lugdunensis, Eleemosynarius Lotharii Imp. Scripsit epistolam, contra Joh. Scotum Erigenum, & commentarios in epist. Paulinas. Obiit An. 874. Flodoard. *lib.* 2. *Hist. Rem. cap.* 16. Lupus Ferretius, *ep.* 112. Jac. Severtius, *de Arch. Lugdun.* Theophilus Reinaldus, *in Ind. SS. Lugdun.* Item Antissiodorensis Monachus, floruit *Sec.* 9. A Fulcone Arch. Remensi Antissiodorum, ut studia ibi redintegraret, vocatus est: Præceptor Odonis, Abb. Cluniacensis. Explicuit Psalmos Davidis ex Ambrosio, Augustino, & Cassiodoro. Edidit quoq; explicationem 11. min. Prophetarum. &c. Flodoard. *Hist. Rem. lib.* 4. *cap.* 19. Sigebert. *cap.* 123. Trithem. Sixtus Sen. Bellarminus, Possevinus, &c.

Remillium, seu *Remilliacum*, opp. Sabaudiæ, ad amnem Serranum, 8. leuc. à Camberio in Bor. 2. ab Annecio in Occ.

Remismundus, Suevorum in Hisp. R. turbis in Gallæcia finem imposuit. An. 465. Cum Theodorico quoque II. pacem iniit. Mariana, *Hist. Hisp.*

Remmon, civitas in tribu tam Judæ, quàm Simeonis. Jos. 15. 19. Item petra & urbs 15. mill. ab Hieros. in tribu Benjamin. Judic. 20. Vallis item apud Zachariam *cap.* 14. sive civitas secundum Lyranum, non procul à Megiddo, quæ a quibusdam nunc *Maximianopolis* dicitur. Item pater Baana & Rechab, servorum Ishbosheth. 2. Reg. 4. Nomen idoli. 4. Reg. 5. Lat. *malum gravatum*, sive *altitudo*.

Remonium, locus extra urbem, quem ad inauguranda templa *Remus* cepit. Alexand. ab Alex. 6. 31. *Romia* apud Halicarnassæum

naſſeum eſt. **Remurium habet Cicero *Phil.* 6.** etſi quidam *Samurium* ibi legant.

Remorentium, urbs prov. Bleſenſis, aliàs Soloniæ caput, ad Saldriam fl. 8. leuc. à Bleſis in Mer. Bituricum verſus 14. uti ab Ambacia in Ort. Quibuſd. *Ratomagus* antiquorum.

Remoria, locus in ſummo Aventino, ubi Remus de urbe conditâ fuerat auſpicatus. Steph. urbs eſt prope Romam.

Remphan, Idolum. Act. 7. pro quo in Ebræo legitur *Chiun*.

Remulus Sylvius, Latinorum rex, qui præſidium Albanorum inter montes poſuit, ubi nunc Roma eſt. Ob impietatem fulmine ictus creditur. Ovidius,

—— *In Remulum fulmina miſſa ferunt.*

Remuria, ſacra ad Lemures, i. e. larvas nocturnas, & terrificationes placandas inſtituta. A Remo, quem interfecit Celer, Romuli comes, feruntur habere nomen, quæ poſtea aſperiore literâ *r.* in leniorem mutata, *Lemuria* ſunt dicta. Porphyrio Horatii interpres, vult *Lemures* nominatos qu. *Remures*, à *Remo*, cujus occiſi umbram cùm frater Romulus placare vellet, *Lemuria* inſtituit, i. e. Parentalia, quæ menſe Majo per triduum celebrari ſolebant.

Remus, frater Romuli, primi Romanorum regis, qui quòd nova urbis Romę mœnia per ludibria tranſiluſſet, à fratre eſt interfectus, aut, ut alii volunt, a Celere quodam Tribuno. Poſt cujus mortem obortâ peſtilentiâ, conſulto oraculo reſponſum eſt, placandos eſſe manes Remi: ob quam rem ſella curulis cum ſceptro & diademate, & cæteris regni inſignibus, ſemper juxta Romulum quidvis ſancientem ponebantur, ut mortuus etiam Remus pariter imperare videretur. Unde eſt illud Virgil. *Æn.* 1.

—— *Remo cum fratre Quirinus*
Jura dabunt. —— ——

Hic unà cum Romulo urbem Romam condidiſſe fertur. Plin. 8. 17. *Sicut de conditoribus noſtris accepimus.* Marcus Manilius *Aſtronom. lib.* 5.

Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.

Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 5.

Romulus æterna nondum firmaverat orbis
Mœnia, conſorti non habitanda Remo.

Mihi tamen (inquit Dempſterus) animadverſum, à Remo fundamenta ejus jacta, erat enim major natu. Stat. *Sylv.* 5. 2.

—— *Neq; enim de ſanguine cretus*
Turmali, trabeâq; Remi.

Idem *Sylv.* 2. *ult.*

Dices culminibus Remi vagantes
Infandos domini nocentis ignes.

Propertius. 2. 1.

Quis gradibus domus iſta Remi ſe ſuſtulit olim.

Idem *lib.* 4. *eleg.* 1.

Regna vel prima Remi, aut animos Carthaginis alta.

Martialis 10. 76.

Sed de plebe Remi, Numaq; verna.

Juvenalis *Sat.* 10.

Turba Remi ſequitur fortunam.

Et ante omnes Catullus *epigr.* 56.

Glubit magnanimos Remi nepotes.

A fratre Romulo occiſum volunt poetæ. Propertius,

Si modò Avernalis tremula cortina Sibylla
Dixit, Aventino rura pianda Remo.

Idem *lib.* 3. *eleg.* 9.

—— *Et caſo mœnia firma Remo.*

Horat. *Od.* 7. *epod.*

Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Lucanus,

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Hic, ut Romulus, nomen habet à *ruma*, i. e. mammâ, quam lupa infantibus præbuit, vel ipſo Plinio teſte, apud quem hactenus *lib.* 15. *cap.* 19. mendosè ſcriptum eſt *rumen*.

Renaldus, ſeu *Regmaldus* Aichſtadienſis, in Bavaria Epiſc. Hebraicè, Græcè & Latinè doctus, Muſices peritus. Succeſſit Starhando, An. 965. Obiit An. 989. Scripſit vitas quaſdam SS. Voſſ. *de Hiſt. Lat. lib.* 2. *cap.* 40.

Renaldus Belnenſis, Arch. Senonenſis, Henrici Magni jus contra Ligiſtas fortiter tuitus, Obiit An. 1606. Thuan. *Hiſt. l.* 106.

Renaldus Clutinus, Pariſienſis, Poëta excellens, ſec. præt. Scævola Sammart. *elog. lib.* 2.

Renaldus Ferrerius, Præſes Parlamenti Pariſ. ad Concilium Tridentinum miſſus eſt. Inſerviit fideliter Franciſco II. Carolo IX. & Henr. III. ſcriptis eloquentiâ & eruditione refertis, illuſtris.

Renaldus Langhamus, Franciſcanus Anglus, An. 1410. Scholaſticus celebris. Scripſit in Magiſtrum ſent. Pitſeus, *de Scr. Angl. p.* 589.

Renaldus Perokius, ſeu Peacockius, Anglus, Epiſc. Ciceſtrienſis, floruit ſec. 15. Depoſitus, ob ſcripta erudita quidem, ſed quæ erroribus ſcatere dicebantur, An. 1486. Geſner. *in Bibl.*

Renaldus de *Piperno*, Dominic. Anglus, ſcriptis celebris. Pitſeus, *in Append. Ill. Angl.*

Renaldus vel *Reginaldus Polus*, Card. & Arch. Cantuarienſis, fil. Richardi, ex Margareta filia Georgii Clarentiæ D. qui Eduardi IV. frater erat: Eruditione inclytus. Ab Henr. VIII. Angliâ pulſus, conſtituto in caput ejus 50000. imperialium pretio, Regem per literas ad unionem cum Eccleſia Rom. hortatus eſt. Hinc, & aliis accedentibus cauſis, Mater ejus & ex amicis nonnulli capite luerunt. Poſt Henrici mortem, Eduardum VI. filium ejus pariter retrahere ad Rom. Communionem annisus eſt, ſed fruſtra. Sub Maria redit in Angliam, Præſes conſilii regii effectus. Obiit An. 1558. Epitaphium ejus: *Depoſitum Cardinalis Poli.* Scripſit *de Officio Summi Pontificis. De ejuſdem poteſtate. De concilio Tridentino, &c.* cum volumine Epiſtolarum. Becatel. *in vita ejus.* Petramellarius & Garimbertus, *in Elog. &c.*

Renatus cognom. Bonus, Rex Neapolis, Siciliæ, &c. Dux Andegav. Comes Provinciæ, &c. fil. Ludovici III. Neap. R. ex Jolanta, fil. Johannis I. Arragon. R. Ductâ an. 1420. Iſabellâ, hærede Caroli I. Lothar. D. hæreditatem aditurus, Antonium Valdemontium, fratrem Ducis hoſtem ſenſit, feudum maſculinum Lotharingiam eſſe cauſatum. Lite Sigiſmundo Imp. & Concilio Baſil. commiſſâ, ſententia pro Renato eſt lata: ſed Antonius, Philippi Boni Burgundiæ D. armis jus ſuum tuitus, Renatum vicit cepitque. Qui Divione in vinculis per quinquennium detentus, audita dein Ludovici III. Neapol. R. fratris ſui, Johannæque II. à qua hæres ſcriptus erat, morte, illò contendit, ſed iterum infelix, ſicut & filius ejus Calabriæ D. qui Aragoniæ regno imminebat. In Provincia ergo, quod reliquum vitæ fuit, quietus tranſegit. Princeps formâ egregiâ ingenioq; inclytus, picturæ & Poëſeos ſtudio deditus, Ordinem militarem Lunæ creſcentis inſtituit Andegavi, An. 1464. Cum filii ejus omnes præmortui, reliquit ditiones Carolo, ſuo ex fratre nepoti, Comiti Meduanio. Obiit Aquis Sextiis, An. 1480. ætat. 71. Rufius, *Hiſt. Comit. Prov.* Noſtradamus & Buchæus, *Hiſtor. Prov.* Pureanus, *Jura Regia.* Sammart. *Hiſt. geneal. Famil. Gall.*

Renatus II. Lotharingiæ D. filius Friderici II. ex Jolanta filia Renati Siciliæ Reg. nepos Antonii I. de quo ſupra, quo conjugio lites inter Regem Neapolitan. & Lotharingiæ D. compoſitæ. Titulum & inſignia Regis Siciliæ & Arragoniæ, ex parte Matris, cepit. A Ludovico XI. & Friderico III. Imper. perſuaſus, Carolo Burgundiæ D. bellum intulit, ſed Ducatu ab illo exutus, Helvetiorum ope reſtitutus eſt, Carolo in obſidione Nancei occiſo, An. 1477. quo inter mortuos ægrè reperto, *He da beaux Couſins*, exclamaſſe fertur, *vous nous avez donné moult de maux.* Ex Philippa Geldrica, ſorore unica Caroli, pater octo filiorum, è quibus Antonius ſucceſſit, & quatuor filiarum. Philipp. Cominæus, *Hiſtor.* Edmondus du Boullay, *Hiſt. Lothar.* Mezeræus, &c.

Renatus Benedictus, Andius, ab Henrico IV. Gall. Reg. Epiſcopus Turonenſis declaratus, Bullas Româ obtinere neutiquam potuit. Scripſit varia. Oſſat. *in epiſt.* Morerius *Dict. Hiſt.*

Renatus Carteſius, Nobilis Gallus, Philoſophus hujus ſeculi celeberrimus. In Turonibus natus, ſtirpe fuit, in Aremorica & Pictonibus, illuſtri: à prima juventa ſtudiis deditus, in Philoſophia & Mathematicis, ſtupendos fecit progreſſus: Arma dein in Germania & Hungaria feliciter circumtulit. Hinc Philoſophiâ ſeceſſum poſcente, Egmontium in Hollandiam conceſſit, ibi An. 25. commoratus: Edidit hic primò Meditationes primæ Philoſophiæ, quibus cum varia objicerentur, omnibus eruditè & ſolidè ſatisfecit: Interea ex omnibus orbis partibus per Epiſtolas laceſſitus, ut velut Oraculum quoddam reſponſa daret. Dein Pariſios veniens, à Ludovico XIII. & Cardin. Richelio invitatus eſt, ut ibi ſedem figeret: ſed aulam Muſis non convenientem ratus, excuſavit ſe. Nihilominus Chriſtinæ Suecorum Reg. frequenti rogatu Holmiam venit, ut ſingulis diebus horâ quinta matutinâ in Bibliotheca ejus illam inſtrueret. Sed paulo poſt obiit Vir incomparabilis, An. 1650. æt. 54. Reliqua vide benigne Lector *in Scriptis ejus.*

Renatus Chopinus, Andius, Advocatus celebris, ſcripſit complura. Simler. *in append. Bibl. Geſn. &c.*

Renatus Laurentius de Labarre, nobilis Normannus, edidit Tertullianum & Arnobium, aliaque quædam egregia.

Renatus Profuturus Frigeridus, priſcus hiſtoricus, laudatus Greg. Tur. *Hiſt. Franc. lib.* 2. *&c.* Vide Moter. *in Diction. Hiſt.*

Renfroana, vulgò *Renfrevv*, urbs Scotiæ meridion. in Cuninghamia prov. ad Claudam fluv. in limite Leviniæ, vix 5. m. p. infra Glaſcum in Occid.

Rensburgum, oppidum munitum Holſatiæ, ad Eyderam fluv. in limite Duc. Sleſvicenſis. 4. leuc. à Chilonio in Occ. Tonningam verſus 6. & 4. à Sleſvico In Mer.

Rentica, ſeu *Rentiacum*, oppidul. Arteſiæ, ad Agnionem fluv. fruſtra obſeſſum, ab Henrico II. Gall. Rege, An. C. 1554. Thuan. Nunc dirutum ab An. 1638. 5. leuc. à Bononia in Ort. Ariam verſus 4. in ipſo limite Comitatus Bononienſis.

Renunciata, inſula in Æthiopico mari, quæ, teſte Plinio, ita dives eſt, ut equos talentis auri incolæ permutent.

Reomaus, locus in diœceſi Lingonica, pagoque Ternodorenſi, à rivo præterfluente, *la Reome*, dictus, veterrimo inſignis Monaſterio, hodiè *Mouſtier S. Jean.*

Reontium, vulgò *Rions*, caſtrum Gall. ad Garumnam, ſupra Burdigalam, Hadr. Valeſ. *Notit. Gall.*

Reperitanum, urbs Episc. Mauritaniæ Cæf. Vict. Utic. Quid nunc sit, non constat.

Repressalia, Angl. *Reprisels*, à Gall. *Reprise*, i. resumtio, repetitio, captio rei unius in alterius satisfactionem, quod cùm fieri soleret, inter duorum Regnorum finitimos, qui Marchias habitare dicuntur, *Lex Marchia*, à recentioribus appellatum est. Est autem *Reprisalia* vel *Repressalia*, potestas pignorandi contra quemlibet, de terra debitoris pro injuriis & damnis. Vel elucidatius paulò, *Represalia* dicuntur, quando aliquis oriundus de terra una, spoliatus est, vel damnum acceperit, vel debitum non impetraverit ab alio, in terra alia oriundo; dari solet potestas hujusmodi spoliato, ut sibimet ipsi satisfaciat contra quemlibet e terra illa, unde debitor vel spoliator ejus existat: dum tamen se abstineat à personis Ecclesiasticis & ipsorum bonis, hoc enim Jure C. omnino prohibetur, Henr. Spelmannus *Glossar. Archaol.*

Rerigonium, Ptol. opp. regionis Carrictæ, *Bargeny* Camdeno.

Rero, vulgò *Rerone*, amnis Venetiæ, in agro Vicentino. Vicentiam rigat, ibique in Meduanum min. influit. Baudr. αὐτόπτης.

Resbacu, torrens vel rivulus Galliæ, in saltu Briegio, ex aquis pluviis in unum confluentibus oritur, & æstate aret. Ad hunc Audoenus, qui & Dado, Autharii Franci viri nobilissimi ac ditissimi filius, Dagoberti Regis Referendarius ex B. Columbani regula Monasterium extruxit, quod ipse *Hierusalem*, cœteri à fluvio Cœnobium *Resbacense* cognominarunt, cui Agilum, unum ex Columbani discipulis, Abbatem præfecit; Vulgò *Rebet* aut *Rebais*, hodieque nobilissimum. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Rescovia, Urbs Moscoviæ, versus fontes Volgæ in limite Lituaniæ, 40. m. p. à Tuveria in Africum. 50. à Bielka in Ort. cum duplici arce lignea. Caput Ducatus cognom. qui prov. est Moscoviæ, ad Occ. extensa, versus confinia Lithuaniæ, inter Tuveriensem & Bielskiam Duc. Urbes ejus reliquæ Voloczka, Vielkiluchia & Toropiecum.

Resen, civitas ab Assur ædificata inter Calnen & Nineven. Gen. 10. Lat. *frænum*.

Reseph, nomen viri. 1. Par. 7. Lat. *volucris*, aut *sagitta ignita*.

Resia, fil. Olla. 1. Par. 7. Lat. *voluntas*, aut *voluntarius*, sive *cursor*, vel *veredarius*.

Resiston, V. *Redastum*.

Respha, concubina Saul, filia Aiah. 2. Reg. 3. Lat. *extensio*, sive *pavimentum*, aut *calculus ignitus*.

Responsalis, qui à responsis est, *Apocrisiarius*, vox Ecclesiæ. Primitus & propriè intelligebatur de illo, qui causas Ecclesiæ ad Imperatorem detulit, ejusque ad supplices responsum; vel consultus de re Ecclesiæ, responsum præbuit seu consilium, unde & *à Consiliis* appellatus est. Origo hujus ministerii à tempore translatæ sedis à Constantino M. arcessitur: quod primò exequebantur Episcopi, dein cùm hosce à suis parochiis canones abesse prohiberent, Presbyteris delatum fuit & Diaconis: sic functus est illo, cum adhuc in Diaconatu esset, Gregorius M. Vid. Hincmar. Marianum Scotum, ad An. C. 575. &c. Hac acceptione cùm non differat Apocrisiarius à quovis Legato, qui in Aula negotia illustrioris alicujus Ecclesiæ promovebat, ipsi quidem Legati Apocrisiarii dicti sunt; nec tantùm Papæ, sed aliorum etiam Episcoporum: imo nuncios suos ad Panormitanum Arch. pallium deferentes Apocrisiarios vocat Paschalis *cap. significavit de elect.* At in aula Regum Francorum, Apocrisiarii munus omnium palatinorum honoratissimum fuit. Post Regem enim, Reginam & prolem Regiam, primas tulit: nec solùm omnem clerum palatii, sub suo habuit imperio, adjunctumque summum Cancellarium; sed uti Comes Palatii omnibus præfuit negotiis & hominibus secularibus, ita Apocrisiarius, qui *Capellanus* quoque & *Custos Palatii* dictus est, omnibus præfuit negotiis & ministris Ecclesiæ. V. Hincmar. *Epist.* 3. *c.* 13. *& seqq.* Meminit etiam τῦ Ἀποκρισιαρίε in Aula Orientali, Codinus Curopalates; officium tractans τῦ πρωτοβεστιαρίε. Sed & Apocrisiarii genus, ante Constantinum, sub Trajano & Nerone reperitur: ut e Suida constat, in voc. Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς, quem fuisse tunc temporis asserit ab Epistolis & legationibus καὶ ἀποκριμάτων à responsis, id est, Apocrisiarius. Apocrisiarius tandem sedis Apostolicæ seu *Responsalis* Apostolicus, non solùm Pontif. Romani Legatus, sed aliarum etiam illustrium Ecclesiarum vocatur. Apud medii enim ævi scriptores Apostolici omnes Episcopi dicti sunt, donec appellatio soli Romano remansit. Recentioribus Apocrisiarii dicuntur Episcoporum Cancellarii. Vide Henricum Spelmannum in *Glossario Archæologico*.

Respublica Bravæ, sola est in Africa, in reg. Azaniæ. Quibusd. *Barraboa*; juxta fl. *Quilmancum*.

Respublica Europæ.

Respublica Genuensis, in Italia, *Republica di Genova* incolis, *Republique de Genes* Gallis, totam complectitur Liguriam maritimam à Macra fluvio & Serezana in ortum, ad Albium Intemelium in occasum, uti & Corsicam insulam. V. *Genuensis ditio*.

Respublica Helvetiorum, *les Suisses*, aliàs in Gallia Celtica, hodie in Germania. Dividitur in tredecim pagos, quorum hic ordo est, in comitiis Badensibus:

Tigurum.	Tugium.
Berna.	Glarona.
Lucerna.	Basilea.
Uria.	Uria.
Suitia.	Solodorum.
Undervaldia.	Scaphusia.

Abbatiscella.

Ex his Uria, Suitia & Undervaldia, debellatis Morgatensi prælio Austriacis æternum inierunt fœdus, Ann. C. 1315. Lucernates his accesserunt, An. C. 1332. Tigurini dein cum Glaronensibus in fœdus recepti sunt, Ann. C. 1351. Bernenses, eodem anno, quo Tugeni, nempe 1352. secundùm Simlerum, aut 1353. juxta Cl. Hottingerum: Postea Friburgenses & Solodorenses, Ann. C. 1481. post exactum bellum Burgundicum: Basilienses dein & Scaphusiani An. C. 1501. confecto Suevico bello; Abbatiscellani tandem An. C. 1513. cum prioribus in ejusdem fœderis societatem, nullo ævo dissolubilem, sunt assumti. Cum horum maxima parte fœdus quoque percusserunt, Abbas Sangallensis, Sangallum opp. Rhæti, Vallesiani, & Mülhusium. Specialiter cum Bernensibus Biennenses & Neocomenses, cum Bernatibus & Tigurinis Geneva fœdus colit. Habent porro Helvetii varias Præfecturas imperio suo subjectas: Intra Helvetiæ limites quidem, Comitatus tres Aquensem, Turgoviensem & Sarunegaunensem: Liberas Provincias item & Rheguscos: Extra Helvetiam verò, Præfecturas Trans-Alpinas quatuor Luganensem, Locarnensem, Mendrisianam & Vallis Madiæ, ut taceam alias, quibusdam tantùm Pagis subditas. V. in voce *Helvetii*.

Respublica Lucensis, in Italia & Hetruria regione, *Republica di Luca* incolis, *Republique de Luques* Gallis, continet tantùm Lucensem agrum versus oram maris Tyrrheni, ubi Lucca urbs. Vide *Lucensis ditio*.

Respublica Provinciarum unitarum Belgii, *les Provinces unies du Païs Bas*, pars septentrionalis Belgii seu Germaniæ inferioris. V. *Provinciæ fœderati Belgii*.

Respublica Ragusina, *la Republique de Raguse*, in Dalmatia, Turcarum vectigalis est, in ora maris Adriatici; & quædam tantùm loca possidet in illa ora littorali. V. *Ragusina ditio*.

Respublica S. Marini, *la Republica di S. Marino*, est in Italia, inter Ducatum Urbinatem & Romandiolam, parva admodum; & complectitur tantùm Fanum S. Marini cum decem pagis seu villis adjacentibus. V. *Fanum S. Marini*.

Respublica Veneta, in Italia, *la Republica di Venetia* incolis, *la Republique de Venise* Gallis, ampla & potens est, aliquot provincias habens sibi subjectas in Italia, uti partem Dalmatiæ littoralis, multas insulas in mari Adriatico, Corcyram, Zacynthum, Cefaleniam & Cytheram in ora Græciæ obversa, cum Teno & Mycone in mari Ægæo; habuerat que etiam antea Cretam, Cyprum, Eubœam, Peloponnesum, & oram littoralem Epiri & Albaniæ; sed nunc Turcici juris sunt. V. *Veneta ditio*.

Ressa, nomen loci, in quo castrametati sunt filii Israel profecti de Lebnà. Num. 33. Lat. *irroratio*, vel *stillicidium*.

Restu, locus Galliæ, ad Ligerim, prope montem Sorelli, in regionis Andegavensis finibus, vulgò *Reste*. Al. à S. Petro Patrono, *S. Pierre de Rest*, vel *Rez*. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Resus, fluv. parvus Asiæ, ex iis, qui in Mæandrum influunt. Strab. *lib.* 12.

Retana, ancilla Romana, quæ consilio & stratagemate effecit, ut Romani suarum ancillarum coitu Gallos vicerint.

Retelium, urbs Campaniæ Gall. ad Axonam fl. capta à Leopoldo Arch. An. 1650. recepta An. 1653. Hispanis à Gallis grandi clade affectis 8. leuc. à Remis in Bor. 10. à Sedano in Afric. caput tractus Retelensis, qui pars est Borealis Campan. inter Axonam fluv. & limites Leodiensis dit. ac Luxemburgici Duc. Titulo Duc. insignis.

Rethma, locus, ad quem venerunt filii Israel de Aseroth. Num. 33. Lat. *Juniperus*, sive *sonitus*.

Rethom, in tribu Isaschar. Hier. in *L. H.*

Retia silva, in pago Galliæ Vadensi, *la forest de Rets*, ad cujus cervicem situs est locus Villaris, *Vilier's Col de Rets* propterea, vulgò corruptè *Villiers Coteret* dictus. In silva est Burgus Fontis *Bourg-Fontaine*, Monasterio illustris, & Campipratum *Champré*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Retina, locus Campaniæ apud Misenam prom. à Calastro 3. m. pass. Plin. Etiam *Resina*.

Retortorium, castrum Galliæ, vulgò *Riotier*, ad sinistram ripam Araris, in pago Dombensi, Villæ Francæ adversum. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Reu, fil. Phaleg. Gen. 11. qui *Ragau* 1. Par. dicitur: iisdem tamen consonantibus & punctis apud Hebræos. Lat. *socius*, vel *amicus*, aut *pastor*, sive *malum*, aut *confractio*.

Revalia, urbs Livoniæ, à Waldemaro Dano condita Ann. 1223. sub Suecis, ab. Ann. 156. cum arce munita in colle, & portu, in ora Sinus Finnici, 35. m. Germ. à Narva in Occ. Gaudet emporio celebri, estque Hanseatica. V. Chytr. *Sax. part.* 1.

Reuchlinus Johannes, aliter Capnio dictus, Pfortzhemii, oppido Marchionatus Badensis, natus, Ann. 1455. primus fere literas Ebrai-

Ebraicas & Græcas in Germaniam, socias jungente operas Rod. Agricolâ, importavit & feliciter propagavit: Juris quoq; & Humaniorum literarum scientissimus. Grammaticam Græcam à se scriptam, titulo *μικροπαιδείας*, publicè Pictavii prælegit, An. 1480. Ibidem A. 1481. titulo Doctoris in Jure ornatus. Grammat. Hebr. primus latinè scripsit & edidit, An. 1506. unà cum Hebr. Lexico. A principibus magni habitus: interrogatus à Maximiliano I. Imp. quid de cremandis Judæorum libris sentiret, respondit, quæ blasphema exurenda, reliqua verò illorum scripta conservanda. Hinc illo famosis libellis in odium & invidiam vocato, à Judæo Coloniæ baptizato cognom. *Pfefferkorn*, qui hoc consilium Imperatori suggesserat, ut omnes Judæorum libri, nudo Bibliorum textu excepto, comburerentur, vel saltem igni adjudicarentur, quo grandi ære pro illis à Judæis dependo, ipse in partem lucri veniret; Liber ejus à Coloniensibus Monachis exustus, indeque magnæ utrinque lites ortæ sunt; qua occasione tum Epistolas obscurorum virorum edidit. Scripsit quoque *de Verbo mirifico, de Cabala placitis &c.* Obiit Sturgardii An. 1521. æt. 67. Testamento libros suos Ebræos & Græcos collegio Phorcensi donavit, in templo publicè asservandos, quò ab omnibus inspici possint. Erasm. *in colloq. & adag.* Paul. Jov. *in elog. cap.* 143. Melchior Adami *de Lit. Germ &c.*

Reudigni, pop. Germ. quorum urbs *Reutlingen* Lazio in Sueviâ, Tubingæ finitima, inter illam 2. & Ulmam 9. leuc. Althamerus Cassubios, inter Pomeranos & Prussios, apud Danti[s]cum indigitat. B. verò Rhenanus Hollatos, vel Pomeranos. Brietio fuere in Vindilis, pars Suevorum, ubi hodie *Prignitz*, tractus Marchiæ Brandeb. Dicti & *Redigni*, & *Toringi*.

Reumvisius, pagus & mons Armoricæ, à quo Monast. S. Gildæ, in Venetica diœcesi, vulgò *S. Gildas de Ruys* nuncupatur: Alterum enim Monast. S. Gildæ, in Namnetibus situm, *in Nemore* cognominatur, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Revocatus, vir, qui pro fide Christiana leopardis devorandus traditus est, imperantibus apud Romanos, Valerio & Gallieno, sub Taruntio præside.

Reutlinga, urbs Imperialis, sed parva, in Ducat. Wirtemberg. nomen accepit ab extirpando, *reutten, außreutten*, quòd arbores ex sylva, quæ ibi fuerat, extirpatæ sint, & urbs condita, ad amnem præterfluentem *Echez*, & fluv. Nicrum. Imperii civitatibus ascripta est à Friderico II. Imperat. eodem auctore muro valloque circumdata, circa An. Chr. 1215. vel ut alii, An. 1240. vel 1282. postquam ultimus pagi dominus Rudolfus Comes Achalmensis, absq; hærede decessisset: è cujus ditione vicini quidam pagi ab eodem Imper. urbi donati sunt: quorum hæc beneficiorum memor tenaciter Friderico adhæsit, proin ab Henrico Thuringiæ Principe, Anti-Cæsare, obsessa An. 1247. Regitur urbs purè Democraticè, aërem habet salubrem & purum, multisque insignibus privilegiis donata est. Plura suppeditabit Limnæus Enucl. *lib.* 4. *cap.* 49. Distat 2. mill. German. à Tubinga in Ort. Ulmam versus 10. & 5. à Stutgardia in Merid.

Rezana, urbs ampla Episcop. Moscoviæ, 8. leuc. ab Occa fluv. in Merid. versus fontes fluv, Tanais paulo plus. Caput Duc. Rezanensis, prov. versus Austrum, ubi nascitur Tanais, inter Moscoviam propr. & Wolodimeriam ad Bor. Ukraniamque ad Merid. Antea sub proprio Principe à Lithuania dependit, nunc Moscis subest. Vide *Rhezan*.

R H.

Rha, Sarmatiæ fluv. ingens in Europâ, hodie *Volga*, Tartaris *Edel* dicitur. Armeni eum *Thamar* appellant, uti scribit Gurchinus. Pomponius *lib.* 3. *cap.* 5. *Sed qui famam habent, ex Cerauniis montibus uno alveo descendit, duobus exiit in Caspium Rha.* Verùm (annotante illic clarissimo Vossio) non rectè fluvium hunc ait oriri ex Cerauniis montibus, quorum situs notus est ex Ptolemæo, cùm remotissimis oriatur fontibus, ac plus quàm quadringentas Germanicas leucas cursu suo conficiat. Sed neque illud verum, duobus tantùm alveis in Caspium mare exire: Septuaginta enim ostia numerarunt, qui viderunt, aut etiam plura: quamvis alii viginti quinque tantùm referant, quod de majoribus forsan & permanentibus ostiis est intelligendum. Quum verò scribit, uno alveo descendere, tum quoque errat, cùm plurimi in eum amnes partim in Tartariâ, partim in Moscoviâ nati, influant, quod hodiernâ experientiâ compertissimum. Diversi illi *Rha*, sive *Volga* fluminis fontes noti fuere jam olim Ptolemæo. Præter duos longissimè à se invicem distantes fontes, quos ex Hyperboreis ait oriri montibus, amnibus quoque aliquot augeri ait, qui ex Rhymnicis montibus in eum influant. Verba ejus hæc sunt, agentis de Scythiâ intra Imaum, & Rhymnicis in eâ montibus: Ἀφ' ὧν ῥέουσιν ὅ τε Ῥύμμος καὶ ἄλλοι τινὲς εἰς τὸν Ῥᾶ ποταμόν· οἱ δὲ συμβάλλοντες τῷ Δαΐκι ποταμῷ κατὰ τὸ Νάρεσον ὄρος. Sic habent veteres manu exarati libri, & rectè. Vulgata enim lectio falsa est, & meras offundit tenebras. Ex Rhymnicis montibus præter Rhymnum, qui proprio ostio in mare Caspium exoneratur, egrediuntur quoq; alii amnes, quorum aliqui *Rha* flu. subeunt, alii *Daici* conjunguntur flumini, qui vulgò *Jaick* appellatur. Hinc nomen *Rha* Ponticæ radici. Atqui *Rhabarbarum* hodiernum nihil commune habet cum vero *Rhabarbaro*. Et specie & virtute plurimum differt, hoc συνώνυμον, Illud verò καταχρηστικῶς. At postquam ex iisdem oris, unde prius *Rha Barbarum*, à mercatoribus allata fuit radix illa, quæ apud solos crescit Sinenses, ac *Taihoang* ab ipsis nominatur, usus obtinuit, ut in illam *Rhabarbari* appellatio transferretur. Hæc Vossius. Baudrando oritur in Moscoviæ prov. Rescovia, versus confin. Lithuaniæ, prope Urbem Rescoviam, ultra quam aliquot mill. versus Occid. sylva inest *Wolkovviskiles*, in qua jacet palus *Vuronovv*, e qua exit fluv. parvus, qui 2. mill. Pol. progressus in lacum *Volgo* influit; & aquis multis auctus, rursus egreditur, indeque *Volga* dicitur. Postea auctus aliquot fluviis, Tuveriam rigat & Valitiam: Hinc in Ort. tendens, ad Jaroslaviam & Novogardiam parvam labitur, ubi recipit Occam fluv. amplum; dein juxta Basiligrodam fluens & Sabackzariam, uti & Cazanum Urb. regni cognom. prim. in Asia, sed Moscici juris, paulo infra mutato cursu, & ad Merid. tendens, recipit Camam fluv. rigatisque Samarâ, Soratovia, Zariza & Astrachano, paulo infra in plura brachia scinditur; & insulis aliquot effectis, tandem quamplurimis ostiis in mare Caspium se exonerat. Vide Ad. Olearium. Narrant ab eo ductum esse incile, dictum *Kamouz*, in Tanaim fluvium, quo lintres in Rham ducuntur, seu vice versa.

Rhaba, opp. ad sinum Jonium, à quo *Rhabaus*.

Rhabana, urbs Sin. versus oram meridion. Ptolem.

Rhabathmena, urbs Palæstinæ, quæ & *Areopolis*. Vide ibi.

Rhacelus, urbs Macedoniæ, Steph.

Rhachia, promont. montis Pyrenæi, ad mare Mediterr. in confinio Hispaniæ & Galliæ Narbonens. Polyb. *Aphrodisium* videtur Ptolemæo.

Rhacotes, Alexandria prius sic dicta, Stephan. Strabo: Καλοῦσιν δ' αὐτοῖς ἰδίως τὴν προσαγορευομένην Ῥακῶτιν, ἣ νῦν μὲν τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεώς ἐστι μέρος, τὸ ὑπερκείμενον τῶν νεωρίων, τότε δὲ κώμη ὑπῆρχε. Pausanias *in Eliacis prioribus, ubi de Alexandriâ*: Λέγεται δὲ καὶ πρότερον ἐπὶ πολίσματι Αἰγυπτίων συνοικισθῆναι οὐ μεγάλῳ, ὄνομα Ῥακῶτιν.

Rhadagisus, Gothorum rex, Stiliconis operâ Italiam ingressus, cum CCM. Scytharum, voto facto, se omnem Romani generis sanguinem Diis suis propinaturum, postquam longè lateque eam vastasset, tandem in Fesulanis montibus conclusus, captus & occisus est cum multis suorum millibus. Ann. Chr. 405. P. Orosius cum à Stilicone Rom. Uldino Hunnorum, & Saro Gothorum ducibus victum tradit, *lib.* 7. *cap.* 26.

Rhadamanthus, Jovis ex Europâ filius, rex Lyciæ, qui quod severus fuerit justitiæ minister, fingitur à poëtis apud inferos nocentum culpas explorare. Virgil. *Æneid.* 6.

Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatq; auditq; dolos, subigitq; fateri,
Quæ quis apud superos furto lætatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Hoc ex doctrinâ Platonis (inquit de la Cerda) uti credi potest, qui *in Minoë*, potestatem Minois ac Rhadamanthi ita discriminat: *Rhadamanthus quidem vir bonus exstitit, à Minoë siquidem instructus erat: nec tamen regiam disciplinam omnem, sed regi tantùm ministrare in judiciis didicit. Unde judex bonus appellatus est. Eo planè, veluti legum custode, per urbem usus est Minos.* Et supra loquens de Homero: Οὐ Ῥαδάμανθυν πεπαίδευκε δικάζειν. Idem *in Gorgiâ* Rhadamanthum facit inferiorem Minoë, cùm ait Asiaticos judicari à Rhadamantho, Europæos ab Æaco: Minois verò esse munus injunctum, ut judicaret supra illos: ait enim ἐπιδιαγνώμων, si quid illi ambiguum reliquissent. Verum est quidem, ab eodem Platone Rhadamanthum induci judicem *lib.* 12. *de Legg.* Dat enim illi κρίσιν τῶν δικῶν. Quin *lib.* 1. *de legg.* majore adhuc dignitate illum afficit. facit enim illum dicentem, & distribuentem jus διανέμειν τὰ περὶ τὰς δίκας ὀρθῶς. Est autem longè aliud judicare, ac jus dicere. Pindarus *Od.* 2. *Olymp.* Rhadamanthum vocat Saturni πάρεδρον sive *assessorem*: & *Od.* 2. *Pyth.* ait, illum non delectari ἀπάταισιν *dolis*. Plato *lib.* 1. *de Legg.* δικαιότατον vocat, Aristides in 2. *Platonicâ*, dat ei ἀνδρείαν καὶ δικαιοσύνην. Idem laudans Antoninum Philosophum: τίς γὰρ Ῥαδάμανθυς, ἢ τίς Αἰακὸς οὕτω δίκαιον ἑαυτὸν πρὸς ἅπαντας δικαστὴν διεφύλαξε; Demosthenes in ἐρωτικῷ, ait Æacum & Rhadamanthum amatos à Diis διὰ σωφροσύνην, non minus quàm propter fortitudinem Herculem, Castorem, Pollucem, propter pulchritudinem Ganymedem & Adonin. Unde Theognis *in Gnomis*:

Οὐδ' εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχοις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ,
Πλείονα δ' εἰδείης Αἰολίδου Σισύφου.

Rhadamistus, Pharasmanis Iberorum regis filius, quum Mithridatem Armeniæ regem dolo cum uxore & liberis interfecisset, ab Artabano Parthorum rege fusus fugatusque est sub An. Dom. 52. à Patre, quasi ipsius proditor, postea occisus. Tacit. 13. 37.

Rhadanusias, urbs Massiliæ, Steph. Fortè à *Rhodani* vicinia dicta. Vide *Rhodanusia*.

Rhadata, opp. Syenitarum in Æthiop. in quo felis pro Deo colebatur, Plin. 6. 29.

Rhadiana, virgo quædam, de qua Strabo *lib.* 8. Item urbs non procul à Corintho, in quam Stesichorus poëma scripsisse videtur.

...os inter Scythiam & Hyrcaniam, Steph.
...ebane, urbs aliàs ampla, nunc viculus Lageniæ, ad Bir-
...n Comitatu Reginæ, 7. m. p. à Reginæpuli in Orr. Kil-
...itis 10. in Hibernia.
...eu *Rhada*, urbs mediterr. Arabiæ felic. Ariæ regiæ fini-
...rabia empor. nunc *Aden*, supra 200. mill. pass. interius

...*um*, vide *Redastum*.
...*a*, urbs Syriæ, apud Euphr. Sutis proxima, dein *Sergio-*
...ò *Rastafe*.
...opp. Mesopotamiæ, apud Tigrim & Duram urbem, ter-
...iperii Rom. & Persici: ubi Gordianus Imper. sepultus.
...itor.
...el *Rasi*, gens antiquissima fortissimaq; Tuscorum proles.
...t ante C. N. seculis, domo pulsi à Gallis, duce Ræto, Al-
...arunt, Plin. *lib.3. cap.*20. fusius Justinus *Hist. lib.*20. qui-
...tur Livius, Strabo, &c. Circa An. M. 3369. juxta suppu-
... Verderii *lib.* 2. U. C. 184. Olymp. 52. 4. anno 9. regni
...llii Rom. Reg. secundùm Chronologiam Funccii, circi-
...on. ante C. N. unde & aliquid de Tuscorum lingua ho-
...bent. Vide Strabonem *lib.*4. Merulam *pag.*794. *&c.* Va-
... cum sub se populos comprehenderint, namq; duas Rhæ-
...vincias fecere Romani Impp. Vide infra, hodie tamen
...*Grisonibus*, veterem illam & primam Rhætiam, id est, circa
...ontes non exiguum tractum & vicinas ab utroque latere
...colentibus, remansit: qui olim quoque *Cani*, à Campis
..., hodieque German. *Gravvpündtner* appellantur: Divisi
...Lepontios, Nantuares, Rheguscos, Triumpilinos, Camu-
...nnones, Hisarcos, Breunos, Focunates, Vennonetes, de
...vide Joh. Bapt. Plant. *Helvet. nov. antiq.* Dicuntur autem
...*pundner*, & simpliciter *Pündner*, Cani fœderati, vel fœdera-
...non tantùm Helvetiis fœdere juncti sunt, An. Chr. 1497. &
...ed ipsi quoque vetustis fœderibus inter se coierunt. Linguâ
Romanam vocant, maxima ex parte, cæteri in confinio Ita-
...licâ, quidam etiam Helvetiæ propiores Germanicâ utun-
...eligio quoq; non eadem omnibus, cùm magna pars Evange-
...octrinæ adhærear, reliqui Latinos ritus hodieque servent.
...ætorum fœderibus tribus, & Præfecturis eorum vide in voce
... Habent illa tria Fœdera Conventus 50. ex quibus Respub.
...ica constituitur: summâ potestate penes Senatum trium Fœ-
...n, quem ipsi vocant *em Punds-tag*, consistente, ad quæ con-
... singulis conventibus totius gentis legati conveniunt, &
...m si ordinarius sit Senatus, superius fœdus Legatos mittit 28.
...drale 23. Decem Jurisdictionum 14. nonnunquam & Con-
... totius gentis convenit. Loca Senatus habendi tria sunt,
...um in super. fœdere, Curia in Cathedrali, Davotium in De-
...Juri dictionibus, frequentius tamen Curiæ convenit, idque
...inarum tempore, quæ ter quotannis ibi habentur, primò
...de Januar. post festum Conversionis Pauli. Secundò, Septi-
... post Dominicam Trinitatis. Tertiò, mense Novembr. Mar-
...ibus. Monetam in gente cudunt Episcopus & Civ. Curiensis,
... Abbas Disentisius. Vide Simlerum *de Republ. Helvet.* Joh.
...ist. Piantin. *tract. supra memorato*, Sprecherum *Pallad. Rhet.*
...lerum, &c.
Rhætia, reg. gemina: prima inter ortum Rheni, seu inter Rhe-
... a capite usque ad lacum Brigantinum, Danubium, Lycum, &
...m Oeni: cujus pop. Rhæti, *Gravvpündner*, & Italis *Grisoni* di-
...tur. Altera, teste Welsero, Vindelicia appellatur à Ptolemæo,
...ima Lyco fluv. divisa. Aliis verò ex Lib. Notit. Rhætia I. ea
...ellatur, quæ Italiæ contermina est, Insubriæ scil. & Cenoman-
...Venetiæ; in quâ tota Rhætorum regio, cujus caput est Curia,
...s & Comitatus Tirolensis continentur. Rhætia autem II. à
...iâ usque Danubium, à Vindeliciâ seu Bavariâ Lyco fluvio di-
...era, quæ Suevia Cisdanubiana dici potest. Ejus meminit
...dianus:

Prominet Hercynia confinis Rhætia sylva.

...e omnino Cluverium *in Vindeliciâ & Norico cap.* 2. Itemque *de*
... *Antiq. lib.* 1. *cap.* 16. Baudrando *Rhætia* sumitur, vel *Latè*, &
... divisionem Imperii Roman. continebat Rhætiam propr.
...astr. & Vindeliciam ad Bor. eratque pars Illyrici Occidentis.
... ad *Propriam* restricta est: quæ complectebatur totam illam
...ter Alpes Rhæticas & Tridentinas, ubi hodie Grisones, seu
... Tridentina ditio, Tirolensis Comit. & Vallis Telina, ub
... Brigantii, Sarunetes, Rigusci, Vennones, Tridentini, Breuni,
... Cenaum, inter Vindeliciam ad Bor. partem Norici ad Orr. Gal-
...iam Transpad. ad Merid. Helvetios ad Occ. Vel *Strictè*; Ita nunc
...on ...tantum partem Occ. Rhætiæ propr. Vulgò *Grisones*, qui
...ost varia inter se fœdera, tandem omnes sociati sunt An. 1471. in
...oco *Waccarol*; Ann. autem 1498. perpetuo cum omnibus Helve-
... fœdere coierunt. Tota regio montibus horret; ideoq; aspera
...est, dividiturque, in Rhætos seu Grisones fœderatos & eo-
...itos. *Illorum* partes sunt tres, *Fœdus superius*, seu *Canum*,
... *Oberpund*, Gall. *Ligue Grise*; *Fœdus Domus Dei*, Germ. *Got-*
... *pund*, Gall. *la Ligue de la Maison de Dieu*; & *Fœdus decem*
... *...ibunum*, Germ. *Zehen Gerichten-pund*, Gall. *le dix Droitures.*
... *istorum* sunt tres, Vallis Telina, Bormiensis & Clavennensis

Comit. Vide *Grisones, Rhæti, & quamq; partem suo loco.* Hinc *Rhæ-
tica juga*, quæ & *Alpes Rhæticæ, Monte Braulio* Italis, & *Wurmserkch*
German. quæ ad Insubrum & Cenomanorum confinia extendun-
tur. Thscudo *Rhætico*, V. infra mons altissimus, inter Alpes Rhæ-
ticas, inter Rhenum (ubi Curia) & Oenum occurrens, a Curia 6.
leuc. in Orr. unde vallis Drusiana in Bor. & Occid. incipit. Inde
Rhætica vina, quibus maximè delectatum Augustum Cæsarem
scribit Suetonius, *maximè*, inquit, *delectatus est Rhætico.* Hinc
forte Virgil. *Georg.* 2.

—— Et quo te carmine dicam
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis.

In explicando Poetâ dissentiunt Seneca & Plinius. Priori enim
*lib.*1. *Nat. Qu. cap.*2. videtur Virgilius incertus fuisse, laudaretne,
an vituperaret Rhæticum vinum. Posterior *lib.*14. *cap.* 6. ita: *In
Veronensi item Rhætica, Falernis tantùm postlabita à Virgilio.* Quæ
posterior sententia Turnebo placuit, & ad mentem Poetæ pro-
pius accedere videtur.

Rhætico, Tschudo *Prettigövverberg*, in Helvetia: Tac. & Plin.
Rhætica juga. Cluverio & Sansoni est mons Istævonum, in Germ.
Sibengebirge, ad Rheni ripam, ex adverso Bonnæ, in Veteraviâ
tractu, prope Segum fluv.

Rhætium, in Rhætis arx, vulgò *Retzuns*, ubi posterior Rhenus,
anteriorem suscipit, qui cum eo in Ort. prope parallelâ decurrerat
lineâ: Condita à Rhæto D. sedes quondam nobilissimæ & anti-
quissimæ familiæ Baronum Rætiensium, in fœder. Cano. Hujus
arcis & jurisdictionis dominus, antiquâ quadam prærogativâ *Ræ-
tiensis* familiæ, quamvis non eâdem stirpe ortus, auctoritate ipsum
totius Cani fœderis Præfectum superat. Vide Joh. Camertem *in
Solinum cap.* 34. Sprecherum *Pallad. Rhæt. lib.* 1. Simlerum *de R. H.*
Joh. Bapt. Plantinum *Helv. nov. &c.*

Rhaga, Mediæ urbs à Nicanore condita, quæ & *Rhage.* Olim
Europus vocabatur, deinde *Arsace*, ab *Arsace* rege Persarum. Gen-
tile *Rhagenus.*

Rhagea, urbs Parthiæ, Ptol.

Rhage, seu *Rage*, *Nottinhgam*, ut aliquibus videtur, opp. Angliæ
inter Conventriam ad Occ. & Lincoln. ad Ort. Ptol. Aliis *Rhata*
Antonino esse videtur. Vide *Rata.*

Rhages, opp. fuit Thessaliæ, ad Peneum fluv. 10. m. p. à Larissa,
Liv. *lib.*2. *dec.*4. cujus nihil superest.

Rhamata, vide *Ramoth.*

Rhamidava, Proiem. Lazio *Repieza*, oppid. Walacchiæ. Aliis
Moldaviæ, ad Orgissum fluv.

Rhamnei, pop. Arabiæ felic. Plin.

Rhamnes, etis, rex & augur, qui Turni partes secutus, noctu dor-
miens à Niso est interemptus. Virg. *Æn.* 9.

Rhamnis, urbs Eubœæ erat, ubi templum Fortunæ. Alexandri-
nus *lib.*6. *cap.*28.

Rhamnus, opp. fuit & portus Cretæ in orâ occiduâ, inter Pha-
lasarnen, & Chersonesum, Ptol.

Rhamnus, ἀπὸ τῆς ῥάμνου, id est, *spinoso frutice*, ibi copiosè na-
scente. Vide Scholiast. Aristoph. *in Plutarch. Act.*2. *Sc.*5. Atticæ
reg. vicus in tribu Æantide, Amphiarai templo, & Nemesis Phi-
diacæ; Vide Plin. *lib.*36. *cap.* 5. simulachro insignis, quæ ab hoc
vico *Rhamnusia* dicta est. Hæc indignationis Dea putabatur, ab
iis pœnas repetens, qui præsentibus bonis se indignos præbuissent.
Ovidius *Trist. lib.*5. *eleg.*8.

Exigit at dignas ultrix Rhamnusia pœnas.

Claudianus:

Sed Dea quæ nimiis obstat Rhamnusia votis.

Suidas: Ῥαμνοῦς, ἐπὶ τῶν σοφῶν, καὶ ἐλεγχόμενον. Ῥαμνοῦς γὰρ δῆμος Ἀττικῆς, ἐν ᾧ καὶ Ἀλέξανδρος ... ἀρχιτεκτονικῶς, ὃν πολλοὶ μιμούμενοι ... Ῥαμνουσίας ...
Cæterùm de fano Amphiarai, quòd in Rhamnunte non fuerit;
vide Voss. *ad Melam* 2. 3.

Rhamnusius, mons Illyrici, Scodræ urbi imminens, *Monte di
Scudari.*

Rhampsinitus, rex Ægypti post Protea, qui tantam pecuniarum
copiam habuit, quantam nemo regum posteriorum adæquavit.
Herodotus *lib.* 2.

Rhamses, Ægypti Rex potentissimus, qui cum exercitu 700000.
militum egressus Lybia, Æthiopiâ, Medisque & Persis & Bactria-
no & Scythiâ potitus, quasque terras Suri Armeniique & contigui
Cappadoces colunt: inde Bithynum hinc Lycium ad mare impe-
rio tenuit. Tacit. 2. 60. Vide *Ramises.*

Rhanosbates, vide *Hanosbates.*

Raphanea, opp. Syrium, in Cassiotide reg. Civis *Raphaneotes*,
Stephanus.

Rhaphia, vide *Raphia.*

Rhappha, urbs Indiæ extra Gangem, Ptolem.

Rhapta, metropolis Æthiopum, cujus incolæ *Rhapsii.*

Rhaptra, portus quidam, & metropolis Barbariæ, Steph.

Rhaptus, fluvius quidam, Idem.

Rharium, campus in Eleusine, unde *Rharia* regio, & Ceres
Rharias.

Rhascuporis, Suetonio *Thrascypolis*, Vellejo *Rhascupolis*, Tacito
Rhescuporis, Rhœmetalcis fil. Thraciæ Rex, qui parte regni ab Au-

gusto attributâ non contentus, invasit Cotyi data. Et cùm arma ponere Tiberius jussisset, Rhascuporis fratris filium Cotym ad convivium vocatum onerat catenis, eumque occidi jubet. Pòst, astu Pomponii Flacci, Mœsiæ proprætoris, captus, & in urbem tractus damnatusque est. Quare Alexandriam devectus, illicque fugam tentans, vel ficto crimine interficitur. Tacit. 2. *Annal.*

Rhatacensis, Ptolem. *Reteck* Lazio, pop. Transylvan. quorum locus adhuc sic dicitur.

Rhateni, vide *Arabia superior.*

Rhatomagus, forsan oppid. Velocassium fuit in Gall. Celt. ubi hodie *Fleury*, oppidul. Normanniæ, ad Andolam amnem, 5. leuc. à Rothomago.

Rhatostathybius, fluv. Albionis in Walliâ, Ptolem. vulgò *Taff*, in Comitatu Glamorganensi, Fanum ad Taffum urbeculam præterfluens, Camdenus.

Rhaucus, urbs Cretæ mediterr. Gentile *Rhaucius*, Stephanus. Quid nunc sit, non constat.

Rhaudum, vulgò *Rho*, pag. Ducat. Mediol. ad Olonam amnem, 12. mill. à Mediolano in Circ. Castrum Seprium versus 14. circ. 20. à Novaria in Ortum.

Rhavius, Ptolem. fluv. Hiberniæ, inter Boreum promont. & Naguatam urbem, *Banny* Camdeno. Moletio *Abram*, Ferr. Camdeni verba sunt, Comitatus Sligoenfis ad Boream, Trobis fluv. est, Ptolemæo *Ravius*, ex Erno lacu emissus. Eidem verò Banna, vel *Bann*, est fluvius Comitatus Coltantenfis longissime hinc distans. Vide *Buvinda.*

Rhaurarus, *Araurius*, Ptolem. *Araunis* Pompon. fluv. Galliæ Narbon. in Occitaniâ infer. ex mont. Cemenno in Merid. fluens, inter Orrim fluv. & Agatham urbem, mari Mediterr. exceptus, *l'Eraud* Clusio. Mel. *Araurarius* Lat. Piscenas & Agatham rigat, & paulo infra in mare abit, Baudr.

Rhauzium, vide *Ragusa.*

Rhax, insula Lyciæ, Stephanus.

Rhazunda, Mediæ opp. Ptolem. *Rhemen*, Nigro.

Rhe, locus circa Armeniam, Cedreno.

Rhea, Cœli & Terræ filia, Hesiod. ubi de Terræ filiis:

Οὐρανὸν ἀπειρέσιον, τὴν Ὠκεανὸν βαθυδίνην,
Κοῖόν τε Κρεῖόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰαπετόν τε,
Θείαν τε Ῥείαν τε, Θέμιν τε Μνημοσύνην τε.

At Orpheus *in Hymnis* Rheam primam omnium à Deo factam fuisse, inquit, quem *Protogonum* appellant:

Πότνα Ῥέα θύγατερ πολυμόρφου Πρωτογόνοιο.

Quæ cùm fuisset postea Saturni uxor creditu, de illâ scripsit idem Orpheus:

Πάντων ἀγλαόμορφε, Κρόνου σύλλεκτρε μάκαιρα.

Hanc ipsam Jovis fuisse matrem testatur Callimachus:

Ἐν δέ σε Παῤῥασίη Ῥείη τέκεν, ἧχι μάλιστα
Ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περίσκεπες.

Hujus sacrificia fiebant die nono Lunæ, ut innuit Nicander *in Alexipharmacis*, magnâ cum vociferatione:

Ἠ ἅ τε κιρνοφόρος ζάκορος βωμίστρια Ῥείης
Εἰνάδι λαοφόροισιν ἐνιχρίμπτουσα κελεύθοις,
Μακρὸν ἐπιβοόωσα γλώσσῃ θρόον· οἱ δὲ τρέουσι
Ἰδαίης μεγάλην ὀλολυγὴν ... ὀλολυγήν.

Quòd autem Rhea Terra sit, vel vis Terræ, quæ ad generationem rerum pertransit, testatur Apollonius *Argon.* 1.

—— —— Ἐνθεν ἐς αἰεὶ
Ῥόμβῳ καὶ τυπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται,
Ἡ δέ που ἀνταίοισιν ἐπὶ φρένα θῆκε θυηλαῖς
Ἀνταίη δαίμων· τὰ δ' ἐοικότα σήματ' ἔγεντο,
Δένδρεα μὲν φέρε καρπὸν ἀθέσφατον αὐτὰρ ποσσὶν,
Θῆρες δ' εἰλυούς τε καὶ ξυλόχους τε λιπόντες
Οὐρῇσιν σαίνοντες ἐπήλυθον.

Alio nomine *Ops*, *Mater Deûm*, & *Magna Mater*, & *Cybele* dicta. Item *Dea Phrygia*, *Idæa*, *Berecynthia*, *Dindymene*, & *Pessinuntia.* Dictam volunt *Rheam* ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quòd *affluat* rebus omnibus terra. Vel potiùs *Rhea* est à verbo Ebræo רעה *Raha*, pavit, & in 2. Conjugatione *Reha*, id est, *associavit sibi commensalem.* Vide Nat. Com. *lib.*9. *cap.*5. & Fungerum in *Rhea.*

Rhea, Numitoris Albanorum regis filia, alio nomine *Ilia* appellata: quam cùm Amulius patruus ejus Vestæ virginem legisset, à Marte compressa Romulum & Remum peperit.

Rhebas, qui & *Rhebus* Valer. Flacco, *Rhebanus* Orpheo, *Rhebaus* Apollonio, fluv. Bithyniæ ex Olympo monte oriens & in Euxinum mare apud Psillidem labens. De hoc Dionysius: Bithynia læta quidem regio atque omni referta ubertate, quam *Rhebas* fluvius amœnissimus, gratissimis perfundit aquis, donec in Pontum ceciderit, quibus nec est ullus in cæteris terris amnis jucundior, neque qui magis ad voluptatem faciat. *Ribas* hodie Petro Gyllio. Dionysius *vers.*794.

Ῥήβας οὗ θ' ἱερώτατον ἐπιπροΐησι ῥέεθρον,
Ῥήβας, ὃς Πόντοιο παρὰ στόμα ...,
Ῥήβας, οὗ χαρίεστατον ἐπὶ χθονὶ σύρεται ὕδωρ.

Ubi Montanus: Cur exigui fluvii *Rhebe*. seu *Rhebantis*, (nam utroque modo inflecti Eustathius testatur, Ῥηβαντίας γῆς ab eo denominatæ Arrianum meminisse affirmans) tam solennis mentio à Dionysio facta est, adeo ut ejus nomen, veluti Thymbridis *v.* 352. per Anaphoram ter repetitum sit, (cùm eum Ptolemæus & Strabo ne nominare quidem dignentur) nisi cum Suidâ leve hoc argumentum arripiamus, ad confirmandam opinionem, quòd ipse Byzantius fuerit? Plinius quidem hujus fluv. meminit *lib.*6. *cap* 1. & aliter *Rhesum* dictum refert: *A faucibus Bosphori est Rhebas fluvius, quem aliqui Rhesum dixerunt, deinde Psillis.* Valer. Flaccus *lib.* 4. *Argonaut.*

Litora longinqui quà exirent flumina Rhebi.

Si quis (inquit Bochartus) ריפת *Riphat* malit, eò alludet *Rhebus*, vel *Rhebaus*, vel *Rhebanus*, Bithyniæ amnis in Pontum exiens, non procul à Paphlagoniâ. Apollonius *lib.* 2. *Argonaut.*

Ἐς' ἐπὶ Ῥηβαίου προχοὰς, σκόπελόν τε Κολώνης
Παφλαγόνας τε. —— ——

Orpheus *Argonaut. vers.*711.

Ῥηβαίου προχοῇσι μέλαν' ἐξικόμεσθ' ἀκτήν.

Arrianus *in Periplo*, ἀπὸ δὲ τοῦ ἱεροῦ πλέοντι ἐν δεξιᾷ Ῥήβας ποταμός.

Sed & Apollonius, *ubi supra*:

Ῥήβαν ὠκυρόην ποταμὸν, ἀκτήν τε μέλαιναν.

Vide *Rhesus.* *Rhebas* etiam regionis nomen, cujus pop. *Rhebæi*, Stephanus. Ῥήβας, ποταμὸς περὶ τὸν Πόντον, ἔστι δὲ καὶ χώρα, τὸ ἐθνικὸν Ῥηβαῖοι.

Rhecas, unus ex iis ducibus qui Laconas Heniochiam deduxerunt. Strabo *lib.*11.

Rhechius, vide *Rechius.*

Rhedestum, vide *Redestum*, & *Bisanthe.*

Rhedones, Gall. Celt. pop. Cæsar. *Rennes en Bretagne.* Seu *Redones* Baudrando, pop. Britanniæ min. versus Cenomanos, quorum urbs Condate Rhedonum seu Redones, hodie *Rennes* Episcopalis, ampla & culta, ad Vidanam fluv. Parlamenti ab Henrico II. instituti, sedes, 22. leuc. à Nannetibus in Bor. Maclovium versus 16. & 22. ab Andegavo in Circ. 16. à Venetis in Cæc. Urbs antiquissima est, sedesque olim Ducum fuit. Hic campana inter totius Galliæ maximas, &c. Vide Argentræum & Augustin. du Pas, *Histor. Brit.* Duchen. *antiq. Urb.* De Conciliis ibidem habitis, Morer. *in Diction. Histor.*

Rhee, Mons circa Hellespontum, Strabo. *Rhea* sedes, collis sic dictus in Thebaide Bœotiæ, Polyæn. *lib.*2. *in Agesil. com.*12. *Rhea* Sinus, circa Jonium mare videtur apud Æschylum.

Rhegianum, Mysiæ infer. opp. Ptolem. *Rosi* Nigro.

Rhegino, Abbas Benedictinus in Diœcel. Trevirensi. Condidit Chronicon à Nato Christo, usque ad An. 908. quod dein continuatum est, usque ad An. 967. vel 972. Agit præcipuè de Francorum gestis. Idem scripsit *de Disciplinis Ecclesiasticis*, & *Religione Christiana* Vossius, Sigebert. *in catal. cap.* 112. Trithem. *in Chronicis.* Sub finem sec. 9.

Rheginus saltus, Plin. Sol. *Petrona* Barrio, sylva Brutiorum, ad Apenninum, in Calabria ult. in agro Sinopolis opp.

Rhegium, opp. in Viâ Æmiliâ, Tanneto proximum. Scribendum *Regium.* Dicebatur enim primò *Forum Lepidi*, postea verò *Regium Lepidum*, à M. Lepido C. Flaminii collega. Straboni Ῥήγιον Λέπιδον, rectiùs dicitur, quàm Λεπίδιον Ptol. Plinio sunt *Rhegienses de Lepido.* A Gothis, aliisque Barbaris aliquoties vastatum, Caroli M. beneficio pristinum splendorem recuperavit. Leander Alb. & Cluver. *descr. Ital.* Ughel. *Ital. sacra* Festus, *Rhegium*, inquit, *significare oportere, ait Verrius, id municipium, quod in freto Siciliæ est: quoniam id dictum est à rumpendo, quod est Græcè ῥηγνύναι, eò quidem magis, quia in Galliâ Cisalpinâ, ubi Forum Lepidi fuerat, Regium vocatur.* Discrimen voluit esse debere Verrius *in Orthographiâ.* Illud oppidum ad fretum Siculum, Græco modo, scribendum esse cum aspiratione *Rhegium*; quia Græcum ejus est vocabulum: hoc verò in Galliâ Cisalpinâ sine spiritu *Regium*, quasi à *regia* cujusdam dignitatis argumento. Hinc apud Phlegontem Trallianum *in Macrob.* ubi bis nominatur πόλις Βασίλεια, putat Cluverius idem esse oppidum, quod ibidem sexies vocatur πόλις Ῥήγιον, quem sis vide *de Ital. Ant. lib.*1. *pag.*276. Vide & *Reggiensis Duc.*

Rhegium, extremum agri Brutii oppid. cognomento *Julium*, Ptolem. Σκύλλαιον ἄκρον, Ῥήγιον Ἰούλιον, Λευκόπετρα ἄκρα. Vulgò nunc incolis, & elegantius loquentibus, *Reggio* dicitur. Mela adverso itinere incedens, *libr.* 2. *cap.* 4. *Columna Rhegina*, *Rhegium*, *Scylla.* Ubi male *Rhegium* ponitur interColumnam & Scyllam, cùm Columna fuerit inter Scyllam & Rhegium. Baudrando nunc est caput Calabriæ ulter. *Regio.* In ora freti Siculi, ex adverso Siciliæ & Messanæ urbis, à qua distat 9. mill. in Ort. Zephyrium promont. versus 18. & 90. à Consentia in Merid. celebre trajectu in Siciliam ex Italia. Direptum est à Solimanno An. Chr. 1552. Vide Thuan. *Histor.* Oppidani inde fuere *Rhegini*, unde *Rheginus timidior*, Prov. apud Zenodot. (*Rhegienses*, enim vel *Rheginenses* sunt incolæ *Rhegii*, vel *Regii Lepidi* in Gall. Cispadanâ) Stephan. Ῥήγιον, πόλις Ἰταλίας, ὁ πολίτης Ῥηγῖνος. Plin. 3. 8. *Columnam Rheginam. Ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Græci dedere oppido, in margine Italiæ oppido.* Ejus mem. Ovid. *Met.*14.

Oppositumq; petens contra Zanclæia saxa
Rhegion ingreditur. —— ——

Dictam sic volunt ἀπὸ τοῦ ῥηγνύμαι, quòd ibi Sicilia ab Italiâ credatur esse *rupta* vel *avulsa.* Cui sententiæ mordicus adhærent Poëtæ:

1. Vir-

1. Virgilius *lib.* 3. *Æneid.*

Hæc loca vi quondam & vastâ convulsa ruinâ
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, quum protinus utraq; tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaq; & urbes
Litore diductas angusto interluit æstu.

2. Ovidius *Metam.* 15.

—— Zancle quoq; juncta fuisse
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abstulit, & mediâ tellurem reppulit undâ.

3. Lucanus *Pharsal. lib.* 3.

Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
Quà mare tellurem subitis aut obruit undis,
Aut scidit, & medias fecit sibi litora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperq; laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes.

4. Valerius Flaccus *Argonaut. lib.* 1.

—— Neq; enim tunc Æolus illis
Rector erat, Libycâ cùm rumperet advena Calpen
Oceanus, cùm flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & medios intrarent montibus undæ.

Idem *libro secundo:*

Has etiam terras, consertaq; gentibus arva,
Sic pelago pulsante, reor, Neptunia quondam
Cuspis & adversi longus labor abscidit ævi;
Ut Siculum Libycumq; latus: stupuitq; Nagorem
Janus, & occiduis regnator montibus Atlas.

5. Silius Italicus *de bello Punico* 2. *lib.* 14.

Ausonia pars magna jacet Trinacria tellus,
Ut semel expugnante Noto, & vastantibus undis
Accepit freta cæruleo propulsa tridente.
Namq; per occultum cæcâ vi turbinis olim,
Impactum pelagus lacerata viscera terræ
Discidit, & medio perrumpens arva profundo
Cum populis pariter convulsas transtulit urbes.

6. Claudianus *de Raptu Pros. lib.* 1.

—— Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit, sed pontus, & æstus
Mutavere situm: rupit confinia Nereus
Victor, & abscissos interluit æquore montes,
Parvaq; cognatas prohibent discrimina terras.

7. Statius *Thebaidos lib.* 3.

—— —— It clamor ad auras,
Quantus Tyrrheni gemitus salis; aut ubi tentat
Enceladus mutare latus; procul igneus antris
Mons tonat, exundant apices, fluctusq; Pelorus
Contrahit, & sperat tellus abrupta reverti.

Idem *Sylv. libr.* 1.

—— —— Sic dissociata profundo
Brutia Sicanium circumspicit ora Pelorum.

8. Dionysius in περιηγήσει, *vers.* 467.

Τρινακρίη δ' ἐπὶ τῇσιν ὑπὲρ πέδον Αὐσονίων
Ἐκτέταται, τριγλώχιν ἐπὶ τρισὶν ἰσχνῆσι, &c.
Τὴς ῥά ποτ' ἐκ βορέω ὅλην ἄκρην ἐκλάσθη,
Στεινὴ τε, σκολιή τε καὶ ἄγχιστα, ἐχε θάλασσα
Συρομένη μεγάλοισι περιρρήγματι κυλινδομένη,
Ἄμφι τμηθεῖσα πολυκλύστοισι ῥοθίοισι.

Vide fis illic Eustathium. Hactenus poetæ; reliquos auctores sententiam hancce confirmantes videat, si velit, lector apud magnum Cluver. *de Sic. Ant. lib.* 1. *cap.* 6. de quo etiam nos plura in *Sicilia.*

Rhegium, locus Thraciæ, circa Byzantium, juxta quem lacus *Myrmex*, juxta quoque est Urbs Abyras.

Rhegma, civitas quædam Ciliciæ. Item sinus juxta sinum Persicum: Gentile *Rhegmattes*, Steph. Item lacus post Anchialum urb. ubi navalia multa, quâ parte Rhodios spectat, Strab.

Rhegusci, Plinio *Rugusci*, Straboni *Rugantii*, vel *Rucantii*, gens Alpina, seu Rhetica, Ptolomæo Australia Rhætiæ cum Suanetis: recentioribus supra lacum Acronium, utrinque ad Rhenum habitant; regio Vallis Rheni, Germanice *Rhinthal* dicitur. Eorum mentio in trophæo Augusti, apud Plin. *lib.* 3. *cap.* 20. Horum illi, qui dextram ripam tenent, sub Austriis; ab altera parte, ubi Rhineggum & Altestetrum oppidula, ut & vallis versus Werdenbergios porrigitur, sub Helvetiis sunt. Agnovit diu totus hic tractus Austriorum imperium, à quibus nobilibus Juniis oppigneratus est. Friderico dein Austrio, tempore Concilii Constant. à Sigismundo Imper. proscripto, Fridericus Toggius Comes Rheguscos, inter alia, Imperatore consentiente, occupavit, satisfaciens illis, quibus loca hæc oppignorata fuerant. Postmodum à Toggio *Rheguscorum* regio nobilibus Ulrico & Conrado Beyereris fratrib. rursus pignori est data: quorum hæres Jacobus Beyererus, cum vereretur, ne adversus Abbatiscellanorum vim, cum quibus ipsi res erat, tueri hæc loca non posset, ultro sua jura illis vendidit A.C. 1490. iisq; pignus hoc resignavit. Ita sub Abbatiscellanis mansere *Rhegusci* per A. 30. Bello dein inter Abbatem Sangallensem & Abbatiscellanos, qui Cœnobium Rosacense destruxerant, exorto, Helvetii, qui subsidio Abbati venerant, Abbatiscellanos tum pecuniâ, tum Rheguscorum imperio mulctavere: possessio autem horum in sumptus & stipendia belli cessit Pagis, Tiguro, Lucernæ, Suitiæ, Glaronæ: qui postea Urios, Underwaldios & Tuginos, ut & veteres dominos Abbatiscellanos in communionem hujus imperii admisere: Itaque nostrâ ætate octo hi pagi Rheguscis ex ordine dant Præfectos, quorum sedes Rhyneggi est, vetusto oppidulo, sito in finibus Rheguscorum, supra eum locum, quà Rhenus lacum Acronium ingreditur. Tota autem præfectura dividitur in partes certas, quas *Hoef*, villas, nominant, quarum nomina: Altestettum opp. Marpachium, Bernangum, Taal, ad quam villa Rhyneccum pertinet, & Obertieda. Harum villarum quælibet propriam jurisdictionem habet, & duos Ammanos, quorum unum Præfectus Helvetiorum, alterum Abbas S. Galli constituit. Culturæ vinearum & nendo lino incolæ dediti sunt, &c. Vide Simler. *de Rep. Helvet.* Srumpf. Plantin. &c.

Rhemi, vulgò *Reims*, pop. & urbs Gall. Belg. Archiepisc. & Campaniæ metropolis, à *Rhemo* Galliæ rege, ut quidam volunt, dicta, ubi Galliæ reges inaugurantur: Populi *Rhemenses*, & *Rhemi*: Baudrando verò meliùs *Remi* dicuntur. Vide ibi, quorum urbs etiam *Durocortorum* dicitur, ad Vidulam fluv. ampla, elegans, culta, & Academiâ, ab Henrico II. institutâ, insignis. Cum tit. Duc. Hujus Archiepisc. est primus Dux & Par Franciæ, à quo Reges consecrari solent, 32. leuc. à Lutetia, versus Ort. æstiv. 12. à Suessione in Ort. 9. à Catalauno in Circ. 5. à Matrona fluv. in Bor. uti fere 14. à Virodunoin Occ. Tractus adjacens *le Remois*, inter Treviros & Virodunos ad Ort. Catalaunos ad Mer. Suessiones ad Occ. & Arduennam sylv. ad Bor. Hic à Carolo M. Concil. habitum, An. C. 806. Aliud Ann. Chr. 1131. in quo Bernardus vitia Cleri & Pontificum summâ oris libertate reprehendit. Lucanus *lib.* 1.

Optimus excusso Leucus, Rhemusq; lacerto.

Rhemnius Palæmon, Grammaticus, qui gloriabatur secum natas esse literas, ac secum demum morituras. Idem M. Varronem porcum appellare non est veritus.

Rhemus, 22. Gallorum Rex, Namnetis filius. Ultimus Herculiæ stirpis, Remorum conditor: si auctoribus fides constat, Dupleix *Commentar. Gall. lib.* 2. *cap.* 23.

Rhene, ex qua Mercurius Saum genuit.

Rhene, *Rheneia* Straboni, *Rhenia* Stephano, quæ & *Artemitis* & *Celadussa* prius, teste Plinio dicta est, *Fermene* hodie Sophiano, insf. parva maris Ægæi, una Cycladum, inter Ceam & Delum, ad Occ. Baudrando mel. *Rhenia.* Cum Delo vulgò *Sdille* dicitur, ei enim ferè adjacet. Nunc paucis constat incolis.

Rheni, pop. juxta Rhenum incolentes, inter Helvetios ac Rhætos. *Rhyngowver* Thscudo. Regio Rhingovia, *Rhynthal* vulgò. Persius *Satyr.* 6.

Essedaq; ingentesq; locat Cæsonia Rhenos.

Ubi, *Rhenorum* appellatione, intelligit Hadr. Valesius Germanos Trans-rhenanos, statuens, Cæsoniam certâ pecuniâ undique conquiri jussisse viros proceritatis eximiæ, cum Gallos tum alios, qui Caji Caligulæ, mariti sui, Germanicum instruerent triumphum, & pro captivis Germanis haberentur ac ducerentur, quod & Sueton. de Cajo affirmat: & ita Gallienus mimicum olim triumphum egit. In panegyrico *de laudibus Berengarii Aug.* pro Gallis Lotharienfibus & pro Germanis Trans-rhenanis, utpote accolis Rheni, *Rhenos* sumi, idem statuit, *in Notit. Gall. in verba hæc:*

Nec decet ulterius socios deducere Rhenos.

Rhenoberga, urbs probè munita German. ad Rhenum, in ditione Elector. Coloniensis, & limite Duc. Clivensis; à Batavis ultimò capta 1633. Sed An. 1672. proditione Gallis dedita, 2. leuc. à Vesalia infer. in Mer. 3. à Geldria in Ort. Nunc Electori reddita est.

Rhenofelda, urbs munita Sueviæ, ad Rhenum, una ex 4. Urbibus Sylvestr. sub Austriacis, vix 2. mill. Germ. supra Basileam in Ort, Sanctionem versus totidem. Plures capta bello Germ. In ipso limite Helvetiorum & Brisigaviæ prov. German. *Rheinfelden.* Vide quoque *Rinfeldia.*

Rhenogavia, tractus parvus Germ. sub Elect. Moguntino, juxta Rhenum, è regione Moguntiæ & Bingii; *Rheingavv.* Vide infra.

Rhenus, German. *der Rhein*, vel *Rhyn*, Gall. *le Rhin*, Batavis *de Rhyn*, notissimus, & maximus Germaniæ post Danubium fluvius, illam à Galliâ disterminans, à lacu Constantiensi Basileam usque, postquam prius Rhætos ab Helvetia, à fontibus nempe usque ad lacum Constantiensem, dispescuit. Inter hunc & Mosam Corbulo Rom. Dux, ne miles otio torpesceret, fossam perduxit, An. C. 47. Tacit. *lib.* 11. *Annal.* Hispanos verò Mosam ei infundere molitos, disturbavit Henricus Fridericus Princeps Arausionensis, A.C. 1625. Primus auctorum, quorum monumenta nobis supersunt (nam qui Aristotelis operibus nomen ejus immiscent, oppidò quàm imperitè faciunt) Rhenum, retulit Julius Cæsar, *in Comment. de bello Gallico.* Descripsit autem eum sic: *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt: & longo spatio per fines Nemetum, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribocorum, Trevirorum, citatus fertur: & ubi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, multis ingentibus insulis effectis (quarum pars magna à feris barbarisq; nationibus incolitur; ex quibus sunt, qui piscibus, atq; ovis avium vivere existimantur) multisq; capitibus in Oceanum influit.* Post Cæsarem omnes ferè auctores, Græci juxta atque Latini, scriptis suis eum celebrat-

celebrarunt. Tacitus *Annal.* 2. *Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur; servatq; nomen ac violentiam cursûs, quà Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens. Verso cognomento, Vahalem accolæ dicunt: mox id quoq; vocabulum mutat Mosâ flumine; ejusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.* Idem *libro de Germaniâ: Rhenus Rhæticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur.* Mela *lib.* 3. *cap.* 2. *Rhenus ab Alpibus decidens, prope à capite duos lacus efficit, Venetum, & Acronium; mox diu solidus, & certo alveo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur.* Dio *lib.* 39. Ὁ δὲ Ῥῆνος ἀναδίδωσι μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων τῶν Κελτικῶν, ὀλίγον ἔξω τῆς Ῥαιτίας. Προχωρῶν δὲ ἐπὶ δυσμῶν, ἐν ἀριστερᾷ μὲν τήν τε Γαλατίαν, καὶ τοὺς ἐποικοῦντας αὐτὴν, ἐν δεξιᾷ δὲ τοὺς Κελτοὺς ἀποτέμνεται· καὶ τελευτῶν ἐς τὸν Ὠκεανὸν ἐκβάλλει. Herodianus *lib.* 6. Μέγιστοι γὰρ δὴ οὗτοι ποταμῶν ὑπ᾽ ἄρκτῳ ῥέουσι Ῥῆνός τε καὶ Ἴστρος· ὁ μὲν Γερμανοὺς, ὁ δὲ Παίονας παραμείβων· οἳ θέρους μὲν ναυσίποροι ἔχουσι τὸ ῥεῖθρον, διὰ βάθος τε πλάτος. Τοῦ δὲ χειμῶνος, παγέντες ὑπὸ τοῦ κρύους, ἐν πεδίου σχήματι καθιππεύονται· ἀντίτυποι δὲ οὕτω καὶ στερροὶ γίνονται τὸ ποτὲ ῥεῖθρον, ὡς μὴ μόνον ἵππων ὁπλαῖς καὶ ποσὶν ἀνθρώπων ἀντέχειν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀρύσασθαι θέλοντας, μὴ κάλπεις ἐπ᾽ αὐτὸ μηδὲ κοῖλα σκεύη φέρειν, πελέκεις δὲ καὶ δικέλλας, ἵν᾽ ἐκκόψαντες, γυμνοί τε σκεύους ἀράμενοι τὸ ὕδωρ, φέρωσιν ὥσπερ λίθον· φύσις μὲν δὴ τῶν ποταμῶν αὕτη. Ejus mem. Ovid. *Met.* 2.

Hesperiosq; amnes, Rhenum, Rhodanumq; Padumq;

Itemque Virgilius *lib.* 8.

Extremiq; hominum Morini, Rhenusq; bicornis.

Ubi duo tantùm Rheno ostia tribuit, uti & Claudianus, ubi de Alarici victoria:

—— —— *Te Cimbrica Tethys*
Divisum bifido consumit Rhene meatu.

Hodie verò tria celebrantur. Vide Cluver. *de tribus Rheni alveis, & lib.* 2. *de Germ. Ant. cap.* 40. ut & infra Horatius:

Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.

Non ἀπὸ τοῦ ῥεῖν (inquit Fungerus) quod est *fluere* Latinis, etsi aliquibus verisimile id queat videri, nec à *Rhodani* societate, secundùm Isidorum, sed ejus etymon quibusdam, ab illo decursu petendum videtur, quasi huc versum fluens, quod Germani dicunt *Reyn*. Sicut contra dici potuit Danubius sursum fluens *Danuf*, vel potius à voce Germanicâ *Rein*, quæ *nitorem*, *puritatemq;* significat, quòd claritatis quâdam prærogativâ polleat, dum clarissimas perlabitur gentes: sive quòd arbiter olim & velut vindex fuerit puritatis conjugii. Quippe solebant Germani liberos recèns natos, clypeo impositos, committere fluminis alveo, qui si fluitasset, legitimi partûs indicium dabat; sicut adulterini, cùm subsidebat, fundum petens, teste quoque Galeno. Unde Claudianus:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Hinc in Anthologiâ legimus *lib.* 1.

Θαρσαλέοι Κελτοὶ ποταμῷ ζηλήμονι Ῥήνῳ.

Et ibidem:

Κεκριμένον λύτρωσιν ἐλεγχείημιν ποταμοῖο.

Divus quoque Nazianzenus:

Ἐς τόδε δίζηται Ῥῆνος κριτῆρι ῥεέθροις.

Nonnus *in Bassaricis*:

Ῥῆνος ἀμεμφείης θεμιστοπόλος τοκετοῖο.

Idem testantur Theophylactus & Eustath. *in Dionys. Alexandr.* Cluverius tamen id figmentum credit: interim certum, Helvetios aliosque suos liberos in Rhenum immersisse, ad eos indurandos. Vide Cluver. *lib.* 1. *cap.* 21. Vadianum *in Melam lib.* 3. *Gallicum Rhenum* dixit Catullus, ad differentiam Bononiensis. Lucanus *libr.* 1.

Fregit & Arctoo spumantem vortice Rhenum.

Spumat enim quibusdam in locis, ubi aqua per rupes & cataractas præcipitatur. De cataractis ejus infra Scaphusiam vide Munster. *lib.* 3. Frey. *cap.* 4. *adm. Gall.* Statius *lib.* 1. *Sylvarum*:

Non vocat Arctoas acies, Rhenumq; rebellem.

Claudianus:

—— —— *Rhenumq; minacem*
Cornibus infractis adeo mitescere cogis.

Seneca *in Hercule insano*:

Violentus undâ Tigris, aut Rhenus ferox.

Conradus Celtes:

—— *Rapidus gelato flumine Rhenus.*

Quamvis enim magnus rapidusque, tamen sæviente frigore congelatur, Herodian. *lib.* 6. Ob quam causam Ausonio *gelidus*, & Prisciano *glacialis* dicitur. *Aurifer* etiam quibusdam, quòd metalli hujus ramenta non rarò sabulo internitentia reperiantur. De Salmonibus Rheni vide Freyum præfatum *libr.* 7. Est autem celeberrimus hic Europæ fluvius, antiquus Galliæ & Germanicæ terminus, à fontibus ad ostia. Secundùm Baudrandum, Johan. Baptistam Plantinum, alios non procul à Danubii & Padi fontibus & quidem in medio eorum ex monte Adula, qui pars Orientalis est summarum Alpium sive S. Gotthardi, oritur ex Alpibus in parte occidentali Rhætiæ ex duplici fonte, quorum major & magis ad Boream *Vorder Rhyn* dicitur, seu primus Rhenus, & è monte Crispalto: minor verò *Hinder Rhyn*, seu secundus, magis ad meridiem ex S. Bernardi monte, ubi in loco scaturiginis sacellum quondam Nymphis dicatum, cujus adhuc vestigia cernuntur, referente Sprechero, oritur. Tertium fontem Vigenerius *in Cæs.* post Simlerum *Comment. de Alpibus*, tradit, Rheni nempe medii, ex monte Lucumonio, ubi è rupis cacumine, *Cadelin* dicto, nascitur amnis *Eroda*, qui progediens montem S. Barnabæ versus, exinde Rhenus medius, *Mittel Rhyn* dicitur, è quibus medius cum anteriori infra Ilantium miscetur, anterior verò & posterior infra Rhætium concurrunt. Deinde simul unitis, Rhenus prope Curiam fluit, & Magiam rigat; inde limites Helvetiorum tangit, & per lacum Constantiensem seu Brigantinum transiens, ac Sueviam ab Helvetia separans, Constantiam rigat, uti Scaphusiam. Hinc Arolâ auctus, juxta quatuor Sylvestres, Valdhusiam, Laufenburgum, Sanctionem, & Rhenofeldam labitur, uti & postea ad Basileam, à qua in Septentrionem, quandoque in Occidentem parum profluit, cum à fontibus suis ad anterioris & posterioris confluxum magis Or. versus respiciat, postmodum ad Septentrionem incurvetur, donec lacum Cellensem egressus, ad Occidentem cursum dirigat Basileam versus, auctus prius ut dictum Arolâ, ad Confluentes *Cobientz*. Deinde per Alsatiam tendens, in Boream fluit juxta Novoburgum & Brisiacum, uti & prope Argentoratum. Postea Hellelo fluvio auctus, Stolhoffam rigat, Philippoburgum, & Spiram ab amniculo Spira, qui ibi Rheno confunditur, dictam, in Palatinatu Rheni dicto seu inferiori; ubi etiam ex altera parte, qua dextra vel Germanica ripa est, Nicro fluvio recepto ad Manheimum, juxta Wormatiam & Oppenheimum fluit. Hinc ad Moguntiam, ubi olim Carolus M. per annos decem labore ingenti & opere mirabili pontem in Rheno ligneum fecit, 500. passus longum, qui uno ante obitum ejus anno, intra horas tres fortuito incendio conflagravi, recipit Mœnum fluvium; quo auctus juxta Ingelheimum, Bingium, apud quod Nava, *Nah*, & *Nach*, fluv. celer ac nebulosus in eum decurrit, Baccharacum, ac Vesaliam superiorem fluens, per Trevirensem ditionem labitur; ubi auctus Lano fluvio, mox etiam & Mosella, ad Confluentes ad Antenacum tendit, deinde Montensem Ducatum à Coloniensi ditione separans, Bonnam rigat, hinc Coloniam Agrippinam, ubi Constantinus M. pontem in Rheno inchoavit, ut Francis terrorem incuteret, Novesium, Duseldorpium, & Ordingam. Postea per Clivensem Ducatum fluens juxta Duisburgum, ubi recipit Ruram, & prope Orsovium, Rhenobergam, Vesaliam, ubi recipit Luppiam, Reesium, & Emmericum, tandem in limite Gueldriæ & ad Schenchiam arcem in duo brachia scinditur, quorum alterum ad sinistram tendens, Vahalis dictum, *le Vahal*, Noviomagum rigat, & paulò pòst Mosæ miscetur: alterum ad dextram prope Arenacum fluit, ubi per Drusum fossa Rhenum inter & Salam egesta partem Rheni per Valam & Flevum lacum in Oceanum effundit. Sed altera pars ad occasum tendens per Batavos, Trajectum inferius seu ad Rhenum dictum rigat, ut & Lugdunum Batavorum, ubi & sensim deficit, quanquam eò olim evolvebatur unico ostio inter vicos *Catwick*, & *Nortwick*. Sed Oceanus aliquando violenter irrumpens cum ejus fluxum impedivisset aqua retroacta, sinistram ripam scindens Anno 860. alveum sibi novum paravit, qui Licus dicitur, *le Leck*; ut medium illum & antiquum Rheni alveum arenarum tumulis obductum nullo labore potuerint Lugdunenses aperire. Ab antiquis autem numerantur duo Rheni fluminis ostia: medium illud quod & verum & antiquum Rheni ostium prope Lugdunum Batavorum, & occidentale Rheni ostium, quod & Helium & Mosæ ostium, *die Maes* incolis, prope Brilam: quibus addunt aliqui dextrum Rheni ostium, quod & Flevo nunc, *Vecht* incolis à fluvio cognomine, qui à Trajecto inferiori deductus, in mare Austrinum cadit prope Amsterodamum. Ita per fines Rhætorum, Helvetiorum, Sequanorum, Rauricorum, Nemetum, Vangionum, Tribocorum, Trevirorum, Ubiorum, ac Batavorum fertur: quinque urbes Episcopatuum, vel olim vel hodieque sedes, Constantiam, Basileam, Argentoratum, Spiram, atque Wormatiam: Metropoles tres Mogontiacum, Coloniam Agrippinam ac Trajectum prætetlapsus. Nomen dedit pago *Rhenensi*, in quo Laureshamum ad fluv. Wisgoz fuit, locus insignis monasterio Laureshamensi, quod & Monaster. S. Nazarii dicitur: conditum à Williswinda & ejus filio Cancrone, Rhenensis pagi Comite, Hadr. Valesio referente, *in Notit. Gall.* De Rheno vide pluribus Petrum Bertium *in sua Germania antiqua*.

Rhenus alter, Plin. fluvius Italiæ, ex Apennino monte oriens, ac per Galliam Togatam in Romandiola, per agrum Bononiæ, ab ea non longè fluens, in Padum supra Ferrariam labens: qui *il Rheno* etiam vulgò & *Reno* nominatur. De quo Silius *lib.* 8.

—— *Parvique Bononia Rheni.*

Rheomithres, à defectoribus reliquis, ad Tachum Ægypti regem missus, acceptis quingentis argenti talentis & quinquaginta triremibus, navigavit in Asiæ urbem, Leucas. Quò præcipuos è deficientibus evocavit, multosque eorum comprehendit ac vinctos ad Artaxerxem misit: atque hac proditione veniam suæ perfidiæ impetravit, Diodor. 15. 505.

Rheomithres, Persici Prætoris, in prælio ad Isson cæsi, nomen. Curt. *lib.* 3. 42.

Rhesala, urbs Umbrorum, Stephan.

sus, Strymonis & Euterpes Musæ filius, rex Thraciæ, qui uis in auxilium Trojanorum venit. Sed prodente Dolone ore, Trojano, à Diomede & Ulysse, primâ nocte occisus gil. *Æneid.* 1.

Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lachrymans, primi quæ prodita somno
Tydides multâ vastabat cæde cruentus,
Ardentesq; avertit equos in castra, priusquam
Pabula gustassent Trojæ, Xanthumq; bibissent.

is:

Nec Rhesi niveæ citæq; bigæ.

anus de Rhesi equis:

Grataq; retuleras raptos ad castra jugales:
Quorum, si qua fides augentibus omnia Musis,
Impetus excessit Zephyros, candoreq; pruinas.

Virgilium, *Rhesi Mavortia tellus* ponitur pro Thraciâ. Me-*Tum Rhesō regnata quondam pari Thraciæ.*

sus, fl. V. *Rhebas*; hic heptaporos & polyporos Strab. quia is in eadem via transvadari pot. st.

uco, mons in Rhætis Pomp. *lib.* 3. V. *Rhætia & Rhætico.*

rigonium, Ptol. *Girgeny* Camdeno, V. in *Kerigonium.*

ucus, mons Arcadiæ, ubi & vicus Rheunus. Pauf.

exenor, Nausithoi fil. frater Alcinoi, pater autem Aretes, Alcinous, fratre ab Apolline interfecto, uxorem duxit. Ho-*Odyss.* 7.

ezan, prov. Mosc. fertilissima: in ea quippe singula grana enti binas quandoque, pluresque spicas proferunt, ut nec facile transire, nec coturnices inde evolare possint. Metel. c. V. *Rezana.*

idago, fl. Hyrcaniæ, in quem Zioberis effunditur. Curt VI. 18.

igia opp. geminum Hibern. Ptol. unum circa umbilicum *Lymburg* Nigro, *Tors* Moletio; locus aliquis non procul à *gh Regish* Camd. alterum *Reglis* Camd. seu Purgatorium S. ricii.

Rhigina vel *Rhiginia*, fl. Macedoniæ, Strab.

Rigodunum, *Rippon*, teste Lhuydo: sed aliis *Warrington*, op. onis in orâ Angliæ occid. medium inter Cestriam & Lanca-am. Ejusmem. Ptol. Baudrando opp. Brigantum. Nunc *Rib-ster*, oppidul. tenue Lancastriensis Comit. ad amnem *Ribbil*, mite prov. Eborac. 14. m. Angl. à Lancastria in Eur. 10. mill. ora maris Hibern. in Ort.

Rhigusca, pop. Rhætorum, ad Rhenum, quorum reg. *Reyn-* V. in *Rheni*, & op. *Ragatz*, è reg. Lupini opp. quod aliter *Cam. Maji*, Sarunetibus finitim., à Curia 7. leuc. in Bor. Ptolomæus Rhætos Australiores illos locat. V. & *Rhegusci.*

Rhimetalces, Thracum rex, qui ab Antonio ad Augustum Octa-um transferat. Hic cùm Cæsari petulantius, crebriusque inter ecula societatem & convictum exprobrâret, illud ab indignato ugusto reportavit: *Amo proditionem, proditores verò odi* Plut.

Rhingus, ab Hunnis Regia dicta est, quæ Longobardis *Campus*, Aimoinus *Franc. lib.* 4. *cap.* 86. *Pippinus Hunnus trans Tizam* *fugatu, eorumq; regio, quæ ab ipsis dicta est* Rhingus, *ex totâ de-* V. in voce *Campus.*

Rhinocorura, urbs Palæstinæ marit. in confin. Ægypti, sic ab an-quis incolis dicta, quorum *nasi* erant *mutilati* Steph. Distat à aza 38. m. p. Anton. in tribu Simeonis, apud quam fluv. in mare elabitur, qui terminus est regni Israël. *Rhinocolura* Straboni ac inio. *Faramida* verò hodie Nigro, opp. Ægypti, in ipso limite, ora Maris Mediterr. Baudrando.

Rhiotharus, fl. Colchidis, haud procul à Dioscoriade Urbe, & Euxinum labens, Strab.

Rhion, Ætoliæ promuntorium. Plin. 4. 2. è cujus regione aliud romont. est quod *Antirrhion* vocant. Mela *lib.* 2. *cap.* 3. ex emen-tione Vossii: *Rhion deinde, id maris nomen est, angustè & ve-ut freto, litus ora sequentis incidens.* Ubi quòd *Rhion* maris sive i nomen esse inquir, id ex usu vulgari fecit, cùm Livius *lib.* 7. *lib.* 8 *decadis tertia*, fauces sinûs Corinthiaci ab accolis *Rhion* ocari scribat.

Rhipha, vel *Riphe*, urbs Arcadiæ, Stephan Ejus meminit Papi-nius *lib.* 4. *Thebaidos:*

Rhipheq; & Stratie, ventosaq; donat Enispe.

Rhiphæi, montes Septentrionales in Scythiâ, ut vulgò creditur, *ἀπὸ τῆς ῥιφῆς*, h. e. *à flatuum* vi sic dictos quidam putant. Ubi nunc Petzora prov. Moscoviæ Bor. Dicunturque *montes Stolp*, ver-sus Obdoram & Obium fl. in limite Asiæ ac Tartariæ desertæ, P. du Val. Brietius. V. *Riphæi.*

Rhiphearma, Arabiæ op. Plin. 6. 8.

Rhipheus, unus ex Centauris. Ovid. 12. Alius Trojanus ob ju-stitiam à Virgilio laudatus, *Æn.* 2.

Cadit & Ripheus justissimus unus
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.

Rhispia, op. Pannoniæ sup. in Stiriæ & Hungariæ confin. Ptol. *Rackersburg* Lazio. opp. Stiriæ infer. seu *Fering* oppidul. vix 2. m. p. ab eo, ad Arrabonem fl. 2. leuc. à limite Hung. in Occ. & tori-dem à Rachelspurgo in Bor. Sansoni fuit, ubi hodie *Pons ad Mu-ram*, oppidul. Stiriæ super.

Rhittium, op. Pannon. infer. ad Danubium. Ptol. inter Bono-niam, & Taurunum. *Ratza* Lazio. *Salankemen* Simlero, à Tau-runo 6. leuc. in Occ. Petrovaradino proximum.

Rhitum, locus ad Isthmum Corinthiacum, à Corintho 2. mill. pass. distans.

Rhitymna, vel *Rhithymna*, urbs Cretæ. Ptol. & Steph. *Retti-mo* Sophiano. Episc. sub Ar. Candiæ, cum portu capaci, in ora Bor. Nunc sub Turcis. 40. m. p à Cydonia in Ort. Matiam seu Candiam versus 53. circiter. Agrum habet peramplum, à quo quarta pars Ins. denominatur, inter territoria Candiæ ad Ott. & Cydoniæ, ad Occ.

Rhium, vel *Rhion*, quod & *Drepanum* Strab. ac Ptol. & *Moly-crium* Straboni, promunt. & oppid. apud Steph. Peloponnesi in Achajâ ad fauces sinûs Corinthiaci contra Antirrhium promunt. Ætoliæ. *Trapani* Nigro, al. *Capo Patras*; ubi Peloponnesii ab A-theniensibus navali prælio victi, teste Xenophonte. Est & *Rhium* promuntorium Corsicæ apud Urcinium urbem, Ptol. vulgò *Capo d' Ajazzo.*

Rhium fretum, est *le bocche del Golfo di Lepanto*: in cujus vici-niis prælio Naupactino, Turcæ à Christianis, ingenti clade sunt affecti, An. 1571. *Fretum Calidonium* Heliodoro. Inter *Rhium & Antirrhium.*

Rhiusiava, Germ. urbs. Ptol. *Gengen* Villanovano in Sueviâ, inter Ulmam & Nerolingam. Aliis *Rosenfeld*, oppidul. Duc. Wir-temberg. vix 4. mill. Germ. à Tubinga in Mer.

Rhizana, opp. Dalmatiæ medit. inter Narouam & Scodram. *Rudine* Moletio. Forsan idem cum *Rhizinio*, Baudr.

Rhizenia, urbs Cretæ. Steph.

Rhizinium, urbs Dalmatiæ, nunc *Risano*, ferè vicus nunc, sub Turcis. Ibi aliàs *Rhizunita* pop. Aliis fuit in ora Sinus Adr. ubi nunc castr. *Melanto piccolo*. V. *Rhizon.*

Rhizis, prom. ingens Troglodytarum, Steph. Incolæ *Rhizita.*

Rhizius, *Rhizus* Ptolemæo, portus circa mare Euxinum. Vi-de Stuckium *ad Arriani Periplum.*

Rhizon, Polybio, *Rhizinium* Plinio, *Rhisinum* Ptolemæo, urbs Dalmatiæ ad sinum Rizonicum, *Golfo di Cataro*, qui pars maris Adriat. ab Epidauro 20. m. p. ad ort. ab Ascrivio 10.

Rhizophagi, pop. Æthiop. inter Astapum & Astaboram fluv. in Meroe insulâ, *Elii* Straboni, Apud Ælianum in Indiâ ad Asta-boram ponuntur. Sed ibi *Meros* legendum.

Rhizus, seu *Rhizeus*, portus & urbs parva Cappadociæ in ora maris Eux. ad ostia Rhizæi fl. Quibusdam in Colchidis parte, ubi Macrones pop. olim, 130. m. p. à NeoCæsarea in Cæc. Alia in Magnesiâ apud Melibœam opp. teste Plinio, seu Thessaliâ, ut est apud Stephan.

Rhoas, fluv. Colchidis ex Caucaso monte in Euxinum mare abeus Plin.

Rhobogdii, pop. Hiberniæ Ptol. ad Rhobogdium promuntor. (quod *Capo Verjoda* Moletio, *Fair Foreland* Camdeno dicitur) in orâ Boreali: ubi pagus *Robogh* hodie nomen retinens. Baudran-do, ubi hodie Comit. Antrimensis, Colranensis, & Tironensis, in Ultonia, in ora litt. contra Scotiam.

Rhoda, opp. geminum: unum Hispan. citer. in ora Catalau-niæ in finibus Indigetum, inter Gerundam & Ruscinonem. *Roses* hodie, *Rhodope* olim. Strab. *Rhodipolis* verò Ptol. à Rhodiensibus conditum: Baudrandoetiam *Rhode & Rhodopolis*, Hisp. *Rojas*, urbs aliàs Indigetum, in Hisp. Tarr. nunc Cataloniæ, in tractu Ampur-danensi. Permunita, cum portu capaci, in ora maris Medit. Ca-pta à Gallis An. 1645. sed reddita pace ad Pyren. 10. leuc. Hisp. à Rusemone seu Perpiniano in Mer. 7. à Gerunda in Bor. vix 40. à Confin. Galliæ Narb. Alterum Gall. Narbon. apud ost. Rhodani, *Foce di Rhone* hodie Dalechampio. Brietio est *Becais*, oppidul. cum arce, ubi salinæ celebres, prope Aquas mortuas, in Occitania, ad ostium Occ. Rhodani, in ipso limite Provinciæ, vix 2. leuc. ab ora maris Mediterr. 5. à Nemauso in Mer.

Rhoda, nomen puellæ. Act. 12.

Rhodanus, Gallis, *le Rosne* accolis verò nascentis fluminis *lo Rot*, fluv. maximus Europæ, post Danubium primò, dein Rhenum, in Gall. Narbon. ex Adulâ monte è regione Rheni oriens, ac per Sedunos in Occ. fluens, in Lemannum lacum ingrediens, & ad Ge-nevam urb. egrediens, donec ad Lugdunum, Atari accepto, in Meridiem conversus, Viennam, Valentiam, Avenionem & Are-latum urbes attingit. Hunc M. Varro, teste Agellio 10. 7. tertium Europæ fluv. haud Istro minorem scribit. Ortelius illum non longè à Danubio oriri ait, cùm fontes illius à fontibus Danubii supra 120. m. p. distent, Græci pro *Eridano*, *Rhodanum* dixere, imo & antiquioribus Græcis is amnis, qui in Vistulam apud Gedaniam opp. defluens vulgò dicitur *Reddaune* vel *Reddune*, sic dictus est, maxima enim apud illos Rhodani, Eridani & Vistulæ con-fusio, de quo vide Cluver. *Germ. Ant. lib.* 3. *cap.* 34. & 49. Vide & Isidor. *Origin. lib.* 14. *cap.* 6. Ostia ejus quod attinet, Diod. Sic. cum Timæo affirmare ausus est Rhodanum esse *πεντάστομον*. *Ἀρτε-μίδωρος δὲ τρίστομον λέγει*, teste Strab. *lib.* 4. Et am Plinius Rho-dani 3. ostia agnoscit. Ptolemæus cum Polybio 2. tantùm. Livius autem scribens Rhodanum pluribus ostiis divisum in mare de-currere, sibi, ne mendacii argui posset, cavit. Scribit de eo

Marcellinus *lib.* 15. *hoc modo: A Poeninis Alpibus effusiore copiâ fontium Rhodanus fluens, & proclivi impetu ad planiora degrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi se ingurgitat nomine Lemano, eamq; intermeans nusquam aquis miscetur externis, sed al- trinsecus summitates undæ prælabens segniores, quæritans exitus, viam sibi impetu veloci molitur. Unde sine jacturâ rerum per densa paludium fertur, & Sequanos, longeq; progressus Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem: & emensus spatia flexuosa Ararim, quem Sauconam appellant, inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit, qui locus exordium est Galliarum. Exinde non millenis passibus, sed Leucis itinera metiuntur, ubi auctus Rhodanus aquis advenis locupletior vehit grandissimas naves, ventorum flatu jactari sæpius assuetas, finitisq; inter valles, quas ei natura præscripsit, spumeus Gallico mari concorporatur per patulum sinum, quem vocant*, Ad gradus, *ab Arelate octavo-decimo fermè lapide disparatum.* V. infra. Ejus mem. Horatius, cùm ait,

— — Me peritus
Discet Iber, Rhodaniq; potor.

Id est, Rhodani accola: ut alibi:

Non qui profundum Danubium bibunt.

Quo sensu etiam Martialis voce istâc usus est:

Et qui prima bibunt deprensi flumina Nili.

Silius *lib.* 3.

— — Tumidiq; minaces
Accedit Rhodani festino milite ripas.
Aggeribus caput Alpinis & rupe nivali
Proslit in Celtas, ingentemq; extrahit amnem
Spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos,
Ac properè in pontum lato ruit incitus alveo.

Vide *Arar. Rhodanum* (inquit vir magnus) sive *Rhodanitas*, nam id populi nomen est, non in insf. *Rhodum*, sed in Galliam appulisse putamus, circa ostia *Rhodani*, quem de suo nomine nuncupaverint. Certè fide de voce certetur, *Rhodanim* ad *Rhodani* nomen accedit propius quàm *Rhodi*, vel *Rhodiorum*. Præterea videtur Rhodus cum vicinis insulis in Elisæ sortem cecidisse. Sed objectio in promptu est, *Rhodanum* non à *Rhodanim*, sed à *Rhodo* oppido dici, quod à *Rhodiis* conditum postea Massiliensium fuit. Ita Plinius 3. 4. *Agatha quondam Massiliensium, & regio Volcarum Tectosagum, atq; ubi Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multo Galliarum fertilissimus amnis Rhodanus.* Et Hieronymus *in Epist. ad Galatas*, *Oppidum Rhoda coloni Rhodiorum locaverunt, unde amnis Rhodanus nomen accepit.* Hæc illi. At illorum sententiæ cur non accedam, has habeo rationes. Primò amnis à *Rhodâ*, non *Rhodanus*, vel *Rhodius* dictus fuerit, cujus nominis fluvium in Troade Homerus & alii recensent. Præterea *Rhodani* nomen qui novitatis arguunt, debuerant priscum indicare: Neque enim ante Rhodiorum coloniam eò translatam, sine nomine fuit fluv. ingens, quem inter tres Europæ maximos computant Scylax, & Solinus. *Rhodanum* certè constanter vocant hunc fl. non solum Apollonius, Timæus, Polybius, Artemidorus, aliique sine numero, sed & his longè vetustiores Æschylus & Euripides apud Plinium. Hoc potissimum, quòd, ut à *Rhodâ* nomen sortiretur *Rhodanus*, debuit esse Rhodæ vicinus. At à *Rhodano Rhoda* distat inn ensum quantum; nt quæ in Hispaniâ sit, non in Galliâ, procul à *Rhodani* ostiis terrestri itinere m. p. ferè 150. Strabo ubi de Rhodiis: μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν κἀκεῖ μὲν τὴν Ῥόδην (Ῥόδον legit Casaubon.) ἔκτισαν, ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται κατέσχον. Mela 2. 6. *Proxima est rupes quæ in altum Pyrenæum extrudit; dein Thicis flumen ad Rhodam.* Ptol. *in descript. Hisp. Tarracon.* Ἐνδιγετῶν Ῥόδιπολις, vel, ut est in emendatis exemplaribus, Ῥόδη πόλις. Stephanus, Ῥόδη, πόλις Ἰβηρίας. Livius *lib.* 34. *Inde Rhodam ventum & præsidium Hispanorum, &c.* Ex his abunde liquet, illam ipsam Rhodam, quam condidere Rhodii, & Massilienses tenuerunt, in Hispaniâ fuisse, non in Galliâ. Jam verò, quis in mediâ Galliâ fluv. credat traxisse nomen ab Hispanicâ urbe trans Pyrenæos. Sed quid viris magnis imposuerit, puto mihi esse compertum. Ad *Rhodanum* fuit *Rhodanusia* Massiliensium urbs, quam acceperunt illi pro *Rhodâ*. Marcianus Heracleota,

Οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔχει Φωκαεῖς
Ἀγάθην, Ῥοδανουσίαν τε Ῥοδανὸς ὃν μέγας
Ποταμὸς παραρρεῖ. ——

Stephanus, Ῥοδανουσία, πόλις ἐν Μασσαλίᾳ. Hujus ita mem. Sidonius Apollinaris *lib.* 1. *ep.* 5. *Egresso mihi Rhodanusia nostra mœnibus*: ubi Lugdunum videtur significare. Hinc & ipsa regio *Rhodanusia* vocatur, & incolæ *Rhodanenses*. Irenæus Lugdunensis Episcopus, *lib.* 1. *cap.* 9. Ἐν τοῖς καθ᾽ ἡμᾶς κλίμασι τοῖς Ῥοδανουσίας πολλὰς ἐξηπατήκασι γυναῖκας. Vide Epiphan. *Hæres* 34. Itaque firmum hoc manet, nihil obstare, quo minus à *Rhodanim* nomen *Rhodani* deducatur. Bochart. Henr. Valesius credit, Massilienses, Græcos ex Asiana Phocæa advenas, qui plerisque oræ provinciæ Narbonensis loca ac plerasque insulas Græcis appellavere nominibus, fluvium hunc, quòd maximè rapidus esset & torrens, linguâ patriâ *Rhodanum* seu ῥοδανὸν vocasse. Sic iidem Libyca appellarunt duo Rhodani ora modica, & tertium idemque amplissimum, Massilioticum, urbis suæ nomine: Sic promont. Citharistam, tres Stœchadas, Proten, Mesen, Hypæam, nec non Phœnicon, Philam, Leronem & Lerinam insf. Gallicis veteribusque nominibus abolitis, Græcis nominibus nuncuparunt. Non desunt tamen, qui *Rhodani* nomen Gallicum potius seu Celticum esse putent, cùm & alii quidam Galliæ fluvii eadem appellatione censeantur. Certè Fortunatus, ante annos 1070. Mediolanum castellum Nicetii Treviricí Episc. ad Mosellam & parvi *Rhodani* confluentes positum in monte fuisse tradit, *lib.* 3. *carm.* 12. Vulgò *die Droan*, aut *Dron*. Imo & alterius fluvii, in pago Parisiaco, nomine *Rodoni*, mentio fit in literis Odonis R. ante ann. 790. vulgò *Rône* aut *le Rone*. Sunt etiam qui absque aspiratione *Rodanum* scribant, & hi à *rodendo*, quòd ripas suas rodat, illum sic vocitatum volunt. Baudrando Rhodanus oritur ex duplici fonte in limite Helvetiorum ex Adula monte, *Mont. S. Gothard*, fere 2. milliar. Germanicis à fontibus Rheni fluvii, & dimidio tantùm à fontibus Ticini & Ursæ fluviorum. Munsterus, Stumpfius & Vigenereus, illius fontes in monte Furcæ collocant. Joh. Bapt. Plantinus varios ejus fontes esse notat, inter quos maxime conspicui tres in extremis Vallesianorum finibus, in conventu Gomesiano. Vallesiani limpidissimum in Meridionali loco e terra scaturientem fontem, pro vera Rhodani origine, demonstrant. Siml. *desc. Valesia l.* 1. A sua origine procedens, Occidentem versus fertur; deinde per Sedunos seu Valesiam fluens, Natertium, Sedunum, Agaunum, & Octodurum rigat. Hinc in Lemanum lacum ingrediens, Bibiscum ac Nojodunum alluit, & ad Genevam urbem post 18. leucas egrediens, Galliam à Sabaudia separat. 5. leuc. infra Genevam terræ visceribus se condit, & paulò infrà iterum erumpit, vix dimidia leuca ab oppidulo Castillioneo cognomento *de Michaille*, ut ego vidi cùm illas partes lustrarem anno proxime elapso. Hinc per Sabaudiam & Bressiam, seu veriùs Beugesiam, fluens, juxta Sesselinm & Bellicum, postea Sabaudiam relinquens, Delphinatum à Bressia dirimit; donec ad Lugdunum auctus Arari fluvio, & Lugdunensem provinciam à Delphinatu separans, rigat Viennam, ubi ponte jungitur, Condriacum oppidum vino suo celebre, Andajam in Occitania, Fanum S. Valerii, & Turnonium è regione Tini. Hinc auctus Isâra fluvio, juxta Valentiam labitur, uti prope Vivarium seu Albam Helviorum, & ad Pontem S. Spiritus, ubi nobili ponte jungitur. Deinde inter Occitaniam & Provinciam fluens, ad Aventonem, ubi etiam ponte jungitur, paulò pòst auctus Druentia fluvio, infra Belloquadrum in duo brachia scinditur juxta Arelatem, quorum occidentale iterum in duas partes divisum, duplici etiam ostio, *Gras neuf & Gras d'Orgon* dicto, in mare Mediterraneum cadit: Brachium autem orientale paulò infra Arelatem in duo etiam scissum, postea in Mediterraneum mare etiam labitur quinque ostiis, *Gras du Midy, Gras de Paulet, Gras d'Enfer, Grand Gras, & Gras de Passon* dictis, & sic ab Occasu in Ortum. Fluvius est autem totius Galliæ rapidissimus. Hinc Silius,

— — Rhodanumq; furentem.

Et *lib.* 3.

— — Tumidiq; minaces
Accedit Rhodani festino milite ripas.

Fertilissimum quoque Galliæ fluviorum ex Plinio Simlerus vocat. *descr. Vall. lib.* 1. Maximæ in illo utilitatis: & mirabile est, quod *Lemano lacu acceptus tenet impetum, seq; per medium integer agens, quantus venit egreditur*, ut ait Mela *lib.* 3. *cap.* 5. Duæ in ostio fluminis insulæ Anguillaria, *l'Anguillare*, & hâc longè minor *Odor*, quarum prior fortè Metina Plinii est. V. inprimis de celebri hoc flumine Ha̅r. Valesium *Notit. Gall.*

Rhodia, Nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.* Item urbs Lyciæ. Steph.

Rhodia seu *Rhodeopolis*, urbs Lyciæ, prope Limyrum fl. 30. m p. ab ora maris Pamphylii in Bor. uti & 20. à Myra.

Rhodia Ducis, opp. munitum Duc. Limburgici sub Hisp. 1. mill. Germ. ab Aquisgrano in Bor. 6. à Trajecto ad Mosam in Ort. ad Voranum amnem, in limite Duc. Juliac. *Rolduc* Gall. *Hertogen Raide* Belg.

Rhodigina Jacoba, mulier quædam malo genio correpta, à Cælio comparatiora, suo deprehensa est mendax, in futurorum admonitionibus. Dæmoni nomen erat Cincinnatulus. Cæl. Rhodigin. 8. 18.

Rhodigina peninsf. *Il Polesino di Rovigo*, prov. Longobardiæ inf. aliàs pars Duc. Ferrariensis, nunc sub Venetis; Ab Ortu ad Occ. extensa inter Padum & Athesim, seu inter Patavinum agrum ad Bor. & Ferrariensem Duc. ad Mer. Ibi *Rhodigium*, prov. caput, & *Hadria*, urbs fere diruta.

Rhodigium, op. Venetiæ amplum, patria Cælii Rhodigini viri doctissimi, à Ferraria in Bor. 25. m. p. Patavium versus totidem, ab Hadriâ 20. in Occ.

Rhodiorum Colonia, Lyciæ reg. op. quod nunc *Macbri*, sic Nigerearn vocat, quam Ptol. *Rhodiam*, Plin. *Rhodiopolim*, & Appianus *lib.* 4. *Civil. Rhodiorum castellum* vocat.

Rhodæ, urbs Indiæ. Gentile *Rhodætes*. Steph.

Rhodogana, filia Darii, quæ post mortem viri, nutricem, quæ illi secundas nuptias suadebat, occidit.

Rhodogyne, filia Phraatis, Parthorum R. quæ nupsit Demetrio Nicanori, Syriæ R. apud Patrem captivo. Unde immanes turbæ

im Cleopatram uxorem captivus Rex jam antè habe- *eopatra, Demetrius, &c.*

e, sive *Rhodopis*, meretrix nobilissima ex Thraciâ, Æso- oris aliquando conserva, & postea à Charaxo Sapphûs fratre, qui ejus amore tenebatur, ingenti pecuniâ redem- ritte Herod. *lib.* 2. Sappho ad Phaonem apud Ovidium,

Arsit inops frater victus meretricis amore,
Mistaq; cum turpi damna pudore tulit.

pes meretricio quæstu corrasit, ut Pyramidem insignem ptibus extructam reliquerit. Plinius 36. 12. Alia fuit ejus- ninis tempore Juven. Sic enim ille *Sat.* 9.

Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes, &c.

pe, Joniæ civitas. Gentile *Rhodopeus*. Steph.

pe, mons Thraciæ, ex quo Hebrus & Arzus, aliaq; flum. *t*, usque ad Euxinum extensus, ad Apolloniam urb. desi- *Rhodope* Thracum Reginâ in hunc montem, ut Ovidius *r*, conversa; vel, ut aliis placet, ibi sepulta. Vel à *Rho-* ymonis amnis filiâ, ex quâ Neptunus Athon Gigantem qui & ipse monti nomen dedit. Thraciam ferè bifariam lodie *monte Argentano* Ital. & *Basilissa* Græcis, q. montium A fodinis nomen accepit, hodieque adhuc incultus, Brie- Virgil. *Ecl.* 8.

—— *Duris in cotibus illum*
Ismarus, aut Rhodopen, aut extremi Garamantes.

Georg. 1.

—— —— *Ille fragranti*
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit. —— ——

li *Athon*, sed exprimere voluit illud Theocriti,

Ἤ Ἄθω, ἢ Ῥοδόπαν, ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα.

Georg. 3.

Quaq; redit medium Rhodope porrecta sub axem.

hic eo est situ, ut veluti avulsus ab Æmo videatur, redeat- ub Septentrionem, quod Ovidius *in Epistol.* ita videtur uisse,

Quà patet umbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum.

, inquam, eâ parte, quâ avulsus ab Hæmo. Idem *Metam.* 6. *anguli* nomine explicat,

Threiciam Rhodopen habet angulus unus & Hæmum.

Rhodopejus. Virgil. *Flerunt Rhodopejæ arces*, sic *Rhodopeja re-* *Rhodopejus Orpheus*, & *Rhodopeja Phyllis*. Marti sacer fuit hic cum fluv. illius quòd ibi natus putatur. Claud. *de 4. Consf. Hon.*

Flumina laverunt puerum Rhodopeja Martem.

hodophene, Syriæ pars quâ transit Taurum montem.

hodopolis, urbs Germ. marit. in orâ maris Baltici, vulgo *Rostock*. uc. Megalopolitano, Hanzeatica, sui pene juris, cum Aca- iâ, & portu ad ostia Warnæ fl. quanquam 1. cum dimid. leuc. ra maris Balt. 7. m. Germ. à Wismaria in Ort. Sundim ver- , & 4. à Gustovia in Bor. Baudrandus, V. *Rostochium*.

hodopolis, Urbs Colchidis, in Lazica reg. Guil. Sanson.

odumna, opp. Gall. amplum, sed sine m enibus, ad Ligerim, rimum linterium est capax, in prov. Forensi; *Rouane* seu *Roa-* . leuc. à Lugd. in Circ. 18. à Molino in Eur. Regiunc. adja- *le Roanez* dicitur, & Duc. tit. gaudet.

Rhoduntia, regio prope Ocram. Steph.

Rhodus, ins. nobilissima in mari Carpathio, Cariæ adjacens, in- Asiaticas insulas tertia numeratur, nam Lesbus & Cyprus ma- es habentur. Baudrando est Ins. Asiæ min. in ora Cariæ, 280. ll. pass. à Cypro in Occ. ut & ab Alexandria Ægypti in Bor. onstantinopolim versus 500. circiter; Circuitus tantùm 100. m. p. Mubavia Sultano Ægypti A. C. 655. colosso de quo V. in voce *hodus* urbs, disjecto, occupata, rediit postea ad Christia- s; illam post amissam Hierosolymam & Acram, Saracenico jugo pientibus Equitibus S. Johannis: duce Fulcone Villareio Ga- M. Ordinis Magistro, An. C. 1300. vel 10. donec à Turcis de- o capta est, sub Solimanno, Ann. C. 1522. postquam Maho- etes II. Insulam magnâ quidem vi, sed frustra, oppugnasset, n. C. 1480. virtute Petri Aubussoni M. Mag. inde repulsus. Sed quein Solimanni pervenisset manus, ni ab Andrea Amarato, rdinis Cancellario, qui Philippum Villerium de Ins. Adami in Magisterio Magno sibi prælatum ægrè ferebat, per Judæum uendam Medicum, hostibus fuisset prodita: proditore tamen adhuc ante expugnatam Ins. capite plexo. Ab eo tempore Tur- æ ibi Bassam habent, Jac. Bossius, Petr. Boissarus & Joh. Bal- duinus *Hist. Melit.* Jac. Burbonius de *obsid. Rhod. &c.* Equitibus vero, postquam illi duce Villerio in Cretam primò, dein in Ita- liam se recepissent, Melita Ins. à Carolo V. concessa est, An. 1530. V. ibi. Solinus author est nullum toto anno diem tam nubilum esse, quo in hâc insulâ Sol non cernatur. Inde forsan *clara* Ho- ratio dicitur: *Laudabunt alii claram Rhodon.* Lucan. *lib.* 8.

—— *Gnidon inde fugit, claramq; relinquit*
Sole Rhodon. —— ——

Idem *lib.* 5.

—— —— *Phœbeia donis*
Exornata Rhodos. —— ——

Ovid. *Met* 7.

Phœbeamq; Rhodon & Jalysios Telchinas.

Statius *Sylv.* 1.

Lumina contempto mallet Rhodos aspera Phœbo.

Ejus meminit Catullus, cùm ait,

Rhodonve nobilem, horridamve Thraciam.

Nomen ejus quod attinet, ita Grammatici: παρὰ τὸ πολλοὺς ῥεῖν αὐτόθι ὀχετοὺς, καὶ φαίνεσθαι τῆς ὕδατα. Alii ἀπὸ τῶν ῥόδων, à rosis potius, quæ ibi magnâ copiâ succreverint: ut ab hortensi rosâ Rhodus nominata sit, quomodo à sylvestri vicina ins. *Cynorrhodusa*. Ita nonnulli veterum in Pindari Scholiaste *Olymp.* 7. Τινὲς δὲ φασὶ κληθῆναι οὕτω διὰ τὸ ἀπαύστως ἔχειν ῥόδα, i. e. *quidam Rhodum vocari ajunt, quia eximias habet rosas.* Vide & Isidor. *Origin. lib.* 14. *cap.* 6. Bochartus verò nomen hujus Ins. putat esse Phœnicium: ירוד *Jarod*, inquit, Syris & Chaldæis est *draco*. Phœnices per aphæresin רוד *Rod* vocarunt. *Rhodi* nimirum priscum nomen erat *Ophiusa*. Strabo: Ἐκαλεῖτο δὲ ἡ Ῥόδος πρότερον Ὀφιοῦσα. Caussam addit Hesychius, Διὰ τὸ πλῆθος τῶν ὄφεων. Rem pluribus narrat Diodorus *lib.* 5. Μετὰ δὲ ταῦτα τῆς Ῥοδίας γῆς ἀνιείσης ὄφεις ὑπερμεγέθεις, συνέβη πολλοὺς τῶν ἐγχωρίων ὑπὸ τῶν ὄφεων διαφθαρῆναι. Dionysius *vers.* 504.

—— Ἄντα δὲ τῆς
Αἰγύπτου Ῥόδος ἐστὶν Ἰηλυσίου πέδον ἀνδρῶν.

Etiam *Asteria*, *Æthræa*, *Trinacria*, *Corymbia*, *Peressa*, *Atabyria*, dein *Macaria*, atque etiam *Colossa* dicta. Notandum hic, Rhodum fere solitos Romanorum proceres, qui præsenti rerum statu non lætarentur, secedere. Suetonius *de Tiberio*, *Rhodum enavigavit, amœnitate & salubritate insulæ jam inde captus.* Manilius *libr.* 4.

Virgine sub castâ felix terraq; mariq;
Est Rhodus, hospitium recturi principis orbem.
Tuq; domus verè Solis, cui tota sacrata es,
Cùm caperes lumen magni sub Cæsare mundi.

D. Brutus *in ep. ad M. Brutum & C. Cassium*, *Quid ergo est inquis? Dandus est locus fortunæ, cedendum ex Italiâ, migrandum Rhodum.* C. Marius Ciceroni; *Mihi quidem si optata contingent, quod reliquum est vitæ, in otio Rhodi degam.* Olim Deo Soli seu Apollini sacra fuit atque divitiis navalisque rei gloriâ, inter cæteras maris insulas, principatum quondam obtinuisse legitur. Fœlicitatem ejus indicavit Pindarus, quum aureum imbrem in ea pluisse dicit, ἔνθα ποτὲ βρέχε θεῶν βασιλεὺς χρυσαῖς νιφάδεσσι πόλιν. In eâ fuerunt urbes *Rhodus*. Vide infra, *Lindus*, *Camirus* & *Jalysus*. Gymnasium habuit Rhodus Asiaticâ eloquentiâ & Mathematicis studiis clarissimum. Ideo Aristippus Philosophus Socraticus, cùm, naufragio ejectus in Rhodiensium litus, animadvertisset Geometrica schemata descripta, exclamasse ad comites ita dicitur: *Bene speremus, hominum vestigia video.* Vitruv. *lib.* 7. In eâ fuit admirandæ magnitudinis Colossus 70. cubit. altus. Vide *Colossus*. Incolæ *Rhodii*, qui, ut Diogenianus refert, cùm Minervæ Lindiæ sacrificarent, & ibi plures dies agerent, Oraculum consuluerunt, an murulam liceret inferre: quo, *licere* respondente, rursus quæsierunt, an æream, vel testaceam; quibus Deus indignatus, *neutram*, respondit: hinc proverbium *Rhodiorum oraculum*, in scrupulosos, nimisque de re minutâ sciscitantes. *Hic Rhodus, hic saltus:* proverbium in vanitatem eorum, qui facto ostendere potius, quàm verbis jactare sua debebant, petitum ex fabulis Æsopi. Quidam enim cum domum rediisset peregrè inter alia, quæ gloriabatur, jactabat & Rhodi se saltum saltasse, quem nemo alius ibi potuisset saltare, testesque se habere affirmabat. Tum ex astantibus unus: Ἰδοὺ Ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα. Hic Diagoras, cùm tres filios athletas eodem die in certamine omnes vicisse & coronari vidisset, præ gaudio expiravit. Gell. *libr.* 3. *cap.* 15. Rhodi 3000. signorum, Plin. *lib.* 34. *cap.* 7. Et apud Rhodios Timocreon gulæ notatur; Xenarchus quoque *Metretes* ob bibacitatem est dictus.

Rhodus, vel *Rhodos*, urbs Archiep. permunita in Carpathio mari, in Ins. ad ortum solis cogn. sita est, partim in acclivi colle, partim juxta maris littus, inque gremio portum recipit nobilissimum ac tutissimum, Emporium insigni. Olim admodum celebris fuit, dicta à Rhodia puella, ab Apolline adamata, ut fabulatur Diodorus *lib.* 5. sive ab eo, quòd capulo rosæ illic invento sit ædificata. Duplicibus muris, altissimis turribus 13. arcibusque quinque ac aliis propugnaculis munita exornataque admodum est. Ipsa olim opportunitate situs & operum nobilitate clara erat, ejusq; incolæ navigandi solertia ac navalibus victoriis inclyti fuêre, longè magis, sub militibus D. Johannis Baptistæ, à quibus capta est An. 1300. sub Fulc. Villaretto Gallo, Magno Magistro Ordinis Hierosol. quàm hodie, sub Turcarum tyrannide. Superiori sæculo & postquam Christiani dominium Terræ sanctæ amiserunt, fuit hæc urbs, unà cum universa insula, militibus D. Joannis ab Imp. Constantinopolitano, anno 1308. concessa adeoque potentia crevit, ut Turcis & piratis sæpius terrori fuerit. Veruntamen anno 1522. urbem ipsam toties & quidem antea, à Mahomete II. post triduanam obsidionem frustra à Turcis, petitam & obsessam, tandem Solymannus per vim, aut potius, proditionem, V. *Philippus Villerius*, cepit, ac proinde

totam

totam obtinuit insulam, migrantibus tamen absque ulla omnino noxa Rhodiensibus militibus, qui bello illo cruento superstites fuerunt, in Melitam insulam in quam translati fuerunt. Asserit præterea Bellonius, omnia equitum Rhodiorum ædificia integra adhuc à Turcis conservari, illæsis insignibus, picturis, sculpturis, ac inscriptionibus omnibus, similiterque mœnia in eodem adhuc statu permanere, quo fuerunt, cùm à Turcis rapta fuit Rhodus. Gymnasium habuit clarissimum. Ideò Aristippus, Philosophus Socraticus clarissimus, ut suprà annotatum, cùm naufragio ejectus animadvertisset, Geometrica in littore schemata descripta, comites bene sperare jussit, quòd hominum vestigia cerneret. Fuit olim hic famosissimus ac magnitudine admirandus Solis Colossus, à Charete Lyndio ex ære fabrefactus, qui inter septem mundi mirabilia recensetur, à quo postea Rhodii appellati sunt *Colossenses*. Pollex Colossi adeò magnus erat, ut nemo brachiis eum amplecti potuerit, Colossique altitudo traditur à scriptoribus 70. cubitorum, qui post 56. annum terræ motu fractis genubus collapsus jacens quoque miraculo fuit; eum postea Ægyptii demoliti sunt, ex cujus ære nongentos camelos oneratos fuisse dicitur. Hic Colossus duodecim annis effectus est, trecentis talentis: magnæ molis saxa intus disposita fuère, quorum pondere opus stabiliretur, ne ventorum impetu concussus humi corrueret, Merel. Merc. Bert. Borbonius, *de obsidione Rhodi*, Petrus Boissat. & Joh. Balduin. *Hist. Melit.*

Rhodussa, urbs Argivæ terræ, unde *Rhodussius*, & *Rhodussaus*, Stephan. Item Ins. Rhodiorum ante Caunum urb. Cariæ proximam. Item dux Ins. in Bosporo Thracio, Plin.

Rhœbus, equus Mezentii. Virgil. *Æn.*10.

Rhœbe diu (res si qua diu mortalibus ulla)
Viximus. —— ——

Rhœdius, fluv. Macedon. in Axium fluens, Plin. 4. 10.

Rhœsus, vide *Rhesus*, & *Rhebas*.

Rhœtaces, fluv. Armeniæ, Strabo.

Rhœteum, sive *Rhœtus*, Leuncl. *Peskiam* Turcis, Trojæ prom. in quo sepultus fuit Ajax Telamonius. Quòd à Sigæo non longè abfuerit, Ovid. testatur *Metam. lib.*11.

Dextera Sigæi, Rhœtei læva profundi.

Idem *lib.* 4. *Fastorum:*

Rhœteumq; capax, Sigæaq; litora transit.

Rhœteum, ῥοίτειον, Diod. *lib.* 17. Urbs Troadis ad Hellesp.

Rhœti, vide *Rhæti*.

Rhœtia, urbs Bactrorum. Gentile *Rhœtianus*, vel *Rhœtienus*, Stephanus.

Rhœtius mons, *Monte di Mezzo*, in Corsica, circa umbilicum, in oram Occ. desinens. Ptol. Justinian.

Rhœtus, Marrubiorum rex in Italiâ, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam; hanc privignus stupravit. Quo cognito, cùm eum pater persequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens ille se ad Turnum contulit. Servius in illud Virg. *Æn.* 10.

Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.

Rhœtus, gigas, qui cùm Jovem de Cœlo dejicere conaretur, à Dionysio, in Leonem converso, interemptus est. Lege *Rhœcus*. Horatius *lib.* 2. *Od.* 19. *in Bacchum:*

Tu, quum parentis regna per arduam
Cohors gigantem scanderet impia:
Rhœcum retorsisti leonis
Unguibus, horribiliq; malâ.

Rhœxus, navale Ciliciæ, ad ostia Sari fluv. Gentile *Rhœxius*, aut *Rhœxites*, Stephanus.

Rhogane, urbs Indiæ, Idem.

Rhoge, insula juxta Lyciam, Idem.

Rhogmi, navale Ciliciæ, Idem.

Rhogomanis, Arriano *Rhogonis*, ex tabb. rec. *Sirt*, fluvius Persidis, in sinum Persicum juxta Susianæ confinia influens. Ptolemæo, Amm.

Rhoilus, Scytha, Constantinopolim, sub Theodosio Min. oppugnans, fulmine ictus est, circa An. C. 424.

Rholducum, vide *Rhodia Ducis*.

Rhombites magnus, seu *Rombites*, Sarmatiæ Asiaticæ fluv. Ptol. *Copa* Georgio Interianio. Hodie *Kuban*, Sans. in Circassia reg.

Rhon, urbs Scythiæ Gandaricæ. Gentile *Rhonius*, vel *Rhonites*, Stephanus.

Rhondai, populi Thraciæ, Idem.

Rhoob, mansio Israëlitarum, in Palæstina, apud Scythopolim, inde 4. m. p. Hieron.

Rhooboth, opp. Galileæ, in reg. Gabalena, apud Jordanem.

Rhopenses, populi quidam, Stephan.

Rhosaces, frater Spithrobatis, Satrapes Persicus, qui Alexandro, apud Granicum amnem nudo capite dimicanti, imminens, dextram amputatur à Clyto, Curt. 8. 4. A septem Persis, qui Magos interemerunt, oriundus exstitit; sub Artaxerxe Ocho, Joniæ & Lydiæ Satrapes, in expeditione, contra Ægyptios, Equitatûs præfectus, Diod. 16. Vide eundem *lib.* 17. 572. *f.*

Rhosphodusa, insula in Carcinite sinu, Plin. *Salina* Pineto, Steph. eam *Rhodussam* nominat, auctore Pintiano.

Rhosus, nominatur à Stephano, nec explicatur. Gentile *Rhosius*, vel *Rhosensis*, possessivum *Rhosicus*, ut *scopulus Rhosicus*, Strabo *lib.* 14. *Rhosum* scribit civitatem esse in Issico sinu. Cæterùm *Rhosicus*, vel *Rhossicus scopulus*, Issico sinui imminet, & *Coryphæus* à Polybio *lib.* 5. dici videtur, ubi Seleuciam huic scopulo adjacentem describit. *Capo Gangir* Nigro. Baudrando *Rhosus*, seu *Rhossos*, urbs est Syriæ, in ora maris Syr. & Sinus Issici in Pieria; 50. m. pass. fere à limite Ciliciæ, Antiochiam versus.

Rhotala, vicus Jordani finitimus, ubi longitudo Galilææ superioris habet initium. Hegesippus *lib.* 3.

Rhotana, Indica urbs, Stephan.

Rhotanus, Corsicæ insulæ fluv. Ptolem. *Tavignani* Leandro. *Aleria* Moletio. Baudrando *Tavignano*. Oritur in medio Insulæ, dein prope & infra Aleriæ rudera, in mare Tuscum se exonerat, prope stagnum Dianæ, in ora Or. Insulæ.

Rhotomagus, urbs Archiepisc. Gall. Celt. Normanniæ caput. *Roven* Gallis, *Roan* Italis dicitur, à Lutetiâ Parisiorum 28. leuc. in Circ. Ampla, elegans & populosa valde. Emporium celeberrimum, & Parlamenti sedes, ad Sequanam fluv. qui ibi ponte jungitur, aliàs lapideo, nunc ligneo, sed miræ structuræ, 26. leuc. ab Ambiano in Occ. 16. à Bellovaco & 9. ab Ebroico in Bor. Velocassium olim caput. Vide *Rotomagus*.

Rhoxalani, pop. Scythiæ, Plin. *lib.* 4. *cap.* 10.

Rhoxane, amasia Alexandri, Satrapis barbari filia, quam Alexander totius penè Orientis victor & Imperator, ob solam ejus pulchritudinem, matrimonio sibi junxit. Dicitur & *Roxana*. Vide Qu. Curtium *lib.* 5.

Rhoxia, reg. Septentrionalis, quam Poloni & Sarmatæ suam esse dicunt.

Rhoxolani, pop. Scythici ultra Danubium, quos quidam *Ruthenos* esse putant.

Rhoxonocaa, civitas quædam, Stephan.

Rhuada, vide *Rhada*.

Rhubra, opp. Corsicæ, in ora Or. versus Mer. quibusdam nunc *Porto nuovo*. Scribitur & *Rubra*.

Rhubricata, vide *Rubricatus*.

Rhucantii, Straboni Rhætica gens, in Helvetiis, ubi hodie *Aspermont* Scudo. Aliis illorum opp. est *Ragatz*.

Rhus, Atticæ vicus, sic dictus, quòd ex imminentibus loco montibus aqua in eum defluebat, Pausan.

Rhuspina, Africæ propriæ urbs in litore maris, in Byzacena reg. Ptolem. Nunc *Souse*, urbs munita regni Tunetani, in Ora Syrtis maj. Vide *Ruspina*.

Rhusuccora, Maurit. Cæsariens. urbs, Ptol. quæ *Ruscurium* fortasse Plinii. Hodie *Alger*. Vide *Rusucurium*.

Rhuteni, seu *Ruteni*, pop. Germano-Sarmatiæ, ubi nunc *Russia nigra*. Vide ibi.

Rhuteni etiam populi Sarmatiæ, qui aliàs Roxolani, hodie *les Roux*, in parte Merid. Moscoviæ, cujus pop. sæpe etiam Ruteni dicuntur.

Rhuteni, & *Rutheni* Cæsari. *Ruteni* Plinio, *Rhutani* Ptolemæo, pop. & urbs Episc. Gall. Aquitanicæ ad mont. Cemmenum, inter Velaunos & Helvios. Regio *Rovergue*, urbs autem *Rodez* appellatur. Lucan. *lib.* 1.

Solvuntur flavi longâ statione Rhuteni.

Sunt hi popul. in parte Orientali Aquitaniæ, inter Gabalos ad Ort. Arvernos ad Boream, Cadurcos ad Occid. & Heleuteros ad Austr. Eorum caput est Segodunum seu Ruteni, *Rodez*, urbs culta ad Veronium fluv. 12. circiter leuc. à Cemmeno monte in Circ. 15. à Mimate in Occ. Cadurcum versus 16. ab Albigia in Cæc. 10. leuc. Floriopolim versus 12. Baudr.

Rhybdus, castellum Siciliæ, Gentil. *Rhybdius*, Steph.

Rhymnici montes Scythiæ, hodiè sunt in Tartaria des. ad fontes Rhymnici fluv. in limite Moscoviæ Bor. versus Obium fluv.

Rhymnus, fluv. Scythiæ, à quo pop. & mont. *Rhymnici*, hodie *Jayck*. Oritur ex Rhymnicis montibus, & in mare Caspium se exonerat 250. m. p. à Jaxartis ostiis in Occ.

Rhynche, parva reg. Eubœæ. Gentile *Rhyncheus*, Steph.

Rhyndacus, fluv. (& oppid. Stephano) Mysiæ Asianæ magnus, qui *Lycus* Plinio, ex Artyniâ stagno ad Olympum mont. effluens, & in Propontidem inter Ascanium fluv. & Cyzicum urbem prolabens, varie indigitatur: *Lico* Moletio, *Lartacho* Nigro, *Lupadi* Castaldo, *Ulubat* Turcis, reste Leunclavio. Apud illum angues immanes nascuntur, qui aves prætervolantes absorbent. Mela & Plin. 8. 14. Valer. Flacc. *lib.* 3. *Argon.*

Et te jam medio flaventem Rhyndace Ponto.

Rhyneccum, vide *Rineccum*.

Rhynitaclus, vir Thracius, cujus exemplo, Cæsar dicere solebat, *Amare quidem se proditionem, sed proditores magnopere abhorrere*, Plutarchus.

Rhynthon, Tarentinus, nugator vilissimus in agendis præcipuè fabulis. Alii verò Poëtam fuisse volunt, qui 38. reliquit fabulas, partim Comicas, partim Tragicas. Nonnulli *Rhinthon* scribunt.

Rhypa, urbs Achaica, unde *Rhyps*, *Rhypaus*, & possessivum *Rhypicus*, Stephan.

Rhypara, Insula parva maris Ægæi, Samo adjacens, Plin.

Rhypica, vide *Rhipha*.
Rhysadius, mons Lybiæ inter. ex quo Stachir fluv. oritur, Clorium paludem creans, Ptol.
Rytius, Cretæ civitas, Hom. *Iliad.* 2. Ῥύτιον, Steph.
Rhytinna, Ptolem. Vide ibi. *Rhœteum* Virg. Hinc *Rhytieus*.

R I.

Ribagortia, vide *Ripacurcia*.
Ribai, pater Ithai, 2. Regum 23. Latinè, *pugnans, objurgans*, sive *multiplicans*.
Ribodimons, locus Galliæ in diœc. Laudunensi, Monasterio Abbatiali insignis, vulgò *Ribemont*: estq; castrum ad Isaram, inter Faram & Gusiam situm, pontem habens amni impositum. Anselmus *de Ribodi Monte*, insignis inter Gall. Proceres, Hierosolymam An. C. 1096. profectus, obiit in obsidione castri Archæ. Loco mons, in quo situs est, nomen dedit, & *Ribodus*, qui illum possedit. Vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*
Ribuarius, pag. Campaniæ Gall. in territorio Rhemensi, ad Rutam fluv. nunc *Ribemont*.
Ricciacum, vicus Lotharingiæ, haud procul à Mosella fluv. & ab opp. Sirco, 21. m. p. supra Treviros in Bor. 7. à Sirco in Ort. Cluverius, *Riczingen*.
Rich Johannes, è familia nobilissima, Consul Basiliensis, An. C. 1421. pacis bellique temporibus strenuam Reip. navavit operam, Aurantium Principem Burgundionum, Suntgoviæ imminentem, cum tribus Basiliensium millibus, in gratiam Catharinæ Burgundicæ, Leopoldi Austrii viduæ, fortiter repressit An. C. 1424. Obiit An. Ch. 1448. Christ. Urstisius, *Hist. Basil.*

Angliæ Reges.

Richardus I. Angliæ Rex, *Cor Leonis* dictus, erat quoque Comes Pictaviensis & 4. hujus nominis Normanniæ D. fil. Henrici II. ei successit, An. 1189. præmortuo fratre majore Henrico, An. 1183. cum Philippo Augusto Francorum rege sæpius bellum, pacemque fecit: aliquando verò ex fœdere in Asiam cum eo profectus, cum sensatis se ei fidum præstaret, meritò suspectus, regem optimum naves conscendere coegit. Ipse autem post captam Cyprum, & victum Saladinum An. 1192. rediens, tempestate in Austriam delatus, ibi à Leopoldo duce, quem in obsidione Acræ offenderat, captus est, diuque in vinculis habitus, vixque tandem pecuniâ numeratâ dimissus, An. 1194. ab Henrico Imp. æmulo ejus. Dein cum Philippo rem iterum habuit, quòd Normanniam invasisset, illumq; vicit: Episcopum quoque Belluacensem cepit, Papæ eum reposcenti loricâ missâ, cum dicto: *Vide an tunica filii sit tui?* Tandem in obsidione castelli cujusdam in Lemovicibus, inductis factis, Ducem Aquitaniæ oppugnans, ex vulnere, Obiit An. 1199. Alii dicunt, illum thesauri cujusdam potiundi spe hoc castrum aggressum esse. Ei successit Johannes sine Terris, frater. Paul. Æmil. l. 6. Matth. Parif. *in Hist. Angl.* Polydor. *lib.* 14. Duchen. *Hist. Angl.*
Richardus II. Angliæ Rex, An. D. 1377. filius Eduardi Walliæ Principis, successit Avo Eduardo III. Turbas, se per ætatem adhuc infirmiore, exortas sedavit, bello Gallis illato, quod in inducias sæpius mutatum. Felix contra Scotos, Hiberniam capitis quatuor Regulis sibi subjecit, seditione ingenti, ob nimias exactiones, vexatus: Thomam Glocestriæ D patruum, sibi insidias parantem, strangulari jussit. An. 1397. complicesque ejus Comit. Arundelium & Warvicensem, illum vitâ, hunc libertate mulctavit. Henricum Joh. Lancastriæ ... patrui filium, ob quædam in se dicta, bonis fisco adjudicatis, in exilium conjecit: qui à Baronibus paulo post revocatus, Richardum captum fame, in abundantia, enecuit: ejus loco coronatus. An. 1399. ætat. 33. regni 22. Decessit improlis. Polydor. Virg. *Hist. lib.* 20. & 21.
Richardus III. Dux Glocestriæ, filius Richardi, Ducis Eborac. occisi sub Henrico VI. & Eduardo IV. Anglorum regnum, quod dolo adeptus est, fratris Eduardi IV. filiis, Eduardo V. & Richardo trucidatis, eâdem penè fortunâ amisit, victus, interfectusque ab Henrico Richmondiæ Comite, An. D. 1485. qui nomine Henrici VII. sumpto successit. Thomas Morus. *Hist. Rich.* 3.
Richardus, Romanorum Rex, Comes Cornubiæ, filius Johannis Sine-Terris, Angliæ Reg. itinere in Syriam suscepto An. 1240. infelix, postquam & in Aquitania prius victus esset. Contra fratrem Henricum III. insurgens, remotis incentoribus, coërcitus est. A quibusdam, cùm Pontifex Conradinum, Conradi fil. eligi prohiberet, Romanorum Rex creatus, A. 1257. & coronatus Aquisgrani, Urbes Imperii oppigneratas redemit: Sed Alphonsum X. ab aliis electum hostem expertus, dilapidatis opibus, cùm sibi ob exercitiam crudelitatem timeret, in Angliam rediit. Ingenio pollens, & poëseos non rudis erat. Ex Sanctia, fil. Raimundi Berengarii V. Com. Provinciæ, pater Eduardi & Henrici, quem Guido Montfortius, Viterbii, cùm ex Oriente rediret, interfecit. Matt. Parif. *in Henr.* 3. Duchen. *Hist. Angl.* Nostradam. *de Poët. Provinc.*
Richardus, Walliæ princeps, & Aquitaniæ dux, Anglorum regis Eduardi fil. vir bello clarissimus, multis egregiis victoriis celebratus, inter quas ea nobilissima fuit, quâ Joannem Franc. regem cepit; periit Burdigalæ aqua intercuti diu vexatus.

Normanniæ Duces.

Richardus I. Normanniæ D. Senior dictus, pater Guilielmi I. Obiit An. 1002. Pietate & fortitudine inclytus.
Richardus II. Intrepidus, Patri Richardo I. successit, usque ad Ann. 1026. Ex Judita filia Conani, & sorore Godefredi Comitis Britanniæ, natus illi est
Richardus III. qui veneno propinato, obiit. Vide Auctores Normanniæ, à Duchenio editos.
Richardus, cognom. Justitiarius, Burgundiæ Dux, Comes Augustodun. filius Bovonis, frater Bolonis, qui ipsi has terras concessit, in quarum possessione ab Hugone Abbate defensus est. Pro Carolo Simplice cepit Senonum urbem, Ann. 896. prius Ann. 888. Normannis victis, ut & 911. cum Roberto, fratre Regis Eudis. Obiit An. 921. Ex Adelaide, filii Conradi II. Com. Parisini, pater Rodolphi, qui Galliæ Rex coronatus est, &c. Flodoard. *in Chron.* Duchen. Sammartan. Mezeray, &c.
Richardus, liber Baro à Strein, scriptor antiquitatum Roman. seculo præter.

Viri Illustres.

Richardus Armachanus, Archiepisc. Primas Hiberniæ: Dictus quoque Fitz-Rafe, quasi Filius Rodolphi. Oxoniensem Universitatem, cujus Cancellarius erat, contra Fratres Mendicantes tuitus, horum odium in se concitavit: ab iis coram Innocentio IV. Avenione tum sedente accusatus comparuit, sed videns præoccupato Pontifice se condemnatum iri, in patriam Hiberniam reversurus, Obiit in via, Ann. 1359. Scripsit *Defensionem Curatorum, adversus Mendicantes*, Volumen contra Armenios, &c. In casu necessitatis statuens, Presbyterum simplicem Episcopali munere defungi posse, à quibusdam pro hæretico habitus est. Harpsfeld. *in Hist. Eccl. Angl. Sec.* 14. *cap.* 18. Baleus, *de Script. M. Britannia, &c.*
Richardus Barbesius, Poëta & Mathematicus, An. 1383. Nostradam. *de Poët. Provinc.*
Richardus Burius, vel Aungervillanus, Anglus, Benedictinus, Cancellarius Eduardi III. Episcopus tandem Durhamius: pietate & eruditione inter suos clarus, Mæcenas literatorum, liberalitatis suæ rivos in omnes Angliæ Academias deduxit. Bibliothecæ consummatæ colligendæ cupidus, *Philobiblon* edidit. Scripsit alia quoq; cum volumine epist. à quibus ejus cum Petrarcha commercium clarissime elucet, An. 1349. Pitseus *de Ill. Angl. Scr.*
Richardus Fournivalius, Cancellarius Ambianus, scriptis inclytus. Claud. Fauchetus, &c. An. 1250.
Richardus de Hampolo, seu Rollus, Anglus. Scripsit in secessu suo, dicto *Hampoll*, in diœcesi Eboracensi, in Hiobum, Psalmos, &c. Obiit An. 1349. Sixtus Sen. *in Bibl. S.* Pitseus & Baleus *de Ill. Angl. Scriptoribus.*
Richardus Midletonus, Franciscanus Anglus, *Doctor solidus & copiosus, fundatissimus & auctoratus* dictus. Doctrinam Petri Johannis, tanquam Orthodoxiæ contrariam, condemnavit. Scripsit in Evangelia, in epistolas Paulinas, Magistrum Sent. &c. Obiit in Anglia An. 1300. Baleus, Demsterus, Pitseus, Wading. *in Annal. & Bibl. Minor.* Henr. Willotus, *Athen. Angl.*
Richardus de S. Victore, Scotus, Prior Canonicorum Reg. S. Augustini, in Abbatia S. Victoris, prope Lutetiam. Obiit An. 1174. Scriptis inclytus, quæ prodierunt Venetiis An. 1592. Coloniæ An. 1621. & Rothomagi, An. 1650. cum vita illius, conscripta à Johanne Tholosano. Morerius *in Dict. Hist.* Plurimos alios hoc nomine insignes, vide apud Baleum, Pitseum, Walsinghamum, Bucholcer. Wareum, Harpsfeldium, Gesnerum, Possevinum, &c.
Richelieum, seu *Ricolocus*, urbs nova & culta, in prov. Pictavensi, cum arce splendidissima, & titul. Duc. à Cardin. Richelio excitata. Vix 1. leuc. à limite Turoniæ, 4. à Loduno in Ort. 5. à Mirabello in Bor. 11. à Cæsaroduno Turonum in Afric.
Richelius Bernardus, inter primos Basiliensium typographos, excudit Ann. Chr. 1478. Hugonis Cardinal. postillam grandem, Bergomum super Thomam Aquinatem, &c. Christ. Urstisius *Histor. Basiliens.*
Richensis, lacus parvus Argoviæ, ad cujus caput locus est *Baldeck* dictus: Ubi effluit per rivum *Aa*, jacet vicus *Richensee*, unde lacui nomen, jungiturque majori lacui Hallvilensi, ab oppid. *Hallwyl*, quod ad effluxum fluv. *Aa* situm est, dicto. Joh. Bapt. Plantinus, *Helv. nov. antiq.*
Richerius, vide *Petrus Richerius*,
Richmondia, oppidum Angliæ Bor. cum titul. Duc. ad fluvium *Swale*, in prov. Eborac. & limite Dunelmensi, 30. mill. Angl. ab Eboraco in Circ. 45. à Carleolo in Eur. 18. à Dunelmo in Merid. Hic secessus regius, in quo Elisabetha Angliæ Regina obiit, sub initium hujus seculi, de qua sic celeberrimus Grotius *Epigrammatum lib.* 1.

In Ricemontano jam jam moritura cubili,
His adiit votis Elisabetha Deum.
Hæredi moresq; suos, mentemq; relinque,
Fortunam atq; annos da Pater alme meos!

Hinc nomen quoque familiæ Ricemontanæ, è qua Henricus Richardo III. successit, Septimus cognominatus. Vide supra in *Richardus III.*

Ricina, Ptol. *Ricnea*, Plin. *Riduna*, Anton. insl. Albionis Scotiæ adjacens ad Occ. inter Ebudas. *Racline*, Camdeno. Aliis *Skye* contra Iris fluv. ostia. Baudrando hodie *Raglins*, insula Hiberniæ, in ora Bor. Ultoniæ, à quo angusto freto distat. Cum castro è regione Comit. Antrimensis, 8. mill. à Robogdia prom. in Occid. Quibusdam tamen inter Hebrides est.

Ricinenses, Populi in Piceno, Plin. quorum urbs *Helvia Ricina* fuit, vulgò *Recanati*, ut indicat inscriptio vetusta quæ Maceratæ asservatur.

Ricomagum, vel *us*, opp. in colle amplum vetustum & præclarum Gall. Aquit. in finibus Arvernorum; Amabilem, *S. Amable* patronum habet. Patria Jacob. Sirmondi, antiquitatis peritissimi, Sirmondi Poetæ & Amabilis Burseti, viri doctrinâ clarissimi. Et hic *Ricomagus* quidem in infer. Alvernia est, vel in Lemane: at alter ejusdem nominis vicus est in super. Arvernia, vel in Cebennis montibus, Gall. *Riom des Montagnes*. Nomen est Gallicum vetus, ditem mansionem significans: *Ricus* enim dives Gallis fuit, *Magus* mansio. Prior distat 2. leuc. à Claromonte in Bor. *Riom*, Valesius, Duchen. *Antiq. Urb.*

Riculfus, Archiepisc. Moguntinus, gente Hispanus, Carolo M. pergratus. Ex Hispania novum volumen Juris Canonici attulit, illudque cum laude interpretatus est, &c. Obiit An. 814. Alcuin. *epist.* 41. Hincmar. Rem. &c. Vide Serarium *in Hist. Mogunt.*

Riga, urbs Hanzeatica, permunita & ampla, primaria totius Livoniæ: Olim Magistri Equitum Livoniæ sedes, & Archiepisc. in planitie sita cum portu capaci, ad fluvium Dunam, qui paulo infra se in sinum Rigensem & mare Balt. exonerat. In ipso limite Curlandiæ. Colonia hæc Bremensium est, muro fortissimo, propugnaculis, turribus & bellicis tormentis, contra omnem vim instructa, fossis insuper duplicibus & acutis stipitibus munita: estque Emporium celebre, unde navibus onerariis multæ merces transvehuntur. Metel. & Merc. 7. leuc. Suec. à Mittavia in Bor. 29. à Revalia in Mer. 25. infra Dunebergum in Occ. 45. à Regiomonte in Cæc. 40. mill. Germ. à Vilna. Frustra à Carolo IX. Sueciæ Reg. tentata, sed fortiter à filio ejus Gustavo Adolpho capta. Haud pridem à Moscis obsessa, sed magna ipsorum strage. Sedem Episc. hic Minardus, Livoniâ ad fidem perductâ, erexit, An. C. 1190. Calendarium Gregor. cives cùm recipere nollent, An. C. 1585. iratus illis Stephanus R. in morbum incidit lethalem. Vide Thuan. *lib* 84.

Rigensis sinus, aliàs *Chilipenus*, pars est maris Baltic. inter Livoniam & Curlandiam excurriens; clauditurque ferè Osilia & Dagboa insulis Suecici juris.

Rigiacum, Atrebatum civitas, Ptol. vulgò *Arras*. Corruptè pro *Origiacum*, teste Ferrario.

Rigmundia, vide *Andreapolis*.

Rigodulum, pagus Trevirensium ad Mosellam, vulgò *Rigol*, vel *Reole*, Valentini Treviri clade illustris. Item *Rigodulum* apud Confluentes ab Ammiano memoratur. Hic Julianus Imper. pacem cum Francis iniit, teste eodem Ammiano. Colerus mallet *Rigolodunum* legere.

Rigodunum, opp. Angliæ in Com. Eboracensi, vulgò *Richmond*. Aliis *Rippon* dicitur, Camdeno autem est *Rib'chester* in Com. Lancastrensi. Vide *Bremetonacum*, & *Rhigodunum*.

Rigomagus, in tab. Theodos. ponitur inter Bonnam & Autunnacum, à Bonna 8. ab Autunnaco totidem mill. distans. Item, inter Ticinum & Taurinos, illinc 69. hinc 38. m. dissitus. Est etiam civ. *Ricomagensis*, in prov. Alpium Maritim. tertium locum obtinens: & vicus *Ricomagensis*, in Arvernis. Viculus *Riegemach* inter Confluentiam & Coloniam Bernardo Claravallensi *lib. rer. memor.* vocatus, noster *Rigomagus* est in prov. Germania sec. hodieque *Riemagen*, aliàs *Rhiinmegen*, & *Remnegen*, Bonnæ proximus. Hadrian. Valesius, *Notit. Gall.* & supra in *Ricomagum*.

Rigomagus, oppid. seu castrum Cisalpinæ in finibus Ligurum, Amm. vulgò *Rinc*. An *Rie*, vel *Rogen*, locus ad Issoletum, qui in Droentiam effluit, haud procul Sanitio?

Rigordus, Rigoldus, vel Rigotus, Clericus vel Monachus S. Dionysii in Gallia, Medicus Philippi Augusti, cujus historiam condidit. Gente Aquitanus.

Riguliacum, villa Galliæ, ad Axonam, in pago Vongensi, vulgò *Rilly*, à Vongo *Vouzi*, capite pagi Vongensis 2. leuc. distans, loco *Von* dicto opposita, inter Condate & Attiniacum: nunc pago Reitestino attribuitur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rigusa, opp. Hispan. Tarrac. in Nova Castella inter Toletum, & Malagonum, *Orgaz* ex tab. recent.

Rimethalces, rex Bospori, Jul. Capitol. *in Ant. Pio*.

Rineccum, opp. parvum Helvetiæ, caput Rhegusicorum, in vallis inferiore parte situm. Hic Præfecti octo vett. Helvetiæ pagorum sedes est. Vide Jos. Simlerum *de Rep. Helv.* & supra in *Rhegusci*.

Ringovia, V. *Rhenogavia*. An à *ring* circulo, & *geu*, agro? Metel.

Rinfeldia, quasi campus Rheni, elegans Rauracorum oppidum, supra veteris Augustæ ruinas uno miliario. Olim sub Comitibus cognom. è quibus Rodolfus Sueviæ Dux, contra Henricum IV. Rom. Rex electus, prodiit. Hi Castrum per ea tempora munitissimum Rheni undis circumfluum Germ. *der Stein Rheinfelden*, tenebant, An. C. 1445. à Basiliensibus captum atque dirutum. Mœnibus cinctum est oppidum à Ducibus Zeringensibus, ad quos Comitatus hic matrimonii jure devenit, cùm Conrado Duci, Rodolfi Regis postremi Rinfeldiorum Com. filia nupsit. His An. C. 1218. deficientibus ad Imperium rediit, à Rodolfo postea Habspurgiis vindicatum, donec posteri ejus Austriæ Principes, urbem quoque hanc sui juris effecerunt. Huic olim cum Basiliensibus multum negotii fuit, & ab his bello Germanico insigni stratagemate capta est: hodie utrinque pax alma & amicitia. Vide Christ. Urstisium *Histor. Basil.*

Ringstadium, opp. in meditull. Selandiæ, in Dania, 3. leuc. à Roschildia in Mer. 6. ab Hafnia in Occ.

Ringus, Lazio *Gnzzing*, pag. Pannoniæ primæ.

Rinkiopia, opp. Jutiæ Sept. cum portu, in ora Oceani Germ. 10. leuc. à Ripa in Bor. 13. ab Arhusia in Occ.

Rinna, filius Simeonis, 1. Paral. 4.

Rinovium, opp. Helvetiæ pervetus, in Turgea, ubi Abbatia celebris, in Rheni insula, ex vetustissimis Helvetiæ. Hujus Præsul merum in oppido imperium habet, veruntamen in criminalibus, reus Præfecto traditur, ac bona damnati à VII. pagis confiscantur. Habent cives peculiare vexillum, sub quo Helvetiis militant. Hic Romani castra quondam adversus Alemannos habuisse creduntur. Simlerus *de Rep. Helv.* Prope Rheni inst.

Rinuci, Plin. quorum tractus *Runckerland*, inter Batavos, Frisios ac Betasios, Huberto Leod.

Rionava, vicus Galliæ, ad ripam Vincennæ, seu Vigennæ, quo Brunechildis & neptis ejus captivæ ad Chlotarium adductæ sunt. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Rionum, oppidul. Aquitaniæ, ad Garumnam, in tractu Burdigal. 3. leuc. supra Burdigalam in Ort. *Rions*.

Riothimus, Britonum R. victus ab Eurico, A. 464. Jorn. *reb. Goth.*

Ripa, urbs Episcop. Jutiæ Merid. cum portu, in ora maris Germ. ad Nipsicum fluv. 5. leuc. ab Halberstadia in Occ. 8. à Flensburgo in Circ. cum arce satis munita. Capta à Suecis, An. 1645. sed recepta. Ejus diœcesis continet 30. Præfecturas, 282. Parœcias, 10. arces regias & 7. Urbes, Ripam, Coldingam, Weelam, Wardam, Ringcopiam, Holstebroam & Lemvicum, in Germ. maris vicinia; *Ripen*.

Ripa, opp. Sussexiæ, ad ostia Rotheri fluv. in ora maris Britann. prope confinia Cantii, 26. mill. Angl. à Roffa in Mer. 22. à Dubri in Africa. *Rye*.

Ripa Alta, Lazio *Pentole*, opp. Hungar. ad Danub. medium inter Budam & Altinium in Euronotum 7. leuc. Item, urbs Scotiæ mer. in Teviotia prov. ad Teviotam fluv. 25. mill. Angl. ab ora littor. & Barvico in Occ. *Roxburg*, vide *Rosburgum*.

Ripa Alta, in Valeria Ripensi. Item *Rivalta*, castrum Duc. Mediol. ad Adduam, celebre victoria Ludovici XII. Francorum Reg. contra Venetos.

Ripa Curtia, seu *Ribagorga*, tractus Aragoniæ, inter Cincam & Sicorim fluv. in limite Cataloniæ, ubi Benavarium opp. præc.

Ripa Dextra, ora Gall. Narbon. in lingua Occitana, inter ostia Rhodani & Narbonem Auson.

Ripa Prima, vide *Summuntorium*.

Ripa Transona, urbec. Episc. Piceni. Crevit ex ruinis Cupræ montanæ; vix 5. mill. ab ora maris Adr. in Occ. Asculum versus 16. à limite regni Neap. in Bor. 5. Firmum versus 10.

Riparii, vel *Riparioli*, vulgò *Ribarolles*, aut *Riberols*, videntur nonnullis ex variarũ gentium Trans-rhenanarum adunata multitudine coaluisse, qui in Gallica Rheni ripa sedes cepetint. Sic à ripa Rheni dextra, seu Germanica, quam accolebant *Riparios* cognom. putat Hadr. Valesius, & postea transgressos in Galliam, inter Rhenum, Ruram & Mosam consedisse, ubi Novesium, Coloniam, Bonnam, Tolbiacum, Macrodurum, Juliacum atq; Autonnacum fuere: quæ provincia ipsis cognom. Ducatûs titulo postea donata, ac in quinq; Comitatus divisa est. Nomina quidem German. Legi *Ripariorum*, quæ Legi Salicæ in plerisque similis est, haud pauca inserta apertè docent, eam nationem è Germania esse profectam. Pagus *Ripariensis*, inter Rhenum, Ruram & Mosam jacebat. Jodocus Coccius Alesatius *in Rege Dagoberto*, alios memorat *Riparios*, finitimos Alesatiæ sic à ripis trium fluminum Blesæ, *Blisi*, Saravi ac Mosellæ, quibus clauduntur, hodie Austrasios vel Westerichios appellatos: Sic duplices erunt *Riparii*, superiores & inferiores. Mavult tamen Valesius unicum agnoscere *Ripariorum* ducatum, existimans *Riparios* à Novesio usque ad Saletionem pertinuisse, & ad ripam Rheni 146. m. p. patuisse: adeoque ibi ponit Novesium, Coloniam, Bonnam, Autunnacum, Confluentes, Vosaviam, Bingium, Mogontiacum, Borbetomagum, Noviomagum, Tabernas, Saletionem: & superiores quidem *Riparios* non ripam modò Rheni, sed etiam interiora, id est, ripas Blesæ, Saravi ac Mosellæ obtinuisse in Germania prima aut sup. inferiores verò etiam interiora provinciæ Germaniæ infer. vel secundæ circa ripas Rutæ & Mosæ occupavisse vult. Sub Ludov. Pio erat adhuc in Germania trans Rhenum regio, *Riparia*, vel *a*, dicta, *Ripariorum*, quæ in Galliam transierant, patria: cujus meminit Ludovicus Aug. in divisione Regni sui inter tres filios, *Ribuarias* corruptè illam appellans, inter Thoringiam & Saxoniam: *Notit. Gall.* Vide etiam in voce *Riparioli*.

Riparioli, Jorn. *Ripuarii* Reginoni. Vide ibi, aliis *Ripuarienses*, & *Austrasii*, pop. Galliæ Belg. inter Mosam, Rhenum, & Mosellam. Quorum reg. Lotharingia & Westrichia, Baudr. Vide *Riparii*.

Ripa-

Riparorium, nunc *le Rivour*, locus Galliæ, non procul à Barro ad Sequanam, 2. leuc. ab urbe Augustobona Tricassium, Monasterio Abbatiali illustris, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ripavia, seu *Rivadavia*, urbec. Gallæciæ, ad Minium fluv. versus confin. Portugalliæ, 8. leuc. à Tyde in Cæc. 14. à Braga in Bor. totidem à Compostella in Meridiem.

Ripepora, civitas in Cordubensi conventu, pop. Romano fœdere conjuncta, Plin. 3.

Riphæi, montes. Ῥιπὴ Græcis *impetus* est, unde dicti *Riphæi* vel *Rhipæi* montes Scythiæ à ventis inde cum impetu flantibus. Dalechampius in notis ad Plinium *lib.5. cap.27.* ubi fit mentio horum montium: *Fallitur* (inquit) *Plinius, nulli enim existunt Riphæi montes.* Ubi non solùm negat hos montes ullibi gentium esse, sed putat omnes montes dici posse *Riphæos*, in quibus venti flant cum impetu. Itaque *Riphæi* montes nullibi sunt signatè. Ptolemæo ita vocantur montes, ubi oritur Tanais. Ita Virgil. *Georg. 4.*

Solus Hyperboreas glacies, Tanaimq; nivalem,
Arvaq; Rhiphæis nunquam viduata pruinis
Lustrabat. —— ——

Damastes ultra Arimaspos eos submovet. Ait enim ille, ἐν τῷ περὶ ἐθνῶν· Ἄνω Σκυθῶν Ἰσσηδόνας οἰκεῖν, τούτων δ' ἀνωτέρω Ἀριμασπούς, ἄνω δ' Ἀριμασπῶν τὰ Ῥιπαῖα ὄρη, ἐξ ὧν τὸν βορέαν πνεῖν, χιόνα δ' αὐτὰ μήποτε ἐκλείπειν· ὑπὲρ δὲ τὰ ὄρη ταῦτα Ὑπερβορέους καθήκειν εἰς τὴν ἑτέραν θάλασσαν. Unde Catullus *in Carm. penultimo:*

Usq; ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.

Dionysius, ubi gentes enumerat inter Istrum, Pontum Euxinum, Mæotimque paludem, & inter glacialem Oceanum incolentes:

Κεῖθι καὶ Ἀλδήσκοιο καὶ ὕδατα Παντικάπαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσιν ἀλίνδιχα μορμύρουσι.
Τῶν δὲ κατὰ προχοῇσι πεπηγότος ἐγγύθι πόντου
Ἤλεκτρον φαέθον κρυστάλλῳ ἀέξεται.

Ubi Eustathius ait, eum non ostia sed fontes horum fluminum intelligere: quod etiam ex Festo Avieno hujus Poëtæ interprete plane patet. Sic enim ille:

—— *Tunc æquora Panticapæi*
Aldescig; ubi saxo de vertice surgunt
Riphæi montes, ibi durâ sæpe sub Arcto
Densa pruinosos eructant nubila nimbos.

Priscianus perperam per πεπηγότος πόντου *mare Euxinum* intelligit. Verba ejus hæc sunt:

Hic sunt Aldesci quoq; Panticapiq; fluenta:
Dividui currunt Riphæis montibus ambo.
Immiscent quà se Ponti glacialibus undis,
Nascitur electrum præfulgens luce nitenti.

Nemo enim unquam electrum ad Pont. Euxinum nasci, vel legi tradidit. Mela *lib. 1. cap. ult. Ultra surgit mons Riphæus; ultraq; eum jacet ora, quæ spectat Oceanum.* Eundem Riphæis montibus tribuit situm Æthicus Cosmographus: *Europæ meæ initium sub plagâ Septentrionali; à fluvio Tanai, quà Riphæi montis ardua Sarmatico adversa Oceano, Tanaim fluv. fundunt.* (Unde Lucanus:

—— *Vertice lapsus Riphæo Tanais.*)

Ptolemæus eodem hoc situ *Hyperboreos* describit *montes*: perperam eos ut falsò à Riphæis, quos male adversum Tanais collocat ortum, diversos faciens; quum fuerint iidem. Æthicus alio loco utrumque nomen confundens, *Fluvius*, inquit, *Tanais nascitur de monte Hyperboreo, quà sunt Riphæi montis ardua.* Horum montium juga dicta fuisse *Olbia*, jam inde ab antiquis seculis ex Athenæo *lib. 6. cap. 4.* colligit Cluverius; quanquam ibi mirifice tum textum rerum nomina confunduntur. Verba ejus hæc sunt: Καὶ τά τε μέλλοντα γὰρ Ῥιπαῖα καλούμενα ὄρη· εἶθ' ὕστερον Ὄλβια προσαγορευθῆναι· δὲ Ἄλπια. Alpes quidem antiquis Græcis *Riphæos* fuisse appellatos *montes*, testatur Protarchus, vetus auctor. Stephanus ex emendatione magni Cluverii: Πρώταρχος δέ φησι τὰς Ἄλπεις Ῥιπαῖα ὄρη πρότερον ὀνομάζεσθαι, καὶ τοὺς ὑπὸ τὰ Ἄλπεια ὄρη κατοικοῦντας, Ὑπερβορέους ὀνομάζεσθαι. Huic adscribuntur Æschylus & Apollonius; hujus verba *in 4. Argon. de Istro fluv.* hæc sunt:

—— Πηγαὶ γὰρ ὑπὲρ πνοιῆς βορέαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσιν ἀπόπροθι μορμύρουσι.

Ubi Schol. Τὸν Ἴστρον φησὶν ἐκ τῶν Ὑπερβορέων καταφέρεσθαι, καὶ τῶν Ῥιπαίων ὀρῶν. Οὕτω δὲ εἶπεν, ἀκολουθῶν Αἰσχύλῳ, ἐν λυομένῳ Προμηθεῖ λέγοντι τοῦτο. Vide plura apud Cluver. *de Germ. Antiq. lib. 1.* eamque doctissimus If. Vossius *ad ista verba Melæ lib. 1. cap. 19. Tanais ex Riphæo monte dejectus:* hæc notat. E specu, quem vasta undique cingit planities, oritur Tanais. Montes isti Riphæi æquè sunt fabulosi ac Hyperborei. Observatione dignum, in toto Septentrione non esse montes, qui insignem habeant celsitatem. Nam quæ de monte Sloto, qui sit sub ipso Polo, aut aliis in Septentrione excelsis narrantur montibus, meræ sunt fabellæ, quibus miror Scaligerum, & alios seculi nostri Philosophos, aurem accommodasse. Norwegici montes omnium, qui sunt in Septentrione, altissimi esse creduntur, attamen illorum nullus est, qui ad 2. stadiorum perpendiculum assurgat. In reliquo Septentrione rarò vel unicum æquant stadium, quantoque polo viciniores fiunt, tanto magis decrescunt. Contra verò torridæ zonæ montes, ac huic vicini omnium sunt celsissimi. Hujus rei causa hæc est. In regionibus zonæ frigidæ subjectis, ubi nulli sunt montes excelsi, qui nubibus caput inserant, ibi etiam nullæ pluviæ usque ad terram perdurant. Sic itaque disposuit naturæ Auctor, ut plurimi in calentibus & siccis regionibus montes sint, in quorum sinubus aqua collecta ad terram perveniat, quæ absque illâ mortua & inhabitabilis sit futura. At verò in frigidis regionibus, ubi non est tantus æstus, ut pluviæ, antequam in terram decidant, consumantur, aut ipsæ deficiant; ideò opus non fuit, tam vastas erigere moles, ad aquam, tam aliè excipiendam, quæ etiam absque illis satis copiosè, & quandoque nimium descendit. Hinc fit, ut in Septentrione flumina non è montibus, sed è lacubus, & aquis in plano stagnantibus plerumque profluant, quod in regionibus fervidis aut nunquam, aut quàm rarissimè contingit. Vide *Rhiphæi*. Ex his montibus Aldescum & Panticapen fluere Dionysius Afer testatur. Ferrar.

Riphat, filius Gomer, Gen. 10. Latine, *medicina*, sive *relaxatio*, vel *bovile*.

Ripheарma, Plin. *Reama* Pineto, urbs Arabiæ felic.

Ripheu, scopulus Græciæ, Ovid. *lib. 2. de rem. Am.*

Præteritâ cautus Ripheide navita gaudet.

Ubi alii legunt *Nifeide*.

Ripuarii, vocantur Germ. infer. pop. qui trium fluviorum *ripis* clauduntur, Rheni scil. Mosellæ, & Mosæ, *Ribuarii* quibusdam vocantur. *Ripariolos* habent Cæsalis & Jornandes. Vide ibi. Hi alio nomine *Austrasii* vocantur.

Ri amori, pop. Hispan. Tarrac. in Celtiberis, Martial.

Risardis, portus in Mauritaniâ è reg. Gaditani freti, Plin. 5. 1.

Risela, fluvius Galliæ, vulgò *Rille*. Oritur non procul ab urbe Sajis, & à fonte Olinæ, ac inter Eburovices & Lexovies fertur. Alluit castrum Aquilam, Rugulas *Rugles*, castellum Liram, Ferratiam, Boscum Rogerii, *Bosc le Roger*: Bellum Montem Rogerii, *Beaumont le Roger*, Aln. tum, *l'Aunay*. Inde Catentonâ auctus attingit Therboldi Villam, *Thibouville*, Bri. niam opp. Becum Herlumi, ad rivuli confluentem situm, & inde dictum Monasterium nobile *le Bec*, Montem fortem, Condate, Cormelias, in Lexoviis Abbatiâ Benedictinorum illustres, ac ibidem Pontem Audomari, infra quem in Sequanam, jam totum velut æquoreum, effluit, ad Rupem Ridulam, vulgò *Roquedrille*. à fluvio, cujus ostio proximus est mons hic saxeus, denominatam. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Risinum, Liburniæ urbs, Ptol. Hodie *Rhizinium*.

Ristronemanice, vide *Restrum Nemaviæ*.

Risus simulachrum, ut Dei, Lycurgum apud Lacedæmonios erexisse, testis est Plutarchus. Putabat enim ille, Risum laboris & modesti victus esse condimentum. Hypatenses Thessali huic Deô quotannis rem divinam, in summa lætitia, faciebant.

Rit. s, Thraciæ fluvius, Plin. *lib. 4. cap. 11.*

Rithrus, portus Ithacæ, sub Nejo monte, Homer.

Ritigerus Germanus, Vendæ Polonorum Reginæ nuptias ambiens, cùm nec precibus nec armis obtinere posset, in gladium incubuit: quo successu læta Venda, Cracoviæ, de ponte in Vistulam desiliit, An. C. 760. Cromer. *lib. 1.*

Riva, opp. German. in dit. Tridentina, ad oram lacus Benaci Sept. in ipso limite dit. Venetæ, 20. mill. à Tridento in Afric. 28. à Verona in Circ. *Reiff.*

Riva, opp. Helvetiæ, *Wallenstatt*, ad caput lacus *Rivarii*, vulgò *Wallenstatter see*. in dit. Glaronensi. Hic *Wesenus* quoque dictus, ab oppidulo Wesena, ubi Limagus effluit, ut deinde in lacum Tigurinum fluat, tempestatibus plerumq; agitatus non sine periculo navigatur. Ad ejus litora sunt pagi *Tertzen*, *Quarten*, & *Quinten*, à stationibus Romanorum, dicti. V. Joh. Bapt. Plantinum, & infra in voce *Sarunetes*.

Rivadium, urbs Gallæciæ, in ora Oceani Cantabrici, in limite Asturiæ, satis parva, ad ostia Navii fluv. 14. leuc. Hisp. ab Oveto in Occ. Mindoniam versùs 7. & 10. à Luco Asturum in Bor. *Rivadeo*.

Rivarium, seu *us*, lacus Rhætiæ, vulgò *Valensee*, Glareano ad Cæsarem *Vesenus*. Vide supra in *Riva*.

Rivellum, oppidum Lucaniæ.

Riverius Massonius, summæ pietatis & eruditionis vir, Ecclesiæ Parisinæ Reform. prima jecit fundamenta: quibus superædificarunt Jacobus Riparius, Andegavensis, tum Colongius, qui cœtû aucto Collegam sibi legit Antonium Sadeelem Baronem, Juvenem non multum 20. annos egressum, sed eruditione & zelo admirabilem. Tempore lanienæ Carolinæ seu Parisiensis, à Mosellо, Andegavi peremptus, Obiit An. C. 1572. Comment. *de stat. Relig. in Gall.* Lectius *in vita Sadeelis*.

Rivetus Andreas, Pictavus San Maxentinus, S.T.D. & in Acad. Lugd. Batav. Professor celeberrimus. Ejus extant *Exercitationes in Genesin & Exodum: Prælectiones in Decalogum, &c.* 3. Volum fol. Hunc, Virum Clarissimum & nunquam satis laudatum, Belgicæq; Ecclesiæ micantissimum lumen, vocat Gallssolius. Symbolo usus est: ἁπλῶς καὶ σοφῶς. Vixit An. Ch. 1650. ætat. suæ 79. eurr. ipso teste *in Præfat.*

Rivi, urbs Occitaniæ, ad Garumnam, in limite Consoranorum; 7. leuc. supra Tolosam in Mer. ferè 8. à Fexio in Bor. Auscios versus 10. & 8. à Lugduno Convenarum in Ort. *Rieux*.

Riviera, una ex tribus præfecturis ditionis Bilitionensis: quæ cùm exiguos habeat proventus, hinc plerumq; is, qui Bilitiono præfuit, postmodum Rivieræ præponitur. Vide in voce *Bilitionum*.

Rivogia prov. aliàs Navarræ, nunc Castellæ vet. *Rioja*. Separatur ab Alavâ prov. Ibero fluv. Inter Navarram ad Ort. & Castellam vet. ad Occ. & Mer. Ejus urbs præcip. Calceata.

Rivolium, oppidul. Pedemontii, in colle, ad Duriam fluv. cum castro Ducum Sabaudiæ, 5. mill. à Taurino in Occident. Segusium versus; *Rivoli*.

Riusiava, Germaniæ urbs, Ptolemæo, vulgò *Gengen*. Aliàs *Rhiusiava*.

Rivuli puellarum, urbs Transylv. 6. leuc. à Bistricia in Occid. etiam *Rivulus dominarum*, vulgò *Banya*.

Rivus Francorum, castrum Liguriæ, in Duc. Med. inter Alexandriam 12. & Astam 6. mill. *Refrancore*.

Rivus Morentini, vulgò *Romorantin*, castrum vel oppidulum Galliæ, ad Saleram majorem in Secalonia, cujus caput habetur, in uno de sex Archidiaconatibus Ecclesiæ Aurelianensis: qui Archidiaconatus Secaloniæ vocatur, & *Rivum Morentini*, Tauriacum in Secalonia *Toury*, Castellionem ad Carum, & Calvum Montem præ cæteris complectitur. Dicitur à Morentino *rivo*, seu amniculo, qui ibi loci Saleram auget. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rixa, Ottonis III. Imper. è sorore neptis, nupsit Boleslai Pol. Regis ab Imper. creati filio Mieczislao, circa An. Ch. 1000. Vide Crantz. *Vandal. lib. 2. cap. 36.* qui cùm omnia ex uxoris consilio administraret, hæc Polonis exosa, post mariti mortem, è regno profugit, cum Casimiro filio, Ann. Chr. 1033. Vide Cromer. *Histor. Polon. lib. 3.*

Rizon, urbs & fluv. Illyriæ.

Rizonitæ, pop. Illyrici, Liv. *lib. 45.*

Rizonicus, sinus Liburniæ, Ptolem. Hodiè *Catharum*.

R O.

Roaga, filius Somer, 1. Paral. 7. Latinè, *saturatus*, vel *inebriatus meditatione*, vel *eloquio*, aut *abstractione*, sive *separatione*.

Roame, melius *Rame*. Vide ibi. Inter Ebrodunum & Brigantium.

Roana, vide *Rhodumna*; Item, *Rhotomagum*.

Imperatores Romani.

Robertus, Imperator Occident. cognom. Parvus, Princeps Palatinus, Dux Bavariæ fuit. In locum Wencellai ignavi substitutus, An. 1400. Aquisgranenses proscripsit ac ad obsequium perduxit, Venceslao bellum movit. Italiam, ut Galeatium dominatum invadentem, compesceret, intravit, sed, Italorum perfidiâ, clade in agro Brixiano affectus, domum rediit; Germaniam pacavit, Obiit Oppenhemii An. 1410. Heidelbergæ, ubi Academiam fundaverat, sepultus. Trithem. *in Chron.* Cuspinian. *in Ruperto, &c.*

Robertus Cortenaus, Imperator Constantinopolitanus, Petro Patri, ex Jolanta Hannonica, successit, An. 1224. Hic, cùm nobili cuidam Burgundo uxorem rapuisset, ille aulam ingressus, auribus naribusque hanc truncavit, matrem verò, rei consciam, in mare dedit præcipitem. Obiit in Achaja, reversurus ex Italia, ubi coronatus fuit à Gregorio IX. Constantinopolim, Ann. 1234. Sanut. *Histor. Orient. lib. 2. P. 4.* Sabellic. *Historia Constantinop.* Blondus, Spondus, &c.

Galliæ Reges.

Robertus, Galliæ Rex, primus hujus nominis, secundùm quosdam, unus est ex majoribus Galliæ Regum, qui à Childebrando, filio Pipini Crassi, descendunt. Pater Nebelongi, Avus Theodeberti, qui genuit *Robertum I.* Com. & Marchionem, Dominum Saissi, in Biturigibus. Hic ex Agane, filia Viefredi Com. Bituricensis, suscepit *Robertum II.* Fortem, Ducem & Marchionem Franciæ, qui Infidelibus generosè, pro Patria, se opposuit: *Maccabæus* sui temporis dictus. Obiit in prælio, contra Normannos, in Andibus, An. 867. Ex Adelaide, filia Ludovici Pii, Eudis & Roberti pater: quorum ille, Rex Galliæ coronatus, regnum Carolo Simplici reddidit: cujus bonitate abusus Hagano, Procerum odium in eum concitavit, qui An. 920. eum throno deturbare decreverunt. Horum caput Robertus, An. 922. coronam sibi vindicavit, sed à Carolo in Suessionibus victus & propriâ hujus manu occisus est, Ann. 925. Ex Beatrice Veromandua, filiâ Herberti I. pater Hugonis M. qui Hugonem Capetum genuit, & Emmæ, quæ Rodolpho, post mortem Roberti, coronato, nupsit, Flodoardus *in Chron. &c.*

Robertus, Galliæ Rex, cognom. Sanctus, Devotus, & Sapiens, filius Hugonis Capeti, vivo Patre coronatus, An. 988. ei successit, An. 997. Maritus Berthæ, matris suæ lustricæ, & consobrinæ, filiæ Conradi Burgundiæ Reg. ex Mathilde Francica, eam sententiâ Gregorii V. dimittere coactus, duxit Constantiam Blancam, fil. Guilielmi, Comitis Arelatensis & Provinc. quæ superba admodum & ferox, prudentiâ mariti coërcita est. Eudem Campaniæ Com. turbas dantium compescuit, Ottonem Guilielmum, Com. Trans-Ararinum, Burgundiæ Ducatum invadere parantem, vicit: Senonum urbem, Renardo Comiti, quòd Archiepiscopum durius tractasset, eripuit: Paceque regno datâ, literas fovit, templa extruxit, &c. Coronari dein Hugonem primogenitum suum curavit, Ann. 1016. quo Ann. 1026. defuncto, Henricum Juniorem ei surrogavit, frustra obnitente reginâ, quæ minimum natu Robertum, Burgundiæ Ducem, promotum ibat. Obiit Meloduni, An. 1031. ætat. 60. Glaber *in Hist.* Helgald. Fleuriacensis, *in vita Rob.* Dupleix & Mezeray, *Hist. Gall.*

Robertus I. Burgundiæ Dux. Caput Lusitaniæ Regum, filius fuit Roberti Galliæ Reg. ex Constantia, quæ illum ad Galliæ regnum frustra evehere conata est. Magni suo ævo nominis, Obiit 1075. ex Adelaide, pater Henrici, cujus filius Henricus Comitum & Regum Lusitaniæ stirps fuit, &c.

Robertus II. Rex quoque Thessalonicæ titularis, tertius filius Hugonis IV. huic, exclusis sororibus, successit. Obiit Ann. 1309. Successit ei Eudes IV. Duchenius *Histor. Burgund.* Sammart. *Hist. Geneal. Gallic.*

Robertus, filius Ludovici VI. ex Adelaide Sabaudica, stirps familiæ regiæ Druidensis; Hanc enim urbem & Comit. appennagii loco accepit. Ex vidua Molonis, Pater *Roberti II.* qui obiit An. 1218. Pater ex Jolanta *Roberti III.* qui genuit, inter alios, Johannem I. patrem *Roberti IV.* mortui, An. 1282. &c. Vide Sammart. *Hist. Geneal. fam. Gall.*

Robertus, filius Ludovici VIII. ex Blanca Castellana, stirps Comitum Attrebatensium & Eusianorum. Cognomin. *Bonus & Strenuus.* Fratris in expeditione sacra comes, occisus est Massuræ, An. 1250. Ex Mathilde Brabantina, pater *Roberti II.* Nobilis, qui in prælio Curtracensi, Obiit, An. 1302. æt. 54. Hic ex Amicia Cortenæa, suscepit Philippum, Robertum & Mathildem, quorum primus *Robertum III.* genuit, qui ab amita in foro victus, miris modis Galliam turbavit, Eduardi III. partes amplexus. Hic pluribus vulneribus in Armorica, cùm Venetias Galli recuperarent, acceptis, Obiit Londini, An. 1343. ætat. 54. Ex Johanna, filia Caroli Valesii, pater Johannis, Comitis Eusiani, Caroli Comitis Longavillani, &c.

Robertus, filius sextus Ludovici IX. ex Margareta Provinciali, Comes Claromontanus, Caput familiæ Borboniæ. Ex Beatrice Burgundica, fil. Johannis & Agnetis Borboniæ, pater Ludovici I. Ducis Borbonii, &c. Pietate & clementiâ inclytus, Obiit An. 1318. Pet. Matthæus *Hist. S. Ludovic.* Sammart. *Hist. Geneal. Gall.*

Robertus, cognom. Sapiens & Bonus, Neapolis, Hierosolymæ & Siciliæ Rex, Comes Provinciæ, tertius filius Caroli II. Claudi, prælatus à Clemente V. Carolo II. Chariberto Hungariæ Reg. suo ex Carolo Martello, majori natu fratre, nepoti. Cum Henrico VII. Imper. à Papa in illum concitatus, rem habuit, sed inde feliciter se explicuit. Obiit Neapoli, An. 1343. ætat. 64. regni 33. Literatorum Mæcenas, à Petrarcha, Epitaphio ornatus. Cum hæredes non haberet ex se natos, præmortui enim sunt, neptem suam Johannam, ex Carolo genitam, hæredem instituit. Petr. *lib. 2. rer. memor.* Summonteta *Hist. Neapol.* Nostradam. & Bouchæus, *Histor. Prov. &c.*

Scotiæ Reges.

Robertus Brussius I. Scotiæ Rex, ex posteris Davidis I. ad successionem vocatus, æmulum sensit Johannem Balliolum, qui regnum, Anglorum ope, occupavit; inde à Brussio pulsus, qui obiit An. 1329. regni 23. Pater Davidis II.

Robertus II. Davidi II. improli successit, filius Walteri Stuardi, Magni Scotiæ Seneschalli, ex Maria filia Roberti Brussii R. Obiit An. 1390. regni 20. Ei natus est, ex Isabella Murth.

Robertus III. qui, nomine Johannis, ob odium Johannis Ballioli, omisso, Patris nomen assumere à Scotis compulsus, Obiit An. 1406. regni 16. ex mœrore, quòd filius ejus, qui postmodum Jacobus I. fuit, in Anglorum manus pervenerat; Lesleus & Buchanan. *Hist. Scot.* Duchen. *Hist. Angl.*

Normanniæ Duces.

Robertus I. Normanniæ Dux, in baptismo hoc nomen accepit, cùm prius Rollo, seu Rodolphus vocaretur. Caput Danorum, seu Normannorum, qui sec. 9. & 10. Galliam tantopere afflixerunt: his Carolus Simplex partem vet. Neustriæ, postmodum Normanniam vocatam, concessit, simulque Gislam filiam Rolloni elocavit. Obiit An. 917. vel 920. Pater ex Popa, uxore priore, Guilielmi I. Longi Ensis.

Robertus II. filius Richardi II. successit fratri Richardo III. Obiit Nicææ, ex itinere Orientis rediens. An. 1035. pater ex Helseva, nobilis cujusdam uxore, Guilielmi Nothi, Angliæ Reg. cui ex Mathilde Flandrica genitus est

Robertus III. quem Normanniæ Duc. creavit, An. 1087. Angliâ alteri filio, Guilielmo II. Rufo concessâ. Robertus, in Oriente accepto de morte fratris nuntio domum rediit, hæreditatem aditurus, sed ab Henrico, fratre minore, qui regnum jam invaserat, victus, Ann. 1106. captus, & in vinculis, occisus est. Polydorus Virg. Duchenius *Hist. Angl.*

Robertus Guischardus, Normannus, Apuliæ & Calabriæ Dux. Cùm enim Tancredus Hautevillanus, Normannus nobilis, numerosam haberet familiam, non verò æquè magnas opes: filiorum duos in Italiam misit, *Fierebras*, & *Drui*, dictos, qui Pandulfo, Capuæ Domino, se addicentes, aliis postmodum juncti. Saracenis in Sicilia bellum movere ceperunt, quod cùm feliciter succederet, fratres suos amicosque è Normannia, ad periculi gloriæque societatem vocarunt. Inter quos Robertus eminens, victis sæpius hostibus, post varias fortunæ vices, Obiit, An. 1085. ætat. 62. Pater

Boëmun-

Boemundi in bello sacro celeberrimi, & Rogerii, qui Apuliam & Calabriam nactus est. Andr. Duchenius, *in T. Script. Norm.* Baron. *in Annal.* Vide etiam in voce *Wischardi.*

Flandriæ Comites.

Robertus I. Flandriæ Comes, dictus Friso, secundogenitus Balduini V. ex Adelaide, filia Roberti Galliæ Reg. frater Balduini VI. Hujus demortui An. 1070. filiorum Arnolphi & Balduini Tutor constitutus, matre eorum Richildâ Hannoniâ expulsâ, ditiones ipsemet occupavit. Arnolphum III. Infelicem, Philippi I. Galliæ Reg. copiis suffultum vicit & occidit, An. 1071. Dein, cum Philippo pace factâ, victo quoque Balduino, hunc Hannoniâ contentum vivere coëgit. Ex Gertrude Saxonica, natus ei

Robertus II. qui Hierosolymitanus dictus, expugnationi Urbis hujus, sub Godofredo Bullionæo, interfuit. Obiit, ab equis conculcatus, in prælio, inter Ludovicum Crassum Galliæ Reg. & Theobaldum Comitem Campaniæ, commisso, An. 1111. Ex Clementia, filiâ Guilhelmi, Comitis superioris Burgundiæ & sororis Calixti II. pater Balduini VII. Ordericus Vitalis *Hist. lib.* 11. Dionys. Salvagius, *Annal. Flandr. &c.*

Viri Illustres.

Robertus, Episcopus Namnetensis, Patriarch. Hierosolymitanus, ibi An. 1227. usque ad An. 1247. præfuit: Successit ipsi Jacobus Pantaleo.

Robertus, Fundator Ordinis Cisterciensis, An. 1098. Ab Honorio III. inter SS. receptus. Chrysostomus Henriquez, *in Fascic. & Menol. Cisterc.*

Robertus Antissiodorensis, Monachus. Composuit Chronicon, à Mundo condito, usque ad An. Chr. 1200. à Nicolao Camusato editum, An. 1608. Trecis.

Robertus Arbrissellus, fundator Ordinis pontis Evetardi, A. 1100. Obiit An. 1117. Moterius *in Dict. Historico.*

Robertus Baconus, Presbyter Anglus, Theologiam Oxonii docuit, magna cum laude. Glossas in universam Scripturam edidit; porro commentatus est in Psalmos, scripsitque homilias, & vitam Edmundi Cantuariensis, Præceptoris sui. Obiit An. 1248. Matth. Parif. *in Histor.* N. Trivetus, *in Chron.* Brianus Twynus, *lib.* 3. *de antiq. Acad. Oxon.* Middendorp. *de Acad. lib.* 2. Pitseus, *de Illustr. Angl. Script.*

Robertus Balæus, JC. insignis Londinensis. Scripsit Urbis hujus Chronicon, tractatum de ejus privilegiis & Consulibus: Alphabetum SS. Angliæ & Historiam Eduardi III. Alius, dictus Junior, Carmelita Anglus: Condidit Annales sui Ordinis, vitam Eliæ, Simonis Stockii, &c. Obiit, Ann. 1505. Pitseus, *de Illustrib. Angl. Script.*

Robertus Bastonus, vel Bestonus, Carmelita Anglus, Principibus gratus, Eduardo I. inprimis, à quo in Scotiam deductus est, cum Rex hic Johannem Balliolum regno exueret. Hujus postmodum victorias carmine prosequi, coronatus enim Poëta fuit, jussus est, An. 1304. Sed, paulo post, à Roberto Brusio captus, aliud in Scotorum laudem componere est coactus. Obiit An. 1310. aliis quoq; scriptis inclytus. Baleus, *in Script. Britann. Cent.* 4. *cap.* 92. Pitseus, *de Illustr. Angl. Script. &c.*

Robertus Capito, seu Greathead, Anglus. Theologorum & Philosophorum sui seculi facile princeps, ad Episcopatum Lincolniensem evectus est. Literatorum Mæcenas; Scripsit Commentarios in S. Biblia, tractatus Theologicos, Epistolas, &c. Obiit An. 1253. Math. Parif. *in Histor.* Possevin. *in Apparat.* Pitseus & Baleus, *de Script. Angl.*

Robertus Clemens, Vastiniensis Gallus, à Ludovico Jun. filii sui Philippi Augusti educationi admotus, huic postmodum à consiliis & arcanis fuit. Obiit An. 1182. Frater Ægidii Clementis qui similiter Minister status fuit, & Garmondi Abbatis, Pater Alberici & Clementis, Mareschallorum Galliæ. Vide Autueil. *Hist. Min. Stat.*

Robertus Cœnalis, Episcop. Abrincensis, magno in pretio, apud Franciscum I. Composuit Historiam Gallicam, quam Henrico II. inscripsit: Historiam item Ecclesiæ Normanniæ. Porro scripsit contra Formulam *Interim*, à Carolo V. Imper. publicatam: opus de ponderibus & mensuris, &c. Obiit An. 1560. Parisiis. Moterius *in Histor. Diction.*

Robertus Garnerius, Gallus, in Poësi patriâ excellnit. Scævola Sammart. *lib.* 4. *elog.* Vide *Garnerius.*

Robertus Holkotus, Dominicanus Anglus, Theologiam Oxonii docuit, Commentariis in S. Scripturam, &c. inclytus. Obiit peste Ann. 1349. Leand. Alb. & Antonius Senensis, *de Vir. Illustr. Ord. Domin.* Alphonsus Fernandesius, Pitseus, &c.

Robertus Leicestriensis, Franciscanus. Philosophus, Theologus & Orator insignis Obiit An. 1348. in Anglia. Scripsit Comment. in Magistr. Sententiarum; item *de Ratione temporum; de Computo Hebræorum: de Computo Latinorum: de Paupertate Christi, &c.* Willot. *Athen Franc.* Leland. & Pitseus, *de Scr. Ill. Angl.*

Robertus de Monte, Abbas Montis S. Michaëlis in Normannia, Principibus Magnatibusque gratus. Ab Henrico II. Angliæ Reg. & Normanniæ Duc. maximis negotiis adhibitus, jussu Alexandri III. Pontif. Concilio Turonensi interfuit. Scripsit Historiam sui Monasterii, aliaque plurima, quorum pauca quædam supersunt. Obiit, An. 1186. Idem forte fuit qui continuavit Chronicon Sigeberti, quod Vossio non videtur. Possevin. *in appar.* S. Voss. *in Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 52. & 55. *&c.*

Robertus Pullus, Cardin. Anglus, floruit Ann. 1146. Civilibus bellis pulsus in Galliam venit, ubi magno cum successu studiis incubuit. Dein in Angliam redux, Restaurator Academiæ Oxoniensis dici meruit, novis eò Professoribus vocatis. Scripsit *Sententiarum de Trinitate libb.* 8. *In Apocalypsin: In aliquot Psalmos: de Contemptu Mundi, &c.* Joh. Rossius, *de Acad.* Leland. & Pitseus, *de Ill. Angl. Scr.* Possevin. *in appar.*

Robertus de S. Remigio, Monachus Abbatiæ S. Remigii Remensis, floruit sec. 12. Itinere in terram sanctam suscepto, scripsit historiam belli à Gallis, sub Godofredo Bullionæo, contra Saracenos gesti: Orsus à tempore Concilii Claromontani, cui Auctor interfuit, usque ad captam Hierosolymam, & ulterius usque ad An. 1099. Acta etiam Conciliorum collegit. Vixit adhuc Ann. 1120. Trithem. *de Scr. Eccl.* Possevin. *in appar.*

Robertus Sorbonus, Fundator Collegii, à nomine suo dicti, Parisiis. Canonicus Eccles. Parisiensis. Eleemosynarius & Confessionarius Ludovici IX. ab hoc magno in pretio habitus est. An. dein 1253. instituit Collegium Sorbonicum, in Universitate Parisiensi, ubi Theologia docetur, celeberrimum. Scripsit *de Conscientia, de Confessione*, & *Iter Paradisi*. Obiit An. 1271. Joinvilla, *in vita S. Ludovici, cap.* 94. Tillet. *in Chron. &c.*

Robertus Stephanus, Parisiensis, Typographus sui seculi celeberrimus, tum impressis nitidissime, tum editis proprio Marte scriptis, de re literaria, præclarissime meritus. Hebraicè, Græcè & Latinè doctissimus: Auctor Thesauri Linguæ Græcæ, operis excellentis, Grammaticæ, & Commentariorum in Evangelia: Novam quoque Bibliorum versionem adornavit, &c. Ob purioris religionis cultum, in Galliâ parum tutus, Genevam se recepit, An. 1547. ibique obiit, Ann. 1559. ætat. 56. Parisiis in effigie exustus. Frater Caroli, celebris Medici Parisiensis, pater Henrici & Roberti: quorum ille Franciscum & *Robertum* genuit, qui Græcæ & Latinæ poëseos peritissimus, commercio virorum literatorum, sub initium hujus seculi, celebris fuit, Gesner. *in Bibl.*

Robigo, sive *Rubigo*, Dea Romanorum, quæ ideo colebatur, ut vitium segetum, quod *robiginem*, sive *rubiginem* vocant, averteret. Varro *lib.* 1. *de R. R. cap.* 1. *Robigum* Deum facit, eumq; Floræ conjungit, cui etiam *Robigalia* festa publicè instituta asserit. Horum mem. Columella *lib.* 10. qui totus constat ex carmine:

Hic mala rubigo virides ne terreat herbas,
Sanguine lactantis catuli placatur, & extis.

Plinius *lib.* 18. *cap.* 29. Hæc sacra à Numâ Pompilio fuisse instituta, anno regni ejus undecimo tradit, eaque ait ad 7. Cal. Maji celebrari solita, quo tempore segetes rubigini maxime sunt obnoxiæ.

Roboam, filius Solomonis, huic in regno Israelis successit, An. M. 3060. cujus cùm avaritiam & crudelitatem Judæi, quibus imperabat, ferre nullo modo possent, ab eo defecerunt ad Jeroboam, præter 2. tribus, Judæ scil. & Benjamin, quæ regni divisio in posteris etiam regibus duravit. Obiit, postquam à Sisaco quoque Ægypti R. victus & omnibus thesauris exutus esset, An. M. 3076. regni 17. ætat. 58. Vide Historiam ejus, 3. Regum *cap* 14. 2. Paralip. 12. & adde Torniel. Salianique *Chronol.* Latinè, *dilatans populum*, aut *latitudo*, vel *platea populi*, sive *odor*, vel *odorans cum populo.* Joseph. *lib.* 8. Τὸν τρόπον ἀλαζὼν ὢν καὶ ἀνόητος, καὶ διὰ τὸ μὴ πεισθῆναι τοῖς πατρῴοις φίλοις, τὴν ἀρχὴν ἀπώλεσας. Ideoque στενὸς ἀρχῆς Suidæ dicitur.

Robora, vicus Belgiæ, ad Vegram amnem; *Renvres.* Aliàs oppidul. fatis cultum & antiquum, ubi Druidæ sacra faciebant. Vix dimid. leue. ab Aneto castro & ab Ebura fluv. 3. à Drocis in Ort. ferè 2. ab Hodano, 14. à Lutetia in Occ.

Roboretum, oppidul. ditionis Tridentinæ; *Roboreid*, sub Venetis, 26. m. p. à Verona in Bor. Tridentum versus, 12. à Benaco lacu in Ort. Item, urbs Episc. Ultoniæ, ab Armaca 40. m. pass. Hibern. Boream versus, *Dury*, seu *Derry*: quæ & novum Londinium, vulgò *London Derry*, ob Anglorum Coloniam eò deductam.

Robur, Amm. munimentum in suburbio Basileæ: *Rotthaus*, Simlero.

Robur, teste Festo, in carcere is locus, quò præcipitatur maleficorum genus, quod antè arcis robusteis includebatur. In Tacit. 4. 29. *Robur* videtur potius supplicii locus, quàm custodiæ. Calpurnius declamator *Decl.* 5. *Video carcerem publicum saxis ingentibus structum angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. In hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt: & quoties jacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, & alienum supplicium aspectando suum discunt.* Ex quo clarè discitur *Robur* hoc in Tulliano fuisse, id est, carceris inferiore loco.

Rocca, vicus Liguriæ.

Rocemacorus, opp. Galliæ Aquitan. Fortè *Roquemadour*, in Cadurc. prov. prope Dordonium fluv.

Rodenium, urbs & arx Comit. Waldecc. Merel.

Rodericus, ultimus Rex Wisigothorum, in Hispan. Junctus fratri Cossæ, in Vitizam Reg. insurgens, eum visu regnoque exuit, An. 710. sed cùm ambo insolenter admodum præessent, Mauri, à Vitizæ filiis, Comite Juliano, cujus uxorem vitiaverat Rodericus, comitatis, incitati, ex Africa in Hispaniam trajectione factâ, partem

partem ejus sibi subjecerunt: Regemque An. 713. vitâ & regno similiter privarunt, prælio victum. Isidor. *in Chronol.* Rodericus, Mariana, Vasæus, &c.

Rodericus Sanctius d'Arevalo, Episcopus Palentiæ in Hispan. floruit Ann. 1468. prius Henrici IV. Eleemosynarius & Consiliarius. Scripsit Hist. Hispaniæ: quæ 3. volumine *Hispania illustrata* continetur. Voss. *de Hist. Lat.* Vasæus *in Hisp. Chr. cap.* 4.

Rodericus Ximenius, Navarræus, Archiepiscop. Toletanus, An. 1208. Scripsit Historiam Hispaniæ libb. 9. quæ cum Andr. Schotti eruditis notis prodiit: usque ad Ann. 1281. Æræ Hispan. seu 26. regni Ferdinandi. Lugdunum An. 1245. venit, ut coram Innocentio IV. in Concil. ibi habito, Ecclesiæ suæ jura & privilegia contra Petrum, Archiepisc. Tarraconensem, tueretur. Obiit in Rhodano, cum reditum in patriam pararet. Epitaphium ejus in Monasterio *Horta*, inter Castellam & Arragoniam tale: *Mater Navarra, nutrix Castella, Schola Parisius, sedes Toletum, Hortus Mausoleum, requies Cœlum.* Vasæus, *in Chron. Hisp. cap.* 1. *&* 4. Andr. Schottus *in not. ad Xim.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 57. *&c.*

Rodicofanum, vide *Radacophanum.*

Rodium, Anton. *Roie*, urbec. satis culta Picardiæ, in tractu Sanguntersia, ad amnem *Auvregne*, 4. leuc. à Novioduno in Occ. Ambianum versus 9. & 7. à Compendio in Bor.

Rodoaldus, vel *Chrodoaldus*, Longobardorum Rex, successit Rothari Patri, An. 653. A Longobardo quodam, cujus uxori illuserat, interfectus, An. 657. Paul. Diaconus, *de gest. Long.*

Rodolphiverdia, urbs recens & munita Germ. in Vindorum Marchia, ad Gurchium fluv. 3. mill. Germ. à Savo in Mer. uti 6. à Cilleja, 5. à Carolostadio in Occ. in limite Carniolæ.

Imperatores Romani.

Rodolphus I. Imper. Comes Habspurgicus fuit, quod castrum, est, inter Basileam & Tigurum, in Argovia, ditionis Bernensis: è Comitum Alsatiæ familia oriundus, omnium consensu Imperator Francofurti electus est, Ann. 1273. cùm in obsidione Basileæ, cum qua multum ipsi negotii fuit, hæreret. Marchionem Badensem, & Wirtembergicum Com. rebelles compescuit: Ottocarum Bohemum, Austriâ recuperatâ, vicit, hancque Alberto filio donavit. Burgundiam Imperio adjecit: Erfurtensem seditionem compescuit. Interim multa ab Imperio abalienavit, Papæque multa donavit, multa Italiæ Principibus vendidit. Italiam tamen adire noluit, dictitans: *Vestigia Italiam adeuntium videre se, non cernere redeuntium.* Tilonem porro, se pro Friderico II. venditantem, combussit. Spiræ tandem in vicinia cùm dixisset, multos ibi Reges conveniendos sibi esse, Obiit, Ann. 1291. Germershemii. Imper. An. 18. Serrarius *libr.* 5. *Histor. Mog.* Stero & Argentina, *in Chronol.* Ut is Fridericum II. excepit, ita successit ei Adolphus Nassovius.

Rodolphus II. primò Hungariæ, dein Romanorum Rex, successit patri Maximiliano II. An. 1576. Imperium pacifice administravit, motus de Argentinensi Episcopatu auctoritate suâ composuit: Bellum Turcicum cum fœdifragis Barbaris, per fratrem Matthiam, Carolum Mansfeldium & fratrem Maximilianum, satis feliciter gessit, aliquot locis occupatis, illisque ad Javarinum valde attritis: sed propugnaculum hoc munitissimum, prodente Comite Hardeckio, amisit. Sigismundum Bathorium Transylvanum sibi junxit, Strigonio Vyszegradoque captis, Haivanum quoque occupavit, mox tamen dein majori damno, cum Agria, urbe quondam invictissimâ, amisit: Victus exin avaritiâ suorum, qui jam victores nimis avidè prædæ inhiabant, per Adolphum Suartzenburgicum, clade regestâ, Rabam recepit, Pappiam item per Melch. Redderum, Albamque Regalem, per Ducem Mercurium, Gallum: Pace tandem, operâ Stephani Botscaji Transylvani, cum hostibus ad 15. annos initâ. Hæc feris, domi Calendarium Gregorianum inter suos introduxit, Protestantibusque frustra obtrusit: à Matthiâ fratre vexatus, regno Hungariæ & Austriæ cessit, Bohemiam quoque eidem resignavit. Bohemis, Moravis, Silesiis, privilegia confirmavit. Obiit An. 1612. ætat. 59. Imper. 36. In Larario suo gemmarum, adamantum, unionum, auri, argenti, &c. immani vi, ut pretio 17. auri milliones excederet, relictâ. Successit Matthias.

Reges Burgundiæ.

Rodolphus, filius Richardi, Burgundiæ Ducis, Com. Augustodunensis, &c. usurpavit Galliæ regnum, sub Carolo Simplice. Ductâ Emmâ, filiâ Roberti, in prælio occisi, ad partes vocatus: Carolo in carcerem detruso, coronam accepit, An. 923. Normannos Aquitaniâ expulit, sed Comitis Veromandui, Comitisque Parisiensis turbis agitatus, Obiit An. 936. Aimon. Flodoard. Guilielm. Nangius, *Histor.*

Rodolphus I. filius Conradi II. Comitis Parisiensis, regnum quoddam exiguum constituit, inter Alpes, Galliam, Italiam & Germaniam, sec. 9. cùm bella Galliæ, & calamitates depositionem Caroli Crassi Reg. insecutæ variis principibus jugi excutiendi ansam præberent. Dedit regno suo nomen Burgundiæ Transjuranæ, illudque fortiter tuitus est, contra Arnolphum, qui hæredem se Caroli ferebat. Obiit An. 911. Vignerius & Duchen. *Hist. Burg.*

Rodolphus II. patri successit Rodolpho I. An. 911. A Proceribus quibusdam, in Italiam vocatus, vicit Berengarium, in prælio occisum, An. 924. sed post 2. vel 3. imperii annos, ab Hugone Rege Arelat. coactus, in paternam ditionem rediit. Obiit An. 937. relicto Conrado fil. admodum juvene. Duchen. *Hist. Burg.* Chorer. *Hist. Delph.* Bouchæus, *Gist. Prov.*

Rodolphus III. Ignavus, successit Patri Conrado I. An. 994. Ob ignaviam, multis in eum proceribus insurgentibus, Henricum Imperat. hæredem, eoque mortuo Conradum Salicum scripsit: sub finem vitæ sceptro, coronâ, & lanceâ S. Mauritii ipsi transmissis. Obiit Ann. 1032. regni 38. Delbenius, Paradinus, Duchenius, *Histor. Burgund.*

Viri Illustres.

Rodolphus Brugensis, Mathematicus, floruit Ann. 1444. Vertit Tholosæ, ubi commoratus est, *Planisphærium* Ptolomæi ex Arabico, illudque Theodoro Platonico, Præceptori suo dedicavit. Valterus edidit Basileæ An. 1530. Simler. *in Epit. Biblioth. Gesn.* Voss. *de Scient. Math. cap.* 63. *§.* 5. Valerius Andr. *Bibl. Belg.*

Rodolphus de Bucella, vel Brucella, Sueviæ pago, scripsit varia An. 1430. Gesner. *Bibl.*

Rodolphus Campegius, Bononiensis, Comes Italus, insignis Poëta. Laur. Crassus *in elog. P.* 2.

Rodolphus Fleuriacensis, Auctor Historiæ metricæ, & martyrii S. Mauri. Saussæus *Annal. Aurelian. lib.* 4. *cap.* 10.

Rodolphus de Frameinsperg, nobilis Bavarus, scripsit Itinerarium terræ sanctæ, sec. 13.

Rodolphus Fuldensis, Monachus, vitam S. Liobi, &c. condidit, seculo nono.

Rodolphus Langius, Canonicus Monasteriensis, scripsit lib. de urbe Hierosolyma, item de tribus Regibus poëma, &c. Gesn. *in Bibl.*

Rodolphus Preslius, Advocatus Parlamenti Paris. floruit sub Carolo V. An. 1315. hujus Confessionarius, Historicus & Poëta. Fundator Collegii cognominis Lutetiæ. Augustinum de C. D. transtulit, scripsit *Compendium Historicum*, Gall. &c. Vide Moreri. *Diction. Histor.*

Rodolphus de Rudesheim, Episcop. Vratislaviensis, An. 1470. scripsit in varios Scripturæ libros, &c. Simler. *in Epit. Bibl. Gesn.*

Rodolphus Sfortius, Patavinus, Polæ in Istria Episc. JC. insignis. Obiit An. 1626. Jac. Phil. Thomasinus, *in elog.*

Rodolphus de S. Trudone, Abbas hujus monasterii, in Diœc. Leodiensi. Scripsit Chronicon, &c. Obiit An. 1138. Val. Andr. *Bibl. Belg.* Suvert. *in Athen. Belg.* Vossius, Possevinus, &c.

Rodonium, aliàs *Ronetum*, locus Galliæ, 1. leucâ à Medunta, Prioratu Marchiaque insignis in Carnutibus, inter Meduntam & Vernonem ad Sequanam, hodie *Rosny*. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Rodrina, vide *Rodium.*

Rœcus, vel potius *Rhœcus*, plastes Samius, quem in Samo primum omnium plasticen invenisse, refert Plin. *lib.* 35. *cap.* 12.

Rœtaces, fluvius Armeniæ majoris, in Cyrum influens, Strabo.

Rœtius, mons Corsicæ ins. Ptol. *Capo di muro* Leandro. *Monte di Mezzo* Pineto. Ex tabulis verò *Monte Rosso* videtur.

Roffa, urbs Cantii, ad Meduvacum fluvium, qui 5. mill. infra, in Thamesis æstuarium se exonerat, media inter Cantuariam ad Ort. & Londinum ad Occ. 20. utrinque milliarib. *Rochester.*

Roffiacum, & *Rufiacum*, vulgò *Ruffec*, urbecula diœceseos Pictaviensis, 6. leucis Engolismâ distans. Hic Concilium An. 1256. 1304. & 1326.

Rofrancum, oppidum Lucaniæ.

Rogatianus, senator Romanus, qui semel tantùm in die cibo operam dabat, Volaterranus.

Rogationum dies, ante Ascensionem Christi, precibus & jejunio celebrandi, instituti sunt, ob terræmotum & ferarum incursiones, à Mammerto, Episcopo Viennensi, Ann. Chr. 466. Calvisius *in Chronolog.*

Rogatus, Donatista Afer, schisma in Mauritania Cæsariensi orsus, sub finem sec. 4. Ejus sectatores *Rogatistæ* dicti. Exigui admodum momenti, Augustin. *ep.* 48. *& contra Parmen.* Baronius *An. Ch.* 394. *n.* 41.

Rogel, fons prope Jerusalem in tribu Judæ ad Septentr. Jos. 15. Latinè, *pes*, sive *pedestris*, aut *explorans*, vel *delator*, sive *accusator*, aut Syriacè *consuetudo.*

Rogelim, opp. Galaad non procul à Mahanaim. Hinc Barzillai, amicus Davidis, 2. Reg. 17. Idem pl. n. quod *Rogel.*

Rogerius, Dux & Comes Apuliæ & Calabriæ, filius Roberti Guichardi, frater Boëmundi. Horum patruus *Rogerius I.* cognomin. Gibbosus, Siciliâ totâ Saracenis pulsis, illam occupavit. Obiit An. 1101. summo cum suorum luctu. Pater Simonis & *Rogerii II.* qui occupatâ Apuliâ & Calabriâ, partim vivente, partim mortuo Guilielmo, filio Rogerii & nepote Boëmundi: An. 1129. Panormi Siciliæ Rex coronatus est, ab Anacleto II. cui favebat, confirmatus. Postea pace cum Innocentio II. initâ, bellum Græcis intulit, erepto illis Ludovico VI. Jun. Rege, quem in reditu è terra sancta intercceperant, An. 1149. Obiit An. 1152. Ensi suo hunc versum insculpi curavit:

Apulus & Calaber, Siculus mihi servit & Afer.

Pater Guilielmi I. Mali, Avus Guilielmi II. Boni, qui sine prole mortuus, successorem habuit Tancredum, Rogerii filium nothum.

Hujus

Hujus filius *Rogerius*, ab Henrico II. effossis oculis, in carcere detentus est. Baron. *in Annal.*

Rogerius, Abbas Crucis S. Leufridi, in dioec. Ebroicensi, floruit An. 953. Scripsit vitam Brunonis Arch. Colon. Sigebertus Ann. 131. *in Chron.*

Rogerius de S. Albano, Carmelita Anglus. Scripsit epitomen Historiæ Biblicæ; Item Angliæ Regum. Obiit Ann. 1450. Lucius *in B. C.*

Rogerius Baconus, Anglus, Franciscanus, *Doctor mirabilis* dictus. Quod Mathematico inprimis studio vacaret, magiæ accusatus & à Generali suo Romam citatus, ibi aliquandiu in vinculis fuit. Inde liber in Angliam ut rediit, misit Clementi 4. varia à se inventa, quæ Papa magni æstimavit. Scripsit plurima, quorum pars prodiit. Pitseus, Lelandus & Baleus, *de Script. Angl.* Willot. *in Athen. Francisc.* Naudæus *apolog. cap.* 17. *&c.* Obiit An. 1284.

Rogerius Cestriensis, Benedictinus Anglus. Scripsit An. 1340. Polycratiam temporum, libb. 7.

Rogerius Computista, Benedictinus Anglus, Scripsit *Expositiones vocabulorum totius Biblia, Postillas in Evangelia &c.* A. 1360.*

Rogerius Connovius, Franciscanus Anglus. Scripsit c. Richardum Archiep. Armachanum. Obiit An. 1360.

Rogerius Domacus, Anglus Jacobinus. Scripsit libb. 12. c. Lolhardos. Ann. 1390.

Rogerius Glastonus, Provincialis Augustinianorum in Anglia. Scripsit Homilias, Epistolas &c. Obiit 1340.

Rogerius Herfortius, Mathematicus Anglus, An. 1170. Baleus & Pitseus, *de Script. Angl.*

Rogerius Hovedenus, Eboracensis, floruit An. 1200. Stirpe nobili ortus, in aula Henrici II. magni æstimatus est, ob insignem inprimis utriusque Juris notitiam. Post Regis mortem, studio Historico intentus, patriam condidit historiam: Scripsit item Commentarios juris, Poëmata &c. Baleus & Pitseus *de S. A.* Brianus Tuvinus, *lib.* 2. *de antiq. Oxon. Acad.* Voss. *de Hist. Lat. l.* 2. *c.* 56.

Rogerius de S. Ivone, An. 1420.

Rogerius Salubartus, An. 1160.

Rogerius Suissetus, cognom. Calculator, celebris Mathematicus, docuit Oxonii, A. 1350. Scripsit in Mag. Sententiarum, Ernicam Aristot. & quædam Astrologica.

Rogerius Tuisortus, An. 1390.

Rogerius Walthanus, Canonicus Londinensis, An. 1250. Scripsit *Compendium morale, Imagines Oratorum &c.*

Rogerius Welpedalius, Mathematicus, An. 1368.

Rogerius Windeshorius, An. 1235.

Rogerius Windoverus, Ann. 1217. qui ambo Chronica scripserunt: Aliique plures memorantur Balæo & Pitseo, *de ill. Angl. Scriptor.*

Rogommelech, princeps Darii regis. Zach. 7. Lat. *lapidans regem*, aut *Consiliarium*, vel *purpura regis*, aut *consili irti*.

Rogretum, opp. Lombardiæ Transpad.

Rohaczovia, opp. amplum Lithuaniæ, caput tra tus cognom. prope Borysthenem, ubi Odtuczum recipit. 20. leuc. Pol. à Mohilovia in Mer. Kioviam versus 42. circiter.

Rohob, civitas Levitarum in tribu Aser. 1. Par. 6. Rex Sobæ. 2. Par. 8. Lat. *latitudo*, sive *dilatatio*, aut *platea*.

Rohobia, fil. Eliezer filii Moysis. 1. Par. 23.

Rohoboth, civitas Idumææ prope fluv. patria Saulis, Idumæorum regis. Gen. 36. Idem pl. n. quod *Rohob.*

Roja, Vid. *Rodium.*

Rokoszani, in Polonia, dicti confœderati, à conventu *Rokosz*: His decretum nisi Rex Sigismundus III. postulatis satisfaceret, alium Regem sibi præficere, plerisque nobilium suffragiis in Vintentium Mantuæ D. inclinantibus: Regem a Petro Skarga Jesuita obfirmatum vicerunt; Hinc Varsoviæ in Comitiis de pace actum. Hic dum Fœderati partem bonorum Eccles. inter Nobiles distribui, & Jesuitas regno pelli aut scholis coërceri petunt, in secorosimpressione facta, castris exuti dissipatique sunt. Ann. C. 1607. Thuan. *Hist. lib.* 135. 138.

Rokyta Johannes, à Raphaele Lescziníio ad M. Ducem Moscoviæ Legato, assumptus in comitatum, cum Basilio Duce de capp. doctrinæ Protestantium magno animo disputavit, Ann. C. 1569. Colloquium edidit Joh. Lasicius, & à frivolis exceptiunculis Mosci vindicavit. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Rolandinus Patavinus, cogn. Grammaricus, floruit sec. 13. Scripsit Historiam tyrannidis Eccelinorum libb. 12. Ab an. 1200. usque ad an. 1263. P. Gerardus edidit, sec. præt. Scardeonius, *de Clar. Patavin.* Voss. *de Hist. Lat.*

Rolandus, Comes Andegavensis, Caroli M. necessarius, fortitudine, rebus gestis, & excelso animo illustris. Occisus in reditu ex Hisp. An. 778. à Vasconibus. Hujus historia multis fabulis ab aliis involuta est. Eginhartus, *in vita Caroli M.* Baron. *Ann. C.* 778. & 812.

Roma, Latii in Italiâ urbs, de cujus origine & conditore diversa legimus apud auctores. Receptissima opinio est, à Romulo & Remo fratribus conditam fuisse, unde & nomen acceperit, an. primo septimæ Olympiadis, teste Dionysio Halicarnasseo, quâ tempestate Achas Judæorum rex regnavit ann. Mundi 3218. Aprilis 21. Alii verò ante Romulum conditam volunt, & appellatam *Valentiam* initio, quod nomen in arcano olim erat, nec efferri licebat, deinde *Romam* ab Evandro Arcade, à Græco Ῥώμη *Robur*, quod nomen servavit, licet Commodus Imp. eam *Coloniam Commodianam*, Gothus quidam R. *Gothiam* &c. voluerint appellare. Vid. Gisell. Ῥώμη *Valentia*: *Romam* alii sic vocant à muliere *Roma*, quam quidam Telephi filiam, Æneæ nuptam; alii Ascanio natam, Æneæ neptem; alii Æsculapii filiam, uti tradit Marinus, sive Marianus Lupercaliorum poeta, cujus hi versus, qui apud Servium leguntur *ad Eclog.* 1. ita digerendi sunt, & concipiendi.

Roma ante Romulum fuit
Et ab eâ nomen Romulus
Adquisivit. —— ——
Sed Deva flava & candida Roma Æsculapi filia.
Novum nomen Latio facit. Hanc conatrice nomini
Ab ipso omnes Romam vocant.

Nonnulli & appellationem & originem urbis ab *Romo*, seu *Romi* Æmathionis filio; alii a Latinorum quodam tyranno ejusdem nominis deduxerunt. Vide Plut. in *Romulo*, & Solinum *cap.* 1. Topographiam Urbis Marlianus dedit. Vide & Onuphrium Panvin. *lib.* 1. *Com. Reip. Rom. Admiranda Romæ* peculiari libello recensuit Lipsius, qui & *De magnitudine Romanâ* inscribitur. Pauca, ex immenso dicendorum penu deprompta hic aspergam. Urbs Roma sedes olim Imperii, diu in Gentilismi tenebris mersa, sub Tiberio I. Evangelii luce collustrata, an à Barnaba, an ab Andronico & Junia, cognatis Pauli, an ab Urbano, cujus Paulus meminit, an à spectatoribus miraculosæ Spiritus S. effusionis, die Pentecostes factæ, domum reducibus &c. V. Pateum in ad Rom. *cap.* 1. *dub.* 8. & *cap.* 16. Euseb. *lib.* 2. *cap.* 2. Tertull. *Apolog. cap.* 5. *&c.* à Paulo Apost. magnopere prædicante Romanorum fidem, epistolâ insigni honorata est: post aliquem dein temporis decursum tensim à primæva puritate ita descivit, ut cùm sub Impp. Gentilibus dici poruerit:

Sancta est Sanctorum pretioso sanguine Roma,

ab adversariis postmodum, sub Pontificibus posterioribus, appellari solita sit,

Ebria Sanctorum pretioso sanguine Roma.

Non adversariis solùm, sed & in sinu ejus natis, Franc. Petrarchâ, Hier. Savanarolâ, Joh. Baptistâ Mantuano &c. id partim objicientibus, partim agnoscentibus & conquerentibus. Condidit eam Romulus quadratam, in montibus Capitolino & Palatino, cum portis 4. Trigonia, Mugonia, Jandina & Carmentali. Postmodum, & reliqui 5. montes intra urbem recepti, ut verè evaderet ἑπτάλοφος. Tarquinius Superbus ex vivo lapide muros struxit, qui antea solum lateritii fuerant. Ambitus urbis erat 50. m. nunc pars ejus decima cecidit, Apoc. 11. 13. Portæ dein 25. fuerunt, V. Petret. *de num.* quarum illa, quæ hodie Spiritus S. dicitur, olim Triumphalis nomen habuit, quòd ex Vaticano in Capitolium per hanc Triumphatores vecti sunt: Eâdem viâ Carolus V. Imp. urbem captam ingressus est, sub tempus renatcentis in Germania, alibique Evangelii. Ex his portis per totidem vias magno sumptu stratas exitus patuit, nempe Appiam, Campanam, Valeriam, Catiam, Tiburtinam, Latinam, Prænestinam, Laurentinam &c. aquæductibus insignibus conspicuas, ut & monumentis demortuorum, cùm lex 12. tabb. *in urbe ne sepelito, neve urito*, rigide fuerit observata. Pontes hic olim 8. Sublicius, fortitudine Coclitis & præcipitio Heliogabali memorabilis: Triumphalis seu Vaticanus, qui ambo hodie destructi: Ælius, hodie S. Angeli: Aurelius seu Janiculensis, hodie S. Bartolomæi, Fabricius seu Tarpeius, nunc *Quatro capi*: Senatorius, seu Palatinus, hodie S. Mariæ Ægyptiæ, inundatione Tiberis destructus: Milvius, victoriâ Constantini M. contra Maxentium inclytus, hodie *Mole.* Octodecim ibidem olim fontes, quorum 3. præcipui, Virgo, Felix ex Paulina: Columnæ & obelisci innumeri, quarum rudera, Trajani inprimis & Adriani, omnibus admirationi sunt: horum autem, cùm antea 45. essent, octo supersunt: Ut de palatiorum, templorum, Amphitheatrorum, imò & cloacarum magnificentia nil addam. Primò sub Regibus, usque ad an. 221. U. C. dein sub Consulibus, qui Prætores, Tribunos, Quæstores &c. infra se habebant, regimine sæpius immutato, tandem sub Imperatoribus esse cœpit, cùm Julius Cæsar, ad Pharsaliam, victor, se ipsum Dictatorem perpetuum, An. 709. qui primus est Æiæ Julianæ, appellavit. Numerus, sub Augusto, civium, immensus; sub Tiberio 1600291. fuit: Exercitus terrestris Imperatorum, Appiano & Plutarcho teste, fuit ordinariè peditum 200000. equitum 40000. elephanti 300. currus 2000. Maritimus verò triremium 1500. navium reliquatum 2000. Imo tantæ civium opes, ut ultra 20000. essent, quorum quisque justum exercitum propriis sumptibus alere potuit, &c. Reip. nomen sic in nomen Imperii mutatum, cujus sedem Constantinus M. ὁ κατέχων, 2. Thess. 2. 7. Constantinopolim transtulit: Imperio post eum, in Orientale & Occidentale diviso: quorum hoc ab Hunnis, Gothis, Vandalis aliis 4. & 5. seculo miserè raptarum & discerptum est, Francis in Gallia, Longobardis in Italia, Gothis in Hispania &c. rerum potitis: dum illud, post varias vicissitudines, tandem sub Turcicum jugum est redactum. Interim splendorem ejus Carolus M. in Occi-

Occidente restituit; rebus postmodum denuo in deterius prolapsis. Sedes Paparum fuit omnium, exceptis Clemente V. Johanne XXIII. Benedicto XII. Clemente VI. Innocentio VI. Urbano V. & Gregorio XI. qui à Christi, A. 1305. usq; ad 1376. Avenione degerunt. Secularibus hi bonis potiti sunt, non ex donatione Constantini, quæ fabulosa, sed Pipini, Caroli M. Maroziæ, &c. Pontifices, & hodie satis amplam ditionem possident, de Imperii jure diu colluctati cum variis Imperatoribus, donec supra omnem cognominatum Deum, vel Numen, 2. Thessalon. 2. 4. emerserunt. Hic (ubi carne pluit, Servio Sulpitio Consule teste Livio *lib.* 3. *dec.* 1.) plures sub Consulibus in literis, versu præsertim, floruere. In his Andronicus Epicus, qui fabulas Latinas primus scripsit, Ennius Salentinus, Plautus Sarsinas, Nævius Campanus, Pacuvius (nepos Ennii) Brundusinus, Cæcilius Gallus, Ennii & Terentii amicus, Comœdiographus, Accius Tragœdus, Terentius Comicus, Lucilius Satyrographus ex Aurunca urbe, Turpilius Comœdiographus, Terentii synchronus, Afranius Comicus Terentii ætate, Atilius Tragœdus, Trabeas octavus inter Comicos, Syrius Mimographus libertus sub Cicerone, Licinius Epigrammatista, Quintus Catullus synchronus Varronis, Licinius Gallus, Quintus Cornificius, Furius Bibaculus natus Cremonæ, Terentius Varro Attacinus synchronus Ciceronis & Hortensii, cum aliis. Ibidem quo die Christus Dominus noster natus est, in Vaticano fons olei erupit, & toto die manavit. Capta Urbs est à Brenno, An. 364. U.C. Ab Alarico An. Chr. 410. exitiabili 300. Juvenum munere, Genserico 455. quo tempore prædictio Vectii Valentis Auguris impleta videtur, de 12. vulturibus Romuli, tot seculorum, quibus Roma statura esset, prænunciis. Tum etiam Regum in vet. territorio Romano numerus in denarium excrevit: Nam Britanni Vortimerum, Saxones Hengistum, Franci Childericum, Burgundiones Guntherricum, Visigothi Theodoricum: Suevi & Alani Riciarium in Galicia & Lusitania, Vandali Gensericum, Alemanni Sumanum, Ostrogothi Theodomirum, Græci Martianum Reges habuere. Ab Odoacro 465. Totila 546. Sed & ab eodem reparata, monitu Theodeberti Franci, qui illi filiam suam petenti respondit, *Regem Italiæ non videri, qui Romam vastasset.* Obsessa est à Longobardis, An. C. 577. quæ causa fuit, cur Pelagius II. inscio Imp. esset electus. Iterum ab Agilulpho, quem Exarchus Callinicus irritaverat, An. Ch. 593. A Leone IV. ampliata, An. Ch. 852. iterum capta est ab Arnulpho Imper. lepusculi occasione, An. C. 896. amissa ab Hugone Italiæ Reg. ob alapam Alberico privigno impactam, An. Chr. 933. Fame pressa ab Ottone M. ut Leonem à Johanne pulsum reciperet, An. Ch. 964. Denuo capta ab Henrico IV. Imper. custodum negligentiâ A. C. 1084. Pontifice in mole Hadriani obsesso. Intestinis dissidiis quassata An. Ch. 1146. cùm Romani, sacrorum curâ Pontifici relictâ, sibi Patritium crearent, Rempubl. in pristinum statum reducturi: quæ lites usq; ad Clement. III. durarunt. Territa à Friderico II. qui armatus accedens Pontificem, à quo ob Sardiniam Ecclesiæ Rom. negatam excommunicatus fuerat, in summas conjecit angustias, A. C. 1242. Occupata rursus & muris nudata est à Ladislao Apuliæ Rege, An. C. 1408. Accedente postmodum Carolo VIII. Galliæ Rex, muri Urbis & Arcis Adriani suâ sponte conciderunt, An. Ch. 1494. Denuo capta à Cardin. Pompejo Columna, An. 1526. & Carolo V. An. 1527. per Connestabilem Borbonium, ubi id mirabile observatum: quòd *quoties oppugnatio iteraretur, toties nebula caderet, prospectum Pontificiis adimens, ut nescirent, quâ maximè parte hostis irrueret*, Camerar. *in Hist. Romæ captæ:* Direpta tum penitus est ab Hispanis inprimis, qui ne sepulchris quidem Pontificum pepercerunt: Vide Paul. Jovium *in vita Pomp. Columnæ.* Obsessa quoque postea à Philippo II. per Albanum, qui, ne illa caperetur, transactionem maturavit: Certè prodigio imputatum, quòd eâdem nocte Tiberis alveo egressus Mausolæi Adriani propugnacula magna ex parte disjecit. P. Suavis *in Hist. Concil. Trid.* Thuan. *lib.* 18. *&c.* Nihilominus hodieq; ampla, opulenta, pulchra & magnifica est. Valdensium hic Ecclesia sed clam fuisse, An. C. 1485. legitur: Cùm enim Bohussa Kostca Baro Bohemus, propriis sumptibus Legatos per orbem dimisisset, qui inquirerent, an alicubi Ecclesiæ puræ reperirentur, nullibi ferè reperiri retulerunt, exceptis in Gallia & Italia Ecclesiis Valdensium, ut & in ipsa urbe Roma cœtibus occultis, cum quibus à Legatis unio inita, Camerar. *in Histor. Fratr.* Lætus *Comp. Hist. Univ.* Numerantur ibi hoc tempore 300000. homines, præter 8000. Judæos, qui separatim habitant, singulisque diebus Sabbathicis concionem audire coguntur: Divisa est nunc in 14. regiones, familiæque ejus nobilissimæ sunt, Ursini, Columnæ, Contii, Savelli, Farnesii, Cajetani, Baglioni, Vitelli, Stortiæ, Perreti, Aldobrandini, Boncompagni, Cæsii, Altaempsii, &c. Palatiorum elegantissima, Vaticanum, S. Johannis Lateranensis, Montis Eq. &c. Moles Adriani seu Castrum S. Angeli Acropolis urbis est, domus 22000. Parœciæ 92. Templa nationalia 41. monasteria virorum 64. virginum 40. Nosocomia 30 &c. Templa autem præcipua, S. Johannis Lateranensis, quod primarium est, S. Petri Basilica in Vaticano totius orbis facilè pulcherrima & sumptuosissima, ad miraculum usque exornata, cui Palatium Pontif. Vaticanum superbissimum adjacet, S. Pauli extra mœnia, S. Mariæ Majoris, S. Laurentii extra muros, S. Sebastiani, & S. Crucis Hierosol. Inter quæ templum D. Petri auro, argento, gemmis, marmore, &c. radiat. Concilia Romæ habita, Vide apud Morer. *Diction. Hist.* Cæterùm *Romam* antiquam pluribus nuper & doctissimè Famianus Nardinus, uti etiam antea Jacobus Laurus, Philippus Cluverius, præter supra laudatos: Recentem autem Floraventes Martinellus aliique plurimi prolixè descripserunt. Elogia veteris urbis penè sunt infinita, Dionysius *vers.* 354. *ubi de Tybride:*

Θύμβρις, ὅς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην,
Ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,
Μητέρα πασάων πολίων, ἀφνειὸν ἔδεθλον.

Vult Romam fuisse totius mundi Metropolin. Sic Horat. *lib.* 4. *Od.* 3. *Roma, principis urbium.* Ab Ammiano *lib.* 4. *Urbs Æterna* dicitur; Sic etiam locis infinitis alibi appellatur, non solum ab Ammiano, sed ab ipsis quoque Impp. ut ex illorum constitutionibus notum. In nummis quoque antiquis insidens scuto Roma Victoriam dextrâ, scipionem sinistrâ gerens cum hâc inscriptione videtur, ROMÆ ÆTERNÆ. Polemon apud Athenæum: Ἐπιτομὴ τῆς ὅλης οἰκουμένης. Marcianus Heracleota: Ἄστυ τὸ κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης. Eunapius Sardianus *in Proæresio:* Βασιλεύουσα Ῥώμη. Rutilius Numat. *lib.* 1.

Regina —— pulcherrima mundi
Inter sidereos Roma recepta polos,

Virgilius *Georg.* 2. *sub finem:*

Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.

Æthicus: *Domina totius orbis Roma.* Solinus: *Caput orbis.* Julius Frontinus: *Regina & Domina orbis.* Tityrus apud Virgilium *Eclog.* 1. *de urbe Româ,*

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Juvat hic ad Virgilii imitationem dixisse Vellejum *lib. altero: Super totum terrarum orbem Roma extulerat caput:* & Vopiscum *in Caro, de eâdem Româ: Passa deinceps tot Nerones post Vespasianum caput extulit.* Ovidium quoque *lib.* 1. *Fastorum:*

At postquam fortuna loci caput extulit hujus,
Et tetigit summo vertice Roma Deos.

Et *libr.* 4.

Post ubi Roma potens opibus jam secula quinq;
Vicit, & edomito sustulit orbe caput.

Eodem elogio illam afficiunt Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. Justinus *lib.* 43. Idem Justinus *lib.* 18. *Cyneas à Pyrrho interrogatus, qualis Roma esset, respondit: Regum urbem sibi visam.* Propertius *lib.* 3. *eleg.* 22.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ;
Natura hîc posuit quicquid ubiq; fuit.

Cum quo Propertii encomio consonant verba ista Aristidis, in oratione, quæ tota est *de laudibus Romæ:* Ὡς ἐοίκασι τὴν πόλιν κοινὸν τῆς γῆς ἐργαστήριον. Et postea pulcherrime: Ὅ, τι δ᾽ ἂν μὴ ἐνταῦθα ἴδοις τις οὐκ ἔστι τῶν γενομένων, ἢ γιγνομένων. Martialis:

Terrarum Dea, gentiumq; Roma,
Cui par est nihil & nihil secundum.

Compendio hoc Martialis; sed pulchrè item & ubertim Claud.

Quâ nihil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem
Nec laudem vox illa capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris.
Armorum legumq; parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primiq; dedit cunabula juris.
Hæc est exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminos axes, parvaq; à sede profecta
Dispersit cum Sole manus, &c.

Erinna etiam Poëtria audienda est: Ea igitur sic ad urbem Romam:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος,
Χρυσεομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα,
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς Ὄλυμπον
Αἰὲν ἄθραυστον.
Σοὶ μόνᾳ πρέσβιστα δέδωκε μοῖρα
Κῦδος ἀῤῥήκτω βασιλῆιον ἀρχᾶς,
Ὄφρα κοιρανήϊον ἔχοισα κάρτος
Ἁγεμονεύῃς.
Σᾷ δ᾽ ὑπὸ ζεύγλᾳ κρατερῶν λεπάδνων
Στέρνα γαίας καὶ πολιᾶς θαλάσσας
Σφίγγεται, σὺ δ᾽ ἀσφαλέως κυβερνᾷς
Ἄστεα λαῶν.
Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰὼν
Καὶ μεταπλάσσων βίον, ἄλλοτ᾽ ἄλλως,
Σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς
Οὐ μεταβάλλει.
Ἦ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνα κρατίστους
Ἄνδρας αἰχμητὰς μεγάλους λοχεύεις,
Εὔσταχυν Δάματρος ὅπως ἀνεῖσα
Καρπὸν ἀπ᾽ ἀνδρῶν.

Petronius Arbiter:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, quà terra, quà sidus currit utrumq;

Horatius *lib.* 4. *Od.* 15.

Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

Idem

Idem *lib. 3. Od. 3.*

Horrenda latè nomen in ultimas
Extendat oras, quà medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Quà tumidus rigat arva Nilus.

Et post pauca:

Quicunq; mundi terminus obstitit,
Hunc tangat armis visere gestiens;
Quà parte debacchentur ignes,
Quà nebula pluviiq; rores.

Tibullus *lib. 2. eleg. 5.*

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Quà sua de coelo prospicit arva Ceres,
Quaq; patent ortus, & qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Dionys. Halicarn. Ἡ δὲ Ῥωμαίων πόλις ἁπάσης μὲν ἄρχει γῆς, ὅση μὴ ἀνέμβατός ἐστιν, ἀλλ' ὑπ' ἀνθρώπων κατοικεῖται· πάσης δὲ κρατεῖ θαλάττης, οὐ μόνον τῆς ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς Ὠκεανίτιδος, ὅση πλεῖσθαι μὴ ἀδύνατός ἐστι, πρώτη καὶ μόνη τῶν ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος μνημονευομένων ἀνατολὰς καὶ δύσεις ὅρους ποιησαμένη τῆς δυναστείας. Idem *lib.* 1. Romam vocat τὴν ἡγεμόνα τῆς γῆς καὶ τῆς θαλάττης πόλιν. Cedrenus de ea: Πᾶσαν δεδουλωσαμένη τὴν οἰκουμένην. Philo, de legatione ad Cajum loquens, de Imperio Augusti: ἀλλὰ γῆς καὶ θαλάττης ἄχρι τῶν τοῦ κόσμου περάτων. De nomine, præter supra dicta, audiamus B. Hieronym. ævo jam inclinante: *Urbs potens*, inquit, *urbs Domina, urbs Apostoli voce laudata, interpretare nomen tuum; Roma aut* FORTITUDINIS *nomen apud Græcos est, aut* SUBLIMITATIS *apud Hebræos*; nempe à רום *exaltare.* Vide *Septimontium.* Populi *Romani,* de quibus Cicero: *Semper appetentes gloriæ præter cæteras nationes sunt Romani.* Plutarchus: Ῥωμαῖοι [illegible] τοῖς φίλοις. Vide de la Cerd. *ad Virg. Æn. 6. vers. 784.* Dicuntur etiam *Romulidæ.* Persius *Sat. 1.*

——— *Ecce inter pocula quærunt,*
Romulidæ saturi quid dia poëmata narrent.

Romæ ædificia antiqua, aliaq;, ex quibus urbis splendor olim, & magnitudo deprehenditur, ex Sexto Rufo, Publio Victore, & aliis.

Ædes sacræ 102.
Ædiculæ 424.
Ærarium ingens in octava regione.
Amphitheatra 3.
Antra ingentia 2.
Aquæ 24.
Aquæductus 14.
Aræ 32. præcipuæ.
Arcus 36.
Areæ 19.
Armamentarium in undecima regione.
Asylum in sexta regione, alterum in octava regione.
Atria 6. in octava regione, & alia alibi.
Balnea 909. alia privata 82.
Basilicæ 21.
Bibliothecæ publicæ 40.
Campi 17.
Capitolia 2. novum, & vetus.
Carceres plures: in iis Tullianum, & Centum virorum.
Carinæ in tertia regione.
Castellum aquarum trium, Marciæ, Juliæ, & Tepulæ, in quinta regione.
Castra 9.
Circi 8. aliis 9.
Clivi 4.
Clypei aurati 12.
Cohortes prætoriæ 14.
Cohortes vigilum 6.
Cohortes urbanæ 6. aliis 12.
Colles 7.
Colossi 2.
Colossi ænei 37.
Colossi marmorei 51.
Columnæ Cochlides 2.
Columnæ aliæ plures: in iis Lactaria, ubi lac infantibus præbebatur.
Curatores 28.
Curiæ 30.
Delubra multa, sed præcipua 10.
Domus 2217. aliis 2097.
Emporium ingens in duodecima regione.
Equi ænei 84. eburnei 124. magni 23.
Excubitoria 14.
Fontes duo præcipui, Scipionis, & Sylvani.
Fora 19. ex quibus Forum Romanum regio est.
Horrea publica 327.
Horti plures, memoratiores 15.
Jani quadrifrontes 36.
Insulæ 46602.
Lacus 1352.
Latrinæ publicæ 144.
Lavacra publica plura, duo præcipua.
Lucus 31.
Ludi plures, in iis litterarii in octava regione.
Lupanaria 46.
Lymphæa. Vide *Nymphæa.*
Macella plura; sed 3. præcipua, magnum, & Livianum.
Mansiones aliquot, in quibus Albanæ in secunda regione.
Mensæ oleariæ 24000.
Montes in urbe 7. trans Tiberim 2.
Naumachiæ 6.
Nosocomium ingens in insula.
Nymphæa 12.
Obelisci magni 6. parvi 42.
Pilæ 3.
Pistrina publica 329. aliis 254.
Pontes 8.
Portæ 37.
Porticus 52.
Prata 2.
Pyramides aliquot, magna ex parte confractæ.
Regiæ 3. Numæ, Tullii, & Hostilii.
Regiones 14. quibus additæ 5.
Rostra 2. nova, & vetera.
Sacella plura, memoratiora 15.
Sacraria plura, præcipua 4.
Salinæ in undecima regione.
Scalæ Gemoniæ in regione decima tertia.
Scholæ memorabiliores 5.
Senatula 4. tria virorum, unum matronarum.
Septizonia 2. novum, & vetus.
Sepulchra plurima, sed famosiora 20.
Signa Deorum, & statuæ, sine numero.
Simulachra virorum illustr. 40.
Spelunca Caci in regione decima quarta.
Stationes plures, cohortium & municipiorum.
Statuæ plures, memorabiliores 15. partim Deorum, partim hominum.
Tabernæ plurimæ, in quibus tres præcipuæ.
Templa 133. in iis 2. Fortunæ, plura Jovis, Junon. & Veneris.
Theatra quatuor.
Thermæ 20.
Tribus 35. additæ 14.
Velabra duo, novum, & vetus.
Vexilla publica 2.
Viæ 31.
Vici 424.
Vicomagistri 840.
Villæ publicæ aliquot.

Hic lectorem admonendum duxi, ne urbem Romam minorem ipsa fama æstimet, dum hic domos & statuas adeo paucas legit; nam hic domus tantùm censentur, quæ nos hodie palatia vocamus. Quòd si incolarum numerum, sive ædium multitudinem conjectura quis assequi velit, insularum numerum cogitet. Quod ad statuas attinet, sciat eas innumeras fuisse; cùm Romani urbe Volsiniensium capta & direpta, inde supra duo millia statuarum Romam, teste Livio, asportarint.

Romanæ familiæ seu gentes patriciæ, ex Tito Livio, Dionysio, Tacito, Dione, Plutarcho, Tranquillo, & aliis.

Æbutia: in qua 1. Titus Æbutius Helua Consul cum Publio Veturio ann. 254. ultimus, Posthumus Æbutius Helua Cornicen Consul cum Marco Fabio an. 311.

Æmilia, ab Æmilio Ascanii filio, vel à Mamerco Numæ filio, teste Plutarcho. In ea Mamercini, Lepidi, Pauli, Barbulæ, Papi, & Scauri. Paulus Æmilius Persen Macedoniæ Regem vicit. Marcus Scaurus & Consul, & Censor, & Princeps Senatus fuit. Marcus Æmilius Lepidus triumviratum ab Augusto renunciare coactus est. Alii Æmilii Barbulæ, & Papi Consules fuere. Ultimus, Marcus Scaurus Sardiniam sortitur, & repetundarum postulatus, à Cicerone defensus est, & absolutus.

Antonia, ab Antone Herculis filio. Hinc Marcus Antonius Triumvir, qui ab Augusto victus apud Actium, Alexandriæ se interemit, Lucio Antonio filio relicto, qui Massiliæ moriens genti finem fecit.

Aquillia: in qua 1. Cajus Aquillius Sabinus Consul cum Tito Sicinio ann. 266. Alii Flori, Corvi, & Galli; nam Marcus Aquillius Gallus Consul fuit cum Cajo Mario an. 652.

Cassia: in qua 1. Spurius Cassius Viscellinus Consul cum Oppio Virginio ann. 251. ultimus, Cajus Cassius Consul cum Marco Terentio an. 680.

Claudia, ab Actio Clauso Sabino ex oppido Regillo. Hic postea Romæ in Senatorem cooptatus Appius Claudius dictus est. In qua 1. Appius Claudius prædictus Consul cum Publio Servilio ann. 258. ultimus, Appius Claudius Pulcher Consul cum Lucio Porcio ann. 569. Appius Claudius Pulcher operâ Cæsaris factus Tribunus plebis, Ciceronem in exilium ejecit.

Cloelia, à Cloelio Æneæ comite.

Cornelia, amplissima omnium; quatuor familias complectens, Maluginensium, Scipionum, Rufinorum, & Lentulorum. 1. Maluginensis fuit Servius Cornelius Consul cum Quinto Fabio anno 268. ultimus, Publius Cornelius Consul cum Quinto Marcio ann. 447. 1. Scipionum fuit Publius Cornelius Magister equitum cum Marco Furio Camillo ann. 357. ultimus, Publius Cornelius Consul cum Lucio Domitio an. 727. 1. Rufinus, Publius Cornelius Dictator ann. 419. ultimus, Lucius Cornelius Sulla Consul cum Cajo Julio an. 748. 1. Lentulus Servius Cornelius Consul cum Lucio Genucio an. 450. ultimus, Publius Cornelius Consul cum Gneio Cornelio an. 735.

Fabia, à Fabio Herculis filio. Hinc Fabii Vibulani, & Maximi, & Pictores, & Ambusti, & Buteones, & Rulliani: ex quibus Maximi diu perdurarunt.

Furia: in qua 1. Sextus Furius Fusus Consul cum Spurio Nautio ann. 265. cum aliis Fusis; Lusius Furius Medullinus Consul anno 321. cum aliis Medullinis; Marcus Furius Camillus Censor cum Marco Posthumio an. 350. cum aliis Camillis; Cajus Furius Pacilus Consul cum Marco Papirio an. 312. cum aliis Pacilis.

Gegania, à Gia comite Æneæ: unde Geganius Macerinus 1. & postremus, Marcus Geganius Macerinus Tribunus militum consulari potestate, anno urbis conditæ 283.

Horatia, ab Horatiis, (qui Curiatios & Albanos subegerunt) in tres familias divisa, in Pulvillos, Barbatos, & Coclites. Horatius Pulvillus auctor fuit.

Hortensia: in qua 1. Quintus Hortensius Dictator ann. 457. ultimus, Marcus Hortensius Ortalus; de quo Suetonius *in Tiberio.*

Hostilia, ab Hostilio ex urbe Medullia. Hinc Tullus Hostilius 3. Romanorum Rex.

Julia, ab Julo Æneæ filio, qui & Ascanius; vel ab Julo Ascanii filio, ut aliis videtur. Hinc Cajus Julius Cæsar, toties Consul, qui subacta Gallia, Britannia, Hispania, victo Pompejo, Rempublicam Dictator perpetuus occupavit, à Cassio & Bruto interfectus.

fectus. Ab eo Octavianus adoptatus I. Imperator fuit Augustus, post quem Tiberius II. Claudius III. Nero IV. postremus de hac familia. Virgilius *lib. 1. Æneidos:*

Julius, à magno demissum nomen Iulo.

Junia, à Junio Æneæ comite. Hinc Lucius Junius Brutus, qui Tarquinium Superbum Regem expellendum curavit, & Consulibus principium fecit Reipublicæ.

Lucretia: in qua 1. Spurius Lucretius Tricipitinus Consul cum Publio Valerio ann. 244. ultimus, Lucius Lucretius Tribunus Militum ann. 373.

Manlia; in qua 1. Gneius Manlius Consul cum Marco Fabio ann. 273. ultimus, Titus Manlius Torquatus Consul cum Gneio Octavio ann. 588. Primi enim Vulsones, medii Capitolini, posteriores Torquati dicti sunt.

Marcia, à Marcio Sabino, qui à Numa Rege primus Pontifex maximus creatus est. Hinc Ancus Marcius 4. Romanorum Rex.

Menenia: in qua 1. Agrippa Menenius Lanatus Consul cum Publio Posthumio ann. 250. ultimus, Marcus Menenius Tribunus militum ann. 376.

Minucia, in qua 1. Marcus Minucius Augurinus Consul cum Aulo Sempronio anno 256. ultimus, Quintus Minutius Augurinus Consul cum Cajo Horatio an. 296.

Nautia, à Naute comite Æneæ. Hinc Spurius Nautius Rutilius Consul cum Sexto Furio: postremus, Cajus Nautius Consul cum Marco Claudio an. 466.

Octavia, à Velitris originem duxit: in qua 1. Gnejus Octavius Rufus Quæstor: inde plures Consules, ultimus, Gnejus Octavius Consul cum Marco Scribonio ann. 677. Hinc Cajus Octavius à Julio Cæsare adoptatus, & postea Imperator Augustus.

Papisia, postea Papiria: in qua Papisii Mugillani, & Papirii Crassi. Eorum 1. Lucius Papisius Mugillanus Consul cum Lucio Sempronio ann. 309. ultimus; Marcus Papisius Mugilanus Consul cum Cajo Nautio ann. 342. Horum 1. Marcus Papirius Crassus Consul cum Cajo Furio an 312. ultimus, Lucius Papirius Crassus Dictator ann. 433. Item fuere Papirii Cursores: 1. Lucius Papirius Cursor Censor cum Cajo Julio an. 361. ultimus, Lucius Papirius Cursor secundum Consul cum Spurio Carvilio an 481.

Pinaria, à Pino Numæ Regis filio, unde 1. Publius Pinarius Rufus Consul cum Cajo Julio ann. 264. ultimus, Lucius Pinarius Natta Dictator ann. 390.

Pompilia, à Pomponio Sabinorum Rege: à quo Numa Pompilius 2. Rex Romanorum.

Posthumia, in qua 1. Publius Posthumius Tubertus cum Marco Valerio Consul ann. 248. postremus, Lucius Posthumius Megellus Consul cum Quinto Manilio an. 491.

Quinctia tergemina. In 1. Quinctii Capitolini: 1. Titus Quinctius Capitolinus Barbatus Consul cum Appio Claudio an. 282. ultimus, Titus Quinctius Capitolinus Barbatus Tribunus militum ann. 348. In altera Quinctii Flaminii: 1. Titus Quinctius Flaminius Consul cum Sexto Ælio an. 555. ultimus, Titus Quinctius Flaminius Consul cum Quinto Cæcilio an. 620. In tertia Quinctii Cincinnati: 1. Lucius Quinctius Cincinnatus Consul cum Cajo Claudio an. 293. ultimus, Titus Quinctius Cincinnatus Consul cum Cajo Sulpitio an. 402.

Quinctilia: in qua 1. Sextus Quinctilius Varus Consul cum Publio Curiatio anno 300. ultimus, Gnejus Quinctilius Varus Dictator ann. 422.

Sempronia: in qua 1. Aulus Sempronius Atratinus Consul cum Marco Minucio ann. 256. ultimus, Aulus Sempronius Atratinus Magister equitum an. 374.

Sergia, à Sergesto comite Æneæ. De quo Virg. *lib. 5. Æneid.*

Sergestusq́, domus tenet à quo Sergia nomen.

Hinc Lucius Sergius Catilina; qui, cum contra Rempublicam arma sumpsisset, in agro Pistoriensi deletus est.

Servilia, à Publio Servilio Prisco ex Alba exciſa Romam translato ortum habuit. In qua Servilii Cæpiones, Vatiæ, & Gemini. 1. Cæpio Gnejus Servilius cum Cajo Sempronio Consul fuit ann. 500. 1. Vatia fuit Publius Servilius Censor cum Lucio Aurelio ann. 689. 1. Geminus Publius Servilius fuit Consul cum Lucio Aurelio an. 501. cum aliis.

Silvia, ab Ænea Silvio, 1. Latinorum Regum familiæ, cujus fuere Romulus & Remus.

Sulpicia: in qua 1. Servius Sulpicius Camerinus Consul cum Publio Volumnio ann. 292. postea Servius Sulpicius Camerinus Consul cum Marco Fabio an. 408. hinc Publius Sulpicius Galba, Consul cum Gnejo Fulvio ann. 543. & Servius Sulpicius Galba Consul & Imper. ab Othone occisus; & Servius Sulpicius Galba Calpurnius à Galba Imperatore adoptatus, postremus gentis.

Tarquinia, à Damarato Corinthio Tarquiniis exulante: à quo Lucumo, qui Tarquinius Priscus dictus est, 5. Romanorum R. à Marciis occisus. Hinc etiam Lucius Tarquinius Superbus, 7. Romanorum Rex, ob stuprum Lucretiæ illatum regno pulsus.

Tullia, à Tullio Corniculano. Hinc Servius Tullius 6. Romanorum Rex, Tarquinio occiso.

Valesia, postea Valeria, à Sabinis, sive à Tatio Rege ortum duxit, pacemque inter Sabinos & Romanos composuit. In ea sunt Publicolæ, Maximi, Potiti, & Messalæ. Auctor gentis Valerius Volusus. 2. Familia hujus gentis est Flacca; in qua 1. Lucius Valerius Flaccus fuit. 3. Falconum, & 1. Quintus Valerius Falco. 4. Lævinorum, & 1. Publius Valerius Lævinus.

Vetusia, & Veturia: in qua 1. Publius Veturius Geminus Cicurinus Consul cum Tito Æbutio ann. 254. ultimus, Cajus Veturius Crassus Cicurinus Tribunus militum an. 384.

Virginia: in qua 1. Aulus Virginius Tricostus Consul cum Tito Veturio ann. 259. ultimus, Lucius Virginius Tricostus Consul anno 365.

Gentes plebejæ, ex quibus ad amplos honores plures evecti sunt.

Acilia à Trojanis ortum habere fertur. In ea 1. Marcus Acilius Curulis fuit ann. 557. Item Marcus Acilius Glabrio Consul cum Publio Cornelio an. 562. ultimus, Marcus Acilius Glabrio Consul cum Cajo Calpurnio an. 686.

Ælia (quam alii inter patricias numerant) plures continet; Pætos, Tuberones, Ligures, Catos, & Lamias. Publius Ælius Pætus 1. Consul cum Cajo Sulpicio fuit an. 416. Quintus Ælius Tubero 1. Consul cum Paulo Fabio an. 742. Sextus Ælius Catus Consul cum Tito Quinctio ann. 555. Publius Ælius Ligus Consul cum Cajo Popilio an. 581. Lucius Ælius Lamia Consul cum Marco Servilio an. 754. De his Horatius *lib. 3. Ode 17.*

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos)
Auctore ab illo ducis originem.

Atilia: in qua Atilii Reguli, quorum 1. Lucius Atilius Vulso Tribunus militum an. 354. cum aliis Consulibus, quorum ultimus, Cajus Atilius Regulus Serranus Consul cum Quinto Cæpione an. 647. & Atilii Calatini, quorum 1. fuit Aulus Atilius Calatinus Consul cum Quinto Sulpicio an. 495. inde Cajus Atilius Calatinus Bubulcus Consul cum Marco Fabio an. 508.

Aurelia, à Sabinis orta, prius Auselia, à sole vel auro dicta: in qua 1. Cajus Aurelius Cotta Consul cum Publio Servilio ann. 501. ultimus, Lucius Aurelius Cotta Consul cum Lucio Manlio anno 688.

Cæcilia, quæ à Cæculo Prænestis conditore derivari putatur. In ea 1. Lucius Cæcilius Metellus Consul cum Cajo Servilio ann. 469. ultimus, Quintus Cæcilius Metellus Consul cum Aulo Licinio ann. 758.

Calpurnia, à Calpo filio Numæ Regis orta teste Plutarcho traditur. In ea Pisones & Frugi, duæ familiæ sunt. Primæ 1. Consul cum Aulo Posthumio fuit Cajus Calpurnius Piso ann. 572. cum aliis. Alterius 1. Consul fuit cum Aulo Gabinio an. 695. Lucius Calpurnius Piso Frugi; cujus meminit Cicero *pro Sextio.* Ovidius de Pisonibus sic, *ad Pisonem:*

Claraq́, Pisonis tulerit cognomina prima,
Humida callosa cùm pinseret hordea dextra.

Claudia Marcellorum: in qua 1. Marcus Claudius Marcellus Consul cum Cajo Valerio ann. 422. ultimus, Marcus Claudius Marcellus Consul cum Lucio Aruntio an. 731.

Curii, Fabricii, & Coruncanii potiùs inter municipes quàm inter gentes numerantur.

Decia, à Publio Decio, qui se pro patria devovit, ortum ducens: in qua 1. Publius Decius Mus Consul cum Tito Manlio anno 413. ultimus, Publius Decius Mus Consul cum Publio Sulpicio an. 474. Hujus meminit Juvenalis *Satyr. 8.*

Plebejæ Deciorum animæ; plebeja fuerunt
Nomina. ——

Domitia, gemina; Calvinorum, & Ahenobarborum. In 1. Gnejus Domitius Calvinus Censor cum Quinto Fabio ann. 474. In altera Gnejus Domitius Ahenobarbus 1. Consul cum Lucio Quinctio anno 561. Hinc Gnejus Domitius Ahenobarbus, à Claudio Imperatore adoptatus, Imperator fuit, Nero Claudius Domitianus dictus.

Fulvia: in qua Lucius Fulvius Corvus 1. Consul cum Quinto Fabio ann. 431. Gnejus Fulvius Centumalus Consul cum Lucio Cornelio ann. 455. Marcus Fulvius Petinus Consul cum Tito Manlio anno 454. cum aliis; Marcus Fulvius Nobilior Consul cum Gneio Manlio ann. 564. cum aliis; Marcus Fulvius Flaccus Consul cum Appio Claudio ann. 489. cum multis aliis ultra annum 628.

Junia: in qua Didius Junius Brutus 1. Consul cum Lucio Furio ann. 418. ultimus, Marcus Junius Brutus Consul cum Marco Æmilio ann. 676. Fuere ejusdem gentis Junii, Penni plures, & Silani. Nam ultimus Pennus cognomento Callaicus Consul fuit cum Publio Cornelio an. 615. ultimus Silanus, Marcus Junius, Consul cum Cajo Julio an. 728. Item Lucius Junius Pullus Consul cum Publio Claudio an. 504.

Licinia: in qua 1. Publius Licinius Calvus Tribunus militum & consularis potestatis anno 353. ultimus, Marcus Licinius Crassus Consul cum Gnejo Cornelio anno 739. Ex eadem Lucius Licinius Lucullus Consul cum Aulo Posthumio, anno 601. cum aliis; & Lucius Licinius Muræna Prætor anno 670. Fuit

& Lu-

& Lucius Muræna Consul cum D. Silano; de quo Cicero *in oratione pro Murana.*

Livia: in qua 1. Cajus Livius Denter Magister Equitum ann. 405. Primus Consul cum Lucio Æmilio ann. 534. fuit Marcus Livius Salinator. Hinc Cajus Livius Drusus Consul cum Publio Cornelio an. 606. ultimus, Lucius Livius Drusus Consul cum Lucio Calpurnio an. 738.

Lutatia: in qua 1. Pontifex Maximus & Consul cum Aulo Posthumio an. 511. fuit Cajus Lutatius Catulus; postremus, Quintus Lutatius Catulus Consul cum Marco Æmilio an. 675.

Martia: in qua Cajus Martius Rutilus Pontifex & 1. Consul cum Gnejo Manlio an. 396. ultimus, Cajus Marcius Censorinus Consul cum Caio Asinio ann. 745.

Maria à Cajo Mario municipe Arpinate initium habuit, qui septies Consul fuit, qui armis Syllanis ejectus, Minturnis vitam finiit. Ultimus, Cajus Marius Consul cum Gnejo Papirio an. 671.

Mucia, in qua Quintus Mucius Scævola 1. Consul cum Spurio Posthumio ann. 579. ultimus, Quintus Mucius Scævola Pontifex & Consul cum Lucio Crasso an. 658.

Plautia: in qua 1. Consul cum Marco Fabio fuit Cajus Plautius Proculus ann. 395. ultimus, M. Plautius Silvanus Consul cum Cajo Julio an. 751.

Pompeja, gemina. In 1. Aulus Pompejus Rufus, à quo Quintus Pompejus Rufus Consul cum Gnejo Servilio ann. 642. ultimus, Sextus Pompejus Rufus Consul cum Sexto Apulejo an. 766. Altera Gneorum est: ex qua Gnejus Pompejus cognom. magnus, à Cæsare victus in Pharsalia, cùm antea pluties triumphasset.

Popilia: in qua 1. Consul cum Cajo Manlio ann. 394. fuit Marcus Popilius Lænas Flavius Carmentalis; postremus, Publius Popilius Lænas Consul cum Publio Rupilio an. 621.

Porcia a Cære oppido ortum habet: cujus princeps fuit Marcus Porcius Cato Censorinus Augur, Quæstor, Consul cum Lucio Valerio an. 558. Hinc Marcus Porcius Cato, qui se Uticæ interemit, partes Pompeji secutus.

Sempronia: in qua Sempronii Sophi, quorum 1. fuit Publius Sempronius Sophus pontifex & Consul cum Publio Sulpicio an. 449. Longi, quorum 1. Titus Sempronius Longus Consul cum Publio Cornelio an. 535. Tuditani, quorum 1. Consul cum Marco Cornelio anno 549. fuit Publius Sempronius Tuditanus; & Gracchi, quorum 1. Consul cum Publio Valerio ann. 515. fuit Titus Sempronius Gracchus quæstor annò 630. de quo Cicero *in Bruto.*

Tullia ortum à Tullo, Volscorum Rege, habet ex municipio Arpinate: in qua Cicerones. Quorum splendor Marcus Tullius Cicero fuit, cùm ad Consulatum perveniret, eloquentiæ Latinæ pater.

Roma, Insula Daniæ, in ora Jutiæ Merid. seu Duc. Slesvicensis, in mari Cimbrico, 1. leuc. à Ripa in Mer. Siltam versus, 3. à Tundern in Circ. Oblonga est, vixque 1. leuc. ab ora, cum uno alteróque vico; *Rom.*

Roma, Insula regni Congi, in fluv. *Zaire*, prope ejus ostium, ubi colonia Francorum, paucis ab hinc annis.

Romana ditio, tractus agri Bernensis, inter montem Jurassum, lacum Lemanum, & pagum Friburg. Ubi Lausanna, Minnidunum, Nevidunum, Ebrodunum, & Viviacum; *le pays de Vaux.* Olim sub Sabaudis.

Romana, oppidum Arragoniæ, ad amnem *de Aguas*, pauló antequam cadat in Iberum, 9. leuc. Hisp. infra Cæsar-Augustam, in Mer. Dertusam versus 16.

Romandii, vel *Romandui* Ptolem. populi sub Rhotomago, quos Northmannos esse scribit Volaterranus. Hodie *Vermandou.*

Romandiola, provincia Italiæ, sub Pontif. *la Romagna*, ubi aliàs Æmilia. Fertilis, salinisque & metallis referta. Antea etiam agrum Bononiensem complexa, nunc arctior est. Habet hunc ab Occid. à Septentr. Ducat. Ferrariæ, ab Occid. & Mer. Duc. Urbinatem & Hetruriam. Ejus pars Merid. & minor, Apenninum versus Magno Duci subest, diciturque *Romandiola Florentina*, ubi Civ. Solis. Verę autem seu Pontificiæ Romandiolæ urbes sunt Ravenna caput prov. Faventia, Imola, Forum Livii, Britinorium, Ariminum, Cervia, Cesena, & Sarsina, cum aliquot minoribus. Vide Leandr. *descript. Italia.*

Romanenses, Monachi Abbatiæ Romanæ, & incolæ loci, qui *de Romanis*, seu *Romanum* dicitur. Vide *Romanum.*

Romani, Cœtus fidelium, in urbe Roma, jam Tiberii Imp. tempore, à Christo, ministerio Barnabæ, an Andronici & Juniæ? Vide in *Roma*, collectus: ad quem D. Paulus Epistolam divinam scripsit, quæ 16. capp. constans, Religionis Christianæ absolutissimum compendium est. In hanc prostant: Abelardi *Scripta*: inter opera. Ægidii *Lectiones*, inter opera. Alesii *Commentarius*, Genevæ. Amyraldi *Paraphrasis*, Gall. in octav. Salmurii, An. 1644. Arminii *Analysis cap. 9. & Sensus genuinus cap. 7.* Inter opera. Augustini *Expositio inchoata.* Bockstadii *Idea Concionum*, quart. Francof. 1619. Brentii *Commentarius*: inter opera. Bruchii *Enarrationes*, octav. Coloniæ 1556. Buceri *Commentar.* fol. Basileæ 1562. Tubingæ 1572. Calixtus. Calovius, quart. Dantisci, 1648 Castellionis *Annotationes in cap. 9.* octav. Jenæ, 1613. Coccejus. Cooperus *in cap. 8.* inter opera, Angl. fol. Londini 1629. Corneri *Commentar.* octav. Heidelbergæ, 1583. Corrani *Explanatio Dialogistica*, octav. Londini 1574. Franc. 1588. Crellii Socin. *Paraphrasis.* Crucigeri *Comment.* Witeberg. 1567. de Dieu *Animadversiones.* Draxi *Clavis cœli, in cap. 8.* Item, *Comment. in cap. 11.* quart. Angl. 1609. Eltoni *Expos. in cap. 7. 8. 9.* fol. Londini 1654. Episcopius Socin. Faji *Commentar.* Genevæ, 1608. Feurbornius. Foxii *in cap. 11. Enarratio.* Gerhardi *Annotat. posthuma.* Gomari *Explicatio locorum difficil.* Grynæi *Exegesis*, octav. Basileæ, 1580. 1591. Huberi *Explicatio cap. 9. 10. 11.* Urielis An 1557. octav. Loniceri *Vet. Theol. Græc. ἐξήγησις*, Basileæ. An. 1537. quart. Lossii *Comment.* fol. Francof. 1579. Lutheri *Enarratio.* Marloratis *Commentarii*, fol. Basileæ, 1570. fol. Heidelb. 1613. Meuizeri *Analysis, cap. 9. 10. 11.* in octav. Francof. 1610. Musculi *Commentar.* fol. Mylii *Prodromus Disputationum*, quart. Jenæ, 1594. Alterius Mylii *Expositio*, fol. Tiguri, 1583. Nahumi *Explicatio Analyt.* octav. Hanoviæ 1598. Neheimeri *Analysis Logica*, in octav. Hanoviæ 1608. Oecolampadius *in ad Rom.* Basil. 1526. Oleviani *Nota*, octav Genevæ An. 1584. Origenis *Tractatus.* Pareus. Petrius. Pouelius *in cap. 1.* octav. Oxonii 1615. Rogerus. Rendenii *Analysis*, 2. Vol Jenæ & Hannoveræ, 1603. Rolloci *Comm.* octav. Genevæ, 1595. Lugd. Bat. 1608 Rungii *Disput.* 18. Sculteti *Idea Concion.* Snelonis *Technologia Theolog. in cap. 1.* quart. Lugduni Batav. A. 1634. Volzogenius Socin. Verstius hær. Weinrichii *Commentarius*, quart. Lipsiæ, 1608. Welleri, & Wigandi *Annotationes*, octav. Francof. Willetus, fol. Cantabrigiæ, 1620, Winckelmanni *Notationes* octav. Giessæ 1614. Zuingeri *Analysis & Quæstiones*, quart. Basileæ, An. 1655 Zuinglii *Annotationes, &c.* Plures exhibebit Guil. Crowæi *Elench. Scriptorum*

Romani, & *Cives*, appellati sunt uniuscujusque gentis populi Romani Imperii provinciales, post constitutionem Antonini I. in Orbe. *De statu homin.* Et inde, everso Imperio, veteres provinciarum incolæ civium Romanorum nomine, ab irrumpentibus Barbaris distinguebantur. Sic Britanni *Romani* appellati, apud Spartanum *in Hadr.* sic in antiqq. legg. A mediæ ætatis scriptoribus *Romani* dicuntur Allobroges & Sabaudiæ pop quin & linguâ eorum *Romanica.* Henr. Spelmannus *Glossar. Archaol.* Plura vide infra in voce *Wallenses.*

Romania, pars Græciæ, aliàs Thraciæ dicta. Vide ibi.

Romanianum, pag. agri Novariensis, in Duc. Mediol. in ipso limite Pedemontii, prope Gattinaram vicum, 14. m. supra Vercellas in Bor. Varallum versus totidem. Ibi Cimbri à Romanis victi.

Romanopolis, Armeniæ opp. Curopal.

Romanum, oppid. Delphinatus, in Allobrogibus, & diœcesi Viennensi, ad Isaram fluv. qui 3. leuc. infra cadit in Rhodanum, 3. leuc. à Valentia in Cæc. 10. à Vienna in Merid. *Romans*: à Romo XVI. Rege, ut traditio est, extructum.

Romanus I. Lecapenus, Imper. Orientis. Dux copiarum fuit Constantini Porphyrogennetæ, cui persuasit, ut Zoën matrem in monasterium detruderet: quo facto ei filiam suam junxit, effecitq; ut Cæsar primò, An. 919. dein Augustus ab ipso crearetur. Hinc elatior, Acta publica nomine suo, ante Imperatorium posito, signari voluit, filiosq; Augustos, minimum quoque Patriarcham effecit. Sed à filiorum uno, Stephano, rasus & in exilium pulsus est, An. 944. dumq; hic de præcedentia, cum Constantino fratre, contendit, Imperator veterno excusso, utrumque in Insulam relegavit. Curopalates, Luitpr. Baronius, &c.

Romanus II. Jun. filius Constantini Porphyrogennetæ, patri successit, An. 959. cui venenum propinasse dicitur. Matremq; Helenam & sorores expulit: Obiit, An. 963. an veneno, an luxu perditus? Sub eo Nicephorus Phocas, Cretam Saracenis eripuit. Joh. Curopalat. *in Comp. Hist.* Cedrenus, &c.

Romanus III. Argyropylus, ductâ Zoë, filiâ Constantini, Imperator, An. 1028. Pius primò, & magnificus, post acceptas verò aliquot à Saracenis clades, avarus: à Michaele, impulsu Zoës, veneno petitus, postea uxoris manibus in balneo strangulatus est, An. 1034. ætat. 46. Iidem.

Romanus IV. Diogenes, successit Constantino Ducæ, qui cùm tres filios reliquisset, Eudoxia horum mater, contra quod pollicita erat, Romano tum exuli nupsit, qui coronatus est, An. 1068. Contra Turcas hic primò felix, postmodum in Azanis, qui Dux infidelium erat, manus devenit: A quo cùm interrogatus, quid sibi victo facturus fuisset, respondisset libere, lancearum ictibus illum se confixurum fuisse; generosè Azan, non imitabor, inquit, sævitiam hanc Christi tui monitis parum convenientem: honesteq; illum remisit. Sed nuntio ejus captivitatis in urbem perlato, jam Michaël filius Constantini Ducæ, Eudoxiâ pulsâ, Imperium occupaverat: proin Romanus, veste pulla, in asino, ad Imperatorem deductus, oculisque orbatus est, quod vulnus cùm à nemine sanaretur, intumuit mirum in modum caput, putreque & vermibus totum scatere incepit; tantam calamitatem admirabili constantiâ ferente Romano, qui tandem obiit, An. 1071. Iidem.

Romanus, Exarchus Ravennensis, præfuit an. 10. vel 12. An. 953. Perusium aliaq; loca eripuit Longobardis, moxque iterum amisit; an proditione, an occulto amicitiæ cum Agilulfo, Longobardorum Rege, commercio? Paul. Diac. *Hist. Longob.*

Romanus, post Stephanum VI. Pontif Rom. An. C. 900. an legitimè; an à populo per tumultum electus sit, ignoratur: unde inter

inter Antipapas illum sunt qui locent. Severitate Stephani improbatâ, acta ejus rescidit. Obiit 4. pôst mensc. Onuphr. &c. Genebr. *Chron.* Baron. *in Annal.*

Romanus Diaconus, vir nobilis, Cæsareæ, sub Diocletiano sævissima passus, ad Asclepiadem Præf. monentem lictorem, tractaretur ut civem Rom. dixit: *Absit, ut me Nobilem sanguis parentum præstet, aut lex Curiæ: generosa Christi secta nobilitat viros*, circa An. Chr. 304. Prudentius *in martyrio ejus*. Alius ejusdem nominis, doluit, quòd dignus non esset, qui Christi martyr vocaretur: Sub Juliano Ap. Socr. *lib.2. cap.13.*

Romanus Hispo, vide *Hispo*.

Romaricus mons, vulgo *Remiremont*, oppid. Lotharingiæ, olim villa publica seu fiscalis, ad Mosellam, ad radices Vosagi montis, ubi Abbatia Monialium nobilis. Baudrand. à Romarico Franco, hortatu Amati Monachi, fundata: Is enim Palatium Luxovio Monasterio mutavit, servis manumissis ac plerisque detonsis & sibi adjunctis, multisque rebus loco donatis, atque in sylva Vosago, *le bois de la Voyge*, non longe à Mosella, adjutore Eustasio Monasterium hoc in Castello suo Abbas extruxit, An. Chr. 620. quod à loco, in quo conditum, Habendense, dictum. Fuit autem id duplex olim, Monachorum ac Virginum; Castello postea Monasterioque Habendensi ab Hungaris diruto, à Ludovico Arnulfi Aug. filio, non eodem loco, sed ad radices montis trans Mosellam instauratum Monasterium ajunt: quod unà cum oppido suo prioris conditoris nomine, ut dictum, Germani *Romberg* vocant, nunc nobilium Virginum Canonicarum illustre Collegium. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* 1. leuc. à confin. Comit. Burgund. 5. à Fonteneco in Ort. Colmariam versus 11. à Falconio oppid. Com. Burgund. 4. in Bor.

Romascot, aliàs *Romepenny* Angl. *Denarius Petri* Latin. ab Offa Rege Anglorum, seu Merciorum pendi cœpit. Hic enim cum regnasset annos 36. votumque concepisset, de Cœnobio Beati annorum Protomartyri St. Albano magnificentissime statuendo, ad Adrianum I. Romam profectus est: à quo cum humaniter exceptus esset, postridie scholam Anglorum, quæ tunc Romæ floruit, ingressus; destinavit ad sustentationem gentis suæ illic viventis singulos argenteos de familiis singulis, quibus mediocres essent ope, singulis annis, in perpetuum pendendos: exceptâ terrâ S. Albani Monasterio conferendâ: quâ liberalitate obtinuit, ut de regno Angliæ nullus publicè pœnitens, pro executione sibi injunctæ pœnitentiæ, subiret exilium. Appellatus est autem *Petri denarius*, iste nummus, quia præfatus Rex die S. Petri, qui dicitur, Ad vincula, S. Albani reliquias invenit, & annuum hunc reditum ipso die Rom. Ecclesiæ, pro redemptione animæ suæ, ad sustentationem videlicet scholæ memoratæ, contulit. Duravit ejus solutio, usque ad Henricum VIII. qui illam statuto 25. abrogavit. Restituta quidem An. 1. & 2. Philippi & Mariæ, sed denuo abrogata est An. 1. Elizabethæ. Item *Denarius Petri*, Anglice *Romescot*, *Romfeah*, & *Romepenny*, census annuus unius denarii, è quaibet familia, Romæ persolutus, ad festum S. Petri; Hunc instituit primò Inas Occident. Saxonum Rex, Malm. sber. *in Hist.* nonnullis id Offæ Reg. adscribentibus. Illum Eduardus III. An. Chr. 1365. regni 39. deinceps pendi aut ab Anglis amplius colligi prohibuit: Fuit autem summa 300. marcarum. De Atelwlfo, patre Alvredi Reg. primo Monarcha, quod *Denarium Petri* spectat, in Chronicis, circa An. Chr. 858. scriptum reperisse se refert Spelmannus, eum concessisse solvi Romæ 300. marcas singulis annis, quæ tali modo dividerentur: videlicet centum in honorem S. Petri, specialiter ad lumen Ecclesiæ ejus; centum in honorem S. Pauli, eadem de causa; præterea centum Papæ, ad suas Eleemosynas ampliandas, *Glossar. Archæol.* Vide quoq; Malmesber. Matth. Westmonasteriensem, ad Ann. Chr. 794. & supra in voce *Anglia*.

Diœceses Angliæ ad Denarium Divi Petri olim conferentes.

Bathoniensis solvebat libras 12. solidos 5.	Herefordensis, l. 6.
	Lincolcensis, l. 42.
Cantuariensis, l. 7. s. 18.	Londinensis, l. 16. s. 10.
Cicestrensis, l. 8.	Norwicensis, l. 21. s. 10.
Coventrensis, l. 10. s. 10.	Roffensis, l. 5. s. 12.
Eborum, l. 11. s. 10.	Sarum, l. 17.
Eliensis, l. 5.	Wigorniensis, l. 10. s. 5.
Exoniensis, l. 9. s. 5.	Wintoniensis, l. 17. s. 5. denar. 8.

Romatiana, urbs Carnorum, *Concordia* Ortelio seu *Portus Romatinus*, sic à fluv. dictus.

Romatinum, Carnorum fluv. Plin. hodie Venetæ ditionis esse, & *Lumino* dici scribit Leander.

Romechium, locus Magnæ Græciæ inter Locros & Caulonem. Ovidius *Metam.* 15.

Romechiumq́; legit, Caulonaq́; Narytiamq́;.

Romelia, pater Phace regis Israël, 4. Reg. 15. Latinè, *excelsus*, vel *celsitudo Domini*, aut *projectus à Domino*.

Romersvallia, opp. Zelandiæ, juxta brachium Or. Scaldis fluv. 1. leuc. à Bergis ad Zomam, in Occ.

Romilda, vidua Gisulphi, marito victo ac cæso, prodidit Forojulium Cagano, hostis amore capta: sed perfidiæ lasciviæque pœnas ilico dedit. Filiæ autem matri dissimiles, ascito fœtore, pudorem conservarunt, An. C. 612. Vide Varnefrid. *lib.* 4. *cap.* 38. Aimon. *lib.4. cap.5.*

Romilius Marcellus, centurio duodevicesimæ legionis, in German. infer. cùm protegeret Galbæ imagines, impetu militum abreptus vinctusque est. Tacit. *Hist.* 1. 56. postea initio Imperii Vitellii occisus, *cap.59.*

Romonum, vide *Romanum*.

Romualdus, Fundator & primus Abbas Ordinis Camaldulensis, Ravennas. Obiit An. 1027. ætat. 120. quorum 100. in solitudine transegit. Petr. Damianus, *in ejus vita*. Baron. *in Annal.* Lucas Hispanus, &c. Item, Archiepisc. Salernitanus, Auctor Chronici, Baronio ad An. 1084. & 1177. laudati: in quo agit de rebus à M. C. usque ad An. 1177. gestis, quo ille unus fuit ex Legatis Venetias missis, ad litem inter Fredericum Barbarossam & Alexandrum III. componendam.

Romula, Anton. Lazio *Radesebach*, pag. Liburniæ, quasi medius, inter Seniam ad Merid. & Siscam ad Arctos & Cæc. supra 45. m. pass. à Bibio 10.

Romula, arbor sub quâ Romulus & Remus pueri inventi sunt, erat autem ficus, Ovid. *Fastor.* 2.

Arbor erat, remanent vestigia, quaq́; vocatur
Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.

Romulea, Ῥωμυλία Stephan. urbs Samnitum in Italiâ, à Decio capta & direpta.

Romuleus mons, *Palazzo maggiore*, idem cum Palatino.

Romulianum, Lazio *Ramzares*, pag. Daciæ Ripensis, ad Tibiscum, apud Segedinum Urb. ubi Galerius Imper. sepultus: sic à Romula matre dictus. Hic Imperator Gerotcæ natus & Callinici occisus est. Aurel. Victor.

Romulus Pollio, quum centesimum ætatis annum excessisset, rogatus ab Augusto Cæsare, quâ ratione vigorem illum animi corporisque custodisset, *Intus* (inquit) *mulso, foris oleo*, Plin.

Romulus, Martis & Iliæ filius, Numitoris nepos, Remi frater, eodem cum illo partu editus. Erat enim Numitori frater nomine Amulius præferoci ingenio, qui non contentus, fratri natu majori imperium præripuisse, ut posteritati quoque suæ tyrannidem stabiliret, Lausum, prolem illius masculam, interemit. Iliam quoq́; ut spem omnem nepotum fratri eriperet, sub specie honoris Virginem Vestalem legit, eòque modo perpetuâ virginitate damnavit. Hæc tamen postea ex Marte (ut Romani credi voluerunt) gravida deprehensa, gemellos peperit, quos Amulius in Tyberim abjici jussit, matrem autem vivam in ripâ fluminis defodi. Verùm cùm id temporis Tyberis extra ripas restagnasset, nec adire usquam ad justi amnis cursum posset, qui mergendorum puerorum negotium susceperat, proximâ eos alluvie, ubi postea Ruminalis ficus fuit, expositos reliquit. Quo in loco à Faustulo regii pecoris magistro inventi sunt, & Laurentiæ uxori educandi traditi; quæ quod vulgato corpore quæstum faceret, ideoque *Lupa* inter pastores vocaretur, factus est locus fabulæ, Romulum & Remum à lupâ educatos fuisse. Lactantius *lib.1. cap.10. Romuli nutrix lupa honoribus est affecta divinis. Et ferrem, si animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit. Author est Livius Laurentiæ esse simulachrum, & quidem non corporis sed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem Lupa inter pastores, id est, meretrix, nuncupata est.* Hæc ille. Non desunt tamen, qui veram belluam Romuli nutricem vel hoc fuisse, non autem prostitutam Laurentiam, Strabo, qui Tiberii temporibus, e Ponti regibus oriundus, clarissimus fuit, *lib.5.* Μυθεύοντες δ᾽ ἐξ Ἄρεος φῦναι τοὺς παῖδας, ἐκτεθέντας δ᾽ ὑπὸ λυκαίνης ἐκθρέψαι ... Justinus *lib.38.* ex emendatione Dempsteri: *Ipsi ferum conditores suos lupa uberibus alitos* Plin. 8.17. *Quæ de infantibus ferarum lacte nutritis, cùm essent expositi, produntur, sicut de conditoribus nostris à lupâ, magnitudini fatorum accepta ferri æquius quàm ferarum naturæ arbitror.* Adscribam in tyronum gratiam celebriores poëtas. M. Tullius *lib.1. de Divinatione:*

Hic sylvestris erat Romani nominis altrix
Bellua. —— ——

Propertius *lib. 2. eleg. 6.*

—— —— *Tu criminis auctor*
Nutritus dura, Romule, lacte lupa.

Idem *lib. 3. eleg. 8.*

Eductosq́; pares sylvestri ex ubere reges.

Et *lib. 4. eleg. 1.*

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo.

Et *ejusdem libri eleg. 4.*

—— *Quem non sine matris honore*
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Ovidius *Fastor. 2.*

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino?

Martialis *lib. 2. epigr. 75.*

A nostrâ pueris parcere disce lupâ.

Juvenalis *Satyr.* 11.

Romulea simulachra feræ mansuescere jussa.

Claudianus:

Hic patrius Mavortis amor, partusq́; notantur
Romulei, post amnis iners, & bellua nutrix.

Sido-

Sidonius Apollin. *Carm.* 2.

Præbuit intrepido mammas lupa fœta Quirino.

Hi postea cùm adolevissent, an. æt. 15. Festum *Lupercalia* instituerunt, posteaque de genere suo à Faustulo edocti Amulium trucidarunt; avumque Numitorem in regnum restituerunt. Nec ita multo pòst collectâ magnâ pastorum manu, urbem novam in Palatino monte, ubi educati fuerant, ædificant. Et quoniam fratres gemini erant, nec ætatis verecundia differentiam facere poterat, ortâ inter eos contentione, uter novæ urbi nomen daret, & conditam imperio regeret, placuit rem avium judicio permitti. Cumque Remo in Aventino vultures 6. priores, Romulo autem in Palatino 12. sed posteriores apparuissent; illo tempore, hoc numero se priorem esse asserente, exorta inter pastores primùm altercatio est, quæ deinde ad manus pervenit. Ibi Remus ictus cecidit. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos muros transiluisse: inde à Romulo, sive à Celere quodam militum tribuno, Romuli jussu, fuisse interfectum. Ovidius *in Fastis*,

Mœnia conduntur, quæ quamvis parva fuere,
Non tamen expediit transiluisse Remum.

Solus itaque regno potitus Romulus, ut urbem incolis frequentiorem redderet, Asylum aperuit. Senatores centum, quos ab honore Patres appellavit, conscripsit. Vicinis connubia negantibus, virgines, quæ ad Consualium spectaculum convenerant, rapuit. Cecinenses bellum inferentes prælio vicit, regeque obtruncato, Jovi Feretrio, opima spolia obtulit. Antemnates deinde & Sabinos prælio superatos in civitatem recepit. Fidenates acie fudit, & ad opidum fugientes insecutus urbem eodem impetu cepit. Veientibus quoque, post adversam pugnam pacem petentibus, centum annorum inducias concessit. Hisce rebus gestis, legibusque egregiis conditis, cùm ad Capreæ paludem concionem haberet, ingente coortâ tempestate, repente nusquam comparuit, Patrum, ut creditur, manibus discerptus, an. regni 38. Vid. Liv. *Hist. lib.* 1. Florum, Dionysium Halicarn, Vellejum Paterc. Eutropium, Plutarchum, &c. *Romulus* autem & *Remus* à *Rumâ*, i. e. *mamillâ* dicti sunt, teste Festo. Idem tamen alibi, *Romulus & Remus à virtute hoc est robore appellati.* Hinc *Romulus* adjectivum: ut *Romula tellus* apud Virgil. *Æn.*6 & *Gens Romula* apud Horatium, Item *Romuleus*, ut *uros Romulea*, apud Ovidium.

Romulus, Consul cum Placido, an. U. C. 1095.

Romulus, Poëta. Auctor aliquot fabularum, ad imitationem Æsopi, quas Tibertino, filio suo, inscripsit.

Romulus Amaleus, Bononiæ docuit. Græcè doctissimus, Xenophontem, Pausaniam &c. Latio donavit sec. præt.

Romulus Momylles, natus patre Oreste Gotiho, postremus Occidentis imperator, *Augustulus* dictus. Vide Car. Sigonium de Imp. Occid. & Onuphr. Panvin Apud Michaelem Glycam hæc de Romulo isto legimus *Hic mihi notabis illud ipsum imperium, quod sub Romulo initium habuerat, post M. CCC. III. annos iterum sub Romulo principe defecisse.*

Romus, Ulyssis & Circes filius Steph.

Romus, Æneæ ex Lavinia fil. à quo Roma denominata, secundum Apollodorum, *in Euxenide*. Antigonus, rerum Italicarum scriptor, *Romum* ait quendam, Jove conceptum, urbem condidisse in Palatio, eique dedisse nomen *Roma*.

Roncalia, locus Gall. Tog. ad Padum, apud Placentiam Urb.

Roncilio, opp. Patrimonii S. Petri, tractus cogn. caput, ad Faliscum amnem, 30 mill. à Roma, Viterbium versus 10. antea sub Parmæ Duce, nunc Pontifici subest; *Ronciglione*.

Rmice, filia Hengisti, cujus formâ Vortigernus Britonum R. captus est. An. C. 452. Polydor. *Hist lib* 3.

Ronsardus Petrus, Princeps Poetarum Gallorum. Filius fuit Ludovici, equitis Ord. S. Michaelis, in Vindo ino tractu natus, Ann 1524. Studiis applicitus, Parisiis, in Collegio Navarræo, illa mox fastidiit, unus ex ephebis, Ducis Aurelianensis primò, dein Jacobi Stuartii Scotiæ R. factus. Post biennium, in patriam reversus, variis negotiis à prædicto Duce adhibitus, Lazarum Baifium, libellorum supplicum Magistrum, ad Diætam Spirensem missum, comitatus, Viri tam eruditi commercio ad literarum amore in denuo succensus est: & cùm Doratus Legati filium Johannem Antonium, in Græcis, erudiret, sic cum ipso noctis tempora partitus est, ut Ronsardus usque ad secundam noctis in tempestæ horam, Ba fius verò dein surgens, reliquum ejus studendo exigeret. Post hæc totum se Poësi dedit, omnivariis generibus carminum excogitatis; Scripsit Franciadem, Odas &c. Magno in pretio, apud Henricum II. Franciscum II. Carolum IX. à quo versibus sæpenumero provocatus est, & Henricum III. Obiit Augustæ Turonum, Ann. 1585. Epicedia ei facta Claudius Binetus collegit. V. quoque Scævolam Sammattan. *in elog. l.* 3.

Roob sive *Robob*, potens urbs est tribus Aser, Levitis eum suis suburbanis ad inhabitandum data: à qua & circumjacens terra, quæ Cæsaream Philippi usque extenditur, *Regio Roob* nominatur.

Rooba, vicus Levitarum, usque ætatem Hieronymi perduravit, in quarto lapide Scytopoleos, in tribu Issachar, Hier. *in Loc. Hebr.*

Ropicum, Corsicæ op Ptol. *Rogela* Pineto.

Rora, arx Helvetiæ, Comitum olim sedes, & caput Comitatus cognom. qui hodie *libera Provincia* appellari amat, & in potestatem à Lucernatibus redactus est, jussu Sigismundi Imper. & Concilii Constant. Subest ditio hæc septem Helvetiorum pagis. V. in voce *Libera provincia*.

Rora, fl. Belgii, V. *Rura*.

Ros, fil. Benjamin. Gen. 46. Lat. *caput*, *vertex*, aut *summitas*, sive *principium*.

Rosa, urbs episc. Dalmatiæ, sub Arch. Raguseo, excisa, Ascrivio proxima; *Roxa*.

Rosa crucis, nomen Congregationis, quæ sub initium seculi hujus, in Germania, emersit. Huic qui nomen dant, Fratres Rosæ crucis dicti, jurant se secretum non propalaturos, ænigmaticè sibi invicem scribunt, & Societatis leges se servaturos sanctè pollicentur. Jactant se omnium Disciplinarum scientiarumque, Medicinæ inprimis, quam hactenus ignoram incultamque jacuisse dicunt, Restauratores: Arcana varia maximi momenti se nosse, inter quæ minimum sit Philosophicus lapis, illamque notitiam per Traditionem, ab antiquis Ægypti Philosophis, Chaldæis, Magis & Gymnosophistis hausisse se gloriantur. Dicunt insuper, An. 1378. nobilem quendam Germanum, cujus nomen per *A. C.* exprimunt, postquam in monasterio quodam Græcam Latinamque linguam addidicisset, in Palæstinam profectum, cumque Damasci æger Sapientes Arabiæ consuluisset, ab illis admirandam hanc artem edoctum, post reditum in Patriam, sociis allectis, illos tantorum secretorum participes reddidisse, Obiisse autem huncce, Ann. 1484. Fratres hi successores habuerunt, usque ad ann. 1604. quo unus ex illis, in sepulchrum Fundatoris, variis emblematis, characteribus & inscriptionibus variegatum, cum literis *A. C. R. C.* incidisse dicitur: ibi libro reperto, in chartâ pergamena aureis literis scripto. Hi, quia vitam hominis communiter ad an. 140. se extensuros promittunt, *Immortales*; quia tam sublimia jactant, *Illuminati*, sed quia ab aliquo tempore, post tot fraudes deprehensas, non in publico comparent, *Invisibiles* dicuntur: Empiricorum abortus hæc secta est. Quod Illuminates Hispaniæ attinet, quidam similis farinæ homines illos, alii verò longè melioris notæ esse, existimant. V. *Illuminati*.

Rosarum Urbs, V. *Rhodopolis* & *Rostochium*.

Rosburgum, urbs Teviotiæ, ad fl. Teviotam, qui pauló infra in Tuedam abit. 15. mill. Angl. à Bervico in Occ. 5. à limite Angl. in Scotia merid.

Roschildia, Urbs Daniæ Ep. sub Ar. Lundensi in Zelandia ins. Regum tumulis nobilis, paceq; ibi inter Sueciæ Daniæque reges initâ, 1658. 4. leuc. ab Hafnia in Occ. 5. à Coronæburgo in Afr. cum portu satis capaci ad Sinum Isoram, 4. leuc. à sinu Codano in Mer.

Roscianum seu *Ruscianum*, urbs Arch. Calabriæ citer. cum tit. Duc. 16. mill. a Besidiano in Ort. 12. à Thurio in Mer. ferè 30. à Cosentia in Bor. *Rossano*.

Roscius, histrio insignis, in arte suâ usque adeò absolutus, ut si quem significare velimus cæteris sui generis hominibus præcellere, *Roscium κατ' ἐξοχὴν* appellemus. Hic cùm obliquos haberet oculos, turpique esset aspectu, primus personâ in scenâ usus est: populus tamen eum sine personâ intueri malebat, ob pronunciandi dulcedinem. Cic. 1. *de Oratore*. Item *Roscius* Amerinus, qui in causâ parricidii defensus est à Cicerone.

L. Roscius, legatus Cæsaris, cui tertiam legionem hibenatum in Essuos ducendam dedit, Cæsar. V. *Com.*24.

Roscius Cœlius, legatus vicesimæ legionis, maximas discordias & simultates cum Trebellio, in Britannia, exercuit, adeoque militem odio in Consularem legatum accendit, ut ad Vitellium profugere coactus sit. Tacit. *Hist.*1. 60.

L. Roscius Fabatus, Prætor, cujus meminit Cæsar *initio lib.* 1. *de bello Civili*, qui quòd Lanuvio oriundus esset, Junonis Sospitæ simulacro, quæ Lanuvii colebatur, & Lanuvini serpentis notâ nummos signavit.

Roscius Otho, in tribunatu suo legem tulit, quâ equestrem ordinem à plebe distinxit, equitibus 14. gradus seorsim assignans, in quos nemo reciperetur, nisi qui 400 sestertiorum censum expleret. Hæc lex à latore *Roscia* dicitur. Unde Horatius,

Roscia dic sodes melior lex, an puerorum
Nænia, quæ rectè regnum facientibus offert?

Juvenal. *Sat.* 3.

—— —— *Exeat, inquit,*
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, & sedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati, &c.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Roscomenum, opp. Connaciæ in Hibern. prope Succum fl. vix 5. mill. à Rea lacu, 12 ab Alona in Bor. Caput Comit. Roscomensis, qui inter Longofortiensem & Letrumensem Comit. ad Ort. & Mayensem Gallivensemque Comit. ad Occ. est.

Roscovia, V. *Rostovia*: ann 1565. à Moscoviæ D. subacta.

Rosea campus, *Rosia* Ciceroni *lib.* 4. *ep. ad Atticum*, ager Sabinorum in territorio Reatino, apud Velinum lacum. Virgil. *lib.*7.

Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini.

Rosellanus ager, territ. Rusellarum urbis Hetruriæ excisæ Liv.

Rosiria, opp. Lotharingiæ, ad Murtam fl. Salinis nobile: Hinc

Rosieres aux Salines dicitur. 5. leuc. à Nancejo in Eur. 6. à Tullo in Ort.

Rosetum, urbs agri Senensis versus Maritimum tractum, vix 6. mill. ab ostiis Umbronis in Bor. 12. à Telamone in Circ. 30. à Plumbino in Ort. Sub Magno Duce; *Grosseto*.

Roshemium, Germ. *Rosheim*, Civ. Imperialis in Alsatia, prope Oberehenhemum & Molshemum. In hac Prætoris officium penès familiam Rumeliorum est, jure hæreditario, ac feudi Imperialis titulo. V. Limnæum *de Jure publico*.

Rosiema, urbs Samogitiæ, ad Dubissam fl. 30. leuc. Pol. à Riga in Mer. Counam versus 12. & 18. à Vilna in Occ.

Rosimunda, Longobardorum Regina. Filia fuit Cunimondi, occisi ab Alboino: qui hanc sibi junctam, cùm in convivio quodam è cranio paterno bibere coëgisset, decrevit illa secum contumeliam hanc ulcisci. Re igitur cum Helmigo, stabuli præfecto Regis, communicatâ, hic ut Peredæo quoque rem aperiret, petiit, quo eò tutius facinus patraretur. Adit Peredæum, virum insignem. Regina, quem ut aversari videt tantum scelus, loco uxoris, cum ipso inscio concubuit, crimen dein fassa, minata est ipsi mortem, nisi cædem patraret. Ita hic, Regicidium commisit, illa autem unà cum Helmigo, cui nupsit, Ravennam se recepit. Ubi Exarchi Longini nuptiis inhians, novo scelere Helmigum tollere decrevit: sed ille venenum sibi è balneo exeunti oblatum, ipsam haurire, stricto pugione, coëgit; sic pœnas tandem Rosimunda meritas luit, An. 574. Paul. Diac. *lib. 2. de gestis Longob.* Gregor. Tur. &c.

Rosius portus Ciliciæ, apud Polyæn. *lib. 4. in Antigono*, *Comm. 9.* Φοινίσσαι νῆες ὁρμοῦσαι Κιλικίας ἀπὸ τοῦ ῥωσίου λιμένι χρήματα ἐνηγμένας ἄγουσαι. Scribe *Rhosius*.

Rosonum, V. *Rhicinium*.

Rossa, urbs Lageniæ, in Vexfordiensi Comitatu Hiberni. ad Pirgum fl. olim ampla, nunc raros habet incolas, 17. m. p. ab ora littor. maris Verginii in Bor. 20. à Vexfordia in Occ.

Rossæus Alexander, Anglus. Ejus extant, *Virgilius Christianizans*, *Παντόβιον*, *Mystagogus Poëticus*, &c. Floruit nostro seculo.

Rossia, prov. ampla Scotiæ Bor. sub qua Armanothia & Assinus Comit. Habet à Sept. Navernium & Sutherlandiam, à Mer. Abriam & Moraviam, ab Or. mare Germ. ab Occ. Hibernicum. Ejus urbes præc. Chanonricum & Cromartium, in parte Or.

Rossia, urbs Hibern. in Momonia & Comit. Corcagiensi, ad ostia Finei fl. cum portu capaci. Ep. sub Ar. Cassiliensi, 30. m. p. à Corcagia in Mer. & 22. à Kinsalia in Afr.

Rossius Regulus, sub Vitellio, unum Consulatus diem, qui in locum Alieni Cæcinæ supererat, eblanditus est. Nam pridie Kal. Novembr. iniit ejuravitque. Tacit. *Hist. 3. 37.*

Rossontium, hodie *Rossontum Longum*, Gall. *Rosson le Long*, vicus Galliæ, ad Axonam, inter Augustam Suessionum & Vicum ad Axonam, *Viz sur l'Aisne*, caput olim pagi cognominis. Item locus in Bellovacis, vulgò *Resson*, unus est ex 9. Archidiaconatibus Ecclesiæ Bellovacensis, adjacetque Aronæ fl. à quo & *Resson sur Aronde* cognominatur, Arona autem decurrit in Isaram, è regione Compendii. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rostochium, quod olim *Lacinium*, & corruptè *Rhodopolis* & *Laciburgium* vocitatum, urbs est Vandalica Anseatica, maritima, & Megapolitana, & præ multis aliis Germaniæ, cujus hæc ad Boream limes, urbibus præcipuis, literario simul & mercatorio emporio clarissima. Megapoleos Principibus semper paruit, à quorum majoribus, circa epochæ Christianæ annum 329. levibus initiis, instar pagi, ad Varnam amnem condi incepta, & postea à Godescalco, Obotritarum rege, in oppidulum conversa, ac demum ann. 1160. à Primislao secundo, Nicolotti filio, & Obotritarum seu Herulorum rege quadragesimo & ultimo, ex vicinæ, & tum ab Henrico Leone desolatæ urbis Kessini ruderibus, muro cincta, fossis munita, inque urbis formam instaurata est. Nomen urbis Vandalicum est, divisionem seu dissolutionem aquarum significans, & *Rostzoch*, vel *Rotzoch* olim fuit appellatum, ut Poloniæ Historiographi, qui terram uliginosam vocabulum illud interpretantur, & sigillum urbis majus adhuc attestantur: alii à vicino urbi Rosarum horto, & fragrantibus rosis nomen deducunt, ut esset *Rostock*, quasi *Rosenstoch*: alii alias vocabuli comminiscuntur interpretationes. Rostochiensem ditionem occupavit Ericus VI. Danorum R. A. C. 1286. sed Christophorus III. Erici VII. successor eam Megapolitano Principi restituit, An. C. 1322. Valdemarus item IV. Alberto Megapolitano tractum hunc contulit, An. C. 1360. Partes urbis tres sunt, *Antiqua*, quæ tribus templis, nim. D. Petri, D. Nicolai, & D. Catharinæ, nec non Jurisconsultorum collegio insignis est. *Media*, quæ brachio Varnæ ab antiqua separata, templis D. Mariæ, D. Johannis, nec non Curia & Graphæo, pulcherrimisque ædificiis & civium flore resplendet: Et *Nova*, quæ collegiata D. Jacobi Ecclesia, tribusque aliis Spiritui Sancto, D. Michaëli, & S. Cruci dicatis templis, nec non Academiæ à Johanne fil. Magni, & patruele ejus Alberto ducibus Megapol. fundatæ Ann. C. 1415. primùm deinde demum introductæ, An. C. 1419. à Joh. Alberto verò & Ulrico postea dotatæ, Collegiis octo exornatur. Longitudo urbis 2166. passuum est, latitudo 825. ambitus 5500. si passum ulnæ æquipares: ac parum distat longitudine sua ab Imperiali Lubeca, quæ 2150. passus longa, & 1300. fermè lata est. Merel. Frequentibus seditionum motibus & incendio, aliisque malis sæpius est devastata. Inter alia enim, orto dissidio inter cives & Senatum, cùm Cæsar causæ disceptationem Joh. Alberto Duci, qui Principatum omnem ad normam August. Confess. reformaverat, mandasset, ipse armatus in urbem intromissus, Senatum gravius habuit, arxque quæ extrueretur designata est, Ann. C. 1573. Iterum res ad bellum spectavit, civibus se adversus arcem palis ligneis munientibus, Megapolitanis autem, quos Dani juvabant, portum obsidentibus, donec interventu Nobilitatis lite compositâ cives Principi jurarunt. Ut recentiora omittam. Hic Georgius Rikenius Pastor, Reformatis Mariâ apud Anglos dominante in exilium inde ejectis & hospitio Rostochii excipi petentibus acerrimè se opposuit, circa An. C. 1554. V. *Rhodopolis*.

Rostovia, urbs ampla Moscoviæ, Duc. cognom. caput, clara sede Archiep. ad Cotoream amnem, 26. mill. à Rha fluv. in Mer. Cum arce lignea. 34. mill. Pol. à Moscua. Ducatus hic inter Sardaliam est ad Ort. & Tuveriam ad Occ. Post Novogardiam magn. inter Russiæ Princip. olim præcipuus habebatur, & secundogenitis Ducum Russiæ tribuebatur. Quorum posteri à Joanne Basilide, novissimo hærede An. 1565. indignè trucidato, & stirpe penitus deleta, spoliati sunt.

Rostra, templum Romæ in foro ante Curiam Hostiliam, in quo erat suggestus, è rostris navium Antiatum, ex quo concionabantur.

Rostrata villa, locus Tusciæ, in villa Flaminia, inter Romam & Otriculum, 24. m. p. Anton. cujus hodie nihil extat.

Rostrum Nemaviæ, op. Rhætiæ inter Augustam Vindeliciæ & Campodunum. Anton. *Roshoptem* Lazio, *Memmingen* Simlero. Baudrando *Mindelheim* oppidul. cum castro, ad Mindelam fluv. in Suevia, sub Bavariæ D.

Rosvida, vel *Hurosvitha*, monialis in cœnobio Gandesseim, in Germania, floruit sec. 10. Stirpe & ingenio inclyta, Græcè & Latinè pereruditа, versu prosaque prompta: Hortatu Ottonis II. Imp. scripsit carmine, vitam Ottonis I. Eadem poëma de martyrio S. Dionysii, S. Pelagii &c. edidit; quæ Conradus Celtes imprimi curavit Norimbergæ, An. 1501. Possevin. *in appar.* Vossius *de Hist. Lat. lib. 2. cap. 41.*

Rosulum, vicus Etruriæ, Sutrio & Nepitæ urbibus proximus, medius inter urbem Romam & Viterbium, 20. m. p. utrinque. *Monte Rosi* Leandro.

Rot, nomen familiæ, apud Basilienses, nobilissimæ, quos *Russos* Lat. dicas. Ex hac Hartmannus An. C. 1374. summo Magistratu functus est, eo tempore, quo Johannes Episcop. civitatem obsedit & atroci bello afflixit, quoque Ferretum, Beaufortium, Porrentrutum oppida cum castris villisq; plurimis flammis vastata sunt. Johannes dein An. C. 1444. civibus consilio præfuit, *Fabius Basiliensium* dictus, eò quòd bello Armeniaco urbem infinitis Gallorum obequitantium copiis in summum discrimen adductam, ab imminenti interitu prudentiâ suâ vindicavit. Post hunc Petrus Consul Hierosolymitanus eques, bello cruento & funesto, quod magni fœderis socii contra Carolum Burg. D. gessere, in Grandissonensi primùm pugna, An. C. 1476. octingentorum Basiliensium ductor fuit: in Moratensi verò clade decimo Kal. Julii post insecura, 2000. peditum & 100. equitum fortissimum felicissimumque Imperatorem egit. V. Christ. Urstisium *Hist. Basil.*

Rotanus, Ptol. *Tavignam*, aliis *Alerie*, fl. Corsicæ apud Aleriam in Ort. profluens ex medio Ins.

Rotejacum, villa Parisiacæ Ecclesiæ, in pago Amoniensi, aut ab eo non procul, Parisiis Augustodunum petenti obvia, Fortun. Presbyter *de vita Germani cap. 37.* Erat autem pagus hic *Amaus*, Amansusve vel Amoniensis in Burgundia, inter pagos Cabillonensem & Attuariorum ab Arari, Oscara ac Vincenna & Tila fluv. haud procul: hodie vetus nomen amisit. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Rotenbium, opp. Blekingiæ, in ora maris Balt. 7. leuc. à Christianopoli in Occ. Alhusium versus 6.

Rotenburgum, elegans Franconiæ op. Imperiale, ad Tubarum fluv. in colle satis parvi circuitus, ab An. 1463. à turrium & tegularum rubore dictum: q. Erythropolis. Paruit olim Francorum Ducibus, Lehmanno Sueviæ priscis Ducibus illud asserente, cùm Fridericum I. Sueviæ Ducem Historici Ducem in Rotenburgo nominent. Post Friderici I. verò tempora Imperii urbibus accensitum, Franconiæ cella penaria habetur. Regitur Democraticè, habetque in Comitiis sessionem post Nerolingam & ante Hallam. Privilegia accepit amplissima à Rodolfo I. Ludovico, Alberto, Henrico, Ruperto, Sigismundo, Friderico III. Maximiliano I. Carolo V. Maximiliano II. Impp. Fuerunt quoque olim Burggravii, Duces & Comites Rotenburgenses, ut ex Gylmanno *tom. 1. Symph. part. 3. vot. 23. n. 70.* constat: sed his extinctis, Friderici præfati beneficio, urbs Imperio accessit. Judicium verò hoc provinciale, cum præfectura Imp. tempore Ruperti Regis civitati oppignoratum, imo tandem venditum est. V. Limnæum Enucl. *lib. 4. cap. 50.* & Simler. *de Rep. Helv.* 19. leuc. à Norimberga in Occ. paulo minus ab Herbipoli in Mer. Nerolingam versus.

Rotenburgum, urbec. Sueviæ, ad Nicrum, qui mediam secat.

Sub Austriac. in ipso limite Duc. Wirtemberg. 1. leuc. à Tubinga in Occ.

Roterodamum, urbs Batavorum litorea, à canali, *Rotter*, dicta, elegans, & longa, inter Dordracum & Delphos. Emporium percelebre ex præcipuis Belgii fœder. Patria Erasmi. 5. leuc. ab ora maris Germ. in Ort. 4. à Lugd. Bat. in Mer. Vide Guicciard. *descr. Belg.*

Rotevilla, urbec. Imperialis Sueviæ, ad Nicrum, Helvetiis fœderata: Dicta à voce Germ. *Rott*, i. cohorte, & *Vil*, villa; quasi dicas, cohortium Cimbricarum mansionem: hæ enim ibi consedisse dicuntur, postquam à Romanis fusi essent. Pagus primum fuit & villa exigua, dein civitas facta, aliquoties sedem suam mutavit: primò quidem trans Nicrum, dein ob Preimii torrentis crebras inundationes, in alteram ejus ripam translata; quæ *vetus Civitas* hodie appellatur, denique postquam conflagravit, paulo editiore in loco collocata est. 16. leuc. à Brisiaco in Ort. 6. à Seaphusia in Bor. Hic ol. Juridica sedes totius Sueviæ; instituta à Conrado Suevo Imp. An. C. 1147. quando cum Lothario Saxone de imperio decertavit; ubi egregiam civium in se fidem expertus, Imperialis hujus Judicii axiomate illam compensavit. Assessores XII. ex ordine equestri vel Senatu legi soliti; sed Electores ad tractum Rheni & Com. Zollerii ab eo exempti sunt: Interim ab hoc judicio ad Cameram appellatum. In dieta pacis Monaster. de eo abolendo actum. V. Limnæum Enucl. *l.* 4. *c.* 47. Capta urbs fuit bello Germanico à Gallis, sed reddita, & Mareschallus Guebrianus, victis prius Imperialibus, ex vulnere; Obiit An. 1643.

Roth, civitas munita, in tribu Gadibi; Hebræ est Araroth, & jungitur aliquando sequenti dictioni *Sophan*, *Ataroth sophan*.

Rotharu, Longobardorum R. fil. Aionis, Ducis territorii Brescia-ni. Successit Arioaldo, An. 638. ope Gundobergæ, fil. Agilulphi ex Theodelinda; cui juratò promittere coactus est; se, priori uxore repudiatâ, Gundobergæ indivulsè adhæsurum. Sed conscenso semel throno, illam in carcere quinquennali detinuit, Procerumque non paucos sibi adversantes è medio sustulit: interim à Clodoveo II. Galliæ R. petitam, dimisit. Cepit dein Genuam, Albengam, Savonam, aliaque Imperii loca, quæ vastavit, ut & Tusciæ urbes non paucas. Leges Longobardicas scripto consignari curavit, sub nomine *Edicti*. Obiit A. 653. Rodoaldo filio successore. Paul. Diaconus, *de gestis Longobard.*

Rotherus, fl. Angliæ. Oritur in Sussexia prov. dein per Cantium fluens, tandem ad Ripam opp. Sussexiæ in mare Britann. se exonerat.

Retianum, opp. Apuliæ Peucetiæ.

Rotnacum, Gall. *Ernay*, Flandris *Roncen*, amplum Flandriæ municipium, in Diœcesi Maalinensi, Canonicorum collegio insigne, ut Sonegiæ & Condate; ad Hainæ & Scaldis confluentes, in Hainoo. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Roto, locus Galliæ, ad fluin. Vicinoniam in Venetis, vulgò *Rodon*, ubi Benedictinum Monasterium S. Servatoris: inter duo flumina Dutulum & Vicinoniam prædictam. Hic Covojonus quidam Britannus Monasterium condidit, cui Ludovicus Pius *locum Rotonensem* omnium onerum immunem donavit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rotojalum; vulgò *Rueuil*, Rotomagensis in Gallia territorii castrum, in valle, quò Fregedundis, post Chilperici mariti mortem, secedere compulsa est, à Gunthchramno & O primatibus: non procul à confluentibus Auturæ & Sequanæ. Item vicus agri Parisiaci: à rubore soli nomen utrumque accepit, *Roth* enim Celtis rubrum notat. Hinc Vallis Rodolii & Rodolia Brittoni memorata *libr.* 5. vitifera ac fœnifera, longa aliquot m. p. nomen habet; *le Val de Rueil*, vel *Vau de Rueuil*.

Rotomagensis pagus, ad utramque Sequanæ ripam, ex majore parte cis, ex minore trans illam, jacet: quarum hæc *Rodomensis* pagus, dicitur, in capitulis Caroli M. an. 770. latis: illa *Rotmensis* à Rotomago, in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum An. 853. editis. Hodieque pagi Rotomagensis pars ea, quæ trans Sequanam in Nortmannia propriè dicta est posita inter Sequanam & Riselam fluvios; *le Romou* vocatur, & Burgum Theroldi, Pontem Audomari, Brioniam, aliaque loca complectitur. Pagi autem *Rotomagensis* nomine tantùm ager suburbanus designatur; non autem Veliocasses & Caleti, qui ambo pro capite Rotomagum habent; & patriciæ ejus finibus continentur. V. Hadr. Val. *Notit. Gall.*

Rotomagus, Normanniæ metropolis, antiqua, ampla, opulenta, populosa: Archiep. sex sedes Episcopales sub se continens, & Parlamenti sedes. Dicta quibusdam Celticè quasi *Roti urbs*, à Rotho vel Rato idolo, quod ibi olim cultum: A Julio Cæsare, teste Orderico Vitali *Hist. lib.* 5. condita in loco aptissimo, ubi ad Or. caput urbis Albula fluvius *Aubette*, cum Rodebecco *Robec*, & ab Occ. Marrona *Renelle*; in Sequanam influit. A quorum medio, Monasterium S. Audoëni alluente, qui *Rodobeccus*, quasi *ruber rivus* voce Francogermanicâ dictus; urbem potius appellatam docet Hadr. Valesius: qui Vitalem quoque de conditore corrigit, unam ex vetustissimis Galliarum urbibus, à Gallis multò ante Jul. Cæsarem extructam esse ostendens. Caput Veliocassium, & Caletorum, in vett. Notit. provinciæ Lugdunensis secundæ primatia, cùm potius Belgicæ adscribenda esset, utpote ad dextram ripam Sequanæ posita, quo flumine à Belgis Gallos dividi Julius Cæsar & Geographi docent. Jam sub Theodosio M. celebris, situ supra alias Galliæ urbes insigni. Non procul à mari ab una parte, ab altera Sequanam, ut dictum, habet, navium magnarum patientem, Emporium proin celeberrimum. Sedes olim Ducum. Monasterium vetertimum SS. Petri & Pauli, posteà S. Audoëni, à sepulto ibi Episcopo dictum; & puellare cœnobium S. Amandi, quæ olim extra muros, pòst prolato pomœrio, mœnibus suis hodie complectitur. Ex portis ejus, Caletica dicitur, *la porte Cauchoise*, quæ pagum Caletieum spectat; Bellovacensis, quæ Bellovacos ducit. Amphitheatrum olim suum habuit, cujus ut & Caveæ vestigia clara adhuc supersunt. Tria hîc loca munita scribit Alanus Carterius, Palatium, arcem seu Castellum, quod à situ & monast. Abbatiali S. Catharinæ Mons vocatur, item munimentum S. Catharinæ; & Pontem. Basilica S. Martini super muros civitatis ligneis tabulis fabricata, quæ Metoveo & Brunichildi incestæ perfugium, sub Chilperico, præbuit, Ann. C. 575. hodieque Baptismalis seu Parœcialis Ecclesia est, muris urbis etiamnum proxima, ad Marronam seu Renellam amniculum, vulgò *la Cure de S. Martin sur Renelle*: præter quam & Parœciæ S. Laud. & S. Johannis super Renellam ibidem sunt. 125. habet vicos, quorum aliqui supra modum egregii. Præsulem primum Nicasium habuit. Diœcesis ejus amplissima est & tertiam minimùm partem Normanniæ complectitur: ab Or. Isarâ; ab Occ. Oceano, à Sept. quoque magna ex parte, insuper Auco flum. & Albamarla: à Meridie Sequanâ terminata, sic tamen ut ad 2. aut 3. leuc. à Rotomago Sequanam transeat, usque ad Risclam amnem, Burgum Theroldi *Bourgtheroude*, & Pontem Audomari Brioniamque *Briosne* continens. Includit finibus suis à Ponte Audomari ad Angam, vel à Brionia ad Albam Marlam parœcias 1388. Principatum unum, Ducatus tres, Marcas complures, sex sub se Archidiaconatus, Rotomagensem; Augensem, majorum Caletorum, Veloeassium Francicorum, Veloeassium Normannicorum, & minorum Caletorum: Comitatus septem, Abbatias 31. in quibus eminent Fiscamnus, Fontanella, Gemeticum, Beccus, S. Petri vel S. Audoëni Rotomagi. Monasteria utriusque sexus 24. In templo ejus præcipuo Campanâ visitur, dicta *la George d'Amboize*, ex totius mundi maximis. Portu gaudet celebri, sed imprimis admirando ponte, quo Sequanâ jungitur, ex navibus constante, qui æstu accedente & recedente, surgit & descendit. Parlamentum hic institutum, A. 1286. à Philippo Pulchro; fixum autem & perpetuum redditum est, à Ludovico XII. Ann. 1499. precibus Cardinalis Ambosiani. Interim & varias calamitates inclyta hæc urbs diversis temporibus sensit. Horribili arsit incendio, An. 1019. Capta est à Normannis, An. 841. ab Anglis An. 1418. recepta à Carolo VII. An. 1449. Iterum à Reformatis, bello intestino, occupata, sed recuperata & direptâ est, Ann. 1562. sub Carolo IX. mortuo Antonio Borbonio Navarræ Rege, vulnere in obsidione ejus lethali accepto: Denuo Ligistis, in quorum potestatem venerat, ab Henrico magno erepta est, An. 1594. postquam illam frustra tentasset, An. 1593. Mare *Rotomagense* id vocatur Fortunato *lib.* 6. *carm.* 7. *de Gelesvintha*, in quod Sequana effluit:

Pervenit, quà se piscoso Sequana fluctu
In mare fert juncto Rotomagense sinu.

Talepied. *Antiq. Rotomag.* Joh. Dadræus, & Joh. Prævostus, *de Arch. Rotomag.* Joh. Nagarellus, *descr. Normanniæ.* Duchenius *Antiq. Urb.* Sincer. *Itin. Gall.* Papyr. Masson. *de flum. Gall.* &c. De Senioribus hujus urbis V. in voce *Seniores.*

Pagi Diœceseos Rotomagensis.

Augensis, *le pays d'Eu.*	Rodomensis, *Rommois.*
Brajum, *Bray.*	Tellau, *le Talou.*
Caleticum, *le Caux.*	Veliocassinus, *le Veuxin, &c.*

Oppida clara.

Alba Marla.	Gisortium.
Andelejum.	Gornacum.
Auga.	Magniacum.
Brangiacum.	Mellentum.
Briva Isaræ.	Monasterium Villare.
Caldebeccum.	Novum Castellum.
Calvus Mons.	Pons Audomari.
Deppa.	Portus Gratiæ.
Elbodium.	Quellebodium.

Rotula, *us*, & *um*, tabb. publicæ, è quibus actus & responsa Curiarum recitantur: imo & alia quævis pagina, quæ *rotæ* instar involvitur: à quo Romanis *volumen* dicitur. Item Matricula, Catalogus &c. Angl. *a roul*, Germ. *Rodel.* Fuit quidem Romani moris forensia gesta codicibus mandare; sed inclinato jam Imperio, *Rotulorum* usus repetitur inter insignia Magistratuum, in utrisque Notitiis. V. Ingulphum Saxonem in voce *Domesdei*, Hinemarum *Epist. ad Nicol. P. P.* Flodoard. *lib.* 3. *cap.* 14. *&c.* *Rotulus Wintoniæ* apud Anglos dicta est illa Angliæ descriptio, quæ ab Alvredo R. facta aliàs *Domesdei* est appellata: Wintoniæ enim illa tum reposita fuit; inter cætera regni scripta & monimenta. Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.* Reperitur item *Rotulus Cancellariæ*, apud Bractonum & Lambertum *de antiq. Curiarum.* Idem. Hinc *Magister Rotæ*, hodieque in aula Pontificia, dignitatis nomen.

Rotumna,

Rotumna, aliàs *Rotonna*, fluv. Galliæ, nunc *Retourne*: à colore aquarum, aut potiùs à rubore arenæ suæ dictus. Ejus meminit Frodoardus *in hist. Eccles. Remensis.* Alluit Villam super Rotumnam *Ville sur Retourne*, Genevillam seu Janivillam *Jeneville*, Novam Ecclesiam, *Neuvelise*, Castellum, *le Chastelet*, Scalam, *l'Escaille*, Salicem S. Remigii, *Saux St. Remy*, vicum ad Remense Monast. S. Remigii cum Villa super Rotumnam pertinentem; Pauli curtem, *Poilcour*, ac Briennam: atque ad Novum Castellum in Axonam decurrit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rotunda, locus Galliæ ad Axonam, vulgò *Rotonde*, 144. stadiis ab urbe Suessionum, densissimis saltibus altrinsecus stipatus, Cotiâ videlicet & Lisicâ, in quo Cœnobium Drausius Episc. Suessionum extruxit: à forma Latinum cognomen nactus. Idem.

Rotundus Mons, vulgò *Rommont*, opp. vel castellum Helvetiæ, in rotundo monte situm, cum tit. Comitatus: in hoc Castrum est Murtena, à Conrado Imper. An. C. 1033. hyeme frustra obsessum, *Murten* Helvetiis, Gallis *Morat*, prope lacum Moratensem: sed anno 1034. cum Geneva, & Lugduno in potestatem ejus redactum est, expulso Odonis Campaniæ Gall. Comitis præsidio: postea Caroli Burgundionum Ducis clade inclaruit. Vide *Moratum.* Item castrum Galliæ, in Biturigibus Cubis, munitum admodum & validum, hodie *Montrond*, & corruptè *Mouron*: in monte rotundo, Cari ripis imminenti, à Ludovico XIV. Gall. R. ne latronibus receptaculum præberet, ante aliquot annos, dirutum. Idem.

Roveritum nemus, silva pagi Parisiaci, ad Sequanam, quæ vicum Rotulum, *le Roulle*, ab Oriente proximum habet, ab Occid. Sequanam: A robore, quo abundabat, corruptè ex *Roboretum.* Olim *la Forest de Rouvray*, hodie à duobus vicis ei adsitis, modò Silva St. Chlodoaldi, *la Forest de S. Cloud*; modò, idque sæpiùs, Silva Bononiensis, *le Bois de Boulogne.* Idem.

Rovesium, Velaunorum opp. in Gall. Aquitanicâ, Ptol. *S. Flour*, Villanovano.

Roviliascum, opp. Pedemontii.

Rovinium, opp. Istriæ, in ora sinus Veneti, cum portu, 20. mill. à Pola in Circ. Sub Venetis.

Roxana, an Oxyartis, an Darii filia, Alexandri concubina, quæ cùm prægnans esset, à sorore Saturâ in puteum demersa est, quòd eam præcipuè honoribus Macedones cumularent. Plut. *in Alex.* Justinus verò à Cassandro Macedoniæ regnum affectante, simul cum filio Alexandro, interfectam vult. Vide Curt. Arian. *lib.* 4.

Roxani, popul. cujus satrapam Gaurum 300. annis vixisse scribit Plutarch. *de flum.* circa Tigrim fluv.

Roxicum, Corsicæ civitas, Ptol, vulgò *Rogebo.*

Roxolani, *Rossi* Cedreno, *Bastarnæ* Tacito, teste Willichio, pop. Sarm. Europ. quorum reg. *Ruthenia*, & *Russen* in regno Polonico, inter Poloniam min. ad Occ. & Podoliam ad Ort. inter Daciam ad Merid. & Lithuaniam ad Arctos. Ejus metropolis *Leopolis* dicitur. Sansoni, ubi hodie pars Sept. Tartariæ min. & pars quædam Moscoviæ Merid. versus Ucraniam seu confinia. Vide & Brietium.

Royanum, opp. Santoniæ, aliàs munitum, nunc disjectum, ad æstuar. Garumnæ, 14. leuc. à Broagio in Mer. 8. infra Blabiam in Circ. Hic argentifodina ferax, Metel.

R V.

Rua, seu *Fanum S. Spir.* oppid. munitum Picardiæ, in Pontico tractu, intra paludes, ad Moyum amnem, 1. leuc. ab ostio Somonæ in Ocean. Brit. 4. ab Abbavilla in Bor.

Ruardus Tapperus, Enchusâ Hollandus. Lovanii Theologiam docuit, Universitatis Cancellarius, Concilioque Tridentino interfuit. Redux inde, Obiit Bruxellis An. 1559. æt. 71. Bibliothecâ suâ Academiæ, bonis inopi turbæ legatis. Hic, Inquisitionis in Belgio munere functus, Reformationi jam An. 1521. erumpenti, quâ pote restitit: Sed fidelium scripta adeò inepte Monachi refutabant, ut ipsi occasionem à Papatu deficiendi prolixiorem præberent. Proin Præses ad Tapperum, *quarum hæresium*, inquit, *lectione nos interdicimus, eas vos in libris vestris privilegiis munitis:* Respondenti huic, *addi à se refutationes:* Regessit, *Lectores in adversariorum argumenta intentos, aut oscitantius refutationes legere, aut non satis intelligere:* minus solidas esse dicere non ausus. Lætus *in Compend. Hist. Univ.*

Rubea, promunt. cujus Plin. meminit. Mercatori Livoniæ promuntorium est ad mare Balticum, *Dagerort* nomine. Becano autem Scandinaviæ promunt. Septentrionale est versus Bor. ultimum, quod hodie *Wardhuus* vocant. Idem scribit à Plinio *Duarma* dici. Hodie *Nort Kaep*, in Lapponia, maximè ad Bor. juxta Oceanum Sept. Sanso, Briet.

Rubeaguum, vulgò *Rufach*, antiquissimum Alsatiæ superioris oppidum: nomen ei impositum ferunt à fluviolo *Ombach*, qui ab aqua, ex alvei colore rubra apparente, *Rotbach* olim dictus fuit: oppidum ipsum magnificis primùm ædificiis ac duplici suburbio extructum, Romanæ nobilitatis diu hospitium, ab eisque, ob soli fertilitatem, omniumque rerum humano usui necessariarum coplam, ad annos ferè 500. inhabitatum fuit, Metel. Mercat. Patria fuit Conradi Pellicani, &c. 2. leuc. à Mülhusio in Bor. 3. à Brisaco. *Rufiana* olim.

Rubellius Blandus, cujus Pater Consularis, avus Tiburs eques Rom. Juliam Drusi filiam, quondam Neronis uxorem, Ser. Galbâ, L. Sulla Coss. in matrimonium accepit. Tac. 3. 27.

Rubellius Geminus, An. U.C. DCC XXXII. cum Fusio Gemino Consul.

Rubellius Plautus, Rub. Blandi fil. L. Veteris gener, per maternam originem pari ac Nero gradu à D. Augusto distans. Tacit. 13. 19. Effulgente Comete & inde vulgò mutationem ominante Imperator omnium ore destinatus est. Quare Nero eum in Asiam removit, ut in avitis agris tutâ & inturbidâ juventâ frueretur 14. 22. Verùm instinctu C. Ofonii Tigellini à Nerone jussus est mori. P. Mario, L. Asinio Coss. Ibid. 58.

Ruben, primogenitus Jacob, ex Lea uxore, cùm quasi aqua, quæ vasculo non continetur, voluptatis effusus esset impetu, & cum Bala, patris sui concubina, stupri commercium habuisset, perdidit ordinem nativitatis suæ, regnum scilicet & sacerdotium, quod primogenitis jure debebatur, in fratrum tantùm manens numero: procedente verò tempore ita progeniem suam auxit, ut de tribu ejus, apud montem Sinai, recensiti & inventi sint, viri bello apti, quadraginta sex millia, quibus omnibus in deserto mortuis, eorum filii quadraginta tria millia & 730. ultra Jordanem versus Austrum, pro sua possessione acceperunt, in regione Moab, terram, optimis herbis uberem, pascendisque gregibus commodam.

Ruben tribus, una ex 12. Israelitarum, inter Jordanem fluv. & mare Mort. ad Occ. Arabiamque Petræam ad Ort. inter eas, quæ trans Jordanem, Australissima.

Rubenius Petrus Paulus, Pictor famosus seculi hujus. Antverpiæ natus est, An. 1577. Discip. Octavii Van Veen Leidensis, qui Duci Parmæ & Archid. Alberto ministrabat, brevi insigniter profecit. In Italiam dein profectus, Mantuæ, Romæ, Genuæ, Venetiis inclaruit: imitatus, in harum ultima, Titianum inprimis, Paulum Veronensem & Tintoretum. Reversus in patriam, ea artis suæ specimina exhibuit, quæ Famam ejus longè lateque dispergerent. A Maria de Medicis, à Philippo III. Hispaniæ Rege, &c. sæpè adhibitus. Obiit An. 1640. relicto fil. Alberto, Sanctioris Consilii Flandrici commentariense. Scripsit de arte sua opus, Antverpiæ editum, An. 1622. Epitaphium sic habet:

> *Ipsa suos Iris, dedit ipsa Aurora colores,*
> *Nox umbras, Titan lumina clara tibi.*
> *Das tu Rubeni vitam, mentemq; figuris,*
> *Et per te vivit lumen, & umbra, color.*
> *Quid te, Rubeni, nigro mors funere volvit?*
> *Vivis. vita suo picta colore rubet.*

Ex ejus schola, inter alios, prodiit Antonius Vandick, &c. Joh. Pet. Bellonius, *vita pictor. modern.*

Rubeus mons, vicus suburbanus pagi Parisiaci, Gall. *Mont-Rouge.* Item locus Gall. non procul à Sinemuro, vulgò *Rogemont*: à situ & colore soli dictus, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rubi, urbs Apuliæ Peucetiæ, inter Canusium & Barium, Horatius *in Hodœporico:*

> *Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum*
> *Carpentes iter.* —— ——

Hinc *Rubeus.* Virgil. *Georg.* 1.

> *Nunc facilis Rubeâ texatur fiscina virgâ.*

Ita Servius, nec ineptè; videtur enim Poëta voluisse conjungere duo oppida Italiæ. Alii tamen volunt vocem à *rubo* denominatam; quem fruticem inter vitilia enumerat Plinius; facilè enim flectitur, & apta est texendis fiscinis. Hodie Episc. est, sub Archiepisc. Barensi, in regno Neapolitano.

Rubicon, fluv. in octava Italiæ regione, in Apennino monte nascens, & inter Ariminum & Ravennam in mare Adriaticum influens, antiquus Italiæ & Galliarum terminus. Lucan. *lib.* 1.

> *Fonte cadit modico, parvisq; impellitur undis*
> *Puniceus Rubicon, cùm fervida canduit æstas,*
> *Perq; imas serpit valles, & Gallica certus*
> *Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.*

M. Tullius *Philippicâ 6. Flumen Rubiconem, qui finis est Galliæ.* Apud ortum *Rugon*, inferius verò *Pisatello* vocatur. Vide Cluver. *Ital. Antiq. pag.* 296.

Rubigo, vide *Robigo*, Dea apud Romanos, cujus locus erat in Latio prope urbem Romam. Ovid. *Fast.* 4.

> *Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat.*

Rubo, Sarm. Europ. fluv. per Livoniam fluens ac mare Balticum ad Rigam urbem subiens, Ptolem. *Dvvina*, vel *Duna*, teste Peucero. Baudrando *Dvvina*, seu *Dzvvina*, fluv. amplus. Oritur in Moscovia Occ. vix 4. leuc. à fonte fluv. Rha. Dein per Lithuaniam fluens, ibi Vitepscum & Poloskam Urbb. rigat; auctusque Obola, Drissa, Dziesna fluv. aliisque min. per Livoniam labitur, juxta Duneburgum & Kakenhusium: tandemque propè & infra Rigam in sinum Rigensem & mare Balt. se exonerat.

Rubra, oppidum seu pagus Corsicæ in ora Australi, inter Bonifacium, & Graniacum promunt. 4. m. p. Ptolem. Hodiè *Solenzara* Ferrario.

Rubra saxa, locus Hetruriæ in agro Vejentum in viâ Flaminiâ, ab urbe Româ 8. m. p. circa Cremeram. *Grotta Rossa* Celso Cittadino, *Rubræ* Mart. *lib.* 4. *epigr.* 64.

> *Fidenas veteres, brevesq; Rubras.*

Rubrensis lacus, hodie *le lac de Narbonne*, lacus Galliæ Narbon. urb. seu stagnum per quod Atax fluv. labitur. *Rubresus* Melæ, *Narbonensis* Straboni, Steph. & Suidæ. Baudrando hodie *l'estang de la Rubine*, oblongus est & fere 3. leuc. versus stagnum, per quod deductum fuit olim à Romanis brachium Atacis fluv. quod Narbonem rigat, vulgò *la Rubine* dictum, & cum stagno postea in mare Mediterr. se exonerat.

Rubricatus, fluv. geminus: unus Hisp. Tarracon. in Catalauniâ apud Barcinonem urb. fluens cum opp. cognomine quod interiit, *Lobegrat* Clusio. Alter in Africâ propriè dictâ, *Armua* Plinio, *Ardalia* Orosio, ac Diacono. *Ladog* Castaldo, *Jadog* Leoni. Moletio verò *Quadilbalbat*, inter Hipponem Regium, & Tabracam fluens. Utriusq; meminit Ptol. Prior Melæ *Rubricatum* dicitur.

Rubrius, modicus eques Romanus, sub Tiberio, crimine Majestatis postulatus, quòd perjurio nomen Augusti violasset. Tacitus *Annal.* 1. 73. *m.*

L. Rubrius, Corfinii à Cæsare interceptus ac dimissus, Cæsar 1. *Civ.*23. In argenteis denariis, ab eo cusis, dicitur *L. Rubrius Dossen.*

Rubrius Fabatus, tanquam desperatis rebus Romanis, Parthorum ad misericordiam fugit; cui eo nomine custodes additi. Sanus repertus apud fretum Siciliæ, retractusque per centurionem, nullâ probabili causâ longinquæ peregrinationis adlatâ, mansit incolumis oblivione magis, quàm clementiâ Tiberii. Tacit. 6. 14.

Rubrius Gallus, tulit cohortium, quæ in partibus Othonis egerant, preces ad Vitellianos, statimque veniam impetravit, Tacit. *Hist.* 11. 51. Idem à Sabino subornatus concussit Cæcinæ mentem, promittens, apud Vespas. rata fore pacta transitionis. Ibid. 2. 99.

Rubrum mare, vide *Erythræum*. Aliàs *Sinus Arabicus*: Estque inter Arabiam fel. ac Petræam ad Ort. & Æthiopiam ac Ægyptum ad Occ. A Sept. in Mer. 1200. m. p. longus, latus vix 250. mill. Separatur ab Oceano Arab. freto *Babelmandel*.

Rubus, vide *Rubi*. Pop. *Rubustini*, Plin.

Rucones, & *Roccones*, pop. Hisp. Tarrac. Quorum reg. *la Rioja*, seu Rivogia Lat. frumenti maximè ferax: Præc. Urbs *S. Domingo de la Calzada*, inter Burgos ad Occ. 14. m. & Logronium in Ort.

Ruconium, Daciæ urbs, Ptolem. *Regen* Lazio.

Rudcopia, opp. Daniæ, in Langelandiæ Insulæ parte Occ. 5. leuc. à Nascoa in Occ. 9. ab Ortonia in Eur.

Rudiæ, urbs Calabriæ in Salentinis, à Græcis condita, patria Ennii poetæ, quem idcirco *Rudium hominem* vocat Cicero, *pro Archia poeta*. Ejus meminit Sil. *Ital. lib.* 12.

——— *Rudiæ genuere vetustæ,*

Nunc Rudiæ solo memorabile nomen alumno.

Ptolemæo singul. num. Ῥοδία, itemque *Rhudia* Plinio. Reliquis auctoribus plural. Stephano Ῥοδαί, Straboni Ῥοδίαι, *Ruia* hodie, teste Cluverio.

Ruellius Johannes, è Suessionibus, Medicus celebris: varios auctores Græcos vertit, *Aquila interpretum* à Budæo dictus. Studiis addictus adeò, ut à Francisco I. & Ludovica Sabaudica, in aulam vocatus, sese enixè excusaverit: Parisios tamen invitanti Stephano Poncherio Episc. paruit. Scripsit varia. Obiit 1537. æt. 63. Paul. Jov. *in elog. doct. cap.* 93. Scævola Sammart. *in Elog. lib* 1.

Ruessium, seu *o*, urbs Aquitaniæ, postea *Anicium*, vide ibi, inter Tolosam & Convenarum urb. Ptolem. *Rieux* Mercatori. Sed Villanovano est *S. Flour*, urbs in fin. Arvernorum; inter illos & Ruthenos. Sansoni & Brietio hodie Podium, *le Puy*: Velaunorum caput. Nunc in Occitaniâ, in colle, prope Ligerim.

Rufacum, vide *Rubeacum*. Item, opp. Gall. Aquit. inter Pictavos 14. & Engolismam 6. leuc. *Ruffec*. Vide *Rufiacum*.

Rufæ, opp. Campaniæ in Samnii confin. sive è contrà, Eserniæ finitimum. Virg. *lib.* 7.

Quiq; Rufas Batulumq; tenent, atq; arva Celennæ.

Rufrium Livio dicitur. *Rufræ* autem Silio plur. num.

Ruffinus, Asiaticus & Fabius, duces Galliarum, concionante Vitellio, ad supplicium postulantur, quòd pro Vindice bellassent. Tacitus *Hist.* 2. 94.

Ruffius Crispinus, alter prætoriarum cohortium, sub Claudio, præfectus, quem Agrippina, tanquam Messalinæ memorem & libens ejus Britannico atque Octaviæ devinctum, depulit. Tacit. *Histor.* 12. 42. Uxor ejus fuit *Poppæa Sabina*, ex quo filium sustulit *Ruffinum Crispinum*: Ideò occasione conjurationis Pisonianæ in Sardiniam exactus, accepto jussæ mortis nuncio semet interfecit, Idem *lib.* 16. 17.

Ruffius Helvius, gregarius sub L. Apronio Proconsule Africæ miles, qui in bello contra Tacfarinatem, servati civis decus retulit, donatusque ab Apronio torquibus & hastâ Tiberius addidit civicam coronam. Tacit. 3. 21.

Rufiacum, villa olim regia Galliæ, in agro Encolismensi, nunc vicus, vulgò *Rufec*, Carantono fluv. ac Montiniaco castro, proximus 5. leuc. ab Encolisma. Aliud in Lemovicibus est. Item castrum quondam 20. m. pass. à Vesontione, hodieque vicus in Sequanis, *Ruffer* vulgò, adpositus Unioni fluv. *l'Ongnon*, vel *l'Oignon*, qui Arari recipitur. *Rofiacus* quoque villa in Biturico pago à Leone VI. & Benedicto PP, ætate Hugonis Ducis Francorum, nec non in literis Hugonis Regis, inter villas Eccles. Aurellanensis S. Crucis numerata. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rufiana, Nemetorum urbs in Gall. Belg. Ptolem. *Oppenheim* ad Rhenum est, auctore Heroldo. Cluverio Rubeacum videtur. Vide *Rubeacum*.

Rufinus, Præfectus prætorio & Patricius, unà cum Stilicone & Gildone relictus à Theodosio sen. imperii administrator pro tutelâ Arcadii & Honorii filiorum; Gildo in Africâ, Stilico in Occidente, Rufinus verò in Oriente: Qui omnes cupiditate regni incensi in suos principes arma converterunt, ex quo diversis modis oppressi periere. Rufinus enim, ex infimo loco ab Imperatore evectus, Gothis aliisque barbaris vocatis, præcipua munera suis distribuit. Gothis Constantinopolim obsidentibus, quò minus resisteretur, impedit: exercitu ex Oriente appropinquare jusso, ut Imperator ab illo salutaretur, sed detectâ perfidiâ inter medios milites, ad quos occidendum Arcadium deduxerat, interfectus est: Caput in lancea ostentui circumlatum, grato cunctis spectaculo fuit, sævitiam & avaritiam ejus exosis. Zosim. *lib.* 5. Niceph. *lib.* 13. Claudian. *in Rufino*, Volaterranus.

Rufinus, Conf. cum Eusebio, ann. U. C. 1100. Alius Conf. cum Laterano, an. U. C. 949.

Rufinus, consularis à Fabricio Censore damnatus, quòd decem pondo argenti apud eum inventa essent.

Rufinus, Presbyter, floruit An. D. 390. inter omnes Monachos Aquilejenses, secundùm Hieron. *ep.* 41. juxta Bonosum & Florentium, celeberrimus, cum quibus hic Aquilejæ amicitiam iniit. In Ægyptum profectus, dein Hierosolymam venit, ubi an. 25. commoratus est, variis operibus in publicum edendis ibi intentus. Romam rediit An. 397. Sed quòd nimium Origenis scriptis tribueret, hoc primum cum Hieronymo ipsum collisit, non sine insigni scandalo. Lis à Theophilo utcunque composita, paulo pòst acrius recrudiut, cùm Rufinus Romæ librum Origenis de Principiis ederet, in quo nomine suo suppresso, Hieronym. pro Origene testem advocabat, qui sic in suspicionem venit Origenismi: Hinc acerbissimæ utrinque invectivæ. Tandem Ruffinus, ab Anastasio Episc. condemnatus, Obiit in Sicilia, An. 410. E græco vertit Josephum, Eusebii historiam Eccl. & alia, illique duos adjecit libros, à S. Paulino rogatus. Scripsit quoque in Hoseam, Joëlem, Amosum, &c. Edita ejus opera, Paris. An. 1580. Augustin *ep.* 93. Cassian. *de Incarn. lib.* 7. *cap.* 27. Valesius, *annot. in Euseb.* Rosveidus, *Proleg.* 4 & 5. *in vit. P P. &c.* Multum operæ contulit ad historiam illustrandam. Vide Voss *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 11.

Rufius Volusianus, Conf. ann. U. C. 1066. *Rufius* Albinus, Conf. cum Constantino Cæsare, an. U. C. 1087. *Rufius* Posthumianus, Conf. cum Zenone, an. U. C. 1201.

Rufus, Consul, an. U. C. 934. Alius Conf. cum Constantio, an. U. C. 1210.

Rufus, Centurio sub Scipione Africano, cujus res gestas scripsit Appianus.

Rufus, Corinthius Sophista, quanquàm divitiis & generis nobilitate pollebat, plus tamen ad ejus laudem dicendi gloria, linguæq; gratia contulit Philostratus.

Rufus, Cyrenæus, Simonis Cyrenæi, qui crucem Salvatoris nostri portavit, filius, quique postea verbi divini felicissimus & illustrissimus disseminator extitit. Marc, *cap.* 15.

Rufus, D. Pauli discipulus, primus Avenionis Episcopus. Anton. *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 28.

Rufus, auctor Græcus, scripsit historiam Dramaticam & Musicam. Photius *tmem.* 161. ubi de variis dramatum, chorearumq; generibus agit. Munatius *Rufus*, Historicus Lat. à Valer. Max. *lib.* 4. *cap.* 3. laudatus, Vide *Cluvius Rufus, Rutilius & Sextus Rufus*.

Rufus, Medicus sub Trajano principe, cujus extant libri 3. de appellationibus partium corporis humani, ubi & situm, & figuram, facultatem, & usum earundem declarat.

Rufus, Poeta Bononiensis, cujus meminit Martialis.

Rufus Purpureo, legatus Rom. in Concilio Ætolorum. Liv. 31.

Rufus Virginius, orator egregius, interfectus à Nerone. Hujus villa apud Comum, *Vico* suburbium. Volaterr.

Rufus, vide *Ruffus*.

S. Rufus, Abbatia Valentiæ, in Delphinatu, Caput Ord. Canonicorum Reg. S. Augustini. Ab Abbate Remondo magno cum sumptu in insula extructâ, postquam ab Albigensibus alterum hujus nominis monasterium, prope Druentiam. A. 1039. conditum, eversum esset. Sed & hàc An. 1562. bello civili destructâ: In urbe postmodum Abbas Generalis sedem fixit. Morer. *in Dict. Hist.*

Rugii, pop. German. in orâ maris Baltici, quorum reg. *Rugia*, insula *Rugenlandt*, continenti Pomeraniæ penè juncta, contra Sundim urbem, ubi *Rugium* Ptol. urbs, quæ & Vineta *Holmurg* Villanovano. Althamerus verò *Caminum* interpretatur Pomeraniæ urb. Episcopalem. Baudrando hæc Insula in ora maris Balt. cum titul. Principat. sub Suecis, pace Monaster. Ibi aliàs Arcona, Urbs ampla, nunc diruta: Hodie ejus oppidum præc. est *Bergen*. Olim multo major, versus Austr. & insulam Rudenam *Peene* fluv. ostio oppositam continebat. Nunc 7. ferè mill. Germ. longa & lata, in aliquot penins. dividitur. Aliquando Danici Juris, verùm A. 1438. Ericus Daniæ Rex eam Pomeraniæ Duci reliquit possidendam. Sed pop. *Rugii* fuerunt, in Vindilis. in ora maris Baltici, ubi hodie pars Pomeraniæ ulter. versus fluv. Rugium & Vipperam. Eorum

opp. fuit Rugium, hodieque *Rugenvvalde*, ad ostia Vipperæ fluvii in Baltic. mare. An dein transierint in Rugiam Insulam, forsan ab eis dictam, incertum. De his ita Eruditus quidam: Fuère hi olim strenui Milesii, proximi *Quadis*. Genera eorum *Etelrugi* & *Tyrcilingi*. Sed hi à Theodorico Bernensi penitus absumpti sunt. Rex eorum fuerat *Ottocarus*. Hodie parvam insulam incolunt non ita pridem ad eam fortunam redacti *Rugii*. Helmoldus *lib.* 1. *Altera insula longè major est contra Withos posita, quam incolunt* Rani, *qui &* Rugiani, *gens fortissima Sclavorum, qui soli Regem habent.* Vox *Rugiorum* est Germanica, & significat quietos. Nam *Ruga* quies est. Cedrenus & Zonaras non dubitarunt hanc vocem è Germania arcessere, eaque emeritorum stipendia quietæque vitæ subsidia appellitare, nimirum Ῥογαῖς. Simile vocabulum Germanicum legas, apud Nicetam Choniatem. De cohorte loquitur, ἣν Ῥοῦτταν ὀνομάζουσι, inquit. Non ignotum quid apud Germanos *Rotta* sit. Aliis *Rugia* Rex, à Matre Rugilandus, Anthyrii III. frater, antiquissimis temporibus fuisse dicitur. Postmodum Buthuen, filius Godescalci Herulorum Regis, An. Ch. 1066. occisi à Critone Rugia, Grimmi filio Mizislai nepote pulsus, & per insidias sublatus est: cujus frater Henricus cùm Critonem aliquoties victum, tandem occidisset, Rugios etiam Principis sui morte irritatos bis debellavit, sibique subjecit: qui tamen postea Henrici filium Waldomarum, sibi præfectum, peremerunt. Pribislaum etiam Buthueni filium ceperunt, qui in captivitate obiit. Rugiam dein juri Danorum asseruit Christophorus II. Rex, circa An. Chr. 1322. sed Wartislaus IV. Pomeraniæ Dux, extincto avunculo Wizlao, An. Chr. 1325. Rugiæ principatum, victo Dano, obtinuit. Albertus postmodum Dux Megapol. ob Rugiam, adversus Barnimum, Bogislaum, & Vratislaum Pomeranos, quibus Valdemarus IV. Daniæ Rex, principatum contulerat, bellum feliciter gessit. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in famil. Vandalica*, ad quam Reges Herulorum, Principes Vandaliæ, Duces Megapolit. & Pomeraniæ, Principes tandem Rugiæ refert. Corbienses ex Saxonia Monachi, religionem Christianam in Rugia plantarunt, mox à Barbaris pulsi, reliquerunt ibi templum S. Viti, quod incolis turpis idololatriæ occasio fuit, An. Chr. 875. Baron. *in Annal.* Razonis postmodum, qui Critoni retro memorato, Lubecæ conditori, successit, filius Jaromarus, Stralsundæ fundator, contempto Suanteviti stupendæ magnitudinis idolo, Christianæ fidei apud suos auctor fuit: cujus nepos Wizlavus in Livonia idem præstitit, pronepos Jaromarus Damgartum extruxit, abnepos Wizlavus Danis se subtraxit, Imperio associatus: abnepos Wizlavus An. 1325. lineam terminavit, post quem ad Pomeranos Rugia, frustra Megapolitanis & Danis obnitentibus, pervenit. Vide supra. Waldemaro tamen Dano, qui idolum prædictum planè sustulit, circa An. Chr. 1161. Rugiæ, penitus conversæ, gloria tribuitur à Crantzio, *Hist. Dan. lib.* 6. *cap.* 28. & Vand. *lib.* 5. *cap.* 11.

Rugusci, *Rhigusca* Ptolem. *Rheni* Steph. pop. Rhætiæ ad Rhenum fluv. incolentes. *Rhynthaler*, & *Rhyngoevver*, Scudo & Simlero testibus. Vide *Rhegusci*.

Rullus, solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit, & Ciceronis consulatu legem Agrariam promulgavit, neque tamen pertulit, resistente Cicerone.

Ruma, civitas in tribu Judâ, 4. Reg. 23. Latin. *excelsa*, vel *projecta*. Item, civitas in tribu Ephraim, ubi Abimelech sedit. In finibus Diospoleos, nunc *Arimathia* plerisque; aliis *Remphtis*. Item, vicus Galileæ, patria Netiræ & Philippi, fortissimorum Ducum. Joseph. *lib.* 3. *bell.* 9.

Rumanea, pagus Germ. infer. apud Juliacum urb. in illius suburbio. *Rumanheym*, Pighio.

Rumbelitum, castrum Galliæ, olim in Comit. pagoque Madriacensi, nunc Hurepensi, vulgò *le Chasteau de Rambouillet en Hurepoix*, Est in sylva Aquilina, *la Forest d'Iveline*, ut & Mons Fortis Amalarici, cum quo, & Sparnone, Carnutinæ dioeceseos finibus continetur: Marchiæ titulo, sed multò magis Francisci I. morte illustre. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rumia, Dea, quæ *rumis*, id est, *mammis*, hoc est, *pueris lactantibus* præsidebat. Varro *de R. R.* 2. 11. Dicitur & *Rumilia*.

Ruminalis ficus, vide *Romulus*.

Ruminus, Jupiter sic dictus, quòd *rumam*, id est, *mammam* animalibus cunctis præberet.

Rumon, præceps in Tiberi locus. Alex. ab Alex. 5. 26.

Rumoridus, Consul cum Theodosio Augusto, an. U. C. 1156.

Runcalia, locus campestris ad Padum haud procul à Placentiâ. Hodie *Romandiola*.

Runcina, Dea, quæ frumento runcando, id est, à terra auferendo, præesse ab antiquis credita est. Lil. Gyrald. *Synt.* 2. *Hist. Deorum*.

Runconia, pagus agri Engolismensis, ab Engolisma 3. leuc. apud opp. Rupem Focariam. *Roncoigne*.

Runica, dictæ sunt priscæ Danorum & Gothorum literæ, quòd essent mysticæ & occultæ, Sacerdotalium illarum Ægyptiacarum instar, quas in simulachro Canopi, Antverpiam aliquando allato, Goropius exhibet, *Hieroglyph. lib.* 7. *pag.* 109. Nec vulgatum olim nomen, *Runica*: Hinc Isidorus *Chron. Goth. sub Æra* 45. dicit, Galfilam eorum Episcopum, Gothicas literas (non *Runicas*) invenisse: sed dum idem subjungit, ipsum etiam Scripturas sacras in eandem linguam convertisse: ansam videatur præbuisse, cur dicerentur *Runica*, sc. quòd rebus sacris, mysticis & occultis conservandis essent jam adhibitæ. Præterea *Runica* nuncupentur, sive mysticæ & occultæ, tum quòd ab aliarum gentium literis mirâ discrepant insolentiâ, tum quòd in occultis suis scientiis, puta magicis & præstigiatoriis, quibus Borealis ista mundi pars præ cæteris pollet, hujusmodi literæ & characteres maximè claruere. Dicantur & perinde harum literarum & scientiarum professores *Runici*, quasi Mystagogi: habeanturque iidem apud Danos & Gothos, qui Britannis ac Gallis Druides: Magi apud Persas: Gymnosophistæ apud Indos, & in quavis penè gente similes. Origo vocis est à Saxonico *ryne*, quod mysterium & rem occultam denotat, Henr. Spelmann. *in Glossar. Archaeol.*

Rupefulcaudum, opp. prov. Inculismensis, cum tit. Duc. 4. leuc. ab Inculisma in Ort. ad Tardueram amnem. *La Rochefoucault*.

Rupella, à rupe cui insidet, dicta, portus Santonum. Ptolem. urbs Galliæ Aquitan. maritima; contra Normannorum incursiones condita. Ejus nemo ante An. 600. meminit. Wilhelmus Brito *lib.* 9. *Philippidos*:

Cum ratibus vino plenis, Vasconia quales,
Vel Rupella parit. —— ——

Primò proprios habuit dominos, dein sub Anglis fuit, quorum Rex Johannes huc appulit, An. C. 1205. & An. 1213. cum magno exercitu; postea sub Galliæ Reg. potestatem redi t. Asylum Reformatorum, sec. præt. Obsessa An 1572. à Carolo IX. sed miraculose defensa est. Vide Thuan. *Hist.* Vulgò *la Rochelle*. Clara fuit malis, Alnetensis tractus, seu, ut Valesius vult, Avedonacensis, caput. In ora Oceani Aquitan. Baudr. in Pictonibus habet Rigordus, fortè quia Dioeceseos quidem erat Santonicæ, sed Pictavensis Comitatus. Ampla, cum portu & emporio celeberrimo, in regione perferaci, aliàs permunita & sæpè frustra tentata: Ann. tandem 1628. à Ludovico XIII. post longam obsidionem muris nudata est. Ejus Portus, Villæ, Præposituræ, vel Præturæ, Majoris & Juratorum, Monetæ quoque mentio fit in priscis tabb. ubi nomine Juratorum vel Consilii communis Scabini Paresque designantur. Hodieque enim Rupellæ 24. Scabini & 76. Pares sunt, qui Centumviri vetus Collegium & corpus Urbis componunt, ac quotannis unum è suis Majorem deligunt. Impetrarunt autem privilegia juraque hæc ab Henrico II. Angl. Reg. & Comite Andegavorum, quæ Richardus & Johannes filii ejus confirmarunt. Olim hic Ecclesia S. Mariæ usque ad annum 1145. postea S. Bartholomæi primaria fuit. Nunc Episcopatus Malliaco Pictonum Rupellam, quæ prius Santonicæ Dioecesi attribuebatur, jussu Ludovici XIV. translatus, & urbs hæc cum 70. parœciis ac inprimis insi. Radi Santonibus adempta est, 7. leuc. à Broagio in Bor. 2. à Rea Insula in Occ. 4. ab Uliaro Insula, 3. à confin. Pictaviæ in Mer. 12. à Mediolano Santonum in Circ. De hac urbe Nicolaus de Braja, *in gestis Ludovici VIII.* sic canit:

—— —— *Declivi litore ponti*
Nobilis & famâ toto celeberrima mundo,
Divitiisq; potens priscis & gente superba
Est Rupella. —— ——

Rupelmunda, vulgò *Rupelmonde*, oppidum Belgii cum castro antiquo sed firmo, in Flandria, ad Scaldim fluvium, ubi recipit Rupelam è regione Brabantiæ, 2. leuc. supra Antverpiam.

Rupera, Script. Belg. *Rupel*, fluvius Belgii parvus, in Brabantia, in Scaldem ad Rupelmundam oppidum influens, inter Machliniam & Antverpiam. Dicitur etiam *Rupela*.

Rupertivilla, vulgo *Rappersvvill*, opp. Helvetiæ, inter utrumque lacum superiorem & inferior. Tigurinum, in prominente cornu, ad instar peninsulæ conditum, loco amœno, formaque eleganti, 20. ferè m. p. supra Tigurum. Dictum est à quodam Ruperto, militiæ sub Ludovico R. duce, qui, amœnitate loci captus, arcem ibi condidit, teste Guillimanno. Fuit olim Comitum cognominis sedes, quorum successores Habspurgii deinde ibi præfuerunt. In Helvetiorum potestatem pervenit An. C. 1456. ab Uriis, Suitiis, Underwaldiis & Glaronensibus, bello cum Constantiensibus finito occupatum, quibus etiamnum subest, servatâ tamen civibus, quam sub Austriis habebant, libertate. Loci antiquitatem arguere videtur tum ejus opportunitas, tum lapis in aræ speciem formatus, qui nunc *Jonæ* in proximo vico ostenditur, pone templi ostium, cum paucis his literis.

C. OCT. PROVIN.
S.
L. D. D. D.

Vide Simler. *de Rep. Helv.* Jo. Bapt. Plantin. *Helv. Nov. antiq.* &c.

Rupertus, primus Episc. Salisburgensis, Obiit An. C. 623.

Rupertus, Abbas Tudensis, scientiâ & pietate celebris, Obiit An. 1135. scripsit libb. 42. de Trinitate, Commentarios, tractatus Theologicos, & aliquot Sanctorum vitas: quæ omnia duob. voluminibus prodierunt, Coloniæ, Lovanii & Parisiis, An. 1638. Voss. Val. Andreas, Trithem. & Bellarm. *de Scr. Eccl.* Molanus, Hugo, Menardus, &c. Item è Russia, Franciscanus, floruit sec. 13. scripsit in Mag. Sententiarum, &c. Item, Monachus S. Remigii Remensis, condidit histor. bellorum à Christianis, contra Saracen. gestorum *libb.* 16.

Rupertus, vide *Robertus*.

Rupes, vulgò dicta *la Roche*, oppidum Petrocorii: in contiguo ejus ædium, in rupe est Crypta larga & spatiosa, è qua effoditur terra subrubra, ejusdem coloris, virtutis & efficaciæ, cujus est Bolus Armenus Medicis dictus. Metel. Merula. Vocarunt autem *Rupes*, ac *Roccas*, & *Petras*, Galli castella rupibus imposita. Hinc Pipinus in Aquitania, inter Bituriges Cubos & Garumnam flum. multas *Roccas* & speluncas conquisivisse dicitur, in Annal. Bertinianis, circa An. C. 767. & Florus *lib* 3. *cap*. 10. de Julio Cæsare, in Aquitania bellum gerente, refert: *Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant c jussit includi.* Prosper quoque de Aquitania sua loquens, *in prologo libr. de Prov.* canit:

Non castella petris, non oppida montibus altis
Imposita, aut urbes amnibus aquoreis, &c.

Vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.*

Rupes, vulgò *la Roche*, seu *la Roche en Ardenne*, oppidum munitum Belgii, in Ducatu Luxemburgico, ad Urtium fluvium. Distat 9. leucis à Leodio in Meridiem, Bastonacum versùs 3.

Rupes, vulgò *la Roche*, oppidum munitum Sabaudiæ, in Genevensi tractu, in colle, prope Arvam fluvium, 4. leucis distat ab Annecio in Cæciam, & 5. à Geneva in Meridiem.

Rupes ad Yonem, vulgò *la Roche sur Yon*, oppidum Galliæ, in Pictavis inferiori, Principatus titulo insigne, 12. leucis distat à Nannetis in Meridiem, Lucionum versus 5.

Rupes Amatoris, castrum Galliæ, in Cadurcis, ad fluviolum, qui in Duranium defluit; vulgò *Roquemadour*, inter silvas & montes in eremo positum, à *rupe* sua & *S. Amatore*, qui ibi pie vixit, ita cognominatum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rupes Cavardi, vulgò *Roche Choüart*, in Lemovicibus castrum, ad fluviolum, qui Vingennam auget, agri cognominis caput.

Rupes Fergusii, vulgò *Knocfergus*, urbs Hiberniæ, in Ultonia regione & Comitatu Antrimensi, cum portu amplo, è regione Scotiæ, 15. millib. pass. distans ab Antrimo in Ortum, & 25. à Duno in Boream.

Rupes Fidelis, vulgò *Pennafiel*, oppidum Hispaniæ, in Castella veteri, ad Durium fluvium, 10. leucis distans à Segovia in Boream, & 9. à Pintia in Ortum, cum castro aliàs munito.

Rupes Fulcaudi, vulgò *Roche Foucaut*, castrum est Galliæ, in Diœcesi Encolismensi, ad amniculum, qui Carentono recipitur, & Cellam seu Prioratum non ignobilem habet, ac Ducatûs tit. censetur. Nomen accepit à rupe & Fulcaudo olim suo domino. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Rupes Magdalenæ, vulgò *la Sainte Baume*, locus Galliæ in Comitatu Provinciæ, & secessus in monte arduo, in quo sancta Maria Magdalena ultimos vitæ annos solitarie egit; estq; fere medius inter Aquas Sextias & Telonem. Dicitur aliter mons Balmæus.

Rupes Maura, vulgò *Roque Maure*, in diœcesi Nemausensi, Castrum Galliæ, rupi Rhodano imminenti impositum, inter Castellum novum, & Villam Novam Avenioni adversam, prope Rupem Fortem, *Roque-fort*. Altera est ad eandem Rhodani ripam dextram, in pago Vivariensi vel Helvico, vulgo *Rochemore*. Uterque locus à Mauris nomen accepit, qui utramque Rhodani ripam, ac Provinciam ipsam, ætate Caroli Martelli, & postea incursionibus vexaverunt. His ergo opposita rupibus castella Galli *Rupes Mauras* dixere. *Rupes Maura* ad Rhodanum, à Ludovico IX. deditione capta est. An. C. 1248. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rupes Monachi, castrum pagi Andegavensis, à Johanne Angliæ R. obsessum An. C. 1214. Vulgò *la Roche au Moyne*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rupes Papalis, vulgò *Rocca del Papa*, aliter Arx Papalis, castrum est ditionis Pontificiæ, in Campania Romana, & in Diœcesi Tusculana, in colle. 14. mill. distans à Roma in Ortum.

Rupes Posei, vel de Posejo, castrum Galliæ in finibus Pictonum, ad flum. Crosam, *la Roche Posay*, aliàs *la Roche Pozé*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rupes Regia, vulgò *Rocroy*, oppidum munitum Galliæ, in Campania provincia & in Retelensi tractu, juxta Arduennam sylvam, in limite Hannoniæ, ubi Hispani victi & grandi clade affecti fuere à Gallis An. 1643. Distat 11. leucis à Retelio in Boream, 4. à Maceriis & Carolopoli in Circium, 14. à Mariæburgo in Merid. uti 6. à Philippovilla.

Rupes Widonis, vel Guidonis, castrum Galliæ, ad Sequanam, vulgò *Roche Guion*, à Guidone, domino suo, sic appellatum.

Rura, Script. Belg. *Roer*, fluvius Germaniæ inferioris, ex Eyfalia regione in Mosam per Duram, Juliacum, & Linnicum, urbes Ducatus Juliacensis fluens, ad Ruremundam urbem Geldricam. Ferrarius. Valesio alluit Sleidanum, *Sleyden*, Nidacum, *Nideck*, Marcodurum, *Duren*, Hambacum, Juliacum Ducatus caput, Hembergam, Wassenburgum, & apud Ruræmundam dextrum Mosam ingreditur.

Rurandenses, Vet. Inf. populi Hispaniæ Bæticæ, quorum pagus adhuc durat, *Rus* dictus, apud Biatiam Vandalitiæ, 3. mill. pass. distans, teste Morali.

Ruræmunda, Script. Belg. *Roermond*, urbs Belgii extrema Geldriæ, ad Mosam, ubi Ruram (unde ei nomen) fluvium excipit, Episcopalis, sub Archiepiscopo Machliniensi, sub Philippo II. Hispaniæ Rege, & Belgii domino Episcopalis effecta, inter Leodium ad Meridiem & Noviomagum urbem primatiam Geldriæ ad Boream, 10. leucis, quot à Colonia Agrippina, ab Aquisgrano, & Trajecto, & Juliaco 6. Ferrarius. Baudrando urbs est Hanzeatica Belgii, in parte superiori Ducatus Gueldriæ, sub dominio Hispanorum, quanquam antea capta fuerat à Batavis, qui inde ejecti fuere, 12. m. p. distat à Venloa in Merid.

Ruricius, Episcop. Lemovicensis, ex illustri Aniciorum familia: cujus nuptiæ cum Iberia, Ommaci filia, à Sidonio Apollinari, insigni epithalamio celebratæ sunt. Floruit An. 506. Ei *Ruricius* nepos successit. Vide Fortunat. *lib*. 4. Sidon. Apollin. *lib*. 4. *epist*. 16. *lib*. 5. *epist*. 15. *lib*. 8. 10. *& car*. 10. *&* 11. Savaro & Sirmondus, *notis in Sidon. &c.*

Ruruccius Danus, profugus à Ludovico II. Imperatore adjutus. Rhegino *lib*. 2. Annal. Fuld. &c.

Rusa, olim *Ursa*, fluv. Helvetiæ. Oritur ex monte, quem *Furcam* appellant, fluitque per loca confragosa; donec non procul à Vetere pago, in lacum Lucerinum, hodie *Lucernersee*, & *Waldstettesee* ingrediatur; inde Lucernam pertransiens, ac in multos circumductus gyros Arolam intrat, non multum sub Brugis Hergeæ oppidulo. Vide *Ursa*.

Rusazus, seu *Ruzasus* Plinio, Ptolem. *Carbon*, teste Moletio, oppidum, & colonia Mauritaniæ Cæsariensis maritima, inter Rulucoras ad Occas. 55. & Saldas in Ortum 35. m. p. In Thesauro Linguæ Latinæ malè pro Rusazus, Ruzatus scriptum legitur.

Rusbrochius Johannes, Brabantinus, Prior Canonicor. Reg. S. August. in monasterio Vallis viridis: *Doctor contemplativus & divinus*, ob assiduas meditationes, dictus. Opera ejus pietate & zelo plena, è Belgico latinè versa, à Dionysio Carthusiano, prodierunt, Coloniæ, An. 1609. Præcipui tractatus sunt, *Summa vitæ Spiritualis: Speculum salutis æternæ: Commentaria in tabernaculum Mosis, &c.* Item libb. 3. *de Nuptiis Spiritualibus*, in quos Gerson censoriam virgulam strinxit. Obiit An. 1381, ætat. 88. Marc. Mastelinus, *in Necrol. vallis viridis, &c.*

Ruscia, urbs magnæ Græciæ, Procop. Vide *Roscianum*.

Ruscino, Strab. Plin. Tac. & al. *Rusino* Ptolemæo, *Ruscinus* Avieno, *Rousillon*, colonia & urbs excisa apud Parpinianum, (quod nova Ruscino dici potest) inter Narbonem ad Boream 12. & Gerundam urbem Hispaniæ in Ortum 13. leucis, Comitatus in Gallia Narbonensi sub Hispanis, nomen adhuc antiquæ urbis retinens: cujus urbis nil exstat præter turrim, *la Tour de Roussillon*. Ferrar. Baudr. urbs fuit Sardonum Galliæ Narbonensis, & Colonia excisa, manet tantùm turris, dicta *Tour de Roussillon* Gall. *Tur Rossello* Hisp. dimid. leuc. à Perpiniano in Ortum, ad Thetim fluvium, 10. leuc. à Narbone in Merid. Gerundam versùs 15. Erat in colle; & ab ea tractus ad jacens dictus fuit Comitatus Ruscinonensis. Vulgò *la Comté & Viguerie*, id est, Vicariatus *de Roussillon*, cui Comit. & Vicariatum Confluentinum, *de Conflans* vulgò jungunt. Comitatus Cerretaniæ, *de Cerdagne*, qui aliàs ipsi adjungi solet, trans Pyrenæos positus est & ad citer. Hispaniam Tarrac. spectat. Vide infra *Ruscinonensis Comitatus*.

Ruscino, fluvius Galliæ Narbonensis, Latin. *Telis*, hodie *la Tet*. A quibusdam *Thetis* dicitur. Perpinianum Comitatus Ruscinonensis caput rigat, & 2. leucis infra in mare Mediterran. cadit. An *Vernodubrius*, Plinii?

Ruscinonensis Comitatus, vulgò *le Comté de Roussillon*, tractus Galliæ Narbonensis, inter Occitaniam & Cataloniam, aliàs adjectus Hispaniæ, & effectus pars Cataloniæ. Sed Joannes Aragoniæ Rex illum vendidit Ludovico XI. Regi Galliæ. Restituit eum Ferdinando Aragonio Carolus VIII. ea conditione, ut Neapolitanos non juvaret; sed promissis non stetit, & quod offerebatur accepit. Nostrâ tempestate à Ludovico XIII. fortiter recuperatus est Comitatus ille; & postea Ann. 1659. Franciæ regno conjunctus fuit pace ad Pyrenæos confecta. Comitatus hic Ruscinonensis extenditur ad 18. leucas Hispanicas ab Ortu in Occasum. Terminatur ab Ortu mari Mediterraneo, à Septentr. Occitania, ab Occasu Ceretania, & à Meridie Cataloniâ, à qua separatur Pyrenæis montibus. Ejus primaria urbs est Perpinianum, prope ruinas veteris urbis Ruscinonis, à Guinardo Comit. Ruscinonensi, An. Ch. 1068. extructum, à quo tempore pagus is nunc Comit. Ruscinonensis, nunc Parpiniacensis dictus est. Sunt etiam in ea provincia urbes Helena, Caucoliberis, Ceretum, Francavilla ad Confluentes, & Salsulæ arx munita.

Rusconia, *Ruscinona* Livio, *Rustonium* Ptolem. *Rungonia* Anton. col. & urbs Maurit. Cæsariens. marit. inter Icosium ad Occ. & Rusuccurrum ad Ort. à Juliâ Cæsareâ 78. m. p. in Ortum. *Morasus*, & *Temen de Fust* Marmolio.

Ruscurium, *Ruscurrum*, Anton. *Rhusuccora* Ptolem. *Garbel*, teste Moletio, urbs & Col. Maurit. Cæsar. inter Rusconiam ad Occ. & Saldas ad Ort. Sansoni *Alger* hodie, urbs ampla Barbariæ, regni cognom. caput, cum portu capaci & arce munita: sed piraticâ infamis. 100. m. p. à Bugia seu Saldis in Occ. & 110. à Tenesa in Ort. uti 40. à Sarsela.

Rusella, Thusciæ opp. mediter. Ptol. & Liv. hodie *Rosella*, teste Leandro. *Rusellana Colonia* Plinio, *Rosella* Antonino. Ejus rudera nunc *Rosella*, vix 2. mill. à Rosseto versus Senas 3. à lacu Castellionæo in Ort. in maritimo tractu Senensi. Baudr.

Rusellus, de quo Brito Armoricanus *Philippid. lib. 1.*

Terra Biensis habet castellum, nomine Brajam,
In quo Judaos plures Comitissa Brenensis,
More suo nummos dantes & fœnus, habebat.
Contigit, ut fidei nostra confessor agrestis
Quidam, quamplures solidos deberet iisdem,
Qui cùm non esset solvendo, contulit illis
Arbitrio Comitissa suo punire Rusellum,
Pracipuè quoniam Judais probra tulisset,&c.

Hunc Judæi vinctum flagellatumque crucifixerunt, latere etiam ejus hastâ perfosso: quam ob rem à Philippo Rege omnes combusti sunt. An *Rusellum* eum Brito vocavit à Gall. *ruser*, id est, decipere, fraudare, ac si Comitissa eum, uti Judæorum fraudatorem, tradidisset, quòd pecuniam debitam non persolverat? Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Rusibis, Rusubis Vict. Uticensi, *Rutubis* Plin. portus & opp. Mauritan. Tingitanæ ad Cusæ ostium in mare Atlanticum labentis. *Omirabi* Marmolio.

Rusicada, opp. Africæ propriæ maritimum apud Cullu urbem. *Estora*, sive *Stora* Marmol. & Moletio.

Rusicibar, meliùs *Rusubricari*, est *Sarcelle*, seu *Sercelle*, opp. amplum regni Algerii, in ora maris Medit. cum arce & portu capaci, 28. mill. à Rusucuro seu Algerio in Occ.

Rusina, Dea fuit, cui rura committebant antiqui, ut ait D. Augustinus. Quidam hanc potius *Rurinam* appellarunt.

Rusipisis, hodie *Tedeles*, opp. regni Algerii, in ora maris Mediterr. cum portu, 18. leucis ab Algerio in Ort. Saldas versus paulo plus. Dicitur & *Sadeles*.

Rusium, Cedreno, *Topirus* Ptolemæo, *Doberus* Thucyd. *Toprus* Procopio, urbs Thraciæ cis Rhodopen, inter Philippos & Maximianopolim; hodie *Rusio*, 90. mill. ab Adrianopoli in Afr. 8. ab ora maris Ægæi in Bor. Baudr.

Rusna, fluv. Prussiæ Duc. olim Chronus. Oritur in Lithuania, ubi *Niemen* dicitur; recipitque Sezaram & Viliam: dein Samogitiæ partem Austr. rigat; & tandem *Russe* dictus, in Curonensem Sinum se exonerat 5. ostiis.

Ruso, vide *Abudius*.

Ruspa, Ptol. Africæ propriæ urbs maritima. Stella scribit eam *Alfaques* hodie vocari. Baudrando urbs Byzacenæ, hodie *Affachus*, in regno Tunet. in ora Syrtis min. seu Capsi sinus, 70. m. p. à Ruspina in Merid.

Ruspina, urbs Africæ maritim. inter Hadrumetum & Ruspas. Silius *lib. 3.*

Quaq; procul cernit non aquos Ruspina fluctus.

In Byzacena reg. hodie *Souse*, Sansoni, urbs ampla regni Tunet. in ora litt. maris Mediterr. cum portu, media inter Mercurii prom. in Bor. & Syrtim min. ad Austr. 40. m. p. ab Adrumero in Or. totidem à Thysdro in Bor.

Russia, quæ *Roxolania* etiam dicitur, & *Ruthenia*, unde nomen acceperit, variæ extant opiniones: inter quas verisimilior est, eam antiquitus *Rossetam* appellatam fuisse, quasi gentem disseminatam & dispersam: *Rosseja* enim, Ruthenorum lingua, disseminatio seu dispersio explicatur: eo quòd hi populi totam Sarmatiam Europæam, & Asiaticæ partem occuparunt, atque ab Oceano glaciali ad Mediterraneum usque mare, & Sinum Adriaticum, necnon, à Ponto Euxino ad Balthicum Oceanum usque, suas colonias extenderunt: omnes itaque populi, qui lingua Sclavonica utuntur, atque ritum & fidem Christi, Græcorum more, sequuntur, communi vocabulo *Russi*, seu *Rutheni* appellantur. Duplex autem est Russia, Meridionalis, quæ & *Nigra* dicitur: & Septentrionalis vel *Alba*. Russia *Nigra*, sub Poloniæ regno continetur, versus Austr. & clauditur à Meridie Sarmaticis montibus, qui Carpates etiam & Tatri dicuntur, ab Ortu habet Volhiniam, & Podoliam infer. conterminas: à Septentr. Polesiam, ab Occasu verò Poloniam super. contingit: ejus metropolis est Leopolis, sæpe Germ. *Russelemburg*. Aliæ urbes Belza, Chelma, Premislia, Jaroslavia, & Zamoscia. Ibi aliàs Peucini ex parte. *Alba* verò Russia Duci Moscoviæ paret: Estque regio perampla, aliàs Sarmatia, inter Oceanum Septent. ad Bor. & Tartariam min. ad Mer. Ejus primaria Moscua. Vide *Moscovia*. Cromerus *in Chron. Polonia*, Metel. Videatur & Ægidius Fletcher, *in Russorum Republ. cap.* 1. ac Baudrand. Obsederunt Russi Michaelem Imper. Orientis in urbe Constantinop. An. Chr. 861. sed re infectâ discessere, interim ex captivis religionem Christianam hauserunt. Accessit postmodum Basilii Imper. opera, & miraculum non exusti codicis sacri, cùm Episcopus precaretur: *Glorifica nomen tuum Christe Deus!* An. C. 866. Iterum, sub Rege Ingero, cum classe Urbem oppugnantes, imperante Constantino, An. C. 944. classe dissipatâ, frustra fuere. Sedati postea à Zimisce, An. Chr. 971. Vlodomirus dein Russiæ Dux, ductâ sorore Basilii Imperat. Annâ, fidem Christianam suscepit, circa An. C. 980. Russiam subjugavit Boleslaus Poloniæ Princeps, quòd Isaslaum pulsum restitutumque denuo ejecissent, An. Chr. 1058. Boleslaus postea alius Ann. 1123. Jaropelcum Ducem Russorum cepit, rebellem bello petiit, in quo Palatini cujusdam fugâ immaturâ victus est, An. Chr. 1138. Casimirus quoque Rex bellum Russicum gessit, An. Ch. 1177, & Lescus insigni clade illos superavit, An. Ch. 1205. Vastata seqq. temporibus Russia est, à Battone, Changii Tartarorum Regis filio, cui Septentrio obvenerat, An. Chr. 1241. Iterum Russorum Dux Suarnomes à Boleslao Pudico, Poloniæ Reg. per Petrum Palatinum Cracov. victus est, An. C. 1267. Lescus quoque Niger Boleslai successor Leonem Ducem, Leopolis conditorem, duplici clade affecit, ob incursiones in Poloniam factas, An. 1280. Carolus post hæc Ungarorum Rex, præter alias regiones, Russiam quoque subegit, An. Ch. 1310. Casimirus autem M. iisdem victis, Russiam in provinciæ redegit formam, eodem cum Polonis jure, veteri tamen Religionis ritu concesso, An. Ch. 1342. Etiam Vladislaus, filius Vladislai Jagielonis, Russicam & Podolicam nobilitatem, cum Polonica omni jure exæquavit, An. C. 1434. &c. Vide Cromerum *Hist. Polon.* Lætum *Comp. Hist, Univ.* Alios.

Rusticiana, Anton. *Galisteo* Delgado, opp. Vettonum apud Placentiam Urb. ab ea 3. leuc. inter Emeritam ad Austr. 23. & Albam Torrensem in Boream, versus Salmanticam 21. in regno Castellæ Vet. Aliis videtur *Cividad Rodrigo*.

Rusticus, Consul cum Olybrio, ann. U. C. 1217. Alius Consul cum Vitali, an. U. C. 1273. Item Præf. Urbis, sub Antonino Phil. Sævus in Christianos, Lætus *Hist.*

Rusticus Arulenus, tribunus plebei flagrans juvenis, qui, cupidine laudis, offerebat sese intercessurum Senatus consulto, contra Thraseam, jussu Neronis, facto, Tacit. 16. 26. Prætor sub Vitellio, legatus ad Vespasianos, violatus ac vulneratus à militibus, *Histor.* 3. 80. Vide Plinium *lib.* 1. *Epist.* 5. Suetonius hunc, *in Domitiano*, *Junium Rusticum* appellat, narratque occisum à Principe, quòd Pæti Thraseæ & Helvidii Prisci laudes edidisset. Nomina illi fuerunt *L. Junius Arulenus Rusticus.* Plinius ipse hunc, velut doctorem monitoremque habuit, & in laudes ejus erumpit, *Epist.* 14. *lib.* 1. Etiam Plutarchus, *extremo libello de Curiositate*, factum ejus plenum constantiæ recensuit. Et Antoninus Epistolam inseruit *lib.* 1. Janus Gebhardus censet ejus patrem fuisse *Junium Rusticum*, à Cæsare Tiberio componendis Patrum actis delectum: de quo Tacit. *Ann.* 5. *cap.* 4. Vide quoque *Junius Rusticus*.

Rusticus Bolanus, Cons. cum Calphurnio Pisone, an. U. C. 863.

Rusticus Elpidius, stirpe nobilis, Medicus Theodorici Gothorum Regis, scripsit versibus hexametris Historiam Utriusque Testam. Item tractatum de Beneficiis JESV CHRISTI: Gregorius Fabricius edidit. Item, Narbonensis Præsul celebris, seculo 5. Leon. *epist.* 92. Item Diaconus Ecclesiæ Rom. qui, cùm indignaretur, tria capitula à Vigilio Episcop. damnata, junctus Stephano Diacono, schismatis auctor extitit, & in Vigilium, tanquam desertorem Concilii Chalcedonensis, invectus est; Baron. *in Annal. &c.*

Rusticus, vide *Fabius*.

Rustonium, vide *Rusconia*.

Rusubricari, vide *Rusicibar*.

Ruteni, Cæsaris ætate in duas divisi partes, alii provinciæ Narbonensi, alii Galliæ Celticæ, & paulo pòst ab Augusto Aquitaniæ attributi sunt: quorum hi à Lucterio Arvernis rebellibus & Vercingetorigi sunt conciliati, Cæsar *lib.* 7. Idem ad se in Hispaniam venisse ait Sagittarios ex Rutenis, *Comm. de bello Civili.* Provinciales Rutenos in diœcesi Vabrensi quidam hodie collocant, sive in inferioribus Rutenis; alii in finibus Albigensium, qui tamen nunquam provinciæ Narbonensis fuere. Rutenos autem Aquitanicos pro Rutenis superioribus montanisve habent, apud quos Segodunum, caput gentis, in vett. Notit. inter provinciæ Aquitanicæ primæ civitates 8. tertia, vulgò *Rodes*, aliàs *Rodan*, aut *Rodez*: ad Avarionem fluv. Dicuntur *Ruteni* argenti metallis dites Strabon. & adnumerantur 14. gentibus Garumnam inter & Ligerim habitantibus, Lucanus flavum illis capillum tribuit:

Solvuntur flavi longâ statione Ruteni.

Clari inter Episcopos Ecclesiæ *Rutenica* Amantius, Quintianus, Dalmatius, &c. Pagus *Rutenicus*, nunc duas Diœceses continet, Segodunensem veterem ac Vabrensem recentiorem, ac in super seu montanum, *le Haut Roüergue*, & infer. seu planum, *le Bas Roüergue* dividitur. Incolæ *les Roüerguois*. Avario fluv. cujus supra mentio, vulgò *Aveiron*, oritur ex fonte cognom. *Vayrou*, alluitque Calliacum, Aginnum vicum, Segodunum, Lucum, Bellum Castellum, Villam Francam, Bastitam, Monticulos, Maceriolas, Salvitatem, Castrum S. Marcelli, *Saint Marsau*, Bellum Podium, *Belpuech*, Castrum Guespiam, *la Guepie*, Castrum S. Antonini, Casalia, Nigrum Palatium, *Negrepelice*, & Regalem Villam: ac demum Viauro & Biauro amne, *le Biaur*, qui Lauternam recipit *Lezert*, ac 4. aliis fluviolis auctus, in Tarnem defluit. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Ruth, uxor Mahalon, dein Boozo nupta, peperit Obedum, patrem Isai, avum Davidis, è quo secundùm carnem natus est SERVATOR MVNDI. E gente Moabitarum fuit, vide historiam ejus in libro Canonico S. Scripturæ, ab ea denominato. Creditur illa contigisse, sub Judice Baraco, An. M. 2748. Liber autem Ruthæ à Samuele Proph. compositus quibusdam videtur. Vide Comestorem, Liranum, Jansenium, &c. Lat. *saturata*, vel *inebriata*. In *librum* huncce sacrum *Ruth*, extant quoque Acostæ *Commentar.* fol. Lugd. 1641. Balduini *Concion.* Germ. Witeb. quart. 1620. Beda. Bonfrerius. Borrhai *Comm.* fol. Basileæ 1565. Brentius. Calovius. de Celada *Comm.* Lugduni 1651. Crommius, Lovanii 1631. Chytræus, fol. 1590. Witeb. Cuperus. Drusii *Comment.* quart. Amstelodam.

dam. An.1632. Fevardentius. Fontanus. Fulleri *Comment.* Angl. octav. Londini 1654. Gualterus. Heidericus. Hielingii *Periocha*, octav. Norib. A. 1593. Don Joseph Aben Jechija, Hebr. Isaac ben Arama. Isidorus Hispal. Lavateri *Homiliæ*, fol. 1576. Heidelbergæ. a Lapide. Lechem Setharim. Hebr. Malvenda. Merceri *Interpretatio Syr. cum Scholiis*, Paris. 1564. Nezeni *Exercitationes*, Jenæ An. 1611. Paulutius. Piscatoris *Comment.* octav. de Ponte. Procopius. Rabanus. Rupertus. Sanctii *Comment.* fol. Lugd. 1627. Savonarolæ *Homiliæ*, Salmant. 1576. Serarius. Theodoreti *Quæstiones Selectæ*. Tostatus. de S. Victore. Wolfii *Sermones*, fol. An. 1589. Tiguri, &c. Vide Crowæi *Elenchum*.

Ruthardus, Monachus Hirsaugensis, in diœcel. Spirensi, floruit sec. 9. Scripsit vitam S. Bonifacii, &c. Obiit An. 865. Trithem. *in Chron. Hirsaug.* Meginfridus *in Chron.* Voss. &c.

Rutheni, alii sunt in Narbonensi prov. de quibus Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Alii in Aquitania, de quibus Plin. *lib.* 4. *cap.* 19. Ptolemæo Ῥουτανοί. Vide *Rutheni*, & *Ruteni*.

Ruthgerus Reffius, JC. docuit Lovanii. Edidit Aphorismos Hippocratis Græcè, libb. Platonis de Legibus, &c. Obiit Ann. 1545. impensè laudatus ab Erasmo *lib.* 17. *epist.* 12. 13. & 31. Valer. Andr. *Bibl. Belgic.* &c.

Ruthgerus Venraya, Canonicus Reg. St. Augustini, doctrina clarus An. 1494.

Rutila, Rom. mulier, quæ constans usque adeo fuit, ut post amissum filium Cottam, quem in exilium fuerat sequuta, lachrymas nullas emiserit.

Rutilius, e territorio Vincentino, Grammaticus insignis. Paul. Jovius *elog. cap.* 96.

Rutilius Claudius, Numantianus Gallus, Itinerarium metro scripsit *lib.* 2. in quo graviter in Christianos & Judæos invehitur, ingens Paganismi hyperaspistes: sed posterioris libri pars melior periit. Opus hoc in Monasterio quodam Italiæ repertum, Volaterrani tempore, sæpius editum est. Fuit vir Consularis præfectorius Urbis, tribunus militum & prætorio præfectus. Floruit sub Theodosio, seu post Romam ab Alarico captam, An. 410. Vide Voss. de *Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 15.

Rutilius Flaccus, scripsit historiam Theodosii & Honorii.

Rutilius Geminus, libros Pontificales fecit. Vide Voss. *de Hist. Lat. pag.* 718.

Rutilius Lupus, Prætor Tarracinâ, cum III. cohortibus profugit. Cæsar. 1. *Civ.* 24.

Rutilius Lupus, Rhetor, cujus mem. Quinctilianus.

P. *Rutilius* Rufus, Conf. cum Cn. Mallio, an. U. C. 649. Tum de vitâ suâ, tum Numantini belli historiam in exilio, vide infra, scripsit. Prioris operis meminit Tacitus *initio lib. de vitâ Agricolæ*: *Plerique* (inquit) *suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quàm arrogantiam arbitrati sunt. Nec id Rutilio & Scauro citra fidem, aut obtrectationem fuit.* De altero opere ita Athenæus *sub finem lib* 6. Καὶ Ῥουτίλιος Ῥοῦφος ὁ τὴν πάτριον ἱστορίαν γεγραφώς. Hanc historiam Græce signavit, teste eodem Athenæo *lib.* 4. At vitam suam Latinè prodidit. Aliter si esset, non hujus operis laudarent auctorem Sosipater, & Diomedes, imò & Isidorus *lib.* 20. *Originum.* Vir hic summus in jure P. Scævolam, & M. Manilium audivit, in Philosophiâ Panætium. Exemplum innocentiæ fuit; neque in urbe alter eo sanctior, vel integrior erat, teste Cicerone. Hic actus in exilium à patribus Syllanis, Smyrnæ vixit, ab omnibus Asiæ urbibus, per legatos, cultus. Tacit. *Annal.* 1. *Publ. Rutilium legibus pulsum civem sibi Smyrnæi addiderunt.* Deinde verò à Syllâ redeundi potestate factâ, respondit illud quod à Seneca *in* 6. *de Beneficiis*, ponitur: *Malo ut patria mei exilio erubescat, quàm reditu mœreat.* Ovid. *Pont.*

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non usi reditus conditione dati:
Smyrna virum tenuit, non Pontus & hostica tellus.

Vide Cic. *in Bruto*, Senec. Liv. *lib.* 70. Valer. Max. 2. 5. & 6. 6. Vellejum *lib.* 2. Plut. *in Mario.* Agellium 7. 14. Plurima de eo habes apud Voss. *de Hist. Gr lib.* 1. *cap.* 22. & *de Hist. Lat. l.* 1. *c.* 9. &c.

Rutina & *Rutinense* monast. vetus in pago Trevirico, memoratus *lib.* 4. *de vita Bernardi.* Aliis *Rutila*: vulgò *Rotil*, vel *Rottel*, locus non longè à Treviris distans, Sircæ castro ad Mosellam *Sirck* propior. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Rutlandia, prov. parva Angliæ, inter Licestriam ad Occ. Lincolniam ad Ort. & Northantoniam ad Mer. Ibi tantùm castium *Oukam.*

Ruttis, Sylva apud Trajectum ad Mosam.

Rutuba, fl. Liguriæ ex Apennino monte in mare Ligusticum descendens, vulgò *la Rotta.* Ejus mem. Lucanus *lib.* 2.

Dexteriora petens montis declivia Tybrim
Unda lavat, Rutubamq; cavam.

Rutubis, fl. Maurit. Tingit. Vide *Rusibis.*

Rutuli, Latii popul. quorum Ardea metropolis fuit: Strabo, Plin. Livius, Virgil. *Æneid.* 10.

Tros Rutulusne fuat, nullo discrimine habebo.

Rutunium, *Routon* adhuc teste Camdeno, op. Angliæ in comit. Salopiensi. Anton.

Rutupa, Ῥουτουπίαι Ptolemæo, *Repchestre* Lhuydo, *Richborow* Talboto & Camdeno; portus & oppid. Albionis in orâ Angliæ excisum apud Sandovicum port. & oppidum. Hine *Rutupinus.* Lucanus *lib.* 6.

—— *Veluti mediis qui tutus in arvis*
Sicaniæ, rapidum nescit latrare Pelorum:
Aut vaga cùm Tethys, Rutupinaq; litora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

Juv. *Sat.* 4.

—— *Circæis nata forent, an*
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea. —— ——

Ausonius *in Catalogo Urb.*

Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.

Vide Guil. Burtonum *ad Antoninum*, *pag.* 20. &c.

Ryphai, V. *Riphai.*

Ryssadirum, Maurit. Ting. urbs ad mare Ibericum. Ptol. *Deyrat Milila* incolis, teste Marmolio.

Ryssadium, Libyæ promunt. Ptol. *Capo de Verde* Nigro. Baudraudo *Capo de Riogrande*, in Nigritia, inter Arsinarium prom. in Circ. & Hesperi Cornu in Eur. prope ramum Nigri fl. *Rio grande* dictum.

Rzecica, opp. amplum Lithuaniæ, caput tractus cognom. ad Borysthenem. 10. leuc. Pol. à Rohaczovia in Mer. 14. à Czernihovia in Occ.

S. | SA

Semivocalis, à sequente vocali vim sonumque suum sumit: præcedenti tamen *M. P. & T.* jungitur, in *Cosmus, Prosper, & Testis.* Sæpe in *M.* transit, ut *Rursus, Rursum:* item in N. ut *Sanguis, Sanguinis:* ut & in R. ut *Flos, Floris.* In *T.* quoque sæpissimè convertitur, variis in linguis. Planè evanescit in *Numerus*, ex *Nusmerus*; *Damosus*, ex *Dusmosus*; *Camœna*, & *Camillus*, ex *Casmœna* & *Casmillus*. Varro quoque affirmat, *Omen* ex *Osmen*, & *Idem* ab *Isdem*, factum esse. Hinc Virgilius *Æneid. lib.* 11.

—— —— *Matrisq; vocavit*
Nomine Casmillæ, mutatâ parte Camillam.

SA.

Saab, Patria Eleazari, filii Samæ, viri præclari, Josephus *lib.* 3. *Bell. Jud.* 6.

Saada, urbs Arabiæ fel. in Mediterr. aliàs forsan *Sabbatha*, 300. mill. ab Adeno in Bor.

Saal, nomen viri, 1. Esdr. 5. Latinè, *postulans*, sive *postulatus*, aut *commodatus*, sive *sepulchrum*, vel *infernus*, aut *fovea*.

Saalim, oppidum fuit Judææ, apud Eleutheropolim, inde 7. m. p. in Occid.

Saananim, civitas, limes tribûs Nephthali, Jos. 11. Latinè, *motiones*, vel *motus dormientium*.

Saaph, fil. Jahaddai, 1. Paral. 2. Lat. *cogitans*, aut *pravolans*.

Saaraim, civitas in tribu Judâ, in quâ posteri Simeonis habitaverunt, Jos. 15. Latinè, *porta*, sive *æstimationes*, aut *appretiationes*, vel *capilli*, sive *hordeum*, aut *tempestates*, sive *dæmones*, aut *pilosi*, vel *hirci*.

Saba, vel *Seba*. Ex Scripturâ, inquit Bochartus ὁ μέγας, scimus 4. esse populos Seba nomine, quia totidem gentium conditores hujus nominis recenset Moses. Primum Chusi filium. Secundum nepotem ex Rhegmâ, Gen. 10. 7. Tertium filium Joctan, Genes. *cap.* 10. *v.* 28. Quartum denique filium Jocksan, Gen. 25. 3. Primi nomen per ס *samech*, reliquorum per ש *shin* scribitur. E primis tribus nati populi commerciis, & ex quarto latrociniis dediti. Primus & secundus è Chami stirpe, tertius & quartus è Semi posteris. Primus, secundus, & quartus mari Persico, tertius Arabico propior fuit. Inde est quòd Sabæos scribit Plinius *lib.* 5. *cap.* 28. ad utrumque mare habitare: *Sabæi*, inquit, *propter thura clarissimi, ad utraq; maria porrectis gentibus.* Nam quatuor hi pop. quantumlibet diversi, sub uno tamen Sabæorum nomine continentur. Nos ex Viro magno singulis propriam sedem assignabimus, & primùm de *Sabæis* filiis *Joctan*. Cùm autem de his agitur, eorum quoque nomen non caret homonymiâ. Sæpe enim sacri scriptores, & post Agatharchidem, Diodorus & Artemidorus apud Strab. atque alii veterum Sabæorum nomine, quatuor illos populos complectuntur, qui Arabiæ πέζαν occupaverunt, Minæos nempe, Catabanos, & Chatramotas. Hic verò agimus de *Sabæis* propriè dictis, quorum pater fuit שבא *Seba*, vel *Saba* filius Joctan. De his Eratosthenes, qui primus veterum Sabæos distinguit à reliquis Arabiæ odoratæ gentibus: Ἐχόμενοι δὲ τούτων Σαβαῖοι. Μητρόπολις δ' αὐτῶν Μαριάβα. Locum inspicienti apparebit, his verbis poni Sabæos ad mare Rubrum inter Minæos & Catabanos, qui Arabici sinûs fauces occupant, Dionysius Periegetes:

—— —— Γαῖα
Χατραμὶς ἐνναίει καταναντίον Περσίδος αἴης,
Αὐτὰρ Ἐρυθραίης πλησίοι ναίουσι θαλάσσης,
Μιναῖοί τε Σάβαι τε καὶ ἀγχίγυοι Κλαβάνοι.

Sabæorum metropolis *Sabo*. vel *Sabas*. Agatharchides *cap.* 50. Τὸ δὲ τῶν Σαβαίων ἀπὸ τοῦ παντὸς ἔθνος ἐπωνυμίαν εἰληφὸς ἐπ' ὄρους ἐστὶν οὐ μεγάλου, πολὺ κάλλιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, ὃ καλεῖται Σαβάς. In Diodoro autem, quem palam est Agatharchidem sequi, melius legitur Σάβα. Verba sic habent: Τοῦ δὲ ἔθνους τούτου μητρόπολις ἐστὶν, ἣν καλοῦσι Σάβα, ἐπ' ὄρους φκισμένην. Ita Philostorgius *lib* 3. Felicem Arabiam, in quâ Sabæi, tradit κατῴκουν ἐπὶ τὸν ἐξώτατον ὠκεανὸν, ἧς μητρόπολις ἡ Σάβα. Et cùm Theophrastus aromata gigni scribit περί τε Σάβα καὶ Ἀδραμύτα, intelligit Saba Sabæorum metropolin, & regionem ei cognominem. Saba Ptolemæo est Σαβαί, Stephano Σαβαί, & Σάβα. Σαβαί, inquit, πόλις μεγάλη, πλησίον τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καὶ φρούριον. Idem alibi: Σάβα, πόλις μεγάλη, πλησίον τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, οἱ πολῖται Σαβαῖοι. Ejusdem urbis aliud est nomen ab isto planè diversum *Mariaba*. Eratosthenes de Sabæis: Μητρόπολις δ' αὐτῶν Μαριάβα. Artemidorus: Ἡ δὲ πόλις τῶν Σαβαίων, ἡ Μαριάβα, κεῖται μὲν ἐπ' ὄρους εὐδένδρου. Nomen *Mariaba*, Plinius *dominus omnium* interpretatur, nempe à verbo רבא *rabba*, quod *dominari* signif. formatur nomen *Marab* pro loco vel tempore dominationis. Tres metropoles in Arabiâ hujus nominis enumerat Plinius. Cæterùm Saba Græcorum alii mysterium explicant, ut in Plinio habetur *lib.* 12. *cap.* 14. alii ridiculè deducunt ἀπὸ τοῦ σέβειν, eò quod in cultu Deorum præcipuus thuris usus est. Hesychius multò verius Σαβά, αἰχμαλωσία. Nam Ebraicè שבה Chaldaicè & Syriacè שבא, & Arabicè سبى est *captivum ducere*. Tamen *Saba* refert Bochartus potiùs ad Arabicum צבא, quod *eminere* signif. Id enim in Sabæos apprimè quadrat, sive situm respicias urbis metropoleos, quæ fuit in monte sita, ut supra ostendimus, sive staturam corporum incolarum, de quibus Agatharchides: Τὰ σώματα ἐστι τῶν καθεστώτων ἀξιολογώτερα. Præterea si mores hominum spectes, Geographus Arabs eos ita describit: *Fastu, jactantiâ, & superbiâ reliquos populos superabant.* Denique dignitate etiam & numero, & potentiâ videntur cæteris præcelluisse. In Agatharchide: τὸ τῶν Σαβαίων ἔθνος μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, καὶ παντοίας χώραν εὐδαιμονίας. In Strabone: Ἡ τῶν Σαβαίων εὐδαιμονεστάτη μεγίστου ἔθνους. In Diodoro Siculo Sabæi sunt πολυανθρωπότατοι τῶν Ἀραβικῶν ἐθνῶν. Divitiæ Sabæorum partim balsamo, & casiâ constant, & myrrhâ, & thure, & cinnamomo, & palmâ & calamo odoratis, & cæteris id genus tantâ ubertate, ut in igne quotidiano non aliud lignum adhibeant quàm ex casiâ & cinnamomo. Plin *lib.* 12. *cap.* 17. *Non alia ligni genera in usu sunt, quàm odorata: cibosque Sabæi coquunt thuris ligno, alii myrrha.* Unde Virgil.

—— *Molles sua thura Sabæi.*

Et rursum:

—— *Solis est thurea virga Sabæis.*

Valerius Flacc. *lib.* 6.

—— *Thuriferos, felicia regna, Sabæos.*

De Reginâ Seba, vel Saba, vide Bochart. *lib.* 2. *cap.* 26. De שבא *Seba*, vel *Saba* filio Rhegma, Vide eundem *Phaleg. lib.* 4. *cap.* 7. Sabæi, inquit, ex stirpe Chusi. ubi locorum sedes fixerint, conabimur hic aperire. Sabæos dicit Pomponius Arabiæ Fel. tenere partem ostio maris Persici proximam & Carmaniis. Et in illo ipso ostio Carmanis proximo recenset Arrian *in Peripl.* ὄρη μέγιστα λεγόμενα Σαβῶ, tanquam à *Sabâ*. Ptol. scribit *Asabo*, & Marcian. *Pasabo*. Sed utrobiq; monent vestigia nominis *Saba*. Hos Sabæos, ut putem patrem habuisse Sabam Rhegmæ filium ac Dedanis fratrem, facit locorum vicinia. Nam urbs *Dedan*, hodie *Daden* proximè abest ab illo freto, & prope Dedan erat Rhegma. Eosdem verisimile est per freti angustias trajecisse in vicinam Carmaniam, in qua *Sabis* urbem describit Ptolem. & Plin. *Sabin* fluv. Dionys. Perieg. *Sabas* populos vicinos Pasargadis. Sic enim ille:

Πρὸς δὲ Σάβας, μετὰ τοὺς δὲ Πασαργάδας.

De altero *Sebâ* filio Chus. ac de *Sebâ* Abrahami nepote, vide Boch. *Phal. lib.* 4. *cap.* 8. & 9.

Saba, Insula parva, ex Antillis, sub Hollandis, vix 10. m. pass. à parte Occ. Ins. Christophori.

Saba, castellum, à quo Campus magnus *Campus Saba* dicitur; in tribu Issachar.

Sabachus, Æthiopum Rex, pulso Anisi, Ægypto per ann. 50. præfuit. Dicitur non aliam reis pœnam inflixisse, quàm ut certam terræ portionem conferrent; quo pacto Urbes, quæ prius plus æquo humiliores erant, ad justam altitudinem perduxit. Herodotus *Musâ* 2.

Sabadiba, Anthropophagorum ins. 3. in mari Indico, sive Eoo, Ptolemæo.

Sabæ, Indiæ populus, vulgò putantur apud Dionysium, cujus verba sunt:

Τῶν δὲ μέσοι ναίουσι Σάβαι. ——

Id est, *horum autem* (fluminum) *medii habitant Sabæ*, scil. inter Acesinem, Hydaspen, & Cophetem, de quibus proximè egerat. Atqui hoc loco pro Σάβαι legendum Σίβαι, rectè monuit vir magnus, *in Plinianis*. Quippe in Indiâ Sabas nemo alius nominavit. Sed *Sibarum* meminit Strabo *lib.* 15. Diodorus *lib.* 17. Arrianus *in Indicis*, Nonnus *in Dionysiacis lib.* 26. *vers.* 218. Stephan. in Σίβαι. Bochartus.

Sabæi, vide *Saba*.

Sabagena, urbs Armeniæ majoris, in Præfectura Laviniamensi, Ptolemæus.

Sabaiticum os, Prolem. Sebasticum, in MS. Seldeni Σαβαστικόν, locus Æthiop. ad fauces Sinus Arab. Strab.

Sabalassa, unum ostiorum Indi fluv. Ptolem.

Sabalingii, pop. Germ. inter Cimbros, quos *Jutlander*, cum *Gutis* & *Vitis* Peucerus interpretatur.

Sabama, civitas validissima, quam ædificaverunt filii Ruben, Josue

Josuæ 13. Latin. *conversio*, sive *captivitas nimia*, aut *canicies*, vel *jussio multa*. Vineis abundabar: 500. p. ab Hesbon. Hier.

Sabana, Aureæ Chersonesi urbs, Ptolem. *Saendabar* Mercator vocat, & in insula Japan locat.

Sabania, viri nomen, 2. Esdr. 2. Latinè, *convertens*, vel *captivans Dominus*, aut *intelligens*, vel *ædificans Dominus*, vel *intellectus*, aut *structura Domini*.

Sabaracus, Sinus Indiæ ulter. hodie *Golfo de Pegu*, seu *de Martavan*, ab urbibus adjacentibus: estque pars Sinus Gangetici, versus auream Chersonesum.

Sabarca, Indiæ pop. qui populi, non regum imperio regebantur, Qu. Curtius.

Sabaria, hujus meminit Ammianus & Antoninus. Plinius eam Norico annumerat, & Coloniam D. Claudii nominat. Lazio Austriæ oppid. est ad Angrum fluv. nomine *Stain*, Patria S. Martini. Baudrando urbs est Pannoniæ, Clusio & Lazio, *Stain am Angern*, opp. Hungar. in Comit. Castriferrensi, in limite Austriæ infer. 6. leuc. à Sopronio in Eur. Vesprinium versus 12. & 8. ab Arrabone in Merid. Cluverio autem est hodie castrum *Sarvvar*, German. *Rothensum*, 3. leucis infra prius in Eur. ad confluentes Sabariæ fluv. in Arrabonem. Bruschius dicit Sabariæ, An. Dom. 1508. sepulchrum Ovidii Nasonis inventum, testudine magnificum, & hoc Epitaphio ornatum:

Fatum necessitatis lex.
Hic situs est Vates, quem Divi Cæsaris ira
Augusti patriâ cedere jussit humo:
Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra, hunc illi fata dedere locum.

Sabaria, vulgò *Gunß* Germanis, *Benges* Hungaris, fluv. Pannoniæ, Sabariam urb. alluens & in Arrabonem influens.

Sabarim, Civitas aut villa, inter terminum Damasci & confin. Emath, ad Septentr. terræ promissæ limes, in tribu Nephthalim, Ezech. 47. Hier. de L. H.

Sabarim, locus trans Jordanem in terrâ Amorrhæorum, qui à *frangendo* hoc nomen invenit; siquidem ibi Israëlitarum acies fracta est, Jos. 7. In tribu Benjamin.

Sabata, Liguriæ urbs, quæ & *Vada Sabatorum*, & *Vada Sabatia*. Ptolemæus: Τῆς δὲ Λιγυρίας ὑποκειμένης ταῖς Ἀλπίοις ὄρεσιν, αἱ μεσόγειοι πόλεις, Σάβατα, Πολλεντία, Ἄστα, Ἄλβα Πομπηΐα, Αὐγοῦστα· Imperitè oppidum maritimum in mediterraneis posuit. Jul. Capitolinus in *Pertinace*: *Avaritiæ suspicione privatus non caruit, quum apud Vada Sabatia oppressis fœnore possessoribus, latius suos tenuerat fines.* Strabo *lib.* 4. *in descriptione Alpium*: Ἄρχονται δ᾽ αἱ Ἄλπεις, οὐκ ἀπὸ Μονοίκου λιμένος, ὡς εἰρήκασί τινες, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῶν αὐτῶν χωρίων, ἀφ᾽ ὧνπερ καὶ τὰ Ἀπέννινα ὄρη κατὰ Γένουαν καὶ τὰ καλούμενα Σαβάτων Οὔαδα, ὅπερ ἐστὶ τενάγη, &c. Vide Cluver. *Ital. Antiq. pag.* 68. Silius *lib.* 8.

Quiq; tuos Flavina focos, Sabatia quiq;
Stagna tenent.

Hodie *Vadi*, seu *Vade*, oppidul. cum portu & arce permunita, in clivo. Sub Genuens. Ferrar.

Sabata, seu *Sabate*. Vide *Brygianum* & *Arcennum*. Baudrando opp. Hetruriæ nunc excisum, ubi templum S. Marciani, 3. mill. in Circ. à Braceno seu Braciano, quod ex ejus crevit ruinis, & vix 2. à lacu Sabatino ab eo dicto: hinc etiam *Sabatia* tractus adjacens.

Sabatha, filius Chus, Genes. *cap.* 10. Vide Bochart. *Phaleg. lib.* 4. *cap.* 10.

Sabathaca, filius Chus, Genes. 10. Vide Bochartum *Phaleg. lib.* 4. *cap.* 4.

Sabathius, Judæus, dein Episcopus hæreticus. Postquam enim Judaismum reliquit, à Martiano Novatianorum Præsule, presbyter ordinatus est: dein Judaismum in Sectam suam introducere conatus, Theoctisto & Macario, presbyteris in suas partes pertractis, Paschatis celebrationem ad 14. diem Lunæ reducere voluit: Post quæ, sub prætextu purioris vitæ, cœtus segreges habere & schisma formare cœpit, cujus ipse Episcopus fieret. A Martiano propterea reprehensus, & jurare coactus, ad Insulam se nunquam adspiraturum, nihilominus fidem non servavit, sed à *Sabbathianis*, sectatoribus suis, Episcopus creatus est. Socr. *lib.* 7. Baronius *An. C.* 391. num. 17. Hodie autem *Sabbathiani*, vel *Sabbatharii* dicuntur, qui, diem septimum hebdomadis colendo, Judaizant. Sander. *hær.* 195. Florimund. *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 3.

Sabathra, urbs Arabiæ felic. Plin. Forsan *Saada* hodie. Item colon. & opp. Africæ maritim. *Saxambis* Moletio, *Rakianabes* Villanovano. Melius *Sabrata*, hodie *Tripoli Vecchio*, ferè in ruinis, cum portu capaci, in ora maris Mediterr. 70. mill. pass. à Tripoli novo, olim *Oea*, in Occid. Tacapam versus 180. in regione Tripolitana. Baudrand.

Sabatia, regiuncula Tusciæ, circa lacum Sabatinum, inter urb. Romam ad Ort. & Tarquinios ad Occ. hodie *Paesa di Anguillara*. Baudrando *il Ducato di Bracciano*, tractus est Patrimonii, cum tit. Duc. generis Ursinæ, versus oram maris Tyrrh. & lacum Sabatinum, ubi opp. Braccenum & Anguillaria, ac Palum Castrum, cum pluribus villis; ad aliquot mill. extensus. Ibi aliàs Sabata oppid. præc. & pop. Sabatienses.

Sabatinca, Cluverio vicus est *Sunebenkirch*, in Stiria, 7. mill. pass. ab oppido *Muravv* in Mer. in ipso limite ditionis Salisburgensis & Carinthiæ.

Sabatinus lacus Hetruriæ, etiam *Triangularis* dictus est olim, nunc *Lago di Bracciano*, ab opp. adjacente, ex eo effluit Elaro fluv.

Sabaudia, regio ampla Galliæ Narbon. ubi olim Allobrogum pars Bor. & Centrones. Habet à Septentr. Lacum Lemanum, & Rhodanum, ab Occ. Rhodanum, à Merid. Delphinatum, ab Ortu Pedemontium & Valesiam, à quibus Alpibus separatur. Sub proprio Duce; in Ducatum enim erecta est à Sigismundo Imper. An. 1417. cui etiam Pedemontium paret. Tota altissimis referta est montibus. Habetque partes sex: nempe Sabaudiam propr. Principatum Genev. Maurianam, Tarentasiam, Fossiniacum & Caballicum tractum. Caput totius reg. est Camberiacum. Sed Monmelianum arx est munitissima. Baudr. Olim habitata à Centronibus, Brannovicibus, Antuatibus, Latobrigis, Allobrogibus & Sabaudis. Non enim nova vox Sabaudia est, cum Prosper Aquitanus, jam ante mille annos, Sabaudiam, ab Aëtio Patritio Galliæ, Burgundionibus concessam scripserit. *Sapaudia* Ammiano Marcellino, & Ennodio dicitur: montosa admodum, frugum tamen haud parcè ferax, metallifera quoque alicubi: incolas simplices habet. Olim pars Galliæ Narbonensis, parsque Celticæ, seu Lugdun. fuit, dein Romanis paruit, donec ad interitum vergente imperio, variis barbaris gentibus, sub Honorio, prædæ fuit. Postea regni Burgundici fuit pars, tandem sub Principibus, qui hodieque illam tenent, esse cœpit: Cujus familiæ Caput Bertoldus sec. 11. ex prisco Saxoniæ Duce Witikindo originem traxit. Hujus enim filius Wigbertus, Dux Angriæ, pater fuit Immedi, qui ex Hinna Comite Schirensi, suscepit Hugonem, Marchionem Italiæ, Berchtoldi Comitis Sabaudiæ & Maurianæ, Patrem. Huic successit Humbertus *candidis manibus*, &c. Cujus successores variis accessionibus avitâ possessione auctâ, latè hodie imperant. Sub Amadeo VIII. Duc. titulo nobilitata est, Vide Lud. Chiezam, *Hist. Pedem.* Philibertum Pingon. *Saxon. Sabaud. Princ. Arbor gentil.* &c. Addantur Guicheno & Paradinus, *Hist. Sabaud.* Papyr. Massonius, *Elog. Ducum Sabaud.* Thomas Blancus, *Epit. hist. Sabaud.* Duchenius, *Hist. Burgund.* &c. Paulo aliter de familia hac Serenissima Enucleator Limnæi, *lib.* 3. *cap.* 22. Ita enim ille: Bertholdus ex Amadeo I. Witikindi M. pronepote genitus, cùm patrium solum vertere cogeretur, in eam Burgundiæ Transjuranæ partem concessit, quæ Comitatus Mauriennæ, nunc Sabaudia vocatur. Hoc natus Humbertus I. ab Henrico III. Imper. Comes Maurienнæ creatus est, quo titulo usa familia fuit, usque ad Amadeum VIII. quem Sigismundus Imper. An. Chr. 1416. in Concil. Constantiensi Ducem creavit. Amadeus II. fuit primus Comes Sabaudiæ, Marchio Taurinorum, & Segusianorum, occupator Rhodi Insulæ, ab Henrico IV. Imper. primus Imperii vicarius creatus. Thomas deinde, qui An. Ch. 1233. obiit, Pedemontium bello acquisivit: post eum Amadeus III. Vallis Augustæ partem & Chablasii Principatum avitis ditionibus junxit. Amadeus postea VIII. jam semel atque iterum memoratus, Gebennensem, sive Comit. Genevensem, sive Nicææ Insubriæ Principatum obtinuit, An. Chr. 1434. mox Eremitæ habitu induto, Ripariæ delituit: gubernaculo filio relicto. Dein Eugenio IV. oppositus Felicis V. assumsit nomen, novennio pôst Nicolao V. cedens: Post hæc Ludovicus, Amadei IX. frater, uxorio nomine Cypri Rex evasit: quâ à Turcis occupatâ, jus in Insulam inter Venetos Principesq; Sabaudiæ dubium mansit. Carolus I. dein Marchionatum Salutiæ occupavit, sed ejus loco Carolus Emanuel I. Henrico IV. Galliæ Reg. Bressiam cedere coactus est. Olim quoq; sub Principibus his egregia regio Vaudi, *Pais de Vaud* fuerat, sed eam hodie jure belli tenent Bernenses. Pinarolum quoque cum Comitatu annexo, in dicta Monaster. ab Imperio Gallis cessum est. Secundùm eundem tenet Sabaudiæ Dux feudi nomine ab Imperio quinque Ducatus, Sabaudiam, Augustam, Caballicum tractum, Genevensem, & partem Montisferrati: Tres Principatus, Pedemontium, Onelium, & Barcillonetam: Quatuor Marchionatus, Susam, Juream, Salutium & Cevam: Sex tandem Comitatus, Maurienam, Tarantasiam, Nicæam, Vercellas, Astum, & Tendam. Præter quæ possidet quoq; Rocheveranum, Olmum & Cæsola. Idem ante omnes Italiæ Principes; ipsum etiam M. Florentiæ Ducem sedendi jus habet; Symbolum ejus annulus est Divi Mauritii Thebarum legionis Ducis & Martyris, quem Petrum, primus Allobrox impetravit à Cœnobiarcha Mauritiano. Amadeus dein IV. Magnus dictus, Rhodo insulâ liberatâ An. Chr. 1310. accepit ab Episcopis Hospitalariis scutum & crucem albam, cum quatuor istis literis *F. E. R. T.* id est, Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit: à Venetis quoque confœderatis suscepit alas victrices & S. Marci signum, ad ornatum galeæ; Scuti porro insignia cum Saxonicis mixta, nempe Sertum rutaceum. Tandem An. 1633. Sabaudiæ Dux, postquam per præconem publicè promulgari curavit, Cypri regnum ad se pertinere, coronam Ducalem apertam claudi atq; in regiam converti curavit. Carolus Emanuel II. qui nuper præfuit, An. Chr. 1675. paulo pôst finitum bellum Genuense, quod ipsi non usque adeò feliciter cessit, obiit non sine veneni suspicione, relicto filio novenni. De prætensione Principum Sabaudiæ in Rempubl. Genevensem, conatibusque eorum hactenus irritis, Vide Thuan. *Histor. ad An. Chr.* 1602. De eadem

ut &

ut & eorundem prætensione in Ducatum Monsferratensem, Marchionatum Salutiarum, Achajam, Cyprum, Mediolanum, Vide Limnæum Enucl. *tom.3. cap.22.* de rebus inter Sabaudos & Helvetios, Bernenses inprimis gestis, Simler. *de Republ. Helvet.* Stumpf. *Chron. &c.* Quære etiam in voce *Sapaudia*.

Sabaudiæ urbes:

Annecium, *Annecy*.
Cambericum, seu Camberiacum, *Chambery*.
Clusæ, *Cluses*.
Fanum Sancti Joannis, *Saint Jean*, in Mauriana valle.
Monmelianum, *Montmelian*.
Monasterium, *Moustiers*, in Tarentasia.
Thononium, seu Tunonium, *Thonon*.

Sabazius, Bacchi cognomen, à *Sabis* gente Thraciæ ei inditum, teste Eustath. *in Dionys.*, cujus sacra *Sabazia* dicta. Vide Seldenum *de Diis Syris*, & Heinsium *in Aristarch. Sacr. cap.1.*

Sabbathai, nomen viri, 1. Esdr. 11. Latine, *requies*, aut *cessatio mea*.

Sabbatia, vicus Celticus, Stephan.

Sabbaticus amnis, de quo sic Josephus *Bell. Jud. 7. 23.* Τίτος δὲ Καῖσαρ, χρόνον μέν τινα διέτριψεν ἐν Βηρυτῷ, καθὼς προειρήκαμεν. Θεᾶται δὲ κατὰ τὴν πορείαν ποταμοῦ φύσιν ἀξίαν ἱστορηθῆναι. Ῥεῖ μὲν γὰρ μέσος Ἀρκαίας τῆς Ἀγρίππα βασιλείας καὶ Ῥαφανέας, ἔχει δὲ θαυμαστὴν ἰδιότητα. Πολὺς γὰρ ὢν ὅτε ῥεῖ, καὶ κατὰ τὴν φορὰν οὐ χαλαρός, ἔπειτα δὲ πᾶς ἐκ τῶν πηγῶν ἐπιλείπων, ἐξ ἡμερῶν ἀριθμὸν, ξηρὸν παραδίδωσιν ὁρᾶν τὸν τόπον. Εἶθ' ὥσπερ οὐδεμιᾶς γενομένης μεταβολῆς, ὅμοιος κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐκδίδωσι, καὶ ταύτην αἰεὶ τὴν τάξιν ἀκριβῶς τετήρηκε διαφυλάττων, ὅθεν δὴ καὶ Σαββατικὸν αὐτὸν κεκλήκασιν, ἀπὸ τῆς ἱερᾶς τῶν Ἰουδαίων Ἑβδόμης, οὕτως ὀνομάσαντες. Hæc ille. Hic verò de Sabbatis Judæorum nonnihil annotare liceat. Etsi enim observatio hebdomadum, quæ hodie obtinet ante tempora Theodosii vulgò recepta non fuit. Græcos tamen & Asiaticos in functione vitæ quotidianæ tale aliquid observare solitos accepimus. Quod quia imitatione Judæorum, qui jam tum per orbem sparsi erant, institutum est, etiam Sabbati nomen multi retinuerunt. Ejusmodi est, quod Suetonius ait, *Diogenem Grammaticum solitum Rhodi Sabbatis disputare.* Sic septimo quoque die feriæ pueris solitæ in scholis concedi. Lucianus *in Pseudologista*: Καὶ ὁ μὲν Κεκροπίδην τινὰ εἶπεν, ὁ δὲ Ἑβδόμην, ὅτι ὥσπερ οἱ παῖδες ἐν ταῖς ἑβδόμαις, κατακείμενος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἔπαιζε καὶ διήγγελλε. Gellius *lib. 15. cap. 2.* *Is in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus Lunæ solenne nobis fuit, simulatque modus epulis factus, & utiles, delectabilesque sermones cœperant; tum silentio ad audiendum petito, loqui cœptabat.* Ubi notandum, quòd Ἑβδόμη festum erat publicum Athenis, quod Septimo quoque die Lunæ celebrarent in honorem Apollinis, cui dies ille sacer. Suidas: Ἡμέρας τινὰς ἐνόμιζον Ἀθηναῖοι θεοῖς τισὶν, οἷον Νουμηνίαν, καὶ Ἑβδόμην Ἀπόλλωνος. Hesiodus Ἡμέραις·

—— Καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

Idem servatum etiam in aliis rebus. Vulcatius Gallicanus *in Avidio Cassio*: *Exercitium septimo die fuit omnium militum, ita ut sagittas mitterent, & armis luderent.* Lampridius *in Alexandro Severo*: *Capitolium septimo die cùm in urbe esset, ascendit, templa frequentavit.* Disputat etiam Clem. Alexandr. *Strom. 5.* ὅτι τὴν ἑβδόμην ἱερὰν οὐ μόνοι Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι. Sed ante eum scripsit Josephus, jam suâ ætate adeò increbuisse septimi diei observationem ex Judaico ritu, ut neget urbem ullam, aut Græcorum, aut Barbarorum, hoc est, non Græcorum posse reperiri, quæ cessationem ab opere diei septimi in suos mores non recepisset. Insignis planè locus, ideoque verba ipsa proferam: Οὐδ' ἔστιν οὐ πόλις Ἑλλήνων, οὐδ' ἡτισοῦν, οὐ δὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς Ἑβδομάδος ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν. Hæc ille *lib. posteriore contra Apionem.* Utcunque hoc sit, illud interdum pro certo habetur, Ethnicos Judæorum Sabbata contemptui ac ludibrio semper habuisse, secundùm Ecclesiæ querimoniam Threnor. 1. 7. *Viderunt eam inimici ac Sabbata ejus derisere.* Seneca *apud Augustinum libr. 6. de Civit. Dei cap. 11.* Judæis vitio vertit, *quòd septimam ætatis suæ & vitæ partem otiando perderent.* Juvenalis quoque:

—— *Cui septima quæque fuit lux*
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.

Idem alibi:

Observant ubi festa mero pede Sabbatha reges.

Tacit. *lib. 5. Hist.* *Septimo die otium placuisse ferunt; dein blandiente inertiâ, septimum quoque annum ignaviæ datum.* Claud. Rutilius:

Radix stultitiæ, cui frigida Sabbata cordi,
Sed cor frigidius relligione suâ est,
Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tanquam lassati mollis imago Dei.

Plura inveniri possunt huc spectantia in Dione Cassio, Justino, aliis. Sed hoc obiter.

Sabbatos, populos hodie Sabaudienses esse scribit Volaterr.

Sabbatus, Italiæ fluv. Antonino geminus: Unus Hirpinorum, juxta Beneventum, cum Calore, cui adjungitur, fluens in Vulturnum, etiam vulgò *Sabbato*. Alter est in Samnitibus, quem Leander nunc *Fiume die Benevento* ait vocari; & *Samnium* à Floro dictum addit. Ferrario alter Brutiorum est, per Calabriam citer. in Sinum Terinæum, inter Martoranum & Lamesiam labens. *Ocinarus* Lycophr. vulgò *Savuto*, cum pag. cognom.

Sabbi pop. qui & *Mendaji*, vulgò dicuntur *Christiani S. Johannis*, in Persia, ubi Tigris & Euphrates confluunt, prope Bassoram Urb. & Sinum Persicum.

Sabe, urbs Arabiæ felicis, in ora Sinus Arab. hodie *Dhafar*, seu *Taesib*, regni Thamæ caput, Sanso.

Sabe, Syrorum lingua mens. Februarius dicitur.

Sabee, civitas in tribu Simeon, Jos. 16. Lat. *septem*, vel *septimus*, aut *saturitas*, sive *juramentum*.

Sabelli, pop. Italiæ, à Sabinis oriundi, inter Sabinos & Marsos incolentes. Hinc *Sabellus*. Horatius:

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas. ——

Itemque *Sabellicus*. Virgil. *Georg 3.*

Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.

Sabellicus, vide *Marcus Antonius Coccius Sabellicus.*

Sabellius, hæreticus, Ptolemaide, Lydiæ urbe, oriundus. Discipulus Noeti Smyrnii, errores suos disseminare cœpit, An. Ch. 260. Confundens Naturam cum Personis SS. Trinitatis, unum idemque Suppositum esse, sicut Anima & Corpus unum efficiunt hominem, asseruit. Hinc Patrem & Spiritum Sanct. cum Filio passos esse, post Noëtum docuit: quem errorem Praxeæ Tertullianus tribuit, & S. Ignatius Antioch. suo ævo à quodam disseminatum refert. Addit Epiphanius, *hæres. 57. & 62.* deliria sua hausisse Sabellium, ex Evangelio Ægyptiorum, libro Apocrypho. Contra hunc eruditè scripsit Dionysius Alexandrinus, & hæresis in variis conciliis damnata est. Hanc tamen incrustavit Roscellinus, sec. 11. & Hispanus quidam, in Anglia, sub initium seculi hujus. Vide Augustin. *hær. 36. & 41.* Euseb. *de Præp. Ev. lib. 7.* Baron. *An. Ch. 260. n. 61. & seqq. &c.* Addatur his Socrates *lib. 6. cap. 12.*

Sabellum, vulgò *Savello*, castrum Campaniæ Rom. nunc semidirutum, incolisque omnino vacuum, in colle. Hinc *Sabella* familia Romana.

Sabellus, Poëta Latinus, sub Domitiano & Nerva: obscœnus planè. Martial. *lib. 12. ep. 43.*

Saber, filius Caleb ex Maachâ concubinâ, 1. Paral. 2. Latinè, *confractio, spes*, vel *juramentum*.

Sabi, populi Phrygiæ. Phrygii etiam Bacchos appellant *Sabos*, Stephanus.

Sabidius, vir Rom. gulæ deditus, plus vorabat, quàm posset concoquere: quocirca ita fœtebat ejus halitus, ut nemo posset cum eo loqui; Hunc Martialis epigrammate insectatur.

Sabin, Arabes Deum appellant, & illi decimas mensurâ non pondere persolvunt. Vide *Sabis*, & Turneb. *in Cic. de LL.*

Sabina, Imperatrix, Adriani Imper. Romani uxor, quæ servilibus injuriis ab eo affecta, adiit mortem voluntariam. Sext. Aurelius. Spartianus verò ait: Hanc si privatus vixisset, & morosam, & adulterii suspectam, dimisisset; nec sine rumore dati ab eo veneni, obiit hæc. Vide Æl. Spartianum.

Sabini, pop. in 4. reg. Italiæ, non procul à Româ, quorum caput olim Cures, unde Romani *Quirites* dicti: hodie Episcoparus Sabinus, Monasterium solùm est, cum priscæ urbis ruderibus. Dein Reate, *Rieti* hodie in Umbria: à religione & cultu Deorum cognominati, ut vulgò volunt, qu. ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Plinius *lib. 3. cap. 12.* *Sabini, ut quidam existimavere, à religione & Deorum cultu Sebini appellati.* Et Festus Pompejus: *Sabini dicti, ut ait Varro Terentius, quòd ea gens præcipuè colat Deos*, id est, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Eccui verò credibile fiet, Italam gentem inprimis antiquam nomen sibi imposuisse è Græcâ linguâ quæsitum? Itaque longè aliter senserunt alii auctores; à quibus Isidorus *Origin. lib. 9. cap. 11.* habuit ista: *Ab Italo Itali, à Sabino Sabini, à Sicano Sicani.* Hæc haud dubiè, inquit Cluverius, habuit è Porcii Catonis Originibus gentium, civitatumque Italicarum. De hoc quippe ita tradit Halicarnass. Dionysius *lib. 2.* Ζηνόδοτος δὲ ὁ Τροιζήνιος συγγραφεὺς Ὀμβρικοὺς ἔθνος αὐθιγενὲς ἱστορεῖ τὸ μὲν πρῶτον οἰκῆσαι περὶ τὴν καλουμένην Ῥεατίνην· ἐκεῖθεν δ' ὑπὸ Πελασγῶν ἐξελασθέντας, εἰς ταύτην ἀφικέσθαι τὴν γῆν, ἔνθα νῦν οἰκοῦσι· καὶ μεταβαλόντας ἅμα τῷ τόπῳ τοὔνομα, Σαβίνους ἐξ Ὀμβρικῶν προσαγορευθῆναι. Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομά τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου. Hunc Sabinæ gentis conditorem Silius Italicus non *Sabinum*, sed *Sabum*, pronunciat, à quâ quidem primitivâ voce rectius derivatum provenit gentis vocabulum *Sabini*. Sic enim ille *lib. 8.*

Cunctis hasta decus clypeusque refertur in orbem.
Vertice & implumes, ac levi tegmine cruris
Ibant, & læti, pars, Sancum voce canebant,
Auctorem gentis: pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas; qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magnâ ditione Sabinos.

Sabinos *fortissimos, & florem Italiæ, adeo ac Reipubl. robur* Cicero vocat *Orat. pro Qu. Ligario.* Laudati iidem gravitate morum & sanctitate imprimis fuerunt. Sanè *tristem ac tetricam disciplinam* antiquis Sabinis Livius tribuit: *illoque genere nullum alind intemeratius*

tius fuisse disertè scribit *lib.* 1. *cap.* 18. Hinc libenter Poëtæ cùm matronas castas, pudicas, sedulas, viri, familiæque magis, quàm formæ studiosas laudare volunt, cum Sabinis conferunt. Horatius *Epod.* 2.

Quòd si pudica mulier in partem juvet
Domum, atq; dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta Solibus
Pernicis uxor Appuli, &c.

Quem totum locum Statius *lib.* 5. *Sylv.* 1. sic expressit:

Ipsa dapes modicas, & sobria pocula tradit,
Exemplumq; ad herile monet, velut Appula conjunx
Agricola parci, vel Sole infecta Sabino,
Qua videt emeriti, jam prospectantibus astris,
Tempus adesse viri, properè mensasq; torosq;
Instruit, expectatq; sonum redeuntis aratri.

Martialis *lib.* 1. *epigr.* 62.

Casta nec antiquis cedens Levina Sabinis.

Juvenalis *Satyr.* 6.

——— ——— *Intactior omni*
Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ.

Idem *Satyr.* 10.

——— *Veteres imitata Sabinas.*

Virgilius *Georg.* 2.

Casta pudicitiam servat domus, &c. dein subdit:
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini.

Inter Sabinos Clodius excelluit, à causis forensibus, ad scribendas Elegias conversus. Scripsit & de bello Trojano versibus, immaturâ morte sublatus. Ferrarius. Vetus adagium de iis fuit: *Sabini quod volunt, somniant.* De quo Festus & ad eum Scaliger. Vide Cluver. *Ital. Antiq. lib.* 2. *cap.* 8. Raptum, sub Romulo, Sabinarum, vide apud Liv. Florum, &c. & in voce *Romulus.* Baudrando Sabini, ab Apennino ad Bor. usque ad Tiberim & Anienem fluv. ad Merid. extendebantur, ubi hodie Sabina provinc. pars Orient. Umbriæ, & aliqua pars Aprutii ulter. erantque divisi in duas partes Velino fluv. Nunc Sabina arctior est, restringitur enim ad Occ. Tiberi, ad Mer. Aniene, ad Bor. Nare ac Velino fluv. & Aprutio ulteriore ad Ort. Præcipua ejus urbs Manliana est, ad Tiberim. Sub Pontifice.

Sabinianus, à Carthaginensibus Imperator electus, An. 240. ab iisdem postea Mauritaniæ Præfecto deditus, Gordiano se submisit. Zosimus & Julius Capitolin. *in Gordian.*

Sabinianus, Volaterris oriundus, Gregorio M. successit, An. 604. ob avaritiam, à prædecessore, in somno increpitus, quòd famè grassante, pauperibus frumenti nihil distribueret, Obiit, An. 605. Anastas. *in vita Pontif.* Baron. *in Annal.*

Sabinianus, Consul cum Manlio Theodoro, Anno Urbis Conditæ 1018.

Sabinus, Consul cum Messalâ, Ann. U. C. 966. Iterum cum Anulino biennio pòst.

Sabinus, Vespasiani frater, à Vitellio interfectus, qui Vespasiano res contra Judæos gerente, post Othonis mortem, Capitolium cum æde Jovis occupaverat.

Sabinus, Episcopus Heracleæ, Sectâ Macedonianus, sub Theodosio M. Edidit syntagma diversorum Conciliorum, Socrat. *lib.* 1. *Hist. cap.* 5. *lib.* 2. *cap.* 11. *& seqq.* An idem cum Monacho, omnium Synodorum epitomatore? Possevin. *in Appendic. ad Appar. Sacr.* Voss. *de Hist. Lat.*

Sabinus, Episcop. Placentinus, pietate & doctrinâ clarus. Interfuit Concilio Aquilejensi, An. 381. Hunc scriptorum suorum arbitrum, Ambrosius esse voluit.

Sabinus, JC. celebris sub Heliogabalo, sec. 3. Cato sui seculi dictus: Huic Ulpianus librorum suorum 51. dedicavit.

Sabinus, Sophista sub Adriano principe, scripsit Isagogen ad materias, & hypotheses, declamationum libros 4. præterea in Thucydidem enarrationem, Suidas.

Sabinus, Syrius memorandæ fortitudinis, qui, tempore Titi, primus Hierosolymæ muros ascendit. Joseph. *lib.* 6. *cap.* 1.

Sabinus Ælius, vide Jul. Capitolin. *in Maximino jun.*

Sabinus Afidius, declamator lepido ingenio, quum sententiam Leonidæ ad trecentos retulisset, *Ego, inquit, illi ad prandium promisissem, ad cœnam renuntiassem.* Seneca *Suasor.* 2.

Sabinus Calvisius, sub Tiberio majestatis postulatus, sed per Celsum, urbanæ cohortis tribunum, tum inter indices discrimini exemptus. Tacit. 6. 9.

Sabinus, alio nomine *Julius*, Lingo, falsâ stirpis gloriâ proaviam suam D. Julio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse jactabat. Miscuit se factioni Civilis & Classici. Tacitus *Hist.* 4. 55. de exitu *cap.* 67.

Sabinus Masurius, J. C. scripsit Fastorum & memorabilium libros, Persius *Satyr.* 5.

Excepto si quid Masuri rubrica notavit.

Ejus in Digestis apud Athenæum & Agellium crebra mentio.

Sabinus, prænomine *Publius*, Præfectus cohortis; dein cum Julio Prisco Prætorianis præpositus à Vitellio, Tacit. *lib.* 11. *Hist.* 92. Idem postea detectâ Cæcinæ proditione ob ejus amicitiam vinctus, substituto in locum ejus Alfeno Varo. *lib.* 3. *Hist.* 36. *f.*

Sabinus, prænomine *Titus*, secundùm Plinium, vel *Titius* secundùm Cornel. Tacitum, illustris Eques Romanus, ob amicitiam Germanici, & quia non omiserat conjugem Agrippinam liberosque ejus percolere; scelerare à Latinio Latiari, Portio Catone, Petitio Rufo, M. Opsio Præturâ functis, cupidine Consulatus, adnuente sceleri Sejano, subversus, Junio Silano & Silio Nervâ Coss. Tacit. 4. 68.

Sabinus Tyro, scripsit περὶ κηπευτικῶν, id est, *de hortensibus.* Plinius *lib.* 19. *cap.* 10.

A. Sabinus, Poëta, quæ scripserit docebit Ovid. cujus erat συνεταῖρος, *Amor.* 2. *eleg.* 18.

Quam citò, de toto rediit celer orbe Sabinus,
Scriptaq; diversis rettulit ille locis.
Candida Penelope signum cognovit Ulyssis,
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo.
Jam pius Æneas miseræ rescripsit Elisæ:
Quodq; legat Phyllis, si modò vivat, habet.
Tristis ad Hypsipylen ab Jasone litera venit:
Dat votam Phœbo Lesbis amica lyram.

Vide eundem *de Pont. lib.* 4. *eleg.* 16. Scripsit igitur epistolam Ulyssis ad Penelopen, Hippolyti ad Phædram, Æneæ ad Didonem, Jasonis ad Hypsipylen, & illam Sapphûs extremo loco memoratam, Harum verò omnium extat nulla. Scio sub nomine *Sabini* legi ternas, Ulyssis ad Penelopen, Demophoontis ad Phyllidem, & Paridis ad Oenonen. Sed indignæ prorsus Sabino, vel aliquo illius temporis Poëtâ: quin neque nostro si ævo scriptæ forent, multum laudis mererentur. Sed non dubium, quin, si non omnes, saltem aliquæ ex sex istis Sabini sunt, quæ inter Ovidianas leguntur: Paridis ad Helenam, Helenæ ad Paridem: Leandri ad Heronem, Herûs ad Leandrum: Acontii ad Cydippen, Cydippes ad Acontium. Plura verò Sabinum scripsisse indicat idem Ovidius *Ponticorum* 4. 16.

Quiq; suam Trœzen, imperfectumq; dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus.

Unde cognoscimus, eum obiisse ante Ovidium. Quidam *Trœzena* legunt, unde colligunt *Trœzenia* scripsisse. Alii verò *Trojanen*, quam fuisse ajunt amicam. *Dierum opus* verò interpretantur Fastos, vel opus quale Hesiodi Ἡμέραι. Vossius.

Sabiona, seu *Sabona*, urbs fuit Rhætiæ; hodie pagus Comit. Tirolensis, 10. m. p. supra Brixiam, ad Eytocum fluv. ubi aliàs Sebatum, Simler. P. Diaconus.

Sabu, fuit Deus apud Arabas, de quo Plinius *lib.* 12. de thure agens: *Thus*, inquit, *collectum Sabotam camelo convehitur, porta ad id patente, digredi via capitale leges fecêre: ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, mensura, non pondere sacerdotes accipiunt.*

Sabis, fluvius est inter Belgas, Cameracenses & Nervios irrigans, quos trans illum consedisse, adventumque ibi Romanorum expectasse unà cum Atrebatibus & Veromanduis finitimis suis, scribit Cæsar *Commentar. lib.* 2. Fortunato *lib.* 7. *Carm.* dicitur *Saba:* Arnulfo Marchioni ejus nominis primo Flandriæ Comiti in literis suis, *Savus:* Aigrado Monacho jam ante 1000 annos, *Sambra.* Oritur in Teoracia sylva & Osiacum *Orsy*, Castellonem, Landericiacum, Malbodium, *Maubeuge*, Fontanas, Castellum, Frigidum Montem, *Fromont*, Hammum, Monasterium *Monstier*, Floreffiam Abbatiæ titulo illustrem locum attingit, atque in Mosam fluvium penes Condrusios, seu Mamurcium oppidum Leodiensium, Valesius habet, apud Namurcum, influit. *Sambra* Lessabæo: Hinc pagus *Sambrensis*, vel *Sambrans* nomen accepit. Item fluv. Carmaniæ in sinum Persicum influens: Cujus ostia 100. m. p. à Persidis confin. Plin.

Sabinsa, porta dicebatur, quæ rectâ in Sabinos ducebat.

Sablestania, provincia Persicæ in Mediterran. ubi olim Caramania deserta seu Bor. intra montes: estque inter Chorasanam ad Arctos & provinc. *Khermon*, seu Caramaniam propr. ad Merid. Urbes ejus sunt *Zarans*, *Bost*, & *Nebesaet*, Joh. Persa.

Sablolium, vetus oppidulum Galliæ in Cœnomanico pago, Andicavorumque confinio: à sabuloso agro, in quo conditum est, dictum. Una est ex duodecim villis magnis, quas Alanus quidam matri Ecclesiæ civitatis Cœnomanorum olim dedit, ad Sartam fluvium, qui ibi divisis aquis parvam insulam facit, habetque Prioratum S. Nicolai, & Ecclesias duas S. Mariæ, & S. Martini, quæ sunt Parœciæ. Johanni Mazori *Sabolium*, & *Sablotum*, Ivoni *Sabsuletum:* vulgò *Sableuil*, tum *Sableil*, tandem *Sablé.* At *Sablonaria*, vulgò *Sablonieres*, locus est, in quo An. Chr. 862. Indict. 11. domnus Karolus Rex conventum habuit, & Capitula edidit. *Saponaria* verò in suburbio Tullensi, *Savonieres*, ubi Synodus Episcoporum Galliæ & Germaniæ sub eodem habita est: ambæ villæ regiæ, quarum altera à sabulo vel arena, altera à sapore, qui ibi conficiebatur, nomen accepit; ut Argillariæ, à solo argilloso, vulgò *Argilly*, non procul à Dorunamanto *Dormans.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & infra in voce *Sabolium.*

Sablones, Antonin. *Sambeck*, vicus Simlero, circa Mosam prope Trajectum superius. Baudrando oppidulum fuit Menapiorum, inter Mosam & Ruram, ubi nunc vicus *Intsand*, prope oppidum *Stralen*, in Geldria superiori, inter Geldriam ad Ortum, & Venloam ad Occident.

Sabolium, urbec. prov. Cenomanensis, ad Satram fluv. 8. leuc. ab Andegavo in Boream, Cenomanum versus totidem. In Gallia; *Sablé*. Vide *Sablolium*.

Sabonam, vocat Bruschius *Brixon*, Germaniæ urbem in Alpibus sitam & Episcopali sede decoratam. Hanc Niger tradit *Bretina* Ptolemæi esse. *Sabiona* legit Simlerus, & *Sebatum* Antonini esse dicit, atque *Brixinam minorem* designari, ubi olim Episcopi sedes fuit.

Sabraca, Indiæ gens valida, Curt. 9. 42. qui eam post Mallos describit. Vide *Sambasti*.

Sabrina, fluv. Albionis ingens Angliam à Walliâ separans, & in sinum Sabrianum ad Bristolium urb. influens, aliquot urbibus irrigatis, in quibus Salopia. Vulgò *The Severn*. *Sabrina* Tacito dicitur. Sic enim ille *Annal. lib.* 12. ubi de P. Ostorio: *Cinctosq; castris Antonam & Sabrinam fluvios cohibere parat.* Oritur fluv. hic celeberr. Angliæ, in Wallia Bor. in Comit. Mongomeriensi, ex monte *Plymllimon*; & paulo pòst aliquot fluv. auctus, & per Angliam fluens, Salopiam rigat & Vigorniam. Hinc paulo infra auctus Tendo fluv. uti & Avona, ad Theocicuriam, juxta Glocestriam labitur; & receptis Vaga fluv. Walliæ & Avonâ fluvio, qui Bristolium rigat, Sinum Sabrianum efficit, *Severne flud*, inter Walliam & Cornubiam, ubi etiam paulo infra *Manche de Saint George* dicitur. Baudrand. Statim autem à fonte tam crebris incurvus flexibus agitur, ut sæpe reverti credatur. Merel.

Sabul, aliàs *Cabul*, Saracenis *Zabul*, castrum munitum, in tribu Nephthalim.

Sabuloneta, oppidum munitum Longobardiæ, cum arce valida & præsidio Hispan. Est inter Ducat. Mantuan. ad Ort. & agrum Cremonensem ad Occ. 25. mill. à Cremona in Ort. & 15. à Parma in Bor. Mantuam versus; *Sabioneta*. Antea sub Duce e gente Caraffa, cum tractu parvo; nunc è Gente Guzmanorum Ducem Hispan. habet.

Sabura, Jubæ Numidarum regis præfectus, & secundum ab illo locum obtinens, præmissus fuit cum parvis copiis, ut Curionem illiceret ad pugnam, simularetque sibi commissum bellum fuisse, regemque recessisse, qui tamen cum omnibus copiis insequebatur. Lucanus *lib* 4.

Mittitur exiguâ qui prælia prima lacessat
Eliciatq; manu, Numidis à rege secundus
Ut sibi commissi simulator Sabura belli.

Vide Cæs. *de Bell. Civ. lib.* 2. A P. Sitio interfectus est, teste Hirtio *lib. de bello Africano*.

Saburranus, Præfect. à M. Ulpio Trajano, Imperatore creato, gladium etiam adversum se, si opus esset, stringendum, accepit, cum verbis: *Accipe hunc gladium, eoq; si rectè imperavero, pro me: si malè, contra me utitor*, Aurelius Victor.

Sabus, Sabatii à Saturno ejecti filius, primus Aboriginum rex, à quo *Sabini* dicti.

Sacadas, Poëta Græcus, Chori Dorici & stropharum in carminibus auctor. Pindar. Plutarch. Pausan. Suidas, qui *Saca* quoque Poetæ meminit.

Sacæ, popul. Asiæ inter Scythiam citer. ad Bor. & Indiam citer. ad Merid. Sogdianis ad Occid. finitimi (quorum regio *Belor* Mercatori) sine urbibus, unde Nomades per deserta habitantes appellantur. Dionys. *vers*. 749.

Τὸν μετ' ἐπὶ σκυθικοῖο παρ' ἐσχατιὴν νέμονται
Τόξα Σάκαι φορέοντες, ἀμείλικτοι ἄλλοι ἑλίσσοι
Τοξόται· οὐ γάρ σφι θέμις ἀντιμάχοιο βάλλειν.

Hi cum Massagetis adeò celebres præ cæteris Scythis fuere, ut omnes Scythæ Asiatici Massagetæ & Sacæ ab antiquis dicti fuerint, teste Strabone. Imò *Persæ Scythas in universum Sacas appellavere à proximâ gente*, uti loquitur Plin. *lib.* 6. *cap.* 17. De Sacarum, qui sævi & barbari, incursionibus in Hyrcaniam & alias reg. ad Armeniam usque, ubi regionem occuparunt *Secasenam* ab illis appellatam, quæ Ptolemæo est *Sacapene* (unde *Sagapenum* affertur) vide Strab. *lib.* 11. Montanus. Sansoni fuere pop. Scythiæ intra Imaum montem, inter Alanos Scythas, Jaxartas & Orgasos, ubi nunc Chazalgitæ, pop. Tartariæ magnæ.

Sacaja, urbs ampla Niphoniæ insulæ in Japonia, in regione *Jetzema*, cum portu capaci, 45. mill. pass. circiter à Meaco in Merid. Brietius.

Sacala, locus Indiæ cit. circa ostium Indi Occ. Arrian.

Sacarauza Orol. *Sagarauca* Ptol. pop. Scythiæ cit.

Sacarbantia, vide *Scarabantia*.

Sacazama, pagus Africæ ad Syrtim magnam. *Zedic* Marmolio.

Sacca, urbs in ora Austr. Siciliæ, in valle Mazaræ, vett. *Therma Selinuntia*, cum portu, 22. mill. à Mazara in Ort. Agrigentum versus 40. Cum arce satis instructa.

Saccania, tractus Moreæ, circa Argos.

Saccellarius, aliàs *Sacellarius*, illud à Latin. *Saccellus*, istud à Græco Σακκέλλιον, quod utrisque *marsupium* significat, vel *sacculum*. Hincmari, imo & Augustini ævo sic dictus, qui pecuniarum saccello præpositus, in aula Regia, militibus, operariis, ministris: in Ecclesia, pauperibus & sacræ functionis clientibus, stipendia ac munera erogabat. In quibusdam Monasteriis *Bursarius* postea dictus, & *Bursarius*, hodie *Thesaurarius*. Hincmarus tamen *Saccellarium*, & *Bersarium*, diversos numerat, in Aula Francica, sed neutrum inferioris facit conditionis, quàm præcipuos ipsos Palatii Ministros, *Epist.* 3. *cap.* 17. Vide Henricum Spelmannum, *Glossar. Archaeol.*

Saccheni, Arab. pop. Stephan.

Sacconium, vide *Seckinga*.

Saccophori, vide *Messaliani*.

Saccum, oppidum Lombardiæ Transpad.

Sacellum Sibyllæ, cujus *thalamus* Aristotel. *Antrum* Virgil. *la Grotta della Sibylla* vulgò, Spelunca Campaniæ, apud Avernum lac. inter Puteolos & Cumas, q. 3. m. p. in saxo durissimo excavato: Ibi Sibylla Cumana morabatur.

Sacer, collis & mons, locus ad tert. milliarium supra Anienem, quem plebs Roman. post reges exactos, dum à potentioribus premeretur, occupavit, Cic. *in Bruto*. Ibi creati sunt Tribuni plebis. Ovidius *Fastor.* 3.

Plebs vetus & nullis etiam tunc tuta Tribunis
Fugit, & in Sacri vertice montis erat

Jovi sacer erat. Item fluvius Corsicæ, vulgò *Orbe*, Gall. Aliis *Hierus*.

Sacer lucus, Strab. *Selva de Hami* scil. Mazzellæ, sylva Campaniæ, apud ostia Liris, 3. m. p. à Minturnis.

Sacer mons, Æmiliæ, Cesenæ urbi imminens, hinc *Monte di Cesena*, vitifer & olivifer.

Sacer mons, Morali *Pico Sagro*, mons Hispan. Tarr. in Callaicis, inter Compostellam & Auriam; ubi aurum fulgure detegi, ait Justinus, instar pyramidis. Item, ad Euxinum mare: circa Thracium mare etiam, inter Byzantium & Chersonesum Thraceam videtur. Polyæn. *lib.* 3. *in Iphicr. comm.* 33.

Sacer portus, vel *Sacriportus*, locus in Italiâ Syllæ & Marii Junioris prælio nobilis. Vellejus *libro altero*: *C. Marius septies Consulis filius apud Sacriportum pulsus à Syllâ.* Lucan. *lib.* 2.

Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum.

Ἱερὸς λιμὴν dicitur Appiano Ἐμφυλ. α.

Sacer portus, locus Galliæ, in finibus Senonum, nobili Monasterio ejusdem nominis insigne: patrio olim sermone, *Bar-Bel*, nunc *Barbeau*. In hoc cœnobio, & quidem in Eccles. S. Mariæ de sacro Portu, quam fundaverat, Ludovicus Rex sepultus est, Ann. Christi 1190.

Sacesphares, unus ex Saccarum Regulis, de quibus Polyæn. *lib.* 7. *in Dario*.

Sachalita, Indiæ popul. unde *Sachalites sinus*, in quo Pelagiæ 7. insulæ jacent, Steph. *Golfo di Sachalat*, ex tab. rec.

Sachar, nomen viri, 1. Paral. 11.

Sachron, civitas in tribu Dan, Jos. 15.

Sacili Plin. *Sacilis* Ptol. *Alcorrucen* Morali, opp. regni Granatæ, in finibus Turdorum.

Sacilum, oppid. agri Tarvisini, sub Venet. in ipso limite Forojulii, 23. mill. à Tarvisio in Bor. 36. à Venetia.

Sacos, vicus Pietiæ in Lacedæmone: sic dictus, quòd incolæ *scutum*, σάκος Græcis dictum, primi invenerint. Gentile *Sacius*, Stephanus.

Sacra ficus, suburbium Athen. quà Eleusin ibatur; *Philostr.*

Sacra Insula, circa Hispan. est. Avienus in Ora maritima. Et nunc *Isola sacra*: Insula parva Latii, in limite Hetruriæ, inter duo ostia Tiberis, in ora maris Tyrrh. ad 2. mill. extensa. Baudr.

Sacra Solis, Arab. Fel. Promont. Ptolem.

Sacra Via vocabatur, quæ Eleusinem Athenis ducit, Athenæus.

Sacra Via, in Urbe Româ vocata est, quòd in eâ ictum sit fœdus inter Romulum & Tatium. Hâc triumphantes in Capitolium ibant. *Sacer clivus* Horatio dicitur. Idem Sermonum *lib.* 1. *Satyrâ nonâ*:

Ibam fortè Viâ Sacrâ (sicut meus est mos)
Nescio quid meditans, &c.

Sacrani, populus Italiæ non procul à Româ. Servius in illud Virgilii *Æneid* 7.

Et Sacranæ acies & picti scuta Labici.

Dicunt, inquit, *quendam Corybantum venisse ad Italiam ac tenuisse loca, quæ Urbi vicina sunt. Ex eo populos ducentes originem Sacranos appellatos; nam sacrati sunt Matri Deûm Corybantes.*

Sacrativir, prænomine Marcus, Eques Romanus, Capuâ oriundus, à partibus Cæsaris, occubuit ad Dyrrhachium, *libr.* 3. *Civil.* 71.

de Sacrobosco Joannes, vel de Sacrobusto, dictus quoq; Holiwod, à pago in Anglia natali, qui nunc Holifax dicitur, in diœces. Eboracensi. Floruit sec. 13. princeps Mathematicorum sui ævi: Scripsit Parisiis, quò famâ virorum eruditorum permotus iter aliquando susceperat, de Sphæra Mundi librum, quem Clavius, Pierius Valerianus, Elias Vinetus, Petrus Nonius notis suis illustrarunt: in diversas linguas translatum. Item *de Computo Eccles. &c.* Obiit ibidem An. 1256.

Sacrum Cæsaris castrum, nobile in Biturigibus oppidum, cum titul. Comit. vulgò *Sancerre*, fortè sic dictum, quòd ibi, victis Biturigibus & expugnato gentis capite Avarico, sacra fecerit Julius Cæsar. *Sacri Cæsaris* oppidum dicitur Philippo Augusto in literis

ad Bi-

ad Bituriges, mœnia *Sacri Cæsaris* Guilielm. Armorico Philipp. *libr.* 1. *Sincerrium* Sigeberto, &c. Incolæ *Sacro-Cæsarienses* Gallis scriptoribus vocantur. Vide *Sancerra*, & infra.

Sacrum Cereris, seu *Sacro-Cæsarianum*, quibusdam *Sancerre*, opp. prov. Bituricensis, in colle, ad Ligerim, aliàs munitum, cum arce, 9. leuc. à Niverno in Bor. 7. à Bituricis in Ort. In ejus obsidione An. 1573. famem Saguntinam sunt passi cives.

Sacrum nemus, *Scakenbosch*, sylva Batavorum in Hollandiâ apud Ageducem pagum, inter Lugdunum, Delfos & Hagam.

Sacrum nemus, vulgò *Halyvvood*, cœnob. cum pago est Gallovidiæ, in Scotia, à Patre Johannis de Sacrobosco conditum.

Sacrum promuntorium, Lusitaniæ locus, Ptolem. *Caput S. Vincentii* hodie dicitur, est in Algarbia, 30. leuc. Lusit. ab Olissipone in Mer. 25. ab ostio Anæ fluv. in Occ. seu 80. m. p. Aliud in Corsicâ eidem Ptolemæo, *Cabo Corso* Leandro. *Sege* Pineto, magis ad Bor. extenditur, versus Liguriam. Tertium in Lyciâ eidem Ptol. *Capo Chelidoni* Sophiano.

Sadales, Cotyos Thracum Regis filius, cum quingentis Equitibus à Patre auxilio missus Pompeio. Cæsar 3. *de bell. Civil.* 4.

Sadalu, urbs Ægypti. Gentile *Sadalites*, Stephan.

Sadducæi, vel *Saducæi* dicti inter Judæos, qui *Sadducæum* quendam Legis magistrum sequentes, neque resurrectionem credebant, neque Angelos, neque spiritus. Cætera cum Samaritanis habebant communia, nisi quòd cum cæteris Judæis sacrificabant. Legem observabant, spe præmiorum temporalium, & metu suppliciorum hujus vitæ. Traditionibus quibuscunque rejectis, Fatum negarunt omnino, dictitantes, Deum nec mala factitare, nec curare: Hinc collegerunt, in nostra potestate situm esse malum patrare, aut ab illo abstinere. Exiguus autem Sectatorum numerus, sed ex primariis conflatus fuit. Cum Pharisæis irreconciliabilis illis contentio, ut ex Evangelio notum: Quos cùm impietate superarent, nihilominus in his minus vanitatis & hypocriseos fuit, neque se tam infensos Christo hostes exhibuerunt: Rigidissimi non in peregrinos solùm, sed & in seipsos. Vide Josephum, *lib.* 2. *de bello cap* 12. *lib.* 13. *Antiq cap.* 9. & *lib* 18. *cap.* 2.

Sadeel Antonius, Theologus Gallus insignis. Vide *Chandæus*.

Sadoc, filius Achitob, 2. Reg. 8. Item Summi sacerdotis nomen, 2. Reg. 16. & 3 vide 1. Par. 29. Filius item Meraioth, 2. Par. 9. vide & Matth. *cap.* 1. Lat. *justus*, vel *justificatus*.

Sadocus, Regis Sitalcis Thracis filius, à Thucydide appellatur, qui ab aliis *Teres*, quem Athenienses ad se missum civitate donarunt. Vide Schol. in Aristoph. *Acharn pag.* 378. *B.*

Sadoletus, vide *Jacobus Sadoletus*.

Saduca Ptolem. *Guadalquervirejo* Floriano, fluv. Hisp. Bæt. in mare Iber. apud Malacam urbe influens. Cujus ostium ab hac 1. leuc. in Ort. distat.

Sadyates, ex Mermnadum familia, Ardyos filii Gygis fil. post patrem regnavit in Lydiâ. Milesiis sexennale bellum intulit: Successorem nactus Alyattem, patrem Crœsi. Herod. *lib.* 1.

Sedene, mons Cumæ, in Æolide, & tractus, Stephan.

Sena, Tusciæ mediterr. opp. Ptolem. *Siena* hodie dici, & Coloniam *Senensem* Tacito vocari docet Orlandius.

Senius, prænomine *Lucius*, consul anno Urbis DCCXXV. qui delectum Patriciorum instituit: à quo Senatusconsultum *Senianum*. Vide Tacit. 11. 25.

Senus, Sinarum fluv. Ptolem.

Sepinum, urbs Samnitum, Ptol. Hodie *Sepinum*.

Sapona, urbs Hispan. Bæt. Plin.

Saprus, Sardiniæ fluv. Ptolem.

Sætabis, vide *Setabis*. Hic lini subtilissimum genus.

Saffa, vel *Saffra*, civitas in monte sita, à Nazareth, tribus distans milliaribus, patria Zebedæi, Alphæi & Jacobi atque Johannis Apostolorum.

Safrach, Gothus, vastavit cum Alatheo Pannoniam: sicut Fridigernus Græciam, sub Gratiano, An. C. 381.

Saga, iidem qui *Saca*, Mela *lib.* 3.

Sagalassus, urbs Pisidiæ, vocatur etiam *Selgessus*, Steph.

Sagana, venefica mulier, quæ Varum puerum prætextatum suis incantationibus fascinavit. Horatius *in Epodis*:

At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis. ——

Ejusdem ceu Necromantidis meminit *Sat.* 8. *lib.* 1.

Saganum, urbs Silesiæ, caput Duc. cognom. ad Boberam fluv. 5. leuc. à Glogavia maj. in Ort. 5. à Crossa in Mer. Gorlitium versus totidem. Polon. *Zeigan*. Sub Austriacis. *Saganensem* principatum tenuit olim Conradus, filius Henrici Barbati, Silesiæ superioris Ducis, qui utraque Poloniâ potitus, Obiit An. Chr. 1238. Frater Henrici Pii, qui celebri illo prælio prope Lignicium à Tartaris cæsus est. Pater fuit Conradus Henrici, qui Vratislaviensem, Boleslai qui Lignicensem, & Conradi, qui Glogoviensem ducatum accepere. Dein *Sagano-Glogoviensem* lineam orsus est, Henricus Fidelis, filius hujus Conradi, qui bona sua *Saganum*, Crosnam, &c. Johanni Bohemiæ Regi, Bohemisque à quibus feudo teneret, submittere coactus est, Ann. Chr. 1329. Pater Henrici Ferrei: Cujus fil. Henricus Passere genuit Henricum, qui Glogoviam & Freistadium tenuit, mortuus An. Chr. 1467. stirpe brevi quoque extinctâ, & Johannem, cujus linea in Johanne filio desiit, qui à Matthia Corvino principatu ejectus, sub principium super. seculi, vitâ excessit. Vide Phil. Jac. Speneium, *Syll. Geneal. Hist.*

Saganus, Ptolem. *Basiri* nunc, fluv. Carmaniæ, in sinum Pers. contra Armazum ins. influens.

Sagarai, pop. qui camelorum certamen, in honorem Minervæ, instituunt, Ælian.

Sagarauca, gens Scythiæ intra Imaum, Ptolem.

Sagaris, fluv. Asiæ, qui ex Dindymo Galatiæ monte nascens, & per Phrygiam Bithyniamque flexuoso cursu delatus, tandem influit in pont. Euxinum. Ovidius *Pont* 4. 10.

Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusq; Hypanisq; Cratesq;
Influit, & crebro vortice tortus Halys.

Sagartia, Chersonesus juxta mare Caspium, Stephan.

Sage, nomen viri, 1. Par. 11. Latinè, *ignorans*, sive *comprehendens*, aut *attingens*. vel Syriacè *multus*, sive *multiplicans*.

Sages, Cyzicenus, ab Hyla sagittis confixus, Val. Fla. c. 182.

Sagiensis Urbs, seu *Sagium*, aliàs *Vagoritum* dicta; *Seez*, Sessuorum caput. Ad Olinam fluv. Normanniæ, prope ejus fontes, 40. leuc. à Lutetia in Occid. 5. ab Alenconio in Cæc. 11. à Lexoviis in Merid. estque satis culta.

Sagis portus parvus Duc. Ferrariensis, *Porto di Magnavacca*, ubi alveus, per quem stagnum Comaclenum in mare Adriat. se exonerat. Turrim habet munitam; vix 5. mill. à Comaclo in Ort. 15. à Ravenna in Bor. inter Volanam ad Bor. & Padusam Padi ostia ad Merid. Baudrand. *ad rixinsa*.

Sagitta, alio nomine *Claudius*, præfectus alæ Petrinæ; nuncius Pisoni cædis per Paparium centurionem patrandæ, eumque ad res novas exstimulans. Tacit. *Hist.* 4. 49.

Sagitta, vide *Octavius*.

Sagittarius, Episcop. Vapincensis, frater Salonii, qui Ebrodunensi Præsulatu functus est. Hi ambo latrocinii criminumque variorum accusati, & convicti; Concilio Lugdunensi, Ann. 567. depositi sunt. A quâ sententia ad Papam appellantes, ab illo absoluti, redierunt in Galliam. Sed nihilo meliores facti, paulo pòst, contra Longobardos irrumpentes, Mommolum secuti, plurimos barbarorum interfecisse se gloriati sunt. A Gontrano Reg. postmodum Concilio Cabillone indicto, ob læsæ Majestatis crimen, denuo depositi, Ann. 579. & in Monasterium in Burgundia detrusi; inde iterum elapsi sunt, diuque huc illuc vagi, morte tandem perierunt. Et Sagittarius quidem, Gondebaldo contra Gontramnum adhærens, capto Compendio, capite à milite quodam truncatus est, Ann. 585. Gregor. Tur. *lib.* 4. *cap.* 37. *lib.* 5. *cap.* 21. *lib.* 7. *cap.* 34.

Sagittarius, signum cœleste, quem alii *Centaurum Chironem* arbitrantur. Alii *Crocum* filium Euphemes nutricis Musarum fuisse volunt, & habitasse in Parnasso cum Musis, & venationi incubuisse, unde & usum sagittis, & equo insedisse; post mortem verò precibus Musarum, à Jove inter astra relatum, & variâ formâ conscripium. Idibus Februarii vespere occidit, ac vehementer hyemat, Columella. Vide omnino Cæsium *in Astron. Poët. pag.* 84.

Sagium, vide *Sagiensis* urbs.

Sagona, urbs Corsicæ, Episcop. in ora Occ. excisa.

Sagona, aliàs *Sagamna*, vel *Soona*, castrum olim, nunc vicus Galliæ in Cenomanis, vulgò *Songne*, seu *Sonne*: caput pagi cognominis, qui *le Sonnois* dictus, olim Baronatus titulo illustris fuit. In hoc præter Sagonam, sunt villa Busciacum & sylva Persenia, cum vico ac Monaster. ejusdem nominis, *Perseigne*, Ord Cisterc. Item Mamerciæ castellum, *Memers en Saonnois*, Soonæ proximum. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Sagontia, Appian. *Secontia* Anton. *Epila* Morali, oppidum Aragoniæ, inter Cæsar-Augustam 7. & Bilbilim 8. leuc. ab Alavona 4. in Merid.

Sagra, fluv. Magnæ Græciæ per fines Locrensium in mare Ausonium influens. *Alaro* hodie Gabr. Barrio, *Sagriano* Leandro; *Suchriano* Nigro.

Sagrus, Straboni Ciliciæ, Caramaniæ & Armeniæ minoris amnis, ut & Plin. Ptolem. Procopio. Hodie *Sangro*, vel *Sanguino* Nigro.

Saguenaum, tractus novæ Franciæ, versus Tadussacum oppid. ubi aliquot coloniæ Francorum, paucis ab hinc annis cum fluv. cognom. in parte Bor. novæ Franc. qui in fluv. S. Laurentii se exonerat, juxta Tadussacum opp.

Saguntia, olim opp. nunc pag. Hispan. Bæt. in Vandalitiâ, *Gigonza*, vel *Gisconza*, teste Morali.

Saguntum, vel *Saguntus*, *Morviedre* Morali, opp. olim clarissimum Hispan. Tarraconensis in finibus Hedetanorum, ab Annibale expugnatum & eversum. Fuit autem Pop. Romani fidelissima socia, quam cùm Annibal contra jus fœderis obsidione premeret, maluerunt Saguntini se, suaque omnia igni consumere, quàm aut fœderati populi amicitiam deserere, aut vivi in hostis potestatem pervenire. Florus *lib.* 2. *cap.* 6. *Saguntus vetus Hispaniæ civitas & opulenta, fideiq; erga Romanos, magnum quidem sed triste monumentum.* Hanc Stephanus *Zacanthan* appellare videtur. Inde Appiano *in Ibericis*, populi Ζακανθαῖοι. Ζακανθαῖοι, inquit, ἄποικοι

Ζακυνθίων ἐν μέσῳ τῆς Πυρήνης, καὶ τοῦ ποταμοῦ Ἴβηρος ὄντας. Sed pessimus Geographus in rebus Hispanicis est Appianus, qui Saguntum inter Pyrenæos, & Iberum fluv. collocat, quæ omnium Geographorum consensu fuit inter Iberum & Sucronem, non longè à loco ubi nunc *Valentia.* Idem paulo post miserè prodit suam ignorantiam in Hispaniæ Geographiâ, qui Carthaginem novam, seu Spartariam eandem esse putat, quæ olim Saguntus, quæ à se invicem, plus quàm 50. leucis, distabant. Strabo *libr.*3. Σαγοῦντον κτίσμα Ζακυνθίων. Livius *libr.*21. *Civitas ea longè opulentissima, ultra Iberum sita passus mille ferme à mari, oriundi à Zacyntho insula dicuntur: mistiq; etiam ab Ardea Rutulorum quidam generu.* Silius *lib.*2. ubi de Annibalis clypeo:

Eminet excelso consurgens colle Sagunthos,
Quam circum immensi populi, condensaq; cingunt
Agmina certantum, pulsantq; trementibus hastis.
Extrema clypei stagnabat Iberus in orâ.

Hinc *Saguntina fames* pro magnâ & extremâ. Lucan. *lib.*3.

Nec pavet hic populus pro libertate subire,
Obsessum Pœno gessit quod Marte Saguntum.

Sahar, filius Ashur, 1. Par. 4. Latinè, *lucidus*, aut *candidus.*

Sahar, filius Simeonis, filius Jacob, Gen 46.

Saharaim, nomen viri, 1. Paral. 8. Latinè, *nigri*, vel *turbidi*, aut *matutinantes*, vel *manè euntes.*

Sai, Thraciæ pop. oppositi insulæ Samothraciæ, Eustath.

Sai, Arab. opp. in Æthiopiâ sub Ægypto, Plin.

Saicocum, insulæ ampla Japoniæ, aliter *Ximum*, sub qua 10. regna. In parte Occ. versus Coream, ad 200. mill. à Sept. in Mer. extensa. Vide *Ximum.*

Sajo, onis, Fori vel Magistratus Gothici minister, qui reos in judicium protraxit, superiorisque potestatis mandata exequutus est. Romanis *Apparitor*, *Lictor.* Aliis *Serjandus*, *Ballivus.* Fortè à Saxon. *Sajot*, fustis seu baculus, quod muneris indicium tales gerebant. Vide Cassiodor. *Con. tom.* 2. 114. Spelmann. *Gloss. Arch.*

Saji, vel *Sagii*, populi Galliæ, memorati in vett. Notit. provinc. Gall. quæ urbem illorum, in prov. Lugdunensi secunda quinto loco recensent: Straboni, Plinio, Ptolemæo cœterisque priscis Geographis hoc nomine ignoti, falsò à Papirio Massono creduntur esse Cæsaris Sesuvii: cùm hi inter maritimas civitates reponantur, inter Sajos autem & mare Lexovii interjaceant. Urbs *Sagium*, sedes Episcop. in Normannia, ad Olinæ caput, vulgò *Seez* dicitur: Hinc pagus *Sajensis*, vel *Sagensis.* Vide *Sagium.*

Sau, urbs Ægypti juxta unum ex Nili ostiis, quod ab ipsa *Saiticum* dicitur. Pop. *Saita*, qui Minervam colunt. Propert. 2. 2.

Mercurioq; Sais fertur Baboidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.

Ubi quæ de urbe *Sai*, & *Saitide* Minerva comminiscitur Beroaldus, ἀπροσδιόνυσα sunt. Pro *Sais* enim *sacris* legendum, uti emendat Passeratius.

Saitini, Asiæ pop. de quibus Alex. ab Alexandr. *lib.*3. *cap.*2.

Saixa, pop. juxta Istrum, Stephan.

Sala, opp. Westmanniæ, in Suecia; *Sall.* Inter Uplandiam & Nericiam, aliàs argenti fodinis celebre, 5. leucis Suec. ab Upsala in Occasum.

Sala, opp. Pannoniæ super. in Hungaria. Ptolem. *Zalavvar*, ex tab. recent. ad Salam fluv. sub Austriacis, in ipso limite dition. Turcicæ, 3. leucis à Canisia in Cæc. media inter Varasdinum in Africum & Vesprimium in Cæc. 2. leuc. à Volcea palude, P. du Val. Item fl. Germ. in Mœnum influens, Strab. *Saltz.* Item fluv. Gall. Belg. per Lotharingiam fluens, *la Seille*, vulgò. Vide *Salia.* Est quoque *Sala* Turdulorum in Bæticâ urbs, & Hyrcaniæ oppid. Ptolem. & urbs litoralis Thraciæ circa Hebrum fluv. Herod. Item Germ. vicus non procul ab opp. *Kunighofen*, à quo Franci dicti sunt *Salici*, qui circa hunc vicum & fluv. ejusdem nominis habitarunt. Verùm *leges Salica*, teste Munstero, non ab isto vico seu fluv. sed à *Salâ* dictione Francâ, qua Latinè *palatium*, seu *aulam* signif. hoc nomen habent.

Sala, vulgò *die Sale*, fluv. German. Thuringiam à Misnia separans, ac in Albim, post Martiopolim, cadens. Hic Anabaptisticus furor erupit, auctore Nic. Storckio, cui junctus Thomas Muncerus, unde bellum rusticanum, An. Chr. 1525. Sleidan. *lib.*4. & 5. Bulling. *adv. Anab. lib.*1. *cap.*1. Vide *Salas.*

Sala, fluv. & urbs Maurit. Tingit. cis Atlantem minorem. Fluv. *Buragrag*, prov. Fezzam à Temesna separat, & juxta Salam Urb. in Oceanum Atlanticum cadit. Urbs autem *Sella*, seu *Cela.* In regno Fezzæ, in ora Oceani Atlant. Portum habet & emporium celebre, ad ostia fluv. Salæ, in Fezza prov. sed piraticâ infamis est, 20. m. p. à Mahmora in Mer. uti 70. ab Arzilla, & 100. à Tingi, à Fezza autem 100. in Occid. Antea ferè sui juris, nunc Marochio Regi subest. Cum arce satis munita. Baudr. Est & *Sala* fluv. ejusdem Maurit. apud Atlantem majorem. Ptolem.

Sala, vide *Isala.*

Salabaccha, nobile scortum Athenis, de quo Aristophan. *Equit. Act.* 11. *Sc.*3. Et Scholia Græca Κωνᾶ καὶ Σαλαβάκχα τῶν θαυμαζομένων ἑταιρίδων. Vide & Schol. in Aristoph. *Crabron.* 504. *D.*

Salabastra, gentes circa Indum, Plin. 6, 20.

Salaboni, nomen loci, 2. Reg. 23.

Salabria, quæ & *Sarabraa*, civitas Cappadociæ, Ptolem.

Salacia, Neptuni uxor. August. *lib.*7. *de C. D. Jam utiq; habeat Salaciam uxorem Neptunus, quam inferiorem aquam maris esse dixerunt.* Festus, *Salaciam dicebant Deam aquæ, quam putabant salum ciere, hoc est, mare movere, quo vocabulo Poetæ pro aquâ usi sunt.* Pacuvius, *Hinc sævitiam Salaciæ fugimus.* Glossarium: *Salacia:* Ἀμφιτρίτη. Νηρεΐς. Quanquam Servius ab *aquâ salsâ* Salaciam dictam velit.

Salacia, urbs Turdetanorum in Lusitaniâ, Ptolem. ab Hispan. An. 1216. cæsis ad 60000. Maurorum, recuperata. Nunc *Alcaçar do Sal.* Baudrando, pag. Extremaduræ Lusit. ad amnem *Zadam*, 14. leuc. ab Olyssipone in Eur. Serpam versus totidem, 60. versus Pacem Juliam, 6. ab ora Oc. Atlant. in Ort.

Salacion, putatur Lipsio *lib.*11. *Elect. cap.*17. dictus iste è Scipionibus, quem ad eludendas vaticinationes, quibus felix & invictum in Africâ Scipionum nomen fataliter ferebatur, Cæsar in castris secum habuit: eamque vocem veram & opprobrio aptam censet: libidinosum scilicet illum homuncionem fuisse & vitæ spurcæ. Sic autem *Salacio* esset à *Salax*, ut Senecio à Senex. Suetonius *Cæsare cap.* 59.

Salaco, mollis & cinædus, quem patrem Autolyci faciunt. Aristophan. Schol. *in Crabron.* 514. *F.*

Salacon, vir qui cùm pauper erat, se divitem simulabat. Suida. Hujus mem. Cic. 7. *Epist.* Ab hoc natum proverb. *Salaconia.*

Saladinus, Turcarum rex bellicosissimus. Fuit primò Dux copiarum Noradini, Sultani Damasci, & Ægyptum occupavit, An. 1164. Principis Cairi viduâ ibi ductâ. Dein Noradino mortuo, dum filius hujus adolesceret, ad clavum vocatus est: quo tempore Christianos remis velisque persequi incepit. Et quidem An. 1177. invasurus Hierosolymam, grandi clade affectus est: quâ irritatior An. D. 1180. Euphrate trajecto, plurimas urbes Nisibem usque in suam potestatem redegit, vicinis formidabilis. Alepum cepit An. 1184. postmodum induciis pactis: quibus Comitis Tripolitani, Guidonis Reg. Hierosolym. æmuli suasu, ruptis, vicit Christianos, An. 1187. collectoque 800000. hominum exercitu, denuo superior, cepit Guidonem, capiteque plexis Equitibus Templariis & S. Johannis, plurima loca subegit, ipsâ tandem Hierosolymâ potitus: quo nuntio accepto, Urbanus II. præ animi dolore interiit, & Concil. Parisiensi An. 1188. indultæ sunt Philippo Augusto decimæ Saladinianæ. Ab obsidione dein Tyri sæpius repulsus, post aliquot alias clades à Christianis acceptas, Obiit An. 1193. hæreditate ejus inter filios miserè laceratâ. Guil. Tyr. Robertus Guichard, &c. Baron. *in Annal.* Sic cum Christianis per 30. amplius annos variâ fortunâ bellum gessit, sæpius tamen victus, quàm victor, fuit, donec Balduino Hierosolymorum rege mortuo multis partibus superior, Hierosolymam cepit, huicque regno finem imponens, & Ægyptum Syriamque imperio suo adjecit. I. Loyd.

Sala, gens Colchidis, antiquis *Phthirographi* dicti, teste Plinio *libr.* 6.

Salai, mater Azubah, 3. Reg. 22.

Salamantica, opp. in orientali tractu Lusitaniæ, amplissimum, vulgò *Salamanca.* Vide *Salmantica.*

Salambo, Hesychius: Σαλαμβώ, ἡ Ἀφροδίτη παρὰ Βαβυλωνίοις. Lampridius *in Heliogabalo: Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultus exhibuit.* Non tamen Syra hæc appellatio, vel Babylonica, sed à Syromacedonibus imposita, cum Σαλάμβη & Σαλαμβὼ ejusdem sint originis, nempe à σάλος, uti docet Etymologus in his: Σαλαμβὰς, ἡ Δαίμων, παρὰ τὸ ἀεὶ περιφέρεσθαι, καὶ ἐν σάλῳ εἶναι, καὶ ὅτι περιέρχεται θρηνοῦσα τὸν Ἄδωνιν.

Salamboria, Ptolem. *Harberic* Turcis, Leuncl. opp. Cappadociæ mediterr. in Garsauria reg.

Salamia, urbs olim Syriæ Archiepisc. sub Patriar. Antiocheno; *Solmie.*

Salamiel, filius Surisadai, princeps tribûs Simeon, Num. 1. Lat. *pax, perfectio*, vel *retributio Dei.*

Salamii. Arab. pop. sic dicti, quòd fœdus cum Nabathæis pepigerint. Salama enim *pacem* signif. Stephanus. Nempe ab Hebræo שלום *Shalom*, quod est *pax.*

Salamina, Insulæ parvæ Cypri, ante Salaminem urb. Plin.

Salaminiada, urbs Cœlesyriæ, Anton. inter Occoram & Emisam. An *Samulus* Ptolem.

Salaminus, unus ex Idæis Dactylis. Lil. Girald. *lib.*6. *Hist. Deor.*

Salamis, vel *Salamin*, hodie *Coluri*, teste Sophiano, insula sinus Saronici, inter Peloponnesum & Atticam, Æginæ proxima. Dionysius *vers.* 511.

Πρόσθε δ' ἢ Σουνιάδος κορυφῆς, ἰφθίμεθ' Ἀθάνας
Φαίνονται Σαλαμίς τε καὶ Αἰγίνης πολίεθρον.

Olim *Cychria*, & *Sciras*, & *Pityussa* dicta, teste Strabone. Item *Ophis*, ut Eustath. refert. *Draconis insulam* à Lycophrone appellari scribit ejus Commentator, quòd eam primò draco fera occuparit. *Salaminam* eam Hyginus vocat, & dici ab Apollonio *Atthida* nominari. Nobis (inquit Bochartus) insula *Salamin* est insula τῶν ὀφιοδήκτων. Arabicè enim סלם *salama*, de serpente est *mordere.* Interpretatio nominis ex historia patet. Cychreus, vel Cenchreus, dum in ea insulâ regnaret, ἀνεῖλεν ὄφιν ὑπερφυῆ τῷ μεγέθει λυμαινόμενον τοὺς ἐγχωρίους. Ita Diodorus *lib.*4. Et de eodem Apollo-

Apollodorus *lib.* 4. Κτείνας δὲ ὄφιν οὗτος ἀδικοῦντα τὴν νῆσον, ἧς αὐτὸς ἐβασίλευσεν. Inde *Salamin* à Lycophrone appellatur πάγος δράκοντος. Ubi Scholiastes: Τὴν Σαλαμῖνα πρότερον δράκων κατεῖχεν. Et paulo pòst: Κυχρεὺς δ' ὁ Ποσειδῶνος καὶ Σαλαμῖνος υἱὸς, ὥς φησιν Εὐφορίων, ἀνεῖλε τὸν δράκοντα, καὶ τὴν Σαλαμῖνος βασιλείαν κατέσχεν. Et rursum: Ὄφις ποτὲ ἐλυμαίνετο τὴν Σαλαμῖνα, καὶ ἀνοίκητον αὐτὴν ἐποίει, ὃν ὁ Κυχρεὺς ἀνεῖλεν, ὅθεν καὶ Ἀνάξιφος ἐκλήθη. Nullo sensu; sed legendum ἄναξ Ὄφις, id est, Serpens dictus est. Quod ipsum agnoscit Stephanus, quamvis aliò transferat, cùm de Cychreo scribit in Κυχρέως πάγος· Ὄφις ἐπεκλήθη διὰ τὴν τραχύτητα τῶν τρόπων. Eustathius itidem, nisi quòd Cychrei cognomen *Ophis* ibi ridiculè refertur ad τραχύτητα τόπου; sed scribendum τρόπων. Eodem pertinet, quod legitur in Pausaniæ *Atticis*, Atheniensibus in Medos navali pugnâ circa Salaminem decertaturis, δράκοντα ἐν ταῖς ναυσὶ φανῆναι, & Apollinem de eâ re consultum respondisse, Κυχρέα εἶναι τὸν Ἥρωα. Quin juxta Stephan. & Eustathium Salaminis vastator serpens non alius fuit, quam ipse Cychreus, quem ab Eurylocho inde pulsum, Cereris æditum volunt Eleusine egisse. Et in Hesiodo apud Strabonem serpens à Cychreo educatus, in insulanorum perniciem, ὑπὸ Εὐρύκλου (lege Εὐρυλόχου) ab Eurylocho pellitur. Denique in Etymologo Asopus e Bœotiâ Salaminem profectus regem Ὄφιν interfecit, & pro eo regnavit. Hic classis Persarum sub Xerxe rege à Græcis dissipata, teste Mela. In eâ Telamon Ajacis ac Teucri pater regnasse fertur. Ajax ipse apud Homerum:

—— Οὐδὲ γὰρ οὕτω

Ἔλπομαι ἐν Σαλαμῖνι γενέσθαι τε τραφέμεν τε.

Horatius:

—— *Teucer Salamina patremq;*

Cùm fugeret. —— ——

Hinc *Salaminius* & *Salaminiacus*. Horatius:

Urgent impavidi te Salaminii
Teucerq;, & Sthenelus sciens
Pugna. —— ——

Lucanus *lib.* 5.

Ut Salaminiacum meminit mare. ——

Salamis, *Salamine*, Plinio & Polyæno, postea *Constantia*, teste Stephano, urbs Cypri in orâ Orientali, excisa, apud Hamacostum, sive, ut nunc vocant, Famagustam, ab eâ parum in Bor. recedens. Ejus Episcopus Epiphanius fuit, sec. 4. de quo vide Sozom. *lib.* 7. *cap.* 15. *&* 26. item in voce *Epiphanius*. Pop. *Salaminii*.

Salampsii, Maurit. Cæsar. pop. Ptolem.

Salampso, Herodis filia, Josephus.

Salanga, mons altissimus mari imminens inter Britanniam & Hiberniam.

Salangus, gens Italiæ: Alia Indiæ, Stephan.

Salaniana. Lusitan. opp. inter Eboram & Pacem Juliam, Anton.

Salapei, Thraciæ pop. Appianus.

Salapeni, Arabiæ Fel. gens, Ptolem.

Salaphitanum, Africæ propriæ opp. Plin.

Salapia, *Salapia* Ptolem. *Salpia* Dionys. Halicarn. urbs Apuliæ Dauniæ eversa, ad lacum, media ferè inter Sipontum ad Occid. & Barolum ad Ort. ubi Annibal, post Cannensem victoriam, amori meretricio operam dedit. Ferr. In limite Apuliæ Peucetiæ, ad ostia Aufidi fluv. nunc in Prov. Capitanata, prope oram maris Adriat. 18. mill. à Barulo in Occ. 20. à Siponto in Mer. In vicum redacta est, paucisque constat incolis, Baudr. Hinc *Salapina palus*, super qua Salapia urbs. Lucan. *lib.* 5.

Quas recipit Salapina palus, & subdita Sipus
Montibus. —— ——

Nunc *Lago di Andoria*: ad quatuor mill. versus oram maris Adriatici extensa.

Salapusius, à *sale* & *pusius* compositum nomen. Quo nomine dictus est Calvus, Catulli familiaris, tanquam puer ob staturam puerilem, plenus salis & oratoriæ mordacitatis.

Salaria, urbs Hispan. Tarraconens. gemina. Una Colonia Julia Salariensis in vet. inscript. urbs olim Episcop. in finibus Bastetanorum, *Cazorla*, teste Morali. Altera in finibus Oretanorum, opp. seu pag. hodie apud Visum opp. inter Almagrum & Ubedam; *Salara*. Aliis *Sirvela*, opp. & Comit. apud Urbem Regalem, inde 2. leuc. distans.

Salaria, via & porta Urbis Romæ in Sabinos ducens. Martialis *lib.* 4. *epigr.* 64.

Illic Flaminia Salariaq;.

Sic dicta, teste Festo, quòd per eam Sabini *salem* ab urbe acceptum deferrent.

Salarius pons, super Aniene fluv. *Ponte Salaro*, ad 4. m. pass. à Roma, in via Salaria, occurrens.

Salars, insula Lybiæ. Gentile *Salarsius*, Stephan.

Salas, German. flum. Strabo, inter quod & Rhenum Drusus occubuit. *Saal* hodie vocatur, è Sudeto monte nascens, & in Albim ad Calbam opp. Saxoniæ influens. Ferrar. Oritur in Franconia, dein per Thuringiam labens, inibi Salfeldam & Jenam rigat. Hinc juxta Naumburgum, Martioburgum, & Hallam Misniæ Urbes, labitur; & tandem auctus aliquot fluv. paulo infra Bernaburgum in Albim fluit, Baudrand.

Salasi, *Salassii* Ptolem. *Salassi* Strab. pop. Galliæ Subalpinæ in Pedemontano principatu, per quos Duria fluvius decurrit. Vide Cluver. *Ital. Antiq. lib.* 1. *cap.* 13. quod est *de Salassis*. Vulgò *la Val d'Osta*, German. *Augstahl*; Horum caput Augusta Prætoria Salassorum, juxta geminas fauces Alpium Grajarum, Colonia Romana, quondam Italiæ Transpadanæ, pòst Liguriæ dictæ oppidum. Hæc dein unà cum Segusione & vallibus Augustana & Segusinâ Guntchramno Burgundiæ Reg. à Longobardis ex pacto data, Burgundiæque parti Galliæ adjuncta est, Fredegar. *Chron. lib.* 5. *cap.* 45. Unde Burgundiæ regno à quibusdam attributa, & etiamnum Episcopus ejus Alpium Grajarum Penninarumque metropoli, civitati Centronum Darantasiæ, cum Sedunensi, subjectus est. Urbs inter titulos Sabaudiæ Ducis est, qui Caballiaci & Augustæ Prætoriæ Ducem se vocat. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Salathi, princeps militum, 1. Par. 11. Latinè, *umbra*, sive *tinnitus*, aut *assans*, vel *torrefaciens*, aut Syriacè, *orans*.

Salathiel, pater Zorobabel, Agg. 1. Filius Jechoniæ, 1. Paral. 3. Matth. 1. Latinè, *postulatus*, sive *commendatus Dei*.

Salauri portus, opp. & portus Hisp. cit. in ora Catalauniæ, apud Tarraconem Urb. *Puerto de Salon*, L. Porto.

Salda, Colon. & urbs Maurit. Cæsariens. Ptolem. Hodie *Alger* Castaldo. *Tadelis* verò Mercatori; cujus sententia videtur probabilior. Baudrando *Bugia*, urbs Regni Algerii, provinc. cognom. caput, in ora maris Mediterr. ad amnis Nasabath ostia, cum arce, portu amplo, & Sinu Bugiæ dicto. Media inter Cullum ad Ort. 100. m. p. & Algerium seu Rusucurum, ad Occ. totidem distans, vix 50. ab Igilgili in Occ.

Salduba, opp. Hisp. Bæticæ apud oram, inter Malacam urbem, & Barbesulam opp. *Fuengirola* ex tab. recent.

Salduba, fluv. qui fortè *Saduca* etiam dictus, hodie C. Clusio est *Guadalquivirejo*, prope Malacam in mare Medit. se exonerans. Aliis est *Rio Verde* amnis, 7. leuc. à Malaca in Occ.

Sale, filius Arphaxad, Gen. 10. Ab hoc Sarmatæ orti. Jos. Luc. 3. dicitur filius Cainan, filii Arphaxad. Lat. *missio*, vel *mittens*.

Sale, urbs Hyrcaniæ, Ptolem.

Sale, urbs & Respublica piratarum, in regno Fessano, nunc sub Maroci Rege.

Salebim, nomen loci, 3. Reg. 4. Latinè, *respiciens corda*, sive *pugillus*, aut *vulpes*, vel *semita in mari*.

Salecha, civitas in Basan, Jos. 12. Latinè, *canistrum tuum*, aut *elevatio*, vel *conculcatio tua*.

Salecis, & *Salex*, fluv. Maurit. Tingit. ultra Abylen Herculis columnam 90. stad. distans. Philostr.

Saled, filius Nadab, 1. Par. 2. Latinè, *afflictio*, aut Syriacè, *calefactio*, vel *adustio*.

Salejus Bassus. Vide *Bassus*.

Salem, quæ & *Salim*, in tribu Manasse. Hieronymus docet, hanc non esse Jerusalem, sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur *Salem*, ubi ostenditur palatium Regis Melchisedec: hinc *Sulamitis* dicitur propriè, qui habitat in Salem, quasi *Salamitis*. Est etiam nomen loci, Joh. 3.

Salem, villa ostendebatur in tribu Benjamin, tempore Hieronymi, juxta Æliam, contra Occidentem plagam.

Salem, vide *Jerusalem*.

Salemoth, nomen viri, 1. Par. 24. Latinè, *pacificatio*, *perfectio*, aut *retributio*.

Salena, oppidum Albionis Mediterran. in Angliâ, Ptolemæo. *Salndy* Camdeno, in agro Bedfordiensi, non procul ab ipsa Bedfordia.

Saleni, pop. & opp. Hispan. Tarrac. in finibus Vardulorum & Cantabrorum, ad Nesuam fluv. ab Iturissâ 7. leuc. in Occid. Mela. Aliis opp. est Ipuscoæ, ad Devam amnem, versus montem S. Adriani, 9. leuc. à Flaviobriga in Eur. Calagurim versus, 3. à Victoria in Boream; *Salinas*.

Salentiacum, locus seu pagus Galliæ Belg. in finibus Veromanduorum. *Chalanchi* Ortelio. *Salenci* Valesio, in regione Noviomensi, S. Medardi patria.

Salentini, populi Italiæ, quorum reg. (in mare ad Ort. contra Epirum instar peninsulæ porrecta) Messapia, & Japygia, cum Calabriâ in orâ Boreali, *Terra d'Otranto* vulgò, Apuliæ Peucetiæ ad Occ. contermina, in quâ 3. urbes claræ, *Brundusium*, *Tarentum*, & *Hydruntum*. Præterea, Aletium *Leccie*, caput reg. Alexanum, Castania. Vide infra. Ferrar. Baudrando fuerunt propriè hi pop. in Messapia, ubi nunc prov. Hydruntina: inter Apenninum & sinum Tarentinum: Alteram enim partem occupant Calabri, inter Apenninum & ostium maris Adriat. A plerisque tamen tota prov. sub Salentinis comprehenditur, & aliter quoque *Messapia* dicta est. Festus existimat, Salentinos dictos esse à *Salo*, fortassis ob id, quòd penè circumquaque mari ambiantur, tenui tantùm Isthmo continenti annexi. Agrum Japygiæ seu Salentinorum, Strabo, non sine admiratione, commodum oppidò esse scribit, quòd supremum ejus solum asperum appareat, verùm aratro perstrictum apertumque glebam admodum pinguem ac uberem summæ altitudinis exhibeat, quodque siticulosus aquarum penuriâ videatur, tamen pascuis lætissimis & arborum frugiferarum ubique multitudine abundet.

Ζακυνθίων ἐν μέσῳ τῆς Πυρήνης, καὶ τοῦ ποταμοῦ Ἴβηρος ὄντος. Sed pessimus Geographus in rebus Hispanicis est Appianus, qui Saguntum inter Pyrenæos, & Iberum fluv. collocat, quæ omnium Geographorum consensu fuit inter Iberum & Sucronem, non longè à loco ubi nunc *Valentia*. Idem paulo pòst miserè prodit suam ignorantiam in Hispaniæ Geographiâ, qui Carthaginem novam, seu Spartariam eandem esse putat, quæ olim Saguntus, quæ à se invicem, plus quàm 50. leucis, distabant. Strabo *libr.* 3. Σαγοῦντον κτίσμα Ζακυνθίων. Livius *libr.* 21. *Civitas ea longè opulentissima, ultra Iberum sita passus mille ferme à mari, oriundi à Zacyntho insula dicuntur: mistique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis.* Silius *lib.* 2. ubi de Annibalis clypeo:

> *Eminet excelso consurgens colle Saguntos,*
> *Quam circum immensi populi, condensaque cingunt*
> *Agmina certantum, pulsamque trementibus hastis.*
> *Extrema clypei stagnabat Iberus in orâ.*

Hinc *Saguntina fames* pro magnâ & extremâ. Lucan. *lib.* 3.

> *Nec pavet hic populus pro libertate subire,*
> *Obsessum Pœno gessit quod Marte Saguntum.*

Sahar, filius Ashur, 1. Par. 4. Latine, *lucidus*, aut *candidus*.

Sahar, filius Simeonis, filius Jacob, Gen 46.

Saharaim, nomen viri, 1. Paral. 8. Latinè, *nigri*, vel *turbidi*, aut *matutinantes*, vel *manè euntes*.

Sai, Thraciæ pop. oppositi insulæ Samothraciæ, Eustath.

Sai, Arab. opp. in Æthiopiâ sub Ægypto, Plin.

Saicocum, insulæ ampla Japoniæ, aliter *Ximum*, sub qua 10. regna. In parte Occ. versus Coream, ad 200. mill. à Sept. in Mer. extensa. Vide *Ximum*.

Sajo, onis, Fori vel Magistratus Gothici minister, qui reos in judicium protraxit, superiorisque potestatis mandata exequutus est. Romanis *Apparitor*, *Lictor*. Aliis *Serjandus*, *Ballivus*. Fortè à Saxon. *Sajot*, fustis seu baculus, quod muneris indicium tales gerebant. Vide Cassiodor. *Con. tom.* 2. 114. Spelmann. *Gloss. Arch.*

Saji, vel *Sagii*, populi Galliæ, memorati in vett. Notit. provinc. Gall. quæ urbem illorum, in prov. Lugdunensi secunda quinto loco recensent: Straboni, Plinio, Ptolemæo cæterisque priscis Geographis hoc nomine ignoti, falsò à Papirio Massono creduntur esse Cæsaris Sesuvii: cùm hi inter maritimas civitates reponantur, inter Sajos autem & mare Lexovii interjaceant. Urbs *Sagium*, sedes Episcop. in Normannia, ad Olinæ caput, vulgò *Seez* dicitur: Hinc pagus *Sajensis*, vel *Sagensis*. Vide *Sagium*.

Sais, urbs Ægypti juxta unum ex Nili ostiis, quod ab ipsa *Saiticum* dicitur. Pop. *Saitæ*, qui Minervam colunt. Propert. 2. 2.

> *Mercurioque Sais fertur Baebeidos undis*
> *Virgineum Brimo composuisse latus.*

Ubi quæ de urbe *Sai*, & *Saitide* Minerva comminiscitur Beroaldus, à προσδιόνυσα sunt. Pro *Sais* enim *sacris* legendum, uti emendat Passeratius.

Saitini, Asiæ pop. de quibus Alex. ab Alexandr. *lib.* 3. *cap.* 2.

Saixa, pop. juxta Istrum, Stephan.

Sala, opp. Westmanniæ, in Suecia; *Sall.* Inter Uplandiam & Nericiam, aliàs argenti fodinis celebre, 5. leucis Suec. ab Upsala in Occasum.

Sala, opp. Pannoniæ super. in Hungaria. Ptolem. *Zalavvar*, ex tab. recent. ad Salam fluv. sub Austriacis, in ipso limite ditíon. Turcicæ, 3. leucis à Canisia in Cæc. media inter Varasdinum in Africum & Vesprimium in Cæc. 2. leuc. à Volcea palude, P. du Val. Item fl. Germ. in Mœnum influens, Strab. *Saltz*. Item fluv. Gall. Belg. per Lotharingiam fluens, *la Seille*, vulgò. Vide *Salia*. Est quoque *Sala* Turdulorum in Bæticâ urbs, & Hyrcaniæ oppid. Ptolem. & urbs litoralis Thraciæ circa Hebrum fluv. Herod. Item Germ. vicus non procul ab opp. *Kunighofen*, à quo Franci dicti sunt *Salici*, qui circa hunc vicum & fluv. ejusdem nominis habitarunt. Verum *leges Salicæ*, teste Munstero, non ab isto vico seu fluv. sed à *Salâ* dictione Francâ, qua Latinè *palatium*, seu *aulam* signif. hoc nomen habent.

Sala, vulgò *die Sale*, fluv. German. Thuringiam à Misnia separans, ac in Albim, post Martiopolim, cadens. Hîc Anabaptisticus furor erupit, auctore Nic. Storckio, cui junctus Thomas Muncerus, unde bellum rusticanum, An. Chr. 1525. Sleidan. *lib.* 4. & 5. Bulling. *adv. Anab. lib.* 1. *cap.* 1. Vide *Salas*.

Sala, fluv. & urbs Maurit. Tingit. cis Atlantem minorem. Fluv. *Buragrag*, prov. Fezzam à Temesna separat, & juxta Salam Urb. in Oceanum Atlanticum cadit. Urbs autem *Sella*, seu *Cela*. In regno Fezzæ, in ora Oceani Atlant. Portum habet & emporium celebre, ad ostia fluv. Salæ, in Fezza prov. sed piraticâ infamis est, 20. m. p. à Mahmora in Mer. uti 70. ab Arzilla, & 100. à Tingi, à Fezza autem 100. in Occid. Antea ferè sui juris, nunc Marochio Regi subest. Cum arce satis munita. Baudr. Est & *Sala* fluv. ejusdem Maurit. apud Atlantem majorem. Ptolem.

Sala, vide *Isala*.

Salabaccha, nobile scortum Athenis, de quo Aristophan. *Equit. Act.* 11. *Sc.* 3. Et Scholia Græca Κυννὰ καὶ Σαλαβάκχα τῶν δημοσίων ἑταιρίδων. Vide & Schol. in Aristoph. *Crabron.* 504. *D.*

Salabastra, gentes circa Indum, Plin. 6. 20.

Salaboni, nomen loci, 2. Reg. 23.

Salabria, quæ & *Sarabraa*, civitas Cappadociæ, Ptolem.

Salacia, Neptuni uxor. August. *lib.* 7. *de C. D. Jam utique habeat Salaciam uxorem Neptunus, quam inferiorem aquam maris esse dixerunt.* Festus, *Salaciam dicebant Deam aquæ, quam putabant salum ciere, hoc est, mare movere, quo vocabulo Poëta pro aquâ usi sunt.* Pacuvius, *Hinc sævitiam Salaciæ fugimus.* Glossarium: *Salacia* Ἀμφιτρίτη, Νηρεΐς. Quanquam Servius ab *aquâ salsâ Salaciam* dictam velit.

Salacia, urbs Turdetanorum in Lusitaniâ, Ptolem. ab Hispan. An. 1216. cæsis ad 60000. Maurorum, recuperata. Nunc *Alcaçar do Sal*. Baudrando, pag. Extremaduræ Lusit. ad amnem *Zadaon*, 14. leuc. ab Olysipone in Eur. Serpam versus totidem, 10. versus Pacem Juliam, 6. ab ora Oc. Atlant. in Ort.

Salacion, putatur Lipsio *lib.* 11. *Elect. cap.* 17. dictus iste è Scipionibus, quem ad eludendas vaticinationes, quibus felix & invictum in Africâ Scipionum nomen fataliter ferebatur, Cæsar in castris secum habuit: eamque vocem veram & opprobrio aptam censet: libidinosum scilicet illum homuncionem fuisse & vitæ spurcæ. Sic autem *Salacio* esset à *Salax*, ut Senecio à Senex. Suetonius *Cæsare cap.* 59.

Salaco, mollis & cinædus, quem patrem Autolyci faciunt Aristophan. Schol. *in Crabron.* 514. *F.*

Salacon, vir qui cùm pauper erat, se divitem simulabat. Suidas. Hujus mem. Cic. 7. *Epist.* Ab hoc natum proverb. *Salaconis*.

Saladinus, Turcarum rex bellicosissimus. Fuit primò Dux copiarum Noradini, Sultani Damasci, & Ægyptum occupavit, An. 1164. Principis Cairi viduâ ibi ductâ. Dein Noradino mortuo, dum filius hujus adolesceret, ad clavum vocatus est: quo tempore Christianos remis velisque persequi incepit. Et quidem An. 1177. invasurus Hierosolymam, grandi clade affectus est: quâ irritatior An. D. 1180. Euphrate trajecto, plurimas urbes Nisiben usque in suam potestatem redegit, vicinis formidabilis. Alepum cepit An. 1184. postmodum induciis pactis: quibus Comitis Tripolitani, Guidonis Reg. Hierosolym. æmuli suasu, ruptis, vicit Christianos, An. 1187. collectoque 800000. hominum exercitu, denuo superior, cepit Guidonem, capiteque plexis Equitibus Templariis & S. Johannis, plurima loca subegit, ipsâ tandem Hierosolymâ potitus: quo nuntio accepto, Urbanus II. præ animi dolore interiit, & Concil. Parisiensi An. 1188. indultæ sunt Philippo Augusto decimæ Saladinianæ. Ab obsidione dein Tyri sæpius repulsus, post aliquot alias clades à Christianis acceptas, Obiit An. 1193. hæreditate ejus inter filios miserè laceratâ. Guil. Tyr. Robertus Guichard. &c. Baron. *in Annal.* Sic cum Christianis per 30. amplius annos variâ fortunâ bellum gessit, sæpius tamen victus, quàm victor, fuit, donec Balduino Hierosolymorum rege mortuo multis partibus superior, Hierosolymam cepit, huicque regno finem imponens, & Ægyptum Syriamque imperio suo adjecit. Lloyd.

Sala, gens Colchidis, antiquis *Phthirographi* dicti, teste Plinio *libr.* 6.

Salai, mater Azubah, 3. Reg. 22.

Salamantica, opp. in orientali tractu Lusitaniæ, amplissimum, vulgò *Salamanca*. Vide *Salmantica*.

Salambo, Hesychius: Σαλαμβὼ, ἡ Ἀφροδίτη παρὰ Βαβυλωνίοις. Lampridius *in Heliogabalo*: *Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultus exhibuit.* Non tamen Syra hæc appellatio, vel Babylonica, sed à Syromacedonibus imposita, cùm Σαλάμβη & Σαλαμβὼ ejusdem sint originis, nempe à σάλος, uti docet Etymologus in his: Σαλαμβὰς, ἡ Δαίμων, παρὰ τὸ αἰεὶ περιφέρεσθαι, καὶ ἐν σάλῳ εἶναι, καὶ ὅτι περιέρχεται θρηνοῦσα τὸν Ἄδωνιν.

Salamboria, Ptolem. *Harberic* Turcis, Leuncl. opp. Cappadociæ mediterr. in Garsauria reg.

Salamia, urbs olim Syriæ Archiepisc. sub Patriar. Antiocheno; *Solmie*.

Salamiel, filius Surisadai, princeps tribus Simeon, Num. 1. Lat. *pax, perfectio*, vel *retributio Dei*.

Salamii. Arab. pop. sic dicti, quòd fœdus cum Nabathæis pepigerint. Salama enim *pacem* signif. Stephanus. Nempe ab Hebræo שלום *Shalom*, quod est *pax*.

Salamina. Insulæ parvæ Cypri, ante Salaminem urb. Plin.

Salaminiada, urbs Cœlesyriæ, Anton. inter Occoram & Emisam. An *Samulus* Ptolem.

Salaminus, unus ex Idæis Dactylis. Lil. Girald. *lib.* 6. *Hist. Deor.*

Salamis, vel *Salamin*, hodie *Coluri*, teste Sophiano, insula sinus Saronici, inter Peloponnesum & Atticam, Æginæ proxima. Dionysius *vers.* 511.

> Πρόσθε δὲ Σκιάδος κορυφῆς, ἰφθίμης Ἀθήνης
> Φαίνονται Σαλαμίς τε καὶ Αἰγίνης πτολίεθρον.

Olim *Cychria*, & *Sciras*, & *Pityussa* dicta, teste Strabone. Item *Ophis*, ut Eustath. refert. *Draconis insulam* à Lycophrone appellari scribit ejus Commentator, quòd eam primò draco fera occuparit. *Salaminam* eam Hyginus vocat, & dicit ab Apollonio *Atthida* nominari. Nobis (inquit Bochartus) insula *Salamin* est insula τῶν ὀφιοδήκτων. Arabicè enim סלם *salama*, de serpente est *mordere*. Interpretatio nominis ex historia patet. Cychreus, vel Cenchreus, dum in ea insulâ regnaret, ἀνεῖλεν ὄφιν ὑπερφυῆ τὸ μέγεθος λυμαινόμενον τοὺς ἐγχωρίους. Ita Diodorus *lib.* 4. Et de eodem Apollo-

Apollodorus *lib.* 4. Κτείνας δὲ ὄφιν οὗτος ἀδικοῦντα τὴν νῆσον, ταύτης ἐβασίλευσε. Inde *Salamin* à Lycophrone appellatur πάγος δράκοντος. Ubi Scholiastes: Τὴν Σαλαμῖνα πρώην δράκων κατεῖχεν. Et paulo pôst: Κυχρεὺς δ᾽ ὁ Ποσειδῶνος καὶ Σαλαμῖνος υἱὸς, ὥς φησιν Εὐφορίων, ἀνεῖλε τὸν δράκοντα, καὶ τὴν Σαλαμῖνος βασιλείαν κατέσχεν. Et rursum: Ὄφις ποτὲ ἐλυμαίνετο τὴν Σαλαμῖνα, καὶ ἀοίκητον αὐτὴν ἐποίει, ὃν ὁ Κυχρεὺς ἀνεῖλεν, ὅθεν καὶ Ἄναξ Ὄφις ἐκλήθη. Nullo sensu; sed legendum ἄναξ Ὄφις, id est, Serpens dictus est. Quod ipsum agnoscit Stephanus, quamvis alió transferat, cùm de Cychreo scribit in Κυχρεῖος πάγος· Ὄφις ἐπεκλήθη διὰ τὴν τραχύτητα τῶν τρόπων. Eustathius itidem, nisi quòd Cychrei cognomen *Ophis* ibi ridiculé refertur ad τραχύτητα τόπου; sed scribendum τρόπων. Eodem pertinet, quod legitur in Pausaniæ *Atticis*, Atheniensibus in Medos navali pugnâ circa Salaminem decertaturis, δράκοντα ἐν ταῖς ναυσὶ φανῆναι, & Apollinem de eâ re consultum respondisse, Κυχρέα εἶναι τὸν Ἥρωα. Quin juxta Stephan. & Eustathium Salaminis vastator serpens non alius fuit, quam ipse Cychreus, quem ab Eurylocho inde pulsum, Cereris æditiuum volunt Eleusine egisse. Et in Hesiodo apud Strabonem serpens à Cychreo educatus, in insulanorum perniciem, ὑπὸ Εὐρύλου (lege Εὐρυλόχου) ab Eurylocho pellitur. Denique in Etymologo Asopus è Bœotiâ Salaminem profectus regem Ὄφιν interfecit, & pro eo regnavit. Hic classis Persarum sub Xerxe rege à Græcis dissipata, teste Mela. In eâ Telamon Ajacis ac Teucri pater regnasse fertur. Ajax ipse apud Homerum:

—— Οὐδὲ γὰρ ὕπω
Ἔλπομαι ἐν Σαλαμῖνι γενέσθαι τε τραφέμεν τε.

Horatius:

—— *Teucer Salamina patremq;*
Cum fugeret. —— ——

Hinc *Salaminius* & *Salaminiacus.* Horatius:

Urgent impavidi te Salaminii
Teucerq;, & Sthenelus sciens
Pugna. —— ——

Lucanus *lib.* 5.

Ut Salaminiacum meminit mare. ——

Salamis, *Salamine*, Plinio & Polyæno, postea *Constantia*, teste Stephano, urbs Cypri in orâ Orientali, excisa, apud Hamacostum, sive, ut nunc vocant, Famagustam, ab eâ parum in Bor. recedens. Ejus Episcopus Epiphanius fuit, sec. 4. de quo vide Sozom. *lib.* 7. *cap.* 15. *&* 26. item in voce *Epiphanius.* Pop. *Salaminii.*

Salampsii, Maurit. Cæsar. pop. Ptolem.

Salampso, Herodis filia, Josephus.

Salanga, mons altissimus mari imminens inter Britanniam & Hiberniam.

Salangus, gens Italiæ: Alia Indiæ, Stephan.

Salaciana, Lusitan. opp. inter Eboram & Pacem Juliam, Anton.

Salapai, Thraciæ pop. Appianus.

Salapeni, Arabiæ Fel. gens, Ptolem.

Salaphitanum, Africæ propriæ opp. Plin.

Salapia, *Salapia* Ptolem. *Salpia* Dionys. Halicarn. urbs Apuliæ Dauniæ eversa, ad lacum, media ferè inter Sipontum ad Occid. & Barolum ad Ort. ubi Annibal, post Cannensem victoriam, amori meretricio operam dedit. Ferr. In limite Apuliæ Peucetiæ, ad ostia Aufidi fluv. nunc in Prov. Capitanata, prope oram maris Adriat. 18. mill. à Barulo in Occ. 20. à Siponto in Mer. In vicum redacta est, paucisque constat incolis, Baudr. Hinc *Salapina palus*, super qua Salapia urbs. Lucan. *lib.* 5.

Quas recipit Salapina palus, & subdita Sipus
Montibus. —— ——

Nunc *Lago di Andoria*: ad quatuor mill. versus oram maris Adriatici extensa.

Salapusius, à *sale* & *pusius* compositum nomen. Quo nomine dictus est Calvus, Catulli familiaris, tanquam puer ob staturam puerilem, plenus salis & oratoriæ mordacitatis.

Salaria, urbs Hispan. Tarraconens. gemina. Una Colonia Julia Salariensis in vet. inscript. urbs olim Episcop. in finibus Bastetanorum, *Cazorla*, teste Morali. Altera in finibus Oretanorum, opp. seu pag. hodie apud Visum opp. inter Almagrum & Ubedam; *Solara.* Aliis *Sirvela*, opp. & Comit. apud Urbem Regalem, inde 2. leuc. distans.

Salaria, via & porta Urbis Romæ in Sabinos ducens. Martialis *lib.* 4. *epigr.* 64.

Illic Flaminia Salariaq;.

Sic dicta, teste Festo, quòd per eam Sabini *salem* ab urbe acceptum deferrent.

Salarius pons, super Aniene fluv. *Ponte Salaro*, ad 4. m. pass. à Roma, in via Salaria, occurrens.

Salars, insula Lybiæ. Gentile *Salarsius*, Stephan.

Salas, German. flum. Strabo, inter quod & Rhenum Drusus occubuit. *Saal* hodie vocatur, è Sudeto monte nascens, & in Albim ad Calbam opp. Saxoniæ influens. Ferrar. Oritur in Franconia, dein per Thuringiam labens, inibi Salfeldam & Jenam rigat. Hinc juxta Naumburgum, Martioburgum, & Hallam Misniæ Urbes, labitur; & tandem auctus aliquot fluv. paulo infra Bernaburgum in Albim fluit, Baudrand.

Salasi, *Salassii* Ptolem. *Salassi* Strab. pop. Galliæ Subalpinæ in Pedemontano principatu, per quos Duria fluvius decurrit. Vide Cluver. *Ital. Antiq. lib.* 1. *cap.* 13. quod est *de Salassis.* Vulgò *la Val d'Osta*, German. *Augstahl*; Horum caput Augusta Prætoria Salassorum, juxta geminas fauces Alpium Grajarum, Colonia Romana, quondam Italiæ Transpadanæ, pôst Liguriæ dictæ oppidum. Hæc dein unà cum Segusione & vallibus Augustana & Segusina Guntchramno Burgundiæ Reg. à Longobardis ex pacto data, Burgundiæque parti Galliæ adjuncta est, Fredegar. *Chron. lib.* 5. *cap.* 45. Unde Burgundiæ regno à quibusdam attributa, & etiamnum Episcopus ejus Alpium Grajarum Penninarumque metropoli, civitati Centronum Darantasiæ, cum Sedunensi, subjectus est. Urbs inter titulos Sabaudiæ Ducis est, qui Caballiaci & Augustæ Prætoriæ Ducem se vocat. Vide Hadr. Valesf. *Notit. Gall.*

Salathi, princeps militum, 1. Par. 11. Latinè, *umbra*, sive *tinnitus*, aut *assans*, vel *torrefaciens*, aut Syriacè, *orans.*

Salathiel, pater Zorobabel, Agg. 1. Filius Jechoniæ, 1. Paral. 3. Matth. 1. Latinè, *postulatus*, sive *commendatus Dei.*

Salauri portus, opp. & portus Hisp. cit. in ora Catalauniæ, apud Tarraconem Urb. *Puerto de Salon*, L. Ponto.

Salda, Colon. & urbs Maurit. Cæsariens. Ptolem. Hodie *Alger* Castaldo. *Tadelis* verò Mercatori; cujus sententia videtur probabilior. Baudrando *Bugia*, urbs Regni Algerii, provinc. cognom. caput, in ora maris Mediterr. ad amnis Nasabath ostia, cum arce, portu amplo, & Sinu Bugiæ dicto. Media inter Cullum ad Ort. 100. m. p. & Algerium seu Rusucurum, ad Occ. totidem distans, vix 50. ab Igilgili in Occ.

Salduba, opp. Hisp. Bæticæ apud oram, inter Malacam urbem, & Barbesulam opp. *Fuengirola* ex tab. recent.

Salduba, fluv. qui fortè *Saduca* etiam dictus, hodie C. Clusio est *Guadalquivirejo*, prope Malacam in mare Medit. se exonerans. Aliis est *Rio Verde* amnis, 7. leuc. à Malaca in Occ.

Sale, filius Arphaxad, Gen. 10. Ab hoc Sarmatæ orti, Jos. Luc. 3. dicitur filius Cainan, filii Arphaxad. Lat. *missio*, vel *mittens.*

Sale, urbs Hyrcaniæ, Ptolem.

Sale, urbs & Respublica piratarum, in regno Fessano, nunc sub Maroci Rege.

Salebim, nomen loci, 3. Reg. 4. Latinè, *respiciens corda*, sive *pugillus*, aut *vulpes*, vel *semita in mari.*

Salecha, civitas in Basan, Jos. 12. Latinè, *canistrum tuum*, aut *elevatio*, vel *conculcatio tua.*

Salecis, & *Salex*, fluv. Maurit. Tingit. ultra Abylen Herculis columnam 90. stad. distans. Philostr.

Saled, filius Nadab, 1. Par. 2. Latinè, *afflictio*, aut Syriacè, *calefactio*, vel *adustio.*

Salejus Bassus. Vide *Bassus.*

Salem, quæ & *Salim*, in tribu Manasse. Hieronymus docet, hanc non esse Jerusalem, sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur *Salem*, ubi ostenditur palatium Regis Melchisedec: hinc *Sulamitis* dicitur propriè, qui habitat in Salem, quasi *Salamitis.* Est etiam nomen loci, Joh. 3.

Salem, villa ostendebatur in tribu Benjamin, tempore Hieronymi, juxta Æliam, contra Occidentem plagam.

Salem, vide *Jerusalem.*

Salemoth, nomen viri, 1. Par. 24. Latinè, *pacificatio*, *perfectio*, aut *retributio.*

Salena, oppidum Albionis Mediterran. in Angliâ, Ptolemæo. *Salndy* Camdeno, in agro Bedfordiensi, non procul ab ipsa Bedfordia.

Saleni, pop. & opp. Hispan. Tarrac. in finibus Vardulorum & Cantabrorum, ad Nesuam fluv. ab Iturisâ 7. leuc. in Occid. Mela. Aliis opp. est Ipuscoæ, ad Devam amnem, versus montem S. Adriani, 9. leuc. à Flaviobriga in Eur. Calagurrim versus, 3. à Victoria in Boream; *Salinas.*

Salentiacum, locus seu pagus Galliæ Belg. in finibus Veromanduorum. *Chalanchi* Ortelio. *Salenci* Valesio, in regione Noviomensi, S. Medardi patria.

Salentini, populi Italiæ, quorum reg. (in mare ad Ort. contra Epirum instar peninsulæ porrecta) Messapia, & Japygia, cum Calabriâ in orâ Boreali, *Terra d'Otranto* vulgò, Apuliæ Peucetiæ ad Occ. contermina, in quâ 3. urbes claræ, *Brundusium*, *Tarentum*, & *Hydruntum.* Præterea, Aletium *Leccie*, caput reg. Alexanum, Castania. Vide infra. Ferrar. Baudrando fuerunt propriè hi pop. in Messapia, ubi nunc prov. Hydruntina: inter Apenninum & sinum Tarentinum: Alteram enim partem occupant Calabri, inter Apenninum & ostium maris Adriat. A plerisque tamen tota prov. sub Salentinis comprehenditur, & aliter quoque *Messapia* dicta est. Festus existimat, Salentinos dictos esse à *Salo*, fortassis ob id, quòd penè circumquaque mari ambiantur, tenui tantùm Isthmo continenti annexi. Agrum Japygiæ seu Salentinorum, Strabo, non sine admiratione, commodum oppidò esse scribit, quòd supremum ejus solum asperum appareat, verùm aratro perstrictum apertumque glebam admodum pinguem ac uberem summæ altitudinis exhibeat, quodque siticulosus aquarum penuriâ videatur, tamen pascuis lætissimis & arborum frugiferarum ubique multitudine abundet.

Urbes Salentinorum hodie:

* Aletium, *Leccie*, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino, caput regionis.

Alexanum, *Alessano*, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino.

* Brundusium, *Brindisi*, Archiepiscopalis.

Castania, *Castellanetta*, in Lucania, olim sub Archiepiscopo Tarentino.

Castrum, *Castro*, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino.

Gallipolis, (olim Anxa) *Gallipoli*, sub Archiepiscopo Hydruntino.

Hydruntum, *Otranto*, Archiepiscopalis.

Leuca, *S. Maria di Leuca*, cum Alexano.

Mateola, *Matera*, Archiepiscopalis, in Lucania olim.

Motula, *Motola*, Episcopalis sub Archiepiscopo Tarentino.

* Neritum, *Nardo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Brundusino.

Ostunium, *Ostuni*, sub Archiepiscopo Brundusino.

* Tarentum, *Taranto*, Archiepiscopalis, olim in magna Græcia.

Uria, *Oria*, Episcopalis sub Archiepiscopo Tarentino.

Uxentum, *Ugenti*, Episcopalis sub Archiepiscopo Hydruntino.

Salentinum promuntorium, idem est cum Japygio. Virgilius *Æneid.* 2.

Et Salentinos obsedit milite campos.

Vide Cluver. *Ital. Ant* 4.13.

Salentinus lacus, apud Salentinos, qui ad margines usque plenus, neque exhaustus minuitur, neque superfusis aquis augetur.

Saleph, fil. Jectan. Gen. 10. Lat. *evaginans*, *evellens*, vel *discalcians*.

Salera, Africæ propriæ op. à Scipione occupatum. Livius.

Salernum, Picentinorum op. in Italiâ, an à duobus rivis *Sale* & *Erno*? Archiep. in clivis fertilissimis situm. Nunc regni Neap. caput Principatus cit. cum arce & portu capaci, in ora maris Tyrrh. 28. mill. à Benevento in Mer. uti à prom. Minervæ in Ort. Hic sinus Pæstanus ei adjacens *Golfo di Salerno* vulgò. Capta urbs est à 40. Normannis, circa A. C. 1016. quibus Henricus II. Imp. multa loca tradidit, Sigon. excisa ab Henrico VI. Imp. secundo contra Tancredum bello, quòd huic Salernitani Constantiam Imperatoris uxorem prodiderant, unde prima expeditio irrita facta, A. C. 1191. Factâ hic exscensione Solimannus Imp. An. C. 1552. aliquot millia captivorum abduxit, Thuan. *lib.* 12. Ejus meminit. Lucanus *lib.* 2.

Vestinis impulsus aquis, radensq; Salerni
Culta Siler. —— ——

Silius *lib.* 8.

Ille & pugnacis laudavit tela Salerni.

Horatius *lib.* 1. *ep.* 15.

Quæ sit hyems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni.

Titulo principis & Academiâ, in qua Trotula & Rebecca-Guarna eminuerunt, scriptis inclytæ, gaudet, præcipuè verò studio medicinæ insignis est: Cujus Doctores librum conscripserunt, cui titulus *Scholâ Salerni*, vel *Salernitana*, ac Anglorum regi dicarunt, non Henrico Octavo, ut quidam putant; Sic enim commentarius Arnold. Villanovani (qui floruit A D. 1313.) antiquior esset libro ipso. Videtur itaque inscriptus fuisse Richardo secundo, sive Eduardo primo, qui cùm Terram sanctam versùs peregrinarentur, fortè ad locum hunc pervenerunt, & Professores ejus honorario aliquo emolumento adornarunt.

Salernum, locus Galliæ in Arvernia super. cum tit. Baroniæ, vulgò *Salers*. Item in Volcis Tectosagibus, pagoque Tolosano, unâ tantum literâ diversus, dicitur enim *Salertum*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Salesii, pars Pæonum. Steph. Fortè qui hodie *Silesii*, vel *Slesii* vulgò.

Saletes, una ex Jovis filiabus, quam Nilo ortam Minervam Ægyptii fabulantur. Alex. ab Alex. 6.4.

Saletio, magni quondam nominis op. Germ. sup. apud Rhenum flu. in Alsatiâ. *Saliso*, Amm. Marcellino *lib.* 16. ut vult Simlerus, sed situm repugnare dicit Valesius: *Saloissa* castrum Fredegario, *Chron. lib.* 5. *cap.* 37. In Annalibus rer. Franciæ *Salossa*, & *Salussa*, ubi Karolomannus cum matre sua Berta colloquium habuit, An. C. 770. inter Argentoratum ad merid. & Spiram ad Bor. à Vormatia 38. m. p. secundùm Æthicum, vel 41. sec. tab. Peutingerianam. Hic monasterium condidit Adalheidis Aug. quod à Wilderaldo Argentino Episcopo consecrari jussit, sub Ottone III. nepote suo, urbemque decrevit fieri sub libertate Romana, ut loquitur Odilo Abbas *in vita Adelheidis*. Positum est ad Saletionis fl. unde ei nomen, & Rheni confluentem. Sub El. Palatino, *Seltz* Rhenano: à Gallis in cineres redactum A. C. 1675.

Saleumbrona, seu *Salebrone*, opp. ol. & portus Hetruriæ in ora, inter Cosam ad Ort. 34. & Populoniam ad Occ. 21. m. p. Anton. inter Manlianam & Prillem lacum.

Salga, vid. *Salgas*.

Salganeus, Persarum dux, à Metabate non procul ab Euripo interfectus. Strab. *lib.* 9.

Salganeus, *Salganea*, pl. num. Strab. & Liv. op. Bœotiæ ad Euripum, inter ostium Ismeni flu. & Anthedonem op. *Saganeus* Ptolemæo. Inde *Salganius* vel *Salganites*, vel *Salganeus* Apollo, Steph. *Salganico* Moletio.

Salgas, fluv. & urbs *Salga* in Mauritaniâ, Stephan.

Salgovia, olim *Salgeu*, pars pagi Aventicensis Salodorum usque; in qua opp. Salensium Salodorum. Vide in voce *Salodorum*.

Sali, Sarm. Europeæ populi, Ptolem.

Salia, vulgò *Rio de Sella*, fluv. & oppid. Hispan. Tarracon. in orâ Asturum, patria Prudentii poëtæ. Sic enim ille *præfat. Hymn. Cathemer.*

Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens,
Sub quo prima dies mihi.

Pop. *Salini*. *Salia* item fluv. Lothar. vulgò *Selle*, vel *Seille*. Valesio hic fluvius Belgicæ primæ, oritur ex lacu Lindrensi: alluit Decem Pagos *Dieuze*, Marsalium, Medianum vicum, *Moyen Vic*, Vicum *Vy*, vel *Vic*, non procul ab ipsius & amniculi, cui castrum Salinense assidet, confluentibus, Numeniacum, *Nomeny*, Portum ad Saliam, *Port sur Seille*, Buxerias, Magniacum, *Maigny*: & apud Divodurum Mediomatricorum in Mosellam effluit: currit autem milliis 2. Fortunatus *lib.* 3. *Carm.*

Hinc dextra de parte fluit qui Salia fertur.

Et *libro* 7.

Seu qui Mettin adit, de sale nomen habens.

Inter hunc & Nitam Gallicum seu Rom. interjacens pars agri Metensis, *Salinensis* ager, *le Saunoy*, dicitur, à salinis, quibus abundat, circa Marsalium præcipuè & Vicum ac Castellum Salinense, *Notit. Gallia.*

Salica, insula, quæ & Taprobane, Stephan.

Salica, Oretanorum in Hispan. urbs, Ptolem.

Salica lex, à Saliis pop. Germaniæ, qui primò, teste Frisingensi, Sicambri; postea, ut Rhenano placuit, à Sala fluv. *Salici*, ac *Saligni* dicti sunt, nomen accepit. Hi transmisso Rheno, plurimum Galliæ subegere, & anno tertio Regni eorum conditoris Pharamundi, nondum Christiani, *uti cœperunt*, inquit Sigebertus, *legibus*, & Legem Salicam *dictaverunt per quatuor gentis suæ Proceres, Viogast, Bosogast, Salagast & Widigast, in villis Germaniæ Salohaim, Bedohaim & Windohaim. Hi per tres mallos convenientes, omnes causarum origines solicitè tractantes, de singulis discutiendo, sicut Lex Salica declarat, judicare decreverunt.* Idem vix aliter, in utroque prologo ad eandem Legem. Sub posteriori verò sic notatur: *An. Ch.* 798. *Indictione sexta, Dominus Carolus Rex Francorum inclytus hunc libellum tractatus* legis Salicæ *scribere ordinavit.* Sunt qui edita legis exemplaria non integrè suscipiunt, inquit Spelmann *Glossar. Archæol.* Spectatissimus inter cæteros iste paragraphus est, *In terram Salicam mulieres ne succedant.* Sic codex unus. Alius à Frid. Pithœo & Frider. Lindenbrogio datus *Tit.* 62. *§.* 2. sic legit: *De terra verò Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat: sed ad virilem sexum tota terræ hæreditas perveniat.* Antiquior tertius Basiliensis, fusiùs multò rem decernit. Quænam autem fuerit *terra hæc Salica*, apud Auctores non convenit. Ex hac lege multa in legibus Henrici I. Angliæ R. deprompta, deprehendit, paulò antè laudatus Spelmannus, quem vide.

Salici, populi, in Cordubensi conventu, Plin.

Salicosa, locus Galliæ, in Vellocassibus diœcesique Rotomagensi, non longè à Vernone, vulgò *Sanceuse*, Prioratu Canonicorum S. Augustini clarus. Nomen ei à salicibus. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Salienus Clemens, Senator, tempore Neronis, Tacitus *Histor. lib.* 15. *cap.* 73.

Salii, sacerdotes Martis, numero 12. à Numâ Pomp. primùm instituti, tunicis pictis, æneoque pectoris tegmine exornati; sic dicti quòd *salientes* ancilia per urbem circumferrent, Plut. *in Numa*: Ὀνομα Σαλίων ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως. Ovid. *Fast. lib.* 3.

Jam dederat Saliis (à saltu nomina ducta.)

Virgilius *Æneid.* 8.

Hic exultantes Salios, nudosq; Lupercos.

Saliorum 2. erant genera, antiquissimi *Palatini* dicti, atque à Rege Numâ instituti, Παλατῖνοι Dionysio. His alios *Collinos*, sive *Agonales* nuncupatos Tullus Hostilius adjunxit, Dionysius. Aliter tamen Servius eos distinguit: *Duo*, inquit, *sunt genera Saliorum, ut in Saliaribus carminibus invenitur. Collini & Quirinales à Numâ constituti, ab Hostilio verò Pavorii & Pallorii.* Horum meminit Livius *lib.* 1. *Numa Salios duodecim Marti legit, cœlestiaq; arma (quæ ancilia appellantur) ferre ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis solenniq; saltatu jussit.* Hinc *Saliaris*, ut *Saliare carmen*, quod cantabatur à Saliis: & *Saliares epulæ*, quæ exhibebantur his sacerdotibus. Festus: *His (Saliis) per omnes sacrorum dies, ubicunque manent, quia amplissimæ ponuntur cœnæ, si quæ aliæ magnæ sunt, Saliares appellantur.* Horat. *lib.* 1. *Od.* 37.

—— *Nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

Id est, optimis dapibus. Vide sis illic Interpretes, & Torrentium *ad Suetonii Claudium*, *cap.* 33. Vocantur quoq; *Salisubsuli* à Catullo *epigr.* 17. Virgilius verò etiam Evandri temporibus eos fuisse dicit, *lib.* 8. nisi hæc poëticâ licentiâ dixerit, ad sua tempora respiciens. Sic enim ille:

Tunc

Tunc Salii ad cantus, incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis.

Ubi videndus de la Cerda.

Salii, German. pop. qui & Franci dicuntur, quorum reg. *Francia*, Sidonius Apollin.

—— *Salius pede, falce Gelonus.*

Am. Marcell. *lib.* 17. de Constantio scribens: *Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit.* Althamerus à *Salâ* fluv. dictos putat. Hi, Gallis expulsis, eorum sedes occuparunt, Franciamque de suo nomine appellarunt. Saliorum vestigium in tractu *Sallant* manet, in Transisalania, juxta Aam fluv. inter Isalam & mare Austrinum ad Occ. & Westphaliam ad Ort. Baudrand. Quibusdam *Salii*, vulgò *Oldenzeel* pop. & opp. German. in Transisalanâ reg. inter Daventriam & Covordiam, in Teventia tractu, aliàs munitum. In ipso limite Westphaliæ. Item prisci Provinciæ pop. Strabo, Plin. Mela, &c.

Salim, nomen loci, 1. Reg. 9. Filii Roboam, 1. Par. 11.

Salimbenus de Salimbenis, Franciscanus Parmensis, scripsit res in Italia suo tempore gestas, &c. Wading. *in Annal. Minor.*

Salina, seu *Salena*, Ptolem. opp. Albionis in Angliâ, apud Verulamium, vulgò *S. Albans*. Camdeno verò *Salndy*. Item urbs Sueriorum, apud Alpes maritimas, in Gall. Subalpinâ, *Salutia* posterioribus & *Saluzzo* vulgò, teste Varrerio. Aliàs Vagiennorum nunc Marchion. Salutiæ caput. In colle, vix 2. mill. à Pado, 10. mill. à Fossano in Occid. totidem inter Cuneum & Pinarolium, 18. ab Augusta Taurin. sub Sabaudiæ Duc. olim *Augusta Vagiennorum* etiam. Item opp. Daciæ excisum in Transylvaniâ circa Tibisci fontes, olim urbs clara, nunc pagus, *Sigeth*, teste Lazio. *Salinæ* quoque Rutilio locus erat Hetruriæ ad Ceciunam fluvium, ubi sal conficiebatur.

Salinæ, urbs Burgundiæ in Sequanis amplissima, vulgò *Salins*. Alius urbs parva & culta, ad Foricam fluv. rapidum, 6. à Dola leuc. 6. à Vesontione. Olim munita, cum duobus castris. Sed An. 1668. à Gallis munitionibus & arcibus nudata.

Salinæ Saxonicæ, dicitur Halla, urbs Saxoniæ.

Salinensis Archidiaconatus, unus est ex quatuor Ecclesiæ Vesontionensis. Britto *Philippid. lib.* 10.

Atq; Salinenses angusta in valle sedentes,
Defæcata quibus flammarum ardore ministrat
Lympha salem, puteis (mirabile) tracta duobus:
Unde Bisuntina sua condit edulia vallis.

In eadem regione est & Ledo *Salinarius*; vulgò *Lion le Saunier*, ut minus mirum sit Sequanos, seu Burgundiones *salsos* dici, *Bourguignons salez*. Sunt & *Salinæ*, in Lotharingia, prope Senonias Monaster. vulgò *Salme*, Comitivæ tit. illustres. Ibidem castrum Salinarum, ad Saliam fluv. à re nomen habet, vulgò *Chasteau Salin*, Valesius.

Salingiadium, opp. Franconiæ, ad Mœnum, 3. leuc. à Francofurto in Occ.

Salinum, Ptolem. Pannon. infer. opp. ad Danub. *Adom* Lazio, 5. leuc. à Buda in Euronotum, Altinium versus.

Salius, nomen Arcadis, qui ab Æneâ in Italiam transvectus, juvenes Italos saltationem docuit.

Saliocanus, vide *Stalioeanus*.

Saliphylax, Anglus. Auctor Genealogiæ Regum M. Britanniæ. An. 960. Pitseus, *de illustr. Angl. Script.*

Salis Insula, *Ilha do Sal*, una ex insulis Capitis Viridis, sub Lusitan. ubi salinæ magni proventus, 40. m. p. ab insula S. Nicolai in Ort. 70. ab Insula S. Jacobi in Bor. Sed paucis habitatur.

Sala Ptolem. opp. Hung. apud Dracum, 3. leuc. à Quinque Ecclesiis in Occ. quot à Sigetho in Austr. *Selye*.

Salisa, regio, 1. Reg. 9. Latinè, *trina, ternaria*, sive *principalis*, vel *principissa*, aut *ducissa*.

Salisburgensis ditio, in Bavaria infer. sub proprio Archiepisc. inter Austr. super. Stiriam & Carinthiam ad Ort. Bavariamque infer. & Com. Tirol. ad Occ. Ibi Salisburgum urbs præc. Dein, Bertolgada, Lauffa & Gollinga. S. Rupertus primus Episcopus, Obiit An. Chr. 623.

Salisburgum, aliàs *Juvavia*, & *Pradicum* quibusdam, ad fluv. Salzam, 13. leuc. Germ. à Passavio in Mer. 18. à Villaco in Bor. 20. ab Oenoponte in Cæc. 36. à Praga in Mer. Vide *Salisburgensis dit.*

Salassi, pop. Alpini, Boiis, Helvetiisque finitimi, quos Cato Taurisci gentis esse arbitratur.

Salissò, opp. inter Treviros & Argentoratum, Anton.

Salionca, Autrigonum urbs in Hispan. Tarracon. Ptolem. Hodie fortè *Orduna*, in Biscaja, in Mediterr. 9. leuc. à Flaviobriga in Merid. Brietius.

Sallandia, pars ampla & media Transisalaniæ, inter Drentiam ad Bor. & Teventiam ad Mer. ubi Daventria, Campena, Svvollia, & Stenovicum.

Sallem, filius Nephthali, Gen. 46. qui & *Sallum*, 1. Par. 7.

Sallis Anton. est Ptolemæi *Sala*. Vide ibi.

Salluntum, Dalmatiæ urbs, Anton.

C. Sallustius, insignis orator & historicus Romanus, natus Amiterni, hodie *S. Vittorino*, Romæ muneribus amplissimis defunctus est. Ut egregiis de Virtute sententiis usus, sic gravissimè in luxum & avaritiam invectus est. Interim ob luxum Senatu motus ipse à Censoribus, & in adulterio à Milone deprehensus, fustigationem & mulctam gravem evitare non potuit, Aul. Gell. *lib.* 1. *cap.* 15. & *lib.* 17. *cap.* 18. Præterea sordidus planè, prodigusque simul fuit, ut ex Satyra Lenæi, Cicero Orat. *contra Sallust.* ostendit: postmodum tamen à Cæsare restitutus, Senator denuò & Prætor factus, missusque in Numidiam, cui præesset, tyrannicis exactionibus populis gravis fuit: indeque redux tantas secum opes duxit, ut splendidissimas ædes, in monte Quirinali, cum hortis hodieq; *Sallustianis* dictis, sibi compararet. Terentiam à Cicerone repudiatam duxit, Obiitq; an. 719. U. C. 85. Olymp. Scripsit Historiam, ab U. C. cujus fragmenta solùm supersunt: dein Conjurationem Catilinariam, & bellum Jugurthinum, quæ duo habemus. Quidam ipsi, cum Asinio Pollione, exprobrant cacozeliam Originum Catonis, alii tanquam vocum novatorem illum habent, nonnulli nimis audaces metaphoras, & Græcismos ipsi cum Suetonio objiciunt. Horum quidquid sit, velut primus Historiæ Rom. auctor meritò magni habetur: Martial. *in Apophth.*

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus Romana primus in Historia.

Vide Dion. *lib.* 42. & 43. Voss. *de Histor. Lat. lib.* 1. *cap.* 15. Mutuas perpetuo gessit inimicitias cum Cicer. De quo nos alibi. L. Loyd. Habuit cognominem nepotem ex fratre, cui Horatius Odas suas inscripsit, cujusque meminit Seneca, *de Clem. lib.* 1. Tacit. *Annal. lib.* 1. & 3. Plin. *lib.* 34. *cap.* 2. &c. Vide infra

Sallustius, Episc. Hierosolymit. post Martyrium, An. 485. Obiit An. 492. Ei Elias Arabs successit. Baronius *in Annal.*

Sallustius, Philosophus, scripsit librum de Diis & Mundo, quem primus è tenebris eruit, Græceque ac Latinè edidit doctissimus Leo Allatius, An. Dom. 1638.

Sallustius Crispus, Equestri loco ortus, à C. Sallustio rerum Romanarum auctore in nomen adscitus, utpote ejus sorore genitus. Qui Mæcenatem æmulatus, sine dignitate senatoriâ, multos triumphalium Consulariumque potentiâ, apud Augustum & Tiberium, antеiit; nitidus copiaque & affluentiâ propior luxu. Igitur incolumi Mæcenate proximus, mox præcipuus, cui secreta Imperatorum inniterentur & interficiendi Posthumi Agrippæ conscius: ætate provectâ, speciem magis in amicitiâ Principis, quàm vim tenuit. Obiit M. Valerio & M. Aurelio Coss. *Augusto Cæsari amicum* Plinius vocat, *lib.* 34. *cap.* 2. Ad eum est Horatii *Ode* 2. *lib.* 2. Ubi, si vis, vide Marcilium.

Sallyes, *Salyi*, & *Salyes*, Plinio, *Salvii* Livio, *Saluvii* Marcellino, popul. Galliæ Narbonensis, quorum metropolis Aquæ Sextiæ, Strabo. Habebant sedes à mari Gall. sive urbe Massilia, usque ad fluvium Druentiam: dicunturque Floro *Epit. lib.* 60. *Transalpini Ligures*, posterioribus *Gallo-Ligures*, quo nomine Massilienses quoque olim venerunt. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall. in voce Aquæ Sextiæ Salyorum.*

Salma, oppidum amplum Lotharingiæ, cum castro, intra Vogesum montem, in limite Alsatiæ infer. sub propr. Principe. Quibusdam est *Salmona*, 8. leucis Gall. ab Argentorato in Occid. 14. à Marsalio in Eur. 20. à Nancejo in Ort. Caput regiunculæ cognom. Principum stemma ad stirpem Bullionæam refertur, namq; & regni Solymorum insignia, novem cruces, insignium loco habent. Comitatus autem Salmensis, per nuptias Felicitatis, Henrici filiæ, in hanc domum illatus est. Primus à Ferdinando II. Imp. Salmensis Princeps creatus est Philippus Otto, An. Chr. 1622. cujus filius Leop. Philippus Carolus, An. Chr. 1654. ad sessionem & votum in Senatu Principum Imperii est admissus. Vide Limnæum *de Jure Publ.*

Salma, Arabiæ Desertæ & Felicis tria oppida, Ptolem.

Salmacis, oppidum olim & fons Cariæ apud Halicarnassum urbem, qui bibentes molles & obscœnos ac effœminatos facit. Ovidius *Metam.* 15.

Cui non audita est obscœna Salmacis unda?

Cujus rei rationem poëtæ ad hujusmodi fabulam referunt. Salmacidem Nympham scil. fuisse fonti huic præsidentem, quæ Hermaphroditi, Mercurii & Veneris filii, pueri formosissimi, amore capta, cùm nullis eum blanditiis ad concubitum posset adducere, simulato discessu sese post vepres occultavit: eumque vidisset illum, qui solum se esse existimabat, positis vestibus, fontem ingressum esse, subito accurrens, abjectis indumentis arctissimè eum complexa est. Verùm eùm ne sic quidem obstinatum juvenis animum posset inflectere, à Superis dicitur petiisse, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur. Quibus precibus vix finitis, ambo unum in corpus coaluerunt, ita tamen ut sexus uterque remaneret integer. Quam corporis sui mutationem cernens Hermaphroditus parentes suos dicitur invocasse, & ab iis summi muneris loco petiisse, ut ea fonti natura maneret, ut qui vir eum ingrederetur, ἀνδρόγυνος, hoc est, *utrumq; sexum habens*, inde exiret. Quo commento arctissimum Conjugalis amoris nexum Poëtæ innuere sine dubio voluerunt. Ovid. *Metam.* 4.

Unde sit infamis, quare malè fortibus undis
Salmacis enervet, tactosq; remolliat artus,
Discite. —— ——

Hinc spolia sine labore parta *Salmacia* dicuntur.

Salman,

Salman, rex quidam, de quo Osee 10. Lat. *profectus*, *pacificus*, aut *retribuens*.

Salmana, rex Madian. Jud. 8. Lat. *umbra probibita*, aut *umbra*, vel *imago commotionis*, vel *tinnitus commotionis*, vel *submersio probibitionis*, aut *commotionis*.

Salmanasar, fil. & successor Theglat-Phalasaris, Assyriorum Rex, magno comparato exercitu pugnavit contra Samariam, quam cepit, Hoseamque regem Samariæ tributarium fecit: Post aliquot annos, cum nollet Hoseas amplius tributum persolvere, iterum venit in Samariam Salmanasar, quam post tertium obsidionis annum cepit, ac decem tribus in Assyriam abduxit, anno nono rebellionis Hoseæ, qui erat annus mundi 3213. ante Christum natum 749. Alii habent, An. M. 3314. Hunc finem habuit Regnum Israeli, quod 245. annos steterat sub 17. Regibus. Vide *lib.* 4. *Reg.* 17. & 18. *capp.* Joseph. *l.* 9. *c.* 15. Obiit An. M. 3318. Successit ei fil. Sennacheribus 4. Reg. 17. Lat. *pax*, *perfectio*, aut *retributio ligata*, vel *pax*, *perfectio*, sive *retributio nunc ablata*, vel *nunc recedens*.

Salmantica, *Salmatis* Polyæno, nunc *Salamanca* urbs & Academia Hisp. Tarracon. in finibus Vettonum. *Elmantica* Polybio, & *Helmantica* Liv. Sed hæc in Vacceis. Baudr. Urbs est Regni Legionis, ad fl. *Tormes*, satis ampla & magnifica. 10. leuc. à Sentica in Mer. 14. à confin. Portugalliæ in Ort. 22. à Vallisoleto in Afric. Roderieopolim versus 3.

Salmantica nova, urbec. novæ Hisp. in parte Austr. Jucataniæ, prope oram Sinus Honduræ.

Salmasius Claudius, Criticus doctissimus, IC. & Orator insignis, fil. Benigni, Senatoris Parlamenti Divionensis, ex matre puriorem religionem hausit, cum lacte: Studiis dein admotus, tam stupendos in iis fecit progressus, ut vix decennis Græca Latinaque carmina feliciter conderet. Exin Parisiis, Heidelbergæ alibique versatus, Burdigalam se recepit, uxore ibi ductâ. In Academiam Patavinam & Oxoniensem, amplissimis promissis invitatus, ut & alia in loca, Hollandiam prætulit, & Academiam Lugdunensem per annos aliquam multos illustravit. Inde tamen à Sueciæ Regina Holmiam se pelliciq passus, ibi æstatem integram transegit. In Belgium postea redux, cum uxorem ad Spadanas aquas comitaretur, Obiit 1653. operibus egregiis Famam adeptus immortalem. Vita ejus in fronte tractatuum posthumorum, cum elogiis, extat.

Salmens, gens solitaria. Steph.

Salmias, nomen viri, 1. Esdr. 10. Lat. *pax*, *perfectio*, aut *retributio Domini*.

Salmon, fil. Nabasson, Ruth. 4. qui & *Salma*, 1. Par. 2. Princeps tribus Judæ, post captam Hierichuntem, ex Rahaba, uxore ductâ, suscepit Boozum, maritum Ruthæ avum Davidis: qui omnes inter CHRISTI progenitores, secundum carnem. *Matth. cap.* 1. Lat. *pacificus*, *perfectus*, aut *retribuens*.

Salmon, civitas Cretæ maritima. Act. 27. Græcè Σαλμώνη. Hinc *Salmonium*, promunt. Cretæ. Dionysius,

> Ε'κ δ' ὁρίων Σικελῶν Κρήτης ἀναπέπταται οἶδμα
> Μακρὸν ἐπ' ἀντολίην Σαλμωνίδος ἄχρι κορώνης,
> Η'ς Κρήτης ἀντωπὸν ἰῶσιν ἰσμῶνας ἄκρην.

Salmona, fl. Gall. Belg. parvus in Mosellam influens. *Salm* hodie Stangero. Ausonius *in Mosell.*

> *Nec fastiditos Salmona usurpo fluores.*

Salmona, locus in quo castra metati sunt Israelitæ profecti de monte Hor. Num. 33 Lat. *umbra muneris*, vel *numerus*, sive *tinnitus numeri*, vel *muneris*, aut *imago nostra*. V. & *Salma*.

Salmone, urbs Pisatidis, & fons cognom. à *Salmoneo* R. Steph.

Salmone, opp. & fons Peloponnesi, unde Enipeus fl. oritur, in Alpheum ab Olympiâ 40. stad. influens, quæ *Salmonis* dicitur Ovidio *lib.* 3 *Amor. Eclog.* 6.

> *Siccus ut amplecti Salmonida possit Enipeus.*

Salmoneus, Æoli fil. non regis ventorum, inquit Servius, sed cujusdam apud Elidem, ubi regnavit, qui cùm regiâ majestate contentus non esset, conatus est se Deum suis ostendere, & fabricato æneo ponte sublimi, adeò ut Elidis partem desuper tegeret, super eo agitabat currus ad imitanda tonitrua, & in quem jaculatus esset facem, eum jubebat occidi. Ob quam superbiam Jupiter iratus, eum vero fulmine ad inferos detrusit. Virg. *Æn.* 6.

> *Vidi crudeles dantem Salmonea pœnas,*
> *Dum flammas Jovis & sonitus imitatur Olympi;*
> *Quattuor hic invectus equis & lampada quassans,*
> *Per Graium populos, mediæq; per Elidis urbem*
> *Ibat ovans, Divûmq; sibi poscebat honorem;*
> *Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen,*
> *Ære & cornipedum cursu simularat equorum.*

Hunc Didymus in Homerum δυσσεβῆ vocat. Hesiodus ἄδικον & ὑπερήφανον, Galenus παράπληγα, h. e. *vacordem*. Sed insaniam ejus quis non agit? Suidas de illo: *Machinâ quâdam fulgurabat, tonabat, populi animos conturbabat.* Val. Flaccus lib 1.

> *Salmoneus nondum ille furens, cùm fingeret alti*
> *Quadrifidâ trabe tela Jovis.*

Ipse de se *Antholog. lib.* 2.

> —— Βροντᾶς ἐς Διὸς ἀντιφάσιν.

Didymus illum facit ἀντιβροντῶντα τῷ Διῒ καὶ ἀντιαστράπτοντα. Sicnis coruscationis hoc fieret docet Nazianzenus *Orat.* 2. *contra Julianum*: Σαλμωνεὺς εἶναι τις ἐξ βύρσης βροντῶν. Aliter Homerus de illo sensit, nam vocat ἀμύμονα, *inculpatum*; aitque Eust. Salmoneum expressisse fulmina, non, ut esset in Jovem impius, sed, ut artifex egregius, quemadmodum Archimedes finxit urentia fulgura ex speculis, & alius quidam terræ motus est imitatus.

Salmoniacum, seu *Salmuntiacum*, villa olim publica Gall. Belg. proxima Lauduno: ubi Carolomannus obiit. Vulgò *Samonci* aut *Samoncy*.

Salmonius Macrinus, Laudunensis, floruit sec. præt. Discipulus Jacobi Fabri Stapulensis, præter sublimium maxime rerum notitiam, in Latinâ inprimis poesi inclaruit. Admotus educationi Claudii Corn. *de Tende*, & Honorati, filiorum Renati Sabaudi, Ticini mortui, postea Bellajorum amicitiâ usus est. Scriptis variis inclytus, Obiit An. 1557. Pater duorum filiorum, quorum major natu Catharinæ Borboniæ, sororis Henrici IV. præceptor, cum Admirali Colinio, in laniena Parisiensi, ob veram fidem, trucidatus est. Paul. Jovius, *in elog.* Scævola Sammart. *lib.* 1. *elog.*

Salmos, opp. Bœotiæ fuit: Incolæ *Salmonii*. Steph.

Salmurium, urbs amœnissima prov. Andegavensis, cum arce permunita in colle, & ponte ad Ligerim, non admodum vetus, & vix ante ann. 600. condita: Dicta videtur quasi *Salvus murus*, sedetque inter duos fluvios Toeduin & Ligerim jamjam coituros. 8. leuc. ab Andegavo in Ort. 16. a Cenomano in Mer. Duracium vers. 6. Gall. *Saumur*. Salmuriensis Archipresb. unus ex 5. fuit Ecclesiæ Andegavensis, qui Salmurii & Deadii *Doué*, vel apud Genas, alterum locum ex ambobus intra 8. dies eligere jussus, causas & placita audiebat. Hadr. Valesius *Not. Gall.* Ibi Academiam Reformati habent celebrem, quorum Disputationes Theol. ibi habitæ 2. tomis in quart. Genevæ prodierunt.

Salmus, *muntis*, Asiæ urbs, ad mare rubrum: ubi Alexander Magnus ludis interfuit Theatralibus. Diod. *libr.* 17. parte posteriore, Gedrosiæ apparet, ex Plutarcho: Carmaniæ, ex Arriano. Sunt autem collaterales hæ regiones.

Salmyca, urbs juxta Herculis columnas. Steph.

Salmydessus, sinus Ponti. Steph. ad quem sæpe naufragia contingunt. Hic Thraces insidias mercatoribus struunt. Strabo *lib.* 7. ait Salmydessum esse littus: alii fluv. esse volunt, ut Sophoclis & Lycophronis interpretes, Plinius verò opidum. Straboni assentitur Xenophon Α'ναβασ. *lib.* 8. de Salmydesso: Τόπος γάρ ἐστιν ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάττης. At Æschylus *in Prometheo*, in dextro Ponti latere Salmydessum constituit. Sic enim ille,

> —— —— Ἵνα
> Τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία γνάθος
> Ε'χθρόξενος ναύταισι μητρυιὰ νεῶν.

Scribitur & *Halmydessus*. *Stagnara* hodie ex tab. recent.

Salo, fil. Mosullami. 1. Par. 9. Lat. *canistrum*, *exaltatio sive conculcatio*, aut *æquiparans*.

Salo, Strab. *Salona* Cæsari ac Ptol. *Salona* Plinio & Melæ, urbs Dalmatiæ in colle, in ora litorali, excisa, secessu Diocletiani olim nobilis. *Salena* nunc Sophiano, *Spalatro* aliis. Lucan. *L.* 4.

> *Quà maris Adriaci longas ferit unda Salonas.*

Colonia Martia Julia Salona vocatur in antiquâ inscriptione. Hodie apud ejus rudera excitatum est castr. *Salona*, ad ostium amnis cognom. 5. mill. in Bor. ab urbe Spalato, quæ ex ejus ruinis crevit, vix 100. à Jadera in Eur. Sub Turcis. Baudr. *Populi Salonenses*.

Salo, *onis*, fluv. Hisp. Tarrac. per Celtiberos in regno Arragonio apud Bilbilim urb. fluens, ac in Iberum influens. Hodie *Xalon*. Martial. 10. 20. Baudrando oritur in Castella vet. ubi Mechymnam cœli rigat; dein per Aragoniam fluens, auctus Mesa, Xiloca & Bilbili, fl. minor. urbes Bilbilim, Riclam & Placentiam rigat: tandem 1. leuc. infra Alavonam Urbec. in Iberum se exonerat, 4. leuc. supra Cæsaraugustam.

Salobriasa, pop. circa Indiam. Plin. 6. 20.

Saloca, opp. Noricorum, nunc *Selch*, vicus Carniolæ sup. ad radices montium, inter Dravum & Savum, Cluver.

Salodium, opp. agri Brixiensis, amplum, elegans, mercimonio clarum, ad Benaci ripam Occ. inter Brixiam & Tridentum; *Salo*.

Salodorum, & *Saloturum* in vet. inscript. urbs antiquissima, hinc *Trevirorum Soror* dicta, Helvetiorum, in provincia Maxima Sequanorum, vett. Notit. Ejus primus meminit Antoninus, qui eam à Petinesca 10. m. p. & ab Augusta Raurac. 23. distare ait: Cluverius tamen, apud Ptolemæum, pro *Saloduro* Ganodurum vitiosè legi existimat. Unum fuisse ex 12. Helvetiorum oppidis, quæ ab his, expeditionem contra Romanos molientibus, incensa: postea restitutum vicum magnum evasisse, sub Maximiano dein Imp. castrum factum esse, refert Guillimannus. Antiquitatem certè non coctisolùm lateres varii coloris, & rudera per ambitum reperta, sed etiam vett. inscriptiones, inter quas una Deæ Eponæ Heliogabali fortè tempore, facta, hodieq; visitur, ostendunt. Fuit sub Romanorum imperio, per annos 500. à Julio Cæs. usque ad Valentinianum III. & Martianum Impp. quo tempore peculiaris, sicut in arce Thuricensi, ita Saloduri, Præfectus sedem habebat. Postea Allemannicis, Hunnicis, Franciciisque bellis, in Gallicum inclinante imperio, hæc quoque urbs cum pluribus aliis vastata: Cœterùm Francis rerum potitis, denuo instaurata, non exiguâ tunc inter minoris Burgundiæ urbes famâ, sub Burgundiæ

Franciæque Regibus, usque ad Capevingos, & Episcopatui Genevensi subdita est. Sub Germanis dein Imperatoribus An. C. 921. semper fuit in numero urbium Imperii, Henrico I. Imper. cum Constantiensibus & Augustanis, contra Obotritos Hunnosque, in Saxonia, auxiliata, ductu Hermanni Sueviæ Ducis: sic tamen ut præcipuis immunitatibus frueretur collegium Canonicorum, cui easdem pariaque cum Tigurino privilegia traduntur. Advocatia Urbis, sicut & aliarum in Helvetia Imperii urbium, fuit penes Duces Alamanniæ, cui tota Argovia seu pagus Arolensis unà cum pago Tigurino tum accensita est. Cum Bernatibus antiquitus ab An. C. 1291. fœdus, amicitia & commilitium huic urbi fuit: cui ab Austriis obsessæ, quòd Ludovici Bavari partes sequeretur, ob id à Pontifice excommunicatæ, illi 400. militum præsidium misere. Bello dein adversus Kyburgium Comitem proditione unius e civibus, non parvam cladem accepit. Post hæc Ann. C. 1351. quo cum Alberto Archiduce Tigurum obsedere, perpetuo cum Bernatibus cives fœdere inito, cæterorum etiam fœderatorum amicitiam magnâ fide coluerunt. Anno 1382. parum abfuit, quin à Rudolpho Com. Kyburgio & Diepoldo Com. Neocomensi, proditione Canonicorum quorundam, noctu urbs opprimeretur: unde contra Kyburgios bellum, quo multa iis ope Bernatum erepta. An. 1400. cum Basiliensibus fœdus ferierunt: An. 1415. in Argovia occupanda operam Bernatib. navarunt egregiam. Iterum cum Bernensibus & Basiliensib. instauravere fœdus A. C. 1441. in annos 20. Bello dein Austriaco, quo Leopoldus cæsus est, finito, paribus conditionibus ac cæteri Confœderati, pacem & fœdus eum Austriis fecerunt: demum verò finito Burgondico bello, in quo fortiter & strenue se gessere, unà cum Friburgis in Pagorum numerum, An. C. 1481. cooptati sunt, inter quos undecimum hodieque tenent locum. A quo tempore communia ipsis cum reliquis Helvetiis bella fuere. Sedet urbs ad Arolam fluv. 5. mill. Germ. à Berna in Bor. media inter Basil. & Friburg. 8. leuc. utrinq;. Divisa in maj. & min. ponte super Arolam injecto, conjungitur, & hæc quidem Episcop. Constantiensis, illa Lausannensis diœc. est: Comitiis Reg. & Imp. olim Burgundicis celebrata, inprimis sub Henr. III. Imp. An. 1045. 1048. 1052. Carolo IV. An. C. 1365. hodie Gall. Reg. ad Helvetios Legati sedes: Validis cincta mœnibus, indies munitior redditur. agrum habet felicissimum, præterquam quod vites maligne tolerat. Taxus hic lætissime provenit, e qua optimi arcus. Sub Diocletiano & Max. An. 288. Victorem ac Ursum è Thebæa legione, pro Christo ibidem cæsos memorant: cui posteriori templum Bertrada Caroli M. mater, quæ multum Saloduri commorata est, dedicavit, circa An. C. 800. quod postea auxit & locupletavit Bertha Rodolphi Burg. R. uxor, mater Conradi Regis, Ottonis I. Imper. socrus. Latinos ritus hodiè urbs colit: postquam An. C. 1531. in Religionis negotio cum urbibus Tiguro, Berna, Basilea, &c. aliquoties quidem convenisset, sed An. C. 1533. oborto inter cives dissidio, tandem Ministri dimissi, Missa restaurata, & imagines in templis repositæ essent. Dicitur vulgò *Solothurn* Rhenano, Gallis *Soleurre*. De origine vocis variæ sententiæ, arridet Planino illorum opinio, qui Salodorum, à Saliensibus pop. quorum olim caput erat, dictum volunt: & servatur horum memoria in vico *Salsach*, seu Saliensium Aquæ, inter Salodurum & Biennam: quinetiam regio, quæ Neocomo Salodurum usque pertingit, olim *Salgovia* vocata legitur. Incoluêre autem hi Salienses, à Salis Germ. so sanorti, dextram Arolæ ripam usque ultra Salodurum, ut refert Guillim. *pag.* 175. Cæsaris *Soldurios*, quidam ex hac regione oriundos volunt. Hodie Urbs caput est pagi Salodorii, unius ex 13 pagis Helvet. inter pagum Bernensem ad Mer. & Basileensem ad Bor. in quo variæ Præfecturæ. Olim Neocomenses quoque Salodorensibus, sicut & Bernensibus, Lucernatibus ac Friburgensibus, certis pactis con, ungebantur: hodiecum Bernensibus & Friburgensibus, additi 7. veteribus pagis, supremam in Turgea in criminalibus jurisdictionem Salodurenses exercent. De hac Urbe sic Glareanus *in Panegyr.*

Urbs quam Roma simul sociam, Treverq; sororem
Appellant, Salodorum ingens, te scindit & ambit
Ipse Arola, en tibi sunt sacra Thebea sepulcris
Corpora, quæ quondam è Nilo Memphiticus heros
Duxit in hoc Ursus cœlum, dum vita manebat,
Martyrii ut palmam, & dignos heroë triumphos
Acciperent omnes, pro chari nomine Christi:
Accipe, quod volui breviori dicere versu;
Ursinum servas morem, fortissima bello
Pectora habens, nulloq; unquam perculsa timore,
Ut Romam factu æques, vinciq; sororem.

Ejusdem verbis Salodurum de se sic canit:

In Celtis nihil est Saloduro antiquius, unis
Exceptis Treviris, quarum ego dicta soror.

Vide Stumpfium *lib.* 7. *de Argovia, cap.* 25. *&* 26. Simler. *de Rep. Helvet.* Joh. Bapt. Plantinum *Helv. nov. antiq. &c.*

Salmacum, oppid. Aquit. à Burdigala 6. leuc. in Austr. Aquas Tarbellicas versus, Anton.

Salome, uxor Alexandri Jannæi Reg. Vide *Alexandra*.

Salome, soror Herodis M. Mariamem apud maritum calumniata, quasi venenum ipsi parasset, effecit ut capite innocens regina plecteretur. Nupta Josepho, quem frater occidi curavit, postmodum Costoboro, Idumeæ & Gazæ præfecto, juncta est: sed cum illo collisa, libellum repudii marito misit, paulo pòst Herodis jussu sublato. Dein Alexandrum & Aristobulum, Mariamnes ex Herode filios, similiter apud Patrem calumniata, cum Silleo, Obodæ Arabum Reg. ministro, nupturiret, à fratre Alexæ data est. Obiit paulò pòst fratrem, Jos. *lib.* 15. 16. 17. *&* 18. *de Ant. & bello Jud.*

Salome, mulier, mater Jacobi & Johannis, Marc. 15. Vide Christoph. de Castro *cap.* 1. *de Hist. Deip.* Cornel. à Lapide, *in Luc.* 3. *&c.* Item filia Antipatri, Herodis filii.

Salomi, pater Ahihud principis filiorum Aser, Num. 34. id est, *pacificus, perfectus*, aut *retribuens*.

Salomith, filia Zorobabel, 1. Par 3. Filius Roboam, 2. Par. 11.

Salomon, vel *Solomon*, id est, *pacificus*, filius Davidis. Item Jedidjah & Coheleth. Rex Judææ, omnes suæ ætatis homines divitiis & sapientiâ antecellens; Natus An. M. 2996. Is Hierosolymis templum ornatissimum extruxit, quod de ejus nomine vocatum est. Tandem verò ad idololatriam ab uxoribus & concubinis fascinatus defecit; quâ de causâ ejus regnum paulo pòst est laceratum, ut ex historiâ sacrâ liquidò constat. Obiit An. M. 3059. regni 40. Historiam ejus vide 3. Reg. & 2. Par. His si placet, adde Jos. *Antiq. lib.* 8. *cap.* 1. *&* 2. Hier. *in Comm. &c.* Et quidem Joseph. *Ant.* 8. 3. Πάντας ὑπερέβαλεν εὐδαιμονίᾳ τε καὶ πλούτῳ, καὶ φρονήσει τοὺς βασιλεύσαντας, εἰ μὴ ὅσα τι πρὸς γῆρας ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἀπατηθεὶς παρηνόμησεν. *Omnium, quicunq; fuerant regum ditissimum* vocat Sulpic. Sever. Cæterum de immensis ejus divitiis, vide Pinedam de *Solomone lib.* 4. *cap.* 19. Villalpand. *Tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 44. *usq; ad* 55. ubi docet, Solomonis opes majores fuisse, quàm Impp. Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Græcorum, Romanorum, cæterorumq; omnium. Vide quoq; Suid. in Σολομῶν. Non omittendus hic Solomonis character, qui occurrit apud Siracidem, *Eccl. cap.* 47. Σολομὼν ἐβασίλευσεν ἐν ἡμέραις εἰρήνης, καὶ ἐδοξάσθη, ὡς ὁ θεὸς κατέπαυσε κυκλόθεν αὐτῷ, ἵνα στήσῃ οἶκον ἐπ' ὀνόματι αὐτοῦ, καὶ ἑτοιμάσῃ ἁγίασμα εἰς τὸν αἰῶνα· ὡς ἐσοφίσθης ἐν νεότητί σου, καὶ ἐνεπλήσθης ὡς ποταμὸς συνέσεως. γῆν ἐπεκάλυψεν ἡ ψυχή σου καὶ ἐνέπλησας ἐν παραβολαῖς αἰνιγμάτων. Εἰς νήσους πόῤῥω ἀφίκετο τὸ ὄνομά σου, καὶ ἠγαπήθης ἐν τῇ εἰρήνῃ σου. Ἐν ᾠδαῖς καὶ παροιμίαις, καὶ παραβολαῖς καὶ ἑρμηνείαις ἀπεθαύμασάν σε χῶραι· ἐν ὀνόματι Κυρίου τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐπικεκλημένου Θεοῦ Ἰσραὴλ συνήγαγες ὡς κασσίτερον τὸ χρυσίον, καὶ ὡς μόλυβδον ἐπλήθυνας τὸ ἀργύριον· παρέκλινας τὰς λαγόνας σου γυναιξί, καὶ ἐνεξουσιάσθης ἐν τῷ σώματί σου, *&c.* Qui sapientissimo huic Regi Libri attribuuntur, præter illos, qui in Canone sacro sunt; qualium quinque Albertus M. in speculo Astrologico; 4. alios Trithemius refert; his itidem 4. alios aliis addentibus, meritò ψευδεπίγραφοι habentur. Sic & historia Josephi, *Antiq. lib* 8 *cap.* 2. ubi refert, coram Vespasiano Imp. Eleazarum quendam Judæum, varios dæmones ex obsessis, vi annuli, cui radix inclusa, quâ Salomo ad talia usi solitus sit, naribus illorum appensi, ejecisse, nullam fidem meretur. V; Naudæum, *in apolog. Viror. illustr. magiæ suspectorum*, Theoph. Rainald. *lib. de Calumnia, sect.* 2. *cap.* 12. *&c.*

Salomon. Hungariæ R; fil. Andreæ I. à fratre Bela I. pulsus, An. 1061. ab Henr. IV. Imp. restitutus est, An. 1063. Albæ coronatus; bellum Bohemis intulit, à nepotibus ex fratre Geisla & Ladislao, An. 1074. iterum pulsus. Obiit in Italia, An. 1095. Mart. Fumæus *Hist Hung.* Bonfin. *de reb. Hung.*

Salomon, Dux min. Britanniæ, post Harispogum, vel Haruspæum occisum: corporis mole & formâ, ut & pietate insignis: Titulum Regis sumpsit, sed An. 863. Carolo Calvo se subjecit, eique contra Normannos, communes hostes, auxiliatus est. Occisus An. 875. Argentræus & Augustin. du Pas, *Hist. Brit.*

Salomon, Abbas S. Gallensis, dein Episc. Constant. stirpe, pietate; doctrinâ clarus. Quædam versibus composuit. Obiit A. 919. Canis. *t.* 1. *Ant. Lect.* Trithem. *de Vir. Ill. Germ.* Herm. Contr. *in Chron.*

Salomon Jarchi, vel Raschi, Judæus, Trecis in Campania natus, An. 1104. In Biblia varios scripsit Commentarios: hinc *Barjchandathe*, id est, interpres Legis dictus.

Salomonis Inf. amplæ in mari Pacifico, versus Terras Antarcticas, & nov. Zelandiam, prope Terram Quiri, ad Ott. nov. Guineæ. An. 1567. detectæ ab Alvaro Mendoza, XVIII. numero. Nempe Insulæ S. Isabellæ, S. Georgii, S. Marci, S. Nicolai, Rupium, S. Hieronymi, Guadalcanalis, Boni Visus, *Boa vista*, S. Dimæ, Floridæ, Malaita, Arregada, Tres Mariæ, S. Jacobi, S. Christoph. Nominis Dei, S. Annæ & S. Catharinæ, omnes peramplæ sed Europæis vix nomine notæ.

Salon, reg. Bithyn. pascendis bobus idonea, unde & *Salonensis caseus*, Strab. *l.* 12. Steph. est urbs Bithyn. Gent. *Salonites*, vel *Saloneus*.

Salona, opp. Gall. Narbon. in Prov. inter Avenionem, & Massiliam, vulgò *Salon*, apud Druentiam fluv. Baudr. etiam *Selon de Crau* dicitur, opp. juxta Campos lapideos, Michaelis Nostradami, Astrol. peritiss. & Cæs. fratris ejus Patria, inter Aquas Sext. ad Ort. 5. leuc. & Arelate 7. ferè 2. à Druentia, Astromelam lacum versus totidem.

Salone, vide *Salo*.

Salonensis pagus exiguus Galliæ, inter Saliam & Nitam fluv. ad diœc. Metensem pertinens: vulgò *le Saunoy*. In hoc *Salona* Fulrado memorata, forsitan est vicus nunc *Salone* dictus, non longe à Salia fl. inter Vicum *Vic* atq; castrum Salinense. *Chasteau Salin.* Vales. *Notit.*

Saloniana, Dalmatiæ urbs mediterranea, Ptol. *Czernicz* Moletio. Quibusdam *Mostar*, urbs Episcop. in limite Serviæ, juxta Visseram fluv. 40. mill. à Natona in Bor.

Salonina, Alieni Cæcinæ, Vitelliani Ducis, uxor. Tac. *Hist.* 2.10.

Saloninus, Asinii Pollionis, Germanici exercitûs ductoris, filius, qui cùm post captas Salonas, primò lauream, post etiam Consulatum adeptus fuisset, eodem anno suscepit filium, quem à Salonâ captâ Saloninum vocavit, quem constat natum statim risisse, quod parentibus omen infelicitatis fuit, vixit enim perparum, Servius.

Saloninus Publius Licinius Cornelius Valerianus, filius Galieni Imper. factus Cæsar, cum Albino, Ephoro suo, in Galliam missus est. Sed Posthumius recens contra Gothos victor, Colonienses ut sibi hunc traderent coëgit, illumque sustulit. Frater ejus Julius *Saloninus* Gallienus, Cæsar creatus: Mater *Salonia* fuit. Trebellius Pollio, Aur. Victor. Oros. &c.

Saloninus, vide *Asinius Gallus*.

Salonius, Episc. an Viennensis, an Genevensis? floruit An. 452. Scripsit explicationem mysticam Proverb. & Ecclesiastæ: sub formâ dialogi inter se fratremq; Veranum, Episc. Vinciensem. Vide Salvian. *Epist. ad S. Eucher.* Episc. Lugd. horum patrem. Gennad. *cap.* 63. & 67. Sixt. Sen. *Bibl. S.* Vinc. Barral. *in Chron. Lirinensi, &c.*

Salonius, vide *Sagittarius*.

Salopia, vulgò *Shrevvsbury*, urbs Albionis ad Sabrinam fluv. in Angliæ & Walliæ confin. inter Cestriam & Herefordiam. Caput prov. cognom. inter Cestriam ad Bor. Staffordiam ad Ort. Herefordiam ad Mer. & Mongomeriensem Com. ad Occ. sitæ.

Salpa palus, Lycophr. *Salpinia* Vibio Sequestri, *Salapina* Lucano, lacus Apuliæ Dauniæ, apud Salapiam Urb. Vide ibi.

Salphaad, filius Hepher, 1. Paral. 7. Latinè, *umbra*, sive *tinnitus formidinis*, vel *assationis*, aut *submersionis formido*.

Salpina, & *Salpia*. Vide *Salapia*.

Salpis, colonia & opp. fuit Hetruriæ. Cujus pop. *Salpinates* Liv. Volsiniis finitimi.

Salra, vulgò *Solre*, pag. dit. Leod. ad Sabim fluv.

Salseta, Ins. parva, in ora littor. penins. cis Gangem, ad ostia Mandovæ fl. in ora reg. Decani, prope Goam urb. probè exculta à Lusit.

Salsubium, opp. Gall. Tog. in Romandiolâ. *Castro Caro* Blondo. Nunc castrum, sub M. Hetruriæ D. juxta Fagnonem amnem, 2. mill. supra civ. Solis, 6. supra Forum Livii in Mer. 4. à Meldula in Occ. in ipso limite dit. Pontif.

Salsula, opp. seu potius arx Gall. Narbon. in orâ juxta stagnum Salsularum, *l'Estang de Locate*, in colle, in Comit. Ruscinonensi, in limite Occitaniæ, aliàs ab Hisp. excitata, contra Leucatem arcem Gallorum proximam. Sed à Francis capta An. 1640. postea ipsis pace Pyren. mansit, 4. leuc. à Perpiniano, uti 7. ab Helena in Bor. 2. ab ora maris Medit. in Occ. Melæ quoque est fons ejusdem reg. *Fonte de Salsas*, prope Leucatam litus, salsioribus quàm marinæ sint aquæ defluens, Gall. *Sausses*, unde *Salsulæ* opp. nomen. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* In campo juxta *Salsulas*, stagno subeunte suspensio, piscem penitus erui, & per foramina ictu captantium interfectum extrahi vett. prodiderunt. Idem.

Salsum, fluv. Hispan. Bæt. Hirtius. *Guadajos* Clusio. *Salobral* autem Vigenereo.

Salsus Sinus, idem cum Sinu Gallico.

Saltia, pop. juxta Pont. Euxinum, qui & *Pthirophagi*.

Saltiga, opp. Hispan. Tarrac. in Bastetanis, Bigerræ urbi finitimum, Ptol. *Suorniglia* Moletio.

Saltuares, insulæ parvæ in Nymphæo fluv. Latii sunt, quæ ad ictus salta[nt]ium moventur, Plin. *lib.* 2. 95.

Saltus, vulgò *Comté de Sault*, Comit. amplus Gall. Narbon. in Delphinatus & Provinciæ confin. Avenionensi Comitatui finitimus. Cujus caput Saltus, *Saut*, castrum, in limite Delphinatus & Comit. Vindaxini, 5. leuc. à Carpentoracte in Ort. 4. ab Apta Julia in Bor.

Saltus Castulonensis, mons Hispan. Tarrac. in Bæticæ confin. *Puerto Muradal* hodie: pars est montis Mariani, inter Castellam novam & Vandalitiam, ad fontes fl. *Guadarrizaz*, prope montem *Navas de Tolosa*, qui etiam pars est montis Mariani, juxta castrum *Duenas*. Vix 2. leuc. à Tolosa in Ort. 13. à fontibus Anæ in Merid. Ibi Mauri maximâ clade ab Hisp. affecti, cæsis eorum ferè 100000. Ibi transitus è Castella in Vandalitiam; Cui adjacet alter transitus minor, *Puerto del Ré*, in eodem saltu.

Saltus Domini, mons altus, unde videtur mons Tabor & Hermon, civitas Endor, Naim & Jesreel, atq; tota ferè planicies campi magni Esdrelon: in montem hunc tradunt transiisse Dominum, quum eum Judæi volebant præcipitare, & subitò ad tactum vestis ipsius saxum subterfugisse, ac instar ceræ liquatum ac resolutum quendam effecisse sinum, quo corpus Dominicum muniretur & reciperetur, tantæ ubique capacitatis, quantæ ipsum corpus Domini extitit quantitatis.

Saltus Ephraim, campus in tribu Gad, cui sylva à tergo.

Saltus Galliani, pagus Æmiliæ apud Meldulam, hodie *Galeata*.

Saltus Pyrenæus, vide *Pyrenæus mons*.

Saltus Tugensis, Plin. Vide *Argenteus mons*.

Salza, fluv. Bavariæ infer. *Saltzach*. Oritur in limite Comit. Tirolensis; dein per Salisburg. dit. fluens, ipsamq; bifariam secans, Salisburg. rigat, pauloq; infra Burchusium in Oenum se exonerat.

Saltzburgum, Latinis *Juvania*, à *juvando* dicta. Nam Germanos Jul. Cæsar aggressus, in faucibus montium arcem munitissimam extrui curavit, ut milites in eâ refugium, & satellites juvamen haberent. Inde castrum *Juvanense*, Germanicè *Helffenberch* appellatum est. Vide *Salisburgum*.

Salu, pater Zamri illius, qui cum Madianitide occisus est, Num. 25.

Salva, Pannoniæ infer. urbs Ptolem. *Scilmar* Lazio, duobus à Budâ milliaribus, Austriam versus.

Salva Terra, castellum Galliæ, ad Garumnam, non procul à Masso Aginnensium *le Mas d'Agennois*, vulgò *Sauve terre*. Item vicus in Rutenis *Salveterre*. Item castrum pagi Benearnensis, inter Navarrentium & Bastitam, incolis *Salvatierre*. Nomen his locis, quòd essent castra munita & vicinos quoq; salvos præstarent. Sic Vascones & Gothi quemlibet locum, cujus munimentis à vi externa servari poterant, *Salvitatem* nuncupavere, *la Sauvetat*: Galli cis Ligerim Firmitatem *la Ferté*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

S. Salvator de monte Regio, Ordo milit. in Hisp. ab Alphonso VII. Aragoniæ & Castellæ Reg. An. 1120. institutus. Hic cùm urbem Monte-Regium, contra Valentiæ Mauros, extruxisset, Templarios ibi præsidio esse jussit, quibus Concil. Viennensi, An. 1311. exutis, illorum in locum, equites ex illustrissimis in Aragonia familiis, substituit. Hic Ordo dein, Mauris destructis, abolitus est. Mariana, *Hist. Hisp.* Zurita *in Ind.* Canonici *S. Salvatoris*, dicti vulgò *Scopetini*, in Italia, fundatorem; habent, Stephanum Monachum Ord. S. Augustini, An. 1408. Vide Morer. *Diction. Hist.*

Salue, Libyæ inter. opp. Ptolem.

Salvia, mater Apuleji. Item opp. Triacensium in 5. Italiæ regione, Ptol. *Alia* Leandro.

Salvia Urbs, seu *Urbs Salvia*, *Urbisaglia*, castr. Piceni, sub Pontif. 6. mill. à Tolentino in Ort. Tignium versus 15. Magino teste.

Salvianus, Episc. Massiliensis, an presbyter? maritus Placidiæ, filiæ Hypatii ex Quieta, floruit sec. 5. Treviri oriundus, postquam in Provinciam se recepisset, Presbyter Massiliæ evasit: divinarum & humanarum literarum scientissimus, Præceptor Salonii & Veranii, Episcoporum. Vixit adhuc, An. 496. Scripsit libb. 7. de Providentia Dei, & libb. 4. de Ecclesia Catholica: qui cum aliquot epist. ejus sæpius prodierunt. Gennad. *in Cat. Vir. Ill.* Hilar. Arelat. *Serm. de S. Honor.* Eucher. *ep. ad Salon.* Ado Vienn. *in Chron.* Trithem. &c.

Salvianus Calpurnius, sub Tiberio Corn. Cosso, Asinio Agrippa Coss. in exilium missus, quòd Drusum præfectum urbis, auspicandi gratiâ tribunal ingressum, adierit accusatum S. Marium, Tac. 4. 36.

Salvii, vide *Sallyes*.

Salvius, unus è librariis T. Pomponii Attici, quorum meminit Cicero *lib.* 13. *Epist.* 44.

Salvius Coccejanus, Titiani filius, Othonis Cæsaris ex fratre nepos. Tac. *Hist.* 2. 48. à Domitiano interfectus, Sueton. *cap.* 10.

Salvius Fusius, inter eximii roboris viros recensetur à Plin. 7. 20.

M. Salvius Julianus, J. C. nobilissimus temporibus Commodi Cæsaris. Alii habent, sub Adriano & Antonino Pio. Sæpius Consul, magni apud omnes nominis fuit. Varia scripsit, quorum elogium habes, in Institut. Justiniani: inprimis Edictum perpetuum, archetypon Pandectarum. Mediolan. autem fuit, pater an avus Didii Juliani? qui dein Imperator evasit. Spartian. *in Did. Jul. cap.* 1. & *in Adr.* Forster. *in vita Jurisc.*

Salvius Valens, JC. alius, sub Antonino Pio, Jul. Capitolin. *in vita Antonini cap.* 12.

Salumias, vicus in octavo lapide, à Scythopoli in campo, in tribu Issachar, Hieron. *in L. H.*

Salur, Indiæ intra Gangem emporium, Ptolem.

Salus, Dea credita. Fingebatur in solio sedens, cum patera, penès quam ara: cui anguis involutus, caput attollens, unde *Salutaris porta* Romæ appellata, ab hujus Deæ æde, quæ proxima fuit.

Salusa, filius Suph, 1. Par. 7. Lat. *trinus*, *principalis*, vel *dux*.

Salustius, Præt. Præfect. in Christianos sævus, circa An. Ch. 363. Rufin. *lib* 1. *cap.* 36. Theodor. 3. 15.

Salutaria, Syriæ, aut Euphratensis urbs. Lib. Notit.

Salutaris, vocatur pars Macedoniæ, Phrygiæ, Palæstinæ, Syriæ, & Galatiæ. Lib. Notit.

Salutiarum Marchionatus, prov. est Pedemontii, ad rad. Alpium, A. 1600. concessa Sabaudiæ Duci ab Henr. IV. Gall. R. loco Bressiæ, cum Bugesia, Gesia & Verromæa regiunc. cis Rhodanum. Inter Pedemontium ad Bor. & Ort. Delphinatum ad Occ. & Comitat. Niceæ ad Mer. Ejus Caput est Salutiæ, olim *Augusta Vagiennorum*, sita in colle, cum arce egregia & templo magnificentissimo. Sed pendet etiam ex ea Carmaniola, in Pedem. inserta. Vide *Salina*.

Salutio, vide *Salatio*.

Salvus Cassetta, Dominicanorum Generalis, An. 1481. A Papa Sixto IV. in Germaniam missus, Alberti M. sepulchrum aperuit. Panormo Siculus, Obiit An. 1483. Scripsit vitam Vinc. Ferrerii, &c. Leand. Alb. *de Vir. Ill. Ord Præd.* Anton. Sen. &c.

Salyes, pop. Occid. qui contra Romanos bellum gesserunt, Steph. Falsò, cùm sint Gallor. maximè meridiani, Vales. V. quoq; *Sallyes*.

Sama, filius Jechoniæ, 1. Paral. 3

Sama, civitas in tribu Juda, Jos. 15. Nomen viri, 1. Par. 8. Latinè, *audiens*, vel *obediens*.

Samaa, frater David, 2. Reg. 21. Fil. Merari, 1. Par. 6. Lat. Idem.

Samaa, filius Macelloth, 1. Par. 8. Latinè, *nominatus*, vel *appositus*, aut *perditio*, vel *desolatio*.

Samad, filius Elphaal, 1. Paral. 8.

Samuda, pater Semri, 1.Par. 4. Filius Joël, 1.Par.5. Vir Gabaonites, 1.Paral. 12.

Samamycii, pop. juxta Syrtim magnam, Ptol.

Samana, Insula una ex Lucajis, in mari Bor. inter Insulas S. Salvatoris ad Bor. & Majagnanam ad Mer. Ab Anglis habitata.

Samaoth, nomen viri, 1. Paral.27.

Samara, promont. in Oceano Orientali, ubi desinit Caucasus.

Samarabria, gentes circa Indum, Plin.6. 20.

Samaraim, Civitas in tribu Benjamin, Jos.18.

Samardacus, homo ridiculus. Chrysostomus *ad Ephes. Hom.* 18. Vide Martinium.

Samareus, fil. Chanaan, Gen.10. Vide Bochart. *Phaleg. p.*347.

Samaria, nomen viri, 1.Paral. 12.

Samaria, reg. Palæstinæ inter Judæam ad Merid. & Galilæam ad Sept. Tribus Ephraim & Manasse cis Jordanem complexa, eum urbe ejusdem nominis, pulcherrimâ & munitissimâ, ac post Thersam Regum Israël sede. Steph. Σαμάρεια, πόλις Ἰουδαίας ... Josephus ab Amri Israelis rege conditam scribit, qui Simeron, vel *Schomronem* montem à quodam Semer emit: civitatemque, quam in montis vertice extruxerat, à vendentis nomine *Simeron*, sive (ut transtulit noster interpret, 3. Regum *cap.* 16.) *Samariam* An. M. 3112. appellavit. Hæc deinde Reges Israëlitarum pro regiâ usi sunt. Aliàs *Ecthenias* dicta est, teste Eusebio. Illam Elisæus Proph. contra Benhadabum, Syriæ Reg. tutus est, militibus ejus cæcitate afflictis: quo facto hic irritatior, An. M.3146. eum immenso exercitu urbem obsessam ad ultimam famem redegit, miraculosè liberatam. Capta tandem est An. M.3314. à Salmanazare, post obsidionem trium annorum: Hic incolis alio translatis, novos huc colonos misit, ex variis gentibus, quarum quælibet proprio Idolo inserviit: quibus per leones divinitus punitis, Rex aliquem ex captivis summisit, qui in agnitione veri Dei Samaritanos utcunq; instrueret. Sed orta mox religionis miscella. Dein post Hyrcani Judæorum Pontificis expugnationem An.3941. ab Herode rege iterum An. 4033. ædificata, & in honorem Cæs. Augusti Σεβαστὴ dicta fuit, hodie *Naplous*. Sanaballetes regionis Præfectus, sub Dario fuit, cui fide non servatâ, Alexandro adhæsit; qui ipsi veniam templi in monte Garizim, simili Hierosolymitano, condendi propterea concessit: Ita autem Judæos eo facilius sub jugo suo retenturum se speravit. Hic Pontificem M.generum suum Manassen fratrem Jaddi instituit. Huic se junxerunt omnes illi Sacerdotes, qui peregrinis matrimoniis erant irretiti, imo quidquid Legis disciplinam ferre non poterat, Samariam, tanquam in Asylum, confluxit. Hinc schisma, inter Judæos & Samaritanos, de loco Adorationis legitimæ contendentes: adhuc stetisse hoc templum, Johannis tempore, ex Evangelio ejus patet. Non sacrificarunt autem Samaritani, in templo, quod Hierosolymis erat, neque ullas legis ceremonias cum Judæis communes habebant. Resurrectionem mortuorum inficiari, solum Mosis Pentateuchum pro Canonico habuerunt. Divisi in Essenos, Sebuæos, Gortheníos & Dositheos. Jesum Christum ingressu arcere conati, à tempore Zenonis Imp. in Christianos sævire, templa eorum diripere, &c. cœperunt, sed ab Imperatore puniti, etiamque Monte Garizim, fidelibus concesso, exuti sunt. At sub Anastasio, illo denuò potiti, quidquid Christianorum ibi deprehensum, occiderunt crudeliter: quæ sævitia à Procopio punita est, qui Edessâ cum copiis huc veniens, plurimos eorum neci dedit. Nihilominus sub Justiniano denuo emergentes, etiam Regem sibi elegerunt, nomine Julianum, cujus auspiciis denuo in Christianos incredibilem sævitiam exercuerunt, sed oppressi ab Imperatoris militibus, & severissimis edictis coërciti sunt, Juliano ultricibus flammis ustulato. Tandem Ann. 551. mentiti se Christianos fore, per Sergium Episcop. Cæsareensem ab Imperatore, jus iterum nacti sunt testamenta condendi, &c. nihilominus non destiterunt persequi Christianos omni ratione, usque ad Gregorium M. sub quo unus sectæ hujus Christiano mancipio uti voluit. Post quæ tempora de illis Historici altum silent. Vide Joseph. *Ant Jud.* Torniel. Salian Spond. in *Annal. V. T.* Baron. *in Annal. Eccl.*

Samarobrini, pop. Gall. Belg. quorum præcipua urbs est *Samarobrivum*, Græci codd. Ptol. habent *Samarobriga*, & *Samarobriva*, vulgò *S. Quintin*. *Amiens* Divæo, *Cambray* Leodio. Baudr. fuit Ambianorum caput. Hodie *Amiens*; urbs ampla, totiusque Picardiæ primaria, ad Somonam fluv. Episc. sub Arch. Remensi, cum arce permunita. Dicitur etiam *Ambiani*, & *Ambianum*. Vide ibi.

Sambana, Asiæ locus, Diodor. *lib.*17. Ptolemæus vocat *Sambatas*, prope Assyriæ. ...

Sambasti, Indiæ gens, quæ populi arbitrio regitur. Hos Janus Gebhardus, *Exercitationibus Politicis & Philologicis ad Qu. Curtium* credit, quos Curtius *lib.*19. *cap.*42. vocat *Sabracas*, circa Indum fluvium sitos & Arrianus *lib.*6. *Abastanos*, vicinos *Ossadiis*.

Sambasum, urbs Insulæ Borneo, in ejus parte Occid. cum portu, quamvis 30. m. p. distet ad ora littora.

Sambia, Peninsula Prussiæ Duc. Cujus Occ. & Bor. latera mari cincta, Zephyro & Borea vehementius spirantibus, succinum colligunt. In hac præclara urbs est Regiomons, Metel.

Sambicus, latro insignis, qui templum Dianæ expilavit in Elide.

Sambos, urbs Arabum: Cives *Sambi*, vel *Sambita*, Steph.

Sambra, fluv. Belgicæ secundæ, Notit. Imp. Rom. an idem qui *Sabis*, vel *Suba*, vulgò *la Sambre*: an potius Samara, vel Samina, *la Somme*, in Oceanum influens? *Sambre* verò, locus est ad mare, non procul à Montibus S. Angilberri, inter Witlantum, & Sangatam. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Sambracate, insula Arabiæ Fel. in orâ ad ortum maris Erythræi.

Sambracitanus sin. *Golfe de Grimaut*, Sinus est parvus maris Mediterr. in ora Provinciæ, prope Sambraciam seu Grimaldum opp. & Fanum S. Eutropii, *S. Tropez*; 3. leuc. à Foro-Julii in Mer.

Sambrateni, pop. circa Judæam, Plin. *lib.*6. *cap.*20.

Sambri, Æthiopiæ sub Ægypto opp. Plinius.

Sambroca, Hisp. Tarracon. fluv. Ptol. *Sambuca* Floriano. Hodie *Ter*, Brietio, fluv. Cataloniæ. Oritur in Pyrenæis montibus, in confin. Ceretanorum, dein prope Ausam & Gerundam labitur, & 6. leuc. infra, versus Emporias, in mare Mediterr. se exonerat, 12. leue. à Barcinone in Gæc.

Sambulos, montis nomen, in Asiâ uspiam, circa Mesopotamiam, religione Herculis insignis; qui Divus tempore stato per quietem monet sacerdotes, ut templum juxta equos venatui adornatos sistant. Equi, ubi pharetras telis onustas accepere, per saltus vagi nocte demum vacuis pharetris multo eum anhelitu redeunt. Rursus Deus quasi sylvas pererraverint, nocturno visu demonstrat: reperiunturque fusæ passim feræ, Tacit.12. 13.

Sambus, Brachmanum Rex, cujus regnum Alexandro Magno ingresso & octoginta millibus occisis, ipse eum triginta Elephantis in ulteriorem Indiam profugit eladeque elapsus est. Diod.17.616. Cæterum notat Janus Gebhardus, *Sambum* hunc esse Qu. Curtii *Samum*, *lib.*11. *cap.*44.

Sambus, Indiæ fluv. in Gangem influens, Arrianus. Item Arabiæ opp. Stephan.

Same, vide *Samos*.

Samellium, opp. Siciliæ, *Salemi*, vide *Semellitani*.

Sameni, pop. Nomadum, Stephan.

Samgar, filius Anath, Judex in Israël, Jud.3. Percussit ex Philistæis 600. stimulo boum, An. M. 2720.

Sami regnum, in India ponit Curt.9. 43. &c.

Samicum, urbs Tryphiliæ, Stephan.

Samina, Mediæ urbs ad mare Hyrc. Ptolem.

Samir, civitas in tribu Juda in montanis Ephraim, Jos. 15. Nomen viri, 1.Paral. 24.

Samius, insignis Eques Rom. quadringentis numorum millibus Suilio datis, & cognita prævaricatione, ferro in domo ejus occubuit, Tacit.11. 5.

Samnita vel *Amnita*, gens Galliæ, Straboni: qui in Oceano ait esse insulam parvam, objectam ostio Ligeris, quæ à Samnitum fœminis incolatur, nullos nisi extra insulam prolis gratiâ admittentibus viros. Ptolemæus sub Venetis ponit, Ligeri proximes. Dionysius Periegetes *Amnitas*, velut ab amne Ligeri vocat, aitq; *nesides*, seu insulas parvas plures esse, in quibus uxores Ἀμνιτῶν noctu rite Baccho sacrificent. Fuere forsan Namnetes inter & Venetos, circa Vicum S. Nazarii, Crociacum *le Croisic*, & Garandam, vel Grannonam *Guerande*. Nec ab ostiis Ligeris & à continente multum abest Insula Dunetana *le Dunet*, vico uno infessa, & modicæ magnitudinis, quam Samnitarum vel uxores vel fœminæ olim incoluerint. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Samnites, Italiæ pop. quorum regio *Samnium*, & *Samnis*, inter Latinum, Campaniam, Caracenos, Pelignos, Vestinos, & Sabinos continetur. Originem hujus gentis ostendit Cluverius *Ital. Ant. lib.*3. *cap.*8. ubi de Ausonum gente disserit: qui postea dicti fuere *Opici*, & *Osci*, ac tandem *Sabini* & *Sabelli*: quorum dein pars maxima *Samnites* vocati, Strab. *lib.*5. ... Varro *de L. L. lib.*6. *Hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt.* Gens bellicosa fuit & somme porens, teste Livio, *lib.*10. utpote cujus opes & vires creverunt in tantum, ut 80. M. peditum & 8. millia equitum armarent ad bellum. Sæpe gravissimis bellis fatigarunt Romanos, nonnunquam vicerunt, ut memorabilis illa ad Caudinas Furcas parta victoria testatur, quam Livius *lib.*9. commemorat, addens 50. annis eos planè subactos à Fabiis atq; Papyriis. Sylla eorum 4. millia, vel (ut alii) 6. millia in Circo maximo, vel (ut nonnulli) in Campo Martio ad Ovilia, militibus ad cædem immissis, tradidit jugulanda per 3. dies continuas, clamitans, Romanum populum nunquam habiturum pacem, quamdiu Samniticum superesset nomen. Equitibus sors belli pepercisset; sed eos proscriptione est insectatus. Scribit & Strabo, plerasque eorum urbes tempore Syllæ funditus eversas, inque vicos redactas. Apud Livium quoque Papyrii Cursoris, de iisdem reportatam victoriam, easque urbium ruinas legas, ut suâ ætate, inquit Florus, *Samnium in ipso Samnio requirerent*. De Samnitibus Horatius *lib.* 2. *epist.*2.

Cadimur, & totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Lucanus *lib.* 2.

—— Romanaq; Samnis
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas.

Samnites ab hastis, quas ferebant, dicti sunt apud Festum, hastæ enim à Græcis σαυνίαι dicuntur. Sanè Græci quoque eos Σαυνῖται vocant. Dionys. *vers.*357.

Σαυνῖται δ' ἐπὶ τοῖσι μέσην χθόνα ναιετάουσι,
Καὶ Μαρσῶν ἱερὰ φῦλα.

Baudrando Samnites propr. dicti erant, ubi postea Ducat. Beneventanus, & ubi nunc sunt pars Aprutii citerioris, Comitatus Molisinus ac partes Capitanatæ prov. Principatus ulter. & Terræ Laboris, ex Brietio. Eorum præcipua Urbs erat Beneventum.

Urbes Samnii, & Aprutii:

Æsernia. Vide *Esernia.*
Alliphæ, *Alifi*, Episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, nunc inter urbes Campaniæ.
Angolus, *Citta di S. Angelo*, Episcopalis, Pinnensi junctus.
* Anxanum, *Lanciano*, Archiepiscopalis, in Frentanis.
* Aquila, Episcopalis, ex Amiterno & Forconio urbibus destructis, sub Archiepiscopo Teatino, uti libera, *Aquila.*
Atria, *Atri*, Ducatus, Episcopalis cum Pinnensi.
* Beneventum, *Benevento*, Archiepiscopalis, ditionis Pontificiæ.
Bovianum, *Bojano*, Episcopalis, Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Beneventano.
Camplum, *Campli*, Episcopalis, Ortoni copulatus.
Ducalis urbs, *Citta Ducale*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Esernia, *Sergna*, Episcopalis, Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Capuano.
Guardia Alferia, Episcopalis, Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Beneventano, *Guardia Alferes.*
Interamna, *Teramo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino, quasi libera.
† Marsi, *Marçi*, Episcopalis urbs Latii sub Archiepiscopo Teatino, sedes Piscinæ.
Orton. uti libera, *Ortona*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Pinna, *Citta di Penna*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Sulmo, *Sulmona*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
* Teate, *Citta di Chieti*, Archiepiscopalis.
† Telesia, *Telese*, manet Episcopatus sub Archiepiscopo Beneventano, *sed urbs ipsa excisa est.*
Interiit Aquilonia, ut neque locus indicetur.

Samnium, urbs Britanniæ, Steph. Strabo *lib* 4. Ἐν δὲ τῷ Ὠκεανῷ φησιν εἶναι νῆσον μικρὰν, οὐ πάνυ πελαγίαν, προκειμένην τῆς ἐκβολῆς τοῦ Λίγηρος ποταμοῦ, οἰκεῖν δὲ ταύτην, τὰς τῶν Σαμνιτῶν γυναῖκας, Διονύσῳ κατεχομένας, καὶ ἱλασκομένας τὸν θεὸν τοῦτον τελεταῖς τε καὶ ἄλλαις ἱεροποιίαις ἐξιλεουμένας, &c. Ubi Casaubonus: Dionysius Periegetes unus est, ut puto, e veteribus, qui hujus rei meminerit. Sic enim ille:

Ἄγχι δὲ νησάων ἑτέρων πόρος, ἔνθα γυναῖκες
Ἀντιπέρην ἀγαυῶν Ἀμνιτάων
Ὀρνύμεναι τελέουσιν ἑὸν νόμον ἱερὰ Βάκχῳ.

Ad quem locum Eustath. Strabonis verba profert, & legit Ἀμνιτῶν, deficiente litera σ. ut in *Halmydessus*, pro *Salmydessus*, &c. Stephano urbs est Britanniæ decepto, opinor, propter locorum vicinitatem.

Samnonicus, vide *Serenus Samnonicus.*

Samochonitis, lacus min. in Trachonitide, quem primò Jordanes ingreditur.

Samogitia, Polonici regni regio ad mare Balticum. De quo vide Cromerum, & Munsterum. Baudrando in Lithuania latè sumpta, inter Curlandiam ad Boream, Lithuaniam propr. ad Ort. Prussiam Duc. ad Mer. & mare Baltic. ad Occ. Extenditur ad 35. leuc. Germ. ab Ortu in Occ. non æquè lata. Ejus Urbes præc. sunt Mednicha & Rossa, seu Rosiena. Divisa fuit aliàs in XII. Præfecturas, quæ reducuntur ad tria Gubernia præc.

Samojeda, prov. Moscoviæ Bor. versus ostia Obii fluv. ubi pop. *Samojeda.* Aliàs erat pars Tartariæ deser. nunc subest M. Moscoviæ Duc. Estque versus Oceanum Sept. & Tartaricum.

Samonium, Strabo. *Capo Salamon* Soph. promontor. Cretæ Or. à Coryco promontor. Occ. 240. m. pass. circiter, & 32. tantùm à Sitio in Ortum.

Samorna, & *Samornos*, Ephesus olim dicta, Steph.

Samos, *Samo* hodieque à fluv. insula maris Icarii, Joniæ adjacens contra Ephesum orb. *Parthenia* olim, à *Parthenio* fluv. teste Strabone, cui & *Anthemusa*, *Melamphylos*, *Dryusa* Aristoteli, *Cyparissia*, *Parthenoarusa*, & *Stephane* Plinio. *Imbrisos* Stephano, *Imbrasia* Hygino. Hic primùm vasa fictilia fabricata, teste Gellio *lib.* 7. unde Ausonius:

Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Horatius *lib.* 1. *Epist.* 11.

Roma laudetur Samos, & Chios, & Rhodos absens.

Populi *Samii*, qui gravissimo primò cum Ephesiis olim bello implicitì, pulsique insulâ, ægrè tandem in illam redierunt, dein cum Atheniensibus & Milesiis, quibus cùm illi, Duce Pericle, An. 313. U. C. 84. Olymp. auxilio venissent, Samios graviter afflixerunt; Verùm hi, Pericle discedente, animo recepto, quoscunque hostium ceperunt, illorum fronti inussere notam. Postea urbs à Pericle obsessa, & post 9. menses dedere se coacta est: Tum primus Arietis, Testudinis, aliorumque machinarum usus invaluit. Sed & alia gesserunt bella Samii, de quibus Historici veteres consulantur, Thucyd. &c. Ovidius *Metam.* 15. de Pythagorâ:

Vir fuit hic ortu Samius.

Plinio ibi urbs ejusdem nominis, patria Hierophylæ, seu Sibyllæ Samiæ, &c. Samios Plutarch. *in vitâ Periclis* valdè *literatos* esse tradit ex Aristophane. Sed Suidas ex Aristotele, Samios *literatos* vocat, hoc est, stigmate notatos; quòd deficientibus civibus coacti fuerint servos, notis stigmaticis insignitos, ad Reipubl. administrationem admittere. *Samiorum Flores*, erat locus apud Samum, teste Plutarcho, in quo Samii cum mulieribus omnibus voluptatis (præsertim libidinis) generibus operam dabant. In hâc insulâ Juno præcipue colebatur, cujus antiquissimum ibi templum. Simulachrum autem Deæ erat, tanquam nubentis. Hic enim & nata & educata & Jovi nupta dicitur. Unde & Sacra ejus anniversaria, nuptiarum ritu, ibi celebrata. Hoc postmodum Episcopale factum est, sub Metrop. Rhodiensi. Ovid. *Metam.* 8.

——— *Et jam Junonia lævâ*
Parte Samos fuerat. ———

Virgilius *Æneid.* 1. ubi de Carthagine:

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo.

Dionysius *vers.* 534.

Καὶ Σάμος ἱμερόεσσα, Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης.

Juvenalis *Satyr. ult.*

Et Samiâ genetrix quæ delectatur arenâ.

Ab hoc cultu Samiorum in Junonem ait Athenæus *lib.* 15. Ἐπεὶ τὸ ἱερὸν ὄρνεον τῆς Σαμίας Ἥρας ἐστί. Quæ avis, pavo nimirum, Junoni sacra. Samo ortus Chœrilus Poëta, qui 75. Olympiad. victoriam Atheniens. contra Xerxem versibus scripsit, pro singulis versibus singulos stateres aureos recipiens, quem tamen Horat. *lib. de Arte Poëtica* incultum appellat. Contra Callimachus Cyrenæus, qui sub Ptolem. Philad. regiæ bibliothecæ præfuit, Poëta delicatus fuit. Vide Propertium *lib.* 2. *Carm.* 29. & Ovid. 2. *Trist.* II. *Samos* altera, insula maris Ægæi Thraciæ adjacens, quæ *Samothrace* Ptolemæo & Pomponio, *Samothracia* Plinio dicitur. Virgilius:

Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

Ovidius:

Threiciam tetigit fessa carina Samon.

Est autem inter Lemnum, & Imbrum; *Dardania* olim, teste Plinio. Hodie *Samandrachi*, contra ostia Hebri. Vix 10. mill. ab ora littor. Thraciæ in Merid. 25. ab Imbro in Bor. uti 32. à Lemno. Baudrand. III. *Samos*, quæ & *Same* Straboni, *Teleboas* Paulan. *Melana* Plin. eadem cum Cephallenia, insula scil. in mari Jonio prope Zacynthum. Homerus:

Δουλιχίῳ τε Σάμῃ τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Ovidius *Epist.* 1.

Dulichiumque Sameque, & quos tulit alta Zacynthus.

Idem *lib.* 1. *Trist. eleg* 4.

Nec mihi Dulichium domus est Ithaceve Sameve.

Hic Samia, urbs aliàs florentissima, nunc vix vicus, hicque olim Labyrinthum fuisse dicunt. Hinc orti Pythagoras, Sybilla Samia & Polycrates fortunatissimus. Insulæ pars Sept. & Occid. montem habet celsissimum, qui olim *Cercetius*, cujus scopuli penè inaccessibiles. Denique *Samos* vicus Messeniæ, urbs Elidis, & Lyciæ civitas, Strabo. Nomen *Sami* quod attinet, prout hisce 3. insulis, itemque Elidis urbi commune est, merè Phœnicium est, inquit Bochartus. Nemo nescit, Hebraicè cœlos שמים *samaim* dici: Phœnices *samen*, vel *semin* efferebant. Hinc illis ζωφασημιν צופי שמים ὁ οὐρανοῦ κατόπται, & Σαμημρουμος שמים רום ὁ ὑψουράνιος. Ita ex Sanchoniathone Philo Byblius. Radix Arabicè שמא *sama*, *eminere*, & *excelsum esse* sonat. Unde factum, ut celsa loca *Sami* dicerentur, à Phœnicum illis, qui primi colonias in Græciam deduxerunt; Talis *Thracia Samos*, vel *Samothrace*; de qua Homerus:

Ὑψοῦ ἐπ' ἀκροτάτης κορυφῆς Σάμου ὑληέσσης
Θρηϊκίης. ——— ———

Neptunum fingit è summo vertice montium Samothraces, tanquam ex altissimâ speculâ, Trojanos & Græcos observasse. Nempe Samothrace, teste Plinio, *attollitur monte Saoce immensæ altitudinis, à quo & Saocis olim dicta est.* Hesychius: Σαωκίς, ἡ Σαμοθρᾴκη. Ὕστις ἐκαλεῖτο τὸ ὀχύρωμα. Priscianus *in Version. Dionys.*

Samothracia cernitur alta.

Hàc *Samus* Jonica nihilo fuit humilior, Strabo *lib.* 14. *Promontorium habet Samus, quod Ampelos dicitur, adversum Drepano Icariæ.* Eodemque nomine totus mons dicitur, ὁ ποιεῖ τὴν ὅλην νῆσον ὀρεινήν. Montem hunc Herodotus *in Thalia.* & Eustath. *in Dionys.* celsum esse scribunt εἰς ποταμὸν καὶ ὑψηλὸν ὄρος. Tertia etiam *Samos* prope Ithacam, ab Homero παιπαλόεσσα, id est, *prærupta* vocatur, quia montibus est inæqualis. Denique de *Samo* Elidis, ita Strabo *libr.* 8. Ἀρχαία πέτρα λοιπόν τῆς αὐτῆς ὄρος ὑπὲρ οὗ ἡ Σάμος ᾤκητο πόλις. Itaque ne quis nos putet meris conjecturis niti, idem Strabo agnoscit ab altitudine sic dictam, ἐκαλεῖτο σάμους ἐκάλουν τὰ ὕψη. Et Samothraciam Eustath. indidem appellari asserit: Σάμος γὰρ, inquit, φασὶ τὰ ὕψη. Ita etiam Constantinus Porphyrogeneta *Them.* 15. ubi de Samo Jonica: Σάμος ἀπὸ Ἀνδρέα καὶ Σαμίας τῆς Μαιάνδρου θυγατρὸς ὠνόμασται, ἢ διὰ τὸ ὑψηλὸν τῆς νήσου καὶ ἀνάντη.

ἀποκεκρυμμένον. Οἱ γὰρ παλαιοὶ Ἕλληνες σάμους τοὺς ὑψηλοὺς ἐκάλουν τόπους. Monstri verò instar est, quòd Samum narrant diu fuisse desertam, quia feræ *Neides*, vel *Neades* ibi stabulabantur, quarum barritu solum findebatur. Heraclides *de Politiis*, ubi de Rep. Samiorum: Σάμον τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐρήμην οὖσαν λέγεται κατέχειν πλῆθος θηρίων μεγάλην φωνὴν ἀφιέντων, ἐκαλοῦντο δὲ τὰ θηρία Νηίδες. Ælian. *de Animal.* 17. 28. Εὐφορίων δὲ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι λέγει τὴν Σάμον ἐν τοῖς παλαιοτάτοις τοῦ χρόνου ἐρήμην, γενέσθαι δὲ ἐν αὐτῇ θηρία μεγάλα, τὸ μὲν μέγιστα, ἄγρια δὲ καὶ προσπελάσαι δεινά, καλεῖσθαι δὲ μὲν Νηάδας, ἀπηχεῖν καὶ μόνῃ τῇ βοῇ ῥηγνύναι τὴν γῆν. Inde corrigendus Suidas, qui in voce Νηῒς sic habet: Καὶ ἐν Σάμῳ δὲ θηρία γενέσθαι φασίν, ἃ φθεγγόμενα ῥηγνύναι τὴν γῆν, ἐκαλοῦντο δὲ Νηΐα, ὡς ἐν Ταίων. Lege Νηΐδες, ὡς Εὐφορίων. Hinc ortum proverbium in usu apud Samios: μεῖζον βοᾷ τῶν Νηάδων. Vide Boch. *Geogr. p.* 508. ex quo præcedentia desumuntur.

Sames, op. magnæ Græciæ, apud oram Calabriæ ult. Lycophr. Steph. nunc *Crepacuore* Barrio, apud Locros, seu Hieracium Urb. inde 6. m. p. in Bor. ubi Pythagoras habitasse dicitur.

Samosata, Asiæ min. seu Syriæ urbs ad Euphratem, Commagenes metropolis admodum munita, Luciani blasphemi, tandem à canibus dilaniati, & Pauli Antiochi episcopi, blasphemi in Christum & hæretici, patria. Adeo Orthodoxis fuit addicta, ut Eusebio Episc. à Valente Imp. pulso, & Eunomio Ariano in ejus locum suffecto circa A.C. 368. nemo in cœtum ventitaret, imo nec cum eo eadem aquâ lavari voluerit, pilam quoque pueri ab asino Lucii successoris calcatam per ignem purgaverint, V. Theodoret. *lib.* 4. *cap.* 14.

Sameth, nomen viri. 1. Par. 11. Lat. *nomina*, *desolationes*, vel *perditiones*, sive *stupefactiones*.

Samothes gigas, qui & *Mesech*, Gomeri ac Tubalis frater, ipsiusque Japheti Filius sextogenitus, *Dis* à Julio Cæsare nuncupatus, Jani, hoc est Noachi, filius & primus Celtarum rex. Unde Galli Samothei dicti fuerunt, præcipue quidem eorum Philosophi atque Theologi. Multas leges edidit, quibus Celticas formabat gentes, docuit astrorum & syderum cursus, inferiorum rerum naturas varias, deditque suis populis literas Sagas, seu Phœnicias; à quibus postea suas eruerunt Græci. Colonias in Celticis terris posuit, anno post diluvium 143. in Britannia verò, 252. obiit verò, anno conditi mundi 1956. & ante Christi adventum, 2014. quum Celtis universaliter omnibus, 56. annis præfuisset, Britannis interim 47. Assyriis & Babyloniis imperante Nino. V. *Cæs. de B. G. lib.* 6. Dupleix, *Comment. Gall. lib.* 2. *cap.* 2.

Samothracia, quæ & *Samothrace*, ins. maris Ægæi, Thraciæ adjacens, eâ in parte quâ Hebrus in mare influit, à Lemno 22. m. p. in Ort. ab Imbro 32. in Occ. Olim *Dardania* dicta, à *Dardano* Trojano, qui Palladium secum ferens, eò traditur confugisse. Aristoteles de Rep. Samothraciæ scribens, ait eam olim *Leucosiam* dictam, deinde *Samum* (*m* literâ interpositâ) à *Sao* Mercurii & Rhenes filio. Attollitur monte Saoce 10. m. p. teste Plin. Gentile *Samothrax*, vel *Samothracius*. Fuit hæc insula religione ac templo nobilis, quod, unà cum Delphico, toto orbe sanctissimum habebatur: Cereris ibi Proserpinæque mysteria celebrabantur. Lege Strab. & Liv. *lib.* 45. Plutarchum *in Æmilio*, ac Diod. Sic. *lib.* 5. Hic annulorum genus inventum, qui, cùm ex ferro essent facti, auro cingebantur; vel planè aurei decolorabantur. Plin. 23. 1. Hinc *Ferrea Samothracia* Lucretio *lib.* 6. De his etiam Isidorus *l.* 19. *cap.* 5. Illustris Scaliger hos Samothracum annulos *in* 5. *Manilii*, notat ex eorum genere fuisse, quos Græci φυσικὰ καὶ φαρμακίτας δακτυλίους *&* ἀλεξιτηρίους appellarunt. De quibus Johannem Kirchmannum, si lubet, vide, erudito *de Annulis Comment. cap.* 21.

Samphe, urbs Phœniciæ. Steph.

Sampsa, vicus Arabiæ. Sig. autem *Sampsa* Arabicè *Solem*. Ita Stephanus. Nempe ab Ebræo *Shemesh*.

Sampsace, nomen loci; 1. Macc. 15.

Sampsai, nomen viri. 1. Esdras 4.

Sampsari, fil. Jeroham. 1. Par. 8.

Samsiceramus, unus è Phylarchis Arabum, cui fil. fuit Jamblichus Romani nominis studiosus, ut Cicero testatur *in Ep.* Porro Jamblicho huic filius alius ejusdem nominis fuit, & ipse Romanorum amicitiam servans, cui ab Augusto patrium regnum est restitutum. Vide Strab. *lib.* 10. Genti Emessenæ imperabant, & regus sedem Arethusæ habebant.

Sampsira, Ægypti urbs. Steph.

Sampson, Judex & Liberator Judæorum, ex tribu Dan, fil. Manoe cui per Angelum filii nativitas prædicta fuit; addito, ut illum velut Nazaræum educaret. Hic miro corporis robore est à Deo donatus; sed eâ lege, ut tamdiu robur, firmitatemque corporis retineret, quamdiu cæsariem. Itaque cùm Philistini innumeris ab eo cladibus afflicti, per mulierculam quandam, cujus amore tenebatur, perfecissent, ut ei capillus abraderetur, facilè ab eis comprehensus & excæcatus est: eam tamen ille injuriam postea suâ & hostium clade vindicavit. Nam cùm capillo renascente vires redeuntes dissimulasset, à principibus eorum in amplissimo quodam triclinio convivium agitantibus, ludibrii causâ, introductus, columnamq; quandam totas ædes fulcientem complexus, eam summis viribus concutiens, simul cum ædificio evertit; quâ ruinâ & ipse & inimici ejus omnes obruti sunt, uti legitur in libro Judicum, unà cum reliquis ejus gestis, *capp.* 13. 14. 15. 16. Obiit An. M. 2899. Josephus *lib.* 5. Γενόμενον τὸ παιδίον Σαμψῶνα καλοῦσιν· ἰσχυρὸν δ' ἀποσημαίνει τὸ ὄνομα. Idem: Θαυμάζειν δὲ ἄξιον τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἰσχύος, καὶ τοῦ περὶ τὴν τελευτὴν μεγαλόφρονος τὸν ἄνδρα. Καὶ τὸ μὲν ὑπὸ γυναικὸς ἁλῶναι, δεῖ τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων προσάπτειν.

Sampson, Presbyter Scotus, negavit Baptismi necessitatem, An. 748. & impositionem solam manuum Episcopi, à peccato Originali hominem liberare credidit. Item, Abbas Cordubensis, Sec 9. Coram Mauris Regibus fidem constanter confessus, pro Christianis apologiam scripsit. Ambrosius Morales, in Schol. ad *lib.* 1. *Memor. SS. Eulog.* Obiit An. 890. Baronius *in Annal.*

Samuel, Elcanæ filius ex Anna, judicavit populum Israel post Heli, anno mundi 2878. ante Christum natum 1048. Alii habent A. M. 2940. Hunc filium mater diu sterilis, precibus à Deo impetravit, quem etiam Deo obtulit. Arcam Dei sub eo reducunt Philisthini, quam tempore Heli ceperant: judicavit Samuel annos 11. juxta Hebræos, puta usque ad Saul, primum regem. Secundùm alios 20. Senex cum esset factus, constituerat filios suos Joelem & Abiam judices in Israel, qui cùm non ambularent in viis patris, sed declinarent ad avaritiam & munera, pervertentes judicium, majores natu Israel petierunt à Samuele regem, qui judicaret, more gentium cæterarum. Itaque Saul à Samuele eligitur in regem, præcipiente Domino. Obiit An. M. 2977. æt. 77. Regiminis 20. 1. Lib. Reg. *cap.* 1. 2. *&* 3. ad 9. usque *cap.* Joseph. *Lib. antiq.* 5. *cap.* 15. & sequent. Creditur Auctor libri Judicum, libri Ruthæ, & ex parte lib. 1. Regum. Torniel. Salian. &c. Lat. *positus à Deo*, aut *nomen ejus à Deo*. In *Samuelis libr.* 2. vel *partes*, extant: Ambrosii *in* 2. *libr. cap.* 11. 12. Angelomus. Antoninus. Archirota. Augustinus. Beda. Bonfrerius. Borrhaii *Comm.* fol. 1565. Basileæ. Brentius. Bugenhagii *Annotationes*, octav. Basil. 1524. Calvinus. Candidi *de infante Davidis*; Basil. 1608. Caulhini *Dissertationes*, fol. Parisiis 1650. Crommius. Drusii *in loca diffic. comment.* quart. 1618. Franekeræ. Ernberg. *Interpretatio cap.* 8 *lib.* . Franc. 1606. Eucherius. Filholii *Regum historia, carmine*. Gregorii M. *Expositio*. Gualtherus. de Hales. Helingii *Periocha*. Hieronymus. Hollii *Historia monom. Davidis & Goliathi*, Antv. 1582. Jansenius. Jansonius. Isidorus uterque. Lambertus. de Lapide. Lavateri *Homiliæ* 10 *de Nabale*. Tig. 1586. Leonharti Ὑπομνήματα. octav. Lipsiæ 1614. Malvenda. Martyr. Medrasch Schemuel, Hebr. Mendoza. Mœnius. Nezenii *Exercitationes*. Jenæ 1611. Origenis *Homiliæ*. Paulutius. Piscator. Procopius. Rabanus. Longolius. Rupertus. Sanctius, fol. Antverpiæ 1614. Serarius. Stephanus. Strigelii *Arg. & Scholia*. octav. Lips. 1586. Theodoreti *Quæstiones Sel.* Titelmannus. Tostatus. de S. Victore Hugo & Richardus. Welleri *Explicatio in lib. pr.* fol. Franc. 1585. Willeti *Harmonia*. fol. Cantabrigiæ, 1614. Wolfii *Sermones*. fol. 1589. Zanchii *Notationes & Quæst.* quart. Romæ 1553. &c. V. Crowæi *Elenchum*.

Samuel, Bulgarorum Princeps, vicit primò Basilium Imper. Constantinop. mox ab eodem victus & in extremam Bulgariam rejectus, cùm XV M. captivorum à victore excæcata, centenario solùm unoculo relicto, sicque in patriam remissa vidisset, animi mœrore contabuit, An. C. 1002. 1013. Vide Georg. Cedrenum *in Hist.* Zonar. *tom.* 1. *&c.*

Samuel, Judæus Marocensis, in Africa, Baptismo initiatus, scripsit popularibus suis Epistolam, de adventu Messiæ, in quâ duritiei & pertinaciæ illos convicit, A. C. 1070. Edita illa aliquoties.

Samula, mulier quæ vixit 110. annis. Plin. 7. 48.

Samunis, Albaniæ urbs. Ptol. *Samacha* Nigro. V. *Cyropolis*.

Samus, Lacedæmoniorum Navarchus, cum XXV. triremibus Cyro Jun. succurrere jussus.

Samydace, urbs Carmaniæ. Steph. *Guadel* ex tabb. recent.

Samylia, urbs Cariæ condita à Motylo, qui Helenam & Paridem hospitio suscepit. Steph.

Sana Casa, quibusd. est *Sargans*, opp. Sarunetum, in Rhætia propria; ad Rhenum, 2. leuc. infra Curiam in Bor. V. *Sarunetes*.

Sanagenses, Gall. Narb. pop. Plin. Fortè ubi Sanitium hodie. Vide ibi.

Sanais, Urbs Mediæ non obscura, inter Tabrenum ad Occ. & Europum ad Ort. Ptol. *Sena* vulgò.

Sanan, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Sanaos, Phrygiæ opp. Apolloniæ metropolis, teste Strabone; *lib.* 12. *Vanida* Ptolemæo.

Sanape, Amazonum regina, vide *Sinope*.

Sanari, Sarni, Asiaticæ gens. Ptol.

Sanballat, Samariæ præfectus, Alex. M. cum 8. millibus suorum se dedidit; ut sibi in monte Garizim templum ædificare liceret, quod & perfecit. Item nomen viri. 2. Esdr. 2.

Samborondon, Ins. V. *Canariæ Ins.*

Sancerra; Vide *Sacrum Cereris*.

Sanchoniathon, historicus, scriptor miræ antiquitatis. Si enim Porphyrio credimus, ἐπὶ Σεμιράμεως γέγονε τῆς Ἀσσυρίων βασιλίδος, de quo vide Vossium *de historicis Gr. lib.* 1. *cap.* 1. & Bochartum *de linguâ Phœniciâ & Punicâ*, *lib.* 2. *cap. ult.* Nomen Theodoretus ex Porphyrio, sic explicat, Σαγχωνιάθων ὁ κατὰ Φοινίκων διάλεκτον φιλαλήθης. Philoni dicitur fuisse, vir πολυμαθὴς, καὶ πολυπράγμων,

περίεργον, doctus & curiosus. Historiam autem contexuit, ut habetur in Porphyrio, ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν. Phœnicum sermone conscriptam Græcè reddidit Philo Byblius Adriano Imp. σύγχρονος.

Sanciacum vel *Sanctiacum*, vicus pagi Suessionici, patria Audoëni cognom. Dadonis, Dagoberti R. primùm Referendarii, deinde Rotomagensium Episcopi, quam hic Rotomag. Ecclesiæ S. Petri, postea S. Audoëni dictæ donavit. Vulgò *Sauci.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sancianum, Insf. Sinarum, in ora Cantoniæ prov. *Sancian* seu *Sanchoan.* Media inter Macaum in Cæc. & Aynani Inf. in Africum. Oblonga est.

Sancta petitum, castellum Latii, circa lacum Fucinum.

Sanctæ Crucis Sinus, pars maris Adr. versus oram Dalmatiæ, inter penins. Hillidis ad Ort. & Corcyram ac Melitam Inf. ad Occ.

Sanctæ Liberata, vicus Galliæ non obscurus, prope Aginnum: *S. Livade.*

Sanctarsenium, opp. Lucaniæ.

Sancti, qui in Ecclesia dicuntur, notum. Ad horum invocationem, disputatio in schola Origenis instituta, de quæstione: *An animæ etiam in altera vita sint solicitæ de salute nostra & pro fratribus orent?* ut & Potamienæ post mortem apparitio sec. 3. gradum struxit. Postmodum Basilio, Nysseno & Nazianzeno, longe aliud agentibus, dum in orationibus Panegyricis flosculis Rhetoricis, locutionibusque figuratis nimium indulgerent, sensim invehi illa sec. 4. cœpit, multum repugnantibus Augustino & Epiphanio, qui ne tantos læderet viros, hæresin illam in Collyridianis & Antidicomarianitis refutavit, clarè dicens: *Sit in honore Maria, Pater verò & Filius & Spiritus S. adoretur, Mariam nemo adoret.* Vide Matt. Chemnitium *part. 3. de Invoc. Sanct.* Epiphan. *c. Collyrid.* Primus tandem Petrus Fullo, Episc. Antiochenus, modò Orthodoxum, modò Eutychianum se gerens, miscendæ Sanctorum invocationis, inter publicas Ecclesiæ preces, auctor extitit, constituitque, ut in omni precatione Dei genetrix nominaretur, ac divi num ejus nomen invocaretur, sec. 5. Idem *part. 4.* Quis autem hic fuerit, V. in voce *Petrus Fullo.*

Sancti, opp. Germ. inf. ad Rheni sinistram, ol. *Trajana col.* Metel.

Sancti Ægidii villa, ad Rhodanum, *S. Gilles:* monasterio vet. insignis.

Sancti Caprasii, vulgò *S. Grapazi* & *S. Fidis*, vici duo Galliæ ad fluv. Duranium.

Sancti Carterii vicus Gall. proximus civitati Petrocoriorum, ad Ellam fl. vulgò *S. Chastier.*

Sancti Desiderii vicus Galliæ, prope urbem Cadurcos, à Desiderio Episc. Cadurcensi dictus: *S. Geri.*

Sancti Galli oppidum, V. *Sangallum.*

Sancti Gaudentii castrum, in Vasconia, memoratum Petro Monacho, *in hist. Albigensi*, vulgò dicitur *S. Gaudens*, fuitque oppidum Comitatûs olim Convenarum, postea domini Benearnensis, non procul ab oppido S. Getontii, *S. Girons* & ab oppido S. *Licerii S. Lezé*, al. *S. Leger.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sancti Laurentii fl. seu *Canada*, fl. amplissimus novæ Franciæ. Oritur ex Lacu S. Ludovici; dein auctus plurimis flu. ex lacubus tam ad dextram, quàm ad sinistram profluentibus, in Ort. tendens, novam Franciam bifariam secat; pauloque infra Montem Regium æstuarium efficit. Hic Quebecum, Tadussacum, aliasque Francorum colonias rigat, receptisque fl. quamplurimis, tandem post cursum 800. leuc. latissimo ostio in Sinum S. Laurentii se exonerat, prope AntiScotiam Inf.

Sancti Macarii castrum Galliæ, ad Garumnam, è regione Alingonis *Lengon*, vulgò *S. Macaire*, Vasconibus *S. Macari* dicitur. Blavia, Burgus, Liburnia, Castellio ad Duranium in Petrocoriis, Catiliacum, castella S. Æmiliani & *S. Macarii*, dominantibus in Gallia Anglis, dicebantur *filiæ civ. Burdigalæ:* cujus Major & Jurati, urgente bello, quosdam è suis his oppidis & castellis præficere solebant. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sancti Marcelli, vel potius *S. Martialis* castrum Galliæ, Galliaco ac Guespiæ castris proximum, vulgò *S. Marsau*, à S. Martiali Lemovicum Episcopo primo nomen accepit. Idem.

Sancti Nectarii castrum Galliæ, vulgò *Sennetterre*, in Arvernis, quibus S. *Nectoire*, pro *S. Nectaire* dicitur. Idem.

Sancti Pardulfi castrum, in Arvernis, *S. Pardoul* & *S. Perdoux.*

Sancti Pelagii opp. in Navarra infer. *S. Palai.*

Sancti Sidonii castrum Galliæ in Caletis, vulgò *S. Saëns*, olim non ignobile &c. V. Hadr. Valesium, qui plurima Galliæ loca Sanctorum Sanctarumque nominibus, ante aliquot secula, appellari cœpisse, prisc is abolitis refert, *Notit. Gall.*

Sanctio, urbs Suevicæ satis munita, una ex IV. urbibus sylvestr. sub Austriacis. 5. mill. Germ. à Basilea in Ort. Scaphusiam versus 7. versus Constantiam 15. in ipso limite Helvetiorum: *Seckingen*, fortè a Sequanis vicinis nomen accepit. V. *Sacconsum.*

Sanctio Pragmatica, V. *Pragmatica Sanctio.*

Legionis Reges.

Sanctius, Legionis & Asturiæ R. fratri Ordonno successit, An. 956. Cognom. Crassus, ob prodigiosam ejus pinguedinem, quæ ipsum ad omnia ineptum reddidit. Ab hac ut se liberaret, induciis cum Abderamo Cordubæ R. factis, huc venit, atque à Medicis sanatus est. Interea, subditi rebellione excitatâ, filium Alphonsi IV. Ordonnum ei surrogarunt, quem Sanctius pepulit, Maurosque devicit: dein rebellium quosdam coërcuit, ab antesignano eorum, cui vitam donaverat, veneno peremptus, pomo oblato, An. 967. Turquet. & Mariana *Hist. Hisp.*

Castellæ Reges.

Sanctius, Comes supremus Castellæ, successit Garciæ Fernando, An. 990. regnavit feliciter, usque ad an. 1028.

Sanctius I. Castellæ R. idem cum Sanctio III. Navarræ R. V. infra. Ei natus est

Sanctius II. qui regnavit an. 6. cum dimidio. Frater fuit Garciæ, Galliciæ R. Alphonsi Legionis R. & Dominæ Zomaræ: Horum primum throno deturbavit, alterum in Monasterium se recipere coegit, in obsidione Zamoræ occisus. An. 1072.

Sanctius III. fil. Alphonsi VIII. Boni, huic successit. An. 1157. regnavit annum unum.

Sanctius IV. fil. Alphonsi X. Legionis & Castellæ R. quòd patri bellum moveret, à Martino IV. excommunicatus. Duobus nepotibus suis, ex majore natu fratre Ferdinando, regno erepto, præfuit solus, An. 1284. dictus *Magnanimus.*

Navarræ Reges.

Sanctius I. cognom. Garcias, Navarræ R. Filius Garciæ Inigi, duas habuit uxores, ex Tuta, Garciæ successoris, pater, Ann. 905. quo genitus

Sanctius II. cognom. Abarcas, V. ibi.

Sanctius III. cognom. Magnus, successit patri Garciæ: Virtute & fortitudine inclytus; ductâ Nunnâ, filiâ primogenita Sanctii Garciæ Comitis Castellani, Castellam obtinuit, ex ea pater Garciæ, qui in Navarræ, Ferdinandi, qui in Castellæ; & Consalvi, qui in Sobrarbæ & Ripagorçæ regnis, Patri successere. Ramirus, filius ejus nothus, Arragoniæ Rex evasit. Sanctius hic, Hispaniarum Princeps appellatus, Beremundum Legionis R. de Castellæ regno sibi controversiam moventem, vicit, & parte regni exuit, quæ Ferdinando Sanctii filio, cui soror Beremundi nupsit, data est. His turbis compositis, Ovetum profecturus, privato habitu occisus est. An. 1034. Ex ejus filio Garcia IV. natus est

Sanctius IV. qui regnare incepit An. 1054. deturbatus, à consobrino suo Sanctio V.

Sanctius V. Ramiri I. Arragon. R. filius, An. 1074. Hic ultimus Arragoniæ R. genuit Petrum I. Arragoniæ & Navarræ R. cui fratres Alphonsus & Ramirus Monachus, successerunt. Occisus in obsidione Oscæ, An. 1094. Interim Garcias V. frater Sanctii IV. recuperavit Navarram, An. 1134. & in venatione equi lapsu mortuus, successorem habuit, Ann. 1150. Sanctium VI. seu sapientem.

Sanctius VI. variis cum vicinis bellis implicitus, Obiit Pompeiopoli, Ann. 1194. regni 43.

Sanctius VII. seu Fortis, filius ejus successit. Depositus, in carcere obiit, Ann. 1234. Berengaria, soror ejus, Richardo Cordi Leonis, Angliæ R. nupsit, nullâ ex ipso prole susceptâ: minor autem Blanca Theobaldo V. Comiti Campaniæ nupta, mater fuit Theobaldi V. Navarræ Regis, post avunculum Sanctium VII. Gabr. Chapusius, Andr. Favinus, Turquet. *in Histor. Navarr.* De Marca *Hist. Bearn.* Oihenartus, *not. utriusq. Vasconiæ.*

Lusitaniæ Reges.

Sanctius I. Lusitaniæ R. post Alphonsum I. Patrem, An. 1185. Ingenio & fortitudine inclytus, contra Reges vicinos Maurosque egregiè rem gessit. Obiit Ann. 1212. æt. 58. Ex Dulci, filia Raimundi Berengarii, Com. Barcinonensis, pater Alphonsi II. Ferdinandi, Flandriæ Comitis, ob uxorem filiam Balduini Imper. &c. Alphonsus II. autem genuit *Sanctium II.*

Sanctius II. Rex animo planè abjecto, cujus contra Uxor Cantabri cujusdam Magnatis filia, altissimos gerebat spiritus. De quo conquesti subditi, Alphonsum Sanctii fratrem, qui in Gallia Mathildem Bononiensem duxerat, ad clavum regni vocarunt. Hujus posteri successerunt; Sanctius autem obiit Toleti, Ann. 1248. æt. 45.

Sanctus, Vide *Claudius.*

Sancus, Deus Sabinorum. Dionys. Halicarn. *lib. 2.* Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου. Τοῦτον δέ τὸν Σάγκον ὑπό τινων Πίστιον καλεῖσθαι Δία. Sil. Italicus *lib.* 8. ubi de Sabinis,

—— *Pars Sancum voce canebant*
Auctorem gentis: —— ——

Idem Dionysius *lib.* 4. Ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκον καλοῦσι. Vide Varron. *de L. L. lib.* 4. In Quirinali colle ponitur ab Ovidio ædes Dii Fidii sive Sanci. Sic enim ille *Fast. lib. 6.*

Quærebam; Nonas Sanco, Fidione referrem,
An tibi Semo pater. Tunc mihi Sancus ait:
Cuicunq; ex istis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero; sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini;
Inq; Quirinali constituere jugo.

Sanctus dicitur Propertio *lib. 4. eleg.* 10. sc. à *sanciendo.*

Sancte pater salve; cui jam favet aspera Juno:
Sancte velis libro dexter inesse meo.
Hunc quoniam manibus purgatum sanxerat Orbem,
Sic Sanctum Tatia composuere Cures.

Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.2. cap.*8. ubi de Sabinorum nomine, genere, ac finibus agit.

Sandabala, Indiæ fluv. Ptol.

Sandalion, parva reg. Pisidiæ. Steph.

Sandaliotis, Vide *Sardinia*.

Sandalium, Inf. parva maris Ægæi, apud Lesb. & regio Pisidiæ, in Asia. Strabo, Steph.

Sandalium, munitissimum castrum quondam ab Alexandro Magno, Macedonum rege, cùm Tyrum oppugnaret, in Isthmo & littore maris, juxta limpidum & salubrem fontem, ædificatum. Situm verò est in agro peramœno, fontibusq; ac rivulis irriguo, frumento, pascuis, ficetis, olivetis, omnisque generis fructibus florenti. A castro Lamberti & monte Saron versus Aquilonem, tribus, à Puteo autem aquarum viventium versus Austrum, pauló amplius quàm uno milliari distans. Est in tribu Aser.

Sandanis, Lydus, Crœso suadere conatus est, ne Persis bellum inferret. Herodot. *lib.* 1.

Sandanus, Thraciæ fluv. circa Pallenen. Plut.

Sandaraca, Bithyniæ portus ad Euxinum Pont. Strab.

Sandaracurgium, mons Paphlagoniæ, apud Pompejop. Strab.

Sandava, Daciæ urbs. Ptol. *Segesvvar*, in Transylv. ad Cochelum fluv. *Soczovva* quibusd. urbs ampla, Moldaviæ caput, ad Naparim fl. 10. leuc. à Corona in Ort. prope Carpathum montem.

Sandecum, & *Sandecia*, urbs Poloniæ sup. ad Dunaicum fluv. in Palatinatu Cracoviæ, versus montes. 10. leuc. à Cracovia in Mer. 8. à Vielisccæ salisfodinis; estque Hungariæ & Carpathiis montibus vicina, probè munita caputque territorii vicini.

Sanderus Johannes, Gandavensis, Medicus Caroli V. Scripsit quædam. Sec. præt. Nepos ejus Antonius prosà versuque plurima edidit, *Flandriam illustratam: Elogia Cardinalium: de Claris Antoniis: Hagiologium Flandriæ: De Scriptoribus Flandriæ: de Gandavo, &c.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

Sanderus Nicolaus, Anglus, Jus Canonicum docuit Oxonii: dein purioris religionis odio patriâ excedens, Romam pervenit, Hosiumque Cardin. ad Concil. Trident. num missum, secutus est. Eundem in Poloniam comitatus, postea Lovanii, edidit *de visibili Monarchia Ecclesiæ*, libb. 8. Romam exin à Pio V. vocatus, sub Gregorio XIII. Nuntius in Hispaniam & Hiberniam iit, ubi mortuus est. Scripsit quoque, *de Schismate Anglicano, de Ecclesia Christi, &c.* Pitseus, ejus ex sorore nepos, *de illis Angl. scr. p.* 773. *& seqq.*

Sandes, Ζάνδης Persis Hercules, teste Symmacho, forte a Syriaco סנד *sanad*, h. e. *juvire.*

Sando, urbs Italiæ. Gent. *Sandonius.* Steph.

Sandomiria, urbs Poloniæ sup. ad Vistulam, ubi Sanum fl. recipit. Caput Palatinatus cognom. 28. leuc. Pol. infra Cracoviam in Ort. 32. supra Varsaviam in Mer. In colle, cum arce munita. Capta fuit à Suecis An. 1655. sed recepta Anno seq.

Sandrizetes, pop. Pannoniæ sup. quorum urbs *Saint Andres* ad Dravum fluv. Sed hæc in Norico & Carinthia est. *V. Solva & Lavantum.*

Sandvicum, portus Angl. merid. cum opp. cognom. in Cantio, 9. mill. Angl. à Cantuaria in Ort. 9. à Dubris in Bor. prope Tanatos Inf. in ora Oceani Germ.

Sandum, urbs Japoniæ, in Inf. cognom. in ora Bot. Niphoniæ Inf. prope Quantoam regionem.

Sane, urbs Thraciæ inter Athon & Pallenen. Steph.

Sanea, urbs Indiæ. Steph.

Sanegaunum, vulgò *Sargans*, opp. Helvetiæ; caput Sarunetum seu Sanagensium, cum arce. Proprium habet consilium, & Scultetum: quem tamen 7. Helvetiorum pagi, qui præfecturæ obtinent imperium, constituunt. Verùm inferior tantùm ad hos jurisdictio spectat; supremum autem judicium rerum criminalium & capitalium Sanegauni habetur: cui præsidet plerunque Ammanus regionis. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.* & infra in voce *Sarunetes.*

Sanfleta, urbec. munita Brabantiæ, ad Scaldim, infra Lilloam, sub Hisp. media fere inter Antverpiam ad Mer. & Bergam ad Zomam ad Bor. 3. leuc. distans.

Sanga, fluv. Cantabrorum in Hisp. citeriori. Plin. 4. 20. Est etiam servi nomen apud Terentium *in Eunucho.*

Sangada, reg. circa Indi fl. partes inferiores.

Sangala, Indiæ in Cathæis opidum munitissimum, circa Indi fluminis partem superiorem, Arrianus *lib.* 5. *Sagala* est Ptolomæo. *Salgala*, habet vitiosè Polyænus *lib.*4. *in Alexandro com.*30.

Sangallensis ditio, sub Abbate S. Galli, Principum munificentiâ satis ampla est. De S. Gallo, à quo nomen tum oppido, de quo infra, tum cœnobio & Abbati, de quo hîc, retro actum. Ille è Scotia oriundus, in Galliam cum Columbano Abbate, cujus discipulus erat, profectus, inde in Germaniam venit, cellamque circa An. C. 630. eo loci condidit, ubi hodie cœnobium & oppidum ei cognomine visitur. Post ejus obitum, Francorum Reges & Duces Alemanniæ discipulorum illius pietate delectati, quum muneribus eos multis affecissent, namque jam tum Sigebertus Franciæ Rex, filius Dagoberti, totum illum terræ tractum, quem hodie ditionem Abbatiscellanam vocamus, illis donavit: crevit fratrum numerus, & cellà in cœnobium versa est. Primus his Abbas contigit Ottomarus, circa An. C. 710. ex sententia Pipini, filii Caroli Martelli, Francorum Principis: quo tempore D. Benedicti regulam fratres profiteri cœperunt. Post hæc Cœnobium opibus & potentiâ in tantum crevit, ut hujus loci Abbas inter Imperii Principes hodie numeretur: primo titulum hunc sibi vindicante Abbate Conrado, qui electus fuit An. C. 1226. Unde jam in Norgerum, qui 973. Abbas creatus est, ab Ekhardo illud Ciceronis adaptatum:

O fortunatam Galli, me Consule, cellam.

Fuit antiquitus sub tutela Impp. Rom. qui Cœnobio advocatos ex nobilibus harum regionum, quæ Alemanniæ nomine censebantur, dedere. Verùm varias ob causas, bello imprimis inter Abbatem & Abbatiscellanos exorto, cùm cives oppidi & ex clientibus Abbatis plerique his faverent, Caspar Landenbergius Abbas ordine 52. petiit à quatuor Pagis Helvetiæ Tiguro, Lucerna, Suitia & Glarona, se cum suis jure civitatis donari, eosque Cœnobii Advocatos defensoresque suæ libertatis constituit; An. C. 1451. Postea successor hujus Ulricus, quòd cives oppidi & Abbatiscellani cum subditis suis conspirantes, Rosaci cœnobium destruxissent, arctius iis se junxit, cœnobiumque empto Comitatu Toggiensi, An. C. 1469. auxit. A quo tempore durat usque ad nostram ætatem societas, & quamvis non omnes Pagi eandem cum Abbate profiteantur religionem, mittunt tamen ex fœdere Capitaneum, virum senatorii ordinis, qui biennio cum Abbate manens, civilium rerum administrationi interest, & in his rebus privilegia & jura Monasterii tuetur. V. Simlerum *de Rep. Helv.* Stumpf. *descr. Turgea, lib* 5. *&c.*

Sangallum, opp. pulchrum, opulentum, & populosum, in superiori Turgea, duos inter montes situm, versus Ortum & Occasum patentes campos, versus Meridiem Alpes habet Abbatiscellanas: ab una parte *Sitter*, ab altera *Goldaich* fluvii decurrunt, inter quos manans Petrosa, vulgò *Steinaich*, urbis molas trudit, indeque latius evagata Lacu Constantiensi excipitur. Cœpit oppidum unà cum cœnobio, breviq; ob situs commoditatem frequentatum, negotiatione, byssi imprimis, supra alias caput extulit. Sed Arnolpho imperante, ab Hungaris vastatum, postea mœnibus cingi turribusque muniri cœpit, An. C. 954. quod opus ad umbilicum perductum est, An. C. 980. sub Abbate Norgero, de quo supra. Exin cum monasterio sub tutela Imperii fuit, in multis quidem Abbati obnoxium, sic tamen ut interim sua quoque jura cives haberent, quæ Imperatorum, quibus fidam præstiterunt operam, beneficio & propriâ industriâ subinde auxere. Abbatis postea Mangoldi tempore binis nundinis dotata urbs, A. C. 1117. Obsidione cincta est à Wernero Episc. Constantiensi, postquam Ulricum Abbatem prælio devicit, An. C. 1208. Immunitatibus dein amplissimis donata est à Friderico II. Imp. & consentiente Abbate, Imperio unita. Incendio horribili arsit Ann. Ch. 1215. Privilegia porro accepit à Rodolfo I. Imp. An. C. 1281. variisque oneribus levata est ab ipso Abbate Wilhelmo, An. C. 1291. Sequente anno insidias Ramschwangiorum feliciter exiit. Interea aucto civium numero, & crescentibus etiam Cœnobii opibus, sæpius utrinque litigatum, pacem modò vicinis urbibus, modò Impp. conciliantibus. Multoties quoque pecuniâ Abbatibus satisfactum, & libertas Urbis juribus illorum emtis aucta est. Verùm cùm Abbatiscellani bellum Cunoni Abbati movissent, cives, qui pro Abbate initio pugnaverant non absque clade, postea victoribus fœdere sese conjunxerunt: An. C. 1402. postquam jam An. C. 1312. cum Tigurinis, Constantiensibus & Scaphusianis; aliisque aliis temporibus, sæpius fœdus ferissent. Finito hoc bello; cùm aliquot annis pòst Landebergius Abbas jus civitatis à quatuor Pagis impetrasset, cives oppidi cùm 6. Pagis, Tiguro; Berna; Lucerna, Suitia, Tugio & Glarona perpetuo fœdere coierunt; A. C. 1454. Obsessa urbs ab Helvetiis An. C. 1490. dein proscripta A. C. 1497. ab Imperatore, utrumque discrimen, datâ pecuniâ avertit. Anabaptisticis furoribus turbata An. C. 1525. mox cœlitus levamen sensit, & ad Reformationem via strata est. Anno enim eodem Monachus quidam Augustinianus Petrus Keesius, varia hactenus recepta Pontificum dogmata in dubium cœpit vocare: sequente anno 1526. inter Pastores oppidi & Abbatis Concionatorem Doct. Wendelinum, disputatio ferbuit: An. C. 1527. Sacerdotes honestum Conjugium turpi Concubinatui præferre inceperunt: An. Ch. 1528. imagines abolitæ; & 46. plaustris impositæ atque extra urbem igni consumptæ sunt, cœtero templorum apparatu in pauperum solatium converso; sicque Evangelii doctrina ab omnibus recepta est, An. C. 1529. Divisa in Nobilium societatem, quam Nottensteyniam vocant & sex præterea tribus civitas, Democraticè regitur. Felicissimorum ingeniorum mater, inter alios protulit Schurffios, Martios, Wirtios, Varnbüleros, & qui inter reliquos, velut inter ignes Luna minores, emicat, Joachimum Vadianum Medicum, Poëtam & Geographum excellentem, Viennensis Academiæ aliquando Rectorem, postea patriæ Consulem, & Reformationis ibidem insigne organum. Plura V. apud Stumpf. *de Turgea lib.*5. Simlerum *de Rep. Helv.* Lætum *Comp. &c.*

Sanga-

Salonina, Alieni Cæcinæ, Vitelliani Ducis, uxor. Tac. *Hist.* 2. 10.

Saloninus, Asinii Pollionis, Germanici exercitûs ductoris, filius, qui cùm post captas Salonas, primò lauream, pòst etiam Consulatum adeptus fuisset, eodem anno suscepit filium, quem à Salonâ captâ Saloninum vocavit, quem constat natum statim risisse, quod parentibus omen infelicitatis fuit, vixit enim perparum, Servius.

Saloninus Publius Licinius Cornelius Valerianus, filius Galieni Imper. factus Cæsar, cum Albino, Ephoro suo, in Galliam missus est. Sed Posthumius recens contra Gothos victor, Colonienses ut sibi hunc traderent coëgit, illumque sustulit. Frater ejus Julius *Saloninus* Gallienus, Cæsar creatus: Mater *Salonia* fuit. Trebellius Pollio, Aur. Victor. Oros. &c.

Saloninus, vide *Asinius Gallus*.

Salonius, Episc. an Viennensis, an Genevensis? floruit An. 452. Scripsit explicationem mysticam Proverb. & Ecclesiastæ: sub formâ dialogi inter se fratremq; Veranum, Episc. Vinciensem. Vide Salvian. *Epist. ad S. Eucher.* Episc. Lugd. horum patrem. Gennad. *cap.* 63. & 67. Sixt. Sen. *Bibl. S.* Vinc. Barral. *in Chron. Lirinensi, &c.*

Salonius, vide *Sagittarius*.

Salopia, vulgò *Shrevvsbury*, urbs Albionis ad Sabrinam fluv. in Angliæ & Walliæ confin. inter Cestriam & Herefordiam. Caput prov. cognom. inter Cestriam ad Bor. Staffordiam ad Ort. Herefordiam ad Mer. & Mongomeriensem Com. ad Occ. sitæ.

Salpa palus, Lycophr. *Salpinia* Vibio Sequestri, *Salapina* Lucano, lacus Apuliæ Dauniæ, apud Salapiam Urb. Vide ibi.

Salphaad, filius Hepher, 1. Paral. 7. Latinè, *umbra*, sive *tinnitus formidinis*, vel *assationis*, aut *submersionis formido*.

Salpina, & *Salpia*. Vide *Salapia*.

Salpis, colonia & opp. fuit Hetruriæ. Cujus pop. *Salpinates* Liv. Volsiniis finitimi.

Salra, vulgò *Solre*, pag. dit. Leod. ad Sabim fluv.

Salseta, Ins. parva, in ora littor. peninsul. cis Gangem, ad ostia Mandovæ fl. in ora reg. Decani, prope Goam urb. probè exculta à Lusit.

Salsubium, opp. Gall. Tog. in Romandiolâ. *Castro Caro* Blondo. Nunc castrum, sub M. Hetruriæ D. juxta Fagnonem amnem, 2. mill. supra civ. Solis, 6. supra Forum Livii in Mer. 4. à Meldula in Occ. in ipso limite dit. Pontif.

Salsula, opp. seu potius arx Gall. Narbon. in orâ juxta stagnum Salsularum, *l'Estang de Locate*, in colle, in Comit. Ruscinonensi, in limite Occitaniæ, aliàs ab Hisp. excitata, contra Leucatem arcem Gallorum proximam. Sed à Francis capta An. 1640. postea ipsis pace Pyren. mansit, 4. leue. à Perpiniano, uti 7. ab Helena in Bor. 2. ab ora maris Medit. in Occ. Melæ quoque est fons ejusdem reg. *Fonte de Salsas*, prope Leucatam litus, salsioribus quàm marinæ sint aquæ defluens, Gall. *Sausses*, unde *Salsulu* opp. nomen. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* In campo juxta *Salsulas*, stagno subeunte suspenso, piscem penitus erui, & per foramina ictu captantium interfectum extrahi vett. prodiderunt. Idem.

Salsum, fluv. Hispan. Bæt. Hirtius. *Guadajos* Clusio. *Salobral* autem Vigenereo.

Salsus Sinus, idem cum Sinu Gallico.

Saltia, pop. juxta Pont. Euxinum, qui & *Pthirophagi*.

Saltiga, opp. Hispan. Tarrac. in Bastetanis, Bigerræ urbi fin itimum, Ptol. *Suorniglia* Moletio.

Saltuares, insulæ parvæ in Nymphæo fluv. Latii sunt, quæ ad ictus salta[nt]ium moventur, Plin. *lib.* 2. 95.

Saltus, vulgò *Conte de Sault*, Comit. amplus Gall. Narbon. in Delphinatus & Provinciæ confin. Avenionensi Comitatui finitimus. Cujus caput Saltus, *Saut*, castrum, in limite Delphinatus & Comit. Vindaxini, 5. leuc. à Carpentoracte in Ort. 4. ab Apta Julia in Bor.

Saltus Castulonensis, mons Hispan. Tarrac. in Bæticæ confin. *Puerto Muradal* hodie: pars est montis Mariani, inter Castellam novam & Vandalitiam, ad fontes fl. *Guadarrizaz*, prope montem *Navas de Tolosa*, qui etiam pars est montis Mariani, juxta castrum *Duenas*. Vix 2. leuc. à Tolosa in Ort. 13. à fontibus Anæ in Merid. Ibi Mauri maximâ clade ab Hisp. affecti, cæsis eorum ferè 100000. Ibi transitus è Castella in Vandalitiam; Cui adjacet alter transitus minor, *Puerto del Ré*, in eodem saltu.

Saltus Domini, mons altus, unde videtur mons Tabor & Hermon, civitas Endor, Naim & Jesreel, atq; tota ferè planicies campi magni Esdrelon: in montem hunc tradunt transiisse Dominum, quum eum Judæi volebant præcipitare, & subitò ad tactum vestis ipsius saxum subterfugisse, ac instar ceræ liquatum ac resolutum quendam effecisse sinum, quo corpus Dominicum muniretur & reciperetur, tantæ ubique capacitatis, quantæ ipsum corpus Domini extitit quantitatis.

Saltus Ephraim, campus in tribu Gad, cui sylva à tergo.

Saltus Galliani, pagus Æmiliæ apud Meldulam, hodie *Galeata*.

Saltus Pyrenæus, vide *Pyrenæus mons*.

Saltus Tugensis, Plin. Vide *Argenteus mons*.

Saltza, fluv. Bavariæ infer. *Saltzach*. Oritur in limite Comit. Tirolensis; dein per Salisburg. dit. fluens, ipsamq; bifariam secans, Salisburg. rigat, pauloq; infra Burchusiam in Oenum se exonerat.

Saltzburgum, Latinis *Juvania*, à *juvando* dicta. Nam Germanos Jul. Cæsar aggressus, in faucibus montium arcem munitissimam extrui curavit, ut milites in eâ refugium, & satellites juvamen haberent. Inde castrum *Juvanense*, Germanicè *Helffenberch* appellatum est. Vide *Salisburgum*.

Salu, pater Zamri illius, qui cum Madianitide occisus est, Num. 25.

Salva, Pannoniæ infer. urbs Ptolem. *Scalmar* Lazio, duobus à Budâ milliaribus, Austriam versus.

Salva Terra, castellum Galliæ, ad Garumnam, non procul à [Mas]so Aginnensium *le Mas d'Agennois*, vulgò *Sauve terre.* Item vicus in Rutenis *Salveterre.* Item castrum pagi Benearnensis, inter Navarrentium & Bastitam, incolis *Salvatierre* Nomen his locis, quòd essent castra munita & vicinos quoq; salvos præstarent. Sic Vascones & Gothi quemlibet locum, cujus munimentis à vi externa servari poterant, *Salvitatem* nuncupavere, *la Sauvetat*: Galli cis Ligerim Firmitatem *la Ferté*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

S. Salvator de monte Regio, Ordo milit. in Hisp. ab Alphonso VII. Aragoniæ & Castellæ Reg. An. 1120. institutus. Hic cùm urbem Monte-Regium, contra Valentiæ Mauros, extruxisset, Templarios ibi præsidio esse jussit, quibus Concil. Viennensi, An. 1311. exturpatis, illorum in locum, equites ex Illustrissimis in Aragonia familiis, substituit. Hic Ordo dein, Mauris destructis, abolitus est. Mariana, *Hist. Hisp.* Zurita *in Ind.* Canonici *S. Salvatoris*, dicti vulgò *Scopetini*, in Italia, fundatorem habent, Stephanum Monachum Ord. S. Augustini, An. 1408. Vide Morer. *Diction. Hist.*

Saluc, Libyæ inter. opp. Ptolem.

Salvia, mater Apuleji. Item opp. Triacensium in 5. Italiæ regione, Ptol. *Alia* Leandro.

Salvia Urbs, seu *Urbs Salvia*, *Urbisaglia*, castr. Piceni, sub Pontif. 6. mill. à Tolentino in Ort. Tignium versus 15. Magino teste.

Salvianus, Episc. Massiliensis, an presbyter? maritus Placidiæ, filiæ Hypatii ex Quieta, floruit sec. 5. Treviri oriundus, postquam in Provinciam se recepisset, Presbyter Massiliæ evasit: divinarum & humanarum literarum scientissimus, Præceptor Salonii & Veranii, Episcoporum. Vixit adhuc, An. 496. Scripsit libb. 7. de Providentia Dei, & libb. 4. de Ecclesia Catholica: qui cum aliquot epist. ejus sæpius prodierunt. Gennad. *in Cat. Vir. Ill.* Hilar. Arelat. *Serm. de S. Honor.* Eucher. *ep. ad Salon.* Ado Vienn. *in Chron.* Trithem. &c.

Salvianus Calpurnius, sub Tiberio Corn. Cosso, Asinio Agrippa Coss. in exilium missus, quòd Drusum præfectum urbis, auspicandi gratiâ tribunal ingressum, adierit accusatum S. Marium. Tac. 4. 36.

Salvii, vide *Sallyes*.

Salvius, unus è librariis T. Pomponii Attici, quorum meminit Cicero *lib.* 13. *Epist.* 44.

Salvius Coccejanus, Titiani filius, Othonis Cæsaris ex fratre nepos. Tac. *Hist.* 2. 48. à Domitiano interfectus, Sueton. cap. 10.

Salvius Fusius, inter eximii roboris viros recensetur à Plin. 7. 20.

M. Salvius Julianus, J. C. nobilissimus temporibus Commodi Cæsaris. Alii habent, sub Adriano & Antonino Pio. Sæpius Consul, magni apud omnes nominis fuit. Varia scripsit, quorum elogium habes, in Institut. Justiniani: inprimis Edictum perpetuum, archetypon Pandectarum. Mediolan. autem fuit, pater an avus Didii Juliani? qui dein Imperator evasit. Spartian. *in Did. Jul. cap.* 1. & *in Adr.* Forster. *in vita Jurisc.*

Salvius Valens, J C. alius, sub Antonino Pio, Jul. Capitolin. *in vita Antonini cap.* 12.

Salumias, vicus in octavo lapide, à Scythopoli in campo, in tribu Issachar, Hieron. *in L. H.*

Salur, Indiæ intra Gangem emporium, Ptolem.

Salus, Dea credita. Fingebatur in solio sedens, cum patera, penès quam ara: cui anguis involutus, caput attollens, unde *Salutaris porta* Romæ appellata, ab hujus Deæ æde, quæ proxima fuit.

Salusa, filius Soph, 1. Par. 7. Lat. *trinus*, *principalis*, vel *dux*.

Salustius, Præt. Præfect. in Christianos lævus, circa An. Ch. 363. Rufin. *lib* 1. *cap.* 36. Theodor. 3. 15.

Salutaria, Syriæ, aut Euphratensis urbs. Lib. Notit.

Salutaris, vocatur pars Macedoniæ, Phrygiæ, Palæstinæ, Syriæ, & Galatiæ. Lib. Notit.

Salutiarum Marchionatus, prov. est Pedemontii, ad rad. Alpium, A. 1600. concessa Sabaudiæ Duci ab Henr. IV. Gall. R. loco Bressiæ, cum Bugesia, Gesia & Verromæa regionc. cis Rhodanum. Inter Pedemontium ad Bor. & Ort. Delphinatum ad Occ. & Comitat. Niceæ ad Mer. Ejus Caput est Salutiæ, olim *Augusta Vagiennorum*, sita in colle, cum arce egregia & templo magnificentissimo. Sed pendet etiam ex ea Carmaniola, in Pedem. inserta. Vide *Salina*.

Salutio, vide *Salatio*.

Salvus Cassetta, Dominicanorum Generalis, An. 1481. A Papa Sixto IV. in Germaniam missus, Alberti M. sepulchrum aperuit. Panormo Siculus, Obiit An. 1483. Scripsit vitam Vinc. Ferrerii, &c. Leand. Alb. *de Vir. Ill. Ord Præd.* Anton. Sen. &c.

Salyes, pop. Occid. qui contra Romanos bellum gesserunt, Steph. Falsò, cùm sint Gallor. maximè meridiani, Vales. V. quoq; *Sallyes*.

Sama, filius Jechoniæ, 1. Paral. 3

Sama, civitas in tribu Juda, Jos. 15. Nomen viri, 1. Par. 8. Latinè, *audiens*, vel *obediens*.

Samaa, frater David, 2. Reg. 22. Fil. Merari, 1. Par. 6. Lat. Idem.

Samaa, filius Macelloth, 1. Par. 8. Latinè, *nominatus*, vel *appositus*, aut *perditio*, vel *desolatio*.

Samad, filius Elphaal, 1. Paral. 8.

Samaia,

Samaia, pater Semri, 1.Par. 4. Filius Joël, 1.Par.5. Vir Gabaonites, 1.Paral.12.

Samamycii, pop. juxta Syrtim magnam, Ptol.

Samana, Insula una ex Lucajis, in mari Bor. inter Insulas S. Salvatoris ad Bor. & Majagnanam ad Mer. Ab Anglis habitata.

Samaoth, nomen viri, 1. Paral.27.

Samara, promunt. in Oceano Orientali, ubi desinit Caucasus.

Samarabria, gentes circa Indum, Plin.6. 20.

Samaraim, Civitas in tribu Benjamin, Jos.18.

Samardacus, homo ridiculus. Chrysostomus *ad Ephes. Hom.* 18. Οὐχ ὁρᾶς τοὺς λογγιμῶρας γελωτοποιὺς, σαμαρδάκυς; οὗτοι εἰσὶν εὐτράπελοι. Vide Martinium.

Samaraeus, fil. Chanaan, Gen.10. Vide Bochart. *Phaleg. p.*347.

Samaria, nomen viri, 1.Paral. 12.

Samaria, reg. Palæstinæ inter Judæam ad Merid. & Galilæam ad Sept. Tribus Ephraim & Manasse cis Jordanem complexa, cum urbe ejusdem nominis, pulcherrimâ & munitissimâ, ac post Thersam Regum Israël sede. Steph. Σαμάρεια, πόλις Ἰουδαίας, ἡ μεθωνομασθεῖσα Νεάπολις· καὶ Ἐπαφρόδιτος μετὰ τὸ ἐθνικὸν αὐτῆς Σαμαρεὺς εἶναι, ὁ δὲ Ἀλέξανδρος Σαμαρείτης. Josephus ab Amri Israelis rege conditam scribit, qui *Simeron*, vel *Schomronem* montem à quodam Semer emit: civitatemque, quam in montis vertice extruxerat, à vendentis nomine *Simeron*, sive (ut transtulit noster interpres, 3. Regum *cap.* 16.) *Samariam* An. M. 3112. appellavit. Hâc deinde Reges Israëlitarum pro regiâ usi sunt. Aliâs *Ecthenias* dicta est, teste Eusebio. Illam Elisæus Proph. contra Benhadabum, Syriæ Reg. rursus est, militibus ejus cæcitate afflictis: quo facto hic irritatior, An. M. 3146. cum immenso exercitu urbem obsessam ad ultimam famem redegit, miraculosè liberatam. Capta tandem est An. M. 3314. à Salmanazare, post obsidionem trium annorum: Hic incolis aliò translatis, novos huc colonos misit, ex variis gentibus, quarum quælibet proprio Idolo inserviit: quibus per leones divinitus punitis, Rex aliquem ex captivis summisit, qui in agnitione veri Dei Samaritanos utcunq; instrueret. Sed orta mox religionis miscella. Dein post Hyrcani Judæorum Pontificis expugnationem An. 3941. ab Herode rege iterum An. 4033. ædificata, & in honorem Cæs. Augusti Σεβαστὴ dicta fuit, hodie *Naplous*. Sannaballetes regionis Præfectus, sub Dario fuit, cui fide non servatâ, Alexandro adhæsit; qui ipsi veniam templi in monte Garizim, similis Hierosolymitano, condendi propterea concessit: ita autem Judæos eò facilius sub jugo suo retenturum se speravit. Hic Pontificem M. generum suum Manassen fratrem Jaddi instituit. Huic se junxerunt omnes illi Sacerdotes, qui peregrinis matrimoniis erant irretiti, imo quidquid Legis disciplinam ferre non poterat, Samariam, tanquam in Asylum, confluxit. Hinc schisma, inter Judæos & Samaritanos, de loco Adorationis legitimæ contendentes: adhuc stetisse hoc templum, Johannis tempore, ex Evangelio quis patet. Non sacrificarunt autem Samaritani, in templo, quod Hierosolymis erat, neque ullas legis ceremonias cum Judæis communes habebant. Resurrectionem mortuorum inficiari, solum Mosis Pentateuchum pro Canonico habuerunt. Divisi in Essentos, Sebuenos, Gorthenios & Dositheos. JESUM CHRISTUM ingressu arcere conati, à tempore Zenonis Imp. in Christianos sævire, templa eorum diripere, &c. cœperunt, sed ab Imperatore puniri, etiamque Monte Garizim, fidelibus concesso, exuti sunt. At sub Anastasio, illo denuò potiti, quidquid Christianorum ibi deprehensum, occiderunt crudeliter: quæ sævitia à Procopio punita est, qui Edessâ cum copiis huc veniens, plurimos eorum neci dedit. Nihilominus sub Justiniano denuo emergentes, etiam Regem sibi elegerunt, nomine Julianum, cujus auspiciis denuo in Christianos incredibilem sævitiam exercuerunt, sed oppressi ab Imperatoris militibus, & severissimis edictis coërciti sunt, Juliano ultricibus flammis ustulato. Tandem Ann. 551, mentiti se Christianos fore, per Sergium Episcop. Cæsareensem ab Imperatore, jus iterum nacti sunt testamenta condendi, &c. nihilominus non destiterunt persequi Christianos omni ratione, usque ad Gregorium M. sub quo unus sectæ hujus Christiano mancipio uti voluit. Post quæ tempora de illis Historici altum silent. Vide Joseph. *Ant Jud.* Torniel. Salian Spond. *in Annal. V. T.* Baron. *in Annal. Eccl.*

Samarobrini, pop. Gall. Belg. quorum præcipua urbs est *Samarobrivum*, Græci codd. Ptol. habent *Samarobriga*, & *Samarobriva*, vulgò *S. Quintin*, *Amiens* Divæo, *Cambray* Leodio. Baudr. fuit Ambianorum caput. Hodie *Amiens*; urbs ampla, totiusque Picardiæ primaria, ad Somonam fluv. Episc. sub Arch. Remensi, cum arce permunita. Dicitur etiam *Ambiani*, & *Ambianum*. Vide ibi.

Sambana, Asiæ locus, Diodor. *lib.*17. Ptolemæus vocat *Sambatas*, gentem Assyriæ.

Sambasti, Indiæ gens, quæ populi arbitrio regitur. Hos Janus Gebhardus, *Exercitationibus Politicis & Philologicis ad Qu. Curtium* censet, quos Curtius *lib.*19. *cap.*42. vocat *Sabracas*, circa Indum fluvium sitos & Arrianus *lib.*6. *Abastanos*, vicinos *Ossadiis*.

Sambasium, urbs Insulæ Bornei, in ejus parte Occid. cum portu, quamvis 30. m. p. distet ad ora littorali.

Sambia, Peninsula Prussiæ Duc. Cujus Occ. & Bor. latera mari uncta, Zephyro & Borea vehementius spirantibus, succinum colligunt. In hac præclara urbs est Regiomons, Metel.

Sambicus, latro insignis, qui templum Dianæ expilavit in Elide.

Sambos, urbs Arabum: Cives *Sambi*, vel *Sambita*, Steph.

Sambra, fluv. Belgicæ secundæ, Notit. Imp. Rom. an idem qui *Sabis*, vel *Saba*, vulgo *la Sambre*: an potius Samara, vel Samina, *la Somme*, in Oceanum influens? *Sambre* verò, locus est ad mare, non procul à Montibus S. Angilberti, inter Witsantum, & Sangatam. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Sambracate, insula Arabiæ Fel. in orâ ad ortum maris Erythræi.

Sambracitanus sin. *Golfe de Grimaut*, Sinus est parvus maris Mediterr. in ora Provinciæ, prope Sambraciam seu Grimaldum opp. & Fanum S. Eutropii, *S. Tropez*; 3. leuc. à Foro-Julii in Mer.

Sambrateni, pop. circa Judæam, Plin. *lib.*6. *cap.*20.

Sambri, Æthiopiæ sub Ægypto opp. Plinius.

Sambroca, Hisp. Tarracon. fluv. Ptol. *Sambuca* Floriano. Hodie *Ter*, Brietio, fluv. Cataloniæ. Oritur in Pyrenæis montibus, in confin. Ceretanorum, dein prope Ausam & Gerundam labitur, & 6. leuc. infra, versus Emporias, in mare Mediterr. se exonerat, 22. leuc. à Barcinone in Gæc.

Sambulos, montis nomen, in Asiâ uspiam, circa Mesopotamiam, religione Herculis insignis; qui Divus tempore stato per quietem monet sacerdotes, ut templum juxta equos venatui adornatos sistant. Equi, ubi pharetras telis onustas accepere, per saltus vagi noctè demum vacuis pharetris multo cum anhelitu redeunt. Rursus Deus quasi sylvas pererraverint, nocturno visu demonstrat: repertiunturque fusæ passim feræ, Tacit.12. 13.

Sambus, Brachmanum Rex, cujus regnum Alexandro Magno ingresso & octoginta millibus occisis, ipse cum triginta Elephantis in ulteriorem Indiam profugit cladeque elapsus est. Diod.17.616. Cæterum notat Janus Gebbardus, *Sambum* hunc esse Qu. Curtii *Samum*, *lib.*11. *cap.*44.

Sambus, Indiæ fluv. in Gangem influens, Arrianus. Item Arabiæ opp. Stephan.

Same, vide *Samos*.

Samellium, opp. Siciliæ, *Salemi*, vide *Semellitani*.

Sameni, pop. Nomadum, Stephan.

Samgar, filius Anath, Judex in Israël, Jud. 3. Percussit ex Philistæis 600. stimulo boum, An. M. 2720.

Sami regnum, in India ponit Curt.9. 43. &c.

Samicum, urbs Triphyliæ, Stephan.

Samina, Mediæ urbs ad mare Hyrc. Ptolem.

Samir, civitas in tribu Juda in montanis Ephraim, Jos. 15. Nomen viri, 1.Paral. 24.

Samius, insignis Eques Rom. quadringentis numorum millibus Suilio datis, & cognita prævaricatione, ferro in domo ejus occubuit, Tacit.11. 5.

Samnita vel *Amnita*, gens Galliæ, Straboni: qui in Oceano ait esse insulam parvam, objectam ostio Ligeris, quæ à Samnitum fœminis incolatur, nullos nisi extra insulam prolis gratiâ admittentibus viros. Ptolemæus sub Venetis ponit, Ligeri proximos. Dionysius Periegetes *Amnitas*, velut ab amne Ligeri vocat, atq; *nesides*, seu insulas parvas plures esse, in quibus uxores Ἀμνιτῶν noctu rite Baccho sacrificent. Fuere forsan Namnetes inter & Venetos, circa Vicum S. Nazarii, Crociacum *le Croisic*, & Garandam; vel Grannonam *Guerande*. Nec ab ostiis Ligeris & à continente multum abest Insula Dunetana *le Dunet*, vico uno infessa, & modicæ magnitudinis, quam Samnitarum vel uxores vel fœminæ olim incoluerint. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Samnites, Italiæ pop. quorum regio *Samnium*, & *Samnis*, inter Latium, Campaniam, Caracenos, Pelignos, Vestinos, & Sabinos continetur. Originem hujus gentis ostendit Cluverius *Ital. Ant. lib.*3. *cap.*8. ubi de Ausonum gente disserit: qui postea dicti fuere *Opici*, & *Osci*, ac tandem *Sabini* & *Sabelli*: quorum dein pars maxima *Samnites* vocati, Strab. *lib.*5. Ἔτι δὲ παλαιότατον φῦλον οἵ τε Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες. τούτων δ᾽ ἄποικοι Σαμνῖται. Varro *de L. L. lib.*6. *Hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt.* Gens bellicosa fuit & summe potens, teste Livio, *lib.*10. utpote cujus opes & vires creverunt in tantum, ut 80. M. peditum & 8. millia equitum armarent ad bellum. Sæpè gravissimis bellis fatigarunt Romanos, nonnunquam vicerunt, ut memorabilis illa ad Caudinas Furcas parta victoria testatur, quam Livius *lib.*9. commemorat, addens 50. annis eos plane subactos à Fabiis atq; Papyriis. Sylla eorum 4. millia, vel (ut alii) 6. millia in Circo maximo, vel (ut nonnulli) in Campo Martio ad Ovilia, militibus ad cædem immissis, tradidit jugulanda per 3. dies continuas, clamitans, Romanum populum nunquam habiturum pacem, quamdiu Samniticum superesset nomen. Equitibus sors belli pepercisset; sed eos proscriptione est insectatus. Scribit & Strabo, plerasque eorum urbes tempore Syllæ funditus eversas, inque vicos redactas. Apud Livium quoque Papyrii Cursoris, de iisdem reportatam victoriam, easque urbium ruinas legas, ut suâ ætate, inquit Florus, *Samnium in ipso Samnio requirerent*, De Samnitibus Horatius *lib.* 2. *epist.*2.

Cædimur, & totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Lucanus *lib.* 2.

—— *Romanaq; Samnis*
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas.

Samnites ab hastis, quas ferebant, dicti sunt apud Festum, hastæ enim à Græcis σαυνία dicuntur. Sane Græci quoque eos Σαυνίτας vocant. Dionys. vers. 357.

Σαυνῖται δ' ἐπὶ τοῖσι μέσην χθόνα ναιετάουσι,
Καὶ Μαρσῶν ἱερὰ φῦλα.

Baudrando Samnites propr. dicti erant, ubi postea Ducat. Beneventanus, & ubi nunc sunt pars Aprutii citerioris, Comitatus Molisinus ac partes Capitanatæ prov. Principatus ulter. & Terræ Laboris, ex Brietio. Eorum præcipua Urbs erat Beneventum.

Urbes Samnii, & Aprutii:

Æsernia. Vide *Esernia*.
Alliphæ, *Alifi*, Episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, nunc inter urbes Campaniæ.
Angolus, *Citta di S. Angelo*, Episcopalis, Pinnensi junctus.
* Anxanum, *Lanciano*, Archiepiscopalis, in Frentanis.
* Aquila, Episcopalis, ex Amiterno & Forconio urbibus destructis, sub Archiepiscopo Teatino, uti libera, *Aquila*.
Atria, *Atri*, Ducatus, Episcopalis eum Pinnensi.
* Beneventum, *Benevento*, Archiepiscopalis, ditionis Pontificiæ.
Bovianum, *Bojano*, Episcopalis, Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Beneventano.
Camplum, *Campli*, Episcopalis, Ottoni copulatus.
Ducalis urbs, *Citta Ducale*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Esernia, *Sergna*, Episcopalis, Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Capuano.
Guardia Alferia, Episcopalis, Comitatus Molisii, sub Archiepiscopo Beneventano, *Guardia Alferes*.
Interamna, *Teramo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino, quasi libera.
† Marsi, *Marçi*, Episcopalis urbs Latii sub Archiepiscopo Teatino, sedes Piscinæ.
Orton, uti libera, *Ortona*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Pinna, *Citta di Penna*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
Sulmo, *Sulmona*, Episcopalis sub Archiepiscopo Teatino.
* Teate, *Citta di Chieti*, Archiepiscopalis.
† Telesia, *Telese*, manet Episcopatus sub Archiepiscopo Beneventano, *sed urbs ipsa excisa est*.

Interiit Aquilonia, ut neque locus indicetur.

Samnium, urbs Britanniæ, Steph. Strabo *lib.* 4. Ἐν δὲ τῷ Ὠκεανῷ φησὶν εἶναι νῆσον μικρὰν, οὐ πάνυ πελαγίαν, προκειμένην τῆς ἐκβολῆς τοῦ Λίγηρος ποταμοῦ. οἰκεῖν δὲ ταύτην, τὰς τῶν Σαμνιτῶν γυναῖκας, Διονύσῳ κατεχομένας, καὶ ἱλασκομένας τὸν θεὸν τοῦτον τελεταῖς τε καὶ ἄλλαις ἱεροποιΐαις ἐξιλεουμένας, &c. Ubi Casaubonus: Dionysius Periegetes unus est, ut puto, e veteribus, qui hujus rei meminerit. Sic enim ille:

Ἄγχι δὲ νησῖδες ἕτεραι πόρος, ἔνθα γυναῖκες
Ἀντιπέρην ἀλιτρείης ἀγαυῶν Ἀμνιτάων
Ὀρνύμεναι τελέουσιν ἑὰ ἱερὰ Βάκχῳ.

Ad quem locum Eustath. Strabonis verba profert, & legit Ἀμνιτῶν, deficiente litera σ. ut in *Halmydessus*, pro *Salmydessus*, &c. Stephano urbs est Britanniæ decepto, opinor, propter locorum vicinitatem.

Samnonicus, vide *Serenus Samnonicus*.

Samochonitis, lacus min. in Trachonitide, quem primò Jordanes ingreditur.

Samogitia, Polonici regni regio ad mare Balticum. De quo vide Cromerum, & Munsterum. Baudrando in Lithuania latè sumpta, inter Curlandiam ad Boream, Lithuaniam propr. ad Ort. Prussiam Duc. ad Met. & mare Baltic. ad Occ. Extenditur ad 35. leuc. Germ. ab Ortu in Occ. non æque lata. Ejus Urbes præc. sunt Mednicha & Rossa, seu Rosiema. Divisa fuit aliàs in XII. Præfecturas, quæ reducuntur ad tria Gubernia præc.

Samojeda, prov. Moscoviæ Bor. versus ostia Obii fluv. ubi pop. *Samojeda*. Aliàs erat pars Tartariæ deser. nunc subest M. Moscoviæ Duc. Estque versus Oceanum Sept. & Tartaricum.

Samonium, Strabo. *Capo Salamon* Soph. promontor. Cretæ Or. à Coryco promontor. Occ. 240. m. pass. circiter, & 32. tantum à Sitio in Ortum.

Samorna, & *Samornos*, Ephesus olim dicta, Steph.

Samos, *Samo* hodieque à fluv. insula maris Icarii, Joniæ adjacens contra Ephesum urb. *Parthenia* olim, à *Parthenio* fluv. teste Strabone, cui & *Anthemusa*, *Melamphylos*, *Dryusa* Aristoteli. *Cyparissia*, *Parthenoarusa*, & *Stephane* Plinio. *Imbrisos* Stephano, *Imbrasia* Hygino. Hic primum vasa fictilia fabricata, teste Gellio *lib.* 7. unde Ausonius:

Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.

Horatius *lib.* 1. *Epist.* 11.

Roma laudetur Samos, & Chios, & Rhodos absens.

Populi *Samii*, qui gravissimo primò cum Ephesiis olim bello impliciti, pulsique insulâ, ægrè tandem in illam redierunt, dein cum Atheniensibus & Milesiis, quibus cùm illi, Duce Pericle, An. 313. U. C. 84. Olymp. auxilio venissent, Samios graviter afflixerunt; Verùm hi, Pericle discedente, animo recepto, quoscunque hostium ceperunt, illorum fronti inussere notam. Postea urbs à Pericle obsessa, & post 9. menses dedere se coacta est: Tum primus Arietis, Testudinis, aliorumque machinarum usus invaluit. Sed & alia gesserunt bella Samii, de quibus Historici veteres consulantur, Thucyd. &c. Ovidius *Metam.* 15. de Pythagorâ:

Vir fuit hic ortu Samius.

Plinio ibi urbs ejusdem nominis, patria Hierophylæ, seu Sibyllæ Samiæ, &c. Samios Plutarch. *in vitâ Periclis* valdè *literatos* esse tradit ex Aristophane. Sed Suidas ex Aristotele, Samios *literatos* vocat, hoc est, stigmate notatos; quòd deficientibus civibus coacti fuerint servos, notis stigmaticis insignitos, ad Reipubl. administrationem admittere. *Samiorum Flores*, erat locus apud Samum, teste Plutarcho, in quo Samii cum mulieribus omnibus voluptatis (præsertim libidinis) generibus operam dabant. In hac insula Juno præcipuè colebatur, cujus antiquissimum ibi templum. Simulachrum autem Deæ erat, tanquam nubentis. Hic enim & nata & educata & Jovi nupta dicitur. Unde & Sacra ejus anniversaria, nuptiarum ritu, ibi celebrata. Hoc postmodum Episcopale factum est, sub Metrop. Rhodiensi. Ovid. *Metam.* 8.

——— *Et jam Junonia lævâ*
Parte Samos fuerat. ———

Virgilius *Æneid.* 1. ubi de Carthagine:

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo.

Dionysius *vers.* 534.

Καὶ Σάμος ἱμερόεσσα, Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης.

Juvenalis *Satyr. ult.*

Et Samiâ genetrix quæ delectatur arenâ.

Ab hoc cultu Samiorum in Junonem ait Athenæus *lib.* 15. Ἐπὶ τῷ νομίσματι τῶν Σαμίων ταὼς ἐστί. Quæ avis, pavo nimirum, Junoni sacra. Samo ortus Chœrilus Poëta, qui 75. Olympiad. victoriam Atheniens. contra Xerxem versibus scripsit, pro singulis versibus singulos stateres aureos recipiens, quem tamen Horat. *lib. de Arte Poëtica* incultum appellat. Contra Callimachus Cyrenæus, qui sub Ptolem. Philad. regiæ bibliothecæ præfuit, Poëta delicatus fuit. Vide Propertium *lib.* 2. *Carm.* 29. & Ovid. 1. *Trist.* II. *Samos* altera, insula maris Ægæi Thraciæ adjacens, quæ *Samothrace* Ptolemæo & Pomponio, *Samothracia* Plinio dicitur. Virgilius:

Threiciamq; Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

Ovidius:

Threiciam tetigit fessa carina Samon.

Est autem inter Lemnum, & Imbrum; *Dardania* olim, teste Plinio. Hodie *Samandrachi*, contra ostia Hebri. Vix 10. mill. ab ora littor. Thraciæ in Merid. 25. ab Imbro in Bor. uti 32. à Lemno. Baudrand. III. *Samos*, quæ & *Same* Straboni, *Teleboæ* Pausan. *Melana* Plin. eadem cum Cephallenia, insula scil. in mari Jonio prope Zacynthum. Homerus:

Δουλιχίῳ τε Σάμῃ τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Ovidius *Epist.* 1.

Dulichiumq; Sameq; & quos tulit alta Zacynthus.

Idem *lib.* 1. *Trist. eleg.* 4.

Nec mihi Dulichium domus est Ithaceve Sameve.

Hic Samia, urbs aliàs florentissima, nunc vix vicus, hicque olim Labyrinthum fuisse dicunt. Hinc orti Pythagoras, Sybilla Samia & Polycrates fortunatissimus. Insulæ pars Sept. & Occid. montem habet celsissimum, qui olim *Cercetius*, cujus scopuli pene inaccessibiles. Denique Samos vicus Messeniæ, urbs Elidis, & Lyciæ civitas, Strabo. Nomen *Sami* quod attinet, prout hisce 3. insulis, itemque Elidis urbi commune est, merè Phœnicium est, inquit Bochartus. Nemo nescit, Hebraicè cœlos שמים *samaim* dici: Phœnices *samen*, vel *semin* efferebant. Hinc illis Ζωφασημὶν צופשמין ὁ οὐρανοῦ κατόπτης, & Σαμημροῦμος שמים רום οὐρανόμηκης. Ita ex Sanchoniathone Philo Byblius. Radix Arabicè שמי *sama*, *eminere*, & *excelsum esse* sonat. Unde factum, ut celsa loca *Sami* dicerentur, à Phœnicum illis, qui primi colonias in Græciam deduxerunt; Talis *Thracia Samos*, vel *Samothrace*; de qua Homerus:

Ὑψοῦ ἐπ' ἀκροτάτης κορυφῆς Σάμου ὑληέσσης
Θρηϊκίης.

Neptunum fingit è summo vertice montium Samothraces, tanquam ex altissimâ speculâ, Trojanos & Græcos observasse. Nempe Samothrace, teste Plinio, *attollitur monte Saoce immensæ altitudinis*, *à quo & Saocis olim dicta est*. Hesychius: Σαοκίς, ἡ Σαμοθρᾴκη, οὕτως ἐκαλεῖτο τὸ πρότερον. Priscianus *in Version. Dionys.*

——— *Samothracia cernitur alta.*

Hac *Samus* Jonica nihilo fuit humilior, Strabo *lib.* 14. *Promontorium habet Samus*, *quod Ampelos dicitur*, *obversum Drepano Icariæ*. Eodemque nomine totus mons dicitur, ὁ ποιεῖ τὴν ὅλην νῆσον ὀρεινήν. Montem hunc Herodotus *in Thalia*, & Eustath. *in Dionys.* celsum esse scribunt ἐς ποταμοὺς καὶ ὕψος ὀρυγμά. Tertia etiam *Samos* prope Ithacam, ab Homero παιπαλόεσσα, id est, *prærupta* vocatur, quia montibus est inæqualis. Denique de *Samo* Elidis, ita Strabo *libr.* 8. Ἀρχαία πόλις ἦν Σάμος, διὰ τὸ ὕψος ἴσως, ἐπειδὴ σάμους ἐκάλουν τὰ ὕψη. Itaque ne quis nos putet meris conjecturis niti, idem Strabo agnoscit ab altitudine sic dictam, ἐπειδὴ σάμους ἐκάλουν τὰ ὕψη. Et Samothraciam Eustath. indidem appellari asserit: Σάμοι γὰρ, inquit, φασὶ τὰ ὕψη. Ita etiam Constantinus Porphyrogeneta *Them.* 15. ubi de Samo Jonica: Σάμος ἀπὸ Ἀγκαίου καὶ Σαμίας τῆς Μαιάνδρου ποταμοῦ θυγατρὸς, ἢ διὰ τὸ ὑψηλὸν τῆς νήσου σάμος ἐκαλεῖτο.

ἀπόκρημνον. Οἱ γὰρ παλαιοὶ Ἕλληνες σάμους τοὺς ὑψηλοὺς ἐκάλουν τόπους. Monstri verò instar est, quod Samum narrant diu fuisse desertam, quia feræ *Neides*, vel *Neades* ibi stabulabantur, quarum barritu solum findebatur. Heraclides *de Politiis*, ubi de Rep. Samiorum: Σάμος τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐρήμην ὑπὸ λέγεται κατέχειν πλῆθος θηρίων μεγάλην φωνὴν ἀφιέντων, ἐκαλοῦντο δὲ τὰ θηρία Νηΐδες. Ælian. *de Animal.* 17. 28. Εὐφορίων δὲ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι λέγει τὴν Σάμον ἐν ταῖς παλαιοτέραις τοῦ χρόνου ἐρήμην, γενέσθαι δὲ ἐν αὐτῇ θηρία μεγέθει μὲν μέγιστα, ἄγρια δὲ καὶ προσπελάσαι δεινά, καλεῖσθαι δὲ μὲν Νηάδας, ἀπερ ῥῶ καὶ μόνῃ τῇ βοῇ ῥηγνύναι τὴν γῆν. Inde corrigendus Suidas, qui in voce Νῆις sic habet: Καὶ ἐν Σάμῳ δὲ θηρία γενέσθαι φασὶν, ἃ φθεγγόμενα ῥηγνύναι τὴν γῆν, ἐκαλοῦντο δὲ Νῆια, ὡς εἰρηται. Lege Νηΐδες, ὡς Εὐφορίων. Hinc ortum proverbium in usu apud Samios: μεῖζον βοᾷ τῶν Νηΐδων. Vide Boch. *Geogr. p.* 508. ex quo præcedentia desumuntur.

Samos, op. magnæ Græciæ, apud oram Calabriæ ult. Lycophr. Steph. nunc *Crepacuore* Barrio, apud Locros, seu Hieracium Urb. inde 6. m. p. in Bor. ubi Pythagoras habitasse dicitur.

Samosata, Asiæ min. seu Syriæ urbs ad Euphratem, Commagenes metropolis admodum munita, Luciani blasphemi, tandem à canibus dilaniati, & Pauli Antiochi episcopi, blasphemi in Christum & hæretici, patria. Adeo Orthodoxis fuit addicta, ut Eusebio Episc. à Valente Imp. pulso, & Eunomio Ariano in ejus locum suffecto circa A.C. 368. nemo in cœtum venire ausus, imo nec cum eo eadem aquâ lavari voluerit, pilam quoque pueri ab asino Lucii successoris calcatam per ignem purgaverint, V. Theodoret. *lib.* 4. *cap.* 14.

Samoth, nomen viri. 1. Par. 11. Lat. *nomina*, *desolationes*, vel *perditiones*, sive *stupefactiones*.

Samothes gigas, qui & *Mesech*, Gomeri ac Tubalis frater, ipsiusque Japheti Pulci sexto genitus, *Dis* à Julio Cæsare nuncupatus, Jani, hoc est Noachi, filius & primus Celtarum rex. Unde Galli Samothei dicti fuerunt, præcipue quidem eorum Philosophi atque Theologi. Multas leges edidit, quibus Celticas formabat gentes, docuit astrorum & syderum cursus, inferiorum rerum naturas varias, deditque suis populis literas Sagas, seu Phœnicias; à quibus postea suas eruerunt Græci. Colonias in Celticis terris posuit, anno post diluvium 143. in Britannia verò, 252. obiit verò, anno conditi mundi 1956. & ante Christi adventum, 2014. quum Celtis universaliter omnibus, 56. annis præfuisset, Britannis interim 47. Assyriis & Babyloniis imperante Nino. V. Cæs. *de B. G. lib.* 6. Dupleix, *Comment. Gall. lib.* 2. *cap.* 2.

Samothracia, quæ & *Samothrace*, ins. maris Ægæi, Thraciæ adjacens, eà in parte quâ Hebrus in mare influit, à Lemno 22. m. p. in Ort. ab Imbro 32. in Occ. Olim *Dardania* dicta, à *Dardano* Trojano, qui Palladium secum ferens, eò traditur confugisse. Aristoteles de Rep. Samothraciæ scribens, ait eam olim *Leucosiam* dictam, deinde *Samum* (*m* literà interpositâ) à *Sao* Mercurii & Rhenes filio. Attollitur monte Saoce 10. m. p. teste Plin. Gentile *Samothrax*, vel *Samothracius*. Fuit hæc insula religione ac templo nobilis, quod, una cum Delphico, toto orbe sanctissimum habebatur: Cereris ibi Proserpinæque mysteria celebrabantur. Lege Strab. & Liv. *lib.* 45. Plutarchum *in Æmilio*, ac Diod. Sic. *lib.* 5. Hic annulorum genus inventum, qui, cùm ex ferro essent facti, auro cingebantur, vel planè aurei decolorabantur. Plin. 23. 1. Hinc *Ferrea Samothracia* Lucretio *lib.* 6. De his etiam Isidorus *l.* 19. *cap.* 5. Illustris Scaliger hos Samothracum annulos *in* 5. *Manilii*, notat ex eorum genere fuisse, quos Græci φυσικοὺς καὶ φαρμακίτας δακτυλίους & ἀπολετηρίους appellarunt. De quibus Johannem Kirchmannum, si lubet, vide, erudito *de Annulis Comment. cap.* 21.

Samphe, urbs Phœniciæ. Steph.

Sampsa, vicus Arabiæ. Sig. autem *Sampsa* Arabicè *Solem*. Ita Stephanus. Nempe ab Ebræo *Shemesh*.

Sampsace, nomen loci, 1. Macc. 15.

Sampsai, nomen viri. 1. Esdras 4.

Sampsari, fil. Jeroham. 1. Par. 8.

Samsiceramus, unus è Phylarchis Arabum, cui fil. fuit Jamblichus Romani nominis studiosus, ut Cicero testatur *in Ep.* Porro Jamblicho huic filius alius ejusdem nominis fuit, & ipse Romanorum amicitiam servans, cui ab Augusto patrium regnum est restitutum. Vide Strab. *lib.* 10. Genti Emessenæ imperabant, & regulsidem Arethusæ habebant.

Sampsira, Ægypti urbs. Steph.

Sampson, Judex & Liberator Judæorum, ex tribu Dan, fil. Manoæ, cui per Angelum filii nativitas prædicta fuit, addito, ut illum velut Nazaræum educaret. Hic miro corporis robore est à Deo donatus, sed eâ lege, ut tamdiu robur, firmitatemque corporis retineret, quamdiu cæsariem. Itaque cùm Philistini innumeris ab eo cladibus afflicti, per mulierculam quandam, cujus amore tenebatur, perfecissent, ut ei capillus abraderetur, facilè ab eis comprehensus & excæcatus est: eam tamen ille injuriam postea suâ & hostium clade vindicavit. Nam cùm capillo renascente vires redeuntes dissimulasset, à principibus eorum in amplissimo quodam triclinio convivium agitantibus, ludibrii causâ, introductus, columnamq; quandam totas ædes fulcientem complexus, eam summis viribus concutiens, simul cum ædificio evertit; quâ ruinâ & ipse & inimici ejus omnes obruti sunt, uti legitur in libro Judicum, unà cum reliquis ejus gestis, *capp.* 13. 14. 15. 16. Obiit An. M. 2899. Josephus *lib.* 5. Γενόμενον τὸ παιδίον Σαμψῶνα καλοῦσιν· ἰσχυρὸν δ' ἀποσημαίνει τὸ ὄνομα. Idem: Θαυμάζειν δὲ ἄξιον τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἰσχύος, καὶ τοῦ περὶ τὴν τελευτὴν μεγαλόφρονος τὸν ἄνδρα. Καὶ τὸ μὲν ὑπὸ γυναικὸς ἁλῶναι, δεῖ τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ἀνατιθέναι.

Sampson, Presbyter Scotus, negavit Baptismi necessitatem, An. 748. & impositionem solam manuum Episcopi, à peccato Originali hominem liberare credidit. Item, Abbas Cordubensis, Sec. 9. Coram Mauris Regibus fidem constanter confessus, pro Christianis apologiam scripsit. Ambrosius Morales, in Schol. ad *lib.* 1. *Memor. SS. Eulog.* Obiit An. 890. Baronius *in Annal.*

Samuel, Elcanæ filius ex Anna, judicavit populum Israel post Heli, anno mundi 2878. ante Christum natum 1048. Alii habent A. M. 2940. Hunc filium mater diu sterilis, precibus à Deo impetravit, quem etiam Deo obtulit. Arcam Dei sub eo reducunt Philisthini, quam tempore Heli ceperant: judicavit Samuel annos 11. juxta Hebræos, puta usque ad Saul, primum regem. Secundùm alios 20. Senex cum esset factus, constituerat filios suos Joëlem & Abiam judices in Israel, qui cùm non ambularent in viis patris, sed declinarent ad avaritiam & munera, pervertentes judicium, majores natu Israel petierunt à Samuele regem, qui judicaret, more gentium cæterarum. Itaque Saul à Samuele eligitur in regem, præcipiente Domino. Obiit An. M. 2977. æt. 77. Regiminis 20. 1. Lib. Reg. *cap.* 1. 2. & 3. ad 9. usque *cap.* Joseph. *Lib. antiq.* 5. *cap.* 15. & sequent. Creditur Auctor libri Judicum, libri Ruthæ, & ea parte lib. 1. Regum. Torniel. Salian. &c. Lat. *positus à Deo*, aut *nomen ejus à Deo*. In *Samuelis libr.* 2. vel *partes*, extant: Ambrosii *in* 2. *libr. cap.* 11. 12. Angelomus. Antoninus. Archirota. Augustinus. Beda. Bonfrerius. Borrhaii *Comm.* fol. 1565. Basileæ. Brentius. Bugenhagii *Annotationes*; octav. Basil. 1524. Calvinus. Candidi *de infante Davidis*, Basil. 1608. Caussini *Dissertationes*, fol. Parisiis 1650. Crommius. Drusii *in loca diffic. comment.* quart. 1618. Franekeræ. Ernberg. *Interpretatio cap.* 8 *lib.* 1. Franc. 1606. Eucherius. Filholii *Regum historia, carmine*. Gregorii M. *Expositio*. Gualtherus. de Hales. Helmigii *Periocha*. Hieronymus. Hosti *Historia monom. Davidis & Goliathi*, Antv. 1582. Jansenius. Jansonius. Isidorus uterque. Lambertus. de Lapide. Lavateri *Homiliæ* 10. *de Nabale*. Tig. 1586. Leonharti Ὑπομνήματα. octav. Lipsiæ 1614. Malvenda. Martyr. Medrasch Schemuel, Hebr. Mendoza. Mœnius. Nezenii *Exercitationes*. Jenæ 1611. Origenis *Homiliæ*. Paulutius. Piscator. Procopius. Rabanus. Longolius. Rupertus. Sanctius, fol. Antverpiæ 1624. Serarius. Stephanus. Strigelii *Arg. & Scholia*. octav. Lips. 1586. Theodoreti *Quæstiones Sel.* Titelmannus. Tostatus. de S. Victore Hugo & Richardus. Welleri *Explicatio in lib. pr.* fol. Franc. 1585. Willeti *Harmonia*. fol. Cantabrigiæ, 1614. Wolfii *Sermones*. fol. 1589. Zanchii *Notationes & Quæst.* quart. Romæ 1553. &c. V. Crowæi *Elenchum*.

Samuel, Bulgarorum Princeps, vicit primò Basilium Imper. Constantinop. mox ab eodem victus & in extremam Bulgariam rejectus, cùm XV M. captivorum à victore excæcata, centenario solùm unoculo relicto, sicque in patriam remissa vidisset, animi mœrore contabuit, An. C. 1002. 1013. Vide Georg. Cedrenum *in Hist.* Zonar. *tom.* 1. &c.

Samuel, Judæus Marocensis, in Africa, Baptismo initiatus, scripsit popularibus suis Epistolam, de adventu Messiæ, in quâ duritiei & pertinaciæ illos convicit, A. C. 1070. Edita illa aliquoties.

Samula, mulier quæ vixit 110. annis. Plin. 7. 48.

Samunis, Albaniæ urbs. Ptol. *Samacha* Nigro. V. *Cyropolis*.

Samus, Lacedæmoniorum Navarchus, cum XXV. triremibus Cyro Jun. succurrere jussus.

Samydace, urbs Carmaniæ, Steph. *Guadel* ex tabb. recent.

Samylia, urbs Cariæ condita à Motylo, qui Helenam & Paridem hospitio suscepit. Steph.

Sana Casa, quibusd. est *Sargans*, opp. Sarunetum, in Rhætia propria; ad Rhenum, 2. leuc. infra Curiam in Bor. V. *Sarunetes*.

Sanagenses, Gall. Narb. pop. Plin. Forsè ubi Sanitium hodie. Vide ibi.

Sanais, Urbs Mediæ non obscura, inter Tabresium ad Occ. & Europum ad Ort. Ptol. *Sena* vulgò.

Sanan, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Sanaos, Phrygiæ opp. Apolloniæ metropolis, teste Strabone, *lib.* 12. *Vanida* Ptolemæo.

Sanape, Amazonum regina, vide *Sinope*.

Sanari, Sarni, Asiaticæ gens. Ptol.

Sanballat, Samariæ præfectus, Alex. M. cum 8. millibus suorum se dedidit, ut sibi in monte Garizim templum ædificare liceret, quod & perfecit. Item nomen viri. 2. Esdr. 2.

Sanborondon, Ins. V. *Canariæ Ins.*

Sancerra, Vide *Sacrum Cereris*.

Sanchoniathon, historicus, scriptor miræ antiquitatis. Si enim Porphyrio credimus, ἐπὶ Σεμιράμιδος γέγονε τῆς Ἀσσυρίων βασιλίδος, de quo vide Vossium *de historicis Gr. lib.* 1. *cap.* 1. & Bochartum *de linguâ Phœniciâ & Punicâ*, *lib.* 2. *cap. ult.* Nomen Theodoretus ex Porphyrio, sic explicat, Σαγχωνιάθων ὁ κατὰ Φοινίκων διάλεκτον φιλαλήθης. Philoni dicitur fuisse, vir πολυμαθὴς καὶ πολυπράγμων,

Sancte pater salve; cui jam favet aspera Juno:
Sancte velis libro dexter inesse meo.
Hunc quoniam manibus purgatum sanxerat Orbem,
Sic Sanctum Tatia composuere Cures.

Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.2. cap.8.* ubi de Sabinorum nomine, genere, ac finibus agit.

Sandabala, Indiæ fluv. Ptol.

Sandalion, parva reg. Pisidiæ. Steph.

Sandaliotis, Vide *Sardinia*.

Sandalium, Inf. parva maris Ægæi, apud Lesb. & regio Pisidiæ, in Asia. Strabo, Steph.

Sandalium, munitissimum castrum quondam ab Alexandro Magno, Macedonum rege, cùm Tyrum oppugnaret, in Isthmo & littore maris, juxta limpidum & salubrem fontem, ædificatum. Situm verò est in agro peramœno, fontibusq; ac rivulis irriguo, frumento, pascuis, ficetis, olivetis, omnisque generis fructibus florenti. A castro Lamberti & monte Saron versus Aquilonem, tribus, à Puteo autem aquarum viventium versus Austrum, paulò amplius quàm uno miliari distans. Est in tribu Aser.

Sandanis, Lydus, Crœso suadere conatus est, ne Persis bellum inferret. Herodot. *lib. 1.*

Sandanus, Thraciæ fluv. circa Pallenen. Plut.

Sandaraca, Bithyniæ portus ad Euxinum Pont. Strab.

Sandaracurgium, mons Paphlagoniæ, apud Pompejop. Strab.

Sandava, Daciæ urbs. Ptol. *Segesvvar*, in Transylv. ad Cochelium fluv. *Soczovva* quibusd. urbs ampla, Moldaviæ caput, ad Naparim fl. 10. leuc. à Corona in Ort. prope Carpathum montem.

Sandecium, & **Sandecia**, urbs Poloniæ sup. ad Dunaicum fluv. in Palatinatu Cracoviæ, versus montes. 10. leuc. à Cracovia in Mer. 8. à Vielisçæ salisfodinis; estque Hungariæ & Carpathiis montibus vicina, probè munita caputque territorii vicini.

Sanderus Johannes, Gandavensis, Medicus Caroli V. Scripsit quædam. Sec. præt. Nepos ejus Antonius prosâ versuque plurima edidit, *Flandriam illustratam: Elogia Cardinalium: de Claris Antoniis: Hagiologium Flandriæ: De Scriptoribus Flandriæ: de Gandavo, &c.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

Sanderus Nicolaus, Anglus, Jus Canonicum docuit Oxonii: dein purioris religionis odio patriâ excedens, Romam pervenit, Hosiumque Cardin. ad Concil. Trident nuntium missum, secutus est. Eundem in Poloniam comitatus, postea Lovanii, edidit *de visibili Monarchia Ecclesiæ*, libb. 8. Romam exin à Pio V. vocatus, sub Gregorio XIII. Nuntius in Hispaniam & Hiberniam iit, ubi mortuus est. Scripsit quoque, *de Schismate Anglicano, de Ecclesia Christi, &c.* Pitseus, ejus ex sorore nepos, *de illi Angl. scr. p. 773. & seqq.*

Sandes, Σάνδης Persis Hercules, teste Symmacho, forte a Syriaco שנד *sanad*, h. e. *favire.*

Sando, urbs Italiæ. Gent. *Sandonius*. Steph.

Sandomiria, urbs Poloniæ sup. ad Vistulam, ubi Sanum fl. recipit. Caput Palatinatus cognom. 28. leuc. Pol. infra Cracoviam in Ort. 32. supra Varsaviam in Mer. In colle, cum arce munita. Capta fuit à Suecis An. 1655. sed recepta Anno seq.

Sandrizetes, pop. Pannoniæ sup. quorum urbs *Saint Andres* ad Dravum fluv. Sed hæc in Norico & Carinthia est. V. *Solva & Lavantum.*

Sandvicum, portus Angl. merid. cum opp. cognom. in Cantio, 9. mill. Angl. à Cantuaria in Ort. 9. à Dubri in Bor. prope Tanatos Inf. in ora Oceani Germ.

Sandum, urbs Japoniæ; in Inf. cognom. in ora Bor. Niphoniæ Inf. prope Quantoam regionem.

Sane, urbs Thraciæ inter Athon & Pallenen. Steph.

Sanea, urbs Indiæ. Steph.

Sanegaunum, vulgò *Sargans*, opp. Helvetiæ, caput Sarunetum seu Sanagensium, cum arce. Proprium habet consilium, & Scultetum: quem tamen 7. Helvetiorum pagi, qui præfecturæ obtinent imperium, constituunt. Verùm inferior tantùm ad hos jurisdictio spectat; supremum autem judicium rerum criminalium & capitalium Sanegauni habetur: cui præsidet plerunque Ammanus regionis. Vide Simlerum *de Rep. Helvet.* & infra in voce *Sarunetes.*

Sanfleta, urbec. munita Brabantiæ, ad Scaldim, infra Lilloam, sub Hisp. media fere inter Antverpiam ad Met. & *Bergam* ad Zomam ad Bor. 3. leuc. distans.

Sanga, fluv. Cantabrorum in Hisp. citeriori. Plin. 4. 20. Est etiam servi nomen apud Terentium *in Eunucho.*

Sangada, reg. circa Indi fl. partes inferiores.

Sangala, Indiæ in Cathæis opidum munitissimum, circa Indi fluminis partem superiorem, Arrianus *lib. 5.* *Sagala* est Ptolomæo. *Salgala*, habet vitiosè Polyænus *lib. 4. in Alexandro com. 30.*

Sangallensis ditio, sub Abbate S. Galli, Principum munificentiâ satis ampla est. De S. Gallo, à quo nomen tum oppido, de quo infra, tum cœnobio & Abbati, de quo hic, retro actum. Ille è Scotia oriundus, in Galliam cum Columbano Abbate, cujus discipulus erat, profectus, inde in Germaniam venit, cellamque circa An. C. 630. eo loci condidit, ubi hodie cœnobium & oppidum ei cognomine visitur. Post ejus obitum, Francorum Reges & Duces Alemanniæ discipulorum illius pietate delectati, quum muneribus eos multis affecissent, namque jam tum Sigebertus Franciæ Rex, filius Dagoberti, totum illum terræ tractum, quem hodie ditionem Abbatiscellanam vocamus, illis donavit: crevit fratrum numerus, & cellà in cœnobium versa est. Primus his Abbas contigit Ottomarus, circa An. C. 710. ex sententia Pipini, filii Caroli Martelli, Francorum Principis: quo tempore D. Benedicti regulam fratres profiteri cœperunt. Post hæc Cœnobium opibus & potentiâ in tantum crevit, ut hujus loci Abbas inter Imperii Principes hodie numeretur: primo titulum hunc sibi vindicante Abbate Conrado, qui electus fuit An. C. 1226. Unde jam in Notgerum, qui 973. Abbas creatus est, ab Ekhardo illud Ciceronis adaptatum:

O fortunatam Galli, me Consule, cellam.

Fuit antiquitus sub tutela Impp. Rom. qui Cœnobio advocatos ex nobilibus harum regionum, quæ Alemanniæ nomine censebantur, dedere. Verùm varias ob causas, bello imprimis inter Abbatem & Abbatiscellanos exorto, cùm cives oppidi & ex clientibus Abbatis plerique his faverent, Caspar Landenbergius Abbas ordine 52. petiit à quatuor Pagis Helvetiæ Tiguro, Lucerna, Suitia & Glarona, se cum suis jure civitatis donari, eosque Cœnobii Advocatos defensoresque suæ libertatis constituit; An. C. 1451. Postea successor hujus Ulricus, quòd cives oppidi & Abbatiscellani cum subditis suis conspirantes, Rosaci cœnobium destruxissent, arctius iis se junxit, cœnobiumque emto Comitatu Toggiensi, An. C. 1469. auxit. A quo tempore durat usque ad nostram ætatem societas, & quamvis non omnes Pagi eandem cum Abbate profiteantur religionem, mittunt tamen ex fœdere Capitaneum, virum senatorii ordinis, qui biennio cum Abbate manens, civilium rerum administrationi interest, & in his rebus privilegia & jura Monasterii tuetur. V. Simlerum *de Rep. Helv.* Stumpf. *descr. Turgea, lib 5. &c.*

Sangallum, opp. pulchrum, opulentum, & populosum, in superiori Turgea, duos inter montes situm, versus Ortum & Occasum patentes campos, versus Meridiem Alpes habet Abbatiscellanas: ab una parte *Sitter*, ab altera *Goldaich* fluvii decurrunt, inter quos manans Petrosa, vulgò *Steinaich*, urbis molas trudit, indeque latius evagata Lacu Constantiensi excipitur. Cœpit oppidum unà cum cœnobio, breviq; ob situs commoditatem frequentatum, negotiatione, byssi imprimis, supra alias caput extulit. Sed Arnolpho imperante, ab Hungaris vastatum; postea mœnibus cingi turribusque muniri cœpit, An. C. 954. quod opus ad umbilicum perductum est, An. C. 980. sub Abbate Notgero, de quo supra. Exin cum monasterio sub tutela Imperii fuit, in multis quidem Abbati obnoxium, sic tamen ut interim sua quoque jura cives haberent, quæ Imperatorum, quibus fidam præstiterunt operam, beneficio & propriâ industriâ subinde auxere. Abbatis postea Mangoldii tempore binis nundinis dotata urbs, A. C. 1117. Obsidione cincta est à Wernero Episc. Constantiensi, postquam Ulricum Abbatem prælio devicit, An. C. 1208. Immunitatibus dein amplissimis donata est à Friderico II. Imp. & consentiente Abbate, Imperio unita. Incendio horribili arsit Ann. Ch. 1215. Privilegia porro accepit à Rodolfo I. Imp. An. C. 1281. variisque oneribus levata est ab ipso Abbate Wilhelmo, An. C. 1291. Sequente anno insidias Ramschwangiorum feliciter exiit. Interea aucto civium numero, & crescentibus etiam Cœnobii opibus, sæpius utrinque litigatum, pacem modò vicinis urbibus, modò Impp. conciliantibus. Multoties quoque pecuniâ Abbatibus satisfactum, & libertas Urbis juribus illorum emtis aucta est. Verùm cùm Abbatiscellani bellum Cunoni Abbati movissent, cives; qui pro Abbate initio pugnaverant non absque clade, postea victoribus fœdere sese conjunxerunt: An. C. 1402. postquam jam An. C. 1312. cum Tigurinis, Constantiensibus & Scaphusianis, aliisque aliis temporibus, sæpius fœdus ferissent. Finito hoc bello, cùm aliquot annis pòst Landebergius Abbas jus civitatis à quatuor Pagis impetrasset, cives oppidi cum 6. Pagis, Tiguro; Berna; Lucerna, Suitia, Tugio & Glarona perpetuo fœdere coierunt; A. C. 1454. Obsessa urbs ab Helvetiis An. C. 1490. dein proscripta A. C. 1497. ab Imperatore, utrumque discrimen, datâ pecuniâ avertit. Anabaptisticis furoribus turbata An. C. 1525. mox cœlitus levamen sensit, & ad Reformationem via strata est. Anno enim eodem Monachus quidam Augustinianus Petrus Keesius, varia hactenus recepta Pontificum dogmata in dubium cœpit vocare: sequente anno 1526. inter Pastores oppidi & Abbatis Concionatorem Doct. Wendelinum, disputatio ferbuit: An. C. 1527. Sacerdotes honestum Conjugium turpi Concubinatui præferre inceperunt: An. Ch. 1528. imagines abolitæ, & 46. plaustris impositæ atque extra urbem igni consumptæ sunt; cœtero templorum apparatu in pauperum solatium converso; sicque Evangelii doctrina ab omnibus recepta est, An. C. 1529. Divisa in Nobilium societatem, quam Nortensteyniam vocant & sex præterea tribus civitas, Democraticè regitur. Felicissimorum ingeniorum mater, inter alios protulit Schurffios, Martios, Wirtios, Varnbüleros, & qui inter reliquos, velut inter ignes Luna minores, emicat, Joachimum Vadianum Medicum, Poëtam & Geographum excellentem, Viennensis Academiæ aliquando Rectorem, postea patriæ Consulem, & Reformationis ibidem insigne organum. Plura V. apud Stumpf. *de Turgea lib. 5.* Simlerum *de Rep. Helv.* Lætum *Comp. &c.*

Sanga-

Sangamarta, Indiæ intra Gangem urbs. Ptolemæus.

Sangami, opp. Quantoæ reg. Japoniæ, versus Austr. paucis mill. à Gendo Urbe præcipua in Occ.

Sangarium Fretum, inter partem Sept. Japoniæ & terram Æsonis recens detectam.

Sangarius, fl. Asiæ à Dindymo monte nascens, & per Phrygiam Bithyniamque in Pontum illabens. Claud. *lib.* 2. *in Eutrop.*

—— *Dindyma fundunt*

Sangarium, vitreo puri qui gurgite Galli.

Ejus mem. Dionys.

—— Ε'πίρη δέ τι ὕδωρ κέχυται

Ε'ὐρυτίρη μεγάλη παρ' ὕδασι Σαγγαρίοιο.

Sangarius Ptol. dicitur. Ovid. *Sagarim* vocat Pont. 4. 18.

Huc Lycus, huc Sagaris, &c.

Sangari Bellonio, *Zagari* Nigro dicitur.

Sangata, turris & munitio Galliæ, inter Witsantum portum & Calesium, hodieque *Sangate*: à voce *San*, vel *Sant*, sabulum, & *Gata*, quod foramen olim apud Morinos significavit. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Sangia, vicus Phrygiæ, unde *Sangarius* fluvius originem sumit. Eust.

Sangossa, urbs Navarræ, ad Aragonium fl. aliàs *Suessa*, Florian. In ipso limite Aragoniæ, 13. leuc. Hisp. à Calaguri in Ort. 8. à Pompelone in Eur. *Sanguesa*.

Sanguinarius, pons circa Spoletum, inter Narniam & Ocriculum. Aurel. Victor.

Sanguis Jesu Christi, Ordo mil. Mantuæ, à Vincentio IV. Duce institutus, A. 1608. Cujus symb. *Domine probasti me.* Item, *Nihil hoc triste recepto.* Albertus Miræus, *Orig. Ordin. Eq. libro* 2. *capit.* 6.

Sanguitersa, seu *Sancteriensis ager*, vulgò *Santerre*, tractus Picardiæ, inter Veromanduos ad Ort. & Ambianensem tractum ad Occ. ubi Perona, Roja, Nigella & mons Desiderii.

Sanicienfium Urbs, Vide *Sanagenses*.

Saniga, pop. Scythiæ Abasçis finitimi, Σάνιγαι Arriano propè Sebastopolim. Eorum mem. Plin. 6. 4.

Sanina, urbs ad mare Rubrum. Steph.

Sanir, vel *Senir*, mons qui & *Hermon*. Deut. 7. Vocatur & *Sion*. Deut. 4.

Sanis, *Sanaus*, Strab. *Sani* adhuc in tab. recent. opp. Phrygiæ Magnæ apud Diocæsaream. Ptol.

Sanitium, vulgò *Senez*. urbs Provinciæ, aliàs Suiriorum caput: ubi etiam Saganenses fuisse videntur. Satis est parva, versus montes, Ep. sub Ar. Ebroduneńsi, 12. inde leuc. in Mer. uti 4. à Dinia 8. à Segusterone in Eur. Vinciam versus. Inter exiguas Galliæ diœceses. Valesio urbs fuit, sicut & Cemenelium, Velauniorum, inter provinciæ Alpium Maritimarum 8. civitates quinto loco posita. Hodie vicus potius, quàm Civitas: *Notit Gall.*

Saniturnus, fl. Æmiliæ apud Forum Cornelii decurrens. Hodie *Santerno*. V. *Vatrenus*.

Sanlucidum, castrum Calabriæ inferioris, illustris familiæ Caraffarum Neapolitanæ, generoso vino inclytum.

Sannaus, locus Phrygiæ, apud opp. cognom. ubi magna absinthii copia. Plin.

Sanni, pop. qui & *Macrones*. Strabo *lib.* 10.

Sanniga, vide *Saniga*.

Sannina, Mediæ urbs, ad Hyrcanum mare. Ptol.

Sannyrion, Poeta Trag. cujus Danae laudatur, Schol. Aristoph. *Ran. Actu* 1. *sc.* 6.

Sanocum, opp. Russiæ nigræ, ad Sanum fl. cum arce non temnenda, in Palatin. Leopoliensi, versus montes, 6. leuc. à Premislia in Mer. Satis cultum.

Sanpetrum, castellum Lucaniæ.

Sanquinius, L. Arruntii, sanctissimi Senatoris, accusator, calumniæ damnatus. Tacit. VI. 7.

Sanquinius Maximus, è Consulatibus. Tac. VI. 4.

Sanrufum, opp. Lucaniæ.

Santena, opp. Duc. Clivensis, non procul à Rheno, 2. leuc. infra Velaliam in Occ. Neomagum versus, totidem à Geldria in Bor.

Santeriensis pagus Galliæ, vulgò *le Santou*, in quo Villare *Villiers le Carbonnel* & Lehunum *Lihons en Santou*, Monasterio clarum. In agro Ambianensi, Britto *Philippidos lib.* 2. ante annos 450.

Sic regio quàm latè patet Viromanica tota,

Ambianensis humus pariter, cum Santeriensis

Ubertate soli, Regi cessere Philippo.

V. Hadr. Valesium *Notit Gall.*

Santes Paginus, Dominicanus Lucensis. Orientalium lingg. Hebraicæ, Arabicæ & Chaldaicæ peritissimus: Nec minus in Latina & Græca versatus. Versionem Bibliorum adornavit: Scripsit item *Isagogen ad SS. literas*, *Thesaurum linguæ sanctæ &c.* Obiit An. 1541. Lugduni ubi opera sua edi curavit. Sixtus Sen. *Bibl. sacr.* Leander Alb. *descr. Ital. & de vir. Ill. Dom.* Possevinus, Gesnerus &c.

Santhentonensis portus Angl. Ptolemæo Trisantionis fluv. ostium. Metel.

Santicum, Vide *Sianticum*.

Santillana, opp. Asturiæ, in ora Oceani Cantabr. versus confin. Biscajæ, medium inter Flaviobrigam ad Ort. & Ovetum ad Occ. 22. utrinque leucis. Hinc pars Or. Asturiæ *Asturia de Santillana*: Inter Biscajam & Asturiam Ovetensem.

Santis, urbs Celtica. Steph.

Santones, qui & *Santona*, pop. & urbs Gall. Aquitanicæ episc. sub Arch. Burdigalensi, quorum reg. *Xantonge* & urbs *Xainctes* ad Carantonum fluv. inter Pictavos ad Bor. Aquitaniam veram seu Garumnam, quâ hic *Gironda*, ad Mer. Oceanum ad Occ. & Inculismens. tractum cum Petrocoriis ad Ort. Fert. Urbs præc. Mediolanum Santonum, *Saintes*, ad Carentonum fl. ampla, non æquè culta, 15. leuc. à Burdegala in Bor. 10. à Rupella in Eur. Reliquæ, Broagium, Talleburgum, Angeriacum & Sobilæum. Baudr. V. & *Santoni*, namq; & sic dicuntur, Elias Vinetus *Antiq. Sant.* Luc. *I.* 1.

Signa movet, gaudetq́, amoto Santonus hoste.

Hinc *Santonicus* Oceanus, pars maris Aquitanici, qui Aquitaniam inter ostia Garumnæ & Ligeris alluit. Tibullus 1. 8.

Testis & Oceani litora Santonici.

Santonicum absinthium à Columella memoratur, cujus etiam Martialis mem. 9. 94.

Santonica medicata dedit mihi pocula virgâ.

Juvenal. *Sat.* 6.

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Santonum portus, *la Rochelle*. Vid. *Rupella*, quæ propriè in Alnetensi tractu. Aliis Broagium. *Santonum promuntorium*, vulgò *Cap de Malvason* Mercatori, promunt. Aquitaniæ in orâ inter Burdigalam, & Santonum portum. Aliis est *pointe de la Tremblade*, in ora Ocean. Aqu. 3. leuc. à Broagio in Afr.

Santoni, inter 14. gentes Aquitanis adjacentes, eisque contributas, inter Garumnam & Ligerim numerantur à Strabone, cum Pictonibus. De his Lucanus *lib.* 1.

—— *Gaudetq́, amoto Santonus hoste.*

Aliàs *Santones*: Sic Andi & Andes, Turoni & Turones &c. Nomen à flumine à Sona, Gal. *Suine* & *Segne*, olim *Santona*, fluviolo, qui supra Mediolanum Santonum in Carantonum effluit, & quam Archiacum *Archac* & Pontes *Pons* alluit. Eorum fines loca patentia maximeque frumentaria *lib.* 1. *Comm.* & Pictones ac Santones, pacatas regiones, hoc est, Rom. tum Reip. bonâ fide obedientes, *lib.* 3. Cæsar vocat. Commendatur autem Santonum ager frumento, vino ac sale hodieque quam maxime. *Santonici* cuculli Juvenalis, & Bardocuculli Martialis *lib.* 14. meminit. Urbs princeps gentis Mediolanum est, quæ Burdigalam, centum olim & quatuor: nunc 450. jugera soli occupantem & Amphitheatro suo, quod palatium Gallieni vocant, extra muros ac Tutelâ vel Palatio Tutelæ nunc intramurano hodieque gloriantem, Metropolim: Pictones pro sorore habet, urbem veterem, & Amphitheatri sui nunc intramurani ac aquæductus insignibus reliquiis nobilem. Supersunt hodieque Amphitheatri in urbe Santonum rudera ac reliquiæ nobiles extra muros, ac arcus antiquus in Carantono præterfluente, priscorum quoque monumentum aliquot in locis particulæ & non exigua aquæductus λείψανα. In monte olim posita, dein cùm à Vandalis, Gothis, Saracenis ac Normannis eversa esset, non procul inde ad flumen condita est, ubi prius casæ piscatorum erant. In vett. Not. inter prov. Aquitanicæ secundæ civitates sex, quartum obtinuit locum, postea tertio in gradu collocata, & Episcopus ejus inter Antistites Burdigalensis Archiep. subjectos secundo loco numeratus est. S. Eutropius unus ex vetustissimis Santonum Præsulibus: Basilica S. Petri, præterito seculo, dissidiis intestinis flagrante Galliâ, vastata est. Postquam enim à pace Reformatis data Carolus IX. resiliit, Religioque & cultores sunt proscripti: Exules mox in Santonibus, Engolismensi agro & Pictonibus, rerum summâ feliciter potiti sunt, adeo ut Princeps Condæus, vocem Themistoclis, *Perieram nisi periissem*, sæpe usurparet, circa An. C. 1568. Thuan. *Hist. lib.* 44. Præterea varia hic utriusque sexûs monasteria, & in diœcesi duodecim vel tredecim Abbatiæ sunt. Vulgò *Saintes*, sicut pagus *Saintonge*. V. Jul. Cæs. *lib.* 1. &c. Strab. *lib.* 4. Plin. *lib.* 4. *cap.* 19. Tacit. *Annal. lib.* 6. Amm. Marcellinum *lib.* 15. Auson. *Ep.* 14. 18. *&c.* Alanum *de Sant. reg.* Eliam Vinetum *Antiq. de Saintes.* Sammarth *Gall. Christ.* Duchenium *rech. des Antiq. des Villes*, &c. Hic Concilium habitum est, An. C. 562. contra Emeritum, qui favore Chlotarii in sedem, post Eusebium, irrepserat: Illic ergo deposito Heraclius surrogatus est. Sed Charibertus Chlotarii filius, Emeritum restituit, legato, qui Heraclii confirmationem venerat rogatum, curru spinis horrenti imposito & in exilium misso. De aliis Conciliis ibidem celebratis V. Morerium *Dict. Histor.*

Oppida & castella Santonum.

Angeriacum,	Olario vel Uliarus ins.
Broagium, *Broüage.*	Pontes.
Condate, *Cone* seu *Conac.*	Regianum, *Royan.*
Marinæ, *Marennes.*	Sobilia.
Mediolanum Santonum.	Tanniacum, *Tonay Charente.*
Moritonia, *Mortaigne.*	Talemontium, *Talemont. &c.*

Vide quoque supra in voce *Santones*, & Valesium *Not. Gall.*

Santorini, olim *Therasia* seu *Thera*, & *Callista*, id est, pulcherrima, dicta, insula est in Archipelago; formam habens lunæ cornicu-

ticulatæ, licet prius aliam haberet, antequam terræmotu concuteretur, & à mari in duas divelleretur partes, inter quas scopuli aliquot interjacent. Ea, quæ meridiem spectat, major est, patetque in circuitu 40. mill. Maris fundus hic vestigari non potest, maximè inter ambas insulas. Nat. Metel.

Sanua, Albaniæ urbs. Ptolem.

Sanuquin, opp. Japoniæ, in Xicoco insl. caput tractus cognom. in ora Bor. contra Niphoniam Insulam.

Sanus, fluvius Poloniæ. Oritur ex Carpatho monte, in limite Hungar. Per Russiam nigram labitur, juxta Premisliam & Jaroslaviam Urb. dein auctus aliquot fluv. per Polon. super. fluens, ibi prope Sandomiriam in Vistulam se exonerat. Ad ejus confluentes frustra obsessus fuit Carolus Gustavus, Suecorum Rex, à Polonis & Germ. aliquot hebdomadas.

Sanutus, vide *Marinus Sanutus*.

Sanzacbegus, apud Turcas, ex *Sanzac* vexillum, & *Beg* dominus, quasi *dominus vexilli*, *dominus vexillarius*: cui scil. cum vexillo tradita est provincia, ceu Præsidi: & cui propterea militatum eunti vexillum præferri solet. Græcis hodie φλαμουλάρης, aut Hameolaris. *Sanzac-beglue*, dignitas vel officium *Sanzaci*, aut Vexillani, id est, Provinciæ Præsidis, Præsidatus. Leunclavius *Onomast. Al-..* Bumsium *Beg sanzacum*, hoc est, dominus vexilli Bumsensis: *Musulm. l. 4.* narrat, ita vocatum fuisse Muratem, cùm à patre præfectus fuisset Burusæ, Idem.

Saocoras, Masio *Hermitz*, aliis *Set*, fluv. Mesopotamiæ, in Euphrat. influens.

Saon, historicus celebratur Dionys. Halicarnassensi περὶ συνθέσ. Ubi & de stylo ejus judicium fert. Viri eruditi suspicantur eundem esse, qui *Saon* dicitur Athenæo *lib.* 4.

Saona, vide *Savo*, & *Savana*.

Saor, in tribu Ruben, supra Jordanem, Hier. *in L. H.*

Saoras, urbs dicta à *Saorâ* Nymphâ.

Saos, insula Sajorum, Stephan. Vide *Samos*.

Saotas Jupiter, Thespiis cultus: hac de causa ita cognominatus. Cum draco urbem vastaret, Jupiter mandavit, ut adolescentem sorte eductum singulis annis serpenti immolarent. Sors Cleostro obtigit, quare Menestratus, ejus amator, machinatus est thoracem æneum, singulisque thoracis squamis hamum sursum versus connexuit, & eo se thorace induit seque ultro feræ obtulit, ut unà & ipse draco interirent: quare Thespienses Saotæ Jovi simulachrum erexere. Fuit & Dionysii, apud Trœzenios, cognomen.

Saux, mons Abderitatum, 10. m. p. altus, Plin.

Sapæ, vel *Sapæi*, Thraciæ pop. Stephan.

Sapaudia, regio Galliæ Narbon. primùm ante Ann. 1280. memorata Amm. Marcellino *lib.* 15. major olim quàm nunc fuit, cùm partem olim Delphinatus comprehendisse, ex Notit. Imper. sub Honorio Imper. composita, discamus. Et certè hodieque Gratianopolitanæ diœceseos pars minor Sapaudiâ continetur, cujus caput Camériacum Episcopo Gratianopolitano paret. Post Honorii mortem Anno 20. ab Aëtio Burgundionum reliquiis data est, cum indigenis dividenda: Eamq; Karolus M. cum inter filios tres regnum ac Imperium divideret, *Sabojam* vocavit, sicut nunc *Savoye* dicitur, atque inter pagum Lugdunensem & Mauriennam posuit, adeoque tum minima erat, siquidem Mauriennam & Darantasiam unà cum suis vallibus & pagis: ut & montem Cinisium ac Vallem Segusinam, non continebat, quod tamen hodie fit. Paulo dein post An. Chr. 1322. multò majorem, quàm nunc est, Sapaudiam facit Notit. Episcopatuum Galliæ & duas in ea Metropoles ponit, Darantasiam & Velontionem. A *Sapaudo* quodam dicta, quod nomen proprium quibusdam fuit. Continet hodie regio Caput lacus Lemanni *le Gavot*, Caballiacum *le Chablais*, Augustam Prætoriam, Focinacum, Darantasiensem pagum & Maurienensem, cum monte Cinisio ac Valle Segusina. Monetus à lacu Lemanno ad montem Cinisium & Segusium 40. leuc. Sapaudiam longam, Francicas 60. & ab uno capite Lemani ad alterum 20. leuc. Franc. latam: ab ortiva Rhodani ripa ad Alpes Maritimas altero semisse latiorem esse *Sapaudiam* refert. Ejus domini Comites Mauriennæ diu, dein Comites Sapaudiæ, tandem Sigismundi Imper. beneficio Duces sunt appellati. Nunc in literis suis *Duces Sapaudiæ, Caballiaci, Augustæ & pagi Genevensis, Principes Pedemontii, Marchiones Salutiarum; Comites Genevæ, Rotundi Montis, Niciæ, & Astæ ac Tendæ: Barones Focimaci, dominos Vercellarum, Marchionatus Italiæ* inscribi se jubent. Incolæ *Savojars*, vel *Savoisiens*. Vide quoque in voce *Sabaudia*.

Saperdion, scribit Apollodorus Purynes fuisse duas, quarum alteram *Clangidam* cognominarunt, *Saperdion* alteram. Cæl. Rhod. *lib.* 14. *cap.* 13.

Sapei, pop. Sarmat. Asi. Plinio.

Saph, nomen Gigantis, 2. Reg. 21. Latinè, *pelvis, crater, phiala, limen; finis*, vel *consummatio: juncus*, vel *pelagus*. Dicitur & *Saphai*, 1. Paral. 20.

Sapha, Græcè σκοπός, id est, *specula*, locus est versùs Septentrionem, septem à civitate Jerusalem stadiis distans, sic nominatus quod ibi urbs templumque conspici poterant.

Saphan, filius Gad. 1. Par. 5. Latinè, *barba, labium*, aut *ripa*, vel *confusio*, sive *solitudo eorum*.

Saphar, urbs regia Arabum, Plin. 6. 23.

Saphat, filius Huri, Numer. *cap.* 13. Pater Elisei, 3. Regum 18. Filius Semejæ, 1. Paralip. *cap.* 3. Latinè, *judex*, vel *judicans*.

Saphatia, filius David, 2. Reg. 3. Filius Rahuel, 1. Paralip. 1. Vir Aruphites, 1. Paralip. 12. Latinè, *judicans Dominus*, sive *judicium Domini*.

Saphon, nomen civit. supra Jordan. in tribu Gad. Jos. 13.

Saphoni, vulgò *Aphoni*, unde Zabdias, in tribu Ephraim, 1. Paralipom. *cap.* 22.

Sapires, pop. juxta Pontum. Orpheus *in Argon.* Σάπειρες, apud Steph. *Sabiri* Agathiæ.

Sapis, fluv. Italiæ. Oritur in Romandiola Florentina, 12. mill. supra Sarsinam; dein per Romandiolam propr. fluens, in mare Adriaticum cadit, quinque mill. à Cervia in Occident. *Il Savio*. Vide *Isapis*.

Saponaria, locus prope Tullum, seu suburbium ejus in Lotharingia, ubi Concil. An. 859. Vulgò *Savonieres*. Item Lucaniæ castellum, ubi olim Grumentium.

Sapor I. Persarum Rex, post Artaxerxem, An. 242. cruoris avidus, notissimus cladibus ab Imperat. Romanis acceptis & illatis. Vastavit Mesopotamiam, Syriam, Ciliciam, aliasque Imperii provincias, totum Orientem subacturus, nisi Odenatus Dux primò, dein Rex Palmyrenorum, ejus conatibus obicem posuisset. Gordianus Imper. eum in regnum suum redire compulit, quo à Philippo occiso, hic cum Sapore pacem iniit, qui Antiochiâ potitus est, Ann. 252. maximè tamen insignis fuit victoria de Valeriano Imperat. parta; quem proditione Macrini vel Macriani bello captum miserè habuit, ut quoties currum conscenderet, ejus humeris pedibus inniteretur, tandem vivum excoriari, sale vulneribus insperso, jussit: Hunc nihilominus Odenatus & Zenobia, Nisibe, Carris, aliisque urbibus occupatis, sæpe vicerunt, præcipuis ejus ducibus captivis, ad Gallienum missis. Obiit Ann. 273. regni 31. Pollio *de 30. tyrannis*, Agathias, Eusebius, &c. Claudian. *lib.* 2. *in Eutropium*:

> —— *Socium nobis fidumq; Saporem*
> *Perculit, & Persas in regia vulnera movit.*

Ita locum istum restituit doctissimus Nicolaus Heinsius. Nomen erat plerisque regibus Persarum commune, uti *Cæsares* Romanis. Sidon. Apollinar. *Panegyrico Aviti*:

> —— *Parthicus ultro*
> *Restituit mea signa Sapor.*

Sapor, vel *Sapores II.* jam in sinu matris, Rex agnitus est; quem cùm audiret Constantinus Magnus, Nisiben aggressurum esse, ei obviam cum copiis profectus, in itinere, Obiit An. 337. Filius dein ejus Constantius, Ann. 338. 345. & 349. copias contra eum misit, prope urbem Sangarum, ingenti prælio noctu commisso, Hieron. *in Chron.* Amm. Marcellin. &c. qui posterior Amidæ tum fuit, cùm à Sapore capta esset, post victos sub Sabiniano Romanos. Hinc horrendæ persecutionis erga Christianos initium, quos Judæorum & Idololatrarum furori Barbarus, illos hostes status sui esse ab iis persuasus, exposuit: Infelix perpetuò contra illum Constantius fuit, & Jovinianus quoque, pace factâ, Nisibe urbe, aliisque locis illi cedere coactus est: Qui bellum redintegravit, Anno Chr. 370. in Armeniam irrumpens, sed non eodem successu. Obiit Ann. Chr. 380. Vide Sozomen. *lib.* 2. Socratem, Agathiam, Eusebium, &c.

Sapor III. successit An. 384. patri Artaxerxi, post Saporem II. prædecessoribus neque sævitiâ, neque successu par, per Legatos à Theodosio M. pacem petere coactus est. Obiit An. 389.

Sapphira, uxor Ananiæ, Actor. Apost. *cap.* 5.

Sapphirine, insula in Arab. sinu, è quâ *sapphirus* gemma, Steph. licet corruptè legatur *Samphirine*.

Sappho, Lesbia, insignis poëtria, carminis inventrix, quod ab eâ *Sapphicum* appellatum. Aliquis, inquit Vossius, existimare posset, Sappho vixisse tempore Archilochi & Hipponactis, quia hos Sapphûs amatores Diphilus in Comœdiâ induxerit. Sed non hoc majoris putandum, quàm quòd Hermesianax eam scribit amatam ab Anacreonte: cùm Sappho vixerit Olympiad. 42. Anacreon autem 61. Quare, ut Athenæus observat *lib.* 13. sunt hi poëtarum lusus. Olympiade eadem claruit Sappho Lesbia, poëtria Lyrica, ut ait Suidas, qui addit, eâdem ætate fuisse Alcæum, Stesichorum, & Pittacum. Ac facile cum eo conciliare est, quòd Eusebius ad 144. Olympiad. Ann. 2. refert. Scripsit epigrammata, elegias, jambos & monodias; è quibus nihil nobis superest, præter Hymnum ad Venerem, & Odam 16. versuum ad puellam, quæ ipsi in delitiis erat: quæ duo à Dionysio Halicarnassæo & Rhetore Longino ab interitu vindicata sunt. Elegiam Ovidii, sub nomine Sapphus præ reliquis ideo insignem, quia ex Sapphus carminibus, quidquid exquisitioris in illis elegantiæ erat, huc transtulerit, judicant eruditi. Distingue verò duas *Sapphones*, unam Eretriam, alteram à Phaone adamatam, ut est apud Athenæum, ubi supra. Plutarchus, Eusebius, Lilius Giraldus. Horatius 2. *Carm. Od.* 13.

> *Æoliis fidibus querentem*
> *Sappho puellis de popularibus.*

Idem *in Epistolis*:

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho.
Hinc adjectiv. *Sapphicus*; ut *Musa Sapphica* apud Catullum, *epigramm.* 13.

Sappho, Samariæ vicus, Joseph.

Sapra palus, vide *Byce*.

Sapru, opp. Lucaniæ, nunc *Libonati*, cum fluv. cognom. *Sapri*, inter Buxentum ad Occ. & Laum ad Ort. ac inter Policastrum urb. 6. & Maratheam oppid. in Ort. 12. m. pass. Hinc Sinus Sapricus, *Golfo di Policastro*.

Sapsas, locus circa Jordanem, ubi S. Johannis Baptist. habitatio, juxta Sophronium.

Saptine, filia Darii ultimi Persarum Reg. Alexandro in matrimonium obiata, ad pacem impetrandam, Curt. 4. 42.

Sapuri, montes Scythiæ inter Imaum, Ptolem.

Sapyselatum, mons Corinthiacus, *Arachnum* Pausan.

Sara, filius Ephraim, 1. Par. 7. Latinè, *caro*, *consanguinitas*, *fermentum*, sive *residuum*, vel *remanens*.

Sara, filia Arani, uxor Abrahami, mater Isaci: cujus historiam vide Gen. *cap.* 11. 16. *& seqq.* Obiit An. M. 2175. Hebrone sepulta, Latinè, *Domina*, vel *princeps*.

Sara, urbs Aureæ Chersonesi. *Selungas* Castaldo. Urbs item Cappadociæ, Antonin.

Sara, sive *Saraa*, & *Sarasa*, Civitas Judææ, in planitie patria Samsonis, ubi, teste Josepho, sepultus est. In tribu Dan, Jos. 19. Latine, *lepra*, vel *scabies*.

Sara, fluvius Belgicæ secundæ, vulgò *Sere*: alluit castrum pagi Laudunensis Crisciacum *Creci sur Sere*, Aciacum *Achy*, Medianum Pontem *Moien Pont*, Noviomagum *Nouvion*, Albacum *Alli*, & Saram cognomin. locum *Sara*, atque ad Faram Picardiam *la Fere*, in Isaram effluit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Quibusdam etiam Saravus fluv. *Sara* dicitur. vide *Saravus*.

Sara, fluv. Helvetiæ exiguus, qui opp. Sanegaunum *Sargans* alluens, dividit Sarunetum seu Sanagensem regionem in duas partes: Vide Simletum *de Rep. Helvet.* & infra in voce *Sarunetes*.

Sarabacus, Sinus Indiæ extra Gangem, Ptolem. *Golfo Savolas* eum vocat Castaldus. Meliùs *Sabaracus*: pars Sinus Gangetici, nunc *Golfo de Martaban*. Vide *Sabaracus*.

Sarabaitæ, id est, sibi viventes. Sic dicuntur S. Benedicto tertium genus Monachorum: *quoniam*, inquit, *nullâ regulâ approbati experientiâ magistrâ, sicut aurum in fornace, sed & in plumbi naturam molliti adhuc operibus, servantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur: quibus pro lege est desiderium voluptas: cùm, quidquid putaverint, vel elegerint, hoc dicant sanctum: & quod noluerint, hoc putent non licere.* Apologia Henrici IV. Imper. in rerum Germ. Script. apud Henr. Spelmann. *Gloss. Archaeol.*

Sarabia, nomen viri, 1. Esdr. 8. Latinè, *siccitas Domini*, aut *prævalens cum Domino*, aut *psallens in* vel *cum Domino*.

Sarabris, urbs Hisp. Tarracon. in Vaccæis ad Durium fluv. inter Vallisoletum & Salmanticam. *Toro* Gometio & Floriano. Urbs Legionensis regni, 9. leuc. à Vallisoleto in Occ. Senticam versus 6. & 12. à Palentia, in Africum. Ibi Lusitani grandi clade à Castellanis fuere affecti. Brietius.

Sarabus, Indiæ intra Gangem fluv. Ptolem.

Saraca, opp. in mediterraneis Mediæ, Idem. Est & eidem *Sarace* civitas in Colchide.

Saracena, Arabiæ Petrææ regio, Ptolem. populi *Saraceni*, secundùm alios in Arabiâ Felici. Qui ad *Saram* referunt, nugas agunt, sed hæc à loco *Saracâ* fuisse nominatos Stephano concesserim, cujus verba sunt: Σάρακα χώρα Ἀραβίας, μετὰ τοὺς Ναβαταίους, οἱ οἰκοῦντες Σαρακηνοί. Neque enim fuit *Saraca* prope Nabatæos, sed in Sabæis, loco à Nabatæis remotissimo. Vide Ptolem. *lib.* 6. *cap.* 7. Verum est, hodieque in Arabiâ extare vicum *Savvarakiam* inter Moccham & Medinam, vel ut alii volunt, in viâ quâ itur Mecchâ Hierosolymas. Sed vicus ille obscurior est, quàm ut genti nomen fecerit; Neque ab eo *Saraceni*, sed *Savvarakieni* dicerentur. Hoc potissimum, quòd *Saracenos* ipsi se nunquam appellant, sed à vicinis populis per contemptum sic vocantur. Melius itaque à latrociniis sic dici putat Bochartus ὁ μέγας; nam Arabicè סרק *saraka*, est *latrocinari*; sunt enim genus hominum planè λῃστρικοί. Vide *Saraceni*.

Saraceni, pop. Arabiæ, *Agareni*, & *Ismaëlitæ* quoque dicti, quòd ab Agare & Ismaële descenderint: quamvis à Chasluim, uno ex Cami posteris, originem illorum quidam arcessant. A voce Arabica, quæ vagum & latronem denotat. Seculo 5. primùm innotuerunt: quorum Dux Alamundurus, qui Vatani Persæ promiserat, se illi non Romanos solùm subacturum, sed & Antiochiam Syriæ in manus traditurum, sub Theodosio Minori, panico quodam terrore perculsus, ultra C M. amisit, circa Ann. Chr. 421. Mesopotamiam, imperante Zenone, vastarunt, An. Chr. 476. Princeps postea eorum, Terebon, filius Aspecti, cùm miraculosè sanatus esset, Christiani omnes effecti sunt, Cyrill. *in vita Euthymii Abbatis.* Postea tamen idem Mahometi cum suis adhæsit. Hujus dein Mahometis socer Abubebecher, Saracenorum legionibus Heraclio Imper. ob convitium, infensis, sibi junctis, regiones Gazæ ac Sinæ montis aditus occupavit: Successor Omar ulterius progressus est, è cujus ducibus Muhavia, Hormisdâ Persarum Rege victo, à gente Artaxerxis ad Saracenos Persicum regnum transtulit, An. Chr. 632. Ab eo tempore potentiores effecti, sub eodem Africam, è qua 80000. captivorum abduxere, An. Chr. 668. Asiam, Europamque invaserunt, parte Siciliæ, post direptas Syracusas, An. Chr. 669. in hac potiti, classe quoque 500. navium Constantinopoli obsessâ, quâ tempestatum vi laceratâ aliam adduxerunt, à Callinico superatam, Ann. Chr. 672. Post quæ à Mardaitis è Libano vexati pacem 30. annorum tributariam fecere. Mortuo Muhaviâ à Marvane cùm dissidiis agitarentur, Muctar Persidem invasit, tyrannis Abdemelechus se opposuit, An. Chr. 685. postquam à Vamba quoque Hispaniæ Reg. 270. iis naves ereptæ & crematæ essent, Ann. Chr. 675. Abdemelechus Persiæ Arabiæque tyrannis feliciter coërcitis, cum Justiniano Imperatore pacem fecit; violatam illam clade ultus est, An. Chr. 686. successit illi filius Valid I. An. Chr. 692. Postea Vitiza, Hispaniæ Rex, Hervigii fil. cùm muros urbium in toto regno dejecit, tribus exceptis, Saracenis sic viam ad regnum invadendum munivit, An. Chr. 707. Namque Valid operâ Tarichi mox spoliatâ Hispaniâ, postea occiso Roderico Rege, illam occupavit: mortuo successit Solimannus frater, Ann. Chr. 710. & 713. Sub Philippico Bardane Imper. iidem impunè Asiam vastarunt, An. Chr. 711. classe ab Artemio petiti, An. C. 715. Solimannus & Omar, ad Constantinopolim maximâ sunt affecti clade: nec minori in Galliâ, à Carolo Martello, quò ex Hispan. ab Eudone evocati fuerant. Omaro An. Chr. 746. successit Jezid I. fil. Abdelmelechi, & post 4. annos Hasca frater. Hunc Valid II. excepit, quo brevi mortuo præfuit Jezid II. mox Marvan, quo interempto imperium An. Chr. 749. tres partiti sunt, Abubalas Persidem, Solymus Ægyptum, Habdalas Syriam sortitus est. Abubalæ Abujapher, qui Seleuciam instauratam Bagdeth vocavit, successit. Habdalas æmulis sublatis Damasci an. 22. præsedit, relicto filio Mahadi successore, An. Chr. 755. quo Turcæ ex montibus Caspiis in Armeniam irruperunt. Interea Pelagius Saracenis in Hispan. victis, Asturiæ regnum condidit, An. Chr. 717. & Garsias Gothus, iisdem superatis, Suprarbiensis regni fundamenta jecit, An. C. 727. Adelphonsus quoque gener Pelagii, Saracenorum viribus attritis, Christianismum reduxit, *Catholici* proin axiomate ornatus, An. C. 7[illegible]. Adelphonsi filius Froiola Jozephum Saracenorum Principem, in Gallæciæ finibus, fudit, cui Abderamen substitutus Cordubæ se Regem scripsit, An. C. 759. In Oriente Saracenorum in Syria 5. Amiras occidit Leo IV. Imp. An. C. 779. cùm Machdi adhuc Saracenis imperaret, bujus tamen filius Aaron Irenen sub tributum redegit, classemque ejus vicit, Thraciâ per Abdelmelechum usque ad suburbia Urbis vastatâ, An. C. 798. In Hispaniâ verò & Aragonii jugum Saracenicum excussere, An. C. 783. & Alphonsus tributum centum virginum ulterius pendere nolens, insigni illos clade, Lyssibonâ captâ, affecit, An. Chr. 793. Præfatus Aaron Nicephorum Imper. ad turpe tributum redegit, etiam in caput ejus & filii certis numismatis imperatis, An. C. 806. sed cùm Imin filius ejus voluptatibus se daret, facti tres Amiræ sunt Damasci, Babylone ac in Africa residentes: Iminique occiso Maimon Amiras Babylonius, vir eruditus, successit, An. Ch. 813. Maimoni Mucteran suffectus est, An. C. 833. quo tempore Abderamen in Hispania præfuit, qui Creta Siciliaque occupatis, Calabriam Apuliamque vastavit, sed à Ranmiro ingenti clade affectus; In Asia Mucterani Aaron successit, An. Chr. 841. cùm in Africa Abderamen rerum potiretur, qui Samnium Campaniamque devastavit, & Benevento Barioque occupatis, Casinense monasterium Romæque suburbia, imo opimas Petri & Pauli App. suburbanas basilicas spoliavit An. C. 846. successore filio Mahomete relicto, cùm Aaroni frater Mechucal successit. Michael Imper. Græcus à Saracenis ad Samosatam victus est, An. Chr. 859. sed collega Basilius eosdem bis fudit. In Apulia quoque Saracenis Ludovicus II. Imp. fortiter restitit, Capuâ, Luceriâ, Benevento recuperatis, An. Chr. 866. In Oriente Mammaluchi reges Ægypti & Syriæ fecere Achmadum, filium Tolonis servi: sic Caliphatu diviso, Abasidæ in Bagded, Tolonis posteri in Ægypto regnarunt, An. Chr. 869. In Hispania Alphonsus M. contra Saracenos egregiè rem gessit, An. Chr. 874. qui à Basilio quoque Imper. aliquoties mari superati, Syracusas nihilominùs solo æquarunt, Capuam expugnarunt, Romano itinere infesto, Ann. Chr. 884. In Africa Abdalla, Mahometem execratus, Halin sequi cœpit, ejusque nepos Elmedinalla, Ægypto potitus, regnum Babylonio æmulum condidit, Ann. Chr. 908. In Asia Muctedar, in Hispania Almanzor præfuit, ille ad Lemnum mari, hic terrâ victus, Ann. Chr. 916. In Italia quoque à Berengario Saraceni, qui Garelianum insederant, internecione deleti sunt, An. Chr. 915. iisdem Constantinus Imp. totam ferè Syriam, An. Chr. 932. Ordonius verò Hispaniæ Rex Gallæciam eripuit, An. Chr. 923. Cantabriæ interim partem amisit. Iterum in Syria graviter afflicti sunt à Romano Imper. An. C. 96[illegible] quemadmodum à Ranmiro in Hispan. An. Chr. 945. ubi tamen Albaca multa Comiti Castellæ ademit, An. Chr. 961. Cruentissimè in Italia prælio victi sunt ab Ottone II. Imp. qui proin *pallida mors Saracenorum* dictus est, Ann. Chr. 982. Sed in Hispania civilibus discordiis in rem suam usi, Legionense & Gallæciæ regna ferè tota occuparunt, donec Almansore victo, amissa recuperata sunt, An. Chr. 998. Hierosolymitanum templum Amiras Ægypti incendit, An. Chr. 1020. Victi sunt ad Cycladas Saraceni à Constantino I[illegible]

A

Chr. 1028. mox his inter se diffidentibus, dum Persidis Sulta- adversus Calipham Turcas evocat, ab his regno exutus, sicque potentiæ Turcicæ sub Tangrolipice Mucaleto jacta, An. C. [illegible] A Michaële Paphlagone Imperat. iterum Saraceni prostrati An. C. 1040. ut & à Romano Diogene in Syria, An. C. 1067. [illegible]epta dein contra eosdem Christianorum in Palæstinam expe[illegible] An. Chr. 1096. de cujus successu vide *in Palæstina*. Tan. Turcis Saracenorum ditiones penitus occupantibus, nomen [illegible] evanuit, quamvis id aliquando omnibus Mahometicæ se[illegible] addictis tribui soleat. Amm. Marcellin. *lib.* 4. Lætus *Comp.* [illegible] *Univ.* &c.

[Sar]aces, prætor Ægypti, in prælio ad Isson cæsus, Curt. *lib.* 3. 42. [illegible] *Saraces*.

[Sar]aga, Sinarum urbs, Prolem.

Saragina, Marmaricæ vicus.

Saraguri, gens Asiatica, Suidas.

Sarai, nomen viri, 1. Par. 2. id est, *leprosus*, vel *scabiosus*.

Saraia, filius Cenez, 2. Reg. 8. Filius Ezriel, Jerem. 36. Latinè, [pri]nceps, vel *canticum Domini*.

Saraim, civitas in tribu Dan, Jos. 15. 1. Reg. 17.

Saralus, Galatiæ opp. Ptolem.

Saramanne, Hyrcaniæ urbs, Idem.

Saramena, reg. Asiæ min. circa Amisum, Strabo.

Sarange, pop. Caucasi juga incolentes, Plin. *lib.* 6. *cap.* 16.

Saranges, Indiæ fluv. in Hydraoten influens, qui in Indum fluit. [illegible] terminare, scribit Polyænus *lib.* 1. Est *Saranges*, alius circa [Bos]phorum Cimmerium, apud Orpheum.

Saranojen, vulgò *Saarburg*, oppidum Galliæ Belg. ad Saravum [illegible]um in Trevirensi dition. 10. mill. à Treviris in Merid. 13. à Lu[xem]bu[r]go in Occ.

Sarapani, pop. Colchidis, quorum castellum *Sarapana*, ubi Pha[sis] navigari incipit, cùm præceps ex Caucaso eo usque deferatur, [Str]abo *lib.* 10.

Sarapara, populi, circa Caucasum, non procul ab Hyrcaniis, Pli[n.] *lib.* 6. *cap.* 16.

Sarapidis insula, *Mazira* Ramusio, insula maris Rubri, Arabiæ [Fel]. ad Occ. adjacens, Ptol. Arrian.

Sarapis, insula in sinu Indico, Stephano.

Sarapis, vide *Serapis*.

Sarar, pater Aham, 2. Reg. 23. qui *Sachar*, 1. Paral. 11. Latinè, [illegible]*us*, aut *cogitatio*, vel *insidiatio*, sive *cantans*, vel *Dominus*.

Sarara, Civitas, in tribu Dan, pergentibus Edom, Hieron.

Sarasa, urbs munitissima Mesopotamiæ, ad Tigrim, in finibus Ca[illegible]orum. Strab.

[Sar]asar, filius Senacherib, 4. Reg. 19. Princeps quidam, Zach. 2. [illegible] *præpositus thesauri*, vel *cellarii*, aut *psallentis thesaurus*, vel [illegible]*arum*, sive *qui videt angustiam*, aut ex Ebræo & Syro, *castra*[illegible] *angustiantis*.

Sarapades, filius Phraatis, Regis Parthorum, Augusto cum tribus [illegible] Ceropasde, Phraate, Vonone à Patre, firmandæ amicitiæ [illegible] missus. Strabo.

Sareth-asar, civitas in tribu Ruben in monte Bethphegor, Jos. 13. Latinè, *psalmatio matutina*, aut *angustia*, vel *colligatio matu*[*tinæ*], [si]ve *angustia*, vel *figura nigredinis*.

Sarathi, nomen viri, 1. Par. 4. Latinè, *leprosus*, vel *scaber*.

Saravus, *Sarra* ex antiq. inscript. *Sara* Venat. Fortun. vulgò [Sa]r, fluv. Galliæ Belg. apud Salmonam opp. Lotharingiæ oriens, [pra]eter Altum Montem *Blamont*, Saraviburgum *Sarburg*, Sara[vi Ag]rum *Sareck*, Vinstringum *Fenestrange*, Saravi insulam *Sar*[*wer*]*den*, Bukenhemium, Saravi Albam *Sar-Alben*, Gemundam, [i]psius & Blesæ confluentes, Pontem Saravi *Sarbrucken*, Wal[il]fingium mox Nitâ fluv. accepto, Saraltbachium vicum, Bur[gum] Saravi alterum, demum circa & citra Augustam Trevirorum [M]osellam influit. Lotharingiam hic fluv. à Germania dividit: [i]mpositum *Tsaralben* oppid. in Westria ad Salmensem Rheni[illegible]ium pertinet. Ab eo pagus *Saravensis*, in super. & inferiorem [illegible] nomen accepit, vulgò *Sargovv*. Pons Saravi caput Comi[tatus] est, in diœcesi Metensi. Vide Hadr. Valesium, *Notit. Gall.* [illegible] Ausonius sic canit, in *Mosella*:

Naviger undisonâ dudum me mole Saravus
Totâ veste vocat, longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis ut volveret ostia muris.

[Sarb]ala, Cappadociæ urbs in Ponto Polemoniaco, Ptol.

[illegible]*ha*, Arabiæ urbs, Idem.

[illegible]*bcus*, mons apud Europalatem, videtur pars Tauri inter [illegible] & Armeniam.

Sa[illegible], Assyriæ urbs, Ptolem.

Sar[illegible], Cosrois Dux, Regis, qui clades ab Heraclio acceptas [illegible]averat, jussu interfectus est: quo facto Cosroës exercitu [illegible] & à Siroë fil. regno utraque est exutus, An. C. 627.

[Sarch]inium, seu *Sarcinium*, primò monasterium ad Cisindriam [à S.] Trudone Franco Hasbaniensi extructum, dein oppidum: [illegible] Tungrensi, sub tutela Episcoporum Metensium per [illegible]440. donec Alexander, Leodicensis Episcopus an. 1130. Pa[illegible]num Monasterii oppidique S. Trudonis ab Episcopo Metensi [illegible] Vulgò *S. Truden*, vel *Truyen*, Gallis *S. Trond*: quibusdam corrupto nomine *Saintron*. Sed Chronicon Trudonense Sarchinium ab oppido St. Trudonis distinguit, unde colligit Valesius, Sarchinium locum esse oppido Cœnobioque Trudonensi proximum, qui vulgò *Kerkum* dicitur. Item vicus in Atrebatibus, vulgò *Sercin*. Vide quoque in voce *Centrones*.

Sarcinæ, vulgò *Sargines*, locus est Galliæ, in pago Senonico, inter Pontes Icaunæ & Brajum Sequanicum positus. Hujus dominus Gaufridus *de Sarcenis* dictus, in terra Sancta, strenuè se gessit, tempore Ludovici IX. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sardabala, fluv. Tingitanæ provinciæ, Plin. *lib.* 5. *cap.* 2.

Sardana, Indiæ intra Gangem urbs, Prolem.

Sardanapalus, Assyriis *Thonos Concolerus*, An. M. 3215. secundùm quosdam, 3158. secundùm alios, ultimus Assyriorum rex, tricesimus à Nino, omni libidinis mollitieique genere effœminatissimus: adeò, ut non erubuerit inter scortorum greges nere, & muliebri habitu fœminas omnes lasciviâ anteire. Quamobrem indignum rati Assyrii tali fœminæ parere, duce Arbace desciscentes, bellum Sardanapalo intulerunt. Qui victus in regiam se recepit, & extructâ pyrâ, rebusque omnibus charissimis eò congestis seipsum unà cum regiâ combussit, Herodotus. An. 3178. an 3234? Sicque finem Assyriorum regno imposuit. Hunc regem Ninives fuisse nonnulli credunt, ad quem Jonas Propheta missus. Vide Justinum *lib.* 1. Diodor. Sicul. *lib.* 1. *Bibl.* Athen. *lib.* 12. Euseb. *in Chron.* Torniel. & Salian. *in Annal. Vet. Testam.* Petavium, Scaligerum, Calvisium, &c. Cicer. *libro* 5. *Tusc. Qu.* *Quomodo igitur jucunda vita potest esse, à quâ absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur, qui incidi jussit in busto:*

Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit, at illa jacent multa ac præclara relicta.

Quid aliud (inquit Aristoteles) *in bovis, non in regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quàm fruebatur.* Idem ad Atticum *lib.* 10. *Ni fortè me Sardanapali vice in suo lectulo mori malle censueris.* Ovidius in *Ibin*:

Inque pyram tecum charissima corpora mittas,
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.

Juvenalis *Sat.* 10. qualis animus exposcendus à Diis, monstrans:

Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, sævosque labores,
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.

Vide Maxim. Tyrium *Dissertat.* 29. *extr.* & Scholiasten Aristoph. Epitaphium ejus Græce sic retulit Clemens *sub finem libr. secund. Stromatum*:

Ταῦτ' ἔχω ὅσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
Τερπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται·
Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.

Athenæus tamen *lib.* 12. aliam inscriptionem fuisse monumenti Sardanapali indicat, ex quâ appareat, ipsum minimè fuisse ignavum; illam nimirum: Σαρδανάπαλλος Ἀνακυνδαράξεω Ἀγχιάλην ἔδειμα, καὶ Ταρσὸν μιῇ ἡμέρῃ, ἀλλὰ νῦν τέθνηκα. Eusebii codices MSS. *Sardanapallum* vocant, ut observat magnus Scalig. qui putat hoc nomen in obscœnam notam à Græcis detortum. Nam παλλὸς idem quod φαλλός. Quo sine dubio respexit Cicero *lib.* 3. *de Rep.* *Sardanapallus ille vitiis multo, quàm ipso nomine deformior.* Invenitur etiam apud Hesychium: Σαρδανάπαλλα, ἀλοῖα, ubi restituendum arbitror αἰδοῖα. Pro vulgatâ lectione stant Strabo, Diodorus, aliique vetusti historici. Et, ut rectè idem Scaliger monet, *Sardanapalus* est Assyriacum שרדן פל *Sardan-pal*, posteriorque vocula legitur etiam in nomine Regis *Tiglathpalesar*.

Sardemisos, Tauri mont. promuntor. inter Lyciam & Pamphyliam, Plinius.

Sardene, mons ad Hermum fluv. Herodot.

Sardes, vide *Sardis*.

Sardessus, urbs Lyciæ prope Lyrnessum, ubi *Sardessius* Jupiter colitur, Stephan.

Sardeuna, Armen. minor. opp. Ptolem.

Sardiei, Dalmatiæ pop. Polybius. Vide *Ardiæi*.

Sardiaon, mons Bœotiæ, apud Asopum, Steph.

Sardiani, quo pacto à Smyrnæis, ancillarum coitu, victi fuerint, vide in dictione *Smyrnæi*.

Sardica, Thraciæ urbs Episcopalis mediterr. Ptolem. *Triadizza* Bulgaris, Sophiano. Turcis & Græcis *Sophia*. Nunc Bulgariæ caput, ad Ciabrum fluv. versus Hæmum montem. Hic Concilium, à Constantio & Constante celebratum, Ruffino & Eusebio Coss. An. Ch. 347. quo Nicenum Concil. confirmatum, Athanasius absolutus, & Episcopi quidam heterodoxi depositi sunt. Interim Ariani, qui huc citati venire recusarunt, Conciliabulo Philippis Thraciæ instituto Consubstantialitatem Filii cum Patre damnarunt, & Athanasium, aliosque Episcopatu indicarunt indignos, alio Symbolo condito: quò autem tutius fallerent, Sardicensis Concilii nomen huic cœtui affinxerunt: quo plurimi decepti sunt. Vide Theodoret. *lib.* 2. Socrat. *lib.* 2. Sozomen. *lib.* 3. Athanas. *Apol.* 2. *ad Solit.* Hilar. *frag. Synod.* &c. Daciæ item oppidum, Eutropius.

Sardinia, inf. & regnum in mari Ligustico, à variis habitata po-

pulis, tandem à Pœnis occupata est, quibus tamen illam Romani eripuerunt. A Saracenis postmodum capta, inde à Pipino ejectis, An. Chr. 809. diu Pisanis & Genuensibus contentionis argumentum fuit: Donec ab Aragoniæ regibus Hispan. regno innexa est: à tempore Martini, qui mortuo in Sicilia Martino genero, Aragoniæ, Siciliæ & Sardiniæ regna conjunxit, An. C. 1409. ubi hodie Vice Rex. Surita *Ind. lib. 2.* Mariana *lib* 15. Cluv. *Introd. Geograph. lib.* 15. Græcis Σαρδὼ Σαρδοῦς. Item Σαρδὼν Σαρδόνος. Hesych. Σαρδὼν, νῆσος μεγάλη πλησίον Ἀφρικῆς, ἡ καὶ Σαρδώνη, vel potius Σαρδονία. Dionys. Perieg.

Σαρδώ τ' εὐρυτέρη καὶ ἀπείρατος ἐν ἁλὶ Κύρνος.

Incolæ Græcis plerumque Σαρδῶοι, & nonnunquam Σαρδῷνοι ac Σαρδόνιοι. Romanis verò *Sardi*. Nomen id unde originem traxerit, plane incertum est; quippe Græcorum fabulas sequi piget. Sic Martianus Capella, *lib.* 6. *Sardinia à Sardo, filio Herculis, appellata.* Idem habet Solinus cum Isidoro. Eadem Græcis Σανδαλιῶτις & Ἰχνοῦσα à figura fuit appellata. Stephanus. Ἐκαλεῖτο δὲ Ἰχνοῦσα διὰ τὸ ἐοικέναι τῷ ἀνθρώπου ἴχνει. Plin. *lib.* 3. *cap.* 7. *Sardiniam Timæus Sandaliotin appellavit, ab effigie soleæ, Myrsilus Ichnusam, à similitudine vestigii.* Claudianus *de bello Gildonico:*

Humanæ speciem plantæ sinuosa figurat
Insula: Sardiniam veteres dixere coloni.

Silius Italicus *lib.* 12.

Insula fluctisono circumvallata profundo
Castigatur aquis, compressaq; gurgite, terras
Enormes cohibet nudæ sub imagine plantæ.
Inde Ichnusa prius Grajis memorata colonis.

Pausanias *in Phocicis*: Ὄνομα δὲ τῇ Σαρδοῖ τὸ ἀρχαῖον ὅτι μὲν ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἐγένετο, οὐκ οἶδα. Ἑλλήνων δὲ οἱ κατ' ἐμπορίαν ἐσπλέοντες Ἰχνοῦσαν ἐκάλεσαν, ὅτι τὸ σχῆμα τῇ νήσῳ κατ' ἴχνος μάλιστά ἐστιν ἀνθρώπου. Magnitudinem ejus quod attinet, Histiæus Milesius apud Herodotum *lib.* 5. νῆσον μεγίστην vocat. Scylax *in Periplo*: Μεγίστη Σαρδὼ, δευτέρα Σικελία. Diodorus *lib.* 5. Ἐχομένη δὲ τῆς Κύρνου νῆσός ἐστιν ἡ προσαγορευομένη Σαρδὼ, τῷ μεγέθει παραπλήσιος τῇ Σικελίᾳ. Pausanias ubi supra: Ἡ δὲ Σαρδὼ μέγεθος μὲν καὶ εὐδαιμονίαν ἐστὶν ὁμοία ταῖς μάλιστα ἐπαινουμέναις. Polybius *libr.* 1. Ἡ μὲν Σαρδὼ νῆσος καὶ τῷ μεγέθει, καὶ τῇ πολυανθρωπίᾳ καὶ τοῖς γεννήμασι διαφέρουσα. Plura vide apud Cluver. *de Sard. Antiq. cap.* 1. Habet hæc insula à Sept. montes editissimos, qui prohibent quo minùs à Boreâ possit perflari, quo fit ut aëris pestilentiæ maximè sit obnoxia. Quo nomine olim tam malè audivit, ut M. Cicero Quintum fratrem moneat, etiam tum cùm optimè valeret, meminisse eum debere, in Sardiniâ se esse; & alibi Tigellium quendam Sardum hominem esse ait patriâ suâ pestilentiorem. Martialis quoque Sardiniam Tyburi, tanquam saluberrimo loco pestilentissimum opponit:

Nullo fata loco possis excludere. cùm mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia est.

Strabo *lib.* 5. νοσερὰ ἡ νῆσος τοῦ θέρους. Mela *Cætera fertilis, & soli quàm cœli melioris, atq; ut fœcunda, ita pestilens.* Silius Italicus:

Serpentum tellus pura ac viduata venenis;
Sed tristis cœlo, ac multâ vitiata palude.

Causam hujus rei Claudianus eleganter expressit:

Dives ager frugum; Pœnos, Italosq; petenti
Opportuna situ. quæ pars vicinior Afris,
Plana, solo, ratibus clemens: quæ respicit Arcton,
Immitis scopulosa, procax, subitisq; sonora
Fluctibus: Insanos infamat navita montes.
Hinc hominum, pecudumq; lues, hinc pestifer aër
Sævit, & exclusis regnant Aquilonibus Austri.

Fertilitatem hujus insulæ quod attinet, suprà Polybium & Pausaniam audivimus. Inde Valer. Max. 7. 6. *Siciliam & Sardiniam benignissimas urbis Romanæ nutrices* vocat. Silius ubi supra:

Quà videt Italiam, saxoso torrida dorso,
Exercet scopulis latè freta, pallidaq; intus
Arva coquit. nimium Cancro fumantibus Austris
Cætera propensæ Cereris nutrita favore.

Strabo *lib.* 5. Ἔστι δὲ αὐτῆς τὸ πολὺ μέρος τραχὺ, καὶ οὐκ εἰρηναῖον, πολὺ δὲ καὶ χώραν ἔχον εὐδαίμονα τοῖς πᾶσι, σίτῳ δὲ καὶ διαφερόντως. Horatius *lib.* 1. *Carm. Od.* 31.

—— Non opimæ
Sardiniæ segetes feraces.

Sardi venales, Proverbium apud Ciceron. *lib.* 7. *Epist. ad Gallum*, quod vulgò de negotio prolixo accipiunt, ex eo, quòd Gracchus captâ Sardiniâ, tantam captivorum multitudinem abduxit, ut in eâ vendendâ multum temporis insumptum fuerit. Licèt alii per Sardos Etruscos intelligunt, quòd à Lydis, quorum Sardis urbs regia erat, genus duxerint; eosque venales appellari, quasi dubiæ fidei, & omni vento mobiles. Hinc *Sardonius risus*, adagium est in eos, qui intus tristes, foris lætitiam simulant, ab herbâ *Sardoâ*, quæ gustata dulcis videtur, sed mortem affert, rictu ora contrahens, ut moriens ridere videatur, Solino teste. Pausanias *in Phocicis*: Πλὴν δὲ βοτάνης μιᾶς καθαρεύει καὶ ἀπὸ φαρμάκων ἡ νῆσος. ὁ δὲ ὀλέθριος ἡ πόα δὲ ἡ ὀλέθρος σελίνῳ μέν ἐστιν ἐμφερής. τοῖς φαγοῦσι δὲ γελῶσιν ἐπιγίνεσθαι τὴν τελευτὴν λέγουσιν· ἐπὶ τούτῳ δὲ Ὅμηρός τε καὶ οἱ ὕστερον ἄνθρωποι τὸν ἐπὶ οὐδενὶ ὑγιεῖ Σαρδόνιον γέλωτα ὀνομάζουσι. Hesychius: Σαρδόνιος γέλως, ὁ καθ' ὑπόκρισιν, ἢ μετὰ ἐξηρμένος γέλως. ἢ ἀπὸ ἱστορικῶν Σαρδόνιος γέλως, οἱ Σαρδὼ κατοικοῦντες, τῷ Κρόνῳ θύοντες γελῶντες, καὶ ἀσπαζόμενοι ἀλλήλους· αἰσχρὸν γὰρ ἡγοῦντο δακρύειν καὶ θρηνεῖν· τὸν οὖν προσποιητὸν γέλωτα καλεῖσθαι Σαρδόνιον. τινὲς δὲ ἀπὸ Σαρδόνος τῆς νήσου· φύεσθαι γάρ τινα βοτάνην ἐνταῦθα, ἧς οἱ γευσάμενοι μετὰ σπασμοῦ καὶ γέλωτος ἀποθνήσκουσιν. ἄλλοι τὸν καθ' ὑπόκρισιν γινόμενον γέλωτα. Σαρδόνιοι καλεῖν ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι τοῖς ὀδοῦσι. Dio Chrysostomus *Orat.* 32. Τὴν βοτάνην ἀκηκόατε τὴν Σαρδόνιον καλουμένην, ἣ γέλωτα μὲν ποιεῖ, λυπεῖ δὲ τοῦτο καὶ ἐπ' ὀλίγον. Nonnus *Bassaricôn lib.* 20.

Σαρδόνιον γελόωσα φιλοκτίστου ἴαχε φωνῇ.

Videndus de la Cerda *in illud Virgil. Eclog.* 7.

Imò ego Sardois videor tibi amarior herbis.

Alii proverbium der. à *Sardone*, Carthaginiens. regione, ubi filii p[...] rentes septuagenarios Saturno ridentes sacrificabant, teste Ze[no-] doto. *Sardonia tinctura* apud Hesychium, de colore præcelle[nti] qualis olim in Sardiniâ fuit: & per metaphoram de eo, qui pud[ore] rubescit, aut plagis sanguine conspergitur. Appellationem d[e] hujus insulæ quod attinet, Bochartus Σαρδὼς, vel Σαρδόνος nom[en] Punicum esse putat. Ebræis סַעַד *Saad*, est *gressus*, sive *vestig*[ium]. Inde Σαρδὼ, vel Σαρδὼν dicta videtur hæc insula, sive Græc[i] R [in-] seruerint, aut etiam ipsi Pœni, quâ epenthesi nil frequent[i]us. Ebræis *Damesek*, & *Darmesek*, quod pluribus probat erud[itissim]us author *pag.* 632. Incolæ Straboni & Diodoro *Jolai*, seu *Jolae*[nses] dicuntur, eosque postea Strabo *Diagrebes* dictos scribit [...] insulam ipsam primùm inhabitarint, non satis certò inter au[thores] constat: hoc tamen verum est, Romanos cum Carthagin[iensibus] de ipsâ decertantes, ejus dominium obtinuisse, ibique su[as colo-] nias posuisse. Cadente postea Rom. Imperio, Saracenorum [...] insula hæc sustinuit, donec capta fuit à Genuensibus & [...] ipsamque Roman. Pontifex ex horum manibus ereptam, [...] dum Arragonensium regi dedit, unde postea hæreditario [jure ad] Carolum Quintum translata fuit, atque dein ad Philippu[m His-] spaniæ Regem, ejus filium. In hac sola reperiuntur a[...] illa, quæ *musfrones*, vel *mustriones* vocantur; animalibu[s noxiis &] serpentibus caret, etsi vulpem habeat, & solifugam (anim[al] exiguum, araneis formâ simile) nutriat. Aliàs cum titul[o ...] Longa est 170. m. pass. latitudo major 80. Circuitus aut[em ...] A Corsica distat freto 6. mill. pass. Regitur à Prorege H[isp...] Dividiturque in duas partes fluv. *Cedro*, & *Tirso*; nempe [in Bor.] partem, seu Lugodorinam, *Capo di Lugodori*, & in Austr. [seu] Calaritanam, *Capo di Cagliari*. Ferè 400. mill. pass. ab Insula Balea[ri] minor. in Ort. Totius insulæ caput est Calaris, *Cagliari*, in part[e] Austr. insulæ. Baudrandus.

Urbes Sardiniæ hac tempestate: quæ 18. olim Episcopali sede decoratæ, nunc septem sunt,

Algarium, *Algher*, sub Archiepiscopo Turritano, cui sedes Bi[sa-] riensis est juncta.

Arborea, *Oristagni*, Archiepiscopalis, cui sedes Sanctæ Justæ ju[n-] cta fuit.

Bosa, sic vulgò, sub Archiepiscopo Turritano.

* Calaris & Caralis; *Cagliari*, Archiepiscopalis, & sedes Pror[egis,] cui Episcopatus Galtellinensis, Olinensis, & Suellensis adju[n-] cti sunt.

Castrum Aragonense, *Castell Aragonese*, sub Archiepiscopo Tu[r-] ritano,

Emporiæ, *Ampurias*, quæ & Castrum Aragonense,

Phausania, *Terra nova*, cujus sedes Emporiensi copulata est.

* Sassaris, *Sassari*, Archiepiscopalis, Turritanæ urbi suffecta, cu[i] etiam sedes Torrensis adjuncta fuit.

* Turris Libyssonis, *Torre*, Archiepiscopalis, cujus sedes Sassarin[...] translata est,

Villa, seu vallis Ecclesiæ, Sulcitanæ suffecta, demum Calaritana[e] conjuncta.

Usellis, vulgò *Usellus*, seu *Santo Pietro de Usellus*, Episcopalis, su[b] Archiepiscopo Arborensi, cui etiam sedes Turris Albæ con[-] tributa fuit.

Sardinella, magnus vicus, ad Orientem Damasci, in tribu Ma[-] nasse; qui se à Christianis solùm admittit incoli, alios verò, an[te] confectum primum habitationis annum necat. Bonavent.

Sardis, *Sardes*, Straboni & Xenophonti, urbs Lydiæ Archiepis[copalis] & metropolis, apud Tmolum mont. inter Thyatiram ad Bor. [...] & Philadelphiam ad Austr. 26. mill. pass. Sedes regni olim [...] Mermnadibus, Gygis posteris. A Cyro capta, Olympiad. [...] Aristagora, 20. navibus ab Atheniensibus adjuto, direpta, [...] 250. U. C. 69. Olympiad. reparata dein, sub Græcorum imp[erium] transiit. Hic Cleopatra Alexandri Magni soror, ab Antigon[o oc-] cisa, Ann. 446. U. C. Postquæ ab Antiocho expugnata, An. [...] varias subiit vices. Primo Evangelii luce à Johanne Apost[olo] collustrata, paulo pòst in Idololatriam revoluta est. Euthem[ium] Episcopum ejus flagris cæsum necari curavit Michaël Balbus I[m-] perator, Ann. Chr. 825. Vide Apocalyps. *cap.* 1. & 3. Herod[ot.] *lib.* 5. Horatius:

Quid concinna Samos, quid Crœsi regia Sardis.

Ovidius *Met.* 11. *de Mæandro:*

Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem.

Sardones, pop. Gall. Narb. ubi nunc Comit. Ruscinonensis, ad radices Pyrenæorum, inter Occ. ad Bor. & Cataloniam ad Mer.

Sardonia, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Sardonici, montes Liburniæ, nunc *Maranai* & Sardonius mons, in confin. Illyrici & Macedoniæ.

Sardonii, pop. Africæ, à Sardone reg. in Carthaginensium finibus, dicti, qu. parentes septuagenarios Saturno ridendo sacrificare consueverant. Hinc *Risus Sardonius*. Sed V. etiam *Sardinia*.

Sardonius portus, mel. *Sardonium fretum*, aliàs *Taphros*, hodie *le bocche di Bonifacio*, inter Corsicam & Sardiniam, quod 6. m.p. patet. Quibusdam nautis *le bocce di Bettonnaure*, V. *Taphros*.

Sardos, opp. Dalmatiæ, meminit Strab.

Sardoum mare, pars maris Medit. versus Sardiniæ partem Occ. Quibusdam versus Africam extenditur.

Sardus, Herculis fil. à quo *Sardiniam* insulam dictam volunt.

Sardus, urbs Illyrici. *Sardo* Strab. *Scardona* aliis. Civis *Sardenus*. Steph.

Sarea, olim vocabatur Cappadocia. Steph. in *Cabasso*.

Sareas, fil. Thanehumeth. Jer. 40. Lat. *princeps*, vel *canticum Domini*.

Sarebias, nomen viri. 2. Esdr. 9.

Sared, fil. Zabulon. Gen. 46.

Sareda. patria regis Jeroboam. 3. Reg. 11.

Saredatha, nomen loci. 2. Par. 4.

Sarepta, urbs Phœniciæ, Sidoni proxima, ab eâ 4. m. p. distans ... *Saphet* hodie l'ostello vel *Sarafendi*. Hic Elias oleum auxit, & viduæ filium resuscitavit. *Sarapta* legitur apud Stephanum. Hic enim ille Σάραπτα, πόλις Φοινίκης, ὁ πολίτης Σαραπτηνός, καὶ Σάραπτα, καὶ Σαραπτηνός, in ora maris Syriaci, inter Sidonem ad Bor. & Tyrum ad Mer. fere media, 10. utrinque mill. Vino nobilis. Hinc Sidonius,

> *Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna,*
> *Quæq; Sareptano palmite missa bibas.*

Sares, frater ... filii Machir. 1. Par. 7. Lat. *radix*, vel *catenula*.

Sarganthа, urbs Iberiæ. Steph.

Sargathon, urbs & arx Ægypti. Steph.

Sargassum mare, pars Oceani Atl. inter Arsinarium prom. ad Ortum, Ins. Hesperides seu Capitis Viridis ad Occ. ab herba *Sargasso* ... dicta, cujus copia ibi tanta, ut sæpe navigia retardet.

Sargetia, *Sargentia* Tzetzæ, fl. Daciæ per Valachiam in Istrum fluens, in quo Decebalus rex barbar. co astu thesauros condidit, à Trajano bello petitus, qui tamen illo victo ab Imp. recepti sunt. ... Hungaris, *Istrig* Germanicè hodie nominari scribit Sambucus.

Sargon, qui & Sennacherib, Assyriæ rex, Is. 20. Lat. *auferens* ... *lumen*, vel *corpus*, aut *colorem*, sive *hortum*, vel Syriacè *rete*, ... *aculum*.

Saria, vel *Saaria*, fil. Aser. 1. Par. 8. Lat. *porta*, sive *æstimatio*, ... *Domini*, vel *hircus*, sive *hordeum*, aut *tempestas Domini*, vel *Domini dominus*.

Saria, opp. Galleciæ, ad amnem cognom. vix 4. leuc. à Luco Asturum ad Mer. Minium fl. versus totidem.

Sariaster, Tigranis Armeniæ regis filius, ita adversus Patrem cum amicis consensit, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum invicem sorberent. Valer. *lib.* 9.

Saribia, urbs Cappadociæ. Steph.

Sarid, terminus Zabulonitæ tribus. Jos. 19.

Sariolenus Vocula, crebris apud Neronem delationibus famosus, sub Vitellio eadem molitus: at sub Vespasiano accusatus. Tacit. *Hist.* 4. 41.

Sariphi, montes Asiæ inter Paropamissadas, & Sogdianos, ex quibus Oxus fluv. effluit.

Sarisabis, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Sarisberia, olim *Dunium*, & al. *Sorviodurum*, *Salesbury*, vel *Sarum*, teste Camdeno, urbs Belgarum, hodie episc. Angliæ merid. inter Bathoniam 24. & Wintoniam 20. m. p. in Wiltonia prov. ... Avenam *fluv.* Nadderum vel Niderum recipit. 20. mill. ab ora maris Brit. in Bor. 15. à Vintonia in Occ. 24. à Bathonia in Eur. Baudrand.

Sarita, locus Judææ, patria & sepultura Ezechielis Proph. in ... Hebron. Dorotheus.

Sarite, Arab. Fel. gens. Ptol.

Sarlatum, urbs prov. Petrocoriensis, versus confin. prov. Ca... 1. leuc. à Durianio fl. iv. 9. à Petrocorio in Eur. totidem à ... in Bor. 17. ab Aginna in ... Tutelam versus 9. juxta ... cognom. Aliàs dicta *Calabrum monaster*. Lubino. Situ fortis, ... civili, Ann. 1652. bis frustra obsessa. Duchesnius *antiq. Urb.* ... *descr. Galliæ*.

Samarcana, urbs Ariæ provinciæ in Asiâ, *Samarchant* hodie Ni... non illa *Samarcand*, quæ est in Sogdianâ.

Sarmatia, regio latissima, ab ipsis Germaniæ finibus, & Vistulâ ... Hyrcaniam usque extenta, ubi olim Venedi, Peucini, ... &c. Vid. Plin. *lib.* 5. & 6. Strab. *lib.* 7. Pomp. Melam *l.* 3. &c. Sunt autem duæ *Sarmatiæ* Tanaide fluv. divisæ: quarum quæ Occasum spectat, *Europæa*; quæ Ortum, *Asiatica* cognominatur. Habet autem Sarmatia Europæa à Septentrione Oceani partem, quem *Sarmaticum* ab eâ appellamus: ab Occasu Germaniæ partem & Vistulam amnem: à Meridie Jazyges Metanastas: ab Ortu verò Sarmatiam Asiaticam & Tanaim fluvium. Quem tractum hodie tenent, quos Polonos, Ruthenos, & Tartaros appellamus. Sarmatia Asiatica ab Ortu Hyrcaniâ terminatur, à Septentr. terrâ incognitâ; ab Occasu, Sarmatiâ Europæâ, & Tanaide fluvio, à Meridie verò Ponti Euxini parte. Breviter, Sarmatia Europæa, *Russiam* hodie dictam, cum *Poloniæ* regni parte, & ejus membris *Livonia*, *Lithuaniâ*, &c. (& nonnulli *Tartariam Crimæam*,) complectitur. Asiatica *Tartaros*, *Petigoras*, *Circassos* & *Mordvitas* comprehendit. Habet autem utraque populos efferatissimos, partim montes & saltus incolentes, partim plaustris pro domibus utentes, qui inde *Hamaxobii* dicuntur: partim rapto viventes, sanguineque equino cum lacte commisto inediam tolerantes. Unde Martialis *lib. de spectaculis*,

> *Venit & epoto Sarmata pastus equo.*

Vide *Hippomolgi*. Populi Stephano sunt Σαρμάται. Aliis, uti Dionysio, Σαυρομάται, & Σαρμάται. Sic enim ille de Sarmatiæ Europææ incolis, *vers.* 304.

> Τοὺς μὲν ἐπὶ Βορέην τετραμμένα φῦλα νέμονται,
> Πολλὰ μάλ' ἑξείης Μαιώτιδος ἐς στόμα λίμνης
> Γερμανοί, Σαρμάται τε, Γέται θ' ἅμα, Βαστάρναι τε,

Idem *vers.* 652. ubi de Sarmatiæ Asiaticæ populis:

> Ἤτοι μὲν λίμνης Μαιώτιδος ἄγχι νέμονται
> Ἀντία Μαιώτων τε καὶ ἔθνεα Σαυροματάων,
> Ἔνθα δ' Ἐνετὰ ... Ἀρεος ... ἐκγονοι ...
> Ἴφθιμαι φιλέοντ' ... Ἀμαζόνιδες ...
> Τοὶ ποτε Σαυρομάτῃσιν ἐπ' ἀνθρώποισι μίγησαν
> Πρῶτα ... Θερμώδοντος.

Plinius *lib.* 3. *Sauromatas gentes Scytharum Græci vocant, quos Sarmatas Romani*. Qui tamen & Romanis etiam *Sauromatæ* dicuntur. Ovidius:

> *Proxima Bastarnæ Sauromatæq; tenent.*

Juvenalis *Sat.* 2.

> *Ultra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem*
> *Oceanum.* ——— ———

De *Sarmatis* Tacitus *Histor. lib.* 1 *Mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus extra ipsos, nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum; ubi per turmas* (hæ equitum sunt) *advenere, vix ulla acies obstiterit*. Florus *libr.* 4. *cap.* 12. *Sarmatæ patentibus campis inequitant; nihil præter nives, rarasq; sylvas habent. Tanta barbaries est ut pacem non intelligant* Dicti sunt *Sauromatæ*, ut vulgò volunt, ab oculis lacertarum: Σαῦρος enim *lacerta* est, & ὄμμα *oculus*. Ego certè, quid sibi velit hæc etymologia, planè nescio. Veriorem illam credo doctissimi Bocharti, qui *Sarmatas* dici putat שאר מדי *Sear*, vel *Sar Madai*, quasi *Medorum reliquias* dixeris. Hoc ex antiquis auctoribus satis patebit. Plin. *lib.* 6. *cap.* 7. *Incolunt Sarmatæ, Medorum, ut ferunt, soboles, & ipsi in multa genera divisi*. Mela: *Sarmata gens habitu, armisq; Parthicis proxima*. De Parthis porro sic Troges *lib.* 41. *Sermo his inter Scythicum, Medumq; medius, ex utroq; mistus. Vestis olim sui moris, posteaquam accessere opes, ut Medis, perlucida & fluida. Armorum patrius ac Scythicus mos*. Quin & Æthicus Medos & Parthos pro iisdem habet populis. *Generaliter*, inquit, *Parthia dicitur, quamvis universa scriptura sæpe Mediam vocant*. Legendum *universè*. Ita enim est in Orosio, quem sequitur κατ' πόδα *lib.* 1. *cap.* 2. Bochartus. Hinc *Sarmaticus*. Lucanus *lib.* 3.

> ——— *Et barbara Cone*
> *Sarmaticas ubi perdit aquas.*

Item *Sarmatis*, Ovid. *Trist.* 4. *eleg.* 10.

> *Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis.*

Baudrando *Sarmatia* regio perampla, aliàs divisa fuit in tres partes, nempe in *Sarmatiam Europæam*, *Sarmatiam Asiaticam* & *Germano Sarmatiam*. *Sarmatia Asiatica* erat, versus limites Europæ & Asiæ & fluvium Rha, inter Oceanum Septentrionalem ad Boream & Pontum Euxinum ac mare Caspium ad Meridiem, atque inter Scythiam ad Ortum & Sarmatiam Europæam ad Occasum: ubi hodie pars septentrionalis Moscoviæ seu Russiæ Albæ cum Tartaria Moscovitica, nempe provinciæ Dulna, Condora, Petzora, Permia, Samoieda, Siberia, Viatka, Loppia, Luconieria, & regnum Casanum, Astracanum, & Bulgaria. *Sarmatia Europæa* erat, inter Sarmatiam Asiaticam ad Ortum & Germano Sarmatiam ad Occasum, Oceanum Sarmaticum seu Septentrionalem ad Boream & Paludem Mæotidem ac Pontum Euxinum ad Austrum. Ejus partes erant parva Scythia, Roxolani, Hamaxobii, & Alauni populi, ubi hodie Russia Alba seu Moscovia, regio perampla, cum Tartaria minori. *Germano-Sarmatia* erat inter Sarmatiam Europæam, à qua dividebatur ad Ortum Borysthene fluvio, Germaniam ad Occasum, à qua separata erat Vistula, Daciam ad Meridiem; à qua divisa fuit Tyra fluvio & Carpatho monte. Habebat autem ad Boream Suevicum mare & Finnicum sinum. Ejus præcipui populi erant Venedi, Æstiæi, Peucini, & Bastarnæ. Ibi hodie regnum Poloniæ pro maxima parte.

Sarmatiæ Europææ urbes clariores, quæ in Polonico regno continentur, maximè quæ Satraparum (quos illi *Palatinos vocant*) *sunt sedes, numero urbium subjectarum apposito, sequuntur.*

Urbes Sarmatiæ Eur.

Augustavia, *Augustovv*, Massoviæ, in Polachia.
Belsium, *Belz*, satrapia Rutheniæ, sub qua urbes 14.
Brestia, *Brest*, satrapia Poloniæ majoris in Cujavia, sub qua 4. urb.
Brunonis mons, *Braunsberg*, Prussiæ.
Calisia, *Calisch*, Poloniæ majoris satrapia, sub qua 9. urbes.
* Camenecia, *Caminiecz*, Podoliæ, episcopalis, & satrapia, sub qua 10. urbes.
Chielmia, *Chelm*. & *Chielmnick*, episcopalis, Rutheniæ.
Cobrinum, *Kobrin*, Polessiæ. Quid sit non constat, nisi forsan *Orby*.
Corcinum, quod Civitas nova, *Korcin*, Poloniæ minoris, conventus Cracoviensis. Urbecula est parva.
* Cracovia, *Crackovv*, regia, & episcopalis, Poloniæ minoris, & satrapia, sub qua 10. urbes.
Culmia, *Culm*, episcopalis Prussiæ, & satrapia, sub qua 9. urbes.
Curia, *Curovv*, episcopalis, Curlandiæ, nunc vicus.
Dersavia, *Dersavv*, vel *Dirschavv*. Prussiæ.
Dobrinum, *Dobrin*, Massoviæ, satrapia, sub qua 4. urbes.
Drohicinum, *Drohicin*, Polessiæ. Est in Polachia.
* Elbinga, *Elbing*, Prussiæ.
Felinum, *Felin*, Livoniæ, sub Suecis.
Gambinum, *Gabin*, conventus Ravensis satrapiæ.
* Gedanum, *Danzick*, Prussiæ Regiæ.
Gnesna, *Gniesen*, archiepiscopalis, Poloniæ majoris.
Goldinga, *Goldingen*, Curlandiæ.
Gostinium, *Gostin*, conventus Ravensis, in Polonia majori.
Halycia, *Halicz*, Rutheniæ, seu Russiæ nigræ.
Hapselia, *Hapsel*, episcopalis Livoniæ, sub Suecis.
Kiovia, *Kiovv*, episcopalis Lituaniæ, & satrapia, sub Moschis.
Lancita, *Lancitz*, satrapia Poloniæ intermediæ, sub qua 8. urbes in Polonia majori.
* Leopolis, *Lemburg*, archiepiscopalis, & satrapia Rutheniæ, sub qua 10. urbes.
* Lublinum, *Lublin*, satrapia Poloniæ minoris, sub qua 5. urbes.
* Luceoria, *Lutzko*, episcopalis, & caput Volhiniæ.
* Mareeburgum, *Marienburg*, satrapia Prussiæ, sub qua 8. urbes.
Micislavia, *Micislavv*, satrapia Lituaniæ, sub qua 5. urbes.
Minscum, *Minsko*, satrapia Lituaniæ, sub qua 8. urbes.
* Mons Regius, *Konigsberg*, sedes Principis, academia & emporium Prussiæ Ducalis.
Narva, *Narva* etiam vulgò, gemina: una Livoniæ; altera Polessiæ. (Secunda est in Polachia, *Narevv* vulgo.)
Novogradus, *Novogorod*, satrapia Lituaniæ, sub qua 4. urbes.
Nurum, *Nur*, Polessiæ. Vicus est Mazoviæ.
Opocinum, *Opotzin*, Poloniæ intermediæ.
Olilia, *Oesel*, insula & urbs episcopalis Livoniæ, sub Suecis.
Osvicinum, *Osvviecziu*, Poloniæ minoris.
Parnavia, *Parnovv*, Livoniæ, sub Suecis.
* Petricavia, *Petrskovv*, conventus satrapiæ Sardiensis.
* Plescovia, *Pleskovv*, Livoniæ, in confinio Moschorum.
Ploschum, *Plotzko*, episcopalis Massoviæ, & satrapia, sub qua 7. urbes. (Est in Polonia majori.)
Polotia, *Polotzk*, satrapia Lituaniæ, sub qua 4. urbes.
Posnania, *Posen*, caput & satrapia Poloniæ majoris, sub qua 8. urb.
Premyslia, *Przemysle*, episcopalis Rutheniæ, seu Russiæ Nigræ.
Quizinum, *Marienvverder*, Prussiæ, sedes Episcopi Pomesanensis.
Radconia, *Radiny*, conventus satrapiæ Vladislaviensis.
Radomia, *Radom*, conventus Sendomiriensis satrapiæ.
Ragnetum, *Ragnet*, Prussiæ, in confinio Samogitiæ.
Rapinum, *Rapin*, conventus alter Vladislaviensis.
Ravasic vulgò, satrapia Poloniæ intermediæ, sub qua 4. urbes. (Est Poloniæ majoris.)
* Revalia, *Revel*, episcopalis, & emporium Livoniæ, sub Suecis.
* Riga, *Ryg*, archiepiscopalis, emporium, & caput Livoniæ, sub Suecis.
* Sendomiria, *Sandomir*, vel *Sendomierz*, satrapia Poloniæ minoris, sub qua 12. urbes.
Siradia, *Sirad*, satrapia Poloniæ intermediæ, sub qua 6. urbes. Est Poloniæ majoris.
* Smolenchum, *Smolensko*, satrapia, & episcopalis, Lituaniæ, sub Moscis.
Socsavia, *Soczovv*, Poloniæ intermediæ, ubi Comitia.
Torpatum, *Derpt*, episcopalis Livoniæ.
* Torunia, *Torn*, Massoviæ maxima. Torunia urbs est Prussiæ Regiæ.
Trochi, *Trocki*. satrapia Lituaniæ, sub qua 5. urbes.
Tycocinum, *Tycocin*, Polessiæ. Urbs est Polachiæ.
Vepria, *Weper*, Samogitiæ, nunc castrum in limite Lithuaniæ.
* Varsovia, *Warsovv*, Massoviæ, ubi regni Comitia.
* Vilna, *Wilde*, episcopalis, & primaria satrapia Lituaniæ, sub qua 4. urbes.
Vinda, *Winden*, episcopalis Livoniæ, in Ducatu Curlandiæ.
Vitepescum, *Vitepsk*, satrapia Lituaniæ, sub qua 3. urbes.
* Vladislavia, *Vladislavv*, episcopalis, & satrapia Massoviæ, sub qua 4. urbes. Est in Polonia majori.
Volmaria, *Wolmar*, Livoniæ, sub Suecis.
Vide quoque *Poloniæ urbes*.

Sarmatia, Tolistobogiorum in Galatia urbs, Anton.

Sarmatica, Plin. insula Mysiæ inferioris, contra ostium Istri, quod Calostoma appellatur, id est, pulchrum ostium.

Sarmatici montes, Ptol. Carpatibus finitimi, apud Cepusium opp. & Comitatum Hungariæ Transdanubianæ, quos Cepusienses Ludovicus Decius interpretatur. Ferrar. Baudrando sic dicuntur montes Carpates, quà Germano-Sarmatiam spectant, seu Poloniam, præcipuè versùs Comitatum Cezpusium, ubi *Biesjed* à Russis dicuntur.

Sarmaticum mare, Ovid. idem Euxino, quà Sarmatiam alluit, Ferrar. Baudr. pars est Oceani Septentrionalis, versus mare Album & oram Borealem Moscoviæ, inter ostia Obii & Duinæ fluviorum, hodie *mer de Moscovie* seu *Ocean Septentrional* Gallis, *Mourmanskoy more* Moscis, testibus Isaaco Massa & aliis.

Sarmentus, vir, qui scurrilitate claruit, cujus meminit Horatius primo Sermonum, *Sat.* 5.

> — — *Nunc mihi paucis*
> *Sarmenti scurræ pugnam Messiiq; Cicerri*
> *Musa velim memores.* — —

Et paulo pôst:

> *Sarmenti domina extat.*

Juvenal. *Sat.* 5.

> *Si potes, ista pati, quæ nec Sarmentus iniquas*
> *Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.*

Hujus & Plut. mem. *in Antonio*: Ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσι.

Sarmisia vallis, J. Sambuco *Haczag*, tractus Transylv. in Merid. quæ & *Zarmisia*, ubi *Zarmigethusa* Urbs erat.

Sarmydessus, locus in Thraciâ. Suidas.

Sarna, arx Austriorum, in Subsylvania seu UnderWaldia Helvet. pago, munita & expugnatu difficilis, sub auspicia libertatis Helveticæ, hoc pacto capta est Kal. Jun. An. C. 1308. Erant Helvetiorum numero 50. è quibus 30. sese inter arbores, quarum eo loco densa sylva erat, abdiderant, cæteri 20. baculis nixi arcem petebant, munera pro consuetudine præferentes, agnos, porcos, vitulos, caseos, aliaq; hujus generis plurima. Interim baculos teretes ita anté exacuerant, ut facilè eos acuto ferro, quod singuli sinu gestabant, hastarum instar inducere possent. Sic in arcem intromissi portam occupant, quibus socii, qui inter arbores delitescebant, signo dato, auxilio veniunt, ac omnibus in potestatem redactis, captivos cum rebus suis ad fines deducunt, jurejurando ab illis exacto, ne unquam in has regiones redeant. Mox arx, unà cum altera ejusdem pagi Rotzbergo, funditus diruta est. Simlerus *de Rep. Helv.*

> *Munera plus armis insidiosa nocent.*

Sarnaca, Troadis vel Mysiæ urbs. Plin.

Sarnada, Pannoniæ op. Anton.

Sarnia, Britannica insula. Anton. *Garnsey* Camdeno. Ins. Galliæ Lugd. in mari Britann. in ora Normanniæ, cujus antea pars fuit; & sola cum Cæsarea Ins. Anglis superest ex Duc. Norm. jamque Hantoniæ prov. Angl. tribuitur. Continet 10. pagos & castr. munitum, in ora Or. *Chasteau Cornet* dictum. Longa est 13. m. p. à Cæsarea ad Occ. æstivum 18. mill. distat, uti 45. à Macloviopoli in Bor. 25. ab ora prox. Normanniæ in Occ. Dicitur & Garneseja Ins. Baudr.

Sarnius, Asiæ fl. in limitibus Hyrcaniæ, Strabo.

Sarnum, vulgò *Sarno*, urbec. Principatus citer. in limite Terræ laboris & Princip. ulter. Cum tit. Duc. gentis Barberinæ, 13. mill. à Salerno in Circ. Nolam versus 8. & 5. à Nuceria in Bor. Ad radices montis, cum arce antiqua.

Sarnus, fluv. Picentinorum, eos à Campaniâ dividens, ex monte Tifatâ profluens (qui ibi *Sarnus* Vibio Sequ. dicitur) & in mare apud Stabias illabens cum urbe cognomine apud Ort. vulgò *Sarno*. Virg. *Æn.* 7.

> — *Latè jam tum ditione premebat*
> *Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus.*

Ubi Servius: *Populi Campaniæ sunt à Sarno fluvio: Conon in eo libro, quem de Italiâ scripsit, quosdam Pelasgos, aliosq; ex Peloponneso convenas ad eum locum Italiæ venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit, & fluvio, quem incolerent, Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis, & se Sarrastes appellasse.* Versum Virgilii ita reddidit *Sil. lib.* 8.

> *Sarrastes etiam populos, totasq; videres*
> *Sarni mitis opes.* — —

Vocat *mitem*, quia hic fluv. non præceps, sed placidus, & utilis irrigandis agris. Statius *Sylv.* 1.

> *Nec Pompejani placeant magis otia Sarni.*

Hodie *Scafati* Baudr. Principatum cit. à Terra Laboris separans, postea in Sinum Neap. se exonerat, infra Pompejos, prope Turrim, Annunciatæ, 5. mill. à Stabiis in Bor. Item urbs Illyriæ Stephanus.

Saro, nauta, qui moribus suis inelegantibus & inurbanis proverbio locum fecit, *Sarone magis nauticus*.

Saron, sive *Sarona*, regio inter Cæsaream & Joppen. Item op.

Palæ-

[illegible] Palæstinæ. *Castel S. Lamberto* hodie, urbs egregia, quam cepit Iosue, rege illius interfecto: regio est campestris, pinguis & fertilissima, saginandis pecoribus perquam apta, ideoque ibi pascebantur regis animalia: Est in tribu Ephraim. Item mons inter Taborum, & lacum Tiberiadis, in tribu Aser, aquis, fluminibus, hortis & vineis abundans, juxta castrum Lamberti, non longè mari situs est: atq; versus Aquilonem à Ptolemaide quatuor, versus Austrum verò à Sandalio castro tribus miliaribus distat, cujus [illegible] usque ad Castrum Indi se extendunt. Broc. *itin* 1. *&* Breid. *ibid.* Lat. *planities*, aut *canticum ejus*.

Saron, mil. *Sarohen*, civitas in tribu Simeon. Jos. 19. Lat. *principium*, vel *canticum gratiæ*, sive *principis*, vel *cantici gratia*.

Saron, locus Trœzenis. Steph.

Saronicus, portus Achaiæ ad Isthmum Corinthiacum. Ptolemæus *sinum facit Saronicum*. Plin. 4. 5. *Sinus Saronicus olim quercu nemore redimitus, unde nomen: ita Graciâ antiquâ appellante* [illegible]. Multi à *Sarone* Deo marino, nam Saronem fuisse regem, qui illic Atlepiæ marinæ regioni imperavit, in Corinthiacis scribit Pausanias: Alii à Sarona op. nunc pago *Saronica*, in ora Sinus, post Epidaurum; *Salaminicus sinus* dicitur Straboni. Hodie *Golfo de l'Engia* Castaldo. Sinus maris Ægæi, inter Atticam & Peloponnesum extensus, inter prom. Sunium & Scylæum ad Ort. & Isthmum Corinth. ad Occid. Rigat Athenas, Megaram & Trœzenem, habetque Æginam & Salamina Ins.

Saronis, Dionys. Afro, *Sinus Saronicus*.

Saronis palus in Anglia, Pauf. quæ & *Phœbea*.

Saronites, nomen viri. 1. Par. 27. Latine *planities*, vel *planities*, *sive canticum*.

Sarophages, gentes Indiæ apud Indum fl. Plin. 6. 20.

Sarpedon, Jovis fil. ex Laodamiâ Bellerephontis filiâ. Homer. *Iliad.* 15. vel, ut Herodotus tradit *in Polyhymnia*, ejusdem Jovis fil. ex Europâ, frater Minois. Hic cùm Lyciæ rex esset, & in armis strenuus, Priamo suppetias tulit adversus Græcos: ubi cùm multa edidisset virtutis suæ documenta, tandem à Patroclo est interfectus. Corpus autem ejus. Jovis jussu, ab Apolline è medio pugnantium sublatum est, & flumine ablutum, ambrosioque reliquo liquore, ac regiâ indutum veste ad sepulturam suis restitutum. Memoria autem ejus lege à Jove sancitâ coli jussa est, ut eam diem, quâ interiit, omnes Dii in luctu & jejunio transigerent. V. Schol. *in Nubes*. Virg. *Æn.* 7.

Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon. —— ——

Genitivus casus Σαρπήδοντος dicitur Æolicè, teste Hesychio, quem [illegible] consule. Intelligere debemus (inquit Rittershusius) plures fuisse *Sarpedones*: quorum unus fuerit rex Thraciæ, teste Apollonii Scholiaste *lib.* 1. à quo nomen habet *petra Sarpedonia* ad Ænum [illegible] Thraciæ, cujus & Suidas meminit: quam semper fluctibus agitari ajunt, & in quo templum Neptuno sacrum. *Sarpedonia* quoque Atticæ opp. Alius in Ciliciâ *Sarpedon* fuit, de quo Oppianus *Halieuticôn lib.* 3.

Οἶδα [illegible] ἰχθυδίου [illegible]
[illegible] Σαρπήδονος ἀκτῆς.

Sarpedon, Ciliciæ promontor. eam à Pamphyliâ distinguens. [illegible] *lib.* 1. Steph. urbs est Thraciæ. Item insulæ nomen, Suidas. Hesychius: Σαρπηδὼν, ἀκτὴ ἀπὸ τοῦ Σαρπήδονος [illegible] [illegible] Ποσειδῶνος. Unde in Proverb. abiit de rebus valde turbulentis, & in clamosos qua [illegible].

Sarpedonia Ins. Gorgadum seu Hesperidum caput, nunc *Isola de* [illegible] Hisp. oblonga, cum urbe cognom. Sub Lusitanis.

Sarpedonium littus, in ora maris Euxini apud Sarpedonem opp. [illegible] ubi Erginus fl. exoneratur.

Sarra, urbs Phœniciæ, deinde Tyrus dicta, à pisce quodam qui illic abundat, quem *Sarram* vocant, ex cujus sanguine sericum in purpuram tingebatur. Inde *Sarrana vestes* Tyriæ dictæ sunt, quæ & ostrinæ & purpureæ. Virgil. *Georg.* 2.

Ut gemmâ bibat, & Sarrano dormiat ostro.

[illegible] Ausonius,

—— *Sarrano videor discumbere in ostro.*

Juvenalis.

—— *Aut pictâ Sarrana ferentem*
Ex humeris aulæa toga.

[illegible] *Sarranam chlamydem* dixit Paneg. Anthem. & Columella *Sarranas violas*, pro purpureis, & Silius *lib.* 15. *Sarranum* [illegible]. Probus ad Virgilii locum supra productum, *Tyrum Sarram appellatam Homerus docet, quem etiam Ennius sequitur, cùm* [illegible] *Pœnos Sarrâ oriundos*. Agellius quoque *libr.* 14. *cap.* 6. ait, Tyrum prius dictam fuisse *Sarram*. Nomen autem *Sarra* deductum est ex Ebræo *Tyri* nomine צור *Tsor*. In quo literam *Tsade*, [illegible] medii est soni inter T. & S. Græci in T mutarunt, & Romani [illegible]. Ita factum, ut ex eodem צור *Tsor* & Τύρος nasceretur & [illegible] Bochartus.

Sarra castra, mel. *Pons Saravi*, Germ. *Kaufmans Sarbruck*, urbs [illegible] aliàs Imperialis & sui juris, hodie sub Gallis, ad Saravum [illegible] in limite Alsatiæ inf. *Sarbourg*.

Sarræ pontes, Anton. *Pons Sarnix*, *Sarbrucken* opp. Austrasiæ, ad Sarram fl. à Sarburgo 8. leuc. in Bor. versus Fanum Vendelini 5. à Biponto Urb. 3. in Occ. Fanum Avolti versus 2.

Sarranates, pop. Umbriæ extincti. Plin.

Sarrastes, Italiæ populi, vide *Sarnus*.

Sarron Magius, tertius Celtarum rex, præclaras artes, Academiam, ac publica literarum studia primus, in toto terrarum orbe, expoluit, instituit, promovit. Unde apud Celtas, ut refert Diodorus Siculus, philosophi appellati fuerunt *Sarronidæ*. Mortuus est, anno formati Adami 2057. & ante Magni Messiæ nativitatem 1013. quum 48. annis regnasset. Regnavit autem post Magum seu Magogum, & Drium successorem habuit. Sarronidis verò postea Druides & Bardi successere. Diodor. *lib.* 6. *cap.* 9. Dupleix *de Gall. lib.* 1. *cap.* 16. *& lib.* 2. *cap.* 4.

Sars, Hisp. Tarracon. fluv. Pompon. *Rio Lezaro*. Prope turrim Augusti, in Oceanum se exonerat, 3. leuc. à Nerio prom. in Mer. Baudrand.

Sarsachim, unus ex principibus regis Babylonis. Jer. 39.

Sarsaga, Armen. min. urbs. Anton.

Sarsenna, pater & filius, nobilissimi scriptores, quos Plinius commemorat damnasse arbustorum rationem ad vites sublevandas, *lib.* 17. *cap.* 23.

Sarsina, vetus civitas in Æmiliâ, seu Romandiola, in ipso limite dit. Florentinæ, uberrimis paleuis nobilitata. Ad Sapim fl. qui 10. mill. supra oritur. Parvi circuitus, vix 50. domos continet, 10. mill. à Cesena in mer. 24. ab Arimino in Occ. Episcopi sedes. Hanc nonnulli Plauti patriam faciunt, indeque eum *Sarsinatem* dictum volunt. Strabo *lib.* 5. Ἀπὸ Ῥαβέννης [illegible] οἱ Ὄμβρικοι [illegible] κατέχουσι τὰ πλησίον, καὶ ἔφεξῆς Σαρσίνα, Ἀρίμινον, Σήνα, καὶ Καμερῖνον. Silius *lib.* 8.

—— *His populi fortes, Amerinus, & armis*
Vel rastris laudande Camers; his Sarsina dives
Lactis. —— ——

Populi *Sarsinates* Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Plautus *in Mostellaria*,

Sol semper heic est, usq; à mani ad vesperum,
Quasi flagitator adstans usq; ad ostium.
Nec mihi umbra usquam est, nisi in puteo quapiam est.
T R. *Quid? Sarsinatis ecqua est; si Umbram non habes.*

Ubi ad Patriæ nomen alludit; quia *Sarsinas* ipse erat. Vide Festum *in Ploti*.

Sarta, vulgò *la Sarte* fluv. Gall. Celt. Oritur in limite Normanniæ, quam separat à prov. Perticensi: Valesius habet, in saltus Pertici vico, *Somme-Sarte*, 2. leuc. à Moritonio. Dein rigato Alenconio, & Fraxineto *Fresnay*, per Cenomanos fluens, juxta Cenomanum labitur, ibique Huinum seu Idoneam fluv. recipit. Tandem rigatis aliis locis, Scusâ *la Suse*, Sablolio *Sablé*, Castello Novo, per Andegavos fluens, inibi Lædum seu Lidericum *le Loir* fl. recipit, & paulo pòst in Meduanam se exonerat, vix m. p. supra Andegavum. Dicitur quoque *Serta*. Hinc Brieserta, 1. Pons Sartæ, vulgò *Brisserte*, supra & prope Castellum Novum nomen nactum est. Accipit *Sarta*, præter jam memoratos fluvios Ornam etiam & Infernam *Enferne*. Valesius *Notit. Gall.*

Sarte, urbs juxta Athon. Gent. *Sartaus*. Steph.

Sartha, amnis Cenomanorum urb. præterfluens, qui apud Normannos scaturiginem habens, ipsos à Cenomanis dividit.

Sarthan, locus non procul ab Jezraële. 3. Reg. 47. in tribu Manasse. Lat. *angustia*, *tribulatio*, aut *colligatio*, sive *plasmatio*, vel *figuratio*.

Sarthan. quæ & *Sardacha*. in tribu Gad. Jos. 3. 3. Reg. 7. 2. Paral. 4.

Sarthan, locus erat, juxta quem siccis pedibus transierunt Jordanis alveum Israëlitæ, in tribu Ruben. Jos. 3.

Sarug, fil. Reu, pater Nachoris, qui Tharam, Abrahami patrem genuit. Sub Belo. Ejus tempore idololatriam incepisse, statuit Epiphan. cum Suida: Alis factu id Nino auctore dicunt. Obiit An. M. 2079. æt. 230. Genes. *cap.* 11. Luc. 3. Lat. *palmes*, *sarmentum*, *ramus*, vel *convolutio*.

Sarvia, vel *Zervia*. mater Joabi, Abisai & Asahelis, Davidis soror.

Sarum, urbs Ep. Angl. sub Ar. Cantuariensi. V. *Sarisberia*.

Sarum, op. Arab. Fel. Ptol.

Sarunetes, Helvetii pop. Plin. qui apud Tsrudum *Sarnganserlandt* inhabitant hodie. Eorum opp. & regio *Sargans* vulgò nuncupatur: in priscis diplomatibus *Sarunegans*. Sedes eorum olim ad ortum Oeni flum. ubi pop. hodie Engadini, quorum coloni fortè hi Helvetiorum *Sarunetes* vel *Saruneganses*: nisi hoc nomen à *Sara* fluviolo oppidum præterfluente acceperunt. Fuere antiquitus sub Comitibus Werdenbergiis, à quibus regio Austriis Principibus, & postea Comitibus Toggiis oppignorata, iterumque redempta est: donec illam An. C. 1483. Georgius Werdenbergensium Comes septem Pagis Helvetiorum vendidit. Ab his Præfecti ordine mittuntur, qui in arce, olim Comitum domo, habitantes, *Sarunetibus* imperant: nihilominus opp. ipsum Sarunetum suis quoque privilegiis fruitur, propriosque creat Magistratus, qui jus dicant & de causis civilibus cognoscant. Tota regio fluvio prædicto Sarâ in duas partes dividitur: quarum superior vicos aliquot habet, quorum præcipuus Regatium est, ubi judicia ejus partis exercentur. Item cœnobium Fabarianum, cujus Abbas ju-

bas jurisdictionem quandam his in locis habet: Interior Sanegauno opp. totius Præfecturæ capite clara est: quod, sicut & alterum, ejusdem præfecturæ, ad lacum Rivanum, Riva dictum, proprium consilium ejusque præsidem Scultetum habet. Vid. Jos. Simlerum *de Rep. Helvet. &c.*

Sarus, fluv. geminus; unus Italiæ in Pelignis, apud Aufidenam oriens, vulgò *Sangro*, *L.Loyd.* Oritur ex Apennino, 7. mill. supra Aufidenam, in limite Campaniæ fel. dein per Aprutium citer. fluens, ibi 6. mill. infra Auxanum in mare Adriat. se exonerat. Rigat autem Sarum castr. *Castel di Sangro*, 5. mill. infra Aufidenam, & 14. à Sulmone in Mer. Æserniam versus 12. Baudr. Alter Ciliciæ, vulgò *Adena*, Adanam urb. alluens, ac in sinum Issicum inter Cydnum (qui Tarsum alluit) & Pyramum influens. Est & *Sarus* in Cappadociâ, cujus mem. Plin. *lib.6. cap.3.* Baudrando oritur in Armenia min. paulo supra Comanam, quam alluit, dein per Ciliciam fluens, inibi in mare Cilicium cadit, prope Margalam opp. & inter ostia fl. Pyrami ad Ort. & Cydni ad Occ.

Sarzana, civitas Tusciæ, propter rudera Lunæ condita; Eam Nicolaus quintus Pont. Rom. & doctus vir, & doctorum insignis Mæcenas illustravit, sede Lunensis Episcopatus huc translata.

Sasanda, Cariæ Urbs, à Cauno 150. stad. seu 30. m. p. distans. Diod. *lib.* 14.

Sasima, Anton. *Sasum* Leuncl. urbs Cappadociæ, Ep. sub Ar. Cæsareensi, inter Cæsaream ad Arctos & Tyana ad Mer. 32. m. p. ultra Ancyram in Ort. supra 200. Hic Episc. fuit D. Greg. Naz.

Sason, ins. inter Epirum & Brundusium, 5. m. p. ab utroque distans. *Saseno* Sophiano. Est & fluv. in mare Adriaticum influens. Lucan. *lib.* 5.

Non humilem Sasona vadis, non litora curva
Thessaliæ saxosa timet.

Idem *lib.* 2.

Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.

Silius *lib.* 7.

Adriaci fugite infaustas Sasonis arenas.

Sasones, pop. Scythiæ apud Imaum mont. Ptol. Hos fortè pridem ex Scythiâ in Germaniam venisse atque ibi *Saxones* dictos, ex aliorum sententiâ, memorat Albertus Crantzius.

Sassaris, urbs Arch. satis ampla & amœna Sardiniæ, in parte Bor. Latinis *Publium* quoque, & *turris Libyssonis nova*, seu potius crevit ex ruinis Surritæ Urb. seu Turris Libissonis, à qua 8. mill. in Mer. distat, uti ab ora litt. Algarium versus 18. Sed parum munita.

Sassiana Martial. *lib.* 3, *epigr.* 58 an pro *Sarsina*?

Sasuri, gentes Indiæ. Plin. 6. 19.

Satala, urbs Armeniæ. Steph. *Palli* Theveto.

Satanita, Vide *Messaliani & Enthusiastæ.*

Sataces, Prætor Ægypti, in prœlio ad Issum cæsus. Ita legi vult J. Gebhardus apud Curt. 3. 42. ex *lib* 4. *cap.* 4. A Diodoro addit, eum vocari *Tasiacen.* Sic enim ille *lib.* 17. ϗ ὁ τ̃ αἰγύπτου σατράπης Σατάκης sc. ἔπεσε.

Satanacum, vulgò *Stenay*, vicus primò, dein castrum pagi Vabrensis, ad Mosam, Durum inter & Mosomagum in Treviris, in Decanatu Eposiensi: à Godofrido Bullionæo extructum, An. C. 1098. Olim quoque Astenidum & Stadinum dictum, unde pago Stadinensi nomen. Hic Carolus Calvus Monasterium Canonicorum instituit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Satarcha, Scythiæ Europ. pop. juxta Mæotidem: qui, teste Solino, auri & argenti usu damnato, se à publicâ avaritiâ abdicarunt. Hi bellicosissimi sunt. Val. Flac. *lib.*6.

Exomatæ, Toriniq;, & flavi crine Satarchæ,
Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satarchen,
Exomatas venatus alit.

Sataros, quæ & Patara, urbs Lyciæ. Plin. 5. 27.

Sataspes, Persa Theaspis fil. à Xerxe rege cruci adfixus est, quòd Zopyri filii Megabyzi filiam virginem vitiasset, quodque etiam totam Africam non peragrasset, quod se fecisse, ad diluendum stuprum, dixerat. Herod. *lib.* 4.

Saterni, gentes circa Mæotim. Plin. 6 7.

Sathulcurtis, villa Galliæ, in pago Vimau, vel Witmao, Ludovici R. de Nortmannis victoriâ nobilis, An. C. 881. nunc Marchiæ tit. insignis. Vulgò *Saulcourt.* Had. Valesius *Notit. Gall.*

Satibarzanes, Ariorum Satrapes, ab Alexandro constitutus, mox ab eodem defecit, Curt. *lib.*6. 37. ad Bessum, & versante Alexandro apud Evergetas, cum equitum manu irrupit rursus in Arios, *lib.* 7. 16. ab Erigyio solitariâ pugnâ victus & occisus *ca.* 28.

Saticula, Colon. & op. Samnii. *Saticola* Stephano & Diodoro Siculo. Pop. *Saticuli.* Virg. *Æn.* 7.

Accola Vulturni, pariterq; Saticulus asper.

Satio, Macedoniæ oppidum circa Lychnidem paludem. Polyb. *libr.* 5.

Satnius, mons apud Lycophronem. Steph.

Satorchæi, pop. juxta Mæotim paludem. Steph.

Satra, urbs Cretæ, *Eleutherina* postea dicta. Steph.

Satrachus, urbs & fluv. Cypri. Lycophron. Quidam per *e* scribunt, teste Isacio.

Satræ, pop. Græcorum in litoribus Thraciæ. Herod. *lib.*7.

Satraida, Arianæ gens. Dionysius *vers.* 1098.

Σατραΐδαι θ' ἵππος τε καὶ [illegible] Παροπανισάδαι
Ζυγῇ ὁμῶς μάλα πάντες ὑπωρειῇσιν Ἀρηΐοις.

Satrapeni, Mediæ pop. militantes sub Tigrane, quos Lucullus fugavit. Plutarchus.

Satria, urbs Italiæ. Steph.

Satrianum, Urbs Lucaniæ exisa, ut vix vestigia supersint in prov. Basilicata, in limite Princip. citer. ad radices Apennini, 9. mill. à Marsico novo in Bor. Potentiam versus. Sic etiam Asculum Apulorum dicitur. Ejus sedes Episc. unita est Campaniensi, hinc 18. mill. in Ort.

Satricula, opp. Samnitum à Romanis captum, anno U. C. 439.

Satricum, op. Italiæ à Camillo Consule captum, an. U. C. 37. & dirutum. Liv. *lib.* 7. *dec.* 1.

Satrius secundus, Sejani cliens & eversor. Tacit. 6. 47.

Satrocenta, pop. Thraciæ. Steph.

Satropaces, Equitum in Darii, ultimi Persarum regis, exercitu, præfectus. Curt. IV. 77. ab Aristone Pœonum Equitum præfecto, ad inhibendum transitum Tigris cum mille equitibus missus, directâ in guttur hastâ transfixus, *Ibid.* 82.

Sattagyda, Asiæ populi. Herodot.

Sattaia, Phrygiæ urbs. Ptol.

Sattalicus sin. pars maris Medit. inter Asiam min. ad Bor. & Ægyptum ad Mer. naufragiis & procellis infamis. Aliter *Attalicus sinus* dicitur.

Satula, Arab Felicis urbs Ptol.

Satura, palus Latii inter Antium & Circejos, quæ & Pontina, 23. olim urbium locus, ut ex Mutiano tradit Plin. 3. 5. Virg. *lib.7.*

Quà Satura jacet atra palus, gelidusq; per imas
Quærit iter valles, atq; in mare conditur Ufens.

Et ejus imitator Silius *lib* 8.

Quà Satura nebulosa palus restagnat, & atro
Liventes cœno per squallida turbidus arva
Cogit aquas Ufens, atq; inficit æquora limo.

Saturium, vel *Satureium* urbs Calabriæ, non procul à Tarento. Steph. Hinc *Saturejanus.* Hor. *lib.*1. *Sat.* 6.

Me Saturejano vectari rura caballo.

Alii legunt *Satriano.* Vid. *Satrianum.*

Saturnalia, festa 5. aut 7. dierum mense Decembri Saturno dicata, quibus Romani synthesin vestem sumebant, servisque discumbentibus inserviebant: muneraque ultrò citroque mitti solebant. Unde Strenarum origo. V. Fungerum in *Saturnum*, Lips. *lib.* 2. *Saturnal.* Martin. Lipenium, in *Hist. Stren. &c.* Hinc *Saturnalicius.* Mart. 5. 31.

Saturnalicias perdere, Varro, nuces.

Dicuntur etiam & *Cronia.* Quod ostendunt hi versus Attii veteris poetæ apud Macrobium Saturnalium *lib.* 1. *cap.*7.

Maxima pars Grajum Saturno, & maxima Athenæ,
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Dumq; diem celebrant: per agros, urbesq; fere omnes
Exercent epulas læti; famulosq; procurant
Quisq; suos: nostriq; itidem. Et mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Justinus *lib.* 43. *Rex Saturnus tanta justitia fuisse traditur, ut neq; servierit sub illo quisquam, neq; quicquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia, & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Ob cujus exempli memoriam, cautum est, ut in Saturnalibus, exæquato omnium jure, passim in conviviis servi cum dominis recumbant.* Ac similiter Saturnus ipse loquitur apud Lucianum, Ἐν τοῖς πρὸς Κρόνον, *dialogo* 1. Καὶ διὰ τοῦτο ἀπαρτεχῶ κρότου, καὶ ᾠδῆ, καὶ παιδιὰ, καὶ ἰσοτιμία πᾶσι καὶ δούλοις καὶ ἐλευθέροις. Οὐδεὶς γὰρ ἐπ' ἐμοῦ δοῦλος ἦν.

Saturnia, op. Latii à *Saturno* conditum. Editiora autem loca (teste Diodoro) *Saturnia* dici consueverant. Σατούρνια (inquit Stephan.) Italia primùm dicebatur. Gentile *Saturninus*, quod & proprium viri est apud historicos Romanos. Virg. *Georg.* 2.

Salve magna parens rerum Saturnia tellus,
Magna virûm. —— ——

Plinius Romam ipsam sic vocat. Inde *Saturnia porta*, cujus mem. Varro & Plin. quæ & *Pandana* à semper *pandendo*, per quam necessaria in urb. inferebantur.

Saturniacus vicus, vulgò *Torni*, in territorio Arciacensi, ad Albam fl. memoratur Bernardo *in off. S. Victoris.* Est autem *Artiaca*, vel *Arciaca*, unde territorio nomen, *Arce sur Aube*, in agro Tricassino Galliæ, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Saturniana Colonia, Tuscorum urbs. Ptol. Hodie *Saturnia.*

Saturniani, hæretici à *Saturnino* quodam dicti, vide *Saturninus.*

Saturnini, Italiæ pop. in Etruriâ, qui & *Aurinini.* Plin. 3. 5.

Saturninus, Syriæ præfectus, an. U. C. 749. Item, V. *Volusius.*

Saturninus, vel *Saturnillus*, Antiochenus, circa A. D. 140. Simonis Magi hæreses sparsit, ejus, ut & Menandri Basilidisque disc. & suas addidit, viz. Mundum, & homines ab Angelis factos esse, alios quidem naturâ bonos, alios verò malos, & Deum Judæorum unum fuisse ex malis Angelis, ad quem destruendum Christus, sub fallaci carnis schemate, venerit. Conjugium docuit à malis Angelis ortum, Resurrectionem negavit, &c. austeritate vitæ & abstinentiâ ab esu animatorum omnium, hominibus imponere conatus. Epiphan.

Epiphan. *hær.* 23. Tertullian. Theodoret. Philastrius, Augustinus, Irenæus *lib.* 1. *cap.* 12. & 6. 21. Euseb. *hist. Eccl.* 4. 7.

Saturninus mons, qui postea *Tarpejus*. Est & gentile à *Saturnia*. Stephan.

Saturnium mare, idem cum Cronio & Oceano Sept. Orpheus.

Saturnius mons, idem Capitolino & Tarpejo. Varro, Fest. Strabo.

Saturnus, Oceani ac Tethyos filius. Plato *in Timæo*: Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, ἐκ τούτων δὲ Φόρκυς τε καὶ Κρόνος καὶ Ῥέα, καὶ ὅσοι μετὰ τούτων. At Hesiodus *in ortu Deorum*, cùm Cœli uxorem Terram fuisse cecinisset, his verbibus:

Θεῶν γένος αἰδοῖον πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ
Ἐξ ἀρχῆς, οὓς Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτεν.

Mox paulo interius inter eorum filios Saturnum etiam commemoravit, uti patet ex his:

Τοὺς δὲ μετ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης,

& Orpheus, *Hymno quodam in Saturnum composito*, ita inquit:

Γαίης τε βλάστημα καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

Quam rem Ovidius quoque *Fast.* 1. sic expressit,

Hâc ego Saturnum memini tellure receptum,
Cælitibus regnis nam Jove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen,
Dicta fuit Latium terra latente Deo.

Fratrem habuit Titanem majorem natu, qui cùm parenti, uti par erat, succedere deberet, animadvertens tamen matrem, sororesque in Saturnum promiores esse, jure suo cessit, eâ tamen lege, ne Saturnus prolem masculam tolleret, sed regnum ad suam stirpem rediret. Saturnus igitur ex pacto cum fratre inito, liberos suos masculos, ubi primum nati essent, devorabat. Verum cùm Ops uno partu Jovem & Junonem edidisset, Junonem quidem Saturno ostendit, Jovem verò clàm nutriendum ablegavit, adhibitis interim Corybantibus, qui cymbalorum, tympanorumque pulsu obstrepebant, ne pueri vagitus audiretur. Saturno autem, cùm ille puerum deposceret, ut ipsum devoraret, Ops lapidem ostendit pannis involutum, eumque partu illo à se editum simulabat: quem ille acceptum sine morâ devoravit. Posthæc cum & Neptunum illa peperisset, eum quoque clam Saturno educandum tradidit. Tertiò deinde geminos enixa Plutonem & Glaucam, Glaucam rursus Saturno ostendit: Plutonem autem abscondit. Verùm detectâ tandem fraude cùm Titan rescivisset, fratri prolem masculam esse, suosque eâ ratione regni successione pullos esse, unà cum filiis, qui Titanes à patre cognominabantur, bellum adversus Saturnum suscepit: cujus exitus is fuit, ut victoriâ potitus Titan, Saturnum, Opemque utriusque sororem in potestatem suam redactos, muro incluserit, donec Jupiter adultus, dejectis Titanibus, eos liberavit. Post hæc Saturnus, cùm ex oraculo didicisset, fore ut à filiis regno pelleretur, atque ob hoc Jovi insidias strueret, ab eo regno pulsus, in Italiam profugit, ubi aliquandiu apud Janum regem latitavit: unde ea pars Italiæ *Latium* dicta est. Quod non obscurè innuit Virgilius *Æn.* 8.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, & dispersum montibus altis
Composuit, legesq; dedit, Latiumq; vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Opem sororem suam matrimonio sibi conjunxit, & patri Cœlo virilia execuit. Minutius Felix: *Itaq; latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium.* Scaliger, *in Conjectaneis*, scribit, Saturnum linguâ Syriacâ, aut Aramæâ, quâ usi Thusci, significare *latentem*. Sanè Ebræis סתר est *latuit, abscondit*. Fuerunt tamen, qui putarint Saturnum fuisse à Jove comprehensum, & in vincula traditum, non autem fugisse, quorum sententiam secutus est Plato *in Euthyphrone*: Αὐτοὶ γὰρ οἱ ἄνθρωποι τυγχάνουσι νομίζοντες τὸν Δία τῶν θεῶν ἄριστον καὶ δικαιότατον, καὶ τοῦτον ὁμολογοῦσι τὸν αὑτοῦ πατέρα δῆσαι, ὅτι τοὺς υἱεῖς κατέπινεν οὐκ ἐν δίκῃ· κἀκεῖνόν γε αὖ τὸν αὑτοῦ πατέρα ἐκτεμεῖν δι' ἕτερα τοιαῦτα. At Hom. *Iliad.* Θ. non solum Saturnum vinctum fuisse a Jove memorat, sed etiam ejus fratrem Japetum, ambosque fuisse conjectos in Tartarum, ut in his patet:

Σέθεν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω,
Χωομένης, οὐδ' εἴ κε τὰ νείατα πείραθ' ἵκηαι
Γαίης καὶ πόντοιο, ἵν' Ἰαπετός τε Κρόνος τε
Ἥμενοι, οὔτ' αὐγῇς Ὑπερίονος ἠελίοιο.
Τέρποντ', οὔτ' ἀνέμοισι, βαθὺς δέ τε Τάρταρος ἀμφίς.

Memoriæ tamen prodidit Lucianus *in Saturnal.* Saturnum neque fuisse à Jove vinctum, neque regno privatum; sed libenter ac sponte regnum illi concessisse, rerumque omnium, utpote ob ætatem impotentem, filio tradidisse administrationem. Hoc regnante, ætatem auream fuisse fabulantur, terramq; suâ spote, expertem vomeris & aratri peperisse fruges, communesq; id temporis, & nullis distinctas limitibus agrorum possessiones fuisse, Virg. *ubi supra*:

Aureaq; (ut perhibent) illo sub rege fuere
Secula, sic placidâ populos in pace regebat.

Idem *Georg.* 2.

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Tibullus 1. 3.

Quàm benè Saturno vivebant rege, priusquam
Tellus in longas est patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis præbueratq; sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris,
Presserat externâ navita merce ratem.
Illo non validus subiit juga tempore taurus,
Non domito frænos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arva lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, ultroq; ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses
Immiti sævus presserat arte faber.

Huic falcis inventionem tribuerunt antiquorum nonnulli, quoniam, ut diximus, vitæ humanioris author fuit Italiam incolentibus, quos plantandi, ac falce metendi rationem docuit. Alii dixerunt, eam falcem sibi à matre fuisse datam, cùm adversus patrem, & ad liberandos è vinculis fratres armatus fuit, quâ etiam genitalia Cœlo abscidit, quę postea decidit in Siciliam, quę ab eâ *Drepanum* dicta fuit, δρέπανον enim Græci *falcem* vocant. Apoll. *l.* 4. *Arg.*

Ἀμφιλαφὴς, πίειρα Κεραυνίη εἰν ἁλὶ νῆσος·
Ἧ ὕπο δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις, (ἵλατε Μοῦσαι,
Οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος) ᾧ ἀπὸ πατρὸς
Μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος.

Fuit Saturnus ad res Venereas maximè propensus; quare illâ fabula de eo circumfertur, quòd cùm Philyram Oceani filiam amaret, Opi superveniente, in equum se converterit, ut sub eâ formâ amores suos occultaret. Virgil. *Georg.* 3.

Talis & ipse jubam cervice effudit equinâ
Conjugis adventu pernix Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.

Ad hanc Saturni fabulam, & ad locum etiam hunc Virgilii adspirasse videtur Prudentius *lib.* 1. *contra Symmachum*:

Inde Deos, quorum patria spectata sepulchra
Scimus, in are hebetes informavere minores:
Advena quos profugus gignens, & equina libido
Intulit Italiæ: Thuscis namq; ille puellis
Primus adhinnivit, simulato Numine, mœchus.

Sicuti & Arnobius *lib.* 4. *Senex Saturnus jamdudum obsitus canis, atq; annorum vetustate jam frigidus, vestris carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehensus, induisse formam feri, & sub pecoris specie hinnitibus evolasse jactatu.* Porro Mythologiam Saturni quod attinet, ea peti potest ex Nat. Comite, *lib.* 2. *cap.* 2. Aur. Victore, *de orig. gentis Rom.* Cartario, *de Imag. Deor.* Boccat. *Hist. Deorum*, Alex. Rossæo *Mystag Poet* &c. Martianus Capella cum Saturnum describeret, dicit: eum gressibus tardum, ac remoratorem incedere, glaucoque amictu tectum caput prætendere & dextra flammivomum quendam draconem, caudæ suæ ultima devorantem (quem credebat anni numerum nomine prodere) ipsius autem caniciem pruinosis nivibus candicare. Vossius eum Adamum fuisse statuit *Theol. Gent. l.* 1. *c.* 18. Quanquam non negat, in eo conservatas nobis reliquias quasdam de Patriarchâ Noe: Saturnum verò fuisse Noachum multis argumentis probat eruditissimus Bochartus *Phal. lib.* 1. *cap.* 1. Huic Romani ann. 257. U. C. templum dedicarunt, instituitis Saturnalibus. V. ibi, & Lipsium *lib.* 1. *Saturn.* Martin. Lipenium, *in Hist. Strenarum &c.* Summum inter Planetas locum tenet Saturnus; tardè itaque cursum suum absolvit; nec nisi 30. fermè annis. Huic natura frigida & noxia itaque est. Et Virgilius cùm *Georg. lib.* 1. ait:

Frigida Saturni quò sese stella receptet;

Nocentem etiam intellexit, non frigidam tantùm rigentemque; ut Servius interpretatur. Propert. *lib.* 4.

Est grave Saturni sidus in omne caput.

Lucan. *lib.* 1. —— *Summo si frigida cœlo*
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes.

Idem *lib.* 10. *Frigida Saturno glacies.* ——

Cic. *libr.* 2. *de N. D. Quarum* (Stellarum errantium) *tantus est concentus ex dissimilibus motibus, ut cùm summa Saturni refrigeret, &c.* Plin. 2. 8. *Saturni sidus gelida ac rigentis naturæ.* Unde Ptolemæus ait; hujus Planetæ dominante stellâ causam corruptionis fieri καὶ ψύξιν. Pers. *Sat.* 5.

Saturnumq; gravem nostro Jove frangimus unà.

Juvenalis *Sat.* 6.

Hac tamen ignorat, quid sidus triste minatur
Saturni.

Saturum, Straboni *Satyreum*, *Satyrium* Stephan. urbs Calabriæ non longe à Tarento. Nunc vicus hortis amœnus, à Tarentó 8. m. p. in Cæciam Neritum versus. Scribitur & *Satyrum*. Ferrar. Vide Servium in illud *Georg.* 2.

Saltus, & saturi petito longinqua Tarenti.

Ex Stephano possit videri esse scribendum Σατύριον; qui ait esse χωρίον πλησίον Τάραντος.

Satyri, Africæ interioris gens vaga, & semifera. Solinus.

Satyri, ex superiore parte homines, nisi quòd cornuti capite essent, ex alterâ capri, unde & *Capripedes* Poetis dicti. Habebantur inter Semideos olim, & sylvis præesse credebantur; dicaces, lascivi, & ludibundi, itaque & inter Bacchi comites olim habiti, fue-

fuerunt. Cæterùm, an feri hujusmodi homines inventi unquam sint, quæri potest. Plutarcus *in Syllâ* auctor est, revertente Syllâ in Italiam contra Marium, dormientem Satyrum, qualem plastæ pictoresque adumbrant, captum, adductumque ad Ducem: tentatumque per interpretes varios, edidisse vocem ex hinnitu agni balatuque hirci confusam. D. Hier. *in vitâ Pauli Er.* scribit, S. Antonium in quadam saxosa convalle incidisse, *in quendam haud grandem homunculum, aduncis naribus, fronte* (ita describit) *cornibus asperatâ, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Interrogatum, quis esset, respondisse: Mortalem esse, & unum ex accolis Eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosq; & Incubos vocans colat; legatione fungi gregis sui, precariq;, ut pro eo communem Dominum deprecetur, quem pro salute mundi venisse cognoverint, &c.* Finitâ narratione subjungit Hieronymus: *Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub rege Constantino, universo mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, & postea cadaver exangue, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est.* Hæc ille: Sed rectè Casaubonus *lib.* 1. *de Poësi Satyricâ cap.* 2. statuit, quicquid de Satyris legimus, ex Poetarum, pictorumque fingendi licentiâ originem ducere: nihil hujus revera in rerum naturâ existere: aut si quid visum hujusmodi fuerit vel illudentis Dæmonis phantasma, vel Naturæ lusum fuisse. Nam, ut est procax Natura, potest quandoque hominem cornutum, fortè & capripedem producere: sed totos greges & genus hujusmodi legitimum creare, de quo ille Antonianus Satyrus referebat, verisimile non est. Atque si dentur maximè, non voce humanâ tamen, sed belluinâ, ut ille à Syllâ captus Satyrus, loquerentur, nec nostrum sermonem intelligerent, degentes perpetuò inter feras. Jam remoti ab omni consortio penitus & literarum disciplinæ, quam Dei, quam humanarum rerum habere possunt notitiam, ut sciant quid Christiani credant, ac sperent quid erret, celatque Gentilitas? Profectò aut figmento inani deceptus Hieronymus fuit, temerè credens; aut spectro illusus Antonius. Jam ille ad Constantinum allatus Satyrus, procul omni dubio monstrum fuit, in quo lusit Natura. Plutarchus autem non affirmat, sed refert famam: *Φασὶ* enim ait, i. e. *dicunt*, vel *ferunt*: Quo fere uti solent Historiarum conditores, cùm de iis loquuntur, de quibus ipsi dubitant. Ælianus *Satyros* deducit *ἀπὸ τῦ σεσηρέναι*, quia essent dicacissimi. Alii à salacitate, quam *σάθω*, veteres dixere: non absurdè verò (quoniam antiquissima quæque Græcorum verba Hebraicæ sunt originis) aliquis putet Σατύρους quasi צתרים *Saturim* esse dictos, qui in speluncis & montibus latere putabantur, unde in hominum conspectum raro venirent.

Satyrium, regio juxta Tarentum, Steph. *Satyreum* Strab. & *Saturum* in Calabria Servio. V. *Saturum*.

Satyrorum insulæ, sunt tres contra Indiam extra Gangem sitæ. Ptol. 7. 2. quas qui habitant, caudas Satyrorum habere dicuntur. Eidem *Satyrorum prom.* est, in Æthiopiâ ad sin. Arabicum.

Satyrus, Spartaci filius, rex Bosphori, moritur Olymp. 96. anno quarto; cùm regno ann. 14. præfuisset. Diod. 14. 444. & 445.

Satyrus, ex Atheniensium Ducibus, qui introductis quadringentis & viginti clam noctu viris in urbem, præsidium Demetrii expellere agitabant; sed à præfecto Heraclide oppressi fuerunt, Pol. 5.

Satyrus, Aruspex Corinthius sive vates, maritus sororis Timoleontis, per quem hic fratrem Timophanem, tyrannide Patriam prementem, sustulit. Ab Ephoro & Timæo vocatur *Orthagoras*: quod nomen adjectitium laudis causâ videtur, quòd vera ex aruspicinâ responderet.

Satyrus, frater S. Ambrosii: prudentiâ, & probitate clarus, A. 385.

Satyrus, Histrio apud Græcos, qui Demosthenis linguâ præpediti vocem imitari solitus fuit. Plutarchus. Hic idem, celebrante triumphales de captâ Olyntho epulas Philippo, vultum trahebat: cùm à rege caussam tristitiæ interrogaretur, & cur solus nihil ex se peteret: cupere se quidem, respondit, ex Rege donum consequi, sed metuere repulsam. Cui cùm Philippus confirmasset petiti fore compotem; duas virgines hospitis captivas reddi Patri oravit. Diod. 16. 539. Voss. *de H. G. lib.* 1.

Satyrus, Peripateticus vitam Philippi elucubrasse dicitur ab Athenæo *lib.* 6. Alia etiam scripsit, de quibus Voss. *Hist. Gr p.* 4. 11.

Satyrus, vir sanctissimus, qui cùm nullis tormentis nullisque cruciatibus ab Orthodoxæ fidei cultu avocari posset, leonibus devorandis traditus est sub Valeriano, & Gallieno. Volat.

Sava, vicus Arab. Fel. Gent. *Savenus*. Steph. Item vicus Arab. Des. Ptol.

Savanarola Hieronymus, Ferrariæ natus, Ann. 1452. Monachus Dominicanus, floruit sec. 15. Eloquio, pietate, & eruditione nulli secundus, atque ob has dotes cunctis gratissimus. Vir inprimis divini zeli, Florentiæ, acriter abusus Papales taxavit, in Alexandri VI. hominum spurcissimi, flagitia liberè invectus. Carolum VIII. divino spiritu, ad reformandam Ecclesiam, nomine Dei, incitavit, pœnas gravissimas, ni id faceret, comminatus. Sanè Carolo Romam accedente, muri Urbis & Arcis Adrianæ, in quam Papa se abdiderat, quasi invitantes, suâ sponte, conciderant. Sed is nihil egit, ideoque domum reduci, primò filius ereptus, tum ipse, ut Savanarola prædixerat, subitâ morte concidit. Philipp. Comin. *de Bello Neap. lib.* 2. & *lib.* 3. *ac* 5. Hic Vir insignis, tandem porro concionari prohibitus, cum, Deo potius quàm hominibus obediendum esse sentiens, nihilominus pergeret, in vincula conjectus, & acerbis quæstionum cruciatibus excarnificatus, jussu Alexandri VI. pauloque post, cum sociis duobus, Sylvestro Florentino & Dominico de Pisis, Ordinis Prædicatorum, Florentiæ laqueo suffocatus & crematus est, an. æt. 46. An. C. 1498. Hic inter metuendos carceris horrores, & imminentis supplicii angustias, scripsit meditationes in Psalm. 30. & 51. verbis vivis, ut Sixtus Sen. *in Bibl. S.* ait, animatis sententiis, & Spiritus fervore flagrantissimis. Item de triumpho crucis &c. Vaticinatus est idem de vastitate Florentiæ, Romæ & reformatione Ecclesiæ &c. A Johanne Fr. Pico Mirandulano & Marsilio Ficino defensus, & tanquam Propheta celebratus. Ejus meminit præfatus Cominæus *lib.* 3. *de bello Neap.* ubi suum cum illo colloquium recitat, & *l.* 5. ubi de extremo ejus supplicio agit. V. & *lib.* 8. *c.* 19. Guicciard. *Hist.* 3. Beza *de Viris illustr.* Paul. Jov. *in elog.* Sixtus Sen. *Bibl. lib.* 4. &c. Extant præter *Meditationes* supra memoratas, *Commentarii in Ps.* 50. 70. 79. *Sermones in Ezechielem Ital. in Amos, Haggæum, &c. Expositio orationis dominicæ* &c. V. Catal. Oxon. Crowæi *Elenchum &c.*

Savanarola Joh. Michael, Medicus celebris, eodem sec. Scripsit varia. Castellan. *in vita ill. Med.* Vander Linden *de Script. Med.*

Savara, Assyriæ oppid. Ptol.

Savara, vulgò *le ru de Sevre*, aliàs *Separa*, & *Marinellus* quoque, rivus Galliæ apud Novigentum olim in Sequanam decurrit, nunc cursus ejus & exitus à Geographis non notatur. Hinc vico veteri Savaræ *Sevre*, nomen. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Savarabatis, Indiæ intra Gangem regio. Ptol.

Savardunum, castrum Galliæ, memoratum Petro *de bello Albigensi cap.* 24. sub Comite olim Fuxensi: etiamnum *Sabardun*, non procul ab Apamiis. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Savari, Sarm. Europææ gens, Ptol.

Savaria, *Muer* Lazio & Heroldo, fl. Norici per Stiriam fluens in Dravum, medius *Savus*, in græcis codd. Ptol. V. *Savus*. *Savaria* verò opp. Pannon. sup. urbs est Stiriæ primaria, vulgò *Gratz* 17. leuc. à Viennâ in Austr. recedens: licet Lazius *Leybnitz* esse putet, à Græcio (*Gratz*) 4. leuc. in ort. distans.

Savatra, Isauriæ in Galatiâ civitas. *Saurocens* Nigro.

Saubaana, Armen. m. aj. urbs. Ptol.

Saubatha, Arab. Fel. metropolis. Ptol. *Sabbatha* Arriano, *Sabora* forte Plinii.

Sauciva, Pannoniæ urbs. Anton.

Saucona, fluv. Gall. Celt. qui & *Araz*.

Save, civitas sive vallis. Gen. 14. quæ & vallis regis ibidem dicitur. In tribu Ruben: Super Sodomam, in plano.

Savera, vicus Lycaoniæ, qui postea in urb. magnam evadens, metropolis regionis evasit. Strabo *lib.* 12.

Saufejus Appius, Rom. quidam, qui cùm à balneo reversus mulsum bibisset, ovumque sorberet, repente mortuus est. Plin. 7. 53.

Saufejus Trogus, ex consciis adulteriorum Messalinæ, à Claudio supplicium dedit. Tacit. XI. 35.

Savia Pannonia, quæ & *Ripariensis*, hodie *Windischland* Lazio. Pars fuit Austr. Pannoniæ, versus Savum fl. ab Ort. in Occ. extensa, inter Pannoniam infer. ad Bor. & Dalmatiam ad Mer. ubi hodie Sclavonia propr. cum parte Bor. Croatiæ. *Baudr.*

Savia, Pelendonum urbs in Hisp. Ptol.

Savilianum, opp. amplum Pedemontii, ad Mairam fl. medium inter Fossanum ad Ort. & Salutias ad Occ. 6. mill. utrinque, 9. à Cuneo in Bor. Situs commoditate, supra omnes Italiæ urbes, à Carolo V. aliisque inclytis Ducibus, judicatum: unde & hic Metropolim ditionum suarum constituere, Philibertus Emanuel D. aliquando cogitavit. Taurino 22. mill. distat.

Savinia Via, Leodii, apud ædem sanctæ crucis, in vallem declinans, à cæde Titurii Sabini mutato *b.* in *v.* appellata. Alii vocant *Sabinam* vel *Sabiniam*.

Savinnejum, vicus Galliæ, in confin. Normanniæ & min. Britanniæ: vulgo *Savigni*, ad mare, inter Hagam Paganelli *Hepenel* vel *la Haye Paynel* & Abrincatas, in diœcesi Abrincatina, Abbatiâ insignis. Videtur olim *Sabiniacum* à Sabino dictum. Est & *Sabiniacum*, in diœcesi Matisconensi. Est quoq; *Saviniacus*, castellum pagi Vindocinensis, 7. ferè leuc. à Vindocino, nomen dans Eccl. Saviniacensi, à Gaufrido Abbate Vindocinensi memoratæ. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Saul, sextus rex in Edom, qui fuit ex Rehoboth. Gen. 36. Filius Simeonis Patriarchæ. Gen. 46.

Saul, Israëlis Rex primus. Filius Cis, de tribu Benjamin, unctus est an 40. in regem Israelitarum, eodem anno, quo Samuel filios constituerat Judices: nempe anno mundi 2889. ante Christum natum 1073. Secundùm alios, An. M. 2959. Erat Saul altior universo populo, à capite ad humeros, quem videns populus clamavit, *Vivat Rex*. Ammonitas & Philisthæos vicit. At contra præceptum Dei, non expectato Samuele, sacrificans abjicitur à Deo: item contra præceptum Dei, victis Amalecitis, regem eorum Aggo prædam reservavit: filiam suam Michol Davidi in uxorem dedit. Tandem victus à Philisthæis, ne vivus in manus eorum veniret, à quibus occideretur, seipsum propriis manibus interfecit. V. 1. lib. Reg. à fronte ad calcem. Hunc librum sunt qui vocent 1. Sa-

muelii

muelis *Act. cap.* 13. Sulp. Severus, *lib.* 1. *Hist. sacr.* Euseb. *in Chron.* Petav. &c. Imperavit Saul annis duobus, Josephus *lib.* 6. *cap* 4. &c. Vel potius 10. annis, Helvic. Alii tamen 20. habent.

Saulium, vulgò *Sori*, op. seu pag. Liguriæ marit. teste Blondo, in orâ ad ort. inter Genuam & Portum Delphini.

Saulus, dicebatur Paulus Apostolus, ante conversionem, Vide *Paulus*.

Saunu, urbs Arabiæ. Steph.

Saunita, pop. apud Japyges, quorum reg. *Saunitis* Steph. & opp. *Saura*. Idem.

Saunites, vide *Samnites*.

Saunium, fons circa Bulidem urb. in Phocide. Pausan.

Savo, vulgò *Savona*, urbs satis culta Liguriæ inter Genuam & Albinganuum. In ora Occ. cum duplici arce, sub Rep. Genuensi. Portum habuit amplum, sed à Genuensibus corruptum. 3. mill. à Vadis Sabbatiis in Ort. uti 8. à Naulo, 22. ab Aquis Statelliorum in Mer. *Savo* item, *Saone*, teste Sanfelicio, fluv. Campaniæ inter Sinuessam & Vulturnum in mare delabens. Plin. 3. 5. Hujus mem. Papinius *Sylv. lib.* 4.

Et Linterna palus, pigerve Savo.

Savolaxia, prov. Finlandiæ, inter Kekholmiam ad Ort. Tavastiam ad Occ. & Careliam ad Mer. versus confin. Moscoviæ, ubi nullum opp. alicujus momenti.

Savona seu *Saona*, Ins. Americæ Sept. in mari Bor. versus partem Austr. Ins. Hispaniolæ, seu S. Dominici, sub Hisp. sed à paucis exculta.

Saura, urbs Samnitum. Steph. Susianæ civitas. Ptol.

Saura, Thraciæ gens. Phavorinus.

Sauriciacum, villa olim pagi Suessionici, nunc *Sourcs*, non procul ab Axona fluv. ubi Synodum congregatam scribit Gregorius Tur. *Hist. lib.* 9. *cap.* 37.

Saurium, Hisp. Tarrac. fluv. Pompon. Item opp. Portugalliæ ad Ancam fl. *Soure* Resendio.

Sauromatæ, pop. Septentrionales, qui & *Sarmatæ* dicuntur, quorum alii Asiatici sunt, alii Europæi, Tanai fluv. discreti. Vide *Sarmatia*. Juvenalis *Sat.* 15.

—— *Sauromatæq; truces.*

Idem *Sat.* 2. *Ultra Sauromatas, &c.* Ubi vetus Scholiastes, *Sauromatæ Sarmatæ ultimi ultra Pontum sunt, vicini Amazonum, unde Sauromatides* (*διςύχως* emendat Rutgersius) *appellantur*. Amazonas quoque *Sauromatidas* dictas, testantur Eustathius Dionysii Interpres, Stephanus & Plato *de L. L. lib.* 7. De his Hippocrates *libr. de aere, locis, & aquis, sectione tertiâ*, sequentia habet: *In Europâ*, inquit, *est gens Scythica, quæ Mæotin paludem incolit, & à reliquis plurimum differt, Sauromatæ appellantur. Horum fœminæ equitant, arcu utuntur, atq; ex equo jaculantur, & cum hostibus bellum gerunt, quoad virgines existunt. Nec ante virginitatem deponunt, quam tres hostes interfecerint, neq; prius cum viris congrediuntur, quàm Sacra Deo patrio more peregerint. Quod si qua virum sibi delegerit, equitatu soluta est, nisi communis expeditionis necessitas ingruat. Dextram autem mammam non habent. Puellis enim adhuc infantibus ferro ad id fabricato, & candente dextra mammæ admoto, eam exurunt, ut ne incrementum capiat, sed ad dextrum humerum & brachium omne robur & copia transmittatur.*

Saurus, nobilis statuarius, cujus operam commemorat Plinius *lib.* 36. *cap.* 5.

Saus, Mercurii & Rhenes fil. à quo *Samus*, interposito *m.* dicta.

Saus, Savus, Ptol. Sol. *Sabus* Trogo, *Savv* Germ. fluv. Norici ex Ocrimonte profluens à Villaco 3. leuc. per Carniolam in ort. & per Saviam Pannoniam longo tractu in Danubium ad Taurunum urbem fluens. De eo sic Baudr. Oritur in Carniola sup. ex duplici fonte, in confin. Carinthiæ sup. vix 3. leuc. à Villaco in Mer. dein in Ort. tendens per Carniolam utramque, postea Sclavoniam à Croatia, Bosnia & Servia separans, post cursum 300. m. p. in Danubium cadit ad Taurunum, receptis prius Laubacô, Corcora, Colapi, Vana & Drino fluv. Claudianus *de laud. Stiliconis lib.* 2.

Pannonius, potorq; Savi, qui clausa tot annis
Oppida laxatis ausus jam pandere portis.

Savus, Maurit. Cæsar. fluv. *Saffaja* Marmolio.

Saxenberga, opp. Comit. Waldeccensis. Merel.

Saxenhausen, opp. ejusdem Comit. Id. Item pars Francofurti ad Mœnum, urbi reliquæ ponte juncta, quasi *Saxonum domus*. Hic Fanum Bartholomæi est, olim à Pippino, Francorum R. in honorem Salvatoris mundi dedicatum, ac deinum à filio ejus Carolo M. splendidè dotatum: cujus tamen facultates, jam à Ludovici IV. Imp. tempore non amplius integræ, eò quòd Collegium hoc à Pontifice potius, quàm Cæsare & Imperio tum steut. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 17.

Saxetanum, opp. Hisp. Bæt. mediter. Anton.

Saxi, juxta Pontum gens. Steph.

Saxiacum, castrum fortissimum, vulgò *Seissac*, memoratum Petro Monacho *de bello Albig. cap.* 26. quod Comes Montis Fortis dederat Bucardo de Marliaco, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Saxinæ, Troglodytarum gens in Æthiopiâ. Plin.

Saxo Grammaticus, rerum Danicarum scriptor celeberrimus. Fuit Præpositus Ecclesiæ Ruschildianæ, in Daniâ, Sec. 12. Historia ejus libb. 16. comprehensa, aliquando fabulas sapit, interim nitido stylo exarata, genium illius seculi plane transcendit. Hinc Erasmus *in Ciceron. Danus*, inquit, *nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui suæ gentis historiam splendide magnificeq; contexuit, &c.* Vide Voss. *Hist. lib.* 2. *cap.* 55. & Possevin. in *Appar.*

Saxones, Germaniæ populi. Ex veteribus eorum primus Ptolemæus meminit, qui Aurelii ætate fuit. Hic easdem Saxonibus sedes tribuit, quas Tacitus Fosis, ut hi cum illis iidem putandi, nisi *Fosorum* vox apud Tacitum corrupta, quæ Cluverii opinio est, *Ant. Germ. lib.* 1. *cap.* 21. Unde nomen inditum non constat. Qui a *Sacis*, Asiatico populo & appellationem & originem repetunt, æque ineptiunt, atque qui *Misnios* à *Mysis* derivant. Nec audiendi, qui à duritie & truculentia, quasi *Saxei* essent, deducunt; namque quis credat Germanicam gentem à Latio sibi appellationem petiisse? Wittichindus Corbejensis *lib.* 1. *Annal.* refert, Saxonibus olim magnorum cultellorum (ut loquitur) usum fuisse, quibus usque hodie Angli utuntur, progenies Saxonum. Cultellos autem illos *Sahs* appellatos: Cum itaque inter eos & Thuringos ad dirimendas armorum disceptationes, quibus invicem hactenus commissi fuerant, constitutus dies esset, quo convenirent ex utraque parte inermes, Saxones accinctos cultris sub sagis dicto loco & tempore adfuisse, & opportunitatem nactos Thuringos inermes ac imprudentes strictis cultellis adortos, ad unum omnes concidisse. Hinc factum, ut ab hac memorabili strage, quam cultris illis, quos *Sahs*, ut diximus, appellabant, obtinuerant, *Saxonum* nomen sibi acquirerent. Unde Gotfr. Viterbiensis *Chron. part.* 15. *pag.* 362.

Pax ubi congeritur, sub fraude Macedo veretur:
Ne male frustretur, sit totus inermis habetur,
Unde breves gladios clam tulit arte secus.
Ipse brevis gladius apud illos saxo vocatur,
Hiis quoq; cultellis vita redempta fuit.

Reinerus autem Reineccius *Commentatione de Saxonum origine*, quam Apologiæ instar Joanni Bodino opposuit, nomen gentis à vocabulo *Sacne* fortassis deducendum existimat; qui judices ac disceptatores, nempe à justitiæ laude, & judiciorum æquitate. Horum Historia paucis ista est. Olim Barbari & superstitioni dediti, interim formidabiles se aliis reddiderunt, & finibus longe lateque propagatis, in Angliam quoque trajicientes, ibi regnum constituerunt: quò illis ducibus Heugisto & Horsâ, à Vortigerno, contra Scotos Pictosque evocatis, sedes in Cantio assignata est, Ann. C. 449. Ibi hostibus victis, hi cum arma in Britannos vertissent, victi sunt ab Aurelio Ambrosio, Ann. Ch. 456. sed & hic tandem ab Olca & Otham Hengisti filiis superatus, occubuit, Ann. C. 488. Hi rursus, regnante Uthero Pendraco, cantato ter à Germano Episc. Alleluja, victi occisique sunt, circa An. C. 518. quo Creutius Saxo cum fil. Henrico adveniens, Britonibus sibi subjectis, regnum Occidentalium Saxonum inchoavit; cujus initium alii in ann. 495. rejiciunt. Hic Vecti ins. Consobrinis suis Sufæ ac Vidgaro concessa, mortuus successorem habuit fil. Henricum, quem Ceaulinus excepit, An. C. 547. Horum plurimi dein ab Augustino, Melito & Johanne conversi sunt, circa An. C. 580. postmodum cum Britonibus in unam gentem coaluerunt. A seculo 6. in Galliam irrumpere cœperunt, à Sigeberto attriti Ann. Chr. 578. neque tamen infesti esse desiere, donec tricennali bello, à Carolo M. domiti, Baptismum receperunt: nihilominus paulo post, Sacerdotibus interfectis, sub Witikindo D. fortissimo, jugum excusserunt. Ab hujus nepotis Ludolphi III. successoribus transiit hic Principatus in familiam Hermanni Bilingii, dein sub Supplinbergus fuit, An. 1106. è quibus Lotharius Imp. filiam cum Saxonia, Henrico Superbo, Bavariæ D. dedit, qui cum Conrado III. de Imperio contendit. Post hunc Albertus Ursus, Anhaltinus Princeps, tanquam nepos Magni, ultimi Ducis ex familia Bilingia, Saxoniâ potitus est: eamque proscripto Henrici filio, Henrico Leone, Ann. 1175. ab Imperatore accepit hujus filius, juncto ei, quidquid ad Electoratum pertinet: & ab hoc duces Saxoniæ Lauenburg. ortum trahunt. Sigismundus dein Imp. Electoratum hunc; post mortem Alberti IV. improlis, Friderico I. Bellicolo, Misniæ Marchioni ob operam, adversus Bohemos, in primis in Brixiensi prælio strenuè navatam, concessit: Erico V. Duce Lauenburgio, in infer. Saxonia acquiescere jusso: Sic rediit Ducatus Electoratu auctus ad Witikindeos. Hic Lipsiensem Academiam instituit, An. C. 1409. Filius Fridericus II. Placidus patri successit, quo nati Ernestus & Albertus, lineas duas condiderunt *Ernestinam* & *Albertinam*. Ernestus Princeps prudentissimus Fridericum III. Sapientem genuit Wittebergensis arcis conditorem, & cum fratre Johanne Academiæ ibidem An. C. 1501. fundatorem. Sub eo Lutherus concionari incepit: mortuo cœlibi circa A. C. 1525. frater Johannes Constans successit: pater Johannis Ernesti, qui An. C. 1542. Franconicam partem nactus, Coburgi habitavit, & majoris natu Joh. Friderici I. qui bello Smalcaldico à Carolo V. Imp. victus & Electoratu exutus, per Johannem Fridericum II. Gothanæ, per Joh. Wilhelmum verò Vinariensis linearum auctor extitit. V. *in Gotha & Vinaria*. Albertus alter Friderici II. Placidi filius, militari laude excellens, & bene de Friderico III. Imp. filioq; ejus Maximiliano primo meritus, ex Sidonia filia Georgii Podiebradii Bohemiæ R. suscepit

Georgium, quo in reformationis negotio Lutherus neminem habuit infensiorem, & Henricum, qui contra impense huic favit, fratris sine prole extincti successor. Hic in ditionem paternam Evangelium introduxit, facto à Lipsia initio: mortuus Mauritium & Augustum filios, in tutela agnati Electoris, reliquit. Horum ille bello Smalcaldico exardescente, ab Imperatore jussus, Electoris regionem invasit, universamque fere occupavit: mox ab hoc pulsus, sua præter Lipsiam & Dresdam amisit omnia, donec Electore victo captoque amissa recuperavit, de Electoratu insuper, qui Joh. Friderico demtus fuit, in Comitiis Augustanis Ann. C. 1548. à Cæsare inauguratus: quem tamen postea, cùm soceri Landgravii libertatem impetrare non posset, fœdere cum Galliæ Rege, aliisque Germaniæ Principibus inito An. C. 1551. repentina expeditione territus, captaque Erenbergâ, ut Oenoponte fugeret, coegit, extortâ captivi libertate, & pace religionis, quæ Passavii conclusa est. Obiit prælio Sivershusano, victor Alberti Brandeburgici, An. 1553. Princeps excelso animo, profundus, gravis, magnificus. Ei frater successit Augustus: qui Ann. Ch. 1555. Naumburgi fœdus hæreditarium Saxonicæ, Brandeburgicæ & Hassiacæ domuum renovavit, pacemque religiosam, in Comitiis Augustanis ursit & impetravit, atque rerum Imperii. Opes maximas congessit, jamque senior linguæ latinæ incubuit: Fridericum Elect. Palat. An. 1566. socium Augustanæ Conf. agnovit, mox tamen in Reformatos rigidior, Theolog. non paucos ditionib. pepulit: formulâ Concordiæ A. C. 1580. publicatâ, ad quam omnes adacti. Obiit A. C. 1586. Pater Christiani I. sub quo nova Reformatis lux affulsit. Mortuus hic An. C. 1591. reliquit filios Christianum II. Johannem Georgium & Augustum. Quorum primus Lutheranâ religione restitutâ, Nic. Crellium Cancellarium, capite truncavit. Secundus fratris An. C. 1611. demortui successor, Unioni aut Palatino Electori in causa Bohemica accedere recusans, conventu Mulhusino, aperte in Ferdinandi II. Imp. partes transiit, à quo jussus An. C. 1620. Lusatiam occupavit, quæ dein à Cæsare domui concessa. Postea, reformatione Bohemiæ, translatione Electoratus in Bavarum, aliisque offensus, fratribus Evangelicis Lipsiam evocatis, cum iisque tractatione cum Pontificiis, aut defensione deliberavit. In proposito à Gustavo Adolpho Suecorum R. confirmatus; Lipsiâ jam à Tillio captâ, cum Suecis pactus est, Lipsiensis prælii non exigua pars. Verum Rege occiso Ann. 1633. cum Fridlandio agere cœpit, dein cum Cæsare An. C. 1635. transegit; unde ditiones à Bannerio miserè rapiatæ, An. C. 1636. & 1639. Torstensohnius quoque An. C. 1642. in eodem ad Lipsiam prælio Imperiales & Electorales copias profligavit: tandem induciæ semestres An. C. 1645. à Suecis obtentæ, Monasteriensi verò pace Ann. C. 1648. quies fessæ provinciæ concessa, Electorique possessio 4. Præfecturarum Querfort, Damm, Cuterbock & Borek confirmata est. Decessit An. C. 1656. relicto ex Magdalena Sibylla Brandeburg. successore fil. Johanne Georgio II. patre ex Magdalena Sibylla Brandeb. Joh. Georgii III. demnati successoris: ut &, Augusto, cui Archiepiscopatus Magdeburgicus An. C. 1628. collatus, et ad dies vitæ pace Monast. confirmatus est, Christiano item, cui Naumburgum, cum Lusatiâ obtigit, & tandem Mauritio, qui Mersburgum obtinuit, Vid. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* Albert. Crantz. *Sax.* Georg. Fabr. & Dav. Chytræum. *Sax.* Reinerum Reineccium, *de Saxon. orig. & Annal.* *Wittichindi.* Bertium, *de reb. Germ.* Cluver. *descr. Germ. &c.* Saxoni cuidam viro docto, à Ludovico Pio Imp. in Synodo Aquisgrani habitâ, An. C. 836. injunctum, ut sacram Scripturam Germanicè carmine transferret, quod & idiotæ illam addiscerent, refert Platina *in vit.* Cæterùm Saxonia duplex hodie est, *superior*, in qua est *Wittenberga*, & *Inferior*, quæ complectitur *Holsatiam*, *Stormariam*, in quâ *Hamburgum* Saxoniæ metropolis, & *Dithmarsiam*, in quâ Brema, Sebastian. Munsterus. Vide *Saxonia*.

Saxones Gallicani, à Germanis orti; qui cùm modò soli, modò juncti finitimis Francis, oram Galliæ Belgicæ & Lugdunensis, nonnunquam etiam Aquitaniæ latrociniis infestavere, etsi certior, ut in tractu Armorico & provincia Belgica secunda, illic circa Garumnam, hic circa Mareos, ut & in inf. Britannia littus *Saxonicum* dictum fit. Imo multi eorum, jam abolito in Occidente nomine Imperatoris, in tractu Armoricano finibusque Bajocassium consedere, *Saxones Bajocassini* Gregorio Turon. *Hist. lib. 5. ac* 10. appellati. Nonnulli quoque ex eadem gente in agro Namnetico sedem cepere. Unde scribit Fortunatus *lib. 3.* Felicem Episc. Namnetum *Saxones* mansuefecisse & multos eorum ad fidem perduxisse. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Saxonia, incolis *Sachsen*, Gallis *Saxe*, pars est ampla Germaniæ, quæ dupliciter sumitur, vel latè, vel strictè. Saxonia latè sumpta complectitur *Saxoniam inferiorem* seu Circulum Saxoniæ inferioris, & *Saxoniam superiorem* seu Circulum Saxoniæ superioris; alias que amplior fuit, & complectebatur etiam Westphaliam tempore Caroli magni, qui Saxones decies debellavit, & ad Christianam religionem reduxit, fundatis in ea regione decem Cathedralibus Ecclesiis: sed nunc Westphalia extra Saxoniam censetur. Saxonia autem strictè sumpta continet tantùm Ducatum Saxoniæ cum provinciis Duci Saxoniæ subditis. *Saxonia inferior*, seu Circulus Saxoniæ inferioris, *le Cercle de la basse Saxe*, complectitur Ducatus Brunsvicensem, Luneburgensem, Magdeburgensem, Bremensem, Megalopolitanum, Holsatiæ, & Lavenburgensem, Principatus Ferdensem & Halberstadiensem, & Episcopatum Hildesheimum; estque inter Westphaliam ad Occasum, Saxoniam superiorem ad Ortum & Meridiem, & mare Balt. cum cum Jutiâ ad Boream. *Saxonia superior*, seu circulus Saxoniæ superioris, *le Cercle de la haute Saxe*, continet Marchiam Brandenburgicam, Pomeraniam, Thuringiam, Misniam, Ducatum Saxoniæ, & Principatum Anhaltinum. Terminatur ab oriente Poloniæ regno & Lusatia, à Septentrione mari Baltico, ab Occasu Saxonia inferiori, & à Meridie Franconia & Bohemia. *Saxonia autem strictè sumpta*, seu propria & Electoralis, *Churfurstenthumb Sachsen* incolis, *Duché & Electorat de Saxe* Gallis, provincia est parva Germaniæ, in Saxoniæ superioris Circulo, versùs Albim fluvium, inter Lusatiam ad Ortum, Marchiam Brandeburgicam ad Boream, Principatum Anhaltinum ad Occasum, & Misniam ad Meridiem: cujus Dux est unus ex 8. Imperii Electoribus. Provinciæ urbes sunt Vitteberga, *Wittenberg*, quæ primaria, & Torga, *Torgavv.* Sed præterea subsunt etiam Duci Saxoniæ Misnia provincia & pars ampla Thuringiæ; ideoque persæpe sub nomine Saxoniæ propriæ continentur. Ipsi etiam Duci paret Lusatia superior & inferior ab an. 1620. cum antea pars fuerit regni Bohemiæ, Comitatus Mansfeldiensis ex parte, & tractus Abbatiæ Quedelinburgi. Sed Lusatiam inferiorem, uti partes Thuringiæ & Principatus Hennebergensis, nuper concessit Dux Elector Saxoniæ fratribus suis, ut videre est in Germaniæ Principibus; & Episcopatus Mersoburgensis & Novoburgensis habent proprios Administratores, ut vocant, quibus subsunt cum regiunculis adjacentibus.

Urbes Saxoniæ nunc clariores:

Ascalingium. Vide *Hildesia*.

Berlinum, *Berlin*, in Marchia Brandeburgica & Saxonia superiori, Electoris Brandeburgici sedes.

* Brema, olim Phabiranum, *Bremen*, archiepiscopalis, Saxoniæ inferioris.

* Brunopolis, *Braunschvveyck*, libera nunc, in Saxonia inferiori.

Daneberga, quasi Danorum mons, *Daneberg*, Comitatus Saxoniæ inferioris.

Dresda, *Dresden*, Misniæ caput, & sedes Electoris Saxonici, in Saxonia superioris.

Eimbeca, *Eymbeck*, Saxoniæ inferioris.

Erfordia, *Erford*, Turingiæ caput, in Saxonia superiori.

Goslaria, *Goslar*, libera, Saxoniæ inferioris.

Gothinga, *Gottingen*, libera, Saxoniæ inferioris.

* Halberstadium, *Halberstat*, episcopalis sub Archiepiscopo Moguntino, Saxoniæ inferioris.

* Halla, *Hall*, Saxoniæ superioris.

* Hamburgum, *Hamburg*, libera, & emporium Saxoniæ inferioris.

Hanuveria, *Hanover*, Saxoniæ inferioris.

* Helmstadium, *Helmstat*, Academia. Oppidulum est Saxoniæ inferioris.

* Hildesium & Hildesia, *Hildesheim*, episcopalis, sub Archiepiscopo Moguntino, Saxoniæ inferioris.

Leoburgum, *Lavvenburg*, Ducatus Saxoniæ inferioris.

Lipsia, *Leipzigk*, in Misnia, academia Saxoniæ superioris.

* Lubecum, *Lubeck*, emporium, libera, & episcopalis sub Archiepiscopo Bremensi, Saxoniæ inferioris.

* Luneburgum, *Lunenburg*, Ducatus Saxoniæ inferioris.

* Magdeburgum, quod & Parthenopolis, *Meydenburg*, archiepiscopalis & libera, Saxoniæ inferioris.

* Mansfeldia, *Mansfeldt*, Comitatus Saxoniæ superioris.

Mersoburgum, *Mersburg*, Saxoniæ superioris, in Misnia.

* Minda, *Minden*, episcopalis sub Archiepiscopo Coloniensi, in Westphaliæ confinio. Hodie est in Westphalia.

Misna, *Meissen*, Saxoniæ superioris, & aliàs Misniæ caput.

Novoburgum, *Naumburg*, Saxoniæ superioris, in Misnia.

Racemburgum, *Racelburg*, episcopalis Saxoniæ inferioris sub Archiepiscopo Bremensi. Meliùs *Ratzemburg* dicitur.

Swerinum, *Schvverin*, episcopalis Saxoniæ inferioris sub Archiepiscopo Bremensi, in Ducatu Megapolitano.

* Torga, *Torgavv*, in Misniæ confinio, Saxoniæ superioris.

Verda, *Ferden*, episcopalis Saxoniæ inferioris sub Archiepiscopo Moguntino olim, nunc sub Suecis.

* Viteberga, quasi Vitarum mons, *Wittenberg*, Academia & caput Saxoniæ superioris.

Saxonicum littus, Lib. Not. ora Cantii in Anglia, ubi Dubris, Rutupis, & alia oppida. Similiter ora Galliæ Celticæ, in Normannia, Cantio objecta, in qua Rhotomagus, Constantia, & aliæ urbes Britanniæ minoris. V. *Saxones Gallic.*

Saxontium, Indiæ intra Gangem op. Ptol.

Saxonum Ins. *Heylichlandt* Crantzio, Ins. maris Germ. ante Albis ostia Ptol.

Saxonum leges. (hi enim, cùm victricia per Europam, Angliam inprimis, ubi provincias Cantio circumfusas, Essexiam, Middlesexiam, Surriam, Sussexiam, & tractum latè maritimum Cornubiam usque Westsaxonum, incoluerunt signa extulissent, triumphatis populis,

leges

leges imposuere, quæ inter antiquas divulgantur (Heraldo Dano, qui floruit An. C. 984. nonnulli attribuunt: auctoritate ducti Alberti Abbatis Stadensis, & Helmoldi *in Hist. Sclavorum lib.* 1. *cap.* 15. Cæteri illorum Legislatores Alvredus, Eduardus seu Æthelstanus, Edmundus, Edgarus, Ethelredus fuere. Erant autem Saxones olim dicti Touringi, sed è Græcia prius oriundi, ut eorum tradunt historiæ, & illud Gotfridi Viterbiensis *Chron. par.* 15.

Saxo, velut credo, patriâ fuit antè Macedo,
Regis Alexandri miles ubiq; fuit, &c.

Origini attribuerunt leges, à quopiam institutæ, qui Philosophiam in Græcia audierat, ut opinatur Huldricus Mutius *Chron. Germ. l.* 12. *Multa enim*, inquit, *Platonis legibus conveni ebant* V. Henr. Spelmannum *Gloss. Arch. in voce Lex*, & in voce *West-Saxones*.

Saxuium, opp. Gall. Togatæ, in agro Mutinensi, cum arce satis firma, 10. m. p. à Mutina in Mer. *Sassuolo*.

Saxum Ferratum, castr. Piceni, versus Apenninum & limites Duc. Urbinatis, juxta Sentinum amnem. 25. mill. à Fulginio in Bor. Fanum versus totidem. Sub Pontif. Bartoli patria.

Sazarana, Thraciæ urbs. Auton.

S B.

Sbiczanum, op. in Mœsiâ circa Istrum. Laonicus.

Sbidi, episcopatus sub sede Seleuciensi. G. Tyrius.

S C.

Scabala, regio Eretriensium: Gentile *Scabalæus*. Steph.

Scabalis, vide *Scaiabis*.

Scabini, judices erant apud Germanos, Francos, Longobardos, causis tam capitalibus, quàm civilibus; nec terrestribus solum, sed & maritimis, in quovis Comitatu & Civitate, sub Comite, præfecti: à Misso regio sive dominico, cum assensu populi electi, & in singulis mallis septeni constituti. His tanta fuit reverentia, ut, si quis repeteret, quod ab iis judicatum esset, & in causa cecidisset, aut 15. solidis rem componere, aut receptis à *Scabinis* 15. ictibus, suam suere temeritatem cogeretur. Vox Germanica est, *Scepen*, vel *Scheffen*, an à Saxonico *Schaper* i. *Schaffer*, conditor, procreator; certe hodieque Curator, Oeconomus, Præfectus, Dispensator, Procurator, in nobili hac gente *Schaffner*, dicitur. V. Henricum Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Scaccarium, Anglis fiscus Regius est: de qua voce Vid. prolixè agentem Auctorem modò laudatum.

Scæa, urbis Trojanæ porta, ubi Laomedontis erat sepulcrum, ita (ut Grammaticis placet) quòd ad finistrum, h. e. occidentale urbis latus sita esset, dicta. In Augurum enim disciplinâ, quæ Ortum spectant, dextra; quæ Occasum, finistra dicuntur. Strabo tamen *lib.* 12. videtur sentire, *Scæa* portæ nomen, à *Scæis* Thraciæ populis sumptum fuisse, cum quibus Trojanos multa nomina communia habuisse ostendit. Virgil. *Æn.* 3.

——— *Arentem Xanthi cognomine rivum*
Agnosco, Scææq; amplector limina portæ.

Alibi plurali numero extulit:

——— *Tum Scæas Juno sævissima portas.*

Hausit ex Homero, apud quem loco non uno:

Α'υτὰρ ἐπεὶ Σκαιάς τε πύλας ἠ̃ Φηγὸν ἵκοντο.

Propertius *lib.* 3.

Nec referam Scæas, & Pergama Apollinis arces.

Homerus *Iliad.* Σ.

Πᾶς δ' ἠ̃μος μέμνων ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσι.

Plautus *in Bacchidibus scen.* 9. *Act.* 4.

Ilio tria audivi fuisse fata, quæ illi forent exitio:
Signum ex arce si periisset: alterum etiam est Troili mors:
Tertium cum portæ Scææ limen superum scinderetur.

Scæboe & *Cerenus*, Thraciæ gentes, Polyæn. in Cotinga *lib.* 7.

Scæi, sunt Thraces populi, *Scæus* amnis, & *Scæus* murus. Steph. pop. inter Thraciam & Troadem.

Scæva, miles Cæsaris fortissimus, qui apud Dyrrhachium magni Pompejanorum manu oppugnatus, multisque vulneribus acceptis, adduci tamen non potuit, ut castelli sibi commissi custodiam desereret. Lucan. *lib.* 6.

Scæva viro nomen: castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitam, &c.

Scæva Memor, Poeta Latinus, sub Tito & Domitiano Tragœdias scripsit, sicut frater ejus Turnus Satyras condidit. V. Martial. *lib.* 10. *Epigr.* 10. & 11. Scaliger hunc Memorem auctorem Octaviæ credidit, quæ Senecæ tribuitur, *in Poët.* Lil. Giraldus, *Dial. de Poët. &c.*

Scævæ, sunt, qui finistra pro dextra utuntur, ex quo diminutivum *Scævola*, Græcè Σκαιόλας. Utrumque nomen in cognomen abiit. Namque ad *Scævam* quendam scribit Horat. *lib.* 1. *ep.* 17. ubi Torrentius observat, Juniorum & Cassiorum cognominis illud fuisse.

Scævola Briennensis, Dux Athenarum, Connestabilis Franciæ, obiit in prælio Pictaviensi, An. C. 1356.

Scævola Castellionæus, Connestabilis Franciæ, sub quinque Regibus, filius erat Scævolæ IV. Castellionæi. Ad id dignitatis evectus, à Philippo Pulchro, marito Johannæ Campaniæ hæredis, postquam devicit Henricum Com. Barensem, generum Eduardi Angliæ R. An. Ch. 1297. & in prælio Curtracensi, in Flandria, fortem navavit operam, A. C. 1302. Magnum dein momentum attulit ad victoriam Montis puellarum, sub eodem Rege obtentam: hujusque filiis Ludovico Huttino, Philippo Longo & Carolo Pulchro, eandem fidem zelumque præstitit, contra Caroli inprimis Valesii molimina. Hujus dein filio Philippo ad regnum evecto pari adstitit industriâ; illique suadens, ut Ludovico Flandriæ Comiti suppetias iret, ipse octogenarius licet, expeditionis comes fuit, re in prælio MonCassellano præclarè gestâ. Obiit anno post, An. 1329. Moreri us *Diction. Hist.*

Scævola Sammartanus, nobilis Gallus, egregiè de Rep. literariâ meritus, Henrico M. Galliæ R. cui in bello contra Ligistas fortem navavit operam, gratissimus fuit. V. Thuan. *Histor.* Pater filii cognominis, similiter scriptis editis clarissimi.

Scævola, vide *Mutius*.

Scala Tyriorum, mons altissimus, in tr. Afer, versus Sept. à Ptolemaide 100. stad. Joseph. 2. *bel.* 9.

Scalabis, *Scalabiscus* Ptolom. *Julium præsidium*, & *Scalabitanus conventus* Plin. Colon. & urbs olim Lusit. ad Tagum, ab Ulyssipone 13. leuc. in ort. Toletum versus. Hodie *Santaren* (à D. *Irene* virgine ibi martyrium passâ nomen habens) opp. amplissimum, à Christianis ingenti Maurorum clade recuperatum. An. D. 1184.

Scala, vulgò *Scala*, urbs Picentinorum episc. in monte, apud orami littor. olim ampla, ut rudera indicant. Proxima Amalphi ad 2. m. p. milliario à Rebello: Quarum 2. urbium sedes unitæ. Hujus meminit Pontan. *lib.* 1.

Scala in Annal. Flandr. V. *Iccius portus* & *Caletum*.

Scala Alexandri, via per Ossam montem in Thessalia. Nam cùm Thessali Tempe præsidiis impositis obtinerent, sublatis præcipitibus Ossæ petris & effectis exiguis gradibus per eas, ipse & Macedones ascendentes in juga evaserunt, atque Ossam transgressi Thessaliam occuparunt, Thessalis Tempum angustias tenentibus. Etiamnum videre est iis, qui Tempe perambulant, petras Ossæ in scalarum modum ædificatas, quas inde *Scalas Alexandri* appellant.

Scala Annibalis, pars mont. Jovis eminentior in orâ Hisp. citer. seu Catalauniæ. *Monjui* Vatterio, *Costa de Garaffr.* aliis, in ora maris Mediter. 6. leuc. Hisp. à Barcinone in Occ. Tarraconem versus 9.

Scalarii, Basiliensium Aborigines, summis olim in Rep. muneribus defuncti sunt. Ex his enim Otto, An. C. 1260. Rodolphus An. C. 1265. Petrus Ann. C. 1281. item Ann. C. 1359. Weinherus An. C. 1308. aurati equites omnes, Consulatum gessere. Prætorem penes eosdem constituendi jus diu mansit, sic ut rerum civilium judicia ab eorum Vicesculteiis longo temporis decursu fuerint habita. Iidem virtute militari non minus inclaruere, patriæ contra Rodolfum Habsburgicum, Monarchis item Principibusque variis forti operâ præstitâ: quod inter alia & Hermanni equitis ex hac nobilissima gente insignia, in sacello sepulchri Christi An. C. 1269. suspensa loquuntur: Fuere autem illa quatuor gradus candidi in Scalæ modum assurgentes, in scuto rubeo: domus *Scalariorum* hodie Academiæ locus est. V. Christ. Urstisium *Epit. Hist. Basil.* Stumpf. *de Rauracis lib.* 12. & suprà, in voce *Psittacus*, quæ factionis insigne fuit, cui Scalarii adhæserant, seculo 13.

Scaldia, Inf. Zelandiæ, à præterlabente *Scaldi* fl. sic dicta. *Schoven* Belg. prope ostium Or. Scaldis. Aliàs amplior fuit. In ea sunt duæ Urbes Ziriczæa & Broversha via; vix 2. mill. p. à Walachria in Bor.

Scaldis, *Scaldium* Cæsari, *Tabuda* Ptolomæo, vulgò *Scheld*, Gallis *l'Escaud*, fluv. max. Belgii in Veromanduis prope Ablatiani Martini oriens, ac inter Artesiam & Hannoniam per Flandriam & Brabantiam, in Oceanum infra Antwerpiam decurrens. Ejus mem. Cæsar, Plin. 4. 17. Tacit. &c. Vide Guicc. *Belg. descr.* inprimis Cluver. *Germ. Ant. p.* 451. Baudrando oritur in Picardia; paulo supra montem S. Martini & Castelletum arcem; fonti suo proximum, *le Castellet*, in limine Belgii; dein versus Cameracum pergit, eamque interfluit. Hinc Hannoniam petens, Bochanio oppidulo *Bouchain en Ostrevant*, salutato, aliquot torrentibus auctus, Valencenam suis aquis ditat, ibi primùm lintrium capax. Hac relictâ & Hanio fl. Hainoi, à Castrilucio Montibusve veniente recepto, juxta Condatum paulo post per Flandriam labitur; auctusque Scarpâ fl. ad Moritaniam castr. vel ad confluentem *Conflan*, ut Valesius habet, Albiniacum *Aubigny*, Atrebatas *Arras*, Duagium *Douay*, Marcianas *Marchiennes* monaster. virginum nobiles, præterlabitur: dein Enonem seu S. Amandi monasterium attingens, Tornacum bifariam secat, uti dein Aldenardam. Hinc ad Gandavum tendens, ibi Levam seu Legiam *La Lys* ab Atia, Armentariis & Corteriaco defluentem recipit, & in hac urbe Oceani reciprocantis æstum primum sentit. Hinc sinuosis flexibus ad Teneramundam decurrit; ubi auctus Tenerâ; & Demerâ fl. Machliniensi, qui Tiliam & Sennam, quorum ille *Dyle* Lovanium alluit, hic *Senne* per Sonegias & Bruxellam fluit, in eum defert, ut & paulo

post

post prope Rupelmundam Rupelâ, Brabantiam à Flandria disterminans Antverpiæ mœnia lambit, emporioque huic insignem portum efficit: unde ad 3. mill. prolabens, in duo vasta ostia scinditur, quorum unum ad Occ. Flandriam à Zelandia dirimens inter Birdetum Flandriæ, & Flissingam Zelandiæ Urb. nomine in *Honte* mutato, Oceanum Septentr. per Sutbevelandiam & Walachriam intrat: Alterum veterem alveum, nomenque suum servans ac cursum, Bergam ad Zomam è longinquo à dextra prospiciens, & versus Romersvallam à sinistra deflectens, inter Zelandicas insulas diffunditur, omnesque ejus Urbes alluens, inter Walachriam & Scaldiam, vulgò *Schouwen*, in Ocean. Germ. se exonerat. In Mosam Scaldem influere, circa extremas Arduennæ partes, scribit Cæsar *de bello Gall. lib. 6.* Nimirum, ut quidam ait, *torsere se flumina aut correxere flexus, Scaldis, Mosa & Rheni.* *Scaldis* in plures diffluit partes: ejus alveus, qui Bergam attingit, olim Mosæ adjungebatur: cæteris hisque majoribus ostiis in Oceanum influebat. Villa *Schaltheim*, juxta ostium fluminis in maritima Frisonum regione posita, memoratur Eginhardo *lib. 2. de translatione SS. Mart. Marcellini & Petri cap. 19.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Scaldis pons, urbs Belgii, Hannoniæ præcipua, ad Scaldem fluv. inter Cameracum & Montes 7. leuc. vulgò *Valenchiennes.* Baudr. *Escanpont*, Vicus Hannoniæ, ad Scaldim, dimid. leucâ supra Condatum in Bor. Valentianas versus 1. cum dimidia.

Scalholtum, Urbs & Academia Thulæ insulæ in Norvegia, Episc. sub Archiepiscop. Nidrosiensi.

Scalia, oppidum Calabriæ infer.

Scaliger Julius Cæsar, Criticus, Poëta, Medicus & Philosophus insignis, magnum sibi in orbe nomen peperit, seculo præt. Hunc Italia genuit, educavit Germania, Gallia ad mortem usque tenuit. Natus An. 1484. in castro *Ripa*, territorii Veronensis, ex Principibus de la Scala, priscis Veronæ, aliorumque in Italia locorum Dominis, oriundum se probavit: adversarium irreconciliabilem sensit Hieronymum Cardanum, Medicum Mediol. cujus de Subtilitate librum refutavit. Arma diu cum gloria gessit, sed inprimis ad studia natus est, ingeniorum Aquila. Obiit Aginni in Aquitania, Ann. 1558. ætat. 75. Pater Sylvii Medici, & Josephi Justi, paternæ gloriæ & eruditionis hæredum. Scripsit Poeticam, opus admirandum: Epistolas & Orationem: Poemata: Commentarios in Aristotelem, & Theophrastum: plurimos de Medicina tractatus: de Causis Ling. Latin. Testimonia de gente Scaligera: Exercitationum Exoticarum libb. 15. &c. Gloriæ cumulus purioris doctrinæ professio fuit. Scævola *Elog. lib. 1.* Lips. *in Epistol.* Vander Linden *de Script. Medic.* Justus *in Chron. Medic.* Quenstedt. *de patr. Doctor. &c.*

Scaliger Justus Josephus, filius prioris, natus Aginni, Ann. 1540. Studiis primò Burdigalæ incubuit, dein à Patre ipso eruditus, postmodum Parisios profectus est: ubi sub Adrian. Turnebo Græcam linguam, postmodum sine Magistro Hebræam edoctus, Criticam quoque ad unguem edecumavit, omnibusque literatis admirationi fuit. In Academiam Lugduno Batavam vocatus, ibi per an. 16. extra ordinem docuit. Obiit Ann. 1609. Scripsit notas in Senecam, Varronem & Ausonium: Correctiones item in Eusebium, Valerium Flaccum, Pompejum Festum, &c. Poemata, *Thesaurum temporum, Emendationem temporum, &c.* Laur. Crassus, *Elog. literat. P. II.* Lips. Casaubonus, Heinsius, Meursius, &c. Ex illustri *Scaligerorum* familia, qui Veronæ Principatum olim tenuerunt: Albertus quoque & Mastinus inclyti fuere: quorum avus Balduinus JC. fuit, An. 1101. Fridericus JC. ex eadem familia, amplissimis muneribus defunctus est, An. 1316. Jul. du Puy, *in Elog. Advoc. Veron.* Alexand. Cannobius, *Arbor Scalig.* Cæsar Borset. *de Magnif. Veron.* Hieronym. Curtius, *Histor. Veron.* Onuphr. *Antiquitatum Veronensium, &c.*

Scala, urbs Picentinorum, prope Amalphim, Episcop. sub Archiepisc. Amalphitano. Vide *Scala.*

Scamander, Hectoris & Andromaches filius, alio nomine *Astyanax.*

Scamander, vel *Scamandrus* Homero, Herodoto, Qu. Calabro ac Ptolemæo, fluvius Mysiæ in Asiâ apud Hellespontum ex Idâ monte profluens, quem Hesiodus θεῖον Σκάμανδρον vocat. Ante *Xanthus* dicebatur, quod & Homerus innuit, cùm ait:

Ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.

Suo more vetustiorem appellationem Diis, recentiorem hominibus assignavit. Ab exercitu Xerxis, sicut & Melas & Lissus in Thracia, epotus fuit, authore Herodoto. In hoc fluvio sponsæ jam nupturæ sese abluebant, his verbis eum invocantes: Λαβέ μου Σκάμανδρε, τὴν παρθενίαν. Quâ occasione usus Cimon, quidam Atheniensis, cùm generosæ puellæ amore teneretur, quæ jam viro desponsata erat, in Scamandri virgultis sese occultavit, caputq; arundine coronavit cumque illa ex more lavaretur, carmenque solenne caneret, Scamandrum, ut virginitatem suam acciperet, invocans, Cimon à virgultis prosiliens: Ego verò inquit accipio libens, virginemque in ripam sustulit, ubi & vitium ei obtulit. Videre poteris hac de re plura in Epp. Æschinis, & apud Petr. de Valle *Itiner. tom. 1.* Hujus fluv. mem. Catullus *de nuptiis Pel. & Tnet.*

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Qui passim rapido diffunditur Hellesponto:
Cujus iter cæsis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permista flumina cæde.

Achilles ipse apud Atticum ἐπὶ ποταμῷ μάχῃ·

Scamandriam undam sanctam falso obtexi sanguine,
Atq; acervos alta in amni corpore explevi hostico.

Xanthus ipse apud Homer. *Iliad.* φ.

Πλήθει γὰρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα,
Οὐδέ τί πῃ δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν
Στεινόμενος νεκύεσσι. —— ——

Virgilius *Æneid. 5.*

—— *Cùm Troïa Achilles*
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret letho, gemerentq; repleti
Amnes, nec reperire viam, atq; evolvere posset
In mare se Xanthus. —— ——

Horatius *epod. 13.*

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, Lubricus & Simois.

Scamandria, urbs Troadis parva, à portu Ilii parum remota, Plin. 4. 30. in ora maris Ægæi, nunc diruta. Bellon.

Scambena, Mediæ opp. Ptolem.

Scambonida, vicus Atticæ in tribu Leontide. Vide Scholiast. *in Vespas.*

Scamnos, Æthiopiæ sub Ægypto opp. Plin.

Scamon, Mitylenæus, librum de rerum inventione scripsit, qui citatur Clementi. 1. *Strom.* itemque ab Athenæo *lib. 4.*

Scandu, Eordæatarum urbs in Macedoniâ, Ptolem. *Scampia* adhuc in tabula rec. inter Apolloniam ad Occ. 71. & Heracleam ad Ort. 96. m. p. Anton. inter Dyrrhachium 63. & Lychnidum 55.

Scandaria, Coæ insulæ promuntorium, Strab. *lib. 14.* Ubi *Scandalium* oppid.

Scanderbeg, id est, Alexander Magnus, nomen Georgii Castrioti Albaniæ Reg. Cum quatuor hic fratribus, à Johanne Patre, Turcis obses datus, licet minimus natu, ita tamen placuit Amurathi II. ut reliquis lento veneno consumptis, ille in vita conservaretur. Proin per vim circumcisus, & solicitè in arte imprimis militari, Imperatoris jussu, institutus est; quod tanto successu factum, ut, post res pro illo fortiter aliquandiu gestas, tandem, paterni imperii memor, contra illum otii sibi proposuerit. Itaque Crojâ metropoli, per fraudem potitus, An. 1443. cum incredibili subditorum lætitiâ, regnum occupavit. Cum sceptro, fidem Christianam denuo amplexus, stupendo plane rerum suarum successu usus est. Turcam Crojam obsidentem, repulit, exercitibus ejus sæpius in fugam conjectis: Et periit quidem in iterata Crojæ obsidione Amurates, Ano. 1450. nec Mahometes II. felicior fuit, cum quo octennium circiter, eadem gloriâ, Scanderbegus rem gessit: nunquam cedens, semper victor, & licet 2000. Turcarum propriâ occiderit manu, non unquam tamen vulneratus. Itaque pacem facere Turca, vel potius inducias coactus, illo à Ferdinando Arragonio & Pio II. in Italiam, contra Gallos vocato, Crojam denuo circumvallavit binis vicibus, totiesque repulsus est. Obiit tandem Lissæ, An. 1467. ætat. 63. urbe ditionis Venetæ, quâ postmodum à Mahomete captâ, Turcæ, qui ad nomen Scanderbegi olim fugiebant, ad ejus cineres tantâ frequentiâ confluxerunt, ut felix probusque haberetur, qui ossa tangere, felicior, qui minimam eorum particulam obtinere potuerit, quam quidam auro inclusam, velut sacratissimas reliquias, collo appenderunt. Marin. Barlet. *Histor. Scanderb.* Paul. Jov. *in Elog.* Leuncl. *in Pandect. Turc.* Chalcond. *Histor Turc. &c.*

Scandia, pars est Scandinaviæ Australis. Ubi nunc prov. Scania *Schonen*, Blekingia & Hallandia, versus Daniam magis extensæ, & antea Danici juris, ubi sec. quosdam olim Scanii pop. erant. Melius tamen est ipsa Scandinavia, Baudr.

Scandia, oppidum & navale in Cytheris. Stephanus ex Pausania *libr. 3.*

Scandiæ, insulas plures sinûs Codani, Cimbricæ Chersoneso ad Ort. adjacentes, Ptolem. cui 4. sunt, quarum maxima nunc *Gothland*, contra ostia Vistulæ; sed apud Melam sunt septem.

Scandinavia, quæ & *Scandia*, (licèt Scandia sit portio Scandinaviæ inter Norvegiam & Sueciam in sinum Codanum porrecta) & *Basilia* Diodoro, & *Baltia* Pytheæ, teste Plinio, non insula, ut credidit idem Plinius, sed peninsula maxima Septentrionalis inter mare Balticum ad Austr. quo à Germaniâ separatur, & Oceanum Septentrionalem, ad Arctos, in plures regiones divisa, ac tria continens regna, Norvegiæ, Sueciæ & Gothiæ. *Vagina gentium* à Jornande dicitur. Hinc enim Gothi, Vandali, Longobardi, aliiq; prodierunt. Baudrando complectebatur totum illum tractum, ubi hodie regna Sueciæ & Norvegiæ: ibique fuerunt aliàs Nerigon & pop. Gutæ, Lappiones, Hillæviones & Sujones. Manet nominis vestigium, in Scania tractu. Vide Hug. Grotium *Hist. Goth.* nec non in vocibus *Suecia* & *Norvegia.*

Urbes Scandinaviæ notiores:

Aboa, *Abo*, Episcopalis Finlandiæ sub Archiepiscopo Upsalensi & Rege Sueciæ.

Acherhusia, *Akerhuys*, in regno Norvegiæ.

Arboga, *Arbogen*, Episcopalis Sueciæ sub Archiep. Upsalensi.

Arosia, *Arosen*, Episcopalis Sueciæ sub Archiepisc. Upsalensi.
Asloa, *Aslogen*, & *Ansle*, Episcopalis Norvegiæ sub Archiepiscopo Nidrosiensi.
Bergæ, veteribus Bergos, *Bergen*, emporium, regia, & Episcopalis Norvegiæ sub Archiepiscopo Nidrosiensi.
Calmaria, *Kalmar*, emporium Gothiæ, in Suecia.
Congella, *Kongell*, Norvegiæ, apud Scaniam.
Hametia, *Hammeren*, Episcopalis Norvegiæ sub Archiepiscopo Nidrosiensi.
Holmia, *Stockholm*, regia, Academia, & emporium Sueciæ.
Lincopia, *Lincopen*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.
Lodusia, *Luki*, portus & emporium Gothiæ, in Suecia.
Nicopia, *Nicopen*, vel *Nicoping*, emporium Sueciæ; altera Gothiæ.
Nidrosia, *Drontheim*, Archiepiscopalis Norvegiæ.
Oburgum, *Oburg*, vel *Viburg*, emporium Finlandiæ, in Suecia.
Rasburgum, *Rasborg*, Finlandiæ, ad sinum Finnicum, in Suecia.
Scara, *Scaren*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.
Stamethia, *Stametz*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.
Stavangria, *Staffanger*, Episcopalis Norvegiæ sub Archiepiscopo Nidrosiensi.
Stragene, *Stregnes*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.
Suderdalia, *Suderdael*, in Norvegia.
Telgoa, *Telgo*, Sueciæ.
Torona, *Torn*, emporium Finlandiæ, in Suecia.
Tunsberga, *Tonsberg*, Norvegiæ.
Vardhusia, *Wardhuys*, Norvegiæ arx Borealis.
Vastena, *Vasten*, Sueciæ, cum cœnobio.
Vellimum, *Velum*, Episcopalis Sueciæ sub Archiepisc. Upsalensi.
Vexio, *Wexbo*, Episcopalis Gothiæ sub Archiepiscopo Upsalensi, in Suecia.
Upsala & Upsalis, *Upsal*, Archiepiscopalis, Sueciæ olim regia.

Scania, regio olim Daniæ, dein Sueciæ, ab Ann. Chr. 1319. quo Magnus Rex, in turbis Danicis illá potitus est, exin rursus, a tempore Olai Reg. An. 1375. Daniæ, nunc iterum Sueciæ, ab An. 1658. pace Roschild ad mare Balticum, è fronte Seelandiæ, à qua dividitur ad Occid. Sundico freto, ad Austrum habet mare Baltic. ut & partim ad Ort. & Blekingiam provinc. ad Bor. autem terminatur Hallandiá & Vestrogothiá; *Sconen*. Ipsa pars est præcip. Gothiæ Austr. Conversa ab Othingaro Episc. An. Chr. 980. cum Seelandia. Urbes ejus Lundia prim. nunc Academiá insignis, Coronia, seu *Landskron*, Malmogia, Helsingoburgum & Udstedia, in ora maris Baltici.

Scantate, opp. Zimarenorum apud Nabatæos, Plin. 6. 28.

Scantia, sylva in Campaniâ, ubi Scantiæ aquæ, ignem vomentes, Plinius, & *Mala Scantiana* apud Macrobium. Nunc locus & nomen ignota.

Scaphe, urbs Mesopotamiæ, Ptolem.

Scaphusia, urbs Helvetiæ ad Rhenum, Constantiæ finitima, infra quam 4. leuc. Helv. in Occ. Basileam versus 6. & 4. à Tiguro in Bor. Caput pagi cognom. unius ex XIII. qui ad Rhenum & Sylvam nigram situs, terminatur pago Tigurino. Sita est in ripa Germanica, Helvetiæ tamen ponte conjungitur; si turres, mœnia, Rempubl. spectes, nova: si cultum, vetustior. Omnium rerum miré exuberans, & præsertim piscibus. Sub ea circiter 3. mill. pass. major Rheni cataractes est, ingens naturæ miraculum. Ab ove quibusdam nomen accepisse videtur, unde Myconio *Probatopolis*, & in nummis etiam ac insignibus ovis effigies: Alii potius à *scaphis* eam nuncupatam volunt, quæ secundo Rheno ex Acronio & Veneto lacu advenientes ibi onera exponunt, cúm infra urbem Rheno per ingentia primum saxa ruenti, tandem ex altissimis rupibus præcipiti, illis transire neutiquam liceat. Originem urbi, an incrementum potius, ob rationem prædictam, Cœnobium Abbatiave Benedictinorum, ab Eberhardo Comite Nellenburgio, sub Henrico III. Imper. condita dedit, circa Ann. Chr. 1052. Ejus filius Burcardus, opibus, potentiâ & conjugis é Saxonica familia matrimonio florens, cúm improlis decederet, magnam bonorum suorum partem Monachis legavit, unde suburbanus ager, cum Hemmia valle & saltu Randio. Accessit dein sub Sigfrido Abbate Virginum Monaster. S. Agneti sacrum, circa Annum Chr. 1090. Crescenti indies lætis auspiciis urbi Sculterus primò & dimidia Senatus pars ab Abbate dati, cui cum civibus cúm sæpe non parum litis intercederet, Imperatorum beneficio multis hi immunitatibus & privilegiis donati, sicque sensim potestati ejus exempti, & urbs civitatum Imperii numero adscripta est. Verúm cúm Ludovicus Bavarus Imper. diuturno bello exhaustus Frider. Austriaco, quam ex compositione pecuniam debebat, persolvere non posset, Scaphusia ab illo, unà cum aliis quibusdam oppidis Imperialibus, Duci oppignorata, circa An. Chr. 1330. mansit ita sub Austriorum potestate annos 85. usque ad tempora Concilii Constantiensis. Intra quod tempus cum Tiguro urbi aliqua contentio fuit An. Ch. 1342. quæ An. Chr. 1345. in mutuum fœdus mutata est. Cœnobium dein arsit An. Chr. 1350. ingenti damno, quo ipso anno Rupertivillam obsidentibus Tigurinis auxilia cives summisere. Cúm autem Austrii Habspurgensium Comitum, qui tum Tigurinorum hostes erant, causam tueri incepissent, Scaphusiani fœderi renuntiare & Tigurinam obsidionem urgere An. Chr. 1351. sunt coacti. Ingens post hæc incendium urbem tantum non delevit, An. Chr. 1372. vix quartâ parte superstite: quæ postmodum reparata; Austriis fidam multis in prœliis, Sempacensi inprimis, An. Chr. 1386. & Nähefelsiano An. C. 1388. navavit operam: A Nobilitate proin Suevica, sub Wenceslao Imper. equestribus ludis honorata, An. Ch. 1401. Proscripto dein Friderico Austrio, quód Johann. XXII. è Concilio Constantiensi abduxisset, belloque contra ipsum fervente, Scaphusia ad Imperium rediit, ac cives, non exiguâ pecuniæ vi Imperatori numeratâ, amplissimis privilegiis donati sunt: qui ut libertati suæ certius consulerent, fœdus iniere cum Tiguro & oppido S. Galli, An. Chr. 1424. cumque sub Friderico postea III. Sigismundum Austriæ Ducem, sacramentum per missos Legatos, sine omni exceptione, ab illis exigentem infestum haberent, novo fœdere cum Tigurinis, Bernatibus, Lucernensibus, Suitiis, Tuginis, & Glaronensibus coiere, An. Ch. 1454. A quo tempore Helvetiorum amicitiam constanti fide conservarunt; multis in bellis fortes armorum socii. His igitur, operâ Peregrini Hewdorfii, ab Imper. proscriptis, An. C. 1468. firmum misere fœderati præsidium, quo redditi animosiores, multis excursionibus in vicinum Austriorum agrum, in Hercyniæ juga, Hegojam, Latobriges aliaque loca factis, demum Walshuto obsesso, hostes fatigarunt; pace mox insecutâ, cujus beneficio proscriptio sublata est. Anno itaque 1479. fœdus prorogatum in an. 25. quo Urii quoque ac Underwaldii comprehensi: donec, post egregiam in bello Burgundico primúm, mox Suevico operam præstitam, An. Chr. 1501. perpetuo Helvetiorum fœderi, quo ipso anno & Basilea in illud recepta, duodecimo loco adscripta Urbs est: cui circa An. Chr. 1524. Abbas Cœnobii omni suo jure cessit: Secuta ejus reformatio, operâ Jacobi Riegii, Erasmi Ritteri ac N. Hofmeisteri; & magnus Scaphusianorum Deus, quod ingenti idolo apud illos nomen erat, An. Chr. 1529. exustus est. Urbs in 11. divisa est tribus, ibiq; majus Consilium 86. minus 26. viris prudentibus & cordatis constat. Portorium ex salis vectura ingens colligitur, quod diu ante urbem conditam in potestate duarum nobilium familiarum fuit, quæ hodieque Scaphusiæ habitant, *Im Thurn*, & *am Stad*. Plura vide apud Stumpf. *lib 5. de Turgovia cap.* 17. Simlerum *de Rep. Helv.* &c. Henricus Glareanus *Panegyr. Helvet.* de egregia hac urbe sic canit:

Subticeamne tuas piscosa Scaphusia laudes,
Conspicuum Helvetiæ sidus, bene digna Camœnis,
Gloria Teutonicæ Germano in littore terræ,
Utilis & bello, vincendoq; utilis hoste.
Quam propius liquidis facies nitidissima Rheni
Alluit, hic rapidus refluente in gurgite vortex
Cernitur, Euripum referens, Scyllæq; voracis
Latratus. Hic unda alti de vertice montis
Lapsa ruit præceps, sterilemq; eructat arenam
In circum, sursumq; volans protendere nubem,
Aut nebulæ speciem & cœlum pulsasse videtur.

Scapoardus, Dispensator in aula Caroli M. an à Sax. *Scap*, id est, mercimonium, pecus, facultates? Henr. Spelm. *Gloss. Archæol.*

Scapos, insula maris mediterranei, Plin. 4. 12.

Scapris, Tusciæ portus, Anton. *Scarino* hodié.

Scaptesyle, urbs parva Thraciæ è reg. Thasi, Steph. Corrupté vulgó legebatur olim *Scaptensia*, apud Lucretium, *lib.* 8. *vers.* 810. Tu autem lege:

Qualeis expirat Scaptesula subter odores.

Festus, *Scaptensula* (lege Scaptesula) *locus ubi argentum foditur in Macedoniâ, dictus à fodiendo: namq; Græcè σκάπτειν, effodere dicitur.*

Scaptia, oppid. Latii, à quo *Scaptia tribus*, Plin 3. 5. Erat autem inter Soram & Fabrateriam. Populi *Scaptenii* Halicarnass. Silius *lib.* 8. *Scaptia pubes.*

Scapula, vide *Ostorius.*

Scara, urbec. Westrogothiæ, Episc. sub Archiepisc. Upsaliens. 10. m. p. à Wenero lacu in Mer. Falcopiam versus 20. Aliàs Gothorum Regum sedes, nunc vilis locus & indies deficit.

Scarabantia Julia, opp. Bojorum in Norico, Plin. 3. 24. Ferrar. opp. Pannoniæ super. ad lacum Peisonem in Norici confin. cujus ruinæ apud Zapprimum opp. Lazio; *Scapring* German. *Chisspregh* Hung. Cluverio autem est Sopronium, Hung. Urbs, quæ *Sopron* Ung. *Oedenburg* Germ. 8. mill. Germ. à Vienna Austr. in Eur.

Scarburgum, opp. provinc. Eboracensis, ad quod pelamidum piscatio, in ora maris German. 26. mill. Anglic. ab *Eboraco*, in Ort. 22. ab Hullo in Bor.

Scardo, melius *Scardona* Ptolem. *Scardo* adhuc, teste Nigro cum Volaterrano, urbs Liburniæ marit. in Dalmatiæ confin. inter Jaderam ad Occid. & Sicum ad Ort. 12. m. p. Baudrando urbs Episc. antiqua Liburniæ, dein Dalmatiæ, cujus rudera cernuntur, prope lacum parvum *Prelian*, ad ostium Titii flum. Ei adjacet arx parva in colle, sub Turcis, 9. mill. à Sibenico in Bor. & 35. à Jadera in Ortum. Arx capta fuit & destructa à Venetis An. 1570. ut & iterum haud pridem. Pop. *Scardonitani* Plinio. Ibi lacus *Scardonitanus*, vulgó *Porclian.*

Scardona, insula Illyrici, Liburniæ oræ adjacens. *Mal Consiglio* Villanovano. Baudrando quænam fuerit, incertum: Duæ tamen nunc ita vocantur, scil. *Scherda*, & *Scherdiza*; quæ cùm parvi sint circuitus, neutram esse istam vet. Scardonam facilè dixeris; Suntq; qui insulæ hodie dictæ *Pago*, hoc nomen tribuunt, sed illam olim vocitatam Cissam, vel Gissam, Danduli Quissam & Croatorum Kessam scribit Lucius, *de regno Dalmatia*.

Scardus, *Scodrus* Livio, inter Dalmatiam & Mœsiam infer. Ptolemæo. *Marinus* Barletio.

Scari, urbs Lyciæ, Stephan.

Scarpa, fluv. Artesiæ, *Scarpe*. Oritur 3. leucis supra Attrebatum Urb. quam rigat, uti & Duacum. Dein Flandriam ab Hannonia separans, prope Moritaniam, in Scaldim se exonerat, 2. leucis supra Tornacum.

Scarphia, *Scarphe* Straboni, opp. Locrorum Epicnemidiorum in Achajâ, in Phthiotidis confin. ad ostia Boagrii fluv. *Bondoniza* Moletio. Hæc terræmotu quondam prorsus eversa est, obrutis 1500. hominibus, Demetr. Seneca *in Troadibus*:

Bessan, & Scarphen; Pylon an senilem?

Hinc illud:

Βησσάν τε Σκάρφην τε καὶ Αὐγειὰς ἐρατεινάς.

Scarphe & *Scarphia* Eustathio eadem; quem falli putat Delrius, quia, secundum illum, una est *Scarphia* Locrorum distincta à *Scarphe*, de quâ Pausan. *in Corinthiacis & Achaicis*. Alia *Scarphia* Bœotiæ Straboni. Quòd autem Seneca Pylon *senilem* dixerit, idem est, quod Ovidius de eadem urbe:

Nos Pylon antiquam, Neleja Nestoris arva, &c.

Scarponna, opp. olim, nunc pagus Galliæ Belg. in Lotharingiâ inter Tullum & Metas. *Scarpaigne* Ortelio. Baudrando oppidul. Leucorum fuit, nunc *Serpagne*; vicus tenuis Lotharingiæ, ad Mosellam fluv. 6. leuc. à Metis in Merid. Nancejum versus 7. Valesio castrum fuit vetustissimum, à Divoduro Mediomatricum 12. m. p. quod ab Attila oppugnatum esse, scribit Paulus Longobardus *lib. de Episcopis Eccles. Metensis*. Nunc vicus inter Tullum Leucorum & Divodurum Mediomatricum, Ponti Montionensi proximus, incolis *Sanponne*: Gallis *Charpeigne*. Hic Jovinus multos Alemannos incautos interfecit, Ammian. *lib.* 27. Hinc nomen pago *Scarponnensi*, qui in divisione regni Lothatii Verodunensi proximus locatur, *Notit. Gall.*

Scarthon, fluv. Asiæ, ex Pholoë in Eleam labitur, Strab. *lib.* 13.

Scatinia lex, à Scatinio latore nomen accepit, quâ præposteræ Veneris usus coërcebatur. Juven. *Satyr.* 2.

Quòd si vexentur leges ac jura, citari
Ante omnes debet Scatinia.

Alii legunt *Scantinia*.

Scaurus, cognomen familiæ Romanæ. Propriè autem *Scaurus*, Græcè Σκαῦρος, qui talos pedum extantes habet porrectos. Unde Horatius 1. *Serm. Sat.* 3.

— *Scaurum pravis fultum malè talis.*

Ubi vetus Schol. cum interpretatur, *qui talos distortos & diversos habet*. Qui & Scambus est. Vet. Gloss. *Scaurus*: σκαμβὸς, σκελλός, ψτυλλίπους. Ex hâc familiâ fuit M. Æmilius Scaurus, nobilis, at pauper, qui eloquentiâ suâ gloriam peperit, postquam aliquandiu carbonariâ vitam tolerare fuisset coactus. Dein in Hispania rem gessit, Ligures domuit, atque triumphavit: Accusatus, quòd à Jugurtha corrumpi se passus fuerit, nihilominus ad Consulatum ascendit, quo munere non semel defunctus est. Censor viam Æmiliam stravit, pontemque Æmilium fecit. Scaurum filium suum, teste Frontino, quòd in saltu Tridentino hosti loco cessérat, in conspectum suum venire vetuit; adolescens autem verecundiæ ignominiâ pressus, mortem sibi conscivit. Plinius *in Nat. Hist.* dicit, eum principem fuisse civitatis, & Marianatum rapinarum socium. Idem Plin. rursum de eo, *Scaurus*, inquit, *à Vario Trib. plebis repetundarum accusatus, & absolutus*. Sallustius *in Jugurthino*: *Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, audax, sed vitia sua callidè occultans, cùm esset vir Consularis, & in senatu princeps, ab eo mittitur ad Jugurtham orator, ut eum ab oppugnatione Cirtæ, & obsidione Adherbalis amoveret.* Scripsit Historiam vitæ suæ, quam L. Fufidio dedicavit, aliaque magno in pretio olim habita. Cic. *in Bruto*. Valer. Max. *lib.* 4. *cap.* 4. Aurel. Victor. *de Viris Illustr.* Plin. *lib.* 34. Vide quoque de illustrissima hac familia, Cassiodor. *Fast. Consul.* & Ursin. *de Famil. Rom.*

Scaurus, alter superioris filius, de cujus Ædilitate Plinius *lib.* 34. *cap.* 7. *In M. Æmilii Scauri Ædilitate 3. millia signorum in scenâ tantùm fuêre temporario theatro.* Idem 36. 2. *Trecentas LX. columnas M. Scauri Ædilitate ad scenam theatri temporarii, & vix uno mense futuri in usu viderunt portari silentio legum*. Idem *cap.* 15. *ejusd. libr. Theatra duo juxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus utriusq; antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese aversis, ne invicem obstreperent scenæ, & repentè circumactis, ut contra starent, postremo jam die, descendentibus tabulis, & cornibus inter se coëuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum pop. Romanum circumferens. Quid enim miretur quisq; in hoc primum? inventorem an inventum? artificem, an auctorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? parere, an jubere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infidâ instabiliq; sede. En hic est ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & regna diribet, jura externis mittit, Deorum quædam immort. munere generis humani portio, in machinâ pendens, & ad periculum suum plaudens. Quæ vilitas animarū ista, aut quæ querela de Cannis! quantum mali potuit accidere? Hauriri urbes terræ hiatibus, publicus mortalium dolor est: ecce pop. Rom. universus, velut 2. navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur, & seipsum depugnantem spectat, periturus momento aliquo luxatis machinis, &c.*

Scaurus Aurelius, legatus, à Cimbris fuso exercitu captus est, & cùm ad consilium ab his evocatus eos deterreret, ne Alpes transirent Italiam petituri, eò quòd diceret Roman. vinci minimè posse, à Bolo rege, feroci juvene, interfectus est, Livius.

Scaurus, qui & *Terentius Scaurus*, grammaticus. Capitolinus *in Vero*: *Audivit Scaurum grammaticum Latinum, Scauri filium, qui Grammaticus Adriani fuit*. Ejus mem. Gellius *lib.* 11. *cap.* 15.

Scaurus, vide *Maximus*.

Mamercus Scaurus, insignis nobilitate & orandis causis, vitâ probrosus, inquit Tacitus *Annal.* 6. De probrosâ ejus vitâ lege Senecam *lib.* 4. *de Benefic. cap.* 31. aut potius non lege impuritatem hominis & ἄῤῥητον μῖξιν. Notat eum brevi stigmate Tertullianus *de Pallio*: *Dabo catharticum impuritati Scauri, & alea Curii, & vinolentiæ Antonii.* Paulo Fabio & L. Vitellio Consulibus, majestatis reus factus à Servilio & Cornelio Thusco: qui præterea adulterium Liviæ ac magorum sacra objectabant. Verùm *Mamercus* damnationem anteiit, & in se *Scaurorum* familiam exstinxit. Tac. 6. 29.

Sceblias, nomen servile, Aristoph. *Ranis*, *Act.* 2. *Sc.* 6.

Scedasus, vir inter Bœotios ditissimus, cujus filias Hipponem & Miletiam, quum impudici adolescentes Spartani per vim constuprassent, ac demum occultandi sceleris causâ in puteum demersissent, Scedasus pater impatiens mœroris ad earum tumulos seipsum confecit. Plutarch. *in Pelopidâ*.

Scelatici, Mauritaniæ pop. Plin. *lib.* 5. *cap.* 1.

Sceleratus campus, ubi Minucia Vestalis, ob incestum, viva defossa, ad Collinam portam, Liv.

Sceleratus vicus, postea dictus, qui antea *Cyprius*, ideò quod Tullia, Servii Regis filia, aurigam cunctantem, viso Regis cadavere, pergere, flabello percutiens jussit, coëgitque super cadaver paternum currum agere. Vide Liv. *lib.* 1. *dec.* 1.

Scempsa, urbs Thraciæ, Steph.

Scena, urbs Ægypti apud Nilum, Anton. pop. *Scenita*. Inter Babylonem 12. & Aphroditopolim in Mer. 28. Aliæ Veteranorum dictæ Anton. à Babylone 30. m. in Bor. intra Deltam.

Scenita, Arab. Petrææ gens, Plin. Solinus *cap.* 37. *Verùm hic Arabia procedit, adusq; illam odoriferam ac divitem terram, quam Catabanes, & Scenitæ tenent, Arabes nobiles monte Casio: qui Scenitæ causas nominis inde ducunt, quòd tentoriis succedunt, nec alias domos habent.* Ubi sis vide Salmasium *in Plin. Exerc.* p. 483. Hi, imperante Zenone, cum Hunnis Thraciam vastarunt, An. Chr. 475. Mesopotamiæ dein & Palæstinæ prædones, ab Anastasio Imper. ad fœdus pertracti sunt, An. Chr. 497. Nicephor. *lib.* 16. *cap.* 25. 26. *&c.*

Scenopegia, erant Tabernaculorum festa, in quibus Judæi extruebant Tabernacula ad similitudinem eorum, in quibus habitabant, quum Ægyptum pervagarentur.

Scepsis, urbs Mysiæ in Asiâ mediterr. à Palæscepsi in Cæc. distans, ubi regio sic Plin. dicta, 60. stad. à Cotylo jugo montis Idæ, unde Scamander manat, 120. stad. Ex hâc urbe fuerunt Metrodorus, qui artem memoriæ consummavit, ac Demetrius Grammaticus, qui Trojanam extructionem composuit. Dicta à σκέψασθαι, quòd ibi Rhea pro filio lapidem peperit. Vide Stephanum.

Sceptruchi, gens Sarmatarum, Tacit. 6. 33.

Schedia, Ægypti vicus, navale habens, inter Nilum fluv. & Alexandriam urb. Strabo. *Raschit* Guilandino.

Schellinga, insula Belgii uniti, in ora Frisiæ Occ. in mari Germ. lata 12. m. p. inter Amelandiam Insf. ad Ort. & Flevum ad Occ. 12. m. p. ab Harlinga in Occ. cum uno alteroq; castro, sub Hollandis.

Schenkii munimentum, vide *Arx Scenchia*.

Schera, Siciliæ urbs mediterranea, Ptol. *Calameta*, teste Aretio. Eversa, apud Alcamum in monte, ab ostio Crinisi fluv. 3. mill. pass. à Segesta 4. media inter Panormum & Drepanum.

Scheria, dicta est Phæacia, sive Corcyra, eò quòd Ceres metuens, ne fluvii ex continente influentes continenti eam adjungerent, Neptunum rogavit, ut amnes everteret, quo facto *Scheria* vocata est, Steph. Meliùs Bochartus deducit à Phœnicio סחרא *Schara*, quasi *emporium* dixeris, aut *negotiationis insulam*. Talis enim à Poëtâ describitur, *Odyss.* 3.

Οὐ γὰρ Φαιήκεσσι μέλει βιὸς, οὐδὲ φαρέτρη,
Ἀλλ' ἱστοὶ καὶ ἐρετμὰ νεῶν, καὶ νῆες ἐΐσαι,
Ἧσιν ἀγαλλόμενοι πολιὴν περόωσι θάλασσαν.

Scetis, & *Nitria*, montes proximi, in Ægypto, apud Mariam lacum: ubi eremi & cœnobia olim plura, Nicet.

Schetlandicæ Insulæ maris Caledonii. Aliàs *Æmodæ*, sub Danis. Sex numero, quarum tres præc. nempe Mainlandia, ad 60. m. p. extensa à Septentr. in Bor. Zealia, & Vusta. Sed nullus hic locus celebris. Alii numerant 26. Inf. sed reliquæ potius scopuli ardui sunt & inculti, 60. mill. pass. ab Orcadibus in Bor. Harum Incolæ maximè senes fiunt.

Scevi-

Scevinus, vide *Flavius*.

Schinussa, insula parva maris Ægæi, una Sporadum, inter Melon & Ion. Plin. *lib.4. cap.12.* Stephano est insula Phocica, vel Phocææ adjacens.

Schira, melius *Schyra*, Anglis pagus est, regiuncula, Comitatus; propriè sectio, divisio: an à Græco ξυρεῖν, radere, unde ξύρησις rasio, tonsura, & per translationem *Sectio*? Certè hodieque Angli *to sheere*, & *sheare* dicunt, pro radere, tondere, dividere, atque inde *Shaers* pro ipsis portionibus. Est autem *Shyra* regni portio in plurimas dissecti, quæ cùm singulæ in singulorum Comitum olim cesserint gubernationem, *Comitatus* quoque appellati sunt. Facta autem hæc *Shyrarum* divisio per Alvredum Reg. qui indigenarum latrocinia cohibiturus, totam Angliam in Comitatus primò, hos in Centurias, istas in Decimas, has denique in Trithingas, divisit: Ingulphus *in Histor. Croylandiæ*, apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Schirasium, urbs ampla Persiæ propriè, forsan *Marrasium* olim, *Scheraz*, Pers. Ad fluv. *Bendimir*, 200. m. p. ab Armuzia in Bor. Aspahanum versus 250. circiter. Ibi optimum vinum. Crevit ex ruinis Persepolis; circuitus 9. m. p. circ. domus habet 100000.

Schlavonia, vide *Sclavonia*.

Schlikius Casparus, Sigismundi Imper. Cancellarius, Equestris Ordinis, Bohemus. Hic cùm de nece Hussi in Concilio Constant. deliberaretur, in illam non consensit, sed surgens è consessu egressus est, An. C. 1415. pòst ad Comitatus honorem evectus. Ex ejus posteris Joachimus Andreas Comes, cum Venceslao Barone de Budowa præcipuus, consensûs inter Fratres & reliquos Evangelicos in regno iniri, sub initium hujus seculi, pararius fuit. Postea, Bohemiâ à Ferdinando subactâ, An. C. 1621. martyrio cum eodem coronatus; postquam ab Inquisitoribus innumeris quæstionibus fatigatus, disruptâ veste & pectore nudato exclamasset: *Discerpite in mille frusta corpus hoc, & rimamini viscerum intima, nihil tamen reperietis, præter quod in apologia expressimus. Libertatis ac religionis amore gladium strinximus, &c.* Vide Joh. Amos Comenii *Annal. Fr. MS.* apud Lætum, *Comp. Hist. Univ.*

Schœnus, *Schene* adhuc, portus Peloponnesi ad sinum Saronicum, & ad Isthmum, ubi is angustior, à Cenchreis 40. stad. in Bor. *Schœnus* item pagus, à Thebis 50. stad. cum fluv. cognomine. Est & *Schœnus suntis*, teste Stephano, regiuncula à *Schœneo* patre Atalantes dicta, & fluv. Arcadiæ, & alter apud Athenas fluens, teste Strabone. *Schœni* meminit Papinius *Theb.7.*

Qui breve litus Hyles, Atalantæumq; superbi
Schœnon habent. —— ——

Schongavia, opp. Bavariæ super. ad Lychum fluv. aliàs *Esco*, in limite Sueviæ, 8. mill. Germ. ab Augusta Vindelicorum in Merid. 7. à Memminga in Ort.

Schonhovia, opp. Hollandiæ merid. ad Leccam fluv. è regione Neoporti. 3. mill. Germ. supra Roterodamum in Ort.

Schorndorffium, urbec. probè munita in Duc. Wirtemberg. in valle Remsia, ad quam sal excoquitur, juxta amnem *Remms*, 4. mill. Germ. à Stutgardia in Or. 6. ab Hailbrunna in Eur. Capta a Gallis An. 1647. sed reddita. Arcem habet, & civitatis jus est adepta An. 1230. sub Friderico II. Imper.

Schoutius & Lamaires, Navarchi Belgici, novo itinere ad Moluccas evaserunt, An. C. 1617.

Schuvega, urbec. Hassiæ, ad Wertiam fluv. in limite Thuringiæ, 6. mill. German. à Cassela in Ort. 4. ab Isenaco in Circ. *Eschwegen*.

Schwvinfurtum, urbs Imper. Franconiæ, ad Mœnum, in dit. Episc. Herbipol. satis munita; capta à Suecis ultimo bello Germ. Ferè 7. mill. Germ. à Bamberga in Occ. 5. ab Herbipoli in Cæc.

Scia, opp. Eubœæ, Steph.

Scians[i]a, seu *Xansi*, prov. Sinarum, in Parte Bor. versus confin. Tartariæ, inter Pequinensem prov. ad Ort. & Sciensiam ad Occid: Vide *Xansia*.

Sciantieum, opp. Carinthiæ eversum. Anton. Aliis *Santicum*.

Sciantonia, prov. Sinarum, in parte Bor. inter Sinum Nanquinensem ad Ort. & provinc. Honanianam ad Occ. Nanquinensem ad Mer. & Pequinensem ad Bor. Ab aliis *Xantonia*, vide ibi.

Sciapodes, vel *Sciopodes*, pop. Æthiopiæ, q. d. *umbripedes*, Plin. *lib.7. cap.2.* ex Ctesiâ hominum genus esse scribit, qui Monosceli vocantur, singulis cruribus miræ pernicitatis ad saltum; eosdem *Sciapodas* vocari, quòd in majori æstu humi jacentes resupini, umbrâ pedum se protegant.

Scia, regio Arcadiæ, Steph.

Sciathis, urbs Ægypti, apud Scetin mont. Ptol. Item Arcadiæ mons, teste Pausaniâ.

Sciathus, insula maris Ægæi inter Eubœam & Thessaliam, Scopelo proxima, ante Magnesiam promunt. Ejus meminit Valer. Flacc. *lib.2.*

Jam Sciathos subsidit aquis.

Sciathus autem secundùm Bochart. per metathesin ex קשיתא *Ksitha*, qu. dixeris *duram & asperam* insulam, facto ex argumento nomine. Quod planum facient hæc Senecæ *de consolat. ad Helviam, cap. 6. Deserta loca & asperrimas insulas, Sciathum & Seriphum, Gyarum & Cossuram pete.*

Scidrus, urbs Italiæ, Stephan.

Sciensia, melius *Xensia*, vide ibi.

Scillus, *untis*, opp. Peloponnesi apud Olympiam, ubi Xenophon historiam scripsit, Plutarch.

Scingomagus, vicus trans Alpes, à quo Italia incipit, Strabo *lib. 4.* *Sesani* hodie Tschudo. Baudrando oppidum. fuit Brigantiorum, in Gall. Narbon. hodie *Sezane*: estque castr. Delphinatus, ad radices Alpium & Genebræ montis, 3. leuc. à Brigantio in Ort. Segusium versus 4. Quibusd. tamen creditur ipsum Segusium.

Scinis, latro crudelissimus Corinthius, qui arbores complicabat, hisque alligabat hominum brachia, ut in sublime redeuntes laterata membra discerperent. Propert. 3.

Arboreasq; cruces Scinis, & non hospita Grajis
Saxa, & curvatas in sua fata trabes.

Pausanias *in Corinthiacis* narrat, ut Scinis flexis pinis alligarit homines, quibus in sublime renitentibus, discerperentur. Tangit historiam quoque Stat. *Theb.12.*

Non trucibus monstris Scinin; infandumq; dedisti
Cercyona, & sævum velles Scyrona creatum.

Ovidius *lib.8. Met. Sinin* vocat:

Occidit ille Sinis magnis malè viribus usus:
Qui potuit curvare trabes, & agebat ab alto
Ad terram latè sparsuras corpora pinus.

Idem *in Epist. 2.*

Cum fuerit Scyron lectus, torvusq; Procrustes,
Et Sinis, & tauri mistaq; forma viri.

Idem *in Ibin*:

Quiq; trabes pressas ab humo mittebat in auras,
Æquoris adspectans hujus & hujus aquas.

Legendus Plutarchus *in Theseo, & Alexandro.* Sed apud eum legitur *Sinnis*, uti quoque apud Euripidem *in Hippolyto.*

Scinthi, Germaniæ populi, Cheruscis finitimi. Claudianus *de bello Getico*:

Quaq; domant Scinthos, immansuetosq; Cheruscos,

Scioëssa, mons Peloponnesi apud Patras, 9. collium opacitate umbrosus, & radiis Solis fermè invisus, teste Solino.

Sciona, urbs in Thraciâ est, e quinque illis, quæ Pallenes sunt, ubi capto Ilio Achivi consedêre, cùm naves cremassent Troades captivæ. Eam urbem muniverant, magno imposito præsidio, Athenienses & magnâ curâ custodiebant, sed belli Peloponnesiaci tempore, defectionem fecerunt Scionæi, ad Brasidam ducem Lacedæmoniorum, qui tandem in eo bello dimicans cum Cleone mutuâ occisione interfectus est. Vide Thucyd. *lib.4.* Melam, Scholiast. *in Aristoph. Vesp.*

Scione, opp. Macedoniæ apud Canastrum promuntor. ad sinum Thermaicum in peninsl. Palalenes. Vide Steph. Item urbs insularis maris Ægæi, Arrianus.

Scios, pars agri Eretriæ in Eubœâ.

Scipiada, patronymicum pro *Scipionibus*. Virg. *Georg. 2.*

Scipiadas duros bello.

Idem *Æneid. 6.*

—— *Aut geminos duo fulmina belli,*
Scipiadas, cladem Lybiæ. ——

Silius *lib.7.*

—— *Aut ubi nunc sunt fulmina belli*
Scipiadæ. —— ——

Scipio Cornelius; à quo Scipionum gens patricia initium habuit, teste Macrobio, patrem luminibus carentem pro baculo regebat, quem *Scipionem* Grammatici vocant.

L. Cornel. *Scipio*, Consul Ann. 456. U. C. cum Cn. Fulvio Maximo, devicit Tuscos prope Volaterram. Liv. *lib.10.* Cn. Cornel. Scipio, Asina dictus, Cons. cum C. Ovilio Nepote, An. 494. & A. Attilio Calatino, An. 501. victus & cum 17. navibus captus est, priori Cosulatu: sed anno pòst Aleriam, in Insula Corsica, aliaque loca cepit, voto Tempestati, cui templum pollicitus est, facto. Inde in Sardiniam trajiciens, Hannonem Pœnorum Ducem superavit. Posteriore, 200. horum naves devicit, cepitque Panormum. Liv. *lib.17.* Val. Max. *lib 5. cap.1.* *Zonar. in Annal &c.* Pater Cn. Cornelii Scipionis, qui An. 533. cum M. Minutio Rufo Consul; Istrianos debellavit, & P. Corn. Scipionis, vide infra.

P. Cornel. *Scipio*, cum quo primùm Imperatore Annibal signa in Italia contulit. Hic Consul cum Tib. Sempronio Longo fuit, An. 536. quo secundum bellum Pun. ortum est. In Hispaniam profectus, ut ibi Annibali se opponeret, audito, illum jam in Gallia esse Rhodanumque trajecisse, remorari eum conatus est. Proin parte copiarum fratri datâ, ut Asdrubalem in Hispania persequeretur: ipse ad exercitum circa Padum hærentem pervenit. Hic primum ad Ticinum prælium, quo Romanis victis, ipse Scipio vulneratus in hostium manus pervenisset, ni à Publio filio fortiter fuisset defensus. Dein cum fratre multas in Hisp. An. 542. victorias consecutus; res gessit memoratu dignas, demum in quodam prælio adversus hostes inito, dum se offert, ubi plurimum periculi erat, subitò occiditur, fraude hostium, & suorum perfidiâ, ab Asdrubale & Magone victus: Cnejus autem, in turre, quò se receperat, crematus est. Liv. *lib.21.* Polyb. *lib.4.* Florus, Eutrop. Oros.

P. Corn. *Scipio* African. prioris fil. cujus vitam ac res gestas C. Op-

pius, & L. Reginius literis mandavere. Puer certis diei horis secretum templi petere solebat, putabaturque apud vulgus cum Jove loqui. Annum agens 17. à patre in castra ductus est, principio belli Punici 2. Constatque jam tunc in congressu Annibalis primò circumventum ab hostibus ac saucium patrem liberasse, teste Livio & Plutarcho. In clade ad Cannas, partem nobilitatis Romanæ sistere se, præliumque redintegrare compulit. Post patris patruique mortem, Ann. ætatis 24. in Hispania Carthaginenses vicit, novamque Carthaginem cepit, unico die; sponsâ Indibili, cum dote, inviolatâ redditâ, castitatis immortalem famam adeptus. Prælio dein in Bæticâ ingenti defunctus, Hispaniâ liberatâ, in Africam trajecit; ubi victo Annibale Carthaginem vectigalem reddidit. An 553. postquam de Asdrubale & Syphace, aliquoties insignes victorias reportasset, An. 551. Secundo dein Consulatu defunctus, An. 564. fratrem in Asiam secutus est: inde redux, à fratribus Petilianis, peculatus accusatus & proditionis, quòd filius ejus absq; lytro ab Antiocho remissus esset; non aliud respondit, quàm æquum esse, ut cùm eodem die Annibalem vicisset, ut in Capitolium, Diis gratias acturus, pergeret: sic sequutâ turbâ dissolutum judicium est. Post hæc, Liternum se recepit, ibi in studiis & literatorum commerciis reliquo vitæ consumpto. Pater fuit P. Cornelii Scipionis, qui Patris in Asiam comes, ibi captus est: Vide supra. Orator egregius: Cicero *in Bruto*. Liv. *lib.* 23. *& seqq.* Aur. Victor, *de Vir. Illustr. cap* 49. Plutarch. *in Scip.* Florus, *lib. 2. cap. 6.* Polyb. Eutrop. Oros. &c.

Scipio L. Cornelius, cognom. *Asiaticus*, filius Publii Scipionis, Africani frater, quem in Hispaniam & Africam secutus est. Consul An. 564. dux belli contra Antiochum delectus, Publium fratrem legatum habuit, Antiochoque propè Sardes, in campis Magnesiæ, memorabili prælio victo, *Asiatici* elogium meruit. A Catone dein accusatus pecuniæ publicæ malè administratæ, condemnatusque in carcerem cùm duceretur, à Graccho, Scipionis Africani genero, liberatus est, interim bona ejus fisco addicta: innocentiâ postmodum serò enicante. Liv. *lib.* 38. Aur. Victor, *de Vir. Illustr. cap.* 53. Eutrop. *lib* 4. *&c.*

Scipio Publ. Æmilianus, qui & *Africanus Minor* ab Africani maj. filio adoptatus (filius enim erat L. Æmilii Pauli) Carthaginem An. 608. U. C. & Numantiam, An. 620. duas urbes pop. Romano inimicissimas evertit: tandem immaturâ ætate domi suæ dormiens interfectus est; non sine suspicione dolo id Gracchorum factum. Literatorum hic Scipio Mæcenas, & ipse literatus, tum militiæ, tum in urbe Polybium & Panætium secum habuit semper; Bis Consul, secundâ vice munere functus est, An 620. Obiit An. 625. Liv. *lib.* 48. *&* 52. Vellej. Paterc. *lib.* 1. *&* 2. Aurel. Victor, *de Viris Illustr. cap.* 58. Cic. *in Bruto*, Polyb. Appian. Eutrop. Oros. &c.

Scipio Nasica Cn. Corn. Scipionis, qui unà cum fratre in Hispan. cecidit, filius, à senatu vir optimus judicatus; Matrem Deûm tunc primùm advectam, apudque virum optimum ex oraculo divertentem hospitio excepit. Cùm adversus auspicia Consulem se à Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicavit. Censor statuas, quas sibi Consul quisque in foro per ambitionem ponebat, sustulit. Consul Delminium Dalmatæ urbem superavit. Imperatoris nomen à militibus, & à Senatu oblatum triumphum recusavit. Eloquentiâ primus, jurisconsultissimus, ingenio sapientissimus fuit, unde *Corculum* dictus, teste Cæcilio. Plura de eo Livius. Scipio item, qui Serapio cognominabatur, propter similitudinem Suarii cujusdam negotiatoris: ob id erat in Tribunatu plebis admodum gratus, dignusque Africanorum familiâ: nec erat in bonis funeris impensa: asses ergo contulit populus, ac funus elocavit, quaque præferebatur, flores è prospectu omni sparsit. Hanc historiam habes apud Plinium conscriptorem *lib.* 21. *cap.* 3. *Scipio* Africani filius ponitur, inter eos, apud Valer. Max. qui à parentibus claris degeneraverunt. Inter eruditos tamen à Cicerone *in Bruto* his verbis describitur: *Scipio Africanus filium habuit illum, qui minorem Scipionem à Paulo adoptavit: qui si corpore valuisset, in primis esset habitus disertus. Indicant tum oratiunculæ, tum historia quædam Græca scripta dulcissima.* Hæc ille. Plutarchus *in Africano*, nihil de eo se compertum habere dicit, nisi eum Præturam gessisse, & in eâ consequendâ, à Circejo patris scribâ, adjutum fuisse. Hic Scipio Romæ primus aquâ horas divisit æque noctium ac dierum, An. U. C. 595.

Scipio Nasica, nepos prioris, filius Consulis, qui cùm Censor esset, Capitolium porticibus ornavit. Privatus semper vixit, ex illis unus, qui contra Tiberium Gracchum, Legis Agrariæ authorem, insurrexere. Vellej. Paterc. *lib.* 2.

Scipio, Pompeji M. socer, post bellum Pharsalicum inter Pompeianos bellum refoventes, in Africam se recepit cum exercitu & Catone, Jubâ etiam rege adscito. Qui primo feliciter adversus Cæsarianos pugnans, victus tandem cum exercitu occubuit. *Scipionum*, cognomento *Salutionem*, è Corneliorum familiâ, alioquin virum despectissimum, inter præliandum in Africâ, perinde ac exercitus ducem Cæsar præposuit: quòd cognosceret adversarios vetusto quodam confidere vaticinio, ut semper in Africâ vincere fatale Scipionum generi foret. Plut. *in Cæsare.* *Scipio* prior, in veteribus monumentis, dicitur *Q. Metellus Pius Scipio Imper*, quòd Nasicæ filius cùm esset, in genus hæreditatemque Metelli Pii adoptatus inde cognomen *Metelli* tulerit. Is autem filiam mortæ P. Crassi viduam Pompejo in matrimonium dederat, & ab eo contra Consulatum, ac ne causam de Decimis diceret, acceperat.

Scipio, cohortis in Mauritaniâ præfectus, per centuriones præmissos, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent, oppressus. Tacit. *Histor.* 2. 59.

Scipio Ammiratus, scripsit de familiis regni Neapolitani, & Reipubl. Florentinæ, ut & historiam Tusciæ, &c. Obiit An. 1603. *Scipio Cappacius*, & *Revitus*, scriptis, in regno Neapol. inclyti. Laurent. Crassus, *Elog. Literat.*

Scira, locus in Atticâ, Eust. Item *Scira*, festa Atheniensibus peculiaria, in quibus umbracula ac scenæ fiebant, de quibus Gyraldus copiosè *in lib. de annis & mensibus.*

Sciradium, promuntor. Atticæ videtur, ad Saronicum sinum. Plutarch. *in Solone.*

Sciraphium, locus ubi conveniebant, qui tesseris ludebant. Stephanus in *Sciros.*

Sciras, Ægina quondam dicta, unde Minerva *Sciras* appellata. Strabo *lib.* 9.

Scirata, Indiæ pop. simis naribus, apud quos inusitatæ magnitudinis olim serpentes fuisse, testatur Ælian. *de Anim. lib.* 16.

Sciraburgia, vulgò *Shepton*, aliàs *Sctreburnia*, & *Schireburnia*, civ. fuit Episcop. Angliæ & Saxonum Occid. cujus sedes Sarisberiam translata. Nunc oppid. est Comit. Somersetensis, 15. leuc. à Sarisberia in Occid.

Sciressa, mons in Achajâ notissimus, Plin. 4. 5.

Sciri, pop. Galatiæ, Item Pœoniæ, Stephan.

Scirificus, in Africa, Abdulaco ultimo Merinæ gentis occiso, regnum rapuit; postea ipse à Saido ex Oatarenorum familia regno Fezzæ exutus est, quod hic cum posteris tenuit. Hujus dein regnum rursus evertit *Scirificus Hafenes* humili loco natus, verùm vafer, Philosophiæ vel Magiæ potius studiis deditus. Hic genus suum ad priorem Scirificum Mahometem referens, affectata sanctimonia plebem in suas partes pertraxit: utque filios ei charriores redderet, illos Mecham ad visendum Mahometis sepulchrum misit; reduces cum Mahometi Fessano Regi commendasset, is alterum Hametem, in Schola Moduracensi cathedrâ donavit, alterum Mahometem filiorum suorum Præceptorem instituit. Mox pater, sub prætextu Lusitanos pellendi, filius militem colligendi facultate præfectur sque impetratus, illos in tantum auxit, ut Rege victo & trucidato sceptrum tandem in se transtulerint, An. Chr. 1550. Vide Thuan. *Hist. lib.* 5.

Sciritis, Dodecapolis Cariæ, qui in eâ habitant *Scirita*, Steph.

Sciron, latro fuit, cujus ossa quum in mare cecidissent, in scopulos conversa feruntur, quæ adhuc *Scironia saxa* vocantur. Ovidius *Metamorph.* 7.

> *Tutus ad Alcathoën Lelegeia mœnia limes*
> *Composito Scirone patet: sparsique latronis*
> *Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda.*
> *Quæ jactata diu fertur durasse vetustas*
> *In scopulos; scopulis nomen Scironis inhæret.*

Filius fuit Canethi & Henioches. Locum in Megara habitavit, quem dixerunt *Petras Schironidas*. Viatores spoliatos præcipites agebat. Alii tradunt, hospitibus jejunare coactis, panem pedibus offerre consuevisse: & apprehendentes, calcibus in mare de præcipitio deturbasse. Megarenses scribunt, bonum virum fuisse: & ejus filiam Endeidem Æaco Jovis filio nupsisse: & ex his natos esse Peleum & Telamonem. Hunc Theseus interfecit. Ovid. *ep.* 2.

> *Cùm fuerit lectus Sciron, torvusq; Procrustes.*

Ubi alii *Scyron*. Propert. 3. 16.

> *Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes,*
> *Scironis media sit licet ille viâ.*

Sciron, mons Atticæ in orâ inter Megara & Corinthum, ubi *Scironia saxa*, & *Scironides petra*, Straboni *lib.* 9. à *Scirone* latrone dicta, non procul à Piræeo in mare instar scopuli 6. m. p. porrecta, teste Solino. Seneca *in Hippolyto:*

> *Et scelere petra nobiles Scironides.*

Σκειρωνίδες πέτραι dicuntur etiam Euripidi *in Hippolyto*. Est & promuntor. Phthiotidis ad sinum Maliacum, in quod Thermopylæ terminantur. Claud. *de bello Getico:*

> *Thermopylæ: vastata mari Scironia rupes.*

Sciros, locus & habitatio est Arcadiæ apud Parrhasios; cujus incolæ *Scirita* vocantur. Vide Steph.

Scirpha, urbs Phocica, Steph. *Scirphiba* legit Aldi codex.

Scirtham, Dalmatiæ pop. Plin.

Scirtiana, Macedon. urbs inter Lychnidum & Heracleam, Antonin. *Sirtiana*, & *Scintiana* Simlerus legit.

Scirtonium, urbs Arcadiæ, Steph. *ex Pausan. lib.* 8.

Scirtus, fluv. Syriæ, per Edessam fluens, in Euphratem. Callist. Evagr. Cedr. Zonaras.

Scirus, vates fuit Eleusinis, unde Minerva *Scirai* dicta.

Scirus, Arcadiæ vicus, Atticæ campus & fluv. moris inter Megara & Corinthum. Steph. Pausan. Strab.

Scismas, vide *Sysinas.*

Scista, trivium est Phocidis, inter Delphos & Daulium, cujus Poëtæ meminere, præsertim Eur. & Soph.

Scita-

Scitalus, fullonis cujusdam nomen, ob insignem improbitatem, in Comœdiis traducti. Vide Schol. *in Equit.* Appellatur & *Sciton.*

Scitha, opp. Thraciæ seu Macedoniæ, apud Potidæam, Steph.

Scithiaca, reg. Ptol, *Scethis* Callisto, *Campo Carmeli* Ortelio, regiunc. Ægypti, ubi Scetis & Nitria.

Scithos, Steph. Eubœæ Insl. Gentile *Sciathius*. Vide *Scyathos.*

Scitia, pro Scotia quandoque reperitur: & *Scita* non semel in antiquis paginis pro Scotis legitur, ut Scotorum à Scythis origo innuatur. Vide Henr. Spelmann. *Glossar. Archaol.*

Sclavi, meliùs *Slavi*, pop. Scythiæ Europ, qui in Illyricum demigrantes *Sclavonia* nomen indiderunt. Hi è Scythia egressi, Istriâ occupatâ, sub Justino Imp. totâ dein Græciâ, sub Justiniano devastatâ, per fratres duos, Lechum Poloniæ, Zechum Moraviæ Bohemiæq; regna condidere, An. C. 550. A Constantino è Græcia ejecti, An. C. 783. etiam à Ludovico Pio repressi sunt. An. Chr. 817. postquam Christianam fidem, Bulgarorum exemplo Ann. Salutis 807. U.C. 1618. Olymp. 411. An. 2. suscepissent. Cum iisdem vario Marte bellum gessit Ludovicus II. Imper. An. C. 858. Cujus demum operâ, per Methodium, quibusdam conversi creduntur, An. C. 862. Iterum coërciti ab Ottone M. A. C. 960. Canutum & Sueonem Danorum Reges summopere infestarunt, circa An. Chr. 1130. sed Valdemarus regno potitus, illorum ducem Niclotum, in summas angustias redactum, Christianismum suscipere coëgit, An. Chr. 1161. Raptantem post hæc Sclaviam Marchionem Brandeburg. vicit Canutus, An. Chr. 1200. Postea, cùm hactenus proprios habuissent Reges, Hungaris tributarii. Vide in *Sclavonia*. Maxima ex parte Latina sacra colunt. Lingua utuntur omnium maximè extensâ: in quâ sacra Cracoviæ fieri Jagielo Poloniæ Rex, à Ministris è Bohemia evocatis, permisit, Ann. Chr. 1431. aliàs valdè extensi, nunc Sclavoniæ propr. finibus constricti. De nominis origine vide Ægidium Fletcherum *in Russorum Rep. cap.* 13. Subjicitur hæc regio hodie partim regno Hungarico, partim Venetis & Principibus Austriæ. Duobus præcipuè fluminibus tota regio irrigatur, Savo, & Dravo, qui in Danubium corruunt. Sclavonicâ linguâ, quæ nonnullis *Windisch*, & apud Latinos *Illyrica* appellari putatur, hodie omnium latissimè patet, ut quæ à mari Adriatico ad Oceanum Septentrionalem extendi videatur. Nam eâ utuntur Istrii, Dalmatæ, Bosnenses, Moravi, Bohemi, Lusatii, Silesii, Poloni, Lithuani, Prutheni, Scandinaviæ incolæ, Russi longe lateque imperantes, Bulgari, multæque circumvicinæ regiones Constantinopolim ferè usque, adeo ut ejus etiam inter Turcas frequentissimus sit usus. Σκλαβῖνοι Procopio, *Sclavini* Jornandi. Vide Cluver. *Germ. Ant. lib.* 3. *cap.* 44. Quare autem *Sclavus* pro *servo* poni soleat, vide Voss. *de vitiis Sermonis lib.* 2. *cap.* 17.

Sclavonia, apud Authores Latin. complectebatur antea Illyricum hodiernum, nempe Dalmatiam, Croatiam, Bosnam & Sclavoniam propriam; nunc continet tantùm hanc ultimam. Est illa pars Hungariæ ad Merid. ubi aliàs Pannonia Savia, inter Dravum & Savum, ab Ortu in Occid. extensa, à Danubio prope Taurunum, usque ad confinia Carniolæ & Stiriæ. Ejus major pars ad Ort. subest Turcis, ubi urbes Sirmium, Posega & Gradiskia. Minor verò portio ad Occid. ubi Zagrabia & Warasdinum ad Dravum, Austriacis paret, cum Comitatibus Warasdiensi, Zagrabiensi & Risiensi ex parte. Vide Procop. *de bell. Goth. lib.* 1. & 3. Blond. *dec. lib.* 8. Sansonem, Miræum, &c. Item suprà.

Sclissa, seu *Scrissa*, vide *Clissa.*

Scocejum, vulgò *Escouchi*, vicus Galliæ ad fluv. Olinam, Quadrugiis Carugiisque proximus. Ejus meminit Ordericus Vitalis, *Histor. lib.* 13.

Scodra, urbs aliàs Dalmatiæ, nunc Albaniæ, in Macedon. confin. apud Drilonem fluv. Ptolem. *Scutari*, & *Escodar* Turcis. Albaniæ reg præcipua, ab Epidauro seu Ragusâ 60. mill. pass. in Ort. ab Ascrivio in medio 30. Satis ampla, cum arce munita, in colle. Ad Barbanam fluv. *la Bojana*, ubi ex Labeati palude effluit. Sub Turcis, à 200. annis, pace cum Venetis initâ, An. 1478. postquam à Turcis bis obsessa esset frustra, sub Mahomete II. Fuit Episcop. olim, 25. mill. pass. ab Olcinio, & ora maris Adr. in Cæciam, paulo plus ab Antibaria 30. à Cattara in Ort. versus montes, 80. à Ragusio in Eur. *Scadar* Slavis. Aliàs Regum Illyriorum sedes. Hinc pop. *Scodrenses*, Baudrand. *Scodrus* ibi mons altissimus, de quo Liv. *lib.* 3. *dec.* 5. fortè qui aliis *Scardus.*

Scodri, Indica gens Dionysio. *Sodri* legit ejus interpres Avienus. *Sodras* hoc tractu nominat Diodorus *lib.* 17. parte posteriore. Ad Indi fluminis partes inferiores. *Sabracas* Curtii censet Ortelius, vitiosè, ut visum Jano Gebhardo. Vide *Sambasti.*

Scœnus, fluvius Thraciæ, apud Maroneam Urb. mari Ægæo exceptus, Mel.

Scofda, urbs Westrogothiæ, juxta Tydam fluvium, 22. mill. pass. à Mariæstadio in Mer. uti à lacu Venero, paulo minus à Scara in Ortum.

Scolis, mons, *Olenia petra* Hom. è quo Larissus fluvius, & urbs Achajæ, Stephan.

Scolus, mons in orâ Bœotiæ ad Ort. apud Eteonon & ostia Asopi fluv. cum opp. cognomine. Fuit & Macedon. opp. apud Olynthum urb. teste Strabone. Stat. *lib.* 7.

Qui Scolon, densamq; jugis Eteonon iniquis.

Hinc proverbium: *Scolon ne proficiscaris ipse, ne alterum comiteris:* quo utimur, teste Eust. cùm significatur, abstinendum à convictu alicujus, vel à loco, à quibus nihil sit sperandum boni. Nam *Scolos* apud Strab. *lib.* 9. vicus est Bœotiæ ad radices montis Cithæronis inamœnus, incultus, infrugifer, de quo Plin. 4. 7. Nihilominus in Scolo, Bœotiæ pago, panis totius Græciæ laudatissimus fiebat, Pausaniâ teste. Vide Boch. *Geogr. pag.* 473.

Scombraria, Hispaniæ insula, parva admodum, ante *Scombrariam* promuntor. & apud Carthaginem Novam à qua 24. stad. recedit. *Scombroaria* Ptolemæo, quæ & Herculis, teste Strabone *lib.* 3. qui à multitudine *Scombrorum*, qui inibi capiuntur, sic dictam tradit. Vide sis illic Casaubonum. *Escombrera* hodie dici scribit Florianus. *Scombrera* Baudrand. in mari Mediterr. in ora regni Murciæ, prope portum Carthaginis novæ. Vix circuitus 1. leuc. sed 16. mill. p. à Scombraria prom. in Occ.

Scombraria, promuntor. Hispan. Tarracon. apud Carthaginem Novam. *Saturni promuntorium* Plinio. *Cabo di Palos*, hodie vocatur, teste Clusio.

Scombrus, mons Thraciæ, Rhodopæ proximus, ab eo in Bor. parum recedens, Aristot.

Scomius, mons Thraciæ, in confin. Macedon, è quo Strymon oritur, Thuc. forte idem Orbelo.

Scona, opp. Italiæ, Locarno vicinum, in planitie, ad lacum Verbanum situm: ubi Dunorum familia, una ex quatuor Locarnensium nobilissimis, sedes inprimis suas & bona habet. Vide Jos. Simlerum *de Rep. Helv.*

Scona, oppid. cum cœnobio Scotiæ, in Perthia, ubi olim Scotiæ Reges coronabantur, ibi lapide reperto, Scotis fatali: de quo hoc distichon legitur:

Ni fallit Fatum, Scoti quocunq; locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

Vide infra.

Scona, teste Skenæo, in verbo *Scone*, vulgò *omnis Terra* Scotis vocatur, quia ex terræ mole & congerie exædificatur; quam Regni Barones, aliique subditi ibi comparentes, vel coronandi Regis causâ, vel ad Comitia publica, vel ad causas agendas & dicendas, coram Rege, in unum quasi cumulum & monticulum conferebant, *cap.* 1. §. 1. & 2. Et Malcolmus II. dicitur dedisse & distribuisse totam terram Regni Scotiæ hominibus suis: nihilque sibi retinuisse in proprietate, nisi Regiam dignitatem & Montem placiti in villâ *de Scona*. Est autem Mons placiti apud Scotos vel Mallbergium apud Anglo-Saxones, locus in quo Plebs in Mallum, id est, placitum publicum conveniebat: qui Hibernis *parly hills*. Antiqui autem moris fuit, ut sub dio & intra sepimentum aliquod militare, securitatis causâ, convenirent Compagenses. Vide Henr. Spelmannum, *Glossar. Archæol.*

Scopa, nomen villæ in Libyâ.

Scopada, Thessaliæ pop. Schol. Theocriti.

Scopas, insignis marmoris scalpendi artifex, unus ex iis qui Mausoleum cælaverunt, Plin. Ejus mem. Horat. *Carm. lib.* 4. *Od.* 8.

Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus.

Item Ætolorum Prætor, qui Acarnaniis arma intulit, anno Mundi 3754.

Scope, insula in mari Rhodiensi, Plinius. Vicus in Libyæ Nomo. Ptolemæus.

Scopelianus Clazomenius, Herodis Attici præceptor.

Scopelos, insula multiplex: una maris Ægæi, satis culta, apud Magnesiam promuntor. Thessaliæ, Sciatho proxima. *Scopeli* nunc, teste Baudrando. Altera in mari Jonio apud Cephalleniam insul. *Capo Ducaco* Moletio. Alia Plinio insula parva Asiæ, ante Troadem urb. Phrygiæ. Item urbs ad Varadanum fluv. in Sarm. Asiaticâ, Ptolem. Alia urbs Thraciæ mediterr. Develto urbi finitima, ab eâ Hadrianopolim versus recedens, *Ischeboli* vulgò, teste Leunclavio. *Scopi* dici videtur apud Steph. Populi *Scopens.*

Scopia, plur. num. urbs Dardanorum in Mysiæ sup. & Macedoniæ confin. *Scupa* dicitur Ptolemæo.

Scopia extrema, Doridis promunt. Ptolem. quod Straboni *Termerium* dicitur, teste Villanovano.

Scopium, Thessaliæ opp. Polyb. Cedr.

Scopius, mons Macedoniæ, Plin. 4. 10. Item Thraciæ mons & Bithyniæ fluvius.

Scopuli, qui inter Sidonem & Sarepiam sunt in tribu Aser, Tyr. 7. *bell. s.* 13.

Scopum, opp. Armeniæ minoris, Curopal. Zonaræ.

Scopus, locus juxta Hierosolymam. Joseph. *Bell Jud.* 2. 22.

Scoralia, vulgò *Scoraille*, aliàs *Escouraille*, vetus Galliæ castrum summo in monte positum, in Arvernia super. non longè à Mauriaco, expugnatum à Pipino, An. Chr. 767. Hoc postea Guido de Scoralia & Radulfus frater ejus, circa An. C. 1100. majori Ecclesiæ Arvernorum civitatis dederunt. Item castrum in confinio pagi Arverni & Burbonensis, ad Andelotum amniculum, qui in Elaver defluit, non procul ab Aqua Sparsa, & à Monte Pancerlo: vulgò *Escuroles*. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Scordisci, & *Scordiscæ* Straboni, *Scordissi* Trogo, Posidonio, & S. Rufo, pop. Pannoniæ infer. Aravisciis finitimi ad Austr. quorum

urbs *Sirmium*, teste Niceta. *Rasciam* eis attribuit hodie Castaldus. Ipsi se vocant nunc *Bosnachi*, teste Nigro. *Cordistæ* sunt apud Athen. *lib.* 9. qui Galatas ex iis facit, qui cum Brenno Delphicum templum spoliaverunt.

Scordiscus, Cappadociæ mons. Ptol. quem *Armonium* vocat Marcellinus, *Stydissem* Strabo.

Scoriale seu *Scuriale*. Vide *Escuriale*.

Scoringa, Germ. regio. Diaconus.

Scorpiani. Non desunt, qui Scorpianos populos dici conjectant, apud Stephanum: Sed cùm Herodotus nec in *lib.* 7. quem is citat, nec usquam alibi *Scorpianorum* meminerit, videtur Σκορπιανοὶ deflexum ex Παρικανοὶ. *Paricani*, vel *Paricanii* Asiæ pop. sunt, tam ex Herodoto *lib.* 3. & 7. quàm ex Melâ & Plinio noti. Quorum *Paricane* metropolis, apud eundem Steph. *ex Hecatæo*. Bochartus *de Anim. Bibl. lib* 4. *cap.* 3. 2.

Scorpiofera, Asiæ regionis pars. Ptol.

Scorpius, seu *Scorpio*, unum ex XII. Zodiaci signis, quod à Sole subitur pridie Idus Octobris. Oritur autem eodem tempore, quo Orion occidit. Qui Astronomicum poeticum conscripserunt, hunc eum volunt fuisse Scorpium, qui Orionem interemit, cùm ille juvenili robore ferox, nullam esse feram jactasset, quam ipse conficere non posset. Quam hominis jactantiam ægerrimè ferens Tellus, in perniciem ejus Scorpium protulit, qui infixo aculeo eum interemit. Hunc autem Scorpium à Jove ideo inter astra relatum volunt, uti mortalibus documento esset, ne suis plus æquo viribus fiderent. Hyginus *lib.* 2. *de Sign. cœl.* Ampelius tamen scribit, quòd Diana Scorpium, ejus jussu, in monte insulæ Chiûs Peleneo ad Orionis perniciem natum, illi Deam inter venandum stuprare conanti ipsa supposuerit, quò vitâ privaretur. Quod etiam ostendit Nicander *in Theriacis*:

Τὸν δὲ χαλαζήεντα κόρη Τιτηνὶς ἀνῆκε
Σκορπίον ἐκ κέντροιο τεθηγμένον, ἦμος ἐπέχρα
Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον Ὠαρίωνι,
Ἀχράντων ὅτε χερσὶ θεῆς ἐδράξατο πέπλων.
Αὐτὰρ ὅγε στιβαροῖο κατὰ σφυρὸν ἤλασεν ἴχνευς
Σκορπίος ἀπροϊδὴς, ὀλίγῳ ὑπὸ λᾶϊ λοχήσας.
Τοῦδε τέρας περίσημον ἐν ἀστράσιν ἀπλανὲς αὔτως
Οἷα κυνηλατέοντος ἀείδελον ἐστήρικται.

Hujus signi mem. Virgil. *Georg.* 1.

—— *Ipse tibi jam brachia contrahit ardens*
Scorpius, & cœli justâ plus parte relinquit.

Ovid. *Met.* 2.

Savaq; circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atq; aliter curvantem brachia Cancrum.

Scotana, vicus Arcadiæ. Pausan.

Scoti, Britanniæ pop. Septentrionales, post Pictos, antiquissimi, quondam Anthropophagi, teste B. Hieronymo 2. *contra Jovinianum*, *Quid* (inquit) *loquitur de cæteris nationibus, cùm ipse adolescentulus in Galliâ viderim Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, & cùm per sylvas porcorum greges, & armentorum, pecudumq; reperiant, pastorum nates, & fœminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari?* Ammianus primus inter scriptores Latinos eorum meminit, quos ex Hispaniæ Cantabriâ oriundos, atque inde in Hiberniam migrantes, tandem in Scotiâ sedem fixisse dicit. Buchananus illos quidem ex Hispania quoque arcessit, sed à Celtis, Pyrenæos transgressis, illos oriundos asserit. Matth. Westmonasteriensis, ex Pictorum cum Hibernicis fœminis connubio natos, iisque ex diversitate hac nationum, nomen hæsisse vult: *Scot* enim illud dicitur, quod ex diversis rebus in unum acervum congregatur: de qua voce V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* Sed refellit sententiam ipse Beda, qui Pictos à Scotis Hiberniæ uxores petiisse refert, Vid. intra. *Guydhyl* Britannis, teste Lhuydo, à picturâ qu. *Picti* appellati, teste Isidoro, vel ab *obscuritate* ac *tenebris*, quæ σκότος dicuntur. An verò Scoti prius Hiberniam occuparint, dijudicent alii ex historiis. Illud certum (inquit Ferrarius) nomen Scotiæ utrique regioni fuisse commune; ac Scotos, ejectis Pictis, regione potitos, illi nomen indidisse. Scotos etiam (quos alii, inter quos Camdenus, à Scythis voce depravatâ dictos putant) olim in Hiberniâ consedisse, nomenque Scotiæ ipsi Hiberniæ indidisse, & illam etiam Scotiam per aliquot secula appellatam fuisse, invenitur apud Orosium, D. Prosperum, Isidorum, Bedam, Bernardum, &c. Regnum hotum antiquissimum, trecentis ante Christum natum annis, & amplius, primordia sua duxisse sunt qui dicant, quod eversum à Maximo Tyranno, instauraverit Fergusius, circa An. C. 422. E cujus posteris mortuo sine prole Alexandro III. A. C. 1286. vel 1290. inter Robertum Brussium & Johannem Balliolum, matribus Scotiæ regum familiæ natis, diuturna de regno contentio fuit: donec ab utrisque arbiter electus Eduardus III. Angliæ R. Balliolum æmulo prætulit. Ei postea Robertus I. successit, cujus filio Davide mortuo sine liberis, An. C. 1371. regnum pervenit ad Robertum II. ex familia Stuardorum, in qua etiamnum floret. Fidem Christianam hauserunt hi populi, sub Donaldo R. cui summissi à Victore Episc. R. Evangelii præcones sunt. Primus post hæc illis Episcopus à Cælestino Palladius obtigit, Ann. C. 440. ubi & Patritius tum floruit, Hiberniæ Apostolus, Servatius item, qui non solùm in Scotia, sed & Orcadibus insulis Christum prædicavit. Germanus dein Antissiodorensis & Lupus Trecensis Pelagianis Scotis hæreseos suæ venenum propinantibus acriter restiterunt. Sequentibus temporibus seculi torrente abrepti, sub Jacobo V. caliginem errorum denuo exire cœperunt, jactis Reformationis fundamentis, à Patritio Hameltono martyre, & Joh. Cnoxo: frustra Cardinali Santandreano obnitente. Postmodum plenius Evangelii lux affulsit, sub Jacobo VI. qui Elisabethæ Anglicæ hæres, Scotiam Angliæ junxit, pater Caroli I. avus Caroli II. hodie M. Britanniæ feliciter imperantis. Horum regio *Scotia* dicitur, potuosa admodum pascuis magis, piscibusque, quàm frumento abundans, metallorum quoque ferax. Est & aliqua equis ejus gloria: Luporum inprimis ibi ingens numerus: olim *Caledonia*, de qua Tacitus in *Agricolæ vita*. Vulgò *Albania* olim Matth. Westmonasteriensi, hodieque *Albayn*, teste Lhuydo, nunc *Scotland*, ab Anglia monte Cheviotâ discreta, in plures regiones divisa: in qua Alata Castra, sive Edinburgum, urbs regia, Andreapolis, & Glasquum metropoles. Grampio monte aspero & infami (cujus Tacitus meminit) bifariam dividitur. Is enim à Germanici maris littore, ad ostia Deæ fluminis, latera Aberdoniæ abluentis, per mediam Scotiam, in Hibernicum mare tendens ad lacum Lomondum sistitur. Incolæ qui cis Grampium mont. Meridionalem partem habitant, Anglico loquuntur idiomate, suntq; bene morati, & humaniores, nisi quòd ad vindictam plus æquo propendere dicuntur: Nec abs re de his Joh. Barclajus, *in Icone animorum: Musæ nunquam delicatius agunt, quàm ubi in Scotos inciderunt.* Primi proin scholas Anglis, Hibernis, Belgis & Norvegis aperuisse, ac in Europa Academias fundasse leguntur, Ferrar. Inter eos maximus natu filiorum patri succedit, reliquis portione certâ legibus definitâ acquiescere jussis. Qui alteram partem Septentr. versus accolunt, genus hominum asperum ac longè durissimum est: Hi linguâ, vulgò *Gachtlet* dictâ, quæ Hibernis quoque familiaris, uti solent, in victu vestituque antiqui moris tenacissimi: promti arcu & sagittis, montana incolunt, ad seditiones proni: horum majores humanâ carne vesci solitos referunt scriptores, fœminasque viris bellando permixtas: In genere eadem Scotis cum Anglis ad bellum propensio est, laboris apprime patientes, peditatu inprimis valent. Plurima habet regio hæc miranda, ut colligitur apud Hectorem Boetium, quem vid. In Gallouidia lacus est, *Myrtoum* dictus, cujus una pars, aliarum aquarum more, gelu hyeme concrescit, altera nullis frigoribus congelari potest. Sunt in Carictæ regione ingentis magnitudinis boves, quorum caro tenera suavisque ului est: cæterum pingue nunquam concrescit, sed olei liquidi instar semper fluit. In Coyl provincia haud plus decem millibus passuum ab Acr oppido, saxum est 12. vix pedes altum extensumque 33. cubitorum spissitudine, haud immerito ab incolis *surdum* appellatum: nam quantumvis ingentem strepitum sonitumque vel etiam bombardâ edas, ab uno latere, ex adverso haud exaudiri queat, nisi quàm remotissime absis, tum enim sonus facile percipitur. In Lemos, quæ Ptolemæo Lelgovia dicitur, lacus est longè maximus, *Loumund* vernaculè dictus, qui supra 24. mill. in longitudine extensus, 8. in latitudine, 30. insulas complectitur, quarum pleræque vicis frequentibus habitatæ, templa sacellaque divis dicata habent. Tria in hoc memoratu digna repetiuntur, nam pisces illic esui humano suaves pinnis carent: lacus interdum, nullo flante vento, ita impensè concitatur, ut vel audacissimos nautas, quominus solvant, deterreat, unde, vento cessante, naves medio cursu correptæ cum maximo discrimine jactantur, & nisi portus quispiam fortè propinquus adsit, plerumque evertuntur: Denique est Insula quædam gregibus armentisque pascendis uber, sed quæ natans fluctuansque quò venti impellant huc illuc feratur. Constans fama est, lapidem in Argadia nasci, qui si paulò diutius stramentis stuppisve supponatur, incendium faciat. Ad Slavis, castellum in Buthguhania, antrum est admirandæ naturæ, aqua enim in id instillans, tractu temporis in candidissimum convertitur lapidem, qui nisi certo annorum curriculo eximerentur, olim jam jam plenum illis fuisset. Nullus in hac regione mus major conspicitur, nec, si importetur, vitam ducere potest. Ad ostium Forthcæ fluminis in medio mari altissimus scopulus est, ex cujus summitate fons aquæ largissimè admirando naturæ miraculo scaturit: ab Edimburgo plus minus duobus passuum millibus, fons, cui olei guttæ innatant, scaturit eâ vi, ut si nihil inde collegeris, nihilo plus confluat, quantumvis autem absumseris, nihilominus remaneat: valetque hoc oleum contra varias cutis scabities. Vid. præter retro laudatum Boetium, Joh. le Maire, seu Majorem, Georgium Buchananum & Johan. Lesæum *de rebus Scoticis*: Venerabilis Beda, Gildas Sapiens, Godofredus Monumetensis, Guil. Malmesburiensis, Rogerius Hovedenus Henr. Huntingdoniensis, Ethelverdus Ingulphus, Joh. Asserus, Guil. Neubrissensis, Matth. Parisiensis, Thomas Walsinghamus, Matth. Westmonasteriensis, Ranulphus Cestriensis, Thomas Morus, Joh. Froissardus, Polydorus Virgilius, Georgius Lilius, Nicolaus Trivetus, Richardus Graftonus, alii, Britonum & Anglorum gesta describentes, Scotiæ quoque meminerunt. Andreas Duchenius, Gallicâ Linguâ edidit Historiam Angliæ, & Scotiæ & Hiberniæ: David porro Chambræus, Paulus Jovius, Camdenus, Bel-

Belleforestus, Florimundus Raimundus, Sanderus, Gasula, Davitl, Baronius, Spondus, Cluverius, Sanson, Du Val, Brietius &c. in scriptis suis ejus subinde mentionem injiciunt. Hinc *Scoticus* Claud. *de laud. Stilic.*

—— *Ne bella timerem*
Scotica, vel Pictum tremerem.

Unde *Scoticæ leges*, quæ variæ. Ut omittam, quas, ante susceptum Christi characterem, habuerunt, de quibus V. Hieron. *in Epist. ad Oceanum*, & Scriptores Scoticos *in Edumo III.* Extant candidæ aliæ Kennethi Regis, qui Pictorum cum regno populum delevit, sub An. C. 839. & Macbethi, qui ferro sustulit Duncanum R. circa An. Chr. 1046. earum capitula Hectore exhibente Boethio. Reliquas concinnavit Skenæus. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.* & infra in *Scotia.*

Scotia, varie apud majores, verba sunt Henr. Spelmanni, sumitur: Alias pro ea Insulæ parte, quæ Romanis *Britannia min. & sec.* dicta fuit, & pro regno hodierno; Alias verò pro ejusdem parte, quæ à mari Scotiæ, *The vvater of Forth, or Fryth*, in Bor. extenditur, Australi interea *Lodoneio* dictâ. Quam distributionem agnovit Rex ipse David I. A mediorum seculorum scriptoribus etiam de Hibernia dicitur: unde Scotos Hibernos multa in Galliis extruxisse monasteria dicit Hadr. Valesius, *Notit. Gall.* Hibernis *Allabani*; Anglis & incolis *Scotland*, Gallis *l'Escosse.* Baudrando, alterum magnæ Britanniæ regnum, ab ortu Germanico Oceano, à Septentrione Orcadibus & Deucaledonio mari præcingitur, ab Occasu Hiberniæ objacet, ad austrum Tueda fluv. & Cheviotæ montibus cum adjacente tractu ad *Solvvay* æstuarium pertinentibus ab Anglia dirimitur; & à 70 annis circiter in unum regnum coaluit cum Anglia. Ejus longitudo, seclusis insulis, ducitur ex promontorio *Bucquan ness* in ora Oceani Germanici, ad *Ardna Murchen point*, in ora Occidentali; estque circiter 165. m. p. seu 110 mill. Scoticorum. Latitudo autem definitur ab urbe Leucopibia, *Withern*, ad promontorium Orcadum *Dungesby head*, ac proinde excurrit ad 230. mill. pass. seu 57 mill. Scoticis. Scotia antiquitus quoque dicta fuit *Albion septentrionalis* seu *ulterior*, & in duos populos divisa fuit, nempe in Vecturiones, in quorum regione fuere postea Picti, & in Caledonios, quorum regionem invaserunt postea Scoti. Vecturionum partes erant Horestæ, Selgovæ, Novantæ, Damnii, & Ladeni. Caledoniorum autem partes fuere Caledonii propriè dicti, Epidii, Creones, Cerones, Carnovacæ, Cornabii, Carini, Mertæ, Cantæ, Lugi seu Logi, Vacomagi, Taxali, & Vernicones populi. Scotia antea per plurima secula propriis paruit Regibus; sed ex quo obiit Elizabetha Angliæ Regina an. 1603. ei successit Jacobus VI. Scotiæ Rex, qui duo regna Angliæ & Scotiæ conjunxit, & in Angliam uti majus regnum transmigravit. Nunc in duas præcipuè partes, Tavo fluvio intermeante, dividitur: *Scotia Australis*, quæ & Cis-Taana, *l'Escosse deçà le Tay*, frequentius habitatur, & moribus, divitiis, ac humanitate excultior est. *Scotia Borealis* sive Trans-Taana, *l'Escosse delà le Tay*, agrestior & rudior, mores etiam sylvestris Hiberni genuini & prisci Scoti recipit ac retinet. Utriusque autem regionis sequentes Comitatus singillatim præ oculis habes.

Scotia Australis provinciæ 22.

Vallis ad Tivium fluvium, seu Teviotia, *Tevedale.*
Merchia, *Merche.*
Lodoneium & Lothiana, *Lothiane.*
Vallis ad Tuvedam fluvium, seu Tuvedalia & Pebliana, *Tuvvedale.*
Vallis ad Lidam fluvium, seu Lidesdalia, *Lidisdale.*
Vallis ad Escam fluvium, seu Eskia, *Eskdale.*
Vallis ad Annam fluvium, seu Annandia, *Annandale.*
Vallis ad Niddam fluvium, seu Nithia, *Nidesdale.*
Galovidia, *Gallovvay.*
Carricta, *Carrick.*
Kyla seu Covalia, *Kyle.*
Cuninghamia, *Cuningham.*
Glotta insula sive Arania, *Arren.*
Vallis ad Cluidam fluvium, seu Cluidesdalia & Glotiana, *Cluydesdale.*
Levinia sive Lennoxia, *Lennox.*
Stirlina sive Sterlinga, *Sterling.*
Fifa, *Fife.*
Stratherania, *Strathern.*
Menteithia, *Meinteith.*
Argathelia, *Argile.*
Caput Terræ sive Cantira, *Cantir.*
Lorna, *Lorne.*

Scotia Borealis provinciæ 13.

Loquabria, *Lochquabyr.*	Marria, *Marr.*
Albania, *Broad Albain.*	Buquania, *Buquan.*
Perthia, *Perth.*	Moravia, *Murray.*
Atholia, *Athole.*	Rossia, *Ross.*
Angusia, *Angus.*	Sutherlandia, *Southerland.*
Mernisia, *Mernis.*	Cathanesia, *Caithness.*

Strathnaverna, *Strathnavern.*

Scotina, locus in Lacedæmone plenus quercubus. Verùm inde nomen non habet, sed à Jove *Scotino* illic honorato. Stephan. *ex Pausaniâ.* Locus quem respexit in *Laconicis* reperitur, qui est liber 3. Itaque scribendum τρίτῳ apud eum pro δευτέρῳ. Insuper pro Σκοτινὸς, & Σκοτινᾶς, scribe Σκοτινὸς, & Σκοτινᾶς. Loci ejusdem meminit Polybius *extremo lib.* 10.

Scotinus, cognomen Heracliti Ephesii. Strab. *lib.* 14.

Scotus, Apostolorum ævo, Eremita fuit in Occidente, Ferr.

Scotusa, Thraciæ urbs juxta Topirim.

Scotussa, urbs mediter. Thessaliæ Larissæ finitima. Fuit & *Scotussa*, op. Macedoniæ ad Nestum amnem. Hinc *Scotussæi* populi apud Plin.

Scrachiconnia, oppidul. Poloniæ inf. aliis *Sczachschovv*: in Palatinatu Raveusi, ad amnem Bluram, 10. leuc. à Varsavia in Occ. totidem Lanciciam versus.

Scriba Regis, apud Ingulphum Sax. *Hist. Croyl.* 858. *lib.* 5. videtur Saxonibus Anglis idem fuisse, qui hodie Cancellarius: aliàs *Scribo.* Sic Gregorius M. *Regist. lib.* 8. *epist.* 60. Azimam *Scriboni* inscribit, ubi dignitatem ejus non vulgarem tum fuisse indicat. Adde *Epist. seq.* Munus ut Græcis innotuit, ab iis assumpta etiam vox est Σκρίβων & Σκρίβας, quæ Meursius confundit, & *Scribam* pariter exponit. Sed triplex, inquit, est hujus vocis significatio: Aut enim *Scribam* denotat, aut Præfectum Satellitum Imperatoris; aut Medicum castrensem, qui exercitum sequebatur, militesque in acie vulneratos curabat, atque olim Δεποτάτος etiam dicebatur. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Scribonia, fil. Scribonii, & soror alterius, qui Pompeii socer fuit, Imperatoris Augusti uxor, postquam ille dimisisset Claudiam, quæ illi in matrimonium pacta fuerat: Porrò Scribonia hæc nupserat antè duobus Consularibus, & ex altero quoq; mater fuerat: cum hac etiam divortium fecit Augustus, pertæsus morum ejus diversitatem & ex ea filiam Juliam suscepit. V. C. Suetonium Tranquillum *cap.* 62. *in vita Octavii Augusti*, Romanorum Imperatoris secundi. Dion *hist. Rom. lib.* 48. Levinum Hulsium, *de uxor. XII. prim. Cæsarum.* Item; alia, quæ nupsit Sexto Pompejo, Filio Magni, per bellum Siculum, de cujus Patre Cæsar *l.* 1. *Civil. cap.* 26.

Scriboniani Fratres, quodammodo æquales, nihil alter ab altero facientes; sed ut genere vitæ, ita & electione vitæ & facultatibus conjuncti: a Pactio Africano Neroni ad exitium monstrati. Vide Tacit. *Hist.* 4. 41.

Scribonianus Crassus, M. Crassi Frugi Consulis, anno Urbis DCCCXVI. sub Nerone, filius, Pisonis Liciniani à Galbâ adoptati frater; quem Antonius Primus ferebatur, egregiis majoribus & fraternâ imagine fulgentem ad capessendam Remp. contra Vespasianum esse hortatus. Tacit. *Hist.* 4. 39.

Scribonius Aphrodiseus, Orbilii servus atque discipulus, mox à Scriboniâ Libonis filiâ, quæ prius Augusti uxor fuerat, redemptus & manumissus. Sueton.

Scribonius Largus, claruit unà cum Cassio; (cujus supersunt de Animalibus problemata medica) Ejus extat liber de medicamentorum compositione. Præfatio autem utriusque ostendit, quod Scribonius codicis meminit, quem ab Atimeto, Cassii servo; ac Cæsaris Tiberii legato acceperit. Scribonii etiam mentionem facit Galenus in libris κατὰ τόπους, & alibi. Scripta ejus hoc seculo prodierunt. V. Castellan. *de ill. Med. p.* 119.

Scribonius Libo, consul cum Antonio A. U. IↃCCXIX.

Scribonius Libo, Annalium conditor. V. Cicer. *in Bruto. lib.* 2. *de Orat. lib.* 12. *ad Attic. epist.* 5. *& libr.* 13. *ep.* 30. *&* 31. Valer. Maxim. *lib.* 8. *cap.* 1.

Scribonius Libo; prænomine *Cajus*, Liburnicæ & Achaicæ classi præfectus, à partib. Pompeji: Ad hunc fortasse pertinent argentei denarii cum inscriptione: C. *Scribonius Libo*, in quibus *Libonis* puteal expressum.

Scribonius Libo Drusus, Prætor à Firmio Cato Senatore intimæ admissionis amico, apud Tiberium, res novas moliri delatus, eoque nomine mori adactus. Tacit. *Ann.* 2. 27.

Scritofinni, populus insulæ Scandinaviæ vicinus. Nomen illis contigit à *Schreiten*, quod est passum facere. Ortelius vel *Scritofinnos* vel *Scritifinnos* appellat. Perpetuis rigent nivibus, carnibus ferarum crudis vescuntur, illarumque pellibus se tegunt. *Scriphini*, *Scrifinii* & *Scricfinii* etiam.

Scriptura Sacra, est verbum Dei, à Scriptoribus θεοπνεύστοις, literis divino jussu exaratum, ad Ecclesiæ institutionem. Horum primus & quasi cœterorum Exarchus post Deum; qui ipse, propriis digitis Legem duabus tabb. exarando, initium scribendi fecit, Moses fuit, V. Justinum Martyr. *Paran. ad Gr.* Tertullianum *in Apolog. cap.* 19. Euseb. *Præp. Evang. lib.* 10. *cap.* 23. Chrysost. *Homil.* 1. *in Matth.* Theophylactum &c. Ultimus Johannes Evangelista, cui, in Apocalypsi, duodecies mandatum scribendi cœlitus repetitum est. Distinguitur in libros Vet. & N. Test. 2. Cor. 3. 14. qui proin Ἐνδιάθηκοι *Testamentarii* sive *Fœderales* appellantur, Origeni apud Eusebium *lib.* 6. *cap.* 19. & Eusebio ipsi *lib.* 3. *cap.* 3. Vetus iterum in Mosen & Prophetas, *Matth.* 7. 7. &c. Item in Mosen, Prophetas & Psalmos, Luc. 24. 44. secundùm Judæos in Thorah, Nebiim, & Celubim: utriusque Testamenti libri vulgò in Historicos, Dogmaticos & Propheticos dispescuntur. Quod distributionem S. Scri-

peura in capita, & capitum in versus attinet; Ejus, quæ nunc in usu est, auctorem ferunt Monachum quendam Ordinis Prædicatorum, nomine Hugonem de S. Caro, natione Burgundum, post Cardinalem: qui cum circa An. Ch. 1240. vel. 1250. Concordantias Bibliorum contexeret, Utriusque Testamenti libros Vulgatæ editionis capitibus, & hæc rursum versibus distinxit. Quod postea non Christiani solùm in Græcis Exemplaribus, sed & in textu Hebræo ipsi Judæi imitati sunt: hodieque eadem distributio, licèt minus nonnunquam commoda, constanter observatur. In Veteri quidem, præter *Paraschoth*, Sectiones libris Mosis sive Legi peculiares, quibus respondent Particulæ ex Propheris excerptæ, quas *Haphtaroth* dicunt: à Masorethis per omnes libros constituti sunt *Sedarim*, Ordines, pro rerum diversitate textum dispescentes: quales Genesis 42. Exodus 29. habet; Versiculi item *Pesukim* dicti & accentu Soph-Paseck terminati: quorum numerus in fine singulorum adscribi solet. In Novo Test. autem Patres, imprimis Græci, τίτλους Titulos sive Pericopas appellarunt ejusdem argumenti materias inter se connexas: κεφάλαια verò sive Capitula (quæ etiam στίχοι) partes minores ipsorum Titulorum, quibus in sententias & versus dividebantur. Sic Tituli Matthæo dati sunt 68. Marco 48. Capitula verò illi 355. huic 230. à Suida tributi leguntur. Dicitur aliàs *Canon*, continetq; in V. T. Pentateuchum, Josuam, Judices cum Ruth, libb. Samuelis, Regum, Chronicorum, Esdram, Nehemiam, Estheram, Hiobum, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten & Canticum Salomonis, cum 4. majoribus, & 12. min. Prophetis; In N. T. quatuor Evangelistas, Acta, Epistolas Pauli nas 14. duas Petri, unam Jacobi, tres Johannis, Judæ unam, cum Apocalypsi. Item *Biblia*, V. ibi, ut & in voce *Testamentum*.

Christiadum hæ sunt delitiæ, summiq; Parentis
Jussa, ad sidereum ducere certa Polum.

Scrobilus, promunt. Africæ ad fin. Arab. Pompon.

Scropha Tremellius, Varroni *de R. R. libr.* 2. *cap.* 4. primùm appellatus est *Scropha*, quòd Quæstor cùm esset, Licinio Nervæ Prætori in Macedoniâ provinciâ relictus, qui præesset exercitui, dum prætor rediret, hostes arbitrati occasionem se habere victoriæ, impressionem facere cœperunt in castra, Tremellius verò cùm hortaretur milites, ut caperent arma, ac exirent contra: dixit celeriter, se illos, ut Scropha porcos, dejecturum: idque fecit. Nam eo prælio hostes ita fudit, fugavitq;, ut eo Nerva prætor Imperator sit appellatus, & ipse cognomen invenerit, ut diceretur *Scropha*. Verùm Macrob. *Sat.* 1. cognominis hujus rationem aliam affert: *Tremellius Scropha*, inquit, *cum familiâ atq; liberis in villâ erat. Servi ejus quum de vicino Scropha erraret, surreptam conficiunt. Vicinus advocatis custodibus omnia circumvenit, ne quà efferri possit; isq; ad Dominum appellat restitui sibi pecudem. Tremellius, qui ex villico rem comperisset, Scrophæ cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat. Quæstionem vicino permittit, quum ventum est ad cubiculum, verba jurationis concipit, nullam esse in villâ suâ scropham, nisi istam, inquit, quæ in Centonibus jacet, lectulum ostendens.* Ea facetissima juratio Tremellio *Scropha* cognomentum dedit.

Scula, mons & sylva in Suecia, Angermaniam in duas partes dividit. Mons altissimus & præruptus, quanquam ruinam minitans, aspectu horribilis, versus oram littoralem Sinus Botnici extensus.

Sculdais, seu *Sculdahis*, *Sculdasius*, seu *Scultetus*, vox Germ. vetus, in Longobardorum legg. frequens. Originem ducit à Germ. *Schuld*, i. debitum, & jubendo *heyssen*: quòd scilicet *Sculdahis*, debitoribus imperet, ut creditoribus suis satisfaciant. Alii interpretantur *Pœnarum exactorem*, namque & reatum, atque delictum vox *Schuld* Germanis notat. Priore sensu sumitur in Longob. legg. *tit. C. de pignorationibus & debitis: Si homo liber, qui debitor est, alias res non habuerit, nisi caballos domitos, aut boves junctorios seu vaccas, tunc ille, qui debitum requirit, vadat ad* Sculdahis, *& intimet causam suam &c.* Item *tit.* 20. legg. Luithprandi Regis: *Si quis causam habuerit, &* Sculdahis *justitiam, intra quatuor dies, facere neglexerit &c.* Ita ergo *Sculdahis* veteribus erat judex, qui de debitis pronuntiabat, pignora capiebat & satis fieri creditori cogebat: non tamen plenam habebat jurisdictionem, sed Comitum potestati erat obnoxius, hodieq; Germanis in usu: sed nec in Tuscia, Æmilia, Austria, Neustria, Francia &c. incognitus. In Helvetia verò longè honoratior hic titulus est, apud quos, in Urbibus, tribus non habentibus, quales sunt Berna & Lucerna, vox *Sculdahis*, vulgò *Schuldtheyß*, summam auctoritatem & potentiam indigitat. Vid. Henr. Spelmannum *Gloss. Arch.* & Jos. Simlerum *de Rep. Helv.*

Scultenna, fluv. Flaminiæ. Liv. Plin. *Panaro* Leandro. Apud Strab. antiquum vocabulum corruptum legitur Σκυτεία pro Σκυλτάννα: locus est *lib.* 5. *Lanam mollem & omnium longè pulcherrimam* οἱ περὶ Μυτίνην τόποι καὶ τὸν Σκυλτάνναν ποταμὸν φέρουσι.

Scultetus Abrahamus, natione Silesius, patriâ Grunbergensis, Paræi in Facultate Theologica in Acad. Heidelbergensi collega, Friderici Elect. Palatini Bohemiæ Reg. disertissimus Concionator, præter Theologicam scientiam, Antiquitatis & Historiæ Eccles. peritissimus. Scripsit plurima: Inter quæ eminent *Idea Concionum in Psalmos*, *Observationes Gram. Histor. Logic. Theol. in historiam Jesu Christi*, *Exercitationes in Evangel. loca difficiliora*, *Idea Concionum ad in Hebræos*, *Medulla Patrum*, *Annales Ecclesiæ Reform.* &c. Obiit Emdæ, ubi exilii sedem fixerat, An. Ch. 1624. æt. 59. Vid. Regenvolscium *System. Historico Chronol. Eccl. Sclavonicarum*, Helvicum *Chronol.* Crowæum *Elencho Scriptorum in S. Scripturam.*

Scunnus, castr. Calabriæ ulter. vix 3. mill. ab ora maris Tyrrh. in Ort. 7. à Mileto in Austr. Seminarum vers. 13. circiter; *Rosarno.*

Scupi, Mysiæ sup. seu Dardaniæ urbs prim. Ptol. *Scopia* Sophiano. Nunc Serviæ caput, in confin. Macedoniæ, perampla & probè culta, sub Turcis, quibus *Uschub* dicitur. 80. m. p. à Sophia in Occ. 160. à Philippopoli, Scodram versus paulo plus. Eam alluit Axias fluv.

Scurgum, Germ. urbs Ptolom. *Schmeben* Villanovano, in Pomerania.

Scutingi, pop. Galliæ, Fredegario *Chron. lib.* 5. *cap.* 25. memorati. In Ms. vita S. Anatolii memoratur in Sequanis vallis *Scodinga* vel *Scutinga*, fortè ab his dicta, ubi hodie Salinæ, oppidum salsis fontibus celebre in Comitat. Burgundiæ. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Scutula, castellum Latii, ad pedem montis.

Scyathos, Ins. ante Sin. Pegaseum. V. *Sciathos.*

Scybelitus, locus Pamphyliæ, unde *vinum Scybeliticum* Hesych.

Scybis, Cretensis sculptor marmorarius. Plin.

Scybros, parva reg. Macedoniæ. Steph.

Scydissa, mons asperrimus, & Moschicis montibus conjunctus, qui supra Colchidem sunt, cujus extrema ab Heptacometis obtinentur. Strabo *lib.* 12.

Scydra, urbs Macedoniæ in Emathiâ reg. Stephan. *Sidérocapsa* Bellonio.

Scylace, *Scylaceum* Val. Flacco, op. Mysiæ Asiaticæ, inter Cyzicum, & mont. Olympi radices. Steph.

Scylacium, V. *Scylletium*, *Scylacaum* Virgilio.

Scyaum, Vid. *Scyllaum.*

Scylax, Caryandâ Cariæ opido oriundus, Mathematicus & Musicus, missus à Xerxe Persarum Rege in Indiam, ut Indi fluminis caput vestigaret: Illud iter triginta mensibus, peragratâ totâ Indiâ, dexterrimè confecit, inque illa peregrinatione suâ animadvertit in mores & instituta Indorum, ediditque Itinerarium, quod Περίοδος τῆς Ἰνδικῆς inscripsit. Strabo, Herod. *Melpomene.* Aristot. 7. *Polit.* 14. Vid. *infra.*

Scylax, tres fuere Scylaces Caryandenses. Antiquissimus est, qui sub Dario Hystaspis filio floruit, alter Darii Nothi; tertius verò ætate Polybii. Vide Is. Vossium *ad Scylacis Caryandei Periplum.* Quanquam certissimis argumentis evinci potest, Periplum istum, qui Scylacis Caryandensis nomen præ se fert, quemque adolescens admodum recudendum curavit vir doctissimus prædictus, cujusvis potius esse quàm Scylacis, ut in secundis curis se clariùs docturum promittit, *Observat. ad Melam*, *pag.* 83.

Scylax, fl. Cappad. in Irim influens. Strab.

Scylla, filia Nisi regis Megarensium, quæ Minois paterni hostis amore capta, ut illum beneficio aliquo demereretur, patrem purpureo capillo, in quo situm erat regni totius fatum, spoliavit, eumq; hosti obtulit, tanquam futuræ conjugis dotem. Verùm cùm se ab illo sperni videret, doloris impatientiâ in Cirim avem commutata est. V. Fab. apud Ovid. *Met.* 8. Prop. *lib.* 3.

Tuq; ô Minoâ venundata Scylla figurâ,
Tondens purpureâ regna paterna comâ.

Idem *libro* 4. permiscens duas fabulas Scyllæ Nisi, & Scyllæ Phorci:

Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos,
Candidaq; in sævos inguina versa canes?

Virgil. *Ecl.* 6.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris.

Ovid. 4. *Fast.*

Et vos Nisæi naufraga monstra canes.

Idem *Trist. lib.* 2.

Impia nec Tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crimen dissecuisset amor.

Idem 3. *Amor. eleg.* 11.

Per nos Scylla patri canos furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusq; canes.

Vide *Nisus.*

Scylla, Phorci filia, quæ cùm mutuo Glauci amore teneretur, indignata Circe, quæ Glaucum miserè deperibat, Scyllam sibi ab illo præferri, fontem, in quo illa lavari solebat, noxiis herbis veneficiisque infecit. Cujus rei illa ignara, cùm lavandi gratiâ fontem ingressa esset, videns inferiorem corporis partem in caninos rictus esse commutatam, deformitatem tantoperè exhorruit, ut se statim in vicinum præcipitaverit fretum, ubi & in saxum mutata fingitur, Charybdi ex adverso objectum, prætemavigantibus vehementer periculosum. Ovid. *Met. lib.* 4. & 14. Porro Siculum fretum, quia scopulosum & angustum est, tanto fervet æstu, ut fluctus inter se concurrentes, scopulisque illisi quendam qu. latratum referant. Hinc fingitur Scylla à pube canibus & lupis succincta, quam in freto scopulum esse constat. Grammatici à σκύλλω deducunt; unde Virg. *Ecl.* 6. ait *Scyllam*, *Dulichias vexasse rates.* *Scylla* autem Punicè סקול *scol*, est *exitium*, & *lethale infortunium*;

quo sensu Græcum Σκύλ☉ usurpatur ab Hellenistis, Scylla verò cur inde appelletur, nemini non est obvium. Bochartus, Lucret. *libr.* 5.

Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas. —— ——

Catullus in Ciri:

Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis.

Seneca in Medea,

Quid? cum Siculi virgo Pelori
Rabidos utero succincta canes
Omnes pariter solvit hiatus.

Ovid. in ep. Medea,

Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos,
Debuit ingratis Scylla nocere viris.

Idem Amor. 2. 16.

Nec quæ virgineo portenta sub inguine latrant,
Nec timeam vestros, curva Malea, sinus.

Catullus:

Quæ Syrtes, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis.

Propert. *lib.* 4.

Nec Scylla sævo conterruit impetus ore,
Cum canibus rapidas inter freta serperet undas.
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis.

Virgil. *Æn.* 3.

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naves in saxa trahentem.

Propert. *lib.* 2.

Crede mihi nobis mitescet Scylla, nec unquam
Alternante vorans vasta Charybdis aquâ.

Hinc *Scyllæus* Virgil. *Æn.* 1.

Vos & Scyllæam rabiem, penitusq; sonantes
Accestis scopulos. —— ——

Scylla, saxum in freto Mamertino inter Siciliam & Italiam, periculosum nautis mare faciens, hodie *Scyllo*, teste Fazello. Brutiorum item op. apud Melam, *Siglio* Leandro. *Sciglio* Baudr. opp. Calabriæ citer. cum Princ. tit. in orâ maris Tyrrh. prope Scyllæum prom. & fretum Siculum, 15. mill. à Messana in Cæc. paulo minus à Rhegio in Bor. Et insl. deserta circa Thraciæ Chersonesum. Plin.

Scyllaceum, op. in finibus Calabriæ. Virg. *Æn.* 3.

Caulonisq; arces & navifragum Scylaceum.

Dicitur etiam *Scylletium*, vulgò *Squilacci*. Vide Cluver. *Ital. Ant. lib.* 4. *cap.* 15.

Scyllaceus sinus, V. *Scylletius*.

Scyllacium, Vide *Scylletium*.

Scyllæum, promunt. Peloponnesi, in orâ Argiæ reg. in agro Hermionico 177. mill. pass. ab Isthmo in Ort. 40. à Sunio prom. in Mer. *Scyllium* Ptolemæo, *Capo Scigli* Sophiano, sinum Argolicum à Saronico dividens. Σκύλλαιον ἄκρα Stephano dicitur. Baudrando prom. Calabriæ ult. 26. m. p. à Nicotera, in Mer. Rhegium versus 14. & 6. à Cenide in Bor. 3. à Peloro, prom. Siciliæ in Ort. vulgò *Capo di Volpe*. Est & opp. Brutiorum in Italiâ. Mela *lib.* 2. Vid. *Scylla* opp.

Scylletium, Urbs aliàs Brutiorum, nunc Calabriæ ult. in ora maris Jonii & Sinus Scylacii ab ea dicti. Cum tit. Princ. Fere 4 mill. ab ora maris Jonii, 15. à mari Tyrrheno in Ort. 75. à Rhegio in Bor. uti 45. à Locris. Consentiam vers. 36. circiter, juxta amnem *Favelone*. Vulgò *Squillaci*. Colonia Atheniensium, Æneam conditorem jactat, Cassiod.

Scylletum, opp. Cretæ præc. Solin. Ibi fons *Arethusa*, cujus aqua, si quis altè loquatur, attolli fertur in modum aquæ bullientis & voces quasdam reddere.

Scylletius Sin. *Golfo di Squillaci*, pars maris Jonii, in ora Or. Calabriæ cit. inter prom. Lacinium ad Bor. & Cocintum ad Austr. Ejus pars Sept. magis versus Siberenam extensa dicitur nautis *Golfo delli Castelli*.

Scyllias, Herodot. *lib.* 8. vir quidam Scyoneus, omnium suâ tempestate hominum optimus urinator, qui etiam in naufragio ad Pelium facto, multam pecuniam Persis servavit, multa & sibi lucratus est. Ad Græcos transire in animo habens, cum ex Aphetis mare subiisset, non prius emersisse dicitur, quàm ad Artemisium pervenit, 80. fere maris stadia emensus. Hunc Pausanias *Scyllim* vocat, de quo inquit: Scyllis Scyoneus cum Cyane filiâ, classis Persicæ, quâ Xerxes Græciæ bellum intulerat, anchoras notando, urinandoque præcidit ad Pelium mont. & Sepiada Magnesiæ, quibus signum in Apollinis templo positum, ab Amphictyonibus, quod erat commune Græciæ concilium, & à Nerone Imper. Romam translatum est.

Scyllis, & Dipœnus Cretenses marmora sculpendo laudatissimi. Plin. 36. 4.

Scyllus, *untis*, op. Achaiæ, quo Xenophon donatus est à Lacedæmoniis. Strabo.

Scylurus, Cherronesi rex, à quo multa castella condita fuisse commemorantur à Strabone *lib.* 7

Scylurus, vel potius *Scilurus*, vir, qui (ut Plut. auctor est) cùm relictis maribus filiis 80. diem esset obiturus, hastilium fascem cuique obtendens, ut illum confringeret, jubebat. Id autem singulis se posse negantibus, ipse singulatim educta hastilia omnia facilè confregit: ita docens illos, ubi unà esse perseverarent, firmos ac potentes fore; imbecilles autem, si separarentur, ac dissiderent.

Scymniadæ, pop. cum Getis habitantes. Steph. forte *Scymnitæ* Ptolemæi, quos in Sarm. Europæa ponit.

Scymnus Chius, compluribus libris orbem descripsit, teste Stephano in Πάρ☉.

Scyphia, op. Clazomeniorum. Steph.

Scyphius, vocari traditur primus ille equus, qui natus est è Neptuni semine in saxo dormientis, atque ideo *Petræi* dicti. Pindari Scholiastes enarrans, quorsum Petræus appelletur Neptunus, *Pythiâ quartâ*: Ἐπίθετον Ποσειδῶν☉ ὁ πετραῖ☉ φασὶ δὲ καὶ ἀγῶνα διατιθέαϑ τοῦ πετραίου Ποσειδῶνι, ὅτι ἀπὸ τῆς πέτρας ἐξεπήδησεν ὁ πρῶτ☉ ἵππ☉. Et paulo ante: Ἐπί τινος πέτρας κοιμηθεὶς ἀπεσπερμάτισε, καὶ τὸν θορὸν δεξαμένη ἡ Γῆ, ἀνέδωκεν ἵππον πρῶτον, ὃν ἐκάλεσαν Σκύφιον. Nempe Pœnis (unde hæc fabula) שׁקיף *Sciph*, est *petra*, quomodo Chaldæis etiam ac Syris. Bochart.

Scyppium, opp. fuit Græciæ, in Colophoniorum finibus, à Clazomeniis extructum. Paus. idem forte cum *Scyphia*.

Scyras, Laconicæ fluv. se in mare exonerans. Pausan.

Scyri, pop. Arabiæ, Indorum linguâ utentes. Plin. 6. 23.

Scyritæ, gentes inter Nomadas Indos, quæ narium loco foramina tantùm habent. Plin. *lib.* 7.

Scyrinus, urbs in Doliohnide, prope Cyzicum. Steph.

Scyronia saxa, Vide *Scironia*.

Scyros, insula contra Magnesiam in mari Ægæo; 28. m. p. ab Eubœa in Bor. uti & à Caphareo prom. 70. à Magnesia in Ort. Sub Turcis. Vulgò *L'Isola di Sciro*, seu *S. Georgio di Sciro*: circuitus 70. m. p. Lycomedis regis patria, in quâ Achilles puellari habitu educatus Deidamiam regis filiam vitiavit, & ex ea Pyrrhum suscepit. Sed ab Ulysse cauro hinc ad bellum Trojanum abstractus est. Hinc *Scyrius*, & *Scyrias*, fœm. Ovid. 1. *Art. Am.*

Scyrias Æmonio victa puella viro.

Hæc insl. montibus attollitur, & 4. habuit olim opp. satis frequentia, quorum duo nunc fere inculta; capris abundat feris, ex quibus adagium est, apud Zenodotum *Capra Scyria*, in eos qui beneficium maleficio contaminant, sicuti *capra Scyria*, quæ calce mulctram lacte plenam evertit. *Scyrius principatus*, adagium ortum est, de tenui regno dictum, teste Suidâ, quòd hæc insl. à Pelasgis & Caribus quondam inhabitata, petricosa sit & infrugifera. Lapis hujus insl. integer supernatat, comminutus mergitur. Plin. 36. 17. Dionys. *vers.* 521.

Σκυρός τ' ἐπὶ τοῖσι, καὶ αἰπεινὴ Πεπάρηθ☉.

Ubi sis vide Montanum. Græcè quidem σκῦρ☉ est λατύπη, ut volunt, i. e. quod à lapicidis marmorariis abraditur: Et in Eust. σκυρώδης occurrit, pro *petricoso*; & in Hesychio σκυρωθῆναι pro λιθωθῆναι: Et in Pindaro *Pythiâ* 5. σκυρωτὰν ὁδὸν Scholiastes λιθόστρωτον, Hesychius λιθόστρωτον interpretatur. Inde Scyrus dici putatur, quia petricosa est insula. Sed vox hæc Græcis quàm est infrequens, tam familiaris est Arabica צחור *suchur* pro petris; à qua Σκῦρος nomen deduci potuit non incommodè, Boch. Statius *in Achilleide*:

—— *Quàm se scopulosa levavit Scyros.*

Scytala, Insula ad intimum maris Arabici recessum.

Scythæ, pop. fuere celeberrimi, antiquitatis proximi, Ferrario hodie *Tartari* gens numerosissima, in plures populos divisa: Sunt enim non in Asia solùm, sed & in Europa, apud Mæotidem paludem, qui & *Mæotæ*, *Alani*, *Agathyrsi*, *Geloni*, & *Sauromatæ*: Baudrando populi sunt, longè lateque per partem Bor. Asiæ extensi; è quibus fuere præc. Hyperborei Scythæ, magis ad Sept. vagantes, Orgasi, Sacæ, & Alani-Scythæ. Hi per Sarmatiam in Scauziam transgressi, inde in Germaniam venerunt. Et quidem Scythicam linguam matricem esse Germanicæ; indicat ipsum Scytharum nomen, *sagittiferos* significans, quo illi armorum genere cæteris præstabant. Dein Mæotis palus à Scythis, qui accoluere, dicta *Temerinda*, id est, maris finis: & Caucasus mons dictus ipsis à candore *Graucasus*, Plinio teste. Eadem Parthicæ Persicæque mater est; & centena aliquot Persicæ linguæ nomina cum Germanis communia facile addi possent: cujus concordiæ non alia adferri potest causa probabilis, quàm quod eadem Scythæ ortis à se Parthis, qui diu Persidem tenuerunt, eadem Germanis tradidere. Vide Hug. Grotium *Hist. Gotthorum, Vandalorum & Longobardorum.* Hi, ut antiquiora omittam, à Vibio Treboniano Gallo Imper. ignominiosâ pace, concesso ipsis annuo tributo ducentarum drachmatum placati, An. Chr. 254. hoc insolentiores facti Thraciam, Dardaniam, Thessaliam, Macedoniam: inde in Asiam transgressi Cappadociam, Pessinuntem; Ephesum, aliaque loca diripuere, Jornand. *de rebus Geticis.* Sed à Claudio Dalmata in Mœsia Thraciave ingenti clade victi, An. Chr. 270. iterumque; cùm per Mœotidem paludem in Pontum & Ciliciam illapsi essent, à Claudio Tacito Imper. An. Chr. 277. repressi sunt. Cumque duce Radagisio in Italiam irruptionem fecissent, à Stilicone Romanorum, Uldino Hunnorum & Saro Gottorum Ducibus, in extremas angustias redacti, in vilissimarum pecudum morem venales prostitere, An. Chr. 405. Aur. Victor, Vopiscus *in Tacito.* P. Orosius *lib.* 7. *cap.* 26. *&c.* De his Proverbia: *Scytharum oratio*, apud Lucian. Hi cum Dario nihil aliud,

aliud, quàm, ut ploraret, olim rescripsere. *Scytharum potatio*, ob vitam eorum asperam: *Scytha equum*, in eum, qui rem, quam maximè appetit, aversari se simulat: *Scytharum solitudines, &c.* Qu. Curtius *lib. 6. cap. 2. Scythæ regionem campestrem, ac fertilem occupaverunt, graves adhuc accolæ* (Persis *scil.*) *Sedes habent in Europâ & Asiâ. Qui super Bosporum colunt, a tribuntur Asiæ. At qui in Europâ sunt, à lævo Thraciæ latere ad Borysthenem, atq; inde ad Tanaim alium amnem rectâ plagâ pertinent. Tanais Europam & Asiam medius interfluit: nec dubitatur quin Scythæ, qui Parthos condidere, non à Bosporo, sed ex regione Europæ penetraverint.* Hactenus Curtius. Et quidem, præter Grotium supra memoratum. Marcus Zuerius Boxhornius, gentem Scythiam à sagittandi studio & arte Germanico vocabulo appellatam censet. Neque pudere Germanos potest originis Scythicæ, quòd illa gens & rerum gestarum gloriâ, & rectitudine morum ac simplicitate laudata scriptoribus fit. Nec sapientiæ laudem iis adimit Curtius *lib. 7. cap 8. Scythis*, inquit, *non ut cæteris barbaris, rudis & inconditus sensus est. Quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcunq; gens capit, semper armata:* Et docet oratio, quæ ibi sequitur, inde a quidem, cæterùm magnanima & sapiens. Lege etiam egregium Horatii Carmen *lib 3. Od. 24.* in quo Scytharum mores Romanis præfert, & gentem ab æquitate, justitiâ, & pudicitiâ elegantissimis versibus commendat. Scythæ & Ægyptii diu de generis antiquitate contenderunt: in quo certamine superatis Ægyptiis, Scythæ antiquiores visi sunt. Hi pop. olim nullas urbes habuerunt, nulla mœnia, domos secum ferentes, unde & *Hamaxobii* dicuntur. Hinc Horatius:

> —— *Campestres melius Scythæ,*
> *Quorum plaustra vagas rite trahunt domos.*

Idem alibi:

> *Te Dacus asper, te profugi Scythæ.*

Scytharum justitiam ostendit Bochart. *lib. 3. Geogr. cap. 9.* Vide quoque plura de illis apud eundem, *cap. 13. ejusdem libri.* Scytharum vocabulum quàm latè sumptum antiquissimis Græcis, docet Cluver. *Germ. Antiq. 1. 2.* Vide insuper Plin. Ptol. ut & *Scythia.*

Scythas, vel *Scythes*, Herculis filius, à quo *Scythiam* dictam putant; licèt nonnulli *Scythas* dictos volunt ἀπὸ τοῦ σκυθίζεσθαι, sunt enim iracundiores. Cæl. Rhod. Plinius verò *lib. 7. cap. 56. Arcum & sagittas Scythen, Jovis filium invenisse dicunt. Scytha* quoque & *Scythes* sæpiusculè pro *Scythicus* ponitur. Æschylus *in Prom.* Ligato Σκύθην εἰς οἶμον, pro Σκυθικόν. Lycophron *in Cassandra*, γαστρὶ Σκύθην dixit. Idem quoque ἀγκύλας & χῶρον Σκύθην. Pari ratione Martialis 4. 28.

> *Indos Sardonychas, Scythas smaragdos.*

Scytheni, popul. prope Macrones, Stephan. ex Xenophonte Ἀναβάσ. *lib. 4.*

Scythia, provincia Asiæ gemina; Citerior, quæ intra Imaum montem, Ptolem. dicitur, inter Sarmatiam Asiæ ad Occ. & Scythiam alteram ad Ort. ac inter mare Caspium ad Merid. & Oceanum Borealem, seu Scythicum ad Arctos, in plures regiones divisa, quæ omnes sub uno Tartariæ nomine comprehenduntur. Altera ulterior, seu extra Imaum montem in Ort. vergens, & ipsa in plures divisa regiones; quarum quæ ad Ort. extenditur, Sericæ conterminа *Cathay* nominatur; quæ ad Occ. *Regno di Cambalu* dicitur, & *Mongul.* Equis Scythia maximè abundat, quorum carnibus populi vescuntur. Asinis verò propter loci frigiditatem, (uti & à fulminum casu ob eam causam immunis est) caret, Plinio teste. *Scythia* quoq; Europæa pars est Sarmatiæ, ab ostiis Tanais ad ostia Istri Mæotidi & mari Euxino exposita. Dionysius:

> Σύρτεις ἐς Σκυθικόν τε καὶ ἐς Μαιώτιδα λίμνην.

Virgilius *lib. 1. Georg.*

> *Mundus ut ad Scythiam, Riphæasq; arduus arces*
> *Consurgit, premitur Libya devexus ad Austros.*

Baudrando *Scythia*, regio perampla Asiæ Borealis. Duplex fuit, nempe intra, & extra Imaum. *Scythia intra Imaum* montem, magis ad Occasum extensa, erat inter Hyperboreos Scythas ad Bor. Scythiam extra Imaum montem ad Ortum, Persarum Imperium ad Meridiem, & Sarmatiam Asiaticam ad Occasum. Ejus præcipui populi fuere Alani Scythæ, Jaxartæ, Orgasi, & Sacæ, ubi nunc Tartaria deserta, Chazalgitæ, Chaulachitæ seu Cara Cataya, & Kalmucbi, seu Olgaria regio in Tartaria magna, teste Sansone. *Scythia extra Imaum* montem, magis ad Ortum protendebatur inter Hyperboreos Scythas ad Septentrionem, Sericam regionem ad Ortum, Scythiam intra Imaum ad Occasum, & Indiam ad Meridiem. Ejus partes alicujus nominis fuere Achassa regio, Auzacitis regio, Casia regio, & Abii Scythæ, ubi etiam Issedon Scythica urbs. Nunc autem sunt in his partibus Thibetum regnum, *Sifian* regio, & pars maxima Kalmachitarum seu Tartariæ magnæ. Sed de his pauca admodum dici possunt, cùm raro hucusque pervenerint Europæi. Scythiæ pars septentrionalis est tertia ejus pars secundùm aliquos, ubi aliis fuere Hyperborei Scythæ, versus Oceanum Scythicum extensi, ubi nunc sunt regiones *Bargu*, *Jeka Moal*, *Su Moal*, & *Tartar*, in Tartaria Boreali.

Scythia parva, quæ & *Scythia Europæa*, & aliis *Cimmeria* dicta fuit, pars fuit Austr. Sarmatiæ Europææ, versus Pont. Euxin. & Mæotidem paludem. Ejus pars fuit in Taurica Chersoneso, ubi Tauri Scythæ: pars verò extra inter Bugem lacum Mæotidemque paludem ad Ortum, & Borysthenem fluvium ad Occasum, ubi Georgi-Scythæ, Nomades-Scythæ, & Basilidæ Scythæ populi, teste Guilielmo Sansone: Hujus urbes fuere Carcine, Theodosia, Panticapæum, Naubarum, Taphræ, & Chersonesus. Nunc in ea regione est Tartaria minor, seu Precopensis. Vide *ibi.*

Scythia Pontica, Plutarch. pars Mysiæ inferioris, Euxino mari adjacens, Ferrar. Eadem dicta *parva*, & *minor* Jornandi. Baudrando provincia fuit Illyrici Orientis, seu potiùs Imperii Constantinopolitani, inter ostia Danubii fluvii ad Boream, Pontum Euxinum ad Ortum, Daciam & Mœsiam inferiorem ad occasum, & Hæmimontum provinciam Thraciæ ad Meridiem; cujus caput erat Tomis. Pars fuerat antea Mœsiæ inferioris, nunc autem provincia est orientalis regni Bulgariæ, sub dominio Turcarum. Sed sunt etiamnum in illo tractu Tartari Dobrucienses dicti, *les Tartares de Dobruce*, Turcarum clientes, uti & Tartari Bialogrodenses ad ostia Danubii.

Scythiaca regio, Ægypti tractus, Ptol. Leg. *Scithiaca.*

Scythianus, Philosophus & Magus, Empedoclis & Pythagoræ opiniones in Ægypto haustas cum Christianismo miscuit: præceptor Terebinthi seu Buddæ. Vide *Buddas*, & *Manes.*

Scythicum litus, Pomponius vocat totam eam oram litoralem Asiæ, usque ad ostium Caspii maris, quo se in Scythicum mare exonerat. Melæ ora Asiæ Bor. Oceano Bor. exposita.

Scythicum mare, seu Ocean. Plin. Oceanus Borealis.

Scythicum promunt. *Cabo de Pennas*, seu *Cabo de Penñas de Guzan*, in Asturia Ovetensi, in ora Oceani Aquitan. maximè in Boream extensum, propè Avilam opp. 11. leuc. ab Oveto in Arctos.

Scythicus mons, idem Caucaso, Coraxico & Moschico. Tauri pars, quà se in Boream extendit inter Euxinum ad Occident. & Caspium ad Ortum.

Scythicus sinus, pars maris Caspii, quam Scythæ & Nomades accolunt, in ora Bor. Plin.

Scythinus Tejus, Historicus, Athen. *lib. 11.* Etiam Jambos fecisse ex Diogene Laertio dis imus in Heraclito, & Stephano in *Tius.* Etiam ex τῶν Σκυθίνου περὶ φύσεως, quædam adfert Stobæus, *in Eclogis Physicis lib. 1. cap. 11.*

Scythopolis, urbs Lybiæ, Stephan. Alia est à Baccho condita, & de Scytharum, comitum ejus, nomine dicta, in Decapolitanâ Syriâ, Plin. *lib. 5. cap 18.* Strabo *lib. 16.* Galilææ proximam esse scribit. Ejus vetus nomen erat *Bethsan*. Hic Judæorum XIIIM. occisi. An. Chr. 67. Joseph. *de Bell. Jud. lib. 2. cap. 18. & 19.* Euseb. *1. Chron.* Σκυθῶν τὴν Πελλαίων κατέσχον, καὶ τὴν Βαιθὰν κατῴκησαν ἡ ἐξ αὐτῶν κληθεῖσα Σκυθόπολις. Metropolis effecta est, Archiep. sede Nazaretum translatâ; Vide Zonar. *Annal. t. 1. &c.*

Scythranius, opp. Marmaricæ, Ptolem.

S E.

Seba, filius Bochri, de tribu Benjamin, homo seditiosus, & turbulentus: post Absolonis mortem, novarum turbarum auctor, à Joabo in urbe Abela obsessus, & à civibus deditus, capite luit, 2. Reg. 20. Joseph. *lib. 7. cap.* 10. Latinè, *septem*, *vel septimus*, sive *saturitas*, aut *juramentum*.

Sebaides, vide *Philippina*, sic enim nunc vocantur, Sanso.

Sebaste, tergemina: una Palæstinæ in Samariâ, vulgò *Samaria.* Altera Ptolem. & Steph. quæ & *Augusta* in orâ Ciliciæ apud Corycum, inde in Ort. parum distans, hodie *Sevasta.* Alia Ptolem. in Albione opp. in fin. Damnoniorum. *Leskerd* Villanovano.

Sebastia, & *Sebaste* Antonin. *Saustia*, urbs Cappadociæ mediterran. apud montem Argæum, 125. mill. pass. à Cæsarea in Boream & Ciciam.

Sebastianus, Lusitaniæ Rex, filius posthumus Johannis, natus An. 1554. ex Johanna, filia Caroli V. successit avo Johanni III. fidei Christianæ zelo & animi magnitudine inclytus. A Mahomete, contra patruum suum Abdemelechum, Fezzæ & Maroci Reg. suppetias rogatus, cum flore nobilitatis in Africam trajecit. An. 1578. Sed victus ad Alcaceram, die 4. August. hujus anni, periisse dictus est, An. ætat. 25. cùm & Mahometes in paludibus mersus, & victor Abdemelechus, in lecticâ mortuus esset. Interim venit Venetias, Anno 1598. qui se hunc Sebastianum diceret: quem vultu, voce, gestu tam exactè referebat, ut à Lusitanis ibi degentibus pro Rege suo haberetur. Paulò post detentus, & examinatus, idem confirmavit, ostensis etiam in corpore notis indubitatis, quæ in vero Sebastiano prius erant animadversæ: imo res maximè arcanas, quas cum Venetorum legatis olim contulerat, Senatui aperuit, ut fidem tantùm non impetraret. Sed tantum valuere Hispani apud Venetos, ut ab iis urbe pelleretur. Tum in Tuscia captus Neapolimque abductus, ibi omnibus ludibrio fuit, in asino per urbem circumductus. Postea rasus & ad triremes damnatus, tandemque in Hispaniam abductus, ibi in vinculis periit, frustrà regem suum Lusitanis repetentibus. Vasconcellos *Hist. Lusit.* Vide Becmannum *in Orbe Geogr. Polit.*

Sebastianus dux, cum 5000. militum, post mortem Constantis, ad Athanasium occidendum, An. Ch. 350. missus, frustra fuit. Vide Theodoret. *lib. 2. cap. 13.*

Seba-

Sebastianus, in aula Zenonis Imper. potens, omnia venalia habuit. Vide Evagr. *lib.3. cap.1.*

Sebastianus, vide *Jovinus.*

Sebastianus Beckius, Basilienſis Theologus inſignis. Natus An. C.1583. quo ipſo mortuus eſt Zach. Urſinus, Theologicæ cathedræ eſt admotus, An. Chr. 1610. Vet. Teſtamenti Profeſſionem, poſt Polanum, An. Chr. 1612. Novi dein, poſt Joh. Jacob. Grynæum, Ann. Chr. 1618. nactus, Sponſæ amoribus cauſæ Dei poſthabitis, Dordracenæ Synodo interfuit. Inde per Angliam Galliamque redux dextrè docendo, ſolidè diſputando, prudenter conſulendo Academiam Baſil. magna cum laude illuſtravit, multosque ad juſtitiam erudivit. Obiit An. Chr. 1654. ætat. 71. Pater Chriſtophori, Profeſſoris Oratoriæ primum, dein Organi, in flore ætatis extincti. Vide Luc. Gernlerum *Orat. fun.* De eo Heinſius:

Heu, quantum eſt, captum peregrinas viſere terras,
Et cœlo thalamos poſtpoſuiſſe ſuos!
Poſtpoſita eſt virgo: Pietas prælata marita eſt:
Nos Patria: nobis cedere juſſus Hymen!
Plus nulli debent Batavi, qui plurima debent
Jam multis, verè ſit precor illa fides.
Certarint alii nobis ſuccurrere, ſolus
Feſtinat, ſi quis ſponſus ad iſta venit.

Sebaſtianus Brand, JC. Poeta & Hiſtoricus Argentinenſis. Docuit Baſileæ, An. 1490. operibus editis & eruditione illuſtris. Scripſit Chronicon, vitas aliquot SS. cum *Nave Narragoniæ*, ſeu *Stultitia, &c.* Trithem. *de Viris Illuſtr. German.* Melch. Adami, *de iiſdem.*

Sebaſtianus Caſtellio, Sabaudus, Genevæ primò docuit, dein inde Baſileam profectus, Græcæ linguæ Profeſſor factus, ibi obiit, An.1563. Vir eruditus, ſed qui prima Arminianiſmi ſemina jeciſſe, in Dialogis ſacris, videtur: novâ verſione Biblia tranſtulit, ubi Latinitas elegans, verùm textus non ubique fideliter verſus. Beza *in vita Calvini.*

Sebaſtianus Francus, Hiſtoricus Germanus, ſcriptis inclytus, floruit ſec. præt. Vide Simler. *in append. Bibl. Geſn.*

Sebaſtianus Murrho, Colmarienſis, ſcripſit *de laud. Germ.* ſec.15.

S. Sebaſtianus, urbs Biſcayæ, cum portu. Item urbs prov. Chiametlan, in nov. Mexico. Item urbs Braſiliæ.

Sebaſtopolis, urbs gemina, una Cappadociæ mediterranea, *Suvas* hodie, præclara, à quâ nomen eſt regioni, & ubi ſedes eſt ſatrapæ Turcarum: vix 70. m. p. ab Amaſia in Ort. capta à Solimanno, Ann. Chr. 1308. Altera quæ & Dioſcurias Ptolem. *Savatopoli* Nigro, urbs Colchidis maritima inter Phaſidem ad Merid. 100. & Heracleam urbem Heniochorum ad Occid. 80. mill. paſſ. Baudrando, in ora Ponti Euxini, ad oſtia Antonii & Chari fluviorum, emporium celebre, ſub Principe Mingreliæ, 280. mill. paſſ. à Trapezunte in Boream. *Sebaſtopolis*, urbs altera fuit in Colchide, prope oſtia Phaſidis, aquis abſorpta initio hujus ſeculi, teſte Arcangelo Lamberto.

Sebath, Menſis undecimus Hebræorum, dierum 29. Januarii noſtri fini & Februarii initio conveniens, nullâ ſolennitate peculiari celebris. Sigonius *in Calendar. Hebræorum.* Torniellus *Ann. Mund.* 2545.

Sebatum Anton. *Schvvatz* Lazio, opp. non obſcurum Norici, ad Oenum, in Comit. Tirol. inter Oenipontem 3. & Kuphſteinum 5. leuc. in via, quæ ab Oenipote Saliſburgum in Cæc. & Patavium in Bor. ducit.

Sebeda, portus Lyciæ, Stephan.

Sebendunum, Caſtellanorum in Hiſpan. urbs, Ptolem. Brietio aliiſque eſt *Campredon*, opp. munitum Cataloniæ, ad radices Pyrenæorum, in limite Galliæ & Comitat. Ruſcinonenſis, 8. leucis Hiſpan. ab Auſa in Boream, 11. à Gerunda in Circ. Juliam Libicam verſus.

Sebenia, ſacerdos quidam, 1.Par.15. Nomen viri, 2. Eſdr.9.

Sebenicum, *Sicum*, Ptolem. urbs Dalmatiæ in orâ, à Bonifacio VIII. Epiſcop. ſub Archiepiſc. Spalatenſi facta, Scordonæ proxima, inter Jaderam ad Occ. 48. ac Tragurium in Ort. 32. mill. paſſ. Baudrando *Sebenico*, aliàs Croatiæ marit. opp. nunc civ. Dalmatiæ in ora maris Adriat. permunita, ſub Venetis. Malè pro *Sico* ſumitur, cujus rudera cernuntur in littore, inter Tragurium & Salonæ ruinas. Diſtat 40. mill. paſſ. à Jadera in Ort. 25. à Tragurio in Circ. prope oſtia Titii fluv. 300. à Venetiis mill. Caſtrum habet in clivo, cum arce permunita *S. Nicolai*, ad 4. m. p. pluriesque, ſed fruſtra à Turcis tentata fuit.

Sebennicum, *Sebennyticum* Stephan. Strab. ac Ptolem. *Sebenniticum* Melæ ac Plinio, oſtium Nili inter Bolbitinum ad Occid. & Pathmeticum ad Ort. *Sturioni* Nigro. A *Sebennyto*, etiamnum *Sebenit.* Eſt autem *Sebennytus*, Ægypti Urbs, portus, fluvius, in Sebennyti nomo, Ptolem.

Sebeon, pater Anæ patris Oolibama alterius uxoris Eſau, de filiabus Chanaan, Gen. 36.

Sebetus, hodie *Fiume della Maddalena*, teſte Scipione Mazzellâ, fluv. exiguus Campaniæ apud Neapolim fluens. Ejus meminit Columella *lib.10.*

Doctaq; Parthenope, Sebethide roſcida lymphâ.

Statius *Silv. lib.1. Carm.2.*

At te naſcentem gremio mea prima recepit
Parthenope: dulcisq; ſolo tu gloria noſtro
Reptaſti, nitidum conſurgat ad æthera tellus
Eubois; & pulchrâ tumeat Sebethos alumnâ.

Vibius in Catalogo fluminum: *Sebethos Neapoli in Campaniâ.* Virgilius *Æneid. 7.*

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
Oebale, quem generaſſe Telon Sebethide nymphâ
Fertur; Teleboûm Capreas quum regna teneret.

Ubi Servius: *Oebalus filius eſt Telonis & nymphæ Sebethidis: hæc autem eſt juxta Neapolim, ſed Telon diu regnavit apud Capreas inſulam, contra Neapolim ſitam.* Populariter *Fornello*, & vicatim per Neapolim delabitur, omnibus civibus uſum præſtans. Sed ejus pars prope muros Urbis labitur, & paulo infra pontem S. Magdalenæ in Sinum Neapol. ſe exonerat: unde etiam multis dicitur *Fiume della Madalena*, Baudr.

Sebia, mater Joas, 4. Regum *cap.* 12. Filius item Sabaraim, 1. Paralipom. 8.

Sebinus, lacus Cenomanorum in territor. Brixienſi, ex quo Ollius fluv. oritur. *Lago d'Iſeo* hodie dicitur.

Seboim, nomen urbis, Geneſ. 10.

Sebriapa, urbs Sarm. Aſiaticæ, Ptolem.

Sebrita, qui & *Sembrita*, inſulæ Meroë vicini, Steph.

Sebrithites, nomus Ægypti, Euſeb. unde Vaphres Rex 10000. hominum miſit Salomoni, ad ædificandum templum.

Sebthai, nomen viri, 1.Eſdr.8.

Sebuæni, ſecta Samaritanorum. Tempora divinitus Paſchatis, Pentecoſtes & Tabernaculorum feſtis deſtinata, mutarunt: primum ſub initium, alterum ſub finem Autumni, tertium in Martio celebrantes. Vide *Samaritani.*

Sebunta, *Eſebon* Ebræis, opp. Palæſtinæ in Arabiæ Petrææ confinibus aliquibus videtur, in tribu Gad, Medavæ finitimum.

Sebuſiani, vide *Seguſiani.* Pop. Celticæ Gall. à plurimis confunduntur cum Seguſianis, quorum regio hodie *la Breſſe*, *le Lyonnois*, & *le Foreſt.* Sunt tamen, qui credant Sebuſianos fuiſſe, ubi hodie Beugea, *le Beugey*, provinc. Galliæ Breſſiæ adjecta, verſus Rhodanum, Pineto & Pingonio teſtibus, forſan errore Typograph. pro Seguſianis, cùm, teſte Cæſare, eſſent Æduorum clientes. Baudrandus.

Secalaunia, regiuncula Galliæ, in Carnutibus, quartus ex ſex Eccleſiæ Aurelianenſis, ſeu Genabenſis Archidiaconatibus, vulgò *Archidiaconatus Sigalonia* dictus, qui à Ligere ad Carum pertinet. Quidam partem aliquam *Secalonia* in Biturigum etiam finibus collocant, circa utrumque Saleram *la Saudre*, majorem & minorem. An à ſecali, quo abundat? Vulgò *la Soulogne.* Vide Hadr. Valeſium *Notit. Gall.*

Secande, Æthiopiæ ſub Ægypto opp. Plin.

Secela, urbs Palæſtinæ, Stephan. ex Joſepho.

Secerra, opp. Hiſpan. citer. in Catalauniâ, inter Barcinonem & Gerundam. *S. Celloni* Varretio.

Sechem, filius Galaad, Num. 26. Ab hoc metropolis Samariæ in tribu Manaſſe, quæ *Sichem* dicitur.

Sechenias, filius Obdiæ, 1. Par. 3. Latinè, *vicinus Dominus*, aut *habitatio Domini.*

Seches, Heſychius: Σηχὲς τῆς Ἐ᾽ρυῦ ἀστὴρ Βαϐυλώνιοι. Vide Voſſ. *de Idol. lib.2. cap.22.*

Sechia, filius Sacharaim, 1.Par. 8. Latinè, *projectio*, *ramus*, vel *ceſſatio Domini*, ſive *ſepiens*, aut *vallans Dominus.*

Sechrona, civitas in tribu Dan, Joſ. 13. Latinè, *ebrietas*, *pretium*, vel *merces ejus.*

Seckinga, Latinè Sacconium, oppidum agri Raurici, proximè ſupra Rinfeldiam; Occupat Rheni Inſulam, unde, quaſi *in ſacco* ſitum, fortè nomen accepit. Huic initium dedit antiquiſſimum Virginum Cœnobium, Fridolini Scoti, viri ſancti, buſto nobilitatum, quod Principum variorum munificentiâ inſigniter auctum eſt: Ab aliquot inde ſeculis, ſub Habſpurgiæ Comitibus, Advocatiâ ipſis à Veſtalibus delatâ. Fuerat autem Advocatorum talium munus, Cœnobiorum jura poſſeſſionesque tueri, villis ſervisque imperare, Monaſterii nomine juramenta exigere, quæque his ſimilia, unde illis de judiciorum fructibus & emolumentis pars cedebat. Imo aliquando tanta illorum auctoritas, ut Conventui, citra Advocati conſenſum, nihil bonorum immobilium alienare licuerit. Hodie ſub Auſtriacis eſt. Vide Chriſt. Urſtiſium *Hiſtor. Baſil.* Stumpf. *Chron &c.*

Secoanus, fluvius Maſſilienſium, Steph. De *Sequanâ* fluv. loqui videtur.

Secontia, quæ & meliùs *Seguntia* Livio dici videtur, gemina eſt: *nova*, nunc *Siguenza*, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſ. in Celtiberis, Academia & Epiſcop. ſub Archiepiſc. Toletano, in nova Caſtella, apud Arragoniæ fines, *Segontia* Plinio, & *Segortia Lacta* Ptolemæo, inter Bilbilim urbem Arragoniæ, ad Ort. & Complutum in Afric. oppidum & Academ. Caſtellæ novæ 16. leuc. *Vetus* verò *Medina Celi*, oppidum vicinum, à novâ 4. leuc. Bilbilim verſus 12. in monte, Ducali titulo ornatum. Baudrando urbs eſt Celtiberorum in regno Caſtellæ, ad amnem *Henares*, 8. leue. à confin. Arragoniæ, 30. à Cæſarauguſta in Occ. Vide *Seguntia.*

Secontia, altera Ant. *Seguncia* Livio, opp. Hisp. Tarrac. in regno Arragonio, & in fin. Celtiberorum, *Muela* hodie, teste Gasp. Varrerio. Aliis est *Epila* opp. ejusdem regni à Cæsaraugustâ 7. leuc.

Secor, Gall. Aquit. portus, Ptol. *Lysson* Villanovano & Cænali. Intra Pictonum promunt. & Ligeris ostia. Quibusdam est *les Sables d'Olone*; aliis *Pornik*. Baudr.

Secovia, urbec. Episcop. Stiriæ super. ad amnem *Gayl*, qui paulo infra in Muram cadit. Vix 4. mill. à confin. Austriæ superior. in Merid. 20. mill. German. à Salisburgo in Ort. & 6. ab ejus ditione; *Seckavv*.

Secretarium, locus in quo Judices causas audiunt: est enim *Secretarium* Judicum, ut Consistorium Principum, Zeno *in l. fin. C. ubi Senat. vel Clariss.* Item locus secretior in majoribus templis, quo vasa sacra conservantur. Al. *Diaconium*, in quo res suas tractaturi conveniunt ejusdem Ecclesiæ Præpositi & Canonici, qualem hodie Domum Capitularem, *the Chapterhouse* Angli appellant, Beda *Hist. Eccles. lib. 2. cap. 1.* Item ipsa Synodi sessio & Conventus, qui in *Secretario* habitus est; Sic Lateranensis Synodi sessiones An. Chr. 642. sub titulis quinque *Secretariorum*, sive Consultationum denominantur. Vide Henric. Spelmannum, *Glossar. Archaeol.*

Seculares ludi, in honorem Apollinis & Dianæ instituti; fiebant autem centesimo quoque anno, præcone per compita clamante: *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neq; visurus est.* Hos instituit Valer. Publicola ob exactos reges. Varro *de scenicis originibus, lib. 1.* scriptum reliquit, cùm multa fierent portenta, ac tandem murus turrisque inter portam Collinam & Gabiusam essent de Cœlo tacta, atque eâ de causâ Decemviri inspexissent Sibyllinos libros, renunciasse, ut Diti patri & Proserpinæ Tarentini ludi fierent in Campo Martio tres noctibus, & hostiæ immolarentur furvæ, & ludi centesimo quoque anno celebrarentur, Tit. Livius, *lib. 136. Eodem anno ludos Seculares Cæsar ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoq; anno (is enim terminus seculi) fieri mos est.* Sunt contrà alii, qui seculum statuunt ambitum annorum centum & decem, & proinde factos Seculares ludos centesimo & decimo anno vertente, ineunte centesimo undecimo, quo tempore annus in Solem, lustrum in annum, Periodus in lustrum conveniret, ut Jos. Scal. scribit. Istam sententiam confirmare videtur Horatius in Carmine suo, quod *Seculare* appellat, his verbis:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatq; ludos
Ter die claro, totiesq; gratâ
Nocte frequentes.

Hos ludos celebravit Philippus Imper. ann. post U. C. 1000. In quibus fuerunt elephanti 30. alces 10. tigres 10. leones mansueti 40. leopardi mansueti 30. hyænæ 10. gladiatorum fiscalium 2000. hippopotami quoque, rhinocerotes, arctoleontes, camelopardi, onagri, & equi feri.

Secunda Justiniana Cedr. eadem eum *Ulpiano*, vide ibi.

Secundani, Gall. pop. in quibus Arausio urbs, Plin.

Secundinus, Consul, ann. ab U. C. 1265. Item, discipulus Manis, contra quem Augustinus scripsit.

Secundus, nomen viri, Actor. 20.

Secundus, Sophista Atheniensis, quem aliqui *Epithyram* vocant, quòd Architecti fil. fuerit; multæ quidem doctrinæ, sed mediocris eloquentiæ, æqualis, æmulusque Herodis Attici; ex quo Herodes illud Hesiodi, eleganti mutatione, in eum cavillatus est:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.

Qui nihilominus senem postea morientem, & epicedio, & lachrymis honoravit. Ex Philostrato.

Secundus Carinas, Rhetor, à Cajo in exilium missus, quia contra Tyrannos declamitaverat. Hic, cum Acrato liberto, ad dona ac simulachra Numinum per Asiam atque Achajam abripienda, à Nerone missus est: quem addit Tacitus Græcâ doctrinâ ore tenus exercitum animum, bonis artibus non imbuisse, *lib. 15. 45.* Curtius Pichena notat, in Florentino, pro *Secundo Carinate* vulgato, legi *Secundo Caprenate*.

Secundus Longobardus, vixit sec. 7. conditor Historiæ suæ gentis. Tridenti obiit, An. 615. Paul. Diac. *L. 3. de gest. Longobard cap. 29. lib. 4. cap. 42.* Item, discip. Valentini, caput Secundianorum, quos Augustinus Sevandianos vocat: Communionem uxorum, aliaque permisit, Augustin. *de hær. cap. 12.* Epiph. *hær. 32.*

Secusiani, *Segusiani* Cæsari, pop. Galliæ Celt. quorum reg. *La Forest*, teste Pineto, nominatur, inter Lugdunenses ad Ort. & Arvernos ad Occ. ubi *Forum Segusianorum*, vulgò *Feurs*, & Mons Brisonis, *Montbrisson* opp. primarium. Vide *Segusiani*.

Secusses, populi Alpini, Plin. 3. 20.

Secustero, opp. Gall. Narbon. Anton. *Sesteron* Simlero. Vide *Segesterorum Urbs*.

Sedada, terminus Septent. tribûs terræ Sanctæ. Latinè, *latus, cibarium*, vel *venatio ejus*. Urbs seu pagus in tribu Nephthalim, Hieronymus.

Sedanum, urbs Campaniæ Gall. ad Mosam, cum arce munitissima. Aliàs sub Principe proprio, sed An. 1642. Coronæ Gall. accessit, 4. leuc. à Mosomo in Circ. paulo magis à Carolopoli in Ort. 11. à Retelio in Cæc. 2. Bullionium versus; estque versus Arduennam sylvam & confin. Duc. Lucemburg. Hujus Princip. nomen & prærogativam, ex pacto, servant posteri Frederici Mauritii *de la Tour d'Auvergne*, supremi Sedani Principis. Hic Academia insignis.

Sedecias, qui & *Mathanias* prius, Josiæ filius, imperavit Judæis ann. 11. à Nabuchodonosore nomine in Sedechiam mutato, suffectus, in locum Joachim, hac conditione, ut tributum ei persolveret: verùm fidem ille fregit, spernens etiam consilia Ezechielis ac Jeremiæ. Quare, anno regni ejus nono, Nabuchodonosor obsedit Jerusalem, quam post 2. ann. cepit Regemque cum populo in Babyloniam abduxit anno Mundi 3348. ante Christum natum 614. Alii habent An. M. 3446. Hæc est illa misera, ac vulgata captivitas Babylonica annorum 70. Vide *lib. 4. Reg. 24. & 25. cap. & lib. 2. Paral. 36. cap.* Jerem. 25. 37. *& 52. cap. &c.* Ezech. 12. *& 21. cap. &c.* Joseph. *lib. 10. cap. 9. & 10.* Sedechias filios occidi vidit, statimque ipsimet Sedechiæ eruti sunt oculi. An. 387. à divisione regni. Filius item Hananiæ, Jer. 36. Filius Chanaana, 3. Reg. 22. Filius Joachim, 1. Paral. 3.

Sedecula, pag. Brutiorum apud fin. Napitinum in Calabriâ ulter. *Segiola*, teste Barrio.

Sedelaucum, vulgò *Saulieu*, opp. Galliæ, inter Augustodunum 27. & Aballonem 24. mill. p. in pago Augustodunensi: S. Andochium patronum habet. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Sedena, vulgò *Seine*, opp. Provinciæ in diœc. Diniensi ad radices Alpium, in limite dit. Sabaudiæ & Comit. Niceæ, 5. leuc. ab Ebroduno in Mer. Diniam versus paulo plus. Illic Concilium Provinciale habitum An. 1267. Vix 4. leuc. à Barcinone in Occ.

Sedetani, *Sedentani* Silio, *Hedetani* Ptol. pop. Hispan. Tarracon. apud Sucronem fluv. incolentes. Silius *lib. 3.*

Sedentana cohors, quam Sucro rigentibus undis
Atq; altrix celsâ mittebat Setabu arce.

Σιδητανοὶ Appiano *in Lybicu.* Σιδητανοὶ Straboni *lib. 3.* Μέχρι δὲ τῆς Κελτιβήρων ... Νότον εἰσὶν ἴκ' ὄρος οἰκοῦντες, τὴν Ὀρητανίδα, καὶ τὴν μέχρι τοῦ Σύκρωνα χώραν Σιδητανοί μέχρι Καρχηδόνος. Vide Dausquejum *ad traditum Silii locum pag. 132.*

Sedeur, pater Elisur, principis tribûs Ruben, Numer. 1. Latinè, *ager luminis*, vel *ignis*, sive *ubera luminis*, aut *omnipotentis lumen*, vel *devastatoris ignis*.

Sediboniates, pop. Galliæ Aquitan. Plin.

Sedigitus, vide *Volcatius*.

Sedochezorum Regis meminit Tacit. *Hist. 3. 48.* Circa Cohibum fluvium in Ponto. *Seiotojorum* & *Sedothezorum* legi in MSS. asserit Lipsius. Colerus legit *Sedochi Lazorum*.

Sedulius, Dux & Princeps Lemovicum, postremo Galliæ motu, Cæs. 7. *Comm. cap. 88.*

Seduni, pop. Gall. Belg. antiquissimi Cæsari, Plinio, Mellæ, aliis memorati, quorum primus *lib. 3.* à Galba victos in Alpibus Sedunos, & Veragros, plus tertiâ parte cæsâ ex hominum millib. XXX. memorat, alter *lib. 3. cap. 19.* inscriptionem profert è tropæo Alpinim, in qua Nantuates, *Seduni* & Veragri conjunctim ponuntur: ad Rhodanum inter Allobroges ad Occ. & Rhætos ad Ort. Baudrando pop. fuere Galliæ Lugd. versus fontes Rhodani, inter Helvetios ad Bor. Veragros ad Occ. Lepontios Plantinus habet, Viberos aut Juberos, ad Ort. & partim ad Merid. eum Salassis: Plantinus habet, Lepontios ad Merid. à quibus altissimis montibus separantur. Minimâ parte attingunt Rhætos. Eorum regio nunc Valesia super. Plantinus habet, mediam Vallesiæ regionem incolunt. Hos Simlerus *lib. de Vall.* extendit à rivo Morsia usque ad conventum Vispianum: Cluverius verò usque ad vicum *Leuck*. Cum his ut & Viberis, Veragri seu Vallesiani infer. bella gesserunt diu, tandem hi ab illis victi, eorum imperium hodieque agnoscunt, præfectos ab iis accipientes, qui jus dicant, & Rempubl. administrent. De fœdere eorum cum Helvetiis, vide in voce *Vallesia*. *Vallesiani* Italis, quorum caput olim *Sedunum*, *Sion* Italis, & *Sitten* Germanis, inter Mediolanum & Genevam: urbs antiquitate, situ & famâ illustris: Nunc Valesiæ primaria, ad Rhodanum, quâ amœniorem ad formam sese pandit vallis Sittæ, cum duplici arce in apice penè inaccesso montis, qui inter adversos, quibus utrinque vallis cingitur, ab Oriente urbi medius imminet. Hic ex variis incendiis & vastationibus quædam adhuc antiquitatis monumenta visuntur, inter quæ inscriptio Cæsari Augusto facta, cujus Simlerus meminit, qui à tempore, quo Alpinæ gentes sub Augusto devictæ sunt, Sedunum, Octodurum & Agaunum condita, ac mœnibus cincta fuisse credidit, cùm antè vici fuissent. Certè arx illa, quæ hodie Canonicorum est, & *Valeria* nominatur, sine dubio vetustissima est: forsan dicta à Valerio Procillo, qui sub Cæsare in Gallia militavit, 55. mill. pass. à Berna in Austr. 65. à Geneva in Ort. 100. à Mediolan. in Circ. Sub proprio Episcopo, cujus sedes Octoduro huc translata est, circa An. Chr. 565. Ex his Leodemundus Bertetrudi reginæ, Chlotarii Jun. conjugi, impulsu Alethei Patricii suasisse circa An. Chr. 614. dicitur, ut thesauros regios e villa Marolegia clam sublatos, in sua civitate Sedunis deponendos curaret, eò quòd esset locus tutissimus, Fredegar. Guilielmus Raronius, cum patre Guiscardo, per seditionem ejectus, quum Bernatium, quorum cives erant, opem implorasset, An. Chr. 1417. occasionem præbuit quinque Valesianorum conventibus, fœdus cum tribus Helvetiorum pagis Lucerna, Uria, & Underwaldia pangen-

pungendi. Adrianus verò, & 7. decumæ Valesianorum, fœdus Ann. Chr. 1533. Friburgi cum septem pagis Helvetiæ, Lucerna, Uria, Suitia, Underwaldia, Tugio, Friburgo, & Salodur o iniit perpetuum. Est autem Episcopus totius regionis Princeps, *Comes quoque & Præfectus Vallesiæ* nuncupatus, quem Canonici & legati 7. Decenarum Vallesiæ super. eligunt. Collatum id fastigii Theodosio Episcop. à Carolo M. ferunt, quod à variis postea Impp. Carolo IV. imprimis & Carolo V. in gratiam Matthæi Schinneri Episcop. & Cardinalis, confirmatum auctumque est. Penes hunc itaque & septem conventus Vallesiæ super. totius regionis imperium est. Ab eo proximus est, quem regionis Ducem seu Capitaneum, Gallicè *Baillif*, Germ. *Landshauptmann* vocant. Ager pagusque *Sedunensis, le Senois*, vastatus est à Taloardo & Nuntione, ducibus Longobardorum, ut Fredegarius refert. Vide Simler. *de Rep. Helv. & lib. pecul. de Vallesia*. Stumpfium *Chron.* Joh. Bapt. Plantin. &c. ut & in voce *Vallesia*.

Sedusii, pop. Germ. Suevis finitimi. Sunt qui horum opp. *Sedan*, sive *Esdan* in Gall Belg. ad Mosam putent; sed falluntur, cùm apud Cæsarem pop. sint Germ. non Galliæ. Cluverio Brietioque fuerunt, ubi nunc pars Palatinatus Rheni & Franconiæ, inter Mœnum & Nicrum.

Seevoglius Amandus, Basiliensium ruralium ductor, atrocissimo conflictu San Jacobæo, quo pauci Helvetii ab innumeris Armeniacorum, duce Ludovico Delphino, postea XI. ejus nominis Gall. Reg. copiis sec. 15. obruti sunt, pro patria fortissimè pugnans occubuit. Christ. Urstisius *Hist. Basil.* Stumpfius *Chron. &c.*

Segalauni, Segovellauni Plin. pop. Gall. Narbon. ad Rhodanum in Delphinatu, quorum urbs *Valentia* & opp. *Saillans*, teste Dalechamp.

Segeda, Segida Strab. & Stephan. *Seges*, teste Marianâ, opp. olim, nunc pag. Hispan. Tarrac. inter Numantiam seu Soriam, & Uxamam. Fuit & *Segeda* opp. Hispan. Bæt. *Julia Contributa* cognominata, teste Plinio.

Segedunum, opp. Albionis in Northumbriâ, *Stighil* Camdeno, prope *Seton*. Item opp. seu urbs Jazygum in confin. Daciæ ad Tibiscum fluv. in Hung. Trans-Danub. *Segedin*, vel *Seged* Lazio. Dicitur à quibusd. Singidava, hodie *Seged*, ad Tibiscum fluv. ubi recipit Marisum; sub Turcis à plurimis annis. Baudr.

Segelocum, opp. Angl. Anton. *Littleborrough* Camdeno, in Comit. Nottinghamensi.

Segelomessa, regio in Biledulgeridia, cum urbe prim. cognom. Sansoni aliisque.

Segerra, Ptol. opp. olim, nunc pagus Hisp. Tarrac. in regno Valentiæ, *Villa Cigura*. Forsan *Sigarra*, in Læti Cod. & Palatino Gr.

Segesta, oppid. Siciliæ ab Æneâ conditum, præposito Egesto, à quo *Egesta*: verùm ad nominis δυσφημίαν vitandam *Segesta* dein dicta. Hoc unà cum *Elyma*, in Sicilia, posuisse, refert Dionys. Vide *Egesta*, & Cluver. *Sicil. Ant. lib. 2. cap. 2.*

Segesta Tiguliorum, opp. Liguriæ, in orâ litorali, inter Genuam & Spediam. Vulgò *Sestri di Levante*.

Segeste, Segestica Straboni, urbs Pannon. super. ad Segesticam insulam pene extincta, quæ *Seged*, vel *Segesd*, & *Sosed* hodie dicitur, Bonfinio teste, à Zagabria 2. leue. in Occ. Baudrand. etiam *Siscia*, urbs fuit Pannoniæ Saviæ, ad Savum fluv. hodie *Siseg*, seu *Sissaken*. opp. Croatiæ Imperialis, in limite Schlavoniæ, versus confin. dit. Turcicæ, satis parvum.

Segesterorum urbs, *Segestero*, & alibi *Segustero* Anton. urbs Galliæ Narbon. Episcop. Provinciæ in Delphinatûs confin. ad Druentiam fluv. ubi recipit *Buech* fluv. Hodie *Sisteron*, vel *Cisteron*, vix 7. leue. à Vapinco in Mer. 10. ab Apta in Citc. In vet. Notit. inter prov. Narbonensis secundæ 7. civitates sexto loco ponitur: aliquando etiam Arelatensi prov. attributa. In Notit. recent. Episcopus ejus inter Episc. Aquensi Burgundiæ Arch. suffragantes ultimus locatur: Bello intestino sec. præterito urbs varias vices subiit. Pagus *le Cisteronois* dicitur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Segestes, Germanorum Princeps. Dissors Varo fidusque Romanis, sed consensu gentis tractus in bellum: ejus filia fuit in matrimonio Arminii. Germanicum nomen fuit *Sigast*. Nam terminatio illa *Gast* frequentissima, & hospitem significat.

Segestica, hodie *Zigea*, teste Lazio, insula Pannon. super. in Illyrici seu Liburniæ confin. ad Colapis cum Sao fluv. confluentiam. Item opp. Hispan. Tarrac. quod Ambr. Moralis idem *Segeda* esse putat. Hujus mem. Livius *lib. 4 dec. 4.* eam urbem opulentam vocans, & à Rom. P. Manlio duce captam referens.

Segeshusa, urbs Transylvan. à Cibinio 7. leuc. in Bor. à Megis 3. *Segesvvar*.

Segetia, Dea quam prisci colebant, ut lætas faceret segetes.

Segetica, Mœsiæ urbs, à M. Crasso occupata, Dio.

Segevoldia, urbs Livoniæ, in Litlandia prov. ad Teyderam fluv. Dicitur & *Sevvold*. & 5. leuc. Succ. distat ab ora Sinus Rig. in Ort. 7. à Riga in Cæc. Volmariam versus. Sub Suecis.

Seggera, urbs Africæ propr. Antonin. *Segermis* in libr. Concil. Simlerus.

Segida, vide *Segeda*.

Segimerus, frater Segestis, Tacit. *Annal. lib. 1, 71.* fuit Cheruscorum dux, Strabo *lib. 7.*

Segimundus, Segestis filius, qui anno, quo Germaniæ descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus, rupit vittas profugus ad rebelles: postea ab obsesso Patre legatus, ad Germanicum ac clementiæ Romanæ compos factus, benigneque exceptus, cum præsidio Gallicam in ripam missus est; de quo Tacit. *lib. 1. cap. 57.* Strabo *lib. 6 cap. 7.*

Segisa, Bastitanorum opp. in Hispan. Ptol. Quorum opp. fortè *Seges*, inter Soriam & Uxamam.

Segisama Julia, *Segesama* Strab. opp. olim nunc pag. Hisp. Tarr. in fin. Vardulorum. *Veyzama*, teste Steph. Garibæo. Alii in Vaccæorum & Cantabrorum confin. ponunt, quibus Ptol. magis suffragatur, illam inter Rhaudam, & Palantiam describens.

Segisamonclum, Segismonculum Ptolem. opp. Hispan. Tarracon. in fin Autrigonum, inter Calagurim, & Locobrigam.

Segisamone, oppidum Hispan. Tarracon. in fin. Cantabrorum. Baudrando oppid. fuit Murbogiorum, versus fontes Arlancæ fluv. hodie *Villa Viejà*, inter Lacobrigam ad Occ. 30. m. p. & Calagurim ad Ort. 57. circiter.

Segni, pop. & opp. Belgii in tractu Leodiensi, à Leodio 8. leuc. in Sylvâ Arduennâ. *Signey*, vel *Siney*, teste Huberto Leodio. Ubi nunc Duc. Limburgensis, Ortel. vel Juliacensis, Cluver. qui illos cum *Sunicis* Taciti, & *Supenis* Æthici eosdem facit, vicumque *Senich*, medium inter Aquisgranum & Dalenium: cui proximus alter *Op Senich*, illorum nomen hodieque retinere docet. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* qui *Segnos*, à Sunicis & Supenis multùm distare animadvertit. Habitabant inter Eburones & Treviros, Cæs. *lib. 6.*

Segnia, urbs Latii. Vide *Signia*.

Segobriga, hodie *Cabezza del Griego*, teste Morali, urbs olim Episcop. Hispan. Tarrac. sub Archiepisc. Toletano, nunc pagus in Celtiberis. Quidam ipsam cum Seguntia confundunt. Alius est *Iniesta*. Sed Vasæus, Clusius, aliiq; dicunt esse *Segorve*, ubi etiamnum sedes Episc. Baudr. Est & *Segobriga*, opp. Hispan. Tarrac. in regno Castellæ, hodie *Sepulveda*, opp. præclarum.

Segodunum, urbs Germ. Ptolem. *Nurnberg*, teste Pirchaimero. Baudrando opp. fuit Tencterorum. Cluver. *Sigen*, in Wetteravia, ad fluv. *Sige*; caput Com. Sigensis, 12. leuc. ad Bor. 11. à Colonia Agrippina in Ort. sed longè à Norimberga in Circ. Item urbs Ruthenorum in Gall. Aquitanicâ, vulgò *Rhodez*. Item, opp. Northumbriæ. Vide *Segedunum*.

Segonax, Rex in eâ Britanniæ parte, quæ tota maritima est & Galliam spectat: qui à Cassivellauno castra Cæsaris adoriri jussus est, Cæsar *lib. 5. cap. 22.*

Segontia, melius *Seguntia* Livio; *Secontia* Anton. urbs Hispan. Tarracon. Hodie *Siguenza*, ad radices montis *Atiença*, 32. leuc. à Toleto in Cæc. Vide *Secontia*.

Segontia altera. Ptolem. *Seguntia* Plin. *Seguntia* Livio, *Serguntia* Straboni, vulgò *Gisgonza* opp. olim, nunc pag. Hisp. Bæt. apud Lethem fluvium.

Segontiaci, pop. Belgarum in Comit. Hantonensi, Cæsar. Horum oppidum *Vindonum*, hodie *Silcester* Anglis, & *Caer Segont* Britannis: *Segontium* verò Antonini est opp. Arvoniæ Comit. Walliæ, contra Monam insulam non procul à Bangorio, à Devâ seu Cestriâ urbe, plus 40. mill. Nomen à præterfluente fluvio, qui etiamnum *Sejont* appellatur, sumpsit.

Segor, urbs parvula, in tribu Juda, quæ sola ex quinque urbibus Pentapoleos, precibus Loth, de incendio servata est. Apud eam gignitur balsamum, & poma palmarum, antiquæ ubertatis indicia. A Jericho supra 15. mill. pass. in Merid. distat, posita sub monte Engaddi, non procul à lacu Asphaltite seu mari Mortuo.

Segorbia, urbs Episcop. Hispan. Tarrac. melius *Segobriga*, vulgò *Segorve*. Aliàs Edetanorum, nunc Valentiæ regn. ad Turulim fluv. 8. leuc. à Valentia, versus confinia Aragon. 5. à Sagunto in Boream, 5. à Sinu Sucronensi, 22. à Dertusa, in Afric. satis parvi circuitus.

Segoregii, pop. Gall. Narbon. de quibus Alexander ab Alexand. *lib. 1. cap. 24.*

Segortialicta, Arevacorum in Hispan. Tarrac. urbs hodie *Sepulveda*, teste Villanovano. Vide *Segobrica*, & *Setubia*.

Segovellauni, Plin. qui fortè *Segalauni* Ptol. pop. Gall. Narbon. circa Viennam. *Valentinou* Pinero.

Segovia, Arevacorum urbs Episcop. in Hispan. Tarrac. *Segubia* Ptolem. σεγουβία MS. Seld. Ubi vetus aquæductus mirabilis, & pannus laneus optimus fit. Alia in Bæticâ, Plin. *Segovia la menor*, nunc pag. inter Cordubam & Hispalim medius, Astigi urbi, & Singuli fluv. finitimus. Est item German. oppid. Ortelius ex Ptolem. quam *Seckovv* urb. Salisburgensis ditionis esse voluit. Vide *Secovia*.

Segovia nova, seu *Cagajon*, urbs in parte Bor. Manillæ insulæ in ora Oceani Eoi. Sub Hispanis. Diego del Colmenares, *Histor. Segovian.*

Seguh, fil. Hiel reædificatoris Jericho, 3. Reg. 16. Filius Esron, 1. Par 2. Latinè, *fortificatus*, aut *exaltatus*.

Seguntia, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in Celtiberis, Livius. Vide *Segontia*.

Seguntium, vel *Segontium*, Angliæ urbs; Anton. quæ *Silchester* hodie dicitur in agro Southamptonensi.

Segurius Jacobus, vir primariæ in Aquitania nobilitatis, caput fuit legationis amplissimæ, ab Henrico Navarræo, postea Galliæ Rege, ad Syncretismum Universalem inter Ecclesias Helveticas & Augustanas faciendum, in Angliam, Belgium, Daniam & Germaniam, An. Chr. 1583. expeditæ. Thuan. *Hist. lib.* 79. Chytr. *in Saxon lib.* 26. *&c.*

Segusiani, Secusiani Plin. gens libera Gall. Celt. quorum tractus *Lyonnois*, & *la Forest*, trans Rhodanum nominatur, cujus caput est Mons Brisonis inter Lugdunum & Podium. Male *Sebusiani* errore librariorum Cæsari dicuntur. Baudrando fuere, inter Æduos & Sequanos ad Bor. Arvernos ad Occ. Velaunos & Allobroges ad Merid. ut & Allobroges ad Ort. ubi hodie *le Forest*, *le Lyonnois*, *le Beaujolois*, & *la Bresse*. Valesius illos positos esse, inter Ligerim, Ararim, ac Rhodanum flumina, & ad Ligerim quidem urbes Forum *Segusianorum* ac Rodumnam, ad Araris autem & Rhodani confluentes Lugdunum caput gentis habere docet. Cæsar *libr.* 1. *de bello Gall.* Segusianos extra Provinciam, trans Rhodanum primos vocat: idem *lib.* 7. illos Æduorum clientibus primos adnumerat; sed postea ab hac clientela liberati sunt, unde Segusiani Plinio *liberi* dicuntur. Continent pagum Lugdunensem, ut retrò laudatus Valesius habet; portionem pagi Bellojocensis, Forensem pagum, partem Brexiæ & pagi Burbonensis. Ab his forsitan orti *Segusiani*, in Alpibus Cottiis; sunt tamen, qui hos à Segusio oppido suo vel castro primario dictos, nihil cum illis commune esse contendant, *Notit. Gall.*

Segusium, *Segusio* Plinio & Antonin. urbs Galliæ Subalpinæ ad Alpium Cottiarum radices, vulgò *Susa*. Olim regioni Italiæ nonæ Transpadanæ adscripta. Hinc Alpium Cottiarum initium esse, ex Italia in Galliam tendenti, & Cotti Regis sepulchrum mœnibus ejus proximum extitisse, scribit Ammianus *lib.* 15. Hanc unà cum Augusta duodecim Longobardorum duces, tum Inter-reges, propter incursiones in Franciam, cum toto earum territorio, eumq; valle Amectegi Regi Guntchramno ex pacto dedere. Sic utraque urbs Italiæ detracta, & Burgundiæ, parti Galliæ, à Francorum Regibus annexa est. *Segusionem* inprimis totumque pagum ecguom. in quo Ferraria, & Novalicium monasterio illustre *Novalese*, Guntehramnus Maurienensi Ecclesiæ à se conditæ, attribuit, Taurinorumque Episcoporum potestati exemit: & in vet. Not. in provincia Alpium Grajarum & Penninarum quarto loco civitas *Seutium* ponitur. Nunc in Pedemontio, ad Duriam flov. Gall. *Doire Susine*, qui ad urbem Taurinos Padum auget: cum arce munita, in colle, sub Sabaudiæ Duc. 1. leuc. à confin. Gall. & Delphinatus, 24. mill. p. à Taurino in Circ. totidem à Brigantio in Cæc. Caput Marchionatus cognom. qui ad radices Alpium, inter Pedemontium ad Ort. & Delphinatum ad Occ. est. Hic olim Segusini pop. Pagus Segusinus à situ vocatur Ital. *Val di Susa*, Gall. *le Val de Suse*, propterea quòd Alpibus ex utraque parte includitur, & ad pedes montium utrinque jacet. Laudat Arrianus *in Cyneget. cap.* 3. canes *Segusios*, qui vestigia leporum cum clangore & latratu odorantur, excitatosq; persequuntur: Germ. *Seuhunds*, vel *Schwvinhunds*. Portam *Segusinam*, quæ Segusium tendit, urbs Augusta Taurinorum habet. Vide Hadr. Valesium *Notit Gall.*

Segustero, vide *Segesterorum Urbs*.

Sehesimo, civitas in tribu Issaschar, Jos. 19. Latinè, *humiliatio foyea*, vel *meditatio jejunii*, aut *superbia maris*.

Sehon, rex Amorrhæorum, transitu Israëlitas prohibere conatus, ab illis victus, occisus, regnoque exutus est, Num. 21. Latinè, *eradicatio*, sive *conclusio*.

Seja, Dea fuit, ut ex Varrone tradit Augustinus, præposita, quamdiu segetes sub terra essent: cùm verò jam suprà terram, & segetem facerent, *Segetiam* vocabant. Seja autem dicta, à *Serendo*, *Segesta* verò à segetibus. Simulachrum earum Romæ extabat in circo, ut ait Plinius *lib.* 18.

Sejanus Ælius, vir, de quo multa Suetonius *in Tiberio*, & Juvenal. *Sat.* 10. Ejus historia paucis sic habet. Vulsino Tusciæ urbe natus, ex Sejo Strabone, equite; adhuc juvenis admodum Caji Cæsaris, Augusti nepotis, fortunam sequutus est, postea in Tiberii gratiam se insinuavit. Audax, callidus, calumniandi artifex, abjectus simul & superbus: modestiam præ se ferens, intus totus purpureus fuit. Modò luxu & prodigalitate, modò vigilantiâ & industriâ, ad rerum summam grassatus. Caput Prætorianorum evasit, & parem cum Tiberio potentiam nactus est: qui, ipsius consortio delectatus, socium eum curarum, laborumque appellare est solitus passus, ut imago ejus in publicis locis venerationi prostaret, & in theatris legionumque insignibus appareret. Hunc Drusus, Imperatoris filius, cùm contemptui haberet, colaphum quoque illi aliquando inflixisset, Sejanus, per uxorem ejus Liviam, spe Imperii corruptam, illum veneno sustulit, Agrippinâ quoque, & Germanico, cum filiis, sublatis. Liviæ nuptiis inhians, prohibitus à Tiberio est, eoque processit insolentiæ, ut jam omnibus intolerabilis evaderet, sparsis quoque, per imprudentem superbiam, vocibus, queis Romæ Imperatorem se jactans, Tiberium Ins. Capreæ, in qua degebat, solùm esse diceret, hujus quoque calvitie, in Comœdiis publicè proscissâ. Quibus omnibus tandem permotus Imperator, negotio Senatui dato, illum strangulari curavit, totâ ejus familiâ excisâ, & quidquid Tiberio suspectum erat, huic stragi involuto, An. Chr. 31. Adde Tacit. *Annal. lib.* 3. 4. & 5. Dionys. &c. supra dictis.

Seigneliacum, seu *Seilliniacum*, nunc *Seignelay*, opp. Duc. Burgund. in tractu Altissiodorensi, ad Seninum fluvium, qui paulo infra in Icaunam cadit, inter Altissiodorum & Juiniacum, 3. leuc. utrinque, commercio & plurimarum mercium factura nobile. Vetus illic castrum, sumptibus Caroli de Voisy, loci Toparchæ, qui præcipua apud Carolum VI. Gall. Reg. gratiâ flagrabat, extructum, An. 1405.

Seir, mons Idumææ, in tribu Manasse, inter Alphaltiten, & Ægyptum, *Sardenay* hodie, Postello. Hic ab Esau hujus montis accolâ, eo quòd esset hirsutus, nomen accepit, 1. Paral. 4. Item vir quidam Horræus, Gen. 36. Item mons, in tribu Dan, tertius ejus nominis, juxta Cariathiarim in finibus Azoti & Ascalonis, ascriptus tribui Judæ, in distributione terræ.

Seira, civitas Idumææ, 4. Reg. 8. Latinè, *parva*, sive *tribulatio*.

Seirath, nomen loci, Jud. 3.

Seis, collis Judææ, inter Hierosolymam & Engaddi.

C. *Sejus*, dominus equi illius, unde est proverbium in infelices & calamitosos, à M. Antonio, qui postea Triumvir fuit tempore belli Civilis, quum præesset Italiæ, miserando supplicio affectus est, Gellius 3. 9. Vide Erasmum in *Equus Sejanus*.

Sela, filius Judæ ex Suâ uxore, Gen. 38.

Sela, civitas in tribu Benjamin, Jos. 38. Item fluvius Peloponnesi, in ora Elidis, inter Cyparissium promunt. & Pylum, *Gaindia* Ortel. cum opp. cognom.

Selab, in tribu Dan: & *Selaba*, grandis vicus, in trib. Ephraim, in finibus Sebastes, Hier. *in L. H.*

Selabi, mater matris Josaphat regis Judæ, 2. Par. 10.

Selaita, nomen familiæ, Num. 16.

Selambina, Hispan. Bæticæ urbs, Ptolem. *Salobrenna* Floriano. Olim Bastulorum, nunc Granatæ, in ora maris Mediterran. cum castro munito, contra piratas, 20. leuc. ab Almeria in Occident. Baudrandus.

Selampura, vel potius *Lampura*, Indiæ extra Gangem urbs, Ptol.

Selandia, Insula ampla Daniæ, in mari Baltic. aliàs *Codanonia*, pascuis abundans, sed frumenti non ferax, cætera fertilis admodum, Meurs. *Hist. Dan.* Ab Othingaro Episcop. cum Scania conversa, An. Chr. 980. Separatur ab Or. à Scania freto *Oresund*, ab Occ. à Fionia Insula freto *Belsund*. Amœnissima est. Longa à Septentr. in Merid. 16. mill. German. Lata ab Ortu in Occid. 14. Urbes sunt Haphnia, Regni caput, Roschildia, Helsingora & arx Coronæburgum, cum Friderichoburgo. In ea sunt 340. parochiæ seu pagi.

Selandia, prov. Belgii uniti. Vide *Zelandia*.

Selaricum, opp. Tuediæ, in Scotia Mer. in limite Teviotiæ, ad confluentes Ettrici fluv. in Tuedam, vix 19. mill. Scot. à Barvico in Occ. totidem ab Edimburgo in Mer. *Selrik*.

Selasia, Diana sic dicta. Hesychius: Σελασία, Ἀ᾽ρτεμις Σελασία τόπ☉ τῆς Λακωνικῆς, ὅθι εἰκὸς κληθῆναι τὴν Ἄ᾽ρτεμιν.

Selcha, vel *Salcha*, civitas regis Og in Basan, Deut. 4. Una ex 60 munitioribus ejus Urb. Sita juxta Urbem Gessur, montemque Hermon, & Basanitidis reg. versus Bor. claustrum est. In tribu Manasse.

Selebin, civitas in tribu Dan, Jos 18.

Selec, nomen viri, 1. Paral. 11.

Selemias, pater Juchal, Jer. 38. Pater Jeriæ, Jer. 37.

Selemith, nomen viri, 1. Par. 16.

Selemnus, fluv. Achajæ, apud Argiram, Pausan.

Selene, urbs Tyrrheniæ, Steph.

Selenitides, mulieres in Asia, ova pariunt, è quibus homines fiunt, quinquies decies cœteris majores. Herodot. A Luna dictæ.

Selenus, vide *Selinus*.

Selenusia, palus Lunæ in Jonia, apud Colophonem urb. ad ostia Caystri, Strab. *Lago di Altobojco.*

Seleph, nomen viri, 2. Esdr 3.

Selephus, Asiæ fluv. in quo Fridericus Barbarossa Imper. mersus obiit, An. Chr. 1190. P. Æmilius *lib.* 6.

Selestadium, urbs Imperialis, in Alsatia super. ad Helellum fluv. quasi Helli vel Helleli portus, Germ. *Schletstatt*. Ortum habet ex Elcebi illius veteris, cujus apud Ptolemæum mentio, ab Ellio & Cebo amnibus sic cognominati, rudetibus, post calamitosam illam Attilæ devastationem. Fossâ muroque septum dicitur à Wolfelino, præfecto, seu legato Friderici II. Imper. An. C. 1216. Postea à Rodolfo I. Imper. sub jus & potestatem Imperii Roman. penitus redactum est: De quo publica inscriptio hodieque ibi visitur. Prætorem huic civitati olim præpositus S. Viti ibidem, atque Imperator alternis vicibus dedere, postea jus soli Imperatori cessit, tandem verò ad civitatem pervenit, postquam An. Chr. 1436. Joh. Bottemius pro tribunali sedens, ex indignatione, Prætorium baculum in terram abjecit: quem ex assessoribus quidam surgens, nomine Cæsaris, inquit, hunc scipionem de terra levo: quod adeò gratum Sigismundo Augusto fuit, ut jus designandi Prætoris ad Senatum transferret. Tum primùm cives Senatores ad hunc Magistratum assumpti, cui Nobiles antea præficiebantur, decretumque, ne hi porro in Senatum legerentur, Beat. Rhenanus *lib.* 3. *pag.* 154

Aquila

Aquila coronata ei pro insignibus est. Hodierno bello à Gallis, cum reliquis Allatiæ liberis civitatibus occupatum, postquam haud pridem munitiones ejus disjectæ essent, de novo munitur. 3. mill. Germ. à Brisiaco in Circ. paulo minus à Colmaria in Bor. 5. supra Argentoratum in Mer.

Selethas, fil. Semei. 1. Par. 8.

Seleucia, urbs Asiæ multiplex. I. in Mesopotamiâ ad Tigrim fluv. contra Ctesiphontem, inde 3. mill. p. cognomento magna, patriarchæ Nestorianorum sedes, *Mosul*, teste Nigro. Apud hanc, utpote Tigranis regiam, Amphicrates Atheniensis rhetor exulans, à Seleucianis rogatus, ut eos Rhetoricam doceret, respondit, *Delphinum non capit patina*: quo dicto significare voluit, exiguos ingenio non posse magna capere, quales erant ipsi Seleucienses. Refertur à Plut. *in Lucullo*. Aliis primùm hæc *Cochæ* dicta, dein *Alexandria* à Conditore, tandem ab Antiocho Seleuci F. restaurata, cum Patris nomine. Tempore Regum Hierosol. & Armeniæ *Baudras*, hodie *Bagdad* seu *Bagadet*, etiamnum Urbs peramplâ & munita, prov. *Hierach* caput Turcis subest, ab An. 1638. Habet suburbium amplum in adversa fluminis ripa. A ruderibus Babyloniæ antiquæ unius diei itinere distat; 140. m. p. à Nineve in Mer. vix 200. ab ostiis Tigridis in Bor. 280. à Susa in Occ. 300. ab Ecbatana in Mer. Baudr. Strabo, *lib.* 16. Plin. *lib.* 6. *cap.* 26. Ammian. Marcellin. *lib.* 2. Ortelius, Niger, Sanso &c. II. Syriæ, *Pieria* cognomine, apud ostia Orontis, *Soldin*, teste Nigro; Utraque à *Seleuco*, Antiochi filio, unà cum Antiochiâ & Apamiâ, condita. III. Ciliciæ, Arch. cognomento *Aspera*, ad Calycadnum fluv. prius *Olbia*, & *Hyria*, teste Steph. Hodie *Selethia* Baudr. 12. m. p. ab ora maris Ciliciiin Bor 80. à Tarso in Occ. 15. à Coryco in Circ. 180. à Seleucia Pieria in Occ. Amm. Marc. *l.* 14. Strabo, Ort. &c. Hic, sub Constantio Imp. Concilio ab Arianis habito, A. 359. Episcoporum 160. qui fermè omnes heterodoxi, Acacius Cæsareensis damnavit Concilium Nicenum symbolumque ejus, aliâ fidei formulâ oblatâ, quâ, ab Aetio edoctus, Filium Patri, quoad voluntatem solum, non verò essentiam, similem asseruit: reclamantibus Semi-Arianis, qui similitudinem quoad essentiam agnoscebant, & confirmantibus Confessionem fidei, Antiochiæ Ann. 341. conditam. Sic sensim ingravescente contentione, Leonas & Lauricius, Imperatoris ad Concilium deputati, illi finem imposuerunt, die quarto: Acacius verò cum aliis, à Semi-Arianis depositus est, surrogato Aniano, in locum Eudoxii, Antiochiæ: qui ab Acacii fautoribus Lauricio Leonæque traditus, & ab his in exilium missus est. Nec omittendum, quòd Hilarius Pictaviensis, tum in exilio degens, in hoc Concilio, quò venerat, Orthodoxiam egregie tutatus legitur. Athanas. *de syn.* Nazianz. *Orat.* 21. Sulpic. Sev. *libr.* 1. *Historia sacra.* Socr. *libro* 2. Theodor. *libro* 2. Sozomenus *libro* 4. *&c.* IV. Pisidiæ, in Pamphyliæ confin. inter Antiochiam Pisidiæ ad Bor. & Pergen Pamphyl. ad merid. *Celestria* Leuncl. *Caracasar*, Turcis.

Seleuciani, Hæretici, à Seleuco & Hermia orianni sec. 6. Deum hi corporeum, materiamque æternam delirantes, ferro ignito frontem inusserunt, sic baptizatos se rati, aliaque contra gloriam VERBI INCARNATI docuerunt. Vid. August. 1. *hær.* 59. Niceph. *lib.* 11. *cap.* 14. Philastrium, &c.

Seleucobelus, urbs Syriæ juxta Belum, Stephano, *Divertigi* Molet.

Seleucos, opp. apud Apamiam Syriæ Steph. à Seleuco R. conditore, qui Apamias 3. in uxoris, & 5. Laodiceas, in matris hon. condidit. Stephan.

Seleucus I. Nicanor, Antiochi & Laodices, fil. vir clarus cum Alexandro Magno, ad bellum, Persicum profectus est: quo mortuo, castris ejus præfuit, & urbem condidit, quam de patris nomine *Antiochiam* vocavit. Regnum Syriæ occupavit, an. 3652. ante Christum 310. Secundùm alios, regnum Seleucidarum instituit, Ann. M. 3742. Multa in Oriente, post divisionem, inter Socios, regni Macedonici, bella gessit, prælio ad Ipsum interfuit, & Babyloniam cepit. Inde auctis in victoria viribus, Bactrianos expugnavit, transiit, deinde in Indiam quæ post mortem Alexandri, velut jugo cervicibus excusso, præfectos occiderat: autorque Libertatis Sandrocottus fuerat, qui tunc Indiam possidebat: cum quo factà pactione Seleucus, compositisque in Oriente rebus in bellum Antigoni descendit. Tandem à Ptolemæo Cerauno, proditoriè occisus est, A. M. 3774. æt. 78. regni 32. Antiochus Soter filius illi successit. Appian. *de bello Syr.* Orosius, Torniellus, Salianus, &c. Plurimas hic urbes condidit. Ab hoc Æra Seleucidarum, Arabicè *Terik Dhylkarnain* Alexandri, i. Epocha Alexandri Cornigeri dicta ortum habet, quæ incipit an. 12. à morte Alexandri 312. ante N. C. 3742. Mundi, 442. vel 43. U. C. 4402. periodi Julianæ, 117. Olymp. 872. ab incendio Trojæ, cùm Seleucus Babyloniam, Mediam &c. Antigono denuo eripuit. Hac Epochâ Maccabæorum auctores usi sunt. V. Scaliger. *de E. T. lib.* 2. *&* 5. Petav. *de D. T. l.* 2. Langium, *de Annis Christi*, *cap.* 17. Ricciol. *Chr. Reform.* Calvisium, &c. Adde Justin. *lib.* 13. *&* 16.

Seleucus II. fil. Antiochi Thei, per ironiam Callinicus dictus, successit patri, An. 570. U. C. à Ptolemæo Evergeta sæpius victus, regnoque exutus: Obiit equi lapsu; An. 527. Strabo *lib.* 16. Justin. *lib.* 27. Appian. *de bello Syriaco &c.*

Seleucus III. Ceraunus, Ann. 527. patri successit, triennio pòst veneno sublatus; Ei successit frater Antiochus Magnus. Euseb. *in Chron.* Appian. &c.

Seleucus IV. Philopâtor, post Antiochum M. patrem, Rex. Sub hoc magnis cladibus Syri à Romanis affecti sunt: Cœterum, favit Judæis annuosque reditus eis constituit; ad sacrificia procuranda, interim à Simeone, templi Præfecto, de thesauris ibi reconditis monitus, Heliodorum eò misit; cui quid contigerit, V. 2. Macc. *lib.* 3. Tandem ab hoc ipso, cùm fil. Demetrium Romanis obsidem dedisset, veneno peremtus, An. 578. U. C. regni 12. Strabo, *lib.* 16. Justin. *lib* 32. Appian. Sulpicius Sev. &c.

Seleucus V. fil. Demetrii Nicanoris, thronum occupavit, Ann. 629. U. C. à Cleopâtra matre, post marito vitam ereptam, sagittæ ictu interfectus, paulò post inaugurationem. Appian. *in Syriac.* Justin. *lib.* 39. Euseb. *in Chron.*

Seleucus VI. Antiochi Gryphi fil. cùm patruo Cyziceno de Syriaco imperio dimicavit, atque acie victum interfecit. Ipse à patruele Antiocho Pio regno pulsus, & à civibus Mopsuestiæ in Palatio concrematus est. Olymp. 5. 3. Potius Ann. 660. vel 661. U. C. Euseb. Appiân. *de bellò Syr.* Justin. Joseph. &c. Is transtulit Judæos in eas urbes, quas extruxerat; jus eis & municipalem ordinem cum Græcis æqualem tribuens.

Seleucus, Cons. an. ab. U. C. 573.

Seleucus, Emesenus Grammaticus, Suidâ teste, composuit Parthicorum libros duos. Alius Alexandrinus Grammaticus, cognomento *Homericus*, quem in omnes penè Poetas commentatum esse ait Suidas. Alius est *Seleucus* Babylonius, cujus mentionem facit Strabo *lib.* 1. Alius denique *Seleucus* ὁ θεολόγος, de quo Porph. *lib.* 2 περὶ ἀποχῆς. Vid. Strabon. *lib.* 1. Porphyr. *lib.* 2. Vossium *de Histor. Græc.*

Seleucus Mathematicus, quem Vespasianus Cæsar rectorem & conscium palam habuit. Tac. *Hist.* 2. 78.

Seleucus, V. *Seleucos.*

Selga, urbs Pamphyliæ mediter. hodie *Philadelphia* Nigro. Stephanus eam in Pisidiâ ponit. Strabo quoque *Selgenses* Πισιδῶν ἀξιολογωτάτους vocat, & 20. virorum millia olim in eà urbe fuisse, ac prudentem Reip. administrationem laudat. Dionys. *vers.* 859.

——— Καὶ λαῶν ἐπόλισσαν λαὸς

Πρὸς τοῖς Ἀμυκλαίων μεγαλώνυμον ἐν χθονὶ Σέλγην.

Hinc tamen impudici ἀσελγεῖς dicti cum α epitatico. Ita Suidas & Etymologus. Eust. ὅτι κατ' ἐπίτασιν λέγεται τὴν ἀσέλγειαν ἐπὶ τῶν ὁ καθαρῶς ζώντων. Ex quo fit, ut *Selgam* suspicetur Bochartus, per literarum metathesin, nomen habere ab Hebræo עגל *jhagal*, i. e. *coire & constuprare.*

Selgia, Armen. maj. urbs. Ptol.

Selim, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Selimus I. Turcarum Imper. Bajazetis II. filius secundo-genitus. Imperandi cupidine accensus, contra Patrem arma cepit, sed ab eo victus est: interim ope Janizerorum, Achmeti primogenito prælatus, Patrem, qui ipsi Imperio cesserat, veneno sustulit, An. 1512. largus in Prætorianos Proceresque. Achmetem dein Sultani Ægyptii opibus subnixum, prælio vicit occiditque, Corchuto quoque altero fratre, quietis & literarum amante sublato: unà cum 8. nepotibus, quos pariter necari curavit. Cœtera animus laborum patiens, sobrius, liberalis, justitiæ tenax, Historiarum amans, poëseos quoque in sua lingua non rudis. Bello contra Persas, ad quos Achmet s fil. Amurates confugerat, primò infelix, postmodum prælio ad *Zalderane* victor, An. 1514. hominum amissis 50000. in reditu, per Euphratem transiturus, magnam insuper militum machinarumque jacturam passus. Post quæ plurimis Persiæ urbibus occupatis, Regulos varios subegit: Campsonem Gaurium, Ægypti Sultanum, vicit occiditque haud procul Alepo; An. 1516. quam urbem cùm Damasco Syriaque tota subjugavit, Palæstina, per Sinanem Bassam, sub obsequium redactâ. Dein Tomumbejum, à Mamelucis recèns electum; Cairo capto, An. 1517. similiter vicit, Ægyptoque potitus est. Inde Constantinopolim reversum pestis corripuit, quare Adrianopolim gestandus, in itinere, in loco *Curl*, in Thracia; ubi Patrem sustulerat, Obiit. An. 1526. æt. 46. Leunclav. *lib.* 17. & *in Pand. Turc.* §. 125. Paul. Jov. *in Selim.* Mezeray *Hist. Turc.*

Selimus II. fil. Solimanni II. nepos Selimi I. patri successit, ann. 1566. æt. 42. postquam, parente adhuc vivente, Mustaphas & Bajazeth, fratres ejus majores, sublati. Meticulosus, effœminatus, ebriosus: nihilominus, per Pialam & Mustapham, Cyprum occupavit, An. 1571. per Ochialium verò in Barbaria & contra Melitenses rem feliciter gessit. A Christianis tamen, memorabili prælio ad Naupactum, victus, Hali Bassâ occiso: quo nuntio consternatus Selimus Adrianopolim se recepit, dein pace cum Venetis, initâ. Obiit apoplexiâ, An. 1574. Iidem.

Selinus, urbs gemina cum fluv. cognomine; Una in orâ Siciliæ Australi, inter Thermas ad Ort. 18. & Mazaram ad Occ. millie pass. (licet Ptolom. ostia Selinuntis inter Mazaram & Lilybæum statuat) excisa, à Megarensibus; sive & Phœnicibus condita: *Terra di Pulici* hodie Fazello; fluv. vero *Madiuni* nominatur. Virg. *Æn.* 3.

Selinus portus, *Salonef* Mercatori, *Porto Alberto* Castaldo, portus

Segurius Jacobus, vir primariæ in Aquitania nobilitatis, caput fuit legationis amplissimæ, ab Henrico Navarræo, postea Galliæ Rege, ad Syncretismum Universalem inter Ecclesias Helveticas & Augustanas faciendum, in Angliam, Belgium, Daniam & Germaniam, An. Chr. 1583. expeditæ. Thuan. *Hist. lib.* 79. Chytr. *in Saxon lib.* 26. *&c.*

Segusiani, Secusiani Plin. gens libera Gall. Celt. quorum tractus *Lyonnois*, & *la Forest*, trans Rhodanum nominatur, cujus caput est Mons Brisonis inter Lugdunum & Podium. Male *Sebusiani* errore librariorum Cæsari dicuntur. Baudrando fuere, inter Æduos & Sequanos ad Bor. Arvernos ad Occ. Velaunos & Allobroges ad Merid. ut & Allobroges ad Ort. ubi hodie *le Forest*, *le Lyonnois*, *le Beaujolois*, & *la Bresse*. Valesius illos positos esse, inter Ligerim, Ararim, ac Rhodanum flumina, & ad Ligerim quidem urbes Forum *Segusianorum* ac Rodumnam, ad Araris autem & Rhodani confluentes Lugdunum caput gentis habere docet. Cæsar *libr.* 1. *de bello Gall.* Segusianos extra Provinciam, trans Rhodanum primos vocat: idem *lib.* 7. illos Æduorum clientibus primos adnumerat; sed postea ab hac clientela liberati sunt, unde Segusiani Plinio *liberi* dicuntur. Continent pagum Lugdunensem, ut retrò laudatus Valesius habet; portionem pagi Bellojocensis, Forensem pagum, partem Brexiæ & pagi Burbonensis. Ab his forsitan orti *Segusiani*, in Alpibus Cottiis; sunt tamen, qui hos à Segusio oppido suo vel castro primario dictos, nihil cum illis commune esse contendant, *Notit. Gall.*

Segusium, *Segusio* Plinio & Antonin. urbs Galliæ Subalpinæ ad Alpium Cottiarum radices, vulgò *Susa*. Olim regioni Italiæ nonæ Transpadanæ adscripta. Hinc Alpium Cottiarum initium esse, ex Italia in Galliam tendenti, & Cotti Regis sepulchrum mœnibus ejus proximum extitisse, scribit Ammianus *lib.* 15. Hanc unà cum Augusta duodecim Longobardorum duces, tum Inter-reges, propter incursiones in Franciam, cum toto earum territorio, eumq; valle Amectegi Regi Guntchramno ex pacto dedere. Sic utraque urbs Italiæ detracta, & Burgundiæ, parti Galliæ, à Francorum Regibus adnexa est. *Segusionem* inprimis torumque pagum cogno.n. in quo Ferraria, & Novalicium monasterio illustre *Novalese*, Guntchramnus Mauriennensi Ecclesiæ à se conditæ, attribuit, Taurinorumque Episcoporum potestati exemit: & in vet. Not. in provincia Alpium Grajarum & Penninarum quarto loco civitas *Seutium* ponitur. Nunc in Pedemontio, ad Duriam fluv. Gall. *Doire Susine*, qui ad urbem Taurinos Padum auget: eum arce munita, in colle, sub Sabaudiæ Duc. 1. leuc. à confin. Gall. & Delphinatus, 24. mill. p. à Taurino in Circ. totidem à Brigantio in Cæc. Caput Marchionatus eognom. qui ad radices Alpium, inter Pedemontium ad Ort. & Delphinatum ad Occ. est. Hic olim Segusini pop. Pagus Segusinus à situ vocatur Ital. *Val di Susa*, Gall. *le Val de Suse*, propterea quòd Alpibus ex utraque parte includitur, & ad pedes montium utrinque jacet. Laudat Arrianus *in Cyneget. cap.* 3. canes *Segusios*, qui vestigia leporum eum clangore & latratu odorantur, excitatosq; persequuntur: Germ. *Seuhundt*, vel *Schvvinhundt*. Portam *Segusinam*, quæ Segusium tendit, urbs Augusta Taurinorum habet. Vide Hadr. Valesium *Notit Gall.*

Segustero, vide *Segesterorum Urbs.*

Sehesimo, civitas in tribu Issaschar, Jos. 19. Latinè, *humiliatio*, *fovea*, vel *meditatio jejunii*, aut *superbia maris*.

Sehon, rex Amorrhæorum, transitu Israëlitas prohibere conatus, ab illis victus, occisus, regnoque exutus est, Num. 21. Latinè, *eradicatio*, sive *conclusio*.

Seja, Dea fuit, ut ex Varrone tradit Augustinus, præposita, quamdiu segetes sub terra essent: cùm verò jam suprà terram, & segetem facerent, *Segesiam* vocabant. Seja autem dicta, à *Serendo*, *Segesta* verò à segetibus. Simulachrum earum Romæ extabat in circo, ut ait Plinius *lib.* 18.

Sejanus Ælius, vir, de quo multa Suetonius *in Tiberio*, & Juvenal. *Sat.* 10. Ejus historia paucis sic habet. Vulsino Tusciæ urbe natus, ex Sejo Strabone, equite; adhuc juvenis admodum Caji Cæsaris, Augusti nepotis, fortunam sequutus est, postea in Tiberii gratiam se insinuavit. Audax, callidus, calumniandi artifex, abjectus simul & superbus: modestiam præ se ferens, intus totus purpureus fuit. Modò luxu & prodigalitate, modò vigilantiâ & industriâ, ad rerum summam grassatus. Caput Prætorianorum evasit, & parem cum Tiberio potentiam nactus est: qui, ipsius consortio delectatus, socium eum curarum, laborumque appellare est, solitus passus, ut imago ejus in publicis locis venerationi prostaret, & in theatris legionumque insignibus appareret. Hunc Drusus, Imperatoris filius, cùm contemptui haberet, colaphum quoque illi aliquando inflixisset, Sejanus, per uxorem ejus Liviam, spe Imperii corruptam, illum veneno sustulit. Agrippinâ quoque, & Germanico, cum filiis, sublatis. Liviæ nuptiis inhians, prohibitus à Tiberio est, eoque processit insolentiæ, ut jam omnibus intolerabilis evaderet, sparsis quoque, per imprudentem superbiam, vocibus, queis Romæ Imperatorem se jactans, Tiberium Insf. Capreæ, in qua degebat, solùm esse diceret, hujus quoque ealvitie, in Comœdiis publicè proscissâ. Quibus omnibus tandem permotus Imperator, negotio Senatui dato, illum strangulari curavit, totâ ejus familiâ excisâ, & quidquid Tiberio suspectum erat, huic stragi involuto, An. Chr. 31. Adde Tacit. *Annal. lib.* 3. 4. & 5. Dionys. &c. supra dictis.

Seigneliacum, seu *Seilliniacum*, nunc *Seignelay*, opp. Duc. Burgund. in tractu Altissiodorensi, ad Seninum fluvium, qui paulo infra in Icaunam cadit, inter Altissiodorum & Juiniacum, 3. leuch utrinque, commercio & plurimarum mercium facturâ nobile. Vetus illic castrum, sumptibus Caroli de Voisy, loci Toparchæ, qui præcipua apud Carolum VI. Gall. Reg. gratiâ flagrabat, extructum, An. 1405.

Seir, mons Idumææ, in tribu Manasse, inter Asphaltitem, & Ægyptum, *Sardenay* hodie, Postello. Hic ab Esau hujus montis accolâ, eo quòd esset hirsutus, nomen accepit, 1. Paral. 4. Item vir quidam Horræus, Gen. 36. Item mons, in tribu Dan, tertius ejus nominis, juxta Cariathiarim in finibus Azoti & Ascalonis, adscriptus tribui Judæ, in distributione terræ.

Seira, civitas Idumææ, 4. Reg. 8. Latinè, *parva*, sive *tribulatio*.

Seirath, nomen loci, Jud. 3.

Seis, collis Judææ, inter Hierosolymam & Engaddi.

C. Sejus, dominus equi illius, unde est proverbium in infelices & calamitosos, à M. Antonio, qui postea Triumvir fuit tempore belli Civilis, quum præesset Italiæ, miserando supplicio affectus est, Gellius 3. 9. Vide Erasmum in *Equus Sejanus*.

Sela, filius Judæ ex Suâ uxore, Gen. 38.

Sela, civitas in tribu Benjamin, Jos. 38. Item fluvius Peloponnesi, in ora Elidis, inter Cyparissium promunt. & Pylum, Gnindio Ortel. cum opp. cognom.

Selab, in tribu Dan: & *Selaba*, grandis vicus, in trib. Ephraim, in finibus Sebastes, Hier. *in L. H.*

Selabi, mater matris Josaphat regis Judæ, 2. Par. 10.

Selaita, nomen familiæ, Num. 16.

Selambina, Hispan. Bæticæ urbs, Ptolem. *Salobrenna* Floriano. Olim Bastulorum, nunc Granatæ, in ora maris Mediterranei, cum castro munito, contra piratas, 20. leuc. ab Almeria in Occident. Baudrandus.

Selampura, vel potius *Lampura*, Indiæ extra Gangem urbs, Ptol.

Selandia, Insula ampla Daniæ, in mari Baltic. aliàs *Codanonia*, pascuis abundans, sed frumenti non ferax, cætera fertilis admodum, Meurs. *Hist. Dan.* Ab Othingaro Episcop. cum Scaniâ conversa, An. Chr. 980. Separatur ab Or. à Scania freto Oresund, ab Occ. à Fionia Insula freto *Beltsund*. Amœnissima est. Longa à Septentr. in Merid. 16. mill. German. Lata ab Ortu in Occid. 14. Urbes sunt Haphnia, Regni caput, Roschildia, Helsingora & arx Coronæburgum, cum Fridericoburgo. In ea sunt 340. parochiæ seu pagi.

Selandia, prov. Belgii uniti. Vide *Zelandia*.

Selaricum, opp. Tuediæ, in Scotia Mer. in limite Teviotiæ, ad confluentes Ettrici fluv. in Tuedam, vix 19. mill. Scot. à Barvico in Occ totidem ab Edimburgo in Mer. *Selrik*.

Selasia, Diana sic dicta. Hesychius: Σελασία, Ἄρτεμις ... τῆς Λακωνικῆς, ὅτι ἐγγὺς κληθῆναι τὴν Ἄρτεμιν.

Selcha, vel *Salcha*, civitas regis Og in Basan, Deut. 4. Una ex 60 munitioribus ejus Urb. Sita juxta Urbem Gessur, montemque Hermon, & Balanitidis reg. versus Bor. claustrum est. In tribu Manasse.

Selebin, civitas in tribu Dan, Jos 18.

Selec, nomen viri, 1. Paral. 11.

Selemias, pater Juchal, Jer. 38. Pater Jeriæ, Jer. 37.

Selemith, nomen viri, 1. Par. 16.

Selemnus, fluv. Achajæ, apud Argiram, Pausan.

Selene, urbs Tyrrheniæ, Steph.

Selenitides, mulieres in Asia, ova pariunt, è quibus homines fiunt, quinquies decies cœteris majores, Herodot. A Luna dictæ.

Selenus, vide *Selinus*.

Selenusia, palus Lunæ in Jonia, apud Colophonem urb. ad ostia Caystri, Strab. *Lago di Altobosco*.

Seleph, nomen viri, 2. Esdr 3.

Selephus, Asiæ fluv. in quo Fridericus Barbarossa Imp. mersus obiit, An. Chr. 1190. P. Æmilius *lib.* 6.

Selestadium, urbs Imperialis, in Alsatia super. ad Helellum fluv. quasi Helli vel Helleli portus, Germ. *Schletstatt*. Ortum habet ex Elcebi illius veteris, cujus apud Ptolemæum mentio, ab Ello & Cebo amnibus sic cognominati, ruderibus, post calamitosam illam Attilæ devastationem. Fossâ muroque septum dicitur à Wolfelino, præfecto, seu legato Friderici II. Imper. An. C. 1216. Postea à Rodolfo I. Imper. sub jus & potestatem Imperii Roman. penitus redactum est: De quo publica inscriptio hodieque ibi visitur. Prætorem huic civitati olim præpositus S. Viti ibidem, atque Imperator alternis vicibus dedere, postea jus soli Imperatori cessit, tandem verò ad civitatem pervenit, postquam An. Chr. 1436. Joh. Botzemius pro tribunali sedens, ex indignatione, Prætorium baculum in terram abjecit: quem ex assessoribus quidam surgens, nomine Cæsaris, inquit, hunc scipionem de terra levo: quod adeò gratum Sigismundo Augusto fuit, ut jus designandi Prætoris ad Senatum transferret. Tum primùm cives Senatores ad hunc Magistratum assumpti, cui Nobiles antea præficiebantur, decretumque ne hi porro in Senatum legerentur, Beat. Rhenanus *lib.* 3. *pag.* 154

Aquila

Aquila coronata ei pro insignibus est. Hodierno bello à Gallis, cum reliquis Alsatiæ liberis civitatibus occupatum, postquam haud pridem munitiones ejus disjectæ essent, de novo munitur. 3. mill. Germ. à Brisiaco in Circ. paulo minus à Colmaria in Bor. 5. supra Argentoratum in Mer.

Selethai, fil. Semei. 1. Par. 8.

Seleucia, urbs Asiæ multiplex. I. in Mesopotamiâ ad Tigrim fluv. contra Ctesiphontem, inde 3. mill. p. cognomento magna, patriarchæ Nestorianorum sedes, *Mosul*, teste Nigro. Apud hanc, utpote Tigranis regiam, Amphicrates Atheniensis rhetor exulans, à Seleucianis rogatus, ut eos Rhetoricam doceret, respondit, *Delphinum non capit patina*: quo dicto significare voluit, exiguos ingenio non posse magna capere, qualis scirent ipsi Seleucienses. Refertur à Plut. *in Lucullo*. Aliis primùm hæc *Coche* dicta, dein *Alexandria* à Conditore, tandem ab Antiocho Seleuci F. restaurata, cum Patris nomine. Tempore Regum Hierosol. & Armeniæ *Baudras*, hodie *Bagdad* seu *Bagadet*, etiamnum Urbs perampla & munita, prov. *Hierach* caput Turcis subest, ab An. 1638. Habet suburbium amplum in adversa fluminis ripa. A ruderibus Babyloniæ antiquæ unius diei itinere distat; 140. m. p. à Nineve in Mer. vix 200. ab ostiis Tigridis in Bor. 280. à Susa in Occ. 500. ab Ecbatana in Mer. Baudr. Strabo, *lib.* 16. Plin. *lib.* 6. *cap.* 26. Ammian. Marcellin. *lib.* 2. Ortelius, Niger, Sanso &c. II. Syriæ, *Pieria* cognomine, apud ostia Orontis, *Soldin*, teste Nigro; Utraque à *Seleuco*, Antiochi filio, unà cum Antiochiâ & Apamiâ, condita. III. Ciliciæ, Arch. cognomento *Aspera*, ad Calycadmum fluv. prius *Olbia*, & *Hyria*, teste Steph. Hodie *Selechia* Baudr. 12. m. p. ab ora maris Cilicii in Bor. 80. à Tarso in Occ. 15. à Coryco in Circ. 180. à Seleucia Pieria in Occ. Amm. Marc. *l.* 14. Strabo, Ort. &c. Hic, sub Constantio Imp. Concilio ab Arianis habito, A. 359. Episcoporum 160. qui fermè omnes heterodoxi, Acacius Cæsareensis damnavit Concilium Nicenum symbolumque ejus, aliâ fidei formulâ oblatâ, quâ, ab Aetio edoctus, Filium Patri, quoad voluntatem solum, non verò essentiam, similem asseruit: reclamantibus SemiArianis, qui similitudinem quoad essentiam agnoscebant, & confirmantibus Confessionem fidei. Antiochiæ Ann. 341. conditam. Sic sensim ingravescente contentione, Leonas & Lauricius, Imperatoris ad Concilium deputati, illi finem imposuerunt, die quarto: Acacius verò cum aliis à SemiArianis depositus est, surrogato Aniano, in locum Eudoxii, Antiochiæ: qui ab Acacii fautoribus Lauricio Leonæque traditus, & ab his in exilium missus est. Nec omittendum, quod Hilarius Pictaviensis, tum in exilio degens, in hoc Concilio, quò venerat, Orthodoxiam egregie tutatus legitur. Athanas. *de syn.* Nazianz. *Orat.* 21. Sulpic. Sev. *libr.* 1. *Historia sacra*. Socr. *libro* 2. Theodor. *libro* 2. Sozomenus *libro* 4. *&c.* IV. Pisidiæ, in Pamphyliæ confin. inter Antiochiam Pisidiæ ad Bor. & Pergen Pamphyl. ad merid. *Celestria* Leuncl. *Caracasar*, Turcis.

Seleuciani, Hæretici, à Seleuco & Hermia oriundi sec. 6. Deum hi corporeum, materiamque æternam delirantes, ferro ignito frontem insigniverunt, sic baptizatos se rati, aliaque contra gloriam VERBI INCARNATI docuerunt. Vid. August. *l. hær.* 59. Niceph. *lib.* 11. *cap.* 14. Philastrium, &c.

Seleucobelus, urbs Syriæ juxta Belum, Stephano, *Divertigs* Molet.

Seleucos, opp. apud Apamiam Syriæ Steph. à Seleuco R. conditore, qui Apamias 3. in uxoris, & 5. Laodiceas, in matris hon. condidit. Stephan.

Seleucus I. Nicanor, Antiochi & Laodices, fil. vir clarus cum Alexandro Magno, ad bellum, Persicum profectus est: quo mortuo, castris ejus præfuit, & urbem condidit, quam de patris nomine *Antiochiam* vocavit. Regnum Syriæ occupavit, an. 3652. ante Christum 310. Secundùm alios, regnum Seleucidarum instituit, Ann. M. 3742. Multa in Oriente, post divisionem, inter Socios, regni Macedonici, bella gessit, prælio ad Ipsum interfuit, & Babyloniam cepit. Inde auctis in victoria viribus, Bactrianos expugnavit, transiit, deinde in Indiam quæ post mortem Alexandri, velut jugo cervicibus excusso, præfectos occiderat: autorque Libertatis Sandrocottus fuerat, qui tunc Indiam possidebat: cum quo facta pactione Seleucus, compositisque in Oriente rebus in bellum Antigoni descendit. Tandem à Ptolemæo Cerauno, proditoriè occisus est, A. M. 3774. æt. 78. regni 32. Antiochus Soter filius illi successit. Appian. *de bello Syr.* Orosius, Tornielius, Saltanus, &c. Plurimas hic urbes condidit. Ab hoc Æra Seleucidarum, Arabice *Tarich Dhylkarnain* Alexandri, i. Epocha Alexandri Corrigeri dicta ortum habet, quæ incipit an. 12. à morte Alexandri 312. ante N. C. 3742. Mundi, 442. vel 43. U. C. 4402. periodi Julianæ, 117. Olymp. 872. ab incendio Trojæ, cùm Seleucus Babyloniam, Mediam &c. Antigono denuo eripuit. Hac Epochâ Maccabæorum auctores usi sunt. V. Scaliger. *de E. T. lib.* 2. *&* 5. Petav. *de D. T. l.* 2. Langium, *de Annis Christi, cap.* 17. Ricciol. *Chr. Reform.* Calvisium, &c. Adde Justin. *lib.* 13. *&* 16.

Seleucus II. fil. Antiochi Thei, per ironiam Callinicus dictus, successit patri, An. 570. U. C. à Ptolemæo Evergeta sæpius victus, regnoque exutus: Obiit equi lapsu, An. 527. Strabo *lib.* 16. Justin. *lib.* 27. Appian. *de bello Syriaco &c.*

Seleucus III. Ceraunus, Ann. 527. patri successit, triennio post veneno sublatus: Ei successit frater Antiochus Magnus. Euseb. *in Chron.* Appian. &c.

Seleucus IV. Philopàtor, post Antiochum M. patrem, Rex. Sub hoc magnis cladibus Syri à Romanis affecti sunt: Cœterum, favit Judæis annuosque reditus eis constituit, ad sacrificia procuranda. Interim à Simeone, templi Præfecto, de thesauris ibi reconditis monitus, Heliodorum eò misit, cui quid contigerit, V. 2. Macc. *lib.* 3. Tandem ab hoc ipso, cùm fil. Demetrium Romanis obsidem dedisset, veneno peremtus, An. 578. U. C. regni 12. Strabo, *lib.* 16. Justin. *lib.* 32. Appian. Sulpicius Sev. &c.

Seleucus V. fil. Demetrii Nicanoris, thronum occupavit, Ann. 629. U. C. à Cleopatra matre, post marito vitam ereptam, sagittæ ictu interfectus, paulò post inaugurationem. Appian. *in Syriac.* Justin. *lib.* 39. Euseb. *in Chron.*

Seleucus VI. Antiochi Gryphi fil. cum patruo Cyziceno de Syriaco imperio dimicavit, atque acie victum interfecit. Ipse à patruele Antiocho Pio regno pulsus, & à civibus Mopsuestiæ in Palatio concrematus est. Olymp. 5. 3. Potius Ann. 660. vel 661. U. C. Euseb. Appian. *de bello Syr.* Justin. Joseph. &c. Is transtulit Judæos in eas urbes, quas extruxerat, jus eis & municipalem ordinem cum Græcis æqualem tribuens.

Seleucus, Cons. an. ab. U. C. 573.

Seleucus, Emesenus Grammaticus, Suidâ teste, composuit Parthicorum libros duos. Alius Alexandrinus Grammaticus, cognomento *Homericus*, quem in omnes penè Poetas commentatum esse ait Suidas. Alius est *Seleucus* Babylonius, cujus mentionem facit Strabo *lib.* 1. Alius denique *Seleucus* ὁ θεολόγος, de quo Porph. *lib.* 2 περὶ ἀποχῆς. Vid. Strabon. *lib.* 1. Porphyr. *lib.* 2. Vossium *de Histor. Græc.*

Seleucus Mathematicus, quem Vespasianus Cæsar rectorem & conscium palam habuit. Tac. *Hist.* 2. 78.

Seleucus, V. *Seleucos*.

Selga, urbs Pamphyliæ mediter. hodie *Philadelphia* Nigro. Stephanus eam in Pisidiâ ponit. Strabo quoque *Selgenses* Πισιδῶν ἀξιολογωτάτους vocat, & 20. virorum millia olim in eâ urbe fuisse, ac prudentem Reip. administrationem laudat. Dionys. *vers.* 859.

—— Καὶ ἣν ἐπινάσσατο λαὸς

Πεδὰ τοῦ Ἀμυκλαίων μεγαλώνυμος ἐν χθονὶ Σέλγην.

Hinc tamen impudici ἀσελγεῖς dicti cum α epitatico. Ita Suidas & Etymologus. Eust. ὅθεν κατ' ἐπίτασιν λέγεσθαι τὴν ἀσέλγειαν ἐπὶ τῶν ἀκολάστως ζώντων. Ex quo fit, ut *Selgam* suspicetur Bochartus, per literarum metathesin, nomen habere ab Hebræo שגל *shagal*, i. e. *coire & constuprare*.

Selgia, Armen. maj. urbs. Ptol.

Selim, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Selimus I. Turcarum Imper. Bajazetis II. filius secundo-genitus. Imperandi cupidine accensus, contra Patrem arma cepit, sed ab eo victus est: interim ope Janizerorum, Achmeti primogenito prælatus, Patrem, qui ipsi Imperio cesserat, veneno sustulit, An. 1512. largus in Prætorianos Proceresque. Achmetem dein Sultani Ægyptii opibus subnixum, prælio vicit occiditque, Corchuto quoque altero fratre, quietis & literarum amante sublato: unà cum 8. nepotibus, quos pariter necari curavit. Cœtera animus laborum patiens, sobrius, liberalis, justitiæ tenax, Historiarum amans, poëseos quoque in sua lingua non rudis. Bello contra Persas, ad quos Achmet s fil. Amurates confugerat, primò infelix, postmodum prælio ad *Zalderane* victor, An. 1514. hominum amisit 50000. in reditu, per Euphratem transiturus, magnam insuper militum machinarumque jacturam passus. Post quæ plurimis Persiæ urbibus occupatis, Regulos varios subegit: Camplonem Gaurium, Ægypti Sultanum, vicit occiditque haud procul Alepo. An. 1516. quam urbem cum Damasco Syriaque tota subjugavit, Palæstina, per Sinanem Bassam, sub obsequium redactâ. Dein Tomumbejum, à Mamelucis recèns electum; Cairo capto, An. 1517. similiter vicit, Ægyptoque potitus est. Inde Constantinopolim reversum pestis corripuit, quare Adrianopolim gestandus, in itinere, in loco *Ciurl*, in Thracia; ubi Patrem sustulerat, Obiit. An. 1526. æt. 46. Leunclav. *lib.* 17. & *in Pand. Turc.* §. 225. Paul. Jov. *in Selim.* Mezeray *Hist. Turc.*

Selimus II. fil. Solimanni II. nepos Selimi I. patri successit, ann. 1566. æt. 42. postquam, parente adhuc vivente, Mustaphas & Bajazeth, fratres ejus majores, sublati. Meticulosus, effœminatus, ebriosus: nihilominus, per Pialam & Mustapham, Cyprum occupavit, An. 1571. per Ochialium verò in Barbaria & contra Melitenses rem feliciter gessit. A Christianis tamen, memorabili prælio ad Naupactum, victus, Hali Bassâ occiso: quo nuntio consternatus Selimus Adrianopolim se recepit, dein pace cum Venetis initâ. Obiit apoplexiâ, An. 1574. Iidem.

Selinus, urbs gemina cum fluv. cognomine; Una in orâ Siciliæ Australi, inter Thermas ad Ort. 18. & Mazaram ad Occ. millie pass. (licet Ptolom. ostia Selinuntis inter Mazaram & Lilybæum statuat) excisa, à Megarensibus; sive & Phœnicibus condita: *Terra di Pulici* hodie Fazello; fluv. vero *Madiuni* nominatur. Virg. *Æn.* 3.

Selinus portus, *Salonef* Mercatori; *Porto Alberto* Castaldo, portus

tus Marmaricæ inter Catabathmum ad Occ.& Parætonium urb. in *Salona*, & *Acbet Assoloni* Arab. cum portu capaci, in ora regni Barcæorum. Sansoni est Lybiæ portus, in ora maris Mediterr. hodie cæ, 28.leuc. Gall. à Parætonio in Occ.

Teq; datis linquo ventis palmosa Selinus.

Silius Italicus *lib.*4.

Audax Hybla favis, palmis quoq; onusta Selinus.

Altera in ora Ciliciæ, *Islenos* hodie Turcis, inter Jotapam ad occ.& Antiochiam super Crago ad ort. prope ostium Selinuntis fl. quæ & *Trajanopolis* dicta fuit, teste Xiphilino, quód ibi Trajanus Imp. decesserit. Luc. *lib.*8.

Quo portu mittitq; rates, recipitq; Selinus.

Selinus, fluv. Ephesi duplex apud Dianæ templum fluens. Plin.

Selinusius lacus est apud ostia Caystri fluv. teste Strab. *libr.* 14. Idem *Selenusia*.

Selium, op. seu pag. Lusitan. inter Conimbricam & ostia Mundi fluv. *Sellir* Vasconcello. Vel *Seira* pag. Conimbricæ proximus, ab eâ parum in ort. distans.

Sella, uxor Lamech. Gen. 4. Lat. *umbra*, *assatio*, sive *tinnitus*, aut Syriace *oratio*.

Sella, Ægypti Urbs; vel *Sela*, in Augustamnica prov. Concil. Ephes. teri.

Sella, mons Helvetiæ, in pago Suitensi, vulgò *Sattel*. In hoc Suitii, post duodecennale Helvetior. bellum cum Nobilibus, circa An. C. 1260. ob injurias illorum, quibus Habespurgii tum, Rodolpho postmodum Cæsare alibi occupato, mederi non poterant, gestum, turrim extruxerunt, & viam publicam vallo fossaque munierunt: quo tempore & reliqui Pagi primùm regionum suarum aditus munire cœperunt. V. Simlerum *de Rep. Helvet.*

Sella, pop. Epiri. Lucan. *lib.*3

——— *Quercusq; silentes*
Chaonio veteres liquerunt vertice Sella.

Σελλοὶ apud Homerum, & ex eo Strab. & Steph.

Sellas, nomen viri. 1. Esdr. 11.

Sellasia, urbs Laconicæ. Xenoph. Steph.

Selleis, fluv. Peloponnesi ex Pholoe monte in Arcadiâ profluens, ac inter Chelonatem promont. & Cyllenen urb. in Jonium mare delabens. Hom. *Iliad.* 6.

Ἤγαγεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.

Sellen, fil. Nephthali. Num. 26. qui Gen. 46. *Sallen*, & 1. Par. 7. *Sallum* dicitur.

Sellenes, Thelprotiæ fluv. Hesych.

Selles, fil. Helem. 1. Par. 7.

Selli, vel *Elli*, iidem qui *Dodonæi*. Steph.

Sellu, nomen viri. 2. Esdr. 11.

Sellum, fil. Jabes, Zachariâ occiso, regnum Israëlis occupavit: mense post, à Manahem, duce copiarum Zachariæ, occisus. An. M. 3264. 4, Reg. 15. Jos. *Antiq. l.*9. *cap.* 11. Filius Silamai. 1. Par. 3. Filius Josiæ. 1. Par. 5. Filius Nephthali. 1. Par. 7. qui Gen. 56. dicitur *Sallem*, & Num. 26. *Sellem*. Filius Sadoc. 1. Par. 6. Pater Ezechiæ principis. 2. Par. 26.

Sellun, fil. Col-Hoza. 2. Esdr. 3.

Sellus, nomen patris Æschinis, hominis omnium, qui tunc Athenis vivebant, vanissimi & gloriosissimi. Unde omnes jactatores Selli dicti & σελλίζειν usurpatur pro ἀλαζονεύεσθαι. Aristoph. *Vespis.*

Sellus, Hisp. Tar. fl. Avienus. Item vir quidam Atheniensis, qui cùm esset pauper, volebat tamen videri dives.

Selmai, pater Hagab. 2. Esdr. 7.

Selme, hodie *Salm*, caput Comitatus in Lotharienſium finibus, ad Saravi fl. fontem. *Salma* quibusdam auctoribus dicitur. V. Had. Valesium *Notit. Gall.* & supra in voce *Salma*.

Selmon, mons nivalis Ps. 68. in Ephraim, juxta Sichem. Item nomen viri. 2. Esdr. 7.

Selochusa, Ins. parva Peloponn. apud Spiræum prom. Plin.

Selomith, nomen viri. 1. Esdr. 8.

Selur, Indiæ citr. urbs. Ptol.

Selybria, Thraciæ urbs ad Propontidem, Ptol. mel. Σηλυμβρία Stephano. Strabo tradit antè *Selin* dictam, postea addita *Bria*, quod Thracum linguâ urbem sig. *Selybriam* appellatam. At Hesychius explicat Βρίαν τὴν ἐν ἀγροῖς κώμην. *Olybria* Suidæ dicitur. Cleandri, ob crudelitatem, Byzantio profugi, adventante Panthoidâ, receptaculum. Baudrando *Selivrée*, urbs Thraciæ, sed sine mœnibus. 35. m. p. à Byzantio in Occ. Perinthum versus 25.

Sem, filius Noæ, natus An. M. 1559. benedictionem à Patre impetravit, præterito Chamo. Obiit 2156. æt. 600. Gen. 11. Augustin. *de C. D.* 16. 3. Isidor. *de Vita & morte SS. &c.* Lat. *nomen*, *fama*, seu *ponens*, vel *positus*, aut *ibi*.

Semaath, mulier, 2. Par. 24. Lat. *audiens*, vel *obediens*.

Semachida, populus Atticæ in Antiochide, vel Epacriâ tribu, à *Semacho* quodam, cujus filiæ Bacchum hospitio susceperunt, ac deinde sacerdotes Bacchi ex eorum familiâ electæ sunt. Steph.

Semaia, V. *Roboamus*; fil. Secheniæ. 1. Par. 3. Item Pseudopropheta, Jer. *cap.* 29.

Semana sylva, *Thuringervvaldt* Pyramio, sylva Germ. inter Thuringiam, Voitlandiam, & Franconiam, Hercyniæ pars.

Semanthini montes, *Idisa* Mercatori, in Sin. ad Bor. quibus Sinenses à Seribus separantur.

Semarith, nomen mulieris, 2. Par. 14. Lat. *custodita*, vel *adamantina*, aut *spina*, vel *fex*.

Semathei, fil. Sobal, filii Hur, 1. Par. 2. Lat. *nominatus*, *positus*, *desolatus*, aut *stupefactus*.

Sembracena, urbs Sabæorum, sinui Arabico proxima. Ptolem.

Semeben, rex Seboim, Gen. 14. Lat. *nomen*, vel *fama robusti*, vel *fortis*, aut *alæ*, vel *pennati*, seu *destruens fortitudinem*, vel *alam*, aut *pennam*.

Semeger, unus ex principibus regis Babyloniorum Jer. 39. Lat. *aromata peregrini*, aut *ruminantis*, vel *certantis*.

Semei, fil. Gersom, Exod. 6. Filius Gera, ex familia Saul, maledixit Davidi, sed veniam ab ipso nactus, tandem sub Salomone luit. 2. Reg. 15. 16. 19. 3. Reg. 2. Filius Phadaia, 1. Par. 3. Filius Joel. 1. Par. 5. Filius Masma, 1. Par. 4. Filius Jeth, 1. Par. 6. Frater Choneniæ, 2. Par. 29. Lat. *audiens*, *obediens*, aut *nomen acervi*, vel *destruens acervum*.

Semei, fil. Onan, 1. Par. 2. Lat. *nomen meum*, aut *desolatio*, seu *perditio mea*, vel *stupefactio*, aut *cœli*.

Semeia, pater Uriæ prophetæ, 3. Reg. 12. Filius Hassub, 1. Par. 9.

Semeias, fil. Elisaphan, 1. Par. 15.

Semele, Cadmi, Thebarum regis filia, ex quâ Jupiter Bacchum genuit. Propert. *lib.* 2.

Narrabis Semele quo sit formosa periclo.

Vide Fabulam apud Ovid. *Met.* 3. Hinc *Semeleius*, unde *Semeleius Evan* Ovidio, & *Semeleus Thyoneus* Horatio Bacchus vocatur.

Semelia, civitas in Oriente, unde oriundus Abdala, qui transiens in Africam vocabat se Mehedi, & ædificavit civitatem de nomine suo *Mehedomiam*. G. Tyrius *lib.* 19. *cap.* 21.

Semer, nomen viri, 3. Reg. 16.

Semerias, nomen viri, 1. Esdr. 10.

Semeron, civitas in tribu Zabulon.

Semeron, nomen montis, 2. Par. 13. ad quem Abia, rex Juda, vicit Jeroboam, in Tribu Ephraim.

Semeronius, Babylonius Persa historicus, citatur à Chronici Alexandrini auctore, *pag.* 88.

Semiamira, Heliogabali Imp. mater, in cujus gratiam hic Senatum mulierum, in colle Quirinali, instituit. Æl. Lampridius *in Heliogabalo.*

Semi-Ariani, ex Arianis oriundi, Patri Filium, non quidem per naturam, sed per gratiam, quantum in creaturam cadere potest, similem esse docuerunt: in hoc ab Arianis diversi, qui nullam hic in Essentia similitudinem agnoverunt: Atque, ut suæ hypothesi velificarentur, in Actis Syn. Nicenæ ὁμοιούσιος loco ὁμοούσιος substituére. In conciliis Sirmii & Seleuciæ habitis, Filium Patri per omnia similem esse dixere, in hoc ab Acacianis separati, postmodum tamen, omnibus Macedonianorum deliriis subscripserunt. Socr. *lib.* 2. Ruffin. *lib.* 1. Theodoret. *lib.* 4. *hær. fab. cap.* 3. Sozomen. *lib.* 4. Sulp. Severus *Hist. sacr. lib.* 2. *&c.*

Semida, fil. Galaad, 1. Par. 7.

Semigallia, prov. Poloniæ, aliàs Livoniæ pars, nunc sub Duce Curlandiæ. Terminatur a Sept. Livonia, à qua fl. Duina separatur, à Mer. Samogitia, & ab Occ. Curlandia. Ab Ortu in Occ. extensa. Ejus urbs prim. Mittavia, sedes Ducum, è gente Ketlera; ibique opp. Doblinum & Bausca. V. *Livonia*.

Semigermani, Livio Helvetii dicuntur, quia, ut ait Cluverius, eorum lingua Germanorum, quàm Gallorum sermoni propior fuit. Postquam enim Rhenum transgressi sunt, probabile est eos se & linguæ & moribus Germanorum, labente tempore, assuefecisse, Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Antiq.*

Semiguntus, Segesti fil. Cheruscorum ductor, à Germanico in bello captus est, & in triumpho ductus. Strab. *lib.* 7.

Semipelagiani, Hæretici in Gallia exorti, sec. 5. qui rejectis Pelagianorum dogmatis ea tamen docuerunt, è quibus in illa per consequentias relabebantur. His Cassianus, vir aliàs doctissimus, variis Massiliæ eruditi, nec pauci Episcopi, non bene intellecto S. Augustino, præiverunt. Nimium arbitrio libero tribuentes, quæ Vir hic Dei, de Gratia, & certorum hominum electione docuit, damnaverunt: Qua de re à Prospero monitus, scripsit contra illos de Prædestinatione, & Perseverantia, Prosper. *Ep. ad Aug. ad Ruf. de ingr. &c.* Baronius, *in Annal.* Cassianus, *Collat.* 2.

Semiramidis mons, pars Zagri, Mediæ montis, ubi pylæ Zagri, à Semiramide, quæ illum abscissum pervium reddidit. Hodieque *Semirami* Nigro. Diodor.

Semiramis, Assyriorum regina, Nini regis uxor, ut quidam volunt, quæ post viri obitum, quód intelligeret Assyrios gravatè mulieris imperium passuros, dissimulato illius obitu, personam ejus assumpsit, donec filius Ninus adolesceret, regnoque administrando, idoneus fieret. Justinus, *lib.* 2. Conon apud Photium *Narrat.* 9. tradit Semiramim non uxorem Nini, sed filiam fuisse. Ait præterea Justinus, illam, concubitum cùm à filio petiisset, ab eodem interfectam. An. M. 2038. secundùm alios, 2090. Conon verò longè aliter. Scribit enim cùm imprudens & ignara cum filio coiisset, re cognitâ eidem nupsisse, & ex eo tempore licitum semper fuisse Persis commisceri matribus. Hæc tanto libidinis ardore æstuasse dicitur, ut post mariti mortem, non admiserit solùm,

lùm, ſed etiam provocaverit ad Venerem pleroſque ex ſuis militibus, qui formâ eſſent elegantiore, quos poſtea crudeliter necabat. Et quod omnium longè turpiſſimum eſt, equum ab eâ adamatum, usque ad coitum, Juba teſtis eſt apud Plinium. Fuit & iracundiâ tam vehementi, ut ei circa cultum corporis occupatæ, quum nunciatum eſſet, Babylonem defeciſſe, æſtuans alterâ parte incomptâ ad eam expugnandam cucurrerit. Juvenalis:

Quod nec in Aſſyria pharetrata Semiramis urbe,
Mœſta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.

Ovidius 1. *Amor.*

Qualiter in thalamos formoſa Semiramis iſſe
Dicitur, & multis Lau amata precu.

Semiramis autem ſecundùm nonnullos Aſcalonita fuit, quæ quarto loco apud Babyloniam annis 40. regnavit. De hac narratur, ſuam effigiem in lapide cujus longitudo 17. ſtadiorum eſſet, exſculpi juſſiſſe, centumque ſacerdotes ſtatuiſſe, qui ſolemni ritu atque pompa eam venerarentur, variisque ſacrificiis eſſitarent ac ſi Numen aliquod divinum eſſet. Hæc anteceſſit militiâ, triumphis, divitiis, victoriis omnes mortales. Ipſam urbem Babylonem maximam ex oppido fecit, ut magis dici poſſit illam ædificaſſe, quàm ampliaſſe. Vide *Babylon.* Cùm expiravit, in columbam verſa eſt: ideo abſtinent Syri ab his avibus. Tibul. 1. 7.

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro.

Capello quidem *Semiramis* non eſt *columba*; ſed Hebraicè *Semiram*, hoc eſt, *nomen meum eſt altum*. At verò, quia Heſychius ait: Σεμίραμις περιστερὰ ὄρειος Ἐλλαδιστί, ideo Bocharus vocem conflatam ex duabus Arabicis putat סרי *Sera* ſcil. & המאמה *hemam*, quarum illa *montem*, hæc *columbam* ſonat. Columba etiam vexillum Babyloniorum inſigniebatur, teſte Diod. Siculo, quod inſinuat Hieremias *cap.* 25 exhortans Hieroſolymitanos, ut fugerent à facie iræ columbæ, id eſt, Babyloniorum, quos columba, hoc eſt, Semiramis, armorum ferociâ magis quàm Ninus, inſtruxerat. Aquinas. Cavendum hic, ait Voſſius. Semiramim intelligas Nini uxorem. Nec enim Ninus uxorem ejus nominis habuit, vel ſi ſic dicta, alia ſaltem eſt, quæ ſic à Græcis celebratur, eaque annis junior amplius mille. Melius Græcis iſta norant Phœnices. Audiamus igitur Herennium Philonem Byblienſem, ex quo ſic Stephanus, ubi de Babylone: Βαβυλὼν ... ἀνδρὸς σοφοῦ, παιδὸς Βήλου σοφωτάτου, οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος, ταύτης γὰρ ... ἔτεσι χιλίοις δύο ὡς Ἑρέννιος, prout eum locum ex MSS. legit clariſſimo Salmaſio obſervatum.

Semiramoth, ſacerdos quidam, 1. Par. 13. Latinè, *cœlorum altitudines*, aut *nominis ſublimitas*.

Semirus Plinius, *Simari*, fluv. magnæ Græciæ, in Sinum Scylletium, ultra Scyllacium urbem influens, cum oppid. cognomin. quod alluit, à littore mill. paſſ. à Catacio 6. à Scyllacio 12. in Ort. recedens.

Semla, quintus rex in Edom, Geneſ. 36.

Semlai, nomen viri, 1. Eſdr. 2.

Semma, filius Age, 2. Reg. 23.

Semmaa, pater Jonadab, frater David, 2. Reg. 13.

Semneſerteus, rex fuit Ægypti, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit.

Semnones, ſeu *Senones*, Ptolem. pop. Italiæ in orâ Umbriæ, mari Adriatico expoſiti, inter Æmil. ad Occ. & Picenum ad Ort. Baudr. Pop. fuere Galliæ Ciſpad. ubi hodie pars Or. Romandiolæ: Eorumque urbes fuere Ravenna, Ariminum, Cæſena, Forum Popilii & Forum Livii. Item pop. Germ. ſub Vindilis. Ptol. quorum regio Marchia Brandeburgenſis hodie dicitur. Baudrando ubi hodie Luſatia & pars Sileſiæ infer.

Semones, ex illo Deorum numero, qui minorum gentium appellabantur, & ex hominibus relati in Deos: majores ſcil. hominibus, minores Diis. Fulgentius *de vocibus antiquis*: *Semones dici voluerunt Deos, quos cœlo nec dignos adſcriberent ob meriti paupertatem: ſicut Priapus, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent, per gratiæ venerationem.* Ovid. *Faſt.* 5.

Quærebam nonas Sanco Fidione referrem,
An tibi Semo pater. ——

Ubi *Sancus* vel *Sanctus Semo* dicitur non tam proprio nomine, quàm quod commune & aliis eſſet hujus generis Diis. Liv. *lib.* 8. *Bona Semoni Sanco cenſuerunt conſecranda.* Vetus Poeta de Planetis apud Joſ. Scal. *lib.* 2. *Lect. Auſon. cap.* 19.

Terque die ternos puro de veſpere tollens,
Semonis Dii completur circulus anno.

Ubi *Semo Deus* Mercurius eſt, uti interpretatur Scaliger dicto loco. Nota autem hic alteram in *Semonis* produci, quod contra naturam originis videtur. *Semones* enim qu. *Semi-homines*, quod & Lipſio viſum *Ant. Lect. lib.* 2. *cap.* 18. Cæterùm media in *hominis* correpta eſt, non producta. Sed vetuſtiſſimi Latinorum non *homo, hominis*, ſed *hemo, hemonis*, dicebant, ſecundâ productâ. Ennius apud Priſcianum *libr.* 6.

Volturis in ſilvis miſerum mandebat hemonem.

Ubi *Volturis* nominativus antiquus eſt. Feſtus: *hemona humana: hemonem hominem* dicebant.

Sempacum, vel *Sempachium*, vulgò *Sempach*, opp. Helvetiæ, in Argovia reg. ad caput lacus cognominis, vulgò *Sempacher See*, de quo infra. Olim proprios habuit Nobiles, e quibus *Albertus* floruit, circa An. Chr. 1166. Dein ad Auſtriacam familiam pervenit. Incolæ jus civitatis adepti ſunt à Lucernenſibus, Ann. Chr. 1385. à quibus præſidium accepere bello contra Leopoldum Archiducem, qui An. 1386. oppidum gravi obſidione cinxit, mox ab Helvetiis, quos nimis contemptim ſpreverat, ingenti clade die 9. Julii affectus cæſusque. A quo tempore Sempachium, unà cum Surſejo opp. in Lucernatum clientela eſſe cepit: habet tamen proprium Conſilium, cauſas tam civiles, quàm criminales judicans; cujus princeps *der Schultheiß*, à Senatu Lucernenſi, ſed ex civium Sempachianorum numero eligitur. Lacus ſupra dictus, prope Sempachium incipit, Orientem verſus: oppidulum verò Surſejum, ad egreſſum fluvii *Sur* ex iſto lacu, qui à Merid. Septentrionem verſus porrigitur, ſitum eſt, vide Stumpf. *Chron. Helv lib.* 7. *cap.* 35. Simlerum *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantin. *Helv. Nov. antiq &c.*

Sempronium, ſeu *Soproninum*, opp. Pannon. ſuper. à *Sempronio* Secundino cive Romano conditore dictum, in Hungariæ & Auſtriæ confin. inter Viennam & Sabariam, *Oedenburg* Lazio. Baudrando *Sopron* Ungar. urbs eſt munita Hungar. infer. prope Peiſonem lac. 8. mill. Germ. à Poſonio in Merid. ſub Auſtriac. in limite Auſtriæ infer. Hinc *Comit. Sopronenſis.*

Sempronius Atratinus, Conſul, ab Urb. C. ann. 331. Hic Σοφὸς dictus eſt.

Sempronius Denſus, centurio prætoriæ cohortis, qui in conjuratione Othonianâ, ſtricto pugione occurrens armatis & ſcelus exprobrans, ac modò manu, modò voce, vertendo in ſe percuſſores, quanquam vulnerato Pisoni, effugium dedit, Tacit. *Hiſt.* 1. 43.

Sempronius Gracchus, vide *Gracchus.*

Sempronius Rutilus, prænomine *Marcus*, inter tribunos Cæſaris, in Galliâ. Vide *Comment.* 7. *fine.*

Sempronius, mons inter Oſcellam opp. Inſubriæ & Sedunos trajiciendus, vulgò *M. Sempron. & Den Sempeler. Mont Sempione* Baudrand. pars Alpium Penninarum, 40. m. p. à Seduno in Ort. 24. ab Oſcella in Bor. verſus Rhodani fontes. Plantino mons Valleſiæ eſt, e regione Brigæ, alit. *mons Scipionis*, hodie Germ. *Simpelberg*: Gall. *S. Plomb*; Ital. *Sampione*: Marliano *mons Briga*, à vico proximo. Ex hoc monte, quà vicum reſpicit, fluv. Salcina, quà Italiam, fluv. Athiſo oriuntur. Per eundem ad Lepontios Tranſalpinos iter eſt, neque procul his montes dicti, vulgò *Paſſet, & Matter* Vide Munſter. *lib.* 3. Simler. *in deſcr. Valleſiæ lib.* 1. *& Comm. de Alpibus*, Joh. Bapt. Plantinum *Helv. nov. antiq. &c.*

Semran, filius Iſſachar, Num. 2.

Semri, filius Samaja, 1. Paral 4.

Semri, in tribu Benjamin, Hieron.

Semurium, vulgò *Semur en Auxois*, urbec. Duc. Burgundiæ, in Alexienſi tractu, ad Armantionem fluv. 10. leuc. ab Auguſtoduno in Bor. 11. ab Antiſſiodoro in Eur.

Semurium, vulgò *Semur en Briennois*, oppid. Duc. Burgund. in colle, in tractu Auguſtodunenſi. Vix 1. leuc. à Ligeri in Ort. 3. infra Rhodumnam in Bor.

Semurium, campus Romæ vicinus, in quo erat templum Apollinis; cujus meminit Cicer. *in Anton.* & Macrobius, ubi de Accâ Laurentiâ loquitur.

Semus, Eleus Grammaticus, de quo videndus Voſſius *de Hiſtor. Græc. pag.* 413.

Sen, nomen loci, 1. Reg. 7.

Sena, Inſula parva Britanniæ min. *l'Iſle de Sain*, in ora Or. Curioſolitatum, inter Syrtes & Brevia, vix una leuc. ab ora in Occ. ut à vico *Ras Fontene*, 18. autem à Coriſopito; 5. à Gobæo promuntor. in Merid.

Sena, Piceni ſive Umbriæ in Italia opp. in litore Adriatici maris, non longè à Metauro fluv. An. 396. U. C. 3730. Mundi, à Gallis Senonibus conditum, & appellatum, ut ex Polybio conſtat *lib.* 2. Unde *Senogallia*, ſeu *Sena Gall.* dicitur Plinio *lib.* 3. *cap.* 4. Sil. *lib.* 8.

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Idem *libr.* 15.

—— *Quà Sena relictum*
Gallorum è populis ſervat per ſecula nomen.

Baudrando urbs eſt Ducat. Urbini, ad oſtia fluv. Nigolæ, in mare Adriat. ſatis lepida in planitie, verſus limites Marchiæ Anconitanæ. Antea ſub Malateſtis, dein ſub Ducibus Urbini, ſub quibus etiam caput erat dominii ſeparati, nunc ſub Pontif. à tempore Urbani VIII. Hic inter Rom. & Haſdrubalem pugnatum, Polybius, Liv. &c. Alia urbs ampla Hetruriæ in eâdem Italiâ, quæ hodieque durat, elegantiâ ſermonis Italici celebris, intra colles ſita, caput agri Senenſis, in limite agri Florentini: Condita eſt à Gallis Senonibus, poſt captam à Brenno Romam. Dein Colonia fuit Roman. Imperio declinante varias ſubiit viciſſitudines, multiplicemque paſſa dominatum eſt; exin Caput fuit Reipubl. per aliquot ſecula, ſed tandem, poſtquam à Carolo V. præſidio Hiſpan. ejecto defeciſſet, An. Chr. 1552. recepta ab Hiſpan. Ann. Chr. 1554. magno Hetruriæ D. qui eam aſtutè Hiſpanis extorſerat, Thuan. *Hiſt. lib.* 18. ceſſit, cum tota dit. Arcem habet pentagonalem inſtructiſſimam. Cives ingenio pollent, Academia celebris, Patria eſt Bernardini, Ambroſii, Catharinæ tanti inter ſuos nominis, Joh. Colombini, qui

qui Jesuatum fundavit ordinem, Alexandri III. Pii II. Pii III. Alexandri VII. PP. &c. è quibus Pius II. Episcopatum urbis in Metropolitanam evexit dignitatem. Basilicam porro urbs habet magnifici operis totam è marmore, in qua aliquot Imperatorum Pontificumq; tumuli; Nosocomium, Cœnobium Dominicanorum, & Franciscanorum, Palatia, vicos, non minus admiranda: Fontes egregios, quorum præcipuus in foro *la Branda* nomine, alia, quæ V. apud Blondum *Ital. Illustr.* Leandrum Albertum & Merulam *descr. Italia.* Jugurtam Tomasinum *Hist. di Siena.* Orlandum Malavoltium *de Fatti & Guerre de Senesi.* Guicciardinum *Histor.* Paulum Jovium, &c. Post Concil. Constant. aliud Papiæ indictum est à Martino V. An. Chr. 1423. quo cùm nemo confluerer, Senas id transtulit. In eo conclusum, ut ossa Viclefi 40. jam ann. sepulta exhumata cremarentur: præterea Antipapæ Benedicti XIII. condemnatio confirmata est, cujus partes cùm Alphonsus Aragonius tueretur, discordiâ inter Patres obortâ, cœtus dissipatus: pauloque post Basileæ Concilium pro Reformatione Status Ecclesiastici indictum est, ubi præsente Sigismundo Imp. liberius in auctoritatem Pontificum inquiri cœpit, A.C. 1431. & seqq. V. Platinam *in Martino V.* De utraque plura Cæsar Orlandius *de urbis Sena, ejusq. Episcopatus antiquitate.* Item, Urbs Asiæ Scyth. Est & Flaminiæ sive Æmiliæ fluv. *Sena.* Vide *Senna.*

Senaa, civitas, in tr. Benjamin, 1. Esdr. 2. Lat. *rubus*, vel Syriacè *inimicus.*

Senaab, rex Adamæ, Gen. 14.

Senator, ab ætate: nomen à Romulo impositum iis, penes quos consilium Reip. esse voluit, qui ex auctoritate *Patres* quoque dicti. Eosdem Lycurgus *Gerontes*, Apollo *Presbygeneas* appellavit. Summæ postea, sub Rodolpho I. Imp. apud Romanos dignitatis id nomen fuit, qui Carolum Siculum, An. C. 1280. *Senatorem* dixere, dignitate hac posteà motum à Nicolao III. qui ejus potentiam veritus, conjurationis Siculæ auctor extitit. V. Fiorum, Marin. *lib.* 3. P. Æmil. *lib.* 3. Pap. Masson. *lib.* 3. *Hist. &c.*

Sendomiria, urbs Poloniæ min. à Tartaris, tempore Boleslai Pudici Regis, horum metu in Hungariam profugi, arx inprimis, crudelissime habita, An. Ch. 1240. Cromer. *lib.* 9. Synodus hic celebrata, contra Stancari hæresin, sec. præt. Lasicius *l.* 7. *de gestis Fr.* similiter A.C. 1570. ibidem Synodo habitâ confessionis Bohemicæ, Augustanæ & Helveticæ consensus initus est, constitutaq; prætereà multa quoad ordinem & ritus Ecclesiæ. *Sendomiriensis* Palatini Georgii Mencziosk ii filia, consensu Regis, nupsit PseudoDemetrio, à Moscis in M. Ducem electo, sed ab iisdem novissimo ante nuptias die, quòd Germanos corporis custodes sibi parasset, multis vulneribus interempto: post quæ sponsa omni mundo spoliata, in Poloniam suam remissa est, An. C. 1616. Thuan. *Histor.*

Sene, rupes opposita rupi Boses, 1. Reg. 14. In tr. Benjamin, ubi Jonathas prostravit Philistæos.

Seneca, L. Annæus Seneca Philosophus, Cordubensis, patrem habuit M. Annæum Senecam ordinis equestris eruditissimum, qui, eloquentiâ inclytus, ex Elbia genuit Senecam Annæum, Novatum, & Annæum Melam, patrem Lucani poetæ. Seneca Philosophiæ totum se addixit: Novatus, per adoptionem, Junius Gallienus dictus, non eruditus modò, sed & amplissimis muneribus defunctus fuit: Mela verò patriâ fortunâ contentus vixit. L. Annæus, à Patre primò in Eloquentia institutus, audiit in Rhetorica Hyginum, Cestium, Asinium Gallum; in Philosophia, Socionem Alexandrinum & Photinum, Stoicos. Ab initio jam Caligulæ Imperii, eloquentiæ specimen præbuit, coram Senatu causam perorans, nixus Cneii Domitii, qui Agrippinam Germanici filiam duxerat, favore: Sed ne æmulum sentiret Caligulam, in posterum siluit. Postea adulterii, cum Domitii uxore suspectus, in Corsicam Insf. relegatus est, ubi biennium commoratus, libros de Consolatione scripsit, ad matrem & Polybium, aliaque quædam. Ab Agrippina dein, quæ Claudio nupsit, revocatus, & Neronis educationi admotus est, qui hoc præceptore tantopere profecit, ut quinque annos laudatissime imperaverit, donec à Poppæa & Tigellino ad deteriora inflexus est. Cujus proin vitia eùm Seneca subinde reprehenderet, per libertum Cleonicum, veneno illum tollere decrevit: Sed agri solùm fructibus & nudâ aquâ contentus insidiis non patuit. Postea verò, cùm audisset Nero, conscium Senecam Pisonianæ conjurationis fuisse, mortis optionem ipsi obtulit, qui venis sectis, cùm sanguinem tardius meare animadverteret, à Statio Annæo Medico suo, cicutam petiit: quæ cùm nil in exucco corpore efficeret, balneum ingressus, aquâ proximos aspersit, Jovi Liberatori hæc libare se dicens, ibique obiit, An. Ch. 65. regni Neronis 12. Tacit. *Annal. lib.* 12. 14. 15. Sueton. *in Ner.* Dio, A. Gellius, Quintilianus, Xiphilinus inprimis, aliter de Seneca sentiunt. V. Lipf. *in vita Sen.* Delrium *in Com. &c.* Fuerat Prætor, Quæstor, & secundùm quosdam Consul. Philosophus de Beneficiis scripsit libros 7. de Irâ libros 3. de Clementiâ ad Neronem libros 2. de Vitâ beatâ, de Tranquillitate, & de Brevitate vitæ, & alia. Nam Declamationum libri ad patrem pertinent. De Philosopho, & ejus eloquentiâ judicium habes Quinctiliani cap. 1. Aliorum ex observatione Gellii *lib.* 12. *cap.* 2. quibus respondit Lipsius, quem vide. Fuit quoque tertius *Seneca* Tragœdus, habentur que hodie 10. Tragœdiæ *Seneca* nomen præ se ferentes, de quarum auctoribus diversa eruditi tradunt. Porro *Senecam* dictum qu. canus natus sit, Cassiodorus tradit.

Senecíacum, locus in agro Matisconensi, *Senecy.*

Senecio, vir in Bæticâ natus, & ibi Quæstor, cujus mem. Tacitus & Plin. *Ep.* 5. Homo turbulenti ingenii, & quòd omnia grandia cuperet, *Grandio* vocatus. Sen. *Suasor.* 1. V. *Herennius Senecio.*

Senega, fl. Afr. in Nigritia maximus, seu potius ramus præc. Nigri, maxime Bor. aliàs *Darat*, in Oceanum Atlant. se exonerat, prope Arsinarium prom. ubi Francorum colonia. Ei adjacent Urb. Genehoa, Tombutum, aliæque. Excurrit ab Ortu in Occ. inter regna Genchoæ & Jalofarum.

Senela, nomen viri, 2. Esdr. 11.

Senensis ager, pars ampla Tusciæ versus Austr. inter agros Florentinum & Pisanum ad Bor. & Occ. mare Tyrrh. ad Mer. & dit. Pontif. ad Ort. Nunc sub M.D. Hetruriæ. Ejus pars Austr. dicitur maritimus ager, *la Maremma di Siena*, ex qua excerptæ fuere duæ ditiones satis parvæ, nempe Principatus Plombini, sub proprio Principe, sub clientelâ tamen Hisp. & Status Præsidii, ubi Orbetellum, Telamon, Portus S. Stephani, Portus Herculis & mons Philippi: quæ sub Hisp. Caput hujus agri est Sena, V. *ibi.* Aliæ urbes, Mons Alcinoi, Collis, Pientia, Suana, Clusium, Massa, & Rossetum. Sunt etiam partes agri Sen. Insulæ Ilua, Dianium, Ægilium, Mons Christi & Planasia, in mari Tyrrh.

Senescallus, idem quod Major domus, apud Rob. de Monte, in *An.* 1170. *pag.* 649. Hanc *Senescalciam*, vel, ut antiquitus dicebatur, Majoratum domus Regiæ, Robertus Rex Francorum dedit Gaufrido Grisogonellæ, Comiti Andegavensi, quòd sibi contra Ottone Imp. fideliter adstitisset. Non obtinuit autem *Senescallus* integrum Majoris domus officium. Pipinus enim, qui hoc aliquando gesserat, & ex ejusdem amplitudine Regnum Franciæ adeptus erat, Majoratus istius officium sustulit, & arctiori potestate Præpositum mensæ constituit, quem à Teutonico *Senescalcum* & *Senescalcum*, appellavit. V. Fauchet. *pag.* 25. Henr. Spelmannum *Glossario Archæol. &c.*

Senia, opp. Illyrici, Plin. 3. 21. *Zeng* Germ. Baudrando urbs Croatiæ in ora maris Adr. Ep. sub Ar. Spalatino, 35. m. p. ab Ænona in Bor. 50. ab ostio Arsiæ. Estque munita, cum arce valida. Hac urbes Croatas pepulerunt Veneti, An. C. 1617.

Senior, honoris atque dignitatis nomen, ab ipsa natura constitutum, quod & ideo juvenes ambiunt. Ovid. *Fast.* 5.

Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inq; suo pretio ruga senilis erat.
Martis opus juvenes, animosaq; bella gerebant &c.

Item pro Rege, apud Aimoin. *lib.* 5 *cap.* 24. sub finem. Unde *Seniorale*, dignitas Regia vel Dominica, Gall. *Seigneurial*, vel potius *Seigneurie*: Concil. Meldens. *An.* 845. *cap.* 7. *Si vultis regnare, ac vigorem regium ac* Seniorale *optatis habere &c.* V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Seniores, pro Regni Magnatibus, aliàs *Antiquiores* dicti: Concil. sub Henr. II. apud Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.* Apud Germanos *Seniorum*, qui honores gesserant, & pace ac bello inclaruerant, maxima olim auctoritas. Horum præcipue consilio Reip. regebatur: Hi, si quid accidisset, evocati convenire, & à Regibus consuli, ac libere sententiam dicere consueverant, Cæsar *Comm. lib.* 4. ubi illos *Majores natu*: Dio *lib.* 39. ubi πρεσβυτέρους eosdem vocat, &c. Claudianus Majores natu Alarici Vesigothorum R. assessores & Consiliarios facit, eosque nunc *primos suorum*, nunc *Patres & Curiam Getarum*, nunc *graviores natu*, *Senes* atque *grandævos* appellat, *lib. de bello Getico.* Idem Sidonius *Carm.* 7. facit. De Ostrogothis simile quid narrat Procopius *lib.* 2. *de bello Goth.* ubi Vitigem multos è *Senioribus* convocare solitum esse, scribit. V. eundem *lib.* 3. de Totilæ clade verba facientem. Apud Francos hinc, Germaniæ gentem, *Seniores* sive Majores natu erant atque vocabantur, qui, postquam civiles aut militares Magistratus gesserant, aut in Palatio militaverant, jam ut ætate, sic dignitate provecti, pars in urbibus Regni Franciæ, pars in villis suis agebant, tanquam emeriti ac veterani. His magnus ab omnibus honor habebatur: Hi Comitum & Ducum jus dicentium: Hi Regum Consiliarii, assessores, convivæ erant. His inconsultis nihil magnæ rei gerebatur. Talis Cundo fuit, quem Fortunatus scribit, à Tribunatu ad Comitivam, hinc ad Domesticatum pervenisse, ac demum inter *Potentes sedere jussum*, & Sigiberti Regis factum esse *Convivam.* Talis Hagnericus, Theodeberti Austrasiorum Regis Conviva & Consiliarius: Talis ex Senioribus Rotomagi Francis, quem Fregedundis ad convivium invitavit, apud Gregorium Tur. *Hist. Fr. lib.* 8. *cap.* 31. Tales denique *viri Fortiores, qui in urbe erant Suessionica atq; Meldensi*, & à Childeberto R. alterum filiorum ejus petierunt, apud Eund. *lib.* 9. *cap* 36. Dicti quoque passim *Francorum Sublimes*, *Nobiles*, *Primi apud Regem*, *Seniores laici*, *Majores Regis*, *Meliores natu Regni*, *Priores Regis*, *Regni Principes*, *Viri Optimi & Optimates &c.* Hodie *les Seigneurs de la Cour* seu *les Seigneurs* absolute: necnon *les Grands du Royaume*, & absolute *les Grands* vocantur: Verum hæc appellatio non jam ætatis est, sed dignitatis. Appellationem *Seniorum* Itali ab Ostrogothis, Longobardis & Francis, olim in Italia dominantibus: Hispani à Visigothis, omnibus Germaniæ populis, transmissam acceperunt: quâ etiamnum

etiamnum utuntur in salutationibus, & eâ voce dominos designant; eodem nomine in scriptis etiam Regem honorantes, *Seniorem Regem*, id est, Dominum Regem appellando. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.* in voce *Rotomagum*.

Seniores quoque dicti, in unitate Fratrum Bohemorum, qui principem sacrorum curam gesserunt. Ab horum 52. Ecclesia Fratrum in Bohemia & Moravia, gubernata est per annos 180. usque ad An. Chr. 1627. Vide in voce *Fratres*.

Senius Rufus, annonæ præfectus, sub Nerone, Tacit. *lib.*13. 22. Vide *Fenius*.

Senna, vulgò *Misa*, fluv. Umbriæ in orâ Senonum ad Senam Gallicam urb. mari Hadriatico acceptus, Luc. *lib.*2.

Sennaq; , & Adriacas qui verberat Aufidus undas.

Ortelio *Cesano* esse videtur, inter Fanum & Senogalliam.

Sennaar, campus Babylonis, in quo regnavit Nimrod, Gen. 10. de quo vide Bochart. *Phaleg. lib.*1. *cap.*5.

Sennabaris, mansionis nomen ad trigesimum stad. à Tiberiade distans. Joseph. Α'λωσ. *lib.*3. *cap.*16.

Sennacherib, post Salmanasarem patrem, Assyriorum Rex, An. M. 3319. blasphemus in Deum, per nuntios minatus est Ezechiæ regi Judæ, & populo. Judæam vastavit, Jerosolymam obsedit. At verò tandem, ad preces Esaiæ, & Ezechiæ, Angelus Domini occidit unâ nocte 180000. militum Sennacherib, An. M. 3324. Reversus itaque, cùm adoraret in templo Nesroch, Deum suum, Adrumelech & Sarasar filii ejus, quos ibi mactaturus erat, occiderunt eum. Vide *lib.* 4. Reg. 18. & 19. *cap.* & *lib.* Paral. *cap.*32. Esai. *cap.*37. & Joseph. *lib. Antiq.* 10. *cap.* 1. & 2. Ei successit Asarhaddon filius minimus. Lat. *rubus destructionis*, vel *gladii*, aut *solitudinis*, sive *siccitatis*. aut ex Hebræo & Syro, *inimici gladius*, vel *destructio*.

Sennesser, filius Jechoniæ, 1. Paral. 3.

Senogallia, vide *Sena*.

Senomani, Gallicè *Les Manceaux*, prius *Lemani* vocati à *Lemano* principe, qui *Lemanum* civitatem de suo nomine condidit, seu potius restituit, ac restauravit. Antea enim istud opp. Sarrhon, Samothæ nepos condiderat, quod Sarrham, vel Sarrham nominaverat: istudque postea Druidæ bello in Lemanos moto diripuerant, ac solo funditus æquaverant. Lapsu verò temporis Lemani & Senones bello inter se concitati, multisque prælIis utrinque commissis pacem inierunt, ac fœdere percusso, ex utraque gente unicam fecerunt: eâ tamen conditione, ut nomine composito vocarentur; cujus nominis 2. priores syllabæ *Senones*, 2. posteriores *Lemanos* significarent. LLoyd.

Senones, pop. Galliæ finitimi Belgis, qui Brenno duce urb. Romam incenderunt, & Capitolium obsederunt: contra quos Furius Camillus pugnavit: etiam in Græciam postea armorum terrore prolato celebres. Σένωνες Straboni, Σήνωνες Polybio. Stephanus: Σένωνες, ἔθνος Γαλατικόν. Luc. *lib.*2.

Nos primi Senonum motus, Cimbrumq; furentem
Vidimus. —— ——

Silius *lib.* 8.

—— *Senonum de nomine Sena.*

Claudianus:

Et Senonum quatit arma fragor.

Apud hos, quorum civitas inprimis firma, & magnæ apud Gallos auctoritatis, Cavarinum Cæsar Regem constituit: cujus ante frater Moritasgus, ejusque Majores regnum obtinuerant. Hi suum Senatum habuere, ut cæteræ Galliæ civitates. A principibus Galliæ iis, ad Alesiam ab obsidione Roman. liberandam, ut & aliis populis, 12000. virorum imperata esse, refert Cæsar *lib.*7. Apud eosdem Decentius, cùm Magnentium fratrem Lugduni, à Constantio Imper. superatum, se gladio parieti innixo confodisse accepisset, & ipse laqueo vitam finiit, Pomp. Læt. Senones Gallos apud Clusium in Hetruria, Legionem Rom. ita extinxisse tradit Liv. *lib.*10. *dec.*1. sub L. Manlio Torquato legato, ut nec nuntius cladis superesset. Baudrando popul. fuere celeberrimi, Gall. Lugdunens. qui prov. Lugdunensi quartæ, cujus caput urbs Senonum est, nomen dedere, à Sequana ad Ligerim longè lateque pertinentes, Romanorum terror. Erant inter Parisios & Meldas ad Bor. Tricasses ad Ort. Æduos & Vadicasses ad Merid. & Aurelianos ac Carnutes ad Occid. Horum regio hodie *le Senonois*; Fuitque aliàs Burgundiæ Duc. pars, non quòd Burgundiæ unquam alligata sit, ut ait Valesius, sed quia, quidquid Guntchramnus Francorum Rex obtinuit, à majori parte Burgundia dicta est: nunc autem Campaniæ Præfecturæ tribuitur. Hanc regionem Chora & Icauna flumina à provincia prima Lugdunensi dividunt. Eorum caput erat Agenditum, seu Senonæ & Senones, *Sens*, urbs ad Icaunam fluvium, inter Lutetiam ad Bor. & Autissiodorum ad Merid. 15. leucis à Trecis in Occid. Antiquissima, ut quæ anno post diluvium 149. ante Trojam 529. condita fertur. Carolinorum regno sub propriis Comitibus, postea à Roberto Reg. capta est, An. C. 1005. Præcipuum ibi templum S. Stephano sacrum, magnificis structuris, duabus inprimis ingentis crassitiei turribus, & sumtuosissimâ basi altaris principis omnium admirationem meretur. Archiepiscopus Senonensis Primatis Galliæ & Germaniæ titulum sibi sumit, habuitque olim suffraganeos Episcopum Parisiensem, Carnutensem, Meldensem, Aurelianensem, Trecensem, Autissiodorensem & Nivernensem: Nunc postquam Parisiensis sedes Metropolitanâ dignitate aucta est, tres solùm ultimi ipsi remansere: Lugdunensisq; Præsul Primas Galliæ eluit. Iidem popul. nomen dederunt pago *Senonico*, id est, agro suburbano Agendico Senonum subjecto & circumfuso, 16. leuc. longo, & lato, ad fluv. Aroannam, qui varios continet Burgos *Giry*, *Torigni*, *la Chapelle*, *Launay*, &c. fertilis satis & multis amnibus irriguus. Eorum traduces *Senones* sunt Italici: habetque à *Senonibus* Gallis, in ora sextæ regionis Italiæ, Senogallia, veteribus quibusdam *Sena Gallica*, vulgò *Sinigaglia*, in Umbria nomen. Sunt autem in Diœcesi *Senonica* 25. Abbatiæ & 674. parœciæ, cùm urbanæ tum rusticanæ: Archidiaconatus sex, *Senonicus* sive major, nimirum ipsius urbis Agendici, Wastinensis, Melodunensis, Pruvinensis, Stampensis, & Briegensis: quibus si addas Autissiodorensem Diœcesin, & ipsam in Senonibus positam: facilè erit intelligere, fines Senonum olim longè lateque patuisse. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Jac. Tevellum, *Senon. Archiep. vita*. Morin. *Exercit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 31. Duchenium, Papyrium Massonium, *descr. flum. Gall.* Sammarth. *Gall. Christ. lib.* 1. &c. Concilia Agendici Senonum habita sunt An. Chr. 986. 1048. 1080. 1127. 1140. quo, præsente Ludovico Jun. Rege, Petrus Abaillardus à S. Bernardo oppugnatus, à Concilio ad Pontificem provocavit. 1198. ob Ingeburgem Philippi Augusti uxorem, & quosdam à recepta doctrina abhorrentes: 1252. 1310. ob Templarios, 1220. 1224. 1528. 1612. Card. Perronio præside. Vide Morer. *Diction. Histor.*

Senones, pop. German. inter Albim & Suevum flum. Patercul. Vide *Semnones*.

Senones, pop. Italiæ, Strab. Vide *Semnones*.

Senones, popul. Salentinorum, in ora Sinus Tarentini, quorum Urbs Gallipolis, Plin.

Senonia, locus in valle *Senoniensi*, apud Lotharienses, veteri monaster. à Gundelberto exstructo insignis, vulgò *Senone*, in saltu Vosago: Mediano monast. Stivagio vet. cœnobio, nec non Juncturis seu S. Deodati monast. S. *Diey* proximus. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Sensenna, civitas in tribu Judâ, Jos. 15.

Senta Fauna, Pici regis filia, conjux Fauni fratris sui, teste Lactantio. Hanc Varro scripsit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo illam, dum vixit, præter virum suum mas viderit, nec nomen ejus audierit. Propter quod in operto mulieres illi sacrificabant, & *Bonam Deam* nominabant. Veteres *Faunam*, & *Fatuam* dixerunt.

Senta, specus est in orâ Dalmatiæ vasto in præceps hiatu: in quem dejecto levi pondere quamvis tranquillo die, turbini similis emicat procella, Plin. 2. 45. *Seta* Nigro.

Sentiacum, villa olim Regia, seu Palatium principum Galliæ, nunc vulgò *Sintzich*, locus ad ripam Rheni, Autunnacum inter & Bonnam, ad Aræ amniculi & Rheni confluentem. A *Sentio* dictum. Notus est autem C. Sentius Saturninus, qui sub Augusto Consul in Germania res magnas Legatus gessit.

Sentica, Ptolem. urbs Hisp. Tarrac. in Vaccæis, *Zamora* Morali. Baudrando urbs regni Legionis, 15. leuc. Hispan. à confinio regni Portugall. in Ort. uti 9. à Miranda, Taurum versus. Satis parva.

Senttca, vulgò *Zamora*, urbs Peruviæ, in parte Septentr. in regione Quiti, ab Hisp. excitata, 70. leuc. Hisp. ab ora maris Pacifici in Ort. ut 20. à Loxa, 80. à Quito in Merid.

Sentii, seu *Sontii*, pop. fuere Provinciæ, ubi hodie Diœc. Diniensis. Eorum caput Dinia, inter Ebroduntios ad Bor. Caturiges ad Occ. Albicos ad Mer. & Capillatos ad Ort. Vide *Dinia*.

Sentinum, Umbriæ opp. in Piceni confin. ad Sentinum flu. quod nunc *Saxoferratum* dici potest. *Senes* Leandro, *Cerete* Nigro. Fluvius etiam nunc *Sentino* dicitur Blondo, & Leandro.

Sentinus Augur, poëta Romæ natus, scripsit Epigrammata, in quibus secutus est Val. Cat. & Licinium Calvum.

Sentinus Saturninus, Consul Romanus.

Senuisa, & *Senuissa* col. Vide *Sinuessa*.

Senuna, vulgò *Selune*, fluv. Galliæ, in cujus vicinia, Michaël Archangelus in monte Tumba, ante seculum 10. apparuisse, ab incerto Auctore, fertur, apud Hadrian. Valesium *Notit. Gall.* Haud procul ab urbe Abrinca.

Senus, urbs Ægypti, Stephan.

Senus, *Scena* Orosio, *Sacana* Æthico, fluv. amplus & præcipuus Hiberniæ ad Limericum urb. *Shannon* Camdeno. Baudrando à Sept. in Mer. fluit. Oritur in Connacia prov. & in Comit. Rosconensi; inde per lacus Alynam, Escam & Ream fluens, Atlonam rigat & Connaciam à Lagenia separans, uti postea etiam à Momonia prov. per lacum *Dirgh* labitur; & rigato Lymerico, paulo infra in Occ. tendens, per æstuarium amplum in Oc. Occ. se exonerat.

Seon, civitas in tribu Issachar, Jos. 19. Hodie ostenditur villa, juxta montem Tabor.

Seor, pater Ephron, Genes. 23.

Seorim, nomen sacerdotis, 1. Par. 24.

Separa, vulgò *la Seure*, fluv. provinc. Pictavensis, duplex. Unus nempe *Separa Nannetensis*, Moritaniam & alia oppid. Vertavum inprimis, *Vertou* Pictonum rigat; dein in Britanniam fluens, prope Nannetas, in Ligerim se exonerat. Alter *Separa Niortensis*, oritur supra Fanum St. Maxentii, Pontemq; Vallium *Pont de Vaux*, dein Niortium rigat. Hinc prope Malleacum fluens, recepta Vendea, intra paludes; infra Merantium opp. in Oceanum Aquitan. labitur.

tur. Quidam *Separam*, vel *Separim* Namneticum, quòd Andicavos à Britannis separet, Niortensem verò, quòd Aunedonacensem pagum à Pictonibus dividat, nomen accepisse ajunt. Valesius tamen Celticum nomen id esse retur. Namque & prope Luteciam vicus est *Separa*, *Sepera*, & *Savara* olim, hodie *Sevre* dictus: *Notit. Gall.*

Sepelacus, locus in Hisp. circa Saguntum, Anton.

Sepham, filius Hur, 1. Paral. 7.

Sephama, terminus Judææ ad Solis ortum, Num. 34. in tribu Manasse, inter villam Enam & Urb. Reblatha, in ripa Jordanis.

Siphamoth, civitas, quam David suorum spoliorum participem fecit, 1. Reg. 30.

Sephar, mons, Genes. 10.

Sepharvaim, civitas Assyriorum, 4. Reg. 18.

Sephath, civitas, in quâ filii Judæ Chananæos ad unum interfecerunt, eamque *Hormah* nominaverunt, Jud. 1.

Sephatha, nomen vallis, 2. Par. 4. Jos. 8. *antiq.* 12. juxta Maresa, in tribu Juda, ubi Asa Rex maximo prælio Æthiopes vicit.

Sephei, pater Ziza principis, 1. Par. 14.

Sephela, regio campestris, frugifera & amœna, juxta Eleutheropolim, extendens se ab Emaus usque ad Rhinocoruram & mare. In tribu Dan.

Sepher, mons, in quo castrametati sunt filii Israël profecti de Ceelata, Num. 33. Baudrando meliùs *Sephar*, civ. metropolis & *Sepharita* pop. Arabiæ fel. ac prope Climax mons, ab urbe & pop. etiam *Sephara*, aut *Sepharus* dictus, Bochart. 2. 30.

Sephet, seu *Cefet*, urbs in tribu Nephthalim, inter montana, in monte excelso ac loco pulcherrimo, ex clarissimis Decapoleos civitat. inter Ptolem. ad Occ. 30. & Naason in Ort. 12. m. p. apud Carmelum, à Cana Galileæ 6. Ferrar.

Sephi, filius Eliphaz, 1. Par. 1. qui Gen. 36. *Sephua* dicitur.

Sephi, filius Sobal, 1. Par. 1. qui Gen. 36. dicitur *Sepho*.

Sephim, nomen viri, 1. Par. 26.

Sepho, filius Eliphaz, Gen. 36.

Sephon, filius Gad, Gen. 36.

Sephor, pater Balac, Num. 22.

Sephora, filia Raguel, sive Jethro sacerdotis Midian, uxor Mosis, Exod. 2. 4.

Sephora, obstetrix Hebræorum, Exod. 1.

Sephorim, urbs Palæstinæ in Galilæâ maxima, ad mont. Carmeli radices, proxima Canæ; quæ & *Autocratoris* & *Diocæsarea* dicebatur. Aliàs etiam *Sepphoris*.

Sepia, mons Arcadiæ, apud Tricrena.

Sepias, Macedoniæ promuntor. Ptolem. Apollonii Scholiastes: Σηπιὰς ἀκρωτήριον ἐν Γ'ωλκῷ ὅπου κηλήδονα (?) ... Θέτιν ... εἰς σηπίαν μεταβληθεῖσαν ... ὑπὸ Πηλέως. Hodie *Capo Queatumo*, Brierio, 20. mill. pass. ab Iolco in Ort. totidem à Magnesia promuntor. in Merid. Eubœam versus; prope Pelasgicum Sinum.

Sepinum, *Sapinum* Ptolem. col. & opp. Samnii, Populi *Sepinates*. Nunc *Supino*, opp. regni Neap. in Comit. Molisii, inter Apenninum, in limite Terræ laboris; paucis nunc incolis constat, Baudr.

Sepius, *untis*, vide *Sipontum*.

Sepiussa, Doridis insula in Sinu Ceramico, Plin.

Seplasia, forum Capuæ, in quo unguentarii negotiabantur. Hinc *Seplasiarius* pro unguentario, & effœminato.

Seponita Paramica, Vaccæorum urbs in Hispan. Ptolem. prope Durium fluv. in limite Braccariorum & Lusitaniæ, hodie *Penedo*, prope Mirandam. Aliis *Sevanda*, prope confluentes fluv. *Tormes* in Durium, in limite Portugalliæ. Baudr.

Septa, Græcis *Septon*, urbs parva Mauritan. Tingit. olim, cujus caput ad fretum Herculeum. *Ceuta* Hispanis, *Beni Maraz* Mauris, teste Marmolio: Munita. Hodie in Habara provinc. regni Fezzæ, ubi fretum Hercul. magis restringitur, in ejus parte Orient. versus mare Medit. Erepta fuit Mauris, quibus post Romanos, Gothosq; subfuit, à Joanne Portugalliæ Reg. An. 1410. Hodie sub Castellanis. In colle *Septem fratres* dicto, Plin. Mel. *Septensem arcem* habet hoc loco Procopius, ad alteram Herculis columnam; eamque sic vocatam addit, ob 7. montes ibi apparentes. Prope Abylam montem 18. m. p. seu 6. leuc. à Calpe in Merid. 30. m. p. à Tingi in Ort. Portum habet capacem, Ecclesiamque Collegiatam, cujus Cathedralis est, cùm Septa & Tanger unum faciant Episcopatum, sub Archiepiscop. Ulyssiponensi. Vide Marmol. *lib.* 4. *cap.* 55. Grammæum, *lib.* 18. *cap.* 7. Miræum *Geogr. Eccl. &c.*

Septan, vel *Sephtan*, pater Camuel, principis tribûs Ephraim, Numer. 34.

Septem Ara, olim opp. nunc pagus in Lusit. *Azumar* Vasconcello, 3. leuc. in confin. Estremaduræ in Occ. 8. à Pace August. in Circ. 2. à Portu Alacri in Mer. 18. ab Eremita, B. à Gainza.

Septem castrenses, orti ex Saxonibus à Carolo M. devictis ac partim in Franciam, partim in Hungariam translatis, An. Chr. 806. P. Æmilius *lib.* 3.

Septem fontes, urbs fuit agri Florentini, ad radices montium, aliàs Iuturis, postea à Florentinis excisa, incolis Florentiam migrare jussis. Ex ejus præced. familiis erat gens Barberina, hodieque inclyta.

Septem Fratres, septem montes Maurit. Tingit. apud Herculis columnas; ubi olim elephantorum copia, teste Solino. Prope Septam Urb. Vide ibi.

Septem maria, Herodian. ἑπτὰ ὕδατα Dionys. Halicarn. *Atrianorum paludes* Plinio, *Stagna Hadriatica* Servio, *Paludes Tartari* Tacito, hodie *Lagune di Venetia*, paludes circa urb. Venetam, in quas Padus, cum Athesi & Tartaro 7. ostiis effunditur. Baudrando tractus Italiæ, inter ostia Padi, sic ab eis dictus. Eratque in Venetis, in ora maris Adriat. ubi nunc Duc. Ferrariensis, maj. ex parte. Sed differt à stagnis Hadriat. quæ magis in Bor. extenduntur, & in quæ tamen se Padus non exonerat.

Septem sylva, tractus Frisiæ Occid. *Saltus Frisiorum* Tacito. Hodie *Mastbroeck*.

Septempeda, sub Pontif. Picenorum urbs Mediter. Ptolem. *S. Severino* hodie L. Alberto, 12. mill. à Camerino in Occ. Auximum versus 18. 6. à Tolentino in Occident. uti 16. à Macerata. Parva, intra colles.

Septemtrioni unde nomen sit, non convenit. Quidam volunt esse, à *solo numero stellarum*, ut *triones* sit supplementum. Alii malunt *triones* esse *boves*, ut apud Nævium: *Trionum hic moderator rusticus.* Sanè in Philoxeni Glossis legas: *Triones*, βόες ἐργάται. Erit̄q; id nomen ab officio, qu. *teriones*, quia *solum terant*: vel qu. *terriones*, quia *terram arent*, *colantq;*; vel qu. *striones* à *striâ*, quam proscindendo terram faciunt. Vide Varron. *de LL lib.* 6. Festum in *Septentriones*; Gell. *lib.* 2. *cap.* 21. Ovid. *lib.* 1. περὶ τρήσεων.

—— *Scythiam, septemq; triones*
Horrifer invadit Boreas. ——

Virgilius *Georg. lib.* 3.

Talis Hyperboreo septem subjecta trioni
Gens effrana virûm, Riphæo tunditur Euro,
Et pecudum fulvis velantur corpora setis.

Septicollis, urbs Roma sic dicta, quòd *septem colles* habeat, viz. *Palatinum*, *Quirinalem*, *Aventinum*, *Cælium*, *Viminalem*, *Exquilinum*, & *Janicularem* Virg. *Georg.* 2. ubi de Roma:

Septemq; una sibi muro circumdedit arces.

Horatius *in Carm. Seculari:*

Dii, quibus septem placuere colles.

Propertius *lib.* 3 11.

Septem urbs alta jugis, toti quæ præsidet orbi.

Martialis *lib.* 4.

Hic septem dominos videre montes.

Statius *in Sylvis:*

Quis septem gemina posuisset mœnia Roma.

Cicer. *Epist.* 5. *lib.* 6. *ad Att.* ἐξ ἄστεος ἑπτάλοφου. Vet. Gloss. *Septimons*, ἑπτάλοφος. *Septimontium* ἑπτάζειν. Ovidius *Trist.* 1. 4.

Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma, Deûmq; locus.

Idem *lib.* 3. *eleg* 7.

Dumq; suos victrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.

Claudian. *de sec. Consul Stilichonis:*

—— *Septem circumspice montes,*
Qui Solis radios auri fulgore lacessunt.

Et postea:

Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi.

Septimanca, Hispan. Tarrac. urbs in Vaccæis, Anton. *Simanca* Clusio in Castellâ reg. Baudrando oppid. regni Legionis, ad Durium fluvium, inter Vallisoletum seu Pintiam in Ort. 2. leucis & Turrim Syllanam ad Occident. 3. & 6. à Methymna Campestri in Boream.

Septimania, dicta est provinc. Narbonensis prima, cujus caput & metropolis erat Narbo, Apoll. Sidonio *epistol.* 1. *libr.* 3. Gregor. Tur. *lib.* 8. *cap.* 28. *&* 30. *&c.* à numero civitatum Narboni metropoli attributarum atque subjectarum: quæ erant Tolosa, Beterræ, Nemausus, Agatha, Magalona, Luteva, Ucecia. Hanc Vesigothi, post receptum Narbonem, Severi principatu, totam usque ad Rhodanum, circa tempora Nepotis, occupaverunt: Cujus urbes Tolosam & Uceciam cùm prælio Vogladensi & cæde Alarici R. amisissent, earum in locum Carcasso & Elena successere; ut docet inter alia Concilium ann. 4. regni Reccaredi R. Narbone habitum. Et quia jam inde à Theodotico jun. & Eurico Principibus, per annos circiter 250. Vesigothorum Regibus in Hispania dominantibus paruit, *Gothia* sæpe regio hæc appellata est: unde hodieque *Landgothia*, & nomine Francico valde corrupto, ut Massono videtur, *Languedoc* dicitur. Aliquando tamen *Gothia* nomine totum Gothorum regnum, intra Hispanias & Gallias: aliquando Aquitaniam secundam iisdem subjectam, in qua apud urbem Pictaves Alaricus interfectus est, intelligunt Auctores. Nostram Gothiam seu *Septimaniam* aliquando Galliam Narbonensem, nonnunquam provinciam Galliæ absolutè, item Galliæ regnum & Narbonæ regnum, Hispanias impropriè, provinciam S. Ægidii, &c. vocant Historici. *Languedoc* hodie dici inde vult Valesius; quoniam olim totum Franciæ regnum in provincias linguæ *oüy*, & linguæ *oc* dividebatur, *de Langue-d'oüy*, & *de Langue d'oc*: provinc. Narbonensi 1. seu Septimaniæ, quæ una ex linguæ *oc* provinciis erat, nomen Linguadokii remansit, *Languedoc*: unde quibusdam Occitania dicta. Facta autem est hæc Franciæ divisio, quod Vascones, Gothi, Provincia-

vinciales, Dalphinates aliique linguæ tertæ populi, sed præcipuè Gothi pro *ita* vel *utiq.*, dicere consueverant *oc*, quasi *hoc*: cœteri verò Franciæ incolæ *oiiy*. Continetur verò ejus nomine non solùm Narbonensis prima, sed etiam pars Aquitaniæ: Dividitur siquidem in Austrinam seu infer. ad mare vergentem, quæ de Aquitanis Albienses ac partem Cadurcorum Rutenorumque comprehendit: & Septentrionalem ac super. in qua reliqua portio Cadurcorum ac Rutenorum, Gabali, Vivarienses, Vellavique, gentes Aquitanicæ: exceptis Vivariensibus & Helviis, prov. Viennensi attributis. Alii insuper. Archiepiscopatum Tolosanum cum 7. sedibus ei suffraganibus, in infer. Narbon. metropol. cum Antistitibus ei subjectis ponunt. Vide Had. Vales. *Not. Gall.* & supra in voce *Occitania*.

Septiminus, vide *Porcius*.

Septimius, in inferiore Germanico exercitu, Centurio, à seditiosis militibus, ad mortem postulatus; cùm perfugisset ad tribunal, pedibusque A. Cæcinæ legati advolveretur, eo usq; flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Vide Tacit. *Ann.* 1.32.

Septimius, Auctor Historiæ Alexandri Severi, Lamprid. *in vita ejus*. Item interpres historiæ belli Trojani, quam Dictys Cretensis condidit. Voss. *de Hist. Lat.*

Septimius Acyndinus, Conf. An. U. C. 1091.

Septimius Bassus, Consul, An. U. C. 1069.

Septimontium, festum Roman. institutum, cùm septimus collis urbi esset additus, Varro. Hoc die per urbem vehiculis vehi piaculum erat, Plutarch.

L. *Septimulejus*, quanquam C. Gracchi familiaris, avaritiâ tamen ductus, caput ejus abscindere, & per urbem pilo fixum gestare non erubuit, quód Consul Opimius auro id se repensurum edixisset. Sunt qui tradunt, liquato plumbo, quò ponderosius esset, caput explevisse. Hinc post id factum roganti Scævolam, ut se in Asiam præfectum educeret. *Quid*, inquit ille, *tibi vis insane? Tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Roma manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum*.

Septizonium, Plinio *Septisolium*, locus Romæ in 12. regione à Severo Imp. fabricatus, sicque à 7. columnarum ordine dictus. Fuit & *Septizonium* Titi, in 10. reg. cujus mem. Sueton. & P. Victor.

Septonia, urbs in magna Britannia antiquissima, quæ hodie *Shafsburia* dicitur, à Rudibrasio, Luelli regis filio condita: De ejus fortuna & duratione, multa vaticinatus est Aquila Septonius, vates Britannicus, qui tum temporis claruit.

Septumani, pop Gall. Narbon. quorum urbs Biteræ: sic dicti à septimâ legione, quæ ibi locata fuerat.

Sepulchrum Deboræ, nutricis Rebeccæ, sub quercu fletus. In tribu Benjamin.

Sepulchrum Rachel, in tribu Benjamin, ubi Rachel, Jacobi uxor, in partu Benjamini, obiit.

Sepulchrum Sansonis, inter Saraa & Esthaol, ubi etiam sepulchrum patris Manoæ, in tribu Dan.

S. *Sepulchrum*, Ordo Milit. in Palæstina. Cùm enim Saraceni, custodiam Sepulchri, quod CHRISTI vocant, Canonicis regul. S. Augustini commisissent, Godofr dus Bullionæus, urbe captâ, illos multis beneficiis mactavit, templo illorum sibi successoribusque, ut ibi reconderentur, usurus. Balduinus dein, frater & successor Godofridi, armatos custodes reddidit, illosque certis insignibus ornavit, sub capite Patriarcha: cui potestatem tribuit Equites creandi, quibus nihil proprium esset. Postquam autem Saraceni Hierosolymam recuperarunt, Equites hi Ptolemaidem primò, dein Perusium in Italia se receperunt: junctusque hic ordo Johannitico est, ab Innocentio VIII. An. 1484. Sed Alexander VI. jus istiusmodi Equites creandi, Ann. 1496. Sedi Romanæ vindicavit, &c. Alb. Miræus, *Origin. Ord. Milit. lib.* 1. *cap.* 16. & 21. Favin. *Theatr. Honor. & Eq.*

Sepyra, civitas ad Amanum montem, quam Cicero cepit, *Epistol. libr.* 15.

Sequana, *Sequanus* Straboni, vulgò *Seyne*, fluv. Galliæ Celt. Lutetiam Parisiorum mediam interse. ans, unaque cum Matronâ Belgas à Celtis dividens, Ferr. Sidonius Apoll. *in panegyr. Major.* Baudr. oritur in Duc. Burgundiæ, prope castrum Cancellos *Chanceaux*, in sylva Belsaya, in planitie. Locus olim *Sicaster* dictus est, 2. leuc. ab opp. S. Sequani in Bor. Hinc Petraviam, Balneola, Ampeliacum, Aurimiacum, Castillionem rigat & Barrum ad Sequanam. Dein per Campaniam fluens, per Trecas labitur, uti ad Merium oppid. postea apud Marcelliacum receptâ Albulâ flu. Pontes, Novigentum, ubi navigari incipit, & Brajum alluit; hinc auctus Icaunâ fluv. ad Monasteriolum & Lupiam prope Moretum, per Præfecturam Insul. Franciæ labens, ad Melodunum & Corbolium, recipit Matronam fluv. ad Carentonium; ad Confluentes, habet Valesius: & Lutetiam bifariam secans, postea rigatis aliquot oppidulis, illius tractus, per diversas ambages, iterum ad Confluentes vicum Oesia fluv. Valesius habet Isarâ, augetur paulo supra Pissiacum; deinde ad Meulantum Meduntam, Petromantalum Carnutum, Rupemq; Widonis labitur, uti postea in Normannia Vernonium, (supra quod Ittam recipit, sicut apud Corbolium, de quo supra, Junnam) Andelejum, Pontem Arcus ad Confluentes Eburæ, Valesius habet, ad quem Aturam & ex altera ripa Indellam sorbet, Elbonum, Butilam *la Bouille*, Gemeticum, & Rothomagum. Tandem, infra Calidobeccum, & Riselam Rupem, ubi Riselam accipit, æstuarium amplum efficit, & in Oceanum Britann. se exonerat, inter Honestuium ad Merid. & Portum Gratiæ ad Bor. unico quidem, sed 10. mill. pass. patente alveo. Fortunatus *mare Rotomagense* appellat. Quotidie bis refluit per 30. leuc. & Parisios usque defert onerarias naves, quæ 1400. vini cados & amplius continent. Ab hoc fluv. *Sequani* dicti sunt incolæ provinciæ Lugdunensis Senoniæ vel quartæ ante annos 700. cùm ei Augustobona Tricassium & Lutetia Parisiorum, provinciæ Senoniæ urbes, assideant: reliquæ verò, exceptis Aurelianis & Nivetno, pars Icaunæ, pars Auturæ & Matronæ in Sequanam influentibus sint adpositæ. Imo Paulus *de Longob. gestis lib.* 1. à fluv. Sequana *Sequanicam* vocat, non Senoniam modò, sed propriè ac præcipuè provinciam Lugdunensem 2. atque etiam 3. saltem usque ad Gobæum promunt. ambas maritimas, positas ad Oceanum Britann. cui Sequanâ immergitur. Unde & hodie tota hæc sinistra ora Lugdunensis 2. & 3. ac Oceani Britannici, ab ostio Sequanæ ad montem usque S. Michaelis, vocatur nautis, *la riviere de Seine*, id est, litus Sequanæ. *Sequani* autem, de quibus infra, nihil commercii habent cum fluvio hoc, quippe quorum fines nulla ex parte attingit, cùm Sequani hi Arari & Rheno terminentur, *Sequana* autem inter Rhenum & Ararim non fluat. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Sidonius Apollin.

Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus.

Lucanus *lib.* 1.

Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis.

Hinc *Sequanicus*. Martialis 4. 19.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam.

Sequani, pop. Gall. Belg. ab Æduis Arare fluv. diviti. Horum loca hodie tenent Burgundiones, Gallicè *Ceux de la Franche Comté, ou les Bourguignons*. Munsterus hos Sequanos dividit in *Cisiuranos*, quos in *Obern Elsas* & *Suntgovv* statuit, & *Transiuranos*. Eutropius *lib.* 6. de Sequanis Cisiuranis: *Helvetii qui nunc Sequani appellantur*. Baudrando pop. fuere Galliæ Lugdun. inter Leucos ad Bor. Rauracos & Helvetios ad Ort. Lingones & Æduos ad Occ. & Segusianos ad Merid. Horum tractus hodie *Burgundiæ Comitatus*, vide ibi, pars Or. Burgund. *La Franche Comté*. De iis sic Valesius: Cùm Cæsar in Galliam venit, Galliæ totius factiones erant duæ. Harum alterius principatum tenebant Ædui; alterius *Sequani*, quos à provinc. Romana seu Narbonensi Rhodanus, ab Helvetiis mons Jura dividebat. Eorum ager optimus totius Galliæ Cæsari dictus, qui & *lib.* 1. illos cum Helvetiis ac Æduis, tres potentissimos ac firmissimos populos vocat. Strab. *Sequanos* ab Ortu Rhenum, ab Occid. Ararim, qui illos ab Æduis dividit & Lingonibus, attingere ait. Lucanus:

Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis.

Plinius in Belgica, inter Mediomatricos & Rauricos, illos ponit, Ptolemæo sub Helvetiis collocantur, quorum oppid. præcipuum Vesontio. Cæsar *Comment lib.* 1. eos cum Helvetiis inter Celtas seu Gallos, tertiam partem Galliæ incolentes, ponit: quod idem Strabo asserit. Post Cæsarem Augustus Sequanos ac Helvetios ademit Celticæ, seu Galliæ Lugdunensi, atque Belgicæ assignavit; sicut idem Aquitaniæ Cæsaris, admodum angustæ, 14. gentes inter Garumnam & Ligerim sitas adjecit, quæ antea Celticæ fuere, idque operâ M. Vipsanii Agrippæ, qui pictum in tabulis orbem terrarum populo Rom. spectandum proposuit in magnifica porticu, quæ *porticus Agrippæ* dicta, à sorore ejus extincti inchoata, & ab Augusto consummata est, teste Plinio *lib.* 3. *cap.* 2. Unde prov. Maxima Sequanorum, in qua Vesontio, civitas Equestr. Noiodunum & Basilia urbes Sequanorum, Aventicum Helvetiorum, inter Belgicæ provincias à posterioribus Geographis recensetur, & ob id Germania tertia vocatur, ac secundæ proximè subjicitur. Dicitur autem provincia *Sequanorum*, à nobiliore populo, quem continebat. *Maxima* vocatur, non quòd esset 17. Galliæ provinciarum maxima & amplissima, sed quòd una ex maximis: *Notit. Gall.* Post Julii itaque inprimis Cæsaris tempora longè lateque paruit, cùm & Helvetiæ pars illi tributa: postea *Sequanos* sub Theodosio jun. destruxerunt Burgundiones, nomine quoque eorum abolito, nisi quòd exiguum in voce *Sundgovv*, vestigium superest. A Sequano quodam Eruchoni filio, Lemani nepote, Rege suo nomen populo Vaudi Chronica hæsisse, referunt. Certè à fluvio Sequana, ut qui illorum fines non attingit, denominati neutiquam sunt. Amici populi Roman. dicuntur Plutarch. *in Cæsare*, non longè enim tum aberant ab Italia Transpadana, & Galliam Narbonensem ad Lemanum lacum & fluv. Rhodanum attingebant. Porta *Sequanica*, in urbe Cabillono fuit, quòd ad Sequanos, qui Arari interfluente ab urbe hac Æduorum dividebantur, ducerет, dicta. Plura vide apud Valesium, Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. Nov. antiq. &c.* In vetustissima & emendatissima Notit. Galliæ, à Jacob. Sirmondo, Hadrian. Valesio, & Andrea Chenio scriptis suis inserta, *Provincia Maxim. Sequanorum* hæ civitates & castra adscribuntur:

Metropolis civitas Vesontiensium.	Castrum Vindonissense.
Civitas Equestr. Nojodunus.	Castrum Ebrodunense.
Civitas Elvitiorum Aventicus.	Castrum Rauracense.
Civitas Basiliensium.	Portus Abucini.

Ser, civitas in tribu Nephthali, Jos. 19.

Sera, Sericæ reg. metropolis, Ptol. *Cambalech* Nigro, *Sindinfu* Mercatori. Item castellum Lucaniæ, 12. mill. à Salerno.

Serabis, fluv. Hispan. Tarrac. per regnum Valentiæ in mare Balearicum fluens, inter Segorbiam & Dertusam. Hodie *Segura*, vel *Zinira* teste Clusio.

Serajum, urbs Bosniæ, sub Turcis, ad Migliazkam fluvium, in Bosnia regali seu inferiori. Ampla & munita, illius tractus caput. Aliquot leuc. à limite Serviæ in Occident. & 30. mill. pass. à Savo fluvio in Merid. Quibusdam olim *Bistus nova*. Fere media est inter Taurunum ad Ortum, & Jaitzam ad Occident. 90. mill. pass. utrinque.

Seranus, cognomen cujusdam Romani nobilissimi, sumptum à *sero* pro *semino*, seu *planto*; quòd agrum cùm sereret, absens Dictator electus est, Plin.

Seraphim, id est, *ardentes*, vel *igniti*, Isaiæ *cap.6*. Angelorum nomen, qui à *claritate*, & *aspectûs splendore* ita vocantur, vel quia Dei mandata cum fervore & zelo exequuntur. Item Ordo Milit. Sueciæ. Vide *Cherubini*.

Serapio, quidam Scipio Corneliæ gentis dictus, quòd vultu & moribus quàm simillimus esset *Serapioni*, Suarii negotiatoris vili mancipio.

Serapio, terrarum orbem descripsit, Cic. *lib.2. ad Att. ep.6.* Is est Serapio Antiochensis, eo enim scriptore usum se profitetur Plinius, *in elencho scriptorum lib.6.* Alius est *Serapio* Ascalonita, qui de interpretatione somniorum scripsit, Fulgent. *lib.1. Mytholog.*

Serapion, Antiochenus Præsul, sub Commodo Imper. post Maximinum, scriptor excellens. Contra Domnum, deserta fide Judaismum amplexum, scripsit: Librumque sub S Petri nomine, varios errores continentem, refellit. Obiit An. Chr. 213. Successit Asclepiades. Hieronymus. Euseb. *in Chron. & Hist. lib.6.*

Serapion, Episcop. Thmuitanus, in Ægypto, sec. 4. è solitudine, Athanasii curâ, Ecclesiæ admotus, Censorque librorum hujus constitutus. Imo ab eodem ad Constantium, ut animum ejus mitigaret, missus est: sed, quòd insignis esset Consubstantialitatis defensor, gravia passus, & in exilium est ejectus. Ob elegantiam ingenii *Scholasticus* meruit cognominari: scripsit contra Manichæos, & de titulis Psalmorum, laudatus ob fidei constantiam sub Constantino Imper. Floruit, An. 340. Hieron. *de Scr. Eccl. cap.* 99. & *epist.*84. Rufinus *in vit. PP.* Turrian. *in prolog. edit. Serapion.* An idem cum priore?

Serapion, Atheniensis, Poëta & Medicus, sub Nerva & Trajano, Plutarchi familiaris. Plutarch. *de Oracul. Delph.* Castellan. *in vita Medic.* Item dictus Sindonites, Eremita. Pallad. *Hist. Laus.*

Serapion, martyr Alexandrinus, sub Decio Imperatore. An.251.

Serapion, quidam, pater 10. mill. monachorum, quos omnes tempore messis pretio conducebat, ut suâ operâ juvarent pauperum laborem: vivebat ipse pane & aquâ, unicâ veste contentus, Sozomen. *lib. 8. cap 1.*

Serapion, nomen pictoris, Plin. *lib.35. cap.10.*

Serapion, Ælianus dictus, orator Alexandrinus, multa scripsit. Vide Suidam.

Serapis, Ægypti Deus, olim Romà exactus Pisone & Gabinio Consulibus, cum Harpocrate & Iside, dejectis aris, quòd turpium religionum, & novarum superstitionum seminarium forent; etsi Athenienses eos olim, in gratiam Ptolemæi, receperint in urbem. Idolum, cujus exemplar Adrianus & Julianus Impp. petierunt, erat conflatum, ex variis metallorum, lignorum & gemmarum generibus. Videtur Plutarcho; sed nimis præcipiti conjecturâ, significare *lætitiam*, quòd τὰ χαρμόσυνα, id est, *hilaria* festa Ægyptii appellent σαιρεῖ. Cùm verò veteres per Serapin universam mundi molem, & ipsa rerum principia intelligerent, certatim eum templis magnificentissimis honestarunt, cujusmodi Memphi & in Alexandriâ celebratur. At nunquam ea Ægyptii intra oppida admiserunt cum Saturni templis, quòd velut pervigiles, excubitoresque Deos in suburbiis suas habere voluerint sedes, ut ita essent muniti validis illorum præsidiis adversus hostium incursus, ipsimet autem pro aris, focis, templis & patrio solo perpetuò excubarent. Statua ejus in Ægypto proditur fuisse ejuscemodi forma, ut Sol exoriens os & labra perstringeret suo fulgore. Effigies ejus, quam ipsemet in Nicocreontis regis gratiam oraculo descripsit, rerum naturam omnem in se complectens, est hujuscemodi:

Εἰμὶ Θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷον κ' ἐγὼ εἴπω·
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ὄμμα δὲ τηλαυγὲς λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ejus meminit Martialis *lib.*10.

—— *Nec quæ turba Serapin amat.*

Sic & Varro produxit. Sed Martianus Capella, qui & multa alia sibi licere voluit, corripuit versu illo:

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim.

Aliqui *Sarapis* scribunt. Unde templum hujus Dei Σαράπειον, à Strab. vocatur, quod miris laudibus ab Amm. Marcellino celebrari notat Casaubonus *in Strabonem*. Templum, cum Idolo, destructum à Theodosio M. Ann. 389. post seditionem ab Ethnicis Alexandriæ excitatam: quòd Theophilus Alex. veniâ impetratâ, in prisci cujusdam templi subterraneis cryptis, pudenda hæc sacra deprehensa revelasset. Alii imagines solùm, Idolum inprimis destructum memorant, quod ingressus sacrificulus solebat, sub prætextu Dei, matronis virginibusque illudere: Horum dejectionem subsequutâ nocte, auditum in templo esse *Hallelujah & Psalmum*, refert Rufin. *lib.2. cap.25.* Nomen à Vossio *lib. 1. de Theol. Gentili cap.* 29. ab *Apis* & שר *Sar*, id est, *princeps*, vel שור, id est, *bos* probabiliter deducitur; cùm *Apidem*, qui formâ bovis celebratur, & *Osiridem* agriculturæ inventorem habitum, idem cum *Serapide* numen fuisse ibidem probetur. Sunt qui Josephum, sub Serapidis nomine, ab Ægyptiis cultum velint. Vide Clem. *1. Strom.* Jul. Firmicum, *de errore profan. Relig. cap.* 14. Rufin. *lib.2. cap.* 22. Baron. *A. C.*389. P. de Valle *Itiner. tom.*4. ubi ostendit, sacerrima hæc sacra hodieque apud Indorum quasdam gentes vigere.

Seravallis, oppidum Lombardiæ Cispadanæ, in montis jugo, dexirâ Scriviæ fluminis, ita dictum, quòd angustias hic montium vallisque fauces in planiciem se pandentes, tanquam sera claudat. Item, opp. agri Tarvisini, inter colles, quod Imesulus amnis aquis nitens percurrit.

Serbes, *betis*, fluv. Mauritan. Cæsar. Ptol. inter Rustonium ad Occ. et Rusuccurrum ad Ort. labens. *Miron* eum vocat Castaldus, *Sardabala* Plinio, teste Villanovano.

Serbi, pop. circa Mæotim, Plin. Hos Dubravius scribit postea Lusatiam German. regionem occupasse, *Soraboq;* dictos. Vide ibi. *Serbi* Cedreno sunt circa Dalmatiam, quos dicit quoque Scythas vocari; quorum reg. nunc *Sirsia*, & in Mys. sup. migrantes ei *Servia* nomen indidere. Ferrar.

Serbia, quæ & *Servia*, plur. urbs Macedoniæ Episc. Berrhœæ finitima. Zonar. 3 *Annal.*

Serbinum, Ptol. opp. Pannon. infer. ad Saum fluv. *Svvynavv*, vel *Svvynar*, teste Lazio.

Serbonis, palus Ægypti. Vide *Sirbonis*.

Sercius, vulgò *Serchio*, fluv. Hetruriæ. Oritur ex Apennino in Grafiniana, dein per Lucensem dit. labitur & prope Lucam, paulo infra in mare Tyrrh. se exonerat. Olim *Anser*.

Serdica, vide *Sardica*.

Serebia, nomen viri, 2. Esdr. 9.

Seregippa, urbec. Brasiliæ, aliquantulum à mari, juxta fluv. *Vacabazei*: Sub Lusitan. caput Præfecturæ cognomin. quæ in ora Or. Brasiliæ, inter Præfecturam Pernambuci ad Bor. est, & Præfect. Sinus omnium Sanctorum ad Merid.

Seren, civitas Arabum, non procul à Troglodytis, Plin. 6. 29.

Serena, uxor Diocletiani, Christiana, sanctè obiit.

Serena, ex Hispan. oriunda, uxor fuit Stiliconis, socrus Honorii Imper. qui Mariam filiam ipsius uxorem duxit. Hujus *Serena*, quæ postea cum marito, velut conscia conjurationis illius contra Imper. strangulata est, laudes eleganti carmine celebravit Claud.

Serenius Granius, Proc. Asiæ, pro Christianis apud Hadrianum Imper. intercessit: eodem tempore, quo Aristides quoque Philosophus eloquentissimus idem fecit, An. Chr. 126. Hinc mitigata persequutio est. Vide Euseb. *lib.4. cap.8. & 9.*

Annæus *Serenus*, Præfectus vigilum Neronis, fungis edendis interemptus, Plin. *lib.* 22. Senecæ amicissimus, ipso testante *epist.* 64. cui & libros de Tranquillitate inscripsit, monumentum amoris. Lips. *ad Tac. Annal.*3.

Serenus Sammonicus, carmine scripsit curationes morborum, versibus Heroicis & alia, ficuti ex Ælio Spartiano *in Caracalla*, à quo occisus fuit in convivio, & *in Opilio Macrino*, cui ejus scripta familiarissima fuere, colligitur. Charus fuit Severo & Gordiano majori. Impp. ut Lampridius *in Severo*, & Capitolinus *in Gordiano Juniore* scribit, qui & filii, Gordiani illius præceptoris, & bibliothecæ præstantissimæ, in qua librorum 62000. meminit.

Q. *Serenus Sammonicus*, filius prioris, Gordiani jun. præceptor, ei bibliothecam suam reliquit: Alexandro Mammææ & Eruditis ejus seculi gratissimus. Spartian. *in Geta & Caracal.* Jul. Capitol. *in Gord.* Macrob. *lib. 2. Saturn. cap.* 12. Riccobon. *in fragm. veter. Histor.* Voss. *de Hist. Lat. lib.2. cap.2. de Poët. cap.4. de Phil. cap.*12. *§.*21. Lud. Jacobus, *tractatu de Bibl. cap.*21. *&c.*

Seres, populi Æthiop. inter. ad Ort. inter Blemyas: & Orosio teste, pop. Indiæ citer. inter Indum & Hydaspen. Sunt & *Seres* pop. Asiæ ad Ort. extremi, ultra Sinas; omnium mitissimi, justitiæque amantissimi, inter Sinas ad Aust. & Scythiam extra Imaum ad Occ. & Bor. quorum regio *Serica*, nunc *Cathay*, teste Ferrario. De Seribus Dionysius *vers* 752.

Καὶ Τόχαροι Φροῦροι τε καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν.
Οἵτε βόας μὲν ἀναίνονται καὶ ἴφια μῆλα,
Αἰόλα δὲ ξαίνοντες ἐρήμης ἄνθεα γαίης
Εἵματα τεύχουσι πολυδαίδαλα, τιμήεντα,
Εἰδόμενα χροιῇ λειμωνίδος ἄνθεσι ποίης,
Κείνοις οὔ κεν ἔργοισιν ἀραχνάων ἐρίσειεν.

Ubi Montanus: *Seres* ultima ad Orient. & Septentr. olim cognita gens, *serico* apud ipsos confecto, & ab iis nominato, nobilis, famâ solâ Dionysio noti fuerunt, distantia verò eorum à Scythiâ citeriore (quæ Scythia intra Imaum Ptolemæo dicitur) prorsus ignorata, & eos quidem juxta Imaum constituere videtur. *Barbaros* autem eos vocat, quòd instar ferarum homines fugere dicerentur. Ita de iis Plinius *lib. 6. cap.* 17. *Seres mites quidem, sed & ipsi feris persi-*

persimiles, coetum reliquorum mortalium fugiunt cùm commercia expectant. Quibus similia à Solino traduntur *cap.* 53. Sed quamvis hoc verum fuisse videatur, quòd exterorum societatem fugerent, ut hodie Chinenses peregrinos in reg. suam introire non permittunt; ingeniosos tamen artifices fuisse ex telis sericis, ab iis confectis, constat; uti etiam hodie Chinenses artificiis nobiles sunt, & ingenio miti & quieto (perinde ac Seres, teste Solino) cùm vicini Scythæ fcvi ac truces sint. Et profectò, quamvis *Sericam* plerique *Cathaiam* esse statuant, hoc est, Orientalem Tartariæ hodie dictæ partem; mihi tamen persuasum est, Borealem potius esse Chinensis regni partem. Ptolemæus enim *lib.* 6. *cap.* 16. Sericam (cujus Occiduum tantùm latus cognitum habuit, neque enim Oceano, sed terrâ incognitâ eam terminat) non tantùm Sinis, verùm etiam magnâ ex parte Indiæ extra Gangem à meridie confinem facit, & præcipuas ejus urbes Ottocororam, & Seram circa gr. latitud. 37. & 38. constituit, cùm Cathaia sec. tabulas recentiorum, ab Indiâ longè remota sit, neque ulla ejus pars gradu latitud. 55. australior sit. Plinius etiam *lib.* 6. *cap.* 17. Sericam Indiæ contiguam facit; quod etiam Melam sensisse, *collato cap.* 6. *cum cap.* 7. *lib.* 3. non obscurum est. Ubi sis Vossium consule. Steph. ἀπεθανμαλς ἔθνος vocat. Sagittandi peritissimi habebantur. Horat. *lib.* 1. *Od.* 29.

Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno. —— ——

Sericum è Sericâ reg. à Persicis, Medicis, & Assyriis mercatoribus olim afferebatur; unde vestes inde confectæ modò Assyriæ & Medeæ, à gentibus unde materia immediatè allata, modò Sericæ, à gente ubi oriebatur, olim vocatæ, ut plerique statuunt. Satis probabile tamen est, quod sentit Fullerus, *Sericum* ab Ebræâ voce שריקות *Sericoth*, quæ pro *serico* usurpatur; Esaiæ 19.9. inde verò regionem, unde allatum est, Græcos *Sericam*, & ejus incolas *Seres* appellasse; ut *sericum*, cùm denominativi formam præ se ferat, à populo denominatum videretur. Quâ autem ratione apud Seres sericum conficeretur, plerique veteres tam Græci quàm Latini, ignorarunt, ideòque varias de eo conjecturas habuerunt, quales ratio propria suppeditabat. Plurimi igitur, confectum putarunt ex lanugine quadam, foliis arborum adnascente. Amm. Marcell. *lib.* 23. *Apud eos* (Seras) *abundè sylvæ sublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarum aspergeninibus crebris, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore admistam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesq́; subtegmina conficiunt sericum, &c.* Plin. 6. 17. *Seres lanificio sylvarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondium canitiem.* Non ipsas frondes eos carminasse, ut nonnulli nimis crassè intelligunt, sed canitiem frondium, h. e. frondibus adhærentem, depexisse affirmat. Eadem etiam Solini sententia est, *cap.* 53. qui *lanuginis teneram subtilitatem humore domitam eos depectere* affirmat. Plinius quidem alibi *lanata Sericarum arborum folia* nominat: Atque huc spectat illud Virgil. *Georg.* 2.

Velleraq; ut foliis depectant tenuia Seres.

Seneca *in Hippolyto,*

Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.

Idem *in Hercule Oetao,*

Qua Phœbeis subditus Euris
Legit Eous Ser arboribus.

Claudianus:

Stamine quod molli tondent de stipite Seres.

Eratosthenes apud Strab. à Nearcho refert, fieri τὰ Σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. Dionysius, ex floribus fieri affirmat. Sed licèt ipse in Epithero αὐλῶν & aliis quæ *vers.* 756. habet, poetico more ludat, serici lanificium perinde describens, ac si ex ipsis floribus conficeretur, probabile est tamen eos, unde hæc hausit, de lanugine quadam floribus adhærente, aut iis succedente, intellexisse, qualis salicis julis (qui ejus quasi flores sunt) adnascitur, aut qualis in gossipio, seu xylo planta in folliculo floribus succedente provenit. Materia ea Plinio bombyx vocatur, per metaphoram, *lib.* 19. *cap.* 1. ubi de gossipio loquens in Ægypto nascente, *similem,* inquit, *barbatæ nuci defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur.* Eadem etiam hodie *bombagia* Italis dicitur, voce à nomine *bombyx* deductâ; quamvis propriè *bombyx* significet animalculum, à quo bombycina tela netur, & μεταφορικῶς telam ipsam, sicut araneæ nomen tum animali tum ejus telæ tribuitur. Et profectò à veritate prorsus alienæ sunt istæ veterum de serici ortu opiniones; à bombycibus enim vermiculis, quos & σῆρας Græci vocant, reverà conficitur. Hesych. Σῆρες ζῶα νήθοντα μετάξαν, ἢ ὄνομα ἔθνους, ὅθεν ἔρχεται καὶ τὸ ὁλοσήρικον. Et postea: Σηρῶν, σκωλήκων τῶν γεννώντων τὰ σηρικά, Σῆρες γὰρ οἱ σκώληκες. Quod & Suidas confirmat. Ex antiquioribus etiam Pausanias *in Eliacis*, bombyces σῆρας etiam vocatos, sericum nere agnovit. Isidorus 19. 27. *Sericum dictum, quia id primum Seres miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, à quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græcè βόμβυκες nominantur.* Unde Chrysostomus, Καλὰ τὰ σηρικὰ ἱμάτια, ἀλλὰ σκωλήκων ἐστὶν ὕφασμα. Vide Vossium in *Sericum.*

Serosar, unus ex principibus regis Babyloniorum. Jer. 39.

Sereth, fil. Ashur ex Halaa. 1. Par. 4.

Serezana, urbs Hetruriæ, in limite Liguriæ, prope ostia Macri fluv. sub Rep. Genuensi; *Sarsana.* Cum arce permunita; media est inter Massam ad Ort. & Spetiam ad Occ. 34. mill. à Lucca in Circ. Bruniatum versus 18. Nicolai V. Pontif. patria. Crevit ex ruinis Lunæ, urbis vicinæ.

Sergentium, vide *Ergetium.*

Sergestus, Æneæ nauta. Virg. *Æn.* 3.

Sergia, Romana tribus. Alex. ab Alex. *lib.* 1. *cap.* 3.

Sergianum, Vide *Serezana.*

Sergianus, Consul, an. U. C. 885.

Sergii, Romæ gens Patricia, majorum gentium, cognominibus Fidenate, Natiâ, Silo, Catilinâ, Ocellâ, Planco: novem tribunatibus, consulati potestate & aliquot consulatibus decorata: à *Sergesto*, comite Æneæ, derivata.

Sergiopolis, urbs Arch. Syriæ, apud Euphr. in Comagene; *S. Sergio.* Ptolemæo *Rhesapha*, vel non longè; à Sergio cive Rom. martyrium ibi passo. Olim *Barzalo*, à Suris 126. stad. in Austr. inter Metitam & Samosata. Procop. Callist. Evagr.

Sergium, suburbanum in faucibus Ponti, ad sinistram, quod etiam *Daphne* dicitur. Steph.

Pontifices Romani.

Sergius I. Papa, Syrus gente, Panormi in Sicilia natus, vel saltem ibi educatus, successit Cononi: postquam Theodorus Archipresbyter & Paschalis Archidiaconus aliquandiu inter se contendissent. An. 687. Quòd decretum Synodi, Constantinopoli celebratæ, *Ne quis Presbyteros cogeret, à ductu legitimè uxoribus abstinere*, approbare noluet, periclitatus est; Anastas. *Biblioth. in vita Sergii:* & Justinianus Rhinotmetus Imper. ab Eccl. Rom. aversior factus. Sigon. *in Hist. libr.* 2. Obiit An. 701. Ciaccon. in *Sergio I. &c.* Ei successit, post Schisma octavum, Johannes VI.

Sergius II. Romanus, successit Gregorio IV. Hic primus Pontificum nomen mutavit, cùm antea Petrus *Buccaporcius* diceretur. An. 844. Obiit An. 847. Ei Leo IV. successit, qui populo pedes primus præbuit deosculandos.

Sergius III. Romanus, hominum sceleratissimus, V. Platin. *in vita*, Baron. *in Annal.* Morn. *in myster. pag.* 460. Adelberti Tusciæ Comitis agnati opibus nixus, Christophoro pulso, seipsum intrusit, An. 906. Sævitiam Stephani VI. quam in cadaver Formosi exercuerat, Synodo Romanâ, Ann. 901. sub Johanne X. improbatam, elogiis ornavit, Formosique Actis rescissis etiam nomen ejus extinctum ivit. Ex Marozia, impudentissimo scorto, pater Johannis XI. sibi simillimi. Obiit An. 910. Sigebert. *in Chron.* Duchenius, *in Sergio III. &c.* Ei successit Anastasius III.

Sergius IV. successit Johanni XX. A. 1009. Scripsit Epitaphium Sylvestri II. Obiit An. 1012. Ditmar. *lib.* 6. *Hist. in fin.* Baron. *in Annal.* Possevin. *in appar. sacro. &c.* Ei successit Benedictus VIII.

Patriarchæ, Episcopi, &c.

Sergius I. Patr. Constantinopolitanus, gente Syrus, successit Thomæ, An. 608. Acephalorum Jacobitarumque erroribus jam tum imbutus, sed dissimulatis sub pietatis specie; dein Caput Monothelitarum factus, Heraclio Imp. suasit, ut *Ecthesin* ederet: quam Italiæ & Africæ Episcopi refutarunt: Honorio Papâ excepto, quem Sergius in communionem erroris traxit. Obiit An. 639. Memoria ejus variis in Synodis, Concil. inprimis 6. Gen. damnata est, An. 681. Job. Damascen. V. etiam Niceph. *lib.* 18. *cap.* 54. *&c.*

Sergius II. excepit Sisynnium, An. 998. Photii, è cujus familia erat, opiniones mordicus defendens, Latinæ Eccl. semper infestum se præbuit. Scripsit Epistolam c. Occidentales, an edidit saltem, à Photio exaratam? Obiit An. 1019. Baron. *in Annal.*

Sergius, Proconsul, cognomento *Paulus*, Act. 13.

Sergius, monachus C P. hæreseos Nestorianæ sectator, & fautor; Mahumetem impostorem & pseudoprophetam in Alcorano conficiendo & compilando juvit, eumque omnis summam impietatis docuit. Zon. *tom.* 3.

Sergius, Episc. Joppes, post Sophronium, sedem Hierosolymitanam invasit, Ann. 636. Hæreticus, an malitiâ, an ignorantiâ, in causa fuit perditorum Sophronii operum, captâ à Saracenis urbe. Baron. *Annal.*

Sergius, Confessor, floruit Constantinopoli, Sec. 9. Auctor Historiæ, quam à Mich. Balbo orditur, Photius *cod.* 67.

Sergius Galba, inter legatos Cæsaris, domuit Nantuates, Veragros Sedunosque; Galbæ Imperatoris proavus, qui postea potiente rerum Cæsare, ob repulsam Consulatus, conjuravit cum Cassio & Bruto. Quare Pediâ lege damnatus est.

Sergius Galba, orationem apud Latinos exornavit miserationibus, communibusque locis usus, & egressus à propositâ orandi causâ, ut delectaret animos, permoveret, remque augeret.

Sergius Sulpitius Galba, Romæ, post Neronem, imperat, anno mundi 4030. à Christo nato 68. Hic cùm Prætor esset, elephantos funambulos edidit, ludis Floralibus. Majore ab initio favore quàm læto successu, septimestre imperium tenuit annos natus circiter 80. Privata ejus vita insignis fuerat militaribus & civilibus reb. Tandem avarum, sævum, pigrum se præstitit, atque invisus omnibus, in medio foro, insidiis Othonis jugulatus est. V. Sueton. *in Galba*, Eutrop. *lib.* 7. Bap. Egna. *lib.* 1. V. *Galba.*

Sergius Servianus, Consul. An. U. C. 886.

Seria, quæ & *Fama Julia*, opp. Turdetanorum, Hisp. Bær. ad Anam fluv. Ptol. 6. leuc. ab ejus ostiis, in Bor. Hodie *Xeres de Gua-*

tur. Quidam *Separam*, vel *Separim* Namneticum, quòd Andicavos à Britannis separet, Niortensem verò, quòd Annedonacensem pagum à Pictonibus dividat, nomen accepisse ajunt. Valesius tamen Celticum nomen id esse retur. Namque & prope Luteciam vicus est *Separa*, *Sepera*, & *Savara* olim, hodie *Sevre* dictus: *Notit. Gall.*

Sepelacus, locus in Hisp. circa Saguntum, Anton.

Sepham, filius Hur, 1. Paral. 7.

Sephama, terminus Judææ ad Solis ortum, Num. 34. in tribu Manasse, inter villam Enam & Urb. Reblatha, in ripa Jordanis.

Sephamoth, civitas, quam David suorum spoliorum participem fecit, 1. Reg. 30.

Sephar, mons, Genes. 10.

Sepharvaim, civitas Assyriorum, 4. Reg. 18.

Sephath, civitas, in quâ filii Judæ Chananæos ad unum interfecerunt, eamque *Hormah* nominaverunt, Jud. 1.

Sephatha, nomen vallis, 2. Par. 4. Jos. 8. *antiq.* 12. juxta Maresa, in tribu Juda, ubi Asa Rex maximo prælio Æthiopes vicit.

Sephei, pater Ziza principis, 1. Par. 14.

Sephela, regio campestris, frugifera & amœna, juxta Eleutheropolim, extendens se ab Emaus usque ad Rhinocoruram & mare. In tribu Dan.

Sepher, mons, in quo castrametati sunt filii Israël profecti de Ceelata, Num. 33. Baudrando meliùs *Sephar*, civ. metropolis & *Sepharita* pop. Arabiæ fel. ac prope Climax mons, ab urbe & pop. etiam *Sephara*, aut *Sepharus* dictus. Bochart. 2. 30.

Sephet, seu *Cefet*, urbs in tribu Nephthalim, inter montana, in monte excelso ac loco pulcherrimo, ex clarissimis Decapoleos civitat. inter Ptolem. ad Occ. 30. & Naason in Ort. 12. m. p. apud Carmelum, à Cana Galilææ 6. Ferrar.

Sephi, filius Eliphaz, 1. Par. 1. qui Gen. 36. *Sephua* dicitur.

Sephi, filius Sobal, 1. Par. 1. qui Gen. 36. dicitur *Sepho*.

Sephim, nomen viri, 1. Par. 26.

Sepho, filius Eliphaz. Gen. 36.

Sephon, filius Gad, Gen. 36.

Sephor, pater Balac, Num. 22.

Sephora, filia Raguel, sive Jethro sacerdotis Midian, uxor Mosis, Exod. 2. 4.

Sephora, obstetrix Hebræorum, Exod. 1.

Sephorim, urbs Palæstinæ in Galilæâ maxima, ad mont. Carmeli radices, proxima Canæ; quæ & *Autocratoris* & *Diocæsarea* dicebatur. Aliàs etiam *Sepphoris*.

Sepia, mons Arcadiæ, apud Tricrena.

Sepias, Macedoniæ promuntor. Ptolem. Apollonii Scholiastes: Σηπιὰς ἀκρωτήριον ἐν Γωλκῷ ὅπου κηλήδνοι ... τὸ τῆς Θέτιδος ... εἰς σηπίαν μεταβληθεῖσαν ... ὑπὸ Πηλέως. Hodie *Capo Queatumo*, Brietio, 20. mill. pass. ab Jolco in Ort. totidem à Magnesia promuntor. in Merid. Eubœam versus; prope Pelasgicum Sinum.

Sepinum, *Sæpinum* Ptolem. col. & opp. Samnii, Populi *Sepinates*. Nunc *Supino*, opp. regni Neap. in Comit. Molisii, inter Apenninum, in limite Terræ laboris; paucis nunc incolis constat, Baudr.

Sepius. *untis*, vide *Sipontum*.

Sepiussa, Doridis insula in Sinu Ceramico, Plin.

Seplasia, forum Capuæ, in quo unguentarii negotiabantur. Hinc *Seplasiarius* pro unguentario, & effœminato.

Sepontia Paramica, Vaccæorum urbs in Hispan. Ptolem. prope Durium fluv. in limite Braccariorum & Lusitaniæ, hodie *Penedo*, prope Mirandam. Aliis *Sevanda*, prope confluentes fluv. *Tormes* in Durium, in limite Portugalliæ. Baudr.

Septa, Græcis *Septon*, urbs parva Mauritan. Tingir. olim, cujus caput ad fretum Herculeum. *Ceuta* Hispanis, *Beni Maraz* Mauris, teste Marmolio: Munita. Hodie in Habata provinc. regni Fezzæ, ubi fretum Hercul. magis restringitur, in ejus parte Orient. versus mare Medit. Erepta fuit Mauris, quibus post Romanos, Gothosq; subfuit, à Joanne Portugalliæ Reg. An. 1410. Hodie sub Castellanis. In colle *Septem fratres* dicto, Plin. Mel. *Septensem arcem* haber hoc loco Procopius, ad alteram Herculis columnam; eamque sic vocatam addit, ob 7. montes ibi apparentes. Prope Abylam montem 18. m. p. seu 6. leuc. à Calpe in Merid. 30. m. p. à Tingi in Ort. Portum haber capacem, Ecclesiamque Collegiatam, cujus Cathedralis est, cùm Septa & Tanger unum faciant Episcopatum, sub Archiepiscop. Ulyssiponensi. Vide Marmol. *lib.* 4. *cap.* 55. Grammæum, *lib.* 18. *cap.* 7. Miræum *Geogr. Eccl.* &c.

Septan, vel *Sephtan*, pater Camuel, principis tribûs Ephraim, Numer. 34.

Septem Aræ, olim opp. nunc pagus in Lusit. *Azumar* Vasconcello, 3. leuc. in confin. Esttemaduræ in Occ. 8. à Pace August. in Circ. 2. à Portu Alacri in Mer. 18. ab Eremita. B. à Gainza.

Septem castrenses, orti ex Saxonibus à Carolo M. devictis ac partim in Franciam, partim in Hungariam translatis, An. Chr. 806. P. Æmilius *lib.* 3.

Septem fontes, urbs fuit agri Florentini, ad radices montium, aliàs lui juris, postea à Florentinis excisa, incolis Florentiam migrare jussis. Ex ejus præced. familiis erat gens Barberina, hodieque inclyta.

Septem Fratres, septem montes Maurit. Tingit. apud Herculis columnas; ubi olim elephantorum copia, teste Solino. Prope Septam Urb. Vide ibi.

Septem maria, Herodian. ἑπτὰ ὕδατα. Dionys. Halicarn. *Atrianorum paludes* Plinio, *Stagna Hadriatica* Servio, *Paludes Tartari* Tacito, hodie *Lagune di Venetia*, paludes circa urb. Venetam, in quas Padus, cum Athesi & Tartaro 7. ostiis effunditur. Baudrando tractus Italiæ, inter ostia Padi, sic ab eis dictus. Eratque in Veneris, in ora maris Adriat. ubi nunc Duc. Ferrariensis, maj. ex parte. Sed differt à stagnis Hadriat. quæ magis in Bor. extenduntur, & in quæ tamen se Padus non exonerat.

Septem sylvæ, tractus Frisiæ Occid. *Saltus Frisiorum* Tacito. Hodie *Mastbroeck*.

Septempeda, sub Pontif. Picenorum urbs Mediter. Ptolem. S. Severino hodie L. Alberto, 12. mill. à Camerino in Cæc. Auximum versus 18. 6. à Tolentino in Occident. uti 16. à Macerata. Parva, intra colles.

Septemtrioni unde nomen sit, non convenit. Quidam volunt esse, à *solo numero stellarum*, ut *triones* sit supplementum. Alii malunt *triones* esse *boves*, ut apud Nævium: *Trionum hic moderator rusticus*. Sane in Philoxeni Glossis legas: *Triones*, βόες ἐργάται. Erit q; id nomen ab officio, qu. *teriones*, quia *solum terant*: vel qu. *terriones*, quia *terram arent*, *colantq*; vel qu. *striones* à *striâ*, quam proscindendo terram faciunt. Vide Varron. *de LL lib.* 6. Festum in *Septentriones*; Gell. *lib.* 2. *cap.* 21. Ovid. *lib.* 1. περὶ τριῶν.

—— *Scythiam, septemq; triones*
Horrifer invadit Boreas. ——

Virgilius *Georg. lib.* 3.

Talis Hyperboreo septem subjecta trioni
Gens effrena virûm, Riphao tunditur Euro,
Et pecudum fulvis velantur corpora setis.

Septicollis, urbs Roma sic dicta, quòd *septem colles* habeat, viz. *Palatinum*, *Quirinalem*, *Aventinum*, *Calium*, *Viminalem*, *Exquilinum*, & *Janicularem* Virg. *Georg.* 2. ubi de Roma:

Septemq; una sibi muro circumdedit arces.

Horatius *in Carm Seculari*:

Dii, quibus septem placuere colles.

Propertius *lib* 3. 11.

Septem urbs alta jugis, toti qua præsidet orbi.

Martialis *lib.* 4.

Hic septem dominos videre montes.

Statius *in Sylvis*:

Quis septem gemina posuisset mœnia Roma.

Cicer. *Epist.* 5. *lib.* 6. *ad Att.* ἐξ ἄστεως ἑπτάλοφου. Vet. Gloss. *Septimons*, ἑπτάλοφος. *Septimontium* ἑπτάγειον. Ovidius *Trist.* 1. 4.

Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma, Deûmq; locus.

Idem *lib.* 3. *eleg* 7.

Dumq; suos victrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.

Claudian. *de sec. Consul Stilichonis*:

—— *Septem circumspice montes,*
Qui Solis radios auri fulgore lacessunt.

Et postea:

Qua septem scopulis zonas imitatur Olympi.

Septimanca, Hispan. Tarrac. urbs in Vaccæis, Anton. *Simanca* Clusio in Castellâ reg. Baudrando oppid. regni Legionis, ad Durium fluvium, inter Vallisoletum seu Pintiam in Ort. 2. leucis & Turrim Syllanam ad Occidenr. 3. & 6. à Methymna Campestri in Boream.

Septimania, dicta est provinc. Narbonensis prima, cujus caput & metropolis erat Narbo, Apoll. Sidonio *epistol.* 1. *libr.* 3. Gregor. Tur. *lib.* 8. *cap.* 28. & 30. &c. à numero civitatum Narboni metropoli attributarum atque subjectarum: quæ erant Tolosa, Beterræ, Nemausus, Agatha, Magalona, Luteva, Ucecia. Hanc Vesigothi, post receptum Narbonem, Severi principatu, totam usque ad Rhodanum, circa tempora Neporis, occupaverunt: Cujus urbes Tolosam & Uceciam cùm prælio Vogladensi & cæde Alarici R. amisissent, earum in locum Carcasso & Elena successere; ut docet inter alia Concilium ann. 4. regni Reccaredi R. Narbone habitum. Et quia jam inde à Theodorico jun. & Eurico Principibus, per annos circiter 250. Vesigothorum Regibus in Hispania dominantibus paruit, *Gothia* sæpe regio hæc appellata est: unde hodieque *Landgothia*, & nomine Francico valde corrupto, ut Massono videtur, *Languedoc* dicitur. Aliquando tamen *Gothia* nomine totum Gothorum regnum, intra Hispanias & Gallias: aliquando Aquitaniam secundam iisdem subjectam, in qua apud urbem Pictaves Alaricus interfectus est, intelligunt Auctores. Nostram Gothiam seu *Septimaniam* aliquando Galliam Narbonensem, nonnunquam provinciam Galliæ absolutè, item Galliæ regnum & Narbonæ regnum, Hispanias impropriè, provinciam S. Ægidii, &c. vocant Historici. *Languedoc* hodie dici inde vult Valesius; quoniam olim totum Franciæ regnum in provincias linguæ *oüy*, & linguæ *oc* dividebatur, *de Langue-d'oüy*, & *de Langue d'oc*: provinc. Narbonensis seu Septimaniæ, quæ una ex linguæ *oc* provinciis erat, nomen Linguadokii remansit, *Languedoc*: unde quibusdam Occitania dicta. Facta autem est hæc Franciæ divisio, quòd Vascones, Gothi, Provincia-

vinciales, Dalphinates aliique linguæ tortæ populi, sed præcipuè Gothi pro *ita* vel *utiq.*, dicere consueverant *oc*, quasi *hoc*: cæteri verò Franciæ incolæ *ouy*. Continetur verò ejus nomine non solùm Narbonensis prima, sed etiam pars Aquitaniæ: Dividitur siquidem in Austrinam seu infer. ad mare vergentem, quæ de Aquitanis Albienses ac partem Cadurcorum Rutenorumque comprehendit: & Septentrionalem ac super. in qua reliqua portio Cadurcorum ac Rutenorum, Gabali, Vivarienses, Vellavique, gentes Aquitanicæ: exceptis Vivariensibus & Helviis, prov. Viennensi attributis. Alii insuper. Archiepiscopatum Tolosanum cum 7. sedibus ei suffraganeis, in infer. Narbon. metropol. cum Antistitibus ei subjectis ponunt. Vide Had. Vales. *Not. Gall*, & supra in voce *Occitania*.

Septiminus, vide *Porcius*.

Septimius, in inferiore Germanico exercitu, Centurio, à seditiosis militibus ad mortem postulatus; cùm perfugisset ad tribunal, pedibusque A. Cæcinæ legati advolveretur, eò usq; flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Vide Tacit. *Ann.* 1. 32.

Septimius, Auctor Historiæ Alexandri Severi, Lamprid. *in vita hujus*. Item interpres historiæ belli Trojani, quam Dictys Cretensis condidit. Voss. *de Hist. Lat.*

Septimius Acyndinus, Cons. An. U. C. 1091.

Septimius Bassus, Consul, An. U. C. 1069.

Septimontium, festum Roman. institutum, cùm septimus collis urbi esset additus, Varro. Hoc die per urbem vehiculis vehi piaculum erat, Plutarch.

L. Septimulejus, quanquam C. Gracchi familiaris, avaritià tamen ductus, caput ejus abscindere, & per urbem pilo fixum gestare non erubuit, quòd Consul Opimius auro id se repensurum edixisset. Sunt qui tradunt, liquato plumbo, quò ponderosius esset, caput explevisse. Hinc post id factum roganti Scævolam, ut se in Asiam præfectum educeret. *Quid*, inquit ille, *tibi vis insane? Tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Roma manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum.*

Septizonium, Plinio *Septisolium*, locus Romæ in 12. regione à Severo Imp. fabricatus, sicque à 7. columnarum ordine dictus. Fuit & *Septizonium* Titi, in 10. reg. cujus mem. Sueton. & P. Victor.

Septonia, urbs in magna Britannia antiquissima, quæ hodie *Shaftesburia* dicitur, à Rudibrasio, Luelli regis filio condita: De ejus fortuna & duratione, multa vaticinatus est Aquila Septonius, vates Britannicus, qui tum temporis claruit.

Septumani, pop. Gall. Narbon. quorum urbs Biteræ: sic dicti à septimâ legione, quæ ibi locata fuerat.

Sepulchrum Deboræ, nutricis Rebeccæ, sub quercu fletus. In tribu Benjamin.

Sepulchrum Rachel, in tribu Benjamin, ubi Rachel, Jacobi uxor, in partu Benjamini, obiit.

Sepulchrum Sansonis, inter Saraa & Esthaol, ubi etiam sepulchrum patris Manoæ, in tribu Dan.

S. Sepulchrum, Ordo Milit. in Palæstina. Cùm enim Saraceni, custodiam Sepulchri, quod CHRISTI vocant, Canonicis regul. S. Augustini commisissent, Godofredus Bullionæus, urbe captâ, illos multis beneficiis mactavit, templo illorum sibi successoribusque, ut ibi reconderentur, usurus. Balduinus dein, frater & successor Godofridi, armatos custodes reddidit, illosque certis insignibus ornavit, sub capite Patriarcha: cui potestatem tribuit Equites creandi, quibus nihil proprium esset. Postquam autem Saraceni Hierosolymam recuperarunt, Equites hi Ptolemaidem primò, dein Perusium in Italia se receperunt: junctusque hic ordo Johannitico est, ab Innocentio VIII. An. 1484. Sed Alexander VI. jus istiusmodi Equites creandi, Ann. 1496. Sedi Romanæ vindicavit, &c. Alb. Miræus, *Origin. Ord. Milit. lib.* 1. *cap.* 16. *&* 21. Favin. *Theatr. Honor. & Eq.*

Sepyra, civitas ad Amanum montem, quam Cicero cepit, *Epistol. libr.* 15.

Sequana, *Sequanus* Straboni, vulgò *Seyne*, fluv. Galliæ Celt. Lutetiam Parisiorum mediam interse.ans, unaque cum Matronâ Belgas à Celtis dividens, Ferr. Sidonius Apoll. *in panegyr. Major.* Baudr. oritur in Duc. Burgundiæ, prope castrum Cancellos *Chanceaux*, in sylva Belfaya, in planitie. Locus olim *Sicaster* dictus est, 2. leuc. ab opp. S. Sequani in Bor. Hinc Petraviam, Balneola, Ampeliacum, Aurniacum, Castillionem rigat & Barrum ad Sequanam. Dein per Campaniam fluens, per Trecas labitur, uti ad Merium oppid. postea apud Marcelliacum receptâ Albulâ flu. Pontes, Novigentum, ubi navigari incipit, & Brajum alluit; hinc auctus Icaunâ fluv. ad Monasteriolum & Lupiam prope Moretum, per Præfecturam Insul. Franciæ labens, ad Melodunum & Corbolium, recipit Matronam fluv. ad Carentonium; ad Confluentes, habet Valesius: & Lutetiam bifariam secans, postea rigatis aliquot oppidulis, illius tractus, per diversas ambages, iterum ad Confluentes vicum Oesia fluv. Valesius habet Isarâ, augetur paulo supra Pissiacum; deinde ad Meulanium Meduntam, Petromantalum Carnutum, Rupemq; Widonis labitur, uti postea in Normannia Vernonium, (supra quod Ittam recipit, sicut apud Corbolium, de quo supra, Junnam) Andelejum, Pontem Arcus ad Confluentes Eburæ, Valesius habet, ad quem Aturam & ex altera ripa Indellam sorbet, Elbotum, Butilam *la Bouille*, Gemeticum, & Rothomagum. Tandem, infra Calidobeccum, & Riselam Rupem, ubi Riselam accipit, æstuarium amplum efficit, & in Oceanum Britann. se exonerat, inter Honefluium ad Merid. & Portum Gratiæ ad Bor. unico quidem, sed 10. mill. pass. patente alveo. Fortunatus *mare Rotomagense* appellat. Quotidiè bis refluit per 30. leuc. & Parisios usque defert onerarias naves, quæ 1400. vini cados & amplius continent. Ab hoc fluv. *Sequani* dicti sunt incolæ provinciæ Lugdunensis Senoniæ vel quartæ ante annos 700. cum ei Augustobona Tricassium & Lutetia Parisiorum, provinciæ Senoniæ urbes, assideant: reliquæ verò, exceptis Aurelianis & Niverno, pars Icaunæ, pars Auturæ & Matronæ in Sequanam influentibus sint adpositæ. Imo Paulus *de Longob. gestis lib.* 2. à fluv. Sequana *Sequanicam* vocat, non Senoniam modò, sed propriè ac præcipue provinciam Lugdunensem 2. atque etiam 3. saltem usque ad Gobæum promont. ambas maritimas, positas ad Oceanum Britann. cui Sequanâ immergitur. Unde & hodie tota hæc sinistra ora Lugdunensis 2. & 3. ac Oceani Britannici, ab ostio Sequanæ ad montem usque S. Michaelis, vocatur nautis, *la riviere de Seine*, id est, litus Sequanæ. *Sequani* autem, de quibus infra, nihil commercii habent cum fluvio hoc, quippe quorum fines nulla ex parte attingit, cùm Sequani hi Arari & Rheno terminentur, *Sequana* autem inter Rhenum & Ararim non fluat. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Sidonius Apollin.

Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus.

Lucanus *lib.* 1.

Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis.

Hinc *Sequanicus*. Martialis 4. 19.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam.

Sequani, pop. Gall. Belg. ab Æduis Arare fluv. divisi. Horum loca hodie tenent Burgundiones, Gallicè *Ceux de la Franche Comté, ou les Bourguignons*. Munsterus hos Sequanos dividit in *Cisiuranos*, quos in *Obern Elsas* & *Suntgovv* statuit, & *Transiuranos*. Eutropius *lib.* 6. de Sequanis Cisiuranis: *Helvetii qui nunc Sequani appellantur*. Baudrando pop. fuere Galliæ Lugdun. inter Leucos ad Bor. Rauracos & Helvetios ad Ort. Lingones & Æduos ad Occ. & Segusianos ad Merid. Horum tractus hodie *Burgundiæ Comitatus*, vide ibi, pars Or. Burgund. *La Franche Comté*. De iis sic Valesius: Cùm Cæsar in Galliam venit, Galliæ totius factiones erant duæ. Harum alterius principatum tenebant Ædui; alterius *Sequani*, quos à provinc. Romana seu Narbonensi Rhodanus, ab Helvetiis mons Jura dividebat. Eorum ager optimus totius Galliæ Cæsari dictus, qui & *lib.* 1. illos cum Helvetiis ac Æduis, tres potentissimos ac firmissimos populos vocat. Strab. *Sequanos* ab Ortu Rhenum, ab Occid. Ararim, qui illos ab Æduis dividit & Lingonibus, attingere ait. Lucanus:

Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis.

Plinius in Belgica, inter Mediomatricos & Rauricos, illos ponit. Ptolemæo sub Helvetiis collocantur, quorum oppid. præcipuum Vesontio. Cæsar *Comment lib.* 1. eos cum Helvetiis inter Celtas seu Gallos, tertiam partem Galliæ incolentes, ponit: quod idem Strabo asserit. Post Cæsarem Augustus Sequanos ac Helvetios ademit Celticæ, seu Galliæ Lugdunensi, atque Belgicæ assignavit; sicut idem Aquitaniæ Cæsaris, admodum angustæ, 14. gentes inter Garumnam & Ligerim sitas adjecit, quæ antea Celticæ fuere, idque operâ M. Vipsanii Agrippæ, qui pictum in tabulis orbem terrarum populo Rom. spectandum proposuit in magnifica porticu, quæ *porticus Agrippæ* dicta, à sorore ejus extincti inchoata, & ab Augusto consummata est, teste Plinio *lib.* 3. *cap.* 2. Unde prov. Maxima Sequanorum, in qua Vesontio, civitas Equestr. Noiodunum & Basilia urbes Sequanorum, Aventicum Helvetiorum, inter Belgicæ provincias à posterioribus Geographis recensetur, & ob id Germania tertia vocatur, ac secundæ proximè subjicitur. Dicitur autem provincia *Sequanorum*, à nobiliore populo, quem continebat. *Maxima* vocatur, non quòd esset 17. Galliæ provinciarum maxima & amplissima, sed quòd una ex maximis: *Notit. Gall.* Post Julii itaque inprimis Cæsaris tempora longè lateque patuit, cùm & Helvetiæ pars illi tributa: postea *Sequanos* sub Theodosio jun. destruxerunt Burgundiones, nomine quoque eorum abolito, nisi quòd exiguum in voce *Sundgovv*, vestigium superest. A Sequano quodam Eructoni filio, Lemani nepote, Rege suo nomen populo Vaudi Chronica hæsisse, referunt. Certè à fluvio Sequana, ut qui illorum fines non attingit, denominati neutiquam sunt. Amici populi Roman. dicuntur Plutarch. *in Cæsare*, non longè enim tum aberant ab Italia Transpadana, & Galliam Narbonensem ad Lemanum lacum & fluv. Rhodanum attingebant. Porta *Sequanica*, in urbe Cabillono fuit, quòd ad Sequanos, qui Arari interfluente ab urbe hac Æduorum dividebantur, duceret, dicta. Plura vide apud Valesium, Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. Nov. antiq. &c.* In vetustissima & emendatissima Notit. Galliæ, à Jacob. Sirmondo, Hadrian. Valesio, & Andrea Chenio scriptis suis inserta, *Provincia Maxim. Sequanorum* hæ civitates & castra adscribuntur:

Metropolis civitas Vesontiensium.	Castrum Vindonissense.
Civitas Equestr. Nojodunus.	Castrum Ebrodunense.
Civitas Elvitiorum Aventicus.	Castrum Rauracense.
Civitas Basiliensium.	Portus Abucini.

Ser, civitas in tribu Nephthali, Jos. 19.

Sera, Sericæ reg. metropolis, Ptol. *Cambalech* Nigro, *Sindinfu* Mercatori. Item castellum Lucaniæ, 12. mill. à Salerno.

Serabis, fluv. Hispan. Tarrac. per regnum Valentiæ in mare Balearicum fluens, inter Segorbiam & Dertusam. Hodie *Segura*, vel *Zinira* teste Clusio.

Serajum, urbs Bosniæ, sub Turcis, ad Migliazkam fluvium, in Bosnia regali seu inferiori. Ampla & munita, illius tractus caput. Aliquot leuc. à limite Serviæ in Occident. & 30. mill. pass. à Savo fluvio in Merid. Quibusdam olim *Bistus nova*. Fere media est inter Taurunum ad Ortum, & Jaitzam ad Occident. 90. mill. pass. utrinque.

Seranus, cognomen cujusdam Romani nobilissimi, sumptum à *sero* pro *semino*, seu *planto*; quòd agrum cùm sereret, absens Dictator electus est, Plin.

Seraphim, id est, *ardentes*, vel *igniti*, Isaiæ *cap.6.* Angelorum nomen, qui à *claritate*, & *aspectûs splendore* ita vocantur, vel quia Dei mandata cum fervore & zelo exequuntur. Item Ordo Milit. Sueciæ. Vide *Cherubini.*

Serapio, quidam Scipio Corneliæ gentis dictus, quòd vultu & moribus quàm simillimus esset *Serapioni*, Suarii negotiatoris vili mancipio.

Serapio, terrarum orbem descripsit, Cic. *lib.2. ad Att. ep.6.* Is est Serapio Antiochensis, eo enim scriptore usum se profitetur Plinius, *in elencho scriptorum lib.6.* Alius est *Serapio* Ascalonita, qui de interpretatione somniorum scripsit, Fulgent. *lib.1. Mytholog.*

Serapion, Antiochenus Præsul, sub Commodo Imper. post Maximinum, scriptor excellens. Contra Domnum, desertâ fide Judaismum amplexum, scripsit: Librumque sub S Petri nomine, varios errores continentem, refellit. Obiit An. Chr. 213. Successit Asclepiades. Hieronymus, Euseb. *in Chron. & Hist. lib.6.*

Serapion, Episcop. Thmuitanus, in Ægypto, sec. 4. è solitudine, Athanasii curâ, Ecclesiæ admotus, Censorque librorum hujus constitutus. Imo ab eodem ad Constantium, ut animum ejus mitigaret, missus est: sed, quòd insignis esset Consubstantialitatis defensor, gravia passus, & in exilium est ejectus. Ob elegantiam ingenii *Scholasticus* meruit cognominari: scripsit contra Manichæos, & de titulis Psalmorum, laudatus ob fidei constantiam sub Constantino Imper. Floruit, An. 340. Hieron. *de Scr. Eccl. cap. 99. & epist.84.* Rufinus *in vit. PP.* Turrian. *in prolog. edit. Serapion.* An idem cum priore?

Serapion, Atheniensis, Poëta & Medicus, sub Nerva & Trajano, Plutarchi familiaris. Plutarch. *de Oracul. Delph.* Castellan. *in vita Medic.* Item dictus Sindonites, Eremita. Pallad. *Hist. Laus.*

Serapion, martyr Alexandrinus, sub Decio Imperatore. An.251.

Serapion, quidam, pater 10. mill. monachorum, quos omnes tempore messis pretio conducebat, ut suâ operâ juvarent pauperum laborem: vivebat ipse pane & aquâ, unicâ veste contentus, Sozomen. *lib. 8. cap 1.*

Serapion, nomen pictoris, Plin. *lib.35. cap.10.*

Serapion, Ælianus dictus, orator Alexandrinus, multa scripsit. Vide Suidam.

Serapis, Ægypti Deus, olim Româ exactus Pisone & Gabinio Consulibus, cum Harpocrate & Iside, dejectis aris, quòd turpium religionum, & novarum superstitionum seminarium forent; etsi Athenienses eos olim, in gratiam Ptolemæi, recepetint in urbem. Idolum, cujus exemplar Adrianus & Julianus Impp. petierunt, erat conflatum, ex variis metallorum, lignorum & gemmarum generibus. Videtur Plutarcho, sed nimis præcipiti conjecturâ, significare *lætitiam*, quòd τὰ χαρμόσυνα, id est, *hilaria* festa Ægyptii appellent σαιρεῖ. Cùm verò veteres per Serapin universam mundi molem, & ipsa rerum principia intelligerent, certatim eum templis magnificentissimis honestarunt, cujusmodi Memphi & in Alexandriâ celebratur. At nunquam ea Ægyptii intra oppida admiserunt cum Saturni templis, quòd velut pervigiles, excubitoresque Deos in suburbiis suas habere voluerint sedes, ut ita essent muniti validis illorum præsidiis adversus hostium incursus, ipsimet autem pro aris, focis, templis & patrio solo perpetuò excubarent. Statua ejus in Ægypto proditur fuisse ejuscemodi forma, ut Sol exoriens os & labra perstringeret suo fulgore. Effigies ejus, quam ipsemet in Nicocreontis regis gratiam oraculo descripsit, rerum naturam omnem in se complectens, est hujuscemodi:

> Εἰμὶ Θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷον κ᾽ ἐγὼ εἴπω·
> Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
> Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ᾽ οὔατ᾽ ἐν αἰθέρι κεῖται,
> Ὄμμα δὲ τηλαυγὲς λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ejus meminit Martialis *lib.10.*

> —— *Nec quæ turba Serapin amat.*

Sic & Varro produxit. Sed Martianus Capella, qui & multa alia sibi licere voluit, corripuit versu illo:

> *Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim.*

Aliqui *Sarapis* scribunt. Unde templum hujus Dei Σαράπειον, à Strab. vocatur, quod miris laudibus ab Amm. Marcellino celebrari notat Casaubonus *in Strabonem.* Templum, cum Idolo, destructum à Theodosio M. Ann.389. post seditionem ab Ethnicis Alexandriæ excitatam: quòd Theophilus Alex. veniâ impetratâ, in prisci cujusdam templi subterraneis cryptis, pudenda hæc sacra deprehensa revelasset. Alii imagines solùm, Idolum inprimis destructum memorant, quod ingressus sacrificulus solebat, sub prætextu Dei, matronis virginibusque illudere: Horum dejectionem subsequentâ nocte, auditum in templo esse *Hallelujah & Psalmum*, refert Rufin. *lib.2. cap.25.* Nomen à Vossio *lib. 1. de Theol. Gentili cap.29.* ab *Apis* & שר *Sar*, id est, *princeps*, vel שור, id est, *bos* probabiliter deducitur; cùm *Apidem*, qui formâ bovis celebratur, & *Osiridem* agriculturæ inventorem habitum, idem cum *Serapide* numen fuisse ibidem probetur. Sunt qui Josephum, sub Serapidis nomine, ab Ægyptiis cultum velint. Vide Clem. *1. Strom.* Jul. Firmicum, *de errore profan. Relig. cap.14.* Rufin. *lib.2. cap. 22.* Baron. *A. C.389.* P. de Valle *Itiner. tom.4.* ubi ostendit, sacerrima hæc sacra hodieque apud Indorum quasdam gentes vigere.

Seravallis, oppidum Lombardiæ Cispadanæ, in montis jugo, dextrâ Seriviæ fluminis, ita dictum, quòd angustias hic montium vallisque fauces in planiciem se pandentes, tanquam sera claudat. Item, opp. agri Tarvisini, inter colles, quod Imesulus amnis aquis nitens percurrit.

Serbes, *betis*, fluv. Mauritan. Cæsar. Ptol. inter Rustonium ad Occ. & Rusuccurrum ad Ort. labens. *Miron* eum vocat Castaldus. *Sardabala* Plinio, teste Villanovano.

Serbi, pop. circa Mæotim, Plin. Hos Dubravius scribit postea Lusatiam German. regionem occupasse, *Sorabesq;* dictos. Vide ibi. *Serbi* Cedreno sunt circa Dalmatiam, quos dicit quoque Scythas vocari; quorum reg. nunc *Sirsia*, & in Mys. sup. migrantes ei *Serviæ* nomen indidere. Ferrar.

Serbia, quæ & *Servia*, plur. urbs Macedoniæ Episc. Berrhœæ finitima. Zonar. 3. *Annal.*

Serbinum, Ptol. opp. Pannon. infer. ad Saum fluv. *Svvynavv*, vel *Svvynar*, teste Lazio.

Serbonis, palus Ægypti. Vide *Sirbonis.*

Sercius, vulgò *Serchio*, fluv. Hetruriæ. Oritur ex Apennino in Grafiniana, dein per Lucensem dit. labitur & prope Lucam, paulo infra in mare Tyrrh. se exonerat. Olim *Anser.*

Serdica, vide *Sardica.*

Serebia, nomen viri, 2. Esdr.9.

Seregippa, urbec. Brasiliæ, aliquantulum à mari, juxta fluv. *Vacabazes*: Sub Lusitan, caput Præfecturæ cognomin. quæ in ora Or. Brasiliæ, inter Præfecturam Pernambuci ad Bor. est, & Præfect. Sinus omnium Sanctorum ad Merid.

Seren, civitas Arabum, non procul à Troglodytis, Plin. *6. 29.*

Serena, uxor Diocletiani, Christiana, sanctè obiit.

Serena, ex Hispan. oriunda, uxor fuit Stiliconis, socrus Honorii Imper. qui Mariam filiam ipsius uxorem duxit. Hujus *Serena*, quæ postea cum marito, velut conscia conjurationis illius contra Imper. strangulata est, laudes eleganti carmine celebravit Claud.

Serenius Granius, Proc. Asiæ, pro Christianis apud Hadrianum Imper. intercessit: eodem tempore, quo Aristides quoque Philosophus eloquentissimus idem fecit, An. Chr. 126. Hinc mitigata persequutio est. Vide Euseb. *lib.4. cap.8. & 9.*

Annæus *Serenus*, Præfectus vigilum Neronis, fungis edendis interemptus, Plin. *lib. 22.* Senecæ amicissimus, ipso testante *epist.* 64. cui & libros de Tranquillitate inscripsit, monumentum amoris. Lips. *ad Tac. Annal.3.*

Serenus Sammonicus, carmine scripsit curationes morborum, versibus Heroicis & alia, sicuti ex Ælio Spartiano *in Caracalla*, à quo occisus fuit in convivio, & in *Opilio Macrino*, cui ejus scripta familiarissima fuere, colligitur. Charus fuit Severo & Gordiano majori. Impp. ut Lampridius *in Severo*, & Capitolinus *in Gordiano Juniore* scribit, qui & filii, Gordiani illius præceptoris, & bibliothecæ præstantissimæ, in qua librorum 62000. meminit.

Q. *Serenus Sammonicus*, filius prioris, Gordiani jun. præceptor, ei bibliothecam suam reliquit: Alexandro Mammææ & Eruditis ejus seculi gratissimus. Spartian. *in Geta & Caracal.* Jul. Capitol. *in Gord.* Macrob. *lib. 2. Saturn. cap.12.* Riccobon. *in fragm. veter. Histor.* Voss. *de Hist. Lat. lib.2. cap.2. de Poët. cap.4. de Phil. cap.12. §.21.* Lud. Jacobus, *tractatu de Bibl. cap.21. &c.*

Seres, populi Æthiop. inter. ad Ort. inter Blemyas & Orosio teste, pop. Indiæ citer. inter Indum & Hydaspen. Sunt & *Seres* pop. Asiæ ad Ort. extremi, ultra Sinas; omnium mitissimi, justitiæque amantissimi, inter Sinas ad Aust. & Scythiam extra Imaum ad Occ. & Bor. quorum regio *Serica*, nunc *Cathay*, teste Ferrario. De Seribus Dionysius *vers.752.*

> Καὶ Τόχαροι Φρουνοί τε καὶ ἔθνεα βάρβαρα Σηρῶν.
> Οἵτ᾽ βόας μὲν ἀναίνονται καὶ ἴφια μῆλα,
> Αἰόλα δὲ ξαίνοντες ἐρήμης ἄνθεα γαίης
> Εἵματα τεύχουσι πολυδαίδαλα, τιμήεντα,
> Εἰδόμενα χροιῇ λειμωνίδος ἄνθεσι ποίης,
> Κείνοις οὔ τι κεν ἔργον ἀραχνάων ἐρίσειεν.

Ubi Montanus: *Seres* ultima ad Orient. & Septentr. olim cognita gens, *serico* apud ipsos confecto, & ab iis nominato, nobilis, famâ solâ Dionysio noti fuerunt, distantia verò eorum à Scythiâ citeriore (quæ Scythia intra Imaum Ptolemæo dicitur) prorsus ignorata, & eos quidem juxta Imaum constituere videtur. *Barbaros* autem eos vocat, quòd instar ferarum homines fugere dicerentur. Ita de iis Plinius *lib. 6. cap. 17.* *Seres mites quidem, sed & ipsi feris persi-*

persimiles, coetum reliquorum mortalium fugiunt cum commercia expectant. Quibus similia à Solino traduntur *cap.* 53. Sed quamvis hoc verum fuisse videatur, quòd exterorum societatem fugerent, ut hodie Chinenses peregrinos in reg. suam introire non permittunt; ingeniosos tamen artifices fuisse ex telis sericis, ab iis confectis, constat; uti etiam hodie Chinenses artificiis nobiles sunt, & ingenio miti & quieto (perinde ac Seres, teste Solino) cùm vicini Scythæ sævi ac truces sint. Et profectò, quamvis *Sericam* plerique *Cathaiam* esse statuant, hoc est, Orientalem Tartariæ hodie dictæ partem; mihi tamen persuasum est, Borealem potius esse Chinensis regni partem. Ptolemæus enim *lib.* 6. *cap.* 16. Sericam (cujus Occiduum tantùm latus cognitum habuit, neque enim Oceano, sed terrâ incognitâ eam terminat) non tantùm Sinis, verùm etiam magnâ ex parte Indiæ extra Gangem à meridie confinem facit, & præcipuas ejus urbes Ottocororam, & Seram circa gr. latitud. 37. & 38. constituit, cùm Cathaia sec. tabulas recentiorum, ab Indiâ longè remota sit, neque ulla ejus pars gradu latitud. 55. australior sit. Plinius etiam *lib.*6. *cap.*17. Sericam Indiæ contiguam facit; quod etiam Melam sensisse, *collato cap.* 6. *cum cap* 7. *lib.*3. non obscurum est. Ubi sis Vossium consule. Steph. ἀκροβολισταὶ ἔθνος vocat. Sagittandi peritissimi habebantur. Horat. *lib.* 1. *Od.* 29.

Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno. —— ——

Sericum è *Sericâ* reg. à Persicis, Medicis, & Assyriis mercatoribus olim afferebatur; unde vestes inde confectæ modò Assyriæ & Medicæ, à gentibus unde materia immediatè allata, modò Sericæ, à gente ubi oriebatur, olim vocatæ, ut plerique statuunt. Satis probabile tamen est, quod sentit Fullerus, *Sericum* ab Ebræâ voce משרקות *Sericoth*, quæ pro *serico* usurpatur; Esaiæ 19.9. inde verò regionem, unde allatum est, Græcos *Sericam*, & ejus incolas *Seres* appellasse; ut *sericum*, cùm denominativi formam præ se ferat, à populo denominatum videretur. Quâ autem ratione apud Seres sericum conficeretur, plerique veteres tam Græci quàm Latini, ignorarunt, ideoque varias de eo conjecturas habuerunt, quales ratio propria suppeditabat. Plurimi igitur, confectum putarunt ex lanugine quadam, foliis arborum adnascente. Amm. Marcell. *lib.*23. *Apud eos* (Seras) *abundè sylvæ sublucidæ, à quibus arborum foetus aquarum aspergiminibus crebris, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore admistam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesq; subtegmina conficiunt sericum, &c.* Plin. 6. 17. *Seres lanificio sylvarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondium canitiem.* Non ipsas frondes eos carminasse, ut nonnulli nimis erasse intelligunt, sed canitiem frondium, h. e. frondibus adhærentem, depexisse affirmat. Eadem etiam Solini sententia est, *cap.* 53. qui *lanuginis teneram subtilitatem humore domitam* eos *depectere* affirmat. Plinius quidem alibi *lanata Siricarum arborum folia* nominat: Atque huc spectat illud Virgil. *Georg.*2.

Velleraq; ut foliis depectant tenuia Seres.

Seneca *in Hippolyto*,

Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.

Idem *in Hercule Oetæo*,

Quæ Phœbeis subditus Euris
Legit Eous Ser arboribus.

Claudianus:

Stamine quod molli tondent de stipite Seres.

Eratosthenes apud Strab. à Nearcho refert, fieri τὰ Σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. Dionysius, ex floribus fieri affirmat. Sed licet ipse in Epitheto ἀιόλα & aliis quæ *vers.*756. habet, poetico more ludat, serici lanificium perinde describens, ac si ex ipsis floribus conficeretur, probabile est tamen eos, unde hæc hausit, de lanugine quadam floribus adhærente, aut iis succedente, intellexisse, qualis salicis julis (qui ejus quasi flores sunt) adnascitur, aut qualis in gossipio, seu xyloplania in folliculo floribus succedente provenit. Materia ea Plinio bombyx vocatur, per metaphoram, *lib.*19. *cap.*1. ubi de gossipio loquens in Ægypto nascente, *similem*, inquit, *barbatæ nuci defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur.* Eadem etiam hodie *bombagia* Italis dicitur, voce à nomine *bombyx* deductâ; quamvis propriè *bombyx* significet animalculum, à quo bombycina tela netur, & μετωνυμικῶς telam ipsam, sicut araneæ nomen tum animali tum ejus telæ tribuitur. Et profectò à veritate prorsus alienæ sunt istæ veterum de serici ortu opiniones; à bombycibus enim vermiculis, quos & σῆρας Græci vocant, tereà conficitur. Hesych. Σῆρες ζῶα ἐοικότα μύρμηξι, ἢ ὄνομα ἔθνους, ὅθεν ἔρχεται καὶ τὸ ὁλοσηρικόν. Et postea: Σηρῶν, σκωλήκων τῶν γεννώντων τὰ σηρικά, Σῆρες γὰρ οἱ σκώληκες. Quod & Suidas confirmat. Ex antiquioribus etiam Pausanias *in Eliacis*, bombyces σῆρας etiam vocatos, sericum nere agnovit. Isidorus 19. 27. *Sericum dictum, quia id primum Seres miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, à quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græcè βόμβυκες nominantur.* Unde Chrysostomus, Καλὰ τὰ σηρικὰ ἱμάτια, ἀλλὰ σκωλήκων ἐστὶν ὕφασμα. Vide Vossium in *Sericum*.

Serefer, unus ex principibus regis Babyloniorum. Jer. 39.

Sereth, fil. Ashur ex Halaa. 1. Par. 4.

Serezana, urbs Hetruriæ, in limite Liguriæ, prope ostia Macri fluv. sub Rep. Genuensi; *Sarsana*. Cum arce permunita, media est inter Massam ad Ort. & Spetiam ad Occ. 34. mill. à Lucca in Circ. Brunatum versus 18. Nicolai V. Pontif. patria. Crevit ex ruinis Lunæ, urbis vicinæ.

Sergentium, vide *Ergetium*.

Sergestus, Æneæ nauta. Virg. *Æn.* 5.

Sergia, Romana tribus. Alex. ab Alex. *lib.* 1. *cap.*3.

Sergianum, Vide *Serezana*.

Sergianus, Consul, an. U. C. 885.

Sergii, Romæ gens Patricia, majorum gentium, cognominibus Fidenate, Nattâ, Silo, Catilinâ, Ocellâ, Planco: novem tribunatibus, consulari potestate & aliquot consulatibus decorata: à *Sergesto*, comite Æneæ, derivata.

Sergiopolis, urbs Arch. Syriæ, apud Euphr. in Comagene; *S.Sergio*. Ptolemæo *Rhesapha*, vel non longè; à Sergio cive Rom. martyrium ibi passo. Olim *Barzalo*, à Suris 126. stad. in Austr. inter Metitam & Samosata. Procop. Callist. Evagr.

Sergium, suburbanum in faucibus Ponti, ad sinistram, quod etiam *Daphne* dicitur. Steph.

Pontifices Romani.

Sergius I. Papa, Syrus gente, Panormi in Sicilia natus, vel saltem ibi educatus, successit Cononi: postquam Theodorus Archipresbyter & Paschalis Archidiaconus aliquandiu inter se contendissent. An.687. Quòd decretum Synodi, Constantinopoli celebratæ, *Ne quis Presbyteros cogeret, à ductu legitimè uxoribus abstinere*, approbare nollet, periclitatus est; Anastas. *Biblioth. in vita Sergii*: & Justinianus Rhinotmetus Imper. ab Eccl. Rom. aversior factus. Sigon. *in Hist. libr.* 2. Obiit An. 701. Ciaccon. in *Sergio I. &c.* Ei successit, post Schisma octavum, Johannes VI.

Sergius II. Romanus, successit Gregorio IV. Hic primus Pontificum nomen mutavit, cùm antea Petrus *Bucca porcius* diceretur. An. 844. Obiit An. 847. Ei Leo IV. successit, qui populo pedes primus præbuit deosculandos.

Sergius III. Romanus, hominum sceleratissimus, V. Platin. *in vitis*, Baron. *in Annal.* Morn. *in myster. pag.* 460. Adelberti Tusciæ Comitis agnati opibus nixus, Christophoro pulso, seipsum intrusit, An.906. Sævitiam Stephani VI. quam in cadaver Formosi exercuerat, Synodo Romanâ, Ann. 901. sub Johanne X. improbatam, elogiis ornavit, Formosique Actis rescissis etiam nomen ejus extinctum ivit. Ex Marozia, impudentissimo scorto, pater Johannis XI. sibi simillimi. Obiit An.910. Sigebert. *in Chron.* Duchenius, *in Sergio III. &c.* Ei successit Anastasius III.

Sergius IV. successit Johanni XX. A. 1009. Scripsit Epitaphium Sylvestri II. Obiit An. 1012. Ditmar. *lib.* 6. *Hist. in fin.* Baron. *in Annal.* Possevin. *in appar. sacro. &c.* Ei successit Benedictus VIII.

Patriarchæ, Episcopi, &c.

Sergius I. Patr. Constantinopolitanus, gente Syrus, successit Thomæ, An.608. Acephalorum Jacobitarumque erroribus jam tum imbutus, sed dissimulatis sub pietatis specie: dein Caput Monothelitarum factus, Heraclio Imp. suasit, ut *Ecthesin* ederet: quam Italiæ & Africæ Episcopi refutarunt: Honorio Papâ excepto, quem Sergius in communionem erroris traxit. Obiit An.639. Memoria ejus variis in Synodis, Concil. inprimis 6. Gen. damnata est, An. 681. Job. Damascen. V. etiam Niceph. *lib.* 18. *cap.* 54. *&c.*

Sergius II. excepit Sisynnium, An.998. Photii, è cujus familia erat, opiniones mordicus defendens, Latinæ Eccl. semper infestum se præbuit. Scripsit Epistolam c. Occidentales, an edidit saltem, à Photio exaratam? Obiit An. 1019. Baron. *in Annal.*

Sergius, Proconsul, cognomento *Paulus*, Act.13.

Sergius, monachus C P. hæreseos Nestorianæ sectator, & fautor; Mahumetem impostorem & pseudoprophetam in Alcorano conficiendo & compilando juvit, eumque omnis summam impietatis docuit. Zon. *tom.*3.

Sergius, Episc. Joppes, post Sophronium, sedem Hierosolymitanam invasit, Ann. 636. Hæreticus, an malitiâ, an ignorantiâ, in causa fuit perditorum Sophronii operum, captâ à Saracenis urbe. Baron. *Annal.*

Sergius, Confessor, floruit Constantinopoli, Sec.9. Auctor Historiæ, quam à Mich. Balbo orditur, Photius *cod.*67.

Sergius Galba, inter legatos Cæsaris, domuit Nantuates, Veragros Sedunosque; Galbæ Imperatoris proavus, qui postea potiente rerum Cæsare, ob repulsam Consulatus, conjuravit cum Cassio & Bruto. Quare Pediâ lege damnatus est.

Sergius Galba, orationem apud Latinos exornavit miserationibus, communibusque locis usus, & egressus à proposito orandi causâ, ut delectaret animos, permoveret, remque augeret.

Sergius Sulpitius Galba, Romæ, post Neronem, imperat, anno mundi 4030. à Christo nato 68. Hic cùm Prætor esset, elephantos funambulos edidit, ludis Floralibus. Majore ab initio favore quàm læto successu, septimestre imperium tenuit annos natus circiter 80. Privata ejus vita insignis fuerat militaribus & civilibus reb. Tandem avarum, sævum, pigrum se præstitit, atque invisus omnibus, in medio foro, insidiis Othonis jugulatus est. V. Sueton. *in Galba*. Eutrop. *lib.*7. Bap. Egna. *lib.*1. V. *Galba*.

Sergius Servianus, Consul. An. U. C. 886.

Seria, quæ & *Fama Julia*, opp. Turdetanorum, Hisp. Bæt. ad Anam fluv. Ptol. 6. leuc. ab ejus ostiis, in Bor. Hodie *Xeres de*

Guadianæ quibusdam, oppidul. munitum Vandalitiæ, in limite Portugalliæ.

Serica, regio perampla Asiæ. Terminatur ab Occ. Scythia extra Imaum, à Mer. Sinis, ab Ort. Oceano Eoo, uti Scythico ad Bor. Ejus partes fuere olim, Asmitea reg. & pop. Damnæ, Issedones, Ottorocoræ, Piadæ & Thaguri. Eorum Urbes fuere Issedon Serica, caput reg. Asmira, Damna, Ottorocora, Piada & Thagura. Nunc ibi pars est Or. Tartariæ magnæ, uti & regna Tangutum & Ninganum, atque Naimani pop. G. Sanso. Issedon Serica creditur à multis *Suchur*, & Thagura *Campion* seu *Tangut*, in regno cognom.

Seriphus, insula maris Ægæi, una Cycladum, inter Siphnum & Theram, quam Aristophanis Scholiastes in Acharnanes dicit esse νῆσον οὐκ ἐλαχίστην, h. e. *insulam vilissimam*; Seneca *ad Helviam, cap.* 6. desertam & asperrimam: *Deserta*, inquit, *loca*, *&* *asperrimas insulas Sciathum*, *&* *Seriphum pete*. Et apud Plut. *de exilio*, Stratonicus eò delatus, cùm ab hospite didicisset τὰς ῥᾳδιουργίας *falsarios* in exilium mitti: Τί οὖν (εἶπεν) οὐκ ἐραδιούργησας, ὅπως ἐκ τῆς στενοχωρίας ταύτης μεταστῇς. De eâdem sic agit Corn. Tacitus, ac si tota sit saxum, de Cassio Severo dicens *lib* 4. *Annalium*: *Bonisque exutus, interdicto igne & aquâ*, *saxo Seriphio consenuit*. Seriphus scilicet, Eustathio referente post Geographum, οὕτω πετρώδης ἐστιν, ὥστε κωμῳδεῖται ὑπό τι Γοργόνος τοῦτο παθεῖν, ὡς τοῦ Περσέως αὐτόθι τραφέντος, καὶ τὴν τῆς Γοργόνος δεῖξαι ἐκεῖ κομίσαντος κεφαλὴν, δι' ἧς τοὺς ἐκεῖ ἀπελίθωσεν. *Seriphos* igitur pro *Resipho* dicta videtur per metathesin, quia רציף *resiph* apud Phœnices *lapidibus stratum* sonabat. Ovid. *Met.* 7.

—— *Planamque Seriphon*
Marmoreamque Paron.

Idem *lib* 3 *de Art. Am.*

Sic tibi vestita pressa Seriphos erat.

Juvenal. *Sat.* 10.

Ut Gyara clausus scopulis, parvaque Seripho.

Statius *in Achilleide*.

—— *Hinc spreta Myconos, humilisque Seriphos.*

Nunc *Sirfino* seu *Serfente*, Ins. probe culta, circuitus 30. m. p. sub Turcis. 6. m. p à Theramnia Ins. In hâc ins. ranas prorsus mutas esse tradunt: unde proverbialiter *Seriphia rana* dicitur in homines mutos, ac dicendi, canendique prorsus imperitos.

Serius seu *Serio*, fluv. Italiæ, in dit. Veneta. Oritur ex montibus, in limite Rhætorum & Vallis Tellinæ: dein in Austr. tendens, prope Bergomum ad 2. m. p. labitur, hinc Cremam irrigat, & paulo supra Pizleonem in Adduam se exonerat.

Sermineta, opp. amplum & munitum Campaniæ Rom. In colle, cum tit. Duc. gentis Cajetanæ, 12. mill. à Velitris in Ort. prope paludes Pomptinas. Aliàs *Sulmo* quibusd. In dit. Pontif. Dicitur & *Sermoneta*.

Sermitium, à quo Seriana vallis, *Sannutio* nunc, pag. Corsicæ in mediterr. apud Tuolam fluv. olim opp.

Sermylius, civitas in Sithoniâ Macedoniæ. Herod. *lib.* 7. Urbs juxta Athon. Steph.

Sernicium, locus in Italiâ inter Sulmonem, & Venusium. Ant.

Serninus vicus, opidulum Lombardiæ Cispadanæ. Anton. *Sermito* Leandr. *Sermido* Baudr. pagus Duc. Mantuani, in limite Ferrariensi, ad Padum, inter Ferrariam ad Ort. 20. mill. p. & Mantuam ad Occ. 13. circiter.

Seron, princeps exercitus Syriæ. 1. Machab. 3.

Seror, fil. Bechorath. 1. Par. 9.

Serpa, opp. olim clarum, nunc castrum munitum Portugalliæ, in colle, prope Anam fl. medium inter Mauram ad Bor. & Juliam Myrtilim ad Mer. 5. leuc. Portug. uti à limite Vandalitiæ in Occ.

Serræ, Nicet. Cedr. *Serres* Leuncl. Urbs Arch. Maced. apud Amphipolim, ampla, inter Philippos, & Thessalonicam.

Serrance, opp. Bearniæ, in monte, Galliæ versus Hisp. postremum. Metel. Merula.

Serrepolis, Ciliciæ urbs. Ptol. *Cassipolis* Plinii, teste Villanovano.

Serretes. Pannoniæ gens ad Dravum fluv. Plin.

Serrheum, promunt. Thraciæ, & civitas Samothraciæ. Est & *Serrheus murus*, *Serrhei* quoque *montes*. Steph.

Serri, pop. Colchis vicini. Plin. 6. 5.

Sersila, opp. Algerii regni, cum portu & arce munita, in ora maris Mediterr. 8. leuc. Gall. ab Algerio in Occ. Tenesium versus; *Rusubricari* aliàs dicta est, Nic. Sanso. Nunc *Sercelle*.

Sertorius, Nursiâ oriundus, partium Marianarum fuit unà cum Cinnâ: quibus junctus Romam cepit, An 667. U. C. moderatiùs tamen se gessit, quàm alii; Syllâ redeunte à bello Mithridatico, urbeque potito, ipse quoque in Hisp. aufugit, ubi brevi tempore ob virtutem sibi gratiam earum gentium conciliavit: Traditur per eum Hispanos disciplinam rei militaris Romanam didicisse, ac fortiores deinde fuisse. Nam præter artem rei militaris abstinentissimus etiam voluptatum, tum religiosus est habitus, quòd cervam quandam secum in expeditionibus haberet sequentem, quam Dianæ numen dicebat esse, ex eâq; responsa accipere, resque gerendas auspicari. Quare dux Lusitanorum delectus, parvis copiis multas urbes subegit, sed & 4. Romanorum duces contra se missos, variis cladibus adflixit. Primò enim Cottam navali prælio superavit, Phidiam Hispaniæ prætorem cum 2. mill. civium Romanorum interfecit: Domitium proconsulem contrivit; postremò Trajanum à Metello missum cum toto exercitu delevit. Denique Pompejo fortiter resistens, à Perpennâ socio belli à ejusdem factionis per proditionem in cœna interfectus est. Oscæ, in Arragonia, Ann. 681. Hic antequam ad bellum se applicaret, Eloquentiæ varia juvenis exhibuit specimina. Vellej. Paterc. Liv. Florus, sed imprimis Vide Plut. *in Sertorio*. Lucanus *lib.* 2.

Quique feros movit Sertorius exul Iberos.

Sertorius Fontanerius, Anglus, floruit sec. 14. Franciscani Ord. minister Generalis creatus, Ann. 1356. dein Arch. Ravennæ, sub Innocentio VI. evasit, purpuràque donatus, Obiit An. 1362. Scripsit Commentar. in Augustin. *de C. D.* item in varios S. Scripturæ libros, Homilias, &c. Willotus, *in Athen. Franc.* Trithem. *de Scr. Eccl* Pitseus *de ill. Angl. Scrip. &c.*

Servæus, prænomine *Quintus*, Præturâ functus & quondam Germanici comes. Quapropter admonitu Tiberii à C. Cestio Patre accusatus & judicio Senatûs damnatus est. Cn. Domitio, Camillo Scriboniano Coss.

Servandus, Consul, exilio damnatus, an. U. C. 1221.

Servania, prov. Persiæ, in limite Georgiæ & Turc. dit. ubi aliàs Mediæ pars. Extenditur juxta mare Caspium, à quo terminatur ad Bor. habetque urbes pulcherrimas, quanquam pluries vastata à Turcis; Ibi nempe Tabrisium, Sammachia, Servanum, Ardebilia & Bacua. Sub Persis.

Servaria, mel. *Cervaria*. V. ibi.

Servesta, Vid. *Zervesta*.

Servetus, Vid. *Michaël Servetus*.

Servia, pars ampla Hungariæ latè sumptæ, *Serblia* quibusd. Extenditur inter Croatiam, mare Adriaticum & flum. Danubium Moravamque, ubi aliàs Mœsia sup. & pars Dalmatiæ. Sub Regibus propr. antea, his extinctis paruit Regibus Hungar. Nunc Turcis subest. Dividitur in Maritimam, quæ ol. *Chulmia*, hodie *Herzegovina*, versus Dalmatiam & Albaniam; & Mediterraneam, quæ iterum duplex: Pars Drino fl. orientalis *Rascia* dicitur. Pars verò Drino Occid. seu inter Drinum ad Ort. & Croatiam ad Occ. *Bosna* seu *Bosnia*, V. ibi, & in voce *Servii*.

Servianus Marcellinus, Consul an. salutis 105.

Servii & Chrovatæ, loca illa, quæ hodie *Servia* & Croatia dicuntur, occuparunt, An. C. 886 quo Ungarorum Scythica gens in Pannonia sedem fixit Sigonius *lib.* 5. *ad Ann.* 886 Constantinum Monomachum superarunt, An. C. 1042. sed victi sunt, à filio Calojohannis Emanuele An. Ch. 1149. Subacti postmodum à Carolo Hungariæ R. An. C. 1310. Bonfin *in Hist.* in potestatem concesserunt Amurathis Turcarum Imp An. C. 142*. qui Georgium Serviæ Despotam socerum persequutus, Synderoviam, urbem ejus munitissimam cepit, filiis excæcatis & exsectis, ab eodem tamen cum copiis adventante victus, An. C. 1439. Laonic. *lib.* 10. Leunclavius *Histor Turc.* Illorum regio *Servia*, quod Vide.

Servilia, mater M. Bruti, Julii Cæsaris adultera, cui sexagies sestertiorum gemmam mercatus est.

Servilia, Bareæ Sorani filia, Annio Pollioni nupta, sed, intra vicesimum ætatis annum, marito in exilium pulso, viduata desolataque: hæc cultus dotales & detractum cervici monile venum dedit, ut posset Magos consulere, de incolumitate domus, & an placabilis patri Nero, an cognitio senatus nihil atrox afferret. Idcirco ab Ostorio Sabino accusata & à Nerone liberæ morti permissa est. Tacit. *lib.* 16. *cap.* 30. 31. 32.

Servilii, à Servio denominati: gens Albæ primùm, dein Romæ nobilissima fuit: quæ in Urbem, Albâ dirutâ, commigravit. Hujus gentis cognomina fuerunt Priscus, Ahala, Axilla, Structus, Cæpio, Geminus, Pulex, Vatia, Isauricus, Casca, Fidenas, Tucca, Longus. Dictaturas gessit & ipsa magisteria Equitum consulatusque complures.

Servilii Vatia villa, Senec. *Lago della Colluccia* Loffredo, Lacus Campaniæ, cum ædificiis, in ora & Sinu Cumano, inter Linternum & Cumas propiores. Ubi olim Servilii ædes. *Servilius lacus* S. Pompejo.

Servilius, accusator Mamerci Scauri, Tac 6. 29. Dein, quia pecuniam à Vario Ligure omittendæ delationis ceperat, in Insulam, interdicto igni atque aquâ demotus est.

Servilius, Historicus Lat. Tacito *lib.* 14. *Annal.* laudatus. Item Consul, peste obiit cum Coll. Æbutio, An. 290. U. C.

Servilius Asta, Conf. an. U. C. 866.

Servilius Cæpio, cujus præcipuâ operâ Cæsar Bibulum inpugnavit, eique filiam Juliam despondit: sed repudiatus paulo pòst, collocatâ Cn. Pompejo filiâ.

Servilius Hala, vel Ahala, mag. equitum, Labicanos, Æquosq; Dictator vicit, an. U. C. 338. Sp. Melium ob regni affectati suspicionem interemit. Tandem custodiæ libertatis exilio pœnas pependit. Val. Max. 5. 3. Cic. *Orat. pro domo suâ* dicit, illum restitutum fuisse.

Servilius Isauricus, victoriis inclytus. *Servilius* Priscus, Dictator, Fidenatium urbem evertit, An. 319. Æquisque varia loca eripuit. *lib* 4. *Liv.*

Servilius Novianus, floruit sub Vespas. Fabio *l.* 10. &c. laudatus.

Servilius, prænom. Marcus, causidicus & Historicus insignis, moritur, Cajo Vipsanio & Fontejo Coss.

Servilius Nov. floruit sub Vespasiano: Fabio l. 10. &c. laudatus.

Serviodurum, urbs aliàs Norici, nunc Germ. in Bavaria infer. ad Danubium, 6. mill. Germ. infra Ratisbonam in Ort. Passavium versus 10. *Straubingen*.

Servita, Ordæ religiosus, in Comm. Rom. Florentiæ institutus, An. 1232. Vid. *Annunciata*. Item *Philippus Benizius*. Item congregatio, Massiliæ, Ann. 1257. Ordo *Servitarum*, seu servorum B. Virginis, Venetiis Aabilitus, idem cum Annuntiat. Ord. Ex hoc egregii Viri prodierunt, inter quos Frater Paulus eminet, velut inter ignes Luna minores, qui Reip. Venetæ jura, contra Paulum V. strenuè defenderat, postea aliquot vulneribus, per immissos percussores, tantum non occisus. V. *Vitam ejus*.

Servius Cornelius Dolabella, Conf. an. U. C. 838.

Servius Corn. Maluginensis, Conf. an. U. C. 369. Alius Trib. militum, an. U. C. 370.

Servius Corn. Merenda, Conf. an. U. C. 470.

Servius Corn. Orphitus, Conf. an. U. C. 803.

Servius Corn. Rufus, Conf. an. U. C. 189.

Servius Fulvius Nobilior, Conf. an. U. C. 498.

Servius Galba, Conf. à Lucanis comprehensus, operâ unius mulieris liberatur.

Servius Honoratus, cognom. Maurus, Grammaticus celebris, sec. 2. an circa An. Ch. 410. Scripsit comment. in Virgilium, &c. Macrob. *Saturn. lib. 1. & 6.* Gesner. in *Bibl.*

Servius Pictor, fil. Fabii Pictoris. Gesner. Voss.

Servius Sulpitius Camerinus, Conf. an. U. C. 254.

Servius Sulpitius Galba, prætor malè adversus Lusitanos pugnavit, an. U. C. 604.

Servius Sulpitius Galba, Conf. an. U. C. 785.

Servius Sulpitius Rufus, Conf. an. U. C. 397.

Servius Sulpitius, dictus quoque Lemonia Rufus, Orator & IC. sui ævi celeberrimus. Disc. Lucilii Balbi, & Caji Aquilii Galli, imitator Q. Mutii Scævolæ, à quo his verbis ad Juris studium extimulatus est: *Turpe est Patricio, & causas oranti, jus in quo versatur, ignorare.* Consul fuit, cum M. Marcello, an. 703. prudentiæ non minus quàm eruditionis laude inclytus. Scripsit de jure libb. 180. Præceptor P. Alpheni Vari, C. Auli Ofilii, Aufidii &c. Ad Antonium, Mutinam tum obsidentem, pacis causâ missus, Obiit in itinere. An. 710. U. C. Cicero, A. Gellius, Pomponius, Forsterus *lib. 2. Hist. Jur. Civ cap. 41.*

Servius Tullus, Romanorum Rex sextus ac penultimus, successit Tarquinio Prisco, anno à mundo condito 3387. ante Christum Servatorem natum 575. Hic ex Ocrisia, nobili fœmina Corniculana, captiva ta nen & ancilla, genitus est: cui adolescentulo dormienti caput ardere visum est, quod prodigium Tanaquil, uxor Regis Tarquinii Prisci, cùm vidisset, eum inter liberos suos educavit: omen enim sic interpretabatur, fore aliquando ut imperaret, quod & contigit. Hic Tarquinii Prisci cùm esset gener eo mortuo, Rex à patribus, & à plebe designatur. Sabinos subegit, Vejentes fregit, montes Quirinalem, Viminalem, & Esquilinum Urbi adjunxit, fossas circum murum duxit: primus omnium censum ordinavit, rem saluberrimam tanto futuro imperio, ut inquit Livius. Sub eo Roma omnibus in censum delatis, habuit capita 84. millia civium Romanorum, cum his, qui in agris erant: occisus est 44. imperii anno, An. U. C. 220. scelere generi sui Tarquinii Superbi, filii ejus Regis, qui ipsi successerat, & impulsu Tulliæ, filiæ suæ, quæ carpento vecta super patris cadaver, consternatos equos egit. Vide Tit. Liv. *lib. 1. dec. 1.* & Dionys. Halic. *lib. 4.* Flor. *lib. 1. cap. 6.* ac Eutrop. *lib. 6.*

Serus, Indiæ extra Gangem fl. Ptol. *Coromoran* Mercatori. Hodie forsan *Puon*; in Quansia prov. Sin. Setius autem fluv. amplus, qui aliàs *Caramoran* creditus fuit, hodie *Kiang* dicitur, M. Mattinio, & Sinarum Imp. ferè bifariam secat, Baudr.

Servus, meliori olim apud Germanos conditione, quàm Romanos, Vid. Tacit. *de Germ. moribus*. Quatuor enim in Saxonia olim & Frisia, Germaniæ regionibus, hominum genera fuisse deprehendimus, Nobilium, qui *Edhilingi*: Liberorum vel Ingenuorum, qui *Frilingi*: Libertorum vel Litorum, qui *Lazzi* vocabantur: atque Servorum. Apud Anglos verò & Werinos, ejusdem Germaniæ gentes, tres solum erant hominum ordines, Adelingorum seu Nobilium, Liberorum & Servorum. In lege Salica Nobilium nulla mentio fit, quia Nobilitatis tum ordo à plebe distinctus non erat, toto Francorum Regno, in duos modò ordines Clericorum & Laicorum vel Secularium, diviso. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall. in voce Rotomagus*. Erant autem Servorum apud Anglo-Saxones & Normannos, quidam Prædiales, quidam Personales: hi ex more Romanorum, illi è Germanorum constituti. Personales, nihil proprii possidentes, dominis suis lucrabantur omnia, & ab eisdem alebantur. Prædiales, quamvis servilis erant conditionis, & originis, sua tamen ad arbitrium domini prædia possidebant & facultates, opera rustica & servitia sibi indicta per villas facientes, & Villani inde nuncupati. Henr. Spelmannus *Glossario Archaol.*

Servus-Dei, scripsit sec. 5. contra illos, qui Christum in terris versantem, Deum Patrem vidisse inficiati sunt. Gennad. *de Script. Eccl.* Trithem. &c.

Serzmaragdia, haud dubiè Daciæ civ. legitur, in Inscr. Trajani Imper. apud Cardinalem Barberinum, forte *Zermizirga* Ptol.

Sesa, pater Abiæ. 3. Reg. 4.

Sesac, rex Ægypti, ascendit in Jerusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & universa diripuit, anno quinto regni Roboam: habebat Sesac in exercitu 1200. currus, equitum 60000. Vid. 3. Reg. 11. 12. 13. 14. *capp.* & 2. Paralipomen. 10. 11. 12. *capp.* Joseph. *lib. Antiq. 1. cap. 7. & 8.*

Sesac, fil. Barriæ. 1. Par.

Sesach, rex Babylonis. Jer. 25.

Sesai, filius Enac. Jos. 15.

Sesamum, urbs Paphlagoniæ, in quâ primus Phineus habitavit, Steph. Didymus insulam esse scribit.

Sesan, fil. Jesi. 1. Par. 2.

Sesana, urbs Briæ, in limite Campan. 13. leue. à Trecis in Bor. versus castrum Theodorici 10. haud pridem fœdo conflagravit incendio; *Sesanne en Brie*.

Sesanium, op. inter Ægyptum & Æthiopiam. Plin. 6. 29.

Sesarethus, urbs Taulantiorum. Steph.

Sesata, Sinarum gens, corpore curto, lata facie, atque simâ. Arrian. *in Periplo.*

Sesindium, urbs Indiæ. Steph.

Sesithacus, Ægemeri fil. Cheruscorum ductoris fuit. Strabò *libro septimo.*

Sesmarus, vulgò *Sismer*, fluv. Belgii, per Trajectense territ. in Mosam apud Traject. sup. influens, Baudr. Gall. *le Semoy*: oritur non longè ab Orolauno, ex lacu quodam, & Vero *Vir* fl. recepto, Chiniacum, Casæcongidunum *Cugnon*, Bublionem *Boüillon*, Orcimontem *Orchimont*, alluit, & infra Lavandiam Abbatiæ tit. illustrem in Mosam evolvitur: Valesius *Notit. Gall.*

Sesonchosis, Rex Ægypti, universi mundi dominus, cupiditate ductus ex vero cognoscendi, qui primi mortalium extitissent, nutricem excisâ linguâ cum infante inclusit. Quo, post aliquot annos, clamante *Bec*, quod Paphlagonum linguâ panem significat, hos antiquissimos esse collegit. Schol. Aristoph. *Nub.*

Sesostris, Ægyptiorum rex, Mœridis successor, qui subactis maris Rubri accolis, alveum navigabilem conatus est ducere ex Nilo in mare Rubrum. Idem & Colchos ac Getas creditur subegisse, regionesque omnes à se subactas trophæis insignivisse; quorum aliquot se vidisse testatur Herodotus muliebri pudendo insculpta. Hunc aliqui *Sesosim*, nonnulli *Vexorem* vocant. Σεσώωσις sanè à Diodoro passim appellatur, sed & aliis quibusdam sic dicitur; aliquibus *Sesonchis*, vel *Sesonchosis*. Vide Scholiasten *ad lib. 4. Apollonii Rhodii*. Sed miror equidem, quòd Justinus dicat *lib. 2.* Scythas vicisse *Sesosin*, sive *Sesostrim* & in regnum repulisse, cùm Herodotus, Dicæarchus, Diodorus Siculus, & alii prodiderint hunc Scythas subegisse, omniumque quas adierit gentium fuisse victorem. Trogum tamen secutus est Val. Flac. *lib 5. Arg.*

—— *Ut prima Sesostris*
Intulerit rex bella Getis, ut clade suorum
Territus hos Thebas, patriumq; reducat ad amnem;
Phasidis hos imponat agris, Colchosq; vocari
Imperet. —— ——

A quatuor captivis Regibus vehi se passus, hòrum unum monitorem habuit; Mæcenas literatorum, columnas & trophæa hieroglyphicis ornavit notis, quarum una Romam devecta, in Martio campo erecta est. In hoc ænigmatum genere Bos terram, Oculus Justitiam, Sceptrum Solem &c. significavit. Herodot. *lib. 2.* Diod. Sic. *Bibl. Hist. lib. 3.* Strabo *lib. 16. &c.*

Sessellium, opp. amplum ad Rhodanum, partim in Bressia, & tractu Verromea, Francici juris, partim in Genev. Duc. Sabaudici juris ab An. 1600. *Seissel*, 5. leuc. ab Annecio in Occ. totidem à Bellieo in Bor.

Sessites, fluv. Gall. Cisalpinæ per agrum Vercellensem in Padum influens: vulgò *Sessia*.

Sestertium, locus extra Romam, ubi cruces, patibula defixa; aliaque ad supplicia plebis. Huc abjiciebantur eorum capita, qui Cæsarum jussu supplicio afficiebantur. Plut. *in Galba*. Quarto ab urbe milliario videtur, ex D. Cypriani vitâ. Sed sic Lipsio ad Tacit. *lib. 15. cap. 60.* dictus est, quia semitertio ab urbe milliari fuisse creditur extra portam Esquilinam.

Sestia aqua, op. in Narbonensi provinciâ, hodie Provinciæ caput, vulgò *Aix*. Aliqui *Sextia* scribunt.

Sestiana Ara, Vide *Ara*.

Sestiaria extrema, prom. Mauritaniæ Tingitanæ, in ora maris Mediter. Ptol. Hodie *Gebba*, prom. prov. *Errifis*, in regno Fezzæ, cum oppidulo cognom. prope Sinum parvum Mezemmæ.

Sestinates, Umbriæ pop. Plin.

Sestium, urbs in mediterraneis Oenotrorum. Stephan. *Saracina* Barrio.

Sestius, civis Rom. à quo *Sestia aqua* dictæ. Fuit & scriptoris nomen, item medici, quorum mem. Plinius. *Sextius* fortè magis aptè scriberetur.

Sestrum magnum seu *Lutetia*, locus Guineæ, in ora littor. Maleguettæ,

Severianus, sororius Hadriani Imp. nonagenarius, cum nepote Fusco, jussu Imper. interemtus, imprecatus est huic, ut *cùm mori cuperet, non posset*: quod factum. Vide Æl. Spartian. *in vita Hadr.*

Severianus, Episc. Gabalitanus in Syria, eloquentiâ & eruditione clarus. A S. Chrysostomo, ad concionandum sæpe invitatus, & cùm in Asiam proficisceretur, Ecclesiam suam interea curare jussus, non usquequaque officium fecit, proin à reduce Chrysostomo reprehensus, ad persecutores ejus se applicuit. Persuasit itaque Eudoxiæ, illam à Chrysostomo Jezabelem pro suggestu appellatam esse; Hinc indignatio orta, & pulsus Chrysostomus est, quem cùm Severianus publicè convitiis proscinderet, fastus illum inprimis accusans, aversatus persecutionis auctorem populus revocavit Chrysostomum, qui paulo pòst Severianum urbe pepulit. Sed ope Eudoxiæ pax coaluit, nec cessavit tamen hic illum crudelissime, quà pote persequi. Scripsit Expositionem Epistolæ ad Galatas, Gennad. *de Vir. Illustr.* Editæ sunt etiam An. 1612. sub ejus nomine, 6. Homiliæ græcæ, cum Chrysostomi operibus. Eidem ex 6. Chrysostomi homiliis, à Cardin. Sirleto editis, quædam quoque attribui solent. Theodoret. Johannes Damascen. Gennadius. Socr. *lib.* 6. Sozomen. *lib.* 8. Nicephor. *lib.* 13. Pallad. *in Dial. vita S. Chrysost.* Baron. *An. C.* 400. 401. *& seqq.*

Severini cœnob. P. Diacon. *Zuerin* Leunclav. pagus Norici, in Pannoniæ super. confinio, ad Cetium montem, in Austria. *Siferingen* aliis apud Viennam, mill. Ungar. distans, Lazius.

Severinum, vulgò *Svverin*, oppidum Daciæ, in Mysiæ superioris confinio, ad Danubium, apud pontem Trajani, opus Severi Imperatoris.

Severinus, Pont. Rom. An. D. 638. post Honorium I. ut *Ecthesi* subscriberet, ab Heraclio Imper. perduci non potuit. Obiit Ann. 639. Successit Johannes IV.

Severinus, Noricorum Episc. prædictionibus celebris.

Severinus, vide *Boëtius*.

Severissimus, nomen Centurionis, seditiosis Othonianis resistentis & ideò occisi, ut legit apud Tacit. l. *Histor.* 80. Lipsius, quod tamen probare se posse negat Pichenus.

Imperatores Romani.

Severus Septimius, Imperator. Lepti oriundus, ex Getà & Fulvia Pia, juventâ turbulenter transactâ, meruit nihilominus amplissimos honores, tandemque, specie ulciscendæ necis Pertinaci illatæ, imperium occupavit, An. Chr. 193. cùm in Pannonia tum esset: Romam ut pervenit, à militibus, qui Didium Julianum occiderant, purpurâ ornatus est. Audito, Pescenninum Nigrum à Legionibus Syriæ Imperatorem declaratum esse, eò tetendit, Byzantioque post triennium expugnato, & in pagum redacto, Parthos, Medos, Arabas, &c. vicit: Judæos rebelles severe admodum punit, unde ei à Senatu, cum filio, triumphus decretus. Oriente pacato, prope Lugdunum, Albinum quoque superavit, nimis crudeliter usus victoriâ: unde *Punicus Sulla* dictus est, & Christiani in Gallia huic cladi involuti. Destructis deinde fere omnibus Urbibus, 5. persecutionem contra Christianos orsus est, cùm sub initium imperii, à Proculo sanatus, illis satis æquum se præbuisset: Britannos dein rebellantes domuit, ingenti muro illis coërcitis, non æque tamen domi felix. Cùm enim filios ambos, Antoninum Caracallam & Getam, imperii consortes fecisset; prior moræ impatiens ensem in patrem strinxit; sed prohibitus est: quod cùm Pater vidisset, dissimulasset que, tantum inde mœrorem hausit, ut ei impar obiret, Eboraci in Anglia, An. 211. Imp. 18. ætat. 70. Ingenio & dexteritate inclytus, literatorum Fautor, Mathematicus ipse & Historicus, vitam suam condidit. Spartian. *in Sept. Severo.* Dio, Aurel. Victor, Eutropius, Orosius, Euseb.

Severus Libius, Imperator Occid. Ravennæ salutatus, post Majorianum, An. 461. à Senatu, non expectato Leonis Imper. consensu, confirmatus est: veneno sublatus est à Ricimero, A. 465. Marcellin. & Cassiodor. *in Chron.*

Severus Flavius Valerius, Maximiniani Armentarii Imper. ex sorore nepos. Ab avunculo, cum Maximino, Cæsar declaratus, An. 304. Italiæ & Africæ res curavit. Hic dum Maxentio, qui Romæ Imperium arripuerat, occurrere properaret, victus Ravennam se recepit, unde à Maximiano Herculе, sub pacis prætextu, evocatus, in itinere Romam versus, strangulatus est. An. 307. Zosim. *lib.* 12. Eutrop. *lib.* 9. *&c.*

Viri Celebres.

Severus, Episcopus Milevitanus, Scriptor Ecclesiasticus, An. 420 Item Præsul Minoricæ, floruit eodem tempore. Scripsit epistolam Circularem, de conversione Judæorum, in Insula sua. Item Episcop. Malaguæ in Hisp. floruit An. 590. Scripsit *Correctorium*, contra Vincentium Cæsaraugustanum, Arianum. Item de Virginitate, &c. Vide quoque *Alexander Severus*, *Aquilius*, *Cassius*, *Cornelius*, *Odo*, *Sulpicius Severus*.

Severus, Hæresiarcha, caput Severianorum, è Tatiani scriptis veneno hausto; docuit, Resurrectionem nullam, vini usum illicitum, nullam item V. T. Actorum Apostol. & Epistolarum Pauli narum auctoritatem esse. Porro statuit, fœminam Cacodæmonis opus, & proin Conjugium damnabile esse. Homine in duas partes diviso, superiorem ejus partem Deo, inferiorem Diabolo tribuit: à Clem. Alexandrino & Origene, qui quoque contra Tatianum scripserant, refutatus. Augustin. *hær.* 24. Euseb. *Hist. lib.* 4. Baron. *An. C.* 174.

Severus, Sozopolitanus, ex parentibus gentilibus natus, luxus & magiç accusatus Tripolim Syriç venit, ibiq; baptizatus est. Mox baptismo renuntians, Monasticam vitam aliquandiu professus, è cœnobio, utpote Acephalorum unus, pulsus est: Hinc ad Anastasium Imp. ut de injuria conquereretur, profectus, tantum apud eum effecit, ut deturbato Flaviano, Episc. Antiocheno, ipse ejus in locum intruderetur, An. 512. Hic Eutychis hæresin publicè docens, Concilio Chalcedon. anathema dixit, omnesque Episcopos suæ Primatiæ, in communionem pertrahere, quà blanditiis, quà vi conatus est. Quibusdam horum generosè obnixis, sævire immaniter cœpit, trecentis monachis orthodoxis molossorum furori expositis; luxuriæ interea abominandæ deditus. Tandem An. 519. Justini jussu, lingua ei execanda cùm esset, is Alexandriam evasit, ibique furere & abominanda patrare perrexit, Niceph. *lib.* 16.

Severus, magister ac machinator Neronis, in domo post exustam Romam struenda, Tacit. 15. 42.

Severus Aulius, ad quem Lactantius scripsit duo epistolarum volumina, cujus meminit Hieronymus.

Severus, mons Italiæ, teste Servio in illud *Æneid.* 7.

Qui Tetrica horrentis rupes, montemq; Severum.

Licet Marcellus *Severum* ibi adjectivè positum intelligat. Baudrando melius *monte della Mosca*, in Sabinis, versus Reate & confin. Aprutii ulterioris.

Sevinus Promptinus, ab Othone senatorio ordini restitutus, unde, ob repetundarum crimen, sub Nerone exciderat, Tacitus *histor.* 1. 77.

Sevinus lacus, vide *Sebinus*.

Seumara, urbs Iberiæ in Asia, Strabo *lib.* 11.

Sevo, mons German. ab Ingævonibus habitatus, Solin. *cap.* 23. Baudrando mons est Scandinaviæ longissimus, qui à Mari Albo & extremis Lappiæ finibus lunato cursu, per Lappiam reg. dein inter Bothniam & Finnorum Marchiam, tandem inter Sueciam & Norvegiam, ad fauces Sinus Codani, 300. m. p. longitudine procurrit. In Norvegia dicitur *Daare field*: Sed ejus partes sunt etiam *Skars field*, *Rund field*, *Dofre field*, in Præfectura Nidrosiana, & *Fille field*, ac *Houckle field*, inter Bergensem & Aggerhusiam Præfecturas.

Seuri, Hispan. Tarrac. pop. Ptolem. *Seurbi* Plinio.

Sesja, opp. Galliæ in Cenomanis, ad fluv. Sartam, vulgò *la Suse*; titulo Comitivæ clarum, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Seuthes, primus vocatus fuit, qui regi suo iis copiis, quibus præfectus fuerat, regnum extorsit eumq; occidit. Aristot. *lib.* 5. *Pol.* 10. vocat Amadocum Thraciæ Regem. Fortasse is est, cujus quoque meminit Polyæn. 7. 523. Vide *Ceuthes*.

Seuthes, Odrysarum Dux, qui Zopyrione Thraciæ præposito, dum expeditionem in Getas faceret, tempestatibus procellisque subitò coortis, cum toto exercitu oppresso, populares ad defectionem traxit, Curtius 10. 6.

Sex, *Sexi firmum* Plin. cognomine Julium, *Sexitania*, Athenæo; *Hexi* Melæ, urbs Hisp. Bæt. apud oram litoralem regni Granatensis. *Velez Malaga* Coquo & Pineto, *Motril* verò Floriano.

Sexana, Siciliæ urbs, Phavorinus.

Sexignani, vel *Sexagnani*, Gall. Aquit. pop. Plin.

Sexiona, vide *Setabicula*.

Sexitia, Mamerci Scauri uxor, mortis quâ Vir damnationem anteiret, & incitamentum & particeps, Tac. 6. 29.

Sexolita, gens ad Euxin. Pont. Pompon.

Sexta, locus Britanniæ insulæ, Lib. Notit.

Sextani, Gall. pop. in quibus Arelate, Pompon.

Sextatio, Galliæ Narbon. urbs, Anton. Gall. *Soustancion*. Locus arduus ac vetus, à Montepessul. m. p. absfuit, magni olim nominis, & Comitivæ cognom. caput, à Montepessulano hodie exhaustus.

Sexti, P. Diacon. locus Afr. à Carthagine 6. m. p. Uticam versus, Cypriani martyrio nobilis.

Sextia, socrus L. Veteris, adversis generi abstracta promptè à Nerone necem subiit. Tacit. 16. 10.

Sextilia, mater Vitelliorum, probatissima nec ignobilis fœmina, Tacit. *Hist.* 2. 64. Lucii Vitellii uxor fuit, quæ ei peperit duos filios, quos eodem anno ambos Consules, cùm majori minor in 6. menses successisset, uterque parens vidit. Alter ex his filius, Aulus Vitellius, post Othonem imperavit: cujus genituram, sive nativitatem, aut natalis horæ suspectionem, à Mathematicis prædictam ita exhorruerunt parentes, ut pater magnopere contenderit, ne qua ei provincia, vivo se, committeretur: mater & missum ad legiones, & appellatum Imperator. pro afflicto statim lamentata sit. Vide Suet. *in Vitell.* Prædixerant Mathematici, Aulum Vitell. futurum quidem Imper. sed in imperio, per vim, crudabiliter periturum.

Sextilius Felix, cum ala Aurianâ & octo cohortibus ac Noricorum juventute missus, ad occupandam ripam fluminis Æni, quod Rhætos Noricosque interfluit. Tac. *Hist.* 3. 7. Cum auxiliaris cohortibus per Rhætiam irrupit in Germanos, *lib* 4. 70.

Sextilius Lateranus, Consul, An. mundi 4116.

Sextius Africanus, vide *Africanus*.

Sextius Baculus, vide *Baculus*.

Sextius Caballus, scurra max. *à calcitratu caballi* nomen adeptus.

Sextius, prænomine *Lucius*, secundum Plutarchum & Fastos Capitolinos primus de plebe Consul factus est.

Sextius, prænomine *Titus*, C. Julii Cæsaris legatus in Galliâ, *lib. 6. Comm. cap. 1. lib. 7. cap. 49. 90.*

Sextum, pag. 32. mill. à Mediol. in Occ. Aronam versus 6. & 13. à Novaria in Bor. Vide *Sestum*.

Sextum, pagus ingens in ora Liguriæ; *Sestia di Ponente*, 6. m. p. à Genua in Occ.

Sextum Philippi, locus territorii Rom. ubi Tiberis in duo divisus, insulam efficit inter Portum & Ostiam.

Sextus, Medicus de Empiricorum secta, sec. 2. sub Antonino Pio, vixit. Scripsit libb. 10. contra Mathematicos, & tres, de opinionibus Pyrrhoniorum: Item de Medicina animalium; quod opus est hominis Platonici. Item, Philosophus Pythagoricus, Auctor *Enchiridii Sententiarum*, quod Rufinus latinè vertit. Item, Africanus, auctor Chronologiæ, & Κεστῶν libb. 9. quos Alexandro Mammeæ inscripsit. Possevin. *in Appar.* Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Philos. & Phil. Sect.*

Sextus, Philosophus Pyrrhonius, Chæronensis, Plutarchi nepos, qui Præceptor fuit Marc. Antonini Imperatoris, Jul. Capitolin. *in hujus vita.*

Sex. Ælius Catulus, Consul An. Mundi. 3966.

Sex. Ælius Pætus, Cons. an. U. C. 766.

Sex. Atilius Seranus, vide *Seranus*.

Sex. Aurelius Victor, Cons. an. U. C. 1112.

Sex. Cornelius Cethegus, Cons. an. U. C. 776.

Sex. Domitius Calvinus, Cons. an. U. C. 630.

Sex. Furius Medullinus, Trib. Mil. an. U. C. 336.

Sex. Gellius, priscus Historicus, citatus in tractatu, de Origin. gentis Romanæ.

Sex. Julius Cæsar, Cons. an. U. C. 663.

Sex. Julius Tullus, Trib. Mil. an. U. C. 332.

Sex. Nonius Quintilianus, Cons. an. U. C. 788.

Sex. Papinius Gallienus, Cons. an. U. C. 788.

Sex. Pompejus, Cons. an. U. C. 766.

Sex. Pompejus Festus, scripsit libb. 20. *de Verborum significatione*: quibus Verrii Flacci opus contraxerat: quod idem a Paulo quodam passus est. Edidit hæc omnia Anton. Augustinus, Venetiis Ann. 1568.

Sex. Quintilius Varus, Cons. an. U. C. 301.

Sex. Rufus, vir Consularis, floruit circa An. 364. Scripsit epitomen hist. populi Romani, quam Valentiniano I. Imper. dedicavit. Johannes Cuspinianus *Breviarium* hoc emendavit. Volaterrano Festus Rufus vocatur, sic fortè idem erit cum Festo Rufo Avieno. An idem cum descriptionis Romæ auctore, qui sub Diocletiano floruit? Vide Voss. *de Hist. Lat. lib. 2. cap. 8.*

Sex. Sulpitius Galba, Cæsar 7. regn. mense 7. An. M. 4374.

Sex. Turpilius, Poeta Comicus. Vide *Turpilius*.

Sezannia, vulgò *Sesane*, vetus castrum Galliæ, in finibus Tricassium. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sezeris, urbs circa Mesopotamiam, Nicetas.

S I.

Siaa, nomen viri, 1. Esdr. 2.

Siacha, palus Italiæ circa Cimmer. Tzetz. *Chil.* 12. Num. 12. 448.

Siada, Anton. 7. insulæ maris Britannici oræ Galliæ Celt. Boreali adjacentes ante Leonam urbem Britanniæ minoris, ab eâ 7. leucis in Cæc. Vulgò *les septs Isles*, teste Camdeno. *Siada* autem à numero sic dictæ, *Saith* enim Britannis *septem* significat. Baudrando in ora Britanniæ minor. vix 2. leuc. ab ora, 5. à Trecoria in Boream.

Sia, urbs Armen. major. Ptolem.

Siagathuri, populi, quorum meminit Martianus *in descript. Sarmatiæ*, Stephan.

Siagul, Africæ propriæ urbs maritima, Ptolemæo. *Susa*, teste Marmolio.

Siaha, nomen loci, 2. Esdr 11.

Siala, Tyanitidis urbs in Cappadociâ, ut Ptolemæus Geographus auctor est.

Siambis, insula maris Britannici, quæ & *Sena*, vulgò *Seyn*, vel *Sayn*.

Siamum, reg. peninsulæ Indiæ ulter. ampla, à Septentr. in Mer. porrecta, sub rege propr. cui subsunt etiam regna Dangoma, Juncalanum, Tarasserium, Ligorium & Singora. Caput totius regni est *Judia*, seu *Odiaa*, ad Menanum fluv. aliàs *Samarade*. Terminatur hoc regn. Peguano ad Bor. uti ab Ortu Sinu Siami, & ab Occid. Sinu Gangetico. Ab eo quoque fiduciario jure pendent regna Lanianum, Pahanum, Panum, *Patanum*, & *Pera*. Aër hic salubris, cui peregrini facilè assuescunt: Ora maritima populosa, urbes commercio florentes, solum frugum fertile, auri quoque hic aliqua vis. Incolæ paulò politiores, φιλόξενοι, ad manuarias operas mancipiis utuntur. Parvo contenti, ab animalium esu abstinent. Cæterùm Idololatræ, Regem suum, velut Principem Principum venerantur, eumq; solum auctorem fortunæ suæ agnoscunt. Cluverius & Samson, *Geogr.* Matth. *Histor. Ind.* Ramusius, Barbosa, Linschotus, &c.

Regni Siami urbes præcipua:

Bancocum, *Bankock*.	Ligorium, *Ligor*.
Bordelonga, *Bordelong*.	Marrenæum, *Martenayo*.
Caphenum, *Capheng*.	Mormelonum, *Mormelon*.
Consevanum, *Conjeyvan*.	Pocelogum, *Poucelongh*.
Judia, s. Odia, *Judia*, regni caput.	Sncetæum, *Soucethay*.
Juncalaonum, *Juncalaon*.	Tanasserium, *Tanassery*.
Lidura, *Lidura*.	Tenum, *Tenou*.

Siangyanum, vulgò *Siangyang*, urbs Sinar. Huquaniæ tertia, prope Hanum fluv. ad radices montium: sub qua sex Urbes, Martinius, *in Atl. Sin.*

Sianticum, Norici urbs, Ptolem. in confin. Pannoniæ superioris. Hodie Cluv. *Saaneck*, ad Sanam fluv. in Carinthia super. & limite Stiriæ infer. 20. mill. pass. à Laubaco in Cæc. 12. à Leona in Cæc. Sarniam versus 20. circiter.

Siara, Armen. minor. urbs, Anton.

Siara, urbec. Brasiliæ, à paucis habitata, cum portu capaci & arce in colle. Caput Præfecturæ cognom. amplæ, quæ inter Præfect. fluvii Magni ad Ort. & Maranianis ad Occid. sed cum paucis coloniis Lusitanorum, quibus subest.

Siarum, Morali *Catragatin*, oppidum Hispan. Bæt. excisum: locus hic hodie in Vandalitia, inter Hispalim & Utreram, à qua parum distat.

Siatutanda, Germ. opp. Ptol. nunc pag. Frisiæ, in territ. Groning. *Sideburen*, vel *Scils vvold*, à Groninga 2. leuc. in Ort.

Siavana, Armen. major. urbs, Ptolem.

Siba, vel *Ziba*, servus Saul, 2. Regum *cap.* 9. Puer Mephiboseth, 2. Regum 16.

Siba, regnum Indiæ propr. in ditione magni Mogolis, versus fontes Gangis & Caucasum, inter regna Pitanum ad Ort. & Naugracutium ad Occid.

Sibacena, Armen. major. regio, Ptolem.

Sibæ, Indiæ pop. qui cum Deriade contra Dionysium pugnaverunt. Stephan. Dionysius *vers.* 1141.

Τῶν δ' ἤ μίαν ταῖνι Σίζαι, καὶ Τάξιλοι ἄνδρες.

Ubi Σίζαι corruptè vulgò legitur, testibus Salmasio & Bochario. Quippe in Indiâ *Sabas* nemo alius nominavit. Sed *Sibarum* meminere Strabo, Diodorus, Arrianus, Nonnus, &c. Et Strabo quidem eos collocat inter Indum, & Hydaspen, quo loco Σίζαι Dionysius.

Sibara, Indiæ pop. Plin. *lib.* 6. *cap.* 20.

Sibda, urbs Cariæ, Stephan.

Siberena, urbs M. Græciæ in rupe præruptâ apud Neæthum fluv. Gent. *Siberenus* Stephano, Baudrando.

Siberena, urbecula Calabriæ ulter. in limite cit. 8. mill. à mari Jonio in Occ. uti 12. à Crotone, Consentiam versus 40. à Scyllacio in Cæc. 30. *S. Severino*.

Siberia, provincia ampla Moscoviæ, in Tartaria des. versus Obyum fluvium inter Condoram, Logomoriam & Permiam provincias. Haud pridem detecta & culta à Moscis, cujus primaria *Tobolsk*, versus montes. Regio tota palustris & sylvis opaca, sed magna ex parte deserta, ob viciniam Tartarorum. Indigenæ proprio utuntur idiomate, panis usum nesciunt.

Sibertus de Beka, Gelrus, Carmelita, An. 1320. Philosophiæ, Historiæ Jurisque Canonici peritissimus. Scripsit in Magistrum sentent. &c. Phil. Bergomensis, *in Chron.* Val. Andr. *Bibl. Belg.* Alegrius, *in Parad. Carmel.* Trithem. Possevin. Vossius, &c.

Sibi, vel *Sybi*, vide *Ibi*.

Sibini, pop. contermini Suevis, Strab. *lib.* 7.

Sibora, Cappadociæ urbs, Anton.

Sibotes, ex ducibus auxiliaribus, in bello, quod Perses contra Æeten movit; occisus ab Ambeno, Flacc. 6. 250.

Sibrandus, Abbas Ord. Præmonstrantium, floruit sec. 13. Frisius genere, Obiit Ano. 1230. Scripsit vitam S. Siardi, & S. Friderici. Miræus *in Chron. Præm.* Val. Andr. *Bibl. Belg.* Voss. *de Hist. Lat.*

Sibrandus Leo, Leovardiâ Friso, scripsit sec. præt. vitas Abbatum Horti B. Mariæ.

Sibrium, Indiæ intra Gangem opp. Ptolem.

Sibrus, fluv. Lyciæ, Stephan. in *Tremile*.

Siburtius, ab Alexandro Magno, Satrapes Arachosiis, in locum Memnonis, qui ibi interierat morbo, constitutus. Hic est, cujus meminit Plutarchus, *fine Eumenis*, & Polyæn. *lib.* 4. *in Antigono com.* 15. nec non Diod. *lib.* 19. *fol.* 678. Ei Antigonus mille Argyraspidum misit auxilio, ad eos extirpandos, ob perfidiam in Eumenem suspectos. Janus Gebhardus, *in Spicilegio Politico-Philologico, ad Cornelii Nepotis Eumenem*.

Sibutzates, Aquitaniæ pop. proximi Garumnis, Ptolem. Sub Biturigibus Vibiscis, in ora Oceani, ubi hodie regiunc. *le pais de Buch*, in Guienna vera, prope Arcassonium portum, Sanso. Sed Valesius *Sibutsatium* nomen in Sobussa agnoscit, qui est locus ad Aturum, inter Aquas Tarbellicas, & Lapurdum seu Baiocnam. *Sobussa*, igitur, vulgò *Sobusse*, aliàs *Saubuse*, olim *Sibutsa* videtur dicta esse; & *Sibutsates* loci incolæ, pars Tarbellorum, vel Tarbellis contributi fuerunt, *Notit. Gall.*

Siby, Arab. Fel. oppid. seu Elamitarum, quod Græci *Apasen* vocant, Plinius *lib.* 6. *cap.* 28.

Sibyl.

Sibyllæ, variæ fuere, & numerantur à Clem. Alexand. Varrone, aliisque, de quarum nominibus posteà videbimus. Unde verò *Sibyllæ* nomen provenerit, Græci suo more admodum nugantur. Quibusdam qu. Σιὸς βουλὴ, *Jovis consilium* dici videtur, Laconum more, Σιὸς posito pro Διὸς, ut *Sibylla* quidem tanquam Θεοβούλη sit dicta. Salmasius diminutivum esse existimat à Σίβη, Σίβυλλα; sicut ab Ἥρη ἥρυλλα, ὄπις ὄπυλλα, de quo Hesychius. Quid autem si vox sit Orientalis, à סבל *sabal*, *Sebula*, tanquam si *portatricem* dicas, sive quæ habeat incolam Pythium, quales etiam fatidicæ fœminæ ἐγγαστρίμυθοι dicuntur. Antiquissima certè Sibylla *Sambethe*, quæ *Chaldæa* aliis, aliis *Hebræa*, dicebatur *Saba*, unde Bacchus quoque oriundus est. Ab hàc, ut loquitur Hermeas philosophus, omnes mulieres τὸν μαντικὸν ἐλθοῦσαι βίον dictæ fuere *Sibyllæ*. Cæterùm *Sibyllæ* decem numero fuisse perhibentur. *Prima* ex Persiâ oriunda, *Sambethe* dicta, quæ quibusdam Berosi filia, aliis Judæa gente, creditur. Hujus meminit Nicanor, qui res gestas Alexand. Max. descripsit; Illi tribuuntur vaticinia de Christo, de regnorum mutationibus. *Secunda, Libyca*, cujus Euripides memin. in *Lamiæ prologo*, eique adscribuntur vaticinia de Christi miraculis, quòd surdi auditum, cæci visum, claudi incessum receperint, mortui quoque fuerint revocati in vitam. *Tertia, Delphica*, cujus mentionem fecit Chrysippus, eo libro quem *de divinatione* in lucem dedit, & *in Annalibus suis*, nominavit Piso. Creditur vixisse ante bellum Trojanum, adeoque Delphis nata. Alio nomine *Arthemis* audit. Nonnulli eandem esse volunt *Delphicam*, Erythræam, Siculam, Samiam, Rhodiam, quòd his in locis frequenter versata sit, sed proprium ejus nomen fuisse Herophilen. Cùm esset adolescentula adhuc, νεωκόρος egit in templo Apollinis τοῦ Σμινθέως, ut Peucerus notat, & somnia, quæ in Hecates templo excubantibus objiciebantur, explanavit. Dicitur & Delphis saxum quoddam conscendisse, atque inde μαντευομένην, καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ κάτοχον oracula proclamasse, cui quidem inde saxi *Herophilæi* appellatio inhæsit. In Troade tandem non procul ab Idâ monte in nemore τοῦ Σμινθέως eam sepultam, ex epitaphio columnæ lapideæ inciso observatam tandem scribit Pausanias. Hujus haud paucos versus Iliadi suæ inseruisse Homerus creditur. An eadem cum illa, quam Daphnen, Tiresiæ filiam, Diodor. Sic. *lib.4. cap.6.* vocat? Celebratur ejus vaticinium de colaphis Christo Domino impingendis in passione, de sputis, de felle & aceto in potum dando, crediturque ut dictum, Homerus plurimos ejus versus operi inseruisse. *Quarta, Cumæa*, cujus memin. Nævius, teste Varrone, *in libro belli Punici*, sicut & *Piso in Annalibus*. Hanc refert Lactantius ex Varrone, 9. oraculorum volumina obtulisse Tarquinio Prisco, & pro eis postulasse Philippicos trecentos, quos cùm Rex, pretii magnitudine deterritus, solvere recusasset, crematis 3. reliqua eam retulisse ad regem postulato eodem pretio, tum verò multo magis existimasse regem insanire mulierem, ideoque rursus alia 3. volumina ultricibus dedisse flammis, & nihilominus in pretio perstitisse; tandem verò admiratione ductum Tarquinium, inspectos libros residuos trecentis illis aureis sibi retinuisse, & arcæ lapideæ inclusisse in templo, Jovis Capitolini sepositos & asservatos ad Cornel. usque Syllam, quo tempore Capitolium simul cum illis flagravit Suetonius verò vult usque ad Augustum mansisse incolumes hos libros, & sub basi Palatini Apollinis, cum Martiorum vatum & Bagoes Nymphæ carminibus conditos stetisse, eundemque Monarcham Sibyllinorum librorum habuisse delectum, exustis illis, qui nothi videbantur, reservatis genuinis. Meminit hujus & Martyr Justinus *in Gentium admonitorio*, ubi dicit, eam vaticinatam de Salvatoris adventu, & ejus operibus. *Quinta, Erythræa*, quam suam vocat civem Apollodorus Erythræus, Dionysius verò *Nympham* fatidicam *libr.* 1. Est autem *Erythra* Joniæ urbs maritima Ptolemæo, quæ Stephano etiam Κνωπούπολις dicitur. Eam ferunt vaticinatam Græcis, esse perituram Trojam, & Homerum mendacia scripturum. Constantin. Magnus Imper. in oratione quam Euseb. libris de vitâ Constantini à se editis adjunxit, recitat hujus oraculum de adventu Christi, sed dubiâ profectò fide, initialibus carminum literis præ se ferentibus hæc verba: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. Asserit idem M. Tullium Ciceronem Sibyllinam hanc Acrostichidem carminibus Latinis inclusisse. Interim scribit August. *lib.18. de C. D. cap* 23. eandem se Acrostichidem legisse inter Græca Erythrææ carmina, quæ ipsi exhibuit Flaccianus Africæ Proconsul. *Sexta* Sibylla, *Samia* fuit, de quâ mentionem facit Eratosthenes in Annalibus. Illi cognomen fuit Φυτὼ, diciturque vaticinata de Christo insidente Asello, & Hierosolymam ingresso. *Septima, Cumana*, proprio nomine *Amalthæa, Erophyle*, & *Demophile*, quam aliqui cum *Cumæâ* eandem faciunt. Celebrantur ejus versus, quibus per numeros exprimitur nomen Jesu. *Octava, Hellespontiaca*, nata in agro Trojano, vico Marmissâ, quam scripsit Heraclides Cyri temporibus fuisse. Illi defertur vaticinium de Christi doctrinâ, quòdque legem completurus esset, non violaturus. *Nona, Phrygia*, quæ Ancyræ vaticinata est cùm de aliis rebus, tum de morte Christi, scindendum esse tum templi velum, medio die suborituras tenebras, ipsumque adeò triduano somnio fata mortalia peracturum. *Decima, Tiburtina*, Tibure oriunda, quod est opp. Italiæ. Nomine proprio *Albunea* dicebatur, quam ut Deam coluerunt Tiburtini, juxta Anienis ripas. Hæc Christi resurrectionem, assumptionemque prædixisse legitur. Plura de *Sibyllis* lege apud Pausan. *in Achaicis*. Justin. Martyr. *in Paræn. ad Gent.* Clem. 1. & 4. *Strom.* Euseb. *in Chron.* & *Hist.* Sozomen. *Hist. lib.2. cap.1.* Nicephor. *lib.8. cap. 9.* Lactant. Firm. *lib. 1. advers. Gent. cap. 6.* Joh. Boccat. *de Fœmin. illustr.* Onuphr. Panvinium, Blondellum, Casaubonum *Exercit. 1. contra Baronium*, *Sect.* 10. *cap.* 11. Erasmum Schmidium *Dissert. de Sibyllis*. Barthium *Adversar. lib 9. cap.*11.

Sibyllæ antrum, vide *Antrum Sibyllæ*.

Sibyllæ vallis, apud Cumas, ubi linum optimum, Plinio *Cumanum*.

Sibyllates, vide *Sibutzates*.

Sibyrtus, urbs Cretæ, Stephan.

Sicambri, *Sygambri* Strab. nunc *Geldrenses*, teste Marliano, pop. German. infer. inter Mosam & Rhenum: Sed verius Geldrenses trans Rhenum ex Suetonio, qui eos ad ulteriorem Rheni ripam describit, ubi etiam Zurphanienses. Ovid. *ad Liviam*:

Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
Ensibus & Suevos terga dedisse suis.

Horatius *Carm. lib.4. Od* 2.

—— *Quandoq; trahet feroces*
Per sacrum clivum meritâ decorus
—— *Fronde Sicambros.*

Et *Od.* 14. *ejusdem libri*:

Te cade gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

Ptolemæo fuere ab altera parte Rheni. Zutphaniæ Comitatum eos obtinuisse quidam volunt. Sicambros postea Francos vocatos scribunt Rhenan. ac Herm. Nicenarius & Brietius, qui credit eos occupasse totum tractum à mari ad Mœnum, Imperio Rom. jam ruente. Sub ipsis erant Usipetes, Tencteri & Bructeri popul. Horum regio *Sicambria*. Claud. *lib.1. in Eutropium*:

Militet ut nostris detonsa Sicambria signis.

Sicambria, vulgò *Alt Offen*, id est, Vetus Buda, nunc *Scambri* Ferrar. Lazarius, *R. P. R. cap.2. sect.2.* Vide *Legio auxiliatrix*.

Sicaminum, opp. super mare, juxta Carmelum, Cæsareâ Ptolemaidem pergentibus. Joseph. *lib.3. Antiq. cap.*19.

Sicane, urbs Iberiæ, Stephan.

Sicani, Hispan. pop. Sicoris fluv. olim accolæ, qui relictis sedibus suis, Sicano duce, in Italiam se contulerunt, pulsisque Aboriginibus Latium occuparunt; ipsique postea ab ipsis pulsi, quos ante pepulerant, insulam vicinam Italiæ occupaverunt, & eam *Sicaniam* à suo nomine nuncupaverunt. Servius *in illud Æneid.7*,

Auruncæq; manus, Rutuli, veteresq; Sicani.

Silius *lib.* 6.

Sicana nunc tellus, nunc litora Ibera cruorem.

Hinc *Sicanis* fœm Ovid *in Ibin*:

Plurima qua flammis Sicanis Ætna vomit.

Porro *Sicanos*, à *Siculis* (ut putat Bochartus ὁ μέγας) neque gens, neque sermo distinxit, sed situs, & variæ, ut evenit, in eadem gente factiones. Et Punicâ voce שכנים *Sicani* dicti, qui Siculorum Pœnis erant proximi, quasi *vicinos* dixeris. Hebræis enim & Syris *Saken*, cujus plurale *Sekenim*, *vicinum* sonat. Diodorus Siculos cum Sicanis conferens ait: Ταύτης δὲ τῆς χώρας τὰ μὲν πρὸς τὴν ἑσπέραν κεκλιμένα μέρη κατῴκουν Σικελοί, τὰ δὲ πρὸς δυσμὰς Σικανοί. Huc facit illud Poetæ *Æneid.*5.

—— —— *Nec litora longè*
Fida reor fraterna Erycis, portusq; Sicanos.

Sicapha, Africæ propriæ opp. Ptolem.

Sicardus, Episcop. Cremonensis, floruit An. 1160. Auctor historiæ Paparum. Raph. Volaterranus, *Comm. lib.*22. Vide Voss. *de Hist. Lat. lib.2. cap.*53. Luc. *in Bibl. Carmel.*

Sicaris, vide *Sicoris*.

Sicassa, Insula maris Ægæi, ante Ephesum, Plin. *lib.31. cap.*5.

Sicaula, vel *Seulus*, fluv. Galliæ in Arvernis, vulgò *Siole*, aut *Sioule* dictus, qui Castellum Novum, Manaiense nom. *Menat*, Vivarium *le Vivier*, Ebrogilum *Ebreule*, Rupem fortem, oppidum S. Porciani *S. Pourçain*, attingit, ac in Elaver influit. Recipit Bulbulam *la Bouble*, qui Montem Acutum in Combralia. Cantiliam Villam & Castellum præterlapsus, apud Martiliacum in Sicaulam defertur. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall*,

Sicca, *Sicca Veneria*, Ptol. & Procop. *Veneria* Solino, colon. & urbs Africæ mediterr. media inter Ciriam ad Occ. & Narangatam ad Ort. Pop. *Siccenses*.

Sice. Insula est Asiæ adjacens, non procul ab Epheso, Plin.5.31.

Siceleg, & *Sicelech*, urbs assignata prius tribui Judæ, postea Simeonis, inter primas ejus, sed possessa à Philistæis, quam Rex Achis donavit Davidi, qui in ea sedit & habitavit totum annum & menses quatuor, atque exinde permansit tribus Judæ. Vide Jos.15. & 19.

Siceles, oppidum Palæstinæ, ultra Hebron, inter Gerut & Bersabee.

Sicelia Cæsarea, urbs Mauritaniæ, patria Macrini Imperatoris, Xiphilinus.

Sicemus, urbs Arabiæ, Stephan.

Sicendus, lacus Thessaliæ, mutas habens ranas, quæ tamen aliò translatæ coaxant, Plin. *lib.8. cap.*58.

Sicenus, inf. juxta Cretam, quæ prius *Oenoe* vocabatur, Steph.

Sicera, vulgò *la Cisse*, fluv. Galliæ, paulo supra Turonos in dextrum Ligerim defluit: *humanæ naturæ prorsus contrarius, cùm ejus unda glareosa plus sitim attrahat, quàm depellat*, Hadrian. Valesius *Notit. Gall.* Alius est *Cisa* fluv. *le Cousson*, qui in sinistrum Ligerim, contra castrum Blesense, influit. Alius item *Cusilla* amnis, vulgò *Choisille*, qui infra Turonos Ligeri sinister accedit, Idem.

Siceum, locus seu pagus Galatiæ in agro Ancyrano, ab Anastasiopoli 12. m. p.

Sichæus, filius Plisthenis Phœnicis, sacerdos Herculis, maritus Didus, Phœnicum omnium locupletissimus, quem, ejus thesauris inhians Pygmalion, uxoris ejus frater, sacrificiis intentum interfecit. Virgilius *Æneid.* 1.

Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum.

Justinus: *Sichæo magnæ, sed dissimulatæ opes erant, aurumq; metu regis, non tectis sed terræ crediderat, quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.* Item *Sichæus* adjectivum. Virgilius *Æneid.* 4.

Non servata fides cineri promissa Sichæo.

Sichem, quæ & *Neapolis*, Plinio ac Ptolemæo. Plinio verò *Mamortha*, urbs Palæstinæ perantiqua, in Samariâ apud montem Garizim excisa, à Samariâ 8. mill. pass. distans. Hic Josephus, cui in peculium cesserat, sepultus, & Christus ad fontem Jacobi cum Samaritana locutus est. Ibidem loci, Deus fœdus suum cum populo renovavit, paulò ante Josuæ mortem, & congregati Israelitæ Roboamum rogarunt, ut jugi rigorem mitigaret. In tribu Ephraim. Baudrando vix 5. mill. pass. à Samaria in Occid. Nunc *Pelosa*, vel *Napolosa*. Ex præcipuis totius terræ S. Præfecti sedes. Crevit ex ruinis Samariæ; ideoque potest Samaria nova dici. Fuit olim Urbs refugii & Levitarum metropolis. Eam primo vastarunt Simeon & Levi, filii Jacobi, ob stuprum Dinæ sorori illatum; secundò ab Abimelecho eversam reædificavit Jeroboam. Amœnitate locus & deliciis diffluebat, Genes. *cap.* 34. Jos. *cap* 8. *& ult.* 2. Reg. 12. 2. Par. 10. Joh. 4. Joseph. *Antiq. lib.* 1. *&* 5. Torniel. *Ann. Mund.* 2114. 2802. Item oppidum Brabantiæ. *Sichemiensis* Virginis miracula edidit Justus Lipsius, cui etiam moriens, pennam argenteam, cum veste sua pellicea, legavit. Unde jocus cujusdam Poëtæ:

Sensit homo frigere sua miracula Divæ,
Crassaq; pro calido stragula thure dedit.

Sicila, locus Germ. super. apud Mogontiacum, ubi Severus Imp. interfectus est, Lampridius.

Sicilia, (vide *Trinacria*) Tyrrheni maris insula, à Thucydide *Sicania* dicta. *Sicilia*, incolis, Italis, & Hispanis, *la Sicile* Gallis, Insula est ampla, & formæ triangularis, inter mare Tyrrhenum seu Tuscum ad Boream, mare Siculum ab ea dictum ad Ortum, & mare Libycum sive Africum ad Meridiem. Separatur ab Italia angusto freto 1500. pass. ejusque circuitus est 600. mill. pass. teste Cluverio. Ipsius enim latus Boreale à Lilybæo promontorio ad Pelorum est 255. mill. pass. latus Australe à Lilybæo promontorio ad Pachynum est 190. mill. pass. & latus Orientale à Pachyno ad Pelorum est 155. mill. pass. ut pluribus refert Cluverius, qui totam insulam dimensus est. Alias Reges habuit proprios, hodiè verò subest Reg. Hispaniæ; & in ea sunt tres partes seu provinciæ, valles dictæ, nempe Vallis Nemorensis seu Demonæ, *Val di Demona*, ad Ortum & Boream, ubi Messana, Catana, Pactæ, & Cephalodium, cum monte Ætna; Vallis Neetina, *Val di Noto*, ad austrum, versùs Pachynum promontorium, ubi Syracusæ, Neetum, & Terra nova; & Vallis Mazaræ, *Val di Mazara*, ad Occasum extensa, ubi Panormus, Mons Regalis, Mazara, Agrigentum, & Drepanum. Distat autem Sicilia à Sardinia 170 mill. pass. & 380. à Peloponneso, Sansone & aliis testibus. Frumenti adeò ferax est, ut non immeritò olim *Roman. imperii horreum* fuerit appellata. Namque & optimum triticum, & nobilissima vina gignit: de quo Plinius; qui *lib.* 10. *cap.* 10. auctor est, Leontinos Siciliæ campos stipulas cum centesimo germine fundere. Et ideo inter subsidia frumentaria Reipubl. Rom. hæc insula Ciceroni memoratur, *pro lege Manilia Oratione*. Itaque mirum ab Euripide *in Phœniss. infrugiferam* appellari. Sed id ad illa tempora referendum est, cùm à Cyclopibus, ferendarum frugum ignaris, habitata insula fuit, ut eruditè Grotius monet; quem vide, si lubet, *Prolegomenis in illam Tragœdiam Poëta.* Hæc olim agro Brutio creditur adhæsisse, post eaque impetu maris avulsa fuisse. Vide *Rhegium*. Vulgati Etymologi inde nomen traxisse volunt, quasi *Sicilita*, id est, *rejecta*. Quanto melius Bochartus, qui duas tradit nominis notationes: Prima est hæc; *Siciliam* scilicet à Phœnicibus appellatam esse insulam שכלול *Siclul*, id est, *perfectionis*; quia inter omnes insulas, quæ notæ erant tunc temporis, facilè primas obtinuit. Strabo *lib.* 2. Αὕτη δὲ καὶ τῶν ἄλλων τῶν καθ' ἡμᾶς ἐστι μεγίστη, καὶ ἀρίστη. Altera est hæc, אשכול *Escol* Hebræis botrus est, ut & סגול *segol* Syris, vel סגולה *segula*, cujus plurale סגוליא *segulaja* pro botris. Quâ ipsâ voce verisimile est Phœnices Siciliam appellasse, quasi *botrorum insulam*. Est enim vini feracissima. Populi *Siculi* quos *acutos* & *lepidos* Cicero tradit. *Tuscul. cap.* 8. Et quia *lepidi*, idcirco iisdem *sales*, atque *facetias* idem tribuit 2. *de Oratore*, & *in Verrinis*. *Trilingues* Apulejus vocavit, quòd primò barbarè, deinde Græcè, & post Latinè locuti fuerint. Licèt alii eâ voce *vafros* & *acutos* intelligunt. Quanquam neutrâ earum linguarum satis benè uterentur, quod Asconius *in Divinationem Ciceronis in Verrem* notat. Hinc *Sicilicissare* per jocum, pro Siculorum more male Græcè loqui, *Prologo Menæchmorum* Plautus dixit. Historia eorum hæc est. Primi Siciliæ incolæ Latium inhabitabant, sed ab Aboriginibus & Pelasgis pulsi, in veteri Oenotria à Morge, Itali filio, sedes acceperunt: cui cùm suspectus esset Siculus, illorum Dux, aliàs sedes quærere compulsi, Trinacriam occuparunt; hac cum Sicanis, qui prius illò venerant, divisâ. Ante Romanos, neminem habuerunt totius Insulæ Regem. Dionysius quidem, Agathocles & Hieron Syracusis potiti sunt, sed postea, cùm inter Pœnos & Romanos Insula diu laceraretur, tandem his tota cessit. Nec omittendum, Græcos, qui subinde in Siciliam colonias deduxerant, partem ejus Magnam Græciam appellasse. Declinante imperio Roman. occupata & direpta est Sicilia à Genserico, Anno 439. & 440. recuperata à Belisario, An. 535. Dein Saracenis paruit, quorum Amiræ Panormi sederunt ab Ann. 827. usque ad An. 1070. quo intervallo cum Impp. Græcis pro Insula bella gesserunt, Constantini IX. victores, An. Chr. 1030. victi à Michaele Paphlagone, per Maniacen, An. Chr. 1040. Dein à Normannis, Roberto Guichardo, & Rogerio Ducibus, quibus Nicolaus II. Apuliam, Calabriam & Siciliam, à Græcis & Saracenis possessas in feudum concesserat, An. Chr. 1058. pulsi sunt. Hic Rex constiturus, genuit Guilielmum I. Malum: cujus filia Henrico VI. Imper. nupta est, patri Friderici II. Imper. avo Conradi: Manfredus dein illam sibi rapuit, exutus regno & vita, à Carolo, Ludovici IX. Gall. Reg. fratre, cui Siciliam cum regno Neapolit. Papa donavit. Hujus successores, perpetuo cum Arragoniis Regibus, in quorum familiam Manfredi filia Constantia nupserat, bello implicitì vixerunt. Sub Petro III. Arragon. Reg. Constantiæ marito, *Vespera Sicula*, An. 1282. occisis Gallis omnibus, regnum Arragoniis conciliarunt, hodieque sub Hispaniæ Regibus est; qui ibi Vice-Regem habent. Ab An. 1675. intestinis turbis, seditiosorum conatus Galliæ Reg. fovente, omnia flagrant. Thomas Fazell. *Histor. Sicil. & de rebus Sicul.* Guilielm. *Hist. Normann. in Sicil.* Hugo Falcandius, *de rebus in Sicilia gestis.* Godofred. Malaterra, *de rebus Vischardi* Anton. de la Sale, *Geneal. & Chron. Norm. Regum Sicil.* Hubertus Goltzius, *Sicil. & Magna Græcia, &c.* Siculi porro olim vitam opiparam ducebant, ut apud Platon. *lib.* 3. *mensa Sicula*, & apud Athen. *libr.* 14. ex Cratino, *coquus Siculus* essent proverbio. Alio tamen tempore non deliciis, sed laboribus operam dantes militiæ inserviebant, ut *Siculus miles* proverbialiter, teste Zenodoto, de mercenario milite, ac de nullum ministerii genus lucri causâ recusante diceretur. Furaces quoque habiti sunt; unde adagium apud Suidam: *Siculus omphacizat*, in eos qui vel vilia furentur, qualis est *omphax*. *Aula* quoque *Sicula* apud Juvenalem, pro imperio duro, proverbio dicitur. Plura de Sicilia videri possunt apud Cluverium, Bochartum, & Auctores retro laudatos.

Urbes Siciliæ Episcopales hac tempestate:

Agrigentum, *Girgenti*, Episcopalis sub Archiepiscopo Panormitano.
* Catana, seu Catina, *Catania*, Academia, & Episcopalis sub Archiepiscopo Montis Regalis, olim metropolis.
Cephalodium, *Cefalu*, Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
Lipara, *Lipari*, insula, & urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
Mazara, sic vulgò, Episcopalis sub Archiepiscopo Panormitano.
* Messana, *Messina*, Archiepiscopalis, Academia & Emporium.
Mons Regalis, *Montereale*, Archiepiscopalis.
Pactæ, *Patti*, Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
* Panormus, *Palermo*, Archiepiscopalis, sedes regni.
Syracusæ, *Siragosa*, Episcopalis sub Archiepiscopo Montis Regalis olim metropolis.

Urbes sine sede Episcopali.

Agyrium, & Argyra, *S. Filippo d' Argirone.*
Amestrata, *Mistretta*, oppidulum.
Augusta apud Megaram, sic vulgò, à Friderico Imperatore condita.
Calata Jeronis, *Calatagirone.*
Calata Sibeta, sic vulgò, recens.
Centuripæ, *Centorve*, potiùs oppidum.
Charinum, *Charini*, olim Episcopalis.
Corileo, *Coriglione.*
Drepanum, *Trapani*, olim Episcopalis.
Enna, *Castro Joanni*, in medio Siciliæ.
Gela, *l'Alicata*, quæ Gela nova, olim Episcopalis.
Halesa, *Caronia*, olim Episcopalis, nunc castrum tenue.
* Leontini, *Lentini*, olim Episcopalis.
Lilybæum, *Marsala*, olim Episcopalis.
Myle, *Milazzo*, olim Episcopalis.
* Narum, *Naro*, in vicum redacta.
* Neetum, *Noti*, aliis *Noto*.

* Ni

* **Nicosia, sic vulgò**, olim Herbita, ut videtur, oppidulum.
* **Tauromininium**, *Taormina*, olim Episcopalis.
Thermæ, *Xacca*, olim Episcopalis.
† Triocala, *S. Giorgio di Triocala*, olim Episcopalis. Destructa est.
Trajanopolis, *Troyna*, olim Episcopalis, nunc castrum in colle.
† Tyndaris, *lo Tindaro*, olim Episcop. Excisa est.

Sicilibra, Africæ Propriæ urbs. Anton. *Sicilippa* B. Augustino.

Sicima, Vide *Sichem*.

Sicinius, Tribunus Plebis primus, nec multo pòst *Quinctius* & postremò *Palikanus* perfecerunt, ut tribunitiam potestatem Populo darent, Consules Cn. Pompejus & M. Licinius Crassus.

Sicinius Dentatus, strenuus bellator, ob ingentem fortitudinem *Achilles Romanus* appellatus, pugnasse dicitur 120. præliis, cicatricem aversam nullam, adversas 45. tulisse. Coronis aureis 8. donatus est. Triumphavit cum Impp. suis triumphis 9. Gell. 2. 12. Plin. 7. 28. 22. 5.

Sicinus, Ptol. *Sicynus* Melæ, *Sicenus* Straboni, *Sycinus* Plinio, *Oenoë* etiam Apollonio & Stephano, ins. maris Ægæi, una Sporadum. Prope Pholegandrum (inquit Bochartus) est *Sicinus*, de quâ præter Melam & Ptolemæum meminit Scylax & Apollonius *lib* 1. & apud Schol. ibidem Theolytus, Xenagoras, Cleon Curiensis, & Asclepiades Myrleanus. *Oenoë*, quoque dicta fuit, διὰ τὸ οἰνοφόρον, ut placet Etymologo & Apollonii Scholiasti. Tamen Apollonius utrumque nomen è fabulis repetens, Thoantem Lemni regem in arcâ huc delatum, narrat ex *Oenoë* nymphâ *Sicinum* peperisse; unde factum, ut ins. prius *Oenoë*, deinde *Sicinus* diceretur. Et apud Scholiasten etiam Xenagoras *Sicini* nomen deducit ἀπὸ Σικίνου τοῦ Θόαντος καὶ Νηΐδος νύμφης, pro quo Etymologus ἀπὸ τοῦ Θόαντος Σικίνου καὶ Νύμφης Οἰνοΐδος. Utrobique legendum Οἰνοΐδος. Mihi *Sicinus* tam fabulosus quàm *Oenoë*, vel *Oenous*. Et *Sicinus* vel *Sicenus* ins. dicta videtur à paupertate: quia סכן *sicen* Ebræis est *indigere*. Misera enim erat insula & ignobilis. Proinde apud Laërtium Solon Pholegandrum & Sicinum, tanquam insulas obscuri nominis, & parvæ rei ita opponit Athenarum celebritati:

Εἴην δὴ τότ' ἐγὼ Φολεγάνδριος, ἢ Σικινήτης
Ἀντί γ' Ἀθηναίου πατρίδ' ἀμειψάμενος.

Sicobasilisces, Armen. urbs. Anton.

Sicaboces, gens in Sarm. Europæâ. Jul. Capitol.

Sicoris, Hisp. Tarr. fluv. non longè ab Ilerdâ fluens, juxta quem Cæsar Afranium & Petrejum, Pompejanos duces, siti ad deditionem compulit. *Segre* Clusio, *Agua Navai* Beuthero. Baudrando *Segre*, fl. Cataloniæ. Oritur in Ceretaniæ Comitatu, ad radices Pyrenæorum, & in limite Gall. dein Juliam Lybicam rigat, uti Certetaniam & Urgeliam. Hinc recipit Nogueram Palearesam supra Valaguerium, uti Nogueram Ripacurtianam supra Ilerdam. Inde auctus Cinca fl. in ipso limite Aragoniæ, in Iberum se exonerat ad Mequinentiam castrum. Lucan. *lib.* 4.

—— Super hunc fundata vetustâ
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes:
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hybernas passurus aquas.

Siculi, pop. Transylvaniæ, *Zeckeli* Dacis, à sedium vel districtus occupatione, quòd post primam Hunnorum eruptionem, pulsis è Pannonia Scythis, quædam ipsorum pars in extremum hunc Transylv. angulum confugit. L. Topeltinus Transylv. Aliàs *Siculi*, Italiæ pop. V. in *Sicilia*.

Siculorum, quæ & Neapolitanorum Leges, *Constitutiones* nuncupatæ: partim à Principib. è Norm. oriundis, Rogerio & Guilielmo sed plerunq; à Friderico II. Imp. anno vel biennio (ut è Molinæo in *Consuetud. Paris. Tit. num.* 95. refert Lindebrog.) post coronationem suam Romæ An. C. 1221. conditæ sunt. Dignoscitur autem cujusvis legis auctor ex affixo in fronte nomine. Hinc fit, ut tum in legum antiquarum Canone, tum in Magistratuum, Officialium & Ministrorum appellationibus, tanta sæpe apud Germanos, Italos, Anglos, Hispanos & Gallos, deprehendatur consonantia. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Siculum mare, angustum atque anceps alterno cursu, modò in Tuscum, modò in Jonium pelagus influit, vorticosum, Scyllæ & Charybdis sævitiâ inclytum. Hor *lib.* 2. *Carm.* Od. 12.

Nec durum Annibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum sanguine.

Ovid. *Siculum profundum* appellat. *Met.*

—— Rabiesq; inimica Charybdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere, cinctaq; sævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo.

Silius *Siculum pontum*, *lib.* 1.

—— Avet Ægates abolere parentum
Dedecus, & Siculo demergere fœdera ponto.

Sicum, urbs Dalmatiæ antiq. maritima in Liburniæ confin. inter Jaderam ad Occ. & Salonas ad Ort. ferme 50. m. Hujus rudera in littore maris Adr. inter Tragurium & Salonarum ruinas, vulgò *Stndis*. J. Lucius Traguriensis.

Sicyon, postea *Basilica* Sophiano. urbs Peloponnesi, Sycioniæ, Regionis parvæ, caput; quæ & *Ægialea*, & *Jonia*, teste Strabone, ac *Demetrias*, teste Plutarcho, dicta est, inter Corinthum & Elidem, oleo & lauro abundans ac celebris. Virgil. *Georg.* 2.

Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.

Ovid. 4. *Pont. eleg.* 15

Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.

Idem *in Ibin*:

Aut ut olivif[illegible]ndam Sicyone fugato.

Statius *Theb.* 4.

Qui Drepani scopulos, & olivifera Sicyonis
Culta tenent. —— ——

Hic Aratus Poeta natus & Praxilla poetria floruit. Pictura item &c. Baudrando *Vasilica* hodie, in Duc. Clarentiæ sub Turcis, paucorum incolarum. In colle. 5. m. p. ab ora Sinus Corinthiaci, 22. à Corintho in Occ. Elidem versus 80. Ab ea regiunc. adjacens, inter Corinthiam ad Ort. & Achajam ad Occ. *Sicyonia* dicta est. Fuit autem regnum Sicyonium, ex antiquissimis Europæ. Primus Rex Ægialeus fuit, An. M. 1890. regnavit an. 52. habuitque Europem successorem. Hos per an. 964. 26. Reges secuti sunt, quorum ultimus Zeuxippus fuit, mortuus An. M. 2854. Postea per an. 35. regimen Sacerdotibus Apollinis commissum est, usque ad 2887. donec à Regibus Mycenarum, & aliis populis vicinis, exiguum hoc regnum subactum est. Diodor. Sic. *in Hist.* Thucyd. Plin. Strabo, Euseb. *in Chron.* Ubbo Emmius *lib.* 1. *de Græc. antiq. &c.* Nunc in ruinis, ut vix rudera supersint.

Sicyon, locus Africæ, ubi Crathis fluv. in Oceanum exit, & electrum nascitur. Plin. Item Urbs Thessaliæ, posteà Demetrias. Niceph. *lib.* 5.

Sicyonii, mollitiei maximè apud Cic. notantur, præsertim in calceis apud Athen. *lib.* 4. & Lucian *in Rhetore*. Lucilius:

Et pedibus lævâ Sicyonia demit honesta.

Lucretius *lib.* 4.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Unde *calcei Sicyonii* vel *aluta Sic.* Prov. de re pulcra, sed minus decente. *Sicyone* etiam præcipua fuit marmoris & metallorum officina: ibique Dipœnus & Scyllis primi sculpturæ marmoris operam dedere.

Sida, vel *Side*, urbs Pamphyliæ maritima apud Ciliciæ confinia, inter ostia Eurymedontis ad occ. & Coracesium urb. ad ort. Arch. olim, nunc destructa. Hic Synodus An. 383. ab Amphilochio, contra Massalianos, habita. Photius *Bibl. cod.* 52. An. & 427. contra eosdem? Pop. *Sidetæ*. *Sida* item Nicephoro, locus Palæstinæ à Cæsareâ 50. stad. distans. Prior *Chrisonda* Nigro, *Scandalor*, vel *Candalor* Moletio.

Sida, maritimus Phœniciæ vicus, 20. stad. à Tyro; in tr. Aser.

Sidace, urbs Lyciæ, à *Sidace* Amisodori filia. Steph.

Sidala, urbs Armeniæ maj. Ptol. *Sedala* Interpp.

Sidarus, urbs & portus. Gent. *Sidaruntius*. Steph.

Sidele, urbs Joniæ. Steph.

Siden, aliàs *Siderus*, Plin. stagnum Indiæ, in quo omnia demerguntur. *Silia* Straboni, *Silla* Diodoro, *Sila* Arriano.

Sidena, Urbs fuit Asiæ min. in Mysia min. ad Granicum fl. Strab.

Sidene, reg. Cappadociæ, in quâ *Siden* op. juxta Themiscyram, in orâ maris Euxini. Pop. *Sideni* Plinio, & *Sidenum* fluv. Polemonium urb. alluens. *Sidene* item urbs Lyciæ, Steph.

Sideni, Germ. pop. Ptol. quorum reg. *Stetinerland*, in orâ Pomeraniæ. Baudrando fuere, ubi hodie Nova Marchia Brandeburg. & pars Duc. Stetinensis, inter Poloniam magn. ad Ort. & Oderam fluv. ad Occ. Sed Stetinum in eorum tractu non erat. *Sideni* quoque pop. & urbs ac emporium Arab. Fel. vulgò *Ziden*, ad fin. Arab. apud Meccham, inde 12. m. p. distans. Sed hoc oppid. recens est.

Sidenum, vide *Sidene*.

Siderocapsa, urbs Macedoniæ, ubi argenti fodinæ, sub Turcis, in prov. *Jamboli*, 45. m. p. à Thessalonica in Ort. versus montem Athon, Briet. V. *Sidrocapsa*.

Sideropolichna, urbs Peloponnesi. Chalcond.

Sidetani, Africæ pop. juxta Carthaginem. Strab. *lib.* 3.

Sidia, reg. quædam, sic rectè legitur apud Stephanum, cui *Tios* civitas est Sidiæ.

Sidicinum, urbs Campaniæ. Hinc *Sidicinus*. Virg. *Æn.* 7.

Aurunci misere patres, Sidicinaq; juxta
Æquora. —— ——

Sidneus Philippus, Eques Anglicus, Nobilitatis literatæ flos & decus præcipuum, gubernator Vlissingensis, militari prudentiâ & virtute excellens, globo tormentario ad Zutphaniam ictus, Obiit Arnhemii, An. C. 1586. V. Thuan. *Hist.* Camden. &c. Auctor est libri, cui *Arcadia* nomen.

Sido, Rex Suevorum. Tac. 12. 29.

Sidoleucum seu *Sadoleucum*, opp. Duc. Burgundiæ, 16. leuc. à Divione in Occ. Nivernas versus 20. 6. à Semurio in Mer.

Sidon, perantiqua, opulenta, & celebris Phœnices urbs, in tribu Aser, atq; insigne emporium: Chananæorum olim ad Aquilonem respiciens terminus fuit, postea verò regionis Judææ, quam *Sidon*, primogenitus undecim filiorum Chanaan, juxta Libani montis ortum condidit, eique nomen dedit. Commodissimum hæc civitas situm habet: distans enim à Satepta versus Aquilonem

Sicenus, ins. juxta Cretam, quæ prius *Oenoe* vocabatur, Steph.

Sicera, vulgò *la Cisse*, fluv. Galliæ, paulo supra Turonos in dextrum Ligerim defluit: *humanæ naturæ prorsus contrarius, cùm ejus unda glareosa plus situm attrahat, quàm depellat*, Hadrian. Valesius *Notit. Gall.* Alius est *Cisa* fluv. *le Cousson*, qui in sinistrum Ligerim, contra castrum Blesense, influit. Alius item *Cusilla* amnis, vulgò *Choisille*, qui infra Turonos Ligeri sinister accedit, Idem.

Siceum, locus seu pagus Galatiæ in agro Ancyrano, ab Anastasiopoli 12. m. p.

Sichæus, filius Plisthenis Phœnicis, sacerdos Herculis, maritus Didus, Phœnicum omnium locupletissimus, quem, ejus thesauris inhians Pygmalion, uxoris ejus frater, sacrificiis intentum interfecit. Virgilius *Æneid.* 1.

Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum. —— ——

Justinus: *Sichæo magnæ, sed dissimulatæ opes erant, aurumq; metu regis, non tectis sed terræ crediderat, quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur.* Item *Sichæus* adjectivum. Virgilius *Æneid.* 4.

Non servata fides cineri promissa Sichæo.

Sichem, quæ & *Neapolis*, Plinio ac Ptolemæo. Plinio verò *Mamortha*, urbs Palæstinæ perantiqua, in Samariâ apud montem Garizim excisa, à Samariâ 8. mill. pass. distans. Hic Josephus, cui in peculium cesserat, sepultus, & Christus ad fontem Jacobi cum Samaritana locutus est. Ibidem loci, Deus fœdus suum cum populo renovavit, paulò ante Josuæ mortem, & congregati Israëlitæ Roboamum rogarunt, ut jugi rigorem mitigaret. In tribu Ephraim, Baudrando vix 5. mill. pass. à Samaria in Occid. Nunc *Pelosa*, vel *Napolosa*. Ex præcipuis totius terræ S. Præfecti sedes. Crevit ex ruinis Samariæ; ideoque potest Samaria nova dici. Fuit olim Urbs refugii & Levitarum metropolis. Eam primo vastarunt Simeon & Levi, filii Jacobi, ob stuprum Dinæ sorori illatum; secundò ab Abimelecho eversam reædificavit Jeroboam. Amœnitate locus & deliciis diffluebat, Genes. *cap.* 34. Jos. *cap.* 8. *& ult.* 2. Reg. 12. 2. Par. 10. Job. 4. Joseph. *Antiq. lib.* 1. *&* 5. Torniel. *Ann. Mund.* 2114. 2802. Item oppidum Brabantiæ. *Sichemiensis* Virginis miracula edidit Justus Lipsius, cui etiam moriens, pennam argenteam, cum veste sua pellicea, legavit. Unde jocus cujusdam Poëtæ:

Sensit homo frigere sua miracula Diva,
Crassaq; pro calido stragula thure dedit.

Sicila, locus Germ. super. apud Mogontiacum, ubi Severus Imp. interfectus est, Lampridius.

Sicilia, (vide *Trinacria*) Tyrrheni maris insula, à Thucydide *Sicania* dicta. *Sicilia*, incolis, Italis, & Hispanis, *la Sicile* Gallis, insula est ampla, & formæ triangularis, inter mare Tyrrhenum seu Tuscum ad Boream, mare Siculum ab ea dictum ad Ortum, & mare Libycum sive Africum ad Meridiem. Separatur ab Italia angusto freto 1500. pass. ejusque circuitus est 600. mill. pass. teste Cluverio. Ipsius enim latus Boreale à Lilybæo promontorio ad Pelorum est 255. mill. pass. latus Australe à Lilybæo promontorio ad Pachynum est 190. mill. pass. & latus Orientale à Pachyno ad Pelorum est 155. mill. pass. ut pluribus refert Cluverius, qui totam insulam dimensus est. Aliàs Reges habuit proprios, hodiè verò subest Reg. Hispaniæ; & in ea sunt tres partes seu provinciæ, valles dictæ, nempe Vallis Nemorensis seu Demonæ, *Val di Demona*, ad Ortum & Boream, ubi Messana, Catana, Pactæ, & Cephalœdium, cum monte Ætna; Vallis Neetina, *Val di Noto*, ad austrum, versùs Pachynum promontorium, ubi Syracusæ, Neetum, & Terra nova; & Vallis Mazaræ, *Val di Mazara*, ad Occasum extensa, ubi Panormus, Mons Regalis, Mazara, Agrigentum, & Drepanum. Distat autem Sicilia à Sardinia 170 mill. pass. & 380. à Peloponneso, Sansone & aliis testibus. Frumenti adeò ferax est, ut non immeritò olim *Roman. imperii horreum* fuerit appellata. Namque & optimum triticum, & nobilissima vina gignit: de quo Plinius; qui *lib.* 10. *cap.* 10. auctor est, Leontinos Siciliæ campos stipulas cum centesimo germine fundere. Et ideo inter subsidia frumentaria Reipubl. Rom. hæc insula Ciceroni memoratur, *pro lege Maniliâ Oratione*. Itaque mirum ab Euripide *in Phœniss. infrugiferam* appellari. Sed id ad illa tempora referendum est, cùm à Cyclopibus, serendarum frugum ignaris, habitata insula fuit, ut eruditè Grotius monet; quem vide, si lubet, *Prolegomenis in illam Tragœdiam Pœta*. Hæc olim agro Brutio crecitur adhæsisse, post eaque impetu maris avulsa fuisse. Vide *Rhegium*. Vulgati Etymologi inde nomen traxisse volunt, quasi *Sicilita*, id est, *rejecta*. Quanto melius Bochartus, qui duas tradit nominis notationes: Prima est hæc; *Siciliam* scilicet à Phœnicibus appellatam esse insulam שכלול *Siclul*, id est, *perfectionis*; quia inter omnes insulas, quæ notæ erant tunc temporis, facilè primas obtinuit. Strabo *lib.* 2. Αὕτη δὲ καὶ τῶν ἄλλων τῶν καθ' ἡμᾶς ἐστι μεγίστη, καὶ ἀρίστη. Altera est hæc, אשכול *Escol* Hebræis botrus est, ut & סגול *segol* Syris, vel סגולה *segula*, cujus plurale סגוליא *segulaja* pro botris. Quâ ipsâ voce verisimile est Phœnices Siciliam appellasse, quasi *botrorum insulam*. Est enim vini feracissima. Populi *Siculi* quos *acutos* & *lepidos* Cicero tradit. *Tuscul. cap.* 8. Et quia *lepidi*, idcirco iisdem *sales*, atque *facetias* idem tribuit 2. *de Oratore*, & *in Verrinis*. *Trilingues* Apulejus vocavit, quòd primò barbarè, deinde Græcè, & post Latinè locuti fuerint. Licèt alii eâ voce *vafros* & *acutos* intelligunt. Quanquam neutrâ earum linguarum satis benè uterentur, quod Asconius *in Divinationem Ciceronis in Verrem* notat. Hinc *Sicilicissare* per jocum, pro Siculorum more malè Græcè loqui, *Prologo Menæchmorum* Plautus dixit. Historia eorum hæc est. Primi Siciliæ incolæ Latium inhabitabant, sed ab Aboriginibus & Pelasgis pulsi, in veteri Oenotria à Morge, Itali filio, sedes acceperunt: cui cùm suspectus esset Siculus, illorum Dux, alias sedes quærere compulsi, Trinacriam occuparunt; hac cum Sicanis, qui prius illò venerant, divisâ. Ante Romanos, neminem habuerunt totius Insulæ Regem. Dionysius quidem, Agathocles & Hieron Syracusis potiti sunt, sed postea, cùm inter Pœnos & Romanos Insula diu laceraretur, tandem his tota cessit. Nec omittendum, Græcos, qui subinde in Siciliam colonias deduxerant, partem ejus Magnam Græciam appellasse. Declinante imperio Roman. occupata & direpta est Sicilia à Genserico, Anno 439. & 440. recuperata à Belisario, An. 535. Dein Saracenis paruit, quorum Amiræ Panormi sederunt ab Ann. 827. usque ad An. 1070. quo intervallo cum Impp. Græcis pro Insula bella gesserunt, Constantini IX. victores, An. Chr. 1030. victi à Michaële Paphlagone, per Maniacen, An. Chr. 1040. Dein à Normannis, Roberto Guichardo, & Rogerio Ducibus, quibus Nicolaus II. Apuliam, Calabriam & Siciliam, à Græcis & Saracenis possessas in feudum concesserat, An. Chr. 1058. pulsi sunt. Hic Rex constitutus, genuit Guilielmum I. Malum: cujus filia Henrico VI. Imper. nupta est, patri Friderici II. Imper. avo Conradi: Manfredus dein illam sibi rapuit, exutus regno & vita, à Carolo, Ludovici IX. Gall. Reg. fratre, cui Siciliam cum regno Neapolit. Papa donavit. Hujus successores, perpetuo cum Arragoniis Regibus, in quorum familiam Manfredi filia Constantia nupserat, bello implicati vixerunt. Sub Petro III. Arragon. Reg. Constantiæ marito, *Vesperâ Siculâ*, An. 1282. occisis Gallis omnibus, regnum Arragoniis conciliarunt, hodieque sub Hispaniæ Regibus est, qui ibi Vice-Regem habent. Ab An. 1675. intestinis turbis, seditiosorum conatus Galliæ Reg. fovente, omnia flagrant. Thomas Fazell. *Histor. Sicil. & de rebus Sicul.* Guilielm. *Hist. Normann. in Sicil.* Hugo Falcandius, *de rebus in Sicilia gestis*. Godofred. Malaterra, *de rebus Visghardi*. Anton. de la Sale, *Geneal. & Chron. Norm. Regum Sicil.* Hubertus Goltzius, *Sicil. & Magna Græcia, &c.* Siculi porro olim vitam opiparam ducebant, ut apud Platon. *lib.* 3. *mensa Sicula*, & apud Athen. *libr.* 14. ex Cratino, *coquus Siculus* essent proverbio. Alio tamen tempore non deliciis, sed laboribus operam dantes militiæ inserviebant, ut *Siculus miles* proverbialiter, teste Zenodoto, de mercenario milite, ac de nullum ministerii genus lucri causâ recusante diceretur. Furaces quoque habiti sunt; unde adagium apud Suidam: *Siculus omphacizat*, in eos qui vel vilia furentur, qualis est *omphax*. *Aula* quoque *Sicula* apud Juvenalem, pro imperio duro, proverbio dicitur. Plura de Siciliâ videri possunt apud Cluverium, Bochartum, & Auctores retro laudatos.

Urbes Siciliæ Episcopales hac tempestate:

Agrigentum, *Girgenti*, Episcopalis sub Archiepiscopo Panormitano.
* Catana, seu Catina, *Catania*, Academia, & Episcopalis sub Archiepiscopo Montis Regalis, olim metropolis.
Cephalœdium, *Cefalu*, Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
Lipara, *Lipari*, insula, & urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
Mazara, sic vulgò; Episcopalis sub Archiepiscopo Panormitano.
* Messana, *Messina*, Archiepiscopalis, Academia & Emporium.
Mons Regalis, *Monte reale*, Archiepiscopalis.
Pactæ, *Patti*, Episcopalis sub Archiepiscopo Messanensi.
* Panormus, *Palermo*, Archiepiscopalis, sedes regni.
Syracusæ, *Siragosa*, Episcopalis sub Archiepiscopo Montis Regalis, olim metropolis.

Urbes sine sede Episcopali.

Agyrium, & Argyra, *S. Filippo d'Argirone*.
Amestrata, *Mistretta*, oppidulum.
Augusta apud Megaram, sic vulgò, à Friderico Imperatore condita.
Calata Jeronis, *Calatagirone*.
Calata Sibeta, sic vulgò, recens.
Centuripæ, *Centorve*, potiùs oppidum.
Charinum, *Charini*, olim Episcopalis.
Corileo, *Coriglione*.
Drepanum, *Trapani*, olim Episcopalis.
Enna, *Castro Joanni*, in medio Siciliæ.
Gela, *l'Alicata*, quæ Gela nova, olim Episcopalis.
Halesa, *Caronia*, olim Episcopalis, nunc castrum tenue.
* Leontini, *Lentini*, olim Episcopalis.
Lilybæum, *Marsala*, olim Episcopalis.
Myle, *Melazzo*, olim Episcopalis.
* Narum, *Naro*, in vicum redacta.
* Neetum, *Noti*, aliis *Noto*.

* Nico.

* **Nicosia, sic vulgò, olim Herbita, ut videtur, oppidulum.**
* **Taurominium**, *Taormina*, olim Episcopalis.

Thermæ, *Xacca*, olim Episcopalis.
† Triocala, *S. Giorgio di Triocala*, olim Episcopalis. Destructa est.
Trajanopolis, *Troyna*, olim Episcopalis, nunc castrum in colle.
† Tyndaris, *lo Tindaro*, olim Episcop. Excisa est.

Sicilibra, Africæ Propriæ urbs. Anton. *Sicilippa* B. Augustino.

Sicima, Vide *Sichem*.

Sicinius, Tribunus Plebis primus, nec multo pòst *Quinctius* & postremò *Palikanus* perfecerunt, ut tribunitiam potestatem Populo darent, Consules Cn Pompejus & M. Licinius Crassus.

Sicinius Dentatus, strenuus bellator; ob ingentem fortitudinem *Achilles Romanus* appellatus, pugnasse dicitur 120. præliis, cicatricem aversam nullam, adversas 45. tulisse. Coronis aureis 8. donatus est. Triumphavit cum Impp. suis triumphis 9. Gell. 2. 12. Plin. 7. & l. 22. 5.

Sicinus, Ptol. *Sicynus* Melæ, *Sicenus* Straboni, *Sycinus* Plinio, *Oenoë* etiam Apollonio & Stephano, ins. maris Ægæi, una Sporadum. Prope Pholegandrum (inquit Bochartus) est *Sicinus*, de quâ præter Melam & Ptolemæum meminit Scylax & Apollonius *lib* 1. & apud Schol. ibidem Theolytus, Xenagoras, Cleon Curiensis, & Asclepiades Myrleanus. *Oenoë*, quoque dicta fuit, διὰ τὸ οἰνάς ἀμπελόφυτον, ut placet Etymologo & Apollonii Scholiasti. Tamen Apollonius utrumque nomen è fabulis repetens, Thoantem Lemni regem in arcâ huc delatum, narrat ex *Oenoë* nymphâ *Sicinum* peperisse; unde factum, ut ins. prius *Oenoë*, deinde *Sicinus* diceretur. Et apud Scholiasten etiam Xenagoras *Sicini* nomen deducit ἀπὸ Σικίνου τοῦ Θόαντος καὶ Νηΐδος νύμφης. pro quo Etymologus ἀπὸ τοῦ Θόαντος Σικίνου καὶ Νύμφης Οἰνοΐδος. Utrobique legendum Οἰνοΐδος. Mihi *Sicinus* tam fabulosus quàm *Oenoë*, vel *Oenois*. Et *Sicinus* vel *Sicenus* ins. dicta videtur à paupertate: quia סכן *secan* Ebræis est *indigere*. Misera enim erat insula & ignobilis. Proinde apud Laërtium Solon Pholegandrum & Sicinum, tanquam insulas obscuri nominis, & parvæ rei ita opponit Athenarum celebritati:

> Εἴην δὴ τότ' ἐγὼ Φολεγάνδριος, ἢ Σικινίτης
> Ἀντί γ' Ἀθηναίου πατρίδ' ἀμειψάμενος.

Sicobasilisces, Armen. urbs. Anton.

Sicobotes, gens in Sarm. Europæâ Jul. Capitol.

Sicoris, Hisp. Tarr. fluv. non longè ab Ilerdâ fluens, juxta quem Cæsar Afranium & Petrejum, Pompejanos duces, sibi ad deditionem compulit. *Segre* Clusio, *Agua Nava* Beutshero. Baudrando *Segre*, fl. Cataloniæ. Oritur in Ceretaniæ Comitatu, ad radices Pyrenæorum, & in limite Gall. dein Juliam Lybicam rigat, uti Cerretaniam & Urgeliam. Hinc recipit Nogueram Palearesiam supra Valagnerium, uti Nogueram Ripacurtianam supra Ilerdam tandem auctus Cinca fl. in ipso limite Aragoniæ, in Iberum se exonerat ad Mequinentiam castellum. Lucan. *lib*. 4.

> —— *Super hunc fundata vetustâ*
> *Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis*
> *Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes:*
> *Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,*
> *Hybernas passurus aquas.*

Siculi, pop. Transylvaniæ, *Zeckeli* Dacis, à sedium vel districtus occupatione, quòd post primam Hunnorum eruptionem, pulsis è Pannonia Scythis, quædam ipsorum pars in extremum hunc Transylv. angulum confugit. L. Topeltinus Transylv. Aliàs *Siculi*, Italiæ pop. V. in *Sicilia*.

Siculorum, quæ & Neapolitanorum Leges, *Constitutiones* nuncupatæ: partim à Principib. è Norm. oriundis, Rogerio & Guilielmo sed plerumq; à Friderico II. Imp. anno vel biennio (ut è Molinæo in *Consuetud. Paris. Tit. num.* 95. refert Lindebrog.) post coronationem suam Romæ An. C. 1221. conditæ sunt. Dignoscitur autem cujusvis legis auctor ex affixo in fronte nomine. Hinc fit, ut tum in legum antiquarum Canone, tum in Magistratuum, Officialium & Ministrorum appellationibus, tanta sæpe apud Germanos, Italos, Anglos, Hispanos & Gallos, deprehendatur consonantia. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.*

Siculum mare, angustum atque anceps alterno cursu, modò in Tuscum, modò in Jonium pelagus influit, vorticosum, Scyllæ & Charybdis sævitiâ inclytum. Hor *lib*. 2. *Carm. Od*. 12.

> *Nec durum Annibalem, nec Siculum mare*
> *Pœno purpureum sanguine,*

Ovid. *Siculum profundum* appellat. *Met*.

> —— *Rabidusq; inimica Charybdis*
> *Nunc sorbere fretum, nunc reddere, cinctaq; sævis*
> *Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo.*

Silius *Siculum pontum*, *lib*. 1.

> —— *Avet Ægates abolere parentum*
> *Dedecus, & Siculo demergere fœdera ponto.*

Sicum, urbs Dalmatiæ antiq maritima in Liburniæ confin. inter Jaderam ad Occ. & Salonas ad Ort. ferme 50. m. Hujus rudera in littore maris Adr. inter Tragurium & Salonarum ruinas, vulgò *Studis*. J. Lucius Traguriensis.

Sicyon, postea *Basilica* Sophiano, urbs Peloponnesi, Sycioniæ, Regionis parvæ, caput; quæ & *Ægialea*, & *Jonia*, teste Strabone, ac *Demetrias*, teste Plutarcho, dicta est, inter Corinthum & Elidem, oleo & lauru abundans ac celebris. Virgil. *Georg*. 2.

> *Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.*

Ovid. 4. *Pont. eleg*. 15

> *Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.*

Idem *in Ibin*:

> *Aut ut olivi*[illegible]*dam Sicyone fugato.*

Statius *Theb*. 4.

> *Qui Drepani scopulos, & olivifera Sicyonis*
> *Culta tenent.* —— ——

Hic Aratus Poeta natus & Praxilla poetria floruit Pictura item &c. Baudrando *Vasilica* hodie, in Duc. Clarentiæ sub Turcis, paucorum incolarum. In colle 5. m. p. ab ora Sinûs Corinthiaci, 22. à Corintho in Occ. Elidem versus 80. Ab ea regiunc. adjacens, inter Corinthiam ad Ort, & Achajam ad Occ *Sicyonia* dicta est. Fuit autem regnum Sicyonium, ex antiquissimis Europæ. Primus Rex Ægialeus fuit, An. M. 1890. regnavit an. 52. habuitque Europem successorem. Hos per an. 964. 26. Reges secuti sunt, quorum ultimus Zeuxippus fuit, mortuus An. M 2854. Postea per an 35. regimen Sacerdotibus Apollinis commissum est, usque ad 2887. donec à Regibus Mycenarum, & aliis populis vicinis, exiguum hoc regnum subactum est. Diodor. Sic. *in Hist*. Thucyd. Plin. Strabo, Euseb. *in Chron*. Ubbo Emmius *lib*. 1. *de Græc. antiq &c.* Nunc in ruinis, ut vix rudera supersint.

Sicyon, locus Africæ, ubi Crathis fluv. in Oceanum exit, & electrum nascitur. Plin. Item Urbs Thessaliæ, posteà Demetrias. Niceph. *lib*. 5.

Sicyonii, mollitiei maximè apud Cic. notantur, præsertim in calceis apud Athen. *lib*. 4. & Lucian *in Rhetore*. Lucilius:

> *Et pedibus lævâ Sicyonia demit honesta.*

Lucretius *lib*. 4.

> *Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.*

Unde *calcei Sicyonii* vel *aluta Sic*. Prov. de re pulcra, sed minus decente. *Sicyone* etiam præcipua fuit marmoris & metallorum officina: ibique Dipœnus & Scylesis primi sculpturæ marmoris operam dedere.

Sida, vel *Side*, urbs Pamphyliæ maritima apud Ciliciæ confinia, inter ostia Eurymedontis ad occ. & Coracesium urb. ad ort. Arch. olim, nunc destructa Hic Synodus An. 383. ab Amphilochio, contra Massalianos, habita. Photius *Bibl. cod*. 52. An & 427. contra eosdem? Pop. *Sidetæ*. *Sida* item Nicephoro, locus Palæstinæ à Cæsareâ 50. stad. distans. Prior *Chrisonda* Nigro, *Scandalor*, vel *Candalor* Moletio.

Sida, maritimus Phœniciæ vicus, 20. stad. à Tyro; in tr. Aser.

Sidace, urbs Lyciæ, à *Sidace* Amisodori filia. Steph.

Sidala, urbs Armeniæ maj. Ptol. *Sedala* Interpp.

Sidarus, urbs & portus. Gent. *Sidaruntius*. Steph.

Sidele, urbs Joniæ. Steph.

Siden, aliis *Sideru*, Plin. stagnum Indiæ, in quo omnia demerguntur. *Silia* Straboni, *Silla* Diodoro, *Sila* Arriano.

Sidena, Urbs fuit Asiæ min. in Mysia min. ad Granicum fl. Strab.

Sidene, reg. Cappadociæ, in quâ *Siden* op. juxta Themiscyram, in orâ maris Euxini, Pop. *Sideni* Plinio, & *Sidenum* fluv. Polemonium urb. alluens. *Sidene* item urbs Lyciæ, Steph.

Sideni, Germ. pop. Ptol. quorum reg *Stetinerland*, in orâ Pomeraniæ. Baudrando fuere, ubi hodie Nova Marchia Brandeburg. & pars Duc. Stetinensis, inter Poloniam magn. ad Ort. & Oderam fluv. ad Occ. Sed Stetinum in eorum tractu non erat. *Sideni* quoque pop. & urbs ac emporium Arab. Fel. vulgò *Ziden*, ad fin. Arab. apud Meecham, inde 12. m. p. distans. Sed hoc oppid. recens est.

Sidenum, vide *Sidene*.

Siderocapsa, urbs Macedoniæ, ubi argenti fodinæ, sub Turcis, in prov. *Jamboli*, 45. m. p. à Thessalonica in Ort. versus montem Athon, Brict. V. *Sidrocapsa*.

Sideropolichna, urbs Peloponnesi. Chalcond.

Sidetani, Africæ pop. juxta Carthaginem. Strab. *lib*. 3.

Sidia, reg. quædam, sic rectè legitur apud Stephanum, cui *Tios* civitas est Sidiæ.

Sidicinum, urbs Campaniæ. Hinc *Sidicinus*. Virg. *Æn*. 7.

> *Aurunci misere patres, Sidicinaq; juxta*
> *Æquora.* —— ——

Sidneus Philippus, Eques Anglicus, Nobilitatis literatæ flos & decus præcipuum, gubernator Vlissingensis, militari prudentiâ & virtute excellens, globo tormentario ad Zutphaniam ictus, Obiit Arnhemii, An. C. 1586. V. Thuan. *Hist*. Camden. &c. Auctor est libri, cui *Arcadia* nomen.

Sido, Rex Suevorum, Tac. 12. 29.

Sidoleucum seu *Sadoleucum*, opp. Duc. Burgundiæ, 16. leuc. à Divione in Occ. Nivernas versus 20. 6. à Semurio in Mer.

Sidon, perantiqua, opulenta, & celebris Phœnices urbs, in tribu Aser, atq; insigne emporium: Chananæorum olim ad Aquilonem respiciens terminus fuit, postea verò regionis Judææ, quam *Sidon*, primogenitus undecim filiorum Chanaan, juxta Libani montis ortum condidit, eique nomen dedit. Commodissimum hæc civitas situm habet: distans enim à Sarepta versus Aquilonem

duobus, contra Austrum, à Beryto quinque, & versus Occidentem ab Antilibano monte uno, à Cæsarea autem Philippi undecim miliaribus, ab Occidente mari magno alluitur, tutoque ac tranquillo portu ditatur: atque ab Oriente magnus & fertilis illi adjacet campus, qui aquarum fluentis fœcundus, optimis vineis, cannis mellis, fructiferis arboribus, [illegible] pratis abundans, multam civibus præstat commoditatem. Ipsa verò urbs aëre saluberrimo fluens, solida in rupe super littus maris in longum ædificata, ab Aquilone in Austrum tendit: cujus utrumque cornu duobus castris naturâ & arte validis munitur. Quamvis urbs hæc olim in sortem tribus Aser ceciderit, Aseritæ tamen eam nunquam possederunt, quia ejus incolas expellere non potuerunt, Plin. *lib.* 5. *c.* 19. & *lib.* 36. *cap.* 26. Strabo *lib.* 16. Multas devastationes & incendia passa est, tandemque in Turcarum potestatem redacta, à 152. annis. Hodie *Saide*, in ora maris Med. cum portu capaci, etiamnum ab Europæis, Gallis inprimis, frequentatur. 35. m. p. à Beryto in Mer. uti 55. à Damasco in Occ. V. Seqq. Hic primò vitrum fieri cœpit. Sub Christianis Episc. fuit: captâ Hierosolymâ, Eustachio Garnerio Cæsareæ domino muneri data est: Guiboba Tartarorum dux illam occupavit, An. 1260. tandem, ut dictum, à Turcis subacta est. Pseudosynodus ibi ab Eutychianis & Acephalis habita, An. 512. sub Anastasio Imp. quibus Flavianus Antioch. & Joh. Palæstes generosè restiterunt. Guil. Tyr. *lib.* 14. *& seq.* Sanut. *lib* 3. *&c.* Marcellin. *in Chron.* Evagr. *lib.* 3. *cap.* 32. &c. De eadem Lloydius ita habet: *Sidon*, i. e. *venatio*, aut *insidiatio*, sive *Viaticum*. vel *cibarium*, aut *navis judicii*, Filius Chanaan. Gen 10. Boderianus *in Lexico Chaldaico* צידון per *admirationem* explicat, quod non sine admiratione se legere testatur Bochartus. In loco, quem citat ex libro *Vaikra rabba*, nil tale habetur: nec ibi explicatur *Sidon*, sed צדא vel הצדא ex Dan. 4. 14. idque voce Græcâ אונטוס ὄντως i. e. ἀληθῶς *verè*, ut Græci & Vulgatus habent. Itaque hæc ἔδιτ σφὸς ἔπ☉. Sed verum esse puto, quòd *Sidonem* scribit Trogus *à piscium ubertate* sic appellari. Nam *Said*, i. e. *piscatio*, hodieque *Sidon* dicitur, ut Galilææ op. *Bethsaida*, quasi *domum piscationis* dixeris. Nec Sidoni minus congruit, quam Hebræi nos docent esse ad mare piscosissimum. Itaque cùm Gen. 10. 15. legitur, Sidon fuisse Chanaanis primogenitus, per Sidonem intellige Sidoniorum patrem, vel Sidonis conditorem, quocunque fuerit nomine. Ex quo loco Sidonem discimus fuisse valdè vetustam, ut quæ conditorem habuerit Chami nepotem, Noachi pronepotem. Itaque licet Tyrum Sidonis æmulam, *antiquam & Cadmeam & Ogygiam* Poetæ passim appellent; & Tyrii Esaiæ 23. 7. & Herodoto *lib.* 2. 2. antiquitatis nomine plurimum sese efferant; tamen Sidoni Tyrus cogitur submittere fasces, & illam pro parente agnoscere. *Post multos deinde annos* (inquit Trogus) *à rege Ascaloniorum expugnati Sidonii, navibus appulsi Syrum urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt.* Id est, Josepho interpretante, *lib.* 9. *Antiq* annis 240. antequam templi fundamenta jecisset Solomon. Proinde cùm de Sidone agatur in libris Mosis & Josue, & Judicum, & in vaticinio Jacobi Patriarchæ, qui vixit diu ante Mosem, de Tyro nihil reperimus ante tempora Davidis, nisi quis מבצר צור Jos. 19. 29. putet esse *Palætyrum*. Itaque, ut observat Strabo; Οἱ μὲν ὖν ποιηταὶ τὴν Σιδῶνα τεθρυλλήκασι μᾶλλον. Et Homerus, qui Sidonis & Sidoniorum meminit in tot locis, Tyrum ne nominat quidem. Jam si de magnitudine certamen instituatur, in libro Josue *Sidon* appellatur רבה *magna*, i. e. inter Phœnicias urbes maxima. Diodorus *lib.* 16 πλούτῳ τε καὶ ταῖς ἄλλαις χορηγίαις ἡ πόλις πολὺ προεῖχε τῶν κατὰ τὴν Φοινίκην πόλεων· τὸ δὲ μέγιστον τριήρεις καὶ πεντήρεις εἶχε πλείους τῶν ἐγγυτάτων. Pomponius 1. 12. *Adhuc opulenta Sidon, antequam à Persis caperetur, maritimarum urbium maxima.* Sed Tyrus illi deinceps, si Straboni credatur, ἐνάμιλλ☉ *conferenda*; si Curtio *præferenda*. Is enim Tyrum affirmat & claritate & magnitudine, ante omnes urbes Syriæ, Phœnicesque fuisse memorabilem, quo tempore obsessa est ab Alexandro. Vide *Tyrus*. Capta est Sidon, cum Archipatride, Cæsarea Strabonis, Ptolemaide, & Berytho, à Balduino I. Hierosol. R. An. C. 1104. sub cujus successore Balduino II. etiam Tyrus recepta est, An. C. 1125. sed utraque postea cum tota regione in Barbarorum potestatem relapsa est. Sidonis Achilles Tatius, statim *operis initio* duos describit portus angusto aditu & lato sinu, in quorum interiorem naves hyeme se recipiunt, quia tutior est statio. Cæterùm Tyrus à Sidone distat stadiis fere 200. Ita habetur in Strabone. In medio Sarepta nomen habet ab æris & ferri fusione, cujus ibi magnum fuisse proventum, Hebræi colligunt ex benedictione Aser horum locorum incolæ. Deut. 33. 25. *Ferrum & æs sub calceo tuo.* Atque huc omnino pertinet illud Eumæi Sidonii, apud Homerum, antiquitatis sedulum indagatorem:

Ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι.

Nec erat cur interpretes Poetæ verba traherent in alienum sensum, quasi circa Sidonem æris fodinæ nullæ fuissent. Tyri & Sidonis incolis indulserat Deus ingenium acre, vividum, & ad omnia flexile. Arithmetica & Astronomia ab iis manarunt ad Græcos. Et, ut taceam recentiores, Sidoni Mochus de atomis philosophari cœpit ante Trojani belli tempora. Et Abdemonus Tyrius, quæstionibus propositis, Regem Solomonem provocare ausus est. Sed præcipua celebritas ex mechanicis artibus. Tyri mixtura purpuræ, Sidoni vitraria & textura sindonum ex lino tenuissimo feruntur inventa primùm. Et fabrorum peritiam impensè laudat Solomo his ad Hiramum Tyri regem, 1. Reg. 5. 6. *Nosti non esse quenquam inter nos, qui sciat cædere ligna ut Sidonii.* Hinc est, quòd Homerus appellet πολυδαίδαλους, & si quid concinnum in vestibus, aut in vasis affabrefactum, aut ludicrum in crepundiis, id tribuere solet Sidoniorum industriæ. His artibus illorum opes in immensum brevi crevere, dum iis vacare licuit, per longæ pacis otium. Nam pacatè diu vixisse præ cæteris mortalibus vel hinc colligas, quòd Jud. 18. Sidonii proponuntur in exemplum summæ securitatis. Ita enim habetur *vers.* 7. de Laïs incolis: *Habitabant securè, pro more Sidoniorum, quietè & confidenter.*

Sidona, reg. Ponti Cappadocii, Ptol.

Sidones, pop. Thraciæ prope Hebrum. Plin. Alii in Scythiâ.

Sidonia, urbs Troadis. Steph.

Sidoniorum Insulæ, in Sinu Persico, unde Sidonii Phœnices profecti. Strab. *lib.* 16.

Sidonium mare, Syrii seu Phœnicii pars. Claud.

Sidonius Apollinaris Cajus Sollius, Episc. Claromontanus, in Arvernia, floruit sec. 5. Natalibus, ingenio, eruditione, pietate illustris. Natus patre, Prætorio in Galliis præfecto, sub Honorio Imp. Lugduni, Eusebium in Philosophia, Hoenimque in Eloquentia & Poesi audiit. Ab Anthemio Imp. Romam invitatus, interfuit nuptiis Ricimeri generi hujus: cui secundùm Consuli Panegyricum dedicavit, hinc præfectus Urbis creatus, postmodum Patriciis insertus. Statua ipseq; ab Avito, in Bibliotheca Fori Trajani erecta, & Majoriano Circenses ludos Arelati celebrante, ejus mensæ admotus: utrumque panegyrico honoravit. Aviti filiâ ductâ, filium sibi cognom. cum duabus filiabus, Rosciâ & Severiana, genuit: legationibus variis defunctus. Cùm dein Avitus imperio cederet, & Majorianus amicos ejus exagitaret, captus detentusque Lugduni, mox libertati, muneribus, gratiæ restitutus, fœderis inter illum & Theodoricum proxeneta fuit. Surrogatus post hæc Eparchio Episcopo, Ann. 472. dignitates suas in filium transtulit, ipse totus S. Scripturæ deditus, brevi tantum profecit, ut ab Euphronio Episc. Augustodunensi, in difficilioribus quæstionibus consuleretur. Burgundionum fame laborantium nutriit 4000. Plurima in obsidione Claromontis, quam Gothi oppugnabant, Hæreticis & duobus presbyteris passus, Obiit An. 482. æt. 52. Scripsit libb. 8. epist. cum 20. carminibus. Joh. Coleurus, Joh. Savaro & Sirmondus, *in notis.* Gennad. *de Viris Ill. cap.* 92. Ruric. *in epist.* Greg. Turon. *hist. l.* 2. *c.* 22. *&c.* Inprimis Vossius *de Poet. Lat. pag.* 60. & *de Hist. Lat. p.* 233.

Sidrach, vel *Shadrach*, qui & *Ananias*, nomen viri. Dan. 3.

Sidrocapsa, Leuncl. *Sirus*, urbs maritima, ep. sub. Ar. Thessalonicensi, *Syderos* & *Scydra* etiam videtur Ptolomæo dici. Vide *Siderocapsa*.

Sidrona. op. Liburniæ mediterr. *Belas* Nigro. Alii eandem putant cum *Stridone* D. Hieronymi patriâ.

Sidrones, Germ. pop. Ptol.

Sidus, vicus Corinthi, aut Megaridis navale. Item vicus circa Clazomenas, & alius Rubri maris, & locus Pamphyliæ. Steph.

Sidussa, urbs Joniæ. Steph.

Sidyma, urbs Lyciæ. Steph.

Sietzius, fluv. Helvetiæ, qui è lacu Rivario prope Vesenium effluens, postea Limago miscetur. V. Simlerum *de Rep. Helvet.*

Siffridus, Presbyter Saxo, floruit An. 1308. Auctor Chronici, à M. C. usque ad an. 1307. Georgius Fabricius edidit. Item, Dominicanus, Arch. Moguntinus, ann. 1470. Scripsit varia. Trithem. Voss. Possevin. Miræus, &c.

Siga, colon. & urbs Maurit. Cæsar. Ptol. regia quondam Syphacis, inter ostia Malvæ ad occ. & Quisam urb. ad ort, apud ost. *Siga* fluvii. *Aresgol* Marmolio. *Humain* Castaldo. Aliis *Zerfen*, seu *Zerjen*. Fluv. *Tenne* dicitur Castaldo. Baudrando Siga *Haresgol* hodie, opp. regni Algerii, in prov. Telensina, cum portu, in ora maris Mediterr. In scopulo, cum castro munito. 55. m. p. ab ostio Mulviæ fluv. Quisam versus 90. & 18. à Telensino in Bor. Carthaginem novam versus 120. circiter. Aliàs Syphacis regia, posteà Episc. *Siga* autem fluv. in marè Medit. labitur, prope Sigam opp. & à Neotericis *Rio de Haresgol*, incolis autem *Tesnet* dicitur, Marmol. *descr. Africæ.*

Siga, opp. Veteraviæ, caput Comit. cognom. ad Sigam fluv. 8. mill. Germ. à Marpurgo in Occ. Coloniam versus 11. in limite Westphaliæ; *Sigen.*

Sigala, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Sigalion, simulachrum apud Ægyptios, in sacris Isidis & Serapidis, quod digito labiis impresso silentium imperare videbatur: unde & nomen accepit ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, quod est *silere*. Alio nomine *Harpocratem* appellabant. Vide *Harpocrates*.

Sigamia, Colchidis fluv. Plin. quem Arrianus Σιγγάμηνον vocat. Ptolemæus Σιγάνιον opidum, sic (ut est verisimile) à fluv. dictum, inter Cyancum fluv. & Neapolin collocat.

Siganum, urbs ampla Xensiæ, prov. Sin. ad fl. Guejum, ad radices montium, sub qua 35. urbes min Martinius.

Sigatha, urbs Libyæ. Steph. ex Strabonis *lib.* 17.

Sigbritta, paupercula è Belgio mulier, ex egestate Bergas Norvegiæ profecta, ibi sedem fixit. Mox cùm filiam ejus Dyvike r. Columbulam, Christienno, postmodum II. hujus nominis Daniæ

R. à venuſtate imprudens laudaviſſet regni Cancellarius, illam Princeps concubinam, & mox in familiam cum pellice matrem aſſumpſit. Patris dein ſucceſſor A. C. 1514. tanquam faſcinatus, omnia ex *Sigbritta* conſilio agere tam addictè cœpit, ut ante ejus ædes Hafniæ Senatores regni ſæpe cogerentur expectare, & eam Regina parturiens obſtetricem pati, ubi multæ illius de regis liberis inauſpicatæ voces auditæ: è quibus Johannes ſeptennis à *Sigbritta* in ædes ſuas, ut ibi inſtrueretur in iis, quæ regiam decerent ſobolem, aſſumptus eſt. Hinc ſuis exoſus Rex eſſe cœpit, qui cùm plures aliæ odii acceſſiſſent cauſæ, Regno à ſuis, ſurrogato ei patruo Friderico, pulſus, gazâ, chartis & *Sigbrittâ ſuâ* in naves illatis, in Belgium venit: ab eo tempore perpetuò infelix. V. Phil. Jac. Spenerum in *familiâ Oldenburgo-Danica*.

Sige, urbs Troadis. Gentile *Sigites* Stephano, qui & *Sigeum* promunt. hodie *Capo Janizari*; in ora maris Ægæi, 140. m. p. à Chalcedone in Mer. uti 22. ab Abydo, & op. Troadis Ajacis ſepulcro nobilitatum eſſe ſcripſit: nunc in ruinis. Dictum Σιγεῖον, ut quidam volunt, ἀπὸ τοῦ σιγᾷν, h. e. à *ſilendo*, eò quòd Hercules præmio ſuo à Laomedonte fraudatus, diſſimulato ſeceſſu, ibi ſe occultârit, indeque ſilentio magno reverſus urbem repentè adortus ceperit. Alii per antiphraſin ſic dictum putant, quòd nullum ibi unquam ſit ſilentium, a quis ſe perpetuò magno cum murmure ſaxis illidentibus. *Janizari* hodie Nigro, Sophiano, & Bellonio dicitur. Hinc *Sigeus* adjectivum. Virgil. *Æn.* 2.

—— Sigea igni freta lata relucent.

Item *Sigeus*. Ovid. *Met.* 13.

—— Sigeia torvò
Litora proſpexit.

Idem *ep. prima*,

Hac ibat Simois, hic eſt Sigeia tellus.

Auſtraſiæ Reges.

Sigebertus I. Auſtraſiæ Rex, fil. Clotharii I. ex Ingonde. Metis ſedit, maritus Brunehildis, filiæ Athanagildi, Wiſigothorum Regis. Vicit An. 568. Longobardos, Hunnis, Avaribus & Herulis junctos: poſtmodum à ſpectris, quæ illi magicâ arte excitaverant, deluſus, pecuniâ ſe ſuasque copias ab illis redimere coactus eſt. Dum his detinetur, interea Chilpericus, frater ejus, Remos, aliaque Campaniæ loca, ſibi ſubigit, ſed vincitur, captâ Sueſſionum urbe, mox pax ſancita. Arelatum, alteri fratri Guntrano, ereptum, mox *iterum perdidit*: Longobardos dein, ditiones ſuas vaſtantes, feliciter iterum repulit, mox à Chilperico, Ann. 573 acie victus: contra quem cùm majores paraſſet copias, ille pacem petiit impetravitque: quam cùm brevi iterum violaret, inſequutus illum Sigebertus, per Boſonem ducem, filium ejus Theodebertum occidit, ipſumque Tornaco ſe includere coëgit: Sed urbem hanc cùm victor obſideret, à duobus ſicariis, à Fregedonde, uxore Chilperici, cum duobus cultris venenatis, ſummiſſis, interemptus eſt. An. 575. æt. 40. regni 14. Liberalis, generoſus, ingenio, clementiâ, affabilitate inclytus, Pater populi dictus. Gregor. Turon. *l.* 4. & 5. Pater Childeberti ſucceſſoris, qui ex Faileuba, Theodebertum vel Theodoricum filium, ſuſcepit, *Sigeberti II.* ex pellice, patrem.

Sigebertus II. occiſus eſt, Ann. 614. poſt aliquot menſium, in Burgundia & Auſtraſia, regnum. Maritus Frideburges. Walafrid. Strabo.

Sigebertus III. fil. Dagoberti I. frater Clodovei II. Obiit An. 654. Pater Dagoberti, qui Grimoaldi perfidiâ tonſus eſt. Sigebert Gemblac. *in ejus vita*.

Sigebertus, Monachus Gemblacenſis, floruit ſub initium Sec. 12. Scripſit Chronicon, ab an. 379. vel 381. ubi S. Hieronymus deſiit, illudque continuavit, uſque ad an. 1112. Item, de Viris Illuſtribus. Vitam quoque Sigeberti III. Auſtraſiæ R. S. Maclovii &c. Carmina quoque & Commentarios in Scripturam. Stylo utitur libero, & neque Pontificibus, cùm opus eſt, parcit. Liber ejus, cui titulus, *Apologia, ad Henricum Imp. contra eos, qui calumniabantur Miſſas conjugatorum Presbyterorum*, perditus eſt. V. Voſſ.

Sigericus Gothorum in Hiſp. R. à militibus, Ataulpho ſurrogatus eſt, An. 415. Sed ab iiſdem, quòd ad pacem cum Romanis inclinaret, occiſus ſeptimo poſt menſe. Proſper & Iſidor *in Chron.*

Sigeſtorium, Vide *Seguſtero*.

Sigetum, urbs munita Hungar. inf. intra paludes fl. Almi hic ſtagnantis & indormientis, cum caſtro triplici, foſſâ muroque cincto. 10. m. p. à Dravo in Bor. 20. à Quinque Eccleſiis in Occ. Capta à Turcis 7. Sept. 1566. cùm triduo ante mortuus eſſet Solimannus. V. Thuan. *Hiſt. lib.* 39. Aliter *Zigerium*.

Sigger, fl. Helvetiæ, qui in Vocetii montis apicibus ortus, poſtea in ſiniſtrum Arulam ſe præcipitat, inter Salodorum & Vierliſbachium opp. Simlerus.

Sigillaria, vicus Romæ, ubi *ſigillaria* vendebantur. Gellius *lib.* 5. *Apud Sigillaria forte in librariâ ego & L. Paulus Poeta conſederamus.*

Sigindunum, Myſiæ ſup. op. Ptol. quod Niger *Simedro* vocat. *Sinidunum* Antonino. *Sigidunum* Zoſimo *lib.* 3.

Imperatores & Reges Burg.

Sigiſmundus, Imperator, Hungariæ & Bohemiæ R. ex familia Lucemburgica, fil. Caroli IV. frater Wenceſlai Impp. Ductâ Mariâ, filiâ Ludovici I. Hung. R. regnum hoc pacavit, coronatus an. 1387. æt. 20. uxorem perdidit, Ann. 1392. A Bajazete Turcarum Imp. licet Gallis ſub Joh. Burgundo ſubnixus, ad Nicopolim, an. 1386. victus, diu Conſtantinopoli & in Rhodo, omnib. ignotus erravit: tandem captus à ſuis, amicorum ope, an. 1401. reſtitutus eſt, A 1401. Ruperto Imp. ſucceſſit, poſtquam ſibi ipſi, utpote Electorum unus, ſuffragatus eſſet. Schiſma, poſt iter in Galliam, Angliam & Italiam, magnâ curâ, Conſtantiæ celebrato Concilio ſuſtulit: Reformationem tamen impetrare non potuit, licèt vehementer, apud Petrum de Alliaco Cardin. inſtaret, conjugia Clericorum, inter alia, ſtrenuè urgens. Nihilominus, in Baſileenſi Concilio, liberius, quàm unquam in aliis, in auctoritatem poteſtatemque Pontificis inquiſivit. Marchiam Brandeburg. cum Electoratu, Friderico Burggravio Norimb. Saxoniæq; Electoratum Friderico Miſniæ Marchioni contulit. Gonzagam, Mantuæ Marchionem creavit. A Johanne Ziſca, Huſſitarum, quos extinctum ibat, Duce, aditu in Bohemiam interclusus, ſæpius victus, & quamvis tripartito exercitu, ad 200000. ſecum trahens, accederet, Panico quodam terrore ſemel atque iterum fugatus: Poſtea à Procopio Holy infeſtatus eſt, donec tandem libertate religionis permiſſâ, uno anno ante mortem in regnum eſt admiſſus. Æn. Sylv. *Hiſt. Bohem. libr.* 36. Connubium, cum Barbara, impudiciſſimâ fœminâ, infauſtum expertus, Znoimæ, in Moravia, Obiit, An. 1437. æt. 70. Formâ egregiâ, liberalis, magnanimus, literatorum Mæcenas, plurimarum lingg. peritus, in pace Princeps inclytus, ſed bello infelix. Ferreâ coronâ Mediolani cinctus, Romæ auream ab Eugenio IV. accepit. Crantz. Cochlæus, Dubravius, Bonfinius, Thuroſius, Bapt. Egnatius, *in epit. Hiſt. Imp.*

Sigiſmundus, Burgundiæ R. fil. Gundebaldi, patri ſucceſſit, An. 516. Ab Arianiſmo, ope Alcimi Aviti Epiſc. Viennenſis converſus, magnam curam rebus ſacris impendit: Pater, ex Oſtrogota, filia Theodorici, Gothorum in Italia R. Sigerici, quem, novercæ impulſu, innocentem ſtrangulari juſſit: quod crimen paulo poſt multis lachrymis proſequutus eſt. Poſtea, Clodomirus, fil. Clodovei M. junctus fratribus ſuis, Sigiſmundum vicit, captumque Aureliani, cum uxore & liberis in puteum præcipitatos necavit. An. 523. Greg. Turon. Uſuardus, vita S. Sigiſmundi, Duchenius, &c.

Poloniæ Reges.

Sigiſmundus I. Magnus, Poloniæ R. fil. Caſimiri II. frater Johannis Alberti & Alexandri, Regum, quorum ille An. 1501. hic An. 1506. obiit; Succeſſit, jam rebus plurimis præclare geſtis inclytus, an. æt. 40. Rex vicit Moſcos, totaque expulit Lithuaniâ, An. 1519. fines Imperii extendit, decus principum ſeculi ſui: Obiit An. 1548. æt. 80. Cromer. *Hiſtor. Polon.* Salomon Neugebauer. *in Hiſt. Pol.* Jodocus Ludovicus Decius & Bernardus Vapovius *in Sigiſmund.*

Sigiſmundus II. Auguſtus, vivente patre Sigiſmundo I. coronatus, poſt obitum patris, jam prius uxore Eliſabethâ Auſtriacâ orbatus, duxit Barbaram Radivilliam, filiam Georgii Caſtellani Vilnenſis, viduamque Staniſlai Caſtoldi, Palatini Trocenſis: Unde Procerum murmur & turbæ, quibus pacatis, hac mortuâ, Catharinam Ferdinandi I. Imp. filiam ſibi junxit. Conſiliariorum aliquot, inter quos Joh. Funccius, ex concionatore aulicus miniſter, ſupplicio affecit: Suecos in Livonia, Moſcos ad Sitinum lacum, &c. vicit. Dantiſcanis iratus, portorii dimidiam partem iis ademit, cauſaſque majoris momenti, ad Senatum regni tranſtulit. Obiit, ex Jagellonica familia ultimus, Ann. 1572. æt. 52. regni 25. Succeſſit Henricus Dux Andium. Neugebauer. *Hiſt. Pol.*

Sigiſmundus III. fil. Johannis III. Sueciæ Regis, ex Catharina, filia Sigiſmundi I. natus An. 1566. à Polonis, excluſo Maximiliano Arch. in regnum accitus, Ann. 1587. mortuo Patre, etiam Sueciæ regnum adiit, coronatus, An. 1594. quo tamen, quòd intempeſtivè religionem ibi jam ſtabilitam evellere conaretur, à Carolo Sudermanniæ Principe, patruo ſuo, exutus eſt. Livoniam amiſſam fortiſſimè recuperavit, Moſcos Smolensko, poſt biennii obſidionem, depulit, illosque Vladiſlaum fil. in M. Ducem eligere coëgit. Obiit An. 1632. regni 45. Maritus duarum ſororum, Annæ & Conſtantiæ Auſtriac. Pater verò Ladiſlai Sigiſmundi & Johannis Caſimiri, qui ambo Mariam Gonzagam uxorem habuerunt, familiâ haud pridem totâ extinctâ.

Principes & viri celebres.

Sigiſmundus Rakocius, Tranſylvaniæ Princeps, electus eſt, An. 1606. poſt defunctum Botskajum, invitus: interim in pace præfuit, Matthiæ Hung. R. & Achmeti Ottomano æquè gratus. Ceſſit ſponte Gabrieli Bathorio, An. 1608.

Sigiſmundus Gelenius, Bohemus, vertit Ann. 1540. Joſephum, Juſtinum Martyrem, Dionyſium Halicarn. Philonem, Appianum &c. Thuan. *Hiſt. lib.* 3.

Sigiſmundus Goſſenbrot, Benedictinus. Condidit Chronicon Auguſtanum, Ann. 1483. à Joh. Piſtorio, inter auctores Hiſt. Germ. editum.

Sigiſmundus Malateſta, Arimini Dominus, Philoſophus, Hiſtoricus & Bellator egregius: ſed quòd immortalitatem negaret animæ, & ditiones Pontificias crudeliter vaſtaret, à Pio II. excommunicatus eſt, An. 1462. interim ad frugem rediit, expeditione contra Turcas ſuſceptâ. Pius II. nomine Gobellni, *in Comment.*

Sigiſtania, prov. Perſiæ, in parte Or. verſus confinia Indiæ, ubi

ias pars Drangianæ, versus montes. Ibi Sistanum seu Sigistanum, *Sistan*, urbs præc. ad Ilmenum fluv.

Sigius, mons Gall. Narbon. à quo sinus Galliæ incipit. *Setium* Ptol. & Avieno. *Capo de set* Clulio. V. *Setius mons*.

Sigmanus, mel. *Igmanus*, amnis Aquitaniæ veræ, vulgò *Leyre*, in Sinum parvum Arcallonium cadit, prope Bojos, 7. leuc. à Burdegala in Occ.

Signia, Latii op. in cujus agro vinum nascebatur mirè austerum, ideoque ventris profluvio sedando utile. Martial. *lib.*13.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem.

Silius *lib* 8.

—— *Spumans inimico Signia musto.*

Σίγνια Stephano, sive potius Σιγνία Σιγνῖαι Dionysio, vel potius Σίγνια. Σιγνία Plutarcho dicitur *in Sylla*. Baudr. vulgò *Segni*, urbs in Volscorum nunc Campaniæ R. in dit. Pontif. Episc. cum tit. Duc. Ibi organa invenia fuere ad modulationes, quibus utitur R.E. Petrarch. 30. mill. à Roma in Ort.9. à Prænestе in Mer. In summo jugo Lepini montis,L. Holstenius. Patria Vitaliani Pontif. colonia à Tarquinio Superbo deducta.Ferr. Item mons Asiæ in Phrygiâ magnâ apud Apameam urb.ad illius rad. sitam, Marsyâ circumfluente.

Signinum, castellum Sabaudiæ, apud Belicum Urb.

Signum, pro Campana Auctor vitæ S. Lupi, Ep. Senonensis: Audito Rex Chlotharius (circa Ann. 620.) de signo S. Stephani, quòd miram haberet dulcedinem; jussit illud Parisios deportari, ubi ipsum sæpius debuisset audire. Sed cum hoc sancto non placuisset Pontifici, mox ut sublatum est signum à Senonica urbe, perdidit dulcedinem sonitus sui. Quo Rex agnito, ilico jussit loco pristino restitui Signum. At ubi pervenit Pontem Sytiacum, reddito sono à Domino in virtute sancti Lupi, insonuit miliario 7. Et paulo pòst: Sanctus (*Lupus*) fidens in Domino, aulam petiit matris Ecclesiæ, in honorem Protomartyris Stephani constitutæ: & dum ad evocandum populum signum prædictæ Ecclesiæ tangeret, omnis fortitudo & sensus ab hostium caterva recessit, tantusque terror super eos irruit, &c. Jam ergo signa in Ecclesiis ante annos mille & quinquaginta in usu erant, quorum sono populus convocaretur. De signis & Gregorius Turonicus Episcopus multo ante hoc tempus, nimirum ætate Sidonii Episcopi Arvernorum, qui anno Christi 470. floruit ante annos 1100. meminit, *in libri* 2. *Historia cap.* 23. Unus ex his 2. Presbyteris, signum ad Matutinas audiens fuisse commotum, surrexit, &c. Meminit & *in libri* 3. *capite* 15. Qui dum per plateam præterirent, (in urbe Remis) signum ad Matutinas motum est. Erat enim dies Dominica: pulsantes januam Paulelli Presbyteri, ingressi sunt: qui abiit ad Matutinas. Et *in lib.*6. *cap.*25. Anno 8. Childeberti Regis, pridie Kal. Februar. cum die Dominico ad urbem Turonicam ad Matutinas signum commotum fuisset, & populus surgens ad Ecclesiam conveniret, &c. Idem alibi. Homo quidam Dadonis frater ad Vigilias Dominici Natalis advenit,commotoque ad Vigilias Signo,advenit Presbyter cum Clericis ac populo. Apparet jam tum magna in majori bus civitatum Ecclesiis signa extitisse, cum eorum sonitu populus dormiens excitaretur, & ad Ecclesiam properaret,& eorum sonum oppugnatores civitatis audirent. Adamnanus Scotus Presbyter, & Abbas Monachorum in Insula Hii, Bedæ memoratus, de Locis Sanctis librum, & de Vita S. Columbæ Scot. Abbatis tres libros composuit: in quibus hæc verba legere memini: *Cloccam pulsa*. *Clocca* autem & *signum*, ac *Campana* una res est. Sed & Martialis docet,in Thermis Romæ ex ære tintinnabula fuisse, parvorum signorum genus, quorum sono qui in thermis lavari volebant, admonerentur aquam esse calefactam ac paratam: equos etiam ac mulos qui sine custode pascebantur, appensa habuisse tintinnabula, docent Gesta R. Francorum. Dicta autem sunt *signa* (*sins*) tracto à militia vocabulo, quòd uti milites cantu signorum, nimirum tubarum,buccinarum aut cornuum ad pugnam,ita Christiani sono signorum ad Ecclesiam convocarentur: quæ eandem ob caussam *classica* sunt appellata. Classicum enim tubam, & nonnunquam ejus sonitum significat, & Florus. Claudianus, aliique à classe convocanda, id est exercitu tubam *classicum* vocavere. Certe in Rituali Turonicæ Ecclesiæ S.Martini perantiquo & plus500.annorum, in titulo de consecratione Archiepiscopi Turonici hæc reperiuntur: Archiepiscopus Turonensis consecratur apud S. Julianum; & deinde venit in processione ad B. Martinum: quem recipit processio B. Martini ad portam parvæ areæ: & incipit Cantor B. Martini Responsorium, S. Martine, vel *Sint lumbi*, classico sonante. Postea autem Barones portant Archiepiscopum in cathedra usque ad S. Mauricium, & processiones ante eum cum Episcopis revertuntur. Classico sonantibus,id est sonantur signis. Hinc *soner le glas*, id est,classicum movere. Classicum ergo vel signum, *glas* Aurelianensibus & Nivernensibus dicitur; Turonibus, Andicavis. Cenomanis *clas*; reliquis *glais*. Matthæus Parisiensis in Henrico III. in anno 1253 *classicum* non pro signo seu Campana, sed pro sono ejus usurpat: Eadem nocte quidam Fratres de Ordine Minorum, dum per silvam Regiam, quæ Waubetge dicitur, ignari compendiorum oberrarent, audierunt in sublimi quoddam classicum Campanarum melodicum valdè: inter quas unum signum fuit dulcissimi. *Et infrà*. Interrogavit unus Fratrum, quidnam significaret illud magnum classicum & solenne, quod versus Bukedonam audierant. Alios de classico auctores laudare possem: sed dicta sufficient. Hadr. Valesius *Not. Gall.* V. & in voce *Campana*.

Sigonius, Vid. *Carolus Sigonius*.

Sigovesus, Tarquinio regnante, ab avunculo suo Ambigato, Celtarum Rege, missus, qui agros ad Hercynium saltum occuparet. *Cæs. Comm.* Liv. *lib.* 5.

Sigru portus, quem Nisope inf. Lesbi efficit. Steph. Idem alibi *Sigrium* Lesbi portum esse scribit.

Sigtuna, urbs Uplandiæ, juxta lacum parvum, media inter Upsalam ad Bor. & Holmiam, ad Mer. 4. leuc. Suec. utrinque.

Sigua, urbs Armeniæ maj. Ptolem.

Sigyni, *Signni*, vel *Sigynna* Herodot. pop. Scythiæ Europ. seu Mysiæ inf. apud ostia & paludes Istri. Apud hos equi sunt hirsuti, & perniciss. trahendis curribus, sed gestandis hominib. inutiles.

Siba, nomen viri. 1. Esdr.2.

Sihor, Nilus, Ægypti flumen, Jos.13. Lat. *niger*.

Sila, vel *Syla*, silva Brutiorum maxima ad 200.m. p. patens, ubi mira picis copia, juxta Apenninum mont. Virgil. *Æn.* 12.

Ac velut ingenti Silâ, summóve Taburno, &c.

Sila, fluviolus, qui ex montanis ortus, sub ipso Tigutominore, se in Lumagum effundens, materiæ ac lignorum omnis generis copiam, sub ver & autumnum, ex nivibus montium liquefactis inundans, civibus iisdem advectat.

Sileum, opp. Arab. æ fel. Ptol. per *y*. scribunt Interpp.

Silandum, Lydiæ Urbs. Concil. Chalced.

Silanion, statuarius cœlator. Plin. 34. 8.

Silanus, Jun. Lucius, Claudii Principis gener, qui ab Agrippina, incestus cum sorore Junia Calvina accusatus, ereptâ sibi Octaviâ, dataque Neroni, præ dolore gladio proprio se transfixit, idque die nuptiarum, ad augendam invidiam. Tacit. *Annal.* 12. *cap.*1. Vid. Suet. *in Nerone*, Dion. &c. ut & infrà.

Silanus, Titi Manlii Pontificis fil. qui à patre repudiatus, quòd pecuniam accepisset à Macedonibus, dolore animi se suspendit nocte sequenti: Ejus exequiis neque pater interfuit, neque suadentibus, ut adesset, auscultavit. Val. Max. *de Severitate*.

Silanus, integro nomine *C. Junius C. F.* consul fuit, cum P. Cornelio Dolabellâ an. 762. sub Augusto: Proconsul Asiæ sub Tiberio, damnatusque repetundarum & projectus in Cytheram insulam. Tacit.3. *Annal.*

Silanus, prænomine *Marcus*, leg. Cæs. in Galliâ. *Cæs. VI. Comm.*

Ap. Junius Silanus, Consul fuit sub Tiberio ann. 780. Consocer Claudii dicitur Suetonio, propter *L. Silanum* filium ejus Octaviæ sponsum. Proconsul Hispaniæ & maritus Lepidæ, matris Messalinæ, à Claudio, incerto crimine, occisus. Dio *l.*60. Suetonius *cap.* 29. & 37. Ejus filii duo *L. Silanus* & *M. Silanus*, L. gener Claudii fuit, Octaviæ sponsus, Agrippinæ artibus ad mortem actus. *Marcus* consul fuit cum Valerio Asiatico an. 799. Proconsul Asiæ fuit & à Nerone initio Principatûs occisus. Tacit. 13. 1. Fuit & *D. Junius Silanus* Consul anno 806.

L. Silanus, eximiâ nobilitate disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, cujus metu occulto creditur Piso haud, prout debuit, conjurationem in Neronem maturare. Tacit. 15. 52. Hunc Nero infensus, quòd claritudine generis & modestâ juventâ præcellebat, pervertere studuit, inductis vocabulo indicum, qui in Lepidam Cassii uxorem Silani amitam, incestum cum fratris filio & diros sacrorum ritus confingerent. Quare municipio Apuliæ Barrio clausus à centurione, cui Silanus obnixus est & intendit ictus, quantum manibus nudis valebat, vulneribus adversis, tanquam in pugnâ, cecidit. *lib.* 16. 9.

M Junius M. F. Silanus, Consul fuit sub Tiberio 771. Proconsul Afr. cæ fuit, auctore Tacit. *lib.*4. *Histor.* Mox Cajus Cæsar, turbidus animi ac *M. Silanum* obtinentem Africam metuens. Socer fuit Caii Caligulæ & ab eodem interfectus. Sueton. *cap.* 12. & 23.

Silanus, vide *Creticus*, Item *Junius*. Item *Appius*. Item *Granius*.

Silarus, fluv. Picentinorum, illos à Lucanis dividens, medius ferè inter Salernum ad Occ. & Pæstum ad Ort. Hujus fluv. eâ fertur esse naturâ, ut virgulta & folia in ipsum decidentia lapidescant. Plin, 2. 103. *Sili* Nigro. Virgil. *Georg.* 3.

Est lucos Silari circa, ilicibusq. virentem

Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo.

Silius *lib* 8.

Nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt

Duratem lapidum mersis inolescere ramis.

Strabo *lib.* 5. Σιλάριδος ποταμὸς meminit ἐφ᾽ οὗ (inquit) τὸ ἴδιον ἱστορεῖται, τὸ καθιέμενον εἰς αὐτὸ φυτὸν ἀπολιθοῦσθαι. Dionysius,

Πρὸς δ᾽ νότον, μάλα πολλὸν, ὑπὲρ Σειρηνίδα πέτρην

Φαίνονται προχοαὶ Πικεντίνου Σιλάροιο.

Lucano *Siler* dicitur, *lib.* 2.

—— —— *Radensq; Salerni*

Culta Siler. ——

Hodie *Selo*, Baudr. Oritur ex Apennino, in prov. Principatus citer. dein aliquot auctus fluv. in Sinum Salernitanum se exonerat, 7. mill. à Pæsto in Bor. 18. à Salerno in Ort.

Silbium, urbs Phrygiæ magnæ, inter Apameam ad Occ. & Philomelium ad Ort. Ptol.

Silda, *Gilda* Anton. colon. & urbs Maurit. Ting. Ptol.

Silo, Ægypti infer. op. Anton.

Silei, in tribu Juda, Hier.

Sileni, pop. Indum fluv. accolentes, Plin. 2. 20.

Silenus, historicus, Dionysio Halicarnass. *lib.* 1. celebratus. Calatianum fuisse, deque rebus Siculis scripsisse testatur Athenæus *lib.* 12. Vide Voss. *de Hist. Græc. pag.* 414.

Silenus, Bacchi nutritius & Pædagogus, semper asino vehi solitus: quem Aratus, in gratiam alumni, inter sidera translatum dicit. *Silenos* verò provectioris ætatis Satyros dici, affirmat Pausanias, quos ebrios, ut plurimùm, fingunt. Unde *jacentem* inducit Virgilius, &

Hesterno inflatum venas (ut semper) Jaccho.

Ovidius *Metam.* 4.

Quis senex ferulâ titubantes ebrius artus
Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.

Phurnutus nomen habere vult ἀπὸ τῶ σιλλαίνειν, quod est *proscindere convitiis*. Quare *Sillorum* libri dicti, quibus ut Scepticus, Dogmaticos omnes maledictis proscindebat. Sed Aristophanis Interpres à voce σίλλ@, quæ *penem* signif. deducit. Lucianus quoque *in Deorum concione* eum his verbis describit: Ὁ δὲ φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα, ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμεν@. Apud Platonem verò in Alcibiade *Sileni*, nihil sunt, nisi sectiles imagunculæ ita concinnatæ, ut diduci & explicari possent: At clausæ ridiculam tibicinis speciem ostentabant: apertæ venerabile numen exserebant. Itaq; his comparat Socratem Alcibiades, quòd longè alius intrinsecus esset, quàm extrinsecus videri queat. Vide Voss. *de Idolol. libr.* 1. *cap.* 21. Sileni fabula unde sumpserit originem, non nisi gravatè refert doctissimus Bochartus, nempe ex prophetiâ de *Silo*, qui Christus est, horrendum in modum detortâ. Quod quasi per nebulam cùm viderit Justinus M. hanc ipsam prophetiam scripsit Dæmones ad Bacchum retulisse, & in ejus mysteriis ὄνον *asinum* recensuisse: Hoc ille 2. locis; semel *in posteriore Apolog.* pro Christianis, & rursus *in Dialogo cum Tryphone Judæo*, ubi mirâ metamorphosi ὄνον in οἶνον librarii mutarunt. Jam verò ut res expendatur accuratius. 1. Ut ex שיר *Sir*, id est, *cantico*, Phœnices שירן *Siran*, & Græci fecere *Sirenes*; ita ex שילה *Silo*, vel שיל *Sil* ab illis שילן *Silan*, ab his *Silenus* dictus. 2. Et quia de *Silo* dicitur, illius erit *doctrina populorum*, vel *congregatio docendi causâ*, Silenum ajunt fuisse valde doctum, & Bacchi ἐπιγνωστὴν, καὶ διδάσκαλον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων. In Æliano, Silenus de altero orbe mira narrat; in Plutarcho, de morte agit, in Virgilio de principiis rerum disserit. 3. Additur sive de Christo, sive de Judâ, ut quidam volunt: *Ligans ad vitem asellum suum, & ad generosam vitem pullum asinæ*: inde Silenus est ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμεν@, uti loquitur Lucianus. 4. Tale est, quòd calcandis uvis ideo Silenum addicunt, quia sequitur in prophetiâ, sive benedictione Jacobi; *Lavat in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum operimentum suum, instar calcantium in torculari*, ut explicatur in Esaiâ. 5. Sed nihil tam impium, quàm quòd Silenum semper ebrium esse fingunt, uti suprà ostendimus; quia statim additur, *rubent illi oculi ex vino*, ac si eodem id sensu dicatur, quo à Solomone, Proverb. 23. 29. 30. *Cui rubor oculorum?* iis, qui vino immorantur. 6. Sileno deniq; pro cibo apud Euripidem *in Cyclope*: Καὶ τυρὸς ὀπίας ἐστὶ, καὶ βοὸς γάλα. Coagulatus caseus est, & lac bovis; quia prophetia finitur hâc clausulâ: *Dentes ejus ex lacte albescent*. Nihil poterat Diabolus fœdius comminisci, ut sanctissima religionis nostræ mysteria profanaret, & impiorum hominum cavillis exponeret.

Siler, vide *Silarus*.

Silesia, Germaniæ reg. ampla, populosa, fertilis, diu fuit sub imperio Polonorum; sed tandem subjecta coronæ Bohemicæ, à tribus seculis, accipiens nomen ab amne *Schleso*, vel, ut alii sentiunt, à *Schleso* rege. Odera fluv. perlabitur eam. Hanc igne & ferro vastavit Sobieslaus Bohemiæ Princeps An. Chr. 1140. unde à Boleslao Moraviâ non mitius habita est. Postea Vladislao, Poloniæ Regi, qui à subditis pulsus fuerat, pace factâ, concessa est à Boleslao, hac lege tamen, ut Poloniæ Regem superiorem agnosceret. Inmaniter dein à Batrone direpta est, Henrico Principe Lignitio, cruentissimo prælio à Tartaris superato, An. Ch. 1242. In Silesiam postmodum Vladislaus Loketek Polon. R. frustra expeditionem suscepit, An. Chr. 1300. quam, Principum discordiis callidè usus, Johannes Bohemiæ Rex, occupavit, An. Chr. 1327. Sub initium belli Bohemici regni hujus Directoribus accessit, An. Chr. 1618. mox ope Joh. Georgii Elect. Saxonici à Ferdinando II. subjugata, An. Chr. 1621. varias bello Germanico vices subiit. Recepit magnâ ex parte Joh. Hussi doctrinam, seculo 15. datisque literis Majestatis privilegia incolis, sicut Bohemis Moravisque confirmavit Rodolfus II. Imper. An. Chr. 1609. Latitudo ejus patet itinere 3. dierum, & longitudo 4. dierum: extenditurque à reg. Hungarica, usque ad Brandeburgensem Marchiam. Sermo populi Germanicus est: ab alterâ tamen parte Oderæ fluv. ubi Poloniam respicit, lingua Polonica prævalet, Vide Munst. Joachim. Curæum, *in Annal. Siles.* Melch. Goldast. *de regn. Bohem.* Nicol. Henneliun, *Silesographia*, & Sabellic. *Enn.* 10. 2. Hodie sub Austriacis; sed in ea sunt aliquot Duces sui ferè juris, nempe Bergensis, Lignicensis & Monsterbergensis: quibus omnibus extinctis, ultimo è Piastea familiâ Georgio Wilhelmo An. Chr. 1675. mortuo, ad Imperatorem, ditiones eorum amplissimæ redierunt. Origo Silesiæ Ducum à Vladislao retro memorato fuit, qui à Piasto, vide *ibi*, ortus, postquam à fratribus regno pulsus esset, Silesiam tenuit, mortuus An. Chr. 1159. Hoc geniti, Conradus Loripes tenuit Glogoviam, Boleslaus Inferioris Silesiæ; Miciflaus verò Superioris Duces progenuit. E prioris posteris Boleslaus Calvus vel Sævus, pater fuit Henrici, lineæ Ligniciæ, & Boleslai Suidnicensis auctoris. A posteriori Teschinensis & Oppoliensis rami orti sunt. Præter hos etiam ramus Glogoviensis fuit, qui à Conrado An. 1289. extincto ortus, iterum subdivisus est in lineam Sagano-Glogovianam, & Steinavia-Olsnensem. Fuit autem Conradus hic frater Boleslai Calvi, de quo antea. Vide de his omnibus accuratè disserentem, Philippum Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in enarratione familiæ Piasteæ, in qua præter aliquot Reges & Principes Poloniæ, Silesiæ utriusq; Duces.* Dividitur regio in XVII. Duc. seu partes. In Silesia super. IX. sunt, nempe Duc. Swidniensis, Bergensis, Munsterbergensis; Grotkaviensis, Carnoviensis seu Jägerndorff, Oppaviensis, Oppoliensis, Ratiboriensis & Teschinensis. In infer. VIII. Crossensis scil. juris Brandeburg. Glogaviensis, Saganensis, Lignicensis, Javriensis, Volaviensis, Olsnensis & Vratislaviensis. Terminatur ab Or. Poloniâ, à Sept. Marchiâ Brandeburgicâ, ab Occ. Lusatiâ & Bohemiâ, à Mer. Moraviâ & Hungar. super. Totius provinciæ caput est Vratislavia, *Breslavv*, ad Oderam fluv. Ejus autem pars est etiam Comitat. Glacensis, quanquam ab aliis sub Bohemia propr. comprehendatur.

Silesiæ urbes præcipuæ:

Brega, *Brieg.*	Oppava, *Troppavv.*
Crossa, *Crossen.*	Oppolium, *Oppelen.*
Glogavia, *Glogavv.*	Ratibora, *Ratibor.*
Grotkavia, *Grotkavv.*	Saganum, *Sagan.*
Javria, *Javver.*	Suvidnia, *Schvveidnitz.*
Lignitium, *Lignitz.*	Volava, *Volavv.*
Munsterberga, *Monsterberg.*	Vratislavia, *Breslavv*, provinciæ caput.
Olsna, *Olss.*	

Silesii, vide *Salesii*. & *Elysii*.

Silia, Senatoris uxor, in exilium acta tanquam non siluisset, quæ viderat pertuleratque proprio odio. Tac. *lib.* 16. *cap.* 20.

Silianus, lacus Dalecarliæ; in Suec. in confin. Gestriciæ prov. ab Ortu in Occ. extensus.

Silicense, flum. Hispan. Bæt. in Singulim influens, Hirt. *Rio de las Algamidas*, Morali.

Silices, Assyriæ pop. Plin. 6. 26.

Silimnus, vide *Limnus*.

Silindium, oppidulum circa Idam, Steph.

Silinus, Paus. *Selenus*, Xen. *Selinus* Strab. fluv. Peloponnesi, per Elidem fluens.

Siliquaticum, id apud Romanos, quod pro exponendarum mercium licentiâ dabatur. A *Siliqua*, primo & minimo pondere, Spelmann.

Silis, vulgò *Sile*, fluv. Venetiæ ex agro Taurisano per Taurisium, vel Tarvisium urb. fluens, & in mare apud Altinum delabens.

Silistria, urbs ampla Bulgariæ, sedes Præfecti Turc. ad amnem *Abis*; 30. m. p. ab Istro in Merid. Sophiam versus 60. Quid olim fuerit, non constat.

Silius. Videntur *Silii* à *Silo* quodam; id est, aduncum nasum habente, nomen sortiti. Fuit horum familia plebeja quidem primò; postea verò nobilis & honorata, maximè circa Augusti tempora; cùm etiam ad Consulatum ascendit: nam antea quæsturis, & præturis contenta substitit.

Silius, prænomine *Cajus*, amicus Germanici, ingentis exercitûs septem per annos moderator, partisque apud Germaniam triumphalibus, Sacroviriani belli victor, instinctu Sejani subversus est; immisso Varrone Consule; qui paternas inimicitias obtendens odiis Sejani per dedecus suum gratificabatur. Igitur victoria per avaritiam fœdata, & uxor Sosia arguebantur, nec dubiè repetundarum criminibus hærebant; sed cuncta quæstione majestatis exercita, & *Silius*, imminentem damnationem voluntario fine prævertit: Sævitum tamen in bona. Tacit. 4. 19.

Silius Italicus, poëta præstantissimus ex Hispan. oriundus, Romæ natus est & educatus, gratissimus Domitiano Imper. cujus favore ad tertium Consulatum perductus est. Virgilii natalem quotannis celebrabat, septuagenarius seipsum interfecit, dolore cujusdam clavi insanabilis. Scripsit poëma de secundo bello Punico, libb. 17. *majore curâ, quàm ingenio*, inquit Plinius *lib.* 3. *epist.* 6. in quod Petrarcha quoque carmen composuit: qui fortè aliter sensisset, si in exemplar Silii, durante Concilio Basiliensi, repertum incidisset. Interim insigniter opulentus hic Poëta fuit, & prædium suburbanum, quod Ciceronis erat, villamque, in qua Virgilius conditus, possedit. Martial. *lib.* 11. *Epigr.* 49. Aul. Gell. *lib.* 16. *cap.* 13. Tacitus, Vossius, Lil. Giraldus, Petr. Crinitus.

Silius Nerva, Consul, an. U. C. 817.

Silius, prænomine *Titus*, in legione 7. C. Julii Cæsaris tribunus, à P. Crasso Andibus hiemante frumenti commeatusque petendi causâ in Veneros missus & ibidem retentus. Cæs. *lib.* 3. *Comm.* c. 8.

Silliniacum, vide *Scilliniacum*.

Sillyos, urbs Joniæ juxta Smyrnam, Stephan.

duobus, contra Austrum, à Beryto quinque, & versus Occidentem ab Antilibano monte uno, à Cæsarea autem Philippi undecim miliaribus, ab Occidente mari magno alluitur, tutoque ac tranquillo portu ditatur: atque ab Oriente magnus & fertilis illi adjacet campus, qui aquarum fluentis fœcundus, optimis vineis, cannis mellis, fructiferis arboribus, [illegible] pratis abundans, multam civibus præstat commoditatem. Ipsa verò urbs aëre salubertimo fluens, solida in rupe super littus maris in longum ædificata, ab Aquilone in Austrum tendit: cujus utrumque cornu duobus castris naturâ & arte validis munitur. Quamvis urbs hæc olim in sortem tribus Aser ceciderit, Aseritæ tamen eam nunquam possederunt, quia ejus incolas expellere non potuerunt, Plin. *lib.* 5. *c.* 19. & *lib.* 36. *cap.* 26. Strabo *lib.* 16. Multas devastationes & incendia passa est, tandemque in Turcarum potestatem redacta, à 152. annis. Hodie *Saide*, in ora maris Med. cum portu capaci, etiamnum ab Europæis, Gallis inprimis, frequentatur. 35. m. p. à Beryto in Mer. uti 55. à Damasco in Occ. V. Seqq. Hic primò vitrum fieri cœpit. Sub Christianis Episc. fuit: captâ Hierosolymâ, Eustachio Garnerio Cæsareæ domino muneri data est: Guiboha Tartarorum dux illam occupavit, An. 1260. tandem, ut dictum, à Turcis subacta est. Pseudosynodus ibi ab Eutychianis & Acephalis habita, An. 512. sub Anastasio Imp. quibus Flavianus Antioch. & Joh. Palæstes generosè restiterunt. Guil. Tyr. *lib.* 14. & *seq.* Sanut. *lib* 3. &c. Marcellin. *in Chron.* Evagr. *lib.* 3. *cap.* 32. &c. De eadem Lloydius ista habet: *Sidon*, i. e. *venatio*, aut *insidiatio*, sive *Viaticum*, vel *cibarium*, aut *navis judicii*, Filius Chanaan. Gen 10. Boderianus *in Lexico Chaldaico* צִידוֹן per *admirationem* explicat, quod non sine admiratione se legere testatur Bochartus. In loco, quem citat ex libro *Vaikra rabba*, nil tale habetur: nec ibi explicatur *Sidon*, sed אצד vel הצדא ex Dan. 4. 14. idque voce Græcâ אונטוס ὄντως i. e. ἀληθῶς *verè*, ut Græci & Vulgatus habent. Itaque hæc εἰδέναι πρὸς ἔπος. Sed verum esse puto, quod *Sidonem* scribit Trogus *à piscium ubertate* sic appellari. Nam *Said*, i. e. *piscatio*, hodieque *Sidon* dicitur, ut Galilææ op. *Bethsaida*, quasi *domum piscationis* dixeris. Nec Sidoni minus congruit, quam Hebræi nos docent esse ad mare piscosissimum. Itaque cùm Gen. 10. 15. legitur, Sidon fuisse Chanani primogenitus, per Sidonem intellige Sidoniorum patrem, vel Sidonis conditorem, quocunque fuerit nomine. Ex quo loco Sidonem discimus fuisse valdè vetustam, ut quæ conditorem habuerit Chami nepotem, Noachi pronepotem. Itaque licet Tyrum Sidonis æmulam, *antiquam* & *Cadmeam* & *Ogygiam* Poetæ passim appellent; & Tyrii Esaiæ 23. 7. & Herodoto *lib.* 2. 2. antiquitatis nomine plurimum sese efferant; tamen Sidoni Tyrus cogitur submittere fasces, & illam pro parente agnoscere. *Post multos deinde annos* (inquit Trogus) *à rege Ascaloniorum expugnati Sidonii, navibus appulsi Tyrum urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt.* Id est, Josepho interpretante, *lib.* 9. *Antiq* annis 240. antequam templi fundamenta jecisset Solomon. Proinde cùm de Sidone agatur in libris Mosis & Josue, & Judicum, & in vaticinio Jacobi Patriarchæ, qui vixit diu ante Mosem, de Tyro nihil reperimus ante tempora Davidis, nisi quis מבצר צור Jos. 19. 29. putet esse *Palætyrum*. Iraque, ut observat Strabo; Οἱ μὲν ὖν ποιηταὶ τὴν Σιδῶνα τεθρυλήκασι μᾶλλον. Et Homerus, qui Sidonis & Sidoniorum meminit in tot locis, Tyrum ne nominat quidem. Jam si de magnitudine certamen instituatur, in libro Josue *Sidon* appellatur רבה *magna*, i. e. inter Phœnicias urbes maxima. Diodorus *lib.* 16. πλέτῳ τε κ̀ τοῖς ἄλλοις χορηγίαις ἡ πόλις πολὺ διέφερε τῶν κατὰ τὴν Φοινίκην πόλεων· τὸ δὲ μέγιστον τρεῖς ἐκεῖ συνεῖχε πλεῖστ' ἀξιώματα. Pomponius 1. 12. *Adhuc opulenta Sidon, antequam à Persis caperetur, maritimarum urbium maxima.* Sed Tyrus illi deinceps, si Straboni credatur, ἐνάμιλλ@- *conferenda*; si Curtio *praferenda*. Is enim Tyrum affirmat & claritate & magnitudine, ante omnes urbes Syriæ, Phœnicesque fuisse memorabilem, quo tempore obsessa est ab Alexandro. Vide *Tyrus*. Capta est Sidon, cum Archipatride, Cæsarea Stratonis, Ptolemaide. & Berytho, à Balduino I. Hierosol. R. An. C. 1104. sub cujus successore Balduino II. etiam Tyrus recepta est, An. C. 1125. sed utraque postea cum tota regione in Barbarorum potestatem relapsa est. Sidonis Achilles Tatius, statim *operis initio* duos describit portus angusto aditu & latissimo, in quorum interiorem naves hyeme se recipiunt, quia tutior est statio. Cæterùm Tyrus à Sidone distat stadiis fere 200. Ita habetur in Strabone. In medio Sarepta nomen habet ab æris & ferri fusione, cujus ibi magnum fuisse proventum, Hebræi colligunt ex benedictione Aser horum locorum incolæ. Deut. 33. 25. *Ferrum & æs sub calceo tuo.* Atque huc omnino pertinet illud Eumæi Sidonii, apud Homerum, antiquitatis sedulum indagatorem:

Ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι.

Nec erat cur interpretes Poetæ verba traherent in alienum sensum, quasi circa Sidonem æris fodinæ nullæ fuissent. Tyri & Sidonis incolis indulserat Deus ingenium acre, vividum, & ad omnia flexile. Arithmetica & Astronomia ab iis manarunt ad Græcos. Et, ut taceam recentiora, Sidoni Mochus de atomis philosophari cœpit ante Trojani belli tempora. Et Abdemonus Tyrius, quæstionibus propositis, Regem Solomonem provocare ausus est. Sed præcipua celebritas ex mechanicis artibus. Tyri mixtura purpuræ, Sidoni vitraria & textura sindonum ex lino tenuissimo feruntur inventa primùm. Et fabrorum peritiam impensè laudat Solomon his ad Hiramum Tyri regem, 1. Reg. 5. 6. *Nosti non esse quemquam inter nos, qui sciat cadere ligna ut Sidonii.* Hinc est, quod Homerus appellet πολυδαιδάλους, & si quid concinnum in vestibus, aut in vasis affabrefactum, aut ludicrum in crepundiis, id tribuere solet Sidoniorum industriæ. His artibus illorum opes in immensum brevi crevere, dum iis vacare licuit, per longæ pacis otium. Nam pacatè diu vixisse præ cæteris mortalibus vel hinc colligas, quod Jud. 18. Sidonii proponuntur in exemplum summæ securitatis. Ita enim habetur *vers.* 7. de Laisincolis: *Habitabant securè, pro more Sidoniorum, quietè & confidenter.*

Sidona, reg. Ponti Cappadocii, Ptol.

Sidones, pop. Thraciæ prope Hebrum. Plin. Alii in Scythia.

Sidonia, urbs Troadis. Steph.

Sidoniorum Insulæ, in Sinu Persico, unde Sidonii Phœnices profecti. Strab. *lib.* 16.

Sidonium mare, Syrii seu Phœnicii pars. Claud.

Sidonius Apollinaris Cajus Sollius, Episc. Claromontanus, in Arvernia, floruit sec. 5. Natalibus, ingenio, eruditione, pietate illustris. Natus patre, Prætorio in Gallius præfecto, sub Honorio Imp. Lugduni, Eusebium in Philosophia, Hoëniumque in Eloquentia & Poëti audiit. Ab Anthemio Imp. Romam invitatus, interfuit nuptiis Ricimeri generi hujus: cui secundùm Consuli Panegyricum dedicavit, hinc præfectus Urbis creatus, postmodum Patriciis insertus. Statua ipsi; ab Avito, in Bibliotheca Fori Trajani erecta, & Majoriano Circenses ludos Arelati celebrante, ejus meniæ admotus: utrumque panegyrico honoravit. Aviti filiâ ductâ, filium sibi cognom. cum duabus filiabus, Rosciâ & Severiana, genuit: legationibus variis defunctus. Cùm dein Avitus imperio cederet, & Majorianus amicos ejus exagitaret, captus detentusque Lugduni, mox liberati, muneribus, gratiæ restitutus, fœderis inter illum & Theodoricum proxeneta fuit. Surrogatus post hæc Eparchio Episcopo, Ann. 472. dignitates suas in filium transtulit, ipse totus S. Scripturæ deditus, brevi tantum profecit, ut ab Euphronio Episc. Augustodunensi, in difficilioribus quæstionibus consuleretur. Burgundionum fame laborantium nutriit 4000. Plurima in obsidione Claromonis, quam Gothi oppugnabant, Hæreticis & duobus presbyteris passus, Obiit An. 482. æt. 52. Scripsit libb. 8. epist. cum 20. carminibus. Joh. Coleurt, Joh. Savaro & Sirmondus, *in notis*. Gennad. *de Viris Ill. cap.* 92. Ruric. *in epist.* Greg. Turon. *hist. l.* 2. *c.* 22. &c. Inprimis Vossius *de Poet. Lat. pag.* 60. & *de Hist. Lat. p.* 233.

Sidrach, vel *Shadrach*, qui & *Ananias*, nomen viri. Dan. 3.

Sidrocapsa, Leuncl. *Sirus*, urbs maritima, ep. sub. Ar. Thessalonicensi, *Syderos* & *Scydra* etiam videtur Ptolomæo dici. Vide *Siderocapsa*.

Sidrona, op. Liburniæ mediterr. *Belas* Nigro. Alii eandem putant cum *Stridone* D. Hieronymi patriâ.

Sidrones, Germ. pop. Ptol.

Sidus, vicus Corinthi, aut Megaridis navale. Item vicus circa Clazomenas, & alius Rubri maris, & locus Pamphyliæ. Steph.

Sidussa, urbs Joniæ. Steph.

Sidyma, urbs Lyciæ. Steph.

Sietzius, fluv. Helvetiæ, qui è lacu Rivario prope Vesenium effluens, postea Limago miscetur. V. Simlerum *de Rep. Helvet.*

Siffridus, Presbyter Saxo, floruit An. 1308. Auctor Chronici, à M. C. usque ad an. 1307. Georgius Fabricius edidit. Item, Dominicanus, Arch. Moguntinus, ann. 1470. Scripsit varia. Trithem. Voss. Possevin. Miræus, &c.

Siga, colon. & urbs Maurit. Cæsar. Ptol. regia quondam Syphacis, inter ostia Malvæ ad occ. & Quidam urb. ad ort. apud ost. *Siga* fluvii. *Aresgol* Marmolio. *Humain* Castaldo. Aliis *Zerfen*, seu *Zerfen*. Fluv. *Tenne* dicitur Castaldo. Baudrando Siga *Haresgol* hodie, opp. regni Algerii, in prov. Telensina, cum portu, in ora maris Mediterr. In scopulo, cum castro munito. 55. m. p. ab ostio Mulviæ fluv. Quisam versus 90. & 18. à Telesino in Bor. Carthaginem novam versus 120. circiter. Aliàs Syphacis regia, postea Episc. *Siga* autem fluv. in mare Medit. labitur, prope Sigam opp. & à Neotericis *Rio de Haresgol*, incolis autem *Tefnet* dicitur, Marmol. *descr. Africæ*.

Siga, opp. Veteraviæ, caput Comit. cognom. ad Sigam fluv. 8. mill. Germ. à Marpurgo in Occ. Coloniam versus 11. in limite Westphaliæ; *Sigen*.

Sigala, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Sigalion, simulachrum apud Ægyptios, in sacris Isidis & Serapidis, quod digito labiis impresso silentium imperare videbatur: unde & nomen accepit ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, quod est *silere*. Alio nomine *Harpocratem* appellabant. Vide *Harpocrates*.

Sigamia, Colchidis fluv. Plin. quem Arrianus Σιγγάμην vocat. Ptolemæus Σιγάνειον opidum, sic (ut est verisimile) à fluv. dictum, inter Cyaneum fluv. & Neapolin collocat.

Siganum, urbs ampla Xensiæ, prov. Sin. ad fl. Guejum, ad radices montium, sub qua 35. urbes min Martinius.

Sigatha, urbs Libyæ. Steph. ex Strabonis *lib.* 17.

Sigbritta, paupercula è Belgio mulier, ex egestate Bergas Norvegiæ profecta, ibi sedem fixit. Mox cùm filiam ejus Divike 1. Columbulam, Christienno, postmodum II. hujus nominis Daniæ

R. à

R. à venustate imprudens laudavisset regni Cancellarius, illam Princeps concubinam, & mox in familiam cum pellice matrem assumpsit. Patris dein successor A. C. 1514. tanquam fascinatus, omnia ex *Sigbritta* consilio agere tam addictè cœpit, ut ante ejus ædes Hafniæ Senatores regni sæpe cogerentur expectare, & eam Regina parturiens obstetricem pati, ubi multæ illius de regiis liberis inauspicatæ voces auditæ: è quibus Johannes septennis à *Sigbritta* in ædes suas, ut ibi instueretur in iis, quæ regiam decerent sobolem, assumptus est. Hinc suis exosus Rex esse cœpit, qui cùm plures aliæ odii accessissent causæ, Regno à suis, surrogato ei patruo Friderico, pulsus, gazâ, chartis & *Sigbrittâ suâ* in naves illatis, in Belgium venit: ab eo tempore perpetuò infelix. V. Phil. Jac. Spenerum in *familiâ Oldenburgo-Danica.*

Sige, urbs Troadis. Gentile *Sigites* Stephano, qui & *Sigeum* promunt. bodie *Capo Janizari*; in ora maris Ægæi, 140. m. p. à Chalcedone in Mer. uti 22. ab Abydo, & op. Troadis Ajacis sepulcro nobilitatum esse scripsit: nunc in ruinis. Dictum Σιγῆον, ut quidam volunt, ἀπὸ τῦ σιγᾶν, h. e. à *silendo*, eò quòd Hercules præmio suo à Laomedonte fraudatus, dissimulato secessu, ibi se occultavit, indeque silentio magno reversus urbem repentè adortus ceperit. Alii per antiphrasin sic dictum putant, quòd nullum ibi unquam sit silentium, aquis se perpetuò magno cum murmure saxis illidentibus. *Janizari* hodie Nigro, Sophiano, & Bellonio dicitur. Hinc *Sigeus* adjectivum. Virgil. *Æn.* 2.

—— *Sigea igni freta latâ relucent.*

Item *Sigeus.* Ovid. *Met.* 13.

—— *Sigeia torvò*
Litora prospexit.

Idem *ep. prima*,

Hac ibat Simois, hic est Sigeia tellus.

Austrasiæ Reges.

Sigebertus I. Austrasiæ Rex, fil. Clotharii I. ex Ingonde. Metis sedit, maritus Brunehildis, filiæ Athanagildi, Wisigothorum Regis. Vicit An. 568. Longobardos, Hunnis, Avaribus & Herulis junctos: postmodum à spectris, quæ illi magicâ arte excitaverant, delusus, pecuniâ se suasque copias ab illis redimere coactus est. Dum his detinetur, interea Chilpericus, frater ejus, Remos, aliaque Campaniæ loca, sibi subigit, sed vincitur, captâ Suessionum urbe, mox pax sancita. Arelatum, alteri fratri Guntrano, ereptum, mox *iterum* perdidit: Longobardos dein, ditiones suas vastantes, feliciter *iterum* repulit, mox à Chilperico, Ann. 573. acie victus: contra quem cùm majores parasset copias, ille pacem petiit impetravitque: quam cùm brevi iterum violaret, insequutus illum Sigebertus, per Bosonem ducem, filium ejus Theodebertum occidit, ipsumque Tornaco se includere coëgit: Sed urbem hanc cùm victor obsideret, à duobus sicariis, à Fregedonde, uxore Chilperici, cum duobus cultris venenatis, summissis, interemptus est, An. 575. æt. 40. regni 14. Liberalis, generosus, ingenio, clementiâ, affabilitate inclytus, Pater populi dictus. Gregor. Turon. *l.* 4. & 5. Pater Childeberti successoris, qui ex Faileuba, Theodebertum vel Theodoricum filium, suscepit, *Sigeberti II.* ex pellice, patrem.

Sigebertus II. occisus est, Ann. 614. post aliquot mensium, in Burgundia & Austrasia, regnum. Maritus Frideburges. Walafrid. Strabo.

Sigebertus III. fil. Dagoberti I. frater Clodovei II. Obiit An. 654. Pater Dagoberti, qui Grimoaldi perfidiâ tonsus est. Sigebert Gemblac. *in ejus vita.*

Sigebertus, Monachus Gemblacensis, floruit sub initium Sec. 12. Scripsit Chronicon, ab an. 379. vel 381. ubi S. Hieronymus desiit, illudque continuavit, usque ad an. 1112. Item, de Viris Illustribus. Vitam quoque Sigeberti III. Austrasiæ R. S. Maclovii &c. Carmina quoque & Commentarios in Scripturam. Stylo utitur libero, & neque Pontificibus, cùm opus est, parcit. Liber ejus, cui titulus, *Apologia, ad Henricum Imp. contra eos, qui calumniabantur Missas conjugatorum Presbyterorum*, perditus est. V. Voss.

Sigericus Gothorum in Hisp. R. à militibus, Ataulpho surrogatus est, An. 415. Sed ab iisdem, quòd ad pacem cum Romanis inclinaret, occisus septimo pòst mense. Prosper & Isidor *in Chron.*

Sigestorium, Vide *Segustero.*

Sigetum, urbs munita Hungar. inf. intra paludes fl. Almi hîc stagnantis & indormientis, cum castro triplici, fossâ muroque cincto. 10. m. p. à Dravo in Bor. 20. à Quinque Ecclesiis in Occ. Capta à Turcis 7. Sept. 1566. cùm triduo ante mortuus esset Solimannus. V. Thuan. *Hist. lib.* 39. Aliter *Zigerium.*

Sigger, fl. Helvetiæ, qui in Vocetii montis apicibus ortus, postea in sinistrum Arulam se præcipitat, inter Salodorum & Vietlisbachium opp. Simlerus.

Sigillaria, vicus Romæ, ubi *sigillaria* vendebantur. Gellius *lib.* 5. *Apud Sigillaria forte in librariâ ego & L. Paulus Poeta consederamus.*

Sigindunum, Mysiæ sup. op. Ptol. quod Niger *Simedro* vocat. *Singidunum* Antonino. *Sigidunum* Zosimo *lib.* 3.

Imperatores & Reges Burg.

Sigismundus, Imperator, Hungariæ & Bohemiæ R. ex familia Lucemburgica, fil. Caroli IV. frater Wenceslai Impp. Ductâ Mariâ, filiâ Ludovici I. Hung. R. regnum hoc pacavit, coronatus an. 1387. æt. 20. uxorem perdidit, Ann. 1392. A Bajazete Turcarum Imp. licet Gallis sub Joh. Burgundo subnixus, ad Nicopolim, an. 1386. victus, diu Constantinopoli & in Rhodo, omnib. ignotus erravit: tandem captus à suis, amicorum ope. an. 1401. restitutus est, A. 1401. Ruperto Imp. successit, postquam sibi ipsi, utpote Electorum unus, suffragatus esset. Schisma, post iter in Galliam, Angliam & Italiam, magnâ curâ, Constantiæ celebrato Concilio sustulit: Reformationem tamen impetrare non potuit, licèt vehementer, apud Petrum de Alliaco Cardin. instaret, conjugia Clericorum, inter alia, strenuè urgens. Nihilominus, in Basileensi Concilio, liberius, quàm unquam in aliis, in auctoritatem potestatemque Pontificis inquisivit. Marchiam Brandeburg. cum Electoratu, Friderico Burggravio Norimb. Saxoniæq; Electoratum Friderico Misniæ Marchioni contulit. Gonzagam, Mantuæ Marchionem creavit. A Johanne Zisca, Hussitarum, quos extinctum ibat, Duce, aditu in Bohemiam interclusus, sæpius victus, & quamvis tripartito exercitu, ad 200000. secum trahens, accederet, Panico quodam terrore semel atque iterum fugatus: Postea à Procopio Holy infestatus est, donec tandem libertate religionis permissâ, uno anno ante mortem in regnum est admissus. Æn. Sylv. *Hist. Bohem. libr.* 36. Connubium, cum Barbara, impudicissimâ fœminâ; infaustum expertus, Znoimæ, in Moravia, Obiit, An. 1437. æt. 70. Formâ egregiâ, liberalis, magnanimus, literatorum Mæcenas, plurimarum lingg. peritus, in pace Princeps inclytus, sed bello infelix: Ferreâ coronâ Mediolani cinctus, Romæ auream ab Eugenio IV. accepit. Crantz. Cochlæus, Dubravius, Bonfinius, Thurosius, Bapt. Egnatius, *in epit. Hist. Imp.*

Sigismundus, Burgundiæ R. fil. Gundebaldi, patri successit, An. 516. Ab Arianismo, ope Alcimi Aviti Episc. Viennensis conversus, magnam curam rebus sacris impendit: Pater, ex Ostrogota, filia Theodorici, Gothorum in Italia R. Sigerici, quem, novercæ impulsu, innocentem strangulari jussit: quod crimen paulo pòst multis lachrymis prosequutus est. Postea, Clodomirus, fil. Clodovei M. junctus fratribus suis, Sigismundum vicit, captumque Aureliani, cum uxore & liberis in puteum præcipitatos necavit. An. 523. Greg. Turon. Usuardus, vita S. Sigismundi, Duchenius, &c.

Poloniæ Reges.

Sigismundus I. Magnus, Poloniæ R. fil. Casimiri II. frater Johannis Alberti & Alexandri, Regum, quorum ille An. 1501. hic An. 1506. obiit; Successit, jam rebus plurimis præclarè gestis inclytus, an. æt. 40. Rex vicit Moscos, totaque expulit Lithuaniâ, An. 1519. fines Imperii extendit, decus principum seculi sui: Obiit An. 1548. æt. 80. Cromer. *Histor. Polon.* Salomon Neugebauer. *in Hist. Pol.* Jodocus Ludovicus Decius & Bernardus Vapovius *in Sigismund.*

Sigismundus II. Augustus, vivente patre Sigismundo I. coronatus, post obitum patris, jam prius uxore Elisabethâ Austriacâ orbatus, duxit Barbaram Radivilham, filiam Georgii Castellani Vilnensis, viduamque Stanislai Castoldi, Palatini Trocensis: Unde Procerum murmur & turbæ, quibus pacatis, hac mortuâ, Catharinam Ferdinandi I. Imp. filiam sibi junxit. Consiliariorum aliquot, inter quos Joh. Funccius, ex concionatore aulicus minister, supplicio affecit: Suecos in Livonia, Moscos ad Sitioum lacum, &c. vicit. Dantiscanis iratus, portorii dimidiam partem iis ademit, caussasque majoris momenti, ad Senatum regni transtulit. Obiit, ex Jagellonica familia ultimus, Ann. 1572. æt. 52. regni 25. Successit Henricus Dux Andium. Neugebauer. *Hist. Pol.*

Sigismundus III. fil. Johannis III. Sueciæ Regis, ex Catharina, filia Sigismundi I. natus An. 1566. à Polonis, excluso Maximiliano Arch. in regnum accitus, Ann. 1587. mortuo Patre, etiam Sueciæ regnum adiit, coronatus, An. 1594. quo tamen, quòd intempestivè religionem ibi jam stabilitam evellere conaretur, à Carolo Sudermanniæ Principe, patruo suo, exutus est. Livoniam amissam fortissimè recuperavit, Moscos Smolensko, post biennii obsidionem, depulit, illosque Vladislaum fil. in M. Ducem eligere coëgit. Obiit An. 1632. regni 45. Maritus duarum sororum, Annæ & Constantiæ Austriac. Pater verò Ladislai Sigismundi & Johannis Casimiri, qui ambo Mariam Gonzagam uxorem habuerunt, familiâ haud pridem totâ extinctâ.

Principes & viri celebres.

Sigismundus Rakocius, Transylvaniæ Princeps, electus est, An. 1606. post defunctum Borskajum, invitus: interim in pace præfuit, Matthiæ Hung. R. & Achmeti Ottomano æquè gratus. Cessit sponte Gabrieli Bathorio, An. 1608.

Sigismundus Gelenius, Bohemus, vertit Ann. 1540. Josephum, Justinum Martyrem, Dionysium Halicarn. Philonem, Appianum &c. Thuan. *Hist. lib.* 3.

Sigismundus Gossenbrot, Benedictinus. Condidit Chronicon Augustanum, Ann. 1483. à Joh. Pistorio, inter auctores Hist. Germ. editum.

Sigismundus Malatesta, Arimini Dominus, Philosophus, Historicus & Bellator egregius: sed quòd immortalitatem negaret animæ, & ditiones Pontificias crudeliter vastaret, à Pio II. excommunicatus est, An. 1462. interim ad frugem rediit, expeditione contra Turcas susceptâ. Pius II. nomine Gobelini, *in Comment.*

Sigistania, prov. Persiæ, in parte Or. versus confinia Indiæ, ubi

ias pars Drangianæ, versus montes. Ibi Sistanum seu Sigistanum, *Sistan*, urbs præc. ad Ilmenum fluv.

Sigius, mons Gall. Narbon. à quo sinus Galliæ incipit. *Setium* Ptol. & Avieno. *Capo de set* Clusio. V. *Setius mons.*

Sigmanus, mel. *Igmanus*, amnis Aquitaniæ veræ, vulgò *Leyre*, in Sinum parvum Arcassonium cadit, prope Bojos, 7. leuc. à Burdegala in Occ.

Signia, Latii op. in cujus agro vinum nascebatur miré austerum, ideoque ventris profluvio sedando utile. Martial. *lib.*13.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem.

Silius *lib* 8.

—— *Spumans inimico Signia musto.*

Σίγγνια Stephano, sive potius Σιγνία Σιγνῖνα Dionysio, vel potius Σίγνεια. Σιγνῖν Plutarcho dicitur *in Syllâ*. Baudr. vulgò *Segni*, urbs olim Volscorum nunc Campaniæ R. in dit. Pontif. Episc. cum tit. Duc. Ibi organa inventa fuere ad modulationes, quibus utitur R.E. Petrarch. 30. mill. à Roma in Ort. 9. à Præneste in Mer. In summo jugo Lepini montis, L. Holstenius. Patria Vitaliani Pontif. colonia à Tarquinio Superbo deducta. Ferr. Item mons Asiæ in Phrygiâ magnâ apud Apameam urb. ad illius rad. sitam, Marsyâ circumfluente.

Signinum, castellum Sabaudiæ, apud Belicum Urb.

Signum, pro Campana. Auctor vitæ S. Lupi, Ep. Senonensis: Audito Rex Chlotharius (circa Ann. 620.) de signo S. Stephani, quòd miram haberet dulcedinem; jussit illud Parisios deportari, ubi ipsum sæpius debuisset audire. Sed cum hoc sancto non placuisset Pontifici, mox ut sublatum est signum à Senonica urbe, perdidit dulcedinem soni sui. Quo Rex agnito, ilico jussit loco pristino restitui Signum. At ubi pervenit Pontem Syriacum, reddito sono à Domino in virtute sancti Lupi, insonuit miliario 7. Et paulo post: Sanctus (*Lupus*) fidens in Domino, aulam petiit matris Ecclesiæ, in honorem Protomartyris Stephani constitutæ: & dum ad evocandum populum signum prædictæ Ecclesiæ tangeret, omnis fortitudo & sensus ab hostium caterva recessit, tantusque terror super eos irruit, &c. Jam ergo signa in Ecclesiis ante annos mille & quinquaginta in usu erant, quorum sono populus convocaretur. De signis & Gregorius Turonicus Episcopus multo ante hoc tempus, nimirum ætate Sidonii Episcopi Arvernorum, qui anno Christi 470. floruit ante annos 1100. meminit, *in libri* 2. *Historia cap.* 23. Unus ex his2. Presbyteris, signum ad Matutinas audiens fuisse commotum, surrexit, &c. Meminit & *in libri* 3. *capite* 15. Qui dum per plateam præteriret, (in urbe Remis) signum ad Matutinas motum est. Erat enim dies Dominica: pulsantes januam Paulelli Presbyteri, ingressi sunt: qui abiit ad Matutinas. Et *in lib.*6. *cap.*25. Anno 8. Childeberti Regis, pridie Kal. Februar. cùm die Dominico ad urbem Turonicam ad Matutinas signum commotum fuisset, & populus surgens ad Ecclesiam conveniret, &c. Idem alibi. Homo quidam Dadonis frater ad Vigilias Dominici Natalis advenit, commotoque ad Vigilias Signo, advenit Presbyter cum Clericis ac populo. Apparet jam tum magna in majoribus civitatum Ecclesiis signa extitisse, cum eorum sonitu populus dormiens excitaretur, & ad Ecclesiam properaret, & eorum sonum oppugnatores civitatis audirent. Adamnanus Scotus Presbyter, & Abbas Monachorum in Insula Hii, Bedæ memoratus, de Locis Sanctis librum, & de Vita S. Columbæ Scot. Abbatis tres libros composuit: in quibus hæc verba legere memini: *Cloccam pulsa. Clocca* autem & *signum*, ac *Campana* una res est. Sed & Martialis docet, in Thermis Romæ ex ære tintinnabula fuisse, parvorum signorum genus, quorum sono qui in thermis lavari volebant, admonerentur aquam esse calefactam ac paratam: equos etiam ac mulos qui sine custode pascebantur, appensa habuisse tintinabula, docent Gesta R. Francorum. Dicta autem sunt *signa* (*sins*) tracto à militia vocabulo, quòd uti milites cantu signorum, nimirum tubarum, buccinarum aut cornuum ad pugnam, ita Christiani sono signorum ad Ecclesiam convocarentur: quæ eandem ob caussam *classica* sunt appellata. Classicum enim tubam, & nonnunquam ejus sonitum significat, & Florus, Claudianus, aliique à classe convocanda, id est exercitu tubam *classicum* vocavere. Certe in Rituali Turonicæ Ecclesiæ S. Martini perantiquo & plus 500. annorum, in titulo de consecratione Archiepiscopi Turronici hæc repetiuntur: Archiepiscopus Turonensis consecrarur apud S. Julianum; & deinde venit in processione ad B. Martinum: quem recipit processio B. Martini ad portam parvæ areæ: & incipit Cantor B. Martini Responsorium, S. Martine, vel *Sint lumbi*, classico sonante. Postea autem Barones portant Archiepiscopum in cathedra usque ad S. Mauritium, & processiones ante eum cum Episcopis revertuntur. Classico sonantibus, id est sonantur signis. Hinc *soner le glas*, id est, classicum movere. Classicum ergo vel signum, *glas* Aurelianensibus & Nivernensibus dicitur; Turonibus, Andicavis, Cenomanis *clas*; reliquis *glas*. Matthæus Parisiensis in Henrico III. in anno 1253 *classicum* non pro signo seu Campana, sed pro sono ejus usurpat: Eadem nocte quidam Fratres de Ordine Minorum, dum per silvam Regiam, quæ Wauberge dicitur, igeari compendio rum oberrarent, audierunt in sublimi quoddam classicum Campanarum melodicum valdè: inter quas unum signum fuit dulcissimi. *Et infrà.* Interrogavit unus Fratrum, quidnam significaret illud magnum classicum & solenne, quod versus Bukedonam audierant. Alios de classico auctores laudare possem: sed dicta sufficient. Hadr. Valesius *Not. Gall.* V. & in voce *Campana.*

Sigonius, Vid. *Carolus Sigonius.*

Sigovesus, Tarquinio regnante, ab avunculo suo Ambigato, Celtarum Rege, missus, qui agros ad Hercynium saltum occuparet. Cæs. *Comm.* Liv. *lib.* 5.

Sigris portus, quem Nisope ins. Lesbi efficit. Steph. Idem alibi *Sigrium* Lesbi portum esse scribit.

Sigtuna, urbs Uplandiæ, juxta lacum parvum, media inter Upsalam ad Bor. & Holmiam, ad Mer. 4. leuc. Suec. utrinque.

Sigua, urbs Armeniæ maj. Ptolem.

Sigyni, *Sigunæ*, vel *Sigynna* Herodot. pop. Scythiæ Europ. seu Mysiæ infer. apud ostia & paludes Istri. Apud hos equi sunt hirsuti, & pernicissi. trahendis curribus, sed gestandis hominib. inutiles.

Siha, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Sihor, Nilus, Ægypti flumen, Jos. 13. Lat. *niger.*

Sila, vel *Syla*, silva Brutiorum maxima ad 200. m. p. patens, ubi mira picis copia, juxta Apenninum mont. Virgil. *Æn.* 12.

Ac velut ingenti Silâ, summòve Taburno, &c.

Sila, fluviolus, qui ex montanis ortus, sub ipso Tiguro minore, se in Limagum effundens, materiæ ac lignorum omnis generis copiam, sub ver & autumnum, ex nivibus montium liquefactis inundans, civibus iisdem advectat.

Silaum, opp. Arab. æ fel. Ptol. per *y.* scribunt Interpp.

Silandum, Lydiæ Urbs. Concil. Chalced.

Silanion, statuarius cœlator. Plin. 34. 8.

Silanus, Jun. Lucius, Claudii Principis gener, qui ab Agrippina, incestus cum sorore Junia Calvina accusatus, ereptâ sibi Octaviâ, dataque Neroni, præ dolore gladio proprio se transfixit, idque die nuptiarum, ad augendam invidiam. Tacit. *Annal.* 12. *cap.* 1. Vid. Suet. *in Nerone*, Dion. &c. ut & infrà.

Silanus, Titi Manlii Pontificis fil. qui à patre repudiatus, quòd pecuniam accepisset à Macedonibus, dolore animi se suspendit nocte sequenti: Ejus exequiis neque pater interfuir, neque suadentibus, ut adesset, auscultavit. Val. Max. *de Severitate.*

Silanus, integro nomine *C. Junius C. F.* consul fuit, cum P. Cornelio Dolabellâ an. 762. sub Augusto: Proconsul Asiæ sub Tiberio, damnatusque repetundarum & projectus in Cytheram insulam. Tacit. 3. *Annal.*

Silanus, prænomine *Marcus*, leg. Cæs. in Galliâ. *Cæs. VI. Comm.*

Ap. Junius Silanus, Consul fuit sub Tiberio ann. 780. Consocer Claudii dicitur Suetonio, propter *L. Silanum* filium ejus Octaviæ sponsum, Proconsul Hispaniæ & maritus Lepidæ, matris Messalinæ, à Claudio, incerto crimine, occisus. Dio *l.* 60. Suetonius *cap.* 29. & 37. Ejus filii duo *L. Silanus* & *M. Silanus*, L. gener Claudii fuit, Octaviæ sponsus, Agrippinæ artibus ad mortem actus. *Marcus* consul fuit cum Valerio Asiatico an. 799. Proconsul Asiæ fuit & à Nerone initio Principatûs occisus. Tacit. 13. 1. Fuit & *D. Junius Silanus* Consul anno 806.

L. Silanus, eximiâ nobilitate disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus, cujus metu occulto creditur Piso haud, prout debuit, conjurationem in Neronem maturare. Tacit. 15. 52. Hunc Nero infensus, quòd claritudine generis & modestâ juventâ præcellebat, pervertere studuit, inductis vocabulo indicum, qui in Lepidam Cassii uxorem Silani amitam, incestum cum fratris filio & diros sacrorum ritus confingerent. Quare municipio Apuliæ Barrio clausus à centurione, cui Silanus obnixus est & intendit ictus, quantum manibus nudis valebat, vulneribus adversis, tanquam in pugnâ, cecidit. *lib.* 16. 9.

M. Junius M. F. Silanus, Consul fuit sub Tiberio 771. Proconsul Asiæ fuit, auctore Tacit. *lib.* 4. *Histor.* Mox Cajus Cæsar, turbidus animi ac *M. Silanum* obtinentem Africam metuens. Socer fuit Caii Caligulæ & ab eodem interfectus. Sueton. *cap.* 22. & 23.

Silanus, vide *Creticus*, Item *Junius*. Item *Appius*. Item *Granius*

Silarus, fluv. Picentinorum, illos à Lucanis dividens, medius ferè inter Salernum ad Occ. & Pæstum ad Ort. Hujus fluv. eâ fertur esse naturâ, ut virgulta & folia in ipsum decidentia lapidescant. Plin. 2. 103. *Sili Nigro.* Virgil. *Georg.* 3.

Est lucos Silari circa, ilicibusq; virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo.

Silius *lib* 8.

Nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt
Duritiem lapidum mersis inolescere ramis.

Strabo *lib.* 5. Σιλάριδος ποταμοῦ meminit ἐφ' οὗ (inquit) τὸ [illegible] ἱστορεῖται, τὰ καθιέμενα εἰς αὐτὸ φυτὰ ἀπολιθοῦσθαι. Dionysius,

Πρὸς δ' ἐνότου, μάλα πολλοὶ, ὑπὲρ Σειρηνίδα πέτρην
Φαίνονται ἀρχαῖαι Πικεντίνων Σιλάροιο.

Lucano *Siler* dicitur, *lib.* 2.

—— —— *Radensq; Salerni*
Culta Siler. ——

Hodie *Selo*, Baudr. Oritur ex Apennino, in prov. Principatus citer. dein aliquot auctus fluv. in Sinum Salernitanum se exonerat 7. mill. à Pæsto in Bor. 18. à Salerno in Ort.

Silbium, urbs Phrygiæ magnæ, inter Apameam ad Occ. & Philomelium ad Ort. Ptol.

Silda, *Gilda* Anton. colon. & urbs Maurit. Ting. Ptol.

Si

Sile, Ægypti infer. op. Anton.

Silei, in tribu Juda, Hier.

Sileni, pop. Indum fluv. accolentes, Plin. 2. 20.

Silenus, historicus, Dionysio Halicarnass. *lib.* 1. celebratus. Cabtianum fuisse, deque rebus Siculis scripsisse testatur Athenæus *lib.* 12. Vide Voss. *de Hist. Græc. pag.* 414.

Silenus, Bacchi nutritius & Pædagogus, semper asino vehi solitus: quem Aratus, in gratiam alumni, inter sidera translatum dicit. *Silenos* verò provectioris ætatis Satyros dici, affirmat Pausanias, quos ebrios, ut plurimùm, fingunt. Unde *jacentem* inducit Virgilius, &

Hesterno inflatum venas (ut semper) Iaccho.

Ovidius *Metam.* 4.

Quid, senex ferulâ titubantes ebrius artus
Sustinet, & pando non fortiter hæret asello.

Phurnutus nomen habere vult ἀπὸ τῦ σιλλαίνειν, quod est *proscindere conviciis.* Quare *Sillorum* libri dicti, quibus ut Scepticus, Dogmaticos omnes maledictis proscindebat. Sed Aristophanis Interpres à voce σίν@, quæ *penem* signif. deducit. Lucianus quoque *in Deorum concione* eum his verbis describit: Ὁ δὲ φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα ἐπὶ ὄνυ τὰ πολλὰ ὀχέμεν@. Apud Platonem verò in Alcibiade *Sileni*, nihil sunt, nisi sectiles imagunculæ ita concinnatæ, ut diduci & explicari possent: At clausæ ridiculam tibicinis speciem ostentabant: apertæ venerabile numen exserebant. Itaq; his comparat Socratem Alcibiades, quòd longè alius intrinsecus esset, quàm extrinsecus videri queat. Vide Voss. *de Idolol. libr.* 1. *cap.* 21. Sileni fabula unde sumpserit originem; non nisi gravatè refert doctissimus Bochartus, nempe ex prophetiâ de *Silo*, qui Christus est, horrendum in modum detortâ. Quod quasi per nebulam cùm viderit Justinus M. hanc ipsam prophetiam scripsit Dæmones ad Bacchum retulisse, & in ejus mysteriis ὄνον *asinum* recensuisse: Hoc ille 2. locis; semel *in posteriore Apolog.* pro Christianis, & rursus *in Dialogo cum Tryphone Judæo*, ubi mirâ metamorphosi ὄνον in οἶνον librarii mutarunt. Jam verò ut res expendatur accuratius. 1. Ut ex שיר *Sir*, id est, *cantico*, Phœnices שירן *Siran*, & Græci fecere *Sirenes*; ita ex שילה *Silo*, vel שיל *Sil* ab illis שילן *Silan*, ab his *Silenus* dictus. 2. Et quia de *Silo* dicitur, illius erit *doctrina populorum*, vel *congregatio docendi causâ*, Silenum ajunt fuisse valde doctum, & Bacchi ἐπιμελητὴν, καὶ διδάσκαλον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων. In Æliano, Silenus de altero orbe mira narrat; in Plutarcho, de morte agit, in Virgilio de principiis rerum disserit. 3. Additur sive de Christo, sive de Judâ, ut quidam volunt: *Ligans ad vitem asellum suum, & ad generosam vitem pullum asinæ*: Inde Silenus est ἐπὶ ὄνυ τὰ πολλὰ ὀχέμεν@, uti loquitur Lucianus. 4. Tale est, quòd calcandis uvis ideo Silenum addicunt, quia sequitur in prophetiâ, sive benedictione Jacobi; *Lavat in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum operimentum suum, instar calcantium in torculari*, ut explicatur in Esaiâ. 5. Sed nihil tam impium, quàm quòd Silenum semper ebrium esse fingunt, uti suprà ostendimus; quia statim additur, *rubent illi oculi ex vino*, ac eodem id sensu dicatur, quo à Solomone, Proverb. 23. 29. 30. *Cui rubor oculorum?* iis, qui vino immorantur. 6. Sileno deniq; pro cibo apud Euripidem *in Cyclope*: Καὶ τυρὸς ὀπίας ἐστὶ, καὶ βοὸς γάλα. Coagulatus caseus est, & lac bovis; quia prophetia finitur hac clausulâ: *Dentes ejus ex lacte albescent.* Nihil poterat Diabolus fœdius comminisci, ut sanctissima religionis nostræ mysteria profanaret, & impiorum hominum cavillis exponeret.

Siler, vide *Silarus*.

Silesia, Germaniæ reg. ampla, populosa, fertilis, diu fuit sub imperio Polonorum, sed tandem subjecta coronæ Bohemicæ, à tribus seculis, accipiens nomen ab amne *Schleso*, vel, ut alii sentiunt, à *Schleso* rege. Odera fluv. perlabitur eam. Hanc igne & ferro vastavit Sobieslaus Bohemiæ Princeps An. Chr. 1140. unde à Boleslao Moraviâ non mitius habita est. Postea Vladislao, Poloniæ Regi, qui à subditis pulsus fuerat, pace factâ, concessa est à Boleslao, hac lege tamen, ut Poloniæ Regem superiorem agnosceret. Immaniter dein à Battone direpta est, Henrico Principe Lignitio, cruentissimo prælio à Tartaris superato, An. Ch. 1241. In Silesiam postmodum Vladislaus Loketek Polon. R. frustra expeditionem suscepit, An. Chr. 1300. quam, Principum discordiis callidè usus, Johannes Bohemiæ Rex, occupavit, An. Chr. 1327. Sub initium belli Bohemici regni hujus Directoribus accessit, An. Chr. 1618. mox ope Joh. Georgii Elect. Saxonici à Ferdinando II. subjugata, An. Chr. 1621. varias bello Germanico vices subiit. Recepit magna ex parte Joh. Hussi doctrinam, seculo 15. datisque literis Majestatis privilegia incolis, sicut Bohemis Moravisque confirmavit Rodolfus II. Imper. An. Chr. 1609. Latitudo ejus patet itinere 3. dierum, & longitudo 4. dierum: extenditurque à reg. Hungarica, usque ad Brandeburgensem Marchiam. Sermo populi Germanicus est: ab alterâ tamen parte Oderæ fluv. ubi Poloniam respicit, lingua Polonica prævalet, Vide Munst. Joachim. Curæum, *in Annal. Siles.* Melch. Goldast. *de regn. Bohem.* Nicol. Henelium, *Silesiographia*, & Sabellic. *Enn.* 10. 2. Hodie sub Austriacis; sed in ea sunt aliquot Duces sui ferè juris, nempe Bergensis, Lignicensis & Monsterbergensis: quibus omnibus extinctis, ultimo è Piastea familiâ Georgio Wilhelmo An. Chr. 1675. mortuo, ad Imperatorem, ditiones eorum amplissimæ redierunt. Origo Silesiæ Ducum à Vladislao retro memorato fuit, qui à Piasto, vide *ibi*, ortus, postquam à fratribus regno pulsus esset, Silesiam tenuit, mortuus An. Chr. 1159. Hoc genuit, Conradus Loripes tenuit Glogoviam, Boleslaus Inferioris Silesiæ, Micislaus verò Superioris Duces progenuit. E prioris posteris Boleslaus Calvus vel Sævus, pater fuit Henrici, lineæ Lignicijæ, & Boleslai Suidnicensis auctoris. A posteriori Teschinensis & Oppoliensis rami orti sunt. Præter hos etiam ramus Glogoviensis fuit, qui à Conrado An. 1289. extincto ortus, iterum subdivisus est in lineam Sagano-Glogovianam, & Steinavia-Olsnensem. Fuit autem Conradus hic frater Boleslai Calvi, de quo antea. Vide de his omnibus accuratè disserentem, Philippum Jac. Spenerum, *Syll. Geneal. Hist. in enarratione familiæ Piasteæ, in qua præter aliquot Reges & Principes Poloniæ, Silesiæ utriusq; Duces.* Dividitur regio in XVII. Duc. seu partes. In Silesia super. IX. sunt; nempe Duc. Swidniensis, Bergensis, Munsterbergensis, Grotkaviensis, Carnoviensis seu Jägerndorff, Oppaviensis, Oppoliensis, Ratiboriensis & Teschinensis. In infer. VIII. Crossensis scil. juris Brandeburg. Glogaviensis, Saganensis, Lignicensis, Javriensis, Volaviensis, Olsnensis & Vratislaviensis. Terminatur ab Or. Poloniâ, à Sept. Marchiâ Brandeburgicâ, ab Occ. Lusatiâ & Bohemiâ, à Mer. Moraviâ & Hungar. super. Totius provinciæ caput est Vratislavia, *Breslavv*, ad Oderam fluv. Ejus autem pars est etiam Comitat. Glacensis, quanquam ab aliis sub Bohemia propr. comprehendatur.

Silesiæ urbes præcipuæ:

Brega, *Brieg.*	Oppava, *Troppavv.*
Crossa, *Crossen.*	Oppolium, *Oppelen.*
Glogavia, *Glogavv.*	Ratibora, *Ratibor.*
Grotkavia, *Grotkavv.*	Saganum, *Sagan.*
Javrla, *Javver.*	Suvidnia, *Schvveidnitz.*
Lignitium, *Lignitz.*	Volava, *Volavv.*
Munsterberga, *Monsterberg.*	Vratislavia, *Breslavv*, provinciæ caput.
Olsna, *Olß.*	

Silesii, vide *Salesii*, & *Elysii*.

Silia, Senatoris uxor, in exilium acta tanquam non siluisset, quæ viderat pertuleratque proprio odio. Tac. *lib.* 16. *cap.* 20.

Silianus, lacus Dalecarliæ, in Suec. in confin. Gestriciæ prov. ab Ortu in Occ. extensus.

Silicense, flum. Hispan. Bæt. in Singulim influens, Hirt. *Rio de las Algamidas*, Morali.

Silices, Assyriæ pop. Plin. 6. 26.

Silimnus, vide *Limnus*.

Silindium, oppidulum circa Idam, Steph.

Silinus, Pauf. *Selinus*, Xen. *Selinus* Strab. fluv. Peloponnesi, per Elidem fluens.

Siliquaticum, id apud Romanos, quod pro exponendarum mercium licentiâ dabatur. A *Siliqua*, primo & minimo pondere, Spelmann.

Silis, vulgò *Sile*, fluv. Venetiæ ex agro Taurisano per Taurisium, vel Tarvisium urb. fluens, & in mare apud Altinum delabens.

Silistria, urbs ampla Bulgariæ, sedes Præfecti Turc. ad amnem *Abiu*; 30. m. p. ab Istro in Merid. Sophiam versus 60. Quid olim fuerit, non constat.

Silius. Videntur *Silii* à *Silo* quodam, id est, aduncum nasum habente, nomen sortiti. Fuit horum familia plebeja quidem primò; postea verò nobilis & honorata, maximè circa Augusti tempora; cùm etiam ad Consulatum ascendit: nam antea quæsturis, & præturis contenta substitit.

Silius, prænomine *Caius*, amicus Germanici, ingentis exercitûs septem per annos moderator, partisque apud Germaniam triumphalibus, Sacroviriani belli victor, instinctu Sejani subversus est; immisso Varrone Consule; qui paternas inimicitias obtendens odiis Sejani per dedecus suum gratificabatur. Igitur victoria per avaritiam fœdata, & uxor Sosia arguebantur, nec dubiè repetundarum criminibus hærebant: sed cuncta quæstione majestatis exercita, & *Silius*, imminentem damnationem voluntario fine prævertit: Sævitum tamen in bona. Tacit. 4. 19.

Silius Italicus, poeta præstantissimus ex Hispan. oriundus, Romæ natus est & educatus, gratissimus Domitiano Imper. cujus favore ad tertium Consulatum perductus est. Virgilii natalem quotannis celebrabat, septuagenarius seipsum interfecit, dolore cujusdam clavi insanabilis. Scripsit poëma de secundo bello Punico, libb. 17. *majore curâ, quàm ingenio*, inquit Plinius *lib.* 3. *epist.* 6. in quod Petrarcha quoque carmen composuit: qui fortè aliter sensisset, si in exemplar Silii, durante Concilio Basiliensi, repertum incidisset. Interim insigniter opulentus hic Poëta fuit, & prædium suburbanum, quod Ciceronis erat, villamque, in qua Virgilius conditus, possedit. Martial. *lib.* 11. *Epigr.* 49. Aul. Gell. *lib.* 16. *cap.* 13. Tacitus, Vossius, Lil. Giraldus, Petr. Crinitus.

Silius Nerva, Consul, an. U. C. 817.

Silius, prænomine *Titus*, in legione 7. C. Julii Cæsaris tribunus, à P. Crasso Andibus hiemante frumenti commeatusque petendi causâ in Venetos missus & ibidem retentus. Cæs. *lib.* 3. *Comm. c.* 8.

Silliniacum, vide *Silliniacum*.

Sillyos, urbs Joniæ juxta Smyrnam, Stephan.

rem Sinai, numerati & inventi sint viri apti ad pugnam 59. millia ucenti, quibus omnibus in deserto mortuis, ipsorum filii bellatores 22. millia ducenti in terra promissionis, proprium funiculum non sunt consequuti, sed pro hæreditate ac possessione sua obtinuerunt de terra tribui Juda priùs assignata, cis Jordanem, terram Australem. Obiit, An. 2403. Fuit & nomen senis cujusdam, qui Christum Dominum nostrum suscepit in ulnas, cùm inferretur in templum. Ejus canticum vide Luc. 2.

Simeon, Bulgarus, ab obsidione Constantinopoleos à Zoë Imperatrice amotus, An. Chr. 913. eidem Adrianopolim captam vendidit, Zonar. *tom.* 3. Vide *Simon.*

Simeon, Cleophæ filius & 2. Hierosolymorum Episcopus, per martyrium carnis vinculis resolutus est. Nam à quibusdam hæreticis accusatus fuit, tanquam Christianus, & multis suppliciis affligitur per multos dies, ita ut etiam judex ipse cum amicis suis ejus patientiam miraretur, & ad ultimum juberet eum simili, quam Dominus pertulit, passione vitam finire, Ann. Chr. 109. ætat. 120. Vide Euseb. *lib.* 3. *cap.* 22.

Simeon, Patriarch. Hierosolymitanus, tempore urbis à Godofr. Bullionæo captæ.

Simeon Dunelmensis, vel de Durham, Anglus, Mathematicus & Historicus insignis: Continuavit Historiam Bedæ, usque ad An. 1130. libb. 2. quibus complexus est, *gesta Regum Anglorum*, per An. 400. Scripsit quoque historiam Ecclesiæ Dunelmensis, cujus præcentor erat, ut & Episc. Eboracensium, &c. Vixit adhuc An. 1160. Lelandus, Pitseus & Baleus, *de Script. Magn. Britann.* Possevinus, Gesnerus, Vossius, &c.

Simeon Fidatus, vel de Cassia, Italus, Ordinis S. Augustini; Scripsit *de Gestis Domini Salvatoris, libb.* 15. *de B. Virgine, &c.* Sabell. Volaterr. Simler. Pamphilus, *de Vir. Ill. Ord. August. &c.*

Simeon Metaphrastes, sic dictus, quia vitas SS. scripsit, floruit seculo 10. sub Leone Philosopho & Constantino Porphyrogeneta: stirpe illustris, Imperatori à secretis: à quo missus in Cretam, cùi Saraceni imminebant, adverso vento in Insulam Parum ejectus est. Ibi cùm incidisset in Eremitam quendam, rogatu ejus, vitam Theoctistæ, virginis Lesbiæ, descripsit, hacque dulcedine motus, etiam reliquorum SS. vitas orsus est, sed in plurimis nimium credulus fuit, Michaël Psellus, Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 25. Leo Allatius *dissert. de Psell.* Hunc male quidam confundunt, cum Juniore Theologo, qui 33. homilias de Fide & Virtutibus Christianis composuit, à P. Pontano editas: vixitq; An. 1150. Item, cum Logotheta, auctore Chronici & 24. Orationum ex Basilio Cæsariensi, depromptarum. Item cum Arch. Thessalonicensi, qui floruit, An. 1140. Voss. Theophilus Raynaldus, *in Erotem.* Allatius *dissert. de iis*, quibus Simeonis, Simonis, Simonidis & Simonyctidis nomen fuit.

Simeon Stylites, Eremita: stetit in columna 36. cubitorum, An. 80. in precibus continuus, in jejuniis admirandus. Obiit, centenario major, An. 460. Ut miraculo vivus, sic Leoni Imper. & Antiochenis mortuus materia rixæ fuit. Evagr. *Hist. lib.* 1. *cap.* 1. 13. Theodoret. *cap.* 26. Phot. *cod.* 230. Cedrenus, Glycas, Nicephorus, Metaphrastes, &c. Item, cogn. Junior, sec. 6. cujus epistolarum unam citatam legimus 2. Concil. Niceno, *act.* 5. Evagr. *lib.* 6. *cap.* 22 *&c.* Prioris epistola exstat, ad Basilium Arch. Antiochenum: illa verò, quam ad Leonem Imper. de Concil. Chalcedonensi, ab eo consultus, exaraverat, deperdita est.

Simeron, filius Issaschar, Genes. 46.

Simetus, vide *Simathus.*

Simichidas, pastor quidam apud Theocritum, quem Enarratores ipsius Theocriti patrem dicunt fuisse.

Simigiensis Comitat. *de Zegzard*, pars Hungar. infer. sub Turcis, inter Tolnensem Comit. ad Ort. Albensem ad Bor. Posegiensem ad Austr. & Volceam paludem ad Occ. Ejus caput est *Dombo*, opp. ad Sarvitium fluv.

Simila lucus Romæ, Liv. ubi Bacchanalia fiebant. *Semelis* S. Rufus in 11. regione.

Similis, ex quâ familiâ prognatus, incertum est; floruit autem sub Adriano principe, cæteros illius præfectos ætate & honore antecedens. Centurio cùm esset vocatus in consilium, ante præfectos: *Turpe est* (inquit) *O Cæsar, te cum Centurione disserere, præfectos verò non admitti.* Præfecturam demum invitus accepit, quam tandem deposuit, vacatione datâ: Vixque dimissus in agro 7. annis, quod reliquum vitæ fuit, in otio & quiete exegit, atque hæc moriens sepulchro inscribi jussit: *Similis hic jacet, cujus ætas quidem multorum Annorum fuit, septem tamen duntaxat annis vixit*, Dio Cassius *in Adriano.*

Simitta, Anton. opp. erat Africæ mediterraneum, *Simittuense* opp. Plinio, *Simisthuth* Ptolomæo, à Bulla Regia 6. m.p. Hipponem versus 85. *Simisthu* in aliis codicibus legitur. Ferrar.

Simlerus Josias, Theologus Tigurinus, Capelli natus est, Helvetiæ cœnobio, juxta Tigurum, ubi Petro Martyri postea successit. Scripsit *Commentar. in Exodum, fol. De Rep. Helvetior. libb.* 2. *de Alpibus quoq; & Vallesia Comment. &c.* Vir non minus pietate, quàm eruditione inclytus, Humfred. *Animi candore, & omnigenâ eruditione præstans*, Thuan. Obiit An. Ch. 1576. ætat. 45. Mathematum quoque, ut & aliarum artium, quæ Theologiæ ancillantur, apprimè illum peritum fuisse, refert Melchior Adami *in vitis Theolog.* Vide Thuan. *Hist. lib.* 62. Guil. Stuckium *in vita ejus, &c.* Operum suorum Catalogum ipse confecit in Epitome Bibl. Gesner.

Simmera, vulgò *Simmeren*, opp. Palatin. infer. caput Principatus, cùm arce splendida, 8. mil. Germ. à Moguntia in Occ. uti 4. à Bingio, 5. à Confluentibus in Mer. Nuper sub Principe proprio; nunc Electori Palatino accessit: postquam Ludovicus Henricus Princeps, Friderici V. Elect. Palatini & Bohemiæ Regis, ex fratre Ludovico Philippo nepos, fatis concessit improlis, An. C. 1673. Sed & *Simmerensem* lineam jam olim orsus est Stephanus, fil. Ruperti Imper. frater Ludovici, cui Electoratus obtigit. Cujus posteritate in Ottone Henrico, An. C. 1559. extinctâ, successit in Electoratu, ex Simmerensi linea, Frider. III. Vide Spener. *Syll. Geneal. Hist.*

Simmerii portus, vulgò *Simmershaven*, opp. Scaniæ, cum portu; in ora maris Baltic. 5. mill. Germ. à Christianostadio in Merid. 8. ab Elleboga in Ort.

Simmia vallis duplex, in agro Bernensi, superior & inferior; Utriusque Præfecti Castellani, vulgò *Schachtlan* vocantur. Vide Simlerum *de Rep. Helv.*

Simmias, Philosophus Thebanus, scripsit dialogos 23. qui ordine à Diogene Laertio *lib.* 2. *vita Phil* commemorantur.

Simmias, Orbis universi periplum composuit, ut cognoscimus ex epitome undecim librorum Artemidori Ephesii. Alius est Simmias, patriâ Rhodius, Samius origine, Olymp. 1. Poëta, scripsit, *Ovum*, & πέλεκυς· quæ Salmasius notis illustravit. Idem antiquitatum Samiarum auctor videtur, Suid. *in Lex.* Tzetzes *Chil.* 7. *Hist.* 144. Parthen. *Hist.* 33. Item alius, Grammaticus Rhodius, Strabo *lib.* 4. Vide Voss. *de Poëtis Græcis p.* 59. 60.

Simmias, nobilis Macedo, familiarissimus Philotæ, & ideo conjurationis suspicione inquinatus; sed ab Alexandro absolutus. Curtius *libr.* 7.

Simois, entis, Castaldo *Simoers*, Turcis *Chisime*, fluv. Troadis, qui ex Idâ monte labitur per campum Trojanum, qui ab eo dicitur *Simoesius*, & mari appropinquans commiscetur Xantho, atque in paludem cogitur; quæ exit in Hellespontum juxta Sigeum promuntorium. Dionysius *vers.* 812.

Ἔνθ' ἐπ' ἀγὸ ... [illegible] Σιμόεντι.

Virgilius *Æneid* 1.

Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?

Vide *Scamander.* Maximam autem fluviis hisce famam Ilium, cujus mœnia olim præterlabebantur, conciliavit; unde *famâ quàm naturâ majora esse flumina*, affirmat Mela *lib.* 1. *cap.* 18. Item fluv. Siciliæ, Strabo *lib.* 13. Οἱ δ' ἐς Αἴγεστα τῆς Σικελίας φασὶ ... [illegible] Σιμόεντα. Nempe ab eorundem nominum fluminibus, in pristinâ patriâ Troade. Sic enim *eodem libro* antea, οἱ δὲ ποταμοὶ, ὅτι Σκάμανδρος, καὶ ὁ Σιμόεις ... [illegible]. Item fluvius Epiri, in mare Jonium, per Buthrotum se exonerans.

Simoisius, vir Trojanus, sic dictus, quòd ad ripas *Simoentis* fluv. sit natus. Is ætate florens, nec dum uxorem sortitus, ab Ajace Telamonio interfectus est. Rationem reddit Homerus *Iliad.* 4.

Τοὔνεκά μιν κάλεον Σιμοείσιον, οὐδὲ τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν.

Simon, Asmonæus, occiso fratre Jonatha, Dux populi creatur & Pontif. M. anno Mundi 3823. ante Christum natum 139. Hic Gazam urbem, quam cœpit, ab idolis purgavit: fœdus cum Romanis, quibus aureum clypeum mille minarum misit, ac Spartiatis redintegravit. Cendebæum, Antiochi VII. Soteris præfectum, fudit, fugavitque. At verò, ut sunt hominum fata in temere fortunæ variantis arbitrio, tandem cum filiis duobus, atque aliquot servis, in convivio, quondam, à Ptolem. genero suo dominium affectante, qui ei convivium apparârat, interficitur, cùm 8. annos præfuisset. Olympiad. 159. Vide *lib.* 1. Maccab. *cap.* 13. 14. 15. 16. & Joseph. *lib. Antiq* 13. *cap.* 9 10. 11. 12. Item *lib.* 14. *&* 1. *de Bello.*

Simon, Bulgarorum R. laudatissimus, sec. 10. cepit Adrianopol. An. 924. pauloq; post deseruit. Item primus Lotharingiæ D. Pater, ex Adelheida, sorore Lotharii II. Matthæi I. &c. Obiit A. 1141.

Pontifices Judæorum.

Simon I. Pontifex Max. Judæorum, successit patri Oniæ I. An. M. 3744. *Justus* dictus est, ob pietatem ejus & justitiam. Templum reparavit, duplicique muro cinxit, aquis cò per ingentia incilia deductis. Post An. 12. successit ipsi Eleazarus frater, ob filii Oniæ II. teneram ætatem. Eccles. *cap.* 50. Jos. *lib.* 12. *Antiq. cap.* 2. Genebr. *libr.* 2. *Chron.*

Simon II. Pont. Max. An. M. 3822. Ptolemæo Philopatori, in Sanctuarium irrupturo animosè restitit; deliquio & terræmotu Deo zelum ejus juvante. Obiit A. 3847. Joseph. *lib.* 2. *cap.* 5. Euseb. *in Chron.* Item, fil. Canuthi, Pont. Max. per 1. ann. Item, fil. Boëthi, cognom. Cantheras, ab Herode Agrippa Pont. Max. Jesu deposito, factus, primo regni anno. Joseph. *de bell. cap.* 19.

Simon, filius Mattathiæ, 1. Machab. 2.

Simon, Chananæus, cognom. Zelotes, Apostolus. Prædicavit Evangelium, in Mesopotamia, Ægypto & Persia, ubi martyrio coronatus est. Euseb. *lib.* 1. *Hist.*

Simon, Atheniensium Equitum magister, apud Aristoph. *Equitibus*, 1. *Scenâ* 3.

Simon, Atheniensis, ex alutario philosophus, Socratis discipulus scripsit dialogos 34. Alius fuit, qui scripsit de arte rhetoricâ. Alius medicus, alius sculptor. Diog. Laert. *lib.* 2.

Simon, Genuensis, Medicus celebris, An. 1288. Scripsit *Clavem Sanationis*, *Expositionem glossa margin. ad Alex. Tatri libros Medicinales.* Raph. Sopranius, *de Script. Ligur.* Alius, scripsit *opus Pandectarum Doctoris Medicina.* Vander Linden.

Simon, Herodis servus, seditionis author, An. M. 3969.

Simon Magnesius, musicus egregius, qui & ipse, superiorum musicorum more correpto, *Simodiam* introduxit, quemadmodum etiam & *Lysis Lysodiam.* Strabo *lib.* 14.

Simon, magus quidam, sive impostor, caput hæreticorum & Simoniacorum. Samariâ oriundus, ibique à Philippo baptizatus, à Petro Spiritûs Sancti gratiam mercari volebat (unde *Simonia* nomen inditum) Actor. 8. Post Petri Johannisque Apost. qui advenerant, recens conversis manus imposituri, discessum, novos errores disseminare cœpit, docens, se magnam esse virtutem Dei. Judæis persuasum porro ivit, se illis filium Dei, Gentilibus autem Spiritum S. esse. Romam post hæc profectus, tantopere magicis suis præstigiis populo illusit, ut ei statuam erigerent, tanquam Deo Sancto: alii tamen nomen *Semi Sangi* vel *Sanci*, quod Numen Romanis erat, apud Dionys. Halic. & Liv. priscis imposuisse credunt. Quidquid horum sit, præter errores, quos Samariæ jam sparserat, omnibus libidinibus fræna licitè laxari posse, uxores communes esse, resurrectionem non dari; mundum ab Angelis creatum, Legem veterem à mala Intelligentia latam, Vetus Testam. mortiferum esse deliravit: imo pellicem suam Helenam vel Selenen, pro Spir. S. ô blasphemia! venditavit. Angelis, quos in globis cœlestibus collocavit, barbara imposuit nomina, unicumque tandem ad salutem perveniendi medium dixit, arcanorum suorum praxin esse Neroni gratus, tantùm non pro Deo ab illo habitus est. Sed en, dum superbus Cœlum scandere, coram Principe conatur, *Icarus primo statim conatu, juxta cubiculum Principis decidit, ipsumq; cruore respersit*, Sueton. *in Nerone.* An. C. 67. Iren. *lib.* 1. *cap.* 20. Epiphan. *hær.* 21. Augustin. *de hær.* Euseb. *in Chron. & hist.* Cedren. *Hist. lib.* 2. *&c.* Item alius, qui dicitur Cyrenaicus, & post Christum crucem coactus bajulavit. Item nomen viri, 1. Par. 4.

Simon, vel *Symeon*, cognom. *Metaphrastes*, id est, *interpres*, ludi Magister CP. ut quidam volunt. Composuit Græcè Sanctorum vitas, quæ habentur in Bibliothecâ Vaticanâ. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 25. & in voce *Simeon.*

Simon, puer Tridentinus, à Judæis martyrio coronatus: quare Judæi variis suppliciis necati, debitam luerunt pœnam, An. M. 3789.

Simon, Sophista quidam, in Rep. Atheniensium, à Comicis Eupolide atque Aristophane, peculatus crimine, traductus.

Simon Cramaldus, Picto, Cardin. Patriarcha Alexandrinus, Archiep. Remensis, Obiit An. 1419. Operam navavit insignem in Gallia, ad schisma tollendum. Morerius *Dict. Hist.*

Simon Grynæus, vide *Grynæus.*

Simon Langtonus, Anglus, eruditus, sed ambitiosus admodum: cujus Conciones non parum turbarum dedisse feruntur. Archiep. proin Eboracensis designatus à Canonicis, à Johanne Reg. rejectus est. Scripsit epistolas, & *de pœnitentia Magdalenæ.*

Simon Mallæus, Archiepisc. Turonensis: vertit Homilias Basilii, Obiit An. 1597. æt. 81. Sammarth. *in elog. lib.* 4.

Simon Marquemontius, vide *Dionysius Simon.*

Simon Montfortius, Comes, rebus in Oriente, contra Germanos, Anglosque gestis clarus, expeditionis contra Albigenses, Dominico belli incentore, Dux electus, An. 1209. exercitu Lugduni coacto, in Aquitaniam movit, Bliterisque expugnatis, fidelium 50000. trucidavit, tum Carcassonam, ibique Rogerium Comitem cepit. Tolosam An. 1211. frustra obsedit; Ad Muretum Petrum Arragonium, Comites Tolosanos, Foxios & Convenenses vicit, Petro ibi occiso: A Concilio Monspeliensi & Lateranensi, An. 1215. sub Innocentio III. muneri acceptas Comitis Tolosani ditiones occupaturus, in expugnatione Tolosæ, lapidis à muliere evibrati ictu, percussus, Obiit An. 1218. A Papa trophæo honoratus, quòd 100000. hæreticorum trucidasset; à Sixto V. Pont. insuper *Christianissimi* titulo ornatus. P. Æmil. *lib* 6. Catal. *Histor. Tolos. &c.*

Simon Stockius, Carmelitarum Gen. Anglus. Scripsit *Canones cultus divini, Homilias ad Populum, de Christiana Pœnitentia, & Epistolas ad fratres.* Obiit Burdigalæ, An. 1250. Morer. *in Dict. Hist.*

Simon Subderus, Archiepiscopus Cantuar. occisus in suburbio Londinensi, cùm seditiosos ad pacem hortaretur. Polydor. Virgilius *Hist. lib* 20.

Simon Tornaquitius, Monachus Florentin. Scripsit Homilias, &c. Mich. Pocian ius, *de Script. Flor.*

Simon Vigor, Normannus, Archiepiscop. Narbonensis, successit Francisco Pisanio, An. 1554. Interfuit Concilio Tridentino, dein laudavit Elizabetham, Hispan. Reg. oratione funebri, Ann. 1568. Obiit Carcassonæ, An. 1575. Alios hoc nomine insignes, Vide apud Pitseum, *de Script. Angl.* Matth. Westmonaster. *Histor. Angl.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.* Possevin. *in appar.* Baleum, *de S. A.* Polyd. Virg. Winton. Bucholcerum, &c.

Simoniada, vicum in Galilææ finibus habet Josephus *in vitâ suâ*, 60. stad. à Magno Campo distantem.

Simonias, vicus Galilææ, 60. stad. à Campo Magno: Ubi *Simonitis* regiunc. Galilæam finiens ad Ort. Idem cum priore.

Simonides, Ceus, Poëta melicus, floruit Olymp. 65. Pausaniæ inprimis & Hieroni charus: primus memorandi artem invenisse fertur. Cùm enim cœnaret in Thessaliâ apud Scopam fortunatum hominem & nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripserat, in quo multa ornandi causâ poëtarum more in Castorem, & Pollucem scripta fuerant, nimis ille sordidè Simonidi dixit, se dimidium ejus ei, quod pactus esset, pro illo carmine daturum; reliquum à suis Tyndaridis, quos æquè laudasset, peteret, si ei videretur. Paulo pòst fertur esse nunciatum Simonidi, ut prodiret, juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnoperè evocarent, tum surrexisse illum ipsum, prodiisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse: eâ ruinâ ipsum oppressum cum suis interiisse: quos cùm humare vellent sui, neque possent obtriti innotescere ullo modo, Simonides dicitur ex eo quòd meminisset, quo eorum loco quisque accubuisset, demonstrator uniuscujusque sepeliendi fuisse. Hâc tum re admonitus invenisse fertur, ordinem esse maximè, qui memoriæ lumen adferret. Cicero. *Simonides à tyranno Hierone rogatus, quid, aut qualis esset Deus, deliberandi causâ sibi unum diem postulavit: cùm idem ab eo postridie rogaretur, biduum petiit; cùm vero sæpius duplicaret numerum dierum, admiratusq; Hiero quæreret, cur ita faceret: quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Cæterum scripsit odas, elegias, &c. Idem pugnam Marathoniam & Salaminiam descripsit. Excelluit inprimis in ciendâ commiseratione, teste Quintiliano, ac Dionys. Halicarnassensi. Unde Catullus:

> *Paulum quidlibet adlocutionis*
> *Mæstius lachrymis Simonideis.*

Horatius *lib.* 2. *Od.* 1.

> *Sed ne relictis Musa procax jocis*
> *Cea retractes munera næniæ.*

Ubi *nænia* est carmen lugubre: *Cea* verò sive *Ceja*, ut Theocrit. *Idyll.* 17. Κεῖος dicit, idem est ac *Simonidea.* Est verò hic Simonides, qui cùm 16. literis vetustis 4. adjecisset Palamedes Θ, Ζ, Φ, Χ, quatuor alias adjunxit, duas longas Η, & Ω, & duas duplices Ξ, & Ψ. Quanquam de isto nec satis consentiant veteres; vel saltem dissentiant codices, librariorum fortasse culpâ. Vide Plinium, Marium Victorinum, & Suidam. De avaritia ejus Ælianus *ποικιλ.* 8. *cap.* 2. Quo nomine eum & Pindarus *Isthm. Od.* 2. quòd primus Musam ἐργάτιν, hoc est, *mercenariam* effecerit, perstringit, ut Scholiastæ notarunt. Obiit Olymp. 78. ætat. 89. Fuit etiam *Simonides* Junior, prioris ex filiâ nepos; de quo Vossius *Hist Græc. lib.* 4. *cap.* 6. Scripsit circa Olympiad. 82. librum Genealogiarum, Poëmata, & tractatum de rebus recens inventis. Alius *Simonides* Magnesius fuit, qui carmine signavit res gestas Antiochi M. Sed & apud Suidam 2. præterea hujus nominis Poëtas invenias. Unus fuit Carystius, vel Eretriensis, qui reliquit Græcorum conventum in Aulidem, trimetrorum *lib.* 2. & de Iphigeniâ unum. Alter erat Crinei filius Amorginus dictus à patriâ Amorgo, unâ ex insulis Cycladibus; qui præter elegiarum libros scripsit Jambos, unde & ἰαμβογράφος vocatus: imò & secundùm nonnullos primus hoc carminis genere usus fuit: quod antiquissimum esse arguit. Imò Suidas dicit claruisse postbellum Trojanum annis 406. Quo modo fuerit circa initium Olympiadum. Verùm censeo centenarium excidisse librarii culpâ: ac pro υϛ, quod fit 406. rescribi oportere φϛ, hoc est, 506. Quod tempus proximè abit ab Eusebiano numero. Incidit enim in Olymp. 26. quando clarescere fortasse cœpit, qui majus nomen adeptus Olymp. 29. Et sanè hanc conjecturam firmant ista Procli apud Photium: Γράφων δὲ ποιηταί, Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος ἄριστος, καὶ Σιμωνίδης ὁ Ἀμόργιος ἢ ὡς ἔνιοι, Σάμιος. *Samium* etiam vocat Tzetz. *in Chiliad. histor.* Vossius: quem sis vide *de P. G. cap.* 3. *& seqq.* & *de Hist. Græc. lib.* 1. *&* 4. *cap.* 13. ut & Lil. Giraldum, *Dialog.* 9. *de Poët* Leonem Allatium, *dissert. de Simonid.* Fabrum, *Hist. Poët. Græc &c.*

Simplicianus, Presbyter Mediol. Ambrosii præceptor. Conversionem Augustini plurimum juvit, variis ad eum literis exaratis: Dein successit Ambrosio in Episc. An. 397. Obiit An. 400. Gennad. *in Catal. Illustr. Vir.* Baronius, &c.

Simplicius, Pont. Rom. post Hilarium, an. sal. 467. Obiit, A. 483.

Simplicius, Episcop. Augustodunensis, interfuit Concilio Sardicensi, An. 347. & Coloniensi, contra Euphratam. Gregor. Tur. *de Glor. Confess. cap* 76. *&* 77. Item, Episc. Viennensis, eodem tempore; à S. Paulino in epist. laudatus. V. Greg. Tur. *Hist. Franc. lib.* 2. *c.* 13.

Simplicius Cilix, Græcus Aristot. interpres, Justini & Justiniani tempp. floruit. Præceptores suos agnoscit Ammonium *ad l.* 1. *φυσ. ἀκρ. com.* 12. & Damascium *ad lib.* 4. *φυσ. ἀκρ.* Adversarium habuit & coætaneum Jo. Grammaticum, à *labore assiduo Philoponum* dictum, quem refutat *ad lib.* 8. *φυσ. ἀκρ.* In Persidem aliquando profectus est cum Damascio Syro, Eulalio Phryge, Prisciano Lydo, Hermia ac Diogene Phœnicibus, & Isidoro Gazæo Philosophis, teste Suida. Scripsit Commentar. in Jamblichum, lib. de sectâ Pythagoricâ, qui in Vaticanâ asservatur Bibliothecâ, teste Gesnero.

Simpsimida, Parthiæ op. Ptol.

Simson, Vide *Sampson*.

Simulus, vetus poeta, cujus versus de Tarpejâ memorat Plut. *in Romulo*.

Simundi, ins. quæ postea *Taprobane*.

Simus, pictor. Plin. 35. 11.

Simylla, urbs Indiæ citer. Ptol. *Sintacora* Castaldo. *Timula* vero incolis dicitur. Baudrando fuit, ubi nunc fortè *Chaul*, urbs munita Lusitanorum, cum arce & portu, in ipso limite regni Decani, 130. mill. pass. à Surata in Mer. Goam versus 180. sed ex conjectura tantum.

Simyra, Phœniciæ urbs. Pompon. Alia Armen. maj. circa ortum Euphratis. Baudrando *Simyra* seu *Sismara*, aliis est opp. Armeniæ min. in confinio maj. ad Euphratem, longè ab ejus fontibus, 75. m. p. à Dascusa in Bor. Trapezuntem versus.

Simyrus, urbs Syriorum. Steph.

Sin, oppidum, quod est terminus Judææ, versus Septentrionem in septimo lapide à Jericho. Num. 34. Jos. 15. Hieron. *in loc. Hebr.*

Sin, Hieronymo *Sim*, Pro omæo *Simyra*, vetus oppidum est dimidio miliari versus Septentrionem ultra urb. Arcas situm, quod olim Sinæus, octavus filius Chanaan, post diluvium condidit.

Sin, i. e. *rubus*, *eremus*, Arab Petrææ inter Elin, & Sina mont. *Al Hillet*, teste Masio: qui locus *Arena Arabiæ* appellatur, teste Postello. Mansio Israëlitarum octava, ubi murmurantibus coturnices divinitus missæ. Item solitudo in Cades, meliùs *Zin*, 33. mansio: ubi Maria, soror Mosis, obiit, & è rupe aqua à Mose prolicita est: quod jam antè in Raphidim quoque factum. Exodi 16. Num. 20. & 33. Jos. *Antiq. lib. 2.* Hieron. *ad Fabiol.* Torniel. *Ann. M. 2544. 2583.*

Sina, Margianæ urbs. Ptol.

Sina, urbs Imperii Sinar. in Xansia, prope fl. *Choequang*, ad radices montium, sub qua duæ Urbes.

Sina, mons Arab. Petrææ excelsus, qui & *Sinas*, *Syneus* Trogo, *Sinaus* Josepho, ubi olim urbs episc. sub Arch. Petrino, ab Hierosolym. 300. m. p. Etymologus falsò deducit ab ἰς ἦς, ἐν ᾗ ἐδόθη ὁ τῶ νόμων δύναμις. Baudrando est ferè 300. m. p. à Pelusio in Eur. sed vix 200. ab Hierosol. in mer. Christianis sæpe *mons S. Catharinæ*, Turcis *Gibel Mousa* i. mons Mosis, Arabibus *Agar*, ut quibusd. visum. In hujus vertice die 50 egressionis Israel ex Ægypto, Deus Legem dedit. Exod. 19. 20. V. infra. Aliàs quoque Horeb. Duodecima Israëlitarum mansio, ubi per annum commorantibus illa contigerunt, quæ, ab Exodi *cap. 19.* usque ad Num. *cap. 10.* narrantur. Præcipuum fuit promulgatio divinæ legis, ut dictum. V. de hoc monte imprimis P de Valle, *Itiner. tom. 1.* de rebus ibi gestis, Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.*

Sinaca, Hyrcaniæ civitas. Ptol.

Sinada, vide *Synnada*.

Sinæ, pop. Asiæ extremi ad ort. ultra Indiam extra Gangem, *Chinenses* hodie; ut reg. eorum *la Chine*, mari Eoo exposita, inter Indiam & Sericam. Doctiss. Is. Voss. ad ista verba, Melæ *lib. 1. c. 2.* *Seres media Eoæ partis incolunt*: Rem (inquit) acu tetigit, cùm Seras media Eoi lateris tenere scribit. At verò quantum à veritate recessit Ptol. & qui eum sequuntur, quum tractum Asiæ, qui est ultra Auream Chersonesum, ac Sinum magnum Austrum versus vastè adeo extendit, ac Sinas inèo collocat? Sinenses hodiernos antiquorum Seras qui esse dubitat, is quoque dubitet licèt, idemne nunc atque olim Sol luxerit. At verò insigniter falluntur, qui existimant Sinas, vel Thinas veteribus celebratos, eosdem esse ac sint Sinenses vulgò dicti. In toto eo regno, Sinæ, & Sinensium nomen ignotum est. Genus istud hominum omne id scit, quod sparsim norunt cæteræ gentes, quæ cum iis comparatæ pro barbaris meritò haberi possint, si solos exceperis Græculos; unum tamen hoc ignorant vocabulum. Sed sanè merâ factum est imperitiâ, ut vastum illud Serum imperium, quo nullum in orbe unquam illustrius fuit, Sinarum nomine cognoscatur. Mirum nemini observatum hactenus, Sinas esse regnum istud, quod vulgò *Siam*, vel *Sian*, vel etiam *Siim* adpellatur. Sinarum metropolim Sinas, vel Thinas vocat Ptol. Quis dubitare possit, quin illa sit ea ipsa, quæ nunc *Siam* appellatur, regia nempe Siamensium, ac sita in ins. ad orientalius ostium fluv. dicti *Menam*, quod *matrem aquarum* Indi interpretantur. Longè is oritur è lacu *Chiamay*, ac totus in ditione Siamensium fluit, donec tribus tandem ostiis in Oceanum effluat. Regnum hoc etiamnum nobile, olim tamen multò fuit nobilius. Diminutum est multum, ex quo reges complures huic à multis seculis subditi rebellare cœperunt. Illo tempore, nondum detectâ illâ Tartariæ parte, quæ Orientem versus excurrit, non nisi tria ultra Indum vasta imperia noscebantur, Serum, Indorum, ac inter utrosque situm, Siamensium, quod veteres Sinarum appellarunt. Quicquid à Gange Seras adusque interjacet, id olim reges *Siam* possederunt. Primi Arabes Seras cum Sinis confuderunt, quorum errorem postea secuti sunt alii. Verùm hæc obiter, ut ostenderemus quos vulgò Sinenses dicimus, rectiùs Seras appellari, Sinas verò antiquorum hodiernos esse Siamenses. Vide *Sinarum regio*.

Sinarum Regio, quam hodie *Cinam* Vulgus appellat, ultima terrarum Asiæ, in quadrum, extensa, ab oriente & meridie, alluitur oceano, quem Sericum vel Eoum prisci dixere: ab occidente, Indiam ulteriorem attingit: à septentrione, cingitur Massagetarum, Scytharumque limitibus. Multo latius quondam imperasse gentem Annales ipsorum, ac literæ, & veterum ædificiorum illustria monumenta, & complures, in India præsertim, ab iis denominatæ nationes, haud obscure testantur. Regna sive provinciæ vastæ magnitudinis, numerantur quindecim. Terra saluberrimo cœlo, & purioris auræ dulcedine perfruitur. Ad hanc perspicui fontes & miro colorum decore odorumque fragrantiâ flores ac rosæ perennant. Margaritas & præcipuæ nobilitatis vasa fictilia, quæ vulgo *porcellana* dicuntur, pretiosas pelles ad frigus arcendum: itemque gossipii, lini, lanæ, bombycisque ac serici fila, vestemque omnis generis mittunt innumerabilem. Sacchari, & mellis, rhabarbari, casiæ, mellii, glastique tingendis vestibus expetiti, proventus hic ingens: odoramentis cum aliis abundant: tum præcipue mosco (cujus nullam, apud latinos Græcosve scriptores, mentionem invenio) In urbes verò quatuor portas aperiunt præferratas; ornatu magnifico, aditúque ad aspectum præclaro. Hodie *la China*, sub Tartarorum jugo gemit. Baudrando *Sinarum* Imperium, *la Chine*, seu *l'Empire de la Chine* Gallis, *la China* Hispanis & Italis, *Cin* incolis regnorum Siami & Cocinsinæ; *Than* Japonis, & *Han* seu *Catay* Tartaris, ipsis autem Sinis *Taimin*, id est, Regnum luminis, & *Chimgque*, id est, Regnum medium, quanquam aliis temporibus varie vocatum fuerit: pars est ampla Asiæ, maximè in ortum extensa, sed cultissima & mirè rigua ac fertilis. Ejus limites sunt à septentrione regna Tangutum & Niulhanum, in Tartaria magna, à qua separatur partim montibus excelsis, partim muro 500. fere leucarum; ab occidente India extra Gangem & regnum Annamiticum, à meridie mare Indicum seu Eoum & Orientale, quod & Sinicum, quo separatur etiam ab oriente à Japonia. Aliàs proprios habebat Imperatores, qui primò Nanquinum sedem regiam elegerant, & postea Pechinum. Sed ab anno 1630. variè vexata à Tartaris regni Niucani, tandem ipsis subest, & Imperatorem habet Tartarum commorantem Pechini, quæ urbs Imperii caput est, in provincia cognomine. Historia gentis paulo diffusior hæc est. *Sina*, colonia pervetusta, à Kenano deducta, inter cujus successores Foiy Imperator primus, electiriam Epocham incepit, An. 2847. ante C. N. uti habent Sinarum Annales; 556. ante diluvium, 45. ante natum Noahum. Ei successit Hinnungo, huic Hoangti, quem excepere Chuenhao, Javo vel Cavo & Xuno, sub cujus successore diluvium ingruit. Post diluvium seculo non toto Sina restaurata creditur, forsan circa an. à diluvio 60 M. C. 1718. quod vel inde patet, quia scientiæ & disciplinæ Noanicæ fuerunt tenacissimi: artesque etiam ingeniosissimas exercent, unde & Typographiam & tormenta ænea reliquus ab illis Orbis accepit. Ethnarcha post diluvium gentis Gether videtur: Semi filius, cujus regni initium incidit in ann. 2207. ante C. N. 16. ante natum Phalegum. ab exordio rerum 1773. ex calculo Sinensium, qui diluvianum interstitium ex Annalibus suis expungunt, quò Aborigines videantur. Gether hic Yvo dici amans, familiam, cui imperium afferebat, nuncupari voluit *Ya*, sive *Hiaa*, quæ rerum potita legitur ann. 441. usque ad ann. ante C. N 1766. ætatis Jacobi 80. Altera Epocha est familiæ *Xanga*, quæ duravit ann. 644. usque ad ann. ante C. N. 1122. M. C. 2826. circa Samsonis tempora. Successit Epocha *Cheva* familiæ, quam Uvo stabilivit, successor Kieovi extincti. Sub hac periodo regulus *Cin*, ad imperium posteris asserendum viam stravit: & tum vice ur nomen *China* vel *Tsina*, exteris innotuisse, circa an. ante N. C. 550. tempore Crœsi, an. M. 3398. Quartam itaque Epocham *Cina* familia facit, quæ tamen nihil ultra 49. perstitit annis. Auctore postmodum Lieupango, *Hana* familia emersit, seri Imperatorum per an. 470. continuata, usque ad ann. circa N. C. 264. Post hanc rerum potita est familia *Cyna*, quam *Tanga* familia pessundedit; ad an. Ch. 618. sub Heraclio & Cosroe. *Sunga* dein familia ad clavum sedit, usque ad An. Ch. 923. quam excepit *Ivena* Tartarorum usq; ad an. Ch. 1368. Hanc *Taiminga* pepulit, auctore Chu, qui Tartaros omnes, antè rerum potiros, ejecit, patriâ in libertatem assertâ An. C. 1350. Ejus familia Sinas obtinuit per ann. 250. decimusque tertius successorum Vanlieus, suppressis æmulis, Monarchicum imperium possedit, ab An. C. 1573. usque ad an. 1620. quo mortuus est. Sub eo Tartari iteratâ in Sinas irruptione factâ, tantos fecere progressus, ut Princeps illorum Sinarum Imperator, & *Thienminga* familiæ auctor dici voluerit. Ann. C. 1618. expeditionis suæ 3. Vanlieo defuncto successit fil. Taichangus, & huic post 4. imp. mensem fil. Thienkius, qui rebus egregiè ordinatis gestisque, Tartaros ultra murum iterum rejecit. Sed illi mox reversi, proditione metropolim Leaotung capiunt, cives more Tartarorum tonderi vestirique cogunt, & majora moliuntur. Obiit interea Thienkius An. C. 1621. ut & æmulus ejus, quorum illi frater Zungchinius, huic fil. Thienzungus successere. Zungchinius proditione suorum infelix, Yvenum tamen proditorum caput, apprehensum necat, quo facto discedunt Tartari, moxque iterum revertuntur, modò victi modò victores, usque ad An. C. 1636. quo Thienzungus moritur, longiori viâ dignus, ob mansuetudinem & laudatos mores. Eum excepit fil. Zungteus, qui diu inter Sinas ignotus vixerat, ut mores, literas, doctrinam, ac sermonem Sinensium accuratè

curatè perdisceret. Eo rerum potito inter suos, latronum in variis provinciis exortorum justi exercitus, nervos Imperii penitus succiderunt, quorum Duci Licungzo, (qui Imperatoris titulum assumpsit, familiæ Thienxunæ fundator dici gaudens) proditus Imperator Zungchinius, cùm nullam elabendi rimam esse videret, sanguine suo victori scribit, ut de præfectis tam scelerate perditis pœnas sumat, populo innocenti parcat: filiam dein nubilem gladio trajicit, & in pomarium digressus semet ex pruno suspendit, ultimus familiæ, cui latro exordium, latro finem dedit. Neque alium finem sibi regina, & fidissimi Eunuchorum delegere: Sic loca deliciarum funestata, & fructus tulere arbores nefandos. Latrones mox exacti, & filius sexennis Zunglei interea demortui coronatur Sinæ Imperator. A quo tempore Monarchia sub Tartaris est, qui nihil prorsus in administratione Reip. immutantes, vestem solum & tonsuram Tartaricam Sinensibus imperant, unde non leves & sæpius iterati tumultus. Militiam sibi servant, non exclusis tamen Sinicis, quos etiam tribunalibus miscent. Cæterùm Sinenses ad civilitatis normam exacti, ingeniosi sunt ac industrii. Omnes apud illos artes scientiæque vigent; Geometras habent excellentes, Arithmeticos & Astronomos eximios, Medicinam merbo dice faciunt; inprimis autem, à quo Philosophus Confutius floruit, Morali Philosophiæ tantus ab iis honor habetur, ut, cùm tres ibi vigeant Philosophorum sectæ, ejus tamen Secta *Literatorum* nomine clara, reliquis omnibus longè præferatur, neque alii ad gubernacula Reip. adhibeantur, quàm Mandarini, Loytiæ vel Literati, in ejus formati schola. Lingua Sinica ex vocibus merè monosyllabis ut plurimum constat, sua tamen cuique provinciæ peculiaris dialectus est. Scriptura à superiori loco deorsum procedit, & quilibet character, more Hieroglyphicorum apud Ægyptios veteres, rem integram exprimit. Religionem quod attinet, unum solum Deum, quem Regem cœli appellant, venerantur. Tres nihilominus sunt inter eos Idololatrarum species. Prima Regis & Nobilium, qui Astris faciunt. Secunda eorum, qui primos Reges & Philosophos pro Diis habent, summo Numini succenturiatis. Tertia Astrologorum & Magorum, qui Evangelio pertinacius reliquis obnituntur. Idolorum horribilis forma. Olim S. Thomas Sinensibus prædicasse dicitur, & apparent adhuc in crassissima illorum idololatria vestigia quædam Trinitatis & Incarnationis filii Dei. Hodie per emissarios Pontifex Rom. ut & Angli Batavique per ministros mercatoribus mixtos, collapsum Christianismum in florentissimo hoc regno pro viribus erigere conantur. Tota regio, ut dictum, dividitur in quindecim provincias peramplas seu regna, ultra quas ab ea etiam pendent Leatonia provincia, *Leaotung*. Corea peninsula, *la Corea*, Haynania insula, *l'isle de Haynan*, & Calonnesus, *l'isle Formosa*, cum aliis minoribus. De Sinarum regione varii variè scripsere. Sed vide Atlantem Sinicum Martinii, qui Sinas fusiùs descripsit. Porro de re literaria Sinensium consule Theophil. Spizelium; de Scriptura Sinica Athanasium Kircherum, in *China illustrata*; de reliquis, Trigaltium, Semedum, Jarrieum, Mendozam, Maffæum, Martinium, Rhodium, & qui inter primos dici meruit, Adamum Preyelium libr. insigni cui titulus, *Admiranda Sina & Europa.*

Sinarum Imperii provinciæ:

Chequianensis provincia, *Chekiang.*
Fochiensis provincia, *Fokien.*
Honania *Honan.*
Huquania, *Huquang.*
Junnania, *Junnan.*
Nanchinensis provincia, *Nanking.*
Pechinensis provincia, *Peking.*
Quansia, *Quangsi.*
Quantunia, *Quantung.*
Queichea, *Queicheu.*
Quiansia, *Quiansi* seu *Kiansi.*
Suchuensis provincia, *Suchuen.*
Xinsia, *Xansi.*
Xantonia, *Xantung.*
Xensia, *Xensi.*

Sinarum Imperii urbes præcipuæ:

Caifunga, *Caifung*, in Honania provincia.
Cancheum, *Cancheu*, in Quiansia.
Cangcheum, *Cangcheu*, in Nanchinensi.
Caocheum, *Caocheu*, in Quantunia.
Changcheum, *Changcheu*, in Fochiensi.
Changra, *Changte*, in Honania.
Changia, *Changte*, in Huquania.
Changxa, *Changxe*, ibidem.
Chaochinga, *Chaoching*, in Quantonia.
Chiahinga, *Chiahing*, in Chequianensi.
Chicheum, *Chicheu*, ibidem.
Chicheum, *Chicheu*, in Nanchinensi.
Chieganum, *Chiegan*, in Quiansia.
Chienchanum, *Chienchang*, ibidem.
Chienninga, *Chienning*, in Fochiensi.
Chieuchianum, *Chieuchiang*, in Quiansia.
Chinchianum, *Chinchian*, in Nanchinensi.
Chinchianum, *Chinchian*, in Junnania.
Chinganum, *Chingan*, in Quansia.
Chingtienum, *Chingtien*, in Huquania.
Chingtum, *Chingtu*, in Suchuensi.
Chingtuna, *Chingtung*, in Junnania provincia.
Chingyanum, *Chingyan*, in Huquania.
Chinhoa, *Chinhoa*, in Chequianensi.
Chinivenum, *Chiniven*, in Queichea.
Chinivenum, *Chiniven*, in Junnania.
Chintinum, *Chinting*, in Pechinensi.
Chiucheum, *Chieucheu*, in Chequianensi.
Chiucheum, *Chieucheu*, in Quantunia.
Chungkina, *Chungking*, in Suchuensi.
Cinanum, *Cinan*, in Xantonia.
Cincheum, *Cincheu*, in Quansia.
Cingcheum, *Cingcheu*, in Xantonia.
Civencheum, *Civencheu*, in Fochiensi.
Cungchanum, *Cungchan*, in Xensia.
Focheum, *Focheu*, in Fochiensi.
Fuencheum, *Fuencheu*, in Xansia.
Fungcianum, *Fungcian*, in Xensia.
Fungyanum, *Fungyang*, in Nanquinensi.
Ganchinga, *Ganching*, ibidem.
Gucheum, *Gucheu*, in Quansia.
Gueihoeum, *Gueihoeu*, in Honania.
Hancheum, *Hancheu*, in Chequianensi.
Hanchunum, *Hanchun*, in Xensia.
Hanyanga, *Hanyang*, in Huquania.
Henocheum, *Henocheu*, ibidem.
Hinghoa, *Hinghoa*, in Fochiensi.
Hoaichinga, *Hoaiching*, in Honania.
Hoainanum, *Hoainang*, in Nanchinensi.
Hoancheum, *Hoancheu*, in Huquania.
Hochienum, *Hochien*, in Pechiniensi.
Hoeicheum, *Hoeicheu*, in Quantunia.
Hoeicheum, *Hoeicheu*, in Nanchinensi.
Honania, *Honan*, in Honania.
Hucheum, *Hucheu*, in Chequianensi.
Jaocheum, *Jaocheu*, in Quiansia.
Jenganum, *Jengan*, in Xensia.
Jenpinga, *Jenping*, in Fochiensi.
Juencheum, *Juencheu*, in Quiansia.
Jungcheum, *Jungcheu*, in Huquania,
Jungninga, *Jungnin*, in Junnania.
Juninga, *Juning*, in Honania.
Junnania, *Junnan*, in Junnania.
Junpinga, *Junping*, in Pechinensi.
Kaocheum, *Kaocheu*, in Quantunia.
Kingcheum, *Kingcheu*, in Huquania.
Kingyanum, *Kingyang*, in Xensia.
Kingyvenum, *Kingyven*, in Quansia.
Liencheum, *Liencheu*, in Quantunia.
Lieucheum, *Lieucheu*, in Quansia.
Linchianum, *Linchiang*, in Quiansia.
Linganum, *Lingan*, in Junnania.
Linyanum, *Linyang*, in Xensia.
Lipinga, *Liping*, in Queichea.
Lucheum, *Lucheu*, in Nanchinensi.
Luganum, *Lugan*, in Xansia.
Luicheum, *Luicheu*, in Xantonia.
Luicheum, *Luicheu*, in Quantunia.
Mahum, *Mahu*, in Suchuensi.
Munghoa, *Munghoa*, in Junnania.
Nanchanga, *Nanchang*, in Quiansia.
Nanganum, *Nangang*, ibidem.
Nanhiunga, *Nanhiung*, in Quantunia.
Nankanga, *Nankang*, in Quiansia.
Nanninga, *Nanning*, in Quansia.
Nanquinum & Nanchinum, *Nanquin*, in Nanchinensi.
Nanyanga, *Nanyang*, in Honania.
Niancheum, *Niancheu*, in Chequianensi.
Ningpoa, *Ningpo*, ibidem.
Ningqua, *Ningque*, in Nanchinensi.
Paochinga, *Paoching*, in Huquania.
Paoninga, *Paoning*, in Suchuensi.
Paotinga, *Paoting*, in Pechiniensi provincia.
Pechinium, *Pechin* & *Pequin*, totius Imperii caput, in Pechiniensi.
Pingleanum, *Pinglean*, in Xensia.
Pinglum, *Pinglo*, in Quansia.
Pingyanum, *Pingyan*, in Xansia.
Quancheum, *Quancheu*, in Quantunia.
Quangnanum, *Quangnan*, in Junnania.
Quanpinga, *Quanping*, in Pechiniensi.
Quansia, *Quangsi*, in Junnania.
Quansinga, *Quansing*, in Quiansia.
Queicheum, *Queicheu*, in Suchuensi.
Queilinum, *Queilin*, in Quansia.
Queitum, *Queite*, in Honania.
Queiyanga, *Queiyang*, in Queichea.
Siangianum, *Siangiang*, in Huquania.
Siganum, *Sigan*, in Xensia.
Siucheum, *Sieuchen*, in Suchuensi.

Sucheum, *Suchen*, in Queichea.
Sucheum, *Suchen*, in Nanchinensi.
Suhunga, *Suhung*, in Junnania.
Suminga, *Suming*, in Quansia.
Sunanum, *Sunan*, in Queichea.
Sungchianum, *Sungchian*, in Nanchinensi.
Taicheum, *Taicheu*, in Chequianensi.
Taipinga, *Taiping*, in Nanchinensi.
Taipinga, *Taiping*, in Quansia.
Taitunga, *Taitung*, in Xansia.
Taiyvenum, *Taiyven*, ibidem.
Talum, *Tali*, in Junnania.
Taminga, *Taming*, in Pechinensi.
Teganum, *Tegan*, in Huquania.
Tengcheum, *Tengcheu*, in Xantonia.
Tiencheum, *Tiencheu*, in Quansia.
Tingcheum, *Tingcheu*, in Fochiensi.
Tuchum, *Tuchu*, in Queichea.
Tunchanum, *Tunchan*, in Xantonia.
Tunggium, *Tunggin*, in Queichea.
Vencheum, *Vencheu*, in Chequianensi.
Vuchanum, *Vuchan*, in Huquania.
Vucheum, *Vucheu*, in Quiansia.
Xaocheum, *Xaocheu*, in Quantunia.
Xaohinga, *Xaohing*, in Chequianensi.
Xaoum, *Xaoiu*, in Fochiensi.
Xecienum, *Xecien*, in Queichea.
Xincheum, *Xincheu*, in Huquania.
Xincheum, *Xuicheu*, in Quiansiâ.
Xunchinga, *Xunching*, in Suchuensi.
Xunninga, *Xunning*, in Junnania.
Xunta, *Xunte*, in Pechinensi.
Yancheum, *Yancheu*, in Nanchinensi.
Yencheum, *Yencheu*, in Xantonia.
Yocheum, *Yocheu*, in Huquania.

Sinaus fil. Canaan. Gen. 10. de quo Bochartus *Phal.* 4. 36. Vide quoque sis *Pelusium*.

Sinalus, Medicus quidam, de quo Silius *lib.* 5.

Ipse olim antiquo primum Garamanticus Hammon
Scire pater dederat Sinalo morsusq; ferarum,
Telorumq; graves ictus sedare medendo.

Sinapatinga, urbs Indiæ intra Gangem. Ptol.

Sinardi pons, Castrum Galliæ seu vicus maximus in Caletis, vulgò *Senerpont*, V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Caleti*.

Sinarum intimus recessus, nunc *Enseada de Nanquin* Lusitanis, *Golfe de Nanquin* Gallis, sinus est in Sinas extensus, & pars Oceani Eoi, inter Sinas ad occasum, & regnum Coreæ ad ortum. Dicitur ab incolis *Golfe de Gang*. Quamplurimis insulis refertus est, & extenditur à Circio in Eurum per 160. mill. pass.

Sinarum Oceanus, *la mer de la Chine*, pars est ampla Oceani Eoi, in parte orientali Asiæ, versùs Sinarum oram littoralem, Japoniam, Calonesum, & Philippinas insulas; estque quamplurimis insulis referta.

Sinarus, Indiæ fl. quem Hydaspes in se recipit. Arrianus.

Sinatus, Tetrarcha Gall. à Sinorige, ob formam conjugis suæ Cammæ, interfectus. Polyæn. *lib.* 8.

Sincar. Mediæ urbs, Ptol.

Sinciacus Eginart. *Sinsich*, Ortelio, pag. Germ. infer. ad Rhenum, supra Bonnam 2. mill. Germ.

Sincium, Pannoniæ op. Anton.

Sinda, urbs Pisidiæ, Ambladæ finitima; & apud Ptol. urbs Indiæ extra Gang. maritima. Vid. Steph.

Sinda regnum. Vide *Tatta*.

Sindæ, ins. 3. maris Eoi, quæ & insulæ Anthropophagorum, Sinarum oræ adjacentes. Hæ, teste Mercatore, sunt hodie *Celebes, Gilolo, & Amboina*. Sansoni sunt Javæ, Sumatræ & Bornei Insulæ, versus partem Austr. Indiæ extra Gangem, & Aureæ Chers. sub propriis Regibus. Gall. *les Isles de la Sonde*.

Sindessus, urbs Cariæ. Steph.

Sindi, pop. Scyth. Europ. ad Mæot. palud. incolentes. Val. Flaccus *lib.* 6.

Degeneresq; ruunt Sindi, glomerantq; paterno
Crimine. —— ——

Dionys. *vers.* 681.

Σινδὶ, Κιμμέριοί τε, κὴ οἳ πέλας Ἐυξείνοιο
Κερκέται τ' Ὀρέται τε, κὴ ἀλκήεντες Ἀχαιοί.

Sunt in Corocondamâ peninsulâ, ad Mœotidem paludem; quos Eustathius *Zinchos* appellatos notat. *Zingos* hoc tractu habet Plin. Ammianus scribit, Peninsulam esse, quam *Sindi* incolunt ignobiles, propter heriles in Asiâ casus, conjugibus positi dominorum & rebus. Flacc. *lib.* 6. *Argon.* 105. 87. V. supra. Dubito an iidem sint, qui alibi *Sinlendi* nominantur, qui in terrâ Nortmannorum trans *Egiduram* fluvium habitarunt. Polyæn. *lib.* 8.

Sindia, urbs Lyciæ. Steph.

Sindocanda, civitas Taprobanæ. Ptol.

Sindoga, Parthiæ op. Ptol.

Sindonai, pop. Thraciæ. Steph.

Sinejus, Vide *Senum*.

Sinemurum, castrum Galliæ, à re nomen habet; in pago Alesiensi, ad fl. Hormentionem, non procul à Flaviniaco; vulgò *Semur en l'Aussois*. Item aliud in pago Cadrellensi *le Charollois* olim pago Briennensi contento, ad Verbineam fluv. qui in Ligerim supra Marciniacum defluit, *Semur en Brienois*: utrumque est in diœcesi Augustodunensi.

Sinera, urbs Phœniciæ. Steph. Armeniæ maj. T. Minadojo.

Sinervas, urbs Armeniæ min. Anton.

Singa, Palladis nomen apud Phœnices, cujus numinis simulacrum Thebis Cadmus constituit. Pausanias. Item Comagenæ regionis in Syria op. Ptol.

Singa, Indiæ pop. Plin.

Singai, Græciæ pop. in confiniis Macedoniæ & Thraciæ, Thuc. 5. *Singi* urbis, fortè incolæ, ad Athon.

Singames, fl. Colchidis, Arrian. *Sigania* fortè Plin.

Singara, urbs Arab. juxta Edessam. Steph. Item mons Mesopotamiæ cum urb. cognomine, apud Tigrim fl. Ptol. Dicitur & *Singoras*. *Sima* Nigro, *Acalib* aliis dicitur.

Singidava, Daciæ urbs. Ptol. quibusd. *Segesvvar*, in Transylv. Aliis *Seged*, urbs Transdanub. Hungariæ, ad Tibiscum fl. ubi Mariscum recipit, versus limites Transylv. sub Turcis.

Singidonum, urbs Pannon. infer. apud Sirmium urb. Hodie pagus modicus est, & *Sigetinez* dicitur Lazio.

Singidunum, urbs Mysiæ sup. apud Danubium, *Zenderin* Lazio; & *Sevender* quibusd. hodie Serviæ urbs, antea Rasciæ caput, etiamnum ampla, cum castro in colle. Sub Turcis, ab An. 1439. Anteà sedes Despotæ Serviæ.

Singilia, vel *Syngilia* urbs Hisp. Bæt. inter Astigi 25. & Malacam 7. leuc. vulgò *Antequera*; oppidul. regni Granat. in loco edito & aspero, versus confin. Vandalitiæ, 7. leuc. Hisp. à Malacca in Bor. Astigim versùs 12. Baudr.

Singilis, & *Singulis* Plin. & *Singilius* Isidoro, Hisp. Bæt. fluv. ex agro Granatensi oriens, ac apud Singiliam urb. decurrens, & per Astigi in Bætim fluens. *Xenil* Morali, *Guadaxenil* Navagiero.

Singiticus sinus, sinus Macedon. Ptol. *Eliacus* videtur à Diod. Siculo nominari *lib.* 11. *Golfo di monte Santo* dicitur Castaldo.

Singus, op. Macedon. in orâ orient. ad Athi mont. radices, ad sinum Singiticum.

Singya, urbs Pamphyliæ. Steph.

Sinibra, Vide *Sinera*.

Sinicus murus, amplissimus & celeberrimus, quàmplurimis turribus & castris munitus, inter montes & valles aliàs excitatus à Sinarum Impp. ad cohibendos Tartaros, quatuor omnino provincias ambitu suo cingit. Latus ubique 12. cubitos, alicubi 15. Altus ubique 30. Absolutus fuit spatio quinque annorum, & per 300. mill. Germ. extensus, ab Ortu in Occ. nempe inter Tartariam magnam ad Bor. & Pechinensem. Xansiam atque Xensiam provv. Septentrionaliores Imperii ad Mer. Sicque Tartariam à Sinis separat, inter sinum Gangum seu Sinarum intimum recessum ad Ort. & Croceum fluv. ad Occ. in parte Occ. Xensiæ prov. Portas quasdam ad exeundum habet, & illis vicina castella munitissima; in quibus haud minus 1000000. militum præsidio fuere. Inchoavit opus Xius Imper. Cinæ familiæ auctor, anno Imp. 22. ante C. N. 115. tantamque voluit adhiberi diligentiam, ut sicubi clavus infigi posset, per lapidum commissuras, morte luerent, qui illam partem fabricassent. Opus sanè magnificum ac ingens, & omni dignum admiratione, ad hæc usq; tempora ferè sine labe & noxa, contra tot injurias temporum perstitit; Hoc tam insigni regni munimento, per negligentiam custodum hoc seculo, perrupto, Tartari rerum in Sinis hodie potiuntur. V. *Murus* & *Sinarum regio*.

Sinis, Colon. & urbs Armen. min. ad Euphratem. Ptol.

Sinis, vulgò *Nasearo*, teste Barrio, fl. Magnæ Græciæ Choniam urb. alluens. Sunt qui *Siris* legunt.

Sinna, urbs circa Libanum. Duas hujus nom. urbes habet Ptol. in Mesopotamiâ.

Sinnaces Parthus, insigni familiâ ac perinde opibus, qui, princeps conjurationis, contra Artabanum, Phraaten Regis Phraatis fil. Româ Regem à Tiberio poscebat. Tac. 6. 31.

Sinnatha, Mesopot. urbs, in quâ Surena Parthorum Imp. Crassum dolo captum interemit. Plut.

Sinnaus, lacus in Asiâ, qui circumnascente absinthio inficitur. Plin.

Sinoe, urbs Siciliæ. Steph.

Sinon, Sisyphi fil. Autolyci furis nepos, qui cum Ulysse ab bellum Trojanum profectus, cùm Græci decimo demum anno diffidentes Ilium vi capi posse, ad dolum proditionemque confugerent, omnium maximè idoneus visus est, cui ob ingenii astutiam fallendorum Trojanorum, equique aperiendi negotium imponeretur. Plin. ait hujus inventum fuisse significationem specularum *lib.* 7. *cap.* 56. Virgil. *Æn.* 2.

Talibus insidiis, perjuriq; arte Sinonis.
Credita res: captiq; dolis lacrymisq; coactis;
Quos neq; Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Sinonid.

Sinonia, inf. maris Tyrrheni, inter Palmariam & Pontias. Ex quo errore Pinetus deprehensus est illam *Januti* indigitans, cùm *Januti* Dianium sit Igilio proxima. Error item in Thes. Ling. Lat. est, in quo insula Corsicæ nominatur, à quâ longissimè distat. Baudrando hodie *Sanone*, versus oram Latii & Campaniæ fel. parva & deserta, prope Pontiam Inf. 20. m. p. à Circejis in Met. Pendet tamen à regno Neap. ferè 90. mill. à Dianio Inf. in Ort.

Sinope, Asopi fil. quam Apollo raptam in Pontum traduxit, & ex eâ genuit Syrum, quem tamen alii Martis & Æginæ, alii Martis & Parnasses filium faciunt. Quidam autem non ab Apolline viciatam, sed ab eo & Jove perpetuam virginitatem sortitam, cùm illi spe concubitûs, quicquid postulasset, ei daturos se promisissent.

Sinope, nobile scortum fuit, lasciviâ valde celebre: unde *Sinopissare* proverbium est pro *lascivire*.

Sinope, colon. & urbs maritima Paphlagoniæ, inter Cytorum ad occ. 100. m. p. & Amisum ad Eur. paulo minus, eum portu, in ora Sinus Euxini, prope Sinum Amisenum. A Milesiis condita, an. 125. U. Cond. dein sub variis Principibus, unde & Mithridatis regia, donec sub Romanorum potestatem concessit. Post hos Episc. fuit propriosque habuit Principes, quibus successerunt Turcæ, à quibus *Sinabe* vocatur, Leunclav. vel *Pordapas*, Chalcondyl. A Kosacis vastata est An. C. 1616. Fuit quoque Diphili Comici, Diogenis &c. patria. Ovid. *Pont.* 1. 4.

Non doluit patriâ Cynicus procul esse Sinopeus.

Val. Flac. *lib.* 6.

Assyrios complexa sinus stat optima Sinope;
Nympha prius, blandosq; Jovis quæ luserat ignes,
Cælicolis immota procus. ———

Apollonius Rhodius:

Α'υτίκα δ' Α'σωπίδος ἱκέσθαι χθονός. Ε'νθα Σινώπην
Θυγατέρ' Α'σωποῖο καθείσατο, ἠδ' οἱ ὄπασσε
Παρθενίην Ζεὺς αὐτὸς ὑποσχεσίῃσι δολωθείς, &c.

Dionysius Periegetes:

Ε'νθεν Α'μαζονίδεσσιν ἀπ' ὄρεος Α'ρμενίοιο
Λευκὸν ὕδωρ ἀγέουσιν Ε'νηλυσιος Θερμώδων,
Ο'ς ποτ' ἀλωομένην Α'σωπίδα δέκτο Σινώπην,
Καί μιν ἀκηχεμένην σφετέρῃ παρενάσσατο χώρῃ,
Ζηνὸς ἐφημοσύνῃσιν· ὁ γὰρ φιλότητος ἐρωῆς
Γ'χαιόμεν, πατρὸς ἀπεσφίσεν οὐκ ἰδίλεσα
Ε'κ τῆς καὶ πτολίεθρον ἐπώνυμον ἄνδρες ἔχουσι.

Sinopen autem Amazonum unam fuisse, & ab eâ urb. hanc dictam testatur Andron apud Etymol. in voce Σινώπη: Ο'δὲ Α'νδρων φησὶ μίαν τῶν Α'μαζόνων φυγοῦσαν εἰς Πόντον παρὰ τ' βασιλέα τῶ τόπου, πινοῦσαν τε πλεῖστον οἶνον ὀνομασθῆναι Σανάπην· μεταφραζομένης δὲ τούτου σημαίνει τὴν πολλὰ πίνουσαν. A qui non Σινώπη id sign. sed Σανάπη, quomodo ei scribendum fuerat. Auctor Scholiorum *ad* 2. *Apollonii Rhodii librum*: Ε'κεῖ δὲ οἱ οἰκοῦντες Σανάπας λέγονται παρὰ Θραξίν. ἡ διαλέκτῳ χρῶνται καὶ Α'μαζόνες, κληθῆναι τὴν πόλιν Σανάπην, ἐπειδὴ κατὰ φθορὰν Σινώπη. Sic scribendum. Hesychius: Σανάπαι τὰς σινάδας. Σκύθαι. Sic lege, vulgò enim conspurcatissimus hic locus. Hic Sinopis rubrica primùm inventa. Plin. 35. 6. Hodie *Sinopi*, V. supra. Et adjacet fluv. cognom. Eust. Strab. *lib.* 12. Ptolom.

Sinorix, in Galliâ tetrarcha, flammis in Cammam Sinati uxorem libidinis excitatus, maritum è medio tollit; posteà veneno à Cammâ ante aram Dianæ, ubi sibi Cammam desponderi volebat, necatus. Polyæn. 8. 612. 613.

Sinotium, novum & vetus, oppida Dalmatiæ. Strabo.

Sinsi, Daciæ pop. Ptol.

Sintia, op. Macedon. mediterr. circa *Sintios* montes, de quibus Thucydides. Vide Steph.

Sintienum, Urbs Sinarum, in prov. Queichea. Satis munita, ad montium radices. M. Martinius.

Sintii, vel *Sinties*, Thraces, qui Lemnum olim incoluerunt, Hom. *Iliad.* α. *ubi de Vulcano*:

Κάππεσον ἐν Λήμνῳ ———
Ε'νθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα.

Idem *de eodem Ulysseâ* θ.

Οἴχεται ἐς Λῆμνον μετὰ Σίντιας ἀγριοφώνους.

Sintœum, castellum Armeniæ à Galatis conditum. Steph.

Sinuessa, colon. & urbs Campaniæ, non procul à Siri fluv. ubi Minturnæ urbs extincta. Hujus ager *Sinuessanus* dictus est, copiosum apricis in saxis vinum gignens. Martialis 13, 108.

De Sinuessanis venerunt Massica prælis.

Mollis Sinuessa Martiali dicitur. 6. 42. Hinc *Sinuessanus*. Martialis 11. 83.

A Sinuessanis conviva Philostratus undis.

Horatius,

Inter Minturnas Sinuessanumq; Petrinum.

Sinuessa hodie nominari tradunt Leander & Goltzius, qui dicit tantum superesse ruinas, & exiguum opidulum, hodie *Rocca di Mondragone* dictum. Sanè serpentibus olim abundantem fuisse Sinuessam testatur Ovid. *Met lib. postremo*,

Vulturnus niveusq; frequens :inuessa colubris.

Sinope quondam dicta fuit Plin. 3. 5. *Colonia Minturnæ, oppidum Sinuessa, extremum in adjecto Latii, quam quidam Sinopen dixere vocitatam.* Livius *lib.* 10. describit eam juxta agrum Falernum: *Ubi Sinope*, inquit, *dicitur Græca urbs fuisse, Sinuessa deinde ab colonis Romanis adpellata.* Strabo *lib.* 5. Η' Σινόεσσα ἐν Ο'ὐενένῳ κόλπῳ ἵδρυται, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα· σινὸς γὰρ ὁ κόλπος. Σινόεσσα dicitur Plutarcho *in Othone*, *Sinuessa tepens* dicitur Silio *lib.* 8. Ab aquis commendatur. Tacitus *Ann.* 12. *In tantâ mole curarum Claudius valetudine adversâ corripitur, refovendisq; viribus, mollitie cæli, & salubritate aquarum, Sinuessam pergit*, Plin. 31. 11. *In eadem Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem fœminarum & virorum insaniam abolere produntur.* Hinc Mart. 11. 8.

Dices & ictericam se forsitan altera mœcha,
In Sinuessano vellere sede lacu.

Sic Cydni aquas podagricis mederi, & Albulam vulnera sanare, ut & Leucogæi fontis aquas Plin. tradit, & Lycum fluv. apud Leontinos tertio die necare ex eo potantes. Hic obiit Sex. Turpilius, insignis Comicus, Terentii familiaris.

Sinunia, Parthiæ urbs. Ptol.

Sinus magnus Ptol. pars est Oceani Eoï seu Orientalis. Vulgò *Golfe de Cochinchine*, seu etiam *Golfe d' Hainam* dicitur; estque inter partem australem Imperii Siliarum, regnum Cocinchinæ, & Haynamum insulam.

Sinus Salutaris, idem, vel certè proximus portui Gabrantonicorum in ora Angliæ orientali inter ostia Abi & Vedræ esse videtur, teste Camdeno. Vide *Ibi*.

Sinus maris Mediterranei, à freto Herculeo, ubi mare Mediterraneum initium sumit, inchoando, à veteribus memorati.

Virgitanus, maris Iberici, *Golfo di Cartajena*, Hispaniæ Tarraconensis, inter Charidemum promontorium ad Occidentem, & Scombrariam promontorium ad ortum & Boream, à Virgi urbe dictus. Ferr. Baudrando *Golfe de Cartagene* Gallis, partim est in ora regni Murciæ, partim etiam in ora orientali regni Granatæ; & sic dicitur à Carthagine nova, emporio celebri ei adjacente.

Illicitanus sinus, hodie *Golfo d' Alicante* dictus ab Alona, est in ora regni Valentiæ, sed differt à Sucronensi sinu; extenditurque à Scombraria promontorio ad meridiem usque ad Dianium promontorium in Boream.

Sucronensis sinus, Ferrario *Golfo di Albufera*, Baudrando hodie *Golfo di Valenza*, est in ora regni Valentiæ; extenditurque inter Chersonesum oppid. & ostia Iberi fluvii ad Boream & Dianium promontorium ad meridiem.

Lugdunensis sinus, seu *Leoninus* sinus quibusdam, *le Golfe de Lyon*, extenditur ab Aphrodisio promontorio in occasum ad ostia Rhodani fluvii. Dicitur aliter *sinus Gallicus*; estque nautis formidabilis, & valde extenditur ad austrum inter Sardiniam ad ortum & Baleares insulas ad occasum.

Astromela, vulgò *mer de Martigue*, sinus est parvus Galliæ Narbonensis, in Provincia, prope Maritimam, inter Massiliam ad ortum & ostia Rhodani fluvii ad occasum.

Sambracitanus sinus, *Golfe de Grimaut*, est in ora Galliæ Narbonensis & Provinciæ, prope Fanum S. Eutropii.

Sinus Rapalli, *Golfo di Rapallo*, sinus est parvus Italiæ, in ora orientali Genuensi, prope Rapallum oppidum & portum Delphini.

Lunensis, maris Ligustici, qui portus, non sinus, à Strabone nominatur, à Luna urbe apud Macræ fluvii ostia eversa, inter Portum Veneris ad occasum & promontorium Lunæ ad ortum. *Golfo della Spetia*, in extrema ora Liguriæ.

Sinus Plumbini, *Golfo di Piombino*, sinus parvus maris Tyrrheni in ora Hetruriæ & in agro Senensi, inter Trojam insulam ad ortum, & Plumbinum opp. Populoniumq; promont. ad occas.

Formianus, maris Tyrrheni, à Formiis urbe excisa in Latio novo *Golfo di Gaietta*, inter Circæum ad occasum & Massicum montem ad ortum, apud Sinuessam urbem jacentem, Ferrar. Baudrando extenditur tantùm inter Sinuessæ rudera & montem Massicum ad ortum, & Caietam ad occasum, in ora provinciæ Terræ Laboris dictæ.

Cumanus, qua Cumas alluit, sub Puteolano comprehensus.

Bajanus, idem Puteolano, quà Baias alluit.

Puteolanus, maris Tyrrheni, sic à Puteolis urbe Campaniæ, inter Misenum promontorium ad occasum & promontorium Minervæ ad ortum, *Golfo di Napoli*; qui à forma etiam Crater nominatur à Strabone, Ferr. Baudrando hic sinus aliàs amplior complectebatur sinum Puteolanum proprium & Neapolitanum, extendebaturque à Miseno promontorio ad Boream, usque ad promontorium Minervæ: Nunc autem multò angustior extenditur tantùm à Miseno promontorio ad montem Pausilippum & *Golfo di Pozzuolo* vulgò dicitur, *Golfe de Pouzzol* Gallis, in ora Campaniæ felicis.

Crater, seu sinus Neapolitanus, *Golfo di Napoli* incolis, *Golfe de Naples* Gallis, fuit aliàs pars Puteolani, & extenditur à monte Pausilippo ad Boream ad promontorium Minervæ in meridiem, in ora Campaniæ felicis.

Pæstanus, maris Tyrrheni, à Pæsto urbe Lucaniæ exstincta, inter promontorium Minervæ ad occasum & Palinurum ad ortum *Golfo di Agropoli*; qui & Posidoniates; à Posidonia urbe eadem Pæsto. Ferr. Baudrando *Golfo di Salerno*, est in ora Principatus citerioris. Dictus fuit etiam aliàs *Posidoniates*.

Talat

Talaus ejusdem maris, à Talao urbe sive oppido in Lucaniæ & Brutiorum confinio, inter Palinurum promontorium ad Occasum & Tyllesium promontorium ad Ortum, apud Amantiam urbem, *Golfo di Policastro, & della Scalea*, Ferrar. Baudrando melius dicitur ab omnibus Laos sinus, *Golfo di Policastro*, seu *della Scalea*, estque in ora Lucaniæ.

Terinæus, ejusdem maris, à Terina oppido Brutiorum, qui & *Hipponiates*, & *Vibonensis*, & *Napitinus*, ab oppidis illius oræ nominatur, *Golfo di S. Eufemia*, Ferrarius. Baudrando *le Golfe di sainte Euphemie* Gallis, est in ora Occidentali Calabriæ ulterioris, inter Lametum promontorium ad Boream & Baticanum ad Meridiem.

Scylletius, sive Scyllaceus, maris Ausonii, à Scyllacio urbe magnæ Græciæ, inter Cocinthum promontorium ad Meridiem & Lacinium ad Septentrionem, *Golfo di Squillaci*, Ferrarius. Baudrando dicitur aliter à nautis *Golfo delli Castelli*, ab oppidulo eiadjacente in ejus parte Boreali; estque in ora Orientali Calabriæ ulterioris.

Tarentinus, ejusdem maris, à Tarento urbe magnæ Græciæ extrema, in Salentinorum confinio, inter Lacinium promontorium magnæ Græciæ ad Meridiem & Japygium promontorium Salentinorum ad Boream & Ortum. *Golfo di Taranto.*

Hyrias & Urias, Apuliæ Dauniæ ad Garganum montem, *Golfo di Rhode*, Ferrar. Baudrando Urias sinus hodie *Golfo di Manfredonia*, seu *di Siponto* dicitur; estque pars maris Adriatici, in ora regni Neapolitani & provinciæ Capitanatæ, prope Manfredonium & Garganum montem.

Hadriaticus sinus, seu Adriaticum mare & Superum, *Golfo di Venesia*, & *mer Adriatique* Gallis, extenditur inter Italiam ad Occasum & Illyricum ac Albaniam ad Ortum, à Venetiis in Boream Hydruntum usque ad Epirum. Vide *Illyricus sinus latè sumptus.*

Tergestinus, pars Hadriatici, in Bor. extensa, inter Carnos & Histros, *Golfo di Trieste*, Ferrar. Baudrando extenditur inter Sontii fluvii ostia & promontorium Albram, prope Umacum.

Flanaticus sinus maris ejusdem, *Golfo Carnero* dicitur, versus Curictam & Absorum insulas & Istriam provinciam. Sed inter Japodes & Curictam insulam vulgò *Golfo di Bucariza* dicitur.

Naronensis sinus, *Golfo de Narenza*, pars est maris Adriatici, & sinus oblongus longè per terras excurrens; versus oram Dalmatiæ & prope Naronem. Dicitur ab aliis Manius sinus, teste Joanne Lucio; estque inter peninsulas Hillis & Nesti.

Rhizonicus, sive Rhizonicus, maris Illyrici, à Rhizinio urbe Dalmatiæ, quæ & Rhisinium, inter illam ad Occidentem & Butuam ad Meridiem, *Golfo di Cataro.*

Illyricus sinus strictè sumptus pars est sinus Adriatici, & vulgò *Golfo dello Drino* Italis, *Golfe du Drin* Gallis, quia in eum influit Drilo fluvius; estque in ora Albaniæ regionis.

Oricus sinus, hodie *Golfo della Valona* Italis, pars est maris Hadriatici, in ora Australi Albaniæ, prope Acroceraunios montes.

Buthroti sinus, aliter *Pelodes*, vulgò *Golfo di Butronto*, pars est maris Jonii, in ora Epiri, ex adverso Corcyræ insulæ, & in ejus introitu sita est urbs Buthrotum, unde sinui nomen.

Ambracius, maris Jonii, ab Ambracia urbe Epiri inter Nicopolim urbem ad Boream & Actium promontorium ad Austrum, *Golfo dell' Arta.*

Corinthiacus, maris prædicti, à Corintho urbe Achajæ Peloponnesiacæ primaria dictus, inter Rhium ac Antirrhium promontoria ad ostium, & Corinthum in isthmo & intimo in Ortum recessu 80. mill. pass. extensus, qui & Crissæus in ora Phocidis dicitur, *Golfo di Coranto, & Golfo di Lepanto.*

Crissæus, pars est Corinthiaci, qua Crissam urbem & loca vicina alluit.

Chelonates, qui & Chelonites, ejusdem maris, inter Chelonatem & Ichthim promontoria oræ Eleæ Peloponnesiacæ regionis, *Golfo di Clonata*, sive *di Castel Tornese*. parvus, Ferrarius. Baudrando hodie *Golfo dell' Arcadia* dicitur, seu *de l' Arcadian* quibusdam.

Cyparissius, ejusdem maris, inter Cyparissium & Coryphasium promontoria Cyparissiæ regionis Peloponnesi, *Golfo della Guardia*, sive *di Zonchio*, & ipse parvus, Ferrarius. Baudrando hodie *Golfo di Zonchio*. parvus est, inter Ichtum & Coryphasium promontoria, in ora Messeniæ & Elidis.

Messeniacus, ejusdem maris, sic à Messenia regione Peloponnesi, qui & Coronæus, & Asinæus, *Golfo di Coron*. inter Acritam promontorium ad Occasum & Tænarium promontorium ad Ortum centum millia passuum, quanta est ora Messeniæ regionis. Dicitur etiam *Golfo di Calamata* à nautis, ab oppido adjacente.

Laconicus, in ora Peloponnesi Australi, ubi Laconica regio, à qua nominatur, inter duo promontoria, Tænarium ad Occasum, quo à Messeniaco dividitur, & Maleacum ad Ortum, 84. mill. pass. in longitudine patens. Hodie *Golfo di Castel Rampani* dicitur, quanquam aliqui scribant dici *Golfo de Colochina*, sed malè.

Argolicus etiam Peloponnesi in ora ad Orientem, inter Maleam promontorium ad Austrum, quo à Laconico secernitur, & Scyllæum promontorium Argiæ ad Arctos, 177. mill. pass. patens; *Golfo di Napoli di Romania*, Ferrar. Baudrando pars est maris Ægæi, & *Golfo di Napoli*, seu *di Napoli di Romania* dicitur, à Nauplia urbe adjacente in ejus parte Boreali.

Saronicus, postremus Peloponnesi, inter Scyllæum promontorium ad Meridiem, quo ab Argolico dividitur, & Spiræum promontorium ultimum Argiæ in Arctos isthmum versus; sic à Saronide palude Argiæ, vel à Saronico portu ad isthmum: qui sinus apud Strabonem (à quo & Salaminiacus appellatur) magis patet, oram Atticæ attingens, haud minor Argolico: *Golfo del Engia*; è regione Corinthiaci, ab eo isthmo divisus, ac in Ortum vergens, Ferrar. Pars est maris Ægæi, extenditur inter Atticam ad Boream & Peloponnesum, seu inter Sunium promontorium ad Boream & Scyllæum ad Meridiem, Baudr.

Megaricus, pars Saronici, qua Megaridis oram alluit.

Euboicus, ab Eubœa insula, qui & Opuntius ab urbe, & Oetæus à monte, & Maliacus nominatur, in Cenæum promontorium Eubœæ Boreale, & Thermopylas extremum montis Oetæ 70. stadiis mari, sed per littora multò longior, inter Euripum & Thermopylas 66. mill. pass. *Golfo di Negroponte, & Golfo di Ziton*, tametsi Euboicus tantùm dici videtur, qua ipsam Eubœam attingit, Ferrar. Baudrando hic sinus nunc *Golfo del Ziton* dicitur; & ejus pars inter Achajam & Eubœam insulam dicitur *Golfo di Talandi* à nautis.

Pagasicus Plinio, qui & Pelasgicus Ptolemæo, & Pagasiticus Straboni, Thessaliæ, inter Thermopylas ad Meridiem & Magnesiam ad Boream, promontorium in Macedoniæ confinio, supra 60. mill. pass. *Golfo di Armiro, & Golfo del Vollo.* Potius *Golfo del Volfo*; ab arce ei adjacente; extenditurque ad 30. milliaria tantùm.

Thermaicus Plinio, sive *Thermæus* Straboni, Macedoniæ: qui & *Macedonicus* Plinio, amplissimus, ad 100. mill. pass. inter Magnesiam promontorium ad Meridiem; in Thessaliæ confinio, & Canastræum promontorium ad Septentriones, in quo Cassandrea & Thessalonica, *Golfo di Salonichi.*

Toronaicus, Macedoniæ, à Torone oppido, *Golfo di Rampa*. inter Canastræum promontorium, quo à Thermaico separatur, & Ampelum oppidum & promontorium, Ferrar. Baudr. hodie *Golfo d' Ajomamà* dicitur, Sansone, Brietio, & aliis testibus. Dicitur etiam *Golfo di santa Anna* à nautis.

Singiticus, ejusdem regionis Borealior, à Singo oppido, *Golfo di Monte Santo*, inter Ampelum promontorium, quo à Toronaico discluditur, & Nymphæum promontorium apud montem Athon: quibusdam *Golfo di Fassio*, seu *di Doari*; estque in ora Thraciæ.

Strymonicus, ejusdem regionis postremus, *Golfo di Contesa*, inter montem Athon & ostia Nesti fluvii, ubi Arethusa, Oesima, & Neapolis orbes.

Melanes, vel Melas, Thraciæ, inter Ænon urbem Thraciæ, & Mastusiam promontorium Cherronesi; *Golfo di Caridia*, à Cardia urbe in intimo recessu, Ferrar. Baudr. pars maris Ægæi, in ora Thraciæ, hodie *Golfo di Eno*, à multis dicitur, teste Brietio; aliis autem est *Golfo di Magarise*, ab urbe ampla Chersonesi Thraciæ, quod forsan melius.

Chrysoceras sinus, aliis Cornu Byzantiorum, teste Petro Gyllio, pars est Bosphori Thracii; extenditurque inter Constantinopolim & Galatam, in ora Thraciæ per decem milliaria.

Carcinites, Sarmatiæ Europææ ad isthmum Tauricæ Chersonesi; sic à Carcina oppido dictus, *Golfo di Nigropoli*, parvus, Ferrarius. Baudrando est pars Ponti Euxini, & dicitur à nautis *Golfo di Moscovia*; extenditurque ad centum mill. pass. ab Africo in Cæciam.

Cerceticus, Sarmatiæ Asianæ oram ad Euxinum mare, ubi Cercetii populi, alluens.

Coretus sinus, pars est Occidentalis Mœotidis paludis; versus Bugem lacum & Tauricam Chersonesum. Sed de ejus recenti nomine non constat.

Cantageus, Sarmatiæ Asianæ post Cerceticum.

Cyclaminus, sinus Bosphori Thracii in ora Bithyniæ, nunc Soltanicus sinus dicitur, teste Petro Gyllio; estque satis parvus.

Astacenus, Bithyniæ ad Propontidem, *Golfo di Comidia*, ab Astaco oppido, inter Actiam promontorium ad Boream, & Posidium promontorium ad Meridiem, in quo Nicomedia, ferè 90. mill. pass. patens.

Nicopolitanus, ibidem, à Nicopoli urbe, inter Posidium promontorium, ab Astaceno separans, & Dascylon urbem, *Golfo di Montanea*, Ferrar. Baudrando pars est Propontidis, & vulgò *Golfo di Polimeure* dicitur; estque in Asia minori.

Idæus, Phrygiæ minoris; qua Idam montem & loca finitima attingit.

Adramyttenus sinus pars est maris Ægæi, inter oram Mysiæ majoris, in Asia minori, versus Adramyttum urbem & Lesbum insulam; & vulgò *Golfo di Andrimiti* dicitur. Ab antiquis etiam pro Idæo sumitur.

curatè perdisceret. Eo rerum potito inter suos, latronum in variis provinciis exortorum justi exercitus, nervos Imperii penitus succiderunt, quorum Duci Licungzo, (qui Imperatoris titulum assumpsit, familiæ Thienxunæ fundator dici gaudens) proditus Imperator Zungchinius, cùm nullam elabendi rimam esse videret, sanguine suo victori scribit, ut de præfectis tam scelerate perditis pœnas sumat, populo innocenti parcat: filiam dein nubilem gladio trajicit, & in pomarium digressus semet ex pruno suspendit, ultimus familiæ, cui latro exordium, latro finem dedit. Neque alium finem sibi regina, & fidissimi Eunuchorum delegere: Sic loca delitiarum funestata, & fructus tulere arbores nefandos. Latrones mox exacti, & filius sexennis Zunglei interea demortui coronatur Sinæ Imperator. A quo tempore Monarchia sub Tartaris est, qui nihil prorsus in administratione Reip. immutantes, vestem solum & tonsuram Tartaricam Sinensibus imperant, unde non leves & sæpius iterati tumultus. Militiam sibi servant, non exclusis tamen Sinicis, quos etiam tribunalibus miscent. Cœterùm Sinenses ad civilitatis normam exacti, ingeniosi sunt ac industrii. Omnes apud illos artes scientiæque vigent; Geometras habent excellentes, Arithmeticos & Astronomos eximios, Medicinam methodicè faciunt; inprimis autem, à quo Philosophus Confutius floruit, Morali Philosophiæ tantus ab iis honor habetur, ut, cùm tres ibi vigeant Philosophorum sectæ, ejus tamen Secta *Literatorum* nomine clara, reliquis omnibus longè præferatur, neque alii ad gubernacula Reip. adhibeantur, quàm Mandarini, Loytiæ vel Literati, in ejus formati schola. Lingua Sinica ex vocibus merè monosyllabis ut plurimum constat, sua tamen cuique provinciæ peculiaris dialectus est. Scriptura à superiori loco deorsum procedit, & quilibet character, more Hieroglyphicorum apud Ægyptios veteres, rem integram exprimit. Religionem quod attinet, unum solum Deum, quem Regem cœli appellant, venerantur. Tres nihilominus sunt inter eos Idololatrarum species. Prima Regis & Nobilium, qui Astris faciunt. Secunda eorum, qui primos Reges & Philosophos pro Diis habent, summo Numini succenturiatis. Tertia Astrologorum & Magorum, qui Evangelio pertinacius reliquis obnituntur. Idolorum horribilis forma. Olim S. Thomas Sinensibus prædicasse dicitur, & apparent adhuc in crassissima illorum idololatria vestigia quædam Trinitatis & Incarnationis filii Dei. Hodie per emissarios Pontifex Rom. ut & Angli Batavique per ministros mercatoribus mixtos, collapsum Christianismum in florentissimo hoc regno pro viribus erigere conantur. Tota regio, ut dictum, dividitur in quindecim provincias peramplas seu regna, ultra quas ab ea etiam pendent Leatonia provincia, *Leaotung*, Corea peninsula, *la Corea*, Haynania insula, *l'isle de Haynan*, & Calonnesus, *l'isle Formosa*, cum aliis minoribus. De Sinarum regione varii variè scripsere. Sed vide Atlantem Sinicum Martinii, qui Sinas fusiùs descripsit. Porro de re literaria Sinensium consule Theophil. Spizelium; de Scriptura Sinica Athanasium Kircherum, in *China illustrata*; de reliquis, Trigaltium, Semedum, Jarricum, Mendozam, Martffæum, Martinium, Rhodium, & qui inter primos dici meruit, Adamum Preyelium libr. insigni cui titulus, *Admiranda Sina & Europa*.

Sinarum Imperii provinciæ:

Chequianensis provincia, *Chekiang*.	Pechinensis provincia, *Peking*.
Fochiensis provincia, *Fokien*.	Quansia, *Quangsi*.
Honania *Honan*.	Quantunia, *Quantung*.
Huquania, *Huquang*.	Queichea, *Queicheu*.
Junnania, *Junnan*.	Quiansia, *Quiansi* seu *Kiansi*.
Nanchinensis provincia, *Nanking*.	Suchuensis provincia, *Suchuen*.
	Xansia, *Xansi*.
	Xantonia, *Xantung*.
	Xensia, *Xensi*.

Sinarum Imperii urbes præcipuæ:

Caifunga, *Caifung*, in Honania provincia.
Cancheum, *Cancheu*, in Quiansia.
Cangcheum, *Cangcheu*, in Nanchinensi.
Caocheum, *Caocheu*, in Quantunia.
Changcheum, *Changcheu*, in Fochiensi.
Changta, *Changte*, in Honania.
Changta, *Changte*, in Huquania.
Changxa, *Changxe*, ibidem.
Chaochinga, *Chaoching*, in Quantunia.
Chiahinga, *Chiahing*, in Chequianensi.
Chicheum, *Chicheu*, ibidem.
Chicheum, *Chicheu*, in Nanchinensi.
Chieganum, *Chugan*, in Quiansia.
Chienchanum, *Chunchang*, ibidem.
Chienninga, *Chienning*, in Fochiensi.
Chieuchianum, *Chieuchiang*, in Quiansia.
Chinchianum, *Chinchian*, in Nanchinensi.
Chinchianum, *Chinchian*, in Junnania.
Chinganum, *Chingan*, in Quansia.
Chingtienum, *Chingtien*, in Huquania.
Chingtum, *Chingtu*, in Suchuensi.
Chingtuna, *Chingtung*, in Junnania provincia.
Chingyanum, *Chingyan*, in Huquania.
Chinhoa, *Chinhoa*, in Chequianensi.
Chinivenum, *Chiniven*, in Queichea.
Chinivenum, *Chiniven*, in Junnania.
Chintinum, *Chinting*, in Pechinensi.
Chiucheum, *Chiucheu*, in Chequianensi.
Chiucheum, *Chiucheu*, in Quantunia.
Chungkina, *Chungking*, in Suchuensi.
Cinanum, *Cinan*, in Xantonia.
Cincheum, *Cincheu*, in Quansia.
Cingcheum, *Cingcheu*, in Xantonia.
Civencheum, *Civencheu*, in Fochiensi.
Cungchanum, *Cungchan*, in Xensia.
Focheum, *Focheu*, in Fochiensi.
Fuencheum, *Fuencheu*, in Xansia.
Fungcianum, *Fungcian*, in Xensia.
Fungyanum, *Fungyang*, in Nanquinensi.
Gaochinga, *Gaoching*, ibidem.
Gucheum, *Gucheu*, in Quansia.
Gueihoeum, *Gueihoeu*, in Honania.
Hancheum, *Hancheu*, in Chequianensi.
Hanchunum, *Hanchun*, in Xensia.
Hanyanga, *Hanyang*, in Huquania.
Henocheum, *Henocheu*, ibidem.
Hinghoa, *Hinghoa*, in Fochiensi.
Hoaichinga, *Hoaiching*, in Honania.
Hoainanum, *Hoainang*, in Nanchinensi.
Hoancheum, *Hoancheu*, in Huquania.
Hochienum, *Hochien*, in Pechiniensi.
Hoeicheum, *Hoeicheu*, in Quantunia.
Hoeicheum, *Hoeicheu*, in Nanchinensi.
Honania, *Honan*, in Honania.
Hucheum, *Hucheu*, in Chequianensi.
Jaocheum, *Jaocheu*, in Quiansia.
Jenganum, *Jengan*, in Xensia.
Jenpinga, *Jenping*, in Fochiensi.
Juencheum, *Juencheu*, in Quansia.
Jungcheum, *Jungcheu*, in Huquania.
Jungninga, *Jungnin*, in Junnania.
Juninga, *Juning*, in Honania.
Junnania, *Junnan*, in Junnania.
Junpinga, *Junping*, in Pechinensi.
Kaocheum, *Kaocheu*, in Quantunia.
Kingcheum, *Kingcheu*, in Huquania.
Kingyanum, *Kingyang*, in Xensia.
Kingyvenum, *Kingyven*, in Quansia.
Liencheum, *Liencheu*, in Quantunia.
Lieucheum, *Lieucheu*, in Quansia.
Linchianum, *Linchiang*, in Quiansia.
Linganum, *Lingan*, in Junnania.
Linyanum, *Linyang*, in Xensia.
Lipinga, *Liping*, in Queichea.
Lucheum, *Lucheu*, in Nanchinensi.
Luganum, *Lugan*, in Xansia.
Luicheum, *Luicheu*, in Xantonia.
Luicheum, *Luicheu*, in Quantunia.
Mahum, *Mahu*, in Suchuensi.
Munghoa, *Munghoa*, in Junnania.
Nanchanga, *Nanchang*, in Quiansia.
Nanganum, *Nangang*, ibidem.
Nanhiunga, *Nanhiung*, in Quantunia.
Nankanga, *Nankang*, in Quiansia.
Nanninga, *Nanning*, in Quansia.
Nanquinum & Nanchinum, *Nanquin*, in Nanchinensi.
Nanyanga, *Nanyang*, in Honania.
Niancheum, *Niancheu*, in Chequianensi.
Ningpoa, *Ningpo*, ibidem.
Ningqua, *Ningque*, in Nanchinensi.
Paochinga, *Paoching*, in Huquania.
Paoninga, *Paoning*, in Suchuensi.
Paotinga, *Paoting*, in Pechiniensi provincia.
Pechinum, *Pechin* & *Pequin*, totius Imperii caput, in Pechiniensi.
Pingleanum, *Pinglean*, in Xensia.
Pinglum, *Pinglo*, in Quansia.
Pingyanum, *Pingyan*, in Xansia.
Quancheum, *Quancheu*, in Quantunia.
Quangnanum, *Quangnan*, in Junnania.
Quanpinga, *Quanping*, in Pechiniensi.
Quansia, *Quangsi*, in Junnania.
Quansinga, *Quansing*, in Quiansia.
Queicheum, *Queicheu*, in Suchuensi.
Queilinum, *Queilin*, in Quansia.
Queitum, *Queite*, in Honania.
Queiyanga, *Queiyang*, in Queichea.
Siangianum, *Siangiang*, in Huquania.
Siganum, *Sigan*, in Xensia.
Siucheum, *Sieucheu*, in Suchuensi.

Siucheum,

Sucheum, *Suchen*, in Queichea.
Sucheum, *Suchen*, in Nanchinensi.
Suhunga, *Sushung*, in Junnania.
Suminga, *Suming*, in Quansia.
Sunanum, *Sunan*, in Queichea.
Sungchianum, *Sungchian*, in Nanchinensi.
Taicheum, *Taichen*, in Chequianensi.
Taipinga, *Taiping*, in Nanchinensi.
Taipinga, *Taiping*, in Quansia.
Taitunga, *Taitung*, in Xansia.
Taiyvenum, *Taiyven*, ibidem.
Talum, *Tali*, in Junnania.
Taminga, *Taming*, in Pechinensi.
Teganum, *Tegan*, in Huquania.
Tengcheum, *Tengchen*, in Xantonia.
Tiencheum, *Tienchen*, in Quansia.
Tingcheum, *Tingchen*, in Fochiensi.
Tuchum, *Tuchu*, in Queichea.
Tunchanum, *Tunchan*, in Xantonia.
Tunggium, *Tunggin*, in Queichea.
Vencheum, *Venchen*, in Chequianensi.
Vuchanum, *Vucuan*, in Huquania.
Vucheum, *Vuchen*, in Quiansia.
Xaocheum, *Xaochen*, in Quantunia.
Xaohinga, *Xaohing*, in Chequianensi.
Xaoum, *Xaoun*, in Fochiensi.
Xecienum, *Xecun*, in Queichea.
Xincheum, *Xinchen*, in Huquania.
Xuicheum, *Xuichen*, in Quiansia.
Xunchinga, *Xunching*, in Suchuensi.
Xuninga, *Xuning*, in Junnania.
Xunta, *Xunte*, in Pechinensi.
Yancheum, *Tanchen*, in Nanchinensi.
Yencheum, *Tenchen*, in Xantonia.
Yocheum, *Tochen*, in Huquania.

Sinaus fil. Canaan. Gen. 10. de quo Bochartus *Phal.* 4. 36. Vide quoque fis *Pelusium*.

Sinalus, Medicus quidam, de quo Silius *lib.* 5.

Ipsa olim antiquo primum Garamantucus Hammon
Scire pater dederat Sinalo morsusq́, ferarum,
Te'orumq́, graves ictus sedare medendo.

Sinapatinga, urbs Indiæ intra Gangem. Ptol.

Sinardi pons, Castrum Galliæ seu vicus maximus in Caletis, vulgò *Senarpont*, V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Caleti*.

Sinarum intimus recessus, nunc *Enseada de Nanquin* Lusitanis, *Golfe de Nanquin* Gallis, sinus est in Sinas extensus, & pars Oceani Eoi, inter Sinas ad occasum, & regnum Coreæ ad ortum. Dicitur ab incolis *Golfe de Gang*. Quamplurimis insulis refertus est, & extenditur à Circio in Eurum per 160. mill. pass.

Sinarum Oceanus, *la mer de la Chine*, pars est ampla Oceani Eoi, in parte orientali Asiæ, versùs Sinarum oram littoralem, Japoniam, Calonesum, & Philippinas insulas; estque quamplurimis insulis referta.

Sinarus, Indiæ fl. quem Hydaspes in se recipit. Arrianus.

Sinatus, Tetrarcha Gall. à Sinorige, ob formam conjugis suæ Cammæ, interfectus. Polyæn. *lib.* 8.

Sincar, Mediæ urbs, Ptol.

Sinciacus Eginart. *Sinsich*, Ortelio, pag. Germ. infer. ad Rhenum, supra Bonnam 2. mill. Germ.

Sincium, Pannoniæ op. Anton.

Sinda, urbs Pisidiæ, Ambladæ finitima; & apud Ptol. urbs Indiæ extra Gang. maritima. Vid. Steph.

Sinda regnum. Vide *Tatta*.

Sinda, insf. 3. maris Eoi, quæ & insulæ Anthropophagorum, Sinarum oræ adjacentes. Hæ, teste Mercatore, sunt hodie *Celebes*, *Gilolo*, & *Amboina*. Sansoni sunt Javæ, Sumatræ & Bornei Insulæ, versus partem Austr. Indiæ extra Gangem, & Aureæ Chers. sub propriis Regibus. Gall. *les Isles de la Sonde*.

Sindessus, urbs Cariæ. Steph.

Sindi, pop. Scyth. Europ. ad Mæot. palud. incolentes. Val. Flaccus *lib.* 6.

Degeneresq́, ruunt Sindi, glomerantq́, paterno
Crimine. —— ——

Dionys. *vers.* 681.

Σινδοί, Κιμμέριοί τε, καὶ οἱ πέλας Εὐξείνοιο
Κερκέται τ' Ὀρέται τε, καὶ ἀλκήεντες Ἀχαιοί.

Sunt in Corocondamâ peninsulâ, ad Mæotidem paludem; quos Eustathius *Zinchos* appellatos notat. *Zingos* hoc tractu habet Plin. Ammianus scribit, Peninsulam esse, quam *Sindi* incolunt ignobiles, propter heriles in Asiâ casus, conjugibus positi dominorum & rebus. Flacc. *lib.* 6. *Argon.* 105. 87. V. supra. Dubito an iidem sint, qui alibi *Sinlendi* nominantur, qui in terrâ Nortmannorum trans *Egiduram* fluvium habitarunt. Polyæn. *lib.* 8.

Sindia, urbs Lyciæ. Steph.

Sindocanda, civitas Taprobanæ. Ptol.

Sindoga, Parthiæ op. Ptol.

Sindonæi, pop. Thraciæ. Steph.

Sinejus, Vide *Senus*.

Sinemurum, castrum Galliæ, à re nomen habet; in pago Alesiensi, ad fl. Hormentionem, non procul à Flaviniaco; vulgò *Semur en l'Auxois*. Item aliud in pago Cadrellensi *le Charollois* olim pago Briennensi contento, ad Verbincam fluv. qui in Ligerim supra Marciniacum defluit, *Samur en Brienois*: utrumque est in diœcesi Augustodunensi.

Sinera, urbs Phœniciæ. Steph. Armeniæ maj. T. Minadojo.

Sinervas, urbs Armeniæ min. Anton.

Singa, Palladis nomen apud Phœnices, cujus numinis simulacrum Thebis Cadmus constituit. Pausanias. Item Comagenæ regionis in Syria op. Ptol.

Singa, Indiæ pop. Plin.

Singæi, Græciæ pop. in confiniis Macedoniæ & Thraciæ, Thuc. 5. *Singi* urbis, fortè incolæ, ad Athon.

Singames, fl. Colchidis, Arrian. *Sigania* fortè Plin.

Singara, urbs Arab. juxta Edessam. Steph. Item mons Mesopotamiæ cum urb. cognomine, apud Tigrim fl. Ptol. Dicitur & *Singoras*. *Sima* Nigro, *Acalib* aliis dicitur.

Singidava, Daciæ urbs. Ptol. quibusd. *Segesvuar*, in Transylv. Aliis *Segiet*, urbs Transdanub. Hungariæ, ad Tibiscum fl. ubi Mariscum recipit, versus limites Transylv. sub Turcis.

Singidonum, urbs Pannon. infer. apud Sirmium urb. Hodie pagus modicus est, & *Sigetincz* dicitur Lazio.

Singidunum, urbs Mysiæ sup. apud Danubium, *Zenderin* Lazio; & *Sevender* quibusd. hodie Serviæ urbs, antea Rasciæ caput, etiamnum ampla, cum castro in colle. Sub Turcis, ab An. 1439. Antea sedes Despotæ Serviæ.

Singilia, vel *Syngilia* urbs Hisp. Bæt. inter Astigi 25. & Malacam 7. leuc. vulgò *Antequera*; oppidul. regni Granat. in loco edito & aspero, versus confin. Vandaliciæ, 7. leuc. Hisp. à Malacca in Bor. Astigim versus 12. Baudr.

Singilis, & *Singulis* Plin. & *Singilius* Isidoro, Hisp. Bæt. fluv. ex agro Granatensi oriens, ac apud Singiliam urb. decurrens, & per Astigi in Bætim fluens. *Xenil* Morali, *Guadaxenil* Navagiero.

Singiticus sinus, sinus Macedon. Ptol. *Eliacus* videtur à Diod. Siculo nominari *lib.* 11. *Golfo di monte Santo* dicitur Castaldo.

Singus, op. Macedon. in orâ orient. ad Athi mont. radices, ad finum Singiticum.

Singya, urbs Pamphyliæ. Steph.

Sinibra, Vide *Sinera*.

Sinicus murus, amplissimus & celeberrimus, quamplurimis turribus & castris munitus, inter montes & valles altàs excitatus à Sinarum Impp. ad cohibendos Tartaros, quatuor omnino provincias ambitu suo cingit. Latus ubique 12. cubitos, alicubi 15. Altus ubique 30. Absolutus fuit spatio quinque annorum, & per 300. mill. Germ. extensus, ab Ortu in Occ. nempe inter Tartariam magnam ad Bor. & Pechinensem, Xansiam atque Xensiam provv. Septentrionaliores Imperii ad Mer. Sicque Tartariam à Sinis separat, inter sinum Gangum seu Sinarum intimum recessum ad Ort. & Croceum fluv. ad Occ. in parte Occ. Xensiæ prov. Portas quasdam ad exeundum habet, & illis vicina castella munitissima, in quibus haud minus 1000000. militum præsidio fuere. Inchoavit opus Xius Imper. Cinæ familiæ auctor, anno Imp. 22. ante C. N. 215. tantamque voluit adhiberi diligentiam, ut sicubi clavus inhgi posset, per lapidum commissuras, morte luerent, qui illam partem fabricassent. Opus sanè magnificum ac ingens, & omni dignum admiratione, ad hæc usq; tempora ferè sine labe & noxa, contra tot injurias temporum perstitit, Hoc tam insigni regni munimento, per negligentiam custodum hoc seculo, perrupto, Tartari rerum in Sinis hodie potiuntur. V. *Murus* & *Sinarum regio*.

Sinis, Colon. & urbs Armen. min. ad Euphratem. Ptol.

Sinis, vulgò *Nasearo*, teste Barrio, fl. Magnæ Græciæ Choniam urb. alluens. Sunt qui *Siris* legunt.

Sinna, urbs circa Libanum. Duas hujus nom. urbes habet Ptol. in Mesopotamiâ.

Sinnaces Parthus, insigni familiâ ac perinde opibus, qui, princeps conjurationis, contra Artabanum, Phraaten Regis Phraatis fil. Romà Regem à Tiberio poscebat. Tac 6. 31.

Sinnatha, Mesopot. urbs, in quâ Surena Parthorum Imp. Crassum dolo captum interemit. Plut.

Sinnaus, lacus in Asiâ, qui circumnascente absinthio inficitur. Plin.

Sinoe, urbs Siciliæ. Steph.

Sinon, Sisyphi fil. Autolyci furis nepos, qui cum Ulysse ab bellum Troianum profectus, cùm Græci decimo demum anno diffidentes Ilium vi capi posse, ad dolum proditionemque confugerent, omnium maximè idoneus visus est, cui ob ingenii astutiam fallendorum Trojanorum, equique aperiendi negotium imponeretur. Plin. ait hujus inventum fuisse significationem specularum *lib.* 7. *cap.* 56. Virgil. *Æn.* 2.

Talibus insidiis, perjuriq́, arte Sinonis,
Credita res; captiq́, dolis lacrymisq́, coactis;
Quos neq́, Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Sinonia

Sinonia, inſ. maris Tyrrheni, inter Palmariam & Pontias. Ex quo errore Pinetus deprehenſus eſt illam *Januti* indigitans, cùm *Januti* Dianium ſit Igilio proxima. Error item in Theſ. Ling. Lat. eſt, in quo inſula Corſicæ nominatur, à quâ longiſſimè diſtat. Baudrando hodie *Sanone*, verſus oram Latii & Campaniæ fel. parva & deſerta, prope Pontiam Inſ. 20. m. p. à Circejis in Mer. Pendet tamen à regno Neap. ferè 90. mill. à Dianio Inſ. in Ort.

Sinope, Aſopi fil. quam Apollo raptam in Pontum traduxit, & ex eâ genuit Syrum, quem tamen alii Martis & Æginæ, alii Martis & Parnaſſes filium faciunt. Quidam autem non ab Apolline vitiatam, ſed ab eo & Jove perpetuam virginitatem ſortitam, cùm illi ſpe concubitûs, quicquid poſtulaſſet, ei daturos ſe promiſiſſent.

Sinope, nobile ſcortum fuit, laſciviâ valde celebre: unde *Sinopiſſare* proverbium eſt pro *laſcivire*.

Sinope, colon. & urbs maritima Paphlagoniæ, inter Cyrorum ad occ. 100. m. p. & Amiſum ad Eur. paulo minus, cum portu, in ora Sinus Euxini, prope Sinum Amiſenum. A Mileſiis condita, an. 125. U. Cond. dein ſub variis Principibus, unde & Mithridatis regia, donec ſub Romanorum poteſtatem conceſſit. Poſt hos Epiſc. fuit propriosque habuit Principes, quibus ſucceſſerunt Turcæ, à quibus *Sinabe* vocatur, Leunclav. vel *Pordapas*, Chalcondyl. A Koſacis vaſtata eſt An. C. 1616. Fuit quoque Diphili Comici, Diogenis &c. patria. Ovid. *Pont.* 1. 4.

Non doluit patriâ Cynicus procul eſſe Sinopens.

Val. Flac. *lib.* 6.

Aſſyrios complexa ſinus ſtat opima Sinope;
Nympha prius, blandosq; Jovis quæ luſerat ignes,
Cælicolis immota procis. ——

Apollonius Rhodius:

Αὐτίκα δ' Ἀσσυρίης ἐπέβαν χθονός. Ἔνθα Σινώπην
Θυγατέρ' Ἀσωποῖο καθείσατο, καί οἱ ὄπασσε
Παρθενίην Ζεὺς αὐτὸς ὑποσχεσίῃσι δολωθείς, &c.

Dionyſius Periegetes:

Ἔνθεν Ἀμαζονίδεσσιν ἀπ' οὔρεος Ἀρμενίοιο
Λευκὸν ὕδωρ προΐησιν Ἐνυάλιος Θερμώδων,
Ὅς ποτ' ἀλωομένην Ἀσωπίδα δέκτο Σινώπην,
Καί μιν ἀναγκαίῃ σφετέρῃ παρενάσσατο χώρῃ,
Ζηνὸς ἐφημοσύνῃσιν· ὁ γὰρ φιλότητος ἐρωῆς
Ἰσχανόων, πάτρης ἀπενόσφισεν οὐκ ἐδάμασσεν·
Ἐκ τῆς καὶ πτολίεθρον ἐπώνυμον ἄνδρες ἔχουσι.

Sinopen autem Amazonum unam fuiſſe, & ab eâ urb. hanc dictam teſtatur Andron apud Etymol. in voce Σινώπη: Ὁ δὲ Ἄνδρων φησὶ μίαν τῶν Ἀμαζόνων φυγοῦσαν εἰς Πόντον παρὰ τὸν βασιλέα τοῦ τόπου, πινοῦσάν τε πλεῖστον οἶνον προσαγορευθῆναι Σινώπην· μεταφράζουσι δὲ τοῦτο σημαίνειν τὴν πολλὰ πίνουσαν. At qui non Σινώπη id ſign. ſed Σανάπη, quomodo ei ſcribendum fuerat. Auctor Scholiorum *ad* 2. *Apollonii Rhodii librum*: Ἐπεὶ δὲ οἱ μέθυσοι Σανάπαι λέγονται παρὰ Θρᾳξὶν, ᾗ διαλέκτῳ χρῶνται καὶ Ἀμαζόνες, κληθῆναι τὴν πόλιν Σανάπην, εἶτα κατὰ φθορὰν Σινώπην. Sic ſcribendum. Heſychius: Σανάπην τὴν εὐώδη, Σκύθαι. Sic lege, vulgò enim conſpurcatiſſimus hic locus. Hic Sinopis rubrica primùm inventa. Plin. 35. 6. Hodie *Sinopi*, V. ſupra. Ei adjacet fluv. cognom. Euſt. Strab. *lib.* 12. Ptolom.

Sinorix, in Galliâ tetrarcha, flaminis in Cammam Sinati uxorem libidinis excitatus, maritum è medio tollit; poſteà veneno à Cammâ ante aram Dianæ, ubi ſibi Cammam deſponderi volebat, necatus. Polyæn. 8. 612. 613.

Sinotium, novum & vetus, oppida Dalmatiæ. Strabo.

Sinſi, Daciæ pop. Ptol.

Sintia, op. Macedon. mediterr. circa *Sintios* montes, de quibus Thucydides. Vide Steph.

Sintienum, Urbs Sinarum, in prov. Queichea. Satis munita, ad montium radices. M. Martinius.

Sintii, vel *Sinties*, Thraces, qui Lemnum olim incoluerunt. Hom. *Iliad.* α. *ubi de Vulcano*:

Κάππεσον ἐν Λήμνῳ ——
Ἔνθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα.

Idem *de eodem Ulyſſeâ* θ.

Οἴχεται ἐς Λῆμνον μετὰ Σίντιας ἀγριοφώνους.

Sintæum, caſtellum Armeniæ à Galatis conditum. Steph.

Sinueſſa, colon. & urbs Campaniæ, non procul à Siri fluv. ubi Minturnæ urbs extincta. Hujus ager *Sinueſſanus* dictus eſt, copioſum apricis in ſaxis vinum gignens. Martialis 13, 108.

De Sinueſſanis venerunt Maſſica prælis.

Mollis Sinueſſa Martiali dicitur. 6. 42. Hinc *Sinueſſanus*. Martialis 11. 83.

A Sinueſſanis conviva Philoſtratus undis.

Horatius.

Inter Minturnas Sinueſſanumq; Petrinum.

Sinueſſa hodie nominari tradunt Leander & Goltzius, qui dicit tantum ſupereſſe ruinas, & exiguum opidulum, hodie *Rocca di Mondragone* dictum. Sanè ſerpentibus olim abundantem fuiſſe Sinueſſam teſtatur Ovid. *Met lib. poſtremo*,

Vulturnus niveusq; frequens Sinueſſa colubris.

Sinope quondam dicta fuit Plin. 3. 5. *Colonia Minturnæ, oppidum Sinueſſa, extremum in adjecto Latii, quam quidam Sinopen dixere vocitatam.* Livius *lib.* 10. deſcribit eam juxta agrum Falernum: *Ubi Sinope*, inquit, *dicitur Græca urbs fuiſſe, Sinueſſa deinde ab colonis Romanis adpellata.* Strabo *lib.* 5. Ἡ Σινόεσσα ἐν Οὐεσκίνῳ κόλπῳ ἵδρυται, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα· σίνος γὰρ ὁ κόλπος. Σινόεσσα dicitur Plutarcho *in Othone*, *Sinueſſa tepens* dicitur Silio *lib.* 8. Ab aquis commendatur. Tacitus *Ann.* 12. *In tantâ mole curarum Claudius valetudine adversâ corripitur, refovendisq; viribus, mollitie cæli, & ſalubritate aquarum, Sinueſſam pergit.* Plin. 31. 11. *In eadem Campania regione Sinueſſanæ aquæ ſterilitatem fœminarum & virorum inſaniam abolere produntur.* Hinc Mart. 11. 8.

Dicet & ictericam ſe forſitan altera mœcha,
In Sinueſſano vellere ſede lacu.

Sic Cydni aquas podagricis mederi, & Albulam vulnera ſanare, ut & Leucogæi fontis aquas Plin. tradit, & Lyceum fluv. apud Leontinos tertio die necare ex eo potantes. Hic obiit Sex. Turpilius, inſignis Comicus, Terentii familiaris.

Sinunia, Parthiæ urbs. Ptol.

Sinus magnus Ptol. pars eſt Oceani Eoi ſeu Orientalis. Vulgò *Golfe de Cochinchine*, ſeu etiam *Golfe d'Hainam* dicitur; eſtque inter partem auſtralem Imperii Sinarum, regnum Cocinchinæ, & Haynamum inſulam.

Sinus Salutaris, idem, vel certè proximus portui Gabrantonicorum in ora Angliæ orientali inter oſtia Abi & Vedræ eſſe videtur, teſte Camdeno. Vide *Ibi*.

Sinus maris Mediterranei, à freto Herculeo, ubi mare Mediterraneum initium ſumit, inchoando, à veteribus memorati.

Virgitanus, maris Iberici, *Golfo di Cartajena*, Hiſpaniæ Tarraconenſis, inter Charidemum promontorium ad Occidentem, & Scombrariam promontorium ad ortum & Boream, à Virgi urbe dictus. Ferr. Baudrando *Golfe de Cartagene* Gallis, partim eſt in ora regni Murciæ, partim etiam in ora orientali regni Granatæ; & ſic dicitur à Carthagine nova, emporio celebri ei adjacente.

Illicitanus ſinus, hodie *Golfo d'Alicante* dictus ab Alona, eſt in ora regni Valentiæ, ſed differt à Sucronenſi ſinu; extenditurque à Scombraria promontorio ad meridiem uſque ad Dianium promontorium in Boream.

Sucronenſis ſinus, Ferrario *Golfo di Albufera*, Baudrando hodie *Golfo di Valenza*, eſt in ora regni Valentiæ; extenditurque inter Cherſoneſum oppid. & oſtia Iberi fluvii ad Boream & Dianium promontorium ad meridiem.

Lugdunenſis ſinus, ſeu *Leoninus* ſinus quibuſdam, *le Golfe de Lyon*, extenditur ab Aphrodiſio promontorio in occaſum ad oſtia Rhodani fluvii. Dicitur aliter *ſinus Gallicus*; eſtque nautis formidabilis, & valde extenditur ad auſtrum inter Sardiniam ad ortum & Baleares inſulas ad occaſum.

Aſtromela, vulgò *mer de Martigue*, ſinus eſt parvus Galliæ Narbonenſis, in Provincia, prope Maritimam, inter Maſſiliam ad ortum & oſtia Rhodani fluvii ad occaſum.

Sambracitanus ſinus, *Golfe de Grimaut*, eſt in ora Galliæ Narbonenſis & Provinciæ, prope Fanum S. Eutropii.

Sinus Rapalli, *Golfo di Rapallo*, ſinus eſt parvus Italiæ, in ora orientali Genuenſi, prope Rapallum oppidum & portum Delphini.

Lunenſis, maris Liguſtici, qui portus, non ſinus, à Strabone nominatur, à Luna urbe apud Macræ fluvii oſtia everſa, inter Portum Veneris ad occaſum & promontorium Lunæ ad ortum, *Golfo della Spetia*, in extrema ora Liguriæ.

Sinus Plumbini, *Golfo di Piombino*, ſinus parvus maris Tyrrheni, in ora Hetruriæ & in agro Senenſi, inter Trojam inſulam ad ortum, & Plumbinum opp. Populoniumq; promont. ad occaſ.

Formianus, maris Tyrrheni, à Formiis urbe exciſa in Latio novo, *Golfo di Gaietta*, inter Circæum ad occaſum & Maſſicum montem ad ortum, apud Sinueſſam urbem jacentem, Ferrar. Baudrando extenditur tantùm inter Sinueſſæ rudera & montem Maſſicum ad ortum, & Caietam ad occaſum, in ora provinciæ Terræ Laboris dictæ.

Cumanus, qua Cumas alluit, ſub Puteolano comprehenſus.

Bajanus, idem Puteolano, quà Baias alluit.

Puteolanus, maris Tyrrheni, ſic à Puteolis urbe Campaniæ, inter Miſenum promontorium ad occaſum & promontorium Minervæ ad ortum, *Golfo di Napoli*; qui à forma etiam Crater nominatur à Strabone, Ferr. Baudrando hic ſinus aliàs amplior complectebatur ſinum Puteolanum proprium & Neapolitanum, extendebaturque à Miſeno promontorio ad Boream, uſque ad promontorium Minervæ: Nunc autem multò anguſtior extenditur tantùm à Miſeno promontorio ad montem Pauſilippum & *Golfo di Pozzuolo* vulgò dicitur, *Golfe de Pouzzol* Gallis, in ora Campaniæ felicis.

Crater, ſeu ſinus Neapolitanus, *Golfo di Napoli* incolis, *Golfe de Naples* Gallis, fuit aliàs pars Puteolani, & extenditur à monte Pauſilippo ad Boream ad promontorium Minervæ in meridiem, in ora Campaniæ felicis.

Pæſtanus, maris Tyrrheni, à Pæſto urbe Lucaniæ exſtincta, inter promontorium Minervæ ad occaſum & Palinurum ad ortum, *Golfo di Agropoli*; qui & Poſidoniates, à Poſidonia urbe eadem Pæſto. Ferr. Baudrando *Golfo di Salerno*, eſt in ora Principatus citerioris. Dictus fuit etiam aliàs *Poſidoniates*.

Talaus ejusdem maris, à Talao urbe sive oppido in Lucaniæ & Brutiorum confinio, inter Palinurum promontorium ad Occasum & Tyllesium promontorium ad Ortum, apud Amantiam urbem, *Golfo di Policastro, & della Scalea*, Ferrar. Baudrando meliùs dicitur ab omnibus Laus sinus, *Golfo di Policastro*, seu *della Scalea*, estque in ora Lucaniæ.

Terinæus, ejusdem maris, à Terina oppido Brutiorum, qui & *Hipponiates*, & *Vibonensis*, & *Napitinus*, ab oppidis illius oræ nominatur, *Golfo di S. Eufemia*, Ferrarius. Baudrando *le Golfe di sainte Euphemie* Gallis, est in ora Occidentali Calabriæ ulterioris, inter Lametum promontorium ad Boream & Baticanum ad Meridiem.

Scylleticus, sive Scylaceus, maris Ausonii, à Scyllacio urbe magnæ Græciæ, inter Cocinthum promontorium ad Meridiem & Lacinium ad Septentrionem, *Golfo di Squillaci*, Ferrarius. Baudrando dicitur aliter à nautis *Golfo delli Castelli*, ab oppidulo eiadjacente in ejus parte Boreali; estque in ora Orientali Calabriæ ulterioris.

Tarentinus, ejusdem maris, à Tarento urbe magnæ Græciæ extrema, in Salentinorum confinio, inter Lacinium promontorium magnæ Græciæ ad Meridiem & Japygium promontorium Salentinorum ad Boream & Ortum. *Golfo di Taranto.*

Hyrias & Urias, Apuliæ Dauniæ ad Garganum montem, *Golfo di Rhode*, Ferrar. Baudrando Urias sinus hodie *Golfo di Manfredonia*, seu *di Siponto* dicitur; estque pars maris Adriatici, in ora regni Neapolitani & provinciæ Capitanatæ, prope Manfredoniam & Garganum montem.

Hadriaticus sinus, seu Adriaticum mare & Superum, *Golfo de Venise, & mer Adriatique* Gallis, extenditur inter Italiam ad Occasum & Illyricum ac Albaniam ad Ortum, à Venetiis in Boream Hydruntum usque ad Epirum. Vide *Illyricus sinus latè sumptus.*

Tergestinus, pars Hadriatici, in Bor. extensa, inter Carnos & Histros, *Golfo di Trieste*, Ferrar. Baudrando extenditur inter Sontii fluvii ostia & promontorium Albram, prope Umacum.

Flanaticus sinus maris ejusdem, *Golfo Carnero* dicitur, versùs Curictam & Absorum insulas & Istriam provinciam. Sed inter Japodes & Curictam insulam vulgò *Golfo di Buccarizza* dicitur.

Naronensis sinus, *Golfe de Narenza*, pars est maris Adriatici, & sinus oblongus longè per terras excurrens, versùs oram Dalmatiæ & propè Naronem. Dicitur ab aliis Manius sinus, teste Joanne Lucio; estque inter peninsulas Hillis & Nesti.

Rizonicus, sive Rhizonicus, maris Illyrici, à Rhizinio urbe Dalmatiæ, quæ & Rhisinium, inter illam ad Occidentem & Butuam ad Meridiem, *Golfo di Cataro.*

Illyricus sinus strictè sumptus pars est sinus Adriatici, & vulgò *Golfo dello Drino* Italis, *Golfe du Drin* Gallis, quia in eum influit Drilo fluvius; estque in ora Albaniæ regionis.

Oricus sinus, hodie *Golfo della Valona* Italis, pars est maris Hadriatici, in ora Australi Albaniæ, prope Acroceraunios montes.

Buthroti sinus, aliter *Pelodes*, vulgò *Golfo di Butronto*, pars est maris Jonii, in ora Epiri, ex adverso Corcyræ insulæ, & in ejus introitu sita est urbs Buthrotum, unde sinui nomen.

Ambracius, maris Jonii, ab Ambracia urbe Epiri inter Nicopolim urbem ad Boream & Actium promontorium ad Austrum, *Golfo dell' Arta.*

Corinthiacus, maris prædicti, à Corintho urbe Achajæ Peloponnesiacæ primaria dictus, inter Rhium ac Antirrhium promontoria ad os illius, & Corinthum in isthmo & intimo in Ortum recessu 80. mill. pass. extensus, qui & Crissæus in ora Phocidis dicitur, *Golfo di Coranto, & Golfo di Lepanto.*

Crissæus, pars est Corinthiaci, qua Crissam urbem & loca vicina alluit.

Chelonates, qui & Chelonites, ejusdem maris, inter Chelonatem & Ichthim promontoria oræ Eleæ Peloponnesiacæ regionis, *Golfo di Clonata*, sive *di Castel Tornese*, parvus, Ferrarius. Baudrando hodie *Golfo dell' Arcadia* dicitur, seu *de l' Arcadian* quibusdam.

Cyparissius, ejusdem maris, inter Cyparissium & Coryphasium promontoria Cyparissiæ regionis Peloponnesi, *Golfo della Guardia*, sive *di Zonchio*, & ipse parvus, Ferrarius. Baudrando hodie *Golfo di Zonchio*, parvus est, inter Ichtum & Coryphasium promontoria, in ora Messeniæ & Elidis.

Messeniacus, ejusdem maris, sic à Messenia regione Peloponnesi, qui & Coronæus, & Asinæus, *Golfo di Coron*, inter Acritam promontorium ad Occasum & Tænarium promontorium ad Ortum centum millia passuum, quanta est ora Messeniæ regionis. Dicitur etiam *Golfo di Calamata* à nautis, ab oppido adjacente.

Laconicus, in ora Peloponnesi Australi, ubi Laconica regio, à qua nominatur, inter duo promontoria, Tænarium ad Occasum, quo à Messeniaco dividitur, & Maleacum ad Ortum, 84. mill. pass. in longitudine patens. Hodie *Golfo di Castel Rampani* dicitur, quanquam aliqui scribant dici *Golfo de Colochina*, sed malè.

Argolicus etiam Peloponnesi in ora ad Orientem, inter Maleam promontorium ad Austrum, quo à Laconico secernitur, & Scyllæum promontorium Argiæ ad Arctos, 177. mill. pass. patens, *Golfo di Napoli di Romania*, Ferrar. Baudrando pars est maris Ægæi, & *Golfo di Napoli*, seu *di Napoli di Romania* dicitur, à Nauplia urbe adjacente in ejus parte Boreali.

Saronicus, postremus Peloponnesi, inter Scyllæum promontorium ad Meridiem, quo ab Argolico dividitur, & Spiræum promontorium ultimum Argiæ in Arctos isthmum versùs; sic à Saronide palude Argiæ, vel à Saronico portu ad isthmum: qui sinus apud Strabonem (à quo & Salaminiacus appellatur) magis patet, oram Atticæ attingens, haud minor Argolico: *Golfo del Engia*; è regione Corinthiaci, ab eo isthmo divisus, ac in Ortum vergens, Ferrar. Pars est maris Ægæi, extenditur inter Atticam ad Boream & Peloponnesum, seu inter Sunium promontorium ad Boream & Scyllæum ad Meridiem, Baudr.

Megaricus, pars Saronici, qua Megaridis oram alluit.

Euboicus, ab Eubœa insula, qui & Opuntius ab urbe, & Oetæus à monte, & Maliacus nominatur, in Cenæum promontorium Eubœæ Boreale, & Thermopylas extremum montis Oetæ 70. stadiis mari, sed per littora multò longior, inter Euripum & Thermopylas 68. mill. pass. *Golfo di Negroponte, & Golfo di Zitoni*, tametsi Euboicus tantùm dici videtur, qua ipsam Eubœam attingit, Ferrar. Baudrando hic sinus nunc *Golfo del Zitoni* dicitur; & ejus pars inter Achajam & Eubœam insulam dicitur *Golfo di Talanti* à nautis.

Pagasicus Plinio, qui & Pelasgicus Ptolemæo, & Pagasiticus Straboni, Thessaliæ, inter Thermopylas ad Meridiem & Magnesiam ad Boream, promontorium in Macedoniæ confinio, supra 60. mill. pass. *Golfo di Armiro, & Golfo del Vollo.* Potius *Golfo del Volfo*; ab arce ei adjacente; extenditurque ad 30. milliaria tantùm.

Thermaicus Plinio, sive *Thermæus* Straboni, Macedoniæ: qui & *Macedonicus* Plinio, amplissimus, ad 100. mill. pass. inter Magnesiam promontorium ad Meridiem; in Thessaliæ confinio, & Canastræum promontorium ad Septentriones, in quo Cassandrea & Thessalonica, *Golfo di Salonichi.*

Toronaicus, Macedoniæ, à Torone oppido, *Golfo di Rampa*, inter Canastræum promontorium, quo à Thermaico separatur, & Ampelum oppidum & promontorium, Ferrar. Baudr. hodie *Golfo d' Ajomama* dicitur, Sansone, Brietio, & aliis testibus. Dicitur etiam *Golfo di santa Anna* à nautis.

Singiticus, ejusdem regionis Borealior, à Singo oppido, *Golfo di Monte Santo*, inter Ampelum promontorium, quo à Toronaico discluditur, & Nymphæum promontorium apud montem Athon: quibusdam *Golfo di Fassio*, seu *di Doari*; estque in ora Thraciæ.

Strymonicus, ejusdem regionis postremus, *Golfo di Contesa*, inter montem Athon & ostia Nesti fluvii, ubi Arethusa, Oesima, & Neapolis urbes.

Melanes, vel Melas, Thraciæ, inter Ænum urbem Thraciæ, & Mastusiam promontorium Chersonesi, *Golfo di Caridia*, à Cardia urbe in intimo recessu, Ferrar. Baudr. pars maris Ægæi, in ora Thraciæ, hodie *Golfo di Eno*, à multis dicitur, teste Brietio; aliis autem est *Golfo di Magarise*, ab urbe ampla Chersonesi Thraciæ, quod forsan meliùs.

Chrysoceras sinus, aliis Cornu Byzantiorum, teste Petro Gyllio, pars est Bosphori Thracii; extenditurque inter Constantinopolim & Galatam, in ora Thraciæ per decem milliaria.

Carcinites, Sarmatiæ Europææ ad isthmum Tauricæ Chersonesi; sic à Carcina oppido dictus, *Golfo di Nigropoli*, parvus, Ferrarius. Baudrando est pars Ponti Euxini, & dicitur à nautis *Golfo di Moscovia*; extenditurque ad centum mill. pass. ab Africo in Cæciam.

Cercericus, Sarmatiæ Asianæ oram ad Euxinum mare, ubi Cercetii populi, alluens.

Coretus sinus, pars est Occidentalis Mœotidis paludis; versùs Bugem lacum & Tauricam Chersonesum. Sed de ejus recenti nomine non constat.

Cantageus, Sarmatiæ Asianæ post Cercericum.

Cyclaminus, sinus Bosphori Thracii in ora Bithyniæ, nunc Soltanicus sinus dicitur, teste Petro Gyllio; estque satis parvus.

Astacenus, Bithyniæ ad Propontidem, *Golfo di Comidia*, ab Astaco oppido, inter Acritam promontorium ad Boream, & Posidium promontorium ad Meridiem, in quo Nicomedia, ferè 90. mill. pass. patens.

Nicopolitanus, ibidem, à Nicopoli urbe, inter Posidium promontorium, ab Astaceno separans, & Dascylon urbem, *Golfo di Montanea*, Ferrar. Baudrando pars est Propontidis, & vulgò *Golfo di Polimeure* dicitur; estque in Asia minori.

Idæus, Phrygiæ minoris; qua Idam montem & loca finitima attingit.

Adramyttenus sinus pars est maris Ægæi, inter oram Mysiæ majoris, in Asia minori, versùs Adramyttum urbem & Lesbum insulam; & vulgò *Golfo di Andrimiti* dicitur. Ab antiquis etiam pro Idæo sumitur.

Smyrnæus finus, *Golfo di Smirna*, pars maris Ægæi in ora Asiæ minoris & Æolidis atque Joniæ, inter Ægam promontorium ad Boream & Argennum ad Austrum.

Jassius, Cariæ, ab Jasso urbe, inter Posidium promontorium apud Miletum, & Halicarnassum urbem ad Meridiem, *Golfo di Messi*. Ab aliis dicitur *Golfo di Milasso*, & meliùs; estque inter Posidium promontorium & Mindum urbem.

Ceramicus, ibidem, inter Halicarnassum & Gnidum urbes; sic à Ceramo urbe, *Golfo di S. Pietro*.

Glaucus finus, Asiæ minoris in Caria, *Golfo de Macre* hodie dicitur.

Attalicus, Pamphyliæ, ab Attalia urbe, *Golfo di Settalia*, inter Olbiam ad Occasum & Sidam ad Ortum, supra 54. mill. pass. longitudine.

Issicus, Ciliciæ, ab Isso urbe, inter ostia Pyrami & Orontis ad 100. mill. pass. *Golfo del Ajazza*.

Sirbonis, Palæstinæ, apud fines Ægypti, inter paludes, inter Casium montem & Pelusium, *Golfo di Tenese*, olim 150. mill. pass. circuitu. Ferrar. Baudrando veriùs est palus, nunc *le Baranguerlu* dictus à nautis; ibiq; nullus est portus seu statio navium in ora littorali, neque etiam ad multa milliaria.

Syrtis magna, Africæ, in confinio Cyrenaicæ, *Golfo di Solocho*, ambitu 625. mill. pass. Inter promontorium Trierorum Africæ ad Occasum, & Boreum promontorium Cyrenaicæ ad Ortum. Ferrar. Baudrando dicitur hodie à Gallis *Seiches de Barbarie*, ab Hispanis *Baxes de Barberia*, & ab Italis *Golfe de Sidra*, Sansone teste; estque in ora Cyrenaicæ & Tripolitanæ regionum.

Syrtis parva, Africæ, inter Brachodem ad Occasum & Zetham ad Ortum Africæ promontoria, ambitu 300. milliar. pass. patens, ad quam Neapolis & Leptis magna, vulgò Tripoli, *Golfo di Capes*.

Adrumeti finus, *Golfe de Mahometè*, seu *de Hammamet*, aliàs in Africa propria, hodie in regno Tunetano, prope Adrumetum; & inter Mercurii promontorium ad Boream & Syrtim parvam ad Meridiem.

Carthaginensis finus, hodie Tunetanus, *Golfe de Tunis*, in ora Africæ & regni Tunetani, prope Tunetum & rudera Carthaginis.

Hipponensis, ab Hippone urbe dictus, inter Hermæam promontorium & Numidicum, *Golfo di Bona*.

Olcachites, ejusdem Africæ, *Golfo di Stora*, inter Hippos ad Ortum & Tretum ad Occasum promontoria: in eo Collops parvus.

Numidicus, ejusdem regionis, in Mauritaniæ Cæsariensis confinio, *Golfo di Estora*, inter Ampsagam fluvium terminum Mauritaniæ & Africæ ad Occidentem, & Tretum promontorium ad Ortum: in eo Collops magnus, Ferrar. Baudrando Numidicus finus parvus in ora Numidiæ regionis, hodie *Golfe du Colle* dicitur à Gallis, à Chullu urbe adjacente; vixque 6. leucis distat à finu *de Store* dicto in Occasum.

Catanensis finus, *Golfo di Catania*, pars est maris Jonii in ora Orientali Siciliæ, inter Catanam & Augustam.

Panormitanus finus, *Golfo di Palermo*, pars est maris Tyrrheni in ora Boreali Siciliæ, prope Panormum.

Castri finus ad mare, *Golfo di Castel à mare*, finus est maris Tyrrheni in ora Occidentali Siciliæ, ad Segestanorum emporium, atque medius inter Panormum & Drepanum.

Calaritanus finus, *Golfo di Calari*, finus est maris Mediterranei in ora Orientali Sardiniæ, prope Calarim ejus primariam.

Sulcitanus finus, *Golfo di Palma*, est in ora Australi Sardiniæ insulæ, Africæ obversa, prope Sulci rudera & Euosim insulam.

Arboreus finus, *Golfo di Oristagni*, pars est maris Mediterranei in ora Occidentali Sardiniæ insulæ, prope Arboream.

Terræ novæ finus, *Golfo di Terra nova*, est in ora Orientali Sardiniæ & in ejus parte Boreali, inter Terram novam oppidum & Hermæam insulam.

Casalus finus, *Golfo di Calvi*, pars est maris Mediterranei, in parte Occidentali Corsicæ insulæ, prope Calvium.

Sinus S. Florentii, *Golfo di S. Fiorenzo*, est in parte Boreali Corsicæ insulæ, prope arcem S. Florentii & Nebii rudera.

Adiacii finus, *Golfo di Adiazzo*, pars est maris Mediterranei, in parte Occidentali Corsicæ insulæ, prope Adiacium seu Urcinium.

Amphimalus finus, *Golfo de Suda*, pars est maris Ægæi, in ora Boreali Cretæ insulæ, & in ejus parte Occidentali, versùs Cydoniam urbem.

Sitiæ finus, *Golfo di Sitia*, est in ora Boreali Cretæ insulæ, & in ejus parte Orientali, prope Sitiam urbem.

Spinæ longæ finus, *Golfo di Spina longa*, pars maris Ægæi, in ora Boreali Cretæ insulæ, prope Spinam longam arcem littoream, & inter Sitiam ad Ortum & Candiam ad Occasum.

Sunt & finus maris Baltici, *Codanus*, *Cimbricam* Saxon. partem, sive Vandaliam alluens, in quo Daniæ insulæ plures sunt; *Venedicus*, latissimè patens inter ostia Vistulæ & Narvæ, Prussiam, Samogitiam, Livoniamque lustrans, *Finnicus*, inter Finlandiam & Careliam; & *Bothnicus*, inter Finlandiam & Bothniam, Ferrar. Baudrando Codanus finus sæpissimè sumitur pro mari Baltico, inter Daniam, Germaniam, Poloniam & Sueciam extensô. Vide *mare Balticum*, & *Codanus finus*.

Bothnicus finus, vulgò *Golfe de Bothnie*, in Arctos excurrit inter Sueciam propriam, Bothniam, & Finniam.

Finnicus finus, vulgò *Golfe de Finlande*, in Ortum extenditur inter Finniam, Careliam, Ingriam, & Livoniam.

Rigensis finus, vulgò *Golfe de Rige*, pars est maris Baltici, inter Livoniam propriam, Curlandiam, & Osiliam insulam extensa; aliasque Clilipenus dictus fuit.

Grandvicus finus, seu mare Album, vulgò *la mer Blanche* Gallis, *Bellà more* Moschis, *de Witte Zée* Belgis, pars est maris Septentrionalis, per Lapponiam extensa. Vide *mare Album*.

Austrinus finus, vulgò *Zuyderzée* Belgis, *mer du Zud* Gallis, pars est Oceani Germanici, inter provincias Hollandiam, Frisiam Occidentalem, Gueldriam, & Transisalanam excurrentis. Vide *Austrinum mare*.

Gaditanus finus, vulgò *Baya de Cadiz* Hispanis, *Golfe de Cadis* Gall. pars est Oceani Atlantici, in ora Vandaliæ & Gaditanæ insulæ; quibusdam autem pars est finus Equarum.

Equarum finus, vulgò *Golfo de las Yeguas* Lusitanis, *Golfe des Jumens* Gallis, pars est Oceani Occidentalis, inter promontorium Sacrum ad Boream & promontorium Cantinum ostiaque Ommirabihl fluvii ad Meridiem.

Sunt etiam alii Sinus maris Mediterranei, uti & Ponti Euxini, & maris Caspii. Sed eos propriis locis descriptos invenies, uti & finus Oceani, tum in insulis, tum etiam alibi.

Sinus Oceani apud Ptolemæum & alios, à Freto Herculeo inchoando:

Emporicus, Mauritaniæ Tingitanæ, inter Subur fluvium & montem Atlantem minorem, *Golfo di Sella*. Quibusdam est *Golfo de Salé*, finus parvus Afr. in ora regni Fezzæ, prope Salam urb.

Hesperius, Libyæ interioris, inter Ryssadium & Cornu Hesperii, *le Seche delle Garze*, Ferrar. Baudrando *Golfe de S. Thomas*, dicitur aliter Æthiopici finus intimus recessus; estque inter oram Orientalem Guineæ & regni Benini ad Boream, & Æthiopiam inferiorem ad Ortum, sed longè à Cornu Hesperii.

Barbaricus, Æthiopiæ sub Ægypto, inter Raptum promontorium ad Meridiem, & Aromata promontorium ad Septentrionem, *Golfo di Melinde*, Ferrar. Baudrando Barbaricus finus, seu Asperum mare, prope Raptum promontorium, hodie *mer de Zanguebar* dicitur; estque in parte Orientali Æthiopiæ propriæ: & ejus pars admodum parva est finus Melindæ.

Avalites, ejusdem regionis, inter Aromata & fauces finus Arabici, *Golfo di Zeilan*. Parvus est.

Arabicus, inter Arabiam & Ægyptum, Æthiopiamque sub Ægypto, ad 350. leucas, hoc est, 1050. mill. pass. inter fauces & intimum illius recessum extensus, *il Marasso*, Ferrar. Baudrando hodie *la mer Rouge*, seu etiam *mer de la Mecque* dicitur à Gallis, & *mare Rosso* ab Hisp. Vide *Arabicus finus*, & *Mare Rubrum*.

Adulicus, pars finus Arabici, Æthiopiam sub Ægypto alluens, inter fauces illius & Colobon promontorium, in quo Adulis urbs, *Golfo di Ercocò*.

Heroopolites, pars Arabici in intimo recessu, ubi Heroum urbs, Ferrarius. Baudrando nunc *Golfe de Suez* dicitur; estque in parte Borealiori finus Arabici, inter Ægyptum & Arabiam petræam.

Ælaniticus, pars finus Arabici, in Arabiæ petrææ & felicis confinio, ubi Ælana urbs, *Golfo di Elzor*.

Sachalites, Arabiæ felicis in ora ad Ortum, inter Syagrum ad Meridiem, & Corodamum promontorium ad Boream, *Golfo di Sachalat*.

Persicus, inter Arabiam ad Meridiem & Persidem cum Susiana ad Boream, 255. leucis extensus, *Golfo di Persia*, Ferrar. Baudr. hunc *Golfe de Balsora*, & *mer d'Elcatif* dicitur; seu etiam *Golfe de Perse*; & ejus pars Orientalis, seu extra ejus fauces dicitur finus Armuzianus.

Ichthyophagorum Macarum, Arabiam alluens, pars Persici.

Leanitis, pars Persici, Arabiam felicem alluens.

Sacer, pars Persici, inter Leanitem & Mesanitem, Arabiam alluens in intimo ferè recessu.

Mesanites, pars Persici, Arabiam alluens.

Pelodes, pars Persici, Susianæ regionis oram alluens.

Paragonticus, Carmaniæ, inter promontoria Carpellam ad Occasum & Alabagium ad Ortum, *Golfo di Gugerath*, Ferrar. Baudrando Paragonticus finus Carmaniæ, forsan est *Golfe de Guadel*, ut conjicitur ex situ. Sed longè distat à tractu *Guzarate* in Occ.

Canthi finus, *Golfe de l'Inde*, finus est Indiæ intra Gangem, prope ostia Indi fluvii; & versùs confinia Imperii Persarum, teste Sansone.

Barygazenus, primus finus Indiæ, inter ostia Indi fluvii & finum sequentem Canthicolpicum, *Golfo di Cambaja*, sic à Barygaza urbe. Forsan inter Canthi ad ostia Indi, & Colchicum finum sequentem: hoc enim ordine ponuntur, Canthi vel Canthicus, Barygazenus, Colchicus, Ferrar. Baudr. *Golfe de Cambaye* dicitur ab urbe adjacente, seu *de Guzarath* à regno vicino.

Colchi-

Colchicus, ejusdem Indiæ citerioris, inter Comariam & Cory promontoria, sic à Colchi urbe, *Golfo di Cochin*. Quid sit non constat.
Orgalicus, Indiæ, inter Cory promontorium Australissimum, & Taprobanam insulam, *Golfo di Zeilan*, sub quo & Argaricus Orgalicum sequens continetur, Ferrarius. Ubi fuerit difficile est dicere; & inter Cory seu Commaria extrema & Taprobanam est fretum *Manar* dictum, sed nullus sinus, neque prope Cocinum, Baudr.
Gangeticus, qui & Magnus, inter Indiam citeriorem & ulteriorem, omnium maximus, circuitu 1250. leucis Hispanicis, latus in ore 400. inter Cory promontorium citerioris, & Colon ulterioris, *Golfo di Bengala*, sic à Gange fluvio in eum influente dictus.
Sabaracus vel Sarabacus, Indiæ ulterioris, Magno ad Meridiem attiguus, juxta Auream Chersonesum, ab ea in Boream recedens, *Golfo di Savolas*. Ferrar. Baudrando hic sinus Gangetico attiguus est, *Golfe de Martaban*. Sed longè distat à Magno sinu in Ortum.
Perimulicus sinus, Indiæ ulterioris, est *Golfe de Siam*, sic dictus à regno adjacente.
Sinus Magnus, *Golfe de Haynam*, seu *de la Cocinchine*, extenditur inter Indiam Ulteriorem & Sinarum regionem.
Sinarum, qui & Chryse, Sinas alluens, *Golfo della China*, Ferrarius. Baudrando Sinarum sinus seu intimus recessus, hodie *Enseada de Nanquin* Lusitanis, est in parte Orientali Sinarum, versus Coream. Aliis dicitur *Golfe de Gang*, seu *de Zang*.
Manilhanus, seu Cavitæ sinus, *Bahia da Cavita*, pars est Oceani Indici, in parte Occidentali Manilhæ insulæ, in Philippinis, & prope Manilham urbem.

Sinus maris Mediterranei ex ordine occurrentes.

Virgitanus.
Illicitanus.
Sucronensis, Hispaniæ.
Lugdunensis, Galliæ.
Astromela, Provinciæ.
Sambracitanus, Provinciæ.
Rapallensis, Liguriæ.
Lunensis, qui & Erycis, Liguriæ.
Plumbini, Hetruriæ.
Formianus, seu Phormianus, & Cajetanus, Latii novi.
Bajanus, qui & Puteolanus, Cumanus, & Crater, Campaniæ.
Pæstanus, qui & Posidoniates.
Laus, Lucaniæ.
Hipponiates, qui & Terinæus, & Napitinus, Brutiorum.
Scyllaceus.
Tarentinus, magnæ Græciæ.
Hyrias, qui & Urias, Apuliæ Dauniæ.
Adria, sive Hadria cum aspiratione, qui & Adriacus & Adriaticus, sive Hadriacus & Hadriaticus, Venetiæ.
Tergestinus, Carnorum & Histriæ.
Flanaticus, Histriæ & Liburniæ.
Naronensis, Dalmatiæ.
Rhizonicus, Dalmatiæ.
Illyricus, Macedoniæ.
Onæus, Macedoniæ.
Buthroti, Epiri.
Ambracius, Epiri.
Corinthiacus.
Crissæus, pars Corinthiaci.
Chelonates, qui & Chelonites.
Cyparissius.
Coronæus, qui & Messeniacus, & Asinæus.
Laconicus.
Argolicus, Peloponnesi.
Saronicus, qui & Salaminiacus, & Megaricus, Peloponnesi & Atticæ.
Euboicus, Eubœæ.
Opuntius, qui & Maliacus, & Oetæus, Phthiotidis.
Pagasicus, qui & Pelasgicus, Thessaliæ.
Thermæus, qui & Thermaicus.
Toronaicus.
Singiticus.
Strymonicus, Macedoniæ.
Melanes, Thraciæ.
Chrysoceras, Thraciæ.
Carcinites, Sarmatiæ Europææ.
Cercetius.
Cantangent, Sarmatiæ Asianæ.
Cyclaminus.
Astacenus.
Nicopolitanus, Bithyniæ.
Idæus apud Trojam, Phrygiæ.
Adramyttenus, Asiæ minoris.
Smyrnæus, Asiæ minoris.
Ceramicus, Cariæ.
Attalicus, Pamphyliæ.
Issicus, Ciliciæ.
Sirbonis, Palæstinæ.
Syrtis magna.
Syrtis parva.
Carthaginensis, Africæ.
Hipponensis.
Olachites, Africæ.
Numidicus, qui & Laturus, Numidiæ.
Sunt & sinus aliquot insularum maris Mediterranei, velut Sardiniæ, Siciliæ, Corsicæ, Cretæ, & Cypri.

Sinus Oceani apud veteres per ordinem;

Emporicus, Mauritaniæ Tingitanæ.
Hesperius, Libyæ interioris ad Occidentem.
Barbaricus, qui & Troglodyticus.
Avalites, apud fauces sinus Arabici.
Adulicus, pars Arabici, Æthiopiæ sub Ægypto.
Heroopolites & Ælanites, partes Arabici, Arabiæ petrææ.
Arabicus inter Africam & Arabiam.
Sachalites, Arabiæ felicis ad Ortum.
Persicus, cujus partes sunt Capeus, & Gerraicus, ubi Gerra urbs ampla, inter Arabiam & Persiam.
Sinus Ichthyophagorum Macarum, Leanitis, Sacer, ac Mesanites, partes Persici, in Arabia.
Pelodes, pars Persici, in Susiana.
Paragon seu Paragonticus, Carmaniæ.
Canthicus, apud ostia Indi.
Colchicus, apud Camariam promontorium.
Orgalicus, qui & Argaricus, apud Cory promontorium, Indiæ citerioris.
Gangeticus, qui & Magnus.
Sarabacus, pars Gangetici, Indiæ ulterioris.
Perimulicus, Indiæ ulterioris.
Magnus sinus, Sinarum.
Sinus Antonii Ægidii, *Baye d'Antongyl*, seu *de Manghabei*, sinus est Africæ, in parte Boreali Madagascariæ insulæ, seu Delphinæ, & in ejus ora Orientali, ubi colonia Francorum.
Sinus S Augustini, *Baye de S. Augustin*, est in parte Australi Madagascariæ insulæ, ubi ora in Occasum tendit. Dicitur etiam *Jonghe labe* ab incolis; ibique inest colonia Francorum.
Sinarum, qui Chryse, & Magnus, apud Satyrorum promontorium.
Sunt præter hos sinus alii insularum Oceani, uti Albionis, Hiberniæ, Taprobanes, & aliarum.

Sinus Oceani in America per ordinem:

Sinus Hudsonius, *Golfe de Hudson* Gallis, *Hudson Bay* Anglis, sinus Americæ Septentrionalis peramplus, versùs Terras Arcticas & Estotilandiam, ab Anglis detectus. Ejus partes sunt Jacobi sinus & sinus Magnus seu Liberatio, in parte Australi.
Sinus Buttonius, *Buttons Bay*, sinus Americæ Septentrionalis in mari Christiano, versùs novam Daniam & Terras Arcticas.
Sinus Baffinii, *Baffins Bay* Anglis, sinus amplus in Terra Arctica, à Baffinio Anglo detectus paucis abhinc annis, & maximè in Septentrionem extensus.
Sinus S. Laurentii, *Golfe de S. Laurent*, pars ampla maris Borealis, inter ostium fluvii S. Laurentii ad Occasum & insulam Terræ novæ in nova Francia ad Ortum; In eo sunt plurimæ insulæ, sed præsertim Sancti Joannis, promontorii Britonum, & Assumptionis.
Sinus Mortuorum, *Baye des Trepassez*, est in nova Francia, & in parte Australi insulæ Terræ novæ.
Sinus Gallicus, *Baye Françoise*, sinus Americæ Septentrionalis, & pars maris Borealis, in nova Francia, & in Acadia provincia; inter novam Angliam ad Occasum, & promontorium Arenarum ad Ortum, versus Portum Regium.
Sinus Chesapeacus, *Chesapeak Bay*, pars est maris Borealis, in America Septentrionali, & in Virginia regione.
Sinus Spiritus Sancti, *Bahia del Spiritu Santo*, seu *mare Pequeno*; pars est sinus Mexicani, in America Septentrionali, & in ora Floridæ regionis.
Sinus Mexicanus, *Golfe de Mexico*, pars maris Borealis, in America Septentrionali, versùs oram Floridæ & Novæ Hispaniæ. Vide *Mexicanus sinus*.
Sinus Honduræ, *Golfe de Honduras*, pars maris Borealis, in America Septentrionali, & in Nova Hispania. Ejus intimus recessus dicitur *Golfo de Guanajos* ab Hispanis.
Sinus Vrabæ, *Golfe de Vraba*, pars maris Borealis, in America meridionali, versùs Isthmum Panamæ, & inter provincias Terræ firmæ & Carthaginis novæ. Vide *Vraba sinus*.
Sinus Venezuelæ, *Golfe de Venezuela*, sinus maris Borealis, in America Meridionali. Dicitur aliter *Golfe de Coro*; estque in Venezuela provincia. Vide *Venezuela sinus*.
Sinus Pariæ, *Golfe de Paria*, pars est maris Borealis, in ora Americæ Meridionalis, inter Pariam seu novam Vandalitiam provinciam & insulam Trinitatis.

Sinus omnium Sanctorum, *la Bahia de todos os Santos*, sinus parvus Americæ Meridionalis in Brasilia regione, in ejus ora Orient. & in Præfectura cognomine, juxta Soteropolim urbem.

Sinus Laborum, *Bahia de los Trabajos*, sinus est Americæ Meridionalis, in mari Magellanico, & in ora Orientali Magellanicæ regionis, prope portum Desideratum.

Sinus Valentinus, *Valentyns Bay*, sinus Americæ Meridionalis, in Magellanica regione, & in parte Orientali Terræ Ignium, prope fretum Maereum.

Sinus S. Michaëlis, *Golfo de S. Miguel*, sinus maris Austrini, in America Meridionali, & in ora provinciæ Terræ firmæ, prope sinum Panamæ.

Sinus Bonaventuræ, *Bahia de Bonaventura*, sinus maris Austrini, in America Meridionali, & in ora regionis Popajani.

Sinus Panamæ, *Golfo de Panama*, sinus maris Austrini, in America Meridionali, prope Panamam & juxta Isthmum, inter utramq; Americam. Vide *Panama sinus*.

Sinus Salinarum, *Golfo de Salinas*, pars est maris Australis, in ora novæ Hispaniæ & Guatimalæ Præfecturæ.

Sinus Præfectura, *Capitania de la Bahia*, seu Præfectura sinus omnium Sanctorum, *Capitania de la Bahia de todos os Santos*, provincia Americæ Meridionalis, in Brasilia regione, & in ejus ora Orientali. Terminatur à Septentrione Præfecturâ Seregippæ, & à Meridie Præfectura Insularum; Ejus primaria est Soteropolis seu fanum S. Salvatoris, *S. Salvador*, totius Brasiliæ facilè caput, ad sinum omnium Sanctorum.

Sinzita, urbs Armen. minor. Ptolem.

Sioda, Albaniæ opp. Idem.

Sion, arx Bohemiæ, cujus dominus Joh. Rohaczius Baro, ob religionem, cum 60. comitibus, & Evangelii præcone, strangulatus est, An. Chr. 1436. Camerar. *Hist. Fratr.*

Sion, id est, *acervus, tumulus*, vel *specula*, mons Jerusalem, qui aliàs *mons Domini*, item & *mons sanctus* dicitur, in cujus vertice erat arx constructa, quæ à Davide civitas Davidis vocabatur, 2. Regum *cap.*4.

Sion, mons Amorrhæorum, qui & *Hermon*. Deut. 4.

Sionia, urbs Pontica, Steph.

Sior, civitas in tribu Judæ, Jos. *cap.*15. Item, in tribu Aser. *Sihor* etiam, Hieron.

Siorium, urbs Asiæ, Sengadæ prov. caput, Coreæ regni prim. ubi Rex Coreæ, sub clientela Regis Sinar. commoratur; 60. leuc. ab ora Austr. Regni, juxta fluv. Magnum. Henr. Hamelius Gorcomensis αὐτόπτης.

Siparuntum, Ptolem. opp. Dalmatiæ mediterr. in Mysiæ super. confin. *Selatina* Moletio.

Siph, eremus in Palæstinâ, 1.Sam.23.

Sipha, vel *Siphe*, opp. Bœotiæ ad sin. Crissæum, *Rosa* Sophiano. Navale Thespiacæ, Stephan.

Siphara, Ariæ urbs, Ptolem.

Siphax, vulgò *Yphax*, opp. Hispan. Bæt. apud Calpen, eversum, à Siphace Rege conditore.

Siphea, vide *Sypheum*.

Siphnos, quæ & *Merope*, teste Stephan. seu *Meropia* & *Acis*, teste Plinio. *Sifano* Sophiano, insula maris Ægæi, una Cycladum, inter Melon ad Austrum, & Dolon ad Arctos. Siphnum (inquit vir magnus *Phæn col.* 1.14.) cætera miseram auri & argentifodinæ in immensum locupletarunt. Eustathius: Αἰγύπτιοι δέ ποτε ἀκμάζοντες τοῖς πράγμασι οἱ Σίφνιοι, καὶ πλουτοῦντες μάλιστα, διὰ τὸ χρυσοῦ καὶ ἀργυρεῖα ἐν τῇ νήσῳ εἶναι μέταλλα. Ita etiam Herodotus *Musa* 3. Νησιωτέων μάλιστα ἐπλούτεον, ἅτε ἐόντων αὐτοῖσι ἐν τῇ νήσῳ χρυσέων καὶ ἀργυρέων μετάλλων ὥστε, ὥστε ἀπὸ τῆς δεκάτης τῶν γινομένων αὐτόθεν χρημάτων θησαυρὸς ἐν Δελφοῖσι ἀνακέεται ὅμοιος τοῖσι πλουσιωτάτοισι. Et vetus auctor apud Suidam in Σίφνιοι· Οὗτοι πλουσιώτατοι ἐγένοντο, ὡς μόνοι τῶν νησιωτῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἠπειρωτῶν εὖ μάλα τυχεῖν, ἕως μὲν οὖν τὴν δεκάτην εἰς Δελφοὺς ἀπέπεμπον ἀδόλως, καὶ ἐπειδὴ τοῦ χρησμοῦ τοῦ τὸν προσέταξαν, τὰ τοῦ πλούτου αὐτοῖς ἐπέδωκεν εἶχε, φασὶ εἶναι ἀργυρεῖον μέταλλον. Idem Suidas & Phavorinus: Σιφνίους οἰκίας, καὶ καταχώσασα τοῦ τείχει, ἐν Σιφνῷ (lege Σίφνῳ) ὅσοις κατακλύσματα τοῖς ἐργαζομένοις τὰ χρύσεια μέταλλα. Ab hâc opulentiâ *Siphnus* Phœnicie dicta est צפינא *Siphna*; quia צפן *saphan*, est *recondere*. Græci reddunt θησαυρούς, Proverb.2.18. Et צפונים *sephunim* sunt *thesauri reconditi*, Symmacho ἀπόθετα, Psal.17 v.15. Quomodo Siphnii ex his opibus in summam inopiam inciderint, discere est ex Herodoto & Suidâ. Nunc *Sifane* dicitur, estque probè culta, cum urbe satis ampla in colle, 8. m. p. à Scripho in Mer. Baudr.

Siphrius, Procop. *Syfrea* Marcell. opp. fuit Mesopotamiæ, Amidæ urbi proximum, inde 150. stad.

Siplusianum, *Plusianum*, & *Prusianum*, prædium Gall. Narbon. circa Nemausum. Sidon. Vinetus.

Sipontum, *Sypus*, & *Sepius* Straboni, *Sepus* Ptolemæo aliisque *Sipus* Stephano, *Sipuntum* Melæ, *Siponto* adhuc dicta, colonia est & urbs Apuliæ Dauniæ in orâ litoreâ ad Gargani montis radices, à Diomede condita, Archiepiscop. olim, apud Manfredoniam, quæ illi successit, à Saracenis, seculo 8. terræmotu & civium discordiis eversa. Hinc *Sinus Sipontinus*, pars maris Adriatici, versus oram littoream regni Neapolit. inter oram Apuliæ, & montem Garganum, versus Siponti rudera & Manfredoniam; aliàs *Hyrias* seu *Urias* dictus. Leand. Alberti *descrip. Ital.* De origine nominis ita refert Strabo *lib.* 6. Ὠνομάσθη δὲ Σηπιοῦς ἀπὸ τῶν ἐκκυμαζομένων σηπιῶν. Livius *lib.*8. & 35. Silius *lib.*8.

Quæsivit Calaber, subductâ luce repente
Immensis tenebris, & terram & litora Sipus.

Lucanus *lib.* 5.

Quas recipit Salapina palus, & subdita Sipus
Montibus. —— ——

Sippara, Indiæ intra Gangem urbs, Ptol.

Sippas, Dux Macedoniæ sive Prætor, ab Antipatro ad bellum Lamiacum exituro constitutus, Diodor. *lib.* 18. Margo tamen lectionem paulùm discrepantem habet *Sispas*.

Sipphara, Mesopotamiæ urbs, Ptol. *Vissaopatan* Castald.

Sipte, Thraciæ urbs, Paus. *in Eliacis*.

Sipylum, & *Sipylus*, *Sipylos* Stephano, oppidum Lydiæ in Magnesiâ, absorptum, teste Plinio. Item *Sipylus*, mons ad Mæandrum fluvium prius *Ceraunius* dictus, teste Plutarch. *lib. de Fluminibus & Montibus*. Ovidius *Met.*6.

Tunc cùm Mæoniam virgo, Sipylumq; colebat.

Propertius *lib.* 2.

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba,
Sollicito lachrymans defluit à Sipylo.

Papinius *Theb.* 6.

—— *Geminis Niobe consumpta pharetris,*
Squalida bissenas Sipylon deduxerat umbras.

Permiscet autem fabulam Propertius loco adducto. Nam in Sipylo Niobe cùm flet, longè abest à liberorum bustis, quæ ad Thebas. Apollodorus *lib* 3. Αὐτὴ δὲ Νιόβη Θήβας ἀπολιποῦσα, πρὸς τὸν πατέρα Τάνταλον ἧκεν εἰς Σίπυλον, κἀκεῖ Διὶ εὐξαμένη τὴν μορφὴν εἰς λίθον μετέβαλεν, καὶ χεῖται δάκρυα νύκτωρ, καὶ μεθ' ἡμέραν τοῦ λίθου. Homer. *Iliad. lib. ult.*

Νῦν δέ που ἐν πέτρῃσιν, ἐν οὔρεσιν οἰοπόλοισιν,
Ἐν Σιπύλῳ, ὅθι φασὶ θεάων ἔμμεναι εὐνὰς
Νυμφάων, αἵτ' ἀμφ' Ἀχελώιον ἐρρώσαντο,
Ἔνθα λίθος περ ἐοῦσα θεῶν ἐκ κήδεα πέσσει.

Sira, id est, *olla*, *lebes*, *spina*, aut *rebellio*, nomen loci, in tribu Juda, 2. Regum *cap.*3. *Besira* Josepho, puteus Palæstinæ, 20. stad. ab Hebron.

Siraces, à Semiramide deficientes populos, habet Polyæn. *lib.* 8. Achardæum fluvium accolunt teste Strabone, à quo *Siraci* vocantur, & eorum regio *Siracena* supra Caucasos montes in Asiâ. Seraceni sunt per H. Ptolemæo. *Siroen* vocat Marius Niger. A quibusdam codicibus vocantur *Sirani*.

Siradia, urbs Poloniæ inferioris, Palatinatus cognomin. caput, ad Vuarrum fluvium 6. leucis Polon. à Calvisia in Eur. 10. à Lancicia in Africum.

Siramna, Indiæ intra Gangem pop. Ptolem.

Siranga, Lybiæ inter. gens, Idem.

Sirastra, nunc *Surata*. Vide ibi.

Sirbi, pop. Sarmatiæ Asianæ. Ptolem. Baudrando *Sirbi* seu *Serbi*, popul. fuere Albaniæ, inter Hyrcanum mare ad Ort. & Caspium montem ac confin. Iberiæ ad Occ.

Sirbia, seu *Serbia*, vide *Servia*.

Sirbonis, *Sirbon* Stephao. *Serbonis* Herodoto ac Diodoro Siculo, *Barathra* Polybio, palus ingens, mel. stagnum Palæstinæ in Ægypti confin. inter Casium & Pelusium, in orâ maris Syriaci, Dionys.

Ἠ δ' ὅσον ἐσπερίην ἐπ' ἰάονσι ἠιόνας
Παρ' αἰγιαλὸν τείνουσιν ἴσον Σιρβωνίδος ἄλμης.

Diodorus *libr.* 1. Ἐστὶ γὰρ ἀνὰ μέσον τῆς τε κοίλης Συρίας, καὶ τῆς Αἰγύπτου λίμνη, τῷ μὲν πλάτει στενὴ παντελῶς, τῷ δὲ βάθει θαυμάσιος, τῷ δὲ μήκει ἐπὶ διακοσίους παρήκουσα σταδίους, ἡ προσαγορεύεται Σερβωνίς. Τοῖς δὲ ἀπείροις τῶν προσπελαζόντων ἀνελπίστους ἐπιφέρει κινδύνους. Στενοῦ γὰρ τοῦ ῥεύματος ὄντος καὶ ταινίᾳ παρομοίου, θινῶν τε μεγάλων πάντῃ περικεχυμένων, ἐπειδὰν Νότοι συνεχεῖς πνεύσωσιν, ἐπισύρεται πλῆθος ἄμμου· αὕτη δὲ τὸ μὲν ὕδωρ καὶ τὸν ἐπιφάνειαν ἄσημον ποιεῖ, τὸν τε τῆς λίμνης τύπον συμφυῆ τῇ χέρσῳ καὶ κατὰ πᾶν ἀδιάγνωστον. Ejus mem. quoq; Plut. *in Antonio*. Strabo vero *lib.*17. lacum hunc turpi errore cum Asphaltite Judææ confundit, *Serbonidem* quidem nominans, sed *Asphaltiten* manifestò describens. Nunc *le Baranguerlu* vulgò dicitur, & sensim deficit. Estque in Ægypto, sed in limite Palæstinæ. Baudr.

Sirca, opp. munitum Lotharingiæ, ad Mosellam fluv. in confin. Duc. Luxemburgici. Juris est Francici ab An. 1643. 3. Gall. leuc. à Theodo nis villa in Cæc. Treviros versus 5. & 4. à Luxemburgo in Ort. Ei adjacet castrum validum in colle.

Sirenes, monstra marina, poëtarum fabulis celebratissima. Has finxerunt antiqui Acheloi fluminis, ac Terpsichores fuisse filias. Nicander autem *lib.* 3. *Mutationum*, Melpomenen Sirenum matrem fuisse scribit, alii Steropen, alii Calliopen. Hæ igitur Siculum litus incolentes, nautas prænavigantes, suavitate cantûs, in naufragium pelliciebant. Ovid. *Art. Am. lib.*3.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.

Nomina

Nomina verò illarum fuerunt *Aglaope*, *Pisinoe*, *Thelxiopia*. Ut autem Chœrilus voluit, *Thelxiope*, *Molpe*, *Aglaophonos*. Clearchus verò Solensis *in Amatoriis lib.* 3. unam illarum *Leucosiam* nominat, aliam *Ligeam*, tertiam *Parthenopen*. Mirabilis profectò dicebatur harum Sirenum suavitas cantûs, quando vel in apertam perniciem homines trahebant, efficiebantque, ut sui ipsorum obliti in manifestam cædem se trahi paterentur. Nonnus *Bassaricon lib.* 2.

Ὡς δ' ὅτε τις Σειρῆνος ἐπίκλοπον ὕμνον ἀκούων
Εἰς μόρον αὐτοκέλευστον κόρῳ εἵλκετο αὐτῆς
Θελγόμενος μελέεσσι καὶ οὐκ ἔτι κῦμα χαράσσων
Γλαυκὸν ἀκυμάντοισιν ὕδωρ λεύκαινεν ἐρετμοῖς·
Ἀλλὰ λιγυφθόγγοιο πεσὼν ἐπὶ δίκτυα μοίρης
Τέρπεται πηδαλίοιο λελασμένος, ἄγρει ἐάσας
Πλειάδος ἑπταπόροιο καὶ ἄντυγα κυκλάδος Ἄρκτου.

Idcirco cùm Minyæ per ea loca navigarent, Ancæo navem gubernante, se citharam sumpsisse scribit Orpheus *in Argonauticis*, suoque cantu Sirenum cantum retudisse. Sic enim ille:

Ἔνθα δ' ἐφεζόμεναι λιγυρὴν ὄπα γηρύουσαι
Κῆλον, ἀνοστήτους δὲ βροτῶν θέλγουσιν ἀκουάς.
Δὴ τότε δὴ Μινύαισιν ἐφήνδανε πίσις ἀοιδῆς
Σειρήνων, οὐδέ σφι παραπλώσαντες ἔμελλον
Φθογγὴν ὀλομένην, χειρῶν δέ οἱ ἧκαν ἐρετμά.

Illæ autem postea desperatione captæ, mutæque factæ in mare musica instrumenta abjecerunt, uti testatur idem poeta in his:

Δὴ τότε φορμίζοντος ἀπὸ σκοπιῆς ὑφόωντος
Σειρῆνες θάμβησαν, ἑὴν δ' ἄμπαυσαν ἀοιδήν·
Καί ῥ' ἡ μὲν λωτοὺς, ἡ δ' αὖ χέλυν ἔκβαλε χειρῶν.

Quæ omnia Apollonius ita declaravit *Argonauticon lib.* 4.

—— *Αἶψα δὲ νῆσον*
Καλὴν, ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι
Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες, ἡδείῃσι
Θέλγουσαι μολπῇσιν, ὅτις παρὰ πεῖσμα βάλοιτο.
Τὰς μὲν ἄρ' εὐειδὴς Ἀχελωΐῳ εὐνηθεῖσα
Γείνατο Τερψιχόρη Μουσέων μία. Καί ποτε Δηοῦς
Θυγατέρ' ἰφθίμην ἀδμῆτ' ἔτι πορσαίνεσκον
Ἄμμιγα μελπόμεναι· τότε δ' ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν,
Ἄλλο δὲ παρθενικαῖς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι,
Αἰεὶ δ' εὐόρμου δεδοκημέναι ἐκ περιωπῆς.
Ἦ θαμὰ δὴ πολέων μελιηδέα νόστον ἕλοντο
Τηκεδόνι φθινύθουσαι, ἀπηλεγέως δ' ἄρα καὶ τοῖς
Ἵεσαν ἐκ στομάτων ὄπα λείριον, οἱ δ' ἀπὸ νηὸς
Ἤδη πείσματ' ἔμελλον ἐπ' ἠιόνεσσι βαλέσθαι,
Εἰ μὴ ἄρ' Οἰάγροιο πάϊς Θρηΐκιος Ὀρφεύς,
Βιστονίην ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς φόρμιγγα τανύσσας,
Κραιπνὸν ἐϋτροχάλοιο μέλος κανάχησεν ἀοιδῆς.

Erat autem illa Sirenum astutia, ut quibus rebus maximè quisque audiendis delectaretur, eas præcipue canerent; eranique mirificè omnium præteritorum negotiorum memores; quare ita inquiunt apud Hom. *Odyss. μ.*

Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
Νῆα κατάστησον, ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.
Οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηὶ μελαίνῃ,
Πρὶν ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι,
Ἀλλ' ὅγε τερψάμενος νεῖται, καὶ πλείονα εἰδώς.
Ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν.
Ἴδμεν δ' ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Quoniam verò multi, cùm eò applicuissent, suavitate cantûs irretiti, recedere non poterant, sed moriebantur inhumati, in desertis insulis, opus erat multâ & prudentiâ, & animi contentione ad illa pericula devitanda. Idcirco Ulyssem Circe sic instituit apud Homerum.

Σειρῆνας μὲν πρῶτον ἀφίξεαι, αἵ ῥά τε πάντας
Ἀνθρώπους θέλγουσιν, ὅτις σφέας εἰσαφίκηται,
Ὅστις ἀϊδρείῃ πελάσῃ, καὶ φθόγγον ἀκούσῃ
Σειρήνων, τῷ δ' οὔ τι γυνὴ, καὶ νήπια τέκνα
Οἴκαδε νοστήσαντι παρίσταται, οὐδὲ γάνυνται.
Ἀλλά τε Σειρῆνες λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ,
Ἥμεναι ἐν λειμῶνι, πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς
Ἀνδρῶν πυθομένων, περὶ δὲ ῥινοὶ μινύθουσι.
Ἀλλὰ παρὲξ ἐλάαν, ἐπὶ δ' οὔατ' ἀλεῖψαι ἑταίρων,
Κηρὸν δεψήσας μελιηδέα, μή τις ἀκούσῃ
Τῶν ἄλλων, ἀτὰρ αὐτὸς ἀκουέμεν αἴ κ' ἐθέλῃσθα;
Δησάντων σ' ἐν νηῒ θοῇ χεῖράς τε πόδας τε
Ὀρθὸν ἐν ἱστοπέδῃ, ἐκ δ' αὐτοῦ πείρατ' ἀνήφθω.

Hoc pacto Sirenum illecebras evasit Laertæ filius. Quò allusit Juvenalis his verbis:

—— *Nam cùm pro me Fortuna rogatur,*
Affigit ceras illâ de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

Martialis *lib.* 3. *ep.* 64.

Sirenas hilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Ulysses dicitur reliquisse.

Erat autem tota fere illa ora alba, propter insepultorum ossa, quod etiam ait Virgil. *lib.* 5.

Jamque adeò scopulos Sirenum advecta subibat
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos.

Cùm verò Ulysses illarum fallacias obturatis auribus sociorum, ipseque malo alligatus fefellisset, fama est ipsas Sirenas se in mare præcipitasse, neque amplius postea auditas. Cùm verò se in mare præcipitassent, sive illud Orphei, sive Ulyssis arte factum est, dicuntur in saxa fuisse conversæ, sicuti testatur Orpheus *in Argon.*

Δεινὰ δ' ἀνεστενάχησαν, ἐκεῖ πότμος ἦε λυγρὸς
Μοιριδίου θανάτοιο, σφᾶς δ' ἀπὸ ἰωγαλέου ἄκρης
Ἐς βυθὸν ἐδίσκευσαν ἁλιρροθίοιο θαλάσσης,
Πέτρας δ' ἠλλάξαντο δέμας, μορφὴν θ' ὑπέροπλον.

Prope Pelorum verò fama est habitasse Sirenes. Servius *in libr.* 5. *Æn. Sirenes secundùm fabulam tres in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis, & Calliopes Musæ filiæ. Harum una voce, altera tibiis, altera lyrâ canebat. Et primò juxta Pelorum, pòst in Capreis insulâ habitarunt.* Unde est quòd Sirenas recenset Ovidius inter Proserpinæ Siculæ Deæ comites, *Met.* 5.

An quia cùm legeret flores Proserpina vernos,
In comitum numero mixtæ Sirenes eratis?

Et apud Nonnum *Dionysiacorum lib.* 13. *vers.* 313. Catanenses *Γείτονα Σειρήνων πόλιν ᾤκεον.* Hinc Statius *Silv. lib.* 2. in epicedio Glauciæ:

—— *Tergeminum Siculâ de virgine carmen.*

Id est, trium Sirenum cantus. Et Juvenalis *Sat.* 9.

Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

Et Claudianus *in Epigr.*

Dulce malum pelago Siren, volucresque puellæ
Scylleos inter fremitus, avidamque Charybdim
Musica saxa fretis habitabant dulcia nostra.

Alii Sirenibus alias sedes assignant: de quo non amplius hoc locò quæremus. Tantùm asserimus cum Bocharto, *Sirenum* nomen esse merè Punicum. Pœnis enim שיר *Sir*, est *canticum*. Inde libro Solomonis titulus שיר השירים *Sir hassirim*, i. e. *canticum canticorum*. Itaque *Siren* שירן est *canorum monstrum*, quale à poetis fingitur. Grammaticos interim nihil moror, qui deducunt *ἀπὸ τοῦ σύρειν à trahendo*; inde enim non dicerentur Σειρῆνες, sed Συρῆνες. Varia autem de Sirenibus, earumque fabulâ tradiderunt veteres. Platoni Sirenes Deæ canendi sunt sive Musæ, quæ orbes cœlestes (si qui sint) vertunt & rotant; de quo Macrob. *lib.* 2. *in Som. Scip. cap.* 3. Alii verò (uti supra diximus) unius Musarum & Acheloi amnis filias tradiderunt: unde *Siren Acheloias* apud Sil. Italicum. Suidæ *αἱ τῆς ψυχῆς ἐναρμόνιοι καὶ μουσικαὶ δυνάμεις* Sirenes vocantur. Pausanias *in Atticis*, quod Torrentius *ad Hor. lib.* 4. *Od.* 2. observat, auctor est, apud veteres Poematum, Sermonumque quorumvis efficacem ad suadendum venustatem assimulatam Sirenibus; & inde Sophoclem appellatum *Sirena*. Quemadmodum & Val. Cato propter suavitatem carminum à veteri Poetâ *Latina Siren* dictus est, ut Suetonius *de illustribus Grammaticis cap.* 11. refert. Petronius: *Hæc ipsa cùm diceret, tantâ gratiâ conciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus pertentatum mulcebat aera, ut putares inter auras canere Sirenum Concordiam.* Heliodorus *in Æthiopicis*: *Ὑπὸ δὲ τοῦ λόγου ὥσπερ τινὸς Σειρῆνος κατακηλημένος, καὶ αὐτὸς τῇ πειθοῖ κατηναγκασμένος.* Hinc in Isocratis sepulchro *Siren* posita fuit, tanquam perfectæ & efficacissimæ eloquentiæ symbolum, de quo Plut. *in vitâ Isocratis*, & Philostratus *in Sophistis*. Alii verò à Musis, & verâ eloquentiâ, quæ in rebus gravibus, seriisque occupatur, *Sirenas* distinguunt: quippe quas nugacibus rebus sermonis & elegantiæ curam impendere volunt: de quo videri Torrentius potest *ad lib.* 1. *Horat. ep.* 2. Vulgatissima ratio est, Sirenum fabulam ad illecebrosas voluptates referre, quæ blandis præstigiis irretiunt homines, atque evertunt, de quo Synesius *epist.* 145. Nec aliò interpretantur, quòd 3. Sirenas commenti veteres fuerint. Eo enim numero triplicem illam voluptatem, quæ in *σιτίοις, ἐν ποτοῖς, καὶ ἐν ἀφροδισίοις*, Platoni & Aristoteli statuitur, expressam volunt. Servius *ad illud* 5. *Æn.*

Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat.

Postquam breviter fabulam de Sirenibus exposuisset: *secundùm veritatem*, inquit, *meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam eos ducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia.* Vid. Jov. Pontanum *lib.* 6. *de bello Neapolitano*. Socrates apud Stobæum: *Δεῖ ὥσπερ Σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν τὸν σπεύδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ πατρίδα.* Horatius,

—— *Vitanda est improba Siren*
Desidia. —— ——

Hinc *Sirenius*; Gell. 16. 8. *Ne, ut plerique alii, tu quoque in illis Dialecticæ gyris, atque Mæandris, tanquam apud Sirenios scopulos consenescas.*

Sirenussæ, vel *Sirenusæ*. *Petra Sirenum* Melæ, *Saxa Sirenum* Solino, ins. 3. parvæ, velut scopuli in sinu Pæstano apud promont. Sirenussarum, quod sinum prædictum finit: quarum propior *Leucosia*, sive *Leucasia* dicitur, reliquæ *Parthenope* & *Ligia*. In genere *Le Sirene* vulgò dicuntur; in specie, prior *la Licosa*, altera *San Pietro*, reliqua *Gale*, seu *la Galetta*, & al. *il Gallo*. A Sirenibus ibi sepultis hæ Ins. dictæ sunt.

Sirenussarum promuntorium, vulgò *Capo Leucoso*, prom. Lucaniæ, quod sinum Pæstanum ad ort. finit, ex adverso Athenæi in

Picentibus eundem sinum ad occid. claudentis, medium ferè inter Pæstum ad occ. & Veliam ad ort. Dionysius,

Πρὸς δ᾽ ἐ Νότον μάλα πολλὸν ὑπὲρ Σειρηνίδα πέτρην
Φαίνονται ἀγχοῦ Πευκετιῶν Σιλαίοιο.

Ubi Montanus: Fallitur Eust. qui Dionysium affirmat, Neapolim *Sireniam petram* hic vocare. A Neapoli Poeta jam ad alia progreditur; à quâ primò in Aust. occurrit *Sirenia petra*, ultra quam Silarus fluv. in Picentinis magis adhuc in Aust. vergens. *Sireniam petram*, Minervæ promunt. vocat, juxta Surrentum, quod *Sirenes* insedisse feruntur, talem plane situm inter Neapolin, & Silarum obtinens, Plin. 3. 5. *Surrentum cum Minerva promuntorio, Sirenum quondam sede.* Nisi Sirenusas insulas intelligat huic propinquas, ex descriptione Strabonis *lib.* 5. 6. licèt eæ ex Ptolemæi descriptione longius hinc distare videantur. Strabo *lib.* 1. *A locis Surrento vicinis cubito similis quidam terræ flexus excurrit, versus fretum, quod est juxta Capreas. Ab uno hujus jugi latere est* τὸ Σειρήνων ἱερὸν, *Sirenum templum. Ab altero, quod Posidoniatem sinum prospectat, tres exiguæ sunt insulæ deserta atq; saxosæ, quas Sirenusas vocant.* Sed & Aristot. *in lib. Mirabil.* eundem Sirenusis situm assignat: Atque hi sunt *Sirenum scopuli*, de quibus Virgilius, Ovidius, Mela, Hyginus, alii. Quin & *Surrentum* vel Συρεντὸν, ut Græci efferunt, dici putatur à *Sirenibus*. Stat *lib* 2. *Carm.* 2.

Est inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaq; Tyrrhenæ templis onerata Minervæ.

Sires, pop. Thraciæ supra Byzantium. Steph.

Siricinium, pag. territorii Atrebat. *le bou de S. Leger*, à S. Leodigario ibi occiso; Aliàs *Sircinium*, vulgò *Serczin*.

Siricu, Armen. min. urbs. Anton.

Sirio, fluv. Galliæ exiguus, vulgò *le Siron*: ad quem sunt castella Vinbendraudum *Vilendraut*, Budos, Barsacum, ad Sirionis & Garumnæ confluentem, quem locum, inter Burdigalam & Aginnum, illinc 15. hinc 59. m. p. distantem, *Sirionem* vel *Serionem* à vet nomine fluvii sui esse appellatum, autumat Valesius *Notit. Gall.*

Sirion, Gall. Aquit. urbs, 15. m. p. à Burdigalâ. Anton.

Sirion, Phœnicibus, *Sanir* Amorrhæis vocatur mons Hermon, in Palæstinâ.

Siris, fluv. Magnæ Græciæ apud Metapontum, & Heracleam in sin. Tarent. influens ad Sirim op. quod ibi erat, teste Plinio. *Senno* hodie, teste Scip. Mazzellâ. Baudrando *Seno*, fluv. aliàs Lucaniæ, trans Apenninum, hodie in Basilicata. Oritur in limite Calabriæ citer. Grumentum rigat, & prope opp. Sirim, hodie *Torre di S. Basilio*, in Sinum Torentinum se exonerat, vix 5. mill. ab Heraclea in Merid. uti 15. à Metaponto.

Siris, fluv. Libyæ, prope insulas Phaselussas. Steph.

Siris, ab Æthiopibus dicitur Nilus, antequam totus confluat. Nam, ut inquit Plinius, *nec ante Nilus dicitur, quàm se totum aquis concordibus junxit.* Dionys. *vers.* 221.

Ἐξ ἧς ποταμοῖο κατέρχεται ὕδατα Νείλου,
Ὅς δή τοι Λιβύηθεν ἐπ᾽ ἀντολίην πολὺς ἕρπει
Σῖρις ὑπ᾽ Αἰθιόπων κικλήσκεται.

Ineptæ autem sunt, quas recenset Eustathius, sed neque ipse probat, etymologiæ nominis Σῖρις è Græcâ linguâ petitæ, cùm Æthiopica sit vox: & quod ad illam attinet, quæ à Σείριος ducitur, quia circa Sirii seu Canis ortum Nilus maximè exundet (Plin. *lib.* 5. *c.* 9.) è converso *Sirium* à *Siri* sic dictum, qu. Niliacam stellam Fullerus probabiliter censet. Quod ad vocem Σῖρις, Hebræis שִׁחוֹר *Shior* vocatur, quod Æthiopes linguâ suâ *Shichri*, vel *Shibri* dixerunt, ut monet Scaliger, teste Salmasio; pro hoc Græci, voce ad linguæ suæ formam deflexâ, Σῖρις scripserunt.

Sirita, Magnæ Græciæ pop. ne ipsis quidem Sybaritis luxu cedentes. Cæl. Rhod. 7. 10.

Sirites, Nomadis cujusdam nomen in Libyâ. Primus Auleticæ inventor, qui & *Matron*, h. e. Magnæ matris sacra primus fertur tibiâ concinuisse. Cæl. Rhod. 9. 7.

Sirius, stella in ore Canis, quæ à Latinis *Canicula* dicitur. Hyginus tamen, *in tractatu de signis cœlestibus*, Sirium diversum facit à Caniculâ, neque in ore Canis, sed in capite ejus collocat. Hæc in cœli centro cum Sole conjuncta æstum ejus duplicat, mortaliumque corpora nimio calore languida reddit. Dictus Sirius, ut quidam volunt ἀπὸ τοῦ σειραίνειν, h. e. à siccando, propterea quòd fluv. & fontes nimio calore exsiccet: ut alii verò ἀπὸ τοῦ σειροῦ, h. e. ab evacuando, quòd corpora nostra sudoribus evacuet. Quin & Solem ipsum quidem *Sirium* veteres appellarunt. Hesychius, Σείριος, ὁ Ἀστροκύων, τὸ ἡλίου, ὁ δὲ Ἴβυκος πάντα τὰ ἄστρα. Suidas, Σείρ, σειρὸς ὁ ἥλιος, οἱ δὲ κ. Σείριος. Hesiod. in Ἔργ.

Ἐπεὶ κεφαλὴν κ. γούνατα Σείριος ἄζει.

Idem *in Theog.*

—— Ὅσσα δὲ σφὶ ἐπὶ ψυχῇσι σαχείσης
Σειρίου ἀζαλέοιο κελαινῇ πνεῦσιν ἀϋτή.

Lycophron *in Cassandrâ*, de corpore Ajacis in litus è mari ejecto: Ἐκβεβρασμένος σίκυν ἀκτῆς Σειρίου κατανανεῖ: quod observavit vir eximius, & singularis eruditionis Hadrianus Junius *in Animadversionibus.* Quin & Virgilium sic interpretantur ὁ τύχαις, *Georg.* 4.

Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat cœlo. —— ——

Non Solem autem, sed etiam omnia sidera dici Σειρίους, ex Ibyco modò docuit Hesychius. Inde & Latinorum *sidus* à σείριος esse ingeniosè nuper ostendit χαρίεστατος Tanaquillus Faber *ad Dionys. Longinum.* Apollon. *lib.* 3.

Γ᾽ ψόθ᾽ ἀναθρώσκων ἅτε Σείριος Ὠκεανοῖο,
Ὅς δή τοι καλὸς μὲν, ἀρίζηλός τ᾽ ἐσιδέσθαι
Ἀντέλλει, μήλοισι δ᾽ ἐν ἄσπετον ἧκεν ὀϊζύν.

Virgil. *Æn.* 10.

Non secus ac liquidâ si quando nocte Cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor,
Ille sitim, morbosq; ferens mortalibus ægris
Nascitur, & lævo contristat lumine cœlum.

Maleficam hanc Sirii naturam Homerus etiam indicat *Il.* 22.

Ὅν τε κύν᾽ Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι,
Λαμπρότατος μὲν ὅγ᾽ ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι.

Ejusdem sideris pernicies apparet ex versibus Oppiani *lib.* 3. *Cyneg.* ubi loquitur de fera quâpiam:

Καὶ κυνὸς Σειρίοιο ἰδὼν, κ. ἀντιβολεῦντα φοβεῖται,
Αὐτίκα δ᾽ ἐμβρυχηθεὶς καταδύεται ἄγριος αἰνῶς
Ἢ ὑπὸ σπήλυγγας ἀφεγγέας, ἠὲ κεν ἄζῃ
Ἠέλιος παύσηται, κ. ὑλοφόρος κνέφας ἀγρῇ.

Valerius Flaccus *lib* 1

—— *Sic cùm stabulis & messibus ingens*
Ira Deûm, & Calabri populator Sirius arvi
Incubuit; coit agrestum manus inscia priscum
In nemus, & miseris dictat pia vota sacerdos.

Idem *lib.* 5.

Non secus Autumno quàm cùm magis asperat ignes
Sirius, & sævo cùm nox accenditur auro
Luciferas crinita faces; hebet Arcas, & ingens
Jupiter: ast illum tanto non gliscere cœlo
Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.

Lucan. *lib.* 10.

—— , *Rapidus quâ Sirius ignes*
Exerit. —— ——

Statius *lib.* 1. *Silv. Carm.* 3.

—— *Nec calido latravit Sirius astro.*

Sirmiensis Comit. in Hungar. inf. in Rascia, inter Danubium ad Ort. Valkoniensem Comit. ad Bor. Posegiensem ad Occ. & Savum fluv. quo terminatur à Rascia, in Mer. Sub Turcis. Caput ejus *Sirmium*, Vid. ibi.

Sirmio, vulgò *Sermione*, pagus Cenomanorum Venetiæ ad Benacum lacum, in peninsulâ inter Brixiam ad occ. & Veronam ad ort. 20. m. p. circiter. Catullus *ep.* 32.

Peninsularum Sirmio, insularumq;
Ocelle, quascunq; in liquentibus stagnis
Mariq; vasto fert uterq; Neptunus,
Quàm te libenter, quamq; lætus inviso.

Baudrando ἀόλιον est in agro Brixiano.

Sirmium, urbs Pannon. infer. non procul à Danubio fluv. Ptol. *Sirmisch* Lazio. Stephanus Sirmium πόλιν esse scribit, *Paones* pro *Pannoniis* accipiens. Baudrando urbs aliàs Pannoniæ Saviæ, nunc Hungar. ad amnem Bosweham, qui 5. m. p. infra cadit in Savum, ad radices Arpatari montis. Nunc paucis constat incolis & in vicum redacta est. 22. à Buda leue. Sub Turcis, Jornand. Evagrius, Lazius &c. Hic concilium ab Arianis celebratum, sumptibus Photini Episc. qui Sabellii instaurabat errores, An. 351. Iterum, Ann. 357. Post ejus depositionem, Fidei confessionem ediderunt, eum variis anathematismis, ut Orthodoxi viderentur: neque quidquam illam suspectam reddidit, nisi vox Ὁμοούσιος omissa. Postmodum aliam, priori contrariam ediderunt, apertè hæreticam & impiam, in illâ enim ne *Essentiæ* quidem vocabulo uti voluerunt, quam antea c. Photinum adhibuerant. Hanc detestati Semi Ariani aliam condiderunt, in qua vox *Substantiæ* expressa, solùm *Consubstantialis* vocabulum prætermissum fuit: Arrianis & Photinianis condemnatis. Socrat. *lib.* 2. *cap.* 25. In Synodo hac, subscribere nolentes, tormentis pressi sunt, & Osio Episcop. Cordubensi, plagæ inflictæ, &c.

Sirnides, insulæ quædam, de quibus Plin. 4. 12.

Siroës, Persiæ R. filius Cosrois II. patrem incarceratum, cum omnibus ejus liberis, occidi jussit, quòd juniorem fratrem sibi prætulisset Ann. 628. Pace dein cum Heraclio Imp. factâ, remisit ei Patr. Hierosolymitanum, cum Christianis, captivos. Obiit An. 629. Et successit fil. Adeser, seu Adhesir.

Sirepum, Libyæ Nomi vicus. Ptol.

Siros, Bithyniæ fluv. Plin.

Sirpicus, cognomen centurionis, in Pannonicis legionibus, ob quem seditiosæ legiones, dum hunc Octava morti poscit, Quintadecumani tuentur, penè collisæ sunt: ni miles Nonanus preces & adversum aspernantes minas interjecisset. Tacit. *Ann.* 1. 23.

Sirrha, urbs Thraciæ. Steph.

Sirrhas, Gentis Macedonibus conterminæ Rex, contra quem Archelaus bellum gessit. Arist. *lib.* 5. *Polit. cap.* 10.

Sis, clivus quidam, 2. Par. 20. in tribu Juda, quem cùm ascendissent

sent filii Seir & Ammon, magno miraculo à Josaphat Rege Judæ profligati sunt.

Sisai, fil. Enach. Num. 33.

Sisalo, Hisp. urbs inter Emeritam & Cæsaraugustam. Anton.

Sisamnes, judex, qui licet Cambysi regi charissimus esset, tamen ob iniquam sententiam, quam pecuniâ corruptus tulerat, jussu Cambysis excoriatus est; ejusque pellis ante Tribunal judicum exposita, ne eâ conspectâ alii Judices alienâ fruerentur insaniâ, sibique caverent.

Sisamoi, fil. Elasa. 1. Par. 2.

Sisan, op. in Ciliciæ fin. unde oriundus Simeon Stylites. Theodoretus.

Sisapho, Corinthius, frater Mamertis, qui ubi intellexisset filios suos à Mamerte fratre; regnandi libidine interfectos, eum membratim discerpsit, Ovid. *in Ibin.*

Sisapone, Ptol. *Sisapo* Straboni, op. olim Hisp. Tarrac. in finibus Oretanorum; nunc pagus *Chilon*, teste Henr. Coquo.

Sisapone, Plin. *Sisapo* Strab. op. Hisp. Bæticæ in Bæturiâ; nunc *Fuente Ovexuna*, teste Morali; à Cordubâ 14. leuc. Emeritam versus. Hic quæstus magnus minii, ut propterea Cic. *Philip. 2. communem Sisaponem* dixerit; veluti proverbium, optimum enim ibi provenit, auctore Plinio.

Sisar, Mauritan. Cæsar. fl. Ptol. *Usar* Plinio; teste Villanovano.

Sisara; dux exercitus Jabin regis Chanaan. Jud. 4. Magister militiæ Alor. 1. Reg. 12. V. *Jahel.*

Sisarà, palus in Africâ propriâ. Ptol. Locus circa Nisibin. Ammianus.

Sisaraca, Murbogorum in Hisp. Tarracon. urbs. Ptol.

Sisauranum, Persarum urbecula. Procop. *Persic. lib.* 2.

Siscia, Pannon. super. olim urbs. Ptol. *Sisseg* Sambuco, ad Colapis fluv. cum Sao confluentiam, nunc pag. cum cœnobio, ad Segesticam Ins. ex adverso Zagabriæ urbis, vix mill. Germ. distans.

Sisebutus, vel Sisebodus, Wisigothorum in Hisp. R. Gondemaro successit; A. 612. fortis, clemens, magnanimus. Cantabriam, aliasque provincias Romanis eripuit, & ad Judæorum conversionem animum adjecit. Obiit An. 621. Fredegar. *in Cont. Gregor. Turon.* Isidor. *in Chron*

Sisenandus, ope Dagoberti, regnum Wisigothorum, in Hisp. occupavit; Suintilâ deposito, An. 631. Obiit An. 636. Fredegar. *in Contin. Gregor. Tur.*

Sisenes, Persa transfuga, à Prætore Ægypti quondam missus ad Philippum. Secutus dein in Asiam Alexandrum; quòd ad se à Nabarzane missam epistolam non exhibuerat; (quam Alexander prius lectam; ignoti annuli sigillo impresso, ipsi reddi jusserat, ad æstimandam fidem Barbari,) suspicionem præbuit scelesti consilii, adversus Regem initi, & in agmine, à Cretensibus, haud dubiè jussu Regis, occisus est. Curt. 3. 27.

Sisenna, Centurio, dextras concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine; ad Prætorianos ferens. Tacit. *Hist.* 2. 8.

Sisenna Statilius Taurus, Conf. A. D. 12.

L. Sisenna, historiæ Rom. scriptor antiquus, in quo magnam jacturam fecerunt Romanæ literæ, non solùm historiæ causâ, quâ vicit omnes superiores; sed etiam linguæ ipsius, cujus bene gnarum fuisse; & Cicero testatur, & Indicio sunt fragmenta qu. gustûs causâ relicta nobis in libris Grammaticorum. Vertit etiam fabulas Milesiacas Aristidis; uti ostendit Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. Meminit Ovidius *lib.* 2. *Tristium*;

Vertit Aristidem Sisenna, nec obfuit illi
Historiæ turpes inseruisse jocos.

Plusculâ autem ex istis Sisennæ Milesiacis passim citat Charisius *lib.* 2. Laudat & Servius. Meminere etiam vett. Grammatici commentarii ejus in Plautum. V. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 10. Vellej. *lib.* 2. Valer. M. *lib.* 8. *cap.* 5. Cicer. *in Bruto*, *de Leg.* &c.

Sisgovia, Landgraviatus, in agro Basiliensi; à Sissaci cultissimo pago; locum amœnissimum circa umbilicum ejus occupante, nomen accepit. Olim à Jurasso monte usque in medium Birsæ alveum extensus; maximam Rauracorum partem comprehendit. Hujus jura ad castra Homburgum, Valdenburgum & Liechtstallum opp. pertinentia, Henricus VII. Imp. Ottoni de Grandisone Episcopo Basil. tradidit, quæ postea Humbertus Neoburgensis, Ann. Chr. 1416. Civitati Basiliensi perpetuum possidenda vendidit. Hinc sanguinis judicium, per universum eum tractum, etsi loca quædam alienæ ditionis contineat, ad Senatum Basil. spectat. Intra ejus limites Varnspergium etiam castrum amplum est, quod Tiersteinii olim Comitibus paruit. V. Christ. Urstisium *Hist. Basil.*

Sisidius; Conf. Rom. an U. C. 1242.

Sisigambis, vel *Sysigambis*, uxor Darii ultimi Persarum regis, quæ nullis suæ ætatis fœminæ pulchritudine cessit, teste Qu. Curtio. Quam tamen victo Dario Alexander non solùm non violavit, sed & summam adhibuit curam, ne quis captivo corpori illuderet. I. Loyd. Matrem Darii sic vocavit Curt.

Sisygylis, urbs magna prope Celticam. Steph.

Sisinnius; Episc. Rom. Syrus gente, successit Johanni VII. A. 708. vigesimo post die, podagræ doloribus, enectus, die 7. Februar. Anastas. *in vit. Pontif.* Item, Episc. Constantinopolitanus, post Atticum; An. 426. Obiit An. 428. Socrat. *lib.* 7. *cap.* 25. & *seqq.* Baron. *in Annal.* Alius, Nicolai Chrysobergi successor, Ann. 995. Obiit Ann. 999.

Sisocostus, ex amicis Alexandri Magni, accepit à Rege Petræ Aorni regionisque ei adjunctæ tutelam. Curt. 8. 61.

Sisolenses, Italiæ pop. Plin.

Sisopa, Pannon. sup. op. Ptol. *Zagabria* Moletio, ad Segesticam Ins. à Pœtovione supra 15. leuc. in Euronotum, à *Labaco*, Carniolæ metropoli, ferè 26. in Occ. Hic à 4000. Christianorum, cæsa sunt 100000. Turc. divinitus Ann. 1593. & Marci Evangelium manu ejus scriptum asservari dicitur.

Sistanum, urbs Sigistanæ prov. Persiæ; ad Imenum amnem.

Sisterio, Magino aliisque est *Stirone*, fluv. parvus agri Parmensis. Fidentiam seu Burgum S. Domnini rigat, uti Sovaniam & in Tarum se exonerat; 4. mill. antequam Pado misceatur.

Sisyphamidas, Aristodemi filius, unus ex iis legatis, quos Lacedæmonii, octavo belli Peloponnesiaci anno, finiendæ discordiæ ad Athenienses miserunt. V. Scholia *in Aristoph. Equit. p.* 336. *F.*

Sisyphium, locus in Asiâ; de quo Strabo *lib.* 8.

Sisyphus, Æoli filius, qui cùm Atticam latrociniis infestaret (unde Ovid. *Met.* 13.

Quid sanguine cretus
Sisyphio, furtuq; & fraude simillimus illi.)

à Theseo occisus est. Hunc Poetæ fabulantur eo supplicii genere apud inferos plecti, ut saxum ingens in montis cujusdam verticem cogatur provolvere; quod cùm ad summum pene extulerit, repente deorsum relabitur. Vetus Poeta apud Cic. *lib. Tusc. Qu.*

—— *Sisyphus' versat*
Saxum sudans nitendo, neq; proficit hilum.

Ovid. *Met.* 13.

Ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.

Idem *alibi*:

Aut petis, aut urges rediturum Sisyphe saxum.

Huc allusit Virgil. *Æn.* 6.

Saxum ingens volvunt alii. ——

Propertius *lib.* 2. *el.* 17.

Vel tu Sisyphios licet admirere labores.

Idem *eleg.* 20. *ejusdem libri*:

Tum quoq; Sisyphio saxa labore geram.

Horat. Od. 14. *lib.* 2.

—— *Damnatusq; longi*
Sisyphus Æolides laboris.

Vide Paus. *in Corinthiacis.* Apollod. *l.* 1. Hyg. *Fab.* 60. Mart. 10. 5.

Nunc inquieti monte Sisyphi pressus.

Seneca Tragœdus *in Hercule Insano*:

Cervice saxum grande Sisyphiâ sedit.

Idem *in Hippolyto*:

Umbræ nocentes cedite; & cervicibus
His his repositum degravet fessas manus
Saxum, seni perennis Æolio labor.

Homerus *Odyss.* λ.

Καὶ μὴν Σίσυφον εἰσεῖδον κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα,
Λᾶαν βαστάζοντα πελώριον ἀμφοτέρῃσιν.
Ἤτοι ὁ μὲν, σκηριπτόμενος χερσίν τε, ποσίν τε,
Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον, ἀλλ' ὅτε μέλλοι
Ἄκρον ὑπερβαλέειν, τότ' ἀποστρέψασκε κραταιΐς
Αὖτις, ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Scientiam Sisyphi; sive potius astutiam indicant Homerus, & Theognis: Hic *Iliad.* ζ.

Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν, ὁ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν,
Σίσυφος Αἰολίδης, ὁ δ' ἄρα Γλαῦκον τέκεθ' υἱόν.

Ille *vers.* 700.

Οὐδ' εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχοις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ,
Πλείονα δ' εἰδείης Αἰολίδου Σισύφου,
(Ὅστε καὶ ἐξ Ἀΐδεω πολυιδρείῃσιν ἀνῆλθε,
Πείσας Περσεφόνην αἱμυλίοισι λόγοις,
Ἥτε βροτοῖς παρέχει λήθην, βλάπτουσα νόημα·
Ἄλλος δ' οὔπω τις τοῦτό γ' ἐπεφράσατο,
Ὅντινα δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφικαλύψοι,
Ἔλθοι δ' ἐς κρυερὸν χῶρον ἀποφθιμένων.
Κυανέας τε πύλας παραμείψεται, αἵτε θανόντων
Ψυχὰς εἴργουσι, καίπερ ἀναινομένας.
Ἀλλ' ἄρα κἀκεῖθεν Σίσυφος πάλιν ἤλυθεν ἥρως
Ἐς φάος ἠελίου σφῇσι πολυφροσύναις.)

Mythologiam Sisyphi habes apud Nat. Com. 8. 18. Lucretius verò *lib.* 3. in eos hanc fabulam convenire scribit, qui magistratus & honores à populo expetunt cum summâ animi contentione; neque unquam obtinere possunt; vel quòd indigni habeantur, vel quòd in hoc etiam maxima vis sit fortunæ. Sic enim ait Epicureus Poeta,

Sisyphus in vitâ quoq; nobis ante oculos est,
Qui petere à populo fasces, sævasq; secures
Imbibit, & semper victus tristisq; recedit.
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur unquam,
Atq; in eo semper durum sufferre laborem;
Hoc est adverso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à summo jam vertice rursum
Volvitur, & plani raptim petit æquora campi.

Fuit

Fuit autem Sisyphus, primus Corinthi Rex; condidit vel saltem colonis instruxit Ephyram, An. M. 2643. ubi successores ejus regnarunt, an. 308. ab Heraclidis pulsi, An. 2951. Euseb. *in Chron.*

Sisyrba, pars Ephesi, à *Sisyrbe* Amazone dicta. Steph.

Sitace, Assyriæ urbs, 15. stad. à Tigri fluv. Xen. in Susianæ confin. unde regio Sittacene, nunc *Rabia* Castaldo. Plin. de Ladano *lib.* 12. *cap.* 17. Nascitur ultra Pasitigrim, in finibus opp. *Sitace*, monte *Zagro*. Forsan *Sita* Diod. 17. V. *Sitata*.

Sitacene, regiuncula, vel, ut Diodorus vocat, ἱππαρχία, præfectura Assyriæ, juxta Susianam. Et ita legit in Curtii *lib.* 5. *cap.* 10. Janus Gebhardus, *His ita compositis, in regionem, quæ Sitacene vocatur, pervenit, fertilis terra, copiâ rerum abundans.* Vulgò habetur *Satrapene* vitiosissimè.

Sitalces, Thraciæ rex, contra Perdiccam exercitum duxit, & Macedoniam vastavit, quibusdam castellis captis.

Sitalces, ex Prætoribus Alexandri Magni, ob avaritiam & crudelitatem in Provinciales, à rege cum Cleandro, Agathone, Eracone vinciri jussus. Curt. 10. 1.

Sitana, Hisp. Tar. urbs. Sext. Avienus.

Sitata, quæ *Sittace* & *Zidda* teste P. de la Rue, sedet ad Choaspem fl. media ferè inter Susam ad Ort. & Seleuciam ad Occ.

Sithaltus, Germanorum terras, quas nunc Franci obtinent, depopulatus est. Jorn. *lib. rerum Geticarum.*

Sitheni, pop. juxta mare Rubrum. Steph.

Sithiu, vel *Audomaropolis*, cœnobium, à loco seu villa prius, à S. Audomaro Bononiensium & Tarvennensium Episcopo posterius nomen nactum, sæpius ab auctore suo & primo Abbate *S. Bertini* cognominatur. Nunc S. Audomari nomen retinet, vulgò *S. Omer*, ac An. C. 1559. sedes Episc. cui Area, Hisdinium, Gravenenga, aliaque loca subjecta, evasit. In monast. *Sithiu*, post depositionem & tonsionem detrusus est Childericus Francorum R. ibique triennio pòst obiit ac sepultus est, An. C. 754. Erat autem hic vicus in pago Tarvennensi, ad Agnionem fluv. quem, auctore Audomaro, Adroaldus loci dominus Bertino, ad extruendum monasterium, donavit: è quo vico munitum & frequens opp. paulatim est factum. Sed & extra muros *Sithiu* monasterium in honorem B. Mariæ ab Audomaro Episc. in vertice collis extructum & priori subjectum est. Teruanna dein An. C. 1553. à Carolo V. solo æquatâ, quæ caput Morinorum & sedes Episc. antiquissimi fuerat, partem ejus diœceseos Bononia sibi vindicavit; pars major Audomaropoli & Ipræ est attributa. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sithon, filiam habuit Pallenen, quæ Clito nupsit, & Pallenæ Thraciæ urbi nomen dedit. Steph. Item Thraciæ mons Servio. Item Ins. maris Ægæi, Ovid.

Sithonia, pars Thraciæ. Plin. 4. 11. quæ ab Hæmo monte aversa vergit in Pont. Eux. Herodotus verò *lib* 7. Sithoniam reg. in orâ marit. Macedoniæ collocat ad sinum Termæum; ejusque urbes facit *Toronam*, *Sermylam*, *Mecybernam*, & *Olynthum*. Poetæ autem Sithoniam pro ipsâ Thraciâ fere accipiunt. Ovid. *ep.* 2.

Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.

Virgil. *Eclog.* 10.

Sithoniasq; nives hyemis subeamus aquosæ.

Sitia, Hisp. Bæt. op. in conventu Tarrac. Plin. 3. 1.

Siticum, Italiæ op. Steph.

Sitifensis Mauritania, erat inter Numidiam ad Ort. & Mauritaniam ad Occ. à *Sitifa* urbe prim. hodie *Steffe*; quæ nunc in regno Algerii & Bugia prov. ad Mazurium fl. V. *Mauritania*.

Sitinus lacus, ubi Mosci à Sigismundo Aug. Poloniæ R. amissis 120. machinis bellicis, profligati sunt, An. C. 1567. Thuan. *Hist.*

Sitiointa, Mysiæ infer. op. Ptol. *Tulza* Nigro.

Sitiogagus, fluv. quo Pasargadas septimo die navigatur, oritur, atque fluit per Carmaniam. Plin. 6. 23.

Sitim, vide *Setim*.

Sitipha, vel. *Sitifi*, Maurit. Cæsar. colonia. Ptol. Vid. *Sitifensis Maur.*

Sitiphis, Maurit. Ting. metropolis. Procop.

Sitomagum, Angliæ urbs. Anton. *Thetford* Camdeno, in Norfolcia, ad fluv. Usam, ubi recipit amnem *Thet*, 26. m. p. à Venta Icenorum in Occ. Elyam versus paulo minus. Olim *Icenorum* opp.

Siton, Thessaliæ urbs, quam & *Iton* dici scribit Steph.

Sitone, urbs circa Athon mont. Plin.

Sitones, pop. Scandinaviæ in Finlandiâ, teste Willichio. Brietio *Sittones*, qui in ora Occ. & Bor. Scandinaviæ, ubi nunc Norvegia & Lapponia, eos habitasse credit. An *Sintones*, *Sindi*, Plin. Mel.

Sittacene, reg. Asiæ, Mediæ ad merid. proxima, alio nomine *Arbelitis* dicta. Dicta à *Sittace* urbe totius reg. capite. Plin. 6. 16. *Palastine* & *Apollinaitis* dicitur Straboni. *Rabia* nunc eam Castaldus vocat. V. *Sitace*.

Sittaphius, campus in Africâ propriâ, Ptol.

Sitteberis, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Sittici, Vide *Sitipha*.

Sittocates, Indiæ fluv. in Gangem fluens. Arrian.

Situa, Paphlagoniæ urbs. Ptol.

Siva, scriba regis David. 2. Reg. 20.

Siva, Ciliciæ in Cappadociâ urbs. Ptol.

Sivan, nomen mensis. Esther, 8.

Sivata, Galatiæ urbs. Ptol.

Siucheum, urbs Sinar. in prov. Nanchinensi, ad fluv. Croceum, versus Cantoniam prov. Sub qua tres Urbes.

Siucheum, urbs Sinar. prov. Suchuensis quarta; emporium celebre, ad confluentes fluviorum *Kiang* & *Mahu*, ad radices montium, sub qua IX. Urbes.

Siuorangum, prædii nomen est Sidonio 2. *Epist. ad Domitium.* *Vorangum* legit Pinetus.

Siuph, Ægypti urbs in Saitanâ tribu, unde Amasis rex. Herodot. *in Euterpe.*

Siur, Africæ propriæ urbs. Ptol.

Pontifices Romani.

Sixtus I. Romanus, post Alexandrum I. Papa, An. Ch. 130. vel 132. Martyrio coronatus, Obiit An. 140. vel 142. Anastas. *in vit. Pontif.* Ejus epistolæ 2. decretales, cum Binii notis, prodierunt: Liber verò sententiarum suppositiitius est, & Commentatius Sixtum, Philos. Pythagoricum auctorem habet. Morer. *in Diction. Hist.* Ei successit Telesphorus,

Sixtus II. Atheniensis, Stephano I. successit, An. 257. seu 260. anno pòst, capite plexus, pro fide, triduo ante discip. ejus S. Laurentium. Ambros. *de Off.* cap. 41. Euseb. *Hist. lib.* 7. *cap.* 7. & 8. Papyr. Massonius, Duchenius &c. Successor ejus Dionysius fuit.

Sixtus III. excepit Cælestinum I. An. 432. à Pelagianis suspectus, quasi cum illis faceret, redditus, scripsit ad Aurelium Carthaginensem, duasque epistolas accepit ab Augustino, qui de Gratia ibi accuratissime tractavit. Nestorium reducturus ad Ecclesiam, frustra fuit: ab Anicio Basso Consule stupri accusatus, in concilio Rom. à 56. Episcopis absolutus est. Obiit Ao. 440. Ædificia varia splendide extruxit. Scripsit epistolas tres, & poemata quædam, de peccato Originali, contra Pelagium. Augustin. *ep.* 104. & 105. Cyrill. *epist.* 29. & 38. Gennad. *in Catal. cap.* 54. Bellarmin. Miræus, Possevinus, &c. Eum excepit Leo M.

Sixtus IV. prius Franciscus Roverius, Savonâ natus, successit Paulo II. An. 1471. postquam Franciscanorum fuisset Generalis. Ædificiis ornavit urbem, Jubilæum ad 25. annos contraxit, Bonaventuram sanctis inseruit; Prodigus potius, quàm liberalis, Tiresiæ meretrici socculos margaritis opertos dare solitus; Lupanar scortis publicum erexit, tanto lucro, ut census inde annui XX M. ducatorum explerent. Lætus, *in compend. Hist. Univ. p.* 359. In suis evehendis nimius, familiæ Mediceæ Venetisque plus æquo infestum se præbuit, unde bellum injustum, exitus infelix, mors Sixti, An. 1484. Ante Pontificatum, dicitur scripsisse *de Sanguine Christi: de Futuris contingentibus: de Potentia Dei: de Conceptione B. Virginis*; item contra Carmelitam quendam Bononiensem, qui Deum, ne absolutâ quidem potentiâ damnatum liberare posse asseruit. Wilsot. *in Athen. Franc.* Trithem. *de Script. Eccl.* Possevio. *in appar.* Wadingus, Duchenius, Spondus &c. Successit Innocentius VIII.

Sixtus V. obscuro natus genere, in Marchia Anconitana, hinc à Cardinalibus *Asinus Anconitanus* vulgò nominatus, Cicarella *in ejus vita.* Successit Gregorio XIII. An. 1585. cùm antea Franciscanorum Vicarius Gen. fuisset; coronatus Mercurii die, quo quoque natus, Episcopusque & Cardinalis creatus erat: Rigidissimum Præsulem induit, cujus exempla Vid. apud Thuan. *lib.* 80. & 82. Condæum Principem cum Rege Navarræ excommunicavit: qui tamen, in programmate Pasquino per amicos affixo, *Dominum Sixtum falsò & malitiosè mentiri*, respondere, V. plura ibidem: quâ Qui voce is territus, se nihil deinceps contra eos tentaturum spopondit. Sanè de Navarro & Elizabeta Reg. dicere solitus est: *Toto orbe se unum Virum & Fœminam videre dignos, nisi labe sectariâ infecti essent, qui regnarent, & quibus cum ipse de ingentibus rebus consilia, quæ animo agitaret, conferret*, Idem. In Henricum III. excommunicationis sicam strinxit, sicario ejus in numerum SS. relato. Cæterum urbem ædificiis, aquæductibus; Obeliscis (inter quos prodigiosus ille 72. pedum, in Vaticano,) & Bibliothecis ornavit, in thesauris 7. milliones auri reliquit. Obiit An. 1590. æt. 69. ab Hispanis, per Monachum Franciscanum, tenui mantili, strangulatus: sparsâ famâ, à Dæmone ipsi mortem acceleratam esse, And. Riv. *in Jes. vapul. cap.* 14. Jac. Revius, *in Sixto V.* Eum excepit Urbanus VII.

Viri celebres.

Sixtus, scripsit sec. 2. de Resurrectione, Euseb.

Sixtus Senensis, Dominicanus Scripsit An. 1566. Bibliothecam sanctam libb. 8. in quorum quarto sua opera recenset.

Sixtus Hemmingensis, Friso; scripsit eodem tempore contra Astrologos. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Sixus, urbs Mastieniorum. Steph.

Siza, pater Adina. 1. Par. 11.

Sizata, Syriæ urbs, aliàs *Larissa* dicta. Steph.

Sizyges, Serica gens. Ptol.

S K.

Skia, Ins. Scotiæ Bor. una ex Æbudis, ab Euro in Circ. extensa, per 50. m. p. non æquè lata. Vix 3. m. p. ab ora Occ. Scotiæ. In ea sunt aliquot castra.

Slavi,

SL.

Slavi, populi German. qui ab Hamburgo urbe ab Albim fluv. usque ad mare Scythicum varias regg. incoluere, qui & *Vandali*, & *Vinuli*, & *Oboritæ* dicti sunt. Reg. *Slavia*, & *Slavonia*. Vide *Sclavi*, & *Sclavonia*.

Slawkonia, German. *Austerlits*, urbec. Moraviæ, 2. mill. Germ. à Bruna in Ort. 5. ab Olomutio in Mer.

Slavonia, provincia Prussiæ Ducat. ad utramq; Croni in Lithuania ripam, Tilsâ oppid. ad Ort. æstivum extremo insignis, Metel.

Slegum, oppid. Hiberniæ, in Connacia, cum portu & amne cognom. in ora Occ. Hibern. 30. m. p. à Dungalia, in Mer. *Slego Bille*. Caput Comit. *Slegensis*, qui versus oram littor. inter Ultoniam ad Bor. ac Comit. Mayensem ad Mer. situs est.

Sleidanus, vide *Johannes*.

Slesia, reg. Germ. (à *Sleso* fluv. qui in Oderam excipitur) ampla, in quâ ducatus 12. cujus caput est *Vratislavia*. Vide *Silesia*.

Slesvicum, olim *Edeba*, hodie *Schlesvvick*, à situ, quem ad Sliam, in maris Balt. sinu obtinet, urbs Cimbricæ Chersonesi Episcop. sub Archiepisc. Lundensi: ab Hamburgo & Lubico 16. leuc. distans in Bor. Caput Duc. cognom. qui aliter *Jutia merid.* pars Daniæ, in Cimbrica Chers. Terminatur à Sept. Jutia Sept. ab Ortu mari Balt. ab Occ. Oceano Germ. à Mer. Holsatiæ Duc. estq; partim sub Danis, partim sub Duce propr. Reliquæ Urbes sunt Ripa, Hadersleba, Flensburgum, &c. Canutum, ducem Slesvicensem, regem Vandalorum creavit Lotharius Saxo Imper. An. Chr. 1130. quo cæso à Magno filio Nicolai Danorum Reg. hic ab Erico occisi fratre, cui Imperat. se junxit, aliquandiu oppugnatus, dum Slesvicenses sibi reconciliare studet, in regia cum Prætorianis occisus est, An. Chr. 1136. Postea Christophorus II. Daniæ Rex, ob crudelitatem pulsus, Voldemarum Slesvicens. Ducem successorem & hostem accepit, An. Chr. 1326. sed restituti fil. Voldemarus IV. successor, Slesvicensem sibi subjecit, An. Chr. 1333. Ericus post hæc VIII. diuturnis ac difficilibus bellis cum Ducibus implicitus fuit, An. Chr. 1411. Ducatum postea mortuo Adolpho, cujus commendatione ad regnum vocatus fuerat Theodorici Oldemburgensis fil. Christianus, hic cum Holsatiæ Comitatu Daniæ adjecit, An. Chr. 1481. Cum Ducibus Holsatiæ de Ducatus Slesvicensis feudo transegit Fridericus II. Dan. R. An. Chr. 1566. Christianus tandem IV. Ducatum hunc cum Cimbria, beneficii titulo, Holsatiæ Ducibus concessit circa An. Chr. 1589. Genealogiam Ducum vide apud Phil. *Jac. Spenerum Syll. Geneal. Hist. in famil. Oldenburgo Danica, in qua Reges Daniæ & Norvegiæ, Duces Slesvici & Holsatiæ, Comites Oldenburgi & Delmenhorstani.*

Slezania, opp. Moraviæ, ubi celeberrima à Fratribus Synodus, Magnatibus quoque variis è Polonia præsentibus, habita est, An. C. 1557. Joh. Lasicius *de gestis Fr.* apud Læt. *Comp. Hist. Univ.*

Sluga, Frisiæ loci meni. vetus lapis Romæ sub Carolo M. sculptus.

Slonima, urbs Lithuaniæ, in Palatinatu Novogrodensi, ad amnem Sczuram, 8. leucis à Novogroda in Merid. Polesiam versus totidem.

Slatna, locus Daciæ in ingressu Transylvaniæ ad Austrum, ubi aurifodinæ apud Tunstenium opp. *Saladna* Sambuco.

Slucum, urbs Palatin. Novogrod. ad Slucam amnem, cum tit. Ducat. 5. leuc. à confinio Polesiæ in Bor. Ampla, sed tota ferè lignea. Sub Sigismundo I. Polon. Reg. in vicinia Constantinus Ostrogii Dux tres Tartarorum exercitus tribus præliis maximâ clade affecit, circa An. Chr. 1506. Salom. Neigeb. *Hist. Pol. lib.* 7.

Slusa, seu *Clusa*, urbs & portus Flandriæ, sub Batavis. Fuit olim appennagium Comitum Nemorosorum, quibus è Guidone Flandriæ Com. origo: dein in jus Galliæ Regum transiit. E quibus Philippus Audax præsidium hic validum tenuit, ut Brugenses coërceret, & Carolus VI. classem ibidem fabricavit, inde Angliam petiturus. Capta est à Maximiliano I. Imper. mansitq; in ejus familia. Turbis dein *Belgicis* obortis, Parmæ Dux illam, post diuturnum obsidium, in potestatem Hispanorum redegit, quibus illam Hollandi, duce Mauritio, durante obsidione Ostendanâ eripuerunt, An. C. 1604. jacturam Ostendæ satis sic compensatam nummo cum inscr. *Jehova plus dederat, quàm amisimus*, testati. Memorabilis tum obsessorum constantia fuit, qui, postquam auxiliorum spes nulla, nec fœda tantùm animalia, sed si quid usquam corii sevique fames absumpserat, tertii demum mensis exitu tradiderunt oppidum: quod cum portu operibus victor muniit civiumque Ostendanorum, qui urbe deditâ huc transierunt, numero auxit. Sed inter pacis postmodum initæ conditiones & hæc fuit, ut muniiones disjicerentur. Dicitur portus 500. navium capax, cui è regione exigua insula Cassantia, Georgii Cassandri patria. Vide Guicciard. *descr. Belgii*, Stradam, Grotium, Bentivolium *hist. belli Belg. &c.* Gallicè *Ecluse*, Belg. *Schluys*.

SM.

Smalandia, prov. Ostrogothiæ, in Suecia, inter Ostrogothiam propr. ad Bor. Westrogothiam ad Occ. Blekingiam ad Merid. & mare Balt. ad Ort. Urbes ejus Calmaria, Jonekopinga, & Wexsia.

Smalcalda, urbs Franconiæ, in Princip. Hennebergensi, sub Landgr. Hasso-Cassellano, fœdere Protestantium Principum sec. prætet. & bello mox insecuto, quod hinc *Smalcaldicum* dictum, famosum. Cùm enim Protestantium ad Carolum V. Legati, ab illo detinerentur, nec nisi durum daretur responsum, conventus Protestantium *Smalcaldiæ* indictus est, ubi Saxoniæ Elector, cum fil. Joh. Friderico, Ernestus & Franciscus Luneburgici fratres, Landgravius Hassiæ Gulielmus, Georgii Brandeburgici Consiliarii, civitates etiam Argentoratum, Ulma, Noriberga, Heilbrunna, Constantia, Reutlinga, Memminga, Campodunum & Lindavia, primùm proposuerunt & agitaverunt quæstionem, de fœdere Principum Evangelicorum, & defensione mutua adversus Religionis hostes, An. C. 1529. Sequente dein An. C. 1530. mense Dec. fœderis formula concepta est: quod die 22. Dec. 1535. renovatum in annos decem, in quod tum plures alii recepti sunt, Pomeraniæ Principes, Ulricus Wirtembergicus, Robertus Bavarus, Bipontinus, Augusta, Francofurtum, Hannovera, Hamburgum. Cùm dein An. Chr. 1546. fama de Cæsaris armis percrebuisset, Gulielmus Hassus & Saxo ab illo proscripti, copiis coactis fœderatos hortati sunt, & publico scripto justitiâ causæ demonstratâ, arma sumpserunt; Pugnatum fuit acriter sæpius, donec ad Mulbergam commisso prælio Johan. Fridericus Saxo An. Chr. 1547. & paulo pòst Guil. Hassus fraude capti in potestatem Cæsaris venerunt. Actum tum de Protestantibus videbatur, sed à Confœderatis Principibus, duce Mauritio Saxone, Hassi genero, Cæsar in fugam versus, Concilium Tridentinum dissipatum, & captivi Principes liberati sunt, An. Chr. 1553. secuta An. Chr. 1554. Passaviensis pacificatio Religioni quietem peperit. Vide Sleidan. *Comment. lib.* 13. Thuan. *Hist. &c.* Distat vix 1. mill. Germ. à Werra fluv. in limite Thuring. 4. mill. ab Isenaco in Mer. 6. ab Erfordia in Afric. ad radices montium.

Smaragdites, mons juxta Carchedonem, ubi *Smaragdus* gemma legitur, Plin.

Smaragdus, Abbas monast. S. Michaëlis, in Diœc. Verdunensi, floruit sub Ludovico Pio. Scripsit Comment. in reg. Benedicti, de virtutibus & vitiis tractatum, aliaq; in S. Scripturam. Item, monachus Abbatiæ S. Salvatoris, in diœc. Monspelienti, auctor vitæ S. Benedicti; Obiit An. 843. Sigebert. *de Vir. Illustr. cap.* 118. Morerius *in Diction. Histor.*

Smaragdus, mons in Ægypto ad fin. Arab. Steph.

Smendis, Ægyptiorum rex, regn. An. 26. an. mund. 1960.

Smeneon, locus in Sicilia, juxta Morgantinon, ubi tamen Steph. aliis in codicibus legi adnotat *Σμβύτειον καὶ Μοργάντιον*. Diod. *lib.* 14.

Smenus, Laconiæ fluv. in Taygero monte oriens. Pausan.

Smerdis, seu Tanioxarces, Cambysæ Persarum regis frater, quem cùm Cambyses per somnum vidisset regio throno insidentem, metuens ne regnum occuparet, occidi jussit: ipse paulo pòst mortuus, An. 232. U. C. Fuit alter *Smerdis*, Magus, post Cambysen, throno per fraudem 7. mens. potitus, de quo vide in *Patizites*, & Herodor. *lib.* 2. Euseb. *Chron.* Justin. &c.

Smerdis, qui Penthilum sustulit, quòd ab eo percussus, ejusque uxore pedibus tractus esset. Aristot. *lib.* 5. *Pol. cap.* 10.

Smicrinas Tarentinus, stadii victor, Olympiad. 107.

Smicythes, nomen hominis Comici, apud Aristophan. *Equitib.* 2. 4. ubi Scholia modò Regem Thraciæ sic nominatum asseverant; modò vocabulum esse hominis mollis ac cinædi dicunt *pag.* 346. *A.* Forsan is ipse est, quem *Vesp. p.* 457. vocat *Σμικυθίωνα*.

Smila, urbs Thraciæ, Steph.

Smilax, puella formosissima, quæ Croci pueri amore capta, cùm ab eo sperneretur, mutata est in fruticem sui nominis, hederæ non dissimilem, aut certe in ejus flores, candore, odoreque lilium referentes. Ovidius *Metam.* 4.

Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores.

Sminthe, urbs Trojæ, Stephan.

Smintheus, Apollinis epitheton, cujus duplicem originem refert Homeri interpres: Primam hanc; fuisse in Chryse oppido Mysiæ Crinem sacerdotem Apollinis, cui Deus iratus immisit in agros illius mures, qui fructus illius vastabant. A quo exoratus Deus cùm rursus placatus pestem hanc tollere vellet, ad Ordem illius pastorem venit, à quo hospitio acceptus, pollicitusque mali remedium, mures sagittis omnes interfecit: eoque facto jussit pastorem Crinidi indicare, ipsum Apollinem humanâ specie apud se divertisse & ab eo mures occisos: quod audiens Crinis, templum Deo construxit vocavitque Apollinis Sminthei, quòd ejus linguæ dialecto mures *σμίνθοι* vocantur. Altera talis est: Quum Cretenses aliquando coloniam deducturi essent, ab Apolline responsum acceperunt, ut ibi urbem conderent, ubi eis terrâ geniti obstitissent. Venientibus igitur ad Hellespontum, noctu mures clypeorum lora arroserunt; itaque manè cùm id factum viderent, memores oraculi urbem posuerunt, quam *Sminthiam* appellaverunt. Clemens *in Protreptico*: *Πολέμων τοὺς ἀμφὶ τὴν Τρῳάδα κατοικοῦντας ἱστορεῖ, τοὺς ἐπιχωρίους μῦς, οὓς σμίνθους καλοῦσι, σέβεσθαι, ὅτι τὰς νευρὰς τῶν πολεμίων διέτραγον τῶν τόξων· καὶ Σμίνθιον Ἀπόλλωνα ἀπὸ τῶν μυῶν ἐκείνων ἐπεφήμισαν.*

Smolenscensis Ducatus seu Palatinatus, *Duché de Smolensko*, pars est ampla Lithuaniæ. Complectitur Ducatum Severiensem, Terram Czernichoviensem, arces septuaginta continentes, & districtum Orsanensem: quibus adjecit Sigismundus III. districtus

Rumnensem & Sierpicioviensem. Sed pro majori parte subest nunc dominio Moschorum, ab anno nempe 1654. quo ejus primaria urbs Smolenscium expugnata fuit à Moschis.

Smolenscium, vulgò *Smolensko*, urbs est Lithuaniæ, ad fluvium Borysthenem, prope fines Moscoviæ. Est valde ampla & permunita, in editiore loco posita. Cingitur muro sex cubitorum latitudinem habente & 52. turribus firmo, cum arce valida in monte posita, in medio urbis, 8000. ædes continet, cùm aliàs multò amplior fuerit; Episcopum in ea urbe constitui curavit à Summo Pontifice Rex Vladislaus IV. unà cum collegio Canonicorum ex destinatione patris sui Sigismundi III. Olim hæc civitas cum tota regione propriis paruit Ducibus Russicis; sed ann. 1403. Vitondus magnus Dux Lithuaniæ hanc urbem occupavit; & cæteris oppidis ac arcibus in potestatem suam redactis, totum hunc Ducatum Smolenscensem in Lithuanicam provinciam mutavit, ejecto inde Gregorio Duce. Deinde capta fuit à Casimiro II. Rege Poloniæ anno 1452. posteaque à Moschis anno 1514. quos paulo pòst pugnâ Orsensi Sigismundus I. Rex 40000. cæsis superavit, & à loco pugnæ ad 120. milliaria repulit, Ductoribus exercitus, cum omni gentis Senatu, captis, Cromerus *in Orat. fun. Sigismundi.* Hinc pluries à Polonis tentata, tandem vi capta iterum fuit à Sigismundo III. Poloniæ Rege anno 1611. post duorum ferè annorum obsidionem, quâ periisse 200. Moscorum millia traduntur: quorum ibidem 7000. denuo trucidata An. Chr. 1613. Anno 1616. obsessa fuit irrito conatu, uti etiam anno 1633. à Moschis, qui ibi maximâ clade affecti fuere ab Vladislao IV. Rege, mense Martio, post obsidionem unius anni; sicque Polonici juris mansit Smolenscium usque ad annum 1654. quo expugnatum fuit die 13. Octobris ab Alexio Michaëlovitio magno Duce Moscoviæ, cui etiamnum subest. Distat 10. leucis Polonicis à confinio Moscoviæ in occasum, & 20. à Virebscia in Eurum.

Smyrna, urbs Joniæ, Milete amne irrigata, una ex 7. Asiæ Ecclesiis, de quibus B. Joannes in Apocalypsi: Polycarpo Episcopo nobilis, Homeri, ut plurimi credunt, patria, qui inde *Smyrnæus* à Poëtis vocatur. Lucanus:

Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Venturi te meq; legent.

Silius *lib.* 8.

Mantua Musarum domus, atq; ad sidera cantu
Evecta Andino & Smyrnæo æmula plectro.

Statius:

Nectat honoratas & Smyrna & Mantua laurus.

Cùm Sardiani Smyrnæos obsiderent non discessuri, nisi Smyrnæi uxores suas stuprandas emitterent, illi ancillas vestibus uxorum indutas emiserunt; sicque hostes coitu ancillarum defatigatos interfecerunt, Plutarch. Hi quanquam deliciis & luxui operam darent, se tamen fortiter, ubi casus accidisset, gerebant, teste Aristide: unde proverb. *Mores Smyrnæi*, de iis qui ita deliciis se dedunt, ut quæ viros fortes decent, non omittant. Turc. *Ismyr*: an Amazonum, an Thesei opus, an potius Ephesiorum colonia? Aëre saluberrimo & agro feracissimo gaudet, hinc toties Persis Græcisq; belli materia. Hodie commercio Batavorum, aliarumq; Europæ nationum inclyta, olim quoque Archiepiscop. fuit. Hic etiam ortus Nicetes Sophista præclarus, ab Hadriano Imperatore toti Ægypto præfectus.

Smyrnæus sinus, maris Ægæi, in Asia min. in ora Joniæ ac Ætoliæ, inter Chium & Lesbum extensus.

S O.

Soaca, Arab. Felic. oppidum, Ptolem.

Soæmus, sive *Sohemus*, Arabum Ituræorum rex, quo sub Claudio defuncto, Ituræi provinciæ Syriæ additi. Tacit. 12. 23.

Soæmus, sive *Sohemus* alius, cui Nero, primo Imperii anno, Sophenem cum insignibus regiis mandavit. Tac. 13. 7. Accessit cum regno, haut spernendis viribus, ad partes Vespasiani. *Hist.* 2. 81.

Soam, nomen viri, 1. Paral. 24.

Soamus, Indiæ fluv. Arrianus.

Soana, Asiæ Sarmat. fluv. Ptol. *Terebin*, teste Nigro.

Soane, fluvii ostia in Taprobanâ ins. Ptolem 7. 4.

Soanda, urbs Armen. minoris, Strab. *lib.* 12. & in Cappadociâ Antonin.

Soanes, pop. juxta Caucasum, quorum mem. Strab. *lib.* 11.

Soba, nomen loci, 1. Reg. 14. Regia Syriæ Urbs, in tribu Manasse, à qua & contigua reg. in SS. *Syria Soba*, seu *Sobal*.

Sobab, filius David, 1. Par. 4. Filius Caleb ex Azubâ primâ uxore, 1. Paral. 2.

Sobach, magister militiæ Hedarezer regis, 2. Reg. 10.

Sobal, filius Seir Horrei, Genes. 36. Filius Hur primogeniti Caleb, 1. Par. 2. Filius Judæ, 1. Par. 4. qui Gen 46. *Sela* dicitur.

Sobala, urbs Cariæ, Stephan.

Sobanus, Indiæ extra Gangem fluv. Ptolem. maximus, ex Emodis mont. descendens, ac in mare Indic. influens in Merid. *Sion*, & *Menan* Castaldo. Aliis est *Mecon*, fluv. illius tractus.

Sobec, nomen viri, 2. Esdr. 10.

Sobi, filius Nahas de Rabbath filiorum Ammon, 2. Reg. 1.

Sobidas, Parthiæ reg. Ptolem.

Sobii, vide *Ibi*.

Sobna, nomen scribæ, 4. Reg. 8.

Soboba, filius Cos, 1. Paral. 4.

Sobochai, nomen viri, 2. Reg. 11.

Sobotale, Sabæorum civitas ad mare Rubrum, includens suis muris templa 60. Plin. 6. 21.

Sobrarbia, tractus Aragoniæ, versus Cataloniam & montes Pyrenæos, aliàs cum tit. regni, inter Oscam, Barbastrum, Nogueram Ripacurtianam fluvium & montes Pyrenæos. Ejus caput erat Aynsa, opp. ad Cincam fluv. Initium regni hujus Garsias Gothus, Aynsâ urbe Saracenis ereptâ, jecerat, Ann. Chr. 727. Sed nihil aliud fuisse antiquos Suprarbiensium Reges, quàm signiferos ductores, docet Hieron. Blancas *in Histor. rerum Hispan.* quod olim inter homines militares gloriosum valde erat. Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.* in voce *Baneretus*.

Sobrius, vicus Romæ, quem Paulus ex Festo sic dictum suspicatur, vel quòd in eo taberna nulla fuerit; vel quòd in eo Mercurio lacte, non vino supplicabatur.

Sochu, Ægypti rex, qui numini Solis, apud Heliopolim, obeliscos quatuor quadraginta octo cubitorum longitudine dedicavit, Plin. *lib.* 36. *cap.* 8.

Socho, urbs in tribu Judâ, Jos. 15. in monte sita. Alia constructa à Roboam, 2. Par. 11. in campo sita. Distat ab Azera & Maceda, 3. leuc. contra Or. à Nobe.

Sochus, Assyriæ locus, ab angustiis, quæ Syriam aperiunt versus Ciliciam, bidui itinere distans. Arrianus.

Societas, idem sæpe quod Academia, cœtus eruditorum. Harum plurimæ in Italia, ubi Senæ *Inthronati*; Florentiæ *della Crusca*: Romæ *Humorista*, *Lyncei*, *Phantastici*: Bononiæ *Otiosi*: Genuæ *Sopiti*: Patavii *Recuperati*: Vicentiæ *Olympici*: Parmæ *Innominati*: Mediolani *Absconditi*: Neapoli *Ardentes*: Mantuæ *Infescati*: Ticini *Certiorati*: Cesenæ *Offuscati*: Fabriani *Disuniti*: Faventiæ *Philoponi*: Anione *Caliginosi*: Arimini *Accommodati*: Perusiæ *Insensati*: Firmi *Congregati*: Maceratæ *Catenati*: Viterbii *Obstinati*: Alexandriæ *Immobiles*: Brixiæ *Occulti*: Tarvisii *Perseverantes*: Veronæ *Philarmonici*: Cortonæ *Humorosi*, &c. dici gaudentes, congregationes istiusmodi eruditas colunt. In Germania *Societas frugiferorum*, auctore Ludovico Cœthensi Principe Anhaltino: in Gallia *Academia Gallica* dicta, auspiciis Cardinal. Richelii: in Anglia *Societas Regia* à Carolo II. R. instituta, celebres sunt. Vide Naudæum *Dial. de Mascur.* Joh. Bapt. Alberti, *de Academ.* &c.

Socinus Faustus, patriâ Senensis, parentibus satis claris natus, Lælii nepos, ab illo pestilentissimam hæresin, cum qua etiamnum Christianus orbis conflictatur, hausit: Arianorum deliriis ex Orco revocatis, quibus alia plurima addidit. Scripsit varia, quæ utinam æternis sepulta tenebris mansissent! Obiit An. Chr. 1604. æt. s. 63. Vide Cloppenburg. *Compend. Socinianismi refut.* Hornbeck. *contr. Socin.* Maresii *Hydram Socinianismi*: Compendium Theologiæ Socinianæ exhibet Fridericus Spanhemius *in Syntagm. Disp.* His adde *Vitam hujus Hæresiarchæ ab Equite Polono scriptam*. Michaël Servetus Socinistarum Patriarcha dicitur Læto *Compend. Hist. Univ.* Hujus sectæ postea antesignanus Valentinus Smalcius Ecclesias Fratrum in Polonia, dogmatibus ac iniquâ Unionis & Consensus postulatione turbavit: & quia in illo regno altiores hæresis radices egit, publico Comitiorum decreto An. C. 1636. utcunque repressa est, postea verò acrius in sectarios inquisitum: unde vix totum illis hodie in Polonia hospitium est, Transylvaniæ tamen, Valachiæ, aliisque regionibus adhuc graves sunt. Quære quoq; *Racovia*.

Sotion, Philosophus Peripateticus, genere Hispanus, scripsit Κέρας Ἀμαλθείας, id est, Cornucopiæ, librum multæ variæque Doctrinæ, Gellius 1. 8. Lege *Sotion* Hujus meminit Laërt. [illegible] Vide Voss. *Hist. Gr.* 2. 7. & Jonsium *de Script. Hist. Philos. lib* 2. *cap.* 10.

Soconusca, prov. novæ Hispan. in ora maris Australis, inter Guatimalam provinc. ad Ort. Guaxacam ad Occident. & Chiapam ad Bor. sub Præfectura gen. Guatimalæ. Ejus primaria Urbs est Guevetlanum. Sub Hispanis.

Socoth, vel *Succoth*, prima mansio filiorum Israël, postquam reliquerunt primas sedes in *Rameses*, Numer. 33. Latinè, *tabernacula*, vel *tentoria*.

Socoth, Hieronymo *Sacoth*, Græcè *Scena*, tabernacula. Hîc, cùm rediret ex Mesopotamia Jacob patriarcha, fratri suo Esau reconciliatus est, defixis hoc loco tentoriis. Civitas duravit usque ad tempora Hieronymi, eratque in tribu Gad.

Socothbenoth, Idolum Babyloniorum, 4. Regum 17. Ubi, postquam Salmanassar Rex Assyriæ, exciso Samaritanorum regno, incolas captivos abduxerat, migrare jubens in Samariam colonias de Babel, de Cuth, de Avâ, de Hamath, & de Sepharvaim: dicitur, *Fecerunt autem singulæ gentes sibi Deos, quos & reposuerunt in templis excelsorum quæ fecerant Samaria, Gens quæq; in civitatibus suis, in quibus illi habitabant. Viri quidem Babel Succoth Benoth, & viri Cuth fecerunt Nergal, & viri Hamath fecerunt Asimath. Avæi autem fecerunt Nibhaz & Tharthac, & Sepharvei comburebant filios suos in igne τοῖς Adramelech, & Anamelech Diis Sepharvaim.* Interpretatu

pretatur autem סכות בנות Succoth Benoth, *tabernacula filiarum.* Sed LXX. scribunt Σοκχὼθ Βενὼθ, tanquam proprium numinis vocabulum. Volunt Ebræi nugatores *Succoth Benoth* imaginem fuisse Gallinæ cum pullis suis, quod ad citatum locum habent RR. D. Kimchi & Salomon Jarchi. Atqui explosis omnino Rabbinorum lyris, *Succoth Benoth* non tam Deum aliquem, Deamque, quàm fanum ipsum, ritusque circa illud sacros denotare censet Seldenus noster. Ipsissimum enim erat (inquit) Babyloniæ Mylittæ, sive Veneris Uraniæ templum, ubi puellæ corollis revinctæ, & sedentes singulis in spatiis, quæ funiculis erant distincta, hospites operiebantur, qui ritè implorata Venere Mylitta, pecuniaque quantulacunque data (quæ Deæ sacra) cum eis à fano subductis rem haberent, nec cuiquam fas erat priùs discedere, quàm ad hunc ritum fuerit ad res Venerias electa. Unde fiebat, ut per biennium, nonnunquam & triennium, expectarent, quæ deformes erant & miseræ. Lege quippe patriâ omnibus fœminis erat commune, ut semel in vitâ sic desidentes cum advenis consuetudinem haberent. Cæterùm beatiores vehiculis cameratis tectæ, relictâ à tergo famulitii turbâ pro fano consistebant. Heic planè *Succoth Benoth*, idest, *filiarum*, seu *muliercularum tabernaculum.* Historiam autem ampliorem de hâc re habes apud Herod. *lib.* 1. & Strab. *lib.* 16. à quibus nos quæ attulimus. Absque iis esset, quis locum etiam illum Hieremiæ, *in Epistolâ Barucho subnexâ*, omnino caperet? Comma dico 43. ubi scorta diobolaria Babyloniorum his verbis insectatur: Αἱ δὲ γυναῖκες περιθέμεναι σχοινία ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκάθηνται θυμιῶσαι τὰ πίτυρα. Ὅταν δέ τις αὐτῶν ἐφελκυσθεῖσα ὑπό τινος τῶν παραπορευομένων κοιμηθῇ, τὴν πλησίον ὀνειδίζει ὅτι οὐκ ἠξίωται, ὥσπερ καὶ αὐτή, οὔτε τὸ σχοινίον αὐτῆς διερράγη. Mulieres, inquit, funiculis circumdatæ in viis sedent, ut furfures adoleant. Et si qua earum cum advenâ quovis, qui vi eam sibi attraxerit, cubaret, proximam conviciabatur; quòd nequaquam simili afficeretur honore, nec funiculus ejus disrumperetur. Σχοινία hæc quænam fuerint, haud satis liquet. Æquè forsan ad σχοινία illa λεπτὰ sive tenues funiculos, è quibus earum corollæ textæ, perinde ac ad funiculos, qui spatia unicuique dividebant, spectare possint. Olympiodorus verò τὰ σχοινία fuisse vult περιζώματα, seu cingula quibus pudenda duntaxat operiebant, cætera nudæ: Σχοινία inquit, φησὶ τὰ περιζώματα. Καλύπτουσι γὰρ μόνα τὰ τοῦ σώματος αἰσχήμονα, τὰ λοιπὰ περιγυμνοὶ ἀποκαλύπτουσαι τοὺς ἐραστάς. Vide Selden. *de Diis Syris Syntagm.* 2 *cap.* 7. Lloydius.

Socrates, ἀνδρῶν ἁπάντων σοφώτατος oraculo judicatus, uti scribit Laertius. Philosophus fuit Atheniensis, *reliquorum philosophorum fons*, ut eum Quintilianus, *& princeps*, ut Cicero vocarunt. Natus in pago Alope. Patrem habuit Sophroniscum statuarium, quemadmodum ex Xenoph. liquet, tenui hominem fortunâ, sicut & se pauperem appellatum Socrates apud eundem testatur authorem, *in Oeconomico.* Matrem Phanaretem obstetricem habuit. Uxores eodem tempore duas habuit, Myrto, Aristidis Justi filiam, & Xantippen, mulierem molestissimam, quæ (ipso cum Discipulis disserente) mensam non rarò subvertit. Auditor primò Anaxagoræ fuit, sed cùm disputationibus sublimioribus non admodum delectaretur, ad Archelaum defecit, qui Ethicen, sive Moralem philosophiam ei tradidit, in bello, pro patria, egregiis fortitudinis speciminibus subinde editis. Ipse in libris, qui *de dictis & factis Socratis* à Xenophonte scripti sunt, se per omnem vitam nihil aliud cogitasse indicat, quàm quæ justa essent, quæ injusta, atque illis quidem operam sedulò dedisse, his se verò quàm maximè abstinuisse. Rhetoricam porro docere, à 30. tyrannis prohibitus est, quòd dicendo quidvis assequeretur. Ingenio fuit patientissimo, & eundem semper circumferens vultum, sive egrederetur domo, sive rediret, mille etiam perturbationibus Rempubl. obruentibus, quemadmodum Xantippen uxorem acrem & molestam de eo dicere consuevisse Ælianus prodidit. Docuit sine mercede. Scriptorum nihil unquam edidisse ipsum constat; quia seniter, atque ita etiam interrogantibus, quamobrem nihil scriberet, responderet: Ὁρῶ τὰ χάρτια πολὺ τῶν γεγραφησομένων τιμιώτερα. Sicut & hoc in ore frequenter ipsum habuisse Laertius testatur: Εἰδέναι μὲν μηδέν, πλὴν αὐτὸ τοῦτο μηδὲν εἰδέναι. De traditionibus tamen ejus, quæ non editæ, quemadmodum ostendimus, sed à Platone ac Xenophonte expositæ sunt, hæc Cicero retulit *libr.* 3. *de Orat. Socrates fuit is, qui omnium eruditorum testimonio, totiusq́; judicio Græciæ, cùm prudentiâ, & acumine, & venustate, & subtilitate, tum verò eloquentiâ, veritate, copiâ, quam se cunq́; in partem dedisset, omnium fuit facilè princeps. Cùm ad provectam admodum ætatem pervenisset ut paulò post tamen è vitâ ei esset excedendum, ab Anyto quodam divite & Melito poëta, & Lycone Oratore accusatus, quasi Deos communes non coleret, sed novos introduceret, cùm se Dæmonem familiarem, cujus consilio in rebus agendis uteretur, habere dixisset, post latam sententiam cicutâ sublatus est, cùm eo ipse die, quo excessit è vita, disputasset. discere nihil aliud esse, quàm recordari*, quemadmodum Cicer. scripsit *in Tusc. Qu.* Persius;

— Barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta.

Factum hoc Olympiad. 95. sub Lachete Prætore. Vide Diogen. Laërt. *lib.* 2. *vita Phil.* Diodor. *lib.* 4. Aristidem, Plutarch, Euseb. Naudæum, *apolog. &c.*

Socrates Achæus, in expeditione Cyri, contra fratrem, Achæorum Dux. Captus perfide à Tissapherne. Polyæn. *lib.* 7.

Socrates, Alexandri Magni Prætor, in Cilicia, Curt. 4. 44.

Socrates, pictor, inter cujus opera est piger, qui appellatur ὄκνος spartum torquens, quod asellus arrodit, Plin. 35. 11. Pausanias autem dicit, hunc à Polygnoto pictum.

Socrates, Rhodius, sub Augusto vixit. Reliquit libros 3. de bello civili, Athen. *lib.* 4. Alius ab hoc videtur *Socrates*, qui Laërtio celebratur *in Diogene.* Alius etiam est *Socrates* Grammaticus, Etymologo laudatus in Εὔβοια. Fuit & *Socrates* Cous, quem indigitamenta, id est, preces quibus Dii invocantur, fecisse author est Laërtius, Vossio *de Hist. Gr. lib.* 2. & 3. Rhodius idem videtur, cum auctore 2. tractatuum, cujus Athen. *l.* 3. & 9. meminit. Idem meminit auctoris Hist. Argivæ. Vide quoque Diogen. & Plutarch. cum Gesnero.

Socrates, CP. historiam Ecclesiasticam à tempore Apostolorum, usque ad Chrysostomum scripsit. Dictus est Scholasticus, & floruit sec. 5. Constantinopoli. Sub Ammonio & Helladio Alexandrinis, Grammaticam didicit: dein Historiam modò memoratam libb. 7. condidit, orsus inde, ubi Eusebius desiit, id est, à Constantino, usque ad Theodosium Jun. per An. 140. Stylus ejus parum exactus videtur Photio *Cod.* 28. & 30. ipseque in Novatianorum errores propensior. Vide Cassiodor. *cap.* 17. *de divin. Lect.* Evagr. *lib.* 5. *cap.* 24. Sigebert. *cap.* 10. *Cat. Vir. Ill.* Possevin. *in appar. sacr.* Vossium *lib.* 2. *de Hist. Græc.* & Valesium.

Socratides, Archon Athenis, Olymp. 101. An. 3.

Socration, cinædus quidam, quem ob stuprum commissum Piso Prætor postposuit 2. aliis adolescentulis, Veraniolo & Fabullo,

Socratis insula, in sinu Arab. Ptolem.

Socunda, Hyrcaniæ opp. Ptol. *Socanna* Ammiano.

Socus, vir Trojanus, Hippasi filius, generosus animo, & corporis dignitate. Hic teste Homero, Ulyssem vulneravit, sed ab eo deinde ipse interfectus est.

Sodera, urbs aliàs Episc. nunc pag. Scotiæ, in parva insula Rana seu S. Columbi, *Cholmkill*, una ex Æbudis, in ora Mulæ ins. *Sodore.*

Sodera, vulgò *Sauldre*, fluv. Gall. Celt. Aliter *Saldria*, & *Saldra.* Oritur in prov. Bituric. dein per Soloniam & Blesenses fluens, 4. infra Romorentinum leuc. in Carim se exonerat.

Soderani, pop. German. ubi *Berlin*; & *Brandenburg* hodie; teste Peucero.

Sodi, pater Geddiel, Num. 13. Latinè, *secretum meum.*

Sodli, popul. Iberiæ, Plin. *lib.* 6. *cap.* 10.

Sodinus, fluv. Plin. *lib.* 6. *cap.* 23.

Sodobrium, municipium agri Blesensis, ad dextrum Ligerim, tribus parœciis constans, vulgò *Suevre.* Hic Præpositura est, ad Turonense monaster. S. Martini pertinens. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sodoma, singul. num. & plural. *Sodomum* Solino; urbs maxima quondam Palæstinæ ad lacum Asphaltitem, de cœlo cum Gomorrha, Adamah, & Zeboiim tacta, & à lacu absorpta, cujus vestigia adhuc apparent, ab Hierosolymis ad 50. m. pass. in Ort. distans, in tribu Dan. Hic poma proveniunt aspectu quidem pulcherrima, sed levi tactu fumum exhalant, fuliginem favillaceam intrinsecus continentia, uti Tertull. *in Apol.* Hegesippus, & Josephus auctores sunt. Vide *Asphaltus.*

Sodræ, Indi fluv. quidam accolæ, Diodorus.

Soducena, Armen. minoris reg. Ptolem.

Soeta, Scythiæ extra Imaum urbs, Idem.

Sofala, seu Zofala, urbs & regnum Cafreriæ, in Africa. Pars Æthiopiæ, olim sub M. Mogole fuit, hodie ex parte Lusitanis paret; quibus ibi arx est insignis.

Sogana, Gaulonitidis urbs, Jos. *de bell. Jud.* 3. 1. in tribu Manasse; firmissimo in loco sita, qui ibidem habet *Soganem* Arabum vicum 20. stad. à Gabatâ distantem.

Sogdiana, reg. *Maurenhaer* Mercat. *Zagatay* Leunclavio, provincia Asiæ ingens, Scythiæ ad Bor. & Sacis ad Ort. Bactrianæ ad Merid. & Margianæ ad Occid. confinis: per quam Jaxartes fluv. magnus in mare Hyrcanum labitur. Urbes in eâ olim claræ, Oxiana, Maruca, Drepsa, & Alexandria: Baudrando est inter Scythiam intra Imaum ad Bor. Scythiam extra Imaum ad Ort. Bactrianam propr. & Margianam ad Merid. & mare Caspium ad Occ. Hodie à quibusdam *Zagatay*, seu *Usbeck* dicitur, cujus pars est regnum *Maurenhaer.* Sed tota hæc regio pars est Tartariæ Asiaticæ. Ejus caput est Marcanda, vulgò *Samarcand.* Tamerlanis clara natalibus: aliis recentioribus Sogdiana tota sub Mauralnaharia continetur. Populi *Sogdii* & *Sogdiani*, qui vitam ita despiciebant, ut ad mortem læti & alacres irent, autore Herodoto. Dionysius:

Τοῖς δ' ἐπὶ πρὸς βορέην Χωρασμιοι, οἱς ἐπὶ γαῖα
Σογδιὰς, ἧς διὰ μέσσης ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος.

Qu. Curtius *lib.* 7. *Sogdiana regio majori ex parte deserta est: octingenta ferè stadia in latitudinem vastæ solitudines tenent. Ingens spatium rectâ regionis est, per quam amnis, Polytimetum vocant incolæ, fertur torrens.* Videsis quæ sequuntur.

Sogdianus, Persiæ Rex, secundogenitus Artaxerxis Longimani, frater Xerxis II. huic successit, per menses 7. vel 8. Euseb. *in Chron.*

Sogdonacus, Pasinis, regis Arabum, pater, qui Characem urb. Persici sinus intimam à fluminibus infestatam restauravit, Plin. 6. 27.

Sogiunti, pop. Alpini, Plin. *lib.*3. *cap.*20.

Sogniacum, opp. Hannoniæ, in limite Brabantiæ, ad amnem *Sonaque*, vix 3. leuc. à Montibus, in Cæc. Bruxellas versus, 4. ab Binchio in Bor. Sub Hisp. *Soignes*.

Sognus, Provincia regni Congiani, extenditur à fluvio Ambrizi, usque ad 7. gradus & dimidium, versus Septentrionem, per fluvios Lelundam & Zairen, usque ad rupes rubras, quæ sunt in confinibus regni Loangani. In medio hujus provinciæ urbs est, provinciæ quoque nomine indigetata. Natal. Metel.

Sogocara, Armen. maj. urbs, Ptolem.

Soha, nomen viri, 2. Esdr. 7.

Sohar, filius Simeon, Genes. 46.

Sohemus, vide *Soemus*.

Soboria, filius Jeroham, 1. Par. 8.

Soines, locus Ægypti, apud Athanasium tom. 2. ad vitam solitariam agentes epistolâ; ubi Hieracem & Dioscorum exules in lapidicinas missos ait.

Soita, Armen. maj. opp. Ptolem.

Solana, Serica urbs, Idem.

Solane, fluviolus Aquitaniæ primæ, in provinc. Lemovic. qui in Curretiam amnem se exonerat, ad mœnia civ. Tutelensis.

Solanida, insulæ Arab. Fel. ad Ort. Plin. 6. 28.

Solanus, unus ex amicis Ovidii, ad quem scribit *lib* 2. *Pont*.

Solarius pons, in Sabinorum finibus. P. Diac. Vide *Salarius*.

Solbisia, vulgò *Soubise*, locus Galliæ, ad Carantonum fluv. jamjam Oceano accessurum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Solci, Sardiniæ urbs, Stephan. Vide *Sulchi*.

Soldurii, sunt apud Aquitanos 600. devoti; quorum hæc est conditio, ut omnibus in vitâ commodis unà cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum unà ferant, aut sibi mortem consciscant, neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret. Cæsar *Comm. lib.* 3. *cap.* 22. Nicolaus Damascenus apud Athen. *lib* 6. vocat Σιλοδούρς & interpretatur εὐχωλιμαίους. Colerus legendum censet *Soluduni*. Celtæ appellabant *Soldunei*, quasi stipendiarios: unde & hodie *Soldner*: Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.* A Germ. *Sold*, & *Sould*, quod Stipendium significat, & à voce *Solt*, pro Sale deducitur, quòd fidem comesto sale firmabant. Unde & Lat. Salarium à Sale. Vide Gorop *Hermath. pag.* 191. Kilianum in voce *Sould*, Pithæum, &c.

Solenia, ins. inter Dalmatiam & Istriam. Aliter etiam *Solemna*.

Solennis Orphitus, Consul, An. D. 111.

Solensis tractus, regiunc. Aquitaniæ, inter Benehearniam ad Ort. & Navarram infer. ad Occid. Ibi Mauleo oppid. præc. *le païs de Soule*, Gall.

Solenus, Indiæ intra Gangem fluv. Ptolem.

Soletum, Calabriæ urbs, Plin. *Soleto* Leandro. Baudrando *Solito*, oppid. aliàs Salentinorum, hodie castr. terræ Hydruntinæ. Intra Apenninum, 8. mill. ab Aletio in Mer. Uxentum versus 15. etiam *Salantum*, & *Salentia* dictum.

Soli, Straboni *Solus*, nunc *Solea*, urbs olim, nunc pagus Cypri, in ora Septentr. inter Arsinoën ad Occ. & Crommyon promontor. ad Ort. metalli ferax.

Soli, vide *Soloe*.

Solicinium, German. urbs, Anton. *Solms* hodie Heroldo, inter Treverim & Moguntiam. Cluverio *Sultz*, oppidum ad Nicrum, in Ducat. Wirtemberg. 5. mill. Germ. à fontibus Danubii in Bor. Tubingam versus 4.

Imperatores Turcarum.

Solimannus I. Imperator Turcarum, filius Orchami. Fœdere, cum Imperat. Græcorum, inito, Unglesem & Cratem, Bulgarorum principes, devicit: Adrianopolim, Gallipolim, &c. cepit, Obiit equi lapsu, an An. 1352. an 1358. an. 2. vel 3. regni. Chalcond. *Hist. Turc.* Joh. Cuspinian. *de orig. Turc.* Theod. Spandaginus, *de Hist. Turc.* Christoph. Richerius & Paul. Jovius, *de rebus Turc.* Petav. *in rat. temp.* Ubbo Emmius *Rerum Chronol. lib.* 5. *&c.* Ei successit frater Amurathes I.

Solimannus II. Selimi I. patris successor, Ann. 1520. prudentiâ, fortitudine, rerum gestarum gloriâ celeberrimus: Pace belloque egregius, cùm 46. An. imperasset, quemque horum memorabili aliquo facinore inclytum reddidit. Datæ fidei tenax, justitiæ amans, à vitiis liber, in armis indefessus. Gazellem, Syriæ Præfectum, rebellem per suos duces vicit: dein armis in Christianos conversis, Albam Græcam cepit, An. 1521. Rhodum An. 1522. occupavit: Ægyptios rebellantes, per Ibrahimum Bassam, coërcuit; ipse in Hungaria Ludovicum II. prælio Mohacensi, An. 1526. superavit: plurimisque regni hujus urbibus in potestatem redactis, Obiit in obsidione Sigethi, Ann. 1566. ætat. 72. Viennam hic frustra obsederat, Ann. 1529. Taurisium verò diripuit Ann. 1535. & per duces suos, in Europa, Asia & Africa, urbes provinciasque plurimas imperio adjecit. Paul. Jovius *in Solim.* Thomas Artus, *Contin. Chalcond.* Eum excepit Selimus II. fil.

Solimariaca, Leucorum opp. in Gall. Belg. ad Mosam fluv. nunc forsan *Bourmont* oppidul. Lotharingiæ, in Barensi Duc. in tractu Bassiniaco, in ipso limite Campaniæ, 36. mill. p. à Tullo in Austr. Andematunum versus 28.

Solimna, urbs Indiæ, Stephan.

Solimnia, Ægæi maris insula, Plin. *lib.* 4. *cap.* 12.

Solinates, Umbriæ pop. Plin.

C. Julius *Solinus*, scripsit rerum orbis memorabilium collectanea ad Avitum. Dictus est *Plinii simia*. Titulus libri *Polyhistor* est, in 70. capita divisi; cujus Salmasiana editio præstantissima. Romanus fuisse videtur; Vide Scalig. *in Eusebii animadv. pag.* 228. qui illum non magni æstimat. Salmas. *in Prolegom.* Gesn. *in Bibl.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. *pag.* 720.

Solis columna, rupes Alpium summarum, ex qua Rhodanus manat. Sex. Avienus.

Solis fons, qui & *Hammonis fons* Val. Max. *Canzaron di Mahema*, Nebrissensi in Marmarica. Est & *Solis fons* in Troglodytarum reg. mirus, teste Plinio. Nam circa Merid. dulcis & frigidus est, circa med. noctis calidus & amarus.

Solis insula, in mari Indico, inter Carmaniam & Gedrosiam.

Solis mensa, locus Æthiop. in Meroë insula, quam semper novis ferculis instructam fabulantur. *Paese della Cucagna* Italis, *Pays de Panagon* Gallis, *Tierra di Megellone* Hispanis, *Luy Lackerlandt* Belgis, *Schluraffenland* Germanis.

Solis mons, promunt. Maurit. Tingit. inter ostia Diur, & Phthuth fluv. *Benimager* Marmol. *Azafi* aliis, *Cabo Cantin* Castaldo, *Cabo Bojador* Floriano.

Solis portus, in Taprobanâ insulâ, Ptolem.

Solis vallis, seu *Soltvedia*, urbs non obscura Marchiæ vet. Brandeburg. in Saxon. confin. Vulgò *Soltvvedel*, ad Jetzam amnem, 8. mill. German. ab Ulceno in Ort. Havelbergam versus 10. & 6. à Gardelebia. A Carolo M. condita, destructâ statuâ Solis, quæ Numinis instar ibi colebatur.

Solis urbs, (vide *Heliopolis*) urbs Cœlesyriæ & Ægypti.

Solitudo Bethaven, ubi Abraham primò tetendit tabernacula, in tribu Benjamin, Genes. 12.

Solium, vulgò *Soglio*, vicus celebris Rhætiæ, in Prægallia valle, Nobilium *de Salis* sedes.

Solium Cæsaris, vulgò *Keysersthul*, urbs Helvetiæ, in dicec. Constantiensi, ad Rhenum, qui ponte hic jungitur cum arce. A Tiberio Imper. condita, Alemannorum sub Valentiniano III. Imper. in Galliam incursibus vastata, diu sub Baronibus cognom. fuit, postea ab Henrico Episc. Constantiensi sub finem seculi 13. Episcopatui acquisita est. Haud procul Foro Tiberii, quod vulgò *Zurzach* vocatur. Vide Stumpf. *Chron. Helvet.*

Sollagium, oppidum lautum & honestum Latii est, lacui imminens, inter excelsos montes. A Sollagio secundùm lacus & Anienis dexteram, procedendo, propter amnis ripam aquæductus pars apparet, quo per montem usque ad Vicum Valerium excavato rivo, ac deinde structis opere latericio fornicibus, multis in locis altissimis immensisque pilis incumbentibus per 40. m. p. Romam aqua ducebatur.

Sollax, fluvius Asiæ, idem Tigridi, Plinio, qui & *Sylax* Eustathio.

Sollemniacum, villa Galliæ, in Lemovicibus, vulgò *Solignac*; à *Sollemne* aliquo conditore & domino suo dicta. Hic Dagobertus R. rogatu Eligii, maximum nobilissimumque cœnobium condidit & Monachis 150. congregatis Remaclum Abbatem præfecit: 6. m. p. ab urbe Lemovicia. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Solliacum, castrum vetus ac nobile Galliæ, ad Ligerim, vulgò *Sully*, 18. m. pass. ab urbe Aurelianis: Archidiaconatus *Soliacensis*, sextus est ac ultimus Eccles. Aurelianensis. Item Abbatiale monaster. in Cadurcis, ad Duranium fluv. vulgò *Souillac*. Item, vicus pagi Autissiodorensis, Idem.

Solleniensium urbs, in prov. Alpium maritimarum quarto olim, inter 8. ejus civitates loco, fortè *Selon*, opp. Provinciæ, vix 2. leuc. à Druentia fluv. in Mer. 8. ab Arelate, quæ aliter *Salone*. Aliis est *Salinæ Suetriorum* Ptolemæi, vulgò *Seillans*, opp. Provinciæ, inter Sanitium & Antipolim. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Sollium, vel *Solium*, Corinthi opp. Stephan.

Solma, castr. Veteraviæ, cum oppidulo, in colle; *Solms*. Caput Comit. cognom. Vix 2. mill. German. à Vetzlaria in Bor. uti à Giessa, 5. à Marpurgo in Occ. Sub Comite propr.

Solmissus, mons Joniæ, circa Ephesum & Ortygiam lucum, Strabo.

Soloce, magna civitas, quæ notiore nomine *Seleucia* dicitur. Strab. *lib.* 16.

Soloe, vel *Soli*, civitas insignis Ciliciæ, maritima, ab Achivis & Rhodiis ædificata, Arati, Chrysippi, & Philemonis Comici patria; Hic fons erat, qui olei vicem expleret, Plin. *lib.* 31. *cap.* 2. Stephanus à *Solone* conditam scribit; postea *Pompejopolis* dicebatur à *Pompejo M.* qui piratas in eam transtulit; quos dignos existimavit, ut servarentur. Dionysius:

Πολλαὶ δ' ἐξείης Κιλίκων χαράκατι πόληες,
Αγχιαλεῖς, Μαλλός τε, καὶ Α'ζειάλεια, Σόλοι τε.

Eidem Dionysio *in Bassaricis*, Σόλλοι dicitur, si Stephano fides. Græcorum hic inter Cilices agentium cùm tandem sermo corrumperetur, hinc effectum est, ut qui vitiosè loquerentur, σόλοικοι, quasi *Solis degentes*, & ipsa corrupta loquutio σολοικισμὸς vulgò à Græcis diceretur. Quintil. *libr.* 1. *Barbarismi, ac Solœcismi fœditas absit.*

Hesy-

Hesychius. Σολοικισμὸς, ὅτι τις ἀτέχνως διαλέγεται. Idem Σόλοικοι, οἱ ἀμαθεῖς. Quid autem differant Solœcismus & Barbarismus, præterEust. ad Iliad. β. docet Suidas in hæc: Ἔτι δὲ βαρβαρισμὸς ἐν τῇ φράσει λέξεως παρὰ τὸ ἔθος τῆς διαλέκτου Ἑλλήνων. Σολοικισμὸς δέ ἐστι λόγος ἀκαταλλήλως συντεταγμένος· ὡς τὸ, Ἐμοῦ περιπατοῦντος, ὁ τοῖχος ἔπεσεν. Sed interdum confunduntur. Sanè Hesychius: Σολοικίζει, βαρβαρίζει. Est etiam Cypri civitas Σόλοι dicta. Etymologus: Σόλοι, ἡ ἐν Κύπρῳ πόλις, ἀπὸ Σόλωνος τοῦ Ἀθηναίου νομοθέτου. Mem. ejusdem urbis Laertius in Solone: Ἐισὶ οἱ φασὶν, Σολεῖς, οἱ δ' ἀπὸ Κύπρου, Σόλιοι. Idem habet Achilles Tatius in Vita Arati.

Solous, Siciliæ urbs. Thucyd. lib. 6. *Solanto* Leandro.

Soloentia, Libyæ inter. promunt. Ptol. Mel. *Soluentia*, hodie *Capo bianco*, in Nigritarum reg. in regno Gualata.

Solomatis, amnis in Gangem influens. Arrianus.

Solomon, vide *Salomon*.

Solon, fil. Execestidis, natus Olymp. 35. unus ex 7. sapientibus Græciæ, patriâ Salaminius, Athenis claruit, Tarquinio Prisco Romæ regnante, Gellius 17. 21. Auctor Legum post Draconem, nimis severum, fuit Atheniensibus, annum ordinavit ac menses. Coërcuit luxum, varias ceremonias superstitiosas abolevit, Atheniensibus, si improles essent, testandi libertatem indulsit, parricidis legem non posuit: Salamina Atheniensibus, ingenioso dolo usus, conciliavit. Leges aranearum telis assimilavit. Pisistrati dein tyrannidem fugiens profectiones in terras diversas multas suscepit, ut in Ægyptum, ubi à Sacerdote quodam objectum est illi: *Græcos semper esse pueros, nec quenquam è Græciâ senem*: quemadmodum Plato & Justinus *in Parænetico* retulerunt. Inde in Lydiam ad Crœsum se contulit, qui cùm opes suas ei ostentaret, rogaretque, num quem sese feliciorem judicaret? respondit, *Tellum quendam, pauperem admodum, alioqui justum, Athenis agentem: qui in suo prædiolo consenuerat, ejusq; limites nunquam egressus erat. Fieri tamen posse, ut & Crœsus ipse olim inter felicissimos numeretur. Cæterum ante supremum vitæ diem neminem beatum esse judicandum.* Quâ sententiâ nihil verius esse, Crœsus postea re ipsâ est expertus. Nam cùm Cyro Persarum & Medorum regi bellum inferret, acie victus, vivus in hostis potestatem pervenit. Quo tempore pyræ impositus, ut vivus exureretur, salubre Solonis consilium dicitur agnovisse, ejusque nomen in supremo illo vitæ discrimine sæpius inclamasse. Quo audito, Cyrus ex suis misit, qui cognoscerent, quisnam esset Deorum, hominumve, quem ille summo in periculo solum invocaret; remque totam edoctus, memor & ipse humanæ vicissitudinis Crœsum ab incendio liberavit: summoque quoad vixit, in honore penes se habuit. Juvenal. *Sat.* 10.

> —— *Regem transeo Ponti*
> *Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis*
> *Respicere ad longa jussit spatia ultima vitæ.*

Quam Solonis sententiam tetigit quoque Ausonius *ludo* 7. *sapientum*; Ovidius autem suam fecit, & sic expressit, *Met.* 3.

> —— *Scilicet ultima semper*
> *Expectanda dies homini est, dicique beatus*
> *Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.*

Utrum verò etiam rectè id à Solone dictum sit, disquirit Aristoteles *lib.* 1. *Eth. ad Nicom. cap.* 10. Obiit An. æt. 80. Scripsit tractatum de Legibus, Orationes, Elegias, Jambos: Instituit quoque, an auxit Senatum Areopagiticum? Vide plura apud Herodot. *lib.* 1. Plutarchum, Laertium, *lib.* 1. & Meursium *lib. singulari de Solone*.

Solon Platæensis, unus ex Legatis Græcis, ad Polyspherchontem missis.

C. Jul. *Solon*, homo ignobilis, quum consumptis bonis sub Commodo in senatum cooptatus esset, notatus est joco, ut qui spoliatis facultatibus in senatum relegatus esset. Occisus est posteà à Severo.

Solon, *Solonium* Dioni. Allobrogum urbs. Epitome Livii, Dio, &c. ubi, post cædem Catilinæ, Cajum Pontinium Prætorem Allobroges, qui rebellaverant, domuisse scribit Florus *in epit.* 103. *lib. Livii*: in prov. Viennensi, hodie fortè *la Sone*, ad Isaram in finibus Allobrogum, parum distans à castro ad Isaram, vulgò *Vinay* dicto, quod est in Diœcesi Gratianopolitana seu Cularonensi, V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Solonia, vulgò *la Sologne*, tractus Gall. fluviis irriguus & frumenti secundarii ferax, inter Aurelianensem prov. Blesensem, & Bituricensem, cujus periere limites. Ejus caput est Remorantinum. Quidam *Sabuloniam*, ob sabuli copiam, tractum hunc vocant. Alii *Siliginiam*, ob siliginis copiam. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Solonium, op. Latii in confin. Hetruriæ. Agri Lanuvini fuit *Solonius campus*. Cic. *de Div. lib.* 1. *Educatus in Solonio, qui est campus agri Lanuvini.* Plutarchus *in C. Mario*, vocat *villam*: Εἰς τι τῶν ἐπαυλίων αὐτοῦ Σολώνιον κατέφυγε. Festus: *Pomonal est in agro Solonio, viâ Ostiensi, ad duodecimum lapidem diverticulo à milliario octavo.*

Solor, Ins. Asiæ, Moluccis ad Austrum sita.

Solorius, mons Hisp. quo Tarraconensis à Bætica & Lusitanicâ distinguitur. Plin. Omnibus Hisp. montibus altiorem esse scribit Isidorus. Item portus, *Porto Salo*, port. Hisp. Tarr. 4. m. p. à Tarracone in Bor. Barcinonem versus. Halicarn. Sex Rufus.

Solothurum, una ex præclaris & vetustissimis Helvetiæ civitatibus ad Arolam flu. auriferum sita, quam pauló post Treverim constructam existimant, *Soluthurum* dicitur Antonino. Sita est in agro plano & fertili. Ad fœderis perpetui societatem recepta est, An. D. 1481. V. *Salodurum*.

Solruedia, Vid. *Solis vallis*.

Solvense, op. Plin. inter Noricas civitates numerat; locus hodie *Solveld* vocatur, teste Lazio, in Carinthia, inter Vitopolim & Clagefurtum; excisum, cui Lavantum successit, sub Ar. Salisburg. quæ *Solva nova* dici potest.

Soluentii, Libyæ infer. gens. Ptol.

Solus, *untis*, Siciliæ op. inter Eleutherum amnem & Thermas Himerenses, teste Ptol. apud quem Ὀλυλὶς corrupte scribitur. Hodie *Solanto*. Græcis olim Σολόεις, & contractè Σολοῦς. Romanis *Soluntum* & *Solentum*; quemadmodum in Italiâ Ὑδρόεις, sive Ὑδροῦς, *Hydruntum* & *Hydrentum*; Πυξόεις, sive Πυξοῦς, *Pyxuntum*, sive *Puxentum*. Oppidani Σολούντιοι, & Σολεντῖνοι. Apud Stephani Epitomatorem ita legitur: Σόλοι, Κιλικίας πόλις, ἡ νῦν Πομπηϊὸς πόλις. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ, κέκληται δὲ ἀπὸ Σόλωνος, ὡς Ἐυφορίων, ἐπειδὴ ὑπὸ Πομπηΐου, καὶ μετωνομάσθη Πομπηϊούπολις· ὁ πολίτης, Σολεὺς, καὶ Σόλιος· τὸ θηλυκὸν Σολίνισσα, ὡς ἀπὸ τῆς Σολοῦς Σολοῦντος. Et sequenti mox dictione: Σολοῦς πόλις Κιλικίας, ὡς Ἑκαταῖος ἐν Ἐυρώπῃ· ὀνομάζεται δὲ ἀπὸ Σολοῦντος κακοξένου, ὃν ἀνεῖλεν Ἡρακλῆς· ὁ πολίτης Σολούντιος, καὶ Σολουντῖνος, μήποτε καὶ Σολουντίς, καὶ Σολουντίνη, καὶ Σολουντίς. Apud Suidam etiam hæc leguntur Σόλοι, Σικελίας πόλις καὶ Κύπρου. Posterioris autem seculi Grammatici, sive horum exscriptores vocabula ea misere confuderunt, absurdasque ac miras inde Chimæras fabricarunt. A Suidâ siquidem scriptum fuisse haud dubito: Σόλοι, πόλις Κιλικίας, &c. Apud Steph. verò sic legendum, Σολοῦς, πόλις Σικελίας, ὡς Ἑκαταῖος ἐν Ἐυρώπῃ, κέκληται δὲ, &c. Plin. 3. 7. *Opida, Panormum, Solus, Himera cum fluvio.* De antiquis hujus opp. incolis ita Thucydides *l.* 6. Ὤκουν δὲ καὶ Φοίνικες περὶ πᾶσαν μὲν τὴν Σικελίαν, ἐπειδὴ δὲ οἱ Ἕλληνες πολλοὶ κατὰ θάλασσαν ἐπεσέπλεον, ἐκλιπόντες τὰ πλείω, Μοτύην καὶ Σολόεντα, καὶ Πάνορμον ἐγγὺς τῶν Ἐλύμων ξυνοικίσαντες ἐνέμοντο. Nomen ejus quod attinet, quia urbs in loco prærupto & confragoso condita fuerat, (teste Fazello) ideo dicta est à Pœnis סלעין *selaim*, h. e. *rupes*, unde Græcorum Σολόεις. Bochartus. Item Σολόεις, Libyæ promunt. λίμνη Λίβυων, in quo Neptuni templum. Hinc fuit in Hesychio: Σολοεντὶς, ἄκρα, & Σολοέντιοι populi, quamvis utrumque ad meridiem justo longius removeat. Apud Plinium Agrippa corruptè *Surrentiam* appellat. Verum nomen autem erat *Solois* ab Hebræo סלעים h. e. *rupes*, uti supra ostensum.

Solusapra, Siciliæ op. Anton.

Solygeia, vicus Corinthi. Steph. ex Thucyd.

Solyma, sing. & pl. num. & *Solyma*, urbs clarissima Judææ, quæ & *Hierosolyma*. Juvenal.

> *Interpres legum Solymarum.* ——

Item *Solyma*, urbs Lyciæ mediter. in colle, quæ *Solymus* Straboni dicitur apud urb. Termessum; pop. *Solymi* Plinio, qui eosdem facit cum Pisidis. Alii *Solymos* eosdem fuisse cum Lyciis asserunt, quorum tamen sententia cum Homero non satis convenit, qui Bellerophontem à Lyciorum rege missum ait ad subjugandos Solymos. Solymi Deos coluere, post mortem, tres istos è viris principibus, Ἀρσάλον καὶ Δρύον, καὶ Τροσόβιον, ut eos appellat Plutarch. *libr. de def. Orac.* ubi eos ait vocatos Deos σκληροὺς: unde Turnebus *sævos* vertit: sed σκιεροὺς rescribendum esse satis constat ex Euseb. *lib.* 5. *Præp. Evang. cap.* 5. ubi hunc locum adducit: sed tres Principes appellat Ἀρσάλον, Ἄρυτον καὶ Τόσιβον. Ac Τόσιβος quoque est apud Suidam. Sed apud Theodoretum *lib.* 3. *Græc. Affect. cur.* ubi idem Plutarchi locus adducitur, pro Τόσιβον est Τάσιβον; item pro Δρύον, vel Ἄρυτον ibi, legas Ἄρυον. Σκιεροὶ autem dicti videntur, quia statuæ eorum essent è σκίρῳ, h. e. *marmore*, vel, ut alii malunt, *gypso*. Ac nihil minus verisimile, quàm σκληροὺς dixisse, quos interemptos tantopere dolerent, & pro benefactis divinis afficere honoribus vellent. Ita Vossius, contra quem vide Bochartum *de Phœn. col. lib.* 1. *cap.* 6. ex quo sequentia delibavimus. Ciliciæ, inquit, vicina est Pisidia, montana regio, quam occupabant Pisidæ Solymorum soboles, Plin. 5. 27. *Insident verticem Pisidæ, quondam Solymi appellati*, Steph. in *Pisidia*: Οἱ Πισίδαι, πρότερον Σόλυμοι. Solymos porro Phœnicum esse colonos sermo palam arguebat. Chœrilus apud Joseph. *lib.* 1. *contra Ap.*

> Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
> Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες,
> Ὤκουν δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι, πλατέῃ ἐνὶ λίμνῃ.

Nempe, Strabone teste *lib.* 14. prope Phaselidem est λίμνη, ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὰ Σόλυμα ὄρος. Ex horum vertice Neptunus apud Hom. Ulyssem ad Phæaces navigantem prospectat *Odyss.* ε. *v.* 282.

> Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων Ἐνοσίχθων
> Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν.

Et *Iliad.* ζ. *vers.* 184. Lyciorum dux Bellerophon,

> Σολύμοισι μαχέσσατο κυδαλίμοισι,
> Καρτίστην δὴ τήν γε μάχην φάτο δύμεναι ἀνδρῶν.

Rursum *v.* 204. Bellerophontis filium *Isandrum*, aut *Pisandrum*, ut legit Strabo,

> Μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε.

quem

Unde Solymos colligere est Lyciis fuisse vicinos. At Josephus, quem hæc latebant, cùm in Chœrilo legeret, Phœnicii sermonis homines in Solymis montibus prope lacum habitasse, putavit de Judæis agi, & Asphaltite lacu, à quo non procul absunt Solymi montes, i. e. Hierosolymorum, ut quidem interpretatur. His simile quid in Tacito *Histor. lib.* 5. *Clara alii Judæorum initia; Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolyma nomen è suo fecisse.* Et in Stephano: Ἱεροσόλυμα ἡ μητρόπολις τῆς Ἰουδαίας, ἡ Σόλυμα ἐκαλεῖτο ἀπὸ τῶν Σολύμων ὀρῶν. Et in Josepho rursus *Ant.* 7. 3. postquam urbem Jerosolymam *Solyma* nominari dixit; Φασὶ τινὲς ὅτι καὶ Ὅμηρος ταύτην ὠνόμασεν Σόλυμα. Atque id secutus Tzetzes *Chil.* 7. *Hist.* 149.

——— Σολύμους λέγει δὲ τυγχάνειν τοὺς ἑβραίους,
Οὓς Ὅμηρος καὶ λέοντι ὡς ἀναιδεῖς εἰκάζει.

Jam tandem ipsum Solymorum nomen unde dicatur, docere est operæ pretium. צלם *selem* Hebræis *umbram* ac *tenebras* notat. Ejusdem est originis צלמון *Salmon* montis nomen, Psalm. 68, cujus verticem arborum densitas opacabat, ut constat ex Jud. 9. Neque alia fuit ratio nominis Solymorum; quippe id nomen complectitur Pisidiæ montana, de quibus Strabo *lib.* 12. Κύκλῳ δ' ὑπέρκεινται δρυμοὶ ποικίλης ὕλης. Bochartus.

Solyma, vicus in tr. Manasse, Gaulonitidem secans.

Somasci, V. *Hieronymus Æmilianus.*

Somer, fil. Moholi filii Musi. 1. Par. 6. Filius Heber. 1. Par. 7.

Somersetia, prov. Angl. merid. versus Sabrinæ æstuarium, inter prov. Glocestriam ad Bor. Devoniam ad Occ. Dorsetiam ad Mer. & Viltoniam ad Ort. Ejus Urbes præc. sunt Bathonia, Bristolium & Theodorunum.

Sommeria seu *Sostantio*, urbec. Occitaniæ infer. ad Vidolinum fl. 4. ferè leuc. à Monte Pessulano in Cæc. Nemausum versus totidem; aliàs munita. *Sommieres.*

Somona, seu *Samara*, fluv. Gall. Belg. per Picardiam & Ambianos in Oceanum Britannicum illuens; vulgò *Somme.* Oritur in loco *Fon Somme*, in Veromanduis, 2. leuc. supra Fanum S. Quintini; dein ad Occ. tendens, & Picardiam bifariam secans, prope opp. S. Valeriæ in mare Brit. se exonerat. Baudr.

Someria, fil. Roboam ex Abihail. 2. Par. 11.

Soncinum, opp. Duc. Mediol. apud Ollium fluv. inter Cremam 10. m. p. & Brixiam 23. Hic Azelinus Romanus tyrannus immitissimus, apud Cassianum captus & vulneratus, miserè obiit.

Sonda fretum, Oceani Ind. inter Javam & Sumatram, prope Bantamum. 20. m. p. circiter latum. A portu Bantamensi *Sunda* sic dictum.

Sonderburgum, opp. Holsatiæ munitum, ubi Christiernus II. arctissimè à patruo custoditus est, præt. sec. Subest Principi proprio. Fuit autem *Sonderburgiæ* lineæ auctor, filius Johannis Alexander, cui successit fil. Johannes Christianus, pater Christiani Adolphi: frater Alexandri Henrici apostatiâ ad Pontificios & indigno matrimonio contracto noti: Ernesti Gunteri, Georgii Friderici, Augusti Philippi & Philippi Ludovici. V. Spenerum *Syll. Geneal. Histor. in fam. Oldenburgo-Danica.*

Sondra, gentes Indiæ. Plin. 6. 20.

Sondrium, castr. Lombardiæ Transp. ad Abduæ finem. Simlero est celeberrimum totius Volturenæ opp. quartæ, ex 6. præfecturis Volturenæ, sedes; dignitate & potestate reliquas omnes præcedens, quam qui tenet, non Præfectus, aut Potestas, sed Capitaneus dicitur; Præter Sondriensem enim præfecturam, pacem is & tranquillitatem totius vallis tuetur, &, cùm periculum imminet, Imperatoris munere fungitur. Additum sibi Vicarium habet, qui unà cum Capitaneo civiles controversias Sondriensium cognoscit; præterea jus dicit in criminalibus & capitalibus causis, quæ ex tota valle ad ejus tribunal deferuntur. Sed hujus sententiam Potestates, ut vocant, mitigare possunt, & ab his ad Senatum dominorum Rhætorum provocatio est: *de Rep. Helvet.* Vulgò *Sondrio.*

Sonegia, urbec. Hannoniæ, incolis à fluvio suo *Sennick*, Gallis *Soignies*, quibusdam *Soigne*: cum Monte Castrilucio, Condate, Atho, Querceto vel Casneto, Landericiis, Avesnis, Binchio, Bello Monte, Bienna, Melbodio, ac Cimaco diœceseos Cameracensis finibus continetur. Hic Collegium Canonicorum insigne est. Ad fluv. jacet Sennam, vel Sonam, non procul ab ejus capite, qui Sonegias, Hallas *Haux*, & Bruxellam attingit: hic primùm navigabi is, ac in Demeram decurrit, Scaldi pòst accessurum: *Senne* Gallis, aliis *Zenne.* A Sonegiis silva Soniaca, vulgò *Bois de Soigne*, pars silvæ Carbonariæ, nomen videtur accepisse. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Songum, urbs Nigritiæ, in regno Madingua.

Sonneburgum, opp. Osiliæ, Insl. Livoniæ, in mari Balt. in parte Bor. Insl. contra Daghoam Insl. à qua vix 8. mill. distat in Mer. 60. à Pirnavia, urbe Livoniæ in Occ. Item Urbs, prope Poloniam, Sub Elect. Brandeb.

Sontiates, pop. inter Aquitanos, Tolosæ ac Narbonæ, civitatibus Galliæ provinciæ Romanorum, & Hisp. citeriori proximi, habentes opp. naturâ loci ac manu munitum, in regno Francorum situm. Cæsar. *Ceux de Lavedan* nonnullis. Fulv. Ursinus *Sociates* legendum putat ex Orosio. Athenæus *lib.* 4. *Sotianos* vocat. Baudr. fuere pop. Aquitaniæ, sub Auscis, inter Lactoram ad Occ. & confluentes Tarnis, in Garumnam ad Ort. in tractu Armeniaco; Alii versus Aturum Urbem. V. *Sotiates.*

Sontii, qui & *Sentii* quibusd. fuere in Provincia, in eo tractu, ubi hodie Diœcesis Diniensis. Horum Caput Dinia *Digne*, quæ Dinia Sontiorum dicitur.

Sontius, fluv. *Lisonzo*, oritur ex Alpibus in Carniola; dein per Foro-julium & Com. Goritiæ fluens, Goritiam & Gradiscam rigat. Cassiod. Hic Odoacrum Theodoricus Veronensis, à Zenone evocatus, primò vicit, postmodum verò ad Veronam, tertiâ vice ad Abduam. An. C. 488.

Sonus, fluv. in Gangem se exonerans. Plin. & Arr.

Soparma, Indiæ intra Gangem emporium, supra Corv. promunt. Arrian *in Periplo.*

Sopater, vir quidam ex Beræâ, cujus mem. B. Lucas *in Act. Apost.* Item dux Philippi an. mundi 3763.

Sopater, Apamenæs, Sophista & Philosophus, Alexandrinus, sec. 4. discipulus Jamblichi, Platonicorum princeps, quem Cæsar Constantinus interfecit ad fidem faciendam, se Græcorum ac Gentilium religioni amplius addictum non esse. Prius enim fuerat ipsi famil. Scripsit de providentiâ. Item de iis qui præter merita felices. Suidas. Eunapius Sardianus *in Ædesio*, hujus mortis caussam, in Ablavium prætorio præfectum derivat. Quædam de hoc Sopatro legere est, apud Sozomenum *lib.* 1. *cap.* 5. & Photium *in Biblioth. cod.* 141. qui hujus Eclogarum historiarum libros 12. recenset.

Sopater, Poëta, *Scriptor ineptiarum* dictus. Item alius Comicus scriptor, Suid.

Sopha, patria Malachiæ Proph. in terra Zabulon.

Sophac, princeps militiæ regis Adarezer. 1. Par. 14.

Sophaca, barbara gens apud Josephum 1. 23.

Sophai, fil. Elcana. 1. Par. 6.

Sophala, Urbs cum regno cognom. in ora litt. Zanguebariæ, Vide *Zofala.*

Sophan, civitas munita, possessa à filiis Gad. Num. 5. 32.

Sophanes, tertius à Phocensibus, in locum Phalæci, ob sacrilegium remoti, Dux suffectus, Olymp. 108. An. 2.

Sophar, nomen viri. Job. 11.

Sophænetus, historicus, scripsit Cyri expeditionem, quem Stephanus in *Carduchi*, & alibi citat.

Sophene, reg. Armen. maj. in Mesop. confin. ubi Tigris sub terrâ conditus post 25. m. p. emergit. *Sophane* Trog. Pop. *Sopheni.* Luc. *l.* 2.

Cappadoces mea signa timent, & dedita sacris
Incerti Judæa Dei, mollisq; Sophene.

Sopher, princeps exercitus regis Sedeciæ. 4. Reg. 25.

Sophereth, nomen viri. 1. Esdr. 2.

Sophi, in agendis armentis puer victum quæritavit, postea verò rex fuit Persarum.

Sophia, uxor Justini II. per infirmitatem mariti, res imperii ipsa administravit: illo verò mortuo Tiberium in thronum evexit, quem cùm uxorem suam Augustam pronuntiasse audisset, indignata, nuptiis enim ejus inhiabat, contra illum, in gratiam Justiniani, mariti nepotis, conspiravit. Quâ contumeliâ Narsetem affecerit, V. ibi. Evagr. *lib.* 5. Procop. Niceph. &c.

Sophia, secunda Jagellonis Vladislai Poloniæ R. uxor, mariti zelum, priorisque ejus uxoris Hedvigis pietatem imitata, Biblia S. sedulò legit. V. *Jagielo &c.*

Sophia, Theodorici Hollandiæ Comitis uxor, pro mariti salute, semel in Hispaniam ad S. Jacobum, ter Hierosolymam peregrinationes suscepit. Decessit autem ille Ann. C. 1163. V. Matth. Vossium *Annal. Holl. lib.* 2. *p.* 72.

Sophia, mulier quædam Romana, quæ 3. filias imperante Adriano jugulari vidit cum gaudio.

Sophia, urbs Mysiæ inf. in Serviæ & Bulgariæ confin. Procopius. Nunc Bulgariæ caput, ad fl. Iscbam. Crevit ex ruinis Sardicæ, in ejus vicinus. 100. m. p. à Thessalonica in Bor. Nicopolim versus 60. inter Nissam 120. & Philippopolim 80. 300. m. p. à Constantinopoli in Occ. Taurunum versus 150. circiter. Sedes olim Archiep. nunc Bassæ. A Justiniano condita videtur.

Sophilus, Sicyonius vel Thebanus, tempore Ptolomæi Lagi. Comicus mediæ Comœdiæ, cujus fabulæ nonnullæ commemorantur apud Athenæum, Diog. Laërt. *in vita Stilp.* Lil. Giraldum & Voss. *de P. G.*

Sophim, mons in tribu Ephraim. 1. Reg. 1.

Sophus, Chronologus, nominatur Joanni Zzetzæ *Chil.* 5. *historia hist.* 1.

Sophitis Regnum, Indica regio, ubi rex ob formam eligitur, populusque sapientiâ excellit & bonis moribus regitur. Straboni dicitur Σωπείθης & alio in loco Σωπείθης. Vide Curt. 9. 5. Diodoro *lib.* 17. *parte posteriore* Σωπείθης.

Sophocardius Georgius, Concionator in Scotia celebris, per fraudem captus à Catdin. Sant Andræano, & ad ignem damnatus: Cardinali e fenestra supplicium prospectanti, imminentem lethum prædixit. An. C. 1541. V. Thuanum *Hist. lib.* 3. *&c.*

Sophocles, dux Lacedæmoniorum, an. mundi 3193. Item Grammaticus quidam, interpres Lycophronis & quorundam aliorum poetarum.

Sophocles, poeta Tragicus, patriâ Atheniensis, tantâ orationis suavitate, ut vulgò *μέλιττα*, h. e. *apis*, item *Siren Attica*, cognominaretur, æqualis Euripidis ac Periclis, cujus etiam quandoque collega fuit in præturâ. Natus Olympiade 73. ante Socratem ann.17. Ingenio & fortitudine inclytus, cum Pericle, Dux copiarum fuit. Primus 3. actoribus usus est, adjecto eo, qui vocatur *Tritagonista*, h. e. tertiarum & ultimarum partium histrio. Primus etiam choros ex juvenibus 15. introduxit, cùm antea 12. tantùm introducerentur. Primus quoque tragicas contentiones & compositiones instituit. Scripsit etiam Elegiam, & Pæanas, atque orationem prosam, cùm de Choro adversus Thespim & Chœrilum contenderet: Tragœdiam ad perfectionem perduxit; Stylus ejus politicum sapit, & fictiones admodum judiciosæ sunt. Obiit autem 6. an. post Euripidis mortem, cui styli magnitudine præfertur, licet ejus sententiis inferior. Filios habuit, *Jophontem*, *Leosthenem*, *Aristonem*, *Stephanum*, *Meneclidem*, quorum unus patre jam grandævo, annos enim 85. attigisse dicitur, Judices adiit, rogatum, ut Patri Curatorem constituerent: sed hoc partem Oedipi, quam tum fortè pangebat, coram Judicibus recitante, cum ignominia remissus est. Exhibuit fabulas 123. quanquam alii dicant multo plures. Victorias autem 23. reportavit, quarum postrema cum præter spem illi contigisset, repentino gaudio dicitur expirasse, ut est author Val. Max. *lib.* 5. Lucianus autem grano uvæ strangulatum eum prodidit, quod & Sotadis versiculus apud Stobæum confirmat,

Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς πνιγεὶς τέθνηκε.

Vide Plin. 7.29. Lil. Girald. *Dial. de Poet.* Fabrum *vita Poët. Gr. &c.* Hinc *Sophocleus*. Cic. 16. Fam. *An pangis aliquid Sophocleum?* hoc est, grande, grave, & tale quale Sophocles? Virg. *Ecl.* 8.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Unde Martialis 5. 31.

Varro Sophocleo non inficiande cothurno.

Idem *lib.* 3. *ep.* 20.

An in cothurnis horridus Sophocleis.

Juv. *Sat.* 6.

Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.

Vide Græcum epigramma 3. *Anthol.* de sepulchro Sophoclis, ubi Opsopæus notat præstantiam ejus, supra Æschylum, & Euripidem.

Sophocles Junior, Poëta Græcus, prioris nepos. Scripsit dramata quædam.

Sophonia, Ins. parva maris Ægæi, ante Magnesiam. Plin.

Sophonias, fil. Maasiæ. Jer. 21. Item propheta, fil. Chusi, unus ex min. prophetis, qui & *Zephanias*, ex regia stirpe. Orsus est prophetare, tempore Jeremiæ, sub Josia, Ann. M. 3407. Continet autem Prophetia ejus capp. 3. quæ vide. In *Prophetiam* ejus, extant: Buceri *Enarrationes*, fol. per Rob. Stephanum, 1554. Danæi *Explicatio*. Lareni *Tuba*, in octav. Regii *Comm.* Cellæ Saxonum 1537. Selnecceri *Explicatio*. Winckelmanni *Comm.* Vid. Crowæi *Elenchum*.

Sophron, poeta Syracusanus, cujus scriptis Platonem usque adeo delectatum ferunt, ut etiam moriens capiti ea habuerit subjecta. Scripsit linguâ Doricâ Mimos viriles & fœmineos, & alia quædam non contemnenda, sed adeò implicita, ut à paucis intelligerentur. Vixit, sub Xerxe, 75. Olymp. Item Poëta Comicus, Olymp. 127. Suidas, Jul. Pollux, Lilius Girald. *dial. de Poet.* Voss. *de P. G.* Faber, *vit. Poët. Gr.*

Sophronia, matrona Romana, altera Lucretia Christiana, cùm vim Decii principis videret se passuram, consentiente viro, arrepto gladio seipsam transfixit, ac inter sanctas mulieres est relata. Euseb. *lib.* 8. *cap.* 17.

Sophronista, magistratus quidam apud Athenienses, non dissimiles iis, quos Romani *Censores* vocabant, licet longè plures essent, & potestate aliquanto inferiores: legebantur enim ex singulis tribubus decem, qui juvenum mores censerent. Sigonius.

Sophronium, nomen fœminæ, per diminutionem adulationis amatoriæ prolatum.

Sophronius, Episcop. Hierosolymitanus, Damasco oriundus, Ann. 633. Monothelетarum hostis acerrimus. Obiit Ann. 636. Concil. 2. Nic. *Actu* 4. Johan. Damascenus, Photius *codic.* 231. Nic. Callixtus, *lib.* 7. *cap.* 3. *&c.* Item Patr. Constantinop. sec. 15. Item, tempore Hieronymi, scripsit Panegyricum Bethlehemæ, & lib. de destructione statuæ Serapidis: Hilarionis quoque vitam græcè vertit, &c. Vid. Hieron. *de Script. Eccl. cap. ult.* Non esse autem hunc auctorem græcæ versionis Scriptorum Eccl. Hieronymi, quos Erasmus Basileæ edidit, An. 1529. apud A. Cratandrum, ut Ger. Joh. Vossius ratus est, ostendit hujus fil. Isacus, *in not. ad Epist. S. Ignatii.*

Sophthe, Persici sinus inf. Ptol. *Phara* Marcellini esse creditur.

Sopiana, Pannon. infer. urbs. *Soppan* Lazio, *Zeeblack* Simlero, *Soppia* Ferrar. Ad Dracum fl. 3. leuc. in Libonotum à Zigetho arce.

Sopolis, nobilis Macedo, pater Hermolai, qui cum aliis nobilibus pueris contra Alexandrum M. conjuravit. Curt. *lib.* 8.

Sopronium, Germ. *Oedenburg*, urbs Hungariæ in limite Austriæ, 3. leuc. à Neostadio in Ort. 6. à Posonio in Mer. uti 1. à Peisone lacu. Caput Comit. cognom. cui Austria ad Occ. & Mer. Javariensis Comit. ad Ort. & Mosuniensis ad Bor. Sub Austriacis.

Sora, colon. & urbs Latii ad Lirim fluv. in Campaniæ confin. inter Ferentinum, & Atinam, Arpino proxima. Episcop. cum tit. Duc. M. Fabio & S. Sulpicio Coss. à Romanis Samnitibus est erepta. Liv. *lib.* 7. *dec.* 1. Nunc in prov. Terræ laboris, in limite ditionis Pontif. & Aprutii ulter. Cum castro splendido gentis Boncompagnæ. 16. m. pass. à Casino in Circium. Baudrando. Juvenal. *Satyr.* 3.

Si potes avelli Circensibus, optima Sora
Aut Fabrateria domus, aut Frusinone paratur.

Silius *lib.* 8.

Sylla Ferentinos, Privernatumq; maniplos
Ducebat simul excitos, Soraq; juventus
Addita fulgebat telis, hic Scaptia pubes,
Hic Fabrateria vulgus, nec monte nivoso
Descendens Atina aberat, detritaq; bellis
Suessa, atq; à duro Frusino haud imbellis aratro.

Stephanus *Soram* alteram collocat, in Phœnice.

Sora, oppidul. Selandiæ, in Dania, cum Academia sat celebri, à Friderico II. instituta, & à Christiano IV. restaurata. 7. leuc. ab Hafnia in Occ. 4. à Roschildia in Afric. inter Slagam & Ringstadium, sylvis undique septa, & arce regiâ munita, ad amœnam paludem, aquâ dulci scatentem. Aliàs cœnobium. Abrah. Golnitius.

Sora, urbs Indiæ citer. Ptol. nunc *Shapor*, urbs Berariæ provinc. Sub Mogole M. in limite regni Golcondæ. Sanso.

Sorabi, pop. Germaniæ in Misniâ & Saxoniâ: quorum tractus *Sirbia*, & loca *Sorbec*, ac *Servestein* dicuntur. Aimonio ponitur in Dalmatia. *Servii* hodie quibusd. Contra hos Naumburgum muniit Carolus M. cujus filius Ludovicus Pius illos repressit, Ann. C. 817. à Ludovico Rege Bavariæ filio Pii, fame domitos, Ann. Ch. 851. Annal. Fuldenses, Blondus *lib.* 2. *dec.* 2. Aimoin. *lib.* 5.

Soractes, & *Soracte* neut. gen. mons Faliscorum in Hetruriâ apud Tiberim, Apollini quondam sacer. Virg. *lib.* 11. *Æn.*

Summe Deus sancti custos Soractis Apollo.

Idem *lib.* 7.

Hi Soractis habent arces, Flaviniaq; arva.

Silius *lib.* 8.

Haud procul & sacrum Phœbo Soracte frequentant.

Horat. *lib.* 1. *Carm. Od.* 9.

Vides ut altâ stet nive candidum
Soracte. —— ——

Hodie *monte S. Oreste*, ab opp. adjacente cum cœnob. in dit. Pontif. & prov. Patrimonii. *Mons S. Oedisti* quibusdam recentioribus. Hic fons olim fuit, Sole oriente exæstuans, ex quo aves bibentes mortuæ illico deciderunt, teste Varrone. Item Galatiæ mons, in quo eriphium, i. e. rura sylvestris, nascitur, teste Dioscoride.

Soractia, Omanorum in Arab. Fel. urbs. Plin.

Soradeus, dæmon, quem Indi colebant: sonat *vini auctor*. Athenæus *lib.* 1. Παρ' Ἰνδοῖς τιμᾶται δαίμων (ὥς φησι Χάρης ὁ Μιτυληναῖος) ὃς καλεῖται Σοροάδειος, ἑρμηνεύεται δὲ ἑλληνιστὶ οἰνοποιός.

Soranus, Ditis seu Plutonis cognomen, à voce Græcâ σορὸς, quæ *tumulum Sepulchralem* sign. vel à *Sorâ* opp. ad Soractem mont. sito. Tradit enim Plin. 2. 92. eo in tractu tam pestiferos spiritus exhalari, ut avibus sint lethales. Unde videri potest Pluto dictus esse *Soranus*, non dissimili ratione ab eâ, quâ Avernum pro inferis Poëtæ acceperunt.

Soranus Ephesius, fil. Menandri, ex Phœbe, medicus. Alexandriæ vixit, deinde Romam venit, ubi artem exercuit, Trajani & Adriani temporibus. Suidas. Alius quoque Ephesius, sed junior priore, de morbis mulierum locisque librum edidit: cujus fragmentum à Turnebo editum. Idem vitam Medicorum composuit. Alius Cilix, cognom. Mallotes: qui malè auctor creditur *Isagoges Medicæ*, apud Cratandrum, Basileæ impressæ, Ann. 1528. Justus *in Chron. Med.* Castellan. *in vit. Med.* Vander-Linden, *de Script. Med.* Vossius *de Orig. de Hist. Gr. pag.* 414. *de Philos. &c.*

Soratovia, urbs Astracani regni, ad Volgam, media ferè, inter Cazanum ad Bor. & Astracanum ad Mer.

Sorava, urbs Lusatiæ infer. caput, aliter *Zdiarum*, sub El. Saxoniæ. In ipso Silesiæ limite, vix 2. mill. Germ. à Sagano in Circ. 5. à Crossa in Mer. Pluries capta & recepta ultimo bello Germ.

Sorbiodunum, urbs Angliæ episc. aliàs Belgarum, in reg. Wiltoniæ, inter Wintoniam ad ort. & Exoniam ad occ. vulgo *Salisbury*. Duplex autem fuit *Saruberia* (ut loquitur Bochartus) quarum vetustior collem occupabat aridissimum & prorsus inaquosum. Id testantur disertis verbis Britannici scriptores Guil. Malmesburiensis: *Castellum erat, &c. aquæ penuriâ laborans, adeò ut mirabili commercio aqua ibi vendatur.* Et poeta anonymus ejusdem ævi apud Camdenum:

Est ibi defectus lymphæ, sed copia cretæ.

Et Petrus Blesensis *in Epp. Erat locus ille ventis expositus, sterilis, aridus, desertus.* Proinde vetustior illa Sarisberia in Itinerario Antonini, *Sorbiodunum* dicitur prisco nomine, hodie *Old Sarisbury*, quod ex Britannicâ linguâ Camdenus *siccum collem* interpretatur. Nempe *dunum* est collis, & *sorb*, vel *sorba* tam Syris quàm Britannis est *siccitas*. Radix שרב *sorab*, est *siccum esse*. Unde שריב *siccus*, & שרבא *sarba*, שרובא *seroba*, שורבא *sorba*, vel *sorbo*, *siccitas*. Hebræis etiam nota, vox. Ubi enim habet Esaias *cap.* 35 *vers.* 7. *Erit locus aridus in stagnum, & locus sitibulosus in fontes aquarum;*

rum; pro loco arido in Hebræo textu est שרב *ferab*. Bochart. Nunc pag. prope Avonium amnem, m. p. à Sarisberia urbe prim. Viltoniæ, quæ crevit ex ejus ruinis, & *Sorbiodunum nov.* dici potest; distatque 70. m. p. à Londino & Exonia, 20. à Venta Belg. in Ort. 40. à Brittolio in Eur. uti 32. à Bathonia, 40. à Dorcestria in Cæc. Baudrandus.

Sorbona, primum & præcipuum Academiæ Paris. Collegium, à Roberto Sorbone, tempore Ludovici IX. fundatum. Aliquando pro tota Academia sumitur, quæ instituta An. 791. à Carolo M. Alcuini impulsu, qui primus ejus Professor extitit, magnum in Europa nomen adepta est. Hujus filiam se Ticinensis & Cracoviensis, sororem Mediolanensis vocat Academia. Præter Sorbonam hoc nomine insignem, collegia habet 63. Sorbona verò, à Cardin. Richelio insolitâ magnificentiâ reparata, locum 36. Doctoribus præbet, qui Sorbonici dicuntur. V. Claud. Hemeræum *de Acad. Par.* Du Brueil, *antiq. Paris.* Moretium *in Diction. Hist.* Durante Schismate, quo Bonifacius IX. Romæ, Benedictus XIII. Avenione, sedebant, *Sorbonicum* Collegium, cui à Rege res deliberanda commissa erat, decrevit, *jus fasq; esse, ut Rex se ac regnum suum utriusq; Papæ obedientia eximeret*, donec existeret aliquis legitimè creatus. Unde totos tres annos Papæ eclipsin facilè tum tulit Gallia. Iterum dein circa Ann. C. 1416. statuit, Ecclesiam Gallicam, nullo jure obstrictam esse, ut Pontifici pecunias pendat, nisi ad recuperandam terram S. ad conciliandam inter Græcos Latinosq; concordiam & ad prædicandum Evangelium omni creaturæ. Idem Antonii Santarelli librum Romæ excusum, tanquam rebelliones, seditiones & Principum parricidia excitantem, condemnavit, An. C. 1625. &c. Vid. Lætum *Comp. Hist. Univ.* Rivetum *Jesuit. vap. cap.* 15. *Sect.* 6. *&c.* *Sorbonæ filia* Academia Cracoviensis dici solet, Vid. suprà & in voce *Cracovia*.

Sorbota, pop. Æthiopiæ, apud quos homines esse creduntur 8. cubitorum. Plin.

Sordice, palus Gall. Narb. Sexto Avieno, circa radices Pyrenæi montis, ubi etiam *Sordicena* pop. & *Sordus* amnis. Varrerius hoc in loco tractum describit, qui hodie l'*estang de Leucate* seu *de Salses*, antea in limite Gall. & Hisp. nunc totus in Gallia contra Leucatam & Salsulas.

Sorec, torrens in tribu Dan, prope Esthaol, juxta quem Samson adamavit Dalilam. Jud. 16. Vineæ hîc optimæ, ubi uvæ acinum non habebant.

Sorge, fluv. Gall. Narbon. Plin. mel. *Sulca*, seu *Sorgia*, in Provincia, qui ortus ex Valle clausa, per Comit. Vindascinum labitur, pauloque suprà Avenionem in Rhodanum cadit.

Sori, nomen viri. 1. Par. 15.

Soria, urbs Castellæ vet. prope fontes Durii fl. vix 1. leuc. infra rudera Numantiæ, 12. à Bilbili in Circ. 8. à Turiazone in Afric.

Soritæ, Indiæ pop. qui piscibus tantùm degunt, illos ad Solem dissectos torrentes, panemque ex iis conficientes. Qui tamen nullibi reperiuntur, totâ Indiæ orâ à Lusitanis peragratâ.

Soritia, Hisp. Bæt. urbs apud A. Hirtium videtur.

Sornum, aliis *Zeverinum*, urbs Hung. ad Danubium, 70. m. p. infra Taurunum in Ort. 60. à Temesvaria in Eur.

Soroga, Pannon. sup. urbs. Ptol. Lazio *Zagabria*, ad Saum fluv. Croatiæ caput. V. *Sisopa*.

Soron, urbs Paphlagoniæ, Paus.

Sorona, Arcadiæ sylva. Pausan.

Sorores, 4. Syriæ Urbes, Antiochia magna, ad Orontem, Seleucia Pieria, Apamea Apameneæ caput & Laodicea, in Cassiotide, eodem tempore à Nicanore Seleuco R. conditæ. Strab.

Sorthida, Babyloniæ urbs. Ptol.

Sorviodunum, vide *Sorbiodunum*.

Sosandes, Indica consignavit, ut videre est ex epitome Artemidori Ephesii.

Sosandra, ins. juxta Cretam, sic dicta, quòd cum Lycii aliquando noctu urbem invaderent, eos qui intus erant, conservarint. Steph.

Sosares, Assyriæ R. ab An. M. 2708. usque ad an. 2727. Successit Lampridi, exceptus à Lampare.

Sosarmes, Assyriæ R. post Panniam, an. 2803. Ei Mitræus successit. Euseb. *in Chron.* Torniel. *in Annal. Vet. Test.*

Sosia Galla, C. Silii uxor, caritate Agrippinæ invisa Tiberio: ideo immisso Varrone consule, instinctu Principis, cum marito correpta, & eum Silius imminentem damnationem voluntario fine prævertisset, in exsilium pulsa est. Tacit. 4. 19. 20.

Sosiacum ad Scolam, vulgò *Soisi sur Escole*, locus Galliæ, in pago Wastinensi: Est autem Scola amniculus, vulgò *le ru d'Escole*. Aliud est *Sosiacum* Briegense, in finibus Parisiorum Sequanæ adsitum, quod *Soisi sur Seine* nuncupatur. Utrumque à Sosio appellationem accepit, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Sosiæ duo extiterunt Athenis, Pythidis ille, hic Parmenionis filii. Vid. Schol. *in Aristoph. Vesp. p.* 436. E. 1.

Sosias, Philosophus quidam impius, qui sublatâ penitus providentiâ, omnia temerè fieri asserebat, quo in errore Euhemerum, Diagoram, Hipponem, & Epicureum versatos accepimus.

Sosibianus, vir quidam, de quo Martialis:

E servo scis te genitum, blandeq; fateris,
Quum dicis dominum Sosibiane patrem.

Sosibes, populi Sarm. Europ. apud Capitolinum *in M. Aurelio*, videntur.

Sosibius, Grammaticus Laconicus, tempore Ptol. Philadelphi, cujus memin. Suidas. Scripsit historica quædam Athen. Arnob. Clem. Al. Item adversarius Anaxagoræ: Item Britannici, Claudii Cæs. filii educator. Tacit. 11. 1. Gesn. *in Bibl.* Lips. *in lib.* 11. *Tac.* Voss. *de H. G. lib.* 1. *cap.* 15.

Sosicles, Archon Athenis, Olymp. 113. An. 4.

Sosicles, patriâ Syracusius, poeta Tragicus circa novissima Philippi Amyntæ filii tempora, unus ex iis quos Pleiadas appellarunt. Docuit fabulas 73. Victorias retulit 7. Suidas. Item cognomen Menæchmi apud Plautum, *à salutari fama*.

Sosicrates, libros reliquit de rebus Cretensibus. Athenæus *lib.* 6. Fuisse Rhodium e Laertio colligimus. Vid. Voss. *de Hist. Gr. lib.* 3. Alius Phanagorites, cujus Οἶαι citantur ab Athenæo *lib.* 13. Tertius Cyzicenus, vetus scriptor, cujus mem. Fulgentius Planciades voce *Nefrendes*.

Sosicura, Careorum op. in Indiâ intra Gangem. Ptol. *Jacamcuri* Castaldo.

Sosigenes, Archon Athenis, Olymp. 109. An. 3.

Sosigenes, Astrologus Ægyptius, quem Cæsar Dictator annos, vitio Pontificum per intercalandi licentiam, turbatos, ad Solis cursum redigens, adjutorem sibi adhibuit. Sueton. Dion. Plin. 17. 25. Hinc Juliana Periodus, quæ incipit an. 45. ante N. C.

Sosigenes, Navarchus Eumenis ignavus, de quo Polyæn. *lib.* 4. *in Antigono, com.* 9.

Sosimus, famam sibi peperit volumine περὶ χρόνων. Athenæus *libr.* 14.

Sosipater, nomen ducis, 2. Mach. 12. Filius item Pyrrhi. Nomen Sancti cujusdam. Rom. 16.

Sosipatra, fœmina, vates doctissima è Libyâ, uxor Ædesii Sophistæ. Eunapius.

Sosipolis, dæmon, seu genius, cultus fuit ab Eleis, quòd urbem ab Arcadibus servaverit. Puerili specie effingebatur, chlamyde stellata indutus & manu altera continens cornu copiæ, quale scilicet Fortuna gestare solet. Ejus templi antistes rem divinam faciebat, caput & faciem albo obtecta velamine solaque ipsa templi adytum ingrediebatur.

Sosippus, vicit Olympiada 98. An. 1.

Sosippus, Arab. Fel. ad sinum Erythræum portus. Ptol. Niger æstimat esse *Becare* Plinii, quem incolis *Necanidon* appellari scribit Pintianus.

Sosirate, Susianæ urbs. Plin.

Sosistratus, Dux servorum, Syracusis magnam manum & factionem comparantium, oppressus astu Hermocratis, per amicum & familiarem Daimachum. Polyænus *lib.* 1. Alius *Sosistrati* facit mentionem *lib.* 5. *pag.* 407. Qui Tyrannidem Syracusis occupavit, occupatis eorum bonis, qui tyranno Agathocli adhæserunt.

Sositheus, Syracusanus, unus de numero eorum, qui *Pleiades* appellantur, apud Ptolemæum, æmulus Homeri Tragici, Suidas, & Lil. Giraldus, *dial. in Poët.* Olymp. 166.

Sosius, prænom. *Cajus*, Syriæ præfectus an. mundi 3925. *Sosii* autem librarii & bibliopolæ Romæ fuerunt, de quibus Horatius ad Pisones:

Hic meret æra liber Sosiis.

Nec non *lib.* 1. *ep. ult.*

Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.

Sosius Faleo, à militibus Pertinaci Imp. infensis oppositus. Aurel. Victor.

Sospellum, Comit. Nicæensis, in Pedemontio, opp. ad radices Apennini, in limite Genuensi. 6. mill. ab Albio Intemelio in Mer. uti totidem à Monachio, & 11. à Nicæa in Eur. *Sospello*.

Sossinati, Sardiniæ pop. Strabo.

Sossius, parvus Siciliæ fluv. Ptol. *Pulici* Leandro. Vulgò *Marsala* Cluver. prope Lilybæum prom. in mare Tyrrh. se exonerat.

Sosteropolis, mel. *Soteropolis*, V. ibi. opp. Bithyniæ, apud Nicomediam, ubi Constantinus M. hausto veneno in potu à Fratribus dato, obiit. Zonar. 3. *Ann.* Nunc *Pythia*, Porphyrogenn.

Sosteum, Ægypti urbs. Lib. Notit.

Sosthenes, 26. rex Macedonum, post Antipatrum, regn. an. 11. Gallos vicit. Pausan. Justinus *lib.* 24. Occisus, Brenno irrumpente, An. 476. U. C. V. & Pausaniam.

Sosthenes, princeps Synagogæ Judæorum. Act. 17.

Sosthenes Cnidius, res Ibericas conscripsit. Plut. *in Nilo*, Voss. &c.

Sosthenis, Thessalorum in Macedoniâ urbs. Ptol. *Stiamizapo* Moletio. In Thessaliotide tractu.

Sosthenium, Dion. *Isidis Bacca*, Thraciæ locus trajectui Constantinopolitano è reg. oppositus. Niceph. 7. 50. *Alomaten* vulgò, P. Gyllio.

Sostiaca, Daciæ Ripensis civitas. Lib. Notit.

Sostratus, ex coborte nobilium puerorum Alexandri M. amasius Hermolai; cum quo & contra Regem conjuravit, eoque nomine lapidatus est. Curt. *lib.* 8.

Sostratus, Grammaticus, sub Augusto; fil. Aristodemi, qui Strabonis præceptor, V. Strab. *lib.* 14. Scripsit quædam.

Sostratus Cnidius, architectus, qui turrim excitavit in insulâ Pharo,

Pharo, jussu Ptolemæi Philadelphi, ad ostendendos nocturnos ignes nautarum cursibus, eique nomen suum inscripsit. Fuit autem inscriptio hujusmodi, teste Strabone *libr.* 17. ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ, ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ. Plinius *lib.36.cap.12. Magnificatur & alia turris à rege facta in insulâ Pharo, portum obtinente Alexandriæ, quam constitisse DCCC. talentis tradunt: magno animo ne quid omittamus Ptolemæi regis, quòd in eâ permiserit Sostrati Cnidii architecti structura ipsius nomen inscribi.* Lucianus autem *in libello de rectè conscribendâ historiâ*, non permissu regis, ut ait Plinius, sed eleganti Sostrati fraude, factum tradit, ut ipsius nomen fuerit insculptum: eum vide. Item *Sostratus* sculptor, qui ex ære signa faciebat, Plin. *lib.36. cap.*2. Item Cereris sacerdos apud Tacitum. Alius vates, qui per furorem multa Græcis prædixit, inter alia verò Atheniensibus Xerxis adventum, ut author est Herodotus. *Sostratus* quoque Sicyonius fuit, cognomento *Acrocherfites*, teste Suidâ.

Sostratus, Paphiæ Veneris sacerdos, qui Tito Vespasiano de se per ambages interrogauti; ubi læta & congruentia exta magnisq; consultis annuere Deam videt, pauca in præsens & solita respondens, petito secretò futura aperit. Tacit. *Hist.*2.*cap.*4.

Sostratus, vir Ægineta, Laodamantis filius.

Sosxetra, Gedrosiæ urbs, Ptolem.

Sotaces, vide *Otaces*.

Sotades, Maronites, poëta turpissimus, scripsit Jamborum libros, quos appellavit *Cinædos*, linguâ Jonicâ, ubi libidinum lasciva species & descriptio inerat. Fuere & alii duo Athenienses, alter Comicus mediæ Comœdiæ, alter philosophus, qui scripsit de mysteriis librum unum. Suidas.

Sotai, nomen viri, 1.Esdr.2.

Soter, decimus quintus Rom. Ecclesiæ Pontifex, An. Chr. 173. post Anicetum. Fundis Campanus; constituit, ne legitima haberetur uxor, nisi cui Sacerdos benedixisset, & quam parentes marito tradidissent. Obiit, martyrio coronatus, An. 177. sub M. Antonino-Philosopho. Anastal. *in vit. Pontif. &c.* Successit Eleutherus.

Soterichus, faber, ejus opera priscam & rudem simplicitatem præ se ferebant. Unde proverbium, *Soterichi lecti*. Item Oasites, poëta sub Diocletiano, cujus encomium scripsit, item Dionysiaca, vitam Apollonii Tyanei, & alia, Suidas. Vide Voss. *de Hist. Græc. lib.2. cap.*16. Lil. Girald. *de Histor. Poët. dial.* 4. Item Musicus Alexandrinus, Plut. *de Musica*. Voss. *de Hist. & P. Gr.*

Soterulas, Epidaurius, scripsit Musicæ libros 3. ut ait Dionysius.

Soteropolis, urbs quæ & *Pythia* vocatur, auctore Porphyrogennetâ, ubi aquæ calidæ, teste Zonatâ, qui hic extinctum toxico Constantinum M. Imp. tradit.

Soteropolis, urbs præc. Brasiliæ, in ora Or. & Præfecturæ sinus omnium Sanctorum caput; *S. Salvador*. Cum portu amplissimo. Episcop. sub Archiepisc. Olisipponensi. Sub Portugallis. In colle, ampla & probè munita, cum tribus castris. Ann. 1624. à Batavis capta, sed recepta An. sequenti.

Soteropolis, caput regni Congi, & regia sedes, in colle, prope Leludam fluv. Vix 140. m. p. ab ora Oceani in Ort. 60. à fluv. Zaire in Merid.

Soteropolis, urbs Guatimalæ, in nova Hispan. *Cuzcatlan* incolis, 6. leuc. ab Axacutla, & à littore maris Pacifici in Cæc.40. leuc. Hisp. ab Urbe S. Jacobi de Guatimala in Eur. prope lacum parv.

Soternos, portus sinus Arabici à latere Africano, Diod.

Sotion, Philosophus, sub Tiberio, Senecæ præceptor, vide hunc *Epist.*49. & 58. Item, auctor successionum Philosophorum, sub Ptolomæis. Diog. Laert. Voss. *de Hist. Græc. lib.*2. Item alius, qui de fluminibus, fontibus & lacubus scripsit. Photius *Cod.*189.

Sotira, Juno sic dicta ab antiquis, quasi *Salutaris*; & *Sospitatrix*. Item urbs Arienorum, ab Antiocho Seleuci filio condita. Gentile *Sotirenus*, Stephan.

Sottiates, seu *Sotiates*, corruptè *Sontiates*, pop. Aquitaniæ, inter Elusates & Ossidares Campestres, à Plinio collocati. Hos equitatu plurimùm valuisse, & superioribus victoriis fretos, in sua virtute totius Aquitaniæ salutem positam putavisse, à P. Crasso verò acie victos esse: & oppidum eorum cum Adiatomo rege, post oppugnationem sibi se dedidisse, tradit Cæsar *Comment. lib.*3. Oppidum hoc *Sotium* olim, hodieque non ignobile, in Novempopulis & in Auscorum diœcesi, vulgò *Sos*, aut *Soz* dictum, eidem cui Elusia fluvio Gelisæ adjacet, sed parvum est. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide & in voce *Sontiates*.

Sovenschalei, Sarm. Asiat. gens, Ptolem.

Sougerium, viculus hodie exiguus, in agro Raurico, vulgò *Sougeres*, Telamontio urbi propinquus, ubi vallis arctissimè coit; castrum fuit olim munitissimum, ubi justo exercitui iter facilè poterat præcludi. Hic prisci Comites ejusdem nominis habitarunt, è quibus Udalricus, cœnobium S. Albani Basiliense, An. Chr. 1102. insigniter locupletavit, Udelardus cœnobium Lucelense instituit, An. Chr. 1139. &c. Horum progenies quando defecerit incertum, Tiersteni tamen, ut illorum vicini, sic hæredes fuisse videntur. Nunc omnis is tractus Episcopo paret Basiliensi. Vide Christ. Urstisium *Epit. Histor. Basil.*

Sous, fil. Procli, Nepos Aristodemi, Pater Eurypontis, Pausan.

Soxitæ, Carmaniæ gens in Asiâ, Ptolem.

Soza, urbs, Tacit. *lib.*12. *cap.*16.

Sozaa, Mediæ urbs, Ptolem.

Sozomenus, historicus, Presbyter Pistoriensis, qui historiæ universalis amplissimum volumen scripsit; Florentinus fuit, floruitque sec. 14. Orditur autem opus suum à creatione Mundi, & post Ecclesiam constitutam, in vitas Paparum latè digreditur, ex Damaso, Anastasio Bibl. Paulo Diacono, aliis, diligenter excerptas. Divisit illud in partes 3. quarum non nisi una manuscripta superest Patavii. Raph. Volaterr. *Comment. Urbann. lib.*20. & 22. Plura apud Vossium *de Hist. Lat. lib.*2. *cap.* 64. &c. & qui eum nuper edidit, Valesium.

Sozomenus Hermias, dictus Scholasticus, Salaminius. Scripsit historiam Ecclesiast. libb. 9. à tertio Consulatu Crispi & Constantini Jun. seu Ann. Chr. 324. usque ad 17. Consulatum Theodosii Jun. id est, usque ad annum 439. Inscripsit illam Imperatori, sed partem ejus, continentem res gestas An. 20. ab ann. nempe 400. amisimus. Nimium Theodoro Mopsvesteno tribuere videtur Gregorio M. nisi hic se fefellit, Socratem intelligens fortè. Pœnitentiæ publicæ gradus exactè describit, Novatianis quibusdam paulò æquior fuisse dicitur. Obiit An. 450. Cassiodor. *de divin. Lect. cap.* 17. Phot. *Cod.*30. Niceph. Callixtus, *in Proœm. Hist. Eccles.* Trithem. Baronius, Vossius, Possevinus, &c.

Sozopetra, Syriæ urbs, Cedrenus. Capta à Theophilo Imper. Græco An. Chr. 834.

Sozopolis, circa Constantinopolim urbecula videtur apud Gregoram. Erepta Turcis à Calo Johanne Imper. Constantinop. An. Chr. 1118. Est quoque Pisidiæ urbs Evagrio. Pamphyliæ urbem vocant Cedrenus & Nicetas *in Alexio Comneno*.

Sozusa, tres urbes, una Phœnices, altera Pisidiæ, tertia Æthiopiæ, Stephan.

S P.

Spaco, nutrix Cyri regis: quæ dictio, quoniam Medorum linguâ canem signif. factum est, ut Cyrus creditus sit nutritus à cane. Herodotus.

Spacorum, vicus Hispaniæ, inter Bracaram & Asturicam urbes. Antonin.

Spada, vicus Persicus, in quo primùm eunuchi facti sunt, qui inde *spadi*, vel *spadones* nominantur. Steph.

Spalai, Sarmatiæ Asiaticæ populi. Plin.

Spalatum, urbs Dalmatiæ Archiepiscopalis munita, Salonis proxima, apud oram litoream inter Traguriam ad Occid. & Peguntium, sive Almissam ad Ort. inde 15. hinc 20. mill. pass. *Split* Slavis. Olim Diocletiani Imper. palatium: Cum portu capaci & tuto. Sub Venetis. Tantùm Baudr. 8. m. p. à Tragurio in Ort. 4. à Salonæ rudetibus, 30. à Sebenico in Eurum. Pluries à Turcis frustra tentata. Vide *Epetium*.

Spalethra, Thessaliæ urbs, Steph. *Spalathra* Magnesiæ. Plin.

Spammus, rex Ægypti, regn. An. 10. Euseb.

Spandavia, urbs munita, mediæ Marchiæ Brandeburg. ad Havelam fluvium, ubi recipit Spream; vix duo milliar. German. infra Berlinum in Occ. Brandeburgum versus 6. circiter.

Spanhemius Fridericus, Archipalatinus, filius Wigandi, Gymnasiarchæ Ambergensis, Theologus hoc seculo celeberrimus, Genevæ primò, dein Lugduni Batavorum Professor: Edidit varia, inter quæ eminent *Dubia Evangelica, Exercitationes de gratia Univ. Miles Suecicus, &c.* Obiit An. C. 1649. æt. 49. Pater inter alios Ezechielis, rei nummariæ peritiâ inclyti, & Friderici, Theologiæ in Heidelbergensi haud pridem, nunc Lugduno-Batava Academia Professoris, scriptis variis jam in lucem editis clarissimi. Vide Dan. Tossanum *in Panegyrico Spanhemiano, &c.*

Spania, civitas Ægypti. Palladius *in vita Aphthonii*. Græci quoque sic *Hispaniam* vocant.

Spanydrion, locus Phœniciæ, ubi S. Epiphan. latitabat.

Sparetus, 17. Assyriorum rex, regn. An. 40. Phœnices & Syros subegit, An. Mundi 2496. Obiit 2535. Ei Ascades successit, sicut ipse Mamilæ. Euseb. *in Chron.* Torniel. *in Annal. V.T.*

Spargapises, filius Tomyridis Massagetarum reginæ, qui captus à Cyro seipsum interfecit. Herod. *lib.*1. Vide *Tomyris*.

Sparnacum, villa olim Galliæ ad Matronam, *Espernay*: Hanc Eulogius Gallus, vir potentissimus clarissimusque Remigio Episc. ac Ecclesiæ Remensi 5000. argenti libr. vendidit. Castrum *Sparnaci* vocatur, in Chron. Ann. 922. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Sparno, & corruptè *Esparno*, castrum Galliæ cum tit. Ducatus, in diœcesi Carnutina, S. Thomæ cellâ seu Prioratu clarum, vulgò *Espernon*. Ducis *Espernonii*, Henrico III. Gall. Regi inprimis chari historiam, vide apud Thuanum.

Sparsus, vir quidam, quem Seneca scribit inter Scholasticos insanum, inter insanos fuisse Scholasticum. Vide Cælium.

Sparta, Peloponnesi civitas nobilissima, Laconiæ caput, ad Eurotam fluv. Lycurgi legibus optimè olim instituta. Mœnibus diu caruit, sed muri loco civium virtus fuit, quemadmodum ex Agesilai responsione ad quendam, causam quærentem, quamobrem tanta civitas non esset mœnibus cincta, liquet. Eustath. *in Odyss. α.*

fic dictam fcribit, ἀπὸ τῶν μυθολογουμένων μετὰ τοῦ Κάδμου σπαρτῶν ἀνδρῶν, οἱ κατὰ τὴν παλαιὰν ἱστορίαν ἐκεῖ οἰκήσαντες Σπάρτην ἀφ' ἑαυτῶν τὴν πόλιν ὠνόμασαν. Hiftoriam hanc ex Timagorâ citat Stephanus Byzantinus, in Σπάρτη. Hinc Epaminondæ fepulchro clypeus impofitus eft cum dracone infculpto, quo fignificabatur eum effe τοῦ γένους τῶν Σπαρτιατῶν. Ita Suidas habet in Ἐπαμινώνδας. Sed ipfi Ethnici agnofcunt, quicquid narratur περὶ τῶν μετὰ Κάδμου σπαρτῶν, commentum effe putidiffimum. Multo verius igitur, quod alii volunt, *Spartam* vel à *Spartâ* dictam Eurotæ filiâ, & uxore Lacedæmonis, vel à *Sparto* Phoronei filio, vel διὰ τὸ τοὺς πρώτους τὴν συνοικήσαντας πόλιν Λέλεγας διεσπαρμένους εἰς ταυτὸν συνελθεῖν, καὶ μίαν οἴκησιν ποιήσασθαι. *Spartani* autem generofiffimi fuere, fervitutis impatientes, ut potius ad imperandum, quàm ad ferviendum nati viderentur; unde Proverb. *Generofior Spartâ*; de generofis, ac minimè timidis: Spartani enim nunquam tyrannidem admiferunt in urbe. Apud hos fummus honor fenibus habebatur, tefte Plut. *in Laconicis*: Unde proverb. *In fola Spartâ expedit fenefcere.* Quod de iis etiam dici poteft, apud quos virtus in pretio fit, ut fuit apud Spartanos. Σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει; Sign. Sorte tuâ contentus efto, & officium tuum ftrenuè facito. Cicer. *lib.* 1. *ad Attic.* *Eam quam mihi dicis obtigiffe Σπάρταν, non modo nunquam deferam, fed etiam fi ego ab illâ deferar, tamen in meâ priftinâ fententiâ permanebo.* Statius 1. *Sylv.*

Doctaq; Cyrene, Sparteve animofa creavit.

Idem *in Achilleide:*

Progeniem cæli, Spartæve potentis alumnam.

Sparta Junonem maximè coluit; Ovidius *lib.* 3. *Faftor.* Hîc violæ & myrti plurimæ. Hodie *Mufithra*, in Tzaconia prov. fub Turcis, nullius penè nominis, 60. m. p. à Nauplia in Merid. verfus Tænarium prom. 50. & 60. à Malea prom. in Occ. 1140. ftad. ab Athenis, quæ Philippides biduo confecit. Plin. 7. 20. Vide *Lacedæmon.*

Spartacus, Leuconis filius, Satyri nepos, Spartaci pronepos, fufcepit regnum Ponti, An. M. 3614. poft patris mortem; Olympiadis centefimæ fextæ anno tertio, tenuitque annos 5. Diodor. *lib.* 16. Obiit Olymp. 107. ann. 4. fuccedente fratre Parysade, *Ibid.* Item Rex Bofpori, An. M. 3609.

Spartacus, gladiator Thracius, qui unà cum Chryfe & Oenomao, effracto Ann. 681. U. C. Lentuli ludo gladiatorio cum 70. gladiatoribus erupit Capuâ, manuque fervorum, quafi jufto exercitu comparato, Cervefium montem Campaniæ occupavit: ubi, cùm à Clodio Glabro obfideretur, ei caftra diripuit, & Campaniam populatus, raptis prætorum fafcibus appellatus eft Imperator. Inde Lentuli exercitum in Apennino diffipavit; apud Murinam Caffii caftra delevit. Tandem verò cùm de urbe invadendâ deliberavit, à M. Craffo pulfus, fugatusque, cùm Brutium angulum occupaffet, nec in Siciliam præ navium penuriâ trajicere potuiffet, cum fuis omnibus fortiffimè dimicans occifus eft, Plutarch. *in Pomp.* & *Craffo*, Liv. Flor. Lucanus *lib.* 2.

Ut fimili causâ caderes, qua Spartacus hoftis.

Vide Appianum. Horatius: *Carm. lib.* 3. *Od.* 14.

Et cadum Marfi memorem duelli:
Spartacum fi qua potuit vagantem
Fallere tefta.

Idem *in Epodis:*

Æmula nec virtus Capua, nec Spartacus acer.

Claudianus:

—— *Vilis cùm Spartacus omne*
Per latus Italiæ ferro bacchatus & igni.

Athen. *lib.* 7. Καὶ Σπάρτακος δὲ ὁ μονόμαχος ἐκ Καπύης πόλεως Ἰταλικῆς ἀποδρὰς κατὰ τὰ Μιθριδατικὰ, πολὺ πλῆθος ἀποστήσας οἰκετῶν (ἦν δὲ καὶ αὐτὸς οἰκέτης, Θρᾷξ γένος) κατέδραμε πᾶσαν Ἰταλίαν, χρόνον οὐκ ὀλίγον, πολλῶν δὲ ἄλλων καθ' ἑκάστην ἡμέραν συῤῥεόντων εἰς αὐτόν. Καὶ εἰ μὴ ἀπέθανεν ἐν τῇ πρὸς Λικίνιον Κράσσον παρατάξει, οὐ τὸν τυχόντα ἂν ἱδρῶτα τοῖς ἡμεδαποῖς παρέσχεν.

Spartacus, urbs Thraciæ, Stephan.

Spartarius campus, tractus Hifpan. Tarracon. inter Spartariam Carthaginem, & Toletum, ubi Cyntilia urbs & Fanum Clementis oppidum in Caftella nova, Strab. *La Mancha*, vel *Manxa*, Marianæ.

Sparte, vicus & mons juxta Pont. Euxin. Stephan. Et Armeniæ opp. Cedreno.

Spartianus Ælius, Hift. Lat. Diocletiano dedicavit vitam Adriani, Ælii Veri, Didii Juliani, Severi & Pefcennini Nigri. Scripfit quoque vitam Caracallæ. Voff. *de Hift. Lat.*

Spartolus, urbs Macedoniæ, Stephan.

Sparton, frater Phoronei, filium habuit Mycenæum. Eft & mons *Sparton.* Stephan.

Spatana, Taprobanæ infulæ portus, Ptolem.

Spauta, Mediæ reg. lacus, è quo fales coguntur, qui pruritum excitant, Strabo. *Spota*, tefte Gylio.

Specus canis, parvus fpecus Campaniæ, in Ital. ad Anianum lac. mortiferum Spiritum exhalans. In quem projecta animalia, ftatim exanimantur; revivifcunt verò in vicinum lacum conjecta. Baudr. αὐτόπτης.

Spedia, Latinè dicitur Liguriæ opp. quod incolis *Specia* vocatur, uti fcribunt Blondus & Leander. Vide *Spetia.*

Spedonnum, poftea *Spedona*, vicus Galliæ, in Carnutum finibus, proximus Meduntæ caftro, non longè à confluentibus Maldræ & Sequanæ, ad Eccl. Parifiacam pertinens: vulgò *Efpone fur Marne.* Hadr. Valefius *Notit. Gall.*

Spelaita, Hercules, Mercurius, & Apollo fic dicti, quòd eorum fimulachra alicubi in fpeluncis colantur, Steph.

Speluga, vulgò *Splugen*, infignis Rhætiæ in primo fœdere vicus, tefte Willichio *in Tacit.* per quem iter faciunt, qui Curiâ in Italiam per Aviculam aut Urfum proficifcuntur. Quibufdam videtur *Curia Tarvefede* Antonini. Huic verò Tarvefede hodie Madefium eft, in valle S. Jacobi, fupra Clavennam; ubi quoque regia erat via, Sprech. *Pallad. Rhæt. lib.* 10. Hinc *Spluga*, vel *Speluga* mons, Adulæ proximus, cujus meminit Jovius *lib.* 15. Latinis *Urfulus*, vel *Culmen Urfi*, Rhætis *Colmo del Orfo*, Germanis *der Urfeler oder Splugerberg*, Vigenereo *S. Bernardini mons*, quibufdam etiam *Avicula* dictus. In hoc columnam Julii Cæfaris extare, ait Simlerus *Commentar. de Alpibus.* Ejus ad radicem fluv. oritur Lira, vallem Clavennenfem interfecans: cui valli ad Ortum adjacent montes, *Furcula*, & *Sancti Jori.* Johan. Baptift. Plantinus *Helvet. Nov. Antiquâ.*

Spelunca, Villæ nomen, mare Amyclanum inter Fundanosque montes, ubi nativo in fpecu os lapfis repente faxis obruit quofdam miniftros Tiberii: cùm Sejanus genu vultuque & manibus fuper Cæfarem fufpenfus, oppofuit fe incidentibus: atque habitu tali repertus eft à militibus, qui fubfidio venerant. Tacit. *lib.* 4. *cap.* 59. In Auruncis. Hodie *Sperlonga*; eftque caftrum tenue regni Neapolit. in provincia Terræ Laboris, in ora maris Tyrrhen. prope Fundanum lacum, medium inter Cajetam ad Ort. & Terracinam ad Occident. 8. utrinque mill. paff. à confinio ditionis Pontific. 4. Baudrandus αὐτόπτης.

Spelunca, infignis Rhætiæ pag. ad quem rectà in Ort. alter fons Rheni (*pofterior Rhenus* accolis) labitur.

Spelunca Loth, in quo inebriatus ille cum duabus filiab. fuis concubuit, quarum fenior peperit Moab patrem Moabitarum, junior autem Ammon patrem Ammonitarum. Apparet fpeluncam adhuc oftendi folitam ætate Hieronymi. Eft in tribu Juda.

Spelunca Odollam, in tribu Juda, quò fe David recepit, fugiens à facie Saulis.

Spenderobis, & *Spenderovia*, Antonino *Singidunum*, *Sigindunum* Ptolem. Vide ibi.

Spendius, Campanus, inter auxilia Carthaginenfia, fortunâ fervus, finito primo bello Punico, focios ad defectionem traxit, ingensque in Africa bellum conflavit.

Sperchea, vel *Sperchia*, Macedon. promunt. ad finum Maliacum, Ptol. *Phibela* Sophiano, *Comen* verò Nigro dicitur.

Sperchius, fluv. Theffaliæ, tefte Strab. *lib.* 8. qui Pindo monte oriens rapidè in finum Maliacum labitur. Hodie *Agriomela*, vel *Selambria*, tefte Sophiano. Lucan. *lib.* 6.

—— *Ferit amne citato*
Maliacas Sperchios aquas.

Ovidius *lib.* 1. *Metam.*

Populifer Sperchius, & irrequietus Enipeus.

Virgilius *Georg.* 2.

—— —— *O ubi campi,*
Sperchiusq; & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta. ——

Statius 4. *Thebaid.*

Sperchiusq; minax, Centaurusq; Lycormas.

Idem *in Achilleide:*

Et tenuis Sperchius aquis, fpeluncaq; docti
Muta fenis. ——

Homerus *Iliad.* π.

Υἱὲ Σπερχειοῖο, διϊπετέος ποταμοῖο.

Idem *ibidem:*

Σπερχειῷ ἀκάμαντι γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα.

Sophocles *in Philoctete:*

Τραχῖνά τε δειράδα καὶ τὸν εὔροον
Σπερχειὸν ἴσως. —— ——

Spermatophagi, populus in extremâ Ægypto poft Meroën, Strabo *lib.* 16.

Spes, ut Dea à Romanis eft culta, cujus ædes fuit olim in foro olitorio, Livius *lib.* 1. *Decad.* 3. poftea fulmine incenfa. Ejus effigies, in Adriani Imperatoris aureo numifmate, confpicitur: Fœmina fuit ftans, inftitæ laciniam finiftra manu nonnihil attollens: dextera in cubitum elata pateram proferebat, in qua repofitum inerat velut ciborium, id eft, vas in floris fimilitudine, cum hac infcriptione *Spes* P.R. Quidam etiam *Spem* Deam viridi inductam pallâ, effinxerunt, & fedentem fupra dolium cum cornice. Monterius duo ei templa Romæ facra fuiffe docet. In Pandoræ pyxide fola remanfiffe fingitur Hefiodo. Vide Giraldum *Syntagm.* 1. Balduinum *Iconol.*

Spetia, urbec. munita ditionis Genuenfis, in ora maris Ligustici, cum finu adjacente, *Golfo della Spetia.* Aliàs *Lunenfi* dicto. 7. mill. à Serezena in Circ. uti à Lunæ ruderibus, 14. à portu Veneris in Bor. Bruniatum verfus 11. Leander & Blondus, aliàs *Spedianam* dictam fcribunt.

Speusippus, Philosophus Atheniensis, Platonis ex Potona sorore nepos, qui 8. annos Platonicæ scholæ præfuit. Ferunt hunc senio confectum sibi mortem conscivisse, mœrore impulsum. Plutarch. verò scribit, illum pediculis effervescentibus interiisse. De cujus libris vide Diogenem Laert. *lib.* 4. *vita Philosoph.* & Gellium *lib.* 3. *cap.*17. Docuit mercede, quod & exprobratum ei à Dionysio. Et sanè pecuniæ erat amantior; ut indicio quoque est, quòd ad Cassandri nuptias se contulerit, spe mercedis pro versibus à se conscriptis, sed ineptis, frigidisque, ut censet Philostratus *in Apollonio*. Vide de eo Laërtium, qui vitam illius descripsit. Supersunt Speusippi ὅροι, sive *definitiones*, quas Ficinus vertit.

Sphacteria, confinium Eleorum versus Messenen, sic dictum quòd illic Heraclidæ, mactatis hostiis, amicitiæ & concordiæ pacta inierint. Est etiam insula quædam, cujus meminit Pausan. *lib.* 3. aliter *Sphagia* dicta. Stephan. ante Pylum, cui portum facit. Fortè eadem cum *Sphagia*.

Sphæria, insula Trœzeniorum in sinu Argolico, adeo littori propinqua, ut aliquando siccis plantis adeatur, quæ & *Hiera*, id est, Sacra dicitur, Pausan.

Sphærus Bosporanus, historicus, discipulus Zenonis Cittiæi, ut & Cleanthis postea. Floruit sub Ptolemæo Evergete, scripsitque de Philosophis Eretriensibus, quorum caput Menedemus, &c. Diogen. Laërt. *lib.*7. *vita Phil. in Zenone & Cleanthe.* Voss. *Hist. Græc. lib.*1. *cap.*16. & Jonsius *de Script. hist. Phil.*2. 6.

Sphagæa, opp. agri Laconici, Xenoph.

Sphagia, ins. Peloponnesi in sinu Messeniaco inter Pylon urb. & Protenins. in Bor. *Sapientia* Sophiano. Non unica, sed triplex est.

Sphagites, promuntor. Scythiæ, Stephan.

Sphecea, Cyprus olim sic dicebatur, Steph. Item Eubœæ civitas. Lycophron.

Shendale, vicus in tribu Hippothoontide, Steph.

Spherus, vel *Sphærus* 16. Assyriorum rex, reg. an. 20. Euseb.

Sphetia, vulgò *Sfetigrado*, & Turc. *Siurige* Leunclav. oppidum Albaniæ, proxim. Dibræ, 20. mill. pass. ab ea, 60. à Croja. *Oxypyrgium* Græcis. Sophian.

Sphettus, vicus in Acamantide tribu à *Sphetto* Trœzenis filio: Inde *Sphettius*. Stephan.

Sphinx, monstrum ex Typhone & Echidnâ natum, uti tradit Hyginus *Fab. Poët.* 151. caput & faciem habens puellæ, alas verò avium, reliquo corpore canis referens effigiem. Sedem habuisse dicitur in Sphingio monte, qui *Sphicium* Lycophr. juxta Thebas, atque inde in viatores impetum facere solebat. Quâ de re cùm Apollo consuleretur, non alium tanti mali finem esse respondit, quàm si quis Sphingis ænigma dissolveret. Id autem erat hujusmodi. *Quodnam id esset animal, quod mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes esset?* Quod cùm plurimi frustra conati dissolvere, à Sphinge essent interempti, Creon, qui id temporis Thebanis imperabat, edicto per Græciam universam promulgato, Jocastam sororem suam Laii viduam uxorem se ei daturum pollicitus est, qui Sphingis ænigma dissolveret. Cujus rei famâ excitus Oedipus, hunc in modum ænigma interpretatus est, ut hominem esse diceret, qui in infantiâ manibus & pedibus repens veriùs quàm incedens, quadrupes esset, Deinde in medio juventæ robore, ut est, bipes dici posset: Ingravescente autem ætate, assumpto scipione, tripes deberet judicari. Quam ænigmatis solutionem tam ægrè illa dicitur tulisse, ut protinus sese de saxo præcipitans, fregerit cervices. Sed hæc fabulosa esse constat. Revera enim Sphinges, teste Diodoro *lib.* 14. ex simiarum genere sunt, comis villosis, mammis prominentibus, formâ haud dissimili ab eâ, quâ pinguntur, sed paulo pinguiores: naturâ autem mansuetâ, pluribus exercitiis, disciplinisque aptâ. Palæphatus autem hanc fabulam ex Cadmi historiâ ductam putat, qui, cùm uxorem haberet, nomine Sphingen, ex Amazonum genere, unà cum eâ Thebas pervenit: ubi, occiso Dracone rege, Thebarum regnum invasit, Harmoniamque insuper Cadmi sororem matrimonio sibi conjunxit. Quam rem Sphingem tam ægrè tulisse ferunt, ut relicto viro, cum plerisque eorum, quos secum è patriâ adduxerat, Sphingium mont. occuparit, indeque quotidianas in Thebanos fecerit excursiones, donec Oedipus, regiis promissis excitus, montem noctu occupavit, Sphingemque nihil tale suspicantem de medio sustulit. Vide Nat. Com. *lib.* 9. *cap.*18. Statius 1. *Theb.*

— *Si Sphingos iniquæ*
Callidus ambages te præmonstrante resolvi.

Tabula Cebetis: Ἔστι γὰρ ἡ ἐξήγησις ἐοικυῖα τῷ τῆς Σφιγγὸς αἰνίγματι, ὃ ἐκείνη προεβάλλετο τοῖς ἀνθρώποις· εἰ μὲν οὖν αὐτὸ συνίοι τις, ἐσώζετο· εἰ δὲ μὴ συνίοι, ἀπώλλυτο. Vide Vossium *in Sphinx.*

Sphodriades Spartanus, dux constitutus, elati ac prærupti ingenii vir, persuasus à Cleombroto, sine scitu Ephorûm, noctu Piræea cum decem millibus militum occupare conatus est. Sed cùm proposito suo excidisset, in Concilio Græcorum, eo nomine accusatus, annitentibus Regibus Lacedæmoniis, absolutus est Olymp. 100. anno 4. Diodor. *lib.*15.

Sphragidium antrum Nympharum in vertice mont. Cithæronis in Bœotiâ, Pausan.

Spica, signum in cœlo oriens, in Virginis parte 10.

Spica, Gall. *Espi*, ordo milit. Britanniæ. à Francisco I. Duce instituitus; cujus symbolum *A ma vie.* Vide Argentræum *Histor. de Bretagne.* Favin. *Theatr. d'honneur & de Cheval.* Morer. *Dict. Hist.*

Spiculus, gladiator Rom. cui Romani statuam subjectam statuæ Neronis posuerunt.

Spiera Franciscus, Citadellâ, oppido Patavini agri, oriundus, homo forensis & causidicus apprime exercitatus. Hic, postquam incredibili quodam ardore Evangelicam doctrinam amplexus, & ad Legatum Pontificium, tum Venetiis agentem, Joh. Casum Archiep. Beneventanum, delatus esset, metu abreptus veniam poposcit, in posterum obsequium pollicitus. Quo non contentus Legatus, cùm ipsi necessitatem publicè fidem ejurandi imposuisset, & sic paruit, licèt reluctante mirum in modum animo; inprimis cùm amici monerent, totam conjugis ejus familiæque salutem in hoc uno esse repositam. Sed non multo pòst incredibilem in ægritudinem animi potius, quàm corporis incidens, de misericordia Dei desperare cœpit, Citadellâ proin Patavium translatus, ut & Medicorum operâ, & doctorum virorum alloquio commodius frueretur. Hic cùm omnia, ad vulnus ejus sanandum, frustra essent remedia adhibita, cùm non inficiaretur, quæ ex S. Scripturis afferrentur, vera esse, sed ad se, utpote qui agnitam veritatem metu periculi abjurasset, nihil pertinere contenderet, tandem inter hos angores, quos ipsemet æternis cruciatibus pares se persentiscere sæpius ingeminabat, extinctus est, An. Ch. 1548. Huic decumbenti, frequens inter alios consolator assedit, Petrus Paulus Vergerius, Episcopus Justinopolitanus, cui ad conversionem non parum momenti horribilis Spieræ casus attulit. V. Joh. Sleid. *Comm. lib.*21.

Spilimbergum, opp. Foro Julientium.

Spina, urbs extincta in Gallia Tog. in orâ, inter Ravennam ad Mer. & Hadriam ad Bor. apud ostium Padi, quod ex eâ *Spineticum* appellatur. Locus adhuc *Val di Spina*, & *Dorso di Spina* dicitur.

Spina, urbs Insubriæ, nunc *Spin*, pagus ad Adduam fluv. Fuit & *Spina*, urbs Græciæ, olim clara, teste Strab. & *Spinus* fl. apud Steph.

Spinaciola, castellum Apuliæ Peucetiæ.

Spina, opp. Albionis in Angliâ, Atrebatum, quod Lhuydus cum aliis *Newbury* interpretatur ab Oxonio 20. m. p. sed illud excisum est. Locus autem *Spene* vocatur, teste Camdeno, pagus ad Neoburgum, Angl. *Newberye.* Baudr. opp. in Comit. Bereheriæ, in limite Hantoniæ, 25. mill. pass. ab Oxonio in Merid. Vintoniam versus eundem.

Spinalium, urbs Lotharingiæ, ad Mosellam, versus Vogesum montem, 4. leucis à limite Comitat. Burg. in Bor. uti paulo minus à Romarici monte, 5. à Mirecurtio in Eur. 10. à Nancejo in Merid. Vide *Espinal.*

Spinambri, Græciæ pop. à quibus originem traxisse Tarquinios in Tusciâ scribit Justinus: *In Tuscis*, inquit, *Tarquinii à Thessalis & Spinambris.* Ubi MSS. habent *Inspinambris.* Lege *Spinâ in Umbris.* Plurimi enim veterum confundunt Umbrorum & Tusciæ terminos. Vossius.

Spinates, Ægyptiorum rex, annis 9. Euseb.

Spineticum, unum ex Padi ostiis, quò Claudius Cæsar è Britanniâ triumphans, prægrandi illâ domo verius quàm navi, intravit Adriam. A *Spinâ* urbe nomen habet, quam à Diomede conditam esse volunt. *Primero* hodie Fabricio. Baudrando *Porto di primaro*, à castro adjacente, in ora maris Adriat. prope ruinas Spinæ, & turrim Gregorianam; sed est tantùm alveus minimus Padi, ibi *Po di Primaro* dicti. In Romandiola.

Spinetum, castellum Galliæ, ad Suminam, in pago Pontivo, inter Pinquiniacum & Abbatisvillam, cum tit. Princ. vulgò *Espinay.* De aliis locis hujus nominis, vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Spinsia, vel *Spissia*, villa olim Regia Galliæ, in qua commorantes Theodoricum ac Brunichildem ejus aviam adiit Columbanus, *in hujus vita* Jonæ memorata: Videtur esse *Espoisse*, locus inter Aballonem & Sinemurum, Hadr. Vales. *Not. Gall.* V. *Brocariacum.*

Spingarda, tormentum minus tricubitalis longitudinis glandem, pruni majoris magnitudine, violenter evomens, *Notit. ad Pancirollum*, 692.

Spintharus, nobilis architectus Corinthius, Delphicum templum ædificavit, Pausan.

Spintharus, à Comico traductus, tanquam Barbarus & Phryx. Aristophan. *Avib.*

Spinther, histrio Roman. à cujus nomine vocatus est Lentulus *Spinther*, quòd ejus similitudinem maximè referret.

Spio, Nympha marina, Nerei & Doridis filia; sic dicta à speluncis, in quibus Nymphæ habitare dicuntur. Σπέος enim, vel σπῆος speluncam sonat.

Spira Franciscus, vide *Spiera.*

Spira, celebris admodum Imperii, Episcopalis & ampla in German. civitas, tractus cognom. caput, cujus olim incolæ Nemetes, & urbs ipsa Nemetum dicebatur, vulgò *Spire.* Non æquè culta, in Palatinatu infer. sub Episcopo proprio. Sedes Cameræ Imper. aliàs *Noviomagus Nemetum*, vel *Nemetes*, vide *ibi*: demum An. C.1082. *Spira* nomen adepta, à pago & fluviolo propinquo *Speirbach*, quorum uterque muro inclusus est, à Rudigero Episcopo. Alii Spiram à Constantio Chloro conditam dicunt, An. Chr. 298. Templum hic summum, à Conrado Salico Imp. extructum, monte Oliveti, An.1411. ingentibus sumptibus extructo, ac sepulchris aliquot Cæsarum

sarum Suevicorum, Conradi II. Henrici II. IV. & V. celebre. Unde Rodolphus I. Imp. paulo ante mortem, quæ ei hic prope contigit, *sibi multos ibi conveniendos Reges esse*, dixit, An. C. 1288. Ibidem & Augustæ præfatorum Impp. conjuges quiescunt. Prope templum lapis ingens, vulgò *die Schwabenschüssel*, libertatis signum, positus est, ultra quem Senatus Episcopum non comitatur. Privilegia insignia accepit à Carolo IV, Henrico V. Rodolfo I. Adolpho, Alberto, Ludovico, Wenceslao, Friderico III. Maximiliano II. Imperatoribus. Insignia ejus, Conradina Francica Ecclesiæ structura rubra, in solio albo. Vide Limnæum Enuel. *lib.* 4. *cap.* 53. Hic Philippus Suevus Imper. Ottonem Saxonem vicit, An. Chr. 1202. In Comitiis ibidem celebratis An. Chr. 1526. de pacificatione Religionis actum, decretumque post graves altercationes, ut interea dum Concilium publicum instituatur, nemini ob religionem vis inferretur. Et habebant tum Saxoniæ Princeps ac Hassiæ Landgravius suos secum Pastores: qui duo Principes paulo antè cum Argentinensibus, Noribergicis, Augustanis, Francofurtanis, ac Ulmensibus, prima fœderis Evangelici fundamenta jecerant. Iterum Conventus Spiræ, jussu Cæsaris, indictus est An. Chr. 1529. quò Saxoniæ Elector Melanchthonem adduxit. Hic cùm novo decreto priori derogaretur, ei sese opposuerunt Saxo, Brandeburgicus, Lawenburgici, Landgravius, & Anhaldius, cui se conjunxere Argentina, Noriberga, aliæque quamplures Imperii civitates, à qua protestatione celebre *Protestantium* nomen ortum est. Vide Joh. Sleidanum *Comm. lib.* 6. Media est inter Argentoratum ad Merid. & Moguntiacum ad Bor. 50. mill. pass. utrinque, uti 5. à Philippoburgo, 15. ab Heidelberga in Africum. Primus ejus Episcopus Jesses, interfuit Concil. Coloniensi, An. 346. Jacob. Wimphelingus *de laud. Eccl. Nemet.* Guil. Eisengreinius, *in Chron. lib.* 10. Hic Brussela, Philippoburgum, &c.

Spira Taurica, locus sic dictus in Tauricâ Chersoneso, ubi Dianæ ajunt fuisse templum. Procopius.

Spiracula, quæ & *Charoneæ scrobes*, meliùs *Specus canis*. Vide ibi.

Spiræum, Peloponnesi promuntorium, Ptolemæo. *Capo Spireo*, Sophian.

Spireneus, Bohemorum Princeps, Christianam religionem, ejuratâ paganâ, suscepit: ob quam Wenceslaus successor interfectus est. An. C. 968. Æn. Sylvius *Hist. Boh.*

Spirensis Episc. tractus German. ad Rhenum, Palatinatui infer. ferè insertus. A Mer. terminatur Marchion. Badensi. Sub Episc. proprio. Ibi Spira, caput dit. Brussela urbec. Philippoburgum arx permunita, nunc sub Imper. Vide *Spira*.

Spiridion, Tremithuntis in Cypro insulæ Episcopus rusticus, sed non propterea in rebus divinis minor. Aliquando enim per noctem venerunt fures, ad caulas ejus ovium, qui subitò vincti sunt, nullo ligante, quos cùm invenisset Præsul, eos invisibilibus solvit vinculis, eisque dixit, ad meliora erudiens, Abite hinc sumentes arietem. Plura ejus miracula fusè tradit Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 10. quem sis consule. Uxoratus fuit, & carne die jejunii hospiti propositâ *omnia munda esse mundis* dixit.

Spiritus Sanctus, vulgò *Spiritu Santo*, urbs Americæ Septentrionalis, in Guaxaca provincia novæ Hispaniæ, & in ora sinus Mexicani, versùs montes S. Martini, 90. leucis distat ab Antiquaria in Ortum, & Anno 1522. excitata fuit ab Hispanis, quibus etiamnum subest.

Spiritus Sanctus, vulgò *Spiritu Santo*, urbs est Americæ Meridionalis, Præfecturæ cognominis caput, in Brasilia regione, satis parva, sed munita, 60. leucis Hispanicis à fluvio Januarii in Bor. & 50. à Portu Securo in Austrum.

Spiritus Sancti fluvius, vulgò *Rio de lo Spiritu Santo* Lusitanis, fluvius Africæ, in Æthiopia inferiori & in regione Monomotapa, cujus urbem primariam rigat, uti aliquot alias. Hinc in Ortum tendens per partem Orientalem Cafreriæ regionis, ibi triplici ostio in Oceanum Æthiopicum se exonerat inter promontoria Fulminum & S. Nicolai.

Spiritus Sancti Ordo Equest. in Gallia, institutus ab Henrico III. Postquam enim Ordo S. Michaëlis, à Ludovico XI. fundatus, fervente bello civili Galliâ, & muliebri dominio vigente, decus suum perdidisset, Henricus, illo non abolito, S. Spiritus ordinem instituit, magno ejus Magisterio in perpetuum coronæ unito. Caput ipse ordinis, primam celebravit solennitatem, An. Chr. 1579. ipsis Januarii Kalendis. Equitum numerus centenarius. Insigne Ordinis columba est. Occasio institutionis inde, quòd Pentecostes die geminam coronam, Polonicam primò, dein Gallicam nactus est: imo & hanc diem quidam Regi natalem fuisse volunt. Symbolum est, *Duce & Auspice.* Sed & jam olim quoque *Sancti Spiritus* Ordin. instituisse dicitur Ludovicus Tarentinus, Hierosolym. & Siciliæ Rex, Provinciæ Comes, maritus Johannæ I. Ann. Chr. 1353. quem quidam quoque nominatum dicunt *Au droit desir*, cujus Symbolum, *Si Dieux plaist:* cum nodo aureo, amoris mutui indice. Hujus institutionis historiam scribunt nonnulli innotuisse Henrico III. è Polonia reduci, Venetiis, unde ipsi occasio suggesta. Alii addunt Paulum III. Pontific. instituisse An. Chr. 1468. Romæ Equites Hospitalis Sancti Spiritus, quibus crux candida. Vide Spondum *Ann. Chr.* 1353. *n.* 12. 1579. *n.* 1. *&* 2. Dupleix & Mezeray, *in Henrico III.* Villanium *lib.* 3. *cap.* 83. Bouchæum *Hist. de Prov. liv.* 9. *sect.* 3. §. 17. *liv.* 10. *chap.* 8. §. 1. Favinum, Sanmarthanum, Morerium, &c.

Spiritus Sancti pons, oppidum Provinciæ, nomen habens à ponte, quo Rhodanus stratus est: vulgò *Pont S. Esprit.* Merul.

Spiritus Sancti Præfectura, vulgò [*Capitania de lo Spiritu Santo*, provincia Brasiliæ, in America Meridionali, & in ora Orientali Brasiliæ, inter Præfecturam Portus Securi ad Boream & Præfecturam fluvii Januarii ad Meridiem.

Spithamæi, Pygmæorum gens, Plin. *lib.* 7. *cap.* 2.

Spithrobates Persa, Gener Darii, Joniæ Satrapes, in prælio ad Granicum solitariâ pugna congressus Alexandro regi ab eoque superatus est. Diod. *lib.* 17. 572. *m.*

Spitzberga, seu Montes acuti, *Spitzberg*, regio ampla & pars Terræ Arcticæ, inter novam Zemlam ad Ortum & Gronelandiam ad Occasum, 300. tamen milliaribus utrinque dissita. Sic dicta fuit à Batavis, à quibus fuit detecta, quasi Montes acuti. Angli autem ipsam vocant *Nieuland*, seu Novam Terram. Extenditur usque ad 80. gradus latitudinis Borealis, & separatur in duas partes, quarum Occidentalis propriè Spitzberga dicitur, pars autem Orientalis Nova Frisia. Sed an sit insula aut continens, nondum constat Europæis. Regio est frigidissima, & in ea nulla urbs seu oppidum, aut forsan vicus, sed tantùm aliquot portus à Belgis frequentati.

Spledon, vide *Aspledon*.

Splendius, quidam Capuâ oriundus, qui captivos in bello bestiis laniandos objiciebat, Polybius.

Spoletinus Ducatus, vulgò *le Duché de Spolete*, ita dictus videtur à Ducibus, quos Longinus Exarchus instituit, Narsete exauctorato; quo tandem potiti Longobardi, nomen Ducatus ei reliquere; habuitque etiam postea Duces proprios, uti sub stirpe Caroli Magni. Nunc Umbria dicitur. Sed erat olim amplior quàm in præsentia est, sub dominio Summi Pontificis, ut pluribus ostendere nititur Leander. Vide infrà.

Spoletium, Livio colon. & urbs Umbriæ inter Fulginium & Interamnam. Annibali fortiter restitit. Sita ad Tessinum amnem, 12. mill. à Fulginio in Eur. 22. à Camertino in Merid. Romam versùs. Hic rudera magnifica Theatri, Templi & palatii Regum Gothorum, qui ibi sæpe commorati sunt, Concilium, Ann. 1234. à Gregorio IX. indictum, ad recuperandam terram sanctam. Caput Umbriæ recentis seu Duc. Spoletini, qui sic dictus videtur à Ducibus, quos Longinus Exarchus instituit, Narsete exauctorato. Hoc tandem potiti Longobardi, nomen Ducatus ei reliquere. Habuitque etiam postea proprios Duces, uti sub stirpe Caroli M. Nunc *Umbria* dicitur, sed erat olim amplior, sub Pontifice. Trasamundum Ducem rebellem cùm Luitprando Italiæ Regi tradere Papa Gregorius nollet, Ann. Chr. 740. Rex urbem obsedit, ac in summas angustias Papam conjecit. Postea Guidonem Spoletanum Ducem creavit Carolus Calvus Imper. An. Chr. 876. Urbs à Friderico Barbarossa, ob legatos violatos & nummos adulterinos, capta, direpta atque exusta est, An. Chr. 1155. Leand. Alb. *descr. Ital.* Sigon. *de regno Ital.* Popul. *Spoletini* Plinio, *Spoletani* Livio. Hinc *Spoletinus* nomen gentile. Mart. 13. 117.

De Spoletinis quæ sunt cariosa lagenis
Malueris, quàm si musta Falerna bibas.

Idem *lib.* 14. *epigr.* 114.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis.

Sporades, insulæ quædam sic dictæ, quia in mari dispersæ sunt, nec sicut Cyclades in orbem jacent. Mela *lib.* 2. *cap.* 7. *Hæ quia dispersa sunt Sporades.* Pleræque earum à Cycladibus (quæ sunt in mari Ægæo) ad meridiem vergunt, situ Cretæ viciniore, aliæ ad occasum, in Cretico mari, ut *Thera*, *Anaphe*, *Therasia*, *Jos*, *Sicynus*, *Lagusa*, *Pholegandrus*, *Cimolus*, *Siphnus*, *Melus*. Aliæ ad Ort. in Carpathio mari, ut *Astypalæa*, *Telus*, *Chalcia*, *Carpathus*, *Casus*, *Leros*, *&c.* (ut à Strabone enumerantur) His Plinius *Gyaron*, *Patmon*, & ignobiles plurimas; Mela *Icaron*, seu *Icariam* addit. Dionysius *vers.* 530.

Νῆσοι δ' ἑξείης Σποράδες ἐπιπεφανέονται,
Οἷον τ' ἀμφίλοισο δι' ἠερίῳ ἰδέσθαι ἄστρα
Γ' γυῇ νέφη κρυπτοῖο διαστίλβοντα βορείω.

Ab Homero *Calydnas* appellari putant, inquit Strabo.

Sporgilus, Tonsor Atheniensis, quem Aristophan. *Avibus*, ob vilitatem traducit.

Sporgilus, vicus Atticæ, Stephan.

Sporus, juvenis quidam, *quem exectis testibus etiam in muliebrem naturam Nero Imperator transfigurare conatus est*, uti loquitur Suetonius. Hunc mutato nomine *Sabinam* dixit, ob similitudinem formæ, Dio, Zonaras, Suidas; Vel *Poppæam*, altero Sabinæ uxoris defunctæ nomine. Ita Plutarch. *in Galbâ*. Apud quem malè scriptum Ποππῶν ἀγαπηθέντα, nam Ποππαίαν debuit scripsisse. Præter historicos, multa de hoc inaudito monstri illius conamine, Dio Chrysostomus *in oratione de pulchritudine.*

Spreha, fluvius German. Oritur in limite Bohemiæ; dein per Lusatiam, ibi Budissinam, Cotbusum & Lubenum rigat. Hinc per mediam Marchiam Brandeburgicam labens, 16. mill. pass. infra Berlinum, in Havelam fluvium se exonerat, ad Spandaviam oppidum.

Sprot...

Sprottavia, Urbs Duc. Glogaviensis, in Silesia; ad Sprottam fluv. ubi cadit in Boberam, vix 2. leuc. supra Saganum in Ort. 4. à Glogavia in Occ. olim sub proprio quoque Duce: E quibus Primislaus filius Conradi Glogoviensis, mortui Ann. Ch. 1289. Dux *Sprottæ* & Sagani, bello Polonico, Ann. Ch. 1290. ad Gracoviam cæsus est: frater Conradi & Henrici Fidelis. Quorum ille Dux Steinaviæ & Javeræ, cùm Archiepiscopatui Salisburgio destinatus, patriam cerevisiam Salisburgi non reperiret, eum recusavit: Iste præter patriam successionem, An. Ch. 1306. à Posnaniensibus adversus Vladislaum Locticum vocatus, Poloniæ principatum asseruit; quo tamen paulo pòst à Vladislao exutus, mœrore obiit A. C. 1309. Pater Henrici, qui lineam Sagano-Glogoviam, & Conradi, qui Steinavia-Olsnensem orsus est. E quibus Henricus filium inter alios Henricum Passerem genuit *Sprottæ* & Freistadii initiò Ducem, dein fratrum hæredem, cujus mortui An. Ch. 1395. posteritas extincta est in Johanne, sub initium præc. seculi. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist.* & supra in voce *Saganum*.

Spurina, Græcè Σπυρίνας, dux Parthorum insigni corporis formâ, qui Crassum interemit. Item Mathematicus ille, qui Cæsari prædixerat, ut Idus Martias caveret. Sueton. *in Cæs. Introiit curiam spretâ religione; Spurinamq; irridens, & ut falsum arguens, quòd sine ullâ noxâ Idus Martiæ adessent, quanquam is venisse quidem eas diceret, sed non præteriisse.* Alius inter Othonianos duces fuit, de quo Tac. *Hist.* 2. 11. Ejus jam senis ac traducti in otium vitam & mores Plinius explicat, *lib.* 2. *ep.* 1. Alius denique adolescens egregiâ formâ, qui cùm fœminas virosq; ad libidinem aspectûs decoro invitaret, oris pulchritudinem vulneribus sponte dehonestavit.

Spurius, inter prænomina antiquorum, duabus literis notatur *Sp.* quasi *sine patre*; quemadmodum *in Problematis* Plut. indicavit.

Sp. Carbilius, dedit Romanis literam G. primusque dicitur ludum aperuisse.

Sp. Carvilius Maximus, Consul, an. U. C. 460.

Sp. Cassius Viscellinus, ob regni Romæ affectati suspicionem interemptus.

Sp. Furius Medullinus, è plebe Consul electus. Dionys. *lib.* 9.

Sp. Furius Medullinus, trib. mil. an. U. C. 378.

Sp. Largius Rufus. Cons. an. U. C. 248.

Sp. Lucretius Cinna, Cons. an. U. C. ....

Sp. Melius, cùm regnum Romæ affectare crederetur, à Servilio Hala mag. equitum, approbante L. Quinctio Cincinnato Dictatore, interfectus est.

Sp. Nautius Rutilius, Trib. mil. an. U. C. 332. Cons. an. 340.

Sp. Oppius Decemvir, an. U. C. 304.

Sp. Papyrius, Trib. mil. U. C. 347.

Sp. Posthumius, Decemvir, an. U. C. 303.

Sp. Posthumius Albinus, Trib. mil. an. U. C. 362.

Sp. Posthumius Albus, Trib. mil. an. U. C. 374.

Sp. Posthumius Albus, Consul, an. U. C. 288.

Sp. Posthumius Paulus, Consul, an. U. C. 580.

Sp. Rutilius Crassus, trib. mil. an. U. C. 339.

Sp. Servilius, primus Romæ divortium fecit, Olymp. 64. Dionys. Halic. *lib.* 2.

Sp. Servilius Priscus, Cons. an. U. C. 278.

Sp. Tarpejus, Patricius & Consularis, Tribunatum Plebei gessit.

S Q.

Squilla, campanula cum manubrio, quæ in Rom. Ecclesia, ad elevationem Sacramenti, ideo pulsatur, ut orationem excitet. V. Durand. *Rational. lib.* 14 *cap.* 41. ubi inter alia ait: *Et propter causam eandem*, Squilla *pulsatur, dum corpus Christi ad infirmum portatur. Mula etiam Capellam domini Papæ bajulans*, Squillam *fert, ob reverentiam Reliquiarum, tunc etiam cerei accenduntur.* Hinc Germ. *Schaellen* in eundem sensum formatum: & Anglis *Shell* pro testa dictum, scribit Henr. Spelmannus *Glossar. Archaol.* V. etiam in voce *Campana*.

S T.

Stabareni, vide *Tabareni*.

Staberius, prænomine *Lucius*, qui jussu Pompeii Apolloniæ præfuit; sed oppidanorum perfidiâ, Cæsaris gratiam spectantium, hinc fugere coactus est. Et ita vocant V. C. nec non antiqui lapides. Horat. *lib.* 2. *Sat.* 3.

Heredes Staberi summam incidère sepulcro.

Vulgò apud Cæsarem *libr.* 2. *Civil. cap.* 12. *Straberius* & Appiano *lib.* 2. Στραβέριος perperam vocatur.

Stabiæ, urbs marit. Campaniæ in Picentinorum confin. ad ostia Sarni, Pompejis proxima, excisa à L. Syllâ, teste Plinio, pro quâ novæ *Stabiæ* non procul conditæ, à Surrento 6. m. p. Neapolim versus. Cujus ora litus *Stabianum* à Seneca dicitur. Silius *lib.* 14.

Laxaq; complebat Stabiarum litora plebes.

Vide magnum Cluverium *de Ital. Ant. pag.* 1158. Baudrando *Castell' à Mare di Stabia*, urbec. Terræ Laboris, in ora Sinus Neap. cum portu capaci, ad radices collis, 5. mill. ab ostio Sarni in Mer. 10. à Surrento in Cæc.

Stabilinus, vel ut alii legunt *Statilinus*, & *Statanus*, Dei præsides & assistentes habiti: alii educationi ascribunt, eo videlicet tempore, cùm standi & consistendi potestatem habere incipiunt pueri. Vid. Alex. ab Alex. *lib. ult. cap. ult.*

Stablo, vicus Galliæ in agro Rejensi, Mummoli Patricii, de Saxonibus, qui ex Italia in Provinciam eruperant, victoriâ nobilis. Gregor. *Hist. Franc. lib.* 4. Incolis *Stoblon*, aliàs *Establon*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Stabula, seu *ad Stabula*, locus Germ. super. in Alsatiâ, ab Argentorato 36. m. p. Basileam versus: Baudrando *Otmars* hodie, vicus Alsatiæ sup. prope Rhenum, vix 2. m. p. à Neoburgo in Occ. in Tribocis, & op. Gall. Belg, in orâ Picardiæ, vulgò *Estaples*, inter Monasteriolum ad Merid. 3. & Bononiam ad Arctos 7. leuc. Baudrando mel. *Stapula*, burgus amplus Picardiæ, in agro Bononiensi, ad Quentiæ fluv. ostia, 3. leuc. infra Monasteriolum in Occ. 6. à Bononia.

Stabulaus, illustre in Tungrorum finibus monasterium, à Sigeberto, Dagoberti fil. Austrasiorum Rege constructum. Ludovico Aug. inter ea, quæ dona & militiam debent, memoratum: A Normannis vastatum An. C. 881. Vulgò *Stavelo*, vel *Staulo* dicitur, Hadr. Val. *Not. Gall.*

Stabulum, locus Gall. Narbon. Anton. inter Salsusas ad Bor. 48. & Pyrenæum mont. ad Mer. ubi in Hisp. transitur, 16. m. p. Quibusd. est *Millas*, castrum Comit. Ruscinon. ad Tetim fluv. fere 10. m. p. à Perpiniano in Occ. Et *Stabulum novum*, eidem Anton. locus Hisp. Tarrac. inter Barcinonem, ad Ort. & Tarraconem, ad occ. in ora maris Med. nunc oppidul. Cataloniæ, *Villanova* dictum.

Stabulum, opp. cum Abbatia celebri, ad amnem *Rechte*, in dit. Episc. Leodiensis, in confin. Luxemburgensi, 3. leuc. à Limburgo in Mer. *Stablo*. Baudr. V. supra.

Stachir, Libyæ inter. fluv. Ptol. *Senega* Marmolio. Aliis est *Rio grande*, fl. magnus seu potius ramus Austr. fl. Nigritis, & in Oceanum Atlant. se exonerat, prope Ryssadium prom.

Stachys, Pauli amicus. Rom. 16.

Stada, Vide *Statio*.

Stadia, olim dicta est *Rhodos*.

Stadisis, Æthiopiæ sub Ægypto op. ubi Nilus tanto fragore labitur inter montes, ut incolis auditum auferat. Plin.

Stafangria, urbs Norvegiæ Ep. sub Ar. Nidrosiensi, in ora Oceani Germ. cum portu percapaci, 90. m. p. à Bergis in Mer. 60. à Sinu Codano in Bor. Sita in Præfectura Bergensi, prope arcem *Dæsvvick*, sub Danis. Scribitur & per *v*.

Staffordia, prov. Angliæ, ubi aliàs Cornavii ex parte. Terminatur à Sept. Cestria, ab Or. Darbio, ab Occ. Salopia, à Mer. Vigornia. Ejus urbs prim. *Staffordia*, ad amnem Savum. Inter Darbiam & Salopiam 22. utrinque mill.

Stagira, *Stantira* Ptolemæo, opp. Macedon. marit. ad montis Athi radices, in agro Olynthiaco, patria Aristotelis, teste Laertio. *Liba nova*, teste Sophiano, in Amphaxitide prov. prope Strymonicum sin. 15. m. p. ab Atho, in Ort. paulo plus à Singitico Sinu in Bor. Baudr. *Macra* verò Nicetæ. Michael quidam recens scriptor dicit Aristotelem fuisse Thracem. Nempe quia *Stagira* quibusdam est in Thraciâ, uti Pausanias *ait in Eliacis*. Ac videntur duo antiquissimi historici, Herodotus *in Polymniâ*, & Thucydides *libb.* 4. & 5. *Stagiram* tribuere Thraciæ. Nempe antiquissimis temporibus *Stagiros* fuit Thraciæ. Nec tamen Aristoteles Thrax, quia cùm nasceretur Aristoteles, jam Stagira erat Macedoniæ pars. Sanè Philippus Alexandri parens tum extendit Macedoniam, (quæ usque ad Strymonem extendi solet) usque ad Nessum. Sed Stagira non modò intra Nessum, sed etiam Strymonem est. Antiqui tamen limites, ne quidem usque ad Strymonem, patuisse videntur. Verùm hoc multo ante natum Aristotelem fuit. Est autem & alia ratio, quamobrem Græcus, non Thrax, dicendus sit Aristoteles. Quia nempe Græciæ, non Thraciæ attributæ fuerunt pleræq; Græcorum coloniæ, quæ in Thraciæ litoribus sitæ essent. Porro dicitur *Stagiros*, ut Herodoto, Thucydidi & in Epitome Strabonis. Dicitur item *Stagira* pl. num. ut Pausaniæ, Stephano, aliis. Denique dicitur & *Stagira* in singulari num. ut Laertio in Aristotelis Testamento; Eusebio, &c. Vossius. Stagiritarum lex fuit, ὃ μὴ κατέθου, μὴ λάμβανε. *Quod non deposuisti ne tollas.* Ælian. ποικίλ. *lib.* 3. quam legem inter Solonis etiam leges recensuit Laertius. Hodie paucis constat incolis. Baudr.

Stagnum, palus Africæ, 40. stad. à Carthagine, Oros. Procop. Item urbec. Dalmatiæ, in parte Or. Hillidis penins. cum portu, in ora maris Adr. sub Ragusinis. 18. m. p. à Ragusio in Bor. Naronam versus paulo plus; *Stagno*.

Stajus, tribunus, quem Tiberius Cæsar cum validâ manu misit, ad T. Curtisium tumultûs servilis per Italiam concitatorem & proximos audaciæ in urbem trahendos. Tacit. 4. 27.

Staliocanus, portus Gall. Narbon. ad mare Britannicum. Ptol. *Roscou*, teste Bertrando Argentræo; *Leona* verò Villanovano. Baudr. fuit opp. Osismiorum, hodie *Leon*, seu *Leondoul*, in ora Brit. min. ep. sub Ar. Turon. cum portu amplo, vix 1. leuc. à Roscovio in Mer. 2. à Tauro in Occ. 14. à Brivate portu in Cæc. Aliter *Leona*.

Stalla, villa Comit. Tirol. ubi merces deponuntur & rursus imponuntur. Metel.

Stamene, urbs Chalybum. Steph.

Stampa, Gall. Celt. op. præcipuum, ad Ivennam fluv. vulgò *Estampes*: Baudr. Valesio situm est in Senonibus, ad fluv. Junnam, qui paulo infra Stampas Loâ fluv. majore & minore augetur: dein apud vicum Exonam vel Axonam, nomine mutato, Exona *la riviere d'Essone* vocatur, atque ad Corboilum in Sequanam decurrit. Olim *Salioclita* videntur *Stampæ* dictæ, nisi illa sit villa Sarclidæ *Saclé* ad fluv. Junnam, in pago Stampensi. *Stampis* palatium olim fuit; ubi Robertus R. Ecclesiam ædificasse dicitur. In Chronico Mauriniacensi Marchi Vicecomitis Stampensium mentio fit, cujus gener Guido uxorio jure Vicecomitatum obtinuit. In eodem & Veteres *Stampæ* memorantur, quibus novas accessisse, quæ absolutè *Stampæ* dictæ, probabile est. *Notit. Gall.* Comitatus olim caput, qui à Duce Bituricensi emptus An. Ch. 1401. postea à Francisco I. in Duc. fastigium evectus est, Haillan. Duchenius *recher des villes* Arcis fundamenta prima Robertus Rex jecisse legitur. Concilia hic habita An. Ch. 1048. 1092. 1099. 1112. 1130. quo à Ludovico Crasso convocato, quæsitum, Innocentione II. an Anacleto Antipapæ adhærendum sit; Aliud etiam à Ludovico Jun. rebus Orientis intento, ibidem celebratum est. Vide Moreriun *Dict. Hist.*

Stampalia, olim *Stapalea*, insula est in faucibus maris Ægei: ejus ambitus est 88. mill. Civitatem habet sui nominis; quam circum multa antiquarum superbarumque fabricarum rudera visuntur. Nat. Metel.

Stanacum, urbs Norici in limite Vindeliciæ, Anton. *Vacenkirchen* Lazio. Aliis est *Obernperg*, pag. Bavariæ inf. ad Oenum, 4. mill. Germ. supra Bojodurum in Mer.

Stancarus, Vid. *Franciscus*.

Standardum, signum militare præcipuum, quod Imperatorium dicitur, vel Regale: Romanis inferioribus *Labarum* & *Bandum* vocatur, Italis *Carrocium*; Germanis aliàs *Standard*, al. *Sturm fahn*. V Britt. Armoricanum *lib*, 11. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.* & supra in voce *Bandum*.

Stanislaus, Episcopus, à Boleslao Polono, quem reprehenderat ex officio, interemtus est: ob quod scelus excommunicatus Boleslaus, in Hungariam profugit, inde in Carinthiam, in cœnobium Oziæ concessit, culinaribus ministeriis vitam sustentans. An. C. 1081. Cromer. *Histor. Pol. libr.* 4. Matth. Mechovita *libro* 2. *cap.* 20. *&c.*

Stanislaus Socolovius, Stephano Barborio, Poloniæ R. à concionibus: vertit Jeremiæ Patr. Constant. *Censuram Ecclesiæ Orient.*

Stanislaus Gisepsius, scripsit *de multiplici Siclo & talento Hebraico. De mensuris Hebraicis &c.*

Stanos, Macedoniæ urbs. Nicetas.

Stantia, & *um*, vicus amplus Helvetiorum, caput Pagi Sylvanensis seu Underwaldiensis, prope lacum Lucernensem, ad radices montium, 12. m. p. à Lucerna in Eur. *Stantz*. Ad huuc vicum incolæ lacum undique acutis vallis sepserunt & turri excitatâ portum munierunt, bello contra Nobiles, circa An. Ch. 1260. Postea, cùm civitates Helvetiæ Tigurum, Berna, Lucerna, Friburgum & Solodorum privatum fœdus fecissent, id *Stantiæ* abolitum, novumque decretum ab 8. Cantonibus vett. factum est, An C. 1481. cujus summam V. apud Simler, *de Rep. Helvet* Habent hic hodie Underwaldii consilium publicum, in Subsylvana parte; sicut supra sylvam, Sarnæ alterum: dictique sunt olim Subsylvani, à vico regionis capite, *Hommes vallis in Stans.* Id.

Stantira, Ptol. Vid. *Stagira*.

Stao, Mediæ fluv. in Caspium mare effluens. Ptol.

Staphylus, Sileni, vel, ut alii, Silethi filius. Plin. 7. 56. Primus vinum aquâ miscere docuit. Apollodorus tamen *lib.* 1. Tzetzes *in Lycophronem*, & Apollonii Schol. in 3. *Argon.* Staphylum Bacchi filium ex Ariadnâ, & Jasonis avum maternum faciunt.

Staphylus Naucratites, de rebus Thessalicis scripsit, teste Scholiaste *in Apollon. lib.* 4. nec non de rebus Atticis & Æolicis, quod ex Harpocratione discimus. Arcadicas etiam res conscripsit. Sextus Empiricus adv. Mathematicos.

Staplo. Vide *Stablo*.

Stapula, vel *um*, insignis est Mercaturæ & Nundinarum locus, convehendis vendendisque mercibus potioribus, putà lanæ, panni, vini, corii, plumbi, &c. à Principe designatus, ejusdemque stabilitus privilegiis; unde nomen *Stapulum*, q. mercium atque mercatorum *Stabulum* vel Statio. Item Emporium nobile, & mercatorum tam externorum, quàm indigenarum, privilegiatum collegium, suis gaudens magistratu & officialibus, & lege quam vocant Mercatoriam Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.*

Stargardia, urbec. Pomeraniæ ulter. ad Innam amnem, 5. mill. Germ. à Stetino in Ort. Urbs est Hanseatica. Hic templa Evangelicis ademta An. C. 1596. Nunc sub Elect. Brandeburgico, cum tota Pomerania ulter. Hanc olim Bogislaus IV. è familia Pomeraniæ Ducum, Wolgastensis rami auctor, Brandeburgicis ademit, receptam dein Beatrix Brandeburgica marito Henrico cognom. Leoni Duci Megapolitano, dotis loco attulit: cujus fil. Johannes ex sec. conjuge Anna Saxonicâ *Stargardiensium* lineam incepit, circa An. C. 1348. in qua præter Rudolfum Episc. Suerinensem & Albertum Episc. Dorpatensem, memorantur Johannes, alterius Johannis pater, & Ulricus, genitor Henrici, cujus fil. Ulricus familiam clausit An. D. 1471. Primi autem Johannis frater Albertus, Megapolitanorum Principum continuator, ob *Stargardiam* bellum gessit adversus Ludovicum Rom. M. Brandeburg. quod datâ ei conjuge, filiâ Ingelburgi, compositum est. Mortuo dein Ulrico, ad agnatum Magnum, stirpis Megapolitanæ continuatorem, filium Henrici D. *Stargardiensis* princip. successio delata est, qui hodie, familiâ Pomeraniæ Ducum extinctâ, ad familiam Brandeburgicam rediit. V. Philipp. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.*

Starlingus, al. *Esterlingus*, & *Sterlingus*, denarius Angliæ argenteus, cujus valor antiquus Statuto An. 51. Eduardi I. sic exhibetur: *Per ordinationes totius regni Angliæ*, Sterlingus *rotundus sine tonsura, ponderabit* 32. *grana frumenti in medio spica*, & 20. *denarii seu Sterlingi faciunt unciam & 12. unciæ faciunt libram.* Occurrit autem vox interdum simplic. pro ipso denario, interdum ad distinguendam monetam probam à reproba, & pro nummo legali in genere. Originem nominis Linwodus à sturno, Anglicè *a starling*, accessit, numismatis signo. Sed tum Anglo-Normannorum, tum Saxonum plurima reperiuntur numismata; at in nullo sturni effigies est, nisi in Eduardi Confessoris: ubi 4. deprehenduntur aves obversis pedibus sigillatim stantes inter 4. radios crucis parallelæ. Scoticum vulgus, à castello quodam *Starlin* & *Strivelin* dicto, teste Buchanano, *Starlingi* appellationem deducit: sed multo citior argenteæ monetæ & *Starlingorum* usus apud Anglos, quàm Scotos fuit. Propius ad rem accedunt, qui à Germanis Daniæ vicinis, quos ab Orientali situ *Esterlings* Angli appellant, vocis etymologiam petunt: asseruntque, eos in Angliam aliquando venientes, artem purgandi argenti, etiam flandi & feriundi celebrem reddidisse, nomenque suum facto deinceps reliquisse. Opinioni fidem astruit conventio inter Eduardum I. & Abbatem Buriæ S. Edmundi, de stabiliendo ibidem cuneagio, sancita. Adde quòd in transmarinis etiam regionibus vox recepta, ut è jure Canonico liquet. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Stasanor, ab Alexandro M. Arsami Cariæ præfecto substitutus, Curt. 8. 19.

Staseas, Neapolitanus, Philosophus Platonicus. Cic. *de Fin.*

Stasicrates, artifex Alexandrinus, Alexandro Macedoni gratissimus, qui dicebat mont. Athon in hominis statuam formari, exsculpique posse.

Stasis, urbs Persica, sita in magnâ petra, quam Antiochus Seleuci fil. habuit. Steph.

Stata mater, antiquis culta, cujus simulachrum in foro colebatur, postquam id collustravit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore: Magna pars populi, in suos quisque vicos retulerunt ejus deæ cultum, author Festus.

Statellates, *Statiellenses* Cic. *Statyelli* Plin. *Statelli* Straboni, pop. Liguriæ inter Apen. mont. & Tanarum fluv. quorum urbes *Aquæ Statiellorum* dictæ, *Acqui* vulgò, & Alexandria urbs recens Tanaro fluv. divisa, ab Aquis Statiellis 15. m. p. in Bor. & Cæciam.

Staterius, civis Rom. ætate Ciceronis, qui, ob convitiosa verba & sermones mordaculos, rei capitalis jure damnatus est.

Statilia, longæva mulier. Sen. epp. *Si ad naturam rerum respexeris, etiam Nestoris & Statiliæ vita brevis est.* Quæ ex nobili somo, Claudio Principe 99. annos vixit. Plin. 7. 48.

Statilia Messalina, uxor Attici Vestini, quam Nero prius adulterio cognitam, post cædem Vestini, & Poppææ mortem, matrimonio sibi junxit.

Statilinus, & *Statanus*, Dii præsides, quasi hominibus astantes.

Statilius, Vide *Taurus*.

Statinæ, aquæ & insl. in Campaniâ subito terræ motu enatæ. Plin. 2. 88. Stat. *lib.* 3. *Sylv. Carm.* 5.

Ænariosq; lacus medicos, Statinasq; renatas.

Statio, vulgò *Staden*, Urbs Hanzeatica Duc. Bremensis, ad Sivingam fluv. prope Albim: à Saxonum conditore *Saxo*, cum suis, post mortem Alexandri M. sub quo Saxones meruerant, reverso. Metel. Capta fuit à Suecone Daniæ R. A. C. 988. Nuper sub Suecis, pace Monaster. probe munita, quibus An. Ch. 1676. à confœderatis Germaniæ Principibus erepta est. 5. mill. Germ. ab Hamburgo in Occ. fere 3. à Glucstadio in Mer.

Statio, pro stato die jejuniorum, apud Tertull. *lib. de Or. in fine. lib. de An. cap.* 48. *lib. de jejuniis cap.* 10. & *lib.* 2. *ad Uxorem cap.* 4. *&c.* à militiâ translata vox. Rationem nominis reddit Ambrosius *serm.* 25. cùm inquit, Stationes *vocantur jejunia, quòd* stantes & *commorantes in eis inimicos insidiantes repellimus.* Non tamen pro quolibet jejuniorum die *Statio* accipienda est, teste Rabano Mauro *de Instit. Cler. lib.* 1. *cap.* 18. qui definit *Stationem*, esse statutorum dierum (*a standing fast as Friday* Angl.) observationem ex lege præceptam. Aliter tamen accipere videtur B. Cyprianus *Ep.* 41. sc. pro Conventu Ecclesiastico: ut & Tertullianus *lib.* 2. *ad Uxor. cap.* 4. V. Henricum Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Stationensis lacus, parv. Duc. Castrensis, in limite agri Senensis; *Lago di Mezzano*. Ex eo profluit Olpita fluv. qui paulo infra Castri rudera in Fioram se exonerat.

Statira, Artaxerxis Memnonis Uxor. V. *Parysatis*.

Statira, Darii filia, Alexandri M. uxor, cùm prægnans esset, à Roxane, epistolâ quâdam insidiosâ & fallaci pellecta, interfecta & in puteum dejecta.

Statius, Poeta Comicus, qui *Cæcilius* dictus est. Cicero *in Bruto: Mitto C. Lælium, P. Scipionem. Ætatis illius ista fuit laus, tanquam innocentia, sic Latinè loquendi; non omnium tamen: nam illorum æquales Cæcilium, & Pacuvium malè locutos videmus.* De iisdem sic *in Chronico* Hieronymus, ex Tranquillo: Olymp. CL. ann. 2. *Statius Cæcilius Comœdiarum scriptor clarus habetur, natione Insuber Gallus, & Ennii primùm contubernalis. Quidam Mediolanensem ferunt. Mortuus est anno post mortem Ennii, & juxta Janiculum sepultus.* Agellius 4. 20. *Statius servile nomen fuit. Pleriq; apud veteres servi eo nomine fuerunt. Cæcilius quoq; ille Comœdiarum Poeta inclytus servus fuit: & propterea nomen habuit Statius. Sed postea versum est, quasi in cognomentum: appellatusq; Cæcilius Statius.* In ejus fabulis *Asotus* fuit: quod nomen & fabulæ suæ fecerat Euthycles Comicus, & è Latinis Ennius. In iisdem *Synaristosa*, teste Gellio 15. 15. Quomodo & è Græcis fabulam inscripserant Crates & Menander. Sed & alias plurimas fabulas scripsit, quarum nomina ac fragmenta collegit Rob. Stephanus. Quanquam verò Cicero *ad Atticum* scribens, malum vocet Latinitatis auctorem; Volcatius tamen Sedigitus inter Comicos ei dat principatum. Vossius.

Statius Annæus, amicus L. Annæi Senecæ ejusdemque medicus, quem sibi promere cicutam jussit Seneca. Tacit. 15. 64.

Statius Cyrillus, Historicus. V. *Cyrillus*.

Statius Domitius, tribunatu militum à Nerone exutus; quasi principem non quidem odisset, sed tamen existimaretur: detectâ conjuratione Pisonianâ. Tacit. 15. 71.

Statius Murcus, Vide *Murcus*.

Statius Papinius, Poeta, qui sub Domitiano vixit, Neapoli fuit oriundus, patre Statio Epirotâ, qui Romæ Poësin & Eloquentiam docens, à Domitiano, cujus quoque præceptor erat, lauro auroque coronatus est: matre Agelinâ, V. *lib. 5. Sylv. 3.* Hic perperam confunditur cum *Statio* Poeta, cogn. *Surculo*, qui claruit sub Nerone. De Rhetore illo sunt hæc Hieronymi *in Chronico Eusebiano: Olymp. 209. an. 1.* (is est Neronis secundus) *Statius Surculus Tolosensis in Galliis celeberrimè Rhetoricam docet:* Ejus nomen verum ex Suetonii libello *de claris Rhetoribus* superest, ubi non *Surculus* vocatur, sed *Ursulus*. *Ursi* enim & *Ursuli* familiæ sunt nomina, ut ex vett. Inscriptionibus constat. At Papinius *Statius*, nec *Ursuli*, vel *Surculi* cognomen unquam habuit, nec Tolosensis fuit, sed Neapolitanus, ut dictum. Reliquit Sylvarum libros 5. Thebaidos 12. Achilleidos 5. Mirum verò, Martialem, cùm adeò celebret Stellam Poetam, non meminisse Statii, tanti amici Stellæ, ut ei miserit primum Sylvarum. Nempe ab invidiâ id factum videtur. Vid. Gevartium *ad 1. Sylv. cap. 35.* Tandem Neapolim se, cum Claudia uxore, recepit, paulo post Domitianum mortuum: Dramata quoque composuit, nunc deperdita, quemadmodum Agave: Cujus mem. Juvenalis *Sat. 7.*

Curritur ad vocem jucundam & nomen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cùm Statius urbem,
Promisitq; diem; tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos, tantâq; libidine vulgi
Auditur; sed cùm fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Statius Priscus, redegit in Armenia ad incitas Vologesem, imperante Antonino Philosopho, An. C. 166. V. Dion. *lib. 71.*

Statius Proximus, tribunus cohortis prætoriæ, per Subrium ac Sulpitium, in societatem conjurationis contra Neronem adsumptus. Tacit. 15. 50. Pòst detectâ re veniam, quam ab Imperatore accepit, vanitate exitus corrupit. Ibid. 71.

Statius Sebosius, laudatus Solino, *cap. 55.*

Statius Valens, Historicus apud Lamp. *in vita Alexandri Severi.*

Statones, Hetruriæ pop. quorum opidulum *Statonia* vocabatur, hodie *Scatono* Leandro. In horum agro vinum satis generosum nascebatur, quod *Statoniense* appellabant. Plin. 4. 6. Et lapides ibi sunt, ab igne illæsi. Plin. 36. 2. lacusq; in quo Insl. fluctuans. Idem *l. 2.*

Stator Jupiter, Romæ templum habuit à Romulo conditum, quòd, cùm ejus milites in fugam à Samnitibus versi essent, repentè eo invocato ad pugnam redierint.

Status Belgii uniti, vide *Provinciæ confœderati Belgii.*

Statuum reg. Insula maris Eoi, recens à Batavis detecta; quæ extenditur inter Terram Esonis ad Orr. à qua separatur freto *Uriæ*, & Yezam reg. ad Occ. à qua separatur freto *Piechi*. Sed nulla hîc colonia Europ. cùm Borealior sit Japoniâ.

Statuum reg. Insula Americæ merid. inter fretum Macreum & Brouvers, à Batavis detecta An. 1616. aliàs continens credita. Pars est Magellanicæ reg.

Statyelli, vide *Statellates.*

Stavangria, vide *Stafangria.*

Stavani, Sarm. Europ. gens. Ptol.

Staveni, Ariæ populi. Ptol.

Stavera, urbs parva Hanzeatica Frisiæ Occ. cum portu, in ora maris Austrini, sub Batavis. 4. mill. Germ. ab Enchusia in Bor. 6. à Vollenhovia in Circ.

Staufacherus, Vide *Stoufacherus.*

Stauratius, fil. Nicephori I. Imper. à patre in collegam ascitus, Ann. Chr. 803. vulneratus in prælio, quo Pater à Bulgaris victus est, An. 811. Hinc Constantinopolim perlatus, audito affinem Michaëlem Rangabum Imperium arripuisse, cum Theophania uxore, monasterium est ingressus. Cedren. & Zonar. *in Annal.* Theophan. *in Chron, &c.*

Stauri, gentes circa Hyrcanum mare, Plin. 6. 16.

Stauropolis, urbs Cariæ mediterr. Arch. & amplissima metropolis, sub qua 27. Urbes Episc. *S. Croce* nostris. Ferrar.

Stegeburgum, urbs Ostrogothiæ, cum portu, in ora maris Balt. 16. m. p. à Norcopia in Ort. 30. à Nicopia in Mer.

Stehelius Bernhardus, Basiliensis. Hic à juventute literis egregiè imbutus, variis postea bellis fortitudinis laude sibi conciliatâ, ab Henrico II. Gall. R. post Rentiacum conflictum, eques creatus est: Postea bellis civilibus religionis causâ per Galliam ingravescentibus, pii Magistratus edictis obsequens, domum rediit, extinctus An. C. 1570. Christ. Urstisius *Epit. Hist. Basil.*

Steina, vulgò *Stein*, opp. Helvet. in Turgea ad Rhenì ex lacu Celensi egressum, non longè situm: ex ruinis Burgi, antiquitus Romani præsidii, sed ab Alemannis vastati, in altera Rheni ripa, ædificatum fuisse, Romana docent monimenta, & ingentes murorum ruinæ, per totum ejus collis, ubi Burgum fuerat, circuitum, usque ad vicum *Eschentz*, in cujus templo & castri antiqui ruderibus, mutilata cernitur inscriptio Cajo Cæsari facta, Joh. Bapt. Plantinus *Helvet. nov. ant.* Burgus præfatus Gaunodunum Ptolomæi est: Steina autem sub Ottone I. muris cingi cœpit à Burcardo Sueviæ Duce An. C. 966. contra Hungarorum excursiones. Prope id dein in monte Duello Hedvigis uxor Ducis Cœnobium Benedictinorum condidit, cujus primus Abbas fuit Wazemannus: sed id Steinam translatum est, An. C. 1005. A Sueviæ Ducibus oppidum pervenit ad Barones de veteri Clinga, qui arcem supra Steinam *hohe Klingen* extruxere. Dein ad Clingenbergios devolutum, qui libertatem civibus auro vendiderunt: tandem Tigurinis se, salvis suis juribus, An. C. 1484. subjecit, qui præfectum Cœnobio mittunt. Cives autem proprios Magistratus habent, sed Tigurinorum edictis tenentur, iisque militant, verùm sub propriis signis, Stumpf. Simler. *de Rep. Helvet.*

Steinavia, opp. Silesiæ: sub Duce olim proprio, de familiâ *Steinavia-Olsnensi*, cujus auctor Conradus fil. Henrici Fidelis, frater Johannis Principis Steinaviensis, quo nomine Bohemiæ hic accessit An. C. 1329. Conradus is Olsnam à patre, à fratre verò *Steinaviam* ac Javeram obtinuit: à Boleslao Lignitio tantopere vexatus, ut, exhausto ærario, vestes etiam vendere cogeretur. Postea eum aliis se coronæ Bohemicæ submisit, regi Johanni fidelissimus, & An. 1345. bello strenue Polonos persecutus est. Filius ejus Conradus II. Jagellonis in convertendis Lithuanis suis comes, mortuus An. C. 1395. quatuor filios Conrados reliquit. E quibus primus à filio Conrado IV. captus, & ad ejurandum principatum coactus, obiit Vratislaviæ An. C. 1451. Conradus IV. verò An. Ch. 1492. morte suâ lineam clausit. Tum Olsnensis Principatus ab Vladislao R. permutationis pro Podiebradio jure Henrico D. Monsterbergensi concessus, & ab hujus atnepte, nostrâ memoriâ, domui Wirtembergicæ illatus est. Accepere *Steinavienses* cives insignia privilegia, à Conrado D. Steinaviæ & Javeræ; qui, cùm Archiepiscopatui Salisburgio destinatus, illum quòd patriam cerevisiam ibi non reperiret, recusasset, à fratre tanquam fatuus, custodiæ datus, sed à civibus liberatus est, sub finem seculi 13. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in familia Piastea.*

Stela, urbs Cretæ prope Præsum & Rhythimnam. Steph.

Stelenus, rex Argivorum, quem Danaus regno pepulit, & ipsum regnum ad se pertraxit.

Stella Aruntius, Poeta Patavinus lepidissimus, carmine descripsit Domitiani victoriam de Sarmatis. Item ut Catullus Lesbiæ, sive Clodiæ suæ passerem epigrammate celebravit, ita & hic carmine columbam suæ Janthidos sive Violantillæ, vel, ut à se ipse maluit vocari, *Asteridos*, quia stella Græcis ἀστὴρ; imò & ab ἀστέρα, à quo *sterula*, unde *stella*. Martialis 5. 11.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, jaspidas uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde est hæc, puto, culta manus.

Mirâ verò adulatione idem Martialis non dubitavit scribere, tantò præstare columbam Stellæ passeri Catulliano, quanto columba passere est major. Sic enim ille *lib. 1.*

Stella delicium mei columba,
Verone licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere major est columba.

Nempe tam bono judicio hoc scriptum, quàm Martialis prædictus & Statius Lucanum præferunt Maroni. Quid insulsius? Stellæ & Violantillæ nuptias celebrat Statius *in primo Sylvarum.*

Stella, Urbs Navarræ; *Estella*, An. 1094. condita, inter Pompelonem & Logronium 8. leuc. Item, mons Galatiæ, apud Ancyram urb. *Almadag* Turcis. Hic Bajazetes à Tamerlane victus est, An. C. 1399. Georg. Phranz. *lib. 1. cap. 18. 21. 22. &c.*

Stella, Ordo Eq. institutus à Johanne Gall. R. An. C. 1352. vel, ut alii, à Roberto R. filio Hugonis Capeti, restauratus verò à Johanne. Numerus equitum 30. Symbolum *Monstrant regibus astra viam*. Solennitas Ordinis incidebat in 6. diem Januarii: sed cùm bellis civilibus in contemtum abiisset, S. Michaelis Ordine Ludovicus XI. velante ipsum Carolus VII. instituto, prioris insignia Excubitoribus urbicis & Satellitibus suis concessit. Froissard. *lib.*1. *cap.* 101. & 153. Meyer. *lib.* 13. Belleforestus *lib.* 5. *cap.* 16. Tillerus, Favinus, Morerius, *Diction. Hist. &c.*

Stellates, pop. Hetruriæ, apud Capenam. Fest.

Stellates ager Suetonio, *Stellates campus* Livio, *Campo Mazzone*, Mazello, ager Campaniæ miræ fertilitatis in territorio Calenensi. Silius *lib.* 11.

Stellatesq; docent campos, Cereremq; benignam.

Hic 16300. Samnites à Rom. Appio Claudio Cos. cæsi sunt. *Sanfelicio* etiam.

Stelliferi & Psittaci, factionum nomina, quæ olim Basileam admodum turbarunt: Hæ à Rodolpho I. Imp. sublatæ, recruduere postea sub Alberto. V. Christ. Urstisium *in Histor. Basil.* Stumpf. *in Chron.* ut & in voce, *Psittaci*.

Stena, fauces montium, in Chaonia, apud urbem Antigoniam. Liv.

Stenæum, urbs permunita Lotharingiæ, cum arce ad Mosam fl. Sed jam Campaniæ accessit Gall. ab A. 1633. 7. leuc. à Virduno in Bor. Sedanum versus 6. & vix 3. à Monmedio in Occ.

Stendelia, opp. amplum vet. Marchiæ Brandeb. ad amnem *Ucht*. 5. m. p. à Tangermunda in Occ. 20. ab Havelberga in Afr. 30. à Magdeburgo in Bor.

Stene Deire, ins. sinûs Arabici circa Pentadactylum mont. Plin.

Stenelaidas, Ephorus Spartanus, novum dicendi sententias morem Lacedæmone introduxit: nam cùm adversus Athenienses, tanquam fœderis violatores, bellum satis acri oratione suasisset, ita pronunciavit: Quicunque violatum ab Atheniensibus fœdus existimant, surgant & in illam partem eant, qui contra, in hanc; cùm anteà sententias elatâ voce dicere consuevissent.

Stenimachum, Nicet. *Ichtiman* hodie, Leuncl. castrum Thraciæ, in territ. Philippopolitano.

Stenoberga, urbec. satis munita Brabantiæ. Sub Hollandis, & dominio utili Principis Auriaci. Aliàs amplior, nunc deficit in dies.

Stenobœa, vide *Sthenobœa*.

Stenovicum, opp. Transisalanæ prov. ad Aam amnem, in limite Frisiæ Occ. 17. m. p. à Suvolia in Bor. 7. ab ora maris Austr. in Ort. Bello sæpe olim hodieque captum ac receptum. Sub Hollandis.

Stentor, Græcorum omnium vocalissimus, qui 50. hominum clamorem vocis magnitudine adæquabat. Hom. *Iliad.* 5.

Ἔνθα στᾶσ' ἤϋσε θεὰ λευκώλενος Ἥρη
Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι, χαλκεοφώνῳ,
Ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Juvenal. *Sat.* 13.

Tu miser exclamas ut Stentora vincere possis.

Stentoris lacus Thraciæ, apud Ænum urb. & portus, apud Hebri ostia. Herod. Plin.

Stenyclerus, urbs Messeniæ.

Stephanardus, seu Stephanus, de Vice Mercato, Dominicanus, auctor Chronici: *Manipulus Florum*. An idem cum Stephanardo Flamma, qui Historias versu, eodem tempore, composuit. Leander Alb. *lib.* 4. *de Ord. Prædic.* Paul. Jovius, *in vita Othon.* Voss. *de H. Lat.* Gesner. *in Bibl.*

Stephane, *Stephanis* Stephano, op. seu pagus Paphlagoniæ maritimus, inter Armenen & Sinopen urb. proximam, Sed *Stephane* apud Stephanum est op. Phocidis, seu potius fuit.

Stephani Fanum, op. Comit. Forestii, *S. Estienne de Furan*. Metel. Merula.

Stephanio, primus togatas saltare instituit, utrisque secularibus ludis saltavit & D. Augusti, & quos Claudius Consulatu suo quarto fecit: quando & sexaginta tres, non amplius, interfuere anni. Plinius.

Stephanodunum, urbs Lorniæ, in Scotia merid. in ora Occ. versus Æbudas, cum portu, ad radices collis; *Dunstafag.* 20. m. p. à Kilmoria in Bor. 6. à Mula Ins.

Stephanopolis, quæ & *Corona*, urbs Daciæ in Transylvaniæ, Moldaviæque confin. forsan aliàs *Prætoria Augusta*, *Cronstat* vulgò Germanicè, *Brassovu* verò Hungaris. Vid. Plin. 35. 11. prope amnem *Farkas*; qui paulo infra in Alutam cadit. Ad radices montium, in limite Moldaviæ, 15. mill. Germ. à Cibinio in Ort. uti 29. à Claudiopoli, & 22. ab Alba Julia. Hodie Transylv. urbs. Baudr.

Stephanoverda, opp. permunitum Geldriæ super. ad Mosam, in Insula, vix 5. m. p. supra Ruremundam in Mer. Trajectum ad Mosam versus 20. Sub Hisp.

Reges Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, &c.

Stephanus, Angliæ Rex, ex Comitum Blesensium & Bononiensium stirpe, Henrici I. ex Adelaide sorore nepos, in avunculi aula educatus est. Quo mortuo, immemor juramenti, quod Regis filiæ Mathildi, Henrici V. Imp. prius, tum verò Godofredi Com. Andegav. uxori præstiterat, à Guilielmo Arch. Cantuariensi coronam accepit. Nec hucusque processisse contentus, Normanniâ quoque agnatam spoliavit: in principio regni strenuè Davidi Scoto obnixus, postmodum à Roberto Glocestriæ Comite, fratre notho Mathildis, captus est: quem cum vicissim captivum fecisset Guil. Iprensis, permutatione utriusque factâ, concessum Stephano est, ut per vitam regnaret, mortuo verò sine liberis Henricus Mathildis filiis succederet: quod factum. Obiit autem An. C. 1154. regni 12. Duchenius *Hist. Angl. lib.* 11. Polydorus *lib.* 11. & 12. Buchananus &c.

Stephanus I. Hungariæ Rex, patri Geisæ, primo Regi Christiano, successit An. C. 997. Fidei in regno propagandæ summo zelo intentus, leges tulit in 55. capitula divisas, ob sanctitatem, Sanctis adscriptus. Obiit Budæ An. C. 1038. regni 41. Maritus primò Giselæ, sororis Henrici II. Imp. dein alterius ejusdem nominis, cujus pater Guilielmus erat Burgundionum Rex, ex hac Emerici fuit pater, immaturâ morte extincti. *Apostolus & Legislator Hungarorum* dictus, Bonfin. *Histor. Hungar.* Colmannus *in vita ejus, &c.*

Stephanus II. *Fulmen* dictus, post fratrem Colmannum, præfuit an. 18. bellis contra Venetos, Polonos, Russos & Bohemos fortiter gestis clarus. Primis nuptiis sibi junxit filiam Roberti Apuliæ Ducis: secundis Juditam Boleslai Poloniæ Ducis filiam. Obiit An. C. 1131. Bonfin. *Histor. Hungar.*

Stephanus III. patris Geisæ III. successor, defendit se strenuè contra Ladislaum III. & Stephanum IV. avunculos suos, qui sceptro ei erepto ad breve tempus sunt potiti. Bello contra Venetos & Emanuelem Imp. Illyrici causâ, felix: Obiit An. Ch. 1173. regni 12. Ei frater Bela successit. Bonfin. *Dec.* 2. *lib.* 6. 7.

Stephanus IV. aliis V. patrem Belam IV. excepit. Hic Mysiâ sub tributi leges redactâ, vicit Bohemiæ Bulgariæque Reges. Obiit An. C. 1272. regni 13. Bonfinius, Crantzius &c.

Stephanus, ex Bathoria familia, Transylvaniæ primò Princeps, dein Poloniæ R. Maximilianum Cæsarem, à Procerum quibusdam electum, celeritate antevertit, ductaque Anna Sigismundi Augusti sorore, Rex coronatus est, An. C. 1576. Dantiscum, quod Austriacis adhæreret, proscripsit, & ad obsequium adegit. An. Ch. 1579. Contra Basilium Moscorum Ducem res præclarissimè gessit, hostibus victis sæpius, pluribusque urbibus captis. Dixit Deum sibi reservasse hæc tria: *vim creandi ex nihilo, præscientiam futurorum, & imperium in conscientias*. Tandem à Moscico bello reversus, irâ adversus Rigenses, qui Calendarium novum respuebant, sic excanduit, ut in morbum prolapsus, obierit An. C. 1586. Princeps magnanimus. Ei successit Sigismundus III. V. Neugebauer. *Hist. Polon.* Thuan. *lib.* 53. Varsovicium *in reb. Polon. &c.*

Stephanus, Vaivoda Valachiæ & Moldaviæ, victoriis contra Mahometem Turcarum Imp. Matthiam Hung. & Albertum Poloniæ Reges, Tartaros insuper, obtentis inclytus. Fratres Bohemos benignè excepit. Obiit An. C. 1504. Michovius *lib.* 4. *cap.* 84. *&c.*

S. Stephanus, nomen Diaconi, Ecclesiæ Christianæ protomartyris, Act. 6. V. Moretium *Diction Histor.*

Pontifices Romani.

Stephanus I. Lucii successor, in Pontificatu Rom. An. Ch. 255. dirum excommunicationis fulmen strinxit in varios Asiæ Africæque Episcopos, qui Hæreticos rebaptizari volebant. E quibus Firmilianus Cæsareæ Cappadoc. Episc. & S. Cyprianus præcipui erant, quem *Pseudoapostolum* vocavit: ab Orientalibus Episcopis propterea increpitus, quòd, licèt in causa meliori, lenitatem & humilitatem Apostolicam non servasset. Martyrium sub Valeriano Imp. pertulit, suspendio enectus, Ann. Ch. 257. Attribuuntur ei duæ Epist. Decretales. V. Cyprian. *Ep.* 61. 72. *&c.* Euseb. *Chron. & Hist. lib.* 7. *cap.* 2. 3. 4. Augustinum, Optatum, Nicephorum, &c. Ei successit Sixtus II.

Stephanus II. Zachariam excepit, An. Ch. 752. per tres solum aut quatuor dies. Onuphr. & Genebrardus *in Chron.* Ciacconius *in ejus vita*, Maturus *Annot. in S. Antonin. part.* 2. *tit.* 14. *cap.* 1. §. 3. Ei successit

Stephanus III. Romanus, fil. Constantini. Hic ab Aistulfo Longobardorum R. infestatus, ope Constantini Copronymi Imp. non magno cum successu imploratâ, ad Pipinum Franciæ R. confugit, quem unà cum filiis inunxit. Transgressus postea in Italiam Pipinus, Aistulfum Ticini obsessum, ad obsequium redegit. Sed paulo pòst cùm pacis initæ immemor Romam obsedisset, eundem reversus denuo superavit, atque Exarchatum Ravennæ, cum Pentapoli aliquotque aliis urbibus sedi Romanæ donavit. Hæc Patrimonii Petri, ut vocant, origo est, cui postea Carolus M. & Comitissa Mathildis plura adjecit. Obiit Ann. C. 757. V. Sigebertum & Adon. *in Chron. &c.* Ei successit Paulus I. frater.

Stephanus IV. Synodo Lateranâ, ex Francia & Italia An. 769. coacta, detrusit in cœnobium Constantinum Papam, Cæsareque Constantino Copronymo excommunicato, decreta Synodi ejus, quæ septima generalis erat, abrogavit, cultu Imaginum confirmato. Quæ in electione Pontificis observanda, instituit, à Desiderio Longobardorum R. qui Romam venerat, ut de iis, qui Constantino se opposuere, pœnas sumeret, malè habitus, obiit A. C. 772. sedis 3. S. Antoninus, Volaterranus, Sigonius ad An. C. 769. Ei successit Hadrianus I.

Stephanus V. post Leonem III. Papa, coronavit Remis Imperatorem

ratorem Pium, cum uxore ejus Hermengarde. Reversus inde Romam, obiit An. Ch. 816. mense sedis 7. Ei successit Paschalis I. qui ambo sine consensu Imperatoris electi, apud eum postea sese purgarunt, moniti, ne in posterum Majestatem læderent, Platina *in vitis Pontif.* Thegan. *de gestis Ludov. Imp. &c.*

Stephanus VI. Adriani III. successor, An. Chr. 885. scripsit Basilio Imperat. ne Photio adhæreret, Guidonem postea Imperatorem electum adoptavit, purgationem ferri candentis & ferventis aquæ in Germania, per Archiepisc. Moguntinum sustulit: & quia Photius Spiritum Sanctum ex Filio procedere negavit, voluit addi Niceno Symbolo vocabulum, quod jam in Gallia, Hispania ac Germania usitatum erat, *Filioq;* Obiit Anno Chr. 890. St. Antoninus, Volaterranus, Sigebertus, Onuphrius, Ciacconius, Platina, &c. quibus adde Flodoardum *Histor. Rem. lib.* 4. *cap.* 1. Ei Formosus successit.

Stephanus VII. se ipsum in sedem intrusit, circa An. C. 897. post pulsum Bonifacium VI. qui, defuncto Formoso, Papatum rapuerat, Sæviit horribiliter in cadaver Formosi refossum: ipse in vincula compactus & strangulatus est. A. 900. Ei successit Romanus. Vide Baron. *Ann. C.* 897. *n.* 1. *&* 900. *n.* 6.

Stephanus VIII. post Leonem VI. biennium solùm præfuit, Obiit An. 931. Luitprand. Sigebert. Baron. Ei successit Joh. XII.

Stephanus IX. gente Germanus, ab Ottone I. Imper. surrogatus est Leoni VI. An. Chr. 939. quem proin æmuli malè habuerunt. Ludovico Ultramarino, contra subditos rebelles, favit. Obiit An. Chr. 943. Baronius, S. Antoninus, Volaterranus, &c. Ei successit Marinus II.

Stephanus X. priùs Fridericus dictus, filius Gozelonis Magni, frater Godofredi Barbati Ducis Lothar. successit Victori II. An. Chr. 1057. Obiit biennio pòst, cùm Florentiam excurrisset, ut ibi fratrem salutaret, qui Beatricem Tusciæ Marchionissam, viduam Bonifacii, ducturus advenerat, Leo Ostiensis *lib.* 2. *c.* 8. *lib.* 3. *cap.* 101. Ciacconius *in ejus vita*, Baronius, &c.

Patriarchæ & Episcopi.

Stephanus I. Patriarch. Constantinopolitanus, fil. Basilii Imper. frater Leonis VI. in Photii locum substitutus est, An. Ch. 886. Obiit An. Chr. 888. [illegible]

Stephanus II. successit An. Chr. 930. Nicolao Mystico. Obiit An. Chr. 933. Baronius *in Annal.*

Stephanus I. Patriarch. Antiochenus, Arianismi fautor, caput eorum fuit, qui S. Athanasio obnisi sunt, & Sardicensi concilio excommunicati, Antisynodo Philippopoli institutâ, novam Fidei formulam ediderunt. Legatos dein Concil. Sardicensis ad Constantium Imper. Antiochiæ tum degentem, Euphratem Coloniensem & Vincentium Capuanum Episcopos, perditurus Stephanus immissâ in Euphratis cubiculum fœminâ impudicâ, frustra fuit. Fraude enim detectâ sede pulsus est An. Chr. 448. Athanas. *Epist. ad Solit.* Theodor. *lib.* 2. *cap.* 9. *&* 10. Baron. *An. C.* 343. 348. *&c.*

Stephanus II. ab Eutychianis trucidatus est, in ipso altari, Ann. Chr. 479. sedis 3. Ei successit

Stephanus III. qui obiit An. Chr. 482.

Stephanus IV. Monachus Syrus, postquam Ecclesia an. 40. Pastore caruisset, Patriarcha electus est, Ann. Chr. 742. Obiit An. 744. Baronius *An. C.* 479. 482. 742.

Stephanus, Patriarch. Hierosolymitanus, prius Abbas fuit S. Johannis, in Valle Carnutensi, cujus urbis Vicedominus quoq; erat. Aliquâ affinitate Balduino Regi Hierosolym. innexus, ejus favore promotus est. Obiit An. Chr. 1130. sedis 2. S. Bernardus *Epist.* 82. Guil. Tyrius *lib.* 3. *cap.* 25. Baronius *An. C.* 1128. 1130.

Stephanus, fundator Ordinis Grandis montis, ex Avernis ortus, Obiit An. Chr. 1126. à Clemente III. Sanctorum catalogo insertus, An. Chr. 1189. Vinc. Bellovacensis *Spec. Hist. lib.* 5. *cap.* 46. *& seqq.* Ciacconius & Genebrardus *in Gregorio VII.* Sammart. *Gall. Christ. tom.* 3. *pag.* 492. *& seqq.* Morer. *Diction. Hist. &c.*

Stephanus, Augustodunensis Episcop. filius fuit Gauserani IX. Domini Baugiac. & Bressiæ. Scripsit de 7. ordin. Eccles. de ceremoniis & canone Missæ, &c. Obiit An. Chr. 1117. Vide Morer. *Diction. Hist.* Item Episc. Coloniensis, magni nominis, seculo 10. Coccius *in Catal.* Item Episcop. Hieropolitanus, scripsit vitam Golanduchi martyris, Evagr. *lib.* 6. *cap.* 19. & Niceph. *lib.* 18. *cap.* 25. A Persis necatus, martyrium subiit, Vide & Theophyl. in hist. Mauritii Imper. *lib.* 5. *cap.* 11. Item Episc. Leodiensis.

Stephanus, 60. annos probatissimus monachus fuit, & Antonio Magno notissimus; de quo Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 1.

Stephanus, historicus ἐν τῷ περὶ Κύπρου citatur ab Etymologo in [illegible]. Fortassis idem est ac *Stephanus* Byzantinus: de quo Vossius *Hist. Græc. lib.* 2. *cap.* 22. Vide *infrà.*

Viri Clari:

Stephanus, Comicus poëta, filius Alexidis. Item Diaconus S. Cæsarii, Episcopi Arelatensis, Barralis *Chron. Lirin.* Item, Presbyter Africanus, ab Amarico Episc. Antissiodorensi rogatus, vitam S. Amatoris prosâ, & S. Germani versu scripsit, Vossius *de Hist. Lat. lib.* 3. *cap.* 3. Item Presbyter Anglus, auctor vitæ Sancti Wilfridæ, cujus epitomen scripsit Guilielmus Malmesbur. Item auctor historiæ inventi S. Maurini Abbatis, circa Ann. Chr. 990. Surius *die* 10. *Jun. &c.*

Stephanus Botskai, vide *Botskai.*

Stephanus Brickingtonus, Benedictinus Anglus, in Monast. Cantuariensi, scripsit de Præsulibus hujus Eccl. & Episc. Eliensibus.

Stephanus Byzantinus, auctor libri de Urbibus & gentibus: cujus epitomen concinnavit Hermolaus Grammatic. Constantinopolitanus, sec. 6. Justiniano Imper. inscriptam, Suid. Vossius *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 22.

Stepanus Cremonensis, scripsit vitam S. Ubaldi, Surius *d.* 16. *Maji.*

Stephanus Doletus, Aurelianensis, plurima præt. seculo Græc. Latineque, res gestas inprimis Francisci I. ab Ann. 1513. usque ad 1539. scripsit, Verderius *Biblioth. Gall. pag.* 278. 279.

Stephanus Durantius, primarius Tolosani Parlamenti Præses, scripsit de ceremoniis Missæ.

Stephanus Edo, Anglus, composuit vitam Regis Eduardi II. Simlerus & Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 65.

Stephanus Hispanus, Monachus Cluniac. scripsit de miraculis S. Rodosindi Historici, Ambros. Morales *Hist. lib.* 6 *cap.* 36.

Stephanus Forcardellus, Legum Tolosæ Professor, varia Gr. Latineque edidit, Verderius *Bibl. pag.* 280.

Stephanus Jodellus, Parisinus, Poëta insignis Gallus, Verderius *Biblioth. pag.* 285. *& seqq.*

Stephanus Juliacus, auctor vitæ S. Coletæ. Surius *die* 6. *Mart.*

Stephanus Leodiensis, Episcop. scripsit vitam S. Lamberti, aliaque, de quibus vide Sigebertum *in Chron. An. C.* 203. Duorum ejusdem nominis Præsulum, ut & Abbatis Leodiensis, meminit Vossius *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 39. *& lib.* 2. *cap.* 48.

Stephanus Lusignanus, Dominicanus, ex Cypri Regum familia, condidit historiam genealogicam Regum Hierosolymæ, Cypri & Armeniæ.

Stephanus Mediolanensis, patriam versu descripsit, Possevinus *Appar. Sacr.*

Stephanus Niger, Cremonensis, docuit diu Mediolani, transtulit Latine Philostrati Heroas, & in dialogo quodam, quidquid de Græcia memoratu digni narrat Pausanias, recenset. Obiit miserè, Petr. Valerianus *de infelic. erudit. lib.* 2.

Stephanus Paschalis, scripsit res Gallicas, plurimaque alia. Item Plutarchi quædam Latio donavit, Verderius *Bibl. pag.* 301.

Stephanus Salazarius, Carthusianus Hispanus, scripsit plurima, quorum catalogum exhibet Petrejus *Bibl. Carthus. pag.* 263.

Stephanus Senensis, Carthusianus, fuit Catharinæ Senensi à secretis, cujus dialogos edidit, cum vita illius, Idem *notis ad Dorland. & in Bibl. Carthus.*

Stephanus Tabouretus, Advocatus Divionensis, scripsit varia, sub nomine *des Accors*, Verderius *Bibl. pag.* 135.

Stephanus Tornacensis, Episc. auctor varior. operum, V. Bibl. PP.

Stephanus Tritheita, cognom. *Gobar*, scripsit opus, memoratum Photio, *Bibl. cod.* 232.

S. Stephanus, ordo Milit. Florentiæ, institutus à Cosmo I. An. C. 1560. in honorem Stephani X. Confirmatus est, à Pio IV. & V. qui iisdem illum privilegiis, quibus Melitensem, ornaverunt. Sedes ejus præcipua Pisæ est: Officium, fervire terrâ marique, ubicunque à M. Duce jussi fuerint. In pompis festisque solennibus utuntur pallio camelino candido, cum limbo purpureo, & cruce ei appictâ. Vide Spondum *An. Chr.* 1554. *num.* 5. Favin. *Theatr. d'honn. & de Chev. &c.*

Stephon, Tanagricæ regionis in Bœotiâ locus. Plutarchus in *Qu. Græcis.*

Stercutius, dictus est Saturnus, quòd primus stercorandi agri rationem invenerit: ex quâ re fortassis regni ejus tempora felicissima fuisse feruntur.

Sterea, vel *Stiria*, vicus Atticus in tribu Pandionide, Stephanus. Unde Στειριεύς.

Stereontium, German. urbs, Ptolem. vulgò *Cassel*, Hassiæ urbs nota. Vide *Cassela.*

Steris, oppid. olim Phocidis mediterr. 60. ab Ambrosso stadiis. Pausan.

Sterlinga, & *Strivelinga*, provincia Scotiæ merid. Habet ad Bor. Mentithiam & Fifam; ad Mer. Glotianam, ad Ort. Laudoniam, ad Occid. Leviniam provv. Ejus primaria est *Strivelinum*, seu *Sterlinga*, ad Fortheam fluv.

Sterlingus, vide *Starlingus.*

Sternebergum, opp. Pomeraniæ, Metel.

Stero, vide *Henricus.*

Sterope, Atlantis filia, una Plejadum, quæ Marti Oenomaum peperit. Hygin. *Fab. Poët. cap.* 15.

Steropes, unus ex Vulcani ministris, à *fulmine* nomen habens. Vide *Brontes.*

Sterpiniacum, villa olim Galliæ publica & fiscalis, in Velioeassibus Normannis, trans Ittam, non procul à Gisortio ac Gamapio: Vulgò *Estrepigni*, aliàs *Estrepagni.* A Dagoberto Rege Monasterio Beati Dionysii data. Est & *Sterpiniacum*, vicus in confinio Parisiorum & Senonum, ad Junnam fluvium, inter Bonnam vicum & Stampas, vulgò *Estrechi*: ab Anselmo & Haimone Mauriniacensi monasterio datus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sterzinga, oppid. Comit. Tirol. ad *Ulca* fluv. ubi dives vena metalli, & cultri ensesque eximii. Metel.

Stesiarus, Molossiæ mons. Vibius Sequ.

Stesichorus, poëta Lyricus ex Himerâ Siciliæ urbe, à quâ Himeræus dictus est, Olymp. 42. Nomen suum obtinuit ab eo, quòd primus cum citharæ cantu chorum conjunxerit, nam vero nomine *Tisias* dicebatur. Hic cùm aliquando acerrimo carmine in Helenam, tanquam belli Trojani facem, esset invectus, à Castore & Polluce luminibus dicitur orbatus, alioque rursus carmine cantatâ palinodiâ visum recepisse. Philostratus *lib.6. cap.4.* Ejus fragmenta solùm quædam supersunt: Cæterùm stylus ejus sublimis, & majestate plenus fuit, ut ex Horatio, Dion. Halicarnasseo & Quintiliano patet. Vide Euseb. *in Chron.* Suid. *in Lex.* Lil. Giraldum, *Hist. Poët.* Fab. *de Poët. Gr.* Horatius:

Stesichoriq; graves camœnæ.

Vide inprimis Quintil. *lib.10.c.1.* Hujus tumulus, *S. Maria di Betlem* hodie, Fazello, locus Siciliæ, apud Catinam urbem.

Stesiclides, Atheniensis, laudatur à Laërtio *in Xenophonte*: ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων καὶ Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ.

Stesilea, mulier admodum eleganti vultu, rarâ pulchritudine, cujus spectabilis forma causa fuit litium inter Aristidem & Themistoclem, qui eam amabant. Plutarch. *in Them.*

Stesimbrotus, ab Epaminonda patre Thebanorum duce interfectus est, quòd contra mandatum patris cum hostibus Lacedæmoniis manum conseruisset, quamvis partâ victoriâ, Plut.

Stesimbrotus, historicus, scripsit res gestas Cimonis ducis Atheniensium, Plut. *in Cim.* Vide Voss. *Hist. Gr. lib.4. cap.7.*

Stetinum, seu *Stettinum*, urbs German. permunita, Pomeraniæ citer. caput, quæ ex vico post Vinetæ excidium in urb. maximam crevit; vulgo *Stetin*, ad Viadrum fluv. sub Suecis, 8. leuc. ab ora maris Baltic. in Merid. 4. à confinio Marchiæ Brandeburg. 9. ab Usedomia in Eur. Ibi aliàs sedes Ducum Pomer. in arce elegantis structuræ. Urbs Hanseatica est. Stetinum olim nactus Otto, Barnimi I. filius *Stetinensem* lineam, sicut frater ejus *Bogislaus IV.* Wolgastensem, orsus, bellum adversus Megapolitanos & Lud. dein Bavarum Elect. Brandeburg. habuit: Pater Barnimi Magni, successoris An. Chr. 1345. qui bello sæpius victor, tandem tamen in casum deficientis prolis, Brandeburgicis successionem addixisse legitur. Ei mortuo An. Chr. 1360. successere filii Bogislaus VII. Casimirus IV. & Suantiborus II. huic An. Chr. 1413. Otto II. & Casimirus VI. Casimiro An. Chr. 1433. Joachimus, in cujus filio Ottone III. extincto ramo An. Chr. 1464. bellum acre inter Brandeburgicos, & agnatos Wolgastenses exarsit: quod his conditionibus compositum est Ann. Chr. 1471. ut *Stettinensem* Ducatum Pomerani à Brandeburgicis in feudum acciperent, servatis insignibus, titulo & quæ occupaverant locis, quæ transactio à Friderico Imper. confirmata est. Pædagogium *Stettini* fundavit Barnimus X. Pius, qui obiit An. Chr. 1573. Rex dein Sueciæ An. Chr. 1630. vim ante *Stettinum* ostentans, à Bogislao totius familiæ ultimò, ut reciperetur, obtinuit: quo sine hærede mortuo, cùm ex antiquo pacto ad Brandeburgicos successio devolveretur, pace Monasteriensi citerior Pomerania, in qua *Stettinum*, Suecis cessit, Marchioni ulterior, cum aliis quibusdam, æquivalentiæ nomine, data est. Vide Phil. Jac. Spencrum *in Fam. Wandalica*, & suprà in voce *Pomerania*.

Stettinum novum, opp. Pomeraniæ ulter. sub Elect. Brandeb. Pessimè habitum bello Germ. à paucis inhabitatur.

Steunos, Phrygiæ antrum. Pausan. *in Achaicis*.

Sthenelus; Actoris filius, unus ex iis, qui Herculem expeditione contra Amazonas sunt comitati; è bello rediens ab unâ Amazonum sagittâ interemtus ac in Paphlagoniæ litore sepultus est. Cùm Argonautæ illac iter facerent, à Proserpinâ impetravit, ut sibi ad heroes illos videndos, exeundi ex inferno copia fieret. Quo apparente & statim evanescente, Mopsus vates Argonautas monuit, ut ad litus applicarent, eique justa solverent.

Sthenelus, Capanei & Evadnes filius, unus ex Græcorum ducibus, qui bello Trojano interfuerunt. Hunc Virgilius *Æneid. 2.* inter eos annumerat, qui lignei equi alvo fuerunt inclusi. Sic enim inquit:

Thisandrus, Sthenelusq; duces & dirus Ulysses.

Hujus elogia habes in Heroicis Philostrati. Illud maximum, invitè illum inclusum in hanc machinam. Verba Philostrati hæc sunt: Καὶ τὸν ἵππον δὲ τὸν κοῖλον παρῃτεῖτο ὁ Σθένελος, ὡς τειχομαχεῖν αὐτὸς εἶναι φάσκων, ἀλλὰ κλοπὴν τῆς μάχης. Horatius 1. *Carm. Od.15.*

Urgent impavidi te Salaminii,
Teucerq; & Sthenelus sciens pugnæ.

Idem *lib.4. Od.9.*

——— *Non pugnavit ingens*
Idomeneus Sthenelusve solus
Dicenda Musis prælia.

Fuit alter ejusdem nominis, quem, in concione Agamemnonis, refert Homerus Persei filium fuisse ex Andromedâ conjuge. Fuit Rex Argivus, vel Mycenarum, successit patri An. M. 2799. Successorem habuit filium Eurystheum, Ann. Mund. 2807. Eusebius *in Chronico*, Pausanias, Apollodorus. Hinc *Sthenelëius*. Ovidius *Epistol. 9.*

Quem non mille feræ, quem non Sthenelëius hostis, &c.

Idem *Metam. 2.*

——— *Proles Sthenelëia Cycnus.*

Sthenelus, Tragicus actor & mimus, eò penuriæ adactus, ut choragium vendiderit. Aristoph. *Crabron.*

Sthenippus, Lacon, mulctatus pecuniis ab Ephoris, fictè ad Tegeates transfugit. Quibus eum recipientibus, quasi justam iræ causam habentem, corrupit, qui Principi eorum adversabantur, Aristocli; iisq; sociis usus inter pompam sacrificare eum volentem aggressus occidit. Polyænus *lib.2.*

Sthenius Jupiter, id est, potens, apud Argivos colebatur.

Sthenobœa, Prœti Corinthiorum, aut, ut alii malunt, Argivorum regis, uxor, filia Jobatæ regis Lyciorum, quę Bellerophontis amore capta, cùm repulsam tulisset, apud virum eum detulit, tanquam vim sibi afferre voluisset.

Sthenocrates, Atheniensis, socius conjurationis, quâ Heraclidem Demetrii præfectum trucidare & Athenas præsidio liberare tentabant; ab Heraclide oppressus & occisus. Polyæn. *lib.5.*

Sthenyo, una ex filiabus Phorci, & belluæ marinæ, Medusæ soror, & Euryales.

Stiboëtes, vide *Zioberis*.

Stilbe, Nympha, Lapitham filium ex Apolline peperit, à quo Lapithæ populi dicti.

Stilbo, is qui Diodorum dialecticum mori coëgit, cùm ei lusorias quæstiones objiceret, Plin. 7. 53.

Stilbon, Mercurii stella dicitur, id est, *radians*, quòd ejus orbis splendeat.

Stilico, Vandalus, Dux copiarum Theodosii M. cujus ex fratre neptem Serenam in matrimonio habuit. Tutor Honorii, quem Pater Occidentis Imperatorem declaraverat, prosperè rem gessit, usu rerum & fortitudine inclytus: Hinc elatior. Gothos in Liguria vicit, An. 402. & Alaricum, qui per An. 30. Thraciam, Græciam & Illyrium vastaverat, in fugam conjecit: interim, cùm illum perdere posset, fœdere cum illo inito, elabi eum permisit. Postea Radagisum superavit, Imperatori Mariam primò, dein Thermaniam, filias suas, elocavit: Tandem Eucherium filium ad Imperium evecturus, clam cum Barbaris amicitiam fovit, Athalaricum modò vicit, modò vincere permisit: Sed perfidiâ detectâ, Honorii jussu occisus est, Ann. 408. Eucherio filio cum Serena strangulato, quam Placidia Imperatoris soror Barbaros Romam invitasse ostendit. Decreto Senatus nomen ejus ubique deletum, statuæque disjectæ sunt. Prosper & Marcellin. *in Chron.* Oros. *lib. 7.* Claudian *de Stilic.*

Stilpa, urbs Siciliæ, Stephan.

Stilpo, Megarensis Philosophus tempore primi Ptolemæi, discipulus Pasiclis Thebani; præfuit scholæ Megarensi, scripsitque dialogos non minus 90. Suidas. Tantâ eloquentiâ & gratiâ fuit, ut omnes Philosophi ad eum certatim confluerent. Megarâ captâ, à Ptolomæo Sotere & Demetrio, magni fuit habitus. Caput Stoicorum. De hoc Cicer. *in lib. de Fato*: *Stilponem Megareum philosophum, acutum sanè hominem, & probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse. Neq; hæc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrinâ, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit.* Vide & Diog. Laërt. *lib.2.* Sen. *epist.9. & de Const. cap.5.*

Stimicon, vel *Stimichon*, pastor quidam apud Virgil. *Eclog.6.*

Jampridem Stimichon laudavit carmina nobis.

Stiphana, lacus in Amasiensium agro piscosus, & variis pascuis abundans. Strabo *lib.12.*

Stiphilus, unus ex Lapithis in convivio à Cœneo interfectus. Ovidius *Metam. 12.*

Quinq; neci Cæneus dederat, Stiphelumq; Bromumq;
Antimachumq; Helimumq; Securiferumq; Pyracmon.

Stipula, unde *Stipulatio*, Isidorus *Orig. lib.5.* *Veteres enim, inquit, quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, eamq; iterum jungentes sponsiones suas agnoscebant.* Aliter Varro & Jurecoss. Interim hodieque in insula maris Hibernici Mannia antiquus mos viget, ubi equorum aliarumq; rerum venditiones traditione stipulę seu culmi ratæ fiunt, Tradd. Fuld. *l.1. Chart.106.* *Hoc sit actum coram testibus subter positis culmo subnixum, &c.* Vide *Culmo subnixa*.

Stirea, vide *Sterea*.

Stiria, Germaniæ provincia, undiq; montibus cincta, hodie *Stirmarch* dicta, olim verò *Valeria*, in honorem Valeriæ Diocletiani filiæ, ut Marcellinus memoriæ prodit; Eam quoque Volaterranus *Japidiam* dictam putat *lib.8. Geogr.* *Stiriam* autem à Tauro dictam esse vix dubium est, cui opinioni subscribit etiam Ægid. Tschudus. Quados aliquando hæc loca tenuisse ex eo emicat, quod Sext. Rufus scribit, sub Julio, Marcomannos & Quados de locis Valeriæ, quæ sunt inter Danubium & Dravum fluv. pulsos esse. Est verò & hæc regio olim Norici Mediterr. & Pannoniæ sup. pars, versus Muram & Dravum, & Illyrici provinciis annumeranda. Germ. quoq; posterius accessit, quanquam Stiriani hodie cultu & sermone Germani sunt, præter Dravi accolas, qui Illyrica utuntur lingua. Terminatur hæc regio, ab Ortu quidem, Hungariâ: à Merid. Carniola Carniaq; ab Occ. dit. Salisburg. & Carinthia: à Sept. Austria, long. habet ab occasu in Ortum mill. Germ. 40. in latit. autem extenditur à Meridie in Sept. ad mill. Germ. 22. cum dimidio. Fuit olim

Marchio-

Marchionatus, ut etiam hodierna demonstrat ejus German. appellatio, *Stirmarch:* postea ab Imp. Frid. Barbarossa, in Duc. mutata, tempore Ottocari Stiriæ postremi Marchionis, ac primi Ducis, Austriis Ducibus accessit, quibus etiamnum patet. Distinguitur autem in *superiorem Stiriam*, ubi Muræ fluvii divertigium; & *Inferiorem*, juxta Dravi & Muræ confluentes, quæ Pannon. secundæ seu Hungariæ proxima est. Refert Vadianus, quòd superiori sec. Viennæ Austriæ constans fama increbuerit, ardere in Stiria cœpisse montem, quo pellectus Maximil. Cæsar Augustus, nuntiis ad inquirendum missis, ita esse, ut ferebatur, compererit: hæc verò accidisse verisimile est, circa An. Chr. 1520. quo tempore Vadianus hæc videtur scripsisse. Est quoque in Stiria incolarum numerus haud exiguus strumis deformis, quæ in aliquib. tantæ reperiuntur magnitudinis, ut loquelam non parum impediant, quas mulieres (ut commodiùs infantes lactent) ad humeros rejiciunt, alioquin pectus seu ubera velaturas lactantibus: earum causam plerique dicunt aquam esse quæ illic potatur. Natal. Metel. Fodinis ferrariis ferè omnibus totius Europæ regionibus præstat. Præterea nullius rei, quæ usui esse homini potest, indiga, vini, frumenti, pecoris, salis abundans. Ei etiam unitus est Comit. Cillejensis. Obtigit regio hæc, cum Carinthia & Carniola, Carolo, filio min. Ferdin. I. fratri Maxim. II. & Ferdinandi, qui Tirolim & anteriores ditiones nactus est. Ita Carolus hic, *Styriæ* seu *Graciensis* lineæ auctor, cùm in Stiria Statibus Religionis exercitium concessisset, illud postea An. Ch. 1580. abrogare conatus est, sed Statuum intercessione consilium mutavit: Obiit An. C. 1590. æt. 50. Pater inter alios Ferdinandi II. Viennensis lineæ Auctoris, postea Imperatoris electi, & Leopoldi, à quo Æniponitana linea initium sumpsit. De Viennensi linea, vide in *Vienna*. Leopoldus, Episc. primùm Argentin. & Passaviensis, dein Claudiæ Medicææ maritus, genuit Claram Isabellam Caroli Mantuæ uxorem, Mariam Leopoldinam, quæ Ferdinando III. nupsit, Ferdinandum Carolum & Sigismundum Franciscum, qui ambo sine prole masculâ decessere: successione ad Leopoldum I. Imper. ex linea Viennensi devolutâ. Ferdinandus Archidux, de quo suprà, Caroli F. à Jesuitis excitatus, suis Augustanæ Confessionis à Patre permissum exercitium ademit: Pastores ac alios dissentientes, Ordinibus privilegia frustra obtendentibus, monstrantibusque, se idcirco patri ejus Carolo vicies centena aureorum cIↃ. mutuò dedisse, accessisseq; ab eo tempore IↃccc. flor. Rhenensium cIↃ. è ditionibus suis expulit. Joh. Hofmanni, nobilissimi Viri tum non solùm arx direpta, sed & templum pulvere nitrato eversum, cadaverumq; ossa disjecta sunt, Græcii quoque corpus Vilhelmi Zimmermanni, qui magni nominis famâ Pastoris ibi munere defunctus fuerat, refossum & in fluvium Muram, urbi vicinum, projectum est. An. Chr. 1598. 1600. Vide Thuan. *lib. Hist.* 124. Lud. Lucium *Hist. Jesuit. lib.* 4. *cap.* 7. *&c.*

Stiriæ Urbes:

Cillejum, *Cilley*.	Marcpurgum, *Marebourg*.
Græcium, *Gratz*.	Pœtovium, *Petavv*.
Judenburgum, *Judenburg*.	Pons ad Muram, *Pruck am Muer*
Rachelsburgum, *Rakelsbourg*.	

Stiris, Phocidis oppidum, Pausan.

Stissum, *Cissa* Polybio, pag. Hisp. citer. in Catalauniâ.

Stivagium, vetus ad flumen Mottam Galliæ Abbatia, vulgò *Estivay*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall. in Megeni Monast.*

Stlupi, Moletio *Ostnobiza*, opp. Liburniæ mediterr. inter Adrotium ad Occ. & Curcum ad Ort.

Stobæus Johannes, antiquus author, scripsit sec. 4. an 5. sententias ex Græcorum thesauris delectas, item Eclogarum libros 2. quorum prior Physicas, posterior Ethicas complectitur. Ex veteribus autem neminem invenio, qui Stobæi mentionem fecerit, nisi quòd in Suidæ Lexico hæc verba leguntur: Ἰωάννης ὁ Στοβαῖος ... Στοβαῖος ... ἐκλογὰς ... Γράφει δὲ ... V. Phot. *Cod.* 167. Gesn. *in proleg. Collect. sent. Stobæi & in Bibl. univ.*

Stobi, Macedoniæ urbs in Pelagoniâ, *Starachino* Nardo.

Stoborrhum, Africæ propriæ promunt. Ptolem.

Stockum, oppid. Episcop. Leodiensis, ad sinistram Mosæ ripam. Metellus.

Stockholmia, vide *Holmia*.

Stœchades, insulæ Gall. Narbon. contra Citharisten promontor. oræ inter Massiliam, & Forum-Julium adjacentes. *Isles des Jeres* plerisque dictæ, Lloydius. *Ligustides* eas vocat Stephanus, quòd cum Massilia Liguriæ olim tributæ, *lib.* 10. *cap.* 2. quas Ptol. & Strabo 5. faciunt, tres memoratu dignas, parvas duas, quas hic non nominat, tantùm à Massiliensibus coli, & portus suos habere ait. Alii 3. *Proten, Mesen* (*quam & Pomponianam*) & *Hypæam*, ut Plin. qui unus & solus de Stœchadibus diligentissimè scripsit. Mella *lib.* 2. *cap. ult.* quidquid insularum est, inter ostium Vari finemve Galliæ atque Massiliam, *Stœchadum* appellatione designat, sic erunt insul. plus minus 40. Sed neminem in partibus Mella habet. A Massiliensibus, Græcis vicinis, qui earum & totius fere oræ maritimæ domini erant, Στοιχάδες ab ordine appellatæ sunt, quòd ex adverso Massiliæ, recto æqualiq; ordine ac distantiâ sint sitæ. Lucianus *lib.* 3. sic de Decimo Bruto prætore classis Cæsaris, per C. Trebonium Legatum Massiliam oppugnante:

Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis
Stœchados arva tenens. ——

Baudrando sunt in ora Provinciæ, contra Olbiam, & inter sinum Sambracitanum ad Ort. & Telonem ad Occ. Tres præcipuæ, Hypæa, *l'Isle du Levant*, seu *du Titan*, magis ad Ort. Mese seu Pomponiana, *Porteros*, & Prote, *Porquerolles*, quæ ad Occid. Eis adjacent duæ aliæ parvæ admodum, nempe Sturium, *Ribaudon* & Phenice *Ribaudas*, in ora, inter promont. Olbiæ ad Bor. & Proten ad Austr. Hadr. Valesius Pomponianam, *la Pomegue* hodiè dici, quo nomine, cùm illa Stœchadum maxima sit, omnes reliquæ aliquando veniant, ut vulgò *les Pomegues* appellentur: & Hypæam *If* nuncupari, in qua arx *le chateau d'If*, aliàs *la tour d'If*, refert: qui idem tres tantùm Plinii Stœchadas propriè dictas agnoscit: quibus decem plus minus insulæ vicinæ sint, in quibus Panaria, ubi vicus cum turre, *Planier: Espobolen, Rieuls*, cultæ singulæ, Callis longus, Callis Saracenus *Calle Sarraine*, Carchedonia *Cassidaine*, à Carthaginensibus, quibuscum Massilienses bellum gessere, dicta, &c. Adeò fertiles autem hæ insulæ sunt, ut, post Rhodum amissam, Equites à Galliæ R. hic commorandi veniam petere sibi proposuerint. Hic *Stœchas* herba copiosè crescit, & circa corallium laudatissimum, quo Galli gladios, scuta & galeas adornasse, testatur Plinius *lib.* 32. *cap.* 2. In Stœchadibus monasterium jam Cassiani tempore, qui An. C. 430. sub Placido & Valentiniano floruit, fuisse legimus. Pars maris Gallici circa Massiliam & insulas has, mare Massiliense, vulgò *mer de Marseille* dicitur. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.* Cassian. *in Coll.* Bouch. *Hist. Provinc.*

Stoflerus Justingensis, celebris Mathematicus, Sebastiani Munsteri Præceptor, Tubingæ docuit, sub initium sec. præt. Christianus Urstisius *Epit. Hist. Basil.*

Stoici, Philosophorum secta, cujus auctor est Zeno Cittieus, Strabo *lib.* 14. Κίτιον ἔχει λιμένα κλειστόν· ἐντεῦθεν ἦν Ζήνων ὁ τῆς Στωικῆς αἱρέσεως ἀρχηγέτης. Stoicis autem nomen à *porticu*, ubi docuit Zeno. Quasi dicas, *porticenses*, vel *porticuarios*. Docuit enim (ut ait Laërtius) ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ τῇ καὶ Πεισιανακτίῳ καλουμένῃ, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τῆς Πολυγνώτου ποικίλῃ. Addit deinde, discipulos ejus, prius quam ἀπὸ τῆς στοᾶς Στωϊκοὶ dicerentur, à magistro Zenone *Zenonios* vocatos: atque ejus rei auctorem laudat Epicurum in Epp. Nec tamen eos primos Στωϊκοὺς vocatos; sed prius hoc nomen possedisse τοὺς διατρίβοντας ἐν αὐτῇ ποιητάς. A στοᾶ verò Στωϊκὸς factum, auctâ vocalis quantitate: quâ reservatâ, etiam Στοαικοὺς olim dixere: ut Comicus ille apud Athenæum *lib.* 12.

Ἀκούσατ' ὦ Στοαικοὶ ἔμποροι λήρου.
Vos Stoici me nugivenduli audite.

Ad Stoicam porticum allusit Tertullianus, cùm *in præscriptione advers. hæreticos* ait: *Nostram institutionem de porticu Solomonis esse.* Ac Apostolorum etiam ætate Stoicos Athenis durasse, vel ex Actis eorum liquet, ubi dicitur eos Athenis Paulo restitisse de Resurrectione docenti. Habuit hæc secta societatem cum Cynicâ & Academicâ. Unde Juvenalis:

—— *Et Stoica dogmata legit,*
A Cynicis tunicis distantia.

Universam autem Stoicorum philosophiam breviter docebit Laërtius *in Zenone*: fusiùs *in moralibus* Enchiridion Epicteti; item Simplicius *in Scholiis*, & eo copiosior Arrianus, qui dissertationes ab Epicteto domi, vel in viâ habitas collegit ac digessit. Adeundus præterea recentior his Barlamus Gyracensis Episcopus, *in Physicis*, ut & Cleomedes *in Meteoris*. In utrisque L. Seneca. Vide & Cicer. *Paradoxa*, ac Plutarchum περὶ Στωικῶν ἐναντιωμάτων, καὶ περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν. E junioribus juvabunt Schoppii *moralia Stoica*, ac imprimis adeunda Lipsii *duplex Stoica manuductio*. Multi ex Nobilissimis Romanorum hanc sectam sequebantur, ut Tubero, Cato, Varro: posteaque Thraseas Pætus, Helvidius Priscus, Rubellius Plautus: etiam hanc amplexus Imper. M. Antoninus, cujus tempore plures erant Stoici, quàm alius sectæ, ut S. Empiricus narrat. Nec mirum, si secta hæc placuerit gravissimis quibusque, cùm nulla magis animum formet ad contemptum rerum humanarum, & patientiam in adversis. Unde Seneca *de Constant. Sap. cap.* 1. *Tantum interesse inter Stoicos & cæteros sapientiam professos, quantum inter viros & fœminas.* Et *epist.* 83. vocat *fortissimam, & sanctissimam sectam.* Et quàm pulchrum illud elogium apud Cicer. 4. *Tusc. Licèt insectemur istos* (Stoicos) *metuo ne soli philosophi sint.* Etiam ex antiquis Theologis plerique à Stoicis profecti sunt. In his Pantænus Alexandrinus Antistes: qui, ut de eo refert Beat. Hieronymus, ad Indorum Brachmanas missus fuit, ut Christum prædicaret, philosophus philosophos faciliùs converteret, Stoicus Brachmanas, qui in multis convenirent. Discipulus ejus Clem. Alexandrinus, qui & ipse passim se Stoicum prodit. Quid mirum? quando ea secta in aliquibus convenit cum religione Christianâ. Hieronymus *in Esaia cap.* 10. *Stoici cum nostro dogmate in plerisque concordant.* Nec tamen cuivis indoli æquè hæc secta conducit: nam eos, quibus natura est fastu turgida, si corrigere non valet, magis etiam inflabit; sin modestum ingenium obtingat, magnis illud passibus ducet ad virtutem. Non hoc diffiteri potuit Plutarchus, etsi Academicus ipse, & aliàs Stoicis satis iniquus. Sic enim scribit *in Cleomene*: Ἔχει τι ὁ Στωϊκὸς λόγος

πρὸς τὰς μεγάλας καὶ ὀξείας φύσεις ἐπισφαλὲς καὶ παράβολον βαθὺ δὲ καὶ πρᾶον κεραννύμενον ἤθει, μάλιστα εἰς τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν ἐπιδίδωσι, Vossius. Hinc *Stoicida*. Juvenal. *Sat.* 2.

Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
Stoicida. —— —— Vide *Zeno.*

Stoidis, insula quæstuosa margaritis, juxta fretum Persicum. Plinius.

Stolhoffa, urbec. munita Sueviæ, ad Rhenum, in Marchion. Badensi, 2. mill. German. ab Hagenoa in Ort. 3. ab Argentorato in Cæc. in limite Ortnaviæ.

Stolpe, opp. Pomeraniæ ulter. Metell. in Wandalia tractus, juris Brandeb. ad Stolpam fluv. 3. leuc. supra ejus ostia in Mer. 7. à Leoburgo in Occ. Colbergam versus 13.

Stolus, urbs Thraciæ, Stephan.

Stoma, palus Troadis circa Scamandri ostia. Strabo.

Stomalimna, mel. *Astromela.* Vide ibi. *Mer de Martegues*, in ora Provinciæ, inter Massiliam ad Ort. & ostia Rhodani in Occ.

Stonia, Ponti Galatici urbs in Cappadocia, Ptolem.

Stenos, opp. Venetiæ infin. Euganeorum, eorum caput, *Stenega* hodie, vicus agri Paravini.

Storion, Dacorum Dux prudentissimus, quem cùm Barbari sæpe incitassent ad bellum gerendum, contra Populum Romanum dissidentem & in studia scissum, nunquam tamen adduci potuit; quoniam fore prospexerat, posse obtingere, ut bello externo ingruente domestica restinguerentur incendia. Cumque illi tamen instarent & præclara de se minarentur, lepidâ ratione repressit: Commisit enim inter se duos, in conspectu eorum, canes: iisque acriter depugnantibus medium immisit lupum: quem canes vilum, omissâ protinus inter se irâ, ut communem hostem alacriter invadentes confecêre.

Stormaria, prov. Holsatiæ, versus German. Terminatur à Sept. Holsatia propr. ab Or. Wagria & Lauenburgensi ditione, ab Occident. & Merid. ditionibus Bremensi & Luneburg. à quibus Albi separatur. Sub Danis. Ejus urbes sunt Gluckstadium, Crempa & Pinneberga, tractus cognom. caput.

Stórna, urbs Indiæ extra Gangem. Ptolem.

Storthynga, vertex Lacinii promunt. Magnæ Græciæ, Lycophr. hodie *Nau*, à Crotone supra 12. m. p. in Merid.

Stotavilla, vulgò *Estouteville*, locus Galliæ Ducatus tit. insignis in Caletis & diœcesi Rotomagensi, non procul à Piscamno. Fortè olim *Stultavilla*, vel *Astutavilla*: Certè multi in Normannia vici à *sottis*, & *folles*, id est, stultis cognominati sunt, ut testatur Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Stousfacherus Wernerus, Suitius, unus ex tribus Helveticæ libertatis triumviris. Hic magnâ apud suos auctoritate, cùm ædes paulo ampliores & elegantiores, quàm pro regionis more, haberet, & à Grislero præfecto Austrio dira minante increpitus esset; mœrorem celare impos, ab uxore, muliere supra sexum prudente & forti, bene sperare jussus est; *Non defuturum Deum, cui omnis vis injusta summopere displiceat, invocantibus se; quærat viros fortes eâdem tyrannide pressos, & cum illis ad patriam liberandam vires consiliaq; jungat.* His verbis erectus, postquam diu secum deliberasset, Uriam profectus, Walterum Furstium adiit, qui ambo Arnoldo Melchtalio in societatem pulcherrimi simul & difficilimi agonis ascito, in loco ad Uriensem lacum, *in Grütli* dicto, fœderis Helvetii fundamenta prima jecerunt, An. Chr. 1307. Quibus dein alii, inter quos Wilhelmus Tellus præcipuus, accedentes, Kalendis Januarii anni sequentis, in omnibus tribus Pagis arces dejecerunt, redditâ Patriæ libertate, Simlerus *de Rep. Helvet.*

Celeusma Uxoris ad maritum.
Fide Deo, cui nulla potest placuisse tyrannis,
Atq; opibus patriam consiliisq; juva.

Stovinus, Ligurum opp. Stephan.

Stoza, post eversum in Africa Vandalorum regnum, à militibus Rex electus, sed à Justiniano Imp. mox oppressus est, An. C. 534.

Strabo, Cnosso quidem Cretæ civitate oriundus, ut *lib.* 10. ipse refert, sed natus Amasiæ civitate Ponti, ut ipsemet de se profitetur *lib.* 12. Philosophus fuit Stoicus, quanquam & Philosophiam Peripateticam Xenarchi discip. attigit. Geographus præstantissimus fuit, cujus 17. Geographiæ libri, quos Tiberio Cæsari rerum potiente conscripsit, ut ex *libb.* 4. & 13. colligere est, etiamnum hodie extant. Scripsit & alios, ac inter eos, Commentarios historicos utiles ad moralem ac civilem philosophiam, ut ipse testatur *lib.* 1. sed ad nos non pervenerunt. Obiit circa An. 12. imperii Tiberii, extremæ senectutis, cùm *lib.* 2. Cornel. Gallum, Ægypti Præfectum, amicum suum fuisse dicat. Vide Voss. *de Hist. Gr. p.* 185. *lib.* 2. *c.* 6.

Strabo, vide *Walafridus Strabo.*

Stragona, German. urbs, Ptolem. *Posnavia* in Poloniæ regno, teste P. Apiano.

Stralenum, oppid. munitum Geldriæ super. medium inter Geldriam urb. ad Ort. & Venloam, ad Africum. Sub Hisp.

Stralesunda, urbs Pomer. citer. frustra tentata ab Erico VII. Danorum R. An. C. 1317. & Duce Fridlandiæ, An. 1629. V. *Sundis.*

Stramba, urbs Thraciæ, Stephan.

Stramiacum, locus Galliæ in agro Lugdunensi, non longè ab Antone, & Rhodano 5. à Lugduno leuc. vulgò *Cremieu.* Hic Ludovicus Imper. conventum habuit cum Pippino & Ludovico filiis, An. Chr. 836. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Strangfordia, opp. Comit. Dunensis, in Ultonia, cum portu peramplo adjacente, 5. m. p. à Duno in Cæc. 16. à Dromora in Ort.

Strapellini, Apuliæ pop. Plin.

Strasburgum, urbec. Prussiæ reg. ad Dribentium amnem, in limite Mazoviæ. Etiam *Brodnitz* Polon. 6. mill. Germ. à Torunio in Ort. Pluries capta & recepta. Hic obiit An. 1625. Anna Sigismundi III. Reg. soror. Gustavus verò Adolphus Suecorum R. Polonos profligavit, An. Chr. 1626.

Strata, locus Galliæ, ad ripam Angeris, vulgò *Estrée*, Abbatiâ *Stradensi* nobilis: Hic S. Gengulphi corpus cubat, à Carolo Calvo Mainardo Abbati permissum. Vide Hadr. Valesium in voce *Cella Sancti Genulfi.*

Strataburgum, quasi viæ militaris oppidum, dici cœpit Argentoratum, circa ætatem Gregorii Turon. qui *Histor. Fr. lib.* 10. *cap.* 19. *Ad Argentoratensem urbem*, inquit, *quam nunc Strateburgum*, (potius *Strataburgum*) *vocant, deductus*, &c. Ibi enim, præter duas alias vias publicas sive militares, tres erant celeberrimæ, una per Alpes Grajas Mediolanum ducens: altera Lugdunum Batavorum: tertia Augustam Trevirorum. Hinc urbi nomen, ut videtur, quam proin, præter cæteros Eutropius *in Aureliano*, vocat *Stratam*, Gallis *L'estrade*, & *L'estrée.* Secundum, inter provinciæ Germaniæ primæ civitates quatuor, locum obtinet. Vulgò *Strasburg* Germ. *Strasbourg* Gallice. Aliter *Argentoratum*, melius quàm *Argentina*, vide ibi. *Sub dispositione viri Spectabilis Comitis Argentoratensis, tractus Argentoratensis*, fuit stante nomine Imperioque Roman. Fuere & *sub dispositione viri illustris Magistri Officiorum, fabricæ in Galliis octo*, & inter eas prima fabrica Argentoratensis armorum omnium, id est, spatharum, scutorum, loricarum, sagittarum, ballistarum & clibanorum vel cataphractarum, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Stratarchas, Dorylai filius, frater Lagetæ Strabonis avi, dux Cretensium, quem Strabo se vidisse asserit, *lib.* 10.

Strategis, vide *Electra.*

Strathernia, seu *Convallis ad Ernum*, provincia Scotiæ merid. seu Cis Taanæ, inter Albaniam & Atholiam provincias ad Bor. Perthiam ad Ort. & Menthitiam ad Occ. & Mer. Ejus caput Abernethæa, ad Tavum fluv.

Strathnavernia, provinc. Scotiæ, totius regni extrema ad Bor. Cornabiorum olim sedes. Habet à Septentr. & Occid. Oceanum Deucaledon. ab Ortu Cathanesiam, à Merid. Sutherlandiam & Rossiam. Sylvosa & vasta, montibus quàm vicis ditior. Dividitur in 5. regiunc. *Halloundail, Strath-Navern, Kunthail, West Moan*, & *Durenisch.* Ejus oppidula præc. *Inner Navern, Balna, Strathy*, & *Durenis*, &c. Dicitur qu. *Vallis ad Naveram*, teste Timoth. Pont.

Stratia, urbs Arcadica, à Phanæi filiâ nominata, Steph.

Stratippus, filius Niciæ, Atheniensium ducis.

Stratis, Poëta Tragicus, cujus Drama Ἀτάλαντος laudant Scholia *in Aristophan. Ranas Act.* 1. *Sc.* 2. Iterum *Sc.* 6.

Stratium, urbs Acarnaniæ, Steph.

Stratius, Jovis cognom. qui apud Caras colebatur, Herod. *lib.* 5.

Stratius, unus ex Nestoris filiis.

Strato, Aradi insulæ, maritimæ circùm oræ & plerorumq; etiam à mari recedentium Rex, ab Alexandro Magno in fidem acceptus. Curt. *lib.* 4. *cap.* 2.

Strato, Sidonis Rex, Darii cliens: quia deditionem non suâ sponte fecit, Alexandro summotus. Curt. *lib.* 4. *cap.* 5.

Strato, Sidonis regulus, qui (ut Hieronymus scribit) manu propriâ se volens confodere, ne imminentibus Persis ludibrio foret, quorum fœdus Ægypti regis societate neglexerat, retrahebatur formidine, & gladium, quem arripuerat, circumspiciens, hostium pavidus exspectabat adventum. Quem jamjamque capiendum uxor intelligens, extorsit acinacem de manu, & latus ejus trasverberavit compositoque ex more cadaveri se moriens superjecit, ne post virginalia fœdera alterius coitum sustineret. Ælianus quoque *in variâ historiâ*, Stratonem Sidonium quendam scribit in conviviis valdè delicatum, amicissimum Neoclis Cypri regis pari luxuriâ certantis, fuisse.

Strato, Lampsacenus, Physicus dictus, fil. Arcesilai, discip. Theophrasti Peripat. Præceptor Ptolomæi Philadelphi: Successit Theophrasto, Olymp. 123. docuitque An. 18. Scripsit de Regno, Justitia, Bono, &c. Diogen. Laërt. *lib.* 5. Item, Medicus, discip. Erasistrati. Item, auctor Historiæ Philippi & Persei. Item, Geographus, Suid. Item, Epigrammatum auctor. Item, Comicus poëta. Item, Medicus, Aristot. Item, Philosophus Peripateticus. Diogen. Laërt. *in Stratone, lib.* 5. Voss. *de Hist. Græc. lib.* 1. *cap.* 20.

Stratocles, Atheniensium Dux, Philippo Macedoni oppositus, quem dum astutè servatis ordinibus recedentem avidius persequitur & intra Macedoniam inclusurum esse se jactat, ab illo ingenti prælio victus est, ad Chæroneam, Polyæn. *lib.* 4.

Stratoclia, Asiæ urbs ad Bosporum Cimmerium, Plin.

Straton, Adolescens Athenis mollitie infamis, quem mento levem & semimarem traducit Comicus, *Equit.* 5. Vide Scholia.

Straton, antiquus Comicus, cujus Cinesiam laudant Schol. *in Aristophan. Aves.*

Stratones, octo fuerunt. Primus Isocratis auditor. Secundus

Lam-

Lampsacenus philosophus, Theophrasti familiaris & successor, qui vocatus est Physicus, & Præceptor fuit Ptolem. Philadelphi, scripsitque multos libros. Tertius, Medicus, qui Erasistratum audivit. Quartus, Historicus, quem tempore Ptolemæi Philometoris, & Persei ultimi Macedoniæ regis vixisse putat Vossius, eò quòd illud potissimum bellum tractandum susceperit, quod Romani cum Perseo, & patre ejus Philippo gesserunt. Quintus quis sit, apud Diogenem desideratur. Omninò aliquid deest. Sextus est poeta, epigrammatum scriptor. Septimus, Medicus antiquus, etiam memoratus Aristoteli, sive Aristocli, prout legit Laërtii interpres. Octavus vocatur Περιπατητικὸς βεβιωκὼς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, quem opus historicum de rebus inventis reliquisse scribit Clemens *lib.* 1. *Strom.* Videmus interim, non meminisse Laërtium Stratonis Geographi, quem sub Tiberio vixisse ait Suidas. Sed fortasse is erat quintus, qui nunc desideratur. Mirum verò, quòd & Strato iste Amasenus fuisse dicatur. Nam Amasenus quoque erat Strabo, & Geographus quoque fuit, ac sub Tiberio vixit. Quare vel Suidas, vel librarius, Strabonem, Stratonemque confudisse videtur. Sanè hoc verisimilius sit, quàm, quod somniabat Franciscus Patricius, nobilem illum Geographum, quem veteres omnes *Strabonem* vocant, *Stratonem* dici oportere.

Stratonica, Macedoniæ civitas in orâ ad Ort. ad sinum Singiticum. Ptol. A *Stratonice* Antiochi uxore dicta. *Franco castro*: Fuit in Chalcidica prov. ad radices Atho, in ora Bor. Sinus Singitici, 30. m. p. à Nymphæo prom. in Occ. 20. ab Acantho in Ort. Sophiano. Item *Stratonica*, seu *Stratonicia* Strab. urbs Cariæ Alàbandis finitima, sed hodie jacet. Alia item erat in Lydiâ, & ipsa extincta.

Stratonice, Ariarathis Cappadocum regis filia, uxor Eumenis Pergami regis, cui Attalum peperit, qui illi in regno successit. Strabo *lib.* 13.

Stratonice, filia Demetrii Poliorcetæ & Phyllæ, uxor Seleuci.

Stratonicea, urbs Macedoniæ prope Cariam. Condita est autem ab Adriano, & *Adrianopolis* dicta. Est & aliud opidulum juxta Taurum. Steph.

Stratonicus, citharœdus, qui habuit in ludo 9. Musarum imagunculas, & Apollinis unam, discipulos duos. Propterea interroganti cuidam, quot haberet discipulos, cum Diis, inquit, duodecim. *Fuit & Stratonicus* Philippi Macedonum regis, & Alexandri deinde filii Quæstor, homo dicissimus, ex quo illius nomen in proverbium abiit; sicut Crassus apud Latinos, uti Diodor. Sic. & Ælianus prodiderunt. Plautus *in Rudente*: *Post animi causâ mihi navem faciam, atq; imitabor Stratonicum, Opida circumvectabor.*

Stratonis Insula in sinu Arabico. Plin. Strabo.

Stratonis Turris, Vid. *Cæsarea Palæstina.*

Stratores, dicti milites, qui castra præibant, ut loca accommodatiora ad traducendum exercitum facerent: de quo Vegetius *l.* 2. Hoc etiam verbo usus est Otto Pont. Spigel. *in illud Ligurin. lib.* 2.

Strator erat de plebe quidam, neq; nomine multum
Vulgato modica in castris mercede merebat.

Vid. Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Stratos; urbs Acarnaniæ, Strabo. in ipso limite Ætoliæ, 17. m. p. ab ora maris Jonii in Cæc. 30. à Sinu Ambracio in Eur. Baudr. Liv. *lib.* 43. Ætolis tribuit: *Stratos*, ait, *validissima tum urbs Ætoliæ erat. Sita est super Ambracium sinum, prope amnem Acheloum.*

Strattis, Olynthius, Historicus Græcus, Alexandri M. in militiâ comes. Diarium, de rebus hujus, libb. 5. scripsit: Item de ejus morte, de fluviis, lacubus & fontibus. Suidas.

Straubinga, Bavariæ op. ad Danubium, cum ponte 6. mill. Germ. infra Ratisbonam in Ort. Passàvium versus 11. Aliàs *Serviodurum*, ut quidam volunt.

Strehamum, opp. Normanniæ, ad ostia Olinæ fl. in littore maris Brit. 4. *leuc.* infra Cadomum in Cæc. *Estreham.*

Strena, urbs Cretica. Steph.

Strengnesia, urbs Sudermanniæ, Ep. sub Ar. Upsalensi. Clara Caroli IX. tumulo, in ora Meleri lacus, 8. leuc. Suec. ab Holmia in Occ. Torsiliam versus 3.

Strensunda, Vid. *Hunonia.*

Strenua, Dea, quæ & *Strenia* dici videtur Varroni. D. Augustinus à *strenuè* faciendo denominatam ait. Lil. Gyraldus *Synt.* 1. *lib. Hist. Deorum.*

Strepsa, urbs Macedoniæ. Steph.

Strevelinum seu *Sterlinga*, Vid. ibi. Urbs in limite Menthitiæ; 31. mill. Scot. ab Edimburgo in Occ. 3. à Dumblano in Mer. Ibi sæpe Comitia regni celebrantur.

Strevinta, Germ. op. Ptol.

Stricti Fontes; castrum Galliæ; 3. leuc. ab urbe Tolosa, vulgò *Castel-nau de Stretefons*, à strictis, i. oris angusti fontibus cognominatum. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Stridon, urbs Pannoniæ sup. in Illyrici confin. sive è contrà. S. Hieronymi solum natale, intra Petram Pilosam, Portulam & Primentum, Blondus. à Gothis versum. Hier. *Sdrigna*, seu *Sdrin*; teste Blondo cum al. op. & Comitatus. Fortè *Sidrona* Ptolem. Aliis fuit ad Muram fluv. in Stiria hodie, 15. m. p. infra Rakelspurgum in Eur. versus confluentes Muræ in Dravum totidem; prope opp. Limbacum infer.

Strigonium, Hungariæ urbs ad Danubium, ubi Granum recipit, 6. m. Germ. ab Alba Reg. uti à Buda, Comatam versus 6. *Æquincum* ol. quibusdam. A Turcis capta Ann. 1543. recepta à Rodolpho II. nunc iterum sub Turcis. *Gran* Lazio.

Strigulia, hodie *Chepstovv*, teste Lelando, op. Albionis in Walliâ contra Bristolium, inter Glocestriam ad Ort. & Landavam ad Occ. ad 20. m. p. ab Herefordiâ totidem in Aust. in Monumethiæ Com. ad Confluentes Vagæ in Sabrinam; 18. m. p. à Bristolio in Bor. Monumethiam versus 10. Baudr.

Strobus, urbs Macedoniæ, Romanorum structura. Steph.

Stroë, urbs Libyæ. Steph.

Strœbus, Byzantis frater. Vide Steph. in *Gynæcopolis.*

Strogola, urbs Lydiæ. Steph.

Stroma, una Orcadum, 2. mill. à Cathanesia prov. cujus nunc pars est, in Pictico Freto. Parva.

Strongoli, Vide *Pergola.*

Strongyle, inf. maris Tyrrheni, non procul à Siciliâ, una Æolidum, ignivoma, 30. mill. à Lipara in Cæc. 40. ab Amantea opp. Calabriæ citer. Hujus incolæ triduo antè ex fumo prædicere solebant, quinam flaturi essent venti; unde factus est locus fabulæ, ut Æolus, qui in hac inf. regnabat, ventorum rex crederetur. Plin. 3. 9. *Tertia Strongyle in quâ regnavit Æolus.* Servianum fragmentum: *Æolus Lipari filiam Cyaneam in matrimonium sumpsit, & Strongulam insulam, in quâ maneret, accepit.* *Stromboli* Leandro dicitur. A rotunditate sic dicta fuit; nam Græci rotundum Στρογγύλον vocant. Cornel. Severus *in Ætna*:

Insula, cui nomen facies dedit ipsa rotunda.

Silius Ital. *lib.* 14.

Mille Agathyrna dedit, perflataq; Strongylos Austris.

Item inf. maris Ægæi, una Cycladum, quæ notiore nomine *Naxos* appellatur. Cum opp. cognom. quod nunc *Pergola*, in saxo; ubi rudera templi Baccho olim sacri. Item Inf. Cretæ, ante Lygdum opp. Naxi; Sollio; & Insula parva Lyciæ, Plin. Item, urbs magnæ Græciæ, in orâ, inter Crotonam ad Austr. 16. & Chrimissam ad Arctos 8. m. p. olim Macalla, nunc *Strongoli.*

Strongylum, castrum suburbii urbis Constantinopolitanæ, ubi Constantinus Copronymus Iconomach. miserè obiit, teste Glycâ.

Strongylus, mons Carmaniæ, *Tochisandan* Castaldo.

Strophades, Inf. 2. in mari Ionio ad Occidentale latus Peloponnesi, quæ & Plotæ. Apollonius *lib.* 2.

Οἱ δ᾽ ὑποείξαντες ὑπέστρεφον αὖψ ἐπὶ νῆα
Σεύοντο, Στροφάδας δὲ μετακλείουσ᾽ ἄνθρωποι
Νήσους τοῖο γ᾽ ἕκητι, πάρος Πλωτὰς καλέοντες.

Sic dictæ sunt ἀπὸ τῆς στροφῆς, i. h. e. *à conversione* Calais & Zethæ, qui ad has usque insulas Harpyias persecuti, inde retrorsum se converterunt. Virgil. *Æn.* 3.

—— *Strophades Graio stant nomine dictæ*
Insulæ Jonio in magno, quas dira Celæno,
Harpyiæq; colunt aliæ.

Ovid. *Met.* 13.

Sævit hyems, jactatq; viros, Strophadumq; receptos
Portubus infidis. —— ——

Strophius, rex Phocidis, pater Pyladis, cujus beneficio Orestes matris suæ crudelitati est ereptus, & unà cum Pylade ejus filio liberalissimè educatus. Vide *Pylades.*

Strude, paludis nomen circa Drinum fluvium, in Macedonia; Callistus.

Strum, vulgò *Estrun*, monasterium virginum Benedictinarum; in agro Atrebatico: cum castello, à Ludovico R. contra Nortmannos extructo; An. Ch. 881.

Struthas, Artaxerxis dux, contra Lacedæmonios, constitutus; qui, occiso Thimbrone, Spartanorum plurimos interfecit aut cepit; Olymp. 97. anno tertio.

Struthia; urbs Phrygiæ in finibus Lycaoniæ. Steph.

Struthophagi, pop. Æthiopiæ sub Ægypto, passeribus vescentes. Strab. Ptol.

Struthuntum, prom. Argiæ. Pausan.

Strybia, insula Sporadum. Steph.

Stryme; inf. maris Ægæi, apud Thason insulam. Stephanus urbem Thraciæ eam facit.

Strymodorus, Civis Atheniensis, cujus mem. Aristoph. *Acharn. Act.* 2. *Sc.* 1. è tribu Conthyle, *V. & Vespas* ejus.

Strymon, *Conozus* ante, teste Plut. fluv. Maced. ex Orbelo monte manans, inque Ægæum mare influens; sinum *Strymonicum* denominat; qui hodie *Golfo di Contessa*; ab opp. cognom. adjacente; inter Athon est ad Austr. & limites Thraciæ ac Macedoniæ ad Bor. vel ex Scomio monte per Græos & Læos, teste Thucyd. fluens. *Stromona* Sophiano, *Rendini* aliis; *Radini* Nardo, *Marmora* Bellonio; *Iscar* Lazio; sed hic Mysiæ, non Macedoniæ fluvius est. Hinc *Strymonius*; ut *Strymonia grues*, de quibus Virg. *Æn. Georg.* 1.

—— *Improbus anser*
Strymoniæq; grues, & amaris intyba fibris
Officiunt, aut umbra nocet.

Ubi indicat grues venire ad Italos ab Strymone fluvio. Consentit Papinius 4. *Sylv.* vocans *gruem hybernam*, & statuens illam in Rhodo-

Rhodope. Ideo Nonnus *lib.* 14. appellans grues Thracias, *Θρηϊκίους γεράνους*, istam attingit migrationem. Herodotus autem *lib.* 2. ait, illas ex Scythiâ ire in Ægyptum. Id ipsum indicat Aristor. *lib.* 8. *Hist. An. cap.* 18. Seneca Tragœdus *in Oedipo* ab Thraciâ in Ægyptum, Oppianus *lib.* 1. *Halieut.* ab Ægypto & Æthiopibus ad loca alia. Virgil. *Æn.* 10.

— *Quales sub nubibus atris*
Strymoniæ dant signa grues, atq; æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntq; Notos clamore secundo.

Lucanus *lib.* 5.

Strymona sic gelidum, brumâ pellente, relinquunt,
Potura te, Nile, grues, primoq; volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas,
Confusos temerè immista glomerantur in orbes,
Et turbata petit dispersis litera pennis.

Statius *lib.* 7. *Theb.*

— *Qualis cùm pallida cedit,*
Bruma renidentem deducunt Strymona cycni.

Claudianus *de bello Gildonico:*

Pendula ceu parvis motura bella Colonis
Ingenti clamore grues æstiva relinquunt
Thracia, cùm tepido permutant Strymona Nilo.

Apud hunc fluv. sedit Orpheus post amissam Eurydicem. Virgil. *Georg.* 4.

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aeriâ deserti ad Strymonis undam
Flevisse, & gelidis hæc evolvisse sub antris,
Mulcentem tigres & agentem carmine quercus.

Papinius *Sylv.* 5.

— *Qualis conspectâ conjuge segnis*
Odrysius vates, positis ad Strymona plectris
Obstupuit, tristemq; rogum sine carmine flevit.

Καλλιδίφυρον ποταμὸν vocat Euripides *in Rheso.*

Stuba, hypocaustum, locus ad sudandum. A Germ. *Stube*, Gall. *Estufe*, vel *Estuve*, Ital. *Stufa*. Omnia à verbo *to stue*, i. leniter coquere, sudare, calefacere; unde Angl. *a Stue*, vel *hothouse*. Vox in usu Dithmari ævo, quod Lipsius notat *in Tacit. Germ.* Hinc etiam *Stues*, Gall. *Estuves*, dicta Lupanaria sunt: cujusmodi sita olim in Australi Tamesis ripa, Henricus VIII. Ann. Ch. 1546. solenni edicto in perpetuum profligavit, voce præconis & tubâ præcinente. Etiam *a Stue* Angli vivarium dicunt, ad conservandos pisces, Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Stucia, hodie *Istuyth*, vel *Y-stuvith*, teste Camdeno, fluv. Albionis in Wallia mer. inter Bangorium urb. & Cardiganiam op. in Oceanum Hybernicum apud Aber *Y-stuvith* op. decurrens. Baudrando est in Cardigania com. & cadit in mare Hibern. 28. m. p. à Cardigano in Cæc. 55. à Bangorio in Mer.

Stuckius Johannes Guilielmus, è familia virorum doctorum feracissima, Theologus Tigurinus celebris: doctissimis scriptiis immortale nomen meritus, præt. seculo.

Studius, Consul, an. U. C. 1206. Auctor cœnobii Monachorum insomnium, qui *Studitæ* dicti, circa An. C. 459. Lætus *Comp. Histor. Univ.*

Stugardia, urbs Duc. Wirtembergici, Ducum sedes, cum castro splendido, prope Nicrum fluv. 1. mill. Germ. Eslingâ in Occ. 4. à Tubinga in Bor. Extructa à Wandalis, & restaurata à Johanne I. Elect. Brandeb. & Othone III. Mercat. Metel. Baudr. *Stutgardiana* lineæ auctor Ulricus fuit, filius Eberhardi Ducis Ann. 1397. ad Nicopolim, prælio contra Turcas occisi. Pater is Eberhardi fuit & Henrici, qui posterior mortuus Uraci An. Ch. 1519. reliquit Ulricum Ducalis primæ, & Georgium Montispelicardensis vel Ducalis secundæ, linearum auctores. Georgius hic mortuus Ann. C. 1558. filium habuit Fridericum, patrem 5. filiorum, è quibus Joh. Fridericus iterum lineam Stutgardiam orsus est, è qua hodierni Duces Wirtembergici: Joh. Ludovicus Monpelicardensem inchoavit, Julius verò Fridericus Apennagiatæ seu Julianæ aut Brentianæ familiæ auctor fuit. De quibus V. accurratè differen. tem Philippum Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Stuinus, urbs Ligurum. Steph.

Stulpini, Liburniæ gens. Plin.

Stumpfius Johannes, Tigurinus, auctor Chronici Helvet. floruit sec. præt.

Stumpfius Johannes Rodolfus, Tigurinæ Eccl. Episcopus, Obiit, An. Ch. 1592. æt. 61. Bucholcerus *Ind. Chronol.*

Stumpium, Thraciæ urbs videtur apud Nicetam, *Stypium* Cedreno.

Stupanus Antonius, Rhætus, auxit Dispensatorium medicamentorum compositorum Nicolai, Lugduni An. Ch. 1543. Obiit peste Basileæ An. 1551.

Stupanus Joh. Nicolaus, Pontrasino-Rhætus, fil. Nicolai, natus est An. C. 1542. Ætatis anno 15. Basileam delatus, eo successu studiis, Medico inprimis, ibi incubuit, ut An. Ch. 1569. à celeberrimo Medico Theodoro Zuingero Doctoræ axioma magno cum plausu impetraret. Post quæ Logicæ primò Professio in Academia Basil. illi concredita est, quâ per quadriennium defunctus, Joh. Hospiniano Organi Professori successit, An. C. 1575. tandem in cathedra Medica præfato Zuingero surrogatus, An. C. 1589. Scripsit quàm plurima, inter quæ eminent *Medicina Theorica*, edita Basileæ in octav. An. C. 1614. Cœterum ex Italico idiomate latinè ab ipso versa; *Alex. Piccolominei, de Sphæra libb.* 4. *Ejusdem Compend. de Stellis fixis:* ut &, *liber de magnitudine terræ & aquæ, Pandulphi Collenutii Histor. Neap. libb.* 6. *Joh. Petri Contareni Veneti Histor. de bello Venetis à Selimo II. illato. Nicolai Machiavelli de Principe, unà cum scriptu contra Auctorem. Ejusdem Discursus de Rep. Dialogi* 10. *Historici. Liber de Holometri fabrica & usu, &c.* Idem revidit & diligentissimè castigavit, *opus Mathem. Petri Pitati Veronensis, Tridentinis Concilii patribus exhibitum, de vera Solaris atq; Lunaris anni quantitate, aliisq; rebus ad Calendarii Rom. emendationem pertinentibus. &c.* Habetur quoque ejus *Oratio de vita & obitu Cœlii Sec. Curionis*, Basileæ An. Ch. 1570. Obiit An. Ch. 1621. ætatis ferè 80. Pater Emanuelis.

Stupanus Emanuel, prioris filius, Medicus Basiliensis itidem celeberrimus. Natus is An. Ch. 1587. Philosophiam domi primùm, dein Genevæ sub Colladone & Casp. Lautenio excoluit: Postea Medicinæ se totum dedit, eo quidem successu, ut post visitatas celebriores Germaniæ, Galliæ, Italiæ Academias, à Petro Ryffio Medicus Doctor, summa cum laude renuntiaretur, An. Ch. 1613. successit dein Patri in statione Medica, An. C. 1620. postquam vicariam ei operam per complures annos exhibuisset. Ejus extant, *Aphorismorum Hippocr. enarratio & comment. Lexicon Medicum Græco-Latinum à Barthol. Castello Messanense inchoatum, ab ipso verò illustratum & consummatum. Oratio in obitum Caspari Bauhini &c.* Idem edidit *Institutiones Medic. Leonhardi Fuchsii, correctiores & auctiores: Systema Johannis Riolani sen. cum Indice gemino annexo: Ejusdem morborum curandorum rationem &c.* Obiit An. Ch. 1664. æt. 76.

Stura, fluv. geminus Gall. Subalp. unus ex Alpibus Cottiis per Marchiam Salucensem fluens, ac apud Clarascum op. Tanaro fl. congrediens, maximæ claritatis: alter fines Taurinorum in Padum labens, vix 3. m. p. infra Augustam Taurinorum.

Stura, insulæ in Gall. Oceano, inter Helium & Flevum. Plin.

Sturii, *Staveren*, pop. & urbs Frisiæ occid. in Batavorum confin. Vide *Stavera.*

Sturium, ins. Gall. Narbon. una Stœchadum, *Ribaudo* Pineto. Valesio potius una est ex Insulis Areensibus (*les Isles d'Hiers*) sic dictis, quòd Areis, portui Provinciæ, objaceant: quæ quibusdam Insulæ *Aureæ*, *les Isles d'Or*, à colore soli quoque appellantur, nunc Marchiæ tit. illustres. Sunt autem harum tres, *Sturium*, Phœnice & Phila, sitæ inter Stœchadas, & Leronem ac Lerinam Ins. magnitudine supra reliquas Galliæ. Harum prima, culta quidem ac vico infessa, sed duabus reliquis minus spatiosa est: dicta Porcariola, Gallis *Porquerolles*, vel Ribadio, Liguribus Tuscisque. Secunda, *Porto Crozo*, Gall. *Port-Cros*, q. portus profundus; Item Cava vel Cavia *la Cavi*: Tertia eaque cœteris multo latior & longior, montosa & sylvestris, nunc *Bononio*, nunc *Bonomo* Ital. Gallis *l'Isle Bonhomme*; item Insula Titanis *l'Isle du Titan*, vel *del Titon* nuncupatur. Sunt autem duæ posteriores incultæ ac desertæ. Circum tres has Areensium insulas jacent aliquot aliæ, Ripaldinum *Ribaudin*, contra Telonem & Ripaldanum *Ribaudan*, priore major insula: ambæ litoreæ hincque dictæ. Inter Ripaldanum & Porcariolam sunt tres minima insulæ Modi *les Modes*: circa Portum Crosum hinc & inde duæ, Bononio Pergantionem spectanti proxima est nefis obscura, & supra Bononium, non procul à litore Formica *Formigue*. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Sturmius Johannes, Argentinæ, magna cum prudentiæ & eruditionis laude, Scholam olim moderatus, cùm Eloquentiam doctissimis scriptis illustrasset, Obiit An. C. 1589. æt. 82. Ei successit Melchior Junius. Lætus *Compendio Hist. Univ.*

Sturni, gens in Sarm. Europæâ. Ptol.

Sturnini, Calabriæ pop. Plin.

Styella, Megaridis castellum in Sicilia. Steph.

Styllagium, urbs Triphyliæ. Steph.

Stymbara, civitas quondam Græciæ, non procul à Tripoli in terra Jonica. Strab. *lib.* 7. Baudrando Deuriopum urbs in Macedonia, fortè *Stubera* Livii.

Stympha, mons ex quo Arachthus fl. Epiri profluit. Strabo.

Stymphalia, *Stymphalis* Livio, reg. Macedoniæ, Estiotidi finitima. Ptol.

Stymphalus, mons Peloponnesi altissimus in Arcadiâ, *M. Poglisi*, teste Nigro. Statius 4. *Sylv. Carm.* 6.

— — *Quamvis nivalem*
Stymphalon, quamvisq; jugis Erymanthon aquosis
Terrueris.

Idem in *Theb.*

Monstriferumq; Erymanthon, & ærisonum Stymphalon.

Urbs verò quæ & *Stymphalum* Plinio, *Vulsi* Nigro, seu *Longanica* Nigro, ad montis prædicti radices fuit, Tegeæ proxima. Est & *Stymphalus*, vel *Stymphalis* lacus, & fluv. qui per agrum Argivorum ex eodem monte fluens, mutato nomine *Erasinus* dicitur, teste Pausaniâ. Ab hoc lacu *Stymphalides* aves appellatæ sunt, quæ tantæ magnitudinis fuisse dicuntur, ut Solis radios obumbrarent, omnemque

omnemque Arcadiam devastarent, donec ab Hercule æneі crepiculi sonitu pellerentur. Lucret. *lib.*5.

—— *Uncisq; timenda*
Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes.

Placet verò in hoc Mnaseæ sententia, quòd non aves, sed homines fuisse arbitretur. Videntur autem prædones fuisse, ac uncos habuisse ungues, ob rapinas quas exercebant. Planè verò errat Nat. Comes, qui *Stymphalidas* & *Harpyjas* pro iisdem habet: clarè enim distinguit Petronius,

Tales Herculeâ Stymphalidas arte coactas
Ad cœlum fugisse reor, pennaq; fluentes
Harpyjas cum Phineo maduere veneno
Fallaces epulæ.

Plura de hisce avibus, ut poetas prætercam, Pauf. *in Arcad.* & Apollon. *Schol. in* 2. *Argon. verf.* 1050.

Styra, urbs Eubœæ prope Carystum. Steph.

Styracium, Cretæ mons; unde *Styracites* Apollo. Steph.

Styrai, Græciæ pop. Herodot. *libb.*6. & 8.

Styria, Vide *Stiria*.

Styrus, Albaniæ Rex, à quo, ut auxilia Æetes impetraret, despondit illi suam filiam Medeam. Val. Flac. 3. 497. Periit naufragio, dum cum Absyrto classe subitò fabrefactâ Argonautas persequitur, ut idem canit *lib.*8. *verf.* 358. & *sequentibus*.

Styx, fons Arcadiæ, ex Pheneo lacu, & ex Nonacri monte manans ex saxo (cujus aqua illico pota necat) & in fluv. evadens. Ferrum æs exerodit, solâque mulæ ungulâ aqua ejus contineri potest, cætera vasa frigoris vehementiâ dirumpens. Hoc veneno quidam Alexandrum ab Antipatro sublatum putant, non fine consilio Aristotelis. Sed & lethales pisciculos generare dicitur, apud Plin. 31. 2. Palus item Thessaliæ, teste Plinio, ex quâ Titaressus fluv. egreditur. Styx etiam apud Poetas Inferorum fluv. Ovid. *Pont. lib.*4. *eleg.* 14.

Styx quoq; (si quid ea est) bene commutabitur Istro:
Si quid & interius quàm Styga mundus habet.

A superis tantâ veneratione habitus est hic fluv. ut nefas ducerent, quicquam eorum, quæ Styge teste jurassent, quovismodo violare. Si quis contra fecisset, totos centum annos divinitate spoliatus à nectare arcebatur. Virgilius,

—— *Stygiamq; paludem*
Dii cujus jurare timent & fallere numen.

Hunc honorem ei datum volunt fabulæ, vel quòd hujus filiæ, Victoria, Vis, Robur, Zelus Jovi opem tulerint adversus Titanas: vel quòd Styx ipsa patefecerit Jovi conjurationem Deorum, qui ipsum volebant vincire. Hom. *Iliad.*15. & *Odyss.*5. de juramento Stygis ait, μέγιστος, & addit: Δεινότατός μακάρεσσι θεοῖσιν: & *Iliad.* 14. Ἀάατον Στυγὸς ὕδωρ, *inviolabilem Stygis aquam*. Hesiodus *in Theogoniâ*,

Ἔνθα δὲ ναιετάει στυγερὴ θεὸς, ἀθανάτοισι
Δεινὴ Στύξ. ——

Idem eundem vocat ἄφθιτον, & de hoc fluv. ἱερὸν ποταμοῖο. Quin & Apollonio 2. *Argon.* juramentum ejus dicitur μέγιστος & ὀπιδνότατος θεοῖσι. Apuleius etiam *lib.* 6. ait aquas Stygis esse *formidabiles Jovi*, Diisque aliis. Virgilius *Georg.* 4. & *Æn.* 6.

Alligat, & novies Styx interfusa coercet.

Unde Papinius *Theb.*1.

—— *Styx inde novies circumflua campis,*
Hinc objecta vias torrentum incendia claudunt.

Hujus Stygiæ paludis nomen quibusdam ἀπὸ τοῦ στυγεῖν deductum videtur, quod est *odisse*, *aversari*, *reformidare*. Unde Virg. ubi suprà: *Tristi palus inamabilis undâ* dicitur, item Hesiodo στυγερὴ θεός. Alii statuunt Στύξ esse ex מְשִׁיחָה eliso Sheva, ut fiat *Stika*, atque derivari à שָׁתַק *siluit*, quod mortuis convenit: unde Seneca *in Hippolyto*,

Regni tenacis dominus, & tacitæ Stygis.

S V.

Sua, rex Ægypti. 4. Reg.17.

Sua, socer Judæ filii Jacob. Gen. 38.

Sua, frater Caleb. 1. Par. 4.

Suaa, fil. Heber. 1. Par. 7.

Suada, & *Suadela*, persuasionis Dea, quæ Græcis Πειθὼ dicitur: Hæc comes Veneris fingitur, quòd qui amantur, gratiâ & oratione capiantur.

Suagela, urbs Cariæ, ubi sepulchrum erat regibus Carum. Vocant enim Cares *Suan*, *Sepulchrum*, *Gelam* verò *regem*. Civis *Suagelenus*. Steph.

Sual, fil. Suphæ. 1. Par. 7.

Sualva, fluv. Britanniæ Inf. juxta Cataractam vicum, Beda.

Suana, urbs Hetruriæ. Ptol. *Soana*, in dit. Senensi, apud Osam fluv. patria Gregorii VII.

Suanagura, urbs Indiæ extra Gangem, Ptol. nunc forsan *Patua*, regno cognom. sub M. Mogole.

Suanetes, *Suanitæ* Ptol. pop. Rhætiæ, quorum regio *Algovv* in ea viâ, teste Simlero, & urbs *Ravensburg* libera, teste Tschudo, inter Ulmam & Constantiam, ab Augusta Vindelicorum 14. m.p. in occid. Guillimannus Glaronenses per illos intelligit, non solùm, quia inter Alpinos pop. collocantur, sed etiam quia in ejus regionis medio præcipuus locus *Suanda* dictus est, *Rerum Helvet. lib.*3. *cap.*6. Sed tum à Ptol. præfato, tum à Plinio *lib.*3. *cap.*20. juxta Regusços *Suanetes* collocantur. Aliis quasi *Saruncetes* dicti, 1. fl. *Sar* accolæ, hodie Comit. Sarunceganensis in Rhætia pop. videntur. Vide *Sarunetes*.

Suani, Colchidis pop. auro abundantes. Plin. 33. 3. ut regnum ipsum velleribus aureis, trabibus & columnis scateret. Ibericam nationem ultra Caucasum vocat Agathias. Inter Lazicas gentes numerantur, in Authenticis. Ibidem ferè sunt Ptol. in Sarm. Asiat. ubi *Suani* legunt Interpp.

Suar, pater Nathanael principis tribûs suæ Issachar. Num.18.

Suardones, populi Germ. Tacito, sub Vindilis, quorum urbs *Svverin* episc. sub arch. Bremensi in ducatu Megalopolitano, inter Wismariam ad Arctos, & Domitium in Austrum 4. leuc. quot à Gustroviâ in Occ. à Lubeca 7. Cluverio habitabant, ubi nunc Pomerania cit. & minuta pars Duc. Meckelburg. *Vardones* quibusd. & *Pharodini* Ptol. Non autem Suerinum usque extendebantur.

Suarni, pop. indomiti Gordiæorum montium incolæ, auri tantùm metalla ibi fodiebant. Plin. Nunc *Curdi* cum Gordiæis.

Suasa, Ptol. op. Semnonum medit. in Umbriâ transapenninâ, in agro Senogaliensi. *Sasa* locus ruderibus plenus dicitur. Item Æthiopiæ sub Ægypto op. Plin.

Suantevitus, stupendæ magnitudinis idolum, in Rugia à Valdemaro Dano ad Christianismum perducta, eversum Ann. Ch. 1161. Crantz. *Hist. Dan. lib.*6. *cap.*28. & *Vandal. lib.*5. *cap.*11.

Suatoplucus, seu *Suatocopus*, Moravorum Rex, bello cum Germanis implicitus, à Zemovito Polonorum Principe domi infestatur, An. Ch. 884. Mart. Cromerus *lib.* 2. Ab Arnulpho dein Imp. ope Ungarorum victus & occisus, A. C. 888. Hujus filio Suatobojo postmodum pulso, Borzivous Dux Bohemus sceptrum Moravici regni ad Bohemos transtulit. Ann. Chr. 894. Cosmas Bohemus, &c.

Suavis Petrus, aliàs Paulus Servita, Theologus Venetus. Sub ficto hic Petri Suavis nomine, Concilii Tridentini historiam edidit, pro libertate Reip. Venetæ scripsit contra Paulum V. Pontif. Rom. per sicarios graviter paulo post sauciatus. In literis ad Dan. Heinsium, hoc de Synodo Dordracena, judicium tulit: *Illam Apostolarum doctrinæ congruam esse; Batavos felices, quibus divina gratia cœlitus detecta essent mysteria; Sapientibus mundi, rationiq; humanæ ea esse adversa, quæ sui intellectus lumine percipere nequeant. Sicuti ad lucem noctuas, ita illos ad divinam lucem cœcutire*, V. Antonium Thyßium *in Orat. fun. Dan. Heinsii* & suprà in voce *Paulus Servita*.

Subatrii, Germ. infer. pop. quos Drusus Germanicus in triumphum traxit, Sicambris bello victis. Strab. *lib.*7.

Subaugusta, urbs fuit Latii, cujus vestigia manent, ubi *Torre Pignatara*, in Campania Rom. Ibi condita fuit Helena Augusta, mater Constantini M. L. Holstenius.

Subcinum, Vide *Subsicinum*.

Subi, *Belet* Morali, fluv. Hisp. citer. in Cossetaniâ reg. Plin.

Subigus Deus, adhibitus, ut virgo à marito subigeretur. Aug. *de C. D.*

Subisium, vel *Sobisium*, opp. Santoniæ, ad Carentonum fluv. cum tit. Duc. 5. leuc. à Rupella in Mer. Broagium versus.

Sublaceum, Villæ nomen Neronianæ, apud stagna Imbrivina: à Frontino de Aquæductibus, vocatur *Villa Sublacensis*, in qua Neroni calix, quem jam ori admoverat, inter epulas fulmine excussus est. Philostratus *lib.*4. *de Vitâ Apollonii*. V. *Sublacum*.

Sublacum, Æquorum in Latio op. mediter. est. Hermolaus ex Frontino. *Sublaqueum* Tacito & Plinio. *Sollago* hodie Leandro. Aliis *Subjaco*, cujus Abbatia, quæ nullius est Diœcesis, 14. vicos sub se habet. In confin. regni Neapol. In colle, ad fontes Anienis, 36. mill. à Roma in Ort. 10. à Præneste. In Campania Rom. sub Pontific.

Sublavio, urbs Norici. Anton. *Brixino* postea, ad fl. Eisocum, in Com. Tirol.

Sublicius pons, qui postea *Æmilius*, teste P. Victore, unus ex Romæ pontibus, cujus adhuc durant vestigia sub monte Aventino, ubi *L'Arsenale*.

Submersio, supplicium olim fœminarum, quæ furtum commiserunt, sicut suspendium virorum. Unde jurisdictionis ejusmodi judicium, hodieque in Scotia, *Pytte and gallowes* Furca & Fossa. *Submersionis* celebre exemplum, sub Richardo I. seu An. C. 1200. in Anglia exhibet Henr. Spelmannus. Etiam apud Germ. pervetustum hunc ritum fuisse, docet Tacitus *de mor. Germ. Distinctio*, inquit, *pœnarum ex delicto. Proditores & Transfugas arboribus suspendunt, ignavos & imbelles & corpore infames, cœno ac palude, injectâ insuper crate.*

Subocrini, pop. Istriæ, ad Ocram montem, inter Tergestum & Polam. Plin.

Subola, vallis, linguâ Vasconicâ *regio silvestris*, pagus est sub radicibus montis Pyrenæi, Elloronensis Ecclesiæ finibus inclusus, & Malleone opp. celeber. Vulgò *Sole*, vel *Soule*. Ejus pagi Basclensibus attributi domini Vicecomites Subolæ dicuntur vett. Irrigatur

gatur autem Malleo Sasone fluv. optimis troctis abundante, *le Gave du Saison*, qui cum Gabero Elloronensi & Sabiensi in Benearnensem, atque hinc in Aturum defertur. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Subota, & *a*, Ins. inter Erythras & Chium, exigua & obscuri nominis. Liv. *lib* 4. *dec*. 5.

Subrita, Cretæ urbs. Ptol. *Sandioia* Pineto, nunc pag. inter Gortynam & Apteriam.

Subrius Dexter, Prætoriæ cohortis, sub Galba, tribunus. Tac. *Histor.* 1. 31.

Subrius Flavius, tribunus Prætoriæ cohortis, præcipuus conjurationis in Neronem, Tac. 15. 49. Ideo à Flavio Vejano Nigro vix duobus ictibus capite truncatus. Ibid. 67.

Subromula, Italiæ urbs inter Hydruntum & Equotuticum. Antoninus.

Subscinum, op. Calabriæ juxta Medmam fluv. Anton.

Subsolanus, ventus spirans ab ortu Æquinoctiali adversus Favonium; ita dictus quòd *sub Sole* nasci videatur; unde & Græci *Apeliotem* appellarunt. Plin. 2. 47.

Subsylvania, Vide *Sylvania*.

Subuel, fil. Gerson 1. Par. 23.

Subur, op. Hisp. citer. in orâ Catalauniæ, hodie *Siges*, vel *Ciges*, teste Villanovano. Aliis *Cubilles* dicitur.

Subur, fluv. Maur. Ting. qui se in Atlanticum Oceanum exonerat. Ptol. & Plin. *Subu* Marmolio & Castaldo. Item fluv. Lusitaniæ, *Sor* vulgò, teste Vasconcello in Tagum apud Salvaterram op. influens.

Suburgia, hodie *Burgi*, opp. Maur. Cæs. mediterr. apud Tœmphœtium fluv. & Auximim opp. Ptol.

Suburra, vicus Romæ, de quo vide Varronem *lib*. 4. *de L. L.* in parte, quæ *Rione de Monti* dicitur. Hinc vicina regio dicta est *Suburrana*, in quâ meretricum diversoria erant, quæ ob id *Suburrana* vocantur. Mart. 11. 79.

Ergo Suburranæ tironem trade magistræ.

Idem 12. 21.

Nulla nec in mediâ certabit nata Suburrâ.

Juvenalis *Sat*. 3.

—— *Ego vel Prochyten præpono Suburræ.*

Persius *Sat*. 5.

—— *Totâq; impunè Suburrâ*

Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Subuttum, urbs Indiæ citer. Ptol. Item, urbs Ins. Mindanao, unius ex Philippinis. Nat. Met.

Succadana, urbs Bornei Ins. cum portu, in ejus parte Occ. in ora maris Indici.

Succasses, Aquitaniæ pop. Plin. 5. 19. inter Aquitaniæ minores populos memorati: Horum nomen locus vulgò *Socas*, vicus Galliæ, inter Garumnam & Leriam amnes, 3. ab urbe Burdigala leuc. servat. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Succi, Lazio *Turckzuest*, opp. olim Mysiæ sup. inter Thraciam & Daciam, ubi Succorum angustiæ. Amm.

Succosa, quibusd. est *Saz de Surta*, castr. Aragoniæ. Aliis *Ainsa*, opp. in vicinus ad Cincam fl. Sobrarbiæ caput, 25. m. p. Barbastro in Bor. Pyrenæos versus totidem.

Succubar, colon. Tingitaniæ apud Mauros. Plin. 5. 2.

Succubo, *Succubitanum municipium* Jul. Capitolino, op. Hisp. Bæticæ, patria proavi Antonini Philosophi: locus apud Arundam urbem. *Sierra de Ronda* Morali.

Succusanus, pag. qui & Subutra. Vid. Varronem *lib*. 4. *de L. L.*

Suche, op. Æthiopicum circa sinum Adulitanum. Plin.

Sucheum, urbs Sinar. in Queichea, intra montes. Item tertia prov. Nanchinensis, in reg. perferaci, intra fl. prope lacum Taium. Emporium celebre, cui 6. urbes min. subsunt. M. Martinius.

Suchina, urbs Quansiæ, nunc in regno Tunchini, ad radices Lengyuoi montis. Idem.

Suchuensis i. *quatuor aquarum*, prov. ampla Sinar. maximè ad Occ. extensa, versus Indiam & regnum Thibeti. Dividitur in duas partes à fluv. *Kiang*. pessimè bello Tartarico habita. Terminatur à Sept. Xensiâ, uti ab Ortu Huquaniâ, à Mer. Queicheâ & Junnaniâ, ab Occ. Indiâ ulter. Primaria Urbs *Chingtu*. Aliæ *Paoning*, *Xunking*, *Siuchen*, *Chungking*, *Queicheu*, *Lunggan* & *Mahu*, sub quibus 89. urbes min. cum 29. aliis. Idem.

Sucidava, op. Mysiæ inf. apud Danubium, inter Durostorum ad Mer. 18. & Axiopolim in Cæc. 12. m. p. Anton.

Sucro, fluv. & op. Hisp. Tarrac. in regno Valentiæ, & finibus Contestanorum. Fluvius *Xucar* Beuthero; Oritur ex eodem monte, quo Tagus, in Castella nova in limite Aragoniæ; dein Concham urb. & Alarconium rigat. Hinc auctus fluv. *Gabriel*, *Algarra*, &c. in Sinum Suetonensem se exonerat. Oppidum adhuc *Succa*, vix 1. leuc. à Cullera. Sed paucis constat incolis. Sil. *l*. 3.

Sedentana cohors, quam Sucro rigentibus undis,

Atq; altrix celsâ mittebat Setabis arce.

De *Sucrone* Strabo nonnulla *lib*. 3. sed rigoris haud meminit, uti nec Mela *lib*. 2. *cap*. 6. Ubi sis Vossium vide.

Sucronensis sinus, hodie *Golfo de Valencia*, pars maris Mediterr. inter ostia Iberi ad Bor. & Dianium prom. ad Mer. in ora regni Valentiæ.

Sucula, vide *Hyades*.

Suczova, urbs Moldaviæ caput, ad amnem *Strech*, in limite Transylv. 50. m. p. ab Jassio in Occ.

Sudeni, Ptol. pop. Sarm. Europ. ad oram sinûs Venedici incolentes: quorum reg. *Sudavv* solitudinibus sylvisque horrens, in Prussia ducali, in penins. apud Regium montem. Sansoni sub Venedis erant, ubi nunc Palatinatus Vitebicensis, in Lithuania.

Sudercopia, opp. Ostrogothiæ, 7. m. p. à Norcopia, in Eur. 15. à Stegeburgo & ab ora maris Balt. in Occid. Vastenam versus 50. circiter; *Suderkoping*.

Sudermannia, prov. Sueciæ propr. inter Westmaniam & Uplandiam ad Bor. mare Balt. ad Mer. Cum tit. Duc. Ejus urbes sunt Nicopia, Stregnesia & Trosa.

Sudernum, Tuscorum urbs mediterranea. Ptol. hodie *Muderno* Leandro.

Sudertani, populi Hetruriæ, quorum opp. *Sovretto*, teste Volaterrano.

Sudeti, Σύδητι Ptol. montes Germ. inter Franconiam ad occ. & Voitlandiam ad ort. *Wendnberg*, & *Fiechtelberg*. Ex quibus 4. flumina originem trahunt, Mœnus, Egra, Sala, & Nabus; Quà Bohemiam attingunt, *Risenberg* dicuntur.

Sudidenus, Africæ propriæ urbs. Ptol.

Sudines, Vide *Sunides*.

Sue, fil. Abrahæ exCeturâ. Gen. 25.

Sue, fil. Jahaddai. 1. Par. 2.

Sue, fil. Supha. 1. Par. 7.

Suebi, Scythiæ intra Imaum montes. Ptol.

Suecia, Regnum Europæ, ita denominata à Suionibus, ac Sitonibus, qui Suevorum gentes fuerunt in Germanico Oceano sitæ, nec ineptè possunt videri ii, quos nostra ætas *Suedos* & *Suecos* vocat, aliquot saltem literis mutatis. Sueciæ regnum, immensæ illius peninsulæ Arctoæ, quam *Scandinaviam* veteres nominant, mari Glaciali Norico & Balthico circumfusæ; Gothiam & regiones amplissimas, latissimeque adversus orientem patentes, hoc tempore obtinens: ab occasu Norvegia: ad meridiem, sinu maris Balthici seu Germanici, Vistulæ & Viadri ostiis objecto, versus Boream, non procul à mari Glaciali; ad ortum, Russiæ Neugardiâ terminatur: à gradu latitudinis 55. usque ad 73. longitudinis 35. usque ad 58. extenditur. Provincias multas continet, quarum aliæ *Gothicæ* sunt, ut Ostrogothia, cujus Lincopia metropolis, Westrogothia, lacu Vetere ab Orientali sejuncta, cujus Scara, Episcopi sedes: Australis Gothia, seu Smalandia, Tuiscia, Verendia, cujus Vexio præcipuum oppidum: Moringia & insula Selandia, Smalandiæ in long. 18. mill. objecta, & in totidem parochias distincta, ac arce Borgholmiâ munita. Aliæ *Norica*, seu *Suecica* sunt, ut Oplandia, cujus Upsalia ad Salam sita, in centro Sueciæ, sedes Archiepiscopi & scholæ publicæ, ac Stocholmia metropolis. Meridianæ Meleri ripæ, Sudermanniæ oppida, Telgo, Stringenes, Episcopi sedes, & arx Gryphisholmia adjacent: Nericiæ Orclo arx præcipua est: Occasus versum Westmannia regio & urbes Arosia & Arboga lacui incumbunt. Inde versus occasum æstivum Dalia occidua, Eva & Solies Dalia à Siacu Solion sic denominata jacent, quæ tres provinciæ, unà cum majore parte montanarum provinciarum, sub Episcopi Harosiensis inspectione continentur. Oplandiæ, versus Boream, finitima Gestricia, inde Helcingia, post Middelpadia, ulterius Angermannia, Borea & Nortia. Inde Nortbotnia in Westbotniam & Ostbotniam divisa, longo terrarum tractu diffusæ provinciæ. Tandem Boream versus Scricfinnia, Lapponia, Biarmia; has propriè regni Suecorum provincias antiquas, plerasque sinus Botnicus ex Balthico in Boream, rectâ Toroniam, & ultra circulum arcticum porrectus, à Finlandia amplissima peninsula dirimit. Dividitur Finlandia in Nortiam & Boream, quibus Natagundia superior & inferior, Savolosia, Tavastia, Finnonicæ regiones latè patentes adjunctæ sunt. Inde trans Finnicum sinum Carelia, cujus Kexholm metropolis est, & meridiem versus Wotichonia, in qua Lovati fluvii Novogardiam allabentis, quem *Ny* accolæ vocant, ostium: supra Coporam Ingria, cujus Jamagrod, & Solonscia, cujus Ivanogrod è regione Nervæ, arces sunt præcipuæ. His exoriuntur versus meridiem sunt Livonicæ Esthonum provinciæ, à Nerua ad Revaliam & Vernoviam usque pertinentes. Allantacia, cujus Nerua; Wiria, cujus Wesemberga; Wichia, cujus Ahabial Episcopi sedes & insula Dagen. Quæ regiones trans Finnicum sinum pleræque omnes, Joannis III. Regis virtute ac felicitate, regno Suecorum, anno 1581. primùm accreverunt, cùm Revalia sponte Erico XIV. Suecorum regi se subjecisset, an. 1561. Est autem multis in locis aspera, montuosa, humida & paludosa, unde multis in locis est invia, & rarior ibi fructuum proventus. Totum verò littus versus Livoniam, acutissimi scopuli occupant, quibus ex oræ inaccessæ fiunt, ad quas gelato mari lupi transmeant, prædæ gratia, ibique nimio frigore privari luminibus feruntur. Mer. & Metel. Baudrando *Suecia*, incolis *Sueden*, Gallis *Suede*, Italis *Suetia*, regnum est Europæ versùs septentrionem. Majorem Scandinaviæ partem complectitur, aliásque Daniæ & Norvegiæ unitum fuit; sed hodie proprio subest Regi. Terminatur à septentrione Lapponia Norvegica, ab oriente Moscovia, à meridie mari

mari Baltico, & ab Occidente Dania & Norvegia. Ejus partes sunt sex, nempe Suecia propria, seu Suevonia, Gothia, Lapponia Suecica, Finlandia, Ingria, & Livonia: sub quibus sunt triginta quinq; provinciæ; quibus additur Bahusiana Præfectura, quæ antea pars erat Norvegiæ. Subsunt etiam Regi Sueciæ Pomerania citerior, Ducatus Bremensis, & Principatus Ferdensis: sed hæc sunt in Germania. Totius autem regni caput est Holmia, *Stockholm*, prope Melerum lacum. Morerio reg. hujus aër tam purus est, ut ultra 100. annos vitam non raró incolæ producant: quorum opes in fertilitate terræ, metallis & aliis: quod enim ejus citra sexagesimum gradum est, aëre satis miti & temperato fruitur: quod inde usque ad gradum 66. scil. ad Arcticum circulum, excurrit, cœlum quidem inclementius habet, solum veró felicius: quod reliquum ultra circulum Arcticum restat, & sterile est & frigore horridum, feris tamen, piscibusque innumeris abundat. Unde multitudo incolarum olim tam prodigiosa, ut sylvas etiam colerent, quod & ruinę passim occurrentes, & in reliquum pené totum terrarum orbem hujus gentis inundationes testantur. Incolæ autem naturá feroces & truces durá exercitaque educatione, contra omnes labores firmantur. Germanis mores similes habent, nisi quód ab iis civilitate superantur, at industriá eorum ingens, utpote quovis Sueco rustico omnes artes opificiaq; callente. Integris sæpe sylvis incensis cineri grana serentes miscent, admirando successu. Rei bellicæ gloriâ sub Gustavo Adolpho inprimis & Carolo Gustavo Regibus emicuerunt: Linguarum exoticarum, & politicæ minimé rudes, magnificé hodie vestiri gaudent; Reges memorant antiquissimos à Magogo, Noachi ex Japheto filio nepote, usq; ad præsentem Carolum XI. centum & quinquaginta. Regiam dignitatem, Electivam antea, fecerunt Hæreditariam, sub Gustavo I. Erici fil. qui pulso Dano Christierno II. Rex factus est. An. C. 1523. Hic An. C. 1527. comitiis coactis, religionem Pontif. abrogavit, Clericos, qui in regno manere mutatá religione nolebant, dimisit. Olai Petri operá usus, Antistites & Pastores dignos Ecclesiis præfecit: Biblia S. in Suecicum sermonem primus transferri & in omnia regni templa distribui curavit, Reformatos exules à Danis inhumaniter habitos clementer invitavit, non tuto solúm hospitio, sed & libertate religionis oblatá: Obiit An. C. 1560. regni 38. æt. 70. Successit Ericus fil. ex Catharina Saxonica, qui, rebus regni turbatis, in carcerem conjectus à Johanne & Carolo fratribus, é Margareta Loholmia genitis, ibi obiit An. C. 1568. Johannes post eum præfuit, pater Sigismundi, qui An. 1592. electus Poloniæ Rex, cúm contra regni leges Latinos ritus Suecis obtrudere conaretur, à Proceribus depositus est, substituto patruo Carolo: qui perpetuá ferme vitá infelix, obiit An. Ch. 1611. pater Gustavi Adolphi, illius tot victoriis & rerum gestarum magnitudine inclyti: Cui in prælio Lutzensi occiso An. C. 1633. successit Christina filia, quæ, pace Monaster. initá, ingenti accessione regnum auxit, sceptro dein A. C. 1654. sponte cessit, in gratiam Caroli Gustavi, quem Casimirus Bipontinus susceperat ex Catharina sorore Gustavi Adolphi. Mortuo An. C. 1660. successit Carolus XI. hodie regnans. Rex de negotiis regni deliberaturus, convocat Ordines, é Nobilitate, Clero, Mercatorib. & Rusticis constantes: quorum Primi capita familiarum: Secundi duos Pastores ex qualibet communitate: Urbes duos Mercatores, & qualibet villa duos é numero suo, illuc mittit. Reliqua minoris momenti in consessibus ordinariis peraguntur. Vide insuper Cluver. Ortelium, Sansonem & Du Val *Geogr.* Saxonem Gramm. *Hist. Daniæ*, Olaum M. *Histor. gent. Sept.* Joh. M. *Hist. Reg. Suec.* Alb. Crantz. *Chron. Dan. Suec. & Norveg.* Erpoldum Lindenbrog. *Script rerum Germ.* Hug. Grotium in *Hist. Suecor. Goth. & Wand. &c.* ut & infra in voce *Suecones*.

Sueciæ provinciæ:

Angermania, *Angermanie.*	Kekholmia, *Kekholme.*
Blekingia, *Bleeking.*	Lapponia, *Lapponie*, in quinque marchias seu provincias divisa.
Bothnia occidentalis, *Bothnie Occidentale.*	Livonia *Livonie*, in duas provincias divisa.
Cajania seu Bothnia orientalis, *Cajanie.*	Medelpadia, *Medelpade.*
Carelia, *Carelie.*	Nericia, *Nericie.*
Dalecarlia, *Dalecarlie.*	Nylandia, *Nylande.*
Dalia, *Dalie.*	Ostrogothia, *Ostrogothland.*
Finlandia septentrionalis, *Finlande septentrionale.*	Savolaxia, *Savolax.*
	Seania, *Schonen.*
Finlandia meridionalis, *Finlande meridionale.*	Smalandia, *Smaland.*
	Sudermania, *Sudermanland.*
Gestricia, *Gestricie.*	Tavastbia, *Tavasthus.*
Hallandia, *Halland.*	Vermelandia, *Vermeland.*
Helsingia, *Helsingie.*	Westmania, *Westmanie.*
Jemptia, *Jempterland.*	Westrogothia, *Westrogothland.*
Ingria, *Ingrie*, seu *Ingermanland.*	Uplandia, *Upland.*

Sueciæ urbes præcipuæ:

Aboa, *Abo.*	Elleboga, *Ellebogen.*
Arosia, *Westeras.*	Gothenburgum, *Gotemburg.*
Calmaria, *Calmar.*	Holmia, *Stockholm*, regni caput.
Carolstadium, *Carolstad.*	Lincopia, *Lincoping.*
Christianopolis, *Christianopel.*	Lunda, *Lunden.*
Coronia, *Landscron.*	Nicopia, *Nycoping.*
Daleburgum, *Daleborg.*	Norcopia, *Norkoping.*
Orebroa, *Orebro.*	Sigtuna, *Sigtun.*
Revalia, *Revel.*	Torna, *Thorn.*
Riga, *Rige.*	Viburgum, *Viborch.*
Scara, *Scare.*	Upsala, *Upsal.*

Suecia nova, vulgó *nouvelle Suede*, prov. Americæ Sept. in ora maris Borealis, inter novum Belgium ad Bor. & Virginiam ad Aust. primó à Suecis habitata, & postea à Batavis occupata, qui inde ejecti fuere hisce ultimis temporibus; sicque etiamnum subest dominio Suecorum. Ibi oppida præcipua Christina & Gothemburgum, prope ostia fluvii Austrini.

Sueconii, Plinio teste, Belgii populi fuere, ubi hodie Tornacum, urbs Episcop. Flandriæ, ad Scaldim fluv. ut quidam opinantur.

Suedia, vide *Suecia*, & *Suetia*.

Suedius Clemens, e primipilaribus, cui cum Antonio Novello & Æmilio Pacensi Orho, summam expeditionis in Galliam Narb. commisit. Tacit. *Hist. lib.* 87. Vertranius legit *Vedius*.

Suel, Hispan. Bæt. opp. post Cartejam & Calpen. Σῦελ Ptolem. ejus meminere Mela, Plinius & Anton. ubi corrupté *Sivel.* Hodie *Molina*, castr. parvum regni Granat. in ora maris Mediterr. Sanso. A vulpibus dici putat Bochartus, quia Ebræis שועל *sual*, est *vulpes*; & ex Bæticá tam vulpium, quám mustelarum pelles peti scribunt recentiores. Sic à vulpibus nomen habet in Mæotide *Alopecia*; in Hellesponto *Alopeconnesus*. Contra Smyrnam *Alopece*, in Bœotiâ mons *Alopecos*; in agro Attico *Alopeca* vicus tribûs Antiochidis, ex quo Socrates oriundus; in Judæá *Saalim*, vel *Sualim*, ut legi mavult Hieronymus, 1. Sam. 9. 4. In Phrygiâ denique Ἐζυάνιν, de quo Stephan. in Ἀζανοί.

Suellu, urbs Sardiniæ, inter Calaim 30. & Arborcam 40. m. p.

Suelteri, pop. Gall. Narb. in Provincia, inter Argenteum amnem ad Bor. & Olbiam opp. ubi hodie pais Merid. Diœcesis Foro-Juliensis. Baudr. Valesius horum pagum hodieque *le Sterel* dici, supra Forum-Julii, illosque inter Pyrenæum & Alpes Marit. sed his propiores fuisse, scribit *Notit. Gall.*

Suentisius pagus, vide *Sugintensis*.

Suecones, Suedi, Suethi, & Sueci, pop. antiquissimi, Normannorum pars ut maxima, ita potentissima; quos non viris tantúm, armisq; sed & classe & opibus valuisse jam Taciti tempore, ex eo discimus. Et Saxo Suedorum R. nominat, cui 2500. naves fuerint. Cum Norvegis & Danis Scanziam seu Scandinaviam, sed inæqualiter divisam tenent, pars enim & optima & maxima à Suecis incolitur. Latissimum autem Sueonię regnum, longissimisq; terrarum spatiis regnare Suecones, ait Bremensis, additq;: *Sueonia regio est fertilissima, ager frugibus & melle optimus, extra quod pecorum fœtu omnibus antefertur: opportunitas fluminum sylvarumq; magna: ubiq; peregrinis mercibus omnis regio plena. Nullus itaq; egere dicas Sueonas opibus, exceptá, quam nos adoramus, superbiá.* Et mox: *Populi Sueonum multi sunt, viribus & armis egregii, præterea tam in equis quàm in navibus juxta optimi bellatores. Unde etiam suá potentiá cæteras Aquilonis gentes confringere videntur.* Magnitudinis eorum invictum argumentum est, quód ut Norvegia, sic & Æstonia à Suedis ex situ ad Suediam comparato nomina sua accepere. Idem auctor præfatus hospitalitatem *Sueonum* tantam esse prædicat, ut certamen habeant inter se, qui dignus sit hospitem recipere: Imo lex à Carolo R. facta legitur, ut si quis externo hospitium negasset, ejus domus incenderetur: nec privatis tantúm, sed & regibus Ducibusque ejectis tutum semper apud illos perfugium fuit. Solertissima porro *Sueonum* inventa sunt, ad tuendam valetudinem, ad itinera per montes, nivem, glaciem facienda; ad venatus, piscatus, Aucupia, quæ omnia Olaus Magnus, si non nitidé at diligenter descripsit. Quas terras aut pugnantes peragraverint, aut victores insederint, Vid. apud Hug. Grotium *Hist. Suec. Goth. Wandal.* qui ibidem ex Adamo Bremensi in superstitionib. illorum, antequam fidem suscepissent, prolixus est. Hanc S. Ansgarius Monachus sub Biorno, centesimo Suecorum Rege, A. C. 816. indigenas idololatras edocuit, Lotharius dein Imp. operâ Canuti Wandal. R. Episc. in Dania, *Suecia*, Normannia, Gronlandia & Islandia instituit, circa A. C. 1133. Cumq; seculi errores aliquandiu gens postea sectata esset, denuo veritas ei affulgere cœpit sub Gustavo I. qui Biblia S. Suecicé transferri, & in omnia regni templa distribui curavit, portá sic Evangelio advenienti laté apertâ. Formâ sunt insignes, robusti, agiles, bellicosi, linguarum periti, prudentes, magnifici, sed feroces nimis, inprimis, cúm Fortuna favet, quod vitium tamen dextré dissimulare norunt. Regnum olim Electivum, nunc Hæreditario propius, cúm Senatores à familia R. non recedant. Gustavus I. fil. Erici, Danos regno pepulit, & Rex coronatus, Obiit 1560. Ex Catharina Sax. pater Erici, Joh. & Caroli, de quibus suprà. Horum ultim obiit An. 1611. pater Gustavi Adolphi Magni, in prælio Lutzensi occisi, An. 1633. Huic Christina filia successit, quæ sponte, post complures annos, cessit Carolo Gustavo, filio Casimiri Bipontini D. ex Catharina, Gustavi Adolphi sorore. Hic obiit A. 1660. relicto filio Carolo XI. qui hodie feliciter regnat. Cœterum Lutheri doctrinam Sueci amplexi sunt sec. præt. quam hodieque retinent. Aratri apud illos usus ignotus, integris sylvis incensis, cineribus semina inspergunt, biennio post divite messe potiti, &c. Vide supra *in Suecia*.

Suerinum, urbs Saxoniæ infer. aliàs partim sub Episc. propr. partim sub Duce proprio é fam. Megapolit. Nunc tota sub hoc, pace

Monaster. *Suerinensis* lineæ auctor Adolfus Fridericus est filius Johannis An. Chr. 1592. demortui, frater Johannis Alberti, qui Gustrovianam est orlus. Hi ambo à Cæsare proscripti An. Chr. 1628. & Ducatus Wallenstenio concessus est: sed restituit illos Gustavus Adolphus An. C. 1631. Postmodum in Monaster. tractatu, ut Wismariam Suecis cederet Dux Suerinensis, Episcopatus urbis cum Razenburgio, aliquotq; commendis domui in compensationem data. Moriens Dux An. Chr. 1658. præter filias reliquit Christianum, qui ad Latinos accessit titus, Carolum, Joh. Georgium, Gustavum Rodolfum, Fridericum, Philippum Ludovicum & Henricum Wilhelmum. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor. in fam. Wandalica.* Sedet urbs juxta lacum cognom. 7. mill. Germ. à Gustrovia, altera Ducum sede in Occ. 3. à Wismaria in Merid.

Suesia, Mesia, & Melsiagum, paludes ingentes Germ. in Com. Mansfeld. Quos *Ascaniam, Dulcem, & Salsam* Lat. recenti, dici putat Ortel.

Suessa, Campaniæ opp. Plin. *lib. 3, cap. 5. Intus colonia, Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum.* Sil. *lib. 8.*

——— *Detritaq; bellis Suessa.*

Vocatur *Aurunca*, sive *Auruncorum* ad discrimen *Suessa Pometia*, seu *Pometiorum*, quæ erat in Volscis. At quia illa Pometia jam inde ab Tarquinio Superbo eversa, plerumque hæc in Auruncis simpliciter ab auctoribus dicitur *Suessa*, sine cognomine. Agrum habuit mirè fertilem. Oppidani inde *Suessani*.

Suessa, Volscorum urbs, cognom. *Pometia*. *Μητρόπολιν Οὐόλσκων* appellat Strabo *lib. 5.* Dionysius *ἐπιφανεστάτην πόλιν* vocat & *ἡγεμόνα τοῦ ἔθνους*. Liv. *lib. 2. opulentissimam*, sed addit; *ut tum res erant.*

Suessana aqua, vide *Sinuessana*.

Suessiones, & *Suessones* Cæsari alicubi, *Suesiones* Strab. *lib. 4.* *Vessones* Ptolem. (cui Augusta *Vessonum*, pro Suessonum) pop. & urbs Gall. Belgic. in Campaniæ & Picardiæ confin. ad Axonam fluvium vulgò *Soissons*. Apud hos, quos Remi consanguineos fratresque suos dixere, fuisse regem suâ memoriâ Diviriacum, totius Galliæ potentissimum, etiam Britanniæ imperantem, postea Galbam, ad quem propter justitiam prudentiamque, summam totius belli deferri: oppida habere numero 12. polliceri millia armata 50. refert Cæsar *lib. 2. Comm.* Post Bellovacos, secundum inter Belgas dignitatis, virtutis & potentiæ locum illis tribuit Strabo. His, utpote agilitate & levitate membrorum pollentibus, *longa arma* tribuit Lucanus: ut Virgilius Gallis Senonibus Capitolium furto occupare conantibus *scuta longa*, propter proceritatem eximiam. Horum tractus *Suessionensis ager* in prov. Insf. Franciæ, aliàs in Picardia est, à quâ terminatur ad Bor. uti Laudunensi, Remensi ad Ort. Valesiâ ad Occ. & Briâ ad Merid. Al. *Laudunensis*: Gall. *le Soissonnois*, & *le Laonnois*. Continentur Valesio *Suessionum* finibus, præter pagum Suessionicum, etiam pagus Tardanensis, Vadensis ex parte, & Urcensis; 390. Parœciæ, 23. Abbatiæ, de quibus sex cum 10. Parœciis & Monasteriis Canonicorum atque Mendicantium, sunt in urbe Suessionis, ejusque suburbanis ac burgis. Caput est Suessiones seu Aug. Suessionum, *Soissons*, ampla & munita, in Præfectura insulæ Franciæ, vix 5. leuc. à confin. Picardiæ & Campaniæ, 10. à Remis in Occ. 7. à Novioduno in Eur. 12. à Meldis in Bor. Regnum hîc olim, sub Regibus primæ stirpis: dein Comites habuit. Vide Plin. *lib. 4.* Cæs. *lib. 2.* Melam *lib. 3. cap. 2.* Gregor. Tur. Flodoardum, Duchenium *antiq. urb.* Concilium Ann. 743. Item 853. præsente Carolo Calvo, 866. 941. 1078. 1092. 1120. contra Petr. Abaillardum. 1155. 1201. ob repudiatam à Phil. Augusto Ingeburgen, quam dein recepit sponte, &c. hîc habitum.

Suessionensis agri oppida.

Augusta Suessionum *Soissons*,	Fara *la Fere en Tardenois.*
Brennacum vel Braina ad Vidulam.	Firmitas Milonis.
	Mons Mirabilis *Montmirail.*
Castellio ad Matronam.	Nanrogilum.
Castrum Theodorici.	Petræ Fons, *Pierre Fons.*
Compendium.	Velliacum ad Axonam, *Vély.*

Suessionum Augusta, caput gentis primò dicta est Gallico vocabulo *Noviodunum*. Galbæ olim apud Cæs. regia ac sedes, Primorumque civitatis domicilium. Postea ab Octavio Augusto nomen Latinum accepit, & *Suessionum Augusta* dici cœpit: tandem communi Gentis nomine eam designavere scriptores, & *Suessiones*, Gall. *Soissons* vocavere. Coloniam fuisse Augusti auspiciis ac jussu deductam probabile est. Fuit Ægidii primum ac Syagrii Gallorum Regulorum, deinde & Chlodovei Francorum Regis sedes, antequam interfecto Alarico, Vesigothisque Aquitaniâ expulsis Luteciam Regiam elegisset: postea Chlotarius maj. ac Chilpericus ejus filius per annos 74. hîc sedere. Unde & Philippus post, & Carolomannus ejus fil. ibi Regni insignia receperunt. Rodulphus quoq; Richardi Burgundiæ Marchionis fil. apud urbem Suessionis in Monaster. S. Medardi, ubi antea Pipinus, Rex est pro Carolo constitutus. Hinc non solùm, stante imperio Rom. sicut in plerisque clarioribus urbibus Galliarum, sed & imperante adhuc Ludovico Pio Palatium hîc erat, prope Monast. S. Medardi. Ibidem tres fuere & etiamnum sunt Ecclesiæ S. Crispini Martin. una S. Crispini Majoris, aliàs S. Crispini Magni, cui suus est Abbas suumque Capitulum: altera S. Crispini Min. seu Parvi; tertia SS. Martyrum Crispini & Crispiniani in Cavea, collegium Canonic. sub Abbate: quarum postremâ extra muros, hodieque *S. Crespin en Chaye*, inde forte dicta, quòd urbs olim Amphitheatrum suum habuerit, quod *Arenam Caveamq;* sæpe ab interiore parte dici solere, notum. Una ex portis *Porta Crisia* nuncupata legitur, in tabulario Monast. S. Crispini in Cavea, quia ducebat ad Crisiam fluviol. quem inter & Axonam stat Augusta Suessionum, quique vicos aliquot præter lapsus, paulo infra urbem in Axonam devolvitur. Præterea est Augusta hæc puellari Monasterio B. Mariæ ab Ebroino Majore Domus ante annos 1000. condito illustris ac veteri Comitivâ insignis, ante annos circiter 670. sicuti Lugdunum, civ. Lingonum, Cabillonum, Matisco, Bajocæ, Ebroicæ, Lexovii, Turoni, Cenomanni, Andicavi, Namnetç, Veneti, Agodincum Senonum, Carnutç, Autissiodorum, Tricassæ, Parisii, Meldi, Tullum, Verodunum, Remi plurimæque aliæ urbes Galliarum, capita veterum Comitatuum fuere. Notitia quoque Imp. docet sub dispositione V. I. Magistri Officiorum, ex Fabricis 8. in Galliis, quartam earum *Fabricam Suessionensem scutariam, ballistariam & clibanariam extitisse, &c.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Suessitani, pop. Hispan. Tarrac. in Vasconibus, quorum oppid. *Suessasium* Ptol. *Sanguesa*, teste Floriano, & Joh. Marianâ, in regno Navarræ, à Pompelone 6. leuc. in Ortum, Jaccam versus, ad Aragonem fluv. Legitur & *Suessetani*.

Suessula, Suesula Straboni, colon. & opp. Campaniæ apud Clanium fluv. ægrè habitatum, à Neapoli 8. mill. pass. distans. Pop. *Suessulani* Plinio.

Suestasium, vide *Suessitani*.

Suestra, villa pagi Mosani, à præterfluente rivo sic dicta, vulgò *Suster*, aut *Susteren*: quam Pipinus & Plectrudis Wilbrordo dedisse dicuntur. Hic celebre Canonicarum collegium, in diœcesi Leodicensi ac Duc. Juliacensi, à Zuentibaldo Arnulfi Imper. filio, Lotharienssium Rege, ibidem sepulto, auctum ac locupletatum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sueta, vel *Suita, Suites*, inclyta in terra Hus urbs est, in tribu Manasse, distans contra Aquilonem à civitate Corozaim & ostio fluvii Jordanis 4. mill. Regio autem in qua sita est, frumenti, vini & olei ferax est, & cœlo ditata est optimo. Hîc sepulchrum Hiobi.

Suetes, è Ducibus auxiliaribus Persæ, in bello Colchico contra Aëeten, occisus à Phryxi filio. Val. Flacc. 6. 551.

Suetonius C. Tranquillus, filius Suetonii Lenis, tertiæ Leg. Sub Othone Tribuni, vixit temporibus Trajani & Hadriani, sub quo Epistolarum magister fuit, ut ex Spartiano scimus in *Hadriano*; ubi & illud narrat eo excussum honore, quia se familiarius coërceret cum principis uxore, Sabina. Plinium Jun. amicum habuit, qui, Vide *lib. 1. epist.* 18. *lib. 5. ep.* 11. eum monet, ut editionem operis sui amplius haud differat: *Perfectum opus*, inquiens, *absolutumq; est, nec jam splendescit limâ, sed atteritur.* Intelligit autem vitas 12. Cæsarum. Scripsit quoque de Grammaticis illustribus, ut & de Rhetoribus: cujus major pars perdita, quemadmodum & de vita Poëtarum liber, maxima ex parte periit. Terentii enim vitam ab ipso conditam, Donatus quoque agnovit: Idem de Horatii, Juvenalis, Lucani & Persii dicendum. Eum imitatus videtur Hieronymus, in libr. de Script. Eccles. Suidas quoque huic auctori tribuit tractatum de Ludis Græcorum: de Spectaculis Romanorum: de Rep. Ciceronis: de Re vestiaria: de Injuriis: de Urbe Roma, &c. Ausonius *epist.* 19. quoque meminit tractatus de Regibus, libb. 3. quem Pontius Paulinus poëmatis sui argumentum esse jussit. Vide quoq; Gellium, Servium, Tzetzen &c. Malè fil. creditur quibusdam Suetonii Paulini Cons. cujus meminit Tacitus, Plinius & Dion in Xiphilino. Lips. *not. ad Tac. lib. 2.* Vide Vossium *de Hist. Lat. lib. 1. c. 31.* qui alibi eum vocat *emendatissimum & candidissimum, & cui familiare sit amare brevitatem. Illud opinor*, inquit Erasmus, *apud eruditos omnes in confesso esse, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi Suetonio, qui, ut quidam non infestiviter dixit; Prorsus eâ libertate scripsit Cæsarum vitas, quâ ipsi vixerunt.*

Suetonius Optatianus, seu Actacianus, sub Tacito Imper. hujus vitam scripsit. Vopiscus.

Suetonius Paullinus, Cons. Britanniæ legatus, scientiâ militiæ & rumore populi Corbulonis concertator. Subegit Monam insulam, ac fanaticum Britannorum agmen disjecit. Postea partium Othonianarum Dux. Sed in Africâ bellum gessit. Plin. *lib. 5. cap. 1. Primus*, inquit, *Romanorum ducum transgressus Atlantem.* Scripsit Historiam, Tac. *in Agric. lib. 1. & Hist.* Voss. *de Hist. Lat. lib. 26.*

Suevi, pop. Germ. qui magnam illius partem tenuere, Mechelburgiam, Pomeraniam, & Marchiam (per quam *Suevus* fluv. labitur) incolentes, sic à *Suevone* monte (Germaniam à Sarmatiâ separante, teste Solino) dicti. Lucan. *lib. 2.*

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Claudianus *de laud. Stilic. lib. 1.*

Ut Suevus jam rura colat, flexosq; Sicambri
In falcem curvent gladios.

Horum reg. *Suevia* Tacito & Eutropio dicitur, vulgò *Schwaben*, multis & claris constans urbibus (quarum magna pars sunt liberæ) olim ducatus amplissimus. In hâc Danub. oritur, teste Ferr. Baudr. *Suevi* pop. fere Germ. Sept. sub Vindilis, & valde extensi, sub quibus 7. nationes fuere, teste Briet. nempe Angli, Varini, Caviones, Deuringi, Eudoses, Huithones, & Suardones, ubi hodie D. Megapolit. & Pome-

Pomerania. Gaspar Peucerus credit Suevos totam illam oram Septentrionalem tenuisse, quam nunc incolunt Cassubii, Poloni ex parte, & Pomerani universi, ad Austrinum littus maris Baltici, quod Suevicum mare ab eis denominatum, ea in parte, ubi & flumen Suevi nomine, *die Schwvvein*, in mare influit. Hodie autem sunt in parte australi Germaniæ, versus fontes Danubii, ubi provincia Suevia dicta. *Suevorum* cisRhenanorum, quos cum Sugambris se dedentes, Augustus Cæsar in Galliam traduxisse atque in proximis Rheno agris collocavisse legitur, meminit Dado *in vita Eligii, lib. 2. cap. 3.* tanquam ad diœcesin Tornacensem pertinentium: qui proin Andoverpensibus proximi ac maritimi, ut & Frisones, erant. Ex hac Germaniæ Suevorum gente quidam patrio solo relicto, Alanis Vandalisque juncti, Gallias intrarunt, circa An. Ch. 406. variisque ibi regionibus vastatis, inde in Hispaniam transgressi, An. Chr. 409. Gallæcia & Lusitania occupatis, Hermericum Ducem suum, Regem crearunt, qui obiit circa An. Chr. 440. Ei successere Rechila, Rechiarius, Maldras, Frumarius, Remismundus, Theodomundus, Theodemirus, Miron & Eboricus: qui cum patri suffectus esset An. Chr. 583. ab Andeca, qui Mironis viduam duxerat, pulsus & in cœnobium detrusus est. Sed Leovigildus, Wisigothorum Rex, capto Tyranno, regnum hoc suo junxit, circa An. Ch. 585. Joh. Gironus & Isidor. *Chron.* Mariana *Hist. Hisp.* Fuit olim in Imperio Sueviæ seu Alemanniæ Ducat. unus ex celeberrimis & amplissimis, e qua familia Conradus III. Frider. Barbarossa, Henricus V. Philippus III. Fridericus II. Imperiali fastigio potiti sunt. Hi duces bonam Helvetiæ quoque partem, Turgoviam imprimis, ditionem Tigurinam in potestate habuere, usq; ad Henricum VI. Triplex autem Sueviæ Ducum familia fuit, una cujus auctor Rudolfus Dux, é familia Habspurgica oriundus, quem Henricus III. Imper. Ducem Sueviæ fecit; at hic mox Anticæsar electus, contra Henricum IV. perfidiæ pœnas luit. Itaq; Henricus Friderico Com. de Hoben staufen Ducatum concessit, cujus stirps in Conradino, Neapoli decollato desiit. Tum Rodolfus I. Imper. non Austriam solum, sed & Sueviam sibi vindicavit, filiisque illam Alberto, hanc Rodulpho concessit, An. Chr. 1283. Huic successit fil. Johannes patrui cæde infamis & demum Pisis monachus: cujus extincti hæreditatem crevere patrueles. Leopoldus enim Alberti Imper. filius Sueviam tenuit & Alsatiam, ab Helvetiis aliquoties victus. Frater Alberti Sap. qui stemma propagavit. Ex hujus posteris Maximil. I. Imp. bellum, ex *fœdere Suevico*, cujus Fridericus III. auctor fuit, cum *Helvetiis* gessit acre, quod post 8. prælia his secunda, An. Chr. 1499. *Basileæ* compositum, & An. 1511. fœdus renovatum est, quod hucusque duravit, Spener. *in Gen fam. Austriaca.* Stumpf. autem An. C. 1533. desiisse ait, *de Germ. lib. 2. cap. 39.* Sacerdotes Suevici, cum Fridericus II. Imper. à Papa excommunicatus esset, acriter Papæ obniti & in tyrannidem atque avaritiam Pontificum invehi cœperunt: publicè docentes, non esse iis id potestatis concessum, ut Christianis sacrorum usu interdicant: non destiterunt proin toto hoc tempore iis, more consueto, defungi. Idem *ibidem capite 29.*

Suevi, alii ab illis, qui in Germania & vulgò noti sunt; habitant trans Istrum, affiti Sarmatis; quibus Vannius a Druso rex datus, quique inter Marisum & Cusum fluvios locati. Itaque militiâ plerumque sociari cum illis. Dio in *fragmentis.*

Suevia, vulgò *Schwvaben* incolis, *Souabe* Gallis, *Suevia* Italis, provincia Germaniæ ampla, inter Bavariam ad Ortum, Rhenum ad Occasum, quo separatur ab Alsatia, Helvetios ad Meridiem, & Franconiam ad Boream. In ea autem sunt Suevia propriè dicta versus Danubium & Lycum fluvios, Ducatus Wirtembergensis, Sylva Nigra, & Marchionatus Badensis & Burgoviæ; ejusque urbes præcipuæ sunt Augusta Vindelicorum & Ulma.

Sueviæ Urbes præcipuæ:

Augusta Vindelicor. *Augsbourg.*	Lindavia, *Lindavv.*
Bada, *Baden.*	Memminga. *Memmingen.*
Burgovia, *Burgavv.*	Nerolinga, *Nordlingen.*
Campidunum, *Kempten.*	Rhenofelda, *Rhynfelden.*
Constantia, *Constance.*	Rotevilla, *Rotvveil.*
Eslinga, *Esling.*	Stugardia, *Stugard.*
Halla Suevica, *Halle en Souabe.*	Tubinga, *Tubingen.*
Haylbrunna, *Haylbrun.*	Uberlinga, *Uberlingen.*
Isna, *Isne.*	Ulma, *Ulm.*

Suevicum mare, idem quod *Balticum.*

Suevus, *Sevo* Solino, mons German. Carpatis pars occidua, inter Moraviam & Hungariam Transdanubianam ad Danubium usq; extensus. Baudrando mons Scandinaviæ, hodie *Daars Field*, inter Suec. & Norweg. Vide *Sevo.*

Suevonia, seu *Suecia propr.* pars ampla Sueciæ, inter Lapponiam ad *Bor.* mare Baltic. & Sinum Bothnicum ad Ortum, Gothiam ad *Mer.* & Norvegiam ad Occ. Ibi X. provinciæ, nempe Uplandia, Sudermannia, Neritia, Vestmannia, Gestricia, Dalecarlia, Helsingia, Medelpadia, Jempsia, & Angermannia. Caput est Holmia, totius regni caput & regia sedes, vulgò *Stockholm.*

Suevus, *Spre* Althamero, German. fluv. ex montibus Bohemiæ oriens, perque Lusatiam & Marchiam fluens, mixtusque Havellæ in Albim influens. Becanus *Oderam* esse scribit: Aliter *Viadrus*, *Viader*, & *Guttalus*. Baudrando oritur in ipso limite Moraviæ. Dein Silesiam bifariam secans à Mer. in Septentr. per Marchiam Brandeburgicam labitur atque per Pomeraniam, ubi in mare Balticum abit. Vide *Odera.*

Suffenus, ineptissimus Poëta, qui in suis operibus mirabatur se plurimum, sibique blandiebatur & arridebat. Catullus *Carm. 14.* & *ad Varum epigr. 22.*

Nimirum idem omnes fallimur, neq; est quisquam
Quem non in aliquâ re videre Suffenum
Possis. Suus cuiq; attributus est error;
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

Suffetes, de quibus vir Magnus *de Phœn. Colon. lib. 1. cap. 24.* hæc habet. Didone fato functa, regium Carthaginis regimen mutatum in populare, aut vere aristocraticum. Nam summa rerum erat penes paucos judices, quibus jus vitæ & necis summum fuit in universos cives. Livius *lib. 33.* *Judicum ordo Carthagini eâ tempestate dominabatur, eò maximè quòd iidem perpetui Judices erant: Res, fama, vitaq; omnium in illorum potestate erat. Qui unum ejus ordinis, & omnes adversos habebat.* Hannibal verò, ut nimiam horum potentiam retunderet, & in ordinem cogeret, legem promulgavit pertulitque Præturæ suæ tempore, ut in singulos annos Judices legerentur, ne quis biennium continuum Judex esset. Hi Judices, aut qui in illis principem locum obtinebant, à Romanis scriptoribus *Suffetes* appellantur. Livius *lib. 28.* *Suffetes eorum, qui summus Pœnis est magistratus* Et *lib. 30.* *Senatus itaq; Suffetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocaverunt.* Et *lib. 34.* *Cum Suffetes ad jus dicendum consedissent.* Sen. *de Tranq. cap. 3.* *Non vult enim nisi consul aut prytanis, aut ceryx. aut sufes administrare Remp.* Itaque *Suffeti*, vel *Suffetes* sunt שופטים *Sophetim*, id est, *Judices*: Ita vocantur Ebræis summi magistratus, quos Judæorum Remp. administrasse legimus, inde à morte Josuæ usque ad reges electos. Nemo non statim agnoscet, hoc esse verisimilius, quàm quod contendit vir maximus, *Notis ad Festum*, *Suffetes* esse אלפים *Sophim*, id est, ἱερεῖς, [illegible], [illegible]. Vossius tamen *Sufes* legendum mavult, quàm *Suffes*

Suffetula, urbs Africæ mediterran. Anton.

Suffraganei, dicuntur Episcopi, qui Archiepiscopo suffragari & assistere tenentur: Vocati enim sunt in partem sollicitudinis Archiepiscopi, non in plenitudinem potestatis. Vide Henric. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Suffridus, Crucigerorum Commendator, in Polonos sævus, plurimos quotidie in equo funes secum ferens, devovit se, *Non prius cibum sumpturum, quàm illos omnes in suspendendis Polonis consumpsisset.* Secuta mox immanis equitum strages à Vladislao Loctico Polon. Reg. illis inflicta, An. Chr. 1333.

Suffridus Petri, Leovardia Frisius, Bibliothecarius Cardin. Granvellani, Jus Lovanii Coloniæque docuit. Scripsit, inter plurima alia magni momenti, *de origine Frisiorum, de Scriptoribus Frisiæ, &c.* Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Sugambri, Straboni Σούγαμβροι, MSS. libris & priscis lapidibus *Sygambri*, plerisq; vulgò *Sicambri*. pop. Germaniæ, quos cum Suevis dedentes se Cæsar in Galliam traduxit, atq; in proximis Rheno agris collocavit; *Gugerni* post hæc dicti, Cluver. Ponuntur autem Gugerni à Plinio, in extrema Belgica, ad Rhenum, inter Ubios & Batavos, gentes Germanas. Cluverius 13. m. p. ab opp. Geldra distare, & ad ejusdem amnis Nersii videl. ripas infra Geldram positum esse oppid. *Goch* tradit, Gugernorum nomen retinens. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sugdaa, urbs Bulgariæ, Vide Curopal.

Sugdii, montes Sogdianæ, quæ inde *Sugdias*, apud Dion. Afrum.

Sugenum, urbs Quansiæ, sub rege Tunchini; satis munita. M. Martinius.

Sugerus, Abbas S. Dionysii, in Gallia, præcipuus regni Minister, & Regens, sub Ludovico VII. cùm hic in Orientem profectus esset: quo reduce, Sugerus ipse suppetias Orientalibus adducturus, Obiit, An. 1152. æt. 70. impense laudatus à S. Bernardo, *in Epist.* Scripsit vitam Ludovici Crassi, in cujus aula floruit: Epistolas, &c. Guilielm. monachus S. Dionysii, *in ejus vita.* Morer. *Diction. Hist.*

Sugintensis pagus, cujus pop. cum finitimis Turensibus, Campanensibus, & Alesatiis Childebertus ex Austria abstractos Burgundiæ adjecit, ac Theodorico min. filio, quòd is in villa fiscali Marilegio apud Alesatios nutritus fuerat, testamento reliquit: aliàs *Suentensis, Sointensis, Suentisius*, hodie *Suntgovia*, vulgò *Suntgovv*, aut *Sungovv* dictus, provincia est cis Rhenum, in prov. Max. Sequanorum, Alesatiæ Austrinæ contermina, & ejus velut appendix, continens Fierritensem Comitatum, &c. Quidam pagum hunc cum Brisgavia, Alesatiâ superiore, Landgraviatus titulo clarâ, contineri ajunt. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Suham, filius Dan, Num. 26.

Suhit, vide *Suetha.*

Suiceri, seu *Svvitzeri*, Volaterr. & Hug. Grotio, *Suicenses* Joh. Vitodurano; *Suitones* Aventin. *Annal Boj. l. 4.* Germ. *Schvveitzer*, vel *Eydgnossen*, Ital. *gli Suizzeri*, vel *Suizzari*, Gall. *les Suisses*, Helvetii hodierni dicuntur. Originem nomenque habent vel à Vitis, quos è Saxonia à Carolo M. pulsos in Helvetia Alpina quidam consedisse olim volunt: circa An. Chr. 806. ut narrat Naucierus. Vel potius à Suecis seu Suedis, Gothorum gente, ut Guillimanno placet, quo-

quorum crebri per Alpes transitus suasere partem ibi præsidio relinquere. Hinc Garissolius *lib.*10. *Adolphidos de Helvetiis:*

Arctoo gens orta satu, generosaq; factis
Æquans arma patrum, gemino Suecosq; Gothosq;
Sanguinis attingit titulo. Nam vulnere postquam
Dejectus Tejas vitalibus exiit auris,
Eousq; solo regnavit in Ausone Narses,
Italiam liquisse Getas, montesq; propinquos
Insedisse ferunt: Nec pristinus obstitit armis
Incola, sed facilis Latio jam rure remotos
Excepit, regniq; favens in parte locavit,
Complexus populare genus. Constantia Fama
Nempe refert, patrio digressos Suecones orbe
Auspiciis Gotherice tuis, faustoq; Gradivo
His sedem statuisse locis, perq; oppida leges
Sancivisse suas, & longos regna per annos
Firmavisse manu, sic utraq; finibus istis
Crevit & æterno se fœdere nexuit Arctes,
Helvetiosq; dedit mundo, nec degener ortum
Dedecorat populus, sed nomine dignus avorum est.

Et Cl. Hottingerus *Meth. leg. Histor. Helv. pag.* 201. utriusque non solùm gentis, sed & quorundam Dialecti idiotismorum magnam observavit affinitatem. Sunt nihilominus, qui *Suiceros, Suitenses* seu Helvetios, id nominis accepisse volunt à pago Suitensi: inter quos Osvaldus Molitor, *in Paneg. Glareani: Suicia*, inquit, *sequitur, unde omnibus Confœderatis nomen.* Et Conringius *de Imper. Romano Germ. Achæorum Resp omnibus Fœderatis nomen dedit: urbs Romana omnibus sociis, hodie Fœderati omnes Helvetii, ab uno pago Suitceri, &c.* Rationes in promptu; Namque & initium confœderationis factum est in opp. Suitensi, & hujus incolæ diutissimè cum Abbate Eremitano pugnarunt, & primi omnium Austriorum irruptioni expositi fuerunt, majorque illorum reliquis primis pagis fuit potentia, & in hac primò regione pro libertate pugnatum est: *Unde postea*, verba sunt Guillimanni *rer. Helv. lib.*2. *cap.*15. Suitiorum *nomine & famâ Helvetii omnes in celebritatem abierunt, Suitzeriq; gens universa appellati sunt.* Plura vide in vocibus *Helvetii & Suitium.*

Suicerus Joh. Casparus, Tigurinus, Theologus & Philologus insignis. Natus An. C. 1620. studiorum in patria cursu emenso, Galliam lustravit An. C. 1640.—1642. ubi Salmurii Amyraldum, Capellum, Placeum: & Montalbani, Garissolium ac Catolum audiit. Inde redux & laboribus in schola Tigurina consecratus, plerosque Scriptores Eccles. Græcos evolvit, Thesauro Ecclesiastico Græco-Latino septem in fol. tom. constante, viginti annorum spatio inde collecto: Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum prolixo satis comm. ex antiquitate Eccles. illustravit. Totus nunc à tribus annis est in conscribendo Lexico Græco-Lat. Postquam jam edidit *Sacrarum Observationum librum, Miscellanea Græco-Latina, ex Chrysostomo, Basilio, Nazianzeno collecta, cum Paraphrasi Jona, N. T. Syllogen cum Prosodia, &c.*

Hoc Argos, claraq; habitant in pectore Athenæ,
Et quidquid Patrum conditur historiâ.

Suicia, vulgò *Schwitz*, opp. universæ Helvetiæ nomen communicat. Vide *Suecia*, & *Suitium.*

Suidas, floruit temporibus Alexii Comneni, qui imperium suscepit, An. D. 1081. Hoc de ætate scimus ex iis, quæ scribit in voce Α'δὰμ, ubi à Christo nato usq; ad id tempus, effluxisse ait an. 1018. Sanè Suidam ante annos claruisse quingentos, etiam judicium est doctissimi Casauboni. Sed poterat *Sexcentos* dixisse, ut facit Andr. Schottus, *præfat. in proverb. ex Suida collectan.* Etsi autem, quantum ad Lexicon, propriè historicus non est; tamen magnam partem operis sui historiis, non semper tamen optimæ fidei, farcivit: quas à se ac discipulis suis, Latinè translatas seorsim dedit Hieronymus Wolfius. Primus verò Latinè transtulit, atque etiam annotationibus illustravit Robertus Grosteteſt, vel Grosthead, id est, Capito, Anglus, Episcopus Lincolniensis, qui obiit, An. D. 1253. uti testatur Balæus. Sed omnium facilè industriam vicit Æmilius Portus, Francisci fil. qui Græcum textum cum MSS. contulit, multisque locis emendavit, obscura item explicuit, integrum quoque Latinè transtulit. Adhuc tamen locis penè infinitis medicas requirit manus. Videri verò possit Suidas etiam alia in literas retulisse. Sanè Σουΐδας ἐν Θετταλικοῖς adducitur ab Apollonii Scholiaste *in libr.* 1. Α'ργοναυτ. Et *eodem libro* legas, Σουΐδας καὶ Α'ρχέτιμος, οἱ περὶ Εὐβοίας πραγματευσάμενοι. Imò Suidam ἐν Θετταλικοῖς citat Stephanus, in Α'μυρος. Sed cùm Suidas ipse meminerit Hermolai, qui Stephani epitomen fecit: omnino alius iste Suidas fuerit. Videlicet duo minimùm fuere Suidæ. Unus ipso Strabone antiquior, de quo sic scriptor iste *lib.*7. Σουΐδας δὲ τοῖς Θετταλοῖς μυθώδεις λόγους προσχαριζόμενος, *&c.* Atque hujus etiam, tum libri Θετταλικῶν, tum de Eubœâ, fuerint, quos Stephanus à Suidâ exaratos esse testatur. Alter Suidas, Lexici author, junior esse non potest Joanne Zimisce. Siquidem voce Α'δὰμ ab origine mundi exorsus temporum seriem usque ad Zimiscem perducit. Is autem imperare cœpit, Ann. D. 870. Et profectò, si multò pòst vixisset, credo, ulterius tempora perduxisset. Siqua recentius seculum indicare videntur, ea fortassis addiderint juniores. Vel hoc verum est; vel locum, quem dixi, transcripserit ex aliquo, qui Zimiscis tempore vixerit. Nam is mos Suidæ, ad verbum priores exscribere, neque mentione eos dignari. Nescio autem, quid in mentem venerit doctissimo Angelo Politiano, ut *epist. ad Bern. Ricium*, quæ legitur *lib.*11. dubitaret, an ullus unquam Suidas fuerit. Quam sententiam, quæ diximus, satis refellunt: Vossius. *Erat Suidas non admodum vetustus Grammaticus, nullius judicii, doctrina autem mediocris.* V. hunc *de Hist. Gr. lib.*2. *cap.*26. *&c.* Ita Montacutius *Exercit.* 7. *Sect.* 1. *E Scholiis Aristophanis, ut & ex aliis Grammaticorum promptuariis in acervum suum infinita congessit.* Ita Des. Heraldus *ad Arnob. lib.*3. Denique Casaubonus *not. ad Diog. Laert. Nihil facilius fuerit, quàm eum auctorem infinitis quibus scatet mendis liberare: quod tamen miror nequivisse videre virum eruditum ejus interpretem, cui, quum Suidas sæpissimè integras Laertii paginas describat, nunquam potuit hoc subolere: quod sanè miror.*

Suidnicium, Silesiæ opp. bello Germanico varias subiit mutationum vices. Hic Fridericus Elector Sax. tertiâ vice memorabile somnium habuit, de Monacho, qui Sanctis comitatus ad illum veniens, impetraverit veniam ostio Academico Wittebergæ quædam inscribendi: Scripsisse autem literis tam insignibus, ut Suidniciæ quoque scriptura legi posset; finem dein calami Romam usque se extendisse, & utramque Leonis X. aures penetrasse: sumptam verò fuisse pennam ex ala anseris Bohemici. An. C. 1517. pridie ejus diei, quâ Lutherus c. Tecelium *Theses* defendit. Latius. *Suidnicius* Principatus, unus ex 16. Silesiæ, ut habet Cluverius, obtigit in divisione hæreditatis paternæ, Boleslao seu Bulconi, Boleslai Sævi filio, Henrici, cui Lignicius obtigerat, fratri, An. C. 1278. Hic Brigam, & alia in sua ditione, munivit. Wenceslaum Bohemiæ R. qui cùm adoriri volebat, terruit, primus in Silesia juris feudalis Germ. & tributorum auctor: extinctus est An. C. 1301. Ejus filii Bernardus *Suidnicia*, Boleslaus verò Monsterbergicæ lineæ, satores fuere. Quorum ille Bohemis se strenuè opposuit, & cùm reliqui An. C. 1327. ipsis jurassent, solus Polonis adhæsit. Mortuus An. C. 1347. Pater fuit ex sorore Vladislai I ostici Boleslai atque Henrici, qui cùm Patrem imitati Bohemiæ obsequium detrectarent, Boleslaus An. Ch. 1345. Suidniciæ à Johanne R. obsessus, eum depulit, Landshutâ recuperatâ. Nec tamen cessavit eum Carolus IV. vexare, donec Boleslaus ei neptem ex fratre Annam, cumque ea Ducatuum successionem An. C. 1353. polliceretur. Ita extincto sine prole Principe Carolus IV. principatus crevit, sub quo Silesia reflorescere & magis Germanico mori assuefieri incepit. De Boleslao Bernardi fratre, V. in voce *Monsterbergium.*

Suilius Cæsonius, libidinum Messalinæ particeps; patefactis ejus flagitiis protectus est vitiis, tanquam in illo fœdissimo cœtu muliebria passus. Tacit. 11. 36.

Suilius, prænomine *Publius*, Germanici Germanico bello Quæstor; Claudio imperitante accusator terribilis ac venalis. Ejus opprimendi gratiâ repetitum SC. pœnaque Cinciæ legis adversus eos, qui precio causas oravissent: Eidem omnis Claudii sævitia objecta. Quare ademptâ bonorum parte in insulas Baleares pulsus est. Tacit. 14. 42. &c.

Suinburgum, opp. amplum Fioniæ, in ejus parte Mer. contra Tassingam Ins. 5. leuc. Dan. ab Ottonia in Austr. 8. ab Haderslebia in Ort. Cum portu utcunque capaci.

Suinfurtum, opp. Imp. in umbilico Franciæ Or. à Suevorum trajectu, cùm sub Tiberio Imp. in Rhætiam transierunt; quasi *Schwabenfurt* dictum. Olim sub Marchionibus, quorum primus Bertholdus Hennebergensis Comes ab Ottone III. Marchio creatus est: post cujus obitum civitas ad Ottonem, qui Marchio seu Burggravius *de Suinfurt* appellatus est, pervenit, reversa exin ad Hennebergenses. Postea Würceburgensis Præsul Hennebergensem Com. eò compulit, ut jus in civitatem ex parte sibi cederet, An. Ch. 1254. Alii referunt, Ann. Ch. 1300. ab Alberto Imp. arcem cum Civitate, & An. C. 1310. ab Henrico VII. Imp. Bertholdo Comiti Hennebergico eam oppignoratam esse: Civitatem autem postea seipsam redemisse, sicque Imperio rursus accessisse. Bicipitis aquilæ gaudet insignibus. Plura Vid. apud Limnæum Enucl. *lib.*4. *cap.*54.

Suintilus, vel *a*, vel Chintillanus, seu Senzila, ut Fredegario dicitur, Rex Wisigothorum in Hisp. coronam Recaredo II. eripuit, An. 621. Ingenio hic & animi magnitudine inclytus, Romanos totâ Hispaniâ exuit, hinc Rex illius primus dictus: imo & pater pauperum. Dejectus à Sisenando, cui Chintilla, ac mox Tulga successit, Obiit An. 631. regni 10. Isidorus *in Chron.* Mariana *Hist. Hisp.* Rodericus Tolet. *in Chron.*

Suinum, Piceni fluv. ultra Truentum in Aprutio ulter. Angolum urbem alluens, ac inter Vomanum ad occ. & Aternum ad ort. in mare decurrens. *Sino* ex tab. recent: aliis *Salino* vel *Salinello* dicitur. Baudrando ortus ex Apennino monte, Civitatulam rigat, & paulo infra Juliam novam, in mare Adr. se exonerat. 7. mill. ab ostio Truenti in Mer.

Suiones, pop. Germ. in orâ maris Baltici in Pomeraniâ, inter Lemovios & Rugios. Willichius Suedos interpretatur.

Suirius, *Sewer*, fluv. Hiberniæ, in Momonia. Oritur in limite Lageniæ, in Comit. Triperariensi, ubi Cassiliam & Carricum rigat; dein paulo infra Vaterfordiam Byrgo mixtus, cum ipso in mare Hibern. cadit.

Suiffatium, Vid. *Sueffasium*.

Suitha, Vid. *Sueta*, & *Capitolias*. Ibi reg. Trachonitis incipit, Hermon & regn. Balan versus.

Suitium, seu *Suitia*, vicus amplus Helvetiorum in Turgovia, ad Mutam amnem, 2. m. p. à lacu Lucerino & 18. à Lucerna in ort. Glaronam versus totidem. Caput Pagi cognom. unius ex XIII. qui vicorum congeries est, sicut Uria, interclusa montibus, longè tamen, quàm Uria, situs amœnioris faciliorisque aditus, & extenditur inter Lacum Tigurin. ad Bor. & Lucerinum ad Austr. interque Pagum Glaron. ad Ort. & Tugiensem ad Occ. Gentem non minus ac Urienses, è Tauriscis oriundam dicit Guillim. *l.3.c.2.* sed postea Cimbrorum i. Suecorum reliquias illa insedisse loca; Horum ducem, ex tribus unum, *Suiterum* nominat Stumpfius, *lib.6. de Turgovia cap.*28. unde genti nomen. Alii *Suitios* à Suitonibus, Aquilonari Sueviæ, gente sec. Tacitum: vel à Suessiis, Germaniæ pop. juxta Martianum, appellatos malunt. Iis unà cum Uriis, Underwaldiis & Haslensibus Ludovicus Pius, rogatu Pontificis Rom. propter fidelem fortemque operam bello Saracenio urbi Romæ, circa An. Ch. 829. navatam, *αὐτονομίαν* multasque alias immunitates: Pontifex quoque insignia, quibus hodieque utuntur, in rei præclarè gestæ monimentum concessit. Bis enim, duce Guidone quodam Marchione Italico, in Italiam transgressi, non solùm conciderant magnam Saracenorum partem, verùm & prædam ingentem, quâ potiti erant, D. Petri templo, quod ab hostibus spoliatum fuerat, magno animo, donarant. Confirmarunt dein concessas immunitates, novâque accessione auctiores reddiderunt Fridericus II. Imp. in obsidione Faventiæ, An. Ch. 1240. Rudolfus An. Ch. 1291. & Henricus II. An. C. 1309. Ad libertatem itaque tuendam, cùm ei plurimi insidiarentur, primum cum Uriis & Tigurinis fœdus ineuntes in triennium, An. Ch. 1251. postea interregni tempore rebus in Imperio turbatis, tres pagi, circa An. Ch. 1260. Rodolfum Habsburgicum, qui postea Imperator factus est, ad defendendam armis, si opus esset, libertatem numerato annuo stipendio, ducem sibi ascivere: cujus, aliis bellis occupati, auctoritate cùm Nobilitatis insolentia compesci non posset, Nobiles qui injustam vim aliis intulerant, regione ejecerunt, quo bello pagi omnes suarum regionum aditus primùm munire cœperunt: & *Suitii* quidem in monte Sella, vulgò *Sattel*, turrim extruxere, viamque publicam vallo & fossâ munivere. Rodolfus dein Imperator, nomine Imperii, pagis Præfectos dedit, qui quotannis semel atque iterum evocati, illuc juris dicendi causa profecti sunt: libertate interim pagorum illæsâ, unde idem Imp. *literis datis* Badæ An. C. 1291. disertè *liberæ conditionis homines Suitios* vocat. Verùm filius Rodolfi Albertus, novum in Helvetiis principatum molitus, postquam plurimorum Cœnobiorum Advocatias in se traxisset, Comitesque & Barones in Helvetia plurimos, ut se in clientelam familiæ Austriacæ traderent, sollicitasset, idem Suitios postulavit, omnia secunda pollicitus. Quod cùm hi à Wernhero Com. Homburgico præmoniti, re cum Uriis & Underwaldiis deliberatâ, renuissent, offensus Imperator, Præfectos misit, qui arces extruerent, & intolerandis imperiis patientiam populorum tentarent. Factum utrunque, & sæviit aliquandiu apud Suitios & Urios Grisleri, sicut apud Underwaldios Landebergii, tyrannis. Interim fœdere decennali Suitii cum Comite Homburgico facto, gravius offendêre Imper. unde ira implacabilis, & sævitia Præfecti indies major, donec ex Suitiis Wernherus Stouffacherus, vir nobilis & magnæ auctoritatis, minacibus Grisleri contumeliis plus satis exagitatus, hortante uxore magni animi fœminâ, ad patriam ab intolerando hoc jugo liberandam animum applicuit, & cum Walthero Furstio Urio, ac Arnoldo Underwaldio reliquis duobus fœderis Helvetii Principibus, jurejurando se ad tam ingens opus astrinxit. Sic Kal. Jan. Ann. Ch. 1308. arcibus feliciter eversis pulsisque Tyrannis, iterum regionibus Libertatis sidus affulsit, quo hodieque cum reliquis *Suitii*, quinto inter Cantones loco, per Dei gratiam fruuntur, tantumque fortitudine suâ, & quia in illorum finibus primò pro libertate pugnatum, meruere, ut omnes hinc Helvetii *Suiceri* vel *Suitenses*, V. supra, dicantur. Latinos autem sequuntur ritus, & eodem fere modo, quo Uranii, Remp. suam administrant. Regio illorum in partes 6. quas *Quartas* vocant, divisa est: è quarum unaquaque præcipuus Senator & præterea Ammanus VII. Virorum & arcanum dictum consilium constituunt. Emtionis jure sibi à Comite Eberhardo Habspurgico compararunt varios vicos, An. Ch. 1309. ut, *Arth*, Cussenacum *Küsnach*, &c. Cum Glaronensibus Uznacum & Castra Rhætica: cum Uriis & Undervvaldiis, cum quibus, debellatis Morgatensi prælio Austriacis, æternum iniere fœdus An. Ch. 1315. Bilitionum, Vallem Bruniam & Rivieram: cum reliquis 6. pagis vett. Turgovienses & Rhegulscos, Liberas Prov. Sarunegaunenses: cum 7. pagis Aquensem Comitatum, cum omnibus Præfecturas Transalpinas communi jure possident. Fœdere præterea Abbati Sangallensi, ab Ann. 1311. & opp. Sangallo ab Ann. 1454. juncti sunt. Ipsi quatuor olim habuere præfecturas Marchiam, Regionem ad Eremitanæ Virginis Fanum, Cussenacum & viculos ad lacum Tigurinum, qui villarum nomen habent, *die dinghöf*, sed duæ priores jure quasi municipali donatæ sunt, ac è suo numero Magistratus eligunt: mittunt tamen quotannis ad conventum totius pop. Suitensis pro more legatos, sibi jus eligendi Magistratus de novo petentes. Mittunt quoque Suitenses singulis annis ad festum Glaronensium Legatum, propterea, quòd triginta illorum commisso ad vicum Navalium prælio, cujus memoria eâ festivitate recolitur, interfuerunt. Vid. Stumpfium, Simlerum *de Rep. Helvet.* Job. Bapt. Plantinum *Helvet. Nov. Antiq.* &c. Glareanus *in Panegyr. Helvetiæ*,

Suitia bellipotens, in magnis inclyta rebus,
Et bello & pace immensos perpessa labores.
Semper in Alpinis toto ævo exercita lustris
Figit apros, certatq; ursis cursuq; volanti
Prævertit damas, cogitq; in retia cervos:
Ocia nulla sciunt juvenes, nulla ocia adulti;
Scandere ni montes, & duro vincere cæstu
Ocia quis dicat. Studium hoc ô Gotthica nobis
Terra dabas, quando Italicis te sustulit oris,
Horrendasq; tulit dux Byzantinus in Alpes.
Post quoq; difficiles omnino exosa tyrannos,
Arma secuta modis Uri Guilielmia miris.

Sulcardus Westmonasteriensis, floruit sub Guilielmo Conquestore; Monachus Cluniac. Scripsit Chronicon, Homilias, epistolas, alia. Obiit An. 1070. Pitseus, *de ill. Angl. Script.*

Sulcerus Simon, Theologus Basiliensis, & Ecclesiæ ibidem, post Oswaldum Myconium, per ann. 33. Pastor, Obiit An. C. 1585. æt. 77. Ei in S. ministerio successit Job. Jacobus Grynæus, Bucholc. *Ind. Chronol.*

Voce gregem pavi, dextrâ solatus egenos;
Post funus vivit Fama benigna meum.

Sulchi, Sardiniæ urbs notissima. Strabo *lib.* 5. ubi de Sardiniâ: Πόλεις δ' εἰσὶ μὲν πλείους, ἀξιόλογοι δὲ Κάραλις, καὶ Σουλχοί. Pomponius 2. 7. *Sardiniæ urbium antiquissimæ Caralis & Sulchi.* Pausanias *in Phocicis*: Ὤκισαν δ' ἐν τῇ νήσῳ καὶ αὐτοὶ πόλεις οἱ Καρχηδόνιοι Κάραλίν τε καὶ Σύλχους. Claudianus *de bello Gildonico*:

Pars adit antiquâ ductos Carthagine Sulchos.

Stephanus: Σοῦλχοι, πόλις ἐν Σαρδοῖ, Καρχηδονίων κτίσμα. Inde *Sulcitana* Inf. *Isola di S. Antiocho.* Pop. *Sulcitani* Plinio & Hirtio, Σολκιτανοὶ Ptolemæo, qui eos etiam μεσημβρινωτάτους, h. e. *maximè Australes* vocat. *Sulchis* autem inquit Bochartus, nomen fecit Syrum צולקא vel שולקא *sulka*, i. e. *exustio*, quia cùm urbs sit in insulæ parte maximè Australi, Noto plane est exposita, à quo Sardinia valde infestatur. Pausanias ubi supra: Ὁ δὲ ἀὴρ ὁ ἐνταῦθα θολερός τε ὡς ἐπίπαν ἐστὶ καὶ νοσώδης, &c. Claud.

Hinc pestifer aer
Sævit & exclusis regnant Aquilonibus Austri.

Sulcitani, Vid. *Solci*.

Sulcitanus Sinus, *Golfo di Palma*, pars maris Sardoi, in ora Aust. Sardiniæ, Africæ obversa, prope Sulcis rudera & Enosim Inf.

Sulga, seu *Sulgas*, fluv. parvus Comit. Vindaxini, in Rhodanum cadens, supra Avenionem, *la Sorgue.* Baudrand. Oritur ex magno fonte, Petrarchæ carminibus tantopere celebrato, *fontaine de VauCluse*, à proximo opp. quod alluit: dein Caprarias attingit *Cabrires*, Insulam *l'Isle*, locum à situ denominatum & in Inf. Sulgæ positum, Pontem Sulgæ, Portum Tralliæ *Port de Traille*: ac demum Rhodano miscetur: ad quos confluentes, circa urbem Vindalum, cui destructæ jam Portus Tralliæ successit, Allobroges à Cn. Ænobarbo victi sunt, Florus in *Liv. lib.*61. *epit.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sulla, Claudii, per nuptias Antoniæ, gener. Tacit. 13. 23. quem Nero suspectabat maximè, secors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque & simulatorem interpretando, Quare fraude *Grapti*, insidiarum in ponte Milvio structarum Neroni, accusatus & quasi convictus esset, Massiliam relegatus est. *cap.* 48. *Ibid.* Ubi instinctu Tigellini pervectis percussoribus jussu Neronis interfectus est P. Marlo, L. Asinio Coss. *Ibid.* 14 57.

Sulla, Mathematicus fuit, qui Calligulæ consulenti de genitura suâ certissimam necem appropinquare affirmavit. V. *Sylla*.

Sulliacum seu *Sullium*, opp. prov. Aurelianensis, ad Ligerim cum arce magnifica, & tit. Duc. 8. leuc. supra Aurelias in Ort. in ipso limite prov. Bituric.

Sulloniaca seu *Sullomaca*, Anton. Camdeno est locus, in agro Herfordiensi, juxta *Ellestre* pag. & *Brockley-hill* collem, non multum *Edgevvorth* distante in Middlesexia.

Sullucum, Numidiæ Urbs. Anton.

Sulmo, *Sulmona* & *Solmona*, opp. Pelignorum in 4. reg. Italiæ, nonagesimo ab urbe distans lapide; Ovidii poetæ patria, ut ipse testatur *Trist.* 4. 10. Græcè apud Ptol. scribitur Σουλμῶν. Quod Latino formatum ore *Sulmo*. At apud Strab. *lib.* 5. accusativus casus legitur Σούλμων, corruptè forsan pro Σούλμωνα, à recto casu Σούλμων. Quidpe Latinis auctoribus pariter omnibus constanter dicitur *Sulmo*, *Sulmonis*. Baudrando urbec. est Episc. Aprutii citer. 26. m. p. ab Aquila in Eur. 30. à Venafro in Bor. Cum tit. Princ. gentis Borghesiæ. Unde Cæsari *belli Civ. lib.* 1. & Plinio 3. 12. itemque Juvenali *Sat.*6. opidani *Sulmonenses*. Ovid. *Pont.*4. 14.

Gens mea Peligni, regioq; domestica Sulmo.

Aquis, isque frigidis abundabat. Ovid. *Fast.*4.

Hâc ego Pelignos, natalia rura petebam;
Parva, sed assiduis humida semper aquis.

Idem 2. *Amor. eleg.* 16.

Me pars Sulmo tenet Peligni tertia ruris;
Parva, sed irriguis ora salubris aquis.

Et *Trist.* 4. 10.

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis
Millia qui novies distat ab urbe decem.

Silius *Ital. lib.* 8.

—— Conjungitur acer
Pelignus; gelidoq; rapit Sulmone cohortes.

Sulmonensis puella, pro rusticâ puellâ apud Juvenalem:

De Sulmonensi mera Cecropis. ——

Porro idem Ovidius *Fast. lib.* 4. à *Solymo* Phryge *Sulmonem* conditum, denominatumque fabulosè fingit,

Serus ab Iliacis, & post Antenora, flammis
Attulit Æneas in loca nostra Deos.
Hujus erat Solymus Phrygiâ comes unus ab Idâ:
A quo Sulmonis mœnia nomen habent:
Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, nostræ,
Me miserum, Scythico quàm procul illa solo est.

Silius Italicus *lib.* 9.

Xantippo captus, Libycis toleraret in oris
Servitium Satricus. Mox inter præmia regi
Autololum dono datus ob virtutis honorem.
Huic domus & gemini fuerant Sulmone relicti
Matris in uberibus nati, Mancinus, & unà
Nomine Rhœteo Solymus, nam Dardana origo
Et Phrygio genus à proavo: qui sceptra secutus
Æneæ, claram muris fundaverat urbem,
Ex sese dictam Solymon, celebrata colonis
Mox Italis paulatim attrito nomine SULMO.

Verùm hanc fabulam, ex nudâ vocabulorum similitudine confictam Virgilius etiam risisset: qui omnes Æneæ comites in unum confert Latium. Nisi fortè eorum heic amplectenda sit auctoritas, qui ut habet Dio Chrysostomus *in oratione de Ilio non capto*, totius Italiæ Æneam fecere Dominum. De cætero miseram jam hujus opidi calamitatem, quam bello civili inter Marium & Syllam perpessum est, narrat Florus 3. 21. Cluv.

Sulmo alter, *Sermonetta*, opp. Latii, inter Velitras & Privernum, ferè 13. m. p. cum Duc. tit. Sed hunc interiisse scribit Plin.

Sulpicios, gentem, Cameriâ Latinorum oriundam fuisse, cognomen Camerini, quod primum frequentavit, indicat. Cameria autem, sub Romulo, Romana colonia facta fuit. Quare haud absurdum est, hanc gentem à Romulo in urbem evocatam atque inter secundæ lectionis Patres relatam, quæ postea Romæ nobilissima fuit, cognominibus Camerino, Cornuto, Petico, Longo, Saverrione, Paterculo, Gallo, Maximo, Prætextato & Rufo ornata. Quæ multiplices Consulatus, Censuras, Triumphos & Dictaturas Romæ est consequuta. V. *Sulpitius*.

Sulpitia, Paterculi filia, & Fulvii Flacci uxor, fœminarum pudicissima fuisse matronarum sententiâ judicata est, quæ simulachrum Veneris ex Sybillinis libris dedicaret. Plin. 7. 35.

Sulpitia, vel *Sulpicia* poetria, sub Domitiano, cujus satyra extat unica. Sed castos præterea amores scripsit marito Calæno. Meminit eorum præter Martialem, (qui *libr.* 10. *epigr.* 35. & 38. impensè laudat) Sidonius Apollinaris *carm.* 9. Credit Vossius ex iis esse illud apud Juvenalis interpretem, *in Sat.* 6.

Ne me cadurcis destitutam fasciis
Nudam Calano concubantem proferat.

Calæni mariti ipsa meminit *in Satyra*, ac Martialis quoque *ep.* 38. *lib.* memorati. Est ejus de sese *in eadem Satyrâ*,

Primaq; Romanas docui contendere Graiis.

Sulpitia Prætextata, Crassi à Regulo subversi uxor. Tac. *Hist.* 4. 42.

Sulpitius Alexander, Scripsit Historiam Gall. teste Gregorio Turon. *Hist. lib.* 2. *&c.*

Sulpitius Asper, centurio Prætoriæ cohortis promptissimus conjurationis in Neronem. Tacit. 15. 49. Ideò caput amputatur. *cap.* 68.

Sulpitius Camerinus, Africæ proconsul, sævitiæ in provinciales apud Neronem accusatus; tum absolutus. Sed paulò pòst cum filio interfectus. Vid. Tacit. 13. 52.

Sulpitius Florus, vide *Florus*.

Sulpitius Galba, Avus Imperatoris, varia edidit ingenii monumenta. Sueton.

Sulpitius Gallus, Astrologus, qui in exercitu P. Æmilii contra Perseum, deprehensam noctu Eclipsim Lunæ mirantibus militibus enarravit. Plin. 12. 2. & Cic. *lib.* 1. *Off.*

Sulpitius Quirinius, prænomine *Publius*; qui Æmiliam Lepidam habuit uxorem; affinis Libonis, cui extremas preces ad Tiberium mandavit. Tacit. 2. 31. Nihil ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militiæ & acribus ministeriis, Consulatum anno Urbis 742. cum M. Valerio Messallâ sub Divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti: Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Defunctus Tiberii Augusti quarto & Drusi secundo consulatu: ejus mors ut publicis exsequiis frequentaretur, petiit Cæsar.

Sulpitius Rufus, ludi procurator, tanquam adulterii Messalinæ conscius, à Claudio ad supplicium tractus. Tacit. 11. 35.

Sulpitius Rufus, prænomine P. frater Servii Sulpitii JCti, legatus C. Jul. Cæsaris in Galliâ.

Sulpitius Severus, presbyter, discip. S. Martini, Aquitanus, vixit in conjugio. A S. Martino visitatus, ei adhæsit, illoq; defuncto, Tolosæ aliquandiu moratus, dein in Galliam Narbon. se recepit: Paulino Episc. Nolano famil. Scripsit epitomen Historiæ sacræ, à M. C. usque ad C. N. imo & trium primorum à CHRISTO nato secul. res gestas exposuit. Ob styli elegantiam, Sallustio & Tacito comparatus, magnique apud Eruditos habitus: Scripsit quoque dialogum de Eremitis Ægypti, ad quos Posthumianus, amicus ejus, triennio ante iter susceperat. Tandem à Pelagianis seductus est, sed ad se rediisse, & perpetuo silentio culpam eluisse, dicitur. Obiit An. 419. vel 420. circiter. Malè confunditur cum *S. Sulpitio I.* Episc. Bituricensi, Remedii successore, qui Concilio Matisconensi interfuit, A. 585. eruditus, & Poëseos non ignarus. Gregor. Turon. *lib.* 1. *de mir. S. Mart. & l.* 6. *Hist. cap.* 39. ut & cum *Sulpitio II.* Pio, qui Concilio Remensi interfuit, An. 630. Vid. de his tribus Paulin. *in Epist.* Hieron. *in cap.* 3. *Ezech.* Augustin. *ep.* 25. Gennad. *de Vir. Ill. cap.* 19. Idacium *in Chron.* Aimon. *Hist. lib.* 4. *c.* 16. Hon. Augustod. *de Lum. Eccl. l.* 2. *c.* 19. Voss. *Hist. Lat. l.* 2. *c.* 12. Autaxerrem, *rer. Aquit. l.* 5. *cap.* 6. 8. Georg. Hornium, *in edit. Sulpitii.* Barthium, Scaligerum, Gesnerum, Possevinum, &c.

Sultzbachium, vulgò *Sultzbach*, oppidul. Palatinatus super. cum tit. Princip. vix 2. mill. Germ. ab Amberga in Circ. Accepit id Augustus, alter Philippi Ludovici, Principis Neoburgici fil. pactis cum fratre Wolfg. Wilhelmo Neoburgico initis, Ann. Ch. 1615. Obiit An. C. 1632. Pater Christiani Augusti, qui Helmontii consuetudine corruptus à religione Evang. An. C. 1656. defecit: & Philippi, qui natus A. C. 1630. sub Lotharingicis primùm meruit, dein Suecis fidam operam navavit, victus in Fionia, An. Ch. 1659. Venetis postea inservuit, Turcico tandem bello, in conflictu ad Arrabonem, prope Gottardi Fanum egregiè rem gessit. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.*

Suma, castellum Persarum circa Tigrim alicubi videtur apud Zosimum *lib.* 3.

Sumachia, seu *Scamachia*, caput Servaniæ prov. in Persia, versus mare Caspium, & confinia Georgiæ. In valle, intra montes. Vid. Olearium.

Sumara, opp. Forojuliensium.

Sumatra, Ins. ampla Asiæ, una ex tribus Sindæ Ins. In Oceano Ind. ad Austrum Aureæ Chersonesi seu penins. Indiæ ulter. à qua separatur freto Malacensi, 26. m. p. ad Ort. ubi etiam ad Mer. separatur à Java freto Sundæ 20. m. p. circiter. Oblonga est, & extenditur à Circio in Eur. per 850. m. p. nempe ab Acemo ad fretum Sundæ. Insula hæc mineris ditissima, aurum, argentum & metallum tormentis longè optimis fundendis commodum generat. Visitur ibi mons globos igneos evomens, sulphuris minerâ nobilitatus: affirmant fontem in eadem esse insula, qui balsami pretiosissimi oleo scaturiat. Est insuper insignis perenni fonte, ex quo Naphtha, instar olei, manat: & excelso conspectu montem *Balaluanum* incolæ vocant, qui, ad similitudinem Siciliensis Ætnæ, fumum & flammas horribiles evomit. Regio est, ob frequentiam fluminum, ac paludum, nemorumque censissimorum, gravi admodum cœlo, ac præsertim advenis vehementer infecto. Præcipua regna hujus Ins. sunt *Achem*, *Camper*, *Jamby*, *Menancabo*, *Pacem*, *Palimban* & *Pedir*. Totius Ins. urbs præcipua *Achem*, in parte Bor.

Sumerium, locus Septimaniæ, vulgò *Sommieres*: suum habet Vicariatum, positusque est in Volcis Arecomicis, diœcesique Nemausensi: non procul à Salvia oppidulo & Vicariatu *Viguerie* pagi Nemausensis. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Sumina, olim quoque *Samarus*, vel *Samara*, fluv. Galliæ, *Frudis* Ptolomæo dictus, oritur prope vicum Fontem *Suminæ* inde dictum, vulgò *Fon Somme*. Alluit Augustam Veromanduorum *S. Quentin*, Brajum, Hammum, *Han*; inde auctus Dalmanniοne *Daumignon*, Parronam Veromanduorum præterlabitur, tum Brajum alterum *Bray sur Somme*, Bosonis Curtem *Bousencourt*, Corbejam, ad Corbejæ, aliàs Incræ *Encre* & Suminæ confluentes, Albiniacum, Blangiacum, Samarobrivam Ambianorum caput, ubi Aurinam *Auregne* & Sallam *Selle* fluv. recipit: inde Hammum minorem *Hen*, Pinqueniacum *Pequigny*, Calciatam *la Cauchie*, Spinetum *Espinoy*, Pontum Remigii *Pont Dormy*, Abbatis Villam alluit & infra Monaster. ac opp. S. Walarici, quod olim Leuconaus vocabatur, *S. Valery*, in Oceanum influit. Vulgò *Somme*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Suminga, urbs Quansiæ, sub Rege Tunchini. Incolis *Simhoa*, subsunt ei 5. urbes. M. Martin.

Summa-Harna, vicus Galliæ ad caput Harnæ, vel Arnæ fluvioli, in Suppiam effluentis: Vulgò *Somme-Arne*, aliàs à Patrono loci *Saint Estienne d'Arne*: Sic *Summa-Turba*, villa Galliæ in pago

Porcensi, &c. de hac voce *Summa* V. Hadr. Valesium, qui Massopum corrigit, *Not. Gall. in voce Vidula.*

Summa Alpes, V. *Pœnina.*

Summanus, Pluto sic dictus, qu. *summus* Deorum *Manium*, ut in Nupt. Philolog. docet Capella. Huic Romani nocturna fulmina assignabant, quemadmodum diurna Jovi. Plin. 2. 51. Ovid. 2. *Fast.*

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur
Tum, quum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

Summarum, Æthiopiæ sub Ægypto opp. in Nili ripa. Ptol.

Summœnium, dicebatur locus lupanaris, quod ferè sub mœnibus esset: qu. *Submœnium.* Inde *Summœniana* meretrices dicuntur. Mart. 3. 30.

Conviva quisquis Zoili potest esse.
Summœnianas cœnet inter uxores.

Summum Pyrenæi, Zuritæ S. *Christina*, opp. Hisp. Tarr. in finibus Vasconum, & Aquitaniæ confin. quà Pyrenæus mons inter Hisp. & Aquitan. transitur, 14. leuc. à Pompelone: *Summus Pyrenæus* Anton.

Summuntorium. Lazio *Hohenvvart*, opp. Bavariæ inter Augustam 8. & Ratisbonam 9. leuc. 2. ab Ingolstadio in Aust. Nunc pagus cum Cœnobio. Anton.

Summuranum, Mazellæ *Castrovillarium*, op. Lucaniæ Medit.

Suna, vulgò *Souna*, insula est parva Scotiæ, & Orcadum Australium una, à Cathanesia extima Borealis Scotiæ parte decem ferè dissita milliaribus, & tribus tantum ab Australi Rhanalsia insula; estque in Pictico freto.

Sunam, *Sonna* Josepho, op. olim Palæstinæ, in tribu Issachar, ad latus Austr. montis Hermon, 11. à Bethsan mil. nunc pagus, *Torandolos Gabrarelis* hodie, teste Benjam. Tudelensi.

Sungani, ex Sequanis ii sunt pop. qui in campestribus habitant.

Sunanum, *Sunan*, urbs est Imperii Sinarum, in Queichea provincia, cujus tertium locum obtinet, ad radices montium; & ab ea pendet etiam altera urbs.

Sunda, portus est Insulæ Javæ majoris, à quo fretum, quod est inter illam & Sumatram, denominatur, abundatque pipere, quod Indico & Malacensi præstat: abundant ibidem thus, camphura, & adamantes. *Natal. Metel.*

Sunderburgum, vulgò *Sunderburg*, oppidum Daniæ in Jutia meridionali, & in insula Alsa, in mari Baltico & in ora Ducatus *Slesvicensis.* Arcem habet magnificam Ducum è familia Holsatiæ, 3. *leucis distans* à Flensburgo in ortum, à 5. & Slesvico in Boream, Ottoniam versus 8. & fere 2. ab alia arce Norderburgo in eadem insula. V. *Sonderburgum.*

Sundicum fretum, *Die Sund* seu *Ore Sund* Danis, *le Sond* Gallis, fretum maris Baltici inter Scaniam provinciam Sueciæ ad ortum & Selandiam Daniæ insulam ad occasum. Extenditur ad 50. m. p. à septentrione in meridiem. Ejus verò latitudo alicubi est 15. m. p. ubi major; sed inter Elsingoburgum Scaniæ & Coronæburgum Selandiæ est tantùm. 3. m. p. hicque naves transeuntes ex mari Baltico in Germanicum, seu è contra, demissis velis Regi Daniæ telonium solvunt Elsingoræ secundum taxam bonis impositam, quia aliter fulmine tormentorum arceri possunt ab ingressu & egressu.

Sundis, *Straelsundt*, urbs Pomeraniæ litoralis præclara, & emporium apud Rugiam insulam, ex Arconæ & Carenti urbium ejus insulæ propinquarum ruinis aucta, à Bardo urbe 4. in ortum, Gripsvvaldum versus ad 5. leuc. recedens. Ferr. Baudr. urbs est permunita Germaniæ in Pomerania citeriori, & in ora maris Baltici, cum portu contra Rugiam insulam. Frustra obsessa fuit ann. 1629. ab Austriacis duce Valstenio. Nunc juris est Suecici pace Monasteriensi. Distat 5. mill. Germanicis à Gripsualdia in Boream, uti 10. ab Anclamo, vix distat quarta parte milliarii Germanici à Rugia insula in meridiem, & ab ea separatur freto Gella dicto. Urbs est Hanzeatica, libera, & emporium celebre; cingiturque pro majori parte à mari & à lacu *Franckenteich.*

Sundus, Provincia regni Congiani, proxima regni metropoli Congo. Confinia ejus 40. milliar. ab hac civitate incipiunt, & extenduntur usque ad Zairem fluvium, ultra nimirum ejus cataractas, ambas fluvii ripas continentes, usque ad Anzicanam, versus Septentrionem: versus Orientem verò ascendunt fluvium Zairem, usque ad ejus, cum Brancatis, confluentes, & inde usque ad radices montis Christalli. Provincia hæc primaria est ferè ipsius regni patrimonium, unde etiam aut regis primogenitus, aut alius, qui ad regni successionem destinatus est, ei præficitur. *Natal. Metel.*

Sungkianum, vulgò *Sungkiang*, urbs est Imperii Sinarum, in Nanquinensi provincia, versus Cechianensem provinciam & oram littoralem Oceani Sinensis. Emporium est celebre, & ab ea pendent duæ aliæ urbes.

Suni, fil. Gad. Gen. 46.

Sunici, Tac. populi Germaniæ Inferioris, ad Rhenum; quorum oppidum *Zunis* seu *Zons*, & *Sunss*, teste Divæo, inter Coloniam Agrippinam 3. leucis, apud Durnomagum, Ferr. Baudrando, ubi postea Ubii, & hodie ditio Archiepiscopi Coloniensis; inter Rhenum ad ortum & Ducatum Juliacensem ad occasum.

Sunides, Chaldæus aruspex, in exercitu Eumenis, de quo Polyænus *lib.* 4. *fine*; apud Frontinum *lib.* 1. *cap.* 11. vitiose vocatur *Innides.*

Sunium, promunt. *Capo delle Colonne*, teste Sophiano, sic ob multas columnas marmoreas ibi existentes dictum, promunt. Atticæ inter Piræeum portum Athenarum ad occ. 37. m. p. cum opp. cognomine, teste Cicerone. Stat. *lib.* 12. *Theb.*

Linquitur Eois longè speculabile proris
Sunion. —— ——

Dionysius *vers.* 511.

Πρόσθε δ' ἐὶ Σουνιάδος κορυφῆς ἐφύπερθεν Ἀθηνῶν,
Φαίνονται Σαλαμίς τε καὶ Αἰγίνης πτολίεθρον.

Vide Ptol. *decima Europæ Tabulâ.* Strab. *initio lib.* 9. Pausan. *lib.* 1; itemque Aristophanem *pag.* 321.

Sunius, Arabica scripsit, quorum librum 4. citat Stephan. in Ἐδρεμαῖοι.

Sunonensis lacus, Amm. *Lago di Comidia*, lacus Bithyniæ apud Nicomediam urbem, qui Plinio Nicomediensis lacus dicitur.

Suntgoia, seu *Suntgovia*, vulgò *Suntgavv*; provincia Germaniæ, Alsatiæ annexa; quæ aliter *le Comté de Ferrette* dicitur ab ejus primaria urbe; subestque dominio Regis Franciæ pace Monasteriensi. Terminatur à septentrione Alsatia, ab ortu Rheno fluvio & pago Basileensi; à meridie ditione Episcopi Basileensis; & ab occasu Burgundiæ Comitatu. Ejus urbes sunt Ferreta, *Pfirt* seu *Ferreté*, Befordia, *Befort*; Malonis monasterium; *Masmunster*, & Mulhusia, *Mulhusen*, quæ tamen sui juris, & Helvetiis fœdere juncta; Vid. quoque *Sugintensis pagus.*

Suodona, Arabiæ felicis urbs, teste Ptolemæo; *Vodona* Interpretibus.

Supanus, al. *Sopanus*, Nobilis primarius, hæres Magnas apud Bohemos, unde Freberus esse docet *Pany* eorum, Spelmannus *Gloss. Archæol. in Superillustres.* Spec. Sax. *l.* 1. *Art.* 3. *Ad hunc modum clypeus seu cingulum militare in septimo terminatur: Primum quippe habet Rex Rom. Secundum Episcopi, Abbates & Abbatissa, qui* superillustres *dicuntur; Tertium Laici Principes, ex quo facti sunt Episcoporum subditi & vasalli, qui Illustres nuncupantur. Quartum nobiles & liberi Domini; Quintum obtinent prædictorum Nobilium vasalli, & etiam banniti: Ipsorumq; ulterius vasalli sextum.*

Supara, Indiæ intra Gangem urbs; teste Ptolemæo. *Uppara* videtur Arriano.

Superaquum, Lib. limit. oppidum erat Latii; in Pelignorum confinio, cujus populi *Superaquani*, & apud Plinium *Superequani*, Ferrar. Baudrando *Superaquum*, seu *Colonia Superaquana*, in Valeria, nunc est oppidulum *Castel vecchio Subequo* in Aprutio; in Valle Superequa, teste Luca Holstenio.

Superum mare, Cic. Plin. idem quod Hadriaticum: sicuti Inferum idem Tyrrheno est.

Suph, fil. Thau. 1. Reg. 1. Filius Elcana. 1. Par. 6. Nomen loci 1. Reg. 9.

Supha, fil. Helem. 1. Par. 7.

Supham, fil. Benjamin. Num. 26.

Suphtha, urbs Parthiæ. *Gestie* Theveto.

Suppentonia, castr. Hetruriæ, cum cœnobio, in finibus Faliscorum, inter Nepitam & Soracte, à Nepita vix 3. m. p. in Ortum; *Castel di S. Helia* Baron.

Supia, vulgò *Suippe*, fluv. Galliæ, in pago Remensi. Oritur ad vicum Summum Supiam *Somme-Suippe*, & Supiam municipium, quaternis quoque anno nundinis celebre, Juncarium *Joncheri*, Albam Ripam *Auberive*, Pontem Fabricatum *Pont Faverge*, Cellam, Warmerii Villam, Insulam, Alamannorum cortem *Aumencour*, Bertrici Cortem, Acutiorem Cortem *Agulecourt* alluit, atque apud Condate *Condé* in Axonam decurrit. Memoratur Frodoardo *in hist. Eccl. Remensis.* In illum influunt duo fluvioli, Pidus & Arna: quorum ille, vulgò *Py*, alluit vicos Summum Pidum *Somme-Py*, aliàs *Sompi* & *Soupi*, ad caput ipsius positum, vicum S. Mariæ ad Pidum; ad S. Sulpicium *S. Soupplé* & vicum S. Martini ac in Supiam effluit. Iste, vulgò *Arne*, ad fortem vicum, habet Summa Harnam *Somme Arne*, & attingens vicos S. Petri & S. Clementis, similiter in Suniam delabitur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Suprarbiense regnum Hisp. conditum à Garsia Gotho, post urbem Aynsam Saracenis ereptam, circa An. C. 729. Ei successit filius Garsias, An. Chr. 770. Sanctius postea Rex, à Mauris victus ac trucidatus, regnum Navarræ & Suprarbiæ amisit, An. C. 832. Vasæus *in Chron.* V. in voce *Sobrarbii.*

Suptarius, Hunnorum Rex, qui regionem Burgundionum cum multis millibus invasit. Huic ut resistere possent illi, fatris Christianis se initiari voluerunt; neque spe suâ sunt frustrati. Nam quum hostium Rex, per noctem, fuisset ciborum nimiâ ingluvie saburratus; Burgundiones gentem inimicam sine duce reperientes & paucitate plurimis resistentes conflictu superarunt. Nam quum essent istorum tria millia, circiter decem millia peremerunt.

Suptu, urbs Mauritaniæ Cæsar. Ptolem.

Sur, pater Cozbi, Madianitidis illius, quæ cum Zambri interfecta est in genitalibus, qui quidem Sur princeps erat Madianitarum. Item fil. Abigabaon. 1. Par. 11.

Sur, nomen portæ in templo Solomonis. 4. Reg. 11.

Sur, desertum, quod extenditur usque ad mare rubrum & ad Ægypti confinia, ejus multa in scripturis mentio est. Gen. 16. 19. & alibi. Hier. *in loc. Hebr.*

Sura Æmilius; Scripsit de annis Pop. Rom. Vellejo Paterculo teste, *lib.* 1. *cap.* 6. An idem cum Manilio Sura? de quo Plin. *lib.* 8. 10. 17. 18. 19. Vid. & *Papyrius Sura.*

Sura, Syriæ urbs juxta Euphratem. Item pagus Lyciæ, inter Myram & Phellum, ubi piscibus insidentes auguria exercebant, & responsa dabant, teste Plutarcho. Item urbs Phœniciæ. Steph.

Sura, fl. qui aquas suas in Mosellam evomit; supra Treviros 2. mill. Belg. hodie *Saur.* De hoc ita Ausonius *in Mosella:*

Namq; & Pronea Nemesaq; adjuta meatu
Sura, tuas properat non degener ire sub undas.

Alluit vicum Suram, non procul à suo capite, & Ascam *Esche*; inde Alisontiam Artarto præ cæteris auctum recipit, *Alsitz*, aliàs *Alsat*, Luciliburgi opp. flumen, mox Decciacum *Dechky* attingit, & apud Valdorphium *Waldorff.* Urtam minorem admittit, cui Urta Castellum & Vienna *Vianden* assident. Tum Andethannale *Echternach*, præterlapsus, Proneam & Nemesam, ac tertium quendam fluv. junctos accipit, ac demum apud vicum Bellicum, *Wasser Billich*, è regione Bellici super. *Oberbillich*, in Mosellam influit, supra Augustam Trevirorum. Pronea autem fluv. vulgò nunc *Prumia*, nomen dedit loco & Monasterio illustri, ad caput suum sito, ut & vicis Prumiæ, *Prum & Nider Brum*: recipitque Nemesam, *Nym*, qui Schoneckium, Villarim *Villers* & Bidburgum castellum præterlabitur, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Surata, urbs & emporium percelebre Indiæ intra Gangem, *Sirastra* fortè antiq. In ora Sinus Cambajæ, in regno *Guzaratte*, sub M. Mogole, 100. m. p. à Cambaja in Mer. cum portu capaci & valde ab Europæis frequentato. Nuper vastata; nunc indies restauratur.

Surdaones, Hisp. Tarrac. pop. Plin. 3. 3. quorum tractus *Campos de Cerdamna* à Varrerio indigitatur, in Cœretanorum finibus.

Surgeria, castellum Galliæ in Santonibus, vulgò *Sugeres*, aliàs *Surgeres.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Surena, Parthus, qui Tiridaten contra Artabanum insigni regio evinxit, Q. Plautio, Sext. Papinio Coss. Tacit. 7. 42. Idem nomen fuit Satrapi, qui Crassum decepit spe pacis. Polyæn. *lib.* 7.

Suria, Vid. *Syria.*

Suriaco, Urbs Ins. Mindanao. Nat. Metel.

Suricinium, monasterium pagi Tolosani, à Ludovico Pio inter ea numeratur, quæ solas orationes pro salute Imperatoris domusque Augustæ & pro stabilitate Imperii debent. Hic locus vet. Monasterio Abbatiali clarum, à soricum copia nomen accepisse videtur. Hodie *Soreze*: Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Suriel, fil. Abihaiel, princeps Moholitarum. Num. 3.

Suriga, Ptol. *Gozporto* Aug. Curioni, vel *Abet* Castaldo & Moletio, opp. Mauritan. Tingit. in ora Oceani Atlantici, inter Usadium prom. & Atlantem maj.

Surina, prov. Americæ Mer. inter confluentes Cayanæ & Cufiguaræ fl. in Amazonum flumen. P. Texeira. Item fluvius Sylvaniæ infra sylvam, in Helvetia, à quo Surichgoviæ nomen.

Surium, urbs Colchidis mediterr. *Asso* Moletio. Inter Saraceen ad Occ. & Zadrim ad Ort. apud Albaniæ confinia.

Surisna, vel *Sorisna*, vulgò *Surênes*, vicus est Galliæ, in pago Parisino, in Decanatu Castri Fortis, pertinens ad Abbatem S. Germani de Pratis, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Surius, Vid. *Laurentius.*

Surius, fluv. Colchidis, in Phasim fluens, & ligna in lapides convertens, Plin. Super quo *Surium*, à Phaside in Ort.

Surra, mel. *Surria*, Comit. Angliæ Merid. inter Middelsexiam ad Bor. à qua separatur Tamesi, Cantium ad Ort. Sussexiam ad Mer. & Hantoniam ad Occ. Ibi aliàs *Regni* ex parte. Hic nulla urbs alicujus notæ, licet ad Londini suburbia extendatur; *Surrey.*

Surregium, castellum Galliæ, Ararim attingens, hodie *Bellegarde*, à Rogerio de Bellagarda, cujus in gratiam Ludovicus XIII. in Ducatum & Pariatum *Surregium* evexit. Vulgò *Seure.* Est & vicus ejusdem nominis ad Ararim, inter Cabillonum Æduorum & Tinurtium positus, sed priori propior. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Surrentum, Campaniæ opp. perantiquum; quod etiam nunc vulgò incolis dicitur *Sorrento.* Memoratur Ennio, Diodoro, Straboni, Melæ, Silio, Plinio, Statio, Tacito, Suetonio, Frontino, Ptolemæo, Dioni, Tabulæ Itinerariæ. Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. *Herculanium, Pompeji: haud procul spectante monte Vesuvio, alluente verò Sarno amne: ager Nucerinus; & 9. m. p. à mari ipsa Nuceria: Surrentum, cum promuntorio Minervæ, Sirenum quondam sede.* Mela *lib.* 2. *cap.* 4 adverso litoris ordine: *Minervæ promuntorium, sinus Puteolanus, Surrentum, Herculeanum.* Ptolemæus: Νεάπολις. Πικεντίνων ἀμφὶ τὸν Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, Σάρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Σύρεντον. Hoc quidem falsò, atque imperitè sic tradidit Ptolemæus; nisi auctoritas ejus plus valeat, quàm reliquorum scriptorum omnium, qui Picentini agri initium statuunt post Minervæ promuntorium. Strabo *lib.* 5. Συνεχὲς δὲ ἐστι τῇ Πομπηΐᾳ τὸ Σύρεντον τῆς Καμπανίας· ὅθεν πρόκειται τὸ Ἀθήναιον ἀκρωτήριον. Ubi malim Συῤῥεντον, ut est apud eundem Strab. *lib.* 1. Diodorum *lib.* 5. ac Dionem *fine libri* 52. Unde Latini suum *Surrentum* formaverunt. Quin à *Sirenum* nomine (vide *Sirenes*) oppidi vocabulum deductum esse, maxime credibile est; quando illæ circa hæc loca sedem habuisse feruntur. Quod ipsum apertè adfirmat Statius *Sylv. lib.* 2. *carm.* 2. quo Pollii celebrat *Surrentinum* his versibus:

Est inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaq; Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,
Celsa Dicarchæi speculatrix villa profundi:
Quà Bromio dilectus ager; collesq; per altos
Uritur & prælis non invidet uva Falernis.

Cæterùm *Surrentini colles*, qui opido imminent, circumjacentque, vini præstantiâ maximè celebrantur. Ovid. *Met.* 15.

Inde legit Capreas, promuntoriumq; Minervæ,
Et Surrentino generosos palmite colles.

Statius *Sylv.* 3. 5.

Caraq; non molli juga Surrentina Lyæo.

Mart. *lib.* 13. *ep.* 110.

Surrentina bibis? nec Myrrhina picta, nec aurum
Sume; dabunt calices hæc tibi vina suos.

Columella *Rusticarum rerum lib.* 3. *cap.* 2. de vite Amineâ loquens, *Campania celeberrimos Vesuvii colles, Surrentinosq; vestit.* Strabo *lib.* 5. ubi nobilissima Campaniæ vina enumerat: Ἠδὲ καὶ ὁ Συρεντῖνος οἶνος ἁμιλλᾶται καινῶς τοὺς πειρασθείς, ὅτι παλαίωσιν δέχεται. Plin. 14. 6. *Ad tertiam palmam variè venere Albana vina, Urbi vicina, prædulcia, ac rara in austero. Item Surrentina, in vineis tantùm nascentia; convalescentibus maximè probata propter tenuitatem, salubritatemq;. Tiberius Cæsar dicebat, consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino darent: alioquin esse generosum acetum: Cajus Cæsar, qui successit illi, nobilem vappam.*

Sursejum, vulgò *Sursée*, opp. Helvetiæ, 1. à Sempaco mill. in Lucernatum clientela, ad egressum fluvii *Sur* è lacu Sempacensi, qui ab op. Sursejo quoque nomen trahens, à Mer. Septentrionem versus porrigitur. Habet proprium consilium, quod causas tam civiles quàm criminales judicat: cujus princeps *der Schultheyß* Sursejı Lucernatibus jurejurando se obstringit. Olim sub Nobilibus cognom. dein ad Habspurgicos pervenit, quibus prælio Sempacensi fidam navavit operam. Arx prope opp. ab Helvetiis capta An. Ch. 1388. ipsum dein à Lucernatibus occupatum, Ann. Ch. 1415. iisque ab Imp. concessum est: oppignoratum postea à Sigismundo Imp. Tigurinis cum Bada, Mellinga & Bremogarto, mansit nihilominus Lucernatibus ab illo tempore, Stumpf. *de Argovia lib.* 7. *cap.* 35.

Surta, urbs Armeniæ maj. Ptol.

Suruba, urbs Sarmariæ Asiat. Ptol.

Surunga, urbs Japoniæ, cum regno cognom. in Niphonia Ins. & Quantoa reg. in ejus o a Merid. Cardinus.

Surus, Æduus, qui & generis & virtutis summam nobilitatem habebat: solusque ex Æduis usque ad annum octavum in armis permansit, captus in Treviris à Labieno. Hirt. *lib.* 8. *cap.* 85.

Susa, nomen scribæ. 1. Par. 18.

Susa, prov. meridionalis regni Marochii, in ora Oceani Atlantici; *Sus* vulgò dicta à fluv. cognom. illum perlabente. Amœna est, fertilis, & dives. Ejus urbs præc. *Tarudante.* Reliquæ urbes Tejeuta & Tagavostum. Baudr.

Susa, orum, urbs Asiæ nobilissima, Susianæ reg. quæ, post Abradati mortem, à Cyro subjugata est. Xenoph. *in Cyrop.* caput & regia, à Tithono, Memnonis patre, condita, reparata à Dario, Plin. Ptol. Curtius; ad Eulæum fluv. inter Seleuciam magnam ad occ. 450. & Persæpolim ad ort. 275. m. p. ab Ecbatanis 450. in merid. De illa Dionysius:

Χωρὶς μὲν Κόσσος ἐστὶ μέγας, χωρὶς δὲ Χοάσπης,
Ἕλκων ἱερὸν ὕδωρ, τὸ δ' ... χθόνα Σουσῶν.

Ubi sis vide Montanum. Junguntur Susa & Ecbatana, quia ut æstivos dies in Ecbatanis, ita hybernos Susis agebat rex Persarum. Ita Xenoph. *Cyrop. lib.* 8. Strabo *lib.* 15. Plutarchus *de exil.* Athenæus *lib.* 12. Eustathius *in Dionys.* Aristides *in orat. de Româ.* Ut vel falli necesse sit, vel corruptum esse Ælianum *de An. lib.* 10. *cap.* 6. ubi Regem Persarum describit θερίζοντα μὲν ἐν Σούσοις, χειμάζοντα δὲ ἐν Ἐκβατάνοις, repugnante naturâ rerum. Ecbatanis enim æstate multo commodius degebatur, quia clima frigidius est quàm Susis, ubi aer æstivus est tam fervidus, ut lacerti & angues circa meridiem in viis intercepti ustulentur. Ita habetur apud Strab. Pop. Susiani, ob artem sagittariam olim clari. Prop. *lib.* 2.

Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis.

Claud. *de bello Gildonico:*

—— Nostraq; premant pharetrata secures
Susa. —— ——

Lucan. *lib.* 2.

—— Conjuret in arma
Mundus, Achæmeniis decurrant Medica Susis
Agmina. —— ——

Dicta autem putatur hæc vox, à liliorum copiâ, quæ illorum linguâ *Susa* dicuntur. Athenæus *lib.* 12. Κληθῆναι δὲ τὰ Σοῦσά φησιν Ἀριστόβουλος καὶ Χάρης διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου. Σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον, Stephanus. Σοῦσα, &c. κέκληται ἀπὸ τῶν κρίνων,

ρα, ὁ πολλὰ ἐν τῇ χώρᾳ πεφύκει ὄντα. Σοῦσον τι αὐτὸ καλοῦσι οἱ Φοίνικες. Etymologus: Σοῦσα ἡ πόλις ἀπὸ τῶν περιπεφυκότων κρίνων. Σοῦσα γὰρ τὰ λείρια λέγεται. Quod multo verius, quàm quod ibidem alii volunt, Susa dici ἀπὸ τοῦ ἐκπέμψαι αὐτὴν εἶναι, τοὺς γὰρ Σούσων τὸν ἵππον λέγεσθαι. Chaldæis quidem & Syris equus dicitur סוסא susa, & סוסיא Susia. Sed Scriptura differt à שושן. Ut taceam Susa nusquam ab equitatu commendari. Bochartus. Susa hodie Souster, Sanson. estque etiamnum urbs ampla Persiæ, ad Eulæum fluv. Tiritiri, versus montes. 180. m. p. à Bagdato seu Seleucia in Ort. paulo minus à sinu Persico in Bor.

Susa, opp. Pedemontii, ad montis radices.

Susalæ villa, seu *Susaleus vicus*, hodie *S. Pietro*; castrum Sardiniæ, in prov. Calaritana, 27. m. p. à Calari in Cæc.

Susana, opp. Hisp. Tarrac. quod & *Susanum*. *Campanillo*, teste Hieronymo Suritâ. Silius *lib.* 3.

At non Sarmaticos attollens Susana muros.

in confin. Arragoniæ & Castellæ vet.

Susanna, uxor Joachim. Item mulier quæ Christum sequebatur. Lucæ *cap.* 8.

Susanna Haberta, gente Galla; Hebraicè, Græcè, Latinè, Hispanice & Italicè docta: Philosophiæ perita, in S. Scripturæ & PP. lectione egregie versata. Scripsit explicationem Symboli Athanasii, tractatum de Precibus, & de Sacramentis: Item Catechismus, &c. Obiit An. 1633. Morer. *Diction. Hist.*

Susatum, urbs libera & Hanzeatica Westphaliæ, in Comitat. Marchiæ, 4. leucis ab Hamo in Ort. Paderbornam versus 7. ab Arnsperga in Bor. tribus; 7. à Monasterio in Mer. Marpurgum versus 14. *Soest.*

Susicatium, vulgò *Suschitz*, oppid. Bohemiæ versus Hercyniam sylvam, & limites Bavariæ, ad Ottavam amnem, medium ferè inter Pilsenam ad Bor. & Patavium ad Mer. 15. m. p.

Susdala, urbs Moscoviæ, 80. m. p. à Moscua, in Cæc. 130. à Novogradia parva in Africum. Caput provinc. cognomin. inter Rostoviam ad Occ. & Volodimiriam ad Ort. sitæ. Episc. sub Archiepisc. Rostoviensi.

Susiana, *Susis* Strab. reg. Asiæ inter Assyriam ad Occ. & Persidem ad Ort. cui Media ad Arctos incumbit, sinu Persico ad Austrum definita. *Susistan*, vulgò & *Cusistan*.

Susidæ pylæ, angustiæ montium, ex Susiana in Persidem ducentes. Qu. Curtius.

Sussexia, prov. Angliæ merid. ubi olim *Regni* ex parte. Terminatur à Sept. Surriâ, ab Or. Cantio, ab Occ. Hantoniâ, à Merid. mari Britannico. Extensa versus oram per 60. m. p. Urbs præcip. quæ est *Cicestria*.

Susudata, German. civitas, Ptol. *Wilsnach*, P. Apiano, in Marchiâ Brandeburgicâ, apud Albim, inter Havelburgum & Perlebergam ad Bor. 3. leuc. Aliis *Stetinum*. Vide ibi.

Sutala, filius Ephraim, Numer. *cap.* 26. Filius item Zabab, 1. Paralip. 7.

Sutherlandia, prov. Scotiæ Bor. versus oram maris German. inter Catanesiam & Strathaverniam ad Sept. & Rossiam ad Merid. urbs præc. Dunrodunum, *Dornock*, in ora litt.

Sutrium, *Sutri*, urbs prius Tyrrhenorum, deinde Romanorum. Apud Appianum *Civil bell. lib.* 5. Σούτριον corruptè legitur, quod imperitus Geographiæ interpres, unà cum sequenti voce χώραν male vertit *Insubrum regionem*. Oppidani Livio, Plinio & Frontino *Sutrini*: Σουτρῖνοι Stephano. A Romanis cùm defecissent, eos ad fidem reducendum mittitur Camillus, qui ut celeritate eos opprimeret, jussit milites 3. dierum commeatum secum ferre, teste Livio *lib.* 6. Hinc natum proverbium: *Quasi Sutrium eant*; apud Plautum *in Casina*, & Festum, cùm quid celeriter fit & instructe. Hinc etiam *Sutrius*. Sil. *lib.* 8. *Sutria tecta*. Coloniam Romanam fuisse, & quo tempore deductam, docet Vellejus *lib.* 1. *Post septem annos quàm Galli urbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est.* Nunc Urbec. Episcop. prov. Patrimonii, ad amnem *Pozzolo*, 5. mill. à Nepete in Occ. 3. à Capranica in Ort. Hic Concil. ab Henrico III. Imper. celebratum est, An. 1046. quo fœdum schisma trium Pontificum sustulit, electione Pontificis sibi reservatâ: quod etiam Clemens II. quem promoverat, confirmavit. Petr. Damianus, Sigon. *lib.* 8. Item An. 1059. contra Johannem Mincium, Antipapam, à Nicolao II. habitum, &c.

Suvidnica, urbs Silesiæ, caput Duc. cognom. ad fluv. *Westritz*, 30. mill. pass. ab Uratislavia in Occ. 25. à Lignitio in Mer. 12. à limite Bohemiæ. Satis munita, pluries tamen capta receptaque bello Germanico ultimo, *Schweidnitz*. Vide *Suidnicium*.

Suvolla, vide *Zuvolla*.

S Y.

Syagra, regio Ciliciæ prope Adum & Laërtem. Steph.

Syagrius, vir illustris, de quo Symmachus *lib.* 3. *epist.* 19.

Syagros, extremum Arabiæ Felic. promuntorium ad mare Rubrum, Plin. *lib.* 6. *cap* 23. Nunc *Cap Facalhad* incolis: in ora maris Arabici, 280. m. p. à Fartachio Urbe in Ort. Item loci nomen apud Sophoclem, à suum veneratione impositum. Græcis item *Syagros*, aprum significat.

Syagrus, primus bellum Trojanum carmine cecinit, ut ait Ælian. ποικιλ. 14. 21. Sed incertum, utrum fide id historicâ egerit, an, ut ab Homero postea factum, fabulosè. Vossius.

Syalis, urbs Mastienorum, Steph.

Syassus, vicus Phrygiæ.

Sybaris, Medi cujusdam servus, Justin. *lib.* 1. *cap.* 6 Ubi MS. *Sebares*. Sed leg. *Soebares*. Is autem est *Oebares*, Græce Οἰβάρης; utrumque enim dicitur. Sic *Androcottos*, *Sandrocottos*, *Merdis*, *Smerdis*, *Osthanes* Æschylo est Συσθάνης. Vossius.

Sybaris, M. Græciæ opp. inter Crathin & Sybarim amnes, ab Achivis conditum, Olymp. 17. An. 45. U. C. qui post Trojæ excidium vi tempestatis eò fuerunt appulsi. Nunc in ruinis. Situm erat in ora Sinus Tarentini, inter ostia Sybaris & Crathis, Baudr. Hujus olim tanta fuit potentia, ut quaternas proximas rexerit gentes, & 25. urbes suo subdiderit imperio, & contra Crotoniatas 300. hominum millia armarit, Strabo *lib.* 6. qui illos, sub Milonis auspiciis, vicerunt, urbe eversâ, An. 244. U. C. Sed hæc à Sybaritis denuo extructa, An. 308. *Thuriorum* nomen accepit: coloniis Atheniensium biennio pòst aucta. Rudera ejus, prope Sinum Tarentinum, *Sibari ruoinata*. Diod. Sic. *Bibl. Hist.* Athen. *lib.* 7. 12. & 13. Senec. *l.* 12. *de Ira*. Euseb. Plin. &c. Ejus quoq; mem. Ovid. *Met.* 15.

Præterit & Sybarim, Salentinumq; Neæthum.

Postea *Thurium*, ut dictum, & *Copia* vocabatur. Stephanus ex Strab. Θούριοι, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις, ὕστερον δὲ Κωπίας. Dionysius *vers.* 372.

Ἐκ δ' ἔτι που κείνοιο Διὸς μέγα χωσαμένοιο
Δειλαίη Σύβαρις, ναίεις σπλάγχνοισι πεσοῦσα,
Μηνιθμοῖς ὑπὲρ αἶψα ἐπ' Ἀλφειοῦ γεράεσσι.

Ubi quam exitii causam innuat Poeta, dum eos *Jove valdè irato* periisse indicat, hoc postea subjiciens de furiosâ Olympicorum præmiorum cupiditate, vix satis constat. Narrat vero Eustathius, eos τὰ ἐν ναῷ ἀναθήματα, dona Jovi Olympio dedicata, diripuisse; quæ Dionysio Ἀλφειοῦ γέρα vocantur, quòd Jovis Olympii templum positum esset in Olympiâ, quæ & Pisa, Elidis urbe, quam Alpheus fluv. alluit: urbi autem Olympiæ nomen impositum ferunt ab Olympo monte vicino, Thessalico Olympo cognomine: teste Strab. *lib.* 8. Hæc quidem commodissima videtur interpretatio, si qua melioris historiæ fide firmetur. Receptius tamen est (quod non modò Eustathius, verùm & Stephanus περὶ πολ. aliique tradunt) *eos oraculo monitos, Sybarim tunc interituram, cùm hominem plusquam Deum colerent, idq; evenisse cùm ab hero servus flagris cæsus primo in templum confugeret, nec tamen dominus à verberibus temperaret; cùm verò ad herilis patris sepulchrum confugeret, tum demum, monumenti paterni veneratione, abstineret.* Hinc, Jove irato, in perditissimam luxuriem eos ruisse ferunt, quam proximam fuisse exitii causam apud omnes constat. Oraculum, de quo modò dictum, ab Erasmo *in Chiliad.* è Stephano recitatur:

Εὐδαίμων Συβαρῖτα, πανευδαίμων σὺ μὲν αἰεί,
Ἐν θαλίῃσι θεῶν τιμῶν γένος ἄχρι κεν ἦσθα.
Εὖτ' ἂν δὴ πρότερον θνητὸν θεοῦ σεβίσῃς,
Τηνίκα σοι πόλεμός τε καὶ ἐμφύλιος στάσις ἥξει.

Cæterùm de luxu & mollitie Sybaritarum Plut. hoc refert *in convivio* 7. *Sap.* Συβαρῖται, ὡς ἔοικε, πρὸ ἐνιαυτοῦ τὰς κλήσεις ποιοῦνται τῶν γυναικῶν, Ὅπως ἐνσχολάζουσαι κατὰ σχολὴν παρασκευασάμεναι ἐσθῆτι καὶ χρυσῷ φοιτῶσιν ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Zenobius *Cent.* 5. Συβαριτικὴ τράπεζα [ἐπὶ τῶν ἐν πολυτελείᾳ. Τρυφηταὶ γὰρ οἱ Συβαρῖται. Idem ibidem, uti quoq; Diogenianus, *Cent.* 8. Συβαρῖται διὰ πλατείας] παροιμία ἐπὶ τῶν σοβαρῶς πορευομένων. Vide Cluverium *de Ital. Antiq. lib.* 4. *cap.* 14. Hinc *Sybariticus*. Ovid. 2. *Trist.*

Nec qui composuit nuper Sybaritida fugit.

Ubi opus intelligit Hemitheontis cujusdam cinædi, de generibus voluptatum, & obscœnarum libidinum.

Sybaris, *Cochile*, teste Barrio, & *Sabaro* teste Mazzellâ, fluv. M. Græciæ, ex fin. Bruriorum apud Muranum oriens, ac in sinum Tarentinum non longè à Crathi fluv. sese exonerans, Ferr. Oritur ex Apennino, in Calabria citer. & in Sinum Tarent. se exonerat, Baudrandus. Ejus aqua oves & boves nigros facit, sicuti contra Crathis albos. Plin. 31. 2. Aristotel. *in Mirandis*: Ὁ μὲν οὖν Σύβαρις τοὺς πίνοντας ἀπ' αὐτοῦ πτυρτικοὺς εἶναι ποιεῖ· ὁ δὲ Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους λευκαίνεσθαι. Idem habet Strabo *l.* 6. Pythagoras apud Ovid. *Met.* 15.

Crathis & huic Sybaris nostris conterminus arvis,
Electro similes faciunt auroq; capillos.

Sybennitica, præfectura maritima in Ægypto, Steph.

Syberos, urbs Illyriæ, Idem.

Sybota, num. plur. *Sivita* Sophiano, portus & opp. Epiri & insula apud Leucimnam promunt. Corcyræ inf. in orâ orientali. Aliam insulam hujus nom. Plin. ante Leucadiam locat. Apud illam ingens pugna navalis inter Corinthios olim & Corcyræos fuit, teste Xenophonte.

Sybra, Phrygiæ castellum, Stephan.

Sybrida, vicus in Erechtheide tribu.

Syburpores, vel *Suburpores*, Lybiæ gens, Ptol.

Sycæ, urbs apud novam Romam, Stephan.

Sycaminon, urbs Phœnicum, Idem. In Palæstinæ confin. inter Ptolemaidem ad Boream & Cæsaream ad Austr. utrinque 20. mill. pass. Locus nunc *Capo Carmelo* Nigr. Solebant hi maias retusâ

aliisque unguentis fucare. Unde *Calathum Sycaminorum in malis habes*, Prov. apud Aristot.

Syce, insula parva Joniæ, Steph. Plin. 5. 31.

Syceus, unus Titanum, quem fugientem Tellus mater suscepit, & inde ficum protulit.

Sycheum, oppidum Arabiæ felic. littorale, ubi Ambra nascitur. Symeon Sethi.

Sycinnus, Servus Themistoclis & ejusdem liberorum Pædagogus, ad Xerxem specie benevolentiæ missus, ut indicaret, fugere Græcos, & Xerxem ad dimicandum in angusto mari commoveret. Fuit præterea Eunuchus. Vide Polyæn. *lib. 1. pag. 41.*

Sycites, Bacchus dictus est ἀπὸ τῶν συκῶν, quod is non solùm vini sed etiam ficorum, & fructuum prope omnium fuerit inventor. Hesychio verò non est Συκίτης sed Συκεάτης.

Sycoris, vide *Sicoris*.

Sycta, Nigro *Syra*, Persidis urbs, Ptolem.

Sycurium, Plinio *Sicorium*, oppidum Thessaliæ fuit, ad Ossæ radices.

Sycussa, insula parva ante Ephesum, Plin. 5. 31.

Syderis, flu. Parthiæ, seu Mediæ, in Caspium mare influens, quod inde Hyrcanum incipit appellari, Plin. 6. 16.

Sydima, urbs in montanis Lyciorum, Idem *lib. 5. cap. 27.*

Sydon, vide *Sidon*.

Sydrus, urbs Indiæ citer. Ptolem.

Syedra, urbs Isauriæ, Stephanus. *Sydra* Straboni, Pamphyliæ adscribit Eustathius.

Syene, *Asna*, teste Jo. Leone, urbs Ægypti extrema, in Æthiopiæ confin. ad Nilum, olim Rom. Imperii, sicut & nunc Turcici, terminus, inter Alexand. Ægypti ad Arctos 570. & Meroën ad Austrum 962. m. p. teste Plinio. Sed apud Strab. abest à Meroë 3000. stad. & apud Anton. ab Alexandriâ 600. m p. à Memphi 160. schœnis, à Thebis 60. Ovid. *Ponticorum lib. 1. eleg. 6.*

> *Quid tibi si calida, prosit, laudere Syene,*
> *Aut ubi Taprobanen Indica tingit aqua?*

Dionysius:

> —— Βαθυκρήμνοιο Συήνης.

Πόλις ἐν ἰσθμῷ (inquit Scholiastes *ad versum* 223. *ejusdem Dionysii*) ἡ Συήνη, ἀπὸ Συήνης τινὸς οὕτω κληθεῖσα, ἐν ᾗ καὶ φρέαρ εἶναί φασι τοῖς θερινοῖς τοῖς ἐκεῖ διαφαινόμενον τοῦ ἡλίου τροπαῖς· ὅπου καὶ ἄσκιοι κατὰ μεσημβρίαν εἰσὶν οἱ ὡρολογικοὶ γνώμονες διὰ τὸ ὑποκεῖσθαι τὸν τόπον τοῦτον τῷ τροπικῷ. Ammianus Marcellinus *lib. 22. Dein Syene, in quâ Solstitii tempore, in quo Sol æstivum Austrinus cursum extendit, rectà omnia ambientes radii excedere ipsis corporibus non sinunt. Inde si stipitem quisquam fixerit rectum, vel hominem aut arborem viderit stantem, circa lineamentorum ipsas extremitates contemplabitur umbras absumi.* Heliodor. Æthiopic. *hist. lib. 9.* Ἐδείκνυσαν δὲ καὶ τοὺς τῶν ὡρονομείων γνώμονας ἀσκίους κατὰ μεσημβρίαν ὄντας, τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος κατὰ τροπὰς θερινὰς ἐν τοῖς περὶ Συήνην εἰς ἀκριβὲς κατὰ κορυφὴν ἱσταμένης, &c. Lucan. *lib. 2.*

> —— *Umbras nusquam flectente Syene.*

Claudianus *atram vocat. Eidyllio de Nilo:*

> *Is loca continuo Solis damnata vapore*
> *Irrorat, populisque salus sitientibus errat,*
> *Per Meroën, Blemyasque feros, atramque Syenen.*

Statius *Eoam, Sylv. 2. 2.*

> *Quod Eoa respergit vena Syenes.*

Idem *Theb. lib. 4.*

> —— *Nullaque umbratam nube Syenen.*

Obiter emenda Stephanum: Συήνη, inquit, πόλις Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας ἐπὶ τῷ Νείλῳ. Lege μεταξὺ Αἰγ. καὶ Αἰθ. Hodie *Asna*, urbs est Ægypti superioris in præfectura *Girgii*, 450. mill. pass. ab Alexandria in Mer. 200. ab ora prox. Sinus Arab. in Occ. uti 480. in Ptolemaido Ferarum. Baudrand.

Syenes, sive urbis sive regionis in Ponto, meminit Valer. Flacc. *lib. 6. Argon. vers. 75.* At Janus Gebhardus ait, *Syenes* viri nomen esse ac Ducis, gentis Hylææ.

Syennesis, Ciliciæ satrapa versutissimus, qui Cyro Juniori, cum copiis provinciam suam intranti, idoneos Cilicum & alterum, ex filiis in commilitium addidit: alterum verò filiorum, mente ambiguâ eventum belli speculans ad Artaxerxem clàm misit, conata Cyri detecturum, simulque se excusaturum, quòd vi in partes fratris pertractus; occasione autem paratus sit eum deserere Artaxerxique se adjungere.

Syessa, tugurium quoddam in Lyciâ, à vetula quâdam *Syessa*, quæ Latonam excepit. Gentil. *Syessæus*, & *Syessius*. Item urbs Tyrrhenorum. Gent. *Syessenus*. Steph.

Sygaros, insula in sinu Arabico, in quâ nulli sunt canes, atque aliunde importati, circa litora moriuntur, Plin. 7. 28.

Syia, urbs parva Cretæ, navale Elyri, Stephan.

Syis, urbs Ægypti; unde præfectura *Syitis*. Stephan. aliis *Syiaus*.

Sylai, pop. vel montes, prope Succos montes, in finibus Thraciæ, apud St. Diaconum. *in vita Steph. jun.*

Syleon, urbs Phrygiæ, secundum alios Pamphyliæ, Steph.

Sylinia, insula ultra Britanniam, Sulp. Severus. Sunt qui eâ insulâ *Sorlingas*, vel *Sylley* putant denotari.

Syllenes, pop. Chaoniæ, Steph.

Sylla, integro nomine, Luc. Cornelius Sylla, Romanus nobilis ex antiquâ Scipionum familiâ, sextus à Cornelio Rufo, qui, in bello contra Pyrrhum, ex præcipuis Romanorum ducibus fuit. Hic cùm multum pristini splendoris & opulentiæ amisisset, à is scorto quodam nobili hæres scriptus, ut & à socru, multùm auctus est: in adolescentia omnibus viriis inquinatus. Quæsturam sub Mario, sub quo in Gallia meruit, adeptus, in hac vitam omnem penitus commutavit; Literis Græcis & Latinis benè eruditus, facundus, acer, astutus, gloriæ cupidus, sui securus, pecuniæ maximus largitor, animo grandis; ut de illo dubitari potuerit (inquit Sallustius) fortior ne, an felicior esset. Missus à Mario ad Bocchum regem legatus, Jugurtham vinctum retulit: Ad Consulatum dexteritate suâ evectus, Asiam sortitò accepit, cùm circa Nolam, in Marsico bello finiendo, occupatus esset. Mithridatem Asiam crudelissimè vastantem compescuit; Socialis belli luctus repressit; Cinnæ dominationem fregit, & Marium, qui olim se Quæstorem fastidierat, cùm lege per Sulpitium latâ, Asiæ provinciam in se transtulisset; Romam profectus, occiso Sulpitio, ipsum illam provinciam proscriptum & exulem petere coëgit; Dein feliciter contra Mithridatem, in Bœotia, Macedonia, Græciaque bellum gessit, captisque Athenis, ut & aliis locis, illum pacem petere coëgit: quod dum per 2. vel 3. annos eum occupatum teneret, interea hostes ejus Romæ rerum potiti sunt. Quare reversus, Norbanum prope Canusium vicit, Ann. 671. U. C. anno pòst Mario Juniore superato: Postea, per portam Collatinam, urbem ingressus, Dictator factus ita Rempubl. oppressit, ut teste Cicerone *in Verrem*, nemo, illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere potuerit. Privatus ad postremum Dictaturâ depositâ Puteolis periit phthiriasi, id est, morbo pediculari, Ann. 676. U. C. ætat. 60. Hic egregias dotes, immani sævitiâ commaculavit; Mæcenas eruditorum, ipsemet Historiam vitæ suæ, quam postea Corn. Epicadius, libertus ejus, continuavit, orsus est. Aristotelis libros, Athenis expugnatis, reperit. Vide Vellej. *lib. 2.* Plutarchum *in Sylla*, Liv. Florum, Eutrop. & Lubinum *ad illud Juvenalis Sat. 1.*

> —— *Et nos*
> *Consilium dedimus Syllæ, privatus ut altum*
> *Dormiret.* —— ——

Sosipater Charisius *l. 1. Sibyllam Epicadius de cognominibus ait appellatum, qui ex Sibyllinis libris primò sacrum fecit: deinde Syllam: qui quidem flavo & compto capillo fuerit, consimilis Sylla sunt appellati: Inde effeminati hodieque Sylli dicuntur, quos vulgus imprudenter Psyllos appellat.*

Sylla Cornelius, prodigus & ob flagitia egens: ideoque à Tiberio Cæs. Senatu motus. Tacit. 2. 48.

Syllanion, statuarius nullo doctore nobilis.

Syllanum, vulgò, *Sillano*, castrum seu arx Hetruriæ, in agro Volaterrano, à Sylla Dictat. condita, apud Cæcinam fluv. inter Volaterras & Massam 10. m. p. Raph. Volaterranus.

Syllina, vide *Sillina*.

Syloes, Herodoro Σολόεις, Africæ promuntor. quod Sataspes, postquam ex Ægypto solvit, ad Columnas Herculis navigans, circumvectus in meridiem cursum tenebat. Idem alibi scribit, hoc promuntorium Libyam terminare. In Hannonis periplo ejus etiam mentio est; forrè ubi Ptolem. post Cotes promuntor. (quo Africa ad merid. inclinare incipit) *Sylia* fluv. ostium describit. Ramusius subdubitans *Cabo Cantin* hoc in loco ponit.

Syloson, vir egregius, aliquando exilio mulctatus est, sed quia divitiis & corporis præstantiâ affluebat, chlamydem sumptuosam semper gestabat. Quam cùm Dario (qui postea Persarum rex effectus est) dono dedisset, is postea regnum adeptus, beneficii memor Sylosontem solo natalitio restituit. Vide Strab. *lib. 14.*

Sylva, juxta Bethel, in tribu Benjamin, ex qua immissi à Deo ursi devorarunt pueros 40. qui illudebant Helizæo Prophetæ.

Sylva Aurelianensis, *la Forest d'Orleans*, sylva est ampla Galliæ in Aurelianensi tractu, & versùs Aurelias in Boream. Aliàs perampla fuit, nunc in dies minuitur.

Sylva Ducis, vulgò *Bosleduc* Gall. *Hertzogenbosch* Belg. urbs Brabantiæ, à Theodorico Hollandiæ Com. expugnata, An. Ch. 1210. qui paulo pòst à Duce Brabantiæ prædâ exutus, unàque cum Geldriæ Comite captus est, Matt. Vossius *Ann. 2. lib. 11.* Iterum post quadrimestre obsidium expugnata ab Henrico Friderico Princ. Arausion. An. Chr. 1629.

Sylvæ à veteribus memoratæ:

Agnitia, *Selva d'Albi*, aliter Angitia; estque satis parva, inter Albam & lacum Fucinum, in finibus Marsorum.

Algidum, *Selva dell' Aglio*, Latii.

Angitia, eadem Agnitiæ.

Arduenna sylva, vulgò dicitur *la Forest d'Ardenne* ab incolis, seu *les Ardennes*; Extenditur per Hannoniam meridionalem, Luxemburgensem provinciam, & Leodiensem ditionem; eratque aliàs amplior.

Bacenis sylva, quæ & Semana, nunc *der Hartzvvaldt* dicitur. Vide *Bacenis*.

Bohemica, *Bohemischevvaldt*, pars Hercyniæ.

Dodone, in Epiro.

Gabreta, *Friesenvvaldt*, vel *Friesletterrvvaldt*, Bohemiæ.

Herculis, *Hartzvvaldt*, Germaniæ, pars Hercyniæ.

Hercy-

Hercynia, maxima Germaniæ, in plures divisa, & ipsa *Hartz-vvaldt*. Aliàs major fuit, & per Germaniam longe lateque extensa: nunc valde est imminuta, & pro majori parte restringitur versùs confinia Bohemiæ, unde *Behemervvaldt* vulgò dicitur, ut etiam *Thuringervvaldt* versùs confinia Thuringiæ. Vide *Hercynia*.

Litana, *Selva di Lugo*, in Æmilia.

Mæsia, *Bosco di Baccano*, Hetruriæ. Parva est admodum.

Marica, Campaniæ, ad Lirim fluvium.

Martiana, Germaniæ, pars Hercyniæ, *Schvvartzvvaldt*, inter Nicrum & Rhenum.

Molorchus, Peloponnesi apud Nemeam.

Nemæa, *Selva di Tristena*, Argiæ.

Nigra, *Schvvartzvvaldt*, German. *la Forest Noire* Gallis, aliàs Martiana dicta, est in Germania, versùs montem Abnobam & fontes Danubii, inter Brisigaviam & Sueviam. Vide *Hercynia*.

Othonia, *Ottenvvaldt*, Germaniæ, pars Hercyniæ: est in Sueviæ & Franconiæ confinio, inter Nicrum & Mœnum fluvios.

Sylva Pinea, Berytensium civitati vicina, quæ Christianis eandem oppugnantibus urbem, ad componendum scalas, ligneas turres, arietes, & alias quaslibet rei bellicæ machinas, copiosam & idoneam præbebat materiam. Tyrius 11. *bell. sacr.* 13. est in tribu Aser.

Sacer lucus, *Selva d'Hami*, Latii.

Semana, pars Hercyniæ, *Thuringervvaldt*.

Syla, *Sila*, Brutiorum, quæ & Sila, ubi pix laudatissima.

Tempe, Thessaliæ.

Thymbria, Phrygiæ.

Vemlonia, *Selva Veletta*, Hetrutiæ.

Volsiniensis, *Bosco di Monte Fiascone*, in Hetruria.

Sylvanectum, vulgò *Senlis*, Gall. Belg. opp. in Picardiæ provincia, sic dictum à *sylvis*. Greg. Turonens. 9. 20. Ad fluv. *Nonnette*, Episcop. sub Archiepisc. Remensi. Quibusdam videtur *Augustomagus* Ptolemæi, & *Silviacum* Lupi Ferrer. Situ amœnissimo, prope Sylvam Ratiatensem *de Retz*. Primus Ecclesiæ Sylvanectensis Episcopus Proculus fuit, Urbs præt. sec. à Ligistis obsessa est, fuitque spectatrix pugnæ, inter Ducem Longævillanum & Aumalium commissæ, Duchen. *recher des ant. des villes*, Sammart. *Gall. Christ.* Concilia hic celebrata An. C. 863. quo Rothadius Suessionensis Episcopus sede motus est. An. 873. quo Carolomannus Diaconus, contra patrem Carolum Calvum rebellis, condemnatus pauloque post excæcatus est. Ann. 990. quo Carolus Lotharingiæ Dux ob Adalberonem Episcopum Laudunensem in vincula conjectum, & agrum circumjacentem misere vastatum, excommunicatus est. An. 1310. ob Templarios, An. 1316. 1317. 1326. 1402. ubi actum de Schismate, inter Bonifacium IX. & Benedict. XIII. finiendo, &c. Vide Moretium *Dict. Hist.* & supra in voce *Silvanectum*.

Sylvania, urbs & conventus Helvetiorum, inter Uriam & Suetiam, vulgò *Undervvalden*, Angl. *Undervvauld*. Unus ex XIII. Pagis Helvetiorum, cujus vicus primarius *Stantz*. Separatur à Sept. à Suitensi Pago Lucerino lacu, ab Or. habet Uriensem Pagum, à Merid. Bernensem, ad Occ. Lucernensem. Estque ex minoribus Pagis, Baudr. & Latini ritus tenacibus. Sylvâ interjacente Carnâ, in Superiorem & Inferiorem *ob und under* vel *nid dem Wald* dividitur, vulgò ab hac, *Subsylvania*, Germ. *Undervvalden* denominata. Multis abundat pagis, montosa prorsus, latissimis tamen atq; fœcundissimis pratis viret: In pago sedet veteri Tugino. Incolæ maximam olim partem Cimbri, Rumone Principe hanc vallem occupaverunt: reliquos suppeditavit Roma, ex Augusti, Tiberii, Caligulæ & Neronis Impp. proscriptionibus: unde Romana apud Sylvanios nomina, inter quæ præcipuus locus, ut dictum, *Stantz*, quòd ibi demum stetissent: à quo Sylvanii omnes *Stantes* nominat., & regio ipsa *Vallis in Stantz* dicta est, Guill. *lib.* 3. *c.* 3. His quomodo ob rem præclare contra Saracenos gestam, *αὐτονομία* à Ludovico Pio, & insignia à Pontifice Rom. concessa sint olim, Vide in voce *Suitium*. Huic libertati cùm plurimi insidias struerent, Pagi circa An. Ch. 1260. Nobilibus, qui injustam vim aliis intulerant, ejectis, tunc primùm aditus regionum clauserunt, & Sylvanii ad Stantzium vicum, lacum undique acutis vallis sepserunt, turrique excitatâ portum munierunt. Sub Rodolfo I. Imp. quotannis, ut in reliquos pagos, ita huc, Præfectus iuris dicundi causâ, salvâ regionis libertate missus est. Sed ejus fil. Albertus duriùs Helvetios habiturus, cùm blandis in nassam verbis pertrahi non possent, Peregrinum Landebergium illis Præfectum misit, cui arces duæ erant, Sarna infra sylvam & Rotzbergum supra sylvam. Hic post varia intolerandæ tyrannidis facinora, cùm Henricum Melchtalium, senem opulentum, oculis maximaque bonorum parte, sine causâ mulctasset, pudicitiam dein matronarum sollicitare non destitisset, in balneo cæsus est. Quo facto, cùm & in reliquis duobus pagis tyrannis ad impudiò pervenisset, Arnoldus præfati Henrici filius, cum Fürstio & Stauffachero, prima fœderis Helvetii fundamenta jecit, A. C. 1307. qui tres pertractis in tam egregii discriminis societatem viris aliquot præstantibus, arcibus Kalend. Januar. anni sequentis eversis, patriæ libertatem reddiderunt: & quidem Rotzbergum, per ancillam: Sarnam, per insidiosa munera, egregio utramque stratagemate, occuparunt. Dirutis arcibus, omnes cum rebus suis & Præfecto, ad fines deduxere, jurejurando astrictos, ne unquam in regionem redirent. Infestos cùm dein Alberti Imper. liberos haberent, navem egregie instructam, quæ Lucernâ Undervvaldios petebat, hi ab Uriis adjuti, in portu oppressere: hinc induciæ. In pugna postmodum Morgartensi, eorum 300. rem præclarè gesserunt, die 16. Novembr. Ann. Chr. 1315. sed & domi eodem die, à Strassebergio Comite impetiti, binis eum præliis profligarunt: tum primum tres Pagi fœdus, quod antea in decennium fecerant, in perpetuum pepigerunt, atque in literas retulerunt; à juramento quo se devinxerunt *Eydgnossen*, à pagorum potentissimo *Suitzeri* in posterum dicti. Ab eo tempore omnia iis, cum reliquis Helvetiis communia: Sextum occupant inter Cantones locum, & cum reliquis duobus Bilitionum, Vallem Bruniam & Rivieram, cum sex Turgovienses, Rheguseos, Sarunegaunenses, liberas Prov. cum septem veteribus pagis, Comit. Badensem, cum omnibus denique Cantonibus communes Præfecturas obtinent. Duo habent publica consilia, seu judicia, unum Stantii, infra sylvam: alterum Sarnæ, supra sylvam, quorum utrumque peculiarem suum Ammanum habet: factaque hæc divisio dicitur An. Ch. 1150. cùm inter ipsos controversia de tributo conferendo exorta fuisset. Prius enim unus conventus totius regionis, unum caput Stantium, unum vexillum & insigne fuerat, ab eo verò tempore in duas partes itum, & singulæ partes unam clavem pro insigni, cum antea gemina esset, servarunt, ac vexillum antiquum albi & rubri coloris hi, qui supra sylvam, retinuerunt, quòd hæc major pars regionis esset: alterum verò signum à Pontificibus duplici clave ornatum reliqui sibi vindicarunt. Ad Helvetica Comitia duos mittunt legatos, quibus tamen unum suffragium: in dividendis stipendiis, aliisque superior pars duas portiones sortitur, inferior unam tantùm accipit. Patria hic pagus Nicolai fuit Eremitæ, cujus maxima inter suos olim hodieque auctoritas, namque & tum arbiter controversiarum Helveticarum, velut oraculo, lites decidebat, hodieque adhuc solemni pompa quotannis ab incolis colitur. Filius ejus Sylvaniæ Consulem egit, circa An. Chr. 1510. In superiore parte regionis infra sylvam Abbatia est Benedictinorum, *Engelberg* nomine, sub Henrico V. Imper. An. Chr. 1120. à Conrado Selnebinio Equite condita. Adelhelmus primus Abbas erat. Et quia in cineres recidit, circa An. C. 1197. iterum ab Henrico Abbate VII. erecta est. Sub eodem accessit Mon. Virginum, quod combustum funditus, An. Chr. 1449. intra sexennium caput denuo extulit. Utrumque ab Impp. Principibusque insigniter dotatum est. Vide Stumpf. *Chron. Helvet. cap.* 2. *de Argovia*, Jos. Simlerum *de Republ. Helvet.* Johan. Bapt. Plantinum *Helvet. Nov. Antiq. &c.* Glareanus *in Panegyr. Helvetia*:

> *Sylvanam gentem Romano è sanguine cretam,*
> *Quam scindit geminam nemoroso robore sylva,*
> *Quis dignè satis extollat? Cui lucidus aer,*
> *Lucidaq; amna loca, & fœcundo gramine campi.*
> *Miles & in jaculis & longâ turbidus hastâ,*
> *Libertatis honos & prisca gloria Romæ.*
> *Sarnenses arces infesto sidere natæ,*
> *Ipse tyrannus idem, tua jura Agriane perosus*
> *Ostendunt: huic est vasta pius incola eremi*
> *Nicoleos, qui uno & viginti sobrius annis,*
> *Nil potus ejusq; tulit, mysteria cœli*
> *Edoctus, sacro vivebat corpore Christi.*

Sylvanius lacus, à Sylvaniis seu Undervvaldensibus ita dictus, influit in lacum Lucernensem: Propriè vocatur *der vier Waldstädten-see*, quia medius inter quatuor illos pagos, vulgò *die vier Waldstädt*, Uriam, Suitiam, Sylvaniam & Tugium situs est. Ab hoc non longe Occid. versùs in pago Sylvanio, visuntur parvuli lacus, quos veriùs cùm Marcellino paludes dixeris: Orientalior *Huvylsee*, Occidentalior *Lungernsee*; qui duobus effusi rivis, dein simul juncti, in alium laculum influunt *Sachslersee*; ex quo effunditur rivus *Aa*, se, infra Stantium, in lacum Lucernensem præcipitans. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Antiq. & Nov.*

Sylvanus, Deus Sylvarum. Servius *ad istud Virg. Æn.* 8.

> *Sylvano fama est veteres sacrasse Pelasgos*
> *Arvorum, nemorumq; Deo lucemq; diemq; &c.*

Publica, inquit, *ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum & agrorum Deum esse Sylvanum. Prudentiores tamen dicunt esse eum ὑλικὸν θεὸν, id est, Deum τῆς ὕλης. Hyle autem est fæx omnium elementorum, id est, ignis sordidior & aër, item aqua & terra sordidiora, unde cuncta procreantur: quam Græci ὕλην, Latini materiam appellarunt: nec incongruè, cùm materia sylvarum sint.* Quòd si igitur Deus τῆς ὕλης est, idem erit cum Pane. Veter. Glossa, *Sylvanus*, Πὰν, θεὸς ὑλαῖος. Virgil. tamen 1. *Georg.* manifestè eos distinguit. Nam cùm dixisset: *Pan ovium custos, &c.* interjectâ deinde Minervæ ac Triptolemi mentione, subdit tandem:

> *Et teneram ab radice ferens, Sylvane, cupressum.*

Lucanus *lib.* 3.

> *Hunc non ruricolæ Panes, nemorumq; potentes*
> *Sylvani, Nymphæq; tenent.*

Propertius *lib.* 4. *cap.* 4.

> *Sylvani ramosa domus.*

Gratius Faliscus *in Cynegetico:*

—— *Inculto Sylvanus termite gaudent.*

Vide Lil. Gyraldum *Synt.*15. Horat. *lib.*3. *Od.* 29.

Jam pastor umbras cum grege languido,
Rivumq; fessus quaris & horridi
Dumeta Sylvani.

Apud eundem *lib.*2. *ep.*1.

Agricola prisci, fortes, parvoq; beati
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.

Juvenalis *Satyr.*6.

Nam qua docta nimis cupit & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cadere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Statius *lib.* 6. *Theb.*

Non grassante Noto citius nocturna peredit
Flamma nemus. Linquunt flentes dilecta locorum
Otia, cana Pales, Sylvanusq; arbiter umbra,
Semideumq; pecus, migrantibus aggemit illis
Sylva, nec amplexa dimittunt robora Nympha.

Sylvanus, avi sui & sororis filius, hoc modo. Valeria Tusculanaria, ob iram Veneris, Valerium patrem suum deperibat, remque nutrici communicat, quæ dolis adorta herum, puellam quandam ex vicinis eum dixit adamare, quæ aspectum ejus, apertumq; concubitum vereatur. Aliquando pater postmodum debacchatus lumen petiit: nutrix verò prævenìens, fugiensque sese præcipitavit, filia quoque inde evadens peperit Sylvanum, quem Græci *Ægypanem* vocant. Pater quoque Valerius dolore affectus sese dedit in præcipitium.

Sylvanus, Consul, ann. U. C. 833.

Sylvanus, fil. Boniti Galli, de Constantie Imper. egregie meritus, cùm calumniis se apud illum impetitum cerneret; Coloniæ à militibus Imperatorem se salutari passus est: Sed Ursicinus eum paulo pòst, ab Imperatore missus, sustulit. Vide Ammian. Marcellinum. Item comes S. Pauli.

Sylverius, Papa, successit Agapeto I. Filius Hormisdæ, postmodum Papæ, An. 536. Hunc Vigilius Diaconus, ope Theodoræ Augustæ, pollicitus Eutychianum se fore, non tantum dejecit, sed & sustulit, A. 540. Anastas. & Platina, *in vitis Pontif.* Baron. *in Annal.*

Pontifices Romani.

Sylvester I. Romanus, Melchiadi successit, An. 314. Contra Donatistas, & Judæos Zelotes: Arrio quoq; strenuè se opposuit. Huic plurima quidam tribuunt, inter alia *Donationem Constantini*, lepræ fictitiæ Constantini & occisorum infantum balneo, paris commatis, innixam: quod ipsimet Pontificii scriptores hodie, velut ὑποβολιμαῖον, explodunt, Iidem. Obiit, an. 335. Successit Marcus.

Sylvester II. nomine *Gerbertus*, Arvernus, Mathematum, & aliarum scientiarum peritus, Hugonis Capeti filio Roberto admotus, postea Archiepisc. Remensis evasit: sed Arnolpho, filio Lothari Reg. notho, cedere coactus, in Germaniam abiit, & Ottonis III. præceptor, Archiepisc. Ravennatem nactus est, An. 997. Gregorio dein V. mortuo, Papatum mercatus pretio animæ suæ, à Diabolo, ut tamdiu eum teneret, quamdiu Hierosolymam non vidisset; ab eo delusus, in sacello *Hierusalem*, post biennium, nuntium mortis accepit; Matth. Westmon. *in Hist. Angl.* Ant. Atch. Flor. Platina, Martin. Polonus, &c. Scripsit varia, Epistolas 149, Tractatus Mathematicos, &c. Composuit Organa hydraulica, Guil. Malmesburius: Horologium Magdeburgi effecit, in quo stella Polaris conspicua erat, &c. Successit Johannes XVII. Moret. *Diction. Hist.*

Sylvester III. Antipapa, Benedicto IX. oppositus An. 1043. vel An. 1044. tertio pòst mense à Comite Frescati pulsus est, Benedicto restituto.

Viri Celebres.

Sylvester Aldobrandinus, J C. Florentinus; Scripsit Comment. in Instituta Justiniani.

Sylvester Giraldus, Anglus, eruditione inter primos sui seculi. Elegantiorum literarum, Philosophiæ & Mathematum peritissimus, Parisiis Theologiam docuit. Ab Henrico II. in Angliam vocatus, Johannis filii præceptor fuit, Regi à secretis. Dein Oxonii professus, Regem in Hiberniam comitatus est, cujus exactam descriptionem edidit. Ob eruditionem æmulos nactus, secessum impetravit, Episcop. S. Davidis factus. Obiit An. 1210. vel 1214. plurimis scriptis, Comment. inprimis in S. Scripturam, tractatibusq; Theologicis inclytus, Lelandus & Pitseus *de ill. Angl. Script.* Balæus *de Scr. Brit.* Voss. *de Hist. Lat.*

Sylvester Maurolicus, auctor *Maris Oceani Religionum, &c.*

Sylvester Mazolinus, cognom. Prierius, Pedemontanus, Dominicanorum Generalis. Obiit An. 1520. Scripsit contra Lutherum; Summam Sylvestrinam; Postillas in Evangelistas, ex S. Thomæ Commentariis depromptas: Auream Rosam, &c. Morerius *in Diction. Histor.*

Sylvester Mutius, Augustinianus Venetus, commentatus est in Apocalypsim, &c.

Sylvestres populi, aliàs *Vallium civitates*, vulgò *die drey Länder*, Item. *die drey Waldstädt*, dicuntur vetustissimi tres Helvetiæ pagi, Urii, Suitii & Underwaldii, quibus aliquando quarto loco Lucerna adnumeratur. Incolunt hi Alpinas valles, inter Rhætos, Lepontios, & Viberos, ac partim Tigurino, partim Verbigeno Pago attributi sunt. Ab his lacus Sylvanius *der vier Waldstädtensee* appellatur, vide ibi. Aliàs nomine *die Länder*, sex pagi intelliguntur, qui vicatim habitant: ut sunt Uria, Suitia, Underwaldia, Tugium, Glarona & Abbatiscella. Vide Jos. Simlerum *descript. Helvet.*

Sylvia, nomen quo Ilia Romuli mater vocata est. Virgilius *Æneid.* 7.

Assuetum imperiis soror omni Sylvia curâ,
Mollibus intexens ornabat cornua sertis.

Ovidius *Fastor.* 2.

Sylvia Vestalis cœlestia semina partu
Ediderat, patruo regna tenente suo.

Sylvius, Æneæ filius, à quo postea omnes Albani reges *Sylvii* dicti sunt. Virg. *Æn.* 6.

—— *Primus ad auras*
Æthereas Italo commistus sanguine surget
Sylvius, Albanum nomen, tua Posthuma proles,
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet sylvis regem, regumq; parentem:
Unde genus longâ nostrum dominabitur Albâ.
Proximus ille Procas Trojana gloria gentis,
Et Capys & Numitor, & qui te nomine reddet
Sylvius Æneas. —— ——

Ovidius *Fastor.* 4.

Posthumus huic: qui, quòd sylvis fuit ortus in altis,
Sylvius in Latiâ gente vocatus erat.

Sylvius, mons Valletiæ, ad Septentr. Sideriani conventus, vulgò *Aussielberg* dicitur, Mercat. Alibi tamen eum collocat Simlerus *descr. Vall. lib.* 1. cùm ait, Mattiam vallem, in conventu Vespiano, incipere à monte *Sylvio*, per quem iter est ad Salassos & Ajazam vallem *das Kremerthal, &c.* Apud Sedunos quoque mons est, quem quidam *Sylvium* nuncupant, à Salassis Rosa dictus. In hoc ingens perpetua glaciei copia, &c. Idem *Comment. de Alp.* Et *alio loco*: per juga montis *Sylvii*, quem nos *Gletscher* vocamus, duo sunt itinera, unum ad Salassos, alterum in vallem Sessitis. Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq. & Nov.*

Syma, vel *Syme*, urbs Asiæ. Homer. *in Catalogo,*

Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐίσας.

Symæthia, urbs Thessaliæ, Stephan.

Symæthus, fluv. Siciliæ non longè ab Ætnâ. Vide Cluver. *Sic. Ant. pag.* 124. Vide *Simethus.*

Symbolon, & *Symbolorum portus*, qui & *Pactorum portus* Straboni, *Sibula* Mercatori & al. portus Taurici inter Eupatoriam ad Isthmum, & Chersonesum urb. ad sinum Carcinitem.

Symbolum, locus Macedoniæ, in Thraciæ confinio, in faucibus montium, inter Philippos & Neapolim. Plut.

Symbrivium, vide *Simbrivium.*

Symburtius, vide *Clisthenes.*

Syme, insula inter Rhodum & Gnidum, Plin. *l.* 5. *c.* 38. Sic dicta à *Syme*, Jalysi filiâ, cùm prius *Metapontis*, deinde *Ægle* vocaretur.

Symitha, Mauritaniæ Cæsar. opp. Ptolemæo.

Symmachia, Venus dicta est à Mantinensibus, quòd in Actiaco prælio Romanis opem tulisset.

Symmachus, è Sardinia, post Anastasium II. litibus de Episcopatu subortis, Papa à Theodorico Gothorum R. pronuntiatus est, An. 498. à N. C. contra Laurentium, quem Patritius Festus promotum ibat. Anastasium Imp. quòd, Eutychianis favens, Concilio Chalcedonensi se opponeret, anathemate ferit: templa nova splendidè exstruxit, vetera magnificè exornavit. Obiit Romæ A. 514. V. Moret. *in Diction. Hist.* successit Laurentius. Item, Hæreticus, Samaritanus gente, à suis non satis æstimari ægrè ferens, transiit ad Judæos, secundò circumcisus: Dein Christianus factus, Ebionitis accessit, Bibliorum versionem adornare conatus, quæ depravationibus plana est. Alius fortè fuit, à quo *Symmachiani* dicti Judicium ultimum negabant, omni licentiâ cuilibet permissâ. Epiphan. *de pond. & mens.* Hieron. *lib.* 2. *adv. Rufin.* Ambrosius, *Præf. in epist. ad Gal.* Philostr. *de Hær.* Baronius *An. Ch.* 203. *num.* 15. & 16.

Symmachus, Fil. Symmachi, qui epigrammatis in Magnatum honorem editis, inclytus fuerat, Romanus orator, Præfectus urbis, Pont. M. missus à Senatu Constantinopolim ad Theodosii liberos, rogatum, ut Vestales & templum Victoriæ à Christianis destrui minimè paterentur; cujus rei gratiâ putabant se adversa multa à Diis esse passos. Ejus igitur orationem & Prudentius *libb.* 2. & Ambrosius *ep.* 30. acerrimè confutarunt. Ad Valentinianum secundâ vice conversus, iterum frustra fuit. Cùm Maximum tyrannum adulatoriè prius laudasset, ut culpam repararet, justis elogiis Theodosium M. extulit: sed quòd de templo Victoriæ aliquid immiscuisset, Româ pulsus; tamen in gratiam postea receptus, & Consulatu auctus est, An. 391. Scripsit Epist. libb. 10. Eloquentiâ & eruditione inclytus, Plinii imitator. Macrob. *Saturn.* 5. 5. Prosper *Chron.* Cassiodor. *Chron.* Symm. *lib.* 1. *Ep.* 2. & 3. Fuit alius ejusdem nominis sacrorum librorum interpres Græcus, parum doctrinæ synceræ, & Christianæ. Euseb. *Hist. Eccl. lib.* 6. *cap.* 14. Vide suprà.

Symmachus, Thasius, dux auxiliorum in Exercitu Agesilai, de quo Polyæn. *lib.* 2. *in Agesilao com.* 17.

Sym-

Symmachus, in Macedonum exercitu nobilis juvenis; sed temeritate atq; audaciâ insignis: de cujus exitu in insulâ fluminis Hydaspis, vide Curt. 8. 68.

Symmachus, Grammaticus, ut videtur, infelix, qui cùm citatur, vapulat saltem ab Auctore Scholiorum *in Aristophanis Fabulas*.

Symmachus, auctor Historiæ, laudatus Jornandi *in Getic.* 15. Item auctor historiæ Medorum & Assyriorum, Agath. *lib* 2. Item Præfectus Romæ, & Consul, An. 522. scientiâ, probitate, usu rerum, sapientiâ, decus Senatus. Socer Boëtii, cum hoc, à Theodorico Gothorum R. ob vanas suspiciones neci est datus, An. 526. Conscientiæ furiis Regem immaniter postea exagitantibus. Vid. *Theodoricus*, & de pluribus *Symmachis* Vossium *ad Boëtium pag.* 36.

Symni, gens Æthiopum ad occidentem, Curt. *lib.* 4. *cap.* 65.

S. Symphoriani castellum, vel mandamentum, vulgò *S. Siphorien le Chastel*, est in Pago Galliæ Forensi infer. Rhodanum inter & Ligerim: cujus nominis quoque est alter locus ad Rhodanum Lugdunum inter & Viennam; Vulgò *S. Saforin*. Hadr. Valesius in voce *Ulfejum*.

Symphorianus Campegius, Medicus Lotharingiæ Ducis. Eques S. Georgii, Lugdunensis fuit: Collegii Medici in hac urbe fundator, plurima in omni literarum genere scripsit. Inprimis *de Mirabilibus Scripturæ*, *libb.* 2 Floruit circa An. C. 1510. V. Simler. *in epit. Bibl. Gesn.* Pater Claudii, qui scripsit de Galliarum admirandis.

Symphorosa, Getulii Martyris uxor: quæ mortem 7. filiorum pro religione Christianâ occumbentium tulit patientissimè, imò verò eos ad supplicium animavit: Hist. Eccles.

Symplegades, quæ & *Cyaneæ*, hodie *le Pavonare*, ins. duæ, sive potius scopuli, trans Bosporum Thracium, in ipso Ponti Euxini ostio, mille quingentis passibus ab Europâ distantes; tam modico autem inter se discretæ intervallo, ut ex adverso quidem intrantibus geminæ cernantur, paulum verò deflexâ acie, coeuntium speciem præbeant. Quæ res occasionem præbuit poetarum fabulis, qui eas olim inter se concurrisse tradunt; unde & nomen acceperunt ἀπὸ τοῦ συμπλήττειν, h. e. *à concurrendo*, seu *confligendo*. Ovid. *Met.* 15.

> —— *Timuit concursibus Argo*
> *Undarum sparsas Symplegadas elisarum.*

Idem 1. *Trist. eleg.* 9.

> *Altera namq; parat Symplegadas ire per altas,*
> *Scindere Bistonias altera puppis aquas.*

Et rursus *in Epistolâ Medeæ*:

> *Compressas utinam Symplegades elisissent.*

Euripides *in Prologo Medeæ*:

> Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
> Κόλχων ἐς αἶαν Κυανέας Συμπληγάδας.

Ubi Scholiastes: Τὰς περὶ τὸ στόμα τοῦ Πόντου λέγει, αἳ δὴ ἀπαντῶν τ' ἀλλήλαις ... φέρεσθαι. Eratosthenes Συνορμάδας vocavit, Isacio teste, ut Latini *Concurrentia saxa*. Alii Συνδρομάδας dixerunt. Unde Val. Flac. *lib.* 1.

> *Certus Scythico concurrere Ponto Cyaneas.*

Est etiam *Symplegas* sing. numero. Lucan. *lib.* 2.

> *Ut Pagasæa ratis peteret cùm Phasidos undas,*
> *Cyaneas tellus emisit in æquora cautes,*
> *Raptâ puppe minor subducta est montibus Argo,*
> *Vanaq; percussit Pontum Symplegas inanem.*

Seneca Tragœdus *in Hercule Insano*:

> —— *Illa quæ Pontum Scythen*
> *Symplegas arctat.* ——

Martialis *lib.* 11.

> *Si constringantur geminâ Symplegade culi.*

Vide *Cyaneæ*.

Symus, mons Armeniæ maj. ex quo Araxes fluv. manat. Cujus meminit Orph. *in Argon.*

Synangus, urbs Phœnicum. Steph.

Synaus, Ptol. *Simau* vel *Sinau* Leuncl. urbs Phrygiæ magnæ, prope Sangarium fl. in limite Bithyniæ, 40. m. p. à Nicæa in Ort. Pessinuntem versus 120.

Synderovia, urbs Serviæ munitissima, Georgio Despotæ socero erepta, ab Amurathe Turcarum Imp. Ann. Ch. 1439. Laonic. *lib.* 10. Leunclavius *Hist. Turc.*

Syndicus, urbs contigua Scythiæ cum portu. Aliqui *Gorgippen* vocant. Steph.

Syndromades, Ins. V. *Symplegades*.

Synephium, oppid. Ciliciæ, à Phoca Imp. occupatum. Cedr. & Glycas.

Synesius, è Pentapoli Africæ Philosophus Christianus, Præsul Ptolemaidis factus, scripsit libros in Grammaticam, Philosophiam, panegyricos, epistolas & alia, pietate & eruditione inter primos sui ævi. Cùm Hypatiæ Alexandrinæ, filiæ Theonis, discipulus fuisset, Platonis Philosophiam sectatus est, postmodum baptizatus, uxorem duxit, quatuor ex illa filiis susceptis, quos omnes ipsemet erudiit. Missus an. 400. Constantinopolim, scripsit de Regno librum, eumque Arcadio, cum coronis aureis, quas cum provinciæ deputatis attulerat, obtulit. Dein insulâ donatus ann. 410. successorem habuit fratrem Euoptium. Opera ejus Petavius edidit, An. 1612. & 1633. cum notis. Inter quæ lib. de Regno, libb. 2. de Providentia, epist. 155. Dio. Calvitii encomium: Catastasis in barbarorum excursionem; Catastasis in laudem Anysii. De dono Astrolabii. Homiliæ. Evagr. *Hist. lib.* 1. *cap.* 15. Photius *Bibl. cod.* 26. Suidas, Niceph. &c.

Synicense castr. urbs Africæ ol. episc. Hipponi regio finitima. D. Augustin.

Synnada, seu *Synada* Ptol. sing. & pl. nom. *Sinada*, urbs Phrygiæ magnæ archiep. & metropolis, ingens, sub quâ 20. urbes episc. olim fuere, marmore clara, quod *Synnadicum* appellatur, teste Strab. *lib.* 12. Claud. *in Eutrop. lib.* 2.

> —— —— *Pretiosaq; picto*
> *Marmore, purpureis cui cedunt Synnada venis.*

Vide si is illic Heinsium. Stephanus: Σύναδα, πόλις Φρυγίας. Hic quidam Præsules, cœtu coacto, An. 265. Baptismum ab Hæreticis administratum, nullum pronuntiarunt. Euseb. *Histor. lib.* 7. Baron. *in Annal.* Papinius *Synnaden* vocat. Sic enim ille in Surrentino Pollii *Sylv.* 2. 2.

> *Synnade quod mœstâ Phrygiæ fodere secures,*
> *Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto*
> *Candida purpureo distinguitur area gyro.*

Synope, urbs Asiæ, capta ab Ottomanno, cum Natolia, Ancyra & Sebastia, An. Ch. 1308. Curio *Hist. Sarac. lib.* 3.

Syntyche, mulieris nomen. Philip. 4.

Syopii, pop. Liburnis vicini. Steph.

Sypalettus, vicus in Cecropide tribu. Steph.

Syphax, partis Numidiæ seu Massylorum rex, qui cùm Scipioni per Lælium fuisset conciliatus, bellique societatem cum eo iniisset, postea, violatâ fide, Annibali adhæsit. Hunc Scipio in Africa, cum Aldrubale, filio Gisconis bis vicit: priori prælio cæsis aut exustis hominum 40000. captis 6000. posteriori verò, copiis penitus dissipatis, ipsoque à Lælio & Masinissa, cum uxore Sophonisba, capto: quam cùm deperiret Masinissa, à Scipione prohibitus est, animos filiæ Asdrudalis & odium ejus in Rom. verito. Dein victo quoque Verminâ filio, vivus in Scipionis manus traditus est, à quo in triumpho circumductus, & in carcerem inclusus, inediâ vitam finiit, regno Masinissæ concesso, Plut. *in Scip.* Liv. Polyb. Eutrop. &c. Ovid. *Fastorum* 6.

> *Postera lux melior, vincit Masinissa Syphacem.*

Propertius *lib.* 3. *el.* 11.

> —— *Victi monumenta Syphacis.*

Juv. *Sat.* 6.

> *Tolle tuum precor Annibalem, victumq; Syphacem*
> *E castris, & cum totâ Carthagine migra.*

Corripuit secundam syllabam Claudianus *lib. de Bello Gildonico*,

> —— *Haurire venena*
> *Compulimus dirum Syphacem, fractumq; Metello*
> *Traximus immanem Marii sub vincla Jugurtham.*

Vide si is illic Barthium.

Sypheum, Brutiorum op. Livius *lib.* 30. Hodie *Castrovillare*, opp. Calabriæ citer. ad Sybarim fluv. prope Apenninum, 36. m. p. à Consentia in Bor. 5. à Cassano in Occ. in edito loco.

Sypontum, Vide *Sipontum*.

Syra, locus Judææ, qui sec. Josephum 20. stadiis ab Hebrone distat. 2. Reg. 3. Item Ins. maris Ægæi, proxima Delo, patria Pherecydis. Vide *Syros*. Eadem enim videtur.

Syraces, equiso Saccarum, qui naribus auribusque abscissis se transfugam mentitus, Darium cum exercitu Saccas oppugnantem, in maximas difficultates conjecit. Vide Polyæn. *lib.* 7. *in Dario com.* 8.

Syraci, Hyrcaniæ, vel secundùm alios, Armeniæ majoris populi, qui regem legebant procerissimum, cuique caput longissimum esset, ut tradit Zenodotus, *in adagio* Νόμος περὶ Χαίτα.

Syracusa, *Syracussa* Theocrito, prius *Ortygia*, urbs Siciliæ amplissima, in orâ ad ort. inter Catinam 48. & Pachynum promont. in Aust. 40. m. p. Magnitudinem ejus innuit Pindarus, quando μεγαλοπόλιες Συράκοσαι, h. e. *grandiurbes Syracusas* vocat. Erat siquidem urbs non Siculorum modò, sed & Græcarum omnium celeberrima; ab Archiâ Corinthio annis ante Christum plus septingentis condita. Hujus partes 4. *Insulam*, *Acradinam*, *Tychen*, & *Neapolin* multis describit Cicero *Verrinâ quartâ*. Unde Ausonius,

> *Quis Catinam sileat, quis quadruplices Syracusas?*

Alii quintam addunt *Epipolas*. Portus duplex: Major unus octoginta stadiorum, cujus fauces quingentis passibus patent, ad Ortygiam ins. Arethusâ fonte insignem. Murorum ambitus apud Strab. erat ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα σταδίων, i. e. 24. m. p. Dicit Liv. *lib.* 25. in Syracusis captis, *prædâ tantum fuisse*, *quantum vix captâ Carthagine fuisset*. Plut. etiam *in Marcello*: Λέγεται ἐκ ἐλάττονα τῶν ὕστερον ἀπὸ Καρχηδόνος διαφορηθέντων πλοῦτον γενέσθαι. Diu illi cum Atheniensibus, Pœnisq; bellum: Dein sub Dionysio & Hierone, patriæ tyrannis fuit: sæpe obsessa, nunquam expugnata, donec Marcellus illâ, non obstante Archimedis multijugâ arte, quâ satis diu hostem remoratus erat, tandem potitus est. Hic spolia Romana Constantinus Pogonatus, Imp. Græc. amisit An. C. 669. Postmodum urbs solo est à Saracenis æquata, An. Ch. 884. Patria Archimedis, Antiochi Historici, Epicharmi, Aristarchi, Phormionis, Theocriti, Stephani III. &c. Olim Metropol. nunc Episcopalis

palis solùm. Vincent. Mirabella, *Antiq. Siracus.* Jacobus Bonannius, *l'antica Sirac. illustr.* Vide infra quoque. Vocis originem quod attinet, doctissimus Fullerus *Miscel. lib.* 4. *cap.* 10. Syracusanum nomen Punicè scribit צור כוסיא *Sor Cosia*, qu. *Tyrum latentem* dicas. Frustrà, inquit Bochartus, cùm Syracusas non condiderint Phœnices, sed Græci Dorienses, Archiâ duce; vide Thucydidem, Strabonem, & alios. Sed præcipuè Marcianum Heracleotam, qui simul nominis originem aperit his verbis,

Τὸ δὲ Ζέφυρον τῆς Ἰταλίας οἱ Δωριεῖς
Κατέσχον· Ἀρχίας δὲ τούτους προσλαβὼν
Ὁ Κορίνθιος μετὰ Δωριέων, κατῴκισεν
Ἀπὸ τῆς ὁμόρου λίμνης λαβούσας τοὔνομα
Τὰς νῦν Συρακούσας παρ' αὐτοῖς καλουμένας.

Paludem intellige *Syraco*, de quâ Steph. ubi de Syracusis: καὶ λίμνη, ἥτις καλεῖται Συρακώ. Meliùs quàm *Tyraca*, quomodo scripsit Vibius *in catalogo paludum: Tyraca Syracusis. Syraco* autem vox Phœnicia est, ut *Hanno*, *Gisco*, *Dido*, *Samatho*. Radix סרח *jerach*, vel *sarach* fœtere est. Nec immeritò, ἀπὸ τῆς δυσωδίας, nomen paludi factum, cujus exhalationes morbos creabant plurimos. Id ipsum enim Syracusani damno suo multoties experti sunt, & fere quotquot hostes æstatis aut auctumni mensibus Syracusas circumsederunt. Hinc illud Diodori *lib.* 13. de Atheniensibus hanc urbem obsidione prementibus: Διὰ τὸ τὸν ἀπεσκαμμένον τόπον ὑπάρχειν ἑλώδη, λοιμικῆς καταστάσεως εἰς τὸ στρατόπεδον ἐμπεσούσης. Et *lib.* 14. de Carthaginensibus, quos ibidem per æstivos ardores gravis invaserat lues: Ἔοικε δὲ ὁ τόπος αὐτὸς γεγονέναι πρὸς τὴν ὑπερβολὴν τῆς συμφορᾶς. Καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι πρότερον τὴν αὐτὴν ἔχοντες παρεμβολὴν, πολλοὶ διεφθάρησαν ὑπὸ τῆς νόσου ἑλώδους ὄντος τοῦ τόπου καὶ κοίλου. Ita cùm eidem urbi Marcellus immineret: *Accessit* (inquit Livius *lib.* 25.) *pestilentia, commune malum.* Et paulo post: *temporis & loci vitio, & ægri erant, & moriebantur.* Causam ad conditorem referunt. Myscellus enim & Archias, cùm Delphos se contulissent, oraculum consulturi de loco condendæ urbis, ab Apolline rogati utrum mallent,

Πλοῦτον ἔχειν κτεάνων, ἢ περιποιεῖ τὴν ὑγίειαν.

Salubritatem Myscellus, & Archias divitias elegit. Quarum urbium illa saluberrima, sed pauper fuit; hæc ditissima, sed insalubris. Hanc sive histor. sive fabulam referunt Strab. *l.* 6. Steph. in Συρακοῦσαι, Aristophanis Interpres *in Equit.* ad verbum πλουθυγίειαν, quo Comicus tribuit Athenis Syracusarum opes, & Crotonis salubritatem, Suidas denique in Ἀρχίας, & rursum in Μύσκελλος. Bochartus. Et quia opibus florebant, unde prov. *Ne decima quidem Syracusan. pars*, hinc voluptatibus erant deditissimi, unde *Mensa Syracusia* prov. apud Athenæum, Aristoph. alios. Patria insuper fuit hæc Urbs, Demolchi fil. Epicharmi, Philemonis, qui novæ Comœdiæ scriptor, sub Alex. M. anno 90. nimio risu obiit &c. Phormus item Comicus sub Gelone floruit. Plura de civitate Syracusanâ legere volentibus adeundi sunt Fazellus & Cluverius. Hodie *Saragossa*, in ora est Or. Vallis Neætinæ; Tota compacta in Insf. Ortygiam, undique mari eluta, cum duplici portu, *Porte Maggiore* & *Piccolo*, cum unica porta ad Isthmum, ubi & duo excitata sunt propugnacula. Chersonesus ipsa in mare porrecta Insulæ formam effingit. In vertice habet Arcem *Maniace*, & scopulis undiquaque munitur. Nunc urbs ipsa deficit in dies; vino suo celebris. 40. m. p. à Catana in Austr. uti 23. ab Augusta, 38. à Pachyno prom. in Bor. Baudrandus.

Syracusanus portus, vulgò *Golfo di S. Manza*, Sinus parvus Corsicæ, cum uno alterove castro in parte Austr. Insulæ, in ora maris Tyrrh. 7. mill. à Bonifacio arce in Bor. paulo minus à Portu veteri in Merid. 48. ab Aleriæ ruderibus, 40. ab Adjacio in Eur.

Syracusarum in Indiâ ab Alexandro expugnatarum, meminit Diod. *lib.* 17. *fol.* 613. *f.* nisi ibidem nomen corruptum est.

Syracusius, Athenis quidam *causidicus*, quem ob garrulitatem & caninam facundiam Comici traducunt. Vide *Scholia in Aristophanis Aves.* 602. *D.* 1.

Syrastene Ptol. *Cambaja* Stuckio, regio Indiæ citer. apud Indi ostia, ubi vicus *Saurac* Castaldo.

Syrastra, Indiæ intra Gangem vicus. Ptol. *Saurac* Castaldo.

Syrbane, insf. in Euphrate. Steph.

Syrention & *Syrentium*, opp. Hetruriæ. Steph. De quo nihil apud alios.

Syrgis, fl. Scythiæ Eur. in Mæoticam paludem influens.

Syria, provincia maxima Asiæ, inter Ciliciam & mare Syrium ad occ. & Mesopotamiam ad ort. Euphrate fluv. hanc disterminante, illam monte Amano: cui Armenia minor incumbit ad Arctos, ad merid. verò Arabia deserta, & Palæstina; (quæ apud Ptol. à Syriâ divisa est, sed apud alios in Syriâ comprehenditur, ut pars illius) Dividitur in plures regiones, Comagenem ad sept. Phœniciam ad occ. Cœlesyriam ad meridiem, Palmyrenem ad ort. & Seleucidem circa medium. Longa inter Ciliciam & Arabiam 470. m. p. lata inter Seleuciam Pieriam & Zeugma 175. teste Plinio. Hesychius annotat Συρίαν λέγουσι τὴν ἀπὸ Φοινίκης μέχρι Βαβυλωνίας. Producit nigros Leones, Plin. fuitque in tribu Manasse. Vide *Assyria*, ut & Seldenum *de Diis Syris Proleg. c.* 1. ac Montanum *ad Dionys. vers.* 772. Regnum olim celebre fuit, cujus fundamenta jecit Seleucus Nicanor, duravitq; an. 246. sub 25. Regibus, quorum ultimus Antiochus fuit XII. V. Annales V. T. Joseph. Appian. Alex. *de bello Syr.* A Pompejo dein in provinciam redacta, à Saracenis sec. 7. & 8. occupata est, quibus eam Constantinus Imp. An. Ch. 932. postea Godofridus Bullionæus eripuere: Sed postmodum Saraceni denuo hic rerum potiti sunt, donec, postquam Balduinus IV. Hierosf. Rex eam bis vastavit, circa An. Ch. 1173. Seraph autem Sultanus Babyloniæ totam occupavit An. Ch. 1292. ad Ægyptios tradente illam iis Caycapho, quem Cazanus Tartarus regioni præfecerat, An. Ch. 1304. tandem ad Turcas, sub Selimo I. An. Ch. 1517. devolveretur. Hodie *la Sourie* Gall. *Souristan* incolis, cùm latè sumitur, complectitur Syriam propr. Palæstinam & Phœniciam. Tota sub Turcis, cùm antea Ægyptiis pareret. Vid. supra. Syriæ propr. maxima latitudo est ab Ort. in Occ. 175. m. p. longitudo à Sept. in Mer. 430. nempe inter Ciliciam ad Bor. & Phœniciam ad Mer. Terminatur ab Occ. mari Medit. seu Syriaco hinc dicto, ab Ort. Arabiâ desertâ & Assyriâ. Ejus præcipuæ partes fuere Syria propriè dicta, Cœlesyria, Comagene & Palmyrene. Caput Antiochia, ad Orontem, hodie *Antachia*. Baudr.

Syriæ propriæ urbes præcipuæ.

Alexandria, *Alessandreta.*	Hierapolis, *Tedith.*
Antiochia, *Antachia.*	Laodicea, *Laudichia.*
Berrhœa, *Alep.*	Palmyra, *Faya.*
Emessa, *Hemz.*	Samosata, *Scempsat.*

Zeugma, *Interiit.*

Pop. *Syri*, quorum lingua, ut & Chaldæorum, magna ex parte Hebræorum sermoni confinis est, atque eodem quidem literarum sive elementorum sono, sed diversis duntaxat in iis exprimendis utuntur characteribus. Ipsi vero Syri molles sunt, effœminati, delicati, unde *Syrissare*, & ad res novandas magnopere leves. Perunguntur oleo pretioso, & liniuntur unguentis. Ludis præterea celebritatibusque dediti, ad nullam aliam rem promptiores sunt quàm ad iracundiam: ad hęc astutię nota infames sunt & mercaturæ lucroque maximè addicti. Hinc proverbium: *Syri adversus Phœnices*, apud Suidam, in versipelles & fraudulentos mutuo, quales erant inter se Syri & Phœnices. Herodianus: Φιλοσκώπτες οἱ Σύροι. *Multa Syrorum olera* apud Plin. 20. 5. vice proverbii habeatur in eos, qui in rebus plus voluptatis, quàm utilitatis afferentibus occupantur. *Syrus cùm non sis, ne syrissa*, h. e. ne alius videri velis, quàm sis. Hinc *Syrius*. Virg. *Georg.* 2. *Crustumiis, Syriisq; pyris, gravibusq; volemis.* Propert. 2. 11.

Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.

Syriacum mare Ptol. *Sidonium* Eust. *Judaicum* Tac. *Mare di Soria*, apud Syriam, Phœniciam Palæstinamque alluit.

Syriacus pons, locus Galliæ, quem vulgò Pontes Icaunæ, *Pons sur Yonne* vocant, 7. m. p. à civitate Senonum. Hic signum majoris Ecclesiæ Senonicæ, quod miram habebat dulcedinem, de quo Vide *in vita S. Lupi Episc. Senon.* Chlotarius R. Chlotarii maj. nepos, Chlodovei pronepos circa Ann. Ch. 620. navibus imponi jussit, ut secundo fluv. Icaunâ, deinde Sequanâ Lutetiam deferretur: quod postea Agedicum Senonum reportatum est. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* qui occasione hujus signi, de vett. campanis egregie disserit, in voce *Syriacus pons.*

Syriæ porta, Ptol. V. *Porta Amanica* & Ciliciæ.

Syrianus, Alexandrinus philosophus Platonicus, An. 470. docuit Athenis, scripsitque in totum Homerum commentarios, libros 7. in Platonis Remp. libb. 4. & alia. Hujus discipulus & successor fuit Proclus. Suidas. Item, Præfectus Ægypti, Athanasii persecutor.

Syricius, Rom. post Damasum, Papa, An. 385. ope Valentiniani Imper. Ursicino frustra renitente. Primus inter suos Sacerdotibus conjugio interdixisse fertur, malè intellecto dicto Pauli: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* cùm concil. Nicenum libera ea esse voluerit, Hilariusque Pictaviensis, Nazianzeni pater, Nyssenus Basilii M. frater aliique plurimi conjugati, imo & postea, Alcimus Ecdicius Avitus, qui floruit sub finem seculi 5. patri successerit in Archiepiscopatu Viennensi, nepos insuper, pronepos, & atnepos Episcoporum fuerit. Usus est autem Cœlibatus promotoribus, in Oriente Eustathio, & Epiphanio: in Occidente, Ambrosio & Hieronymo, c. Jovinianum. Nihilominus tamen etiam 200. an. pòst Ecclesiastici, in Hispania Galliaque, ubi tot synodi eo fine celebratæ, uxorati mansere. Tanti erat Cœlibatus condere legem. Mart. Chemnitius *exam. par.* 3. *de Cœlib.* Socrat. *libr.* 3. *cap.* 14. Salvian. *lib.* 5. *de Provid.* Obiit An. 398. Isidor. *de Vir. Ill. cap.* 3. Anastasius & Ciaccon. *de vit. Pontif.* Trithem &c. Successit Athanasius.

Syricius, Sophista Sichemiensis, in Palæstina. Docuit Athenis, & scripsit quædam. Suid. *in Lex.*

Syrictæ, gentes inter Nomadas & Indos, narium loco foramina tantum habentes, *angnium* modo loripedes. Plinius *ex Megasthene lib.* 6. *cap.* 2. Ubi Salmasius legendum censet *Syrtas*; quia nempe traherent pedes, ἀπὸ τοῦ σύρειν. Sed rectè sese habet vulgata lectio. Quâ enim fistulâ sorbebant, eâdem etiam sibilabant. Confirmat hanc lectionem Ælianus *de Anim. lib.* 16. *cap.* 22. Ἔστι δὲ καὶ Συρικταὶ πέραν Ἰνδῶν ἔθνος καὶ τοῦτο, καὶ εἰσὶ σιμοὶ τὰς ῥῖνας, εἴτε οὕτως ἐκ βρεφῶν ἁπαλῶν ἐν θηλαῖς τῇ τῆς ῥινὸς διαμενούσης· εἴτε καὶ τοῦτον τὸν τρόπον πεφυκότες. Malè vulgò Συρῖται. Sed & sequentia quis

quis intelliget? Ridiculè verterunt interpretes: *Sunt & Scirata gens ultra Indiam, simis naribus, sive ita nati, sive à teneris assueti in mari degere, & ursinatilo nasum offendere ad saxa.* Profectò scripsit Ælianus οἱ θῆλοι, non ἐν θαλάσσῃ. Hæc verà est causa, quamobrem Mauri, & variæ Indorum & Æthiopum gentes simas habeant nares, quia nempe recens natis nasus infringitur. Vossius *ad Melam*, *lib.3. cap.9.*

Syrimalaga, urbs Indiæ intra Gangem. Ptol.

Syrinthus, urbs Cretæ: Nunc in ruinis. Gentile *Syrinthius*. Stephanus.

Syrinx, Nympha Arcadica, una Naidum, quæ cùm vim Panos aliòqui effugere non posset, invocato sororum nomine, in calamos palustres est mutata. Ovid. *Met. lib.1.*

Syrium, fluv. Bithyniæ.

Syrmæum, campus inter Nomadas & Nabatæos. Steph.

Syrmatæ, iidem qui *Sauromatæ*: Scribit enim Eudoxus, Syrmatas ad Tanaim fluv. habitare. Steph.

Syrmium, Pannoniæ infer. opp. cujus Episcopus Photinus Sabellii & Samosateni dogmata resumsit, sed concilio ibidem convocato condemnatus, Ann. Ch.352. Occupatum à Theodorico, Anastasio Imp. irato, quòd Bulgaros in Pannoniam immisisset. An. Ch. 504. Vide *Syrmium*.

Syrmus, Triballorum rex. Arrian. *lib. 1.*

Syrna, urbs Cariæ à Podalirio condita. Ajunt enim Podalirium cùm aberrasset, delatum in Cariam à caprario quodam servatum esse, & ductum ad Cariæ regem Damaithum, cujus filiam è tecto delapsam, detracto ab ambobus brachiis sanguine ille curavit: quod admiratus rex filiam ei conjunxisse fertur: & Chersonesum donasse, in quâ Podalirius 2. civitates, alteram uxoris nomine, *Syrnam*: alteram verò pastoris nomine, à quo servatus fuerat, *Caprariam* condidit. Steph.

Syrnos, inf. maris Ægæi, ab Andro 80. m. p. *Sirna* nunc in tabulis recent.

Syrocilices, pop. in confinio Syriæ & Ciliciæ, ad Amanum montem. Mel.

Syrophœnix, habitans in orâ maritimâ Syriæ. Juv. *Sat.8.*

> *Sed tùm pervigiles placet instaurare popinas;*
> *Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo*
> *Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ.*

Mulier *Syrophœnissa* dicitur. Marc. 8. Item reg. Syriæ, eadem Phœniciæ. Ferr. Quà ad Boream Libani sita, Syriæ potiori conjungitur: Fuit in tribu Aser.

Syros, hodieque *Siro*, maris Ægæi inf. quam Homerus *Syriam* vocat in *Odysseâ*, uti Strabo & Stephanus testantur. *Syra* Sophiano adhuc dicitur. Satis culta. Sub Turcis. Habet Episc. Latini ritus. 16. m. à Thera Inf. Locus Hom. *est Odyss. O. v.402.*

> Νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται (εἴ που ἀκούεις)
> Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο.
> Εὔβοτος, εὔμηλος, οἰνοπληθὴς, πολύπυρος.
> Πείνη δ᾽ οὔποτε δῆμον ἐσέρχεται, οὐδέ τις ἄλλη
> Νοῦσος ἐπὶ στυγερὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Inde per aphæresin Phœnicibus familiarem, vel שירה *Sira* pro עשירה i.e. *dives*. Vel שורה *Sura* pro אשורה *Asyra*, i.e. *beata* dicta est hæc insula. *Scyron* verò pro Syro perperam habent Scylax, Mela & Ptolemæus. Sed in censu Cycladum apud Plinium Scyros est intrusa perperam, & libris repugnantibus, ut observatum est à magno Salmasio. Bocharius. *Syros* quoque fluv. Arcadiæ in Alpheum influens. Pausan. Item fluv. M. Græciæ in Calabriâ ult. in sinum Scyllaceum per Choniam urb. se exonerans, *Nascar* Barrio. Vide *Sinis*. Ferrarius.

Syrtes, mare vadosum & scopulosum Africæ, inter Byzacenam ad occ. & Cyrenaicam ad ort. longe lateque diffusum; vulgò *le Secche di Barbaria*, & *Baxos di Barbaria* Hispanis, *mare Syrticum* apud Senecam. In magnam & parvam dividitur. *Magna*, sinus est maris Africi, inter Leptin magnam ad occ. & Bereniceen urb. Cyrenaicæ ad ort. aditu 316 m. p. patens, circuitu 625. teste Plinio. *Golfo di Solocho*, & *Golfo di Palo*, in tab. *Parva*, inter Taphrutas ad occ. & Zeitham promuntor. ad ort. apud Leptim magnam, quæ inter utramque intercedit, ambitu 300. m. p. patens, quot à Carthagine distat. *Golfo di Caps* Ortelio; & *Golfo di Beito* Fanello. Utraque navigantibus est periculosissima, quòd mare ibi vadosum sit, arenæ vehens cumulos, qui loci faciem vicissim immutant, dorsaque & brevia in alia atque alia loca transferunt, Virg. *Æn. 1.*

> ——— *Tres Eurus ab alto*
> *In brevia & Syrtes urget (miserabile visu)*
> *Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.*

Idem *Æn. 4.*

> *Et Numidæ infræni cingunt & inhospita Syrtis;*

Horatius *Carm. 2. Od.6.*

> *Barbaras Syrtes, ubi Maura semper*
> *Æstuat unda.*

Idem *lib.1. Od. 22.*

> *Sive per Syrtes iter æstuosas.*

Idem *Epod. 6.*

> *Exercitatas aut petit Syrtes Noto.*

Propertius *lib.2.*

> *Non sic incerto mutantur flumine Syrtes,*
> *Nec folia hyberno tam tremefacta Noto.*

Inde *incerta Syrtis* dicitur Senecæ *in Hypolyto*. Idem Prop. 2. 19. ubi de Impossibilibus:

> *Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis*
> *Præbeat hospitio sæva Malea suo.*

Sil. *l. ultimo*,

> ——— *Et semper naufraga Syrtis.*

Valerius Flaccus Argon. *lib. penultimo*:

> ——— *Et sævas accedere Syrtes.*

Lucanus *lib.9. vers. 304.*

> *Syrtes vel primam mundo Natura figuram*
> *Cùm daret, in dubio pelagi terræque reliquit.*
> *(Nam neque subsedit penitus, qui stagna profundi*
> *Acciperet, nec se defendit ab Æquore tellus,*
> *Ambiguâ sed lege loci jacet invia sedes:*
> *Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo,*
> *Et post multa sonant projecti litora fluctus.*
> *Sic malè deseruit, nullosque exegit in usus*
> *Hanc partem Natura sui.) vel plenior alto*
> *Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat:*
> *Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens,*
> *Æquora subduxit Zonæ vicina perustæ:*
> *Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.*
> *Mox ubi damnosum radios admoverit ævum,*
> *Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda supernè*
> *Innatat & latè periturum deficit æquor.*

Sallustius *in Jugurtha*: *Cæterùm situm erat inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus propè in extrema Africa, impares magnitudine, pari naturâ, quorum proxima terræ præalta sunt, cætera, uti fors tulit alta, alia in tempestate vadosa: nam ubi mare magnum esse, & sævire ventis cœpit, limum, arenamque & saxa ingentia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis simul mutatur.* Seneca *lib. de Vita beatâ*: *Sicut deprehensi in mari Syrtico, modò in sicco relinquuntur, modò torrente undâ fluctuantur.* Vid. Plin. *lib.5. cap. 4.* Mela *lib. 1 cap 7. Syrtis sinus est centum ferè millia passuum, quà mare accipit, patens: trecenta, quà cingit. Verùm importuosus, atque atrox, & ob vadorum frequentium brevia, magisque etiam ob alternos motus pelagi affluentis & refluentis infestus.* Solinus *cap.30. Inter duas Syrtes, quas inaccessas vadosum ac reciprocum mare efficit. Cujus sali defectus atque incrementa haud promptum est deprehendere; ita incertis motibus, nunc in brevia residuis dorsuosa, nunc æstibus inundatur inquietis.* Hactenus Latini; jam Græcos videamus. Dio Chrysostomus *in fabula Libycâ Orat 5.* Ἔστι δὲ ἡ Σύρτις κόλπος θαλάττης εἰσέχων ἐπὶ πολὺ τῆς χώρας, καὶ τριῶν ἡμερῶν, φασὶ, πλοῦς ἀκωλύτως πλέουσι. Τοῖς δὲ κατενεχθεῖσιν, οὐκ εἶναι τὸν ἔκπλουν δυνατόν. Βράχεα γὰρ καὶ δίρραχα, καὶ ταινίαι μακραὶ μίχρι πολλοῦ διήκουσι συντεταγμέναι ἄπορον καὶ δύσκολον παρέχουσι τὸ πέλαγος· οὐ γὰρ ἐστι κατ᾽ οὐδὲν τὸ τῆς θαλάττης ἀγγεῖον καθαρόν· κοῖλος δὲ καὶ ψαμμώδης ὁ τόπος ὤν, ἐνδέχεται τὸ πέλαγος, οὐδὲν ἔχον στερεόν, &c. Strabo *lib. 17.* Ἡ χαλεπότης δὲ καὶ ταύτης τῆς Σύρτιος καὶ τῆς μικρᾶς, ὅτι πολλαχοῦ τεναγώδης ἐστὶν ὁ βυθὸς κατὰ τὰς ἀμπώτεις, καὶ τὰς πλημμυρίδας, συμβαίνει τισὶν ἐμπίπτειν εἰς τὰ βράχη, καὶ καθίζειν, σπάνιον δ᾽ εἶναι τὸ σωζόμενον σκάφος. Διόπερ πόῤῥωθεν τὸν παράπλουν ποιοῦνται, φυλαττόμενοι μὴ ἐμπέσωσιν εἰς τοὺς κόλπους ὑπ᾽ ἀνέμων ἀφύλακτοι ληφθέντες. Vide seqq.

Syrtis Judæa, scopuli & brevia maris Æthiop. inter Delphinam Inf. seu Madagascariam ad Ort. & oram Zanguebariæ ad Occ. Extensi ad 50. m. p. à Sept. in Mer. *os Baxos de Judia* Lusit. *les Basses de la Juifve* Gall.

Syrtis magna seu *major*, Sinus est magnus maris Mediterr. in orâ Africæ, extensus inter Cyrenaicam & Tripolitanam regionem, hodie *les Seiches de Barbarie* Gall. *Baxos de Barberia* Hisp. *Golfo de Sidra* Italis: Ejus circuitus est 400. m. p. circiter. Sed nullus in eo portus. Baudr.

Syrtis maxima, mare vadosum Americæ Sept. versus partem Or. Insulæ Terræ Novæ; *le grand Banc*, Gall. Extensum ad 500. m. p. à Sept. in Mer. sed 200. tantùm ab Ortu in Occ. ubi quotannis maxima Molucii piscis piscatio ab Europæis. Hinc in Ort. altera Syrtis minor, *le petit banc*, distat.

Syrtis parva seu *minor*, Sinus ejusdem maris, in orâ Africæ, inter Tripolitanam & Byzacenam regiones extensus, hodie *Golfe de Capes* Gall. seu *Capsus sinus*, cujus circuitus 190. m. p.

Syrus, Jonica insula, Asiæ opposita, unde Pherecydes ortum habuisse dicitur. Strabo *lib. 12.* Vide Steph.

Syscia, vide *Scissia*.

Sysigambis, mater Darii ult. ab Alexandro ad Isson captâ, ac matris veneratione culta.

Sysimethres, Persarum satrapa fuit, qui duos ex matre liberos suscepit. Nam, authore Qu. Curtio, apud Persas parentibus stupro coire cum liberis fas est, *lib.8. cap. 2.* Infandum scelus, & per quod jure gentium incestus committitur, *leg. fin. de R. N.* sed viderit ibi Paulus, quid appellet jus gentium. Ecce enim, quod nos meritò abhorremus, probabatur Arabibus, Persis, Assyriis, Parthis, Medis, Ægyptiis, Phrygibus, Galatis, Æthiopibus,

bus, Indis, Scotis, Hibernis, Nauræ regionis incolis, Nomadibus; ut ex variis Auctoribus ostendit Tiraquellus *leg. Connub.* 7. 30. 32. 33. & Alexandri *Dier. Genial. lib.* 1. *cap.* 24. Quibus accedunt haud pauci ex incolis terrarum recèns repertarum. Eò respicit Ovidianum illud *Metamorphoseon lib.* 10. *vers.* 331.

—— —— Gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur. —— ——

Orosius *lib.* 1. *cap.* 4. à Semiramide hunc morem introductum refert. Theodoretus *contra Græcos*, Grat. 9. *de legg.* ait, Persas, ex Zaradæ cujusdam instituto, matribus misceri. Apud Diog. Laërtium, Pyrrho, hac consuetudine, & aliis similibus, demonstratur: *idem aliis bonum, aliis malum videri.* Quomodo & Corn. Nepos *proœmio*: *Non eadem omnibus esse honesta, atq; turpia, sed omnia Majorum institutis judicari.* Eodemq; sensu Artabanus in Plut. *Themistocle*, *cap.* 46. Summus quoq; gentilium Philosophor. *Ethic* 1. 3. τὰ καλὰ, inquit, καὶ δίκαια τοσαύτην ἔχει διαφορὰν, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. Quorsum hæc? Ut nempe constet, certos indubitatosque bonorum & malorum fines constituere, non esse Naturæ, sed Gratiæ, Freinshemius *not. in locum Curtii suprà citatum.* Cæterùm *Sysimethres* hic, adventu Alexandri, cum 2000. armatis fauces regionis, valido munimento, sepsit. Sollicitatum ad deditionem, mater eademque conjux morituram se antè denuntians, quàm in ullius veniret potestatem, barbari animum ad honestiora, quàm tutiora flexerat. Mox tamen, quum hostis vires, suasque pensaret, permisit se victori, imperiumque recepit: quam gratiam paulo pòst largè retulit, cùm multa jumenta & camelorum duo millia adduxit, pecoraque & armenta: quibus distributis miles Alexandri & damno & fame, quâ laborabat, liberatus est, Rege præfato, *gratiam sibi relatam à Sysimethre*, Idem Curtius *lib.* 8. *cap.* 4.

Sysinas, Datamis natu maximus filius, qui à Patre ad Artaxerxem desciit & ad Regem de defectione detulit, Nepos. Ita enim ibidem rectius libri scripti legunt, quàm *Scismas*, teste Jano Gebbardo.

Sythas, fluv. Peloponnesi, per Sycioniam reg. in Sinum Corinthiacum fluens. Paus.

Syverus, fl. Atticæ, in quo chrysoprasus. Plin.

S Z.

Szegedinum, inferioris Pannoniæ emporium, sale Transylvanico celebre. Patria fuit Stephani Szegedini, cogn. Kis, ex genere Cumanorum, Theologi clarissimi, qui obiit An. C. 1572. æt. 67. Auctor tabbularum. Analyticarum Vet. Testamenti, edit. fol. An. Ch. 1595.



T.

T Instar reliquarum mutarum, non sine difficultate aliqua pronuntiatur, hinc ei ab *M.* apud Lucianum *Dial. Voc.* exprobratur, quòd discerpere velle vocem videatur. Sæpe pro *S.* ponitur: unde *Pultare*, pro *Pulsare*: loco *D.* quoque, cum quo ei magna affinitas est, haud rarò adhibetur, unde *Alexanter* & *Cassantra*, pro *Alexander* & *Cassandra* quandoque dicitur. Apud Romanos usurpatum, significabat Tribunos ratum habuisse decretum Senatus. Malo navis comparatur, apud Auson. *de lit. Monos.*

Malus ut antemnam fert vertice, sic ego sum T.

Et quia crucis figuram imitatur, hinc prædonis supplicium denotare Lucianus ait: In Romana autem communione Monachi S. Antonii Viennensis *T.* cœruleum in vestibus gestare solent, ut se sub protectione Crucis Christi, uti dicunt, esse ostendant: quamvis necdum liquidò constet, quæ figura cruci fuerit, cui affixus est SALVATOR noster, &c. Vide Voss. *in Aristarcho.*

T A.

Ta, fl. Sinarum, in parte Austr. in Quansia & Quantunia. Martin.

Tabaci Insula, quæ & *nova Valachria*, Insula Amer. merid. in mari Bor. sub Hollandis. Vide *Insula Tabaci.*

Taba, à *Tabo* conditore dicta, urbs Lydiæ in Pisidiæ Cariæque confin. Item oppidum Cariæ, Syriæ item in Petræa reg. Dicuntur *Taba* qu. petræ, in petris enim conditæ, teste Steph. quem sis vide. Sed Alexander in libro de Syriâ interpretatur *bonam*. Sane *Tobh* Ebræis *bonum* significat.

Tabana, opp. Chersonesi Taur. Ptolem.

Tabarestania, provinc. Persiæ, versus Sept. & mare Caspium, ubi aliàs major pars Hyrcaniæ, inter prov. Khœmum ad Ort. & Geylanum ad Occ. Ejus præc. urbs est Asterabatum.

Tabas, opp. in Parætacene ultima, Curt. 5. 54.

Tabasca, provinc. novæ Hispaniæ in Præfectura Mexicana, inter Suum Mexic. ad Bor. & Chiapam prov. ad Merid. Ad Occid. ab Ortu extensa per 46. leuc. Hisp. Ejus urbs primar. Tabasca, seu *Nuestra Sennora de la Vittoria*, Laët.

Tabaso, urbs Indiæ cit. nunc *Ultabad*, seu *Dultabad*, in regno Decani, munita, in reg. *Balagatte*, ad radices montium, juxta fluv. Guengam, in limite regni Golcondæ & dit. Magni Mogolis.

Tabatha, vicus in tribu Simeon, Hilarionis patria, 5. à Gaza mill. Hier. in vita Hilarionis.

Tabbaoth, nomen viri, 1. Esdr. 2.

Tabas, vide *Tavium*.

Tabee, fil. Nachor ex Romà concubinâ, Gen. 22.

Tabeel, nomen viri, Isaiæ 7.

Tabelias, nomen viri, 1. Par. 26.

Tabellicum, item *Talleburgus*, vel *Taleaburgus*, vulgò *Taillebourg*, munitio Galliæ ad ripam Carantoni, non procul ab urbe Santonis. Hucusque Henricus Rex Angliæ captis vi Santonibus, Richardum filium rebellem fugavisse legitur, An. Chr. 1173. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tabeni, pop. juxta desertum Carmaniæ habitantes, Steph.

Tabenna, ins. Thebaidis, intra Nilum, ubi *Tabennis* vicus. Callist.

Tabareni, vide *Tibarens.*

Taberla, vide *Tarbellica Aqua.*

Taberna, quæ & *Trischene*, urbs Calabriæ ult. ad Semirum fluv. & radices Apennini, 15. m. p. à Scyllacio in Bor. 14. à Nicastro in Ort. Siberenam versus 20. & 34. à Besidiano in Mer. Satis parva.

Tabernæ, opp. Germ. secundæ triplex, Unum in Alsatia infer. *Zabern*, simpl. vel *Elsaszabern* incolis, amplum, aliàs munitum, cum arce validâ, nunc disjecta. Baudr. de novo instauratur, Ann. Chr. 1675. Ad amnem *Sorr*, 4. leucis ab Argentorato in Circ. 4. ab Hagenoa in Occ. Nancejum versus, in limite Lotharingiæ, sub Episc. Argentoratensi, cujus sedes est. Munimentum olim Rom. contra Alemannorum incursiones in Gallias. Ab Alemannis dirutum, sed à Juliano restitutum, Amm. Marcellinus scribit. An à Cæsare constructum? Alterum *Bergzabern*, interdum parvæ Tabernæ, Gall. *le petit Saverne*, in Palatinatu Rheni, ad amnem *Erlbach*, versus montes, in limite Alsatiæ infer. vix 1. leuc. à Weissenburgo, 7. ab Argentorato, in cineres à Gallis redactum, Ann. Chr. 1675. Tertium *Rhein Zabern*, Gall. *Severne*, opp. Palat. ad amnis *Erlbach* confluentes in Rhenum, vix 2. mill. German. à Philippoburgo in Mer. uti 3. à Spira. De medio ita Ausonius *Eidyllio* 10.

Transieram celerem nebuloso flumine Navam,
Prætereo arentem sitientibus undiq; terris
Dumnissum, riguasq; perenni fonte Tabernas:
Et tandem primus Belgarum conspicor oris
Nivomagum, Divi castra inclyta Constantini.

Taberna meritoria Romæ, apud ædem S. Mariæ trans Tiberim, ubi milites emeriti & infirmi habitabant. Hic horti & turris, ex qua Nero incendium urbis spectavit.

Tabernaculum, fabrica honestior, quâ Sacramentum, quod vocant Altaris, conservatur in Eccl. Romana, pyxide inclusum, Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Tres *Tabernæ*, locus non longè à Româ, Act. 28. Item *Tabernæ*, opp. Maurit. Tingitanæ inter Lixum & Zilam. Anton.

Taberniacum, vulgò *Taverni*, vicus Galliæ in agro Parisiensi, à *tabernis* dictus, quòd militibus Romanis iter facientibus, instar tabernarum esset. Hic graviter ægrotasse Johannem Ducem Normanniæ An. Chr. 1335. scribit Appendix Chronici Nangiacensis, apud Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Parisii*

Tabia, castellum Liguriæ, vinis Apianis inclytum, ambitu quidem exiguo, sed nomine celeberrimum, ob generositatem succi nec Malvatico Cretæ, nec Cyprio, vel ulli tum Italico, tum exotico vino, suavitate cedenti.

Tabiana, *Tibiana* Marcellino, Persici sinus ins. Ptol.

Tabii, urbs Italiæ, in quâ Remus institutus est, Steph. Ita quidem vulgò apud eum legitur, sed per summam imperitiam. Nam pro Ταβίοι, Γαβίοι reponendum, illic enim Remus Romulusq; nutriebantur, Plut. *in Romulo*: Οἱ παῖδες εἰς Γαβίους κομισθέντες.

Tabinum, prom. Scythiæ, magis ad Bor. protensum, Plin. Quibusdam est *Tabis*, prom. Scythiæ in ora maris Eoi.

Tabis, urbs Arabiæ, Stephan.

Tabla, oppid. fuit Batavorum; hodie *Alblas*, vicus Hollandiæ, Phil. Cluverius.

Tabor, urbs Levitarum, in tribu Zabulon, Jos. 19. 1. Par. 6.

Tabor, mons Galilææ rotundus ac sublimis. Vide *Thabor.*

Taborum, opp. Bohemiæ, ad amnem *Lausnicz*, 20. m. p. à Budovissa in Bor. Pragam versus, 45. Castrum habet aliàs munitum ab Hussi discipulis, qui inde *Taboritæ* dicti, superstitiones omnes Papales rejiciebant, à *Calixtinis*, qui, calicis communione retentâ, in cæteris Eccl. Romanæ institutis se attempetabant, distincti. Hæ piæ Hussi reliquiæ, cœtus peculiares, Ordinem atque Consistorium Lhotæ (quæ vox è servitute liberationem notat) prope Richnoviam erexere, congregationi *Fratrum* nomine imposito, An. C. 457. Camerar. *in Hist. Fr. Bohem.*

Tabraca, *Tabracha* Plinio, *Tabratha* Stephano, *Thabraca* Ptolemæo, vulgò *Tabarca*, colon. & urbs olim Episc. Africæ marit. cum insula vicina cognomine, inter Hipponem ad Occ. & Uticam ad Ort. qu. 100. m. p. coralii piscatione dives. Baudr. urbs Episcop. fuit Africæ propr. in ora maris Mediterr. nunc oppidul. tenue, cum portu capaci, in regno Algerii, & prov. Constantina. Insula autem *Tabarca* pertinet ad Lomellinos, nobiles Genuenses; estque satis parva, contra Tabracæ portum, 50. m. p. ab Hippone in Ort. 90. ab Utica. Claud. *Prolog. lib. 2. in Eutrop.*

Inclyta captivo memoratur Tabraca Mauro.

Silius *lib. 2.*

Tabraca tum Tyrium vulgus, Sarranaq; Leptis.

Juvenalis *Satyr.* 10.

Quales umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia buccâ

Ad quæ verba vetus Scholiastes: *Opacas silvas esse in Africâ Poëta dicit in regione Tabracenâ.* Nempe ורק Syris est libri folium, & Arabibus etiam arboris: unde תוריק *thauric*, φύλλωσις, φυλλοφορία. Itaque תוריקא *Thauraca* est Φυλλὰς, cujus nominis in Thessaliâ fuit oppidum, Stephano & Strabone testibus.

Tabremon, pater Benhadad regis Syriæ. 3. Reg. 15.

Tabresium, seu *Taurisium*, Cedren. urbs ampla regni Persarum, aliàs sedes regia, in prov. *Servan.* Pluries capta fuit à Turcis, sed recepta à Persis, 1100. m. p. à Byzantio. Vide *Taurisium.*

Tabuda, fluv. Belgii, fortè ostium seu alveus Scaldis, *de Honte*, inter Zelandiam propr. & Flandriam. Plin. Ptol. Cluver.

Tabula, vel Mensa *rotunda*, condita, Walsingh. *pag.* 164. *l.* 33. Festum *Tabulæ rotundæ* ab Eduardo I. solennius celebratum, An. C. 1281. regni 9. Holl. *pag.* 280. *col. b.* 56. Sed prius institutum à Rogero Mortimero, heroë bellicoso, An. C. 1279. ad castrum Killingworthiæ, conscriptis huic ludo militari 100. Equitibus auratis, & totidem dominabus. Stovv. *pag.* 309. Eduardus III. An. C. 1344. domum ædificavit, ad castrum *Windelesbores*, quæ *Tabula rotunda* vocaretur, diametrum habens 200. pedum &c. Ypodig. *pag.* 515. apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Tabula, seu *Tabla*, locus Bataviæ, cujus in tabula Theodosiana mentio, vicus *Alblas* Cluverio exponitur.

Tabula Sinus, parvus admodum Cafreriæ, prope bonæ Spei promunt. ubi arx à Batavis nuper excitata, in colle in insula parva adjacente, *Taffel Bay* Hollandis.

Tabulejum, postea *Theologium*, sive *Dologium*, hodie *Tholie*, teste Wafferburgio, cœnobium in monte apud Treviros. Surius *in vitis SS.*

Tabulium, opp. agri Tarvisini.

Taburnus, mons Campaniæ, olivetis abundans. Virgilius *Georgic. lib.* 2.

—— Juvat Ismara Baccho
Conserere, atq; oleâ magnum vestire Taburnum.

Hodie *Taburo* dicitur, teste Leandro.

Tacape, urbs Syrtis parvæ, Ptolem. vulgò *Capes*, & *Caps*. Pœnis, inquit Bochartus, erat תכבה *tacabh*, hoc est, locus humidus & irriguus. Proin ager hic fertilissimus, vitesque biferæ, Plin. *lib.* 18. *c.*: *Civitas Africa in mediis arenis, petentibus Syrtes, Leptinq; magnam vocatur Tacape, felici super omne miraculum riguo solo. Ternis fere mill. pass. in omnem partem fons abundat, largus quidem, sed certis horarum spatiis dispensatus inter incolas.* An à *Capsa* diversa? V. *Capsa.*

Tacara, regn. parvum Guineæ, in ora Aurea.

Tacasasta, urbs Ægypti, inter Memphim & Pelusium, Antonin.

Tacasiru, in libro Not. Simleto.

Tacasim, civitas in tribu Zabulon, Jos. 19.

Tacasus, fluvius ingens regni Abassinorum. Ortus in finibus regni *Angote*, tribus præcipuè fontibus, aliquousq; tendit in Occ. inter Daganam & Hoagam; unde versus Bor. se incurvat, præterfluens regnum *Tigre*, ejusdemque regni provinc. *Sire* mediam dividens rigat desertum Oldebam, olim cœnobiis famosum: Conjungitur dein *Marabo* fluv. qui non procul Baroâ oritur, cujus fluentis multùm auctus, pergit ad regnum Dengini, quod tenent Mauri *Balloi*, mox alios invisit Mauros, *Bugihos*, aut *Funchos*, ac demum Nilo sociatur, ad opp. *Jalac*; *Tacazé* vulgò, Voss.

Tacatua Plin. *Tacatue* Ptol. *Tacatta* Anton. *Suchaida* Moletio, oppid. Africæ, in ora littor. inter Collopem magnum, sive Cullu ad Occ. 22. & Hipponem Reg. ad Ort. 54. m. p. apud Collopem parvum, ab eo parum in Occ. distans.

Tacfarinas, natione Numida, in castris Romanis auxiliaris stipendia meritus, mox desertor inconditam turbam primùm congregavit, dein Musulanorum dux factus, Mauros quoque in arma traxit: Decium ad Pagydam vicit, sed victus à Furio Camillo proconsule Africæ. Iterum rebellans, Cornelio Cethego, Visello Varrone Coss. & Africam raptans, auctus Maurorum auxiliis, à Dolabellâ Africæ proconsule, apud Castellum Auzea, oppressus est cum suis omnium rerum securis. Cumque Proconsul per manipulos promulgasset, *Tacfarinatem* omnes notum tot præliis consectarentur: nonnisi duce interfecto requiem belli fore; ille dilectis circum stipatoribus vinctoque jam filio, & effusis undique Romanis, ruendo in tela captivitatem haud inultam morte effugit. Vide Tacit. *Annal.* 3. & 4.

Tachasara, urbs Mediæ, Ptolem.

Tachempso, Nili insula, Herod. *lib.* 2. Stephano insula Æthiopiæ juxta Libyam. Gentile *Tachempsites*.

Tachos, rex Ægyptiorum, qui, cùm Agesilaum Lacedæmoniorum regem, brevis staturæ hominem, qui idcirco venerat, ut cum eo belli societatem iniret, eique auxilium ferret, hoc intempestivo joco lacessisset: Parturiebat mons, ac Jupiter metuebat, ille autem murem peperit: regno suo est spoliatus, alieno à se Agesilao, societateque diremptâ. Athen. *lib.* 14. Plut. *in Agesilao.*

Tacina, fluv. magnæ Græciæ, in sinum Scyllacæum, ultra Scyllacium urb. 22. m. p. Corinthum prom. versus influens, Anton. An *Targines* Plinii?

Tacitus M. Claudius, Imper. prudentiâ inclytus, successit Aureliano, post 7. mensium interregnum, approbante electionem exercitu, & ab ætate ejus provectâ, multum felicitatis sibi pollicente. Tacitum Historicum familiarem agnovit, ejusq; statuam & scripta, in omnibus Bibliothecis, ne interirent, collocari jussit. Occisus à militibus prope Thyanam, An. Chr. 275. ætat. 65. sexto Imp. mense. Ei successit Florianus, frater illius uterinus, qui non nisi 2. mens. præfuit. Vopiscus *in Tac. & Flor.*

Tacitus Cornelius, sub Adriano Principe orator clarissimus, æqualis ac familiaris Plinii Junioris. Gall. Belgicæ rationes procuravit, ad Vespasianos usque pervenit, ab iisque honoribus evectus, historiam principum scripsit ab Augusto ad Adrianum: An sub Trajano id factum? cujus libri quinque solùm supersunt; dein Annales orsus est, quos etiam mutilos habemus. Porro scripsit, de variis Germaniæ populis, eorumque moribus: vitam quoque Agricolæ, soceri sui. Quod enim librum de causis corruptæ Eloquentiæ Lat. attinet, illum sunt qui Quintiliano ascribant, Lipsius neutrius horum esse censet. Fulgentius Planciades, librum Facetiarum, sub Taciti nomine, laudat, sed immaniter fallitur. Plin. *in epist. lib.* 1, 4. 6. & 7. Lips. *not. ad Tac.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 30. *&c.* De hoc scriptore nos alibi plura, Lloydius. Interim vide Vossium *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 30.

Tacola, Indiæ emporium extra Gangem, Ptol. Hodie *Malacca*. Aliis *Juncalaon*, urbs regni Siami, in ora sinus Ganget. 400. m. p. à Malacca in Circ.

Tacompsos, vicus in fin. Ægyptiorum & Æthiopum juxta Philiam insf. Gentile *Tacompsites*, Steph.

Tacubis, Ptol. *Tubucci* Anton. opp. Lusitan. amplum & clarum, ubi reges Portugalliæ coronabantur, ad Nabanem fluv. *Tomar* Moletio. Sed situs *Tubucci* apud Anton. non congruit, Ferrar.

Tader, fluv. Hispan. Tarrac. in mare Ibericum influens. *Segura* Floriano & Navagerio. Nunc *Rio Seguro*. Oritur in limite Castellæ novæ; dein per regn. Murciæ, inibi Ilorcim & Murciam rigat, uti & Oriolam, in regno Valentiæ, & in Sinum Illicitanum se exonerat, 5. leuc. Hisp. ab Alona in Mer. Baudr.

Tadinum, urbs fuit Episc. Umbriæ, cujus vestigia in via Flaminia, prope Gualdum, ultra Nuceriam, in summo Apennino, L. Holstenius.

Tadium, vide *Cadium*.

Tadussacum, oppid. novæ Franciæ, cum portu amplo, & colonia Francorum, in ora Boreali magni Sinus seu æstuarii S. Laurentii, ubi recipit Saguenæum fluv. 140. m. p. à Quebeco in Cæc.

Tanaria, *Capo Matapan* Soph. *Capo Matna* Gregoræ, promunt. Peloponnesi, dividens sinum Messeniacum à Laconico, à Maleâ promunt. 84. m. p. Suidas: Ταίναρον, ἀκρωτήριον Λακωνικῆς. Statius *Thebaid.* 2.

Est locus Inachiæ, dixerunt Tænara gentes,
Quâ formidatum Maleæ spumantis in auras
It caput, & nullos admittit culmine visus.
Stat sublimis apex, ventosq; imbresq; serenos
Despicit, & tantùm fessis insiditur astris.

Hic specus horrendi, & hiatus profundi, ubi Cerberum, inferorum canem, ab Hercule occisum fabulantur. *Tænarus* Straboni, *Tænarum* Solino, nomen non tam promuntorii, quàm urbis Episc. sub Archiep. Lacedæmoniensi, quæ Ptolemæo *Tænarium* dicitur, vulgò *Matna*, à Lacedæmone 45. m. p. in Africum. Sed Nigro *Porto delle Quaglie*, à coturnicum copiâ, nominatur, Lucan. *lib.* 9.

Dorida tunc Malean & apertam Tænaron umbris.

Plin. *lib.* 5. *cap.* 4. *Oppida, Tænarum, Amyclæ, Pheræ, &c.* Solinus *cap.* 12. percurrens hunc tractum: *Est & oppidum Tænarum nobili vetustate.* Incolæ *Tænarita*. *Pro Pytho Tænarum* adagium est, cùm permutantur inæqualia, teste Eustathio. Item *Tænarium malum* proverbium est, cùm crudeliùs in servos sævitur. Nam Lacedæmonii servos, qui Tænarum confugiebant, reductos capite plectebant. Cæterùm *Tænarus*, non solùm opp. & promunt. nomen est, sed portus; de quo sic Papinius *lib.* 2. *Theb.*

Interiore sinu frangentia litora curvat
Tænarus, expositos non audens scandere fluctus:
Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit equos.

Apollonii Scholiastes *in lib.* 1. *ex Pherecyde*: Ταίναρος ἀφ' οὗ Ταίναρος καλεῖται, ἡ πόλις, καὶ ἡ ἄκρα, καὶ ὁ λιμήν. Fuit in hoc loco antrum, per quod aditus erat ad inferos. Suidas post nuper adducta verba: ἐν ᾧ σήμαιον ἦν καλούμενον εἰς ἅδην. Euripides *in Hercule*: Ταινάρου στόμα. Solinus ubi supra: *In Laconiâ spiraculum est Tænaron.* Apuleius *lib.* 6. de Tænaro: *Inibi spiraculum Ditis, & per portas hiantes monstratur iter invium.* Sen. *in Hipp. Tænarii specus.* Et *in Oet. Tænarias fores.* Lucanus *lib.* 6.

—— Non Tænariis hic faucibus aër
Sedit iners, mœstum mundi confine latentis
Ac nostri. —— ——

Papinius *Theb.* 2.

Hoc, ut fama, loco pallentes devius umbras
Trames agit. —— ——

Valer. 1. *Argon.*

—— Semperq; patentem
Tænaron. —— ——

Horatius *lib.* 1. *Carm. Od.* 34.

Quo Styx, & invisi horrida Tænari
Sedes, &c.

Descensus Orphei hoc loco ad inferos ipse in primis meminit *in Argonaut.*

Ταίναρον ἤλυθ' ὁδὸν σκοτίην, ἐς δ' Ἄϊδος εἶσα,
Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ δι' ἔρωτ' ἀλόχοιο.

Virgilius *Georgic.* 4.

Tænarias etiam fauces, alti ostia Ditis,
Et caligantem nigrâ formidine lucum
Ingressus, manesq; adiit, regemq; tremendum,
Nesciaq; humanis precibus mansuescere corda.

Ovidius *Metam.* 10.

Ad Styga Tænariâ est ausus descendere portâ,
Perq; leves populos, simulacraq; functa sepulcro
Persephonen adiit, inamœnaq; regna tenentem
Umbrarum dominum.

Tænarus, (inquit Bochartus) vel Ταίναρος, est ipsissima vox Phœnicia טינר *tinar*, quæ pro rupe passim occurrit in Chaldæâ paraphrasi. Syri verò trajectis literis scribunt טירן *tiran*, & [illegible] *tirna*. Itaque *Tanar* est rupes. Et verò in Tænaro monte lapidicinas describit Strabo *lib.* 8. Εἰσὶ δὲ, inquit, λατομίαι λίθου πολυτελοῦς, τοῦ μὲν Ταιναρίου ἐν Ταινάρῳ παλαιαί. Fuit & circa Tænarum, ut in Cytheris, purpuræ piscatio: Val. Flacc. *lib.* 5.

Accipe Tænarii chlamydem de sanguine aheni.

Tænarum, Leuncl. *Tunza*, fluv. Thraciæ, apud Ænum urbem, in mare Ægæum fluens.

Tanias,

Taniæ, pars Mareotidis paludis, inter Mare & fossam Canopicum. Strab. Ptol.

Taniolonga, Maurit. Ting. oppid. ad mare Ibericum, Ptol. *Mesemma* Castaldo.

Tafileta, regnum Biledulgeridis reg. in parte *Darha*. Inter regna Segellomessæ ad Ort. & Darhæ ad Occ. Terminatur ad Bor. regno Marocano. Ei subest Iiata, prov. perampla ad Merid. Cum urbe prim. cognom. A paucis annis Rex Tafiletæ & Maroci Fezæque regna, post multas insignesque victorias sibi subjecit. Marmol. Baudrandus Regnum hoc, quod proximis hisce annis demum innotuit, fertur pars veteris Numidiæ, seu hodiernæ Biledulgeridiæ urbique Fezzæ versus Austrum objacere, idque sole Septentrionalis signa transeunte, Becmannus *Histor. Orbis terrar. Geograph. & Civil.*

Tagabesa, Ptolemæo, *Stagabaza* Interpret. urbs Indiæ intra Gangem.

Taga pop. Asiæ ad Oxum fluv. Bactrianæ incolentes, Solinus. Urbs Parthiæ, Polybio. Ortelius ex tabulis *Turson* interpretatur.

Tagaste, urbs Africæ inter Hipponem Regium ad Bor. & Siccam Veneriam ad Merid. 54. mill. pass. In Numidia, aliàs clara D. Augustini natalibus, & Episcop. nunc paucis incolis constat. In Mediterraneis, in regno Algerii & prov. Constantina. Baudr.

Tagavostium, urbs Sulæ provinc. in regno Marrochii, prope Susum fluv. 45. mill. pass. à Tarodanto in Merid. 70. ab ora Oceani Atlantic. in Ort.

Tageno, Decanus Passaviensis, in Germania, cum Friderico Barbarossa, in Orientem profectus, expeditionis hujus sacræ historiam scripsit, à Marquardo Frehero, inter Germaniæ Historicos, editam. Aventin. *lib. 7. Annal. Bojor.* Vossius *de Histor. Latin. lib. 2.*

Tages, Genii filius, teste Festo, & nepos Jovis, qui adhuc puer 12. Hetruriæ populos haruspicinam traditur docuisse, *Cicer. lib. 2. de Divin. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cùm terra araretur, & sulcus altiùs esset impressus, extitisse repentè, & eum affatus esse, qui arabat: Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentiâ. Ejus aspectu cùm obstupuisset bubulcus, clamoremq; majorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamq; brevi tempore in eum locum Hetruriam convenisse; tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, literisq; mandaverint: omnem autem orationem fuisse eam quâ aruspicinæ disciplina contineretur*; De hoc Tage, quem nonnulli malum genium fuisse putant. Ovid. *Met. 15.*

Haud aliter stupuit, quàm cùm Tyrrhenus arator
Fatalem glebam motu aspexit in arvis,
Sponte suâ primum, nulloq; agitante moveri;
Sumere mox hominis, terræq; amittere formam,
Oraq; venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixère Tagen: qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Lucanus *lib. 1.*

—— *Dii visa secundent,*
Et fibris sit nulla fides: sed conditor artis
Finxerit ista Tages. ——

Alii dicunt hominem fuisse obscurum, qui subitò inclaruit, quum artem divinandi esset professus. Vide Lindenbrog. *ad Censorin. de Die Nat. cap. 4*

Tagonius, Plutarch. *Rio de Henares* Morali, fluv. Hispan. Tarrac. Complutum alluens. Alius *Tajuna*, in Aragoniæ & Castellæ novæ confin. in Tagum influens.

Tagrus, forte *Tagus*, mons, pars Herminii, sicut & mons Lunæ vicinus, uterque *Monte di Sintra*: ubi equas vento concipere scripsit Plinius.

Tagura, & *Thagura*, urbs olim Africæ, in Numidia, in mediterr. nunc paucis admodum incolis constat.

Tagurius, mons Sericæ, pars Tauri.

Tagus, viri cujusdam nobilis nomen. Sil. Ital. *lib. 1.*

—— *Volitabat ovans, aciesq; per ambas*
Jam Tagus auratis agnoscebatur in armis.

Alius fuit ejusdem nominis apud Lucan. *lib. 3.*

—— *Cujus dum pugnat ab altâ*
Puppe Tagus, Grajumq; audax aplustre retentat,
Terga simul pariter missis & pectora telis
Transigitur. —— ——

Tagus, mons Lusitaniæ, apud quem equæ dicuntur è vento concipere.

Tagus, fluvius Hispaniæ celeberrimus, vulgò *Tajo*. Oritur ex monte Orospeda in Celtiberis gemino fonte, ac per Toletum, Liboram, Norbam Cæsaream, Scalabim & Ulyssipponem longo decurrens tractu, in Oceanum occiduum sese (latus in ore 2. leuc.) exonerat. Baudrando oritur in Castella nova, in ipso limite Aragoniæ 4. leuc. à Lobero in Occid. prope fontes Sucronis & Turiæ; dein per Castellam novam fluens, auctus aliquot minor. Juxta Toletum & Talaveram labitur. Hinc rigatis Norba Cæs. & aliquot oppidis Estremaduræ, per Portugalliam fluit, ubi receptis aliquot fluviis æstuarium amplum efficit, & 2. leucis infra Olissyponem Oceano miscetur; aurum gignens, Mela *lib. 3. cap. 1. Ulyssippo & Tagi ostium, amnis aurum gemmasq; ferentis* Plin. *lib. 4. c. 22. Tagus auriferis arenis celebratur.* Et ex eo Solinus *cap 26. Tagum ob arenas auriferas cæteris omnibus prætulerunt.* Audiamus Poetas, Ovidius *Metamorph. 15.*

Quodq; suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.

Idem *Amor. 1. 15.*

Cedant carminibus reges, regumq; triumphi,
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Martialis *lib. 10.*

Auriferumq; Tagum sitiam, patriumq; Salonem.

Idem *eodem libro:*

Aurea quicquid habet divitis unda Tagi.

Idem *lib. 1.*

Æstus serenos aureo franges Tago.

Seneca Tragœdus:

Tagusq; Iberâ turbidus gazâ fluens.

Quòd autem *turbidus* dixit, idem est quod Martialis *lib. 8.*

Non illi satis est turbato sordidus auro
Hermus, & Hesperio qui sonat orbe Tagus.

Et ante eum Virgilius *lib. 1. Georg.*

—— *Atq; auro turbidus Hermus.*

Juvenal. *Satyr. 3.*

—— *Tanti tibi non sit opaci*
Omnis arena Tagi, quodq; in mare volvitur aurum.

Idem *Satyr. 10.*

Sed cujus votis modò non suffecerat aurum,
Quod Tagus & rutilâ volvit Pactolus arenâ.

Silius *lib. 1.*

Hic certant, Pactole, tibi Duriusq; Tagusq;
Quiq; super Gravios lucentes volvit arenas,
Inferna populis referens oblivia Lethes.

Et ante omnes Catullus *epigr. 30.*

—— *Amnis aurifer Tagus.*

Nomen ejus quod attinet, Phœnicie dictus est דג *Dag*, (si Bocharto credas) vel דגי *Dagi*, id est, *piscosus*. Et laus à Trogo tribuitur in genere Hispaniæ amnibus, qui sunt, ut ait, *lenes, & vinei, campusq; irrigui, æstuariisq; Oceani affatim piscosi*. At alii solum Tagum à piscium ubertate commendant, Strabo *lib 3.* Πολύϊχθυς δ᾽ ἐστὶ ὁ ποταμὸς (Τάγος) ϗ ὀστρέων πλήρης. Mart. 10. 78.

Piscosi calamo Tagi notata,

Claudianus:

Non Tartessiacis illum satiarit arenis
Tempestas pretiosa Tagi.

Tahat, filius Ahir, 1. Par. 6. Filius Bared, 1. Par. 7.

Taichuim, urbs Chequianensis provinc. decima, in Sin. In monte: sub qua quinque aliæ, cum territorio peramplo & montuoso. M. Martinius.

Taifali, Gallicani, gens Scythica, puerorum stupris infamis, in agro Galliæ Pictonico Selle, sique, duce Ataulfo Gothorum Reg. aut ductu Goaris Reg. cum Alanis gente finitima, olim sedem fixit: *Teifali* Gregorio. Ab his Austrapius Dux, apud Selliense castrum in Pictonibus Episcopus ordinatus, interemptus est. Ex iisdem Senocus presbyter, Clericus factus, in Monasterio Turonico, multis virtutibus inclaruit, pauloque post Sigeberti Reg. cædem decessit. *Taifalia* vico nomen dedere, in finibus Pictonum, inter Clicchionem & Moritaniam, ad Separin fluv. apud Namneias in Ligerim exeuntem, hodie *Tifauge*. Fuere & *Taifali* gentiles, quorum unà cum Sarmatis præsidium Pictavis fuisse, docet Not. Prov. Imp. Romani. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tajima, opp. Japoniæ, cum tractu cognom. in parte Bor. Niphoniæ Inf. & Jamosatiæ reg. Brtet.

Tainni, pop. à Saracenis ad Merid. vergentes, Stephan.

Tajoanum, vide *Taybanum*.

Taipinga, urbs Sinar. XI. prov. Nanchinensis, prope lacum cognom. & fluv. *Kiang*. Sub qua duæ aliæ. Martinius.

Taipinga, urbs VIII Quansiæ, in reg. feraci; Sed jamdudum sub rege Tunchini, cum 22. urb. ei annexis. Idem.

Taitunga, urbs Xansiæ tertia. Intra montes, valde munita. Sub qua 10. urbes. Idem.

Tajyvenum, urbs Xansiæ primar. prope fluv. *Fuen*; magni circuitus, ad rad. montium. Sub qua 24 urb. Idem.

Taizali, (vide *Texali*, ut in codice Græco habet Ptolemæus.) Northumbri, teste Lhuydo, pop. Albionis in orâ Angliæ Orientali, & Scotiæ confin. Verniconibus (in codice Græco Veniconibus) finitimi, quorum reg. *Northumberland* vocatur. Sed ex Ptolemæi descript. in orâ Scotiæ orientali sunt, ubi Devana urbs, quæ *Aberdone* hodie dici putatur: *Taizalo* promunt. (de quo mox) Borealior. Baudrando mel. *Taxali*, fuere in illa parte, ubi hodie *Buchan*, prov. Scotiæ Trans Taunæ, in ora maris Germ. Eorum caput fuit Devana, nunc in ruinis; quanquam quibusdam sit *Deer*, opp. in illo tractu, longè ab Aberdonia

Taizalum, seu *Taxalium*, Ptolem. promuntor. Albionis in orâ Scotiæ Orientali, inter ostia Celnii & Divæ fluv. in Ortum maxime porrectum, inter opp. S. Joannis, & Aberdoniam urbem Borealiorem. Hodie est *Buquhannesse*, in Buchania prov. 24. m. p. ab Aberdonia in Bor.

Takorajum, portus Guineæ, in ora Aurea, intra montes, ubi aliàs castr. & colonia Francorum, vix 9. leuc. à prom. Trium Cuspidum, 6. à Botrova arce Holandorum in Ort.

Talabrica, & *Talabriga*. Lusitan. urbs, Ptolem. *Talaga* Jac. Vasconcello. Baudrando *Talega*, vicus Beiræ Provinc. in Portugallia, versus Vagum fluv. 10. leuc. Portugall. supra ejus ostia in Ort. totidem à Conimbrica in Bor.

Talabroca, opp. Hyrcaniæ, Strab.

Talacatium, Latii castrum.

Talacori, emporium Taprobanæ, nunc *Jafanapatan* fortè, caput regni cognom. in parte Boreali.

Talalatum, urbs Africæ propr. Anton.

Talamina, opp. Hispan. Tarrac. inter Astyres & Callaicos, Ptol. *La Vega* Moletio.

Talamita, vulgò *Talande*, vel *Talegande*, locus Galliæ in Arvernia superiori.

Talamona, vicus Lombardiæ Transpad.

Talantia, Spartana mulier, cùm audivisset, filium suum Pædaretum, iniquè se apud Chios in regni administratione gessisse, his ad eum verbis scripsit: *Aut te melius in Chii administratione gerito, aut istic maneto. Nam si Spartam redieris, non est quòd ultra speres te victurum.*

Talaon, fil. Jasii apud Argos regnavit. Boccat. 2. 38.

Talara, urbs Indiæ, intra Gangem, Ptolem.

Talaria, urbs Syracosiorum. Gent. *Talarinus*, Stephan.

Talavera la Reyna, Urbs Castellæ novæ, ad Tagum, 12. leucis Hispan. infra Toletum in Occid. versus Pontem Archiepiscopi 5. Ibi fluv. *Alberche* in Tagum se exonerat.

Talaurus, vide *Galaurus*.

Talaus, Argivus, ex Argonautis unus, Flacc. *Argon. lib. 1. vers.* 358. *& lib. 3. vers.* 471. 480.

Talaus, mel. *Laus*, opp. & fluv. Brutiorum in Lucaniæ confin. in orâ Calabriæ citer. Strabo. *Scalea*, teste Barrio. Vide *Laus*.

Talbenda, urbs Pamphyliæ, Ptolem.

Talca, Ptol. *Talga* Melæ, *Tazata* Plinio, ins. maris Caspii fertilissima, ex quâ aliquid contingere nefas erat veteribus, quòd Diis sacra habebatur; Hyrcaniæ adjacet, & *Alea* hodie dicitur.

Talcinum, Ptolem. *Talsini* hodie territorium, opp. olim Corsicæ mediterr. circa ortum Tuoli fl. inter Niolum & Curiam oppida ex majorib. inter Bastiam & Adiacium 40. m.p. in Corsicæ umbilico.

Taleacotium, *Tagliacozzo*, opp. Aprutii ulter. cum tit. Duc. Columnarum, 8. m.p. à lacu Fucino in Occ. 18. ab Aquila, in Africum, versus confinia dit. Pontif. 9.

Talerus, nomen monetæ, apud Germanos, insignioris, *ein Thaler*: nomine à Valle Joachimica, Germ. *Thal* desumpto, ubi primùm cusi sunt per Slicones Comites, Georg. Agr. *lib. 2. de pond. & mensur.* circa Ann. Chr. 1520. qui adhuc non infrequentes apparent, unâ parte Joachimum Abbatem & insignia Slikensia præferentes, cum literis: *AR. DOMI. SLI. STE. & FRA. COM. B. B.* alterâ Leonem Bohemicum, cum literis: *LUDOVICUS PRIM. D. GRACIA R. BO.* quos alii dein sunt imitati: Interim & antiquiores Joachimicis, minus tamen frequentes, sunt aliqui, ut quem *MAXIMILIANUS. MAGNANIMUS. ARCHIDUX. AUSTRIÆ. BURGUND. ET MARIA. KAROLI. FILIA. HERES. BURGUND. BRAB. CONJUGES.* An. Chr. 1479. Item, quos Sigismundus Archidux An. Chr. 1486. nominis æternandi ergo formari jusserunt. Vide Christ. Becmannum *Hist. Orbis terrar.*

Taletum, fanum erat Soli dicatum in Taygeti montis vertice, Pausanias.

Talia, urbs Mœsiæ super. Anton. *Saliata* Mœsiæ primæ, Libr. Notit. *Tanatis*, Ptolem.

Talismani, sacerdotes Turcarum: hos, quoties convivas vocabant, Ottomannus, & Successores ejus, filius Urchan, ac Murates, mensæ adhibuisse leguntur, ut eorum præceptis & admonitionibus aurem præberent, ac Alcorani lectioni vacarent. Lipsius *Mon. Polit. lib. 1. cap. 2.*

Talium, urbs Junnaniæ in Sin. versus partem ejus Bor. & regni Tunchinensis confinia, juxta lacum Siulum. Sub qua quinque urbes. Martinius.

Talius Geminus, Accusator Fabricii Vejentonis. Tac. 14. Mureto *T. Allius*.

Talleburgum, vulgò *Taillebourg*, opp. Santoniæ, ad Carentonium fluv. S. Ludovici victoriâ contra Hugonem Marckium, An. 1242. clarum, 2. leuc. infra Mediolanum Santonum in Bor. Angeriacum versus 5. & 8. à Broagio in Ort.

Talledius, vide *T. Alledius*.

Talliates, pop. German. infer. quorum pagus cum arce *Tallendorff*, seu *Dallendorff*, vel *Dollendorff*. in reg. Eifaliâ, apud Bonnam urbem, vix mill. Germ. versus *Ripisdorff*, pagum.

Talmontium, opp. Pictaviæ, in ora Oceani Aquit. cum tit. Principatus, 8. leuc. à Luciona in Ort. Arenas Olonenses versus 3. Cum portu capaci.

Talmud Judæorum, circa An. Chr. 422. à Rabbinis compositum est, nugis, fabulis, blasphemiis refertum. Textus ejus volumina superant paginas S. Bibliorum in decuplo, glossis antiquis & modernis, supra illud factis quàm plurimis, exceptis. Digestores codicis edixere, *ut omnes ordinationes in eo libro, tantam haberent efficaciam, quantam ea, quæ à Deo in lege Mosaica constituta sunt.* Vide Hieron. *de sancta Fide in Hebr.* Lætum *Comp. Hist. Univ. &c.*

Talmudista, dicti, qui doctrinam Talmud, libri apud Judæos summopere æstimari, sequuntur. Significat hujus nomen *Disciplinam*, & creditur præcepta continere utilissima, velut Epitome quædam divinarum, humanarumque legum. Has dicunt conservatas esse, in scriptis Pontificum, quarum compilator Rabbi Juda Hakkadosch, edidit An. Chr. 188. *Misna*, id est, repetitionem leg... Dein, An. 469. Rabbi Johanan, ab aliis quibusdam adjutus, novam concinnavit syllogen Judaicorum præceptorum, quæ priori adjuncta est: Dictum hoc opus Talmud Hierosolymitanum, quia in hac urbe conflatum est. Post hæc, Asé & Hammai, Rabbini Babylonii, addiderunt An. 476. varios tractatus, unde Talmud Babylonicum exortum: Sed cùm prior, morte præpeditus, opus affectum reliquisset, perfecit id filius ejus R. Mayr. Hunc librum magno in pretio Judæi habent, & ipsi S. Scripturæ non raro anteferunt. Interim, nil aliud est, quàm farrago injuriarum & blasphemiarum atrocissimarum, contra JESUM nostrum, & Ecclesiam ejus: Proin condemnavit eum etiam Gregorius IX. An. 1230. Innocentius IV. An. 1244. Jul. III. An. 1553. Paulus IV. An. 1559. Dividunt illum Judæi in tractatus 6. quorum quilibet in plurima capita subdividitur. Sixtus Sen. *Bibl. Sacr. lib. 2.* Genebrard. *lib. 2. & 3. Bibl.* Bellarmin. *lib. 2. de SS. cap. 6. &c.*

Talthybius, præco in Græcorum exercitu. Hom. 1. *Iliad* qui unà cum Eurybate ab Agamemnone missus est, ad Achillis castra ut Briseidem ab eo abduceret. Ovidius *Epist.* 3.

Eurybati data sum Talthybioque comes.

Talus, adolescens, sororis Dædali filius, repertâ serpentis maxillâ, parvulum cùm secuisset lignum, imitatam postea dentium serpentis spissitudinem, serram ferream primus omnium fecit. Reperit etiam tornum, & rotam figuli. Ita cùm pluribus rebus profuisset, magnâ laude celebratus est. Hunc igitur puerum Dædalus invidiâ motus, existimans turpe, magistrum ab adolescente gloria vinci, dolo interfecit. Diodorus Sic. *lib.* 5.

Tamaca, fluv. Portugalliæ, qui & *Tamaga*, Aquiflavienses alluit, in finibus Bracarum, in Durium, inter Lamacum & Portum influens. Inscr. Vet. in Aquis Flaviis.

Tamaraca, Insula parva, in ora Or. Brasiliæ, quibusdam *Itamaraca*. Versus oram litt. ad 10. mill. extensa, 13. ab Olinda in Bor. Circuitus 22. mill. Ibi opp. Beatæ Mariæ de Concept. Hinc *Præfectura Tamaraca*, una ex XIV. Brasiliæ partibus in ora maris Bor. Satis parva. Inter Præfect. Paraibæ in Bor. & Pernambuci in Mer. Sub Lusitanis.

Tamare, Ptolem. *Tamerton*, teste Camdeno, oppid. Albionis in Damnoniis, & Cornubiâ reg. inter Exoniam ad Orr. 30. & Bodminum ad Occ. 20. mill. p. Aliis *Tavestock* esse videtur oppidum ejusdem reg.

Tamaris, seu *Tamara* Ptolem. *Tamar* vulgò, fluv. Hispan. in Callaicis, à quo popul. *Tamarici*, per quos fluit, mari apud Celticum promuntorium exceptus. Hujus fontes habebantur in augu..., teste Plin. Baudr. *Tambre* hodie, fluv. Gallæciæ, qui in Ocean. Atlanticum cadit prope oppidul. *Muros*, 6. leuc. à Celtico promuntorio in Merid.

Tamarita, pop. Asiæ Hyrcanis finitimi. Hi Baccho ex India victori, sacra tempore vindemiæ statuerunt, choreas circum torcularia, musto despumantia, agentes. Avien. Dionys.

Tamarus, mons Epiri, Strab. Vide *Tmarus*, & *Tomarus*.

Tamarus, *Tamer*, vel *Tamar* Camdeno, fluv. Albionis, per oram Cornubiæ Australem fluens; *Tamaram* opp. alluens, mari... apud Plymmouthum (Plymouth) oppidum & port. exceptus. Ali... *Tone* dicitur.

Tamasidava, urbs Mœsiæ infer. Ptolem.

Tamasis, urbs Indiæ intra Gangem, Idem.

Tamassus, Cypri insulæ urbs, Ταμασσὸς Stephano, ἡ Ταμασσὸς Straboni, Ταμασσὸς Ptolem. Ταμασία Polybio, Ταμασία Constantino Porphyrogennetæ in Them. *Tamaseum* etiam hanc urbem vocat Plinius, apud quem tamen codd. nonnulli antiqui *Tamasus*. Eam innuere videtur Ovidius *Metam.* 10. *ex emendatione Nicolai Heinsii:*

Est ager, indigenæ Tamasenum nomine dicunt,
Telluris Cypriæ pars optima.

Tamassum, ubi μέταλλα χαλκοῦ ἐστιν ἄφθονα, testibus Strab. *lib.* 14. & Stephan. in Ταμασσὸς, Phœnices condidisse nemo scripsit. Nomen tamen est Syrum, à metallorum fusione. Nam אטמסא *etmosa* verbum est *liquescere*. At תמס *temes* est Ebræis *liquefa*... dubitant autem interpretes utrum ad hanc Tamassum, an a... tiorum Temesam, quæ & ipsa ære abundavit, pertineat illud Homer. *Odyss. α. vers.* 184.

— Ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκόν. V. *Temesa*.

Tamastani, municipium Mauritaniæ Cæs. Peuting. tab.

Tambrax, urbs Parthyænorum. Stephan.

Tamerlanes, vel *Temir Lancus*, à suis vocatus *Temir Cuthlu*, ... felix, Tartarorum Imperator, formidabilem se sec. 14. re... Filius pastoris, virtute emersit. Dux enim primò paucoru... pius cum Persis feliciter conflixit; deinde majoribus copi...

ad 800000. excreverunt, collectis, brevi tempore Parthos sibi [illegible]ecit, superatoque muro Sinico, varias Indorum provincias, cum Mesopotamia & Ægypto, imperio suo adjecit: trium sic orbis partium domitorem se jactans, tria O. O. O. insignibus suis inseruit. De hoc variè sentiunt auctores, quorum quidam clementiam ejus & ingenium extollunt, alii sævitiam detestantur: In[terim] certum est, illum Mathematicarum artium non planè rudem, Theologiam quoque Mahometanam percalluisse. Urbem [a]l quam obsessurus primo die album, secundo rubrum, tertio atro colore funestum tentorium erigere solitus est; non aliâ victoriâ magis [me]morabilis, quàm de Bajazete Turcarum Imp. reportatâ, prope [Ang]iam, in Galatia, An. 1402. quem cùm victum primò el[ementer] habuisset, ferociâ ejus & superbiâ irritatus, ferreæ caveæ postmodum inclusum circumduxit. Salutavit hic Tamerlanes, per [legatos], Carolum VI. Gall. R. Obiitque An. circiter, 1406. un[de] [imperi]o, filiorum dissensionibus, miserè discerpto, è quorum, po[steri]s hodierni Magni Mogores, in India potentissimi, orti. Petrus [P]erondinius, *in vita Tamerl.* Chalcond. *Hist. Turc. l.* 3. Bizard. lib. [illegible] *Hist. Pers.* Joh. Heroldus *in Contin. Belli sacri*, Monachus S. D[ionys]ii, *in Carolo VI.* P. de Valle, *Itiner. tom.* 3.

Tamesis, vel *Thamesis*, *Jamissa* Ptolemæo, vulgò *Thames* (*Tems* [illegible] pronunciant) fluv. Albionis maximus, Londinum Angliæ [illegible] interluens, ac à Roffâ urbe 5. m. p. fluens, mari Britan[ni]co contra portum Iccium urb. Gallicam exceptus. L. Loyd. Ori[tur] [in] [co]mite Glocestriæ; dein in Ort. per Viltoniam fluens, utri[n]que [B]ercheriam & Oxoniensem Comit. auctus aliquot fluv. Oxo[niam], [u]bi nomen suum, à confluxu fluviorum *Tama* & *Isis*, de[nuo] accipit, rigat. Hinc Surriam à Midlesexia separans, juxta L[ondi]num labitur: & Essexiam à Cantio dividens, ibi æstuario [illegible] in Ocean. Germ. se exonerat, prope Roffam, sed fere 55. [m. p.] ab Iccio portu in Circ. Baudrand. Ei adsident, præter Oxo[niam] & Londinum, Windsora, Greenvicum, Gravesandia, urbes. [O]stium est ad Ins. *Sheppey*, quà simul Medweagus *Meduvy*, [illegible] Tamesi minor, in mare effluit. Julius Cæsar *l.* 5. *de B. Gall.* *Cujus* ([lo]quitur de Cassibellauno) *fines à maritimis civitatibus* *fl[u]men dividit, quod appellatur Tamesis, à mari circiter millia passuum* 80. E[t] paulo post: *Quod flumen uno omnino loco pedibus, atq; hoc ægre transiri potest.* Ubi vetus Interpres, (quem nonnulli Max. Planudem fuisse volunt) Θάμισιν vocat. Dioni verò *lib.* 40. Ta[m]ισσας vocatur. Vide Burton. *in Anton. pag.* 173. Camdenum *Hi[st.] Cantii. &c.*

Tams Ala, Lazio *Tamberg*, pag. territorii Salisburg. haud pro[cul] Salisburgo.

Tamia, Ptol. nunc *Tanea* aut *Tayn*, opp. Rossiæ, in Scotia; seu [illegible] ut in tabulis, ad oram Bor. à Torysdala opp. 12. m. in Occ.

Tamiatis, urbs Ægypti. Steph. *Damiata*; hodie ex primis Æ[gypti], probè munita & culta.

Taminga, urbs prov. Pechinensis VII. Sin. versus Guejum fluv. [illegible] seu adjacente, sub qua 11. urbes; Martinius.

Tamna, urbs Arabiç Steph. Catabanensium regia. Strab. Steph.

Tamnum, seu *Tavium*, op. Segusianorum, quibusd. *Bourg en* [*Bresse*], caput Brelliæ, 4. leuc. à Matiscone in Ort. uti ab Arari [illegible] a Lugduno in Bor. Cum arce aliàs munita.

Tamnum alterum, Anton. vulgò *Talmont*, ad Garumnam. Opp. A[quitan]iæ, Blaviæ proximum, inter Burdigalam 35. & Santones [ab] Arctos 27 mill. pass.

Tamome, fluv. regni Mogor, se in Gangem exonerans.

Tamos, Memphites genere, Tissaphernis primò legatus, postea verò [à Cyro] fratre regis Persarum, quòd illius consilia juvabat, J[onia] præfectus est. Cyro autem superato, cæsoque à fratre, veritus re[gis] [i]ram, liberis, pecuniisque in naves impositis, in Ægyptum a[d] regem Psammeticum navigavit: quem quia beneficiis e[mer]uerat, perfugium sibi futurum sperabat. Sed is pecuniarum, [qu]as advexerat ille, cupiditate illectus, supplicem & bene meri[tum], contra jus fasque peremit. Olymp. 95. Diod. *lib.* 14. Thucyd. *libr.* 8.

Tamuda, op. Maurit. Ting. cum fluv. cognomine, *Tamuada* [illegible] *Bedia*, teste Olivario.

Tamugada, urbs Africæ mediter. in Mauritaniæ confin. à Lam[b]es[a] 14. m. p. distans.

Tamul. regnum exiguum Bisnagaris.

Tamulluma, urbs Africæ propr. teste Victore Uticensi. For[sitan] [est] *Tamannuna* & *Tamaununa*, in tabb. Peutinger.

Tamusida, Ptol. urbs Maurit. Ting. mediterr. Fessæ finitima. T[illegible] Marmolio.

Tamusiga, opp. Maurit. Tingit. extra Herculis columnas, in orâ Ocea[ni] Atlantici. Ptol. *Gazola* Moletio.

Tamuz, quartus Hebræorum mensis, jejunio 25. diei, de quo [Zach]ar. *cap.* 8. memorabilis.

Tamyna, urbs Eretriæ. Strabo. Hic Jupiter *Tamynæus* cole[batu]r. Steph.

Tamyrace, op. Sarmatiæ Europææ olim caput, ad Carcinitem sinum promunt. cognomine. Strabo.

Tamyras, fluv. Phœniciæ inter Tyrum & Sidonem, vulgò *Da[mor]*. *Damyras* Polybio, *Nagoras*, vel *Magoras* Plinio, & *Leon* Ptolemæo dici videtur.

Tamyras, vide *Thamyras*.

Tanac, sive *Tanach*, urbs magna & potens, cujus regem occidit Josue, urbem tamen initio expugnare non potuit, sed expugnavit postea, est data Levitis. Est villa nunc prægrandis, distans à Legione tribus milibus. In tr. Aser. Jud. 1.

Tanagra, Ptol. Bœotiæ nobile opp. *Græa* Homero, teste Stephano, cui *Gephyra*, ut & *Oropus* ab Aristotele dicitur. Hodie *Anatoria* dicitur Castaldo. Ejus mem. Statius 7. *Theb.*

Mille sagittiferos gelida de colle Tanagra.

Nemo paulo humanior est, inquit vir magnus, qui non aliquid audiverit de Tanagræis gallis ad certamina natis. De illis ita Varro *de R. R.* 3. 9. *Sine dubio sunt pulchri, & ad certandum inter se maximè idonei.* Plin. 10. 31. *Quidam Galli ad bella tantùm & prælia assidua nascuntur, quibus etiam patrias suas nobilitarunt Rhodum ac Tanagram.* Et Pausanias *in Bœoticis*, ubi de Tanagrâ: Ἐνταῦθα δὲ καὶ γένη δύο ἐνταῦθα ἀλεκτρυόνων, οἵ τε μάχιμοι, καὶ οἱ κόσσυφοι καλούμενοι. *Sunt ibi gallorum genera duo, pugnaces, & qui merulæ vocantur.* Columella *lib* 9. *cap.* 2. *Tanagrici plerumq; Rhodiis ac Medicis amplitudine pares.* Idem, *Deliaci, quoniam procera corpora & animos ad prælia pertinaces requirebant, præcipuè Tanagricum genus & Rhodium probabant.* Unde est, quod proverbio jactabant veteres: Ἀλεκτρυὼν ἀθλητὴς Ταναγραῖος, *Gallum pugilem Tanagræum.* Hi galli Colæphryges dicti sunt, à monte cognomine prope Tanagram, in quo alebantur. Hesychius, Κολόφρυξ, Ταναγραῖος ἀλεκτρυὼν καὶ ὄρος Βοιωτίας. Unde Bochartus nomen Phœnicium esse suspicatur. Gallus enim Syris est תרנגל *tarnegal.* Græci autem *L.* finali rejecto, ut in Ἀννίβα & Ἀσδρούβα, ex *Tarnega* unius literæ trajectione *Tanagram* fecere. Ita ut urbs Tanagra sit urbs galli, i. e. gallorum. Ad hanc aliquando Ceto ingenti delato, *Cetus Tanagræus* in Prov. abiit, apud Athen. *lib.* 12. de obeso &c.

Tanagrus, sive *Tanager*, *Negro*, teste Celso Cittadino, fluv. Lucaniæ aliàs, nunc principatus cit. ex Alburno monte apud Picenum op. oriens, haud procul à Potentiâ decurrens, Auletamque opidum alluens, qui in campo Atinate mersus sub terrà, post 20. m. p. emergit. Virgil. *Georg.* 3.

—— *Et sicci ripa Tanagri.*

Baudrando oritur prope lacum Nigrum, in limite Basilicatæ, 12. mill. à Policastro in Ort. ad radices Apennini. Dein in Bor. tendens, rigatis Atinâ, Auletâ aliisque oppidulis, in Silarum fluv. se exonerat, receptis prius aliquot fluv. minoribus, & nominatim *la Botta*, qui prope Picernum oritur.

Tanais Dea, colebatur, ab Armeniis, præcipuè in urbe Arilesina, ubi servos servasque dedicant: nobilissimi etiam filias ei dedicabant, quibus lex erat, ut diu apud deam prostitutæ essent, donec nuptui darentur, nullo renuente talibus conjungi.

Tanais, nomen proprium viri, Horat. *lib.* 1. *Sat.* 1.

Est inter Tanaim quiddam socerumq; Viselli.

Tanais, urbs & emporium celebre (maximè pellium) Sarmatiæ, ad ostia Tanais fluv. ab Isthmo Tauricæ, ubi Precopensium regia, itinere 5. dierum, seu 30. leuc. Germanis distans. *Asoph* incolis, teste Mercatore. *Azak* Baudrando, urbs emporium que celebre Tartariæ Precopensis, in limite Moscoviæ, juxta Tanaim fluv. 15. m. p. supra ejus ostia, 400. autem à Theodosia in Cæc. Capta fuit à Moscis, verùm recepta à Turcis. Sed nunquam fuit Precopensium regia.

Tanais, incolis *Don*, fluv. Sarm. Europ. notissimus & maximus, illam ab Asiâ disterminans, in Moscorum finibus oriens, & in merid. obliquè decurrens, ac in Mœoticam paludem magnâ vi aquarum influens. *Silis* Scythis dicitur, teste Plinio, *Danubius* quoque olim dictus fuit, teste Acrone Horatii Scholiaste. Dixi hunc fluv. Asiam disterminare ab Europa. Diod. Sic. *lib.* 1. Μίχει Ταναΐδος ποταμοῦ τοῦ διορίζοντος τὴν Εὐρώπην ἀπὸ τῆς Ἀσίας. Incertus auctor *in Pont. Euxin. & Mæotid. palud. periplo*: τὸν δὲ Τάναϊν ποταμὸν, ὃς ἐστι τῆς Ἀσίας ὅρος τέμνων τὰς ἠπείρους ἑκατέρας δίχα. Lycophron *in Cassandra*,

Λίμνην τε τέμνων τὰς ἀχειρίφους μέσην.

Dionysius *vers.* 14.

Εὐρώπην δ' Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει:
Ὃς ῥά τ' ἠλιβάτοιο κατὰ χθονὸς Σαυροματάων
Σύρεται ἐς Σκυθίην τε καὶ ἐς Μαιώτιδα λίμνην.

Et postea *vers.* 661.

Ὅστε καὶ Εὐρώπην ἀποτέμνεται Ἀσίδος αἴης
Ἐς δύσιν Εὐρώπην, ἐς δ' αὐγὰς Ἀσίδα γαῖαν.

Ovidius *in Ponticis*:

Quiq; duas terras, Asiam, Cadmiq; sororem
Separat, & cursus inter utramq; facit.

Hinc ab Horatio *discors* vocatur *in Odis*,

—— *Tanaiq; discors.*

Lucanus *lib.* 3.

Riphæo Tanais diversi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiaq; & terminus idem
Europæ, media dirimens confinia terræ,
Nunc hunc, nunc illum, quà flectitur, ampliat orbem.

Qu. Curtius *lib.* 6. *Tanais Europam & Asiam medius interfluit.* Mela *l.* 1. *Hoc mari & duobus inclytis amnibus Tanai & Nilo in tres partes universum dividitur. Tanais à Septentrione ad merid. vergens in me-*

in mediam ferè Maotida destinit. Vide eundem *lib. 2. cap. ult.* Ammian. lib. 22. *Qui (Tanais) inter Caucaseas oriens rupes per sinuosos labitur circumflexus, Asiamq; disterminat ab Europâ, & in stagnis Maoticis delitescit.* Marcianus Heracleota: Καὶ πάλιν ὁ Τάναϊς ποταμὸς, ὅστις τὴν Εὐρώπην ἀπὸ τῆς Ἀσίας ὁρίζων κατὰ τὸ Ἀρκτῷον διορίζει μέρος, εἰς τὴν Μαιῶτιν ἐκβάλλει λίμνην. Herodotus *libr. 4.* Ὄγδοος δὲ Τάναϊς ποταμός, ὃς ῥέει τὰ ἄνεκαθεν ἐκ λίμνης μεγάλης ὁρμώμενος, ἐκδιδοῖ δὲ ἐς μέζω ἔτι λίμνην καλεομένην Μαιῆτιν, ἣ οὐρίζει Σκύθας τε τοὺς Βασιληΐους καὶ Σαυρομάτας. Addenda etiam erant è Plutarcho nonnulla, sed lectorem ad authorem ipsum remittimus (modò Plut. auctor sit) *lib. de fluminibus.* Aristoteles *in Meteorologicis* docet, veterum nonnullos credidisse, Tanaim fluv. ex Araxe profluere. Locus est *lib. 1.* Ἐκ μὲν οὖν τῆς Ἀσίας πλεῖστοί τε ἐκ τοῦ Παρνησσοῦ καλουμένου φαίνονται ῥέοντες ὄρους καὶ μέγιστοι ποταμοί. Τοῦτο δὲ ὁμολογεῖται πάντων εἶναι μέγιστον ὄρος τῶν πρὸς ἕω τὴν χειμερινήν. Ὑπερβάντι γὰρ ἤδη τοῦτο φαίνεται ἡ ἔξω θάλαττα, ἧς τὸ πέρας οὐ δῆλον τοῖς ἐντεῦθεν. Ἐκ μὲν τούτου ῥέουσιν ἄλλοι τε ποταμοὶ, καὶ ὁ Βάκτρος, καὶ ὁ Χοάσπης, καὶ ὁ Ἀράξης. Τούτου δὲ Τάναϊς ἀποσχίζεται μέρος ὤν, εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην. Sic scribendus ille locus, Παρνησὸς Dionysio & aliis dicitur *Paropamisus*, uti supra vidimus. Frustra verò hic Olympidorus Parnassum in Asiâ quærit. Ineptè item Orpheus *in Argon.*

> Ἔνθαδ᾽ Ἀράξου ῥεῦμα μεγαβρεμέτου ποταμοῖο
> Ἐξ οὗ Θερμώδων, Φᾶσις, Τάναΐς τε ῥέουσι.

Nugatur, more suo, poeta ille. Fragmentum Peripli Ponti Eux. & Mæot. pal. à Vossio editum (cui hanc notam debeo) Ἐξίησι δὲ δίστομος ἔχων τὸ ῥεῖθρον. Ubi rectè Tanaim δίστομον vocat, ut & alii omnes. Ne fallant Troades Senecæ Tragici, cujus in exordio statim Tanais septem ora habere dicitur:

> —— *Columen eversum occidit*
> *Pollentis Asiæ, cælitum egregius labor.*
> *Ad cujus arma venit, & qui frigidum*
> *Septena Tanain ora pandentem bibit:*
> *Et qui renatum primus excipiens diem,*
> *Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto.*

Sic legendum ex MS. sed nemo unquam Græcorum tam imperitus fuit, ut Tanaim ἑπτάστομον esse proderet. Error iste solùm est Romanorum. Quod jam Acron, *in Commentario ad Horatium,* videtur subodoratus fuisse. Romani namque solent sæpe confundere Tanain & Istrum. Testis ejus rei etiam est Seneca *in Qu. Nat. lib. 6. Hinc qui medius inter pacata, & hostilia fluit, Danubius ac Rhenus; alter Sarmaticos impetus cohibens, & Europam Asiamq; disterminans: alter Germanos, avidam gentem belli, repellens.* Non sollicitanda est hæc lectio, quod tamen quidam faciunt. Danubium etiam Tanaim vocat Tibullus *libro tertio ad Messalam,* cùm inquit:

> *Quaq; Hebrus, Tanaisq; Getas rigat, atq; Sigynos.*

Sic emendandus iste versus: Getæ enim & Sigyni, ad Istrum sunt, non Tanain. Noli audire eos, qui *Mosonos* substituunt: nam immensum quantum ab Istro, & Tanai, distant. Ineptissimi verò, qui *Morinos* cogitarunt; qui tantum absunt,

> *Quantum Hypanis Veneto distat ab Eridano.*

Mirabitur forsan aliquis, quòd auctor fragmenti supra memorati inquiat, in Bosp. Cimmerium exonerari Tanain; & quòd infra os Mæotidis paludis idem faciat ac os Tanaidis, cùm tamen tam vastum intersit spatium. Sanè id ipsum quoque innuit Arrianus, in περίπλῳ Ponti: Τάναϊς ποταμὸς λέγεται ὁρίζειν ἀπὸ τῆς Ἀσίας τὴν Εὐρώπην, καὶ ὁρμᾶται μὲν ἀπὸ λίμνης τῆς Μαιώτιδος, ἐσβάλλει δὲ εἰς θάλασσαν τὴν τοῦ Εὐξείνου Πόντου. Quem locum frustra emendare aggressi sunt viri docti. Plutarchus Junior *in lib. de Flum.* Criumetopon ad Tanaim collocat: Παράκειται δὲ τῷ Ταναΐδι ὄρος τῇ διαλέκτῳ τῶν ἐνοικούντων προσαγορευόμενον Βριξάβα, ὅπερ μεθερμηνευόμενον ἐστὶ Κριοῦ μέτωπον. Alibi quoque similia occurrunt exempla, ubi urbes Bosporanæ, Tanaiticæ dicuntur. Ratio ejus rei est, quòd Bosporus Cimmerius etiam Tanais appellatus fuerit. Ostendit hoc Procopius *lib. 4. de Gothis:* Τάναϊν δὲ καλοῦσι καὶ ἐπιχώριοι καὶ τὴν ἐκβολὴν ταύτην ἐκ λίμνης ἀρξαμένην τῆς Μαιώτιδος, ἄχρι ἐς Εὔξεινον Πόντον. Hactenus Isaacus Vossius. Baudrando est fluvius Moscoviæ, in Rezan Osera oriens, ex lacu *Juvanonvo Iezicro*, id est, lacus Johannis, qui latus est verstas 500. Primùm rectà per Tartarorum Precopensium agros versus Ortum labitur, & haud longo à Volga intervallo & opp. Sanissa cubito se flectens, atque aliquot amnibus auctus, in Mœotidem paludem duobus ostiis prope Urbem Tanam, commune olim Europæorum, Asiaticorum, & Tartarorum Nomadum emporium, nunc *Azaph* dictum, munitumque arce & firmo præsidio Turcarum, se exonerat. Hujus cum Volga conjunctionem tentavit aliquando Chamus Tartarorum, Turcis ita in mare Caspium & Moscoviam aditum aperturus, sed operi jam accincto Russi cladem gravissimam intulere, quo factum fuit, ut proposito suo absistere cogeretur. Id tamen postmodum perfecit Sachainbejerus Camouz, à quo & *fossa Camouz* dicta fuit, extructis in ea præsidioque munitis 17. turribus. V. Fourn. *lib. 12. cap. 7.* Becmannum *Hydrographiâ, &c.* Est & alter Tanais min. qui in Siberiensi Duc. oriens, unde *Donecz Seversky* dicitur, supra Tanaim seu Tanam urbem in Tanaim magnum influit.

Tanaquil, Tarquinii prisci uxor fuit perita, ut vulgò Etrusci, cœlestium prodigiorum mulier. Hæc, cùm aquila, suspensis demissa leniter alis, pileum viri abstulisset, rursusque, velut ministerio divinitus missa, capiti aptè reposuisset, hæc inquam, virum amplexa, alia sperare jussit: id siquidem factum est, ipsis primò Romam ingredientibus, antequam regnaret ipse Tarquinius Priscus. Ponitur & pro quâvis uxore viro imperante. Auson. *epist. 23.*

> —— *Tanaquil tua nesciat illud.*

Vide Scal. Auson. *lect. lib. 2. cap. 6.* Juvenalis *Sat. 6.*

> *Consulit Ictericæ lento de funere matris*
> *Ante tamen de te Tanaquil tua.*

Tanarus, fluv. Lombardiæ Cispadanæ. *Tanaro* Leandro. Corruptum ejus vocabulum legitur apud Ælianum Ταίναρος pro Τάναρος, quod insciriâ librarii factum, cui notius erat extimum Peloponnesi versus Meridiem promuntorium hoc nomine, quàm *Tanarus* Italiæ amnis. Locus est, *Hist. Anim. lib. 14. cap. 29.* ubi ὁ πάντῃ γνώριμος ποταμὸς dicitur.

Tanatis. Mœsiæ sup. op. Ptol. apud Danub. ubi Moschium excipit. *Terriana* Nigro.

Tancardi villa, vulgò *Tancarville*, ad dextram Sequanæ ripam in Oceanum properantis, à conditore vel possessore suo sic dicta. Forte meliùs *Tancredi Villa*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Tanchelinus, vel Tandemus, impostor quidam Antverpiæ, An. 1125. Morerio fuisse dicitur, à S. Norberto convictus, *in Diction. Histor.*

Tancredus de Hauteville, Normanniæ Ducis Roberti vasallus, cùm numerosam haberet familiam, nec pares opes, filiorum duos natu maximos, in Italiam misit, qui, Siciliâ occupatâ, regnum hujus Ins. ad posteros transmiserunt. Post mortem Guilielmi II. Boni, ann. 1189. Siciliâ divisâ, *Tancredus*, fil. nothus Rogerii, Apuliæ Ducis, thronum conscendit, triennio pòst mortuus, filius autem ejus Rogerius, in carcere, oculis orbatus, obiit. V. *Sicilia.*

Tandaia, una ex Philippinis; aliter *Achan*. Ad Eurum Manillæ Ins. à qua separatur Freto *Manilla*. Sub Hisp. Sæpe *Philippina propr.* dicitur, quia primò detecta ab Hisp. Longa 50. leuc lata 40. circiter.

Tandra, Ins. Ponti Euxini, prope ostia Borysthenis. Recens nomen ignoratur.

Tanegaxima, Ins. parva Japoniæ, ab Austr. Ximoæ Ins. Brietio.

Tanes, vir Persa ex ducibus Darii.

Tanetos, *Tolsapis* Ptol. ins. parva Albionis in Angliâ in ora Cantii, vix angusto freto ab eo separata, prope Sandvicum, 15. m. p. infra ostia Tamesis ad Ort. uti 7. à Cantuaria, vulgò *Tenet*, vel *Thanet*. Dicitur & *Thanatos*.

Tanetus, *Tannetum* Anton. *Tanitum* Ptol. op. olim nunc pagus Æmiliæ in agro Regiensi, apud Niciam fl. inter Regium Lepidi 9. & Parmam 6. m. p. *Taneta* P. Diacono.

Tanfana templum, *Benthemerberg*, teste Geo. Bruno, locus Germ. in Westphaliæ & Frisiæ confin. apud veteres Marsos & Salios, ubi Benthema op. & Comit. à veteribus Saliis vix mill. Germanico in ort. distans.

Tangermunda, opp. veteris Marchiæ Brandeb. ad Albim, ubi recipit amnem *Tanger*. 7. leuc. infra Magdeburgum in Bor. Havelbergam versus. Aliàs munitum; & pluries vastatum ultimo bello Germ.

Tangmarus, Presbyter Ecclesiæ Hildesheimensis, in Saxonia, floruit sec. 11. Scripsit vitam Bernwardi Episc. cujus præceptor fuerat, ab illo in Italiam deductus. Brouverius, aliique ediderunt. Vossius, *de Hist. Lat.*

Tangrolipinces Mucaletus, sub quo initia Turcicæ potentiæ jacta sunt, à Mahomete Persidis Sultano contra Calipham evocatis Turcis; quibus cùm reditum parantibus Mahometes intercluderet, ab iis desperabundis regno vitâque exutus est, An. C. 1037.

Tangum, opp. Niphoniæ, in parte Bor. Jamasoriæ reg. cum tractu cognomine. Briet. *Tango.*

Tangutum, regnum in parte Merid. Tartariæ veræ, versus Sinas. Aliter *Tanin* & *Baghargar*: Ejus Caput *Tangu*, dicitur etiam *Campion* & *Tanin*, G. Sansoni; Eratque alias ibi Sericæ region. pars Austr.

Tanguum, regnum Indiæ ulter. juxta Menanum fluvium, cum Urbe primar. cognom. aliàs sub Rege Peguano.

Taniaorium, urbs Coromandeliæ, alias sub Rege Bisnagaris, nunc sub proprio Principe, cum tractu adjac. 60. mill. ab ora Coromandelis & à Franquebaria in Occ. Princeps *Naique de Taniaor* dicitur, clientelaris Regis Bisnagaris; & ei subest Negapatanum.

Taniaxarces. Vide *Smerdis.*

Tanis, *Tanitis præfectura* Plinio, *Taphnis* Ezechieli, urbs Ægypti apud ostium Taniticum, à Gigantibus condita & nominata teste Isidoro, ac Pharaonis quondam regia, ubi Moyses tot edidit signa. *Tanes* adhuc dicta, teste Nigro, urbs quondam magna, Stephano authore.

Taniticum ostium, *Saiticum* Strab. *Tanicum* Pomponio, unum ex 7. Nili ostiis inter Pelusiacum ad ort. & Mendesium ad occ. *Callixene*, teste Bonacciolo cum aliis.

Tannetus, locus Campaniæ, ubi Buccilinus à Narsete superatus P. Diaconus *l. 2. de gestis Longob.* Legitur & *Tannetum* & *Tanetum*.

Tanos, urbs Cretæ. Gent. *Tanius*. Steph.

Tantanes, Assyriorum Rex, Ann. M. 2881. post *Tautanem*, qui regnaverat ann. 32, Obiit Ann. 2910. *Thinao* successore. Euseb. *in Chron.*

Tantalis & *Tantali stagnum*, in Lydia. Plin. V. *Sipylus*.

Tantalus, Jovis & Nymphæ Plotæ fil. teste Eusebio *lib.* 2. *Prep. Evang.* cùm tamen Jo. Diaconus & Didymus Jovis & Plutûs Nymphæ filium fuisse arbitrentur: quem Tzerzes *hist.* 10. *chil.* 5. præ dictâ quidem matre genitum, ac patre Imolo Lydiæ rege scribit. Lucianus *in Dipsadibus*, Æthonis filium facit, uti testantur carmina sequentia:

Τοῖα παθόντ' εἴμεν καὶ Τάνταλον Αἴθων@- υἱὸν
Μηδαμά κειμένοις διψαλέω ὀδύνῃ.

Fuerunt qui dixerint, Deos aliquando in hospitium ab hoc fuisse acceptos, qui cùm lautum convivium illis parasset, Pelopem fil. cæsum inter cæteras epulas apposuit. Id cum Dii cæteri cognovissent, ab iis epulis abstinuerunt, præter unam Cererem, quæ ob raptæ filiæ dolorem penè desipiens inconsultò humerum edit. Tum Dii reliqui ejus filii miserti, eum rursus jecerunt in lebetem, ac recoctum vitæ restituerunt, teste Pindaro. Cùm verò illi deesset humerus, Dii eburneum fecisse dicuntur: qui humerus omnium postmodo Pelopidarum signum fuit, ut Spartis pilum, sicuti testatur Ifacius. Verùm, quia Deorum epulas humanâ cæde contaminasset, perpetuo epularum desiderio ad inferos addictus est, qui tamen præsentes lautissimo regioque apparatu semper habet epulas, quas nullo pacto potest attingere, quamvis is insatiabili fame excrucietur. Homerus *libro* λ. *Odyss.* ait, Tantalum apud inferos perpetuâ siti vexari, & in aquâ esse perpetuò, quæ usque ad mentum assurgit: sed quoties labris attingere conatur, illa statim refugit: quod ipsum faciunt varia fructuum genera, quorum desiderio semper discruciatur, ut est *in his*,

Καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα,
Ἑσταότ' ἐν λίμνῃ, ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ·
Στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι.
Ὁσσάκι γὰρ κύψει' ὁ γέρων πιέειν μενεαίνων,
Τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχέν, ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
Γαῖα μέλαινα φάνεσκε, καταζήνασκε δὲ δαίμων.
Δένδρεα δ' ὑψιπέτηλα κατακρῆθεν χέε καρπόν,
Ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι,
Συκέαι τε γλυκεραὶ, καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι
Τῶν ὁπότ' ἰθύσει' ὁ γέρων ἐπὶ χερσὶ μάσασθαι,
Τὰς δ' ἄνεμ@- ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα.

Alii putarunt, lapidem illius capiti imminere, qui quoties bibere conaretur, toties illius caput percuteret. Cic. 4. *Tusc. Qu. Poetæ impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt ob scelera, animique impotentiam & superbiloquentiam.* Euripides *in Oreste*:

Διὸς πεφυκὼς (ὡς λέγουσι) Τάνταλ@-,
Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον
Ἀέρι ποτᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην·
Ὡς μὲν λέγουσιν, ὅτι θεοῖς ἄνθρωπ@- ὤν
Κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον
Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.

Ovid. *Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.*

Tibullus *lib.* 1.

Tantalus est illic, & circum stagna, sed acrem
Jam jam poturo deserit unda sitim.

Cornelius Gallus:

Οὗτ@- ὁ πρὶν μακάρεσσι συνέστι@-, οὗτ@- ὁ πολλάκις
Νέκταρος ἐμπλήσας θυμὸν ἐπήρατ@- ...,
Νῦν λιβάδ@- θνητῆς ἱμείρεται, ἡ φθονερὴ δὲ
Κρατὸς ἀεὶ χείλευς ἐστὶ πικροτέρη.
Πῖνε λέγει τὸ τόρευμα, καὶ ὄργια μάνθανε σιγῆς,
Οἱ γλώσσῃ προπετεῖς ταῦτα κολαζόμεθα.

Alii, ut Tzerzes ac Didymus, putarunt hanc pœnam irrogatam Tantalo, quia nectar & ambrosiam suis æqualibus impertiverit. Pindarus,

Μετὰ τριῶν τέταρτον
Πόνον, ἀθανάτων ὅτι κλέψαις
Ἁλίκεσσι συμπόταις
Νέκταρ, ἀμβροσίαν τε δῶκεν.

Propert. 2. 1.

Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleo poterit tradere poma manus

Idem *eleg.* 17. *ejusdem libri*,

Vel tu Tantaleâ moveare ad flumina sorte,

Idem *lib.* 4.

Fallax Tantaleo corripiare liquor.

Ovid. *Amor. lib.* 3. *eleg.* 6.

Sic aret mediis facilis vulgator in undis,
Pomaque quæ nullo tempore tangat, habet.

Claudianus:

Non aqua Tantaleis subducitur invida curis.

Seneca *in Thyeste*:

Sæpe lusus vacuo gutture Tantalus,
Impendet capiti plurima noxio,
Phineu avibus prædo fugacior, &c.

Idem *in Herc. Fur.*

In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas, alluit mentum latex;
Fidemque cùm jam sæpe decepto dedit,
Perit unda in ore: poma destituunt famem.

Hujus mem. Statius 1. *Theb.* licet pœnam non addit,

—— *Neque enim arcano de pectore fallax*
Tantalus, & sævæ periit injuria cœnæ.

Tantali fabulam de divitibus avaris interpretatur Horat. *Serm. lib.* 1. *Sat.* 1.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina; quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. —— ——

Petronius Arbiter:

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia latè
Qui tenet, & sicco concoquit ore famem.

At Cicero curas & timores inanes videtur putasse à mentibus hominum, per hanc fabulam, expellendos. Quod etiam sensit Lucretius *in his carminibus*,

Nec miser impendens magnum timet aere saxum
Tantalus, ut perhibent, cassâ formidine torpens:
Sed magis in vitâ Divum metus urget inanis
Mortales, casumque timent, quem cuique ferat fors.

Tantalus, mons Lesbi, à *Tantalo* dictus. Steph. Item opp. Lydiæ, in Cariæ confin. apud Mæandrum, inter illum & Sipylum montem. Nicet. *Tausanle* Leunel.

Tanus, fluv. Peloponnesi per Argiam fluens. Pauf. *Tanaus* Euripidi dictus, agrum Argivorum à Spartano dividens. Item Siciliæ mons, teste Fazello.

Tanusius Geminus, Historiæ scriptor ignobilis, Ciceroni familiaris, qui inter alia scripsit de conjuratione Cæsaris cum Crasso, P. Sullâ & P. Antronio. Senecæ *Epist.* 93. vocatur *Tamusius*, nisi fortè rectius ex Suet. *Cæs.* 9. corrigendus Seneca, nam & Plut. dicitur Τανύσι@-. A Cicerone impensè commendatur.

Taoca, Persidis urbs Ptol. quam Thevetus *Thimas* vocari ait. Pop. *Taoci*. Dionysius *vers* 1080.

Πέρθαι Σάσαι, μετέπειτα Πασαργάδαι, ἄγχι Ταοκῶν.

Ubi vulgo ἄγχι δὲ Ταοκῶν. Atqui cùm *Taocorum* alibi non fiat mentio, Salmasio libens assentior, qui Ταοκῶς pro Ταῖκας in auctore aliquo malè exarato Dionysium legisse arbitratur. In maritimâ enim Persidis orâ, non longè à Palargadis, *Taocene* regio, ubi *Taoce* urbs cum promunt. cognom. à Ptol. statuitur, cujus quoque mem. tum Arrianus, tum Strabo *lib.* 15. urbem regiam nominans: Ubi enim in editis libris est ἐν τῇ Ὠγυρίᾳ καὶ τὴν Ὀκλην ..., pro τὴν Ὀκλην Ταοκὴν legendum esse monent Casaubonus & Salmasius. Montanus.

Tapa, Daciæ opp. sub Decebalo, Xiphilin.

Tapaisa, fluv. amplus Americæ mer. Oritur in limite Brasiliæ, & post longum decursum in flum. Amazonum se exonerat, in Guajana reg. & in Tapaisa prov. P. Texeira.

Tapara, emporium ad Sinum Arab. inter Avalitem & Malao emporia, in Arriani Periplo. *Taparum* fortè Niceph. Callisti.

Tape, urbs Hyrcaniæ regia fuit, apud oram maris Caspii à portis Caspiis in ort. stad. 1400. distans. Strabo.

Taphath, Solomonis filia. 3. Reg. 4.

Taphi, fl. regni Mogor, Urb. *Curare* præterlabens.

Taphiæ, insulæ maris Jonii, quas propè Echinadas Strabo *lib.* 10. ponit, quarum caput *Taphus*. Inter Achajam seu inter fauces sinus Corinth. ad Ort. & Leucadiam ad Occ. Iis Taphii ac Teleboæ imperarunt; de quibus hujuscemodi reperii originem Scholiastes Apollonii. Perseo ex Andromedâ, ut narrat Herodotus 4. fuere filii, Alarus, Sthenelus, Nestor & Electryon; qui simul regnaverunt. Ex Hippothoe Nestoris filiâ & Neptuno Pterelas genitus est, ex eo Telebos & Taphus, à quo *Taphus* insf. in quâ Teleboæ ac Taphii communi nomine, & imperio fuere. Igitur ii Hippothoes eorum aviæ pecuniam ab Electryone eorum necessario, qui pro eâ respondit, repetebant; quâ negatâ ad arma venere, armenta abegerunt, ipsum denique ac filios sustulere. Alcmena verò Electryonis filia patrem ultura, Amphitryonem Thebanum, hominum potentissimum, in matrimonium accepit, atque hoc pacto, bello inter eos conflato, ab eodem Amphitryone deleti sunt, eorumque regnum Cephalo profugo Atheniensi, qui exercitui præerat, donatum est, quod ad Ulyssem successione pervenit. Hæc ille. *Taphiorum* nomen deducit Boebartus per aphæresin ab חטף *hataph*, i. e. *à rapiendo*. Erat enim gens latrociniis admodum dedita. Hom. *Odyss.* O

Ἀλλά μ' ἀνήρπαξαν Τάφιοι ληΐστορες ἄνδρες.

Idem *Odyss.* Π.

Οὕνεκα ληϊστῆρσιν ἐπισπόμεν@- Ταφίοισι.

Apollonius *lib.* 1. *Argon.*

—— Ἀπὸ σφέων ἤλασαν ἀμείβοντες ἀμέρσαι
Ἀνέρας Τάφιοι. —— ——

Taphii, pop. Scythiæ Eur. ad ultimum recessum Carcinitis Sinus habitabant. Strab. Fortè *Taphra* Plin. quod rectius.

Taphius, mons Locrorum Ozolorum, in confiniis Ætoliæ, ubi Nessus, quem Hercules occidit, conditus, Antigono teste. *Taphiassus* Strab. & Plin. apud Calydonem urb

Taphiusa, locus juxta Leucadem, in quo *Taphiusius* lapis nascitur. Plin. 36. 21.

Taphiussa, urbs Cephalleniæ, quondam *Taphos* appellata. Cives *Taphii*, vel *Taphiussai*. Steph.

Taphne, uxor Pharaonis regis Ægypti. 3. Reg. 11.

Taphnis, civitas Ægypti, munitissima, capta à Johanne Brenna, cum Damiata An. Ch. 1219. Blondus *dec.* 2. *l.* 7. Pop. *Taphnai*. Vide *Tanis*.

Taphra, *Taphrura* Ptol. Africæ min. urbs. *Fachs* Moletio, & Oleario, inter Usillam ad occ. & Theænas ad ort. à Carthagin. 300. mill. pass.

Taphra, *Taphros* Ptol. *Precop* vel *Przecop* Mercatori, aliis *Mancup*, urbs Tauricæ Chers. in Isthmo, regia Tartarorum Precopensium, à Tanais ostio 30. mill. Germanica in Aust. Axiacam, sive (ut nunc vocant) Oczacoviam versus 14. à Bosporo Cimmerio 260. m. p. in occ. teste Plin. quanta est Tauricæ longitudo. Auspiciis Trajani Imp. capta fuit, teste Floro, qui eâ tempestate vixit. *Taphre* Stephano dicitur, à servis, qui, dominis cum Thracibus bellum gerentibus, se eorum uxoribus commiscuerant, habitata. Fortè & *Neapolis*, Baudr. hodie *Precop*. 110. m. p. à Theodosia in Bor. 140. à Bosphoro Cimmerio in Occ. uti 380. à Tanais ostio. Parva, sed cum castro munito, inter Carcinitem Sin. ad Occ. & Bugem lac. ad Ortum. *Or* Tartaris. *Perecop* Polon. Hinc Tartaria min. *Precopensis*.

Taphron, Arabiæ Felicis urbs apud Marcellinum.

Taphros, *Fretum Etruscum* Melæ, *Fretum Gallicum* Antonino, *Sinus Sardonius* Eustathio, mare quod inter Sardiniam & Corsicam intercedit. Hodie *le Bocche di Bonifacio*. Latum 6. m. p. inter Corsicam ad Bor. & Sardiniam ad Austr. V. *Fretum Taphros*.

Taphsar, nomen regionis. Jer. 51.

Taphua, villa, terminus Palæstinæ ad Ægyptum. Item alia in tribu Manasse Jos. 12. & 15. data filiabus Salphaad. Jos. 17. Filius Hebron. 1. Par. 2.

Taphus, vide *Taphiussa*.

Tapiachia, opp. Prussiæ Duc. cum arce, ad influxum *Deme* fluv. in Pregelam, aliàs *Sugurbi*. Ibi obiit Albertus Brandeb. Prussiæ Dux primus, 30. Mart. An. 1568. 5. mill. Germ. à Regio monte in Ort. 4. à Curonio Sinu in Occ.

Tapiaeus mons, *Monte Ansidiano* A. Resendio, mons Lusitaniæ, inter Thomariam & Conimbricam., in quo Ansidianum opp.

Tapius fluv. Oritur in limite Brasiliæ & post longum cursum in fl. Amazonum abit. P. Texeira.

Taposiris, *Taphosiris*, Plut. & Apuleio, op. Ægypti parvum, inter Alexandriam & Canopum, ubi Osiridis templum erat.

Taprobane, *Zeilan*, teste Jo. Barrio cum Varrerio, ins. magna maris Indici intra Gang. contra Cory promunt. (non *Sumatra*, ut Mercator ait, longè in ort. distans, cùm Ptol. illam apud Cory promunt. Indiæ citer. describat) cujus ambitus 2000. m. p. esse traditur. Lucet ibi Canopus, sidus clarum & amplissimum. Homines corporum magnitudine alios antecellunt, cæruleis oculis, atroci visu, terrifico sono vocis. Montem habent *Pico d' Adam* celsissimum, in quo Adamus conditus creditur, ejusque vestigia rupi impressa & sacello jam tecta, ostendi solent. Incolæ plurimi ad extremam senectutem perveniunt, ultra 100. annos vitam extendentes, cujus causam Saarius in masticatione certæ alicujus radicis, alii melius in aromatico odore, quo Insula donata est, sitam putant. Nascuntur in eâ berylli & hyacinthi, ut Ptol. refert *lib.* 6. Item aurum & argentum, & marmor testudini simile; præterea gemmæ & margaritæ præcipuæ bonitatis, (majores, quàm in India, teste Capellâ) inprimis apud Palægones pop. sicuti apud Petimulam, & alia Indiæ loca: sed laudatissimæ in Tyla, insula sinus Persici, teste Plinio, sunt. Apud eos annona nunquam augetur, neque sunt fora, aut lites. Herculem colunt. Populus regem eligit, senectâ, clementiaque venerandum, & liberos non habentem. Et si postea gignit, abdicant, ne fiat hæreditarium regnum. Dionysius *vers.* 591.

Κεῖθεν δὲ στραφθεὶς, νοτίης ἐπιπείρεθι χηλῆς,
Αἶψά κε Κωλιάδος μεγάλην ἐπὶ νῆσον ἵκοιο,
Μητέρα Ταπροβάνην Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων·
Αὐτὴ δ' εὐρυπέτη μέγεθος πέλει.

Hæc ins. olim Σιμούνδου (vel πάλαι Σιμούνδου) dicta est, teste Ptol. ipsius verò ætate Σαλικὴ & ejus incolæ Σάλαι. Sic enim ille: Ταπροβάνη, ἥτις ἐκαλεῖτο πάλαι Σιμούνδου, νῦν δὲ Σαλικὴ, καὶ οἱ κατέχοντες αὐτὴν κοινῶς Σάλαι. Eadem etiam habet Steph. *de urb.* uti etiam Marc. Heracleota, & Peripli auctor; nisi quòd hi duo Παλαισιμούνδου habent, ubi Ptol. & Steph. divisis vocabulis πάλαι Σιμούνδου. Sanè Plinius *Palæsimundi* fluvii cum op. cogn. in Taprobanâ mem. à quo insulam denominatam verisimile fit. Unde satis probabiliter contendit Salmasius, in cæteris etiam Παλαισιμούνδου legendum. A Σαλικὴ autem vel Σάλη *Seilan*, vel *Zeilan* deduci videtur. Quòd autem Dionysius Taprobanen elephantis abundare ait, idem est quod apud alios authores traditur. Solinus ex Plinio: *Elephantis repleta est majoribus multò quàm fert India.* Alexander Lychnus apud Stephanum,

Θηρεφόμαν πέπληθεν ἐυβρίθων ἐλεφάντων.

Ælian. *Hist. An.* 16. 18. ubi de hâc insulâ: ἔχει δὲ καὶ νομοὺς ἐλεφάντων πολλῶν καὶ μεγίστων, *&c.* Tzetzes *Chil.* 8. *Hist.* 213.

Ἡ Ταπροβάνη τῶν Ἰνδῶν νῆσός ἐστι μεγίστη,
Ἐν ταύτῃ καὶ ἐλέφαντες, *&c.*

Hujus ins. mem. quoque Ovid. *Pont.* 1. 6.

Quid tibi si calidâ, prosit, laudere Syene,
Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua?

Nomen ejus quod attinet, *Taprobane* Bocharto est טף פרון *Taph Parvan*, i. e. litus Parvan, seu Parvain, quod facit Solomonis Ophir; vide sis doctissimum auctorem *Geogr. pag.* 768. Lloydius. Baudrando *Taprobana*, hodie *Ceylan*, seu etiam *Ceylon* quibusdam, insula est ampla Asiæ & Indiæ intra Gangem, in mari Indico & in ora sinus Gangetici, prope promontorium Commarium & partem Australem peninsulæ Indiæ cis Gangem, à qua tantum dirimitur freto *Manaar* dicto 60. mill. pass. In ea sunt septem regna, nempe *Candea*, totius insulæ præcipuum, *Batecala*, *Jala*, *Jafanapatan*, *Ceitavaca*, *Chilao*, & *Trinquilemale*. Dicitur autem *Tenarisim* incolis, id est, terra delitiarum; & ejus circuitus est 650. mill. pass. circiter. Subest propriis Regibus: sed in ejus ora occidentali Holandi habent Columbum & aliquot alias arces munitas. Dicitur ab Arabibus *Zeylan Dive*, id est, Ceylanum insula; estque felici aromatum proventu nobilis. Cinnamomi inprimis feracissima, quo fit, ut è longinquo suavissimum odorem spiret: quem advenæ ad tertium & amplius milliare in mari jam sentiunt. Sed plurimæ insulæ sunt ipsâ majores in toto orbe terrarum, nempe Albion, Madagascaria seu Delphina, Java, Sumatra, Bornei insula, Celebum insula, Manilla seu Lussonia, Mindanoa, Japonia, Islandia, Terra Nova, Hispaniola, Cuba, California, & Terra Ignium, cum aliquot aliis: Idcirco inter maximas non est censenda, nec inter insulas primum locum tenet, quidquid de ea dixerint antiqui. Quid inter Portugallos & Belgas hujus Insulæ causâ gestum sit, latè prosequitur Joh. Jac. Saarius *in Itinerar.* cui adde Georg. Spilbergii *Itiner.*

Taprobanæ insulæ urbes præcipuæ:

Baticala, *Batecala.*	Columbum, *Colombo.*
Candea, *Candia* seu *Candy*, insulæ primaria.	Gallum, *Galo*, seu *Punta Galo.*
	Jafanapatanum, *Jafanapatan.*
Cetavaca, *Ceitavaca.*	Jala, *Jala.*
Chilaum, *Chilao.*	Trinquilemala, *Trinquilemale.*

Tapsacum, Cyrenaicæ reg. op. Plin. 5. 5.

Tapsacum, vel *Thapsacum*, Thevero *Bebech*, urbs Mesopotamiæ, ad Euphratem, in Arabiæ desertæ confin. apud Scenitas, à Zeugmate 250. m. p. in Ort. Babylonem vers. 562. Xen. Strab. Plin.

Tapsus, Cyzicenus, à Polluce, in conflictu nocturno, confixus. Flac. *lib.* 2. *versu* 191.

Tapsus, vide *Thapsus*. Item urbs Africæ marit. inter Rhuspinam, & Rhuspas, Lepti parvæ vicina. Baudrando urbs est Africæ propr. in ora maris Mediterr. & reg. Byzacena. Hodie *Africa* seu *el Madia*, urbs munita regni Tunetani, cum portu capaci; 100. fere m. p. à Tuneto in Ort. uti 30. à Thysdro. Sil. *lib* 3.

Et Zama, & uberior Rutulorum sanguine Tapsus.

Tapuaguazua, regio Paraguaiæ, prope lac. Xarajorum, in limite Brasiliæ.

Tapuja, pop. Brasiliæ, in Præfectura Spiritûs S. Etiam quamplurimi, inter Præfecturas Pernambuci & fl. Januarii.

Tapyri, populi non procul ab Hyrcanis. Dionysius,

Ὑρκάνιοι, Τάπυροί τε. —— ——

Ubi Montanus: Tapyros quod attinet (neque enim admitti potest altera lectio, Ὑρκάνιοι τ' Ἄπυροί τε, obstat enim aliorum scriptorum auctoritas, qui nusquam Ἄπυρους, sed Ταπύρους appellant) eos Hyrcaniæ propinquos faciunt Q. Curtius & Plinius, quamvis de accurato eorum situ nihil ex illis colligi possit. Sed si recto ordine hic progrediatur Dionysius, eos Hyrcaniâ Orientaliores, & proinde in Margianâ esse oportet, ubi Ταπύρους quosdam locat Ptolemæus. Atque eo ferè situ eos locat Eratosthenes, teste Strab. affirmans μεταξὺ Ὑρκανῶν καὶ Ἀρίων Τάπυρους οἰκεῖν: manifestius verò consentit ipse Strabo, dum μεταξὺ Δερβίκων τε καὶ Ὑρκανῶν eosdem constituit. Alibi tamen Ταπύρους habet Ptol. in Mediâ sc. ac Tapuræos cum Tapuris montibus in ipsâ Scythiâ. His mos fuit, ut proprias uxores aliis viris nuptui concedant, cùm 2. aut 3. liberos ex iis suscepissent. Vino iidem ac unguento oblinuntur. Justitiam colunt. Strabo *lib.* 2. Vide Steph.

Tara, vulgò *Terrain*, fluv. parvus Insulæ Franciæ, alluit Curtienlam *Courcelle*, Villam Dei, Cannetum *Canni*, Campellos *Campeaux*, Fontanetum, Solliacum, Gerboredum *Gerberoy*, Milliacum, Bellovacum, Taram *Taire*, Villare ad Taram, Condate ad confluentes amniculi & Taræ, Montiacum castellum *Monchi le Chasteau*, Mellorum *Merlou*, Macellum *Maisel*, Tiberniaeum *Tiverni*, Pontem Taræ *Pont-Terin*, Montem Taræ *Mons-à-Taire*, infra quem locum, in Isaram seu Oesiam fluv. se exonerat, apud Creolium *Creil*. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Tara, fluv. Rasciæ, in Drinum fluens. Cinnami Τάρα.

Tarachie, Insula parva apud Corcyram, Plin.

Taracina, vide *Tarracina*.

Tarraco, vide *Tarraco*.

Tarandrus, regio Phrygiæ. Gentil. *Tarandrius*, Steph.

Taranis, Jupiter à Gallis sic dictus, cui humano sanguine litabant. Lucan. *lib.* 1.

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Ubi Taranis idem est quod Jupiter βροντῶν, hoc est, tonans, à *Taran*, quod Britannis *tonitru* sonat, ut videtur Cluverio *lib.* 1. *Antiquit. German. cap.* 9. *Taramis* legit Bochartus; cui nomen factum videtur ex Phœnicio תרעם *tarem*, servili ת præfixo, à radice רעם *tonare*.

Tarantasia, Gall. *la Tarentaise*, provinc. Duc. Sabaudiæ, inter Alpes Grajas ad Ort. Maurianam ad Merid. Sabaudiam propr. ad Occid. & Fossiniacum tractum ad Bor. ubi aliàs Centrones, popul. Gall. Narbon. Ejus primaria olim Forum Claudii seu Tarantasia, Metropol. ab An. 800. nunc dicitur *Moustiers*, seu *Moutiers en Tarentaise*, ad Isaram fluv. 6. leuc. à Fano S. Joannis in Bor. 10. à Civarone in Ort. Morer. *in Dict. Hist.*

Taranteus, urbs Bithyniæ, ubi *Taranteus* Jupiter colitur. Stephanus.

Tararia, vulgò *Tarare*, oppidulum prov. Lugdunensis, in valle, ad radices montis cognom. ad amnem Tordivam, in limite prov. Forisiensis, medium ferè inter Lugdunum ad Ort. & Rodumnam ad Occ. 6. utrinque leucis. Vide infra in voce *Taratrum*.

Tararium, Ptolem. *Trairu* Moletio, oppidum Bithyniæ, in ora Propontidis, inter Chalcedonem ad Bor. & Nicomediam ad Mer. Olbiæ vicinum. Τρήρων in MSC. Seldeni.

Taras, Neptuni filius, quem *Tarentum* ædificasse nonnulli autumant. Vide *Tarentum*, quod Græcis Τάρας dicitur. Dionys.

—— Τάρας δ' ἄλλος ἔχουσι κέττη.

Taras, Asiæ min. urbs, Curopalates. Est etiam Scythiæ fluvius. Valer. Flacc. *lib.* 6.

Quosq; Taras, niveûmq; ferax Evarchus olorum.

Ubi alii *Tarax*.

Taras, fluv. Italiæ juxta Tarentum Stephano. Inter Metapontum ac Tarentum Appiano. Pausanias quoque *in Phocicis*, dicit fluvium eodem nomine, quo urbs, vocari.

Tarasco, vulgò *Tarascon*, opp. Occitaniæ, ad Alburacim fluvium, Baudr. Valesius habet ad flumen Lertium, in Comit. Fuxiensi, 3. leuc. supra Fuxium in Mer. ad radices Pyrenæorum.

Tarascon, vulgò *Tarascon*, opp. Provinciæ Salyorum olim, contra Belcarum oppid. inter Avenionem ad Bor. 3. & Arelatum in Austr. 4. leuc. Baudr. ad sinistram Rhodani ripam, contra Urgetum & Belloquadrum, Hadr. Valesius *Notit. Gall.* amplum. Pop. *Tarascii* Ptolem.

Tarasius, vide *Tharasius*.

Taratrum, vulgò *Tarare*, vicus Galliæ, unde mons *Taratrensis*, ultimum Cebennarum jugum Lugduno proximum, & Lutetiâ Lugdun. petentibus superandum nomen accepit. Vales. *Not. Gall.*

Taraxippus, Deus cuitus ab Eleis, cujus ara erat, in stadiodromo, ad ipsum aggeris exitum, figurâ rotundâ: Ad eam Deus hic colebatur, quem *Taraxippum*, ab incutiendo equis pavore, nuncupabant. Solebant enim, injecto terrore, circa aram hanc equi tam vehementer consternati, ut incertum unde coorta trepidatione, sæpe illæsis curribus affligerentur aurigæ. Quò igitur æquo & propitio uterentur *Taraxippo*, ad eam aram aurigæ vota nuncupabant.

Taraxippus, vir quidam in Isthmo ab equis interemptus. Cæl. Rhod. *lib.* 11.

Tarba, vulgò *Tarbe*, urbs Episcop. lepida & culta Aquitaniæ, ad Aturum fluv. in planitie. 9. leuc. ab Auscii in Africum, totidem à Palo in Ort. Ejus Episcopi vetustissimi, Aper, Ann. 506. Julianus, An. 541. Amelius, An. 585. &c. Gregor. Tur. *lib.* 9. *Hist. cap.* 6. Othenart. *Notit. utriusq; Vascon. &c.* Item oppid. Cretæ, in ora Austr. inter Criumetopon ad Occid. & Pœcilasium oppid. in Ort. nunc in ruinis.

Tarbelli, pop. Gall. Aquit. apud Pyrenæi mont. radices; Strabone teste, Sinum Aquitanicum cum Santonibus incolunt, & metallis auri excellentis nobilitantur. *Quatuorsignani* à Romanis appellati, quòd quatuor militum signa apud se haberent in præsidio. Ab his Tibullus *Pyrenen Tarbellam* cognominavit, *Carm. ad Messalam:*

—— *Tarbella Pyrene*

Testis & Oceani littora Santonici.

Horum urbs *Tarba*, & *Aquæ Tarbellicæ*, Ferr. Baudr. sunt in limite Hispan. versus ostia Aturi in Oceanum, ubi nunc Navarra infer. seu *cis montes*, & tractus *Labour*, versus Bajonam & Aquas Tarbellicas. Sed longè à Tarba in Occ. Eorum finibus, juxta Valesium, continentur Aquæ Tarbellicæ, & pagus Aquensis, in arenis, quas *Landas* vocant, atque Lapurdum seu Bajona, cum pago Lapurdensi. Nec confundendi sunt, quod Massonus facit, cum Tarbiensibus, quorum caput Tarbia, in Bigerronibus, est, *Notit. Gall.* Vide infra in voce *Tarbellica Aqua*. Hinc *Tarbellius*, & *Tarbellicus*, nom. gent. Ausonius *in Mosel.*

Numine adorato Tarbellius ibit Aturrus.

Lucanus *lib.* 1.

—— *Et ripas Aturi, quà littore curvo*

Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor.

Tarbellica Aqua, al. *Aqua Augusta, Taberla & Vibii*, Gall. *Dax*, vel *Acqs*, civ. Episcop. Aquitaniæ, sub Archiepisc. Auscitano, sedes Seneschalli, præcipua Tarbellorum est, & inter 12. civitates prov. Novempopulanæ secunda collocatur; Ejus Episcopus primus est inter decem Antistites Auscitano Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes. Sub Merovingis Comites habuit: sub Capevingis Vicecomites, usque ad Richardum Aquitaniæ Ducem, qui Petrum Vicecomitum ultimum, contra se rebellem, sibi subjecit, Ann. Chr. 1177. Olim quoque *Civitas Nobilium* dicta est, quia à 12. Nobilibus aliquando fuit gubernata. Coronæ unita est à Carolo VII. An. Chr. 1451. qui civibus, quòd Anglis adhæsissent, ignovit. In media urbe aquæ sunt admodum calidæ & propè ferventes, ac circa fontem largum atque exundantem solia marmorea hodieque spectantur, quibus aquis nunc Pyrenaicæ præferuntur. Ab his olim celeberrimis locus *Aqua* olim & à gente *Tarbellica* dictus: unde & *Aquitania* quidam nomen arcessunt. Scalig. *lib.* 1. *Auson. Lect. cap.* 6. Ptolemæus, Gregorius Turon. Duchenius, Morerius *Diction. Hist. &c.*

Tarbelus, mons Cariæ, Cauno urbi maritimæ imminens. Qu. Calaber.

Tarbiaci, pop. in finibus Agrippinensium, Tacitus.

Tarchetius, impius Albanorum rex, de quo Plutarchus *in vitâ Romuli.*

Tarchia, urbs Siciliæ, Stephan.

Tarcho, vel *Tarchon*, Hetruriæ dux, & aruspex insignis, qui Æneæ suppetias tulit adversus Turnum & Rutulos. Virgilius *Æneid.* 8.

Tarcho, vel *Tarchon*, Cilicum princeps vulgò creditur apud Lucanum *lib.* 9.

Cùm Tarcho in motu linquendi signa Catonis

Sustulit.

Ubi antea: *Tum Tarchon motus*. Sed in MS. P. inter lineas ascriptum erat, *alias: dimotus*; quod vim præit ad veram lectionem, *Tarcondimotus*: sic enim apud Florum vocatur; & Græce Dioni eodem modo, Ταρκονδίμοτος. *Tarcondemus* est apud Plutarch. *in Antonio*. Quem Cicer. *lib.* 15. *epist.* 1. *Fidelissimum socium amicissimumq;* P. R. appellat. Ταρκονδίμοτος Straboni *lib.* 14. Cæsari verò *Tarcundarius* dicitur.

Tarchonium, urbs Tyrrheniæ, à Telepho *Tarchonis* filio condita, Stephan.

Tarcum, urbs Georgiæ, in provinc. *Daghestan*, in ora maris Caspii. Adam Olear. *Tarku*.

Tarcundarius Castor, Gallo-græciæ regulus, qui CL. Equites auxilio contra Cæsarem Pompejo adduxerat. Ciceroni vocatur *Tarcondimotus*, *lib.* 15. *Epistol.* 1. Vide Dionem *lib.* 41. Cæsarem *lib.* 3. *de Bello Civili cap.* 4.

Tardanensis, pagus Gall. in Capitulis Caroli Calvi: vulgò *le Tardenois*, vel *Tartenois*, inter Matronam & Vidulam fluv. situs est, ubi Fara Tardanensis, Mons St. Mariæ, Nigella *Nesle*, Longa Villa, Alta Ripa *Auterpe*, Caviniaca, Cartobra *Chartreuve*, Villa Turba, Bracanecum super fluv. Rotumnam *Bricquenay*, Bobiliniaca supra Suipiam *Boul sur Suippe*. Continetur, unà cum pago Vadensi, diœceseos Suessionicæ finibus. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tareloi, pop. Æthiopiæ, circa Nigri fluv. ortum. Plin.

Tarentasia, Anton. & alibi *Darantasia*, reg. & urbs Archiepisc. Allobrogum, cujus Antistes Monasterii opp. inde ad 2. leuc. distante moratur. Vide *Tarantasia*.

Tarentinus sinus, *Thurinus* Ovidio, sinus M. Græciæ inter 2. promuntor. Japygium ad Bor. & Lacinium ad Austrum terminatus. *Golfo di Taranto* vulgò. Baudrando pars est maris Jonii, inter Calabriam citer. Basilicatam & Terram Hydruntinam. A Tarento, urbe in ejus intimo recessu. *Thurinus* Ovid. *lib.* 15. *Metam.*

Tarentum, vel *Tarentus*, M. Græciæ urbs clarissima, in intimo recessu sinus Tarentini, à *Tarante*, Neptuni filio primùm condita, à quo & nomen accepit: deinde à Laconibus aucta, qui duce Phalanto illuc adventantes, expulsis incolis (ut Justinus *lib.* 3. scribit) eam tenuerunt. Annibali se dedidit, sed à C. Fabio Max. An. 545. U. C. recepta est. Henricus IV. Imper. Vilhelmum, Tancredi filium, ad preces Sibyllæ matris Principem Tarenti creavit, sed ne spes prolis esset, ademptâ virilitate, An. Chr. 1194. Postea Carolus Claudus, è captivitate hac lege dimissus est, ut Neapoli, Calabriâ, Apuliâ, & Tarento contentus, Siciliam, Sardiniamque Aragonis cederet, Ann. Chr. 1288. Hinc Tarantulis nomen, phalangiorum generi, quorum morsus solâ musicâ medicabilis est, Strab. *lib.* 6. Liv. Justin. Albert. *descript. Italiæ.* Ostrea ejus in pretio, A. Gellius 7. 16. ut & sal candidissimus, suavissimusque, Plin. Patria Architæ, & Pacuvii tumulo clara. Baudrando urbs fuit aliàs magnæ Græciæ in Calabria, sub Salentinis, nunc in Terra Hydruntina, Archiepisc. cum arce permunita. Sita in peninsula, cum tit. Princip. Portum habuit capacissimum, nunc ferè corruptum, 32. mill. à Brundusio in Occ. 20. à Metaponto in Ort. 90. à Japygio promuntor. in Bor. Ampla & munita, cum valido præsidio Hisp. sed sensim deficit. Incolæ *Tarentini*, qui cum Romanis aliquandiu bellum

bellum gesserunt: quibus cùm pares non essent, Pyrrhum Epirotarum regem auxilio sibi acciverunt. Sunt qui *Tarentum*, non à *Tarante* Nept. filio, sed à Sabinâ voce *Tarentum* deducant, quæ illis *molle* signific. propterea quòd in agro Tarentino & nuces & lanæ mollissimæ proveniunt. Locum luxui deditum fuisse innuunt Strabo & Eustath. qui τρυφὴν illi tribuunt. Unde Horat.

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

Idem *ad Mæcenatem:*

—— Mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

Juvenalis *Satyr.* 6

Atq; coronatum & petulans, madidumq; Tarentum.

Sidonius *Carm.* 5.

Ipsaq;, qua petiit, trepidaverat uncta Tarentus.

Lacedæmonium vocant Horatius & Ovidius. Hinc *Tarentinus*. Horat. *lib.* 2. *epist.* 1.

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Vide omnino clarissimum Cluverium, *de Ital. Ant. pag.* 1229. *&c.*

Tarentum, ara fuit, quæ ludis solummodo secularibus aperiebatur, aggestaque deinceps terrâ, usque in alterum seculum occultabatur. Martialis *Epigr. lib.* 10.

Bis mea Romano spectata est vita Tarento.

Targa, regio & desertum Africæ, cum urbe cognom. juxta lacum, in Zaara reg. Dicitur aliter *Zaghara*, & *Sagra* Arab. Estque inter desertum Lemptam ad Ort. & Zuenzigam ad Occ. inter Biledulgeridim ad Bor. & Nigritiam ad Mer.

Targarum, opp. Africæ propriæ, Ptol.

Targines, *Fernauda*, teste Barrio, fluv. M. Græciæ apud Locros decurrens. Mazzellâ verò teste, antiquum nomen retinet, ac per agrum Crotoniensium fluit, ubi *Bernalda* oppidum.

Targoviscum, caput Valachiæ, ad Launizam fluv. *Tervis* quibusd. versus confin. Moldaviæ. Vide *Tergovistus*.

Tarichea, opp. munitissimum Palæstinæ in Galilæâ ad lacum Genesaret. *Jefferkin*, teste P. Lachstenio. In tribu Issachar. Fuit etiam *Tarichea* opp. Ægypti apud Canopum, teste Stephano: & alterum apud Sonicas.

Tariffa, urbs Vandalitiæ, juxta fretum Herculeum, olim ampla & munita, nunc ferè in ruinis, à paucis habitata. Aliàs *Tartessus*. Hic Alfonsus, Castellæ Rex, à Mauris profligatus, ut obsidionem solveret, ad CCM. illorum postea cecidit, An. Chr. 1340. Mariana *de reb. Hisp.* Vide *Tartessus*.

Tarinates, vel *Taranates*, popul. Sabinorum, quorum opp. Taranum ad Himellam fluv. apud mont. Severum & Cures, à Reate 10. m. p. in Occ. distans, quot à Colle Scipionis.

Tariona, Liburniæ castellum. *Tuina* Nigro. Plinius incolas vocat *Tariotas*.

Tarius Ruffus, civis Rom. ex infimâ plebe ortus, Consulatum tamen in militari gloriâ adeptus est.

Tarna, urbs fertilissima, Homer. *Iliad.* 5. quam Enarratores vocatam postea *Sardis* dixerunt. Τάρνη Stephano, urbs Achajæ: civis *Tarnius*.

Tarnada, *S. Maurice*, oppidum Helvetiorum, in Vallesiis, ad Rhodanum, caput Veragrorum Volaterrano *lib.* 3. & Marliano *in Cas.* Prius *Agaunum*, quasi *Am Gand.* id est. ad rupem seu montium præruptа. Postea Monaster. S. Mauritii à Sigismundo Burgundiæ Reg. hic extructo, recens nomen traxit. Antiquitatem loci testantur inscriptiones: Munitum à Cæsare bello Gall. videtur, ut in sua potestate Alpium haberet transitum. Fuerunt quoq; hic Flamines Sacrorum administri, ut ex inscr. patet. Vide Johan. Bapt. Plantinum *Helvet. Ant. & Nov.* ut & *Agaunum*.

Tarne, vulgò *le Tarn*, nonnunquam *le Tar*, fluvius Aquitaniæ, unus ex maximis & navigabilibus fluviis, quibus Garumnam augeri, Strabo scripsit. Nitiobriges à Tolosanis dividit, Plinius: *aurifer*, Ausonio *in Mosella*, dictus: turbidus semper fluit. Oritur ex Cebennis montibus, seu ex harum portione Lesura monte, *de Losere*, in Gabalico tractu. Hinc auctus aliquot rivis, in Rutenis, Millial dum rigat, *Millau en Rouergue*, ad Turbidæ *Dorbie* & ejus Confluentes, Castra *Castres*, Turrim, Villam Novam S. Andreæ, Bonam Vallem, Condominas, Lescuram, Albigam, Castellum Novum, Bernacum, Bastitam *la Bastide*, Galliacum, ubi navigari incipit, Insulam Albigensium, & Rabastencium *Rabastins*, ubi Agotium *l'Agout* fluv. non contemnendum recipit: Tum per Occitaniam fluens, Villam Mutorum *Ville Mur*, & Montem Albanum attingit, moxque Avarione *Aveiron*, fluv. illustri hausto, ipse demum paulo infra Moissacum in Garumnam cadit 5. leuc. supra Agennum, ad locum *la Pointe*, dictum. Duo enim amnes confluentes angulum efficiunt, & Galli extrema quarumlibet rerum in angulum vel amnem desinentia *Punctas* appellare consueverunt Hadrian. Valesius *Notit. Gall.* A paucis mensibus lintrium capax effectus est in Ruthenensi provinc. Baudrandus. *Tarnis* Sidonio, *Carmin. ultim.*

Hinc te Lesora Caucason Scytharum
Vincens aspiciet, citusq; Tarnis.

Item fons Lydiæ ad Tmolum montem cum oppido cognomine, Strabo.

Tarodantum, urbs regni Marrochii, primaria Susæ provinc. & ampla. Principes aliàs habuit proprios, 50. mill. pass. ab ora Oceani Atlant.

Tarodunum, Ptolem. opp. Alemannorum, hodie *Friburg*, Cluver. urbs munita & Academia, Brisgaviæ caput, juxta amnem *Treiss*, 2. leuc. à Brisiaco in Ort. sub Austr. Vide *Friburgum*.

Tarpeia, virgo Vestalis, teste Varrone, quæ arcem Capitolinam patris sui Tarpeji custodiæ commissam Sabinis prodidit: à quibus cùm proditionis mercedem peteret (pacta enim erat, quicquid in sinistris brachiis gestarent, armillas intelligens, quas illi aureas, gemmatasque lævo in brachio ferebant) scutis illorum obruta, *Tarpejo* monti nomen fecit, qui prius *Saturnius* dicebatur, ubi Tarpejæ arces.

Tarpeius, prænomine *Spurius*, arcis Romanæ sub Romulo custos; a quo gens *Tarpeia* patricia majorum gentium & consularis fluxit, cognominibus Montani & Capitolini affecta.

Tarpeius, citharœdus Vespasiani tempore, Sueton.

Tarpeius mons, idem Capitolino. Virgil. *Æneid.* 8.

In summo custos Tarpeia Manlius arcis Stabat.

Propertius *lib.* 4 *cap.* 4.

Tarpeium nemus, & Tarpeia turpe sepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.

Tarpeia sedes & *rupes Tarpeia* Lucano dicitur.

Tarpha, Steph. urbs Locrorum Epicnemidiorum juxta Phrygas. Homer. *in Catal.* Nomen habet à *Tarphe* propinquo fonte, sive ab arborum densitate: ταρφὺς enim Græcis *densus* dicitur.

Tarphara, urbs Arabiæ, Stephan.

Tarquinia Molza, fœmina Mutinensis, Hebraicè, Græcè, Latinè doctissima: sub censura sua habuit opera Tassi, Guarini, &c. In aula Alphonsi II. Duc. Ferrar. cum Livia Preparata, & Ursina Cavalleia, commercium literarum fovit: à Senatu Rom. Civitatis jure, cum familia tota, donata, An. 1600. Petr. Paulus Ribera, *lib.* 14. *de glor. immortal. Fœmin. illustr.* Hilario Costus *elog. Fœm. in. illustr.*

Tarquinii, colonia & urbs Hetruriæ; οἱ Ταρκύνιοι Dionysio Halicarnassensi. Strab. verò ac Stephano ἡ Ταρκυνία, Ptolemæus habet Ταρκύνιον; quem tamen, quia Romanorum plerumque sequitur formationes, suspicari possis scripsisse Ταρκύνιοι. In ruderibus, & hodie *la Tarquinia* dicitur, atque ita Cornetani cœteríque accolæ, quanquam rustici *la Turchina* dicant. L. Holstenius. A Tarconte, qui Æneæ contra Turnum opem tulit, condita *Tarcona* primum dicta est, postea *Tarquinia* à Tarquinio Rege. Oppidani inde dicuntur Vitruvio, Varroni, Tullio, Livio, Plinio, ac Frontino, *Tarquinenses*, qui Dionysio *lib* 5. *&* 6. Ταρκυνιῆται, & Straboni *lib* 5. Ταρκυνιῆται. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 518. Virgil. *Æneid lib.* 6.

Vis & Tarquinios Reges animamq; superbam
Ultoris Bruti. —— ——

Reges Romani.

Tarquinius I. Priscus, Demarati Corinthii filius, Tarquiniis, urbe Tuscorum natus, primum Lucumo dictus; qui ubi se in patriâ nullo in honore esse vidit, quòd peregrino patre esset prognatus, suasu uxoris (ea mulier fatidica fuit, nomine Tanaquil.) Romam sese contulit: ubi brevi, propter opes ingeniique dexteritatem, in Anci regis amicitiam insinuatus, ab eo relictus est liberorum ejus tutor: quorum tamen commoda propriis rationibus posthabuit, brevique perfecit, ut magno plebis consensu rex crearetur, An. 139. U. C. Quare ut regnum parum justè partum stabiliret, centum patres in Senatum allegit, qui minorum deinde gentium dicti sunt, suæ eos factionis futuros ratus, cujus beneficio in Senatum venissent. Bellum primum cum Latinis gessit, oppidumque Apiolas vi cepit. Circo maximo primus locum designavit, locaque patribus equitibusque divisit, ubi sibi quisque spectacula faceret. Sabinos victos Collatiâ, agroque Collatino mulctavit. Corniculum, Ficulneam veterem, Cameriam, Crustumerium, Ameriolam, Medullam & Nomentum, priscorum Latinorum oppida partim expugnavit, partim in deditionem accepit. Capitolii fundamenta primus jecit, ingentibus operibus, contra Tiberis exundationem, substructis. Fascium, togarum, quæ Regibus Auguribusque convenirent, Sellæ eburneæ, queis Senatores uterentur, annulorum, &c. quibus Equites insignes essent, inventor: 12. populorum victor. Tandem, cùm annos 38. regnasset, dolo liberorum Anci, in curiâ obtruncatus est, An. 177. U. C. ætat. 80. Succesit in regno Servius Tullius. Florus *lib.* 1. Dionysius Halicarn. Liv. *lib.* 1. *&c.*

Tarquinius II. Superbus, septimus & ultimus Rom. rex, à moribus cognomen adeptus. Tulliam, Servii Tullii filiam uxorem duxit, praeferoci ingenio mulierem, cujus consilio socerum interfecit, regnumque sceleste occupavit. Bello tamen strenuus fuit, Latinos, Sabinosque domuit. Suessam Hetruscis eripuit, Gabios per Sextum filium simulato perfugio in ditionem redegit. Ferias Latinas primus instituit. Carceres, exilium, tormenta excogitavit, sævis in subditos cujuscunque conditionis. Templum omnibus Latinis commune condidit: Capitolium structurus, caput humanum in fundamentis invenit; quâ de re aruspices consulti responderunt, eam arcem caput gentium futuram. Demum cùm Sextus ejus filius Lucretiæ per vim stuprum intulisset, cum universâ

totâ familiâ in exilium actus, An. 245. U. C. cùm in Ardeæ obsidione hæreret, ad Porsenam Hetruriæ regem se contulit; qui pro ejus restitutione nequicquam Romanis bellum intulit. Livius *lib.* 1. Plutarch. Florus, Dionys. Halicarn. &c.

Tarquinius Collatinus, Ægerii, ex Tarquinii Superbi sorore filius, gener Sp. Lucretii, qui Romæ præfecturâ urbis fungebatur. Cùm in Ardeæ obsidione cum regiis juvenibus cœnaret, exortâ de uxoribus mentione, cùm suam quisque certatim laudaret, Collatinus negat verbis opus esse, paucis id quidem horis sciri posse, quantum cæteris præstet sua Lucretia. Quid multa? citatis pariter equis Romam advolant, regiasque nurus in conviviis, luxuque cum æqualibus deprehendunt. Deinde Collatiam petentes, Lucretiam nocte serâ lanæ deditam inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt. Quare muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. Adveniens vir, Tarquiniique benignè accepti, victor maritus comiter invitat regios juvenes. Ibi S. Tarquinium mala libido stuprandæ per vim Lucretiæ capit: tum forma, tum spectata castitas incitat. Dissimulatâ tamen in præsens cupiditate, tum quidem unà cum cæteris in castra redit; sed paucis pòst interjectis diebus Collatiam reversus, & à muliere propinquâ hospitio exceptus, nocte intempestâ conceptum animo facinus vi, minisque exequitur. Quam rem mulier castissima, tam ægrè tulit, ut postridiè viro, patreq; per literas accersitis, cùm rem, ut gesta erat, exposuisset, necem sibi consciverit. Pulsis deinde ob facinus tam tetrum Tarquiniis, Collatinus Bruto in Consulatu datus est collega: quo tamen non multo pòst coactus est se abdicare, non aliam ob causam, nisi quòd Tarquiniorum propinquus esset, eodemque quo ille nomine diceretur. Livius.

Tarquitius Crescens, nomen centurionis, sub Cæsennio Pæto, Tacit. *lib.* 15. 10.

Tarquitius Priscus, Legatus Statilii Tauri Africæ Proconsulis, ejusdemque accusator. Sed ideò curiâ exactus est, quòd Patres, odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ pervicêre. Tacit. 12. 59. D. Junio Q. Haterio Coss. Damnatus Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano Coss. repetundarum Bithynis interrogantibus magno Patrum gaudio, qui accusatum proconsulem ipsius meminerant, Idem *lib.* 14. 46.

Tarrabeni, Corsicæ inf. pop. Ptol. quorum tractus & opp. *Basilica* Leandro dicitur. Imo potius apud Bonifacium oppidum, ubi *Carabens* pagus.

Tarracina, quæ & Anxur prius dicta, teste Plinio, *Taracina* Straboni, *Tarrachina* Stephano, colon. & urbs Latii Episcop. in colle apud Ufentis ostia, media ferè inter urbem Romam & Neapolim. A Græcis urbi hoc nomen fuisse impositum testatur Strabo *lib.* 5. *Sequitur post centum stadia à Circæo Tarracina*, Τραχίνη καλουμένη πρότερον ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος, id est, ab asperitate. Baudrando urbs alias Volscorum, in Latio, nunc Campaniæ Rom. in confinio regni Neap. Ad radices collis, in ora maris Tyrrh. sed ejus portus arenâ obductus est. Cum castro satis munito. Urbs deficit indies, ob aëris inclementiam, & paludes Pomptinas adjacentes. In dit. Pontif.

Tarraco, insignis Hispan. civitas, Scipionum opus, à quo provincia ipsa *Tarraconia*, & *Tarraconensis* vocatur. Mela *lib.* 2. *cap.* 6. *Tarraco urbs est in his oris maritimarum opulentissima.* A Mauris mœnibus circumdata est. Hanc nunquam captam gloriantur Hispani. De Conciliis hic habitis, Moret. Hinc *Tarraconensia vina* optima. Mart. 13. 115.

Tarraco Campano tantùm cessura Lyæo.

Silius *lib.* 3.

——— ——— *Dat Tarraco pubem*

Vitifera, & Latio tantùm cessura Lyæo.

Plin. *lib.* 14. *cap.* 6. *Hispaniarum Laletana* (*vina*) *copiâ nobilitantur, elegantiâ verò Tarraconensia.* Sytum habet nomen טרכון *Tarcon*, qui regiam, aut palatium dixeris. Mart. 10. 104.

Hispanis pete Tarraconis arces.

Ausonius *in Emeritâ*:

Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certant.

Quod verò ait auctor noster, Tarraconem esse Scipionum opus, testes secum habet Plinium & Solinum, idque quia non parum auxerunt. Alioquin autem de Tarracone jam scripserat Eratosthenes, antequam Scipiones pedem in Hispaniâ fixissent. Baudrando fuit urbs aliàs Cosetanorum, nunc Cataloniæ, cum portu, in ora maris Mediterr. Parvi circuitus, deficit indies. Archiepiscop. Ad ostia Tulcis fluv. 12. leuc. à Dertusa in Ort. Barcinonem versus 15. & 250. ab Olarsone opp. & Fonte Rapido in Eur. Ab ea tractus adjacens, *Campo de Tarragona*. Vide Oihenart. *utr. Vasc.*

Tarraconensia juga, B. Gomesio *los Romelinos*, mons Hisp. citer. apud Cæsar-Augustam, 3. leuc. ab ea, ubi sal suavissimi saporis.

Tarraconensis Hispania, ab Ortu in Occ. ad 660. mill. pass. extendebatur; à Templo Veneris, ad Nerium promunt. lata non æquè. Vide *Hispania Tarrac.*

Tarraga, colon. & opp. Hispan. citer. haud obscurum in Catalunia. Pop. *Tarragenses* Plin.

Tarras, *Tharros* Anton. *Larghier*, teste Nigro, urbs Sardiniæ litoralis ad Occ. Episc. sub Arch. Turritano. Sed *Algieri* aliis est Carcodes. Fortè locus in ora, inter Bosam & Algarium. Baudr.

Tarrha, urbs Lydiæ, & alia Cretæ, patria Lucii Grammatici, ubi *Tarrhæus* Apollo colitur. Item alia juxta Caucasum, colonia Cretensium. Stephan.

Tarrutius, cui prænomen *Lucius*, Mathematicorum nobilissimus, qui Natalem Urb. Romæ reperit, familiaris Varronis, ac M. Ciceronis. Vide Plutarch. *Romulo*, qui eum vocat *Tarruntium*. Solin. *cap.* 2.

Tarsa, unus e Ducibus Thracum montanorum, contra Tiberium rebellium, qui, postquam à Poppæo Sabino in castello ac conjunctis tumulis cum sociis artâ obsidione premeretur, iisque aqua & pabulum erepta essent; deditioni mortem antetulit. Nam properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum demisso in pectus ferro, nec defuêre qui eodem modo oppeterent. Tacit. 4. 50.

Tarsa, vicus olim Comagenes in Syriâ populosus, ad Euphratis ripam, à Samosatis 150. stad. in Merid.

Tarsatica, *Tarsaticum* Anton. opp. Liburniæ litorale. *Tersacz* Lazio. *S. Maria de Transiarch* Simlero. Baudrando est *Tersacz*, seu *Tersechz* ex Lazio, castr. Liburniæ in colle, prope amnem *Fiume Carnero*. Vix 1. mill. Germ. à Vitopoli in Bor. uti ab ora sinus Carnarii & maris Hadr. in Carniola sicca; sub Austr.

Tarsea, urbs Bithyniæ, aliàs Tarsus dicta. Steph.

Tarseion, Steph. opp. Hispan. apud columnas Herculis; quod aliis Carteia est.

Tarsis, sive *Tarses*, Lib. Jonæ, & lib. 1. Reg. (quæ *Tharsis*, & *Tharses* cum aspiratione apud alios leguntur) locus est maritimus, per quem classis Salomonis ad Ophir deferebatur, & quò Jonas Propheta, jussus ire in Niniven, aufugit. Quis sit hic locus, digladiantur inter se scriptores. Non desunt, qui Tarsum urbem Ciliciæ præcipuam interpretentur. At huic interpretationi repugnat utraque historia, præsertim Jonæ; qui cùm nollet ire Niniven, urbem Babyloniæ sive Assyriæ, fugit ad Tarsum locum ex adverso, qui non Niniven duceret; non ad Tarsum, ex quo brevis est in Mesopotamiam trajectus. Aliis *Tarses* idem, quod Tartessus urbs & insula Hispaniæ Bæticæ in mari seu freto Gaditano, unde brevior in Ophir (quam diximus esse vel Peruviam, vel insulam maris Atlantici) est navigatio: Qua de re vide Becanum *in Hispanicis*. Vide quoque in voce *Tharsis*.

Tarsium, Ptol. opp. Pannoniæ infer. ubi Maximinianum Imper. occubuisse Aurel. Victor testatur, *Tarsum* habent alii codices.

Tarsius, fluv. Troadis, Straboni: apud Zeliam, & viam eandem vicies secans, sicuti Rhesus Bithyniæ fluv. inter Nicomediam & Nicæam vicies quater.

Tarsuras, fluv. Colchidis, Arr. *Tersos* etiam dictus & *Thessyris*, nunc *Ochurus*, Archang. Lamberto. Oritur ex Colchicis montibus, & in Pontum Euxin. cadit, juxta Tarsuram opp. quod *Tassiros*, & *Trachea* dictum est, nunc in ruinis jacens.

Tarsus, aliàs dicta *Antoniana Severiana*, & *Hadriana*, ut patet ex numism. Gr. Anton. Caracallæ, urbs Ciliciæ clarissima, Gr. Strabo *lib.* 15. & reg. totius caput, in campis sita, & Cydno amne irrigata: cujus conditorem volunt fuisse Perseum, Danaes filium. Solinus *cap.* 41. *Matrem urbium habet Tarson, quam Danaes proles nobilissima Perseus locavit.* Unde Lucan. *lib.* 4.

——— *Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos.*

Alii tamen urbis hujus originem ad Sardanapalum referunt, postremum Assyriorum regem: cujus etiam monimento incisum erat, quòd Tarsum & Anchialum die uno condidisset. Hæc fuit Antipatri Stoici, Archidemi, Nestoris, Athenodori utriusque, &c. &, quod præcipuum, Apostoli Pauli, patria. Ibidem claruit Apollodorus Tragœdus, sicut Athenis Apollodorus Comœdus, Menandri synchronus. Actor. 21. *comm.* 39. Εἶπε δὲ ὁ Παῦλος· Ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι Ἰουδαῖος Ταρσεὺς, τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. Dicta verò Tarsus est, ut quidam existimant, à siccitate. Ταρσοῦσθαι enim & Τέρσεσθαι siccare signific. vel quòd hujus reg. loca primò post diluvium siccarentur: vel, ut Eratosthenes, quoniam in eo tractu primi degentes homines, tritici, & leguminum fruges, ut reconditæ perdurarent, exsiccasse perhibentur. Quidam à Tharsi, filio Javanis, & Japeto oriundi, dictam: Alii à parte pedum, quæ *Tarsus* dicitur, ut in manu, sic vocatam volunt; quoniam eo loco Bellerophon de Pegaso cecidisse, pedemq; offendisse dicitur. Dionysius Periegetes *vers.* 869.

Ταρσὸν ἐϋκτιμένην, ὅθι δή ποτε Πήγασος ἵππος

Ταρσὸν ἀφεὶς χώρῳ λίπεν οὔνομα, τῆμος ἀφ' ἵππων

Ἐς Διὸς ἱέμενος πίπτεν ἥρως Βελλεροφόντης.

Polyhistor tamen non Bellerophontem, sed Pegasum eo in loco crus fregisse scribit. Ideo Juvenalis de Tarso *Sat.* 3.

——— *Ripâ nutritus in illâ,*

Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi.

Hodie *Terassa* incolis, & *Tersis* Turcis, teste Leunclavio.

Tartari, populi partim Asiæ, partim Europæ, qui olim *Scythæ* appellabantur, nomen acceperunt à tribu *Tartar*, ex qua senex quidam, *Cangio* appellatus, vir obscuri quidem generis, verùm prudentia & sanctitatis opinione insignis, natus, Rex atque Imperator ab illis factus est. Quorum originem antiquissimam multi ad decem Israëlis tribus referunt, quod unde habeant, non video: illud quidem constare videtur, Scythas à Magogo, Japeti filio, cujus in sacris literis sæpè mentio fit, originem ducere: & decem illas tribus à Per-

bellum gesserunt: quibus cùm pares non essent, Pyrrhum Epirotarum regem auxilio sibi acciverunt. Sunt qui *Tarentum*, non à *Tarante* Nept. filio, sed à Sabinâ voce *Tarentum* deducant, quæ illis *molle* signific. propterea quòd in agro Tarentino & nuces & lanæ mollissimæ provenirent. Locum luxui deditum fuisse innuunt Strabo & Eustath. qui τρυφὴν illi tribuunt. Unde Horat.

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

Idem *ad Mæcenatem:*

—— Mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

Juvenalis *Satyr. 6*

Atq; coronatum & petulans, madidumq; Tarentum.

Sidonius *Carm. 5.*

Ipsaq;, quæ petiit, trepidaverat uncta Tarentus.

Lacedæmonium vocant Horatius & Ovidius. Hinc *Tarentinus.* Horat. *lib.2. epist.1.*

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Vide omnino clarissimum Cluverium. *de Ital. Ant. pag.* 1229. *&c.*

Tarentum, ara fuit, quæ ludis solummodo secularibus aperiebatur, aggestaque deinceps terrâ, usque in alterum seculum occultabatur. Martialis *Epigr. lib.*10.

Bis mea Romano spectata est vita Tarento.

Targa, regio & desertum Africæ, cum urbe cognom. juxta lacum, in Zaara reg. Dicitur aliter *Zaghara*, & *Sagra* Arab. Estque inter desertum Lemptam ad Ort. & Zuenzigam ad Occ. inter Biledulgeridim ad Bor. & Nigritiam ad Mer.

Targarum, opp. Africæ propriæ, Ptol.

Targines, *Fernanda*, teste Barrio, fluv. M. Græciæ apud Locros decurrens. Mazzellâ verò teste, antiquum nomen retinet, ac per agrum Crotoniensium fluit, ubi *Bernalda* oppidum.

Targoviscum, caput Valachiæ, ad Launizam fluv. *Tervis* quibusd. versus confin. Moldaviæ. Vide *Tergovistus.*

Tarichea, opp. munitissimum Palæstinæ in Galilæâ ad lacum Genesaret. *Jefferkin*, teste P. Lachstenio. In tribu Issachar. Fuit etiam *Tarichea* opp. Ægypti apud Canopum, teste Stephano: & alterum apud Sonicas.

Tariffa, urbs Vandalitiæ, juxta fretum Herculeum, olim ampla & munita, nunc fere in ruinis, à paucis habitata. Aliàs *Tartessus.* Hic Alfonsus, Castellæ Rex, à Mauris profligatus, ut obsidionem solveret, ad CCM. illorum postea cecidit, An. Chr. 1340. Mariana *de reb. Hisp.* Vide *Tartessus.*

Tarinates, vel *Taranates*, popul. Sabinorum, quorum opp. Taranum ad Himellam fluv. apud mont. Severum & Cures, à Reate 10. m. p. in Occ. distans, quot à Colle Scipionis.

Tariona, Liburniæ castellum. *Tuina* Nigro. Plinius incolas vocat *Tariotas.*

Tarius Ruffus, civis Rom. ex infimâ plebe ortus, Consulatum tamen in militari gloriâ adeptus est.

Tarna, urbs fertilissima, Homer. *Iliad.* 5. quam Enarratores vocatam postea *Sardis* dixerunt. Τάρνη Stephano, urbs Achajæ: civis *Tarnius.*

Tarnada, *S. Maurice*, oppidum Helvetiorum, in Vallesiis, ad Rhodanum, caput Veragrorum Volaterrano *lib.3.* & Marliano *in Cæs.* Prius *Agaunum*, quasi *Am Gand*. id est. ad rupem seu montium prærupta. Postea Monaster. S. Mauritii à Sigilmundo Burgundiæ Reg. hic extructo, recens nomen traxit. Antiquitatem loci testantur inscriptiones: Munitum à Cæsare bello Gall. videtur, ut in sua potestate Alpium haberet transitum. Fuerunt quoq; hic Flamines Sacrorum administri, ut ex inscr. patet. Vide Johan. Bapt. Plantinum *Helvet. Ant. & Nov.* ut & *Agaunum.*

Tarnis, vulgò *le Tarn*, nonnunquam *le Tar*, fluvius Aquitaniæ, unus ex maximis & navigabilibus fluviis, quibus Garumnam augeri, Strabo scripsit. Nitiobriges à Tolosanis dividit, Plinius: *aurifer*, Ausonio *in Mosella*, dictus: turbidus semper fluit. Oritur ex Cebennis montibus. seu ex harum portione Lesura monte, *de Losere*, in Gabalico tractu. Hinc auctus aliquot rivis, in Rutenis, Millialdum rigat, *Millau en Roüergue*, ad Turbidæ *Dorbie* & ejus Confluentes, Castra *Castres*, Turrim, Villam Novam S. Andreæ, Bonam Vallem, Condominas, Lescuram, Albigam, Castellum Novum, Bernacum, Bastitam *la Bastide*, Galliacum, ubi navigari incipit, Insulam Albigensium, & Rabastencium *Rabastins*, ubi Agotium *l'Agout* fluv. non contemnendum recipit: Tum per Occitaniam fluens, Villam Murorum *Ville Mur*, & Montem Albanum attingit, moxque Avarione *Aveirou*, fluv. illustri hausto, ipse demum paulo infra Moissacum in Garumnam cadit 5. leuc. supra Agennum, ad locum *la Poincte*, dictum. Duo enim amnes confluentes angulum efficiunt, & Galli extrema quarumlibet rerum in angulum vel amnem desinentia *Punctas* appellare consueverunt. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.* A paucis mensibus lintrium capax effectus est in Ruthenensi provinc. Baudrandus. *Tarnis* Sidonio, *Carmin. ultim.*

Hinc te Lesora Caucason Scytharum
Vincens aspiciet, citusq; Tarnis.

Item fons Lydiæ ad Tmolum montem cum oppido cognomine, Strabo.

Tarodantum, urbs regni Marrochii, primaria Susæ provinc. & ampla. Principes aliàs habuit proprios, 50. mill. pass. ab ora Oceani Atlant.

Tarodunum, Ptolem. opp. Alemannorum, hodie *Fribourg*, Cluver. urbs munita & Academia, Brisigaviæ caput, juxta amnem *Treiss*, 2. leuc. à Brisiaco in Ort. sub Austr. Vide *Friburgum.*

Tarpeia, virgo Vestalis, teste Varrone, quæ arcem Capitolinam patris sui Tarpeji custodiæ commissam Sabinis prodidit: à quibus cùm proditionis mercedem peteret (pacta enim erat, quicquid in sinistris brachiis gestarent, armillas intelligens, quas illi aureas, gemmatasque lævo in brachio ferebant) scutis illorum obruta, *Tarpejo* monti nomen fecit, qui prius *Saturnius* dicebatur, ubi Tarpejæ arces.

Tarpeius, prænomine *Spurius*, arcis Romanæ sub Romulo custos; à quo gens *Tarpeia* patricia majorum gentium & consularis fluxit, cognominibus Montani & Capitolini affecta.

Tarpeius, citharœdus Vespasiani tempore, Sueton.

Tarpeius mons, idem Capitolino. Virgil. *Æneid.* 8.

In summo custos Tarpeia Manlius arcis Stabat.

Propertius *lib.4 cap4.*

Tarpeium nemus, & Tarpeia turpe sepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.

Tarpeia sedes & *rupes Tarpeia* Lucano dicitur.

Tarpha, Steph. urbs Locrorum Epicnemidiorum juxta Phrygas. Homer. *in Catal.* Nomen habet à *Tarphe* propinquo fonte, sive ab arborum densitate: Ταρφεὶς enim Græcis *densus* dicitur.

Tarphara, urbs Arabiæ, Stephan.

Tarquinia Molza, fœmina Mutinensis, Hebraicè, Græcè, Latinè doctissima: sub censura sua habuit opera Tassi, Guarini, &c. In aula Alphonsi II. Duc. Ferrar. cum Livia Preparara, & Ursina Cavalleria, commercium literarium fovit: à Senatu Rom. Civitatis jure, cum familia tota, donata, An. 1600. Petr. Paulus Ribera, *lib.* 14. *de glor. immortal. Fœmin. illustr.* Hilario Costus *elog. Fœmin. illustr.*

Tarquinii, colonia & urbs Hetruriæ; οἱ Ταρκυνίοι Dionysio Halicarnassensi. Strab. verò ac Stephano ἡ Ταρκυνία, Ptolemæus habet Ταρκυνίαι; quem tamen, quia Romanorum plerumque sequitur formationes, suspicari possis scripsisse Ταρκυνίοι. Incoli interdum, & hodie *la Tarquinia* dicitur, atque ita Cornetani cæterique accolæ, quanquam rustici *la Turchina* dicant. L. Holstenius. A Tarconte, qui Æneæ contra Turnum opem tulit, condita *Tarcona* primùm dicta est, postea *Tarquinia* à Tarquinio Rege. Oppidani inde dicuntur Vitruvio, Varroni, Tullio, Livio, Plinio, ac Frontino. *Tarquinenses*, qui Dionysio *lib* 5. *&* 6. Ταρκυνίται, & Straboni *lib* 5. Ταρκυνῆται. Vide Cluver. *Ital. Ant. pag.* 518. Virgil. *Æneid lib.* 6.

Vis & Tarquinios Reges animamq; superbam
Ultoris Bruti. —— ——

Reges Romani.

Tarquinius I. Priscus, Demarati Corinthii filius, Tarquiniis, urbe Tuscorum natus, primum Lucumo dictus; qui ubi se in patriâ nullo in honore esse vidit, quòd peregrino patre esset prognatus, suasu uxoris (ea mulier fatidica fuit, nomine Tanaquil.) Romam sese contulit: ubi brevi, propter opes ingeniique dexteritatem, in Anci regis amicitiam insinuatus, ab eo relictus est liberorum ejus tutor: quorum tamen commoda propriis rationibus posthabuit, brevique perfecit, ut magno plebis consensu rex crearetur, An. 139. U. C. Quare ut regnum parum justè partum stabiliret, centum patres in Senatum allegit, qui minorum deinde gentium dicti sunt, suæ eos factionis futuros ratus, cujus beneficio in Senatum venissent. Bellum primum cum Latinis gessit, oppidumque Apiolas vi cepit. Circo maximo primus locum designavit, locaque patribus equitibusque divisit, ubi sibi quisque spectacula faceret. Sabinos victos Collatiâ, agroque Collatino mulctavit. Corniculum, Ficulneam veterem, Cameriam, Crustumerium, Ameriolam, Medullam & Nomentum, priscorum Latinorum oppida partim expugnavit, partim in deditionem accepit. Capitolii fundamenta primus jecit, ingentibus operibus; contra Tiberis exundationem, substructis. Fascium, togarum, quæ Regibus Auguribusque convenirent, Sellæ eburneæ, queis Senatores uterentur, annulorum, &c. quibus Equites insignes essent, inventor: 12. populorum victor. Tandem, cùm annos 38. regnasset, dolo liberorum Anci, in curiâ obtruncatus est, An. 177. U. C. ætat. 80. Successit in regno Servius Tullius. Florus *lib.* 1. Dionysius Halicarn. Liv. *lib* 1. &c.

Tarquinius II. Superbus, septimus & ultimus Rom. rex, à moribus cognomen adeptus. Tulliam, Servii Tullii filiam uxorem duxit, præferoci ingenio mulierem, cujus consilio socerum interfecit, regnumque scelestè occupavit. Bello tamen strenuus fuit, Latinos, Sabinosque domuit. Suessam Hetruscis eripuit, Gabios per Sextum filium simulato perfugio in ditionem redegit. Ferias Latinas primus instituit. Carceres, exilium, tormenta excogitavit, sævus in subditos cujuscunque conditionis. Templum omnibus Latinis commune condidit: Capitolium structurus, caput humanum in fundamentis invenit; quâ de re aruspices consulti responderunt, eam arcem caput gentium futuram. Demum cùm Sextus ejus filius Lucretiæ per vim stuprum intulisset, cum universâ

versâ familiâ in exilium actus, An. 245. U. C. cùm in Ardeæ obsidione hæreret, ad Porsenam Hetruriæ regem se contulit; qui pro ejus restitutione nequicquam Romanis bellum intulit, Livius *lib.* 1. Plutarch. Florus, Dionys. Halicarn. &c.

Tarquinius Collatinus, Ægerii, ex Tarquinii Superbi sorore filius, gener Sp. Lucretii, qui Romæ præfecturâ urbis fungebatur. Cùm in Ardeæ obsidione cum regiis juvenibus cœnaret, exortâ de uxoribus mentione, cùm suam quisque certatim laudaret, Collatinus negat verbis opus esse, paucis id quidem horis sciri posse, quantum cæteris præstet sua Lucretia. Quid multa? citatis pariter equis Romam advolant, regiasque nurus in conviviis, luxuque cum æqualibus deprehendunt. Deinde Collatiam petentes, Lucretiam nocte serâ lanæ deditam inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt. Quare muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. Adveniens vir, Tarquiniique benigne accepti, victor maritus comiter invitat regios juvenes. Ibi S. Tarquinium mala libido stuprandæ per vim Lucretiæ capit: tum forma, tum spectata castitas incitat. Dissimulatâ tamen in præsens cupiditate, tum quidem unà cum cæteris in castra redit; sed paucis pòst interjectis diebus Collatiam reversus, & à muliere propinquâ hospitio exceptus, nocte intempestâ conceptum animo facinus vi, minisque exequitur. Quam rem mulier castissima, tam ægrè tulit, ut postridie viro, patreq; per literas accersitis, cùm rem, uti gesta erat, exposuisset, necem sibi consciverit. Pulsis deinde ob facinus tam tetrum Tarquiniis, Collatinus Bruto in Consulatu datus est collega: quo tamen non multo pòst coactus est se abdicare, non aliam ob causam, nisi quòd Tarquiniorum propinquus esset, eodemque quo ille nomine diceretur. Livius.

Tarquitius Crescens, nomen centurionis, sub Cæsennio Pæto, Tacit. *lib.* 15. 10.

Tarquitius Priscus, Legatus Statilii Tauri Africæ Proconsulis, ejusdemque accusator. Sed ideò curiâ exactus est, quòd Patres, odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ pervicêre. Tacit. 12. 59. D. Junio Q. Haterio Coss. Damnatus Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano Coss. repetundarum Bithynis interrogantibus magno Patrum gaudio, qui accusatum proconsulem ipsius meminerant, Idem *lib.* 14. 46.

Tarrabeni, Corsicæ ins. pop. Ptol. quorum tractus & opp. *Bastilica* Leandro dicitur. Imo potius apud Bonifacium oppidum, ubi *Carabeni pagus*.

Tarracina, quæ & Anxur prius dicta, teste Plinio, *Taracina* Straboni, *Terrachina* Stephano, colon. & urbs Latii Episcop. in colle apud Ufentis ostia, media ferè inter urbem Romam & Neapolim. A Græcis urbi hoc nomen fuisse impositum testatur Strabo *lib.* 5. *Sequitur post centum stadia à Circæo Tarracina*, Τραχινὴ πρότερον ὀνομαζομένη ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος, id est, ab asperitate. Baudrando urbs aliàs Volscorum, in Latio, nunc Campaniæ Rom. in confinio regni Neap. Ad radices collis, in ora maris Tyrrh. sed ejus portus arenâ obductus est. Cum castro satis munito. Urbs deficit indies, ob aëris inclementiam, & paludes Pomptinas adjacentes. In dit. Pontif.

Tarraco, insignis Hispan. civitas, Scipionum opus, à quo provincia ipsa *Tarraconia*, & *Tarraconensis* vocatur. Mela *lib.* 2. *cap.* 6. *Tarraco urbs est in his oris maritimarum opulentissima.* A Mauris mœnibus circumdata est. Hanc nunquam captam gloriantur Hispani. De Conciliis hic habitis, Morer. Hinc *Tarraconensia vina optima*. Mart. 13. 115.

Tarraco Campano tantùm cessura Lyæo.

Silius *lib.* 3.

—— *Dat Tarraco pubem*
Vitifera, & Latio tantùm cessura Lyæo.

Plin. *lib.* 14. *cap.* 6. *Hispaniarum Laletana* (vina) *copiâ nobilitantur, elegantiâ verò Tarraconensia.* Syrum habet nomen טרכון *Tarcon*, qui regiam, aut palatium dixeris. Mart. 10. 104.

Hispanis pete Tarraconis arces.

Ausonius *in Emeritâ*:

Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certant.

Quod verò ait auctor noster, Tarraconem esse Scipionum opus, testes secum habet Plinium & Solinum, idque quia non parum auxerunt. Alioquin autem de Tarracone jam scripserat Eratosthenes, antequam Scipiones pedem in Hispaniâ fixissent. Baudrando fuit urbs aliàs Cosetanorum, nunc Cataloniæ, cum portu, in ora maris Mediterr. Parvi circuitus, deficit indies. Archiepiscop. Ad ostia Tuleis fluv. 12. leuc. à Dertusa in Ort. Barcinonem versus 15. & 250. ab Olarsone opp. & Fonte Rapido in Eur. Ab ea tractus adjacens, *Campo de Tarragona*. Vide Oihenart. *utr. Vasc.*

Tarraconensia juga, B. Gomesio *los Romelinos*, mons Hisp. citer. apud Cæsar-Augustam, 3. leuc. ab ea, ubi sal suavissimi saporis.

Tarraconensis Hispania, ab Ortu in Occ. ad 660. mill. pass. extendebatur; à Templo Veneris, ad Nerium promunt. lata non æquè. Vide *Hispania Tarrac.*

Tarraga, colon. & opp. Hispan. citer. haud obscurum in Catalaunia. Pop. *Tarragenses* Plin.

Tarrae, *Tharros* Anton. *Larghier*, teste Nigro, urbs Sardiniæ litoralis ad Occ. Episc. sub Arch. Turritano. Sed *Algieri* aliis est Caracodes. Fortè locus in ora, inter Bosam & Algarium. Baudr.

Tarrha, urbs Lydiæ, & alia Cretæ, patria Lucii Grammatici, ubi *Tarrhæus* Apollo colitur. Item alia juxta Caucasum, colonia Cretensium. Stephan.

Tarrutius, cui prænomen *Lucius*, Mathematicorum nobilissimus, qui Natalem Urb. Romæ repetit, familiaris Varronis, ac M. Ciceronis. Vide Plutarch. *Romulo*, qui eum vocat *Tarruntium*. Solin. *cap.* 2.

Tarsa, unus e Ducibus Thracum montanorum, contra Tiberium rebellium, qui, postquam à Poppæo Sabino in castello ac conjunctis tumulis cum sociis artâ obsidione premeretur, iisque aqua & pabulum erepta essent; deditioni mortem antetulit. Nam properum finem, abrumpendas pariter spes ac metus clamitans, dedit exemplum demisso in pectus ferro, nec defuêre qui eodem modo oppeterent. Tacit. 4. 50.

Tarsa, vicus olim Comagenes in Syriâ populosus, ad Euphratis ripam, à Samosatis 150. stad. in Merid.

Tarsatica, *Tarsaticum* Anton. opp. Liburniæ litorale. *Tersacz* Lazio. *S. Maria de Transiarch* Simlero. Baudrando est *Tersacz*, seu *Tersechz* ex Lazio, castr. Liburniæ in colle, prope amnem *Fiume Carnero*. Vix 1. mill. Germ. à Vitopoli in Bor. ubi ab ora sinus Carnarii & maris Hadr. in Carniola sicca; sub Austr.

Tarsea, urbs Bithyniæ, aliàs Tarsus dicta. Steph.

Tarseion, Steph. opp. Hispan. apud columnas Herculis; quod aliis Carteia est.

Tarsis, sive *Tarses*, Lib. Jonæ, & lib. 1. Reg. (quæ *Tharsis*, & *Tharses* cum aspiratione apud alios leguntur) locus est maritimus, per quem classis Salomonis ad Ophir deferebatur, & quò Jonas Propheta, jussus ire in Niniven, aufugit. Quis sit hic locus, digladiantur inter se scriptores. Non desunt, qui Tarsum urbem Ciliciæ præcipuam interpretentur. At huic interpretationi repugnat utraque historia, præsertim Jonæ; qui cùm nollet ire Niniven, urbem Babyloniæ sive Assyriæ, fugit ad Tarsim locum ex adverso, qui non Niniven duceret; non ad Tarsum, ex quo brevis est in Mesopotamiam trajectus. Aliis *Tarsis* idem, quod Tartessus urbs & insula Hispaniæ Bæticæ in mari seu freto Gaditano, unde brevior in Ophir (quam diximus esse vel Peruviam, vel insulam maris Atlantici) est navigatio: Qua de re vide Becanum *in Hispanicis*. Vide quoque in voce *Tharsis*.

Tarsium, Ptol. opp. Pannoniæ infer. ubi Maximinianum Imper. occubuisse Aurel. Victor testatur, *Tarsum* habent alii codices.

Tarsius, fluv. Troadis, Straboni: apud Zeliam, & viam eandem vicies secans, sicuti Rhesus Bithyniæ fluv. inter Nicomediam & Nicæam vicies quater.

Tarsuras, fluv. Colchidis, Arr. *Tarses* etiam dictus & *Thessyris*, nunc *Ochurus*, Archang. Lamberto. Oritur ex Colchicis montibus, & in Pontum Euxin. cadit, juxta Tarsuram opp. quod *Tassiros*, & *Trachea* dictum est, nunc in ruinis jacens.

Tarsus, aliàs dicta *Antoniana Severiana*, & *Hadriana*, ut patet ex numism. Gr. Anton. Caracallæ, urbs Ciliciæ clarissima, Strabo *lib.* 15. & reg. totius caput, in campis sita, & Cydno amne irrigata: cujus conditorem volunt fuisse Perseum, Danaes filium. Solinus *cap.* 41. *Matrem urbium habet Tarson, quam Danaes proles nobilissima Perseus locavit.* Unde Lucan. *lib.* 4.

Deseritur Taurique, nemus, Perseaq; Tarsos.

Alii tamen urbis hujus originem ad Sardanapalum referunt, postremum Assyriorum regem: cujus etiam monimento incisum erat, quòd Tarsum & Anchialum die uno condidisset. Hæc fuit Antipatri Stoici, Archidemi, Nestoris, Athenodori utriusque, &c. &, quod præcipuum, Apostoli Pauli, patria. Ibidem claruit Apollodorus Tragœdus, sicut Athenis Apollodorus Comœdus, Menandri synchronus. Actor. 21. *comm.* 39. Εἶπε δὲ ὁ Παῦλος· Ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι Ἰουδαῖος Ταρσεύς, τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. Dicta verò Tarsus est, ut quidam existimant, à siccitate. Τερσαίνειν enim & Τέρσεσθαι siccare signific. vel quòd hujus reg. loca primò post diluvium siccarentur: vel, ut Eratosthenes, quoniam in eo tractu primi degentes homines, tritici, & leguminum fruges, ut reconditæ perdurarent, exsiccasse perhibentur. Quidam à Tharsi, filio Javanis, & Japeto oriundi, dictam: Alii à parte pedum, quæ *Tarsus* dicitur, ut in manu, sic vocatam volunt; quoniam eo loco Bellerophon de Pegaso cecidisse, pedemque offendisse dicitur. Dionysius Periegetes *vers.* 869.

Ταρσὸν ἐϋκτιμένην ὅθι δή ποτε Πήγασος ἵππος
Ταρσὸν ἀφεὶς χώρῳ λίπεν οὔνομα, τῆμος ἀφ' ἵππου
Ἐς Διὸς ἱέμενος πέσε κρατὺς Βελλεροφόντης.

Polyhistor tamen non Bellerophontem, sed Pegasum eo in loco crus fregisse scribit. Ideo Juvenalis de Tarso *Sat.* 3.

—— *Ripâ nutritus in illâ,*
Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi.

Hodie *Terassa* incolis, & *Tersis* Turcis, teste Leunclavio.

Tartari, populi partim Asiæ, partim Europæ, qui olim *Scythæ* appellabantur, nomen acceperunt à tribu *Tartar*, ex qua senex quidam, *Cangio* appellatus, vir obscuri quidem generis, verùm prudentia & sanctitatis opinione insignis, natus, Rex atque Imperator ab illis factus est. Quorum originem antiquissimam multi ad decem Israelis tribus referunt; quod unde habeant, non video: illud quidem constare videtur, Scythas à Magogo, Japeti filio, cujus in sacris literis sæpè mentio fit, originem ducere: & decem illas tribus à Per-

à Persarum rege, non in Scythiam, sed in Mediam Persidemque translatas fuisse. Hodie longè lateque in Scythia & Sarmatia dominantur. A *Tartar*, vel *Tatar* fluv. denominare illos malunt alii. Qui in Asia, excusso hi Sinensium dominatu, Cathainum amplissimum regnum, nomine *magnæ Tartariæ* condiderunt, An. C. 1203. Auctore Changio Chamo, qui suos jussit unicum Deum colere. Ei ex 12. filiis maximus natu Hogotius Cham successit: quem excepit fil. Ochtai, An. Chr. 1226. qui fratres cum copiis ad cæteras orbis partes subjugandas misit, è quibus Batto, cui Septentrio obvenit, Moscoviam subjecit, Russiâque, Poloniâ & Silesiâ devastatis, Henricum Ducem ad Lignitium cruentissimo prælio, incantationibus adhibitis vicit, An. Chr. 1242. Degunt sub Magno Chamo, sævi, crudeles, bellorum avidi, sagittandi peritissimi: diripiunt, vastant, quidquid Mars obtulerit: tranquillioris inter illos vitæ amantes, in tentoriis degunt, pastoritiam vitam sectati. Equitatu maximè Chamus valet; Cœterum ferè omnes Mahometani sunt, licèt Judæorum, Hæreticorum, & Schismaticorum, à parte Moscoviæ, inter illos non pauci. Tartari Europæi, olim sub propriis Principibus, postmodum à Tauris Scythis subacti nomen quoque acceperunt. His pulsis, Mithridates regione potitus est, donec Romani illo victo, in Chersoneso Taurica proprios Reges instituerunt, Bosphori Reges dictos. Postea diviso Imperio, Orientalis Imp. pars Tartaria fuit, à Genuensibus dein subacta. Sed An. 1250. Tartari superiores ipsos Genuenses tributum sibi pendere coëgerunt. Mahometes tandem II. captâ Caffâ, An. 1452. illos penitus expulit. Excursionibus continuis vicinis infesti, Kamum Principem habent, Turcæ tributarium, qui illos sæpe contra Polonos, qui ipsis olim tributa pependerunt, ut auxiliaribus illorum copiis ad omnes casus uti possent, & Cosacos emittit. Sic in Poloniam irruptione factâ, An. Chr. 1289. unum & XXM. innuptarum puellarum abduxere, ut recentiora omittam. Panem contemptum bestiarum pabulum vocant, carne solùm vescentes, quas sæpissime coquunt, sub ephippiis. Tartarorum Chamum Turcici Imperii hæredem esse, si Ottomanorum familiam extingui contigerit, refert Petrus de Valle *Itiner.* præter quem vide Bergeron. *tract. de Tartar.* Nicol. Huenum, *Hist. Tartar.* Guil. Brussium, *Diar. de Tartar.* Mich. Lithuanum de moribus *Mosc. Lithuanorum & Tartar.* Guil. Rubruquisium, Joh. Carpinum & Ascelinum, *Itiner. Tartar.* Martin. Martinium, & Palafum, *Hist. occup. Sinens. Monarch.* Marc. Paulum, P. de Valle, *Itiner. tom.* 3. Becmannum *Hist. Orbis terr.* ubi *Tartaros* ex Sept. Asiæ arcessit, proprioque τῦ *Tartar* nomine venire, qui Mogolorum partem constituunt, Scythas extra Imaum montem: nunc autem in universum omnes Sept. Asiæ incolas ad extremum Orientem usque sic appellari, refert, &c. Vide quoque infrà.

Tartari Budziacenses, vulgò *les Tartares de Budziack*, populi sunt Europæ in parte inferiori Daciæ, ubi nunc Bessarabiæ pars Australis, versùs oram Ponti Euxini, & inter ostia Danubii & Tiræ fluviorum.

Tartari Dobrucienses, vulgò *les Tartares de Dobruce*, populi sunt Europæ in parte Orientali Bulgariæ, ubi aliàs Scythia provincia Mœsiæ inferioris; extenduntur que inter ostia Danubii ad Boream & Varnam ad Austrum, sub dominio Turcarum.

Tartari Oczacovienses, vulgò *les Tartares d'Oczacovv*, sunt in ora Ponti Euxini, inter ostia Borysthenis & Tiræ, in ipso limite Poloniæ & Tartariæ minoris, cum urbe primaria Oczacovia; suntq; Turcarum vectigales, ut alii Tartari Europæi.

Tartaria, vulgò *Tartarie*, pars Asiæ amplissima, magis ad Boream extensa, ubi aliàs Scythia intra & extra Imaum & Serica regio. Dividitur à quibusdam in quinque partes seu regna, nempe in *Tartariam veram*, quæ ad Boream; *Catajam*, quæ ad Ortum; *Tartariam desertam*, quæ ad Occasum; *Zagatayam*, quæ versùs Persiam; & *Turchestaniam*, quæ ad Austrum versùs Indiam propriam. Alii autem, & meliùs, ut Arabes, dividunt *Tartariam magnam* in plures partes Europæis vix nomine notas: quarum præcipuæ sunt Thibetum regnum, *le Thibet*, seu *Tobbat*, ubi aliàs pars Australis Scythiæ extra Imaum; Mauralnabaria, *le Maurenaher*, seu *Mavvaralnahra*, ubi olim Jaxartæ & Sogdiana pro majori parte; Olgaria seu Calmuchi populi, *l'Olgarie ou les Kalmuki*, ubi aliàs Orgasi populi Scythiæ intra Imaum; Chazalgitæ, *les Chazalgites*, ubi olim Sacæ populi Scythiæ intra Imaum; Chaulachitæ, *les Caulachites*, seu *Kara Cathay*, ubi Alani Scythæ in Scythia etiam intra Imaum montem; Mongalia, *Mongal*, seu *Moal*, & *Magog*, ubi olim Hyperborei Scythæ; Kalmachitarum seu Naimanorum regio perampla, *les Kalmachites ou Naimans*, ubi aliàs pars Borealis Scythiæ extra Imaum & Sericæ regionis; Tanguium regnum, *le royaume de Tangut*, seu *Tanin*, & *Bagarghar*, ubi pars Australis Sericæ regionis; Niucanum regnum, *le royaume de Niuche*, seu *Tenduc*, ubi minor pars Sericæ Australis; & Jupia regio, *Tupi*, maximè in Ortum extensa. De quibus omnibus pauca dici possunt, cùm in his raræ sint urbes: & de illis Abulfeda fusiùs. Subest Tartaria plurimis Regibus, ex quibus Reges Niucani Sinarum Imperium devastarunt hisce ultimis temporibus, & etiamnum occupant. Ipsa autem Tartaria, quæ meliùs *Tartaria magna*, terminatur à Septentrione mari Boreali seu Scythico, uti ab Oriente, & mari Kaimachitarum, ab Occidente Moscovia, & à Meridie Persiæ, Indiæ, & Sinarum Imperiis.

Tartariæ magnæ urbes secundùm recentiores:

Asmirea, *Chacan Kaimach.*	Damna, *Mostanah.*
Auzacia, *Sisian.*	Issedon Scythica, *Carracoram.*
Baghara, *Baghar.*	Issedon Serica, *Suchur.*
Camulum, *Camul*, & *Xamo.*	Maracanda, *Samarcand.*
Casgarium, *Kasgar.*	Ottorocora, *Tulsphan.*
Cialium, *Cialis.*	Soeta, *Tobbat.*

Thagura, *Campion*, seu *Tangut.*

Tartaria minor, seu *Precopensis*, vulgò *la petite Tartarie*, seu *Krimsky*, & *Nahaisky*, regio est Europæ inter Pontum Euxinum ad Meridiem, paludem Mæotidem ad Ortum, Moscoviam ad Boream, & Podoliam atque Volhiniam provincias Poloniæ ad Occasum, ubi aliàs parva Scythia seu Cimmeria, & Scythia Europæa, in parte Australi Sarmatiæ Europææ. Duplex est, nempe *Tartaria Crimea*, seu *Precopensis propria*, vulgò *Krimsky ou Tartarie de Precop*, aliàs *Taurica Chersonesus*, & *Tartaria Nogajensis*, vulgò *Nahaisky ou Tartarie des Nogais*, ubi olim pars Borealis parvæ Scythiæ, & populi Basilides Scythæ, Nomades Scythæ, & Mæotæ. Paret autem tota propriis Principibus è gente Gereja sub clientela Turcarum. In Nogajensi raræ admodum sunt urbes præter Tanaim emporium, *Assoph*, & *Azak*. Sed in Taurica Chersoneso sunt Precopia, aliàs Taphræ, *Perecop*, à qua nomen regioni inditum, Baccasara, *Baciesaray*, Mancupia, *Mancup*, Cercum, *Kerci*, Crimea, *Solat*, seu *Crimenda*, & Cossovia, *Coselovv*: Cavum verò, *Caffa*, emporium celebre in ora Ponti Euxini subest dominio Turcarum. Vide *Taurica Chersonesus.*

Tartaria, vulgò *Tartar*, urbs ampla Asiæ, Tartariæ veræ caput, ad fluv. cognom. ut quidam tradunt. Sed de ea pauca dici possunt, cùm etiam aliqui dubitent, an in præsens extet.

Tartarus, fluv. Venetiæ, ex Athesi in Padum per Hadriæ fines decurrens; unde unum ex Padi ostiis *Tartarum* à Plinio nominatur. Est & *Tartarus*, & *Tartara* numer. plural. locus inferorum à poëtis plurimum celebratus; in quo sontes plectuntur. Virgilius *Æneid.* 6.

Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

A verbo Græco ταράττω, *conturbo*, quòd illic omnia plena sint perturbationis; vel ἀπὸ τῦ ταρταρίζειν, id est, à tremore frigoris. Sole enim caret, inquit Servius. Aliis placet ab ταράσσω derivari, secundo indefinito τῦ τάρω, Τάρ☉, atque per anadiplosin Τάρταρ☉. Doctissimo D. Windetto origo Chaldaica multò magis placet, à themate דרדר *dardar*, id est, *decidit*; quo sensu Tartarus pro eo quod subsidit, ac fundum petit, accipitur. Sic Hebræi ארץ תחתית *infima terra* pro Gehennâ usurpant. Hom. *Iliad.* 9.

Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω ὅσον οὐρανό☉ ἐστ' ἀπὸ γαίης.

Virgilius *Æneid.* 6.

—— —— Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditq; sub umbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

Non desunt, inquit vir magnus, quibus Tartarus nihil aliud est, quàm aër crassus, frigidus ac tenebrosus circa polos. Ita Crates apud Stephanum: Τάρταρ☉, Κράτης, τὸν ὑπὸ τοῖς πόλοις ἀέρα παχυμέρη τε καὶ ψυχρόν τινα, καὶ ἀφώτιστον. Hesychius: Τάρταρ☉, ὁ ὑπὸ τὴν γῆν κατώτατ☉ τόπ☉.

Tartassium, vulgò *Tartas*, urbs culta Vasconiæ, in tractu Lebretensi, ad Midurium fluvium, 5. leuc. supra Testam in Ort. 16. à Burdegala in Merid.

Tartessos, *Cartheia*, vel *Carteia* Ptolemæo, nomen habet à fluv. præterlabente. Stephan. vulgò *Tariffa*, opp. Hispan. Bæt. in orâ, inter Calpen & Bellonem. Apud Sil. Italicum Carteia à Tartesso diversa est. Livius autem Carteiæ situm describens, omninò eadem fuisse ostendit. Uno verbo (inquit Bochartus) triplex est Tartessus apud veteres. Una propriè dicta in insulâ ad Bætis ostia, qui & ipse Tartessus de nomine urbis dictus est. Duæ sic dictæ καταχρηστικῶς, Carteia, nimirum, & Gades. Has condidere Phœnices, ac primam illam jam conditam invenerunt. Vide quæ sequuntur, imò & quæ præcedunt apud authorem eruditissimum *Geogr. pag.* 671. Baudrando Tartessus, *Tariffa*, urbs fuit Vandalitiæ, in ora freti Herculei, contra Maur. Ting. hinc 6. leuc. distantem. Cum portu amplo. Nunc diruta paucisque habitata. Mauris à Sanctio erepta est An. C. 1292. Hinc *Tartessius.* Ovid. *Met.* 14.

Presserat occiduus Tartessia litora Phœbus,

Item *Tartessiacus* Mart. *lib.* 9. *epigr.* 61.

In Tartessiacis domus est notissima terris.

Tarvanna, mel. *Tervanna*, vel *Tarvenna*, urbs Belgii, Morinorum olim metropolis, in Not. vett. inter Prov. Belgicæ secundæ civitates duodecim undecima, in recentioribus sexta meliùs: in veteri nummo apud Goltzium *Colonia Morinorum*, sita fuit in Picardiæ & Artesiæ confin. Episc. Dein urbs munita Artesiæ, ad Legiam amnem, à Carolo V. Imper. solo æquata, An. 1552. Cujus rudera, à paucis habitantur, vix 2. leuc. ab Aria in Occ. sub Francis. Baudr. Caput olim pagi Tarvennensis *le Teroüannois*, cujus pars est pagus Ternensis, vel Toënnensis, *le Ternois*, à Terna fluv. cognominatus: Ejus olim & Bononiæ unus Episcop. fuit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide *Tervanna.*

Tarvis.

Taruda, Civ. Mauritaniæ Cæs. Ptolem.

Tarvedum, *Orchas*, Ptol *Orcha* Diodoro Siculo, promuntor. Albionis in orâ Scotiæ Boreali, contra Orcades porrectum. *Howburn* Camdeno.

Tarvesede, pagus Rhætiæ, *S. Jacob in Clavenerthal* Scudo. *Spelugà* verò Simlero.

Tarvisani montes, colles ad Alpium Tridentinatum radices, inter Feltriam, Beluuum, ac Cenetam.

Tarvisina Marchia, Vide *Marchia Tarvisina*.

Tarvisium, incolis *Trevigi*, caput Marchiæ Tarvisinæ, urbs ampla & munita, sub Venetis, 20. mill. à Venetiis in Circ. uti 15. ab Opitergio, in Afric. 24. à Patavio in Cæc. Cenetam versus. Ann. 1509. à Maximil. I. Imp. expugnata fuit. Condita est ab Noricis, Olirianis & Taurisanis, unde *Taurisium* Joh. Annio dicitur.

Taruntius, vir philosophiæ, tum Mathematicarum inprimis studiosus; de quo Plut. *in Rom.*

Tarus, Lombardiæ Cispadanæ fluv. Plin. *Taro* Leandro.

Tarusates, Plin. *lib.* 4. *cap.* 19. pop. Gall. Aquitan. quorum op. *Tarse*, teste Marliano in Auscensus diœcesi, inter Vocates & Flustates. Baudrando horum tractus parvus adhuc *le Tursan* dicitur, in diœcesi Aturensi, prope Aturum caput, P. du Val. 15. circiter leuc. Aquit. ab Auscus in Occ. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Taruscum, Saliorum urbs in Galliâ. Ptol. vulgò *Tarascon*.

Tasacora, urbs Mauritaniæ Cæs. Ant. *Tasaccura* Victori Utic.

Tasarta, opp. Africæ propriæ. Anton.

Tasca, Vide *Phasca*.

Tasci, Vide *Pasargarda*.

Tascodunitari, Plin. pop. fuere Occitaniæ, ubi nunc opp. *Castelnaudarry*, prope Fanum S. Papuli, 6. leuc. à Carcassone in Ort. Tolosam versus 9. Sansoni.

Tascutini, pop. Ponticæ regionis, circa Colchidem, Diod. *lib.* 14. nisi locus vitia us sit.

Tasgetius Carnutus, cujus majores in suâ civitate regnum obtinuerant. Hunc Cæsar in majorum locum restituarit, Cæs. *Comment.* 5. *cap.* 25. Tertium jam hunc annum regnantem inimici palam, multis etiam ex civitate auctoribus, interfecerunt. Ibidem.

Tasitia, Æthiopiæ sub Ægypto vicus. *Tapis* Anton.

Tassilo, Vide *Thasilo*.

Tassinga, Ins. parva Daniæ, in mari Balt. juxtà partem Austral. Fioniæ, prope Suinburgum opp. & Ariam Ins.

Tassus, Vide *Torquatus*.

Tasta, vulgò *Acqs* seu *Dax*, urbs Vasconiæ lepida & culta; balneis suis celebris. 5. leuc. à Tartassio in Occ. Bayonam versus 9. & 5. ab ora maris Aquit. in Ort.

Tastache Ptol. *Teste* Molerio, urbs Parthiæ, ultra Marrichen 45. mill. pass. in Ort.

Tatianus, Rhetor Christianus, de quo Euseb. *lib.* 4. *cap.* 16. *Histor. Eccles. Tatianus quoq; vir*, inquit, *eruditissimus, in primâ ætate non magnâ cum admiratione oratoriam docuit, ex quâ non parvam gloriâ quæsierat: postmodum ad nostra se studia convertens, libros etiam ipse adversus gentes dignos memoriâ reliquit.* Gente Syrus discip. Justini Martyris fuit. Sic diu pietatis & eruditionis secundâ floruit famâ, laudatque Origenes tractatum ejus, pro Christianis c. Græcos, quem Gesnerus vertit: in quo nihilominus varia falsa & suspecta, ut cùm Animam nostram, naturâ suâ mortalem fieri dicit &c. Post Præceptoris mortem, Româ in Orientem reversus, scientiâ animum inflante, in Valentinianorum & Marcionitarum deliria incidit, postea Encratitarum antesignanus factus. Adamum damnatum, conjugium illicitum, &c. esse dixit: In Harmonia 4. Evangel. statum, quam *Diatessaron* vocavit, quæque cum præf. Victoris Capuani, qui claruit An. C. 480. extat in Bibl. PP. omne id omisit, unde veritas Corporis & naturæ Christi humanæ probari solet. Tribuitur ei quoque opus, de perfectione Servatoris, quam in abstinentia à conjugio, aliisque rebus in Evangelio concessis, consistere statuebat. V. Iren. *lib.* 1. *cap* 30. Tertullian. *de Præscr. cap.* 52. Clem. 3. *Strom.* & *lib.* 2. *Pædag. cap.* 2. Origen. 1. *in Cels.* Euseb. *in Chron. An. Ch.* 172. & *in Hist. lib.* 4. & 5. Epiphan. *hær.* 46. Augustin. Philastrium & Joh Damascen. *de Hær.* Theodoret. *lib.* 1. *hær. fab.* Hieron. *Cat. de Vir. ill. cap.* 29. &c. Dicitur *Astronomus excellentissimus* Sixto Sen.

Tatienses, tertia pars pop. Rom. à T. *Tatio* dicta.

Tatius, Sabinorum dux, acerrimus pop. Rom. hostis, qui proditione Tarpeiæ virginis Capitolio capto; ex superiore loco adversus Romanos in aciem descendit: ubi cùm aliquandiu acerrimè, sed variâ victoriâ pugnatum esset, tandem dirempto interventu Sabinarum prælio, An. 4. U. C. pax ita convenit, ut Sabini in urbem, Tatius in regni partem acciperetur. An. 7. U. C. Verùm, cùm postea Tatii propinqui Laurentium legatos pulsassent, eamque injuriam Tatius inultam reliquisset, illorum pœnam in se convertit. Nam cùm Lavinium ad solenne sacrificium venisset, concursu opidanorum facto, est interfectus: quidam id ex suggestione Romuli factum autumant. Liv. *lib.* 1. Virg. *Æn.* 8. Plut. *in Romulo*, &c.

Tatius Gratianus, præturâ functus, maiestatis lege extremum ad supplicium damnatus sub Tiberio, C. Cestio, M. Servilio Coss. *Tacit. Annal.* 6. 38.

Tatta, urbs Indiæ propr. caput regni cognom. ad Indum fluv. sub Mogole M. sed in limite regni Persarum, & ferè 200. mill. pass. ab ora maris Indici in Bor. Dicitur etiam *regnum Sinda* hoc regnum.

Tatta, lacus ingens Phrygiæ magnæ, in Pisidiæ & Lycaoniæ confin. *Acrioteri* Bellonio, inter Pertam ad Occ. & Iconium ad Ort. Strab. Plin. Diosc.

Tava, urbs Ægypti. Steph.

Tavaca, urbs Siciliæ. Steph.

Tavasthia, regio Finlandiæ, lacum habet, è quo ferrum extrahitur. Terminatur ab Or. Savolaxiâ & Careliâ; à Mer. Nylandiâ; ab Occ. Finlandiâ propr. à Sept. Bothnia Or. Cum præcipuo opp. cognom. quod aliàs *Croneburgum* dictum, intra paludes & ol. munitum, contra Moscorum irruptiones, 90. m. p. ab Aboa urbe in Cæc. Arcem ibi excitavit Birgerus Jarl, an. 1250. ut Tavastios contineret, vulgò *Tavasthus*.

Tauchira, Libyæ civitas, *Arsinoe* postea dicta. Steph.

Tavira, urbs Algarbiæ, in ora Sinus Equarum, media inter ostia Anæ ad Ort. 5. leuc. & Faram ad Occ. totidem, cum portu satis capaci, & arce ad ostia fl. *Xilaon*.

Tavium, Galatiæ urbs. Ptol. Trocmiorum gentis, teste Plinio, Vulgò *Tabi*. Sic & serica opera, ibi confecta, dicuntur.

Taulantii, *Taulanti* Plinio, *Talanti* Procopio, pop. Macedoniæ mediter. Dyrrachio finitimi & Apolloniæ, quorum reg. *Tablandi* Lazio, *Tamoriza* Castaldo, *Musachia* Nigro: apud quos vinum ex melle fit, ut Arist. author est. Urbs Arnissa, *Aluda* Moletio. Zonaræ sunt inter Dalmatas. Lucan. *lib.* 6.

Quamq; vocat collem Taulantius incola Petram,

Silius *lib.* 15.

Quaq; per Illyricum Taulantius incola litus, &c.

Taunau, si rectè scribitur apud Steph. secundùm aliquos eadem est, quæ *Taurica*.

Taunacum, opp. Galliæ duplex, alterum ad Carentonum fluv. vulgò *Tonay-Charente*; alterum ad Vultunnam fluv. *Tonay-Boutonne*, in finibus Santonum utrumque, & alterum alteri vicinum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Taunus, Tac. *lib.* 1. 56. & 12. 28. mons Germ. apud Cattos. Cluverio *der Hayrich* seu *der Hoherucke*, prope Rhenum, ex adverso Moguntiaci.

Tauracus, tractus Helvetiorum, Fano S. Galli finitimus, inter Tigurum & Abbatiscellam. V. *Turegum*. Germ. *Turgavv*

Tauranía, urbs Italiæ Hipponatium fuit in Brutiis, quæ *Tauranium* Pomponio & Plinio dici videtur, seu *Tauranum*, cujus rudera nunc prope Palmam, in Calabria ult. & ora mari Tyrrh vix 3. mill. à Seminaria, ad quam Ferdinandus Arag. à Gallis victus est. 23. m. p. à Rhegio in Bor. Hipponium versus 29.

Taurantes videntur Tacito 14. 24. pop Armeniæ, inter Artaxatam & Tigranocertam.

Taurarii, pop. in Tauricâ reg.

Tauras, urbs Armeniæ, Cedreno: *Taras* Curopal. fortè in Taurantiorum regione.

Taurea Inbellius, Campanus, memorandâ vir fortitudine, cùm in castris Annibalis Claudium Asellum Romanum ingenti hominem robore, in exercitu apud Nolam, provocasset, post inania verba & garrulitatem, ejus congressum minimè sustinens, refugiebat. Claudius verò insequens cum illo urbis portam ingressus, tutus, stupentibus hostibus, per alteram cursu contendens evasit. Hic postea captâ à Fulvio Capuâ, manu propriâ conjuge, liberisque interfectis, se postremò ante pedes Imperatoris gladio transfixit. Livius *de bell. Pun.* 2.

Tauredunum, quibusd. est *Tournon*, opp. amplum tractus Vivariensis. Castrum habet amplum in colle, 9. leuc. à Vienna in Austr. Valentiam versus, è regione Tini, opp. Delphinatus.

Taurenta, castellum Massiliensium apud Cæs. *libr.* 2. *de bello Civ.* Holstenius Civitatem interpretatur, *la Ciotat* vel *la Ciotad*, quibusdam *la Ciutat*: qui locus ad mare, vino suo notissimus, positus est inter Telonem Martium & Catsiers portum *Carsis* vel *Cassis* vulgò dictum. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.* Vide & infra in voce *Taurentinum*.

Taurentinum, *Tauroentium* Ptol. *Taurenta* Cæsari, *Taurentum* Antonino, *Tolon*, ut plerisque videtur, urbs Gall. Narbon. in orâ Provinciæ inter Massiliam, & Forum Julium 12. leuc. in ort. Sed apud Anton. Telo à Taurento diversus est, 12. m. p. ab eodem distans in Ort. *Tauroes*, seu *Taurois* à Steph. Massiliensium colonia dicitur. Forsan melius est *la Seine*, oppidul. in ora prope Telonem, seu locus dirutus, juxta prom. Telonense, in ora maris Mediterr. Vide & *Taurenta*.

Tauresium, op. Macedoniæ in Mysiæ confin. in Dardaniâ reg. Justiniani Imp. patria, quæ aliis *Pristena*, seu *Pridena* nominatur, apud Justinianam primam, teste Procopio, quæ à Nicephoro Callisto Achridus appellatur, Lychnidus Ptolemæo. Item *Tauresium*, urbs Mediæ, Persarum olim regia, quæ *Tabresium* quoque dicitur, & mel. Urbs ampla, ultimo seculo à Turcis pluries capta & recepta; in prov. *Aderbeitzan*, sub Persis. Sansoni 1100. mill. à Constantinopoli in Ort. Maracandam versus 800. circiter. Nunc autem Haspahamum sedes regia translata est.

Taureus, Neptuni epitheton, quoniam ei tauros immolabant, vel quia sit Deus maris, quod sonum emittit similem voci taurinæ.

Tauri, pop. Sarm. Europææ, qui, teste Plinio, Tauricam Chersonesum incolunt, qui & *Taurosrythæ* Plin. ac Ptolemæo dicuntur, sed teste Procopio Dromum Achillis insulam inhabitant. Baudrando fuere pop. Scythiæ parvæ, qui Taur. Chers. incoluere, uti & Dromum Achillis penins. & tractum, inter Carcinitem Sinum ad Ort. & Borysthenis ostium ad Occ. Lucan. *lib.* 2.

Armenios, Ciliceng, ferox, Taurosq, subegi.

Ovid. *Pont. lib.* 3. *eleg.* 2.

Est locus in Scythiâ, Tauros dixere priores.

Tauri pylæ, portæ Tauri, per quas ex Cappadocia in Ciliciam Tarsum versus transitur. Cic.

Tauriaci, sunt Turani, à *Tura* amne, qui fors aliis *Taurus* sive *Tauria* nominatus sit, Rhætiæ pop. qui nunc *Tragei* vel *Turgei*.

Tauriacum, castrum Galliæ, in Belsia prov. in finibus Carnutum & diœcesi Aurelianensi, proximum castro Puteolo *Puiset*: vulgò *Taury en Beausse* dicitur, & cum Tibernione, Tilieto Godini ac Tilieto Pagani *Tilly le Paineux* continetur Archidiaconatu Belsiæ: qui inter 6. Archidiaconatus Eccles. Aurelianensis tertius est. Castellaniis quoque adnumeratur. Aliud in Secalaunia, inque diœcesi Aurelianensi, non procul à Ligere & Balgentiaco. Aliud in pago Tricassino, cujus meminit Aimoinus *lib. de miraculis S. Benedicti*. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Taurianum, urbs Brutiorum à Saracenis excisa, cujus rudera apud Palmam pag. cernuntur: cui *Seminaria* oppid. successit amplum.

Taurianus scopulus, Ptol. *Terinaus* Plin. locus Brutiorum in orâ litorali, *la Nave*, teste Barrio.

Taurica Chersonesus, Ptol. *Scythica* Straboni, *Peninsula Taurorum* Plin. *Chersonesus Pontica* Appiano, vulgò *Tartaria minore* Europæis & Italis, *Gazaria* aliis, & incolis *Precopska*, peninsula Europæ Peloponneso æqualis, sec. Strabonem, cujus fines sunt Isthmus, Palus Mæotis, Pontus & Cimmerius Bosporus. Ibi Taphræ, in Isthmo, Precopensium Tartarorum regia, & Theodosia apud Cimmerium Bosphorum, à Taphris in Ort. supra 100. m. p. sub Turcis, sedes Satrapæ, cùm olim Genuensibus pareret, & Panticapæa ad eundem Bosphorum, à Theodosia 30. m. p. Ferrar. Famosa olim arâ Dianæ, sive, ut Herodotus vult, Iphigeniæ Agamemnonis filiæ, cui ibi humanis hostiis immolatum. Ovid. *Trist.* 4. *el.* 4. Qu. Curtius *lib.* 4. Aug. *de C. D. lib.* 7. *capp.* 19. & 26. Hæc ara postea Ariciam in Italiam translata est, teste vetere Schol. *ad ep. Horatii ad Pisones, vers.* 16. Ovid. *Pont.* 1. 3.

Aut quid Sauromatæ faciant, quid Jazyges acres,
Cultaq, Oresteæ Taurica terra Deæ.

Lucanus *lib.* 1.

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Juv. *Sat.* 15.

—— *Quippe illa nefandi Taurica sacri*
Inventrix.

Baudrando Chersonesus hæc, vulgò *Crimsky* incolis, *la Tartarie du Krim ou de Perecop* Gallis, seu *la petite Tartarie*, habet à meridie Pontum Euxinum, ab ortu Bosphorum Cimmerium, ab occasu Carcinitem sinum, & à septentrione Bugem lacum & Paludem Mæotidem; subestque dominio proprii Principis, qui Turcarum vectigalis est, & cui parent Tartari Nogaicenses, *les Nogais*, extra Chersonesum & inter ostia Tanais & Borysthenis fluviorum Tauricæ. Circuitus est 550. m. p. circiter: & ejus urbs præcipua est Bacasara, *Baciesaray*, Principis sedes. Sed Cavum, hodie *Caffa*, subest dominio Turcarum. Distat Taurica Chersonesus 240. m. p. ab ostio Tiræ fluvii in ortum, 360. ab ostio Tanais in Africum. Ejus promontorium Australe Criumetopon dictum, distat 350. m. p. à Byzantio in Cæciam, & ejus Isthmus prope Perecopiam urbem distat 460. m. p. à Moscua urbe in meridiem. Taurica dicta fuit *Gazaria* ab antiquis, ac celebris fuit tum propter soli ubertatem, tum propter piscationes. Longo tempore sub variis fuit dominis, qui *Principes Bosphorani* vocabantur, ac confusa fuit regiminis forma, donec eam Tauri Scythæ populi occuparunt, & *Tauricam* eam denominarunt. Mithridates postea Rex Ponti hos devicit, & provinciam vasto suo adjecit Imperio. Sed à Romanis victus, non Tauricam modò, sed & Pontum amisit: & post hanc victoriam Romani novos in hasce partibus constituerunt Reges, quos Bosphori Reges appellarunt. In Imperii divisione hæ provinciæ Orienti adscriptæ sunt, quo nomine etiam Genuenses majorem ac meliorem Tauricæ partem classibus suis occuparunt, & totam ferè maritimam Provinciæ partem possederunt. Anno postea 1250. Tartari in eam ingressi, Genuenses quidem non prorsus expulerunt, quamvis maximis eos affecerint damnis, donec in dona quædam tributorum loco consentire coacti sunt, Tartaris reliquum tam in Paludis Mæotidis & Ponti Euxini littoribus, quàm in continenti, ac etiam extra Peninsulam eam Scythiæ partem, quæ Nogaia dicitur, possidentibus. Sed ex quo Mahumetes II. Turcarum Imperator Constantinopolim expugnavit an. 1452. Genuenses paulò post è Taurica ejecit, & Caffam aliaque oppida oræ meridionalis suo subjecit imperio.

Taurica Chersonesi urbes:

Assyrani, seu Baccasara, *Baciesaray*, Principis sedes.
Carasui, *Karasu*.
Cavum, *Caffa*.
Cherronitarum portus, seu Coslovia, *Coslovo*.
Cimmerium, seu Crimea, *Solat* seu *Crimenda*.
Pallacium, *Baluclavua*.
Panticapæum, *Pantico*.
Taphræ, seu Neapolis, *Or* & *Perecop*.
Tractari, *Mancup*, arx munita.

Taurina, porta, eadem Esquilinæ. V. ibi.

Taurini, pop. Italiæ in Gall. Subalpinâ & Pedemontanâ reg. inter Libycos ad ort. Suetrios ad occ. & Salassos ad Arctos, Pado eos ad Austr. terminante. Licet eos Leander *Piemonte* indigitet: Horum caput est *Augusta Taurinorum*, urbs, & Academia, totius principatûs Pedemontani conventus juridicus. Principis sedes est & vulgò *Turin* vocatur: expugnata, à Ludovico XIII. per Harcurtium, in gratiam sororis viduæ, cui Thomas Sabaudus tum adversabatur. Vid. Galeazzum Gualdum *Histor. Italicè conscriptâ*. Baudrando fuere ad radices Alpium Cottiarum, inter Segusinos, Salassos, Libicos, Vagiennos & Brigantios, sed à Suetriis remotiores. Ubi nunc pars propr. Pedemontii, versus Taurinum, & pars Boreal. Marchion. Salutiarum. Ragumbertus, Taurinatium Dux Italiæ regnum Luitberto, Cuniberti fil. eripuit: Successit fil. Eripertus. An. C. 701. De Taurinensi Episc. insigni Claudio, V. in *Claudius*. *Taurinorum* mem. Sil. Ital. *lib.* 3.

Hic tandem ignotas transgressus casibus Alpes,
Taurinis ductor statuit tentoria campis.

Taurinacum, castrum Galliæ, vel potius opp. Comitivæ tit. clarum, in confinio Bajocassium & Constantiensium, 2. mill. à fluv. Vira, qui ambos Comitatus terminat. Vulgò *Torigny*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Taurinus, Imperator in Syria proclamatus est, tempore Alexandri Severi, An. 233. vel 234. quo appropinquante, tanto metu perculsus est, ut Euphrate se mergeret. Lamprid. *in Alexandro Severo.*

Taurisci, pop. Pannoniæ sup. quorum reg. *Steyrmark*, teste Lazio, dicitur.

Taurisci, pop. Alpini in finibus Helvetiorum apud Alpes summas, & ort. Rhodani, quorum urbs *Uren*, (*Elsorff*, teste Scudo) nominatur ab *uris*, qui sunt genus taurorum, primus Helvet. conventus, qui ex Italiâ in Helvetios euntibus occurrit, inter Adulam mont. 20. & Lucernam urb. 20. m. p. *Taurini* etiam Anton. teste Ortelio dicuntur. Sunt & *Taurisci* Plinio & Livio, pop. Norici Alpini, Alpes Noricas incolentes: in plures tractus divisi, *Krumler Taurn*, alibi *Felber Taurn*, alibi *Karn Taurn*, Ort. Carni quoq; *Taurisci* Plin. dicuntur, qui Carnicas Alpes incolunt. *Taurisci* etiam apud Steph. pop. Alpini, quos & *Taurinos* dici ait apud Polybium. Ferr. Cluverius *Germ. antiq. lib.* 1. *cap.* 5. & *lib. de Vindel. cap.* 2. omnes Alpinos populos unius ejusdemque gentis fuisse, communiter Græcè & Latinè *Taurisci*, sibi ipsis *thi Thaurischen*, dictos, appellatione ex Alpium nomine desumtâ, quo in commune hodieque nonnullis appellantur *Taurn*, refert. Romani omnem *Tauriscorum* gentem dixere Alpinos & Inalpinos pop. Plur. *in Marcello*, Polyb. *lib* 4. Orosius *lib.* 4. *cap.* 13. Sabellic. *Ennead* 4. *lib.* 6. &c. Hos Phocæorum fuisse colonos, qui relictâ Asiâ in Galliam Tauro navi appulerint, & Massiliam, *Tauroentium* Ptolom. & Strabone auctoribus, condiderint, postmodum mutatis iterum sedibus eum Helvetiæ tractum, qui inter Ursam Rhenumque est, occupaverint, sunt qui dicant, V. Guillim. *lib.* 3. *cap.* 1. Marcellinus verò *lib.* 15. de Taurisco, Galliæ tyranno, ab Hercule interfecto loquens, aliam nominis originem videtur suppeditare. Sed hoc fabulam sapit. Eorum reliquiæ Uranii sunt, V. ibi. Guillimannus non minus, qui Suitiam incoluerunt olim, antequam Cimbrorum reliquiæ ea insedere loca, *Tauriscos* fuisse existimat, *lib.* 3. *cap.* 2. V. *Joh.* Bapt. Plantinum *Helv. Ant. & Nov.*

Taurisium, urbs Persiæ, in prov. *Adirbaizan*. Vett. Ecbatana: opulenta & mercaturâ florens, aerem habet salubrem, solum fertile, &c. Theatrum frequens belli inter Turcas Persasque: quorum illos Schach Ismaël repulit, hos vicissim Solimannus, qui urbem immanissimè diripuit: inde ablato, quidquid Usum Cassanis, Ismaëlis, aliorumque Regum magnificentiam testabatur. Schach Thamas illam recuperavit, sed fil. ejus Chodabendes eam denuo amisit à Mahomete III. occupatam, verùm denuo Schach Abbas recepit, à quo tempore sub Regibus Persarum mansit. Paul. Jov. *Hist. lib.* 14. Samson. *Geogr.* P. de Valle, *Itiner.* 1. 2. & 3.

Taurium, urbs Peloponnesi, ab Antigono capta, tempore Peloponn. belli, Polyb.

Taurocilicia, pars Ciliciæ, Tauro hærens. Chrysost.

Taurocinium, fl. Brutiorum per agrum Rheginorum fluens, *Calopinaco*, teste Barrio.

Taurois, vide *Taurentium*, & *Taurianum*.

Tauromenius, Vib. Sequ. fluv. Siciliæ prope Tauromenium urb. fluens, *Acesine* Thueyd. *Asines* Plin. *Cantara* Leandro.

Taurominium, *Tauromenium* Ptol. Paterculo & Strab. quod & Naxos, test. Plin. & Solino (licet apud Strab. sint urbes diversæ) colon.

colon. & opp. Siciliæ inter Messanam ad Bor. & Catanam ad Austr. 30. m. p. nunc *Taormina* A Siculis, in monte sive vertice Tauri, conditum, cum Himilcon eos in deditionem perduxisset: ita dictum, quòd una in promontorio Tauro congregati, eum muris sepsissent Siculi. Occupatum & habitatum à Siculis & nequicquam à Dionysio tentatum, cum hoc loco, subacto Rhegio, copias admovere cogitaret. Diod. *lib.*16. ab Andromacho Timæi Patre instauratum scribit, nominatumque, quòd tàm diu circa Taurum esset moratus. Saraceni illud expugnarunt, An. C. 891. Cum portu in ora Or. in valle Demonæ, in planitie 6. mill. ab ostio Tauromenii fluv. in Bor. 33. à Catania in Cæc. *Tauromenon* Ovidio *lib.*4. *Fast.*

Himeraq; & Didymen, Agrigentaq; Tauromenonq;.

Hinc *Tauromenitanus* nom. gent. Lucan. *lib.*4.

Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.

Silius *lib.*4.

Tauromenitanâ cernunt à sede Charybdim.

Juvenal. *Sat* 5.

Mullus erit domino quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitana rupes. —— ——

Tauron, Agrianorum, in Exercitu Alex. M. præfectus. Curt. 5. 24.

Tauropolis, urbs Cariæ quæ & *Ttauropolis*.

Tauropolium, urbs Aquitaniæ. Erat & templum Dianæ in Samo insul. præclarum, Steph. in *Icaria*. Dionysius,

—— Ὅθι Ταυροπόλοιο θεοῖο
Βωμοὶ ἀνασπέντες ἀδευκέα κνισσαν ἔχουσι.

Vide Suidam in Ταυροπόλον.

Tauropum penins. V. *Taurica Chersonesus*.

Tauroscythæ, pop. Sarmatiæ, qui Taurum mont. habitant penes Achilleum cursum.

Taurum, vulgò *Toro*, urbs regni Legionis ad Durium fl. aliàs *Sarabris* quibusd. Media est inter Septimancas ad Ort. & Senticam ad Occ. 8. leuc. Hisp. utrinque. Deficit in dies.

Taurunum, *Taururum* Ptol. *Belgrado* Italis, *Nander Alba* Hungaris, *Griechisch-Weissemburg*, i. e. *Alba Græca* Germanis, urbs Pannoniæ infer. ad Sai cum Danubio confluentiam, in Mysiæ sup. confin. caput Serviæ. Baudrando Taurunum fuit 3. mill. à confluente Savi in Danub. è cujus ruinis crevit in vicinis *Alba Græca* Hungaris antiquis *Alba Bulgarica*, recentioribus, *Nandor Alba*, *Italis Belgrado*, Germanis *Griechisch Weissenburg*, Gallis *Belgrade*, *Slavis Biograd*, teste Johanne Lucio. In Servia, ad radices collis, sub Turcis ab An. 1520. Cum arce validâ. Permunita est hasce ac in Epir. sedem evecta recens ab Alexandro VII. Vide *Alba Græca*.

Taurus, seu *Taurophagus*, Bacchus dictus est, quòd tauro assimiletur, ex ebriorum violentiâ, aut quòd natus sit tauri specie, aut quòd primus tauros jugo subjecerit, & arare docuerit, aut quòd Poetis hymnos in Bacchi honorem canentibus, taurus pro præmio daretur.

Taurus, unus ex illis legatis, quos Lacedæmonii, octavo Peloponnesiaci belli, ad faciendam pacem, ad Athenienses miserunt.

Taurus Berytius, Philosophus Platonicus sub Antonino Pio. Scripsit de differentia Philosophiæ Platonicæ & Aristotelicæ, de corporeis & incorporeis, & alia. V. Suid. Gesner. *in Biblioth.*

Taurus, Cæsaris Augusti præfectus, totam penè Siciliam, ferro perterritam, in fidem recepit. 44. leg. sub suo tum imperio Augusti erant. Hinc milites, multitudine ferociores, quosdam pro ambiendis agris tumultus excitaverunt, ita Cæsar animo ingens, 20000. militum exautoravit, 30000 servorum dominis restituit, 6000. quorum domini non extabant, in crucem egit V. Suet. *in Augusto.* Id factum est circa annum mundi 3932. ante Christum natum 30. Cæterùm de canone legionum Romanarum consule Vegetium, & Budæum *de asse. lib* 2.

Taurus Statilius, Præfectus urbis, ab Augusto Cæsare in locum Messallæ Corvini suffectus. Quod munus, quanquam provectâ ætate, egregiè toleravit. Tacit. 6. 11.

Taurus Statilius, opibus illustris, Africæ Proconsul, quem Agrippina, hortis ipsius inhians, pervertit, accusante Tarquitio Prisco, Tauri legato. Objecit verò ei pauca repetundarum crimina, cæterùm magicas superstitiones. Nec *Statilius*, diutius falsum accusatorem indignâ sorte perpessus, vim vitæ suæ attulit, ante sententiam Senatûs. Tacit. 12. 59.

Taurus, mons Asiæ totius longe maximus, qui ab Indico mari exurgens vastè satis attollitur: dein dextro latere ad Sept. sinistro merid. versùs flectitur, in occid. rectus, & perpetuo jugo, multarumque gentium, quà deorsum agit, terminus, sed pro gentium ac linguarum varietate diversa nomina sortitur. Nam in Lycia *Cragus*, in Pamphyliâ *Coracesius*, & *Sarpedon*, Ciliciâ *Taurus*, vulgò *Caramen*, (unde Ovid. *Met* 2.

Ardet Athos, Taurusq; Cilix, & Tmolus & Oete)

in Armeniâ min. *Antitaurus*, incolis *Manzarrum*, in Syriâ *Amanus*, in Mesopotamiâ *Chaboras*, in Armeniâ maj. *Pariedrus*, & *Gordiæus*, ac *Moschicus*, in Mesopotamiæ & Armeniæ maj. confin. *Niphates*, in Colchide *Coraxicus*, in Iberiâ & Albaniâ *Caucasus*, in Mediâ *Zagrus*, in confin. Assyriæ ulterius *Orontes*, *Jasonius*, *Coronus*, & *Choatras*, in Parthiâ *Paracoathras*, in Carmaniâ *Strongylos*, in Bactrianâ *Paropamisus*, in Scythiâ *Imaus*, inter Scythiam & Indiam *Emodus*: quos montes in universum *Ceraunios* vocari à Græcis testatur Plinius. Mela etiam sub eodem vocabulo maximam ejus partem comprehendit. Qu. Curtius videtur eum duobus tantum nominibus designare, *Tauro* & *Caucaso* Lloyd. Ferrar. Christiano Becmanno *Taurs* montis jugum, oritur in Asia min. à Pamphylio mari, progrediturque ab Occ. in Ortum, usque ad Indiam, & dividit Asiam universam in duas partes, Septentrionalem, quæ Asia intra Taurum, & Meridionalem, quæ Asia extra Taurum dicitur. A latere stipatur Antitauro majori ac min. qui Asiam majorem ac minorem intersecant, *Hist. Orbis Terr.* De periculosissimo montis hujus transitu, Vide Herbertum *Itiner. pag.* 94. 95.

Taurus, mons Germ. in fin Cattorum Tacito, & Jornandi mons Sarm. Europ. juxta Mæotidem pal. & Herodiano, mons Tauricæ Chersonesi, & Melæ mons Germ. seu Norici in tractu Salisburgensi & Carinthiæ confin. altissimus, teste Ortelio, *Thaurn* incolis, in plures divisus *Kornthaurn*, *Krumlechthaurn*, & *Rhadstratterthaurn*, unde Taurisci pop. Item *Taurus*, mons Arabiæ Petrææ ad fin. Arab. cum op. ej. gn. *el Tor*, a monte Sinâ 60. m. p. in merid. ab Heropoli urb. 60. in ort. Item *Taurus*, pron. unt. Siciliæ in orâ Orientali. *Capo di S. Croce* Fazello. Item fluviolus Peloponnesi per Argiam apud Trœzenem fluens

Taurus, fons & fl. Helvetiæ, in agro Tigurino, in villa *Ilnach* nomine, cujus aqua hausta homines strumosos efficit, in Rhenum elabitur, Dan. Eremita *de Helvet.*

Taurus, secundum Zodiaci signum, stellarum, ut Hygino placet, 44. quod à Sole subitur 3. Idus Apriles. Hunc Poetæ fabulantur Taurum eum fuisse, qui Europam rapuit. V. Cæsii *Cœlum Astronomico-poet.* ubi *de Tauro*.

Taurus, Vide *Ur*.

Taus, Scotiæ fluv. *Tay* Camdeno, per Perthiam Comit. fluens. Vide *Tavus*.

Tautantum, urbs Valeriæ Ripensis. Lib. Not.

Tautice, urbs Mediæ. Ptol.

Tavus, incolis *Tay*, fl. amplus, Scotiam bifariam secans, nempe in Septentr. seu Trans Taaum & in Mer. seu Cis Taaum. Oritur in Albania, ex monte Grampio & lacum Tavum efficit. Dein in Atholia, aliquot fluv. auctus, per Perthiam fluit, ibique Duncaledonium & Fanum S. Johannis rigat; tandem rigatâ Abernetheâ, per æstuar. *Fyrth of Tay*, inter Comitatus Fifam & Angusiam, in Oceanum G rm se exonerat, paulo intra Donum Dei, 7. m. p. ab Andreapoli in Bor. 50. ab Aberdonia in Merid.

Taxara, urbs Armeniæ min. olim *Colonia*. Nicet. Chonìat. Vide ibi.

Taxartes, Vide *Jaxartes*.

Taxes, Dux auxiliaris, in bello Colchico. Flac. *lib.* 6. *vers.* 253. *Argonaut.*

Taxgatium, opp. Rhætiæ propr. nunc *Tavetsch*, ad Rheni super. fontem, in limite Helvetiorum, & pagi Urienfis. Ad radices Alpinm, 30. m. p. à Curia in Occ.

Taxiana, ins. circa Peloden sinum. Steph. Susianæ adjacens ad sinum Persicum.

Taxila, num. pl. urbs maxima Indiæ citer. inter Indum & Hydaspen, quam Strabo *lib.* 15. amplam & legibus munitam scribit. Arrianus: *Alexander trajecto Indo Taxila venit urbem magnam, & felicem omnium quæ inter Indum & Hydaspen, maximam.* Hodie, quid sit, ignoratur: licèt quidam Cambajam esse velint. Regia fuit olim Phraotis, habuitq; omnes ædes subterraneas. Strabo *lib.* 15. Vide Philostratum *de vitâ Apollonii*. Pop. *Taxili*.

Taxilus, Vide *Omphis*.

Taxilus, Taxiliorum rex. Strab. *lib.* 15. Ὁ βασιλεὺς αὐτῶν Ταξίλος. Hunc vocat Appianus ὕπαρχον, non βασιλέα. Diodorus Sic. auctor est, Mophin tunc fuisse vocatum, quando venit Alexander, sed ab Alexandro *Taxilum* mutato nomine fuisse appellatum, quod fuerat ipsius patri paulo antè mortuo nomen. *Omphis* Q. Curtio dicitur. *Omphis*, inquit, *permittente Alexandro, & regium insigne sumpsit, & more gentis suæ nomen, quod patris fuerat: Taxilum appellavere populares, sequente nomine imperium, in quemcunq; transiret.*

Taximagulus, Rex in ea parte Britanniæ, quæ est ad Cantium, & tota maritima est. Cæs. *lib.* 5. *Comm. cap.* 22.

Taxus, fluv. Thraciæ, circa umbilicum illius. Suid.

Taygete, vel *Taygeta*, Atlantis & Pleiones filia, teste Hygino, una Pleiadum, quæ Jovi peperit Lacedæmonem, urbis sui nominis conditorem. Virg. *Georg. lib.*4.

Taygete simul os terris ostendit honestum
Pleias, & Oceani spretos pede reppulit amnes.

Taygetus, seu *Taygeta*, pl. num. *Portes*, teste Nigro, mons Laconicæ apud Eurotam fluv. & Spartam urb. Amyclis imminens, cujus bona pars cum terræ motu corruisse, Spartanorum urbem oppressit. Cic. *lib.* 1. *de Divin.* Claud. *de Bello Getico*,

Culmina Taygeti trepida vidistis Amyclæ.

In hoc monte venari solebant veteres. Virg. *Georg. lib.* 3.

Taygetiq; canes. —— ——

Pro-

Propert. 3. 14.

Et modò Taygeti crines aspersa pruinâ
Sectatur patrios per juga longa canes.

Lacænæ virgines ibidem bacchabantur. Virg. *Georg. lib.2.*

—— *Virginibus bacchata Lacanis*
Taygeta. —— ——

Servius: *Mons Laconum Baccho consecratus.* Erat enim vitifer. Theognis, *vers.875.*

Πίν' οἶνον, τὸν ἐμοὶ κορυφῆς ὑπὸ Τηϋγέτοιο
Ἄμπελοι ἤνεγκαν.

Hunc montem Strabo vocat ὑψηλὸν *lib.8.* Unde Statius *l.1. Achil.*

—— *Minor Othrys, & ardua sidunt*
Taygeta. —— ——

Imò Taygeti tanta est altitudo, ut, qui in ejus sit cacumine, totam Peloponnesum videre queat. Stasinus apud utrumque Tzetzen,

—— Αἶψα δὲ Λυγκεὺς
Τηΰγετον προσέβαινε ποσὶν ταχέεσσι πεποιθώς,
Ἀκρότατον δ' ἀναβὰς, διεδέρκετο νῆσον ἅπασαν
Τανταλίδου Πέλοπος.

Longitudinem ejus innuit Homerus *Od. ζ. hoc versu:*

Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον.

Lucan. *lib.5.*

—— *Gelidiq; incultajuventus Taygeti.*

Unde Statius *lib.1. Sylv.*

Et Dryadum viduare choris algentia posset
Taygeta. —— ——

Tayoanum, opp. munitum, in ora Occ. Formosæ Inf. Batavis haud pridem à Sinensibus ereptum. 120. m.p. ab ora littor. Sinarum in Ort.

Tazata, inf. Oceani Scythici; quæ *Talga* Melæ dici videtur, & *Chalca* Ptolemæo in mari Hyrcano.

Tazus, Tauricæ Chersonesi op. mediterr. Ptol. *Theodoro* Nigro. Item op. Sarmatiæ Asianæ in orâ maris Euxini, ad sinum Cerceticum, inter Achæam vicum ad occ. & Ampsalim urb. ad ort. Ptol. *Susaco* Mercatori.

T E.

Teanum, cogn. *Sidicinum* Plin. & al. vulgò *Tiano* colon. & urbs Campaniæ, à Capuâ 12. m.p. Casinum versus 10. in colle, inter Cales 4. & Suessam 8. à Venafro 18. in merid. Nomen Gent. *Teanus* apud Stephanum. Hinc 4 mill. sunt Acidulæ, calculosis salubres. Plin.31. 2. *Teanum* alterum, *Apulum* cogn. *Theanum* Ciceroni, urbs Apul. Dauniæ apud Frentanorum fines excisa, in mont. Apen. inter Luceriam ad ort. & Larinum in Corum, ab eo 18. m. p. distans. Hujus locus nunc *Civitate* dicitur, L. Holstenio.

Teari, qui & Julienses. Hisp. citer. pop. Plin.3. 3.

Tearus, fluv. Thraciæ, qui ex 36. fontibus manat, teste Herod.*lib.4.* ubi scribit Darium ad Scythas proficiscentem pervenisse, & castra ad eum triduo continuasse, aquâ illius dulcissimâ & limpidissimâ delectatum, columna ibi cum inscriptione erectâ.

Teatea, Teate Silio, *Tegeate* Straboni, urbs Marucinorum metropolis inter Atriam ad occ. 12. & Anxanum ad ort. 15. Baudrando, in Aprutio citer. in limite ulterioris, ad Aternum fl. in colle. *Chieti* multis. 8. mill. ab Aterno in Mer. 8. ab ora maris Adr. in Occ. uti 35. ab Aquila, & media inter Anxanum ad Eur. & Atriam ad Bor. Hic *Teatinorum* Societas exordium habuit, cujus auctor Paulus IV. prius Arch. Teatinus. Sunt autem illi Clerici Regulares. Populi *Teatini* Plin. *Teates* Appiano Alexandrino. Silius *lib.8.*

Corfini populos, magnumq; Teate trahebat.

Tebaoth, nomen viri. 2. Esdr.7.

Tebath, nomen urbis. 1. Par.8.

Tebbath, nomen loci. Jud.7.

Tebenda, urbs Ponti Galatici. Ptol.

Tebesca, seu *Tevesta*, urbs Africæ, olim Episc. sub Arch. Carthaginensi.

Tebesta, urbs Africæ medit. quæ & *Tevesta*. Ptol. Anton.

Tebeth, nomen mensis. Esth. 2.

Teccium vel *Teccia*, opp. olim Germaniæ, in Suevia, unde illustrissimæ familiæ nomen. Fuit sub antiquis Zeringiæ Ducibus, è quibus Conradus Conrado III. Imperatori rebellis, captis Zeringâ & Teccio, in ordinem redactus est. Bertholdi IV. dein frater Adelbertus *Teccensis* lineæ conditor, Comitis Ducisque Tecciæ titulo primò promiscuè usus: tandem hic retentus est. Post hunc Albertus II. Albertus III. (à cujus fratre Ludovico genitus est Hermannus I.) Hermannus II. pluresque alii Ducatum tenuere: è quibus Conradus, Agnetis Hohenbergiæ maritus, hoc ornatus legitur epitaphio: *Anno Chr. 1292. obiit Venerabilis Dominus Conradus Dux de Teck, electus in Regem Romanum.* Inter hujus posteros clari Ludovicus IV. qui Ludovico Imperatori pergratus: Fridericus VII. qui bellis exercitatus, atque apud Carolum IV. gratiosus fuit: Advocatus provincialis (*Landvogt*) Sueviæ & Alsatiæ factus. Fridericus VIII. Sigismundi Imp. in Italia miles: Georgius, Theologiæ Doctor ord. Augustin. Ludovicus VIII. in concilio Basiliensi mortuus: Conradus VI. qui Ann. 1371. cum Huldrico Wirtembergico depulit Burgoviâ Bavaros, & ex Hedvige Atestina, genuit Fridericum, ultimum Teccensium Ducem, defunctum An. C. 1439. Hujus filia hæresq; unica Beatrix seu Juditha, marito Eberhardo Comiti Wirtembergico Ducatum pro dote attulit: Mundelhemium tamen dominium à Jutha ac Irmgardi, Friderici VII. filiabus Werthemiæ & Kernbergiæ stirpi illatum est. Phil. Jacobus Spenerus *Syll. Geneal. Hist.*

Tecelia, Ptol. op. Germ. in Westfaliâ, à Monasterio ferè 5. mill. in Bor. *Tekelenborch* Ortelio.

Techedia, Plin. *Teclida* Bortonio, Inf. parva maris Ægæi, 5. m.p. à Pharmacusa.

Techortina, regio Biledulgeridiæ, cum urbe prim. cognom. & fl. in limite Zaharæ reg. prope regiones Guargalam, Biledulgeridiam, Mezzabam & Targam. Ibi etiam *Techortum* desertum.

Teclutum, & *Teglitum*, opp. Mœsiæ inf. ad Danub. à Dorostoro 12. m. p. in Occ. Anton.

Tecmessa, ancilla, de qua Hor. *lib.4. Od.2.*

Movit Ajacem Telamone natum
Forma captiva dominum Tecmessa.

Tecmon, urbs Thesprotorum. Steph.

Tecolata, mel. *Tegulata*, urbs Saliorum, in Gall. Narb. in Provinciâ. *S. Maximin* Simlero: ad Larium fl. 6. leuc. ab Aquis Sextiis in Ort. Aliis est *Tretz*, vicus Provinciæ, 3. leuc. ab Aquis Sextiis in Ort. versus Fanum S. Maximini paulo minus.

Tectosages, pop. Germ. juxta sylvam Hercyniam incolentes. Cæsar. quos B. Rhenanus apud Sylvam nigram juxta Nicri fluv. ripas habitasse tradit. Quorum adhuc extat vestigium *Teck* arx, antiquum nomen redolens in Ducatu Wirtembergensi.

Tectosages, Tectosaga Steph. & singulari *Tectosax*, *Tectosagi* Trogo. *Tolistobogi* Floro, pop. gemini: primi Gall. Narbon. quorum metropolis est Tolosa. Dicti sunt & *Volca Tectosages*; Erantque versus Garumnam, inter Volcas Arecomicos, Heleuteros, Consoranos & Auscios. Vide *Volca Tectosages.* Baudr. Ausonius *in Catalogo urb. de Narbone:*

Interiusq; premunt Aquitanica rura Gebenna
Usq; in Tectosages.

Alteri Galatiæ pop. in Asiâ, *Tectosaca* Ptol. *Tolistobogii* Steph. quorum urbs Ancyra, Olenus, & Corbeuntus, a Tectosagibus Galliæ profecti, qui & regioni nomen indiderunt, Galatiam appellantes. V. *Tolosa*, & in voce *Volca Tectosages.*

Tedanium, fl. Illyrici, hodie *Zermagna*, & Liburniam à Japidia separat. J. Lucius.

Tedastum, urbs Liburniæ in mediterr. Ptol. *Smedrusch* hodie dicitur, 3. leuc. Germ. à Senia, in Bor. Zagabriam versus.

Sext. *Tedius Afer*, Consul designatus, se præcipitavit.

Tedlesa, prov. regni Marochii, in mediterr. inter provv. Chaus ad Bor. Hasgaram ad Occ. ac Merid. & Segelmessam ad Ort. Caput ejus *Tezza*, ad amnem Drinam, versus Magranum montem. 80. m.p. à Marochio in Cæc.

Tegamus, canalis maris apud Alexandriam Ægypti, per quem ad urb. accedunt navigia. Plin.

Teganum, urbs Sinar. Huquaniæ quarta. Ad radices montium, prope lacum *Junmung*. Sub quâ 5. urbes. M. Martinius.

Teganusa, *Thiganusa* Ptol. inf. sinûs Messeniaci parva, inter Sphagiam inf. & Acritam promunt. *Caura* Sophiano.

Tegassa, urbs Fezzæ, in ora maris Mediterr. cum portu in prov. Errifis. Vix 15. m. p. ab urbe *Velez* in Eur. Mezemmam versus.

Tegaza, desertum Nigritiæ.

Tegea, Tegaa Ptol. *Tegeaa* Poetis, à *Tegeate* conditore dicta, urbs Peloponnesi in Arcadiâ, & Mantineâ 12. m. p. distans. Hic ossa Orestis Gigantis Olymp. 58. inventa, teste Solino. Hic & Aristarchus floruit, Euripidis σύγχρονος; qui scripsit Tragœd. 70. vixitque annos 80. Virg. *Æn.5.*

Alter ab Arcadiâ Tegea de sanguine gentis.

Hinc *Tegeaus.* Ovid. *Fast.6.*

Liba suâ properata manu Tegeaa sacerdos.

Propert.

—— *Calami, Pan Tegeae, tui.*

Item *Tegeaticus*. Stat. 1. *Sylv. carm.* 2.

Et de Manaliâ volucer Tegeaticus umbrâ.

Quomodo Tegeatæ & Pheneatæ diutino bello se mutuò afflixerint, docet Plut. *in Parallelis.* Item *Tegea, Tege* Ptol. op. Africæ mediter. Thebanæ proximum ad 6. m. p. distans, apud sinum Numidicum.

Tegessus, urbs Cypri. Steph. prom. Hesychio.

Tegestra, urbs Illyriæ. Steph. Vide *Tergeste.*

Tegiacum, vicus Pictavorum, Fortun.

Teglaphalassar, Assyriorum rex, totam Galaitidem reg. vastavit. Jos. 9. 22.

Tegna, vulgò *Tin* vel *Tain*, locus Galliæ, inter Viennam ac Valentiam, & ripam Rhodani, contra Turnonem: qualis est ad eundem situs Bellquadri & Tarasconis. Unde Prov.

Entre Beaucaire & Tarascon,
Ne repaist brebis, ne mouton,
Non plus qu'entre Tin & Tournon:

Non magis pasci boves ac verveces, inter Bellumquadrum & Tarasconem, quàm *Tegnam* inter & Turnonem. Valel. *Notit. Gall.*

Tegorarina, regio Biledulgeridiæ, cum urbe cognom. inter Zebum reg. ad Ort. & Segelmessam ad Occ.

Tegularia, castrum Normanniæ non obscurum, ad Arvam fluv. *Aure*, Franciæ Normanniæque terminum. Conditum à Richardo Duce, Roberto apud Francos regnante, An. Chr. 660. Eversum jussu Henrici Francorum Regis à Guilielmo Duce: quod tamen adhuc fumans paulo pòst restauravit, præsidioque militari munivit. Volgò *Tilliers*, corruptè pro *Tuilliers*, Comitivæ nunc titulo clarum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Tegyra, opp. Bœotiæ, ubi Apollo cultus fuit, qui propterea *Tegyræus* dicitur.

Tejauta, urbs Marochii regni, in prov. Susa, juxta fluv. *Sus*, 25. m. pass. ab ejus ostiis, & ab ora littor. Oceani Atlant. in Ort. Tarodantum versùs totidem.

Tejum, urbs Paphlagon. in orâ maris Euxini, Anacreontis patria. Licet aliis patria ejus *Tejos*, vel *Teos*, urbs Joniæ; unde *Tejus*. Horat.

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Tejum.

Ovidius *Trist.* 2.

Præcepit Lyrici Teja musa senis.

Tela, opp. Hisp. Tarrac. Anton. Hinc *Telense concilium.*

Telamon, rex Salaminis insulæ, Æaci fil. unus ex Argonautis, sociusque Herculis in expugnatione Trojæ, qui quòd omnium primus murum conscendisset, virtutis ergò donatus est Hesione, Laomedontis filiâ, ex quâ Teucrum suscepit, cùm jam Ajacem ex aliâ uxore genuisset, qui à patris sui nomine *Telamonii* passim à poëtis appellantur. Ovid. *Metam.* 13.

Dummodo quod fratres Telamon Peleusq; fuerunt,
Ajacis meritum non sit. ——

Telamon, sive *Telamo*, Etruriæ portus, Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. *Mox Umbro navigiorum capax, & ab eo tractus Umbriæ, portusq; Telamon.* Τελαμὼν Stephano, qui etiam πόλιν eum vocat, Ptolem. Τελαμὼν ἄκρα dicitur. Originem oppidi, nominisque ad Argonautarum usque tempora antiquissimi Græcorum scriptorum retulerunt, teste Diodoro Siculo *lib.* 4. cui Τελαμὼν λιμὴν dicitur. Baudrando nunc *Talamone*, oppidul. tenue, in maritima parte agri Senensis, cum portu utcunque capaci, in ora maris Tyrrh. prope Almianæ fluv. ostia. Tantisper munitum, sub Hisp.

Telamontium, German. *Tellsperg*, quasi oppidum vel mons Teli, in agro *Raurico*, ad fluv. Birsam, ubi Sornæ fluviolo augetur, occurrit: cum arce. Hic Gallici sermonis initium. Urbs cum arce terræmotu corruit An. Chr. 1356. fuitque olim sub propriis dominis, nomine Spenderis, hodie Episcopo Basiliensi paret, cujus hæreditarii Mareschalli priores fuere. Nunc proxima vallis, *Delspergerthal*, quam, ut & Monasteriensem proximam, ingressi Bernenses, quibus tum bellum cum Episcopo, longè lateque omnia vastarunt, petræâ Portâ perruptâ, An. Chr. 1376. causa belli fuit incendium Biennæ urbi ab Episcopo oblatum. Stumpf. *de Rauracis*, *cap.* 17. Ager circa oppidum ad portam usque Petræam paulo asperior est, quàm ut frumentum proferat, hordeo æstivo excepto, unde agricolis aceroso pane, præcipuè autem lacte & caseo, qui illic præstantes fiunt, victitandum est. Christ. Urstisius *Epitom. Histor. Basiliens.*

Telandrus, *Telandrum*, vel *Telandria*, urbs Cariæ, Steph.

Telanæ, urbs antiquissima Syriæ, quam Ninus inhabitabat ante Ninum conditam, Idem.

Telauges, Philosophus, fil. Pythagoræ, Olympiad. 65. Præceptor fuit Empedoclis Agrigentini, auctor variorum operum; V. Suidam, Diogen. Laërt. Theodoretum, &c.

Telchines, pop. Rhodi insulæ, eò ex Cretâ profecti (unde Rhodus *Telchinia* dicta) Jalysum urb. incolentes. Ovid. *Met.* 7.

—— —— *Jalysios Telchinas,*
Quorum oculos ipso mutantes omnia visu
Jupiter exosus fraternis subdidit undis.

Malefici siquidem homines fuisse perhibentur, aspectu solo omnia effascinantes. Unde Hesychius & Suidas interpretantur Τελχῖνες βάσκανοι, γόητες, φθονεροί. Statius *Sylv.* 4.

—— *Idæi Telchines in antris.*

Telchinia, Peloponnesi urbs, *Sicyon* postea dicta, Steph.

Telchinius, Apollo dictus est apud Lydios, à Telchinibus, hominibus maleficis & fascinatoribus, qui Rhodum incolebant, quòd, quemadmodum illi animalia & stirpes aquâ Stygiâ inspersa fascinarent, sic Apollo quoties irritaretur, immissâ peste, homines & pecora perderet.

Telesse, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Telchis, urbs Æthiopiæ in Libyâ. Vide Steph.

Telchius, alter ex Castoris & Pollucis aurigis, qui unà olim Amphito Dioscuriadem urb. apud Colchos traditur condidisse, Plin. *lib.* 6. *cap.* 5. Ab his gens Heniochorum orta est, Strabo tamen *lib.* 11. Rhecam & Amphistratum vocat, ut in alterutro mendum sit. Sed fieri potest, ut horum fratrum plures fuerint aurigæ.

Teleas, homo duplex, qui à Platone in Syrphace traducitur, ob mores cinædicos, timiditatem, luxuriam & malitiam. Vide Scholia *in Aristoph. Aves pag.* 549.

Teleba, Albaniæ opp. Ptol.

Teleboa, vel *Teleboes*, (vide *Taphii*) populi Ætoliæ, seu Acarnaniæ, ut apud Aristoph. *in politicis*, & Caprearum insularum latrociniis dediti.

Teleboas, fluv. ad Tigridis fontem, Stephan. Item unus ex Centauris, Ixionis ex Nubis fil. Ovid. *Metam.* 11.

Teleboides, Insula ante Leucadiam, Plin. Vide *Taphia.*

Teleboïs, regio Acarnaniæ, Stephan.

Telecles, Lacedæmonius, Heraclides, filius Archelai, pater Alcaumenæ, Herod. 7. Item Philosophus, Lacidæ discip. Diog. Laërt.

Telecles Milesius, qui talem instituit Rempubl. ut ad concionem certus deligatur numerus, excluso tamen nullo; sed alium post alium, adeoque omnes tamen ordo vocet. Aristot. 4. *Polit.* 14.

Teleclides, Atheniensis, Scriptor quidam, Olymp. 84. quem laudant Scholia *in Aristoph. Acharn. pag.* 413. *D.* 1. quòd τεγχάλυ πύλαι dixerit. Scripsit Πευταμοῖς, ut laudant Scholia *pag.* 490. *E.* Comicum appellant *in Aves pag.* 543. *E.* Commentatus est in Hesiodum. Vide *pag.* 595. *F.* Athen. *lib.* 7. 9. 11. Suid.

Teleclytus, Lacedæmoniorum Rex, in prælio contra Messenios occisus.

Teleclytus, Pater Ἀθέων, hoc est, Deos negantis Diagoræ, Scholia *in Aristoph. Ranas*, *Act.* 1. *Sc.* 7.

Telecon Cyzicenus, cui ab Ancæo Argonautarum comite, in nocturno conflictu, caput securi fissum est. Flacc. 3. 140.

Telecrus, rex Laconiæ.

Teleda, vicus maxim. Syriæ juxta Coryphen promuntorium, Theodoretus.

Telegonus, filius Ulyssis ex Circe, qui cùm jam adolevisset, videndi patris cupidus, in Ithacam navigavit: cumque à ministris paternis incognitus aditu prohiberetur, aliquot ex iis occidit. Ad quem tumultum excitus Ulysses, eùm & ipse jam senior suis opem ferret, à filio suo occisus est osse piscis cujusdam, qui à Græcis Xiphias dicitur. Unde Horatius:

Telegoni juga parricida.

Quod ubi cognovit Telegonus, relictâ Ithacâ in Italiam venit, ubi Tusculum condidit. Ovid. *Fast.* 3.

Telem, civitas in tribu Judâ, Jos. 15. Nomen viri, 1. Esdr. 10.

Telemachus, Ulyssis ex Penelope filius, quem ad Trojam proficiscens apud matrem reliquit, multis à procis affectus injuriis, tandem patre domum reverso, in illis ulciscendis se præbuit adjutorem. Ovid. *Epist.* 1.

Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor,
Laërtesq; senex, Telemachusq; puer.

Horatius 1. *Epist.* 7.

Haud malè Telemachus proles patientis Ulyssei.

Penelopæus Telemachus apud Catullum *epist.* 56. Celebratur ejus dictum apud Homerum:

Αὐτὰρ ἐγὼ οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.

Telemus, Eurymi fil. inter Cyclopas vates egregius, qui Polyphemo prædixit quæcunque ab Ulysse passus est. Ovid. *Metam.* 13.

Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit: lumenq; quod unum
Fronte geris mediâ, rapiet tibi, dixit, Ulysses.

Telenicus, vir adeò notæ paupertatis, ut Seriphii verbum inde finxerint, dicantque Τελενικῶσαι, pro evacuare. Inde proverb. *Telenico pauperior.*

Telenis, pessimus & indoctus tibicen. Dicitur & *Tellen.* Vide Erasmum *in Chiliad.*

Telensium, *Telensin*, seu *Tremisen*, urbs regni Algerii, ad fluv. Sessisum, 15. m. p. supra ejus ostia, & ab ora maris Mediterr. elegantissima habet rura Aliàs *Tumici* dicta. Vide ibi.

Telephae, uxor Cadmi, quam duxit ante Hermionem. Stephan. *in Dardano.*

Telephanes, ad regnum Lydiorum Cumis ex oraculo accersitus, qui antea currus factitabat. Item tibicen, de quo Demosthenes *in oratione contra Midiam.*

Telephe, Europæ mater, in Thasso insula obiit, Steph.

Telephis, opp. Colchorum juxta Phasin fluv. in ripa præruptâ.

Telephius, vicus & fons Lyciæ à Patarâ urbe 7. stad. distantes.

Telephus, Mysorum rex, Herculis filius ex Auge Nymphâ, qui cùm avi sui jussu in sylvis expositus esset, à cervâ aliquandiu dicitur educatus. Quæ res tantam futuræ claritatis opinionem de eo præbuit, ut mox à Mysiæ rege adoptatus sit, & regni hæres institutus. Factus itaque Mysorum rex, cùm Græcos ad Trojanam expeditionem proficiscentes prohibere conaretur, ne per Mysiam iter facerent, ab Achille vulneratus est. Cujus plagæ cùm nullum satis efficax remedium inveniretur, oraculo responsum est, fore ut eâdem hastâ, quâ vulneratus erat, sanaretur. Reconciliatus itaque Achilli, ab eo impetravit, ut ex hastâ, quâ vulneratus erat, sanaretur, rubigine malagma conficeret, & vulneri suo imponeret: quo facto statim sanitatem consecutus est. Prop. *lib.* 2.

Mysus & Hæmonii juvenis qui cuspide vulnus
Senserat, hâc ipsâ cuspide sensit opem.

Ovidius:

Telephus æternâ consumptus tabe perisset,
Si non quæ nocuit dextra tulisset opem.

Seneca Tragœdus in *Troadibus:*

Inhospitali Telephus regno impotens
Dum Mysia ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit
Fortemq; eandem sensit & mitem manum.

Horatius *Epod.* 7.

Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, & in quem tela acuta torserat.

Alii dicunt herbarum virtute restitutum. Claudianus:

Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis,
Cujus pertulerat vires, & sensit in uno
Lethalem placidamq; manum, medicina per hostem
Contigit, & pepulit quos fecerat ipse dolores.

Telephus, Grammaticus Pergamenus, scripsit ferè omnia, quæ ad Grammaticam pertinent; inter alia collationes epithetorum ejdem rei congruentium, ad copiam parandam elocutionis, Suidas. Item historiam Pergami, vitas Poëtarum, &c. Floruit sub Adriano Imper. & Verum græcam linguam docuit. Jul. Capitol. *in Vero.* Voss. *de Hist. Græc. lib.* 4. *cap.* 16. Item amicus Horatii, *lib.* 3. *Od.* 19.

Telephus, mendicus quidam peram gestans, apud Aristophanem. Item nomen Juvenis apud Horatium, *in Odis.*

Telepissa, vel *Telpissa,* fons, cujus aquâ Tiresiam extinctum fuisse fabulantur poëtæ, Vide *Telphussa.*

Telepte, urbs Africæ, Augustin. & Cyprian. in Concilio Carthag. Byzacenæ prov. metropolis. Donatus hîc Concilium contra Pelagianos celebravit, An. 418.

Teleridus, Bulgarorum Princeps, perfidiâ suâ Constantinum Copronymum, Bulgarorum prius & regis eorum Zeletinis victorem, irritavit, qui, in ipso apparatu belli, obiit An. Chr. 775. Hunc postea Leo IV. prioris filius & successor pulsum, in fidei communionem ac affinitatem assumpsit, An. Chr. 779. Paul. Diaconus *lib.* 23. *&c.*

Telesarchus, ἐν Α᾿ρχαϊκῷ citatur Sexto Empirico 1. *Adversus Mathematicos, cap.* 12.

Telesestes, vel *Telestes,* Poëta Comicus, Olympiad. 95. Ejus versus Harpalus Alexandro M. obtulit. Vide Suid.

Telesia, urbs Episcop. excisa prov. Terræ Laboris, prope Sabatum fluv. 16. mill. à Benevento in Occ. 23. à Capua in Ort. 28. ab Esernia in Merid. Ejus nunc vix apparent vestigia. Ab Annibale captam scribit, Liv. *lib.* 2. *dec.* 3.

Telesilla, mulier poëtria nobilis, cui etiam apud Argos ante Veneris templum statua posita est, Pausan. quia Cleomene, ruente ad expugnationem Urbis, mulieres armavit vimque hostis depulit. Clem. 1. *Strom.* Polyæn. *lib.* 8.

Telesinicus, Corinthius, inter auxilia Syracusanorum. Polyæn. *lib.* 5. *vers.* 400.

Telesippus, pauperculus Pheræus, pater Diniæ tyranni. Id. *lib.* 2.

Telesippus, Demophon, Pericles filii Hippocratis, ob porcinos atque insulsos mores, famosi. Schol. *in Nub. Aristoph. Act.* 3. *Sc.* 3.

Telesphorus, Græcus, 6. Pontif. Roman. sedit An. 12. Ann. Domin. 152. Martyrio coronatus. Euseb. *Hist. Eccl. lib.* 5. *cap.* 6. Anastasius *in vit. Pontif.* Successit Hyginus.

Telessia, Ptol. *Telesia,* colon. & urbs Samnii, inter Beneventum ac Teanum. *Thelesa* Leandro.

Telestagoras. Naxiorum opulentissimi, imperio abusi, plebis in se odium concitarunt. Habitabat autem in eorum vico bonus quidam vir, nomine *Telestagoras,* quem populus, ob morum probitatem, valde amabat, adeò ut qui venderent res venum expositas; si quis emptor fortè difficilis esset in emendo, dicerent, malle se Telestagoræ donare, quàm tam vili vendere. Accidit, ut nobiles adolescentuli quidam piscem aliquem magnum emere cogitarent; qui cùm de precio itidem cum Piscatore contenderent, excidit idem illi verbum, quod aliis, malle se piscem Telestagoræ donare. Quo dicto adolescentes, mero jam ante calidi, in furias insuper acti, Telestagoræ domum irrumpunt, contumeliaque ipsum & nubiles filias duas afficiunt: Cujus facti indignitate moti Naxii, Principe & Capite Lygdamide sumpserunt arma, & nobilitatem insulâ expulerunt. Athen. *lib.* 8.

Telestes, Selinuntius, Poëta Dithyrambicus, floruit Olymp. 95.

Telesto, Nympha Oceani ac Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.*

Telestor, pater Euripidis poëtæ.

Telethrion, mons Oechaliæ in Eubœâ, apud Chalcidem urb. Stephanus.

Telethusa, uxor Lycti, seu Lygdi, mater Iphidis puellæ, quæ in puerum mutata fuit. Ovid. *Met.* 9.

Teleutias, Macedonum rex, in portu Atheniensi, Atheniensium & naves & homines plures cepit. Xenoph.

Teleutias, frater Agesilai, cecidit ad Olynthum Olymp. 99. An. 3.

Teleus Jupiter, hoc est, perfectus vel adultus, in nuptiis olim colebatur. Hujus Jovis Tragoetæ aram in foro habuêre, statuamq; quadrangularem illi statuere, qua figura ipsi gaudebant, inde *teleum poculum* appellabatur illud, quod Jovi Servatori propinabatur.

Telga, urbs Sudermanniæ, in Suecia, ad partem Austr. Melesi lacus, 4. leucis Suec. ab Holmia, in Afric. Tresam versus 3. uti ab ora maris Baltici.

Telis, Plin. *lib.* 5. *cap.* 4. *Le Navagiero,* fluv. Galliæ Narbonens. Obri finitimus.

Telium, Plin. *Teglio,* castrum in Rhætorum & Insubrum confinio, medium inter Sondrium & Tiranum opp. 8. mill. pass. unde *vallis Telina.* Caput est tertiæ Præfecturæ Volturenæ seu Vallis Telinæ provinciæ, cujus totius arx & propugnaculum, utpote in edito loco situm ac munitum, habetur. Vide *Tellina.*

Tellau, seu *Talogiensis* Furnario, pagus Galliæ, in Capitularibus Caroli Calvi memoratus, inter pagos Rotomagensem & Vitnau, ad amnem Earam, inter Deppam & Ancum fluvium medium, qui alluit Alberti Mansionile, Fulcardi Montem, Bettonis Cortem, Petreum pontem, Septem Molas, Vallem Regis, Telliam, S. Sulpitii, & apud Criolium, in Oceanum effunditur. Pars fuit Caletorum, Deppam, Arcas, Bettonis curtem *Betencourt,* Balliolum, ad ripam Heldonæ, Ulmitum & Warinnam villas fiscales comprehendens: Nomen ei à *Telli* fluv. qui idem cum Eara prædicto, hodiè *Jere.* Pertinuit à Warinna fluv. qui est Sedæ vel Siæ amni proximus, ad Earam fluv. aut etiam ultra, ejusque amnes extitere Watinna, vel Guarenna, Deppa, Heldona, Eara: nec valde arguendus est Furnarius, qui illum à Bresla ad Siam, i.e. ab Anco fluv. ad Sedam pertingere asserit, promoto trans Earam pagi *Tellau* limite ad Ancum usque. Præter Telliam *Tilly,* cujus supra mentio, est haud procul à Novo Castro & fluv. Deppa vicus *le Til:* quæ duo loca vetus pagi nomen videntur hodieque servare. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Tellen, vide *Tellenius.*

Tellias, Herod. *lib.* 8. vates Helæus, qui Phocensibus cum Thessalis bellum gerentibus rem hujusmodi commentus est. Sexcentos viros è Phocensibus præstantissimos, gypso tam ipsos, quàm arma illevit, eosque sub noctem in Thessalos dimisit, dato præcepto, ut quemcunque albicantem non cernerent, eum obtruncarent. Hos primùm Thessalorum excubitores prodigium quoddam esse arbitrati, deinde ipse exercitus adeò exhorruerunt, ut 3. millibus cæsorum, atque scutorum Phocenses potiti fint.

Tellina Vallis, seu *Volturena,* Gal. *Valteline,* Germ. *Veltlin,* pars Rhætiæ propriæ, ubi aliàs Vennonetes, ad radices Alpium. Sub Rhætis, quibus illa ab Hispanis erepta, sed à Gallis reddita est, An. Ch. 1620. & seqq. Dividitur in tres Tertianas, Ital. *Terzera,* nempe *Terzero di Sopra,* seu super. *Terzero di mezzo,* seu mediam, & *Terzero di Sotto:* quibus additur etiam Comitatus Bormiensis. Terminatur à Sept. Rhætiâ propriâ; à Mer. dominio Veneto; ab Occ. Duc. Mediolanensi; ab Or. Comitatu Tirol. Pars fuit antiquitus Italiæ, uti postea Duc. Mediol. sed à Maximiliano Sfortia Rhætis donata est, An. Chr. 1512. Vino suo nobilis. In ea circa An. Chr. 1620. magna fidelium ex insidiis oppressorum strages edita & Evangelium exilio mulctatum est. Continet oppida 4. non contemnenda, Morbenium, Tiranium, Sondrium & Bormium. Vide quoque *Volturena.*

Tellma, vel *Tellena,* Straboni *Tellena,* opp. Latii olim nobile.

Tellius Guilielmus, vulgò *Wilhelm Tell,* clarum ac dulce Helvetiis nomen. Hic Uriâ Helvetius, post prima fœderis Helvetici à Melchtalio, Stouffachero & Furstio jacta fundamenta, fœderatis inter primos accessit, ingens ad libertatem pondus. Pileum mox jussu Grisleri præfecti, Altorffii in foro, adorationi publicè expositum, cùm nullo honoris signo exhibito præterisset, comprehensus tyranno sistitur: coactusque è vertice filioli charissimi sagittâ pomum decutere, post rem feliciter peractam, alterâ sagittâ, quam thoraci insertam habebat, se tyrannum transfixurum fuisse, si puerum confodisset, postquam acriter urgeretur, confessus est. Tum Præfectus, qui vitam vera fassuro promiserat, in perpetua eum vincula Suitiam parans abducere, obortâ in lacu tempestate, Tellium solvit: qui gubernaculo sumpto, vix multâ vi è fluctibus navem eripit, & eam adversus Suitiorum terram dirigit, quo loco non multum à littore ingens saxum supra undas eminet, quod hodie *Tellii saxum* dicitur. In hoc desilit heros, & simul quanto maximo potest nisu, navim pedibus in fluctus repellit, sicque cum filio, arcu & telis, nam hæc omnia cum eo in navem conjecta, dextrè feliciterque eripuerat, cursim festinat per Suitiam, in vicum Cavum à Cussenaco, quò abducendus fuerat, porrectum ad lacum usque Tuginum. Ibi quærit insidias, contra quarum locum cùm Præfectus ægrè undis emersus, pervenisset, ille telo emisso ipsum trajicit, dein revertitur ad suos, rem totam ut gesta erat commemorans, Stouffachero, atque Furstio, qui se prudenter aliquandiu perpensâ, ascitis undique fœderis sociis, Kal. Jan. An. Chr. 1308. in omnibus tribus pagis, arcibus dejectis, libertatis Helveticæ tropæum erexere. Extat nostrâ ætate sacellum eo loco, quo Præfectus cæsus est, & alterum in saxo, in quod Tellius è navi desiliit, perpetua rei gestæ monumenta. Canitur hodieque apud liberam gentem, non minus ac Guilielmus Arausionensis, Belgicæ libertatis auctor, cujus laudibus eosdem modulos sui aptarunt, quibus Tellius apud Helvetios celebratur. Arcus ejus cum gladio, in armamentario illustr. Reip. Tigurinæ ostenditur De hoc Glar. *descr. Helv mox ab initio:*

Causam ortus nostri, qui sit quoq; fœderis auctor,
Tantiq; imperii, cur malum fronte pusilli
Invisum certâ figis Guilielme sagittâ:
Non nostris puto carminibus celebranda.

Et in panegyrico Uria:

Nemo illâ major bello, nemo acrior armis,
Hac nostri fons imperii, qua prima tyrannos
Corripere est ausa, & volitanti plectere ferro.

Idem *sub finem*:

Brutus erat nobis, Uro Guilielmus in arvo,
Assertor patriæ, vindexq; ultorq; Tyrannûm, &c.

Tellus-luris, terræ Dea, rerum omnium mater & alumna: quanquam frequenter pro ipsâ terrâ accipitur.

Tellus, nescio quis pauper, cujus inopiam Solon Crœsi divitiis feliciorem esse prædicavit. Plutarch.

Telmera, urbs Cariæ, Stephan.

Telmesus, Thebanorum mons, Palæph.

Telmisina, nomen urbis, de qua vide Vossium *ad Justinum lib. 11. cap. 7.*

Telmissus, urbs Pisidiæ, de quâ sic vir magnus *de Phœn. Col. lib. 1. cap. 6.* Solymi, inquit, Strab. authore *lib. 13. Termissenses* appellantur à *Termesso* prom. cui imminet Solymus: Τῆς γῦν Τερμισσέων ἄκραν, inquit, ὁ ὑπερκείμενος λόφος καλεῖται Σόλυμος, καὶ αὐτοὶ δὲ οἱ Τερμισσεῖς Σόλυμοι καλοῦνται. Ubi leg. *Telmissum*, & *Telmissenses.* Nam pro Τερμισσεῖς libri scripti habent Τελμισσεῖς, ut observatum est à Casaubono. Sic in his verbis *lib. 14.* Ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὸ Σόλυμος ὄρος, καὶ Τερμισσὸς Πισιδικὴ πόλις ἐπικειμένη τοῖς στενοῖς. Ubi male pro *Telmisso* legi *Termissum* patet ex Eustath. qui hunc ipsum locum sic citat, ubi de Phaselide, habet enim Τελμισσεῖς. Sed & Arrianus *lib. 1.* ἀναβάσιν constanter scribit Τελμισσοῦ & Τελμισσέων. Et Hesychio Τελμισσεῖς sunt ἔθνος περὶ Λυκίαν; & apud Cicer. *de Divin. lib. 1. Telmessus in Cariâ est.* Suidas etiam habet Τελμισσεῖς, ex Polemone ac Dionysio Chalcidensi, qui scripsit urbium origines. Et verò Solymorum linguâ *Telmissus* erat חלמיש *Talmiss.* Nempe *halmis* Ebræis *rupem* sonat, & ad formam nominis pertinet ת præpositum: Quod à saxo deductum seu monte prærupto cui incumbebat. Arrianus: χωρίον δὲ οἰκοῦσι ὑψηλὸν καὶ πάντη ἀπότομον.

Telmisus, fluvius Bœotiæ, Thespias alluens: à quo circumfluo mons *Telmesius*, Orph.

Telmon, nomen viri, 1. Par. 9.

Telo Martius, Anton. Gall. Narbon. portus. Hodie *Tolon*, vel *Toulon.* Urbs est munita Provinciæ, cum portu capacissimo, in ora maris Mediterr. & armamentario instructissimo. Ibi regia classis præparatur, 15. leuc. à Foro-Julii, 2. ab Olbia. In planitie, probeque culta. Episcop. est sub Archiepisc. Arelatensi ultima. An à Telone Martio, qui hoc coloniam duxit? an à Tolone celebri apud Lucan. *in Pharsalia* nauclero? an à Tolumno Gotho, qui sub Theodorico Italiæ Reg. urbem reparavit, dicta? An potius à *Telone*, & Græco Τέλων, vel Τελώνης, quòd ibi portoria & tributa à mercatoribus publicani, nomine Massiliensium, qui fortè urbem hanc condidere, exigere solerent? Ab Henrico IV. egregiè munita est. Vetustissimus ejus Præsul S. Honoratus fuit, cui Cyprianus, auctor vitæ S. Cæsarii Arelatensis successit. Boucheus *Hist. de Prov.* Morer. *Dict. Hist.* Hadr. Valesius *Not. Gall. &c.*

Telobis, Hispan. Tarrac. in Jaccetanis opp. Ptol. *Torroella* Moletio. Apud Emporias, inde 1. leuc. Palmos versus 5.

Telon, Massiliensis, navigandi & astrorum peritissimus. Lucanus *lib. 3.*

Dirigit huc puppim miseri quoq; dextra Telonis,
Quâ nullum melius, pelago turbante, carina
Audivere manum, nec lux est notior illi
Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua Luna.

Telon, Oebali pater. Virgil. *Æneid.* 7.

Quem genuisse Telon Sebethide nymphâ
Fertur, Teleboum Capreas cùm regna teneret.

Telonium, pag. Batavorum, apud Lugdunum, inde vix 1. mill. versus ostium Rheni distans. *Rymborch*, vel *Reynsburch.*

Telonium, domus erat mari Galilææ juxta Capharnaum adjacens, in tribu Nephthalim, in qua publicani, hoc est, qui publica Senatus populique Romani tributa & vectigalia à subditis pendenda, certo constituto pretio redemerant, ea à prænavigantibus & applicantibus recipiebant.

Telonus, fluvius. Vide *Tolenus.*

Telos, vel *Telus*, insula maris Carpathii, ante Gnidum urb. Cariæ, quæ *Agathusa* Callimacho, teste Plin. Unde *Telina unguenta* eidem Plin. 13. 1. *epist. Episcopia* Sophiano.

Telphussa, fons, cujus aqua adeò frigida est, ut Tiresias vates ex eâ bibens senex obierit. Item urbs Arcadiæ, à *Telphussâ* Nymphâ Ladonis filiâ id nomen habens, Steph.

Telphussium, vel *Tilphossium* opp. Bœotiæ, ubi laudatus Bacchus est à Pindaro. Item mons & fons ibidem.

Telonnum, Aquitaniæ urbs, Anton.

Telys, Sybaritarum tyrannus. Herod. *lib. 5.*

Temala, urbs & fluv. Indiæ extra Gangem, Ptolem.

Temeratum, oppidul. Africæ, Zocotoræ Inf. præc. in ora Æthiopiæ infer. Sedes Principis.

Temathea, Messeniæ mons, Pausan. *Monte di Coron.*

Tembasa, Lycaoniæ opp. in Tauro monte, Plin.

Tembrium, urbs Phrygiæ, Charax *Tymbrium* vocat. Steph.

Tembrius, fluv. juxta Pontum. Orpheus *in Argon.*

Tembrogius, Phrygiæ fluv. in Sangarium influens, teste Plin.

Tembros, urbs Cypri, in quâ Helates Apollo colitur, Steph.

Temenus, urbs Phrygiæ, Idem.

Temenium, locus Messenes, ubi Temenus sepultus est, Idem. Item vicus in Argiâ ad Argolicum sinum, Strabo.

Temenos, locus Siciliæ infra Epipolas, juxta Syracusas. Incola *Temenites.* Est & *Temenites* collis in Thraciâ juxta Triballum. Stephanus.

Temenus, frater Cresphontis Heraclides.

Temesa, mel. *Tempsa*, urbs fuit ampla Brutiorum, in ora maris Tyrrh. prope Sinum Hipponiatem: ære celebris, ab Hannibale & Romanis excisa. Juxtà erat sacellum Politæ, qui ex Ulyssis comitibus, sacrum, quod à Barbaris violatum, graves in illos pœnas exercuit. Ejus rudera hodie *Torre Loppa*, in Calabria Citer. in limite Ulter. Brietio teste, 4. mill. pass. ab ostio Sabati fluvii, in Merid. 6. à Marturano in Occ. Quanquam aliis sit *S. Lucido*, castrum prope oram maris Tyrrh. 4. mill. pass. à Paula in Mer. Hinc *Temesaus*, Ovid. *Fast. lib. 5.*

Rursus aquam tangit, Temesæaq; concrepat æra.

Proverb. *Temesæus Genius*, de pœna res sacras violantibus imminente. Vide suprà. Pausanias rem paulo aliter sic memorat: Politâ ab incolis, propter stupratam virginem, interfecto, larvæ illius, nisi quotannis oblatâ virgine placarentur, grassari in illos, atque omni sexui perniciem afferri sunt solitæ: sicque Genius Temesæus in proverbium abiit. Gravia enim mala alicui minitantes, dicere solebant. *Aderit Temesæus Genius.* Fuit & *Temese* Steph. aliisque oppidum Cypri. Vide *Tamassus.*

Temesus, fœnerator quidam, quem Eurymus Locrensis athleta coëgit reddere, quicquid usurario quæstu sibi paraverat.

Temesna, provinc. Fezzæ regni, in ora Oceani Atlant. à quo terminatur ab Occid. à Sept. Fezzâ prov. ab Or. *Chaus* provinc. à Mer. Duccalâ & Tedlesâ provv. regni Marochii.

Temesvaria, vulgò *Temesvvar*, urbs ampla & munita Hungariæ. *Temesia* etiam quibusdam ad fluv. *Temes*, in limite Transylvan. 5. leucis German. à Lippa in Africum, Belgradum versus 10. circiter. Caput Com. *Temesvensis*, qui à 100. annis sub Turcis. Postquam enim Solimannus ab urbis obsidione à Gregorio Vaivoda ac Castaldo submotus esset, mox tamen, ob Vaivodæ necem dissidio orto, victisque Hungaris, reversus, eam acerrimè oppugnatam, ad deditionem compulit, in deditos, Præfectum inprimis Lozantium, immaniter sæviens, An. Chr. 1551. Thuan. *lib. 9. & 11.* Terminatur hic Comitatus à Sept. Chonadiensi Comit. ab Ortu Transylvaniâ, à Merid. Danubio separatur à Servia, uti ad Occ. Tibisco fluv. à Comit. Bodroghensi.

Temianum, vulgò *Temiam*, regnum Nigritiæ. Terminatur à Septentr. Gaugara regno, ab Occid. regno Bito, à Merid. Nigro fluv. ab Ortu desertis *Sert* & *Sen.* Ejus urbs præcip. Temicanum, Teste Davito.

Temnes, Sidoniorum rex, civitatis proditorem interfici curavit. Diod. Orosius 3. 7.

Temnos, Æolidis urbs medit. ultra Hermum fluv. patria Hermagoræ. Plin. Steph. Pop. *Temnita.* Item mons inter Asiam & Thebeum campum. Ptol.

Tempe, regiuncula Thessaliæ, cum urbe Episcop. nunc *Licostomo*, in valle amœnissimâ, per quam Peneus fluv. decurrit, à Poëtis celebrata, inter Larissam, & oram maritimam, montibus Olympo, Ossâ, & Pelio cincta; ubi aqua æs erodit, Plinius *lib. 4. & 31. cap. 2.* De quâ Ælian. *lib. 3. cap. 1.* Ovid. *Metam. 1.*

Est nemus Æmoniæ, prærupta quod undiq; claudit
Silva; vocant Tempe; per qua Peneus ab imo
Effusus Pindo spumosis volvitur undis.

Virgilius *Georg. 4.*

Pastor Aristæus fugiens Peneia Tempe.

Hinc *Thessala Tempe*, Ovidio & Horat. *Od. 7. lib. 1.* qui alibi:

Aut Zephyris agitata Tempe.

Virgil. ob frigiditatem laudat *Georg. 2.*

—— —— *Aut frigida Tempe.*

Nugantur Grammatici, cùm *Tempe* dicta esse putant, tanquam τέμνη, vel τέμη. A religione loci nomen hoc inditum est. Itaque rectè Mela: *Hic sacro nemore nobilia Tempe.* A τέμνω enim fit τέμενος, & contractè τέμμος. Pro eo verò Macedones & Æoles, quibus ubique placet π ἀντὶ τῦ μ. dicebant τέμπος. Itaq; τέμπος æquè ac τέμενος & *lucum* & *fanum* signif. Hinc quoque Romani suum fecere *tempus*, cujus tantum superest diminutivum *tempulum*, vel *templum*, obliterato priori ad vitandam ambiguitatem ejusdem, sed aliud significantis vocabuli. Qui τέμπη interpretantur τὰ τμήματα, illi non vocem exprimunt, sed situm describunt. If. Vossius. Est qui τέμπεα, ab Ebræo טמן deducit, id est, *abscondere.* Sanè Ovidius Tempe describit per nemus *Prærupta quod undiq; claudit Sylva.* Unde Seneca *in Troadibus*:

—— *Thessali montes & opaca Tempe.*

Statius *Theb. lib. 6.*

—— —— *Umbrosaq; Tempe.*

Idem *lib. 10.*

—— *Tenebrosaq; Tempe.*

Lucanus *lib.* 1.

—— —— *Nemorosaque Tempe.*

Sunt & *Tempe* Bœotiæ, quæ *Teumessia* dicuntur à Teumesso opp. Stat. 1. *Theb.*

Illius in speciem, per quem Teumessia Tempe.

Ovidius *Metam.* 7.

Inde lacus Hyries videt & Cycneia Tempe.

Sunt & alia in Sicilià. Ovid. *Fast.* 4.

Hinc Camerinam adiit, Thapsonque & Heloria Tempe.

Denique loca quælibet amœna, nemora præsertim atque aquas habentia καταχρηστικῶς *Tempe* vocamus.

Tempestas, Romanorum numen. Ovid. *Fast.* 6.

Te quoque Tempestas meritam delubra fatemur,
Cùm penè est Corsis obruta classis aquis.

Templa, loca dicuntur publica, in Dei honorem erecta, ejusque cultui destinata. Aliàs *Sacra Ædes, Fana, Delubra, Basilica, &c.* quę tamen voces, rem accuratius pensiculanti, non unum idemque penitus designant. Clemens, cui Eusebius astipulatur, non aliunde sacrarum Ædium originem deductam putat, quàm à sepulchris, quæ quidem magnificentiùs condita, *Templorum* appellatione primùm vocata sint. Eunapius certè *in vitis Sophistarum*, suggillat Christianos, quòd ad mortuorum sepulchra conveniant, tanquam ad novos Deos. Primos autem omnium Ægyptios Diis & aras & simul sacra & *Delubra* statuisse, docent Herodot. *lib.* 2. & Strab. *lib.* 17. In Græcia primus Deucalion Deorum *Templa* ædificavit, & civitates condidit, Apollon. *lib.* 3.

Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
Ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις, καὶ ἐδείματο νηοὺς
Ἀθανάτοις. —— ——

His remedia olim inventa affixere prisci, unde non minor, quàm à structura, Templi Ephesini fuit gloria. Sic apud Græcos in Æde Æsculapii, Apollinis, atque etiam ipsorum Morborum sacris locis, remedia contra morbos usu valida affigi, simulque morbi genus, signa & symptomata describi solita sunt. Idem mos apud Romanos fuit, teste Valer. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 1. qui Febrem, quò minus noceret, templis coluerunt, in quæ remedia delata. Asylorum item præstitere vicem, tum apud Romanos, apud quos Solis Templum Heliogabalo securitatem præstitit, ne à Macrino interficeretur, tum apud Christianos medii ævi: unde legimus Bonifacium V. instituisse, ut ad *Templa* confugientes salvi essent, Volaterr. *lib.* 22. *Anthrop. &c.* Alaricum quoque edixisse, ne illi læderentur, neve eorum bona diriperentur, qui in Apostolorum *Templa* se recepissent, Augustin. *de Civ. Dei lib.* 1. *&* 2. In iisdem jurare olim Christianos solitos esse refert Gregor. M. *lib.* 5. *epist.* 33. Sic Armenii in templo Anaitidis Deæ, Græcique in Jovis Olympii templo, jusjurandum de rebus magnis præstitisse, leguntur, apud Alexand. *lib.* 5. *cap* 10. Non intravit templum Victorinus Rhetor, apud Augustin. *lib.* 8. *Confess. cap.* 2. Omnia in Ægypto templa obseravit Cleopes, Ægypti Rex, ne populus Diis sacra faceret, Herodot. *lib.* 2. Portatile *Templum* habuit Constantinus Magnus, Nicephor. *lib.* 7. *cap.* 46. Euseb. &c. Apud Æthiopes Christianos, nisi nudis pedibus, intrare templum non licuit, Osorius *lib.* 9. *&c.* Magnificum fuit olim templum Dianæ Ephesinæ, in quo extruendo ornandoque tota Asia occupata fuit annos 220. quod cùm conflagrasset, sub tempus nascentis Alexandri, à Lysimacho postea Thraciæ Rege reparatum fuisse pari magnificentiâ legitur. Sed nihil fuit ad Hierosolymitanum, cujus architectus Salomon, per instinctum divinum, illud ad symmetriam cœlestem & prorsus mysticam, sic exegit, ut ad illud quidquid Architectorum est, meritò obstupescat. De templo Meccbano, tantæ inter Muhammedanos religionis, aliisque; vide Adam. Preyelium *Sinâ & Europâ, cap.* 13. 15. *&c.* ut & infrà.

Templarii, hæretici in Solymorum civitate An. 1030. post interitum Philippi Augusti, quia frequenter in templis versabantur, sic dicti. Simulacrum habebant factum summo artificio, cui hominis cutem superinduxerant, & binos præfulgentes carbunculos sub ipsâ fronte collocaverant, qui micabant oculorum vice. Huic autem simulachro sacra faciebant mortuorum corpora in cineres redacta, cæterisque potum dabant, qui hâc potione firmiores & constantiores se futuros putabant. Eos verò qui ex Templarii virginisque conjugio nati fuissent, subjecto igne torrebant, simulque ex humore deliquati suum perungebant simulachrum, quò majorem probarent religionem, Lloydius. Alii sic habent. Ordo fuit militaris, qui initium sumpsit An. Chr. 1118. Hierosolymæ, tale. Hugo de Paganis, Godofridus de S. Audomaro, cum septem aliis, Deo se consecrarunt, voto Religionis coram Patriarcha concepto. His prope Salomonis templum ædes concessit Balduinus II. unde *Templarii* dicti. Scopus erat, peregrinantes, contra Infidelium injurias, tueri, viasque à Turcarum insidiis liberas præstare. Hi novem socii An. Chr. 1128. in Concilio Trecensi, Regulam petierunt, cujus cura S. Bernardo commissa est. Jussi candidâ veste incedere, & addita est An. Chr. 1146. ab Eugenio III. crux rubicunda. Ab eo tempore famâ & opibus tantopere hic Ordo crevit, ut 9000. ædium numerarentur. Matth. Paris. *Histor. Angl. An Chr.* 1244. Hinc fastus, inobedientia erga Patriarcham, bellum contra Principes Christianos, clandestina cum Infidelibus consilia, ut qui Soldano Ægypti Fridericum II. Imper. prodere ausi sunt, &c. Certè Fulco Richardum I. Angliæ Regem reprehendens, ob tria aulæ ejus vitia, Superbiam, Incontinentiam & Avaritiam; responsi loco tulit, se Superbiam Templariis &c. elocasse. Tandem gravissimorum criminum convicti, coram legatis Philippi Pulchri & Clementis V. Concilio Viennensi condemnati, Jacobus Molæus Burgundus, M. Magister ordinis vivus exustus Parisiis, An. Chr. 1313. & magna redituum pars Ordini S. Johannis adjudicata est, Guil. Tyr. *lib.* 12. *cap.* 7. *de bello sacro*. Tom. Walsinghamus, *in Eduard. II.* Rob. Gaguinus, *Hist. lib.* 7. Paradin. *Hist. Sabaud. lib.* 2. *cap.* 106. Miræus, *in Origin. Ord. Equest. lib.* 1. *cap.* 4. *&* 5. du Puy, *Hist. Condemn. Templar.*

Templum, Ligurum pars, Tacitus. Locus in Africa propria, Antoninus.

Templum Æsculapii, Liv. *Esculapio*, locus Peloponnesi, apud Epidaurum 5. mill. pass.

Templum Dianæ Ephesiæ, Strab. & al. unum ex septem Orbis admirandis operibus, à Ctesiphonte architecto designatum, 220. annis exædificatum est, habens pedes in longitudine 425. in latitudine 220. columnis 127. à totidem Regibus factis, longitudine 60. pedum, è quibus 36. quarum una à Scopa, cælatæ, constans. De cujus constructione plura Vitruvius. In solo palustri locatum erat, ne terræmotus sentiret, aut hiatibus absorberetur. Rursus, ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis ponerentur, calcatis ea carbonibus primùm, dein lanæ velleribus substravere. Miraculo inprimis fuit, epistylia tantæ molis attolli potuisse, sed consecutus est id Architectus peronibus arenâ plenis, molli pulvino super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imos, ut sensim totum insideret. Difficilimè hoc in ipso limine contigit: etenim ea maxima moles fuit, nec sedit in cubili, anxio artifice mortis destinatione supremâ, traduntque in ea cogitatione defessum, nocturno tempore in quiete vidisse præsentem Deam, hortantem ut viveret: se composuisse lapidem, ut postero die apparuit. Habuit templum hoc ingentem libertatem, donisque ex omnibus regnis ac civitatibus locupletatum est: accessit à præstantissimis adversus varia morborum genera remediis ibi affixis ingens Fama. At tandem ab Herostrato, ut famam maleficio sibi compararet, incensum fuit, eâdem Olympiade ac die, quâ Alexander M. natus est. Post hujus obitum, urbe à Lysimacho renovatâ, cives, si Straboni credimus, Templum instaurarunt, tantâ quidem sedulitate ac diligentiâ, ut prioris etiam gloriam superaret: ad quam rem fœminæ quoque ornatum suum, è locis etiam maximè dissitis, aliasque res pretiosas liberali manu suppeditarunt, &c. Vide Adamum Preyelium, *in Admirandis Sinæ & Europa cap.* 13.

Templum Fortunæ Prænestes, fuit aliàs celeberrimum, & ipso Sylla vetustius, prope Prænestem urbem Latii. Sed & hujus nostris temporibus pars aliqua spectanda simulque admiranda remanet in crypta quadam, quæ ad inferiores cellas ædium Episcopi abscondita est. Illius fragmenta collegit & delineari jussit Cardinalis Franciscus Barberinus, antiquitatis vindex. Templum seu templa potiùs stupendæ molis omne ferè hodiernæ civitatis occupabant spatium, apposita namque devexis inferioribus partibus ascensum compositis distinctum areis duodecim exhibebant, erectis ad eas peramplis ædibus, diversis scalarum ordinibus, parietibus in unum beneque elatum prospectum cingentibus multiplici porticu, theatro columnis distincto, cavædio, arcubus spectandis, fontibus, lacusculis, viridariis. Excisus erat ipse mons, & pluribus quasi planis gradibus fretus in templi conscensum, excavatusque medio in monte aquæductus piscinas seu potiùs lacus in ipso Fortunæ templo constituebat. Cortina templi eminebat in apice, ubi nunc palatium Principis, in eoque summo excitabantur ignes accensis facibus, quæ navigantibus etiam in mari Tyrrheno noctu religiosè conspectæ prælucebant, ut invocandum ipsis Fortunæ numen admonerent. Ædificium istud immane abs inferioribus sacellis assurgit quatuor gradatis molibus, altarum quarundam gradib. quasi adjectis ad summam usque in vertice positam obrotundæ in tholum erectionis. De his pluribus & doctissimè suo more Josephus Maria Suaresius Episcopus Vasionensis *in suo Pranest. antiq. lib.*

Templum Hierosolymitanum, à Salomone Rege sapientissimo in monte Morija extructum, describitur 1. Reg. *cap.* 6. &c. Hoc cùm dedicaret Salomon, nubes & gloria Domini implevit illud, ignisque è cœlo missus sacrificia in eo oblata devoravit, 1. Reg. 8. Introitus ejus, contrà ac nunc moris est, ad Solis Ortum; posteriora verò ejus ad Occid. respiciebant: unde hic Sacerdotes, unà cum reliquis Judæis, ad Occid. versus orabant, Deique cultum peragebant: donec Regum populique impietate, spurcitiis idolorum aliquoties profanaretur: Tum factum, ut anno 441. à prima sui fundatione, per Nabuchodonosorem, Babyloniæ Regem, in cineres redigeretur, sicque 70. ann. maneret desolatum. Dein illustris Judæorum Dux Zorobabel, eodem in monte annis 46. templum magnificè restauravit: quod licet magnæ quoque per universum mundum æstimationis esset, ad gloriam tamen prioris minimè accedebat. Hoc post an. 354. ab Antiocho Epiphane spoliatum, ac idolis pollutum, tertio contaminationis anno, Judas Maccabæus purgavit, ac ne iterum gentibus in prædam cederet, in medium

castri

tustri fortissimi munivit, in quo à 120000. hostium diu obsessus non poterat expugnari. Centesimo anno fere post, à M. Pompeio occupatum, atque in eo 12000. Judæorum interfecta sunt. Neque verò victor, qui usque ad Sancta Sanctorum ingressus cuncta ibi ex auro fulgentia, & in sacræ pecuniæ thesauris 2000. talenta vidit, eorum quidquam attigit, quin potius postridie, æditum templum purgare, & legitima ac solennia sacrificia celebrare mandavit. Hoc ipsum postea relapsum Herodes Ascalonita annis 9. sumtuosè reparavit, mox CHRISTUS, præsentiâ, doctrinâ ac miraculis sanctificavit, priorique illo magnificentissimo longè gloriosius reddidit. Sed postquam Dominum hunc gloriæ crucifixissent Judæi, totiusque proin gentis excidium immineret, anno à fundatione sui sub Zorobabele 580. per Titi Cæsaris milites, post dubium cruentumque conflictum, expugnatum, tantaque circum altare holocausti Judæorum cædes facta est, ut per gradus templi, torrentis instar, interfectorum sanguis proflueret. Ipsum, in primo prælii furore, per militem quendam, Cæsare invito, face incensum, sicque hoc non Judææ modò, sed totius Orbis præluſtre Ornamentum concrematum est, die 10. Aug. quo mense & die primum quoque conflagraverat. Post annos dein 65. Judæis denuo rebellantibus, & eodem hoc loco templum restituere volentibus, Ælius Adrianus Imp. quinquaginta octo myriades eorum uno die interfecit, & residuis Hierosolymorum ædificiis prorsus destructis, montem Moriah, multum complanavit, atque rudera sabulumque ejus in vallem Josaphat ac torrentem Cedron projecit, ne urbs montis & templi præsidio confisa, jugum denuo excuteret. Imperator postea, Julianus Apostata, post an. 227. ut Christi Oraculum de Templi ruina eluderet, datâ Judæis ex publico ærario pecuniâ, mandavit eis Templum de integro restaurare, ibique juxta Mosis legem sacris defungi. Quod cum magnâ alacritate molirentur, apertisq; & purgatis jam fundamentis, ædificationem inchoaturi essent, nocte præcedente vehemens procellosæ tempestatis ventus calcem, gypsum ac materiam longe lateque dispersit. Insuper terræ motus ingens universa veterum Templi fundamentorum saxa excussit, ac dissipavit, permultis Judæorum oppressis: qui cùm ne sic quidem incepto desisterent, postridie ignis cœlo emissus, flammaque è templi fundamentis erumpens, plures eorum quàm antea consumpsit, malleis, securibus, serris, ligonibus, omnibusque aliis opificum instrumentis, in cineres illo die redactis. Sic tandem Judæis ab opere repulsis, Christiani eodem fere loco, opere rotundo & Græco labore amplum & præaltum Templum erexerunt, quod per aliquot secula Patriarchali Cathedrâ decoratum, tandem à Saracenis occupatum, ac spurco Muhammedis cultu annis 463. contaminatum est. Idem postea A. C. 1098. à Christianis, duce Godefrido Bullionæo expugnatum, 10000. Saracenorum sanguine restagnavit, victorq; Canonicorum Colleg. ibi instituit. Verum denuo, per Christianorum dissidia, Saracenis cessit, qui in ejus summitate dimidiæ lunæ formâ collocatâ, in atriorum loco ficus & olivas plantare cœperunt. Idem à Turcis nunc possessum detestabili Muhammedis cultu polluitur, ejusque ingressu penitus Christiani arcentur. Colitur autem à Turcis tantâ religione, ut ad rupem parvam, ferro undiq; cancellatam, de qua, in medio Fani sita, mira fabulantur, nulli Saracenorum vel Infidelium appropinquare liceat. Non procul hinc Ægyptiorum Sultanus, sec. præt. novum ædificavit Templum, sive Muschkeam, in qua 88. lampades continuò ardent. V. Adam. Preyelium *in admir. Sinæ & Europa cap.* 14. & suprà in voce *Hierosolyma*.

Templum Minervæ, S. *Maria*, urbs Salentinorum excisa, ad Japygium promontorium.

Templum Musarum, Procop. *Cinquefrondi*, teste Barrio, pagus Brutiorum mediterraneus, in Calabria ulteriore, Polisthinæ oppido propinquus, (ad 2. m. p. distans) & Morgetiæ.

Templum Veneris, Ptol. opp. vulgò *Cap de Crux*, Vide *Aphrodisium*; quod ab Helena 4. à Narbone 25. à Pyrene 80. leucis.

Templa urbis Romæ ex P. Victore:

Bellonæ, apud circum Flaminum.
Bonæ Deæ, ubi nunc ædes S. Mariæ Aventinæ.
Bonæ Fortunæ erat apud Pantheon.
Cæsaris, ubi ædes S. Anastasiæ.
Castoris & Pollucis erat apud ædem S. Mariæ Liberatricis.
Concordiæ, apud Capitolium & porticum Liviæ. Ovidius *lib.* 1. *Fastorum*,

Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam:
Nunc te sacratæ constituere manus.

Item apud arcum Septimii, & S. columnas.
Dianæ, in Aventino, ubi ædes S. Sabinæ & S. Joannis in Porta Latina, & in insula Lycaonia.
Fauni, ubi ædes S. Stephani Rotundi. Ovid. *lib.* 2. *Fastorum*:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

Faustinæ, ubi ædes S. Laurentii in miranda.
Floræ, ubi ædes S. Ursulæ ad sedes.
Fortunæ publicæ, apud ædem S. Vitalis.
Herculis, ubi ædes S. Stephani protomartyris, ad Tiberim.
Jani, supra ædem S. Vitalis. Ovid. *lib.* 1. *Fast.*

Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis,
Janus agonali luce piandus erit.

Iridis, apud ædem S. Mariæ novæ.
Isidis, ubi basilica S. Mariæ Majoris. Aliud ubi ædes S. Marcelli.
Martis, ubi ædes S. Martinæ virginis. Aliud ubi ædes S. Martini. Aliud ubi ædes S. Sixti.
Minervæ, ubi basilica S. Mariæ Minervæ, *la Minerva*.
Pacis, apud ædem S. Mariæ novæ; vel ibi, ubi nunc dicta ædes.
Palladis, ante porticum Faustinæ.
Pantheon, *S. Maria Rotonda*.
Penatum, apud templum Romuli.
Pietatis, in theatro Marcelli, & ubi ædes S. Nicolai in carcere.
Pudicitiæ, ubi ædes S. Mariæ Ægyptiacæ.
Quirini, ubi nunc ædes S. Vitalis, & ubi ædes S. Susannæ.
Romuli, ubi nunc ædes SS. Cosmæ & Damiani. Non longè erat templum Faustinæ.
Serapidis, apud ædem S. Mariæ novæ in horto.
Solis, in supercilio montis Quirinalis, in *Monte Cavallo*.
Telluris, ubi nunc Ara cœli.
Veneris genitricis, in foro, ubi nunc tres columnæ marmoreæ, & ubi ædes *S. Maria Libera nos*.
Veneris & Cupidinis, apud basilicam S. Crucis in Hierusalem.
Vestæ, ubi ædes S. Mariæ Liberatricis.
Vulcani, ubi nunc ædes S. Theodori. De quo Ovidius *libro* 5. *Fastorum*:

Proxima Vulcani lux est, quam Lustria dicunt.
Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Alter index templorum Romæ ex Sexto Rufo & aliis;

Æsculapii, in 5. regione, in insula Tyberina, cum Jovis & Fauni: ubi cœnobium Sanctimonialium.
Divi Antonini, in 9. regione, cum columna Cochlidæ apud ædem sanctorum Cosmæ & Damiani.
Apollinis & Clatræ, in 6. regione.
Apollinis, in 9. regione.
Apollinis Palatini, in 10. regione.
Apollinis in Vaticano, in 14. regione, apud S. Petrum. Aliud ubi ædes S. Apollinaris.
Augusti, in 8. & 10. reg. Ovid. *lib.* 1. *Fastorum*:

Sacra vocant augusta patres; Augusta vocantur
Templa Sacerdotum ritè dicata manu.

Bacchi, in 2. regione.
Bonæ Deæ, in 13. regione, in Aventino.
Boni eventûs, in 9. regione.
Bruti Callaici, in 9. regione.
Carmentæ, in 8. regione, ubi ædes sanctæ Catharinæ.
Castoris, in 11. regione.
Castorum, seu Castoris & Pollucis, in 8. reg.
Divi Claudii, in 2. regione.
Concordiæ virilis, in 3. regione.
Concordiæ in porticu Liviæ, in 4. regione.
Concordiæ cum cella, in 8. regione,
Consi, in circo maximo, in 11. regione. Ovid. *lib.* 3. *Fastorum*:

Festa para Conso: Consus tibi cætera dicet.

Deæ Carnæ in 2. regione.
Deûm Penatûm, in 8. regione.
Dianæ commune, in 3. regione.
Fauni, in 2. regione.
Divæ Faustinæ, in 4. regione.
Febris, in 10. regione, in Palatio.
Fidei, in 6. & 10. regione.
Fidii, in 13. regione.
Floræ, in 6. & 10. reg. Ovid. *lib.* 5. *Fastorum*:

Chloris eram, quæ Flora vocor: corrupta Latinè
Nominis est nostri littera Græca sono.

Fortunæ, plura.
Fortunæ viatorum, in 1. regione.
Fortunæ liberæ, in 6. regione.
Fortunæ seiæ, in 6. regione.
Fortunæ stataæ, in 6. regione.
Fortunæ primigeniæ & publicæ, in 6. regione.
Fortunæ reducis, in 6. regione.
Fortunæ novum, in 7. regione.
Fortunæ fortis, in 14. regione.
Fortunæ liberæ, alterum, ibidem.
Gentis Flaviæ, in 6. regione.
Divi Hadriani, in 14. regione.
Herculis victoris, in 11. regione, in foro boario.
Jani gemini, in 8. reg. Alterum extra portam Carmentalem.
Jani Bifrontis, in 9. reg. apud theatrum Marcelli.
Jani ad forum olitorium, in 11. reg.
Jovis Fagutalis seu viminei, in 5. reg.
Jovis Capitolini sive Optimi Maximi, in 8. regione, apud montem Tarpeium, cum templo Cereris ultoris in 9. regione, ubi Pantheon, & Cybeles.
Jovis seu Solis Algabali, in 10. regione.
Jovis propugnatoris, ibidem.

Jovis statoris, ibidem.
Isidis, in 1. regione.
Isidis & Serapidis, in 3. regione.
Isidis & Serapidis, in 9. apud ovile.
Isidis in 13. regione.
D. Julii Cæsaris, in 8. regione.
Junonis Lucinæ, in 5. regione, ubi ædes S. Laurentii in Lucina. Ovid. *lib. 3. Fastorum:*

Dicite; tu nobis lucem Lucina dedisti:
Dicite; tu voto parturientis ades.

Junonis maritalis, in 8. regione.
Junonis reginæ, in 13. regione.
Larum, in 8. regione.
Libertatis, in 13. regione.
Lunæ, in 4. regione.
Lunæ, in Palatio, seu in 10. regione.
Lunæ in Aventino, in 13. reg. Ovid. *lib. 3. Fastorum:*

Luna regit menses: hujus quoq; tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

Martis extramuranei, in 1. regione.
Matris Deûm, in 10. regione.
Mentis, in Capitolio.
Mercurii, in 11. regione, ubi ædes S. Angeli. Ovid. *lib. 5. Fastor.*

Est qua Mercurii porta vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere, numen habet.

Minervæ Medicæ, apud Pantheon in 5. regione.
Minervæ Flavianæ, in 6. regione.
Minervæ vetus, in 8. reg. Ovid. *lib. 3. Fastorum:*

Parva licet videas capta delubra Minervæ,
Quæ Dea natali cœpit habere suo.

Minervæ Chalcidicæ, in 9. regione.
Nemesis, in 8. regione.
Neptuni, in 9. reg. apud septa, ubi ædes sancti Blasii in via Julia, & ubi ædes sanctæ Anastasiæ.
Divi Nervæ in foro transitorio, in 4. regione.
Pacis, in 4. reg. Ovid. *lib. 3. Fastorum:*

Et Romana salus, araq; Pacis erit.

Panis, ubi nunc ædes S. Stephani Rotundi.
Pantheon; in 5. reg. Ovid. *lib. 4. Fastorum:*

Roma pudicitiâ proavorum tempore lapsa est:
Cumæam, veteres, consuluistis anum.

Quirini, in 6. regione.
Quirini novum in 7. regione.
Quirini, in 10. reg. prope lupercal. Ovid. *lib. 1. Fastorum:*

Dexter ades patribusq; suis, populoq; Quirini.

Remi, in 4. reg. Ovidius *lib. 5. Fastorum:*

Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Regna Palatinæ prima dedistis aves.

Romuli, aliàs Quirini, in 8. regione.
Salutis, in 6. regione, in colle Quirinali.
Salutis aliud, in eadem regione.
Saturni, in 8. Regione.
Serapeum, in 6. regione.
Serapidis, in 1. regione.
Silvani, in 5. regione, sub colle Viminali.
Solis, in 4. & 7. regione.
Spei novum, in 7. regione.
Telluris, in 4. regione.
Divi Trajani, in 8. regione.
Tulli Hostilii, in 2. regione.
Veneris cloacinæ, in 4. regione.
Veneris Erycinæ, apud portam Collinam in 5. reg. De templo Veneris Erycinæ inter alia Ovid. *lib. 4. Fastorum:*

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet: à Siculo nomina colle tenet.

Veneris aliud, in sexta regione, apud hortos Sallustii.
Veneris calvæ novum, in 8. regione.
Veneris calvæ vetus, in 8. regione.
Veneris genitricis, in 8. regione.
Divi Vespasiani, in 8. regione.
Vestæ, ibidem.
Urbis Romæ & Augusti, in 4. regione.

Fuere etiam alia Romæ sequentia templa à veteribus scriptoribus memorata:

Adonidis.
Annonæ sanctæ.
Apollinis Sosiani.
Apollinis tortoris.
Augusti ad Minervam.
Cereris, de quo Ovidius *lib. 4. Fastorum:*

Alba decent Cererem: vestes Cerealibus aptas
Sumite; nunc pulli velleris usus abest.

Clementiæ Cæsaris.
Ditis, seu Plutonis.
Fortunæ barbatæ.
Fortunæ blandæ.
Fortunæ benesperantis.
Fortunæ convertentis.
Fortunæ equestris novæ.
Fortunæ masculæ.
Fortunæ muliebris, extra Portam Latinam.
Fortunæ plebeiæ.
Fortunæ privatæ.
Fortunæ viscatæ.
Divi Hadriani.
Herculis, via Latina.
Herculis defensoris.
Honoris.
Jovis invicti.
Jovis Mariani.
Jovis prædatoris.
Jovis pugnacis.
Jovis tonantis, in Palatio. Ovidius *lib. 6. Fastorum:*

Nomine, quàm pretio celebratior, arce tonantis,
Dicite Pistoris quid velit ara Jovis.

Jovis victoris.
Junonis Caprotinæ.
Justitiæ.
Justitiæ Augusti.
Mentis: de quo Ovidius *lib. 6. Fastorum:*

Mens quoq; numen habet: Menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.

Næniæ, extra portam Viminalem.
Palladis, apud porticum Faustinæ. Ovid *lib. 3. Fastorum:*

Pallada nunc pueri teneræq; orate puellæ,
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

Pietatis, apud theatrum Marcelli.
Pudicitiæ.
Quietis, via Lavicana.
Ridiculi, extra portam Capenam, ubi Hannibal consedit.
Themidis.
Vacunæ.
Veneris lubentinæ.
Veneris victricis.
Victoriæ, apud arcum Septimii, & statuam Morphorii.
Virtutis.
Vulcani.

Præter templa fuerunt & basilicæ plures, ædes sacræ, & ædiculæ penè innumeræ, delubra, & aræ. Extra urbem verò erant templa, sive ædes Diis malis dicatæ; quibus, ne nocerent, statis temporibus sacra faciebant: veluti Timoris, Palloris, Paupertatis, & Senectæ. Fuit & templum Vejovis in Capitolio; cujus meminit Ovid. *in Fastis lib. 3.*

Templa putant lucos Vejovis ante duos.

Tempsis, cacumen Tmoli montis, in quo 100. annos vivunt incolæ. Plin. 7. 48.

Tena seu *Tillemontium*, opp. amplum Brabantiæ, ultimo bello miserè deformatum: Ad amnem *Ghecte*, 3. leuc. à Lovanio in Ort. 6. à Namurco in Bor. sub Hisp. *Thienen*, incolis: *Tillemont* Gall.

Tenagus, locus Susianæ reg. ad sin. Persicum. Ptol.

Tenasserium, vulgò *Tenasserim*, urbs Indiæ ultra Gang. in regno Siami, in ora Sinus Ganget. media inter Siamum ad Bor. & Juncalaonum ad Mer. Dicitur & *Tanasserium*, V. ibi.

Tencteri, al. *Thenchtheri*, *Tanchari* Appiano, *Tenterides* Plutarcho, *Tenchateri* Livio, pop. Germ. quorum reg. *Drent*, teste H. Junio dicitur, inter Frisiam ad Bor. & Occ. Westphaliam ad Ort. & Transisalanam ad Austr. Cluverio erant versus Rhenum, ubi nunc Montensis Duc. pars Westphaliæ & pars Marchiæ Comit.

Tenda, vel *Tende*, opp. Italiæ, caput Comit. cognom. in Comit. Nicæensi, intra Apenninum, in limite ditionis Genuensis. Inde mons *le Col de Tende*, 18. mill. ab Albio Intemelio in Bor. Fossanum versus 25. Aliàs Comites habuit proprios, nunc Sabaudiæ D. subest.

Tendeba, Cariæ vetus op. Steph.

Tendutum, vulgò *Tenduc*, regnum Tartariæ, in limite Sinar. cum urbe prim. cognom. Quibusd. recentioribus *Charchir* & *Niuche*; unde profecti, qui Sinarum Imper. haud pridem occuparunt. Pars est Australis Sericæ antiquæ, terminaturque à Sept. Tartariâ magnâ, seu Kaimachitarum reg. ab Ortu Jupiâ reg. ab Occ. Tanguto regno, à Mer. Imperio Sinarum. Sed de urbibus ejus nondum constat. Ejus pars est etiam Niulbanum regnum, *Egrigaja* quibusd.

Tenea, *Tenea* Suidæ, pagus agri Corinthiaci, arboribus consitus. Unde Proverbium:

Εὐδαίμων γε Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης.

Tenea, fluv. Umbriæ. Vide *Tinia*.

Tenebion, corruptum nomen, apud Diodor. Sic. *lib. 14.* loci in Cilicia, quem nulli in Asia amœnitate cedere scribit. Alii legunt, *εἰς τι πεδίον*, teste Henr. Stephano.

Tenebria, vicus Iberiæ. Steph.

Tenebrium, prom. Ilercaonum, Hisp. Tar. cum op. cogn. inter ostia Iberi in 2. alveos infra Dertusam urb. divisi. *Cabo de Alfaques* Moletio. *Capo Forbat* hodie, Baudrando, in ora regni Valentiæ, prope opp. Peniscolam, vix 3. leuc. à limite Cataloniæ in Occ. 6. ab ostio Iberi, 4. ab Oropesa in Ort.

Tenedo, oppidul. Silvæ Martianæ, in Suevia, in limite Helvetiorum, prope Rhenum, ubi Atolam recipit, supra Valdshutum opp. 18. m. p. infra Scaphusiam; vulgò *Dengen* Cluver.

Tenedos, *Tenedo* Sophiano, ins. maris Ægæi, sive Hellesponti parvà, amœna, contra Sigeum, Troadis promunt. inde 12. m. p. (sed teste Strab. 40. stad. ad 80. patens) in Occ. & Circium distans, Apollini, qui ibi præcipuè colebatur, sacra, prius *Calydna*, teste Paus. ac Diod. Sic. *Phœnice* & *Lyrnessus* etiam, uti Plin. auctor est 5. 13. Ins. hæc ante bellum Trojanum florentissima fuit, in qua Græci supremas illas, quibus Troja periit, insidias struentes, sese occultarunt. Virg. *Æn.* 2.

Est in

Est in conspectu Tenedos, notissima famâ
Insula, dives opum, Priami dum regna manerent.

Dionyſ. *verſ.* 537.

Αἰγῶν τ' ἀγχιάλοιο, καὶ ἱμερτῆς Τενέδοιο.

Scribit Plinius, in hac inſula eſſe fontem, qui ſolſtitii æſtivi tempore, à tertia diei hora, ad ſextam uſque, tanta aqua ſcaturiebat, ut omnia vicina loca inundaret, reliquo autem tempore exſiccabatur. Strabo templum Neptuni, extra civitatis muros fuiſſe tradit. Vulgò dici putatur qu. Τένου ἕδος, à Tene quodam, quem Cygnus pater à noverca concitatus cùm arcâ incluſum in mare projeciſſet, is ad inſ. Leucophryn ejectus eſt, & ab incolis Rex creatus, & poſt obitum pro Deo cultus. Atque ita factum, ut inſ. pro Leucophry *Tenedos* appellaretur. Ita referunt Ariſtot. & Heraclides *in politiis.* Strabo *lib.* 13. Diod. *lib.* 5. Pauſ. *in Phocicis*, Plut. *in Hellenicis*, Conon apud Photium, Serv. *in Æn.* 7. Euſt. *in Il. α.* Iſacius *in Lycophronem*, Suidas in Τενέδιος ἄνθρωπος, Stephanus, Phavorinus, aliique. Tenem verò hunc à Tenediis relatum fuiſſe in Deos, docent hæc Ciceronis *in Verrem* 1. *Tenem ipſum, qui apud Tenedios ſanctiſſimus Deus habetur, qui urbem illam dicitur condidiſſe, cujus ex nomine Tenedos nominatur.* Tamen hanc fabulam non eſſe ex ultimâ vetuſtatis memoriâ repetitam, ex eo colligere eſt (inquit Bochartus) quòd de Tene nil quicquam habetur apud poetas vetuſtiores. Sed nec in Apollodoro, Hygino, Palæphato, & Mythologorum aliis. Nec à *Tene* fieret *Tenedos*, ſed Τένου ἕδος, ut Κολῶ μέτωπον, neque enim fert Græcæ linguæ genius, ut aliter coaleſcant ſubſtantiva cum adjectivis. Denique Τενέδος vel Τενεδος neutrum eſſet, non fœmininum. Sed fingenda fuit hæc fabula, quia pudebat Tenedios neſcire ſuas origines, & rationem nominis ſui. At Phœnices ſi conſuluiſſent, inſ. ſuam didiciſſent Tenedum dici qu. inſula טין אדום *tin edom*, i. e. *luti rubri*, cujus plurimus in figulinis uſus. Et in Tenedo celebres fuere figulinæ. Unde *Tenedia vaſa*, magno in pretio apud veteres, quod Plut. rerum *in lib. de vitandâ cenſurâ*, & ex eo Ariſtoph. Schol. *in Nub. Act.* 4. *Scen.* 3. his verbis docent: Τὴν δὲ τράπεζαν ἡ καλὰ Ἀ... ὁ Τένεδος ἀπηγορευμένη τοῖς κεραμεῦσι κηδεμονίας ἐν τῇ ἀγορᾷ. Boch. *Tenedius tibicen*, de falſo dicitur, apud Steph. *Securis Tenedia* pro expedita & ſeverâ juſtitiâ. *Tenes* enim (de quo ſupra) legem tulit, atque induxit morem, ut à tergo Judicis aſtaret quiſpiam ſecurim tenens, *viz.* in hoc paratus, ut qui perperam quid in judicio diceret, mendacium, opinor, aut falſum teſtimonium, eum protenus ſecuri ferret. Baudrando hæc Inſ. 5. m. p. abeſt, à *Sigæo* prom. 25. à Leſbo, 65. à Mitylene Urb. in Bor. verſus Thraciciam Cherſoneſum 15. Haud pridem capta & munita à Venetis, ſed recepta à Turcis. Ei ad Auſtrum adjacent Calydnæ Inſ. duæ, *hodie Maure*, Nigro, melle fœcundæ.

Tenra, fluv. Hannoniæ, *Dender* incolis, *Denre* Gall. 2. leuc. à Montibus oritur; dein Athum & Leſſiniam rigat, uti & Gerardimontium & Aloſtum urbes Flandriæ, tandem ad Teneramundam in Scaldim ſe exonerat.

Teneramunda, incolis *Dendermonde*, Gallis *Dermonde*, urbs munita Flandriæ, ad Scaldim, ubi recipit Teneram, vix 2. leuc. ab Aloſto in Bor. fere media inter Gandavum & Antverpiam, 4. utrinque leuc. 5. à Bruxellis in Circ.

Tenerchebrajum caſtrum, vulgò *Tinchebray*, locus Galliæ, in Perrico, ad Comitem Moritonii olim pertinens, Willelmo Gemeticenſi *lib.* 8. *cap.* 13. memoratum. A *Brajo*, i. luto, quòd in locopaluſtri ac cœnoſo ſitum, nomen accepit. Hadrian. Valeſius *Not. Gall.* in voce *Brajum*.

Tenericus campus, circa lacum Copaidem. Strabo.

Teneriffa, una ex Inſ. Fortunatis, aliàs *Nivaria*, Sanſoni. 150. m. p. ab ora prom. Biledulgeridiæ in Occ. uti 35. à Canaria Inſ. Circuitus 140. m. p. Ejus opp. ſunt Palus, *Laguna*, Inſulæ præc. S. Crucis, *S. Croce*, cum portu amplo, *Garrico* cum portu, S. Chriſtophori *S. Chriſtoval* & *Rialejo*. Ibi etiam *Monte de Pico* ſeu *de Teyde* incolis, *le Pic de Teneriffe* aliis, mons altiſſimus, de quo multa indigenæ. Ex eo omnes ſimul Canarias videre licet, unde & Geographorum aliquammultorum calculum meruit, ut primum ab eo Meridianum ducant, Chr. Becmannus *Hiſt. Orbis Terr.* Ad inſulam hanc cùm Hiſpanorum claſſem ex India Or. in portum S. Crucis appuliſſe, reſciviſſet Blackius, Anglicæ claſſis Præfectus, ille facinore ab omni memoriâ digniſſimo nihil moratus circumjacentia caſtella, & innumera tormenta inde in naves ſuas conferrim diſploſa, portum ingreſſus eſt, totamque claſſem Hiſpanicam deſtruxit: annulum hinc quinque millium librarum à Parlamento meritus, Idem *de regno Angliæ cap.* 4. §. 6.

Teneriffa, urbec. reg. Terræ Firmæ, in Gubernio S. Marthæ, juxta confluentes fl. S. Magdalenæ in fluv. magnum S. Marthæ. 90. m. p. à Carthagine nova in Eur. in America merid.

Teneſis, Æthiopiæ ſub Ægypto regio. Strabo.

Teneza, vulgò *Tenez*, urbs munita regni Algerii, in ora maris mediterr. cum portu ſatis tuto & prom. cognom. adjacente, 100. m. p. ab Algerio in Occ. Aliàs *Julia Cæſarea*, Sanſoni. Caput tractus cognom. verſus oram littor. maris Mediterr. inter Algerii prov. ad Ort. & Telenſinam ſeu montes ad Occ. ubi aliàs pars Mauritaniæ Cæſar.

Tengchevum, vulgò *Tencheu*, urbs quinta Xantoniæ, in Sin. ſub qua 7. minores. In ora Oceani Eoi & Sinus Nanquinenſis. Probè munita. Martinius.

Tenion, urbs Achaiæ. Steph.

Teniſſa, Maurit. Cæſ. op. Ptol. *Tremiſſen* Nigro. Aliis eſt *Tenexe*

Tenitrus, mons Macedoniæ, in ora Occ. inter Apolloniam, unde nunc *Monte di Polline*, & Dyrrhachium.

Tenium, urbs Achaiæ. Steph.

Tennagora, Ind. intra Gangem urbs. Ptol.

Tennes, qui & *Tenes*, vide *Tenedos*.

Tennes Rhodius, trium millium Græcorum mercenariorum, ab Ægyptiis auxilio Phœnicibus miſſorum Dux. Diod. *lib.* 16. *pag.* 532. A Mentore, Sidoniorum Principe, in proditionis ſocietatem aſſumptus; ſed Sidone proditâ, ab Artaxerxe Ocho, ejus perfidiam ſuſpectante, occiſus eſt.

Tennum, op. ex Æolicis, unde Hermagoras fuit is, qui de dicendi arte conſcripſit. Strab. *l.* 14. Unde *Tennites* Ciceroni, *pro Flacco.*

Tenos, *Teno*, inſ. parva in Ægæo mari, una Cycladum, in quâ urbs eſt ejuſdem nominis, quam propter aquarum abundantiam Ariſtoteles *Hydruſſam* appellatam dicit, alioqui *Ophiuſam*. Plin. 12. 4. Steph. à *Tene* conditore dictam ſcribit. Ejus meminit Ovidius *Met.* 7.

At non Oliaros, Didymeque, & Tenos & Andros.

Tenos, inquit Bochartus, Dorice Τᾶνος, Phœnicie inſula תנות *thannoth*, i. e. draconum, ſeu ſerpentum. Ariſtoph. Schol. *in Plutum*: Ἐν τῇ Τήνῳ μιᾷ τῶν Κυκλάδων νήσῳ ὄφεις καὶ σκορπίοι ὁ... ἐγίνοντο. Ibidem Ὀφιοῦσσα, i. e. *Anguina* dicitur ab Antimacho. Quod & alii imitati ſunt. Atque eodem referri poteſt, quòd à nonnullis *Hydruſſa* dicebatur: nempe ab *hydris* facto nomine, non ab aquis, ut veteres volunt, Euſt. Ὕδασι κατάῤῥυτος, διὸ καὶ Ὕδρουσα ἐκαλεῖτο δέ. Steph. Ἐκλήθη δὲ Ὕδρουσα, διὰ τὸ κατάῤῥυτον εἶναι, καὶ Ὀφιοῦσα. Plin. *Tenos cum oppido* 15. *m p porrecta, quam propter aquarum abundantiam Ariſtoteles Hydruſſam appellatam ait, aliqui Ophiuſſam.* Quin & vipera *Tenia* dicta eſt, tanquam eſſet à Teno. Heſychius: Τηνία, ἔχιδνα: quia Tenus fuit θηριώδης, ut habet Scholiaſtes qui ſupra. Ariſtoteles *in fine lib. de Mirab.* narrat de ſerpente quodam in *Teno* urbe magicis cantibus exanimato. Sed *Tenus* illa in Theſſaliâ fuit, non in inſulâ *Teno*. Τηνίων σκοροδάλμη *alliorum ex Teno* mem. Ariſtoph. *in Pluto*, quæ volunt fuiſſe δριμύτατα *acerrima*. In Ariſt. autem non occurrit, quod ex eo citat Stephan. ibi φιάλην σύγκραμα εἶναι ἐξ τοῦ ἀναδύντος πίνοντι δ... Nihilo fortaſſe verius, quàm quod aſſerit Athenæus *lib.* 1. ibidem eſſe fontem, cujus aqua vino non miſcetur. *Antholog.* 1. 38. Antipater Tenum ita cum Delo confert,

Νῆσοι δὲ σὺ μὲν ζώεις, ἡ δ' οὐκ ἔτι· τίς κε ἰώλπει
Ὀψὲ τὸ Τήνου Δῆλον ἐρημοτέρην;

Unde colligitur Tenum inſulam eſſe non magnæ rei. Circuitus eſt 35. m. p. cum arce permunita, in monte, ſub Venetis, à tribus ferè ſeculis. Epiſc. habet Latini ritus, & 12. m. p. diſtat ab Mycono Inſ. in Bor. *Tenos* item apud ſcriptores Britannicos, inſ. Albionis, ante oſtia Tameſis, Cantio adjacens, vulgò *The Iſle of Tenet.*

Tenos, Laconiæ urbs. Steph.

Tenſa, M Græciæ inſ. ab Jonibus inſtituta. Solinus.

Tentyra, orum, & *Tentyris*, urbs & nomus Ægypti ad Nilum cum inſ. teſte Plin. Incolæ *Tentyritæ*, qui tanto crocodilis terrori eſſe dicuntur, ut ſolâ voce eorum auditâ in fugam vertantur. Plin. 25. 8. Strab. *lib.* 17. Juvenal. *Sat.* 15.

Quâ vicina colunt umbroſæ Tentyra palmæ.

Eſt & locus Thraciæ in ora contra Samothraciam inſulam, cujus mem. Ovid. 1. *Triſt. el.* 9.

Saltus ab hâc contra brevis eſt Tentyra petenti.

Ita quidem locus ille vulgo legi ſolet. Pro *Tentyra* verò (notante doctiſſimo Nic. Heinſio) veteres plerique *Empira*, vel *Empyra*. Combianus autem pro diverſâ lectione *Tempyra*, quomodo & duo alii, rectè. Liv. *l.* 38. *c.* 41. *Inde Æniorum fines, præter Apollinis, Zerinthium quem vocant incolæ, templum ſuperant. Alia anguſtia circa Tempyra excipiunt, (hoc loco nomen eſt) non minus confragoſa.* Faceſſat ergo Ortelius, qui cum Merulâ *Stentora* emendandum cenſet. Pop. *Tentyritæ*, qui accipitrem pro Deo colebant, & olfactu ſerpentes fugabant.

Tenupſis, op. Nubæorum in Æthiopiâ ſub Ægypto, Plin.

Teoracia ſilva, ac Fania, altera alteri proxima, pagis itidem nomina dedere, *la Tieraſche* & *la Faigne*. Hic Avalle, ubi Carolomannus Normannos vicit, An. Ch 882. *Avaux*, cum tit. Comit. non procul ab urbe Remis: Fuſniacum, Auriniacum, Monaſter. S. Michaëlis, vett. memorata. Hodieque plena ſilvis eſt *Teoracia* regiuncula, ſed inter cœteras eminet illa, quæ Picardiam ab Hainoo dividens, ſola meretur *Teoraciæ* nomen. Circa hanc ſunt Monaſterium Abbatiale S. Michaëlis, Iritio *Hirſon*, Fuſniacum, *Foiſny*, vicus Fleo major & minor *le grand & le petit Floyon*, ut & Teloniæ in Hainoo caſtellum, *Trelon*. Eidem attribuuntur nunc Mons Cornutus *Moncornet*, Roſetum *Roſoy*, Ruminiacum, Albento *Aubanton*, Leſcheriæ *Leheries*, Auriniacum *Origni*, Strata ad pontem *Eſtreaupont*, Altaripa *Autrepe*, Guſia, Verbinum, & Capella *la Chapelle en Teraſſe*. Unus eſt hodie inter Eccleſiæ Laudunenſis Archidiaconatus, Teoracenſis Archidiaconatus. V. Had. Valeſium *Notit. Gall.*

Teorregum, vulgò *Teorregu*, tractus parvus Biledulgeridiæ, versus confin. regni Tripolitani & regni Barcæ. Gramajus, & Johan. Leo.

Teos, *Teios*, Thucydidi, *Sufer* nunc Theveto & Moletio, urbs olim episc. sub. Arch. Ephesino, & portus Joniæ in orâ litorali inter Erythras ad Bor. & Colophonem ad Austr. Anacreontis, & Erinnæ poetriæ patria, licèt alii *Teum* Anacreontis patriam scribunt. Hinc *Teius* adject. Horat.

—— *Et fide Teiâ*
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamq; Circen.

Est alia in Scythiâ, de quâ sis Stephanum consulas.

Tephene, Palæstinæ toparchia. Plin.

Tephlis, Cedreno *Tiphlis* Curopalati, urbs Mediæ, seu potius Armen. maj. in Georgianis, munitissima, ubi diu Turcarum præsidium fuit; sed nostrâ tempestate à Persis recuperata est. *Artaxata* veteribus dicta putatur.

Tepula Aqua, urbis Romæ. Plin. 36. 14. etiam *Julia* vocatur apud Florentinum.

Teracatria, campi Germ. juxta Danubium, Ptol. *Kunigvviser*, & *Marchfelder* Lazius dicit eos hodie vocari.

Terapna, V. *Therapna* & *Theramna*.

Terapsa, ins. non magna juxta Carthaginem. Steph.

Terbetia, urbs Siciliæ. Steph.

Tercatum, sive *Trecatum*, opp. agri Novar. ex præcipuis Orobiorum habitatum, *Treca* vulgò, quasi tres casæ. 5. p. m. à Novaria, Viglebanum versus.

Tercera, Vide *Tertiaria*.

Terchium, vulgò *Terchi*, urbs Asiæ, prope mare Caspium, in limite Georgiæ; in ditione M. Moscoviæ D. Olear.

Terdona, Vide *Dertona*.

Terebs vel *Terebus*, flu. Hisp. Tar. in mare Ibericum inter Carthaginem novam & Alonas influens, qui idem cum Tadero Plinii esse videtur. V. *ibi*.

Teredon, urbs ad sin. Persicum. Ptol. *Balsara* Ortelio. Hujus meminit Dionysius *vers.* 982.

Υ'ψηλῆς ἀρχῇσι Τερηδόνος ἐγγὺς ὁδεύων.

Ubi Scholiastes πόλιν Περσικὴν vocat. Baudrando *Balsora* & *Bassora*, urbs Arabiæ fel. in ipso limite Arabiæ des. Emporium celebre, ubi Tigris & Euphr. confluunt. & in sinum Persicum se exonerat. A Babylone 15. dierum itinere; Ex quo Rex Persarum Armuzium expugnavit, solent Angli, Lusitani & Batavi merces Indicas huc advehere; Habitant in ejus vicinus plurimæ familiæ Sabborum seu Mendajorum, qui vulgò Christiani S. Joannis dicuntur. Antè sub Turcis, nunc sui juris. V. P. de Valle *Itin. tom.* 4.

Terentia, Ciceronis uxor, 93. vitæ annum explevit. Val. Max. 4. 18. Sed Plin. 7. 48. annos 117. vixisse tradit. Repudiata à Cicerone nupsit Sallustio, deinde Messalæ Corvino. Hieronymus contra Jovinianum: *Illa conjunx egregia, & quæ de fontibus Tullianis hauserit sapientiam, nupsit Sallustio inimico ejus, & tertio Messalæ Corvino, & quasi per quosdam gradus eloquentiæ devoluta est.* De hâc flebiliter Tullius ipse, *ad Att lib.* 2. *De Terentia*, inquit, *auditum ex Philotimo, eam scelerate quædam facere.*

Terentia Æmylia, Scipionis Africani uxor, præter uxorum morem, cùm videret senem maritum ancillulam deperire, ne ejus dignitas imminueretur, retinuit, constantique animo pertulit: quinetiam eo mortuo, ad tollendam suspicionem, ancillam manumisit, libertoque suo in matrimonium collocavit. Vide Supplement. Chron.

Terentianus, vir quidam, cui librum suum *de sublimi dicendi genere* dedicavit Dionys. Longinus. Utrum verò ille ipse fuerit, cujus hodieque libellus extat *de metris*, opus omni elegantiarum genere conditum, & amabili quâdam ingenii amœnitate temperatum, res est quæsitu digna, inquit vir doctiss. Tan. Faber *notis ad Longinum nuper editis*, & aliàs se quæsiturum promittit. V. infra.

Terentianus, Præfectus prætorianorum, sub Juliano Apostata, & Joviano. S. Johannem & S. Paulum in carcere clam occidi jussit, mentitus illos in exilium actos. Converso dein filio Terentiano, ipse similiter fidem amplexus, Martyrum horum, ut & Ovini Gallicani, qui Constantini gener fuit, Historiam scripsit. Vossius *de H. L. lib.* 3. *cap.* 2. Ado *in Martyrologio*.

Terentianus Maurus, Præfectus Syenes, in Ægypto. Martial. *lib.* 1. *Epigr.* 87.

Tam longè est mihi, quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenem.

Floruit sub Trajano: auctor *de arte Metrica*, V. Girald. *dial.* 10. *Histor. Poët.* Voss. *de Hist. Lat. cap.* 3. & 4. V. supra.

Terentius, Poeta Comicus, Carthagine natus, Terentii Lucani libertus, qui cùm esset egregiâ indole, à patrono eruditus, & libertate donatus, Comœdiæ egregiam rationem excogitavit, in dramatibus suis inimitabilis: Regula puritatis & elegantiarum Latini sermonis à Tullio habitus. Sic venit in amicitiam nobilium, maximè Lælii & Scipionis; quorum operâ adjutus in scribendo fertur ob elegantiam sermonis, teste Cicerone, cui adstipulatur etiam Varro. Quid quòd eandem ipse famam augere videtur, non enim nisi leviter se tutari conatur Prologo Adelphorum. Sex ejus Comœdias habemus. Obiit in Græciam profectus, An. 595. U. C. 2. Olymp. 155. Hieron. Et quidem eum in Arcadia quidam defunctum, Volcatius mari mersum scribit:

Sed ut Afer sex populo edidit Comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit: navim cùm semel
Conscendit, visus nunquam est: sic vitâ vacat,

Sueton. *in ejus vita.* Crinitus *de Poët.* Scaliger *in Poët.* & Voss. *de Poet. Lat. pag.* 9.

Terentius Culeo, vel Culleo, senator Rom. captus à Carthaginensibus, redemptus est ab Africano majore, ac currum ejus cum pileo capiti imposito sequebatur. Livius. Hinc natus error apud quosdam, Terentium Comicum hunc esse putantes.

Terentius Evocatus, secundùm quosdam, percussor Galbæ. Tacit. *Hist.* 1. 41.

Terentius Lentinus, Eques Romanus, falsi sub Nerone damnatus. Tacit. 14. 40.

Terentius Libo, Poëta, Fregellis natus. Voss. *de Hist. Lat.*

Terentius, prænomine *Marcus*, Amicus Sejani, qui quòd constanter id, quod ei crimini dabatur, nempe familiaritatem cum Sejano, confessus erat; discrimini exemptus est; ejusque accusatores additis, quæ antea deliquerant, exsilio aut morte multati sunt. Tacit. 6. 8.

Terentius Scaurus, Grammaticus, quem Gellius dicit floruisse Adriani temporibus, ac librum de Cæsellii Vindicis Grammatici erroribus scripsisse.

Terentius Varro, collega Æmilii Paull post cladem Cannensem cum reliquiis exercitûs Canusium se recepit. Cui Romam redeunti gratulatus est pop. Rom. quòd de Rep. non desperasset. Plut. V. quoque *Varro*, & *Varro Atacinus*.

Terentus, locus in Campo Martio, haud procul à Capitolio, ubi templum Plutonis & Consi, araque sub terrâ Inferis dicata, sic à *terendo* dictus, quòd ibi Tyberis ripas rumpens, terram tereret. Ejus mem. Papinius *Sylv.* 1. 4.

Aut instaurati peccaverit ora Terenti.

Hinc *ludi Terentini*, qui & *Seculares*. Mart. 4. 1.

Hic colat ingenti redeuntia secula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.

Terenuthis, urbs Ægypti. Steph.

Teres, fil. Sitalcis, Thracum R. ab Atheniensibus civitate donatus. V. Aristoph. *Acharn. Act.* 1. *Sc.* 4.

Teressa, Æolidis urbs. Pompon.

Tereus, rex Thracum, Martis ex Bistonide Nymphâ fil. qui, cùm Prognen, Pandionis Athenarum regis filiam, uxorem duxisset, ejus etiam sororem Philomelam per speciem visendæ sororis abductam vitiavit, vitiatæque linguam præcidit, arctissimæq; eam custodiæ inclusit. Quod facinus cùm illa indicare non posset, acu in tela depictum sorori suæ transmisit. Quâ re cognitâ, Progne ultionem in Orgiorum tempus differt: quo tempore matronis pluribus comitata, quæ Bacchanrium ritu thyrsos & cornua gestabant, sororem carcere eripit, Bacchanticque habitu indutam in aulam perducit, ubi cum illâ communicato consilio, Ityn filium direptum dilacerat, patrique comedendum apponit. Quod cùm ille ex pueri capite, sub cœnæ finem in convivium allato, cognovisset; jamque stricto gladio ad ultionem properaret, Progne mutata est in hirundinem, Philomela in avem sui nominis, Itys in Phasianum, Tereus autem in Upupam. Hanc fabulam multis versibus describit Ovid. *Metam.* 6. Virgil. *Ecl.* 6.

Aut ut mutatos Terei narraverit artus,
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit.

Mart. 4. 49.

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos; aut cœnam, crude Thyesta, tuam.

Idem *lib.* 12.

Flet Philomela nefas incesti Tereos ——

Stat. *lib.* 12. *Theb.*

—— *Et iniquam Terea clamant.*

Terga, desertum Nigritiæ. Aliter desertum Hayr, ab opp. prim.

Tergedum, Æthiopiæ sub Ægypto op. Plin.

Tergemina, Diana dicta est. Solet enim Luna in triplicem speciem sese convertere; aut quòd ipsa tres facies, seu tres vias, h. e. tria nomina in diversis locis habeat; est enim Luna in cœlo, Hecate apud inferos, sive Proserpina, Diana verò in terrâ seu sylvis vocatur. Horatius,

Montium custos, nemorumq; virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisq; letho
Diva triformis.

Et Virgilius:

—— *Tria virginis ora Dianæ.*

Incertus auctor:

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, superna, feras, sceptro, fulgore, sagittâ.

Tergeste, *Tergestum*, Ptol. & Melæ, colon. & urbs Carnorum, seu Histriæ in confin. marit. ab Aquileiâ 25. m. p. in ort. Nunc Istriæ Baudr. in ora maris Adr. & infimo recessu Sinus Tergestini. Parva sed munita, sub Imperatore. Cum portu capaci, cui adjacet castr.

castr. *Zuchi*; 33. mill. pass. ab Aquileja, 50. à Pola in Circ. Episcop. sub Patriarcha Aquilejens. Hinc *Comitatus Tergestinus* tractus adjacens, sub Austr. Pop. *Tergestini*. Hic *Tergestinus sinus*, qui & *Aquilejensis* dicitur. Nunc *Golfo de Trieste*; intimus maris Hadriatici recessus, inter Carnos & Istros, seu inter Sontii fluv. ostia, in ora Foro-Julii & promunt. Albram, prope Umacum in ora Istriæ. *Tergestra* vocatur Stephano. Dionys. *vers.* 380.

Τῶν σύγετης Α'λείης ἄλμη
Πόντου ἐς ἀτζέπαγες Α'πυλῆίον ἤδη ἱκάνει
Α'γὼ Τεργεστραίων, μυχάτης ἐπὶ πεῖρασι Πόντου.

Tergilani, Lucanorum gens, Plin.

Tergus, urbs Libyæ juxta Æthiopiam, Steph.

Tergolape, vulgò *Lampach*, monaster. in Austria super. ad Traunum fluv. inter Laciacum & Ovilabam, aliàs celebre opp. 5. mill. Germ. à Lintio in Mer.

Tergovistum, seu *Targoviscum*, incolis *Tervvisch*, Gall. *Tervis*, Ital. *Targovisco*, aliàs *Tirijcum*, & *Taros*, sedes est Principis Valachiæ, ad Launizam fluv. vix. 60. mill. à Nicopoli in Bor.

Terias, *Tyrias* Diodoro, Siciliæ fluv. inter Amenanum & Simæthum apud Catanam urb. fluens. *La Jaretta*. Hodie *Fiume di S. Leonardo*, Cluver. Briet. vix m. pass. a Leontinis labitur in valle Neetina, dein in mare Jonium se exonerat, 12. mill. pass. à Catana in Merid. Baudr.

Teribazus, magni nominis apud Persas Purpuratus, nauticis copiis ab Artaxerxe, ad bellum Cyprium contra Evagoram, præpositus. Cùm jam in eo esset, ut Salaminem expugnaret, invidiâ Orontis, novarum rerum defertur, apud Artaxerxen revocatusq; atque in vincula conjectus causam capitis dixit. Quomodo ab Oronte barbarâ calliditate in potestatem redactus sit, docet Polyæn. *lib.* 7.

Teridata, Mesopotamiæ urbs, Ptolem.

Terina, urbs Italiæ in Brutiis, *Nocera* Barrio; ad sinum Hipponiatem (qui & *Terinæus* Plinio ex eâ nominatur, vulgò *Golfo di S. Eufemia*) in Calabr. citer. à Cosentia 16. mill. pass. ab Amantia in Bor. 8. apud ostia Ocinari, sive Sabbati fluv. *Terina* etiam fluv. qui opp. irrigat, appellatur, teste Steph. qui *Terinam* à Crotoniatis conditam scribit.

Teriolstes, ab Alexandro Parapamisadis præfectus, quem, cùm provincialibus arguentibus multa avarè ac superbè egisse cognosset, interfici jussit. Curt. 9. 43.

Teriolum, vulgò *Tyrol*, oppid. aliàs Rhætiæ, nun castr. tenue in colle, prope Athesin fluv. & Meranum opp. ad radices Alpium Tridentinarum, aliàs caput Comit. Tyrolensis, hinc dicti. Medium inter Oenipontem ad Bor. & Tridentum ad Merid. 9. mill. Germ. utrinque. Sub Austr.

Terires, vicit Olympia, Olymp. 97. An. 1. Diod. *lib.* 14.

Teris, urbs. Polyænus ejus meminit, *lib.* 2. *in Cleandridâ*. Sed *Terina* erat alia lectio & vera. Nam idem *Terinæos* gentiles inde habet: quos *Terina* quoque facit Stephan. Vide *Terina*.

Terinum, Pieriæ urbs in Macedoniâ. Polyb. *lib.* 4.

Terloniacum, seu *Telonia* Hermanno *lib.* 3. *de mir. S. Mariæ Laudun.* vicus seu castrum Galliæ Belg. nunc *Treslon*, in Hainoo, inter Cimacum & Avesnas, in sylva maxima diœceseos Laudunensis, Terrascea vel Teoracia: dirutum ab Henrico II. Gall. R. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Termantia, *Termes* Ptol. opp. Hisp. Tarrac. in Arevacis, apud Durium fluv. excisum *Nuestra Senora de Tiermes* adhuc nominatur, teste Morali, apud Uxamam urb. Pop. *Termestini* Tacito.

Termela, vel *Termera*, urbs Lyciæ, à *Termero* dicta. Vide Steph.

Termerium, promuntor. Myndiorum in Caria.

Termes, vide *Termantia*. Hic Lucius Piso, Prætor Hispan. citer. ob nimia tributa, ab agricola Termestino confoditur, circa an. Sal. 20. qui nullis tormentis, ut socios proderet, potuit adigi.

Termesus, vide *Termissus*.

Termetis, Asiæ min. mons, Olympi radicibus junctus, Plin.

Termile, mons Lyciæ. Vide *Tremile*.

Terminalia, festa à Romanis Termino Deo nuncupata; quem Numa Pompilius, cùm tum finitimis agri terminos constituisset, in finibus, tanquam horum præsidem, amicitiæque ac pacis custodem, posuit, Plut. *in Probl.* 13. Horum vice Angli, ex vetustissima consuetudine parochiarum terminos lustrant: Hodie *Processiones*, & *Rogationes* appellantur. Vide Henr. Spelm *Gloss. Archæol.*

Terminus, Dei loco habitus est, quòd, post Saturnum exactum, cædes ac lites rusticorum dividendis agris sustulisset. Sacrificabant ei mense Febr. in æde, quâ super eum foramen in tecto patebat, quòd nefas esse putarent Terminum intra tecta consistere. Numa Pompilius, secundus Romanorum Rex, cùm publicum agrum Populo Romano & privatum certis limitibus, terminisque definivisset, sacellum erexisse Termino traditur, in colle Tarpejo, cui nihil animatum sacrificaretur, sed liba tantùm, pultes, & frugum primitiæ. Saxum verò fuit hic Deus, unde & termini agrorum tales fuerunt, licèt & postea stipes & arbor & tegula etiam pro termino posita. Existimat Lactantius in *primo*, *Terminum* eum fuisse lapidem, quem pro Jove devoravit Saturnus, quem Græci *βαίτυλον* vocant, *Abadir* Latini, ut Priscianus & alii scribunt. De hoc extat lepidum ænigma apud Agellium, quòd Jovi solus omnium Deorum cedere noluerit, *lib.* 12. *cap.* 6.

Semel minusne, an bis minus sit, non sat scio,
An utrumq; eorum, ut quondam audivi dicier,
Jovi ipsi regi noluit concedere.

Festa ejus dicuntur *Terminalia*. Horatius:

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Ovidius *Fastorum* 2.

Spargitur & cæso communi Terminus agno:
Nec queritur lactens cùm sibi porca datur.
Conveniunt, celebrantq; dapes vicinia simplex;
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.
Tu populos, urbesq; & regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est: nullo corrumperis auro:
Legitimâ servas credita rura fide.

Hinc Erasmi Symbolum: *Cedo nulli.*

Termissus, Strabo, *Termessos* Ptolemæo, *Termesus* Livio, (vide *Telmissus*) urbs Pamphyliæ in Pisidiâ, inter Pergen ad Austr. & Antiochiam ad Boream. Item fluvius Bœotiæ, Heliconem circumfluens.

Termisum, Hispaniæ oppidum amplissimum, Romanis semper infidum; quod T. Didius ex loco tuto in planitiem transtulit: jussis oppidanis sine munimentis habitare. Appianus in *Ibericis*. Fortè *Termes* Plinii & *Termestini* Tacit. *Annal.* 4. 45. Quo loco nunc sacrarium Virginis matris cernitur, *Tiermes* nomine; ut habet Joan. Mariana.

Termula, urbs Capitanatæ provinc. in ora maris Adriat. Episcop. sub Archiepiscop. Beneventano, ad ostia Tiferni fluv. in limite Aprutii citer. 30. mill. pass. ab Anxano in Ort. uti 22. à Tridento, 11. à Larina in Cæc. Vulgò *Termini*.

Termus, Sardiniæ fluv. Ptolem.

Ternata, Insula parva, una ex Moluccis propr. dictis, aromatum proventu dives: Vulgò *Ternate*. Antea sub Rege propr. dein sub Hispan. tandem Batavis cessit; qui ibi aliquot habent arces, uti Gammalammam & Malayum oppid. ubi hodieque commoratur Rex Ternatæ. Vix 2. mill. pass. à Tidoro insula in Bor. 44. ab ora Occ. Giloli insul. Vide *Molucca*.

Ternatum, seu *us*, pagus Insubriæ, *Trina*, vel *Terna*, ad lacum cognomin. Verbano lacui propinquus, inter Mediolanum 30. & Angleriam 6. mill. pass.

Ternobum, seu *us*, Nicet. Gregoræ, *Trinobum* Laconico, *Ternova*, urbs Mysiæ, in Thraciæ confinio, ad Hæmum, Bulgariæ metrop. munitissima.

Ternodurum, meliùs *Tornodurum*, oppid. aliàs Lingonum, nunc tractus Senonensis, ad Armantionem fluv. cum titulo olim Vice-Comitatus, nunc Comit. etiamnum Lingonensis est Diœcesis, 24. leue. à Lingonibus in Occ. Antissiodorum versus 8. Vulgò *Tonnerre*. Caput est pagi *Ternodorensis*, in quo ponuntur Ciconiæ *Cichées*, Anciacum *Ancy le Franc*, Rapariæ *Ravieres*, Marcomania, *Marmaigre*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Terpander, Arnæus, sive Lesbius, poëta Lyricus, primus in lyrâ Heptachordum & lyrici carminis canonem scripsit; quanquam id Philemoni quidam adscribunt, Suid. Hujus famæ ac nominis maximi judicium patet, quòd Lacedæmonii seditione quâdam admoniti fuerint ab oraculo, ut ad Terpandrum mitterent, qui lyræ & poëseos dulcedine animos vulgi ac tumultus sedaret. Undè proverbium apud Græcos, *Lesbius cantus*, pro dulci Musices concentu. Vixit Olympiade 33. Eusebius *in Chronolog.* Lil. Giraldus, &c.

Terphalai, populi, 1. Esdr. 4.

Terpnus, citharœdus, cujus cantu oblectatum Neronem scribit Suetonius *in his: Statim ut imperium adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios accersit, diebusq; continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim & ipse meditari, exercitariq; cœpit, nec eorum quicquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conservandæ vocis causâ, vel augendæ factitarent.*

Terpsichore, una 9. Musarum, sic dicta quòd *choreis* & tripudiis *delectetur*. Huic quidam citharæ inventionem tribuunt.

Terra, vide *Herthus*.

Terra Antarctica quid sit non constat, cùm nondum detecta sit: Vide *Antarctica regiones*, seu quæ magis versùs Antarcticum circulum extenduntur, & terra Australis.

Terra Arcticæ seu Arcticæ regiones, *les Terres Arctiques*, sunt regiones orbis magis versùs Boream & Polum Arcticum extensæ, uti Spitzberga seu regio montium acutorum, *Spitzberg*, Gronelandia seu terra Viridis, *le Groneland*, nova Dania, *le nouveau Dannemark*, Estotilandia, *l'Estotiland*, & aliæ plurimæ versùs fretum Hudsonium, fretum Davisium, mare Christianum, & Baffinium sinum protensæ, in parte Septentrionali Americæ Borealis, vix nomine notæ. Minimum hæc *Terra* intervallum à veteri orbe habet, ad Fretum *Waygats*, ab America ad Fretum *Davis*.

Terra Australis, *la terre Australe*, pars est amplissima orbis versùs Austrum extensa, sed etiamnum pro majori parte incognita, & vix lustrata quibusdam in locis versùs oram littoralem; ita ut de ea pauca admodum dici possint. Ejus partes hactenus cognitæ sunt nova Hollandia, ubi terra Concordiæ & terra Nuitii; terra Diemeni, nova Zelandia, terra Quiri, & terræ incognitæ, quæ

protenduntur versùs austrum Africæ & terræ Ignium, quanquam multùm ab ipsis sint dissitæ. Hinc Fero Mendezio de Quiro *Australia incognita* dicitur. Maximè vicina est *Terra Australis* veteri orbi ad procurrentem tractum N. Guineæ, Americæ verò ad fretum Magellanicum, solamque hanc constat mari undique cinctam esse. De semestri die ac nocte regionum, Vide Becmannum *Histor. Orbis Terr.* qui sub ipsis Polis perpetuam & saltem creperam lucem dari ostendit. Cæterùm Kircherius animadvertit, esse in Regionibus hisce Subpolaribus ingentes voragines, quibus mare sub Polo Arctico absorbeatur, sub Australi iterum emergat: hincq; fieri quòd maria Subpolaria ob rapiditatem superari non possint, *in Itin. Ecstatico* 2. *Dial.* 1. *& M. S. lib.* 3. *cap.* 2.

Terra Chabul sive Cabul, regio est in tribu Aser, Galilææ gentium, Tyriorum finibus vicina, cujus viginti civitates non procul à Tyro dissitas Tyriorum regi Hyram Salomon R. gratitudinis ergò dedit.

Terra Concordiæ, *t'landt van Eendracht* Batavis, *païs de Concorde* Gallis, pars est terræ Australis & novæ Hollandiæ. Vide *Concordia regio.*

Terra Esonis, *terre de Jeso*, seu *de Jedzo*, & *Jesso*, regio est perampla inter Californiam insulam Americæ Septentrionalis ad Ortum, & Tartariam Japoniamque ad Occasum, nuper detecta versùs oram Australem. Sed an sit insula aut continens non constat, quanquam lustrata sit à Batavis An. 1643. & sequentibus. A quibusdam conjungitur cum parte Boreali Japoniæ, ab aliis autem ab ea separatur angusto freto 15. mill. pass. Extenditur verò, uti narrant, ab Ortu in Occasum per 3000. mill. pass. & ejus præcipua urbs est *Matsumay*, seu *Matsmay*, in provincia cognomine. Sed in illa regione nulla est colonia Europæorum, & de ea pauca admodum dici possunt.

Terra Ethim, in tribu Ephraïm, in qua Luza ædificatur, Judic. *cap.* 1.

Terra Firma, *Terre ferme* Gallis, *Tierra Firme* Hispanis, regio Americæ meridionalis, quæ duplex est, vel lata, vel stricta. Terra firma lata, aliàs Castella aurea dicta, complectitur provincias Terram firmam, Popayanum, novam Granatam, Parim, novam Vandalitiam, & Gubernia Venezuelæ, sanctæ Marthæ, fluvii Facis, & Carthaginis novæ, quæ omnia subsunt Hispanis pro majori parte.

Terra firma in America urbes præcipuæ:

Fanum S. Mariæ de Remedi s, seu fluvius Facis, *nuestra Sennora de Remedios, ò Rio de la Hacha.*
Calium, *Cali.*
Carthago nova, *nueva Carthagena.*
Corum, *Cori.*
Fanum S. Fidei de Bogota, *S. Fé de Bogota.*
Fanum S. Marthæ, *S. Marta.*
Nova Corduba, seu Comana, *Nueva Cordoua, ò Comana.*
Panama, *Panama.*
Popajanum, *Popajan.*
Portus Belus, *Puerto Belo.*

Terra firma autem strictè sumpta, *Tierra Firme* vulgò dicta ab Hispanis, pars est parva Americæ meridionalis versus Isthmum Panamæ, & inter sinus Panamæ & Urabæ, ubi urbes præcipuæ Panama, vulgò *Panama*, & Portus Belus, ut ajunt, *Puerto Belo*, sub Hispanis.

Terra Genesar, quæ & Græcè *Genezareth*, in tribu Zabulon, regio est naturâ, ubertate simul & pulchritudine tam admirabilis, ut naturæ magnificentiam hanc esse quis dixerit. Ejus tanta temperies, ut omnium, quæ terra profert, conveniat diversitati. Illic & quæ frigore aluntur, sese multipliciter effundunt, & quæ æstu foventur, nullumque pro ubertate sua negat arbustum.

Terra Hus, regio quæ Hebraicâ voce *Hus*, sive *Huz* dicitur, in tribu Manasse, à multis interpretibus *Αὐσίτις Ausitis*, quasi *Οὐσίτις*, *Husitis* nominatur: sita est ultra Jordanem in Trachonitide regione, inter Palæstinam & Cœlesyriam media. Juxta Josephum & Hieronymum condita est ac nomen accepit, ab *Hus*, filio Aram, filii Sem, filii Noë, qui & Trachonitidis & Damasci quoque conditor fuit.

Terra Ignium, *Tierre del Fuego* Hispanis, *terre de Feu* Gallis, insula est ampla Americæ meridionalis, inter fretum Magellanicum & fretum Mæreum extensa, & primùm à Ferdinando Magellano detecta. Vide *Ignium regio.*

Terra Laboris, *terra di Lavoro*, provincia regni Neapolitani, in ora maris Tyrrheni, ubi aliàs Campania felix cum parte Latii novi. Irrigatur Liri & Vulturno fluviis, & terminatur à Septentrione Aprutio, ab Oriente Comitatu Molisino & Principatu ulteriori, a Meridie Principatu citeriori, & ab Occasu mari Tyrrheno & Campania Romana. Tota admodum fertilis est & rigua. Provinciæ urbs primaria est Neapolis, *Napoli*, totius regni caput & amplissima. Aliæ urbes præcipuæ sunt Capua, *Capoa*, Surrentum, *Sorrento*, Cajeta, *Gaeta*, Puteoli, *Pozzuolo*, Nola, *Nola*, Suessa, *Sessa*, Sora, *Sora*, & Venafrum, *Venafro.*

Terra Magellanica, *la Magellanique*, regio est Americæ meridionalis, in ejus parte Australi. Vide *Magellanica.*

Terra Mauritii, *Maurice land* Batavis, tractus Americæ Australis, in parte Occidentali terræ Ignium, juxta fretum Mæreum. Sic dicta fuit à Batavis Ann. 1616. in honorem Mauritii Principis Auraici.

Terra Nova, *Isle de terre Neufve*, insula Americæ Septentrionalis, in nova Francia, perampla, & figuræ fere triangularis, prope sinum Sancti Laurentii, cum aliquot coloniis Francorum. Vide *Insula terra nova.*

Terra Nova, *terra Nova*, oppidum Siciliæ, in Valle Neetina, in ora maris Africi, Ducatus titulo clarum Gentis Cordubæ, aliàs *Gela* dictum. Vide *ibi.*

Terra Nuitii, *païs de Nuits*, pars est ampla terræ Australis & novæ Hollandiæ recens detecta. Vide *Nuitii regio.*

Terra Papuorum seu Nigrorum, *terre des Papous*, regio ampla Asiæ, in parte Australi Oceani Indici, inter novam Guineam ad Ortum & Moluccas insulas ad occasum. Hisce ultimis temporibus detecta fuit à Batavis, sed tantùm versùs oram littoralem, & à multis creditur pars novæ Guineæ ei adjacentis.

Terra Quiri, *païs de Quir*, pars est terræ Australis versùs meridionalem partem maris Pacifici. Vide *Quiri regio.*

Terra Sancta, *la Terre Sainte*, regio est Asiæ, quæ aliàs Palæstina & Judæa dicta fuit; estque pars Syriæ latè sumptæ: & subest nunc dominio Turcarum. Terminatur ab Occidente mari Mediterraneo seu Syriaco, à Septentrione Syria propria, & ab Oriente & Meridie Arabia. Nunc ejus partes sunt sex, nempe pars regni Arabum trans Jordanem fluvium, Principatus Sidonis, *la Principauté de l'Emir de Saide*, Principatus Cæsareæ, *Principauté de l'Emir de Casair*, Præfectura Neapolis, *le Sangiacat de Naplouse*, Præfectura Hierosolymitana, *le Sangiacat de Hierusalem*, & Præfectura Gazæ, aliàs Principatus, *le Sangiacat de Gaze.* Ejus præcipua urbs est Hierosolyma, *Couts Xerif* Turcis. Vide *Palæstina.*

Terra Societatis, *terre de la Compagnie*, pars est ampla terræ Esonis, in America Boreali, recèns à Batavis detecta, versùs Statuum insulam & fretum *Uries* dictum: Sed à quibusdam creditur insula.

Terra Thob, est in tribu Gad, ad hanc fugit, hicque habitavit Jephthe, Jud. 11.

Terra Viridis, *Groneland*, pars terræ Arcticæ, quæ aliter & sæpius dicitur Gronelandia. Vide *ibi.*

Terracina, civit. Latii, exigua sed frequens.

Terrasidius, prænom. Titus, eques Rom. præfectus militum, in leg. 7. Cæsare in Gallia bellante 3. *Comm.* 7. *&* 8.

Terrassonium, vulgò *Terrasson*, opp. Petrocorii, ad Veseram fluv. in limite Lemovicensi, 3. leuc. infra Brivam Curretiam in Occid. uti 5. à Tutela.

Terra Leporia, una ex tribus partibus Lapponiæ Moscoviticæ, maximè in Ortum extensa, inter Oceanum Sept. & mare Album, sub Moscis; Vulgò *Terskoy Leporie.*

Terta, opp. Thraciæ, inter Sardicam & Philippopolim, Ptolem. *Tinto*, vel *Tirto* Moletio. *Tedia* aliis.

Tertia, sive *Tertulla* per diminutionem, Bruti soror, uxor Cassii, sic dicta, quia post 2. edita esset. Hæc abortum fecerat, quod queritur Cicer. *ad Attic. lib.* 4. *Tertulla nollem abortum: tam enim Cassii sunt jam, quàm Bruti serendi.*

Tertiaria, Gall. *la Tercere*, Azorum ins. præcipua, quæ hinc *Tertiariæ* sæpe dicuntur. Media fere inter Africam & Americam Septentr. Ab Ortu in Occ. extensa per 25. mill. pass. non æquè lata. Caput ejus, Angra, in parte Austral. 90. mill. ab Insula S. Michaëlis in Occid. 40. ab Ins. Pici in Ort. Cum arce S. Philippi, *Fortalezza di S. Felippe*, prope Angram, permunita, Baudr. Tanta est circa hanc insulam, ventorum, turbinum, imbrium procellarumque vis & potentia, ut saxa, ferrum, & quicquid ventis expositum est, arrodatur atque atteratur. Terræ motu crebrò concutitur: ignes quoque & flammarum spiracula in ea videntur: fontes in ea sunt, in quibus ova velut ignis beneficio coquas. Duas habet urbes, Ancam, & Villam de Prapa, Metel. Bert.

Tertius Julianus, septimæ legionis in Mœsiâ legatus, ad quem interficiendum Aponius Saturninus Mœsiæ rector misit centurionem, ob simultates, quibus causam partium prætendebat. *Julianus*, comperto discrimine & gnaris locorum adscitis, per avia Mœsiæ ultra montem Hæmum, profugit, Tacit. 2. *Hist.* 87. Dein huic Prætura, quòd transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Griphum transferretur, *lib.* 4. *cap.* 39. Verùm mox reddita, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse, *cap.* 40. Pro *Tertius*, lege *Titius.* Vide *Julianus.*

Tertius, nomen viri, Rom. 16.

Tertius, Ordo S. Francisci, seu congregatio Pœnitentium, non nisi secularium primò hominum cœtus fuit. Regulares dein facti sunt, sed cùm luxu laxata disciplina esset, Vincentius Massartius Parisiensis reformationi ejus incubuit, An. Chr. 1595. Tum primum Ordinis Monasterium erectum est, in vico Franconville, inter Parisios & Pontosium: secundum in loco, dicto *Piquepuz*, in extremitate suburbii S. Antonii, unde vulgus illos *Piquepuces* vocandi occasionem sumpsit. Hodie in quatuor provincias diffusus, ultra sexaginta Monasteria numerat. Vide Moreriuin, *in Diction. Histor.*

Tertona,

Tertona, *vide Dertona.*

Tertullianus Quintus Septimius Florens, Theologus, patriâ Carthaginensis, nobilitate insignis, variâ doctrinâ instructissimus, floruit An. Dom. 200. Historia ejus hæc est: Presbyter Carthaginensis fuit, patre Ethnico viro proconsulari natus, qui, sub Præfecto provinciæ, cohortis centurio fuit. Ut baptismum accepit, fidei brevi ingens zelator extitit, ingenii dotibus super omnes. Philosophiæ, Legum, Historiæ, Idololatriæ Ethnicæ peritissimus: Eloquio insignis, Scripturarum callentissimus, pietate illustris. In juventute librum *de curis Conjugii* scripsit, Hieron. teste: Pauloque pôst, de Præscriptionibus, contra hæreticos, quorum catalogum ab Ecclesiæ incunabulis pertexit. Dein, ut Severianæ persecutionis furor inhiberetur, & calumniatorum os obthuraretur, doctissimum *Apologeticum* Romæ edidit, quem suppresso nomine, Magistratibus Judicibusq; inscripsit, per Imperatoris absentiam, in Parthia acerrimè Plautiano, urbis Præfecto, in fideles sæviente. Alia quoque in lucem edidit, tum contra Idololatras, tum contra Apostatas, Hæreticosque, Marcionitas, Valentinianos, Judæos, &c. quos eloquentiæ fulmine, & rationum pondere prostravit potius, quàm convicit. Unde Vincent. Lirin. Tertulliani *quot voces tot sententia, quot sententiæ tot victoria*. Tantus at Doctor Ecclesiæ, ô dolor, Ecclesiam tandem deseruisse potuit, an quia in Episcop. Romano Victor ei prælatus, an quia Sedi Carthaginensi frustra inhiavit, an quòd Presbyteri Romani illum acrius insectarentur. Zephyrini Papæ lenitate erga adulteros, quos ad publicam pœnitentiam admittebat, offensus, homo naturâ austerus, & quæsitâ meritis superbiâ elatior: Procli, qui Montani discipulus fuerat, vitam suo genio convenientiorem credidit. Cùm enim contra Trinitatem & Incarnationem nihil doceret, discipulosque suos jejuniis perpetuis, continentiæ admodum rigidæ, Martyrii desiderio &c. adstringeret, Montani discipulis apertè adhæsit. Obiit decrepitus. Sectatores ejus *Tertullianistæ*. jam Augustini ætate, extincti vel conversi. Ex præcipuis illius erroribus fuit, quòd Animam hominis ex traduce esse, docuerit. Opera ejus cum eruditorum Commentariis, Rigaltii inprimis & Pamelii, qui videri possunt, sæpius prodiere. *Solertissimus omnium doctrinarum scrutator, impietatis omnis rigidissimus censor*. Ita de eo Montacutius Anglus. Duriusculè eum eo agit Calvinus: *Scis*, inquit, *quàm durus sit, & asper sermo Tertulliani, certè stridit magis quàm loquitur*. Quanto melius Junius, cui dicitur *Auctor antiquitate celebris, auctoritate gravis, sermonis proprietate purissimus, & scientiarum nervis instructissimus*: & Casaubonus, cui *inculpata Latinitatis auctor* dicitur. Sanè B. Cyprianus ideò Tertulliani scriptis delectabatur, ut quotidie aliquid ejus ante oculos habuerit, servo suo inquiens; *Da mihi Magistrum*, id est, Tertullianum. Vide præter Auctores supra laudatos, Euseb. *in Chron. An. C.* 107. *& lib.* 2. *hist. cap.* 2. Lactant. *lib.* 1. *divin. Instit. cap.* 1. Hieron. *cap.* 53. *Catal.* Hilarium *cap.* 5. *in Matthæum*. Niceph. Calistum, Augustin. *de Hæres.* Claud. Salmasium, Petavium, &c. Alius fuit ejusdem nominis Jurisconsultus, ab hoc diversus, de quo vide Menagium *Juris Civ. Amœnit. cap.* 12.

Tertullinus, Martyr, An. 260.

Tertullus, nomen Oratoris cujusdam, accusatoris Pauli, Act. 24. Item Consul, An. Dom. 412.

Tertullus Qu. Flavius, Consul, cum T. Flavio Clemente, Anno Christi 195.

Tervia, urbs Armeniæ, Ptol. Vide *Gerva*.

Tervanna, vulgò *Terouenne*, urbs Episcop. Artesiæ, antea Morinorum caput, ad Legiam fluv. à Carolo V. capta & solo æquata est, in odium Gallorum, An. quo DeLetI MorInI, seu, 1553. 1. leuc. cum dimid. ab Aria in Occid. 2. ab Audomaropoli in Merid. 6. à Bononia in Ort. Paucis nunc incolis constat. Sub Gallis. Moreri *in Diction. Hist.*

Terulum, vulgò *Teruel*, urbs Aragoniæ, Episcop. sub Archiepisc. Cæsaraugustano, ad Turiam fluv. ubi Albambram recipit, 5. leuc. à Lobeto in Ort. 10. à confinio Castellæ novæ. Dertusam versus 24. & 18. à Valentia in Bor.

Tesa, Carmaniæ urbs, Ptolem.

Tesan, in tribu Juda, Hieron. *in L. H.*

Teschina, vulgò *Teschen*, urbs Silesiæ, caput Ducat. cognom. prope confinia Moraviæ, ad Elsam fluv. 4. mill. Germ. in confinio Poloniæ super. in Occ. ferè 7. supra Ratiboriam in Merid. Olim sub Principe proprio, è familiâ superioris Silesiæ Ducum. Auctor rami *Teschinensis* Casimirus II. fuit, fil. Vladislai super. Silesiæ Ducis. Hic Casimirus An. Chr. 1288. Wenceslao Bohemiæ Regi se submisit, & sequenti anno extinctus, reliquit ex Beatrice Brandeburgica Johannem, cujus familia in abnepote D. Teschinensi, Domino Zatoriæ, An. Chr. 1513. defecit: & Casimirum III. cujus filius alter Primislaus Teschinensem principatum tenuit, inde fratris Semoviti Glogoviensis hæres, & postea quoque Falcoburgio, ex donatione Wenceslai Imper. auctus est, obiit An. Chr. 1407. pater Boleslai, qui Wenceslao itidem charus, Sigismondi adjutor An. Chr. 1417. adversus Borussos fuit. Hoc natus Boleslaus, obiit An. 1460. pater ex Anna Mazovia Casimiri IV. qui partem dimidiam Glogoviæ suam regi Bohemiæ cessit: mortuus Ann. Chr. 1528, utriusque Silesiæ Capitaneus. Hujus postumus Wenceslaus Adamus, Austriacis fidissimus, filium Adamum Wenceslaum successorem reliquit An. Chr. 1579. qui in aula Christiani I. Electoris Saxoniæ educatus, postea in bello Turcico se strenuè gessit, & An. Chr. 1617. supremus Silesiæ Capitaneus constitutus, sequente anno obiit, cùm ad Latina sacra transisset: in quibus etiam, filius ejus ex Elisabetha Curlandica Fridericus Wilhelmus, educatus, nostrâ memoriâ morte suâ totam Micislai, cui superior Silesia An. Chr. 1264. sicut fratri ejus Boleslao inferior, obtigerat, lineam terminavit. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Syllog. Genealog. Histor.*

Tesuca, oppidum agri Tarvisini, juxta quod Calorus in Anaxum evolvitur.

Tessera, vulgò *Tesset*, regio in parte Occ. Biledulgeridiæ, cum urbe prim. cognom. Inter regnum Marochi ad Bor. Oceanum Atlant. ad Occ. Darham & Segelmessam ad Ort. Zanhagamque desertum ad Mer. extensa.

Tessuinum, oppid. Piceni, in fin. Aprutii apud Truentum fluv. *Muro Trassino* Blondo.

Testaceus mons, seu *Doliolum*, Romæ est, inter Aventinum, Tiberim fluv. & Portam Ostiensem seu S. Pauli. Hodieque *monte Testaccio*, à testis fractis illuc comportatis.

Testamentum, præter significata, quæ in seculo habet, sacra vox est, & modo propriè, modò Metonym. pro tabulis Testamenti, quibus Deus credentibus vitam & cœlestia bona morte Filii sui parta pollicetur, sumi solet: Unde *Veteris & Novi Testamenti* appellationes ortæ, quorum illud Mosen, Psalmos & Prophetas: Istud Evangelia cum Actis, & Epistolas cum Apocalypsi, complectitur. In *Utrumq; Testament.* sive universa Biblia plurimi commentati sunt: Extant Adriani *Isagoge Sacr. Lit.* Græc. quart. Augustæ Vindel. An. 1602. Albæ, *Annotationes Selecta*, quart. Valentiæ An. 1614. de Alliaco. Alberti M. *Commentar.* fol. Alloti *Thesaurus Bibliorum*, octav. Coloniæ, 1612. Alshameri *Sylva Biblicorum nom.* octav. Basileæ, 1538. Item *Conciliationes loc. S. Scripturæ, quæ in speciem pugnare videntur*, octav. Wittebergæ, 1581. Amœni *Enchiridion*. quart. Basileæ, 1564. Andreæ Α'ποκαίρημα, fol. Angl. Londini, 1657. Anselmi *Glossa*. Antonini *Chronica*. Arborei *Expositio loc. diff.* tom. 2. fol. Parisiis, 1599. Aquinatis *Comment.* Athanasii *Synopsis*. Augustini *Locutiones*. Aureoli *Breviarium*, duod. Bailii *Chronol. Sacra*. Balduini *Idea Dispositionum Bibl.* octav. Wittebeg. 1622. de Balingbem *Loci Communes morum*. 2. tom. fol. Duaci, 1624. Ballestri, *Onomatographia*, quart. Lugduni, 1617. Basilii *Homilia*. Becani *Analogia V. & N. Test.* Bellabuccus. Benedictus. Bergamensis. Berthorius. Bertramus. Bidembachius. Blancus. Bochartti *Geographia Sacra*, fol. Cadomi, 1646. &c. Bohæmus. Bovillus. Boulæse. Brandmylleri Joh. *Conciones*, octav. Basileæ, 1572. & 1608. Bravus. Brenii *Annotationes*, fol. Herbornæ, 1646. Brucciolus. Brugensis. Bruno. Buchius. Bullocus. Buntingerus. Burgensis. Bustamantius. Cajetani *Commentaria*, tom. 5. fol. Lugd. 1639. de la Camera, *Quæstiones Conciliatrices*, quart. Compluti, 1587. Capito. Cassalius. Cassiodorus. Castanæi *Exercitationes*, fol. 1646. Castellionis *Annotationes*. Catharinus. Celada. de Cerda. Chrysostomi *Homilia*. Chytræi *Onomasticon*, fol. Lipsiæ, 1591. Clarius. Cockburne *libri* 2. octav. Paris. 1552. Codomanni *Annales*, quart. Witeberg. An. 1581. 1602. Clopenburgi *Delicia*, duod. Franek. 1652. Comestor, *Critici Sacri*, 10. Vol. Londini, 1660. Cumiranus. Curiel. Deuterus. de Dieu *Animadversiones*. Diodati *Annotationes*. Dionysius. Dorotheus. Doughtejus. Draudii *Pandecta*, octav. Francof. 1618. Drusii *Parallela sacra*. Item *Quæstiones & Resp.* Ederus. Enjedini Socin. *Posthuma Explicationes*. Estius. Eucherius. Fabri *Enchiridion Bibl.* duod. Colon. An. 1568. Fayardus. Ferdinandus. Finckii *Clavis*, quart. Jenæ, An. 1618. Flamma. Floravantius. Flumaro. Frantzius. Friedlibius. Frisius. Fulleri *Miscellanea*. quart. Londini, 1617. octav. Argentor. 1650. de Furno. Galarza. Gaudentius. Gastius. Gatakeri *Cinnus*, fol. Londini, 1658. Genebrardus. Gersonis *Tractatus*. Gesselius. Glassii *Philologia sacra*, in quart. Jenæ. Gomezius. Gordonius. Grasseri *Theologia Mystica*, octav. Argentinæ, 1618. Gregorius. Grossii *Theatrum*, 2. Vol. quart. Francof. 1615. Grotii *Annotationes*. Guernerus. Hackspani *Miscellan. sacra*. Hallus, Angl. inter opera 3. Vol. fol. Londini, 1660. &c. Harlæus. Harlemius. Heggus. Herlini *Isagoge Analytica*, 3. part. octav. Bernæ, 1608. Helpidius. Hieronymi *de Locis & nom. Hebr.* Himmelius. Hofmeisterus. Holkoti *Allegoria*. Hottingeri *Thesaur. Philolog.* quart. Tiguri, 1659. Huetii *de claris Interpretibus S. Script.* in quart. Hugo. Hulsii *Nomenclator*, octav. Bredæ, 1650. Jacobus. Illyrici *Clavis*, fol. Basileæ, 1567. 1628. Joachimi *Concordantia*, quart. Venet. 1519 Isidorus Hispal. & Pelusiota. Junii *Parallela Sacra*. Justinianus. Kilius. Lanselius. à Lapide *Commentaria*. Laurentius Leigh *Critica sacra*, fol. Londini, 1662. Lemnichius. Lemnius. Lossius. Lupp ius. Luscinius. Lyrani *Glossa ordin.* fol. 6. Vol. Basileæ, 1501. Mailrosius. Maldonatus. Mammotreptus. Maria. Mariana. Marlorati *Thesaurus Locorum Comm.* fol. 1624. &c. Marinarius. Martinii *Hypotheses Theol.* fol. Salmanticæ, 1563. Martinii Matthiæ *Memoriale Bibl.* duod. Franc. ad Oder. 1618. Mathesius. Menochius. Medi *Diatribe*, Angl. quart. Londini, 1642. Mettingerus. Montani *Apparatus*. Morinus. Mori *Exercitationes*, Genevæ, quart. Nannius. Nierembergius. Novarinus. Novocampianus. Oleaster. Oonselius. Origenis *Philocalia*. Osiander Andr. & Lucas de Padua. Pagninus. Palladius. Paludanus. Panvinius. Paræ-

Paræus 3. Vol. fol. Francof. 1647. Parez. Patherius. de Payva. Pellicaoi *Commentaria Cathol.* 3. tom. fol. 1533. Peregrinus. Perionius. Perkinsii *Harmonia*, quart. Genevæ. Petrasancta. Pflacheri *Analysis typica*, fol. Basileæ, 1587. 1606. quart. Londini. Pineda. Pinto. Piscatoris *Comment.* Herbornæ, Ao. 1646. Placo. Placus. Polyandri *Harmonia*. Pomerius. Pontaous. Prætorius. Pryoneri *Comment.* fol. Francof. 1668. Pulsictus. Quistorpii *Annotationes*, quart. Rostochii, An. 1648. Rabanus. Rabus. de Rampelogis. Ravanelli *Bibliotheca Sacra*, fol. 2. Volum. Genevæ. Regius. Reneccius. Reudeoius. del Rio. Rivetus. de la Roa. Robertsus. Robinsoni *Lapis ad altare*, octav. Londini, A. 1656. Rueus. Ruisius. Rupertus. Ruthenus. Sâ. Sachsius. Salmeron. Salzedi. Sarcerius. Scharpius. Schererzii *Animadversiones Isagogica*, duod. Leidæ, 1655. Schickardus. Schiodlerus. Schwebelius. Serarius. Serpensis. Sibelius. Simondus. Simpsonus. Sixtus Sen. Speranza. Stephanus. Strabus. Sturmius. Szegedini *Tabula Analyt.* fol. Scaphusiæ, 1595. Taroovii *Exercitationes*, quart. Rostochii, 1622. de Teoa *Isagoge*, An. 1620. Thaddæus. Theodoretus. Theodorus. Thesaurus. Thyræus. Tilemannus. Tirini *Commentarii*, 3. Vol. fol. Antverpiæ, 1645. Torniellus. Tossani *Index locupletiss.* fol. Haonoveræ, 1624. Turnerus. Valesius. Venetus. Victor. Vio. Viins. Ursini *Exegesis*. Usserii *Annales*, fol. Londini, 1650. 1654. Waltheri *Harmonia*, quart. Norimberg. 1654. Weberi *Scrutinium*, octav. Giessæ, 1614. Westhemeri *Phrases & Tropi*, fol. Basileæ, 1551. Witichii *Dissertationes*, 2. duod. Amstelod. 1653. Wowerii *Syntagma de Græc. & Lat. Interpretatione Bibliorum*, octav. Hamburg. 1618. Zanchius. de Zamora. Zechneri *Adagia & Similitudines*, quart. Lipsiæ, 1601. 1603. Zenonis Veron. *Sermones*. Præterea seorsim in *Vetus Testam.* extant:

Ex Hebræis, Rabbi Abraham Aben Esra. R. David Kimchi. R. Levi ben Gerson. R. Salomo ben Melech. R. Salomo Jarchi, aliàs Raschi. R. Simeonis *Jalkuth, &c.*

Ex Christianis: Abrami *Pharus V. Test.* fol. Parisiis, 1648. Alcasaris *Commentaria*, fol. Lugdun. 1631. Amamæ *Antibarbarus Bibl.* octav. Amstelod. 1628. Ambrosius. Backmeisteri *Explicatio typorum*, octav. Lubecæ, 1604. de Baeza. Bootii *Animadversiones Sacra*, quart. Loodini, 1644. Bruno. Buxtorfius. Caninius. Caraffa. Capellus. Chrysostomi *Homilia*. Cooperi *Expositio*. Crameri *Schola Prophetica*. Cyrilli *Interpretatio Anagogica*. Drusii *Fragmenta Vet. Interpr.* Item *Parallela Sacra*, quart. Franekeræ, A. 1618. 1581. Epiphanius. de Escalante. Fabritii *Partitiones Codicis Hebr.* octav. Witeberg. 1626. Fernandius. Fortius. Freculphi *Historia Univ.* Galatini *Enodatio locorum diffic.* Galesinii *Comment.* Rom. 1586. Helvici *Vindicatio locor.* octav. Giessæ, 1620. Hibernici *Flores*, duodec. Colon. 1631. Hillesemii *Antiquitates Sacra*, octav. Antverp. 1577. Hunnii *Epitome Bibl.* octav. Witeberg. 1603. Jansenii *Canticorum Paraphrasis*, Lovan. 1586. Leusdeo *Philologus Hebræus*, quart. Ultrajecti, 1657. Loniceri *Συνάθροισις figurarum, &c.* Francof. 1560. Masculus. Meuschii *Chronologia*, quart. Spiræ, 1612. Munsteri *Annotationes*. Nobilius. de Padua. Pampolitanus. Philippi *Chronol. V. Test.* quart. Colon. 1637. Philo Jud. Polani *Exegesis Analyt. Vaticiniorum*, octav. Basileæ, 1615. Regii *Collectio Prophetiarum V. Test.* fol. Norimb. 1561. Richardsoni *Observationes selecta*, Angl. fol. Londini, 1655. del Rio. Saliani *Annales V. Test.* 3. Vol. fol. Parisiis, 1624. Samerius. Scotani *Bibliotheca hist. sacra Vet. Test.* tom. 2. fol. Franequeræ, 1661. Selneccerus. Spangenbergius. Stenus. Steuchi *Recognitio Vet. Test. ad veritatem Hebr.* quart. Veoetiis, 1617. Szentkirali *Vindicatio locorum*, octav. Hanoviæ, 1620. Theodoretus. Vatabli *Annotationes*, fol. Paris. Victor. Usserii *Annales V. Test.* fol. Lond. An. 1650. Worthingtoni *Annotationes*, tom. 2. Duaci, 1609. Waseri *de Nummis antiquis, & mensuris Hebr.* quart. Tiguri, An. 1605. Vide Crowæi *Elenchum*.

In *Novum Testam.* in universum extant: Alardi *Pathologia sacra N. Test.* duod. Alulphi *Gregerianum*, quart. Argentinæ, An. 1516. de Aquino, *in Nov. Test.* fol. Paris. 1640. Aretii *Commentarii*, 3. Vol. fol. Bernæ, 1607. Bedæ *Expositiones*. Benedicti *Observationes*, octav. Colon. 1564. Betuleii *Symphonia*, fol. Basileæ, 1546. Bezæ *Annotationes*, 2. part. fol. Cantabrig. A. 1642. &c. Brentius. Bridges *Hexametri*, octav. Londini, 1604. Bullingerus. Camerarii *Notatio figurar.* Græc. Lat. 2. Vol. quart. Lipsiæ, 1573. Cameronis *Prælectiones*, 3. tom. quart. Salmurii, 1628. Caninii *Disquisitiones*, octav. Francof. 1602. Capelli *Observat.* quart. Amstelodami, 1657. & *Spicilegium*, Ibid. Cartwrighti *Commentaria Practica*, 3. Vol. 1630. Clarii *Scholia*, octav. Antverp. 1543. Costerus. Chrysost. *Expositio*. Crellii Socin. *Commentar.* Crinesii *Analysis*. Croii *Observation. sacra & Hist.* quart. Genevæ, 1644. Drusii *Præterita*. Episcopii quædam. Erasmi *Paraphrases*. Fabri *Commentarii Initiatorii*. Gagneii *Scholia*, octav. Parisiis, 1631. Gatakeri *Dissertatio*. Gorranus. Grotii *Annotationes*. Gualteri *Homilia*. Gualtperii *Syllogevocum exoticarum*, 2. part. octav. Hamburg. 1608. Hammoodi *Annotationes*, fol. Londini, Ao. 1659. Haymo. Heinsii *Exercitat. & Aristarchus sacer*. Heshusius. Illyrici *Glossa compendiosa*, fol. Basileæ, 1570. de Lapide. Leigh *Annotationes Philolog. & Theol.* fol. Lond. 1650. Lightfooti *Hora Hebr.* Leus. Lorichius. Mahusii *Epitome*. Marlorati *Exp. Eccles.* fol. 1570. & 1620. Mathesii *Versio vulgata Nov. Test. correcta ad normam lib. Concordia*, quart. A. 1611. Montanus. Nortoni *Animadversiones Paradoxa Orthod.* octav. Lond. 1659. de la Nuza *Tractatus Evangelici*, 2. tom. octav. Venetiis, 1630. Obenbemii, *Locorum pugn. expositio*. Origenes. Paulutii *Annotationes*. Pfocheoii *Diatribe*, duodec. Amstelod. An. 1629. Piscator fol. 2. Volum. Herbornæ, 1621. Revii *in Valla Annotationes*, Salmeroois *Comment.* inter opera. Schotti *Adagialia sacra*, quart. Antverp. An. 1619. Stephani *Annotationes marginales*, Gen. Strigelii Ὑπομνήματα, quart. Lipsiæ, 1565. Theodori *Annotationes compendiaria*, quart. Francof. 1545. Thyræ *Apparitiones divina*, lib. 3. quart. Colon. 1625. Tossaoi 2. Volum. quart. Hanoviæ, An. 1604. Trostii *N. Test. Syr. cum var. lectionibus*. Vallæ *Annotationes*. Walæi *Comment. Philolog.* fol. Zegeri *Castigationes*, octav. Colon. 1555. Vide Crowæi *Elenchum*.

Testrebantum, vulgò *Teysterbant*, quasi Toxandriæ limes, ut vult Wendelinus Belga, qui regionum limites ac confinia linguâ patriâ *Bant* vocari prodidit. Comitatus fuit, in divisione regni Lotharii An. Chr. 870. facta, memoratus; Batuæ *Betuwue*, seu Comitatui Batavorum proximus, sub proprio antiquitus Comite. In eo fuisse Dorestadum, id est, Batavodurum, vulgò dictum vicum Durostate *Wych de Duerstede*, item oppidum Heusdam Transmosanum, referunt. Quidam Ducatus Brabantiæ faciunt portionem. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Tetberti villa, vulgò *Tiberville*, locus Gall. in pago Lexoviensi.

Teteguina, seu *Tetuanum*, urbs muoita Habatæ, in parte Boreali regni Fezzæ, cum portu, in ora maris Mediterran. prope fretum Herculeum, 25. mill. pass. à Septa io Eur. Vulgò *Tetuan*.

Tethys, uxor Oceani, Terræ & Cœli filia. Hesiodus in *Theogonia*:

> Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,
> Κοῖόν τε, Ῥεῖάν τε, Θέμιν τε, Μνημοσύνην τε,
> Θείαν τε, Κρεῖόν θ', Ὑπερίονά τ', Ἰαπετόν τε,
> Φοίβην τε χρυσοστέφανον, Τηθύν τ' ἐρατεινήν.

Ovidius *Fastor.* 5.

> *Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn.*

Catullus *Epigr.* 61.

> *Luce tamen cana Tethyi restituor.*

Ovidius *Fastor.* 2.

> —— *Canamque petit Saturnia Tethyn.*

Virgilius *Georg.* 1.

> *Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.*

Dicta est quibusdam hoc nomine qu. τηθήνη, id est, *nutrix*, cum aliorum, tum Deorum. Est enim humiditatis domina, qua omnia aluntur. Homerus:

> Ὠκεανόν τε Θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

Aliud tameo etymon exsculpsit Plato *in Cratylo*: Τὸ μὲν τῆς Τηθύος οὐκ ἐννοῶ ὄνομα, τί βούλεται. ΣΩΚΡ. Ἀλλὰ μὴν τοῦτό γε ὀλίγου αὐτὸ λέγει, ὅτι πηγῆς ὄνομα ἐπικεκρυμμένον ἐστί. Τὸ γὰρ διαττώμενον καὶ τὸ ἠθούμενον πηγῆς ἀπείκασμά ἐστι. Ἐκ δὲ τούτων ἀμφοτέρων τῶν ὀνομάτων ἡ Τηθὺς τὸ ὄνομα σύγκειται. Ponitur aliquando pro mari. Lucanus *lib.* 6.

> *Aut vaga cùm Tethys Rutupinaque litora fervent,*
> *Unda Caledonios fallit turbata Britannos.*

Idem *lib.* 1.

> —— *An sidere mota secundo*
> *Tethyos unda vaga lunaribus æstuet horis?*

Ubi maris fluxûs, refluxûsque causam facit luoare sidus, uti Tullius *lib.* 2. *de Divin.* Sen. *de Provid.* Plin. *lib.* 2. *cap.* 99. Strabo *lib.* 1. & 3. Photius doctè & ubertim *cap.* 24. Solin. *cap.* 36. Vide Melam *lib.* 3. *cap.* 1. Et adde Silium, qui sic de hac re, *lib.* 3.

> *Cymothoes ea regna vaga, pelagique labores*
> *Luna movet. Luna immissis per cærula bigis,*
> *Fertque refertque fretum, sequiturque reciproca Tethys.*

Tetrachorita, pop. qui aliàs *Bessi* ac *Tetracomi*. Strab. *lib.* 7.

Tetragonis, Arachosiæ op. sub Caucaso. Plin. Quod ante *Cartana* dictum fuit.

Tetrapolis, reg. Syriæ, in qua sunt quatuor urbes à Seleuco rege conditæ, quæ sorores appellantur, *Antiochia*, à patre, *Seleucia*, à se, *Apamia*, ab uxore, & *Laodicea*, à matre, nominatæ. Item locus Atticæ, 4. op. constans, *Oenoë*, *Probalintho*, *Tricorytho*, & *Marathone*. Steph.

Tetrapolis, Vide *Zea*.

Tetricus senior Cajus Pesuvius dictus, pop. Rom. Senator, cùm præses in Gallia esset, ad capessendum imperium instigatus est, à Victorina. Augustum itaque eum appellari fecit, filiumque ejus Cæsarem nuncupavit, mortuo Victorioo ejusque filio. Tandem cùm multa feliciter gessisset, ab Aureliano victus an sponte se ei permitteos; Et in triumphum ductus, postea tamen Italiæ præfectus & in summa dignitate collocatus est ab ipso Aureliano, pudore victo. Filius ejus cognominis, similiter triumphi pars fuit, postea io Senatum admissus tranquillus omnibusque æstimatus reliquum vitæ exegit. Trebellius Pollio, *de* 30. *tyr. cap.* 29. & 30. Vopiscus *in Aureliano*.

Tetricus, (inquit Servius) mons in Sabinis asperrimus, unde tristes homines *tetricos* dicimus: In tres divisus, quorum unus *Monte di S. Giovanni*, alter verò *Monte Severo*; tertius *Monte Nero* dicitur. *Tetrica* Virgil. *lib.* 7.

> *Qui Tetrica horrentes rupes, montemque Severum*
> *Casperiamque colunt.* ——

Item

Itemque Silio Italico *lib.* 8.

—— Nec non habitata pruinis
Nursia, & à Tetricâ comitantur rupe cohortes.

Tetrinius, latro quidam, de quo Sueton. *in Caligula*.

Tetuanum, & Teteguina, urbs & Resp. parva, in regno Fezzano, cum portu.

Tetus, vulgò *Trieu* B. Argentræo, seu *Cœsnon*, Cœnali, fl. Gall. Celt. per minor, Brit. fluens. Ptol. Τίτ☉ MS. Seldeni.

Teuca, quæ & *Teutha*, regina Illyricorum, Romanos sæpe fregit, castitate admodum clara. P. Junium & T. Coruncanum legatos Romanorum summâ injuriâ interemit. Plin. 34. 6.

Teucer, Cyzicenus, historicus, edidit volumen de terrâ auriferâ, de Byzantio, rerum Mithridaticarum libros 5. de Tyro totidem, totidemque rerum Arabicarum, adhæc historiæ Judaicæ libros 6. & alia. Suidas.

Teucer, Scamandri Cretensis fil. qui in Troade unà cum Dardano genero, qui Baticam filiam ejus sibi junxerat, regnavit; unde Iliensium regum fluxit origo. Ab hoc Troja, quæ à nepote ejus Troe hoc nomen nacta est, *Teucria* dicebatur. Virgil. *Æn.* 2.

Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.

Et pop. *Teucri*. Ovid. *Trist.* 1. 2.

Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Idem *Met.* 13.

Inde recordati Teucros à sanguine Teucri.

Teucer, Telamonis ex Hesione fil. sagittandi peritissimus, quem Hom. *Iliad.* 8. inducit sub Ajacis fratris sui clypeo latentem, multosque Trojanorum occultè ex insidiis vulnerantem. Hic cùm eversâ Trojâ, in patriam rediisset, indignatus Telamon, quòd necem Ajacis fratris sui, Ulyssis insidiis circumventi, ultus non esset, Salamine eum expulit. Patriâ itaque profugus, navigavit in Cyprum, ibique urb. condidit, quam de nomine relictæ patriæ Salaminem vocavit. Horatius,

—— Teucer Salamina, patremq;
Cùm fugeret. —— ——

Idem,

Urgent impavidi te Salaminii,
Teucerq; & Sthenelus sciens pugnæ.

Et *Car.* 4. *Od.* 9.

Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu. —— ——

Teucera, vulgò *Tieure*, vicus Gall. Belg. in finibus Ambianorum, ad Altham vel Altejam fl. hodie in Artesia, sed in ipso limite Picardiæ, 1. leuc. supra Dulendium in Ort.

Teuchira, urbs Cyrenaicæ marit. quæ & *Arsinoe*, vulgò *Tocara*.

Teuderium, Ptol. urbs Germ. in Westphaliâ; vulgò *Paderborn*. Cleverio opp. fuit Eburonum, hodie *Tudder*, vicus Duc. Juliacensis, ad amnem *Robeke*, prope Sitardum opp. 6. m. p. à Mosa in Ort. Juliacum versus 23. V. *Theudurum*.

Teviotia, vulgò *Tivedall*, prov. Scotiæ merid. in ipso limite Angliæ, juxta fl. Teviotam, inter Ma-chiam & Tuediam provv. Scotiæ ad Bor. & Northumbriam in Mer. Ibi Jedburgum & Rosburgum opp.

Teumessus, mons Bœotiæ (vide *Theumesius*) ubi Hercules Teumessium leonem, adhuc puer, occidisse traditur. Hinc *Teumessius*. Papin. *lib.* 6. *Theb.*

Non alias tacitâ juvenes Teumessius iras
Monte acuit. —— ——

Item parvum op. in Theban. finibus, fluv. quoque & regio.

Teuochis, urbs Ægypti, & lacus. Steph.

Teuriochæmæ, pop. Germaniæ. Ptol. *Thuringer* Peucero.

Teurnia, opp. Norici mediterranei, nunc *Villach*, opp. amplum ad Dravum, ubi Geylam recipit, in Carinthia sup. sed sub Episc. Bamberg. 4. mill. Germ. supra Clagenfurtum in Occ. 6. à Gurchio in Mer. Cluver. Baudr.

Teusara, seu *Biledulgerid*, urbs Biledulgeridiæ propr. in confin. regni Tunetani, vix 60. m. p. à Tebessa in Eur.

Teutagonus, Bastarnarum dux, auxilia adducens Persæ, contra Æëten. Flac. 6. *Argon.* 97.

Teutamus, alter Argyraspidum Macedonum Dux, qui Eumenem Antigono prodere adjuvit.

Teutates, linguâ Gallicâ dictus est Mercurius. Luc. *lib.* 1.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensq; feris altaribus Hesus.

Livius *lib.* 26. *Scipio in tumulum obversus, quem Mercurium Teutatem appellant.* Teutates igitur Gallis idem qui Phœnicibus Τάαυτ☉, & Ægyptiis *Thouth*, vel *Theuth*, & *Thoth*. Philo Byblius ex Sanchoniathone Phœnicio, scriptore vetustissimo: Ἀπὸ Μισὼρ Τάαυτ☉, ὃς εὗρε τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφὴν, ὃν Αἰγύπτιοι μὲν Θωὺρ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θωὺθ, Ἕλληνες δὲ Ἑρμῆν ἐκάλεσαν. Plato in Philebo: Φωνὴν ἄπειρον κατενόησεν, εἴτε τις θεὸς, εἴτε καὶ θεῖ☉ ἄνθρωπ☉, ὡς λόγ☉ ἐν Αἰγύπτῳ Θεῦθ τινα τοῦτον γενέσθαι. Idem πατὴρ γραμμάτων appellatur *in Phædro*, ubi rex Ægypti *Thamus* multis cum illo disserit, de usu literarum. In Cicerone legitur *Thoyth* & *Theuth*. In Lactantio *Theutus* & *Thot*, ut in Græco epigrammate,

Πρῶτ☉ Θωὺθ ἰδίην ὀρχησάμεν ἐπὶ Σίτζων ἐγέγειρεν.

Quomodocunque legas, Gallicum Teutatis nomen inde apparet esse deflexum. Bochartus.

Teutha, vide *Teuca*.

Teuthadamas, pater Pelasgi. Hom. 2. *Iliad.*

Teuthis, vir princeps, qui ad expeditionem Trojanam cum Græcis navigare volens, dum in Aulidis rupes impegisset, indignatus Palladem vulneravit. Item urbs Arcadiæ. Steph.

Teuthrania, vulgò *Tripoli* Molerio, urbs Paphlagoniæ ad Carambim promunt. Stephanus verò *Teuthraniam* à *Teuthrante* dictam, urb. Mysiæ, non Paphlagoniæ facit. Unde Ovid. 2. *Trist.*

Forsitan ut quondam Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem vulnus opemq; feret.

Teuthras, Pandionis fil. Ciliciæ & Mysiæ rex, qui Augen Alei filiam ab Herc. compressam, ideoque patris jussu unà cum Telepho filio arcæ inclusam, & ad ostium Caici fluv. delatam uxorem duxit, filiumque ejus Telephum pro suo educavit: ut ex Euripidis sententiâ refert Strabo *lib.* 13. Sunt qui Teuthrantem hunc 50. filias habuisse tradunt, quas Hercules omnes nocte unâ compressit, gravidasque reliquit. Ovid. *Ep.* 2.

Non tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores.

Hinc *Teuthranteus*. Ovid. *Met.* 2.

Peneusq; senex, Teuthranteusq; Caicus.

Teuthras, fluv. nomen. Prop. *lib.* 1.

Aut teneat clausum tenui Teuthrantis in undâ.

Apud Strab. *lib.* 6. est Italiæ urbs aut fl. de quo sis ibi consule Casaubonum. Sanè Silius, qui solet à fluviis nomina fingere, Cumanum quendam Teuthrantem vocat *lib.* 2.

Teuthrone, Laconicæ urbs. Ptol. *Scopia* Nigro.

Teutlussa, ins. Joniæ. Thucyd. Gentile *Teutlussæus*. Steph.

Teutoburgensis saltus, sylva Germ. in Westphaliâ, inter Amasium & Lupiam fl. apud *Falckenberg* arcem, inter Monasterium, & Paderbornam.

Teutoburgium, *Drasat* Lazio; al. *Erdevvdy*, & *Senna Erdet* op. proximum, urbs olim, nunc pagus Pannon. sup. ad Drai cum Danubio confluentiam, à Budâ 21. leuc. in Euronot. Alii, ut Lazius, *Funfkirchen*, i. e. Quinque ecclesias, illam indigitant. Baudrando urbs aliàs Pannoniæ inf. nunc castrum *Erdevvdy*, in Ins. Danubii, ubi recipit Dravum, in Com. Bodroghiensi & Hungaria Infer. 15. m. p. à Mursa in Ort. 55. supra Belgradum in Circ.

Teutoburgium alterum, *Dœsburg*, qu. Drusiburgum, op. Germ. infer. in Geldria, ad Fossam Rheni Drusianam, inter Noviomagum ad occ. & Zutphenum ad ort.

Teutoburgium, opp. Westphaliæ, in Lemgoviensi agro, *Dietmelé*; ubi Chassuarii pop. Non procul hinc Saltus Teutoburgensis, ubi Q. Varus cæsus sub Augusto prope fontes Amasis & Luppiæ fluv. 12. m. p. à Paderborna in Bor. Cluver.

Teutomatus, Rex Nitiobrigum, cujus pater ab Senatu Romano amicus appellatus erat. Cæs. *Comm. lib.* 7. *cap.* 31. & 46.

Teutoni, & *Teutones* pop. Germ. mare Germanicum apud Cimbros incolentes, in Fionia & Selandia. Ptolomæus non longè ab Albi fluvio, inter Pharodinos & Suevos ponit. Vicus hodie est, è regione urbis Agrippinæ trans Rhenum, nomen regis Tuisconis obtinens, ut putant. Neque verò Teutones & Germani iidem sunt; sicut neque Alemanni & Germani. Quanquam hodie omnes Germani *Teutones* vocantur. Horum lingua, vulgò *Teutonica* seu *Celtica* Boreales Europæ partes, sicut Latina Occidentales, Slavonica Orientales & Græca Australes, occupavit: latissimè diffusa. Ejus dialecti sunt vel *Remotiores*, quales sunt Islandica, Norvegica, Danica, Suecica, Anglica, Scotica, Hibernica, Wallica, Gothica, quæ superest in Taurica Chersoneso: vel *Propiores*, ut *Teutsca*, seu vetus Saxonica vel *Theotisca*, seu Francica, *die Hochteutsche*. Illa originarii Genii magis tenax, subdivisa est in idiomata varia: Belgicum seu Hollandicum, Brabanticum, Frisicum, Westphalicum, & Brunsuicense, seu inferius Saxonicum propriè dictum, Holsaticum, Meckelburgicum, Pomeranicum, Marchicum, Borussicum, Livonicum, & Saxonum veterum in Transylvania. Ista successu temporis expolita, habet suas iterum dialectos: Austriacam, Helveticam, Bavaricam, Franconicam, Suevicam, Misnicam, Thuringicam, Hassiacam & Silesiacam, Schottelius. Becmanno matricis Teutonicæ propagines præcipuæ sunt, dialectus, *Francica*, in sup. Germania: *Saxonica*, cujus subdialecti in Germ. inf. Belgio & Anglia, quæ postrema iterum Anglicismum & Scotismum genuit: & *Danica*, cujus iterum tria discrimina sunt, Danorum Limitaneorum, quos *Dennemarckos* vocant, Suedorum & Norvegorum: à quorum idiomate Islandica hodierna profluit, quam ita Norvegi intelligunt, ut linguam Belgicam Germani. *Hist. Orbis Terr.* Luc. *lib.* 6.

Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.

Hinc *Teutonicus*. Virg. 7. *Æn.*

Teutonico ritu soliti torquere cateias.

Claud. *in Eutrop. lib.* 1.

Teutonicus vomer, Pyrenæiq; juvenci
Sudavere mihi.

Teutonicus Ordo Milit. *die Teutsche Herren.* Hujus primus auctor Germanus quidam fuit, qui, occupatâ à Christianis terrâ sanctâ, Hierosolymis tum populares suos, tum alios, linguæ loci igna-

ignaros, hospitio excepit. Quod ut commodius faceret, impetravit à Patriarcha veniam Xenodochium, cum Sacello B. Virgini dicato, extruendi. Huic dein alii quoque Germani juncti, Bremenses inprimis & Lubecenses nonnulli, opibus affluentes, novum Xenodochium Acræ excitarunt, An. 1191. titulo Equitum Teutonicorum sub regula S. Augustini, cum duplici cruce in pallio albo, assumpto: hinc *Cruciger*i quoque dicti. S. Ludovicus, Galliæ R. postmodum caput Ordinis fuit, ut quidam volunt: qui à Cælestino III. A. 1195. confirmatus & à successoribus ejus insignibus privilegiis donatus est. Primus Ordinis M. Magister fuit Henricus à Valpot; Captâ à Saladino Hierosolymâ, Equites Ptolemaidem concesserunt, inde in Germaniam translati, Prussiam occuparunt, per duo secula famâ viribusque florentissimi. Albertus Brandeburgicus M. Magister, An. C. 1525. à Sigismundo Poloniæ Rege, Prussiæ Dux creatus, hac lege, *ut in Ducatu Kinsbergensi, cum posteris suis legitimè susceptis, ut & in terra Samnia regnaret: deficiente stirpe, Ducatus feudali jure ad regnum Poloniæ devolveretur:* Evangelium amplexus est, in exules Bohemos hospitalis: Proin Equites in Germaniam se receperunt reliquam, in qua amplissimi illis redirus Magnumque Magistrum crearunt, Albertum de Volfang: à quo tempore juniores filii Principum Procerumque in Imperio, Ordini ascripti, iis gaudent. Gaguinus & Cromer. *Hist. Polon.* Jac. Vitrius, *Hist. Or. cap. 66.* Joh. Eustachius Sollius, *Hist. Ord. Teuton.* Thuanus *in Histor.* Albertus Miræus, *de Orig. Ord. Eq. lib. 1. cap. 3.* V. *Cruciger*i & *Ensiferi.* Item *Prussia.*

Teutria, vulgò *S. Domini*, vel *S. Domo*, Ins. una ex Diomedeis, Vide *Diomedea.*

Teutus, Vessæ seu Inessæ Princeps, dolo Phalaridis subversus. Polyæn. *lib. 5. in Phalar. com 4.*

Texali, horum Urbs *Devana*, V. ibi, & *Aberdonia.* Quidam cum Taizalis confundunt.

Texelia, vulgò *Texel*, Ins. Hollandiæ Sept. in Oceano Germ. prope ostium Sinus Austr. cum arce permunita, in ora merid. & portu capacissimo; vix 3. m. p. ab ora Sept. Hollandiæ, 24. ab Alcmaria in Bor. Hic quinque vici seu castra, & aggeribus muniuntur contra Oceani furias.

Textricium, al. *Testricium*, vicus non procul ab Augusta Veromanduorum, ad Dalmanniomem fl. ad quem Theodoricus Francorum R. à Pippino Majore Domus acie fusus est, Ann. Ch. 687. vulgò *Tertri* vel *Testri sur Daumignon*: inter Augustam Veromanduorum & Peronnam. Dalmannio hic, postquam Viromandum Monalter. *Vermand*, Texricium, Montiacum *Monchi vel Moussi la Gasse*, Atteiamque *Atie &c.* alluit, in Suminam influit inter Hammum & Perronam. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Teydera, vulgò *Teyder*, fluv. Livoniæ prov. in Livonia. Adzeliam, Volmariam & Segevoldiam urbes illius prov. rigat; dein in Sinum Rigensem se exonerat, 12. m. p. ab ostio Dunæ in Bor. uti 17. à Riga.

T H.

Thaas, fil. Nachor ex Româ concubinâ. Gen. 22. Lat. *hyacinthinus*, *festinans*, aut *silens.*

Thabata, pag. Palæstinæ. Hilarionis patria.

Thabenna, Hirt. *Thabba* Ptol. urbs Africæ mediterr. Posidonius in Vita D. Augustini.

Thabu, Scythiæ mons. Mela *lib. 3.*

Thabor, mons Palæstinæ in Galilæâ apud campum Esdrelon, à Nazareth ad 6. m. p. in ort. distans. Alter est in tribu Nephthali versus Dan. Est & *Thabor*, urbs Bohemiæ, quæ & *Thaboria*, valde munita, civibus *Hradstie Hori Tabor*, id est castrum montis Tabor, ab Hussi discipulis conditum. Urbs est Bohemiæ propr. in Brechiniensi circulo, ad amnem *Lauznicz*, 6. mill. Germ. à Budovissa in Bor. 12. à Praga in Mer. In ejus viciniis, & prope Janovitium castr. An. 1645. Austriaci grandi clade affecti fuere à Suecis, duce Leonhardo Torstensonio. Baudr.

Thabraca, vide *Tabraca.*

Thadal, vel *Tidal*, Rex Gentium. Gen. 14. Lat. *conterens jugum*, sive *scientia elevationis*, vel *ascensionis.*

Thaddæus, unus ex 12. Apostolis, qui & *Lebbæus* Mat. 10. De quo Euseb. *lib. 1. cap. 5. hist. Eccles.* V. *Judas.*

Thaddæus, Abbas, Scotus genie, floruit Ratisbonæ, An. 1457. Precibus Conradi præpositi, Chronica patriæ suæ in unum colligit, & vitas SS. aliquot. Canisius *Tom. 4. Antiq. Lect.* Alius eodem tempore, Romanus, scripsit Historiam Friderici I. quâ Cuspinianus se usum refert. Item, Medicus Florentinus, doctrinâ & scriptis inclytus, sec. 13. Galenus sui temporis dictus. Bononiæ docuit. Commentatus est in Aphorismos Hippocratis &c. Obiit An. 1270. vel 80. Justus in *Chron. Med.* Castellan. *in vitis Medic.* VanderLinden *de Script. Med.*

Thaddæus de Pepulis, Doctor J. U. muneribus amplissimis defunctus, scripsit varia. Antonius Bumaldi, *Miner. Bonon.*

Thaddæus Perusinus, Ord. D. Augustini, cujus etiam Generalis fuit. Scripsit Commenr. in Esajam, qui 2. tom. in quarto, Perusii prodierunt An. Ch. 1598. & 1600.

Thama, Ptol. urbs mediterr. Arabiæ fel. hodieque *Thaama.*

Thaman, seu *Theman*, urbs Edom, apud Petram Deserti, inter montes Hor & Seir. Patria Eliphazi, inter Jobi amicos.

Thana, seu *Thena*, urbs fuit Byzacenæ, in ora littor. maris Medit. & Syrtis parvæ, inter Usillam ad Bor. & Macomades ad Mer. 56. m. p. à Tacapis in Bor. 160. à Carthagine in Eur. 360. à Lepti magna in Occ. Ejus rudera visuntur prope *Casar Cernia*, vicum regni Tunet.

Thagasta, Vide *Tagasta.*

Thagura, Vide *Tagura.*

Thahan, fil. Thale. 1. Par. 7. Lat. *deprecans*, aut *misericors*, sive *gratiosus*, vel *gratia.*

Thahath, nomen viri. 1. Par. 6. Lat. *subter*, vel *pavor*, vel Syriacè *descensio.* Est item 23. Israelitarum mansio. Num. 33.

Thaiphali, pop. Scythiæ Eur. circa Hieraſum flu. à Trajano victi. Aur. Victor.

Thais, meretrix nobilis, patriâ Alexandrina, quæ cùm Athenas quæstûs gratiâ sese contulisset, Atticæ juventutis florem in sui amorem pellexit. Hanc carminibus suis celebravit Menander, unde & *Menandrea* dicta est. Prop. 2. 6.

Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.

Idem *lib. 4. eleg. 5.*

Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Cùm ferit astutos comica mœcha Getas.

Lemma est apud Martialem *Menandri Thais*, cui subscriptum est,

Hac primùm juvenum lascivos lusit amores,
Hac Glycera verè Thais amica fuit.

Lege Athen. 13. 13. Qu. Curt. *lib. 5.* Plut. *in Alex.* Ovidium 3. *de Art. Am.*

Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vixerit, & meretrix blanda, Menandros erit.

Juv. *Sat. 3.*

— *An melior cùm Thaida sustinet, aut cùm*
Uxorem Comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo. — —

Thala, urbs Africæ, propr. Tac. Strabo. Ptolemæo mons est in Libya inter. ubi & *Thalas* pop. habet.

Thalama, nomen urbis. Xenoph. Ἑλλην. *lib. 7* Ἀποχωρήσας ἀπὸ τῶ Θαλάμων. Lege cum Θ majusculo. Est enim urbis proprium, de quâ Polyb. *lib. 4.* & Eust. *Odyss. 2.*

Thalama, urbs Messeniæ, Pasiphaes templo & oraculo nobilis. Plut. *in Agide. Basilipotamo* Nigro. *Calamata* Gemisto. An *Theramne* Pl. & *Therapne* Solini?

Thalamanes, pop. Persis subditi. Steph.

Thalametum, vulgò *Talemoy*, vicus in Insula Vincennæ fl.

Thalamia, urbs Thessaliæ, quæ & *Thameia.* Steph.

Thalassar, & *Thelassar*, reg. Syriæ, II. 37. Lat. *suspensio*, vel *tumulus principis*, aut *suspendens canticum*, vel *tumultus canentis.*

Thalassiarchus, vulgo *Admiralius*, de qua voce, ex Spelmanni *Glossario Archaeol.* pauca hæc aspergere iubet. Ex Arabici & Græci connubio vox orta videtur, namque Arabicum *Amir*, princeps, præfectus, Ἅλιος Græcis marinus est: ut sic Præfectum marinum denotet. Reperitur in Orientali Imperio vox perspicuè, de Magistratu navali, non autem summo illo, cui hodie id nominis opponitur; sed de subordinato quopiam ejus præfecto (quem tunc magnum Ducem appellabant) ejusque vicario i. Magno Drungario classis inservienti. V. Curopal. *in Officialibus Aulæ Constant.* Sed hæc ipsa appellatio communis etiam fuit terrestribus Principibus. Babylonis enim tyrannum *Amiralium* vocat Huntindoniensis, qui sub Stephano R. floruit An. C. 1148. & Sigeberti Auctuarius. Imo occurrit apud Monstreletum Arcubalistariorum *Admiralius*, i.e. Præfectus. Verùm hic terrestris *Admiralius* solis Turcis & Asiaticis innotuit. Marini in Orientali Imperio prima mentio deprehenditur. Hinc enim ad Italos Siculosque transmigrasse videtur nomen *Admiralii*. Gallis inde porrectum, qui in navalibus præliis Italis plerunque usi sunt Præfectis, ad Anglos tandem pervenit, sed confectâ jam Hierosolymitanâ militiâ: incognita enim *Admiralii* vox illis mansit usque ad Eduardum I. sed nec tunc pro Thalassiarcho. Sensim tum peregrinus hic titulus tribui cœpit Præfectis classicis, dum nec adhuc perpetuus quis esset, aut universalis rei maritimæ administrator. Perpetuus enim nullus olim fuit in hoc munere, sed ex arbitrio Regis, aut annuus aut biennalis, aut paulo diuturnior: aliquando ne semestris quidem, sed veluti repentinæ alicui expeditioni datus: dictus sæpe non Admiralius maris sed *flotta navium*, i. classis. Classis autem Admiralius nemo salutabatur, qui non denis præficeretur navibus, quod à Genuensibus primò latum. Primus qui universali nomine *Admiralius Angliæ* dictus est, fuit Richardus fil. Alani junior, Comes Arundelliæ & Surregæ, hoc munere & titulo donatus, d. 10. Sept. Anno 10. Richardi II. Causarum verò nauticarum cognitio & Forum rei marinæ, quod hodie *Curiam Admiralitatis* vocant, Admirallo primùm illuxit, sub Eduardo III. Seriem Admiraliorum, qui in Anglia floruere, exhibebimus infra ex præfato auctore. Apud Gallos vix antiquior Admiralii institutio, cùm vox capitur de summo stationarioq; Magistratu, qui universæ marinæ Reip. præest, suoq; foro & amplissimâ jurisdictione, tum in

causa

causis civilibus judicandis, quàm in classe regia gubernanda insignitur. Et probabilis sententia eorum est, qui primum apud Gallos Admiralium faciunt, vel Engnarrantum Dominum de Caccy, sub Philippo III. filio S. Ludovici, An. C. 1280. vel Americum Vicecomitem Narbonensem, sub Johanne R. postquam nempe Galliæ Rex, Johanni Anglo Normanniam aliosque Galliæ tractus maritimos, ob Arthuri, Ducis Britanniæ cædem abstulisset. A Principibus Hispaniæ Christophorum Columbum, ob egregiè expeditam navigationem, *Admirantu*, quod idem, titulo donatum refert Munsterus *Cosmograph. lib.* 5. *cap.* 159. Huic Magistratui si nomen à Romanis peteretur, magis congruum id videtur, quod offert Cicero *in Ep. ad Atticum*, cum ait: *Vult me Pompejus esse, quem tota hæc maritima ora habeat* ἐπίσκοπον, *speculatorem & custodem.* Quemadmodum autem apud Romanos, qui oræ maritimæ prospiciebat, *Episcopus*, sic idem Athenis appellatus est Απόστολ@, Apostolus. ἀπὸ τῦ στολῦ *&c.*

Angliæ Thalassiarchi seu Admiralli.

Richardus filius Alani, Comes Arundel. & Surregiæ. A. 10. Richardi II.
Eduardus Comes Rutland. & Corcagiæ, An. 15. Rich. II.
Joh. Beaufort Com. Somerseti, An. 21. Richardi II.
Thomas Percey, Comes Wigorniæ, An. 22. ejusdem.
Thom. Lancastrius Regis Henrici IV. filius, An. 6.
Joh. Beaufort prædictus, An. 8. Henrici IV. quo tempore jurisdictio Admir. magnum accepit incrementum.
Edm. Holland, A. 8. Henr. IV.
Thom. Beaufort. A. 9. H. IV.
Joh. Lancastrius, 4. H. VI.
Joh. Holland, 14. H. VI.
Wilh. de la Poole, 25. H. VI.
Henr. Holland, 28. H. VI.
Rich. Nevil, 1. Edu. IV.
Wilh. Nevil. 1. Edu. IV.
Wilh. Nevil. 2 Edu. IV.
Richardus Dux, frater Regis.
Richardus Nevill, Com. Warc.
Richardus Dux Glocestriæ, 11. Edu. IV.
Joh. Howard, 1. Rich. III.
Joh. de Veer. Comes Oxon. 1. H. VII.
Edu. Hovvard, 4. Henr. VIII.
Thom. Hovvard 5. H. VIII.
Henricus fil. Nothus H. VIII. ann. 17.
Will. Fitzvvilliam, 28. H. VIII.
Joh. Russel, 32. Henr. VIII.
Joh. Dudley, An. 34. ejusd.
Th. de S. Mauro, 1. Ed. VI.
Joh. Dudlejus, 3. Edu. VI.
Edu. Clinthon. An. 4. Edu. VI.
Will. Hovvard, An. 1. Mariæ.
Eduardus Clinton, An. 3. Mar.
Carolus Hovvard, An. 27. Eliz.
Georgius Buckingham An. 16. Jacobi.
Rupertus Pr. Palatinus, sub Carolo II.
Jacobus Dux Ebor. Caroli II. Regis frater.

Reliquos, alicujus tantùm Regni partis, Borealis putà, Meridionalis vel Occidentalis, duarum extremarum inprimis Admirallos V. apud eundem Spelmannum.

Thalassius, Deus nuptiarum, vel vox nuptialis, ut quidam volunt, quâ se ad operas domesticas duci novæ sponsæ admonebantur; Ταλασίαν enim Græci *lanificium* vocant. Originem exponit Liv. Lib. 1. Sed prolixiùs Plut. *in Romulo.* Cat. *in Epithalamio Juliæ,*

—— *Satis diu*
Lusisti nucibus, lubet
Jam servire Thalassio.

Martialis *Thalassum* vocat. Sic enim ille,

Nec tua defuerint verba Thalasse tibi.

Item *Thalassionem* legimus apud eundem:

Quid si me jubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis.

Thalassius Comes, sub Constantino & filiis ejus: gratus Constantio, quòd Arianismo adhæreret, variis negotiis ab eo adhibitus, illius quoque nomine Concilio Sirmiensi interfuit; Ammian. Marcellin. *lib.* 14. *&* 22. qui eum præfectum prætorio fuisse refert; Athanas. *ep. ad Solit. & apol. ad Const.* Scripsit Historiam sui temporis. Zosim. *l.* 2. Suidas in Θεόφιλ@. Epiph. *hær.* 71. Voss. *de Hist. Gr.*

Thalassius Monachus, Maximi martyris familiaris, floruit An. 650. *Scripsit, de Sincera Charitate, ac vera continentia: de Regimine mentis.* Vixit in Africa, & scripsit Græcè.

Thalca, in tr. Simeon. Hier. *in L. H.*

Thale, nomen viri. 1. Par. 7. Lat. *humectans* aut *virescens.*

Thalerus, Vide *Talerus.*

Thales, Milesius, Examii è Cleobulina filius; natus Olymp. 36. Cadmum Agenoremque inter Majores habuit. Auctor Sectæ Jonicæ, primus è 7. Græciæ sap. quoq; Physicen primus, & astrologiæ secreta deprehendit. Aquam, rerum omnium principium esse, mundum animam habere, Spiritibusque plena omnia, asseruit. Temporum vices accuratè observavit, annumque in dies 365. dispescuit: quam scientiam, hactenus Græciæ incognitam, ab Ægyptiis Sacerdotibus partim, partim propriâ industriâ adeptus est. Crœso, quomodo absque ponte Halyn trajicere posset, ostendit: Solis eclipsin primus prædixit, quæ fuit an. mundi 3379. Excessit è vitâ, dum Gymnicum certamen spectaret, æstu ac siti lapsus, jam senex Olymp. 58. An. 209. U.C. 95. ær. Dicebat, difficilimum esse, seipsum nosse, facilimum alteri consulere: Felicitatem corporis in sanitate; Animi, in sapientia consistere: Deum vetustissimum, Mundum pulcherrimum, locum capacissimum: Spiritum pernicissimum, necessitatem validissimum, tempus sapientissimum esse, &c. Insuper ajebat, se trium maximarum rerum causâ gratias Fortunæ agere: Πρῶτον μὲν ἄνθρωπ@ γενόμενος καὶ οὐ θηρίον: Εἶτα, ὅτι ἀνὴρ, καὶ οὐ γυνή: Τρίτον, ὅτι Ἕλλην, καὶ οὐ βάρβαρ@. Vitam ejus habes apud Laertium. Nonnulla etiam de eo invenies apud Plutarchum, Plin. *lib.* 2. Lactant. *lib.* 3. *cap.* 14. Apul. *Flor.* 4. Cicer. 1. *de divin. &c.* Scripsit de Meteoris, de Æquinoctio, &c. Item poeta Lyricus, Cretensis, quem è Cretâ Solon Spartam misit, cujus odis ac poesi Spartani deliniri, animarum feritatem nimiam ex Lycurgi legibus imbutam castigabant. Plut. *in Solone.*

Thalestria, vel *Thalestris*, regina Amazonum, quam alii *Minitheam* vocant, quæ 35. dierum inter confertissimas gentes itinere facto, cum 300. mulieribus occurrit Alexandro in Hyrcaniâ res gerenti, ut liberos ex eo susciperet: & ut visa est uterum implesse, discessit. Strabo *lib.* 11. Curt. *lib.* 6. Aliter rem narrat Arrian. *de rebus Alex. lib.* 7. *cap.* 6.

Thalia, una ex 9. Musis, ἀπὸ τῦ θάλλειν, *virere*, seu *florere*, quòd Poetarum fama nullo tempore marcescat. Horatius *argutam* eam appellat *Carm.* 4. 6. Statius verò *lascivam* 2. *Sylv.* 1. Inventrix Geometriæ & Agriculturæ dicitur: Præsidet Comœdiis, pingiturque vultu lascivo, cincta ex hedera serto, larvam manu, & soccos in pedibus gestans. Item insul. quædam Tyrrheni maris, Aristot. *in Mirabilibus.*

Thalisamus, pag. Mesopotamiæ, apud Amidam urb. ab ea 40. stadiis distans. Procop.

Thallumetus, literatus T. P. Attici servus, de quo Cic. *lib.* 13. *Ep.* 33. *& lib.* 5. *Ep.* 12.

Thallus, historiam Syriacam diligenter tractavit, ut auctor est Africanus apud Euseb. *lib.* 1. *Chron. & lib.* 10. *de Præp. Ev.* Ejus mem. Justinus Martyr *parɶn. ad Gent.* Tertullianus, *in Apol.* Minucius Felix & Lactantius, *lib.* 1. *cap.* 13. *&* 23. V. *Castor.*

Thalo Cretensis, primus mares amasse perhibetur, unde aversa Venus, lege etiam latâ apud Cretenses permissa.

Thalpusa, urbs Orchomeni in Arcadiâ. Steph.

Thaluda Ptol. *Tagazza* Marmolio, ab urbe quam alluit, fluv. Maurit. Ting. inter Jagath ad Occ. apud Abylam & Oleastrum prom. ad Ort. ibi mari exceptus. Moletio verò *Tafanel* dicitur.

Thamanai, Persis tributarii. Herod. *lib.* 3.

Thamar, uxor Her, quæ ex incestu gravida gemellos peperit, è quibus Perez, ex progenitoribus CHRISTI fuit, Gen. 38. Matth. *c.* 1. Filia David, quæ à fratre Amnone violata fratrem ultorem habuit, 2. Reg. 13. Filia Absolon. 2. Reg. 14. Item urbs Syriæ. Lat. *palma, dactylus, consummatio, permutatio*, aut *amaritudo.* Urbs Arabiæ fel. Plin.

Thamarita, opp. Mauritaniæ Cæs. Ptol.

Thamarus, Anton. *Tamaro* Mazzellæ, fluv. Samnii, ex Apennino, per Sæpinum, in Calorem paulo supra Beneventum influens, inque Austrum decurrens.

Thamesis, vide *Tamesis.*

Thamissa, Ptol. *Tamacrati*, urbs Africæ littor. Uticæ proxima. Forsan pro *Thinissa.*

Thammata, op. Palæstinæ medit. in Arabiæ Petr. confin. *Timia* hodie Benjamino Tudelensi.

Thamna, concubina Eliphaz. Gen. 37. Lat. *prohibita*, aut *perfecta*, vel *consummata commotio.*

Thamna, urbs Palæstinæ. Steph. V. Gen. 36.

Thamna, civitas in tribu Judâ. Jos. 15. Lat. *imago*, vel *figura*, aut *numeratio*, vel *numerans.* Item in tribu Dan, Inter Ptolemaida & Gazam.

Thamnath, opp. tribus Dan. inter Modin & Emmaum, Arimathiæ proximum, ac Nibe.

Thamnathsara, seu *Thamnathsare*, una ex undecim Judææ Toparchiis, ordine quarta, in tribu Ephraim regio, præfectura & urbs maxima sita in montanis Ephraim: data est ab Israelitis Josuæ duci hæreditaria, in qua habitavit & sepultus est; quæ & *Thamnath hares* per literarum transpositionem. Lat. *figura*, vel *imago extensa*, vel *remanens*, aut *fœtens*, sive *numeratio residua*, aut *numeratio extensionis*, vel *fœtoris.*

Thamuda, locus prope Nabatæos Arabas. Steph.

Thamyras, Cilix, qui scientiam artemque haruspicum in Cyprum intulit; ita pactus, ut familiæ utriusque (& suæ & regiæ) posteri cærimoniis præsiderent. Tacit. *Hist. lib.* 3.

Thamyras, vel *Thamyris*, Suidas. Poeta Thracius, qui cùm omnes pulchritudine præcelleret, ab initio mares dilexit, deinde mutatâ consuetudine, Musas amavit, eum quibus de cantu certavit hisce conditionibus, ut si vinceret, earum complexu potiretur; si succumberet, ab illis pateretur, quicquid eis videretur. Itaque superatus, & oculis & lyrâ privatus est. Hinc prov. in eos, qui præter ingenium proprium aliquid agunt, *Thamyras insanit.*

Thamyris, unus ex Sacarum regulis, quos Darius oppugnabat. V. Polyæn. *lib.* 7. *in Dario, com.* 8.

Thanathselo, villa in tribu Ephraim Jos. 16. Hier. *de Loc. Hebr.* videtur urbs fuisse in 10. miliario Neapoleos contra Orientem descendentibus Jordanem.

Thanatos, à Cantio, cujus pars est, fluv. Sturâ in duas partes secto separatur. Ibi 10. parochiæ. Longa est ab Ortu in Occ. 6. mill. Angl. lata 4. vide *Tanetos.*

Tane-

Thanehumeth, pater Saraiæ. Jer. 40. Lat. *murus*, sive *donum indignationis*, vel *caloris*, aut *mortis*.

Thaneum, urbs Ægypti. Vide *Tanis*.

Thannum, Suntgoviæ opp. in Com. Fetretano. Metel.

Thaphnes, vel *Thaphnis*, civitas Ægypti. Ezech. 30.

Thapsacum, Vide *Tapsacum*.

Thapsacus, urbs Syriæ juxta Euphratem. Steph. Antea *Europum*, postea *Amphipolis* dicta fuit. Plin. 5. 24.

Thapsipolis, prope Chalcedonem est. Steph.

Thapsus, op. Siciliæ vetus in peninsulâ situm non procul à Syracusis, plana & quàm minimum à mari eminens, adeò ut undis mersa videatur; unde & nomen ἀπὸ τοῦ θάπτεσθαι, quòd in mari quodammodo *sepulta* videatur. Unde Virg. *Æn.* 3.

——— *Thapsumq; jacentem.*

Ita vulgus Grammaticorum. *Thapsi* verò nomen è Phœnicio תפשיחא *thapsiha* sumptum, putat Bochartus ὁ μέγας, quod pro abscissione sumitur, in Ebræorum libris. Nempe Siciliæ Thapsus tam angusto colle cohæret, ut ab eâ putetur esse divulsa, & planè abscissa. Thucyd. *lib.* 6. Ἔστι δὲ χερρόνησος μὲν ἐν στενῷ ἰσθμῷ πρὸς χέουσα ἐς τὸ πέλαγος, τῆς δὲ Συρακουσίων πόλεως οὔτε ἰδεῖν πολὺ ἀπέχει. Stephanus: Θάψος πόλις Σικελίας ἐπὶ καὶ χερρόνησος ἐν τῷ στενῷ τοῦ ἰσθμοῦ. Revera enim tam angustâ cervice continenti jungitur, ut eminus conspicientibus videatur esse insula. Nec desunt, qui *insulam* appellent. Servius *in Æn.* 3. *Thapsus insula non longè à Syracusis, plana & penè fluctibus par.* Neque alia mens Dioscoridis, cùm *Thapsiam* scribit ἐν Θάψῳ τῇ νήσῳ primùm esse repertam. Neque enim terrarum uspiam ulla alia est insula *Thapsus*. Et fallitur Marcellus, cùm vult unam esse Sporadum, quamvis præeuntem habuerit Nicandri Scholiastem *in Theriaca vers.* 529. Baudrando est *Isola delli Manghisi*, penins. parva Siciliæ, cum oppidulo cognom. in ejus ora Or. in valle Neetina. 14. m. p. à Syracusis in Bor. Megaram versus & Augustam, cum portu capaci.

Thar, urbs Arabiæ fel. Ptol. *Ithar* Interpp.

Thara, fil. Micab. 1. Par. 8. Lat. *ululans*, aut *malefaciens*, vel *cubiculum malitiæ*, *pastoris*, vel *socii*.

Thara, nomen viri. 1. Par. 9. Lat. *contentio prava*, aut *socii*, vel *pastoris*.

Tharaca, rex Æthiopiæ. Is. 37. Lat. *explorator*, vel *contemplator obtusus*, sive *legis hebetudo*, vel *impedimentum*, vel *turturis obtusio*, aut *hebitudo*.

Tharana, fil. Caleb. 1. Par. 2. Lat. *explorator*, vel *contemplator gratiæ*, aut *misericordia*.

Tharasius vel. *Tarasius*, Patr. Constantinopolitanus, stirpe, variâ eruditione, muneribus illustris. Consul enim primò, dein Constantino & Irenæ à secretis, tandem Paulo Patriarchæ surrogatus est, An. 784. Præsedit in Pseudo Concilio Niceno, quo, rebus ita instructis, ut nemo disputare auderet, substratis fundamenti loco figmentis & fabulis, imaginum cultus & adoratio stabilita est: Carolo M. in Occidente contra nixo, qui Francofurti Concilio 300. Episc. convocato, Ann. Chr. 794. Synodum hanc Nicenam destruxit, acta rescidit, statuitque, ut nec septima, nec Oecumenica, sed Pseudosynodus diceretur. M. Chemnit. *in exam. de imagin.* Simoniæ postmodum accusatus, scriptâ ad Adrianum Papam epistolâ, se purgavit. Obiit Ann. 806. Theoph. *in Annal. Gr.* Baronius, *in Annal. Eccl. &c.*

Thare, fil. Nachor, propter Chaldæorum idololatriam, qui tunc ignem præcipuè colebant, tum propter obitum filii sui Aran, in Mesopotamiam perrexit, ac in urbe nomine Charan, obiit, An. M. 2113. æt. 205. Sculptorem eum fuisse, & primum imagines effecisse, adorationi exponendas, Epiph. *lib.* 2. *de hær.* refert: & Suidas eidem artis hujus inventionem & idololatrici cultus originem adscribit. Hinc probabilius eruditi credunt, illum, post discessum demum ex Ur, à filio Aramo verum Dei cultum edoctum esse. Gen. 11. Lat. *odorans*, *spirans*, aut *abigens*. V. Augustin. *de Civ. D. lib.* 16. *cap.* 13.

Tharela, civitas in tribu Benjamin. Jos. 18. Lat. *exploratio*, vel *turtur maledictionis*, aut *fortitudinis*, aut *ilicis*, aut *explorans ilicem*, vel *fortitudinem*.

Thares, Eunuchus, Esth. 2. Lat. *hæres*, *miser*, vel *exul*.

Thargelia, festus dies apud Athenienses Apollini & Dianæ sacer, à quo mensis Aprilis denominatus est. Gyraldus *lib. de an. & mensibus*.

Thargella, nobilis fœmina, Philosophiæ sectatrix, Plutarch. *in Pericle*.

Thariba, vicus quidam, cujus mem. Steph. in *Candara*.

Tharops, Oeagri pater, Orphei avus, cui Bacchus regnum Thraciæ, Lycurgo occiso, dedit, eo quòd Lycurgi insidias detexisset. Diod. *lib.* 3.

Tharrelides, civis Atheniensis, ob exilitatem, à Comicis traductus. V. Scol. *in Aves*.

Tharsis, op. seu locus Comagenes, à Samosatis 13. mill. distans. *Tharsis* item in Sacris literis memorata *Tarsus* est, teste Josepho, urbs Ciliciæ præcipua. Eusebius autem ad Hisp. refert: Θαρσὶς ἐξ ἧς Ἴβηρες. Vide Bochartum in תרשיש Phal. *lib.* 3 *cap.* 7.

Tharthac, Idolum Hevæorum. 4. Reg. 17. Lat. *concatenatus*, sive *retrusus*, vel *conclusus*.

Tharthan, princeps quidam. Esajæ. 20.

Thasilo, seu *Tassilo*, Bavariæ D. nepos Pipini Gall. R. fidem huic sanctè juratam non servavit, sed eum Longobardorum Rege, socero suo, fœdere inito, frustra fuit. Idem, cùm erga Carolum M. perfidè ageret, excommunicatus & hujus armis expositus, pacem petiit, *Theudone* filio obside dato. Verùm cùm uxoris instinctu, nova moliretur, unà cum filio ad mortem damnatus, &, ad mitiora inclinante Carolo, in Monasterium detrusus est, Ann. 788. Aimon. *lib.* 4. Otto Frising. *lib.* 5. Hunc an alium, per Danckonem fil. Comites Zollerios, hodiernæ familiæ Brandeburgicæ progenitores, per alium Gotboldum Habspurgios & Columnios protevisse quidam volunt. Certè Danckonem arcem Zolleranam An. Ch. 829. tenuisse à certo parum abest. Ejus posteri illâ graduum serie enumerantur, Rudolfus, sub Henrico Aucupe, Otto, Wolfgangus, Fridericus II. & III. Burcardus, cæsus ex partibus Rudolfi Anticæsaris ad Mersburgum Ann. Chr. 1080. Fridericus IV. Rudolfus II. frater Friderici V. Fridericus VI. Comites Zol. erant à patre in filium transmissâ successione: cujus filii Fridericus Burggravios Norimbergenses, Eitelfridericus verò Zollerenses hodiernos genuere. Ex fratre verò Danckonis Gotbaldo, non sine ratione Comites Saulgaviæ, Sigmaringæ, Landenbergæ & Pfullendorfii, celebres & affinitatibus illustres, deducuntur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor. in Fam. Zollerio Brandeburgica.*

Thassi, fil. Mathathiæ. 1. Mach. 2.

Thasus, vel potius *Thassus*, ins. Thraciæ in mari Ægæo, prope ostia Nessi fl. versus Strymonicum Sinum, 60. m. p. ab ostiis Strymonis in Ort. 8. ab Abdera in Mer. 40. à Lemno in Bor. 30. ab Atho prom. Ab Ortu in Occ. 15. m. p. extensa. Stat. *lib.* 5. *Theb.*

Et Paros, & nemorosa Thasos, crebraq; relucent
Cyclades. ——— ———

Item op. ejusdem nominis in eâdem ins. à Pariis conditum, teste Strab. *Thasium vinum* à Pluto laudatur *in Pœnulo*, itemque apud Apul. *in Apol.* Unde adagium *Thasium infudisti*, ubi quis vinum temperat non aquâ, sed alio vino potentiore; ex Aristoph. *in Pluto*. Antiphanes apud Athenæum:

Οἶνος τε Θάσιος καὶ μύρον καὶ σίμβλοι.

Plin. 14. 7. *In summâ gloriâ fuere Thasium Chiumq;*. Dio Chrysost. *Orat.* 6. Ἡδίων δὲ πίνειν τῆς πηγῆς ὕδωρ, ἢ οἱ ἄλλοι τὸν Θάσιον οἶνον. Vide Ælian. ποικιλ. 12. 31. & 13. 6. Erat autem vinum istud suavi odore maximè celebratum; Unde Athen. *lib.* 1. vocat παναρμόνιον, Et Clemens *Pædag. l.* 2. *c.* 2. *Thasium odoriferum* dixit. De la Cerda *in illud Georg.* 2.

Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ.

Dionysius *frumenti* feracem esse innuit hanc insulam, *v.* 523.

——— Ὠγυγίη τε Θάσος, Δημήτερος ἀκτή.

Mira quoque ejus fertilitas commendatur à Zenodoto, qui scribit, Callistratum oratorem Atheniensibus persuadere conatum, ut regionem illam occuparent, tanquam fœcundissimam, & quæ auri etiam venas haberet: qui tandem orationem concludens, dixit: *Summa Thasus bonorum est.* Unde *Thasi* nomen à תשׂי *Thase*, id est, *auri bracteâ*, deducit Bochartus. Ante Phœnicum adventum Græcis nomen erat Χρυσῆ, propter aurum. Eustathius ex Arriano: Ἐκαλεῖτό ποτε καὶ Χρυσῆ ἡ νῆσος διὰ τὰ χρυσοῦ μέταλλα. An eodem referendum, quòd etiam *Odonis* dicta est? Sane Hesychius: Ὠδωνὶς, ἡ Θάσος τὸ πάλαι; tanquam ab Arabico עדן *adana*, unde addito servili Mim, מעדן *madan*, est *fodina*, ut Hispanis *Almaden*. Hic & marmor vario colore, & auri venis respersum.

Thathanai, vel *Tatni*, nomen viri. 1. Esd. 3. Lat. *donans*, vel *donator*.

Thaulerus Johannes, gente Germanus, Dominicanus, floruit An. 1350. Scripsit in lingua vernacula Homilias, de veris Virtutibus, Epistolas, Prophetias, Cantica &c. In quibus cùm Joh. Eckio plurima displicerent, defensus est à Blosio & Surio, qui scripta ejus Latinè versa Coloniæ edidit, An. 1548.

Thaumacia, urbs gemina: Una in Magnesiâ, altera in Phthiotide, *Thamaco* vulgò, ad sin. Maliacum, teste Strabone, apud quem *lib.* 9. Θαυμακοὺς legas. Livius *lib.* 32. *Thaumaci à Pylis sinuq; Maliaco per Lamiam eunti, loco alto siti sunt, ipsis faucibus imminentes ejus quem Cœlen vocant: Thessaliæq; transeunti confragosa loca, implicatasq; flexibus vallium vias, ubi ventum ad hanc urbem est, repente velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut subjectos campos terminare oculis haud facilè queas: ab eo miraculo Thaumaci appellati.*

Thaumantias, Iris sic dicta, Thaumantis & Electræ filia, nuncia Deorum in rebus malis, ut Mercurius in bonis. Cæterum & ex admiratione hoc nomen accepit, quæ de ejus coloribus nascitur. Auctor Servius *in illud Virg. Æn.* 9.

Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est.

Hinc *Thaumantis*. Stat. *Sylv.* 3. *carm.* 3.

——— *Imbriferâ potitur Thaumantide Juno.*

Item *Thaumantea*. Ovid. *Met.* 14.

——— *Romuleos cum virgine Thaumanteâ*
Ingreditur colles. ——— ———

Thaumasium, mons Arcadiæ, in quo Saturnus lapidem devoravit, Steph.

Thaumi,

Thaurus, vel *Durus*, Germ. *Thur*, aut *Dur*, fl. Helv. oritur in montibus Werdenbergensibus, aut in Toggiis, supra pagum qui Sylvestris domus *Wildhauß* dicitur, & Zvinglii patria fuit. Inde in Septentrionem decurrens, Turgoviam, cui fortè nomen dedit, irrigat: à Finibus dein *Pfin*, in Occid. curvatur, donec ad Schellembergam in Rhenum influit. Recipit plurimos amnes, Joh. Bapt. Plantinus *Helvet. Ant. & Nov. &c.* Oswaldo Molitori *notis in Glareani Panegyr.* oritur in finibus diœcesis Curiensis, valle S. Johannis, inde per Toggios, &c. Ab eo *Durtal*, *Winterthur*, pluraque alia loca nomen habent. De eo præfatus Glareanus:

Primus adest Durus, pleraq; in parte vadosus,
Durus agris, pinosq; & summo littore fagos
Evertens, caulasq; trahens & ovilia secum,
(Terribilis lapsu) caulas grassatur in omnes.

Thea, Nympha, Oceani ac Thetyos filia, Hesiod. *in Theog.* Stephano Θέα est urbs Laconiæ.

Theætetus, Atheniensis ex iis, quorum alios pedibus, alios manibus, auribusque amputatis inustisque barbararum literarum notis, in longum sui ludibrium, reservaverant & in Perside locaverant. Curt. 5. 26. Item, Mathematicus, Olymp. 86. Scripsit quædam in Geometria. Proclus Diadochus *lib. 2. Comm. in l. 1. Eucl.*

Theagenes, Dux Atheniensium, quo modo æmulantes & de ordinibus militaribus disceptantes sine invidiâ, solius virtutis respectu compescuerit ac digno quemque loco reddiderit, Vide Front. *lib. 4. cap. 1. exempl.* 8. à Polyæno *lib.* 5. vocatur *Theognis*.

Theagenes, occidendis divitum jumentis, Populi favorem Megaris captavit Tyrannidemque invasit. Aristot. 5. *Polit.* 5.

Theagenes, tres Athenis diversis temporibus Suidas fuisse recenset. Unum, qui de Homero scripsit, de quo Tatianus λόγῳ πρὸς Ἕλληνας, & ex eo Euseb. *de Præp. Evang. lib.* 10. Alium, qui καπνὸς, id est, *fumus* est appellatus, quòd multa promittens nihil præstaret; pauper enim erat, ac dives videri volebat. Vide Schol. *in Aves.* Tertius fuit vir potens ac dives, qui liberalitate ac beneficentiâ, publicè ac privatim multa laude digna gessit. Quartum addit Pausanias, athletam, patriâ Thasium, qui 140. coronas è certaminibus retulit.

Theagenes, vir quidam usque adeò superstitiosus, ut domi haberet Hecates simulachrum, nec usque pedem moveret, nisi illo consulto. Unde proverbium: *Theagenis Hecateum.* Fuit & *Theagenes* Megarensium rex, Cylonis socer, juxta Thucydidem. *Theagenes* quidam dux erat, tempore Philippi Macedonis apud Plutarch. in Alexandr. *Theagenem* Cnidium Criticum, Herodis sub Adriano magistrum laudat Philostratus *lib. 2. Sophist.* Herodes: *Theagenem* Cynicum ab Attalo Sorani Methodici discipulo suâ ætate occisum fuisse, auctor est Galenus *lib. 13. Meth. Med. cap.* 15. *Theagenes* quidam Marino Philosopho Platonico æqualis erat, teste Damascio apud Photium *Eclog.* 242. *Theagenes* Charicleæ amicus, ab Heliodoro *in Æthiopicis* memoratur. De φιλοπλούτῳ autem isto Theagene Prisco, apud Aristophanem, agit quoque Suidas in Θεαγένης, & ἐγχέλεις.

Theagenes Rhegin., Historicus Græcus, tempore Cambysis, Olympiad. 63. Scripsit varia, Euseb. *lib. 10. Præpar. Evangel.* Item, Grammaticus, Caricæ & Macedonicæ conditor historiæ. Voss. *de Histor. Græc.*

Theages, Philosophus, cujus meminit Plato; de quo etiam Ælianus ποικιλ. 4. 15.

Theangela, urbs Cariæ, Stephan.

Theano, Metaponti Icari regis uxor, quam cùm ob sterilitatem maritus repudiare vellet, illa pastores subornat, ut puerum unum vel alterum invenirent, quem pro suo supponeret. Opportunè tunc temporis Menalippe, Desmontis filia (quam Neptunus compresserat) gemellos peperit. Quod tam ægrè tulit Desmontes, ut & filiam excæcatam carceri incluserit, infantes autem feris objici jusserit. In hos itaque cùm pastores incidissent, divinitus sibi eos oblatos rati, ad Theano deferunt, quæ eos pro regis pueris educavit. Verùm cùm postea ex Metaponto concepisset, gemellosque peperisset, virumque suum animadverteret majore supposititiorum, quàm legitimorum amore teneri; utcunque potuit ad tempus dolorem dissimulavit. Verùm cùm jam ad legitimam ætatem liberi pervenissent, indicat iis duos majores natu, quos fratres suos esse rebantur, suppositítios esse, hortaturq; ut in venationem perductos interficerent. Quod cùm illi conarentur, Neptunus filiis suis suppetias tulit, cujus operâ adjuti illi Theanûs filios interfecerunt. Quorum corpora cùm in regiam essent allata, Theano venabulo incumbens se interfecit. Hygin. *Fab. Poët.* 186.

Theano, Antenoris uxor, sacerdos Palladis, Homer. *Iliad.* 6. Palladium Græcis prodidit. Suid. in voce *Palladium*.

Theano, Metapontina, vel Thuria Brontini Pythagorei uxor. Scripsit versu περὶ Πυθαγόρου, & ἀποφθέγματα Πυθαγόρεια, teste Suidâ in Θεανώ. Sed cùm multæ ejus nominis fuerint, magna deinde orta est confusio. Theano Crotoniada Pithonactis filiam Pythagoræ uxorem facit Suidas in Θεανώ, quam primam fœminarum fuisse philosophatam, & poëmata scripsisse. Didymus *lib. de Philosophia Pythagoricâ* tradit, apud Clem. *lib. 4. Strom.* Hujus Theanûs Pythagoricæ quædam citat idem *Strom.* 4. Hæc defuncto marito scholæ præfuit, teste Theodoreto *Sermon.* 2. Fortè est illa Πυθαγορικὴ φιλόσοφος, cujus apophthegmata laudat Theo *Progymnasm. capit.* 5. *Theano* Locrensis, Lyrica scripsit carmina. Vide Vossium *de Poët. Græc. cap.* 4. Jamblich. *de vita Pythagor. cap.* 17. *&c.*

Theano, Pausaniæ mater, quæ dicitur laterem primum ad introitum, in quâ proditor filius erat, attulisse, ut eum exitu prohiberet, & fame necaret. Polyænus *Stratagem. lib.* 8. Corn. Nep. *in Pausania, &c.*

Theano, Scedasi filia, pauperis sed honesti viri Leuctris habitantis, quæ cùm à Spartanis legatis violata esset, doloris impatientiâ manus sibi attulit, cùm prius diris urbem tales homines producentem devovisset. Vide Diod. *lib.* 15.

Theanum, corruptè pro *Teanum*.

Thearidas, alter Dionysii sup. frater, cui, rejecto Leptine, fratre quoque, classem commisit. Diod. *lib.* 14.

Thearus, fluvius Thraciæ, in Hebrum confluens, omnium illius regionis optimus est, ad morbos & scabiem curandam hominum & equorum, Metel.

Theate, vide *Teate*.

Theatini, Congregatio Clericorum Regul. in communione Roman. instituta à Joh. Petro Caraffa, Episcop. Theatino, in regno Neapol. qui postea, nomine Pauli IV. assumpto, Papa creatus est: Approbata à Clemente VII. A. 1524. Nihil proprii habent, eo solum vivunt, quod aliorum liberalitate, citrà illorum preces, suppeditatum fuerit. Joh. Bapt. Tuffius, *in Annal. Theatin. &c.*

Theatrum, locus fuit, in quo Deorum immortalium, ut Gentilibus visum erat, diebus festis ludos spectabant Romani sedentes, cum conjugibus & liberis: Hic enim scenici ludi; sicut Circenses in Circo agebantur. Figuram habebat hemicycli, cujus ab utroque cornu scenæ erant, cum singulis aris, quarum una Bacchi: altera ejus Dei, in cujus honorem ludi fiebant. Partes *Theatri* erant Scena, Orchestra, Proscenium, & Pulpitum. Origo hæc: Apud Romanos *Theatrum* diu nullum fuit: Olim enim in diem ad locum indictum convenientes, qui specimen firmitatis, aut dexteritatis aut pernicitatis edituri erant, in medio nomina profitebantur. Aderant Judices & Spectatorum turba, qui cùm in plano commodè omnes spectare non possent, aggestis cespitibus editiorem locum sibi pulvillis actis faciebant: Hinc medius locus depressior, *Cavea* nomen accepit, & illi qui post initia stantes spectabant, postea *Subsellia* sibi quisque afferebant. Tandem *Theatrum* faciendum primi locarunt M. Valerius Messala atque C. Cassius Longinus, Censores, An. 599. U. C. verùm auctore P. Scipione Nasicâ, omnem ejus apparatum hastæ subjectum venire placuit: Mox Senatusconsulto cautum est, ne quis in urbe propiusve passus 1000. subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet, quò sc. remissioni animorum juncta standi virilitas propria Romanæ gentis esset, Val. Max. *lib. 2. cap.* 4. Vide quoque Vell. Paterc. *lib.* 2. & Liv. *lib.* 48. Deletâ Corintho L. Mummius ludis, quos in Triumpho fecit, *Theatrum* erexit, sed temporarium. Sumptuosissimum M. Scauri fuit, quod describitur à Plinio *lib. 36. cap.* 15. Amplissimum Curionis, apud eundem, paulo pòst. Primum mansurum C. Pompejus M. extruxit lapide quadrato, auctore Cornelio Tac. *lib.* 14. ad exemplum ejus, quod Mitylenis viderat, bello Mithridatico: Hoc *Veneris templum* potiùs, quàm Theatrum cur vocari voluerit, vide Tertull. *lib. de Spectaculis.* Cæterùm usque ad An. U.C. 558. Senatus populo mistus ludis interfuit, juvandæ concordiæ, fovendæque libertatis gratiâ: quem morem, cùm Attilius Serranus & L. Scribonius Ædiles, ludos Matri Deûm facientes, superioris Africani sententiam secuti, discretis Senatus Populique sedibus solvissent, res nova vulgi avertit animum & Scipionis favorem non parum imminuit. Latâ dein lege Rosciâ de XIV. Ordinibus, Metello & C. Martio Coss. an. U.C. 695. Eques quoque à Plebe distinctus est, sic tamen, ut qui ex Equite vel vitio, vel fortunâ decoxissent, ab aliis separarentur, vel remotiori loco considerent, Vide Horat. Juven. Cic. præsertim *Philippicâ* 2. Plut. *in ejus vita*, & Plin. *lib 7. cap* 30. Postea verò Augustus, cùm plerique Equites attrito bellis civilibus patrimonio, metu pœnæ Theatralis sedere in XIV. non auderent, eâ neminem teneri voluit, quibus vel ipsis, vel quorum parentib. equester census unquam fuisset. Idem primum subselliorum ordinem Senatoribus relinqui voluit: militem præterea secrevit à populo. ac maritis è plebe proprios ordines: Prætextatis quoque suum cuneum attribuit, vide Lævinum Torrentium *Comm. in Suetonii Neronem.* Nomina peculiarium locorum hæc; ex Orchestra spectabant Senatores: Senes in Buleutico sedebant, Juvenes spectabant ex Ephibico: Imperatores aut Consules è Podio; In quatuordecim gradibus Eques sedebat: Habebant Vestales virgines suum à reliquorum cœtu locum discretum: Caveam plebs implebat, &c. Duo *Theatra* juncta Amphitheatrum faciebant, quæ vel circulari integrâ formâ construebantur, vel ovali & oblongâ, in quibus exhibebantur gladiatorii ludi & conclusarum ferarum venationes, in area, quam *Arenam* dixere. Ut de luxu sensim etiam in hisce crescente quædam addam: C. Catulus, Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit. Cneus Pompejus, ante alios, aquæ per semitas decursu, æstivum minuit fervorem. Cl. Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis antè picturâ tabulis extentam: Eam totam argento Cajus Antonius, auro Petrejus, ebore

Q. Catulus præteruit: Versatilem fecere Luculli, argentatis choragus P. Lentulus Spinter adornavit: Tabulatum antea Phœnicees inductum tunicis M. Scaurus exquisito genere vestis cultum induxit. Valer. Max. Vide plura apud Thom. Demsterum *in Antiq. Rom.* Lipsium, Al. Rossæum, Georg. Fabric. *Româ cap.* 12. Onuphr. Panvinium *de* 14. *Regg. urbis*, qui quatuor Theatra recenset, Balbi Marcelli, Lapideum & Pompeji: Amphitheatra tria, Magnum, Castrense & Statilii Tauri: Odea quinque, &c. Vide quoq; infrà.

Theatrum Cornelii Balbi, apud circum Flaminium. Ovidius *de arte amandi lib.* 1.

Visite conspicuis terna theatra locis.

Theatrum Marcelli Romæ, P. Vict. ubi palatium Savellæ familiæ, ubi erat templum Pietatis, & porticus Octaviæ.

Theatrum Pompeji, ubi palatium Ursinorum, in campo Floris.

Theatrum Statilii Tauri erat ante ædem S. Crucis in Hierusalem, sive ubi nunc eadem ædes est, apud templum Veneris. Theatra etiam plura extra urbem fuere. Fidenis, ubi theatro corruente 20000. hominum interiere, ut Suetonius auctor est. Hispelli in Umbria. Adhuc reliquiæ theatri extra urbem secus viam conspiciuntur. Casini in Latio, & Minturnis apparent vestigia. Veronæ ingens theatrum ferè integrum est, quod vulgò *l'Arena di Verona* nominatur. Præneste præterea, Spoleti, Vincentiæ, & Polæ in Histria, & alibi fuere. Nemausi in Gallia, inter alia antiquitatis monumenta, etiam theatri nobilis vestigia apparent. Tolosæ item, & Arelati sunt antiqua theatra. In Hispania quoque fuere theatra haud contemnenda, præsertim Tarracone, & Sagunti. In Thracia Perinthi amplissimum erat amphitheatrum.

Theava Ptol. *Trivia* Morali, opp. Hispan. Tarracon. in finibus Ilercaonum, apud Carthaginem veter. & Iberum fluv. in confin. Aragoniæ & Cataloniæ, nunc pagus.

Theba, Ciliciæ urbs, Straboni *lib* 14. & Ciliciæ Q. Curtio *lib.* 3. *cap.* 13. Uterque Lyrnessum & Thebem urbes inter se vicinas facit, Vide *Thebe*. Est & nomen urbis in Palæstinâ, Jud. 9.

Thebæa legio, decimata à Maximiniano Imperat. An. Chr. 297. Vide Oros. *lib.* 7. *cap.* 17. *&c.*

Thebais, insigne Statii opus, totis 12. annis summâ curâ ab eo elaboratum. Nomen autem habet ab argumento, eò quòd bellum contineat inter Eteoclem & Polynicem ad Thebas gestum, in quo duo fratres mutuis vulneribus perierunt. Juvenal. *Satyr.* 7.

Curritur ad vocem jucundam & nomen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cùm Statius urbem,
Promisitq; diem, tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaq; libidine vulgi
Auditur. —— ——

Item, fluv. Lydiæ, Tralleis alluens. Item *Thebais*, nomen patronymicum fœm. Ovid. *Metam.* 6.

—— *Et omnes*
Thebaides jussis sua tempora frondibus ornant.

Thebe, uxor Alexandri Pheræorum tyranni, quæ maritum cum fratribus Lycophrone & Tisiphono occidit, Olympiadis centesimæ quintæ anno quarto.

Thebe, Theba, & Thebæ, vulgò *Theves*, teste Jo. Leone Africano, urbs Ægypti, super. Thebaidis, in qua sub Diocletiano ingens fidelium numerus sublatus est, An. Ch. 304. Euseb. *lib.* 8. *cap* 6. *&* 12. hodie *Minio* Sansoni, caput Præfecturæ seu Callifatus cognomin. paucorumque nunc incolarum. Sub Turcis. Olim à Busiride rege condita, ambitu 140. stad. uti refert Herodotus; centum portis nobilis. Dionys. *vers.* 249.

Θήβην Ὠγυγίην ἑκατόμπυλον.

Juvenal. *Sat. penultimâ*:

Atq; vetus Thebe centum jacet obruta portis.

Mela *lib.* 1. *cap* 9. *Et Thebæ, (ut Homero dictum est) centum portas, sive (ut alii aiunt) centum aulas habent, totidem principum domos; solitasq; singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.* Ubi nunquam sine laude nominandus clarissimus Vossius: Primus Pintianus hunc locum ita conatus est corrigere, *ducentos armatos milites effundere*: eamque emendationem valde probant viri eruditi. Nempe non rectè intellexerunt versus istos Homeri *Iliad.* 9.

—— Οὐδ' ὅσα Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται,
Αἵ θ' ἑκατόμπυλοί εἰσι, διηκόσιοι δ' ἀν' ἑκάστην
Ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν.

Loquitur hic, non de universâ Thebanorum militiâ, sed de solis aurigantibus & ἁρματοβάταις. Viginti enim curruum millia ex hâc urbe ad bellum solita fuisse prodire, affirmat Diodorus Siculus. Sed verò numerus militum is omnem videtur fidem superare. Nam si ex unâ quâque portâ dena armatorum millia ad bellum proficiscerentur, jam oportet, ut numerus militum fuerit decies centenûm millium. Rectè tamen sese habere locum hunc Melæ, apparebit ex illustri loco vetustissimi cujusdam auctoris, cujus verba nobis servavit Scholiastes quidam, *ad nonum Homeri librum*, ante aliquot annos in Germania editus. Is itaque hoc pacto de Thebis loquitur; Ἐν ταύτῃ δὲ ἦν σχεδὸν τὰ βασίλεια τῆς Αἰγύπτου, ἧς αἱ πύλαι ἦσαν ρ', ὡς φησι Δίων, Αἰγύπτιοι, Αἰθίοπες. Νῦν δὲ Διόσπολις ὀνομάζεται· εἶχε δὲ κώμας μὲν τετρακισχιλίας τετρακοσίας τεσσαράκοντα. Τὸ δὲ ἄστυ εἶχε δρόμους ϛψ', καὶ πύλας ἑκατόν, ἀνδρῶν δὲ μυριάδας ψ'. Ταύτην ἐπόρθησεν ὁ βασιλεὺς Ὄσιρις. Ἐξ ἑκάστης δὲ πύλης ἐξεχώρουν ὁπλῖται μὲν μύριοι, ἵππεις δὲ χίλιοι, ἁρματηλάται δὲ διακόσιοι. Hæc verba unicè confirmant hanc, quam reddidimus Melæ lectionem. Sed quis non obstupescat, tam portentoso numero, aut credat in unâ urbe vel mille millia armatorum, vel septuagies centena hominum millia claudi potuisse & comprehendi? Docet tamen id ipsum etiam Strabo, qui eos centum myriadum exercitus habuisse scribit. Aliquanto pauciores refert Corn. Tacitus. Is namque *lib.* 2. Thebas olim habitasse, inquit, septingenta millia ætatis militaris. Nonnulli viri eruditi, & hanc summam nimiam esse existimant, ideoque *septuaginta* millia pro *septingentis* reponunt. Verùm illos errare, satis indicat is quem adduximus locus. Sunt tamen & in hoc nonnulla, de quibus aliquis meritò possit inquirere. Qui enim fieri potuit, ut hic centum equitum millia alerentur, cùm tantùm centum illic numerarit equilia Diod. Siculus, quorum unumquodque ducentos caperet equos? Possit tamen hoc ita excusari, ut semper 100. ista equilia dicantur destinata fuisse equis tantùm Curulibus. Strabo suo tempore, cùm minimæ essent Thebæ, in longitudine occupâsse inquit octoginta stadia. Sed verò, antequam Cambyses urbem eam vastaret, tum longè maximam fuisse certum est. Eustathius *ad Dionysium* inquit, eam tunc extensam fuisse ad 420. stadia. Porphyrius *in optimis Scholiis ad Iliada Homeri nondum editis*, nec non Stephanus Grammaticus similia supra memoratis ex Catone citant, ac 400. stadiorum faciunt longitudinem. Sed quomodo tanta potuit esse longitudo Thebarum, si mille tantùm & septingentas δρόμους comprehenderit? Iste enim δρόμων numerus commodè contineri potest ambitu ducentorum & sexaginta quatuor stadiorum. Videtur autem hæc urbs in longum fuisse porrecta, ad ripas Nili, ac non multùm possedisse latitudinis. Sed verò omnia prius credam, quàm tantam incolarum copiam in ullâ unquam fuisse urbe. Unum adferam, unde quàm maximè absurdum id esse apparebit. Tradunt Diodorus Siculus & alii, Ægyptum cùm maximè populo abundaret, habuisse in universum septuagies centena hominum millia. Atqui si totidem quoque Thebis fuissent, jam oporteret cæteras Ægypti urbes vacuas fuisse habitatoribus. Hinc apparet, quæcunque de Thebanis Ægyptiis, eorumq; potentiâ dicuntur, accipienda de totâ Ægypto. Verum id esse & universam Ægyptum Thebas olim fuisse vocatam luculentissimus testis est Herodotus *lib.* 2. ubi de Deltâ, Πάλαι, inquit, αἱ Θῆβαι Αἴγυπτος ἐκαλέετο. Sed & Aristoteles *Meteorolog.* 1. Τὸ ἀρχαῖον ἡ Αἴγυπτος Θῆβαι καλούμεναι. Hæ Thebæ palmis inclytæ fuerunt. Vide Passeratium *in illud Propert.* 4. 5.

Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ.

Hanc urbem Corn. Gallus, Poëta insignis, Virgilii Ovidiique συγχρονος, Ægypto ab Augusto præpositus, exspoliavit. Unde de repetundis accusatus & à domo Augusti exclusus, sibi ipsi mortem ferro attulit, invisus omnibus, ob maledicentiam. Tacit. *Annal.* 2. 19. Amm. Marcell. Suetonius; Adde his Strab. *lib.* 17. Plin. *lib.* 5. *cap.* 9. *&c.* Vide quoque *Diospolis*.

Thebe, Latinis *Thebæ*, urbs Bœotiæ ad Ismenum fluv. aliquot mill. ab Asopo in Bor. regionis quondam primaria. *Tiva* Sophiano, & *Stives*, vel *Stibes*. Ejus arx *Cadmæa* dicta fuit. Nunc vicus, paucorum incolarum, sub Turcis, 50. m. p. ab Athenis, 30. à Chalcide, 50. ab Oropo in Occ. Baudrand. A Cadmo condita fuisse dicitur. Hinc Propert. 1. 7.

Dum tibi Cadmeæ dicuntur Pontice Thebæ,
Armaq; fraternæ tristia militiæ.

Valer. Flacc. *lib.* 6.

Hac duce Cadmeæ viderunt prælia Thebæ.

Condita, inquam, à Cadmo An. M. 2620. vel aite Cadmæâ saltem aucta: Ann. 37. ante Trojam captam, à Polynice, Adrasti soceri opibus adjuto, obsessa est; quod bellum septem Ducum appellatum, Statio poëmatis argumentum, successu cùm caruisset, à filiis horum, decennio pòst, An. M. 2843. capta est. Potentes olim Thebani, cum Atheniensib. & Spartanis diu colluctati, hos ad Leuctra, per Epaminondam, ingenti clade affecerunt. A Philippo Macedone victi, jugum ejus subierunt, præsidio intra urbem recepto; falso dein de Alexandri morte rumore permoti, rebellantes, eversi sunt penitus, solâ Pindari domo manente intactâ. Olymp. 111. An. 419. U. C. Urbs dein ab Antipatri filio Cassandro annis 20. pòst reparata, Archiepisc. sedes sub Christianis fuit. A Statio *Aonia* vocantur, ab Horatio & Statio *Echioniæ*, ab Ovidio & Lucano *Oedipodioniæ*, à Seneca *Herculeæ*. Hæ Thebæ septem portas habuere. Unde Juvenalis de bonorum paucitate:

—— *Numero* (inquit) *vix sunt totidem, quot*
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Hesiodus Ἔργ. α.

Τοὺς μὲν ὑφ' ἑπταπύλῳ Θήβῃ, Καδμηΐδι γαίῃ.

Ubi Tzetzes: Τρεῖς εἰσὶ Θῆβαι. Αἱ ἑπτάπυλοι, ἃς ὁ Κάδμος ἔκτισεν ἐν Βοιωτίᾳ. Αἱ ἑκατόμπυλοι ἐν Αἰγύπτῳ καὶ αἱ Ὑποπλάκιαι αἱ ἐν Ἀτραμυττίῳ. Eustath. novem Thebas fuisse memorat, sed non nominavit. In hac Bœotiæ urbe hirundines non nidificant, sed nec cornices Athenis: & Amphiaraus vates, apud Thebas pugnans hiatu terræ absorptus est. Sunt qui vocis originem ab Ægyptiis accersunt, & Bœoticas Thebas volunt ab Ægyptiis nomen mutuâsse.

Varro

Varro autem *Thebas*, vel sine afflatu *Tebas*, ex Sabinorum linguâ *colles* exponit. Alii Cadmum sibi fingunt, urbem à se conditam à תבה *Theba* nominasse, id est, nave, in formam arcæ, quâ in Bœotiam fit advectus. Pausanias à *Thebe* deducit, Asopi scil. filiâ. Eustathius, ἀπὸ τῆς θέλισσης, ἢ τῦ δρόμυ τῦ βοὸς, à cursu bovis, quem ducem itineris habuerit Cadmus. Quin si fides Etymologo, & Isacio in Lycophronem, Θῆβαι Συριστὶ λέγεται ἡ βοῦς. Nugæ nugacissimæ. *Theba* igitur Bocharto תבצ à בצ *bes*, vel בצרה *betsa* lutum. Quod etymon quàm sit appositum, te docebunt hæc Dicæarchi in libro, cui titulus: Βίος Ἑλλάδος, *pag.* 174. ubi de Thebis, Εὐχείμερος χειρίστη διὰ τοὺς πολέμους, καὶ τὰ πολιτεύματα, καὶ γὰρ ὑδάτων καὶ πηλὸν ἔχει πολλήν. Vide his Xenoph. *lib.* 6. Diodor. Sic. *lib.* 15. *& seqq.* Justin. Arrianum, Pausaniam, Strabon. Plin. Plutarch. & doctissimum authorem *de Phœn. Colon. lib.* 1. *cap.* 16.

Thebe, vel *Theba*, Ciliciæ urbs, Eetionis regia, patria Andromaches, quam Ovidius idcirco *Thebaidem* cognominat *libr.* 3. *de Art. Am.* *Philippopolim* vocatam refert Polybius *lib.* 5. Stephanus *Philippos*, qui eam in Thessaliâ ponit. Hodie *Zetion* appellari ait Sophianus. Ovid. *Met. lib.* 12.

Eetioneas implevit sanguine Thebas.

Thebe, vel *Theba*, Lucaniæ, cognom. *li Luzzi*, opp. Brutiorum mediterr. in Calabriâ citer. ad Crathin fluv. Item oppidum Troadis, ab Achille cum Lyrnesso eversum, Homer. Sunt & *Thebæ* Saxonicæ, oppid. inter Vitebergam & Lipsiam; vulgò *Dieben*, à Viteberga 6. leuc. in Mer.

Thebe, vel *a*, tandem Phthiotidis urbs, ad Sinum Maliacum, vulgò *Zituni*, 300. stad. in Austr. à Larissa, Polyb.

Thebes, urbs terræ Chananææ, Jud. 9. Latinè, *cœnosus*, aut *sericeus*, vel *ovum*.

Thebes, urbs olim insignis, in tribu Manasse, sita in solo mirum in modum fertili, cujus cives *Thebitæ*, *Thebes Ægypti*, *Thebai*, & *Thebani*: distat ab hac Neapolis uno stadio. Est autem, ut ait Hieronymus, usque hodie vicus nomine Thebes pergentibus Scythopolim, in 13. ejus lapide.

Thebeste, vide *Tebesta*.

Thebeta, castellum Mesopotamiæ, Steph.

Thebit, Astrologus Anglus, Ann. 1300. Trepidationis motum primus introduxit, ab August. Riccio oppugnatum, in tr. de motu Sphæræ octavæ. Biancan. *in Chron. Math.* Voss. *de Scient. Math. cap.* 35. §. 35. Item *Thebit* Ben Coré, Mathematicus Arabs.

Thebni, filius Gineth, 3. Reg. 16. Latinè, *palea*, vel *fœnum*, *intelligens*, *aut filiatio*.

Thebutes, Hæreticus, tempore Apostolorum; Episcopatui frustra inhians, varios docuit errores, qui illi cum Simone Mago & Menandro fuere communes. Hegesippus, Nicephorus, Calixtus, *lib.* 4. *cap.* 7. *&c.*

Thecua, pater Sellum mariti Holdæ Prophetidis, 2. Par. 34. Lat. *spes*, *funiculus*, *linea*, vel *congregatio*.

Thecua, civitas in tribu Juda, in monte sita, uberrimis abundat pascuis, distat à Bethlehem miliaribus duobus, Ferrario 7. m. pass. hanc Roboam munivit ædificiis. Est autem nunc Thecua vicus, ait Hieron. in nono ab Æ'ia miliario contra meridionalem plagam.

Theganus, Chorepiscopus Trevirensis, sec. 9. sub Ludovico Pio, cujus historiam scripsit: divisam in 58. partes à Walafrido Strabone. Pithœus edidit. Eruditus, & Principi suo gratus, sed muneris negligentior. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 33.

Thegilis, epitheton Minervæ, Steph. in Pamphyliâ.

Theglat-phalassar, Assyriorum Rex, successor & filius, ut quidam volunt, Phul: ab Achazo Judæorum Reg. contra Phaceam, Israëlis Reg. evocatus, Israëlitas in captivitatem abduxit, Ann. M. 3295. Vide 4. Reg. 16. Torniel. *in Annal. Vet. Test.*

Thegonium, urbs Thessaliæ, Stephan.

Thehen, filius Ephraim, Num. 26. Latinè, *deprecans*, aut *misericors*, sive *gratiosus*, vel *castrametans*.

Thelamusa, castellum Arabiæ juxta Euphratem, Steph.

Thelassar, regio Syriæ, 4. Reg. 19. Lat. *coacervationem*, vel *suspensionem auferens*: aut *coacervationis recessus*.

Thelbencane, Babyloniæ urbs juxta Euphratem fluv. Ptolem. Hodie *Maraga*.

Thelda, Mesopotamiæ opp. Ptol. *Bachdad* Nigro.

Thelesinus, vir quidam, quem turpi quæstu divitem factum ridet Martial. *lib.* 6.

Quum coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelidâ sordidus in tegulâ:
Obscœnos postquam cœpit curare cinædos,
Argentum, mensas, prædia solus emit.

Fuit etiam Thelesinus poëta, de quo, & ad quem Juv. *Sat.* 7.

——— ——— *Quæ*
Componis dona Veneris, Thelesina, marito.

Item Anglus, aliàs Teliesinus Helius, scripsit An. 540. historiam Arthuri, Prædictiones, Poëmata, &c. Item *Thelianus* Eliud, Episc. Anglus. An. 563. scripsit varia. Pitseus *de Angl. Scr.*

Thelesis, Argiva mulier, Argos opp. Græciæ, à Cleomene, Spartanorum rege obsessum, unà cum cæteris mulieribus tutata est.

Thelesphorus Deus, à Pergamenis cultus, ex Oraculo sic nuncupatus, quem Epidaurii *Acesion* vocant, Sicyonii *Enamerion*.

Thelis, fluv. Galliæ Narbon. hodie *Egli*, Sansoni, Briet. Oritur in Occitania ex Pyrenæis mont. dein aliquot fluv. auctus, per Comit. Ruscinon. fluit, & ibi in Mare Medit. labitur, 50. m. p. ab ostiis Ruscinonis fluv. in Bor. Parvus est, sed ubi increvit, persævus.

Thella, vicus Jordani proximus in tribu Nephthalim, versus Orientem, Galilææ superioris finis. Joseph. *lib.* 3. *cap.* 2. *de bello Jud.* *Thalla* Hegesippo.

Thella, vicus grandis Judæorum, in tribu Juda, ætate Hieronymi quasi in decimo sexto milliario Eleutheropoleos contra Orientalem plagam, *in Loc. Hebr.*

Thelminissus, Syriæ opp. ad Orontem fluv. Ptol.

Thelonus, fluv. Latii, idem cum Liri, P. Marso, seu non longè fluens, ex finibus Marsorum, Lirique congrediens. Ibi Rutilium cum 7000. Rom. à Marsis captum scribit Orosius.

Thelphussa, vide *Telphussa*.

Thelsea, Anton. *Thalsea* lib. Not. opp. Cœlesyriæ, in Phœniciæ confin. 24. m. p. à Damasco in Bor.

Thema, filius Ismaëlis, Gen. 25. Latinè, *admiratio*, aut *consummatio*, vel *Auster*.

Themaci, vicus in tribu Erechtheide, Steph.

Theman, civitas Principum Idumæorum, quæ à *Theman* filio Eliphaz ex Adâ uxore nomen accepit. Inde *Themanites*, Job. 4. In tribu Manasse.

Theman, aliàs *Thema*, alia est urbs ab ea, quæ est in dimidia tribu Manasse, metropolis Idumææ, & regia Principum Edom, sita in montibus Seir, in Australi parte Idumææ, ita dicta à Theman primogenito Eliphaz, ex Ada uxore primogeniti Esau, Gen. 26. Jer. 49. Ab hac urbe tota Idumæorum Australis regio nomen accepit.

Themani, filius Ashur ex Naari uxore, 1. Par. 14.

Themanim, vide Hammondum *in Annotat. ad* 2. *Petr.* 2. 15.

Thembrimus, urbs Cariæ, à *Thembrimo* quodam, Steph.

Themesion, Eretriensis tyrannus, occupavit Olymp. 103. Ann. 3. Oropon, sed dum Thebanos, contra Atheniensium copias, urbem sibi vindicantium, advocat, illi urbem reddere recusarunt, Diodor. *lib.* 15.

Themilas, proprium viri, Servius.

Themina, castrum Galliæ, cum tit. Marchiæ, vulgò *Theminetz*. Memoratur in literis datis Ann. 1230. In quibus Dominorum de Toiraco *Toiras*, & hominum castri de Theminas, ac hominum de Montemirato mentio fit, apud Valesium *Notit. Gall.*

Themis, idis, vel, ut nonnulli, *istos*, Cœli ac Terræ filia, quæ Jovis nuptias fugiens, ab eo in Macedoniâ compressa fuit. Hæc Oraculorum, divinationumque prima inventrix, Dea putabatur, quæ præciperet hominibus id petere, quòd fas esset, ut ait Festus. Nam θέμις Græcè *fas* dicitur: habuitque vetustissimum oraculum in Bœotiâ ad Cephisum amnem. Hesiod. *in Theog.* Diodor. *Bibl. Histor. lib.* 5. Ovidius *Metam.* 1.

Fatidicamq; Themin, quæ tunc oracla tenebat.

Calpurnius:

——— *Tandem squallore, situq;*
Alma Themis posito. ———

Claudianus:

Sic cecinit longæva Themis. ———

Themis, quam Euseb. *lib.* 3. *Præp. Evang.* Carmentam vocat, ex Jove, Justitiam, Legem, Pacemque suscepit, vi compressa.

Themis, opp. Africæ propr. Ptol.

Themis, fluv. in Angliæ Walliæque confin. in Sabrinam immittens, apud Vigorniam urbem. *Theme*, vel *Temde*.

Themiscyra, *Lirio* Nigro, *Fanagoria*, teste Pineto (eo quòd in Phanagoriâ sit, quæ apud Strab. *Themiscyra* dicitur, unà cum fluv. qui in Irim labitur) urbs Cappadociæ maritima apud ostia Iridis fluv. (à quo nunc accipit nomen vulgare) in Ponti Galatici & Polemoniaci confin. Aliis *Temir*, & *Temisira* dicitur, apud Thermodoontem fluvium sita.

Themison, Medicus Laodicenus, auditor Asclepiadis Myrleani, quem Pompeji Magni ætate vixisse dicit Vossius. Hic cùm præceptor novam sectam condidisset, multa in eo innovavit, tertiamq; Sectam fecit; Hinc Sen. *Ep.* 95. *Adjice nunc quòd artes quoq; pleraq;, imo ex omnibus liberalissimæ habent decreta sua, non tantùm præcepta: Sicut Medicina. Itaq; alia est Hippocratis Secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis.* Ea Themisonis secta fuit Methodica. Meminerunt ejus Dioscorides *lib.* 7. *cap.* 2. Corn. Celsus *in prœmio*, & Plin. *lib.* 13. *cap.* 17. *& lib.* 29. *cap.* 1. Ubi *summum authorem* vocat. Non audiendus autem Interpres Juvenalis *ad illud Satyr.* 10.

Quot Themison ægros auctumno occiderit uno.

Ubi ait: *Themison Archiater illius temporis, cui detrahit.* Vult igitur vixisse temporibus Domitiani: nempe non vidit, Themisonis nomen poni pro quovis Methodico; quia cùm primitus multi Themisonem sequi se profiterentur, neutiquam tantum præstarent, ac sectæ conditor, sed multis necis causa forent. Crebra quoque mentio *Themisonis* apud Cælium Aurelianum, ut mittam Paulum Æginetam *lib.* 12. *cap.* 15. atque alios. Castellan. *in vita Medic.* Vossius.

Themison, in Pellenide citatur ab Athenæo *lib.* 6.

Themisonium, reg. Phrygiæ magnæ, & urbs ejusdem: cujus pop. *Themisonii* Ptolem. dicuntur, à Cibyris parum in Occ. distantes.

Themissua, Africæ propriæ opp. Ptolem.

Themissus, urbs Cariæ, quam condidit Dadus, à *Themisso* filio, quem lupi dilaniavere. Steph.

Themistagoras, auctor fuit Aurei libri. Ita enim inscripsit Etymologus in Α'γνωῖλωα.

Themistius, Philosophus sub Juliano Imper. apostata, cujus præfectus prætorii fuit Constantinopoli, ob eloquentiam *Euphrades* dictus; Augustin. *præc. lib. de Categ.* Scripsit Paraphrasin in Aristotelis Physicam libris8. &c. Præterea edidit sua,viz. de interpretatione, & inscriptione prædicamentorum, disputationes etiam quasdam & orationes, ad Principes, sub quibus vivebat. Hic licèt gentilis Valentem Imp. quotidiè sævientem in Orthodoxos, authoritate suâ & epistolis reddidit mitiorem. Sozom.6. Suid.

Themisto, Crithonis Neantii filia, à Phricodemo tyranno, in matrimonium filio suo Philoni petita.Cui cùm invita copularetur,noctu è thalamo,sponsi jugulo hausto,profugit. Vide Polyæn.8.623.

Themisto, filia Zabii Hyperboreorum regis.

Themistoclea, soror Pythagoræ, cujus placitis & opinionibus plerisque in locis usus est Pythagoras.

Themistocles, Archon Athenis, Olympiad. 108. An.2.

Themistocles, Neoclis filius, ex matre Halicarnassia, Atheniensis clarissimus, qui cùm adolescentiam in omni luxûs lasciviæque genere peregisset, tandem cùm in virum evasisset, juventutis suæ maculas præclarissimis gestis delevit. Nam & primus Piræeum munivit, pulsis, bello Corcyræo, piratis, & prælio navali Persas Olympiad. 75. apud Salaminem vicit. Post hæc, ab ingratâ patriâ exul factus ad Admetum primò Molossorum Reg. dein ad Xerxem confugit, à quo dux exercitûs adversus Athenienses magno cum honore creatus, cùm videret patriæ suæ ingentis cladis periculum imminere, hausto tauri sanguine seipsum Salamine interfecit, ne aut Regi de se benè merito infidelis esset, non pugnando viriliter, aut patriæ suæ hostis atque oppugnator videretur. Plutarchus, *in ejus vita*, Olympiad. 78. An. 290. U. C. Vir alioqui tantus, *ut nemo Græcorum ei anteferatur, pauci pares putentur*, quemadmodum de eo Nepos censuit, qui ejus vitam scripsit, quam post eum Plutarchus Græcè dedit: Itaque & jactare solitus fuit, *ferocissimos pullos generosissimos equos evadere, si rectè docti, formatiq; fuerint*. B. Hieronymus *epist. ad Nepotianum* scribit, Themistoclem, cùm expletis centum & septem annis se mori cerneret, dixisse, dolere se, quòd tum egrederetur è vita, quando sapere cœpisset: Sed ibi pro Themistoclis nomine Theophrasti substituendum, monet Casaub. *ad Characteres Theophrasti*. *Themistocles cùm recusasset lyram, habitus est indoctior*, Cicer. 1. *Tusc. Qu.* Quintil. *lib.1. cap.17.* Idem Cic. *de Fin. lib.2.* Themistocles cùm ei Simonides artem memoriæ polliceretur: *oblivionis*, inquit, *mallem. Memini enim etiam quæ nolo, oblivisci non possum quæ volo.* Idem cùm ex duobus filiam suam ambientibus, bonis moribus præditum diviti prætulisset, Α'ιδρα, ἔφη, ζητεῖ χρημάτων δεόμενον μᾶλλον, ἢ χρήματα ἀνδρός. Plut. *in Apophth.* Ælian. *lib.11.* & alii hoc Themistocli etiam tribuerunt: Εἰ μοί τις ὁδοὺς δύο ἐδείκνυ, τὴν μὲν εἰς ᾅδου φέρουσαν, τὴν δ' ἐπὶ τὸ βῆμα, ἥδιον ἂν τὴν ἑτέραν ᾔειν τὴν εἰς ᾅδου.

Themistogenes, Syracusanus historicus, tempore Artaxerxis Mnemonis, Cyri expeditionem, & bella, quæ in historiâ Xenophontis continentur, composuit, Suid. Vide Xenoph. *lib.3.cap.1. Hist. Græc.*

Themma, Arabiæ desertæ opp. Ptolem.

Themna, civitas maxima in tribu Dan, sita in monte Ephraim, Jos.19. Lat. *imago*, vel *figura*, aut *numeratio*.

Thenach, vel *Thanach*, civitas in tribu Manasse, Jos. 17. Lat. *confringens*, vel *humilians te*, aut *respondens tibi*.

Thena, urbs Cretæ Callim. vel Arcadiæ, alii montem esse dicunt. Stephano *Thenna*. Item opp. in monte, in Brabantiæ Hasbaniæque confinio, inque diœcesi Maalinensi: Incolis *Thienen*, Gallicè *Tillemont*.

Thenna, Africæ propriæ urbs, Anton. Vide *Thana*.

Theo, vide *Theon*.

Reges Austrasiæ, & Navarræ.

Theobaldus, Austrasiæ R. filius Theodeberti, cui An. 548. æt. 12. successit: septennio pòst improlis obiit: cujus viduâ Valdradâ ductâ Clotarius, patruus ejus magnus, opulentâ hac hæreditate potitus est. Gregor. Turon. *lib.3. & 4.*

Theobaldus I. Navarræ Rex, Comes Campaniæ hujus nominis VI. filius Theobaldi V. ex Blanca Navarræa, fil. Sanctii Sapientis & sorore Sanctii Fortis: Posthumus, Magnus, & Psalmodus dictus. Bellum cum Gallis gessit, Ludovico IX. adhuc minorenni, quod brevi finitum. Dein Avunculi successor, in reditu ex Oriente, Obiit Trecis, An. 1254. Eo genitus ex Margaretha Borbonia, filia Archembaldi VII.

Theobaldus II. Jun. qui ductâ Isabellâ, filiâ Ludovici IX. ex Oriente redux, in Sicilia obiit, An. 1270. Frater Henr. III. successit.

Comites Campaniæ.

Theobaldus I. Comes Campaniæ, celebris sec.10. Vide Flodoard. ex Leutgarde, filia Herberti II. Veromandui pater Com. Eudis I. cujus filius

Theobaldus II. & Eudis II. quo genitus

Theobaldus III. Hunc Godofridus Martellus Com. Andeg. captum, Turonum urbe multavit. Pater fuit Stephani, cujus fil.

Theobaldus IV. virtutibus inclytus: Obiit An. 1152. Hujus filius Henricus I. pater Henrici II. cujus filius fuit

Theobaldus V. mortuus An. 1201. Vide *supra*.

Principes Lotharingiæ.

Theobaldus I. Lotharingiæ D. post patrem Fridericum I. Occisus in prælio, ad Bovinas, Ann. 1214. vel vulneratus, secundùm alios, Obiit An. 1220. Ejus frater Matthæus II. pater fuit Friderici II. à quo natus

Theobaldus II. in prælio Curtracensi captus est. An. 1302. Hic Henricum Valdemontium sæpius vicit, in obsidione Florentiæ, sub Henrico VII. Imper. interfectus, An. 1312.

Viri Clari.

Theobaldus, Auctor vitæ S. Gulielmi, Comitis Pictaviensis & Aquitaniæ. Item Carthusianus Anglus, An. 1320. Scripsit *de vita Contemplativa, & de progressu SS. Patrum.* Pitseus, &c.

Theobricula, Hispan. urbs circa Asturiam, Anton.

Theoci curia, opp. amplum Glocestriæ, ad Sabrinam, ubi Avonam recipit, In ipso limite Comitat. Vigorniæ, 12. mill. Angl. à Vigornia in Mer. Glocestriam versus, *Tevvkesburye*. Notum prælio Lancastrensi familiæ funesto, quo ita eorum res excisa, sublato Eduardo, Henrici VI. fil. unico, ut jam inde contra Eduardum IV. signa non extulerint, An. 1471.

Theocles, Chalcidenses ex Eubœa in Leontinorum civitatem deduxit, eamque cum Siculis obtinuit. Quos ope Megarensium ejecit, his in societatem adscitis. Paulò post à Megarensibus, armis, ad festivam pompam celebrandam utendis, acceptis, socios contra datam fidem expulit. Vide Polyænum *lib.5.*

Theocles, vel sec. Casaubon. *Theo Chius*, scripsit Historiam, cujus meminit Vopiscus, *in Aureliano*. Voss. *de Hist. Lat.*

Theoclymenus, vates, qui Penelopæ prædixit Ulyssis in Græciam reditum. Homer. *Od.17.*

Theocrestos, res Libycas conscripsit, quarum primum librum citat Apollonii *Schol. in lib. 4.*

Theocrines, viri proprium, qui primùm Tragœdiarum actor fuit, deinde calumniator, & Sycophanta. Unde Demosth. *pro Ctesiphonte*, Æschinem tragicum Theocrinem vocat.

Theocritianus, cui à militibus imperium cùm emendum esset, per Justinum, hic acceptâ ab Amantio Eunucho pecuniâ, illud sibi conciliavit, An. C. 520. Paul. Diacon. *lib.15.* Zonaras *tomo 3. &c.*

Theocritus, poëta Syracusanus suavissimus, floruit sub Ptolemæis, Lagide ac Philadelpho, qui sic ipse de se:

Α'λλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος ὃς τάδ' ἔγραψα,
Εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμι Συρακοσίων.
Υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε Φιλίνης,
Μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔποτ' ἐφελκυσάμην.

Jussu Hieronis tyranni, ob maledicentiam, occisus. Scripsit linguâ Doricâ quæ extant Idyllia 36. Quod scripti genus in Bucolicis Virgilius imitatus est. Unde *Eclog. 6.*

Prima Syracusio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit sylvas habitare Thalia.

Item auguris nomen apud Plut. *in Pelopida*. Alius inter historicos recensetur à Fulgentio Mythol. *lib. 1.*

Theocritus, Scio oriundus, Orator & Sophista, discip. Metrodori. Scripsit Epistolas maximi æstimatas, & Lybiæ historiam, Suid. Strabo, *lib. 14.* Olymp. 94. An idem cum eo, cujus Fulgentius meminit, Mythol. *lib.1?* Vitam illius scripsit Ambrion, quem in Aristotelem Epigrammate quodam acriter invectum memorat, Diog. Laërt. *lib.5. in Aristotele.*

Theodamas, pater Hylæ fuit, qui cùm Herculi cum Dejanirâ, & Hyllo filio ad Dryopes venienti, esurientique cibum denegasset, ille arreptum unum ex bobus Theodamantis mactavit, atque coxit. Quapropter Theodamas arma adversus Herculem movit: feruntque Herculem in eo certamine ita ab hostibus pressum, ut etiam Dejaniram uxorem armarit, quæ & in mamillâ vulnerata est. Ipse tamen victoriam obtinens Theodamantem occidit, filiumque ejus Hylam secum abduxit, quem tum deinde pro charissimo habuit, eumque etiam cum Argonautis proficiscens, abduxit: Vide *Hylas*.

Theodas, vide *Theudas*.

Theodatus, seu Theodahadus, Gothorum in Italia Rex, filius Amalfridæ, sororis Theodorici R. ex nobili quodam aulico. Hunc Amalfuntha, amisso Athalarico filio, regni compotem fecit, hac lege, ut ipsa, dum viveret, præesset: Sed throno potitus ille, Reginam in Insulam relegatam, ibi in balneo strangulari curavit, An. 534. Hanc necem ulturus Justinianus Imp. per Belisarium Dalmatiam, per Mundum Siciliam subegit: quo successu territus Theodatus, per Agapetum Papam, Constantinopolim missum, pacem petiit. Sed, dum Ebremundus, qui Theodenandam illi ux filiam sibi junxerat, se Belisario Neapoli potito dedidit, à Vitige, copiarum præfecto, quem Gothi Regem proclamaverunt, An. 537. cum filio Theodegisclo. occisus est, cùm Româ Ravennam rediret. Procop. *lib.1. de B. Goth.* Marcellio. *in Chron.* Interim eruditus fuisse dicitur & Historiæ conditor. Cassiodor. *lib.10. ep.3.* Possevin. *in App.*

Theodatus, Archon Athenis, Olymp. 98. An.2.

Theodatus Frithona, Anglus, An. 664. Honorato Cantuariensi familiaris, hujus suasu, Historiam Episcoporum hujus Ecclesiæ conscripsit,

scripsit. Beda, Guiliel. Malmesbur. Lelandus, eum impensè commendant.

Theodaxium, vulgò *Tiais*, vicus agri Parisini, ad Sequanam, inter Aureliacum & Vitriacum positus, non incelebris: in Decanatu Montis Leotherici, sub Archidiacono Josacensi. Alii tamen eum ponunt in Dec. Linarensi, & Ecclesiam vici numerant inter Ecclesias, quas Abbas Monasterii S. Germani de Pratis donare consuevit, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Theode, nunc *Gomera*, una ex Insf. Fortunatis, inter Nivariam ad Ort. & Pluvialiam ad Occ. Satis parva, cum urbe cogn. sub Hisp.

Reges Austrasiæ.

Theodebertus, vel Thebertus I. Metensium R. successit patri Theodorico, An. 534. S. Niceti vel Nizerii, Episcopi Trevirensis monitis in melius mutatus, justitiæ in posterum & pietatis laudem tulit. Hic cernens Romanos cum Gothis colluctari, cum exercitu C. M. hominum, Procup. *de B. G. lib.* 2. vel CCM. secundum Jornandem & Freculphum, Italiam ingressus, vicit utrosque: sed commeatus inopiâ, post Genuam, aliasque Liguriæ urbes direptas, reversus, Deuteriâ repudiatâ, Wisigarden jam prius sibi desponsatam, duxit. Dein, contra Justinianum mutuus, Longobardis sibi faventibus, in venatione obiit: Liberalis, Fortis, Prudens, Clemens, Pius, &c Pater, ex Deuteria, Theobaldi successoris. Gregor. Turon. *Hist. lib.* 3. Aimon. &c. A. 548.

Theodebertus II. Austrasiæ Rex, patri Childeberto successit, An. 596. ditionibus inter illum, & fratrem Theodoricum, divisis. Brunechildem aviam, ob mores, aulâ pepulit, quæ fratre contra illum suscitato, frustra fuit: postmodum eundem contra Clotharium II. agnatum incitavit, majori successu, cùm à fratre adjuvaretur. Tandem, fratribus iterum inter se collisis, Theodebertus, à suis Coloniæ occisus est, Ann. 612. Bilichildis ancillæ primò maritus, illâ an. 610. occisâ, Teudechilden duxit: pater Merovei & Clotharii, quos Brunehildis occidi curavit, & Berthoaræ, quæ Adalvaldo, filio Agilulphi Longob. desponsata est, nuptura patruo Theodorico, ni eadem Brunehildis obstitisset. Fredegar. *in Chron. cap.* 35. *& seqq.* Aimon. *Histor. lib.* 3. Paulus Æmylius &c.

Theodebertus, fil. Chilperici I. à Patre, contra Sigebertum Austrasiæ Regem, fratrem suum, missus, Turones & Pictones acerrimè infestavit, Goudebaldo, duce Sigeberti, in acie occiso. Sed, variante vices fortunâ, sequenti prælio à suis desertus & à Bosone occisus est. An. 575. Gregor. Tur. *lib.* 4. *cap.* 40. Aimon. *Hist. l.* 3.

Theodectes, orator, Cilix genere, Olymp. 103. discipulus Platonis, Isocratis & Aristotelis, qui ei suos de Rhetoricâ libros dedicavit; ab Artemisia, ut Mausolum pro funere laudaret, adhibitus est: Conversus deinde ad Tragœdias, scripsit fabulas L. Decessit Athenis annos natus 41. Scripsit & versibus artem Rhetoricam, laudavit & virum Artemisiæ, ut dictum, unà cum claris eo tempore oratoribus. Alius orator, prioris fil. qui scripsit encomium Alexandri regis Epirotarum, commentarios historiæ, artem Rhetoricam libris 6. aliaque quamplurima. Suidas, Voss. *de Poët. & Hist. Græc.* quòd S. Scripturam in scenam transferre vellet, divinitus punitus, sanatusque. Joseph.

Theodelinda, Longobardorum Regina, vidua Autharis, An. 592. summâ rerum retentâ, Agilulpho nupsit, eumque cum tota gente ab Arianismo convertit: postea tamen Schismati Episcuporum Istriæ, ob tria capitula, involuta est, sed Gregorii M. monitis, ad se rediit. Mortuo secundo quoque marito, iterum clavum Regni moderata est, per an. 10. ab an. 616. usque ad An. 626. cum filio Adeluvaldo: quo ambo ab Arioaldo pulsi sunt. Paul. Diac. *Hist. Longob. lib.* 4. Gregor. *in Epist.*

Theodemerensis pagus, pars exigua pagi Carnutini, vulgò *Thimerais*, à castro cognom. vulgò *Thimer* nomen habet. Hoc, à Guazone quodam, ante annos circiter 600. conditum, & Theodemeris cujusdam nomine appellatum, obsessum est, circa An. C. 1059. ab Henrico Gall. R. Pagi caput nunc Castrum Novum est, *Chasteau Neufen Timerais*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Theodemirus, Suevorum vel Galiciæ in Hisp. Rex, post Remismundum, vel Theodomundum, An. 558. Arianus, Ariamiro vel Mirone fil. à S. Martino sanato, hæresin ejuravit, Obiit An. 570. Gregorius Turon. *de Mirac. S. Mart. lib.* 4. *cap.* 7. Mariana &c.

ad S. Theodericum, locus est Galliæ, in pago Remensi, à Monast. S. Theoderici vetustissimo dictus, vulgò *S. Thierri*. Huic Theodorico Abbati Gaugiacum in pago Remensi *Gueux*, ac Germiniacum contulit Theodoricus, Chlodovæi filiorum maximus, cujus etiam exequias celebravit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Theudiscus, Theudi in Hispania successor: Eum Agilas excepit, An. C. 548. Isidor. *in Chron.*

Theodemirus, monachorum præfectus, cùm Claudium Taurinensem Episc. in imagines acriter pugnare videret, illum reprehendit: sed Apologetico insigni causam Episcopus tuitus est, circa An. C. 820.

Theodonis villa, à Theodone, homine Franco, conditore suo, dicta, villa olim regia, seu fiscalis fuit, nunc urbs permunita Belgii, ad Mosellam, 9. leuc. à Treviris in Mer. Metas seu Divodurum versus. Sub Gallis ab ann. 1643. *Diedenhoven* Germ. *Thionville* Gallis. In Ducatu est Luciliburgensi, Præpositura ac dominii titulo clara. Secessus olim Caroli M. Vid. Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Imperatrices Rom.

Theodora, uxor Justiniani Imper. Augusta pronuntiata est, eodem tempore, quo maritus à Justino Sen. coronam accepit. Ob Anthimum Patr. Agapeto Papæ infensa; plurimum apud Imperatorem valuit, ejus autoritate ad varia abusa. In negotio trium Capitulorum, Eutychianis impense facit, Vigilium quoque contra Sylverium Papam tuita; Obiit Ann. 548. V. Procop. *de Bell. Goth. & Pers. in Anecdot.* Evagr. *Histor. lib.* 4. Baronium *in Annal.*

Theodora, Theophili Balbi Imper. uxor, avara ac quæstus studiosa. Hujus cùm appellentem ad portum navem mercibus plenam, quibus illa compendium facere cogitabat, deprehendisset maritus, incendi jussit, his verbis conjuge compellatâ, *Non te pudet Theodora, nos, quos Deus Christiani Orbis Principes fecit, caupones & portitores efficere.* Hæc cùm sponte in imagines inclinaret, post obitum mariti, excitata insuper à Manuele, filii tutore, imagines restituit, Johanne Patr. deposito: A filio postmodum Michaële III. impulsu Bardæ, qui frater Theodoræ fuit, cum filiabus, in monasterium detrusa, & tonsa. V. Sigon. *lib.* 5. Zonar. *tom.* 3. Cedren. *in Hist.* Manichæos Paulicianos magno numero, per immissos tortores, sustulit. &c.

Theodora, filia Eutropiæ, uxoris Maximiani Herculis, nupsit Constantio Chloro, Imp. patri Constantini M. Item, filia Constantini Jun. soror Zoës. E monasterio, in thronum evecta, successit Constantino Monomacho, Zoës marito, Ann. 1054. Obiit, An. 1056. Michaële VI. Imp. creato. Curopal. *in Annal.*

Fœmina illustres.

Theodora, illustris fœmina Romana, Molis Adriani & Papatus arbitra, ope Tusciæ Marchionum, An. 908. Johannem X. adulterum suum, post Landonem, Papam esse jussit: Maroziæ mater, quæ non minus impudica, Romanæ sedi diu insultavit. Luitp. *lib.* 2. Leo Ostiens. *in Chron. lib.* 1.

Theodora, virgo Antiochena sub Diocletiano, quæ cùm ob Christianam fidem in carcere detineretur, militis cujusdam ad eam stuprandam missi libidinem & furorem adeò verbis emollivit, ut non solùm à flagitio hominem deterruerit, verùm etiam mutatis vestimentis cum eo exitum è carcere, quo per Diocletianum fuerat inclusa, & impunitatem meruerit.

Theodoretus, Episc. Cyri, in Syria, floruit sec. 5. eruditione & judicio inter primos. Patriâ Antiochenus, genere nobilis, discipulus Chrysostomi fuit; domi parcus, urbem magnificè exornavit, à Pulcheria quoque impetravit, ne tributa in diœcesi sua intenderentur: quæ cum 800. contineret parœcias, quarum plurimæ hæresibus variis infectæ, omnes magnâ industriâ & felicitate purgavit. Ob eloquentiam, doctrinam & pietatem Antiochiæ Præsulibus tantopere gratus, ut illum diu secum retinerent, concionibus frequentibus ibi defunctum. Cum Johanne dein Patr. Primate suo, qui nimis præcipitem ratus est Nestorii condemnationem, à Conc. Ephesino factam, collisus: Scripsit quoque contra 12. anathemata, à S. Cyrillo, in Synodo Alexandrina, vulgata contra Nestorium: sed utrique postmodum reconciliatus, tanto zelo, Nestorii, cujus personam aliquandiu defenderat, hæresin impugnavit, ut in PseudoSynodo Ephesina ab illis Episcopatu sit motus, sed à Concilio Chalcedonensi magnâ cum gloriâ restitutus est: Obiit fortè An. 451. quidam tamen Ann. 460. nonnulli quoque An. 470. habent. Opera ejus à Sirmondo ultimo edita, An. 1642. quatuor Volum. constant: quorum duo priora varios in S. Scripturam Commentarios complectuntur: Tertium Expositionem Epistolarum S. Pauli, libb. 5. Historiæ Eccl. ab Ario, usque ad Theodosium Jun. quibus additos fuisse quinque alios, usque ad Leonis Imp. Gennadius refert: Epistolas porro 147. continet. Quartum, comprehendit 1. Eranistem, seu Polymorphum, tribus dialogis, 2. libb. 5. de fabulis hæreticorum, 3. Orationes 10. de Providentia; 4. Discursus 12. contra Gentiles. In opere, cui titulus, *Medela passionum Græcarum*, tota veterum Philosophia & Theologia latet. Gennadius quoque libri ejus, contra Eutychem & Dioscorum, meminit; cujus argumenta recenset Photius, *Cod.* 31. 46. 56. 204. 205. *&* 273. Involutus fuerat insignis hic Præsul negotio trium Capitulorum, cum Theodoro Mopsvestio & Iba Edesseno, damnataque ejus censura anathematum Cyrilli. Concilio 2. Constantinop. An. 553. sed, ut dictum, Nestorium publicè postmodum verbis & scriptis impugnavit, à Conc. Chalcedonensi in Communionem receptus. Fuit *Ingenio excellentissimo, & ad omnis generis disciplinas percipiendas capacissimo*, Catal. Test. Ver. *Vir sui seculi eruditissimus*, Dalæo. *Sanctissimus, & S. literarum intelligentiâ præcellentissimus Theologus*, Drusio: *Sectator Magni Joh. Chrysostomi, cujus imitatione fluidus admodum & in elocutione facilis, & Atticam gravitatem redolens*, ex Vita. Hinc & Caussino *Cl. Alexandrinus, Cyrillus & Theodoretus inter eloquentes summè docti, inter doctos summè eloquentes.* V. & Leon. in *epist.* Gennad. *in Cat.* Sigebert. *cap.* 9. Nicephorum, Calixtum, Vossium, Rivetum, Possevinum, &c.

Theodoretus, Præceptor Tiberii Imp. Scripsit historiam.

Theodorias, urbs Phrygiæ, quæ & *Laodicea.*

Galliæ & Austrasiæ Reges.

Theodoricus, I. fil. Clodovæi II. frater Clotarii III. & Childerici II. Gallorum rex, qui ignaviæ deditus, adeundi salutandique sui copiam nulli, nisi Calend. Maji faciebat, & per Ebroinum regnum administrabat. Hanc ignaviam regni proceres indignè ferentes, Theodoricum & Ebroinum monasteriis incluserunt, advocato in regem Childerico, An. D. 673. Sed ambo, post hujus mortem, inde liberati sunt; & Ebroinus quidem, dignitate Majordomatus potitus denuo, non paucos Procerum ultioni suæ sacrificavit: Theodoricus autem, regni umbram tenuit, usque ad an. 690. per ann. 14. vel 24. Ex Clothilde, pater Clodovei III. & Childeberti Justi, qui familiam propagavit. Vide Gregor. Turon. Aimonium, &c.

Theodoricus II. fil. Dagoberti II. molliter in monasterio quodam educatus, indeque throno impositus est, à Carolo Martello, qui sub Regis nomine res felicissimè gessit. Obiit An. 737. æt. 25. regni 17.

Theodoricus I. Austrasiæ R. primogenitus Clodovæi M. Hermenfridum Thuringiæ R. cui opem tulerat, ingratum, in aulam pellexit, illumque de muro præcipitem dari jussit: Childebertum, dum ille bello detineretur, Arverniam invadentem, redux pepulit, Obiit An. 534. Successit fil. Theodebertus. Gregor. Tur. Aimonius &c.

Theodoricus II. Austrasiæ & Burgundiæ R. fil. Childeberti, frater Theodeberti: ab avia Brunehilde contra fratrem concitatus, eum vicit. Contra Clotarium denuo moturus, obiit Metis Ann. 613. Filius ejus à Brunehilde saxo illisis Clotarius II. insignem hanc hæreditatem adiit. Iidem. V. *Brunehildis & Clotarius.*

Reges Gothorum.

Theodoricus, Ostrogothorum in Italia Rex, fil. Valameri, Daciæ & Mysiæ ex parte Regis, è pellice Erlieva, vel Eusebia. *Amalus* quibusdam dictus, quia à prisco quodam Rege hujus nominis oriundus esset. In juventute, per decennium, obses fuit, in aula Leonis Thracis, inde in patriam redux, post patris, & patruorum Theodemiri & Widemiri obitum, Rex coronatus est. Paulò post Zenoni Imp. à Basilisco pulso, opem tulit, hinc triumphi honore, statuâ equestri in urbe, & Consulatu, An. 484. ornatus, adoptatusque insuper, partem inferioris Mœsiæ, cum urbe *Novi*, in qua communiter versabatur, accepit, veniam quoque in Italiam, contra Odoacrum movendi, in cujus locum, Rex Italiæ, ab Imperatore creatus erat, nactus. Hic enim cùm Herulorum Regem Felethum vel Phœbam vicisset, filius hujus Fridericus apud Theodoricum perfugium habuit, qui, lætus occasione, in Italiam profectus, Odoacrum tribus præliis, primò ad Sontium flumen, mox ad Veronam, unde *Veronensis* dictus, tertiò ad Abduam, victum Ravennæ, per biennium obsedit, illi tandem, An. 493. pace concessâ, & imperio diviso: mox rerum novarum accusatum è medio sustulit. Sic Italiæ totius dominus Anafledam, vel Audofledam, Clodovei Gall. R. quem tamen paulo post per Hiddam vicit, sororem duxit; Sororum suarum unâ Alarico, Wisigothorum Regi, alterâ Sigilmundo, filio Gundebaldi Burgund. R. filiâ verò Amalesvinthâ, Eutharico R. Gotthorum in Hispania, elocatâ. Pace dein cum Anastasio Imp. cui iratus, quòd Bulgaros in Pannoniam immisisset, iis devictis, Sirmioque occupato Panoniam rapuerat, & Vandalis in Africâ initâ, regno suo exornando incubuit, Cassiodori ad id, qui ipsi à secretis fuit, operâ usus. Orthodoxis, licet ipse Arianus, libertatem dedit, Diacono etiam suo, qui in Regis gratiam Arianismum amplexus erat, occiso: dicens, *Non servaturum sibi fidem, qui Deo non servasset.* Interim quia Arianâ hæresi commaculatus (hâc enim à Valente Imp. Gothi imbuti erant) Joannem Episcopum, Agapetum, & Petrum Conss. Theodorum & Importunum legatione ad Justinum misit, ut expulsos Episc. revocaret, aliàs se Italiam devastaturum minatus: cui à Justino Episcoporum restitutio fuit negata: Proin à Joanne & Rom. Senatoribus coronari Imperator voluit. Post Papam Anastasium, lite obortâ, An. 1408. Symmachum successorem ejus renuntiavit: dein contra Bulgaros, & Gallos, quorum hi Arelatum obsidebant, felix, magnâ apud omnes nominis famâ fuit: Romam magnificè ornavit, mutis separatis: insigniter prudens, quod inprimis ex Johannis I. legatione colligere est. Leges 150. novas veteribus addidit, azylorum licentiam coërcuit, aliaque plurima egregiè sanxit: à Cassiodoro *in Epist. & Chron.* nec non Ennodio, Diacono Rom. panegyrico, laudatus. Tandem, postquam Johannis Papæ mortem jussisset, Symmachum & Boëtium, viros totius Italiæ clarissimos, conjurationis cum Justino Imp. suspectos, securi percussit: inde trimestri elapso, cùm eximii piscis caput mensæ inferretur, quasi Symmachi capite viso, territus, in morbum incidit, sibi lethalem. Obiit An. 526. Jornand. *de reb. Goth.* Procop. *lib. 1. de B. G.* Sigonius, *de regno Ital, &c.* Ei successit ex filia Amalesventa Athalaricus nepos. Memorabilis fuit statua *Theodorici* affabrè facta, quam Neapoli erexerat, Fati Gothici prænuntiam: In qua, paulo ante Theodorici mortem, compago lapillorum caput constituentium soluta: ante Athalarici mortem venter dissiluit: Amalesvinthâ occumbente virilia collapsa sunt: tandem Gothis urbem obsidentibus, femora, pedes ac reliquum ejus omne concidit. Grasserus *in Hist. exot.*

Theodoricus I. Wisigothorum R. in Hispania, Theoderedus Scaligero, aliis. Valliæ successit, An. 419. vel 29. Ab Arelati obsidione, virtute Aetii repulsus, paulo post Litorium, Ducem Romanum, Ethnicum, cepit duxitque Tholosam. Dein Merovæo Gallorum Regi, Aëtio, Theodorico & Gundicario Burgundionum R. junctus, Attilam in campis Catalaunicis, vel, ut Morerio visum, Secalaunicis vicit, re ibi fortissimè gestâ, occisus in prælio Ann. Ch. 451. regni 23. an 33. Idacius & Isidorus, *in Chron.* Paul. *Diac. lib.* 15. Jornandes *de rebus Goth.* Greg. Turon. *lib. 2. &c.*

Theodoricus II. fil. prioris, fratris Thorismundum vitâ & regno exuit, Ann. 453. Per Romanorum dissidia mire ampliatis Imperii finibus, Narbonâ potitus est, tradente illam Comite Agrippino, An. 462. Hispaniam ingressus, cum ingenti exercitu, Recharium vel Rectiarium, Suevorum Regem, Affinem suum, prælio prope Asturiam vicit, & ad se perductum, necari jussit. Ipse tandem insidiis fratris sui Evarici occisus, An. 466. Isidor. *in Chron.* Jornandes *in reb. Goth.*

Principes varii.

Theodoricus, cognom. *Fortunatus*, Comes Oldenburgicus, fil. Christiani, linearum reliquarum familiæ Oldenburg. bona collegit: ex pacto etiam Ann. Ch. 1360 Com. Delmenhorstanum sibi adversus Bremenses asseruit, & ob uxorem Hedvigem, filiam Gerhardi Holsati D. Slesvici, familiæ Schawenburgicæ, jus successionis in Slesvicensem Princip. & Holsatiam liberis reliquit, Pater Christiani I. Daniæ Regis, à quo hodierni Daniæ Reges & Holsatiæ Principes, ac Gerardi, qui Oldenburgicos continuavit, è quibus ultimus Antonius Guntherus haud pridem decessit: relicto Antonio filio, ex impari Ungnadiæ conjugio, qui Comitis Imperii, Domini in Aldenburg, nob. Domini in Varel, Dn. in Kniphausen titulum a Cæsare nactus, Augustam Wittgensteniam uxorem meruit.

Theodoricus, fil. Diethmari, Saxoniæ Ducis, ab Henrico Aucupe Imp. bonis restituti, cæsus est An. Ch. 1009. in prælio, adversus Wernherum March. Pater Dedonis II. cui à matre Juditha Merseburgica agnata ille Comitatus, præter avita *Sorbach*, *Wethin*, *Wittenberg*, *Budjez*, ab Ottone III. collatus est. Eo geniti Fridericus Comes Palatinos Saxoniæ sevit, & *Theodoricus*, gener Eccardi March. Misnensis, Marchionatu Landsbergensi & Comitatibus Eulenburgico ac Seuseliicensi ab Henrico II. intercessione Kunigundæ Augustæ, auctus est. Hic pater fuit Dedonis Lusatiæ Marchionis, Geronis Com. Brenæ, & Thiemonis: quo Conradus genitus Marchio Misniæ A. C. 1126. & Lusatiæ An. Ch. 1136. factus, pater ex filiis Henrico Wethinensium, *Theodorico* Lusatorum, Friderico Bremensium & Dedone Rochlicensium fuit, qui omnes tamen rami brevi extincti sunt. Solus Otto Dives, à repertis argentifodinis, Fribergæ conditor, Friderici I. Imp. adversus Henric. Leonem miles, per filium *Theodoricum* genus ulterius produxit.

Theodoricus, Ottonis præfati filius, à fratre Alberto Superbo, qui Patrem quoque in vinculis habuerat, vexatus & ditione ejectus, improli demum successit. Obiit An. Ch. 1222. veneno, Medici, à Lipsiensibus, quos bello urserat, corrupti perfidiâ. Pater ex Juditha Thuringic. Henrici cognom. *Illustris*, qui Thuringiæ Landgraviatum, post Henricum gentis ultimum extinctum Ann. Ch. 1249. sibi vindicavit, cumque eo Palatinatum Saxoniæ in domum suam postliminiò reduxit. Eo genitus est *Theodoricus* cogn. *Sapiens* pater Friderici Theut, Friderici Rigorosi & Alberti, hodiernorum Saxoniæ Principum conditoris. Spenerus *Syll. Geneal. Hist.*

Theodoricus, Dux Lotharingiæ, fortitudine inclytus, fil. Gerhardi Ducis, qui primus Ducatum jure hæreditario ad posteros transmisit, tam directâ lineâ, quàm laterali. Unde Simoni II. Duci absque liberis defuncto, successit An. C. 1207. Fridericus III. ejus ex fratre nepos.

Theodoricus, e Westphalia tonsor, Sigbrittæ commendatione, à Christiano II. Daniæ R. Archiepiscopali dignitate ornatus, suasit Regi, ut novas exactiones victui imponeret, Scholasticosque alumnos urbe ejiceret. Postea Sueciæ regno à Christiano occupato Prorex impositus, cùm innumeris flagitiis populo se exosum redderet, à Gustavo, Dalecarlorum ope, fugatus est. Hinc à Rege suo, velut odii publici victima, in vincula compactus, inde cum scala, e qua suspensus erat, in rogum conjectus atque combustus, argumento fuit, non nixam virtute felicitatem calamitosâ innocentiâ longè miseriorem esse.

Johannes *Theodoricus*, fil. Ludovici, Comitis Werthemii, è familia Leonstenia, Rupiforitæ lineæ auctor, linguis literisque in variis regionibus vacavit: In Hungaria dein, contra Turcam, prælio inter Hidvegum & Castrum Ferreum, fortissimè pugnavit, adverso corpore vulneratus. Quæ pro patre contra Herbipolenses, ob Comit. Werthemium, acta, V. apud Thuan. *lib.* 138. Spinola in Palatinatum abituro, sub Archiduce 500. cataphractorum Dux, strenue se gessit, & inter alia tractum ab Heidelberga Darmstadium usque in potestatem redegit. Obiit An. Ch. 1644. Pater Ferdinandi Caroli, Camerarii Ferdinandi III.

Viri celebres.

Theodoricus, Triarii filius, Thraciam vastavit, imperante Zenone, An. Ch. 482. V. Evagr. *lib.* 3. *cap.* 24. 25. 26.

Theodoricus de S. Albano, Monachus Moguntinus, scripsit sec. 10.

sec. 10. vitam S. Benedicti, Historiam Episcoporum Moguntinorum &c. Voss. *de Hist. Lat.*

Theodoricus de Appoldia, Dominicanus Erfordiensis, sec. 14. scripsit vitam Dominici, &c. Quidam eum confundunt, cum *Theoderico* vel Dieterico de Thuringia, auctore vitæ S. Elizabethæ. V. Voss. *ibid.*

Theodoricus de Niem, Pontificibus à secretis, dein Episc. Verdensis, in Germania. Scripsit libb. 4. historiam Schismatis sec. 14. & 15. grassantis.

Theodoricus Pauli, Gorichemio Holandus; scripsit An. 1450. varios tractatus Historicos. V. Voss. Valer. Andr. &c.

Theodoricus Schnepfius, Germano-Suevus, patriâ Greichgæensis, oppido Wimpinâ oriundus, fil. Erhardi, Theologus *de Germanis minimè postremus, doctus, disertus, in concionibus fervidus, acer in reprehendendo, suavis in consolando, gravis in verbis vitaq; tota, liberalis in egenos, in officio tam assiduus, ut ad centena & decem horarum millia, docendo, commentando, disputando, aliisq; sui officii negotiis consumpsisse visus sit:* Melch. Adami *in vita ejus.* Scripsit varia. Obiit An. Ch. 1586. æt. 64.

Theodoricus Trivultius, Comes ex Insubria, vir magnæ virtutis & experientiæ, obiit in conflictu Mulhemieo, ad Ruram, Ann. Chr. 1605.

Theodoricus Uricus, magni nominis in Conc. Constantiensi, sec. 15. *Opus de Consolatione Philosophia* metrico prosaicum inscripsit Imperatori Sigismundo.

Theodoropolis, Thraciæ urbs in Mœsiâ reg. à Justiniano rege condita. Procopius. V. Zonar. *lib.* 3.

Pontifices Rom.

Theodorus I. Hierosolymitanus, post Johannem IV. Papa, An. 641. Monothelitis acriter se opposuit, missis in Orientem, ubi vitius jam latè serpserat, legatis, Typo damnato, & ad fidem perducto Pyrrho, Patr. Constantinop. qui tamen Româ, ubi confessionem suam Theodoro obtulerat, discedens, Ravennæ denuo eundem errorem docuit, excommunicatus, cum Paulo Patr. Obiit Ann. 649. Anastas. *in vit. Pontif.* Victor Carthag. & Sergius *Cyprius, ep. ad Theodor. ex Cassio.* Successit Martinus.

Theodorus II. Romanus, successit Stephano VI. per dies 20. An. 901. Ciacconius, Genebr. Duchenius *de Rom. Pont.* Ei successit Johannes X.

Theodorus, post Johannis I. mortem, An. 687. à militibus electus contra Petrum Archipresbyterum, à Clero creatum; unde dissidium, quod Conone substituto utcunque sedatum est. Post cujus mortem, Theodorus cum Paschali Archidiacono de successione contendit, obtinuitque contra Sergium I. qui non, nisi post mortem Theodori, sedem occupavit.

Patriarchæ Constantinop. & Alexandrini.

Theodorus I. Patr. Constantinopolitanus, Ann 666. Monotheleta, à sacris Diptychis nomina Episcoporum Rom. erasit, concilio 6. Gen. An. 681. Restitutus, post simulatam pœnitentiam, ejusque Synodi corrumpendis intentus, Obiit 684.

Theodorus II. præfuit An. 1117.

Theodorus III. Michaëli successit, sec. 13.

Theodorus, Patr. Alexandrinus, post Eulogium, cognom. *Scribonius*, obiit An. 610. post biennium. Item Patr. Antiochenus, An. 751. ab Hali Saracenorum Principe, ob literas ad Constantinum Copronymum missas, in exilium pulsus. An. 756. Item, Patr. Hierosolymitanus An. 759. Baron. *in Annal.*

Viri illustres.

Theodorus, Episc. Heracleæ, in Thracia, sub Constantino Imp. commentatus est in Psalmos, Matthæum & Johannem, ut & Epistolas Paulinas. Hier. *de Scr. Eccl.* Item Presbyter, discip. S. Pachomii, scripsit Epistolas insignes, &c. Gennad. *Catal. Vir. Ill.* Item, Episc. Ancyranus, scripsit contra Nestorium. Item Presbyter, Scripsit de libris S. Dionysii, Photius *Cod.* 1. Item, Monachus Alexandrinus, auctor libri contra Themistium, Phot. *cod.* 108. Item Colophonius, Poëmatis auctor. Jul. Pollux *lib.* 4. *cap.* 7.

Theodorus, V. *Methodius I. Patr Constantinopolitanus.*

Theodorus, à Sallustio Præt. Præf. quæstioni subjectus, in eculeo, vultu læto & securo Psalmum cecinit, obstupescente Sallustio; cui juvenis, causam rogatus, se à juvene quodam, sudores sibi abstergente & subinde frigidam affundente, corroboratum fuisse, respondit. Rufin. *lib.* 1. *cap.* 36. Imperante Juliano.

Theodorus, Præsidiariorum Sesti præfectus, rem cum quâdam muliercula in suburbio habuit, atque aquæductu per muros tenui penetrante lapidem unum eximens sub noctem exibat; & intrans lapidem reponebat: Idque clam. Quam rem Cleoni quasi ludicrum quoddam fassus est. At ille, Abydenis hoc renuncians secretum, noctemque illunem observans, per aquæductum, cùm lapidem *Theodorus* exemisset & adulterio occupatus esset, milites clam introduxit: qui custodibus interfectis & portis intus reseratis omnes copias admiserunt, & sine labore Sesto potiti sunt.

Theodorus, Monachus Sanctogallensis, in Helvetia, An. 680. scripsit vitam S. Magni. Item Presbyter seu Episc. Cantuariensis: Scripsit *Pœnitentiale*, An. 690.

Theodorus, è municipio Diomeâ, ob mollem libidinem infamis & servili origine. V. Schol. *in Aristoph. Acharn. pag.* 399. *G.* 2.

Theodorus, Phil. qui Ἄθεος cognominatus est, discip. Anicerid Dionysii Logici & Aristippi, dicebat nugas esse, qui de Diis sermones haberentur, nec Deos esse; quare omnes ad furta, perjuria & rapinas hortabatur. Suidas. Finem omnium rerum gaudium & dolorem, quorum unum è prudentia, alterum è stultitia fluat, asseruit: Prudentiam & justitiam bona; habitus his contrarios, mala: voluptatem & dolorem medium quid esse statuit. Crimina, non naturâ suâ, sed hominum opinione turpia esse docuit. Ob Atheismi dogma Athenis pulsus, secundùm alios quoque, occisus est. Diogenes Laërtius tamen *lib.* 2. ejus libri *de Diis* meminit, illumque magnopere laudat.

Theodorus, Tragœdus antiquissimus, quem Laërtius in *Theodoro* Atheo laudat, inter nobiliores histriones. Hic ferre nunquam voluit, ut actor aliquis fabularum ante se prodiret in scenam, etiamsi humilis esset & nullius præ se existimationis, rationemque ejus rei attulit, quòd spectatores ita primis actionibus capi solerent, ut non facile sequuturas deinde, quanquam meliores, probare vellent. Aristot. 8. *Polit* 17.

Viri celebres.

Theodorus, & *Teladeus*, fratres Samii sculptores celeberrimi, quorum alter in Samo Pythii Apollinis signum incepit, alter Ephesi eodem tempore ex alio saxo absolvit; quibus simul compositis ita convenit, ut unum corpus ab uno artifice, & ex uno lapide sculptum videretur. De hoc Diodoro Diogenes testatur, quòd non solùm sculptor, sed etiam architectus fuerit, unusque consuluerit subjiciendos esse carbones fundamentis Ephesii templi. Nam cùm humidus esset locus, omissâ ligni naturâ, soliditatem accepit humor immobilem. Idem primus ferrum fundere docuit, statuamque ferream fecit. Pausan.

Theodorus Anagnostes, sec. 5. Lector Ecclesiæ Constantinopol. Scripsit Historiam 2. libb. cum tit. *Collectanea Hist. Eccl.* à morte Theodosii Jun. usque ad Justinum. Possevin. *in appar.* Voss. *de Hist. Græc. &c.*

Theodorus Balsamo, Diaconus, dein Nomophylax, & Cartophylax, tandem Patr. Antiochenus, eruditissimus sui seculi. Spe sedis Constantinopolitanæ, ab Isacio Angelo Imperat. lactatus, in Præsulum cœtu, translationem ex una sede in aliam Canonibus non esse contrariam obtinuit, sed Dositheo, qui Patr. Hierosol. fuerat, ab Imper. promoto, deceptus est. Scripsit notas in Nomocanonem Photii, & syllogen Constitution. Ecclesiasticarum, quorum ille in Bibl. Juris Canonici Justelli, hæ cum notis Car. Annibalis Fabroti prodierunt. Sed commentarius ejus in Nomocanonem, in Bibl. Basiliensi, longè amplior extat, quàm qui Parisiis habetur: Scripsit porro meditationes in privilegia Patriarcharum, Responsiones ad Marcum Patr. Alexandriæ: ubique acris contra Latinos, qui tum Antiochiam tenebant. Obiit Ann. 1203. Nic. Choniates, *lib.* 2. *Histor. Isacii Angeli.* Justellus, Fabrotus, &c.

Theodorus Beza, V. *Beza.*

Theodorus Bibliander, V. *Bibliander.*

Theodorus Byzantius, sophista, qui à Platone Λογοδαίδαλος vocatus est. Scripsit contra Thrasybulum & Andocidem & alia quædam, Suidas. Cæterùm de variis *Theodoris* præter Laertium, vide Vossium & Jonsium.

Theodorus Canterus, Ultrajectinus, Scripsit sec. præs. *Varias lectiones, Notas in Arnobium, &c.*

Theodorus Cæsareensis, Episc. Justiniano Imp. gratus. Origenista & Acephalus clam fuit, persuasitque Imperatori, ut tria capitula, Vide *Theodorus Mopsvestenus*, condemnaret, An. 538. unde non parvæ in Ecclesia turbæ. Eutychianismum similiter fovit, tantumque apud Justinianum effecit, ut ad Incorruptibiles accederet. Baronius *in Annal.* Facundus *in defensione* 3. *Capitul.* Eustathius, *in vita Eutychii.*

Theodorus Douza, Hollandus, Fil. Johannis, edidit de novo Chronicon Georgii Logothetæ, Epistolas Johannis Zonaræ, &c.

Theodorus Forojuliensis, Episc. post Leontium, ei Victorinus successit sub initium sec. 6. V. Leon. *in epist.* Morerium *in Dict. Hist.*

Theodorus Gadareus, nobilis orator (Gadara verò civitas est non longe ab Ascalone) verùm ipse dici maluit Rhodius, teste Strab. cujus tempore fuit. Ejus discipuli *Theodorei* dicti sunt, inter quos fuit Hermagoras, qui de arte Rhetoricâ scripsit. Tiberius quoque Imper. eum secessisset Rhodum, eum studiosè audivit. Quinctil. *lib* 6.

Theodorus Gaza, Thessalonicensis, Constantinopoli à Turcis captâ, in Italiam pervenit, à Card. Bessarione insigniter adjutus. Latinam linguam ad unguem perdidicit, Aristotelis Hist. animalium vertit, cum Historia plantarum Theophrasti &c. In Græcam verò linguam transtulit Cicer. de Senectute. Idem scripsit de Mensibus, de origine Turcarum &c. Alia quoque elaboravit, quæ cùm Sixto IV. obtulisset, nec magnificè satis esset donatus, in Tiberim abjecit, addens: *sibi satius esse in Calabria*, *ubi* beneficium aliquod possidebat, *deserto habitare, quàm Roma vivere*, ubi *quò pinguiores asini, eò pertinacius optimum frumentum aversentur.* Obiit An. 1478 Paul. Jov. *in Elog. Doct. cap.* 26. Vossius, Leo Allatius &c.

Theodorus Lascaris, Imper. Græcorum, Niceæ. Gener tyranni Alexii Angeli seu Comneni, qui cùm fratri Isacio Angelo successisset, & nepos ejus Alexius Jun. à tyranno Alexio Duca Murtzulfo

zuffio strangulatus, hic autem à Latinis, urbe captâ, Ann. 1204. depositus esset; Theodorus à Clero Despota pronuntiatus, cum Anna uxore, & Irene, Maria Eudoxiaque filiabus ex urbe Niceam se recepit, ibi Imperator coronatus. Tabulis aliquot naufragii collectis, regnavit usque ad Ann. 1222. Post obitum Annæ Comnenæ uxoris, Armenam sibi junxit, hacq; mox repudiatâ, Mariam Curtenæam Petri Imper. filiam duxit: Ei successit gener Johannes Ducas, qui obiit An. 1255. pater *Theodori Lascaris* Jun. cui cognomentum Ducas & Constantinus. Mortuus hic A. 1259. relicto filio Johanne sub tutela Patr. Arsenii & Georgii Muzalonis Protovestiarii. Niceph. Gregoras, *lib.* 2. *&* 3. *Hist.* Georg. Logotheta *in Chron.* Spondus *in Annal. &c.*

Theodorus Marsilius, Arnhemio Guelrus, Criticus eruditissimus, Scripsit notas in Persium, A. Gellium, Orationem *de Nemo, &c.*

Theodorus Metochites, Logotheta, sec. 14. floruit, eruditione inter primos, ab Andronico Imp. amplissimis muneribus adhibitus. Tam felicis memoriæ fuit, ut nihil unquam eorum, quæ vel legisset, vel vidisset, oblivisceretur, *Bibliotheca* ἔμψυχος proin, quo elogio Longinum Eunapius ornavit, dictus: nihilominus stylus ejus non omnium puncta fert, & rosas in scriptis ejus quærentibus non rarò spinæ occurrunt. Scripsit historiam, à Jul. Cæsare, usque ad Constantinum M. quam Joh. Meursius edidit, cum notis: Item Paraphrasin Physicæ Aristotelis, à Gentiano Herveto, publici juris factam: Historiam quoque sacram libb. 2. Historiam Constantinopolitanam, &c. Obiit An. 1332. A Nicephoro Gregora discip. funebri oratione laudatus, V. hunc *lib.* 7. 8. 9. Joh. Cantacuz. *Hist. lib.* 1. *cap.* 59. *& lib.* 2. *cap.* 1. Meurs. *in not. ad Metoch.* Voss. *de Hist. Lat. &c.*

Theodorus Mopsvestenus, Episc. hujus urbis, Hæreticus & Præceptor Hæresiarchæ. In monasterio educatus, incontinentissime vixit, à Joh. Chrysostomo commilitone insigni invectivâ, cui tit. *Theodorus lapsus*, reprehensus. Hinc paulo melior, ad Episcopatum evectus est, sed in luxum revolutus, in illo obiit. Ab hoc Nestorius hæresin suam inprimis hausit, Acta 5. Concil. *Act.* 4. Liberatus *in Breviar. cap* 4. Gregor. M. Scripserat in hujus favorem, quod opus Nestoriani, post Concil. Ephesinum, Ann. 431. non Græcè solùm, sed & Syriacè, Armeniacè & Persicè ediderunt. Laudatus à Theodoreto, qui non noverat errores in scriptis ejus latentes, à S. Cyrillo, Proclo Constantinop. & Rabullo egregie refutatos. Quorum ultimus hic Episcopus Edessenus, Ibam successorem habuit, qui in epist. ad Marinum Persam, Rabullum reprehendit, quòd de Theodoro sinistrè sensisset: idque eodem tempore, quo Theodoretus Cyri Episc. contra anathemata Cyrilli scripsit. Sed Ibas & Theodoretus, in melius mutati, à Conc. Chalcedonensi restituti sunt, Theodori non nisi historicâ mentione injectâ. Dicti hi tres *tria Capitula*, quorum, ob turbas in Ecclesia, famosum adeò nomen est: nec terminatum negotium, nisi Conc. 5. Generali, An. 553. quo contra personam & scripta Theodori anathema pronuntiatum est. V Evagr. Theodoret. &c.

Theodorus Petrejus, Campensis Trans Isalanus, Carthusianus. Edidit varias Confessiones è scriptis S. Gregorii, Cypriani, Tertulliani, Leonis, Bernardi &c. excerptas. Chronicon Carthusianum Dorlandi notis instruxit; condidit Bibliothecam sui Ordinis, &c. V. Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

Theodorus Pharanitus Episc. in Arabia, Monothelitarum sectæ auctor: à quo illam Sergius Episc. Arsinoes hausit, qui Sergium Patr. Constantinop. Cyrum Episc. Placidensem aliosque Præsules in suas partes pertraxit: damnata hæresis est Concil. 6. Oecum. An. 681. Baronius *in Annal.*

Theodorus Raithensis, Monachus, idem cum presbytero Antiocheno, cujus meminerunt Gennadius *de Vir. ill.* & Honor. Augustod. *de Lumin. Eccl.* Scripsit libb. 15. quemque versibus mille constantem, de Incarnatione CHRISTI, contra Nestorium: quod opus petiit, Sec. 5. Item Presbyter seu Abbas Raitensis, sec. 7. ad quem Maximus martyr Epistolam exaravit, de Voluntatibus & Operationibus JESU CHRISTI. Idem auctor est Commentar. de Incarnatione Filii Dei, contra errores Manis, Apollinaris, Nestorii, Eutychis &c. Photius *Cod.* 38. 81. & 177. Possevinus, *in Appar. sacro, &c.*

Theodorus Siceotes, urbeculâ cognom. Galatiæ oriundus, Anastasiopolis Episcop. Obiit sub Heraclio Imper. Ann. 613. Miraculis claruisse dicitur. Ejus vitam scripsit Georgius Presbyter, discipulus.

Theodorus Studita, Abbas monasterii, quod Cons. Studius, sub Leone M. Imp. in suburbio Constantinop. extruxerat; Sanctitate & eruditione inclytus. Junctus Platoni Abbati, Tarasii Patr. qui repudium Mariæ, à Constantino fil. Leonis IV. factum, ut Theodotam duceret, silentio transmiserat, communionem deseruit: Interim, imaginum cultum contra Leonem Armenium, Michaëlem Balbum, &c. defendendo aliquid humani passus, in Chalcide exul, Obiit An. 826. æt. 67. Scripsit Homilias Catech. 134. Epistolas; &c. Michael Studita vitam ejus delineavit. Zonar, Curopal. Cedrenus, &c.

Theodorus Zuingerus, Medicus apud Basilienses excellentissimus, Auctor *Theatri vitæ humanæ.* Pater Jacobi, Avus *Theodori*, Theologi præclarissimi; qui sextus Eccl. Basil. Antistes, à Reformatione, *Theatrum Sapientiæ cœlestis*, *Commentar. in Epist. ad Rom.* aliaque æternùm victura sacræ eruditionis monumenta, edidit. Obiit ante aliquot lustra. V. *Zuingerus.*

Theodorus, Asiæ flu. circa Bactros aurum secum ferens. Aristot. Item, palus, circa Hisp. Bæticam. Avienus.

Theodosia, *Theudosia* Appiano, Polyæno, & Stephano, *Caffa* Italis, *Cofo* vel *Cofe* Turcis, teste Leunclavio, urbs Tauricæ Chersonesi & regni Bosphorani præclara, ac Satrapę Turc. sedes, inter Chersonesum urb. ad Occ. 165. & Panticapæum ad Ort. 35. m. p. à Byzantio 470. mari rectâ navigatione in Bor. olim Genuensium colonia, à Mahomete II. Turcarum Imp. capta. Baudrando ad ostia Istriani fluv. hodie *Caffa* creditur, caput Tartariæ min. Cum portu in ora Ponti Eux. 140. m. p. à Chersoneso in Ort. & 70. à Panticapæo. 400. à Byzantio. G. Sansoni tamen nunc *Tusba* dicitur, *Caffa* verò ei fuit aliàs Cavum, ubi Tauro-Scytharum portus, quod crevit ex ruinis Theodosiæ, à qua 30. m. p. in Occ. distat. Item *Theodosia*, urbs Paphlagoniæ Archiep. & Metropolis, *Gangrorum* cognominata ad alterius discrimen. V. *Gangra.*

Theodosianus Codex, in epitomen 16. libb. redactus, auctore Aniano publicatus est ab Alarico Visigothorum R. in Aquitania, An. Ch. 506.

Theodosiopolis, Vide *Apros*, quæ sic dicta est in Theodosii Imper. honorem.

Theodosiopolis, Procop. *Esdron* P. Gyllio, aliis *Esdrelon*, urbs Armeniæ maj. ad Euphratem Episc. sub Ar. Antioch. Item Phrygiæ Pacatianæ; Item Joniæ, prius *Peperine.* Episc. sub Ar. Ephesino, Vide ibi.

Imperatores Romani

Theodosius I. Magnus, Imper. Fil. Theodosii, Ducis inclyti, qui Valentis, quem à tyrannide Firmi liberaverat, jussu in Africa occisus est. Gente Hispanus, per omnes militiæ gradus, brevi Ducis legatus, in Mœsia, contra Sarmatas, evasit. Auditâ patris morte An. 374. jam sæpius contra hostes victor, prudentiæ quoque non vulgaris varia edidit specimina: in tantum, ut Gratianus Imper. quo Gothis & Alemannis acrius obniteretur, Theodosium collegam asciverit, quem Aur. Victor *in epit. Cæsar.* à Trajano descendisse ostendit. Purpurâ ergo Syrmii ornatus, An. 379. æt. 43. mox in Thracia, Gothos ad internecionem cæcidit, ipsemet Gratiano victoriæ nuntius. Anno pòst, Thessalonicæ æger Baptismum recepit, edictisque variis contra Hæreticos evulgatis, pacem Unionemque in Ecclesia omni ope conservare annisus est. Athanaricum dein Gothorum R. regno suo exutum, Constantinopoli humaniter excepit, paulo post pace Persis petentibus concessâ. Sed, *quia magis gaudebat, quòd membrum Ecclesiæ esset, quàm quòd in terris regnaret*, Theodor. *lib.* 5. *cap.* 24. Concil. 2. Constantinop. An. 381. indicto, Macedonianos & Apollinaristas condemnavit, fide Concilii Niceni stabilitâ. Postmodum, contra Maximum Tyrannum, qui Gratiano occiso se Imperatorem fecerat, Valentiniano in Occidente regnanti gravis, movit, precibus prius & jejunio præparatus, eumque binis prœliis, in Hungaria & Italia fractum, Aquilejam usque persecutus est, illi tamen dedito parciturus, nisi milites è tentorio extractum illum capite truncassent. An. 388. Anno sequente Romam pervenit, triumphaturus, ibique Idololatriæ reliquias abolevit: à Latino Pacato, in Senatu, Panegyricè laudatus. Sed An. 390. ob occisum Præsidem Botericha, in Thessalonicenses sævus, 7000. è plebe sustulit: ob quod crimen excommunicatus ab Ambrosio Episc. Mediolanensi, octo mensium censuram benignè tulit, absolutusque, ejusdem consilio, capitalem sententiam in posterum, in tricesimum diem differri præcepit. Idem Antiochenis ob dejectas suas conjugisque Placillæ statuas, iratus, per Flavianum Episc. qui Imperatoris Musicis, ut in cœna lugubres Antiochensium cantiones decantarent, suaserat, placatus est. Tandem Arbogastum, qui occiso Valentiniano, Eugenium de vulgi fæce, ut qui Grammaticem docuerat, ad imperium evexit, acie vicit, Ann. 394. Eugenio capite plexo, & Arbogasto ad desperationem adacto. Ita victor, Mediolanum regressus, Obiit A. 395. æt 60. Arcadio & Honorio filiis, quorum illum Orientis, hunc Occidentis Imp. declaravit, pietate legatâ: *Hac enim*, inquiebat, *& pax conservatur, & bella conficiuntur, & hostes dantur in fugam, & trophæa excitantur, & conciliatur victoria.* Theod. *lib.* 5. *cap.* 25. Princeps laudatissimus, à solo Zosimo idololatra minus commendatus. V. Paulin. *ep.* 9. Socr. Sozom. &c.

Theodosius II. Junior, fil. Arcadii ex Eudoxia, Ann. 401. Hic cùm baptizatus è templo in aulam referretur, Porphyrius Episc. Gazensis, qui ejus nativitatem prædixerat, obtulit illi supplicem libellum, quo Idoleium quoddam Gazæ destrui petiit, impetravitque à patre, Eudoxiæ consilio: quo mortuo relictus sub tutela Isdegerdis, Persarum Regis, ab Antiocho, quem tutor miserat, inprimis autem à Pulcheria sorore optimè educatus, tam religiosus fuit, ut non tantùm regia ejus, sed & urbs veluti in templum commutata videretur. V. Socr. *lib.* 7. *cap.* 22. Imperium auspicatus, à severis contra Judæos hæreticosque edictis, Pulcheriam An. 415. Augustam pronuntiavit: Prudentiâ, pietate, & Philosophiæ amore inclytus. Interrogatus, cur non morte puniret eos, à quibus offensus esset: Utinam, regessit, etiam illos è sepulchro revocare possem, qui propterea mortem subierunt: Et recitatus

pietati ejus Deus benedixit. Rhodas enim Scytharum Dux, Danubio trajecto, Thraciam vastavit, ipsi Constantinopoli minatus, sed cum exercitu misso cælitus igne consumptus est, ut alia omittam. Interim bonum virum potius, quàm Principem præstitit, omnia administrante Pulcheriâ, cujus suasu Athenaidem filiam Leontii Philosophi, quæ in baptismo Eudoxiæ nomen acceperat, uxorem duxit. Acta dein rescissurus Synodi Ephesinæ, contra Nestorium, exercitum sub Aspare, contra Gensericum missum, amisit, mox melius à Patribus Concilii edoctus, in Nestorii condemnatione acquievit, eumque Urbe pepulit; postmodum reconciliationi Johannis Antiocheni & Cyrilli Alexandrini intentus, tandem nova quoque edicta contra Paganos, Judæos, Samaritanos & Hæreticos publicavit. Interim nova ejus classis, sub Areobindo, Anaxillo & Germano, contra Gensericum, emissa, postquam diu inutilem circa Siciliam moram traxisset, revocata est, ut Hunnis, sub Attila, Thraciam infestantibus, opponeretur: Verùm antequam rediret, coactus Imperator, pacem à Barbaris, oblatâ magnâ auri vi, & promissis M. libris annuis redemit. De negligentiâ ejus, in subscribendo, à Pulcheria correcta, de nece Paulini & Pulcheriæ ex aula secessione, alibi. A Chrysaphio dein ad varia se indigna abripi passus, Eutychis partes amplexus est, & Synodum Lystricam Ephesi coactam approbavit: Sed reversâ in aulam Pulcheriâ, ab Eunucho deceptum se edoctus, novum Concilium mente volvit, at præventus est morte, in venatione equo lapsus, A. 450. æt. 49. nullis liberis relictis. Quidam tamen morbo illum obiisse, alii, ut Theodorus Lector, flumine mersum, referunt. Post mortem ejus, Pulcheria soror, occiso Chrysaphio, fratris votum implevit, Concil. Oecum. 4. Chalcedone celebrato. Successit ei Martianus, cui Pulcheria nupsit. Socrat. *Histor. lib.* 7. Theodoret. *Hist. lib.* 5. Niceph. *lib.* 14. Evagrius, Liberatus, &c.

Theodosius III. cognom. Adramytienus, in thronum invitus evectus est, An. 715. ab exercitu navali, contra Saracenos emisso, post Ducem occisum: Anastasio II. qui Monachum se fecerat, nequicquam contra nitente. Interim Leo Isaurus, Nicomediæ Imperatorem se proclamari curavit, cepitque filium Theodosii, qui transitu ipsum arcere conatus est. Constantinopolim hinc venienti, cessit sponte Theodosius, Ann. 717. seque ipsum cum filio Ephesi monasterio inclusit. Hic jussit in Epitaphio scribi, Ὑγίεια. Theophan. Zonar. Cedr.

Viri clari.

Theodosius, Diaconus, frater Constantis Imper. hujus jussu occisus est; qui proin furiis mox agitatus, in somnis subinde fratrem, calicem cruore plenum exhibentem, vidit & exhorruit. An. Chr. 659. Cedrenus *in Hist.*

Theodosius, Patr. Alexandrinus, hæreticus, ope Theodoræ Imp. quæ Eutychianis favebat, muneri admotus, Ann. 535. post Timotheum, eodem tempore, quo Gajanus quoque electus est. Sed hoc pulso ille paulo ultra annum præfuit, urbe inter Gajanitas & Theodosianos divisâ, quorum hi Corrupticolæ, illi Incorruptibiles & Phantastici dicti sunt. Postea Constantinopolim veniens, Imperatricem sibi faventem habuit, novosque ibidem errores disseminavit. Joh. Damascenus, *de hæres. lib.* 3. Baronius, *in Annal.*

Theodosius, Pseudopatriarcha Hierosolymitanus, An. 451. Eutychianus Monachus cùm esset, Patres Concilii Chalcedonensis, velut Nestorianos, traduxit, tantumque per socios suos effecit, ut Juvenalis Episc. Constantinopolim fugere coactus fuerit. Ipse domos incendendo & plurimos fideles neci dando sævus, criminum reos vinculis exsolvit, urbisq; portis clausis quidvis faciendi dedit licentiam: Imo, Eudoxiam Theodosii Jun. viduam quoque aggredi, illamq; seducere ausus est. Audito postmodum, sibi Martiani jussu, quem his de rebus Euthymius monuerat, vincula parari, in montana *Sionis* confugit, Martiano, cum Pulcheriâ, acerbissimis conviciis proscisso. Sed hæc Hierosolymæ incolas meliora edocuit, in literis Monachum hunc infelicem, discipulum Simonis Magi & Antichristi præcursorem vocans. Evagr. *libro* 2. *capite* 5. Nicephorus *lib.* 15. *cap.* 9.

Theodosius, Bithynus, qui & Tripolites, teste Vossio, quem sis vide *de Scientiis Mathematicis, cap.* 16. & 33.

Theodota, uxor Constantini Jun. post Mariam repudiatam. Unde inter Tarasium Patr. & Abbates, Theodorum Studitam & Platonem, turbæ.

Theodotion, Ephesius, sec. 2. Discip. Tatiani, dein Marcionem secutus, tandem ad Judæos transiit, qui ipsi Vet. Test. Græcè vertendi legem imposuerunt. Quod sub Commodo Imper. effectum dedit. Versio ejus Aquilæ exactior est translatione, interim varia & ibi vel omissa, vel addita, quod Origenes probè observavit. Baron. *ad A. C.* 184. Serarius, *in proleg. Bibl. cap.* 16. & 17.

Viri illustres.

Theodotus, Patr. Constantinopolitanus, dictus *Cassitera*, fil. Patricii Michaelis, cujus sororem Constantinus Copronymus duxit. Leoni Armenio gratus, magno cum zelo Imaginum abolitionem ursit. Tenuit sedem ab An. 816. usque ad An 821. Cedren. Zonaras, &c. Item, Patr. Antioch. post Alexandrum, An. 421. ob probitatem & mititatem morum, commendatus à Theodor. *l.* 5. *c.* 37. Obiit A. 427.

Theodotus, septimum locum inter Chiliarchas, præmium fortitudinis, ab Alexandro M. cùm in Satrapene subsisteret, tulit. Curt. *lib.* 5. *cap.* 10. Fortè is est, qui postea Lysimacho militavit, ab eo arci Sardium & ibidem thesaurorum custodiæ præpositus. Eam arcem obsidens Seleucus, cùm ob firmitudinem expugnari posse diffideret, per præconem promulgavit, se centum talenta daturum esse interfectori Theodori. Quâ re milites spe & ille diffidentiâ accensus, ne prodiit quidem in publicum. Vulgus verò moleste ferens, sibi fidem non haberi, occultam vindictam agitabat. Hoc animadvertens Theodotus, prævenit noctu portamque aperuit & introducto Seleuco thesauros tradidit. Polyæn. *lib.* 4. *in Seleuco comm.* 4. Ejus quoque facit mentionem in Apollodoto *lib.* 6. *comm.* 2.

Theodotus, Bactrianorum præfectus, regem se appellari jussit. Justinus.

Theodotus, res Phœnicum consignavit, sed linguâ Phœniciâ. Græcè eas sive Χαῖτος, sive Ἄιτος (variant enim codd.) transtulit, teste Tatiano, *Orat. ad Gent.* Euseb. *de Præp. Evang. lib.* 10. Joseph. *lib.* 1. *contr. App.* Alius ab hoc videtur *Theodotus*, cujus quartum adversus Epicurum librum citat Laert. *lib.* 10. Alius item Grammaticus Etymologo in Ὀέζωνος celebratus. Alius quoque hæreticus, ex Montanistarum præcipuis, qui in aerem à Satana sublatus, in terram dein præceps datus, misere vitam finiit, de quo Euseb. *Eccles. Hist. lib.* 5. *cap.* 8.

Theodotus Argentarius; Filium Dei dixit esse inferiorem Melchisedeco, quem absque patre, absque matre, Angelorum advocatum asseruit: Cùm Christus, non nisi merus homo, saltem pro hominibus officio Mediatorio defungatur. Ejus sectatores vocati Melchisedeciani. Tertull. *cap. ult. de præscr.* Euseb. *lib.* 5.

Theodotus Byzantinus, Coriarius; postquam persecutionis tempore CHRISTUM abnegasset, crimen crimine cumulans, eum merum hominem, aliis tamen sanctiorem esse docuit. A Victore Episc. Rom. cùm illuc perveniret, pulsus. Euseb. *Hist. lib.* 5. Epiphan. *hær.* 54. Theodor. *hær. fab. lib.* 2. *cap.* 10. Baron. *A. C.* 196. *n.* 9. &c.

Theodotus Chius, præceptor ultimi Ptolemæi in Rhetoricâ: Decertantibus in Consilio regis, an profugus Pompejus esset recipiendus, solus consuluit interfici debere: quod sane factum est. Hunc postea Brutus jam Augusto inimicus in Asiâ compertum & ad se adductum interfici jussit. Plut. *in Pompejo.* Alius fuit qui tempore Herodis Attici præfuit Atheniensium scholæ. Philostr. *in Soph.*

Theodulphus, Episc. Aurelianensis, floruit sec. 9. eruditione & auctoritate apud Carolum M. cujus Testamentum signavit, & Ludovicum Pium, inter primos. Nihilominus conspirationis cum Bernardo Italiæ R. contra Pium accusatus, aliquandiu in vinculis fuit, quibus, cùm prætereunte forte Imper. Hymnum Eccl. à se compositum, *Gloria laus & honor*, de carceris fenestra recitaret, solutus est. Scripsit quædam, à Sirmondo edita, An. 1646. ubi inter alia, *Capitula ad presbyteros Parochiæ suæ.* Obiit An. 821. vel 822. Successit ei Jonas. Scripsit quoque de Ordine Baptismi, ad Magnum Suess. de S. Spiritu, ad Carolum M. Carmina, &c. Alcuinus *ep.* 4. *ad Carol. M.* Thegan. *de gestis Ludov.* Eginart. *in Annal.* &c.

Theodulus, Itaus, Episcop. Palæstinæ, interfuit Conc. Ephesino, Obiit An. 480. decrepitus. Scripsit *de Consonantia Scripturarum*, de miraculis V. T. de Fabulis, à Poëtis inventis. Gennad. *Cat. Vir. Ill.* Sigebert. *in Catal.* Lil. Girald. *Hist. Poët.* &c.

Viri celebres.

Theogenes, quidam fuit Acharnensis, qui, quia altum pedebat, deridebatur à Comicis.

Theogenes Thasius, statuam æream è foro succollatam, in ædes suas, transtulerat. Deinde, cùm id ægrè ferret populus, rursum ex ædibus suis in forum deportavit, unde magnam à populo inivit gratiam & laudem sibi ingentem parasse dicitur, Suidas.

Theognete, Laodici filia, Jasonis mater. Apollon. Schol.

Viri illustres.

Theognis, Episcop. Nicæensis, discip. Luciani martyris. Sub Diocletiani persecutione, idolis adolevit, postea Arium secutus: proin motus sede, mox tamen restitutus est, amore nihilominus hæreseos semper mordicus retento. Baron. *in Annal.*

Theognis, Poëta Græcus, Olymp. 59. natus Megaris, non Siciliæ, ut Plato putavit, sed Atticæ, ut ex ipso Theognide non obscurè colligit Val. Harpocration, Crœsi temporibus fuit, sed diu supervixit, nempe ad initium belli Persici. *Theognis* alter Comicus, sed frigidus adeò, ut Χιὼν, sive *Nix* diceretur. Euseb. *in Chron.* Voss. Scalig. Vide Aristoph. *Acharn. & Schol.* Lil. Girald. &c. Ætatem ejus indicat, quòd cum Euripide à Nicomacho sit victus. *Theognis* (alius ut arbitratur Vossius, tam à Tragico, quàm ab eo cujus Γνώμας habemus) volumen composuit de sacrificiis Rhodiis, cujus ex operis 2. libro testimonium petit Athenæus *lib.* 8. *Theognis* dux quidam Atheniensium, cujus mem. Polyænus *Stratagem. lib.* 5. *pag.* 397. Unus item è sectatoribus Arii, Socr. *Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 8.

Theognis, vide *Theogenes.*

Theomantis, Vates admodum pauper, de quo Aristoph. *Eq.*

Theomnestus, Artis Veterinariæ scriptor Græcus. Alius Athenis clarus administratione Reip. & Niciæ æmulus. Strabo *lib.* 14.

Theon, Alexandrinus, Philosophus & Mathematicus celebris, floruit seculo 4. sub Theodosio Magno. Commentatus est in Ptolemæum, &c. Pater Hypatiæ, quâ magistrâ Philosophiam se didicisse, Synesius fatetur. Socrat. *Histor. lib.* 7. *cap.* 15. Vossius *de Scient. Mathemat.*

Theon, pictor Samius, Quintil. *lib.* 12. Alter Mathematicus, qui scripsit de spiritibus, ad Ptolemæum Astrologum. Alius Medicus Alexandrinus, sub Nerone. Scripsit *de exercitationibus*. Vide Gal. *lib.* 2. *&* 3. *de tuenda San.* Castellan. *in vita illustr. Med.* Alius, qui Apollodori Ephilli φυσιολογικὴν εἰσαγωγὴν commentario illustravit, patriâ Alexandrinus, Stoicus sub Augusto. Suidas in Θέων. Cæterum de hoc, uti de Theone Smyrnæo, vide Blancan. *in Chron. Math.* & Vossium *de Scient. Math. capp.* 14. 16. 33. 62. Vide sis quoq; Suidam, apud quem plures Theones invenies.

Theonas, Alexandrinæ Eccles. Episcopus, post Maximum, Ann. D. 285. Euseb. pius admodum; Ei An. 300. successit Petrus. Alius Monachus Ægyptius, Græcis & Latinis literis eruditus, An. 30. habuit silentium. Porro à nemine visus irasci, aut mentiri, aut vanum aliquid vel asperum, vel infirmum protulisse sermonem, Soz. *lib.* 8.

Theoninus, ut *Deus Theoninus*, apud Horat. id est, dicax. Theon enim fuit dicacissimus & maledicus, per quem detrectatores & maledici intelliguntur, Acron.

Theon ochema, id est, *Deorum currus*, jugum montis semper ardentis in Æthiopiâ seu Libyâ inter. Ptol.

Theopaschita, Hæretici, totam SS. Trinitatem passam esse delirantes. Vide *Petrus Fullo*.

Viri illustres.

Theophanes, Siculus, Patr. Antiochenus, sec. 7. virtute & fide inclytus, à Patribus Concilii 3. Oecum. Constantinop. An. 681. deposito Macario surrogatus. Obiit An. 685. Item, Patr. Constantinopolitanus, seculo ultimo.

Theophanes, Byzantinus, floruit sub Justino II. Auctor historiæ libb. 10. de bello Justini, contra Chosroen, &c. Ex hoc Scriptore refert Photius, *Cod.* 64. rationem serici per bombyces conficiendi, innotuisse Græcis, Romanisque, sub Justiniano. Vide Voss. *de Hist. Græc.* Gesner. &c.

Theophanes, Mitylenæus historicus, qui Pompeji M. res gestas conscripsit: quamobrem ab eo, in concione militum, civitate donatus est, libertate patriæ redditâ, Cicer. *pro Archiâ Poëtâ*. Ejus filius M. Pompejus Theophanes, Asiæ Procurator, Tiberio ex intimis amicis: tandem infelix fuit. Vide de Patre Jul. Cæsar. *lib.* 3. *de bello Civ. cap.* 18. Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 14. Jul. Capitolin. *in Maxim. & Balb.* Plut. *in vita Pomp.* Strabon. *lib.* 11. *&* 13. Cicer. *lib.* 2. *epist.* 17. De Filio, Tac. *in Annal.* Vellej. Paterc. *lib.* 2. *Hist.* Voss. *de Hist. Græc. lib.* 1. *cap.* 23. *&c.*

Theophanes, Presbyter Constantinop. auctor Orationis de Nicephoro Patr. Item Episc. Nicææ, scripsit contra Judæos, &c. Gesner. *in Bibl.* Vide quoque *Methodius* 1. *Patr. Constant.*

Theophanes, qui ab Aristophane, *Equitib.* 3. *Sc.* 1. per crasin Atticam *Thuphanes* nominatur, scriba & familiaris Cleonis Atheniensis, quem tanquam deceptorem & adulatorem Poëta traducit.

Theophanes Georgius, Abbas, nobilitate & opibus inter Constantinopolitanos præcipuus; uxore desertâ, Monachatum amplexus est. Interfuit Pseudoconcilio Niceno, An. 788. quo imaginum cultus est restitutus. Obiit exul in Samothracia, An. 818. Scripsit Chronicon, & addidit quædam historiæ miscellaneæ. Glycas *in Annal.* Cedrenus & Curopal. *in Hist. Proœm.* Vossius, Possevinus, &c.

Theophania, sacra quæ fiebant Delphis, Herodot. *lib.* 1.

Theophila, uxor Eustathii, aulici Imp. Trajani, qui dum cervum in venatione sectaretur, viso inter ejus cornua simulacro: auditaq; hâc voce: Cur me persequeris? statim ad fidem Christianam se recepit unà cum uxore Theophilâ. Quod ubi postea rescivit Trajanus, ambos in tauro æneo comburi jussit. Volaterr.

Theophila, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol.

Imperator Roman.

Theophilus, Imper. Orientis, Princeps justus. Successit An. 829. patri Michaëli Balbo, à quo jam antè in consortium fuerat ascitus. Leonis Armenii parricidas supplicio, Petronam affinem, ob injuriam viduæ, verberibus affecit, Theodoræ uxoris avaritiam punivit, novercam Euphrosynen, in Monasterium, unde illam Pater rapuerat, remisit, Sozopetrâ, Syriæ urbe Amiræ patriâ captâ, XXVM. captivorum abduxit. Imagines ne quidem pingi voluit; quo tempore Synodus Parisiensis, illarum adorationem damnavit; & Claudius Taurin. Episcop. cunctas Basilicas suæ diœceseos picturis atque imaginibus nudavit. Amorium patriam amisit, unde propinquos à Saracenis abductos cùm redimere non posset, mœrore animi extinctus est. An. 842. Imper. 12. Successit filius Michaël, sub tutela matris, Curopalates, Cedrenus & Zonaras *in Annal.*

Episcopi, & Viri celebres.

Theophilus, Episc. Alexandrinus, post Timotheum, An. 385. eruditione clarus. Prudentiâ suâ Flavianum Episc. Antiochiæ, cum Innocentio I. reconciliavit: Templo Serapidis destructo, (in quo variæ repertæ fraudes, inprimis idoli cujusdam, quod ingressus olim sacrificulus, sub prætextu Dei, Matronarum Virginumque pudori illudere solitus erat) aliud in honorem Johannis Bapt. extruxit, dissidium Ecclesiarum Ægypti & Orientis, ob Origenem, componendis intentus, Hieronymum quoq; cum Rufino in gratiam reduxit; Origenistas An. 399. totâ Ægypto pepulit, propterea cum Johanne Chrysostomo gravissimè collisus. Obiit An. 412. sedis 27. Ei successit Cyrillus nepos. Scripsit contra Origenistas, Anthropomorphitas, & de Fide. Cyclum quoque Paschalem annorum 100. adhuc Presbyter, composuit, orsus à 1. Consulatu Theodosii I. ad Græcorum Latinorumque controversiam de Paschate dirimendam. De eadem re quoque tres epistolas scripsit ab Hieronymo Latinè versas. Fridericus Morellus, ejus *Dissertatiunculam*, *cujus rei homo similis sit*, Græcè Latineque edidit, Parisiis, An. 1608. Hier. *in Epist. & Apol.* 2. *adv. Ruffinum.* Synes. *Ep.* 9. Leo *Ep.* 52. *&* 64. Gennad. *in Cat. cap.* 33. Joh. Damasc. *lib.* 3. *de Imag.* Socr. Sozom. & Theod. *in Hist. Eccl.* Baron. *in Annal.* Bellarmin. Possevin. &c.

Theophilus, Episcop. Antiochiæ, sec. 2. sub Antonino Vero. Ejus supersunt Commentarii in Evangelia, & libb. 3. contra calumniatores Ecclesiæ Christianæ. Eusebius *lib.* 4. *Hist. cap.* 19. *&* 23. *&* in *Chron. An. C.* 168. meminit quoque libri, contra Hermogenis hæresin, aliorumq; in quibus Christianæ Religionis rudimenta docuit. Idem contra Marcionem scripsit. Vide quoq; Hier. *cap.* 25. *Catal. Aut. Eccl.* Voss. Honor. Augustod. *lib.* 1. *cap.* 26. *&c.*

Theophilus, Cæsareæ Palæstinæ præsul, Severo imperante, librum in Marcionem edidit, cum alia quæ ab Hieronymo commemorantur. Item Comicus antiquæ comœdiæ; cujus fabulas enumerat Suidas. Alius Martyr, *An. Dom.* 251.

Theophilus, Archon Athenis, Olymp. 108. An. 1.

Theophilus, vir ad quem scribit D. Lucas Evang. & Acta Apostol.

Theophilus, Presbyter. Commentatus est in tractatum Leonis Sapientis Imper. Possevin. *in Appar.* Item Medicus Græcus, scripsit *de Corporis humani fabrica libb.* 5. quos Jul. Paulus Crassus Patavinus Latinè vertit. Item, Epidaurius Medicus. Item Poëta Comicus. Athen. *lib.* 10. Suid. &c.

Theophilus, quidam è clientibus Cnei Pisonis; quem quia Athenienses precibus patroni non concesserunt, sed Areo judicio fa si damnarunt; magnas inde in Pisonis offensas se conjecerunt. Tacit. *lib.* 2. *cap.* 55.

Theophilus, historicus, literis mandavit Italica & Peloponnesiaca. Plutarch. *in Paral. Min.* *Theophili* (ejusdem an alterius, non sat scio) librum 1. *[illegible]* advocat Steph. in Παλικὴ. *Theophilum* quoque inter eos historicos, qui & Judæorum meminerint, reponit Flavius Josephus *lib.* 1. *contra Ap.*

Theophrastus, Archon Athenis, Olymp. 110. An. 1.

Theophrastus, Thaumantis filius, cum Lysistrato, ob paupertatem, exagitatus, Vide & *Crabrones*.

Theophrastus, ex amicis, ut apparet, Antigoni Junioris, & ab eodem præsidio Acrocorinthi, cum Perseo Philosopho & Archelao duce, impositus. Proditâ, per quatergeminos fratres Syros, arce, inde discedere pertinacissimè recusans interfectus est. Vide Polyænum *lib.* 6. *in Arato.*

Theophrastus, Philosophus ex Eresso Lesbi oppid. sic vocatus ob vocis & eloquentiæ suavitatem quasi divinam, quum antea *Tyrtamus* vocaretur. Strabo *lib.* 13. Τύρταμος δ' ἐκαλεῖτο πρότερον ὁ Θεόφραστος. Μετωνόμασε δ' αὐτὸν Ἀριστοτέλης Θεόφραστον, ἅμα μὲν φεύγων τὴν τοῦ προτέρου ὀνόματος κακοφωνίαν, ἅμα δὲ τὸν τῆς φράσεως αὐτοῦ ζῆλον ἐπισημαινόμενος, ἅπαντας γὰρ λογίους ἐποίησε τοὺς μαθητὰς Ἀριστοτέλης, λογιώτατον δὲ Θεόφραστον. Idem de hoc Tyrtami nomine habes apud Diog. Laërt. Hesych. Illustrium, Suidam, aliosque. Filius fuit Melanthi, auditor Leucippi primò, dein Platonis, tandem verò Aristotelis. Successit Aristoteli in Scholâ Peripateticâ. Dicere solebat, *doctum hominem ex omnibus solum neq; alienis locis peregrinum esse, neq; inopem amicorum.* Oratorem absque judicio, equum effrenem vocavit: Tempus πολυτελὲς ἀνάλωμα dixit: Tacenti, si sapienses, inquit, male facis; si non, sapiens es. Habuit discipulos ad 2. millia. Opera ejus à Diogene commemorantur, de quibus libro singulari egit Joh. Meursius. Vide Gellium *lib.* 13. *cap.* 3. Diogen. *lib.* 5. Strab *lib.* 13. Suid. &c. *Hominem doctissimum* vocat Cic. *in Bruto.* Idem *Tusc. Qu. lib.* 3. *Theophrastus moriens accusasse naturam dicitur, quòd cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus quorum maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ hominum vita erudiretur.* Alter fuit Ephesius, de quo Ælian. *in Var. Hist.*

Præsules, & Viri illustres.

Theophylactus, Patr. Constantinopolitanus, filius Romani, qui juventute Constantini Porphyrogennetæ, generi sui, abusus, filios suos in thronum evectum ibat. Theophylactus an. æt. 16. huic functioni destinatus, Tryphoni interea sacrorum curâ commissâ, cùm hic postmodum cedere nollet, ei deposito surrogatus est. Eunuchus, pietatis omnis expers, nullo rerum usu, munera auro vendidit, ipse equorum amore, quorum 2000. delicatè alebat, insanus adeò; ut aliquando, cùm sacra obiret, audito equam peperisse, inde in stabulum decurreret, nec nisi viso pullo rediret. Obiit hydrope, An. 956. Joh. Curopal. *in Hist.* Item, Patr. Antiochenus, post Stephanum IV. An. 744. urbe tum à Saracenis occupatâ. Obiit An. 751. Successit Theodorus. Baron. *in Annal.*

Theophylactus, patriâ Constantinopolitanus, Archiep. Acridæ in Bulgaria, magni nominis, sub Michaële Duca, Nicephoro Botoniata & Alexio Comneno Imprat. Constantinopol. seculi [illegible] cus: ingenti zelo Bulgaris convertendis intentus, Obiit A. [illegible] Scripsit in Evangelistas, Acta Apostol. Epistolas Paulinas, [illegible] Jonam, Nahum & Hoseam; ubi sententiis ex Johanne Chrysostomo frequenter utitur. Ejus opera prodierunt Græc. Latin. fol. Pari

Parisiis, An. Chr. 1631. Gr. Lat. fol. Londini An. Ch. 1636. Insuper Johannes Meursius edidit An. 1617. Epistolarum ejus 75. Lugduni Batav. quæ postmodum Latinè versæ sunt. Tandem An. 1651. prodiit, curâ Pontini, *Institutio regia, ad Constantinum Porphyrogenitum, Michaëlis Ducæ filium.* Sixtus Sen. *in Bibl.* Possevin. *in Appar. &c.* Pater hic *ita Chrysostomum secutus est*, scil. in Comm. in Evangelia & Epistol. ut *Chrysostomi abbreviator dici possit*, Bellarm.

Theophylactus Simocattus, Ægyptius, floruit An. 612. sub Heraclio Imper. Scripsit Græce Historiam Mauritii Imp. libb. 8. Item Epistolas rurestres, morales, amatorias, ab Aldo Manutio publici juris factas. Bonavent. Vulcanius edidit ejus Problemata Physica, Leidæ: ut & And. Schottus ac Gruterus, sed correctius, &c. Phot. *Cod.* 65. Suid. *in Lex.* Tzetzes *Chil.* 3. *hist.* 69. Voss. *de Histor. Græc. lib.* 2. *cap.* 25. Gesner. Possevin. &c.

Theopolemus, & Hiero, fratres fuerunt, qui unà Apollinis fanum expilarunt; quo facto pœnam judicii reformidantes, domo profugerunt. Cic. *Verr.* 5.

Theopolis, maxima civitas Orientis, sic à Justiniano nominata post terræ motum, mutato *Antiochiæ* nomine, Steph.

Reges, & Viri illustres.

Theopompus, Lacedæmoniorum Rex, collega Polydori, quorum simulatâ discordiâ Messenii post 20. ann. certamina debellati sunt.

Theopompus, Atheniensis, ex iis ducibus, qui CCCCXX. viris, noctu clam in urbem introductis, populum dominatu Demetrii & præsidio Heraclidis liberare conati; sed re per Hieroclem Carem detectâ, oppressi sunt. Polyænus *lib.* 5.

Theopompus, Atheniensis Comicus, cujus Pollux, Athenæus, Laërtius, Harpocration, & alii veterum meminerunt.

Theopompus Chius, Orator & Historicus, inter Isocratis discipulos familiam ducebat. Vixit sub Artaxerxe Ocho, & Philippo Macedone. Scripsit Orationes, Epistolas, Historias, sæpe priscis laudatas. Huic Aristæus & Josephus, cùm è Scriptura S. aliquid in opera sua transferre conaretur, divinitus calamitatem immissam esse, referunt: An potius alii hujus nominis longe juniori? cùm Scriptura S. non nisi sub Philadelpho Græcè fuerit versa. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 7. ex priscis, Athen. *lib.* 3. Strabon. *lib.* 14.

Theopompus Cnidius, Orator & Historicus post Herodotum & Thucydidem, quibus ut in historia minor, ita oratori magis similis, ut qui antequam esset ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator: *Jul. Cæsari* gratus, Strabo *lib.* 14. Quintilianus, Voss. *de Hist. Lat.*

Theopompus Colophonius, ἐποποιὸς, cujus librum, nomine ἁρμάτιον citat Athen. *lib.* 4.

Theopompus, Comicus, cujus Pæanas laudat Auctor Scholiorum in *Aristoph. Aves* 614.

Theopompus, Philosophus apud Chæroneam. Eutrop. *lib.* 10. Item Rex Spartæ, qui Ephoros instituit.

Theopompus, Sinopensis historicus, cujus libri περὶ σεισμῶν mem. Phlegon Trallianus *cap.* 19.

Theori, dicti olim, qui ab Atheniensibus ad Delphicum Oraculum mitti quotannis sunt soliti, quasi *Videntes*. Aliàs Δηλιασταί, à festo Delia, quo id fiebat. Hi, cùm eò ibant, dicebantur ἀναβαίνειν: cùm revertebantur, κατάβαίνειν. Caput eorum Ἀρχιθεωρὸς appellatus est: navis quâ vehebantur, θεωρὶς, item Δηλιὰς dicta, erat navis illa, in qua virgines Minotauro offerendas, incolumes Theseus olim reduxerat: præter quam quatuor aliæ naves sacræ erant, vide L. Paralos, Antigonis, Ptolemais & Ammonis. Quæ ad celebrationem festi & sacrificia peragenda unà mittebantur, πομπεῖα nuncupata sunt. Eò igitur cùm perventum, post sacra peracta, Virgines peculiari choreæ genere, γέρανος dicto, quo Labyrinthi varios flexus & in se redeuntes gyros repræsentabant, circum altare, defungebantur: neque, quamdiu celebritas durabat, reum neci dare moserat, unde & Socrates eo usque servatus est, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθῃ, Xenophon. Redeuntes tandem domum *Theoros*, cives in occursum egressi, festivis acclamationibus passisq; portis excipiebant. Unde ille apud Euripidem *in Hippol.* queritur:

Οὐ γάρ τις μ' ὡς θεωρὸν ἀξιοῖ δόμος,
Πύλας ἀνοίξας δεξιοῦσθαι προσφιλῶς.

Vide Franc. Rossæum *Archæol. Attic. lib.* 7. *cap.* 2. *de Templo Delphico, de Theoris, & Oraculi cessatione.*

Theorianus, ab Emanuele Comneno, missus An. 1170. ad Armenios convertendos, historiam Legationis suæ conscripsit, & Dialogum Orthodoxi cum Episcop. quodam Armenio: in Bibl. PP. Vide Morer. *in Diction. Histor.*

Theorodunum, vulgò *Wells*, urbs aliàs Belgarum, nunc Angliæ, in Comit. Somersetensi, à fontibus dicta, qui passim in ipsa scaturiunt, unde & *Fontanensis Eccles.* hæc dicitur. Parva est, sed satis culta, 15. m. p. à Bathonia, uti à Bristolio in Mer. paulo minus ab æstuario Sabrinæ in Ort.

Theorus, Poëta quidam Comicus, qui scripsit ἀγροῖκον. Traducitur adulterii & adulationis & piscium cupiditatis nomine. Versatus est Corinthi plerumque, ob copiam scortorum, quæ ibidem est. Aristoph. *Equitib.* & Scholia *ibid. pag.* 324. & 325. Ejus quoque meminit *Acharnens. Act.* 1. *Sc.* 4. & *initio Vesparum pag.* 434. Olim missus ad Sitalcem, Thraciæ regem, ab Atheniensibus: præfuit cum Cleone judiciis. Quòd autem esset improbus & nequam, ei Θεοφιλής, odium Dei tribuit, *pag.* 458. *E.* Vide & *pag.* 519. *B.*

Theorus, perjurus quidam, eoque crimine, ab Aristophane taxatus, *in Nubibus.*

Theostericlus, Auctor Græcus, sub Michaële Balbo, & filio hujus Theophilo, sec. 9. Nicetam Confessorem, præceptorem suum, funebri oratione laudavit.

S. Theotfridi Monasterium, Galliæ, inter Monasteria à Ludovico Imperatore aut reparata, aut à fundamentis extructa: aliis communi nomine *Monastier*, aliis à Patrono loci, *S. Chaffre*, hoc enim incolis *Theotfridus* est, dicitur. Olim *Calmliense* aut *Calmeliacense* Mon. à loco, in quo situm erat, appellatum fuisse ajunt, positumq; esse in Vellavis, ad Ansam fluv. qui in Ligerim defluit, & ad radices celsissimi montis, non longè à Podio. Quædam tabb. non *S. Chaffre*, sed *S. Clefride* nuncupant, atq; à Monasterio *Monastier* distinguunt.

Theotimus, in 2. rerum Italic. testis adducitur à Plut. *Par. Min.*

Theotimus, Eleus pugil, Pausan. *lib.* 6.

Theotuadum Castellum, unum è quatuor nobilissimis Aquitaniæ Regum Palatiis, seu Villis Fiscalibus ac hibernis, fuit: cujus hodieque reliquiæ super, in confinio Andium & Pictonum: in Andicavensi diœcesi. Hodie vicus *Doüé*, 15. mill. pass. à Ligere fluv. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Theoxena, mulier, quæ à Philippi Macedonis militibus cincta, cùm eorum manus effugere non posset, sese præcipitem dedit in mare. Liv. *lib.* 40.

Theoxenia, apud Græcos erat sacrificium, quod omnibus simul diis exhibebatur. Pollux & Hesychius.

Theoxenius, Apollo dictus est à Pellensibus, à quibus in honorem Apollinis Theoxenii certamina instituta fuerant.

Thera, vulgò *Gozi*, teste Nigro, insula maris Ægæi apud Cretam, quæ, ut primùm enata est, *Calliste* appellata fuit, teste Plinio, juxta Diam, à qua Therasia postea avulsa est, proxima Anaphe, ab Heracleo opp. Cretæ 85. m. pass. in Bor. ab Jo 25. Callimachus apud Strab. *lib. ult.*

Καλλίστη τὸ πρόσθεν, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρη,
Μήτηρ εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης.

Pausanias *in Laconicis*: Τὴν δὲ ἀποικίαν ὁ Θήρας ἔστελλεν ἐς τὴν νῆσον τὴν τότε ὀνομαζομένην Καλλίστην, *&c.* Ab eo igitur hæc insula sic dicta. Ex *Thera* autem posteris fuit Battus, qui Cyrenas in Africâ condidit. Ἱερὰν νᾶσον vocat Pindarus in Pythiis *Ode* 4. Vide sis illic Benedictum. Apollonius *lib.* 4.

Ὣς ἔφατ', οὐδ' ἁλίωσεν ὑπόκρισιν Αἰσονίδαο
Εὔφημος. Βῶλον δὲ, θεοπροπίῃσιν ἰανθεὶς,
Ἧκεν ὑποβρυχίην· τῆς δ' ἔκτοθι νῆσος ἀέρθη
Καλλίστη, παίδων ἱερὴ τροφὸς Εὐφήμοιο.
Οἳ πρὶν μέν ποτε δὴ Σιντηΐδα Λῆμνον ἔναιον,
Λήμνου δ' ἐξελαθέντες ὑπ' ἀνδράσι Τυρσηνοῖσι
Σπάρτην εἰσαφίκανον ἐφέστιοι, ἐκ δὲ λιπόντας
Σπάρτην Αὐτεσίωνος ἐῢς πάϊς ἤγαγε Θήρας
Καλλίστην ἐπὶ νῆσον, ἀμείψατο δ' οὔνομα Θήρης
Ἐξ ἕθεν. —— ——

In hâc insulâ 7. aut 8. annorum pueros defunctos non lugebant. Est & insula maris Ægæi, apud Eubœam & apud Melon, unde *Antimilo* vulgò vocatur, teste Bordonio, Callimachi patria, Ferrar. Item Rhodi civitas humilis, & alia Sogdianæ, alia Cariæ, Stephan. Vide omnino Palmerium *ad Strab. lib.* 1. *pag.* 57.

Therambus, urbs circa Pallenem. Herodot.

Theramenes, Agnonis filius, ex Stereâ municipio Atticæ, Pandionis tribus, Isocratis præceptor, Dux & actor scenicus. Huic plura alia attribuuntur; sed duo maxima & inprimis miseranda: Prætorum in Arginusâ adductio, & triginta tyrannorum, everso populari statu, introductio. Qui quidem dignum vitâ ac moribus exitum sortitus est: nam ab ipsis illis triginta collegis suis sublatus est condemnatore Critiâ: de quo Cic. 1. *Tusc. Quàm me delectat Theramenes, quàm elato animo est. Etsi enim flemus quum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur: qui cùm conjectus in carcerem 30. jussu Tyrannorum venenum ut sitiens obbibisset, reliquum sic è poculo ejecit, ut id resonaret. Quo sonitu reddito ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ; qui in eum fuit teterrimus. Græci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sunt.* Hæc Cicero. Quidam affirmant, à focis Deorum abstractum ac trucidatum fuisse. Hic, ob mores varios & versipelles, *Cothurnus* appellatus est, quòd utrique parti in Rep. se æqualiter applicavit, utilitatem honestati ac fidei præferens, nam cothurnus calceamentum, viris pariter atque fœminis aptari potest. Videtur idem illa tria loco mulctæ decrevisse vel vinciri in ligno, vel bibere cicutam vel pelli in exilium. Quidam existimant, ex Ceo ins. oriundum esse & ob id haud legitimus civis dicitur. Alii notant *Theramenem* fuisse hominem astutum & temporibus servientem: conflato inter Chios & Cios bello utrisque se dabat, quando erat cum Chiis, se Chium; quando verò cum Ciis Cium se dictitabat: cùm revera esse *Chius*.

Theramna, oppid. Sabinorum, ex quo Actius Clausus, qui post Claudius dictus est, originem habuit.

Therapna, *Theramne* Steph. *Terapna* Papinio, opp. Laconicæ apud Eurotam fluv. proximum quoque Spartæ urbi, ubi Diana primùm coli cœpit, teste Solino, & Leda Castorem, Pollucem & Helenam peperisse traditur. Stat. *Theb. lib.* 3.

Tænariumq; cacumen, Apollineasq; Terapnas.

Idem 4. Sylv. 8.

—— *Umbrosaq; magis solvere Terapna.*

Terapne dicitur Silio *lib.* 6. ubi

—— *Animosa Terapne.*

Hinc adject. *Terapnaus*, vel *Therapnaus*. Statius *Sylv.* 2. 2.

Blanda Therapnai placeant vineta Galesi.

Item urbs Cretæ una ex præcipuis, teste Solino.

Therasia, insula maris Ægæi, in duas à terræ motu divisa, inter Delum ad Bor. & Cretam ad Austr. 160. m. p. *Santorino* Sophiano. Vide *Thera*. Baudrando, una Sporadum, *Santerini* dicta, circuitus 30. mill. pass. cum aliquot castris & vicis, à paucis habitata. Sub Turcis, 120. mill. pass. à Delo insula in Merid. 36. ab ora proxima Cretæ insulæ in Boream, ferè 40. à Melo in Ort. Gallis *S. Erin*, seu Insula St. Helenæ, ut ajunt nautæ. Ejus castrum præc. *Scaro*. Ad Occid. adjacet ei altera insula minor, *Tiresia* etiam vocata, quæ An. 1507. terræ motu ab altera divisa fuit.

Therebinthus, medio milliari ab Jerusalem, sub qua quiescere solebat beata Virgo, ut author est Salign. *tom.* 10. *cap.* 2. nominatur & in regnorum libris Therebinthus juxta Bethel, 3. Reg. 13. ubi requiescebat vir Dei, qui maledixerat Jeroboam, sacrificanti idolis.

Thergubis, Mesopotamiæ urbs, Ptolem.

Thericles, figulus Corinthius, à cujus nomine fictilia quædam vasa *Thericlea* dicta sunt, Plin. 18. 40.

Therimachus, Spartiata, in prælio ad Methymnam, à Thrasybulo, duce Atheniensium, occisus, Olymp. 97. An. 1.

Therionarce, Doridis insula parva, circa Gnidum, Plin.

Therippidas, Lacedæmonius, Neogenem tyrannum arce Actiacorum & dominatu Oropiorum, scito Ephorûm ejecit sociisq; libertatem reddidit. Diod. 15. 472. *F.* Olymp. centesimæ, anno 4. Vide *Erippidas*.

Therma, parva reg. Siciliæ, Steph.

Therma, Bithyniæ urbs, Stephan. & Cappadociæ opp. Anton. Africæ quoque Propriæ, Strabo. Est & locus Prusiæ, Stephan. & Galatiæ Episc. sub Archiepisc. Pessinuntio, inde 16. mill. in Ort. Ancyram versus 83. *Herma* in tabb. rec.

Therma, castrum agri Narbonensis, 5. leucis à Carcassona, in altissimi montis supercilio, quod unâ solùm parte adiri poterat. Ejus domini Raimundi Militis, sub dominio Vicecomitis Biterrensis, meminit Petrus *de bello Albig. cap.* 41. Etiam castrum *de Terminis* dictum est, hodie *Termes*, cujus aget *Termenez*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Item civitas Thraciæ; unde *sinus Thermaicus*, Ital. *Golfo di Salonichi*. Sinus maris Ægæi, in Macedoniam extensus, in cujus intimo recessu ad Bor. Thessalonica est, ubi antea Therma, unde ei nomen, vide infra in voce *Thermaus sinus*. Urbs quoque Angliæ, vulgò *Bathe*. Vide *Mons Badonius*, & *Bathonia* urbs. *Therma* quoque in Galliâ sunt, vulgò *Chaudes Aigues*, oppid. Velaunorum, inter Fanum S. Flori & Mimatum. Baudrando opp. Alverniæ super. in limite Ruthenorum & Mimatum, longè à Velaunis in Occ. 3. leuc. à Floriopoli in Merid. *Therma* item geminæ, Germaniæ urbes, superior & inferior, utraque *Baden* vulgò. Una in Helvetiis ad Limagum fluv. inter Tigurum 2. & Basileam 6. leucis, ubi comitia generalia Helvetiorum fiunt. Vide *Badena*. Altera urbs Marchiæ Badensis caput in Brisgoiâ & sylvâ nigrâ, inter Friburgum ad Austrum 8. & Spiram in Bor. ferè totidem leuc. ab Argentorato 5. Vide *Bada*. Sunt & *Therma* Austriacæ, *Baden*, opp. cum Balneis inter Viennam & urbem novam 4. leuc.

Therma, species aquarum medicatarum, quarum seriem & virtutem recensent Kircherius *M. S. lib.* 5. *f.* 3. Bauhinus, Fallopius, Rulandus, &c. Et primus quidem observat, earum octo dari in Portugallia; 40. in Hispania: 45. in Gallia: 120. in Germania: 86. in Italia: 9. in Hungaria, locisque vicinis: 16. in Illyrico: in Græcia & vicinis Insulis 22. Polonicas certo numero non prodit. Becmannus è thermis Anglicis nobiliores Bathonienses tribus, & Buxtonenses, novem fontibus ebullientes, addit. Thermarum Japanensium lacus *Singacko*, aqua adeò acris est, ut ad ossa usque carnem corrodat; quo supplicio haud pridem Christianorum Nangesaccensium constantia, post multa alia frustra tentata, expugnata est: Eorum enim nemo præ doloris magnitudine perstitit, præter adolescentulum septendecim annorum, qui multoties aquâ illâ stillatim nudo suo corpori affusâ cruciatus, mox refocillatus, dein iterum cruciatus, animam maluit Servatori hoc lotam liquore reddere, quàm fidem abnegate. Varen. *de religion. Japan. cap.* 11. Parum absimiles *Thermis*, ignei sunt fontes, quorum magnus numerus in regni Chinæ prov. *Xansi*, quibus & incolæ ad coctionem suam utuntur, Neuhof. *Itiner. Chinens. pag.* 12. *&c.* Unde *Thermis* calor, Pontanus his verbis scribit:

Bajano sed ne fumare in littore Thermas,
Mirere, aut liquidis fluitare incendia venis,
Vulcani fora sulphureis incensa caminis
Ipsa monent, latè multum tellure sub ima
Debacchari ignem camposq; exurere apertos.
Inde fluit calidum referens ex igne vaporem
Unda fugax, æstu fervent & balnea flammis.

De quibusdam *Thermis* in specie, vide porro *infrà*. Dictæ etiam sunt *Therma* loca balneis destinata, in quibus plus luxus & insaniæ quàm in ullis aliis operibus, apud vett. Romanos deprehenditur, notatque Ammianus, Thermas Imperatorum provinciarum in modum extructas fuisse. Erant aut æstivæ aut hyemales, quales uno eodemque in loco extruere instituerat Gordianus: sed morte præventus non absolvit. Hyemales trans Tiberim Aurelianus fecit. Servierunt autem illæ primùm Imperatoribus privatim, postea & populo vulgata sunt: patebantque aliquando interdiu, corruptionibus temporibus etiam noctu. Consueto more mixtæ & communes minimè fuerunt, quod tamen malorum Principum culpâ aliquoties factum est. His, ut & Aquæductibus, castella adjuncta erant, in quibus aqua conservabatur: & subjuncti canales, per quos caduca & inutilis effluebat. Parietes autem castellorum malthati erant iam tenaci ac durâ materiâ, ut vix ferro frangerentur. Sola *Thermarum* Balnearumque interdum vitro sternebantur, ut Agrippinarum: frequentiùs lapide, aut crustis marmoreis latis, tessellis quadratis varii coloris; nigri, ut Balneæ Palatinæ: nigri albique, ut *Therma* Commodi & Antonini, Vide Nicol. Sipontinum, Lipsium, Rosinum, Alios: Inprimis Andream Baccium Elxidianum *lib.* 7. *de Thermis*. Hodie in urbe majora omnia ædificia ab imperitis *Therma* vocantur, inquit Dempsterus, propter Diocletianæas & Antonianas, quod suo quoque factum tempore non dissimulavit Blondus. Species quasdam *Thermarum* Roman. Vide infra.

Therma Alvanienses, seu Alvonovanæ, à vico Alvanio vel Alvinovo *Alfenau*, in tertio Rhætorum fœdere, dictæ: Sulphureæ, mulieribus & febre diuturnâ laborantibus maximè conducibiles, Sprecherus *Pall. Rhæt. lib.* 9.

Therma Brigenses, vel Brygenses, in Vallesia, à Briego vico dictæ: aquam habent limpidam, calidam & sulphur valde olentem. Vide Munster. Collin. & Simler. *de Vall.*

Therma Fabariæ, vide *Fabaria Therma*.

Therma Leucenses, in Vallesiæ conventu Leuciano, à præcipuo hujus pago Leuca, *Leuck* nomen habent. Sunt in loco aditu difficili, rupibus arduis & horrendis circumdato, scaturiuntque è 5. fontibus calidis nullius odoris, per cupri & auri, cum aliqua calcis portione, mineras defluentibus. Vide Munsterum *lib.* 3. & Collinum.

Therma S. Martini, in valle Telina, saluberrimæ, podagricis, ischiadicis, sterilibus fœminis aliisque frigidis morbis utiles. Vide Gasp. Sermundum & Guletum.

Therma Himerenses, colonia & urbs Siciliæ in orâ occiduâ, ad ostia Himeræ fluv. inter Panormum ad Austr. & Cephalœdium ad Bor. Vide Cluver. *Sicil. Ant. pag.* 280.

Therma Selinuntiæ, colonia & urbs Siciliæ in orâ meridionali, inter Agrigentum ad Ort. 40. & Lilybæum ad Occ. 18. mill. pass. *Xacca*, vel *Sacca* hodie Fazello. Vide Cluv. *Ant. Sicil. pag.* 222.

Therma Stygianæ, Tusciæ urbs Anton. *Bagni Sabatini* Leandro. Baudrando *Stigiana*, seu *Stiliana*, vulgò *Bagni di Stigliano*, prope Stilianum castrum Ducat. Braciani, in provinc. Patrimonii, in ditione Pont. 8. mill. à Braciano & à lacu Sabbatino in Occid. 9. à Cære in Circ.

Therma urbis Romæ ex Publio Victore & Sexto Rufo:

Agrippinæ, apud Pantheon, inter illud & ædem Minervæ, ubi adhuc multa exstant vestigia.

Alexandrinæ, ab Alexandro Severo, cujus vestigia apud ædem S. Eustachii retro cernuntur.

Antonianæ, apud ædem SS. Sixti & Balbinæ, versùs ædem S. Gregorii, adhuc exstantes, sed semidirutæ. Antonianæ verò à Caracalla cœptæ, & à Severo perfectæ, in monte Aventino, ubi multa vestigia & rudera marmorea adhuc visuntur.

Constantinianæ, in dorso montis Quirinalis, ubi equorum statuæ, quorum adhuc aliquot exstant vestigia: vel inter Thermas Diocletianas & ædem S. Susannæ, ubi & Senatulus mulierum Romanarum.

Diocletiani, apud ædem S. Susannæ, ubi nunc granarium Pontificium.

Domitiani, quæ & Trajani, in campo Martio, ubi ædes S. Sylvestri, & ubi vestigia perdurant.

Gordiani, apud ædem S. Eusebii, ubi columnæ 200. marmoreæ & pulchræ fuerunt.

Neronianæ & Alexandrinæ, apud ædem S. Eustachii, ibi enim vestigia apparent retro: seu Neronianæ post Thermas Agrippæ. Locus dicitur *Palazzo di Madama*.

Novatianæ, ubi nunc ædes S. Pudentianæ.

Olympiadis ubi nunc ædes S. Laurentii in Panisperna.

Philippi, in monte è regione ædis S. Matthæi in Merulana, ubi vestigia cernuntur cum inscriptione lapidea veteri.

Tatianæ, seu Titianæ, ubi ædes S. Petri in Vinculis, non procul ruinæ apparent.

Trajani, apud ædem S. Martini in montibus Esquiliis.

Præter memoratas fuerunt & sequentes:

Aurelianæ, ab Aureliano Imperatore trans Tyberim, ubi vestigia adhuc sunt.

Agrippæ, in 6. regione.

Commodianæ, in 1. regione.

Decianæ, in monte Aventino, ubi templum Herculis, & nunc ædes S. Priscæ virginis.

Priva-

Privatæ, in Transtyberina.
Publicæ, ibidem.
Septimianæ, in Transtyberina, inter ædes S. Ceciliæ & S. Chrysogoni, ubi templum Jani & arcus Septimianus.
Severianæ, quæ & Severæ, ibidem, in monte Aventino, inter portam Capenam & Hostiensem, à Severo Imperatore.
Titi Cæsaris Augusti, locus hodie *le sette Sale* appellatur, & apud Sanctum Petrum in Vinculis. De quibus Martialis *in epigrammate de Spectaculis* 2.

Hic, ubi miramur velocia munera Thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

Varianæ, in Aventino.
Harum verò nonnullarum vix locus indicatur, cùm sint penitùs excisæ.

Thermaeus, seu, & meliùs, **Thermaicus**, vulgò *le Golfe de Thessalonique* Gallis, sinus est maris Ægæi in Macedoniam extensus, in cujus intimo recessu ad Boream Thessalonica urbs sita est, ubi antea Therma opp. Extenditur autem à meridie in septentrionem per 100. m. p. & in eum se exonerant Axius, Peneus, Chabrius, Aliacmon, & aliquot alii fluvii. Thuc. Strab. Tac.

Thermida, Carpetanorum urbs. Ptol. *Rajas* Pineto. Nunc pag. Madrito finitimus.

Thermidava, Dalmatiæ op. Ptol. *Dagno* Moletio, in mediterr. inter Scodram & Siparuntum, à Scodra 20. m. p. in Ort. Ep. sub Archiep. Antibarensi.

Thermodon, *Pormon*, teste Nigro, fluv. Cappadociæ in mare Euxinum, inter Themiscyram ad occ. & Polemonium ad ort. prolabens. Est etiam fluv. Scythiæ Europ. apud Plut. & Thraciæ apud Suidam & Statium. Thermodonta verò Amazones incoluere. Unde Dionysius de Amazonibus:

Πλαγχθεῖσαι ποταμοῖο ἀπ' ἀγχόθι Θερμώδοντος.

Virgil. *Æneid* 11.

Quales Threiciæ cùm flumina Thermodontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis.

Propertius *lib*.3. *el*. 4.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontæis turba lavatur aquis.

Idem 4. 4.

Illa ruit celerem qualis prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.

Claudianus,

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Nuda cohors: quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit post prælia turmas.
Seu flavos stravere Getas, seu fortè rigentem
Thermodontiacâ Tanaim fregere securi.

Nonnus *lib*.10.

Οὐκ ἀπὸ Θερμώδοντος Ἀμαζόνες.

Hinc ab Ovidio *Amazonius Thermodon*. Idem *Pont*. 4.10.

Et tu fæminea Thermodon cognite turba.

Statius quoque Amazonas describens, *Thermodontiacas turmas* vocavit, uti Seneca Tragœdus *Thermodontiacam catervam*. Tryphiodorus,

Αἱ δ' ἀπὸ Θερμώδοντος ἀγυιόφιλοιο γυναῖκες.

Dionysius Periegetes,

Αὐτοῦ ὕδωρ προΐησιν Ἐνυάλιος Θερμώδων.

Quinctus Calaber *lib*.1.

Καί ποτε Θερμώδοντος ἀπ' εὐρυπόροιο ῥοάων.

Memoratur præterea ab Æschylo, Apollonio, Orpheo, &c. Homeri Interpres: Αἱ δὲ Ἀμαζόνες λέγονται εἶναι Ἄρεος καὶ Ἀφροδίτης θυγατέρες τραφεῖσαι παρὰ Θερμώδοντι ποταμῷ τῆς Σκυθίας.

Thermopylæ, angustiæ montis Oetæ in Thessalia, in Phthiotide reg. apud sinum Oetæum, seu Maliacum, ubi ex Phthiotide in Phocidem transitus est, 25. tantùm pedum spatio, variè indigitatæ. *Stelas* Jo. Lydo: *Terremotto* Bonacciolo; *Bocca di lupo* Nardo, *Lycostoma* Græcis. Hic Persarum impetum Leonidas Spartanus cum paucis, nempe 300. sustinuit: ubi Euthycus ob cæcitatem domum remissus, potius dimicando mori voluit, quàm solus periculum declinare. Cic. *lib*.2. *de Fin*. Appellantur etiam *Pylæ* Livio *lib*. 6. *Decad*.4. Catullus,

Lymphaq; in Oetæis Mallia Thermopylis.

Claudianus,

—— *Primo conamine ruptæ*
Thermopylæ. ——

Vide Strab. *lib*.9. Plut. *in Cat. Censor*. Herodotum inprimis illas prolixè describentem, *lib*.7. Baudrando hodie *Bocca di Lupo*. Eas præter retro laudatos Appianus accuratè describit. Juxta has erat conventus totius Græciæ statis diebus. Distant 110. m. p. ab Ambracia in Ort. 90. à Chalcide in Circ. 70. à Crissæo sinu in Bor. Sed nulla urbs sic dicta, ut alii volunt. Istiusmodi aperturæ vel transitus montium sunt quoque *Portæ Caspiæ*, quarum unam juxta *Derbent*, ad mare Caspium, inter nobilissimas totius Orientis antiquitates numerat Mandelslovius *Itiner. lib*. 1. *cap*.4. Item *Porta ferrea*, vulgò *das Eisen thor*, angustissimus in Transylvaniam ex Europa Or. aditus, per quem An. Ch. 1661. Turcæ in Transylvaniam irruperunt, Joh. Beta *Descr. Hungar*. Insuper *Porta Cordillera*, qui transitus est per juga montium Americanorum unicus, Varenius. De vario Alpium transitu, Vide Ricciolum Geogr. *lib*.3. *cap*. 1.

Thermus, op. Ætoliæ. Gent. *Thermius*; possessivum *Thermicus*. Stephan.

Thermussa, mulier Romana, concubina Phraatis, Parthorum regis, ex qua Phraates nothus genitus, qui, quatuor legitimis filiis Augusto obsidibus datis, astu matris in Parthis remansit.

Thermuthis, Pharaonis filia, quæ Moysen educavit. Jos. *Antiq. lib*. 2.

Thermydra, portus civitatis unius in Rhodo. Steph.

Therne, urbs Thraciæ. Steph.

Thero, vel *Theron*, viri proprium. Virg. *Æn*.10.

Therodamas, rex Scythiæ, qui, ne per insidias occideretur, leones hominum sanguine alebat, quò magis sævirent. Ovidius *Pont*. 1.3.

Non tibi Therodamas, crudusq; rogabitur Atreus.

Idem *in Ibin*,

Therodamanteos ut qui sensêre leones.

Theromachus, statuarius egregius. Plin. 15. 10.

Theron, Ænesidami filius, Hisp. citer. rex.

Theron, Agrigentinorum tyrannus. Vide Benedictum *ad Pindari Olymp*. *Od* 2. Item nomen unius ex canibus Actæonis. Ovid. *Met*.3.

Nebrophonusq; valens & trux cum Lælape Theron.

Theron, Miltiadis fil. civis Selinuntius. V. Polyæn. *lib*. 1.37.

Thersa, civitas in alto sita monte, in tr. Manasse. A Josua capta, occiso Rege. Eâ Israelitarum reges ante conditam Samariam pro regiâ usi sunt. 4. Reg.5. Item Salphaad filia. Num. 26. Lat. *complacens*, *volens*, *suavis*, vel *currens*.

Thersander, Polynicis fil. ex Argiâ, teste Statio, qui unà cum cæteris Græcorum Principibus ad Trojam navigavit. Item tibicen Jonius insignis admodum. De quo Polyæn. *lib*.6.

Thersara, Assyriæ urbs. Ptol.

Thersilochus, Antenoris fil. in bello Trojano occisus: quem Virgilius *Æn* 6. inter viros fortes enumerat, qui etiam apud Inferos arma tractent.

Thersippus Atheniensis, eximiæ fortitudinis & amoris in patriam, cum prœlio mutilus debilisque factus esset, inde, decreto Solonis, statuta est lex, ut ex publico alerentur, qui in bello membro aliquo fuissent multati, teste Heraclide Pontico.

Thersippus, 4. Atheniensium princeps, reg. annos 12. anno mundi 2971.

Thersippus, lator literarum Alex. M. ad Darium. Curt. 4.4.

Thersita, gens Iberica. Steph.

Thersites, Græcorum omnium fœdissimus, idemq; ignavissimus, quem Achilles sibi procaciter conviciantem pugni ictu interfecit. Hujus insignis deformitas ab Hom. *lib*.2. Iliad. γραφικῶς expressa, effecit, ut cùm hominem vehementer fœdum significare volumus, *Thersitæ faciem* eum habere dicamus. Versus Homeri hi sunt:

Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα,
Ὅς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη
Μάψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον, ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν,
Ἀλλ' ὅτι οἱ εἴσαιτο γελοίιον Ἀργείοισιν
Ἔμμεναι, αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.
Φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
Κυρτώ, ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε· αὐτὰρ ὕπερθε
Φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Ovidius,

Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,
Quàm pulchrâ Nireus conspiciendus erat.

Juvenalis *Sat*. 8.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas.

Οὐτιδανόν, *nullius pretii hominem* vocat Qu. Smyrnæus *lib*.1. Lycophron verò πιθηκόμορφον, h. e. *Simiæ similem*.

Theruingi, pop. trans Istrum, quos Trajanus Imperator subegit. Eutrop.

Thesba, sive *Thesbe*, civitas in tribu Gad regionis Galaad, illustrata maximè natali Eliæ prophetæ, unde & *Thesbites* vocatur.

Thesia, dies festi, in honorem Thesei instituti. Nam postquam *Theseus* populo Atheniensi libertatem concessit, vivereque suis legibus permisit, Lycus quidam sycophanta, rem calumniis apud populum eò deduxit, ut testularum suffragio urbe ejiceretur. Quare Heros Scyrum, ad Lycomeden, concessit, Insulæ illi dominantem, à quo, ob invidiam & æmulationem, dolo sublatus est. Ob eam caussam fame exortâ, oraculo jussi Athenienses *Thesea* ulcisci, Lycomeden necaverunt illiusq; ossa Athenas detulerunt, ac templo, quod *Theseum* dixerunt, dedicato heroicos honores habuerunt. Nam in *Thesei* honorem octavum cujusque mensis diem celebrarunt. Cæterum diebus illis festis (*Thesia* intellige) largitio fiebat populo, ut eo die non solùm divites, sed & cujuscunque generis homines convivia agitarent, solitoque splendidius viverent. Tantis autem honoribus eum cumularunt, quòd Athenienses dispersos & vicatim habitantes nactus, in unam

urbem coëgerit, statum urbis constituerit, mores & leges civitati dederit. V. *Theseus*.

Theseus, Ægei regis Athenarum fil. ex Æthrâ Pitthei filiâ, qui adhuc adolescens, operâ Medeæ novercæ, penè veneno periit. Sed post mortem patris ad regnum evectus, tam multa memoratu digna gessit, ut inter plures Hercules unus connumeretur. Debellavit Amazonas, earumque reginam Hippolyten secum abduxit, ex quâ genuit Hippolytum. Creontem regem Thebanorum, cadavera Argivorum, qui in bello Thebano occiderant, sepeliri prohibentem, interfecit. Oppressit etiam terribilem taurum in Attica, Minotaurum in Labyrintho occidit, & Ariadnam, Phædramq; Minois filias clàm secum abduxit: sed illâ relictâ in Chio ins. Phædram sibi conjugio copulavit. Hæc fabulis involuta, ita autem se res habuit: Minos mari potens, Androgei filii necem ulturus, coëgit Athenienses quotannis tributi loco certum sibi juvenum puellarumque numerum mittere; à qua calamitate tandem liberati sunt, virtute Thesei, qui Tauro, insigni Minois duce, interfecto, monetam postmodum, in rei memoriam, bove signavit. An potius id factum, quod Marathone cum bove luctatus, superior evaserit: an ut hoc pacto cives ad agriculturæ studium excitaret? Porro Isthmios ludos, in Neptuni honorem, instituit, Herculem imitatus, qui Olympicos Jovi sacraverat. Scironem, Procrusten, & Scinim latrones Atticæ neci dedit: Debellavit Centauros, Thebas domuit, Pirithoum præcipuâ coluit amicitiâ (vide *Pirithous*) quo cum descendit ad inferos ad rapiendam Proserpinam: Sed occiso Pirithoo, ipse aliquandiu in vinculis Plutonis fuit detentus, donec ab Hercule, qui illum summâ prosequebatur benevolentiâ, liberaretur. Postremò jam senior, tot, tantisque rebus gestis, patriâ, regnoque pulsus, in Scyrum ins. navigavit, ubi & periit, à rege Lycomede (ut quidam tradunt) interfectus: aut (ut alii malunt) cùm à cœnâ deambularet, ex loco edito delapsus. V. Plutarch. in *Theseo*, & Meursium *de Reg. Athen. lib.*3. V. Lud. de la Cerda *in illud Æn.*6.

—— *Sedet, æternumq; sedebit*

Infelix Theseus. ——

Hinc *Theseis*, fabula sc. de Thesei rebus gestis conscripta, Juvenalis *Sat.*1.

Vexatus toties rauci Theseide Codri.

Item *Thesides*, unde Athenienses *Thesidæ* dicuntur. Virgil. *Georg.* 2.

Præmiaq; ingentes pagos & compita circum

Thesidæ posuere. —— ——

Hinc etiam *Theseus*. Prop. 1. 3.

Qualis Theseâ jacuit cedente carinâ,

Languida desertis Gnosia litoribus. V. & *Theséa*.

Theseus, historicus, illustrium virorum vitas consignavit libris 5. Suid. *in Lex.* Stob. de *Fortitud.* Item Corinthiacorum lib.3. Suidas & Etymologus. Etiam Thesei è scriptis narratiunculam adfert Stobæus, Serm. *de Fortit.*

Theseus Junior, Hippasi & Alcestidis fil. Vide Schol. *in Crabrones pag.*519. E.

Theseus mensis, i. Junius: perperam dictus pro *Desius*, sive Δαίσιος, qui mensis Græcorum est, Junio respondens, ut Beda notat *lib. de nat. temp. cap.* 24. Hepidannus *in Annal. An.Ch.*973.

Hoc anno efficitur Notkerus, Abba benignus,

Menstrua quindenas præcedens luna Kalendas,

Cùm fore venturas præsignet mense Theseo.

Ibi Goldastus: *Mense Theseo*, Junio. Vide Spelmannum *Glossar. Archæol.*

Thesmophoria, festum cui à Cerere θεσμοφόρου nomen. Hujus enim beneficio cùm fruges inventæ essent, quarum dein sationem Triptolemus docuit, decreto totius populi Atheniensis, sacra hæc instituta sunt, quæ à Cerere, ut dictum, *Thesmophoria*, & à patre Triptolemi Eleusio *Eleusinia* dicta sunt, Lactant. Placid. *ad v.* 383. *lib.*2. *Thebaidos Statianæ*, Strabo *lib.* 15. *Geogr.* Celebrabantur illa noctu, Stat. *Thebaid. lib.*7. *v.* 412.

Et non assuetis pernox ululavit Eleusis

Mensibus.

Et *lib.* 12. *Theb. vers.* 132.

Noctivagumq; gregem, quamvis sibi luget, Eleusin

Flevit & arcanos errantibus extulit ignes.

Ubi *arcani ignes* faces sunt, quæ in *Thesmophoriis* accensæ gestabantur, exemplo Cereris, quæ sub noctem quærendæ filiæ laborem est exorsa. Claud. *de Raptu lib.*3.

Noctivago tædas inflammatura labori.

Cum istis faculis autem luto & furfure obliti currebant, Brodæus. Sic tamen, ut non unicuique fax esset, quam gestaret, sed currentes sibi mutuò traderent, quod fiebat hâc potissimum ratione: Unus ab ara facem accensam manu comprehendebat, & ad certum in templo locum currebat, quo cùm pervenisset, alteri successuro & cursuro eandem tradebat, verbis: *Tibi trado.* Inde Δαδουχία *facis gestatio*, & ἱεροφάνται Δαδοῦχοι *Doctores sacrorum facíferi*, in sacris recepta vocabula. Unde Callias Cereris sacerdos Δαδοῦχος, Plut. *in Aristide* dicitur. Porro in his sacris perpetua taciturnitas observata est, ideo Papinius *tacitos mystas* dixit: unde & Mysteria ἀπὸ τοῦ μύειν, quod est, os claudere, nomen acceperunt. Erant autem hæc duplicia: *Parva*, quæ Proserpinæ filiæ, Plut. *in Demetrio*, Tatian. *Orat. contra gentes &c.* & *Magna*, quæ in ipsius Cereris honorem fiebant. Scholia Aristoph. *in Pluto, act.* 4. *sc.* 2. Addit Gerhardus, *parva sacra* fuisse velut προκάθαρσιν καὶ προάγνευσιν *lustrationem*. At in *magnis* qui initiari volebat, moris fuit, ut quam quis sub initiationis tempus vestem gestasset, eam non prius exueret quàm longo usu detrita gestari amplius non posset. Tum enim ferebatur in templum, dicanda Deo illi, cujus religionis candidatus esset, qui sacrandam offerebat. Hinc Aristoph. *loco laudato,*

Μῶν ἐν ἐμυήθης δῆτ' ἐν αὐτῷ τοῖς μεγάλοις;

Quod Nic. Frischlinus sic vertit:

Numnam hac ea veste est, qua tu magnis sacris

Initiatus es.

Plura V. supra in voce *Eleusinia*.

Thesmophoros, Cereris epitheton, quæ & *Legifera* poetis dicitur: Servius Honor. *ad Æneid. lib.*4. *vers.* 57. *Leges*, inquit, *Ceres dicitur invenisse: Nam & sacra ipsius Thesmophoria i. e. legum latio, vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante frumentum à Cerere inventum, passim homines sine lege vagabantur, quæ feritas interrupta est, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura. An ideo Thesmophoria dicuntur, quia in ara Cereris, ari incisæ leges asservabantur?* Vide quoque Clem. Alexandrinum *in Protrept.* Arnobium *contra Gentes*, Herodot. *lib.*2. *&c.* Inter recentiores Lilium Gyraldum *Syntagm. Deor. Gentil.*14. Wolphgangum Lazium *lib.* 2. *Comm. Reip. Rom. cap.*7. Bapt. Pium *Annotat. poster. cap.* 9. Callimachus *in hymno ejus:*

Ὡς πολίεσσιν ἐαδότα θέσμια δῶκε,

Virgil. *Æneid lib.*4.

Legiferæ Cereri.

Calvus antiquus Poeta, *de Cerere:*

Et leges sanctas docuit, & chara jugavit

Corpora conjugiis, & magnas condidit urbes.

Vide *Ceres*. Item Isis sic dicta, quæ leges Ægyptiis statuisset, quibus æque omnibus justitia servaretur. Diodorus.

Thespia, Herodot. *Thespiæ* Xenophonti, Ptol. Plin. & Strab. *Tespe* adhuc, urbs Bœotiæ satis ampla, proxima Thebis, inde 12. m. p. in Meridiem, Megaram versus 40. ad Thespium fluv. (de quo Hesychius: Θέσπιος, ποταμὸς Βοιωτίας) Platæis finitima. A Thespiade, Teutrantis, fil. condita. Epis. sub Ar. Atheniensi primum, dein Thebano: Ejus meminit Actius Syncerus *lib.* 1. *Epig.*

Ergo tu nobis Helicon, & uda

Thespiadis saltus, hederaq; opacum

Thespia ripis nemus, & canoro

Vertice Pindus.

Hinc *Thespius*, ut *Thespia rupes* apud Catullum. Item *Thespiacus*, ut *mœnia Thespiaca* apud Val. Flaccum *lib.* 1. Numeratur autem hæc urbs inter ea loca, quæ Musis consecrata credidit antiquitas, unde & Musæ ipsæ *Thespiades* cognominantur. Ibi fons, qui munerum conceptus repræsentat, Plin.31.2. Et Glyceria Thespiensis, tabulam Cupidinis, magni æstimatam, quam à Praxitele dono habuerat, civibus suis donavit: Unde *Amor* ibi coli cœptus. Hodie vicus est urbs hæc, prope Heliconem, in limite Phocidis medius inter Copaidem lacum ad Bor. & Corinthiacum Sin. ad Mer. 12. m. p. utrinque; sed à Thebis 40. in Afric. Sub Turcis, Baudrandus. Est & altera *Thespia*, urbs Thessaliæ, Val. *Flac. lib.*1. *vers.* 92. Tertia Sardiniæ.

Thespis, ex Icariâ Atticæ civitate, primus poeta Tragicus, & qui personas invenit. Floruit tempore Solonis. Diog. Laërt. vel Olymp. 61. secundùm Suidam. Lil. Giraldus, *in Hist. Poet.* Horatius *ad Pisones:*

Ignotum Tragicæ genus invenisse camœnæ

Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis,

Quæ canerent, agerentq; peruncti fæcibus ora.

Thespis, sive *Thespius*, Atheniensis, Erechthei regis filius, qui è pluribus fœminis filias genuit 50. cum quibus vocatas ad epulas Hercules sigillatim concubuit, suscepitque totidem liberos mares, qui *Thespiades* dicti sunt. Hi cum Jolao, Herculis ex Iphicleo fratre nepote in Sardiniam profecti, civitates quamplurimas extruxerunt. Diod. *lib.*5. Silius *lib.*

Nec parvum decus, advecto cum classe paternâ

Agmine Thespiadum, terris Jolae dedisti.

Thesprotia, nunc *Vajelitia* Nigro, Epiri reg. Chaoniæ proxima. Plin. *lib.*4. *in Proœmio*, cujus incolæ *Thesprota* & *Thesproti* Ptol. & Strab. Horum mem. Lucan. *lib.*3.

Thesproti, Dryopesq; ruunt, quercusq; silentes.

Vide sis Passeratium in illud Prop. *lib* 1. *el.* 11.

Et modò Thesproti mirantem subdita regno

Proxima Misenis litora nobilibus.

Hinc *Sinus Thesprotius* Liv. *Golfo di Butrinto*, Ptol. *Buthrotum Sin.*

Thessalia, reg. & pars ampla Macedoniæ apud Ptol. Achaiæ, seu Helladi ad Merid. & Epiro ad Occ. confinis; ad sinum Pelasgicum & Maliacum: licet apud Plinium ac Melam & Solinum sit regio à Macedoniâ distincta, inter illam ad Arctos, & Bœotiam ad Austrum, montibus Olympo, Ossâ, Pelio ad Bor. Othry, & Oetâ ad Merid. Pindoque ad Occ. cingentibus. Anti-

quitus

quitus sub Regibus propriis, dein Macedones Dominos habuit, his Romani, Romanis Græci, à quorum Imp. Henrico, Bonifacius Marchio, Thessaliæ R. creatus est, An. Ch. 1210. successere, donec sub Turcarum, quorum Imperator Amurathes, jam Ann. Ch. 1380. multa in Macedonia & Thessalia occupavit, jugum redacta est. V. infra. Varia nomina habuit apud veteres. *Æmonia* enim teste Halicarnass. *Dryopis*, teste Plinio, *Hestiaotis*, teste Strabon. *Estiotis*, Ptol. *Pelasgia*, teste Steph. *Argos Pelasgicum* Homero, teste Strabone, & Solino, dicta est. Variè quoque vulgò nominatur. *Commolitari* Castaldo. *Thumenestia* Anton. Geufræo; *Lamina* Lazio. In 4. reg. distribuitur à Strab. in *Thessaliotim*, *Phthiotidem*, *Pelasgiotim*, & *Hestiotim*. Hic genitus Rex, nomine *Græcus*, à quo *Græcia*; Hic Hellen, à quo Hellenes: quos Homerus Myrmidonas quoque & Achæos vocavit: donec *Thessalia* nomen invaluit. Ibidem primùm equi domari cœperunt. Vide Pausan. *initio Phocicorum sive lib.*10. Unde versiculus:

Ἵπποι Θεσσαλικαὶ, Λακεδαιμόνιαι τε γυναῖκες.

Fuit & *Thessalia* op. illius reg. olim, teste Solino præcipuum. Pop. *Thessali*, Cic. Cæs. & al. In Thessaliâ diluvium sub Deucalione contigit, stagnante Peneo fl. Unde Claud. *lib.* 2. *de Raptu Pros.*

Sic cum Thessaliam scopulis inclusa teneret
Peneo stagnante palus, & mersa negarent
Arva coli, trifidâ Neptunus cuspide montes
Impulit adversos: tum forti saucius ictu
Dissiluit gelido vertex Ossæus Olympo.

Cæterùm ora Thessaliæ inter Penei fluv. ostia ad Bor. & Thermopylas ad Austr. continetur. Incolæ edaces fuisse perhibentur, quòd *Thessala bucca* sit in proverbio, apud Athenæum & Jul. Pollucem: sicut & *Thessalicum numisma*, apud Suidam & Hesychium pro pecuniâ adulterinâ, sive pro fuco & fraude. *Thessala equa*, pro præstantissimis. *Thessalorum* quoque *commentum* apud Suidam in eos, qui fraude alios circumveniunt, dicitur, & *Thessalicus missus*, apud Paus. *in Atticis*, de lauta mensa. Thessali maleficiis addicti fuisse, à Medeâ superstitiones & veneficia edocti, traduntur: unde apud Aristoph. Apul. & Plin. 30. 1. magiam apud Thessalos propagatam apparet. Testantur id passim Poetæ. Plautus *in Amphitryone*,

Ego pol illum ulciscar hodie Thessalam veneficum.

Horatius *in Odis*:

Quæ saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis. &c.

Idem *in Epodis*:

Quæ sidera excantata voce Thessalâ
Lunamq; cœlo deripit.

Idem *Ep. lib.* 2.

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos Lemures, portentaq; Thessala rides.

Tibullus 2. 4.

Quicquid & herbarum Thessala terra gerit.

Loquitur de venenatis. Unde Propertius 1. 5.

Et bibere è totâ toxica Thessaliâ.

Idem 3. 24.

Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.

Lucanus *lib.* 5.

Thessala quinetiam tellus herbasq; nocentes
Rupibus ingenuit. ——

Claudianus *in Ruf. lib.* 1.

—— *Novi quo Thessala cantu*
Eripiat Lunare jubar. ——

Baudrando fuit hæc regio à Macedonia propr. distincta, divisaq; in *V.* partes, nempe in Thessaliotim, Phthiotidem, Pelasgiotim Æsthrotim & Magnesiam. Ejus urbs præc. Larissa, aliæ minores fuere Tricca, Demetrias, Pharsalus, Thebæ Phthioticæ, Pheræ & Gomphi, V. infra. Nunc *Janna* maxima pro parte dicitur, Briectio teste. Sub Turcis; ejusque primariæ urbes sunt *Janna & Larissa*.

Oppida & loca celebriora Thessaliæ.

Ætinium, in Estiotide.	Meliboea } in Magnesia.
Atta, in Pelasgia.	Methone } in Magnesia.
Castanea, in Magnesia.	Pagasæ, in Phthiotide.
Cypera, in Thessalia pr.	Pharsalici seu Philippici campi.
Demetrias, in Phthiotide.	Phestus, in Estiotide.
Echinus ibidem.	Phthia, in Phthiotide.
Gomphi, in Estiotide.	Pytheum, in Pelasgia.
Hermenium, in Magnesia.	Tempe, ad Peneum fl. in Phthiotide.
Hypata, in Thessalia pr.	
Jolcus, in Magnesia.	Thebæ, ibidem.
Larissa, in Phthiotide.	Thermopylæ in Magnesia.

Tricca in Thessalia pr. &c.

Thessalion, servus Mentoris, Principis Sidoniorum, proditionis à Domino, cum Artxaerxe Ocho agitatæ, internuncius. Diodor. 16. 532.

Thessalonica, hodie *Salonichi* Sophiano, & aliis, urbs Macedoniæ ad sin. Thermaicum clarissima, emporium amplum & sedes Præfecti. Hic Apost. Paulus Evangelium prædicavit, magno cum successu, cumque eò redire prohiberetur, Timotheum misit, qui illos in agnita veritate confirmaret. Hoc ad Paulum reverso, scripsit Apostolus Corinthi Ann. Ch. 52. duas Epistolas divinas ad Thessalonicenses: priorem 5. capp. posteriorem, in quâ Antichristum graphicè depingit, 3. V. infra. Theodosius Imper. VII. M. è plebe hujus civ. ob occisum Præsulem Botericha, nonnullosque Nobiles sustulit, Ann. Ch. 390. Expugnata à Saracenis est, Ann. Chr. 895. Ab Apolloniâ, & Dyrrhachio 265. m. p. in Ort. Baudrando urbs etiamnum ampla, populosa & dives, cum portu commodissimo, in ipso recessu Sinus cognom. olim Thermaici. Vendita fuerat ab Andronico Palæologo Venetis, quibus erepta est A. 1432. ab Amurathe II. 220. m. p. à Dyrrhachio in Ort. Byzantium versus 350. Hic ingens Hebræorum, Christianorum, Turcarum numerus. Strabo, Plin. Phrantz. Chalcondylas, &c. Pop. *Thessalonicenses*. Claud. 2. *in Ruf.*

Tangebat Macedum fines, murosq; subibat
Thessalonica tuos. ——

In 1. *Epistolam ad Thessal.* prodierunt: Calixtus. Crellii Socin. *Prælectiones.* Faucheur *in cap.* 1. *Gall.* Godeau Gomari *Explicatio loc. diffic.* Hunnius. Ivellus, Angl. octav. Londini 1583. Moschovius. Martini *Analysis.* Musculus. Origenis *Tractatus.* Quistorpius. Rollocus. Scaulteti *Idea Conc.* quart. Witteb. 1627. Sclaterus, *Angl.* quart. 1630. Stevertius. Theveti *Expositio.* Gall. Vasquez. Vorstius. Weinrichii *Explic.* Welleri *Enarratio.* octav. Norimb. 1561. Willichii *Comment.* Argentor. 1545. Zanchii ibidem. Zuinglii *Annotationes.* In 2. *Epist.* extant: Crellius. Godeau. Gomarus. Hofmanni *comm.* octav. Francofurti 1545. ut & Morschovii Socin. Musculus. Rollocus. Sclaterus Angl. quart. 1630. Sculteti *Idea Conc.* Stevartius. Thevetus. Vasquez. Vorstius. Weinrichius. Wellerus. Willichius. Zanchius. Zuinglius, &c.

Thessalonice, ab Antipatro fil. quem frustra per ubera, quæ eum lactaverant, deprecata est, interfecta memoratur, a Pomp. Trogo,

Thessalus, Archon Athenis, Olymp. 107. An. 2.

Thessalus, Medicus, qui convivio instituto, Babylone invitavit Alexandrum, ut eâ occasione venenum ei ab Antipatri filiis Cassandro & Jollâ propinaretur. Curt. *lib.* 10. *cap.* 17.

Thessalus, fil. Hippocratis, Draconis frater: qui ambo Medicinæ gloriâ patrem æmulati sunt. Proverbium enim, *non minus rudis es, ac filii Hippocratis*, in alium quadrant Hippocratem. Castellan. *in vit. Medic. illustr.*

Thessalus, Trallibus oriundus, Medicus sub Nerone Imp. qui triduanum jejunium ægris quibuslibet imperabat, totiusque Medicinæ perfectam cognitionem intra 6. menses pollicebatur, contra cujus placita multis in locis disputat Galenus. Solus Medicinæ arcana se pernosse jactitans, scripsit contra Hippocratis aphorismos: cùm tamen ipsemet nihil novi invenisset, sed Themisonis principiis mordicus inhæreret. Obiit Romæ, in via Appia sepultus. Scripsit porro *de Communitatibus & Syncritica.* Plin. *l.*29. *cap.*1. Galen. *lib.* 1. *Meth. cap.* 2. Castellan. *in ill. Med.* Vander Linden, *de Script. Med.*

Thessyris, Sarm. Europ. fl. Ptol. qui & *Hethessyris* legit.

Thestia, Acarnaniæ urbs. Polyb. & oppidum Laconiæ ad Euroram. Cedrenus.

Thestiades, Vide *Thespis*, ubi *Thespiades*, de iis enim eadem historia narratur.

Thestidium, urbs Thessaliæ, item stagnum Thraciæ. Steph.

Thestis, urbs Arabum, & alia Libyæ. Steph. & fons in Cyrene. Herodot.

Thestius, Parthaonis fil. pater Toxei ac Plexippi, & Althææ matris Meleagri, quæ *Thestias* dicitur. Ovid. *Met.*8.

Thestor, Idmonis & Laothoes filius, pater Calchantis, qui ab eo *Thestorides* vocatur. Ovid. *Met.*12.

—— *Veri providus augur*
Thestorides.

Statius 1. *Achil.*

O nimium Phœbi, tripodumq; oblite tuorum
Thestoride. —— ——

Thestorus, urbs Thraciæ. Steph.

Thestylis, mulier quædam rustica apud Theocritum & Virgil. *in Pharmaceut.*

Theta, olim capitali sententiæ præfigi solitum est. Isidor. *lib.*1. *cap.* 20. & 23. Pseudo-Cornutus *ad vers.*3. *Sat.*4. *A. Persii*, *Judices inquit*, *literam* Theta *apponunt ad nomina eorum, quos supplicio afficiunt, meritò*, Θῆτα ἀπὸ τῦ θανάτυ, *quod quasi habet telum suum, ideoq; quasi triste intelligitur, vel mortis signum: Unde quidem ait,*

O meritò ante alias infelix litera Theta.

D. Auson. *Epigr.* 120.

Miselle Doctor, si tibi sit obscœna,
Tuumq; nomen Theta *sectilis signet.*

A. Persius *loco citato*:

Et potis es nigrum vitiis præfigere Theta.

Sidonius Apollinar. *Carm* 9.

Isti qui volet exarationi
Destrictum bonus applicare Theta.

Contrario ritu Hebræis salutiferam fuisse *Thau*, ex S. literis patet, V. *Ezech. cap.*9. & *cap.*59. Hieron. *ibidem*, &c.

Thetis,

Thetis, Nerei & Doridis fil. uxor Oceani, Nympharum mater: inter quas *Thetis* junior, quam eùm Jupiter, pulchritudine ejus captus, adamaret, uxoremque ducere decrevisset, monitus est à Prometheo, ita esse in fatis, ut quicunque ex eâ nasceretur, patre major esset futurus. Quâ re audiâ, Jupiter à nuptiis ejus abstinuit. Thetidem verò postea Peleus uxorem duxit, Æaci fil. qui Achillem ex eâ suscepit. Ovid. *Met.* 11. V. Nat. Com. *l.* 8. *c.* 2. Catull.

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?

Hæc, susceptos ex Peleo filios, igni imposuit, inque iis mortale corpus exurere cupiens immortalitatem acquirere studuit. Hoc pacto, multis combustis, editum Achillem flammis injecit: quod animadvertens Peleus exclamavit; sed illa hoc ægre ferens divortium fecit. Alii ajunt, in cacabum æneum ferventis aquæ, ab ipsâ filios conjectos esse, ut exploraret an mortales essent; quosdam in ignem, ut Achillem. Staphylus, de rebus Thessaliæ, scribit Chironem Sapientiâ & rerum cœlestium peritiâ insignem cogitasse Peleum celebrem reddere, arcessivisse filiam Actoris Myrmidonis; divulgasse verò famam: quòd Peleus Thetidem, Jove collocante, ducturus esset: Diique nuptiis cum imbre & tempestate adfuturi. Hoc rumore dilato observavit tempus, quo ingentes pluviæ ventorum turbines existerent, Philomelamque Peleo elocavit. Tali ratione, fama de Thetide ductâ, invaluit. Accipitur quandoque pro mari. Virgil. *Ecl.* 4.

—— *Tentare Thetim ratibus.*

Sic *plana Thetis* pro tranquillo æquore apud Statium 5. *Theb.* Claud. 1. *de Rap. Pros.*

Hic latrat Gætula Thetis.

Theudale, Africæ Propriæ urbs. Ptol.

Theudas, Wisigothorum in Hispan. R. stabuli præfectus erat Theodorici II. à quo Amalarici filii tutor relictus, hoc occiso thronum occupavit, An. 531. Occisus à quodam amentiam simulante An 548. dicitur vetuisse, ne quisquam cædem suam ulcisceretur, utpote divinitus, ob prædictum scelus, immissam. Ei *Theusclis* seu Theodogesilus successit, Hispali anno pòst similiter necatus. Isidor. *in Chron.*

Theudas, nomen viri. Act. 3. de quo vide Euseb. *lib.* 2. *cap.* 12.

S. Theuderii, vicus Galliæ, in pago Viennensi, cum monast. Abbatiali, à Theuderio, ante annos 1100. extructo, *S. Cher.*

Theudurum, opp. olim nunc pag. Germ. infer. in duc. Juliacensi. *Tudder* Simlero. 6. leuc. à Juliaco in Occ. apud Sittardum opp.

Theveste, Anton. Ptol. *Thebessa*, urbs regni Algerii, in reg. Constantina, & limite regni Tunet. regionisque Biledulgeriaiæ, in mediterr. 180. m. p. à Carthagine, 120. à Cirta, Thenas vers. 185. Sans parva est, & à paucis habitatur.

Thevetus Andreas, Engolismensis, edidit Cosmographiam, An. 1563. Item Singularitates Franciæ Antarcticæ, de Prælio ad Druidum urbem, &c. Peregrinatione annorum 17. defunctus. Præcipuum verò ejus opus, sunt Icones virorum Illustrium, Henrico III. dedicatæ.

Theumesius, vide *Teumesius*.

Theuprosopon, Ptol. seu *Theouprosopon* aliis, *Neufrus* Brochardo, prom. Phœniciæ, vix 6. m. p. à Tripoli in Mer. Botrim versus.

Teoutoni, Vide *Teutoni*.

Theya, vel *Deins*, vel *Thisia*, fluv. Moraviæ, Zuoynam præterfluit, & limitem Moraviæ Austriæque statuit. Metel.

Thia, Ins. maris Ægæi, circa Hieram, recèns enata, Plin. Fortè *Dia* Strab. & Ptolem. V. ibi.

Thiagola, palus Mysiæ infer. ad ostia Istri. Ptol. *Roxene*, vel *Rosene* Ortelio.

Thibetum, vulgò *Tibet* & *Thobbat*, regnum Tartariæ, cum urbe prim. cognom. Extenditur ab Ortu in Occ. inter Tartariam magnam, ad Bor. & Indiam propr. ad Mer. atq; inter regnum Tangutum ad Ort. & Mawaralhakariam ad Occ. Erat ibi aliàs pars Scythiæ extra Imaum.

Thibron, Lacedæmonius, ut ex cruento ingenio conjicere licet & vafro, etsi cætera originis testimonia deessent. Hic in Asiâ castellum oppugnans, præfectum præsidii induxit, ut ad ieendum fœdus prodiret, juramento interposito, si non inter se convenirent, se ipsum in castellum esse remissurum. Qui progressus in colloquium venit. Custodibus autem spe pacis segnius agentibus, opportunè Thibronii irruptionem facientes vi munitionem capiunt. Thibron verò præsidio præfectum reductum in castellum, sicut juraverat, intus eum interfici jubet.

Thibrus, nomen urbis apud Lycophronem. Steph.

Thichis, Hisp. Tar. fluv. ad Rhodam urb. Pompon. *Ter* Varrerio. Quibusd. fluv. Cataloniæ, Baudr. qui ex Pyrenæis ortus, in Mer. labitur, versus Ausam; dein in Ortum tendens, Gerundam rigat, & in mare Medit. se exonerat, 15. m. p. à Rhoda in Met. Sed hic fluv. ab aliis *Sambroca* dicitur. Sansone & Brietio testibus. Alius ejusdem nominis est in Gall. Narbon. Idem Pomp. *le Tech*, in Comit. Ruscinon. Oritur ex Pyrenæis montibus, in limite Ceretaniæ, Ceretumque rigat, & paulo infra Helenam mari Mediterr. miscetur, 12. m. p. ab ostio Thelis in Mer.

Thicon, nomen pagi. Ezech. 47. juxta terminum Auranitidis in tr. Nephth.

Thiela, seu *Tila*, vulgò *Tilo*, vel *Tiel*, oppidul. Betuviæ, tractus Geldriæ infer. ad Vahalim. V. *Tiela*.

Thiemo, fil. Theodorici Saxoniæ Ducis, Henrici IV. Imp. copiarum Dux, materno jure An. Ch. 1075. ab eo Marchio Misniæ designatus est, sed cùm Bohemi eam tenerent, non obtinuit administrationem ipse, filius tamen Conradus, hodiernorum Saxoniæ Principum conditor, eam nactus est, An. Ch. 1126. ab Imp. Lothario. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Thierrium, vulgò *Thiers*, opp. Alverniæ infer. juxta amnem *Durol*, in limite Forisiensis prov. 6. leuc. à Claromonte in Ort. Lugdunum versus.

Thietmarsia, reg. Daniæ & Holsatiæ ad Occidentem proxima, de quâ vide Alb. Krantzium *in Saxonia*. V. *Dietmarsia*.

Thilia, vel *Thila*, Gallis *Ti*, accolis *Dile*, fluv. Brabantiæ, qui Lovanium alluens, Demera recipitur, sicque in Scaldim exit, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Thilon, fil. Simon. 1. Par. 4.

Thimbron, Lacedæmonius, ab Ephoris, contra Persarum Regem, Dux belli electus. Qui cùm minus dextrè ac feliciter rem gerere videretur, domum revocatus, eique *Dercyllidas* subrogatus est. Olymp. 95. an. 2. Sed Olymp. 97. an. 3. iterum contra Strutham Persæ ducem missus, ab eodem in prœlio, prope Jonda & Coresson occisus est. Diod. 14.

Thimbron, amicus Harpali, ejus ad Tænarum Laconicæ interfector. Diod. *lib.* 17. & 18. Cum magnis cladibus Cyrenenses afflictavisset, à prætore Ptolemæi Ophella superatus & vivus captus est. Ibidem.

Thina, Sinarum metropolis. Ptol. *Tenduc*, ut videtur Mercatori. Baudrando etiam *Thina*, & *Sina*, urbs fuit, ubi nunc Nanquinum, urbs ampla versus Oceanum Eoum & Sinum Nanquinensem, quæ aliàs Imperii Sin. sedes fuit.

Thinge, urbs Libyæ. Steph.

Thinias Ptol. *Capo Tynias* Moletio, prom. Thraciæ ad mare Eux. inter Bosporum Thrac. ad Mer. & Apolloniam urb. ad Ort. cum opp. cognom. quod vulgò *Sagora*.

Thinissa, Zeugitanæ provinciæ urbs, Ptol. Hodie *Tunis*.

Thinium, opp. Delphinatus, in Rhodani ripa. Metel.

Thinus, fl. Angliæ in orâ Orientali per Northumbriam fluens. *Tina* Ptolemæo. Vulgò *Tine*, apud Boderium cum portu *Tinmouth* vulgariter nuncupato. Baudrando fluv. Angliæ Bor. *Thyn* incolis. Oritur in ipso limite Scotiæ; dein per Northumbriam fluens, rigato Novocastro, 5. mill. Angl. infra ad castrum *Tynmouth*, in Ocean. Germ. se exonerat, 12. mill. à Dunelmo in Bor.

Thiodamas, vide *Theodamas*.

Thiras, filus Japheth. Gen. 10. V. Bochartum *Phaleg. lib.* 3. *c.* 2.

Thiria, fil. Jaleleel. 1. Par. 4. Lat. *explicatio*, vel *contemplatio*.

Thiersteinium castrum, V. *Tiersteinium*.

This, urbs Ægypti prope Abydum. Civis *Thinites*. Steph.

Thisbe, puella Babylonica, V. *Pyramus*.

Thisbe, quæ & *Ogygia*, & *Hyantis* dicta est, *Janizi* nunc, teste Nigro, op. Bœotiæ mediter. sub Helicone mont. ubi ingens columbarum copia, Homerus,

Κρεῦσάς τ' Εὔτρησίν τε πολυτρήρωνά τε Θίσβην.

Eutresis autem erat pagus Thespius proximus.

Thisias, Siculus, antiquissimus artium scriptor. Quintilianus *lib.* 3. *cap.* 8.

Thisica, urbs Africæ propriæ. Ptol.

Thison, urbs Arcadiæ. Steph.

Thissanissa, Cariæ portus. Mela.

Thisse, seu *a*, opp. Siciliæ medit. excisum, apud Nebrodidem montem, Fazello; inter Petram opp. & Amestratam Urb. *Aliis Tussa* vel *Tosa*, castr. apud Tussam arcem, 2. m. p. distans, Pittiam versus 4. à Cephaledio Urbe 18.

Thiya, comites & ministri Liberi Patris.

Thmuis, urbs Ægypti, Steph. olim Episc. sub Patr. Alexandrino: ubi Pan colebatur, apud Mendesium ostium, 66. m. p. à Pelusio. Thmuitæ hircum colebant; sicut Mendesii capram & Suitæ ovem.

Thnocia, vel potius *Thocnia*, Arcadiæ urbs. Pausan.

Thoa, vel *Thoe*, Nympha marina, Tethyos & Oceani filia, à *natandi celeritate* dicta. Hesiod. *in Theog.*

Thoana, Arab. Petr. op. Ptol.

Thoanes, pop. supra Colchidem, finitimi Phthirophagis. Strab.

Thoantium, litus Rhodi ins. Strab. Prom. & urbs Carpathi insulæ. Ptol. à Thoante conditore sic dicta. Cujus meminit Statius *lib.* 5. *Thebaidos*, & Ovid. *lib.* 3. *de Ponto*.

Thoar, Meningis ins. op. Plin. V. *Girba*.

Thoaris, Cappadociæ fluv. Arrianus.

Thoas, *antis*, Tauricæ reg. rex, ad quem delata est Iphigenia Agamemnonis filia, & ab eo Tauricæ sacris præfecta. Eum postea occidit Orestes, à sorore adjutus, cùm illum quoque Thoas Dianæ aræ destinasset. Ovid. *Pont.* 3. 2.

Regna Thoas habuit Mæotide clarus in orâ,

Nec fuit Euxinis notior alter aquis.

Hinc *Thoanteus*. Val. Flaccus *lib.* 8.

Illa Thoantea transit deflexa Diana,

Item Lemni rex, Liberi patris fil. ex Ariadne Minois filiâ, pater Hypsipyles, solus filiæ pietate servatus, cùm cæteræ omnes Lemniæ mulieres viros suos & parentes trucidarent. Ovid. *Met.* 7.

Thoas, Acarnaniæ fluv. Vide *Achelous*.

Thochen, civitas, 1. Par. 4.

Thocnia, vide *Thnocia*.

Thoë, una Amazonum præcipuarum, à Gelandro in prælio Colchico graviter sauciata. Val. Flacc. 6. 376.

Thogara, urbs Sericæ, mel. *Thagura*, nunc teste Sansone *Tangut*, seu *Campion*, regni Tangutii primaria.

Thogarma, filius Gomer, Gen. 10. Vide Boch. *Phaleg.* 3. 11.

Thohu, filius Eliu, 1. Par. 1. Filius Suph, 1. Par. 6.

Thola, filius Issachar, Gen. 46. Filius Phua, dux in Israël, Jud. 10. Judicavit autem pop. An. 23. post Abimelech, ab An. M. 2804. usq; ad 2856. Ei Jair successit. Torn. & Salian. *in Annal. V. Test.*

Tholad, civitas in tribu Simeon, 1. Par. 4.

Tholmai, filius Enac, Jos. 15. Rex Gesur, 2. Reg. 3.

Tholobis, Hispan. Tarrac. fluv. & opp. Mela. Nunc *Tamarit*, oppidul. Cataloniæ, 5. m. p. à Tarracone in Ort. ad ostia fluv. *Caya*.

Tholosa, urbs inclyta Galliæ, caput Aquitaniæ provinc. Archiepiscop. Academiæ & Parlamenti sedes. Hic Exuperium Episcop. *calice vitreo & viminco canistro, S. cœnam administrasse*, refert Hieronym. *ad Rusticum epist.* 13. *lib.* 2. Expugnata est à Chlodovæo Rege, An. Chr. 508. Postea Comes ejus Raimundus Albigensium, contra quos 12. ann. Dominicus Calarogensis in urbe prædicasse & certasse fertur, defensor fuit, Ann. Chr. 1210. periitque in ejus obsidione Simon Montfortius, lapide ictus, An. Chr. 1218. Prope hanc Gasto Dux Aurelian. frater Ludovici XIII. ope Hugonotarum, ut vocant, An. Chr. 1632. victus est, Henrico Montmorantio exercitus Duce capto, qui paulo pòst Tholosæ capite rebellionem luit. Vide *Tolosa*.

Tholubana, Indiæ intra Gangem urbs, Ptolem.

S. Thomæ Ins. vide *Insula S. Thomæ*.

Thomaites, triclinii genus, Curopalates *lib. de offic. aulæ Constantinopol.* quod cum quibusdam D. Chrysostomi in S. Script. Commentariis conflagravit, tempore Irenis.

Thomanii, pop. Asiæ, Herod. quorum opp. *Tomanis* videtur, in Armenia maj. quà Trapezunte Tauresium itur, inter Arzirim ad Occ. & Artaxata ad Ort.

Thomas, unus ex Christi Apostolis, cùm Domini sui resurrectionem credere nollet, ab illo convictus est, argumento irrefragabili: Unde incredulitatem ejus plus profuisse nobis, quàm reliquorum Apostolorum fidem, ait Chrysost. *homil.* 2. *in Matth.* Dealbavit Æthiopes, verba hujus; iisque Evangelium annuntiavit, ut & Parthis, Persis, Medis, Indis, & Taprobanæ incolis. Lanceæ ictu, prope urbem Meliapur, hodie urbem S. Thomæ dictam, confossus, martyrium subiit. In regnis Narsinga, Cranganor, & vicinis regionibus hæc constans traditio est, & Christiani S. Thomæ dicti, qui ibi reperiuntur, varia de hoc Apostolo narrant, ex Annalibus suis desumpta, & à Malabarum infantibus decantari solita. Joh. 11. Euseb. *Hist.* *lib.* 3. Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 46. Maffæus *Hist. Ind.* Petr. de Valle, *Itiner. tom.* 4. Lat. *Gemellus*.

Thomas, Tyrannus Orientis, ex gregario milite. Hunc Leo Armenius Imper. Legionum suarum fortissimæ præfecit: cui cùm Michaël Balbus succederet, Thomas contra ipsum insurgens, totâ Asiâ potitus est, sub ultionis prætextu, throno inhians. Interim audiens, Saracenos rebellasse, illos brevi devictos sibi junxit, & Antiochiæ purpuram sumpsit: Classe quoque Imperatoris in suam potestatem redactâ, Constantinopolim obsedit. Sed bis mari, ter terrâ superatus, Adrianopolim confugit, à civibus Michaëli deditus, An. 823. à quo exquisitissimis cruciatibus, unà cum Anastasio, quem è Monasterio extractum Cæsarem creaverat, enecatus est. Alii tamen affirmant, eum Senatoris cujusdam uxore corruptâ ad Saracenos se recepisse, fide abnegatâ, dein Constantinum Irenes filium se mentitum Armeniam, sub Leone Armenio, occupasse. Cedrenus, Zonar. Baron. *in Annal.*

Comites Sabaudiæ.

Thomas I. fil. Humberti III. Comes Sabaudiæ, patri successit, A. 1188. Generosus & prudens, Obiit An. 1233. Pater *Thomæ II.* Avus *Thomæ III.* Com. Mauriennæ & Pedemontii. Guich. *Hist. Sabaud.*

Patriarchæ Constantinopol. &c.

Thomas I. Patriarch. Constantinop. post Cyriacum, Ann. 606. Obiit An. 608.

Thomas II. Monothelita, Ann. 656. Obiit An. 658. Item Patr. Antiochenus, sec. 9. Item Patr. Hierosolymitanus, sec. 13.

Thomas Maurocenus, Venetus, primus Latinorum Patr. Constantinopol. post urbem captam.

Thomas, Cardinalis Strigoniensis, indulgentiis liberaliter propositis, omnem plebem in Hungaria, ad pacem cum Turcis rumpendam, concitavit, An. Chr. 1514. Paul. Jovius *Hist. lib.* 13.

Thomas, Episcopus Apameensis, Cosroëm urbi dira omnia minantem, scito responsio, placavit, circa An. Chr. 544.

Thomas, Diaconus, in cujus femoralia ludens ad Alachis, qui Cuniberrum Italiæ regno spoliaverat, odium sibi concitavit, An. Chr. 691. P. Diaconus *Longob. lib.* 5. *cap.* 40. 41. *& lib.* 6.

Thomas Aquinas, seu de *Aquino*, Neapolitanus, ex Aquino in Aprutio, genere illustri, natus quippe è Comitum Aquinatum prosapia, Volaterr. Dominicanus, Coloniæ Parisiisque literis incubuit, hicque Doctor creatus Theologiam diu docuit. Dictus *Doctor Angelicus, & Theologorum aquila*, Obiit An. 1274 æt. 50. A Johanne XXIII. canonizatus, An. 1323. Opera ejus, quà Theologica, quà Philosophica 18. Volum. plurimis in locis edita sunt. Vide Morer. *Dict. Hist.* De eo Sixt. Sen. *Theologorum fuit ac Philosophorum omnium, quos in hunc usq; diem Scholasticorum Academia protulit, sine ulla controversia Princeps: quippe qui primus omnium Latinorum Philosophorum, non minùs incredibili, quàm felici ausu omnem Aristotelis Philosophiam commentariis lucidissimis illustravit.* Idem, *Ita mentem D. Augustini introspexit & exhausit, ut juxta Pythagoræ μετεμψύχωσιν, communi omnium doctissimorum adagio jactatum sit, Augustini animam migrasse in Thomam.* Volat. l. 2. *Anthrop.* *Sumpturus ad extremum Eucharistiam, Dominum Jesum flendo rogavit, ut ea quæ de ipsius mysteriis scripsisset, si minùs rectè fuissent, veniâ tribueret.*

Thomas Argentina, Augustinianus Monachus, Ordinis sui Prior generalis, Parisiis creatus, An. 1345. Obiit Viennæ Austriæ, A. 1357. Scripsit varia, Idem. Item alius Dominicanus, Auctor homiliarum, Epistolarum, Quæstionum, &c. An. 1495. Trithem. Simler.

Thomas Basinus, Episc. Lexoviensis, sec. 15. Ludovico XI. parum gratus, varias scripsit apologias. Obiit A. 1486. Gaguin. *in Lud XI.*

Thomas Bungaus, Franciscanus, docuit Theologiam Oxoniæ. Necromantiæ ab imperitis accusatus, quòd Rogerii Baconis familiaris, Mathematum non rudis esset, imprimis autem, quòd de Magia naturali tractatum edidisset: Ordinis sui Provincialis creatus est. Scripsit insuper Commentar. in Mag. Sent. & librum de Quæstionibus Theologicis. Pitseus *de illustr. Angl. Script.*

Thomas Campegius, Episcop. Velitr. Scripsit de Cœlibatu Sacerdotum, de Papis, &c.

Thomas Cantimpratus, Brabantus, discip. Alberti M. Thomæ Aquinatis commilito. Theologiam Lovanii docuit. Scripsit *Bonum universale de Apibus, &c.* Obiit An. 1263. Voss. Morer. *Dict. Hist.*

Thomas Cantuariensis, cogn. Becquetus, Londinensis Cancellarius primò Henrici II. dein Arch. Cantuariensis: cùm Regi, jura regni antiqua restauraturo, obniteretur, jussu ejus occisus est, A. 1170. inter Martyres relatus ab Alexand. III. Math. Parit. *in Henr. II.*

Thomas Cartvvrigthus, Anglus, Herfordiensis, Theologus non è multis, D. Margaretæ S. T. Pr. in Acad. Cantabrigiensi. Ejus extant: *Commentarii succincti in Proverbia, Metaphrasis in Ecclesiastem, Commentaria practica in Evangelia, Harmonia Evangelica, in ad Colossenses, contra Nov. T. Rhemense, &c.* omnia ferme Anglice. Obiit An. Chr. 1603. Varvici sepultus.

Thomas Cramerus, Præsul Cantuariensis, purioris Religionis insignis hyperaspistes, sub Eduardo VI. sæviente postmodum in fideles Mariâ, exustus Londini, martyrium subiit, An. 1556. æt. 68. Balæus, Beza *in Iconibus.*

Thomas Dempsterus à Muresk JC. Auctor *Hist. Eccl. Scot.* Scotus. Idem *Antiquitatum Roman.* absolutissimum edidit corpus, in quo, præter ea, quæ Johannes Rosinus delineaverat, infinita supplentur, adduntur: ex Criticis & omnibus utriusque linguæ auctoribus collectum, Poëtis, Oratoribus, Historicis, Jurisconsultis, qui ibi laudantur, explicantur & corriguntur; quart. Genevæ prodiit, 1658.

Thomas Eliotus, nobilis Anglus, Thomæ Mori familiaris, Obiit An. 1546. Scripsit *Flores sapientiæ, de rebus Angliæ memorabilibus, Bibliotheca Dictionaria, &c.* Balæus & Pits. *de Ill. Angl. Script.*

Thomas Fazellus, Dominicanus, auctor Historiæ Siculæ, divisæ in 2. Dec. ad Carolum V. Imperat.

Thomas Fienus, Medicus Antverpianus, scriptis inclytus.

Thomas Fullerus, Anglus, *Alvvinckle* in Northantonia editus, 5. mill. ab Oundle, Præbend. Sarisburiensis, S. T. D. Carolo II. à sacris. Ejus extant: *Commentarii in Ruth, & in Matthæi cap. 4. vers. 11. pr.* Anglicè. Plurima præterea scripsit tam Theologica quàm Historica. Obiit An. Ch. 1662.

Thomas Gatakerus, Anglus, Londini natus in vico S. Edmundi, ex familia Gatakerorum de Gataker, in agro Salopiensi, Theologus egregius. Ejus extant: *Cinnus sive Adversaria Miscellanea, in quibus Sacra Scriptura primùm, deinde aliorum Scriptorum locis lux redditur*, Angl. Item, *de N. Test. stylo dissertatio.* Satur vitæ, tanquam conviva recessit An. Chr. 1654. æt. 80. Barkedalli.

Thomas Gratianus, Provincialis Augustinianorum in Belgio. Scripsit, *Anastasis Augustiniana.*

Thomas à Kempis, Canonicus Reg. Ord. S. Aug. in diœcesi Coloniensi, floruit sec. 15. Opera ejus 3. Volum. prodierunt, Duaci, Antverpiæ, &c. Inter quæ præcipuum est, de Imitatione Christi: Reliqua sunt, Soliloquia Animæ, Hortulus rosarum, Vallis liliorum. Obiit An. Ch. 1471. ætat. 91. Libellus ejus de Imitatione Christi, quem quidam Johanni Gersoni, alii Abbati Gesseno Benedictino, adscribunt, in varias linguas translatus, in Bibliotheca Regis Marocci Turcicè extat. Job. Badius *in ejus vita.* Valer. Andr. *Bibl. Belg. &c.*

Thomas Langfordus, Dominicanus Anglus. Scripsit *Chronicon Universale. Commentaria in Job. &c.*

Thomas Linacer, Anglus, eruditione insigni præditus, Florentiæ Demetrium & Politianum; Romæ Hermolaum Barbarum audiit, manuscriptis in Bibl. Vatic. magnâ diligentiâ evolutis. In patriam redux Arturi, qui Henrici VII. primogenitus fuerat, educationi admo-

admotus, dein Medicus Henrici VII. & Henrici VIII. fuit. Scripsit varia, plurimos inprimis Galeni libros latine vertit. Obiit An. 1524. Paul. Jov. *in Elog. cap.* 63. Pitseus, *de illustr. Angliæ Script.* Erasmus, Budæus, Vander Linden, &c.

Thomas Mortonus, Anglus, Episcopus Dunelmensis. Item alius, cujus extat *Comm. in prior. ad Corinthios*, Lat. 8. Londini An. Chr. 1596. *Acutus sanè accuratusq; Scripturæ sacræ interpres*, Gatakero *in Cinno*.

Thomas Morus, Londinensis, filius Johannis, Cancellarius Angliæ, primus Minister Justitiæ, sub Henrico VIII. Oxonii Thomæ Linacri auditor fuit, tantumque in liberalibus studiis profecit, ut eruditione & plurimarum lingg. notitiâ multos sui seculi longo post se intervallo relinqueret. Ab Henrico hoc crebris legationibus adhibitus, Cameracensi pacificationi, inter Franciscum I. & Carolum V. Imper. interfuit, reversusque Magni Cancellarii axioma impetravit: Sed quòd Regis divortium approbare nollet, menses 14. in carcere detentus, postmodum, cùm constanter in proposito perseveraret, capite plexus est, An. 1535. ætat. 62. Scripsit Utopiam libb. 2. Historiam Richardi IV. &c. Voss. Lilius Giraldus, Erasmus, Scævola Sammart. &c.

Thomas Platerus, vide *Platerus*.

Thomas Stapletonus, Anglus, è prov. Sussexia, opp. *Henfield*, genere nobili, Theologiam Duaci & Lovanii docuit. Obiit An. 1598. Scripsit *Antidota in 4. Evangelia*: Item *in Acta ad Rom. in utramq; ad Corinthios*, *de tribus Thomis*, *Promptuarium Catholicum Concionum*, *de principiis Fidei*, *Manuale peccatorum*, & varia adversus Guil. Witakerum, &c. Ejus opera prodierunt 4. tom. fol. Parisiis & alibi. De illo Aub. Miræus *in Elog. illustr. Theol.* *Paucos ætas nostra Theologos tulit, in linguarum trium eruditarum cognitione, in Historia tum sacra tum profana notitia, in eloquentia deniq; præstantia cum illo Stapletono conferendos.* Montacutius *Origin. Eccles.* *Stapletonus noster Ouvigensis, inter Theologos tam illustris, ut vel Bellarmino palmam præripere possit.* Idem *Exercit.* *Iracundus ille senex Stapletonus nostras.* Pitseus, *de illustr. Angl. Script.* Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Thomas Villanovanus, Archiep. Valentinus in Hispania, Carolo V. & Isabellæ Lusitanicæ, à concionibus: omnia pauperibus distribuit, moriturus, An. 1555. ætat. 67. Ab Alexandro VII. haud pridem Catalago SS. insertus est. Scripsit Homilias.

Thomas de Vio, dictus *Cajetanus*, à Cajeta urbe Neapolit. regni. Generalis Dominicanorum per An. 10. suæ Cajetæ Episcop. inter suos æstimatus, renascenti in Germania Evangelio, nequicquam se opposuit. Scripsit de potestate Papæ, opera Philosophica & Theologica varia, Commentariosque in omnes Scripturæ libros, exceptis Cantico Cantic. Prophetis Min. & Apocalypsi, quam de industria attingere noluit, Possev. tom. 1. fol. Lugdun. 1639 Obiit An. 1534. ætat. 65. Morerius *Diction* De eo Chamierus: *Cardinalis Cajetanus omnes Epist. Nov. Test. & Actorum librum recensuit ad veritatem Græcam, & Annotationibus illustravit, infra spatium circiter 10. mensium.* Bellarminus: *Vir fuit summi ingenii nec minoris pietatis.* Sixtus Sen. *Subtilissimus Dialecticus, admirabilis Philosophus, Theologus incomparabilis, & inter eruditissimos sui seculi longè eruditissimus* Iterum Chamierus, *Vir meo judicio candidus, plurimumq; distans ab ea pertinacia, quam in reliquis deplorare cogimur.*

Thomas Waldensis, Anglus, Carmelitarum provincialis: ab Henrico IV. V. & VI. magnis negotiis adhibitus, interfuit Concilio Constantiensi, ubi contra Hussitas & Wiclefi discipulos parum felici successu disputavit. Scripsit *Doctrinale Antiquitatum Fidei Ecclesiæ Catholicæ*. Item in multos Scripturæ libros, fol. Venetiis An. 1571. &c. Obiit An. 1430. Idem

Thomas Walsinghamus, Benedictinus Anglus, floruit An. 1440. Scripsit Historiam majorem, seu Hypodigma Neustriæ, &c. Pits. *de illustr. Angl. Script.* Balæus, Vossius, &c.

Thomellus, Flander, Monachus S Amandi, floruit Ann. 1080. Scripsit vitam Balduini Pii, Comitis Flandriæ & Chronicon monasterii sui. Voss. *de Hist. Lat.* Mejer. *lib.* 3. *rer. Flandr.*

Thomum, Ægypti urbs, circa Chenoboscium, Anton.

Thomyris, Scytharum regina, quæ irata, quòd Cyrus rex Persarum Sargapiscem filium bello captum ad mortem impulisset, non prius finem fecit furori, quàm mortuum ulta esset. Contractis itaque copiis ita conflixit, ut maximam inimicorum partem, cum ipso etiamnum rege occiderit. Nec tamen hoc eventu propterea emollita est animi rabies: mortui enim caput in utrem humano cruore plenum demisit, his verbis insultans: *Filii mei sanguinem hausisti, & meum sitivisti, Cyre, At ego te cruore saturabo.* Herodot. *lib.* 1.

Thon, primus apud Ægyptios medicinam in artem redegit, Homer. *Od.* 4 Alter, teste Hellanico, rex Canopi, ad quem cum Menelaus Trojâ cum Helenâ discedens, tempestate maris deduceretur, fuit primùm ab illo, antequam Helenam conspiceret, gratè susceptus. Sed ut illam conspexit, vim Menelao inferre conatus, ab illo interfectus est.

Thon, Africæ Propriæ urbs, Appian.

Thonia, urbs & caput Gabaonitarum, à Gazâ mille quingentos triginta septem passus distans.

Thonis, urbs Ægypti ad ostium Canopicum, ubi lacus *Thonites*.

Thonites, Armen. maj. lacus in confin. Mesopot. piscosus est, & vestes polit, Eust. Dionysius *vers.* 987.

Ἔστι δέ τις καὶ μέσσα περίτροχος ὕδασι λίμνης
Οὔνομα Θωνῖτις, ἣν ἕλκεται ἐς μυχὰ Τίγρις
Δινῶν πολλὸν ὕπερθε· πάλιν δ' ἐξαῦτις ἀναχὼν
Ὀξύτερον πελάγει κάτω ῥόον.

Thonitis dicitur Straboni *lib.* 16. Διαρρεῖ δ' ὁ Τίγρις τὴν Θωνῖτιν καλουμένην λίμνην. *Thospites* est Plinio, ubi de Tigri: *Fertur autem & cursu & colore dissimilis, transvectusq; occurrente Tauro monte in specu mergitur: subterq; lapsus, à latere altero ejus erumpit. Locus vocatur Zoroanda. Eundem esse manifestum est quòd demersa perfert. Alterum deinde transit lacum, qui Thospites appellatur, rursusq; in cuniculos mergitur, & post* 25. *m. p. circa Nymphæum redditur.*

Thonitis, lacus Ægypti & amnis, apud Canopum, cum Thoni urbe, Strab.

Thonius, unus ex Centauris, Ixionis & Nubis filius.

Thonos Concoleros, Sardanapali cognomen. Jornandes de regnorum successionibus: *Thonos Concoleros, quem Græci Sardanapalum nominant.* Neque aliter Euseb. *in Chron.* (& ex eo B. Hieronymus) Σαρδανάπαλος, ὅστις καὶ Θῶνος Κονκόλερος ἐπονομάζεται. Apud Suidam tamen non *Thonos*, sed Conus Concolerus vocatur. Ejus hæc verba sunt: Κονοσκογκόλερος ὁ Ἑλλήνων ἐπονομαζόμενος Σαρδανάπαλος.

Thoon, vir Trojanus ab Ulysse interemptus. Ovid. *Met.* 13.

Exitioq; dedi cum Chersidamante Thoona.

Thoosa, Phorci filia, ex qua Neptunus Polyphemum suscepit. Homer. Alii, inter quos Servius, dicunt, Neptunum Thoosæ commistum, genuisse Phorcum.

Thootes, unus ex præconibus Græcorum, Hom. *Iliad.* 12.

Thor, magus apud Saxonem Grammaticum, qui ludificatis idiotarum mentibus divinitatis fastigium sibi arrogabat.

Thor, vel *Thour*, emporium & portus nominatissimus maris rubri, ubi applicant omnes naves, onustæ mercibus aromaticis ex India: sunt autem non clavis ferreis, sed ligneis tenaculis conjunctæ, propter scopulos magnetis, quos transire debent ne ab iis attrahantur & collidantur, atque hinc Alexandriam, inde Venetias aut aliò transferuntur.

Thora, Campaniæ opp. Florus 3. 20. Cujus vestigia ad Thoranum fluv. in Aprutio, & limite Sabinorum, è regione Castri veteris & Antimi. paulo supra castrum *Colle piccolo*, ubi S. Anatoliæ celebre templum, in quo columnarum & inscriptionum vestigia visuntur, & ager ad flumen usque longè lateq; oppletus cernitur. Est autem Thorax 7. m. p. à Trebula Mutusca, 13. à Reate. L. Holstenius.

Thora, vicus in tribu Antiochide, Steph.

Thorates, Apollo sic dictus. Hesychius: Θοράτης, Ἀπόλλων παρὰ Λάκωσι.

Thorax, mons juxta urb. Magnesiæ, in quem Thimbron urbem Magnesiæ transtulit, ne, se recedente, Tissapherni ac Persis ad direptionem foret exposita. Hic dicunt crucifixum fuisse Daphitam Grammaticum, propterea quòd reges versibus incesseret. Unde proverbium: *Cave à Thorace.* Stephano urbs est Ætoliæ, & alia Magnesiæ.

Thoricus, vicus Ægypti prope Canopum juxta Alexandriam. Stephanus.

Thoricus, vicus in tribu Acamantide, ubi Smaragdus lapis reperitur. Hecatæus urbem esse tradit.

Thorismundus, Wisigothorum R. in Hispania, primogenitus Theodorici, in prælio contra Attilam occisi, Aon. 451. in eodem vulneratus, patri successit: quòd Ætius sibi in secundo contra Attilam bello suppetias non tulisset, iratus, ægre *Orbiculo aureo* 500. *librarum, gemmis ornato*, placari se passus est, anno pòst à fratribus, Theodorico & Friderico occisus. Idacius *in Chron.*

Sp. Thorius, Trib. Pl. legem tulit, *Ne quis vectigal ullum agrorum, quos possideret, solveret*, cavitque de pastione pecoris, Cicer. *in Bruto.* Duo hujus legis fragmenta ex æneis tabulis exscripta, ac suppleta. habet Sigonius *lib.* 2. *de antiquo jure Italiæ, cap.* 2.

Thornax, mons Laconiæ. Stephan. Hesychius: Θόρναξ, ὄρος Ἀπόλλωνος ἐν τῇ Λακωνικῇ, ἀπὸ Θόρνακος, Θόρναξ γὰρ Ἀπόλλων. Meminit ejus quoque Herod. *Musâ* 1.

Thoronum, vulgò *Thoron*, amplum & nobile castrum est, in tribu Aser, naturali situ & artificio munitissimum, quod in montanis tribus Aser, quæ Tyro ab Oriente adjacent, situm versus Boream, à Castro montis fortis quatuor, contra Africum, à civitate Aser totidem, versus Eurum verò, à Tyro septem milliarib. distat: ædificatum autem est Ann. nati Salvat. 1107.

Thoronus, insula prope Corcyram, inter Hydruntum 60. & Corcyram 40. m. p. *Phanu* Nigro.

Thorsus, Sardiniæ fluv. Pausan. Ptolemæo *Thyrsus*, vide ibi.

Thorunuba, urbs Africæ propr. Ptolem.

Thorunium, urbs Borussiæ ad Vistulæ ripam, condita à Crucigeris An. Chr. 1234. cujus muros spectans Vladislaus Jagello Polon. Rex, à muliercula sordibus perfusus ei tamen pepercit An. C. 1405. Hic Synodo generali habitâ Proceres Poloni, An. Chr. 1595. querimonias libello supplice comprehenderunt, Regi offerendas: Syncretismum quoque inter confessiones Augustanam, Bohemicam & Helveticam renovarunt. Unde exacerbati adversarii, mox sequenti anno res in Borussia pacatas turbarunt: Thoruniiq; in Fanum Johannis Jesuitæ se insinuaverunt, sed mox à Magistratu

Scholâ

schola & templo cedere jussi, quod ex veteri pacto penes Plebanum, jus Patronatus penes Senatum, cesserunt, mox tamen ad intercessionem Regis rursus certis sub conditionibus admissi, Ann. Chr. 1598. Infeliciter postea urbs tentata est, à Gustavo Adolpho Sueciæ R. An. Chr. 1628. Vide *Torunum*.

Thorycion, Atheniensis, qui, conspiratione cum Peloponnesiis inita, clam eis ex Æginâ suppeditavit lora, linum, & picem. Ut proditorem, traducit Semichorium in Aristoph. *Ranis, Act.* 1. *Sc.* 7.

Thorycium, urbs Italiæ versus Crotonem & Crimissam. Isac. *in Lycophr.*

Thospia, Ptol. *Tolgic* Moletio, urbs Armeniæ maj. ad Thospitem lacum & Tigridem fluv.

Thospites, Armen. maj. regio & urbs, Ptolem. Vide *Thonites*. Item lacus ingens Armeniæ, in Mesopotamiç confinio, quem Tigris efficit, *Gabaen* hodie Castaldo. Ejus meminit Ptolom.

Thou, Ægypti oppid. inter Pelusium & Memphim. Anton. *Tobium* in lib. Notit.

Thoon, unus ex Trojanorum principibus. Homer.

Thrabunactum, Africæ propriæ urbs, Anton.

Thraca palus, apud Valer. Flacc. *lib.* 2. *vers.* 205.

Thracesium, Asiæ min. tractus ad Ægæum mare. Complectitur fere Lydos, Mæonas, Caras & Jones: uti docet Porphyrogen.

Thracia, sic à sævitiâ incolarum, teste Isidoro dicta, olim *Perca*, teste Stephan. & *Sithon*. teste A. Gellio, regio max. Europæ, mari Ægæo ad Austr. Propontide, quâ ab Asiâ separatur ad Ort. & mari Euxino definita, à Mysiâ super. & infer. ad Occid. & Bor. Hæmo monte divisa: A Macedoniâ pariter ad Occid. Nesso fluv. distterminata. Olim sub propriis Regibus, postea Macedonibus paruit: à Cajo Scribonio Curione Proconsule Romanis subdita, postmodum easdem cum Græcia vices experta, captâ à Mahomete II. Constantinopoli, Turcicum jugum subiit; postquam à Bulgaris, imperante Basilio, qui ab illis victus erat, vastata est, An. Ch. 978. Nicephorus Briennius hic imperium arripuit, à Nicephoro Botoniate mox excæcatus, An. Chr. 1078. Scythas inde pepulit Calo-Johannes Imper. An. Ch. 1118. Valachis prædæ fuit, regnante Balduino, Ann. Chr. 1206. Andronicus illâ, uti mox toto imperio avum Michaelem exuit, An. Chr. 1326. Sed & Kosaci, An. Chr. 1616. usque ad Byzantina mœnia illam depopulati sunt. Dicitur *Romania* Sophiano. In eâ Mars ubique colebatur; erant enim gens bellicosa. Unde Horatius:

—— —— *Bello furiosa Thrace.*

Et alibi:

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est.

Ut & apud Ovid. *Epist.* 2. *Armiferam Thracen* legas. Quæ proinde forsan *horrida* Catullo, & *sæva* Statio dicitur. Eidem Statio *Tumidi Threces*. Virgil. *Georg.* 3.

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant. —— ——

Porro de virtute Martiâ Thracum sunt illa Euripidis *in Hecuba*:

—— —— Θρήκης
Λαβεῖν φέρουσ', ἱππόπλους, δίσποτου, Α' ρεῖ κρίνεται ὕλε.

Et in eâdem Tragœdiâ de eâdem gente, φιλίππῳ λαῷ. Minutius in *Octavio*: *Mars Thracius*. Virgil. *Georg* 4.

—— *Rhesi Mavortia tellus.*

Huc pertinet dici ab Arnobio *lib.* 4. ex sententiâ Sophoclis Martem *in Thraciis finibus procreatum*, & ab Homer. *Odyss.* 8. Deum hunc absolutum à Vulcani vinculis abiisse in Thraciam. Datum locum credit Lud. de la Cerda huic natalitio à moribus Thracum bellicosissimis. Plin. *lib.* 4. *cap.* 11. *Thracia inter validissimas Europæ gentes*. Plutarch. *lib.* 1. *de LL.* Καρχηδόνιοι καὶ Κελτοὶ καὶ Γέται καὶ Θρᾶκες, πολεμικὰ ὄντα ζῶντα ἔθνη. Ob hanc causam fortasse Pomponius Thracibus fœcunditatem negat, & solum fertile. Verba ejus apponam; *Regio nec cœlo læta, nec solo: & nisi quâ mari proprior est, infœcunda, frigida, eorumq; quæ seruntur, malignè admodum patiens. Raro usquam pomiferam arborem, vitem frequentius tolerat: sed nec ejus quidem fructus maturat ac mitigat, nisi ubi frigora objectu frondium cultores arcuere. Viros benignius alit, non ad speciem tamen: nam & illis asper atq; indecens corporum habitus est: cæterum ad ferociam & numerum, ut multi immitesq; sint, maximè feras*. Hæc ille. Interim voces illæ *colitur*, & *arant* apud Poëtam aliud planè præ se ferunt. Hinc fertilitatem ei dat Euripides *in Hecuba*, cujus hæc sunt ex versione Erasmi:

—— —— *Threicoemisit solo*
Ad hospitam Polymestoris Thraciæ domum,
Qui Cherronesi fertilem glebam colens
Armis ferocem Martius gentem regit.

Ubi verba Græca signata sunt, ἀρίστην πλάκα. Quin & Plato *lib.* 7. *Leg.* loquens de Thraciâ, illi attribuit γεωργεῖν, βουκολεῖν, ποιμαίνειν. Ammianus dat Thraciæ *immensam camporum placiditatem*. Idem clarè *lib.* 31. loquens de Thraciâ, *cespitis*, inquit, *est feracissimi*. Iterum: *vicos uberes*. Apud Cedrenum orientales homines frumenti inopiam passi migrant in Thraciam, non facturi, nisi hæc fertilis. Vites verò quod attinet, Hippocrates *in Epp.* locum quendam Abderæ urbis (quod opp. Thraciæ est) ornatum exhibet αὐτοφύτοις ἀμπέλοις. Unde Athen. *lib.* 1. Ε'πωνυμίας δέ ἡ Θρᾴκη ἐκαλεῖτο ὡς ἐλαιόεσσα. Verum enim verò rectè Pomponius ait, infœcundam esse Thraciam, nisi quâ mari vicina est. Universum enim hujus reg. litus Græcis erat refertum coloniis; vinaque hic nascebantur generosissima, Maroneum, Biblinum, aliaque; vixque in ulla reg. major erat cultus Bacchi, quàm in litoralibus illis Thraciæ oppidis, adeo illa passim erant πολύοινα. At verò interior tractus, qui propriè Thracia erat, altior & frigidior ora illa, quam Græci inhabitabant, vel nullum omnino, vel malignum satis producebat vinum. Neque id tam regionis, quàm incolentium vitio imputandum esse videtur. Barbari enim & bellatores erant plerique Thraces, agriculturæ ignari, lacte tantùm & pecoribus viventes, aut raptu vicinorum. Vitam illorum breviter sic describit Herodotus: Α'ργὸν εἶναι κάλλιστον, γῆς δὲ ἐργάτην ἀτιμότατον, τὸ ζῆν ἀπὸ πολέμου καὶ ληιστύος, κάλλιστον. Apud Zenodotum perfidiæ notantur, unde pactis cum Bœotis induciis noctu populati sunt agros, hinc *Thracium commentum*. Poëtis *Bistonii*, *Ismarii*, *Mantini*, *Odrysii*, *Oeagrii*, *Pangæi*, *Rhodopæi* dicuntur. Fuit hæc regio, quæ hodie *Romania* dicitur, aliàs divisa in *Thraciam cis* & *trans Rhodopen*. Postea in IV. prov. Nempe in Thraciam propri ad Occid. Hæmimontum ad Bor. Rhodopen ad Merid. & Europam ad Ort. Ejus primar. Constantinopolis. Vide ibi. Etiam *Rumelia* persæpe tota regio dicitur; sub Turcis, quibus *Icella* vocatur. Terminatur à Septentr. Bulgaria, ut & ab Occid. à Merid. mari Ægæo, ab Ortu Ponto Euxino, Bosphoro Thracio, Propontide & Hellesponto. Baudrandus. Hinc *Thracius*. Ovidius *Epistol.* 1.

Thracia nocturno tangere castra dolo.

Item *Threicius*. Virgil. 3. *Æneid.*

Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi. —— ——

Cujus fœm. *Threissa*. Idem *lib.* 11.

—— *Auratâ volucrem Threissa sagittam*
Deprompsit pharetrâ. ——

Item *Thressa*. Horatius:

Me nunc Thressa Chloe regit.

Thracida, præcipua familia Delphis, quos Philomelus Phocensium dux, conatibus suis adversantes, è medio sustulit, eorumque bona publicavit. Diod. *lib.* 16.

Thracis, Phocica urbs, Pausan.

Thracium mare, pars Ægæi, quod Thraciam ad Mer. alluit.

Thracon, vicus prope Antiochiam. Incola *Thracocometes*; Stephanus.

Traustum, quæ & *Thraustum*, Acroriorum oppidum in Elide.

Thrambus, promunt. Macedoniæ, Steph.

Thramus Dusis, opp. Africæ propr. Anton.

Tarasypelus, Dynasta, in finitimis Armeniæ locis, sub Nerone.

Thraseas, vel *Thrasius*, Augur, qui in summâ siccitate Busirim Ægypti tyrannum adiens, ostendit à superis posse exorari pluviam, si Jovi hospites immolaret. Quærente deinde tyranno, quisnam & cujas esset, cùm se peregrinum profiteretur, *Tu igitur primus*, inquit, *Ægypto dabis aquam*. Itaque primus immolatus est. Ovidius *lib.* 1. *de Art. Am.*

Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus, atq; annos sicca fuisse novem;
Cùm Thrasius Busirin adit, monstratq; piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris, fies Jovis hostia primus,
Inquit: & Ægypto tu dabis hospes aquam.

Idem *in Ibin*:

Ut qui, post longum sacri monstrator iniqui,
Elicuit pluvias Victima cæsus aquas.

Thraseas Pætus, Patavio oriundus, admirator unicus Catonis, de cujus vita librum scripsit, quindecimvirali sacerdotio præditus, Philosophus Stoicus sub Nerone, maritus Ariæ, à quo cùm jussus esset mori, fletum suorum magnâ constantiâ compescuit: porrectisque alacriter ad incisionem brachiis, humumque cruore aspergens; Hunc, inquit, sanguinem libemus Jovi liberatori. Tacitus *lib.* 16. Dio *lib.* 16. Plin. *lib* 8. *epist.* 22. Martialis:

Quòd magni Thrasea, consummatiq; Catonis
Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis, &c.

Juvenalis *Satyr.* 5.

Quale coronati Thrasea Helvidiusq; bibebant
Brutorum & Cassi natalibus.

Vide *Aria*.

Thrasideus, filius & successor Theronis; Tyranni Agrigentini: victus ab Hierone, pauloque pòst à civibus suis, excusso jugo, occisus est. Diodor. Sic. *lib.* 11.

Thrasimenus lacus. Vide *Thrasymenus*, & *Trasimenus*.

Thrasimundus, Vandalerum in Africa Rex, post fratrem Gundebaldum, vel Gunthamantum, An. 496. Qui ambo, Ariani, crudeliter in fideles sævierunt: posterior inprimis, ne Episcopos sibi eligerent, inhibuit; quod cùm nihilominus facerent, illorum 226. inter quos Fulgentius, in Sardiniam relegavit. Cum Fulgentio inde revocato colloquutus, viri eruditionem & eloquium admiratus quidem est, persequi tamen Orthodoxos non destitit. Bello contra Mau-

Mauros infelix: obsessâ frustra Tripoli, quam Cabao, pietate & fortitudine inclytus, strenuè defenderat, animi mœrore extinctus est, An. 523. Procop. *lib.* 1. *de bello Vandal.* Victor &c.

Thrasippus, Athenis dedicavit tabulam, in quâ expressum, quòd chorum Ecphantidæ tibia præcederet ipse. Aristoteles *lib.* 8. *Politic. cap.* 6.

Thrasius, mercenariorum Phocensium in Sicilia Dux, seditionis contra Timoleonta auctor: secessit cum suis Syracusas; sed inde, devictis Carthaginensibus, ejectus & in Brutiis, cum omnibus suis, occisus est. Diod. *lib.* 16.

Thraso, nomen militis gloriosi apud Terentium. Item pictor sic dictus. Strab. *lib.* 14.

Thrasybulus, filius Gelonis majoris, Olympiad. 78. frater Hieronis, qui, cùm Gelonem minorem ex fratre nepotem ad voluptates pelliciendo enervasset, omnique imperio submovisset, ejusdem Gelonis alii propinqui, Syracusanos contra Thrasybulum concitarunt: qui hâc occasione arreptâ & Thrasybulum occiderunt, & tyrannidem in totum sustulerunt. Aristotel. *lib.* 5. *Polit.* 10. Aliter Diod. Sic. *lib.* 11.

Thrasybulus, Atheniensis exul, comparato exercitu 30. tyrannorum dominationem Athenis sustulit, juvante Lysandro, Lacedæmoniorum duce, exulesque reduxit. Insuper plebiscitum tulit, quod Ἀμνηστίαν vocant, quò injuriarum memoria deleretur, exulibus jurejurando adactis. Cicero *Phil.* 1. Valer. Max. *de modestia.* Rebus in Thracia præclarè gestis, plurimas urbes occupavit, Therimachumque Lacedæmoniorum Ducem acie vicit. Ipse tandem noctu interfectus est, ab Aspendiis, in Pamphylia, An. 364. U. C. Item dux Milesiorum, qui, ut portum Sicyoniorum occuparet, ex adversâ parte oppidanos tentavit: dumque sic detinerentur, cum insperatâ classe portum cepit. Frontin. *lib.* 2.

Thrasybulus, Atheniensis, in commilitio Persarum, unà cum Memnone sustinuit oppugnationem Halicarnassi. Diod *lib.* 17.

Thrasybulus, Mathematicus, Alexandro Severo Imper. quòd barbarico is gladio periturus esset, prædixit: gaudente Imperatore & dicente, optimos quosque violentâ morte consumptos, Alexandrum, Pompejum, Cæsarem, Demosthenem, Tullium. Ælian. Lampridius *in vita* ejus, Herodian. *Hist. lib.* 6. *&c.*

Thrasyllum, vel *Thrasyllus*, mons Mysiæ, Caico amni vicinus, *Theutras* postea dictus Plutarcho *lib. de Flum.*

Thrasyllus, unus ex infelicibus Ducibus, qui re ad Arginusas improsperè gestâ, à Popul. Atheniensi morte affectus est. Schol. *in Ranas Act.* 5. *Sc.* 1.

Thrasyllus, Æxoneus, quem inauditus quidam ac novus dementiæ morbus invasit. Nam Athenis relictis migrabat in Piræeum, cumque ibi habitaret, omnes naves quæcunque in eo subducerentur, suas esse putabat, & in album suum referebat. Vide Ælian. ποικιλ. 4. 25. Auctor hujus rei Heraclides Ponticus, apud Athen. *in fine lib.* 12. Sed ibi Θρασύλαος Ἀ'ξωνεὺς vocatur. Alter Atheniensis rei militaris peritissimus, qui classis præfectus Mindarum Lacedæmoniorum ducem apud Sestum Hellesponti urb. navali prælio superavit. Thucydid. *libr.* 8. Item vetus author, de quo Juvenalis Scholiast. *in Satyr.* 6. *Thrasyllus multarum artium scientiam professus, postremò se dedit Platonicæ sectæ, ac deinde Mathesi, quâ præcipuè viguit apud Tiberium, &c.* Patriâ Mendesius fuit, & inter alia de lapidibus scripsit. Plutarch. *de Flum.* Sed prætereà historiam Ægyptiacam conscripsit, eodem ibidem teste; Alius forsan est, qui de lectione librorum Democriti scripsit, de quo Laërtius & Plin.

Thrasymachus, Cumis Democratiam solvit. Aristoteles *libr.* 5. *Politic.* 5.

Thrasymachus, Carthaginensis Sophista, Isocratis discipulus, periodon, & colon primus monstravit. Vide *Suidam.*

Thrasymedes, Philomeli filius, amore filiæ Pisistrati captus, eam pompam celebrantem, accurrens osculabatur, fratribus puellæ id ægrè ferentibus & gravem injuriam interpretantibus. Pisistratus; Si, inquit, amantes pœnis afficerimus, quid iis faciemus, qui nos odio prosequuntur? Thrasymedes, amore magis ac magis indies gliscente, adsumptis æqualibus suis, puellam in mari sacrificium obeuntem observavit: Qui districtis gladiis turbam disjecerunt inque navim eâ impositâ Æginam tetenderunt. Hippias adultior, Pisistrati filius, mare à latrociniis repurgans, hanc etiam navem ob remorum celeritatem lattonum esse existimans, sororem recuperavit, eosque qui rapuerant, comprehensos reduxit. Thrasymedes aliique coram tyranno constituti, nullo modo supplices se præbuerunt, sed admodum viriliter, ut pro lubitu se tractaret, hortabantur: dicentes ex eo tempore se contemnere mortem cœpisse, cùm primùm de raptu consilium iniissent. Tum Pisistratus admiratus in juvenibus animi celsitudinem, filiam suam Thrasymedi nuptum dedit. Polyæn. *lib.* 5.

Thrasymenus, lacus in agro Perusino, *Lago di Perugia.* Item, *di Passignano.* & *Castiglione*, Annibalis victoriâ, & Flaminii Consulis clade nobilis. Apud Strab. *lib.* 5. ubi de maximis ei sermo est Etruriæ lacubus, per simplex T. legitur Τρασουμέννα λίμνη. Polybius Θρασυμέννην λίμνην habet. Stat. *Thrasimenum* vocat. *Sylv.* 1. 4.

—— Gaudent Trasimenus & Alpes
Cannensesq; animæ.

Ovidius *Fastor. lib.* 6.

Sunt sibi Flaminius Thrasymenaq; litora testes.

Vide omnino Cluver. *Ital. Ant. lib.* 2. *pag.* 578.

Thratta, ancillæ nomen, apud Aristophan. *Acharn. Act.* 2. *Sc.* 1. Sic dictæ, quòd Thressa esset.

Thrausi, Thraciæ pop. qui nascentes lugent, mortuos autem per lusum & lætitiam terræ mandant.

Thraustum, Actoriorum opp. in Elide, prov. Peloponnesi. Vide *Thrastum.*

Threcis, opp. Phthiotidis, juxta Thermopylas. Herod.

Threïcius, vide *Thracia.*

Threni, seu Lamentationes Jeremiæ, liber Vet. Test. Canonicus, in quo 5. Capp. mortem Josiæ Regis & hinc Ecclesiæ Judaicæ statum afflictissimum deplorat Propheta. In hos extant: Acosta *Comment.* fol. Lugd. An. 1641. Agelii item, Romæ, 1589. Aquinas, Asclepius. Backmeisterus octav. Rostochii, 1603. Bonaventura. Brandmyllerus. Broughtonus. Bugenhagii *Annotat.* Bullingeri *Conciones.* Calvinus. Capella. de Castro. Clenardi *Meditat. Hebr.* de Costa. Ferus. Figueiro. Ghislerius. Hieronymi *Commentaria.* à Jesu Maria. Kyberi *Meditationes Gramm.* de Lapide. Lateburius. Lavateri *Conciones.* Maldonatus. Malvenda. Martyr. Melanchthon. *Argum.* de Navarete. Oecolampadius, Argentinæ, 1530. Olympiodorus. Origenes. Palladius. Pampolitanus. Panicarola. Parez. Paulutius. Pintus. Polanus. Rabanus. Ratbertus. Rhumelius. del Rio. Sanctii *Paraphrasis metr.* Antverp. 1618. Strigelius. Szegedinus. Tallepied. Tossani *Paraphrasis.* Tossarii *Comm.* fol. Basileæ, 1558. de Victore. Wicelius. Willetus. Zuinglius, &c. Vide Crowæi *Elenchum.* Item ex Rabbinis, in librum hunc, prodierunt: Don Joseph aben Jechija. Rabbi Isaac ben Arama. Lechem Setharim. Rabboib, &c.

Thria, vicus in tribu Oeneide. Vide Steph.

Thriasius, pagus Atticæ, cum fluv. cognom. inter Athenas & Eleusin in mare influente, contra Salaminem ins. Hesiod. Plin.

Thrince, urbs prope columnas Herculis, Steph.

Thristisima, urbs Mauritaniæ Cæs. Ptolem.

Thrius, vel *Thryus*, opp. Peloponnesi, prius sub Patris, dein sub Elide, inter illas, unà cum fluv. cognomin. in Alpheum labente. Strab. Q. Calaber. *Thrion* Statio *lib.* 4. *Thebaid.*

Quot Thrion & summis ingestum montibus Æpy.

Throana, latronum, sive λῃστῶν reg. urbs in Indiâ extra Gangem. Ptol. *Targin* Castaldo.

Throni, *Pile*, teste Steph. Lusignano, urbs (cum promuntorio) Cypri olim Episcop. nunc pagus in orâ Australi, ubi Orientalis incipit. Aliis *Saline* dicitur.

Thronium, opp. Achajæ geminum, unum in sin. Locrorum Epicnemidiorum, à Scarphia 30. stad. in Merid. distans: Alterum Phocidis, Lilææ finitimum, in Merid. distans, inde 75. stad. recedens. Fortè idem cum superiore, ob vicinitatem utrique regioni attributum.

Thryanda, urbs Lyciæ, Stephan.

Thryon, vel *Thryum*, Messeniæ oppidum, non procul ab Alpheo fluv. Homer. *in Catalog.* & Strabo *lib.* 8. Ejus quoque meminit Stat. *lib* 4. *Theb.*

Quot Thryon & summis ingestum montibus Æpy. V. suprà.

Thubal, fil. Japheth, Gen. 10. Vide Boch. *Phaleg.* 3. 12.

Thubursica, urbs Africæ propr. Ptolem.

Thubuscum, oppidum Mauritaniæ Cæsar. aliàs *Tubusuptus*, & *Succuba.*

Thucydides, Milesiæ filius, Atheniensis, magnus adversarius Periclis & factionis sodalium princeps, Vir bonus & Orator optimus, Cimonis affinis, non tam belli gerendi, quàm civitatis regendæ peritus: primùm Dux fuit quadraginta navium & velut Triumvir cum Agnone & Phormione succurrentibus Pericli, teste *lib.* 1. Thucyd. Deinde, ut ait Philochorus, cùm in Thraciâ suspicionem incurrisset proditionis, inque jus vocatus pro se quicquam dicere nequisset, indictâ causâ damnatus & ostracismo relegatus fuit.

Thucydides, fuerunt quatuor; primus Historicus, secundus Gargettius, tertius Thessalus, quartus Milesiæ filius, quem ob improbitatem traducit Aristoph. *Acharn. lib.* 2. 6. Antepitth. *in Scholiis ad Crabrones pag.* 498. *E.* ita recenset. Quatuor fuêre Thucydidæ. Primus Milesiæ filius, ex Alopecide tribu. Secundus Gargettius. Tertius Thessalus vel Pharsalius. Quartus Historiæ scriptor, Olori ex filia Thraciæ Regis nati filius, qui genus à ducibus Miltiade & Cimone, qui & ipsi Æaco, Jovis filio, originem debuere, duxit. Copiarum in Thracia Dux, ibi ob aurifodinas, quas possidebat, magni habitus est: Uxorem quoque habuit è Thraciâ oriundam, alioquin divitem, cujus opes assecutus, non in voluptates, sed partim in otium literarum erogavit. Juvenis admodum, cùm in Olympicis ludis, Herodotum historiam suam recitantem audiret, in lachrymas solutus est, quo viso, gratulatus patri ejus Herodotus est, quòd filium haberet tam proni in literas affectus. Pulsus deinde injustè in exilium, à Cleonte, quòd Amphipolim non juvisset: durante exilio tempus optimè collocare constituit. Nam bellum Peloponnesiacum scribere aggressus, quo tempore illud gerebatur, Atheniensibus pariter ac hostibus Lacedæmoniis militibus, qui bello interessent, mercedem præbere, ut

tes

res quotidie veras ei renunciarent, quas fidelius se accepturum sperabat, si non solùm ab amicis, sed etiam ab inimicis edoceretur, ne partes quisq; suas falsò tueretur. Comprehendere debebat opus bellum Peloponn. quod an. 27. duravit, inter Athenienses & Spartanos: sed morte præventus, usq; ad an. ejus 21. saltem pervenit; quod reliquum erat, continuavit Theopompus, & post hunc Xenophon. Imo & sunt, qui nec 8. librum ab eo scriptum esse credant, sed vel à filiâ ejus, vel ab eodem Xenophonte, aut Theophane, doctioribus Criticis reclamantibus. Præceptores habuit, in Philosophia Anaxagoram, in Rhetoricâ Antiphontem, cujus & ipse mem. *lib.*8. dicens, eum causam fuisse perdendæ Reip. & constituendæ tyrannidis trecentorum. Ejus cum Herodoto collationem vide apud Quinctil. *lib.*10. *cap.* 1. Dionysius Halic. scribit, Demosthenem adeò Thucydidis stylum probasse, ut ejus librum octies scripserit, totumque ferè edidicerit. Cic. *de Oratore*: *Graviter sanè & probè res gestas & bella, & prælia narrat Thucydides.* Idem ibidem: *Thucydides omnes dicendi artificio meâ sententiâ facilè vicit.* Vide Voss. *de H. Græcis lib.* 1. *cap.* 4. *Thucydides* alios Marcellinus ponit: Unum Melesium Athenis inter principes viros ac duces, æmulum Periclis, de quo supra: Alium Pharsalicum, Memnonis filium, cujus mem. Polemon in iis quæ de Acropoli scripsit. Quartum poetam, natione *Acherdusium*, cujus mem. Androtion *in Attide*, dicens eum filium esse Aristonis, qui fuit tempore Aristonis Comici, & Agathonis Tragici, & Nicerati versificatoris.

Thulcis, Vide *Tulcis*.

Thule, nomen insulæ, de quâ differentem Bochartum his verbis audire operæ pretium fuerit. De Thules insulæ situ, inquit, tres sunt veterum sententiæ. Una Procopii *lib.* 2. *Gothicorum*, Thulen esse Scandiam, quæ ins. non est, sed peninsula, & ab iis locis remotissima, in quibus alii Thulen describunt. Secunda Pytheæ Massiliensis, Thulen 6. dierum navigatione in Septentrionem à Britanniâ distare, habere Tropicum æstivum pro circulo Arctico, & solstitio nullas noctes, ut nullos contra per brumam dies, quæ ad amussim *Islandiæ* quadrant. Tertia sententia est Ptolemæi & Marini, quibus Thule ins. est non magna ad gradum 63. ubi maxima dies est 20. horarum, à Britanniâ vix bidui cursu remota; quæ Schetlandiæ conveniunt, uni Orcadum. Ex his tribus sententiis quarta emergit, quæ nostra est. Græcos & Romanos scriptores, cùm ex incertâ famâ accepissent, in ultimo Septentrione aliquam esse insulam hujus nominis, atque ea nusquam compareret, tamen quamque sic appellasse, quam putarunt esse extremam. Hanc porro famam à Phœnicibus ad Græcos dimanasse suadent, primò ipsum nomen Thule טולי quod planè Phœnicium est, teth expressum per theta, ut in Cadmi Alphabeto, טולי Thule autem Syris propriè *umbra* sunt. Hinc טולי רמשא *thule Ramsa: umbra vespertina*, Jer. 6. 4. in Chald. Paraphr. Itaque Phœnicibus גזירת טולי *gezirat Thule*, erat *insula tenebrarum*, vel quod idem est, *tenebricosa*. Ita enim *Thule* à veteribus describitur. Stat. *Sylv.* 3.

Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules.

Et *lib.*4.

——— *Aut nigra litora Thules.*

Et *lib.*5.

——— *Quantumq; nigrantem*
Fluctibus assiduis fessoq; Hyperione Thulen Intrarit.

Apud Strab. *lib.*4. Ἡ λίνος οὐκ ἔχουσι ἡμέρας. Mela 3. 6. *Noctes per hyemem obscuræ.* Plin. 2. 75. *Nulli per brumam dies.* 20. Antonius Diogenes, antiquissimus scriptor, qui τῶν ὑπὲρ Θούλην ἀπίστων λόγους κδ. h. e. *Incredibilium de Thule insulâ*, libros 24. scripsit, οὐ λίαν πόῤῥω τῶν χρόνων τοῦ βασιλέως Ἀλεξάνδρου, uti testatur Photius *tmem.* 166. vel fabulam, vel historiam suam profitetur, se descripsisse ex cyparissinis tabulis Tyri effossis, cùm urbs capta est ab Alexandro, è Mantineæ & Dercyllidis tumulis, qui e Tyro profecti post varios errores tandem in Thulen migrarunt, & ibi aliquandiu hæserunt. Unde Græcos liquidò constat à Phœnicibus didicisse de Thule insulâ quicquid afferunt. Hæc vir magnus *de Phœnic. colon. lib.* 1. *cap.*41. Miror autem, quid Claudiano in mentem venerit, cùm scripsit,

——— *Ratibusq; impervia Thule.*

Cum disertè contrarium affirmet Dionysius ὁ Περιηγητὴς *vers.* 581.

Νῆσον καὶ Θούλην διέρχεται νηί περῶντας.

Hujus ins. quoque mem. Virgil. *Georg.* 1.

——— *Tibi serviet ultima Thule.*

Uti & Claudianus.

——— *Thulen procul axe remotam.*

Baudrando *Islandia* est, Ins. perampla maris Sept. sub Danis. Antea dicta est *Snalandia*, & à quodam Gadaro primò dicitur detecta. Sub initium IX. seculi ab Europæis, Danis inprimis, Norvegis & Belgis, frequentari cœpit 420. m. p. ab ora prox. Norvegiæ in Occ. & 360. ab ora Bor. Scotiæ in Arctos. Extenditur maj. ex parte ab Ortu in Occ. dividiturque in IV. partes, nempe in Or. Occ. Sept. & Meridionalem. Ejus urbes sunt Hóla & Schalotum, atque arx Bessteda, ubi Prorex degit; Ibi & *Hecla* mons ignivomus, & spectris horrens. Tanta quoque hic piscium copia, ut ossa exiccata, ligni loco adurant. Ortelio tamen Thule est *Tilemarck*, tractus Norvegiæ, cui convenit longit. & latit. Thules, teste Ptol. Camdeno Thule est Schetlandia, *Thylensel* adhuc nautis. Sed sententia de Islandia verisimilior, quæ Insularum Europæarum Borealissima, in Oceano Sept. sita est ad 65. gradus, & amplius, reliquam ejus distantiam V. supra. Incolas coloniam Norvegorum esse Scriptores plerique asserunt, unde & illa linguæ Islandicæ cum Norvegica affinitas. Huc ab Ansgario Christianam fidem introductam esse An. Ch. 824. probat Pontanus, contra Arngrinum Jonam Islandum, qui ex eo, quòd Islandiam demum vult detectam An. Ch. 874. negat Islandiam veteribus cognitam, atque adeò Thulen esse, V. hujus tractatum *de Islandicæ gentis origine & vet. Rep. ejusdemq; specimen Historicum Islandiæ*, ut & supra in voce *Islandia*.

Thunensis lacus Helvetiæ; in Argovia, vulgò *Thunersee*, ab opp. *Thunum*, de quo infra. Amœnus admodum, 1. eum dim. mill. longus, ad sinistram Uechtlandiam habet, ad dextram Argoviam versus vitiferis collibus prætexitur. In hunc Brientzensis lacus, jam Arolâ auctus influit, qui inde prope opp. præfatum, servato nomine, iterum se evolvit. Uterque magnam piscium vim habet, unde apud Abbatiam præcipue Interlacensem, aliquando piscatio tam copiosa est, ut prodigii speciem habeat: sed Brientzensi *Thunensis* major est: ex utroque Orientem versus, Alpium perpetuis nivibus albicantium prospectus patet. Lacum hunc *Thunensem*, Aimoinus *de gest. Fr. lib.* 3. *cap.* 86. ita, circa tempora Theodorici & Theodeberti Gall. & Burg. Regum, interno æstu efferbuisse refert, ut magnam piscium copiam, velut tostam; ripam ejecerit, Stumpf. *de Argov. lib.*7. *cap.* 21. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Nov. Ant. &c.*

Thunicates, pro *Rhunicata* legit Aventinus, apud Ptol. Vindeliciæ pop. sunt, quorum tractus hodie *Im Thunca* in Bavariâ. Dicuntur et *Virunicates*.

Thunium, opp. Hannoniæ, ad Sabim fluv. tamen in dit. Leodiensi; *Thuin.* 2. leuc. à Bellomontio, in Bor. medium inter montes ad Circ. & Philippovillam ad Eur.

Thunum, vulgò *Thun*; opp. pagi Bernensis, ad lacum cognom. ubi ex eo Arola erumpit, quo opp. in duas partes dividitur, quarum min. in Uechtlandia, major cum arce, in Argovia sita est. Olim sub propriis Comitibus, è quibus Henricus Episc. Basiliensis, obiit An. Ch. 1238. Postea ad Comites Kyburgios pervenit; è quibus cùm circa An. C. 1320. Comes Eberhardus, fratris Hartmanni insidiis, uti creditum, occisus esset; hic odium civium veritus, oppidum Bernensibus, cum aliquot aliis dominiis, vendidit, iterumque ab iisdem feudi nomine accepit: Postmodum verò præsidio oppidum contra Bernenses munivit, qui injuriam ulturi, oppugnarunt illud, sed nullo successu: verùm An. Ch. 1343. Thunenses iterum cum Bernensibus amicitiam coluere: tandem Hartmannus Comes An. Ch. 1353. urbem cum arce, acceptâ ingenti auri summâ, Bernensibus pignori dedit: à quo tempore illis subest, salvis tamen privilegiis suis: frustra insidiis Archiducis Leopoldi tentata, An. C. 1382. Habet proprium Senatum, cujus caput Scultetus, ut vocant, Germ. *Schuldtheiss*, ex urbe Bernâ præponitur. Distat 17. m. p. à Berna in Mer. 20. à Friburgo in Ort.

Thuras, sive *Thurras*, inter Deos ab Assyriis relatus, & Mars dictus. Vide Suidam in voce Θοῦρας.

Thuria, Strab. *Thurium* Ptol. *Thyrea*, ut videtur Plinio, opp. Messeniæ apud fines Laconicæ, *Calamata* Nigro, *Cumestra* Moletio. *Thurii* ob animi fortitudinem & constantiam apud veteres celebrabantur. Unde natum adagium, *Thurium lerna* apud Suidam, de intrepido & ad bellum parato.

Thuria, fons Magnæ Græciæ, *Acqua Favella* Leandro.

Thuria, vel *Thurium*, vel *Thurii*, quæ antea *Sybaris*; deìn Copiæ, urbs ampla Magnæ Græciæ, olimque nobilissima, à Philoctete condita, Trog. ad sinum Tarentinum, sita inter ostia Crathis & Sybaris amnium. Nunc diruta, ubi locus *Torre Brodogneto*, in ora littor. ad ostia Sybaris, ubi etiam rudera visuntur, *Sibari Rovinata* dicta, in Calabria cit. 10. m. p. à Rosciano, 15. à Besidiis in Bor. Baudr. Pop. *Thurii* & *Thurini*; de quibus Strabo *lib.*6. & Diod. Sic. *lib.*12. Ovid. *Met.*15.

Thurinosq; sinus, Temesenq; & Japygis arva.

Thuriates Ager, legitur à Josiâ Mereero, apud Tacitum *lib.* 4. *cap.*43. pro *Dentheliates*, quia in eo *Limna* vicus, sacer cultu Dianæ, atque inter Messenios & Laconas controversus.

Thurificati, dicti olim, qui ut persequutiones Imperatorum gentilium effugerent, thus Diis offerebant; Cypriano acerrimè increpiti, *Serm.* 5. *de lapsu.* His in exitu vitæ demum venia dabatur, cùm *Libellatici* mitius haberentur. Idem *Epist. lib.* 3. *ad Nemesian. Ep.* 2. *lib.*4. *ad Antonianum &c.*

Thuringia, vulgò *Thüringen*. prov. Saxoniæ super. ob fertilitatem *Sumen Germ.* dicta G. Agricolæ. Aliàs amplior fuit, & Reges habuit proprios, tempore primæ stirpis Franciæ Regum; nunc valde imminuta. Subest partim Elect. Saxoniæ, partim Ducibus Weimariensibus & Comit. Mansfeld. Historia paulo amplior hæc est. Olim sub Regibus propriis, postea Franciæ Regibus ex prima fam. paruit. Ludovicus I. Thuringiæ & Hassiæ Landgravius, à Carolo M. ortus, fil. creditur Caroli D. inferioris Lotharingiæ. Hermannus I. fil. Ludovici IV. frater Ludovici V. Pii, obiit

obiit Gothæ, An. 1215. pater Ludovici VI. ex Sophia, fil. Friderici, ultimi Saxoniæ Palatini, & Henrici, ex Sophia, fil. Ottonis Bavari. Maritus fuit S. Elizabetæ hic Ludovicus VI. è qua Hermannum II. suscepit, qui an. æt. 18. veneno sublatus est. Frater ejus Henricus, Thuringiâ occupatâ, Romanorum Rex electus est, An. 1245. biennio post, aliis An. 1240. in obsidione Ulmæ, sagittâ occisus. Post hunc variè discerpta provincia est. Hoc enim ultimo gentis extincto, Theodorici Misnici filius ex Judita, filia Hermanni Thuringiæ Landgravii, Henricus Illustris Landgraviatum sibi vindicavit, cumque eo Palatinatum Saxoniæ in domum suam postliminiò intulit. Hinc bellum cum Sophia Brabantina consobrina, quod ita terminatum, ut Sophiæ filius Henricus, Hassiam, Thuringiam tenerent Misnici, confraternitate utriusque domus sancitâ. Hic Henricus ditissimus ex Fribergensibus fodinis factus, Northusii in ludis equestribus ingentem quercum argenteam, aureis ornatam foliis exhibuit. V. de hujus successoribus Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.* Hanc dein Adolphus Nassovius Imp. pecuniâ, quam ab Eduardo I. Anglorum R. ut se juvaret, acceperat, emit, ab Alberto Landgravio, qui propensus in pellices, legitimos filios Fridericum & Dieemannum exhæredaverat: unde cum his bellum, quo miserè provincia vastata est, Ann. Ch. 1295. 1296. Polydor. *lib.* 17. Trithemius *in Chron.* Albertus dein Imp. à Marchionibus Thuringiæ, quos principatu excutere voluit, magnâ clade victus est, Ann. Chr. 1307. Cuspinianus *in Alberto.* Fridericus postea Landgravius, Carolo IV. Imp. à quibusdam Electoribus oppositus, sese modestè excusavit, An. Ch. 1348. Iidem. Hodie diversis, ut dictum, Dominis paret: Caput totius prov. est Erfordia; sub El. Mogunt. Aliæ urbes sunt Mulhusia & Northusia, liberæ & sui juris; Weimaria, Jena, Gotha & Eysenacum, sub Ducibus propr uti Mansfeldia, sub Comite proprio. Terminatur ab Ortu Misniâ, à Sept. Principatu Anhaltino & Duc. Brunsuicensi, ab Occ. Hassiâ, in Mer. Franconiâ & Princip. Hennebergensi, & Landgraviatus tit. insignitur. Sunt autem Thuringi victi cæsique ab Othone Imp. An. Salutis 1069.

Thuscanicus Apollo, Romæ fuit in Bibliotheca templi Augusti, quinquaginta pedum à pollice, de quo Plin. *lib.* 34. *cap.* 7. *dubium esse* dicit, *are mirabilior sit, an pulchritudine?*

Thuscia, vel *Tuscia*, fœcundissima Italiæ reg. à Latio Tiberi, à Liguribus Macrâ fluv. dirempta, alio nomine *Hetruria* dicta, hodie verò *la Toscana*, ubi lingua Italica inprimis floret. Sic dici quibusdam videtur ἀπὸ τοῦ θύειν, h. e. *à sacrificando*, propterea quòd Tyrrheni semper habiti fuerint religiosi, deorumque cultui & sacrificiis, ad superstitionem usque dediti. Baudrando maj. Etruriæ partem comprehendit. Terminatur à Sept. Apennino, ab Occ. Macrâ fluv. & mari Tyrrh. uti à Mer. ab Or. Tiberi, Clani & Martâ flu. Hodie continet tantùm ditiones, Florentinam *il Florentino*, Senensem, *il Senese*, Pisanam *il Pisano*, sub Hetturiæ M.D. & Lucensem, *il Lucese*, quæ Resp. libera est. His insertæ sunt aliquot minores ditiones, ut Carferoniana *la Grafignana*, sub D. Mutin. Ducatus Massæ, sub Duce propr. Serezana sub Genuens. Principatus Plombini, sub clientela Hisp. & Status præsidii seu Orbetellum cum annexis, sub Hisp. Totius Tusciæ caput Florentia est. Pop. *Thusci* seu *Tusci*, & *Thuscus* nomen gentis Ovid. *in Ibin*,

Dum Tyberis liquidas Thuscus habebit aquas.

Vide *Hetruria*, vel *Etruria*.

Thuscus, Vide *Tuscus*.

Thyades, Bacchi sacrificulæ, quas *amentes* vocat Statius, *pervicaces* Horatius, qui alibi 2. 19.

Pulso Thyas uti concita tympano.

Virgil. *Æn.* 4.

—— *Qualis commotis excita sacris*
Thyas. —— ——

Stat. *Theb. lib.* 3.

Insano veluti Teumesia Thyas
Rapta Deo. —— ——

Val. Flac. *lib.* 1.

—— *Bœotia qualem*
Thyas, & infelix cuperet vidisse Cithæron.

Thyamis, *Capo Nista*, Nigro, promunt. Epiri quod Thesprotiam reg. à Cestriuâ separat, inter Buthrotum ad Arctos & Sybota ad Austr. ad ostia fluv. cognominis, Thesprotiam à Cestriniâ dirimentis, teste Thucydide, qui nunc *Calama* incolis, Thevet.

Thyamus, Strab. Thuc. Pausaniæ, *Thyamis* Ciceroni & Ptolomæo, fluv. Thesprotiæ in Epiro, apud Thyamim prom. Sybota versus in mare Jonium fluens, V. supra. Item mons ejusdem nominis, teste Thucydide, Thesprotos à Castriis dividens, Chimerio finitimus, Ferr.

Thyana. urbs Cappadociæ, ad radicem Tauri, Archiep. patria Apollonii Thyanæi. Strabo, Plin. Ptol. &c. Hic concilio, An. 365. habito, Eustathius Episc. Sebastes restitutus est, Theodoret. *lib.* 4. *cap.* 8. Sozomen. *lib.* 6. *cap.* 2. Baronius *in Annal.*

Thyatyra, urbs Lydiæ ad Lycum fluv. *Pelopia*, & *Euhippa*, aliquando dicta, teste Plinio. *Semiramis* & *Mysorum ultima*, teste Steph. inter Sardes ad Merid. 30. & Pergamum ad Bor. 58. m. p. una ex 7. Ecclesiis Asiæ in Apocalypsi D. Joannis memoratis. Baudrando *Thyatira* & *Tyatum*, est ad Hillum amnem. 85. m. p. à Pergamo in Orr. prope Hermum fluv. Item una Echinadum. Plin. 4. 12.

Thybarni, pop. Asiæ min. circa Sardim urb. Diod. *lib.* 18. fortè à *Thybarra*.

Thybarrha, locus in Asia minori, circa Pactolum fluvium, conventus incolarum Syriæ inferioris, Xenoph. 6. *Cyropæd.* *Thymbarrha* & *Thymbraia* in margine erat. Idem locus videtur ab eodem *lib.* 7. *Thyribarrhis* vocari. *Thymbrara* autem legit Stephanus idque ex Xenophonte.

Thybris, vide *Tiberis*.

Thyella, *Hyella* Herodoto, op. Brutiorum, ab Oenotriis habitatum apud Amantiam urb. in Calab. citer. *Thyeto*, vel *Gimeto* Barrio, à littore 3. m. p. ab Artemisio *S. Agatha* 4. quot à Bombicino, ab Argentano seu Macropoli 20.

Thyessus, urbs Lydiæ, à *Thyesso* caupone. Alia est Pisidiæ. Steph.

Thyestes, fil. Pelopis ex Hippodamiâ, Tantali nepos, qui cùm Atreo, fratri cui pessime cupiebat, aliter nocere non posset, uxorem ejus per adulterium polluit. Atreus verò ei filium epulandum apposuit. Ob quæ flagitia, Sol, ne pollueretur, retro cursum fertur convertisse. Persius *Sat.* 5.

—— *Aut si quibus olla Thyesta*
Fervebit. ——

Martialis,

Ille magis ludit, qui scribit prandia savi
Tereos, aut canam crude Thyesta tuam.

Idem *lib.* 10.

Diri prandia nec refer Thyesta.

Hinc *Thyesteus* Ovid. *Met.* 15.

Neve Thyesteis cumulemus viscera mensis.

Thyia, Deucalionis filia, quæ ex Jove peperit Macedoniam, quæ reg. Macedoniæ nomen dedit.

Thyllesium, Vide *Tyllesium*.

Thymarada, vicus in Hippothoontide tribu.

Thymaterium, Stephano *Thymiateria*, Marianæ & Ramusio *Azamor*, urbs Maurit. Tingit. ad ostia Rutubis, extra columnas Herculis, in ora Oceani Atl. inter illas 197. & Atlantem mont. maj. 120. m. p. Sub Lusitanis.

Thymbræus, Apollinis cognomen, sive à *Thymbrâ* Troadis campo, sive ab ejusdem nominis urbe in quâ colebatur, impositum. Campo autem *Thymbra* nomen factum putatur à *thymbra* herbæ copiâ, quam Latini *cunilam* vocant, cujus hoc in campo maximus est proventus. Servius in illud Virg. *Æn.* 3.

Da propriam Thymbræe domum.

Apollinis *Thymbræi* templum Strabo ponit eâ in parte, quâ Thymbrius fl. in Scamandrum influit, quo in templo ferunt Achillem à Paride fuisse interemptum: Unde factus est locus fabulæ, Achillem Apollinis sagittis occisum fuisse. Stat. *Sylv.* 4.

Torpor est nostris sine te Camœnis,
Tardius sueto venit ipse Thymbræ Rector.

Idem *Sylv.* 3. 2. *Pergama Thymbræa.*

Thymbrara, civitas ad Pactolum sita.

Thymbria, pag. Cariæ, à Myunte urbe, apud Mæandrum, ad 4. stad. distans. Strab.

Thymbris. Siciliæ fluv. qui & *Thybris*. Schol. Theocriti. Bithyniæ fluv. qui oriens in Galatia, in Sangarium influit, Liv. *Thymbrius* Strab. *Tembrogius* Plin. *Tembrius* Orph. *Tiberis* Procop.

Thymele, saltatricula nota. Domitiani temporibus, cujus gesticulatione Domitianus impensè fertur delectatus; à quâ & *Thymelica cantilena*, quibus olim plurimùm colebatur Bacchus, Mart. 1. 5.

Quâ Thymelem spectas, derisoremq; Latinum.

Juvenalis,

—— *Thymele tunc rustica discit.*

Hinc *Thymelici*, artifices instrumentorum Musicorum. Isidorus tamen *lib.* 6. *cap.* 47. nominis rationem à voce Θυμέλη, i. pulpitum, arcessit. In pulpitis enim lyriscæ, choraules, tibicines organarii, aliique artifices, sive scenatum, sive domesticarum oblectationum sedere atque inde audiri consueverunt, Vitruv. *lib.* 5. *Archit. cap.* 8. Censebantur autem hi laude digni olim, Jul. Firmicus *Mathes. lib.* 4. *cap.* 15. & Ulpianus *lib.* 4. *ff. de his qui not. infamiâ* inquit: *Neq;* Thymelici, *neq; Exustici, neq; Agitatores, nec qui aquam equis spargunt, cæteraq; eorum ministeria, qui certaminibus sacris deserviunt, ignominiosi habentur.* Cæterùm de *Thymelicis* vide Rittershusium *in Salv. pag.* 207. Alex. ab Alex. 3. 9. & Angel. Polit. *Ep. lib.* 7. *ad Bapt. Guarinum.*

Thymiateria, urbs Lybiæ ad Oceanum Atlanticum sita. Steph. Hodie *Azamor* dici Ramusius conjicere videtur. Vide *Thymaterium.*

Thymiathis, fluv. Epiri, Strab. *lib.* 7. Ῥεῖ δὲ καὶ Θυμίαθις ποταμὸς. *Thyamis* Thucydidi (de quo supra) sic enim ille: Θύαμις ποταμὸς ὁρίζων τὴν Θεσπρωτίδα καὶ Κεστρίνην: quem locum cùm videtur Strabo exscribere, non est dubium scripsisse eum Θύαμιν. Sic enim Plin. & Ptol. habent & libri veteres.

Thymnias, sinus Doridis, ubi prom. cognom. inter Gnidum ad Occ. & Larumnam ad Ort. ubi quoque *Schœnus* & *Bubessus*, sinus parvi, contra Rhodum. Plin. Mel.

Thy-

Thymodes, Mentoris fil. peregrinorum militum Dux, à Dario constitutus. Curt. 3. 8.

Thymœtes, Oxidiæ regis fil. nothus, Atheniensium rex 15. regn. an. 8. ultimus ex familiâ Erectheidarum. Item Priami fil. ex Arisbe, aut, ut alii malunt, Arisbes maritus, cujus uxor cùm filium peperisset eodem die, quo Hecuba Paridem, asserentibus hariolis, eo die natum esse puerum, cujus causâ Ilium everteretur, jussit Priamus utrumque interfici. Et Paris quidem matris astu clam traditus est educandus: Thymœtis autem puer est interfectus. Cujus injuriæ ultione in multos annos dilatâ, Thymœtes, cùm equi lignei dolum sentiret, commodum sibi vindictæ tempus oblatum ratus, primus author fuit, ut in urbem reciperetur. Servius enarrans locum illum Virgilii *Æn.* 2.

—— Primusq; Thymoetes
Duci intra muros hortatur & arce locari
Sive dolo, seu jam Troia sic fata ferebant.

Thymoetes, Rex Atheniensium, qui, cum à Xantho, vel, ut alii, Xanthio Bæotiorum rege, ad duellum, dirimendæ controversiæ de Gelanis, castello in finibus sito, provocatus esset, pugnam detrectavit; quam tamen, vice ejus, subivit Melanthius. V. Schol. in *Aristoph. Acharnens. p.* 378.

Thyne, urbs Libyæ. Inde *Thynæus*. Steph.

Thynia, reg. Thynorum. Steph. Thyni autem pop. Thraciæ ex adverso Bithyniæ. Unde illud,

Thyni Thraces erant quæ nunc Bythynia fertur.

Hinc adj. *Thynus*, ut apud Horat. *Thynâ merce beatus*, i. e. inquinne, *Bithynâ*. Idem *alibi*,

Ne Cibyratica ne Bithyna nepotia perdas.

Thynias, seu *Thynnias*, Plin. Mel. & al. ins. maris Euxini in orâ Ponti, Bithyniæ adversa, *Thyneis* Orpheo, *Thynus* & *Thyne*, Steph. *Apollonia* Arriano, *Farnasia* nunc, teste Nigro. Catullus, *ad Sirm.*

Vix mihi ipse credens Thyniam atq; Bithynos
Liquisse campos, & videre te in tuto.

Thynias, vulgò *Sagora*, teste Nigro, op. Thraciæ in orâ maris Euxini ad Thyniam promunt. *Capo Tenia*, apud Apollonium, ab eâ in merid. Byzantium versus. Inde *Thyniacus sinus*, *Golfo di Sagora* apud Ovid.

Thyrus, op. Ciliciæ. Plin. 5. 17.

Thynnus, viri proprium, cujus Orpheus mem. *in Argon.*

Thyodamas, vel *Thiodamas*, aut *Theodamas*, fil. Melampodis, divinandi peritus. Statius *lib.*8.

Insignem famâ sanctoq; Melampode cretum
Thyodamanta volunt, qui cùm ipse arcana Deorum
Partiri, & visas uni sociare solebat
Amphiaraus aves, tantaq; haud invidus arti
Gaudebat dici similem, juxtaq; secundum.

Thyoneus, Bacchi cognomen ἀπὸ τοῦ θύειν, ut vulgò volunt, propterea quòd illi adhuc inter homines versanti sacrificaretur. Alii à Semele matre sic vocatum putant, quæ alio nomine dicta est *Thyone*. Horat. 1. 17.

—— Nec Semelejus
Cum Marte confundet Thyoneus Prælia.

Catullus *ep.* 24.

At vos quò jubet hinc ... lymphæ,
Vini pernicies, & a... veros
Migrate, hic merus est Thyoneus.

Ovid. *Met.* 4.

Additur his Nyseus, indetonsusq; Thyoneus.

Item Liberi fil. qui in Chio ins. regnavit, pater Thoantis regis, cujus filia fuit Hypsipyle. Acron *in Horatii locum supra adductum.*

Thyotes, sacerdos Gabirorum, in Samothracia, à θύω. i. sacrifico. Flac. *lib.*2. *vers.* 442. Multumque fallitur, qui Deum Matrem *Thyoten* accipere mavult, quòd in Samothracia illi sacra fiant.

Thyrai, pop. Salentinorum inter Tarentum & Brundusium, quorum op. *Turi* in Apuliæ Peucetiæ finibus apud Nuees op. à Cupersano urbe 10. m. p.

Thyre, op. Messeniorum, cujus mem. *lib.*4. *Theb.*

Et Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.

Hinc ager *Thyreates*, de quo quum bellum esset inter Argivos & Lacedæmonios, res pugnæ 300. militum utrinque commissa est: quibus omnibus interfectis, Othryades Spartanus, qui solus evaserat, se interemit, & aliis se comitem dedit.

Thyrea, ins. Peloponnesi apud Hermionem, Herodot. *lib.* 4. ab Atheniensibus capta, An. M. 3538. unde *sinus Thyreaticus*, qui & *Herminicus*. *Thyrea* item Strab. Thucyd. & Herod. *Thyræa* Pausan. op. Peloponnesi mediter. in Argivorum & Spartanorum confin. *Thyræum* Stephano, nunc *Burdugna*, teste Nigro.

Thyreum, urbs Arcadiæ ab Hypsunte filio Lycaonis condita. Stephanus.

Thyrides, vertex Tænari montis, seu prom. in ora Laconicæ, ab ipso 30. stad. Pausanias. Item Ins. tres parvæ maris Jonii: oræ Messeniæ adjacentes, in Sinu Asinæo. Plin.

Thyrion, Acarnaniæ op. Vop. *Thyrienses*, Xenoph.

Thyros, urbs in regno Nestoris. Hom.

Thyrreni, Vide *Tyrrheni.*

Thyrsagetæ, pop. Sarm. Gelonis ac Turcis finitimi, sylvas incolentes, victumque sibi venatu comparantes, *Tyrrigetæ* Strabon. *Thussagetæ* Plin. & alibi *Thyrsagetæ*, in utrâq; Sarmatiâ apud Mæot. pal. Val. Flac. *lib* 6.

Non ego sanguineis gestantem tympana bellis
Thyrsageten, cinctumq; vagis post terga silebo
Pellibus. —— ——

Thyrsis, nomen pastoris apud Virg. *in Bucolicis.*

Thyrsus, fl. Sardiniæ præcipuus, in orâ occid. vulgò *Torso*. Baudrando hodie *Thirso*, oritur in parte Bor. dein per mediam Ins. fluens, 5. m. p. ab Arborea in mare se Sardoum exonerat.

Thysdrus, *Tisdrus* A. Hirtio. *Tisdrum* Jul. Capit. *Tusdrum*, seu *Tusdrus* Anton. *Tusdritanum* op. Plin. colon. & urbs olim Africæ mediter. à Tevestâ 185. m. p. ex Anton. distans. Baudrando *Cairoan*, in regno Tunetano, ad Capulliam fluv. ampla & celebris etiamnum; Arabib. *Cairavan*, 40. m. p. ab ora maris Mediter. & Syrtis min. ad Occ. 45. ab Hadrumeto in Mer. uti 90. à Tuneto, paulo plus à Tacape in Bor.

Thyssagetæ, Vide *Thyrsagetæ.*

Thyssus, *Thysus* Herodot. *Thyssa* Strab. op. Macedoniæ in monte Atho.

Thystadium, vulgò *Thysted*, opp. Jutiæ Sept. cum arce, in Diœc. Alburgensi, juxta Sinum *Limford*, vix 2. leuc. Dan. ab ora Oceani German. in Ort. 6. à Viburgo in Circium & 11. ab Alburgo in Occ.

Thystrus, urbs Libyæ. Herodian. *lib.*6.

T I.

Tiar Julia, urbs Hisp. Tar. Ptol. *Teruel*, teste Meletio. Baudrando *Tiar* Julia, seu *Tiara Julia*, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in Celtiberis, Ep. sub Arch. Cæsaraugustano, in Aragonia apud fines regni Valentini, inter Valentiam 25. & Cæsaraugustam 35. leuc. quæ *Terulium*, seu *Turulium* à fluv. Turuli dicitur. Hic tumulus duorum amantium visitur, quorum alter, nempe mas, ob basium sibi ab amasia negatum, obiit: Altera, hoc est, amasia ob basium amatori mortuo datum ilico expiravit. Brietio *Indibilis* est opp. Ilercaonum, hodie *Trayguera*, in regno Valentino, juxta amnem *Servol*, 3. leuc. Hisp. ab ora maris Mediterr. in Bor. 7. à Dertula in Occ. 19. à Terulo in Ort. Baudrand.

Tiara, capitis tegmen vel vinculum, pavoninis pennis insigne, Schol. Aristoph. *ad Acharn. act.* 1. *sc.* 2. quod forsan de galea bellica, non de habitu pacifico intelligendum. Claudian.

Te linguis variæ gentes, missiq; rogatum
Fœdera Persarum proceres, cum patre sedentem,
Hac quondam videre domo, positaq; tiarâ
Submisere genu.

Hieron. *in Danielem cap.* 5. *Tiara est genus pileoli, quo Persarum Chaldæorumq; gens utitur.* Vetus Scholiastes Juvenalis *ad Satyr.* 6. *vers.*514. Tiara *galea sacerdotis est, quæ per malas veniens mento subligatur:* Servius *lib.*7. *Æn. Tiara est pileum Phrygium, quod dicunt.* Quò allusit L. Seneca Tragœdus *Thyeste Act.* 4. *sc.*1.

Hoc Phrygius loco
Fixus tiaras Pelopis.

Ipse tamen Papinius, uti Claudianus, Regibus Parthorum ascribit:

Sicut Achæmenius solium, gentesq; paternas
Excepit si fortè puer, cui vivere patrem
Tutius, incertâ formidine gaudia librat,
An fidi proceres, an pugnet vulgus habenis,
Cui latus Europæ, cui Caspia limina mandet,
Sumere tunc arcus, ipsumq; onerare videtur
Patris equum, visumq; sibi nec sceptra capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.

Nec minus Suetonius *in Nerone*, cùm ait: *Deinde precanti, tiarâ deductâ, imposuit diadema* In buccas autem propendebat, Justin. *lib.*1. *Brachia ac crura velamentis, caput* tiarâ *tegit* (Semiramis) *& ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri jubet.* Juvenal. *Sat.* 6. *versu* 413.

—— —— Phrygia vestitur bucca tiara.

Color illi purpureus, Ovid. *Metam. lib.* 11. *fab.* 5.

Ille quidem celare cupit, turpiq; pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.

Gemmis & margaritis distinguebatur, ut regalem testaretur opulentiam, Val. Flaccus *Argonaut. lib.*6.

At viridem gemmis & Eoa stamine silva
Subligat, extremâ patriam cervice tiaram.

Assimilabat porro dimidiatæ lunæ effigiem, hinc *lunata tiara* Sidonio Apollinari dicitur, *carm.*2. *vers.* 51. *& carm.* 23. *v.* 251.

Ut fastu posito tumentis aulæ,
Qui supra Satrapas sedes tyrannus,
Ructans Semideûm propinquitates,
Lunatam tibi flecteres tiaram.

Cœterùm cùm Regum Sacerdotumque tegmen esset, hoc tamen discriminis erat, quòd sacerdotalis tiara acumine carebat, quo regia erat insignis, Hieron. *in Epist.* Cumque & aliis quandoque illam

illam gestare concederetur, differentiam tamen Philarchus docet *Histor. lib.* 11. referente Suidâ: *Tiara ornatus capitis, quam soli Reges rectam ferebant, apud Persas, Duces autem inclinatam. Demaratus autem Lacedæmonius, qui cum Xerxe Athenas venit, ob successum aliquem latiorem Rege ei permittente, petere quod vellet, petiit, in recta tiara Sardes invehi.* In quibus verbis historicum σφάλμα notat Th. Dempsterus *Antiq. Rom. lib.* 5. *c.* 35. Non enim *ob latiorem successum*, qui nullus fuit, sed ob salubre consilium ei datum, ne vellet bellum in Græcos jam destinatum exequi: ut narrat L. Seneca copiosissimè *de Benef. lib.* 6. *cap.* 31. qui, ubi totum belli apparatum ornatissimè expressit, tandem concludit: *Ita Xerxes pudore, quàm damno miserior, Demarato gratias egit, quòd solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet; Petiit ille, ut Sardes maximam Asiæ civitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens: id solis datum Regibus; dignus fueras præmio, antequam peteret: Sed quàm miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret Regi, nisi qui non dicebat sibi?* Quid discriminis sit inter tiaram & mitram, primus admonuit Brissonius, *de Persar. principatu lib.* 1. *pag.* 24. Nam Max. Tyrius *Serm.* 10. mitrophorum à *tiarophoro* distinguit, & Herodot *lib.* 7. tiaram Persas gestasse scribit, Cisseos verò pileos seu mitras. Apud hodiernos Persas Regii capitis tegmen *Tagi*. Corona dicitur, cujus primus auctor Ismael fuit Sophi. Hoc rubrum gestant etiam milites, Sophi seu sacerdotes & Regii satellites, nobilitatis insigne: quo discrimine, V. apud Petrum de Valle *Itinerarii tom.* 2.

Tiarantus, *Sereth*, teste Peucero, fluv. Scythiæ Europ. per Daciæ fines, seu per Moldaviam, ubi oppid. cognomine alluit, in Istrum influens.

Tiasum, *Diod*, teste Lazio, op. Daciæ in Valachiæ ac Transylvaniæ confin.

Tibareni, pop. Cappadociæ apud Chalybes, inter eos ad Ort. & Coryorum ad Occ. incolentes. Dionys. *vers.* 766.

Μάκρωνες, Φίλυρές τε καὶ οἳ μόσσυνας ἔχουσι
Βεχειροί τ', ἐπὶ δ' ἄγχι πολύρρηνες Τιβαρηνοί.

Hos inter Pharnaciam ac Trapezuntem locat Strabo. Plinius verò situ aliquanto magis Occidentali eos & Chalybas ponit. De his Mela 1. 20. *Tibareni Chalybas attingunt, quorum in risu lusuq; summum bonum est.* *Tibarni* Strab. His mos erat, ut à parturientibus jamque etiam partu liberatis uxoribus, viri in lecto mitrati collocarentur & ipsi vice puerperarum foverentur curarenturque.

Tibeon, vide *Tibium*.

Tiberiacum, à *Tiberio* Aug. uti Juliacum, à Julio Aug. op. amplum in territ. Ravennate, à Ravennâ 13. m. p. Ferrariam versus, *Bagnacavallo*, teste Hieronymo Rubeo, in Duc. Ferrariensi, sed Romandiolæ fere insertum. Baudrando 15. mill. à Ravenna in Occ. ad Senum fl. 9. à Faventia in Bor. Item oppidulum Germ. infer. olim Ubiorum, nunc in ducatu Juliacensi, ad Erftum fluv. inter Colon. Agrip. ad Ort. & Juliacum ad Occ. 3. leuc. *Bercheim*, teste Ortelio; Aliis est *Berrick* op. ad Rhenum ejusdem tractus.

Tiberianus, Syriæ Præses, non esse se parem Christianis occidendis, Trajano Imp. scribens, cùm & Plinius eorum innocentiam epistolâ ad Imperatorem data tueretur, auctor fuit, ut persecutioni poneretur modus, An. Ch. 116. V. Plin. *lib.* 10. *Epist.* P. Orosium *lib.* 7. *cap.* 8. Euseb. *lib.* 3. *cap.* 30. *&c.*

Tiberiadis lacus, vulgò *la Mer de Tabarie*, seu *de Galilée* in Tera S. in confinio Galilææ, per quem Jordanes labitur, à Sept. in Mer. per 15. m. p. extenditur, inter Tribus Zabulon & Issachar ad Occ. & dim. trib. Manasse ad Ort. V. *mare Galilææ*.

Tiberianus, aliàs Titianus, Præfectus Prætorio, sub Constantino M. Poëta fuit latinus. Hieron. *in Chron. Eus. Olymp.* 278. *an.* 4. Lil. Giraldus, *in Hist. Poët.* Voss. *de H. L.*

Tiberias, *Tabarie* nunc, teste Nigro, urbs insignis Palæstinæ cum lacu cognom. in Galilæâ à Nazareth supra 10. m. p. in Ort. inter Scythopolin ad Meridiem & Capharnaum ad Bor. Erat in tribu Zabulon, in agro opimo, & ora Occ. maris Galileæ seu Tiberiadis ab ea dicti, hodie *mer de Tabarie*, 30. m. p. à Nazareth in Ort. 5. à Jotapata, Baudr. Dicta est & *Genesareth*. Id. Sub mont. erat Metropolis & terminus Decapoleos Galilæarumque urb. maxima. Ab Herode in honorem Tiberii Cæsaris condita, teste Steph. Captâ à Godofr. Bullionæo Hierosolymâ, Hugo de S. Audomaro, Princeps Galilææ & Tabariæ, à Balduino I. creatus est. Hujus dein filia Eschina, nupsit Guillemino de Bures, Connestabili Hierosolymitano. Lacus autem *Genesareth*, & *mare Tiberiadis*, & *Galilææ* nominatur.

Tiberina, ins. ut Vitruvius eam vocat, quam Tiberis fluv. in urbe Roma ambit. Nunc *Isola di S. Bartolomeo*, à templo D. Bartholomæi: *Lycaoniam* quondam dictam scribit Blondus. Æsculapio sacram scribit Halicarnass. cujus templum erat, ubi nunc cœnobium Monialium: Et Jupiter ibi cultus *Lycaonius*.

Tiberina & Augusta Tiberii, dicta est Ratisbona. V. ibi.

Tiberina castra, pagus Vindeliciæ in Bavariâ apud Dingelfingum op. *Peringen*, teste Lazio.

Tiberina, ostia duo, quibus Tiberis fluv. in mare Tyrrhenum apud Ostiam & Portum Augusti, urbes excisas, ab urbe Roma 16. m. p. exoneratur. Baudrando mel. *Ostia Tiberina*, vulgò *Ostia*, urbs excisa Latii, ad ostia Tiberis, 12. m. p. Româ in Mer. contra ostium Orient. Tiberis, vulgò *Bocca del Tevere*, cùm Occident. ostium, quod & maximè frequentatum, *Fiumicino* dicitur, sit prope Portum, & vix m. p. inter se distent, sed 220. circiter ab ostio Macræ fluv. in Eurum via recta, & 260. juxta oram littor. maris Tyrrh. V. *Ostia Tiberina*.

Tiberinus campus, antea *Tarquinius*, dein *Martius* vel potius prius *Martius*, & nunc *Campo Marzo*, Romæ. Liv. A Caja Tarratia, virgine Vestali, secundùm A. Gellium *lib.* 6. *c.* 7. vel ab Acca Laurentia, scorto nobili, ut alii volunt, Populo Rom. donatus, à Romulo verò Marti dicatus est.

Tiberinus Sylvius, Capeti fil. Albanorum rex, qui in vicino fl. submersus effecit, ut pro *Albula*, *Tiberis* diceretur. Item Tiberis fl. præses; ponitur etiam pro ipso Tibere, Virg. *Æn.* 1.

Carthago Italiam contra Tiberinaq; longè
Ostia. —— ——

Tiberiopolis, urbs Phrygiæ magnæ, Episc. sub Arch. Hierapolitano, apud ort. Caystri fl. à Philadelphiâ ad 60. m. p. in Cæciam. Altera Triballorum in Thraciâ in Mysiæ infer. confin. *Strumitza* Curopal. Episc. olim sub Arch. Heracliensi, postea Metropolis effecta, in monte prærupto & saxoso, V. Niceph. Gregoram *lib.* 2.

Tiberis, vulgò *il Tevere*, celeberrimus Italiæ fluv. è mediâ fere longitudine Apennini, Aretinorum finibus defluens, qui multis deinde fluv. auctus, ab Hetruriâ Latium Janiculumque ipsum ab urbe Româ dirimit, tandemque decimo sexto ab urbe lapide 2. ostiis modico intervallo diremptis in mare evolvitur, eâ in parte, quâ Ancus Ostiam extruxit, Dionys. Halic. *lib.* 1. Ὁ Τέβερις ποταμὸς τὰς μὲν ἀρχὰς λαμβάνει τῆς ῥύσεως ἐκ τῆς ὑπωρείας τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, εἰς δὲ τὸ Τυρρηνικὸν ἐξερεύγεται πέλαγος, ... πλησίον ἐκδιδούς. Strabo *lib.* 5. Ῥεῖ δ' ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ὁ Τίβερις πληρούμενος δ' ἐκ πολλῶν ποταμῶν μέρος μέν τι δι' αὐτῆς φερόμενος τῆς Τυρρηνίας, τὸ δ' ἐφεξῆς διορίζων ἀπ' αὐτῆς πρῶτον μὲν τὴν Ὀμβρικήν, εἶτα τοὺς Σαβίνους καὶ Λατίνους. Vide Plin. sen. *lib.* 3. *cap.* 5. & Plin. jun. *lib.* 5. *ep.* 6. Dionys. *lib.* 9. de latitudine altitudineque ejus, inter urbem & ostium ita tradit: Τοῦ δὲ Τιβέριος ποταμοῦ τὸ μὲν εὖρος ἐστι τεττάρων πλέθρων μάλιστα, τὸ δὲ βάθος, οἷόν τε ναυσὶ πλεῖσθαι μεγάλαις· τὸ δὲ ῥεῦμα, ὥσπερ τι ἄλλο, ὀξὺ καὶ δίνας ἐργαζόμενον μεγάλας, ὃν οὐκ ἔστι πεζοῖς διελθεῖν, εἰ μὴ κατὰ γέφυραν. Baudrando oritur ex Apennino, ex monte *Falterona*, ad vicum *monte Corvajo*, in agro Florentino, in limite Romandiolæ. Becmanno in Apenninis finibus Aretinorum; eadem fere parte, ubi fons Arni supra Aretium. Hinc in Mer. tendens, Burgum S. sepulchri rigat. Dein per dit. Pontificiam fluens, juxta Tifernum Tiberinum labitur, uti prope Perusiam; postea recipit Tiniam, & Tudertum rigat. Hinc auctus fl. Palliâ *Paglia*, cujus ostium scaphas tolerat, Nare 8. m. p. supra Civ. Castellanam, Aniene, aliisque minoribus amnibus usque ad 42. Romam interluit, & 12. m. p. infra in mare Tyrrh. duobus ostiis, à quibus Ostiæ nomen, se exonerat. Ejus ostia 100. m. p. ab ostio Aterni in Occ. distant, inter ostia Vari flu. vix 400. & Leucopetram prom. 370. circiter. Ex ejus ostiis hodie sinistrum subiri non potest, sed dextrum tantùm, quod *Fiumicino* vulgò, ideoque portum immenso sumptu & opere ad hoc ostium prisci Cæsares extruxere; & nunc in ejusdem ostii conservatione multùm laborant Pontifices. Hujus flum. inundationes magnæ calamitates belli famisque sequi solent. Gignit id lupum, ut Ravenna rhombum, elopem Rhodus, Sicilia murænam Plin. sed Tartessia muræna laudatissima, Quintil. Hoc Maxentius, hostis à Senatu judicatus, mersus est, Ann. Chr. 312. A Dracone terribili, comitato immani serpentum caterva ita infectus est, ut pestis hinc ingens sequeretur, paulo ante quàm Bonifacius III. *Universalis* titulum à Phoca impetrasset, An. Ch. 606. Supra modum intumuit An. Ch. 717. sub Papa Gregorio II. qui conventu Lateranensi *imaginum venerationem* sanciverat, An. C. 715. Formosi dein Pontif. cadaver à Stephano VI. in eundem fluv. projectum est, Ann. Ch. 896. cujus undis multa millia hausta sunt. Henrico V. Imp. cum Paschali de Investituris litigante, An Chr. 1111. Itidem sub Friderico Barbarossa, ob insolentiam verborum, A. C. 1155. mersi ad mille, coërcitique Romani sunt. Iterum alveo egressus, longe lateque stragem dedit eadem nocte, quâ cum Albano Romam obsidente transactum est, An. C. 1557. Pauli IV. statua, ob Inquisitionis rigorem in Tiberim præcipitata est, An. Ch. 1559. in eundem sparsi sunt cineres Marci Antonii de Dominis, cujus cadaver exustum fuerat, An. Ch. 1625. In hujus ponte olim Imperatores Germani, coronationis causâ Romam profecti, Equites creare in more habuerunt, edicto prius per præconem promulgato, an præsentes adsint unus vel plures è familia Monachorum Basiliensium, Beierorum Argentinensium, Camerariorum Wormatiensium, Boppartensiumque Bavarorum: prius enim nullus eques creari poterat. Joh. Heroldus *in Solone*. Ob trubam in Tiberis ponte periclitantem, à Nicolao V. Jubilæum, non sine clade celebratum est, An. Ch. 1450. &c. De ratione nominis diversi diversa prodidere. Livius à *Tiberino* Albanorum rege dictum existimat, in trajectu ejus submerso, quum ante *Albula* diceretur. In qua sententia Ovidius quoque fuisse videtur *lib.* 2. *Fast.*

Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis
Reddidit, hybernis forte tumebat aquis.

Ser-

Servius autem Tiberis nomen ipsâ etiam Albâ vetustius esse contendit, ideoque nominis ejus originem ad *Tybrim* potius Hetruscorum regem referendam putat, qui Latium etiam crebris latrociniis infestans, tandem circa hunc fluv. est occisus. Cui sententiæ Virgilius quoque non obscurè subscribit, apud quem sic loquitur Evander, *lib* 8. *Æneid.*

Tum reges, asperq; immani corpore Tybris,
A quo pòst Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus, amisit verum vetus Albula nomen.

Dicitur & Θύμβρις. Stephanus: Θύμβρις, ποταμὸς Ῥώμης ὃς καὶ Τίβερις. Vocabatur etiam Θύβρις, & sine aspiratione Τύβρις. Unde Servius in Æn. 8. *In sacris Tiberinus, in καθολικῇ* Τίβερις, *in poëmate Tybris vocatur.* Dionysius, ubi de terrâ Latinorum:

— — Ἧς διὰ μέσσης
Θύμβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει,
Θύμβρις ἐϋῤῥείτης, ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων,
Θύμβρις, ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην.

Silius *libr.* 8.

Nec non sceptriferi qui potant Tybridis undam.

Virgilius *Æneid.* 8.

— *Ego sum pleno quem flumine cernis*
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem
Cæruleus Tybris, cælo gratissimus amnis.

Idem *alibi*:

— — *Ubi Lydius arva*
Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.

Tiberis alter, vide *Tyberis*.

Imperatores Romani.

Tiberius I. Claudius Nero, Rom. Imper. inter Cæsares notissimus, non usque adeò laudabilis, cujus tamen fuit vox honestissima: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* Filius Tiberii Neronis, ex Livia Drusilla, quam Augustus sibi junxit; matris artibus Imperio admotus, An. Chr. 14. principio satis clementem se præbuit, postmodum, ne proximis quidem pepercit. Germanicum fratrem, cum Agrippina, uxore ejus sustulit: in filios illorum Drusum & Neronem æquè sævus. Sejanum, quem præter meritum evexerat, rursus pessundedit, omnibus, quos suspectos habebat, calamitati ejus involutis. Senatorum florem extinxit: Dissimulator, crudelis, libidinosus. Primò Vipsaniæ, quæ Agrippæ filia erat, maritus, hanc repudiare coactus est, ut Juliam Augusti duceret: quam similiter paulo pòst dimisit. Pater ex priore conjuge Drusi, cujus filium Caligula sustulit. Conscientiæ stimulis agitatus, gravissima passus est: Successorem nominavit Caligulam, filium Germanici: qui, quò maturius imperio potiretur, Tiberium ægrotantem strangulavit propriis manibus. Alii tamen eum veneno ab hoc sublatum scribunt. Obiit An. Chr. 37. ætat. 78. Latine Græceque doctissimus, Julii Cæs. mortem lyrico carmine prosequutus est. Græcos quoque versus condidit, imitator Euphorionis, Rhiani & Parthenii, quorum imagines in Bibliothecis publicis statui curavit: unde tot in Tiberium eruditorum encomia. Plura vide apud Sueton. *in ejus vita.* Tacit. 6. *Annal. extremo.* Dion. Victor. &c. De hoc Tiberio sic Plin. 11. 37. *Ferunt Tiberio Cæsari nec alii genitorum mortalium, fuisse naturam, ut expergefactus noctu paulisper, haud alio modo, quàm luce clarâ contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus.* De nomine Probus *in Epitome*: *Tiberii cœperunt vocitari, qui ad flumen Tiberim nascebantur.* Hinc adject. *Tiberinus*, Stat. *Sylv.* 3.

— — *Tibertia primùm*
Aula tibi, vix dum ora novâ mutante juventâ
Panditur. — —

Tiberius II. Flavus Anicius Constantinus, Thrax, à Justino Jun. Cæsar creatus; spem de se conceptam egregiè implevit. Post Justinum solus regnans, Persas, qui sub Chosroe se formidabiles reddiderant, vicit. Obiit prope Constantinopolim, An. 582. Imp. 4. gloriæ satur. Ei successit gener Mauritius, quem post reditum è Persia Cæsarem creatum insigni oratione officii admonuit, Vide Niceph. *lib.* 18. *cap.* 6. Evagr. *lib* 6. Agathiam, &c. ut & *infrà*

Tiberius Absimarus, vide *Absimarus*.

Viri illustres.

Tiberius, Prædt. Præf. à Justino min. adoptatus, Imperium accepit An. Chr. 578. Hic Cosroëm Persarum R. devicit, castra, territorium, thesauros, ac *Ignem* Persarum Deum cepit. In pauperes fuit largus, persuadens sibi, *non defuturam sibi pecuniam, quoad ipse Christi secundum præcepta in cœlo thesauros colligeret.* Niceph. Cedren. Hinc locupletissimos thesauros tum Narsetis à sene indicatos, tum in palatio reperit. Mauritium generum & successorem sibi legit. Fuit & ejus nominis Grammaticus, qui de Ideis orationis scripsit libb. 3. aliaq; complura, Suidas. Item Artis Veterinariæ scriptor Græcus.

Tiberius Alexander, illustris Eques Romanus, minister bello in Armenia Corbuloni datus, pòst Procurator Judææ: cùm idem anteà Alexandriæ Halabarches exstitisset, Joseph. *lib.* 20. Tacit. *Hist. l.* 2. Pater ejus item *Tiberius Alexander*, qui Halabarches Alexandriæ & frater Philonis Judæi, cujus nunc scripta habemus.

Tiberius Drusus, Drusi filius Tiberii Cæs. nepos, quem Livia Germanici soror, statim post ejus mortem, Druso peperit gemellum: Unde & *Gemellus* dictus est. A Cajo Caligula postea sublatus.

Tibernio, vulgò *Tivernon*, locus Galliæ in Belsia.

Tibesis, Scythiæ fluv. Herodot. *lib* 4.

Tibia, Phrygia, in universum sic dicta, Suidas: Τιβία, Φρυγία ἅλη. Vide Palmer. *pag.* 575.

Tibilitana aqua, locus Africæ mediterr. ubi *Tibili* oppidum, seu *Tibilis* urbs, 54. mill. pass. in Merid. ab Hippone Regio. Anton. Sanct. Augustin.

Tibisca, Mœsiæ infer. opp. Ptolem. *Sophia* Nigro. In Bulgaria, non illa *Sophia* in Mysia super. quæ hodie Satrapæ totius Græciæ sedes, à Nicopoli ad Hæmum 60 m. p. à Thessalonica supra 100. à Justiniano Imp. conditum, Procop.

Tibiscum, Daciæ opp. in Jazygum confin. ad *Tibiscum*, fluv. in Hungariâ Transdanubianâ. *Titul* Lazlo, 4. leuc. ab Acuminco in Boream, Segedinum versus, à Taurino urbe 61. Locus nunc cum præpositura.

Tibiscus, fluv. Hungariæ, *Tyssa*, seu *Teissa* vulgò. Oritur ex Carpatho monte, in ipso limite Russiæ nigræ, & Transylv. in Comit. Moramarusiensi; dein in Occid. tendens, auctus Zamo, Thuia, rivisque plurimis, Tochæum rigat, recipitque Bodrocum & Tarczacum fluvium. Dein in Merid. fluens, Zagivam recipit ad Zolnochium, Chrysium, *Kerez*, ad Czongradium & Marisum ad Segedinum; tandemque auctus fluv. *Temes*, paulo infra Tibiscum opp. in Danubium se exonerat, 4. leuc. supra Taurunum, & vix 2. infra Petrovaradinum oppidulum. Cis & trans hunc fluv. Maximilianus II. ad 40. milliaria fines dilatavit, An. Chr. 1565.

Tibisena ostia, habet Valerius Flacc. *Argonautic. lib.* 6. *vers.* 51. fortasse Scythiæ fluvius. Abrahamo Ortelio vox ignota hæc accidit dubitatque utrum *Borysthena* pro eâ substitui debeat. Affirmat tamen fabulam, quam eo loco refert Flacc. describi ab Herodoti *Melpomene*, in Hyleâ regione viciná Borystheni.

Tibius, nomen servi, in Comœdiis, sicut *Sosias*, *Xanthias*. Vide Scholia *in Aristoph. Acharn.*

Tibius, & Tybius, vulgò *Teifi*, vel *Tivy*, fluv. Albionis, per Walliam, in Ocean. Hibernicum, apud Cardengam opp. fluens; forsan idem fluv. cum *Tuerobi*. Vide ibi.

Tiboon, mons Phrygiæ, à Tibeo quodam, hinc & servos *Tibeos* vocant, Stephan.

Tibula, hodie *Castel Aragonese*, Briet. urbs munita Sardiniæ, in ejus parte Bor. & in ora Occ. contra Herculis Insul. 12. mill. pass. à Turri Libissonis in Bor. Juliolam versus paulo minus, 30. ab ora prox. Corsicæ in Africum, 110. à Calari in Bor. 70. ab Olbia in Occ. uti paulo plus à portu Liguidonis.

Tibullus, cognom. Albius, Poëta elegiographus, & Eques Romanus, sub Augusto: natus Hirtio & Pansâ Coss. eodem anno, quo Ovidius Sulmone in lucem editus est. Horatio, Ovidio, Macro, & Messalæ Corvino, quem contra Phæacas comitatus est, familiaris: in insula hac, æger sequens Epitaphium sibi confecit:

Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus,
Messalam terra, dum sequiturq; mari.

Poëta juxta Quintiliani sententiam, inprimis elegans, tersus, ad amores & delicias aliquanto proclivior. Ovid. 1. *Amor.* 15.

Donec erunt ignes, arcusq; Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

Horatius de patre suo:

Nonne vides Albi ut malè vivat filius. —

Ubi Theod. Marcilius: Ut *Satyrâ* 2. Mæcenati suo, ita nunc Albio Tibullo verres hic dentis sui obliquum ictum infligit. Ibi Mæcenatis mollitiem, hîc Tibulli miseram vitam, sive paupertatem adrodit. Hæc ille. Atqui alibi de eodem Tibullo:

Non tu corpus eras sine pectore, Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederant, artemq; fruendi.

Et alibi:

Albi nostrorum sermonum candide judex.

Ubi alludere videtur ad nomen *Albii*. Hujus obitum insigni elegiâ Ovidius prosequutus est. Vide Bernard. Cillenium Veronensem, Mart. Antonium Muretum, Jos. Scaligerum, Achillem Statium, Lusitanum, *notis in eum*: Item Lil. Girald. *in Hist. Poët.*

Tibur, civitas in Sabinis 16. ab Urbe lapide, crebris fontibus irrigua, & singulari aëris temperie commendata. Ovid. *Fastor.* 4.

Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant; Argolicæ quæ posuere manus.

Horatius:

Ne semper udum Tibur & Æsulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ.

Hodiè *Tivoli*, civit. Campaniæ Rom. in dit. Pontif. in colle, ubi cataractæ Anienis, & palatium superbiss. Card. Hippolyti Estensis, 12. m. p. à Frascata in Bor. Baudr. Est autem hoc opp. origine Græcum, à *Tiburto*, Catillo, & Corâ Amphiarai liberis, post prodigiosum patris ad Thebas interitum, communiter conditum, & à *Tiburti* nomine natu maximi *Tibur* appellatum. Virgilius *Æn.* 7.

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia condunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusq; acerq; Coras, Argiva juventus.

Silius *lib.* 8.

— *Et Tibur, Catille, tuum.*

Herculeum vocat Propertius *lib.2. cap.32.*

Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?

Credo, quòd ibi templum Herculis, Strab. *lib.5.* Τίβυρος ἐν ᾧ τὸ Ἡρακλεῖον. Pomis abundabat. Horat. *lib.1. Carm.*

Et praeceps Anio, & Tiburti lucus, & udis
Mobilibus pomaria rivis.

Hinc *pomosum* vocat Columella, *lib. 10.*

Hic Turni lacus, & pomosi Tiburis arva.

Idem Horatius 2. *Satyr.4.*

Picenis cedunt pomis Tiburtia poma.

Silius *lib.4.*

Quosq; sub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant.

Vide Plinium *lib.17. cap.16.*

Tiburnia, melius *Teurnia*, urbs Norici, hodie *Villach*, urbs Carinthiæ sup. ad Dravum. Vide *Teurnia.*

Tiburtina villa, hodie *Villa d' Adriano*, in agro Tiburtino. Altera in eodem territ. cujus meminit Vitruv. nunc *Taurina* dicitur, Cæs. Cæsarianus.

Tiburtini, Romanis obedire, Romanoq; Pontifici renuebant, Ann. Chr. 1146.

Tiburtius, prænom. *Lucius*, Centurio Cæsari, à Pompejanis, in colloquio ad Apsum fluv. vulneratus. Cæs. *de bello Civ. cap.19.*

Ticaria, Insula Illyrici, inter Pharlam ad Occid. & Corcyram nigram in Ortum, vulgò *Trucula*, vide *Truconis.*

Ticarinia, urbs ad Pont. Euxin. Palæph.

Ticarius, seu *Ficarius*, Corsicæ fluv. Ptol. *Grosso* Leandro. Parvus, in parte Austr. Insulæ. Quibusdam est *Bozzo*; Brietio *Ficari*; ac in Sinum Titianum se exonerat.

Tichasa, urbs Africæ propr. Ptolem.

Tichioës, Castellum prope Trachinam, Stephan.

Tichis, fluv. Hisp. citer. vulgò, *Tec*; apud Girundam decurrens pelago ad Rhodam excipitur, vide *Thicis*, apud Mel.

Tichium, opp. Ætoliæ, Thuc.

Tichos, castellum Achajæ, Stephan.

Ticida, poëta quidam, qui epigrammata scripsit tempore Valer. Catulli. Amavit *Metellam*, quam ficto nomine *Perillam* vocavit. Ovidius *Trist.2.*

Quid referam Ticida, quid Memmi carmen? apud quem
Nomen adest rebus, nominibusq; pudor.

Ticinum, nobile Insubrum opp. olim Longobardorum regia, in planitie ad Ticinum fluv. à Liguribus, Levis & Maricis, ante Mediolanum, alii malunt à Gallis, paulo pòst hanc urbem, condita. Postea *Flavia Papia* dicta, & *Papia*, Paul. Diac. Cum titulo Princip. Acad. fundatâ à Carolo M. An. Chr. 791. restauratâ à Carolo IV. An. 1361. & Episcopatu, qui immediate Romanæ sedi subest. Naturâ & arte egregiè munita, clavis Lombardiæ. Post Gallos subfuit Romanis, dein ab Attila vastata, porro Odoacrum, qui ibi Orestem obsedit, sensit infestum. Exin Longobardi, regnante Albino, rerum hic potiti sunt, qui illam post diuturnam obsidionem captam, sedem regni, ut dictum, constituit. Sed cum Desiderio Longobardorum ultimo Rege, in potestatem à Carolo M. redacta est, An. Chr. 773. Post quæ sub Regibus Italiæ fuit, donec Otto I. illâ occupatâ, Berengarium cum filio regno expulit, An. Ch. 951. Cum Mediolanensibus acre civibus bellum, An. C. 1059. quibus sequentibus temporibus varii imperarunt Tyranni, usque dum Vice-Comites Mediolanenses urbem ditioni suæ junxerunt. Franciscus I. Galliæ Rex postea bello Mediolanensi, cum urbem hanc obsideret, cruentissimo prælio à Carolo V. Imper. victus, captusque est, An. Chr. 1525. Occupata tamen est à Lautreco, Gallicarum copiarum duce, An. Chr. 1527. sed recepta, Hispanis mansit. Hic multa antiquæ nobilitatis monumenta, & pons lapideus, magnitudine & structurâ in Italia nulli secundus: Varia collegia, plurima templa magnifica, Augustinianorum inprimis, apud quos St Augustini corpus asservatur, celebre. Hæc Othoni Imper. se dedidit An. 911. Hic & Autharis Longobardorum Rex, cùm 6. annos cum Theodelinda Uxore regnasset, dolo domesticorum poculo venenato sublatus est. Conradus II. Imper. Ticinenses rebelles, qui Palatium regium dejecerant, domuit, novo erecto. Horribili pestilentiâ afflicta urbs est An. Chr. 680. immani arsit incendio, An. C. 1004. Hic quoque Boëtius sepultus est, P. Diaconus *lib. 4. de gestis Longobardorum*, Luitprandus, Sigonius, Anton. Maria Spleta, Bernardus Saccus *in Histor. Ticin.* Leander Albertus *descr. Ital.* præter Plinium, Tacit. Ptolemæum, Strabonem, &c. Ibidem Concilium An. Chr. 850. quod à Ludovico & Lothario Impp. confirmatum est. Carolus quoque Calvus, post coronationem Romà reversus Concilium ibidem convocavit, An. Chr. 876. Contra Simoniacos aliud à Leone IX. celebratum est, An. Ch. 1049. Gregorius porro VII. ab iis qui Henrici IV. Imp. partes secuti sunt, Concilio hîc indicto, excommunicatus est: An. Chr. 1076. qui idem Wormatiæ postea in Synodo Necromantiæ, adulterii aliorumque scelerum est accusatus, An. Chr. 1078. &c. Vide Morer. *Hist. Lex.* Hodie *Papia* vocatur, vulgò *Pavie*: de Ticinensi terr. V. *Papiense territorium.*

Ticinus, fluvius Insubriæ clarissimus, qui ex Adula erumpens, ac per lacum Verbanum, Ticinique urbis mœnia lambens, post 4. m. pass. in Padum influit. Aquas suas limpidas, permixtas aquis Padi turbidis ad 10. m. p. conservat. Arenis alicubi aureis & thymallo pisce nobilis. *Tesino* hodie dicitur. Ejus mem. Silius *lib.4.*

Cæruleas Ticinus aquas, & stagna vadoso
Perspicuus servat turbari nescia fundo.

Unde Claud. *in 6. Consul. Honorii*:

Colla levans pulcher Ticinus, & Addua visu
Cæruleus. —— ——

Ticlrvinni, vicus hodie in Flandria, non procul à Gerardi Monte *Grammont*: Vulgò *Dickelvenne.*

Ticum, vulgò *Ticou*, urbs Sumatræ, cum portu capaci, in ora Occ. 180. m. p. à Malacca in Africum, & 400. circiter ab Acemo in Mer. sub Rege Acemi.

Tidora, vulgò *Tidor*, una ex Moluccis propriè dictis, inter Ternatam ad Bor. & Motiram ad Mer. prope oram Occid. Giloli Ins. Sub Hollandis, qui ibi aliquot habent arces. Parva, sed aromatum proventu dives. Vide Hugon. Grotium *Histor. Belg.* & supra in voce *Molucca.*

Tiela, vulgò *Tiel*, vel *Tielt*, opp. Geldriæ, in Batavorum finibus, ad Vahalim; 4. leuc. à Noviomago in Occ. 4. Vorcum versus, Bomelæ opp. proximum.

Tiella, una ex 3. Hyblis Siciliæ, Steph.

Tiena, urbs Brabantiæ, ad Getam amnem, Metel.

Tiencheum, vulgò *Tienchée*, urbs Quansiæ, in Sin. nunc sub Rege Tunchini. Subsunt ei quatuor urbes, M. Martinius.

Tierstenium, castrum celebre, in veteri agro Raurico, vulgò *Tierstein*, sedes Comitum olim, qui habitatâ prius Vuitnaugiâ, pagus is est Viesæ vallis, contra Basileam, versus Hercynium nemus, affinitate dein cum Vroburgensi familiâ contractâ, matrimonii jure, novâ accessione in agro Raurico aucti sunt: hæredes postea Sougerensium quoque facti. Defecit stirps, An. Chr. 1519. Henrico ultimo Comite defuncto. Primùm oppignoratum Solodurensibus, apud quos civitatis jure postremi Comites fruebantur, pleno tandem dominio ad eos devenit: reliqua illorum bona, partim iisdem, partim Episcopo Basiliensi, gente extinctâ, cesserunt. Vide Stumpf. *Chron. Helv.* Christ. Urstisium *Hist. Basil. &c.*

Tiessa, Pausan. *Tiassus* Athen. fluv. Laconicæ, per Spartam & Amyclas, in Eurotam fluens.

Tifata, vulgò *Monte di Capoa* & *di Caserta*, Livio & Vellejo Campaniæ mons, Capuæ urbi imminens, inter eam & Nolam extensus, teste Dionysio. Ejus mem. Stat. 4. *Sylv.*

Cessat apex procul ista tuus, Tifata, Teate.

Silius *lib.12.* ubi de Annibale;

—— —— *Arduus ipse*
Tifata invadit propior, quà montibus instat
Collis, & è tumulis subjectam despicit urbem.

Cum oppido olim cognom.

Tifernas, vide *Georgius.*

Tifernum, urbs gemina Umbriæ: unum *Tiberinum* cognomin. Episcop. situm in planitie, non procul à Tiberi fluv. à quo denominatur, vulgò *Citta di Castello.* Baudrando regiunc. cognom. caput, ad Tiberim, in limite Hetruriæ, 10. m. p. à Burgo S. Sepulchri in Merid. 18. ab Aretio in Ort. Calium versus 22. Satinmun 12. Sub Pontif. Hinc ager *Contado di Citta di Castello.* Alterum *Metaurense* dictum, ad *Metaurum* fluv. in valle, à priore 20. m. p. opp. haud obscurum Ducatus Urbinatis. Ferr. Vulgò *S. Angelo in Vado*, 6. mill. ab Urbanea in Occ. uti 16. à Tiferno Tiberino in Bor. 13. ab Urbino in Occ. Sub Pontif. Baudr.

Tifernus, *Phiternus*, Ptol. (ut quibusdam placet) fluv. Frentanorum, illos ab Apulis Dauniis dividens, ex Apennino monte in mare Hadriaticum per Larinum ad Thermulas influens. Baudr. *Biferno* dicitur hodie, oriturq; in Comitatu Molisino, prope Bovianum; hinc in Cæc. tendens, Guardiam Alferiam rigat & versus Larinum labitur, tandemque prope Thermulas Urb. Capitanatæ, in mare Adr. se exonerat.

Tigava, Plin. Ptol. *Tigavia* Anton. urbs olim Episcop. Mauric. Cæsar. mediterr. 2. mill. p. ab Oppido novo. Episcopi *Tigabitani* meminit Augustinus.

Tigellinus, vide *Ofonius.*

Tigellinus Sophonius, vel *Tigillinus*, vir Romanus, vitæ corruptissimæ, qui Neroni intimarum libidinum conscientiâ cùm esset familiaris, plurimis summis viris per calumniam exitium machinatus est. Posteà rerum potito Othone, ad aquas Sinuessanas, supremæ necessitatis nuncio accepto, inter concubinarum oscula fauces sibi præcidit. Tacit. *lib.1. Hist.* Juvenalis *Sat.1.*

Pone Tigellinum; tædâ lucebis in illâ,
Qua stantes ardent, &c.

Tigellius, vide *Thermogenes.*

Tigernum, castr. vetustissimum Galliæ, in finibus Arvernorum, hodieq; *Tiern*: cum Monasterio cogn. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Tigis, Maurit. Cæs. opp. Ptol. *Tigisi* Anton. Episcop. sub Archiepisc. Cæsariensi, Rusucurro 12. m. p. in Merid. distans: nunc *el col de Mudelares* dicitur; estque recèns cultum à Mauris ex Hispan. ejectis, 8. leuc. ab Algerio, teste Sansone.

Tignia, fluv. Piceni apud *Tignium* opp. fluens. *Tenna* Francisco Pamphilo, *Tinea* aliis, inter Chientum & Asonem fluv. mox ad portum Firmianum excipitur.

Tignium, Piceni oppidum Cæsari; medium fere inter Firmum ac Tollentum, unde 16. mill. pass. abest. Vulgò *S. Maria in Giorgio*, Leandro.

Tigra, urbs Mœsiæ infer. Anton. & Lib. Not.

Tigranaana, urbs Armen. maj. versus confin. Mediæ. *Simolachach* Georgianis; *Tauris*, Nigro & Theveto. Sed situs apud Ptol. haud convenit, cùm *Tauris* in Mediâ sit, non in Armeniâ. Baudr. etiam *Tigranoama*, olim fuit inter Caspium montem ad Ort. & Arissam lac. ad Occ. Quid hodie sit, difficile dictu.

Tigranes, rex maj. Armeniæ potentissimus, qui auxilium ferens Mithridati, victus est primò à Lucullo, deinde à Pompejo M. in deditionem acceptus, & in regnum restitutus, persolutis 6000. talentis. Crebra ejus mentio apud Cicer. *pro Lege Maniliâ*. Lucanus *lib. 2.*

Tigranemq; meum, nec Pharnacis arma relinquas.

Vide *Justin. lib.* 40. Appian. *in Syr.* Liv.

Tigranes, Armeniâ quondam potitus, ac sub Tiberio reus, Qu. Plancio, Sext. Papinio Coss. ne nomine regio quidem supplicia civium effugit, Tacit. *lib. 6. cap.* 40.

Tigranes, à Nerone, ad capessendum Armeniæ regnum dilectus, Cappadocum ex nobilitate regis Achelai nepos; Sed quòd diu obses fuerat apud Rom. usque ad servilem patientiam demissus. Tacit. *lib. 14. cap.* 26.

Tigranocerta, urbs Armen. maj. quæ *Tigranopolis*, ac *Tigranopema* teste Appiano, dicta est, à Nisibi urb. Mesopotam. 36. mill. pass. in Bor. ad Nicephorium fluv. teste Tacito, apud Masium mont. qui Gordyæo finitimus est, teste Strabone. Ea hodie *Sultania* Jovio dicitur, Bonacciolo verò *Sava*. Baudr. est ad Nymphæum fluv. versus confinia Assyriæ, inter Arthemiram ad Cæe. & Amidam ad Afric. 100. m. p. à Nisibi, sed à Masio monte remota. Hodie creditur *Betlis*, urbs munita Turcomaniæ. Sub Turcis.

Tigre, vulgò *Tigre*, regnum Africæ, pars regni Abissinorum, cujus Protex *Tigre mahon*. Hujus portio, quæ Sinui Arabico vicina est, regnum *Barnagassi* dicitur. Hieron. Lupus Lusitanus, *de orig. Nili & Æthiop. super.*

Tigres, Peloponnesi fluv. qui postea *Harpys* dictus fuit à demersâ in eo unâ *Harpyiarum*. Apollod. *lib.* 1.

Tigris, sic à velocitate dictus, quasi *sagitta*, insignis Asiæ fluvius, qui in Armeniâ maj. loco plano & conspicuo nascens per Arethusam lacum ita transfluit, ut neque aquæ, neque pisces commisceantur. Occurrente dein Tauro in specum, sicut Lycus in Asia, & Erasinus in Argia, demergitur, & ab altero ejus montis latere erumpit, ac mox per Thospiten lacum transvectus, rursus in cuniculos mergitur, & post 20. m. p. luci redditur. Post hæc Mesopotamiam, quæ quòd inter Tigrim & Euphratem intercepta sit, sic dicta est, ab Ortu seu dexter alluit, tandemque in 2. divisus cornua, in Euphratem, qui similiter in Armenia maj. oritur, ad locum ubi Seleucia à Seleuco Nicanore condita, influit, à quo in Persicum sinum defertur. Dionysius:

Ποταμῶν ὠκιςος ἁπάντων
Τίγρις ἰθύτατος φέρεται.

Solinus *cap.* 40. *In Armenia majoris regione caput tollit, mirè quàm lucido conspicuoq; fonte, in loco haud edito, qui Elongosine nominatur; nec tamen ab exordio totus est. Primùm pigrè fluit, non cum suo nomine, at cùm fines Medorum invectus est, Tigris dicitur: ita enim Medi nominant sagittam.* Lucan. *lib. 3. vers.* 256.

Quaq; caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, & incertum, tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquis. Sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Pharia vice fungitur unda:
At Tigrim subito tellus absorbet hiatu
Occultosq; tegit cursus, rursusq; renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.

Justinus *lib.* 42. *A cujus* (Armeniæ) *montibus Tigris fluvius modicis primò incrementis nascitur: interjecto deinde aliquanto spatio, sub terras mergitur; atq; ita post quinq; & viginti millia passuum grandis jam flumen in regione Sophene emergit, ac sic in paludes Euphratis recipitur.* Boëtius *lib. 5. de Cons. Phil.*

Rupis Achamenia scopulis, ubi versa sequentem
Pectoribus figit spicula pugna fugax;
Tigris & Euphrates uno se fonte resolvunt,
Et mox abjunctis dissociantur aquis.
Si coëant, cursumq; iterum revocentur in unum,
Confluat alterni quod trahit unda vadi:
Conveniant puppes, & vulsi flumine trunci,
Mistaq; fortuitos implicet unda modos:
Quos tamen ipsa vagos terra declivia casus,
Gurgitis & lapsi defluus ordo regit.

A Seneca *Violentus* dicitur, à Nonno ὠκυείτης, & in *Antholog. lib. 3.* legimus:

Γηλαιοὺς μετὰ Τίγριν ἀχαίϊων ἐνθάδε κεῖται.

Vide Lud. de la Cerdam *in illud Virgil. Ecl. 1.*

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Et Arrianum *lib. 7. de exped. Alexand. Sylax* quondam vocarum tradit Eustath. *Sollax* habet Plut. *lib. de Flum. Hidekel* Ebræis dicitur, unusq; est ex 4. fluviis Paradisiacis, teste Ar. Montano. *Tegil* hodie nominari scribit Castaldus & *Sir* Pinetus. *Diglath* vocat eum Josephus: *Diglito* quoque eum vocari, eà parte nempe quà tardior fluit, Plinius auctor est; cui etiam *Pasitigris* dicitur, ut & Arriano. Baudrando oritur ex montibus Atarar sive Armen. & inter Assyriam Mesopotamiamque fluens, & Chaldæam interfecans, Euphrate recepto, labitur in Sinum Persicum, Arabiam inter & Persidem, prope Teredonem. Eustathius alium *Tigrim* in Paphlagoniâ esse ait, ex Xenophonte, qui in Euxinum decurrit.

Tigulia, sive *Tigullia*, oppidum Liguriæ in orâ littorali, ad Ortum, medium inter Genuam urbem ad Occid. & Erycis portum ad Ortum, utrinque 30. mill. pass. *Sestri di Levante* teste Aug. Justiniano.

Tigurini, postea *Turicini*, & *Turegenses*, pop. Helvetiæ fortissimi, quam in 4. pagos, è quibus unus *Tigurinus* appellatus fuit, divisam refert Cæsar. Hi An. M. 3758. cum Tugenis & Ambronibus Gallis, Cimbris se junxerunt, & tripartito agmine Galliam Narbonensem ingressi, illam vastarunt. Cassium dein Consulem Rom. devicerunt: de quo sic Cæsar, *Hic pagus unus cùm domo exisset, L. Cassium Consulem & L. Pisonem Legatum prælio interfecerat incautos, exercituq; Consulari pulso & sub jugum misso, insignem calamitatem pop. Rom. intulerat.* Factum id autem est in finibus Allobrogum, qui dextrum Rhodanum accolunt, Florus *Epit. lib.* 65. belli Jugurthini temporibus, Orosius *lib. 5. cap.* 15. qui addit, Quint. Publium, alterum Legatum, ne residua exercitûs portio deleretur, obsides & dimidiam rerum omnium partem *Tigurinis*, turpissimo fœdere, dedisse. Postea, eùm Helvetii novas in Gallia sedes quæsituri, oppida quique sua incendissent, ne revertendi desiderio conatus tantus impediretur: occurrens Cæsar, insidiis & fraude *Tigurinos*, partem tum Helvetiorum quartam, circumvenit. Complectebatur autem tum *Tigurinorum* tractus Tigurinos, Tuginos, Uranios, Glaronenses, Abbaticellanos, itemque Sangallum, Rupertivillam, Terminos seu fines Toggeburgenses, & eam regionem universam, quæ circa Podamicum est, & Rhenum, antiquumque Turgoviæ retinuit nomen, Guillim. *lib. 1. pag. 1.* Reliqua de hac gente vide infra in *Tigurinus* pagus, & *Tigurum*, quod caput ejus.

Tigurinus lacus Helvetiæ, *Zuricher zee* Helvetiis, *Lac de Zurich* Gallis, à Tiguro ei ad Bor. adjacente dictus, partim est in pago Tigurino, partim prope pagum Suitensem: Ad 25. m. p. ab Euro in Circ. Plantinus habet, à Mer. in Septentr. extenditur, vix 5 m. p. latus. Maxima autem latitudo inter Rupertivillam est & locum *Hurden*; exinde Tigurum usque, ubi Limagus ex illo effluit, paulatim arctior fit & angustior. Ei adjacet Rapersvilla, oppid. cum ponte oblongo, non longè dissito, sub quo mens. Sept. & Octobr. uberrima piscatio, & per eum Limagus fluv. labitur. In quibusdam tabb. ea lacus pars, quæ à Rupertivilla ad Limagi ingressum extenditur, nominatur *Oberse*, id est, lacus superior: uterque mercibus ex Italia Rhætiaq; Tigurum transvehendis ingentem affert commoditatem. De eo sic Henr. Stephanus: *Lacus est longus circiter 12. m. p. supra quem amœnus Alpium prospectus est, ut volupe sit vel in media æstate nives & quandam quasi hyemem intueri.*

Tigurinus pagus, pars fuit aliàs Helvetiorum, complectebaturq; totum illum tractum, ubi nunc pagi Tigurinus, Scaphusianus & AbbatisCellensis, Briet. Aliter Guillimannus, vide supra. Hodie verò, unus est ex XIII. estque inter pag. Bernensem & Lucernum ad Occ. Scaphusianum ad Bor. Tugium ac Suitium ad Mer. & Abbatis Cellam ad Ort. Gall. *Canton de Zurich.* Hic quare Helveticæ civitati adscriptus sit, hæc causa traditur: Quum Tigurini Johannem Comitem Habspurgensem, ob insidias varias, in vinculis aliquot annos haberent: tota Alsatiæ Nobilitas unà cum Basilionsibus, Argentoratensibus, Friburgensibus Brisgoicis, Brisacensibus, Selestadiensibus & Colmariensibus fautoribus & auxiliaribus copiis bellum eis indixit, multisque incommodis affecit. Quod ubi *Tigurinus pagus* Carolo Quarto sæpe essent conquesti, ejusque opem frustrà implorassent, sibi aliis modis consulere necessariò coacti sunt. Cùm enim viderent urbem suam titulotenus Romani Imperii sociam esse, nec quicquam auxilii ab Imperatore sperandum, alios sibi & magis fidos socios Urienses, Suitenses, Subsylvanos ac Lucernates quærere visum est. Qui (quoniam ipsis quoque multum negotii præter meritum Nobilitas facessebat, & Austriæ Duci inprimis parum grati erant) gratantes eos Helvetico fœderi inaugurarunt, illisque principem locum inter omnes concesserunt. Anno Sal. M. CCC. LI. Caput *Tigurum* est: de quo vide infra.

Pagi Reip. Tigurinæ seu **Præfecturæ majores.**

Andelfingensis, ab An. 1434.	Lausa ad Cataractas Rheni, ab An. 1543.
Eglisoviana, ab An. 1455.	Libera Provincia, ab An. Chr. 1424.
Grifensis, ab An. 1402.	Regensburgensis, ab An. 1409.
Groningensis, ab An. 1418.	Vadisvillana, ab An. 1549.
Kyburgicus Comitat. ab Ann. Chr. 1424.	

Præfecturæ **minores.**

Allstetta, ab An. 1432.	Dietliconum, } ab An. 1487.
Altosaxum, ab An. 1615.	Dubendorffum, } ab An. 1487.
Birmenstorffium, ab An. 1484.	Erlibacum, ab An. 1400.
Bulacum, ab An. 1409.	Hegi, ab An. 1587.

Horgena, ab An. 1406.	Stadelhofia, An. 1385.
Kilchberga, ab An. 1424.	Skallicona, An. 1466.
Koonovia, ab An. 1512.	Tallvila, } An. 1385.
Kusnachtum, ab An. 1396.	Trichtenbusa, } An. 1385.
Meila, ab An. 1410.	Udorfium, An. 1495.
Riedena, An. 1487.	Wettisvila, An. 1466.
Rumlangia, An. 1424.	Wiedikona, An. 1387.
Ruschlicona, An. Chr. 1406.	Wolishofia, An. 1396.
Seldenbura, An. 1466.	Zollikona, An. 1385. &c.

Steineccum in Turgovia, ad Fines *Pfin*, & Wynfelda Urbi cum aliis Condominis communes sunt.

Tigurum, rectiùs secundùm quosdam *Turigum*, vel *Thuricum*, German. *Zürich*, una è vetustissimis non Helvetiæ solùm, sed totius Orbis, urbs ampla & culta; Hanc Limagus e lacu egressus separat in duas partes; Sedet inter duos monticulos, ad oram lacus, ubi Limagum, quem infra Glaronam excepit, rursus effundit. Publica ædificia, templa inprimis, habet magnifica: nec privatis suis splendor deest, verùm plateæ angustiores sunt. Origo urbis ad tempora Abrahami refertur, & Minoris quidem incunabula Thurico Regi: Majoris Suevo alii Regi, tribuuntur. Sed hæc incertæ traditionis sunt. Sedecim annis post Trevirorum urbem conditam esse, Annales habent domestici. Fuit sine dubio unum ex 12. Helvetiorum oppidis, quæ Cæsaris tempore combusta, postmodum verò reparata sunt. Post devictos à Cæsare Helvetios, sub Romano fuit Imperio, usque ad irruptionem Alemannorum, à quibus destructum Tigurum est, circa An. Chr. 300. Sed Diocletianus, post reportatam de illius per Maximianum Herculem victoriam, castrum Tigurinum restaurandum curavit, in quo circa An. Ch. 296. martyrio affecti sunt Felix, Regula & Exuperantius. Iterum ab Attila eversum, Thuricum Theodorici Gothorum Reg. filium, restauratorem utcunque habuit, ut conjicit Simlerus. Sic ad Francos transiit, vicus adhuc patens etiam Caroli M. ætate, in duos pagos, superiorem & inferiorem distinctus. Donec An. Ch. 883. à Carolo Crasso muris, fossis & turribus muniri cœpit, cui operi colophon demum An. Chr. 955. impositus est. Fuerunt hic à Francicis Reg. duo Collegia, virorum unum, *Carolinum*, fœminarum alterum, *Abbatissanum* dictum, instituta, penès quæ maxima ex parte imperium tum urbis fuit: Abbatissæ inprimis mansit potestas creandi Magistratum, usque ad tempora Friderici II. per annos 470. Nisi quòd Præfectura castri seu arcis, *der Hoff*, Imperio fuit reservata: hæc itaque sedes fuit Præfecti, qui Collegiorum & Urbis erat Advocatus. Seculo decimo ad Germanos transiens, in Imperii Germanici patrocinium urbs recepta est: quo tempore Præfectos quidem etiam habuit, sed qui non in arce habitarent, hoc enim munus plerumque Principibus viris fuit demandatum. Interim & suum consilium urbi fuit virorum 36. è quibus 12. quadrimestri tempore imperabant, quæ forma Reipubl. obtinuit circa An. Ch. 1100. usq; ad Ann. Chr. 1336. Cæterùm seculo 13. cùm omnia dissidiis inter Impp. & Pontifices ferverent, urbes plurimæ Imperatorium splendorem sequi maluerunt, à quibus, reluctante Clero, privilegiorum accessiones subinde obtinuere. His initiis crevit *Tiguri* libertas, multis immunitatibus à Friderico I. II. & Ludovico Bavaro donati. Frideric. II. inprimis mortuo Berchtoldo, ultimo Duce Zeringensi, Collegiorum & Urbis Advocato, cives in Imperii tutelam recepit, circa An. Ch. 1218. ac postea multa Collegiorum privilegia, & præterea jus eligendi Senatum in cives transtulit, statuitq;, ne unquam liceat urbem ab Imperio abalienare. Tum cives urbem vallo fossaque muniverunt, arceque eversâ, permissu Imperatoris, libertati nascenti securitatem præstiterunt: sed quòd Friderico constanter adhærerent, excommunicati à Pontifice, vicinam nobilitatem sensere undique infestam, quo factum, ut serici commercium antea in urbe frequens Novocomum ad Larium lacum migraret. Hic minimè despondentes animum cives primum fœdus An. Chr. 1251. cum Uriis & Suitiis inierunt. Post Fridericum cùm Conradinus fundamenta libertatis convellere, & Advocatiæ titulo, urbem Ducatui suo Sueviæ adjicere vellet, hæc autem pro libertate fortiter niteretur, proscripta à Conrado Imper. sed mox à Richardo Rom. Rege proscriptione exempta est. Cùm dein in Imperio undique turbaretur usque ad Rodolfum I. Tigurini, ut sibi consulerent, Regensburgi Dominum, oblato honesto stipendio Advocatum sibi & belli Ducem postulant, à quo rejecti ad Rodolfum Habspurgic. se conferunt, ejusque auspiciis Regenspergium infestum eò redigunt, ut pace factâ Tigurum commearit, accepto à civibus exiguo annuo stipendio. An. dein 1273. Rodolfus, Imper. electus, quòd Tigurinorum forti & fideli operâ multis in bellis feliciter usus esset, novis illos privilegiis & signum eorum diademate purpureo ornavit. Post mortem Imper. Adolphi partes secuti Tigurini, ab hujus æmulo Alberto Rodolphi fil. multa damna passi sunt. Namque & prope Vitodurum aliqua illis clades illata, moxque urbs ab Alberto obsessa est: sed egregium Tigurinar. mulierum stratagema & libertatem urbi, & pacem civibus gratiamq; Imperatoriam conciliavit. A quo tempore Austriacor. amicitiam constanter coluere, usque ad Ann. 1310. quo Fridericus, Ludovico Bavaro cessit: cui cùm pollicerentur non minùs se fideliter in posterum, quàm Austrio hactenus, adhæsuros, Austrii iterum offensi impetrarunt à Papa, ut novum in urbem excommunicationis fulmen stringeretur. Quare Sacerdotes partim sponte excedere, partim à civibus ejici; soli Franciscani unâ portâ egredi, alterâ redire: Nobiles undique urbi imminere: quo in discrimine An. C. 1333. Basiliensibus, Bernatibus & Argentinensibus juncti, hosti fortissime restitere, plurimis Nobilium arcibus captis eversisque. Cùm dein Duodecimviri ob Remp. malè administratam, ad rationes vocarentur, An. C. 1334. octo illorum urbe excesserunt, cœteri Magistratu sponte abierunt: sic sublatâ Duodecim-virali potestate, ea Magistratuum ratio popularis, quâ ii tributim deliguntur, instituta est, hodieque feliciter obtinet. Sed exules à Johanne è Com. Habspurgiorum familia, dato Rappersvilæ perfugio, Tigurinis molesti esse non desierunt: unde bellum, & victi primò, mox victores Tigurini, ad Grinovium ceciderunt Comitem An. C. 1337. cum multis e Nobilitate: Pax postea à Ludovico Imp. & Alberto II. inter urbem & exules conciliata, quæ tamen ætatem non tulit. Itaq;, ut vires suas confirmatiores redderent Tigurini, cum Constantia & Sangallo civ. fœdus fecerunt: paulo pòst in ejus societatem Scaphusiâ & Episc. ac civ. Basiliensi allectis: quo pacto quies aliquandiu parta. Sed A. Chr. 1350. parum ab ultimo discrimine urbs abfuit, conspiratione quippe Exulum & Nobilium nocturno astu tantùm non capta erat; sed consilium à servulo quodam Consuli detectum, scelus in autores retorsit. Mox Rappersvila ad deditionem adacta, & vicinus Nobilium ager populationibus exhaustus est. Interea cùm vanæ Imperii civitates Austriis se jungerent, neq; ab Imper. Carolo IV. levamen ullum affulgeret, fœdus cum Pagis Helvet. pro communi libertate tuenda, sanciverunt An. C. 1351. primo inter illos ob urbis celebritatem & potentiam loco obtento. Hinc graviores Austriacorum iræ, & urbs denuò mense Sept. ejusdem anni obsessa est, sed, paucis pòst diebus pax iterum coaluit: quam cùm hostes multis violarent modis, iterum in arma itum, & Glarona in fœdus pertracta est. Post quæ ad Tetivillam magnâ clade à Tigurinis Austriaci affecti sunt, sub finem anni. Anno verò sequente, postquam interea Tugium fœderi nomen dedisset, Julio mense, denuo obsidione urbem Austrius cinxit, denuoque certis conditionibus interventu March. Brandeburgici pax facta est. Bernâ inde in fœdus receptâ, tertiùm obsideri Tigurum ab Alberto Austriaco cœpit, An. C. 1353. qui tamen adventu novi præsidii, quod Pagi Tigurinis misere, territus, tandem quinto hujus belli anno pacem admisit: à quo tempore Tiguro omnia cum Helvetiis communia fuere. Inter hos tamen An. Ch 1436. gravissimum bellum, Austriorum artibus, conflatum est, & primò quidem Tigurini cum Suitensibus collisi sunt, quibus postea & reliqui accessere. Pugnatum hoc bello aliquoties, urbs quoque ab Helvetiis obsessa est, donec aurea pax An. C. 1450. divulsa bello pectora amoris firmissimo glutine denuo conjunxit. Celebris dudum Tiguri fuit schola, è qua, tanquam equo Trojano, doctissimi semper prodiere Musagetæ, à superiore præsertim seculo: *Theologi, Philologi, Historici, Linguarum omnium, omnisq; Antiquitatis peritissimi*. Buxtorfius *præf. diss. Philolog.* Orthodoxiæ inprimis incolæ tenacissimi sunt: Unde Andream Lesczinium, Reformatorum in Polonia caput, sec. præter. ad *Tigurinorum* modum, ut Theologi docerent, jussisse, referunt Sal. Naigeb. *lib. 1.* & Joach. Bielcius *in Chron. Pol.* Prima in urbe Christianismi semina, per legionis Thebææ reliquias Felicem, Regulam & Exuperantium sec. 3. sparsa leguntur. Per Gallum dein & Columbanum ad lacum Tigurinum, Tucconiæ annuntiatum Evangelium est, An. Chr. 695. Postea seculi erroribus aliquandiu urbs abrepta, tandem sec. 16. inter primas Europæ pura Evangelii luce illustrata est, Pastorem nacta An. C. 1519. Huldricum Zuinglium. Mercenaria mox militia abrogata, An. C. 1521. disputationeque inter Zuinglium & Jo. Fabrum An. C. 1523. habitâ, impuro Cœlibatui honestum conjugium antelatum, publicoque edicto Ann. Chr. 1524. imagines abolitæ, & Monasteria in Scholas domosque Charitatis versa sunt. Media est inter Schaphusiam ad Boream, & Lucernam ad *Merid.* 25. m. p. distans, uti 11. à Rheno in Merid. 45. à Soloduro in Ort. Caput est territorii satis ampli; Eorum, in quæ ei, ultra præfecturas quas cum reliquis Pagis communes habet, imperium est, series supra exhibetur. Plura de celeberrima hac urbe vide apud Stumpf. *Chron.* Simler. *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantin. Hotting. *in Speculo Tigur. &c.* Henr. Glareanus hoc eam *Panegyrico* ornat:

Salve belligera celeberrima gloria gentis,
O Tigurum, urbs orbi & pando notissima cœlo:
Cui pro nominibus, meritisq; & fortibus actis
Nulla sat esse potest immensi gloria mundi.
Te medium scindit viventi Limagus undâ,
Et super incumbit squamosis piscibus ingens
Amne lacus, vitreoq; relucent gurgite ripæ.
Nubiferas turres quid jam, sublimia fronte
Tecta, quid ablotas splendenti fonte plateas,
Commemorem? Fora quid dicam? quid templa profabor,
Atria cœlicolis, & dignas Regibus aulas?
Urbs cœlo, & superûm Rectori chara supremo.

Til, Asiæ amnis, quem gens Sogor accolit. Turci *Nigrum* vocant, & antiquissimi principes *Ver* & *Cuni* nominarunt. Niceph. *lib.* 18. *cap.* 30.

Tila, fluv. Galliæ, *in Chron. Divionensis Monasterii S. Benigni* sæpius memoratus, vulgò *Tille*, quibusdam *la Til*: Aliuit vicum Ma-ricum

riacum *Marey sur Tille*, Fossatum, Icium, *Is*, Tilæ Castrum *Tille-Chasteau*, corruptè *Trichasteau*, Faberniacum villam *Faverney*: ac demum in Ararim defluit. Eo excipitur Angio *Agnon*, qui Campiniacum, & Margiaellum *la Margelle*, aliosque vicos prætersluens, Tilam auget. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tilatai, pop. Thraciæ, Thucyd. *lib.* 2.

Tilaventum, majus & minus, Venetorum reg. flumina apud Plin. sunt. *Tilavemptum* Ptolemæus habet. Leander hos fluvios hodie in Foro-Julio describit, dicitque majus *Tagliamento*, minus autem *Stella* ab indigenis vocati. Horum ille ex Alpibus Jul. in mare Hadr. inter Concordiam & Aquilejam, hic apud Maranum oppidum influit.

Tileburgum, vicus Albionis apud Thamesim fluv. infra Londinum urb. haud procul Beda. Vulgò *Tilbury*.

Tiletum Godini, *Tillay le Godin* & *Tilietum* Paganelli, vulgò *Tilly le Paineux*, loca sunt Galliæ, in Belsia; quæ cum Tauriaco, & Tibernione continentur Archidiaconatu Belsiæ, qui inter 6. Ecclesiæ Aurelianensis Archidiaconatus tertium tenet locum, Hadr. Valesius in voce *Tauriacum*.

Tillabarum, urbs Africæ propr. Anton.

Tillidum vel *Tillum*, vulgò *Til* aut *Teil*, locus Galliæ, ad fluv. Vennam, non procul ab Agedinco Senonum: Hunc Leothericus Senonum Arch. S. Petri Vivi Monasterio, cum villa Arcia *Arcey* dedisse dicitur, apud Odorannum *in Chron.*

Tillium, Sardiniæ urbs litoralis versus Occ. Ptol. Hodie *S. Reparata* Moletio. Baudrando *Argentera*, in ora Occ. ex Brietio. 15. m. p. à Sassari in Occ. 25. à Tibula in Afric.

Tillius Cimber, prænomine *Lucius*, Cæsaris Dictatoris percussor, cùm antea acerrimus ejus partium defensor fuisset: Homo ebriosus, sed tamen arcani reticens. Ipse de se jocatus est; *Ego quemquam feram, qui vinum ferre non possum?* De eo vide Ciceronem *Philipp.* 2. *cap.* 2. Sueton. *Cæs. cap.* 82. Senecam *Epist.* 83. *lib.* 3. *de Irâ*.

Tilogrammum, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. *Catigan* Castaldo: ad ostium Gangis Occ. ins. maris Rubri, cum opp. cognomine, margaritis, palmis, oleis aliisque arboribus semper virentibus ornata; Ibidem lanigeræ quoque arbores reperiuntur, Plin. *lib.* 12.

Tilos, vide *Tylos*.

Tilox, Corsicæ promont. apud Calviam op. Ptol. Capo *Revelat* vel *Chevaler*, M. *Tignoso* Ferrario. Baudr. est in ora Occ. Qui busdam *Punta della Canella*; Brietio *Capo Martello*.

Tilphossa, Strab. *Tilphusia* Apollodoro, fons Bœotiæ sub *Tilphosio* monte labens, ubi Tiresiæ vatis sepulcrum est, qui ibi ex aqua frigidâ epotâ interiit, teste Aristoph. Pindarus. Μελιγαθὴς ... ὕδωρ ... Τιλφώσσας ... A *feracitate* dici videtur, quasi תל פוש *Tel phus*, h. e. *mons ferax*. Bochartus.

Tilphossæum, reguncula Thessaliæ. Steph.

Tilurus, fl. Dalmatiæ, olim Nestus, nunc *Zetina*, J. Lucius.

Timachides, Grammatici cujusdam nomen, ut meminit autor Scholiorum *in Aristophanis Ranas Act.* 1. *sc.* 2. Item *Act.* 3. *Sc.* 2. ubi vocatur *Timachidas*.

Timacum majus & minus, flumina Bulgariæ, quæ simul juncta, uno ostio in Danubium influunt: Et opp. cognom. *Tiques* Moletio. Hic olim *Timotiani* pop. habitarunt, aliquando Francis subditi. J. Lucius.

Timaa, Agidis Spartanorum Regis uxor, adulterio Alcibiadis polluta. Qui quibusdam objurgantibus, non ex lascivia, respondit, id feci, verùm uti ex ea natus Spartæ imperium aliquando teneat; nequeamplius Laconum Reges ab Hercule, sed ab Alcibiade oriri dicantur.

Timaa, Bithyniæ Urbs. Ptol.

Timai, Siciliæ pop. Steph. in Ε'ννηρία.

Timanetus Corinthius, qui ex Demariste cive, genuit Timoleontem.

Timaus, ex amicis Alexandri Magni, qui Regi in urbe Oxydracarum periclitanti subveniens multis adverso corpore vulneribus acceptis, egregiaque editâ pugnâ cecidit. Curt. *lib.* 9. *c.* 27.

Timaus, Locrus, Philosophus Pythagoricus, cujus extat libellus de naturâ & animâ mundi, Doricâ scriptus dialecto, quemque Plato loquentem inducit in dialogo suo, cui inde *Timao* nomen; quem item de Pythagorâ librum scripsisse ait Suidas, V. Phot. Voss. *de H. Gr. &c.* Item Jonsium *de Script. Phil. pag.* 32. Diversus ab his duobus est *Timaus* ille Lexici Platonici auctor, apud Phot. *Ecl.* 151. Itemque *Timaus* Mathematicus, laudatus Plinio. *Timaus* quidam de Medicinâ metallicâ scripsit, ut auctor est idem Plin. 33. 3. ubi perperam *Remeus* legitur. Item, Episc. Antiochiæ, post Domnum, sec. 3.

Timaus, Siculus, Andromachi fil. historicus, qui res Græcas conscripsit, etiam usque adeò arrogans, ut Thucydidem & Philistum in historiâ à se facilè superatum jactet. Ipse verò Siculâ quadam pinguedine delibutus ad ridenda, minimeque ad historiæ gravitatem pertinentia digreditur. Plut *in Niciâ*. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 12.

Timagenes, de rebus gestis Alexandri M. scripsit. Ut colligitur ex Curt. *lib.* 9. *cap.* 28.

Timagenes, Alexandrinus Rhetor, à militibus Pompeii captus, libertate Romæ recuperatâ, ibi docuit edidítque quædam, impensè commendatus, à Suetonio, Plinio, Jos. &c. Vide Lamb. *in Horatianum illud lib.* 1. *ep. ult.*

Rupit Hyarbitam Timagenis amula lingua.

Timagenes, Milesius historicus, de quo & cæteris *Timagenibus*, vide Voss. *de Hist Gr. pagg.* 151. & 420.

Timagoras, Atheniensis, capitali supplicio affectus, quòd Darium, ad quem legatus missus fuerat, more Persarum adulando adoraverat. Suidas & Valerius Max.

Timandra, Ledæ fil. Helenæ soror, Echemo Arcadi nupsit. Apollod. & Paus. *in Arcad.* Servius *in Æn.* 8. Evandrum hujus Echemi filium facit.

Timanthes, pictor egregius Xerxis tempore. Hujus est Iphigenia poetarum laudibus celebrata, quâ stante ad aras peritura, quum mœstos pinxisset omnes ac tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris vultum velavit, quem dignè non poterat ostendere. Pinxit & Cyclopem parvâ in tabulâ, cujus magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros thyrso pollicem ejus metientes. Plin. 35. 8.

Timarate, Promenia & Nicandra, tres anus, per quas Oraculum Dodonæum responsa dabat. Unde de columbis Dodonæis commentum ortum, cùm vox πελειὰς, quæ columbam notat, Thessalicâ dialecto etiam anum significet. Alii tamen, ob inconditum sermonem, Barbaras enim erant, in aves, Poëtarum fingendi audaciâ, conversas autumant. At, nil id absoni, apud vett. vates columbis assimilare. Unde Lycophroni Cassandra φάσσα i. palumbes dicta est, quam alibi avi magis loquaci, hirundini nempe comparans, φοιβόληπτον χελιδόνα vocat. Scholiastes verò Sophoclis *in Trachiniis*, vates illas πελειάδας vult appellatas, quasi πολιωμένας, à canitie quâ venerabiles erant. Hæ igitur, responsa ferebant, in luco absconditæ, ut Oraculum è quercubus, sub quibus illæ latebant, editum videretur: Unde quercus illæ προσήγοροι δρύες dicebantur: Item μαντικαὶ δρύες dicebantur, & Lycophron navem Argo, ad quam conficiendam è Dodonea sylva materies petita fuerat, λάληθρον appellat κίσσαν: Claudian.

——— ——— *Cæco Tomuri Jovis augure luco*
Arbore præsagâ tabulas animasse loquaces.

Strabo quatuor quoque ibidem Sacerdotum meminit, E'λλοὶ dictorum, à paludibus, quæ templum cingebant: Eosdem Sellos Homerus vocat, aliàs quoque *Tomuri*, à Jove Tomuro dicebantur. V. Franc. Rossæum *Archæol. Attic. lib.* 7. *cap.* 2.

Timarchides, sculptor nobilissimus. Plin. 36. 5. Fuit & pictor egregius. Plin. 34. 9.

Timarchus, Ætolus, incensis navibus, fugam suis præcidit sicque victoriam tetulit. Polyæn. *lib.* 5.

Timarchus, Cretensis, ob vim io minores, reus actus sub Nerone. Tacit. 15. 20.

Timarchus, statuarius nobilis. Plin. 34. 8. Alius in quem extat Æschinis accusatio, Demosthenis amicus. Alius Nicoclis fil. qui 2. ordines habuit maxillarum. Vide Plin. 11. 37.

Timas, Mariandynus, cum Otreo, ad Hesionam profecturus, & ab Amyco interceptus, lentâ morte perire destinatus est. Val. Flacc. *lib* 4. *vers.* 187.

Timasitheus, Liparensium Dux, qui Olymp. 96. ann. 4. Legatos Romanos, cum donario ex Vejentana præda proficiscentes Delphos, in via à latronibus interceptos, recuperavit. Ob quod meritum statim à Romanis magnis honoribus est affectus, eique publicum Romæ hospitium assignatum. Dein 137. annis pòst, ademptâ Carthaginensibus Liparâ, Patres Timasithei posteros immunitate donarunt, liberosque esse jusserunt. Diod. *lib.* 14.

Timasitheus, Crotoniata, insigni corporis robore, quem juvenem Milo senex luctâ in Olympiis superare non valuit. Paus. *lib.* 2. *Eliac.* Scribitur ibidem quoque *Timotheus*.

Timavus, vulgò *Timavo*, fluv. maximus Carnorum, sed brevissimi decursus 19 fontibus ex vicino monte erumpens, quibus confluentibus vix ad 2. m. p. latissimus Hadriaticum pelagus ultra Aquilejam 7. Tergeste versus petit Lacus apud quem oritur, Fanum Diomedis, vulgò *S. Giovanni*. In eo pingues & optimæ anguillæ, Ælian. Hujus fluv. meminit Virg. *Æn.* 1. *de Antenore*.

Antenor potuit ——— ———
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi.
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare prœruptum, & pelago premit arva sonanti.

Claud. *de* 6. *Consul. Honorii.*

Mincius, inq; novem consurgens ora Timavus.

Lucanus.

Atq; Antenorei dispergitur unda Timavi.

Mart. 4. 25.

Et tu Ledao felix Aquileia Timavo.

Hodie in foro Julio describitur à Leandro, qui dicit eum *Timavo* vocari. Niger verò eum *Larechia* nominat. Vide Cluv. *Ital. Ant. pag.* 189. Ante ejus ostia Insulæ aliquot parvæ, sed claræ, ob fontes calidos, æstu maris crescentes. Plin. 2. 103.

Timenus Arcas, alius *Tebennus*, primus togæ id genus, quod ab eo vestis *Tebennia*, corruptè *Tebennum* appellatur, induit, cùm Jo-

 nium

nium finum navigasset. A cujus incolis susceptus, eos eandem vestem conficiendi rationem docuit. Illi quæ forma, quis color, quod pretium, dubitant non seculi modò nostri scriptores, sed & inter antiquos non pauci. Vide Dion. Halicarn. *lib.* 3. Suidam in voce Τίβεννος. Artemidor. *Onirocrit. lib.* 2. *cap.* 3. Hesychium, Eunapium *in Juliano*, Job. Meursium *in Curis Criticis part.* 2. *cap.* 31. *&c.* Ut & in voce *Toga*.

Timethus, Siciliæ fluv. *Il Pattese* Fazello, sic ab urbe nominatus, *Traina* aliis, fluv. Siciliæ in orâ occiduâ, inter Agathyrium ad Austr. ac Tyndarum ad Bor. juxta urb. Pactensem mari excepitus. Brietio *Naso*, in ora Bor. inter Tyndarium ad Ort. & Agathyrnum ad Occ. in mare Tyrrh. fluens, 12. m. à Pactis in Occ.

Timica, Maurit. Cæs. urbs mediterranea, Ptol. *Tremesen*, ac *Telensin* Marmolio. Olim Episc. sub Arch. Cæsariensi, & regia clara ac ampla: à Siga urbe excisa in ora 14. m. p. in Austr. à Julia Cæsarea supra 250. in Occ. *Telimiceni* quoque incolis, inter Malvam & Quizam, à qua supra 75 m. p. abest. Hodie Urbs regni Algerii in tractu montium, etiamnum ampla & culta. 14. m. p. ab ora maris Medit. in Mer. 45. à confinio regni Fezzæ. Pop. *Timiticenses*, unde Episcopus *Timiticensis*, in concilio Carthaginensi.

Timochares, Atheniensis, regis Pyrrhi amicus, qui ad C. Fabricium Consulem furtim venit, ac præmium petivit: & si de præmio conveniret, promisit regem venenis necare: idque facile esse factu dixit, quoniam filii sui pocula in convivio regi ministrarent. Eam rem Fabricius ad Senatum scripsit; Senatus legatos ad regem misit, mandavitque, ut de Timochare nihil proderent, sed monerent, ut rex circumspectiùs ageret, atque à proximorum insidiis salutem tutaretur. Gellius *ex Val. Antiate* 3. 8. *Timochares* quidam ἐν τοῖς περὶ Ἀντιόχου citatur Eusebio *lib.* 9. *de Præp. Evang.* Alius forsan *Timochares* est Scholiastæ Arati laudatus.

Timoclea, mulier Thebana nobilissima, Theagenis soror, stuprum à quodam barbaro Thracum principe per vim passa, injuriam hoc modo ulta est. Odio enim dissimulato, dixit stupratori, se scire locum, ubi plurimum esset auri, perductusque est ad altissimum puteum, qui fuit in remotiore domûs parte. Quò cùm Thrax venisset, & jam pronus immineret puteo, à Timocleâ, quæ à tergo stabat dejectus est in præceps, & saxis obrutus. Sabellicus ex Plut. Aliter Polyænus, *lib.* 8.

Timocles, Comicus Atheniensis, fabulas scripsit, quarum nonnullas commemorat Athenæus. V. Casaub. *in Athen. lib.* 7. *&* 9.

Timocrates, Archon Athenis, an. 1. Olymp. 104. quo principe certamen Olymp. non ab Eleis, sed à Pisæis & Arcadibus celebratum est.

Timocreon, Rhodius quidam, Poëta Comicus, Olymp. 75. qui propter cibi & vini aviditatem hoc tulit epitaphium,

Multa bibens, & multa vorans, male denique dicens
Multis, hic jaceo Timocreon Rhodius.

Scripserat enim contra Simonidem & Themistoclem.

Timocreon, Rhodius Poëta, qui scripsit carmen Scolion, contra Plutum, cujus initium laudat author Schol. *in Ranas Aristoph. Act* 5. *Sc.* 2.

Timogitia, opp. Mysiæ inf. apud oram maris Euxini, inter Dionysiopolim ad Mer. 24. & Calatim ad Bor. 18. m. p. ex Itiner. Anton.

Timolaus Larissæus, è Larissâ Macedoniæ, discipulus Anaximenis Lampsaceni. Scripsit poema de bello Trojano. Suidas.

Timoleon, Corinthius, dux inclytus viribus fortissimus, vitâque abstinentissimus, missus cum triremibus ad liberandas à Dionysii tyrannide Syracusas, quem Dion Syracusanus, implorato Corinthiorum auxilio, expellere conabatur, quinquagesimo postquam Syracusas appulisset die, urbe potitus, ac Dionysius clam sese atq; arcem Timoleonti dedens, ab eo cum paucis in exilium Corinthum missus est. Ille verò arcem solo æquavit, & Syracusanis libertatem restituit. Deinde contra Leontinos pergens, eorum tyrannum bello captum interfecit. In summâ æqualis fuit Timotheo, Agesilao, Pelopidæ, Epaminondæ. Plut. Obiit Syracusis, Olymp. 110. an. 4. cùm Reip. 8. ann. præfuisset. Diod. 16.

Timolus, mons Lydiæ, Ovid. *Metam. lib.* 11.

Cumq; choro meliore, sui vineta Timoli
Pactolonq; petit. V. *Tmolus.*

Timomachus, dux Atheniensium, auxilio Thebanis, cùm à Thebanis oppugnarentur, missorum, apud Xen.

Timomachus, Byzantius, pictor nobilis, Jul. Cæsaris ætate. Fecit Medeam & Ajacem, quos ipse Cæsar 80. talentis emit, in temploque Veneris dedicavit. *Timomachus* ἐν Κυπριακοῖς advocatur ab Athen. *lib.* 14.

Timon, Apolloniates, seu Nicenus Philosophus, qui apud Chalcedonem philosophiam & oratoriam exercuit, charus Ptolemæo Philadelpho. Scripsit Tragœdias, Comœdias, & Satyras. Amarulentus & mordax fuit, *Sillorum*, i.e. dicacitatum scriptor. Item, Philosophus, qui opera sua Tiberio inscripsit.

Timon, Atheniensis, temporibus Peloponnesiaci belli, inhumanus, ac vitans hominum congressus, præter unius, Alcibiadis adolescentis. Interrogatus autem, quæ cum illo causa esset amicitiæ: *Quòd sciam*, inquit, *illum quandoq; multorum malorum Atheniensibus causam futurum.* His de causis ab Atheniensibus μισάνθρωπος est appellatus, qu. *genus hominum infensum habens.* Sed & mortuo mirum contigit, ut sepulcrum ejus, quod erat in litore, mare quasi perosum exundatione ab se abstruserit, longeque expulerit. Erat autem Timon ex eo Atticæ pop. seu op. cui Κολυττεὺς nomen. Indidem oriundus Plato Philosophus. Κολυττεὺς autem ad radices montis Hymetti jacebat. Patrem habuit Echecratidem, nullâ aliâ re insignem, quàm quòd Timonem genuit. De hominis moribus nil attinet dicere (verba sunt Tanaqu. Fabri ad Luciani Timonem) cùm eam rem Plut. διὰ πλειόνων, in vitâ *M. Antonii*, absolverit. Hoc addam tantùm, Timonem virum bonum fuisse, & moribus adeo factum ad humanitatem, nihil ut ipso χρηστότερον, nihil benignius extiterit. Nam quòd illum μισάνθρωπον cognominarunt, id hercle perperam fecere. Quid ita? inquies. Quia non homines ille, sed feras oderat, quibus ætas illa scatebat. Certè qui Aristophanis fabulas legerit, de his mecum 3. non commutabit verba. Accedat his Platonis testimonium, qui ita scripsit *Ep.* 24. inter illas, quæ non ita pridem à Leone Allatio vulgatæ sunt: Συνέγνων, inquit, ὅτι Τίμων οὐκ ἦν ἄρα μισάνθρωπος. Μὴ εὑρίσκων γὰρ τοὺς ἀνθρώπους οὐκ ἠδύνατο θηρία φιλεῖν. Extat ejus epitaphium olim à Callimacho scriptum; & item alterum, quod homo providus sibi fecerat. En tibi, ut quidem tali dignum ingenio est:

Ἐνθάδ' ἀπορρήξας ψυχὴν βαρυδαίμονα κεῖμαι.
Τοὔνομα δ' οὐ πεύσεσθε, κακοὶ δὲ κακῶς ἀπόλοισθε.

Ait Plut. sepulrum fuisse Ἁλῆσι, sed cùm 2. sint Ἁλαί, locum illum Plut. de Araphenidibus intelligas, non de Æxonidibus: nam priores Ἁλαί ad tribum Ægeidem pertinebant, alteræ non item. Item unus ex 7. primis Diaconis.

Timonax, ἐν πρώτῳ περὶ Σκυθῶν citatur Apollonii Scholiastæ *in lib.* 4. & eopse libro Τιμῶναξ ἐν πρώτῳ τῶν Σικελικῶν.

Timonium, castellum Paphlagoniæ. Steph. Hujus tractus *Timonitis* Strab. ac Ptol. Pop. *Timoniacenses*, Plin.

Timophanes, locupletissimus Mitylenensium, cujus duas relictas filias cum Doxander quidam filiis suis non obtinuisset, Athenienses, quorum publico hospitio utebatur, ad bellum concitavit. Vide Aristot. 5. *Polit.* 4.

Timophanes, Timænetii & Demaristes filius, Corinthius dux, à civibus in bello, adversus Argivos & Cleonæos, delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupavit: sed à fratre, per communis sororis maritum Satyrum aruspicem, occisus est. Plutarch. Cornel. Nepos.

Timoria, Lacedæmoniis culta fuit: non autem eam venerabantur, sicut alios Dæmonas, quos tanquam noxios abesse procul à civitate volebant. Sed hâc Rempublicam maximè contineri arbitrabantur.

Timosthenes, præfectus classis Ptol. Philadelphi. Scripsit de portubus libros 10.

Viri illustres.

Timotheus. discip. S. Pauli, fil. matris Judææ, quæ Christianismum amplexa, ex patre Ethnico: Hunc Lystræ repertum secum sumsit Apostolus, eumque charissimum habuit, ob Juvenis fidem, constantiam, zelum: Ephesi dein Episcopum constituit: ubi, post præstitam CHRISTO JESU egregiam operam, lapidibus tandem obrutus, quòd Dianæ cultui acriter se opponeret, martyrium subiit. Ad hunc duas insignes epistolas e captivitate exaravit Apostolus, V. Act. *cap.* 16. Euseb. *in Hist. Eccl.* Baronium *in Annal. &c. In pr. ad Timotheum Epist.* cujus 6. capp. extant. Alesii *Expositio.* octav. Basil. 1533. Lips. 1550. Artopæus, Basileæ. 1546. Chytræi *Enarrat. & Scholia.* Coccejus. Crucius. Cocibundius. Crellius Socin. Cruciger. Dalæi *Concion. Gall* 4. vol. in octav. Genevæ. Danæi *Comment.* 8. Gen. 1577. Didvadius. octav. Espensæi *Comment.* fol. 1561. Parisiis. Fan *Comment.* octav. Gen. 1608. Gerhardus, quart. Jenæ 1643. Godeau. Gothofredi *Exercitationes, in cap.* 3. *v.* 15. 16. octav. Genevæ 1649. Heilbrunnerus. octav. Lavingæ. 1588. Hesselii *Comment.* octav. Lovanii, 1605. Magalianus. Meelsuhrer, octav. & quart. Norimb. 1628. Megandri *Comment.* Basileæ, 1536. Melanchthon. Musculus. Priczi *Annotata.* Sculteti *Observationes Gram. Hist. Log. Theol.* quart. Francof. 1624. Witeb. 1650. Soto Major. Stevartius. Torres. Venatorius, octav. Basil. 1553. Weinrichii *in Tim.* quart. Lipsiæ 1618. Willichii *Comment.* octav. Argentorati, 1524. Zuinglius. In 2. *Epist.* 4. capp. constantem, prodierunt: Alesius. Danæus. Espenæus. Godeau. Heilbrunnerus. Magalianus. Megander. Melanchthon. Pricæus. Sculcetus. Soto Major. Stevartius. Weinrichius. & Willichius. V. Crowæi *Elenchum.*

Timotheus, dux Atheniensium felicissimus, Cononis filius, ad cujus imaginem pictores Fortunam depinxerunt cogentem urbes ad rete, ipso juxta dormiente. Quod vel assentationis vel invidiæ causâ in eum sic excogitatum fuit. A Platone frugali, Musicâque cœnâ exceptus, cùm ex eâ melius quàm post opiparas epulas se haberet, dicere consuevit: *Qui cum Platone cœnant, etiam postero die bene habent.* Vide Suidam, & Cic. *lib.* 1. *de Off.* 2. *Timotheus* Atheniensis, Comicus mediæ Comœdiæ, cujus fabulas nonnullas commemorat Athenæus. 3. *Timotheus*, Poëta & Musicus Milesius, sub Philippo rege Macedonum. Hic cùm decimam chordam Lyræ adjecisset, à Lacedæmoniis civitate ejectus est.

Id SCtum apud Boëthium habes *lib.1. de Muf. cap.* 1. Vide Suidam 4. Alius sculptor nobilissimus, unus ex illis, qui Mausoleum cælaverant. Plin. 34.5. Alius comes peregrinationum D. Pauli, Episcopus Ecclesiæ Ephesinæ, Martyr sub Nerone. Volat. *lib.* 2. Vide supra.

Præsules & Viri clari.

Timotheus I. Episc. Alexandrinus, post fratrem Petrum, Ann. 380. Obiit An. 385. Scripsit vitas aliquot SS. &c. Codex Theodos. *lib.3. de op. Jud.* Sozomen. *Hist. Eccl. lib.6. cap.29. &c.*

Timotheus II. Ælurus dictus, Eutychianus, sævus in Orthodoxos: à Præfecto propterea pulsus, per suos Proterium sustulit. Toto deinde Imperio exturbatus à Leone Imp. restitutus est à Basilisco; ubi priorem sævitiam redorsus, tandem seipsum veneno necavit. An. 477. Evagr. *lib.* 3. Liberat. Niceph. Baronius, Gennadius, &c.

Timotheus III. Solofaciolus, priori in exilium pulso successit. Orthodoxus: postea pulsus restitutusque, Obiit Ann. 482. Baron. *Annal.*

Timotheus IV. Hæreticus, successit Dioscuro jun. An. 519. pulsus à Justino, Anastasii successore, restituto Asterio. Ann. 521. Idem.

Timotheus, Episc. Constantinopolitanus, Hæreticus, ab Anastasio Imp. intrusus, pulso Macedonio, An. 511. Libidinibus infamis, fidem ludibrio habuit: Obiit subitò, An. 517. V. Evagr. *lib.4. cap.* 13. 17. 22. Item, Patr. Constantinopolitanus hoc sec. Cyrillo Orthodoxo & Martyri, surrogatus.

Timotheus, Clearchi Heracleæ Ponticæ tyranni, filius, cæso in Dionysius patre, dominationi successit, Olympiadis centesimæ sextæ anno quarto, tenuitque eam annos quindecim. Obiit, Olympiadis centesimæ decimæ an. 3. Diod. *lib.*16.

Timotheus Atheniensis, volumine claruit de Vitis. Laert. *in Plat.* Arist. Zen. & Speus. Vossius eundem putat cum Timotheo illo, cujus Α'ργολικὰ citat Plut. *de Flum. capp. de Inacho*, & *Hebro.* A quo omnino diversus est *Timotheus* gentilis Theologus, de quo Arnobius *lib.*5. Est & alius *Timotheus* Chronographus Christianus, qui de initio rerum ac Deo præclare scripsit. Alius denique *Timotheus* Gazæus, de quo Voss. *Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 21.

Timotheus, Grammaticus, cujus meminit auctor Scholiorum *in Ranas Aristoph. Act.5. sc.4. pagin.* 279. *G.*

Timotheus, Philesius, Poëta Dithyrambicus, floruit circa Olymp. 95.

Timoxenes, Achæorum dux, an. mundi 3745.

Timoxenus, ἐν τῷ περὶ λιμένων laudatur ab Æscyli Scholiaste *in Persas*; sed leg. περὶ λιμένων. Vossius.

Timoxenus, Sicyonius proditor & urbi cui præerat, infidissimus. Nam cum Artabazo, urbem oppugnante, consilia communicavit proditionis. Convenit autem inter utrosque, ut exiguum libellum telo suspensum in locum destinatum ejacularentur atque inde epistolas reciperent. Polyæn. *lib.7. in Artabazo. com.*1.

Timpirum, urbs Thraciæ, Anton. 16. m. p. à Trajanopoli. Simlerus *Temporis* legit.

Timuchi, vocabantur Massiliensium Magistratus.

Timus, urbs Asiæ propr. sub Tiberio terræ motu eversa, Callist.

Timyra, urbs juxta Isauriam, & fl. Indiæ. Steph.

Tina vel *Tine*, Aristot. *Hydrusa*, aliis *Ophiusa*, insula in mari Ægeo, celebris fuit templo Neptuni, extra oppidum in luco extructo, quò ex omnibus aliis vicinis insulis, sacrificiorum causâ, concurrere solebant homines, quibus omnibus in cœnaculis ad hoc paratis, victus dabatur. Distat à Delo insula 10. mill. Ad ejus partem, quæ Septentrionem spectat, arx est in mari, quæ *S. Nicolai* nomine indigitatur. Nat. Metel.

Tina, in tribu Juda. Hier. *in H. L.*

Tina, Ptol. flu. Albionis per Northumbriam in Ort. fluens, vulgò *Tine* Camdeno, ad cujus ost. op. & portus *Tinmouth* à Bervico in confin. Scotiæ 50. m. p. in Meridiem.

Tinantium, vulgò *Xancoinus*, seu melius *Sancoin*, locus Galliæ in Biturigibus Cubis: Hadr. Valesius *Notit Gall.*

Tinda, Plin. *Stabulum Diomedis* Anton. op. olim Thraciæ mediterran. inter Philippos ad Oc. 61. & Maximianopolim ad Ort. 18. mill. pass.

Tinde, Chalcidica urbs Thraciæ. Steph.

Tindium, urbs Libyæ. Steph.

Tindus, fluv. Angliæ, ubi monast. *Mailtas*. Bed.

Tingcheum, vulgò *Tingcheu*. urbs Fochiensis prov. sexta, in Sin. Intra montes, in limite Quansiæ, sub qua 7. aliæ. M. Martinius.

Tinge, promunt. Africæ, quod ferunt ab Antæo conditum. Vocant etiam *Ampelusia*.

Tingi, *Tingis* Ptol. *Tingios* Stephan. corruptè pro *Tingis*, vulgò *Tanger*, colon. & urbs Episc. sub Arch. Eborensi, ab Antæo condita, Mauritaniæ Tingitanæ caput, extra Herculis columnas, inter Septam ad Ort. 60. & Zeliam ad Occ. 24. m. p. à Lixia 54. cum portu capaci. Baudrando in ora freti Herc. 28. m. p. à Septa in Occ. 35. à Zilia in Bor. Antea sub Lusitanis, nunc Anglis concessa, à quo permunita est. In Habata, prov. Fezzæ. De eâ Sil. *lib.*3.

Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus.

Tingoesi, pop. Tartariæ des. versus Oceanum Bor. nuper detecti à Moscis, quibus parent. Versus Jenesejam fluv. & prope Samojedas pop. Ultimi ferè sunt, qui ad Orientem nobis innotuerunt, strumoso gutture laborant, unde animi sensa non tam linguâ, quàm gutture exprimunt, V. Appendicem ad Belgarum Navig. Boreal. tert. *pag.64. in tom.* 1. *Navig. Belg.* Quod ipsum & Montium Pyrenæorum Alpiumque accolis, non uno in loco accidit. Unde Juvenalis,

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus?

Vide de Siriæ incolis testem Ortelium *ad tab.* 92. Nec dissimilem effectum, licèt dispari è causa, vitio naturali tamen ortum observare est, in Comit. Leicestriæ pago *Carlton*, in Anglia, cujus incolas merè inconditos sonos formare, eoque ab aliis vix intelligi posse, notat T. Fullerus *Hist. Eccl. Angl. lib.* 2. *pag.* 125.

Tinia, Plin. *Teneas* Strab. Umbriæ fluv. ex Apennino monte apud Nuceriam manans, mœniaque Fulginii alluens, ac infra Mevaniam accepto Alio, in Tiberim fluens. *Topino* Leandro. Sil. *lib.* 8.

In Tiberim properans, Tiniaque inglorius humor.

Vide Plin. 3. 5. Item Urbs Liburniæ medit. apud ortum Titii flu. Episc. sub Arch. Spalatensi 25. m. p. à Sebenico in Bor. *Tine* vulgò.

Tininium, Civ. Croatiæ. V. *Arduba*.

Tinisa, vulgò *Tunisi*, urbs Africæ ampla & regia, in ora, à Carthagine 15. m. p. in Ortum distans. V. *Tunis*.

Tinissa, urbs Armeniæ maj. Ptol.

Tinnetio, vicus Rhætorum Anton. *Tinischen* Germanis, teste Tschudo, *Tinnezono* Rhæt. medius inter Curiam ad Bor. & Stampam pag. ad Mer. Clavennam versus 23. m. p.

Tinum, vulgò *Thain*, opp. Delphinatus, ad Rhodanum, è regione Turnonii opp. in tractu Vivariensi, fere 3. leuc. à Valentia in Bor. totidem à Romano in Occ. Est in tractu Viennensi.

Tinurtium, op. Gall. Celt. ad Ararim flu. Spartianus *in Severo*, ubi refert, post multa prælia inter Imper. & Clodium Albinum Cæsarem, in Gallia, variâ fortunâ gesta, tandem *apud Tinurtium* victum Albinum, & reparatis viribus iterum apud Lugdunum acie fusum, interemptum, ejusque corpus in Rhodanum dejectum esse. Mel. *Trenorchium*, Baudr. *Tornus*, in agro Matisconensi, in Duc. Burg. vix 5. leuc. à Comit. Burgundiæ in Occ. Valesio sedet, inter Matisconem & Cabillonum: eumque tribus suis partibus, Abbatiali nempe Monasterio S. Valeriani, Castro & Villa seu vico, uno & communi nomine, *Tournus* vulgò dicitur: è quibus castrum, suis munimentis nudatum, *le Chasteau demantele*, Villa *le Bourg* peculiariter appellatur. Olim quoque *Castrense horreum* opp. hoc dictum est, mansio enim vel statio militaris fuit, annonam militibus iter facientibus servans: quales stante Imp. Romano mansiones fuere in viis publicis, inque vicis plerunque ad flumina majora. Talia fuerunt *Horrea Cœlia*, *Horreum Margi*, *ad Horrea &c.* Hadrianus Valesius *Notit. Gall.* V. & in voce *Horrea*.

Tinus, vide *Tina*.

Tiora, quæ & *Matiena*, opp. olim Sabinorum, ad Velinum lac. ubi Mars cultus, 30. à Batia stad. Dionys. Halicar.

Tios, oppid. Paphlagoniæ, à Tio Milesio sacerdote conditum, vide *Tium*.

Tipanilla, pop. juxta Caucasum, Steph.

Tiparenus, Ins. Peloponnesi, ante Hermionem, in Sinu Argolico. Plin.

Tipasa, col. & urbs in ora Maurit. Cæsar. Ptol. Episc. olim sub Arch. Cæsariensi, *Taves* Merc. *Sasa* Mor. *Tenet* Castaldo. Inter Juliam Cæs. ad Occ. 16. & Icosium, ad Ort. 58. m. p. à Cirta, in Circ. Anton. Episcopi *Tipasitani* meminit Victor Uticensis.

Tiperariensis Comit. *Countie Tipperary*, provincia est Momoniæ, in Hibernia merid. in limite Lageniæ & Connaciæ, seu inter Comitatus Kilkenniensem ad Ort. & Limericensem ad Occ. Ejus urbes sunt Cassilia & Carica.

Tiphernum, vide *Tifernum*.

Tiphœus, vide *Typhœus*.

Tiphys, primæ navis, quæ Argo dicta est, gubernator, & Argonautarum in Colchica expeditione socius, Hagnii fil. juxta Apollodor. *lib.*1. & Val. Flac. *Argon. lib.*1. At Hyginus *Fab* 14.18. Bœotum illum facit, Phorbantisque & Hymanes filium. Morbo præterea absumptum esse refert, in Maryandinis in Propontide apud Lycum regem. Vide Pauf. *in Bœot.* Steph. *de urb.* Apollon. & ejus Schol. Val. Flaccum (qui illi Erginum successisse vult) Apollodorum & Hyginum. Orpheus:

Τῖφυν τ' Ἀγνιάδην δολιχῆς ἰθυντῆρα νηός.

Virgil. *Ecl.* 4.

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas. ——

Ubi Servius *Tiphyn* poni ait pro quocunque navis gubernatore. Propriè accepit Ovid. 1. *Art.*

Tiphys in Æmoniâ puppe magister erat.

Itemque Seneca *in Medeâ*:

Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis.

Idem

Idem *ibidem*:

Tiphys imprimis domitor profundi.

Sic & Claud. *lib.* 1. *de bello Getico*,

Intactã cùm claustra freti coeuntibus aquor
Armatum scopulis audax irrumperet Argo,
Omnibus attonitis solus post numina Tiphys
Incolumem tenui damno servasse carinam
Fertur, & ancipitem montis vitasse ruinam.

Sed proverbialiter idem Ovid.

—— *Tiphys dicar amoris ego.*

Atque idem Seneca his versibus vaticinio plenis,

Venient annis secula seris
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxat, & ingens pateat tellus,
Tiphysq; novos detegat orbis,
Nec sit terris ultima Thyle.

Et in loco Virgilius superius adducto. Neque hoc solùm, sed à *Tiphy* dicti *Tiphaenses* pop. Bœotorum, qui essent scientissimi rei maritimæ, quod est apud Paul. *in Bœot.* Quin ab eodem gubernatore navigium sic dictum est, nam Sidon. Apoll. *lib.* 1. *Ep.* ita scribit: *Tiphyn cursoriam, sic navigio nomen est, ascende.*

Tiquadra, maris Balearici insl. Plin. sic à figura dicta: parva, ante Palmam urb. Majoricæ. Apud nonnullos *Triquadra* legi ait Hermolaus Hodie *Conera* Floriano.

Tiracienses, pop. Siciliæ, Plin. quorum opp. *Randazzo* dici videtur, ad Ætnæ montis radices, supra 20. m. p. à Catana in Occ. Vide *Tienacia.*

Tirallum, V. *Arzus* & *Tzurulum.*

Tiranum, vulgo *Tirano*, opp. Rhætiæ, in valle Tellina, ad Adduam fluv. 6. m. p. à confin. Italiæ & ditionis Venetæ, 30. à Clavenna & Lario lacu in Ort. An. 1672. fœdatum incendio.

Tirascia, vulgò *Tierache* vel *la Tierasche* ... ctus Picardiæ, inter Hannoniam ad Bor. Campaniam ad Or... ... manduos ad Occ. & Laudunensem tractum ad Mer. Ibi opp ... præc. Guisia, Fara, Capella & Marla. V. *Teoracia.*

Tirausta, Vide *Trausta.*

Tiresias, vates Thebanus, Eueri fil. qui cùm aliquando in Cithærone vidisset 2. dracones coeuntes, observatâ fœminâ ex iis occidit illam, quo facto in fœminam & ipse mutatus est. Deinde cùm rursus post 7. annos eodem pacto, & marem draconem interfecisset, in pristinam formam rediit. Quo factum est, ut exorto postea jocoso inter Jovem & Junonem certamine, virine an fœminæ majorem ex coitu voluptatem caperent, ille potissimum judex sit adhibitus, ut qui utrumque fuisset expertus. Tiresias autem pro Jove sententiam tulit, asserens multo plus de coitus voluptate percipere fœminas. Dixit enim τῶ μοιρῶν δέκα μόνην τέρπεσθαι ἄνδρα, τὰς δὲ ἐννέα γυναῖκα, ut ait Phlegon. Ob quod à Junone excæcatus est. Alii verò propterea excæcatum dicunt, quòd Palladem nudam in fonte conspexisset. Jupiter autem in solatium visus amissi, divinationis peritiam illi dedit, & ut 7. ætates viveret, inquit idem Phlegon; Licet Agatharchides dicat, eum vixisse solùm πέντε γενεὰς ... Hinc Lycophron eum vocat ... , Lucilius *grandævum*. Statius *longævum* vocat. Hujus animam evocat Ulysses apud Hom. *Odyss.* 10. (Vide sis quoque Horatium) multaque ab eo futura edocetur. Strab. *lib.* 9. author est, ejus monumentum fuisse sub Tilphosso monte Bœotiæ, juxta fontem ejusdem nominis, ubi profugus diem suum obiit, cùm jam senex gelidissimam Tilphossæ aquam hausisset, ibidemque Thebanos sepulto divinos honores tribuisse. Vide Ovid. Met. *libr.* 3. Ponitur pro cæco apud Juv. *Satyr.* 13.

—— *Tandemq; fatebere latus*
Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse Deorum.

Tirgatao, fœmina Mœotica, nupta Hecatæ, Sindorum Regi; Sed instinctu Satyri, qui eum in regnum restituerat, repudiata: quam contumeliam plurimis cladibus ulta est. Polyæn. *lib.* 8.

Tiria, urbs Leucosyrorum. Steph.

Tiridates, Armeniæ rex. Horat. *lib* 1. 26.

Quid Tiridaten terreat, unicè
Securus. —— ——

Meminit quoque *Tiridatis* Armeniæ regis, ejusdemque in urbem Rom. introitûs Tranquillus *in Claudio Cæs.* Item nomen magi cujusdam apud Plin. *lib.* 30. *cap.* 3.

Tiridates, pecuniæ regiæ Persepoli custos, qui eò procedenti Alexandro, literas misit, indicantes eos, qui in urbe essent, adventu ejus audito, diripere velle thesauros; properaret occupare. Curt. *lib.* 5. *cap.* 25. Gebhardus censet legendum *Teridates*, è Diod, *lib.* 17. *parte poster.*

Tiris, Dux Thracum, initio Antiocho resistentium armis, dein auxiliantium. Polyæn. *lib* 4.

Tiriscum, (quod jam *Taros* dicitur) op. Daciæ; *Turo* Lazio, aliis *Grossechana* in Valachiâ. Baudrando hodie *Tergoviste*, & *Tarvis*, ad Tiarantum. Valachiæ caput & Principis sedes. Vide *Targovistum.*

Tirissa, urbs Macedon. in Emathiâ. Ptol. *Lesterocori*, teste Moletio. Vide *Tyrissa.*

Tirista, Ptol. vulgò *Drista*, urbs Mysiæ infer. Episc. sub Arch. Ternobitano, hodie metropolis in Bulgariâ.

Tiristria, vulgò *Capo Lemano*, Mysiæ inf. promunt. in ora maris Euxini, inter Dionysiopolim & Odessum. Ptol.

Tiriza, op. Paphlagoniæ. Steph.

Tirnavia, Hungaris *Tyrnavv*, Germanis *Durn*, urbs parva Jazygum, in Hung. sup. seu munita, ad Tirnam fluv. in Comit. Posonienfi, sub Austriacis. Post Strigonium à Turcis occupatum sedes Arch. Strigoniensis, in cujus diœc. est, sed caret Episc. sede. Distat Strigonio 8. leucis in Circ. 6 à Posonio in Bor. & Cæcum.

Tiro, Ciceronis libertus, occultas scribendi notas, quæ hodie *Siphra* dicuntur, primus invenisse fertur. Hodie verò ita frequens est modus ille scribendi, ut nullus ferè sit neque princeps, neque nobilis, qui suas habeat siphras. Polyd. Vergil. *lib.* 2. *cap.* 7. *de rer. invent.*

Tiro, Vide *Apinius.*

Tirolis, reg. Germ. merid. non obscura, tit. Comitatus insignis, partem Rhætiæ, partem Norici magnam, & partem minimam Cenomannorum Italiæ complectens, continetur circulo Austriaco, qui ex decem Germaniæ circulis primus est. Baudrando *Tirolis*, *le Tirol* Gallis, *Tirolo* Italis, regio est Germaniæ meridionalis, partem orientalem Rhætiæ propriæ antiquæ tantum complectens. Antea Principes habuit proprios è domo Austriaca, sed à paucis annis defectu prolis masculæ rediit ad Imperatorem, cui etiamnum subest. Terminatur à Septentrione Bavariæ Ducatu, ab Oriente diœcesi Salisburgensi & Carinthia, à Meridie ditione Veneta, & ab Occidente Rhætis & Helvetiis. Rigatur Athesi & Oeno fluviis, & ab Alpibus Tridentinis ferè bifariam scinditur. Sic dicitur à Terion, hodie *Tirol*, tenui castro ad Athesim prope Meranum. Regionis partes sunt Comitatus Tirolis propriè dictus, *le Tirol propre*, Diœceses Tridentina & Brixina, *les Evesches de Trente & de Bressenon*, atque Comitatus Brigantinus, *le Comté de Bregents*, Feldkirkiæ, *le Comté de Feldkirk*, Pludentinus, *le Comté de Pludents*, & Monfortensis, *le Comté de Monfort*, versùs Helvetios. Totius autem provinciæ caput est Oenipons, *Insprucк*, ubi antea sedes Principis. Aliæ urbes sunt Bolzanum, *bolzano*, Brigantium, *Bregents*, Brixino, *Brixen* seu *Bressenon*, Hala, *Hall*, & Tridentum, *Trente*. Tirolis Comes Mainardus, sub initium sec. 14. quòd Tridentini Episcopi ambitioni resisteret, excommunicatus, editâ in hunc rem apologiâ, in Præsulum vitia acriter invectus est, inter alia *sacrarum literarum contemtu & dominandi cupidine* ipsis objectâ. Aventin. *Annal. Bojor. lib.* 7. Lineam *Tirolensem* seu Æni pontanam, orsus est Ferdinandus, Ferdinandi I. Imp. filius, frater Maximiliani II. qui Bohemicæ, & Caroli, qui Styriæ seu Græciensis auctor fuit. Ferdinandus hic, in divisione Tirolim & anteriores ditiones nactus, egregiam bello Pannonico fortitudinis laudem impetravit. Duxit clam patre Philippinam Welseram, patriciam Augustanam; eâque defunctâ Annam Catharinam Mantuanam, sibi sociavit, neptem e sorore: quod conjugium cùm sterile esset, & è Welseria suscepti non haberentur successionis capaces, alteri Carolo Burgoviâ agre relictâ, reliqua hæreditas inter agnatos divisa est. Iterum Ænipontanam lineam incepit Leopoldus Caroli Græciensis, de quo supra, filius, frater Ferdinandi II. Imp. Is primò Ecclesiastico ordini adscriptus, Argentinensem Episcopatum, unde ei cum Joh. Georgio Brandeburgico bellum, An. C. 1609. & Passaviensem obtinuit: varias dein post res in Juliaco, Bohemia, Austria, tractu Rhenano, Rhætia gestas, Claudiam Mediceam duxit, Ann. Chr. 1626. mortuus Ann. Ch. 1632. Eo nati, Ferdinandus Carolus, qui orbus obiit A. 1662. & Sigismundus Franciscus, qui similiter absque prole mascula defunctus est, principatu ad Imperatorem, ut dictum, devoluto: cujus uxor Claudia Felicitas, filia postremi, obiit Ann. Chr. 1676.

Tiron, fl. Galliæ Celt. apud Mauritaniam, opp. Comitatus Perticensis, Iveni.

Tironi seu *Tironensis* Comitatus Hiberniæ duplex, Superior & Inferior, *Upper Tyrone* & *Nether Tyrone*: concessus ab Henrico VIII. Angliæ R. Cono, ex clara Onealum familia, quæ Ultoniæ sibi principatum, mox & Hiberniæ totius adscribere olim ausa fuit, oriundo: hac lege, ut ejurato Onealis nomine, in Comitis *Tironi* nomen transiret. Hujus ex filio notho Mathæo nepos Hugo, patruo Johanne, ob rebellionem, interemto, *Tironi* Comitatum, & quæ Conus possederat, Elizabethæ Reginæ beneficio accepit; in quam ingratus An. Ch. 1595. turbas dedit ingentes, per totam Hiberniam rebellione excitatâ, sed eo successu, qui plerunque perfidiam manet. Unde An. Ch. 1607 Comes Tironus cum Tironello, in Galliam primum, mox in Brabantiam profugus, cùm Romanæ religionis studium exilio suo præscriberet, id in se injurium Jacobus Rex existimans, libello vulgavit, nimiùm recepto seculi more sceleribus caussam religionis obtendi. Nam quæ sacrorum cura, verè barbaris, quibus conjugia ignota, cædes laudatæ, decus summum rapto vivere? Sed illos, qui dignitatem non sanguine aut meritis, sed ipsius aut Elizabethæ beneficio obtinerent, suam ingratam mentem, suæ perfidiæ conscientiam perhorrescere, quòd semel condonata iterum ausi, sollicitata dissidium provinciâ, in Anglorum omnium occidionem conspirassent,

rassent, &c. Vide Hugon. Grotium *Historiar. lib.*14. & 16. Thuan. *Hist.* & suprà in voce *Hibernia*.

Tirse, urbs Mygdoniæ, Stephan.

Tirynths, fluv. Argivus. *Tirynths* verò, *Tiryntha* Hesychio, nomen urbis, patriæ Herculis in Peloponneso, quæ proxima Argis est, unde Hercules *Tirynthius* appellatus est, quamvis Thebanus quoque vocatur.

Tisæum, Thessaliæ mons, Polyb. Promunt. quoque ibidem est, Apollon. *lib.* 2. Magnesiæ regionis, in quo Diana culta.

Tisamenes, Antiochi fil. qui apud Delphos oracula reddebat.

Tisamenus, Peregrinus quidam & verberibus concisus, in comœdiis traductus fuit. Vide Scholiast. *in Aristophan. Acharn.* 399. F. 2.

Tisana, oppidum Foro-Julii.

Tisandrus, vide *Thersander*.

Tisara, portus & opp. Latinorum, Steph.

Tisaranthus, fluv. Scythiæ, Herodotus *lib.*4. Lege *Tiarantus*.

Tisarchus, ex amicis Agathoclis: qui à tyranno ob insidias, pro libertate publicâ, ei structas, in Timoleontio confossus est. Polyæn. *lib.* 5.

Tisdrum, vide *Thysdrus*.

Tisebarica, reg. Æthiopica supra Berenicem, cujus partem maritimam Ichthyophagi incolunt. Periplus Arriani.

Tisia, urbs Italiæ, Stephan.

Tisiades, nomen Comici Senis, Aristoph. *Vesp.*

Tisiana, Scythiæ fluv. Jornandes.

Tisias, Coracis Rhetoris discipulus. Vide *Corax*.

Tisias, Stesichorus poëta imprimis sic dictus, qui postea à *Chorea* nomen sortitus est.

Tisiaus, Africæ urbs à Scipione deleta, Strabo.

Tisiphone, *ultricem cædis* signif. Invidi enim & vindictæ cupidi furiis meritò agitari dicuntur. Monstrosam hujusce vocis notationem adfert Statii Schol. *in* 1. *Theb. Tisiphone*, inquit, *quasi* τέτων φωνὴ, id est, *istarum vox*. Horat. *Serm.* 1. *Sat.* 8.

—— Hecaten vocat altera, sævam
Altera Tisiphonen. ——

Tibullus *lib.* 1. *cap.* 3.

Tisiphoneq; impexa feros pro crinibus angues
Sævit. —— ——

Claudianus *lib.* 1. *de Raptu Prof.*

—— Crinitaq; fontibus hydris
Tisiphone, quatiens infausto lumine pinum,
Armatos ad castra vocat pallentia manes.

Virgilius *Æneid.* 6.

Tisiphoneq; sedens pallâ succincta cruentâ
Vestibulum insomnis servat noctesq; diesq;.

Ultrix dicitur eidem, ut & Papinio *lib.* 8. *Theb.*

Tisiphonus, & *Lycophron*, unà cum sorore *Thebe*, uxore Alexandri Pheræi, tyrannum affinem occiderunt dolo: ex quâ re cùm primùm magnam adepti essent gloriam, tanquam vindices libertatis; postmodò ipsi tyrannidem retentarunt: sed ab Alevadis, ope Alexandri Magni, ejecti sunt. Diod. 16 517.

Tisis, urbs Ægypti, quam condidit *Tisis*, Steph.

Tisobis, fluv. Albionis per Walliam fluens pelago, apud Asaphensem urbem exceptus, vulgò *Tese*. Aliis *Cluyd*, *Conwey* verò Camdeno. *Tisobu* Ptolemæo, vide ibi. Sic enim ille *lib.* 2. *cap.* 3. Τοισόβιος ποταμοῦ ἐκβολαί. Baudiando *Menay* hodie; potiùs fretum parvum Monam Insf. à Wallia Bor. separans, prope Arvoniam. Ejus latitudo vix est m. p.

Tissa, Siciliæ urbs, *Randazo* Nigro: eversa apud Gangium opp. hodieque *Tissa*. Aliis *Tussa* arx, à Cephalodio 18. m. p. aliis *Tussa* castrum & arx esse videtur, inter Cephalodium & Amestratum. Silius *lib.* 14.

Venit Amastra viris & parvo nomine Tisse.

Tissamenus, filius Orestis, Mycenis regnavit ann. 3. Unico S. scribendum, apud Polyæn. *lib.* 2. & Frontinum *lib.* 1. *cap.* 2. putat Casaubonus.

Tissaphernes, præcipuus Persarum Satraparum, qui, vulnerato à Cyro Artaxerxe, prælium sustentavit, donec Cyri copiæ funderentur; & cujus industriæ ac fortitudini illa victoria soli propemodum adscribitur. Navatæ operæ præmium Babylone à Rege consecutus est omnium provinciarum præfecturas, quas Cyrus obtinuerat; dein filiam Artaxerxis in matrimonium; tùm principem inter Satrapas locum. Sed cùm malè rem adversus Agesilaum in Asiâ gessisset, Artaxerxi impellente matre Parysatide, exosus factus à subrogato Tithrauste, jussu regis, Colossis, oppido Phrygiæ, ope Larissæi Satrapæ, comprehensus corpus curans, & capite truncatus est.

Tisurus, opp. Africæ propriæ. Ptolem. mediterraneum, *Teusar*, ex tabb. rec. Thysdro finitimum, apud Bagradam fluv. inter Carthaginem & Tebestam in Meridiem, ab ea fere 100. mill. pass. in Arctos.

Titacidæ vicus in Antiochide tribu, à *Titaco*, qui Aphydnas Dioscuris prodidit, Stephan.

Titan, vel *Titanus*, Cœli & Vestæ filius, frater Saturni natu major, ad quem quamvis paternæ hæreditatis jus pertineret, quoniam tamen matrem & sororem in Saturnum propensiores esse sentiebat, suo illi jure eâ lege cessit, ne quam sobolem masculam educaret, sed cœli imperium ad liberos suos rediret. Verùm cùm postea Opis dolo factum intelligeret, ut primùm Jupiter, deinde Neptunus & Pluto clam essent educati, eâque viâ liberos suos avitâ successione dejectos videret, unà cum filiis suis *Titanibus* bellum adversus fratrem suscepit, cujus exitus is fuit, ut victus prælio Saturnus, unà cum matre, & sorore in hostium manus pervenerit, arctissimæque custodiæ fuerit inclusus, donec adultus Jupiter, victis Titanibus, eum liberavit. Ponitur aliquando pro *Sole*. Ovidius *Metam.* 1.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.

Juvenalis Titanem posuisse videtur pro Prometheo:

E meliore luto finxit præcordia Titan.

Hesychius: Τιτὰν, τιμωρητὴς, καὶ τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου ὄνομα. Sed posteriore modo sumptum vocabulum scriberetur Τειτὰν, ut adpleatur numerus 666. qui in Apocalypsi notatur, ut numerus Bestiæ, vel Antichristi. Palmerius. Hinc *Titanius*, ut *Titania castra* apud Virgil. & *Titania bella* apud Sil. Italicum. Item *Titaniacus*, Ovid. *Metam.* 7.

Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat
Palladias arces. —— ——

Item *Titanicus*. Unde proverb. Τιτανῶδες βλέπειν *Titanicum tueri*. Vide Nat. Com. *lib.* 6. *cap.* 20.

Titana, opp. Sicyoniæ, Pausan. à Sicyone 60. stad. Dictum & *Teutanium*. Cum regiune. cognom.

Titana, Claud. Vide *Heliopolis*.

Titanes, filii feruntur Titani fratris Saturni, de quo supra. Aliis videntur sic dicti ἀπὸ τῆς τίσεως, id est, ab ultione; aliquibus ἀπὸ τοῦ τιταίνειν, quod est *trahere*, vel *extendere*. Diodorus omnes communi nomine à Titea matre vult appellatos, quæ quidem fabulosa omnia. Eustath. *in Homer.* & alii intelligunt per eos spiritus & ventos, qui ex cœlo, id est, aëre, ad terram demissi occultantur in eâ, atque ita terræ motus generant, qui sæpe multos homines opprimunt & conficiunt. Atque eò etiam (si Physicè fabulam enodes) referri possunt & verba Hesiodi *in Theog.* ubi simul etymon proditum ab eo, quod supra expressimus: Sic enim ait,

Τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκε,
Φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι
Ἔργον, τοῖο δ' ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι.

Suidas: καταχθονίους δαίμονας exponit. Sanè Homerus *Hymno in Apollinem*:

Τιτῆνές τε θεοὶ, τοὶ ὑπὸ χθονὶ ναιετάοντες
Τάρταρον ἀμφὶ μέγαν, τῶν ἐξ ἄνδρες τε θεοί τε.

Hos fama est omnium primos metendi artem à Cerere fuisse doctos. Apollon. *lib.* 4.

Δηὼ γάρ κείνῃ ἐνὶ δή ποτε νάσσατο γαίῃ,
Τιτῆνας δ' ἔδαε στάχυν ὄμπνιον ἀμήσασθαι.

Ex horum sanguine cum Diis bellum gerentium, qui in terram defluxit, varia serpentum genera exorta esse scribit Nicander in *Theriacis* hoc pacto:

Ἀλλ' ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια, σὺν καὶ ἀνιγροὺς
Ἑρπηστὰς, ἔχιάς τε καὶ ἄχθεα μυρία γαίης
Τιτήνων ἐνέπουσιν ἀφ' αἵματος.

Quin & Orpheus *hymno in Titanes*:

Τιτῆνες Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀγλαὰ τέκνα
Ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων, γαίης ὑπένερθεν
Οἴκοις Ταρταρίοισι μυχῷ χθονὸς ἐνναίοντες
Ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ πάντων θνητῶν πολυμόχθων,
Εἰναλίων πτηνῶν τε, καὶ οἳ χθόνα ναιετάουσιν
Ἐξ ὑμέων γὰρ πᾶσα πέλει γενεὰ κατὰ κόσμον.

Titanus, fluv. & oppid. Æolidis, Plin. *lib.* 5. *cap.* 30. Item mons Thessaliæ.

Titanus mons, *San Marino* incolis, excelsus, cum oppido, quod Fanum S. Marini dicitur, inter Romandiolam & Duc. Urbini, intra fines dition. Pontific. sui tamen juris, cum duodecim vicis ei subditis. Distat 6. mill. à Leopoli in Ortum, uti 20. à Sarsina, & 24. à Cesena, Pisaurum versus totidem ferè. Dicitur aliter *Acer*.

Titanus, portus Corsicæ, seu *Titianus*, hodie *Golfo di Talano*, Brietius. *Titianus* autem fluvius, *Fiuminale d'Ornano*, in portum cognominem se exonerat, in ora Occident. Insulæ, ubi tendit in Meridiem.

Titaresius, vulgò *Titareso*, Hesychius: Τιταρήσιος, ποταμὸς Ἠπείρου. Ubi Grammaticus aliàs longè doctissimus suam in Geographicis inscitiam prodit: Est enim Pieriæ & Thessaliæ fluvius, apud Pharsalum urbem fluens, longè ab Epiro. Sed fefellit eum Homerus, qui eò quòd de Peræbis dixit *Iliad.* β.

—— Μενεπτόλεμοί τε Περαιβοὶ,
Οἳ περὶ Δωδώνην δυσχείμερον οἰκί' ἔθεντο
Οἵ τ' ἀμφ' ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ' ἐνέμοντο.

Putavit Titaresium ac Dodonem, esse in eodem regionis tractu. Sed in eo falsus est. Duplices enim *Peræbi*, qui cùm à planis Thessaliæ locis à Lapithis pulsi fuerunt, bifariam divisi sunt: Alii ad Olympum, & Pieriæ loca montuosa, unde fluit Titaresius, habitavere; alii ad Æthicas profecti sunt, & ibi manserunt in montibus Thespro-

Thesprotiæ ac Dodonæ vicinis; qui nihilominus propter idem nomen & consanguinitatem uniti sub Guneo duce ad Trojam profecti sunt. Lucanus hunc fluv. *Titaresum* vocat, *lib.6.*

Solus in alterius nomen cùm venerit unda,
Defendit Titaresus aquas, lapsusq; supernè
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, superûmq; sibi servare timorem.

Nimirum voluit exprimere illud Homeri *Iliad. B.* ubi supra:

Οἵ τ' ἀμφ' ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ' ἐνέμοντο,
Ὅς ῥ' ἐς Πηνειὸν προΐει καλλίρροον ὕδωρ,
Οὐδ' ὅγε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ,
Ἀλλά τέ μιν καθύπερθεν ἐπιρρέει, ἠΰτ' ἔλαιον,
Ὅρκου γὰρ δεινοῦ, Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.

Oritur hic fluv. ex Titaro monte, nec aquas suas Penei aquis permiscet. Lucan. supra.

Titaron, urbs Thessaliæ, Stephan. & Lycophr.

Titarus mons, è quo Titaresius fluv. ut dictum, oritur.

Titenus, Colchidis fluvius, in Pontum Euxinum se exonerans, Apollon. *lib.* 4.

Tithonus, Laomedontis, Trojanorum regis, filius, qui cùm ob formæ præstantiam ab Aurorâ adamaretur, ab eâdem raptus est, & curru ejus in Æthiopiam advectus, ubi & Memnonem ex eâ genuit. Vide Servium *in illud Æneid.* 4.

Et jam prima novo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Fabulantur Poëtæ, hunc summi muneris loco longissimam vitam ab Aurorâ periisse, eâque impetratâ cùm ætates plurimas vixisset, decrescente quotidie ex senio corpore, tandem in cicadam versum fuisse. Horatius:

Longa Tithonum minuit senectus.

Idem *lib.* 1. *Od.* 28.

—— *Tithonusq; remotus in auras.*

Ubi Acro & Porphyrio, itemque alii oscitantes interpretes acceperunt pro Tithono mortuo. Atqui poëta fabellam perstringere voluit ex mythologiâ, ut dixi, de Tithono in cicadam verso, & suspenso in auris, sive aëre, in canistro sive fiscellâ. Eustath. *ad Iliad.* Ψ. Οἱ ποιηταὶ λαλοῦσι περὶ Τιθωνοῦ, ὅτι τε εἰς τέττιγα διὰ γῆρας μετεβλήθη, καὶ ὅτι ἐν ταλάρῳ, ἢ ἐν κρεβάλλῳ ἐκρεμάσθη. Cleanthes apud Athen. *lib.* 3. Τιθωνὸς ἀθανασίας ἐπιθυμήσας ἐν θαλάμῳ (lege ἐν θαλάρῳ) κρέμαται πάντων ὑπὸ γήρως ἐστερημένος τοῦ ἰδεῖν. Propert. *lib.*2. 18.

At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoâ passa jacere domo est:
Illum sæpe suis decedens fovit in ulnis
Quàm prius abjunctos sedula lavit equos.
Illum ad vicinos cùm amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies, &c.

Tithoraa, urbs Bœotiæ à *Tithoraâ* Nymphâ, Steph.

Tithras, vicus in tribu Ægeide, Idem. Dictus à Tithrante, Pandionis filio, cujus pop. nota perversitas est. Vide Schol. *in Aristophàn. Ranas Act.*2. *Sc.* 1.

Tithrasus, fluv. & opp. Libyæ inter. ubi Gorgones natæ, apud oram Oec. Suidas. Etiam municipium Attic. quod Gorgonibus tribuitur.

Tithronium, urbs Phocidis, Stephan.

Titi Livii duo fuere, alter Tragœdiarum scriptor, qui ob ingenii meritum à Livio Salinatore, cujus liberos erudiebat, libertate donatus est. Alter Patavinus, qui floruit sub Augusto ac Tiberio. Vide *Livius.*

Titia curia, & *Titiensis* tribus, dicta à *Tito* Tatio, Sabinorum Rege, qui à Romulo prælio victus, ab eodem in urbem Romam & Imperii societatem receptus est, Festus.

Viri clari.

Titianus, Othonis Cæsar. frater, dux belli, victis ad Bedriacum partibus, vallum ingressus, postero die se cum reliquiis exercitus dedidit.

Titianus, Orator Græcus, præceptor Maximini principis, Titiani filius, qui scripsit libros provinciarum pulcherrimos: Appellatus simia sui temporis, quòd omnia propè imitaretur. Jul. Capit.

Titianus Vecellius, Pictor insignis, Venetus. Filius Gabrielis, sub Bellino graphicen addidicit, Venetiis. Mox, Magistro superato, Giorgium quoque vicit, Apellem sui seculi, & in præcipuis Italiæ civitatibus, artis monumenta reliquit: ab Ariosto, Marino, aliisq; impensè laudatus. Carolus V. ejus manu pingi voluit. Equitemq; & Com. Palatinum creavit: Henricus quoque tertius, Galliæ Rex, Venetiis ipsum invisere dignatus est, cùm ex Polonia rediret. Obiit peste, An. 1576. æt. 99. Rodolfius, *de Pict. Venetis.* Vasar. *de Pictor.*

Titicaca, vulgò *Titicaca Lago*, lacus Peruviæ, in provinc. *Collao.* Longus est 35. leuc. Hispan. latus 15. Circuitus 80. A mari Pacifico 60. leuc. in Ort. & 24. à Pace in Circ. Ibi quamplurimæ Insulæ.

Titii, sacerdotes Apoll. à *titiis* avibus, quas in auguriis certis observare solebant, sic dicti. Var. *lib.*4. *de L. L.*

Titii sodales, sic dicti à Tatio, rege Sabinorum, quos Romulus memoriæ Tatii sacrandæ instituit: ut scribit Tacit. *lib.* 2. *Histor.* Idem tamen *lib.* 1. *Annal.* à Tatio, retinendis Sabinorum sacris, institutos tradit. Vide Thom. Dempsterum *Antiquitat. Roman. lib.* 3. *cap.* 14.

Titius, Syriæ præfectus, An. Mundi 3956.

Titius, Illyrici fluv. Ptol. *Gerba* Favolio, *Variecha* incolis, teste Nigro. J. Lucio *Kerka*, vel *Krka*; Scardoniam rigat, & Sibenicum; dein paulo infra & juxta arcem St. Nicolai, in sinum Venetum se exonerat, 38. m. p. a Jadera in Ort.

Titius Proculus, illustris eques Romanus, Messalinæ sive à Claudio appositus uxori custos; sive à Silio, ut amicæ, interfectus à Claudio, patefactis Messalinæ cum Silio nuptiis. Tacitus *lib.* 11. *capit.* 35.

Sext. *Titius*, Tribunus Plebis, legem tulit, ab Auctore *Titiam* dictam, *ut vectigal agris publicè assignatis impositum Quæstor colligeret*, Cicer. *de Orat. lib.* 2. Item *pro Murana*, Valer. Max. *libr.* 8. *cap.* 1. Factum id An. 654. U. C. M. Antonio A. Posthumio Albino Coss. Meminit etiam: *Titia* legis de lusu: *Ne quis in pecuniam luderet, sponsionemve in ludo, nisi quis virtutis causâ susceptus esset, faceret*, Martianus *lib.*3. *ff. de aleat.*

Titoneus, mons apud Dionys. *lib.* 1. *Gigantiadis.* Incola similiter *Titoneus.* Stephan.

Titopolis, quæ & *Titiopolis*, urbs fuit Isauriæ, Episcop. sub Archiepiscop. Seleuciensi, *lib. Conc.*

Titormus, bubulcus monstrosæ fortitudinis, cum Milone Crotoniatâ de robore certavit, vicitque, cùm pedem tauri unâ manu, alterâ verò alterius tauri pedem, ipsis per vim conantibus resilire, traheret. Ælian. *ποικ.* 12. 22.

Tituacia, Carpetanorum urbs in Hispan. Tarrac. Ptol. *Xesate* Moletio. Aliis *Vayona*, pag. apud Madritum. Inter Segoviam 48. & Complutum 30. m. p. ex Itiner. Anton. Vide infrà.

Titulcia, locus Hispan. inter Emeritam & Cæsaraugustam. Anton. *Vayona* Morali.

Titurius, cliens Juniæ Silanæ, ab eo subornatus, Agrippinam deferre rerum novarum; sed falsi compertus relegatus. Tacitus *lib.* 13. *capp.* 19. 22.

Titurius Sabinus, legatus Cæsaris in Gallia, falsâ Cativulci persuasione, de relinquendis hibernis, inductus, in insidias cum suâ legione incidit & petito ab Ambiorige colloquio circumventus & trucidatus est. Cæsar *lib.*5. *cap.*29. 30. 36. 37.

Imperator Romanus.

Titus, clarissimus Romæ Imper. Vespasiani ex Flavia Domitilla filius, Domitiani frater. A patre commissum sibi bellum Judaicum, ad umbilicum perduxit, captaque Hierosolymâ, triumphum meruit. Successit Patri An. Chr. 79. Mæcenas literatorum, literatus ipse. Dictus est *amor, ac deliciæ humani generis* Tranquillo *in ejus vitâ.* Ubi vox *deliciæ* una ex illis est, quas observat Casaubonus negotium facessere Græcis interpretibus. Itaque ex iis alii omiserunt isto loco, ut Pæanius, qui ita vertit: Τὸ πλῆθος γὰρ αὐτὸν κοινὸν ἔρωτα προσηγόρευσε. Alii pro eâ posuerunt τρυφή· cujus tamen dictionis similem usum non reperies apud eos, qui verè Ἑλληνίζουσι. Suidas: Ὡς αὐτὸς ἁπάντων ἔρως τε καὶ τρυφὴ τοῦ θνητοῦ προσηγορεύθη γένους. Memorabilis est vox illius apud Suet. *in ejus vitâ: Amici, hodie diem perdidi.* Quod pleniùs explicat Themistius *Orat.*6. Τίτῳ τῷ Ῥωμαίῳ τὸ λαμπρὸν καὶ μέγα ἐκεῖνο ῥῆμα, ὅτι, Τήμερον οὐκ ἐβασίλευσα, οὐδὲν γὰρ εὖ ἐποίησα. Interfectum à Domitiano fratre An. Chr. 81. ætat. 41. Dio, ex eoque Zonaras, item alii, ut Suidas, notant, Suet. tamen febri extinctum adstruit, ut & Eutrop. Aurelii Victor, aliique minorum gentium historici. Ludi ejus natalitii celebrari soliti sunt ad diem 9. Kal. Jan. Vide Theod. Marcilium *ad Sueton.*

Viri illustres.

Titus, nomen viri, ad quem Epistolam 3. Capp. scripsit B. Paulus, cùm in Cretâ eum reliquisset, ut oppidatim presbyteros constitueret. Prædicavit Evangelium, in Dalmatiâ, obiit in Cretâ, An. ætat. 84. Eruditione, zelo, & laboribus, pro defensione veræ fidei, exantlatis, inclytus. In sacram hanc Epist. extant: Agricolæ. Item Alesii *Commentar.* octav. Calixtus. Coccejus. Crameri Ὑπομνήσεις. Crellii Socin. *Prælectiones.* Crocii Joh. *Comment.* duodec. Cassell. 1638. Crocii Ludov. similiter, octav. Bremæ, 1620. Dalæi 2. Volum. Concion. Gall. in octav. Genevæ. Espensæi *Commentar.* Paris. 1567. Godeau. Heilbrunneri *Loci Communes* octav. Lavingæ 1588. Hieronymus. Hofmanni *Commentar.* octav. Francofurt. a. Mœnum. 1582. Magaliani *Op. Hierarchicum*, Lugd. 1609. Megand. *Annotationes*, Basileæ, 1536. Quistorpius. Rhodomanni *Comment.* Jenæ, octav. 1597. Schenkii *Enarratio*, Lipsiæ, 1542. Sculteti Ob*servationes Gramm. Histor. Log. & Theologica*, quart. Francof. 1624. Witebergæ, 1630. Soto Majoris *Commentar.* fol. Olysippone 1610. Wallis *Expositio*, octav. Oxonii, 1656. *Mens* item *sobria seri commendata in cap.*2. *v.*6. Oxonii, octav. 1657.

Titus, Episcop. Bostrensis, in Arabia Petræa, interfuit Concilio Antiocheno, An. 364. Obiit sub Valente, An. 378. Scripsit contra Manichæos, libb. 3. à Canisio editos. Alius auctor Commentariorum in Matthæum & Lucam; Non enim possunt esse prioris Titi, cùm is passim citet Chrysostomum, Cyrillum & Pelusiotam, qui pueri erant, cùm Titus moreretur, Bellarm. Sozomen. *lib.* 5. *Histor. cap.*14. Hieron. *in Catal. &c.*

Tusobis, seu *Tisobis* fluv. seu potius fretum, m. p. latum, 20. m. p. longum, inter Monam Inf. & Walliam Sept. prope Arvoniam, Vulgò *Menay*.

Toga, Græcis Τήβεννος, Romanum tegmen, ipsis Quiritibus longe vetustior. Circummeasse enim à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos, auctor est Tertull. *de Pallio*: & cum Suida Artemidorus ejus originem ab Temeno Arcade deducunt, qui ad Jonii maris accolas navigans, primus eo modo chlamydem induit, à quo indigenæ edocti eadem ratione habitum suum composuere, vestemve *Tebennam* corrupta voce à Temeno appellarunt. Etymologo Τήβεννος Regium gestamen dicitur. Sed, si Romani excipiantur Reges, nullus exterorum Tyrannorum togâ usus reperietur, nisi ex dono Pop. Rom. aut ejus imitatione. Fuit autem *Toga* vestimentum clausum & rotundum, quod uno injectu corpus involveret, & utrumq; brachium operiret, ut ex statuis antiquis veteribusque nummis patet. Hac solâ primitus amicti incedebant Romani, cùm nullis adhuc tunicis uterentur: petitores quoque eâ solâ indutos in campum descendisse tradit Plutarchus, sive ut cicatrices adverso pectore ostenderent, sive ne pecuniam ad suffragia mercanda tunicâ occultarent, sive ut supplicarent humilius: Communis ejus gestandæ modus fuit, ut dextrum brachium, quâ parte ad cervices patuit, exereretur: & ita quidem, ut antiquissimis temporibus manus tantùm usque ad cubitum porrigeretur, postea totum brachium, humerusque exraret: quod primum Romanorum C. Gracchum fecisse, memorat Plutarchus. Sinistrum autem brachium sub ipsa toga extensum, extremam ipsius oram, quæ & lacinia dicebatur, in rugas, plicasque contractam, cui *sinus togæ* nomen, subducebat ad pectus lævâ manu extante. Togæ ora subjecto brachio subducta speciem normæ referebat, sive regulæ, fabrilis nempe instrumenti, ad quod omnia exigunt, super quod brachium, ut Quintilianus ait, *ora ex toga duplex æqualiter sedeat*, i. lacinia togæ veluti brachio divisa, æquis partibus contineatur, nec altera longior aut brevior deformiter cadat. More veterum, brachium togâ juvenes Romani anno virilitatis i. æt. 14. cohibere solebant, Cic. *pro Cœlio*: Idem in petitione honorum factum, docet Horatius *lib. 1. ep. 6.*

Mercemur servum, qui dictet nomina: lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Mittere.

Porro licèt e toga brachium exereretur, & summa togæ ora à dextero humero deflueret: facile tamen fuit, cùm res poscebat, eandem detectæ togæ partem revocare caputque etiam operire & involvere. Unde de Cæsare scribit Tranquillus, cum se strictis pugionibus à conjuratis peti videret, togâ caput obvolvisse, simul sinistrâ manu sinum ad ima crura deduxisse, quò honestius caderet. Non cingebatur toga: nec quicquam aliud cinctus Gabinus fuit, quàm cùm togæ lacinia lævo brachio subducta in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus, sicque in nodum colligabatur, ut togam contraheret & breviorem ac strictiorem redderet. Neque fibulâ nectebatur, utpote vestimentum clausum & humero sinistro sic inhærens, ut lævo brachio sustineretur, quo fiebat, ut nullo modo cadere aut defluere posset. Ea priscis ex lana, serò tandem & nonnisi sub Imperatoribus serica vestis Romanis cognita est. Communis color albus fuit, lanæ nativus, cui cum creta accedebat, *candida* appellata est. Primis urbis temporibus uterque sexus togatus incessit: Varro *apud Nonium de vita Pop. Rom.* & tum quidem honestiores matronæ togam prætextam adhibuerunt: quam cùm postea depoluere, ea sola viris remansit, donec temporum mutatione fœminis quoque probrosis cederet. Habebat autem jus togæ omnis Populus Quiritium, diuque etiam plebs ipsa togata incessit. Imo sublatâ *libertate* ipsos Imperatores togâ usos legimus. Namq; & Cæsar in toga confossus, & Caligula, cum se è spectaculo proripere vellet, calcatâ laciniâ togæ præceps per gradus iit, & Domitianus *Mars togatus* Martiali appellatur, &c. Sed non semper pura ac communis illa, verùm aliquando purpurea & triumphalis fuit. In luctu, depositâ togâ, ad saga itum est: in deprecatione quoque togam depositam docet Cicero *ad Attic. lib. 4.* vel saltem humeris dejectam, Suet. *Augusto cap. 52.* Nec forense solùm vestimentum antiquissimo tempore toga fuit, sed & domesticum: nocturnum non minus, ac diurnum: mox alia vestis domestica, alia forensis, quæ toga fuit: neque publice sine toga civis Rom. visus est: Interim conviviis quoque maximè publicis ac solennibus illam adhibitam ex historicis patet. Neque Romæ modò, sed quacunque Romanum patuit imperium, in pace Quirites togati fuere: quo habitu & ii usi sunt, quicunque Romanis legibus gaudebant, Coloniæ item & Municipia, Tacitus *Histor. lib. 2.* Imò non socios solùm Pop. Rom. sed Italos penè omnes togâ usos, illud argumento est, quòd ab iis Romani togas acceperint. Sed & Arcades sive Argivos, Lydos quoque togâ usos docent, Tertullianus & Artemidorus. Gentes etiam devictæ simul cum servitute togam accipiebant, ut Tac. *in Agricola*, de Britannis: Dio *lib. 46. de Gallia togata*: Strabo *lib. 3.* de Hispanis docent. In bello quoque togarum militarium, meminit Liv. *lib 29.* & alibi, quod vel de honestioribus tantùm, vel de antiquissimis temporibus intelligendum: vel fortasse, dum stativis in Urbibus ac Municipiis attinebantur, togâ usi milites sunt, nequaquam in castris. Hinc & milites Prætoriani, quia in urbe, remoto terrore chlamydum, forsan togati erant; saltem cohors, quæ more militiæ excubabat, ut vult Lipsius *ex Tacito lib. 1. Hist. Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed deficit.* In reliquis nullus togæ usus, pacemque togâ, bellum sago notari quis nescit? Exutam simul à Romanis cum libertate togam, indicat Suetonius *Augusto cap. 40.* sub quo penè usus ejus defuerat, si officia clientum excipias, & in illius locum lacerna successit. Mansit tamen aliquandiu communis & continuus togæ usus apud paucos, eosque honestiores, donec Advocatis solis hæsit. Quintilianus tamen Oratori quoque suo togam dat, eamque morose usque ad rugas disponit. Proin veterem habitum reducere tentarunt Augustus, Domitianus & Hadrianus Impp. quorum ultimus Senatores & Equites Rom. semper in publico togatos esse jussit: nec minus Antoninus, qui etiam milites togatos esse voluit; sed tentarunt, nam id haud quaquam observatum, sensimque ex togato Populus lacernatus ac pænulatus factus est. Cæterùm togam in templo Capitolini Jovis Consules eo die, quo Magistratum inibant, sumere soliti sunt; quod quidam etiam ad omnes trahunt, cùm toga virilis sumebatur: vel saltem post eam domi sumtam, statim in Capitolium ad Jovis ædem itum esse, V. Valer. Max. *lib. 5. cap. 4.* plura autem de nobili hac veste, apud Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom.* & Octavium Ferrarium *de re Vestiaria, lib. 1.*

Toggenburgius Comit. Helvetiæ, in *Turgovia*, Germ. *das Toggenburg*, habebat olim è Nobilitate dominos, qui postea Comitivâ dignitate aucti sunt. Horum ultimus majoribus suis longè potentior, Fridericus, in jus civitatis à Tigurinis receptus, obiit, A. Ch. 1436. Post ejus mortem erexit hæreditatem hujus Comitatus Petermannus Baro Raronius ex Valesia, sed incolæ, à Suitensibus & Glaronensibus, in amicitiam & jus civitatis recepti sunt, sic ut in criminalibus summa potestas penes Raronium esset, ipsi verò in proprio consilio, sub Landammanno capite, causas civiles judicarent. Postea Raronius Ann. Ch. 1469. Abbati Sangallensi jus suum vendidit, qui ab eo tempore regioni præfectum constituit, summum rerum capitalium judicem: Interea mansere *Toggenburgsi*, cives Suitiorum & Glaronensium, suaque privilegia & immunitates habent, quarum beneficio inter alia libertate Religionis hodieque fruuntur. Solum iis asperum & montanum, sed pascuis aptum: ipsi torosi & laboris patientes, candidi insuper & cordati sunt. V. Stumpfium *de Turgovia lib. 5.* ubi seriem Comitum & res gestas succinctè exponit: de eorum verò origine, Philipp. Jac. Spenerum, *in familia Austriaca*.

Togisonus, Plin. *Sciocco* Leandro, fluv. Venetiæ per agrum Patavinum, in Medoacum fluv. post Plebem Sacci opp. influens, à Patavio 8. m. p. Clodiam versus. Sed Plinius eum cum Athesi confluere, & Brundulum portum efficere scribit. Alii *Vigisonus* legunt, & lacus est *Vigazolo*, 6. m. p. ab Ateste, ex quo fl. in Athesim influens effluit. Ferrar.

Togonius Gallus, ignobili origine Senator, qui Tiberium orabat diligere Senatores, ex quibus viginti sorte ducti & ferro accincti, quoties curiam inisset, salutem ejus defenderent. Tacit. *lib. 6. cap. 2.* cujus tamen adulatio à Cæsare elusa est.

Toja, vulgò *Toy*, Inf. Japoniæ, in ora Or. Niphoniæ Inf. & regionis Ochiæ, inter Matcuximam Inf. ad Bor. & Ynoximam Inf. ad Mer. Brietius.

Tokaum, vulgò *Tokay*, urbs munita Hungariæ sup. cum arce ad confluentes *Bodroch*, fluv. in Tibiscum. Capta à Turcis sed recepta ab Austriacis. Vino suo nobilis, 30. m. p. à Cassovia in Mer. totidem ab Agria in Ort.

Tola, *Tolen*, seu *ter Tolen*, inf. parva Zelandiæ, in parte Or. cum opp. munito cognom. prope brachia Scaldis, inter Bevelandiam Australem ad Mer. & Transflaquanam ad Bor. in ipso limite Brabantiæ, vix 1. leue. à Bergis ad Zomam. Ei adjacet agger S. Martini.

Tolbiacum, Gall. Belg. op. Tacitus. *lib. 4. Histor.* Ubiorum in Germ. infer. *Zulpich* Divæo. *Zulch*, Baudr. opp. Juliacensis Duc. Celebre victoriâ Clodovei I. de Alemannorum gente ac Rege, & Theodorici ejus abnepotis de Theodeberto, fratre suo, cæde item Herminafridi Toringorum Reg. Sedet ad Nafelam amnem, 18. m. p. à Bonna in Occ. totidem à Juliaco, in Mer. uti à Colonia in Afric. Valesio castrum est in Duc. Juliacensis regiuncula Eflia vel Eiflia *das Eifel*, non procul à flumine Rura & Marcoduro, quod Gallis *Souche* dicitur: *Notit. Gall.*

Tolca, vel *Toucha*. fluv. Galliæ, in Comitatu Lexovino, Melsam *la Meusse*, Fervidas Aquas *Fervaques*, Montem Gomerici *Mongomery*, opp. Comit. tit. insigne alluit: dein auctus Orbecceo, Orbeccum & Villare alluente, Noviomagum Lexoviorum caput attingit, Pometum *la Pomeraje*, Brolium *le Breüil*, Pontem Episcopi, caleis suis nobilem vicum, Tolcam denique *Touque*, locum à flumine dictum, infra quem in Oceanum effunditur. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tolen, opp. olim Æthiopiæ, sub Ægypto, à Meroë 5. dier. itinere, in Bor. Plinio.

Tolentinum, col. & urbs aliàs Piceni, Ep. sub Arch. Firmano, nunc Marchiæ Anconitanæ; sub Pontif. parva, sed culta; ad Chientum fl. inter Maceratam 10. & Camerinum 15. m. p. à Septempeda 6. in

in Ortum. Vulgò *Tolentino*. Hic requiescere dicunt corpus S. Nicolai Tolentini: Sedes autem ejus Episc. unita nunc est Maceratensi, Pop. *Tolentinates*, Plin.

Tolenus, fluv. Marsorum, in Lirim labens, ubi Rutilius cum 8000. Rom. à Marsis cæsus. Oros. Dicitur & *Telonus* & *Thelonus*.

Tolerium, urbs Latii antiqui. Steph. Locus hodie ignoratur. Pop. *Tolerienses*. Plin.

Toletanum regnum, *Reyno de Toledo* sub Mauris dictum, nunc postquam ab Hisp. receptum, dicitur *Castella nova*, inter Castellam vet. ad Bor. & regnum Granat. ad Mer.

Toletum, vulgò *Toledo*, colon. & urbs Hisp. Tar. Carpetanorum olim caput, in umbilico Hisp. ad Tagum flu. Gothorum dein regia & Maurorum, hodie caput Castellæ novæ, & aurea Regum sedes, à tempore Alfonsi, qui illam Saracenis eripuit, An. C. 1085. Ampla est & elegans, Archiep. cum arce antiqua in colle: sed deficit in dies, à paucis habitata, vix 6000. incolas continens, 42. leuc. Hisp. à Corduba in Bor. 50. à Valentia. Ejus meminit Venantius Fortunatus *lib*. 6.

Qua me dimittis, dura Tolete, vale.

Fuere sub *Toleto*, velut Metropoli, urbes Episc. Oretum, Biatia, Mentesa, Aeci, Basti, Urci, Illici, Bigastrum, Setabis, Dianium, Valentia, Valeria, Segobrica, Arcabrica, Complutum, Segontia, Uxama, Segobia & Palentia: quæ cum Metropoli, tempore Constantis M. Archiepiscopo Carthaginensi, unà cum Caracca & Castulone, subjectæ fuerunt. Hodieque prima in regno Hispaniæ dignitas Archiepiscopi Toletani est, qui, more omnibus Regnis recepto, Primas est Regni & simul Cancellarius Natus Castellæ; cujus ratio ex mediis seculis fluxit, quibus, cùm nulla eruditio extra sacrum Ordinem quæri poterat, ita nec officia, quæ Eruditum requirebant, aliis quàm qui e sacro Ordine essent, committi potuerunt, Becmannus, Franc. de Pisa, *descr. Toleti*. Garsias, *de Eccl. Tol.* Hic Concil. celebratum, An. 400. contra Priscillianistas. An. 531. sub Rege Almerico seu Theude, Isid. Hispal. teste: quo disciplina Eccl. iterum stabilita, quæ sub Arianis Regibus multùm remiserat. An. 589. quo Gothi, paulo antè fidem amplexi, confirmati sunt: sub Recaredo, qui jejunium triduanum Concilii celebrationem voluit præcedere. An. 507. sub eodem, contra impudicitiam Sacerdotum. An. 638. quo legitimum conjugium, damnato ancillarum consortio, concessum est Sacerdotibus. Elipandus Urbis Episcop. Nestorianismi damnatus est, à Carolo M. Synodo illa celebri Francofurtanâ, An. Ch. 794. habitâ. In eadem urbe memorabile olim fuit palatium, clausum & validis vectibus, ferroq; munitum, quod reseratum excidio Hispaniæ futurum Fama ferebat. Hujus seras cùm Rodericus, thesauros ibi occuli ratus, perfringi tandem curasset, arcam solùm reperit in eaque linteum, in quo insolentes hominum facies vestesque depictæ erant, cum hac inscriptione, *à taligente exitium Hispaniæ imminere:* brevique post à Saracenis & Mauris, Rodericus victus est, omnisque nobilitas Gotthorum cum illo cæsa. Lipsius *Mon. lib*. 1. *cap*. 5. V. Moretium *Dict. Hist.*

Toliapis, *Sheepey* Camdeno, ins. Albionis in mari Germanico contra Trinobantes, & Thamesis ostia: ubi etiam Counos *Geeyinge* haud procul ab ostio Tamesis.

Tolistobii, *Tolistobogi* Strab. & Ptol. qui & *Tectosages*, pop. Galatiæ in Asia, quorum urbes Germa col. & Pessinus, Τολιστοβώγιοι Stephano.

Tollentinum, Vide *Tolentinum*.

Tollium, vulgò *Dol* seu *Dosle*, vel *Dole*. V. *Dola*.

Tolmidas, Dux Atheniensium, de quo, quomodo dilectum habuerit, V. Polyæn. *lib* 7.

Tolmidessa, Syriæ urbs in Chalcidicâ regiuncula. Ptol.

Tolnensis Comit. *le Comté de Tolne*, prov. est Hungariæ inf. prope Danubium, quo separatur ad Ort. à Brachiensi Comit. ad Occ. terminatur Comit. Simigiensi, à Mer. Waraniensi. Sub Turcis. Urbs ejus præc. est Tolna *Tolne*, ad Danubium, paulo infra Colociam.

Tolonium, Vide *Telo Martius*.

Tolophon, urbs Locrorum Ozolorum. Steph.

Tolosa, vulgò *Tholouse*, colon. & urbs Gall. Narbon. in Aquitan. confin. ad Garumnam fl. Dicitur & *Tholosa Tectosagum*, *Tolosatium*, &c. Metropolis Aquitaniæ, Arch. cum Academia, & Parlamento; pulchritudine, amplitudine, & vetustate inter civitates Galliæ primas. Tectosagum olim, opulentiâ sed perniciosâ inclytorum, caput. Colonia dein Romanorum, ut prisca magnificentiæ monumenta testantur. Postea sub Gothis, quibus eam Clodovæus eripuit: sequentibus temporibus Comites habuit, Corsone à Carolo M. hac dignitate ornato, An. 778. cui Guilielmus Simus successit. Raimundus postmodum VII. Johannam hæredem Alphonso, Comiti Pictaviensi, fratri Ludovici IX. elocavit, quibus absque prole defunctis, Philippus Audax, urbem occupavit, An. 1271. quam Johannes R. coronæ univit, An. 1361. Patria fuit hæc urbs virorum insignium, unde *Palladia*, Ausonio dicta, qui de Æmilio Magno Arborio patruo suo, Sedato & Exuperò, Professoribus Tholosanis loquitur. Baudrando *Tolosa*, vulgò *Toulouse* Gallis, urbs est perampla Galliæ, Occitaniæ provinciæ seu Languedocii caput, & Parlamenti sedes, in ipso limite Aquitaniæ: ita ut ejus pars minor trans Garumnam fluv. censeatur in Aquitania. Crescit in dies, estque emporium celebre, 9. leuc. à Montalbano distans in meridiem, & 11. ab Auscis in ortum. Sed longè à Tolosa victus fuit Attila à Merovæo Rege Franciæ, Theodorico Gothorum Rege, & Ætio Romanorum Duce, nempe in Catalaunicis campis, & prope Catalaunum urbem Campaniæ ad Matronam fluvium, quidquid dicat Paulus Diaconus in contrarium. Ad Tolosam autem nuper à Rege Ludovico XIV. inceptum fuit facile peramplum sumptu verè regio, ut mediante Atace fluvio, Fresquelo, Sora, Lerso, aliisque minoribus ex monte Nigro profluentibus, lintres ab ipsa urbe Stagnum Magalonense & Setium montem usque in ora maris Mediterranei pervenire possint, & vice versa à Setio monte ad Tolosam, hincque per Garumnam, Burdegalam & Oceanum usque, maximo totius Occitaniæ commodo: sicque Tolosa erit utriusque maris emporium, Oceani nempe & Mediterranei. *Tolosanum* Episcopum Notitia Episcopatuum Galliæ quinto loco ponit, inter novem Episcopos Narbonensi Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes, Carcassonensi, Biterrensi, Agathensi Lutevensique, quod mirere, ei prælatis. Johannes demum XXII. Tolosam ad Metropolitanum sive Archiep. extulit fastigium, & septem novas sedes ei attribuit, Apamiensem, Mirapicensem, S. Papuli, Montis Albani, Rivensem, Lumberiensem & Vaurensem: veteremque provinciæ Metropolitanum Narbonensem Carcassone, Elenâ, Biterris, Agathâ, Lutevâ, Magalonâ, Nemauso, Ucetiâ, antiquis sedibus ac Tomerüs S. Pontii & Electâ novis Episcopatibus suffragantibus contentum esse jussit. Vide Cæl. *lib*. 8. Strab. *lib*. 4. Plin. *lib*. 3. & 4. Melam, *lib*. 2. *cap* 5. Justin. *lib*. 32. Ptol. *lib*. 2. *cap*. 10. Ammian. Marcell. *lib*. 15. Gregor. Tur. Sidonium Apollin. Nic. Bertrandum, *Gesta Tolosanorum*. Anton. Noguerium, *Histor. Tolos.* Guil. Catel. *Hist. Com. Tolos.* Morer. *Diction. Hist.* Concilium hic celebratum, An. 829. à Ludovico Pio Imp. An. 863. contra Judæos 1056. c. Simoniam &c. Purior Religio Urbi affulsit, sec. 11. quo sub patrocinio inprimis Hildefonsi V. Ægidii Comitis & Tolosanorum, Petrus Bruisius, Henricus Monachus aliique salutaris doctrinæ præcones docebant: Circa An. Ch. 1140. Unde crux in fideles sumta, & Raimundus comes, dux illorum ab hostibus graviter pressus est, Simone Monfortio Pontificiarum copiarum Antesignano, in obsidione Tolosæ, lapide occiso: sec. 13. &c. Contra hos igitur Conciliabulum ibidem celebratum, A. C. 1228. Cardin. Romano præside. Vide Morer. *Diction Hist.* Hinc *Aurum Tholosanum*, adagium est, in eum qui fatalibus malis afficitur: sive in eum, qui pœnas dat sacrilegii, ut Cæpioni Cons. Rom. contigit, cùm sacram pecuniam Tolosæ abstulisset, quemadmodum Strabo testatur. Summa auri erat 110000. pondo, (quorum quodlibet, non minus est 100. aureis nummis,) argenti verò quinquies decies centena millia, Vide Cic. 2. *de N. D.* Gellium, & Justin. Urbis hujus clarissimæ meminit Ausonius:

Non unquam altricem nostri reticebo Tolosam,
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens;
Perq; latus pulchro prælabitur amne Garumna.

Plura, V. apud Hadr. Valesium, in voce *Volcæ Tectosages*, ubi de Capitolio, Amphitheatro, Palatio, aliisque antiquitatibus Tolosanis egregiè disserit, item supra in *Tholosa*.

Loca Diœcesi Tolosanâ comprehensa.

Alta Ripa.	Mons Laureus.
Aureolus mons *Montoriol*.	Pauliacum.
Clarus Mons.	Placentia.
Judicatura Lauriacensis *in Jugerie de Lauraguez, vel Lauragois*.	Sancta Fidis *Sainte Foy*.
	Vetus Tolosa *Vieille Tolose*.
	Villa Franca.
Mons Acutus *Montagut*.	Villa Longa *Ville Longue*.
Mons Goliardus *Montgailhard*.	Villa Nova.
	Vivaria.

Tolosa, vulgò *Tolosa*, urbs Hispaniæ, in Guipuscoa provincia, prope Orium fluvium, satis culta, ad radices Pyrenæorum montium, & vix 4. leucis distans ab Oceano Cantabrico in Meridiem, uti à Fano S. Sebastiani, versùs Montem S. Adriani totidem. A Gallis autem *Tolosette* dicitur, ad alterius Tolosæ Occitanicæ differentiam.

Tolpia, legio 10. Vide *Tolbiacum*.

Tolsburgum, Anton. *Tolczburg*, oppidum munitum Sueciæ, in Livonia & in provincia Viria, in ora sinus Finnici; ubi recipit *Semsckebeck* fluvium, 70. m. p. distans à Revalia in ortum, Narvam versùs 80. circiter.

Tolvera, fluv. Galliæ, in agro Encolismensi, vulgò *Tourvre*, in Catanronum labitur, prope Encolismam. Huic adsita Magnicum & Juvenacum, inter villas ad cœnobium suum pertinentes, numerat Monachus Ecolismensis S. Eparchii *in vita Caroli Magni*, apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tolumnius, augur, qui pro Turno bellavit in Æneam. Virgil. *lib*. 12.

Expediuntq; manus; primusq; Tolumnius Augur.

Item Veientum rex, qui Romanorum legatos interfici jussit, an. U. C. 317.

Tolus, nomen viri, à quo monti Capitolino seu *Capitolio* nomen;

in eo

Titus Æmilius Mamercus, Consul, anno Mundi 3494.

Titus Annius Fusius, Cons. anno Mundi 3811.

Titus Annius Ruffus, cons. an. U. C. 626.

Titus Antonius Xvir, an. U. C. 304.

Titus Apronianus, cons. an. U. C. 869.

Titus Aurelius Ful. Bo. Antoninus Pius, decimus sextus Imper. Rom. erat post Adrianum anno Mundi 4101. à Christo nato 139. Barbarorum plurimæ nationes depositis armis, ad eum controversias suas litesque deferentes, sententiæ ejus paruerunt. Nullum sub eo bellum fuit, amor ac timor gentium in eo certarunt: bellum movere timebant adversus Principem, quem ut Numen aliquod venerarentur: nec ille gloriæ ita cupidus, ut per aliorum damna cædesque eam appeteret. Nam & à conjuratis vim omnem abstinuit, & in conscios quæri vetuit, ne plures inventi odium augerent. Hic ante Imperium ditissimus opes suas stipendiis militum, & liberalitate in amicos minuit: nihilominus tamen ærarium opulentum reliquit. Sub eo statutum, ut resurrectio Dominico die celebraretur, quod postea à Romanis Pontificibus est confirmatum. Febre obiit vitæ anno 78. Imperii 22. mens. 3. An. Sal. 140. Eutr. *lib.* 7. Vide *Antoninus Pius.*

Titus Cæcilius Siculus, Trib. Mil. an. U. C. 311.

Titus Claudius Nero, cons. an. U. C. 552.

Titus Coruncanus, cons. an. U. C. 473. Item primus ex plebe Pontifex Max. post quem promiscuè ex utroque ordine Pontifices M. creari cœperunt, ad Julium Cæsarem usque.

Titus Didius Vinius, cons. an. U. C. 656.

Titus Ebutius Helva, cons. an. U. C. 255.

Titus Furnius, cons. an. U. C. 737.

Titus Geganius Macerinus, cons. an. U. C. 322.

Titus Genutius Xvir, an. U. C. 303.

Titus Herminius Aquilinus, cons. an. U. C. 248.

Titus Junius, cons. an. U. C. 821.

Titus Largius, apud Rom. primus Dictator, Liv. *lib.* 2.

Titus Livius, Patavinus, Historicus. Ut Romam pervenit, Augusto Imper. innotuit, cujus ope ad Historiam suam condendam insigniter adjutus est: illi partim Romæ, partim Neapoli, quò secedere amabat, ut minus ibi impeditus esset, intentus. Imperatore mortuo, Patavium reversus, Obiit Kalend. Jan. an. 4. Imp. Tiberii, qui Ovidio quoque fatalis fuit. Historia ejus, ab U. C. *initio ducto*, finierat, in morte Drusi, in Germania defuncti, tum nondum in Decades divisa, sed in libb. 142. è quibus vix 35. neque illos continuos habemus. Primam nempe, tertiam & quartam Decadem, cum parte quintæ dimidia, quam Wormatiæ invenit Celeberr. Simon Grynæus. Dein, inter manuscripta Bibliothecæ Bambergensis, repertum est initium lib. 43. quod tamen Vossius *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 19. genuinum esse negat. Prius etiam scripserat Livius dialogos Philosophicos, ad Augustum, Seneca *epist.* 101. & præcepta Rhetoricæ insignia, ad filium, Quintil. *lib.* 10. *Inst. cap.* 1. Claudii educationi admotus, juxta alios viros eruditissimos, Suet. *in Claudio.* Ingenium habuit par Imperio, famæ tantæ, ut Gaditanus quidam in Italiam profectus sit, cum illo collocuturus. Nihilominus *Patavinitatem* ei exprobravit Asinius Pollio, & Caligula statuas ejus scriptave abolitum ivit, Sueton. *in Caligul.* Vide Plin. *lib.* 2. *epist.* 3. Jac. Phil. Thomasinum, *in vita Virg. &c.*

Titus Lucretius, cons. an. U. C. 246.

Titus Manlius Torquatus Dictator, an. U. C. 404. 407.

Titus Menenius Lanatus, cons. an. U. C. 277.

Titus Minucius Augurinus, cons. an. U. C. 449.

Titus Numicius Priscus, cons. an. U. C. 281.

Titus Pinarius, mag. equitum, an. U. C. 363.

Titus Quintius, Dictator, *Præneste victum prætulit*, Liv. 1. *dec. lib.* 6. De eodem Fest. Pomponius *lib.* 18. *Trientem tertium pondo coronam auream dedisse Jovi donum scripsit T. Quintius Dictator, cùm per novem dies totidem urbes, & decimam Præneste cepisset.* Quid sibi velit id donum, explicat ibidem loci Cincius *Mystagogic. libro secundo.*

Titus Quintius Barbatus Interrex, an. U. C. 311.

Titus Quintius Barbatus, cons. an. U. C. 312.

Titus Quintius Capitolinus, Trib. Mil. an. U. C. 351.

Titus Quintius Cincinnatus Pœnus, cons. an. U. C. 328. Item Trib. plebis, an. U. C. 310.

Titus Quintius Crispinus, cons. an. U. C. 546.

Titus Quintius Flaminius, cons. an. U. C. 556.

Titus Quintius Flaminius Apellas, cons. an. U. C. 631.

Titus Romuleius Xvir, an. U. C. 303.

Titus Saturninus, cons. an. U. C. 950.

Titus Sempronius Gracchus, cons. an. U. C. 577.

Titus Sempronius Longus, cons. an. U. C. 536.

Titus Servius Fidenas, Trib. Mil. an. U. C. 332.

Titus Statilius Taurus, cons. an. U. C. 728.

Titus Valerius, cons. an. U. C. 424.

Titus Virginius Tricostus, cons. an. U. C. 258.

Titus Virginius Cælimontanus, cons. an. 307.

Titus Veturius Calvinus, cons. an. U. C. 433.

Titus Veturius Xvir, an. U. C. 303.

Titus Veturius Geminus, cons. an. U. C. 260.

Titus Vinidius Quadratus, Syriæ præses, An. Dom. 52.

Tityrus. Hic nomen peperit fistulæ cantus, cui vacabat. Aristophan. enim καλαμίνην σύριγγα dixit, quam Dorienses Τιτύρινον vocant. Athenæus *libr.* 4. ὁ δὲ καλάμινος αὐλὸς τιτύρινος καλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσι. Grammatici veteres notant hircum appellari *Tityrum* Afrorum linguâ, eandemque ἐπινομίαν sortitum eorum custodem. At Servius asserit arietem majorem *Tityrum* dici linguâ Laconum. Fungerus. Item mons Cretæ, Strab.

Tityus, Jovis filius ex Elara Orchomeni filiâ, quam cùm Jupiter compressisset, gravidamque reddidisset, veritus Junonis indignationem, inter terræ viscera eam occultavit; instante verò legitimo partus tempore, Elara miræ magnitudinis puerum enixa est, qui quòd dehiscente terrâ luci redditus esset, Terræ filius creditus est. Hic cùm postea adultus, Junonis instinctu Latonam de stupro interpellasset, vimque illi inferre conatus esset, Jovis fulmine ictus, aut (ut alii malunt) Apollinis telis confixus est, & ad inferos detrusus, ubi humi exporrectus 9. terræ jugera dicitur occupare, jecurque perpetuò cum Lunâ renascens vulturi, aut, ut Hygino placet, serpenti exedendum præbere. Hom. *Odyss.* Λ.

> Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν
> Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁδ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.
> Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον, &c.

Virgilius, *Æneid.* 6.

> *Nec non Tityon terra omnipotentis alumnum*
> *Cernere erat; per tota novem cui jugera corpus*
> *Porrigitur; rostroque immanis vultur adunco*
> *Immortale jecur tondens, fœcundaque pœnis*
> *Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto*
> *Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.*

Ovidius *Metam.* 4.

> *Viscera præbebat Tityus lanianda, novemque*
> *Jugeribus distractus erat.*

Idem *Pont.* 1. 2.

> *Sic inconsumptum Tityi semperque renascens*
> *Non perit, ut possit sæpe perire jecur.*

Idem *in Ibin:*

> *Jugeribusque novem qui summus distat ab imo,*
> *Visceraque assiduè debita præbet avi.*

Bene *prabet*, Ita quoque Seneca:

> *Prabet volucri Tityus æternas dapes.*

Idem *in Thyeste:*

> *Aut pœna Tityi semper accrescens jecur*
> *Visceribus atras pascit effossis aves.*

Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 3.

> *Porrectusque novem Tityus per jugera terræ*
> *Assiduas atro pectore pascit aves.*

Claudianus *in Gigantom.*

> *Quid dicam Tityum, cujus sub vulnere sævæ*
> *Viscera nascuntur gravibus certantia pœnis.*

Horatius *Carm. lib.* 3.

> *Incontinentis nec Tityi jecur*
> *Relinquit ales.* ——

Idem alibi *de Plutone:*

> —— *Qui ter amplum*
> *Geryonem Tityonque tristi*
> *Compescit undâ.* ——

Statius *Theb.* 1.

> *Terrigenam Tityum Stygiis extendit arenis.*

Qu. Calaber *lib.* 3.

> Οἷος ὑπερφίαλος Τιτυὸς πέσεν ὁππότε Λητὼ
> Ἐρχομένην Πυθῶδε βιάζετο, καί ῥ' ὁ χολωθεὶς
> Ἀκάματόν περ ἐόντα θοῶς ὑπεδάμνατ' Ἀπόλλων
> Λαιψηροῖς βελέεσσιν, ὁ δ' ἀργαλέῳ ἐνὶ λύθρῳ
> Πουλυπέλεθρος ἔκειτο κατὰ χθονὸς εὐρυπέδοιο,
> Μητρὸς ἑῆς, ἡ δ' υἷα περιστενάχησε πεσόντα
> Ἀχθομένη μακάρεσσι, γέλασσε δὲ πότνια Λητώ.

Ait Tityum Apollinis telis confixum. Ita ante eum Apollonius:

> Ἐν καὶ Ἀπόλλων Φοῖβος ὀϊστεύων ἐτέτυκτο
> Βούπαις, οὔπω πολλὸς, ἑὴν ἐρύοντα καλύπτρην
> Μητέρα θαρσαλέως Τιτυὸν μέγαν, ὅν ῥ' ἔτεκέν γε
> Δῖ' Ἐλάρη, θρέψεν δὲ καὶ ἂψ ἐλοχεύσατο Γαῖα.

Callimachus verò *in lavacrum Dianæ*, non ab Apolline sed à Dianâ confossum Tityum fuisse ostendit, cùm ait:

> Ἄρτεμις παρθενίη Τιτυοκτόνε. ——

At Pausanias *in Laconicis* scriptum reliquit, in quodam templo positas fuisse Apollinis & Dianæ imagines, à quibus utrisque Tityus sagittis conficeretur. Ejus quoque mem. Apollon. *lib.* 1.

> Εὐρώπη Τιτυοῖο μεγασθενέος τέκε κούρη.

Strabo *lib.* 9. hanc fabulam ad historiam transtulit, dicitque quo tempore Apollo dictus est è cœlo in terras adventasse, ac homines mansuefecisse, qui prius arborum sylvestrium fructibus tantùm vescebantur, Tityum tyrannum Panopeæ crudelissimum, hominem fuisse violentum, atque prorsus flagitiosum, quem Apollo sagittis confecit. Lucretius verò *lib.* 3. ad rei Venereæ cupiditatem, animique sollicitudines hanc fabulam retorsit; cùm dicit fieri non posse omnino multa, quæ traduntur de inferis, neque

Tityum, si par jecur universo terrarum orbi habuisset, perpetuum dolorem ita pati potuisse; sed per hæc animi curas antiquos significare voluisse, ut ab iis retrahamur. Verba ejus apponam:

Nunc Tityon volucres ineunt Acherunte jacentem:
Nec quoi sub magno scrutentur pectore quidquam,
Perpetuam ætatem possent reperire profectò,
Quamlibet immani projectu corporis exstet,
Qui non sola novem dispersis jugera membris
Obtineat, sed qui terræ totius orbem:
Non tamen æternum poterit perferre dolorem,
Nec præbere cibum proprio de corpore semper.
Sed Tityos nobis hic est, in amore jacentem
Quem volucres lacerant, atq; exest anxius angor,
Aut aliâ quâvis scindunt torpedine curæ.

Vide Nat. Com. *lib.6. cap.19.* Item Tityus Orator homo loquax sanè & satis acutus; de quo Cic. *in Bruto.*

Tium, seu *Tion* Ptol. *Teium* Strab. *Tio* etiam hodie, teste Moletio, urbs marit. Paphlagoniæ, à Milesiis condita, teste Melâ, à Tio, Milesio Sacerd. Steph. Episcop. olim sub Archiepisc. Heracleensi, inde 38. m. p. in Ort. Cytorum versus 65. inter Psylium & Amastrida. Quidam confundunt hanc urbem cum *Teo* urbe Joniæ, Anacreontis patriâ. Baudrando urbs fuit Bithyniæ, in limite Paphlagoniæ, ad ostia Bilis fluv. ex P. à Vico aliisque.

T L.

Tlascala, vulgò *Tlascala*, provinc. novæ Hispan. aliter *Angelorum* prov. inter Sinum Mexicanum & Guaxacam prov. ad Ort. & Mexicanum propr. ad Occid. Sub Hispan. in præfectura Mexicana. Ejus caput est *Angelopolis.* Hinc 5. leuc. est opp. cognom. *Tlascala*, 27 à Mexico in Ort. Veram Crucem versus 32. circiter; Urbs antiqua & aliâs Resp. potens: Nunc deficit indies.

Tlepolemus, Herculis & Astyoches filius, quam ex Ephyrâ urbe Peloponnesi rapuerat. Homer. *in Catalogo.* Hic cùm adolevisset, clarus rebus bellicis, corporisque proceritate insignis, Lycimnium avunculum suum Marte progenitum, & patri suo charissimum jam senem interfecit. Propter quod fabricatis navibus, contractâque juvenum manu patriam reliquit, Rhodumque venit, in quâ 3. urbium regnum obtinuit. Belli verò Trojani tempore 9. navium classe Græcis suppetias tulit, quo in bello à Sarpedone, Jovis filio, interfectus fuit. Ovid. *Epist.1.*

Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam,
Tlepolemi leto cura novata mea est.

Tlepolemus, inter Duces Alexandri M. cui, post ejus excessum, in divisione Provinciarum, Carmania obtigit. Diod. *lib.18.*

Tlepolemus, actor Tragicus Sophoclis Tragœdiarum, de quo agit Scholia *in Aristoph. Nubes.*

Tlesias, 2. Archon, seu princeps annuus Atheniensium, circa Olympiad. 25.

Tletes, pop. Iberici juxta Tartessios, Steph.

Tlos, urbs Lyciæ, à *Tlo* Milesii & Praxidices Nymphæ filio, ad Tloum fluv. Episcop. sub Archiepisc. Myrensi, inter Xanthum ad Merid. & Araxam ad Arctos. Una ex maximis regionis: reliquæ sunt Xanthus, Olympus, Pinara, Myra, Patara. Gentile idem, vel *Tloeus*, *Tloites*, sive *Tlous.* Item urbs Pisidiæ, possessivum *Tloitus*, Stephan.

T M.

Tmarus, mons Peloponnesi, apud Coryphasium promunt. Item nomen proprium viri, Virgil. *lib.9. Æneidos:*

Et præceps animi Tmarus. ——

Tmarus, Thesprotiæ in Epiro mons, in quo 100. fontes. *Tomarus* Plinio & Solino. Unde *Tmarius.* Hesychius: Τμάριος Ζεὺς ἐν Δωδώνῃ, Callimachus *Hym. in Cererem:*

Οὔρεσιν ἐν Τμαρίοισιν. ——

Tmolus, qui & *Timolus*, seu *Tymolus* Strab. Plin. Sol. & aliis, nunc *Tomalitze*, Leuncl. mons Phrygiæ magnæ, ex quo Pactolus fluit, in confin. Lydiæ (ad fluv. cognominem in Mæandrum per Sardes, quas alluit, influentem, cujus memin. Herod. & Plinius) in agro Trallensi & Sardensi, vitibus consitus, qui & *Tempsis* dictus est, teste Plinio; quem vide 15. 29. Virgil. *Georg. 2.* de variis vitium generibus:

Tmolus & assurgit quibus & rex ipse Phanæus.

Theophrast. 4. *Histor. cap.6.* Τμῶλος ἔχει ἀμπέλον. Auctor Tragœdiæ *Thebaidos:*

Hinc nota Baccho Tmolus attollit juga.

Ovidius *Pont.* 4. 15.

Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos.

Strabo *lib.13.* in genere. Τμῶλος εὐάμπελον ὄρος. Et *lib.14.* inter loca quæ afferant οἶνος ἄριστος, numerat Tmolum. Et iterum de eodem *Tmolo*, & locis aliis ita ait: ἀλλ᾽ ἐκφόρους χρησιμεύειν. ἢ αὐτὰς ἀμπέλους, ἢ αὐτὰς ἀμείνους εἶναι. Huc pertinet hymnus Orphei ad Sabazium, ubi ait Bacchum insutum à Jove femori, & eductum.

—— Ὅπως τετελεσμένος ἔλθῃ
Τμῶλον ἐς ἠγάθεον. ——

Crocum quoque plurimum gignit hic mons. Virg. *Georg. 1.*

—— *Nonne vides croceos ut Tmolus odores,*
India mittit ebur? —— ——

Nam ibi per *odores croceos*, vulgaris Servius *crocum* intelligit, cujus interpretatio commoda est. Nam Solinus, Columella, & Martianus ajunt hunc montem esse florentissimum croco: primus *cap.53.* Secundus *lib 3. cap.8.* postremus *lib.6. cap. de Phrygiâ*; in quo ubi legitur *Tmolus loco florens*, legendum *croco*, ex doctorum censurâ. Alii tamen per *croceos odores* vinum redolens & fragrans intelligunt. Sil. Italicus *lib.7.*

It montis decus, atq; ex illo tempore dives
Tmolus. —— ——

Dicitur quoque *Timolus*, vel *Tymolus*, teste Steph. Ovid. *Met.6.*

Deseruere sui Nymphæ vineta Timoli.

Ubi tamen alii *Tmoli* legi debere contendunt. Idem Ovidius *Metamorph.* 11.

—— *Freta prospiciens latè riget arduus alto*
Tmolus in ascensu: clivoq; extensus utroq;
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.

Tmous, filius Tremyli & Praxidices, in Lyciâ natus.

T N.

Tnyssus, urbs Cariæ. Gentile *Tnysseus*, Stephan.

T O.

Toani, pop. Arabiæ fel. ad fretum Sinus Arab. seu apud fauces ejusdem, Plin.

Toarcis, vel *Toarcius*, castrum Galliæ veterrimum, in Aquitania, ante annos 900. nobilissimum & munitissimum, sub proprio olim Comite: expugnatum est à Pipino, tertiò in Aquitaniam movente, unà cum civitate Biturigum, An. Ch. 762. Hodie *Toars*, vel *Toüars.* Non longè Lausduno & Moncontorio abest, in finibus Pictonum, Vicecomitatûs quondam, hinc Rigordus *in gestis Philippi Aug.* Gundonis Vicecomitis *Toarcii*, omnes ferè Pictones potentiâ præcellentis, meminit: nunc Ducatus tit. illustre, à Tremolliæ dominis pridem possidetur. Caput est *Vicariæ Toarcensis Vigueria*, quo nomine ager loci aut castri, cui suus erat Vicecomes, sæpe pro Vicecomitatu, apud Auctores venire solet. In hac villæ Glandis, & fluvii Argentarii, vulgò *Argenton*, qui in Toëdum defluit, meminit Lil. Giraldus *lib. de Turtinnæ*, apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tobias, nomen viri, 1 Esdr.2.

Tobinium, vide *Zofinga.*

Tobius, *Tovvy*, seu *Tovy*, Camdeno, fluv. Albionis per Walliam in Oceanum ad Maridunum decurrens.

Tobolium, & *Tobolsca*, vulgò *Tobolsck*, urbs Moscoviæ Tartar. caput Siberiæ: haud pridem à Moscis extructa. Is. Massa. Ad flum. *Yrtim*, quod ab Austro exortum, rapidissimo cursu, in Obium, aquas suas evolvit. Ab altera parte est fluv. *Tobol*, unde urbi nomen, & in hunc influit fluv. Talsa.

Tobrus, urbs Africæ propriæ, Ptolem. Eandem cum Tuburbe Antonini esse credit Simlerus. *Obros*, in tabb. recent. media ferè inter Tabrachiam ad Arct. & Tuburbem in Mer. ad 80. mill. pass. Vide *Tuburbis.* Ferrar.

Tocama, vulgò *Tocayma*, urbs novi regni Granat. parva, juxta fluv. Patum. Vix 18. leuc. Hispan. ab Urbe S. Fidei de Bogota in Occ. & 13. à Tutela in Mer. In America merid. Sub Hisp.

Tocaium, opp. Hungariæ, vino suo nobile. Hic Johannes Vaivoda Transylv. à Ferdinando victus est, An. C. 1527. Vide Thuan. *lib. 1. & 5. 8. 9. & Tokaum* infra.

Tochari, pop. Indiæ, Tzetzæ, vel Sericæ. Ptol. Dionysius:

Καὶ Τόχαροι Φροῦροι τε. ——

Optimi textores, Plin.

Tochata, urbs Cappadociæ ad Lycum fluv. *Nova.* Sedes Satrapæ, inter Neocæsaream & Gomana.

Tocigonus, Venetæ regionis in agro Patavino fluvius, *Sciocco* Leandro.

Tocoësia, vulgò *Tokæsi* Insula Oceani Eoi, & pars ampla Japoniæ. Dicitur aliter *Xicoca*; estque inter Niphoniam insulam præcipuam ad Ort. ac Bor. & Ximum ad Occ. Continet 4. regna seu provincias. Vide *Xicoca.*

Tocolosida, opp. Maurit. Ting. Ptol. à Volubili colonia 4. m. p. à Tingi 148. I in. Ant. *Mergo.* seu *Amargo* Marmolio.

Toëna, fluv. Galliæ Belg. in Quantiam defluens, al. *Tena*, recentioribus *Terna*, vulgo *le Ternois*: unde pagus *Toënensis*, *Tenensis* *sive* posterioribus *Ternensis* nuncupatur, in Morinis. Ubi Blangiacum *Blangin Ternois*, & castrum S. Pauli *S. Paul en Ternois*, caput Com. cogn. ad *Toënam* amnem posita. Ibidem est & Balliolum *Bailleul en Ternou*, & vicus Hosium *Heux en Ternois.* Iperius Abbas *in Chron. Bertiniano*, Adalolfum Balduini Calvi fil. veluti jure hæreditario Comitatus Boloniensem & *Ternensem*, circa An. Chr. 927. una Sithiensem Abbatiam militem & laicum totâ vitâ tenuisse dicit. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

in eo enim cùm fundamenta ponerentur ædis Jovis, caput *Toli* repertum, augurio fuit, Romam imperatricem fore. Structum est Capitolium quadrato saxo; Inchoavit illud Tarquinius Priscus, absolvit Superbus, dedicavit Horatius Pulvillus. Motis inter Syllam & Marium armis civilibus incensum est, Scipione & Norbano Coss. an. à dedicatione 424. postea à Q. Catulo reparatum rursusque dedicatum, Plin. *lib.* 19. *cap.* 11. Suet. *Cæsare cap.* 15. Sed interjectis annis 136. à Vitellianis denuo incensum, Dio *lib.* 65. iterumque à Vespasiano reparatum est, Suetonius *in eo cap.* 8. Ausonius *in Urbibus de Narbona,*

Tanta molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius Catulusq; iterum postremus, & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar.

Hic solenne juramentum concipiebatur, Plin. *lib.* 2. *cap.* 7. præsertim, cùm in acta Principum cives adigerentur Kal. Jan. Solennia item hîc vota fiebant, Tertullian. *lib. de cor.* Tactum fulmine Capitolium inter prodigia recensebatur, Cic. *de Divin. lib.* 1. Triumphantes curru illud conscendentes, peracto triumpho, convivium in Jovis templo instaurarunt: quod tamen alii in Capitolii porticibus factum esse contendunt. Coli hic solita sunt omnium Deorum Dearumque simulachra, Liv. *Dec.* 1. *lib.* 6. *&c.* Ad ejus imitationem, in aliis quoque urbibus, Corinthi, Antiochiæ, Tolosæ, Narbone &c. Capitolia à Romanis colonis extrui cœperunt, V. in voce *Colonia*, & plura de Capitolio, apud Thomam Dempsterum *Antiq. Rom.*

Tomadæorum, insulæ 2. Arabici sinûs. Ptol. 4. 8. *Soridan* Ort.

Tomaa, apud Strabonem, Lazio *Tomisvvar* vel *Temesvvar*, opp. seu pag. Mysiæ infer. in ora maris Euxini, apud Tomos, inde 250. stad. Strab. Aliis *Tomi* ipsi.

Tomæum, seu *us*, mons Peloponnesi, juxta Coryphasium prom. Thucyd. Steph.

Tomarium, vulgò *Tomar*, opp. Extremaduræ, in Portugallia, ad amnem *Couros*, 7. leuc. Lusit. à Leiria in Ort. 3. à Tago.

Tomarus, (vide *Tmarus*) Strab. & Steph. mons Thesprotiorum, Dodoneo oraculo imminens. Orpheus *in Argonauticis*, ubi de Argo:

Δή τοτ' ὑπωρόμενον Τομαρίης ἔκλαγε φηγός.

Dicitur per concisionem *Tmarus*. Unde Virg. *Ecl.* 8.

Aut Tmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

Tombutum, Gallis *Royaume de Tombut*, Regnum Nigritarum, Gualatæ regno præferendum, magnitudine, populositate, fertilitate, frumenti, pecorum, lactis, butyri, at salis inops: inter regna Agadum ad Ort. Mandingam ad Mer. Geneboam ac Gualatam ad Occ. & desertum Zanhagam ad Bor. Metrop. regni quoq; *Tombutum* dicta ad Senegam fl. tuguriolis cretaceis, cramineisq; tectis constat, exceptis templo quodam, regioque palatio, lapideis muris, calceque vivâ extructis. Natal. Merel. Est hæc urbs in limite regni Gambeæ, 130. m. p. supra Geneboam. Baudr.

Tomeria, seu *Pontiopolis*, urbec. parum culta Occitaniæ, 8. leuc. à Narbone in Bor. totidem à Bliterris in Circ. Vulgò S. *Pons* seu *S. Pons de Tomieres*. Episc. est sub Metr. Narbonensi, in id fastigium evecta, à Johanne XXIII. An. Ch. 1318 cùm antea Abbatia Benedictinorum esset, fundata à Raimundo III. Com. Tolosano cognom. Pontio, Ann. Ch. 936. cujus prima uxor Garsinda, altera Bertha fuit, neptis Hugonis Italiæ R. & Arelat Com. vidua Bolonis March. Tusciæ: Ex qua genuit Pontium II. patrem Guilielmi IV. avum Pontii III. qui obiit Ann. Ch. 1061. ex Almodia pater Guilielmi V. & Raimundi Ægidii, Catel. *Hist. Tolos.* Monachi religiosis soluti sunt legibus An. Ch. 1625. oppidumque Episcopum Dominum agnoscit, Duchen. *antiq. de villes.*

Tomeus, urbs juxta Odessum. Steph.

Tomis, vide *Tomos*.

Tomissa, regiuncula, distinguens Cappadociam à Tauro. Steph. *Tόμισα* Straboni.

Tomos, Ælian. & Strab. *Tomi* Ptol. *Tomis* Marcellino, *Tomisvvar* Cælio Calcagnino, *Kiovv* Ciofano; sic *ab incisione* Absyrti fratris Medeæ ibi secti dicta, urbs Mysiæ infer. in orâ maris Euxini, ubi Ovidius exulavit. Ovid. *Trist.* 3. *elegiâ* 9. cui Titulus, *Unde Tomos dicta?*

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Cic. *in orat. pro lege Manilia: Primum ex suo regno sic Mithridatus profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis quà se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa, mœrorq; patris celeritatem persequendi retardaret.* Statius *in Sylvis,*

——— *Nec tristis in ipsis*
Naso Tomis. ———

Nunc *Babba* Turcis; etiamnum munita, cum portu percapaci in Bulgaria regione. Hic lacus hodieque *Ouvidoune Jezaoro*. Pop. *Tomitæ*. Ovid. *Pont.* 1. 5.

Non vacat in quâ sint positi regione Tomitæ
Quærere. ———

Hinc *Tomitanus*. Idem *Pont.* 1. 3.

Naso Tomitanæ jam non novus incola terræ.

Tomyris, vide *Thomyris*.

Tonatiacum, locus Galliæ Celt. Fortunatus.

Tonans, Jovis epitheton, à *tonando*. Hunc Octavius Augustus consecravit, ædemque ei in Capitolio extruxit, liberatus periculo, cùm in expeditione Cantabrica, per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset. Quæ in dedicatione ejus memorabilia contigerint, refert Dionys. Ab Auguribus quoque jam ante Jupiter *Tonans* & Fulgens appellatus est, quia tonitrua & fulgura ei tributa. Hinc in vett. nummis simulachrum ejus fulmen trisulcum manibus tenet. V. Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom. lib.* 2. *cap.* 5.

Tondoxima, parva Ins. in ora Bor. Niphoniæ, Brietio; contra Devam prov.

Tongri, vide *Tungri*.

Tonice, Ptol. *Zazella* nunc, teste Stuchio, urbs & emporium Æthiopiæ sub Ægypto ad sinum Barbaricum, inter Serapionis portum & promont. ad Bor. & Rapiam metrop. ad merid. Aliis est *Mombaza*, urbs regia & ampla in eadem regione.

Toninium, vulgò *Tonneins*, opp. prov. Aginnensis, ad Garumnam, 5. leuc. infra Aginnum in Circ. 8. à Valate in Ort. 1. leuc. infra confluentes Oldis fl. in Garumnam.

Tonninga, vulgò *Tonningen*, urbs Duc. Slesvicensis, ad Eyderam fl. in tractu Eydera, in limite Ditmarsiæ, vix 2. m. Germ. infra Fridericostadium in Occ. uti 6. à Slesvico, 3. ab ora maris Germ. Hujus arx munitissima, Daniæ Regis jussu, disjecta & diruta est, Ann. Chr. 1675.

Topazus, ins. in mari Rubro Plin. 6. 29. in quâ reperitur lapis *Topazius* mirè pellucidus, splendoreque aureo refulgens, ut interdiu non videri possit. Gentile *Topazius*. Steph.

Topiris, seu *Toprus*, Ptol. *Topsrium* Anton. *Doperus* Thucyd. *Toprus* seu *Toparum* Procop. *Rusio* nunc, teste Jo. Lydo, urbs Thraciæ à Philippis 38. m. p. in ort. ab Hadrianopoli 132. Hodie *Pusio*, Sophiano. In limite Macedoniæ, vix 10. m. p. ab ora maris Ægæi in Bor. Philippopolim versus 55. & 30. à Maximianopoli in Occ. fere autem 70. ab Hadrianopoli. Baudrandus.

Toranius, mango quidam, de quo Plin. 7. 12.

Torantoliensis Comit. vulgò *Comté de Thurthur*, prov. Hungariæ, inter Transylv. ad Ort. Tibiscum fluv. & Zolnocensem Comit. ad Occ. Zabolciensem ad Bor. & Orodiensem ad Mer. Sub Turcis.

Torcellum, vulgò *Torcello*, urbs Episc. Duc. Veneti, in Ins. littorea, sub Patriarcha Veneto. Parva admodum, & colonis infrequens, ob aeris gravitatem; intra Gallicas paludes, 5. mill. à Venetiis in Bor. veteri Altino finitima, unde Ann. Ch. 635. sedes Episc. Torcellum translata est.

Toreta, pop. Pontici. Steph. Vide *Oreta*.

Torgavium, vulgò *Torgavv*, urbs Duc. Saxoniæ, ad Albim, 7. leuc. infra Misnam in Bor. Vittebergam versus 5. & 6. à Lipsia in Cæc. Hic, à Flaccianis, formula Concordiæ conscripta, & ad eam approbandam omnes Theologi, ab Augusto El. adacti sunt, reliquis in carcerem primò conjectis, dein extra fines dimissis, An. Ch. 1576. Synodo postmodum denuo hîc convocatâ, Melanchthonis scripta condemnata sunt. Cui cùm rursus reclamatum esset, tandem moderamine adhibito, An. Ch. 1577. in Bergensi Mon. formula Concordiæ promulgata est, Vid. Hospin. *in lib Conc. c.* 3. *l.* 7. 9. 25. 26. *&c.* Expugnata est à Suecis An. C. 1634. Cerevisiâ suâ clara.

Toringi, Vide *Thuringi*.

Torini, pop. Scythiæ Jaxamatis proximi, ubi perfecti mellis copia. Val. Flac. *lib.* 6.

Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satharchen.

Toriniacum, vulgò *Torigny*, opp. Normanniæ, in tractu Bajocensi, 6. leuc. infra Viram in Bor. 8. à Constantia in Ort.

Torinna, vulgò *Turenne*, castrum Galliæ in Aquitania vetustissimum, cum tit. Vicecomitatus, captum à Pippino R. Ann. Ch. 767. Continet hic Vicecomitatus partem pagi Lemovicini, Cadurcini & Petrocorici. atque à Sarlato Petrocoriorum urbe usque ad Novum Vicum *Neuvic* leuc. Franc. amplius 30. in longitudinem patet; à Tutela Lemovicum usque ad Novum Vicum in latitud. 12. Irrigatur Duranio, & Viserâ, fluviis navigabilibus: minoribus amnibus Curretiâ *la Coureze*, Bavâ, Louissâ, Dostrâ *Dousfre*, Serâ atque Tormento. Nomen *Torinna* illustrarunt præt. præsentique seculo Henrici duo Vicecomites pater & filius, quorum is, Reformatorum egregius vindex, Dux Bullionæus postea evasit: V. Thuanum *Histor.* hic religionis cum lacte haustæ, usque in provectam ætatem tenax, tandem Latinos ritus amplexus, post plurimas res egregiè gestas, in prælio contra Germanos, infra Argentoratum, tormentario globo ictus occubuit, An. Ch. 1675. Massonus *Torinnam*, opulentum esse in Lemovicibus castrum, cui Ecclesiæ vicanæ subsint amplius ducentæ, totumq; hunc Vicecomitatum, in gratiam Clementis VI. à Philippo VI. Galliæ R. tributorum ac vectigalium, omniumque rerum immunitate, ac magnis privilegiis donatum esse, circa Ann. Ch. 1344. scribit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Torna, vulgò *Torne*, urbs Lappiæ Sueciæ, in ultimo recessu Sinus Bothnici in Bor. cum portu celebri & satis capaci. Hinc pars adjacens Lappiæ, *Torne Lapmarck*.

Torna-

Horgena, ab An. 1406.	Stadelhofia, An. 1385.
Kilchberga, ab An. 1424.	Skallicona, An. 1466.
Knonovia, ab An. 1512.	Tallvila, } An. 1385.
Kusnachrum, ab An. 1396.	Trichtenbusa, }
Meila, ab An. 1410.	Udorfium, An. 1495.
Riedena, An. 1487.	Wettisvila, An. 1466.
Rumlangia, An. 1424.	Wiedikona, An. 1387.
Ruschlicona, An. Chr. 1406.	Wollishofia, An. 1396.
Seldenbura, An. 1466.	Zollikona, An. 1385. &c.

Steineccum in Turgovia, ad Fines *Pfin*, & Wynfelda Urbi cum aliis Condominis communes sunt.

Tigurum, rectiùs secundùm quosdam *Turigum*, vel *Thuricum*, German. *Zürich*, una è vetustissimis non Helvetiæ solùm, sed totius Orbis, urbs ampla & culta; Hanc Limagus è lacu egressus separat in duas partes; Sedet inter duos monticulos, ad oram lacus, ubi Limagum, quem infra Glaronam excepit, rursus effundit. Publica ædificia, templa inprimis, habet magnifica: nec privatis suis splendor deest, verùm plateæ angustiores sunt. Origo urbis ad tempora Abrahami refertur, & Minoris quidem incunabula Thurico Regi: Majoris Suevo alii Regi, tribuuntur. Sed hæc incertæ traditionis sunt. Sedecim annis post Trevirorum urbem conditam esse, Annales habent domestici. Fuit sine dubio unum ex 12. Helvetiorum oppidis, quæ Cæsaris tempore combusta, postmodum verò reparata sunt. Post devictos à Cæsare Helvetios, sub Romano fuit Imperio, usque ad irruptionem Alemannorum, à quibus destructum Tigurum est, circa An. Chr. 300. Sed Diocletianus, post reportatam de illius per Maximianum Herculem victoriam, castrum Tigurinum restaurandum curavit, in quo circa An. Ch. 296. martyrio affecti sunt Felix, Regula & Exuperantius. Iterum ab Attila eversum, Thuricum Theodorici Gothorum Reg. filium, restauratorem utcunque habuit, ut conjicit Simlerus. Sic ad Francos transiit, vicus adhuc patens etiam Caroli M. ætate, in duos pagos, superiorem & inferiorem distinctus. Donec An. Ch. 883. à Carolo Crasso muris, fossis & turribus muniri cœpit, cui operi colophon demum An. Chr. 955. impositus est. Fuerunt hic à Francicis Reg. duo Collegia, virorum unum, *Carolinum*, fœminarum alterum, *Abbatissanum* dictum, instituta, penes quæ maxima ex parte imperium tum urbis fuit: Abbatissæ imprimis mansit potestas creandi Magistratum, usque ad tempora Friderici II. per annos 470. Nisi quòd Præfectura castri seu arcis, *der Hoff*, Imperio fuit reservata: hæc itaque sedes fuit Præfecti, qui Collegiorum & Urbis erat Advocatus. Seculo decimo ad Germanos transiens, in Imperii Germanici patrocinium urbs recepta est: quo tempore Præfectos quidem etiam habuit, sed qui non in arce habitarent, hoc enim munus plerumque Principibus viris fuit demandatum. Interim & suum consilium urbi fuit virorum 36. è quibus 12. quadrimestri tempore imperabant, quæ forma Reipubl. obtinuit circa An. Ch. 1100. usq; ad Ann. Chr. 1336. Cæterùm seculo 13. cùm omnia dissidiis inter Impp. & Pontifices ferverent, urbes plurimæ Imperatoriam splendorem sequi maluerunt, à quibus, reluctante Clero, privilegiorum accessiones subinde obtinuere. His initiis crevit *Tiguri* libertas, multis immunitatibus à Friderico I. II. & Ludovico Bavaro donati. Frideric. II. inprimis mortuo Berchtoldo, ultimo Duce Zeringensi, Collegiorum & Urbis Advocato, cives in Imperii tutelam recepit, circa An. Ch. 1218. ac postea multa Collegiorum privilegia, & præterea jus eligendi Senatum in cives transtulit, statuitq;, ne unquam liceat urbem ab Imperio abalienare. Tum cives urbem vallo fossaque munierunt, arceque eversâ, permissu Imperatoris, libertati nascenti securitatem præstiterunt: sed quòd Friderico constanter adhærerent, excommunicati à Pontifice, vicinam nobilitatem senfere undique infestam, quo factum, ut serici commercium antea in urbe frequens Novocomum ad Larium lacum migraret. Hic minimè despondentes animum cives primum fœdus An. Chr. 1251. cum Uriis & Suitiis inierunt. Post Fridericum cùm Conradinus fundamenta libertatis convellere, & Advocatiæ titulo, urbem Ducatui suo Sueviæ adjicere vellet, hæc autem pro libertate fortiter niteretur, proscripta à Conrado Imper. sed mox à Richardo Rom. Rege proscriptione exempta est. Cùm dein in Imperio undique turbaretur usque ad Rodolfum I. Tigurini, ut sibi consulerent, Regenspurgi Dominum, oblato honesto stipendio Advocatum sibi & belli Ducem postulant, à quo rejecti ad Rodolfum Habspurgic. se conferunt, ejusque auspiciis Regenspergium infestum eò redigunt, ut pace factâ Tigurum commearit, accepto à civibus exiguo annuo stipendio. An. dein 1273. Rodolfus, Imper. electus, quòd Tigurinorum forti & fideli operâ multis in bellis feliciter usus esset, novis illos privilegiis & signum eorum diademate purpureo ornavit. Post mortem Imper. Adolphi partes secuti Tigurini, ab hujus æmulo Alberto Rodolphi fil. multa damna passi sunt. Namque & prope Vitodurum aliqua illis clades illata, moxque urbs ab Alberto obsessa est: sed egregium Tigurinar. mulierum stratagema & libertatem urbi, & pacem civibus gratiamq; Imperatoriam conciliavit. A quo tempore Austriacor. amicitiam constanter coluere, usque ad Ann. 1330. quo Fridericus, Ludovico Bavaro cessit: cui cùm pollicerentur non minùs se fideliter in posterum, quàm Austrio hactenus, adhæsuros, Austrii iterum offensi impetrarunt à Papa, ut novum in urbem excommunicationis fulmen stringeretur. Quare Sacerdotes partim sponte excedere, partim à civibus ejici: soli Franciscani unâ portâ egredi, alterâ redire: Nobiles undique urbi imminere: quo in discrimine An. C. 1333. Basiliensibus, Bernatibus & Argentinensibus juncti, hosti fortissimè restitere, plurimis Nobilium arcibus captis eversisque. Cùm dein Duodecimviri ob Remp. malè administratam, ad rationes vocarentur, An. C. 1334. octo illorum urbe excesserunt, cœteri Magistratu sponte abierunt: sic sublatâ Duodecim-virali potestate, ea Magistratuum ratio popularis, quâ ii tributim deliguntur, instituta est, hodieque feliciter obtinet. Sed exules à Johanne è Com. Habspurgiorum familia, dato Rappersvilæ perfugio, Tigurinis molesti esse non desierunt: unde bellum, & victi primò, mox victores Tigurini, ad Grinovium exciderunt Comitem An. C. 1337. cum multis e Nobilitate: Pax postea à Ludovico Imp. & Alberto II. inter urbem & exules conciliata, quæ tamen ætatem non tulit. Itaq;, ut vires suas confirmatiores redderent Tigurini, cum Constantia & Sangallo civ. fœdus fecerunt: paulo pòst in ejus societatem Scaphusiâ & Episc. ac civ. Basiliensi allectis: quo pacto quies aliquandiu parta. Sed A. Chr. 1350. parum ab ultimo discrimine urbs abfuit, conspiratione quippe Exulum & Nobilium nocturno astu tantùm non capta erat; sed consilium à servulo quodam Consuli detectum, scelus in autores retorsit. Mox Rappersvila ad deditionem adacta, & vicinus Nobilium ager populationibus exhaustus est. Interea cùm variæ Imperii civitates Austriis se jungerent, neq; ab Imper. Carolo IV. levamen ullum affulgeret, fœdus cum Pagis Helvet. pro communi libertate tuenda, sanciverunt An. C. 1351. primo inter illos ob urbis celebritatem & potentiam loco obtento. Hinc graviores Austriacorum iræ, & urbs denuò mense Sept. ejusdem anni obsessa est, sed, paucis pòst diebus pax iterum coaluit: quam cùm hostes multis violarent modis, iterum in arma itum, & Glarona in fœdus pertracta est. Post quæ ad Tetivillam magnâ clade à Tigurinis Austriaci affecti sunt, sub finem anni. Anno verò sequente, postquam interea Tugium fœderi nomen dedisset, Julio mense, denuo obsidione urbem Austrius cinxit, denuoque certis conditionibus interventu March. Brandeburgici pax facta est. Bernâ inde in fœdus receptâ, tertiùm obsideri Tigurum ab Alberto Austriaco cœpit, An. C. 1353. qui tamen adventu novi præsidii, quod Pagi Tigurinis misere, territus, tandem quinto hujus belli anno pacem admisit: à quo tempore Tiguro omnia cum Helvetiis communia fuere. Inter hos tamen An. Ch 1436. gravissimum bellum, Austriorum artibus, conflatum est, & primò quidem Tigurini cum Suitensibus collisi sunt, quibus postea & reliqui accessere. Pugnatum hoc bello aliquoties, urbs quoque ab Helvetiis obsessa est, donec aurea pax An. C. 1450. divulsa bello pectora amoris firmissimo glutine denuo conjunxit. Celebris dudum Tiguri fuit schola, è qua, tanquam equo Trojano, doctissimi semper prodiere Musagetæ, à superiore præsertim seculo: *Theologi, Philologi, Historici, Linguarum omnium, omniúq; Antiquitatis peritissimi*, Buxtorfius *præf. diss. Philolog.* Orthodoxiæ inprimis incolæ tenacissimi sunt: Unde Andream Lesczinium, Reformatorum in Polonia caput, sec. præter. ad *Tigurinorum* modum, ut Theologi docerent, jussisse, referunt Sal. Naigeb. *l.* & Joach. Bielcius *in Chron. Pol.* Prima in urbe Christianismi semina, per legionis Thebææ reliquias Felicem, Regulam & Exuperantium sec. 3. sparsa leguntur. Per Gallum dein & Columbanum ad lacum Tigurinum, Tucconiæ annuntiatum Evangelium est, An. Chr. 695. Postea seculi erroribus aliquandiu urbs abrepta, tandem sec. 16. inter primas Europæ pura Evangelii luce illustrata est, Pastorem nacta An. C. 1519. Huldricum Zuinglium. Mercenaria mox militia abrogata, An. C. 1521. disputationeque inter Zuinglium & Jo. Fabrum An. C. 1523. habitâ, impuro Cœlibatui honestum conjugium antelatum, publicoque edicto Ann. Chr. 1524. imagines abolitæ, & Monasteria in Scholas domosque Charitatis versa sunt. Media est inter Schaphusiam ad Boream, & Lucernam ad Merid. 25. m. p. distans, uti 11. à Rheno in Merid. 45. à Soloduro *in Ort.* Caput est territorii satis ampli; Eorum, in quæ ei, ultra præfecturas, quas cum reliquis Pagis communes habet, imperium est, series supra exhibetur. Plura de celeberrima hac urbe vide apud Stumpf. *Chron.* Simler. *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantin. Hotting. *in speculo Tigur. &c.* Henr. Glareanus hoc eam *Panegyrico* ornat:

Salve belligera celeberrima gloria gentis,
O Tigurum, urbs orbi & pando notissima cælo:
Cui pro nominibus, meritisq; & fortibus actis
Nulla sat esse potest immensi gloria mundi.
Te medium scindit viventi Limagus undâ,
Et super incumbit squamosis piscibus ingens
Amne lacus, vitreoq; relucent gurgite ripa.
Nubiferas turres quid jam, sublimia fronte
Tecta, quid ablotas splendenti fonte plateas,
Commemorem? Fora quid dicam? quid templa profabor,
Atria cœlicolis, & dignas Regibus aulas?
Urbs cœlo, & superûm Rectori chara supremo.

Til, Asiæ amnis, quem gens Sogor accolit. Turci *Nigrum* vocant, & antiquissimi principes *Ver* & *Cuns* nominarunt. Nicet. *lib. 18. cap. 30.*

Tila, fluv. Galliæ, *in Chron. Divionensis Monasterii S. Benigni* pius memoratus, vulgò *Tille*, quibusdam *le Til:* Aluit vicum Ma-

riacum.

riacum *Marey sur Tille*, Fossatum, Icium, *Is*, Tilæ Castrum *Tille-Chasteau*, corruptè *Trichasteau*, Faberniacum villam *Favernay*: ac demum in Ararim defluit. Eo excipitur Angio *Agnon*, qui Campiniacum, & Marginellum *la Margelle*, aliosque vicos prætersfluens, Tilam auget. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tilatai, pop. Thraciæ, Thucyd. *lib.* 2.

Tilaventum, majus & minus, Venetorum reg. flumina apud Plin. sunt. *Tilavemptum* Ptolemæus habet. Leander hos fluvios hodie in Foro-Julio describit, dicitque majus *Tagliamento*, minus autem *Stella* ab indigenis vocari. Horum ille ex Alpibus Jul. in mare Hadr. inter Concordiam & Aquilejam, hic apud Maranum oppidum influit.

Tileburgum, vicus Albionis apud Thamesim fluv. infra Londinum urb. haud procul Beda. Vulgò *Tilbury*.

Tilietum Godini, *Tillay le Godin* & *Tilietum* Paganelli, vulgò *Tilly le Paineux*, loca sunt Galliæ, in Bellia; quæ cum Tauriaco, & Tibernione continentur Archidiaconatu Belsiæ, qui inter 6. Ecclesiæ Aurelianensis Archidiaconatus tertium tenet locum, Hadr. Valesius in voce *Tauriacum*.

Tillabarium, urbs Africæ propr. Anton.

Tillidum vel *Tillum*, vulgò *Til* aut *Teil*, locus Galliæ, ad fluv. Vennam, non procul ab Agedinco Senonum: Hunc Leothericus Senonum Arch. S. Petri Vivi Monasterio, cum villa Arcia *Arcey* dedisse dicitur, apud Odorannum *in Chron.*

Tillium, Sardiniæ urbs litoralis versus Occ. Ptol. Hodie S. *Reparata* Moletio. Baudrando *Argentera*, in ora Occ. ex Brietio. 15. m. p. à Sassari in Occ 25. à Tibula in Afric.

Tillius Cimber, prænomine *Lucius*, Cæsaris Dictatoris percussor, cum antea acerrimus ejus partium defensor fuisset: Homo ebriosus, sed tamen arcani reticens. Ipse de se jocatus est; *Ego quemquam feram, qui vinum ferre non possum?* De eo vide Ciceronem *Philipp.* 2. *cap.* 2. Sueton. *Cæs. cap.* 82. Senecam *Epist.* 83. *lib.* 3. *de Ira*

Tilogrammum, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. *Catigan* Castaldo: ad ostium Gangis Occ. inf. maris Rubri, cum opp. cognomine, margaritis, palmis, oleis aliisque arboribus semper virentibus ornata; Ibidem lanigeræ quoque arbores reperiuntur, Plin. *lib.* 22.

Tilos, vide *Tylos*.

Tilox, Corsicæ promunt. apud Calviam op. Ptol. Capo *Revelat vel Chevalar*, M. *Tignoso* Ferrario. Baudr. est in ora Occ. Quibusdam *Punta della Canella*; Brietio *Capo Martello*.

Tilphossa, Strab. *Tilphusia* Apollodoro, fons Bœotiæ sub *Tilphosio* monte labens, ubi Tiresiæ vatis sepulcrum est, qui ibi ex aqua frigidâ epotâ interiit, teste Aristoph. Pindarus. Μελιγαθὲς ἀμβρόσιον ὕδωρ Τιλφώσσας ἀπὸ καλλικράνου. A *feracitate* dici videtur, quasi תל פוריה *Tel phus*, h. e. *mons ferax*. Bochartus.

Tilpussaum, regiuncula Thessaliæ. *Steph.*

Tilurus, fl. Dalmatiæ, olim Nestus, nunc *Zetina*, J. Lucius.

Timachidas, Grammatici cujusdam nomen, ut meminit autor Scholiorum *in Aristophanis Ranas Act.* 1. *sc.* 2. Item *Act.* 3. *Sc.* 2. ubi vocatur *Timachidas*.

Timacum majus & minus, flumina Bulgariæ, quæ simul juncta, uno ostio in Danubium influunt: Et opp. cognom. *Tiques* Moletio. Hic olim *Timotiani* pop. habitarunt, aliquando Francis subditi. J. Lucius.

Timæa, Agidis Spartanorum Regis uxor, adulterio Alcibiadis polluta. Qui quibusdam objurgantibus, non ex lascivia, respondit, id feci, verùm uti ex ea natus Spartæ imperium aliquando teneat, neque amplius Laconum Reges ab Hercule, sed ab Alcibiade oriri dicantur.

Timæa, Bithyniæ Urbs Ptol.

Timæi, Siciliæ pop. Steph. in Εὐκαρπία.

Timænetus Corinthius, qui ex Demariste cive, genuit Timoleontem.

Timæus, ex amicis Alexandri Magni, qui Regi in urbe Oxydracarum periclitanti subveniens multis adverso corpore vulneribus acceptis, egregiaque editâ pugnâ cecidit. Curt. *lib.* 9. *c.* 27.

Timæus, Locrus, Philosophus Pythagoricus, cujus extat libellus de naturâ & animâ mundi, Doricâ scriptus dialecto, quemque Plato loquentem inducit in dialogo suo, cui inde *Timæo* nomen; quem item de Pythagorâ librum scripsisse ait Suidas, V. Phot. Voss. *de H. Gr. &c.* Item Jonsium *de Script. Phil. pag.* 32. Diversus ab his duobus est *Timæus* ille Lexici Platonici auctor, apud Phot. *Ecl.* 151. Itemque *Timæus* Mathematicus, laudatus Plinio. *Timæus* quidam de Medicinâ metallicâ scripsit, ut auctor est idem Plin. 33. 3. ubi perperam *Remeus* legitur. Item, Episc. Antiochiæ, post Domnum, sec. 3.

Timæus, Siculus, Andromachi fil. historicus, qui res Græcas conscripsit, etiam usque adeò arrogans, ut Thucydidem & Philistum in historiâ à se facilè superatum jactet. Ipse verò Siculâ quadam pinguedine delibutus ad ridenda, minimeque ad historiæ gravitatem pertinentia digreditur. Plut *in Niciâ*. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.* 1. *cap.* 12.

Timagenes, de rebus gestis Alexandri M. scripsit, Ut colligitur ex Curt. *lib.* 9, *cap.* 28.

Timagenes, Alexandrinus Rhetor, à militibus Pompeii captus, libertate Romæ recuperatâ, ibi docuit edidìtque quædam, impensè commendatus, à Suetonio, Plinio, Jos. &c. Vide Lamb. *in Horatianum illud lib.* 1. *ep. ult.*

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua.

Timagenes, Milesius historicus, de quo & cæteris *Timagenibus*, vide Voss. *de Hist Gr pagg.* 151. *&* 420.

Timagoras, Atheniensis, capitali supplicio affectus, quòd Darium, ad quem legatus missus fuerat, more Persarum adulando adoraverat. Suidas & Valerius Max.

Timandra, Ledæ fil. Helenæ soror, Echemo Arcadi nupsit. Apollod. & Paus. *in Arcad.* Servius *in Æn.* 8. Evandrum hujus Echemi filium facit.

Timanthes, pictor egregius Xerxis tempore. Hujus est Iphigenia poetarum laudibus celebrata, quâ stante ad aras peritura, quum mœstos pinxisset omnes ac tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris vultum velavit, quem dignè non poterat ostendere. Pinxit & Cyclopem parvâ in tabulâ, cujus magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros thyrso pollicem ejus metientes. Plin. 35. 8.

Timarate, Promenia & Nicandra, tres anus, per quas Oraculum Dodonæum responsa dabat. Unde de columbis Dodonæis commentum ortum, cùm vox πελειὰς, quæ columbam notat, Thessalicâ dialecto etiam anum significet. Alii tamen, ob inconditum sermonem, Barbaræ enim erant, in aves, Poëtarum fingendi audaciâ, conversas autumant. At, nil id absoni, apud vett. vates columbis assimilare. Unde Lycophroni Cassandra φάσσα i. palumbes dicta est, quam alibi avi magis loquaci, hirundini nempe comparans, φοιβόληπτον χελιδόνα vocat. Scholiastes verò Sophoclis *in Trachiniis*, vates illas πελειάδας vult appellatas, quasi πεπολιωμένας, à canitie, quâ venerabiles erant. Hæ igitur, responsa ferebant, in luco absconditæ, ut Oraculum è quercubus, sub quibus illæ latebant, editum videretur: Unde quercus illæ προσήγοροι δρύες: Item μαντικαὶ δρύες dicebantur, & Lycophron navem Argo, ad quam conficiendam è Dodonea sylva materies petita fuerat, λάλήθρον appellat κίσσαν: Claudian.

—— —— *Cæco Tomuri Jovis augure luco*

Arbore præsagâ tabulas animasse loquaces.

Strabo quatuor quoque ibidem Sacerdotum meminit, Ἐλλοὶ dictorum, à paludibus, quę templum cingebant: Eosdem Sellos Homerus vocat, aliàs quoque *Tomuri*, à Jove Tomuro dicebantur. V. Franc. Rossæum *Archæol. Attic. lib.* 7. *cap.* 2.

Timarchides, sculptor nobilissimus. Plin. 36. 5. Fuit & pictor egregius. Plin. 34. 9.

Timarchus, Ætolus, incensis navibus, fugam suis præcidit sicque victoriam retulit. Polyæn. *lib.* 5.

Timarchus, Cretensis, ob vim in minores, reus actus sub Nerone. Tacit. 15. 20.

Timarchus, statuarius nobilis. Plin. 34. 8. Alius in quem extat Æschinis accusatio, Demosthenis amicus. Alius Nicoclis fil. qui 2. ordines habuit maxillarum. Vide Plin. 11. 37.

Timas, Mariandynus, cum Orreo, ad Hesionam profecturus, & ab Amyco interceptus, lentâ morte perire destinatus est. Val. Flacc. *lib* 4. *vers.* 187.

Timasitheus, Liparensium Dux, qui Olymp. 96. ann. 4. Legatos Romanos, cum donario ex Vejentana præda proficiscentes Delphos, in via à latronibus interceptos, recuperavit. Ob quod meritum statim à Romanis magnis honoribus est affectus, eique publicum Romæ hospitium assignatum. Dein 137. annis pòst, ademptâ Carthaginensibus Liparâ, Patres Timasithei posteros immunitate donarunt, liberosque esse jusserunt. Diod. *lib.* 14.

Timasitheus, Crotoniata, insigni corporis robore, quem juvenem Milo senex luctâ in Olympiis superare non valuit. Paus. *lib.* 2. *Eliac.* Scribitur ibidem quoque *Timotheus*.

Timavus, vulgò *Timavo*, fluv. maximus Carnorum, sed brevissimi decursus 19 fontibus ex vicino monte erumpens, quibus confluentibus vix ad 2. m. p. latissimus Hadriaticum pelagus ultra Aquilejam 7. Tergeste versus perit Lacus apud quem oritur, Fanum Diomedis, vulgò *S. Giovanni*. In eo pingues & optimæ anguillæ, Ælian. Hujus fluv. meminit Virg. *Æn.* 1. *de Antenore*,

Antenor potuit —— ——
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi.
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti.

Claud. *de* 6. *Consul. Honorii.*

Mincius, inq; novem consurgens ora Timavus.

Lucanus.

Atq; Antenorei dispergitur unda Timavi.

Mart. 4. 25.

Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo.

Hodie in foro Julio describitur à Leandro, qui dicit eum *Timavo* vocari. Niger verò eum *Larechia* nominat. Vide Cluv. *Ital. Ant. pag.* 189. Ante ejus ostia Insulæ aliquot parvæ, sed claræ, ob fontes calidos, æstu maris crescentes. Plin. 2. 103.

Timenus Arcas, alius *Tibennus*, primus togæ id genus, quod ab eo vestis *Tebennia*, corruptè *Tebennum* appellatur, induit, cùm Jo-

nium finum navigasset. A cujus incolis susceptus, eos eandem vestem conficiendi rationem docuit. Illi quæ forma, quis color, quod pretium, dubitant non seculi modò nostri scriptores, sed & inter antiquos non pauci. Vide Dion. Halicarn. *lib.* 3. Suidam in voce Τήβεννος. Artemidor. *Onirocrit. lib.* 2. *cap.* 3. Hesychium, Eunapium *in Juliano*, Joh. Meursium *in Curis Criticis part.* 2. *cap.* 31. *&c.* Ut & in voce *Toga*.

Timethus, Siciliæ fluv. *Il Pattese* Fazello, sic ab urbe nominatus, *Traina* aliis, fluv. Siciliæ in orâ occiduâ, inter Agathyrium ad Austr. ac Tyndarum ad Bor. juxta urb. Pactensem mari exceptus. Brietio *Naso*, in ora Bor. inter Tyndarium ad Ort. & Agathyrnum ad Occ. in mare Tyrrh. fluens, 12. m. à Pactisio Occ.

Timica, Mauit. Cæs. urbs mediterranea, Ptol. *Tremesin*, ac *Telensin* Marmolio. Olim Episc. sub Arch. Cæsariensi, & regia clara ac ampla: à Siga urbe excisa in ora 14. m. p. in Austr. à Julia Cæsarea supra 250. in Occ. *Telimiconi* quoque incolis, inter Malvam & Quizam, à qua supra 75 m. p. abest. Hodie Urbs regni Algerii in tractu montium, etiamnum ampla & culta. 14. m. p. ab ora maris Medit. in Mer. 45. à confinio regni Fezzæ. Pop. *Timiticenses*, unde Episcopus *Timiticensis*, in concilio Carthaginensi.

Timochares, Atheniensis, regis Pyrrhi amicus, qui ad C. Fabricium Consulem furtim venit, ac præmium petivit: & si de præmio convenitet, promisit regem venenis necare: idque facile esse factu dixit, quoniam filii sui pocula in convivio regi ministrarent. Eam rem Fabricius ad Senatum scripsit; Senatus legatos ad regem misit, mandavitque, ut de Timochare nihil proderent, sed monerent, ut rex circumspectiùs ageret, atque à proximorum insidiis salutem tutaretur. Gellius *ex Val. Antiate* 3. 8. *Timochares* quidam ἐν τοῖς περὶ Ἀντιόχου citatur Eusebio *lib.* 9. *de Præp. Evang.* Alius forsan *Timochares* est Scholiastæ Arati laudatus.

Timoclea, mulier Thebana nobilissima, Theagenis soror, stuprum à quodam barbaro Thracum principe per vim passa, injuriam hoc modo ulta est. Odio enim dissimulato, dixit stupratori, se scire locum, ubi plurimum esset auri, perductusque est ad altissimum puteum, qui fuit in remotiore domûs parte. Quò cum Thrax venisset, & jam pronus immineret puteo, à Timocleâ, quæ à tergo stabat dejectus est in præceps, & saxis obrutus. Sabellicus ex Plut. Aliter Polyænus, *lib.* 8.

Timocles, Comicus Atheniensis, fabulas scripsit, quarum nonnullas commemorat Athenæus. V. Casaub. *in Athen. lib.* 7. *&* 9.

Timocrates, Archon Athenis, an. 1. Olymp. 104. quo principe certamen Olymp. non ab Eleis, sed à Pisæis & Arcadibus celebratum est.

Timocreon, Rhodius quidam, Poëta Comicus, Olymp. 75. qui propter cibi & vini aviditatem hoc tulit epitaphium,

Multa bibens, & multa vorans, male deniq; dicens
Multis, hic jaceo Timocreon Rhodius.

Scripserat enim contra Simonidem & Themistoclem.

Timocreon, Rhodius Poëta, qui scripsit carmen Scolion, contra Plutum, cujus initium laudat author Schol. *in Ranas Aristoph. Act* 5. *Sc.* 2.

Timogittia, opp. Mysiæ inf. apud oram maris Euxini, inter Dionysiopolim ad Mer. 24. & Calatim ad Bor. 18. m. p. ex Itiner. Anton.

Timolaus Larissæus, è Larissâ Macedoniæ, discipulus Anaximenis Lampsaceni. Scripsit poema de bello Trojano. Suidas.

Timoleon, Corinthius, dux inclytus viribus fortissimus, vitâque abstinentissimus, missus cum triremibus ad liberandas à Dionysii tyrannide Syracusas, quem Dion Syracusanus, implorato Corinthiorum auxilio, expellere conabatur, quinquagesimo postquam Syracusas appulisset die, urbe potitus, ac Dionysius clam sese atq; arcem Timoleonti dedens, ab eo cum paucis in exilium Corinthum missus est. Ille verò arcem solo æquavit, & Syracusanis libertatem restituit. Deinde contra Leontinos pergens, eorum tyrannum bello captum interfecit. In summâ æqualis fuit Timotheo, Agesilao, Pelopidæ, Epaminondæ. Plut. Obiit Syracusis, Olymp. 110. an. 4. cùm Reip. 8. ann. præfuisset. Diod. 16.

Timolus, mons Lydiæ, Ovid. *Metam. lib.* 11.

Cumq; choro meliore, sui vineta Timoli
Pactolonq; petit. V. *Tmolus.*

Timomachus, dux Atheniensium, auxilio Thebanis, cùm à Thebanis oppugnarentur, missorum, apud Xen.

Timomachus, Byzantius, pictor nobilis, Jul. Cæsaris ætate. Fecit Medeam & Ajacem, quos ipse Cæsar 80. talentis emit, in temploque Veneris dedicavit. *Timomachus* ἐν Κυπριακοῖς advocatur ab Athen. *lib.* 14.

Timon, Apolloniates, seu Nicenus Philosophus, qui apud Chalcedonem philosophiam & oratoriam exercuit, charus Ptolemæo Philadelpho. Scripsit Tragœdias, Comœdias, & Satyras. Amarulentus & mordax fuit, *Sillorum*, i.e. dicacitatum scriptor. Item, Philosophus, qui opera sua Tiberio inscripsit.

Timon, Atheniensis, temporibus Peloponnesiaci belli, inhumanus, ac vitans hominum congressus, præter unius, Alcibiadis adolescentis. Interrogatus autem, quæ cum illo causa esset amicitiæ: *Quòd sciam*, inquit, *illum quandoq; multorum malorum Atheniensibus causam futurum.* His de causis ab Atheniensibus μισάνθρωπος est appellatus, quasi *genus hominum infensum habens.* Sed & mortuo mirum contigit, ut sepulcrum ejus, quod erat in littore, mare quasi perosum exundatione ab se abstruserit, longeque expulerit. Erat autem Timon ex eo Atticæ pop. seu op. cui Κολυττὸς nomen. Indidem oriundus Plato Philosophus. Κολυττὸς autem ad radices montis Hymetti jacebat. Patrem habuit Echecratidem, nullâ aliâ re insignem, quàm quod Timonem genuit. De hominis moribus nil attinet dicere (verba sunt Tanaqu. Fabri ad Luciani Timonem) cùm eam rem Plut. διὰ πλειόνων, ἐν τῷ βίῳ τοῦ M. *Antonii*, absolverit. Hoc addam tantùm, Timonem virum bonum fuisse, & moribus adeò factum ad humanitatem, nihil ut ipso χρηστότερον, nihil benignius extiterit. Nam quod illum μισάνθρωπον cognominarunt, id hercle perperam fecere. Quid ita? inquies. Quia non homines ille, sed feras oderat, quibus ætas illa scatebat. Certè qui Aristophanis fabulas legerit, de his mecum 3. non committabit verba. Accedat his Platonis testimonium, qui ita scripsit *Ep.* 24. inter illas, quæ non ita pridem à Leone Allatio vulgatæ sunt: Συνήγον, inquit, ὅτι Τίμων ἦν ὁ ἀεὶ μισάνθρωπος. Μὴ ἐυρίσκων χρηστοὺς ἀνθρώπους ἐκ ἠδύνατο θηρία φιλεῖν. Extat ejus epitaphium olim à Callimacho scriptum; & item alterum, quod homo providus sibi fecerat. En tibi, ut quidem tali dignum ingenio est:

Ἐνθάδ᾽ ἀπορρήξας ψυχὴν βαρυδαίμονα κεῖμαι.
Τοὔνομα δ᾽ ὁ πεύσεσθε, κακοὶ δὲ κακῶς ἀπόλοισθε.

Ait Plut. sepultum fuisse Ἁλῆσι, sed cùm 2. fiat Ἁλαὶ, locum illum Plut. de Araphenidibus intelligas, non de Æxonidibus: nam priores Ἁλαὶ ad tribum Ægeidem pertinebant, alteræ non item. Item unus ex 7. primis Diaconis.

Timonax, ἐν πρώτῳ περὶ Σκυθῶν citatur Apollonii Scholiastæ *in lib.* 4. & eopse libro Τιμώναξ ἐν πρώτῳ τῶν Σικελικῶν.

Timonium, castellum Paphlagoniæ. Steph. Hujus tractus *Timonitis* Strab. ac Ptol. Pop. *Timoniacenses*, Plin.

Timophanes, locupletissimus Mitylenensium, cujus duas relictas filias cum Doxander quidam filiis suis non obtinuisset, Athenienses, quorum publico hospitio utebatur, ad bellum concitavit. Vide Aristot. 5. *Polit.* 4.

Timophanes, Timænetì & Demaristes filius, Corinthius dux, à civibus in bello, adversus Argivos & Cleonæos, delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupavit: sed à fratre, per communis sororis maritum Satyrum aruspicem, occisus est. Plutarch. Cornel. Nepos.

Timoria, Lacedæmoniis culta fuit: non autem eam venerabantur, sicut alios Dæmonas, quos tanquam noxios abesse procul à civitate volebant. Sed hac Rempublicam maxime contineri arbitrabantur.

Timosthenes, præfectus classis Ptol. Philadelphi. Scripsit de portubus libros 10.

Viri illustres.

Timotheus, discip. S. Pauli, fil. matris Judææ, quæ Christianismum amplexa, ex patre Ethnico: Hunc Lystræ repertum secum sumsit Apostolus, eumque charissimum habuit, ob Juvenis fidem, constantiam, zelum: Ephesi dein Episcopum constituit: ubi, post præstitam CHRISTO JESU egregiam operam, lapidibus tandem obrutus, quòd Dianæ cultui acriter se opponeret, martyrium subiit. Ad hunc duas insignes epistolas è captivitate exaravit Apostolus, V. Act. *cap.* 16. Euseb. *in Hist. Eccl* Baronium *in Annal. &c. In pr. ad Timotheum Epist.* cujus 6. capp. extant, Alesii *Expositio*. octav. Basil. 1533. Lipf. 1550. Artopæus, Basileæ. 1546. Chytræi *Enarrat. & Scholia.* Coccejus. Crocius. Cocibundius. Crellius Socin. Cruciger. Dalæi *Concion. Gall.* 4. vol. in octav. Genevæ. Danæi *Comment.* 8. Gen. 1577. Didvadius, octav. Espensæi *Comment.* fol. 1561. Parisiis. Faii *Comment.* octav. Gen. 1608. Gerhardus, quart. Jenæ 1643. Godeau. Gothofredi *Exercitationes, in cap.* 3. *v.* 15. 16. octav. Genevæ 1649. Heilbrunnerus. octav. Lavingæ. 1588. Hessellii *Comment.* octav. Lovanii, 1605. Magalianus. Meelfuhrer, octav. & quart. Norimb. 1628. Megandri *Comment.* Basileæ, 1536. Melanchthon. Musculus. Pricæi *Annotata.* Sculteti *Observationes Gram. Hist. Log. Theol.* quart. Francof. 1624. Witteb. 1630. Soto Major. Stevartius. Torres. Venatorius, octav. Basil. 1553. Weintichii *in Tim.* quart. Lipsiæ 1618. Willichii *Comment.* octav. Argentorati, 1524. Zuinglius. In 2. *Epist.* 4. capp. constantem, prodierunt: Alesius. Danæus. Elpensæus. Godeau. Heilbrunnerus. Magalianus. Megander. Melanchthon. Pricæus. Scultetus. Soto Major. Stevartius. Weintrichius. & Willichius. V. Crowæi *Elenchum.*

Timotheus, dux Atheniensium felicissimus, Cononis filius, ad cujus imaginem pictores Fortunam depinxerunt cogentem urbes ad rete, ipso juxta dormiente. Quod vel assentationis vel invidiæ causâ in eum sic excogitatum fuit. A Platone frugali, Musicàque cœnâ exceptus, cùm ex eâ meliùs quàm post opiparas epulas se haberet, dicere consuevit: *Qui cum Platone cœnant, etiam postero die bene habent.* Vide Suidam, & Cic. *lib.* 1. *de Off.* 2. *Timotheus* Atheniensis, Comicus mediæ Comœdiæ, cujus fabulas nonnullas commemorat Athenæus. 3. *Timotheus*, Poëta & Musicus Milesius, sub Philippo rege Macedonum. Hic cum decimam chordam Lyræ adjecisset, à Lacedæmoniis civitate ejectus est.

Id SCtum apud Boëthium habes *lib.*1. *de Mus. cap.* 1. Vide Suidam 4. Alius sculptor nobilissimus, unus ex illis, qui Mausoleum cælaverant. Plin. 34. 5. Alius comes peregrinationum D. Pauli, Episcopus Ecclesiæ Ephesinæ, Martyr sub Nerone. Volat. *lib.* 2. Vide supra.

Præsules & Viri clari.

Timotheus I. Episc. Alexandrinus, post fratrem Petrum, Ann. 380. Obiit An. 385. Scripsit vitas aliquot SS. &c. Codex Theodos. *lib.* 3. *de op. Jud.* Sozomen. *Hist. Eccl. lib.* 6. *cap.* 29. *&c.*

Timotheus II. Æiurus dictus, Eutychianus, sævus in Orthodoxos: à Præfecto propterea pulsus, per suos Proterium sustulit. Toto dein Imperio exturbatus à Leone Imp. restitutus est à Basilisco, cum priorem sævitiam redorsus, tandem seipsum veneno necavit. An. 477. Evagr. *lib.* 3. Liberat. Niceph. Baronius, Gennadius, &c.

Timotheus III. Solofaciolus, priori in exilium pulso successit. Orthodoxus: postea pulsus restitutusque, Obiit Ann. 482. Baron. *Annal.*

Timotheus IV. Hæreticus, successit Dioscuro jun. An. 519. pulsus à Justino, Anastasii successore, restituto Asterio. Ann. 521. Idem.

Timotheus, Episc. Constantinopolitanus, Hæreticus, ab Anastasio Imp. intrusus, pulso Macedonio, An. 511. Libidinibus infamis, fidem ludibrio habuit: Obiit subitò, An. 517. V. Evagr. *lib.* 4. *cap.* 13. 17. 22. Item, Patr. Constantinopolitanus hoc sec. Cyrillo Orthodoxo & Martyri, surrogatus.

Timotheus, Clearchi Heracleæ Ponticæ tyranni, filius, cæso in Dionysiis patre, dominationi successit, Olympiadis centesimæ sextæ anno quarto, tenuitque eam annos quindecim. Obiit, Olympiadis centesimæ decimæ an. 3. Diod. *lib.* 16.

Timotheus Atheniensis, volumine claruit de Vitis. Laert. *in Plat.* Arist. Zen. & Speus. Vossius eundem putat eum Timotheo illo, cujus Α'ϱγολικὰ citat Plut. *de Flum. capp. de Inacho*, *& Hebro.* At omnino diversus est *Timotheus* gentilis Theologus, de quo Arnobius *lib.* 5. Est & alius *Timotheus* Chronographus Christianus, qui de initio rerum ac Deo præclare scripsit. Alius denique *Timotheus* Gazæus, de quo Voss. *Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 21.

Timotheus, Grammaticus, cujus meminit auctor Scholiorum *in Ranas Aristoph. Act.* 5. *sc.* 4. *pagin.* 279. *G.*

Timotius, Philesius, Poëta Dithyrambicus, floruit circa Olymp. 95.

Timoumnes, Achæorum dux, an. mundi 3745.

Timoxenus, ἐν τῷ περὶ λιμενῶν laudatur ab Æscyli Scholiaste *in Persas*; sed leg. περὶ λιμένων. Vossius.

Timoxenus, Sicyonius proditor & urbi cui præerat, infidissimus. Nam cum Artabazo, urbem oppugnante, consilia communicavit proditionis. Convenit autem inter utrosque, ut exiguum libellum telo suspensum in locum destinatum ejacularentur atque inde epistolas reciperent. Polyæn. *lib.* 7. *in Artabazo. com.* 1.

Timpirum, urbs Thraciæ, Anton. 16. m. p. à Trajanopoli. Simlerus *Temporu* legit.

Timuchi, vocabantur Massiliensium Magistratus.

Timus, urbs Asiæ propr. sub Tiberio terræ motu eversa, Callist.

Timyra, urbs juxta Isauriam, & fl. Indiæ. Steph.

Tina vel *Tine*, Aristot. *Hydrussa*, aliis *Ophiussa*, insula in mari Ægeo, celebris fuit templo Neptuni, extra oppidum in luco extructo, quò ex omnibus aliis vicinis insulis, sacrificiorum causâ, concurrere solebant homines, quibus omnibus in cænaculis ad hoc paratis, victus dabatur. Distat à Delo insula 10. mill. Ad ejus partem, quæ Septentrionem spectat, arx est in mari, quæ *S. Nicolai* nomine indigitatur. Nat. Metel.

Tina, in tribu Juda. Hier. *in H. L.*

Tina, Ptol. flu. Albionis per Northumbriam in Ort. fluens, vulgò *Tine* Camdeno, ad cujus ost. op. & portus *Tinmouth* à Bervico in confin. Scotiæ 50. m. p. in Meridiem.

Tincontium, vulgò *Xancoinus*, seu melius *Sancoin*, locus Galliæ in Biturigibus Cubis: Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Tinda, Plin. *Stabulum Diomedis* Anton. op. olim Thraciæ mediterran. inter Philippos ad Oc. 61. & Maximianopolim ad Ort, 18. mill. pass.

Tinde, Chalcidica urbs Thraciæ. Steph.

Tindium, urbs Libyæ. Steph.

Tinëus, fluv. Angliæ, ubi monast. *Mailros*. Bed.

Tingcheum, vulgò *Tingcheu*, urbs Fochiensis prov. sexta, in Sin. Intra montes, in limite Quansiæ, sub qua 7. aliæ. M. Martinius.

Tinge, promunt. Africæ, quod ferunt ab Antæo conditum. Vocatur etiam *Ampelusia*.

Tingi, *Tingis* Ptol. *Tingios* Stephan. corruptè pro *Tingis*, vulgò *Tanger*, colon. & urbs Episc. sub Arch. Eborensi, ab Antæo condita, Mauritaniæ Tingitanæ caput, extra Herculis columnas, inter Septam ad Ort. 60. & Zeliam ad Occ. 24. m. p. à Lixia 54. cum portu capaci. Baudrando in ora freti Herc. 28. m. p. à Septa in Occ. 35. à Zilia in Bor. Antea sub Lusitanis, nunc Anglis concessa, à quo permunita est. In Habata, prov. Fezzæ. De eâ Sil. *lib.* 3.

Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus.

Tingœsi, pop. Tartariæ des. versus Oceanum Bor. nuper detecti à Moscis, quibus parent. Versus Jenescjam fluv. & prope Samojedas pop. Ultimi ferè sunt, qui ad Orientem nobis innotuerunt; strumoso gutture laborant, unde animi sensa non tam linguâ, quàm gutture exprimunt, V. Appendicem ad Belgarum Navig. Boreal. tert. *pag.* 64. *in tom.* 5. *Navig. Belg.* Quod ipsum & Montium Pyrenæorum Alpiumque accolis, non uno in loco accidit. Unde Juvenalis,

Quis tumidum guttur miretur in Alpibus?

Vide de Stiriæ incolis testem Ortelium *ad tab.* 92. Nec dissimilem effectum, licèt dispari è causa, vitio naturali tamen ortum observare est, in Comit. Leicestriæ pago *Carlton*, in Anglia, cujus incolas mere inconditos sonos formare, eoque ab aliis vix intelligi posse, notat T. Fullerus *Hist. Eccl. Angl. lib.* 2. *pag.* 125.

Tinia, Plin. *Teneas* Strab. Umbriæ fluv. ex Apennino monte apud Nuceriam manans, mœniaque Fulginii alluens, ac infra Mevaniam accepto Asio, in Tiberim fluens. *Topino* Leandro. Sil. *lib.* 8.

In Tiberim properans, Tiniaque inglorius humor.

Vide Plin. 3. 5. Item Urbs Liburniæ medit. apud ortum Titii flu. Episc. sub Arch. Spalatensi 25. m. p. à Sebenico in Bor. *Tine* vulgò.

Tininium, Civ. Croatiæ. V. *Arduba*.

Tinisa, vulgò *Tunisi*, urbs Africæ ampla & regia, in ora, à Carthagine 15 m. p. in Ortum distans. V. *Tunis*.

Tinissa, urbs Armeniæ maj. Ptol.

Tinnetio, vicus Rhætorum Anton. *Tinischen* Germanis, teste Tschudo, *Tinnezono* Rhæt. medius inter Curiam ad Bor. & Stampam pag. ad Mer. Clavennam versus 23. m. p.

Tinum, vulgò *Thain*, opp. Delphinatus, ad Rhodanum, è regione Turnonii opp. in tractu Vivariensi, fere 3. leuc. à Valentia in Bor. totidem à Romano in Occ. Est in tractu Viennensi.

Tinurtium, op. Gall. Celt. ad Ararim flu. Spartianus *in Severo*, ubi refert, post multa prælia inter Imper. & Clodium Albinum Cæsarem, in Gallia, variâ fortunâ gesta, tandem *apud Tinurtium* victum Albinum, & reparatis viribus iterum apud Lugdunum acie fusum, interemptum, ejusque corpus in Rhodanum dejectum esse. Mel. *Trenorchium*, Baudr. *Tornus*, in agro Matisconensi, in Duc. Burg. vix 5. leuc. à Comit. Burgundiæ in Occ. Valesio sedet, inter Matisconem & Cabillonum: cumque tribus suis partibus, Abbatiali nempe Monasterio S. Valeriani, Castro & Villa seu vico, uno & communi nomine, *Tournus* vulgò dicitur: è quibus castrum, suis munimentis nudatum, *le Chasteau demantelé*, Villa *le Bourg* peculiariter appellatur. Olim quoque *Castrense horreum* opp. hoc dictum est, mansio enim vel statio militaris fuit, annonum militibus iter facientibus servans: quales stante Imp. Romano mansiones fuere in viis publicis, inque vicis plerunque ad flumina majora. Talia fuerunt *Horrea Cœlia*, *Horreum Margi*, *ad Horrea &c.* Hadrianus Valesius *Notit. Gall.* V. & in voce *Horrea*.

Tinus, vide *Tyna*.

Tiora, quæ & *Matiena*, opp. olim Sabinorum, ad Velinum lac. ubi Mars cultus, 30. à Batia stad. Dionys. Halicar.

Tios, oppid. Paphlagoniæ, à Tio Milesio sacerdote conditum, vide *Tium*.

Tipanilla, pop. juxta Caucasum, Steph.

Tiparenus, Ins. Peloponnesi, ante Hermionem, in Sinu Argolico. Plin.

Tipasa, col. & urbs in ora Maurit. Cæsar. Ptol. Episc. olim sub Arch. Cæsariensi, *Taves* Merc. *Sasa* Mor. *Tenet* Castaldo. Inter Juliam Cæs. ad Occ. 16. & Icosium, ad Ort. 58. m. p. à Cirta, in Circ. Anton. Episcopi *Tipasitani* meminit Victor Uticensis.

Tiperariensis Comit. *Countie Tipperary*, provincia est Momoniæ, in Hibernia merid. in limite Lageniæ & Connaciæ, seu inter Comitatus Kilkenniensem ad Ort. & Limericensem ad Occ. Ejus urbes sunt Cassilia & Carica.

Tiphernum, vide *Tifernum*.

Tiphœus, vide *Typhœus*.

Tiphys, primæ navis, quæ Argo dicta est, gubernator, & Argonautarum in Colchicâ expeditione socius, Hagnii fil. juxta Apollodor. *lib.* 1. & Val. Flac. *Argon. lib.* 1. At Hyginus *Fab* 14. 18. Bœorum illum facit, Phorbantisque & Hymanes filium. Morbo præterea absumptum esse refert, in Maryandinis in Propontide apud Lycum regem. Vide Paus. *in Bœot.* Steph. *de urb.* Apollon. & ejus Schol. Val. Flaccum (qui illi Erginum successisse vult) Apollodorum & Hyginum. Orpheus:

Τῖφυν Α'γνιάδλω δολιχῆς ἰθύντορα νηός.

Virgil. *Ecl.* 4.

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas. ——

Ubi Servius *Tiphyn* poni ait pro quocunque navis gubernatore. Propriè accepit Ovid. 1. *Art.*

Tiphys in Æmoniâ puppe magister erat.

Itemque Seneca *in Medeâ*:

Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis.

Idem

Idem *ibidem*:

Tiphys imprimis domitor profundi.

Sic & Claud. *lib.* 1. *de bello Getico,*

Intactis cùm claustra freti coeuntibus aquor
Armatum scopulis audax irrumperet Argo,
Omnibus attonitis solus post numina Tiphys
Incolumem tenui damno servasse carinam
Fertur, & ancipitem montis vitasse ruinam.

Sed proverbialiter idem Ovid.

—— *Tiphys dicar amoris ego.*

Atque idem Seneca bis versibus vaticinio plenis,

Venient annis secula seris
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxat, & ingens pateat tellus,
Tiphysq; novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thyle.

Et in loco Virgilius superius adducto. Neque hoc solùm, sed à *Tiphy* dicti *Tiphaenses* pop. Bœotorum, qui essent scientissimi rei maritimæ, quod est apud Paul. *in Bœot.* Quin ab eodem gubernatore navigium sic dictum est, nam Sidon. Apoll. *lib.* 1. *Ep.* ita scribit: *Tiphyn cursoriam, sic navigio nomen est, ascende.*

Tiquadra, maris Balearici ins. Plin. sic à figura dicta: parva, ante Palmam urb. Majoricæ. Apud nonnullos *Triquadra* legi ait Hermolaus. Hodie *Coniera* Floriano.

Tiracienses, pop. Siciliæ, Plin. quorum opp. *Randazzo* dici videtur, ad Ætnæ montis radices, supra 20. m. p. à Catana in Occ. Vide *Tiracia.*

Tirallum, V. *Arxus* & *Tzurullum.*

Tiranum, vulgò *Tirano*, opp. Rhætiæ, in valle Tellina, ad Adduam fluv. 6. m. p. à confin. Italiæ & ditionis Venetæ, 30. à Clavenna & Lario lacu in Ort. An. 1672. fœdatum incendio.

Tirascia, vulgò *Tierache* vel *la Tierasche*, tractus Picardiæ, inter Hannoniam ad Bor. Campaniam ad Or. Viromanduos ad Occ. & Laudunensem tractum ad Mer. Ibi opp. præc. Guisia, Fara, Capella & Marla. V. *Teoracia.*

Tirausta, Vide *Trausta.*

Tiresias, vates Thebanus, Eueri fil. qui cùm aliquando in Cithærone vidisset 2. dracones coeuntes, observatâ fœminâ ex iis occidit illam, quo facto in fœminam & ipse mutatus est. Deinde cùm rursus post 7. annos eodem pacto, & marem draconem interfecisset, in pristinam formam rediit. Quo factum est, ut ex orto postea jocoso inter Jovem & Junonem certamine, utrùne an fœminæ majorem ex coitu voluptatem caperent, ille potissimum judex sit adhibitus, ut qui utrumque fuisset expertus. Tiresias autem pro Jove sententiam tulit, asserens multo plus de coitus voluptate percipere fœminas. Dixit enim, τῶν μοιρῶν ὁσῶν δέκα, τὴν ἄνδρα τέρπεσθαι τὴν μίαν, τὴν δὲ γυναῖκα πᾶσας ἐννέα, ut ait Phleg. Ob quod à Junone excæcatus est. Alii verò propterea excæcatum dicunt, quòd Palladem nudam in fonte conspexisset. Jupiter autem in solatium visus amissi, divinationis peritiam illi dedit, & ut 7. ætates viveret, inquit idem Phlegon; Licet Aga barchides dicat, eum vixisse solùm πέντε γενεὰς ἀνθρώπων. Hinc Lycophron eum vocat πενταγενῆ τὸν ... , Lucilius *grandævum* Statius *longævum* vocat. Hujus animam evocat Ulysses apud Hom. *Odyss.* 10. (Vide sis quoque Horatium) multaque ab eo futura edocetur. Strab. *lib.* 9 author est, ejus monumentum fuisse sub Tilphosso monte Bœotiæ, juxta fontem ejusdem nominis, ubi profugus diem suum obiit, cùm jam senex gelidissimam Tilphossæ aquam hausisset, ibidemque Thebanos sepulto divinos honores tribuisse. Vide Ovid. Met. *libr.* 3. Ponitur pro cæco apud Juv. *Satyr.* 13.

—— *Tandemq; fatebere latus*
Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse Deorum.

Tirgatao, fœmina Mœotica, nupta Hecatæ, Sindorum Regi; Sed instinctu Satyri, qui eum in regnum restituerat, repudiata: quam contumeliam plurimis cladibus ulta est. Polyæn. *lib.* 8.

Tiria, urbs Leucosyrorum. Steph.

Tiridates, Armeniæ rex. Horat. *lib.* 1. 26.

Quid Tiridaten terreat, unicè
Securus. ——

Meminit quoque *Tiridatis* Armeniæ regis, ejusdemque in urbem Rom. introitûs Tranquillus *in Claudio Cæs.* Item nomen magi cujusdam apud Plin. *lib.* 30. *cap.* 3.

Tiridates, pecuniæ regiæ Persepoli custos, qui eò procedenti Alexandro, literas misit, indicantes eos, qui in urbe essent, adventu ejus audito, diripere velle thesauros; properaret occupare. Curt. *lib.* 5. *cap.* 25. Gebhardus censet legendum *Teridates*, e Diod. *lib.* 17. *parte poster.*

Tiris, Dux Thracum, initio Antiocho resistentium armis, dein auxiliantium. Polyæn. *lib* 4.

Tiriscum, (quod jam *Taros* dicitur) op. Daciæ; *Turo* Lazio, aliis *Grossechana* in Valachiâ. Baudrando hodie *Tergovisle*, & *Tarvis*, ad Tiarantum. Valachiæ caput & Principis sedes. Vide *Tergovistum.*

Tirissa, urbs Macedon. in Emathiâ. Ptol. *Lesterocori*, teste Moletio. Vide *Tyrissa.*

Tirista, Ptol. vulgò *Drista*, urbs Mysiæ infer. Episc. sub Arch. Ternobitano, hodie metropolis in Bulgariâ.

Tiristria, vulgò *Capo Lemano*, Mysiæ inf. promunt. in orâ maris Euxini, inter Dionysiopolim & Odessum. Ptol.

Tiriza, op. Paphlagoniæ. Steph.

Tirnavia, Hungaris *Tyrnavu*, Germanis *Durn*, urbs parva Jazygum, in Hung. sup. seu munita, ad Tirnam fluv. in Comit. Posoniensi, sub Austriacis. Post Strigonium à Turcis occupatum sedes Arch. Strigoniensis, in cujus diœc. est, sed caret Episc. sede. Distat Strigonio 8. leucis in Occ. 6 à Posonio in Bor. & Cæsam.

Tiro, Ciceronis libertus, occultas scribendi notas, quæ hodie *Siphræ* dicuntur, primus invenisse fertur. Hodie verò ita frequens est modus iste scribendi, ut nullus ferè sit neque princeps, neque nobilis, qui suas habeat siphras. Polyd. Vergil. *lib.* 2. *cap.* 7. *de rer. invent.*

Tiro, Vide *Apinius.*

Tirolis, reg. Germ. merid. non obscura, tit. Comitatus insignis, partem Rhætiæ, partem Norici magnam, & partem minimam Cenomannorum Italiæ complectens, continetur circulo Austriaco, qui ex decem Germaniæ circulis primus est. Baudrando *Tirolis*, *le Tirol* Gallis, *Tirolo* Italis, regio est Germaniæ meridionalis, partem orientalem Rhætiæ propriæ antiquæ tantum complectens. Antea Principes habuit proprios è domo Austriaca, sed à paucis ann. defectu prolis masculæ rediit ad Imperatorem, cui etiamnum subest. Terminatur à Septentrione Bavariæ Ducatu, ab Oriente diœcesi Salisburgensi & Carinthia, à Meridie ditione Veneta, & ab Occidente Rhætis & Helvetiis. Rigatur Athesi & Oeno fluviis, & ab Alpibus Tridentinis ferè bifariam secatur. Sic dicitur à Terion, hodie *Tirol*, tenui castro ad Athesim prope Meranum. Regionis partes sunt Comitatus Tirolis propriè dictus, *le Tirol propre*, Diœceses Tridentina & Brixina, *les Evêchez de Trente & de Bressenon*, atque Comitatus Brigantinus, *le Comté de Bregents*, Feldkirkiæ, *le Comté de Feldkirk*, Pludentinus, *le Comté de Pludents*, & Monfortensis, *le Comté de Montfort*, versus Helvetios. Totius autem provinciæ caput est Oenipons, *Insprück*, ubi antea sedes Principis. Aliæ urbes sunt Bolzanum, *bolzano*, Brigantium, *Bregents*, Brixino, *Brixen* seu *Bressenon*, Hala, *Hall*, & Tridentum, *Trente*. Tirolis Comes Mainardus, sub initium sec. 14. quòd Tridentini Episcopi ambitioni restiteret, excommunicatus, editâ in illum apologiâ, in Prælatorum vitia acriter invectus est, inter alia *sacrarum literarum contemptu & dominandi cupiditate* ipsis objectâ. Aventin. *Annal. Bojor. lib.* 7. Lineam Tirolensem seu Æn pontanam, ortus est Ferdinandus, Ferdinandi I. Imp. filius, frater Maximiliani II. qui Bohemicæ, & Caroli, qui Styriæ seu Græciensis auctor fuit. Ferdinandus hic, in divisione Tirolim & anteriores ditiones nactus, egregiam bello Pannonico fortitudinis laudem impetravit. Duxit clam patre Philippinam Welseram, patriciam Augustanam; eâque defunctâ Annam Catharinam Mantuanam, tibi sociavit, neptem e sorore: quod conjugium cùm sterile esset, & è Welseria suscepti non haberentur successionis capaces, alteri Carolo Burgoviâ agre relictâ, reliqua hæreditas inter agnatos divisa est. Iterum Ænipontanam lineam incepit Leopoldus Caroli Græciensis, de quo supra, filius, frater Ferdinandi II. Imp. Is primò Ecclesiasticò ordini adscriptus, Argentinensem Episcopatum, unde et cum Joh. Georgio Brandeburgico bellum, An. C. 1609. & Passaviensem obtinuit: varias dein post res in Juliaco, Bohemia, Austria, tractu Rhenano, Rhætia gestas, Claudiam Mediceam duxit, Ann. Chr. 1626. mortuus Ann. Ch. 1632. Eo nati, Ferdinandus Carolus, qui orbus obiit A. 1662. & Sigismundus Franciscus, qui similiter absque prole mascula defunctus est, principatu ad Imperatorem, ut dictum, devoluto: cujus uxor Claudia Felicitas, filia postremi, obiit Ann. Chr. 1676.

Tiron, fl. Galliæ Celt. apud Mauritaniam, opp. Comitatus Perticensis, Ivoni.

Tironi seu *Tironensis* Comitatus Hiberniæ duplex, Superior & Inferior, *Upper Tyrone* & *Nether Tyrone*: concessus ab Henrico VIII. Angliæ R. Cono, ex clara Onealum familia, quæ Ultoniæ sibi principatum, mox & Hiberniæ totius affectare olim ausa fuit, oriundo: hac lege, ut ejurato Onealis nomine, in Comitis *Tironi* nomen transiret. Hujus ex filio notho Mathæo nepos Hugo, patruo Johanne, ob rebellionem, interemto, *Tironi* Comitatum, & quæ Conus possederat, Elizabethæ Reginæ beneficio accepit; in quam ingratus An. Ch. 1595. turbas dedit ingentes, per totam Hiberniam rebellione excitatâ, sed eo successu, qui plerumque perfidiam manet. Unde An. Ch. 1607 Comes Tironus cum Tironellio, in Galliam primùm, mox in Brabantiam profugus, cùm Romanæ religionis studium exilio suo prætexeret, id in se injurium Jacobus Rex existimans, libello vulgavit, nimium recepto seculi more sceleribus caussam religionis obtendi. Nam quæ sacrorum cura, verè barbaris, quibus conjugia ignota, cædes laudatæ, decus summum rapto vivere? Sed illos, qui dignitatem non sanguine aut meritis, sed ipsius aut Elizabethæ beneficio obtinerent, suam ingratam mentem, suæ perfidiæ conscientiam perhorrescere, quòd semel condonata iterum ausi, sociis in dissidium provinciâ, in Anglorum omnium occidionem conspirasset,

rassent, &c. Vide Hugon. Grotium *Historiar. lib.* 14. & 16. Thuan. *Hist.* & suprà in voce *Hibernia.*

Tirse, urbs Mygdoniæ, Stephan.

Tirynths, fluv. Argivus. *Tirynthi* verò, *Tirynthe* Hesychio, nomen urbis, patriæ Herculis in Peloponneso, quæ proxima Argis est, unde Hercules *Tirynthius* appellatus est, quamvis Thebanus quoque vocatur.

Tisæum, Thessaliæ mons, Polyb. Promunt. quoque ibidem est, Apollon. *lib.* 2. Magnesiæ regionis, in quo Diana culta.

Tisamenes, Antiochi fil. qui apud Delphos oracula reddebat.

Tisamenus, Peregrinus quidam & verberibus concisus, in comœdiis traductus fuit. Vide Scholiast. *in Aristophan. Acharn.* 399. *F.* 2.

Tisana, oppidum Foro-Julii.

Tisandrus, vide *Thersander.*

Tisara, portus & opp. Latinorum, Steph.

Tisaranthus, fluv. Scythiæ, Herodotus *lib.* 4. Lege *Tiarantus.*

Tisarchus, ex amicis Agathoclis: qui à tyranno ob insidias, pro libertate publicâ, ei structas, in Timoleontio confossus est. Polyæn. *lib.* 5.

Tisdrum, vide *Thysdrus.*

Tisebarica, reg. Æthiopica supra Berenicem, cujus partem maritimam Ichthyophagi incolunt. Periplus Arriani.

Tisia, urbs Italiæ, Stephan.

Tisiades, nomen Comici Senis, Aristoph. *Vesp.*

Tisiana, Scythiæ fluv. Jornandes.

Tisias, Coracis Rhetoris discipulus. Vide *Corax.*

Tisias, Stesichorus poëta imprimis sic dictus, qui postea à *Chorea* nomen sortitus est.

Tisiaus, Africæ urbs à Scipione deleta, Strabo.

Tisiphone, *ultricem cædis* signif. Invidi enim & vindictæ cupidi furiis meritò agitari dicuntur. Monstrosam hujusce vocis notationem adfert Statii Schol. *in* 1. *Theb. Tisiphone*, inquit, *quasi* τούτων φωνὴ, id est, *istarum vox.* Horat. *Serm.* 1. *Sat.* 8.

— *Hecaten vocat altera, sævam*
Altera Tisiphonen. —

Tibullus *lib.* 1. *cap.* 3.

Tisiphoneq; impexa feros pro crinibus angues
Sævit. — —

Claudianus *lib.* 1. *de Raptu Pros.*

— *Crinitaq; frontibus hydris*
Tisiphone, quatiens infausto lumine pinum,
Armatos ad castra vocat pallentia manes.

Virgilius *Æneid.* 6.

Tisiphoneq; sedens pallâ succincta cruentâ
Vestibulum insomnis servat noctesq; diesq;.

Ultrix dicitur eidem, ut & Papinio *lib.* 8. *Theb.*

Tisiphonus, & *Lycophron*, unà cum sorore *Thebe*, uxore Alexandri Pheræi, tyrannum affinem occiderunt dolo: ex quâ re cùm primùm magnam adepti essent gloriam, tanquam vindices libertatis; postmodò ipsi tyrannidem retentarunt: sed ab Alevadis, ope Alexandri Magni, ejecti sunt. Diod. 16 517.

Tisis, urbs Ægypti, quam condidit *Tisis*, Steph.

Tisobis, fluv. Albionis per Walliam fluens pelago, apud Asaphensem urbem exceptus, vulgò *Tese.* Aliis *Cluyd*, *Conwey* verò Camdeno. *Tosobis* Ptolemæo, vide ibi. Sic enim ille *lib.* 2. *cap.* 3. Τισόβιος ποταμοῦ ἐκβολαί. Baudrando *Menay* hodie; potiùs fretum parvum Monam Ins. à Wallia Bor. separans, prope Arvoniam. Ejus latitudo vix est m. p.

Tissa, Siciliæ urbs, *Randazo* Nigro: eversa apud Gangium opp. hodieque *Tissa.* Aliis *Tussa* arx, à Cephalodio 18. m. p. aliis *Tussa* castrum & arx esse videtur, inter Cephalodium & Amestratum. Silius *lib.* 14.

Venit Amastra viris & parvo nomine Tisse.

Tissamenus, filius Orestis. Mycenis regnavit ann. 3. Unico *S.* scribendum, apud Polyæn. *lib.* 2. & Frontinum *lib.* 1. *cap.* 2. putat Casaubonus.

Tissaphernes, præcipuus Persarum Satraparum, qui, vulnerato à Cyro Artaxerxe, prælium sustentavit, donec Cyri copiæ funderentur; & cujus industriæ ac fortitudini illa victoria soli propemodum adscribitur. Navatæ operæ præmium Babylone à Rege consecutus est omnium provinciarum præfecturas, quas Cyrus obtinuerat; dein filiam Artaxerxis in matrimonium: tùm principem inter Satrapas locum. Sed cùm malè rem adversus Agesilaum in Asiâ gessisset, Artaxerxi impellente matre Parysatide, exosus factus à subrogato Tithrauste, jussu regis, Colossis, oppido Phrygiæ, ope Larissæi Satrapæ, comprehensus corpus curans, & capite truncatus est.

Tisurus, opp. Africæ propriæ. Ptolem. mediterraneum. *Teusar*, ex tabb. rec. Thysdro finitimum, apud Bagradam fluv. inter Carthaginem & Tebestam in Meridiem, ab ea fere 100. mill. pass. in Arctos

Titacidæ vicus in Antiochide tribu, à *Titaco*, qui Aphydnas Dioscuris prodidit. Stephan.

Titan, vel *Titanus*, Cœli & Vestæ filius, frater Saturni natu major, ad quem quamvis paternæ hæreditatis jus pertineret, quoniam tamen matrem & sororem in Saturnum propensiores esse sentiebat, suo illi jure eâ lege cessit, ne quam sobolem masculam educaret, sed cœli imperium ad liberos suos rediret. Verùm cùm postea Opis dolo factum intelligeret, ut primùm Jupiter, deinde Neptunus & Pluto clam essent educati, eâque viâ liberos suos avitâ successione dejectos videret, unà cum filiis suis *Titanibus* bellum adversus fratrem suscepit, cujus exitus is fuit, ut victus prælio Saturnus, unà cum matre, & sorore in hostium manus pervenerit, arctissimæque custodiæ fuerit inclusus, donec adultus Jupiter, victis Titanibus, eum liberavit. Ponitur aliquando pro *Sole.* Ovidius *Metam.* 1.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.

Juvenalis Titanem posuisse videtur pro Prometheo:

E meliore luto finxit præcordia Titan.

Hesychius: Τιτὰν, τιμωρητὴς, καὶ τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου ὄνομα. Sed posteriore modo sumptum vocabulum scriberetur Τειτὰν, ut adpleatur numerus 666. qui in Apocalypsi notatur, ut numerus Bestiæ, vel Antichristi. Palmerius. Hinc *Titanius*, ut *Titania castra* apud Virgil. & *Titania bella* apud Sil. Italicum. Item *Titaniacus*, Ovid. *Metam.* 7.

Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat
Palladias arces. — —

Item *Titanicus.* Unde proverb. Τιτανῶδες βλέπειν *Titanicum tueri.* Vide Nat. Com. *lib.* 6. *cap.* 20.

Titana, opp. Sicyoniæ, Pausan. à Sicyone 60. stad. Dictum & *Teutanium.* Cum regiune. cognom.

Titana, Claud. Vide *Heliopolis.*

Titanes, filii feruntur Titani fratris Saturni, de quo supra. Aliis videntur sic dicti ἀπὸ τῆς τίσεως, id est, ab ultione; aliquibus ἀπὸ τοῦ τιταίνειν, quod est *trahere*, vel *extendere.* Diodorus omnes communi nomine à Titea matre vult appellatos, quæ quidem fabulosa omnia. Eustath. *in Homer.* & alii intelligunt per eos spiritus & ventos, qui ex cœlo, id est, aëre, ad terram demissi occultantur in eâ, atque ita terræ motus generant, qui sæpe multos homines opprimunt & conficiunt. Atque eò etiam (si Physicè fabulam enodes) referri possunt & verba Hesiodi *in Theog.* ubi simul etymon proditum ab eo, quod supra expressimus: Sic enim ait,

Τὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκε,
Φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι
Ἔργον, τοῖο δ᾽ ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι.

Suidas: παλαιχθονίους δαίμονας exponit. Sanè Homerus *Hymno in Apollinem:*

Τιτῆνές τε θεοὶ, τοὶ ὑπὸ χθονὶ ναιετάοντες
Τάρταρον ἀμφὶ μέγαν, τῶν ἐξ ἄνδρες τε θεοί τε.

Hos fama est omnium primos metendi artem à Cerere fuisse doctos. Apollon. *lib.* 4.

Δὴ γάρ κείνῃ ἐνὶ δή ποτε νειόθι γαίῃ,
Τιτῆνας δ᾽ ἔδαε στάχυν ὄμπνιον ἀμήσασθαι.

Ex horum sanguine cum Diis bellum gerentium, qui in terram defluxit, varia serpentum genera exorta esse scribit Nicander *in Theriacis* hoc pacto:

Ἀλλ᾽ ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια, σὺν καὶ ἀνιγρούς
Ἑρπηστὰς, ἔχιάς τε καὶ ἄχθεα μυρία γαίης
Τιτήνων ἐνέπουσιν ἀφ᾽ αἵματος.

Quin & Orpheus *hymno in Titanes:*

Τιτῆνες Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἀγλαὰ τέκνα
Ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων, γαίης ὑπένερθεν
Οἴκοις Ταρταρίοισι μυχῷ χθονὸς ἐνναίοντες
Ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ πάντων θνητῶν πολυμόχθων,
Εἰναλίων πτηνῶν τε, καὶ οἳ χθόνα ναιετάουσιν
Ἐξ ὑμέων γὰρ πᾶσα πέλει γενεὰ κατὰ κόσμον.

Titanus, fluv. & oppid. Æolidis, Plin. *lib.* 5. *cap.* 30. Item mons Thessaliæ.

Titanus mons, *San Marino* incolis, excelsus, cum oppido, quod Fanum S. Marini dicitur, inter Romandiolam & Duc. Urbini, intra fines dition. Pontific. sui tamen juris, cum duodecim vicis ei subditis. Distat 6. mill. à Leopoli in Ortum, uti 20. à Sarsina, & 24. à Cesena, Pisaurum versus totidem ferè. Dicitur aliter *Acer.*

Titanus, portus Corsicæ, seu *Titianus*, hodie *Golfo di Talamo*, Brietius. *Titianus* autem fluvius, *Fiuminale d'Ornano*, in portum cognominem se exonerat, in ora Occident. Insulæ, ubi tendit in Meridiem.

Titaresius, vulgò *Titareso*, Hesychius: Τιταρήσιος, ποταμὸς Ἠπείρου. Ubi Grammaticus aliàs longè doctissimus suam in Geographicis inscitiam prodit: Est enim Pieriæ & Thessaliæ fluvius, apud Pharsalum urbem fluens, longè ab Epiro. Sed fefellit eum Homerus, qui eò quòd de Peræbis dixit *Iliad.* β.

— Ἐνιῆνες μενεπτόλεμοί τε Περαιβοί,
Οἳ περὶ Δωδώνην δυσχείμερον οἰκί᾽ ἔθεντο
Οἵ τ᾽ ἀμφ᾽ ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ᾽ ἐνέμοντο.

Putavit Titaresium ac Dodonem, esse in eodem regionis tractu. Sed in eo falsus est. Duplices enim *Peræbi*, qui cùm à planis Thessaliæ locis à Lapithis pulsi fuerunt, bifariam divisi sunt: Alii ad Olympum, & Pieriæ loca montuosa, unde fluit Titaresius, habitavere; alii ad Æthicas profecti sunt, & ibi manserunt in montibus

Tisobis, seu *Tisobis* fluv. seu potius fretum, m. p. latum, 20. m. p. longum, inter Monam Inf. & Walliam Sept. prope Arvoniam; Vulgò *Menay*.

Toga, Græcis Τήβεννος, Romanum tegmen, ipsis Quiritibus longe vetustior. Circummeasse enim à Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos, auctor est Tertull. *de Pallio*: & cum Suida Artemidorus ejus originem ab Temeno Arcade deducunt, qui ad Joniæ maris accolas navigans, primus eo modo chlamydem induit, à quo indigenæ edocti eadem ratione habitum suum composuere, vestemve *Tebennam* corrupta voce à Temeno appellarunt. Etymologo Τήβεννος Regium gestamen dicitur. Sed, si Romani excipiantur Reges, nullus exterorum Tyrannorum togâ usus reperietur, nisi ex dono Pop. Rom. aut ejus imitatione. Fuit autem *Toga* vestimentum clausum & rotundum, quod uno injectu corpus involveret, & utrumq; brachium operiret, ut ex statuis antiquis veteribusque nummis patet. Hac solâ primitus amicti incedebant Romani, cùm nullis adhuc tunicis uterentur: petitores quoque eâ solâ indutos in campum descendisse tradit Plutarchus, sive ut cicatrices adverso pectore ostenderent, sive ne pecuniam ad suffragia mercanda tunicâ occultarent, sive ut supplicarent humilius: Communis ejus gestandæ modus fuit, ut dextrum brachium, quâ parte ad cervices patuit, exereretur: & ita quidem, ut antiquissimis temporibus manus tantùm usque ad cubitum porrigeretur, postea totum brachium, humerusque extaret: quod primum Romanorum C. Gracchum fecisse, memorat Plutarchus. Sinistrum autem brachium sub ipsa toga extensum, extremam ipsius oram, quæ & lacinia dicebatur, in rugas, plicasque contractam, cui *sinus toga* nomen, subducebat ad pectus lævâ manu extante. Togæ ora subjecto brachio subducta speciem normæ referebat, sive regulæ, fabrilis nempe instrumenti, ad quod omnia exigunt, super quod brachium, ut Quintilianus ait, *ora ex toga duplex æqualiter sedeat*, i. lacinia togæ veluti brachio divisa, æquis partibus contineatur, nec altera longior aut brevior deformiter cadat. More veterum, brachium togâ juvenes Romani anno virilitatis i. æt. 14. cohibere solebantur, Cic. *pro Cœlio*: Idem in petitione honorum factum, docet Horatius *lib.* 1. *ep.* 6.

Mercemur servum, qui dictet nomina: lævum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Mittere.

Porro licet e toga brachium exereretur, & summa togæ ora à dextero humero deflueret: facile tamen fuit, cùm res poscebat, tandem detectæ togæ partem revocare caputque etiam operire ac involvere. Unde de Cæsare scribit Tranquillus, cum se strictis pugionibus à conjuratis peti videret, togâ caput obvolvisse, simul sinistrâ manu sinum ad ima crura deduxisse, quò honestius caderet. Non cingebatur toga: nec quicquam aliud cinctus Gabinus fuit, quàm cùm togæ lacinia lævo brachio subducta in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus, sicque in nodum colligabatur, ut togam contraheret & breviorem ac strictiorem redderet. Neque fibulâ nectebatur, utpote vestimentum clausum & humero sinistro sic inhærens, ut lævo brachio sustineretur, quo fiebat, ut nullo modo cadere aut defluere posset. Ea priscis ex lana, serò tandem & nonnisi sub Imperatoribus serica vestis Romanis cognita est, Communis color albus fuit, lanæ nativus, cui cum creta accedebat, *candida* appellata est. Primis urbis temporibus uterque sexus togatus incessit: Varro *apud Nonium de vita Pop. Rom.* & tum quidem honestiores matronæ togam prætextam adhibuerunt: quam cùm postea depoluere, ea sola viris remansit, donec temporum mutatione fœminis quoque probrosis cederet. Habebat autem jus togæ omnis Populus Quiritum, diuque etiam plebs ipsa togata incessit. Imo sublatâ *libertate* ipsos Imperatores togâ usos legimus. Namq; & Cæsar in toga confossus, & Caligula, cum se è spectaculo proripere vellet, calcatâ laciniâ togæ præceps per gradus iit, & Domitianus *Mars togatus* Martiali appellatur, &c. Sed non semper pura ac communis illa, verùm aliquando purpurea & triumphalis fuit. In luctu, depositâ togâ, ad saga itum est: in deprecatione quoque togam depositam docet Cicero *ad Attic. lib.* 4. vel saltem humeris dejectam, Suet. *Augusto cap.* 52. Nec forense solùm vestimentum antiquissimo tempore toga fuit, sed & domesticum: nocturnum non minus, ac diurnum: mox alia vestis domestica, alia forensis, quæ toga fuit: neque publicè sine toga civis Rom. visus est: Interim conviviis quoque maximè publicis ac solennibus illam adhibitam ex historicis paret. Neque Romæ modò, sed quacunque Romanum patuit imperium, in pace Quirites togati fuere: quo habitu & ii usi sunt, quicunque Romanis legibus gaudebant, Coloniæ item & Municipia, Tacitus *Histor. lib.* 2. Imò non socios solùm Pop. Rom. sed Italos penè omnes togâ usos, illud argumento est, quòd ab iis Romani togas acceperint. Sed & Arcades sive Argivos, Lydos quoque togâ usos docent, Tertullianus & Artemidorus. Gentes etiam devictæ simul cum servitute togam accipiebant, ut Tac. *in Agricola*, de Britannis: Dio *lib.* 46. de Gallia togata: Strabo *lib.* 3. de Hispanis docent. In bello quoque togarum militarium, meminit Liv. *lib* 29. & alibi, quod vel de honestioribus tantùm, vel de antiquissimis temporibus intelligendum: vel fortasse, dum stativis in Urbibus ac Municipiis attinebantur, togâ usi milites sunt, nequaquam in castris. Hinc & milites Prætoriani, quia in urbe, remoto terrore chlamydum, forsan togati erant; saltem cohors, quæ more militiæ excubabat, ut vult Lipsius ex Tacito lib. 1. Hist. *Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed deficiet.* In reliquis nullus togæ usus, pacemque togâ, bellum sago notari quis nescit? Exutam simul à Romanis cum libertate togam, indicat Suetonius *Augusto cap.* 40. sub quo penè usus ejus exolverat, si officia clientum excipias, & in illius locum lacerna successit. Mansit tamen aliquandiu communis & continuus togæ usus apud paucos, eosque honestiores, donec Advocatis solis hæsit. Quintilianus tamen Oratori quoque suo togam dat, eamque motose usque ad rugas disponit. Proin veterem habitum reducere tentarunt Augustus, Domitianus & Hadrianus Impp. quorum ultimus Senatores & Equites Rom. semper in publico rogatos esse jussit: nec minus Antoninus, qui etiam milites togatos esse voluit; sed tentarunt, nam id haud quaquam observatum, sensimque ex togato Populus lacernatus ac pænulatus factus est. Cæterùm togam in templo Capitolini Jovis Consules eo die, quo Magistratum inibant, sumere soliti sunt; quod quidam etiam ad omnes trahunt, cùm toga virilis sumebatur: vel saltem post eam domi sumtam, statim in Capitolium ad Jovis ædem itum esse, V. Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 4. plura autem de nobili hac veste, apud Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom.* & Octavium Ferrarium *de re Vestiaria, lib.* 1.

Toggenburgius Comit. Helvetiæ, in *Turgovia*, Germ. *das Toggenburg*, habebat olim è Nobilitate dominos, qui postea Comitivâ dignitate aucti sunt. Horum ultimus majoribus suis longè potentior, Fridericus, in jus civitatis à Tigurinis receptus, obiit, A. Ch. 1436. Post ejus mortem emit hæreditatem hujus Comitatus Petermannus Baro Raronius ex Valesia, sed incolæ, à Suitensibus & Glaronensibus, in amicitiam & jus civitatis recepti sunt, sic ut in criminalibus summa potestas penes Raronium esset, ipsi verò in proprio consilio, sub Landammanno capite, causas civiles judicarent. Postea Raronius Ann. Ch. 1469. Abbati Sangallensi jus suum vendidit, qui ab eo tempore regioni præfectum constituit, summum rerum capitalium judicem: Interea mansere *Toggenburgi*, cives Suitiorum & Glaronensium, suaque privilegia & immunitates habent, quarum beneficio inter alia libertate Religionis hodieque fruuntur. Solum iis asperum & montanum, sed pascuis aptum: ipsi torosi & laboris patientes, candidi insuper & cordati sunt. V. Stumpfium *de Turgovia lib.* 5. ubi seriem Comitum & res gestas succinctè exponit: de eorum verò origine, Philipp. Jac. Spenerum, *in familia Austriaca*.

Togisonus, Plin. *Scioccο* Leandro, fluv. Venetiæ per agrum Patavinum, in Medoacum fluv. post Plebem Sacci opp. influens, à Patavio 8. m. p. Clodiam versus. Sed Plinius eum cum Athesi confluere, & Brundulum portum efficere scribit. Alii *Vigisonus* legunt, & laeus est *Vigazolo*, 6. m. p. ab Ateste, ex quo fl. in Athesim influens effluit. Ferrar.

Togonius Gallus, ignobili origine Senator, qui Tiberium orabat diligere Senatores, ex quibus viginti sorte ducti & ferro accincti, quoties curiam inisset, salutem ejus defenderent. Tacit. *lib.* 6. *cap.* 2. cujus tamen adulatio à Cæsare elusa est.

Toja, vulgò *Toy*. Inf. Japoniæ, in ora Or. Niphoniæ Inf. & regionis Ochiæ, inter Matcuximam Inf. ad Bor. & Ynoximam Inf. ad Mer. Brietius.

Tokaum, vulgò *Tokay*, urbs munita Hungariæ sup. cum arce ad confluentes *Bodroch*, fluv. in Tibiscum. Capta à Turcis sed recepta ab Austriacis. Vino suo nobilis, 30. m. p. à Cassovia in Mer. totidem ab Agria in Ort.

Tola, *Tolen*, seu *ter Tolen*, inf. parva Zelandiæ, in parte Or. cum opp. munito cognom. prope brachia Scaldis, inter Bevelandiam Australem ad Mer. & Transflaquæanam ad Bor. in ipso limite Brabantiæ, vix 1. leuc. à Bergis ad Zomam. Ei adjacet agger S. Martini.

Tolbiacum, Gall. Belg. op. Tacitus. *lib.* 4. *Histor.* Ubiorum in Germ. infer. *Zulpich* Divæo. *Zulch*, Baudr. opp. Juliacensis Duc. Celebre victoriâ Clodovei I. de Alemannorum gente ac Rege, & Theodorici ejus abnepotis de Theodeberto, fratre suo, cæde item Herminafridi Toringorum Reg. Sedet ad Nafelam amnem, 18. m. p. à Bonna in Occ. totidem à Juliaco, in Mer. uti à Colonia in Afric. Valesio castrum est in Duc. Juliacensis regiuncula Eflia vel Eiflia *das Eifel*, non procul à flumine Rura & Marcoduro, quod Gallis *Souche* dicitur: *Notit. Gall.*

Tolca, vel *Toucha*, fluv. Galliæ, in Comitatu Lexovino, Melsam *la Meausse*, Fervidas Aquas *Fervaques*, Montem Gomerici *Mongomery*, opp. Comit. tit. insigne alluit: dein auctus Orbecco, Orbeccum & Villare alluente, Noviomagum Lexoviorum caput attingit, Pometum *la Pomeraje*, Brolium *le Breüil*, Pontem Episcopi, caseis suis nobilem vicum, Tolcam denique *Touques*, locum à flumine dictum, infra quem in Oceanum effunditur. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tolen, opp. olim Æthiopiæ, sub Ægypto, à Meroë 5. dier. itinere, in Bor. Plinio.

Tolentinum, col. & urbs aliàs Piceni, Ep. sub Arch. Firmano, nunc Marchiæ Anconitanæ; sub Pontif. parva; sed culta; ad Chientum fl. inter Maceratam 10. & Camerinum 15. m. p. à Septempeda 6. in

in Ortum, Vulgò *Tolentino*. Hic requiescere dicunt corpus S. Nicolai Tolentini: Sedes autem ejus Episc. unita nunc est Maceratensi, Pop. *Tolentinates*, Plin.

Tolenus, fluv. Marsorum, in Lirim labens, ubi Rutilius cum 8000. Rom. à Marsis cæsus. Oros. Dicitur & *Telonus* & *Thelonus*.

Tolerium, urbs Latii antiqui. Steph. Locus hodie ignoratur, Pop. *Tolerienses*. Plin.

Toletanum regnum, *Reyno de Toledo* sub Mauris dictum, nunc postquam ab Hisp. receptum, dicitur *Castilla nova*, inter Castellam ver. ad Bor. & regnum Granat. ad Mer.

Toletum, vulgò *Toledo*, colon. & urbs Hisp. Tar. Carpetanorum olim caput, in umbilico Hisp. ad Tagum flu. Gothorum dein regia & Maurorum, hodie caput Castellæ novæ, & antea Regum sedes, à tempore Alfonsi, qui illam Saracenis eripuit, An. C. 1085. Ampla est & elegans, Archiep. cum arce antiqua in colle: sed deficit in dies, à paucis habitata, vix 6000. incolas continens, 42. leuc. Hisp. à Cordoba in Bor. 50. à Valentia. Ejus meminit Venantius Fortunatus *lib. 6*.

Quæ me dimittis, dura Tolete, vale.

Fuere sub *Toleto*, velut Metropoli, urbes Episc. Oretum, Biatia, Mentesa, Acci, Basti, Urci, Illici, Bigastrum, Setabis, Dianium, Valentia, Valeria, Segobrica, Arcabrica, Complutum, Segontia, Uxama, Segobia & Palentia: quæ cum Metropoli, tempore Constantis M. Archiepiscopo Carthaginensi, unà cum Caracca & Castulone, subjectæ fuerunt. Hodieque prima in regno Hispaniæ dignitas Archiepiscopi Toletani est, qui, more omnibus Regnis recepto, Primas est Regni & simul Cancellarius Natus Castellæ; cujus ratio ex mediis seculis fluxit, quibus, cùm nulla eruditio extra sacrum Ordinem quæri poterat, ita nec officia, quæ Eruditum requirebant, aliis quàm qui è sacro Ordine essent, committi poterunt, Becmannus, Franc. de Pisa, *descr. Toleti*, Garsias, *de Eccl. Tol.* Hic Concil. celebratum, An. 400. contra Priscillianistas. An. 531. sub Rege Almerico seu Theude, Isid. Hispal. teste: quo disciplina Eccl. iterum stabilita, quæ sub Arianis Regibus multùm remiserat. An. 589. quo Gothi, paulo antè fidem amplexi, confirmati sunt: sub Recaredo, qui jejunium triduanum Concilii celebrationem voluit præcedere. An. 507. sub eodem, contra impudicitiam Sacerdotum. An. 638. quo legitimum conjugium, damnato ancillarum consortio, concessum est Sacerdotibus. Elipandus Urbis Episcop. Nestorianismi damnatus est, à Carolo M. Synodo illa celebri Francofurtanâ, An. Ch. 794. habitâ. In eadem urbe memorabile olim fuit palatium, clausum & validis vectibus, ferroq; munitum, quod reseratum excidio Hispaniæ futurum Fama ferebat. Hujus seras cùm Rodericus, thesauros ibi occuli ratus, perfringi tandem curasset, arcam solùm reperit in eaque linteum, in quo insolentes hominum facies vestesque depictæ erant, cum hac inscriptione, *à tali gente exitium Hispaniæ imminere*: breviqùe post à Saracenis & Mauris, Rodericus victus est, omnisque nobilitas Gothorum cum illo cæsa. Lipsius *Mon. lib. 1. cap. 5.* V. Moretium *Dict. Hist.*

Toliapis, *Shepey* Camdeno, ins. Albionis in mari Germanico contra Trinobantes, & Thamesis ostia: ubi etiam Counos *Greyinge* haud procul ab ostio Tamesis.

Tolistobii, *Tolistobogi* Strab. & Ptol. qui & *Tectosages*, pop. Galatiæ in Asia, quorum urbes Germa col. & Pessinus, Τολιστοβώγιοι Stephano.

Tollentinum, Vide *Tolentinum*.

Tollium, vulgò *Dol* seu *Dosle*, vel *Dole*. V. *Dola*.

Tolmidas, Dux Atheniensium, de quo, quomodo dilectum habuerit, V. Polyæn. *lib 7*.

Tolmidessa, Syriæ urbs in Chalcidicâ regiuncula. Ptol.

Tolnensis Comit. *le Comté de Tolne*, prov. est Hungariæ inf. prope Danubium, quo separatur ad Ort. à Brachiensi Comit. ad Occ. terminatur Comit. Simigiensi, à Mer. Waraniensi. Sub Turcis. Urbs ejus præc. est Tolna *Tolne*, ad Danubium, paulo infra Colociam.

Tolonium, Vide *Telo Martius*.

Tolophon, urbs Locrorum Ozolorum, Steph.

Tolosa, vulgò *Tholouse*, colon. & urbs Gall. Narbon. in Aquitan. confin. ad Garumnam fl. Dicitur & *Tholosa Tectosagum*, *Tolosatium*, &c. Metropolis Aquitaniæ, Arch. cum Academia, & Parlamento; pulchritudine, amplitudine, & vetustate inter civitates Galliæ primas. Tectosagum olim, opulentiâ sed perniciosâ inclytorum, caput. Colonia dein Romanorum, ut prisca magnificentiæ monumenta testantur. Postea sub Gothis, quibus eam Clodovæus eripuit: sequentibus temporibus Comites habuit, Corsone à Carolo M. hac dignitate ornato, An. 778. cui Guilielmus Simus successit. Raimundus postmodum VII. Johannam hæredem Alphonso, Comiti Pictaviensi, fratri Ludovici IX. elocavit, quibus absque prole defunctis, Philippus Audax, urbem occupavit, An. 1271. quam Johannes R. coronæ uniit, An. 1361. Patria fuit hæc urbs virorum insignium, unde *Palladia*, Ausonio dicta, qui de Æmilio Magno Arborio patruo suo, Sedato & Exuperio, Professoribus Tholosanis loquitur. Baudrando *Tolosa*, vulgò *Toulouse* Gallis, urbs est perampla Galliæ, Occitaniæ provinciæ seu Languedocii caput, & Parlamenti sedes, in ipso limite Aquitaniæ: ita ut ejus pars minor trans Garumnam fluv. censeatur in Aquitania. Crescit in dies, estque emporium celebre, 7. leuc. à Montalbano distans in meridiem, & 11. ab Auscüs in ortum. Sed longè à Tolosa victus fuit Attila à Merovæo Rege Franciæ, Theodorico Gothorum Rege, & Ætio Romanorum Duce, nempe in Catalaunicis campis, & prope Catalaunum urbem Campaniæ ad Matronam fluvium, quidquid dicat Paulus Diaconus in contrarium. Ad Tolosam autem nuper à Rege Ludovico XIV. inceptum fuit incile perampium sumptu verè regio, ut mediante Atace fluvio, Fresquelo, Sora, Lerso, aliisque minoribus ex monte Nigro profluentibus, lintres ab ipsa urbe Stagnum Magalonense & Setium montem usque in ora maris Mediterranei pervenire possint, & vice versâ à Setio monte ad Tolosam, hincque per Garumnam, Burdegalam & Oceanum usque, maximo totius Occitaniæ commodo: sicque Tolosa erit utriusque maris emporium, Oceani nempe & Mediterranei. *Tolosanum* Episcopum Notitia Episcopatuum Galliæ quinto loco ponit, inter novem Episcopos Narbonensi Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes, Carcassonensi, Biterrensi, Agathensi Lutevensique, quod mirere, ei prælatis. Johannes demum XXII. Tolosam ad Metropolitanum sive Archiep. extulit fastigium, & septem novas sedes ei attribuit, Apamiensem, Mirapicensem, S. Papuli, Montis Albani, Riventem, Lumberiensem & Vaurensem: veteremque provinciæ Metropolitanum Narbonensem Carcassone, Elenâ, Biterris, Agathâ, Lutevâ, Magalonâ, Nemauso, Ucecià, antiquis sedibus ac Tomeriis S. Pontii & Electâ novis Episcopatibus suffraganibus contentum esse jussit. Vide Cæl. *lib.* 8. Strab. *lib.* 4. Plin. *lib.* 3. & 4. Melam, *lib. 2. cap* 5. Justin. *lib.* 32. Ptol. *lib. 2. cap.* 10. Ammian. Marcell. *lib.* 15. Gregor. Tur. Sidonium Apollin. &c. Bertrandum, *Gesta Tolosanorum*. Anton. Noguerium, *Histor. Tolos.* Guil. Catel. *Hist. Com. Tolos.* Morer. *Diction. Hist.* Concilium hic celebratum, An. 829. à Ludovico Pio Imp. An. 863. contra Judæos 1056. c. Simoniam &c. Purior Religio Urbi affulsit, sec. 11. quo sub patrocinio inprimis Hildefonsi V. Ægidii Comitis & Tolosanorum, Petrus Bruisius, Henricus Monachus aliique salutaris doctrinæ præcones docebant: Circa An. Ch. 1140. Unde crux in fideles sumta, & Raimundus comes, dux illorum ab hostibus graviter pressus est, Simone Monfortio Pontificiarum copiarum Antesignano, in obsidione Tolosæ, lapide occiso: sec. 13. &c. Contra hos igitur Conciliabulum ibidem celebratum, A. C. 1228. Cardin. Romano præside. Vide Morer, *Diction Hist.* Hinc *Aurum Tholosanum*, adagium est, in eum qui fatalibus malis afficitur: sive in eum, qui pœnas dat sacrilegii, ut Cæpioni Cons. Rom. contigit, cùm sacram pecuniam Tolosæ abstulisset, quemadmodum Strabo testatur. Summa auri erat 110000. pondo, (quorum quodlibet, non minus est 100. aureis nummis,) argenti verò quinquies decies centena millia, Vide Cic. 2. *de N. D.* Gellium, & Justin. Urbis hujus clarissimæ meminit Ausonius:

Non unquam altricem nostri reticebo Tolosam,
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens;
Perq; latus pulchro prælabitur amne Garumna.

Plura, V. apud Hadr. Valesium, in voce *Volcæ Tectosages*, ubi de Capitolio, Amphitheatro, Palatio, aliisque antiquitatibus Tolosanis egregiè disserit, item supra in *Tholosa*.

Loca Diœcesi Tolosanâ comprehensa.

Alta Ripa.	Mons Laureus.
Aureolus mons *Montoriol.*	Pauliacum.
Clarus Mons.	Placentia.
Judicatura Lauriacensis *la Jugerie de Lauraguez, vel Lauragois.*	Sancta Fidis *Sainte Foy.*
	Vetus Tolosa *Vieille Tolose.*
	Villa Franca.
Mons Acutus *Montagut.*	Villa Longa *Ville Longue.*
Mons Goliardus *Montgailhard.*	Villa Nova.

Vivaria.

Tolosa, vulgò *Tolosa*, urbs Hispaniæ, in Guipuscoa provincia, prope Orium fluvium, satis culta, ad radices Pyrenæorum montium, & vix 4. leucis distans ab Oceano Cantabrico in Meridiem, uti à Fano S. Sebastiani, versùs Montem S. Adriani totidem. A Gallis autem *Tolosette* dicitur, ad alterius Tolosæ Occitanicæ differentiam,

Tolpia, legio 10. Vide *Tolbiacum*.

Tolsburgum, Anton. *Tolczburg*, oppidum munitum Sueciæ, in Livonia & in provincia Viria, in ora sinus Finnici; ubi recipit *Semsckebeck* fluvium, 70. m. p. distans à Revalia in ortum, Narvam versùs 80. circiter.

Tolvera, fluv. Galliæ, in agro Encolismensi, vulgò *Touvre*, in Carantonum labitur, prope Encolismam. Huic adsita Magnaeum & Juvenacum, inter villas ad cœnobium suum pertinentes, numerat Monachus Ecolismensis S. Eparchii *in vita Caroli Magni*, apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tolumnius, augur, qui pro Turno bellavit in Æneam. Virgil. *lib.* 12.

Expediuntq; manus; primusq; Tolumnius Augur.

Item Veientum rex, qui Romanorum legatos interfici jussit an. U. C. 317.

Tolus, nomen viri, à quo monti Capitolino seu *Capitolio* nomen,

ineo

Titus Æmilius Mamercus, Consul, anno Mundi 3494.
Titus Annius Fusius, Cons. anno Mundi 3811.
Titus Annius Ruffus, cons. an. U. C. 626.
Titus Antonius Xvir, an. U. C. 304.
Titus Apronianus, cons. an. U. C. 869.
Titus Aurelius Ful. Bo. Antoninus Pius, decimus sextus Imper. Rom. erat post Adrianum anno Mundi 4101. à Christo nato 139. Barbarorum plurimæ nationes depositis armis, ad eum controversias suas litesque deferentes, sententiæ ejus paruerunt. Nullum sub eo bellum fuit, amor ac timor gentium in eo certatunt: bellum movere timebant adversus Principem, quem ut Numen aliquod venerarentur: nec ille gloriæ ita cupidus, ut per aliorum damna cædesq; eam appeteret. Nam & à conjuratis vim omnem abstinuit, & in conscios quæri vetuit, ne plures inventi odium augerent. Hic ante Imperium ditissimus opes suas stipendiis militum, & liberalitate in amicos minuit: nihilominus tamen ærarium opulentum reliquit. Sub eo statutum, ut resurrectio Dominico die celebraretur, quod postea à Romanis Pontificibus est confirmatum. Febre obiit vitæ anno 78. Imperii 22. mens. 3. An. Sal. 140. Eutr. *lib.* 7. Vide *Antoninus Pius*.
Titus Cæcilius Siculus, Trib. Mil. an. U. C. 311.
Titus Claudius Nero, cons. an. U. C. 552.
Titus Coruncanus, cons. an. U. C. 473. Item primus ex plebe Pontifex Max. post quem promiscuè ex utroque ordine Pontifices M. creari cœperunt, ad Julium Cæsarem usque.
Titus Didius Vinius, cons. an. U. C. 656.
Titus Eburius Helva, cons. an. U. C. 255.
Titus Furnius, cons. an. U. C. 737.
Titus Geganius Macerinus, cons. an. U. C. 322.
Titus Genutius Xvir, an. U. C. 303.
Titus Herminius Aquilinus, cons. an. U. C. 248.
Titus Junius, cons. an. U. C. 821.
Titus Largius, apud Rom. primus Dictator, Liv. *lib.* 2.
Titus Livius, Patavinus, Historicus. Ut Romam pervenit, Augusto Imper. innotuit, cujus ope ad Historiam suam condendam insigniter adjutus est: illi partim Romæ, partim Neapoli, quò secedere amabat, ut minus ibi impeditus esset, intentus. Imperatore mortuo, Patavium reversus, Obiit Kalend. Jan. an. 4. Imp. Tiberii, qui Ovidio quoque fatalis fuit. Historia ejus, ab U. C. *initio ducto*, finierat, in morte Drusi, in Germania defuncti, tum nondum in Decades divisa, sed in libb. 142. è quibus vix 35. neque illos continuos habemus. Primam nempe, tertiam & quartam Decadem, cum parte quintæ dimidia, quam Wormatiæ invenit Celeberr. Simon Grynæus. Dein, inter manuscripta Bibliothecæ Bambergensis, repertum est initium lib. 43. quod tamen Vossius *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 19. genuinum esse negat. Prius etiam scripserat Livius dialogos Philosophicos, ad Augustum, Seneca *epist.* 101. & præcepta Rhetoricæ insignia, ad filium, Quintil. *lib.* 10. *Inst. cap.* 1. Claudii educationi admotus, juxta alios viros eruditissimos, Suet. *in Claudio.* Ingenium habuit par Imperio, famæ tantæ, ut Gaditanus quidam in Italiam profectus sit, cum illo collocuturus. Nihilominus *Patavinitatem* ei exprobravit Asinius Pollio, & Caligula statuas ejus scriptave abolitum ivit, Sueton. *in Caligul.* Vide Plin. *lib.* 2. *epist.* 3. Jac. Phil. Thomasinum, *in vita Virg.* &c.
Titus Lucretius, cons. an. U. C. 246.
Titus Manlius Torquatus Dictator, an. U. C. 404. 407.
Titus Menenius Lanatus, cons. an U. C. 277.
Titus Minucius Augurinus, cons. an. U. C. 449.
Titus Numicius Priscus, cons. an. U. C. 281.
Titus Pinarius, mag. equitum, an. U. C. 363.
Titus Quintius, Dictator, *Præneste victum pratulit*, Liv. 1. *dec. lib.* 6. De eodem Fest. Pomponius *lib.* 18. *Trientem tertium pondo coronam auream dedisse Jovi donum scripsit T. Quintius Dictator, cum per novem dies totidem urbes, & decimam Præneste cepisset.* Quid sibi velit id donum, explicat, ibidem loci Cincius *Mystagogic. libro secundo.*
Titus Quintius Barbatus Interrex, an. U. C. 311.
Titus Quintius Barbatus, cons. an. U. C. 312.
Titus Quintius Capitolinus, Trib. Mil. an. U. C. 351.
Titus Quintius Cincinnatus Pœnus, cons. an. U. C. 328. Item Trib. plebis, an. U. C. 310.
Titus Quintius Crispinus, cons. an. U. C. 546.
Titus Quintius Flaminius, cons. an. U. C. 556.
Titus Quintius Flaminius Apellas, cons. an. U. C. 631.
Titus Romuleius Xvir, an. U. C. 303.
Titus Saturninus, cons. an. U. C. 950.
Titus Sempronius Gracchus, cons. an. U. C. 577.
Titus Sempronius Longus, cons. an. U. C. 536.
Titus Servius Fidenas, Trib. Mil. an. U. C. 332.
Titus Statilius Taurus, cons. an. U. C. 728.
Titus Valerius, cons. an. U. C. 424.
Titus Virginius Tricostus, cons. an. U. C. 258.
Titus Virginius Cælimontanus, cons. an. 307.
Titus Veturius Calvinus, cons. an. U. C. 433.
Titus Veturius Xvir, an. U. C. 303.
Titus Veturius Geminus, cons. an. U. C. 260.

Titus Vinidius Quadratus, Syriæ præses, An. Dom. 52.
Tityrus. Hic nomen peperit fistulæ cantus, cui vacabat. Aristophan. enim καλαμίνην σύριγγα dixit, quam Dorienses Τιτύρινον vocant. Athenæus *libr.* 4. ὁ δὲ καλάμινος αὐλὸς τιτύρινος καλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσι. Grammatici veteres notant hircum appellari *Tityrum* Afrorum linguâ, eandemque ἐπωνυμίαν sortitum eorum custodem. At Servius asserit arietem majorem *Tityrum* dici linguâ Laconum. Fungerus. Item mons Cretæ, Strab.
Tityus, Jovis filius ex Elara Orchomeni filiâ, quam cùm Jupiter compressisset, gravidamque reddidisset, veritus Junonis indignationem, inter terræ viscera eam occultavit; instante verò legitimo partus tempore, Elara miræ magnitudinis puerum enixa est, qui quòd dehiscente terrâ luci redditus esset, Terræ filius creditus est. Hic cùm postea adultus, Junonis instinctu Latonam de stupro interpellasset, vimque illi inferre conatus esset, Jovis fulmine ictus, aut (ut alii malunt) Apollinis telis confixus est, & ad inferos detrusus, ubi humi exporrectus 9. terræ jugera dicitur occupare, jecurque perpetuò cum Lunâ renascens vulturi, aut, ut Hygino placet, serpenti exedendum præbere. Hom. *Odyss.* Λ.

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν
Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.
Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον, &c.

Virgilius, *Æneid.* 6.

Nec non Tityon terra omnipotentis alumnum
Cernere erat; per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur; rostroq; immanis vultur adunco
Immortale jecur tondens, fœcundaq; pœnis
Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.

Ovidius *Metam.* 4.

Viscera præbebat Tityus lanianda, novemq;
Jugeribus distractus erat.

Idem *Pont.* 1. 2.

Sic inconsumptum Tityi semperq; renascens
Non perit, ut possit sæpe perire jecur.

Idem *in Ibin:*

Jugeribusq; novem qui summus distat ab imo,
Visceraq; assiduè debita præbet avi.

Bene *prabet.* Ita quoque Seneca:

Prabet volucri Tityus æternas dapes.

Idem *in Thyeste:*

Aut pœna Tityi semper accrescens jecur
Visceribus atras pascit effossis aves.

Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 3.

Porrectusq; novem Tityus per jugera terræ
Assiduas atro pectore pascit aves.

Claudianus *in Gigantom.*

Quid dicam Tityum, cujus sub vulnere sævæ
Viscera nascuntur gravibus certantia pœnis.

Horatius *Carm. lib.* 3.

Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales. ——

Idem alibi *de Plutone:*

—— *Qui ter amplum*
Geryonem Tityonq; tristi
Compescit undâ. ——

Statius *Theb.* 1.

Terrigenam Tityum Stygiis extendit arenis.

Qu. Calaber *lib.* 3.

Οἷος ὑπερφίαλος Τιτυὸς πέσεν ὁππότε Λητὼ
Ἐρχομένην Πυθῶδε βιάζετο καί ἑ χολωθεὶς
Ἀκάματόν περ ἐόντα θοῶς ὑπεδάμνατ' Ἀπόλλων
Λαιψηροῖς βελέεσσιν, ὁ δ' ἀργαλέῃ ἐνὶ λύθρῳ
Πουλυπέλεθρος ἔκειτο κατὰ χθονὸς εὐρυπέδοιο,
Μητρὸς ἑῆς, ἡ δ' υἷα περιστενάχησε πεσόντα
Ἀχθομένη μακάρεσσι, γέλασσε δὲ πότνια Λητώ.

Ait Tityum Apollinis telis confixum. Ita ante eum Apollonius:

Ἐν καὶ Ἀπόλλων Φοῖβος ὀϊστεύων ἐτέτυκτο
Βούπαις, οὔπω πολλὸς ἑὴν ἐρύοντα καλύπτρης
Μητέρα θαρσαλέως Τιτυὸν μέγαν, ὅν ῥ' ἔτεκέν γε
Δῖ' Ἐλάρη, θρέψεν δὲ καὶ ἂψ ἐλοχεύσατο Γαῖα.

Callimachus verò *in lavacrum Dianæ*, non ab Apolline sed à Dianâ confossum Tityum fuisse ostendit, cùm ait:

Ἄγρεαι παρθένιν Τιτυοκτόνε. ——

At Pausanias *in Laconicis* scriptum reliquit, in quodam templo positas fuisse Apollinis & Dianæ imagines, à quibus utrisque Tityus sagittis conficeretur. Ejus quoque mem. Apollon. *lib.* 1.

Βόθυνε Τιτυοῖο μεγασθενέος τίνε χεῖρα.

Strabo *lib.* 9. hanc fabulam ad historiam transtulit, dicitque quo tempore Apollo dictus est è cœlo in terras advenisse, ac homines mansuefecisse, qui prius arborum sylvestrium fructibus tantùm vescebantur, Tityum tyrannum Panopeæ crudelissimum, hominem fuisse violentum, atque prorsus flagitiosum, quem Apollo sagittis confecit. Lucretius verò *lib.* 3. ad rei Venereæ cupiditatem, animique sollicitudines hanc fabulam retorsit; cùm dicit fieri non posse omnino multa, quæ traduntur de inferis, neque

in eo enim cùm fundamenta ponerentur ædis Jovis, caput *Toli* repertum, augurio fuit, Romam imperatricem fore. Structum est Capitolium quadrato saxo; Inchoavit illud Tarquinius Priscus, absolvit Superbus, dedicavit Horatius Pulvillus. Motis inter Syllam & Marium armis civilibus incensum est, Scipione & Norbano Coss. ao. à dedicatione 424. postea à Q. Catulo reparatum rursusque dedicatum, Plin. *lib.* 19. *cap.* 11. Suet. *Cæsare cap.* 15. Sed interjectis annis 136. à Vitellianis denuo incensum, Dio *lib.* 65. iterumque à Vespasiano reparatum est, Suetonius *in eo cap.* 8. Ausonius *in Urbibus de Narbona,*

Tanta molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius Catulusq; iterum postremus, & ille
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar.

Hic solenne juramentum concipiebatur, Plin. *lib.* 2. *cap.* 7. præsertim, cùm in acta Principum cives adigerentur Kal. Jan. Solennia item hic vota fiebant, Tertullian. *lib. de cor.* Tactum fulmine Capitolium inter prodigia recensebatur, Cic. *de Divin. lib.* 1. Triumphantes curru illud conscendentes, peracto triumpho, convivium in Jovis templo instaurarunt: quod tamen alii in Capitoli porticibus factum esse contendunt. Coli hic solita sunt omnium Deorum Dearumque simulachra, Liv. *Dec.* 1. *lib.* 6. *&c.* Ad ejus imitationem, in aliis quoque urbibus, Corinthi, Antiochiæ, Tolosæ, Narbone &c. Capitolia à Romanis colonis extrui cœperunt, V. in voce *Colonia*, & plura de Capitolio, apud Thomam Dempsterum *Antiq. Rom.*

Tomadæorum, insulæ 2. Arabici sinûs. Ptol. 4. 8. *Soridan* Ort.

Tomaa, apud Strabonem, Lazio *Tomisvvar* vel *Temesvvar*, opp. seu pag. Mysiæ infer. in ora maris Euxini, apud Tomos, inde 350. stad. Strab. Aliis *Tomi* ipsi.

Tomæum, seu *us*, mons Peloponnesi, juxta Coryphasium prom. Thucyd. Steph.

Tomarium, vulgò *Tomar*, opp. Extremaduræ, in Portugallia, ad amnem *Couros*, 7. leuc. Lusit. à Leiria in Ort. 3. à Tago.

Tomarus, (vide *Tmarus*) Strab. & Steph. mons Thesprotiorum, Dodoneo oraculo imminens. Orpheus *in Argonauticis*, ubi de Argo:

Ἀἰ τετ' ἐπεφθέγξατο Τομαρίας ἔκλαγε φηγὸς.

Dicitur per concisionem *Tmarus*. Unde Virg. *Ecl.* 8.

Aut Tmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

Tombutum, Gallis *Royaume de Tombut*, Regnum Nigritarum, Gualatæ regno præferendum, magnitudine, populositate, fertilitate, frumenti, pecorum, lactis, butyri, ac salis inops: inter regna Agadum ad Ort. Mandingam ad Mer. Geneboam ac Gualatam ad Occ. & desertum Zanhagam ad Bor. Metrop. regni quoq; *Tombutum* dicta ad Senegam fl. tuguriolis cretaceis, cramineisq; tectis constat, exceptis templo quodam, regioque palatio, lapideis muris, calceque vivâ extructis. Natal. Metel. Est hæc urbs in limite regni Gambeæ, 130. m. p. supra Geneboam. Baudr.

Tomeria, seu *Pontiopolis*, urbec. parum culta Occitaniæ, 8. leuc. à Narbone in Bor. totidem à Biterris in Circ. Vulgò S. *Pons* seu *S. Pons de Tomieres*. Episc. est sub Metr. Narbonensi, in id fastigium evecta, à Johanne XXIII. An. Ch. 1318 cùm antea Abbatia Benedictinorum esset, fundata à Raimundo III. Com. Tolosano cognom. Pontio, Ann. Ch. 936. cujus prima uxor Garsinda, altera Bertha fuit, neptis Hugonis Italiæ R. & Arelati Com. vidua Bonofii March. Tusciæ: Ex qua genuit Pontium II. patrem Guilielmi IV. avum Pontii III. qui obiit Ann. Ch. 1061. ex Almodia pater Guilielmi V. & Raimundi Ægidii, Catel. *Hist. Tolos.* Monachi religiosis soluti sunt legibus An. Ch. 1625. oppidumque Episcopum Dominum agnoscit, Duchen. *antiq. de villes.*

Tomeus, urbs juxta Odessum. Steph.

Tomis, vide *Tomos.*

Tomissa, regiuncula, distinguens Cappadociam à Tauro. Steph. *Tomisa* Straboni.

Tomos, Ælian. & Strab. *Tomi* Ptol. *Tomis* Marcellino, *Tomisvvar* Cælio Calcagnino, *Kivvv* Ciofano; sic *ab incisione* Absyrti fratris Medeæ ibi secti dicta, urbs Mysiæ infer. in orâ maris Euxini, ubi Ovidius exulavit. Ovid. *Trist.* 3. *elegiâ* 9. cui Titulus, *Unde Tomos dicta?*

Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Cic. *in orat. pro lege Manilia: Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis quà se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa, mærorq; patrius celeritatem persequendi retardaret.* Statius *in Sylvis,*

——— *Nec tristis in ipsis*
Naso Tomis. ——— ———

Nunc *Babba* Turcis; etiamnum munita, cum portu percapaci in Bulgaria regione. Hic lacus hodieque *Ouvidoune Jezeoro.* Pop. *Tomitæ.* Ovid. *Pont.* 1. 5.

Non vacat in quâ sint positi regione Tomitæ
Quærere. ———

Hinc *Tomitanus.* Idem *Pont.* 1. 3.

Naso Tomitanæ jam non novus incola terræ.

Tomyris, vide *Thomyris.*

Tonatiacum, locus Galliæ Celt. Fortunatus.

Tonans, Jovis epitheton, à *tonando.* Hunc Octavius Augustus consecravit, ædemque ei in Capitolio extruxit, liberatus periculo, cum in expeditione Cantabrica, per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset. Quæ in dedicatione ejus memorabilia contigerint; refert Dionys. Ab Auguribus quoque jam antè Jupiter *Tonans* & Fulgens appellatus est, quia tonitrua & fulgura ei tributa. Hinc in vett. nummis simulachrum ejus fulmen trisulcum manibus tenet. V. Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom. lib.* 2. *cap.* 5.

Tondoxima, parva Ins. in ora Bor. Niphoniæ, Brietio; contrà Devam prov.

Tongri, vide *Tungri.*

Tonice, Ptol. *Zazella* nunc, teste Stuchio, urbs & emporium Æthiopiæ sub Ægypto ad sinum Barbaricum, inter Serapionis portum & promont. ad Bor. & Rapiam metrop. ad merid. Aliis est *Mombaza*, urbs regia & ampla in eadem regione.

Tonnium, vulgò *Tonneins*, opp. prov. Aginnensis, ad Garumnam, 5. leuc. infra Aginnum in Circ. 8. à Vasate in Ort. 1. leuc. infra confluentes Oldis fl. in Garumnam.

Tonninga, vulgò *Tonningen*, urbs Duc. Slesvicensis, ad Eyderam fl. in tractu Eydera, in limite Ditmarsiæ, vix 2. m. Germ. infra Fridericostadium in Occ. uti 6. à Slesvico, 3. ab ora maris Germ. Hujus arx munitissima, Daniæ Regis jussu, disjecta & diruta est, Ann. Chr. 1675.

Topazus, ins. in mari Rubro Plin. 6. 29. in quâ reperitur lapis *Topazius* mirè pellucidus, splendoreque aureo refulgens, ut interdiu non videri possit. Gentile *Topazius.* Steph.

Topiris, seu *Toprus*, Ptol. *Topirium* Anton. *Doperus* Thucyd. *Toprus* seu *Toparum* Procop. *Rusio* nunc, teste Jo. Lydo, urbs Thraciæ à Philippis 38. m. p. in ort. ab Hadrianopoli 132. Hodie *Pusio*, Sophiano. In limite Macedoniæ, vix 10. m. p. ab ora maris Ægæi in Bor. Philippopolim versus 55. & 30. à Maximianopoli in Occ. fere autem 70. ab Hadrianopoli. Baudrandus.

Toranius, mango quidam, de quo Plin. 7. 12.

Torantolienfis Comit. vulgò *Comté de Thurthur*, prov. Hungariæ, inter Transylv. ad Ort. Tibiscum fluv. & Zolnocensem Comit. ad Occ. Zabolciensem ad Bor. & Orodiensem ad Mer. Sub Turcis.

Torcellum, vulgò *Torcello*, urbs Episc. Duc. Veneti, in Ins. litrorea, sub Patriarcha Veneto. Parva admodum, & colonis infrequens, ob aeris gravitatem; intra Gallicas paludes, 5. mill. à Venetiis in Bor. veteri Altino finitima, unde Ann. Ch. 635. sedes Episc. Torcellum translata est.

Toreta, pop. Pontici. Steph. Vide *Oreta.*

Torgavium, vulgò *Torgavv*, urbs Duc. Saxoniæ, ad Albim, 7. leuc. infra Misnam in Bor. Vittebergam versus 5. & 6. à Lipsia in Cæc. Hic, à Flaccianis, formula Concordiæ conscripta, & ad eam approbandam omnes Theologi, ab Augusto El. adacti sunt, reliquis in carcerem primò conjectis, dein extra fines dimissis, An. Ch. 1576. Synodo postmodum denuo hic convocatâ, Melanchthonis scripta condemnata sunt. Cui cùm rursus reclamatum esset, tandem moderamine adhibito, An. Ch. 1577. in Bergensi Mon. formula Concordiæ promulgata est, Vid. Hospin. *in lib. Conc. c.* 3. *l.* 7. 9. 25. 26. *&c.* Expugnata est à Suecis An. C. 1634. Cerevisiâ suâ clara.

Toringi, Vide *Thuringi.*

Torini, pop. Scythiæ Jaxamatis proximi, ubi perfecti mellis copia. Val. Flac. *lib.* 6.

Mellis honos Torinis, ditant sua mulctra Satharchen.

Toriniacum, vulgò *Torigny*, opp. Normanniæ, in tractu Bajocensi, 6. leuc. infra Viram in Bor. 8. à Constantia in Ort.

Torinna, vulgò *Turenne*, castrum Galliæ in Aquitania vetustissimum, cum tit. Vicecomitatus, captum à Pippino R. Ann. Ch. 767. Continet hic Vicecomitatus partem pagi Lemovicini, Cadurcini & Petrocorici. atque à Sarlato Petrocoriorum urbe usque ad Novum Vicum *Neuvic* leuc. Franc. amplius 30. in longitudinem patet; à Tutela Lemovicum usque ad Novum Vicum in latitud. 12. Irrigatur Duranio, & Vilerâ, fluviis navigabilibus: minoribus amnibus Curretiâ *la Coureze*, Bavâ, Louissâ, Dostrâ *Doustre*, Serâ atque Tormento. Nomen *Torinnæ* illustrarunt præt. præsentique seculo Henrici duo Vicecomites pater & filius, quorum is, Reformatorum egregius vindex, Dux Bullionæus postea evasit: V. Thuanum *Histor.* hic religionis cum lacte haustæ, usque in provectam ætatem, tenax, tandem Latinos ritus amplexus, post plurimas res egregiè gestas, in prælio contra Germanos, infra Argentoratum, tormentario globo ictus occubuit, An. Ch. 1675. Massonus *Torinnam*, opulentum esse in Lemovicibus castrum, cui Ecclesiæ vicanæ subsint amplius ducentæ, totumq; hunc Vicecomitatum, in gratiam Clementis VI. à Philippo VI. Galliæ R. tributorum ac vectigalium, omniumque rerum immunitate, ac magnis privilegiis donatum esse, circa Ann. Ch. 1344. scribit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Torna, vulgò *Torne*, urbs Lappiæ Suecicæ, in ultimo recessu Sinus Bothnici in Bor. cum portu celebri & satis capaci. Hinc pars adjacens Lappiæ, *Torne Lapmarch.*

Tornacum, olim Nerviorum in Gall. Belg. civitas. Hodie *Tournay* Gall. *Dornik* Germ. Petrus Apianus dicit, *Bagadum* esse Ptolemæi. Baudrando aliàs caput Pleumosiorum in Morinis, bodie in Flandria Gallic. & ipso limite Hannoniæ Episc. sub Archiepisc. Camerac. Olim sub Gallis, sed An. 1521. à Carolo V. occupata, cum Flandria, & Artesia, cessit Hispan. victo captoque Francisco I. An. Ch. 1525. Verùm Ann. 1667. recepta Gallis remansit, pace Aquisgran. Permunita & opulenta est, cum arce valida recèns extructa. Hinc Tornacensis ager, *le Tournaisis*, inter Hannoniam ad Ort. & Insulanam Castellaniam ad Occid. Primùm *Hostilia*, quippe à Tullo Hostilio condita, dein *Nervia* hæc urbs dicta est, postremò *Tornacum* à Torno Trojano. Pop. *Nervii* Cæs. *Tornacenses* Plin. In pugna contra Cæsarem, 60000. ex suis amiserunt, Cæsar. Sita est ad Scaldim, inter Duacum & Aldenardum in Cæc. 8. ab Insula 5. Ferrar. Vide Joh. Cousin, *Histor. de Tourn.* Morer. *Diction. Hist. &c.*

Torneamenta, ludi Equestres. Vox German. *Turnier*: Ital. *Torneamento*, vel *Torniamento*, fortassis à *Tornare*, venit, quod illis, inter alia, est redire; Gall. *le Tournoy*, id est, decursorium, à verbo *tournoyer*, quod iisdem est circumire, huc & illuc vagari. Isti enim qui hoc modo decertant, eunt, redeunt, & ad omnes arenæ angulos deflectunt. Ab Henrico Aucupe primùm, post Obotritos debellatos, in Germaniam introducti, certisque legibus confirmati sunt, ut Nobilitas Germanica condignis jamdudum exercitiis exculta, & his quoque ad bella aptior redderetur. Fecit autem id Imp. in consilium adhibitis quatuor Principibus Imperii primariis, Conrado Com. Palatino ad Rhenum, Hermanno Sueviæ, Bernhardo Bavariæ, & Conrado Franconiæ Ducibus: quorum singuli ad *Torneamentorum* constitutiones tres viros delegerunt, experientiâ rerum & auctoritate præstantes, quibus ab Imper. itidem tribus additis, à XV. viris his summa rei ac instituti suscepta est, de quo vide apud Goldast. *tom. 1. Constitut. Imp. pag. 212. & in Rational. ad lib. der Reichsatz pag.* 505. Compertr jus indicendi *Torneamenta* Imperatori primum; hinc primum ab Henrico Aucupe, secundum à Conrado II. septimum ab Henrico III. duodecimum ab Henrico VI. Impp. indicta legimus. Dein Principibus Imperii, quibus id privilegii, ab Imperatore, indultum est. Sunt autem familiæ quatuor præfatorum Principum, qui id juris sibi vindicant, unde *die Obere Turniervögt* dicti: Saxones tamen *Torneamenta* quoque indixisse, exemplo Ridackeri Marchionis Misniæ, Ludolphi Marchionis Saxoniæ & Brunsvic. &c. ostendit Limnæus, sed an suo hoc fecerint jure, secum quærit. Locus tempusque his ludis vel à Præsidibus eorum, vel à quatuor prædictis Principibus, vel etiam à quatuor illustrioribus fœminis, assignari solitum est. Decertandi jus habuerunt Imperator, Principes, Marchiones, Comites, Nobiles, & Patricii, qui à summo Principe Nobilitatis insignia tenuerunt, hodiè *die Adeliche Geschlechter*. Illis præerant Reges, seu Præsides *Torneamentorum*, German. *die undere Thurniervögte, oder Turnierkonige*, quorum quatuor erant, pro numero quatuor Circulorum, de quibus retro. Horum officium, ut & alia huc pertinentia, Vide apud Limnæum Enucl. *lib. 3. cap.* 31. Vilcherum *tr. de Duello* Draconem *de Patrit. fol.* 77. Besold. *in Thes. pract. voc. Turnier*, Charisium Protosynd. Stralsund. *Disp. de Torneamentis, &c.* Damnatus illorum usus Concil. Lateranensi, sub Alexandro III P. An. Ch. 1379. ni potius temerarios militum congressus à Patribus Concilii coërcitos dicas: hodie sanè in Imperio exiguus est; alio ludorum Equestrium genere, quod *Ring* & *Kopffrennen* vocant, in aulis Principum fervente: In usum tamen *Torneamenta*, justo moderamine revocanda, suadere videntur allatæ rationes à Munstero *lib. 3. cap.* 454. Cuspiniano, *in vita Henr. Aucupis*, Joh. à Schallenberg apud Goldastum, &c. *Fortunium* Torneamentum quoque dici monet Matth. Paris *in Ann.* 1241. *pag.* 546.

Torneamenta in Germania celebrata XXXVI.

I. Magdeburgi, An. 935.	XIX. Bambergæ, An. 1362.
II. Rotenburgi, An. 942.	XX. Eslingæ, An. 1374.
III. Constantiæ, An 948.	XXI. Scaphusii, An. 1392.
IV. Martisburgi, An. 969.	XXII. Ratisbonæ, An. 1396.
V. Brunsvigæ, An. 996.	XXIII. Darmstadii, An. 1403.
VI. Treveri, An. 10.9.	XXIV. Heilbronnæ, An. 1408.
VII. Halæ Sax. An. 1042.	XXV. Ratisbonæ, An. 1412.
VIII. Augustæ, 1080.	XXVI. Stutgardiæ, An. 1436.
IX. Göttingæ, An. 1119.	XXVII. Landeshuti, An. 1439.
X. Tiguri; An. 1165.	XXVIII. Herbipoli. An. 1479.
XI. Coloniæ, An. 1179.	XXIX. Moguntiæ, An. 1480.
XII. Noribergæ, An. 1198.	XXX. Heidelbergæ, An. 1481.
XIII Wormatiæ, An. C. 1209.	XXXI Stutgardiæ, An. 1484.
XIV. Herbipoli, An. C. 1235.	XXXII. Ingolstadii, eod. anno.
XV. Ratisbonæ. An. 1284.	XXXIII. Onolsbaci, An. 1485.
XVI. Suinforti, An. 1296.	XXXIV. Bambergæ, An. 1486.
XVII. Ravenspurgi, An. 1311.	XXXV. Ratisbonæ, An. 1487.
XVIII. Ingelhemii, An. 1337.	XXXVI. Wormatiæ, eod. ann.

Ita Ruexnerus habet. Joh. Gulerus verò *in descr. hist. Rhæt. lib* 8. omissa quædam contendit. Præterea ex Andr. Ratispon. *Chron. Bavarico*, meminit Freherus *ad Petr. de Andlo pag.* 183. Torneamenti celebrati Noribergæ, An 1433. &c.

Tornensis Comit. *le Comté de Torna*, & *Tornavu*, pars Hungariæ sup. inter Comitat. Gewinariensem ad Bor. Albanvivariensem ad Ort. Barzodiensem ad Merid. & Bistriciensem ad Occ. sub Austriacis. Ejus caput est Torna, Hungar. *Tornavu*, German. *Dorn*, 4. mill. Germ. à Cassovia in Occ.

Torniellus A. Novariensis, autor Annalium sacrorum, à Mundo condito usque ad sec. præt.

Tornitius, in Bithynia, à Constantino Monomacho coërcitus, An. Chr. 1046.

Tornodurum, vide *Ternodurum*.

Tornomagum, vulgò *Tournon*, vide *Turnonium*.

Tornus, fluv. Lappiæ, vulgò *Torne*. Exit è lacu Torno, *Torne Træsk*, versus confinia Norvegiæ; dein per Lappiam Tornensem fluens, prope Tornam Urb. in Sinum Bothnicum se exonerat.

Toronaicus sinus, Ptolem. *Golfo di Rampo* Nardo, *Golfo di Ajomana* Castaldo, sinus Macedon. inter Singiticum & Thermaicum. Baudrando pars est Maris Ægæi, vulgò *Golfo di Ajomana*.

Torone, opp. geminum: unum Epiri in orâ litoreâ, inter Sybotam, & ostia Acherontis fluv. *Parga* Nigro. Alterum Macedon. ad sinum Toronaicum, ubi tantus maris fragor, ut inde proverb. ortum sit, *surdior Toronao portu*, inter Derrim & Cassandriam; à *Torone* Neptuni filiâ, teste Stephan. sic dictum. *Longo* Sophiano, *Raimero* Nigro. Vide Stephan. Illa in Thesprotia Baudrando, ad ostia fluv. Thyanidis, inter ipsum & Sybotam, 15. mill. ab ostio Acherontis fluv. in Occid. Quibusdam hodie est *Parga*, oppidul. cum arce munita, sub Venetis, in ora provinc. *Larta*. Hæc in Paraxia tractu, in ora Bor. Sinus Toronaici. Vulgò *Castel Rampo*, 20. m. p. à Derri in Occ. paulo plus à Cassandria in Bor. 80. à Thessalonica in Eurum.

Torpatum, vulgò *Derpt*, Urbs Oldenpoæ provin. in Livonia, ad fluv. Becum *Embek*, cum arce permunita in colle, Episcop. erat sub Archiepisc. Rigensi, 12. leuc. à sinu Finnico in Mer. totidem à Felino in Ort. versus lacum Peibum. Capta est à Suecis An. 1625. duce Jacobo de la Gardie, & An. 1632. ibi Academia à Gustavo Adolpho erecta. Media inter *Peibus* & *Werczer* lacus.

Torpidi, populi Thraciæ, in confin. Macedoniæ, circa Philippos, Appian.

Torquata, è Junia familia, C. Silani filia, Vestalis sacerdos annis 64. Ejus meminit Tac. 3. 69.

Torquatus, cognomen Titi Manlii, à *torque* impositum, quem occiso ad Anienem Gallo detraxit. Hic est ille Torquatus Manlius, qui, cùm filius adversus hostem, à quo vocatus fuerat, pugnasset, eoque occiso, equestria spolia victor ad patrem retulisset, subitò eum, quòd adversus edictum suum, & rei militaris disciplinam fecisset, virgis cæsum securi jussit percuti.

Torquatus Asprenas, cons. an. U. C. 880. Livius.

Torquatus, prænomine *Lucius*, Orico jussu Pompeji præfuit; sed, inel nantibus ad Cæsarem oppidanis, vix evasit. Hic est L. Manlius Torquatus, contra quem P. Cornelium Sullam Cicero defendit. Periit postea in Africa, ut testatur de bello Africano scriptor. Forte designatur is *L. Torquatus*, qui Triumvir monetæ cudendæ, torque & aliis ejus familiæ monumentis argenteos denarios cum inscriptione *L. Torquat. ex. S. C.* signavit.

Torquatus Silanus C. Lecanio, M. Licinio Coss. mori adactus est à Nerone, quia, super Juniæ familiæ claritudinem, Divum Augustum atavum ferebat. Jussi id accusatores objicere, prodigum largitionibus neque aliam spem quàm in novis rebus esse, quin eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet, nomina summæ curæ & meditamenta. Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. Et cùm damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit. Tac. *lib. 5. cap.* 35.

Torquatus Tassus, Poëta Italus celebris, Neapolitanus. Jam in pueritia, egregio carmine edito, futuræ eruditioni & gloriæ prælusit. Nuntium Papæ in Galliam sequutus, Carolo IX. innotuit: Dein Ferrariam vocatus, ibi *Hierosolymam liberatam* edidit. Primus pastores in scenam introduxit, in *Amynta*, omnium Comœdiarum Pastoralium principe. Litem cum Academia Florentina *de Crusca*, quæ Hierosolymam ejus sub censuram vocavit, nactus: Ferrariæ quoque negotio adhuc difficiliori implicitus est, à quo tempore omnia ejus retro sublapsa sunt. Ticinum inde se recepit, hinc Neapolim profectus, tandem, invitante Card. Aldobrandino, nepote Clementis VIII. Romam pervenit. Obiit, An. 1595. ætat. 51. cùm jamjam lauru cingendus esset. Jac. Phil. Thomasinus, *in Elog. Illustr. Patav.* Laur. Crassus. *Elog. Vir. literat.*

Torrens, fluvius terræ Philistiim, in tribu Dan, ortus è Judææ montanis, fluit per vallem Therebinthi, & alluens Modin, apud Sechrona effunditur. Est autem inter Azotum & Joppen.

Torrhebus, urbs Lydiæ, à *Torrhebo* Atyis filio. Vide Steph.

Torsa, vulgò *Torsas*, urbs Smalandiæ, quæ Sueciæ provincia est, in limite Blekingæ 5. leuc. Suec. à Christianopoli in Occid. 3. ab ora maris Baltici, prope Bromsbroam.

Torsilia, vulgò *Torsil*, urbs Sudermanniæ, in ipso limite Westmanniæ, 3. leuc. Suec. ab Arboga in Ort. Holmiam versus 12. prope lacum Melerum.

Torta Fagus, à fago aliquo procera nomen accepit: vulgò *Torfou*, vel *Tourfou*, vicus agri Parisini, proximus Castris, sub monte Letherici. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Torta-

Tortarius, Monachus Floriacensis, scripsit vitam S. Mauri versibus hexametris, cujus partem Johannes du Bois edidit. Carolus Saussæus, *in Annal. Aurel. lib.* 4. *cap.* 130. Barthius, *Adversar. lib.* 52. *cap.* 6. Vossius, *de Hist. Lat.*

Tortomion, urbs inter Syriam & Armeniam, Steph.

Tortona, Siciliæ urbs, Stephan.

Tortor, Apollinis epitheton, cujus simulachrum Romæ fuit. De hoc Suetonius scribit, Apollinem hoc nomine in quadam parte urbis cultum esse. Antonius Sabellicus Apollinem *Tortorem* dictum esse vult, à vico, in quo venalia tortorum flagella pependerunt, vel quem tortores incoluerunt, Vide Lævinum Torrentium, Thom. Dempsterum, *Antiq. Rom. &c.*

Tortosa, hodie dicitur, quæ olim *Antarados*. Hinc Templarii Eq. captivi abducti sunt in Ægyptum à Sultano, An. Chr. 1304.

Tortyra, oppidum Asiæ, una ex septem urbibus à Cyro datis Pytharcho, Athen.

Torunnum, vulgò *Thorn*, urbs Hanzeatica Prussiæ reg. ad Vistulam, cum ponte. In tractu Culmigeria, in ipso limite Cujaviæ provinc. 4. m. Germ. à Culma in Mer. uci 12, à Mariæburgo, & 15. à Gedano, Lanciciam versus 13. Situ & arce permunita, in Veterem Novamque distribuitur, Probè culta. Sub Polonis ab An. 1454. quo ab Ordine Teutonico defecit. Patria fuit Nicolai Copernici Astrologis; obiit Ann. 1501. Johannes Albertus Poloniæ Rex. Longâ obsidione suâ celebris. Vide urbs quoq; *Thorunum*.

Torus, mons Siciliæ, in ora Austr. inter Agrigentum & Heracleam, Polyb.

Tosa, vulgò *Tosa*, opp. Japoniæ, cum tractu cognom. in parte Austr. Xicocæ Insl. Brietio.

Tosa, flum. Helvetiæ, ad opp. *Eglisavv*, dit. Tigurinæ, irrigat & Oscelam vallem; ex summis Alpibus, ut Ticinus, oritur: Baudr. Plantino ortum in Glaronensium finibus, in monte *Huruls*, Comit. Kyburgicum præfluit, rivum dein *Eulach*, Vitodurum alluens recipit, tandemque inter Rynbergam & Eglisoviam, Rheno miscetur, *Helv. Antiq. & Nov.* Germ. *Toss*.

Tossanus Daniel, magni nominis Theologus, patriâ Mompelgardensis, docuit Heidelbergæ. Obiit An. Chr. 1602. æt. 61. Scripsit *Dictionarium in Psalmos*, *Prælectiones in Psal.* 2. *In Jerem. & Threnos paraphrasin. In Nov. Test.* 2. *Volum. quart. &c.* Vide Melch. Adami *in vitis Theolog.*

Tossanus Paulus, Theologus itidem Palatinus, scripsit *in S. Biblia Indicem locupletissimum & notas*: Interfuit Synodo Dordracenæ, Obiit An. Chr. 1618.

Tostatus Alphonsus, Hispanus, Avilæ Episcopus: de quo dictum,

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Coram Eugenio IV. Senæ theses tuitus, earum quasdam, à Pontifice improbatas, postea edito scripto defendit. Cum Johanne Capreolo, interfuit Concilio Basiliensi. Obiit An. 1454. ætat. 40. Opera ejus Volum. 27. Venetiis edita. Ann. 1596. Mariana *lib.* 4. *Hist. Hisp.* Alphonsus Garcias, Possevinus, &c.

Totilas, Gothorum rex, in Italia, post Evaricum, Ann. 541. res suorum lapsas prudentiâ, rerum usu, fortitudine inclytus, restituit: ad Placentiam Romanos vicit, fugavit cæciditque, & omnia Imperialia oppida cepit, an. U. C. 1297. totâ inferiore Italiâ, Corsicâ, Sardiniâ & Siciliâ potitus. Paulo pòst quoq; Romam cepit, eamq; militibus diripiendam tradidit, eò incitarum redactis incolis, ut nobilissimæ matronæ, inter quas Boëtii vidua, panem mendicato quærere coactæ fuerint. Imo solo æquaturus urbem erat, ni literis Belisarii fuisset inhibitus: qui, Totilâ absente, Romam convolavit, reparatisque celeriter murorum lacunis, eum mox obsidionem parantem fortiter depulit. Tandem à Narsete, in Italiam misso, victus occilusque est, An. 552. Procop. *de bello Goth.* Jorn. *in Chron.* Marius Victor, Agathias, P. Diaconus, &c.

Totonesium, litus & oppidum Britanniæ in Comit. Devoniæ. *Totnesse* Camdeno.

Tottajucim, urbs Bithyniæ inter Nicæam 34. & Dablim in Ort. 28. mill. pass. Anton.

Touzeni, mel. *Tugeni*, populi Helvetiorum, quibuscum Marius Rom. bellum gessit, Strabo. Horum tractus *Tugenus pagus*, fuit, ubi hodie pagi Tugiensis, Snitiensis, Glaronensis & Uriensis. Hinc & hodie pagus Tugiensis, cujus caput *Tuggium*, seu *Tougium* vulgò *Zug*, unus ex 13. Helveticis conventibus ad lacum Tugient. à Lucerna in Cæc. 12. & Tiguro ad Merid. 18. mill. pass. Vide *Tugium*.

Tououpinambausi, vulgò *Toupinamboux*, populi Brasiliæ, prope Præfecturam fluv. Januarii, versus oram littoralem. Dicuntur & *Tupinimba*.

Toxandri, pop. Belgii, quorum reg. *Toxandria* Marcellino, cum *Toxandro* oppid. cognom. in Brabantiâ. Cluverio incolebant eas Insulas, quæ nunc Zelandiam efficiunt, inter ostia Mosæ & Scaldis. Vide *Zelandia*. Baudrand. Horum omnium primus meminit Plinius secundus, *lib.* 4. *cap.* 17. Valesio *Toxandria* ad tertium lapidem, ab opp. Tungrorum Trajecto incipiens, ad Mosæ Vahalisque confluentes expandebatur, regio magna ex parte vastis paludibus invia, ac ob id ne finitimis quidem satis nota: hujus incolas, cum cæteris tractus ejus nationibus, à Frisiis citerioribus dividebat Mosa Vahali auctus, non procul ab Oceano Britannico, *Toxandria* *loci*, meminit Amm. Marcellinus *Hist. lib.* 17. qui hodie *Tessenderloo*, vicus est Comit. Lossensis, in Leodicensi diœcesi, extremus, prope Diestam Brabantiæ opp. Plerosque *Toxandrorum* baptizavit Landebertus, Episcop. Trajectensis, & apud eos Ecclesias condidit ac Presbyteros ordinavit. Regionem hanc longam leuc. 24. latam 17. ante 400. annos novo nomine Campiniam, vulgò *Kempen* appellari cœpisse, scribit Gothefridus Wendolinus *in Legg. Salicis illustratis*. Bifariam autem dividitur, alia est enim Campinia vel potius Campania Brabantina, alia Leodiensis, utraque communi nomine *Kempen-land*, in quarum priore Bredam, utrâque Andoverpum, Boscum Ducis, Bergas collocant auctores. Veter. tabb. in pago *Toxandrio* fluv. Duchinalam *Dommele* ponunt, qui per Boxtellam & Sylvam Ducis in Mosam influit: & Pieplo villam *Poppel*, inter Herentaliam & Silvam Ducis; Item villam *Alfen*, in diœces. Antverpiana, villam quoque seu vicum *Diessen* in parœcia Silvaducensi, Hilvaribecæ proximum, alluit. Hic ergo veteres *Toxandrorum* sedes, *Notit. Gall.*

Toxii, & *Toxiani*, pop. Taurici, Steph.

T R.

Trabala, urbs Lyciæ, Stephan.

Trabea, poëta, cui inter Comicos octavus locus assignatur. Hujus mem. Cicer. 4. *Tusc. & de Fin.*

Trabea, vestis veteribus usitatæ & quidem togæ genus. Ad instar prætextæ fuit, non in una solùm ora, sed per totum purpuræ fasciis, virgisque latioribus, velut trabibus transversis distincta, unde ei nomen: Non quòd ex pluribus purpureis pannis assutis constaret, sed, ut Turnebus docet, intextis, ut nempe subtemen purpureum, stamen album vel coccineum esset. Sueton. *lib. de genere vestium*, apud Servium, ad illud

Ipse Quirinali trabeâ, cinctuq; Gabino:

tria *Trabearum* statuit genera: *Diis sacratum quod erat tantùm de purpura; Regium, quod erat purpureum, cui tamen album immixtum: tertium Augurale de purpura & cocco.* Eas initio Regum fuisse tradit Plinius, mox peculiares Equitum Rom. fuere, cùm scil. Idibus Juliis transveherentur, ex Q. Fabii instituto, ut tradit Valer. Maximus *lib.* 2. *cap.* 1. Malè cum paludamento confunditur à Scholiaste Ciceronis. In funere Germanici atratam in municipiis plebem, Equites *trabeatos* inducit Tacitus, non quòd trabea vestis funerum propria fuerit, sed, ut advertit Lipsius, quòd ad augendam funeris pompam veste solemni Equites usi sunt. Toga picta quoque, quam Imperatores Consulibus dedere, trabea dicta est. Trabeæ inventorem Florus Tarquinium Priscum facit, alii ad Romulum ejus originem referunt. Certè Numam trabeâ usum esse Cedrenus refert. Hinc *Trabeatus*: Unde *fabula trabeata*, à C. Melisso Augusti Bibliothecæ præfecto, editæ. Vide Octav. Ferrarium *de re Vestiar.*

Trachalus, orator Domitiani temporibus. Quintilianus *lib.* 10. *cap.* 1. *Erant præclara & nuper ingenia, Nam & Trachalus* (alii *Trachallus*) *plerumque sublimis, & satis apertus fuit, &c.* Vide *Galerius*.

Trachas, urbs Latii. Ovidius *Metam.* 15.

Antiphatæq; domus Trachasq; obsessa palude.

Trache, insula parva instar scopuli in mari Jonio apud Corcyram.

Trachea, seu *Trachia*, tota Isauria apud Strabonem dicitur, teste Stephan.

Trachin, vel *Trachis*, vel *Trachyna*, urbs Phthiotidis, à qua *Trachinia* reg. ad sin. Maliacum sub monte Oetâ.

Trachina, urbs Latii, quæ nunc *Tarracina*.

Trachinia, regiuncula Phthiotidis in orâ sinus Maliaci, ubi Heraclea urbs cognomine *Trachin*, cujus meminit Ovidius *Metam.* 11. ubi *Herculeam Trachina* vocat. Hinc *Trachinius* apud eundem Ovid. *ibidem*:

Hac quoq; qua sequitur ventis Trachinia puppis.

Trachirus, Libyæ inter. fluv. qui in Oceanum Atlant. labitur, haud procul à Nigiri, Ptol. *Gambea* Barraso.

Trachis, vide *Trachin*.

Trachones, 2. colles Cœlesyriæ apud Damascum. *Hippos mons* Ptol. Inde pop. *Trachonitæ* in Arabiâ.

Trachonitis, *Bacar* hodie, teste Guilielm. Tyrio, regio Palæstinæ, quæ & *Ituræa* Straboni, & *Petræa* Hegesippo, in Cœlesyriâ, inter montem Libani, & lacum Tiberiadis. Vide Plinium *lib.* 5. *cap.* 14.

Trachyna, vide *Trachin*.

Traditorum Insula, *Isle des Traitres* Gall. *Verraders Eyland*, Belg. in mari Pacifico, An. Chr. 1616. à Jacobo Mæreo Batavo detecta, & sic dicta, quòd sui ab incolis malè essent habiti. Versus Hornanam Insulam.

Tramenothyritæ, Troadis populi, quos Tzetzes *Grimenothyritas* vocat.

Tragasa, reg. Epiri, à *Tragaso* quodam, in cujus gratiam Neptunus salis densationem fecit: unde *sal Tragasæum*, Steph.

Tragia, *Tragiæ*, & *Tragæa*, Stephan. insula maris Ægei parva apud Samum, quam Strabo ante Miletum urb. Cariæ describit,

Tornacum, olim Nerviorum in Gall. Belg. civitas. Hodie *Tournay* Gall. *Dornik* Germ. Petrus Apianus dicit, *Bagadum* esse Prolemæi. Baudrando aliàs caput Pleumosiorum in Morinis, hodie in Flandria, Gallic. & ipso limite Hannoniæ Episc. sub Archiepisc. Camerac. Olim sub Gallis, sed An. 1521. à Carolo V. occupata, cum Flandria, & Artesia, cessit Hispan. victo captoque Francisco I. An. Ch. 1525. Verùm Ann. 1667. recepta Gallis remansit, pace Aquisgran. Permunita & opulenta est, cum arce valida recèns extructa. Hinc Tornacensis ager, *le Tournaisis*, inter Hannoniam ad Ort. & Insulanam Castellaniam ad Occid. Primùm *Hostilia*, quippe à Tullo Hostilio condita, dein *Nervia* hæc urbs dicta est, postremò *Tornacum* à Torno Trojano. Pop. *Nervii* Cæl. *Tornacenses* Plin. In pugna contra Cæsarem, 60000. ex suis amiserunt, Cæsar. Sita est ad Scaldim, inter Duacum & Aldenardum in Cæc. 8. ab Insula 5. Ferrar. Vide Joh. Cousin, *Histor. de Tourn.* Morer. *Diction. Hist. &c.*

Torneamenta, ludi Equestres. Vox German. *Turnier*: Ital. *Torneamento*, vel *Torniamento*, fortassis à *Tornare*, venit, quod illis, inter alia, est redire; Gall. *le Tourney*, id est, decursorium, à verbo *tournoyer*, quod iisdem est circumire, huc & illuc vagari. Isti enim qui hoc modo decertant, eunt, redeunt, & ad omnes arenæ angulos deflectunt. Ab Henrico Aucupe primùm, post Oboritos debellatos, in Germaniam introducti, certisque legibus confirmati sunt, ut Nobilitas Germanica condignis jamdudum exercitiis exculta, & his quoque ad bella aptior redderetur. Fecit autem id Imp. in consilium adhibitis quatuor Principibus Imperii primariis, Conrado Com. Palatino ad Rhenum, Hermanno Suevix, Bernhardo Bavariæ, & Conrado Franconiæ Ducibus: quorum singuli ad *Torneamentorum* constitutiones tres viros delegerunt, experientià rerum & auctoritate præstantes, quibus ab Imper. iisdem tribus additis, à XV. viris his summa rei ac instituti suscepta est, de quo vide apud Goldast. *tom. 1. Constitut. Imp. pag.* 212. & *in Rational. ad lib. der Reichsatz pag.* 505. Competit jus indicendi *Torneamenta* Imperatori primùm; hinc primum ab Henrico Aucupe, secundum à Conrado II. septimum ab Henrico III. duodecimum ab Henrico VI. Impp. indicta legimus. Dein Principibus Imperii, quibus id privilegii, ab Imperatore, indultum est. Sunt autem familiæ quatuor præfatorum Principum, qui id juris sibi vindicant, unde *die Obere Turniervögt* dicti: Saxones tamen *Torneamenta* quoque indixisse, exemplo Ridackeri Marchionis Misniæ, Ludolphi Marchionis Saxoniæ & Brunsvic. &c. ostendit Limnæus, sed an suo hoc fecerint jure, secum quærit. Locus tempusque his ludis vel à Præsidibus eorum, vel à quatuor prædictis Principibus, vel etiam à quatuor illustrioribus fœminis, assignari solitum est. Decertandi jus habuerunt Imperator, Principes, Marchiones, Comites, Nobiles, & Patricii, qui à summo Principe Nobilitatis insignia tenuerunt, hodiè *die Adeliche Geschlechter*. Illis præerant Reges, seu Præsides *Torneamentorum*, German. *die undere Thurniervögte, oder Turnierkonige*, quorum quatuor erant, pro numero quatuor Circulorum, de quibus retro. Horum officium, ut & alia huc pertinentia, Vide apud Limnæum Enucl. *lib. 3. cap.* 31. Vischerum *tr. de Duello* Draconem *de Patrit. fol.* 77. Besold. *in Thes. pract. voc. Turnier*, Charisium Protosynd. Stralsund. *Disp. de Torneamentis, &c.* Damnatus illorum usus Concil. Lateranensi, sub Alexandro III P. An. Ch. 1379. ni potius temerarios militum congressus à Patribus Concilii coërcitos dicas: hodie sanè in Imperio exiguus est; alio ludorum Equestrium genere, quod *Ring* & *Kopffrennen* vocant, in aulis Principum fervente: In usum tamen *Torneamenta*, justo moderamine revocanda, suadere videntur allatæ rationes à Munstero *lib. 3. cap.* 454. Cuspiniano, *in vita Henr. Aucupis*, Job. à Schallenberg apud Goldastum, &c. *Fortunium* Torneamentum quoque dici monet Matth. Paris *in Ann.* 1241. *pag.* 546.

Torneamenta in Germania celebrata XXXVI.

I. Magdeburgi, An. 935.	XIX. Bambergæ, An. 1362.
II. Rotenburgi, An. 942.	XX. Eslingæ, An. 1374.
III. Constantiæ, An 948.	XXI. Scaphusii, An. 1392.
IV. Mainsburgi, An. 969.	XXII. Ratisbonæ, An. 1396.
V. Brunsvigæ, An. 996.	XXIII. Darmstadii, An. 1403.
VI. Treveri, An. 1019.	XXIV. Heilbronnæ, An. 1408.
VII. Halæ Sax. An. 1042.	XXV. Ratisbonæ, An. 1412.
VIII. Augustæ, 1080.	XXVI. Stutgardiæ, An. 1436.
IX. Gottingæ, An. 1119.	XXVII. Landeshuti, An. 1439.
X. Tiguri, An 1165.	XXVIII. Herbipoli, An. 1479.
XI. Coloniæ, An. 1179.	XXIX. Moguntiæ, An. 1480.
XII. Norribergæ, An. 1198.	XXX. Heidelbergæ, An. 1481.
XIII Wormatiæ, An. C. 1209.	XXXI Stutgardiæ, An. 1484.
XIV. Herbipoli, An. C. 1235.	XXXII. Ingolstadii, eod. anno.
XV. Ratisbonæ. An. 1284.	XXXIII. Onolsbaci, An. 1485.
XVI. Suinfurti, An. 1296.	XXXIV. Bambergæ, An. 1486.
XVII. Ravenspurgi, An. 1311.	XXXV. Ratisbonæ, An. 1487.
XVIII. Ingelheimii, An. 1337.	XXXVI. Wormatiæ, eod. ann.

Ita Ruexnerus habet. Joh. Gulerus verò *in descr. hist. Rhat. lib* 8. omissa quædam contendit. Prætetea ex Andr. Ratispon. *Chron. Bavarico*, meminit Freherus *ad Petr. de Andlo pag.* 183. Torneamenti celebrati Noribergæ, An 1433. &c.

Tornensis Comit. *le Comté de Torna*, & *Tornavu*, pars Hungariæ sup. inter Comitat. Gewinariensem ad Bor. Albanvivariensem ad Ort. Barzodiensem ad Merid. & Bistricensem ad Occ. sub Austriacis. Ejus caput est Torna, Hungar. *Tornavu*, German. *Dorn*, 4. mill. Germ. à Cassovia in Occ.

Tornielluss A. Novariensis, autor Annalium sacrorum, à Mundo condito usque ad sec. præt.

Tornitium, in Bithynia, à Constantino Monomacho coërcitus, An. Chr. 1046.

Tornodurum, vide *Ternodurum*.

Tornomagum, vulgò *Tournon*, vide *Turnonium*.

Tornus, fluv. Lappiæ, vulgò *Torne*. Exit è lacu Torno, *Torne Thesk*, versus confinia Norvegiæ; dein per Lappiam Tornensem fluens, prope Tornam Urb. in Sinum Bothnicum se exonerat.

Toronaitus sinus, Ptolem. *Golfo di Rampo* Nardo, *Golfo di Ajomana* Castaldo, sinus Macedon. inter Singiticum & Thermaicum. Baudrando pars est Maris Ægæi, vulgò *Golfo di Ajomana*.

Torone, opp. geminum: unum Epiri in orà litoreâ, inter Sybotam, & ostia Acherontis fluv. *Parga* Nigro. Alterum Macedon. ad sinum Toronaicum, ubi tantus maris fragor, ut inde proverb. ortum sit, *surdior Toronao portu*, inter Derrim & Cassandriam; à *Torone* Neptuni filià, teste Stephan. sic dictum. *Longo* Sophiano, *Rainero* Nigro. Vide Stephan. Illa in Thesprotia Baudrando, ad ostia fluv. Thyanidis, inter ipsum & Sybotam, 15. mill. ab ostio Acherontis fluv. in Occid. Quibusdam hodie est *Parga*, oppidul. cum arce munita, sub Venetis, in ora provinc. *Larta*. Hæc in Paraxia tractu, in ora Bor. Sinus Toronaici. Vulgò *Castel Rampo*, 10. m. p. à Derri in Occ. paulo plus à Cassandria in Bor. 80. à Thessalonica in Eurum.

Torpatum, vulgò *Derpt*, Urbs Oldenpoæ provin. in Livonia, ad fluv. Becum *Embek*, cum arce permunita in colle, Episcop. erat sub Archiepisc. Rigensi, 12. leuc. à sinu Finnico in Mer. totidem à Felino in Ort. versus lacum Peibum. Capta est à Suecis An. 1625. duce Jacobo de la Gardie, & An. 1632. ibi Academia à Gustavo Adolpho erecta. Media inter *Peibus* & *Werczer* lacus.

Torpidi, populi Thraciæ, in confin. Macedoniæ, circa Philippos, Appian.

Torquata, è Junia familia, C. Silani filia, Vestalis sacerdos annis 64. Ejus meminit Tac. 3. 69.

Torquatus, cognomen Titi Manlii, à *torque* impositum, quem occiso ad Anienem Gallo detraxit. Hic est ille Torquatus Manlius, qui, cùm filius adversus hostem, à quo vocatus fuerat, pugnasset, eoque occiso, equestria spolia victor ad patrem tulisset, subitò eum, quòd adversus edictum suum, & rei militaris disciplinam fecisset, virgis cæsum securi jussit percuti.

Torquatus Alprenas, cons. an. U. C. 880. Livius.

Torquatus, prænomine *Lucius*, Orico jussu Pompeji præfuit; sed, inclinantibus ad Cæsarem oppidanis, vix evasit. Hic est L. Manlius Torquatus, contra quem P. Cornelium Sullam Cicero defendit. Periit postea in Africa, ut testatur de bello Africano scriptor. Fortè designatur is *L. Torquatus*, qui Triumvir monetæ cudendæ, torque & aliis ejus familiæ monumentis argenteos denarios cum inscriptione *L. Torquat. ex. S. C.* signavit.

Torquatus Silanus C. Lecanio, M. Licinio Coss. mori adactus est à Nerone, quia, super Juniæ familiæ claritudinem, Divum Augustum atavum ferebat. Jussi id accusatores objicere, prodigum largitionibus neque aliam spem quàm in novis rebus esse, quin eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet, nomina summæ curæ & meditamenta. Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. Et cùm damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit. Tac. *lib. 5. cap.* 35.

Torquatus Tassus, Poëta Italus celebris, Neapolitanus. Jam in pueritia, egregio carmine edito, futuræ eruditioni & gloriæ prælusit. Nuntium Papæ in Galliam sequutus, Carolo IX. innotuit: Dein Ferrariam vocatus, ibi *Hierosolymam liberatam* edidit. Primus pastores in scenam introduxit, in *Amynta*, omnium Comœdiarum Pastoralium principe. Litem cum Academia Florentina *de Crusca*, quæ Hierosolymam ejus sub censuram vocavit, nactus: Ferrariæ quoque negotio adhuc difficiliori implicitus est, à quo tempore omnia ejus retro sublapsa sunt. Ticinum inde se recepit, hinc Neapolim profectus, tandem, invitante Card. Aldobrandino, nepote Clementis VIII. Romam pervenit. Obiit, An. 1595. ætat. 51. cùm jamjam lauru cingendus esset. Jac. Phil. Thomasinus, *in Elog. Illustr. Patav.* Laur. Crassus. *Elog. Vir. literat.*

Torrens, fluvius terræ Philistiim, in tribu Dan, ortus è Judææ montanis, fluit per vallem Therebinthi, & alluens Modin, apud Sechrona effunditur. Est autem inter Azotum & Joppen.

Torrhebus, urbs Lydiæ, à *Torrhebo* Atyis filio. Vide Steph.

Torsa, vulgò *Torsas*, urbs Smalandiæ, quæ Sueciæ provincia est, in limite Bleking æ 5. leuc. Suec. à Christianopoli in Occid. 3. ab ora maris Baltici, prope Bromsbroam.

Torsilia, vulgò *Torsil*, urbs Sudermanniæ, in ipso limite Westmanniæ, 3. leuc. Suec. ab Arboga in Ort. Holmiam versus 11. prope lacum Melerum.

Torta Fagus, à fago aliquo procera nomen accepit: vulgò *Torfou*, vel *Tourfou*, vicus agri Parisini, proximus Castris, sub monte Letherici. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Tota-

Tortarius, Monachus Floriacensis, scripsit vitam S. Mauri versibus hexametris, cujus partem Johannes du Bois edidit. Carolus Saussæus, *in Annal. Aurel. lib.* 4. *cap.* 130. Barthius, *Adversar. lib.* 52. *cap.* 6. Vossius, *de Hist. Lat.*

Tortomion, urbs inter Syriam & Armeniam, Steph.

Tortona, Siciliæ urbs, Stephan.

Tortor, Apollinis epitheton, cujus simulachrum Romæ fuit. De hoc Suetonius scribit, Apollinem hoc nomine in quadam parte urbis cultum esse. Antonius Sabellicus Apollinem *Tortorem* dictum esse vult, à vico, in quo venalia tortorum flagella pependerunt, vel quem tortores incoluerunt, Vide Lævinum Torrentium, Thom. Dempsterum, *Antiq. Rom. &c.*

Tortosa, hodie dicitur, quæ olim *Antarados*. Hine Templarii Eq. captivi abducti sunt in Ægyptum à Sultano, An. Chr. 1304.

Toryna, oppidum Asiæ, una ex septem urbibus à Cyro datis Pytharcho, Athen.

Torunium, vulgò *Thorn*, urbs Hanzeatica Prussiæ reg. ad Vistulam, cum ponte. In tractu Culmigeria, in ipso limite Cujaviæ provinc. 4. m. Germ. à Culma in Mer. uti 12. à Mariæburgo, & 15. à Gedano, Lanciciam versus 13. Situ & arce permunita, in Veterem Novamque distribuitur, Probè culta. Sub Polonis ab An. 1454. quo ab Ordine Teutonico defecit. Patria fuit Nicolai Copernici Astrologi; obiit Ann. 1501. Johannes Albertus Poloniæ Rex. Longâ obsidione suâ celebris. Vide urbs quoq; *Thorunum*.

Torus, mons Siciliæ, in ora Austr. inter Agrigentum & Heracleam, Polyb.

Tosa, vulgò *Tosa*, opp. Japoniæ, cum tractu cognom. in parte Austr. Xicocæ Insl. Brietio.

Tosa, flum. Helvetiæ, ad opp. *Eglisavv*, dit. Tigurinæ, irrigat & Oscelam vallem; ex summis Alpibus, ut Ticinus, oritur: Baudr. Plantino ortum in Glaronensium finibus, in monte *Huruls*, Comit. Xyburgicum præfluit, rivum dein *Eulach*, Vitodurum alluens recipit, tandemque inter Rynbergam & Eglisoviam, Rheno miscetur, *Helv. Antiq. & Nov.* Germ. *Toss.*

Tossanus Daniel, magni nominis Theologus, patriâ Mompelgardensis, docuit Heidelbergæ. Obiit An. Chr. 1602. æt. 61. Scripsit *Dictionarium in Psalmos, Prælectiones in Psal.* 2. *In Jerem. & Threnos paraphrasin. In Nov. Test.* 2. *Volum. quart. &c.* Vide Melch. Adami *in vitis Theolog.*

Tossanus Paulus, Theologus itidem Palatinus, scripsit *in S. Biblia Indicem locupletissimum & notas*: Interfuit Synodo Dordraecenæ, Obiit An. Chr. 1618.

Tostatus Alphonsus, Hispanus, Avilæ Episcopus: de quo dictum,

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Coram Eugenio IV. Senæ theses tuitus, earum quasdam, à Pontifice improbatas, postea edito scripto defendit. Cum Johanne Capreolo, interfuit Concilio Basiliensi. Obiit An. 1454. ætat. 40. Opera ejus Volum. 27. Venetiis edita, Ann. 1596. Mariana *lib.* 4. *Hist. Hisp.* Alphonsus Garcias, Possevinus, &c.

Totilas, Gothorum rex, in Italia, post Evaricum, Ann. 541. res suorum lapsas prudentiâ, rerum usu, fortitudine inclytus, restituit: ad Placentiam Romanos vicit, fugavit ceciditque, & omnia Imperialia oppida cepit, an. U. C. 1297. totâ inferiore Italiâ, Corsicâ, Sardiniâ & Siciliâ potitus. Paulo post quoq; Romam cepit, eamq; militibus diripiendam tradidit, eò inciratum redactis incolis, ut nobilissimæ matronæ, inter quas Boetii vidua, panem mendicato quærere coactæ fuerint. Imo solo æquaturus urbem erat, ni literis Belisarii fuisset inhibitus: qui, Totilâ absente, Romam convolavit, reparatisque celeriter murorum lacunis, eum mox obsidionem parantem fortiter depulit. Tandem à Narsete, in Italiam misso, victus occisusque est, An. 552. Procop. *de bello Goth.* Jorn. *in Chron.* Marius Victor, Agathias, P. Diaconus, &c.

Totonesium, litus & oppidum Britanniæ in Comit. Devoniæ. *Totnesse* Camdeno.

Totrajecim, urbs Bithyniæ inter Nicæam 34. & Dablim in Ort, 28. mill. pass. Anton.

Touzeni, mel. *Tugeni*, populi Helvetiorum, quibuscum Marius Rom. bellum gessit, Strabo. Horum tractus *Tugenus pagus*, fuit, ubi hodie pagi Tugiensis, Suitiensis, Glaronensis & Uriensis. Hinc & hodie pagus Tugiensis, cujus caput *Tuggium*, seu *Tougium* vulgò *Zug*, unus ex 13. Helveticis conventibus ad lacum Tugiens. à Lucerna in Cæc. 12. & Tiguro ad Merid. 18. mill. pass. Vide *Tugium*.

Toupinambauti, vulgò *Toupinambous*, populi Brasiliæ, prope Præfecturam fluv. Januarii, versus oram littoralem. Dicuntur & *Tupinimba*.

Toxandri, pop. Belgii, quorum reg. *Toxandria* Marcellino, cum *Toxandro* oppid. cognom. in Brabantiâ. Cluverio incolebant eas Insulas, quæ nunc Zelandiam efficiunt, inter ostia Mosæ & Scaldis. Vide *Zelandia*. Baudrand. Horum omnium primus meminit Plinius secundus, *lib.* 4. *cap.* 17. Valesio *Toxandria* ad tertium lapidem, ab opp. Tungrorum Trajecto incipiens, ad Mosæ Vahalisque confluentes expandebatur, regio magna ex parte vastis paludibus invia, ac ob id ne finitimis quidem satis nota: hujus incolas, cum cæteris tractus ejus nationibus, à Frisiis citerioribus dividebat Mosa Vahali auctus, non procul ab Oceano Britannico, *Toxandriæ loci*, meminit Amm. Marcellinus *Hist. lib.* 17. qui hodie *Tessenderloo*, vicus est Comit. Lossensis, in Leodicensi diœcesi, extremus, prope Diestam Brabantiæ opp. Plerosque *Toxandrorum* baptizavit Landebertus, Episcop. Trajectensis, & apud eos Ecclesias condidit ac Presbyteros ordinavit. Regionem hanc longam leue. 24. latam 17. ante 400. annos novo nomine Campiniam, vulgò *Kempen* appellari cœpisse, scribit Gothefridus Wendolinus *in Legg. Salicis illustratis*. Bifariam autem dividitur, alia est enim Campinia vel potius Campania Brabantina, alia Leodiensis, utraque communi nomine *Kempen-land*, in quarum priore Bredam, utrâque Andoverpum, Boscum Ducis, Bergas collocant auctores. Veter. tabb. in pago *Toxandrio* fluv. Duthmalam *Dommele* ponunt, qui per Boxtellam & Sylvam Ducis in Mosam influit: & Pieplo villam *Poppel*, inter Herentaliam & Silvam Ducis; Item villam *Alfen*, in diœces. Antverpiana, villam quoque seu vicum *Diessen* in parœcia Silvaducensi, Hilvaribecæ proximum, alluit. Hic ergo veteres *Toxandrorum* sedes, *Notit Gall.*

Toxii, & *Toxiani*, pop. Taurici, Steph.

T R.

Trabala, urbs Lyciæ, Stephan.

Trabea, poëta, cui inter Comicos octavus locus assignatur. Hujus mem. Cicer. 4. *Tusc. & de Fin.*

Trabea, vestis veteribus usitatæ & quidem togæ genus. Adinstar prætextæ fuit, non in una solùm ora, sed per totum purpuræ fasciis, virgisque latioribus, velut trabibus transversis distincta, unde ei nomen: Non quòd ex pluribus purpureis pannis assutis constaret, sed, ut Turnebus docet, intextis, ut nempe subtemen purpureum, stamen album vel coccineum esset. Sueton. *lib. de genere vestium*, apud Servium, ad illud

Ipse Quirinali trabeâ, cinctuq; Gabino:

tria *Trabearum* statuit genera: *Diis sacratum quod erat tantùm de purpura; Regium, quod erat purpureum, cui tamen album immixtum: tertium Augurale de purpura & cocco.* Eas initio Regum fuisse tradit Plinius, mox peculiares Equitum Rom. fuere, cùm scil. Idibus Juliis transveherentur, ex Q. Fabii instituto, ut tradit Valer. Maximus *lib.* 2. *cap.* 1. Malè cum paludamento confunditur à Scholiaste Ciceronis. In funere Germanici atratam in municipiis plebem, Equites *trabeatos* inducit Tacitus, non quòd trabea vestis funerum propria fuerit, sed, ut advertit Lipsius, quòd ad augendam funeris pompam veste solemni Equites usi sunt. Toga picta quoque, quam Imperatores Consulibus dedere, trabea dicta est. Trabeæ inventorem Florus Tarquinium Priscum facit, alii ad Romulum ejus originem referunt. Certè Numam trabeâ usum esse Cedrenus refert. Hinc *Trabeatus*: Unde *fabula trabeata*, à C. Melisso Augusti Bibliothecæ præfecto, editæ. Vide Octav. Ferrarium *de re Vestiar.*

Trachalus, orator Domitiani temporibus. Quintilianus *lib.* 10. *cap.* 1. *Erant præclara & nuper ingenia, Nam & Trachalus* (alii *Trachallus*) *plerumque sublimis, & satis apertus fuit, &c.* Vide *Galerius*.

Trachas, urbs Latii. Ovidius *Metam.* 15.

Antiphatæq; domus Trachasq; obsessa palude.

Trache, insula parva instar scopuli in mari Jonio apud Corcyram.

Trachea, seu *Trachia*, tota Isauria apud Strabonem dicitur, teste Stephan.

Trachin, vel *Trachis*, vel *Trachyna*, urbs Phthiotidis, à qua *Trachinia* reg. ad sin. Maliacum sub monte Oetâ.

Trachina, urbs Latii, quæ nunc *Tarracina*.

Trachinia, regiuncula Phthiotidis in orâ sinus Maliaci, ubi Heraclea urbs cognomine *Trachin*, cujus meminit Ovidius *Metam.* 11. ubi *Herculeam Trachina* vocat. Hinc *Trachinius* apud eundem Ovid. *ibidem*:

Hæc quoq; quæ sequitur ventis Trachinia puppis.

Trachiris, Libyæ inter. fluv. qui in Oceanum Atlant. labitur, haud procul à Nigiri, Ptol. *Gambea* Batraso.

Trachis, vide *Trachin.*

Trachones, 2. colles Cœlesyriæ apud Damascum. *Hippos mons* Ptol. Inde pop. *Trachonitæ* in Arabiâ.

Trachonitis, *Bacar* hodie, teste Guilielm. Tyrio, regio Palæstinæ, quæ & *Ituræa* Straboni, & *Petræa* Hegesippo, in Cœlesyriâ, inter montem Libani, & lacum Tiberiadis. Vide Plinium *lib.* 5. *cap.* 14.

Trachyna, vide *Trachin.*

Traditorum Insula, *Isle des Traitres* Gall. *Verraders Eyland*, Belg. in mari Pacifico, An. Chr. 1616. à Jacobo Mæreo Batavo detecta, & sic dicta, quòd sui ab incolis malè essent habiti. Versus Hornanam Insulam.

Tramenothyritæ, Troadis populi, quos Tzetzes *Grimenothyritas* vocat.

Tragasa, reg. Epiri, à *Tragaso* quodam, in cujus gratiam Neptunus salis densationem fecit: unde *sal Tragasæum*, Steph.

Tragia, *Tragias*, & *Tragæa*, Stephan. insula maris Ægei parva apud Samum, quam Strabo ante Miletum urb. Cariæ describit, qu. in.

qu. inter illam & Samum. Patria Theogitonis Phil. Peripat. qui Aristotelis familiaris fuit. Item opp. Naxi insulæ, ubi Apollo colebatur, *Tragæus* dictus, Steph.

Tragilos, urbs Thraciæ, juxta Chersonesum Macedonicam, Stephanus.

Tragœdia, imitatio est per actiones illustris Fortunæ, exitu infelici, oratione gravi metricâ, Cæs. Scaliger. qui illam è Comœdia quidem ortam, prius tamen excultam esse docet. Nomen ei, sec. Diomedem *libr.* 3. à τράγος, & ᾠδὴ, quoniam olim actoribus Tragicis, τράγος, id est, hircus, præmium cantus proponebatur, qui Liberalibus, die festo, Libero Patri ob hoc ipsum sacer fiebat, quia, ut ait Varro, depascunt vitam. Horat. *in Art. Poët.*

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Alii à fæce, quam Græci τρύγα appellant, *Tragœdia* nomen desumunt: quoniam olim, personis nondum à Thespide repertis, tales fabulas *perunctis facibus* ora agitabant, idem Horat. Nonnulli à vino deducunt, quod τρὺξ quoque olim dictum est; quia in Liberalibus apud Atticos, vinum cantoribus pro corollario dabatur, Lucilius *in* 12. Isacus vetus Commentator Græcus, τραγῳδίαν, quasi τρυγῳδίαν vult nuncupatam. Ejus species à loco duæ sunt, Græca & Latina, quæ fuit prætextata, qualis erat Nero Senecæ. Ab Argumento verò generibus diversæ sunt: Callias Atheniensis in tragœdia, cui *Grammatica* nomen fecit, è literis & sonum & argumentum duxit, chorusque nihil aliud fuit, quàm saltatio ex nominibus & sonis & temporibus & rythmis elementorum. Alia species Satyros Heroibus mistos continens severa lætis temperat, qualis Polyphemus est, apud Euripidem: in quo genere Poëmatis Menedemus Phil. primas tribuit Sophocli & Achæo, &c. Quantum sapientiæ ex Tragœdia haurire liceat, vide apud Athen. *lib.* 7. & Aristot. *de Poëtica.* Antiquissimum Tragœdiæ munus fuit, Deorum laudes simplici choro canere, quod quis primus instituerit, in incerto est. Donatus ad Homerum hujus carminis originem tribuit: Plato vetustissimum Atheniensium inventum esse dicit, *in Minoë:* Æschylum tragœdiæ repertorem facit Quintil. *lib.* 10. *c.* 1. Euterpen incertus Poëta, *in Anthol. lib.* 1. *cap.* 57. *epigr.* 22. Nitidiorem dein cultioremque effecit Thespis, teste Horatio *de Arte Poët.* Vide Jul. Cæs. Scaliger. *Poët. lib.* 1. *cap.* 6. Partes Tragœdiæ, ut & Comœdiæ, vel primariæ sunt, Protasis Epitasis, Catastasis ac Catastrophe: quarum partium communes portiones majores Actus, minores Scenæ dicuntur. Vel accessoriæ, Argumentum, Prologus, Chorus & Satyra. Vel circumstantes, ut Titulus, Modus, Cantus, Saltatio, & Apparatus. In his actibus notat Scaliger, præcipuam cantorum rationem habitam esse. Nam vel in initio canebant, qui cantus Εἴσοδος, id est, Introitus dictus est, Jul. Poll. *Onomast. lib.* 14. *cap.* 15. vel in medio, ut vel chorus requiesceret, quæ cantiones ἐμβόλια appellatæ sunt; Denique in fine Dramatis ἐξόδια canebantur, Festus *lib.* 5. Sueton. *in Domit. &c.* Juvenal. *Sat.* 3.

—— *Tandemque redit ad pulpita notum*
Exodium. —— ——

Hoc cùm primitus conciliandis auribus, revocandis animis, & tædio liberandis audiretur, in amaram postmodum carpendi consuetudinem abiit, Liv. *Dec.* 1. *lib.* 7. Peculiare calceamenti genus Tragicis actoribus *Cothurnus* fuit, calceamentum quadrangulum, quod utrique pedi æquè accommodari poterat, adeoque crassum, ut ejus accessione Heroum magnitudinem æquarent: Cùm soccus Comœdiæ esset. Utrumque scribendi genus, soccum & cothurnum, id est, Tragœdiam & Comœdiam, conjungunt Auctores antiqui, Claudian. *in Eutrop. lib.* 1.

Quà socci superent risus, luctusque cothurni.

M. Martialis *lib.* 8. *Epigr.* 3.

An juvat ad Tragicos soccum transferre cothurnos.

Plura de *Tragœdia* vide apud Heinsium, Rosinum *Antiquit. Rom.* Salmasium, &c.

Tragonara, vulgò *Tragonara*, urb. Capitanatæ, prope Frentonem fluv. 15. mill. pass. ab ora maris Hadriat. in Africum, Vulturaram versus 10. paucisque constat incolis. Episc. sub Archiepisc. Beneventano.

Tragurium, Plin. *lib.* 4. *cap.* 21. *Trau*, insula parva Dalmatiæ proxima, ponte juncta continenti, cum urbe cognomine, Episcop. sub Archiepisc. Spalatensi, inde 15. m. p. in Occ. Sebenicum versus 30. munita, contra Bubuam seu Boam Insul. cui etiam ponte jungitur, Sub Venetis qui illam cum Epidauro & Chio occuparunt An. Chr. 1169. 120. m. pass. ab Absoro in Eur. uti 70. à Jadera, paucis mill. à dit. Turc. J. Lucius, Slavis *Troghir* dicitur.

Tragus, fluv. Arcadiæ, in Alpheum influens, Pausan.

Trajana, Picenorum urbs, Ptolem. etiam *Colonia Ulpia Trajana*: hodie *Montecchio*, in monte, inter Auxim. ad Bor. 12. & Septempedam in Austr. 10. m. p. Cingolo propior.

Trajana colonia, seu *Colonia Ulpia Trajana*, opp. Germ. infer. ad Rhenum, Anton. *Keyserwerd* Ortelio. Baudrando *Kellen*, vicus Duc. Clivensis, m. p. ab opp. Clivio, Emmericum versus, 1. mill. à Rheno 10. ab opp. *Keiserswert* in Bor. Ex Cluverio. Vide *Colonia Trajana*.

Trajana legio, Ptolem. oppidum German. superioris ad Rhenum, Idem. *Drechshausen* Ortelio. Bingio proximum. Aliis *Remmagen* pagus.

Trajana via, in Apuliâ inter Beneventum, in Hirpinis & Brundusium in Salentinis.

Trajani monumentum, oppid. German. infer. ad Rhenum, & Francofordam urbem, *Cronburg*, vel *Tranburg*, teste B. Rhenano, seu *Kastel*, pag. ejusdem tractus, in ulteriore ripa Rheni, contra Moguntiacum. Goropius.

Trajanipons, Hisp. urbs super Tagum fluv. *Ponte de Alcantara* Clusio. Urbec. regni Legionis, in Extremadura, munita, 2. leuc. à limite Portugalliæ, 8. à Cauria in Merid. Emeritam versus 14. & 20. à Placentia in Occ. Dicitur & *Norba Cæsarea.*

Trajani portus, vide *Trajanus portus.*

Trajanopolis, urbs Thraciæ inter Maximianopolim ad Occ. 58. & Apros ad Ort. 23. m. p. ab Hadrianopoli ad Euronotum 86. Antea *Zernis* dicta; ad Hebrum fluv. Baudrando, 15. m. p. à Cypsella in Bor. & vix 45. ab Hadrianopoli, Archiep. Item urbs Phrygiæ magnæ, Episcop. sub Archiepisc. Laodiceno, Ptol. Fuit etiam urbs Siciliæ mediterr. *Dragina* Curopalatæ, *Troyanopolis* autem legit Fazellus. Episcopum habuit tempore Gregorii M. Vide *Tranum.*

Trajanus, M. Ulpius Brinitus, inter Cæsares optimus, quemadmodum testatur acclamationis in creandis Impp. formula: *Sis felicior Augusto, melior Trajano.* Italica urbe Andaluziæ, oriundus; secundùm alios Italus, sub Vespasiano & Tito, in bello contra Judæos egregiè rem gessit, duodecimæ Legionis Præfectus. Dein, à Nerva in consortium Imperii allectus, accepto de morte ejus nuntio, An. 98. Coloniæ Imperator ab exercitu salutatus est. Qua de re literis ad Senatum datis; Christianos non quidem edictis terruit, nihilominus prohibendo nocturnos cœtus, & Religionis à Romana alienas, occasionem præbuit Præfectis Præsidibusque provinciarum, acriter in illos sæviendi, quamvis Plinius in causa fuit, ut aliquantulum persecutionem remitteret. Audito, Decebalum Dacorum Reg. rebellasse, illo bis victo, Daciam in Provinciam redegit: Romam reversus, Legatos ex omnibus terræ partibus, remotissima quoque India, excepit. Dein columnam Trajani orsus, septennii spatio absolvit, Architecturæ ultimum conatum, quem Coliseum Sixtus V. erigi curavit, Petri statuâ desuper impositâ. Postmodum contra Armenios, Parthos, Osdroënos, Arabas, Assyrios, Iberos, Colchos, & Persas victor, undecim millia Christianorum militum in Armeniam relegando, gloriam nominis sui non parum obscuravit. Terræ motu, quo Antiochia concussa fuerat, tantum non obrutus postea Judæos rebelles extinxit. Obiit Selinunte, Ciliciæ urbe, quæ Trajanopolis ab ipso dicta, an veneno propinato? An. 117. ætat. 64. Imp. 19. A Plinio panegyricè laudatus, insignis omninò cætera Imperator, sed sævitiâ, puerorum amore, vini nimio usu, idolomaniâ infamis: Scripsisse dicitur historiam belli Dacici. Dio *in Trajano.* Aurel. Victor, *de Cæsar.* Eutropius, Eusebius, &c. Claudianus de Theodosio, *lib. de* 4. *Cons. Honorii:*

—— —— *Victura feratur*
Gloria Trajani; non tam quòd Tigride victo
Nostra triumphati fuerint provincia Parthi,
Alta quòd invectus fractis Capitolia Dacis,
Quàm patriæ quòd mitis erat.

Trajanus, Dux Valentis Imper. victus ab hoste, Valenti sibi segnitiem exprobranti, Apostasiam coram objecit; *Non ego sum victus*, dicens, *sed tu victoriam corrumpis Imperator, qui adversus Deum aciem instruis, & fortunam belli concilias Barbaris.* Vide Theodoret. *lib.* 4. *cap.* 31.

Trajanus Patricius, sub Justiniano Principe floruit. Temporum epitomen scripsit, Suid.

Trajanus, fluv. Ægypti, Ptolem. Hujus ostium apud Moysen *Pihahiroth* vocari dicit Becanus.

Trajanus portus, oppidum olim & portus Tusciæ in orâ inter Populonium ad Occid. & Telamonem ad Ortum. *Vulgò Porto Trojano.* Fuit ad Centumcellas, ubi nunc *Civita Vecchia*, & portus ab Urbano VIII. in portus Trajani vestigiis egregiè restitutus. Baudrandus.

Trajectum, geminum: superius quod ad *Mosam*, & inferius quod ad *Rhenum* nominatur. Superius *Maestricht* vocatur, urbs Germ. infer. in Brabantiâ, à Coloniâ 12. leuc. in Occ. Antwerpiam versus, à Leodio 4. leuc. in Bor. quot ab Aquisgrano in Occid. Baudrando antea *Obtricum*, urbs aliàs Eburonum: vetustate, opibus & situ celeberrima. Episcopalis olim, à quo Tungrorum urbs à Barbaris sub Attila, Ann. 451. destructa est, tum enim S. Servatius, mel. Aravatius, sec. 5. Trajecti sedem constituit, donec sec. 8. Leodium illa translata est, in ultionem occisi à civibus Lamberti. Valesius habet, quia urbs à Normannis incensa. Erat prius in ditione Leodiensi, è regione opp. Vici, Limburgensis Duc. Sed ab Episc. Leodiensi vendita Carolo V. Hispanis paruit, donec An. 1632. fortiter expugnata fuit ab Hollandis. Urbs permunita, 2. leuc. à Tungris in Ort. In Gallorum potestatem venit, An. Chr. 1673. Vide Guicciard. *Hist. Belg. &c.* Galli quidam scriptores Trajectum hoc beneficiis regiis adnumerant, & sub Carolo Simplice, villam publicam fuisse referunt. Habet urbs pontem longissimum Mosæ impositum, & ultra hunc unam è suis regionibus, quæ Vicus nuncupatur, vulgò *Vic.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Patria fuit Landeberti Tungrorum Episcopi, diciturque etiam *Trajectum Tungrorum.*

rum. Idem. Inferius *Utrecht*, urbs ampla Germ. infer. in Batavis à Coloniâ 23. leucis in Bor. distans, à priore Trajecto 21. leucis in Bor. & Cæc. recedens. *Ultrajectum* quoque Latinè dicitur. Cum Academ. Caput dominii Ultrajectensis. Media inter Arenacum Neomagumque ad Ort. & Lugdun. Batav. ad Occ. Juxta Valesium, primò Bataviæ attributa hæc urbs, dein Frisiæ citeriori, parti Bataviæ à Frisiis occupatæ: hodiè caput est unius ex septem Belgii Fœder. provinciis. Olim *Antonina* ex veter. inscript. Hic Willibrordus, Clemens dictus, jussu Pippini, Episcopatus sedem constituit, Ecclesiamque ædificavit. Dicitur *Utrecht* incolis, quasi *Ulterius Trajectum:* Hoc autem nomine utraque urbs à Romanis & Gallis, qui Latinè loquebantur, insignita est: quòd essent ad trajectum, seu ad transitum fluminis. *Trajectum* autem hoc Coloniæ metropoli ademit, & ex Episcopatu Archiepiscopatum fecit Paulus IV. An. Chr. 1559. attribuens ipsi quinque novos Episcopatus, Harlementem, Daventriensem, Leowardiensem, Groningensem & Middelburgensem: sed aliud sequentia tempora suasere. Continet regio, cum Trajecto & Dorestado, vulgò *Duerstede*, olim Batavoduro, tria alia oppida. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide *Ultrajectum.* Trajecti decessit Conradus II. Imper. Ann. Chr. 1039. ut & Henricus V. Imper. An. Chr. 1122. Contra Gallum & Trajectenses feliciter pugnavit Vilhelmus Hollandiæ Comes A. C. 1324. Excommunicavit Johannem Hollandiæ Com. Episcopus Trajectensis, & Frisiis remissionem peccatorum, si contra illum pugnarent, pollicitus, frustra fuit, hi enim à Comite superati sunt, Ann. Chr. 1297. Vide Matth. Vossium *Annal. Holl. lib.* 4. & 5.

Trajectum, item Francorum geminum: Unum ad *Mœnum* in Franconiâ, emporium max. & urbs libera, à Moguntiâ 4. leuc. à Spirâ 12. Alterum ad *Oderam* in Marchia. Utrumq; vulgò *Frankfurd.* Est & *Trajectum* Suevorum, Schweinfurt, ad Mœnum, libera, inter Carolostadium 5. & Bambergam ad Ort. 6. ab Herbipoli 6. in Cæciam.

Trajectum, urbs Terræ laboris, prope ostia Liris fluv. Crevit ex ruderibus Minturnæ. Media inter Carinulam ad Ort. & Caetam ad Occ. 8. mill. pass. utrinque, 2. ab ora Sinus Formiani. Parva est, & incolis rara; Vulgò *Trajetto.*

Trajectus, pagus Albionis ad Sabrinam fluv. in Angliæ & Walliæ confin. Bristolio, Chepitovioque vicinus. *Austclive* Camd. Item, castrum Latii.

Tra[illegible], apud Antonin. nominatur fretum, inter Siciliam & Italiam, hodiè *il fano di Messina.* Item angustiæ maris Adriatici, inter Hydruntum & Acroceraunios montes, vulgò *la bocca del Golfo di Venetia*, ubi ejus latitudo est tantùm 60000. p.

Tralles, & *Trallis*, numer. singul Plin. & Ptolem. quæ prius *Eumbia*, *Seleucia*, & *Antiochia* dicta est, teste Plin. *Chora* Nigro, urbs Lydiæ, ab Epheso ad 30. m. p. in Eurum, Ferrar. Baudrando est Episcop. sub Archiepisc. Ephesino, inter Magnesiam & Mæandrum fluv. ad Mer. ac Caystrum fluv. ad Bor. 36. m. p. ab Epheso in Cæc. Hic palma viridis in æde Victoriæ, sub Cæsaris statua, enata, quo tempore Pompejum in Macedonia devicit. Tum etiam Pergami sonus tympanorum, in delubris, exauditus est. Juvenal. *Satyr.* 3.

Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis.

Tralli, & *Trallii*, pop. Illyriæ, quorum reg. *Trallia.*

Trallium, in Bithyniâ, pertingit usque ad Astacenum sinum. Stephanus.

Trema, vel *Trema*, locus Galliæ, in Diœcesi Meldensi, cum tit. Comitivæ, vulgò *Tresme:* à fluviolo cogn. dictus. Vadum Tremæ *Gué à Treme* vicus cum castello nuncupatur, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Trampe, urbs Joniæ, Stephan.

Trampya, urbs Epiri, Idem.

Tranguebaria, vulgò *Tranguebar*, opp. Coromandeliæ, cum portu capaci, in ora Sinus Gangetici, valdè à Danis frequentata, 25. m. p. à Negapatano in Bor. uti 80. ab ora Bor. Taprobanæ. Sub Principe Taniorii.

Tranium, vide *Tranum.*

Tranquillus vicus, in agro Tricassino Galliæ, 9. leuc. ab urbe Tricassia, vulgò *Trancost*, vel *Trancaut.* Hinc ortus Astingus, ad Normannos clam confugit, à quibus Princeps constitutus, Gallias igne & ferro vastavit, Glaber Rodolfus *Histor. lib.* 1. *cap.* 5. Dudo, Wilhelmus Gemeticensis Mon. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Transacum, castellum Latii, circa lacum Fucinum.

Transalpina Gallia, eadem quæ *Comata*; diducitur in Belgicam, Celticam, & Lugdunensem. L. Loyd. Vide *Gallia*, & *Lugdunensis.*

Transaquas, vulgo *Transacco*, castrum Aprutii ulter. 1. mill. à lacu Fucino in Mer. 8. ab Alba in Eur. 10. à fontibus Liris in Ort. *[illegible]i paulo plus* à fontibus Anienis.

Transchinium, vulgò *Transchyn*, opp. munitum Hungariæ super. ad Vagum fluv. versus confinia Silesiæ, 30. m. p. à Nitria in Bor. [illegible] à Posonio in Africum. Caput Comit. cognom. Gall. *le Comté de Transchyn*, qui inter Silesiam ad Bor. Moraviam ad Ort. Turocensem Comitat. ad Occ. & Nitriensem ad Mer. est, ad Vagum fluv. [illegible] Austriacis.

Transcudani, pop. Hisp. Lusitaniæ, juxta Cudam fluv. Horum [illegible] nunc *Ribera do Coa*, Jac. Vasconcello.

Trans Issalania, vulgò *Over-Yssel*, prov. satis ampla Belgii uniti, versus Germ. in tres partes divisa, nempe Drentiam *Drente*, ad Bor. Salandiam *Salland*, quæ media est, & Twentiam *Tevvente.* Olim sub Episcopo Ultrajectino, postea sub Henrico Bavaro Carolo V. cessa, An. 1527. Belgarum fœderi dein accessit: occupata An. C. 1672. ab Episcopo Monasteriensi, Galliæ Regis milite, sed paulo pòst recepta est. Ad Merid. terminatur ab Or. Diœcesi Monasteriensi; à Sept. Frisiâ Occ. & dominio Groningensi; ab Occ. mari Austrino & Geldria infer. & à Meridie Comitatu Zutphaniæ. Ejus Urbes præc. Daventria, Svvolla, Campi & Covordiac, Hic Franci veteres, Adr. Junio.

Transitus Israel, quo loci per siccum Jordanis alveum, aquis à dextra ingredientium consistentibus, cùm, quæ à sinistris erant, in mare mortuum omnes defluxissent, latissima via, magno Dei miraculo, in terram promissionis transierant Israëlitæ.

Transitus, seu *Fretum Brouerii*, aut *Cerevisiæ coctoris*, Belgis *het Brovvers passage*, Gall. *le passage de Brasseur*, pars maris Austr. ad Ort. Freti Mærei, & Inf. Statuum detecta & lustrata A. 1643. ab Henrico *le Brasseur*, Præfecto classis Batavæ, dum in Cilem tenderet.

Transtero, Insula parva & saxosa Galliæ, à situ, quòd ultra Leronem Insul. posita est, dicta. Corruptè *Terra de Liera* vocatur, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Translucum, locus Daciæ Ripensis. Lib. Notit. Gall. *Landtuberuvaldt* Ortelio.

Transmarisca, Lib. Not. Lazio *Marize*, opp. Mysiæ infer. cis Dorostorum, ab eo 25. m. p. in Occ. *Tromarisca* Ptol.

Transmontana, prov. *Tra los montes*, pars Portugalliæ, inter Gallæciam ad Bor. & Durium fluv. ad Mer. uti inter regnum Legionis ad Ort. & provinciam inter Durium & Minium ad Occ. Ejus urbes præc. Miranda Durii & Bragantia.

Transpadani, pop. Galliæ Transpadanæ, ubi Insubres, Cenomani & Veneti. Vide *Gallia Transpadana.*

Transsylvania, vel *Ultrasylvania*, quæ & *Pannodacia*, & *Dacia* Ripensis, vulgò *Sibemburgen*, à septem urbibus, quas Saxones, qui è Germania illuc se receperant, ibi condiderunt, dicitur, pars fuit olim Daciæ, & extrema ejus reg. trans montes Carpathios ad Axiacum fluv. usque producta. Hanc cingunt 2. Walachiæ, Transalpina & Moldavia: illa Danubio, hæc mari Euxino admota; utraque cum Transsylvaniâ, eam Europæ nunc occupant partem, quæ olim Daciæ erat. Hanc plurimæ gentes, Saxones inprimis, excoluere. Romani dein, sub Trajano, his rerum potiti. Vide Bonfin. *lib.* 1. *rerum Hungaricarum.* Baudrando pars est antiquæ regni Hungariæ, sed An. 1541. ab eo post cladem Mohaczensem, sec. præt. separata fuit, à Joanne Scepusiensi Rege, à quo eo tempore Principes habet proprios, electivos tamen, & sub clientela Turcarum. Sequuntur Religionem reformatam, sub Principe pientissimo; quamvis multi adhuc Græcæ religioni addicti, non pauci quoq; Lutherani, Socinianorum etiam nonnulli ibi degant. Terminatur à Sept. Russiâ nigrâ; ab Or. Moldavia & Valachia; ab Occ. Hungariâ; à Merid. partim Hungariâ, partim Valachiâ. Extenditur ab Ortu in Occ. per 200. m. p. Fuere hic olim Jazyges, Metanastæ, Getæ, Bastarnæ, Sarmatæ, Græci, Romani, Scythæ, Saxones & Hungari. Hodiè incolæ in Saxones, Siculos & Hungaros, distinguuntur, quibus & Walachi, licèt in fæce plebis tantùm & locis magis desertis, se intermiscent. Scaturiunt ibi aquæ acidæ, quæ ferme vini referunt saporem; aliæ, quarum aquæ mox in petras vertuntur: rivuli item, qui quamprimum è fonte suo emanarunt, ligna aliaque petreis crustis obducunt. Caput totius reg. est Cibinium, *Hermanstadt*, sedes Principis, qui præter titulum Transylvaniæ, inscribitur quoque *Comes Siculorum & Partium Hungariæ Dominus:* Tributum is pendit Turcarum Imperatori; quod initio quidem fuit 10000. aureorum: Rakocius dein An. C. 1646. jussus est pendere 15000. Apafio tandem initio regni injuncti fuerunt 80000. Imperialium, quorum pars postea remissa dicitur. Principum series à tempore Johannis, qui cùm Ferdinando, cum quo de Hungariæ regno decertaverat, imparem se sensisset, ad Turcam confugit primus, ejus beneficiarius factus, hæc est: Ei successit Joh. Sigismundus filius mortuus An. Chr. 1571. æt. 32. in quo Zapolitanorum Comitum familia, quam Johannes Huniades & Matthias Corvinus olim tantopere extulerant, deleta est. Eum excepit Stephanus Bathorius, qui ad regnum Polonicum evectus, fratri Christophoro Principatum concessit, mortuo An. Chr. 1579. Secuti Sigismundus Bathorius, Stephanus Botskai, Gabriel Bathorius, Gabriel Bethlenius, Georgius Rakocius I. Georgius Rakocius II. à quo cùm Transylvania motibus Turcicis involuta esset, successerunt brevi tempore Franciscus Redei, Achatius Barscai, Joh. Kemeny, qui antè exercitus Rakociani in Polonia Generalis, inde carcere Crimensi aliquandiu detentus fuerat. Denique Michaël Apafi, An. Chr. 1661. principatum nactus est. Hic carceris Crimensis cum Kemenyo socius, matronæ Turcicæ miseratione inde liberatus dicitur, quæ fidem matrimonii ab eo pacta, brevi post obiit. De jure Principes Transylvan. dandi, post diuturnam litem, transegit Matthias Imper. cum Achmete Turcico, An. Chr. 1614. Cibinium, cujus suprà mentio, à pagis Reg. 18. tributariis describitur: Eodem pertinent ab incolis dictæ *septem sedes Saxonicæ*, quibus tamen Hungarorum Nobilium pagi passim interjacent: Suntque

illæ, Zawarienfis fedes; Zabefienfis, quæ Zabetum civ. habet cum vicis Regiis 5. Reusmarck fedes cum pagis 10. Segesburgenfis fedes, cum pagis 16. Oiezna cum pagis 12. Scheuckerstul cum pagis 22. & Rupenfis cum pagis 15. Præter has feptem fedes & aliæ duæ feparatæ funt, quarum caput eft civitas Megienfis. Siculi in angulo Daciæ Moldaviæ contiguo habitant, & diftinguuntur itidem in feptem fedes: *Septi, Orbai, Kyfdi, Cryck, Gyrgio, Marcus Zeek, & Arvvyas Zeek.* Videantur Georg. Reicherfdorf. Ferdinandi I. Secretarius, *in Chorographia Tranfylv.* Martin. Fumæus *Hiftor. gen. Hung. & Tranfyl.* Afcanius Centerius, *Comm. belli Tranfyl.* Cirus Spontonus, *Hift. Tranfylv.* in primis Betlenius *hift. Tranfylv. rer. &c.*

Tranffylvaniæ urbes præcipuæ:

Alba Julia, *Gula ferrvvar* incolis, *Weiffenburg* Germanis.
Biftricia, *Berfterze* incolis, *Nofenftat* Germanis.
Cibinium, *Zeben* incolis, *Hermanftat* Germanis, regionis caput.
Claudiopolis, *Colofvvar* incolis, *Claufenburg* Germanis.
Julia, *Giula*, & *Gula*.
Mediefus, *Medgits* incolis, *Medvvifch* Germanis.
Sciburgium, *Segefvvar* incolis, *Schiesburg* Germanis.
Stephanopolis, *Braffavv* incolis, *Cronftat* Germanis.
Varadinum, *Varadin* incolis, *Wardeyn* Germanis.

Tranftiberina, reg. urbis Romæ, in quâ Vaticanus mons. Mart. *l.* 1.

Pulchra quidem, verum Tranftiberina domus.

Vulgò *Traftevere*. Baudrando pars urbis Romæ, in Hetruria, trans Tyberim, ad radices montis Janiculi, inter ipfum & Tyberim.

Tranum Latinis vocatur, urbs Peucetiæ Apuliæ Archiep. quam vernaculè *Trani* dicunt. Volaterranus ait nonnullis Plinii *Trinium* dici, (Plinio tamen Trinium fluv. eft, non opp.) olim *Trajanopolis*, à Trajano conditore dicebatur. Leander.

Traona, oppid. Lombardiæ Tranfpad. ad lævum Abduæ ripam.

Trapalanda, Gallis *Trapalande*, regio parva Americæ Merid. in Tucumania. Aliter *de la Sal*; ad Occ. verfus Cilem extenfa, inter Cordubam novam ad Ort. & caftrum S. Ludovici ad Occ.

Trapeza, urbs Arcadiæ, Steph. & promuntor. Troadis, ubi primum Hellefpontus fe concitat.

Trapezopæus, Athen. *lib.* 4. *c.* 23. id eft, menfarum ftructor: Jubæ τραπεζοποιός, id eft, menfarum adornator, idem quod apud Latinos *Structor, Carptor, Sciffor, Diribitor, Chironomanta.* Servi hi erant, edocti ut fcitè infpectantibus convivis fercula dividerent, L. Sen. *Epift* 47. *Cùm ad cœnandum difcubuimus, alius fputa detergit, alius reliquias temulentorum fubditus colligit, alius pretiofas aves fcindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum.* Juvenal. *Satyr.* 5.

Structorem interea, ne qua indignatio defit,
Saltantem fpectes, & Chironomanta volanti
Cultello, donec peragat dictata Magiftri
Omnia, nec minimo fanè difcrimine refert,
Quo geftu lepores, & quo gallina fecetur.

Martial. *lib.* 10. *epigr.* 48.

Et quæ non egeant ferro ftructoris Ofella,
Et faba fabrorum, Protonomiq; rudes.

Trapezopolis, urbs Cariæ ad Mæandrum, Ptolem. Epifcop. fub Archiepifc. Laodiceno.

Trapezum, collis Syriæ, Antiochiæ magnæ imminens, Strab.

Trapezus, urbs ampla, juxta Pont. Euxin. *Oezenu* olim. Sinopenfium colonia, hodie *Trebifonda* Italis, *Trebifonde* Gallis. Vide Steph. & Stuck. *ad Arr. per. pag.* 67. Baudrando in Cappadocia eft, cum portu capaci, in ora maris Euxini, aliquando Græcorum Imper. fedes. Vix 40. m. p. in Bor. à confinio Armeniæ min. fed longius à majore, 100. à Polemonio in Ort. 130. ab Abfaro in Africum, 35. à limite Colchidis in Occ. 70. à Satala in Bor. Imperatores habuit proprios è gente Lafcara, per 200. an. ab An. 1261. ad annum 1460. quo fub Davide, à Mahumete II. expugnata & miferè vaftata eft. Ipfius Imperatori fuberant aliâs Cappadocia & Colchis: Hodieque clara eft, Satrapæ Turcarum fedes. Vaftata à Cofacis, An. 1616.

Trarum, mons Lycophroni. Ifacius dicit Trojanæ reg. effe. *Troron* legit Scaliger.

Trafimenus, vide *Thrafymenus*.

Trafullus, Tiberii in fcientia Chaldæorum artis, apud Rhodum, Magifter. Cujus peritiam quomodo fit expertus Cæfar. Vide Tacit. 6. 26. Ejus filius Neroni quoque prædixit imperium. Videtur & de Medicina fcripfiffe, laudante Plinio, non uno in loco.

Trafumenus, vide *Trafimenus*.

Travados, dicunt Lufitani Ecnephias ventofque fubitaneos, qui fummo cum impetu è nube erumpentes, furfum deorfum omnia vertunt. Sentiuntur frequenter in Oceano Atlantico, inter Brafiliam & Africam, ad Guineam fub Æquatore, ad Loango, ad Caput B. S. ad Terram de Natal, ad Promontor. Guardafuy. Horum olim truculentiam magnâ hominum naviumque ftrage experti funt Lufitani, antequam fufficienti Oceani notitiâ imbuti effent, vide Maffejum *Hift. Ind lib.* 1. Memorabile eft, in monte quodam Promontor. B. S. Belgis *der Tafelberg* dicto, obfervari primò minimam nubeculam; mox totam operiri montis latitudinem. Quod fimul ac nautæ fentiunt, collectis velis à littore recedunt, & alto fefe committentes, inevitabilem alioqui tempeftatem declinant. E montis vertice enim tam validus ventus emittitur è veftigio, ut nulla tam bene compacta navis fit, quam vis ejus non ex facili frangat. Nec alius generis videntur concitatiffimi turbines, quos fubinde in Arabiæ defertis itinerantes, imprimis qui Mecham abeunt, experiuntur. Nimirum denfa & atra nubes flammeis nubeculis mixta tenebras diei inducit; mox procella erumpit, cujus fævitia licèt brevi remittat, rubram tamen arenam tantâ copiâ in terram mareque fpargit, ut integra fæpenumero Mercatorum focietas *Caravana* 6000. & amplius hominum, fabulo obruta legatur. Sunt hæc famofa illa maris arenofi pericula, indeque Arabum & Ægyptiorum mumiæ fieri, corporibus illis ardore folis exiccatis, creduntur. Vide Ludov. Vartomannum *Itiner. libr.* 1. *cap.* 12. Simile quiddam Typhones funt illi, *Orkanes* Indis, frequentiffimi inter Malaccam & Japoniam: item inter Navazam & Jamaicam Americæ Infulas, Vide Vinc. le Blanc *Itiner. part.* 2. *cap.* 12. Prope Guineam & fub Æquatore, in mari Atlantico, perpetua fere malacia eft, & motio aëris nulla, nifi quan. Ecnephiæ fubinde cient: quam ob caufam Guineæ litora ex Europa in Indiam, vel hinc in Europam navigantes tam cautè devitant. Vide Becmannum *Hift. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 2. *de Hift. Ventorum.*

Travancorium, vulgò *Travancor*, urbs Malabariæ, ferè 60. mill. paff. à Comorino promuntor. in Boream, Coulam verfus 50. cum portu capaci.

Trauchenii, pop. juxta Pontum, Sindis finitimi, Steph.

Traulus Montanus, Eques Rom. modeftiâ juventâ, fed corpore infignis, accitus ultro, noctemque intra unam à Meffalina proturbatus erat; paribus lafciviis ad cupidinem & faftidia. Poftea à Claudio mori juffus. Tacit. 2. 36.

Traufi, pop. quos Græci *Agathyrfos* vocant, Steph.

Traufius Campus, in quo occifos à Queris Gallos, qui in Italiam tranfierant, fcribit Diod. *in calce lib.* 14. Pro *Queris Kiges* eft in Græco: in Tufcia videtur.

Treba, oppidum Latii, apud ortum Anienis, ubi montes Trebani, Ptolem. Locus adhuc *Trevi*, unde aqua Romam perducta, *Fonte di Trevi* dicitur.

Trebafius, JC. Cicer. familiaris, ut ex ejus *fam. epp.* patet. *lib.* 7. *Trebatii* mem. Horat. *lib.* 2. *Sat.* 1.

—— —— *Trebati,*
Quid faciam prafcribe. ——

Trebellianus Cajus Annius, Ifauri Princeps, tempore Gallieni Imperator proclamari voluit; & fucceffu rerum formidabilis jam evafir, fed à Caufifolæo Theodofii, copiarum Gallieni Ducis, fratre, occifus eft. Trebellius Pollio, *de* 30 *Tyr.*

Trebellienus Rufus præturâ functus, liberis Cotyis à patruo Rhefcuporide fublati tutor & regni adminifter à Tiberio Cæfare datus. Poftea majeftatis poftulatus fuâ manu cecidit M. Servilio, C. Ceftio Coff. Tacit. 6. 39.

Trebellinus, Bulgarorum Rex, Juftinianum Rhinotmetum, imperio pulfum reftituit, An. Chr. 705. mox orto de finibus diffidio, fibi bellum inferentem, ingenti clade affecit, An. Chr. 708. Paulus Diaconus *Longob. lib.* 5.

Trebellius, prænomine *Marcus*, L. Vitellii Syriæ præfidis legatus, cum quatuor millibus legionariorum & delectis auxiliis miffus, Cliarum nationem Cappadoci Archelao fubjectam, & quia Romanum in modum deferre cenfus, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abfcedentem in ordinem redegit Q. Plautio, Sext. Pap. inio Coff. Tacit. 6. 41.

Trebellius Maximus, qui cenfum per Gallias, tempore Neronis, egit; fed æmulis inter fe, per nobilitatem, Volufio atque Africano, eum dum uterque dedignatur, antelatus eft, Tacit. *lib.* 14. 46. Poftea Britanniæ præfuit, fed per avaritiam ac fordes contemptus invifusq; exercitui profugit ad Vitellium. Idem *Hift.* 1. 59. & 2. 65.

Trebellius Pollio, Hiftoricus Lat. fub Conftantio Chloro. Scripfit vitas Impp. à Philippis, usque ad Claudium & Quintillum fratrem; interim nobis nihil fupereft, præter partem Valeriani patris, filii, utriusque Gallieni, & 30. tyrannorum. Exactum admodum fuiffe, teftatur Vopifcus. Gefner. *in Bibl.* Voff. *de H. L. l.* 2. *c.* 6.

Trebia, Gall. Cifalp. fluv. non procul à Placentia, ex Apennino defluens; juxta quem Annibal L. Sempronium Conf. maximâ clade profligavit. Vulgò *la Trebia*, in pluresalveos, cùm nivibus aut imbribus intumefcit, divifus, difficilisq; tranfvadari. Apud Polyb. Τρεβίας ποταμός. corrupte apud Appian. Τεβίας. Sil. *lib.* 4.

Plantiem metuens Trebiamq; petebat.

Lucanus *lib.* 2.

—— *Quòd non in Punica nati*
Tempora Cannarum fuimus Trebiaq; juventus.

Item urbs Umbriæ. Item Celtiberorum civitas in Hifpania.

Trebiates, Umbriæ pop. Plin. *lib.* 3. *cap.* 14. quorum Urbs *Trebia*, Nunc *Trevi.*

Trebius Gallus, prænomine *Marcus*, Eques Romanus, tribunus militum in regione feptimâ C. Julii Cæfaris, à P. Craffo frumenti commeatusque causâ miffus in Curiofolitos & ibidem retentus. Cæf *l.* 2 *Com.* 7. 8. Ubi tamen veteres codd. habent *Trebonium Gallum*, cui lectioni fuffragatur, tefte Fulv. Urfino, vetus infcriptio Romæ.

Trebonianus Gallus, limitis Mœfiæ præfes, proditis Imperatoris Decii confiliis, auctor ingentis fuit cladis, huic à Gothis illatæ, An. Chr. 254. Jorn. *de rebus Geth.* Zonaras *tom.* 2.

Trebo-

Trebonius, pudicæ ſanctitatis miles, qui Luſium, Marii ex ſorore nepotem, caſtitati ſuæ ſtuprum & inſidias molientem interfecit. Plut.

Trebonius, prænomine *Cajus*, legatus in exercitu C. Julii Cæſaris, Gallos & Britannos oppugnantis. *Comm.* 5. *cap.* 16. Ad eum exſtant Epiſtolæ Ciceronis *in libris*. Unus fuit ex percuſſoribus Cæſaris, cùm tamen hic eum præturâ & Conſulatu exornaſſet. Sed, poſt eædem Cæſaris, eodem anno, à Dolabellâ Smyrnæ in Aſiâ, maximâ ignominiâ affectus & capite punitus eſt. Alius C. *Trebonius* habetur apud Cæſarem *lib.* 6. *cap.* 40. Eques R. Equitum præfectus.

Trebonius Garucianus, Procurator Africæ, qui ejuſdem provinciæ Proconſulem Clodium Macrum turbas moventem, juſſu Galbæ, occidit. Tac. *hiſt. lib.* 1. 7.

Trebonius, prænomine *Lucius* Tr. Pl. duas tulit leges, Cn. Pompejo Magno II. M. Licinio Craſſo II. Coſſ. ann. U. C. 688. Prior fuit, ut Cæſari imperium in Gallia, in aliud quinquennium, quàm quod ex Vatinia lege conceſſum erat, prorogaretur. Ita Senatui ſucceſſoris mittendi poteſtatem adimebat, Cicero *lib.* 7. 8. 9. 10. *ad Attic.* Florus *epit.* Plut. *in Pompejo & Catone Utic.* Dio *lib.* 39. Altera fuit, ut Pompejo M. & Craſſo Coſſ. Syria & Hiſpaniæ provinciæ in quinquennium darentur, Plut *in Pompejo*.

Trebula, op. Sabinorum, pop. *Trebulani*. Apud hos præſtantiſſimi fiebant caſei. Mart. 13. 33.

Trebula nos genuit: commendat gratia duplex,
Sive levi flammâ, ſive domamur aquâ.

V. Plin. 3. 5. Fuit Aborig-num urbs, *Monte Leone*, nunc oppidul. ditionis Pontif. in Sabinis, paulo eis Podium S. Laurentii, ubi ad templum S. Victoriæ, inſignes extant Trebulanorum inſcriptiones, cum veſtigiis theatri, aliarumque antiquitatum. Alia fuit *Trebula Suffena*, etiam in Sabinis, quod nunc creditur Montorium, paulo ſupra Nerulam. L. Holſtenius.

Treca, *arum*, urbs nobilis & potens in Campaniâ Gallicanâ, *Troye en Champaigne*, Ad Sequanam, caput Comitatus Campaniæ, cum Epiſc. ſub Arch. Senonenſi. Aliàs *Tricaſſis*, *Tricaſſium*, *Auguſta Tricaſſinorum & Auguſtobona*, V. Ptol. Plin. Itiner. Anton. Ammianum Marcellinum, Greg. Tur. &c. Antiqua admodum, & commerciis florens: Baſilica ibi S. Petro ſacra magnifica admodum eſt. Vetuſtiſſimus ejus Præſulum S. Amator habetur: à quo octavus S. Lupus fuit, qui Attilam urbi ruinam minitantem *impedîit*: Normannis tamen poſtea ceſſit in prædam. Verùm à Comite Roberto reparata eſt. Sedes Comitum Campaniæ fuit, quibus inſigne ibi palatium. Præter ſupra laudatos conſule quoque Nic. Camulatum, *Prompt. Antiq. Tricaſſ. Diœc.* Duchenium *rech. des antiq. des villes*, Sammartan. *Gall. Chriſt. &c.* Hic Concilium habitum An. Ch. 867. An. 878. quo Carolus Balbus coronatus eſt à Johanne IX. &c. V. Moretum *Diction. Hiſtor.*

Trecaſſes, quorum Urbs Auguſtobona ſeu *Trecaſſes* & *Treca*, vulgò *Troyes*, vide *Tricaſſini*.

Trechus, vir Ætolus, bellator egregius à Marte in bello interemptus. Hom. *Iliad.* 5.

Trecorenſes, Armoricæ Britanniæ pop. vulgò *Ceux de Lantriguet*. Quorum urbs *Trecorium*, in parte Bor. cum portu, in ora maris Brit. 9. leuc. à Brioco in Occ. Leonam verſus 11. & 30. à Rhedonibus in Circ. Ibi aliàs *Oſiſmii*. Vulgò *Treguier* ſeu *Lantriguet*.

Treignacum, opp. dit. Lemovicenſis. Metel.

Trelleburgum, vulgò *Trelleborg*, opp. Scaniæ, in ora maris Balt. 3. mill. Germ. ab Ellebogain Mer. 7. ab Hafnia in Eur.

Tremellius Emanuel, Ferrariâ Italus, patre Judæo natus, cum Petro Martyre in Germaniam venit, poſt Heidelbergam ad Hebræam Profeſſionem vocatus. Hic Syriacam editionem latinitate donavit, dein novam V. T. ad Hebraicæ veritatis fontes examinatam tranſlationem molitus eſt, ſocio tanti laboris aſcito Junio, qui poſt obitum Tremellii, An. Ch. 1580. fere ſeptuagenarii, eandem editionem, in opere alieno plus juſto ingenioſus, recenſuit, & additis multis auctiorem reddidit. Vide Thuan. *Hiſtor. lib.* 71. Edidit quoque *in Biblia Annotationes Marginales & Interpretationem in Hoſeam*, octav. Genevæ, An. Ch. 1563.

Tremetus, vulgò *Tremiti*, Inſ. ſatis ampla, Diomedæarum præcipua. Viz 15. m. p. ab ora Apuliæ. Cum caſtro permunito in colle, & monaſterio inſigni. Dicitur aliquando *S. Nicola*. Eique adjacent duæ aliæ præc. nempe *S. Domino* & *la Caprara*.

Tremile, Lycia olim ſic dicta, & pop. *Tremilenſes*. Steph.

Tremithus, *Tremethus*, Ptol. Cypri pagus, cui Nicoſia ſucceſſiſſe traditur, nunc totius inſ. metropolis in orâ Boreali. V. Steph.

Tremonia, Script. Germ. quæ & Drotmania, *Dortmund*, urbs Weſtphaliæ non contemnenda, inter Rhodam & Wernam proxima oppida, à Monaſterio 6. leuc. Moguntiam verſus, à Paderborna 8. Ferr. Baudrando urbs eſt Germaniæ, in Weſtphalia & in Comitatu Marchiæ, ad amnem *Emſer*, aliàs ſui juris, ſed hodie ſub dominio Electoris Brandeburgici. 7. milliaribus Germanicis à Monaſterio in meridiem diſtat, & paulò minùs ab Arensberga in occaſum, uti 14. à Paderborna. Parva eſt, ſed ſatis munita; eſtque inter Hanzeaticas comprehenſa. Hic Synodo habitâ Henricus II. Imp. luxum Clericorum coercuit, Ann. Ch. 1005. ſicut poſtea in Syn. Noviomagenſi, in S. cœna pànem ad dextram, calicem ad ſiniſtram collocari voluit, An. Ch. 1018.

Trenorchium, vulgò *Tournus*, oppidum amplum Galliæ, in Burgundia & Matiſconenſi tractu, ad Ararim fluvium, medium inter Cabillonum ad Boream & Matiſconem ad Meridiem, 16. leucis à Lugduno in Boream.

Trenta, vulgò *Trent*, fluvius Angliæ Borealis. Oritur in Comitatu Staffordienſi: ubi auctus aliquot fluviis minoribus, per Darbiæ Comitatum labitur; ibique recipit Darvonem. Deinde per Notinghamiam, ubi urbem cognominem rigat, hinc per Lincolniam fluens, in ejus limite, & 10. milliaribus Anglicis ſupra Hullum, in Abum æſtuarium ſe exonerat.

Treptovia, vulgò *Treptovv*, oppidum Germaniæ, in Pomeraniæ Ducatu, ad Tollenſeam fluvium, in finibus Marchiæ Brandeburgicæ, cum arce. Aliàs amplum fuit, nunc ſenſim deficit; ſubeſtque dominio Regis Sueciæ, 10. mill. Germanicis diſtans à Sundi in meridiem.

Treres, regiuncula Thraciæ; pop. *Treres*, quos Callimachus Τρῆρας dixit, Theopompus *Trares*.

Trerus, Latii fluv. in Lirim ad Fregellas influens. Strab. *Treri* aliis *Omme*.

Treſa, vulgò *Treſen*, urbs Sudermanniæ, cum portu, in orâ maris Balt. 7. leuc. Suec. ab Holmia, in Atric. 8. à Torſilia in Eur.

Tres caſa, pag. ingens Novarienſis, 5. m. p. à Novaria, Viglebanum verſus. Vulgò *Treca*, Trecatum ſeu Tercatum quoque.

Tres Taberna, pag. in viâ Appiâ occurrens, inter urb. Romam 26. & Forum Appii 22. m. p. ultra Velitras. Baudrando 5. mill. ab Aricia, 21. Româ in Ort. Hic Severum Imp. à Maximino occiſum tradunt auctores miſcellaneæ hiſt. Zoſimus. Item locus Macedon. inter Scampas & Lychnidum.

Trethymerovia, vel *Techtimirovia*, vulgò *Trethymirovv*, opp. munitum Volhiniæ infer. ad Boryſthenem, 14. mill. Germ. infra Kioviam in mer. Coſacis donatum à Rege Stephano. Sed Ann. 1648. ipſis à Polonis ereptum, unde cruentæ clades utroſque afflixerunt, donec Coſacis rurſus ceſſit.

Tretium, vicus agri Vicentini.

Tretum, ac *Tretus*, mons Peloponneſi apud Mycenas, & Nemeam ſylvam, ubi Hercules leonem interfecit.

Tretum, *Tritum* Strab. Africæ propriæ promunt. *Capo Ferrato* Caſtaldo. Incolis *Brucramel*, inter Cullu ad Ort. & Tacatuam ad Occ.

Treva, Germ. urbs Ptol. *Trevemuna* in tab. recent. in Saxoniæ & Holſatiæ confin. apud oſt. *Treva* fluminis. Baudrando oppidul. cum arce, in Vagria, Holſatiæ tractu, in ipſo limite Saxoniæ. Aliis mel. eſt Lubeca. Vide ibi. Erpoldus credit Ptolemæum erraſſe, qui fluv. *Trave* in hoc tractu hodieque dictum, pro Urbe habuit.

Trevennium, vulgò *Trevinno* opp. Alavæ, in Hiſp. ad radices montium, 4. leuc. Hiſp. à Miranda Iberi in Ort. uti 6. à Victoria in Africum.

Treventum, Samnii urbs. Plin. pop. *Treventinates*. Vide *Triventinum*.

Treveri, vel *Treviri*, Plin. & Melæ, *Triviri* Ptol. pop. & urbs Gall. Belg. ad Moſellam fluv. vulgò *Trier*. Gall. *Treves*. Antiquiſſima, ut volunt, omnium urb. Europæarum, à *Trebetâ* Nini Aſſyriorum regis fratre condita & nominata; an. ante Chriſtum natum 1496. mel. *Auguſta Trevirorum*, ad Moſellam, ubi recepit Saravum. In nummo Veſpaſiani Aug. Col. Avg. Pat. Treviro-rvm, hoc eſt, *Colonia Auguſta paterna Trevirorum*, dicitur ab Auguſto Patre, qui Tiberium Neronem adoptavit. Colonia igitur Auguſti fuit, & quidem militaris, quales tum omnes coloniæ Rom. erant, ab Auguſto aut Auguſti juſſu deductis eò veteranis. Mellæ vocatur *urbs opulentiſſima in Treveris*, *Belgarum clariſſimis*; *Auguſta*: in vetr. Notitis, *prov. Belgica prima Metropolis*, *civitas Trevirorum*. Recentioribus à nomine gentis *Treviri* aut *Treveri*. Salviano *in lib. de Prov. urbs Gallorum Trever opulentiſſima*, *Trevevorum urbs excellentiſſima*, *ſumma urbs Gallorum*. Sozomeno *Triveri* aut *Triber*, ut alios omittam. Inter Fabricas in Galliis 8. quæ ſub diſpoſitione V. I. Magiſtri 5. Officiorum extiterunt, erat Fabrica *Triberorum ſcutaria*, & Fabrica *Triberorum baliſtaria*: & ex quatuor Præpoſitis theſaurorum in Galliis, ſub diſpoſitione V. I. Comitis ſacrarum Largitionum, unus fuit *Præpoſitus theſaurorum Triberorum*: unus quoque de tribus Procuratoribus Monetæ intra Gallias, *Procurator Monetæ Triberorum*: unus è ſex Procuratoribus Gynecæorum per Gallias, *Procurator Gynecæi Triberorum Belgica primæ*: & de tribus in Gallia Præpoſitis Argentariorum, unus Præpoſitus *Barbaricariorum*, *ſive Argentariorum Triberorum*, ſicut docet Notitia Imper. Romani. Meminit urbis Auſonius, his verbis:

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit,
Trevericæq; urbis ſolium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in mediæ gremio, ſecura quieſcit:
Imperii vires quòd alit, quòd veſtit & armat.

Ubi illam *Solium*, i. ſedem Imperatorum vocat. Nimirum Flavius Valerius Conſtantius, Conſtantinus M. ejusque filii Conſtans & Conſtantius, Valentinianus cum filiis Gratiano & Valentiniano jun.

jun. & Impp. absentibus Cæsares; tyranni quoque Magnentius A. cum fratre Decentio Cæs. Maximus Aug. cum filio Victore, & Eugenius A. sæpe in Galliis mansere, in repellendis Francorum & Alemannorum bellis occupati & urbem hanc annos amplius centum pro Regia Palatioque habuere. Hinc Maximus Aug. *Imperator Trevericus* dictus, Greg. Turon *Hist. Fr. lib. 1. cap.* 40. & multæ leges in Cod. Theodosiano hic latæ sunt. Habuit & Senatum suum, non solum ante J. Cæsaris tempora, Galliâ adhuc liberâ, sed & postquam ditioni Rom. subjecta est, veteri more servato: qui modò Curia Trevirorum, & hinc Curiales, modo Decuriones ac Nobiles dicti sunt. Præterea Circus hic, & Amphitheatrum, namque Constantinus M. edito ob victoriam magnificentissimo munere, Ascaricum & Regaisum Reges in media amphitheatri arena, laniandos bestiis objecit & Trevirici, in Arenis civitati præsidio locato, conatibus Chroci Alemannorum R. sub Valeriano & Gallieno, restiterunt, ut Aimonius scribit. Horrea insuper Regia, ubi B. Mariæ Monaster. Virginum postea extructum est, quod à loco Horreense vel ad Horrea, Horreumque dixere. Nec non Capitolium, è quo postea templum factum. Eumenius tandem *in Paneg. Constant.* muros Trevirorum, qui corruerant, ab eo refectos esse ait, & Circum maximum, æmulum Romano, Basilicasque & Forum in tantam altitudinem suscitata, ut se sideribus & cœlo digna & vicina promitterent. Hodieque urbs ampla est, sed male culta. Pluries expugnata. Ab Hunnis, Vandalis, Gothis & Gallis inprimis An. Ch. 456. vastata, semper tamen pristinum decus recuperavit. Sedes olim Imperatorum, cùm in Galliis degerent: hodie à Gallis, haud pridem capta, sed fortissimè recepta est à Germanis, victo cum flore Gallicarum copiarum Crequio, Ann. Chr. 1675. Archiepiscopi ejus Electores Imp. sunt, & Magni per Galliam Cancellarii dicuntur. Pompon. Mela, *lib.* 3. *cap.* 2. Cæs. *lib.* 2. Amm. Marcellin. *lib* 15. Ausonius, Fortun. Gregorius Tur. Guilielmus Kyriander, *de Aug. Trevir. Orig.* Christ. Brouver. & Petr. Cratepolius, *de Episc. Trevir.* Nec omittendum, Stapulæ jus hanc civitatem habere: quæ oppida sunt pro stabiliendis commerciis, ubi vectores coguntur aliò non pergere, nisi expositis prius per aliquot dies in Stapulæ foro suis mercibus. Tales urbes in Imperio sunt Colonia Agrippina, Moguntia & Spira ad Rhenum, *die drey Staffeln am Reyn:* ad Mosellam *Treviris*; ad Danubium Ratisbona, Ingolstadium & Passavium; ad Visurgim Brema; ad Albim Magdeburgum & Hamburgum: ad Viadrum Francofurtum. Sic extra Imperium Dordracum vini Rhenani stapulam habet: in Hispania celebris stapula Hispali est: In Gallia Burdigalæ, Lugduni, Rotomagi & Massiliæ: in Imp. Turcico Alexandriæ & Adeni: In India Malaccæ, Vide Limnæum *de J. P. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 131. Hic porro in negotio Priscillianistarum, concilium, jussu Maximi tyranni, celebratum est, An. 386. Item, An. 948. quo Hugo, & quidam alii, contra Ludovicum Ultramarinum Gall. R. rebelles condemnati sunt. &c. Æn. Sylv. Luc. *lib.* 1.

Tu quoq; lætatus converti prælia Trevir.

Auson. *in Catal urb.*

Trevericaq; urbis solum, quæ proxima Rheno.

Vide quoque infra.

Treviri, cujus sing. apud Lucanum *lib.* 1. & Tacit. *Hist. lib.* 4. *Trevir*; quod Cic. quoque *Epist. ad fam. lib.* 7. *epist.* 14. indicat, cùm Trebatium, in Galliis cum Cæsare commorantem, sic per jocum admonet, *Treviros vites censeo. Audio capitales esse: mallem auro, argento, æri essent:* ubi ludit in nomine *Trevirorum*, quo & gens Belgicæ clarissima, & Triumviri capitales Romæ ac Trium viri Monetales designabantur, pop. fuere Galliæ Belg. equitatu plurimùm totius Galliæ valentes, Cæs. *Comm.* Belgarum clarissimi Pomp. Melæ, quorum Eburones & Condrusi olim clientes; libertate privati sunt à Vespasiano Imp. quòd ab Imperio deficientes, Classico ac Tutore ducibus ipsi bellum intulissent, cui sequentibus temporibus sunt restituti, ut apud Flavium Vopiscum *in Floriano* videre est: versus Mosellam extensi, inter Rhenum ad Ort. quo separabantur à Germaniâ magna, Mediomatrices & Virodunos ad Mer. Remos Tungrosque ad Occ. & Ubios ad Bor. ubi nunc pars Austr. Ducatus, Luxemburgici, ac ubi erant Cæræsi sub ipsis contenti, & *Ditio Trevirensis*, vulgò *Stifft von Trier:* quæ est inter Palatinatum & Veteraviam ad Ort. Ducatum Luxemburg. ad Occ. Juliacensem ad Bor. & Lotharingiam ad Mer. Satis extensa ab Ortu in Occ. sed valde restricta à Sept. in Mer. Sub proprio Archiep. Electore; juxta Mosellam. Baudr. Valesio diœcesis *Trevirica* Ducatum Luciliburgensem & partem etiam Palatinatus cis Rhenum, complectitur. Ejus urbes sunt Treviri, caput provinciæ, olim Belgicæ primæ Metropolis, 1. omnium Belgarum caput habita, Confluentiæ *Coblentz*, Bodobriga *Boppart*, & Sarburgum.

Trevoltium, vulgò *Trevoux*, urbec. Bressiæ, caput Dombensis Princip. in colle, ad Ararim, 3. leuc. supra Lugdunum in Bor. 8. circiter Matisconem versus.

Tria, castr. splendidum Ducis Longovillæ, in tractu *Vexino Francico*, in prov. Inf. Franciæ, inter Calvomontium ad Ort. & Gisorium ad Occ. 13. leuc. à Lutetia in Circ. Vulgò *Trie.*

Triadiza, prius *Sardica.* Vide ibi. Zonar. 2. *Annal.*

Trianenses, quorum opp. *Trajana.* Vide ibi.

Triangulus, castrum Galliæ, in Tricassibus, Delta referens, vulgo *Treynel:* Marchiæ tit. & Prioratu illustre, Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Triarchia, urbs Armeniæ min. Antoninus.

Triaria, L. Vitellii Uxor, ultra fœminam ferox, impulit Sabinum præfectum urbis, ad pervertendum Dolabellam. Tacit. *Hist.* 2. 464. Gladio accincta, inter luctum cladesque expugnatæ Tarracinæ, superbè sæveque egit, 3. 77.

Triarius, magnus orator, cujus mem. Cic. *lib. de Oratoribus.* Livius. Item pater Theodorici, qui Thraciam vastavit, imperante Zenone, An. Ch. 480.

Triarius, prænomine *Cajus*, à partibus Pompeji, Asiaticis navibus præpositus, Cæsar *lib.* 2. *de Bello Civil. cap.* 5. Vide & *cap.* 92. Ubi ejus consilium. Fuit aliquando legatus Luculli in bello Mithridatico, ubi & cladem passus est. Periit bello civili hoc, teste Cicerone *in Bruto.*

Triballi, vulgò *Bulgari*, pop. Mysiæ infer. test. Nicephoro & Laonico, cum Lazio & al. quorum reg. *Bulgaria.* In his feruntur fuisse qui visu fascinabant, & interimebant, quos irati diutius & fixis oculis aspexissent, teste Plinio. Hos Steph. in Illyrico perperam ponit. Horum Duces Crales & Ungleses, Amurathes Turcarum Imp. vixit, A. 1359. tandem in pugna cum Triballis sive Serviis à servo Lazari Despotæ, transfuga simulato, interfectus: An. C. 1388. cujus fil. Bajazetes postea, Jacupe fratre strangulato, Lazarum vicit, cepit, & in frusta discidit. Ann. Chr. 1390. V. Laonic. *lib* 2. & 3. Leonclav. *in Amurathe & Bajazete, &c.*

Tribanta, urbs Phrygiæ maj. Ptolem.

Triboces, *Tribocci* Ptol. *Tribochi* Plin. pop. Germ. sup. quorum reg. Alsatia, vulgò *Elsas*, cujus caput est Argentoratum. An à tribus pagis, quos habitabant; *Bach* enim locorum & civitatum terminatio, apud Germ. Ut dicti sint, quasi *Tribachi.* Sanè ibi *tres Tabernæ.* Ptolemæus *Tribocos* rectà locat sub Rauracis ad Rhenum. Plin. *lib.* 4. *cap.* 17. Tacit. *de Morib. Germ.* Strab. Eutropius *lib.* 6. *Tribocchos* appellat. Eos Argentinenses Althamerus ex Conradi Celtis sententiâ esse putat; sic à tribus quercubus (alii fortè rectiùs fagis) Dryadibus nymphis consecratis nuncupatos. Rhellicano autem ex tertiâ Europæ tabulâ Ptolomæi, verosimilius apparet eos esse, quos nunc *Alsatios* vocamus. Siquidem Ptol. Tribonos (corruptè) propius *Elcedum* (quod alii *Slestadium* interpretantur) quam Argentoratum statuit. Glareano verisimile videtur, Brisacum designari. Nam & constans fama est, oppidum illud in Galliâ olim situm fuisse, quod nunc in Germaniâ est, mutato Rheni alveo. Alsatæ sunt & Ferratio & Baudr.

Tribonianus, J. C. quo Justinianus Imp. ad codicem componendum usus est. Eruditus admodum, & indefessus, sed habendi cupidior, Procop. *de bello Pers.* hinc & ob rapinas, ab Imperatore pulsus est, sed revocatus paulo pòst, à Principe, apud quem plurimum valuit. Paganum fuisse & Ἄθεον præter Suidam testis est Hesych. Illustris in catal. illustr. virorum. Vide Coleti Parerg. *cap.* 17. Fichard. *in vit. Jurisc.*

Tribori, Gall. Bel. pop. Ptol. Hodie *Trierische* possunt appellari ab eorum metropoli *Trier.*

Tribulium, *Tribunia* Lib. concil. urbs Dalmatiæ inter Epidaurum & Rhizanam. Baudrando mel. *Tribunium* & *Tribuna*, urbec. Dalmatiæ, sub Turcis, 16. mil. à Ragusa in Ort. 30. à Rhizino in Circ. Antea sub Ragusæis. Hic concilio habito, cùm quæreretur, lignea ne an aurea vasa in S. Cœna adhiberi debeant, respondit Bonifacius M. *cùm aurei essent sacerdotes, ligneos habuerunt calices, nunc lignei sacerdotes calices aureos habere volunt.* Sub initium sec. 3. P. Martyr in 1. *Reg. cap.* 7. Vulgò *Trebigna.*

Tribunus, nomen non unius apud Romanos dignitatis. *Tribunus* seu Præfectus *Celerum* dictus est, qui Equitibus præerat, & veluti secundum à Regibus locum obtinebat, quo in numero Junius Brutus, auctor ejectorum Regum, extitit. Magistratum hunc Romulus instituit, eidem Numa Pompilius tertiam sacrorum administrandorum partem concessit. Postea illius in locum Magisterium Equitum successit. Unde Pomponius scribit, *Magistros Equitum ita Dictatoribus esse junctos, ut Regibus Tribuni Celerum.* Militum *Tribuni*, auctore Varrone, dicti sunt, quòd ab initio terni essent, tum cùm legio ex 3000. conficiebatur, ex ternis, quæ tum erant, tribubus. Hi peditibus Legionis præerant. Postea, ut numerus horum auctus est, à tribus ad quatuor atque ab his ad sex Tribuni numero creverunt. Legebantur primò ab Imperatoribus, in singulas quaternas legiones terni, postea ann. U. C. 391. institutum est, ut pars eorum populi suffragiis, pars Imperatorum arbitrio crearentur: cumque Rutilius Rufus legem de jure Tribunorum, qui à Consulibus essent facti tulisset, accidit, ut Tribuni ab Imperatoribus in exercitu lecti *Rufuli:* à pop. in Comitiis creati *Comitiati* dicerentur. Usi sunt iisdem, quibus Consules, insignibus, & nonnunquam Patritii erant, aliquando verò à plebe creabantur. *Tribuni plebis*, post secessum plebis feneratorum crudelitate supra modum pressæ ann. U. C. 259. factum, instituti quinque sunt an. seq. Cassio Viscellino II. & Aul. Posthumio Aurunco II. Coss. dictique sic fuerunt, quòd primùm ex Tribunis militum creati sunt, Varro *de LL. lib.* 4. Eorum nomina, utcumque

censet Dionysius *lib.6.* fuerunt hæc: L. Junius Brutus, C. Sicinius Bellutus, C. & P. Licinii, & Sp. Sicilius Ruga, quos Comitiis Curiatis, à plebe creatos d. 4. Id. Decembr. potestatem Tribuniriam accepisse refert. Duplicatus dein numerus est, insigni Optimatum dispendio, an. U.C. 297. Coss. M. Valerio, Sp. Virginio. Officium fuit, Consulum & Patritiorum potentiam moderari, & securitati plebis cavere. Unde hic Magistratus sacrosanctus fuit, quem vel vi vel verbis violare capitale esset atque scelus inexpiabile. Gestarunt hi purpuram, Cic. *pro Cluentio*, habueruntque domos suas, noctu & interdiu apertas, tanquam portum perfugiumque iis, quibus opitulandum erat: nec integrum illis ab Urbe diem abesse licuit, nisi in Latinis feriis, Halicarnass. *lib.*8. Agellius *lib.*3. *cap.*2. & Macrob. *lib.*4. *Sat.* Interim, cùm quemvis potuerint tueri, contra vim à superiore intentaram, licueritque illis quibusvis decretis, quæ improbabant, *intercedere*, imo quemcunque vellent arreptum in concionem producere; tantâ potentiâ & immunitate, tanquam telo armati, si qui naturâ inquieti, aut etiam Patribus iniqui erant, valde abusi sunt, & paulatim largius progrediendo, multùm labefactarunt auctoritatem Consulum & Senatus, auctoresque crebro fuerunt maximorum in Rep. tumultuum; At mœnibus terminata potestas fuit, nec quicquam extra urbem valuit, Halicarn. & Livius *l.* 3. Abolevit illam Sulla Dictator, restituit Pompejus, Plut. *in Pompejo* & Cic. *lib.* 3. *de legg.* donec sub Constantino M. Tribunatus hic in universum cessavit, V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom.*

Triburium, opp. fuit Germ. sup. ad Rhenum, apud Moguntiam, inter illam, & Oppenhemium. Locus nunc desertus adhuc *Tribur*: Ortel. Olim aliquot conciliis celebris.

Tribus, aut à numero, quia tres primitus apud Rom. erant, aut tributo quod pendebant, (teste Fazello) dictæ sunt partes in quas populus vel civitas dividitur, ab aliquibus ortum ducentes. Veluti *tribus Israël* à filiis Jacob originem trahentes; quibus terra promissionis, hoc est, Palæstinæ, divisa fuit. Has hîc non abs re fuerit recensere.

Tribus Israël.

1. Juda, amplissima, quæ utrumque mare, Mortuum & Syrium, Idumeam, & torrentem Ægypti attingebat, urbes supra 50. (in quibus Hebron, Gaza, Ascalon, Azotus, & Accaron) possidens. Hinc Judæa regio nominata est. Habet ad Ortum montes *Seir*, & Edom regionem ulterius Petram deserti, & Hor montem.

2. Ruben, ultra Jordanem, inter eum, Arnon torrentem, & mare Mortuum, seu, ut veteres vocant, lacum Asphaltitem, in regione Sehon & Amorrhæorum, ubi urbes Areopolis, Medaba, & Hesebon, inter alias.

3. Gad, à superiore in Boream recedens, juxta Jordanis ripam ulteriorem, & fines Ammon, & Sehon in terra Galaad, inter Hesebon & Ramoth. Cujus urbes primariæ Galaad, Socoth, & Ramoth.

4. Aser, in ora maris apud montem Carmelum Sidonem usque, & interiùs usq; Canam Galileæ, ubi fines tribus Zabulon. Ibi regio Cabul, & Ptolemais inter alias urbes. Cæterarum Tribuum Borealissima est, uti Simeon Australissima.

5. Dan, inter Hierosolymam & oram maris occiduam, ubi Joppe urbs. Habuit urbes 20. in quibus Thanna, Emmaus, Modin, Arimathia, & aliæ.

6. Nephthali partem Galileæ & Cœlesyriæ, inter Aser tribum & Jordanem, occupabat, habens Zabulon ad Austrum. In ea urbes 18. erant, inter quas Nephthali, & Cedes: cui regnum Basan ultra Jordanem ad Ortum incumbit, cum regione Trachonitide.

7. Manasse, cis & trans Jordanem. Pars trans Jordanem ultra Gad, inde in Boream recedens, erat, inter Socoth & Corozain ex adverso Capharnaum, ac inter Ramoth ad austrum & Rabbath in Cæciam, apud fines Ammonitarum: inter urbes Jabes erat, & Zeb. juxta fines Amorrhæorum. Pars cis Jordanem inter Cæsaream & Maggeddo campum Samariæ incolebat.

8. Simeon, ad Austrum, inter fines Ægypti & tribus Juda, in Idumæa, urbes habuit 17. in quibus Sceleg versùs Ortum, Bersabee versùs Austrum, & Cades orientalior, cum Rumath ad occidentem.

9. Levi nullas partes habuit in divisione terræ, inter alias tribus habitans.

10. Issachar ab ora littorali, ubi mons Carmelus est, usque ad Jordanem extendebatur, Samariam habens ad Meridiem, & terram Zabulon ad Septentrionem, inter montes Gelboe ad Austrum & Thabor ad Boream seu ad Cæciam. Urbes habuit 18. in quibus Jezrael & Dor.

11. Zabulon, inter mare Galilææ & mare Syrium, apud montem Carmelum extenditur, montem Thabor & magnam Galilææ partem occupans. Urbes 12. habebat, in quibus Nazareth, Bethsaida, Cana, & altera Bethleem.

12. Joseph, seu Manasse primogeniti illius, & Ephraim, inter mare Syrium & Jordanem, Manasse totam ferè Samariam occupante ad Septentrionem, ubi Cæsarea Palæstinæ, & Maggeddo apud montem Gelboe, & Hermon usque Dor; Ephraim versùs Austrum, ubi Gazer, & Bethoron versùs montem Ephraim, & Joppen, Ferr. Baudrando dicitur meliùs, *Tribus Ephraim*, extenditurque inter mare Syrium ad Occasum & Jordanem fluvium ad Ortum; terminaturq; à Septentrione dimidia Tribu Manasse cis Jordanem, & à Meridie Tribu Benjamin; ibique pars est Samariæ tractus. Ejus urbes fuere Samaria, Gazer, Lidda, & Najoth.

13. Benjamin, inter tribum Juda ad Meridiem, & Joseph ad Septentrionem, urbes habens 25. in quibus reperiuntur Hierico, Bethleem, atque Jerusalem. Ex his Juda, Dan, Ephraim, Manasse, Issachar, & Aser mare Syrium attingunt; Ruben, Gad, & Manasse ultra Jordanem sunt Orientem versùs; Simeon australissima juxta fines Ægypti & Idumeæ: interiores sunt Benjamin in Judæa, Joseph (seu Ephraim) in Samaria, Zabulon in Galilæa, & Nephthali inter Galilæam & Cœlesyriam.

Tribus in magnis urbibus, veluti familiæ antiquæ & præclaræ esse solent: præsertim Athenis & in urbe Roma, in quibus plures fuere, de quibus hîc paulo accuratiùs. Sub Cecrope quatuor erant Athenis *Tribus*, quarum nomina tum: *Cecropis, Autochthon, Actæa, Paralia.* Hæ postea sub Cranao dictæ sunt, *Cranais, Atthis, Mesogæa, Diacris.* Ab Erichthonio ipsis alia iterum nomina, petita à Diis, imposita sunt: *Dias, Athenais, Posidonias, Hephæstias.* Ion dein, à filiis suis appellari voluit, ut vocarentur *Geleontes, Ægicoreis, Argades, Hopletes.* Numerum auxit Clisthenes, & decem effecit veteribusque nominibus inductis, à Semideis seu Heroibus quibusdam, nomina iis indidit: vid. ab Hippothoonte, Antiocho, Ajace Telamonio, Leonte, Erechtheo, Ægeo, Oeneo, Acamante, Cecrope & Pandione. Quibus postea accessere duæ, quarum una ab Antigono, altera à Demetrio primùm: dein ab Attalo & Ptolemæo, in memoriam acceptorum à Regibus his beneficiorum, nominatæ sunt. Primam tribuum harum institutionem, ad imitationem anni factam vult Eustathius *Il. β.* Quatuor enim tribus 4. anni partes significabant; quarum quælibet divisa in tres Φρατρίας seu fraternitates, numerum 12. mensium: & quælibet Φρατρία in 30. γένη seu familias distributa, triginta cujuslibet mensis dies referebant. His præerant Φυλοβασιλεῖς, quasi dicas *Tribuum Reges*, qui, inter tribules lites obortas, dijudicabant, Vide Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib.*1. *cap.* 5.

Nomina Tribuum apud Athenienses.

Hippothoontis.	Oeneis.
Antiochis.	Acamanthis.
Ajantis.	Cecropis.
Leontis.	Pandionis.
Erechtheis.	Antigonis, quæ postea Attalis.
Ægeis.	Demetrias, postea Ptolemais.

Tribuum apud Rom. primus auctor Romulus fuit, qui, teste Dionysio *lib.*2. in tres partes universam civium multitudinem divisit, singulis præclaro aliquo Viro præposito: dein unamquamque rursus in decem partes, totidemq; fortissimos viros eis præfecit; has curias, illas *Tribus* vocans. Nomina Tribuum fuere, *Ramnensis*, à Romulo. *Titiensis* à Tito Tatio Sabinorum R. & *Luceres*, vel à Lucumone, vel à Lucretino, vel à luco Asyli, in quem multi fugâ delati civitateque donati fuerunt, dictæ. Postea, cùm sub Tullo Hostilio Albani victi in Ramnensium tribum adscripti, cæterique omnes populi, qui sub Regibus Romam ad habitandum venerant, præter Sabinos, Lucerum Tribui inserti fuissent, Urbeque murum auctâ, tres primæ tribus non sufficerent, L. Tarquinius Priscus nominibus earum duplicatis, senas fecit, primosque & secundos Ramnenses, Tatienses ac Lucerenses constituit. Aliam dein divisionem instituit Servius Tullius, qui, postquam septem colles uno muro complexus est, totam urbanam multitudinem in quatuor Tribus urbanas distribuit *Suburanam, Palatinam, Esquilinam* & *Collinam*, à locis habitationum sic dictas. Idemque universam rusticam multitudinem in quindecim tribus divisit, *Romuliam, Lemoniam, Pupiniam, Galeriam, Polliam, Voltiniam, Æmiliam, Corneliam, Fabiam, Horatiam, Meneniam, Papyriam, Sergiam, Veturiam* & illam quæ postea *Claudia* dicta est. Mansit hic numerus usque ad an. U. C. 258. quo additis duabus *Crustuminâ* nempe & *Vejentinâ* viginti & una factæ sunt. Anno postmodum 366. ex novis civibus quatuor accessere, *Stellatina, Tromentina, Sabbatina* & *Arniensis*, Liv. *lib.*6. Rursus an. 395. duæ Tribus additæ, *Pomptina* & *Publilia*, Idem *lib.* 7. Quibus ann. 421. duæ aliæ propter novos cives censos junctæ sunt *Mæcia* & *Scaptia*: Duæ item an. 435. *Ufentina* ac *Falerina*, & an. 454. duæ rursus aliæ *Aniensis* & *Terentina*. Tandem an. 512. *Velina* & *Quirina* prioribus adjectæ XXXV. Tribuum numerum expleverunt: qui numerus integer usque ad extrema Reip. tempora perduravit, Florus *Epitom. lib.* 19. Inter Tribus urbanas, & rusticas olim hoc discrimen erat, quòd urbanis ii qui urbem, rusticis ii qui jus colerent, comprehenderentur. Postea verò rusticæ urbanis longè prælatæ sunt, optimusque & præstantissimus quisque in rusticis Tribubus, relictis urbanis, censeri voluit: sic ut Tribus tum non urbis, sed civitatis partes haberentur. Cujus facti, duas refert causas Sigonius, tum vitæ rusticæ commendationem, tum Censoriam potestatem ac notationem, *lib.*3. *de Antiq. jur. civ. Rom. cap.* 3. Vide Liv. *lib.* 8. Plin. *lib.* 18. *cap.*3. Thomam Dempsterum *Antiq. Rom. lib.*6. *cap.* 15. *&c.* Ab his *Tributa* Comitia dicta fuere, cum nempe ex regionibus & locis, i. e. per *Tribus* suffragium fere-

ferebatur, A. Gell, *lib.* 15. *cap.* 27. ficut Centuriata, per centurias; Curiata, quæ per curias suffragium inibant, appellata fuerunt.

Tribus Romanæ antiquæ 35. quarum 4. primæ Urbanæ, sequentes Rusticæ dicebantur.

1. Palatina, à Palatino monte dicta, quæ apud Varronem in ordine quarta est.
2. Suburbana, seu Suburana, à Subura, prima apud Varronem.
3. Collina, à collibus Quirinalibus, apud Varronem etiam tertia.
4. Esquilina, ab Esquilio monte, apud Varronem secunda.
5. Romilia, sic appellata quòd sub Roma esset, in agro à Romulo Vejentibus adempto.
6. Æmilia, ab Æmilia gente nobilissima, ab aliis 14. loco posita.
7. Crustumina, à Crustumina urbe Tuscorum.
8. Cornelia, à gente Cornelia clarissima, 15. loco numerata.
9. Fabia, à Fabia gente, & 10. loco: cujus meminit Horatius *lib.* 1. *epistolâ* 6.

Hic multùm in Fabia valet, ille Velina,

10. Galeria, à loco, cujus tamen memoria non exstat.
11. Lemonia, à Lemonio pago apud portam Capenam in via Latina; ab aliis 7. loco memorata.
12. Mentina seu Menenia, à gente Menenia, locum 16. apud alios obtinet.
13. Ocriculana, ab Ocriculo oppido Sabinorum. Sed hoc loco Claudia ab aliis reponitur.
14. Papiria, à Papirio viro nobilissimo, à quo nomen genti: loco 19. aliis.
15. Pollia.
16. Popillia.
17. Pupinia.
18. Sergia.
19. Vejentina, ab agro Vejenti nominata: ab aliis 9. loco reposita.
20. Voltinia.
21. Claudia
22. Stellatina.
23. Tromentina.
24. Arnensis.
25. Sabatina.
26. Pomptina.
27. Poblilia.
28. Mæcia.
29. Scaptia.
30. Oufentina.
31. Falerina.
32. Aniensis.
33. Terentina.
34. Velina.
35. Quirina.

Ordo secundùm alios:

1. Suburana, à submuro terreo,
2. Esquilina, ab Esquilio monte, ex Varrone.
3. Collina, à collibus.
4. Palatina Ciceroni, à Palatio.
5. Romilia, à Romulo, ex Varrone libro 4.
6. Crustumina, ab oppido in Sabinis, Sexto Pompejo.
7. Lemonia, à Lemonio pago viâ Latinâ apud portam Capenam, Sexto Pompejo.
8. Pupinia, ab agro Pupino, Sexto Pompejo.
9. Vejentina, ab agro Vejenti; Ciceroni.
10. Galeria, ex loco, Livio libro 27.
11. Pollia, ex loco, Livio libro 8.
12. Vultinia, ex loco, Ciceroni pro Planco.
13. Claudia, ex gente, Livio libro 2.
14. Æmilia, ex gente, Livio libro 38.
15. Cornelia, ex gente, Livio libro 38.
16. Fabia, ex gente, Suetonio in Augusto, Horatio in epistolis.
17. Horaria, ex veteri inscriptione.
18. Menenia, aliis Mentina, Josepho libro 13. de bello Judaico.
19. Papiria, à Papirio, Sexto Pompejo.
20. Sergia, ex gente, Frontino libro 2.
21. Vetrovia, ex Livio 36.
22. Stellatina.
23. Tromentina, à campo Tromento in Tuscia, Sexto Pompejo.
24. Sabatina, à lacu Sabato, Sexto Pompejo.
25. Arniensis, seu Arnensis, ab Arno fluvio Tusciæ, Livio libro 6.
Hæ quatuor à censoribus additæ fuerunt, teste Livio libro 6.
26. Pomptina, ab agro Pomptino, Livio libro septimo.
27. Pompilia, à Popila, Sexto Pompejo.
28. Mæcia, à castro sic dicto, Sexto Pompejo.
29. Scaptia, ab oppido sic dicto, Sexto Pompejo.
30. Oufentina, à fluvio Oufente, Sexto Pompejo.
31. Falerina, ab agro Falerno, Josepho libro 13.
32. Aniensis, ab Aniene fluvio, Ciceroni libro 8. epistolarum.
33. Terentina, à Terento loco, Ciceroni pro Planco.
34. Velina, à lacu Velino, Livio libro 19.
35. Quirina, à Curensibus Sabinis, Sexto Pompejo.

Aliæ Tribus, ex antiquis inscriptionibus.

1. Ocriculana, ab oppido.
2. Pinaria, ex Sexto Pompejo.
3. Suppina, ex Livio libro 31.
4. Camilla seu Camillia, à Camillo.
5. Cestia, ex antiquo lapide; Cluentia, à Cluetiâ nobili familia.
6. Cluvia, sic ab urbe Samnitum.
7. Dumia, ex antiquo lapide.
8. Minucia, à gente nobilissima.
9. Papia, à Papio Mutilo.
10. Tauria, ex lapide.
11. Veturia, ex lapide.
12. Ælia, ex Ælia nobilissima familia, sicuti sequens.
13. Julia, ex Dione 44.
14. Flavia, à gente Flavia, ex qua Vespasianus.
15. Ulpia, à Trajano Imperatore nomen accepit.

Tributum Cæsaris, oppidul. Pomeraniæ cit. in dominio Bardensi, in limite Duc. Megapolitani, 4. mill. Germ. à Bardo in Mer. Deminum versus 3. Sub Suecis, pace Monasteriensi. Vulgò *Tribesez*.

Trica, aut potiùs *Tricca*, urbs Thessaliæ, à *Tricca* Penei filiâ dicta. Steph. Plin. *vers.* 3. 10. *Tricam & Apinam* op. quondam fuisse Apuliæ scribit; à Diomede condita, quæ eversa in proverbium abiit. Nam *Trica* pro nugis, rebusque futilibus accipiuntur, ac etiam pro impedimentis, ut frequenter apud Cic. Unde *tricari*, verbum, & *tricones*, qui nugis alios detinent, & *Tricinus quæstus*, qui tardè fit, & *Trica Atellana* apud Varr. pro nugis impeditissimis.

Tricadiba, Indiæ intra Gangem urbs. Ptol. *Quiloa* Castaldo.

Tricalon, & *Tricala*, urbs Siciliæ. Steph. V. *Triocala*.

Tricara, opp. Phliasiæ. Steph.

Tricaricum, urbs Basilicatæ, monti Pelusio proxima.

Tricasses, Galliæ Lugdunensis quartæ vel Senoniæ pop. quum duæ tantùm Lugdunenses essent, secundæ unà cum Rotomago & Turonis, erant attributi, Amm. Marcellinus *lib.* 15. Eorum apud Jul. Cæsarem, Melam & Strabonem nulla mentio. Plinio *Tricasses & Trecasses*, Ammiano modò laudato *Tricassini* vel *Tricasini*, vulgò *Troiens* dicuntur. Eorum angusti fines: Quippe Senonum hinc, inde Lingonum atque etiam Catalaunorum finibus undique clausi coarctantur. Urbs primaria caputque gentis Ptolemæo *Augustomana* vocata, in tab. Peutingeriana *Augustobona*, quod idem est, *Manum* enim & *Bonum* Latinis synonyma fuisse notum, dicta, distat in itiner. Æthici à Clano 16. m. p. ab Agendico 33. In vett. Notit. collocatur in umbilico provinciæ Lugdunensis Senoniæ, media ejus provinciæ civitatibus interposita: ita ut supra se quidem habeat metropolim Agedincum Senonum; Autricum Carnutum & Autissiodorum; infra verò Aurelianos, Parisios & Meldos. Hodie *Trecæ*, Gall. *Troyes*. Hanc primus Gregor. Turonensis *Campaniæ urbem*, qualis hodie est, vocat: *Patentibus campis sitam, & nec armis munitam nec muris*, Vita S. Lupi à Trecis, refert, principatu Placidi Valentiniani, ubi & portam Cæsaris esse scribit. Pagus ejus hodiè non habet nomen. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* V. etiam infra in voce *Tricassina*.

Tricassini, Ammian. *Trecasses* Plin. *Tricases* Anton. *Tricasii* Ptol. vulgò *Troyes* pop. & urbs Gall. Celt. in Belgicæ confin. sive è contra, à Rhemis 26. leuc. in Ort. V. *Tricasses*.

Tricastini, pop. Gall. Narb. prope Druentium fluv. quorum tractus exiguus *le Tricastin*. In prov. Delphinatus infer. versus Rhodanum & limites Provinciæ. Eorum urbs Augusta Tricastinorum, vulgò *S. Paul*, in colle est, 1. leuc. à Rhodano, media ferè inter montem Æmatorum ad Bor. & Arausionem ad Mer. 3. leucis utrinque, uti 4. à Vasione in Circium. Hanc eandem cum Noviomago vel Nœomago esse, contra Sirmundum, Scaligerum & Holstenium, sentit Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Inter prov. Viennensis civitates 14. septimum obtinet locum, *in vett. Notit.* Arelatensi eam provinciæ alii tribuunt: & hodieque *Tricastinus* Episcopatus unus est è quatuor Arelatensis provinciæ. Primum Episcopum suum S. Paulum patronum habet, & majus urbis templum S. Pauli nomine censetur, quæ urbs, qualis nunc est, in Delfinatu, vicus magis, quàm civitas vocari meretur. Concilio Epaonensi interfuit Florentius Episcopus: Concilio Aurelianensi quarto Heraclius: Ad Concilium Lugdun. secundum, misit Eusebium Presbyterum Victor Episc. Concilio Matisconensi secundo adfuit missus, seu Vicem-gerens Eusebii Episc. Concilio Cabillonensi Betto Episc. Cùm apud Usuardum legitur: *Kal. Febr. in oppido Trecassino S. Pauli Episcopi, cujus & vita virtutibus claruit, & mors miraculis commendatur*: pro *Tricassino*, legendum *Trecastino* vel *Tricastino*: ab hoc enim Paulo urbs hæc dicta opp. S. Pauli, *S. Paul de Tricastin*: aliàs absolutè, ut dictum, *S. Paul*: Holstenio S. *Paul en Trecasteaux, &c.* V. Hadr. Valesium supra memoratum in *Augusta Tricastinorum*. Hinc *Tricastinus*. Silius *lib.* 3.

Jamque Tricastinis incedit finibus agmen.

Tricimana, castellum Phliasiæ. Steph.

Tricca, vide *Trica*. Est autem, Æstioridis hodie *Janna*, Macedoniæ reg. urbs, ad Peneum. Ptol. *Tricala* Sophiano & Bellonio. Hic natus est Æsculapius, qui ob id *Triccæus* dicitur. 25. m. p. ab urbe Janna, in Ort. Larissam versus, & Pharsalum 60. m. p. circit.

Tricca, quæ Dolopibus vicina est & Pindo monti, templum erat Æsculapio sacrum, qui in Coo Insula & Pergami quoque cultus est; sed nullibi religiosiùs, quàm Epidauri in Peloponneso, ubi natus est, & unde *Epidaurius* dicitur. Ovid. *Met. lib.* 15.

Æquore pacato patrias Epidaurius urbes
Linquit.

Vide *Tricca*.

Tricesima, Germ. urbs. Ammianus, quam Pet. Divæus putat eandem esse cum *Legione Trigesima Ulpia* Ptolemæi; & in el Ul-

tia,

trajectum in Hollandiâ designetur, se nolle contendere ait. *Albim* est Ferrario, apud Bercum, inter illud & Sartas sesquileucâ, ad Rhenum. Vide *Utricesium.*

Tricesimum, opp. seu castrum Carnorum, apud Forum-Julii, ab Utino 7. mill. pass. Julium Carnicum versus 30. Anton. Adhuc *Tricesimo.*

Trichina, oppidum Lucaniæ.

Trichonion, urbs Ætoliæ, Stephan.

Triclaria, Diana dicta est, cui sanguine humano quondam litari solitum erat, quòd in ipsius delubro Menalippus & Comætho, amore victi, turpiter coiissent. Pausan. addit ob hanc templi profanationem secutam magnam agrorum sterilitatem, consultumq; Apollinem respondisse, ut Menalippum & Comæthonem & prætetea singulis annis virginem pulcherrimam sacrificarent; tandem Eurypylum illius sacrificii crudelitatem sustulisse.

Tricolini, urbs Arcadiæ à *Tricolino* fil. Lycaonis, Steph.

Tricollori, Plin. pop. Galliæ Narb. ubi fuerint, non constat. *Tallant* enim, quod illorum opp. fuisse refert Ferrarius, Caturigum aliàs fuit, *Alarons* dictum, 6. m. p. à Vapinco in Mer. Baudr.

Tricongius, Novellus Mediolanensis sic dictus, qui gestis honoribus à præturâ ad Consulatum usque pervenerat. Hic enim tribus congiis epotis, spectante, miraculi gratiâ, Tiberio Imper. præclarum cognomen sibi vendicavit.

Triconium, vide *Trichonion.*

Tricorii, populi Gall. Narbon. quorum opp. *Tricorium le Craux*, teste Pineto. Baudrando ubi fuerint, non constat. *La Crau* enim tractus est, aliter *Campi lapidei*, inter stagnum Astromelam ad Ort. & Arelatem ad Occ.

Tricornesii, Mysiæ superior. populi, Ptolem. quorum reg. *Toplixa* Castaldo.

Tricornium, Mysiæ superioris in Servia oppidum. Ptolem. *Columbacz* Nigro. Apud Danubium & pontem Trajani. Lazio est *Coruscevo*, pag. proximus Galumbacio.

Tricorythum, vicus in Æantide tribu. Vide Stephan.

Tricrena, locus Arcadiæ, ubi tres fontes. Hic Mercurius fertur natus, Pausan.

Tridentum, Italis *Trento*, Gallis *Trient*, Anglis *Trente*, urbs Comitatus Tirolensis, satis culta, ad Athesim fluvium sita, vetus est, & eam in decima regione Italiæ, inter mediterraneas collocant, Plinius & Strabo, vulgò *Trent.* Conditam volunt à Gallis; & ita Trogus prodidit: nomen habere creditur, vel à tribus torrentibus, qui è montibus hic in Athesin defluunt: vel à tribus altissimis montium cacuminibus, quæ propinqua sunt, vel à Neptuni tridente: Tridentinos enim constat coluisse Neptunum, cujus effigies cum fuscina adhuc extat, in lapide pervetusto, in templo B. Vigilii. Urbem muro cinxit Theodoricus Ostrogothorum Rex, usus instructuram lapide quadrato. Sermo civibus partim Germanicus, partim Italicus, & ut inter se linguâ, sic moribus etiam diversi sunt. In hac urbe celebratum est Concil. illud famosum, An. cIↃ IↃ xlvI. sub Paulo III. Mesc. Baudrando fuit caput Tridentinorum, in Rhætia propr. in valle, inter altissimos montes; sub Episc. propr. sub clientela tamen Imper. uti Comitis Tirolis, 18. mill. Germ. ab Oeniponte in Mer. uti 6. à Bolsano, 4. à proxim. ora lacus Benaci in Occ. 8. à Verona in Bor. Hic instante, ad petitionem Protestantium, Carolo V. Imper. (Namque & Lutherus An. Chr. 1518. provocavit à Pontifice ad Concilium, quod illo superius esse jam Concilio olim Constantiensi & Basil. definitum, & Spirensi Conventu An. Chr. 1526. habito decretum fuit, ad constituendam religionis formam legitimo opus esse Concilio, quod dum habeatur, ita sese gerere debere omnes, quo sui facti rationem Deo Cæsarique reddere queant.) tandem famosum illud Concilium, à loco *Tridentinum* dictum, à Paulo III. An. C. 1545. convocatum est; sed ita, ut Andr. Dudithius Episc. Quinqueccl. *epist. ad Maxim. II.* scripserit, *Episcopos larvas, non homines, sed simulachra, quæ nervis moverentur alienis, & Dædali statuas fuisse.* Initium die 7. Januar. factum, primâque sessione monens Episcopus Bitontinus, *confluerent ad Concilium tanquam equum Trojanum*, offendit Patres. Postquam septem habitæ sessiones, & in illis doctrina Eccl. Rom. confirmata, Bononiam, sub prætextu aëris minus salubris, Cæsare frustra renitente, Concilium translatum est: nihilominus Episcopi, qui Cæsareæ ditionis erant, Tridenti substiterunt. Anno postmodum 1551. postquam interea liber *Interim* Germaniæ obtrusus fuisset, Julius III. Concilium Tridenti instauravit: cui Protestantes, nisi cautionem, quâ olim Bohemis Basileæ cautum fuerat, haberent, interesse recusarunt. Et Rex Galliæ Henricus II. Conventum, non Concilium vocavit. Hic tres rursus sessiones habitæ, in quibus Transubstantiatio asserta, & Sacramentorum numero Pœnitentia, cum extrema Unctione accessit. Adventante dein Mauritio Saxone, diffugere omnes, An. Chr. 1552. quo cùm à Carolo Passavii pax Religionis concessa esset Germaniæ, quod postea comitiis Augustanis à Ferdinando I. confirmatum, Paulus IV. utriq; vehementer succensuit. Pius dein IV. idem Tridenti An. C. 1561. denuo redorsus est, missis ad Germaniæ Principes literis cum inscriptione, *Dilecto filio, Nobili viro, Duci vel Comiti:* quas non resignatas remisere, cùm nec jurisdictionem ullam Pontificis se agnoscere, nec penès illum esse Concilium convocare, dicerent. Daniæ quoque Rex irritatus, mandata Pontificia cognoscendi cupidum se magnopere non esse, respondit. Elizabeta autem Angliæ Reg. Legatum è Belgio in Angliam trajicere prohibuit. Inchoato Concilio Guido Faber Legatus Caroli IX. Gall. Reg. Reformationem Ecclesiæ obnixè ursit, sed ab Italis Præsulibus, cum scommate, *Gallus cantat*, irrisus est. Idem Rex cùm calicis usum in S. Cœna peteret, *venenum Gallis non esse propinandum*, Cardinalis S. Angeli respondit. Quod cùm & Ferdinandus Imper. & Albertus Bavariæ D. poposcissent, frustra fuere. Vide in voce *Calix.* Cùm iidem Sacerdotibus conjugium concedi vellent, responsi loco acceperunt: *Matrimonium Presbyteris concedere, non aliud esse, quàm Hierarchiam Eccl. destruere, & Pontificem redigere ad Romæ solius Episcopatum.* Tandem dissoluto Concilio, An. Chr. 1564. Pius IV. Patribus redeuntibus, summas egit gratias, quòd tantam auctoritatis Pontificiæ rationem habuissent. Interim Synodus hæc à Germanis spreta, à Gallis non admissa est: & Claudius Sanctius, celeberrimus Theologus Lotharingo Cardin. à consiliis, *in Concilio Tridentino plus nobis, quàm Spiritum S. tributum esse*, dicere solitus est. Claudius quoque Espenlæus, *in Com. ad Timoth. meritò*, inquit, *in Concilio Basil. Ludovicus Arelatensis Cardin. questus est, in Conciliis id demum fieri, quod nationi placeat Italicæ, & hæc illa Helena est, quæ nuper Tridenti obtinuit.* Vide Thuan. Incastr. *Histor.* P. Suavem, Polanium *in Hist. Concil. Trid.* Heideggerum *in Examine ejus*, Lætum *Comp. Histor. Univ.* Hinc *ditio Tridentina:* prov. Italiæ antea, nunc pars Australis Comitatus Tirol. à quo ad Bor. terminatur, sicut ditione Veneta, ab Ortu, Occ. & Meridie. Germ. *Stifft von Trient*, Italis *Vescovato di Trento*, Gallis *Evesché de Trente.* Sub Imper. ut Comite Tirolis. Episcopus tamen Trident. possidet in eo tractu plurima loca, ipsumque Tridentum; Hinc Princeps Tridentinus dicitur; sed sub clientela Comit. Tirol.

Tridinum, & *Tridinium*, opp. munitum Montisferrati, vulgò *Trin*; tantisper à Pado, sub Duce Sabaudiæ pace Clarascensi. Pluries haud pridem captum receptumque.

Trieres, urbs Syriæ. Item gens quædam dicta à *Triero* Ombriarai & Thraces filio, Stephan.

Trierorum, seu *Trieron*, sing. num. prom. Africæ, Ptol. *Capo Sudeyca* Marmolio; *Capo della Giudeca* aliis, inter ostia Cinyphi ad Occ. apud Leptim magnam, & Macomacam villam ad Ort.

Trieterica, Bacchi sacra, quæ tertio quoque anno celebrabantur, Virgilius:

—— *Audito stimulant Trieterica Bacchi*
Orgia. —— ——

Statius *Thebaid.* 2.

—— *Non hæc Trieterica vobis*
Nox patrio de more venit. ——

Trifernum, Liv. *Bifano* Blondo, mons & oppidum Pelignorum, in Aprutio, non longè à Bojano, sed hic locus in Samnitum & Frentanorum confinio est, Ferrar.

Trifolinus, mons Campaniæ Neapoli imminens, sic à *trifolii* copia dictus: Vulgò *Monte di S. Martino.* Unde *vinum Trifolinum*, apud Mart. 31. III.

Non sum de primo fateor Trifolina Lyæo.

Trigaboli, pop. Gall. Cisalp. ut Leander scribit inter 2. Padi fluv. ostia habitantes, quos postea *Tesalios* ait vocatos.

Trigarius, locus juxta Campum Martium, Plin. 37. 13.

Trigemina, porta Romæ dicebatur, per quam *Trigemini* fratres Horatii exierunt; eam Marcellinus *Ostiensem* vocat, teste Marliano, qui eam hodie *Porta S. Pauli* vocari scribit.

Trigesima Legio, vide *Tricesima.*

Trigesanum, oppidul. Austriæ infer. ad *Draisam* amnem, qui paulo infra in Danubium cadit, in ditione Archiepisc. Salisburg. 7. mill. Germanica, supra Viennam in Occident. Cluver. Vulgò *Trasmaur.*

Triglypton, Indiæ extra Gangem urbs, Ptolem. Hic corvi albi, & Trœzene in Asia, & galli barbati. *Pegu* Castaldo. Aliis *Canarane*, ad Besingam fluv. 220. m. p. supra Pegu in Bor.

Trigoria, regiunc. German. super. in Trevirorum finibus, apud Rhenum & Vesaliam super. inter illam & Bodobrigam ad Bor. ubi S. Goaris vulgò *S. Gevver* opp. olim *oppidum Germanorum* dictum, monast. ac tumulo ejus illustre, villa Belthomus, aliaque loca, 2. leuc. à Bodobriga in Mer. Ficeliam versus t.

Trileuci, 3. scopuli Oceani Cantabrici in orâ Hisp. Bor. *Pennas de Guzman* Ortelio; ubi promunt. *Trileucum*, quod *Capo d'Ortegal* Hispan. in mare valde protensum, 12. leuc. Hisp. distat à Corunia in Bor. & 28. à Scythico prom. in Occ.

Trima, urbs Lageniæ, in Hibern. in Comit. Mediæ Orientalis, ad Bovindam fluv. 20. m. p. à Dublinio in Occid. Molingariam versus totidem. Vulgò *Tryme.*

Trimerus, vide *Tremerus.*

Trimilidum, vulgò *Tremblay*, vicus agri Parisini, non procul à Luperis & Villa Picta: aliàs *Grand Tremblay.* Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Trimmanium, *Trimammion*, Anton. opp. Mysiæ infer. ad Istrum fluv. *Drimago* Ortelio.

Trimontium, opp. Albionis in Selgovis, apud oram occiduam, inter Angliam & Scotiam, *Atterith* nunc, teste Camdeno. Item urbs Thraciæ eadem quæ *Philippopoli.*

Trimulia, opp. Pictavii, cum tit. Duc. in limite Marchiæ Lemovicensis, 12. leuc. à Pictavio Urb. in Ort. ad amnem *Benaise*, cum castro splendido; Vulgò *la Tremouille*.

Trinacia, Diodor. *Tyracina* Stephano, *Randazzo* Aretio, urbs olim præcip. Siciliæ, nunc jacet, à Syracusanis excisa. Ejus vestigia apud Catalbanum castrum à Palica 3. mill. pass. à Menis. Populi *Tiracienses* Plin.

Trinacria, Sicilia à *triangulari* figurâ sic dicta, quæ & *Triquetra*. Hinc *Trinacrius*. Virgil.

Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni.

Item *Trinacris*, ut *Hybla Trinacris* apud Ovidium: Idem *Fastor*. 4.

Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor,
Trinacris, à positu nomen adepta loci.

Idem Ovidius *Metam*. 5.

Vasta Giganteis injecta est insula membris
Trinacris. —— ——

Trinassus, Ptolem. oppidum seu portus Peloponnesi, in ora Laconicæ, juxta quod tres Insulæ parvæ, unde ei nomen, inter Gythium ostiaque Eurotæ.

Trinemeis, vel *Trinemia*, vicus in Cecropide tribu, Steph.

Trinemii, pop. Helladis, apud quos Cephisus oritur, Strabo.

Trinesia, Indiæ intra Gangem insul. Ptol. *Rhesiphe* Castaldo.

Trinessa, locus Phrygiæ, Stephan.

Trini portus, opp. agri Tarvisini.

Trinitas, vulgò *la Trinitad*, opp. Guatimalæ, versùs oram littor. maris Pacifici & opp. S. Salvatoris, ab Hisp. extructum, 100. ferè m. p. ab urbe S. Jacobi de Guatimala in Eur.

Trinitatis Insula, *la Trinitad*, opp. Americæ merid. in mari Bor. prope ostia fluvii Orenoci, seu Pariæ, in sinu Pariæ, ubi magna unionum piscatio. Ab Ortu ad Occ. 110. mill. pass. extensa. Vix 35. mill. ab ora novæ Vandalitiæ in Ort. Sub Hisp. qui ibi aliquot habent colonias.

Trinitatis Ins. parva, in mari Brasilico, montuosa & deserta.

Trinium, fluv. Frentanorum in Aprutio (cum opp. cognom.) ex Apennino monte, ubi is *Majella* vocatur, profluens, & in mare Hadriaticum labens.

Trinobantes, *Trinovantes* Tacito, populi Albionis, quorum reg. *Middlesex* hodie dicitur.

Trinquimala, vulgò *Trinquimale*, urbs Ceylani Insulæ, caput regni cognom. in ora, versus sinum Ganget. 45. mill. pass. à Candea in Caec. 90. ab Ins. Manaria in Ort. Cum urbe munita.

Trinythium, oppid. Ægypti, Lib. Notit. Oasis major videtur, teste Ortelio.

Triobris, fluv. Galliæ, è Gabalorum monte Margarida *Mariaride*, vel *Margeride*, scaturiens, vulgò *Trieure*, effluit in Olitim, Malsioeum, *Malzieu*, Oratorium *Oradour*, Pontem & Interaquas *Entraques*, præterlapsus: Si Savaroni fides, alluit & vicum *Treboul*, in confinio Arvernorum, Gabalorum & Rutenorum, qui à situ fortè Triviolus Latinè dictus est, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Triocala, *Triocla*, Ptolem. *Tricala*, & *Tricalum*, Stephan. urbs Siciliæ, olim Episcop. apud oram Austr. à Rom. post bellum servile excisa. Hodie in ruinis. Ejus locus nunc *S. Maria di Monte Vergine* dicitur, m pass. à Calata Bellota, versus oram Maris Africi, Brietio. Pop. *Triocalini*. Ejus mem. Sil. *lib*. 14.

Et mox servili vastata Triocala bello.

Trioculus Jupiter, sic ideo appellatus, quòd cœlestis, terrestris, & marinus sit. Hujusmodi Jovis ex ligno statuam habuisse Priamum, scribit Pausanias, quæ tres oculos haberet, quorum unus esset in fronte, reliqui verò eâ parte quâ cæteri.

Trioditis, Hecate, quòd in *triviis* colatur, Steph.

Triopala, fluvius, qui & *Assorus* dictus.

Triopas, Thessalorum rex, pater Meropis, Steph. Item Erisichthonis pater, qui idcirco *Triopejus* dicitur. Ovid. *Metam.*

Nec tamen idcirco ferrum Triopeius illa
Abstinuit. —— ——

Sic & *Triopeis* pro Erisichthonis filia, quæ Triopæ neptis. Idem Ovidius:

Sæpe pater dominis Triopeida tradit.

Alius inter Argivorum reges septimo loco ponitur à veteribus, Phorbantis filius. Alius Abantis filius, veteri Theocriti Scholiastæ ex Jasone rerum Cnidiarum scriptore celebratur. Mem. & Eustath. cujusdam *Triopa* Perrhæborum regis, quem fil. Carnabas violenter in imperio se gerentem occidit. Alius denique fuit, quem *Deum* vocat Herodes Atticus, quem Iphimediæ patrem nominat Apollodorus *lib*. 1. *Bibl.* Salmasius.

Triopion, vel *Triopia*, urbs & promunt. Cariæ, Steph. apud Gnidum Urb. Nunc *Capo Chio*. Plinio est ipsa Gnidus. Vide ibi.

Triopius, Apollo sic dictus, vel à *tripodibus* æreis, quos ferebant victores in certamine Apollinis Triopii: quos tamen è sacro victores auferre non poterant, sed ipsi Deo relinquere cogebantur; vel quasi Τελέφθλυμ⊕ ab insigni prudentiâ; vel à *Triopâ* Solis filio, rege Thessalorum.

Triorena, locus Arcadiæ, ubi tres fontes, & Mercurius natus, Pausf. An *Trierena*? Vide ibi.

Triozenus, Thrax, unus ex his qui venerunt in auxilium Trojanorum.

Triparadisus, opp. Syriæ super. ubi Eurydica degebat. Diodor. Vide *Paradisus*.

Tripholinus mons, vide *Trifolinus*.

Triphulum, Ptolem. *Filesia* Lazio, oppid. Valachiæ. Aliis est *Tergovvisch*, urbs prim. à Cibinis ad 20. leuc. in Eurum.

Triphylia, eadem quæ *Elis*. In ea Pylus opp. ad Scollium montem, qui *Triphyliacus*, ad Pyli alterius in ora Messeniæ apud Coryphasium prom. differentiam cognominatur, ab illo 400. stadiis, teste Strabone, ab Elide urbe 12. m. p. Dicuntur autem *Triphyli*, quòd è *tribus* numero *tribubus* collecti sint, vel à *tribus portis*, vel à *Triphyle* matre Clytii, Steph. *Triphyllis* Dionysio *vers*. 409.

Τῆς αὐτῆς μὲν Ζεφύροιο Τελφυλίδ⊕ ἤπειρα γαίης.

Hinc Jupiter *Triphyllius* dictus.

Tripodiscus, vel *Tripodisci*, vel *Tripodisce*, vicus aut civitas Megaridis, Stephan.

Tripolis, urbs gemina: Una Phœniciæ maritim. Archiepisc. & emporium ac sedes Præfecti, *Tripoli di Soria*, inter Orthosiam ad Arctos 50. & Byblum ad Merid. 36. m. p. Sub Christianorum in terra sancta imperio, proprios habuit Comites: quorum nullus inconstantiâ Emmanuel Imper. Orientis admodum infestatus est, An. Chr. 1161. Nicetas *in Histor.* perfidiâ dein auro à Saladino corrupti, Guido Lusignanus Rex Hierosol. magnam cladem accepit, An. Chr. 1187. quam regni ruina paulo post sequuta est, Vide Paul. Æmilium *lib*. 5. Blond. *decad*. 2. *lib*. 6. Eadem postea crudelissimè à Sultano Babyloniæ An. 1289. igni ferroque vastata, Idem *lib*. 8. sed refecta pristinam magnitudinem recepit. Hac postmodum Achmetes Imper. Turc. ab Alipiensi Bassa rebelli, ut & Damasco thesaurisque exutus est, An. Chr. 1606. Thuan. *Hist. lib*. 63. Turc. *Tarapolo*. Fuit autem *Tripolis* vocata, quòd *tribus urbibus* stadio inter se distantibus olim constaret, seu quòd *trium urbium*, hoc est, Aradi, Tyri & Sidonis esset colonia, teste Steph. Dionys. *vers*. 914.

Καὶ Τρίπολιν λιπαρήν, Ὀρθωσιάδα τε Μάραθόν τε.

Patria fuit Theodosii Poëtæ, qui de æstate scripsit. Altera *Tripolis* Solino, *Leptis magna* Plinio, Antonin. & Ptolemæo, (qui Neapolim & Leptim magnam eandem urbem facit) urbs Africæ littoralis apud Syrtim parvam ex *tribus urbibus* & ipsa constans, Taphris, Abrotono & Lepti magna, quæ ad eam constituendam convenere. Baudrando *Tripolis*, urbs Africæ, in ora maris Mediterranei: Duplex est, nempe Tripolis vetus, *Tripoli vecchio*, ubi aliàs *Sabrata*, urbs Africæ in ora maris Mediterranei & in Tripolitana regione, media inter Leptim magnam ad Ortum & Tacapam ad Occasum, cum portu capaci. Sed parva est, & in dies deficit, à paucis tantum habitata, propter aëris inclementiam. Tripolis autem nova, *Tripoli*, seu *Tripoli de Barbarie*, urbs est ampla & opulenta Africæ, ubi aliàs *Oea* urbs, teste Sansone; estque regni Tripolitani, inter Oceanum & regnum Tunetanum, versus Occid. satis ampli, sed in quo paucæ urbes, caput, cum portu capaci & munito, verùm piraticâ infamis, 540. mill. pass. distat à Cyrene in Occasum, & ferè 400. à Carthagine in Eurum. Aliàs capta fuerat ab Hispanis, sub Ferdinando, An. Chr. 1510. & concessa Equitibus Melitensibus, ut commodius servaretur; sed inde postea ejecti fuere à Turcis, quibus paruit per aliquot annos, nunc autem ferè sui juris est, Reipublicæ formam quandam servans sub clientela Turcarum. Erant aliæ hujus nominis urbes; una in Thessaliâ, teste Liv. alia in Cariâ, Steph. & alia in Lydiâ, *Tripoli de Natolie*; teste Plin. Pop. *Tripolitani*.

Tripolis, quæ & *Ischopolis*, & *Ischiopolis* Plinio, urbs fuit Cappadociæ, in ora littorali Ponti Euxini, 20. milliaribus ab Hermonassa in Ortum. Trapezuntem versùs 70. ferè; nuncque etiam *Tripoli* dicitur, in provincia *Genech* dicta, teste Jacobo Castaldo, & subest dominio Turcarum.

Tripolitana regio, pars Africæ propriæ, inter Cyrenaicam ad Ortum, Byzacenam ad Occasum, mare Mediterraneum ad Bor. & Libyam desertam ac Garamantes ad Austrum. Ibi aliis Lotophagi & Macæi populi, & *Arzugitana provincia* dicitur, in Epistola Aurelii Episcopi Carthaginensis apud Baronium *Anno Christi* 419. *numero* 58. quamvis ibi malè edatur Azuritana: Nam vetustissimæ membranæ Bibliothecæ Barberinæ *Arzugitana* habent; nunc autem dicitur regnum Tripolitanum.

Tripolitanum regnum, *royaume de Tripoli*, aliàs *Tripolitana*, regnum est Africæ, in ora maris Mediterranei, inter regnum Barcæ ad Ortum & regnum Tunetanum ad Occasum, seu inter Syrtim majorem & Syrtim minorem. Ibi raræ urbes, quarum præcipua est Tripolis, *Tripoli de Barbarie*, regni caput. Aliàs paruit Turcis, sub quorum clientela remansit postea per multos annos; nunc autem ferè sui juris.

Tripolus, Herod. locus Cretæ, in quo Plutonem genitum fabulantur. *Tripodus* Diodoro.

Tripolyssi, pop. Thesprotici, Steph.

Tripontium, pagus Angliæ in Com. Northamptonensi, Antonin. *Toceter* Camdeno, opp. aliàs Coritanorum, hodie pagus *Towcester*, Speedo, 6. mill. Angl. à Northamptonia Urbe in Mer. Buckingamiam versus, prope fontes Usæ fluv.

Triptolemus, Eleusii, ut Hygino placet, aut, ut Pausanias tradit, Celei Eleusini regis & Metanirae fil. qui primus in Græcia agriculturæ rationem creditur invenisse. In infantia divino lacte à Cerere nutritus; Alatis serpentibus dein impositus, illis per totum urbe-

trebatur, per totum terrarum orbem, ut frumentorum usum doceret, ab eadem missus est. Vide Hyginum. Ovid. *Fast. lib.4.*

Iste quidem mortalis erit, sed primus arabit,
Et feret, & cultâ præmia tollet humo.

De *Triptolemi* legibus apud Athenienses 3. duntaxat præcepta in Eleusine templo scribit Xenocrates Philosophus: *Venerandos Deos; honorandos parentes, carnibus non vescendum esse.* Ovid. *Trist.4.*

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus.

Statius *lib.4. cap.2.*

Ætherei felix sic orbita fluxit
Triptolemi. —— ——

Socrates apud Platonem oratione ad Judices, inter judices infernales Triptolemum refert. Eam orationis partem Cicero laudat Latinè conversam, 1. *Tuscul. cap.41.*

Triquetra, Sicilia sic dicta. Horat. 2. *Satyr.6.*

—— *Militibus promissa, Triquetrâ*
Præmia Cæsar, an est Italâ tellure daturus?

Hinc *Triquetrus* adject. Lucret. *lib.1. de Empedocle:*

Insula quem Triquetris terrarum gessit in oris.

Trisagium, ex Græc. τρὶς ἅγιον, id est, ter Sanctum: Clausula, quæ in officiis Ecclesiæ antiquè canebatur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Cujus usus in Concil. Vasense, sub ætate Constantini Magni contra Arianos institutus est. Vide Tom. Concil. 1. *pag.* 460. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Trisanton, fluv. Albionis cum oppid. cognom. in Australi orâ contra Vectim insulam decurrens. Ptolem. opp. vulgò *Southampton* dicitur in agro Hantoniensi. Baudrando *Trisanton* portus, seu *Trisantonæ* fluvii ostium, est *Hampton Water*, portus amplissimus, qui aliter *le port de Southampton* dicitur, ab opp. adjacente, aliàs Clausentum dicto, in intimo ejus recessu, ad ostia fluvii *Test*, 10. mill. Angl. à Vintonia in Merid. Estque in Hantonia provincia in ora maris Britannici.

Trischene, vulgò *Taverna*, urbs olim Episc. magnæ Græciæ mediterr. hodie non obscura, apud montem Silam. Catacio urbi prima, quò nunc sedes translata est, proxima; inde 8. mill. pass. in Bor. Aliis est *Tres Tabernæ*, cujus loci in Actis Apostol. *cap. ultim.* mentio fit. Vide ibi.

Trisidis, Ptolem. nunc *Tenzert*, Marmol. *Tehart* Arab. oppid. Mauritaniæ Ting. mediterraneum, 10. m. p. à Tocolosia in Ort. Aliis *Tenjer.*

Trisimachus, libros κτίσεων condidit, quorum tert. citat Plutarch. *Par. Min. cap.6.*

Trismegistus, vide *Mercurius.*

Trismis, Mysiæ insulæ opp. Ptol. ad Istrum, inter Axiopolim ad Occ. 78. & Noviodunum ad Ort. 38. mill. pass. *Trachina* Nigro. Sed lege Τρωσμὶς, vel Τρωσμὶς, quomodo Const. Porphyrogen. *lib.2. Them.* dicitur. Antonini etiam itinerario *Trosmu* est, & Notitiæ Imperii.

Trispla, pop. Thraciæ, Stephan.

Trissum, urbs Jazygum Metanastarum, Ptolem.

Trissolus, Ptolem. *Tamoriza* Moletio, (quod nomen etiam regionis est) oppid. Macedoniæ mediterraneum, in regione Sintica, ab Heraclea in Occ. distans. Sed *Tamoriza* regio ibi putatur, ubi *Taulantii* populi, Ferr.

Tritæa, urbs Achajæ, Stephan. in Phocide, mediterranea, juxta Locros Ozolas.

Tritanus, prodigiosæ fortitudinis gladiator. Vide *Titormus*, & Plin. *lib.7. cap.20.*

Trite, urbs circa Herculis columnas, Stephan.

Tritea, urbs Troica ab Atisbenubus condita. Alia inter Phocidem & Locros Ozolos. *Tritteas* verò in Achajâ est, Steph. Populi *Trities* Herodoto.

Tritheita, vide *Philoponus.*

Trithemius Johannes, Abbas Spanhemius, è pago Tritenheim, diœcesi Trevirensis. Divinarum humanarumque rerum scientissimus. Obiit An. 1516. in Monasterio S. Jacobi Herbipoli. Scripsit plurima, inter quæ eminent: Tr. de Illustr. Script. Ecclesiasticis 970. Item de Viris Ill. Germaniæ, ut & de Vir. Ill. Ordinis S. Benedicti. Scripsit quoque Chronica, vitas SS. varios tractatus Asceticos; de Polygraphia libb. 6 Unum de Steganographia. Idem à quibusdam censetur, auctor libelli, An. 1612. editi, cum tit. *Veterum Sophorum sigilla & imagines magicæ, sive sculptura lapidum aut gemmarum ex nomine Tetragrammato, cum signatura planetarum:* aliis contrarium probantibus. Necromantiæ & commercii cum Dæmonibus à non paucis, inprimis à Carolo Bovillo, accusatus; defenditur à Jac. Cohorio, Boissardo, Blasio Vigenerio, Adamo Tannero, Abbate Sigismundo, in libro *Trithemius sui ipsius vindex.* Vide A. Thevet. *in elog.* Voss. *de H. L.* Naudæum, *apolog. c.17. &c.*

Triticum, *Tuboricum* Ptolem. *Tobolicum* Pompon. opp. Hispan. Tarrac. in fin. Vardulorum; *Mondragon* hodie, teste Hen. Coquo, Briedo est *Placentia*, urbec. Ipuscoæ, ad Devam fluv. 4. leuc. infra opp. *Mondragon* in Bor. versus oram Oceani Cantabr. paulo plus.

Triticum Metallum, Hispan. Tarracon. opp. in fin. Autrigonum excisum; locus hodie *Trejo* Molerio, apud Nagaram, urbem Castellæ veter. inter Dominicopolim & Logronium 4. leuc. à Calaguri in. versus Bergos monstratur; quæ urbs *Najara* dicitur &

Tritium novum nominari potest, quasi ex Tritii veteris ruderibus excitatum, inde tamen 2. leucis distans, Ferrar.

Tritogenia, Pallas dicta est, quòd apud Tritonem Africæ paludem apparuerit, vel à nomine Τρίτω, id est, κεφαλὴ, (sic enim Æoles vocant, ut ait Aristoph. Schol. *in Nub.*) quòd sit ex Jovis capite edita. Unde Hesiod. *in Theog.*

Αὐτὸς δ᾽ ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα Τριτογένειαν, *&c.*

Vel quòd eadem cum Lunâ credatur, quæ 3. post coitum die apparere incipit: vel denique, authore Suidâ, quòd Τρίτη μετ᾽ Ἄρτεμιν καὶ Ἀπόλλωνα ἐγένετο.

Tritolinus mons, Plinio, in Campania, inter Puteolos & Bajas apud Avernum lacum, qui *Salviati*, teste Gregorio Fabricio. Sed aliis idem est *Trifolino* apud Neapolim. De eo *Itiner. lib. 3.*

Nondum sudor erat membris detersus & ori,
Quem toto exciterat Tritolini montis hiatus
Corpore. —— ——

Triton, Deus marinus, Neptuni & Salaciæ marinæ Nymphæ fil. quem poëtæ fingunt Neptuni tubicinem fuisse. Virgil. *Æn.1.*

Cymothoe simul & Triton adnixus acuto
Detrudunt naves scopulo.

Ovidius *Metam.* 2.

Cæruleos habet unda Deos, Tritona canorum
Proteaq; ambiguum. ——

Idem *alibi:*

Cæruleum Tritona vocat, conchâq; sonanti
Inspirare jubet fluctus.

Statius 3. *Theb.*

Stat celer obsequio jussa ad Neptunia Triton.

Sidonius Apollinaris:

Pistrigero quæ concha vehit Tritone.

Tritonas in fastigio ædis Saturni & Opis Romæ cum buccinis superpositos fuisse, refert Macrobius *Saturnal. lib. 1. cap. 8.* quo significare voluerunt vett. à Saturni memoria ad nostram ætatem Historiam elatam & vocalem esse, cùm ante eum muta, & obscura ac incognita fuerit, id quod testabantur caudæ Tritonum humi mersæ ac absconditæ, Vide Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom. lib.2. cap.4.* De *Tritonibus* plura Plin. *lib.9 cap.5.*

Triton, Africæ fluv. ex *Tritonide* palude erumpens, & in mare Africum, apud Tacapen Urb. unde *Rio di Caps* dicitur, influens, hortis Hesperidum proximus, 6. m. p. à Tacapis, Ferrar. Ejus meminit Claudianus, *de laudibus Stiliconis lib.1.*

Hesperidumq; Triton, & Gir, ditissimus amnis.

Ab hujus nomine Pallas *Tritonis*, & *Tritonia* dicitur, quòd circa hunc fluv. vel lacum primùm apparuerit. Lucan. *lib.9.*

Hanc & Pallas amat, patrio quòd vertice nata
Terrarum primam Libyem (nam proxima cœlo est,
Quod probat ipse calor) tetigit: stagniq; quieta
Vultus vidit aqua, posuitq; in margine plantas,
Et se dilectâ Tritonida dixit ab undâ.

Silius *lib. 3.*

Hinc qui stagna colunt Tritonidos alta paludis,
Quâ virgo (ut fama est) bellatrix edita lymphâ
Invento primam Libyen perfudit olivo.

Hinc *Tritoniacus.* Ovidius *Metam.15.*

Quum Tritoniacam novies subiere paludem.

Cæterùm fluv. hic *Triton* טריה *tarith* à Pœnis dicebatur, ἀπὸ τῆς νομῆς, *à pascuo*, scil. quia Nomadum pascuis initium erat à Tritone. Cùm enim reliqua pars Africæ ut plurimum sit arabilis, à Tritone usque in Ægyptum plerique erant meri Nomades, carne solùm & lacticiniis vesci soliti. Herodorus *in Melpomene:* Μέχρι τῆς Τριτωνίδος λίμνης ἀπ᾽ Αἰγύπτου Νομάδες εἰσὶ κρεοφάγοι τε καὶ γαλακτοπόται Λίβυες. Vide Bochart. *de Ph. Colon. pag.* 533. In hâc palude Phla insulam ponit Herodorus: In finibus Cyrenes, unà cum templo Veneris, hanc paludem *Lago di Caps*, Marmolio dictam, describit Strabo. Alia est *Triton* palus ad montem Atlantem proximè Oceanum. Diod. *lib. 3.* [cujus secundùm quosdam meminit Claudian. 1. *de laud. Stil.*

Hesperidum Triton, & Gir ditissimus amnis.]

Qui *lib. 5.* *Tritonem* fluv. in Cretâ: Strabo & Pausanias fluvium parvum Bœotiæ cognominem habent, apud Alalcomenas urbem: ubi Minervam natam educatamque ferunt: quod Diodorus ad *Tritonem* Cretæ fluv. alii ad eum, qui in Africa est, referunt. Cæterùm de Tritonia Minerva vide Meursium *de regn. Athen. p.17.*

Tritoniaca palus, in Macedonia est, circa Pallenen, in quam novies immersum, avem fieri canit Ovid. 15. *Metamorph.* qui hanc paludem *Hyperboream* vocat *Pallenen*, & *Tritoniacam:*

Esse viros Fama est in Hyperborea Pallene,
Quos soleant levibus velari corpora plumis,
Cùm Tritoniacam novies subiere paludem.

Tritonice, Ponti urbs, quæ & *Tomos* dicta.

Tritonus, Macedon. oppidum, Steph.

Triturrita, insula seu villa parva Hetruriæ, apud Arni fluv. ostia. Rutilius *Itin. lib.1.*

Inde Triturritam petimus, sic villa vocatur.

Triventinum, urbs aliàs Samnii, nunc Comit. Molisini, in regno Neapolit. in limite Aprutii; *Trivento* vulgò, 17. mill. pass.

Qqq 2 à Boja-

à Bojano in Boream & 20. ab ora maris Adriatic. in Africum. Satis parva.

Triventum, vulgò *Molise*, ut ex Itinere Coss. bene Cluverius colligit, urbs fuit Samnii, Episcop. sub Archiepisc. Beneventano, hodie tantùm castrum tenue, unde Comit. Molisinus, vulgò *Contado di Molise*, ad radices Apennini, 10. m. p. à Triventino in Mer. Bojanum versus, 12. ab Esernia in Ort.

Trivia, Diana sic dicta, quòd triviis præesset, unde & 3. facies habere fingebatur. Lucret.

Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine fœdè
Ductores Danaûm delecti, prima virorum.

Ovidius *Pont.* 3. 2.

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evinsti geminas ad sua terga manus.

Triviæ lacus, *Stagnum Dianæ* Ovidio, *lacus Hippolyti* Statio, *lacus Nemorensis* Tranquillo, *Speculum Dianæ* Servio, *Lago di Nemo* Erythræo, lacus Latii apud Ariciam oppid. ab eo 4. m. p. distans: Circumstant Nemus & Cynthianum oppidula. Baudrando mel. *Dianæ lacus*, hodie *Lago di Nemi*, parvus in Latio, 18. mill. pass. Romà in Ort. Dictus à castro Nemo ei adjacente; ejus circuitus est circiter 6. mill. Virgil. *Æneid.* 7.

Audiit & longè Triviæ lacus, audiit amnis
Sulfureâ Nar albus aquâ, fontesq; Velini.

Triviæ lucus, *Nemus Triviæ* Silio, *Gallinaria Sylva* Ciceroni, locus Campaniæ in sinu Cumano. Sed aliis *Selva di Nemo* in Latio apud lacum *Triviæ*. Virgil. *Æneid.* 6.

Jam subeunt Triviæ lucos, atq; aurea tecta.

Trivicum, Hirpinorum in Italiâ opp. vulgò nunc *Trevico* dictum, Episcopali dignitate insignitum, sub Archiepiscop. Beneventano, inde 24. mill. pass. inter illud & Compsam, Nusco & Frequento finitimum ad 8. ab Ariano 10. Ferr. Horat. *in Hodæporico:*

—— *Nisi nos vicina Trivici*
Villa recepisset. ——

Baudrando urbec. est Principatus ulter. intra Apenninum, 13. mill. à Compsa in Bor. Bovinum versus 10. Magino teste.

Triumphalis, porta Romæ dicta est, quòd per eam triumphantes victores in urb. deducerentur.

Triumphus, Græcè Θρίαμβος, epitheton Liberi patris, Plutar. *in Marcello.* Unde pompæ triumphali, cujus ipse in Græcia primus Inventor fuisse fertur, nomen: Vide Plin *lib* 7. *cap.* 56. & Diod. Sicul. *libr.* 5. ac triumphalis acclamatio *Io*, à Bacchi cognomento sumpta est. Horatius *Ode* 2. *lib.* 4.

Tumq; dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis, dabimusq; Divis
Thura benignis.

Et *Ode* 9. *Epod*

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus & intactas boves,
Io triumphe, nec Jugurthino parem
Bello reportasti Ducem, &c.

Sic Livius quoque *lib.* 45. *Militum*, inquit, *propria est causa, qui & ipsi laureati & quisq; donis, quibus donati fuerant insignes*, Triumphum *nomine cient.*

Triumphus, sive, ut in nummis, *Triumpus*, summus erat honor, & penè divinitati conferendus, quo Imperatores, ob res in bello præclarè feliciterque gestas, apud Romanos olim, solebant affici. Hujus primus auctor Romæ Romulus fuit, Liberum Patrem, apud Græcos triumphi inventorem, imitatus. Postquam enim, cæso suâ manu Acrone, Cæninensium Rege, Jovi arma ejus ex voto esset dedicaturus; quercum, quam in castris viderat, recidit, & instar tropæi adornavit, Acronisque armis aptè ex eo suspensis, ac veste ipse incinctâ & fluente comâ laureâ coronatus, stipitem illum dextro humero bajulans, Urbem est ingressus: carmen victoriale exercitui in armis sequenti præeinens, & civibus eum gratulatione & laudibus eum excipientibus, sese ostentans. Addidit dein Tarquinius Priscus R. currum, & alia, quæ ad speciem magnificentiamque majorem pertinebant: quibus quantum splendoris postmodum accesserit, videre est in speciosissimis triumphis, quos egere L. Cæcilius Metellus An. U. C 503. Marcellus, An. 531. P. Scipio Africanus, An. 549. L. Æmilius Paulus, An. 586. Scipio Africanus poster. An. 607. L. Mummius, An. 608. Marius, An. 672. Sulla paulo pòst, & Pompeius tertiùm triumphans. Quibus adde C. Julium Cæsarem, Augustum & Aurelianum. Numerant autem Eruditi, ab U. C. usque ad Vespasiani & Titi Augg. de superatis Judæis victoriam triumphos 320. Fuere tamen, qui oblatum triumphi honorem magno animo rejecere, Cn. Fulvius Flaccus, apud Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 3. *tit.* 2. M. Fabius, amisso in bello fratre, apud Orosium *lib.* 2. *cap.* 7. & Dionys. Halicarn. *lib.* 9. C. Marius apud Plutarch. *in Mario.* Tiberius, mœstâ civitate clade Varianâ, apud Sueton. *cap.* 17. *&c.* Jus triumphandi Romani tantùm, aut ut minimùm Itali habuerunt, unde mireris, M Perpennam hominem Græcum de Aristonico triumphum duxisse, apud Paulum Orosium *lib.* 5. *cap.* 10. Justin *lib.* 36. Valer. Maxim. *lib* 3. *cap.* 4. Illud penè supra fidem, quod Ventidius Bassus, ex mulione Cæsaris Parthorum triumphator evasit, Plutarch. *in Antonio.* Ratio autem *Triumphi* hæc: Convocato in ædem aliquam, putà Martis Ultoris, Senatu, literæ ab Imperatore & victore exercitu missæ legebantur, Sueton. *in Augusto cap.* 29. In quo ritu semper observatum, ut extra Urbem haberetur Senatus, ne milites armati Urbem ingrederentur, L. Seneca *de Benefic. lib.* 5. *cap.* 14. *in fin.* Erant autem hæ literæ rerum feliciter gestarum indices; Nam *quinque hominum millia*, Valer. Max. *lib.* 2. *cap.* 8. aut *sex oportebat cecidisse*, A. Gellius *lib.* 5. *cap.* 6. & lauru proin obvolvebantur, C. Plinius *lib.* 15. *cap. ultim.* Sic, postquam jurejurando obstricti Centuriones, vera esse quæ per literas Senatui nunciarentur, confirmavere, decretus à Senatu triumphus est: tum dicta dies, quâ cum exercitu adesse debebat Imperator, Hadr. Turnebus *Adversar. lib.* 30. *cap.* 25. Quæ cùm illuxit, Senatus obviam progressus, portâ triumphali in Urbem admissum exercitum usque in Capitolium comitabatur, ut victoriam bello partam, legibus & statutis civilibus retinendam docerent. Ornamenta triumphalia erant: Corona, currus, equi, toga, sceptrum. Corona antiquissimis temporibus ex lauru constans, postea aurea fuit, quæ in sinu Jovis deponebatur, aut templis ceu anathema votivum suspendebatur, Idem *libr.* 22. *cap.* 13. Currum, cujus fastigium bracteis aureis decorabatur, ducebant quatuor equi albi, *Prop. lib.* 4. *eleg.* 1. Tibullus *lib.* 1. *eleg* 7.

Portabit niveis currus eburnus equis.

Obtinuitque hic usus, quamdiu stetit Respublica, at ereptâ libertate mutati mores, & pro equis leones juncti sunt, Plinius *libr.* 8. *cap.* 16. Pompejus M. elephantis primus usus est, Idem *lib.* 8. *cap.* 2. ad morem Liberi patris, quum de Indis triumphum egit. A tergo pone triumphantem carnifex coronam sustinebat, ante eundem in curru liberi vehebantur, Jul. Capitolinus in *Antonino Philosopho*, vel equis triumphalibus conscensis currum comitabantur: Idem *ibidem.* Fascinus quoque sub curru erat, de quo vide Turnebum *Adversar. libr.* 9. *cap.* 28. Togâ indutus fuit Triumphator auro picta, ex probatissimo cocco, reliqui candidâ; Hinc Tit. Calphurnius Siculus *Eclogâ* 1.

Candida pax aderit. —— ——

Ipse aurigandi officio functus: Sceptrum tandem ex ebore manibus versabat, Vide Appian. *in Libycis.* Pompa talis fuit: Ad pascendos voluptate oculos animosque, urbium, montium, fluviorum, regionumq; nomina præferebantur, spolia item & exuviæ hostibus detractæ, postremò ipsi Duces superati. Vide Tacit. *Annal. libr.* 2. M. Tullium Cicer. *Orat. in Pisonem.* Liv. *Dec.* 4. *libr.* 7. *&c.* Hinc Marcellus triumphans *tulit Syracusas*, Plutarch. *in ejus vita* T. Quintius *Præneste victum prætulit*, Liv. *Dec.* 1. *lib.* 6. & Cicero refert *Officior lib.* 2. *Portatam in triumpho Massiliam.* Habebant Urbes istæ titulos scriptos & apposita nomina, quæ legi possent. Addebantur turres, plerumque ex ebore, aut è cera, Ovid. *de Ponto lib.* 2. *eleg.* 1. Sidonius Apollin. *Carm.* 5. *&c.* Fluvii locorum subactorum, catenis injectis præferebantur: Unde Sext. Prop. *lib.* 2. *eleg.* 1.

Aut canerem Ægyptum, & Nilum, cùm tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis.

Observatumque est, ut in hac pompæ traductione fluvii iisdem ostiis, quot fluerent, describerentur. Sed inprimis Duces captivi catenis in collo, brachiis, manibus & cruribus onerati, ac tonsi amissum decus traducti loquebantur. Sic Radagaisus Gothorum Rex, *victus & vinctus sub jugo catenisq;* fuit, apud Paul. Orosium *lib.* 7. *cap.* 37. Jugurtha *victus ac vinctus vidit Urbem*, apud Flor. *lib.* 3. *c.* 1. Aurelianus *Zenobiam in vinculis tenuit*, apud Fl. Vopiscum *in ejus vita.* Cùm verò capti non fuere Duces, sed vel in acie occubuerant vel fugerant, imagines eorum aut vultus præferri solebant, & sub Triumphantis pedibus effigiari, Artemidor. *lib.* 1. *cap.* 50. Claudianus *de* 4. *Honorii Consul.*

Colla triumphati proculcet Honorius Istri.

Unà cum Ducibus catenatis tibicines & citharœdi, incedebant: quos sequebantur Scutiferi, Scriptores, aliique exercitus Ministri: tum Obsides, tormenta bellica, & catapultæ, cælatum item argentum hostibus ereptum, unà cum reliquis spoliis, armisque captivis, & si quid aliud miri in devictis regionibus esset aut oculis civium placituri. Hinc Curius Dentatus *Elephantos*, Aurelianus *ignota animalia*, Cn. Pompejus *tabulam lusoriam*, Vespasianus devictâ Judæâ *balsama*, Pompejus victo Mithridate *hebenum*, Cn. Manlius *triclinia ærata, abacos, monopodia & stragula*, præferri jussere. Denique totum agmen claudebatur à quodam, qui *ineptâ gesticulatione risum omnibus moveret, hostibus illuderet, eosq; virtutis Romanæ & suæ temeritatis admoneret*, Livius *Decad.* 1. *lib.* 4. Altera persona Manduci erat effigies: Tertia Petreja dicebatur, in eosdem usus excogitata. Et hæc quidem pompa præcedebat currum, sequebantur Senatores, cives redempti atque hostilibus vinculis liberati, & milites ipsi coronati, quibus liberum erat, vitia virtutesque Ducum suorum decantare. Sic Camillus *Parens Patriæ* ac *alter Romulus*, & Marius *tertius conditor*, militari plausu dicti sunt: contrà M. Manlio *ambitio* & Cæsari *avaritia* exprobrata est. Frequentius tamen receptiusque *Io Triumphe* inclamabatur, ritu ab Apollinis victoriâ desumpto. His successere Legati & Centuriones; denique popæ, sacrificuli ac victimarii in turmas divisi, bovemque candidum præ se agentes, cultros sacros, thus, molam, far, vinum, aliaque sacro apparatui necessaria gestabant, atque ita per urbem tum

à porta

à porta Triumphali, per viam sacram, & clivum Capitolinum conscendebat *Triumphator*, hostibus in carceres conjectis. Petr. Apollonius *Collat. lib.* 1. *de Excidio Hierof.*

Haud unquam tali plausu Capitolia Consul
Victor init. —— ——

Dum hic triumphantes operabantur, captivos Reges in carcere strangulari mos erat, quorum morte nuntiatâ sacrificium incipiebat. Victima albus erat taurus, è Menania petitus, ubi Clitumnus aquâ suâ candidos eos reddere credebatur. Juven. *Sat.* 12.

Lata sed ostendens Clitumni pascua sanguis.

Finem toti pompæ imposuit epulum Triumphale, Dio *lib.* 44. ad quod Consulem solemnibus verbis invitare moris erat, Valer. Maximus *lib.* 2. *cap.* 8. mox tamen, ne adesset, rogabatur, ne videlicet triumphanti quisquam primum locum eriperet, Plutarch. *Problemat. Rom. cap.* 88. Omnia hîc exposita & immodicam redolentia superbiam, L. Sen. *ad Helviam, cap.* 5. *in fine.* Sueton. *Julio cap.* 38. *Vini Chii & Falerni amphoras centum populo dedit.* Idem Cæsar *murænarum* 6000. proposuit, apud Plin. *lib.* 9. *cap.* 55. unde colligitur, totam civitatem, omnesque ordines huic convivio fuisse adhibitos: Et certe Lucullus urbem totam & suburbanos vicos excepit, Plutarch. *in eod.* Fiebat autem id vel in Capitolina cella, vel in Capitolina porticu, vel templo Herculis, vel quolibet alio Urbis celebri loco. Ipsi victi fercula inferebant, Sidonius Apollin. *Carmin.* 22.

Succedit captiva cohors, quæ fercula gazis
Fert onerata suis. —— ——

Denique cùm in privatis conviviis, nardo, rosis, unguentisque delicatissimis se inungerent Romani, triumphali epulo etiam minium additum est: C. Plinius *lib.* 33. *cap.* 7. Omnia enim Jovi & triumphanti paria: proin, ut hujus statua, diebus festis, minio oblinebatur, ita triumphales coronæ ipsiusque victoris Imperatoris vultus eo decorari solebat. Addam formulas duas precationum, quibus defungi moris erat Imperatorem, cùm currum, post dona militibus populoque divisa, conscenderet; cumque dein Capitolium subiret. Prior erat, DII, NUTU ET IMPERIO QUORUM NATA ET AUCTA EST RES ROMANA, EANDEM PLACATI PROPITIATIQUE SERVATE. Posterior, GRATIAS TIBI JUPITER OPTUME MAXUME, TIBIQUE JUNONI REGINÆ ET CÆTERIS HUJUS CUSTODIB. HABITATORIBUSQUE ARCIS DII, LUBENS LÆTUSQUE AGO, RE ROMANA IN HANC DIEM ET HORAM PER MANUS QUOD VOLUISTIS MEAS, SERVATA, BENE GESTAQ. EANDEM ET SERVATE, UT FACITIS FOVETE, PROTEGITE PROPITIATI, SUPPLEX ORO. Plura de Triumpho Romanorum, vide apud Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom.* Lipsium, Alios. Sed & ante Romanos triumpharunt Cyrus, referente Cedreno, qui multa à Persis Romam translata docet: Ptolemæus Philadelphus apud Athen. *libr.* 3. Xerxes apud Herodot. *lib.* 7. Carthaginenses apud Polyb. *lib.* 3. ut de Baccho, cujus jam supra mentio facta est, nihil adjiciam. Dividebantur Triumphi in terrestres, qui terrâ, & navales, qui mari rebus feliciter gestis agebantur: qualem primus egit C. Duilius Ann. U. C. 493. Valer. Maxim. *lib* 3. *cap.* 6. Livius *Epitom.* 17. Florus *libr.* 2. *cap.* 2. Cicero *in Catone maj.* Minoris triumphi species Ovatio fuit, de qua vide A. Gellium *lib.* 5. *cap.* 6. Primus autem urbem ovans ingressus est Publ. Posthumius Tubertus Consul secundùm, Ann. U. C. 250. de quo Plinius *libr.* 15. *cap.* 29. *Bellicis se quoq, rebus myrtus inseruit, triumphansq, de Sabinis Posthumius Tubertus in Consulatu,* (*qui primus omnium ovans urbem ingressus est: quoniam rem leviter, sine cruore, gesserat*) *myrto Veneris Victricis coronatus incessit optabilemq, arborem etiam hostibus fecit.*

Triumpilini, Plin. sedem habent juxta lacum Benacum. Suntq; Euganeorum reliquiæ, & vocantur hodie *Triplever*, in territorio Brixiensi & vallem Trupiam, vulgò *Val Triompa*, à Brixia 20. mill. pass. incolunt, teste Simlero. Sunt in hac valle, quæ inter Benacum, & vallem Sarcæ flum. ac præterea vallem Camunicam, Clisius & Castar fluvioli, & Ludro opp. unde Comites Lodronii nomen habent. qui existimantur Plin. *Alutraenses* dicti, *lib.* 3. *cap.* 19. Joh. Bapt. Plantinus *Helv. Antiq. & Nov.*

Triumviri Reipubl. constituendæ, Magistratus erat Romanus, ut contra leges institutus, sic minime diuturnus. Initium eorum incidit in an. U. C. 710. Cùm enim Cæsar in Senatu 23. vulneribus confossus esset, Octavius tum Consul, ab ipso adoptatus, omnem dedit operam, ut Patris interfectores ulcisceretur, quem in finem cum M. Antonio & Marco Lepido pace factâ, utrumque ex Gallia in Italiam accersivit. Congressi itaque hi in agro Bononiensi, ut Dio *lib.* 46. vel Mutinensi, ut Appianus habet *Bell. Civ. lib.* 4. sic inter se pacti sunt, ut publicè quidem ipsi tres constituendis administrandisque rebus præficerentur, in quinquennium: privatim autem, Cæsari Africa, utraque Sardinia & Sicilia: Lepido Hispania omnis ac Gallia Narbonensis: Antonio reliqua omnis Gallia tribuerentur. Ibidem & proscriptio decreta & Lepido Consulatus ac Italiæ cura commissa est. Proin mox Romam cùm Triumviri venissent, exequutioni quæ decreverant data sunt; quinquennioq; exacto in alterum quinquennium Magistratum sibi ipsis prorogarunt, Ann. U. C. 716. Verùm non multò pòst dissidio orto inter Octavium & Lepidum, huic victo ille Triumviratus honorem abrogavit; mox Antonio quoque superato, cùm ipse solus rerum potitus esset, Triumviratu abiit. Sed & jam ante *Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompejo retinere cupientibus, omnibusq, pariter potentiæ cupidis, inter hos de invadenda Rep. facile convenit:* Florus *lib.* 4. *cap.* 2. *Sicq, quum mutuis viribus in suum quisq, decus niteretur, Galliam Cæsar invasit, Crassus Asiam, Pompejus Hispaniam: tres maximos exercitus & jam sic orbis imperium societate trium Principum occupatum est, traxitq, decem annos ista dominatio,* Idem ibidem. *De Triumviris* aliis minoris notæ, *Capitalibus, Colonia deducenda, Epulonum, Mensariis, Monetalibus, Nocturnis* aliisque V. Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom.*

Trizi, pop. juxta Istrum, merid. versus. Steph.

Troarnus, vicus Galliæ, ad Divam fluv. *Tourne* vulgò, in Normannia, Hadr. Valesius *Not. Galliæ*, in voce *Ulterior portus.*

Troas, reg. Asiæ min. quam Ptol. *minorem Phrygiam* vocat, Hellespontо adjacens, cum urbe cognom. Vide infra. Hanc regionem Hom. ab Asopo fluv. usque ad Caici flum. ostia produxit. Plin. autem, cæterique recentiores Lecto promuntorio eam ab Æolide dividunt. Virg. *Æn.* 5.

At procul in sola secretæ Troades actâ.

Ita quidem Ferrarius: sed ibi legendum *Troades*, i. e. Trojanæ mulieres, quæ *Trojades* quoque Persio dicuntur. Baudrando tractus fuit Phrygiæ, cujus caput Troja. Et quandoque pro regno Trojanorum sumitur, quod sub Priamo IX. dynastias complectebatur. Locus urbis nunc juxta Leunclavium *Cerasia* Turcis, nostris *S. Maria* dicitur. Ubi tanta olim murium copia, ut incolæ patrio solo abire coacti sint, sicut in Gyaro Ins. Plin. Et *Argellus* Thraciæ mons Thracum linguâ, propterea sic dictus. 9. *Aliuj.*

Troas Alexandri, Turcis *EsKi Stamboul*, urbs Phrygiæ, ab Alexandro M. condita, Curt. in ora litt. maris Ægæi, paucis mill. à Trojæ ruderibus. Nunc in ruinis. Ep. fuit sub Ar. Cyziceno.

Troca, vulgò *Troki*, urbs Lithuaniæ, juxta lacum parv. cum arce valida. Caput Palatinatus cognom. 4. leuc. Pol. à Vilna in Occ. Dicitur aliter *Trocum*, estque juxta Breslalam amnem, inter paludes inaccessibiles. Condita à Gedimino, magno Lithuaniæ D. an. 1321. qui ibi sedem suam constituit: sed Ann. 1655. à Moscis expugnata, vastata & incensa est.

Trochilus, primus in honorem Junonis, ut Romulus in Martis, junxisse quadrigam dicitur, Euseb. *in Chron.* & Freculphus *tom.* 1. *Chron. lib.* 2. *cap.* 6. Quod tamen Ado Viennensis Procido, sub principium Atheniensium, nisi fortè mendum sit: Fr. Laziardus Triptolemo: Virgilius Erichthonio: non pauci Oenomao tribuunt. Certabatur quadrigis in ludis Circensibus olim apud Rom. ad imitationem Olympicorum apud Græcos, uti enim Lunæ biga, ita Soli, cui Circus erat sacer, quadriga consecrata fuit. Quadrigas tigribus junctas discimus ex Ælio Lampridio *in Heliogabalo*, quas ravas à colore optimo sensu dictas quis inficietur? Communiter autem equi adhibiti, qui petebantur vel è Sicilia vel è Cappadocia: colores quatuor notabiles, prasinus, venetus, roseus, albus, de quibus Vide Tertull. *lib. de Spectac. cap.* 9. Unde etiam totidem factiones ortæ, nisi quòd pannum purpureum Domitianus addidit, Sueton. *in eo cap.* 7. His sui Medici, sui Procuratores erant. V. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom lib.* 5. *paral. cap.* 5.

Trocmi, Ptol. *Trocmeni*, Stephan. *Trogmi* Plin. pop. Galatiæ in Asiâ. Quorum urbes Tavium, Androsia, Claudiopolis & Catissa.

Troctes, vir quidam, e Phœniciâ, de quo Hom. Od. 11.

Troes, Vide *Tros.*

Træzen, seu *Trœzen*, à Trœzene, Pelopis filio, op. Peloponnesi ad sin. Argolicum, Episc. sub Christianis olim, sub Archiep. Corinthio, fide in Athenienses inclyta. Pittheı olim regia, & Thesei patria. Unde Stat. *Theb.* 4.

—— *Et quas Theseia Trœzen*
Addis opes. —— ——

Qui inde à poetis *Trœzenius* appellatur. Ovid. *Met.* 5.

Hic Ixionides, illic Trœzenius heros

Trœzena dicitur Ptol. *Posidonia* Strab. *Anthia* & *Hyperia* Pausaniæ, *Apollonia* & *Aphrodisias* Stephano, inter Corlorhum & Scyllæum promunt. ad 44. m. p. à litore 15. stad. Hodie *Pleda*, Castaldo, in ora sinus Saronici, 18. m. p. à Scyllæo prom. in Bor. 70. à Corintho in Ort. Baudr. Ovid. *Fast.* 2.

Altaq, Trœzene, Parrhasiaq, nives.

Idem *Met.* 15.

Est prope Pittheam tumulus Trœzena sine ullis
Arduus arboribus. —— ——

Item op. Messeniæ mediterr. ab Ithome 15. m. p. in Ort. *Trœzina* in tab. recent. Hujus aquæ pedibus noxiæ sunt, quibus aquæ Cydni in Cilicia medentur. Plin. 31. 2. Et portus prope *Barba* dictus, Eust. Unde *Trœzenem navigat* Prov. in eos, qui cùm imberbes sint, pilis ascititiis barbam mentiuntur. Pop. *Trœzenii*, quos fide societatis Atticæ illustres vocat Mela. V. Plut. *in Themistocle.*

Trœzen, locus Galliæ, inter Massiliam & Aquas Sextias medius: Vulgò *Trex.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Massilia.*

Trœzene, urbecula, circa Cariam.

Trogilia, *Trogilias* Plin. *Gatonisi* Sophiano, ins. parva Joniæ apud Trogilium promunt.

Trogilium, *Trogyllium*, Ptol. *Mycale* Herodoto, promunt. Joniæ, in orâ inter Ephesum & ostia Mæandri contra Samum insl. inde 5. m. p. in Occ. & à Sunio promunt. Atticæ 1600. stad. teste Strab. *Capo Tigrua* Moletio. *Gatonisi* Sophiano, ab Insl. Trogilia vicina.

Trogilorum portus, *Stinctino* Fazello, portus Siciliæ in orâ inter Syracusas & Tapsum penins. ad Bor. 2. m. p. Ibi *Trogilus* op. olim, nunc pagus, *Targia* teste Aretio: aliis *Stinctino*. Apud Steph. verò non op. sed reg. appellatur. Pop. *Trogilii*.

Troglodytæ, pop. Æthiop. sub Ægypto in ora Occ. sinus Arabici & Barbarici, quorum reg. *Sirsia* nominatur, teste Castaldo. Hi in specubus habitantes (unde nomen) paupertatem colebant, serpentibus vescentes, teste Melâ. Hic esse lacum, cujus aqua ter in die fiat amara & dulcis: similiter de nocte, refert Plinius. Apud eosdem populos, præter alia, myrrha multa est, margaritæ item & serpentes 20. cubitorum. Iidem pop. venationibus dediti, velocissimi sunt & ab uxoribus ac colloquio alieni, V. Plin. *lib.* 31. *c.* 2. Dicuntur & *Trogodytæ*. Erat regio illorum, à Ptolemaide Ferarum, ad Aromata prom. extensa. Urbes fuere Ptolemais Ferarum, hodie *Suaquem*, Adulis, *Ercoco* seu *Arquuo*, & Avalites, *Zeila*. Nunc reg. dicitur *Ora Abexia*, seu *Abyssina*, *la Coste d' Abex ou d' Abexim*, estque pars Or. Imperii Abyss. ubi etiam regna Barnagassi, Agamer, Dancal, & Doari. Hier. Lupus. Pars ejus Austr. reges nunc proprios habet, quorum præcipuus Rex Adeli, ubi *Auca Gurele*, urbs ejus primaria. Inde sinus *Troglodyticus*, qui & *Barbaricus*: ad mare Barbaricum & Asperum, quod Æthiopiam, sub Ægypto alluit: Nunc *Golfo di Melinde*, ex tabb. rec.

Trogus Pompejus, Historicus Lat. Narbonensis Gallus, floruit sub Augusto: ut ipse *lib.* 43. testatur. Scripsit historiam, libb. 44. cujus epitomator Justinus, neque numerum librorum, neque titulum historiæ Philippicæ mutavit: quæ inde forte nomen nacta est, quod à libr. 7. usque ad 41. de Macedonico Imperio, cui Philippus originem dederat, disseruit. Sed hæc epitome, in causa est, cur ipsum opus fuerit amissum. V. Voss. *de Hist. lib.* 1. *cap.* 19.

Trogus, Vide *Sanfejus*.

Trogylium, vide *Trogilium*.

Troja, reg. min. Asiæ, in Phrygia, teste Servio, cujus caput fuit Ilium, Homeri, Virgiliique carminibus notissimum, sic excisum, ut jam tempore Strabonis nullum ejus extaret vestigium. Fuerat 3. m. p. ab ora littor. Ita dicta est à *Troe* rege, Erichthonii fil. cum antea à Teucro *Teucria*, & à Dardano *Dardania* diceretur. Non rarò tamen Troja à poetis pro ipso Ilio accipitur. Historia paucis sic habet: Dardanus ex Creta, an ex Italia huc profectus, urbem condidit, An. M. 2574. Ei successere Erichthonius, Tros, Ilus, Laomedon, Priamus: sub quo Troja à Græcis capta est, A. 2870. Alexander M. *novam Trojam*, aliquot stadiis à veteri extruxit: olim Episcop. sub Archiep. Cyziceno, Turcis *Esky Stamboul*. V. suprà in voce *Troas Alexandri*. De ruderibus *Trojanis*, sic Bellonius: Navigantibus e mari jam conspicua, distant Abydo dimidiæ diei itinere, atque in acclivi collis parte sita, incolis adhuc *Troade* appellantur. Admiranda ædificiorum rudera restantur veterem Urbis magnificentiam, amplitudinem murorum ambitus, quem quatuor horis se emensum esse autor scribit: constant illi ex saxis nigris ac duris, spongiosis tamen, & forma quadrangulari excisis. Supersunt & turrium in muris reliquiæ: extra horum ambitum, juxta vias regias magna videntur e marmore sepulchra antiqui operis, ex unico lapide instar cistæ excavata, quorum opercula adhuc integra conspiciuntur. Arcium quoque duarum lipsana ex marmore apparent, sed urbis interiora nil nisi confusam ruderum exhibent congeriem, inter quæ turris quædam quadrilaterâ basi. Solum primo in circuitu milliari sterile, arenosum & arborum tantum non vacuum, Observ. *lib.* 2. *cap.* 6. Vide quoque de Valle *Itin. tom.* 1. Ovid *Ep* 1.

Troja jacet certè Danais invisa puellis.

Virg. *Æn.* 3.

—— *Et campos ubi Troja fuit.*

Catullus,

Troja virum & virtutum omnium acerba cinis.

Pop. *Troes* & *Trojani*, quos luxuriosos in conviviis fuisse, arguit Prov. *Porcellus Trojanus*, apud Macrob. *Saturnal. lib.* 3. quod de opiparis conviviis, aut de homine variis deliciarum generibus delectari solito usurpatur. Aliud prov. *Troja non producit Thracem*, significat, ex degenere prosapia generosum non gigni, nec ferocem aquilam imbelles ferere columbas. Porro apud Ciceronem *Trojanus equus*, veluti adagium, de insidiis occultis & tacita impostura, usurpatur, *Or. pro Murana*: *Intus*, inquit, est *equus Trojanus*. Hinc *Trojus*. Virg. *Æn.* 1.

Arma virûm, tabulæq; & Troïa gaza per undas.

Item *Trojanus*. Ovid.

Puppis Achemeniden Grajum Trojana recepit.

Item *Troicus*. Ovidius *Epist.* 1.

—— *Troica fata canunt.*

Troja, urbs Epiri mediterr. in Chaoniâ, alia vulgò quoque *Troja*, olim *Æge* Anton. & *Æcana*, in Apuliâ Dauniâ, Episc. sub Arch. Beneventano, à Benevento 36. m. p. in Bor. Siponrum versus totidem; à Luceria 17. in Ort. Ferrar. Hodie Capitanatæ prov. ad Chilarum flev. ad radices Apennini, 25. m. p. à Benevento in Cæc. 6. à Bovino in Bor. cum tit. Princ. Baudrandus. Item vicus in Atticâ, qui & *Nypete* Stephano. Item pagus in Ægypto ad Troicum mont. Strabo *lib.* 17.

Trojani, vel *Troici* ludi, sive *Troja* ludus, ab Ascanio Æneæ filio originem traxere, Virgil. *Æn. lib.* 5. inde ad Romanos consuetudine delatâ. Celebrabrantur in Circo à pueris majoribus & minoribus, turmarim congredientibus: quibus qui præsidebat, Juventutis dicebatur Princeps, atq; ex numero filiorum primi nominis Senatorum Augustorumque eligebatur. Suetonius *in Cæs. cap.* 39. *Trojam lusit, turma duplex, majorum minorumq; puerorum.* Idem *in Augusto, cap.* 43. *Sed & Troja ludum edidit frequentissimè &c.* In quo ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donavit, passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen. Idem *in Tiberio*: *Præsedit & Actiacis ludis & Trojanis Circensibus, ductor turmæ puerorum majorum.* Dio quoque *lib.* 43. de ludis Cæsaris agens: *Etiam Trojam*, inquit, *antiquo more Patritiorum filii luserunt: juvenesq;, qui dignitate æquales erant, curribus certaverunt.* Plura de his V. apud Wolphg. Lazium *Comm. Reip. Rom. lib.* 10. *cap.* 2. Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib.* 5. *cap.* 25. Alios.

Trojanopolis, Vide *Trajanopolis*.

Troicus mons, & Troiesfluv. in Ægypto sunt. Steph. Nimirum juxta Trojam Ægypti urbem.

Troilus, Priami & Hecubæ fil. qui juvenili audaciâ ferox cum Achille congredi non dubitavit, à quo nullo negotio interemptus, temeritatis suæ pœnas dedit. Virgil. *Æneid.* 1.

Parte aliâ fugiens amissis Troilus armis
Infelix puer, atq; impar congressus Achilli
Fertur equis, curruq; hæret resupinus inani.

Horat. 2. 9.

—— *Nec impubem parentes*
Troilon, aut Phrygiæ sorores
Flevere semper. ——

At Lycophron & Theocritus ab Achille adamatum tradunt, cui cum se indulgere nollet, in templo Apollinis ab illo sit occisus. Hoc tamen refutat Tzetzes *in Lycophr.* quia nequaquam pulcher Troilus, aut juvenis fuerit, verum jam senior ac barbâ hispidus, prorsusque Achillis amoribus ineptus. Vide Caurer. *Nov. Lect. lib.* 2. *cap.* 9.

Trolhetta, vulgò *Trolhette*, fl. Sueciæ. Oritur in Westrogothia; dein Bahusium rigans, & Gotemburgum, paulo infra in Sinum Codanum se exonerat.

Trollius Gustavus, Archiep. Upsalensis in Suecia, à Suecis, obsessus An. Ch. 1518. sed missâ classe à Christiano II. Daniæ R. liberatus, in Dania perfugium habuit. Quo facto Succi Archiepiscopo reditum publico decreto cum negassent, re ad Julium II. Pontif. delatâ, illi schismatici declarati, & executio Christiano demandata est. Itaque Gustavi instinctu bellum decretum, & An. Ch. 1519. Rex per certos judices, sed sine auctoritate Senatus, curavit contra Suecos sententiam ferri. Quare anno 1520. per Ottonem Crumpen expeditio suscepta, sed sine successu. Anno seq. missis à Galliæ R. ex fœdere auxiliis, iterum Otto Sueciam adortus est, & Steno ex vulnere obiit. Quo duce Sueci destituti, inducias pepigere, quas Stenonis vidua Christina cum primoribus accipere recusans, Stockholmium tutata est. Sed Lamberto ejus partis Duce profligato, Rex ipse in Sueciam venit, Holmiaque in deditionem acceptâ, post biduanum convivium, quo Suecos excepit, tertiâ die, de illis, quæ in Archiepiscopum admissa, quæstionem instituit. Proin, cùm Stenonis vidua imprudenter literas, quibus eorum, qui cum marito conjuraverant, nomina continebantur, tradidisset, 70. primores regni capti, & coronationis die omnes decollati corporaque combusta sunt, veniâ soli Episcopo Lincopiensi, qui invitus se subscripsisse causabatur, datâ. Quo facinore à Pontifice approbato, Sueci ad desperationem adacti, pauloq; post, auspiciis Gustavi Erici decollati filii, Danicum jugum excussere. Auctores *rerum Suecicarum*.

Tromentina, tribus Rom. à campo *Tromento* dicta: Fuit autem is in Tuscia, ex quo cùm aliquot Romam perfugissent, & civitate donari, inque quatuor tribus conjecti, agri populi Rom. partem obtinuissent, prima earum *Tromentina* nomen imposuerunt. Ejus meminit Livius *lib.* 6.

Trompius Martinus Harperti, Archithalassus Fœderati Belgii, rerum gestarum magnitudine inclytus. Classem navium 20. Dunkerkanam, cùm ipsi non plures decem essent, fortissimè vicit, An. Ch. 1639. Eodemque anno mense Sept. vix 12. navibus instructus, classem Hispanorum stupendam, sub imperio Antonii de Ocquendo, excidium Reip. minantem, in Oceano Britannico aggressus, superavit, earum 20. captis, aliis mersis incensisque, è quibus ingens & magnificè extructa Archithalassi Neapolit. Lopesii quæ S. Teresæ nomine superba, duobus constiterat millionibus, simul cum hominibus periit. Tandem post plurima alia egregie gesta, post 50. imprimis prælia, quorum Dux fuit, aut pars magna, contra Anglos victor occubuit, Ann. Ch. 1653. sumptuosissimo Epitaphio Delphis in Ecclesia Cathedrali honoratus. Petr. Corneli, similiter rebus hactenus plurimis præclarè gestis, nepote

ri inprimis insigni de Suecis, Daniæ Regis, cujus classi hoc tempore præest, auspiciis, nuper admodum reportatâ, celeberrimi. V. Caspar. Barlæum *in Oration.* Galeazum Gualdum *Histor. Ital.* Lætum *Comp. Hist. Univ. &c.* In medio inter Angelos monumenti hoc distichon extat:

Urbs Phœbi cineres jactat, sed currus honores,
Ingreditur quoties egrediturq; mari.

Tronodurum, opp. Gall. Celt. in Burgundiæ Ducatu. *Tonnene* Belforestio. Vide *Tornodurum*.

Tropæa, urbs Brutiorum marit. apud Vaticanum promunt. ubi sinus Hipponiates definit. Steph. Baudrando etiam *Trophæa*, & *Trophia*, nunc *Tropea*, Urbs Episc. Calabriæ ulr. sub Arch. Rheginenti in ora maris Tyrrh. 45. m. p. à Rhegio in Bor. 12. ab Hipponio in Occ. Dicta à trophæis Sexti Pompeii, cùm Octavianum Cæs. prælio navali ibi superasset, Jan. Parrasius.

Tropæa Augusti, Liguriæ op. marit. Ptol. Hodie *Torbia* Leandro, vicus Comit. Nicææ, in colle, 7. m. p. à Nicæa, in Ort. & 2. à Monœco, Sed L. Holstenio Segusione extat, in arcu triumphali, verùm literarum vestigia ægre agnoscuntur, unde literæ conflatæ fuerant, ductus vel sulci etiam confusi & obliterati sunt. Arcus ipse in horto privato nunc incognitus extat, per quem haud dubiè via publica olim; visendus inprimis ob structuram & lapidum commissuras, sanè admirabiles, & sculpturas sacrificiorum elegantissimas. Inscriptio cum Pliniana eadem ex principio dignoscitur, quod solùm e longinquo legi potest. Baudr. *αὐτόπτης*.

Tropæa Drusi, op. Germ. inter Rhenum & Salam; ubi Drusus obiit, & Tiberius Augustus à militibus Imper. salutatus est. Tacitus.

Tropæa Pompeii, in quibus Strabo posuit fines Galliæ Narb. & Hisp. Tarr. ubi Drusus obiit, & Tiberius Imp. à militibus salutatus est, Tac. erant in loco *Col de Pertus*, in montibus Pyrenæis, in imo castri Belloguardiæ, in Comit. Ruscinonensi & ipso limite Cataloniæ. P. de Marca, Arch. Paris. *lib.* 1. *Marca Hisp.*

Tropæuchus Jupiter dictus, quòd tropæis præesset.

Tropæum, sive monumentum victori erectum eo in loco, ubi hostes in fugam convertit: hinc ἀπὸ τῆς τροπῆς, quòd hostes in fugam versi, dictum. Apud Græcos hic mos diu servatus est, ut qui Imperator hostem fugasset, trophæo donaretur: Triumpho autem vel encomio & peplo, si occidisset, aut funditùs evertisset. Alex. ab Alex. *Gen. Dier. lib.* 1. *cap.* 22 *fol. m.* 36. Tropæa autem prima ex arboribus confecta sunt, quas, amputatis ramis, hostium spoliis decorabant. Deinde cœpta sunt fieri ex lapide & saxis, in loco pugnæ, quæ *Segerstener* à victoriis reportatis, & *Bautastener*, ut veteres pronunciarunt, quasi *Bytastener* à spoliis de victorum hostium, quæ eis affixa fuerunt, appellata, Loccen. *Antiq. Sueo Goth. cap.* 4. *fol.* 153. Quæ verò spolia in trophæo figerentur, docet Virg. *lib.* 11. *Æneid.*

—— —— *Fulgentiaq; induit arma*
Mezenti ducis exuvias, tibi magne Trophæum
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaq; trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumq; locis: clypeumq; ex ære sinistra
Subligat, atq; ensem collo suspendit eburnum.

Vide quoque, quæ de trophæis Marii scribit Fabritius *in suâ Româ cap.* 15. Rosin. *f.* 1060. In montibus quoque & locis eminentibus, tropæa collocari solita esse testatur Sallustius, quando de Pompejo ait; quòd de victis Hispanis trophæa in jugis Pyrenei montis posuerit. Tropæa quoque marmorea, æneave, cum inscriptione & titulis ævo perpetuo duraturis, posita fuisse testatur Alex. ab Alex. *Gen. Dier. lib.* 1. *cap.* 21. Nonnunquam, si materia non suppetebat, lapides in ingentem cumulum aggerendo, in memoriam posteritatis, bonis & fortibus viris pro tropæis erigebant. Tropæa quondam statuta fuerant Pericli, Agesilao, Fabio Æmiliano, Syllæ, Mario, Metello, & aliis: nec virtutis tantùm decorandæ, sed & ignaviæ exprobrandæ causâ veteres trophæa constituisse, Artemisiæ & Sesostris trophæa satis ostendunt, de quibus Alex. ab Alexandro *d. l.* Tropæorum vicem hodie supplent vexilla, signa, tormenta bellica, hostibus forti manu erepta, quorum ingens copia in potentissimorum Regum armamentariis, ad posteritatis memoriam, asservantur, Loccen. *Antiq. Sueo-Goth. cap.* 4. *fol.* 153. Simon Battierius *Disp. de Præmiis.*

Trophilus, historicus, reliquit Collectanea mirabilium narrationum, ex quibus 4. loca excerpsit Srobæus Serm. de morbis, & molestiarum in eis solutione.

Trophimus, vir Ephesinus. Act. 20. & 21.

Trophonius, vates, speluncam in Bœotia, apud Lebadeam urb. habitans, in quam qui descendebat, perpetuò agelastus & irrisibilis erat. Unde proverb. *In antro Trophonii vaticinatus es.* Niceph. Greg. *in Synes. de Insomn.* Ἐγένετό τις ἀνὴρ Τροφώνιος ὄνομα, μάντις τὴν τέχνην, ὃς ἔν τινι κατωδήσας εἰς τι σπήλαιον ἑαυτὸν ἐμβαλὼν καὶ κατακλείσας αὐτοῦ τὸν βίον ἀπήλλαξε, ὃ δὴ σπήλαιον φασὶ μαντεῖας ἀναδιδοῦναι ... Hinc Jupiter *Trophonius* dictus, quòd redderet oracula in specu Trophonio, teste Strab. Alii Sic: *Trophonius* Scotius hoc est, tenebricosus, filius Agamedis, Principis Stymphali in Arcadiâ & Epicastes. Hi in Elide, Augeæ regi, repositorium aureum exstruxerunt relictâ juncturâ lapidis exemptili, per quam noctu ingressi subripuerunt pecunias unà cum Cercyone, qui filius erat legitimus Agamedis & Epicastes. Hæsitans Augeas & rei incertus, exulantem à Minoë Dædalum rogavit investigare furem: qui laqueos apposuit, quibus irretitus Agamedes sublatus est: nam Trophonius caput ei amputaverat, ne agnosceretur: simulque fugit cum Cercyone Orchomenum. Augeâ verò, instinctu Dædali, ad expiandum sanguinem eos persequente, confugit Cercyon Athenas; Trophonius Lebadiam Bœotorum, ubi, egestâ terrâ foveam incolens, vitam suam exegit. Eo defuncto eo loci verax oraculum exstitit. Unde ipsi, tanquam Deo, sacrificatum est. Alii ajunt, à Dædalo artificiosum istud ærarium fabrefactum fuisse, ipsos verò in furto deprehensos ac captos: Uni fugienti terram se diduxisse & recepisse, circa Lebadiam. Posteriore tempore fame laborantibus Bœotis, responsum datum esse à Deo, ut Trophonium colerent: Ignorantes, ubi monumentum esset, examine apum ex fissura prodeuntium cognovisse ac conjecisse illum esse locum: quare eò aliquem demiserunt, ut specularetur: qui invenit duos dracones, objecitque placentas mellitas & illæsus perstitit ab illis. Ex quo mos ductus est, ut cogitantes oraculum consulere se secundùm præscriptum purè habeant, sacram stolam induti descendant manibus lanceas præferentes ad feriendos angues. Nihil periculi tali modo ingressis imminet: remittuntur nonnulli eodem die, quidam per plures retinentur. Alii eo modo recensent: Trophonius nimium ambitiosus, in Lebadiâ subterraneum domicilium sibi comparavit ac ibi vaticinia reddidit. Sed fame ibidem interiit. Inquilinum speciei numen vaticinationes edere perseveravit. In eam specum ingressuri & oraculum petituri gestant manibus mellitas placentas, ut incolentibus Draconibus objicientes nihil ab iis molestiæ patiantur. Introgressus semel, deinceps perpetuò ἀγέλαστος & risu carere dicitur, ob incussam ab anguibus formidinem: Unde Proverbium in austeros, risus expertes ac tetricos: *In Trophonii antro vaticinatus est.*

Tropia, Lib. Concil. *Tropas* Cedreno & Curopalati, vulgò *Tropea*, pulcherrima civitas Calabriæ inferioris, ad finem sinus Napitini; non solùm rebus ad vitam necessariis, verùm etiam ad delicias affluens: Vide *Tropæa*.

Tropu, ins. quædam. Steph.

Tros, Trous, rex Trojanorum, Erichthonii fil. Ili pater, à quo Phrygia minor *Troas* appellata est, Virgil. *Georg.* 3.

Assaraci proles, demissæq; ab Jove gentis
Nomina, Trosq; parens, & Trojæ Cynthius auctor.

Quin & Trojani ab hoc *Troes* dicti sunt. Virg. *Æn.* 1.

Egressi optatâ potiuntur Troes arenâ.

Troslejum, locus diœc. Suessionensis, vulgò *Trosli*. Hic quidam ex Proceribus, ab excommunicatione liber pronuntiatus, A. 921. Comes Isacus cum Stephano Cameracensi reconciliatus est, Ann. 924. & Comes Herluinus, qui uxori adhuc viventi aliam superinduxerat, pœnitentiam publicam egit, Moter. Valesio locus fuit Galliæ, quatuor Synodis An. C. 909. 924. & 927. habitis illustris: nunc vicus, ad Axonam, inter Suessionas & Compendium, sed huic propior. Vulgò *Troli*: V. ejus *Not. Gall.*

Trosobor, Clitarum Dux, qui sub Claudio rebellarunt, Fausto Sullâ, Salvio Othone Coss. interfectus, ab Antiocho. Tacit. *lib.* 12. *cap.* 35.

Trossulum, op. Tusciæ mediterr. inter Volsinios & Ferentinos 8. m. p. excisum. Hujus vestigia *Trosso* vulgò, & vicina fossa *il vado di Trosso*, 2. m. p. à Monte Physcone. Baudrandus *αὐτόπτης*. Ex eo equites *Trossuli* dicti. Plin. 33. 2. Persius *Sat.* 1.

—— *Unde istud dedecus, in quo*
Trossulus exultat tibi per subsellia lævis?

Trotilum, Siciliæ op. Thucyd. *lib.* 6. *Curcuraci* nunc Aretio.

Trotmania, Vide *Tremonia*.

Truccia, vicus fuit Galliæ, in pago Suessionico, Chlotarii pueri octennis & Fregedundis de Childeberto victoriâ celeberrimâ An. Ch. 993. relatâ nobilis. Hodie *Droisy*, vel *Drouci sur la Dellette*, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Trucones, ins. parvæ Illyrici inter Phariam & Corcyrum. Pomp. *Truculæ*, seu *Truculæ* Hermolao.

Trudonis, vulgò *Sainct Truden*, alias *Centron*, urbs in Episcopatu Leodiensi, tertio milliari à Tungris. Centronum, ut quidam arbitrantur, sedes, quorum frequens apud Jul. Cæsarem mentio. Merel. Merc.

Truentum, *Truentinum* Ptol. mel. *Truentus*, hodiè *Tronto* fluv. Piceni ex Apennino mont. in Sabinis apud Nursiam oriens, ac per Asculum urb. quam circumfluit, in mare Hadriaticum ad Truentum op. excisum, vel juxta illud influens. Ferr. Oritur ex Apenn. in ipso limite Umbriæ, Baudr. dein per Picenum fluens, recepto ad Asculum Castellano amne, aliquot mill. infra, prope vicum *Porto d'Ascoli* in Hadriat. se exonerat, dividitque Marchiam Anconitanam ab Aprutio ulter. Rudera Truenti, quibusd. nunc *Porto d'Ascoli*; aliis *Torre di Seguro*. Hinc *Truentinus*. Sil. *lib.* 8.

Quiq; Truentinas servant cum flumine turres.

Trullum, locus apud Byzantium, olim Episcop. seu sacellum arcuatum; in Palatio Imper. Hic Concilium 6. Oecum. habitum est, An. 681. c. Monothelitas. Item templum Constant.

Truta-

Trutavia. Vulgò *Locoritum*.

Trutulensis portus Cantii, Tac. *Agric. cap.* 38. apud Rutupias. An *Rutupensis* legendum? B. Rhenanus.

Trybactra, seu *Tribactra*, urbs Sogdianæ propriæ, inter Maracandam & Oxum fluv. quæ nunc *Bochara* creditur, urbs Mauralnahariæ regionis.

Trycha, urbs Eubœæ. Apollonius *Trychanta* vocat. Unde *Trychantius* derivari potest. Steph.

Trygaus, nomen Comicum, Aristoph. *Pace*, vinitori conveniens. Τρυγητὸς enim vindemia est.

Tryphana, nomen mulieris. Rom. 16.

Tryphalia, Vide *Triphylia*.

Tryphiodorus, Ægyptius poeta, scripsit Marathonica, excidium Ilii, Odysseam, i. e. poema de erroribus & laboribus Ulyssis, paraphrases comparationum ab Homero positarum. Suidas.

Tryphon, tyrannus Syriæ, Antiocho VI. tutelæ suæ commisso, regnum occupavit. Ab Antiocho VII. Sidete triennio pòst pulsus, pauloque pòst occisus. 1. Maccab. 15. Jos. *Hist. lib.* 13. *cap.* 16. Justin. Appian. V. *Antiochus VI. & Jonathas*.

Tryphon, Alexandrinus Grammaticus, Augusti tempore scripsit de copiâ orationis, de Orthographiâ, & alia à Suidâ commemorata. Item Judæus quidam, adversus quem scripsit Justinus Martyr. Alius Origenis auditor, ad quem nonnullæ sunt ejus epistolæ, in sacris literis eruditissimus fuit, ut ejus multa ostendunt monumenta. Hieronymus.

Tryphosa. nomen mulieris, Rom. 16.

T S.

Tschudus Ægidius, Glaronensis, eruditione, studioque Historico & Geographico inclytus. Edidit inter alia, *descriptionem Rhatia*. Obiit An. Ch. 1572. æt. 67.

T U.

Tuasis, Ptol. vulgò *Tuvede*, fluv. Albionis, in orâ Orientali Angliam à Scotiâ dividens, ubi Bervicium op. ab Eboraco 110. m. p. ad Bor. & Cæc. Aliis potius *These* vel *Tees* est, à Tueda 70. mill. in Austr. cum opp. cognom. Becmanno, copiosâ scaturigine erumpens, ubi proxime Carram vicum accedit, multis aquis auctus regnorum collimitia discriminare incipit: Postea *Werke* Greyorum castrum, in quod Scoti non rarò detonuerunt, alluens, *Tillum* recipit. Dein per Norham decurrens, in ulteriori ripa ostii impendens habet ultimum Angliæ & munitissimum totius Britanniæ opp. Bervicium, ex Camdeno *c. l. in Northumberland.* Vide *Tuesis*.

Tuama, seu *um*, urbs fuit ampla Comit. Clarensis, in Connacia, Hiberniæ provincia, Arch. sub qua olim Duacum, Achada, Alachda Olfinum, Clonfertum & Ruscomia: vulgò *Toam*. Nunc paucissimis constat incolis, tantùm tit. Arch. nobilis. 24. m. p. à Galliva in Mer. Claram versus.

Tubal seu *Tuballa*, Beuthero *Tafalla*, opp. Navarræ præclarum inter Pompelonem ad Bor. 6. & Tutelam ad Austr. 10. leuc. *Tuboricum Metallum* forte Ptol. & *Tobolicum* Melæ.

Tubalcain, fil. Lamech ex Sella uxore. Gen. 4. de quo vide Joseph. *lib.* 1. *Ant. Jud.*

Tubantes, Germ. pop. in Transisalanâ, apud Frisiæ & Westphaliæ confin. quorum reg. *Tuvende*, teste Pyramio. Brietio erant, ubi hodie Westphalia ex parte; Erantque tempore Cæsaris, & postea Marsis juncti, at parum sedibus discreti.

Tubanti, pop. Germ. Ptol. quorum urbs *Tubinga* Lazio ad Nicrum fl. in Sueviâ. Sed aliis iidem Tubantibus sunt sup. descriptis.

Tubero, juris civ. antistes, & Stoicæ doctrinæ sectator, A Gell. *lib.* 1. In epulo publico hædinis pellibus stravit, lectos Punicanos, & vasa Samia exposuit. Idem Lucullum *Xerxem Togatum* appellabat, Plut. Totum nomen est, *Q. Ælius Tubero*.

Tubero L. Ælius, Romanus, notissimus ex Ciceronis *oratione pro Qu. Ligario*. Variis in Rep. muneribus functus est, ingenio & eruditione clarus. Scripsit Historiam, sæpe priscis laudatam. Idem, *lib.* 1. *ep.* 1. *ad Quint. Fratr. in Bruto, &c.* Dion. Halicarn. *Antiq. Rom. lib.* 1. Val. Max. *lib.* 7. *cap.* 5. Senec. *ep.* 95. & 98. Oros. *lib.* 6. *Hist. cap.* 15. Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 12.

Tuberum urbec. Franconiæ, sed Imperialis & libera, ad fontes Tuberi fluv. In colle, 8. mill. Germ. ab Herbipoli, 9. à Norimberga in Occ. *Rotenburg an' der Tauber* vulgò, ad differentiam alterius.

Tuberum, nomen fluv. de quo Plin. 6. 13. per Franconiam in Mœnum influentis.

Tubilustria, festa erant apud Rom. quibus tubæ sacrorum in atrio Saturni expiabantur die 23. Martii, Varro & Festus.

Tubinga, vulgò *Tübingen* Germ. *Tubingue* Gallis, urbs lepida & culta Sueviæ, 4. mill. Germ. à Stutgardia in Mer. 12. ab Ulma in Occ. Hic An. 213. Antoninus Caracalla Imp. palatium habuit, & forum, ludos item & spectacula Germanorum causâ exhibuit. Fuit olim sub Comitibus propriis, qui dicti sunt *Comites Palatini Tubingæ*, sed An. 1343. à Gœtzone & Wilhelmo fratribus vendita est Ulrico Com. Wirtenberg. cum castro omnibusque ad eam pertinentibus. An. 1477. ornata fuit Academiâ, ab Eberhardo Comite, quam auxit Christophorus, Dux Wirtembergicus, in infantia olim cum sorore Anna, in arce *Tubingensi* à fœderis Suevici sociis obsessus. Hic leges disciplinæ astrictas esse voluit; & illustri stipendio, in quo antea 70. studiosi alebantur, alios adhuc alumnos 90. adjecit. Ejus postea filius Ludovicus cognom. Plus ibidem loci Collegium illustre, primo An. Ch. 1589. Lapide posito erexit, & ipse initiavit, An. C. 1592. quæ impensæ ad 60000. aureorum excreverunt, Vide Middendorp. *de Acad.* Bert. *rerum Germ. lib.* 3. *cap.* 2. *&c.*

Tubucci, seu *Tacubis*, Anton. op. Lusitaniæ in regno Portugalliæ ad Tagum fluv. *Abrantes* Vasconcello. Nunc castrum. Aliis est *Tancos*, castrum 7. leuc. à Scalabi in Ort. Abrantum versus, ubi fluv. *Zezare* in Tagum abit.

Tuburbu, Plin. *Tuburbi* D. August. *Tuburbum* Anton. colon. & urbs Africæ mediterranea à Musti 6. m. p. olim Episc. sub Arch. Carthaginensi. Alterum quod *minus* cognominatur ab Anton. inter Carthaginem 46. & Vicum Augusti 56. mill. *Casal Romolbo* hodie nominari dicitur.

Tuburnica, Ptol. colon. & urbs Africæ mediter. Ep. olim sub Arch. Carthaginensi.

Tubursica, Urbs Ep. sub Arch. Carthaginensi, lib. Conc.

Tubusuptus, Ptol. urbs Maurit. Cæs. Ep. sub Arch. Cæsariensi, proxima Saldis, teste Anton. Hodie creditur *Conco*, urbs munita regni Algerii, in monte undique prærupto, ubi sedes Principum versus fluv. Nalabath, 40. m. p. supra Saldas in Africum, 30. ab ora maris Medit. in Mer.

Tucca Plautius, L. Varius & Plotius, viri doctissimi, amici Virgilii, hæredesque ex parte testamenti relicti; jussu Augusti carmina Æneidos emendaverunt hâc lege, ut nihil adderent. Servius. Quod Hieron. *in Chr. Eus. Olymp.* 190. observavit. Horatius de his Poetis loquitur, *Epist. ad Pison. de arte Poët.*

—— ——Quid autem
Cæcilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque.

Item urbs Africæ in Mauritan. confin. ad ostia Ampsagæ, Anton. inter Musti 42. & Suffetulam 50. m. p. Assuro urbi finitima, inde 12. m. p. Hæc videtur eadem *Tucca* Ptolomæi Assuro vicinæ, olim Ep. sub Arch. Carthaginensi, & patria Melchiadis; licèt alii eam Tuccam alteram esse velint, Ferr.

Tucci, Turdulorum in Bæticâ urbs. Ptol. *Tuccis* Strab. *Augusta Gemella* Plinio. *Martos* Morali & Clusio. Ep. olim sub Arch. Hispalensi, nunc oppidum non obscurum, in Vandalitia, inter Gienensem urbem 3. & Illiturgim 4. leuc. ab Ægabra 5. recuperatum est à Ferdinando R. Ann. Chr. 1226. unà cum Illiturgi ejectis Mauris.

Tuchum, vulgò *Tucho*, urbs Queichea, in Sin. in confinio Quausiæ ad radices montium, prope fl. Coum, sub qua duæ sunt urbes. M. Martinius.

Tucia, fluv. prope Romam decurrens. Silius 13.

Tucia deducit tenuem sine nomine rivum,

Ubi al. cod. *Turia*.

Tucris, Hisp. urbs. Ptol. vulgò *Trudela*.

Tucujum, vulgò *Tucuyo*, oppidul. Venezuelæ, ad fl. cognom. sub Hisp. versus montes, in mediterr. in Bariquicemeto tractu. In Amer. merid.

Tucumania, Gall. *le Tucuman*, regio Paraguaiæ, versus partem Austr. inter fluv. Argenteum ad Ort. & montes Ciles ad Occ. ubi nova Corduba, Rivogia, & Civ. S. Jacobi, cum aliquot aliis Hisp. coloniis in mediterr. Ejus pars est *Trapalanda* tractus.

Tude, Hisp. Tar. urbs Episc. in Gallæciâ, sub Arch. Compostellano, vulgò *Tuy*. Ad Minium fluv. V. *Tyde*.

Tudella, urbs Navarræ. Vide *Tutela*.

Tuder, *Turde*, Ptol. *Turdetia*. Plut. *Tyderta*; Steph. vulgò *Todi*, colon. & urbs vetusta Umbriæ Episc. in colle apud Tib. fl. media inter Perusiam & Narniam, 20. m. p. patria Martini Pontif. Hinc *Tuders* & *Tudertes* pop. Silius *lib.* 4.

Et Gradivicolam celso de colle Tudertem.

De hoc tractu vide quæ doctissimè, ut omnia, summus vir Jos. Scaliger scribit *ad Propertium*. Idem monstrum lectionis apud Strab. *lib.* 5. sc. Τυδερσόλλεις ita corrigit: Καὶ Τούδερ ἐρυμνὴ πόλις, quemadmodum apud Silium:

Sed domus haud obscura Tuder, motuque per Umbros
Bellator populos. —— ——

Estque omnino ita legendum, inquit Casaubonus, aut certè ἐρυμνὴ πόλις. Nam & ille locus naturâ fuit munitus in colle ac loco edito situs, & Strabo hujusmodi locos solet ἐρυμνοὺς appellare. Silius *lib.* 6.

—— Colles Umbros, atque arva petebat
Annibal, excelso summus quà vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder.

Tudetti & Ameriæ, tertio Marii Consulatu, visa esse cœlestia arma, Livius refert: qui addit, Lucio Marcio & Sexto Julio Coss. duos montes, magno crepitu accessisse & recessisse, fumo & flammâ exeuntibus, periisseque cuncta animantia, & solum tremuisse.

Tudernum, Vide *Sudernum*.

Tuf-

Tudinium, castrum Belgii, in finibus Hannoniæ, ad Sabim fluv. vulgò *Tuin*: Villa fuit olim regalis & publica. Hic Ludovicus R. Normannos vicit, An. Chr. 881. Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Tuditanus, nomen viri proprium, quòd caput malleo simile haberet.

Tueda, vulgò *Tuede*, fluv. Scotiæ, quibusdam & *Tuesis*. Oritur in Tuedia provinc. dein per Tiveotiam fluens, uti inter Marchiam & Northumbriam, in Oceanum Germ. se exonerat paulo infra Barvicum. Vide *Tuesis*.

Tuedia, vulgò *Tuvvedal*, prov. Scotiæ merid. inter Glotianam ad Occ. Lothianam ad Bor. Teviotiamque ad Ort. Tuedâ fluv. bipartitur. Ejus opp. præc. Peblisium & Selaricum.

Tueria, vulgò *Tuer*, urbs Tueriæ prov. in Moscovia, ad Volgam; vix 50. m. p. infra ejus fontes in Ort. Moscuam versus 140. circiter. Caput Duc. Tueriæ.

Tuerobis, fluv. Albionis per oram Walliæ occiduam decurrens & in mare Hibernicum apud Octapitarum promuntor. prolabens. *Tivy* Camdeno.

Tuesis, urbs aliàs Ottadenorum, hodie *Barvick*, seu *Bervick up on Tuvede*. Olim Scotiæ Urbs, sed à 200. ann. Angliæ tributa. Vide *Barvicum*.

Tuesis, vide *Tuesis*, & *Tueda*.

Tugeni, vide *Tugeni*.

Tugenus lacus, vulgò *Zuger-see*, ab oppid. Tugio dictus, recipit fluv. Lauretium *Loretz*, qui ex lacu egressus postea Ursæ miscetur. Lucernensi minor est, eique ad Or. duo adjacent laculi, quorum prior *Egery-see*, per fluv. *Loretz*, in lacum Tugenum se exonerat: Alter *Lovvertz-see* nominatus, prope portum *Brünnel*, in lacum influit Sylvaniensem. Tertius paulo remotior, Orientem versus, apud Glaronenses, à valle Clontalla dictus *Clontaler-see*, per rivulum *Lontsch*, in rivum *Sarnff* se exonerat, qui in Limagum illapsus, illum secum in lacum Tigurinum defert. Johan. Bapt. Plantinus *Helvet. Nov. Antiq.* Lacum Tugenum *Artensem* vocat, eò quod Merid. versus ad pagum Suitensem se extendat, usque ad locum *Art* dictum, Stumpf. *de Turgovia cap.* 30.

Tugia, opp. Hispan. Tarr. mediterr. 28. leue. à Toleto in Cæc. vulgo *Alcaras*, inde *Saltus Tugiensis*, unde Bætis fluv. profluit, *Argenteus*, Strab. *Argentarius* Avieno.

Tugiensis pagus, unus ex XIII. Helvetiorum, cum 5. aliis fœdus iniit An. 1352. Parvus admodum, inter Tigurinum ad Bor. Suitensem ad Ort. & Merid. & Lucerinum ad Occ. Caput ejus *Tugium* est, *Zug* oppidulum, ad lacum cognomin. 12. m. p. à Lucerna in Ort. 18. à Tiguro in Mer. Vide infra in voce *Tugium*.

Tugiensis Saltus, *Argenteus* Straboni, *Argentarius* Avieno, mons est Hisp. Tarraconensis, unde Bætis fluv. profluit. Dicitur *Sierra de Alcaraz* Cluno, *Sierra de Segura* Flor. & Cornelio, quod utrumq; probat Ferratius: ut *Tugiensis* sit *Sierra de Alcaraz*, unde Bætis uno capite manat, & Argenteus *Sierra de Segura*, unde altero capite Bætis derivatur.

Tugini, vel *Tugeni*, pop. in Helvetiis, quorum mem. Strab. *lib.* 4. & 7. ubi de Cimbris. Unde *Tugenus* pagus: ibi nunc sunt pagi Tugiensis, Glaronensis, Suitiensis & Uriensis. Eorum opp. *Tugium* est, quod vulgò *Zug* vocant. Vide *Tugium*.

Tugium, vulgò *Zug*, opp. Helvetiæ est, inter Tigurinos & Suitios, 2. hinc mill. in pede pascui & vitibus consiti montis, ad lacum piscosum, ipsis & Suitiis communem *Zugersee*, qui oppidi frontem cingit. Homines producit miré formosos & acres, caputque creditur *Tuginorum*, qui cum Tigurinis Cimbrico bello adversus Romanos militarunt. Unum esse ex 12. oppidis, quæ Helvetii olim ipsi, novas sedes quæsituri, incenderunt, asserit Guillimannus. Paruit aliquando Nobilibus: postea venditum Austriis, horum imperium diu pertulit. Ibi proin perpetuò Austriacorum præsidia, bello Helvetico, fuerunt, inde Suitiis & Tigurinis molesta. Itaque obsessa urbs An. Chr. 1352. à Tigurinis, quibus quatuor Pagi se junxerunt, post 5. dierum obsidium se dedidit Helvetiis, hac conditione, si intra præfinitum tempus sperati auxilii spes non affulsisset. Interea miseræ cives ad Ducem Albertum, in monast. *Königsfelden* legatos, qui opem ejus urgerent: sed Duce accipitribus intento, elusi, spe omni abjecta, Helvetico fœderi se junxerunt, septimo inter Cantones loco obtento, An. Chr. 1351. eodem anno, quo Bernenses in id recepti sunt. Mox ab Alberto obsessa urbs, interventu Marchion. Brandeburgici, pacem impetravit, hac lege, ut Austriis, sicut ante, pareat, Helveticum interim fœdus ratum maneat. Sed, cùm Suitiorum Legati seq. anno, nomine Confœderatorum, à Tuginis jusjurandum exacturi, ab Austriis contumeliosè haberentur, collectis copiis Tugium Helvetii denuo occuparunt, sibique sacramentum dicere jusserunt: qui Ann. 1388. cum Tigurinis, prope Bremogartum, rem egregiè gessere. Intestino dissidio An. Chr. 1404. cum oppido agrestes collisi sunt, quod reliquorum Pagorum interventu sopitum est. Anno dein 1435. cùm duæ plateæ ob insitantem lacum subsedissent, nova, quam vocant, urbs ædificari cœpit, quæ magnum post Insubriæ bella incrementum accepit: addita mœnia & turres. Imperium totius pagi non penès oppidanos solum est, quibus sui urbani Magistratus sunt, sed, qui agrum inhabitant, *das Ousser Ampt*, pari cum oppidanis jure imperant, unde Tugium sex illis Cantonibus annumeratur, qui oppida in suis regionibus non habentes, vicatim habitant, vulgò *die Länder*. In his omnibus qui publico præest consilio, Ammanus dicitur, quasi *Amptmann*, officii vir, muneri præfectus, sive officialis. Sic duæ sunt Tuginorum Reipubl. partes, oppidum & ager: qui tres Conventus habet, Montanum, vallem Egeriam sive Aquæ Regiæ, & Baram parochiam in campo urbi proximo. Cum 7. vett. pagis Turgovienses, Sarunetes, Rheguscos & liberas Provincias: cum 8. pagis Comit. Badensem: cum omnibus, præfecturas Transalpinas communes habent. Tuginis verò oppidanis subsunt, Chamium oppidul. ad lacum Tuginum, vicus S. Andreæ quondam etiam oppidum, Hunebergum, Walchevila, Steinhusa pagus, & alter, qui S. Wolphangi nomen habet: Præterea aliis quibusdam locis per Præfectos in urbe habitantes imperant. Annui conventus primâ Dominicâ Maji habentur. Latinos ritus Canto hic sequitur, & unus è Quinquepagicis est, Vide ibi ut & plura apud Stumpf. *lib.* 6. *de Turgov. capp* 30. & 31. Jos. Simlerum *de Rep. Helv.* Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Nov. Antiq. &c.* Glareanus *Panegyr. Helvet.* de Tugio sic canit:

> *Tugium ab antiqua Helvetiorum gente creatum,*
> *Gens ferri, populusq; acer, gens sueta laboris,*
> *Semper in arenti juvenes exercet arena.*
> *Terra minor reliquis, sed non tamen infima virtus,*
> *Dura manus bello, nullo perterrita casu,*
> *Stat, velut à rapido quercus non mobilis Euro*
> *Vapulat, instructaq; ignara phalange revelli.*
> *Facta patrum ostendunt, & monstrant tempora nostra*
> *Tuginos acreis & libertate celebres,*
> *Sollicitosq; sui, natosq; ad bella Camillos.*
> *Huic sunt à tergo colles, sed dextera pingui*
> *Rure viret, frontem nitidâ lacus abluit undâ.*

Tugma, urbs Indiæ ulter. Ptol. nunc fortè *Chacomas*.

Tugurinus, nomine *Julius*, Eques Rom. socius conjurationis in Neronem, Tacit. 15. 50.

Tuillium castrum, vulgò *Touillon*, ad flumen Arotium, infra Augustodunum: 2. leuc. à Tilio *Til*, castro pagi Alesiensis, 5. à monte Barro distat. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Tuisco, Germanorum pater, fil. Ascenæ, nepos Gomeri, pronepos Japheti.

Tuitium, vide *Divitense monumentum*.

Tulcu, modicus amnis Hispaniæ ad Tarraconem, milliari inde decurrens, Pompon. *Francolin* H. Coquo.

Tulingi, pop. Germ. Rauracis & Latobricis finitimi, inter Rhenum & Danubium, Cæsar. Marlianus Lotharingos esse putat. Cluverio sunt inter geminos Rhenorum confluentes, supra Curiam & lacum Brigantinum, ubi hodie pars Rhætorum. Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. Antiq. & Nov.* Sansoni versus fontes Danubii & Nicri, seu inter Brigantinum lacum & montem Abnobam, ubi hodie Comitat. Nellemburgensis & Furstembergensis, in Suevia Meridion.

Tuliphurdum, German. urbs, Ptolem. *Dreckford* P. Apiano in Westfaliâ. Inter Olenburgum urb. & Veebtum opp. 3. leucis in Bor. à Linga supra 5. in Ortum.

Tulisurgium, urbs Germ. Ptol. *Brunsvvick* Apiano. Vide *Brunsvvicum*. Lege *Tubisurgium*.

Tulla, vide *Tutela*.

Tullia, Gens Patricia, ante reges exactos (ex eâ enim Servius Tullius rex prodiit) & pòst, libertate partâ, Consularis fuit. Longi & Tollerini cognomine affecta. Fuit & alia gens *Tullia* plebeja, in duas familias Consulares distincta, quarum altera *Decularum*, altera *Ciceronum* appellata est.

Tullia, filia Servii, sexti Rom. regis, Tarquinio Superbo nupsit, qui postea ut potiretur regno solus, socerum suum interfecit. Ferunt hanc mulierem eâdem regnandi libidine, quâ maritum, æstuasse, adeò ut cùm intellexisset patrem interfectum, vehiculo se properè ferri jusserit, quo interfectori gratularetur. Quum autem inter eundum comperto cadavere, equi & auriga constitissent, erubescerentque mortuum conculcare; mulier nefaria currum super faciem mortui patris duci jussit. Ovid. *in Ibin*:

> *Infamemq; locum sceleris quæ nomine fecit,*
> *Pressit & inductis membra paterna rotis.*

Vide *Servius Tullius*, & *Tarquinius Superbus*.

Tullia lex, de legationibus liberis, lata est à Marco Tullio Cicerone. Cùm enim consuetudo obtinuisset, ut Senatores, quibus negotia futura erant, in provinciis, ut qui hæreditates persequi, vel legata, aut qui nomina exigere volebant in provinciis, quò favorabiliores controversias haberent, à Senatu, ornamenti causâ, legationem liberam peterent, quâ semel impetratâ, deinceps perpetuò, quotiescunque ejusmodi negotia inciderent, honoris & commodi sui causâ utebantur: Legem tulit Cicero, Consul cum M. Antonio, An. U. C. 690. *Ne, sicut antea, infinitum, sed annuum earum tempus esset.* Vide Cicer. *lib.* 3. *de LL.* item *Orat. Agrariâ.* Fuit & Lex Tullia de Ambitu. Vide quoque Thom. Dempsterum *Antiquit. Roman.*

Tullianum, carcer Romæ, ubi nunc ædes D. Petri in carcere; à Tullo Rege sic dictus. Ad radices montis Capitolini. Baudrando Propriè pars carceris fuit, à Servio Tullo Rege addita, de qua Sallustius:

lustius: cùm altera pars *Robur* vocaretur, locus in quem malefici præcipitabantur, quòd arcis robusteis antea includi moris erat. Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib.9. cap* 31.

Tullius, nomen Oratoris Latinorum omnium principis. Vide *Cicero*.

Tullius Flavianus, alæ Equitum præfectus, sub Petilio Ceriali, captus à Vitellianis. Tacit. *Hist.*3. 79.

Tullius Senecio, è præcipuâ familiaritate Neronis, adsumptus conjurationi in Neronem, capite Pisone. Tacit.15. 50.

Tullius Tyro, libertus Cicer. Scripsit historiam vitæ hujus, &c. Asconius Pedianus *in Orat. pro Milone*. Macrob. *Saturn. lib.*2. *cap.*1. Hieron. *in Chron. Euseb.* Voss. *de Hist. Lat. lib.*1. *cap.*17.

Tullius Valentinus, acerrimi belli Gallici tempore, Vespasiani instinctor, in conventu Treverorum Remis acto. Tacit. *Hist.* 4.68. à Petilio in prælio ad Rigodulum captus, *cap.*71.

Tullonium ad Arrosium, oppid. Burgundiæ Ducat. ad Arrosium fluv. 7. leucis ab Augustoduno in Merid. 16. à Molino in Ortum. *Toulon sur Arroux* vulgò.

Tullum, urbs Gall. Belg. in Lotharingiâ ad Mosellam fluv. Anton. in vett Notit. inter prov. Belgicæ primæ civitates tertia ponitur, vulgò *Toul.* Baudrando aliàs Leucorum caput, unde & *Leucia* dicta, & *civitas Leucorum*, nunc sub Gallis, licet in Lotharingia inserta, 9. leuc. à Baro Ducio in Ort. Ibi vetustissima Ecclesia S. Apri Fredegario memorata *lib.*5. *Chron. cap.* 54. Apri Episcop. ad quem Paullini extat epistola, titulo tumuloque illustris. Est & nobilis ibi Basilica S. Mansueti sepulchro ac nomine insignis, primi, ut ajunt, Tullensium Episcopi: A quibus duobus Monasteriis extramuranis, quæ suos ab origine Abbates habuerunt, nomen hodieq; duo *Tulli* suburbia, urbe non multò minora, habent, *le Faubourg de S. Eure, & de S. Mansuit.* Ibi quoque Ecclesia collegiata S. Gengulphi *S. Gengoul.* Fuit etiam in Burgo S. Mansueti monaster. Abbatiale S. Leonis, quod An. Chr. 1400. dirutum & in urbem translatum est. Urbis Antistes *Episcopum se & Comitem Tulli* vocat. Monetam, regnantibus Merovei in Gallia posteris, hic fuisse, docet nummus à Botarotio laudatus, in quo legitur TULLO CIVITA. Ab ea regiunc. adjacens, *le Toulois* dicitur: quem Comitatum Nithardus *lib.*1. Burgundiæ tribuit, cùm antea Austrasiæ finibus contineretur. Salsæus Episc. Tullensis in Leucis seu Episcopatu Tullensi duo Parœciarum millia, è quibus 800. cum nonnullis Canonicorum Collegiis Beat. Remigii Remensis Episcopi patrocinio glorientur, scribit *in libr. de gloria S. Remigii.* Idem adjicit, in Belgica 1. seu prov. Trevirensi tres Ecclesias sorores esse, Mettensem *locupletem*, Verodunensem *nobilem* & Tullensem *sanctam*, quòd 22. Sacerdotes sanctitate insignes, interq; hos duos Pontif. habuerit. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* & supra in voce *Leuci.* Condita à Tullo Hostilio. Vide Moreri.um. Item mons Illyrici mari Hadriatico obversus, *Telez* Lazio. Item pagus Rhætiæ ad Oenum fluv. in Comit. Tirolensi, ab Oenipont e 2. leuc. in Occ.

Tullus Hostilius, 3. Rom. Rex, An. 83. U. C. ne ipso quidem Romulo belli gloriâ inferior, qui pop. Rom. otio pacisque artibus sub Numâ assuetum ad belli studia revocavit. Templum itaque Jani reclusit, fasces instituit. Albanos, post Horatiorum & Curiatiorum trimachiam, cæso Dictatore Metio Suffetio, evertit, Albaque excisâ, opes cum incolis Romam transtulit. Dein de Fidenatibus, Vejentibus, Sabinis, Latinis, &c. triumphavit. An. 114. U. C. fulmine ictus. Florus, Dionysius, Halicarn. Virgil. *Æn.*6.

—— —— Cui deinde subibit
Otia qui rumpet patriæ, residesq; movebit
Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina. —— ——

Ingenium hoc Tulli allucet ex verbis istis Livii *lib.* 1. *Hic non solum proximo regni dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit: tum ætas viresq;, tum avita quoq; gloria animum stimulabat. Senescere igitur civitatem otio ratus, undiq; materiem excitandi belli quærebat.* Eutrop. *libr.* 1. *Hic bella reparavit, Albanos vicit.* Plutarch. *de Fort. Rom. Servius Tullus omnium regum maximè, & potentiam auxit populi, & Rempubl. ornavit, ordinemq; census & militiæ instituit, primusq; censor & inspector vitæ ac modestiæ civium fuit, creditusq; est vir fuisse fortissimus ac prudentissimus.* LLoyd. Habuit regiam suam in monte Cœlio, postea *Curiam Hostiliam* dictam, Liv.

Tulonium, vel *Tullonium*, Anton. Ptol. oppidum Vandalorum in Hispan. hodie est *Tudelle*, castrum Alavæ prov. ad radices montis S. Adriani, prope Victoriam urbem.

Tulugia, castrum Comit. Ruscinonensis, vulgò *Tulujas.* Hìc Concil. Tulugiense habitum, circa An. 1050. Vix 1. leucâ à Papyriano.

Tunchanum, urbs Xantoniæ tertia. Sub qua XVII. urbes min. in limite Pechinensis provinciæ, juxta fluvium *Jun*, in Sinis. Vulgò *Tunchang.*

Tunchinum, Gall. *Tunquin*, regnum Asiæ, in parte Bor. Annamiticæ reg. ubi olim Daonæ populi. Terminatur ab Or. & Sept. Sinarum Imperio; à Mer. partim Cocinsina, partim Sinu Magno; ab Occ. Lajis pop. & vastâ solitudine. In VII. prov. divisum, Aliis *des Rhodes.* Caput est Tunquinum, *Kecio*, seu *Thunkin.* Huic Regi subsunt etiam pars Occid. Quansiæ, ubi Taipinga, Chingamum, Tiencheum, Sugenum & Sicuinga Urbes; & pars Occ. & Merid. Junnaniæ, ubi Quangnanum & Quansia Urb. in Sinis. M. Martin.

Tundera, urbs Ducat. Slesvicensis, 1. leuca Dan. ab ora Oceani Germanici, 4. à Ripa in Merid. totidem ab Apenroa in Occident. *Tondern* vulgò.

Tunes, Tunis Strab. *Tunisense* opp. Plin. (*Thinissa* forsan Ptolem.) vulgò *Tunisi*, urbs Africæ, Episcop. olim, à Carthagine 12. m. pass. teste Livio, hâc tempestate clara & regia, amplissima Satrapæ sedes. Non longè abhinc Romani fracti & cæsi à Carthaginensibus, Xantippo Lacedæmonio auxiliante, quo tempore M. Regulus captus est. Postmodum sub Saracenis; obsessa fuit à Ludovico IX. Galliæ Reg. qui regem Tunetanum X. M. cæsis vicerat, sed peste sævâ magnâ exercitus parte, ipso quoque Ludovico absumpto, Carolus frater durissimis conditionibus obsidionem solvit, An. Chr. 1270. Paul. Æmil. *lib.*7. capta postea ab Arcadeno Ænobarbo Circhæ Reg. sed recuperata: à Carolo V. item Ann. 1535. Muleasse rege exturbato, postea reddita Regi legitimo: cujus stirpe extinctâ, Philippus II. sub cujus fide postremi Reges fuerant, regno cum arce Goleta, An. Chr. 1574. ab Amurarbe exutus est, culpâ per jocum, *in podagram Suessani Ducis, Austrii Sphæristerium, & Cardin. Granvellani subligar*, rejectâ. Thuan. *Hist. lib.* 5. Hodie Reipubl. formam habet, receptaculum piratarum, sub protectione Turcarum Imper. Hic equi velocissimi, *Barbari* nobis; qui & in Massylia & Numidia passim. Baudrando *Tunes*, seu *Tunetum*, vulgò *Tunisi* Italis, *Tunis* Gallis, urbs est ampla Africæ, cum arce & portu amplo, regni Tunetani caput, in ora maris Mediterranei, sed piraticâ infamis. Capta fuerat à Carolo V. ut dictum, & postea proprio Regi reddita; sed deficiente stirpe mascula, nunc quandam Reip. formam servat sub clientela Turcarum, 4. leucis distat à Goletta arce firmissima in Merid. & 40. ab Hermæo promuntorio. Populi *Tunetei.* Sidonio *Tunisei, in Paneg. Anthem.*

Torrida Tuniseos infert mihi Byrsa furores.

Tunetanum regnum, *Royaume de Tunis*, pars est Barbariæ, in Africa & in Ora maris Mediterranei, ubi aliàs Africa propria & Bizacena regio. Terminatur à Septentr. mari Africo, uti etiam ab Or. & Syrti minori, ab Occ. Bagrada fluv. & regno Algerii, à Mer. autem Biledulgeridia tractu. Ejus primaria urbs est Tunetum; olimq; proprios habuit Reges; sed ex quo stirps defecit, regnum servat quandam Reip. formam, antea sub clientela Turcarum, nunc autem sui ferè juris. Ab eo pendebant aliàs Melita, Lopadusa, & Pantalaria inf. cum aliis in illius ora & versùs Syrtim minorem.

Tunetum, urbs Africæ, vide *Tunes.*

Tungchuenum, vulgò *Tungchuen*, urbs Imperii Sinarum, in Suchuensi provincia, sub qua sunt septem urbes; sedetque juxta fluv. *Thou*, in planitie, ad radices montium, teste Martin.

Tungginum, vulgò *Tunggin*, urbs Imperii Sinarum, in Queichea provincia, cujus sextum locum obtinet, in confinio Huquaniæ, ad radices montium, teste Martinio.

Tungri, pop. Belgii, in Eburonum, quorum pars maxima inter Mosam & Rhenum erat, ob Sabinum & Cottam Legatos, cum una legione & 5. cohortibus interfectos, ac Q. Ciceronis castra oppugnata, à Cæsare excisorum, loca successere. Complectuntur autem antiquam diœcesim *Tungrorum*, vel Trajectensium, quæ Diœcesim Leodicensem, qualis nunc est, atque etiam non minimam partem Ducatuum Brabantiæ, Limburgensis, Luciliburgensis & Diœcesim Comitatumve Namurcensem continebat. Inter legiones Palatinas 12. *Tungricani Seniores:* inter auxilia Palatina 65. *Sagittarii Tungri* memorantur Amm. Marcell. *lib.*26. & 27. Horum urbs Episcop. & ampla olim in Brabantiâ, à Leodio & Trajecto 3. leuc. in Ort. nunc parva est, juxta amnem Jecoram *Jecker*, qui apud Trajectum Mosam auget, in dit. Leod. Media inter Trajectum ad Mosam, in Ort. & Fanum S. Trudonis in Occ. in limite Brabantiæ, 3. leuc. utrinq;. Olim & *Aduatuca Tungrorum.* Baudr. Postea more complurium Galliæ urbium, Gentis nomine assumpto *Tungri* dici cœpit, hodieque *Tongeren.* Hic aquæ Spadanæ, jam Plinii tempore nobiles, *lib.*31. *cap.*2. Urbe, mortuo Aravatio Episc. ab Attila funditus, post incensas Meras, eversâ, sedes Episc. Trajectum ad Mosam translata est, ita ut sæpius Trajectenses quàm veteri nomine *Tungrenses* Episcopi appellarentur. Verùm reparata postmodum urbs, hodieque incolarum multitudine, industriâ, Basilicarum ac Monasteriorum splendore insignis est: Tenetur à Gallis bello ultimo. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Tungrorum fons, *Iserborn* Andr. Baccio, locus apud Tungros; sed teste Gilberto Limburgio *Savenier* apud pagum *Spa*, cujus aquæ salubres adversus cujuscunque generis morbos ferè esse perhibentur. Vide Plin. *lib.*3. *cap.*12. Baudrando hodie est *Spa*, vicus Leod. dit. incolis *Spaw.* In limite Duc. Lucemburgensis, 5. leuc. à Leodio in Eur. 3. à Limburgo in Mer.

Tunica, undecunque dicta sit, (malumus enim id ignorare, quàm cum Grammaticis ineptire) Græcis χιτὼν dicitur, vestimentum videlicet interius, cui toga aut pallium aut alia superior vestis injiceretur: idque tam virile, quàm muliebre. Propriè tamen *Tunica* virorum fuit, sicut stola fœminarum. Sic Cato Uticensis apud Plutarch. dicitur ad Rostra sæpè venisse ἀχίτων, id est, sine tunica. Tigranes, apud Dionem, accessisse ad Pompejum legitur ... ... tunicâ exutâ. Illius usus apud antiquissimos Romanos nullus erat, utpote solâ togâ amictos: Postea subuculas & breves tunicas, citra humerum desinentes habuerunt, ... ab

excessu

excessu Romuli. Hinc Plinius *lib.* 34. *Primas*, inquit, *statuas putarem has, & Attii Navii positas, ætate Tarquinii Prisci, nisi Regum antecedentium essent in Capitolio: Ex his Romuli est sine tunica, sicut Camilli in Rostris.* Sequentibus temporibus, ut notat Manutius, duæ pluresve tunicæ in usu venerunt: Varro apud Nonium, *Postquam duas tunicas habere cœperunt Romani, instituerunt vocare subuculam & indusium.* Idque præsertim apud ditiores. Qui mos cum apud Judæos quoque vigeret, Christus severius vitæ institutum formans, vetuit discipulos duas gestare tunicas, Matth. *cap.* 10. Has deposuere in petitione honorum Romani, Plutarch. *in Coriolano*: Sive, quò magis eâ specie humiliores essent, ad supplicandum: Sive, ut, qui cicatrices haberent, subjicerent oculis fortitudinis signa: Cynici quoque ἀχίτωνες fuere, hinc pallium duplicare soliti. Non nisi serò autem lini usus in tunica interiore, quo tempore lineæ tunicæ promiscuè usurpatæ sunt, cùm prius ex lana essent: nec minima pars luxus additâ iis purpurâ, atque auro. Aureas enim fascias limbosque ac segmenta, quas *paragaudas* dixere, lineis interulis adjecta esse, docet Casaubonus: sive ea vox Parthorum, sive Syrorum fuit, vide quoque Vopiscum *in Aureliano* & Salmas. *ad Hist. Angl. Scriptores.* Conviviorum ministri in tunica, & fermè linea, officio fungebantur, ut expeditiores essent: quibus auratis paragaudis uti concessum, cùm aliàs id privatis interdictum esset, Lamprid. *in Alexandro.* Hinc etiam Christus Dominus, pedes Apostolorum ante convivium loturus, posuit pallium: quia, ut Nonnus interpretatur, servile opus facturus erat. Servorum enim erat, sine pallio, aut aliâ veste exteriore, tunicatos & cinctos, vel etiam linteo succinctos ministrare, vide Sueton. *de Caligula.* Et quidem Imperatorii servi albati erant, privatorum verò in tunicis pullis ministrabant: nisi ubique albas tunicas, ob conviviorum lætitiam, regiorum verò ministrorum albatas, id est, cretâ candefactas, & auro distinctas fuisse dicas. In sacris olim Ægyptius præcipuus quoque lineæ vestis usus erat: Hinc *Linigera turba*, & *Liniger grex*, apud Poëtas: & *lineus amictus Isiacorum* apud Sueton. Hodieque in Latinorum sacris, eidem vesti suus honos est. Præter amictum enim lineum superiorem, quo in sacra Psalmodia sacerdotes atque ipsis sacris ministri utuntur, prima vestium sacrificalium linea tunica talaris inducitur, quam vulgò *Camisiam* appellant: Fuit illa stricta & corpori adhærens, docente Hieronymo *ad Fabiolam.* Mensura superioris tunicæ, quæ *exterior* & *supparia* quoque dicebatur, erat ut paulo infra genua caderet, Quintil. *lib.* 11. Proin, qui in longis ac demissis tunicis incedere solebant, quòd id fœminarum proprium esset, ii tanquam molles, malè audiebant. Horatius:

Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscœnum subductis usq; facetus.

Cingebant autem Romani omnes tunicam, præter laticlavios, & prout libebat, contrahebant aut demittebant. Hinc apud Petronium *Statores altius cincti.* Imo magno probro fuit, discinctum incessisse, Dio *lib.* 63. Sic autem cùm tunica cincta esset, in sinum pecuniam reconditam docet Plutarch. *in Coriolano.* Porro, sicut longæ tunicæ ac talares, ita & manuleatæ infames olim in viris fuere, Gellius *lib.* 7. *cap.* 12. Colobiis proin, sic tunicæ sine manicis dictæ, uti mos. Non quòd totis brachiis renudatis incederent, sed quòd manicæ ad cubitum tantùm pertinerent, & non cum brachiis magnam quoque manus partem cooperirent. Utq; hoc Colobium sive communis tunica, etiam penès Christianos fuit, & quidem in sacris, ut & reliquæ vestes communes, gestata usque ad Sylvestri Pontificis tempora, cujus instituto in locum Colobiorum Dalmaticæ successerunt, id est, tunicæ manuleatæ. Plura in hanc rem, ut & de *Tunica palmata* triumphantium, *russa* militum, *Galbina*, *Laticlavia*, *Asema*, *Christi inconsutili*, *Muliebri*, seu *Stola*, *de tunica ornamentis*, aliisque Vide Octav. Ferrar. *de re Vestiaria lib.* 3. *toto.*

Tunicates, populi Vindeliciæ inter Augustam & Ratisbonam, Ptol. ubi nunc *Tunicatea*, quorum meminit Poëta *Itiner. lib.* 5.

Tunnocelum, Camdeno *Tinmouth*, vide *Tina*.

Tunonium, opp. amplum Sabaudiæ, ad lacum Lemanum, caput Duc. Caballicensis; 7. leuc. à Geneva in Ort. 5. à Lausanna in Mer. Vulgò *Tounon*, seu *Thonon*.

Tuntobriga, vulgò *Braganza*, urbs Hispan. Tarrac. Ducatus titulo insignis in Portugalliâ, inter Mirandam & Bracaram, Ferrar. Baudrand fuit opp. Callaicorum Braccariorum. Nunc in ruinis; manet tantùm vicus *Bargua de Regoa*, in Portugall. in prov. Transmontana, 7. leuc. à Brigantia in Occ. ad Tuelam amnem.

Tuola, Corsicæ fluv. Ptol. *Golo* Leandro, ex magnis Insf.

Turanii, inter eas Sabinorum nobiles familias, quæ Romam se cum T. Tatio contulerunt atque patriciæ factæ sunt, connumerantur à Dionysio.

C. Turanius, Poëta, annonæ præfectus paulò ante mortem, ab Augusto substitutus, in locum suum. Fuit & eo nomine Poëta Tragicus, teste Ovidio:

Musaq; Turani tragicis subnixa cothurnis.

Ejus sive cognominis meminit Plinii index.

Turarius, vicus Romæ, Asconius.

Turba, Hispan. urbs, Livius *lib.* 35.

Turba, postea *Travia*, *Tarbia*. ac *Tarvia*, nunc *Tarba*, oppidum Galliæ, caput Bigerronum, decimo inter prov. Novempopulanæ civitates loco. Vulgò *Tarbe*: vetus castrum aut arcem Bigerram Bigorramve habuit, ubi semper Episcopatus fuit sedes: Unde & nunc sedes dicitur, *la Sede.* Vide supra in voce *Bigerrones.*

Turbo, *onis*, gladiator apud Horat. *Serm.* 2.

Corpore majorem rides Turbonis in armis.

Turca, vel *Turci*, vulgò *Turchi*, & *Musulmanni*, Scythiæ pop. teste Pomponio *lib.* 1. *cap. ult.* à quibus orti judicantur, qui tempestate nostrâ latissimè imperitant, immanissimi & crudelissimi hostes Ecclesiæ Dei & Christi. *Turca* (inquit Faber) *vastatorem* signif. veræ scil. religionis, pietatis, honestatis & pacis. Herodotus inter feras gentes Septentrionis Ἰύρκας ponit, quæ appellatio à *Turcorum* nomine non est aliena, etsi sunt qui à *Teucris Turcos* deducunt, Chron. Peuceri. At *Tharthak* Idolum est Reg. 2. 17. Alii ex *Turcâ* Persarum urbe magnâ & opulentâ hoc genus hominum progressum esse tradunt. Nomen *Turci* (inquit idem Faber) signif. hominem, qui agrestiorem victus rationem sequitur Chalcondylas *lib.* 2. *de rebus Turcicis.* Et Persas quidem Τύρκους dictos ex Nicetâ apparet. Invenitur & à fluv. rapido *Turck*, qui in mare Hyrcanum influit, nomen suum *Turcos* accepisse. *Turcas*, quasi *derelictos* dici observat Hottingerus *H. E. L.* 1. *cap. IIX. pag.* 513. & sunt qui illos iis ex Scythis oriundos volunt, quos Alexander M. intra Hyperboreos ferreis repagulis clauserit, id est, quos, velut gentem indomitam, in angulum illum, tanquam in ergastulum incluserit. E Scythis, Caucasios montes inter Pontum Euxinum & Caspium mare incolentibus, originem illos trahere communis opinio est. Seipsos *Musulmannos*, id est, fideles vocant. Horum potentiæ initia jecit Tangrolipices Mucaletus, An. Ch. 1037. quo Persidis Sultanus Muhammedes, à Turcis, quos adversus Caliphам evocans armaverat, reditumque iis postmodum intercluserat, occisus & regno exutus est. Imperium postea condidit Osmanes seu Othmanes, Gasi i. e. fortis miles, Ertogrulis seu Ertucalis filius, An. Chr. 1290. qui cùm aliquandiu agriculturam in partibus Asiæ minoris ab Aladino Sultano concessis exercuisset, vicinos in Phrygia maj. Bithynia, Mysia, vicos & castella Christianorum tandem aggressus est felici successu, quem Aladinus jure ac dignitate Principis ipsi collatâ coronavit. Sic Zupliâ, Bilezugâ, Nacoliâ, Chalce, vel ut Curio, *Histor. Sarac. lib.* 3. Natoliâ, Ancyrâ, Sinope, Sebastiâ subjugatis, Nicæam dein & Prusam expugnavit, Græcis pugnâ Dilemii victis. Ei fil. Urchanes successit, An. C. 1317. qui vicinas Nicææ urbes in Troade sitas Neapolim, Carissum, Pergamum & Adramyttum adjecit. Hujus filius Solimannus Hellespontum primò transfretavit, & castellum Zemenick, Græcis Chiridocastrum occupavit, dein Callipolim cepit. Porro Amurathes I. Gasi Urchanis successor Adrianopolim, Philippopolim, aliasque Thraciæ urbes sub jugum misit. Post eum Bajazetes I. à Turcis *Gildrin*, id est, fulmen, à Græcis *Lalaps* dictus; Serviam ac Bosniam latè depopulatus, Sigismundum Hungar. Reg. ad Nicopolim vicit, ipsâq; Constantinopoli obsessâ, jus vici in illa habendi Imperatori extorsit, mox à Temirlane victus & captus. Post interregnum Emir Soliman, i. e. Princeps, à fratre Musa Zelebi, id est, Nobilissimo, imperio ac vitâ privatus est: qui mox à Muhammede I. eodem modo habitus est. Huic successit Amurathes II. seu Murat Chan, cujus initiis Pseudo Mustaphas negotium facessivit. Eum excepit Muhammedes II. qui cum Imperia Constantinopol. An. Chr. 1452. & Trapezuntinum, An. 1460. duodecim regna & ducentas urbes magnas expugnavit: Græciam subjugavit, Athenas delevit, à Croiana tamen obsidione Scanderbegi armis repulsus: iterum Lesbum Catalusiorum genti Genuensi eripuit An. Chr. 1461. Bosniâ, Rasciâ & Serviæ magnâ parte adjectâ, An. Chr. 1464. Inde Peloponneso, discordiâ fratrum Palæologorum, potitus, ut & Eubœâ, An. Chr. 1470. Bajazetes II. successor ejus reliquias Venetorum Peloponneso exegit, post quem Selimus I. Syriam, Arabiam, Ægyptum, &c. occupavit. Hunc excepit Solimannus II. qui An. Chr. 1521. Rhodum, dein Hungariæ partes, Anno Christi 1566. sicut Selimus II. ejus successor Cyprum adjecit. Post hos præfuere Amurathes III Muhammedes III. Achmedes I. Othmanes II. à Genizaris strangulatus, Ann. Chr. 1622. Mustaphas, Achmedis frater: Amurathes IV. Othmanis frater, Ibrahimus, itidem à Genizaris strangulatus, & Muhammedes IV. qui haud pridem Candiam Venetis extorsit, Neuheuselium in Hungaria expugnavit & Polon. non exiguam partem, Caminieco capto, sub jugum misit. Præterea Tartari Precopenses ab imperio Turcico aliquousque dependent: Walachiæ quoque, Moldaviæ ac Transylvaniæ Principes Turcica castra sequi coguntur, simul ingenti tributo onerati, Transylvanus tamen liberius habetur. Ragusina etiam Resp. tributum pendit. Proprius Imperatorum titulus est *Chakan*, seu *Chachan*, *Chan*, *Cham*, communi fere omnibus Orientalib. more. *Sultani* nomen etiam usurpat, sed eo modo, quo Reges Hisp. vocem *Don.* Titulum *Imperii* videntur meruisse, ab occupata Constantinopoli, quam statim quoque sedis loco elegere, cùm antè Othmanes Prusiæ, civitate Bithyniæ, & pòst Adrianopoli eam habuissent: accessit conventio, inter Rodolfum II. Imper. & Achmedem I. An C. 1606. Imperium ut plurimùm à fratrum strangulatione auspicantur, nec filiorum adultorum ullus, patre vivo, intra Urbis mœnia pedem infert. Filias plerumque 4. vel 5. ætatis anno Bassæ, seu Beglerbego alicui despondent, uxores non habent justas à tempore Bajazetis, à Tamerlane victi, nisi quòd Soli-

Solimannus II. Roxolanam hoc titulo dignatus est. Mahometani sunt, & non tam vi politici alicujus principii, quàm religionis, subditorum cœcum experiuntur obsequium. Milites tamen, maximè Janizarii, liberius agunt, quorum potentiam proin omnibus modis enervare annituntur. Supremus Imperii Turcici Minister est *Magnus Vezirius*, Turc. *Vezir Azem*, ab Imperatoribus *Lala*, id est, Aulæ Magister dictus. Sub hoc sex alii Veziriorum nomen gerunt, consiliisque adhibentur, sed non magnâ auctoritate sunt. Inter Judices, qui post supremum Vezirium eminet, summus Judex est *Cadilescher* vocatus. Sæpe & *Mufti*, id est, summus Sacerdos, ad sententiam dicendam accersitur. Sedes publici consilii *Divan*: Aula *Porta* appellatur. Nobilis hic nemo nascitur, cùm sola domus Ottomannica suis censeatur natalibus. Plura qui volet, adeat Chalcondylam *Hist. Turc.* Camerar. *Comm. de Reb. Turc.* Postellum *Respubl. Turc.* Bauderium *Invent. Hist. Turc.* Francisc. Sansovin. *de Orig. & Imper. Turc.* Joh. Bapt. Montalban. *de moribus Turc.* Furgerum *in Turca.* Joh. Leuncl. *Hist. Turcic.* Augerii Gisleni Busbequii *Legat. Turcica Epist.* 4. P. de Valle *Itinerar. Tom.* 1. reliquosq; auctores Becmanno laudatos *in Hist Orbis terr. Geogr. & Civ. cap.* 10. *de Imp. Turcico*: & infrà in voce *Turcarum Imperium*. Baudrando dicuntur *les Turcs* Gall. *los Turcos*, Hisp. *li Turchi* Italis, populique sunt Asiæ, qui Imperium suum longe lateque per Europam, Asiam, & Africam armis propagarunt, & se ipsos Musulmanos seu fideles vocant. A Scythis, qui Caucasios montes inter Pontum Euxinum & Caspium mare incolût, originem trahere, omnes fere auctores uno ore consentire videntur. Hinc *Turcicus*, ut Turcicum Imperium, quod cœpit, An. D. 613. sec. alios An. 1300. de quo supra.

Turcarum Imperium, *l'Empire des Turcs*, seu *la Turquie*, latè per Europam, Asiam, & Africam extensum est, à duobus præsertim seculis. Turcica ditio in Europa duplex est, nempe Rumelia, *la Rumelie*, sub qua censentur Græcia, Macedonia, Albania, & Thracia, cum insulis Creta, Eubœa, & aliis in mari Ægæo; & Sclavonia, *l'Esclavonie*, sub qua Bosnia, Servia, Croatia ex parte, Dalmatia mediterr. Sclavonia, Bulgaria, & maxima pars regni Hungariæ versùs Austr. Turcicæ ditionis in Asia quatuor sunt partes, nempe Asia Minor, *la Natolie*, Syria late sumpta, *la Sourie*, seu *Soristan*, Turcomania, aliàs Armenia major, *la Turcomanie*, & Diarbechia, aliàs Mesopotamia, & Assyria, atque pars Babyloniæ, *le Diarbech*, cum aliquot locis tantùm in Arabia Petræa versùs sinum Arabicum. In Africa autem Turcicæ ditionis partes sunt regnum Barcæ, *le royaume de Barca*, & Ægyptus, *l'Egypte*, seu *Misir*, in duodecim Præfecturas seu Cassilifatus divisa. Totius Imperii sedes regia est Constantinopolis, Turcis *Stamboul*, ad Bosphorum Thracium. Sed urbes *Zibit*, *Aden*, *Balsora*, & *Sumachia* non subsunt Turcis, neque Colchis & Iberia, partes Asiæ. Regna autem Tripolis, Tuneti, & Algerii in Africa sunt sui juris quodam modo, & Turcarum Imperatori parent tantùm, quando ipsis videtur, quanquam sub ipsi s clientela vivant. At vice versa ipsi tributum solvunt Principes Transylvaniæ, Valachiæ, & Moldaviæ, uti Respublica Ragusina & Princeps Tartariæ minoris ipsius est clientelaris. Turcicum Imper. dividitur aliter in viginti quinque Præfecturas generales, teste Ricautio Anglo, ex quibus una est in Africa, septem in Europa, & 17. in Asia: E quibus duæ reguntur à Præfectis *Beglierbey* dictis; aliæ omnes habent Præfectos *Bassa* nominatos. Terminatur autem ditio Turcica in Europa ad Boream Tartaria minori, Polonia, Moldavia, Transylvania, & Hungaria Austriaca: ab Occasu mari Hadriatico, quo separatur ab Italia & mari Mediterr. In Africa terminatur ad Austr. sinu Arabico; Nubiæ reg. desertis Barcæ & Gaogæ, ac regno Tripolitano. In Asia autem ad Ortum terminatur Ponto Euxino, Georgia, Imperio Persarum, & Arabia.

Satrapia Turcarum juxta Ferrarium, in Asia, superiore tempestate 30. nunc pauciores, multis à Persis occupatis:

Albaniæ, sedes Alexandria seu Portæ ferreæ, *Demircapi.*
Arabiæ felicis, ad sinum Arabicum, sedes Saba, *Zibit.*
Arabiæ felicis, extra sinum Arabicum, sedes Arabia, *Aden.*
Armeniæ majoris citerioris, sedes Chorsa, *Chars.*
Armeniæ majoris ulterioris, sedes Artaxata, *Teflis.*
Armeniæ majoris, in confinio Mediæ, sedes Rivanum, *Revan.*
Armeniæ minoris, sedes Melitene, *Malatia.*
Assyriæ, sedes Seleucia, *Mosul.*
Babyloniæ citerioris, sedes Babylon, *Bagdet.*
Babyloniæ ulterioris, sedes Teredon, *Balsara.*
Bithyniæ, Prusa sedes, *Burse.*
Cappadociæ citerioris, sedes Amasia, *Amasia.*
Cappadociæ ulterioris, sedes Sebaste, aliis Sebastopolis, *Suvas.*
Cappadociæ, Ponti Polemoniaci, sedes Neocæsarea, *Tocato.*
Carmaniæ, sedes Iaxa, nunc sub Persis, ab eis recuperata.
Ciliciæ, sedes Cæsarea penes Anazaibum, *Acsar*, & intus Adana, *Adena.*
Cœlesyriæ, sedes Damascus, *Scham.*
Colchidis, sedes Phasis, *Fasso.*
Cypri, sedes Fama Augusta, *Famagosta.*
Iberiæ, sedes Barinum.
Iberiæ item, sedes Tzildiris.
Iberiæ etiam, sedes Smyrna.
Joniæ, sedes Smyrna, *Ismir.*
Lycaoniæ, sedes Iconium, *Cogni.*
Mediæ Atropatiæ, sedes Cyropolis, *Sumachi*, nunc Persarum.
Mediæ citerioris, sedes Sarvanum sive Servanum, hodie Persarum.
Mediæ item in confinio Mesopotamiæ, sedes Iban, *Van.*
Mesopotamiæ, sedes Amida, *Caramit.*
Phœniciæ, sedes Tripolis, *Tarapoli.*
Phrygiæ, sedes Cotiæum, *Chiutaye*, sub quo Præfecti 16.
Syriæ, in Armeniæ minoris confinio, sedes Marassia, quæ Metita veteribus dicta putatur.
Syriæ in Comagene, sedes Hierapolis, *Haleppo.*

Ex quibus à Persis multæ recuperatæ sunt, uti Albaniæ, Armeniæ majoris, Mediæ, Assyriæ, & Babyloniæ.

Satrapia in Europa septem:

1. Bosnæ, sedes Banialucha: sub quo 9. Præfecti.
2. Daciæ ripensis, sedes Temeswaria: sub quo 8. Præfecti.
3. Græciæ, sedes Sophia: sub quo Præfecti 21. totidem namque præfecturas continet hæc satrapia, quæ sunt ex ordine infra scriptæ.

Præfectura Romelia, sive Græcia satrapia;

1. Sophia, in Mysia, *Sofia.*
2. Nicopolis, ibidem, *Nigeboli.*
3. Quadraginta Ecclesiæ, in Thracia, *Kirckliss.*
4. Byzia, ibidem, *Vyza.*
5. Germia, in Thracia. *Kirmen.*
6. Silistria, in Mysia, *Silistra.*
7. Justiniana prima, in Macedonia, *Giustandil.*
8. Tegina, in Sarmatia Europæa, *Benaer.*
9. Hermonassa, ibidem, *Akerman.*
10. Scupi, in Macedonia, *Uscopia.*
11. Prisdena, ibidem, *Prisrien.*
12. Thessalonica, ibidem, *Salonichi.*
13. Trica, in Thessalia, *Triccala.*
14. Lacedæmon, in Peloponneso, *Misura.*
15. Patræ, ibidem, *Patras.*
16. Cathope, in Epiro, *Janna.*
17. Delvina, ibidem, *Delvino*, nomine recenti.
18. Elabassanum, in Macedonia, *Elbassavo*, nomine recenti.
19. Aulon, ibidem, *la Valona.*
20. Dyrrachium, ibidem, *Dulcagini.*
21. Scodra in Illyrico, *Iscodar*, seu *Scutari.*

4. Hungariæ, sedes Buda: sub quo 15. Præfecti.

Præfectura Hungariæ ex ordine:

1. Novigradus, *Novigrad.*
2. Filecum, *Fileck.*
3. Zerzenum, *Zerzen.*
4. Zolnocum, *Zolnock.*
5. Strigonium, *Gran.*
6. Segedinum, *Segedin.*
7. Alba Regalis, *Stulvveissenburg.*
8. Sexardum, *Sexard.*
9. Simontorna, *Smonturn.*
10. Copanum, *Kopan.*
11. Muharzum, *Muharz.*
12. Zigetum, *Zigeth*, vel *Sasvvar.*
13. Quinque Ecclesiæ, *Funfkirchen.*
14. Sirmium, *Sirmisch.*
15. Samandria *Semender.*

Quarum Novigradus, Filecum, (à Christianis recuperatum) Zerzenum, Zolnocum, Segedinum in Hungaria Transdanubiana sunt. Nomina sunt ferè recentia, Syrmii, Albæ Regalis, Strigonii, Quinque Ecclesiarum, Segedini, Solnoci exceptis.

5. Maris, sedes Callipolis, *Gallipoli*: sub quo 14. Præfecti, *qui in* locis maritimis & insulis resident, hoc est, Galatæ, Nicomediæ, Callipoli, Lemni, Mitylenæ, Chii, Naxi, Eubœæ, Rhodi, Cabylæ, Naupliæ, Naupacti, Leucade, & Alexandriæ.
6. Mysiæ superioris seu Serviæ, sedes Taurunum, *Belgrado*, vel Samandria, *Zenderin.*
7. Sarmatiæ, sedes Theodosia Tauricæ, *Caffa.*

Satrapia in Africa quatuor:

Ægypti, sedes Babylon nova, *Alcayro*: sub quo 16. Præfecti.
Africæ propriæ, sedes Tunes, *Tunisi.*
Byzacenæ, sedes Tripolis, *Tripoli di Barbaria.*
Mauritaniæ Cæsariensis, sedes Julia Cæsarea, *Algeri.*

Augentur indies, novis provinciis occupatis, minuuntur deperditis, & sedes permutantur. Vide nostram Europæ descriptionem, ubi singulos satrapiarum Præfectos videre poteris, cum illorum sedibus.

Turcici Imperii divisio secundum Præfecturas generale: ex Baudrando.

Præfectura Ægypti seu Cairi, quæ sola in Africa, *le gouvernement de l'Egypte*, sub qua duodecim Cassilifatus, seu Præfecturæ minores.

Præfectura Aleppensis, *le gouvernement d'Alep*, Asiæ in Syria sub qua 9. Sangiacatus seu Præfecturæ minores.

Præfectura Amidæ, *le gouvernement de Diarbekir*, seu *de Caramit*, Asiæ in Turcomania, sub qua 12. Sangiacatus.

Præfe-

Præfectura Asiæ minoris, *le gouvernement ou Beglierbegat de Natolie*, Asiæ, sub qua 15. Sangiacatus.

Præfectura Bosniæ, *le gouvernement de Bosnie*, Europæ in Sclavonia, sub qua 8. Sangiacatus.

Præfectura Budensis, *le gouvernement de Buda, ou Budun*, Europæ in Hungaria, sub qua 20. Sangiacatus.

Præfectura Caffensis, *le gouvernement de Caffa*, Europæ in Taurica Chersoneso, sub qua nullus Sangiacatus.

Præfectura Caramaniæ, *le gouvernement de Caramanie* seu *de Cogni*, in Asia minori, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Chorsæ, *le gouvernement de Chars*, Asiæ in Turcomania, in qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Cretæ insulæ, *le gouvernement de Candie*, in Europa, in qua 4. Sangiacatus.

Præfectura Cypri insulæ, *le gouvernement de Cypre ou Kibros*, in Asia, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Damasci, *le gouvernement de Scham ou Damas*, Asiæ in Syria, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Ibani, *le gouvernement de Van*, Asiæ in Turcomania, sub qua 9. Sangiacatus.

Præfectura Metiræ seu Aladuliæ, *le gouvernement de Marasch* seu *Zulkadrie*, in Asia minori, sub qua 4. Sangiacatus.

Præfectura Ninivita, *le gouvernement de Mosul*, Asiæ, in Mesopotamia, sub qua sunt 5. Sangiacatus.

Præfectura Præfecti maris, *le gouvernement du Capitan Bacha*, in qua sunt 13. Sangiacatus, partim in Europa & partim in Asia, versus oram maris Ægæi.

Præfectura Ricana, *le gouvernement de Rika*, Asiæ in Mesopotamia, sub qua 7. Sangiacatus.

Præfectura Rumeliæ seu Græciæ, *le gouvernement ou Beglierbegat de Rumelie*, in Europa, in qua 24. Sangiacatus.

Præfectura Sebastiæ, seu Amasiæ, *le gouvernement de Suvas*, in Asia minori, in qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Scheresuliæ, *le gouvernement de Scheheresul* seu *Schierisul*, Asiæ in Assyria, in qua 12. Sangiacatus.

Præfectura Seleuciæ, *le gouvernement de Bagdet*, Asiæ in Chaldæa, sub qua 10. Sangiacatus.

Præfectura Symiritana, *le gouvernement d'Erzerum*, Asiæ in Turcomania, sub qua 9. Sangiacatus.

Præfectura Temisuariæ, *le gouvernement de Temisuar*, Europæ in Hungaria, sub qua 6. Sangiacatus.

Præfectura Trapezuntina, *le gouvernement de Trebizonde ou Tarabozan*, in Asia minori, sub qua nullus Sangiacatus.

Præfectura Tripolitana, *le gouvernement de Tripoli de Sourie ou Tarabolos Scham*, in Asia, sub qua 4. Sangiacatus.

Turcici Imperii urbes præcipuæ.

In Africa.

Alexandria, *Alexandrie* seu *Scanderia*, in Ægypto.
Cairus, aliàs Babylon, *le Caire*, ibidem.
Siene, *Assuan*, ibidem.

In Asia.

Alepum, *Alep*, in Syria.
Amasia, *Amasie*, in Asia minori.
Amida, *Caramit*, in Mesopotamia seu Diarbechia.
Ancyra, *Angouri*, in Asia minori.
Antiochia, *Antacyah*, in Syria.
Attalia, *Satalia*, in Asia minori.
Chius, *Chio*, in Asiæ minoris ora.
Chorsa, *Chars*, in Turcomania seu Armenia.
Cotiæum, *Chiutaje*, in Asia minori.
Damascus, *Scham*, in Syria.
Fama Augusta, *Famagusta*, in Cypro.
Hierusalem, *Chuts Xerif*, in Syria.
Ibanum, *Van*, in Turcomania seu Armenia.
Iconium, *Cogni*, in Asia minori.
Melitena, *Malatiah*, ibidem.
Metira, *Maraz*, ibidem.
Neocæsarea, *Tocat*, ibidem.
Nicæa, *Isnich*, ibidem.
Ninive, *Mosul*, in Diarbechia seu Mesopotamia.
Prusa, *Bursia*, in Asia minori.
Rhodus, *Rhodes*, in ora Asiæ minoris.
Sebastia, *Suvas*, in Asia minori.
Seleucia, *Bagdet*, in Babylonia.
Simyra, *Erzerum*, in Turcomania seu Armenia.
Sinope, *Sinabi*, in Asia minori.
Smirna, *Ismir*, ibidem.
Trapezus, *Tarabosan*, ibidem.
Tripolis, *Tarabolos Scham*, in Syria.
Tyrus, *Sour*, ibidem.

In Europa.

Achridus, *l'Ochrida* seu *Giustandil*, in Macedonia.
Alba Regalis, *Stulwueissemburg*, in Hungaria.
Athenæ, *Setines*, in Græcia.
Aulon, *la Valona*, in Macedonia.
Banjalucum, *Banjaluch*, in Bosnia.
Belgradum, *Belgrade*, in Hungaria.
Buda, *Bude* seu *Budun*, ibidem.
Caffa, *Caffa*, in Tartaria minori.
Candia seu Matium, *Candia*, in Creta insula.
Chalcis, *Negrepont*, in ora Græciæ.
Constantinopolis, *Stamboul*, in Thracia seu Romania, Imperii caput.
Corinthus, *Coranto* & *Corto*, in Peloponneso.
Dyrrachium, *Durazzo*, in Albania.
Gallipolis, *Gallipoli*, in Thracia.
Hadrianopolis, *Andrinople*, ibidem.
Iaycza, *Iaycza*, in Bosnia.
Methone, *Modon*, in Peloponneso.
Nauplia, *Napoli de Romanie*, ibidem.
Nicopolis, *Nigeboli*, in Bulgaria.
Patræ, *Patras*, in Peloponneso.
Prisrena, *Prisren*, in Macedonia.
Scodra, *Scutari* seu *Scodar*, in Albania.
Scupia, *Uschup*, in Servia.
Seraium, *Serato*, in Bosnia.
Sophia seu Sardica, *Sophia*, in Bulgaria.
Sparta, *Musitra*, in Peloponneso.
Strigonium, *Gran*, in Hungaria.
Temesuaria, *Temisuar*, ibidem.
Thebæ, *Stives*, in Græcia.
Thessalonica, *Salonichi*, in Macedonia.
Vihitza, *Vihitza*, in Croatia.

Turchestania, vulgò *Turquestan*, pars ampla Asiæ, in Tartaria, inter Tartariam veram seu magnam ad Boream & Imperium Magni Mogolis ad Meridiem, ut ferè omnes narrant in historiis illius tractus. Sunt tamen multi recentiores, qui credunt nullam esse Turchestaniam, sed in illo tractu esse regnum *Thibet* seu *Tobat*, cum urbe primaria cognomine; sicque de illis partibus pauca certa dici possunt.

Turcomania, vulgò *la Turcomanie*, regio est Asiæ, quæ aliàs Armenia major dicta fuit. Extenditur inter Georgiam ad Boream, Asiam minorem ad Occasum, Persiam ad Ortum, & Diarbechiam ad Meridiem. Subest dominio Turcarum; & ejus præcipuæ urbes sunt Amida & Ibanum. Zonaras, Turcas quosdam Duce Cutlumo & Botoniate, regionibus versus Pontum occupatis regnum Turcomanniæ construxisse refert, An. Ch. 1072. *in Hist.* Vide quoque P. de Valle *Itiner.* & in voce *Armenia major.*

Turdæ, Vilumbrorum civitas in Italiâ. Vide *Tuder.*

Turdetani, pop. Lusitan. in regno Portug. ad Meridiem, quorum reg. *Turdetania.* Hos adeo opulentos fuisse refert Strabo, ut præsepibus uterentur argenteis. *Turtutani* Stephano sunt, qui eos unà cum *Turdulis* confundens circa Bætim describit. Baudrando fuere partim, in Lusitania Australi, ubi hodie Algarbia regn. cum parte Portugalliæ, & partim in Bætica, ubi territ. Hispalense, & Duc. Medinæ Sidoniæ in Vandalitia prov. ex Brietio. Eorum Urbes fuere Pax Julia, Ossonoba, Lacobriga, Hispalis, Italica, Asta, & Asindum.

Turduli, Ptol. & Mel. pop. Hisp. Bæticæ inter Mellariam & Bariam incolentes, partim in Vandalitiâ, partim in regno Granatensi, Bastulis finitimi. Alii in Lusitan. in orâ inter Mundam & Durium fluv. inhabitantes; quorum tractus *Betra* Vasconcello. Baudrando, ubi hodie territ. Cordubense, in Vandalitia & pars regni Granat. inter Bætim & Singilim fl. Ex Brietio.

Turegum seu *Turgea*, tractus Helvetiæ, inter Tigurinum pag. ad Occ. Sub VIII. pagis antiquioribus. Ejus oppid. primarium *Frauuenfeld* dicitur. *Turegum* quoque Tigurum urbs dicitur, V. ibi & de tractu hoc in voce *Turgea.*

Turelupini, Hæretici dicuntur, sec. 14. precibus spretis, nudi incessisse, aliaque abominanda patrasse. A Gregorio II. condemnati, An. 1332. Aliquando tamen tum nomen hoc, tum vitia adeo horrenda, per calumniam, Valdensibus affinguntur, Vide *Valdenses.*

Turena, vulgò *Turenne*, opp. cum arce, in prov. Lemovicensi, in limite Cadurcensis, 2. leuc. à Briva Curretia in Mer. 4. à Tutela, Sarlatum versus totidem. Caput Vicecomitatus amplissimi & vetustissimi, cujus ditio in finibus Cadurcorum, Petragoricorum, & Lemovicum posita, de tribus his provv. participat. Sub Ducibus, è genere *de la Tour d'Auvergne*, qui & nuper Sedani supremi Domini fuere. Dicitur *Torinna*, in Annal. vetust. Francorum, & *Torenna* in actis mediæ ætatis. V. Thuan. *lib.* 85. & supra in voce *Torinna.*

Turesis, unus è ducibus Thracum montanorum, contra Tiberium rebellium, qui arta obsidione, à Poppæo Sabino, clausus, aquâ pabuloque ereptis eruptione nocturnâ, in Romanos evadere cum suâ juventute aut cum libertate occidere destinarat. Tac. 4.

Turgana, Arab. Fel. ins. Ammian. *lib.* 23. in quâ Serapidis maximum esse templum scribit. Ortelius putat eandem esse cum *Serapide* Ptolemæi.

Turgea, mel. *Durgea*, Oswaldo Molitori *comment. in Panegyricum Glareani*, à *Dura* fluv. & voce Celtica è Græco γῆ ναῒ *geuvu*, Germ. *Turgevv* vel *Durgevv*, tractus est Helvetiæ, cum

tiæ. Comit. cujus situm vide supra, in *Turegum*. Occupata regio est ab Helvetiis, bello, quod contra Sigismundum Austriæ Archiducem gesserunt, partim à Pio II. qui Sigismundum ob Cardin. Cusanum in vincula conjectum, excommunicaverat, impulsi, partim aliis caussis permoti: namque Vitodurum, quod tum Austriis patebat, Tigurinis ad nundinas adventantibus portas clauserat, & duo è Stiria nobilissimi fratres Gradleri, ab Austrio domo pulsi, Tigurinorum, à quibus in jus civitatis recepti erant, opem imploraverant. Tum igitur Rappersvilam ac Diessenhovium, Frawenfeldum item & Turgeam Helvetii occuparunt: pace demum initâ An. Ch 1460. operâ Ludovici Bojorum Principis. A quo tempore, Turgeæ præfectura, quâ in tota Helvetia nulla est amplior & populosior, quippe supra 50. parochias comprehendens, Pagis VII. vetustioribus subest, ad quos dominium regionis, & civilis jurisdictio pertinent, cum quibus ipsi, si externo petantur hoste, militant. Cœterum judicia rerum capitalium, provocationes & mulctæ harum caussarum, ad decem Pagos, qui bellum adversus Maximilianum fœdusque Suevicum gessere, additis nempe prioribus septem Bernensibus, Friburgensibus & Solodurensibus, spectant. Sub his inferiorem jurisdictionem passim in vicis Turgeæ nobiles exercent: & quidem Episc. Constantiensis suos præfectos in Turgea habet, Arbore Felice, Tanneggi, Guttingæ, Gorliebæ. Capitulum Eccl. Constant. Altenavii jurisdictionem exercet. Cœnobium porro Augiæ divitis, maximos in hoc tractu reditus jurisdictionesque possidet Stekburæ, Bernangi, Manebachi, Ermatingæ, Tribeltingæ, &c. Eremitani Abbas cœnobii Eschenzi dominus est. S. Galli quoque Abbati aliquot hic vici sunt, ut taceam cœnobia quæ in ipsa Turgea jacent, & nobilium arces plurimas. Abbas denique Rinovianus, in opp. Rinovio merum mixtumque tenet imperium. Præterea oppida quædam Turgeæ Helvetios quidem patronos agnoscunt, cæterum suas immunitates amplas ac propriam habent jurisdictionem, ut Episcopicella, Arbor felix, & Diessenhovium. Sedes judicii Provincialis hodie Frauenfelda est, unde ne alio transferatur, ab Helvetiis decreto est cautum. Plura vide apud Stumpf. *in Chron. Helv.* Jos. Simlerum *Helv. descript. &c.*

Turholtum, cella primum a Ludovico Imp. tradita Anschario Arch. Hamburgensi, ubi hic ex Danis, Normannis & Sclavinis, atque etiam ex captivis pueros emtos ad Dei servitium & sacram militiam educavit: Eam postea Carolus fil. Ludovici Hamburgo ablatam Reginario dedit. In diœcesi Brugiensi positam Miræus ait, ubi nunc pro veteri monasterio Canonicorum S. Petri collegium sit. In Andoverpensi Diœcesi locat Valesius, vicumque hodie esse refert 800. domorum *Turnhout* vulgò dictum, magnifico templo D. Petro sacro illustrem: *Notit. Gall.* Vide quoque *Turnehutana arx.*

Turia, urbs aliàs Celtiberorum, nunc Aragoniæ, *Albarazin* dicta: Ep. sub Arch. Cæsaraugustano, ab Ausonibus Italiæ pop. condita an. U. C. 640. In colle, 4. leuc. à fontibus Turiæ in Ort. *Lobetum* etiam. Vide ibi.

Turia, vel *Turias*, *Turium* Plin. *Durias* Melæ, *Guadalaviar*, teste Clusio, flu. Hispan. Tarracon. haud procul à fontibus Tagi, & Suctonis, à Turulio urbe 10. leuc. oriens, ac in mare Ibericum juxta Valentiam influens. Baudrando oritur 1. leuc. à fontibus Tagi, 4. supra Lobetum in Occ. hinc per Aragoniam fluens, ad Terulum recipit Albambram fluv. dein per regnum Valentiæ labitur, & paulò infra Valentiam urb. in Mare Mediterr. & Sinum Sucronensem se exonerat. Juxta hunc Sertorius, à Pompejo, Calaguri receptâ, victus est, Liv. Claudianus *de laud. Serena:*

Floribus, & roseis formosus Turia ripis.

Turiacum, opp. Normanniæ infer. ad Olinam fluv. 6. leuc. supra Cadomum in Merid. Viriam versus totidem; *Tury* vulgò.

Turiaso, Ptol. *Turiasso* Plin. vulgò *Taracona*, urbs Hisp. Tar. in regn. Arragonio, prope montem Caunum ad flu. *Queios.* 4. leuc. à Tutela urbe in Afric. Soriam versus 8. à Bilbili 10. in Bor. 14. à Cæsaraugusta.

Turichemum, seu *Turchimum*, vulgò *Turckeim*, urbs parva, sed Imperialis Alsatiæ superioris. Sita est ad amnem *Fach*, vix 1. leucâ Gallicâ à Colmaria in Occ. uti 4. à Brisaco.

Turii, *Thurii* Strab. *Thurium* Plin. pop. & urbs M. Græciæ. Vide *Thuris.* Item opp. Apuliæ Peuc. Strab. Inter Cupersanum, & Aquam vivam, 6. m. p. Vulgo *Turi*.

Turingi, *Toringi*, ac *Thuringi*, vulgò *Duringer*, pop. Germ. quorum reg. *Turingia* vel *Thuringia*, cujus urbes *Erfordia*, *Jena*, *&c.* Vide *Thuringia*.

Turmeda, civitas Syriæ, quæ & *Amphipolis.* Steph.

Turmodigi, pop. sive op. Hisp. Tar. Plin.

Turmolis Anton. seu *Tumuli*, locus Lusitaniæ in Vectonibus, seu pagus; vulgò *Roccha fria*, vel *Roccha Fredda*, inter Emeritam 66. & Caparam 44. m. p. Itin. Jac. Delgadus, Ferrarius &c.

Turnacum, vulgò *Tournay*, urbs vetus ac nobilis Flandriæ, caput quoque olim alicujus gentis, cùm prisca sedes Episcopatûs exstiterit, antequam Noviomagensis Ecclesiæ Episcopis commendaretur, nulli tamen vett. Historicorum & Geographorum, ante Æthicum, memorata. In vett. Not. Prov. inter Belgicæ secundæ urbes 12. septimum, in recentioribus quintum locum obtinet, Hieronymo *Epist. ad Ageruchiam* dicitur *Tornacum*: Audoeno *Regalis quondam civitas*, forte quia Chlodionis, Merovei & Childerici Francorum Regum fuit sedes, aut saltem Chlodionis, qui Carbonariam silvam ingressus, *Turnacum* & Camaracum cepit, omniaque ad Suminam fluv. usque occupavit. In Not. Imper. Rom. memoratur *Procurator Gynacei Tornacensis.* Nerviis vett. urbem attribuit Valesius, quibus duo aut tria capita adscribit, Camaracum, *Turnacum* & Bagacum: Potentissimi enim hi fuerunt, & Centrones, Grudios, Levacos, Pleumosios, Gordunos sub imperio suo, finesque latissimos habuerunt, ad Oceanum usque pertingentes. Unde *Nervici litoris tractus*, apud Paulinum *epist. ad Victricium Episc. Rotomag.* quem ibi verbum Domini prædicasse asserit. Nummos Tornaci, sub Merovei posteris, percuti consuevisse, probat Botarotius ex nummo, in cujus aversa parte scriptum, TVRNACO. Inter *Tornacenses Francos* rixâ obortâ, propter duorum affinium cædem, horum propinqui in se mutuò sævientes, Fregedundes jussu in convivio securi percussi sunt: quare ab horum amicis acrius custodita Fregedunde, nuntiiq; ad Childebertum missi sunt, ut comprehensa interficeretur. Gregor. *Hist. lib. 10. cap. 27.* Erant hi *Seniores Franci* seu Majores natu Turnaci, quales Seniores Rotomagi Francos idem *lib. 8. cap. 31.* commemorat. Ecclesia *Turnacensis*, quæ per ann. 500. Noviomag. Episcopis fuerat commendata, proprium iterum Episcopum An. Ch. 1146. Anselmum nomine ab Eugenio III. Bernardo Claravallensi Abbate procurante, accepit. Eronum Gandenses paruisse, scribit Audoenus: indeque decerptas diœceses Gandensem & Brugensem, Samso, quam vere, Vid. apud jam laudatum Valesium. Primas hodie tenet inter urbes, quæ Camaraco, novæ metropoli, suffragantur, secundas Atrebata, quarum Diœcesi Duagium, Betunia, Bapalma, Leoense castrum, Buccinium *Bouchain*, Bassea ac pars Valentianarum continentur. Nam alteram Valentianarum urbis & *Turnaci* quoque portionem Camaracum suæ vendicat diœcesi. Nunc *Turnacum*, unà cum Insul. & Duagio attribuitur Flandriæ Gallicanæ, quam vulgò pagum Francum, *le Franc* appellant: sub Gallis. Vide *Tornacum*. Est & *Turnacum*, in Cenomanis, forte *Tornes*: municipiolum nunc aut potius vicus, inter Lavarzinum & Carcerem castrum, trans Lidericum fluv. in extremis pagi Cenomanici finibus: ibi reliquias Petri & Pauli App. haberi tradit Gregor. Tur. *de mir. S. Martini lib. 4. c. 12.* urbemque hanc in Turonicæ Basilicæ S. Martini ditionibus detineri, refert Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Turnebus Adrianus, Normannus, seculi sui decus, eruditione suâ omnium admirationem meruit. Scripsit prosâ versuq; varia, quæ maximi æstimantur. Docuit Tolosæ & Parisiis, ubi obiit, An. 1565. æt. 53. Scævola Sammart. *in elog. doct. Gall. lib. 1.* Lipsius, Barthius, Rosinus &c.

Turnehutana arx Belgii, operâ cerevisiarii intercepta, An. Ch. 1590. à Mauritio Principe Arausionensi, qui postea An. Ch. 1597. securos hic Hispanos aggressus, insigni illos clade affecit. Vide Thuan. & Grotium *Histor.* & supra in voce *Turholtum*.

Turni, Calabriæ op. mediterr. *Τοῦρνοι* Ptol. sive ut paulo vetustiores ejus auctoris interpp. legerunt, *Στοῦρνοι*.

Turninum, pag. Brabantiæ, 1. mill. ab Antverpiâ. *Durne* Ortelio.

Turno, locus Galliæ, ad Rhodanum, è regione Tegnæ *Tin*, nunc celeberrimus & Comitivæ tit. ac scholis suis & multitudine incolarum insignis: unde familia nobilis dominorum *Turnonensium*. Mendose à recentioribus appellatur *Turnonium*. V. ibi.

Turnomium vel *Tornomium*, castrum Galliæ, Præpositurâ illustre, vulgo *Tournan* & *Tournam en Brie*, non procul à Castris. V. Hadr. Valesium, *Notit. Gall. in voce Parisii.*

Turnonium, mel. *Turno*, quod vide, vulgò *Tournon* opp. amplum Occitaniæ, cum castro munito, ad Rhodanum, in confinio Delphinatus, e regione Thini seu Tenarum, 2. leuc. supra Valentiam in Bor. 4. ab Anuonæo. Ibi Academia recens instituta. Ultimus ex familia Turnonia, in prælio ad Philippopolim, in Germ. an. 1644. occisus est, rediitque terra hæc, in qua 72. parœciæ, ad Charlottam Montmorantiam, viduam de Vantadour. Davity *descript. Gall.*

Turnus, dux, qui ab Æneâ est occisus. Virg. *Æn. 12.*

Turobrica, Plin. *Alcantara*, Beuthero, opp. olim Hisp. Bæticæ, apud Alcantaram.

Turocensis Comit. pars est Hungariæ sup. prope Vagum fluv. ad radices Carpathi montis, sub Austriacis; inter Comit. Arvensem ad Bor. Liptoviensem ad Ort. Transchioiensem ad Occ. & Nitriensem ad Mer. *le Comté d'Ovvar* seu *de Turocz* Gall.

Turones, pop. Gall. Lugd. aliàs *Turoni*, Cæs. *Comm. bello Gall. l. 2. & 7.* Tacito *Turonii imbelles*, item *rebelles, Annal. l. 3.* vulgò *les Tourangeaux*: hos Apollinaris Sidonius *in Paneg. Majorani*, cum adhuc privatum à Gothis defendisse scribit:

——— ——— *Cùm bella timentes*
Defendit Turonos, aberas.

Ab Oriente Carnutibus & Biturigibus, ab Occid. Andicavis sunt finitimi, à Sept. Cenomanos, à Mer. Pictonas attingunt. Eorum urbs Archiep. est & Academiâ insignis, inter Aurelianum ad Ort. 34. & Andegavos ad Occasum 30. m. p. provinciæ Lugdunensis

nensis tertiæ caput olim & metropolis, cui proxima civitas Cenomanorum; huic enim Sartæ ignobili fluvio adjacenti pridem superat prævalere, cùm aliàs Cenomani gens longè clarior & multis in Italiam coloniis celeberrima esset; sed & Julii Cæsaris jam ætate plus Cenomanis Turones poterant, cùm his 6000. Auxilio verò Cenomanis tantùm 5000. ad Alesiam liberandam sint imperati. Hujus cives dites & ingeniosos, prudentes atque etiam fortes facit Ingelgerius Comes Wastinensis & Andegav. *in gestis Consulum Andegav.* In urbe porta Regis Hugonis *la porte du Roy Hugon*, vulgò corrupte *la porte Fourgon*, à qua *Hugonotarum* nomen ortum Avila *lib.*1. & Thuanus *Hist. lib.* 24. putant, celebris est. Hujus *Turonis*, mentio est, sicut Parisiis Monachi melancholici vel lycantropi, Aureliani mulii Odonis, apud Blesenses lupi Varonis, juxta vulgatum: *A Tours le Roy Huguet, comme à Paris le Moine bourru, à Orleans le Mulet Odet, à Blois le Loup Garou.* Existimat autem Valesius de Hugone, veteri Comite Turonorum, fossarum & portæ istius reparatore, factum illum esse *Roy Huguet* muliercularis dictum: quem etiamnum incolæ pro lemure territi cohabent, quoniam fortè vivus, ob asperitatem morum, majoribus nostrorum terrori fuerit. Meminit Comitis istius Eginhardus, ubi ait, quià Carolo M. ad Nicephorum Aug. unà cum Haitone Episc. Basiliensi & Ajone Longobardo Forojuliensi, pacis causâ, An. C. 811. missum esse referunt. Moneta hic olim percussa, unde parvi Turonenses, solidi Turonenses, libræ Turonenses, hodieq; *denier Tournois, & doubles Tournois, sous Tournois, livres Tournois* appellationem traxere. Caput est pagi cognominis, V. infra in voce *Turonia*. Fuit parva olim, sed postea castri S. Martini, adversus Normannorum incursiones, ac demum nuper novarum munitionum accessione aucta, & amplissima facta est, Maan. In *Turonibus* veteres Canonicorum collegia numerantur 20. claræ Abbatiæ totidem, minora Monachorum cœnobia amplius 100. Parœciæ 400. intra urbem 16. & præter Majus Monasterium *Marmoustier* ac Basilicam S. Martini, Bellus locus *Beaulieu* & Cormaticum *Cormeri* ad Andriam: porro Villa Lupæ *Ville Loin* ad Andrisium, Pruliacum ad Clasiam fluv. Nucarium *Noyers* ad Vigennam, Caino *Chinon* ad eundem fluv. sex Abbatiæ Benedictinæ, fœtus Basilicæ S. Martini. Tres Ecclesiæ Archidiaconatus haber, Majorem seu *Turonensem*, Transligeritanum & Transvigennensem. Basilicam S. Litorii, matrem Turonorum Ecclesiæ fuisse, quæ postea S. Catiani appellatione susceptâ, nunc quoque sedes Archiepiscopi sit, credidere nonnulli, sed hos refutat Valesius *in Defens. Discept. de Basilicis regiis cap.* 3. qui nec Basilicæ S. Martini id tribuendum, docet *Notit. Gall.* ostendens Ecclesiam Beati Mauritii majorem semper Urbis Ecclesiam, & à Basilica S. Litorii & S. Martini distinctam fuisse. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Regio *Turonia* Valesio, vulgò *Touraine*, & urbs *Turones*, hodie *Tours*, & *Cæsarodunum* ol. ampla est, ad sinistram Ligeris ripam, ibique ponte lapideo oblongo & pulcherrimo jungitur: ex altera parte alluitur Caro fluv. elegans & culta, emporiumque celebre. Baudr. Gregor. Turon. *Gesta Turon. Pont.* Pap. Massonius, *descrip. fluminum Gall.* Duchen *antiq. Urb. Gall.* De Conciliis hic habitis, Vid. Moreri *Diction. Hist.* Vide quoque *Cæsarodunum*.

Turonia, vulgò *la Touraine*, prov. Præfecturæ Aurelianensis, satis parva, sed fertilis admodum & rigua, proin *hortus Galliæ* dicta. Terminatur ab Or. agro Blesensi, à Sept. Cenomanensi prov. ab Occ. Andegavensi & Pictavensi, quâ etiam ad Mer. uti & Bituricensi Duc. Ejus urbes sunt Turones, Ambacia, seu *Amboise*, Caino seu *Chinon*, Lochia &c. Valesio non modò trans Ligerim, sed etiam trans Vigennam fluv. Turonum fines patebant; Ducatusque *Turoniæ* à fluv. Toedo *Toüé*, qui inter Abbatiam S. Florentii & Salmurium, in Ligerim influit, usque ad Hagas Blimarcii, quæ & S. Cyrici dicuntur, ab Or. in Occ. protenditur: à Sept. terminum habet Ledum fluv. *le Loir*, quo ab Episcopatu Cenomanico & Carnutino dividitur: à Mer. *Vetlum* fluv. qui eum à Pago Pictavensi separat, ad quem est Campiniacum. Item Vigennam, Crosiam *la Creuse*, Anariam *Indre*, Carim *le Cher*, Amarissam *l'Amasse*. Sicut ad Sept. præter Ledum jam dictum, Brennam *Bresne*, Coseliam *Choisille*, Grandesiam, Gurnesiam, Braënnam *le Branle*, Siceram *la Cisse*, & Ligerim. Oppida habet & castella, ab Or. Ambaciam, Montem Tricardi, Rainaldi castrum: à Mer. Luccas, Pruilliacum, Hagam, Insulam Burcardi, S. Mauram, Montem Basonis ad Angerem, Bliriacum ad Carim, Montem Thesauri ad Andresium; ab Occ. Montem Sorelli, Cainonem, Columbaria & Saponariam, quæ duo loca ad Carim sunt: ad Sept. Alingaviam, Malliacum, Campum Caprarium, Rulliacum, Semblentiacum, Novum Vicum *Neufvy en Touraine*, Vide infra. Planities fertilissima, Carim inter & Angerem vel Andriam in Turonibus jacens, à Monte Tricardi & Bliriaco, ad Montem Thesauri, Campania olim vocabatur, hodieque *Champagne*. Obnoxia fuit Comitibus ditio hæc: Odo Tricassium & Meldorum, Carnutum, *Turonum* ac Blesensium Comitatus possedit, atque à Galliæ Regibus tenuit. Huic duo erant filii Theobaldus ac Stephanus, è quibus illi Carnutes, *Turones* ac Blesenses, huic reliqui contigere: qui cùm Odoni fratri rebelli Henrici Regis faverent, hic post fratrem captum & Stephanum fusum, *Turonos* Theobaldo abstulit, & Goffredo Tuditi Comiti Andicavorum dedit, quam hic urbem An. Ch. 1044. victo Theobaldo, deditione cepit. Hic Goffridus Martellus aut Tudes, paulo post Wilelmi Ducis Aquitanorum & pictavorum Comitis victor, inter sororis filios Goffridum Barbatum & Fulconem Richinum, ditiones suas moriens A. C. 1060. divisit. Sed A. C. 1068. Goffridus à fratre captus, Comitatu Turonico spoliatus & in vincula conjectus est, quem cùm Stephanus Blesensium ac Carnutum, & Helias Cenomannicus Consul in libertatem postularent, Philippo I. R. adjutore Fulconem impugnantes, hic Stephanum quidem exhibito hominio, Philippum verò fraternis spoliis, nimirum Castro Nantonis donato placavit. Sic igitur Turoni, Caino, & Alingavia, Consulatusque Turonicus, quos Carnutum & Blesensium Comites à Regibus Francorum tenuerant, postea Comites Andegavenses à Blesensium & Carnutum Comitibus, tenuerunt. Unde & Henricus II. Anglorum R. pro Turonico Comitatu fidem ac hominium Theobaldo Blesensi Comiti exhibuit. Sed anno 1189. Philippus Aug. civitatem Turonos, eodem anno Henrico ablatam, pace factâ Richardo ejus filio restituit: sicque factum est, ut Richardus & Johannes Reges, ac Arturus amborum fratris filius Turonos, quos ipsorum Majores, per annos 149. à Comitibus Carnutensibus Blesensibusque tenuerant, à Rege Francorum tenerent. Postea verò An. Ch. 1202. *Turoniam* unà cum Normannia, Andegavia, Cenomaniaque Philippus Johanni, propter Arturi cædem, eripuit, occupavitque, à quo tempore Regibus tantùm, aut Regii sanguinis principibus paruit: à Johanne Francorum R. Ann. Ch. 1360. in Ducatum evecta: *Notit. Gall.* Adde Isaacum Franciscum *Topogr. Turon.* Papyr. Massonium *descr. flum. Gall.* Theobaldum le Pleigney, *decor. de Touraine.*

Loca Turonum vetera, quorum Gregorius Tur. Episcopus meminit, cum hodiernis appellationibus.

Alingavia, *Langey.*
Angiacum, *Angé.*
Asiacum quadruplex, *Asay le Chetif*, & *Azay le Rideau*, & *Azay sur Cher*, & *Azay le Ferron.*
Balatedo, *Balan.*
Berraum, *Bretenay.*
Bricca, *Breche.*
Briorreidis, *Bridoré.*
Brixis, *Brisay.*
Buculium, *Bueil.*
Calatonnus vicus, *Clion.*
Cancelli, *Chanceaux.*
Cerate vicus, *Ceré.*
Ciconiacum, *Cigogne.*
Cisomagus, *Chisseau.*
Columbaria, *Columbiers.*
Condate, *Cande.*
Dolivicus, *Dolus.*
Evena, *Avoine.*
Gaudium, *Joüé.*
Iciodorum, *Iseure.*
Luciliacum, *Lesillé.*
Mantolomagus, *Mantelan.*
Malliacum duplex, *Maillé.*
Majoralum, *Mareüil.*
Mediconnus vicus, *Monnoye:* vel *Mosne.*
Mons Laudiacus, *Mont Lois.*
Novus Vicus, *Neufvi.*
Noviliacus vicus triplex, *Nuilli le Noble*, *Nuilli le Lierre* & *Nuilli Pont-Pierre.*
Navicellæ, *Nazelles.*
Orbaniacus vicus, *Orbigné.*
Oximæ, *Huismes.*
Paternacum, *Pernay.*
Prisciniacum, *Precigny:* duplex majus & minus.
Rotomagus vicus, *Ruam* vel *Ruan.*
Senaparia, *Seneviere.*
Severiacum villa, *Sevrai* vel *Sevré.*
Siroiabense Oratorium *Siran la Lase.*
Solonacum, *Sonnay.*
Tauriacum, *Turé an Truye.*
Tornomagus, *Tournon.*
Valeriæ, *Valieres.*
Vedunta, *Vonte.*
Vernadum, *Vernou.*
Vernolium, *Verneuil* aut *Vernueil.*
Villa Lupæ, *Ville Loin, &c.*

Turpio Ambinius, auctor comœdiarum, Terentii temporibus.

Turrena Augustalis, Tusciæ urbs marit. Caton. *Burnea* Leandro.

Turrena vallis. V. *Volturena* & *Vallis Telina.*

Turres, Anton. vulgò *Turi* op. Apul: Peucetiæ.

Turres, Anton. vulgò *S. Severa* op. Hetruriæ litorale inter urb. Rom. 30. & Centum cellas 28. m. p.

Turres, Anton. *S. Biaso*, teste Barrio, op. seu castrum Brutiorum in Calabriâ citer. in confin. ulterioris, ad fin. Hipponiatem.

Turres, Anton. *Thurn* Lazio, op. Liburniæ mediterr.

Turretinus Franciscus, Theologus Genevensis celeberrimus. Ejus inter alia extat tractatus insignis *de satisfactione Christi.*

Turris Augusti, oppidum Hispaniæ Tarraconensis. Vide Aræ Sextianæ.

Turris Caprina, *la Tour de Bouc*, arx munita Galliæ, in Provincia, ad os sinus Astromelæ & in ora maris Mediterranei. 6. leucis distat à Massilia in Occasum, & 8. ab Arelate in Eurum; estque in insula parva admodum.

Turris Ferrara, Aur. Vict. specula altissima circa Sirmium urbem Pannoniæ, ubi Probus Imperator à militibus interfectus est, teste Aurelio Victore.

Turris Julia, Vet. Trad. *Trugillo*, urbs Hispaniæ Lusitanicæ, in Extremadura, ab Emerita 12. leuc. inter Castra Cæcilia 10. & Castra Cæsaris 8. Metallino propior. Vide *Castra Julia.*

Turris Julia, *Trughillo*, urbs Americæ septentrionalis, in nova Hispania & provincia Hondura. Parva est, sed munita, in colle arduo, cum portu capaci in ora littorali sinus Honduræ, à quo vix una leuca distat, & 60. à Vallisoleto in Cæciam. Capta fuerat & vastata ab Hollandis anno 1633.

Tur-

Turris Julia, *Trughillo*, urbs Americæ meridionalis, in parte Boreali Peruviæ, in Valle *Chimo*, vix duabus leucis ab ora maris Pacifici, ubi portu gaudet capaci, 80. leuc. Hispanicis distans à civitate Regum in Boream. Sedet in agro ferac i & riguo; estque ampla & culta, sub Hispanis.

Turris Libissonis, Plin. *Turris Bissonis* Ptolemæo, *Turres* libris Conciliorum, *Torre*, urbs Sardiniæ Archiepiscopalis, in ora occidentali, extincta, (manet sacra ædes, & portus) à Sassari urbe, quæ illi successit, 12. m. p. In Thesauro Linguæ Latinæ *Sardos* hodie dici legitur, non sine manifesto errore. Locus inter portum Liguidonis seu Longones 50. & Algarium 60. m. p. ab Ampuriis 20. conspicitur, Ferrar. Baudrando *Turris* Libissonis, urbs fuit ampla Sardiniæ, in ejus ora Occidentali, ubi incipit Borealis, hodie *Portotorre*, seu *Torre* simpliciter dicitur, in parte Septentrionali, *Capo di Lugodori* dicta; & media est inter Castrum Aragonense ad Boream, & Sassarim ad Meridiem, 16. m. p. distans.

Turris marina Brucana, opp. novi nominis, in Lucania.

Turris ad Matronam, inter Prioratus est ad Cluniacum pertinentes: hæc à potentibus dominis de Plaga Jotri occupata, postea per Rainaldum Cluniaco reddita est, Ann. Chh. 1125. Vulgò *Tours sur Marne*: Aliis *Tour en Champagne*: in diœcesi Remensi ponitur ab Honorio I I. cum Baroniæ tit. Mel. *Turnus ad Matronam*: inter Sparnacum & Catalaunos.

Turris Syllana, Vet. Trad. *Tordesillas*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, ad Durium fluvium, in Vaccæis, inter Methymnam Campestrem 4. & Vilalpandum in Boream 8. leucis, ac inter Vallisoletum ad Ort. Zamoram ad Occ. 15. leuc. Octoduro propiùs, hodie in Regno Legionis.

Turris Talemundi, ab auctore & domino suo nomen accepit: In Gallia, in agro Pictavo, vulgò *Talmond*: Castrum est ad mare Aquitanicum, inter Olopam & monast. Abbatiale S. Michaelis in Eremo *S. Michel en l'Er*, ad Tremolliæ dominos pertinens, cum tit. Principatus. Fuere autem tituli Henrici de Tremolia An. Ch. 1647. *Henricus Tremollia dominus, Toarcu Dux & Par, Turris Talemundi Princeps, Spineti Marchio; Vallu, Montu Fortu, Gisnarum, Benaonis, Talebourgi & Jonvelle Comes; Redonum Vicecomes; Vutreji, Malleonis, turris Berriæ ac Didonnæ Baro.* Est & locus in Vinemaco, *Tours en Vimeu* vulgò dictus, Lat. *Turris* vel *ad Turres*. Habet & suam *Turrim* Arvernia, unde nobilissima Familia *de Turre*, & vetertima Baronia censetur: suam item Delphinatus, à qua veteres Delphini *Barones Turris* dicebantur. Eadem in prov. est turris Pini, *la Tour du Pin*. Sic in Numidia *Turris Cæsaris*, in Tripolitana *Turris Tamalleni*; ad Rhodanum, *Turris Draconeti*, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Turrium notabiliorum quædam.

In Apulia, ante annos ab hinc retro 600. marmorea extitit, turris instar, statua, cujus tempora ex ære circulus ambibat, iis inscriptus literis: *Kalendis Maji, exoriente Sole, aureum mihi caput erit.* Quæ verba Saracenus quidam, Roberti Guiscardi captivus, de thesauro ibi absconditо interpretatus est: nec falsus fuit vates. Kalendis enim Maji An. Ch. 1038. Princeps ibi magnam auri copiam, & ipse inde libertatem adeptus est.

Cochlis columna, in qua cælatæ in circuitu fuerunt res à Cæsare Trajano bello Dacico aliisque expeditionibus gestæ, Romæ. Lapidibus structa est 24. tantæ vastitatis, ut opus non ab hominibus videatur, sed à gigantibus perfectum. Singuli lapides gradus octo continebant, per quos ascensum est: lumen præbentibus fenestellis 44. Opus, quo nihil terrarum admirabilius, nihil magnificentius unquam visum est, pedum 128. Sed detentus bello Parthico Imperator columnam sibi erectam non vidit, in reditu Seleuciæ mortuus.

Colossi, turrium æmuli hic memorandi essent: quorum unus in Bibliotheca templi Augusti, pedum 50. à pollice, dubium an ære an pulchritudine admirabilior: alius à Zenodoro, Mercurio in civitate Galliæ Arvernis factus, pedum 400 Vespasianus Romæ 107. pedum colossum erexisse dicitur: & Plinius in Labyrintho Ægyptio Serapidis ex Smaragdo novem cubitorum colossi meminit. De colosso Rhodio, in voce *Rhodi*.

Cyzici, juxta portam, quæ Thracia vocatur, ad voluptatem erudítam, turres 7. ita exædificatæ sunt, ut voces acceptæ numerosiore repercussu multiplicentur, cui miraculo à Græcis nomen datum Echo, ait Plinius.

Hierosolyma suis quoq; turribus superba fuit; quarum extantiores
- Absolomi manus seu munimentum.
- Ananeel turris.
- Angularis, à Rege Ozia in 150. cubitos erecta.
- David turris, à Rege Davide, in præruptæ rupis collo extructa.
- Excelsa, super portam vallis, ab Ozia R. reparata.
- Furnorum turris versus Boream sita, Phari vicem itet facientibus præbebat.
- Hippicus, 85. cubitos alta, ab Herode sen. in muro secundo, super eminentem collem, in memoriam Hippici amici, condita.
- Magna, juxta murum templi.
- Mariamme, 55. cubitis alta, ab Herode, in memoriam uxoris structa.
- Meah turris, 100. cubitorum non longè à templo.
- Petra Columbarum, ad Mer. montis Oliveti.
- Phaselus, 90. cubitos alta, in editо muri antiqui loco, ab Herode, ad similitudinem Phari Alexandrinæ, in honorem Phaseli fratris, ædificata: Stupendæ magnitudinis & firmitatis.
- Psephina, 70. cubitos alta, in civitatis angulo, inter Septentrionalem & Occ. urbis murum, sereno cœlo Arabiam & mare, atque Hebræorum finium ultima prospexit. Ejus ruinæ etiamnum visuntur.
- Siloe, quæ collapsa octodecim viros oppressit. Mentio ejus fit in historia Evangelica.

Maroci turris est, quatuor columnis solidis amplissimis simul & altissimis constans, cujus celsitudini nihil in Italia par. Surgit in 7. amplissima Solaria, ubi verò ad summum ventum est, patet planitie plurimâ, in qua pyramis longa circa pedes 30. assurgit, cujus verticem tres ingentes sphæræ argenteæ exornant.

Phari, turres sunt, ad imitationem Alexandrinæ, in usum navigantium extructæ. Talem Caligula, circa Gessoriacum, in littore Gallico ad Oceanum: Claudius ad Ostiæ portum: Ludovicus Imp. ad Scaldis ostium: Carolus VI. ad Slusam, & Rupellæ & inter Burdigalenses ac Santones, in littore, *Laternas* hodieque dictas, excitarunt. Similis est apud Sinenses, in monte *Pacai*, ad *Civenchen* urbem.

Apud Sinenses insignes admodum sunt turres: in vertice montis *Hiaкeu* turris est antiquissima, quæ licèt magna ex parte corruerit, adhuc tamen continet gradus 180. In prov. *Huquang* ad urbem *Haynang* turris est Xeienhna, suâ præstantiâ cæteras omnes substructiones facilè superans. Infra Nanking, turris est Mathematica, in edito quodam colle, in qua tria adservantur artis illius instrumenta, quibus paria aut superiora vix vidit orbis Universus: Horum primum est Sphæra cœlestis, alterum Armilla Æquatoria, tertium Sphæra Armillaris, &c. Vide de his plura apud Ad. Preyelium *in Sina & Europa cap.* 17.

Turrus, Plin. *Torre* vel *Turre*, fluv. Carnorum, apud Forum Julium decurrens, & in mare Hadriaticum apud Aquilejam influens.

Tursanus, vulgò *le Tursan*, tractus Galliæ, in Aquitania & in Vasconia propria, ubi aliàs Tursanum castrum, in Arurensi Diœcesi, teste Petro du Val.

Tursus, Script. Ital. urbs Lucaniæ, in magnæ Græciæ confinio, sedes Episcopi Anglonæ, inde 12. mill. pass. distantis, & sedes Ducis, *Tursi*, Ferrar. Baudrando urbs est regni Neapolitani, in Basilicata provincia, inter Sirim & Acirim fluvios, vix decem millibus ab ora sinus Tarentini in Occasum, & 28. à Mateola in Meridiem, & colli affixa est.

Turturella, opp. Lucaniæ.

Turulis, Ptol. *Rio de Morvedre*, teste Ortelio, *Rio Segura*, teste Coquo, fluvius Hispaniæ ad urbem cognominem (quæ & Turulium, vulgò *Teruel*, Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, inde 36. leucis, Valentiam versùs 24. quot à Dertusa) & Saguntum decurrens. In Thesauro Linguæ Latinæ *Turia* vulgò scribitur; cùm hoc Latinum nomen sit, sicut & Duria, Ferrar. Baudrando *Turulis*, vulgò *Rio de Morvedro*, fluvius. Oritur prope Terulum in Aragonia; deinde per regnum Valentiæ fluens, rigatisque ibi Segobriga & Sagunto, paulò infrà in mare Mediterraneum & Sucronensem sinum se exonerat 13. m. p. à Valentia in Boream.

Turullius Cerialis, primipilaris, transfuga ad partes Vitellianas, Tacit. *Hist. lib.* 2. *cap.* 22.

Turulum, Suid. *Tzurulum* Cedreno, *Ciorlo*, & *Ciorlich*, vel *Zorlich*, teste Leunclavio, urbs Thraciæ, in via inter Hadrianopolim & Byzantium occurrens, inde 75. hinc 54. m. p. Episcopalis sub Archiepiscopo Heracliensi, (eadem Turulea à Græcis nominatur) metropolis recens.

Turuntus, Ptol. *Duina*, teste Becano, fluvius Sarmatiæ Europææ, ex Lituaniæ finibus per Livoniam fluens, ac in sinum Venedicum ad Rigam Livoniæ metropolim se exonerans: licet aliis *Duina* Rubo apud veteres esse videatur. Ferrar. Baudrando *Turuntus*, fluvius Agarhyrsorum, in Sarmatia Europæa hodie, teste Cluverio is est, qui *Welikarzeka*, in Moscovia ortus, magnumque lacum, qui Russis *Czudzko*, & Livonibus *Peybus* transvectus, nomine hinc Nervæ assumpto, Livoniam à Moscovia dirimit; pauloque infra duo oppida Narvas in sinum Finnicum exit.

Turuptiana, Hisp. Tar. urbs Ptol. *Tui* vulgò.

Turrus, Fori Julii fluv. Plin. *Turro* Leandro.

Turzo, Africæ propriæ urbs. Ptol.

Tusca, Plin. *Guadilbarbar*, teste Joanne Leone, fluvius Africæ, in sinum Numidicum influens.

Tuscania, vulgò *Toscanella*, urbs est Hetruriæ, in ditione Pontificia & in provincia Patrimonii, in ipso confinio Ducatus Castrensis. Antiquissimis temporibus Salumbrona dicta fuerat, postea Tyrrhenia, Tuscia, & Tuscana; eratque aliàs urbs ampla & dives, sed sexdecies expugnata & vastata fuit: & multi existimant ab ipsa dictam fuisse Tusciam, cùm etiam ejus Ecclesia Cathedralis aliàs elegantissima, nunc diruta, dicata sit S. Petro in Tuscia: & in ea etiam visitur hæc inscriptio antiqua: Richardus Præsul Tuscanus Centumcellicus & Bleranus anno 1093. De hac urbe, uti de aliis plurimis ditionis Pontificiæ, multa præclara nobis com-

communicavit vir doctissimus Joannes Campinus Secretarius & Minutista Brevium Summi Pontificis, & de re literaria optimè meritus. Tuscania dedit etiam Ecclesiæ plures Pontifices Rom. Eutichianum, Paschalem I. Leonem I. Joannem I. Lucium III. Leonem VI. Bonifacium VI. & Paulum III Farnesium.

Tuscanienses, Plin. populi Hetruriæ, quorum urbs Tuscania. *Tuscanella*, Episcopalis, inter Castrum ad Occasum & Viterbium ad Ortum, ac inter Montem Physconem ad Boream & Cornuetum ad Austrum 10. mill. pass. dissita, ad Martham fluvium. Cujus Episcopatus Viterbiensi copulatus est. Ibi equorum nundinæ frequentes. Ab Ascanio Æneæ filio condita putatur, uti marmorea inscriptio docet.

Tuscanus pagus, in Rhætia, ubi fluvius Albella ab Ortu labitur.

Tuscenius, homo furiosus & avarus, cujus meminit Cicer. *ad Qu. Fratrem lib.* 1.

Tusci, & Thusces, Strab. Plin. Liv. & al. populi Italiæ antiquissimi, qui & Hetrusci, *Toscani*; & regio Tuscia, sive Thuscia, (utroque enim modo scribitur) quæ & Etruria, sive Hetruria, *la Toscana*, provincia Italiæ nobilissima, & antiquissima, peramplaque, inter Liguriam ad Occasum Macra fluvio divisa, & Latium Umbriamq; ad Ortum Tiberi discreta, ad Arctos monte Apennino à Gallia Togata separata, ad Meridiem pelago Tyrrheno definita, longa 284. mill. pass. lata nullibi 100. In duas regiones dividitur: in eam quæ passim *Toscana* nominatur, magno Duci Hetruriæ subjecta, in qua Florentia, Sena, Pisa, & Aretium urbes claræ; & eam quæ Patrimonium Ecclesiæ dicitur, Summo Pontifici subjecta, ab altera Pelia & Osa fluminibus fere separata (præter Perusiam, & Plebem Ecclesiasticæ ditionis, extra Patrimonium:) In ea Viterbium cæteris urbibus præstat. *Tuscia* Marchionem olim creavit Henricus VI. Imp. fratrem suum Philippum, cui Irenen, Rogerii viduam uxorem dedit, An. Chr. 1195. Virgil. *lib.* 10. *Æneid.*

Quæ manus interea Tuscu comitetur ab oris.

Idem *libr.* 11.

Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos.

Hic cavendus error in Thesauro Linguæ Latinæ, ubi in Tuscia Pisaurum & Assisium, urbes Umbriæ, locantur. Vide *Thuscia.*

Tuscianus, ῥήτωρ ὀλιγόλογ☉. Suidas.

Tusculanum, villa Ciceronis, apud Tusculum, ubi quæstiones scripsit Tusculanas, *Grotta ferrata.* Nunc ibi insigne Cœnobium. Vide *Tusculum.*

Tusculum, Strab. Latii opp. 12. ab Urbe lapide, arduo in colle situm, opus Telegoni, Ulyssis & Circes filii: Eversum. Ptolem. & Dio *lib.* 58. Latinâ formatione id habent Τούσκλον, Straboni verò *lib.* 5. & Plutarch. *in Cicer.* Τούσκλον dicitur. Dionys. autem Halic. & Steph. Τοῦσκλον. Silius *lib* 7.

Quod peperere decus Circeo Tuscula dorso
Mænia, Laerta quondam regnata nepoti.

Martialis *lib.* 9. *epigr.* 60.

Seu tu Pæstanis genita es, seu Tyberis arvis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo.

Propertius *lib.* 2. 23.

Quid petis Ææa mœnia Telegoni?

Hodie *Frascata* dicitur, *Tusculo* verò Leandro. *Telegon* à conditore dictum scribit Niger. Urbs aliàs Latii, nunc Campaniæ Roman. Baudrando, ad radices collis, 12. m. p. Româ in Ort. ubi plurimæ villæ & palatia Principum Rom. Ejus Episcop. dictus est *Tusculanus*, semper unus ex VI. antiquioribus Cardin. licet Tusculum antiquum dirutum sit, ab Henrico Imperatore. Sed erat planè in eodem loco, ubi nunc est *Frascati*, non in summo montis jugo, quo rudera & vestigia maximorum ædificiorum conspiciuntur, ubi vulgò vetus Tusculum fuisse creditur: Nam revera villa privata ibi fuit, non oppidum & situs ipse repugnat. Habuit olim proprios Comites seu Principes, de quibus Sigonius *lib.* 5. *ad An. Chr.* 883. ubi Romam tum in duas factiones distractam docet, quarum alterius Principes Tusculani erant. Hos Romanis reconciliavit Henricus VI. Imper. An, Chr. 1191. Ad Tusculum, vicit Fridericus Barbarossa Imper. ingenti prælio Alexandrum III. Pontif. Româ pulsum, quem Venetias postmodum fugientem classe insecutus est, An. Ch. 1175. Vide eundem *lib.* 14. Hinc *Tusculanum*, villa Ciceronis celebratissima, in quam ille post forensia negotia animi recreandi gratiâ se recipiebat; ubi aut cum doctis aliquibus, quos eò abduxerat, se declamando exercere, aut philosophica studia intermissa revocare solebat. *Grotta Ferrata* hodie dicitur.

Tuscum mare, seu *Tyrrhenum.* Vide ibi.

Tuscus vicus, cognominatus, à reliquiis exercitûs Porsenæ, qui è fugâ receperant se Romam; victi ad Ariciam à Cumanis. Vide Livium *lib.* 2. Sed teste Varrone & Tacit. *lib.* 4. *c.* 65. ab Etruscis sive *Tuscis*, Cœlis Vibennæ copiis, ita dictus putatur, quæ ex locis munitis, non sine suspicione habitatis, deductæ plana ac foro propinqua tenere jussæ sunt. Et ideò ibi Vortumnum stare addit Varro, quòd is Deus Etruriæ. Vide Marcilium in illud Horat. *Serm.*

—— *Tusci turba impia vici.*

Tusdrum, vide *Thysdrus*, aut *um.*

Tusiacum, villa diœcef. Tullensis, ubi Synodus, An. Chr. 860. Vulgò *Tousi*, vel *Tusi*, Labbeus.

Tusspum, opp. agri Tarvisini.

Tutanus, Deus, qui homines *tueri* putabatur. Varro, *Tutanum Deum Romæ omnes qui laborant, invocant, non aliter, atq; Herculem, malorum depulsorem.*

Tutatio, opp. fuit Norici Ripensis, *Ischel* Lazio. Aliis arx *Leonpach*, juxta fluv. *Krems*, in Austria Merid. Quibusdam *Eschvvend*, castrum ad fluv. *Ens*, in Austria super.

Tutela, aliis *Tutella*, *Tulle*, urbs provinciæ Lemovicensis, nobile habuit monasterium, ad Curretiam fluvium *Conreze*, qui infra Brivam in Elaram cadit: ex quo dein facta est à Johanne XXIII. qui An. Chr. 1316. Avenione cœpit sedere, Episcop. sub Archiep. Bituricensi. Vide Petrarcham *lib* 2. *Rerum memor.* Sedet ad Curretiam fluv. & Solanum torrentem, olim nobilis, ut dictum, mon. S. Bened. 3. leuc. à Briva Curretia in Ort. 10. à Lemovico in Merid. Caput infer. prov. Lemovicensis.

Tutela, seu *Tudela*, urbs è præcipuis Navarræ, ad Iberum fluvium, ubi amnem *Queiles* recipit: nomen dans uni de quinque Navarræ præfecturis seu Merindatibus: Iberum ponte lapideo jungit, 4. leuc. Hispan. à Turiazone in Cæc. 14. à Bilbili in Bor. 15. à Cæsaraugusta in Occ. Calagurim versus. Nobilis est & situ opportuna, Oihenartus. Item castrum in Diœcesi Albiensi, nunc *Teulles*, Petrus Monachus *de bello Albigensi cap.* 60.

Tutia, virgo Vestalis, cùm argueretur incesti, argumentis purgare se dedignata moralibus, ad Tiberim fluvium cribrum detulit, ibique submersit, hâc additâ prece: *O Vesta, si pia & casta sum, hanc è Tiberi aquam ad templum tuum perferam*; Et ipsa pertulit, Livius. Dissimile quiddam legimus apud Dionysium. Halicarnass. Morbus enim quidam Romæ incidit in fœminas, & mors quanta nondum prius, maximè in prægnantes, cruda, insolitaque parientes, & eum fœtibus morientes. At quia nec preces ad aras Deorum factæ, nec pro urbe expiatoria sacrificia, aut pro domibus privatis facta, cessationem afferebant malorum, fit à servo quodam indicium Pontificibus, quòd Sacerdos quædam Vestæ, *Urbina* nomine, amisâ virginitate, sacrificia pro urbe faceret, non ipsa pura. Pontifices ergo eam removentes à sacrificiis & pœnam apponentes, postquam est manifeste redargura, virgis cæciderunt, perque urbem eam ferentes, vivam defoderunt. Eorum verò qui cum illâ illam impiam corruptionem peregerunt, alter seipsum interfecit, alterum prehendentes sacrorum inspectores, tanquam mancipium necarunt; & sic statim morbus ille desiit.

Tuticum, urbs fuit Hirpinorum, *Equus Tuticus* etiam: hodie *Ariano*, urbs Episcop. Principatus ulter. ad radices Apennini, 13. mill. pass. à Benevento in Ort. 32. à *Foggia*, in Africum. Ejus Horatius meminit. *lib.* 1. *Serm. Satyr.* 5. dicens:

—— *Quod versu dicere non est.*

Hodie primarium est regionis oppidum, Ferrar.

Tutor, alio nomine *Julius*, Trevir, ripæ Rheni à Vitellio præfectus, miscuit se seditioni Civilis & Classici. Tac. *Hist.* 4. 55.

Tutulina, Dea. Varro: *Tuam fidem, Tutulina, invoco, quæ adesse mortalibus soles*, Div. Augustin. *libr.* 4. *de C. D.* eam præesse frumentis collectis atque reconditis scribit, ut tutò servarentur. Vide quoque *Tutelina.*

Tutunus, id est, Priapus. Vide *Mutunus.*

Tuvera, vide *Tueria.*

Tuyscon, qui à Mose vocatur *Ascenas*, filius Gomeri, filii Japhet primogeniti fuit. Sarmatis, qui juxta Poloniam habitant, & nunc inter Germanos annumerantur, originem præbuit, quos literas docuit ac legibus formavit: regni Germanici initium dedit, anno Mundi 1909. ante Christum 2053.

T Y.

Tyana, hodieque *Tiana*, Cappadociæ civitas Archiepisc. media fere inter Cæsaream ad Bor. & Tarsum urb. Ciliciæ ad Merid. Hic Apollonius natus fuit, qui ideò *Tyaneus* dictus est. & discendi causâ, plurimas reg. peragravit. Cœl. Rhod. Hinc *Tyaneius.* Ovid. *Met.* 8.

Ostendit adhuc Tyaneius illic
Incola de medio vicinos corpore truncos.

Tyanitis, Asiæ min. Præfectura, in Cappadocia, ubi Tyana urbs, Strab. qui scribit eandem quoq; *Eusebiam* ad Taurum vocatam.

Tyberinus, octavus Albanorum Rex, post Calpetum: Regnavit an. 8. Successit Agrippa.

Tyberis, vide *Tiberis.*

Tybii, pop. inter Getas & Thraces, Plin. 7. 2. servilis & abjectæ conditionis. Unde *Inter Sosias & Tybios referre*, Prov. apud Synes.

Tybrestus, urbs Arabiæ, ad Cyrubem fluv. Vib. Sequester.

Tybur, seu *Tybur Herculeum*, vulgò *Tivoli*, urbs Latii, in ditione Pontif. ad Anienen fluv. Condita à Catillo Arcade, Virgil. *lib.* 7. pomis adeo abundat, ut *pomosum* Columellæ dicatur. Vide *Tibur.*

Tyche, vide *Syracusa.* Item Nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiod. *in Theog.*

Tychius, vir Asiaticus, Actor 20.

Tychius, faber celeberrimus. Hom. *Iliad.* 7. Ovid. *Fast.* 3.

Nec quisquam invitâ faciet bene vincula planta
Pallade, sit Tychio doctior ille licet.

Tycho Brahæus, excellentissimus Mathematicus, illustri in Daniâ genere natus. Hunc Patruus Georgius magnâ cum cura educa-

tum

tum Præceptoribus egregiis commisit, qui Lipsiam dein missus, ut Juri operam daret, insciis Magistris, Astronomicas observationes, in id animo naturâ proclivi, condidit. Dein in Italiam Germaniamque itinere facto, ab Imperatore & Principibus variis, invitatus, prætulit Basileam, Helvetiæ clarissimam urbem, quò redire omnino constituit. Sed insulâ Huenâ donatus à Friderico II. Daniæ Reg. arcem Uranoburgum ibi extruxit, ut Astronomicæ scientiæ, & admirandis instrumentis suis conficiendis ibi vacaret. Interim novum excogitavit Systema, Copernicanum aliquantum immutando: *Restauratoris Astronomiæ* elogium meritus. Post Friderici II. mortem, à Rodolpho II. invitatus Pragam pervenit, ibique obiit, An. 1601. ætat. 55. Scripsit *Progymnasmata Astronomiæ Instauratæ*, *de Mundi ætherei recentioribus Phænomenis*, *Epistolas Astronomicas*, *&c.* Thuan. *Hist. lib.* 126. Gassend. *in ejus vita.* Voss. *de Scient. Mathem.* Jac. Phil. Thomasinus, *in Elog. Illustr. Vir.*

Tyde, urbs Hispan. Tarrac. in Callaicis ad Minium fluv. A Diomede condita, & de patris nomine dicta. Episcop. sub Archiepisc. Compostellano, inde 21. leuc. inter Bracaram ad Austr. 8. & Auriam ad Bor. 10. Ferr. Baudrando sita est 6. leuc. supra ostia Minii in Cæc. Auriam versus 12. & 17. à Compostella in Mer. in ipso confinio Portugalliæ. Recens munita, vulgò *Tuy.* Silius *lib.* 3.

Oenea misere domos Ætolaq; Tydæ.

Tydeus, filius Oenei regis Calydoniæ, & Peribœæ, vel, ut aliis placet, Althææ, qui cùm fratrem suum Menalippum inscius occidisset, ad Adrastum regem profugit, cujus filiam Deiphilen conjugem duxit. Postea à Polynice, qui alteram Adrasti filiam, Argiam nomine, uxorem habebat, legatus ad Eteoclem regem Thebarum missus est, ut pacti memor, fratri regnum redderet. Ad quem cùm venisset, regiamque esset ingressus, Eteocles negavit se regno cessurum esse. Quo responso Tydeus vehementer commotus est, ita ut non sit veritus & hostis, & solus, Thebanos omnes, quotquot tum fortè cum Eteocle essent in convivio, ad quodlibet certaminis genus provocare. Atque ut animosè provocavit, ita omnes (sic illi Pallas propitia fuit) strenuè vicit. Quamobrem Thebani dolore ac indignatione accensi, reversuro insidias tetenderunt, collocatis ad opportunum locum, quà Tydeus transiturus erat, 50. juvenibus, cum 2. ducibus Mæone Æmonis, & Lycophonte Autophoni filio, quos Tydeus in se impetum facientes trucidavit, uni tantùm parcens Mæoni, quem acceptæ cladis nuntium ad Eteoclem remisit. Profectus deinde unà cum Polynice & Adrasto, reliquisque Græciæ principibus ad bellum Thebanum, post multas res præclarissimè gestas, à Menalippo quodam Thebano lethaliter vulneratus, occubuit: *Cruentum* vocat Statius, *fulmineum*, *magnanimum*, *& iræ immodicum.*

Tydides, Diomedes Tydei filius, bellator strenuus, qui præter alia benè ac fortiter gesta Venerem in dextrâ vulneravit. Homer *Iliad.* 5. De eo Horat. 1. 14.

—— *Ecce furit te reperire atrox*
Tydides melior patre. ——

Idem *Od.* 6.

Tydidem superis parem.

Virgilius *Æneid.*

—— *O Danaûm fortissime gentis*
Tydide. —— ——

Vide *Diomedes.*

Tydrus, filius Caucasi, ex auxiliis Æetæ, occisus à Colaxe. Flacc. *lib.* 6. *vers* 640.

Tyella, oppid. Siciliæ, Diod Sicul. Megaræ finitimum, *Judica* Fazello. Aliis Centuripis & Inessæ vicinum, quot & *Hybla.*

Tyenis, mons Colchorum, à *Tyenide* fluv. Steph.

Tygeni, qui potius *Iceni*, pop. Angliæ, quorum Rex Prasutagus Neronem Imper. hæredem instituit.

Tykozinum, vulgò *Tykoczin*, urbs munita Polachiæ, intra paludes, juxta fluv. *Narevv.* 7. leuc. ab Augustavia in Mer. 9. à Grodna in Africum, in limite Mazoviæ, cum palatio eleganti. Capta à Suecis An. 1655. sed recepta anno seq. à Polonis.

Tylangium, Triphyliæ in Peloponneso opp. Polybius.

Tyle castrum, vulgò *Tille le Chasteau*, urbec. Burgundiæ super. in Diœcesi Lingonensi, quà Divione Lingonas itur, imminens Thile fluv. vulgò *Tille*, qui non longè à Sequanæ fonte ortus, in Ararim exoneratur.

Tylesium, seu *Tylessium*, vel *Tylessus* apud Stephan. *Ajello*, teste Barrio, opp Brutiorum non incelebre, apud oram Calabriæ citer. & sinum Terinæum, à littore 7. mill. pass. quot ab Amantia urbe & à Tyllesio promuntor. quod nunc *Corica*, super saxo conditum. Lycophron.

Tylis, urbs Thraciæ prope Hæmum, Stephan.

Tylus, insula sinus Persici, ab ostio Euphratis navigatione 24. horarum in Ort. distans. Hujus nominis duas insulas habet Plin. in mari Rubro, 10. mill. pass. inter se distantes. Item Messeniæ in Peloponneso urbs, quam nonnulli Oetylum vocant, inquit Strabo ex Xylandri interpretatione. Prioris meminit Theophrastus & Arrianus *lib.* 7. ubi scribit ferre palmas, oleas creare, & vineis abundare. *Baharen* esse videtur, 100. leuc. Hispan. ab Armuzia in Occ. ubi unionum copia. Ejus Dionys. sic meminit, *lib. de situ Orbis:*

Hic Tylus est, superans vasta miracula terra.

Tymbriani, populi inter Pisidiam & Lycaoniam, Plin. quorum urbs *Tymbria* Episcop. erat in Pisidiâ, *Tymbrion* Xenophonti dicta, ab Iconio 800. stad. in Corum. Erat & *Tymbria*, vicus Cariæ apud Mæandrum fluvium & Myuntem urbem, inde 4. stad. ubi Avernus, teste Strab.

Tymenaon, urbs juxta Phrygiam, Stephan.

Tymenna, vicus Lyciæ, Idem.

Tymes, etis, urbs Libyæ, Idem.

Tymnissus, urbs Cariæ, Idem.

Tymnus, urbs Cariæ, Idem.

Tympania, Ptolem. *Tympanea*, Polyb. *Tympanea*, & *Typanea*, Stephan. *Typania* Plin. urbs Elidis mediterranea in Arcadiæ confin. Leporio finitima. *Strovisio* Nigro, *Verdogna* Castaldo, *Londari* Moletio. Pop. *Typanei.*

Tymphai, pop. inter Epirum ad Occ. & Thessaliam ad Ort. quorum oppidum *Tymphan*, Steph. & *Æginium* Straboni. Vide Strab. *lib.* 7. & Plin. *lib.* 4. *cap.* 2.

Tymphe, mons Thesprotiæ. Stephan. Ubi gypsi hinc *Tymphaici*, vel *Tymphetici* dicti copia.

Tymphrestus, vel *Typhryssus*, mons Phthiotidis apud sinum Maliacum.

Tyndarida, pop. Sarmat. Asianæ, inter Zygios & Colchos. Dionysius Afer:

Intima sed Ponti, post fines Tyndaridarum
Ægypto missi Colchi tenuere coloni.

Tyndaris, Strab. & Plin. *Tyndarium* Ptolem. colon. & urbs Siciliæ, olim Episcop. *Lo Tindaro*, & *S. Maria di Tindaro:* in orâ litorali, sive potius mari absorpta; ab ejectis Messeniis, in Abacene reg. Siciliæ; Aliis à *Tyndaro* Lacedæmonio, patre Ledæ, condita, & nominata. Nunc ibi ruinæ, & ædes B. Virgini sacra, inter Mylen ad Ort. & Bor. 10. ac Pactas ad Austr. 6. m. p. à Messana 66. Pop. *Tyndaritani* Ciceroni. Silius *lib.* 14.

—— *Geminoq; Lacone*
Tyndaris attollens sese adfuit.

Item Helena sic dicta. Virgil. *Æneid.* 2.

Tyndarida aspicio; dant clara incendia lucem.

Tyndarus, rex Oebaliæ, maritus Ledæ, quæ eodem tempore duo peperit ova, è quorum altero, quod ex Jove conceperat, exclusi fuerunt Pollux & Helena, & altero quod conceperat ex Tyndaro, Castor & Clytæmnestra. Ex his priores duo immortales fuere, posteriores mortales. Vide *Castor* & *Pollux*, & Servium ad illud *Æneid.* 2.

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ.

Dicitur & *Tyndareus.* Ovid. *epist.* 8.

Me tibi Tyndareus vitâ gravis author & annis
Tradidit. —— ——

Item *Tyndareus* adject. Valer. Flacc. *lib.* 1.

Tyndareusq; puer mihi vellere gratior Helles.

Tynes, etis, urbs Siciliæ, Stephan.

Tynna, urbs Cataloniæ, in Armenia min. Ptolem.

Tynnichus, egregius Dux, Patriâ, ut videtur, Heracleensis, qui Theodosiam, à vicinis Tyrannis obsessam, miro ingenio liberavit: sicut videre est apud Polyænum *lib.* 5. 394. 395.

Typaon, mons Elidis, Steph.

Typanea, vide *Tympania.*

Typhoeus, Gigas Terræ & Titani filius, quem illa Jovi iratus in perniciem cœlestium fertur edidisse. Virgil. *Georg* 1.

—— *Tum partu terra nefando*
Cæumq; Japetumq; creat, sævumq; Typhœa.

Hujus manus robustæ, pedes indefessi erant ac serpentini, ex humeris pendebant centum capita draconis, sub superciliis ignis micabat: Omnia capita variè loquebantur & omnium animalium sonum exprimebant. His viribus fretus Jovem de cœli possessione detrudere est conatus. Sed cæteris Gigantibus in Phlegræ monte interfectis, solus Typhoëus effugit, unde eum postea bellum illud instaurasse quidam tradiderunt. Tandem fulmine ab eodem ictus est, & sub Inarimen ins. detrusus, ut placet Virgilio *Æn.* 10.

Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile
Inarime Jovis imperiis imposta Typhœo.

Habuit ex Homero, qui sic *in Catalogo:*

Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Claudian. *lib.* 3. *de Rapt. Pros.*

—— *Rupitne Typhoia cervix*
Inarime? —— ——

Lucanus *lib.* 5.

——. *Ceu Siculus flammis urgentibus Ætnam*
Undat apex: Campana fremens ceu saxa vaporat
Conditus Inarimes æternâ mole Typhœus.

Pindarus tamen in Siciliâ sub Ætnâ monte sepultum refert *Pyth.* 1. *his verbis:*

Ὅς τ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖ-
ται θεῶν πολέμιος
Τυφὼς ἑκατοντακάρανος.

Et paulò post:

Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει
Στέρνα λαχνάεντα. Κίων

Α' ἐργίλα συνέχει
Νιφόεσσ' Αἴτνα.

Eum sequuntur
1. Ovidius, qui sic *Fastor.* 4.

Alta jacet vasti super ora Typhoëos Ætna,
Cujus anhelatis ignibus ardet humus.

Idem *Metamorph.*

Vasta giganteis injecta est insula membris
Trinacris; & magnis subjectum molibus urget
Æthereas ausum sperare Typhoëa sedes:
Nititur ille quidem, pugnatq; resurgere sæpe:
Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro,
Læva, Pachyne, tibi, Lylibæo crura premuntur.

2. Silius *lib.* 14.

Tum Catane ardenti nimium vicina Typhœo.

3. Valer. Flacc. *lib.* 2.

Siculâ pressus tellure Typhœus.

Hesiodus Typhœum Terræ & Tartari filium facit:

Αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεὺς,
Ὁπλότατον τέκε παῖδα Τυφωέα Γαῖα πελώρη
Ταρτάρου ἐν φιλότητι διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην.

De Typhœi cubili, memoratu digna, Solinus *cap.* 51.

Typhon, Gigas, de quo sic scribit Homerus *Hymn. in Apoll.* Junonem ægrè ferentem, quòd Jupiter sine se ex capite Minervam peperisset, Cœlum ac Terram precatam fuisse, omnesque Deos superos & inferos, ut posset & ipsa sine maris congressu parere, quæ cùm manu humum percussisset, sequenti postea tempore natus est ex Terrâ Typhon, qui draconæ educandus traditus est; ut patet ex his versibus:

Ἀγχοῦ δὲ κρήνη καλλίρροος, ἔνθα δράκαιναν
Κτεῖνεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπὸ κρατεροῖο βιοῖο,
Ζατρεφέα, μεγάλην, τέρας ἄγριον, ἣ κακὰ πολλὰ
Ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί, πολλὰ μὲν αὐτούς,
Πολλὰ δὲ μῆλα ταναύποδ', ἐπεὶ πέλε πῆμα δαφοινόν.
Καί ποτε δεξαμένη χρυσοθρόνου ἔτρεφεν Ἥρης
Δεινόν τ' ἀργαλέον τε Τυφάονα, πῆμα βροτοῖσιν,
Ὅν ποτ' ἄρ' Ἥρη ἔτικτε χολωσαμένη Διὶ πατρὶ,
Εὖτ' ἄρα δὴ Κρονίδης ἐρικυδέα γείνατ' Ἀθήνην
Ἐν κορυφῇ. —— ——

Seneca in *Octaviâ*:

Non tam ferum Typhona neglectum Jove
Irata Tellus edidit quondam parens.

Eundem faciunt poëtæ cum Typhœo. Plura qui de Typhone videre velit, consulat D. Dickinsonum *in Delph. Phœnic. cap.* 2. & Bogannum *in epistolâ libro isti præfixâ*, ubi eruditè, ut solet, de gigante disserit. Item *Typhon*, teste Diodoro, Osiridis, Ægyptiorum regis frater, qui illo interfecto & in 25. partes discerpto, regnum occupare conatus est; tandem verò ab Iside victus, meritas impietatis suæ luit pœnas. Item venti nomen, de quo Plin. *lib.* 2. *cap.* 48. & Gell. *lib.* 19. *cap.* 1. Hinc *Typhonicus*, unus è ventis subitis tempestuosis, Act. 27.

Typhonis insula, è reg. Trojæ, quæ & *Calydna* Qu. Smyrnæo, & *Typhonis Scopuli* apud Lycophronem.

Typhrestus, opp. & mons Trachiniæ, unde Sperchius fluv. ortum habet; idem *Tymphresto* apud Strab. Est & mons Milesiorum in Cariâ, teste Lycophrone.

Typographia, quæ unicum est contra tineas & blattas, omnis eruditionis inimicas, remedium: quamque cum omnibus veterum inventis certare facilè posse censet Johan. Bodinus *Meth. Histor. cap.* 7. non Saturnum, ut S. Cyprianus *de Idolis libr.* sensisse videtur: non Themistaneos novi Orbis populum, ut Genebr. *Chronograph. libr.* 4. docet, non Cathajenses Indos, ut Zuinger. *Theatr.* refert, aliosque, sed Germanos inventores habuit. Unde Beroaldus:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetustas;
Libros scribere quæ doces premendo.

Verùm utrius Germaniæ civibus ea gloria debeatur, acris controversia est. Hadrianus Junius pro Harlemensibus pugnat, apud quos Laurentius Johannes, cognomento Æditurus Custosque, communiter Costerus, faginos cortices in literarum typos primò conformare instituerit Ann. 1428. juxta Scriverium. Et certè Mariangelus ac Chronicon Coloniense ex Donatis Hollandicis primos Typographicæ artis in Germania super. auctores multùm adjutos esse referunt. Plurimi pro Germanis stant: quas sententias quidam sic conciliare conantur, ut in Germania, & quidem Moguntiæ, non sine Numine, quippe cujus Antistes Archicancellarii per Germaniam munere & Nomophylacis dignitate eminet, artem hanc primitus elaboratam excultamque, ejus nihilominus primum typum atque imaginem ex Donatis, qui ante id tempus, apud Hollandos rudi Minervâ, ut sunt plerumque rerum initia, typis expressi fuerant, desumptam esse dicant. Faciunt huc, illi ipsi primordiales & antiquissimi typi, quibus inventores hujus artis usi, quique Moguntiæ extare, vel saltem ante calamitosum, paullò post inventam Typographiam, urbis statum extitisse dicuntur. Ibidem Johanni Gutenbergio Ivo Witigis Ann. Chr. 1508. in Jurisperitorum domo monumentum cum inscriptione erexit. Sic in antiquissima omnium editione, quæ Moguntiæ An. Chr. 1459. lucem vidit, *Rationalis divinorum Guilielmi Durandi*, Johanni Fust & Petro à Gernsheim inventi hujus decus asseritur, ut alia omittam. E quibus modò memoratis quis primas mereatur, iterum disceptari solet. Gutenbergio illas tribuit, Johannes Arnoldus Bergellanus, *elegiâ de Typographico invento*, sic tamen ut ei reliquos duos Fustium & Petrum Schefferum, Latinè Opilionem, patriâ Gernshemium, socios adjungat, cùm sic canit:

Imparibus meritis cœlestia Numina gaudent,
Hoc opus exegit sic quoq; sancta Trias.
Ille primus erat tunc Gutenbergus *in albo,*
Alter erat Faustus, *tertius* Opilio.

Secundùm alios Faustus primariam de hoc certamine palmam auferre dignus videtur, utpote qui non tantùm typos singulares, præcipuum tanti artificii instrumentum, ex ære, dein stanno primus efformarit, literasque fusiles jungere docuerit, sed etiam princeps omnium typis descriptos libros orbi obtulerit & communicarit: Quos primitus ex ligno, dein ex orichalco factos vult Melch. Adami: seu etiam ex ære, ut Mariangelo Accursio placet, qui disertè æreorum inventionem Fausto ascribit. Ab hoc in consortium ascitus Gutenbergius est, qui sumptibus & impensis hærentem in luto Faustum, & impendiorum gravitate tantùm non submersum, liberalitate suâ & operâ sociatâ sublevavit, eoque ipso de tantæ rei consummatione præclarè meritus est. Accessit Petrus Schefferus, ex Fausti operis, qui matrices, quæ fundendis typis inserviunt, stanneos typos (quod tamen etiam Fausto vindicat Accursius) & atramentum impressorium (quam laudem ei cum Gutenbergio alii communem faciunt) primus excogitavit, hocque pacto herilis filiæ unicæ Christinæ matrimonium meruit. Rei tantæ autem initium An. 1450. imperante Friderico III. Præsule Moguntino Diethero de Isenburg, factum, eamque aliquot post annis ad umbilicum perductam esse volunt eruditi. Ars aliquandiu clam habita est, famulis de ea non propalanda jurejurando obstrictis, qui literas in sacculis clausis secum in officinam ferre, ac abeuntes eodem modo auferre tenebantur: post aliquot tamen annorum decursum, orto dissidio inter Faustum & Gutenbergium, qui An. Chr. 1455. judiciali sententiâ Moguntiæ condemnatus, inde Argentinam concessit, aliquot ex operis eò secum adductis: clade dein urbis Ann. Chr. 1462. superveniente, cùm omnes huc illuc diffugerent, toti orbi innotescere cœpit. Post Argentinam enim, quam, extra Moguntiam peregrinari ausa, domicilio suo primùm dignata est, Ulricus Zellius Hanoviensis Coloniæ Agrippinæ officinam erexit. Nicolaus dein Genson, seu Jenson Gallus, Germanus an Danus, (quem tamen ab Hansone Hamman dicto Hertzog, & Octaviano Scoro præventum scribit Melch. Adamus, nisi fortè hic Adami Hanso aliorum Jenso est) Venetiis typos exercuit: cui urbi post Moguntiam, præ omnibus aliis, Ars ista & bonæ literæ plurimum debent, ob typos elegantiores, quibus hodiè ferè utimur, quiq; differentiæ ergò *Veneti* dicuntur, ibi primitus & quidem maturè repertos. Hinc Romam festinavit Ars, quò præter Ulricum Han, Campani versibus celebratum, Conradus Suenheim & Arnoldus Pannartz eam intulerunt. Imò ibi & Johannis Philippi de Lignamine, equitis Siculi, Typographi, circa Ann. Chr. 1480. meminit Simlerus *in Biblioth.* cùm Neapolim typorum artificium jam detulisset Sixtus Russingerus Argentinensis, Ann. Chr. 1471. Ante omnes tamen reliquas Italiæ urbes Taurinum Pedemontii metropolis, studio Academico inclytum, Typographicam officinam exercuit, ut hinc Galliæ potius, quàm Germaniæ Italiam primitivam typorum propaginem debere quidam evincant. Circa An. Chr. 1485. Florentiæ viguit Nicolaus Laurentius Alemannus. In Galliam Impressoria Ars à retro memorato Gensone primitus transplantata fuit. Belgii Prototypographus in obscuro est. Cæterum per Germaniam statim ab initio magnis passibus Ars progressa est. Argentinæ enim, post Gutenbergium, celebrem instituit officinam Johannes Mentel, cui successere Adolphus Ruschius vel Rischius, Martinus Flaccus, Matthias Schurerius, alii. In vicina mox Basilea, quæ circa An. Ch. 1490. Nicol. Kesserum Typographum habuit, Johannes Amerbachius, qui S. Augustini opera primus excudit, & post eum Johannes Frobenius, Patrum impressione & magni Erasmi contubernio nobilis, hujusque filius Hieronymus, & nepotes Ambrosius ac Aurelius: gener quoque Nicolaus Episcopius, Adamus & Henricus Petri, Petrus Perna, Hervagius, Antonius Wiote, Joh. Oporinus, aliique Typographicum forum calefecerunt: quorum omnium tot extant typis descripta opera, ut vel sola illorum enumeratio in librum justæ magnitudinis excrescere possit. Supra Basileam Tigurum est, primaria in Helvetiis urbs, quam Froschoverus hac arte clariorem reddidit, Contrado Gesnero viro undecunque doctissimo uberem prælo materiam subministrante. Francofurti quoque, occasione nundinarum, non tantùm maturè Typographia excoli cœpit, sed etiam usque adeò is locus librariæ rei mercatu inclaruit, ut nullibi simile quid vel hoc nostro ævo, vel in omni antiquitate reperiatur. Primus qui artem ibi exercuerit, adhuc quæritur: Wechelii postea, quibus Aubrii & Sleichii successerunt, caput supra reliquos extulerunt.

lerunt. Norimbergam Typographicæ rei laude primus illustravit Antonius *Koburger*, qui ævo suo, non illius modò urbis, sed totius Germaniæ Typographorum ac Bibliopolarum præcipuus fuit. Ejus contemporaneus, Stephanus Arnoldi Lubecæ officinam aperuit, Bibliaque Germanica in Saxonicam dialectum versa, Ann. Chr. 1484. excudit. Augusta Vindelicorum Joh. Bemlerum circa Ann. Chr. 1466. Eslinga Conradum Fincrum circa An. Chr. 1475. Ulma, circa idem tempus, Joh. Zainerum & Conradum *Denckmuth* primos habuere Typographos. Spiræ An. Ch. 1480. excudit Petrus *Drach*, quæstiones Petri Aquilani Minoritæ in 4. libbr. Sent. Daventria circa An. Ch. 1481. Richardium Pafradium habuit: Monasterii An. Chr. 1486. impressit Johannes Limburgus, Rudolphi Langii, Nobilis Westphali, primi inter Germanos, post expulsam Barbariem, Poëtæ carmina: Lovanii primus Typographus fuit Theodoricus Martinus Alostanus, cui Erasmus Ann. Christi 1533. mortuo epicedion condidit. In Hispaniam, Angliam, Poloniam, quinam primi hoc Dei munus intulerint, adhuc in abdito: illud certum est, nec hodie illarum regionum prælа cum Italicis, Gallicis & Germanicis conferri posse, nisi Angliam excipias, quæ etiam supra reliquarum laudes ab aliquo tempore enititur. Memorabilis nihilominus est Bibliorum Complutensium editio, in Hispania, ab Arnoldo Guilielmo Brocario ejus loci Typographo, Leone X. Romæ sedente, auspiciis Francisci Ximenii Cardin. perfecta. Inter Gallica Typographea, Lutetiana & Lugdunensia semper excelluerunt. Et Lutetiæ quidem Johan. Parcus, & Jodocus Badius Ascensius primi ad aliquod in hac arte nomen pervenere, licèt illos præcurrerit Georgius *Mittelhus* Germanus, qui An. Chr. 1484. tractatum de *Corpore Christi* ibi publici juris fecit. Lugdunum verò Franciscus imprimis Fradinus & Hugo à Porta, ut & Griphinus Tornæsius, Cardo, hac arte illustrarunt, &c. Quis porro liber primus prælum subierit, non minus anxiè quæritur. Mariangelus Accursius Donati Grammaticam & Confessionalia, primogenituræ hujus honore beat: quem Coloniensis Chronici auctor, Bibliorum sacr. codici impartit: (Nisi quòd stare potest Mariangeli sententia, de Hollandicis rudimentis loquentis,) cùm ait: Hoc *anno, qui verè erat aureus*, 1450. *excusum primò Moguntiæ Bibliorum opus, idq; characteribus majusculis, & quibus exinde plerumq; Missalia solent.* Interim Mallinckrotus, sibi saltem non visum esse librum ante An. Chr. 1459. excusum, refert; qui est *Officiale Durandi*, cujus exemplar in Academ. Basiliensi asservatum, hanc inscriptionem habet, *Johannes Fustius civis Moguntinus excudit Officiale Durandi in fol. per Petrum de Gernsheim, Ann. Chr. 1459.* Quæ porro huc faciunt, paucis sic habent: Primus, qui Græcè excudit, Aldus fuit Manutius, qui circa An. C. 1500. Officinam Venetiis instituit: Idem typos Hebraicos primus in hac arte adhibuit, cùm antiquissimi Typographi, si quæ Græca vel Hebræa vox occurrisset, vacua illic spatia relinquere solerent. Typi dein primi rudiores fuere, & continuis compendiis seu *abbreviaturis*, ut vocant, impediti: quam deformitatem, præ reliquis Aldi pater & filius ac Plantinus sustulere, quorum postremus etiam argenteis fusilibus literis, ut & Stephanus, usus fuisse traditur. In principio quoque, quę scriptis libris mangonizandis adhiberi miniatura solebat, etiam ad impressos translata est, mox tamen utpote operosior desiit. Hinc supersunt codices primævo illo tempore excusi, quibus Capitales, ut vocantur, literæ, penitus absunt, eò quòd è minio adjiciendæ erant, ni emptorum festinatio prævertisset. Frontispicia item antiquissimorum librorum admodum jejuna fuere, postea copiosa rubrica librorum contenta proscribere, & addita hoc seculo Chalcographicarum iconum emblemata ea illustrare cœpere. Præterea primordiales illæ impressiones, nomen Typographi, locum & tempus plerumque omisere, dein cùm usurpari cœpissent, in calcem libri rejecere, quo tempore simul invaluit, ut signum suum, seu *scuta*, ut vocant, quisque appingi curaret: in quorum locum hodie successere certa emblemata & imagines, ut *Circinus* Plantinianorum: Frobenii *Caduceus*: Gymnici *Monoceros*: Wechelianorum *Pegasus*: *Grus* Episcopii: Juntarum *Lilium*, Parisiensis Societatis Navis *velifera*: Hierati Gryphus, &c. Nec Epistolis & Præfationibus olim in operum capitibus locus fuit: nec tanta copiâ libri impressi sunt, unde tam rara vetustissimorum, qui hujus Artis beneficio prodierunt, librorum est seges: nec typorum tanta, quanta hodie, fuit varietas. Primusque Adolphus Ruschius supra dictus, Biblia cum glossa ordinaria triplici Charactere, in publicum Argentinæ dedit: & literas Italicas, quas *Cursivas* vocant, Aldus demum invenisse dicitur: libraria quoque negotiatio seu Bibliopolia tandem, qualia hodie sunt, ante An. C. 1500. nec Francofurti, nec alibi fuere: quod commercium non parum juvant Catalogi illi librorum, qui singulis nundinis Francofurti excudi & per omnem Europam inde disseminari solent, cujus instituti primus auctor Georgius Willerus, Bibliopola Francofurtensis, circa An. Chr. 1570. Ad *Correctores* descendo Typographicos, quo munere vel ipsi Typographi defuncti sunt, vel succidaneam illis operam præstiterunt viri doctissimi: Sic Fridericus Sylburgius apud Wechelianos, Kilianus apud Plantinianos, Sigismundus Gelenius apud Frobenios, Nicolaus Gerbelius, noti inter eruditos nominis, apud Schurerium Argentinensem, ipse Erasmus apud Theodoricum Martinum Lovaniensem Typographum, hoc officium obierunt: Imprimis autem, apud Sabellicum, Petri Tresii in hoc vitæ & professionis genere, memorabile fuit nomen. Typographiæ nostræ *Affinia* sunt 1. *Rudimenta Harlemensia*: in qua urbe non ex discretis & singularibus typis, inter se junctis, ut hodie fit, sed in pagellis ligneis, quibus literæ erant incisæ, cœptum est imprimi, circa An. Chr. 1420. secundùm alios triginta, juxta nonnullos An. Chr. 1440. facto ab editione *Donati*, secundùm alios à *Speculo salutis*, initio. Cui simile quiddam forsan illud Saturni aliorumque, de quibus supra inventum. Avia quoque Julii Cæsaris Scaligeri Veronica Lodronia, *Horologium Beat. Mariæ* habuisse dicitur, pagellis ligneis incisis impressum in membranis, literis inter se colligatis & connexis. 2. *Typographia Sinica*, multi jam ævi: cujus beneficio, incredibili tum facilitate, tum celeritate folia imprimunt, inque tabulis sculpendis tam prompti sunt, ut nihilo plus temporis in sculpenda, quàm nostri in componenda una emendandaque consumere videantur. Quæ excudendi ratio ad Sinicos characteres grandiusculos admodum accommodata est, cùm tenuia nostra elementa tabulæ ligneæ commodè insculpi non possint. Unde tanta in vasta illa Monarchia librorum multitudo, ut exprimi nequeat. Modum imprimendi infra exhibebo. 3. *Ars æris incisoria*, Typographiæ æmula & exornatrix: Quam primus reperisse traditur Franciscus à Bocholt, Montensis Ducatus opilio, cui successit Israël à Meckenich ex Eifflia oriundus, & Martinus Stockius, præceptor Alberti Dureri, ut ex Chronico Sebast. Franckii & Matthiæ Quadi Germania, scribit *in suo Itinerar. Teutonic.* Martinus Seilerus Carinthius. 4. *Ars æreas tabulas & laminas arrosivis liquoribus inscribendi & loco sculpturæ excavandi*, priori recentior: quod commentum defertur, eodem Quado referente, ad inventores Johannem & Lucam, fratres Germanos, cognomento *à Detekum*, oppido natali. 5. *Ars Calcographicas tabulas cum ipsis typis artificiosè & venustè sociandi*: in qua Satlerus in Bavariâ: Amsterodami Hondius & Jansonius: Herbipoli Lævinus Hulsius: Francofurti, post Bryæos fratres, Matthæus Merianus aliique floruere. Hujus generis sunt Ortelii *Orbis terræ*: Mercatoris *Atlas*: Spigelii *libri Anatomici*: Goltzii & Jacobi Bizi *antiquitates ac numismata, &c.* inprimis *cœlestes ac terrestres* illi *globi*, quos Belgarum ingenia & manus orbi communicant; quorumque primus inventor Gerhardus Mercator Rupelmondanus censetur. Plura vide apud Bernh. Mallinkrot *Dissertat. de ortu ac progressu Typograph. Artis.* Ratio Typographiæ Europææ hæc est: *Characteres plumbei pro literarum atq; notarum numero ingeniosè fusi, in cellulas sui cujusq; generis aptissimè distinguuntur: inde ad eandem, quâ scribimus, rationem, expeditè seliguntur, componuntur invicem, & quasi colligantur, ut pagina tota æqualibus inter se versibus compleantur. Has marginibus ferreis arctè, ne dilabi possint, concludunt typothetæ & diligenter emendant. Pòst atramento, quò hæreat, parato, duabus semipilis mollibus ad convenientem rospersionem utentes Impressores, prælo subjiciunt ac fortiter comprimunt: sicq; justo paginarum numero impresso, iidem typi dissolvuntur, ac in suis cellulis reponuntur, ut reliquis instituti operis partibus effingendis, rursus atque iterum, pro verborum serie, coagmentari possint*, ex Christoph. Milæo *lib. 2. de Univ. rerum Historia.* Sinenses verò, *Characteres tabulæ è pyro feremalove insculpunt, h. m. folium exscriptum leviter conglutinant, inde magno artificio jam siccam papyrum ita eradunt, ut non nisi tenuissimâ facie transparentes characteres videantur: dein stylis ferreis, ita tabulam illam exsculpunt, ut sola characterum vel picturæ lineamenta emineant, tum facillimè & celerrimè, folia, quantum volunt, imprimunt, sic ut sæpe Typographus unus, die uno, quingenta supra mille expediat.* Spizelius *de re liter. Sinensium Sect. 3. &c.* Laurentius Valla *de nobilissimo hoc Germanorum invento*:

Abstulerat Latio multos Germania libros,
Nunc multo plures reddidit ingenio;
Et quod vix toto quisquam perscriberet anno,
Munere Germano conficit una dies.

Typus, à Constante Heraclii nepote Imper. ex consilio Pauli Episcop. Constantinopol. Monothelitæ promulgatus, & acerrimis tum de controversia Monothelitarum disputationibus vigentibus, utraque pars silere jussa est. Sed Theodorus Papa, convocato concilio *Typum* damnavit, Paulo excommunicato, quod cùm & successor Martinus fecisset, Constantinopolim abreptus & inde in Pontum deportatus est. Maximus quoque Abbas crudeliter ob eandem causam est habitus. Circa An. Chr. 642. 649. 651. &c. Lætus, Calvisius, Platina.

Tyra, vel *Tyras*, Sarmat. Europ. fluv. inter Istrum & Borysthenem in mare Euxinum labens, Ptolem. Ejus meminit Ovidius *Pont.* 4. 10.

Partheniusq; rapax, & volvens saxa Cynapes,
Labitur, & nullo tardior amne Tyras.

Tyracina, urbs Siciliæ, parva sed felix: Populi *Tyracinæi*, Steph. Vide *Trinacia.*

Tyrambe, seu *Tyrambis*, Sarmat. Asiaticæ urbs, Ptolem. Hodie *Trapano*, Moletio. Urbs fuit Mæotarum, Baudrando ad paludem Mæotid. hodie *Temruk*, seu *Temaruchi*; Circassiorum populi, mill. pass. à Bosphoro Cimmerio in Ort. 10. à lacu Corocondami in Bor. Ex Sansone.

Tyrancllus, Gallus, Decianum, Antecessoris sui filium, primò adoptavit, posteà eum suspectans per insidias occidit. Zosim. *l.* 1.

Tyrangita, pop. Sarm. Eur. quibusdam *Tyrita*, ubi hodie Podolia infer. versus Tyram fluv.

Tyranium, mel. *Tiranum*, opp. Volturenæ, secundæ præfecturæ caput. Hic Protestantes ab Hispanis, sub sacrorum tempus oppressi, & nullo sexus aut ætatis discrimine habito omni crudelitatis genere interemti sunt, An. Ch. 1620.

Tyrannio, Tyri Episc. mari mersus est: Sub Diocletiano.

Tyrannion Amisenus, discip. Estiæi Amisæi, nobilis Grammaticus, tempore Pompeji M. Romę docuit. Ductus est à Lucullo captivus in bello Mithridatico: prius dicebatur Theophrastus; mutavit autem nomen, quòd inter æquales superbis versaretur moribus. Clarus & dives ob doctrinam factus adeo est, ut supra 3. millia librorum possideret. Decessit senex morbo podagræ. Alius è Phœnicia prioris nepos, à quo nomen sibi usurpavit, quum prius *Diocles* vocaretur. Captivus & ipse Romam ductus, à quodam Dymante Cæsaris liberto emptus: deinde dono datus Terentiæ Ciceronis, ab eàque liber factus; ludum Romæ aperuit, scripsit libros 67. Suidas.

Tyrannosboas, Indiæ intra Gangem Emporium. Arrianus *in Periplo*.

Tyrannus, Sophista, scripsit de divisione orationis libr. 10. Suid.

Tyras, Mysiæ inf. urbs. Ptol. *Zethazava* Nigro. Baudrando Urbs Sarm. regia Tartarorum Prec. ad ostia Tyræ fluv. Plurimis est *Moncastro*, seu *Bialogrod*, quæ & *Akerman*, Bessarabiæ caput, vix 5. m. p. supra ostia fluv. & 70. mill. Germ. à Taphris in Occ. Alii putant *Moncastro* crevisse, ex ruderibus Tyræ, in viciniis.

Tyras, Herodot. & Ptol. *Tyra* Straboni, fluv. aliàs Germano. Sarmatiæ: Baudrando fortè Naparis, *Niester*; nunc Poloniæ. Oritur ex lacu parvo, in Russia nigra, 9. leuc. Pol. à Premislia in Ort. 4. à Leopoli in Mer. Hinc in Ortum tendens, rigataque Pocutiâ tractu, Podoliam utramque à Moldavia separat, & in Bessarabia tractu, in Pontum Euxinum se exonerat, infra Bialogrodam, 60. m. p. ab ostio Istri in Bor. Dicitur & *Turba* quibusdam. Vide Flac. VI. 85.

Tyrconensis Comit. seu *Terra Cornelii & Dungalensis*, Gallis *le Comté de Tyrconel ou de Dungal*, pars est Hiberniæ in Ultonia reg. Vide *Dungalia*.

Tyredizа, vel *Tyrodiza*, urbs Thraciæ. Steph.

Tyres, fluv. Scythiæ, post Istrum secundus. Herodot. *lib.* 4.

Tyrias, Siciliæ fluv. haud procul Leontio.

Tyriblates, opulentus vir, cujus bona Alexander Magnus Eurylocho, quòd acceptum à fratre conjurationis, contra regem, inter Pueros nobiles, duce Hermolao initæ, indicium detulisset, donavit. Curt. 8. 37.

Tyridates, vide *Tiridates*.

Tyris, vel *Tyrus* Plut. *Tiriolo* Barrio, oppidul. magnæ Græciæ, in colle, apud Catacium urb. inde 6. m. p. Martoranum versus, à Scyllacio 9.

Tyrinthia, Vide *Tirynthа*.

Tyriotes, Eunuchus Darii, ultimi Persarum Regis, captivus, qui mortem uxoris in custodiâ defunctæ, Regi adnunciavit, inter trepidationem lugentium elapsus per eam portam, quæ, quia ab hoste aversa erat, levius custodiebatur. Curt. 4. 90.

Tyrissa, Plin. *Ceresei* Mercat. opp. Emathiæ. Aliis *Dinorigriza*, 15. m. p. à Gyrtona, in Austr. inter Castoriam 46. & Gonnum 35. Atraci finitima. Pop. *Tyrissai* Plinio.

Tyristasis, Plin. *Tiristasis* Demostheni, urbs Chersonesi Thraciæ, Episc. sub Arch. Heracleensi in ora ad Propontidem: Vide *Peristasis* seu *Peristacium*; quod à Lysimachia 18. m. p. abest in Bor. & Cæciam, sed extra Chersonesum.

Tyritacite, urbs Ponti, Steph.

Tyrita, pop. circa ostia Tyræ fluv. & loca finitima incolentes, in Sarmatia Eur. *Tyrangita* Ptol. *Tyrigeta* Strab. *Tyrageta* Plinio.

Tyrius, Gall. Narbon. fluv. Sext. Avienus.

Tyrmenis, pop. Scythiæ, peritissimi navigandi: Sign. autem hoc vocabulum *fugitivi*. Steph.

Tyrmida, vicus in tribu Oeneide. Steph.

Tyro, virgo Thessaliæ, Salmonei & Alcidices filia, quam noverca Sidero (quam Alcidice Alei filiâ defunctâ in uxorem duxerat Salmoneus) malè admodum ac duriter excepit. Cæterùm cùm Tyro Enipei fluv. amore flagraret, atque ad illius fluenta continenter accedens propter amnem conqueri minimè desineret, Neptunus interim sumptâ Enipei formâ cum ipsâ concubuit. Hæc autem cùm geminos clanculum peperisset, illos exposuit. Jacentibus autem pueris, & equariis pastoribus prætereuntibus, equarum una, quum infantium alterum ungulâ casu quodam tetigisset, faciei partem lividulam reddidit. Tum equarius infantes ambos suscepit alendos, & cui lividula reddita erat faciei pars, *Peliam* nominavit, quasi *Lividum* dixeris, alterum verò *Neleum*, qui cùm ad justam integramque ætatem pervenissent, matre sua & ejus novercâ agnitâ, quum matrem ab illâ malè affectam comperissent, in illam impetum fecerunt, & quamvis in Junonis templum confugisset. Pelias tamen eam super aram ipsam jugulavit. Cretheus postea Salmonei frater Tyronem neptem cepit uxorem, ex quâ nati sunt illi filii Æson, Amythaon & Pheres. Apollod. *Bibl.* 1. Diod. Sic. *lib.* 4. Tzetzes *in Lycophr. & alii.* Propert. 2. 28.

Vobiscum est Jope, vobiscum est candida Tyro.

Idem 1. 13.

Non sic Æmoniq Salmonida mistus Enipeo
Tanarius facili pressit amore Deus.

Idem *eleg.* 10. *lib.* 3.

Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota subire Deo.

Ovid. *in ep. Herûs*,

Si neq; Amymone, nec laudatissima forma
Criminis est, Tyro, fabula vana tui.

Idem *Amor.* 3. 5.

Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,
Cedere jussit aquam, jussa recedit aqua.

Tyrolis, Vide *Tirolis*.

Tyronensis Comit. *le Comté de Tyrone*, seu *Tir-Oen*, i. terra Eugenii, prov. Ultoniæ reg. est in Hibernia. Estque duplex Superior, *Upper Tyrone*, in parte Occ. inter Comit. Dungalensem, Fermanagensem, & Colranensem; ubi nulla urbs magni momenti: & Inferior, *Nether Tyrone*, ad Ort. extensus inter Comit. Antrimensem, Dunensem, Armacanum & Tyronensem super. à quo montibus *Slievv Gallen* dividitur; ubi aliquot arces & castrum *Dunganonium* dictum. Regio est ferax & satis ampla, longa ad 60. mill. lata ad 30. Vide quoque hanc vocem per *i*.

Tyropœum, Thraciæ castellum. Cedrenus.

Tyrrheni, pop. Italiæ, inter Macram & Tiberim amnes incolentes, quos Latini *Tuscos* & *Etruscos* vocant, *Tyrrhenos* autem Græci nominarunt à *Tyrrheno* Atyos filio, qui è Lydiâ colonos in hanc regionem deduxit. Atys enim ex posteritate Herculis & Omphales unus, cum sterilitate ac famâ populum suum emittere cogeretur, è duobus filiis sorte jactâ, Lydum quidem regni successorem tenuit, Tyrrhenum autem cum bonâ populi parte ad quærendas novas sedes emisit: qui cùm post longos errores in Inferi maris orâ sedes fixisset, totum eum tractum de se *Tyrrheniam*, & mare ipsum *Tyrrhenum* vocavit. V. Servium in illud *Æn.* 1.

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.

Hos omnes scriptores superstitiosissimos fuisse tradunt, uti inter alios Plutarchus scribit *in Sympos.* A quibus Romani ceremonias sacras edocti fuere. Iidem à celeritate quibusdam dicti videntur, antiquiores Pelasgis, qui nauticam ab illis didicerunt. Scribit quoque Athenæus in illorum conviviis & epularum apparatibus, nudatis corporibus virgines discumbentibus ministrasse convivis; mulieresque apud eosdem fuisse communes, quæ etiam pudore deposito, gymnasiis publicis & palæstris nudæ cum viris luctari ac se exercere consueverant. Minimè enim apud illos turpe putabatur, nudatas fœminas vulgò conspici. Fuisse autem illas dicunt formâ, ut plurimùm, eleganti; vinique imprimis cupidas, & potentes bibaces, &c. Tyrrheni tubam æneam invenisse dicuntur. Virg. *Æn.* 8.

Tyrrhenusq; tubæ mugire per æquora clangor.

Idem *Georg.* 2.

Inflavit cùm pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Ubi 1. notat vitium gentis. Nam Catullus *ad Egnatium*,

Aut parcus Umber, aut obesus Etruscus.

2. Obiter tangit inventum tubæ, quod fuit Etruscorum. Ideo Sophocles *in Ajace*: Χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς.

Tyrrheni, pop. insulares maris Ægæi, Lemnum, Imbrum, & alias insulas oræ Thraciæ incolentes, à quibus *Tyrrhenicus sinus* dictus est.

Tyrrhenica stagna, paludes circa ostia Iberi fluv. Unde etiam *Tyrrhenum mare* à Paulino & Latino Pacato vocatur, Hispaniam ibi alluens, idem Iberico, Ferr.

Tyrrhenum mare, seu *Tuscum*, vulgò *il Mare di Toscana*, pars est ampla maris Mediterr. inter Tusciam, ditionem Pontif. Siciliam, Sardiniam & Corsicam extensa. Ejus partes sunt Sinus Formianus, Neapolitanus, Salernitanus, Talaus & Terineus, in ora Italiæ.

Tyrrhus, Latini regis armentarius, cujus cervus mansuetus ab Ascanii comitibus occisus, primam belli causam præbuit inter Trojanos & Latinos. Hinc *Tyrrhides* patronym. masc. Virg. *Æn.* 7.

Cervus erat formâ præstanti & cornibus ingens
Tyrrhida pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhusq; pater, cui regia parent
Armenta, & latè custodia credita campi.

Tyrseta, opp. Taunitum fuit, Steph.

Tyrsis, regia Saturni, in Ins. Baleari, locus fictus. Hom. Pind.

Tyrtæus, poeta Græcus, cujus sæpe mem. Plato *in Libb. de Legg.* *O divine poeta Tyrtæe* (inquit) *sapiens certè ac bonus nobis esse videris, quia excellentissimis eos extulisti laudibus, qui in bello excelluerunt:* Horatius,

Tyrtæusq;, mares animosa in prælia misit.

Tyrtamus, Vide *Theophrastus*.

Tyrus, vel *Tyros*, Phœniciæ insula, nunc *Pendoli*, & urbs celeberrimæ, in saxo undique prærupto, cum portu capaci, orbis olim emporium; Condita, ut Josephus vult, *Ant. l.* 3. A. M. 2783.

ante templum Salomonis, 140. Archiep. sub Patr. primùm Antiocheno, postea Hierosolymitano ab Innocentio III. attributa. *Sarra* olim vocabatur, Festo & Gellio testibus. Unde Virgilii Scholiastes *in* 4. *Georg.* *Quæ nunc Tyrus dicitur, olim Sarra vocabatur, à pisce quodam, qui illic abundat, quem lingua sua Sar appellant.* Hinc *Sur* hodieque dicitur. Verum quidem est, ut dixit, Romanos veteres pro *Tyro* dixisse Sarram: Ita in fragmentis Ennii: *Pœnos Sarrâ oriundos*; unde est quod pro Tyrio poeta dixit *Sarranum ostrum*: & Juvenalis *Sarrana aulæa*: & Silius *lib.* 6. *Sarranam Junonem*; & *Sarranam cædem*; & *libr.* 7. *Sarranum navitam*; & *libr.* 8. *Sarrana numina*; & *lib.* 9. *Sarranum nomen.* Columella quoque *Sarranam violam* dixit, i.e. purpuream, quia purpura ex Tyro. Et fortasse apud Steph. Φοινίκης πόλις Σάῤῥα, unde Gentile *Soranus*; id ipsum erat Græcis quod Romanis *Sarra* & *Sarranus*: Σάῤῥα saltem plurimum accedit ad Ebræum צור *Sor*, quo nomine Tyrum appellant sacri scriptores. Sed piscis *Sar*, unde *Sarra*, si quidem Servio fides, non extat ullibi gentium. Et *Sarra* nomen deduci notum est ex Ebræo Tyri nomine צור *Tsor*; in quo literam צ quæ medii est soni inter *T.* & *S.* Græci in *T.* mutarunt & Romani in S. Ita factum ut ex eo de *Tsor* & Τύρος nasceretur & *Sarra.* Sed Servium verisimile est, cùm alicubi legisset quod in Trogo habetur, Sidonem à pisce dici, nempe à ציד, titubante memoriâ, id de Tyro scripsisse, quod de Sidone legerat. Non dispari errore Origenes: *Tyrus*, inquit, *apud Ebræos sonat idem, quod nobis venantes.* Imo *Tyrus rupem* sonat, sed *Sidon* vel à *venatione*, vel à *piscatione* dicitur. Hæc Bocharius, qui ait, in Phœnice Tyri nomen commune fuisse multis urbibus, ut constat ex *Periplo* Scylacis, qui hæc habet in descriptione Phœnices: Ἀπὸ δὲ Θαψάκου ποταμοῦ ἐστι Τρίπολις Φοινίκων, Ἄραδος νῆσος καὶ λιμὴν, βασιλεία Τύρου ὅσον η στάδια καὶ λιμὴν ἀπὸ τῆς γῆς. Et paulo pòst: Ὄρος, Θεοῦ πρόσωπον. (Ita legit Cl. Voss. pro vulg. Τῆρος) Τύρος καὶ λιμὴν, Βηρυτός. Et aliquanto infra: Εἶτα ἄλλη πόλις Τύρος λιμένα ἔχουσα ἐντὸς τείχους. Αὕτη δὲ ἡ νῆσος βασιλεία Τυρίων. Quod sequitur, propter vitium interpunctionis, vir quidam doctiss. usque adeo non intellexit, ut è mari fecerit continentem: Καὶ ἀπέχει στάδια ἀπὸ θαλάττης γ' Παλαίτυρος πόλις, καὶ ποταμὸς διὰ μέσης ῥεῖ. En tibi lector in unâ Phœnice quatuor urbes *Tyri* nomine, nempe 2. in continente, & insulares duas: quarum illa celeberrima, quæ fuit in insulâ vicinâ Palætyro, non tamen antiquissima. Eâ quippe vetustiorem esse Palætyrum, vel ex ipso nomine constat. Neque enim aliud Palætyrus, quàm vetus Tyrus. Itaque ejus mentio fit in libro Josuæ 19. 29. Ibi enim מבצר צור *civitas munita Tyrus*, Aseritarum limes ad mare non procul à Sidone, non potest alia esse quàm Palætyrus. Tum igitur extabat Palætyrus, nempe tempore κληρουχίας seu divisionis terræ Chanaan, annis fere 200. antequam in viciná insula conderetur famosa illa Tyrus. Vide, quæ se quuntur apud Authorem longè doctissimum, *de Ph. Col. pag.* 861. Tyron Ὠγυγίην vocat Dionysius, & Virgil. *Antiquam, Æn.* 4. Insula rupibus undiquaque cingebatur. Nonnus *lib.* 4. *de Tyro:*

> —— Ἀκίνητος δὲ θεμίθλοις
> Ἀντιπαγὴς ζαθέοισι συνάπτεται ἄζυγι πέτρῃ.

Et de urbe ibidem construendâ.

> Πήξατε δ' ἀμφοτέρωις ἐπικείμενον ἄστυ κολώναις.

Lucan. *lib.* 3. *instabilem* vocat, insula enim olim fuit. Ovid. *Met.* 15.

> *Fluctibus ambita fuerant Antissa Pharosque,*
> *Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.*

Qu. Curtius Tyrum affirmat & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ, Phœnicesque fuisse memorabilem, quo tempore obsessa est ab Alexandro, à quo miris affecta est malis, & continenti aggeribus juncta, unde *Quæ ex antiqua Tyro*, Prov. de extremo malo. Sicut *Tyria maria* Prov. est de re periculosa, & vehementer turbulenta. De divitiis ejus & cum omnibus gentibus ob mercaturam commercio, vide Ezechielem Prophet *cap.* 27. Hæc ab Agenore, Phœnicum rege, in ora maris Medit. condita traditur, sicut Sidon à Sichene. Nunc autem Tyrus in ruinis jacet, paucisq; admodum constat incolis, & sub Turcis est. Ejus antiquissimus Rex Abibalus, fuit pater Hierami, amici Davidis & Salamonis. Ab Alexandro M. destructa, reparata postmodum est: Metropolis Phœniciæ, ab Adriano Imp. effecta, in gratiam Pauli Rhetoris, Tyro oriundi. Sub Christianis Archiep. fuit, sub Patr. Antiocheno primùm, dein Hierosolymitano, postquam urbs capta est à Christianis, à quibus, Balduino adhuc captivo, recepta est, An. Ch. 1125. cùm tabellariam columbam captam, pro lætis tristes domum ferre literas, fecissent. Sepultus hîc Fridericus Barbarossa fuit An. Ch. 1190. Episcopus ejus Marinus, circa Ann. Ch. 255. floruit, Tyrannio mari mersus est, sub Diocletiano, sub initium seculi 4. Guilielmus scripsit *de Bello sacro.* Hic Concil. à Constantino M. indictum, Ann. 335. quo Athanasius ab Arrianis condemnatus & depositus: atq; ab Imperatore Trevirim exulatum missus est. Sed Paphnutius, Synodum legitimam non agnoscens, monuit Maximum Hierosol. Episcopum, *Non oportere se, cùm essent Confessores, & pro pietate tum oculos effossos, tum pedum flexus debilitatos haberent, concilio hominum perditorum communicare.* Sozom. *lib.* 2. *cap.* 24. Ibas dein Edessenus, Nestorianismi à quatuor presbyterorum suorum, accusatus, liber hic pronuntiatus est, An. 448. &c. Tyrios & Phœnices, auctores navigationis facit Pomp. Sabinus *in lib.* 1. *Æn. Phœnices condidere Tyrum in mari, propter merces, primi mortalium negotiatores in marinâ aleâ.* Dionysius Afer de iisdem,

> Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο.

Etiam Propertius huc respexit l. 7. cum ait,

> *Utque maris vastum prospectet turribus æquor,*
> *Prima ratem ventis credere docta Tyros.*

Quin & Plin. 7. 56. *Mercaturas Pœni repererunt.* Lacerna *Tyria* olim in pretio fuit. Unde Lamprid. *in Alexandro, lacernam coccineam accipiebat.* Laz. *ibid.* Martialis *Epigr. lib.* 2. *epigr.* 10.

> *Quamque Tyron toties epotavere lacernæ.*

Et *lib.* 2. *Epigr.* 29.

> *Emit lacernas millibus decem: Bassus*
> *Tyrias, coloris optimi.*

Tyrus item Ins. parva ante Tyrum urbem, nunc *Pondoli* Ortelio. Item Ins. intra lacum Volsinium, *Isola Bisentina*, à Bisento opp. inter Volsinios & Martham occurrens. Item Laconicæ, Lydiæ, item Pisidiæ urbs. Steph. Fuit etiam locus & præsidium trans Jordanem, inter Arab. & Judæam, quem describit Joseph. *Antiq. lib.* 12.

Tyrusta, pop. Illyrici.

Tysca, regiuncula Africæ, ubi 50. olim oppida: de qua lis inter Carthaginenses & Masanissam, Maurit. R. fuit, App. Alex.

Tysdrus, Vide *Thysdrus* & *Thisdrus.*

Tysias, princeps & inventor artis Rhetoricæ fuit, uti docet Cic. *lib.* 1. *de Inventione.*

Tytiri, erant ex ministris comitibusque Bacchi. Vide Jan. Parrhasium *ad illud Claudiani de Raptu lib.* 2.

> —— *Quales referunt Baccho solennia Nymphæ.*

T Z.

Tzanca, sive *Zanca*, genus calceamentorum, quibus Imperatores Græci usi sunt; *Campagi* Latinis, cultu, pretio, coloreque ab aliorum distincti. Habebant ad latus, secundùm suras & in tarsis, aquilas ex lapillis & margaritis, iisque usi sunt Imper. ad deambulationes & sacra, Curopalates *de offic. aulæ Constantinop. pag.* 55. Dictio ab Arabibus petita est, apud quos, ut & Turcas, *Tzagatha* idem est, ac quieti dare, collocare commode, ut apud Fr. Junium videre est: unde meliùs *Tsagga* dici videntur. Quod de aquilis Curopalates dicit, intelligendum de aquilarum effigie, gemmis vel auro intexta aut assuta calceis, talis enim calceorum ornatus illo seculo erat. Niceph. Gregoras *lib.* 4. *de Michaële Palæologi socero: Cæsar cum Despota socero Sebastocrator appellatur; Soceri verò illustre discrimen in cœruleis calceis aquilæ intertexta constituebant.* Tarsi verò nomine superiorem Imperatorii calcei partem significavit. Corippus *lib.* 2. *Num.* 4. *de Justino jun.*

> *Purpureo suræ resonant fulgente cothurno,*
> *Cruraque puniceis induxit regia vinclis,*
> *Parthica Campano dederant quæ tergora fuco,*
> *Qui solet edomitos victor calcare tyrannos,*
> *Romanus Princeps & barbara colla domare:*
> *Sanguineis prælata rosis laudata rubore,*
> *Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis:*
> *Augustis solis hoc cultu competit uti,*
> *Sub quorum est pedibus Regum cruor, omne profecto*
> *Mysterium certâ rerum ratione probatur.*

Hæc de translato jam Byzantium imperio capienda: At antea varia calceorum ornamenta erant, pro diversa Principum libidine aut moderatione. Carinus Augustus non *gemmis adsutis calceis, sed fibulis gemmeis* utebatur, Flav. Vopiscus *in eo.* Idem non minori luxu factum ab Heliogabalo, de quo Æl. Lampridius. *Habuit*, inquit, *in calceamentis gemmas & quidem sculptas, quod risum omnibus movit: quasi possent sculptura nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.* Et de iisdem gemmis loquitur idem auctor, *in vita Alexandri Severi*, cùm ait: *Gemmas in calceamentis, & vestibus tulit, quibus usus fuerat Heliogabalus.* Diocletianus Cæsar *ornamenta gemmarum vestibus, calceamentisque indidit: nam prius imperii insigne in chlamyde purpurea tantùm erat*, Eutropius *Histor. libr.* 10. quod ut rem insolentem miro consensu Scriptores Eccl. prodiderunt, Eusebius Cæs. apud Hieronymum, Alii. *Soccos muliebriter ornatos* gestavit Caligula, Plin. *lib.* 9. *cap.* 35. Demetrius Antigoni fil. *aureos calceos*, Plut. *in eo.* Porro Principum calcei aquilis, ut dictum, distinguebantur: Senatorii Lunæ dimidiatæ effigie. Schol. Juvenalis *ad vers.* 192. *Sat.* 7. *Patricius Senator est, Lunulâ nam adsutâ calceis discernuntur patricii à novitiis*, Vide Plut. *Probl. Rom. cap.* 76. & Isidorum *libr.* 19. *cap.* 34. Forte ideo id factum, ut Imperii incrementum vel decrementum Lunæ simile intelligeretur: Vel quòd antiquitatem generis sui, nullâ aliâ re melius possent ostendere, quàm si ad Arcades genus suum referrent, qui priores ipsâ Lunâ fingebantur. Hinc Serv. *ad vers.* 342. *lib.* 2. *Georg. Arcades Proselenos se esse asserunt, quod & Cicero in Fundaniana commemorat:* locus fabulæ dat... quid

quod post diluvium genus humanum ab iis propagatum putaretur. Idem *ad Æneid. lib.* 8. *illud*,

—— —— Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem.

Stat. *Thebaid. lib.* 4.

Arcades hinc veteres: astris Lunâq; priores
Agmina fida satis, &c.

Hos autem calceos gestasse, summæ erat nobilitatis: Unde Herodotus Sophista, fratri suo insolentius nobilitatem jactanti, *certè in talis*, inquit, *nobilitatem tuam habes*, ut auctor est Philostratus *in eo*. Alluserunt eodem Poetæ. Statius *sylv. lib.* 5. *sylv.* 2.

—— —— Genitum si curia sensit
Primaq; patricia clausit vestigia Luna.

Martialis *lib.* 1. *epigr.* 50.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,
Olidave vestes murice.

Matronarum calceamenta, ut & de iis aliquid adspergatur, ab iis, quæ jam enumerata, differebant: Licèt Ælianus *Hist. var. lib.* 7. *cap.* 11. aliter scripserit: Ῥωμαίων αἱ πολλαὶ γυναῖκες τὰ ὑποδήματα αὐτὰ φορεῖν τοῖς ἀνδράσιν εἰθισμέναι εἰσίν, ex *Romanorum fœminis multæ eosdem cum viris calceos gestare consueverunt.* Contra enim M. Tullius *lib.* 1. *de Orat. ut si mihi*, ait, *calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent viriles.* Et Hesychius Σικυώνια γυναικεῖα ὑποδήματα, *Sicyonia calceamenta sunt muliebria.* Flavius quoque Vopiscus *in Aureliano; ad finem*, inquit: *Calceos mulleos & cereos & albos & hederaceos, mulieribus reliquit.* A cujus mollitiei inventoribus Sicyoniis nomen calceis muliebribus impositum. P. Virgilius *in Ceiri vers.* 169.

Cognita nec teneris pedibus Sicyonia servans,
Nec niveo retinens baccata monilia collo.

Lucretius Carus *lib.* 4.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Ubi rectè calceos unguentis junxit, nam & hæc Græcis in usu. Plura vide apud Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib.* 5. *paralip. ad cap.* 36.

Tzurulum, Cedreno aliisque, *Zorlich* & *Ciorlo* Leuncl. Urbs Thraciæ Episc. media ferè inter Byzantium & Hadrianopolim. Crus. Cuco, aliis à Byzantio 20. mill. distare creditur in Occ. Aliter *Turulum.*





V.



Litera hæc vocalis, sæpe fit consonans in dictionibus, quæ Claudiani ævo figuram habuit inversi F. & *Vau* propriè dicitur, ut *Nauta, Navita. Gaudeo. Gavisus.* Aliquando in *i.* convertitur, ut *Cornu, Corniger. Fatum. Fatidicus. Pessumus,* pro *Pessimus:* apud Comicos antiquos. Sic Quintilianus observat, *U. & U.* in se invicem quandoque transmutari: ut *Hecoba & Notrix: Culchides & Pulixena.* Apud veteres Jure Coss. B. non rarò in *V.* abit, & vicissim: quæ pronuntiatio apud Vascones, Galliæ pop. hodieque obtinet, qui pro *Vivere, Bibere:* & pro *Bibere Vivere* dicunt; unde Scaliger: *Felices populi quibus vivere est bibere.* Ausonius, hinc oriundus, de hac litera sic loquitur:

Cecropiis ignota notis. ferale sonans V.

U. R. tabulis inscriptum apud Romanos, significabat *Uti rogas:* Mos enim erat, cùm leges rogarentur, ut *Diribitores* populo distribuerent duplicis generis tabellas, quarum alteris inscriptum *U. R.* alteris *A.* Has pro lubitu conjiciebat populus, in duas urnas, hac fine inspegmate quodam constitutas. Quod postquam omnes fecere, *Custodes* seu *Nongenti* calculum tabellarum inierunt, cumque numero vincerent illæ, quæ *U. R.* præferebant, rata lex fuit: cùm reliquæ *A.* habentes inscriptum, i. *Antiquo,* abrogata est. Vide *Anthologiam Hist. Rom.* Thomæ Godwyni.

V A.

Vabar, Maurit. Cæs. op. Ptol. *Bismeo* Castaldo, inter Rusazum ad Occ. & Saldas ad Ort. occurrens. *Vabrense* Castrum, & aliis *Vabra*, urbs Gall. Narbon. in reg. Occitana, Biteris proxima. Greg. Turonens. vulgò *Vabres*; Episc. sub Archiep. Tolosano, à Johanne XXII. in id dignitatis, evecta. Ferr. V. *Vabra.*

Vabra, seu *Vabrense castrum*, urbec. prov. Rutenensis, in Aquit. juxta amnem *Dourdan*, contra Fanum S. Africæ, ad radices montium, 8. leuc. à Rutena in Mer. Bliteras versus 12. & 10. ab Albiga in Ort. Vulgò *Vabres*. Episc. sub Arch. Bituricensi. Baudr. Olim hîc cœnobium, V. Greg. Tur. *lib. 9. cap. 9.*

Vabrensis pagus, à castro cognom. de quo infra. Hic in ardui montis cacumine, à Vulfildico Diacono Longobardo, regnantibus apud Francos Guntchramno & fratrum ejus filiis, Childeberto ac Chlotario, extructum, ac conditoris nomine *S. Walfroy* dictum erat: Valesius *Vabrense castrum*, priusquam coiciderer, agro latè circumjacenti nomen suum dedisse: Huncq; propter amplitudinem, in duos Comitatus divisum, in divisione regni Lotharii, hodieque incolis vocari *le pays de Vajure:* Germ. *der Wavart*, & ad ripas Alisontiæ, Ornæ & Cari fluminum jacere Mosam inter & Mosellam, refert. Hic pagus Evosiensis, & silva Vabrensis *le bois de Vajure* altero à Satanaco lapide, Nugaretum *Narroy*, Floriacum *Fleury au pays Messin*, Berulfivilla *Bruville* in Comit. Virdunensi, Grimincia villa *Griminicy*, Dodonilcurts *Doncourt*, Gandrilissa *Jandelise sur Orne*, Bettoniscurts *Bettancburt*, Balodium *Ballieu en Matoix &c.* à vert. locantur: E quibus colligit, in pago hoc tres fuisse tum Comitatus Verodunensem, Scarponeosem & Castercjensem, hodie ignotum, *Notit. Gall.*

Vacallineus pagus, in Germ. infer. apud Arnwillerium opp. à Col. Agrip. 6. leuc. in Merid. Bonnæ proximus, inde 2. leucis distans. *Vachlendorf*, test. Ant. Morillonio.

Vacalos, Cæs. Vide *Vahalis.*

Vacaria, sive *Avacaria*, locus in Africâ prop. Anton.

Vacationes, sic dicta lex est, quæ Sacerdotes à militia exemit, exceptis tumultus & seditionis casibus. Ejus meminit Cicero *Phil. 8. & pro Font.* B. Latom. *in Phil. 5. &c.*

Vacatum, munimentum circa Persidem. Anton.

Vacca, *Vacua* Strab. *Vacus* Ptol. *Baccia* Orosio, vulgò *Vouga*, fluv. (cum op. seu pago) Hisp. Lusitan. inter Durium ad Bor. & Mundam ad Austr. in Oceanum occiduum ferè medius decurrens. Item urbs Africæ, unde pop. *Vaccenses* apud Sall. *de bello Jugurthino.*

Vaccai, pop. Hisp. Tar. per quos Durius fluv. labitur. Horum regio *Regno di Leon* dicitur: urbes Pallantia, Pintia, Octodurum, Sarabris, Sentica, Elana &c. Silius:

—— *Lateq; vagantes*

Vaccai. —— ——

Vacchia, urbs Hungar. ad Danubium Episc. sub Arch. Strigoniensi; *Vatzen* Hung. *Veitzen* Germ. 15. m. p. supra Budam in Bor. 30. infra Strigonium in Eur. sub Turcis.

M. Vaccus, dux Fundanorum in Privernati bello, qui quum à L. Papyrio captus esset, ædes ejus dirutæ sunt, & bona publicata ob regnum ab eo affectatum. Liv. *lib. 8.* Cic. *pro domo suâ.*

V A

Vathalis, Vide *Vahalis.*

Vacomagi, Albionis ins. pop. Ptol. quorum op. *Sterling*, præclarum, ubi Reges coronari solebant, teste Hectore Boetho: à Glasquo 20. & Dumblana 10. m. p. distans. Aliis sunt Horestis & Taizalis finitimi, & in plures regiones seu tractus dividuntur, qui Bocna, Gareotha & Nessandia. Horum opp. Culenum & Bamfum. Ibi mons auri ferax. Camdeno verò sunt, ubi Moravia, vulgò *Murray*. Baudrando fuere pop. Scotiæ Sept. seu Trans-Taanæ, juxta *Vagar* æstuarium, ubi hodie Moravia, & pars Orient. Rossiæ, in ora maris Germ. Taizalis finitimi ad Ort. Eorum prim. Banatia erat. Longè à Strivelinga prov. in Bor.

Vacontium, opp. Pannoniæ infer. Ptol.

Vacorium, urbs Norici non obscura. Ptol. *Villach* Jovio & Sabellico: ad Draum fluv. in Carinthia, inter Salisburgum ad Occ. 24. & Labacum in Ort. 12. leuc. in via, quæ Flavianum seu Viennam ducit. Sed Lazio est *Straesburg* opp. Gurco urbi finitimum, milliario Germanico in Boream Altenhoffum versus distans: vel ipsum *Altenhoffen*, à Viruno 1. mill. in Austr. Viropolim versus recedens. Cluverio est *Vagram*, vicus Salisburgensis dit. prope Jovavum fluv. 16. m. p. à Cucullis versus Mer. uti 30. à Salisburgo, vix 10. à confinio Carinthiæ.

Vacosus, dux Artaxerxis, templum Hierosolymitanum violavit, ulciscens mortem Jesu, quem Joannes frater interemerat, Jos. 11. 7.

Vacua, vide *Vacca.*

Vacuna, rusticorum Dea, quæ præesse *vacantibus* & otiosis putabatur: cui, cùm agricolæ laboribus ruris vacarent, ut post perceptos fructus requiescerent, per hyemem vota solvebant, & sacrificabant. Ovid. *Fast. 6.*

Nam quoque tum fiunt antiqua sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantq; sedentq; focos.

Horat. 1. *Ep.* 10.

Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ.

Vacunæ Nemora, habet Plinius *lib. 3. cap. 12.* in agro Reatino juxta montem Fiscellum in Italiâ. *Vacunæ Fanum*, habet Horatius *Epistolâ ad Aristium.* Pro oppido, interpretantur Blondus & Leander; quod hodie nomen retinere scribit Celsus Cittadinus. Baudrando vulgò *Vacone*, pag. Sabinorum, Curibus proximus, inde 4. m. p. à Tibure supra 20. in Occ. & Bor. à Reate 12. in Occ. Ferrar.

Vada, vulgò *Wagening* Divæo, opp. Batavorum in Ducatu Geldriæ, inter Noviomagum 2. & Trajectum infer. 6. leucis ad Rhenum, 3. à Batavoduro in Ort.

Vada Sabatia, portus Liguriæ cum arce munita in valle, ad Sabatam, urbem extinctam, unde ei nomen, sub Genuensibus, vulgò *Vai* seu *Vado*, 3. m. p. à Savona in Occ. 3. Naulum versus, in ora Occ. Genuensi.

Vada Volaterrana, portus Hetruriæ, ad ostia Cecinæ fluv. ubi nil hodie, præter turrim, Ferr. Baudrando est vicus parvus agri Pisani, cum portu in ora maris Tyrrh. 20. m. p. à Liburno in Eur. totidem à Volaterris in Occ. Vulgò *Vada.*

Vadani Mons, vulgò *Vaudemont*, opp. est Lotharingiæ, inter Mosellam & Mosam, inter silvas & montes: caput Comit. à Ducis Lotharingiæ proximo hærede possideri soliti, in quo villam *Wassoncourt* Richerius ponit. Quidam *Wadanus Mons* habent. Chiffletius *Vaudani Montis* Comites appellare mavult. *Vid.* Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Vadata, Urbs Chamanæ reg. in Cappadocia, Ptol.

Vadavero, Hispaniæ Tarr. mons, ut legit Turnebus apud Martialem *lib. 1. ad Licinianum* conjunctim nempe, ubi excusi codices *Vada Veronem* divisim legunt. Vidit Abrah. Ortelius librum MS. *de fluminibus & montibus Hispaniæ* Hieronymi Paulli Barcinonensis, in quo hæc scripta: Quidam non temerè, Celtiberiæ montem esse existimant, ab aliis effractum, atque in insulam positum, quem nunc *Vadavicorem* corruptè vocant. Turnebi lectionem, *in suis Curis secundis, ad Martialem*, retinet accuratissimus P. Scriverius. Aliis flu. est Celtiberiæ, in Salonem influens.

Vaddasi, gens Mediæ, Ptol.

Vadeciniensis Episcopus, in Africa. Vict. Uticensis.

Vadens, populi Arabiæ fel. Ptol.

Vadensis, Episcopus Numidiæ.

Vadensis pagus, hodie *le Valois*, in Silvacensibus Capitulis Caroli Calvi memoratus, erat, ut est hodie, proximus pagis Suessionico & Urcensi, in Gallia. Hunc Hugo Magnus, frater Philippi R. ductâ Adelheidâ, fil. Comitis Veromanduensis, doris nomine cum Comit. Veromanduo accepit. Ejus caput nunc Crespeium vel Crispiacum, *Cressy en Valois* vulgò, olim Vadum vulgò fuit.

fuit: & hoc hodieque vicus est, inter Villare ad collum Retiæ & Crespejum. Sic Vadum Magnum in pago Bajocassino Galli vocant *le Grand Vé*. Habet sylvas magnas & multas, præcipuè sylvam Retiam *Rets*, quæ est inter Firmitatem Milonis, & Villare ad collum Retiæ. Partim est in Sylvanectibus, ut Crispejum; partim in Suessionibus, ut Altolium *Auteüil*, Prioratu seu Cellâ Cluniaco subjectâ nobile: haud ita pridem ex Comitat. Ducatus factus. Porta *Valesia* Joh. Satesberio dicta, quæ aliàs porta Veneris, vel Suessionica Durocorori Remorum ad Occ. Solis, occasionem nonnullis præbet suspicandi, *Vadensem* pagum, jam antè an. 500. *Valesium* esse dictum, quòd ut in urbem Suessionas, sic in pagum Valesium Suessionis proximum duceret. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vadeoregia, Ptol. Vide *Badeiregia*, vel *Badeo*.

Vadianus Joachimus, Sangallensis, Medicus, Poëta & Geographus celebris. Scriptis doctissimis de Rep. literaria, de Patria inprimis Reformationis negotio strenuè promoto optimè meritus, Imperatoribus Principibusq; charissimus. Obiit An. C. 1551. æt. 66. postquam Consulatum decies in patria gessisset.

Vadicasses, Plin. Galliæ Lugd. pop. fuere, ubi hodie prov. Nivernensis ad Ligerim. Caput eorum fuit Noviomagus Vadicassium, *Nevers*, Baudr. Valesio olim *Catalauni* à gente, qui iidem cum Vadicassibus: hodie *Chaalons*. Fuitque Urbs postea, divisâ Galliâ Lugdunensi in duas provincias, Belgicâ in totidem, prov. Belgicæ secundæ cum gente attributa. A *Vadicassibus* nomen habet ad Matronam ager, *la Galevesse* Gallis nunc appellatus: Pagusq; *Vadicassinus* hodie ex parte quidem Meldorum est, Meldicæque diœceseos ac etiam Suessionum: sed ex majori parte Catalaunorum seu Vadicassium, Catalaunicæque parœciæ. Idem ex Petro Cluniacensi Abbate *Epist. ad Gaufredum Catalaunensem Episc.* colligit, jam ante annos 500. Catalaunorum seu Vadicassium Episcop. dominium aliquod & jurisdictionem, Comitivam putà atq; Pariatum, aut certè saltem aliquid, quod utrique originem dederit, habuisse, *Notit. Gall.* Vide quoque suprà in voce *Catalauni*.

Vadimon, Jani cognomen apud Etruscos.

Vadimonis lacus est parvus admodum, in quo fluctuant insulæ, in prov. Patrimonii, de quo Plin. multa commemorat *lib.* 8. *epist.* 20. Mem. hujus lacus Polyb. *lib.* 2. Ubi τὴν Οὐάδμονα λίμνην appellat, corruptè forsan à genuino Οὐαδίμονα. In fragm. Sotionis, de miraculis fontium, fluv. & lacuum sic scriptum est: Ἔστι δὲ καὶ Λακόρνα ἡ Ἀμμῶνος καλουμένη λίμνη, οὐ μεγάλη ἐν Ἰταλίᾳ, ὁμοίως ἔχουσα ποιὰ στροφῇ μελαγχύμορφα. Ubi etiam viri docti rectè correxerunt Λάκος Οὐαδμόνος. Sen. *Nat. Quæst.* 3. 25. *Ipse ad Cutilias natantem insulam vidi; alia in Vadimonis lacu vehitur.* Plin. *lib.* 2. *cap.* 95. *Quædam insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & Vadimonis lacu.* Apud Liv. *libr.* 9. leges apud hunc lacum à Romanis cæsos fuisse Etruscos, An. U. C. 645. Denique Florus *lib.* 1. *cap.* 12. Tandem omnes reliquias Gallorum in Etruriâ ad lacum Vadimonis Dolabella delevit. *Lago di Bassanella* Leandro dicitur, sed *Lago di Viterbo* Fabr. Baudr. distat vix 3. mill. à Tiberi 4. ab Horta in Mer. prope Bassaraellum castr. Estq; in dit. Pontif. in prov. Patrimonii.

Vadiniacum, locus Galliæ in Inf. Ittæ flum. diœcesiq; Rotomagensi, Cellam seu Prioratum Benedictinum habet, & nunc *Gany l'Isle* vocatur, quibusd. *Vadum Nicasii* dicitur. Valef. *Notit. Gall.*

Vadinia, urbs Cantabrorum, Ptolem.

Vadomarii, pagus Alemannorum, circa Rhætos, Amm. *lib.* 21.

Vadstena, vulgò *Vadstein*, urbs Ostrogothiæ in ora lacus Veteri, prope Morulam fluv. 9. leuc. Suec. à Norcopia in Occ. Ibi aliàs superbum palatium Sueciæ Regum.

Vadum, castellum est Galliæ, quod *Vadum Mali Nidi*, vulgò *Gué de Mauny* dicitur. Hic Johannes, Philippi Valesii filius, natus est. A. C. 1319. Est & Magnum *Vadum* S. Clementis, *le Grand Vé*, ad ostium Viræ, quo sinu Bajocassini à Constantinis dividuntur, & à quo in Eccl. Bajocassina Archidiaconatus *Vadensis* nomen accepit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Varinca, urbs Phœniciæ, Lib. Not.

Vasapa, urbs Armeniæ min. Ptolem.

Vaga, seu *Vagense* oppidum, Plin. urbs Africæ medit. excisa, ubi Hunnericus Rex Vandalorum Catholicorum persecutor miserè obiit. Ejus mem. Silius *lib.* 3.

Tum Vaga, & antiquis dilectus regibus Hippo.

Alia, *Vaga*, seu *a*, urbs Maurit. Cæsar. mediterr. Juliæ Cæsareæ finitima, *Tegdemer* Villanovano. *Batha*, Baudr. ad Minam fluv. in regno Algerii, in prov. montium; hodieque satis ampla, 70. m. p. ab Orano seu Quisa in Mer. 200. ab Algerio in Africum.

Vaga, fluv. Albionis in Walliâ, in Sabrinam apud Chepstovium influens, *Gowy*, *Gwy*, vel *Wy* hodie vocatur.

Vagabanta, legionibus nobilis locus, circa Persidis confinia, Am.

Vagal, urbs Mauritaniæ Cæs. Anton. *Vagalitani* Episc. meminit Vict. Uticensis. An *Vaga*?

Vagedrusa, fons Siciliæ apud Syracusas, quæ & *Arethusa*. Ejus meminit Silius *lib.* 14.

Qui fontes Vagedrusa tuos, & pauperis alvei
Hypaten. —— ——

Vageni, *Vagienni* Plin. *Bagienni* Varroni, *Batieni* Ptolem. *Bacienni* Paterculo, pop. Liguriæ montanæ, ad ortum Padi, quorum opp. vulgò *Vigon* dicitur. De Vagenis Silius *lib.* 8.

Tum pernix Ligur, & sparsi per rura Vageni.

Baudrando fuere, ubi hodie Marchionatus Salutiarum, *le Marquisat de Saluces*, ad rad. Alpium. Horum caput erat Augusta Vagiennorum, fortè eadem cum Salinis, *Saluces* vulgò.

Vagenum, opp. German. *Wagenheym*.

Vagniacum, seu *a*, vulgò *Maidston*, teste Camdeno, opp. seu castrum Albionis in Angliâ, inter Londinum 18. & Durovernum 23. m. p. in Occ. in Cantio Anton. ad Meduvagum fluv. Baudr. Talboio est *Wrotham* pagus ejusdem tractus.

Vagoritum, seu *Sessui*, urbs fuit Normanniæ, nunc *Seiz*, Suessuorum caput. *Sagium* recentioribus. Episcop. sub Archiepiscop. Rotomag. ad fontes fluv. Olinæ; 10. leuc. à Lexovio in Mer. 5. ab Alenconio in Cæc.

Vagosola, Scythiæ fluv. Jornandi.

Vagria, vulgò *Wagern*, prov. parvâ Holsatiæ, versus oram maris Balt. inter Lubecam ad Mer. ac Chilonium ad Bor. Ejus urbes sunt Lubeca, Oldesloa, Plona *Ploen*, Segeberga, & Oldenburgum. Partim sub Danis, partim sub Holsatiæ Duc. & Episc. Lubec.

Vagum, prom. Corsicæ, in ora Or. hodie *Capo Brigalino*, seu *Brigaglia*, prope stagnum cognomin. 5. m. p. à Bastia Urbe in Merid. Marianam versus 10.

Vagus, fluv. Hungariæ Transdanub. aliter *Vaga*, vulgò *le Vag*. Oritur ex monte Carpatho, in confinio Pol. dein per Hungariam super. fluens, ibi rigatis Transchinio, Calgotio & Schintâ opp. in Danubium se exonerat, 2. leuc. supra Comorram in Bor. Estque limes ditionis Austriacæ & Turcicæ.

Vagus, fluv. Scandiæ, Jornandi. *Waga* Erberstenio.

Vahalis, Batavorum fluv. aut potiùs pars Rheni, ab eo post Embricam descissa, ac penes Noviomagum & Tielam fluens, Mosæ, ad Vorcum oppid. Holl. congreditur. Tacit. *Annal.* 2. *Rhenus*, inquit, *uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur: servatq; nomen & violentiam cursus, quâ Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior & placidior affluens: verso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoq; vocabulum mutat Mosâ flumine; ejusq; immenso ore eundem in Oceanum effunditur.* Nomen *Vahalis* quod attinet, variè id in Cæsaris exemplaribus variis scriptum reperitur. Quædam enim habent *Vachalus*, quædam *Vaccalus*, alia etiam *Walu*. Cæterùm verum & germanum hujus fluv. nomen tam apud Cæsarem, quàm Tacitum *Vahalis* esse affirmat Cluverius; quemadmodum apud Servium quoq; legitur *Vahal*. Germanis olim ut nunc etiam dicebatur *Wael*, sive *Waal*, geminato *A*. quia crassus ejus in hoc vocabulo sonus. Fortè à Walis, id est, Gallis, quo nomine Helvetii etiamnum Gallos, Hispan. Italosque vocant, Rhelicanus. De eo *libro Itiner. Germ.* 4.

Dordracum serò appulimus; dein manè Vanalis,
Sive Mosa potiùs (tot enim jam cornua Rheni
Nominibus gaudent) transivimus. ——

Vajezatha, filius Aman, Esth. 9. id est, *aspergens thalamum*, vel ex Ebr. & Syro, *va oliva*.

Vaigatia, vulgò *Weigats*, Insula Oceani Sept. inter oram Moscoviæ Bor. à qua dirimitur Freto Vaigario ab ea dicto, in Austr. & novam Zemlam ad Arctos. Hoc fretum inter Samojedam & Novam Zemlam situm, jam *Nassovicum*, Gall. *le destroit de Nassau* dicitur, ab Hollandis, qui inde ex Oceano Septentrionali seu Russico, in mare Tartaricum contendere conati fuerunt, eodem fine, quo freta Davis & Hudsonii lecta sunt, ut in Indiam Or. navigaturi, gravissimum Solis æstum evitarent. Emissæ hanc ob causam naves quatuor An. Chr. 1594. quæ conditionem locorum Septentrionalium explorarent, nauclero Wilhelmo Barentio: circa Autumnum reversæ sunt, ac transitū istac valde probabilem putarunt, confirmantibus id cumprimis Joh. Hugone Linschotano, qui navigationi interfuerat, & Petro Plancio, celebri tum temporis Cosmographo. Proin de novo classis 7. navium An. Ch. 1595. emissa fuit, nauclero eodem Barentio, & summo Præfecto Jac. Hemskerkio: Quâ irrito successu reversâ, cùm prodigiosa freti glacies ipsos nimium quantum impedivisset, conclusum quidem ab Ordinib. ne publicis sumptibus iter hoc de novo tentaretur, concessum tamen mercatoribus est, ut negotium hoc suis sumptibus ulterius liberè experiri possent, additumque, non defuturam ex publico impensarum restitutionem & remunerationem largissimam, si quis illud iter feliciter expedisset. Itaq; Amstelodamenses An. 1596. suis sumptibus viam hanc de novo tentandam curarunt, emissis duabus navibus, præfectisque iisdem Heemskerkio & Barentio. Qui ne frustra redirent, summa cum patientia quidem in Nova Zembla hibernatunt, nihilominus tamen An. Ch. 1597. post tertiâ vice frustra tentatum Septentrionem, redire coacti sunt: glacie 50. & amplius cubitorum illos urgente, & Barentio in mediis laboribus extincto. A quo tempore transitus in desperatis haberi cœpit. Eum tamen porro tentandum suadet Isaacius Pontanus, suggeritque hæc consilia: 1. ut more Emanuelis, Portugalliæ Reg. qui, cùm Indiam cogitaret, primùm terrestri itinere, ipsam explorari curavit, mitterent, qui à Samojedis, Tingœsis ac Tartaris terræ marisq; conditionem primò discerent. 2. Navem eò destinarent, quæ in commoda statione, inter populos istos, annis aliquot subsisteret. 3. A Japania illuc transitum periclitarentur. Addunt alii, fortè etiam post Novam Zem-

Zemblam mare liberius fore, nec transitum, per hoc fretum necessariò requisitum iri. Ratio autem tantæ hic glaciei est, quòd immensam copiam ejus maximi flu. Obrius & Jenisceа effundant, &c. Vide Hug. Grotium *Histor. Belg.* Gerhard. de Veer *descr. Navig. harum trium*, Pontani Concilium *Hist. Navig. Belg. sub finem*. Becman. *Hist. Orbis terr. Geogr & Civil. &c.* & in voce *Fretum Vaigatium*.

Vair, seu *du Vair* Guilielmus, Episcopus Lexoviensis, Franciæ Procancellarius, Peiréscio laborum socius, Obiit An. 1621. ætat. 65. Scripsit meditationes in Psalmos, Philosophiam sacram, &c. Gramondus *lib. 9. Hist. Gall.* Sammart. *de Episc. Lexov.*

Vala, Thraciæ urbs, Ptol. Mauritaniæ Ting. quoque eidem.

Valachia, Gall. *Valachie*, reg. Sept. perquàm lata, à Transylvaniâ incipiens, usque in Pontum Euxinum protensa, plana ferme tota, & aquarum indiga, Lloyd. Sed auri equorumque optimorum ferax. Morerius eam fluviis plurimis irriguam esse scribit. Baudr. pars est antiqui regni Hungariæ, ubi alias pars Daciæ. Terminatur à Meridie Istro fluvio & partim Bulgaria, ab Oriente Moldavia, quæ olim *Cisalpina Walachia* dicta est, à Septentrione Transylvania, & ab Occasu Hungariâ. Ejus caput est Tergoviscum, *Tarvis*, & Principem habet proprium sub clientela Turcarum, à quibus ingenti tributo 100000. lib. Fr. oneratur. A Valachis, quos exules adduxerant, Balduinus Imperator Constantinopol. victus truncatisque manibus ac pedibus occisus, mox Thracia devastata est, An. Ch. 1206. Postea Casimirus M. Poloniæ Rex, dum Stephanum Vaivodam, à fratre Petro pulsum, restituere conatur, ab hoc in insidias pertractus & victus est, An. Chr. 1369. ejus verò successor Ludovicus Ungariæ Rex, Transalpinam Valachiam subegit, An. Chr. 1370. Vladislaus quoque Jagello Valachiæ Palatinos in fidem recepit, An. Chr. 1411. & rursus Sigismundus Polon. Rex, Valachis victis, Senatuque gentis capto, Bogdanum Vaivodam sibi jurare coëgit, An. Chr. 1506. Dein verò Turcæ hic rerum potiti, ac sub Sigismundo III. Constantinum Vaivodam infeliciter adversus Tomsam à Turcis substitutum, restituere Poloni tentarunt, An. Ch. 1612. cumque post hæc Gratianus Vaivoda, An. Ch. 1620. ad Polonos defecisset, Osmannus Turc. Imper. misso in Valachiam Skinderbassâ, cum CM. Turcarum, Polonicum exercitum fudit, Gratiano, qui paulo antè fugerat, in casa cujusdam Valachi ab hoste cæso. Vide Lætum *Compend. Hist. Univ.* Cluver. Sansonem, du Val, & Brietium *Geogr. &c.*

Valachia, antiquitus vocabatur Africæ propriæ quædam urbs circa Tunetum, quam hodie *Cammart* appellant, ut refert ex quodam scriptore Arabo Marmolius.

Valachria, vulgò *Valcheren* incolis, *Ovalchre* Gallis, insula Belgii uniti, Zelandiæ Comitatus seu provinciæ præcipua inter Occidentales ejus Insulas potentissima, inter ostia Scaldis fluvii. Ejus circuitus est 28. mill. pass. circiter, estque inter Scaldiam insulam ad Boream, Oceanum Germanicum ad Occasum, Flandriam ad Austrum, & Bevelandiam Australem insulam ad Ortum. Ejus præcipua urbs est Middelburgum, *Middelburg*: aliæ sunt Flislinga, *Flessingues*, Veria, *la Vere*, & Arnemuda, *Armuyde*, oppidum.

Valachria nova, *nieuw Valcheren* Batavis, *nouvelle Ovalchre* Gallis, insula est Americæ Septentrionalis, in mari Boreali, quæ aliter dicitur insula Tabaci, *Tabago*: estque probè culta ab Hollandis, quibus etiam subest. Vide *insula Tabaci*, & *nova Valachria*.

Valafridus Strabo, Benedictinus, discip. Hincmari, Abbas Richenoviensis, in diœc. Constantiensi, Obiit A. 849. Ejus extant: 1. *de Officiis divinis, seu de exordiis & intrementis Rerum Ecclesiasticarum* 2. *Vita S. Galli*. 3. *Vita S. Othomari*. 4. *Tractatus de eversione Hierusalem: ad Luc. c. 19.* 5. *Poëmata*. 6. *Glossa ordinaria in S. Scripturam*, Sigeb. *de Vir. ill. c. 71.* Voss. Christoph. Brouver. Possevin. &c.

Valania, aliàs *Balania*, maritima & Episcopali titulo illustris est urbs, sita ad Valaniam fluvium, atque à castro Margath miliario uno, à Ptolemaide itinere dierum octo, ab Antiochia verò quatuordecim dierum itinere distat.

Valania, fluvius seu rivus, qui Cœlesyriam dividit à Phœnicia, atque olim Principatum Antiochenum à Comitatu Tripolitano dirimebat, ex montib. à Phœnicia & Libano non longinquis oritur.

Valaqueria, vulgò *Balaguer*, urbs munita Hispaniæ in Catalonia, ad Sicorim fluvium, 5. leucis distat ab Ilerda in Cæciam, Urgelam versus 16. Ibi grandi clade affecti fuere Hispani, An. 1645. à Gallis duce Harcurtio. Dicitur & *Ballegarium*.

Valasca, Bohemorum regina, quæ factâ cum cæteris mulieribus conjuratione, de excutiendo virorum principatu, copiarum ductrix bellum movit, interfectisque viris, fœminas omnes asseruit in libertatem. Volaterr.

Valatha, locus Syriæ, Zamari ad habitandum concesso ab Herode. Circa Daphnem Antiochiæ videtur.

Valciodorum, castellum Gall. in monaster. conversum ab Gilberto Comite, An. Chr. 944. Locus est ad Mosam in Comit. Namurcensi, vulgò *Vaussore*, vel *Waussors*, inter Caroli Montem ac Bovinnam, Valesius *Notit. Gall.*

Valculeria, vulgò *Vaucouleurs*, opp. Gall. in Campania prov. sed intra fines Barrensis Ducatus inferium, ad Mosam fluv. 3. leucis à Tullo in Afric. & 6. à Fano S. Michaëlis in Merid.

Valcum, Anton. *Veltz* Simlero, *Valcovvar*, teste Lazio, oppidum Pannoniæ inferioris & Hungariæ, ad Danubium, inter Varonianum ad Boream, & Bononiam ad Euronotum 4. leucis, à Mursa 3. à Quinque Ecclesiis 10. in Ortum.

Valdanus, Plin. *Valpo* Lazio, fluv. Pannoniæ infer. Valpum opp. Hung. alluens, ac in Danub. ad Valcum infra Draum fl. influens.

Valdecum, vulgò *Waldeck*, oppidum Germaniæ in Hassia, Comitatus seu ditionis cognom. caput, inter Landgraviatum Hasso-Cassellanum ad Ortum & Ducatum Westphaliæ ad Occasum. Oppidum autem jacet prope Ederam fluvium, 5. leucis à Casselа in Occasum, & 7. à Marpurgo in Boream.

Valdhusta, vulgò *Waldshut*, urbs parva Germaniæ, sed munita, in Suevia provincia, ad Rhenum fluvium, sub dominio Austriacorum, in Klegovia tractu: Una est ex quatuor urbibus Sylvestrib. 7. milliaribus Germanicis distat à Basilea in Ortum, Scaphusiam versùs 5. & 2. à Lauffenburgo. Mel. *Waldshutum*.

Valdivia, vulgò *Valdivia*, urbs Americæ meridionalis, in regno Chiles, cum portu percapaci, versùs oram maris Pacifici. Pluries destructa fuit ab Araucanis populis, nunc autem restauratur. 200. m. p. distat à civitate Conceptionis in Mer. uti 75. ab Imperiali; subestq; dominio Hisp. & in ejus viciniis est lacus Valdiviæ dictus.

Valdemontium, vulgò *Vaudemont*, oppidulum Lotharingiæ cum castro, Principatus titulo clarum, in colle, 5. leuc. distat à Tullo in Austrum, uti 6. à Nanceio, vix autem 2. à Mirecurtio.

Valderfinga, vulgò *Vaudrevange* Gallis, *Walderfingen* Germanis, oppid. Lotharing. ad Saravum fluv. Distat 7. leuc. à Metis in Ort. uti à Theodonis villa, Bipontium versùs pauló plus; Malè habitum fuit & devastatum ultimo bello Lotharingico.

Valdo, seu *Valdus* Petrus, vir quidam pius, qui universum patrimonium pauperibus erogavit, dictitans inter Christianos omnia communia esse debere. Hic Sacram Scripturam multitudini exposuit & in linguam Gall. vertit, aliaq; quædam edidit: Lugdono dein, cùm tutò ibi porro vivere non posset, in Picardiam secessit, illamque ferè totam puriore doctrinâ replevit. Dein per Vandalicas civitates diu exul diversatus, postremò in Bohemia consedit. Sec. 12. Ab hoc pauperes quidam Lugdunenses *Valdenses* appellabantur. Sic appellati sunt Cœtus Orthodoxi, qui Ann. 1160. cùm diutius celari non possent, in apricum, sub auctoritate *Petri Valdi*, civis Lugdunensis opulenti, & pii prorupere: *Lugdunenses* ab hac Urbe, ab Albigio in Aquitania, ubi Olivier docebat, *Albigenses*, ab exilio *Passagieri*, præterea ab hostibus per calumniam *Arnoldistæ*, *Speronistæ*, *Jusepini*, & *Chaignardi*: in Delphinatu, à Doctoribus suis, *Gazari*, *Cathari*, *Leonini*, *Pattarens*, *Lollardi*, *Turelupini*, *Gynici*: à Picardia quoque, in qua numerosi eorum cœtus, *Picardi, &c.* dicti. Hi Papam Antichristum, Ecclesiam Rom. matrem fornicationum pronuntiantes, puritatem Sacramentorum & dogmatum tuebantur: Vide Jac. Aug. Thuan. *in Hist.* ubi ait: *his alia afficta de conjugio, Resurrectione, Animæ statu post mortem, cibis, &c.* Quemadmodum & Sadoletus Carpentoracti Episcop. Valdensium suo ævo Confessionem agnovit, & quæ ultra illa capita, libro comprehensa de ipsis sparguntur, ad invidiam convicta & meras nugas esse ingenuè declaravit. Horum itaque doctrinam, sedes, frequentiam, exilia, persecutiones horrendas, in Gallia, Sabaudia, Pedemontio, &c. Vide apud Lætum *Compend. Hist. Univ.* Joh. Legerum *Hist. Vald.* Belgicè, Galliceq; Lugd. Batav. in fol. editâ: Petr. Ægidium *Hist. Eccl. Valdens.* Gall. scriptâ, in quart. &c. Item in voce *Waldenses*.

Valdovium, vulgò *Waldovv*, desertum Poloniæ, in Prussia regia & in limite Poloniæ.

Valena, Ptol. *Valbach* Lazio, oppidum Pannoniæ superioris, in Hungaria, ad Danubium, nunc pagus, Strigonio urbi proximus. Situs tamen apud Ptolemæum repugnat.

Imperatores Rom. & Viri illustres.

Valens Flavius, Imperator, pietatis & Christianæ religionis hostis, ab adversariis barbaris crematus est, Sozom. *lib. 8. 15. & 25.* *Historia* ejus brevis hæc est: Filius Gratiani, prope Cibalen in Pannonia natus, à Valentiniano fratre in consortium imperii adscitus est, An. Chr. 364. Orientis illi curâ commissâ. Hic *Procopii* rebellione territus, de imperio deponendo cogitavit, sed anno sequente felicior, vicit hostem caputque ejus abscissum Valentiniano in Galliam misit. Interim Gallis, qui Procopium adjuverant, bellum moturus, baptismum accepit, sed ab Eudoxio Ariano, qui Imperatorem in hæresin suam jurare coëgit: accesserunt stimuli ab uxore similiter Ariana, unde, finito vix cum Gothis bello, edictum contra Orthodoxos, quorum olim defensor fuerat, vulgavit, persequutionis atrocis prodromum. Ipsemet Cæsareâ Basilium, Antiochiâ Meletium, Edessâ alios expulit: in Ægyptios inprimis sævus. Sed laudem meruit, quum plurimos Magorum, qui ejus successorem fore *Theod.* prædixerant, sustulit: Interim in omnes illos, quorum nomen ab his literis incepit, sævire incipiens, Theodorum quendam Erbiceum, dignum imperio, & fortè illi imminentem, necavit, ne Theodosio quidem, patri Imperatoris cognom. parcens. Permisit interea Gothis, ut Thraciam incolerent, qui angustiis regionis hujus inclusi impatientes, vicinas undique regiones populati sunt, victo Lupicino Romanorum duce, & Valente frustra illis obnixo. Hic itaque Constantinop. se recepit, Gothis ad suburbia usq; grassantibus: coactus tamen populi conviciis, pace, quam Gothi obtulerant, rejectâ, cum illis ad Adrianopolim conflixit: Victus, vulnere in fuga accepto, in proximum tugurium se deferri curavit, sed isto

ab

ab hostibus, quis ibi lateret ignaris, igne subjecto concrematus est. An. 378. ætat. 50. Ammian. Marcellin. *Hist. lib.* 31. Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Orosius, &c. Constantini, Constantis & Valentiniani exemplo, qui omnes Augustum successoresque ejus imitati in hoc erant, Pontificem Maximum quoque se appellari Valens passus est: sed, hujus successor Gratianus, edicto proposito, se talem appellari vetuit, atque ita ea Sacerdotii dignitas in Imperatoribus defecit, Zosimus.

Valens Publius Valerius, Achajæ Proconsul, Imperator à Legionibus, Galieni tempore, proclamatus est. Lucium Calpurnium Pisonem contra se missum vicit, paulo pòst à propriis militibus occisus. Pollio *de* 30. *Tyr.* Alius Imperator renuntiatus, An. 307. à Licinio victus est. Zosim. *lib.* 2. Eutrop. &c.

Valens, Episcop. Mursæ, in Mœsia, discip. Arii, amicus Ursacii: qui ambo divinitatis Filii Dei, & S. Athanasii hostes. Item Episc. Mediolanensis Arianus: contra quem Patres Concilii Aquileiensis ad Valentinianum & Gratianum scripserunt, A. 381. Item Medicus, Messalinæ adulter. Item Mathematicus celebris, tempore Constantini M. Zonar. &c. Cedren. An idem cum *Vestio Valente*, Antiocheno, cujus quædam edidit Joach. Camerar. *lib.* 1. *Florid.*

Valens, vide *Fabius*.

Valentia, Otriculanorum Dea.

Valentia, Plin. Mel. & al. *Valencia* Hispanis, *Valenza* Italis, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in ora Contestanorum, ad Turiam fluvium, regni Valentini caput, ampla, nobilis, & elegans, à Barcinone 49. leucis in Meridiem, à Toleto 60. in Ortum, tot à Cæsaraugusta, à Dianio 10. in Boream, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Tolerano, postea sub Alexandro VI. Pontifice Roman. Archiepiscopalis & Metropolis An. 1492. effecta. A Romo Rege anno post diluvium 902. condita putatur. Hæc Anno salutis 1238. ab Hispanis obsessa, deditione, abeuntibus Mauris, recepta est. De ea Andreas Resendius:

Millibus à pelago sejuncta Valentia tangit.

Hic Academia & totius regni Conventus juridicus, elegantiâ & populi frequentiâ (si Ulyssipponem excipias quoad incolarum numerum) nulli secunda, Ferrar. Baudrando, *Valence* Gallis, urbs aliàs Contestanorum, ad Turiam fluvium, qui pauló infrà in sinum Sucronensem, nunc Valentinum dictum, se exonerat, 49. leucis à Barcinone in Africum distat, uti à Toleto in Ortum, & à Cæsaraugusta in Meridiem. Regnum hoc à Mauris constitutum est; quibus Metropolim eripuit celeberrimus ille Rodericus Dias, cognom. Cid, sec. 11. Sed hanc receperunt postea, illà iterum exuti à Jacobo I. Arragoniæ R. An. 1238. qui Christianorum coloniam eò deduxit. Vide Marian. & Turquetum, *Hist. Hisp.* Gaspar. Escolanum, *Histor. de la Ciud. y Rein. de Valenc.* Petr. Anton. *Coron. de Valenc.* Franc. Diagum *Annal de Valenc.* Concilium in hac urbe celebratum, An. 524. &. Vide Morer. *in Dict. Hist.* & infra in voce *Valentia regnum.*

Valentia altera, Ptolem. *Valence*. colonia & urbs Galliæ Narbonensis, ad Rhodanum fluvium, in Delphinatu Viennensi. 14. leuc. in Meridiem, Avenionem versus 23. Valentino Episcop. Diensis hodie copulatus est, Ferrar. Baudrando urbs est culta & ampla Galliæ, hodie divisa in urbem & burgum, cum arce & Academia celebri, in Delphinatu & in tractu Valentinensi ab ea dicto, *le Valentinois*, Ducatus titulo insignito. Caput Segalaunorum olim, qui Plinio *Segovellani*: quorum Principem L. Gellium memorat Plancus *Epist. ad Cicer.* 6. Coloniis provinc. Narbonensis urbem adnumerat Plinius: Forsitan ea quæ *COLONIA JULIA VALENTIA*, in nummo Augusti dicitur: *COLONIA VALENTIA*, in nummo Tiberii. In vett. Notit. inter provinciæ Viennensis civitates 14. sexta ponitur, Episcop. sub Archiepisc. Viennensi, 14, inde leuc. in Mer. Avenionem versus 23. estque Episcopus ejus primus, inter sex Archiepiscopo suffragantes. Episcoporum antiquissimus Æmilianus, Basilica olim S. Stephani, nunc S. Apollinari sacra est. Nomen urbs accepit à valentia, id est, viribus & robore. Caput est Ducatus cognominis. Olim enim sub Comitibus, quorum caput Guntardus, floruit An. 950. è familia Pictaviensium Com. Ducum Aquitaniæ. Post Ludovici Com. obitum, in regiam transiit stirpem, & à Ludovico XI. Delphinatui Comitatus hic unitus est. Ludovicus XII. in Ducatum mutavit, eumque Cæsari Borgiæ, filio notho Alexandri VI. Pontif. Rom. donavit, reclamantibus è familia Pictav. dominis de S. Vallerio. Postmodum Diana Pictaviensis, filia Johannis, à Francisco I. dum viveret, Ducatum accepit, usque dum lis decideretur. 7. leucis distat à Dia in Occasum, 12. à Vivario in Boream, pauló infra confluentes Isaræ in Rhodanum fluvium, & è regione Vivariensis tractus. Pagus *Valentinus*, Plinio *regio Segovellanorum*, in Not. Imp. *Tractus Segolaunorum*, Rhodani ripam sinistram, ac nonnulla etiam in dextra obtinet: si verum est, Turnonem Helviis, seu pago Vivariensi proximum, Segalaunis, seu Diœcesi Valentinæ rectè asscribi. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Ptolem. *lib.* 2. *cap.* 8. Chorerium, *Hist. Delphin. & Stat. Polit. Delphin.* Columb. *de Episc. Valent. &c.* De Conciliis hic celebratis, vide Morer. *Diction. Hist.* Item parvum oppidum, in finibus Pictonum.

Valentia item, Liv. *Valencia al Menno*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, ad Minium, præclarum, in Bracarum & Calaicorum confinio, contra Tydem urbem Gallæciæ, fluvio intercedente, in regno Portugallico, à Bracara 8. leucis in Boream. Est & Valentia oppidum Galliæ Cisalpinæ, ad Padum fluvium, amplum, ab Alexandria Statiellorum 7. mill. pass. à Ticino 27. *Valenza*, Hispanorum præsidium. Vide *Forum Fulvii*, & Forum Valentinum. *Valentia* quoq; in Brutiis. Vide *Vibo*, & *Hipponium*. Populi *Valentini* Plinio ibi, & in Sardinia.

Valentia item, *Valencia de Minho*, oppidum est parvum, sed munitum Portugalliæ, in ipso limite Gallæciæ, vix una leuca à Tyde in Meridiem, & 5. ab ora Oceani in Ortum. Pluries obsessum fuit ab Hispanis irrito conatu.

Valentia, vulgò *Valenza* incolis, *Valence* Gallis, oppidum est Ducatus Mediolanensis, in colle, juxta Padum fluvium, & permunitum, in limite Montisferrati, & 10. milliaribus infra Casalem in Ortum, 7. autem ab Alexandria in Boream. Captum fuit à Gallis An. 1657. sed postea Hispan. redditum, pace ad Pyrenæos confecta, estque in tractu *Laumellina* dicto.

Valentia Alcantaræ, *Valencia de Alcantara*, oppidum munitum Hispaniæ, in Extremadura provincia & in limite Portugalliæ, juxta amnem *Savar*. Captum fuerat à Lusitanis, sed postea redditum Hispanis pace Olysipponensi Ann. 1668. Distat 4. leucis à Portu alacri in Ortum, & 8. ab Alcantara in Occasum.

Valentia nova, *nueva Valentia*, oppidum est Americæ meridionalis, in Venezuela regione, & in Curiana provincia, versus lacum Tocariguam, & 25. m. p. distat ab ora maris Bor. in Merid.

Valentia regnum, *Regno de Valencia* Hispanis, *Royaume de Valence* Gallis, regio Hispaniæ, in ora maris Mediterranei, ubi aliàs Edetani & Contestani populi. Terminatur ab Oriente Cataloniâ, & mari Mediterraneo, à Sept. Aragoniâ, ab Occid. Castellâ novâ & regno Murciæ: unaque est ex præstantissimis & fertilissimis Hispaniæ partibus, ob fluviorum copiam, qui solum fartis frugumque omnis generis fæcundum reddunt. Serici quoq; ibi & salis florentissimum mercimonium est. Nomen habet à Metropoli sua Valentia, nobili emporio, quod Hispanis *Valentia la hermosa* appellatur. Figuram ferè rotundam obtinet, murisq; cincta est, sed fossis caret. Sedes hic Vice-Regis, cujus palatium, cum curia, & palatio *de la Cinta*, monasterio item S. Hieronymi, templo & Collegiis quibusdam, dignum spectatu: Turia quinque pontibus stratus est. Cætera de urbe hac & regno vide suprà in voce *Valentia*.

Valentiana, Eghinart. *Valentiniana*, Reginoni: *Valentinianenses*, Lib. Not. *Valleschena*, Aimonio, ad Scaldim, ubi navigari incipit, urbs aliàs Nerviorum, nunc Hannoniæ, elegans, opulenta & permunita. Hic Chlodoveus III. jus dixit, circa An. Chr. 771. Dicta haud dubie à Valente est, sive fratre Valentiniani major. Augusti atque collegæ, sive alio quodam: Eam Scaldis in duas partes dividit, quarum pars trans Scaldim in pago Fanomartensi est, ut Eginhartus ait, & in diœcesi Cameracensi: pars cis Scaldim in pago Austrebantensi ac parœcia Atrebatensi, sub dispositione Archidiaconi Austrebanti *Ostrevant*. Ex vico seu villa fiscali vel publica oppidum, aut potius urbs totius ferè Hannoniæ clarissima evasit. Distat 5. leucis à Tornaco in Met. Quercetum versus 2. media inter Montes ad Cæc. & Cameracum in Afr. 6. leucis, vulgò *Valenciennes*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Baudrand. &c. De iis verò vicibus, quas bello Belgico subiit, Thuan. *Histor.* Hug. Grotium *Annal. Belgic.* Stradam, &c.

Valentini, pop. Sardiniæ, Ptolem. Plin. Calabriæ etiam, Plin.

Imperatores Romani.

Valentinianus I. in Pannonia natus, prope Cibalen, ex patre restione, cui Gratiani fuit nomen, virtute & meritis emersit. Imperator salutatus, Niceæ in Bithynia, post mortem Joviani, An. 364. Valenti fratri Oriente commisso, Occidentem ipse curavit: contra Germanos, barbarosque imperium infestantes felix. Ecclesiæ fautor, egregias sanxit leges, inclytus Princeps, nisi quód nimium iræ permitteret. Hinc Quadorum legatis, qui vili habitu incedentes nullum præ se splendorem ferebant, tantopere succensuit, ut nimiâ contentione venâ arteriaque ruptis, brevi postea, sanguinis profluvio extingueretur: Brigitii in Pannonia, An. 375. æt. 56. Pater ex Severa Gratiani, & ex Justina, quam priori superinduxerat, Valentiniani II. Gallæ, quæ Theodosio nupsit, &c. Ammian. Marcellin. *lib.* 30. Prosper & Cassiodor. *in Chron.* Oros. &c.

Valentinianus II. filius prioris, Imperator salutatus est An. æt. 10. Anicii, in Pannonia, An. 375. cedente tandem Gratiano, fratre maximo natu: quo mortuo, S. Ambrosium ad Maximum tyr. qui ejus imperium moraretur, misit; quod cùm frustra fecisset, cum matre Thessalonicam se recepit, opem Theodosii M. imploraturus, qui devicto Maximo, non tantùm Italiam Valentiniano restituit, sed adjecit insuper Galliam, Hispaniam & Angliam: increpuit interim, quód matri Arianæ nimium adhæret. Ab eo tempore Ambrosii institutioni & consiliis commisit se Valentinianus: sed dum Arbogasto Gallo nimium tribuit, illiusque instigatu contra Gallos incitatus, postea sententiam mutat, ab eo Viennæ in Delphinatu strangulatus est, An. 392. Catechumenus, nondum enim ab Ambrosio baptizatus, ut expectaverat, fuit. Marcellin. *in Chron.* Ambros. *in Valent.* Socrates, Sozomenus, Ruffinus, &c.

Valentinianus III. filius Constantii ex Placidia: An. ætat. 7. post victum Johannem tyr. à Theodosio Jun. purpura donatus, & totius

tius Italiæ consensu, Imperator proclamatus est, An. 425. Hujus exercitus, sub Litorio Ethnico, à Gothis, quos Ætius adduxerat, in Gallia victus, & ipse Attilæ in Italiam adventu perculsus est: Nihilominus, superante metum libidine, Maximi uxori fraude in aulam pellectæ vim intulit, quam contumeliam maritus ulturus suasit primò Imperatori, ut Aetium, qui optimè de ipso meruerat, (postquam enim ab Imperatore placatus, & Patricius Galliarum creatus esset, Bonifacio Comite in suspicionem apud Imper. adducto totus aliquandiu hunc possederat, rebus contra Chlodionem Francorum Reg. An. Chr. 428. & Gothos, Arelatum obsidentes, Attilam imprimis ipsummet gestis inclytus,) à se amoveret, imò, ut quidam volunt, propriis manibus occideret, An. Chr. 454. dein in Campo Martio ipsi vitam eripuit, An. Chr. 455. ætat. 36. Cassiodor. & Marcellin. *in Chron.* Evagr. *lib.* 2. Procop. &c.

Valentinianus, Præfectus aulæ prim. ob alapam sacrificulo, quòd chlamydi ejus aquam lustralem aspersisset, impactam, à Juliano Apost. relegatus est. Vide Socr. *lib.* 3. *cap.* 10. *&* 17.

Valentiniapolis urbis, meminit Concil. Chalcedonense, Ephesinum & Synodus Rom. IV. Asiæ propriæ videtur. In vita Chrysostomi quoque memoratur.

Valentinum forum, Plin. Vide *Forum Fulvii*, & *Valentia*.

Pontif. & Viri clari.

Valentinus, Ital. Papa Rom. successit Eugenio II. quadragesimo pòst die mortuus, An. C. 824. Baron. *in Annal.* Eum excepit Gregorius Quartus.

Valentinus Hæresiarcha, caput *Valentinianorum*, sec. 2. Ægyptius gente, doctus, eloquens, & Philosophiæ Platonicæ sectator: Sed supra modum tumidus, cùm alium in Episcopatu sibi prælatum indignaretur, haustâ ex fabulis Hesiodi hæresi, Deos triginta sibi fabricavit, illis Æonum nomine imposito. Ex horum, quindecim enim mares, totidem fœmellas finxerat, commistione Servatorem, veluti Pandoram, natum esse deliravit. Addidit eum, cum corpore hoc cælitus allato, per Virginem transiisse, resurrectionem insuper inficiatus. Hujus sectatores in Gnosticorum nomen & castra transierunt. Idem Evangelium & Psalmos, sub nomine suo, edidit: Romam dein veniens, errores suos ejuravit, sed brevi in eosdem relapsus est, refutatus ab Irenæo & Tertulliano. Vide Theodor. *lib.* 1. *hær. fab.* Epiphan. *hær.* 31. Euseb. Philastrium, Baron. &c.

Valentinus Schindlerus, auctor Epitomes Bibliorum Hebr. Chald. Syr. Gr. Lat. & Germ. quæ prodiit Wittebergæ An. C. 1578.

Valentinus Smalcius, Socinianus. Scripsit Homilias *in cap.* 1. Johannis, aliaque.

Valentium, urbs Episcop. sub sede Amydensi, Guil. Tyrius.

Valponga, Hisp. urbs, Anton. inter Liminium & Cæsaraugustam.

Valerandus Varanius, Gallus edidit An. 1516. Poëma de Johanna Darcia, seu puella Aurelianensi, libb. 4. Cujus initium:

Ordior augustæ titulos & gesta puellæ,
Quæ sexus egressa modum, longæva diremit
Prælia & ambiguas lites: dum freta potenti
Robore, Brutiadas Gallis exegit ab oris, &c.

Valeranica, quibusdam est *Berlanga*, oppid. Castellæ vet. intra montes, 7. leuc. ab Uxama in Bor. uti à Durio fluv. paulo minus à Numantia in Occid.

Valeria, nomen proprium Messalorum sororis, quæ amisso conjuge, cùm rogaretur, cur alteri non nuberet, ait: *Sibi semper maritum Servium vivere.*

Valeria, virgo, cùm Valerios pestis invasisset, ab oraculo commonefacta, malum id cessaturum, si quotannis Junoni virginem immolarent, in sortem est ipsa vocata: sed Luperca ensem corripuit: & impositâ foco virgulâ cum malleo, ensem juvencæ, penès templum pascenti, imposuit. Virgo igitur, re intellectâ, immolatâ juvencâ, malleum arripuit, domumque & ægros circumlustrans, ictu parcente, ferierit, cumque unicuique valedixisset, eos exsuscitavit incolumes. Quocirca & hoc tempore mysterium illud fieri constat. Plutarch. *in Parall.*

Valeria Tusculanaria, quo pacto dolis cum patre Valerio coierit, vide in verbo *Sylvanus*.

Valeria Colonia, Corsicæ urbs, Ptolem. *Leria* Pineto. Sed *Alevia* est in Græcis exempl. & sic etiam apud Plin. & Anton. 2. opp. Episcop. Hispan. Tarrac. à quâ *Valerienses* pop. Plin. 3. 1. Olim *Castrum altum* dictum, *Querra* est Clusio ac Taraphæ. In Castella novâ (ut vocant) sita est. Nunc pag. ad Sucronem fluv. triplex, *Valera de Suso*, *la Vieja*, & *Valera Guemada*, 7. leuc. à Concha urbe quæ illi successit, Episcop. sub Archiepiscopo Toletano; In Veter. Inscr. *Colonia Julia Valeria.* Ferrar. Baudrando, aliisque creditur *Cuenca*, in tractu *montuoso*, cujus caput est. Antea *Castrum altum* dicta est, urbs Celtiberorum. 3. Regio Italiæ juxta lacum Fucinum, cujus urbes *Valeria* sive *Marsi*, Episcopalis, *Carseoli*, *Amiternum*, *Furconium* & *Reate*. 4. Regio Pannoniæ super. inter Draum & Saum fluv. quæ hodie *Stiria* vocatur, teste Lazio, *Crabaten* verò Rhenano, Ferrar. Baudrando prov. erat Pannoniæ infer. inter Danubium & Dravum; magis versus Danub. Circa Solvam, Aquineum & Statuas Colossas. Sext. Rufus, Jorn. Longè à Stiria in Ort. ubi hodie pars Hungar. infer.

Valeria lex, prima certos quasi cancellos Magistratibus circumdedit, lata à P. Valerio Poplicola Cons. collegâ Junio Bruto mortuo, An. U. C. 243. in hæc verba: *Ut adversus omnes Magistratus provocatio esset.* Vide Liv. *lib.* 2. Dionys. *lib.* 4. Valer. Maximum *lib.* 4. *cap.* 1. Pomponium *de Orig. Juris.* Post eum L. Valerius Poplicola Potitus Cons. cum M. Horatio Barbato, An. U. C. 304. legem tulit, *Ne quis ullum Magistratum sine provocatione crearet*, Liv. *lib.* 3. Dionys. *lib.* 10. *&c.* Quæ lex *Valeria secunda*, sive *Horatia* vocata est. Tertiò eam repetiit M. Valerius Corvus Consul quintùm, cum Q. Appulejo Pansa, An. U. C. 453. *Ne quis, qui provocasset, virgis cæderetur, securive necaretur: si quis adversus ea fecisset, improbè facturum*, Livius *lib.* 10. Fuerunt & aliæ *leges Valeriæ*, de fœnore, de militum successione, de pecunia publica, & duobus Quæstoribus, de perpetua dictatura Sullæ, de Majestate, &c. de quibus vide Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom. passim.*

Valeria via, in Siciliâ, inter Messanam, & Lilybæum, Strabo. Alia in Italiâ, quæ ad urbes Valeriæ ducebat per Tybur, Strabo. Vulgò *Il piano di S. Spirito*, & *della Cella*, teste Ciofano in 4. Ovidii *Trist.*

Valeria gentis Princeps Volusus Romæ domicilium locavit, cum T. Tatio Sabinorum rege, Dionysio & Plutarcho auctoribus. A quo ejus posteri Valesii primùm, pòst *Valerii* dicti: quare etiam *Volusi* cognomen tulerunt. Hæc postea gens, se in multas familias multaque cognomina diffudit, ut Volusi, Potiti, Poplicolæ, Maximi, Corvi, Corvini, Messallæ, Faltonis, Cottæ, Messallini, Levini, Ascisculi, Barbati, Nigri, Lactucini, Antiatis, Tappi & similium.

Valeriana villæ meminit Vopiscus, *in Aureliano.* *P. Valerii* villa Ciceroni, in Brutiis, circa Rheginos est; ut placet Gabr. Barrio, *lib.* 3. *Calabriæ hist.*

Imperator. & Viri illustres.

Valerianus, majoris spei, quàm fortunæ, imperavit anno Mundi 4216. à Christo nato 254. Hic duplici nomine calamitosissimus extitit: tum quòd à Sapore Persarum rege, victus acie (sive dolo suorum, & proditione Macrini, sive ejus imprudentia id acciderit) in captivitate consenuit, tandem vivus excoriatus: tum quòd Gallienum filium reliquit, qui Caligulæ ac Vitelliis simillimus, Imperium contaminavit. Hic, cùm primò Christianis se favere testaretur, postea ab Ægyptio quodam Mago seduci se passus, in omne scelus ruit, victimis etiam humanis Dæmoni sacrificatis, & infantum visceribus exenteratis, quò inde futura nosset. Vixit Valerianus annos 470. imperavit 4. ante captivitatem suam, unà cum filio. Quandiu captivus vixit, Rex Sapor incurvato eo, pedem cervici ejus imponens, equum ascendere solitus est. Aurel. Vict. *de Cæsar.* Eutrop. Euseb. Orosius, &c.

Valerianus Jun. Vide *Saloninus.*

Valerianus, Episc. Cemeles, urbis excisæ, cujus Episcopatus Nicæam translatus est, sec. 5. Scripsit 20. homilias, cum Epist. ad Monachos, in qua de efficacia & ordine doctrinæ Apostolicæ agit. Pet. Jofridus, *de Episc. Nic.* Morer. *Dict. Hist.*

Valerianus Asiaticus, Belgicæ prov. Procurator, à Vitellio gener ascitus. Tacit. *Hist.* 1. 59.

Valerii, prius *Valesii*, teste Quintiliano, appellari, sicut *Fusii*, deinde *Furii*.

Valerii villa, Cic. *Valeriana* villa Vopisco, locus Brutiorum, apud Rhegium urbem.

Viri illustres.

Valerius, M. Publicolæ frater, Cons. unà cum Posthumio Tuberto factus, & contra Sabinos profectus rem feliciter fratris auspiciis & administratione gessit. Ex quo publicè ei domus ædificata.

P. Valerius, L. Valesii filius, Cons. Rom. qui primùm cum Bruto, de Vejentibus, deinde de Sabinis triumphavit. Hic, quia in locum Tricipitini collegæ Consulem non subrogaverat, & domum in Veliâ, tutissimo loco habebat, in suspicionem regni affectati venit. Quo cognito apud populum questus est, quòd tale aliquid timuissent; quapropter emisit, qui domum suam diruerent, secures etiam fascibus dempsit, easque in populi concione summisit. Legem insuper de provocatione à magistratibus ad populum tulit. Hinc *Publicola* dictus est; & cùm diem obiisset, publicè sepultus, ac annuo matronarum luctu honoratus. Hic quadrigâ primus in triumpho vectus est, sine ullâ invidiâ: præterea, collegæ Bruto honores funusque curavit, funebremque orationem de ipsius laudibus habuit, quæ adeò jucunda fuit Romanis, ut ex eo consuetudo manarit, ut qui strenuè pugnando occubuissent, ab optimatibus laudarentur. Plutarch. Idem primus post exactos Reges, ludos instituit seculares: Laborantibus etenim pestilentiâ civibus, apud aram *Tarentum*, vel *Terentum* dictam, publicè nuncupatis votis, atrum bovem Diti pro maribus, concolorem pro fœminis juvencam Proserpinæ mactavit: ludosque & lectisterniis trinoctio fecit, & aram terrâ, sicut antè fuerat, exaggeratâ occuluit, inscriptam titulo isto: *P. Valerius Poplicola frumentarium campum Diti & Proserpinæ Romanorum salutis ergò fecit.* Alii aliter. Vide Thom. Dempsterum *Antiquit. Roman. libr.* 5. *cap.* 21. Obiit autem inops, publico sumpto elatus. Aurel. Victor. *cap.* 15. Livius, Florus, &c.

Valerius Antias, scriptor Historiæ, sæpe ab Auctoribus testis citatur, Livio inprimis. Vide Plinium, Plutarch. Priscian. Mac. A. Gell. *lib.* 7. *cap* 9. Voss. *de Hist. Lat. &c.*

Vale-

Valerius Asiaticus, genitus Viennæ, multisque & validis propinquitatibus subnixus; Præcipuus auctor interficiendi Cæsaris, non extimuit concionem populi Romani gloriamque facinoris ultro petiit. A Messalinâ, ob auri vim & opum magnitudinem, ut hortos ipsa Lucullianos possideret, per Suilium & Vitellium, subversus: de cujus præclaro exitu Tacit. *lib.* 11. *cap.* 3. Ad cædem Cajanam verò perpetrandam accensus est, contumeliis ipsius Caligulæ. Nam huic in convivio: item in concione clarissimâ voce, qualis in concubitu esset uxor ejus, objecit. Seneca *de Tranquillitate Animi lib.* 2. *cap.* 17.

Valerius Aurelianus, 33. Rom. Imperator, V. *Aurelianus*.

Valerius Capito, Præturâ functus, ab Agrippinâ perversus & post ejus cædem à Nerone restitutus. Tacit. 14. 12.

Valerius Corvinus, Trib. mil. sub duce Camillo reliquias Senonum persequente, adversus Gallum provocatorem solus processit. Tum corvus ab ortu Solis galeæ ejus insedit, & inter pugnandum os oculosque Galli reverberavit: Sic hoste victo Valerius *Corvinus* dictus fuit, unde Manilius:

Et cum militiâ volucris Corvinus adeptus
Et spolia, & nomen.

Hic quum ingens multitudo, ære alieno oppressa, Capuam occupare tentasset, & ducem sibi Quinctium necessitate magnâ compulsum fecisset, sublato ære alieno seditionem compressit. Hæc Cæcilius. Livius verò addit, de Samnitibus eum triumphasse, sexies Consulem fuisse, hostes Titi Manlii morte exultantes compressisse. Vixit præterea, teste Valerio, corporis & animi viribus integris annos centum. Vide *Corvinus*.

M. Valerius Corvinus Messala, Civis Rom. in juventute sua Triumviris formidabilis, postea Consul cum Augusto fuit. Scripsit de litera S. de familiis Romanis, &c. *De progenie Augusti* liber ejus non est. Vide Cic. *in Bruto*, Senec. *contr.* 12. Sueton. *in Aug.* Vellejum Paterc. *lib.* 2. A Gellium *lib.* 13. *cap.* 14. Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 9. Plin. *lib.* 34. *cap.* 35. Biennio ante mortem sic oblitus est omnium rerum, ut ne nominis quidem proprii meminerit; Idem *lib.* 7. *cap.* 24. Huic Tibullus *Eleg.* 3. *lib.* 1. *inscripsit*.

Valerius Fabianus, honoribus destinatus, qui cùm Domitio Balbo, seni diviti atque orbo, propinquo suo, testamentum subdidisset, lege Corneliâ damnatus est, sub Nerone. Tacit. 14. 48.

Valerius Festus, Vide *Festus*.

Valerius Flaccus, M. Catonis familiarissimus, eundem ex agro Tusculano ad Remp. adduxit parites & instruxit. Cons. cum eodem Catone circa Mediolanum cum Gallis & Insubribus & Boiis, collatis signis, pugnavit, ubi 10000. hostium sunt cæsa. Causam mulierum de abrogandâ lege Oppiâ contra Collegam suum Catonem obtinuit; quorum vide orationes elegantes apud Livium lib. 4. bell. Maced.

Valerius Flaccus, Poeta, cujus vitam pete ex Lilio Gyraldo, Petro Crinito, &c. Addam hoc solum: Setiâ Campanus, seu Patavinus, secundùm Martialem, Vide infra. Floruit sub Domitiano, non in magnis opibus. Scripsit Poema de Argonautis, libb. 8. Laudatur Quinctiliano *lib.* 10. *cap.* 1. *Multum*, inquit, *in Valerio Flacco nuper amisimus*. Martialis:

Censetur Apona Livio suo tellus
Stellaq; nec Flacco minus.

Idem alibi ad eum:

O mihi curarum precium non vile mearum,
Flacce Antenorii spes & alumne Laris.

Valerii Flacci (inquit Cæl. Scaliger.) *ingenium felix, diligentia non vulgaris, sed immaturâ morte præventus, acerbum nobis poema semum reliquit*. A Juvenale tamen sugillatum fuisse notat Lubinus *ad Sat.* 1. quem sis vide. Verùm de Flacco hoc, uti cæteris Latinis poetis, nos alibi. LLoydius.

Valerius Levinus, Cons. cum Pyrrho prælio congrediens, in Lucaniâ infeliciter pugnavit. Iterum postea Cons. contra Agrigentum missus, superato Hannone Duce Carthaginensium, op. in potestatem recepit, ac Senatum securi percussit. Alter contra Philip. Maced. feliciter bellum gessit, teste Livio.

Valerius Marinus, destinatus à Galba consul, dilatus à Vitellio, nullâ offensâ, sed mitis & injuriam segniter laturus. Tacit. *Hist.* 2. 71.

Valerius Martialis, Vide *Martialis*.

Valerius Maximus, Historicus, scripsit dicta ac facta memorabilia libb. 9. ad Tiberium Cæs. Militavit sub S. Pompejo, ut ipse detestatur, ubi de institutis loquitur antiquis.

Valerius Maximus Basilius, Cons. an. U. C. 1219.

Valerius Orca, prænomine *Quintus*, Cæsaris legatus, ab eo in Siciliam missus, ad expetendum Catonem. *Lib.* 1. *de bell. Civ. c.* 29.

Valerius Paulinus, Narbonensis procurator, Vespasiano amicus. Tac. *Hist.* 3. 42.

Valerius Ponticus, Italia exactus, quòd falsarios, ne apud præfectum urbis arguerentur, ad Prætorem detulerit, interim specie legum, mox prævaricando ultionem elusurus. Tacit. 14. 41.

Valerius Potitus, post Xviralem invidiam plebem in patres incitatam legibus & conditionibus suis mitigavit, unde *Potiti* nomen adeptus. Primus quoque Cons. post Xviros, cùm Volscos Æquosque ad Algidum magnâ laude debellasset, triumphus ei à patribus negatus fuit. Sed suadente Icilio Tribun. pleb. primus, sine authoritate Senatûs, triumphavit, cum collegâ suo M. Horatio. Quamobrem *Maximi* cognomen adeptus est, quod nemini à Senatu præterquam Fabio Maximo concessum est. Plut.

Valerius Præconinus, prænomine *Lucius*, legatus in Aquitaniâ, exercitu pulso interfectus est. Cæs. 3. *Comm.* 20.

M. Valerius Probus, Grammaticus, sub Adriano. Scripsit inter alia, *de temporum connexione*, Servius *Æneid. lib.* 7.

Valerius Procillus, prænomine Cajus. C. Valerii Caburi Filius, summâ virtute & humanitate adolescens cum M. Mettio ad Ariovistum à C. Cæsare missus & ab illo in vincula conjectus, Cæs. 1. *Comment.* 47.

Valerius Soranus, poeta, quem Cicero *in lib. de Oratore*, doctissimum togatorum appellat. Plut. verò virum philosophum & eruditum dicit, ac interfectum à Cn. Pompejo. Hujus duos hos versus, laudat Varro *de cultu Deor.*

Jupiter omnipotens, regum rex ipse, Deûmq;
Progenitor, genitrixq; Deûm, Deus unus & omnes.

Valerius Soranus, quòd contra interdictum, eloqui proprium nomen Romæ ausus esset, ob meritum profanæ vocis neci datus. Sol. *cap.* 2. Servius *in fine lib.* 1. *Georg.* hunc scribit Tribunum Pl. obque linguæ temeritatem levatum esse in crucem.

Valerius Torquatus, pro Reip. salute obiit mortem. Nam cùm P. Æmilius responsum accepisset ex oraculo, victoriam se reportaturum, si aram in eo loco ædificaret, ubi insignem cum curru hominem demersum aspiceret: post 3. demum dies Val. Torquatus (sic enim in somnis fuerat admonitus) sumptis sacerdotalibus insignibus (nam augurali scientiâ præditus erat) educto exercitu, & multis ante se interfectis, à terrâ absorptus est. Tum Æmilius, structâ ibi arâ, victor evasit: ex quâ victoriâ 160. turres gestantes Elephantos Romam misit. Ex quo autem tempore superatus est Pyrrhus, ex arâ ipsa eduntur oracula. Plut. *Paral.*

Valerius Turpilianus Trachala, Cons. an. U. C. 820.

Valerius, mel. *Volerius*, fluv. parvus Corsicæ. Nunc *fiuminale di S. Fiorenzo*, prope Nebii rudera, & in sinum S. Florentii se exonerat.

Valesia, Gall. *le Walais*, Germ. *Wallis*, pars ampla Helvetiorum, montosa, at fertilis, ferarum, metallorum thermarumque fœcunda, ubi aliàs Seduni & Veragri, pop. Gall. Narb. Ab Ortu in Occ. extenditur, inter Helvetios ad Bor. & Ort. Ducatus Mediol. & Augustanum ad Mer. & Sabaudiam ad Occ. Caput est Sedunum, *Sytten*: reliqua opp. Martinacum, *Martinach* & Agaunum, seu *S. Maurice*. Multa fœdera cum Helvetiis sanxere Valesii, tandem an. 1533. perpetuum fœdus omnino firmatum fuit. Item reg. Galliæ Belg. inter Picardiam & Campaniam, ubi Sylvanectum urbs. Vulgò *Valois*. Ferrar. Vide quoque *Vallesia*.

Valesium, tractus Insulæ Franciæ, vulgò *le Valois*. Cum tit. Duc. versus Oesiam fl. ubi urbs Crepiacum, *Crepy en Valois* caput. Baudr. Hinc regiæ olim familiæ nomen, cujus auctor Philippus VI. Caroli *Valesii* fil. fuit, postquam Ann. Ch. 1328. Carolus IV. Pulcher obiisset, directæ ab Hugone lineæ ultimus. Contra hunc Eduardus regium titulum sumsit, qui Philippum ad Slusas primùm navali prælio, dein ad Cressiacum terrestri acie vicit, A. C. 1346. Nihilominus mansit Rex Philippus Delphinatusq; acquisito pristinas clades pensavit. Successit ei fil. Johannes, qui victus prælio & captus ab Anglis: fil. Carolum V. successorem habuit. Hic pater fuit Caroli VI. quo natus Carolus VII. Anglos toto regno, Caleto excepto, pepulit. Pater Ludovici XI. cujus filius Carolus VIII. improlis obiit. Huic successit Ludovicus XII. agnatus, Dux prius Aurelianensis, quo similiter sine hærede extincto, successionis jura vocavere Franciscum I. Engolismensem: quo genitus Henricus II. pater fuit Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. qui, cultro perfidi Monachi confossus, An. Ch. 1589. ultimus lineæ, *Borbonio* sanguini regnum transmisit. Ejus enim successor Henricus IV. fuit: in cujus uxorem Margaretam, quæ Henrici III. soror fuerat, mortuam An. C. 1615. notum carmen Euphormionis, cujus ultimi versus hi sunt:

Et vivo & morior toties, me funere longo
Nempe mori docuit, quæ tot per secula clarum
Induco tumulis suprema Valesia nomen.

Valesius, Arabs Hæresiarcha, caput *Valesianorum*, qui omnes sectæ suæ, aliquando etiam viatores, castrant; Legem cum Prophetis rejiciunt &c. Epiphan. *hær.* 58. Augustin. *hær.* 39. Baron. *An. Ch.* 249. 260.

Valesius Sabinus, cujus præcipuâ operâ pax, inter T. Tatium & Romulum facta. Gentis *Valeriæ* Romæ auctor, proavus L. Valerii Volusii Poplicolæ.

Valeta, vulgò *la Valete*, urbs recens, sed munitissima Melitæ, à Mag. Joh. *de la Valette Parisot*, excitata, ultimo seculo, post solutam Melitæ obsidionem. Perculta item & lepida, in ora Bor. Insulæ, cum portu capacissimo. Ibi commoratur M. Magister; eiq; adjacet arx S. Elmi in scopulo.

Valgius, magnus omnino poeta fuit; sic enim de eo Tibullus *ad Messalam*:

Valgius, æterno proprior non alter Homero.

Eundem Horatius, *lib.* 1. *Sat.* 10. cum Virgilio, Vario, Mæcenate,

atque aliis conjungit, quibus si placere possit, negat se ineptorum hominum judicia morari.

Vali, pop. Asiæ, ad Mæotidem pal. Plinio.

Validum, opp. Umbriæ, inter Nuceriam urbem 7. & Sigillum opp. 6. m. p. Calium versus; *Gualdo* vulgò.

Valii, Æthiopiæ pop. Plinio.

Valinsa, est in Alpibus regio, quæ hodie *Wallisserlandt* vocatur. V. *Valesia*. Eam olim tenuere *Viberi, Veragri, & Seduni*, Jos. Simler.

Valiscum, locus Italiæ. Obsequens.

Valkoniensis Comit. mel. *Valponiensis*, Gall. *le Comté de Valpon*, prov. Rasciæ, sub Turcis. Vide *Valponiensis*.

Valla. Vide *Laurentius Valla*.

Valla, urbs Macedoniæ, Pieriæ regionis, Ptolom. *Vallai* popul. Plinio.

Vallagia, pagus Galliæ in Andicavis depressus & in vallibus jacens, vulgò *la Vallée*. Hic Bellum Forte *Beaufort en Vallée*: Burgulium, locus Abbatiâ clarus, *Bourgueil en Valée*. Dicitur quoque nonnunquam *Vallis Carnotensis*, quia prope Carnutas est. In majore Archidiaconatu Eccl. Aurelianensis regiuncula est humilis ac depressa, à situ *Valles* dicta, *Vaux*, in qua vicus S. Dionysii & S. Cyrici *S. Denis en Vaux* & *S. Cyre en Vaux*. Had. Valesius *Not. Gall.*

Vallas, Scotus, Dux primò latronum, dein justi exercitus, Eduardum I. Angliæ R. vicit, rursus Roberti Brussii, qui illius gloriæ invidebat, proditione superatus, iterum dein Anglum vicit: sed denuo victus, & supplicio affectus est, Scotiâque occupatâ Robertus ab Eduardo Rex impositus est. An. Ch. 1299. 1302. 1305. Buchan. *Hist. Scot. lib.* 8.

Vallata, opp. Hisp. Tar. in Vaccæis & regno Legionensi, circa Asturicam urb. inde 2. leucis. Legionem versùs. *Vanenza* Clusio.

Vallatum, Rhætiæ op. *Vellenbach* Simlero. Nunc pag. Bavariæ inter Abusinam & Summontorium 4. leuc. Aliis *Pfal*.

Vallebana, loci nomen, in Galliâ, apud Ausonium, *Epig.* 68. *Vallis Bana* divisim legendum, putat Vinetus.

Vallencena, q. vallis cygnorum. V. *Valentiana*.

Vallenses, dicti sunt Veragri unà cum Sedunis, à valle Pennina seu Sedunensi, aliisque vallibus. Unde Octodurum in vett. Not. *Vallensium civitas* dicitur, caput olim Vallis inferioris *bas Walais* Gall. ut Sedunum superioris *haut Walais*. Sic à vallibus Pyrenaicis, *Vallensis* reg. in Hisp. Tarr. nomen accepit, quam Cerritaniæ conjungunt Eginhardus & vita Ludovici Pii. Pertinet autem vallis Pennina, de qua prius, à fonte Rhodani, usque ad Drantiæ & Rhodani confluentem, Cluver. Hodie *Vallensis* reg. bifariam dividitur, in superiorem, quæ prisceis Comitat. seu pagus Valdensis, vulgò *le Pays de Vaut*, continet Bibiscum, Lausannam caput regionis, Nividunum atque Urbam in Helvetiis: Vide *Vaudi regio*: & inferiorem, quæ recentioribus *Vallesia*, de qua infra, Germ. *Wallisserland*, accolis *le Wallau* vel *Valley*, dicitur: Dispescitur que iterum in super. & infer. ut retro monitum. Caballiacenses, inter *Vallenses* infer. & lacum Lemanum sitos, ubi Gaillardum & Terniacum, *Gaillart* & *Terni*, pago Vallensi inferiori quidam attribuunt. Fuit regio *Vallensis* inter duas olim provincias divisa, cùm Valdensis reg. in prov. Max. Sequanorum, Vallesia autem in prov. Alpium Grajarum & Penninarum fuerit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vallesia, vel ex ... nscriptione ad urbem Genevam, *Valinsa*, regio Helvetiæ, de cujus situ Vide in voce *Valesia*. An à *Valle*, quòd hinc atque hinc altissimis montibus vallata sit, an ab arce *Valeria*, quæ Seduni est, an à Dea Vallonia, quæ ut ait Sipontinus, vallibus præsidens, apud Vallesianos vel Valinsanos culta est? Vallis enim fertilissima, munitissima, amœna: in longitudinem fere C. M. p. patet, cœterum angusta, nisi quà inter montes in alias valles diffunditur, quarum quædam XV. nonnullæ etiam XXX M. p. longæ sunt. Vide Simlerum *de Vall. l.* 1. Munster. *Cosmogr. lib.* 3. Cluver. *lib.* 2. *cap.* 4. è quibus medius eam ab Oriente ad Occ. extendit per quatuor, Mercator verò per quinque dierum spatium. Quibusdam *Pennina vallis* dicitur: Polybius *lib.* 3. incolas *Ardyes* nominasse videtur: quorum vestigium remansisse vult Cluver. *lib.* 2. *cap.* 7. in vico *Arnen*: melius fortè in vico & fluv. *Ardonio*. Hic Viberi olim, Seduni, & Veragri, de quibus suo loco. Germ. *Wallis* vel *Wallisserland*, Gall. *Valley* aut *Vallez*: præter alia croci, magno gentis lucro ferax. Tota *Vallesia* in duas partes dividitur: superiorem, ab ortu Rhodani, usque ad Morsiam fluv. qui infra Sedunum Rhodano miscetur; hanc liberi Vallesiani, olim Viberi seu Juberi, & Seduni, incolunt, in septem iterum conventus, quos Decumas vel *Desenas*, Germ. *Zenden* vocant, divisi: Et Inferiorem, à Morsia ad Agaunum, quæ à Valesianis subactis, olim Veragris habitatur, & in 6. conventus dispescitur, quos *Panner* vocant, eo quòd singuli propriis vexillis utuntur. Hi cum Sedunis & Viberis bella gessere diu, donec ante annos circiter 200. eorum imperium subierunt, à quibus proin Præfectos habent, qui jus dicant, & Remp. administrent. Omnium tamen Princeps Episcopus Sedunensis est, qui summam tam in Ecclesiasticis, quàm in civilibus rebus auctoritatem obtinet, & Comes atque Præfectus Valesiæ nuncupatur. Primum cum Bernatibus fœdus huic genti fuit decennale, quod finitum An. Ch. 1250. Dein cum Lucerna, Uria & Undervvaldia fœdus fecere quinque conventus Valesianorum An. Ch. 1417. cùm illis cum Guilielmo Raronio Episc. & patre ejus Guiscardo, quos per seditionem exturbarant, res esset, & Raroniis utpote civibus suis, Bernates opitularentur. Mox, pace compositâ, Raronii restituti sunt. Tum cum Bernatibus rursum ad tempus fœdus initum, donec An. Ch. 1475. quo omnia mœnia & arces, Agauno excepto, diruerunt, illud perpetuum factum, quod splendidis legationibus utrinque missis annis centum post renovatum ac confirmatum est. Biennio tamen ante Uriæ, Suitiæ & Undervaldiæ certa pactione quoque se conjunxerunt. Tandem, cùm de religione, & Cleri moribus graves controversiæ obortæ essent, Adrianus Episcopus & septem Decumæ, fœdus pepigerunt An. Ch. 1533. Friburgi, cum septem Helvetiæ pagis, qui ex integro Latinos ritus sequuntur. Patria regio hæc Platerorum, qui Medicinæ inprimis gloriâ apud Basilienses, essloruere. Vide Stumpf. *Chron. Helvet. lib.* 11. Simlerum, præter opus supra memoratum, etiam *in libr. de Helvet. descr.* Guillimannum, &c.

Conventus Valesiæ superioris septem:

Gomesianus, *Gomms*.	Raronius.
Brigianus, *Brig*.	Leucianus, *Leuck*.
Vespianus, *Visp*.	Siderianus, *Sider*.

Seduensis, *Sitten*.

Qui omnes 30. Ecclesias seu Parochias continent.

Conventus infer. Valesiæ sex.

Gundisianus, *Gundu*.	Martiniacus, *Martinach*.
Ardonius, *Ardon*.	Intramontius, *Intermont*.
Sallionius, *Sallion* seu *Schellen*.	S. Mauritii.

Qui sex conventus parœcias 24. comprehendunt: & proprio idiomate utuntur, cum in super. Valesia, Germanica lingua potissimùm in usu sit. Erant olim partim sub Sabaudiæ Ducibus, partim sub Episc. propriisque dominis, donec inter hos & liberos Vallesianos bello exorto illi his victi subesse cœperunt, ut dictum. Cœterùm extra ipsam Valllesiam, tres præfecturas bello Sabaudico cepere Valesiani: primam Montei dictam, alteram Jujanum, tertiam vallem Alpium, vulgò *Hochtal*: sed unam harum Emanueli Philiberto restituerunt, Simler.

Vallesia, Vide *Valesia* & *Valesium*.

Vallestra, in priscis tabb. nuncupatur *Bareges*, locus in Gallia, ubi aquæ pingues & calidæ ægris salutares in Pyrenæis montibus, finibusque Bigerronum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Valli, pop. Asiæ, inter montes Gordiæos, & portas Caucasias, Plin. Idem & *Suarnos* ibidem habet.

Vallia, seu *Wallia*, Gothorum in Hispania Rex, successit Sigerico, An. 416. Pace cum Romanis initâ, Alanos, Wandalos, & Suevos Hispaniâ, cum illis, pellere constituit. Proin Tolosa & secundâ Aquitaniâ ab Honorio, per Constantium, acceptâ, in Galliis sedem fixit. Regnavit an. 13. Idacius & Isidor. *in Chron.*

Vallia, vulgò *Principauté de Gales* Gallis, *Wales* Anglis, *Zambre* Britannis, alias etiam Cambria dicta, pars est Occidentalis regni Angliæ, antea regionem separatam faciens sub propriis Principibus (e quibus Ludvvallo 30. lupos in singulos annos vectigalis loco cùm imperasset Edgarus Westsaxonum Rex, totum luporum genus in Anglia delevit,) usque ad Leolinum; quo cæso, Eduardus filius primogenitus Henrici III. Regis Angliæ Valliæ Princeps dictus fuit, ut deinceps cœteri primogeniti Regum Angliæ. Secundùm divisionem Angliæ, publicis instrumentis receptam, tertia regni pars est, sicut Anglia in specie sic dicta & Bervvickum ad Tvvedam reliquos trientes constituunt. Divisa fuerat aliàs & ipsa in tres partes, nempe in Venedotiam, in Powisiam, & in Debenbartiam; ibique fuerant aliàs Demetæ, Ordovices, & Silures populi. Nunc autem distinguitur tota Vallia in Valliam Borealem, *North Walles*, & in Valliam Australem, *South Walles*: sub quibus sunt duodecim provinciæ seu Comitatus; nempe in Vallia Boreali Comitatus Flintensis, *Flintshire*, Denbighensis, *Denbighshire*, Arvonia, *Carnarvanshire*, Mervinia, *Merionethshire*, Mongomeriensis, *Mongomeryshire*, & Mona insula, *Anglesey*: in Vallia autem Australi sunt Comitatus Ceretica, *Cardiganshire*, Radnoria, *Radnoshire*, Brechinia, *Brecknockshire*, Glamorgania, *Glamorganshire*, Maridunensis, *Caermardenshire*, & Penbrochiensis, *Penbrockshire*. Comitatus autem Monumetensis revulsus fuit à Vallia sub Henrico VIII. Rege, & Angliæ additus. *Vallos* rebelles domuit Guilielmus Conquestor, Angliæ Rex, An. Ch. 1091. V. Matth. Paris. *in Wilhelmo*. Johannes dein Rex regionem hanc sibi subjecit, An. Ch. 1214. Idem *in Johanne*. Iterum rebelles incolas Eduardus I. à patre Henrico III. Valliæ Princeps, Vide supra, dictus, compescuit auctore rebellionis securi percusso, An. Ch. 1282. Polydor. *lib.* 17. Valliæ major longitudo à Septentrione in Meridiem est 120. m. p. latitudo verò major est 80. minor autem 50. circiter, Baudr.

Valliæ Comitatus seu Shiræ ex Becmanno.

Herefordia, *Herefordshire*.	Ceretica, *Cardiganshire*.
Radnoria, *Radnorshire*.	Montgomeria, *Montgomeryshire*.
Brechinia, *Brecknockshire*.	Mervinia, *Merionethshire*.
Monumethia, *Monmouthshire*.	Arvonia, *Caernarvonshire*.
Glamorgania, *Glamorganshire*.	Denbighia, *Denbighshire*.
Maridunum, *Caermardenshire*.	Flintia, *Flintshire*.
Pembrochia, *Pembrockshire*.	

Valliæ urbes.

Arvornia, *Carnarvan.*	Denbighia, *Denbigh.*
Bangoria, *Bangor,*	Harleeum, *Harleck.*
Bellomariscus, *Bevvmaris.*	Maridunum, *Caermarden.*
Brechinia, *Brecknock.*	Mons Gomericus, *Montgomery.*
Cardiffa, *Cardiffe.*	Penbrochium, *Penbrock.*
Ceretica, *Cardigan.*	Radnoria, *Radnor.*

Vallilia, vulgo *Vareilles*, villa agri Senonici, in qua S. Aldricus Senonum Archiep. Cœnobium S. Remigii condidit, quod ejus successor Wenilo perfecit & ditavit: postea incensum & dirutum à Normannis, sub Arch. Evrardo. Dictæ à valle, in qua sitæ, & liliis, quibus ager circumjacens abundabat. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Vallis, Antonino Africæ propriæ locus. *Vallis Alba*, in Phœnicià lib. Notit. *Vallis Cariniana* Antonino, Urbs in Pannonià. *Carmiana* leg. Lazius 12. R.P.R. & *Babolitza Carethna* hodie vocari dicit. *Vallis Domitiana* in Mœsià inferiori locus Antonino circa Danubii ostia.

Vallis Afer, quæ in sorte tribus Aser sita etiam *vallis pinguis* dicitur, in longitudine plus decem miliaria complectens. Agri hujus solum pinguissimum ac fœcundum, vini ac tritici delicatissimi feracissimum.

Vallis Cariniana, sive ut alii legunt, Carmiana, *Babolitza Carethna*, teste Lazio, oppidum Pannoniæ inferioris.

Vallis Casis, civitas in tribu Benjamin, Jos. 18.

Vallis Coloris, vulgo *Vaucouleur*, castrum est Lotharingiæ, ad Mosam, ubi cum Friderico I. Imp. Philippus Galliæ R. misso filio Ludovico, pacem fœdusque iniit, An. C. 1211. Eodem, mandato Imperatoris, Ludovicus Rex venit, colloquium cum illo habiturus, An. Ch. 1238. Albertus quoque Rom. R. cum Philippo Gall. R. ibidem congressus est, An. Ch. 1299. Hadr. Valesius.

Vallis Ecclesiæ, seu Villa Ecclesiæ, urbs Sardiniæ Episcopalis, in ora occidua, inter insulam Sulcitanam & Calarim, *Villa di Chiesa*, à Calari 30. m. p. cujus Episcopatus Archiepiscopatui Calaritano junctus est. Appellatur & Ecclesiæ, *Yglesias*, apud scriptores Sardiniæ numero plurali, eò sede Episcopali Sulcitana olim translata. Vide *Villa Ecclesia.*

Vallis Gellonis vel Agellonis, locus Galliæ, ad Araurarim, 2. leuc. ab urbe Luteva: hodie, S. Wilhelmi desertum *S. Guillem le Desert* dictus, à Wilhelmo Monasterii ibi conditore, qui circa An. C. 806. ex Comite Tolosano, permissu Caroli M. monachus factus est. Vulgò *le Val de Gellone.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vallis Guidonis, castrum Galliæ, in Cenomanis, ad Meduanam fluv. nunc caput Comitatus. Hic Concilium An. Ch. 1242. *la Val.* Prædium fuit pagi Cenomanici, *Maduallis* Gallicolatino nomine dictum, i. Bona vallis; quod Sigibertus Monasterio Suessionico olim S. Medardi dedisse fertur. Est & vicus proximus Soonæ castro, vulgò *le Val.* Sunt & Valles prope Melodunum Senonum, *Vaux.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vallis infernalis, in monte S. Gothardi, ubi supra Sillinium, pagum Uraniorum juxta Uriam fluv. & prope Ursarium vicum, pons est, *Diaboli* aut *Inferni pons* dictus: cujus meminit Platina in *Pio II.*

Vallis Olerum, *Val des Choux*, Prioratus in diœcesi Lingonensi, prope Castellionem, in Burgundia. Caput ordinis est Ann. Chr. 1193. à Viardo, juxta regulas S. Benedicti instituti, V. Morerium *Diction. Hist.*

Vallis Quirini, locus Romæ, inter colles Quirinalem & Viminalem, ubi templum S. Vitalis.

Vallis Raphaim, i. *Gigantum*, in tribu Benjamin amplissima & potentissima juxta Jerusalem.

Vallis regia, Vet. Trad. *Vaire*, pagus in agro Genuensium, apud montem Apenninum, à Genua 10. m. p. distans.

Vallis Scholasticorum, Abbatia Burgundiæ, in diœc. Lugdunensi, caput ordinis à Guilielmo Richardo, aliisque Doctoribus Parisiensibus circa Ann. Chr. 1212. fundati. Vide Morerium *Diction. Histor.*

Vallis Tari, *Val de Taro*, tractus Italiæ prope fontes Tari fluvii & ad radices Apennini, inter Ducatus Parmensem ad Ortum, Placentinum ad Boream & Occasum, ac ditionem Genuensem ad Meridiem. Antea Principes habuit proprios è gente Landorum; nunc autem pro majori parte subest dominio Ducis Parmæ; vixque Princeps Vallis Tari, nunc è gente Auria, servare potuit Campianum cum aliquot aliis locis. Dicitur hic tractus ab Italis *Stato di Val di Taro*, ibique oppidum est præcipuum *Borgo Val di Taro* dictum.

Vallis Telina, Script. Insub. *Valtelina*, regio Insubriæ, in Rhætorum confinio, per quam Addua fluvius decurrit, inter Ortum illius & Larium lacum 60. m. p. longa. A *Telio* castro nomen habet; licèt nonnulli illam, ex quadam nominis allusione decepti, Volturrenam à veteribus dictam velint. De hac maxima nostra tempestate inter Gallos, Hispanos, & Venetos decertatio fuit: ab Hispanis (quibus sese *Valtelinenses* dederunt) Gregorio XV. Pontifici Rom. tradita, & ejus judicio commissa; sed sub Urbano VIII. Gregorii successore, à Gallis & Venetis capta; Ferrar. dominisque, sed hac lege, ut inde Evangelium in perpetuum exularet, reddita est. Baudrando *Vallis* Tellina, *la Valteline* Gallis, pars fuit Rhætiæ antiquæ, ubi Vennones populi seu Vennonetes; nuncque etiam subest dominio Rhætorum, quamvis pluries ab Hispanis tentata, irrito semper conatu. Vallis est fertilissima & oblonga, ab Ortu in Occasum extensa, inter Rhætos ab Boream & dominium Venetum ad Meridiem. Nomen habet à Telio oppido tertiæ Præfecturæ, in Volturenis, capite: quod in edito ac munito loco situm, totius provinciæ arx & propugnaculum censetur. Vide *Tellina Vallis*, & *Volturena.*

Vallis Umbrosa, *Vall'ombrosa*, monasterium in agro Florentino intra excelsos Apennini colles, à S. Joanne Gualberto illius ordinis fundatore an. 1070. exstructum. 18. mill. distat à Florentia in Ortum, & 7. ab Arno fluvio.

Vallisduni, locus Galliæ in Caletis, ad Talam vel Dunum fluvium, vulgò *le Val Dun*, proximus Parœciæ vel vico S. Petri veteris *S. Pierre le Vieux*, ad eundem amnem sito. A *Valledunis* differunt *Valleduna*, i. Vallis montes, ubi Dux Normanniæ Guilielmus, ab Henrico Galliæ R. adjutus, Guidonem cognatum suum, Nigellum Constantiensem, aliosq; Proceres rebelles devicit. Prius est in Caletis, ut dictum, & diœcesi Rotomagensi, posterius in Comitatu, pagove Oximensi, in diœc. Sajensi, ad fluv. Olnam seu Olinam *Orne*, locus nunc ignotus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vallisoletum, (olim *Pintia*, ut aliquibus videtur) *Valladolid*, urbs Hispaniæ Tarraconensis, in Vaccæis & regni Legionensis confinio, ad Pisoracam fluvium, quam à Gothis anno salut. 625. conditam tradunt, olim sedes Regum, nunc urbs Episc. sub Arch. Toletano, ex primis Hispaniæ urbibus, à Burgis 22. leuc. in Occ. & Africum, Salmanticam versùs totidem, à Leg. 18. à Philippo II. Rege urbs effecta. Ea totius Castellæ & adjacentium reg. conventus est juridicus, & Academia haud obscura. Ferr. Baudr. urbs est Castellæ veteris in ipso limite regni Legionis, 16. leucis Hispanicis distans à Burgis in Africum, 22. à Legione in Eurum, & 14. à Sentica in Ortum; estque elegans & culta: In ea obiit die Jovis 20. Maji anno 1506. Christophorus Columbus seu Colonus magnus ille Argonauta, qui primus Indiam Occidentalem seu Americam detexerat anno 1492. ejusque corpus translatum fuit Dominicopolim in America ex ipsius mandato. Hujus tanti viri epitaphium sic refertur à Joanne de Castellanis *in suo tractatu de viris illustribus India,*

Hic locus abscondit præclari membra Coloni,
Cujus sacratum numen ad astra volat.
Non satis unus erat sibi mundus notus, & orbem
Ignotum priscis omnibus ipse dedit.
Divitias summas terras dispersit in omnes,
Atq; animas cœlo tradidit innumeras.
Invenit campos divinis legibus aptos,
Regibus & nostris prospera regna dedit.

Vallisoletum, vulgò *Valladolid*, urbs recens Americæ Septentrionalis in nova Hispania & Jucatania regione, versùs oram sinus Honduræ & insulam Cozumelam dictam, in tractu feraci, sub dominio Hispanorum.

Vallisoletum, vulgò *Valladolid* seu *Comayagua*, urbs Americæ Septentrionalis in nova Hispania & in provincia Hondura, cujus primaria existit, estque Episcopalis sub Archiepiscopo Mexicano ab anno 1588. versùs montes, & media inter mare Boreale & mare Pacificum, sub Hispanis.

Vallius Syriacus, citatur Senecæ inter celebres sui seculi declamatores. Ejus est illud in Stertinium Maximum, à quo premebatur, quum comes ejus fuisset: *Per duodecim annos in officio tuo fui, dic quid peccaverim? Sed hæc est consuetudo vestra, injuriam vocatis finem servitutis.*

Vallocuria, opp. Hannoniæ, in dit. tamen Leod. ad amnem *Heuze*, vix 2. leuc. à Philippopoli in Circ. Binchium versus 5. circiter; *Walcourt* vulgò.

Vallonia, Dea, quæ *vallibus* præerat, Sipontin. apud Plantinum.

Vallum, *the Picts Wall* adhuc dictum, murus Albionis, quem Hadrianus Imper. inter Britanniam 1. & 2. h. e. Angliam & Scotiam, ad reprimendas barbarorum incursiones, per 80. m. p. ædificavit. Æl. Spart. Vide *Hadriani Murus*, vel *Murus. Hadriani.* Aliud in Sinis, Vide *Murus Sinicus.*

Valon, fluv. Mauritaniæ Ting. in Tingim ad Mer. exiens. Ptol.

Valonia, op. Normanniæ infer. in tractu Constantiensi, 4. leuc. ab ora litt. maris Brit. uti à Cæsarisburgo in Mer. & 12. à Constantia in Bor. Vulgò *Valognes.*

Valontanum, castellum Latii, in colle.

Valpo, vulgò *Walpon*, quibusd. *Walcum*, urbs Hungariæ, in Sclavonia, ad amnem cognom. sub Turcis, ab Ann. 1543. Vix 6. m. p. à Dravo in Mer. 25. à Danubio in Occ. uti 10. à Mursa. Forsan aliàs *Cibala.* Caput Comit. Valpoviensis *Comté de Walpon*, in Rascia, qui inter Comit. Varaniensem ad Bor. Posegiensem ad Occid. & Sirmiensem ad Austrum, Danubium autem ad Ortum est.

Valva, mons Maurit. Cæs. Item, ager, in territorio Sulmonis. Unde *Valvensis* Episc. Lib. Conc.

Valvasores, à valvis, q. ad valvas stantes, Spigel. Vel à Germ. *Wall*, quod munimen, aggerem, vallum denotat, q. *Vallasores*, vel

vel quòd valvas, & introitus regni contra hostes tuerentur. Institutio eorum in Imperio cœpit: ubi alii majores dicuntur *Valvassores*, qui postea Regii & Vassi Dominici: alii minores, qui velut per diminutionem, *Valvasini* etiam appellantur. Priores sunt, qui non à Rege immediatè, sed secundâ vice feuda acceperunt, sc. à Ducibus, Marchionibus, & Comitibus. Posteriores vero, quibus sua dispartiunt feuda *Valvasores* majores. Prateo *Valvasor* dicitur Nobilis, qui summæ coërcitionis, non etiam nundinarum & mercatus jus habet (*un Gentilhomme, qui a seigneurie de haute justice*) estque Barone inferior, atque ab eo feudum suum obtinet. V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Valvasorium, opp. Foro-Julii.

Vama, fluv. se in Gangem effundens. Plin. Item Urbs Celticorum, in Hisp. Οὔαμα Ptol. Οὔλμα legit Georg. Ubelus.

Vamacures, pop. Africæ propr. Plinio.

Vamba, rusticus, in Hispania ad regnum vocatus, *quando hic baculus*, (stimulum indigitabat, quo agebat boves) *germinabit*, inquiens, *tunc ego Rex vester* ero: confirmatus miraculo, illud acceptavit, Hildericum Comitem & Paulum ducem suum, æmulos, vicit, Astures & Vascones domuit, 270, Saracenorum naves concremavit, ab Ervigio, qui pòst successit, veneno peremptus, An. Ch. 681. Rodericus Sanctius *in Chron.* V. quoque *Bamba*.

Vamicela, opp. Mauritaniæ Cæs. Ptol.

Vana, vulgò *Wana*; fluv. Croatiæ; Vihitzam rigat; dein in Savum cadit, in ipso limite Croatiæ, supra Gradischam. *Una* quibusdam.

Vanacini, pop. Corsicæ circa prom. Sacrum, nunc *Capo Corso*, in Boream maximè vergentes. Ptol.

Vandabanda, reg. Sogdianæ. Ptol.

Vandali, qui & *Venedi*, *Fenni*, & *Slavi* posterioribus, pop. Septentrionales, qui non solum Germaniam ad oram maris Baltici, ubi ducatus Megalopolitanus est, *Vandalia* olim dictus, tenuere, sed etiam per Pomeraniam, Poloniam, Svetiam, Bohemiam, Russiam ac Dalmatiam, teste Alberto Krantzio, effusi sunt: sicut in Galliam ac in Hisp. progressi, ubi sedes in Bæticâ locarunt, quæ propterea *Vandalitia*, *Andaluzia*, magnâ ex parte nominatur: inde in Africam trajicientes illam occuparunt, diuque eam tenuere, ut & Sardiniam, sub Genserico rege. Alii *Vandalos* à *Vanda* reginâ dictos, primò in Poloniâ juxta Vistulam fluv. habitasse ferunt. Alii ex *Vandalo* Tuisconis filio, & Manni nepote, dictos volunt ex Beroso. Eorum historia paulo fusius sic habet: Sedibus suis ad litora maris Baltici sec. 5. relictis, Alanis Suevisq; juncti, Galliam intrarunt, auspiciis Godegisili, à Stilicone evocati, A. 406. ubi Moguntiam, Argentoratum, Rhemos vastaverunt, & coloniam Burgundionum reliquerunt: Aliis Vandalici & Longobardici regni, initia ad A. C. 382. & 393. rejicientibus. Inde in Hispaniam transgressi: quo tempore Britanni horum impetum veriti, Constantino gregario militi imperium detulere; Franci verò Trevire occupatâ, Franciæ regnum occupavere, &c. In Hispania fide Suevis non servatâ, Regem illorum vicerunt, Ann. Ch. 420. superatis quoque An. Ch. 422. in Bætica Romanis: Huic Godegisilo nati Gundericus Arianismum amplexus & Gensericus: è quibus Geisericus vel Genlericus, in Africam trajecit, ibi *Vandalorum* regno constituto: Inde à Com. Bonifacio evocatus Romam diripuit, Siciliam vastavit, à Leone tamen Imp. per Duces victus, An. Ch. 467. Ei successere, alter filius Hunericus, Valentiniani III. Imp. gener, & post patrem Catholicorum persecutor: tum ex altero fil. Genzone nepotes, Gunthamundus Orthodoxorum ab exilio revocator & Thrasimundus: Hildericus dein Hunerici fil. à Gilimere cæsus, & Gilimer Gelarichi fil. Genzonus nepos, sub quo Africâ Vandali exuti sunt, An. Ch. 533. Ariani ut plurimùm & Orthodoxorum sævi hostes. Huic regiæ stirpi, an qui Herulis in Germania præfuere, de quibus inf. a, juncti sanguine fuerint, dubitant eruditi. Contra Vandalos Helmstadium munit Carolus M. Ann. Ch. 808. Vandalos Obotritos rebelles vicit Ludovicus R. Lotharii Imp. frater, An. C. 844. cumq; iis & postea vario Marte bellum gessit, circa An. Ch. 858. Iidem ab Henrico Aucupe Imp. ad Suevum, Oderam, Havelum fluvios, mare Balthicum &c. domiti, An. Ch. 924. ab Othone M. repressi An. Ch. 960. Suenonem Daniæ Regem, qui patrem pulsum etiam post mortem in Vandalis persequutus est, ter captum lytro semper ingenti accepto dimiserunt, Ann. Ch. 962. Henricum quoque III. Imp. magnâ clade affecere, An. Ch. 1056. Postea Canutum Ducem Slesvicensem regem Vandalorum creavit Lotharius Saxo Imp. An. Ch. 1130. qui in Dania, Suecia, Norvegia, Gronlandia, Islandia, institutis Episcopis religionem Christ. longè latèque propagavit: Hodie inter Regis Daniæ Sueciæque titulos. Familiæ *Vandalica* originem ad Anthyrium hodiernæ Alexandri M. militem referunt, è cujus posteris Visilaus II. seu Wizlafus, fil. habuit Billungum, seu Mistevojum, quem à Vistula ad Visurgim imperasse & ductu Vagonis Episc. Oldenburgi Vagriæ sorore Christi fidem, quam dein desertam persecutus est, amplexum fuisse dicunt. Huic natus est Mieslaus, pater Grimmi, Rugiorum Principum conditoris, & majoris natu Mistævonis, Herulorum Regis: qui universum Slavicum nomen ad Ethnicismum reduxit, tandem ipse senex conversus, Bardovici reliquum vitæ exegit. Ex ejus filiis, Udo, Ratiborus & Bogislaus, ille reliquos Vandaliæ & Megalopolis Principes, hi verò Pomeranos severe. Udo, summus Christianorum osor, ab aliquo transfuga Saxone cæsus, fil. habuit Godescalcum, qui fidei Christianæ suis præco, An. C. 1066. ab iis occisus est. Hujus fil. Buthuen à Critone Rugio peremptus, & Henricus, qui Rugis victis, militiæ laude inclaruit: cujus posteritate in Suinicone extinctâ, An. Ch. 1135. Canutus Danus, de quo supra, beneficio Lotharii Vandalici Regni jus titulumque sibi usurpavit. Buthue nati Pribislaus & Nicolotus, ambo Idololatræ, occiso à suis Canuto, rerum potiti sunt: verùm ille à Regiis captus est, hunc Henricus Leo & Albertus Ursus, toto pene regno exuere. Idem Henricus, ex ejus filiis Vratislaum captum suspendit, & cum Pribislao, qui ultimus gentis rex à Pomeranis restitutus fuit, bellum gessit. Hic in ordinem tandem coactus, parte dit. receptâ, Ducis nomine acquiescere jussus est: Baptizatus dein Rostochium condidit, A. C. 1215. mortuus. Cæterùm illis Henrici Leonis bellis major gentis pars exhausta, reliquiæ exortes omnis dignitatis esse jussi, aut in Poloniæ fines rejecti, novæq; introductæ e Saxonibus & Frisiis coloniæ: Pribislai fil. Henricus, quasdam belli ruinas restauravit, pater Henrici jun. è quo, inter alios, nati Johannes & Nicolotus, ille rami Megapolitani, hic *Vandalici*, conditores. Tenuit autem Nicolotus Gustroviam, Plaviam, Ribenitiam &c. sublatus à filiis Henrico & Nicoloto, An. Ch. 1277. Tertius ejus fil. Johannes Nicolotum genuit, Rugiorum & Brandeburgiorum victorem. Hic An. Ch. 1316. moriens Johannem sen. reliquit, Johannis jun. patrem, cujus familiâ extinctâ Ann. Ch. 1430. hæredes fuere ex altera linea Megapolitani. Vide Idac. & Isid. *in Chron.* Procop. *de bello Vandal.* Jornand. *de reb. Goth.* Hug. Grotium *Hist. Gothorum*, *Suec. Vandalorum*, Philipp. Jac. Speneerum, *Syll. Geneal Histor. &c.* Accuratiores Venedos à Vandalis, utpote horum successores distinguunt. Vide in voce *Venedi*. *Vandalorum* quoq; meminit Prudentius *lib. 2. contra Symmachum*,

Deniq; Romanus, Daca, Sarmata, Vandalus, Hunnus,

Hinc *Vandalicus*, unde *Vandalici gladii* apud Prosperum Aquitanicum, cladem Gallis ab iis illatam deplorantem:

—— —— *Heu cade decenni*
Vandalicis gladiis sternimur & Geticis.

Scribitur & *Wanaals*, quod Vide.

Vandalia, vulgò *Wenden*, tractus est Germaniæ in Pomerania ulteriori, in ora maris Baltici; ubi urbes Rugenvaldia & Stolpia, inter Ducatum Cassubiæ ad Occasum & dominium Lauvenburgense ad Ortum, in ditione Brandeburgica.

Vandalitia, vulgò *Andaluzia* incolis, *Andalousie* Gallis, regnum est Hispaniæ, ubi aliàs Bætica. Terminatur à Septentrione Extremadurâ provinciâ & Castellâ novâ, ab Oriente regno Granatensi, ab Occidente Portugallia, & à Meridie Oceano & mari Mediterraneo; ibique Mauri duo regna constituere, Cordubense & Hispalense, quæ postea Castellæ adjuncta sunt per Ferdinandum III. cum ex ea regione Mauros Granatam compulisset. Hic, ut & in regno Granatæ, rebellionem à nomine Christianis, animo Mahometanis, ob Inquisitionem, introductam & asyla adempta, creato sibi Rege Ferdinando Valorio excitatam, per Johannem Austrium, fratrem nothum, biennii spatio, devictis rebellibus composuit, Philippus II. circa An. Ch. 1570. Vid. Thuan. *Hist. lib.* 48. Regio est miræ fertilitatis, in qua nihil ad vitam, nihil ad delitias deest. A Bæti fluvio in duas partes ferè scinditur; & dicitur etiam Andaluzia à recentioribus. Ejus autem primaria urbs est Hispalis.

Vandalitia urbes.

Asindum, *Medina Sidonia.*	Corduba, *Cordoua.*
Asta Regia. *Xerez de la Frontera.*	Gades, *Cadiz.*
Astigi, *Ecija.*	Gienna, *Jaen.*
Batia, *Baeça.*	Hispalis, *Sevilla.*
Calpe, *Gibraltar.*	Ubeda, *Ubeda.*

Ursao, *Ossona*,

Vandalitia nova, *nueva Andaluzia* Hispanis, *nouvelle Andalouzie* Gallis, regio Americæ meridionalis, in Terra firma, versùs ostia fluvii Orenoci seu Pariæ. Dicitur aliter Paria; estque inter Guayanam ad Ortum & Venezuelam ad Occasum: ubi Comana seu nova Corduba urbs præcipua cum aliquot coloniis Hispan.

Vandelbertus, Diaconus & Monachus Abbatiæ Pruniensis, sub Lothario Imp. Scripsit versu Heroico *Ephemerides* quæ malè Bedæ ascribuntur, seu martyrologium. Item libb. 2. de vita S. Goari. Sigebert. *in Catal. cap.* 129 Trithemius, Vossius &c.

Vanduara, Damniorum opp. in Albione.

Vangalia, Ins. ante Taprobanem. Ptol.

Vangena, vulgò *Wangen*, urbs Imperialis Germaniæ in Suevia provincia, ad Argum fluvium. 3. milliaribus Germanicis distat à lacu Constantiensi, & 6. à Memminga in Africum. Dicitur ab aliis *Vemania* & *Vimania*. Vide *ibi*.

Vangio Rex, sorore *Vannii* genitus, qui avunculum regno exturbare adjuvit. Tacit. *lib.* 12. *cap.* 29.

Vangiones, vulgò *Worms*, pop. & urbs Germ. sup. ad Rhenum in Palatinatu, inter Spiram ad Austr. 6. & Moguntiam in Bor. 7. leuc. urbs libera. Lucan. *lib.* 1.

Van-

Vangiones, Batavíq; truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ. ——
Quasi *Fanger*, captatores hostium.

Vangionum rivus, castrum Burgundiæ, Comit. tit. clarum, in finibus diœceseos Lingonicæ, ubi Prioratus B. Stephani. Vulgò *Vingnori.* Nomen accepit à fluviolo, seu rivo suo, qui unus è primis in Matronam influit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vania, nomen viri, 1. Esdr. 10. Latine, *nutrimentum*, sive *arma Domini.*

Vanius, Libyæ inferioris urbs, Ptolem.

Vannia, Ptol. cujus oppidani *Vannienses*, opp. fuit Euganeorum, hodie *Civeda*, castrum Vallis Camonicæ, in agro Brixiano, in dominio Veneto, ad fluv. Ollium, 3. mill. à Brixia in Bor.

Vannius, Suevis à Druso impositus, sed non toti genti, verùm iis qui Maraboduum & Catualdam reges comitati erant. Sub Claudio, pulsus est regno, diuturnitate in superbiam mutatus & odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus. Tacit. *lib.* 12. *cap.* 29. Auctores fuêre Jubillius, Hermundurorum Rex & Vangio ac Sido, sorore Vannii geniti, Ibid. *Vannianum* regnum habet Plin. In Sarmatiâ Europæâ uspiam, ultra Danubium fuisse, inter Marum & Cusum flumina, Abrah. Ortelius *ex* 11. *Annalium Tacit.* colligit.

Vanteana, Ægypti urbs.

Vaphres, Ægyptiorum Rex, regn. an. 30. an. Mund. 3360.

Vapingum, Gall. Narb. urbs. Anton. ol. Caturigum, an Tricoriorum caput, nunc in Delphinatu, in confinio Provinciæ. Satis munita. *Gap* Simlero, Episc. est sub Archiepiscopo Aquensi, cum arce *Puymore* in colle, vix 2. leuc. ab Isara fl. 7. à Segusterone in Bor. 6. ab Ebreduno in Occ. In vett. Notit. quinta ponitur, inter civ. prov. Narbonensis secundæ. Data fuit à Guilielmo VI. Comite Forcalquerio, dotis loco, nepti suæ Beatrici, nuptæ Guidoni Andreæ Delphino Viennensi, Ann. Chr. 1202. nihilominus etiam multum hic juris veteres Provinciæ Comites habuerunt. Subest, ut dictum, Metrop. Aquensi in Provincia. S. Demetrius ex antiquissimis ejus Episcopis est, ut & Constantius, qui interfuit Concilio Eponensi. Sic Concilio Aurelianensi quinto Vellesius, nec non Synodo Parisiensi secundæ, Concilio Parisiensi quarto Sagittarius, Concilio Matisconensi 2. Aredius, Concilio Cabilonensi Potentissimus interfuere. Celeberrima hic à Reformatis synodus An. Ch. 1603. celebrata est, ad quam omni ex regno, etiam externi Ministri, confluxerunt. Actum in ea non tantùm de disciplina, sed etiam doctrina. Confessio Gallica approbata; de scissura inter Lutheranos & Reformatos deliberatum, conclusumq; ut acerbitas ingeniorum per scripta virulenta magis magisque inardescens mitigaretur: scriptæ Synodales literæ, quæ non tam acerbitatem illam lenierunt, quàm Brandenburgici El. ditionem ad partes Reformatorum pertraxerunt: decretum item, ad Confessionis recitatæ capita adderetur, Pontificem Rom. Antichristum esse, *eiq; notas à Daniele & Apostolo designatas convenire:* Porro moniti sunt Pastores, ut inter concionandum parciùs auctoritate Patrum & Scholasticorum testimoniis uterentur, purumque Dei verbum pro unico fundamento haberetur, &c. Vide Thuan. *Histor. lib.* 29. Duchenium *Rech. des villes de France.* Bonchæum *Hist. de Prov.* Rufium, *Hist des Comtes de Prov. c.* 5. *nombr.* 21. Chorerium *Hist. Delphin.* Moterium *Diction. Histor.* Lætum *Comp. Histor. Univ. &c.* Caput est pagi cognominis, Gall. *le Gapençois*, qui *regio Tricoriorum*, Plinio vocatur: hi Τριχόριοι Straboni nuncupati, ab eo inter Vocontios & Medullos ponuntur. *Saltus Tricorios* memorat Ammianus. Hàc Annibali in Italiam iter fuit, qui Vapincas & Tricorios emensus Druentiam transiit, sita autem urbs est ad amniculum in Druentiam effluentem, Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Vapluarii, pop. circa ostia Rheni. Fortè *Apsuarii*, vel *Ansuarii.*

Vaprium, opp. agri Mediol. non obscurum, ad Adduam, contra ostia Brembi fluv. 20. mill. pass. à Mediolano, 6. à Tritio. *Vavaro*, Merulæ.

Vapsi, pater Nababi, principis tribûs Nephthali, Num. 13. Lat. *fragmentum, particula*, vel *diminutio.*

Vara, fluv. Albionis per Moraviam reg. Scotiæ in Ortum fluens, *Murray Firth* Buchanano. Aliis est *Cloyd.* Quidam *Varar* legunt. Est autem *Varar*, seu *Vara*, uti apud Ptolem. opp. Scotiæ ad ostia fluv. cognominis, quod *Dunbar*, quasi *Vara castrum* dicitur. Baudrando *Vara* seu *Varar* est æstuar. *Murray firth*, Sinus Scotiæ Bor. & pars Oceani Germ. Inter Moraviam & partem Or. Rossiæ. Ei adjacent Innernium & Chanonricum opp. *Vara* autem opp. Scotiæ Merid. *Dunbar* videtur, castrum tenue Lothianæ, in ora Oceani German. ubi acriter dimicatum, inter Anglos & Scotos, An. 1650. Distat 26. m. p. ab Edimburgo in Ort.

Varada, urbs Carpetanorum, in Hispan. Ptolem.

Varadinum, vulgò *Waradin*, *Wardein*, & *Varadin*, urbs Jazygum Metanastarum, in Hungaria Transdanubiana, apud Transylvaniæ confinia, Episcopalis sub Archiepiscopo Colocensi, inter Solnocum ad Occasum & Albam Juliam ad Ortum supra 12. leuc. inter Budam & Temesvariam, inde ad 80. hinc ad 60. mill. pass. totidem à Cibinio urbe Transylvaniæ, Ferrar. Baudrando *Varadinum*, vulgò *Varadin*, Germanis *Groß Wardein*, urbs est permunita Transylvaniæ, in limite Hungariæ, ad *Sebeskerez* fluvium, sub dominio Turcarum, ab An. 1660. qui eam, sub Selymo Imper. ob violatum legatum, jam quoque expugnaverant An. Chr. 1521. Ludovico Rege mox ad Mugatium victo & occiso, Thuan. *Hist. lib.* 1. Varadiensis Episcopus An. Chr. 1508 decreto extorto *Fratres* proscribi curavit, sed paulo pòst misere periit. Lætus *Comp. Hist. Univ.* Distat 22. mill. pass. à Julia in Boream, 90. ab Alba Julia in Occasum, Budam versùs 10. longiùs à Cibinio.

Varali, Illyrici populi, Ardiæorum pars, deinde Narentani & Chulmitæ dicti vel Zachlumitæ Porphyrogennetæ.

Varallum, vulgò *Varallo*, oppidulum Italiæ, in Ducatu Mediolanensi, ad Sesitem fluvium, in limite agri Vercellensis. Distat 15. milliaribus à lacu Lario in Occasum, & 12. à Masserano. Ibi mons celebris secessu Caroli Borromæi, inter suos pro Sancto habiti.

Varamus, Plin. fluvius Venetiæ, in Anassum sive Plavem apud Belunum urbem influens, *Varamo* adhuc nominatus; licet Leander *Caloro* dici scribat.

Reges Persarum.

Varanes, seu *Vararanes I.* Persarum Rex, successit Hormisdæ I. An. 274. Obiit An. 277. Ei successit filius

Varanes II. per ann. 16. A Caro Imper. Numeriano juncto, in Mesopotamia victus, & Seleuciâ, ac Ctesiphonte exutus. An. 283. Obiit An. 294. Hujus successor

Varanes III. cognom. Segansaa, per 4. menses præfuit.

Varanes IV. dictus, Kerman, excepit Saporem III. An. 389. Ei An. 400. successit filius Isdigerdes, quo natus

Varanes V. qui An. 420. regnum auspicatus, in Christianos immaniter sæviit, ob zelum Episcopi cujusdam, qui templum, in quo Ignem adorabant Persæ, exusserat. Dein bello Romanis illato, ab Ardaburo, Duce Theodosii Jun. sæpius victus est. Hinc pax. Obiit An. 441. Socr. *lib.* 7. Theodor. Procopius, &c.

Varaniensis Comitatus, *le Comté de Baranyvvar*, provincia est Hungariæ inferioris, in limite Rasciæ, versus confluentes Dravi fluvii in Danubium, inter Comitatus Bathiensem, Bodroghiensem, Tolnensem, & Valponiensem, sub dominio Turcarum. Ejus oppidum præcipuum est Varanium, seu Varonianum, *Baranyvvar*, ad amnem Grassum, 12. mill. pass. à Bodroco in Occasum, Quinque Ecclesias versùs 30. circiter.

Varanus lacus, *Lago Varano*, lacus regni Neapolitani, in Capitanata provincia & in ora maris Adriatici, ad radices montis Gargani, 16. milliaribus à Manfredonia in Boream; estque circuitus 15. milliarium.

Varasci, accolæ Dubis fluv. in Sequanis, quos ab hæresi Bonosi Photini Eustasius Luxoviensis Abbas revocavit: tractus *Warasch* olim, hodie Comitatus Varesci, in Comitat. Burgundiæ, *Varax* vulgò. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Varasdiensis Comitatus, *le Comté de Varasdin*, pars est regni Hungariæ, in Sclavonia, versùs Dravum fluvium & confinia Stiriæ provinciæ, quâ terminatur ad Occasum; sicuti Hungaria inferiori ad Boream, & Risiensi Comitatu ad Ortum & Meridiem. Subest dominio Austriacorum; & ejus caput est Varasdinum. *Varasdin*, ad Dravum.

Varasdinum, vulgò *Varasdin.* & *Varadin*, urbs munita Hungariæ, in Sclavonia, ad Dravum fluvium, in limite Stiriæ; sub dominio Austriac. 17. m. p. à Pœtovione distat in Occasum.

Varbara, Ptolem. urbs fuit Mauritaniæ Cæsariensis, mediterranea, Celamæ & Lanigaræ proxima, Episcopalis sub Archiepiscopo Cæsariensi. *Urbara* rectiùs, ut in plerisque codicibus.

Varburgum, vulgò *Vaersborg*, oppidum munitum Sueciæ, in Hallandia provincia, cum arce & portu in ora maris Baltici, 35. m. pass. distat à Gotemburgo in Merid. Helmostadium versùs 5. uti 6. milliaribus à Castro Elseburgo.

Varcia, urbs Gall. Belg. circa Com. Burg. Anton.

Varciani, pop. Pannoniæ.

Varcilienses, vet. Inscr. populi Hispaniæ Tarraconensis, quorum pagus *Varcile*, teste Morali, ad Tagum fluvium, apud Toletum. Alibi ab eodem Morali *Valtierra* oppidum putatur. Et Henrico Coquo est *Arganda*, oppidum Compluto finitimum, inde 4. leuc. Cincum versùs.

Vardai, populi Dalmatiæ, apud Cumanum sive Onæum promuntorium, nunc *Pilari*; quorum urbs Stagnum nominatur. Hos Plinius vocat populatores Italiæ. Vide *Ardai.*

Vardhusiana Præfectura, *Gouvernement de Wardhuß*, pars Septentrionalior regni Norvegiæ, versùs promuntorium Boreale, sub dominio Regis Daniæ. Terminatur à Septentrione mari Boreali, ab Oriente Lapponia Moscovitica, ab Occasu Nidrosiensi Præfectura, & à Meridie Lapponia Suecica. Dividitur in duas partes, nempe in Finnomarchiam, quæ ad Septentrionem, & in Lapponiam Norvegicam, quæ in Meridiem extenditur, versùs Sueciam; ibique tantùm inest castrum Vardhusium præcipuum, cum aliquot oppidulis nullius nominis & insulis *Magger* & *Suroy* dictis. Una autem est ex 5. Præfecturis Norvegiæ, in extremo Borea, post Sueciam & Lappiam ad 73. gr. Elevat. Poli sita, à qua haud procul abest c. *Noortkyn*, olim promuntor. *Rutubas*, quod inter maximæ Europæ latitudinis terminos à Geographis ponitur.

Vardhusium, vulgò *Wardhus*, castrum regni Norvegiæ in insula Varda, *Wardhus*, parva admodum, in ora Boreali Norvegiæ & in Oceano Septentrionali, versùs confinia Lapponiæ Moscoviticæ, 120. milliar. pass. distans à promontorio Boreali in Eurum, sub dominio Regis Daniæ; A qua tractus adjacens dicitur Vardhusiana Præfectura. Castrum autem Vardhusium ambitu parvum est & vetustate ferè collapsum, nullâ turri nullisque alicujus momenti operibus munitum. Oppidulo jungitur præter casulas piscatorias, nullas alias ædes complectenti; estque in insula parva in ora Oceani Septent. seu Glacialis, vix 30. mill. pass. distans in Occasum à confinio ditionis Moscoviticæ.

Vardo, fluvius Galliæ, primùm Apoll. Sidonio memoratus *lib. 2. epist. 9.* vulgò *le Gardon*: primò quidem in duos alveos dividitur, quorum alter Andusiam, Condate, Cassinogilum, Ripam Altam, attingit, & *Vardo* Andusiensis *Gardon d'Anduse* dicitur: Alter Pedatium *le Peage*, Mansum Dei, Alestum alluit, ac *Vardo* Alestensis *Gardon d'Alau* vocatur. Tum ad Ripam Altam unitis aquis Solliacum *Souillac*, & accepto Aissena Ucecienси amniculo, vicum S. Privati, Vada *Vaez*, Castellionem, præterlapsus, Pontemque Vardonis *Pont du Gard*, ac Caprarias *Cabrieres*; apud Belliquadrum in Rhodanum effluit. Pons autem ille triplici arcuum & pilatum ordine alio alii superposito, quorum unus olim fontem Nemausum deducebat, hodieque spectabilis est: operis Romani reliquiæ. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Varduli, populi Hispaniæ Tarraconensis, Plin. Mel. Ptolem. ad oram Oceani Cantabrici, in Aquitaniæ confinio, inter Vascones & Cantabros. Quorum regio *Guipuscoa*, teste Stephano Garibæo, dicitur: cujus Tolosa oppidum primarium est, Ferrar. Baudrando *Varduli* populi fuere Hispaniæ Tarraconensis sub Cantabris, inter Vascones ad Ortum & Autrigones ad Occasum, atque ab Oceano ad Iberum fluvium extensi, ubi hodie Ipuscoa provincia *Guipuscoa*, cum majori parte Alavæ tractus.

Varendorpium, vulgò *Varendorp*, oppidum Germaniæ, in Westphalia & ditione Monasteriensi, ad Amasium fluvium, 12. mill. pass. distat à Monasterio in Ortum; estque munitum, sed nuper fœdo vastatum incendio.

Varenna, vulgò *Varennes*, urbecula Galliæ, in Borboniensi tractu, ad Elaverem, & in limite Alverniæ inferioris, quinque leucis supra Molinum in Meridiem; inter Vernolium & Montem Acutum *Montagut*. Sunt & *Varennæ* in Burgundia, pagoque Matisconensi, haud longe à fluvio Grauna, vulgò S. Gengulfi oppid. dictæ, *S. Jangoul*. Item ad Sequanam, inter Vernonem & Gallionem, vulgò *le Port de Garennes*. Item in finibus Parisiorum, *Varennes* vulgò, *la Varenne S. Maur*: quibus proxima villa *Clausa Varenna*. Quæ loca omnia à cuniculis dicta: loca enim cuniculosa Gallis *Varennæ* olim, nunc *Garennes & Varennes*. Hadrian. Valesius, *Notit. Gall.*

Varentanum, vulgò *Valentano*, oppidum Thusciæ mediterraneum, apud lacum Volsiniensem, Anton. in Ducatu Castrensi, ab Aquula 10. mill. pass. in Meridiem, quot à monte Physcone in Occasum.

Varetata, pop. Indiæ, Plin.

Varetum, fluv. Cappadociæ, Idem.

Vargiones, populi Germaniæ, Ptolem. in Suevia, circa ortum Danubii; quorum tractus *Bar*, vel *Baar*, Comit. nominatur.

Varia, Strab. Plin. Ptolem. *Varea*, teste Stephano Garibæo, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, ad Iberum fluvium, ubi is incipit navigari, quasi 2. mill. pass. à fluvio distans, apud Logronium; sed teste Morali, est ipsum *Logronno*, urbs in confinio Castellæ veteris & Navarræ, ad Iberum: quod potiùs *Varia nova* dici debet, Varia verò vetus *Varea* nunc pagus.

Variana, Anton. quæ & *Varia castra*, libro Notitiæ, *Warasdin*, teste Lazio, oppidum Pannoniæ superioris, in Stiria, apud fines Hungariæ & Croatiæ, à Pœtovione 4. leucis in Ortum, apud Dravum fluvium. Vel, teste eodem, *Waram* pagus ejusdem tractus, Ferrar. Baudrando *Variana*, ab aliis ponitur in Pannonia Savia, ad Savum fluvium, ubi hodie *Velica*, oppidum Zagrabiensis Comitatus in Sclavonia, medium ferè inter Gradischiam ad Ortum & Zagrabiam ad Occasum, in ipso limite Croatiæ.

Variana item Antonino, *Bannicero*, teste Lazio, oppidum Mysiæ inferioris, apud Danubium, ultra Ciabrum fluvium 30. mill. pass. ab Oesco 15. in Occidentem. Licèt Ortelius Variana Mysiæ cum Varianis Pannoniæ confundat.

Varianus vicus, Anton. *Figarolo*, teste Leandro, quasi vicus Aurelii, pagus Venetiæ, apud Padum fluvium, à Ferraria urbe 15. mill. pass. in Occasum. Licèt distantia apud Antoninum repugnet; ponitur enim à monte Aneiano 17. mill. pass. distans: ubi fortè 27. legendum est.

Varica, Iberiæ Asiat. urbs.

Varini, Germ. pop. Tacit. *Nevve Marck*, pars Brandeburgicæ Marchiæ Willichio; Althamerus censet, hos *Warmiensi* urbi Episcop. in Prussiâ nomen reliquisse. Baudrando, ubi nunc pars Duc. Megapolitani. Ibi fluv. *Warne*, & oppid. *Waren*, aliàs *Varinum*, ex Cluv. & Brietio.

Varis, Anton. *Bod-Vary* Camdeno, opp. Walliæ, in Comitat. Flintensi. In Anglia, inter Segontium ad Occ. 43. & Devam in Ort. 23. m. p. non longè ab urbe Asaphensi, & ostio Toesobis fluv. Igeniæque *Tegengil* oppido vicinum, Ferrar.

Varisti, qui *Narisci* Tac. videntur (utroque modo apud Jul. Capitolinum legitur) pop. Germaniæ. Vide *Narisci*.

Varius, poëta Tragicus, Virg. & Horatii familiaris, unus ex iis, quibus Augustus Æneidem commisit emendandam. Horat. *Sat. 1.*

Plotius & Varius Sinuessæ Virgiliusque
Occurrunt. —— ——

Varius, vide *Lusius*.

Varius Ligur, adulter Aquiliæ. Tacit. 4. 43.

Varmia, reg. Prussiæ regiæ, *Warmerland*, cujus Episcop. Brunsbergæ residet.

Varna, Mediæ opp. Item urbs Archiepisc. cum, Mysiæ infer. cum portu, in ora Ponti Euxini, nota clade Vladislai, Hungariæ Reg. cui Julianus Cardinalis persuaserat, ut Amurathi Turcarum Imper. fidem sanctè juratam violaret. An. 1444. Vide Bodin. *de Rep. lib. 5. cap. 6.* *Varne* hodieque, sita ad ostia fluv. cognom. 40. m. p. à Sisopoli in Bor. uti 16. à Rosito: Sub Turcis.

Varnetonium, vulgò *Varneton*, oppidul. Flandriæ, ad Legiam fluv. medium inter Ipras & Insulas. Sub Francis, pace ad Aquisgranum.

Varni, gens Bactriana.

Varnon, Episcopatus, Guil. Tyrio sub sede Edissenâ.

Varnspergum, seu *Farnspergum*, arx cum Comit. cognomine, in territorio Reipubl. Basiliensis, supra Reinfeldam, in edito monte sita, intra limites Landgraviatus Sisgoviani. Quondam Tierstenii Comitibus paruit, fuitque à Sigismundo Simonis filio, post terræmotus Rauricos, restaurata. Hujus autem filio Ottone, An. Chr. 1420. sine hærede masculo decedente, ad Falcostenios Barones transiit, qui Austriis Principibus illam aliquandiu oppignorarunt. Obsessa tum fuit ab Helvetiis An. Chr. 1444. eò quod Thomas Falcostenius, Brugas Bernensium oppid. exussisset; mox adventu Delphini, obsidio soluta est, contigitque prælium San Jacobæum prope Basileam utrique parti damnosum. Tandem An. Ch. 1461. cum toto ejus dominio, pro certa argenti summa Basiliensib. illam Barones vendidere: à quo tempore Præfectus eò mittitur: quorum primus fuit Petrus Offenburgius. Vide Stumpf. *lib. 12. de Raurac. cap. 14.* & Christ. Urstisium *Histor. Basil.*

Varnus, *Veretinus*, & *Uritanus*, agros Calabriæ habet Lib. *de Limitibus*, ab oppidis sic nuncupatos.

Varonianum, Anton. *Baronivvar* Lazio, opp. Pannoniæ infer. apud Danub. inter Altinium ad Bor. & Valcum ad Merid. supra 4. leuc. à Quinque Ecclesiis 7. in Ort. Comitatus non obscurus.

Varpna, Ariæ urbs, Ptolem.

P. Ter. Varro, poëta Rom. quem Fab. Quint. inter peritissimos Satyræ scriptores enumerat. Ejus verba *lib. 10. cap. 1.* hæc sunt: *Alterum illud est & prius Satyræ genus, quod non solâ carminum varietate mistum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros & doctissimos composuit, peritissimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum nostrarumque, plus tamen scientia collaturus quàm eloquentia.* Vide Augustin. *de C. D. lib. 6. cap. 2.* Unicum de illo testimonium impræsentiarum adferam, idque ex M. Tullio Cicerone *Academ. Quæst. lib. 1.* *Tum ego, sunt, inquam, ista Varro. Nam nos in nostra urbe peregrinantes, errantesque tanquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando, qui, & ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum munera, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionum & locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimumque poëtis nostris, omninoque Latinis & literis luminis attulisti, & verbis: atque ipse varium & elegans omni ferè numero poëma fecisti: philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad docendum parum.* Atacinus fuit hic Poëta, sub Julio Cæsare & Triumviris. Scripsit *de bello Sequanico*, & de Argonautis libb. 4. Vide Horat. *lib. 1. Satyr. 10.* Propert. *lib. 2. eleg. ult.* Plin. Senecam, Hieron. Gesner. *in Bibl.* Voss. *de Histor. Lat.* Lil. Giraldum, *Hist. Poët. &c.* Fuit & alter *M. Ter. Varro*, Philosophus insignis & Romanorum doctissimus, Obiit An. 726. U. C. æt. 90. Ingenii & memoriæ prodigium. Scripsit 500. Volumina. Ciceroni inscripsit libr. de L. L. Præterea publici juris fecit libr. de Re Rustica, Historiam, Annales, de Viris illustr. de familiis Romanis, &c. Vitam ejus delineavit Vetranius Maurus, qui titulos operum illius, ex Cicerone, A. Gellio, Nonio, Fulgentio, Macrobio, Servio, Augustino, Hieronymo, Prisciano, &c. collegit. Vide quoque Scaligerum, Turneb. Vossium, Gesnerum, &c. & plura in dictione *Terentius*.

Varronianus, Præses Pannoniæ, pater Joviniani Imp.

Varta, vulgò *Warte*, fluvius Poloniæ. Oritur in Polonia superiori; & paulò pòst per inferiorem Poloniam fluens, ibi Siradiam & Posnaniam rigat; deindeque auctus Obra, Notesco, & Prosna fluviis, infra Landspergam in Oderam se exonerat, prope Custrinum arcem, in Marchia Brandeburgica.

Varvicensis Comitatus, *Warvickshire*, provincia est Angliæ inter Leicestriam & Northantoniam Comitatus ad Ortum, & Vigorniam ad Occasum, ubi aliàs Cornavii populi. Ejus urbs est *Varvicum*.

Varvicum, vulgò *Warvick*, urbs Angliæ, ad Avonam fluvium, Comitatus cognominis caput, aliàsque Præsidium dicta, 24. mill. Anglicis distat à Vigornia in Ortum, & 30. ab Oxonio in Boream, 7. autem à Conventria in Meridiem.

Viri illustres.

Varus, Syriæ præses, An. Dom. 3.

Varus, Pergæus, qui verbis assentatorum corruptus, persuasit sibi se omnium esse formosissimum, arte quoque & robore in palæstrâ omnes excellere, imò ne Musas quidem ipsas cantare suavius.

S. Varus Quintilius, Gall. Cisalpinæ præfectus fuit sub Augusto, cujus auxilio Virgilius amissos agros recuperavit: Hujus beneficii memor Poëta 6. *Eclog.* illum miris laudibus in cœlum extollit. Hic postea Germanico exercitui præfectus, dum fœderibus nuper initis plus satis confidit, & à belli cogitatione ad jus dicendum se convertit, repente ab Arminio circumventus cum tribus legionibus obtruncatur. Mortem ejus defiet Horat. *lib.* 1. *Carm.* Vide Vell. *lib.* 2. Flor. Tacit.

Varus Quintilius, cæsi in Germania Vari Quintilii & Claudiæ Pulchræ filius, Germanici gener, à Domitio Afro, socio delationis P. Dolabella, sub Tiberio, tunc in secessu Campaniæ absente, accusatus, Tacit. 4. 6.

Varus, Cæsari, Strab. Plin. & al. *le Var* Gallis, *il Varo* Italis, fluvius Liguriam Italiæ regionem à Gallia Narbonensi, sive à Provincia, separans, ex monte Cema profusus, ac in mare apud Nicæam urbem, inter illam & Antipolim, prolabens. Cujus ostia à Templo Veneris, sive à Venere Pyrenæa, 277. mill. pass. in Boream distant seu 2600. stadiis ex Strabone. Ejus meminit inter alios Lucanus *lib* 1.

Finis & Hesperiæ promoto milite Varus.

Ferrar. Aliis fluvius est Galliæ Narbonensis; Famâ, quàm naturâ, major, cunctis Geographis notissimus, propterea, quòd Galliam Narbonensem ab Italia dividit, id est, à Liguria, quam prov. Alpium Cottiarum recentiores dixere. Lucanus:

Finis & Hesperiæ, &c. Vide supra.

Oritur ex Acema monte in Alpibus maritimis; Castellum Novum, *Chasteau Neuf*, Villam Novam, vicum Guillelmorum, *Guillaumes*, vicum ad Robertos, *les Robers*, vicum S. Leodegarii, *S. Legier*, ad Varum, *Auvare*, Intervalles, *Entrevals*, Glannatevamque rigat. Hinc auctus aliquot amnibus, per Provinciam labitur, deinde ipsam separat à Comitatu Nicæensi, & prope Nicæam, postquam, præter loca ante dicta, Podiolum, *le Poget*, vicum S. Antonini, Villare, Macontium, *Macoins*, Revestium, *Revest*, Rocculam, *la Roquete*, ad S. Martinum, *S. Martin*, vicum Varum, *le Bare*, ad S. Margaritam, & municipium S. Laurentii præterlapsus est, demum sex auctus amnibus, duobus majusculis, quatuor minimis, in mare Mediterraneum se exonerat. Dicitur à cursu obliquo & tortuoso, hoc enim Latinis vox *Varus* notat, Hadr. Valesius. Baudrando non est verus Galliæ & Italiæ limes, cùm Comitatus Nicæensis fuerit pars Galliæ Narbonensis, uti & postea Provinciæ, donec in potestatem Ducis Sabaudiæ devenerit: & Italia separatur à Gallia Alpibus maritimis, non autem Varo fluvio, ultra quem sunt aliquot castra Francici juris, uti etiam sunt citra Varum Sabaudici juris. De his quot incolæ, tot testes, quidquid alii in contrarium dicant.

Vasaces, Parthici Equitatus, sub Vologese, Dux. Tac. 15. 14.

Vasata, & *Vasates*, (*Vassata* Antonino, *Vassei* Plinio, *Vasaris* Ptolemæo) licèt Ortelius *Vassates* scribat, *Bazas*, populi, & urbs Aquitaniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Auscensi, inter Burdigalam decem, & Auscos 18. leucis. Tractus *Bazadois*. Ausonius *Idyll.* 2.

Vicinas urbes colui, patriaq; domoq;
Vasates patria, sed lare Burdigalam.

Scribitur passim *Vassata*, & *Vassates*, ac *Vasata*, & *Vasates*, Ferrar. Baudrando *Vasates* populi fuere Galliæ, in Aquitania, inter Nitiobriges ad Ortum & Bituriges Vibiscos in Occasum, prope fluvium Garumnam. Fortè *Vocates*, Cæsar. *in Comment. lib.* 3. ubi P. Crassum, Sotiatibus victis & in deditionem acceptis, in fines Vocatium & Tausatium profectum esse, & post fusos acie Aquitanos, maximam Aquitaniæ partem, inprimis Precianos, Vocatos, Tarulates sese Crasso dedidisse, scribit. Horum tractus hodie *le Bazadois* dicitur; Senescalco suo subjectus, duasque nunc Diœceses complectitur *Vasatensem* & Aturensem, sed ante Ludovicum XI. pars Senescalciæ Burdigalensis fuit, cum Burdigala Vasatas, Atures, Aquas Tarbellicas, Bajonamque continentis, teste Scaligero. Eorum autem urbs præcipua Cossio, seu Vazates, *Bazas*, Paulino *in epist. ad Ausonium*, *arenosa* dicta, nono inter Novempopulanæ 12. civitates loco, urbs est Episcopalis sub Archiepiscopo Auscitano: Patria Julii Ausonii, ex Medico Præfecti Prætorio Illyrici, patris Ausonii, Grammatici & Rhetoris. Cœtera parvum est oppidum, viginti fere jugerum, in arenoso agro. Quæ arenæ aliàs Landæ Burdigalenses, aliàs *Vasatenses* appellantur, *les Landes de Bazas*, Hadr. Valesius *Notitiâ Gall.* Urbs vix 3. leucis distat à Garumna fluvio in Meridiem, & 7. à Burdigala in Eurum, Auscios versùs 16. circiter.

Vasci, & *Basci*, populi Galliæ, iidem cum Vasconibus. Quos enim Galli *Basques*, & *Biscains*, eos Hispani *Vascos* vocant. Nisi potius dicas, Bascones partem fuisse Vasconum, Pyrenæo propriorum: unde Bajona, auctoribus quibusdam, caput Basconiæ dicitur. Est autem *Vascorum* regio, vel Basconia, *le païs de Basques*, longa 50000. p. lata 24. dividiturque tripartitò, in pagum Lapu densem, inferiorem Navarram & Subolam vallem, vide Hadr. Valesium *Notit. Gall. in voce Lapurdum.*

Vascitania, vulgò *les Basques*, tractus Galliæ, in Aquitania, versùs Pyrenæos & confinia Hispaniæ, ubi Lapurdensis tractus, *le païs de Labour*, & Navarra inferior, *la basse Navarre.* Ejus urbes præcipuæ sunt Bajona & Fanum S. Joannis Pedeportuensis, Baudr.

Vascones, Plin. Tacit. Ptolem. populi Hispaniæ Tarraconensis, ad montis Pyrenæi radices, in Aquitaniæ confinio, (quorum regio *Navarra*, teste Tarapha cum aliis) qui montes Pyrenæos in Aquitaniam transgressi, illi nomen suum indidere: nam pars Aquitaniæ inter dictos montes, & Garumnam, ac Oceanum Aquitanicum comprehensa, *Gascoigne*, & Italis *la Guascogna* nominatur. Porrò regnum Navarræ, suo Rege defuncto, Ferdinandus Rex Castellæ & Aragoniæ, post regnum Granatense recuperatum, victis Arabibus & ejectis, regno Hispaniæ adjunxit Anno salutis 1492. Romani Pontificis auctoritate. Juvenalis *Satyr.* 15. *Vasconum* meminit:

Vascones (ut fama est) alimentis talibus usi,
Produxisse animas.

Ferrar. Baudrando *Vascones*, vulgò *Gascons*, populi fuere Hispaniæ Tarraconensis, inter Iberum fluvium & Pyrenæos montes, uti inter Cantabros, Celtiberos, & Ilergetes, ubi hodie regnum Navarræ, quod Ferdinandus V. Aragoniæ Rex sine causa occupavit An. 1492. pulso inde legitimo Rege Joanne Albretio ipsius pronepote, nulla fretus Romani Pontificis auctoritate: quod enim dicunt Hispani, de quodam diplomate Julii II. fuit tantùm post illam usurpationem & ad ipsorum instantiam, ut videre est ex temporibus utriusque, & ut pluribus probat Mezeræus cum aliis. Regni caput est Pompelo. Navarra autem superior ab eo tempore subest Hispano. Inferior & minor portio Gallico sceptro per Henricum IV. legitimum hujus regni hæredem conjuncta est.

Vascones, cum Asturibus, domiti à Vamba Hispan. Rege, An. Chr. 675. Carolum Franciæ Regem ex Hispania, ubi Saracenos vicerat, regressum, petentes, non exiguam ei cladem intulerunt, Rolando quoq; cæso, An. C. 778. Alphonsus Arragonius, Legionis & *Vasconum* regnum conjunxit, An. C. 1109. Sanctio *Vasconiam* Alphonsus Castellanus ademit, An. C. 1198. junctus Petro Aragonio, pace cum Aben Josepho factâ, qui duo priores regnum legitimo Principi ereptum, cum Legione turpiter inter se diviserε, An. C. 1200. ab Aragoniæ & *Vasconum* Regibus victus est Johannes Rex Lusitaniæ, Ann. Chr. 1415 *Vasconum* tandem Rege fugato, Johannem Labretanum regno exuit Ferdinandus, de quo supra. Vide *Navarra.*

Vasconia, vulgò *la Gascogne*, indigenis *Guascoigne*, provincia Galliæ. Dupliciter sumitur, vel latè vel strictè. Vasconia latè sumpta continet partem Aquitaniæ inter Oceanum, Garumnam fluvium, & Pyrenæos montes, sub qua provinciæ Vasatensis, *le Bazadois*, Condomensis, *le Condomois*, Arminiacensis, *l'Armagnac*, Beneharnia, *le Bearn*, Bigerrensis, *le païs de Bigorre*, Convenæ, *le païs de Comminges*, Vascitaniæ pars, *les Basques*, Lebretensis tractus, *le païs d'Albret*, seu *les Landes*, & Vasconia propria, *la Gascogne propre*; ejusque præcipuæ urbes fuere Aturus, Auscii, & Vasates. Vasconia autem strictè sumpta continet Vasconiam veram, inter tractus Arminiacensem, & Condomensem, Benecharniamque. Ejus urbes præcipuæ sunt Aturus, Datii, Fanum St. Severi, & mons Martiani; ibique fuere aliàs Elusates & Datii populi. Baudrand. Valesius sic habet: Aquitania Garumnâ flumine, Pyrenæis montibus & Oceano continebatur tempore Julii Cæsaris: quam postea Augustus, usque ad Ligerim 14. gentium adjunctione promovit: Hanc Constantinus M. dein in duas provincias divisit, Aquitaniam & Novempopulanam: Dein tres ex Aquitania factæ sunt provinciæ, Aquitania prima, secunda, & Novempopulana, quæ verus & propriè dicta Aquitania est: nomen accepit à novem populis, quos ea provincia continebat. Hi fuere, Elusates, Ausci, Aquenses vel Aquitani, Lactorates, Convenæ, Consoranni, Tarbelli vel Boates, Vasates, & Bigerrones seu Bigerri. Postquam verò Novempopulana à Vasconibus occupata est, *Vasconia* nomen est nacta, hodieque *la Gascogne* dicitur. Primus autem *Vasconiæ* meminit Gregor. Turon. *Histor. lib.* 6. *cap.* 12. Fuere hi Vascones, gens montana Hispaniæ Tarracon. magna ex parte libera, qui à Regibus Visigothorum, cùm aliis, tum Gundemaro, Sisebuto, Suintila & Wamba multis bellis exagitati, quòd imperata facere situ locorum confisi nolebant, crebro sese in Novempopulanam effudere, regnantibus apud Francos Chlotarii M. filiis ac nepotibus, & occasione bellorum civilium inter Francos, sub Majoribus domus, laborantes, usi, sensim fines suos proferendo, fere omnem tandem occupavere, Duce suæ gentis & sui juris creato. Historia sic habet: In finibus Cantabriæ, montibusque Pyrenæis inter regna Francorum Gothorumque siti erant, pertinebantque ad Oceanum & fines Aquitaniæ: Gens audax, inquieta, famis ac laboris patiens, corporum, armorum atque etiam ingeniorum levitate insignis

signis, situ demum locorum ac saltuum latebris, ad insidias opportunis, quàm viribus tutior. Et ii quidem, qui urbes in plano positas incolebant, quales Pompelonenses, Calaguritani, Iturissenses aliiq; erant, Gothorum Regibus parebant: Cæteri qui montana habitavere castella, non contenti libertatem suam defendere, proxima populari soliti, nunc provinciam Tarrac. in Hispania, nunc Novempopulanam in Aquitania incursionibus vastabant. Contra hos missus à Chilperico Reg. Bladastes Dux An. Chr. 581. maximam copiarum partem in Vasconia amisit. Postea pueritiâ Reg. Francorum bellisque hinc civilibus in occasionem usi, partem aliquam Novempopulanæ Pyrenæo subjectam armis occupavere: sed misso à Childeberti filiis Theodeberto ac Theodorico exercitu, tributarii sunt facti, Duce eis Geniali præposito. A Chariberto dein, Dagoberti fratre, qui Tolosatibus, Aginnensibus & Santonibus imperabat, stipendiarii facti: post hunc ab ipso Dagoberto prælio superati, & ad deditionem fidemque Regi ac Regno promittendam, Aighinâ Duce compulsi sunt, An. principatus Dagoberti 14. quo Seniores Optimatesque Vasconum ad Dagobertum venere, & in Basilica S. Dionysii subjectionis fidem dedere. Imo & Ann. Chr. 769. Lupus, Vasconum Dux, seipsum totamque terram suam Karolo Reg. submisit. Nihilominus Ludovicus Pius, Aquitaniæ primùm Rex, dein Imperator, ferocientem populum aliquot expeditionibus pacare necesse habuit. Eosdem augurus deditos & idololatras maxima ex parte, ab errore revocare conatus est Amandus Trajectensis Episcopus. Habuit regio Elusam primum, dein Augustam Auscorum pro metropoli, unde & *provincia Auscitana* nominatur: Ei decem sedes suffragantur. Arnaldus Oihenartus Vasconiam Aquitanicam seu citeriorem (Vasconia enim Hispaniensis trans Pyrenæos est, & Navarram ex parte complectitur, vide supra) dividit in Superiorem ac Inferiorem: Priori, quæ *Vasconia propriè dicta*, aliàs *major*, vel *ulterior* vocatur, attribuit Vasatensem, Aquensem, Aturensem & Lactorensem, diœceses; Vicecomitatus Leomaniensem, Gavarritanum, Martianensem, Aquensem, Tartassiensem, Taursanensem, Lupaneriensem, & Juliacensem, ac Leporetanum. Posteriori seu etiam citeriori Vasconiam ascribit, cum præfectura Lapurdensi & pago Beneatnensi. Idem Comitatus ibi fuisse asserit Vasconiæ superioris varios: Vasconiæ inferioris Fidentiacum, Astariacensem *Estarac*, Bigerricum, Convenensem, & Gauram, Manhoacensem vel Majennacensem *Magnoac*, & Insulanum, ab Insula Jordanis cognominatum: Ex Fidentiacensi autem Armaniacensem, & ex Astariacensi Pardiniacensem, *Pardiac*, Comitatus esse decerptos. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Novempopulana*: ubi inter alia, varias vocis hujus apud Historicos acceptiones notat.

Vasconia saltus, Auson. *Vasconum saltus* Plinio, tractus inter montem Pyrenæum & Oceanum, pars Hispaniæ, in Guipuscoa regione. *Vasconiæ* meminit Auson. *in Epist. ad Paul.* 25.

Vasconiæ saltus, & ninguida Pyrenæi.

Vasiligroda, vulgò *Vasiligorod*, urbs Moscoviæ, in Ducatu Novogardiæ minoris, ad Volgam fluvium, 75. mill. pass. distans à Novogardia minori in Ortum. Dicitur aliter *Basiligroda*, quòd à Duce Basilio condita sit. ubi Sura fluvius cadit in Volgam.

Vasio, Gall. Narb. urbs, Episc. in Provincia, Mela. Vocontiorum olim cum Luco caput, qui Οὐοκόντιοι Straboni, inter Cavares & Tricorios, fines Allobrogum attingunt, & in profundis vallibus in 19 oppida, præter duo capita, divisis Plin. habitant. Horum Tribunatum dedisse se C. Posthumo M. Posthumi, qui postea Imperator Galliarum fuit, filio & ipsi Cæsari, deinde Augusto futuro, refert Valerianus Augustus apud Pollionem in epistola ad Gallos. Equitis Roman. Julii Viatoris, è Vocontiorum gente fœderata, ut & vini dulcis Vocontii, meminit Plin. *lib.* 14. *cap.* 9. Inter urbium Galliæ Narbonens. opulentissimas, easque colonias, primo quondam loco: sed ex ingenti urbe pridem ad vicum redacta, saltem urbs semiruta. *Vaison* Cœnali. In Comitat. Vindaxino ad fluvium *Louvese*, in colle. Sub Pontif. 8. leucis ab Avenione, in Cæc. uti 4. ab Arausione, 4. à Carpentoracto in Bor. Episcopus ejus in recent. Not. quartam obtinet sedem inter Arelatensis Burgundiæ Archiepisc. Antistites. Ex Præsulibus ejus Daphus, Concilio Arelatensi: Gemellus Epaonensi: Quinidius Parisiensi 4. Artemius Matisconensi 1. Petronius Cabillonensi, &c. interfuere. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* A Gothis, Vandalis & Saracenis urbs sæpius vastata, reparata postmodum, Ptolem. *lib.* 2. *cap.* 10. Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. Mela *lib.* 2. *cap.* 5. Sidon. Apollin. *lib.* 5. *ep.* 7. *lib.* 7. *ep.* 4. De Conciliis hic celebratis, vide Morer. *in Dict. Hist.* Synodus apud Auspicium Episcop. Diodoro V. C. Consule, iterum altera Decio Junio Consule, præsidente Cæsario, habita, memoratur Valesio retrò laudato.

Vassates, *Vassei*. Auson. Plin. Vide *Vasata*.

Vassejum, vel *Vassiacum*, opp. Campaniæ Gall. ad Blæsam amnem, qui in Matronam devolvitur, *la Blaise*. Adso *in vita S. Bercharii*, meminit *fisci regii Vassiaci*. Huic propinquus est locus Puteolus *Puisie*, monasterio & aulâ à Childerico, Chlodovei filio, regiè extructâ, quò venandi causâ crebro ventitare consueverat, nobilis. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Distat *Vassejum* 10. leuc. à Calvomonte in Bor. 4. à Fano S. Desiderii in Merid. *Vassy* vulgò. Hic, sub Carolo IX. ingens fidelium strages à Guisio D. patrata, frequentissimus sacer cœtus turbatus, ad 60. cæsi, 200. vulnerati, Leonhard. Morellus, pastor captus, S. Biblia & locus indignissimè tractatus est. Vide Thuan. *Histor. lib.* 29.

Vasseni, primogenitus filiorum Samuelis, 1. Par. 6.

Vasserburgum, vulgò *Wasserburg*, urbs Bavariæ super. ad Oenum, cum castro munito, 7. leuc. à Monachio in Ort. Burchusiam versus paulo minus.

Vassionense opp. *Vassiorum* civitas, Ptolem. *Forum Vocontiorum*, Cicer. Vide *Vasio*.

Vastalla, opp. cum tit. Duc. ad Padi ripam. Vide *Guardistallum*, seu *Guardastallum*.

Vastena, urbs Sueciæ. Vide *Vadstena*.

Vasthi, uxor Ahasveri regis, Esth. 1.

Vastinium, vulgò *le Gastinois*, an à rupibus & locis sabulosis, quæ incolis *Gastines*? tractus Insulæ Franciæ, versus Belsiam, juxta Lupiam fluv. ubi Montargium, Milliacum, Nemursium & Moretum, &c. sed ejus limites periere. Vide Guil. Morinum & Rouillardum *Hist. de Melun & d'Hurepoix*.

Vatablus Franciscus, Ambianus, trium linguarum peritissimus, regius linguæ Hebr. Parisiis Professor. Ejus extant *Annotationes in sacra Biblia, & Scholia*. Hunc Hebræi ipsi admirati sunt, Christiani verò maximo eum fructu docentem audiverunt. Pigritiæ arguitur à Thuano *Histor.* Obiit An. Chr. 1546. Gualter. *ex Genebrardo*. An. Chr. 1547. *ex Thuan.* Mon. lit.

Vatastica, insula in fluvio Rheno, finitima Batavis & Frisiis, quæ est Diœcesis Trajectensis. Tacitus.

Vaterfordia, urbs Momoniæ, caput Comit. eognom. qui inter Lageniam ad Ort. Oceanum ad Merid. Corcagiam Comitat. ad Occ. & Triperariensem Comit. ad Bor. præcipua totius Hibern. post Dublinium, in ipso limite Lageniæ, ad Surium fluv. Cum portu capaci, licet 8. mill. pass. distet ab ora littor. 25. à Vexfordia in Occ. Vulgò *Waterford*.

Vaternus, fluvius. Vide *Vatrenus*.

Vaticanum, promuntor. Brutiorum, in ora Calabriæ ulter. apud Joppolum opp. ubi sinus Hipponiates terminatur, *Vaticano*, vel *Baticano* vulgò.

Vaticanus, vulgò *il Vaticano*, collis non procul à Tiberi, supra molem Adriani, conterminus Janiculo, vinum quidem satis copiosum gignens, sed parum laudatum. Mart. *l.* 19.

Quid te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?

Ejus meminit Juvenal. *Sat.* 6.

Et Vaticano fragiles de monte patellas.

Sic à *vaticiniis*, quæ ibi fiebant, dictus fuit, teste Gellio, *libr.* 16. *cap.* 17. quem sis consule. Sextus Pompejus scribit, eum sic appellatum esse, quod eo potitus sit populus Roman. vatum responso, expulsis Hetruscis. Alii malunt ejus appellationem arcessere à *Vaticano*, vel *Vagitano* Deo. Olim habitatus non fuit, habuitque vetustissimam ilicem, de qua Plinius: *Vetustior urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis, religione arborem jam tunc dignam fuisse significat.* Nobilis quondam fuit Scipionis sepulchro: nunc verò clarus est, cùm propter alia, tum propter celeberrimam totius orbis Bibliothecam Vaticanam. Antepenultimam syllabam corripuit Horat. *Carm.* 1. *Od.* 20.

—— Simul & jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
—— Collis imago

Hic S. Petri Basilica, & Palatium Pontificis.

Vatinia lex, à P. Vatinio Trib. pleb. C. Julio Cæsare, M. Calpurnio Bibulo Coss. An. U. C. 694. lata, voluit, *ut C. Cæsari Galliâ Cisalpina cum Illyrico, in quinquennium, sine Senatus decreto, & extra sortem mandaretur: ut ii, quos in lege nominabat, Legati sine Senatus decreto cum Cæsare proficiscerentur: ut eidem pecunia ex ærario attribueretur: ut idem coloniam Novocomum deduceret.* Suetonius *in Cæsare*, Sallustius *in Jugurtha*, Plutarch. *in Vitis*, Cic. *pro Balbo & Epist. &c.*

Vatinius, cùm esset dignitati Ciceronis semper adversus, ita postea prævaluit amicitiâ ejus, ut duobus judiciis publicis ab eo sit defensus. Valer. Maxim. *Vatinius* (inquit Seneca) *assiduo convitio depudere didicerat.* In tantum autem odium popul. Rom. pervenerat, jam detectis illius viriis, ut in proverbium cesserit *odium Vatinianum*. Catullus *ad Calvum*:

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.

Vatinius, sutor quidam, corpore detorto, qui è calice vili atque deformi vitreo bibit, qui quatuor rostra, instar nasorum protensa, habuit. Juvenal. *Sat* 5.

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor. ——

Hujus mem. Tac. *lib.* 15. De illo quoque sic Martialis:

Vilia sutoris calicis monumenta Vatini
Accipe, sed nasus longior ille fuit.

Hinc magna vasa, vilia, & lignea, *Vatiniana* dicuntur. Item Martialis:

Qua

Quæ sulphurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum.

Facetiis scurrilibus primò in contumelias assumptus, dein optimi cujusque criminatione gratiam ac pecunias comparavit: edidit gladiatorium munus Beneventi. Tac. 15. 34.

Vatrenus, Plin. amnis, qui ex Apennino, supra Florentiolam ortus, Forum Cornelii alluit, ut Niger tradit: & in Padum, infra Lucum opp. inter Ravennam & Argentam 15. m. p. influit. *Santerno* Leandro. Martial. *lib. 3. epigr. 67.*

Cessatis pueri, nihilq; nostis,
Vaterno Rasinaq; pigriores.

Vatuca, opp. Germ. infer. in fin. Eburonum, apud Trajectum superius, inde 2. leuc. in Ort. *Valkenburg* Mathano. Aliis est *Hertzogenrode* opp. inter Juliacum & Aquisgranum, qui *Varucam* legendum volunt.

Vaudi regio, an à Wandalis dicta? Vide in *Wandali*. Vulgò *die Waat*, Gall. *le pays de Vaut*, pars Aventicensis pagi: eo tempore, quo sub Rom. Helvetia fuit, sub Sabaudia habita est. Postea Sabaudiæ nomen trans lacum recessit, & Burgundiæ minori *Vaudi* regio attributa est, donec iterum Sabaudiæ Comites eam usurparunt. Tandem restitutâ Helvetiæ libertate, etiam antiqui ejus limites restituti sunt, & regio hæc, sicut ante Jul. Cæsaris tempora, Helvetiæ accenseri cœpit, maximè à quo, sec. præterito, illam fortiter vindicassent Bernates, quibus subest: exceptis Præfecturis quibusdam, quæ Friburgensium imperium agnoscunt. Regio est amœnissima, ad Lacum Lemanum sita, vini præstantissimi ferax, numeroque Nobilium inclyta. Pars hic olim Antuatum, secundùm quosdam. Vid. Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Ant. & Nov.* Stumpfium, &c. ut & supra in voce *Vallenses*.

Oppida Vaudi reg. præcipua.

Alæ Pennæ, quam & Neapolim ac novam civ. vocant, ad caput Lemanni.
Bibiscum vel Viviscum aut Viviacum, *Vivay*.
Clarona.
Dina.
Nevidunum *Nyon*.
Lausunum vel Lausodunum, hodie Lausanna, caput Comit. cognom.

Vaunia, vel *Vannia*, Ptol. op. Venetiæ, Insubriæ finibus propinquum. Hodie *Lovino* dici putatur. Vide *Vannia*.

Vaurium, seu *Vaurum*, urbec. Occitaniæ, ad Acutum fluv. olim in diœc. Rutenensi, 6. leuc. à Tolosa in Ort. 6. Castrum versus. In ipso limite tractus Albigensis; Vulgò *Lavaur*. Episc. nunc est sub Arch. Tolosano: Institutus autem hic Episcopatus est, An. Ch. 1313. à Johanne XXIII. primusq; Episcopus ejus Rogerius fuit Armaniacus. Diœcesis 69. Parœcias cum Abbatia Sorœsena continet. Hic durante contra Albigenses bello, Almericus Præfectus, magnæ nobilitatis Vir suspensus, alii minoris notæ 86. securi percussi: Girada, princeps oppidi fœmina, in puteum conjecta atque saxis obruta est. An. Ch. 1212. Vide Rivetum *in Jesuit. Vap. cap. 16. ex Girardo du Haillan &c.*

U B.

Ubbo Emmius, Chronologus, Historicus, Philologus Groninganus insignis. Scripsit historiam Frisiæ, de Rep. Græcorum, varios tractatus Chronologicos. Obiit A. 1625. æt. 78. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Ubeda, vulgò *Ubeda*, urbs Vandalitiæ, in parte ejus Or. prope confinia Castellæ novæ & fontes Bætis, 5. leuc. Hisp. à Giennio in Bor. Parva est, & sensim deficit.

Uberlinga, vulgò *Uberlingen*, urbs Sueviæ, Imperialis, in intimo recessu lacus Constantiæ, versus Bor. Antea munita, & pluries capta ultimo bello Germ. 6. mill. Germ. à Scaphusia in Ort. 2. à Constantia in Bor. Sedes quondam Sueviæ Ducum, quorum familiâ extinctâ Imperio accessit. Olim Leonem in insignibus habuit, ob Ducum sedem: è quibus Gonzo nummos cudit, in quibus Leonis icon: nudus ensis ejus unguibus insertus postea, ob fidelem operam Imperio, bello inprimis Rusticano, An. Ch. 1525. præstitam. Vide Limnæum Enucl. *lib. 4. cap. 56.*

Ubii, pop. Germ. infer. versus Rhenum, qui & Agrippinenses, quorum extat adhuc pag. *Ubich* in territor. Juliacensi, teste Ortelio. Quasi Uvii, i. Ripenses. Vel à Germ. *Uber*, quod transitum notat. Horum præcipuæ Urbes Colonia Agrip. & Ara Ubiorum. Ibi pop. *Sunici* antea, nunc Archiepiscopatus & Duc. Juliacensis. Eorum mentio *Itiner. lib. 6.*

Post Ubios tandem Trevirum succedimus urbi.

Ubiquitatis dogma à Joh. Brentio cusum est, Ann. Chr. 1560. postquam vivente Melanchthone tantùm de eo mussitatum esset, docente hoc: *doctrinam de omnipræsentia corporis Christi, meram esse naturarum confusionem Eutychianam, cui se adversaturum, quoad vixerit.* Συνεργοὶ Brentii Jac. Andreæ, & Matthias Flaccius fuere, *Corpus Christi omnibus in locis, cantharo, sacco, avena &c.* esse dictitantes: quod Academiæ, Wittenbergensis & Lipsiensis, præter alias Ecclesias quamplurimas, acriter oppugnarunt. Mox in Palatinatu controversiæ ortæ, de orali manducatione corporis Christi in S. Cœna: cui malo ut occurreret Fridericus III, Elect. Catechesin Heidelbergensem conscribi jussit. Dein colloquio Mulbrunensi, An. Ch. 1564. de sensu verborum S. Cœnæ & Ubiquitate disceptatum. Porro Aldeburgi colloquium, cui Joh. Wilhelmus Saxo præfuerat, convocatum, A. C. 1568. sed cùm Wittebergenses consensum inter Lutherum & Melanchthonem, in doctrina, vita & morte fuisse contenderent, negarent autem Flacciani, re infectâ discessum est. Convocatus dein Dresdæ conventus, conscriptusque consensus Dresdensis, quem cùm Jenenses Theologi carperent, Torgæ cœtu coacto, Formula Concordiæ conscripta, & ad ejus subscriptionem Theologi adacti. Hinc, vincula quibusdam, exilium nonnullis irrogatum. Tandem An. Ch. 1577. in Bergensi Monast. à sex Ubiquitatis Patronis Smidelino, Musculo, Selneccero, Chemnitio, Chytræo, Cernero Formula promulgata, & Ubiquitatis dogma sancitum est. Vide in voce *Concordia*. Nec tamen inter omnes, qui hodie à Luthero denominari amant, hic consensus est, quibusdam, inter quos Sueci Theologi, Christi corpus etiam in statu humiliationis ubique fuisse asserentibus, aliis demum id post ascensionem factum esse docentibus. Vide Hospin. *in Præf. ad lib. Conc.* Zach. Ursinum *in Colloq. Mulbrun.* Chytræum *in Saxon ad Ann. Ch.* 1568. Hospinianum præfatum passim *in lib. Concordia, &c.*

Ubil, nomen viri. 1. Par. 27. Lat. *adductus, portatus, luctuosus*, vel *veterascens*.

Ubisci, Vide *Vibisci*.

U C.

Ucalegon, unus ex Trojanis proceribus, qui belli tempore, quòd annis confectus esset, prælio abstinuit, ut refert Hom. *Iliad. 13.* Idem de bello & Antenore *Il. 3.*

Οὐκαλέγων τε καὶ Ἀντήνωρ, πεπνυμένω ἄμφω,
Εἵατο δημογέροντες ἐπὶ Σκαιῇσι πύλῃσι,
Γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι, ἀλλ᾽ ἀγορηταὶ
Ἐσθλοί, τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ᾽ ὕλην
Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι, ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Virg. *Æn. 2.*

—— *Jam proximus ardet Ucalegon.*

Id est, Ucalegonis domus. Inde Juvenalis *Sat. 3.*

Vivendum est illic ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus, jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon, tabulata tibi jam tertia fumant.

Ubi ponitur pro cive quovis.

Ucetia, vulgò *Uzez*, urbs est Galliæ Narbonensis, in Occitania inferiori, Episcopalis sub Archiepiscopo Narbonensi, & Ducatus titulo insignita. 4. leuc. distat à Nemauso in Boream, & 6. ferè ab Avenione in Occasum, Greg. Tur. Baudrandus &c. Vide quoque *Vindomagus* & *Utica*.

Ucio, locus Galliæ, in Arvernis, vulgò *Usson*, vel *Usson les Nonnettes*, quia ibi monaster. Virginum.] In Comitatu Brivatensi, non totas 4. leuc. à Brivate in monte, prope Celsinanias. Aliis *Uxo*. Hadr. Valesius.

Ucraina, Gall. *l'Ukraine*, provincia Poloniæ, quæ sic dicitur tanquam posita in limite Moscoviæ & Tartariæ minoris. Vocatur aliter *Volhinia inferior* seu Palatinatus Kioviensis, ab ejus urbe primaria Kiovia, & Braczlaviensis; ac in duas partes scinditur Borysthene fluvio. Habitant in eo tractu Cosacci populi, V. infra, à quibus pluries vastata fuit hæc provincia, uti & à Moscis, qui hunc ejus partem possident. Ibi erant aliàs campi plurimi deserti, qui posterorum Regum insigni studio ac cura & hominibus & pagis impleti, & multis oppidis ac castellis munitionibusque muniti sunt: Kioviensis Palatinatus nempe & Braczlaviensis, ambo magna hominum multitudine repleti, hodierno tempore cultissimi inveniuntur. Cosacci autem illi, quorum supra mentio facta, non sunt gens aliqua, propriis terrarum terminis vel Reip. statu proprio consistens, sed tantùm species una ex genere militiæ Polonicæ, tanquam militia celerum, seu velitum, seu levis armaturæ: à *Kosá*, Lat. capra, cujus agilitatem & inaccessa adeundi curiositatem imitantur, dicti. Oriundi sunt ex omnibus provinciis Polonicis, iique qui societatem Cosaccam Zapotohianam repræsentant, maximè ex provinciis Russicis Chersoneso Tauricæ vicinioribus prodeunt, *Zapokohiani* appellati; quòd in insulis Borysthenis *Zaporohi* militiæ vacent, ibique transitus Tauricanorum Tartarorum obsideant. Ipsum Pontum Euxinum invasionibus infestum reddentes, Turcis etiam formidabiles sunt: nec Turca sine gravibus querelis tulit restitutum ab illis An. Ch. 1625. Chamum Tartarorum, eundemq; postea interfectum. Unde & à Polonis coercendi ac castigandi fuerunt. Steph. R. melioribus eos legibus sociavit, & cùm antea tumultuariè colligi, iterumque pro hibernis per Poloniam ad propria dilabi solerent, ille castrum Techtimirovium cum suo territorio, situm ad ripas Borysthenis, infra Kioviam 20. mill. Germ. ipsis attribuit, ubi Consiliorum & Magistratus militaris sedem, armamentarium ac receptaculum bellicorum apparatuum haberent. Post mortem Sigismundi R. jus suffragii in electione novi Regis & Græcæ religionis immunitatem petiere, Ann. Ch. 1632. Sed prius negatum. Hinc ab anno 1648. auspiciis Bogdani Chmielnicii, operaque Russorum ac Tartarorum adjuti, aliquoties rebellarunt, sed ad obsequium redie-

runt. De novo fidem Regi An. C. 1659. jurarunt, verùm ad Russos paulo pòst rursus defecerunt, iterum Poloniæ reconciliati An. C. 1660. Sed & eâdem inconstantiâ hactenus subinde turbas dederunt. Vide Thulden. *Histor. lib.* 1. Joach. Pastorium *in narrat. de bello Scythico-Cosacico*, ut & supra in voce *Cosaci*.

Ucraina, vulgò *Ukraine*, provincia est Moscoviæ, sic dicta quasi limes, quia posita est in limite Tartariæ minoris seu Precopensis. Extenditur ab Ortu in Occasum; habetque aliquot fortalitia, ad coercendos Tartarorum incursus.

Uetlandia, Vide *Aventicum* & *Nuithones*.

Ucubu, A. Hirt. *Lucubi* adhuc, teste Andrea Navagerio, olim oppidum, nunc pagus Hispaniæ Bæticæ, apud Alcalam Regalem, in regno Granatensi, & Ateguam. Videtur idem Atubi; sed Attubi Plinio & Livio scribitur, ab Aspavia 20. m. p. distans.

Ucuca, vel *Ucoca*, civitas fortis Nephthalim quæ in confinio tribuum Nephthalim & Zabulon, haud procul à tribu Aser, sita est. Jos. 19. Hier. *de loc. Hebr.*

Ucultiniacum, Plin. Hispaniæ Bæticæ urbs, quæ nunc *Curiga* dicitur, inquit Plinius. *Acurgia* à Ptolemæo vocari scribit Pintianus; apud quem tamen *Curgia* legitur.

U D.

Udalricus, Argentinensis, Dominicanus; floruit Ann. 1280. Discip. Alberti M. Scripsit in Mag. Sent. &c. Antonius Sen. Trithemius, Bellarm. *de Script. Eccl.*

Udalricus, Vide *Ulricus*.

Udenhemium, oppid. Germaniæ ad Rhenum munitissimum, à Georgio Spirensi, fil. Philippi El. Palat. mortui 1508. conditum, ab Imperatore Gallis ereptum est An. C. 1675. V. *Philippoburgum*

Udini, Plin. populi Asiæ in Albania, ad fauces maris Caspii.

Udo, Herulorum Rex, fil. Mistævonis, summus Christianorum osor, Herulos rexit, tandem ab aliquo Saxone transfuga cæsus. Pater Godescalci, qui ante regnum conversus, paternam necem in Saxonibus ultus est: cæterum cùm apud suos fidem propagare vellet, ipse ejus præco à subditis An. C. 1066. cæsus, duos reliquit filios, Buthuen, à quo Principes Megapolitani & Wandalici orti sunt: & Henricum, cujus posteritas brevi defecit. Fratres verò *Udonis* Ratibotus & Bogislaus Pomeranos fevere. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.*

V E.

Veascium, opp. Italiæ, à Gallis, relictâ Româ, devastatum. Diodor. *lib.* 14. *fine*. In Etruria fortè. Fori *Voassi* meminit Æthicus.

Veca, Plin. *Villa Viciosa*, oppidum Hispaniæ Tarraconensis, in ora Asturum, medium inter Saliam ad Ortum, & Gygiam ad Occasum 9. leucis, portus, & oppidum non ignobile.

Vechta, vulgò *Vecht*, oppidum munitum Germaniæ in Westphalia & ditione Monasteriensi inferiori, in limite Brunsvicensis ditionis. 10. m. p. distat à Diepholtia in Boream, uti 30. ab Osnabruco, Bremam versùs paulò minùs.

Vecilius, mons Latii circa Algidum opp. & nemus.

Vectis Ptol. *Vecta* Eutrop. ins. maris Britannici, oræ Australi Angliæ proxima, incolis oppidisque instructissima, contra Trisantonis flu. ostia, & Antonam op. ac emporium celeberrimum. Angl. *the Ile op Wight*, Gallis *l'Isle de Wight*, à Vitis, seu Jutis, qui ibi sedes cepere, dicta, Vide supra: fere Hantoniæ prov. adjacens, Baudrando. Longa est 20. m. p. ab Ortu in Occ. Lata 12. Circuitus 60. circiter. Dividitur in *East Medyne*, & in *West Medyne*. Ejus prim. opp. *Novus portus*, Ol. *Medena*. Hanc insi. Cerricius Saxo, Britonibus victis, occupatam, consobrinis suis Sufæ ac Vigdaro concessit, An. Ch. 534. Polyd. *Hist. lib.* 4. Edelredus dein Angliæ R. à Suenone Dano, regno exutus, in hanc Ins. primò, dein in Normanniam se recepit, An. Ch. 1010. Marb. Monaster. *in Hist. Angl.* Dicta videtur Spelmanno à Gutis seu Jutis, Gothis, ex tribus populis illis protogonis, qui relictâ Germaniâ, Angliam olim applicuerunt, & in Cantio ac Vecta consedeunt: Bedæ *Vida*, quasi *Wita*, Saxones enim *Gu*, semper in *Wy* mutarunt, dicti, *in Glossar. Archaeol.*

Vectius Bolanus, in locum Trebellii Maximi, in Britanniam missus. Tacit. *Hist.* 2. 65. Vide *Vettius*.

Vectius Marcellus, Neronis Imp. procurator, cujus prædia ab utraque parte viæ publicæ, sc. prata & oleæ in sedes contrarias transgressa fuere, quod maximè mirandum est. Plin.

Vectius Messius, Volscorum rex, an. mundi 3135.

Vectius Valens, medicus. *Titinius* Qu. Sereno Sammonico dictus:

Talia præcepit Titini sententia Vecti.

Fuit autem Messalinæ non solùm medicus; sed etiam adulter. Vide Tac. *Annal.* 11. 30. Item Augur, qui visos 12. à Romulo vultures, 12. secula urbis duraturæ interpretatus est, quæ prædictio impleta videtur, à morte Valentiniani III. Imp. Occidentalium atque adeò Romæ veteris ultimi: Tum enim Roma à Genserico capta & incensa ac 10. Reges in vet. territorio Romano exorti sunt. Vide Jos. Medum *de Apostasia noviss. temp.*

Vectones, mel. *Vettones*, pop. Hisp. in Lusitaniâ, ab Asturibus Durio amne discreti, Plinio teste. Inter Durium ad Bor. & Tagum ad Mer. ubi hodie pars Merid. regni Legionis, & Borealis Extremaduræ Castellanæ. Eorum urbes fuere Salmantica, Caurium, Cottæobriga & Deobriga. Baudr. Luc. *lib.* 4.

Vectonesq; leves, profugiq; à gente vetustâ
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Vectomanus, Vide *Famisulanus*.

Vedastus, Præsul Atrebatum sanctiss. Chlodovæum instituit, An. Ch. 500.

Vedeliacus, Æduus, Cæs. 7. 32.

Vediantii, Plin. pop. fuere Gall. Narb. inter Alpes maritimas ad Ort. & Varum fluv. ad Occ. ubi nunc Comit. Nicæensis: Ptolomæo *Vesdiantii* dicuntur. Caput eorum erat Cemeneleum, ex cujus ruderibus crevit Nicæa, in vicinus, in ora maris Mediteit, Longe à Sanitio in Ort.

Vedius Aquila, XIII. Legionis legatus, à clade Bedriacensi vallum ingressus, seditiosi militis iræ oblatus, ingens adiit discrimen. Tacit. *Hist.* 2. 44.

Vedius Pollio, eques Rom. Augusti amicus, & multum apud illum potens, murænarum vivarius servos damnatos immergere solebat. Accidit autem aliquando, ut cùm Augustus apud ipsum cœnaret, unus è servis calicem crystallinum frangeret. Ex quo rapi eum ad mortem & murænis objici Vedius jussit. Puer ad Cæsaris pedes fugit, non mortem quidem deprecans, sed ne piscium esca fieret. Ibi motus novitate crudelitatis Cæsar, & puerum dimitti, & crystallina protinus omnia perfringi, piscinamque compleri jussit. Sen. Plin. & alii. Crudelitatis quoque Vedianæ Tertull. mem. *lib. de Pallio*. V. & *Pollio*.

Vedra, *Were*, teste Camd. fluv. Albionis in agro Dunelmensi oriens, & in Ortum fluens. Baudrando fluv. Angliæ Bor. Oritur in ipso limite Northumbriæ; dein per Dunelmensem tractum fluens, Dunelmum urb. rigat, & postea in mare Germ. cadit, 4. mill. Angl. ab ostio Tynæ fluv.

Vegeria, vulgò *la Vegre*, fluvius Galliæ, qui Hosdencum *Houdan* præterlapsus, apud Iterjum Autura recipitur, V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Autura*.

Vegesatum, opp. Belgii in fin. Eburonum ad Mosam, medium inter Leodium & Trajectum 2. leuc. *Weset* Germanis, *Vise* Gallis dicitur: Gemblacensis *Vinsatum* vocat.

Vegesela, Ant. *Vegesila* Augustino, urbs Numidiæ, à Sufetula 30. m. p. à Thevesta 40. in Bor. Anton.

Vegeti, Asiæ pop. Mela.

Vegetius, Mulomedicinæ quatuor libros scripsit, quos An. D. 1528. Jac. Faber ex uno solùm codice edidit; sed cum variis codd. postea contulit, multisque partibus emendatiores in lucem emisit Jo. Sambucus Pannonius An. D. 1574.

Vegetius Flavius, scripsit de re militari, ad Valentinianum Principem, libros quatuor insignes, quos, post omnes omnium editiones, ope veterum librorum correctos, unà cum notis suis edidit Godescalcus Stewechius Lugd. Bat. An. Dom. 1592. Fuit is au[illegible] Comes Constantinop. Seculo 4.

Vegia, seu *um*, quæ & *Viglia* & *Curricta*, Ins. maris Adr. [illegible] Liburniæ, ab ea exiguo freto divisa ad Ort. Habet ad O[illegible] Absorum Ins. à qua 5. mill. abest & Arbam ad Mer. Exten[illegible] ab Euro in Circ. ad 30. mill. & urbem habet prim. cog[illegible] sub Arch. Jaderensi, in parte Occ. 17. m. p. à Senia [illegible] Occ. *Kirk* Slavis, Italis *Veglia*.

Veja, venefica mulier apud Horat. *Epod.* 5.

Vejanus, Vide *Flavius*.

Vejentanum, villa Liviæ Aug. apud Vejos, cui aquilam ib[illegible] advolasse ferunt, ac gallinam albam, cum lauri ramulo, in [illegible] gremio demisisse. Hinc locus iste *ad Gallinas* dictus. Suet. *in Galba*.

Vejentina tribus, unà cum Crustumina an. U. C. 358 [illegible] buum numero ascripta est: dicta à Vejis vel ab agri Vej[illegible] parte. Ejus meminit Cicero *pro Planco*.

Vejento, Vide *Fabricius*.

Vejentum, opp. Campaniæ. Acron. *in Horat.* 1. *Serm.*

Veji, colon. & urbs antiquissima Hetruriæ, olim Episc. apud Tiberim, media fere inter urb. Romam & Fesceneium [illegible] 4. m. p. à Comero condita, & à Camillo longâ 10. annorum obsidione capta, & excisa, an. U. C. 358. postquam de illis Romulus [illegible] am triumphasset. Fabiorum cæde An. 277. U. C. memorabilis fuit hæc urbs. Ovid. *Fast.* 2.

Hæc fuit illa dies, in quâ Vejentibus armis
Tercentum Fabii ter cecidere duo.

Hac cùm, post maximas clades, ancipiti contentione agerent Patres, an relicto solo patrio migrarent: vox Centurionis audita, *Hic manebimus optimè*, retinuisse in Urbe cives & confirmasse fe[illegible]: Liv. *lib.* 2. Ferr. Baudr. *Veji* urbs fuit ampla Hetruriæ, quæ, te[illegible] Philippo Cluverio, erat ubi hodie *Scrofano*, castrum in prov[illegible] Patrimonii. Verùm Lucas Holstenius pro certissimo aff[illegible] civitatem Vejentanam fuisse, ubi nunc est Castrum Insula [illegible] *Isola* Farnesiorum, sed in opposito colle undique prærupto, [illegible] murorum & substructionum, tum quoque ædificiorum [illegible] apparent. Pars quoque urbis, & fortè arx in eo colle ibidem [illegible] rupto

rupto fuit, in quo hunc Insulæ Castellum est, quod olim civitati partim junctum fuisse existimat, 9. m. p. ab urbe, præter inscriptiones & itineraria antiqua, quæ *Vejos* hoc in loco fuisse docent; tum præter situm & naturam loci ac vestigia clarissima, cuniculus ille, quem Camillus ex ima valle in civitatem ducit, manifeste apparet, via quoque silice strata, à 6. lapide in via Cassia deflectens, rectà eò ducit. Certum igitur est, inquit ille, Formellum & Scrofanum non esse Vejos, sed Insulam sive collem præruptum, qui adjacet Farnesiorum Insulæ, haud procul à divertigio Claudiæ & Cassiæ viæ. Nam tabula Itineraria omnino eo in loco ponit Vejos, ubi nunc est diversorium *la Storta* dictum, vel paulò suprà. Sed nil certius est, quàm Vejos fuisse in collo undique prærupto, prope Insulam vicum Farnesiorum; nam & situs & intervalla Dionysii & Tabulæ in eam conveniunt, & vestigia clarissima magnæ urbis apparent. Extat etiam in Ecclesia Insulæ lapis antiquus, in quo ordo Vejentanorum legitur. Via quoque antiqua ex Claudia ad 6. lapidem sive Turrim Spacatam dictam divertens, rectà Vejos tendebat, cujus vestigia clarissima supersunt, & ad Bacanellum iterum in Claudiam redibat. A Vejis dicti fuere *Vejentes* populi, in eo tractu, ubi nunc pars provinciæ Patrimonii in ditione Pontificia. Hinc *Vejentanus*, ut *vinum Vejentanum*, de quo Horat. 2. *Serm. Sat.* 3.

Qui Vejentanum festis potare diebus
Campanâ solitus trullâ, vappamq; profestis.

Martialis 3. 49.

Vejentana mihi misces, tibi Massica potas.

Et alibi.

Vejentana tuam si bibat uva sitim.

Et *Vejentinus*, unde *Vejentina* tribus, de qua supra.

Vejovis, qui & *Vejupiter*, & *Vedius* à Marriano appellatur, apud Rom. inter sinistra, seu noxia numina habebatur, quem non auxilii alicujus spe venerabantur, sed ideo tantùm, ne quid ipse noxæ inferret. Ædes illi fuit inter arcem & Capitolium, in qua simulachrum Dei, sagittas tenentis ad nocendum paratas: huic adstitit figmentum capræ: ea enim ipsi immolari solebat. Quidam hunc Deum Apollinem, alii Plutonem putant: caput ei cornutum tribuit Alexander. Ejus mem. Ovid. *Fast.* 3.

Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Vide Gell. 5. 12. ubi de vocis origine accurate agit.

Veiturii, Liguriæ populi, quorum mentio fit in tabulâ æneâ antiquissimâ. Augustinus Justinianus putat, eos habitasse eum locum, quem hodie *Voltagio* appellant: territorii est Genuatium, intra Apennini radices, medius inter Genuam & Dertonam, 20. m. p. Aliis potius *Voltri*, *Vultri*, seu *Vutri*, pag. oræ Liguſticæ, 10. m. p. à Genua in Occ. Savonam versus.

Vel, opp. Africæ inter. à Cornelio Balbo expugnatum. Plin.

Velabori, Οὐελλάβοροι in Græco codice, Ptolomeo: in Hiberniâ insulâ gens. MS. legebat Ουελλάβοροι. *Velabri* apud Æthicum.

Velabrum, vicus olim celebris Romæ, juxta Aventinum mont. velis obtensus, sub quibus oleum & similia vendebantur: Nunc *S. Georgio in Velabro*, quia inter illam ædem & ædem S. Anastasiæ erat: Aliis erat in foro boario, ubi olim templum Herculis & Vestæ, seu Matutæ, nunc S. Stephani, Ferr. Plautus *in Capteiveis*:

Quasi in Velabro olearii.

Horatius.

Cum scurris fartor, cum Velabro omne Macellum.

Hinc *Velabrensis*. Mart. 11. 53.

Et Velabrensi massa recocta foco.

Inde *Velabrensis caseus*, qui in Velabro conficiebatur. Martialis 13. 32.

Non quemcunq; focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ipse sapit.

Siquidem, testante Plin. 11. 42. *Fumus imbibitus auget gratiam casei, qualis in ipsâ urbe conficitur.* Varro *à vehendo* derivat, quòd cum Aventinus olim discluderetur paludibus à montibus reliquis, necesse esset eò navibus advehi. Unde *Velaturam facere* dicebantur, qui operam suam collocantes mercede ex vecturâ vivebant. Duplex autem fuisse *Velabrum* invenio, majus & minus. Varro: *Palus fuit in minori Velabro.* Unde quòd ibi vehebantur lintribus, *Velabrum*, ut & illud majus. Propertius:

Quà Velabra suo stagnabant flumine, quaq;
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Tibullus quoque:

At quà Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pullâ per vada linter aquâ.

Velanius, prænom. *Quintus*, Eques Rom. in legione Septima militum præfectus, per Galliam. Cæs. *lib.* 3. *Comm. cap.* 7.

Velatodurum, opp. Sequanorum, in Gall. Lugd. 22. m. p. à Vesontione. Anton.

Velauni, inter Alpinas gentes memorantur Plin. 3. 20. Baudrando fuere pop. Aquitaniæ, versus Ligeris fontes, quorum tractus nunc *le Velay*, in Occitania: Segusianis, Arvernis, Gabalis, & Helviis finitimi. Eorum caput erat *Ruessio* vel *um*, è cujus ruinis crevit urbs adjacens Anicium, nunc Podium, *le Puy en Velay*, in colle, probè culta, Ep. sub Ar. Bitur. Vide quoque *Vellavi*.

Velcera, Ptol. *Boccariz* & *Bocharin*, Ther. & Molet. vel *Bacharm*, opp. Liburniæ marit. inter Tarsaticam ad Occ. 12. & Seniam urbem ad Ort. 24. m. p. Οὐολκέρα MS. Seld.

Velcera sinus, parvus maris Adr. in intimo ejus recessu, in ora Liburniæ, prope Velceram opp. Inter Vegram Insf. ad Ort. & Absorum ad Occ. extensus; *Golfo di Bucariza* vulgò.

Velcurium, urbs Rhætiæ non obscura, 5. leuc. a Curia, Campidonam versus; Vulgò *Feldkirch*. Itin. *lib.* 6.

Hic quoq; Velcurio natus, qui Physica scripta
Edidit. ——

Veldidena, Anton. opp. Rhætiæ propr. in Vindeliciæ confin. Nunc *Wilthaim* quibusd. pagus Comit. Tirolis, ad Oenum, vix 1. mill. ab Oeniponte, quæ crevit ex ejus ruinis, ad Oeni Utique confluentes. Aliis est ipsa *Oenipons*.

Velegia, Urbs in *Libya* interiori.

Veleja, urbs Hisp. Tarr. inter Virovescam ad Occ. 41. & Aram cœli 47. in Ort. Pompelonem versus, ex Anton. in Castella vet. An *Βέλεια* Ptol. Pop. *Velienses*. Plin.

Velesitanus, Episcopus Numidiæ. Vict. Utic.

Velia, Lucaniæ opp. Episc. in sinu Pæstano conditum, sub Cyri tempora, seu post Æneæ in Italiam adventum an. 600. à Phocensibus, antea *Elea* dicta, V. A. Gellium *lib.* 10. *cap.* 16. Virgil. *lib.* 6.

—— *Portusq; require Velinos.*

Horatius 1. 15.

Quæ sit hyems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni.

Hinc *Velina tribus*. Horatius.

—— *Hic multum Fabiâ valet, ille Velinâ.*

Persius,

Libertate opus est, non hâc, qua ut quisq; Velinâ
Publius emeruit. —— ——

Vide Steph. Nunc jacet, ubi *Castel à mar della Brucca*, ab ostio Silari 50. m. p. in Ort. versus Talaum.

Veliarum lucos evasisse Hannibalem scribit Symmach. *libr.* 2. *Ep.* 12. circa Veliam fortè.

Velica, seu mel. *Vellica* Flor. Ptol. opp. Cantabrorum, Briet. Nunc fortè *Trevinno*, opp. Alavæ, ad rad. montium, in limite Biscajæ, vix 2. leuc. ab Joero in Bor. uti 4. à Victoria.

Velicer, fluv. Goropio, is est, qui in Westphalia, paulo supra vicum *Velen*, è sylvis ortus, non longe ab Vesto castello in Isalam defertur; hodie *Aa*, Ortel. Bockolttamque alluit in Diœc. Monasteriensi. Vide *Aa*.

Velienses, Vide *Veleja*. Item pop. Latii. Plin.

Velilla, vulgò *Velilla*, vicus Aragoniæ, ad Iberum, 9. leuc. infra Cæsaraugustam in Eur. Ubi campana mirabilis sponte sonans, quoties Hispania magnum detrimentum accepit. Mariana.

Velina, regio urbis Romæ monti Palatino juncta. Hinc *Velina* tribus, aliis à lacu Velino, in Sabinis, dicta: cum Quirina ann. U. C. 512. Coss. A. Manlio II. & Q. Luctatio, à Censoribus C. Aurelio Cotta & N. Fabio Buteone addita, triginta quinque Tribuum numerum explevit. Ejus meminit Cic. *epist. ad Atticum, ac in Bruto*: Item Horatius *lib.* 1. *epist.* 6. & Persius *Satyrâ* 5.

Velinus, lacus Sabinorum in Umbriæ confin. *Lago di Piediluco* hodie, à castro adjac. in Umbria est, Baudr. in confin. Sabinæ, sub Pontif. *Velinus* verò fl. *Velinos* oritur in Aprutio ulter. ubi Civitatem Regalem, Interdocium, & civitatem Ducalem rigat; dein per Umbriam fluens, ibi rigatâ Reate, per lacus Reatinum & Velinum labitur, dein supra Interamnam in Narem se exonerat. Virgil. *lib.* 7.

Sulfureâ Nar albus aquâ, fontesq; Velini.

Veliocasses, *Veliocassi* vel *Velocassi*, pop. Galliæ Ptolom. cum Caletis, inter Belgas ponuntur à Cæsare *lib.* 2. *Comm.* quod utrique trans Sequanam, qui Belgas à Celtis dividit, constituti: postea tamen, unà cum capite amborum Rotomago, Lugdunensi Celticæque Galliæ ab Augusto attributi sunt. Pares olim viribus cum Lexoviis & Eburovicibus, terna hominum millia à Gallis imperata misere, Idem *libr.* 7. iidem tamen *libr.* 2. uti Caleti & Veromandui, 10. millia polliciti. Pagus eorum ab Isara flumine ad Indellam pertinebat: postea in duas divisus partes. *Veliocasses* enim *Normanni* illi dicti sunt, qui ad Duces Normannorum, ac postea Reges Anglorum spectabant, Indellam inter & Ittam positi, vulgò *le Veuxin Norman*; qui verò Regum Francorum erant, Ittâ & Isarâ clauli, *Veliocasses Franci*, vulgò *le Veuxin Francois*, appellati sunt: inter quos hodieque, licet uni Regi nunc pareant, tanta viget discordia, ut nec matrimonia inter se contrahere, nec alteri cum alteris quidquam velint habere commune. Priorum loca præcipua sunt, Gornacum, Novus Mercatus, Gisortium, Dangutum, & Andeliacum: quam pagi Veliocassini partem Henricus fil. Gaufridi Comitis Andicav. Ludovico VII. R. cujus ope Normanniam Stephano eripuerat, donavisse olim legitur. Posteriorum Trea *Trie*, Rupes Guidonis & Maniacum *Maigny*, usque ad Bellovacorum opp. Clarummontem. Pars Veliocassium trans Indellam & circum utramque Sequanæ ripam sita, pagum alium constituit, *Rotomagensem* dictum, à Rotomago, capite *Veliocassium*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* V. & in voce *Velocasses*.

Veli-

Velisfeum, urbs Mauritaniæ Cæsar. Anton.

Veliterna, Suet. *in Oth.* & *Veluterni* pop. Italiæ, Plin. & Liv. *Velitrani*, Halicarn. *lib.* 5.

Velitia meminit Festus, in verbo Novæ Curiæ. Alia lect. *Veliensis*, pro quo *Vellicensis* malè legi apud Plin. adnotavit Joseph. Scaliger.

Velitis Jubeatis Quirites, omnium actionum cum Pop. Rom. commune principium fuit, ut ex Cicerone & Livio patet: Ex qua dicendi formula nomen ortum est *rogationis*, omnibus actionibus cum populo commune, Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. libr.* 6. *cap.*14.

Velitra, colon. & urbs Latii in viâ Appiâ, à Roma 20. m. p. in Eurum Priveruum versus distans. Urbs aliàs Volscorum, nunc Campaniæ Rom. Episc. sub Pontif. *Veletri*. Lepida & culta, in clivo. 6. mill. ab Alba in Ort. Piperuum versus 25. Baudr. Ab Anco Martio Rege expugnata. Velitræ *Ovifera*, à magnit. & copia ovorum. Non semel cum Rom. bellum gessere. Vide Liv. Ejus Episcopatus nunc Ostiensi junctus est. Sil. *lib.*8.

Setia, & è celebri miserunt valle Velitræ.

Vellanis, Ptol. urbs Mysiæ sup. Vendenidi proximum, in Ort. *Larzii* Lazio.

Vellates, pop. Gall. Aquitanicæ. Plin. 4. 19.

Vellavi, pop. Galliæ, sub Arvernorum imperio, tempore Jul. Cæsaris, *Comment. lib.* 7. hodieque præfecturæ Arverniæ accensentur, ejusque Rectori unà cum Gabalis parent. A Strabone gentibus 14. inter Garumnam & Ligerim sedes habentibus, & Julianæ Aquitaniæ ab Augusto attributis adnumerantur, inter Helvios & Arvernos medii: Ptolomæo *Velauni* dicuntur, aliis aliter. Eorum urbs apud Ptolomæum Revellio, postea nomine populi assumpto, *Vellavi* quoque appellari cœpit, inter Aquitanicæ primæ civitates octavo & ultimo loco posita: quam novi scriptores opp. S. Pauliani *S. Paulian*, 2. leuc. à monte Anicio seu Podio celsissimo distans esse voluut. Sed quodcunque illa nomen tulerit, sive illâ eversâ, sive adhuc stante, illinc Episcopatus sedes in civ. Anicium seu Podium, quibusdam *Puy en Auvergne*, aliàs *Puy en Velay*, translata est: numerantque recentiores N...ir. ejus Episcopum, inter Archiep. Bituricensis suffragantes, septimum, Provinciale vero MS. Metropolitani sui potestati exemtum, & uni Episc. Romano peculiari quodam privilegio subjectum tradit. Unde Stephanus, *Dei gratiâ Aniciensem Episc. domini Papæ suffraganeum specialem*, se vocat, in literis An. Ch. 1223. Dicitur autem *Anicium*, quòd Anicio, monti editissimo, uno è dorsis montis Cebennici, non procul à Ligeri, impositum; *Podium*, quòd in monte structum: hac enim voce Galli montem locumve celsiùs notare indigitant. Pago *Vellavo* ac Diœcesi præter Podium, Espalieum, Fabia *Fay*, & Castellum Novum continentur. De Podio videntur intelligendi versus Lucani:

—— —— *Quà montibus ardua summis*
Gens habitat cana pendentes rupe Cebennas.

Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Vide etiam in voce *Velauni* & *Vellauni*.

Vellaunii, Vid. *Velauni*, pop. & urbs Aquitan. ad mont. Cemmenum, Arvernis, Gabalis, & Ruthenis finitimi, quorum reg. *Velay*.

Vellaunodunum, op. Gall. Celt. quod Cænalis & Ortelius idem faciunt *Antissiodoro*. Anton. & *Autrico* Ptol. Aliis est *Chasteau landon*, teste Vigenerio. Aliis *Veron* apud Senones. Baudrando opp. Senonum in Gall. Lugd. Nunc *Chasteau Landon*, op. Vastinii tractus, medium inter Antissiodorum ad Eur. & Autricum ad Circ. 4. leuc. à Montargio in Bor. Lutetiam versus, 11. ab Agendiço Senonum.

Velleda, virgo nationis Bructeræ, latè iis gentibus imperitabat: vetere Germ. more, quo plerasque fœminarum fatidicas & augescente superstitione arbitrantur Deas. Tacit. *Hist.* 4. 61.

Vellejacium, circa Placentiam, in collibus, opp. Plin. in Italia.

Vellejus Paterculus, Historicus Rom. sub Tiberio. Gente Neapolitanus, avum habuit Pompeji & Claudii Neronis gratiâ florentem; qui cum eum, in Siciliam bello civili secedenrem, sequi non posset, indignabundus seipsum interemit. Pater ejus Præfectus equitum in Germania fuit, in quo munere ipsi successit, postea Tribunus militaris, Quæstor, tandem Legatus Tiberii, in Germania & Pannonia factus, Magium Celerem Vellejanum fratrem collegam nactus est. Dein Epitomæ Historicæ libb. 2. incubuit, cujus magna pars periit. Exactè hic tempora observat, originem urbium & fata exponit, viros illustres egregiis elogiis ornat. Stylus ejus suo seculo dignus: sed quòd nimis Augusti partibus faveat, Tiberiumq; atque etiam Sejanum immeritis laudibus ornet, reprehenditur, V. Aventin. *L.*1. *Annal.* Voss. *de H. L. lib.*1. Alios hujus nominis V. apud Cicer. Plin, Priscian. &c. Consul hujus nominis, sub Claudio Imp. Senatusconsulto *Vellejano* nomen dedit, quod in mulierbis sexus gratiam factum est.

Vellica, urbs Cantabrorum mediterr. Ptol. Flor. *c. ult.* *Victoria* Villanovano. Nunc fortè *Trevino*. Baudr. V. *Velica*.

Vellocatus, armiger Venutii seu Venusii, quem Cartismandua, Brigantum regina, spreto marito, in matrimonium regnumque accepit. Tacit. *Hist.* 3. 45.

Vellus aureum, Ordo Eq. institutus à Philippo Bono, Burgundiæ Duce, in nuptiis cum Isabella Lusitanica, Brugis Flandriæ celebratis, An. Ch. 1429. Numerus equitum primò erat 24. dein ad 31. excrevit, ipse Dux Caput & Magnus Ordinis Magister fuit, quam dignitatem, ad successores voluit propagatam. Gerebant equites pallium ex purpura, muris pontici exuviis suffultum, quod postea mutatum, cum torque, in quo litera *B.* Burgundiæ index, conspicua & duo filices, inter se collisi flammam elicientes: additis verbis, *Antè ferit, quàm flamma micet.* De torque pendula ovis seu vellus aureum, cum lemmate: *Pretium non vile laborum.* Hodie omnibus ex Austriaca familia Principibus, qui descendunt ex Maria, filia Caroli, ultimi magnorum Burgundiæ Ducum, communis est. V. Chiffletium *Insign. Equit. Ord. Vell. Aurei.* Jac. Marchantium *lib.* 3. *Hist. Flandr.* Miræum *Orig. Ordin. Equestr. libr.* 2. *cap.*1. Favinum *Theat. d'honn. & de Cheval.* L. Golutum, Mezeræum, Morerium *Diction. Histor. &c.*

Velocasses, pop. Gall. Belg. in confin. Celticæ circa Sequanam fluv. Plin. 4. 8. Hos putat Ferrarius esse *Bajocenses* in Normandiâ; *Verocasses* autem, quos quidam cum prioribus confundunt, circa Sequanam locat: Cæsar enim eos inter Caletes & Veromanduos recenset: Fert. Baudrando *Velocasses* fuere pop. Gall. Lugd. in limite Belgicæ, inter Caletes ad Bor. Bellovacos ad Ort. Lexovios ad Occ. & Eburovices ad Mer. circa Sequanam, ubi nunc Diœc. Rothomagensis, demto tamen Caletensi tractu. Horum nomen quidam quærunt in utroque Vexino seu Vulxino, ubi etiam erat pars Velocassium. Eorum urbes erant Rotomagus, Briva Isara & Gisorium. Vide etiam *Veliocasses*.

Velona, vulgò dicitur Epiri civitas, quæ & *Apollonia*.

Velovocorum, civ. meminit Codex Theodos. in tit. de Veteranis. Ortelius conjicit *Bellovacorum*.

Velpi, montes Pentapoleos, in Afr.

Velta, gens Sarm. Eur.

Veluca, Ptol. Arevacarum in Hisp. Tarr. urbs, *Veluca* Anton. *Cannatanazor* Zuritæ, inter Uxamam & Numantiam 25. m. p. ex Itin. Anton.

Veluvia, Gall. *la Veluve*, tractus Geldriæ infer. ubi aliàs Marsaci pop. Terminatur à Sept. mari Austr. ab Ortu Isalâ, ab Occ. dominio Ultrajectensi, à Mer. Rheno. Ejus Urbes Arenacum, Hardervicum & Elburgum.

Vemania, Anton. locus inter urbem & Nuceriam, *Menavia* quidam malunt.

Vemania, oppidul. Sueviæ, *Wangen*; liberum, ad Argum super. fluv. 25. m. p. à Campoduno in Occ. Constantiam versus 32. circ. 12. à Lindavia in Bor. 60. ab Augusta in Afr. Deficit in dies.

Vempsum, Latii opp. *Valmontone* quibusd.

Venafrum, civitas Campaniæ, oleis abundans, in Samnii confinio: Episc. sub Arch. Capuano. Horat. 2. Carm. Od. 6.

—— *Viridiq; certat*
Bacca Venafro.

Mart. *lib.*13. *ep.* 95.

Hoc tibi Campani sudabit bacca Venafri.

Juvenal. *Sat.* 5.

Ipse Venafrano piscem perfundit.

Strabo *lib.* 5. Εὔελαιος ἐςὶ καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὸ Οὐέναφρον.

Plin. 15. 2. de oleo: *Principatum in hoc quoq; bono obtinuit Italia toto orbe, maximè agro Venafrano. Venafro* hodie dicitur. Nonnihil à Vulturno abest, in colle, in prov. Terræ Lab. cum tit. Princip. parva. Vix 5. mill. à confin. Com. Molisini in Occ. 10. à Liri flu. in Ort. uti à Cassino monte. Apud Venafrum fons acidulus est, calculosis salutaris, Plin. *l.* 31. *c.* 2. Hinc *Venafrius* & *Venafranus*, nomen gentis.

Venantius Fortunatus, dictus quoque Clementianus Honorius, Episc. Pictaviensis, gente Italus, Ravennæ studiis incubuit, inde Turones delatus Gregorio Ep. innotuit, postea Præsul factus est. Scripsit Poema libb. 4. de vita S. Martini: Item alia, cum vitis variorum SS. quæ omnia à Jesuita Christoph. Brouverio edita. Obiit ante Sec. 7. V. Greg. Turon. Bedam, *Hist. Eccl. Angl. l.* 1. *cap.* 7. Paul. Diaconum, *lib.* 2. *Hist. Longob. cap.* 3. Aimon. *Histor. Franc. lib.* 3. *cap.* 13. Sigebert. *cap.* 44. *de Scr. Eccl.* Vossium, Crinitum, Giraldum, &c.

Venantodunum, i. e. *venatorum mons*, ut scribit Lelandus, qui hoc Angliæ opp. sic vocat, quod vulgò *Huntington* dicitur.

Venaria, ins. parva in Sinu Formiano, Mela. In mari Tyrrheno. Plin. 3. 6.

Imperator, Reges, Duces.

Venceslaus, Imperator & Bohemiæ Rex, fil. Caroli IV. qui cuique Electorum 100000 Imperiales ex patrimonio Imperii solvit, ut filium Imperio admoverent. Factum id Ann. 1376. & Venceslaus successit Patri, An. 1378. Sed nullis, neque corporis, neque animi doribus insignis, Reip. negligens, depositus est, An. 1400. surrogato ei primum Friderico Duce Brunsuicensi, dein Roberto Palatino. Norimbergensibus sibi adhuc fidis juramentum remisit, hac lege, ut sibi aliquot plaustra generosioris vini Bacharacensis, summitterent: sic in Bohemiam suam reversus, inglorius, Obiit paralysi, An. 1419. regni Bohemici 55. æt. 59. Sub hoc

hoc Rege purior doctrina, quam Hussus prædicaverat, feliciter propagata est, connivente illo ac dicente, *Anserem hunc* (Huls) *aurea sibi ova parere.* Cromer. *lib.* 15. Erat hujus nominis quartus Bohemiæ R. Primus enim *Venceslaus*, cogn. Cœcus, quòd in venatione oculum amisisset, successit patri Przemislao, & post varias Fortunæ vices, Obiit A. 1253. æt. 47. regni 24. Pater Ottocari II. Avus

Venceslas II. cognom. Sancti, qui ipsi successit, An. 1278. an. æt. 8. sub tutela Othonis Longi, Marchion. Brandeburg. Postmodum Pragæ coronatus, An. 1297. ductâ Andreæ Hung. Reg. filiâ, à Polonis Ann. 1300. in Regem electus est. Filius ejus *Venceslaus III.* Olomutii occisus est, An. 1306. cùm Poloniæ regnum capessere vellet. Paulus Stranskius, *Bohem. Resp.*

Venceslaus, Bohemiæ Dux, patri Vratislao successit, An. 916. æt. 8. Matre Drahomirâ rerum satagente. Pietate inclytus, à fratre Boleslao, An. 928. in convivio occisus. Vide quoque *Wenceslaus.*

Vencheum, urbs prov. Chequianensis, undecima, in regno Sinarum, sub qua 5. urbes. Prope oram littor. Oceani Sin. cum portu capaci & emporio celebri. Martinius. Vulgò *Vengcheu.*

Venda, urbs Livlandiæ prov. in Livonia; Vulgò *Wenden.* Aliter *Vindovv*: Episc. facta à Sixto V. sub Arch. Gnesnensi. Ad amnem coga, qui paulo post in Teyderam fluv. cadit, 19. leuc. à Torpato in Aust. vix 4. à Conemburgo in Occ. Segevold. versus 5. Sub Suecis.

Vendera, locus Gall. in pago Remensi, ad Matronam, hodie *Venditres*, S. Theoderico Abbati, à Theoderico R. Chlodovei M. fil. cum Gaugiaco collatus. *Vendi*, Vide *Veneti.*

Vendopera, locus Galliæ, in Lingonibus, vulgò *Vendeuvre*, à vendendo & opera dictus, villa dicitur à Ludovico Imp. S. Petro tradita, in Annal. Bertinianis an. 865. Hanc à Bosone occupatam ac Atemberto ejus vasallo, in beneficium datam esse, queritur Johannes IX. *in epist. ad Bosonem Princ.* Numeratur in Ludovico R. in literis An. Ch. 1119. inter Prioratus 45. ad Cluniacum pertinentes, in regno suo. Item *Vendœuvre*, prope Nancejum, in dit. Tullensi. Item locus in Cenomanis, Monasterio vet. clarus, *Vandeuvre.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Venedi, Ptol. *&*, pop. fuere Germano Sarmatiæ, valde extensi, inter Sarmatiam Eur. ad Ort. Germaniam ad Occ. Æstiæos ad Bor. & Bastarnas Peucinosque ad Mer. Sub quibus erant Venedi propr. Carpini, Phinni, Galindæ, Sudeni, Cætobogi, Igilliones aliique minoris notæ. Venedi autem latè sumpti erant, ubi nunc magnus Duc. Lithuaniæ. Cluver. Sanso, Brietius, Becmanno *Venedi*, seu *Vinidi*, à quinto seculo *Slavi*, ac *Slavini*, à nomine *Slava*, famam seu gloriam denotante, dicti sunt: eò quòd contra Romanos & finitimos, res magnas & præclaras gessissent, Crom. *cap.* 8. Origo obscura, cùm more bellicosarum gentium literas neglexerint: Implevere autem hi quidquid à Tanai & Volchda ad mare Adriaticum spatii interjacet: Slavoniæ in Illyrico regnum, pulsis Hunnis, constituerunt. Alia ipsorum manus *Venedi*, seu *Wendi* specia tim dicti, in regiones Vandalorum, inter Albim & mare Balthicum migrarunt, (unde Vandalorum ac Venedorum frequens confusio) condiderunt q; geminam Slaviam, Orientalem & Occidentalem, Vide Schurtzfleisch *in* ὑπομνηματίοις *suis Wittebergensibus, de rebus Slavicis.* Serviorum, gener s ipsorum, vestigia, loquitur in Anhaltinatu urbs Servesta: In Illyrio Ostrivoy regnum Slavoniæ condidit, & urbem cognom. ad Danubium, sicut aliam in Carniola *Slovingrad*, Germ. *Windischen Grätz* condidit. Nepos Selimir, expugnatâ Seodrâ, Regem le Dalmatiæ appellavit: ejus fratres Lech, Czech & Russus, circa An. Chr. 1050. in Bohemiam, Moraviam, Poloniam & Russiam colonias duxerunt, &c. *Histor. Orb. Terrar. Geogr. & Civil.*

Venedicus sinus, *Clylipenus* Plin. pars est maris Balt. in ora Prussiæ, versus Gedanum, & ostia Vistulæ, cujus pars inter Regiomontem ad Ort. & Marlæburgum ad Occ. dicitur *Frisch Haff*; pars ad Occ. versus Paulcum opp. *Pautzker vvick*, ab incolis.

Venedotia, pars Walliæ Bor. *Gvvineth* incolis, *Northvvales* Angl. sic dicta fuit à Roderico M. Walliæ R. qui An. 870. omnem Walliam in tres *Talaithas* seu regiones divisit. Venedotiæ caput erat Gadiva *Aberfravv*, opp. Monæ Insf. & divisa fuit in IV. partes: Nempe in Monam Inf. Arvoniam, Mervíniam & Mediam reg. seu *Bervedhrvvlad*, sub qua Comit. Denbighensis & Flintensis. Tota est montibus immensis, rupibus præruptis & ingentibus sylvis referta.

Veneli, Ptolem. melius *Unelli*, pop. Gall. Celt. quos Jul. Cæsar inter civitates Armoricas Oceanum attingentes reponit. Ptolem. autem eos locat inter Lexovios & Biducesios. Baudrando fuere pop. Galliæ Lugdun. ubi hodie tractus Constantiensis, *le Coutantin*, in intimo recessu Normanniæ infer. versus oram maris Brit.

Veneliocasii, pop. Gall. juxta Sequanam fluv. Ptolem. *Verocasses* Cæsari: quorum regio *Vulxin*, seu *Vexin*, & opp. primar. Gisorium à Bellovacis 5. leuc. in Ort. à Pontisara 6. in Bor. Vide *Velocasses.*

Venena, vulgò *Vanne*, fluv. Galliæ, apud Agendicum Senonum caput, in Icaunam influit, & in urbem inductus, vicos ejus purgat. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Venerabilis Beda, hac occasione dictus est. Fuit Romæ porta ferrea, in qua literæ *PPP. SSS. RRR. FFF.* quas cùm legere nemo posset, Bedæ Romam venienti, easque contemplanti, dixit quidam Romanus, *Quid aspicis Anglice bos?* Cui Beda, *confusionem vestram aspicio*: Literasque hoc modo declaravit, *Pater patriæ perditus est: Sapientia secum sublata est: Ruet Regnum Romæ: Ferro, Flammâ, Fame.* Quod audiens omnis pop. Romanus, dignum eum judicarunt honore, & *Venerabilem* appellandum censuerunt, J. Cajus *de antiq. Cantabr. Acad. pag.* 104. Rudolph. Remington *de gestis Regum Angl.* Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol. &c.*

Veneria, insf. à S. Venerio Abbate dicta, parva, in mari Tyrrheno; *il Giro* vulgò, vide *Venaria* Plin. Fuit etiam cognom. Siccæ, urbis in Africâ, & Nebrissæ urbis in Hispan. Bæt. teste Plin.

Veneris Fanum, Strab. Vide *Aphrodisium.*

Veneris Insula, vide *Aphrodites*, & *Lea.*

Veneris Portus, opp. oræ Ligusticæ, cum arce contra portum Erycis, Anton. Item, Baudr. *Port. Vendres*, portus peramplus Gall. Narb. in Comit. Ruscinonensi. Aliter *Veneris Pyrenææ portus*; ad radices Pyrenæorum, in ipso limite Hisp. & Cataloniæ, prope Caucoliberim, in ora maris Mediterr. Sub Gallis, ab An. 1642. à Rhoda 18. m. p. in Bor. Perpinianum versus 16. circiter.

Veneris Urbs, urbs & nomus Ægypti, Plin. *Aphrodites*, & *Aphroditopolis* Ptol. ad Nilum, inter *Lycopolim.* & *Crocodilopolim.*

Venerus, lacus ampliss. Gothiæ, in Suec. inter Ostrogoth. ad Ort. & Westrog. ad Occ. extensus ad 80. m. à Sept. in Mer. *lac Wener.*

Veneti, pop. Gall. Celt. olim *longè amplissimæ autoritatis, quòd & naves haberent plurimas, & scientiâ atq; usu nauticarum rerum cæteros antecellerent.* Cæsar *Comm. de bello Gall. lib.* 3. primùm à Britannis, metu Anglorum ac Saxonum & amore libertatis ex patria profugis, tributarii facti sunt; dein à Chlodoveo Reg. domiti, Francis per annos 90. subfuerunt: donec An. Chr. 578. à Waroco Britannorum Regulo recepti sunt, qui fusis Guntchramni copiis, *Venetiam* in potestate sua ita retinuit, ut usque ad Pipinum Reg. qui opp. Venetos An. Chr. 753. cepit, non alios dominos, quàm Britannos agnoverit: atq; ob id *Veneticam* regionem à Waroco Venetorum Comite, *Broguerec*, id est, Guereci regionem, appellatam esse scribit Auctor libri *de vita Gildæ Sap.* Nomeno jus postea Britannorum Rex, *Venetos* Carolo Calvo eripuit, regnoque suo adjunxit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Baudrando fuere, ubi nunc Diœcesis *Venetensis*, in parte infer. Britann. minoris, ad Occiduam oram Oceani Aquitanici. Eorum caput *Venetia*, seu Dariorigum *Venetorum*, item *Veneti*, nomine gentis assumpto, vulgò *Vannes*, urbs Episcop. sub Archiepiscopo Turonensi, prope æstuarium *le Morbihan*, satis lepida & culta, cum castro antiquo *l'Hermine.* In vet. Notit. in provincia Lugdunensi tertia vix septimo loco, non modò post Turonos & Cenomanos, sed etiam Redones, Andicavos, Namnetes, & Curiosolitas, numeratur, quod mirum habet Valesium, cùm tantæ olim auctoritatis & potentiæ, tam latè in Armorica quondam dominati sint Veneti. Vix 2. leuc. distat ab Oceano in Bor. 24. à Rhedonibus in Afric. & paulo minus à Namnetibus in Occ. Corisopitum versus 27. Hinc *Venetica* Insulæ, quæ nunc *Bellisle*, & aliquot minores ei adjacentes, in ora Austr. Britanniæ minoris.

Veneti pop. Italiæ, in Gall. Transpadana; quorum regio *Venetia.* Olim Tuscos per Galliæ Cisalpinæ partem istam sparsos separabat à Venetis fluv. Athesis; sed Tuscis per Gallos ejectis, factus est limes Venetiæ & Galliæ Cispadanæ alveus citimus Padi, vulgò *il Po d'Argenta*, quare à Propertio Eridanus Venetus nominatur. Olim etiam ab Histris separati sunt fluvio Timavo, postea fluvio Tilavempto à Carnis discreti sunt. Ad Adduam quoque fluvium olim Venetia pertinuisse perhibetur. Postea ultra Veronam non est extensa, teste Brietio. Sunt qui credant: Venetos dictos fuisse antea Henetos, fuisseque ubi hodie Marchia Tarvisina, pars Occidentalis Foro-Julii, agri Vicentinus, Patavinus, Ducatus Venetus, & minura pars Ferrariensis. Venetorum autem dominium hodie, seu ditio Veneta, *Stato della Republica di Venetia* Italis, *Estat de la Republique de Venise* Gallis, pars est ampla Italiæ sub dominio Reipublicæ Venetæ, ubi aliàs *Veneti* proprii, Carni, Istri, Cenomani, & Euganei populi. Terminatur à Septentrione Alpibus Carnicis & Juliis, ditione Tridentina, & Valle Tellina: ab Occasu Ducatu Mediolanensi, à Meridie Ducatu Mantuano, ditione Pontificia, & mari Adriatico, (quod Dux festo Ascensionis Domini, vel Dominicâ sequente, injecto annulo Reip. despondet, navi Bucentauro, *Bucintoro*, cum toto Statu, vectus: quæ ceremonia primùm usurpata An. Chr. 1311. aliis ejus initium ad Ann. Chr. 1167. rejicientibus, quo Alexander III. ob fidem contra Fridericum I. Imp. sibi præstitam, inter alia privilegia Venetis etiam hoc cessisse legitur:) quo etiam ab Ortu terminatur & Carniola provincia. Ejus partes sunt Istria, *l'Istria*, pro majori parte, Foro-Julium, *il Friuli*, seu *Patria di Friuli*, Marchia Tarvisina, *la Marca Trevigiana*, sub qua agri Tarvisinus, Cadorinus, Feltrinus, & Bellunensis. Ducatus Venetus, *il Dogado*, Peninsula Rhodighina, *il Polesino di Revigo*, & territoria Patavinum, *il Padouano*, Veronense, *il Veronese*, Vicentinum, *il Vicentino*, Brixianum, *il Bresciano*, Bergomense, *il Bergamasco*, & Cremense, *il Cremasco.* Ejus autem major longitudo ab Ort. in Occasum est 240. mill. pass. latitudo verò ubi major est, non excedit 100. mill. pass. Sed versus Benacum lacum & sinum Tergestinum valde restringitur, & Austriacis servat Comitatum Goritiæ atque Aquilejam in Foro-Juliensi agro, & multa loca Istriæ. Subsunt etiam Reipublicæ Venetæ ora littoralis Dalmatiæ, ubi urbes Jadera, *Zara*, Ænona, *Nona*, Spalatum, *Spalato*, Sebeni-

benicum, *Sebenico*, Tragutium, *Trau*, Clissa, *Clissa*, & Catara, *Cattaro*, insulæ Absyrtides, *Cherso*, Curicta, *Veglia*, Arba, *Arbé*, Gissa, *Pago*, Scardona seu Longa *l'Isola Longa*, Bratia, *la Brazza*, Pharia, *Liesina*, & aliæ quamplurimæ in ora Dalmatiæ & in mari Adriatico; atque insulæ Cephalenia, *Cefalonia*, Corcyra, *Corfou*, Zacynthus, *Zante*, cum aliquot aliis minoribus in mari Jonio & versus Epirum, uti Parga, *la Parga*, arx Epiri in ora littorali, Cythera insula, *Cerigo*, versus oram Australem Peloponnesi, & insulæ Tenos, *Tine*, ac Mycone, *Micoli*, in mari Ægæo; & tandem arces Suda, *la Suda*, Spinalonga, *Spinalonga*, & Grabusia, *les Grabuses*, juxta oram Borealem Cretæ insulæ, quæ nuper occupata fuit à Turcis, cùm antea subesset dominio Reipublicæ Venetæ, uti Cyprus insula, Eubœa, insulæ Archipelagi pro majori parte, Peloponnesus, & Albania. Sed hæc omnia nunc subsunt dominio Turcarum à plurimis annis: cum quibus, in Archipelago, Tenedum, Lemnum, *Metellino*, *Scio*, *Negroponte*, *Lango* & Rhodum communi ferè imperio dividunt, tributum 150000. aureorum circiter quotannis ab illis exigentes: Turcâ interim sui non oblito, prærogativam tamen Venetis relinquente, quippe quos potentiâ nauticâ se novit superiores. Historia gentis paulo altius repetita hæc est. Attilæ in Italiam olim ingressi, terrore longè lateque sparso, Veneti, inter quos multi Romani nobiles, in vicino mari, in *Rivo alto*, tutâ sede quæsitâ, ibi urbem condidere à vicina regione *Venetias* cognominatam, circa An. Chr. 452. qui ut inter utrumque Imperium liberi essent, conventum inter Carolum M. Occidentis, & Nicephorum Orientis Impp. de Imperii limitibus litigantes, An. Chr. 803. Hi postmodum Pipinum magnâ clade affecerunt, An. Chr. 810. Emanueli Imper. Orientis, pacem 15. centenariis auri vendiderunt, An. Chr. 1168. Fridericum Barbarossam Duce Ciano superarunt, An. Ch. 1175. (unde iis hodieque ritus, die Ascensionis Christi mare sibi injecto annulo despondendi) qui paulo pòst ibidem pacis gratiâ ad Alexandri III. Papæ pedes procubuit, ab illo superbè conculcatus, Sabellicus *Ennead. 9. libr. 5.* Maximè dein crevit eorum potentia, fœdere cum Balduino, primùm Comite Flandriæ, pòst Imperatore Constantinopolitano, inito, junctì enim Philippo Imper. Francis, & Balduino Flandro Alexium Comnenum, Isacii Imper. quem Alexius Angelus imperio & oculis privaverat, filium, in thronum evexerunt, Ann. Chr. 1203. mox eo à Murzuphlo obtruncato cum Francis novis se devincientes fœderibus, in hæc pacta ivere, ut quicquid esset sociis armis acquisitum, æquo jure divideretur. Hinc de novo Constantinopoli occupatâ, Balduinum in solium evexerunt, sibi verò omnes maris Ægei ac Jonii insulas & in iis Candiam, quam Alexius dein ab Insulanis spontè oblatam, Bonifacio affini suo ex Marchionibus Monferratensibus cesserat, acquisiverunt. Eundem dein, à Theodoro Lascare & Johanne Ducâ, obsessâ Constantinopoli, in summas angustias redactum, Ann. Chr. 1248. liberarunt. Per Genuenses à Michaele Palæologo oppugnati sunt, An. Ch. 1273. à Clemente V. excommunicati, Franciscum Dandulum Ducem miserunt, qui *Canis* initar sub Pontificis mensa jacens, veniam emeruit, An. Chr. 1310. Eosdem vicit Ludovicus Hungariæ Rex, Dalmatiâ recuperatâ, An. Chr. 1358. Johannes quoque Imper. Or. à filio Andronico, in gratiam Genuensium, oppugnatus eos deseruit, circa An. Chr. 1380. unde ad extrema redacti, mox ex despe ratione resumptis animis, adeò fortiter restitere, ut hostes pacem, quam ante spreverant, capesserent: usi tum primùm Veneti bombardis tormentisque à Bertholdo Nigro Monacho Germano inventis. Johannem Imper. à quo Thessalonicam muneri accepere, frustra contra Amurathem Turc. Imper. adjutum ivere, An. Chr. 1430. à Philippo Mediolanensi mari victi; Ann. Chr. 1431. Franciscum Sfortiam post hæc stipendiarium habuere, qui Ducatum Mediol. ductâ Blancâ suum fecit, An. Chr. 1438. A plurimis dein Europæ Principibus Maximiliano nempe Imper. Pontifice, Galliæ, Hispaniæq; Regibus, &c. impetiti, totâ Continente, Venetiis exceptis, exuti sunt, nec tamen Turcico auxilio uti voluere; verùm confœderatis prudenter inter se commissis, sensim omnia recepere, An. Chr. 1507. Legibus latis, An. Chr. 1606. quibus Clericis fibula injecta, imò hi sub jurisdictionem Reipubl. vocati sunt, Paulo V. Pontifice offenso, ab hoc excommunicati, more solito in tota ditione sua sacra peragi jussere, quod strenuè toto dissidii tempore factum. Mox Jesuitæ æterno exilio mulctati, & ad bellum omnia parata sunt: Sed Henricus IV. Gall. Rex, misso Jousa Cardinali, ne res in nervum erumperet, effecit, pax itaque facta, An. C. 1607. & Veneti excommunicationi exempti, nec obtenta tamen Jesuitarum restitutio: nisi demum sub Alexandro VII. sed severis legibus circumcisa. Dein cum Archiduce Ferdinando iis ob Croatarum excursiones negotium, pace An. 1618. conclusâ. Diuturno nuper admodum cum Turcis defuncti bello, post res præclarè terrâ marique gestas, Candiâ tandem cesserunt, aliquot tamen in illa locis adhuc pace initâ retentis. Eorum caput Dux est, quem eligunt, ipsorum linguâ *Doge*, cui titulus datur, perinde ac Reipubl. Serenissimi ac Celsissimi, idque ratione trium regnorum, Cypri, Dalmatiæ & Candiæ. Ejus peculiare insigne galerus est Ducalis, pyropo fulgentissimo conspicuus, longiusculè acuminatus ac in tempora modicè flexilis; quem tempore inaugurationis, in saxo mediocris eminentiæ, quod *Scalas gigantum* nominant, capiti indit. Præcipua penès Senatum, quem 120. Senatores absolvunt, è quibus 60. ordinarii, totidem *della Gionta* appellantur, auctoritas, Ducis tamen nomine emittuntur mandata, nummique cuduntur. Ab omni regiminis participatione Ecclesiasticos excludunt, unde & Hermolaus Barbarus exilio damnatus, quòd legatus ad Papam, in Cardinalium collegium se recipi sustinuisset. Nihilominus Fr. Paulus Sarpius Servita elogium *Consiliarii Reipubl.* meruit. Cœterum Senatui adjungitur Consilium magnum Patriciorum, seu Nobilium, quos pro re nata augere amant. Inter cives honorarios non ita pridem assumsere Johan. Fridericum Ducem Brunsvic. & ante hac Ferdinandum IV. Rom. Reg. Thesauros possident celeberrimos, sed quos radicibus destitui, Legatus Hisp. aliquando cavillatus est. Patriarcham habent, qui supremum in ditione ipsorum in rebus sacris caput est, *Patriarcham de Grado* appellatum, in quam dignitatem ab Eugenio III. primùm evectus fuit, Ann. Chr. 1354. Olim S. Theodorum patronum habuerunt: hodie Divus ipsis tutelaris Marcus Evangelista, Alexandriâ allatus, cui & templum magnificum dedicatum: hujus insignia, Leonem nempe alatum, cum verbis: *Pax tibi Marce Evangelista* assumpsere; ab eoque præterea peculiarem militiam seu ordinem Equestrem instituere, cujus membra *Equites D. Marci* vocantur. Porro in militia terrestri externum præficiunt, &c. Vide Becmannum *Hist. Orbis Terrar. Geograph. & Civil. cap. ultimo*, & infrà in voce *Venetia*.

Urbes Venetorum in Italia:

Ægida. Vide *Justinopolis*.
Æmonia. Vide *Civitas nova*.
Ateste, *Este*, olim Episcopalis, nunc oppidulum.
Belunum, *Cividad di Belluno*, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
* Bergomum, *Bergamo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Mediolanensi.
* Brixia, *Brescia*, Episcopalis sub Archiepiscopo Mediolanensi.
Caprulæ, insula cum urbe Episcopali sub Patriarcha Aquilejensi, *Caorle*. Parva est admodum.
Ceneta, *Ceneda*, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
Civitas nova, *Citta nova*, gemina; una Venetiæ, altera Histriæ. Paucis constant incolis.
Clugia, *Chioza*, Episcopalis sub Patriarcha Veneto, olim *Clodia Fossa*.
Concordia, sic vulgò: sedes in Portu Romatino sub Patriarcha Aquilejensi. Parva est.
Crema, sic vulgò, Episcopalis recens sub Archiep. Bononiensi.
† Equilium, *Jesolo*: sedes ad urbem novam. Excisa est.
Feltria, *Feltri*, Episcopalis sub Aquilejensi Patriarcha.
Forum Julium, *Cividal del Friuli*, sine sede.
Fossa Clodia. Vide *Clugia*.
Gradus, *Grado*, olim Patriarchalis sedes Venetias translata. In ruinis penè jacet.
† Hadria, *Adri*, sedes Rhodigii sub Archiepiscopo Ravennate. Interiit.
Justinopolis, *Cavo d'Istria*, Episcopalis sub Patriarch. Aquilejensi. Melius dicitur *Capo d'Istria*.
Opitergium, *Uderzo*, olim Episcopalis, pro quo Ceneta.
Palma, *Palma la nuova*, urbs recens & munitissima Foro-Julii.
Parentium, *Parenzo*, Episcopalis Histriæ sub Patriarcha Aquilejensi.
* Paravium, *Padoua*, Academia, & Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
Piscaria, *Peschiera*, urbecula permunita agri Veronensis, ad lacum Benacum.
Pola, sic vulgò, Episcop. Histriæ sub Patriarcha Aquilejensi.
Tarvisium, *Treviso*, Episcop. sub Patriarcha Aquilejensi.
Torcellum, *Torcello*, pro Altino, Episcopalis sub Patriar. Veneto. Parva est & ferè deserta.
* Venetiæ, *Venetia*, Patriarchalis, emporium, Respublica, & urbs prodigiosa.
* Verona, sic vulgò, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
* Vicetia, *Vicenza*, Episcopalis sub Patriarcha Aquilejensi.
Utinum, *Udine*, sedes Patriarchæ Aquilejensis, conventus juridicus Carnorum.
Interiere etiam Altinum, & Heraclia.

Venetia, regio Italiæ maxim. ab Adduâ fluv. (quo ab Insubriâ ad Occ. separatur) usque ad Timavum fluv. (quo ab Istris dividitur) protensa, Pado ad Merid. à Gall. Tog. divisa, Alpibus verò Rhæticis & Juliis ad Arctos à Rhætiâ & Norico separata, sub se Carnos complectens: tametsi Ptolem. Venetiam à Carnis distinguat. Pars occidua inter Adduam & Athesin fluvium, *Lombardia* nominatur, seu sub Longobardiâ continetur (Longobardia enim latius patet, Insubres & alios populos continens.) Inter Athesin & Liquentiam fluvium (qui Venetos dividit à Carnis) *Marca Trivisana* dicitur. Reliquum, in quo Carni & Foro-Julienses sunt, usque ad Timavum *Friuli*, & *la Patria* nominatur. Populi *Veneti* ab *Henetis* pop. Paphlagoniæ in Asia sic dicti, & derivati, ut multi tradunt. Vide suprà. Caput hujus reg. olim fuit *Aquileja*, nunc autem *Venetia*, de quibus vide *infrà*.

Venetia,

Venetia, urbs maxima inter stagna Hadriatica, post Aquileiæ excidium constructa super palis in terrâ sub aquâ defixis, & insulis parvis cohærentibus; ut inter orbis miracula meritò adnumerari possit, urbs libera, terrâ, marique longè dominans, emporium celeberrimum. Episcop. antea, nunc Patriarchatus, eò sede Gradensi translatâ, inter urbem Romam ad Mer. 290. & Viennam Austriæ in Bor. 375. mill. p. à Mediolano 165. in Ort. *Venice* Anglis, *Venedig* Germanis, *Venetia* Italis dicta: *Vinegia* etiam quibusdam, Reipubl. Venetæ præclarissimæ, optimis legibus constitutæ, & quæ Romanæ æmula, diutissimè perduravit, caput, pulcherrima, & ex 60. amplius Insul. in quarum illa, quæ *Realto* dicitur, primæ ædes conditæ leguntur, contexta, Baudr. Circuitus 9. mill. In ea æstus maris ad duos pedes intumescit, 500. pontes majori ex parte lapidei, quorum pulcherrimus, qui majorem canalem jungit, vulgò Pons Rivi alti, *il Ponte de Realto*, Ann. 1591. ex lapide Istriano ductus. Armamentarium habet percelebre, & portum celeberrimum, juxta Insul. adjacentes ad Ort. Sed mare tantisper ab ea recedit indies; à pluribus annis. Palatia in ea numerantur 140. Nosocomia 17. Parœciæ 67. Monasteria virorum 54. virginum 25. Statuæ è marmore 165. ex ære 25. &c. Ibidem Synodi habitæ sunt Ann. Chr. 1040. 1177. ubi Fridericus Barbarossa Imper. reconciliatus est cum Alexandro III. Pontif. Alia plura de hac urbe & gente, Vide apud Petr. Bembum *Histor. Venet.* Petr. Justinianum *Histor. rerum Venet.* Andr. Maurocenum *Histor. Venet. ab An.* 1521. *ad* 1615. Mich. Zappulum *Hist. di 4. Princip. Citta del Mondo*, Fr. Sansovinum *descript. Venet.* Nic. Doglionium & Paul. Parutam *Histor. Venet.* Augustinum Superbum *Triomfo d'Heroi ill. della Citta di Venetia*, Casp. Contarenum *de Rep. Venet.* Ant. Sabellicum *Hist. Venet.* Leandrum Alberti *Descr. Ital &c.* Iconem omnium Ducum usque ad Dominicum Contarenum extant, cum elogiis Leonis Matinæ, Monachi Casinatis: de quibus vide quoque Hadrian. Barlandum: Romanorum & Venetorum Magistratuum comparationem inter se instituit, Guerinus Piso Soacius JC. Goldastus res Reipublicæ Ecclesiasticas hujus seculi tractat *tom. 3. de Mon. S. R. J. &c.* Actius Sannazarius:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas quantum vis Jupiter arces
Objice & illa tui mœnia Martis ait;
Sic pelago Tybrim præfers; Urbem aspice utramq;
Illam homines dices; hanc posuisse Deos.

Quæ Lloydius ita Græcè reddidit:

Α᾿δελμαγὶς Βενετῶν ἰδὼν ἐν ὑδάτεσι Ποσειδῶν
Α᾿στυ ἑλῶσαι, ὅλῃ θεσμὰ τε θέσθαι ἁλί,
Νῦν μοι Ταρπείας ὅσσ', ὦ Ζεῦ, ἤθελες, ἄκρας
Εἰπὲ καὶ αὐτὰ τὰ τείχη Α᾿ρεῖος ἔφη·
Ω῾ς πελάγεος Θύμβριν προτιθῆς, πόλιας βλέπε δ' ἄμφω,
Τὴν ἀνέρας φήσεις, τὴν πῆξαι δὲ Θεούς.

Hinc *Venetus*: Silius *lib.* 8.

Nec non cum Venetis Aquileia perfurit armis.

Propertius:

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Venetus Paullus, Centurio Prætoriæ cohortis, per Subrium ac Sulpitium tribunos, in conjurationis contra Neronem societatem, principe C. Pisone, adscitus. Tacit. *lib.* 15. *cap.* 50.

Venetus lacus, *Celler. see* Munstero, & *Undersee* Scudo, lacus Sueviæ in Helvetiorum confinio, Mela. Aliter *Brigantinus*, *Podamicus*, & *Constantiensis*, German. *Boden see*, lacus est maximus, Baudrand. inter Sueviam & Helvetios, prope Constantiam, inter Brigantium in Eurum, & Uberlingam in Circ. per 40. mill. pass. extensus. Dicitur & *Obersee*, seu lacus superior, ad differentiam Acronii, seu Cellensis lacus, Cluver. Sanson, Briet. Vide *Brigantinus lacus*.

Venetus sinus, aliter *Mare Adriaticum*, & *Sinus Venetus*. Vide ibi.

Venezuela, pars Terræ firmæ, in America Merid. Terminatur à Septentrion. mari Boreal. ab Ortu nova Vandalitia; ab Occasu Gubernio fluvii Facis, *de la Hacha*, à Merid. Pariâ reg. Longa 300. mill. pass. circiter ab Ortu in Occasum. Caput est Corum, *Coro*, seu Venezuela, urbecula intra paludes, sub Hispan. cum tota regione, ubi rara oppida.

Venezuela Sinus, *Golfo de Venezuela ò de Coro*, inter Venezuelam prov. & Præfect. Facis, pars est maris Bor. per 80. mill. extensa, à Sept. in Mer.

Venicnium, *Ramshead*, teste Camdeno, promuntor. Hiberniæ in orâ Bor. inter Boreum & Rhobogdium promuntor. Hodie *Horrehead*, Speedo. In Ultonia, in ora Comit. Dungalensis, prope portum *Shepe*, 20. mill. pass. à Rapoa in Merid. Populi *Venicnii*. Ubi Comitatus Dungalensis hodie, in Ultonia ulteriori. Baudrandus.

Venilia, Nympha, uxor Fauni, & soror Amatæ Latini regis conjugis, mater autem Turni. Virgil. *Æneid.* 10.

Indignum est Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem & patriâ Turnum consistere terrâ,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater,

Item accessus maris. Varro: *Venilia, unda quæ ad litus venit: Salacia, unda quæ ad Salum redit.* Quibus nominibus incrementa maris reciproca & decrementa quotidiana designabant Romani. Vide Scaliger. *Append. ad Conjectan. Varron. pag.* 181.

Venloa, urbs munita & Hanzeatica Geldriæ superior. ad Mosam, in ipso limite Ducat. Juliac. Pluries capta & recepta ab Hispan. 3. leuc. à Ruremunda in Bor. paulo minus à Geldria urbe in Africum. Vulgò *Venlo*.

Vennenses, pop. Hisp. Tarrac. Mela, quorum opp. *Duegna* videtur Pineto, ad Pisoracam fluv. in Vaccæis, inter Palentiam, 2. & Vallisoletum in Mer. 6. leuc.

Vennona, Anton. oppidum Albionis in Angliâ inter Benoaventam 17. & Etocetum 18. m. p. à Lindo 63. in Occ. à Londinio 75. in Circ. Camdeno videtur esse *Highcross*, pagus agri Leicestrensis, non longè à *Bensford bridg* distans.

Vennonii, *Venones*, Plin. *Vinnones*, Ptolem. oppidum Rhætiæ. Strabo, qui eos inter Vindelicorum ferocissimos numerat: Horum reg. *Vinstgovv*, & *Engadin* dici, scribit Tschudus. *Venusta vallis* dicitur Luithprando, per quam Oenus principio decurrit. V. Joh. Bapt. Plantinum *de var. Alpium populis*.

Vennonetes, populi Rhætiæ Alpini in Italiæ confinio, Plinius, quorum regio *Veltlin* Germanis dicitur, à castro eminentissimo Tilia. Vallis est cultissima, in cujus summitate Addua fluvius, è jugis Bormianis oritur, & in Larium per vallem defluit. Habet hæc ab Ortu Sarunetes atque Vennones, à Merid. Camunos: atque ut Dion *lib.* 54. scribit, tam Camuni, quàm Vennonetes, à Publio Silio, auspiciis Augusti Cæsaris in servitutem redacti sunt, Ann. Urb. Cond. 737. Lucio Domitio & Publ. Scipione Consul. Habitatam tradunt anno post diluvium 675. sub Campo Blascone, aliisque Hetruscis Principibus, Tyrrhenamque vallem denominatam, à Tyrrhenis, à quibus eximia Civit. Volturena in infima vallis parte, ipsisque lacus Larii faucibus extructa sit, indeque illustres ejus incolæ, *Volturheni patres* in historiis vocati, Sprecherus *Pall. Rhæt. lib.* 10. Merula *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. *&c.* Vide quoque *Telina Vallis*.

Venonius historicus, Tullio celebratus *lib.* 12. *ad Atticum*: *At molestè fero, Venonii historiam me non habere.* Exilem fuisse, ostendit ejusdem Cicer. locus *in* 1. *de Legg.* *Si ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium venias: quid tam exile quàm isti omnes.* Vide Voss. *de Hist. Lat. pag.* 726.

Venox, ita dictus est Cajus Plautus, Censor cum Appio Claudio Crasso, An. U. C. 441. ob inquisitas aquæ venas.

Vensiensis urbs, meliùs *Vintium*, Nerusiorum caput, in Gallia Narbon. hodie *Vence* Gallis, *Venza* Italis; Urbs parva Provinciæ, sed Episcop. sub Archiepisc. Ebrodunensi, 3. leuc. à Nicæa in Circ. 2. à Varo fluv. in Occ. Grassam versus 4.

Vensilia. tractus Jutiæ Septent. in Diœc. Alburgensi, vulgò *Vensussel*; in modum penins. inter Scagense promunt. ad Bor. & Limicum sin. ad Mer. aliàs *Burglavia* dictus. Brietius.

Vensilia, oppidul. Diœc. Alburgensis. Aliàs *Burgla*, 20. m. p. ab Alburgo in Occ. Vide paulo antè.

Venta Belgarum, vulgò *Winchester* Anglicè, *Caer Gwent* Britannicè, *Wintanchester* Saxonicè, urbs Belgarum, in Albione, in Angliâ, Episcopalis sub Archiepiscopo Cantuariensi, in Hantonia Comitat. ad amnem *Iching*, 15. mill. pass. ab ora maris Britann. in Bor. inter Londinium ad Ort. 52. & Exon. ad Occid. 90. mill. pass. à Sarisberiâ 20. ad Ort. *Vintonia*, rec. Vide ibi. Item urbs Angl. Episc. & emporium præclarum ad ostia Sabrinæ fluv. quam Bristolium hodie *Bristovv* vocant.

Venta Icenorum, quæ videtur *Venta Simenorum* Ptolemæo, sed malè, Camd. *Norvich*, teste Prilæo, urbs Albionis in orâ Angliæ Orientali, à Londinio 80. mill. pass. in Eurum, à Cantabrigiâ 4. in Ort. in Norfolciâ reg. Nunc *Caster* Camdeno, seu Castor, pagus Norfolciæ, 3. milliar. Angl. à Norvico in Merid. uti 75. à Londino in Cæc.

Venta Silurum, Camdeno & Lhuydo *Caer Went* oppid. Walliæ Comit. Monumetens. Bristolio adversum, in alterâ ripâ Sabrinæ, non procul ab ostiis Rhatostathybii fluvii.

Ventadurea, seu *Ventadorum*, vulgò *Ventedorn*, oppidum prov. Lemovicensis, cum tit. olim Vice Comit. dein Com. nunc Duc. ad amnem *Louesse*, vix 2. leuc. à Duranio fluv. & à confinio Alverniæ superior. 7. à Tutela in Ort. *Ventadour*, Baudrando. Comitis *Ventadorensis* Bernardi, meminit Justellus, in familia Comitum Arvernorum, circa An. Chr. 1375. Est & *Ventatorium* in Gothia, circa Montem Pessulanum, locus ventis expositus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ventedora, vide *Ventaduren*.

Ventia, Dion. Vide *Vensiensis urbs*.

Ventia Allobrogum, *Vinay*; Dioni memorata, ubi de Caji Pomptini victoria scribit, nunc castrum est Galliæ, in Diœcesi Gratianopolitana seu Cularonensi. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Sollinienfium civitas*.

Ventidius Bassus, ex Picentibus, loco humili natus, triumphante Pompejo Strabone antè currus in sinu matris captivæ actus est, sordideque victum quæsivit & invenit comparandis mulis ac vehiculis: Sic cum Cæsare in Gallias profectus, & post Consulatum

Pontificatum quoq; adeptus, tandem de Parthis ipse triumphavit, Suetonius apud A. Gellium *lib.15. cap.4.* Plut. *in Antonio, &c.* Juvenal. *ad Satyr.7. vers.199.* *Ventidius ex mulione Cæsaris*, inquit, *Dictatoris, opitulante Antonio & Augusto, usq; eò provectus est, ut ei crederetur Parthicum bellum.* Poëta incertus:

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum insusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Juvenalis *loco jam laudato:*

Ventidius quid enim, quid Tullius? anne aliud quàm
Sidus & occulti miranda potentia Fati?
Servis regna dabant, captivis Fata triumphum.

Ventidius Cumanus, Galilææ Procurator, quia seditionem provinciæ aluerat, à Quadrato Syriæ Præside, damnatus est. Tacitus *lib.12. cap.54.*

Venulus, unus ex Latinorum proceribus, qui in magnam Græciam legatus missus, ut Diomedem in belli societatem ascisceret, re infectâ rediit. Virgil. *Æn.* 8.

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, & doceat quæ causa petendi.

Venus, ab antiquis amorum, gratiarum, pulchritudinis, deliciarum, voluptatumque omnium habita est Dea: ita dicta à *veniendo*, quòd ad omnes res *veniat*, ut auctor est Cicer. *lib.2. de N. D.* Hanc poëtæ, ex spumâ maris & Cœli testiculis natam fabulantur, à Saturno excisis & in mare projectis, unde & ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, hoc est, *à maris spumâ*, *Aphroditem* appellarunt. Ovid.

—— *Venus orta mari mare præstat eunti.*

Musæus:

Ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης.
Καὶ κρατέει πόντοιο καὶ ἡμετέρων ὀδυνάων.

Fertur in conchâ magaritarum feraci fuisse concepta, in quâ etiam navigavit in Cyprum, quare cùm de formosâ muliere loqueretur Venus, apud Papinium, illam dignam esse inquit, quæ sua esset soror, & in eâdem conchâ navigaret:

Hæc & cærulei mecum consurgere digna
Fluctibus, & nostrâ potuit considere conchâ.

Simulachrum ejus varium fuit: Interdum eam effinxerunt puellam in concha ex mari exeuntem; Interdum mulierem manu concham tenentem, rosisque cinctam, ponè quam Charites & utrinque Cupido ac Anteros. Curru etiam nonnunquam vehebatur, columbis tracto, quibus illi quoque litari mos: ob volucris hujus puritatem & castitatem. Alii cygnis illam vehi tradunt. Plutarchus *in præc. connubial.* scribit, eam testudinem pede calcantem Eleis Phidiam effecisse, ut domesticæ custodiæ & silentii mulieribus symbolum esset. Vide Euseb. *de Præp. Evang. lib.3.* Alii illam superiore parte, cingulo tenus, virum, inferiore fœminam, repræsentarunt. Unde sexus ejus ambiguus, vide infrà. Porro 4. Venerum meminit Cicero *lib.3. de N. D. Venus*, inquit, *prima Cœlo & Die nata: cujus Elide templum vidimus. Altera spumâ procreata, ex quâ & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus. Tertia Jove nata & Dione, quæ nupsit Vulcano, sed ex eâ & Marte natus Anteros dicitur. Quarto Syria, Tyroq; concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse proditum est.* Hæc ille: Pausanias verò, *in Bœoticis*, tres *Veneres* fuisse scribit, quarum una *Cœlestis*; altera *Popularis*, tertia *Apostrophia* dicta est. At Plato, *in convivio*, duas esse Veneres, & duos Cupidines inquit in his: Πάντες γὰρ ἴσμεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ ἔρωτος Ἀφροδίτη. τοιαύτης δὲ μιᾶς μὲν οὔσης, εἷς ἂν ἦν Ἔρως. Ἐπεὶ δὲ δύο ἐστὸν, δύο ἀνάγκη καὶ Ἔρωτε εἶναι. Πῶς δ' οὐ δύο τὼ θεὰ, ἡ μέν γε που πρεσβυτέρα, καὶ ἀμήτωρ, Οὐρανοῦ θυγάτηρ, ἣν δὴ καὶ Οὐρανίαν ἐπονομάζομεν, ἡ δὲ νεωτέρα, Διὸς καὶ Διώνης, ἣν δὲ Πάνδημον καλοῦμεν. Deam hanc, ut & Martem, religiosè coluerunt Romani, atque ab ea originem ducere videri voluerunt: fingentes ex ea & Anchise natum Æneam: qua de causa in nummis quibusdam Mercurium expresserunt, deducentem Venerem ad Anchisem: Hinc & plurimis cognominibus ac templis eam honorarunt. Dicta enim illis *Alma*, id est, sancta seu pulchra, cui ædicula fuit, in regione XII. *Calva*, cui ædes consecrata, postquam, Capitolio à Gallis obsesso, ex mulierum capillis tormenta fecissent Romani: *Capitolina*, cujus meminit Sueton. *in Caligula & Galba. Cluacina*, à cluere, quod antiquâ linguâ pugnare significat: Huic templum vovit & construxit Titus Tatius Rex, in ea fori parte, quâ Romani & Sabini, armis depositis, pacem inierunt. *Erycina*, ab Eryce monte Siciliæ, ubi Æneas matri templum erexit: Eidem Q. Fabius Maximus Dictator ædem vovit, Liv. *lib.22.* iterumque idem creatus Duumvir in Capitolio eam dedicavit, Liv. *lib. 23.* Fuit & alia ejus ædes, apud portam Collinam, vota à L. Porcio Livio Conf. bello Ligustico, & ab eodem Duumviro dedicata eo anno, quo Aquileia Colonia Latin. in agro Gallorum est deducta, Liv. *lib.40.* Quod templum ex nominatissimis fuisse, refert Appianus *Bell. Civ. lib. 1. Genitrix*, cui templum ante pugnam Pharsalicam vovit, & potitus victoriâ, in foro suo posuit Cæsar, eique spolia, uti thoracem de margaritis Britannicis, dedicavit. In hoc postea Augustus statuam æneam Cæsari Divo cum stella crinita, supra caput ejus fulgente, quia ejusmodi, post mortem ejus, stella visa est, collocavit, Dio *lib.43.* Appian. *de bell. Civ. lib.2. &c. Libentina*, cui puellæ, annos pueritiæ egressæ, pupas dicare solebant, Persius. *Libitina*, cujus ærarium Servius Tullius instituit, in quod pro defunctis certi pretii nummi inferrentur, Dionys. *lib. 4.* In ejus templo, quæ ad funera pertinebant, vænire solebant. *Murtia*, vel *Myrtia*, cui ædes fuit in regione XI. teste Victore. *Placida*, cujus ædicula fuit, in regione V. *Romana*, cui delubrum fuit, in via sacra, inter singularia & admiratione digna loca, recensitum Marcellino. *Verticordia*, cujus ædes extra portam Collinam, viâ Salariâ fuit. *Victrix*, cui ædem dedicavit Pompejus, altero Consulatu, editis celeberrimis & sumptuosissimis ludis, Plutarchus *in ejus vita.* Ut nihil dicam de Venere custode hortorum Sallustianorum: neque de Jovis Ultoris templo, quod prius Veneris & Martis dictum fuisse Dio scribit. Vide de his plura apud Nat. Com. *lib. 4. cap. 13.* Thom. Dempsterum *Antiq. Rom. lib. 2. cap. 10. &c.* Athenis duplex Veneri templum sacrum erat, unum τῇ οὐρανίᾳ· alterum τῇ πανδήμῳ. Deum an Deam dicerent, ambigui hæsere antiqui: Unde Juven. *Sat. 2.*

Pollentemq; Deum Venerem.

Et Aristophanes hoc numen Ἀφρόδιτον, in masculino genere vocat. Vide Franc. Rossæum *Archæol. Att.* Est item *Venus*, una errantium stellarum inter Solis & Mercurii sphæras sita, quæ Φωσφόρος Græcè, *Lucifer* Latinè dicitur, scil. cùm Solem antegreditur: cùm autem eundem subsequitur, *Hesperus*, & *Vesper*, & *Vesperugo*. Venus aliquando pro *amasiâ*. Plaut. *Curcul.* 1. 3. *Tun' meam Venerem vituperas?* Idem *in Pænulo* 1. 2. *Hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet posthac propitia.* Lucret. *lib.4.*

—— *Nec Veneres nostras hoc fallit.*

Id est:

Nec hoc ignorant nostræ puellæ.

Vigilius *Eclog.* 3.

Parta meæ Veneri sunt munera.

In tesseris felicissimum jactum, aliis quoque *Basilicum* dictum, Venus notavit:

—— *Venus arbitrium*
Dicet bibendi, Horatius.

Consurgebat autem Venus ex talis quatuor jactatis, ubi diversam omnes ostendissent faciem, Cæl. Rodig. *lib.10. cap.27.* Vide & Turnebum *Advers. lib.5. cap.6.* Nomen ejus quod attinet; Suaviter, inquit Seldenus, de Diis Syris, forsan iis insanire viderer, qui has literas, & quicquid non est ultro obvium oscitantibus, nimium temnunt, si *Veneris* nomen בנות *benoth*, in Succoth Benoth peterem. Nemo tamen est, qui nesciat, facillimam & frequentissimam esse elementi *B.* in *V.* migrationem. Quòd si *T.* finale per *S*, ut Judæi hodierni, pronuncies, tum *Venos* in *Benoth* expressissimum habes: Et *Binos* Græcâ pronuntiatione est *Venus* nostrâ. Sane Suidas: Βῖνος, ὄνομα Θεᾶς. Etiam *VENOS GEN.* pro *Venere Genetrice* legitur, in Nummis Juliæ Augustæ Septimii Severi uxoris, si fides Adolpho Occoni, cujus Numismata consulas *pag.* 366. Ita *Benoth* ipsum etiam Numen denotabat, & *Succoth* tabernacula, seu ædes ejusdem. Vide plura, apud ipsum authorem *Synt.2. cap.7. Venus à veniendo* dicta putatur Ciceroni *lib. 2. de N. D.* quem sequitur Arnobius *lib.3. Quòd*, inquit, *ad cunctos veniat, Venerem cognominatam.* Vide sis Fungerum in *Venus*, & Vossium in *Venustus.*

Venus Pyrenæa, Strab. Plin. opp. olim & promuntor. Hispan. cit. in confinio Gall. Narb. *Cabo de Creuz.* Vide *Aphrodisium.*

Venusia, Ptolem. opp. Apulorum Dauniorum, non procul à finibus Lucaniæ, Episcop. sub Archiep. Acherontino. *Ven[illegible]* nunc, urbs Basilicatæ, ad radices Apennini, parva, cum tit. Princ. gentis Ludovisiæ, 12. m. pass. ab Acherontia in Bor. 45. à Bano in Occid. Compsam versus 25. Inter Neapolim ad Occ. ac Tarentum in Eur. 75. m. p. utrinque. Horatii patria, qui ideo *Venusinus* dictus est. Sic enim ipse *Sat. 1. lib. 2.*

—— *Sequor hunc Lucanus an Appulus, anceps*
Nam Venusinus arat finem sub utrumq; colonus.

Straboni Οὐενουσία. Plutarcho Βενουσία dicitur.

Venutius, è Brigantum civitate, fidus diu & Romanis armis defensus, cùm Cartisinanduam reginam matrimonio teneret, mox orto dissidio & statim bello, etiam adversus Romanos hostilia induit. Tacit. *lib. 12. cap. 40. Venusius* quoque scribit idem, *Hist. lib. 3. cap. 44.*

Vepicus. Silius *lib.8.*

Vepicus quondam nomen memorabile ab alto
Saturno statuit genitor, quem carmine Circe
Exutum formâ; volitare per æthera jussit,
Et sparsit plumis croceum fugientis honorem.

Est autem *Vepicus*, *Picus parvulus*, ut *Vejovis* pro *parvo Jove*, & *vestibulum*, quod est *stabulum parvum*: nam *stabulum* quoque pro hominum statione ponitur, & Plautus *stabularium* pro *caupone* posuit.

Vera Crux, *Vera Cruz*, oppidum novæ Hispan. in America Septentrion. in *Tlascala* provinc. cum portu, in ora Sinus Mexican. Ei adjacet Arx S. Joannis *de Ulva*, triangularis & munita, in In[illegible] parva, ad tutelam portus, cum valdo præsidio Hispan. 80. le[illegible] à Mexico in Ort. & ferè 70. à mari Austr. in Bor.

Veragrani, vel *Peregrani*, populi Piceni, Plin. quorum opp[illegible] *Monte Fano*, F. Pamphilo, inter Auximum ad Arctos 5. & T[illegible]nam oppidum ad Austrum 7. mill. pass. Vel *Monte Granaro* [illegible]strum proximum.

Veagri.

Veragri, pop. Gall. Narbon. primò omnium Cæsari, inter Gallos, memorantur *lib.3. Comm. de bello Gall.* qui Nantuates, *Veragros*, Sedunosque à finibus Allobrogum & lacu Lemano ac flumine Rhodano, ad summas Alpes, pertinere scribit. In inscript. è trophæo Alpium prolata apud Plin. *lib. 3. cap.19.* Nantuates, Seduni, *Veragri*, Salassi ordine recensentur. Strab. illos cum Nantuatibus conjungit, prope Lemanum lacum, & inter Alpinas gentes collocat, *lib.* 4. Dio *lib.* 30. Cæsarem sequitur. Ferrario inter Allobroges ad Occ. & Sedunos ad Ort. apud Rhodanum fluv. Baudrando fuere pop. Galliæ Lugd. juxta Rhodanum, ubi nunc Valesia inferior, à Caballico tractu in Ort. tantisper dissita. De iis Simlerus: Post Sedunos Veragri imam vallem habitant, à Morsia flumine, ad fauces usque, quà Rhodanus egreditur, German. *Underwallisser.* Marlianus, inter montes S. Bernardi & Spligam illos locat. Horum loca celebriora & antiquiora Tarnadas, olim Agaunum monasterio nobile, gentis caput, secundùm Volaterranum *lib.* 3. Marlianum *in Cæs. &c.* hodie S. Mauritii S. *Moritz*, 12. m. p. ab Octoduro & Octodurum, quod hodie Martiniacum, vulgò *Martmach im Wallis*, Gall. *Martigny*, ad Dransæ & Rhodani confluentes, caput Vallensium, secundum Guillimannum & Episcopatus sedes. Hoc vicus primum, dein civitas fuit, duas in partes Dransâ fluv. divisa, teste Cæsare *lib.* 3. tandem Episcopatus facta, in provincia Alpium Grajarum & Penninarum, post Civ. Centronum Darantasiam seu Metropolim, secunda, ad Peninas pertinens. Ejus Episc. Theodorus interfuit Concilio Aquilejensi, sub Gratiano, Valentiniano & Theodosio Impp. habito: Constantius Synodo Epaonensi, Rufus Conciliis Aurelianensibus, 4. & 5. & Arvernensi secundo, &c. sed postea Sedunos sedes Episcopi translata est: unde Concilio Matisconensi secundo, interfuit *Heliodorus Episc. à Sedunis*, An. Ch. 595. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* Joh. Bapt. Plantinum, qui varias his in locis inscriptiones & antiqui ævi monumenta, eruit, *in Helv. nov. antiq.* Simlerum *de Vallesia. &c.* Hodie populi hi, post diuturna cum Sedunis & Viberis bella, ante an. circiter 200. ab iis victi, eorum imperio subsunt: Arces illorum munitæ omnes, numero sexdecim, à victoribus destructæ sunt An. Ch. 1475. solo Agauno excepto, quas restaurare neutiquam licet. Ab his Præfectos, qui jus dicant & Remp. administrent, accipiunt, iidem. Horum oppid. *Octodorus* Cæsari, nunc *Martenach* dicitur, Lloyd.

Veragua, prov. novæ Hisp. cum tit. Duc. gentis Columbæ. Inter mare Bor. & Austrin. in ipso limite Terræ firmæ; sub Præfect. Guatimalæ. Ejus urbes, Conceptio, caput prov. Trinitas & S. Fides. Sub Hisp.

Verania, uxor Pisonis Liciniani, à Galba Imper. adoptati. Tac. *Hist. lib.* 47.

Veranius, legatus in Britanniâ, Didii Galli successor sub Nerone, Mortuus ibidem: magnâ, dum vixit, severitatis famâ, supremis testamenti ambitiosus: quippe, multa in Neronem adulatione, addidit, subjecturum ei provincias fuisse, si biennio proximo vixisset. Tacit. *lib.* 14. *cap.* 29. *Agricol.* 14.

Vera Pax, vulgò *Verapaz* prov. novæ Hisp. in præfect. Guatimalæ, prope oram maris Bor. & intimum recessum Sinus Honduræ; inter Jucataniam ad Arctos, Honduras ad Ort. Guatimalam ad Mer. & Chiapam ad Occ. Ejus opp. præc. Vera Pax, vulgò *Verapax*, sub Hisp.

Verax, Civilis e sorore nepos. Tac. *Hist.* 5. 10.

Verbanus, lacus Gall. Cisalp. Ticinum Alpibus defluentem per 30. m. p. accipiens & eundem in Padum transmittens. Hodie *Lago Maggiore* dicitur. Longus est 40 m. nullibi supra 5. aut 6. latus, à Lario 24. recedens, eo minor. Abest à Novaria 17. m. p. à Mediolano 36. Oppida habet aditta, Angleriam, in adversa ripa Aronam cum arce; intra Palantiam, Canobium, Locarnum & Sextum ad egressum Ticini, (cum aliis pagis) pleraque familiæ Borromeæ, cujus ditio longè lateque introrsum patet. In eo insula est ejusdem familiæ, malis consita medicis, m. p. à Palantia, cum Alcinoi deliciis conferenda. De eo *Itiner. lib.* 4.

Stagnaque Verbani summas ostendit & Alpes.

Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Ant. & Nov.*

Verbigenus, pagus Helvetiorum inter Celtas. Cæsar *in Comm. Orbe* hodie dicitur: Ferrarius. Ubi *Verbigeni* pop. Dicitur & *Urbigenus*, Vide ibi. Erat inter Juram montem, Lemanum lac. & Aventicum, ubi hodie Princip. Neocomensis, pagus Friburgensis & ditio Rom. pagi Bernensis. Baudr.

Verbigenus, mel. *Urba*, Vide ibi.

Verbinum, Anton. opp. Gall. Belg. in Picardiâ in fin. Laudunensium, hodie *Vervins*, in Tirascia tractu, pace inter Gall. & Hisp. reges ann. 1598. celebre. Vix 4. leuc. à limite Campaniæ in Occ. Medium inter Capellam arcem ad Bor. & Marlam ad Mer. 4. leuc. 16. à Remis in Arctos, 7. à fontibus Æsiæ, in Afric.

Vercella, urbs Lybicorum, in Insubrum & Salassiorum confin. Episc. sub Arch. Mediolanensi: ad Sessitem fluv. Nunc Pedemontii urbs permunita, cum arce valida. Pluries capta, sed pace ad Pyren. Sabaudiæ D. reddita. 10. m. p. ab Urbe Casalensi in Bor. quot à Novaria in Occ. Hujus Episcop. Eusebius à Juliano Apost. Thebas relegatus est. Rufin. *lib.* 1. *cap.* 28. Hîc dein Conciliabulum, An. 1050. à Leone IX, habitum, contra Berengarium, Archidiac. Andegavensem, veræ de Eucharistia sententiæ assertorem, ad quod vocatus, non comparuit; etiam vulgò *Vercelli*, Gall. *Vercel.* Ejus mem. Sil. *lib.* 8.

Vercellæ. fuscique ferax Pollentia villi.

Vercellense domin. *al Vercellese*, tractus Italiæ, aliàs pars Duc. Mediol. nunc sub Sabaudiæ D. Inter Duc. est Mediolan. ad Bor. & Ort. Marchionatum Eporediensem ad Occ. & Montemferratum ad Mer. Caput *Vercellæ*; ibi & Bugella & Fanum S. Agathæ.

Vercingetorex, Celtilli filius, Arvernus, summæ potentiæ adolescens, cujus Pater totius Galliæ principatum obtinuerat. Defectionis & belli contra Cæsarem author: Rex à suis appellatus, Cæs. *lib.* 5. *Comm.* Victus à Cæsare, & in triumphum ductus est. Idem *lib.* 7. Dio *lib.* 40. Strabo *lib.* 4. Oros. *lib.* 6. *cap.* 9. Florus &c.

Vercniacum, vulgò *Versigny*, locus Galliæ, à Crispejo pagi Vadensis capite 3. leuc. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Verculum, opp. Pedemontii.

Verczerus, vulgò *Werczersee*, lacus Esthoniæ propr. inter Torpatum ad Ort. & Felinum ad Occ. Hinc Fela fluv. effluit. Sub Suecis.

Verda, urbs Saxoniæ infer. vulgò *Ferden*, caput Duc. cognom. Suecis nuper erepta, antea sub Episc. proprio, ab Arch. Moguntino dependente. Ad Alleram fluv. qui postea cadit in Visurgim, 6. mill. Germ. à Brema in Ort. Cellam versus 10. & 11. à Stada in Mer. Duplex est, vetus & nova; estque parva & immunita. Ducatus autem cognom. est inter Ducatus Bremensem & Brunsuic.

Verda, seu *Vertia*, & *Donawertia*, vulgò *Donawert*, urbs Sueviæ, ad Danub. ubi Vernitium recipit, aliàs libera & sui juris, nunc ab an. 1607. sub El. Bavariæ. In ipso confin. Bavariæ sup. 6. mill. Germ. ab Augusta Vindel. Pluries capta & recepta.

Vereduna, Vide *Verodunum*.

Verembertus, Monachus Sangallensis, sec. 15. Scripsit Comm. in Apocalypsin & Historiam Monasterii sui, Voss. *de Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 36.

Veresis, fluv. parvus Lati, per agrum Prænestinum, fluens. *Verestio* Leandro, *Verda* aliis. Nunc *Osa*, Luc. Holstenio, juxta Prænestinam viam & lacum Burranum sive S. Praxedis. Defluit ad Castellum S. Juliani & paulo supra fontem Salonium, in Anienem se exonerat.

Veretum, opp. Salentinorum excisum, à Leucâ 4. m. p. distans, Japygio promunt. vicinum. *Vretum* apud Ptol. legitur, a *Vereto* diversum, quod aliis est *Vano*, aliis *Oria*, urbs Episc.

Verga. Liv. postea *Vergianum*, *Rogiano* Barrio, opp. Brutiorum mediterraneum in Calabriâ citer. ad Isaurum fluv. inter Balbiam & Besidianum.

Vergasillaunus Arvernus, Vercingetorigis consobrinus, postremo Galliæ motu è 4. summis ducibus. Cæs. *lib.* 7. *cap.* 36. *comm.*

Vergellus, qui & *Gellus*, fluv. Apuliæ apud Cannas fluens, quem Annibal ponte ex Romanorum interfectorum cadaveribus confecto trajecit. Is in Aufidum labitur, & *Fiume di Canne* nominatur.

Vergeminum, mel. *Viglebanum*, q. à vili gleba, urbec. Episc. à Clemente VII. facta, cum castro munito, in Duc. Mediol. *Vigevano* incolis, *Vigeve* Gallis. Huc animi gratia se recipere frequenter solebant Duces Mediol. V. *Viglebanum*.

Vergentum, Hisp. opp. Plin. 3. 1.

Vergerius Petrus Paulus, Episcopus Justinopolitanus, in ditione Venetorum, à Clemente VII. & Paulo III. Pont. in Germaniam missus, Ferdinando Rom. R. adeò charus fuit, ut cùm ei in Pannoniis agenti nata esset filia Catharina, unà cum Georgio March. Brandeburgico & Johanne Arch. Lundensi, pro ea in Baptismo fidejusserit. A colloquio Wormatiensi Ann. Chr. 1541. Romam cùm rediisset, ei à Pontifice purpura destinata est: Sed monitus à Cardinali Glaucio apud Pontificem Lutheranismi eum suspectum esse redditum, in patriam secessit, librum ibi *Adversus Apostatas Germaniæ*, ut suspicioni tam damnosæ se eximeret, orsurus. Verum ecce, dum libros adversariorum, quos refutaturus erat, accuratius evolvit, ipse victum se sensit, spéque Cardinalatus abjectâ, ad fratrem Joh. Baptistam, Polæ Episc. abiit: Quo ad lectionem S. Scripturæ hincque veritatis agnitionem similiter perducto, ambo populum per Istriam erudire cœperunt. Mox Inquisitorum violentiâ coactus Vergerius, Mantuam divertit ad Gonzagam Herculem Card. unde quoque discedere compulsus, Tridentum venit, ut Concilio se purgaret, sed loco ei in consessu à Pontificiis Legatis negato, Venetias delatus est. Ibi frustra à Casa legato sollicitatus ut Romam peteret, Patavium venit, ubi Francisco Spieræ, ob defectionem à fide, desperabundo, sæpius adfuit, magisque ejus exemplo confirmatus ad vicinos profectus est Rhætos. Apud quos, ut & in valle Telina, postquam aliquot annis Evangelium docuisset, à Princ. Wirtembergico Tubingam vocatus est An. Ch. 1548. Vide Joh. Sleidanum *Comm. de Statu Rel. & Reip. passim, imprimis libr.* 21. ut & voces *Petrus Paulus Vergerius*, & *Spiera*.

Vergia, & *Vergianum*, Vide *Verga*.

Vergilia, urbs Bastitanorum, *Murcia* quibusd. V. ibi.

Vergiliæ, 7. stellæ inter os Tauri & Arietis caudam sitæ, teste Hygino *libr.* 2. *de signis cœlestibus*: ita dictæ, quòd circa Æquinoctium vernum matutinum oriantur. Propert. 1. 8.

O utinam hyberna duplicentur tempora bruma,
Et sit iners tardu navita Vergilius.

Plautus *in Amphitryone:*

Nec Jugula, neq; Vesperago, neq; Vergiliæ occidunt.

Vide *Pleiades.*

Vergilio, Vide *Atilius.*

Verginium mare, ut Ptol. vel *Hibernicum*, ut aliis placet, mare est quod Hiberniam & Angliam interluit, *Mor Uveridh* Britannis vocari, ait Humfredus Lhuydus. *Canalem* verò *S. Georgii* vocant Angli & Galli. Aliis *Verginium.* Hibernis *Farisi*, Angl. *The Irisch Sea*, Hiberniam, Walliam, Scotiam & partem Angliæ Occ. interluit; Extenditur à quibusd. ad Bolerium prom. Baudr.

Verginius, inferioris Exercitus Germanici legatus; cui, quia milites imperium detulerant, per simulationem amicitiæ inde abductus est. Tacit. Hist. l. 8.

Verginius Rhetor, ævo Neroniano, Persii præceptor, qui scripsit de materiâ Rhetoricorum, teste Fabio *lib.* 3. ob celebritatem nominis, à Nerone expulsus. Tacit. *lib.* 15.

Vergium, Liv. *Bergidum* Ptol. opp. Catalauniæ, *Viarzo* Morali, nunc pag. Cataloniæ, de quo à Romanis capto Liv. *Dec.* 4. *lib.* 4. sed videtur Lubino *Verja* nunc, olim in Hisp. Bæt. & conventu Cordubensi, inter Abderam ad Austr. & Olcam Bæticæ, ad Bor. Nunc in regno Granat. 14. leuc. à Granata, Almeriam versus 8.

Vergobretus, summus erat apud Heduos magistratus, qui creabatur annuus, & vitæ, necisque in suos habebat potestatem. Cæsar *lib.* 1. *de B. G.* q. Magister operum, ex *Oberst* & *werg* Germ. Vestigia hujus Magistr. Augustoduni adhuc, ubi *Werg*, summum honorem gerens.

Veria, seu *Campoveria*, urbecula Zelandiæ, in Valachria Insul. cum portu capaci. Vulgò *der Vere.* Vix 1. leuc. à Middelburgo in Cæc. probè munita. Sub dominio utili Principis Auriaci.

Verinbrea, villa olim Galliæ publica, ad Isaram, in pago Vadensi, vulgò *Verberie*, & corrupte *Barberie:* Hic Carolus Princeps Francorum graviter decubuit, Ann. Ch. 739. Synodus dein An. Ch. 853. ut & altera ante sub Pippino R. & An. Ch. 869. habita. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Veritas, temporis filia & Virtutis mater, Dea existimata est à Gentibus. Fingebatur mulier pulchra, magna, simpliciter ornata, illustris ac splendida, cujus oculorum orbes puro lumine nitebant, ut astrorum & stellarum fulgorem imitari viderentur. Vide Plut. *in Qu. Rom.*

Verlucio, Anton. *Werminster* Camdeno, opp. olim, nunc pagus Angliæ, inter Aquas Solis, sive Bathoniam ad Occ. 15. & Cunetionem ad Ort. 20. m. p.

Vermelandia, vulgò *Vermeland*, prov. Westrogothiæ, inter Dalecarliam ad Bor. Nericiam ad Ort. Venerum lac. ad Mer. & Daliam ac Norvegiam ad Occ. Ejus urbes sunt Carolostadium, Philippostadium, Cola & Ruscoga.

Vermeria, vulgò *Verberie*, regia domus, in tractu Valesio, ad fluv. Oesium, in diœc. Suessionensi. Hic 4. concilia habita. Vid. Morer. *Dict. Hist.*

Vermina, Syphacis F. qui cùm maximo beneficio, per legatos, à Romanis periisset, ut Rex sociusque & amicus à Senatu appellaretur; ejus legatis responsum est, nominis istius honorem, pro magnis erga se Regum meritis P. R. dare consuesse.

Vernemetes, Ven. Fort. *Verines*, Vineto, pagus Aquitaniæ, apud Burdegalam: Ejus meminit Fortunatus *lib.* 1.

Vernerus Roelewinck Laerius, Carthusianus, floruit sec. 15. Natus in diœc. Monasteriensi, in Westphalia, pietate & eruditione nomen adeptus est. Scripsit vitam S. Pauli, & Commentarios in S. Scripturam. Item *Fasciculus temporum*, *de Laudibus Frisiæ*, *Paradisus conscientiæ &c.* Trithem. *de Viris ill. Germ.* Voss. *de Hist. Lat. lib.* 3. Bostius, &c. Vide quoque *Wernerius.*

Vernicones, pop. fuere Scotiæ, in ora Or. juxta Oceanum Germ. extensi, ubi nunc provv. Fifa, Perthia, Angusia, & Mernia, versus Tavam æstuar. Baudr.

Verno, vel *Vernon*, opp. Galliæ, ad Sequanam, inter Medontam & Gallionem, è regione magnæ silvæ. Recentioribus corrupte *Vernonium*, Vide ibi. Est & *Vernotum* seu *Vernetum*, in Secalaunia, prope Rivum Morentini mediis in silvis, *Vernou.* Item *Vernelli*, *Vernaux*, vicus Briegii, in dit. Parisiaca, prope Crassum Nemus *Gros Bois*, nec non Vernadum *Vernou*, ad fluv. Siceram in Turonibus, silvæ proximum. Fortè enim *Verni* vel *Vernonis* nomine silvam olim Galli designavere. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vernolium, op. Normanniæ, & partim in Pertico tractu, Baudr. In confinio Aulercorum Eburovicum & Carnutum, non longè ab ingenti silva, ad fluv. Arvam *Aure:* Ebroicis tamen, quàm Carnutis multò propius, Valesius. Est & *Vernolium*, in pago Burbonensi *Verneuil*, silvis adpositum, non longè ab Elavere flu. Item opp. Bellovacorum ad Isaram, inter Credilium *Creil*, & Pontem ad S. Maxentiam, silvis additum: Distat 8. leuc. à Droëis in Occ. Sagium versus, & 7. ab Ebroicis in Mer. Vulgò *Verneuil*, aut *Verneuil au Perche*, antea Marchiæ, nunc Duc. tit. clarum, V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Vernonium, vulgò *Vernon*, urbs Normanniæ, ad Sequanam, 8. leuc. supra Rothomagum, in Eur. 6. ab Ebroicis in Ort. Gisoriu versus totidem. V. *Verno.*

Vernum, villa olim Galliæ Regia, jam inde à Chlotario III. Chlodovei jun. filio. Hic Pipinus R. Episcoporum concilium celebravit, An. Ch. 755. ut & pronepos ejus Karolus R. An. C. 844. Locus erat venationi conveniens, inter Lutetiam & Compendium, fortè idem cum Vernolio Bellovacensi, de quo supra. Est & apud Frodoardum villa *Verna*, in pago Virtudensi. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Vernus Sol, locus Galliæ inter Lugdunum Convenarum, seu potius inter Aquas Siccas & Tolosam, illinc 54. istinc 12. hinc 15. m. p. distans. Fortè Placentia hodie seu *Plaisance.* Idem.

Vero, fluv. Celtiberiæ. Is *Huecar* hodie, reste Joh. Mariana, nominatur, Concham urbem circumfluens, seque Sucroni committens: sed hic in Castella nova oritur, & per regnum Valentiæ labitur cum Sucrone: prior verò Aragoniam permeat, Ferr. Vide *Verones* Mart. l. 49.

Sterilemq; canum nivibus effractis sacrum
Vada Veronem montibus.

Verocasses, pop. Gall. Belg. juxta Sequanam incolentes, Caletibus finitimi, hodie *Vulxin.* Vide *Velocasses.*

Verodoctius, Helvetius, nobilissimus suæ civitatis, Princeps ejus legationis, quam Helvetii primam ad Cæsarem miserunt: Cæs. l. *Comm.* 7.

Veroduni pop. fuere Galliæ Belg. juxta Mosam, quorum tractus hodie *le Verdunois*, & caput Verodunum. V. quoque *Verunt.*

Verodunum, *Verdun*, urbs ampla Gall. Belg. ad Mosam. Episc. Lotharingiæ, in Campaniæ confin. sub Archiep. Trevirensi: ubi *Veroduni* pop. Baudrando probe munita, cum arce recenti, intra fines Lotharingiæ inserta, sed tamen Gall. juris, cum toto tractu. 15. leuc. à Catalauno in Ort. Metas versus 10. Vide quoque in voce *Verunt.*

Verodunum, opp. Aquitaniæ, in Gaurensi Comit. & Veroduni tractu, ad Garumnam, 5. leuc. infra Tolosam in Boream. Vulgò *Verdun.*

Verolamium, Anton. *Verulamium*, Tac. *Urolanium*, Ptol. hodie *Verulam*, urbs olim Albionis, nunc pagus Angliæ apud Tamesim fluv. & opp. S. Albani, inter Londinum ad Ort. 21. & Oxonium ad Occ. 30. m. p. Baudrando fuit urbs Catrieuchlanorum in Albione, antiqua sedes Cassibellani, ex Speedo. Aliàs urbs magni nominis, quam Tacitus *municipium* vocat, interque ditissima totius Insul. numerat. Nunc præter mœnium fragmina nil superest. Leans fluv. Australe illi munim entum fuerat, ruderibusque dirutorum mœnium ad Ort. & Occ. occurrit, quorum tractus & subjecta aggeri fossa etiamnum videntur, colliguntque in ambitu 1270. p. Hic S. Albanus, Britannorum Protomartyr, sub Diocletiano, martyrio est coronatus, ann. 293. in adversa ripa Leai; in cujus memoriam, Offa magnus Merciorum Rex ibi loci, quem *Holmehurst* dixerunt, amplissimum monaster. extruxit, an. 793. ubi etiam è Verolamii ruinis redivivo opere speciosum S. Albani Fanum excitavit. V. *Fanum S. Albani.*

Veromei, seu *Vallis Romana*, tractus Brissiæ, *Val Romey*, inter Beugesiam ad Occ. & Rhodanum ad Ort. ubi Sesselium, op. præc.

Veromandui, Galliæ Belgicæ populi, in Picardia, quæ *Vera* dicitur; cum tit. Duc. De his loquitur Plin. *libr.* 4. *cap.* 17. & *Cæsar lib.* 2. belli Gallici, cùm scrib*i*t, Veromanduos cum reliquis Belgis, Velocassibus, Caletis & Ambianis, contra ipsum, conspirasse, constituisseque Romanos e Gallia ejicere; Comitatus præclaro titulo ornata erat hæc provincia, ætate regis Caroli simplicis, primusque Comes fuit Hugo, Henrici primi Francorum Regis filius, Philippi Regis frater, cui successerunt duo Rudolphi, filius & nepos, quorum hoc, sine liberis defuncto, Comitatus ad regnum est devolutus. Vandali, factâ in Gallias cum Burgundionibus irruptione, provinciam hanc mirum in modum afflixerunt. Comprehendere sub se Comitatum hunc signant Franciæ Geographi Suessonum, Leudunensium, & Tarteorum ditiones, urbes item Noviomagum & Fanum S. Quintini, hodie vulgò *Vermandois.* Merula & Merel. Baudrando fuit horum tractus inter Tiraschiam ad Ort. Sanguiteriam ad Occ. Camecesem tractum ad Bor. & Insulam Franciæ ad Mer. Caput Augusta Peromanduorum fuit, *Vermand*, à Fano S. Quintini 2. leuc. in Occ. Veronam versus, hodie Abbatia *Vermand* appellata: juxta amnem *Oumignon.* Nunc verò caput est, non vicus hodie & Cœnobium *Vermand*, ab opp. S. Quintini 5. m. p. distans, cum Abbatiæ tit. ad Dalmanionem fluv. ut vult Cluverius, quem Monetus & Samson sequuntur, sed Fanum S. Quintini, vulgò *S. Quentin*, vel *S. Quintin en Vermandois*, à corpore S. Quintini Martyris & Levitæ dictum, ad Somonam, olim Augusta Veromanduorum, in Notit. provinc. ac civ. Galliæ, inter duodecim prov. Belgicæ secundæ civitates quarto loco numerata, sedes quondam Episcopi sub Archiep. Remensi, quæ postea, Augustâ eversâ, vel aliam ob causam, Noviomagum translata est. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Verametum, *Burrovv*, teste Camdeno, op. olim Albionis, nunc pagus Angliæ in Leicestriâ Com. eo loco qui hodie *Burrovv* dicitur, inter Margidunum & Ratas 12. m. p. à Lindo 40. in Aust. Londinium versus.

Verona, colon. & urbs Cenomanorum Venetiæ, ab his cum Brixia aliisque urbibus condita, dictaque *Verona*, quasi *Brennona*, à conditore: ad Athesim fluv. interfluentem, urbs elatissima, & maxima totius Venetiæ, si Venetias excipias, Episc. sub Patr. Aquilejensi, inter Ferrariam ad Euronot. & Tridentum in Circium 50. m. p. Hujus vocabulum, ut reliqua Italiæ Latino more Ptolemæo quoque refertur Ο'υηρῶνα. Apud Strab. verò *lib.*4. legitur Ο'υήρων, lib. autem 5. Βήρων. Apud Procopium variè legitur *in Gothicis: libb.* 2. & 4. Βήρων, *lib* autem 3. ἐπὶ Βηρῶνα, quum *lib.* 4. sit ἀμφὶ Βηρῶνα. Vulgò quoque *Verona*: in vet. inscript. *Colonia Augusta Verona*. Catulli patria fuit. Ovid. *Am.*3.14.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Mart. 10.103.

Nec sua plus debet tenui Verona Catullo.

Idem *lib.*14. *ep.* 195.

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

Catullus ipse *Carm.* 68.

Atqui non solum hanc se dicit cognitum habere
Brixia, Chinea suppposita specula;
Flavus quam molli percurrit flumine Mela:
Brixia Verona mater amata mea.

Βήρων Stephano dicitur, *Dieterichs Bern* Germ. Baudrando urbs ampla & pulcherrima Longobardiæ; Venetis à Maximiliano Imp. erepta an. 1509. sed reddita ann. 1516. Athesim quatuor pontibus nectit. Caput est agri cognom. cum arce permunita. 35. m. p. à Tridento in Mer. Mantuam versus 22. 40. à Brixia in Ort. uti 15. à Piscaria, Venetias versus 70. circ. 60. à Ferraria in Circ. Ibi Circus & ingens amphiteatrum. Patria fuit etiam Æmilii Macri Poet. Hic Odoacro victo Theodoricus *Veronensis* nomen accepit, An. Ch. 490. Occupata postmodum corruptis custodibus urbs à Berengario, Ann. Chr. 901. Mastinum Scaligerum sibi præfecit, An. Ch. 1286. imperante Rodolfo I. Imp. ad exemplum præcipuarum Italiæ civitatum. Sed Scaligeris à Joh. Galeatio Duce Mediol. ejectis, post varias vices, ad Venetos pervenit. V. Leand. Alberti, *descr. It.* Totellum Saraynam, *de orig. & amplit. Ver.* Junium du Puy, *Elog. Colleg. Veron.* Franciscum Fiotum, *la Nobil. de Veron.* Hieronymum dalle Corte, *Hist. di Verona. Verona* altera, urbs Helvetiorum, *Bern*, ut aliquibus videtur. Pop. *Bernenses* Plinio, qui tamen tam Veronam quàm Bernenses in Rætis cum memorat. Ferrarius.

Veronensis ager, *il Veronese*, tractus Longobardiæ, inter dit. Tridentinam agros Vicentinum & Patavinum ad Ortum, Ducatum Mantuanum ad Mer. & agrum Brixianum, lacumque Benacum ad Occ. ad 65. mill. pass. extensus à Circio in Eur. Sub Venetis.

Verones, pop. Hisp. Tar. quos Veto fl. alluit. Sil. *lib.*3.

At Veronum alas Balarus probat æquore aperto.

An *Berones*? Vide ibi.

Veroviacum, *Wervvyck*, pagus Belgii in Flandriâ ad Legiam fl. inter Insulam & Corteracum 3. leuc. V. *Viroviacum*.

Verovicum, vulgò *Warvvick*, opp. Angliæ Conventriæ finitimum ab eâ 9. m. p. in Austr. recedens. Etiam *Varvicum*, caput Comit. cognom. ad Avonem fluv. aliàs *Præsidium* dicta, in Dobunis. 28. m. p. à Vigornia in Ort.

Verreginus villa, Fort. quæ & *Verreginum*, Vineto *Borechs*, pag. Aquit. apud Burdegalam.

Verreginum, Diod. *Verrugo* Liv. opp. Volscorum, ad lacum cognom. extinctum. *Ferrugo* Val. M.

Verra, ara fuit Romæ, ad quam orabant, ne Agrippæ nascerentur.

C. Verres, Quæstor Cn. Carbonis, deinde legatus ac Proquæstor Cn. Dolabellæ, utrumque prodidit, Lucullo & Cottâ Consulibus. Prætor urbanam jurisdictionem obivit; quâ perfunctus Sacerdoti in Sicilia Quæstor successit, eamque, non succedente sibi Arrio, per triennium tenuit. Sed libidinosè, avarè, crudeliterque versatus in provinciâ; postulatus est repetundarum à Siculis. Cicerone verò, in gratiam Siculorum, accusationem magnâ vi & arte peragente, quum parum subsidii sibi in Hortensio esse videret, desperato patrocinio, sponte in exilium abiit, ubi 26. annis per summam quietem traductis, à Triumviris tandem proscriptus & occisus est. Plin. 34. 2. propter Corinthia vasa proscriptum tradit. quòd iis viz. Antonio se cedere negâvisset. Seneca etiam fortiter decessisse scribit, ex auctoritate Pollionis. Liberos habuit, antequam in exilium abiret, filiam nuptam; & filium prætextatum parum pudicum. Vide Cic. *in Verrinis*, Ascon. Pedian. & Lact. *lib.* 2. *cap.* 4. Juvenalis,

Si fur displiceat Verri; si homicida Miloni.

Idem:

Charus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult
Accusare potest.

Verritus, Frisiorum Dux, sub Nerone, agros vacuos & usui militum sepositos occupantium. Tacit. *lib.* 13. *cap.*54.

Verrugo opp. in finibus Volscorum, cum arce Carventana, captum à Rom. Liv. *lib.*4. *dec.*1.

Verrius Flaccus, Grammaticus, nepotum Augusti educationi admotus, Obiit sub Tiberio. Libertus erat, & scripsit varia sæpius priscis laudata. Sueton. *de clar. Gramm.*. A. Gell. *lib.*4. *cap.*5. Plin. *lib* 7. 8. *& seqq.* Voss. *de Hist. Lat.*

Versalia, castrum Insf. Franciæ, ubi palatium regium, cœptum à Lud. XIII. & à Lud. XIV. magnificentissime absolutum. 4. leuc. à Lutetia in Ort. uti 2. à Fano S. Clodoaldi, versus Monfortium Amaurici 6. circiter. *Versailles.*

Versca, fluv. *Versche* vulgò, oritur in Lapponia Suec. è lacu *Pajersus*, dein per Lapponiam Moscov. fluens, in mare Album se exonerat.

Versojum, opp. Gesiæ tractus, in Bressia, ad Lemanum lac. sub Gallis, via 2. leuc. supra Genevam in Circ. Vulgò *Versoy*.

Vertacomacora, opp. agri Mediol. 20. m. p. a Mediolano; *Vartima*. Plinio *Vertacomacori Vocontiorum*.

Vertavum, locus Galliæ, ad Separim fluv. 2. leuc. à Namnetis, *Verton*. Olim Abbatia, nunc Celia Monast. Pictavensi S. Jovini de Marnis subjecta.

Verterus, Antoh. opp. Westmariæ, in Angl. *Burg under Stanemore*, Camd. medium inter Caturactonium 31. & Luguvallum 42. m. p. ex Anton.

Verthamum, vulgò *Wertheim*, opp. Franconiæ, ad Mœnum; ubi Tubarum recipit. Caput regiunc. adjacentis, inter ditiones Herbipolitanam ad Ort. & Moguntinam ad Occid. sub proprio Comite.

Vertia, seu *Donavertia*, Vide *Verda*.

Vertico, Nervius honesto loco natus, qui è primâ hibernorum obsidione ad Q. Ciceronem profugit, suamque ei fidem præstitit: cujus servus literas ad Cæsarem jaculo alligatas, spe libertatis; magnisque persuasus præmiis detulit. Cæsar *lib.* 5. *comm. cap.* 45.

Vertigernus, Britannorum rex, An. D. 449. Lege *Vortigernus*.

Vertinæ, Strab. *Verzine* Barrio, opp. Calabriæ citer. a Cerentia 6. m. p. in Bor. quot fere à Brystacia, à Cariato 12.

Vertiscus Rhemus, suæ civ. princeps, & præfectus eorum equitum; quos Rhemi Cæsari auxilio miserant, an. belli 8. Hirt. *libr.* 8. *cap.* 12.

Vertobrige, op. Hisp. Bæt. Plin. 3. 1.

Verodunum, opp. Lotharingiæ, vicinum Metensibus.

Vertumnus, Deus habitus est in Latio, in omnes sese vertens formas, quemadmodum & de Proteo suo comminiscuntur Græci. Hic cum Pomonam Nympham adamaret, in anum sese convertit, hortosque ejus ingressus, multis ei rationibus persuadere conatus est, ut sibi conjugio jungeretur. Verum cum eâ viâ nihil proficeret, positâ anus personâ in juvenilem rediit formam: cujus pulchritudinem admirata Nympha, vim jam inferenti Deo non admodum se præbuit molestam. Quâ de re vide Ovid. *Met.* 14. Acron *in Horat lib.* 2. *Serm. Sat.*7.

Jam mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis quotquot sunt natus iniquis.

Vertumnum, ait, esse Deum humanarum cogitationum præsidem: ideoque multiformem fingi & inconstantem, quemadmodum & illæ variæ sunt & mutabiles. *Iniquo*, autem *Vertumno natos esse* interpretatur, qui cogitationes suas regere non possunt. Tib. Donatus Vertunum dicendum existimat, quemadmodum & Portunum; quem iccirco coli arbitratur, ut res institutæ, ad quem destinatæ sunt, finem perducantur. Alii sic dictum volunt; quòd præesset rebus contrahendis & vertendis seu permutandis: Alii ab anno verso: vel ab eo, quòd anni vertentis poma percipiat, nuncupatum referunt. Non desunt, qui *Vertumnum* dictum putent, quòd lacum Curtium in Tiberim *averterit*. Quam opinionem tangit & Ovid. *lib.* 6. *Fast.*

Curtius ille lacus siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed lacus antè fuit.
Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne Deus.

Hunc Ovidius affirmat fuisse vetustissimum Tuscorum Regem; qui vinearum & pomiferarum arborum serendarum tradiderit rationem cuique Tusci illi, qui eum Lucumone in auxilium Romuli venisse dicuntur, Romæ templum ædificârint. Signum ejus & templum in vico Thusco, ad Opis & Cereris aras, constitutum erat: Ejusdem festa dicta sunt *Vetumnalia*; quæ mense Octobri celebrabantur. Prop. 4. 2.

Vertumnus verso dicor ab amne Deus.

Subdit aliud etymon in sequentibus:

Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rursus credimus esse sacrum.

Inter Semones deos Vertumnum numerat Fulgentius, de prisco serm. in *Semones*. Tibullus:

Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Horat. *ep. ult. lib.*1.

Vertumnum fanumq; liber spectare videris.

Vertumnum etiam Latini dicerent desultorem à *vertendis* & mutandis, vel alterandis equis. Prop. *ubi supra:*

Est etiam auriga species Vertumnus, & ejus
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

Vertu-

Vertusium seu *Virtus*, oppidul. Campaniæ Gall. 6. leuc. à Catalauno in Occ. cum castro antiquo. Vulgò *Vertus*.

Veruca, opp. Carnorum inter Natisonem ac Timavum M. *Falcone*, teste Leandro: In Foro-Julio Baudr. à Theodorico, Gothorum Rege, conditum. 9. m. p. ab Aquileja in Cæc. 26. ab Utino in Eur. uti 10. à Gradisca, versus oram Sinus Tergestini; caput regiunc. cognominis. Sub Venetis. Nigro autem Veruca longè hinc distat, in agro Veronensi ad Athesim fluv. *La Chiusa* vulgò, inter Veronam ac Tridentum. Est & *Veruca* arx firmissima in Gall. Subalp. ad Padi ripam contra Crescentiam opp. Vulgò *Verva*. Frustra olim à Gallis tentata; expugnata sub Hispanis An. Ch. 1625.

Verulamium, vulgò *Werlan*, locus in Anglia olim celebris, ubi postmodum monasterium S. Albani conditum. Hic Synodus, An. 446. contra Pelagianos, & ab Offa Merciorum R. An. 793. & 794. concilia celebrata sunt.

Verulania Gratilia, Capitolii obsidium subiit neque liberos, neque propinquos, sed bellum secuta. Tacit. *Hist.* 3. 69.

Verulanus, legatus sub Corbulone, qui Tiridaten, per Medos, extrema Armeniæ intrantem, legionibus citis & auxiliis abire procul ac spem belli amittere coëgit, Nerone quartum & Cornelio Coss. Tacit. 14. 26. Integrum nomen ipsi *Verulanus Severus*.

Verulum, *Verula* Frontino, colon. & urbs Latii in Hernicis Ep. apud Cosam fl. media fere inter Anagniam ad Occ. & Soram ad Ort. Frusinoni finitima. Vulgò *Veroli*. Pop. *Verulani*. Plin. &c.

Veruni, popul. Galliæ, Plinio soli, *libr.* 4. *cap.* 17. inter Galliæ Belgicæ gentes, numerati, *liberiq*; ab eo dicti, quòd ab Impp. aliquâ libertate donati erant, & onerum quorundam præ cœteris libertatem habebant. Eorum caput in tab. Peuting. *Virenum*: aliis *Verunum* ac *Veronum* dicitur, unde Episcopi *Veronensis* in vett. Conciliis mentio. Æthicus *Verodunum* appellat, atque inter Durocortorum ac Divodurum ponit. In vett. Notit. inter provinciæ Belgicæ primæ civitates quarto ac ultimo loco ponitur. Ejus, *Vereduna* nomine, sic meminit Fortunatus *libr.* 3. *Carm.* 29. *ad Agericum Episc.*

> *Urbs Vereduna brevi quamvis claudaris in orbe,*
> *Pontificis meritis amplificata places.*
> *Major in angusto præfulget gratia gyro,*
> *Agerice tuus quam magis auxit honor.*

Desideratus ejus Ep. Concil. Arvernensi & Aurel. quinto subscripsit. Urbs hodie clara & magna Mosâ interfluitur, habet monasteria Abbatialia S. Vitoni *S. Vanne*, quod est virorum, in monte S. Vitoni; S. Mauri, quod est puellarum, & S. Agerici. Vulgò *Verdun en Lorraine*. Aliud enim est *Virdunum*, ad Ararim, in Burgundia, *Verdun* vulgò, opp. aut castrum ad Ataris, Dubis & Dunæ confluentes. Item in Provincia. Item ad Garumnam sub Tolosanis olim Comitibus, vulgò *Verdun*: quod castrum nobile vocat, Petrus Monachus *in Hist. Albig.* Vide Hadr. Valesium & supra in vocibus *Verodunis* & *Verodunum*.

Verus, Vide *Lucius Verus*.

Veruvium, vulgò *Cap S. Andres*, prom. Albionis, in ora Scotiæ Mer. apud Andreanopolim. V. *Berubium*.

Verzascha vallis, in præfectura Helvetiorum Transalpina, Locarnensi, ad Or. à flumine per ipsam descendente dicta: Sibimet ipsi Subpræfectos constituit, Simlerus *descr. Helvet.*

Verzascha Bernardus, Basiliensis. Reip. patriæ Archiater, Senator, Scholarcha, eruditione inclytus. Ejus extant, *Riverius contractus*, *Exercitatio de Paralysi &c.* Alia sub prælo sunt. Natus est An. Ch. 1629.

Vesalia inferior, *Wesel*, seu *Nider Wesel*, urbs permunita Duc. Clivensis, trans Rhenum, ubi recipit Luppiam. Juris Brandeburgici. 4. mill. Germ. à Geldria urbe in Cæc. Monasterium versus 13. à Juliaco 11. in Bor. Estque Hanzeatica. A Friderico Henrico Principe Arausf. ex insperato capta, Ann. Ch. 1629. in Gallorum manus pervenit, An. Ch. 1672. postea iterum recepta: Hic Fœderati Belgii miles, dum post victoriam prædæ inhiat, à Fonsano victus est, An. Ch. 1595. Thuan. *Hist. lib.* 112. 113.

Vesalia super. *Ober Wesel*, oppidul. Germaniæ sub Arch. Trevirensi. Vide *Vesavia*.

Vesalius Andreas, Bruxellensis, Medicus Cæsareus, C. S. E. in insf. Zacyntho, è Cypro reversus, & Patavium à Veneto Senatu vocatus, miserè obiit. An. C. 1564. æt. 50. Scriptis inclytus.

Vesatum, opp. ad Mosam, inter Leodicum & Trajectum, vulgò *Weset*, aliàs *Viset*. An vicus potius? Valesius, *Notit Gall.*

Vesbius, sive *Vesvius*, & *Vesuvius*: Val. Flaccus *lib.* 3.

> —— —— *Magis ut mugitor anhelat*

Vesbius. Vide *Vesevus*.

Vesci, quod & *Faventia*, *Vescis* Ptol. urbs Hisp. Bæt. vulgò *Huesca*, vel *Guesca*; in confinio regni Murciæ & Granatæ, inter Ventam Moralem ad Arctos & Basti in Mer. 7. leuc. Nigro est *Velez el Ruvio*, vel *Velez el Blanco*, Ferrar.

Vescianum, villa Campaniæ inter Capuam & Nolam in agro *Vescia* urb. extinctæ. Cic. A Livio memoratur inter Atellam & Vesuvium.

Vescularius, prænomine *Flaccus*, Eques Roman. cui propior cum Tiberio Cæsare usus, Tacit. 2. 28. & 5. vocatur, insuper *Atticus*, insidiarum in Libonem internuntius: ad mortem actus *libr.* 6. *cap.* 10.

Vesenium, vide *Rivarium*.

Veseris, Liv. fluv. Campaniæ apud mont. Vesuvium fluens in Craterem sinum.

Vesevus, qui & *Vesvius* & *Vesuvius*, mons celeberrimus, & ignivomus Campaniæ Nolæ vicinus, inter Neapolim & Stabias 8. m. p. agros habens miræ fertilitatis præter quàm in solo cacumine, ubi planitiem habet magnam, fructum omnino nullum ferentem. Constat enim hunc montem sæpius arsisse; nunquam tamen vehementius, quàm imperante Tito: quo tempore erumpens ex eo ignis, & vicinas regiones latissimè populatus est, & Plinium, Naturalis historiæ scriptorem, qui cognoscendi cupiditate eò se contulerat, fumo flammisque enecavit, quâ de re vide *epistolam* Plinii Junioris *ad Corn. Tacitum*. Galenus *de Methodo medendi lib.* 5. Ὁ λόφος ὑπὲρ τῆς συγγράμματι οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι καὶ τῶν οἱ ἀκριβέστεροι Βεσβίον ὀνομάζουσι τὸ δὲ ἔνδοξον τὸ νῦν ὄνομα τὸ λόφε Βέσβιον. Primùm quidem Romani fecere *Vesevus*. Lucret. *l.* 6.

> *Qualis apud Cumas locus est, montemq; Vesevum, &c.*

Virgil. Γεωργικῶν 2.

> *Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo*
> *Ora jugo.* —— ——

Val. Flaccus Ἀργοναυτικῶν 4.

> *Sic ubi prærupti tonuit cùm forte Vesevi*
> *Hesperia lethalis apex.*

Silius *lib.* 12.

> *Monstrantur Veseva juga.*

Stat. *Sylv.* 4. 8.

> *Tertia jam soboles procerum tibi nobile vulgus*
> *Crescit & insani solatur damna Vesevi.*

Auson. *Idyll.* 10.

> *Perq; vaporiferi graditur vineta Vesevi.*

At Græci videntur postea fecisse Βέσβιος, i. e. *Vesbius*, sive *Vesvius*; quos Romani etiam secuti sunt. Columella *lib.* 10.

> *Fontibus & Stabiæ celebres & Vesvia rura.*

Silius *lib.* 17.

> *Evomuit pastos per secula Vesvius ignes.*

Stat. *Silv.* 4. 4.

> —— *Fractas ubi Vesbius egerit iras*
> *Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.*

Martial. 4. 44.

> *Hic est pampineis viridis modò Vesvius umbris.*

Incendia ejus crebra fuere variis temporibus. Diodorus *libr.* 4. Ὠνομάσθη δὲ καὶ τὸ πεδίον τοῦτο Φλεγραῖον ἀπὸ τοῦ λόφου τοῦ παλαιοῦ πῦρ ἀφθονον ἐκφυσῶντος, καλεῖται δὲ ὁ τόπος Οὐέσβιος. Naturam ejus describit Strabo *lib.* 5. Ὑπέρκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐεσούιον, ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις, πλὴν τῆς κορυφῆς, αὕτη δ' ἐπίπεδος μὲν πολὺ μέρος ἐστίν, ἄκαρπος δ' ὅλη. Xiphilinus *ex Dione*, Καὶ αὐτοῦ τὰ μὲν ἄκρα καὶ δένδρα καὶ ἀμπέλους πολλὰς ἔχει, ὁ δὲ κύκλος ἀνεῖται τῷ πυρί, καὶ ἀναδίδωσι τὴν μὲν ἡμέρας καπνόν, τὴν δὲ νυκτὸς φλόγα. Vide Sen. *Nat. Qu. lib.* 6. *cap.* 2. Hodie *monte di Somma*, in prov. Terræ laboris; aliàs vitibus generosis magna ex parte consitus & peramœnus, nunc penè incultus est, propter crebra incendia. An. 1632. enim sic æstuavit, ut calamitatem ultimam Neapolis expectaret. Vide & Recupitum, *de Incendiis ejus*.

Vesontio, *Visontium* Ptol. *Bisuntio* Amm. quæ & *Chrysopolis* in lib. concil. *Besançon*, urbs maxima Sequanorum & naturâ loci sic munita, ut magnum ad ducendum bellum facultatem det, verba sunt Cæsaris *lib.* 1. *Comm bell. Gall.* Metrop. Burgundiæ Comitatûs ad Dubim fl. olim circumfluentem, nunc interfluentem, emporium & urbs libera. Ferrar. Hic Batavi Seniores in præsidio fuisse dicuntur, in Not. Imp. Hic Moneta, namque nummos olim *Vesontione* percuti consuevisse ex auro, argento & ære constat, & fortè hinc *Chrysopolis* dicta, quia cùm nummus olim esset aureus, à Byzantio, ubi percutiebatur, *Byzantinus Græcis*, *un Besan d'or* Gallis dictus: *Besantio* autem & *Bisancio* urbs, nam & sic olim quoque appellata, ad Byzantium hunc aureum, & *Besançon* ad *Besan* proximè accederet, crediderunt quidam, *Besantionem* vel *Besançon*, idem esse ac urbem Byzantiorum *la ville des Besans*, & ab aureis istis Græco nomine *Chrysopolim* appellarunt. Hic porro olim Palatium: Amphitheatrum extra muros, latum passus circiter 120. cujus fundamenta & porticus dirutæ ad sacellum extramuranum S. Jacobi hodie visuntur, & superest in urbe hodieque *vicus Arenarum*, & porta ipsa Amphitheatri, una hodie ex 5. urbis portis: imò & *tribus Arenarum*, una ex septem: Item Pantheon, Campus Martius, & Campus Minervæ, si Marliano fides. Fuit & alia porta Vesontione, *porta de Varesco* dicta, nunc clausa: cui nomen à Varascis, parte prov. Sequanorum & utramque Dubis ripam incolentibus. Archiepiscopalis est & Metropolis, habuitque cum majore Archiepiscopatu seu *Vesontino* jam ante annos 400. quatuor Archidiaconatus, vid. Salinensem, Gradicensem *de Grey*, Trevensem & Luxoviensem: Imo jam ante 550. annos suum etiam Dolæ Archidiaconum habuit: Ceterum Abbatias 26, & Parœcias 780.

Cen-

Continentur Diœcesi Vesontiensi.

Arrosium.	Montanæ.
Balma, seu Palma.	Pauliacum.
Dola.	Ruber Mons.
Falconiacum.	Rufiacum.
Faverniacum.	Salinæ.
Gradicum, *Grey.*	Saliniacum.
Ledo Salinarius.	Treva.
Murciacum.	Varascum.
Mons Falconis.	Versullum.

Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Vespasia, pagus Umbriæ, in monte, juxta fines Sabinorum, à Nursiâ 6. mill. pass. Spoletium versus; unde nomen *Vespasiano*, Imper. Sueton.

Vespasianus Titus Flavius, Imper. ex Flaviorum familia, non admodum illustri. Narcissi ope, Dux exercituum in Germania & Britannia, Barbaros vicit, duabus nationibus potentissimis, cum viginti duab. urbibus, subjugatis. Africæ dein, magna cum integritatis famâ, præfuit. Româ postmodum cedere jussus, à Nerone, qui observaverat, illum, se versus suos recitante, dormire; sequenti tempore, copiarum Dux contra Judæos rebelles electus est, quos sæpius vicit, Ascalone, Jorapatâ, Joppe, Gamalâ, &c. captis, jamque Hierosolymæ imminens, post Neronis, Galbæ, Ottonis, Vitelliique fata, ab exercitu Imperator proclamatus est, An. Chr. 69. gladios illi, ni acceptaret imperium, intentantibus militibus, Senatuque approbante: Prudens, fortis & felix. Misso igitur in Orientem Tito filio, Hierosolymâ captâ, cum illo de Judæa capta triumphavit, balsama præferens, delicias genti devictæ peculiares. De quo triumpho Oros. *lib.7. cap.9. Vespasianus*, inquit, *& Titus Imp. magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingressi sunt, pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter* 320. *triumphos, qui à conditione urbis usq; ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit.* Porro Philosophos, quòd omnia sub censuram vocarent, urbe expulit, temploq; magnificentissimo in Pacis honorem erecto, in quo vasa & donaria templi Hierosolym. ab illo reposita fuisse, docet Hieronymus, Obiit An. Chr. 79. ætat. 69. Solius avaritiæ notâ gloriam ejus offuscante. Sueton. *in ejus vita.* Aur. Victor. *de Cæsar.* Joseph. *de bello Judaic.* Euseb. *lib.3. cap.3.*

Vesper, vide *Venus.*

Vespolatum, pagus amplus agri Novariensis, 8. mill. pass. à Novaria, Vigiebanum versus. A Contado Imper. An. 1028. Eccles. Novariensi donatus.

Vespranum, opp. Lombardiæ Transpad.

Vesprimiensis Comitat. pars Hungariæ infer. inter Comit. Albensem, ad Ort. Zeladiensem ad Occ. & Castriferrei ad Bor. lacumque Balatonium ad Mer. Sub Austr. Ejus caput est

Vesprimium, German. *Weißbrun*, Hungar. *Vesprim*, urbec. munita, in ipso limite dit. Turc. in colle, ad fontes *Saruvize* fluv. versus oram Bor. Volceæ Paludis, seu lacus Balatonis. Vide *infrà.*

Vesprinium, vulgò *Vesprin*, urbs Hungariæ, Episc. sub Archiep. Strigoniensi, inde 8. leucis in Mer. Albæ Reg. proxima, inde 3. leuc. in Occ. Taurinum versus, seu versus Sabariam, apud lacum Peisonem vel potius Balatonem, in ora ejus Boreali, Ferr.

Vessa, Polyæn. *lib.5. in Phalaride, Comm.* 4. maxima & florentissima civit. Siciliæ, cujus Princeps Teutus: à Phalaride dolo in potestatem redacta. An pro *Inessa?*

Vessones, Ptolem. aliis *Suessiones*, Vide ibi.

Vesta, Saturni filia ex Ope, testibus Diod. Siculo & Apollodoro, secundùm Q. Fabium Victorem Jani uxor: quamquam à Poëtis non rarò pro terrâ sumitur, sive quòd omnibus terrâ *vestiatur*, sive quòd *vi sua stet.* Ovid. *lib.6. Fast.*

Stat vi Terra suâ; vi stando Vesta vocatur.

Proin hanc depingebant muliebri formâ, tympanum gestantem, quòd terra ventos in se contineat, Suidas in voce γῆς ἄγαλμα & in Senatu Atheniensium, qui se *terrigenas* jactarunt, aram Dea habuit. Non desunt, qui ἀπὸ τῆς ἑστίας nomen hoc deducunt, inter quos est Tullius *libr. 2. de Nat. Deor.* Interdum ponitur pro igne. Ovidius:

Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam,
Nataq; de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est quæ semina nulla remittit.

Veteres autem 2. fuisse Vestas affirmabant: unam Saturni matrem, alteram ejus filiam. Ovid. *ubi suprà:*

Ex Ope Junonem memorant, Cereremq; creatas;
Semine Saturni tertia Vesta fuit.

Confundunt nihilominus has Poëtæ, alteram pro alterâ ponentes. Id tamen observandum est: Cùm Vestam pro terrâ accipiunt, de matre Saturni esse intelligendum: quando verò virginem nominant, de filiâ ejus esse intelligendum, quam ignem esse voluere. Quæ si propriè referatur ad aras, & focos publicos, valde est verisimile, cùm pleraque omnia vocabula sacra sint ab Oriente, etiam *Vestam*, sive Ἑστίαν esse ab אש *esh*, id est, *ignis*, & יה uno ex Dei nominibus, ut ignis Deus sonet *ignis Deus:* Ideoque propriè symbolum potius Numinis, quàm Numen ipsum sonet. Cæterum *Vestam* Deam, apud priscos, in tantâ veneratione fuisse scribunt, ut qui ei sacra non faceret, ἀνίστιος, quem pro impio & injusto accipiebant, diceretur. Græci ab hac omnia sua sacrificia auspicati, in eâdem desinebant: Tantumq; fuit hoc Numen, ut Pausanias dixerit: *Sacrificant Vestæ quidem primùm, Jovi deinde Olympio.* Peculiare autem Trojanorum Numen fuit, Sidon. Apollinar. *Carm.9. vers.* 133.

Thebis Eubion, Ilioq; Vestam.

Sed & ante Romam conditam diu in Ital. culta fuit, maximè à Tyrrhenis, teste Myrtilo Lesbio, qui eam Tyrrhenorum linguâ *Labith Horchiam* appellatam esse dicit, quod nomen etiam, auctore Herodoto, apud Scythas habuit. Hanc unam ex Diis Penatibus esse volunt, quos Æneas in Italiam advexit. Virgil. *Æn.2.*

Sic ait & manibus vittas, Vestamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Unde *Mater* peculiari nomine dicta est. Virg. *Georg lib.1. in fine:*

Dii patrii, Indigetes & Romule, Vestaq; mater,
Quæ Thuscum Tiberim & Romana palatia servas.

Et in omnibus ædium privatarum vestibulis apud Romanos ejus simulachrum, quemadmodum Mercurii apud Athenienses, stetit. Cui sententiæ non obscurè adstipulatur & Livius, cùm Vestæ sacra vetustissima esse asserit, & ab Albanis accepta, à Numâ autem Pompilio primùm Romæ instituta, multisque ceremoniis venerabiliora effecta. Primùm enim is templum Vestæ prope Castoris extruxit, licèt alii Romulo id tribuant. De quo sic Plutarch. *Traditur, Numam custodiæ causâ, perenni igne Vestæ templum circumdedisse: quod rotundum ab eo extructum est, non ut terræ, sed ut Universi figuram exprimeret.* In eo idem perpetuum atque æternum ignem tanquam Imperii certissimum pignus, asservari jussit. Servius *ad illud lib.4. Æneid.*

— *Vigilemq; sacraverat ignem.*

Fuit autem is non in focis aut altaribus, sed in vasculis quibusdam fictilibus suspensus, Valer. Max. *lib.4. cap.4.* tantumque in eo fiduciæ fuit, ut nunquam sine portento crederetur extingui, & anxiâ solicitudine, si id forte contingeret, expiaretur. Uti factum ante initia bellorum civilium, moraque inter Cæsarem & Pompejum arma. Præter hunc, alia quoque sacra occulta, solis æditui, virginibusque, de quibus paulo pòst, cognita, hic asservata fuisse, colligere est ex Dionysio *lib.2.* & Plutarch. *in Camillo:* unde in ædis incendio, tempore primi belli Punici, unus æditorum L. Cæcilius Metellus vir Consularis, posthabito publicæ utilitati privato periculo, in ardens penetrale irrupisse legitur, ut sacra à virginibus, quæ metu diffugerant, deserta eriperet. Idem Numa sacerdotes ei virgines creavit, stipendioque publico donavit, perpetuaque virginitate frui eas lege jussit: quæ à Numine, cui inserviebant, *Vestales* dictæ sunt. Harum potissimùm cura erat, ut ignem perpetuum alternatim excubando, conservarent; qui si forte per negligentiam fuisset extinctus, Virgo, cujus incuriâ id factum, à Pontifice severè plectebatur, flagro, verberibusque, Festus Pomp *lib.9.* Jul. Obsequens *de Prodig. cap.* 62. Valer. Max. *lib.1. cap.1. tit.7.* neque alio ex igne reparare fas erat, sed accensâ per fomites, beneficio τῶν σκαφείων, id enim instrumento nomen, ex Sole flammâ purus & cœlestis ignis eliciebatur. Paulo aliter modò laudatus Festus, *Ignis Vestæ, si quando interstinctus fuisset. Virgines verberibus afficiebantur à Pontifice, quibus mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret.* Interim etiam cùm non extinctus est, accendebatur quotannis Calendis Martiis & renovabatur ignis, quem asservabant in operto, Jan. Parrhas. *Epist.* 57. Ovidius *Fastor. libr.3.*

Adde quòd arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Porro virgo *Vestalis* legebatur intra annum 16. suæ ætatis, 30. verò annos oportebat eam manere virginem, postea nubere licebat. Earum autem tanta dignatio, ut interventu illarum gravissima dissidia fuerint composita, ut testamenta custodirent, ut Consules Prætoresque iis viâ cederent, Vide Senec. *lib.6. Controv.8.* Quoties vi morbi atrio excedere cogebantur, matronarum committebantur curæ: interque eas una auctoritate præcipua fuit, quæ *Maxima* dicebatur, Sueton. *in Cæsare.* Quòd si interim forte stuprum virgo commisisset, viva defodiebatur. Unde Juvenalis:

— *Cum quo nuper vittata jacebat,*
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Tota insuper lugebat civitas, ut in clade publica, eratque is dies lugubris: quod usque adeò observatum est, ut in Annalibus, prodigii loco, Vestalis damnatio haberetur. Locus, ubi defodiebantur, prope portam Collinam erat, dicebaturque *sceleratus campus*, Fest. *lib.17.* Addebatur eis panis & lac, ne videretur fame interiisse. Porro locum in Amphitheatralibus & scenicis Circensibusque habuere ludis Vestales peculiarem, carpentisque seu pilentis, ut aliàs matronæ, vehebantur. Vestitus earum *Suffibulum* dicebatur, vittæ iis, ut matronis, capitis ornamentum erant, & sceptrum ex ære gerebant manibus: Duravitq; hoc sacerdotium usq; ad Theodosii Sen. tempora, à quo, unà cum aliis Sacerdotiis, nequaquam reclamante Senatu, omnino est sublatum: id quod ex epistolis Symmachi & Ambrosii responsionibus manifestum est. Vide Voss. *de Idol. lib.2. cap.65.* Lips. *Syntag. de Vesta & Virgin. Vestal.* Th. Dempsterum *Antiq. Rom. lib.2. cap.2. & lib.3. cap.19. &c.*

Vertusium seu *Virtus*, oppidul. Campaniæ Gall. 6. leuc. à Catalauno in Occ. cum castro antiquo. Vulgò *Vertus*.

Veruca, opp. Carnorum inter Natisonem ac Timavum M. *Falcone*, teste Leandro: In Foro-Julio Baudr. à Theodorico, Gothorum Rege, conditum. 9. m. p. ab Aquileja in Cæc. 26. ab Utino in Eur. uti 10. à Gradisca, versus oram Sinus Tergestini; caput regiunc. cognominis. Sub Venetis. Nigro autem Veruca longè hinc distat, in agro Veronensi ad Athesim fluv. *La Chiusa* vulgò, inter Veronam ac Tridentum. Est & *Veruca* arx firmissima in Gall. Subalp. ad Padi ripam contra Crescentiam opp. Vulgò *Verva*. Frustra olim à Gallis tentata; expugnata sub Hispanis An. Ch. 1625.

Verulaminm, vulgò *Werlan*, locus in Anglia olim celebris, ubi postmodum monasterium S. Albani conditum. Hic Synodus, An. 446. contra Pelagianos, & ab Offa Mereiorum R. An. 793. & 794. concilia celebrata sunt.

Verulania Gracilia, Capitolii obsidium subiit neque liberos, neque propinquos, sed bellum secuta. Tacit. *Hist.* 3. 69.

Verulanus, legatus sub Corbulone, qui Tiridaten, per Medos, extrema Armeniæ intrantem, legionibus citis & auxiliis abite procul ac spem belli amittere coëgit, Nerone quartum & Cornelio Coss. Tacit. 14. 26. Integrum nomen ipsi *Verulanus Severus*.

Verulum, *Verulæ* Frontino, colon. & urbs Latii in Hernicis Ep. apud Cosam fl. media fere inter Anagniam ad Occ. & Soram ad Ort. Frusinoni finitima, Vulgò *Veroli*. Pop. *Verulani*. Plin. &c.

Veruni, popul. Galliæ, Plinio soli, *libr.* 4. *cap.* 17. inter Galliæ Belgicæ gentes, numerati, *liberiq;* ab eo dicti, quòd ab Impp. aliquâ libertate donati erant, & onerum quorundam præ cœteris libertatem habebant. Eorum caput in tab. Peuting. *Vironum*: aliis *Verunum* ac *Veronum* dicitur, unde Episcopi *Veronensis* in vett. Conciliis mentio. Æthicus *Verodunum* appellat, atque inter Durocortorum ac Divodurum ponit. In vett. Notit. inter provinciæ Belgicæ primæ civitates quarto ac ultimo loco ponitur. Ejus, *Vereduna* nomine, sic meminit Fortunatus *libr.* 3. *Carm.* 29. *ad Agericum Episc.*

Urbs Vereduna brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.
Major in angusto præfulget gratia gyro,
Agerice tibus quam magis auxit honor.

Desideratus ejus Ep. Concil. Arvernensi & Aurel. quinto subscripsit. Urbs hodie clara & magna Mosâ interluitur, habet monasteria Abbatialia S. Vitoni *S. Vanne*, quod est virorum, in monte S. Vitoni; S. Mauri, quod est puellarum, & S. Agerici. Vulgò *Verdun en Lorraine*. Aliud enim est *Virdunum*, ad Ararim, in Burgundia, *Verdun* vulgò, opp. aut castrum ad Araris, Dubis & Dunæ confluentes. Item in Provincia. Item ad Garumnam sub Tolosanis olim Comitibus, vulgò *Verdun*: quod castrum nobile vocat, Petrus Monachus *in Hist. Albig.* Vide Hadr. Valesium & supra in vocibus *Veroduni* & *Verodunum*.

Verus, Vide *Lucius Verus*.

Veruvium, vulgò *Cap S. Andres*, prom. Albionis, in ora Scotiæ Mer. apud Andreanopolim. V. *Berubium*.

Verzascha vallis, in præfectura Helvetiorum Transalpina, Locarnensi, ad Or. à flumine per ipsam descendente dicta: Sibimet ipsi Subpræfectos constituit. Simlerus *descr. Helvet.*

Verzascha Bernardus, Basiliensis. Reip. patriæ Archiater, Senator, Scholarcha, eruditione inclytus. Ejus extant, *Riverius contractus*, *Exercitatio de Paralysi &c.* Alia sub prælo sunt. Natus est An. Ch. 1619.

Vesalia inferior, *Wesel*, seu *Nider Wesel*, urbs permunita Duc. Clivensis, trans Rhenum, ubi recipit Luppiam. Juris Brandeburgici. 4. mill. Germ. à Geldria urbe in Cæc. Monasterium versus 13. à Juliaco 11. in Bor. Estque Hanzeatica. A Friderico Henrico Principe Arausi. ex insperato capta, Ann. Ch. 1629. in Gallorum manus pervenit, An. Ch. 1672. postea iterum recepta: Hic Fœderati Belgii miles, dum post victoriam prædæ inhiat, à Fontano victus est, An. Ch. 1595. Thuan. *Hist. lib.* 112. 113.

Vesalia super. *Ober Wesel*, oppidul. Germaniæ sub Areb. Trevirensi. Vide *Vosavia*.

Vesalius Andreas, Bruxellensis, Medius Cæsareus, C. S. E. in insf. Zacyntho, è Cypro reversus, & Patavium à Veneto Senatu vocatus, miserè obiit. An. C. 1564. æt. 50. Scriptis inclytus.

Vesatum, opp. ad Mosam, inter Leodicum & Trajectum, vulgò *Weset*, aliàs *Viset*. An vicus potius? Valesius, *Notit Gall.*

Vesbius, sive *Vesvius*, & *Vesuvius*: Val. Flaccus *lib.* 3.

—— —— *Magis ut mugitor anhelat*
Vesbius. Vide *Vesevus*.

Vesci, quod & *Faventia*, *Vescis* Ptol. urbs Hisp. Bæt. vulgò *Huesca*, vel *Guesca*: in confinio regni Murciæ & Granatæ, inter Ventam Moralem ad Arctos & Basti in Mer. 7. leuc. Nigro est *Velez el Ruvio*, vel *Velez el Blanco*, Ferrar.

Vescianum, villa Campaniæ inter Capuam & Nolam in agro *Vescia* urb. extinctæ. Cic. A Livio memoratur inter Atellam & Vesuvium.

Vescularius, prænomine *Flaccus*, Eques Roman. cui propior cum Tiberio Cæsare usus. Tacit. 2. 28. & 5. vocatur, insuper *Atticus*, insidiarum in Libonem internuntius: ad mortem actus *libr.* 6. *cap.* 10.

Vesenium, vide *Rivarium*.

Veseris, Liv. fluv. Campaniæ apud mont. Vesuvium fluens in Craterem sinum.

Vesevus, qui & *Vesvius* & *Vesuvius*, mons celeberrimus, & ignivomus Campaniæ Nolæ vicinus, inter Neapolim & Stabias 8. m. p. agros habens miræ fertilitatis præter quàm in solo cacumine, ubi planitiem habet magnam, fructum omnino nullum ferentem. Constat enim hunc montem sæpius arsisse; nunquam tamen vehementius, quàm imperante Tito: quo tempore erumpens ex eo ignis, & vicinas regiones latissimè populatus est, & Plinium, Naturalis historiæ scriptorem, qui cognoscendi cupiditate eò se contulerat, fumo flammisque enecavit, quâ de re vide *epistolam* Plinii Junioris *ad Corn. Tacitum*. Galenus *de Methodo medendi lib.* 5. Ὁ λόφος τις τῶν συγγεγραμμένων οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι ὃ Ἕλληνες οἱ ... Βέσβιον ... τὸ δὲ ... τοῦ λόφου Βέσβιον. Primùm quidem Romani fecere *Vesevus*. Lucret. *l.* 6.

Qualis apud Cumas locus est, montemq; Vesevum, &c.

Virgil. Γεωργικῶν 2.

Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo
Ora jugo. —— ——

Val. Flaccus Ἀργοναυτικῶν 4.

Sic ubi prærupti tonuit cùm forte Vesevi
Hesperia lethalis apex.

Silius *lib.* 12.

Monstrantur Veseva juga.

Stat. *Sylv.* 4. 8.

Tertia jam soboles procerum tibi nobile vulgus
Crescit & insani solatur damna Vesevi.

Auson. *Idyll.* 10.

Perq; vaporiferi graditur vineta Vesevi.

At Græci videntur postea fecisse Βέσβιος, i. e. *Vesbius*, sive *Vesvius*; quos Romani etiam secuti sunt. Columella *lib.* 10.

Fontibus & Stabia celebres & Vesvia rura.

Silius *lib.* 17.

Evomuit pastos per secula Vesvius ignes.

Stat. *Silv.* 4. 4.

—— *Fractas ubi Vesbius egerit iras*
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.

Martial. 4. 44.

Hic est Pampineis viridis modò Vesvius umbris.

Incendia ejus crebra fuere variis temporibus. Diodorus *libr.* 4. Ὠνομάσθη δὲ καὶ τὸ πεδίον τοῦτο Φλεγραῖον ἀπὸ τοῦ λόφου τοῦ παλαιοῦ ... ἐκφυσῶντος, καλεῖται δὲ ὁ τόπος Οὐέσβιος. Naturam ejus describit Strabo *lib.* 5. Ὑπέρκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐεσούιον, ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις, πλὴν τῆς κορυφῆς, αὕτη δ' ἐπίπεδος μὲν πολὺ μέρος ἐστίν, ἄκαρπος δ' ὅλη. Xiphilinus *ex Dione*, Καὶ αὐτὸ τὸ μὲν ἄκρον ... δένδρα καὶ ἀμπέλους πολλὰς ἔχει, ὁ δὲ κύκλος ἀνεῖται τῷ πυρί, καὶ ἀναδίδωσι τὴν μὲν ἡμέραν καπνόν, τὴν δὲ νυκτὸς φλόγα. Vide Sen. *Nat. Qu. lib.* 6. *cap.* 2. Hodie *monte di Somma*, in prov. Terræ laboris; aliàs vitibus generosis magna ex parte consitus & peramœnus, nunc penè incultus est, propter crebra incendia. An. 1632. enim sic æstuavit, ut calamitatem ultimam Neapolis expectaret. Vide & Recupitum, *de Incendiis ejus*.

Vesontio, *Visontium* Ptol. *Bisuntio* Amm. quæ & *Chrysopolis* in lib. concil. *Besançon*, urbs maxima Sequanorum & naturâ loci sic munita, ut magnum ad ducendum bellum facultatem det, verba sunt Cæsaris *lib.* 1. *Comm bell. Gall.* Metrop. Burgundiæ Comitatûs ad Dubim fl. olim circumfluentem, nunc interfluentem, emporium & urbs libera. Ferrar. Hic Batavi Seniores in præsidio fuisse dicuntur, in Not. Imp. Hic Moneta, namque nummos olim *Vesontione* percuti consuevisse ex auro, argento & ære constat, & fortè hinc *Chrysopolis* dicta, quia cùm nummus olim esset aureus, à Byzantio, ubi percutiebatur, *Byzantinus* Græcis, *un Besan d'or* Gallis dictus: *Besantio* autem & *Bisantium* urbs, nam & sic olim quoque appellata, ad Byzantium hunc aureum, & *Besançon* ad *Besan* proximè accederet, crediderunt quidam, *Besantionem* vel *Besançon*, idem esse ac urbem Byzantiorum *la ville des Besans*, & ab aureis istis Græco nomine *Chrysopolim* appellarunt. Hic porro olim Palatium: Amphitheatrum extra muros, latum passus circiter 120. cujus fundamenta & porticus dirutæ ad sacellum extramuranum S. Jacobi hodie visuntur, & superest in urbe hodieque *vicus Arenarum*, & porta ipsa Amphitheatri, una hodie ex 5. urbis portis: imò & *tribus Arenarum*, una ex septem: Item Pantheon, Campus Martius, & Campus Minervæ, si Marliano fides. Fuit & alia porta Vesontione, *porta de Varesco* dicta, nunc clausa: cui nomen à Varascis, parte prov. Sequanorum & utramque Dubis ripam incolentibus. Archiepiscopalis est & Metropolis, habuitque cum majore Archiepiscopatu seu *Vesontinus* jam ante annos 400. quatuor Archidiaconatus, vid. Salinensem, Gradicensem *de Grey*, Trevensem & Luxoviensem: Imo jam ante 550. annos suum etiam Dolæ Archidiaconum habuit: Præterea Abbatias 26, & Parœcias 780.

Con-

Continentur Diœcesi Vesontiensi.

Artosium.	Montanæ.
Balma, seu Palma.	Pauliacum.
Dola.	Ruber Mons.
Falconiacum.	Rufiacum.
Faverniacum.	Salinæ.
Gradicum, *Grey.*	Saliniacum.
Ledo Salinarius.	Treva.
Murciacum.	Varascum.
Mons Falconis.	Versullum.

Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Vespasia, pagus Umbriæ, in monte, juxta fines Sabinorum, à Nursiâ 6. mill. pass. Spoletium versus; unde nomen *Vespasiano*, Imper. Sueton.

Vespasianus Titus Flavius, Imper. ex Flaviorum familia, non admodum illustri. Narcissi ope, Dux exercituum in Germania & Britannia, Barbaros vicit, duabus nationibus potentissimis, cum viginti duab. urbibus, subjugatis. Africæ dein, magna cum integritatis famâ, præfuit. Româ postmodum cedere jussus, à Nerone, qui observaverat, illum, se versus suos recitante, dormire; sequenti tempore, copiarum Dux contra Judæos rebelles electus est, quos sæpius vicit, Ascalone, Jotapatâ, Joppe, Gamalâ, &c. captis, jamque Hierosolymæ imminens, post Neronis, Galbæ, Ottonis, Vitelliique fata, ab exercitu Imperator proclamatus est, An. Chr. 69. gladios illi, ni acceptaret imperium, intentantibus militibus, Senatuque approbante: Prudens, fortis & felix. Misso igitur in Orientem Tito filio, Hierosolymâ captâ, cum illo de Judæa capta triumphavit, balsama præferens, delirias genti devictæ peculiares. De quo triumpho Oros. *lib.7. cap.9. Vespasianus*, inquit, *& Titus Impp. magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingressi sunt, pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter* 320. *triumphos, qui à conditione urbis usq; ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit.* Porro Philosophos, quod omnia sub censuram vocarent, urbe expulit, temploq; magnificentissimo in Pacis honorem erecto, in quo vasa & donaria templi Hierosolym. ab illo reposita fuisse, docet Hieronymus. Obiit An. Chr. 79. ætat. 69. Solius avaritiæ notâ gloriam ejus offuscante. Sueton. *in ejus vita.* Aur. Victor. *de Cæsar.* Joseph. *de bello Judaic.* Euseb. *lib.3. cap.5.*

Vesper, vide *Venus.*

Vespolatum, pagus amplus agri Novariensis, 8. mill. pass. à Novaria, Viglebanum versus. A Conrado Impet. An. 1028. Eccles. Novariensi donatus.

Vespranum, opp. Lombardiæ Transpad.

Vesprimiensis Comitat. pars Hungariæ infer. inter Comit. Albensem, ad Ort. Zeladiensem ad Occ. & Castriferrei ad Bor. lacumque Balatonium ad Mer. Sub Austr. Ejus caput est

Vesprimium, German. *Weissbrun*, Hungar. *Vesprim*, urbec. munita, in ipso limite dit. Turc. in colle, ad fontes *Saruvizæ* fluv. versus oram Bor. Volceæ Paludis, seu lacus Balatonis. Vide *infrà.*

Vesprinium, vulgò *Vesprin*, urbs Hungariæ, Episc. sub Archiep. Strigoniensi, inde 8. leucis in Mer. Albæ Reg. proxima, inde 3. leuc. in Occ. Taurinum versus, seu versus Sabariam, apud lacum Peisonem vel potius Balatonem, in ora ejus Boreali, Ferr.

Vessa, Polyæn. *lib.5. in Phalaride, Comm.4.* maxima & florentissima civit. Siciliæ, cujus Princeps Teutus: à Phalaride dolo in potestatem redacta. An pro *Inessa?*

Vessones, Ptolem. aliis *Suessiones*, Vide ibi.

Vesta, Saturni filia ex Ope, testibus Diod. Siculo & Apollodoro, secundùm Q. Fabium Victorem Jani uxor: quamquam à Poëtis non rarò pro terrâ sumitur, sive quòd omnibus terrâ *vestiatur*, sive quòd *vi sua stet*. Ovid. *lib.6. Fast.*

Stat vi Terra suâ; vi stando Vesta vocatur.

Proin hanc depingebant muliebri formâ, tympanum gestantem, quòd terra ventos in se contineat, Suidas in voce γῆς ἄγαλμα· & in Senatu Atheniensium, qui se *terrigenas* jactarunt, aram Dea habuit. Non desunt, qui ἀπὸ τῆς ἑστίας nomen hoc deducunt, inter quos est Tullius *libr.1. de Nat. Deor.* Interdum ponitur pro igne. Ovidius:

Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam,
Nataq; de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est quæ semina nulla remittit.

Veteres autem 2. fuisse Vestas affirmabant: unam Saturni matrem, alteram ejus filiam. Ovid. *ubi suprà:*

Ex Ope Junonem memorant, Cereremq; creatas;
Semine Saturni tertia Vesta fuit.

Confundunt nihilominus has Poëtæ, alteram pro alterâ ponentes. Id tamen observandum est: Cùm Vestam pro terrâ accipiunt, de matre Saturni esse intelligendum: quando verò virginem nominant, de filiâ ejus esse intelligendum, quam ignem esse voluere. Quæ si propriè referatur ad aras, & focos publicos, valde est verisimile, cùm pleraque omnia vocabula sacra sint ab Oriente, etiam *Vestam*, sive Ἑστίαν esse ab אש *esh*, id est, *ignis*, & יה uno ex Dei nominibus, ut [illegible] λέξει sonet *ignis Deus*: Ideoque propriè symbolum potius Numinis, quàm Numen ipsum sonet. Cæterum *Vestam* Deam, apud priscos, in tantâ veneratione fuisse scribunt, ut qui ei sacra non faceret, ἀνέστιος, quem pro impio & injusto accipiebant, diceretur. Græci ab hac omnia sua sacrificia auspicati, in eâdem desinebant: Tantumq; fuit hoc Numen, ut Pausanias dixerit: *Sacrificant Vestæ quidem primùm, Jovi deinde Olympio.* Peculiare autem Trojanorum Numen fuit, Sidon. Apollinar. *Carm.9. vers.133.*

Thebis Eubion, Ilioq; Vestam.

Sed & ante Romam conditam diu in Ital. culta fuit, maximè à Tyrrhenis, teste Myrtilo Lesbio, qui eam Tyrrhenorum linguâ *Labith Horchiam* appellatam esse dicit, quod nomen etiam, auctore Herodoto, apud Scythas habuit. Hanc unam ex Diis Penatibus esse volunt, quos Æneas in Italiam advexit. Virgil. *Æn.2.*

Sic ait & manibus vittas, Vestamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Unde *Mater* peculiari nomine dicta est. Virg. *Georg lib.1. in fine:*

Dii patrii, Indigetes & Romule, Vestaq; mater,
Quæ Thuscum Tiberim & Romana palatia servas.

Et in omnibus ædium privatarum vestibulis apud Romanos ejus simulachrum, quemadmodum Mercurii apud Athenienses, stetit. Cui sententiæ non obscurè adstipulatur & Livius, cùm Vestæ sacra vetustissima esse asserit, & ab Albanis accepta, à Numâ autem Pompilio primùm Romæ instituta, multisque ceremoniis venerabiliora effecta. Primùm enim is templum Vestæ prope Castoris extruxit, licèt alii Romulo id tribuant. De quo sic Plutarch. *Traditur, Numam custodiæ causâ, perenni igne Vestæ templum circumdedisse: quod rotundum ab eo extructum est, non ut terræ, sed ut Universi figuram exprimeret.* In eo idem perpetuum atque æternum ignem tanquam Imperii certissimum pignus, asservari jussit. Servius *ad illud lib.4. Æneid.*

—— *Vigilemq; sacraverat ignem.*

Fuit autem is non in focis aut altaribus, sed in vasculis quibusdam fictilibus suspensus, Valer. Max. *lib.4. cap.4.* tantumque in eo fiduciæ fuit, ut nunquam sine portento crederetur extingui, & anxiâ solicitudine, si id fortè contingeret, expiaretur. Uti factum ante initia bellorum civilium, motaque inter Cæsarem & Pompejum arma. Præter hunc, alia quoque sacra occulta, solis æditui, virginibusque, de quibus paulo pòst, cognita, hic asservata fuisse, colligere est ex Dionysio *lib.2.* & Plutarch. *in Camillo:* unde in ædis incendio, tempore primi belli Punici, unus æedituorum L. Cæcilius Metellus vir Consularis, posthabito publicæ utilitati privato periculo, in ardens penetrale irrupisse legitur, ut sacra à virginibus, quæ metu diffugerant, deserta eriperet. Idem Numâ sacerdotes ei virgines creavit, stipendioque publico donavit, perpetuaque virginitate frui eas lege jussit: quæ à Numine, cui inserviebant, *Vestales* dictæ sunt. Harum potissimùm cura erat, ut ignem perpetuum alternatim excubando, conservarent; qui si fortè per negligentiam fuisset extinctus, Virgo, cujus incuriâ id factum, à Pontifice severè plectebatur, flagro, verberibusque, Festus Pomp *lib.9.* Jul. Obsequens *de Prodig. cap.62.* Valer. Max. *lib.1. cap.1. tit.7.* neque alio ex igne reparare fas erat, sed accensâ per fomites, beneficio τῶν σκαφείων, id enim instrumento nomen, ex Sole flammâ purus & cœlestis ignis eliciebatur. Paulo aliter modò laudatus Festus, *Ignis Vestæ, si quando interstinctus fuisset, Virgines verberibus afficiebantur à Pontifice, quibus mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret.* Interim etiam cùm non extinctus est, accendebatur quotannis Calendis Martiis & renovabatur ignis, quem asservabant in operto, Jan. Parrhal. *Epist.57.* Ovidius *Fastor. libr.3.*

Adde quòd arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Porro virgo *Vestalis* legebatur intra annum 16. suæ ætatis, 30. verò annos oportebat eam manere virginem; postea nubere licebat. Earum autem tanta dignatio, ut interventu illarum gravissima dissidia fuerint composita, ut testamenta custodirent, ut Consules Prætoresque iis viâ cederent, Vide Senec. *lib.6. Controv.8.* Quoties vi morbi atrio excedere cogebantur, matronarum committebantur curæ: interque eas una auctoritate præcipua fuit, quæ *Maxima* dicebatur, Sueton. *in Cæsare.* Quòd si interim fortè stuprum virgo commisisset, viva defodiebatur. Unde Juvenalis:

—— *Cum quo nuper vittata jacebat,*
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Tota insuper lugebat civitas, ut in clade publica, eratque is dies lugubris: quod usque adeò observatum est, ut in Annalibus, prodigii loco, Vestalis damnatio haberetur. Locus, ubi defodiebantur, prope portam Collinam erat, dicebaturque *sceleratus campus*, Fest. *lib.17.* Addebatur eis panis & lac, ne videretur fame interiisse. Porro locum in Amphitheatralibus & scenicis Circensibusque habuere ludis Vestales peculiarem, carpentisque seu pilentis, ut aliàs matronæ, vehebantur. Vestitus earum *Suffibulum* dicebatur, vittæ iis, ut matronis, capitis ornamentum erant, & sceptrum ex ære gerebant manibus: Duravitq; hoc sacerdotium usq; ad Theodosii Sen. tempora, à quo, unà cum aliis Sacerdotiis, nequaquam reclamante Senatu, omnino est sublatum: id quod ex epistolis Symmachi & Ambrosii responsionibus manifestum est. Vide Voss. *de Idol. lib.2. cap.65.* Lips. *Syntag. de Vesta & Virgin. Vestal.* Th. Dempsterus *Antiq. Rom. lib.2. cap.2. & lib.3. cap.19. &c.*

Vestales, à Pompilio Numâ primò institutæ sacerdotes, perpetui ignis custodes quatuor; qui numerus dein ad senarium auctus est. Hæ primo decennio facienda discunt: secundo faciunt: reliquo autem decennio alias edocent, post quod tempus nubere possunt. Honoribus quoque multis ornantur: Inter quos, si casu in quemquam inciderint, ad capitale supplicium ductum, eum necari non licet. Si autem aliqua virginitatem perdiderit, viva ad portam, quam Collinam vocant, defodiebatur ibi moritura. Erat sacerdotium Albâ oriundum, habens de publico stipendium, eligebaturque *Vestalis Patrima Matrima*, quæ inter capiendum à Pontifice M. *Amata* appellabatur. Vide *Vesta*, & *Vestalia*.

Vestalia, dies erat apud Roman. Vestæ sacer, incidens in 5. Idus Junii. Eo, cùm convivia passim ante fores agitarentur, cibi virginibus Vestalibus à civibus mittebantur Deæ Vestæ libandi, & asini floribus coronati, atque è pane velut monilia quædam gerentes, circumducebantur per urbem: molæ item sertis ornabantur & floribus, quiescebantque. De quibus ceremoniis vide Ovidium *in Fastis*. Porro festivo hoc die matronæ nudis pedibus ad Vestæ ibant templum, Jovique Pistori ara in Capitolio posita est: Eodem Junius Brutus ulteriorem Hispaniam subegit & M. Crassus cum exercitu à Parthis cæsus est. Vide insuper Liv. *lib.* 56. *&* 106. Appian. *in Parthico*, Plutarch. *in Crasso*, Justin. *lib.* 41. *&* 42. in primis autem Carol. Sigonium *in Fastorum Commentariis*. De trigesimo die April. *Vesta Palatina* sacro, Vide Thom. Dempst. *Antiq. Rom.*

Vest-Frisia, Germ. *West-Friesland*, Gall. *West-Frise*, pars Hollandiæ, versùs Sept. extenta, aliter *Northollandia*; inter Amstelodamum ad Mer. & Texeliam Insulam ad Bor. ubi urbes Alcmaria, Enchusa, Horna & Medemblicum. Ab hac distinguenda est Frisia Occid. vulgò *la Frise* Gall. *Friesland* incolis.

Vestia Oppia, mulier Atellana, Capuæ habitans, quæ quondam quæstum corpore faciebat. Liv. *lib.* 6. *cap.* 2. *belli Pun.*

Vestiarium, cimeliarchium, gazophylacium: Locus in Ecclesiis, quo vestes, thesauri, & supellex sacra reponitur, *βεστιάριον*. Vide Augustin. *epist.* 109.

Vestilius, prænomine *Sextus* Prætorius, quem, Druso fratri percarum, Tiberius in cohortem suam transtulit; dein literis ad Senatum accusavit, quòd quædam in C. Cæsarem ut impudicum composuisset: qua de causâ convictu Principis prohibitus, cùm senili manu ferrum tentavisset, obligavit venas, precatusque per codicillos immiti rescripto, venas resolvit, Tac. 6. 9.

Vestini, pop. Italiæ Sabinis & Picentibus vicini. Plin. 3. 5. Apud eos olim fiebant casei laudatissimi. Mart. 13. 3.

Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
Hac tibi Vestino de grege massa venit.

Vide Suidam in Βεστῖνοι. Baudrando sub Samnitibus fuere, à Sept. Matrino fluv. divisi à Piceno, ab Occ. Aterno fluv. à Marsis, à Mer. eodem Aterno à Pelignis & Marrucinis, ab Or. denique Supero Mari agitabantur. Erant ubi hodie pars Aprutii ulter. inter fluv. Aternum & *Piomba*. Eorum urbes fuere Amiternum, Aternum, & Pinna.

Vestinus, vide *Atticus*.

Vestinus, prænomine *Lucius*, Equestris ordinis, sed auctoritate famaque inter proceres; in quem Vespasianus Imperator curam restituendi Capitolii contulit. Tacit. *Hist.* 4. 53. Ortus ex coloniâ Viennensi, familiaris Claudio Cæsari. Ex tabulâ Lugdun.

Vestire, seu *Investire*, est plenam possessionem terræ vel prædii tradere: Unde *Devestire*, possessione aliquem exuere: *Revestire*, ejectum restituere: Omnia à *vestitu* dicta, quòd per Investiendi ceremoniam ipsius terræ *vestitus*, hoc est, herba, fructus, ædificia, proventus, in alterius transferuntur dominium. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaol.* & supra in voce *Investitura*.

Vestmannia, Gall. *Vestmannie*, prov. Sueciæ inter Uplandiam ad Ort. & Nericiam ad Occ. Gestriciam ad Bor. & Sudermanniam ad Mer. Urbes ejus sunt Arosia & Arboga.

Vestmaria, vulgò *Westmorland*, prov. Angliæ Bor. ubi aliàs Brigantes ex parte. Inter prov. Eboracensem, Lancastrensem, Cumbriam & Diœces. Dunelmensem. Oppida ejus sunt Aballaba, & Candalia. Cum Cumbria provinciam hanc Scotis ademit Adelstanus, An. Chr. 929.

Vestmonasterium, vulgò *Westmünster*, urbec. Angliæ, ad Tamesin, Londino adjacens ad Occid. in Comitat. Midlesexiæ. Ibi Regum Mausolæa.

Vestricius Spurinna, cum Annio Gallo, ad occupandas Padi ripas, ab Othone præmissus. Tacit. *Histor.* 2. 11. ad ævum Trajani vixit; egregius dux, cui, auctore Principe, triumphalis statua decreta. Plin. Secund. *Epist. lib.* 2.

Vestrovicum, urbs Smalandiæ, cum portu, in ora maris Balt. In limite Ostrogothiæ, 55. m. p. à Calmaria in Bor. *Westervvick*.

Vesulium, vulgò *Vesoul*, urbs Comit. Burg. parva, sed culta, non procul ab Arari, ad amniculum in eum effluentem, in colle, 9. leuc. à Visuntione in Bor. 13. à Monte Bellicardo in Occ. Pluries capta redditaque.

Vesulus, mons Liguriæ juxta Alpes, inter cæteros clarissimus, ex cujus radicibus Padus gemino & visendo in jugi planitie fonte erumpit, Plin. 3. 19. Virgil. *Æneid.* 10.

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit. —— ——

Hodie *Monviso*. Pars Alpium Cott. inter Gall. & Italiam, seu inter Marchion. Salutiarum & Delphinatum ad Occ. 20. mill. pass. à Salutiis in Occ. ubi fontes Padi.

Vesuna, Petrocoriorum urbs in Aquitania. *Perigort* Villanovano. Vide *Petrocorium*.

Vesuviana aqua, eædem *Sebeto* amni, Loffredo; qui ex Vesuvio fluens Tacit. sic dicitur.

Vesuvius, vide *Vesevus*. Hinc *Vesuvinus*. Stat. *Sylv.* 2. 2.

Ructassent dites Vesuvina incendia Locros.

Vetaonia, nunc *Vaadonia*, vel *Vandoma*, pag. & cœnob. in Portugallia. Lib. Concil.

Vetera Castra, urbs Germ. infer. apud Rhenum. *Santen* Pyramio & Baudr. in Duc. Cliviæ, prope Rhenum, 2. leuc. à Vesalia infer. in Occ. quot à Geldria in Bor. uti 3. à Rhenoberga. *Berk* verò Simlero. Huc duas legiones à Civile pulsas, concessisse refert Tacit. *Hist. lib.* 5. sub Vespasiano: è quo loco colligit Valesius, Augustum *Vetera castra* condidisse, ut ibi duæ legiones hibernarent, ad Germaniam super. & infer. in officio continendas. Erant autem illæ quinta & decima nona primùm, dein quinta & quarta decima: porro trigesima, sub Marco Aurelio Antonino, tandem vicesima prima legio sub Constantino M. hic castra sua habuit. Hadr. Val. *Notit. Gall.* Item opp. Vindeliciæ in Bavariâ ad Danubium, inter Ratisbon. ad Occ. & Straubingam ad Ort. 3. leuc. *Pfeter* Simlero.

Veterannio, senex illiteratus sed bellicosus, in Illyrico ab exercitu Imper. proclamatus, sed à Constantio blanditiis imperio exutus & lenissimè habitus est, An. Chr. 351. Vide *infrà*.

Veteranius, Dux copiarum, sub Constantio. Imperator in Pannonia proclamatus est, An. 350. quo tempore & Magnentius alibi Imperium arripuit. Quibus Imperator occursurus, Veteranium primò ab hujus amicitiâ abstraxit, dein milites ejus eò perduxit, ut Ducem suum, purpurâ depositâ, privatum porro vivere coëgerint. An. 351. Ammian. Marcellin. Socrates, &c.

Veteravia, vulgò *Wetteravv* incolis, *Veteravie* Gallis, tractus Germaniæ & Franconiæ, in circulo Electorum Rheni, inter Hassiam ad Ortum & Rhenum fluvium ad Occasum, Ducatum Westphaliæ ad Boream, & ditionem Moguntinam ad Meridiem; dividiturque in 12. Comitatus, qui sunt Belstinus, *le Comté de Beilstein*, Comitatus Cattimeliboci, *le Comté de Catzenelebogen*, ditionis Hasso-Cassellanæ pro majori parte, Dietiensis, *le Comté de Dietz*, Dillemburgicus, *le Comté de Dillembourg*, sub proprio Comite, Hadamarius, *le Comté de Hadamar*, nuper Principatus titulo insignitus Nassoviæ gentis, Idenstinus, *le Comté d'Idenstein*, Isenburgicus, *le Comté d'Issembourg*, Nassovius, *le Comté de Nassaw*, nuper Principatus titulo insignitus, unde orta est domus Nassovia celeberrima, & Principes Arausicani, Sigensis, *le Comté de Sigen*, Solmensis, *le Comté de Solms*, Vilburgensis, *le Comté de Veilbourg*, & Visbadensis, *le Comté de Visbaden*, in ditione Electoris Moguntini. Oppida autem præcipua totius provinciæ sunt Dietia, Hadamaria, Nassovia, Sigenum & Solma.

Veterespictavi, vulgò *vieux Poitiers*, vicus Galliæ ad Clennum, non longè ab ejus & Vigennæ confluentibus, haud procul à castro Heraldi. Hìc Carolomannus & Pipinus regnum Francorum, quod à morte patris novem vel decem menses pro indiviso ambo possederant, summâ inter se concordiâ divisere, Ann. Chr. 742. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Veterus, Gall. *Lac Veter*, lacus amplus Sueciæ, inter Westrogothiam & Ostrogothiam prov. ad 80. m. p. extensus, à Sept. in Mer. Eum circumdant Vadstena & Jonecopia.

Vetronius Thurinus, quòd iis, qui aliquid ab Alexandro Imper. peterent, patrocinium & operam suam vendidisset, multa interim mentitus, alligatus stipiti, subjecto igne & humida materia, fumo extinctus est, adjecto elogio: *Fumo punitur qui fumum vendidit*. Lampridius. Aliis *Voconius* dicitur.

Vettinga, vicus Helvetiæ, ad Limagum, infra Tigurum, non longe à Thermis Helveticis, Abbatiâ Ordin. Cistertiensium & antiquitate illustris. Hìc in vetusto lapide inscriptio visitur, Isidi Deæ facta; quam referunt Guillimannus *pag.* 123. Stumpf. *Chron. lib.* 6. Russingerus Antiquarius Basiliensis, Johan. Bapt. Plantinus *Helv. Antiq. & Nov. &c.* Vide *Wettinga*.

Vettionenses, & *Vettonenses*, pop. Umbriæ, quorum opp. *Bittonis*, qu. *Vettonium*, olim Episc. inter Mevaniam 6. & Perusiam 8. m. p.

Vettius Bolanus, prænomine *Cajus*, legionis sub Corbulone tribunus, de cujus bellicâ gloriâ Statius *lib.* 5. *Sylv.* ad filium ejus Crispinum. Fuit Consul cum C. Calpurnio Pisone.

Vettius Chilo, in Gallia, jussu Galbæ, crimine rerum novarum, interfectus. Tacit. *Hist.* 1. 37.

Vettius Epagathus, in Gallia martyr, An. Chr. 170.

Vettius, prænomine *Spurius*, interrex Numam Regem pronuntiavit. Plutarch.

Vettones, *Vetones*, vel *Vectones*, pop. Lusitaniæ, teste Plin. *lib.* 25. *cap.* 8. qui herbam Betonicam invenerunt; horum reg. *Vettonia* Prudentio, hodie pars Austr. regni Legionis, cum parte *Extremadura*, Lucan. *lib.* 4. *Vectonesq; leves, &c.* Vide Casaub. *in Strab. pag.* 49. *edit. Genev.* & *Vectones*.

Vetto-

Vettoniana, oppidul. Bavariæ ad Danubium. *Wintem* vulgò.

Vetulonia, *Vetulonium*, Ptolem. opp. olim Hetruriæ apud Populonium, hodie *Vetulia*, ubi *sylva Vetulonia*. Populi *Vetulonii*, Plin. Erat & *Vetulonia* apud *Viterbium*, quod ex illa, Longula & Turrena extructum est, uti ex tabula Desiderii Reg. quæ ibi asservatur, patet Silius *lib.* 8.

Mœoniaq; decus quondam Vetulonia gentis.

Veturia, gens Romana, quæ prius *Vetusia* dicta fuit, nomen dedit tribui *Veturia*, cujus meminit Liv. *lib* 36. ubi duplicem habet Veturiam Juniorum & Seniorum. Fuit hæc tribus ultima ex 19. illis, in quas pop. Rom. divisit Servius Tullius, Vide Carol. Sigonium *de antiq. jure civium Rom. lib.* 1. *cap.* 3.

Veturia, C. M. Coriolani mater fuit, ad quam adierunt matronæ Romanæ, quæ in discrimine patriæ pervicerunt, ut Veturia, magno natu mulier, & Volumnia, Coriolani uxor, duos parvulos ex Coriolano ferentes secum, in castra hostium irent: & quam armis viri defendere urbem non possent, mulieres precibus, lacrymisque defenderent: quod præstiterunt: Nam fractus precibus ac fletibus matris Veturiæ ac uxoris Volumniæ Coriolanus, castra retro ab urbe movit. Tit.Liv. *lib.* 2. Dion. Halic. *lib.* 7. *&* 8. Hinc statuit Senatus, ut fœmineum extrueretur templum Divæ Fortunæ, ubi fœminæ singulis annis, eadem, qua liberata fuerat urbs, die, sacra peragerent: idque in fœminarum honorem, ac hujus facti velut miraculi, monimentum perpetuum.

Veturius, speculatorum optio callidus atque audax, ab Onomasto precio & promissis oneratus, datâ pecuniâ ad corrumpendos plurium Prætorianorum animos, contra Galbam, Tac. *Hist.* 1 25.

Vetus vicus, seu *Altorfium*, vulgò *Altorff*, vicus amplus Helvetiorum, caput Uriensis pagi, prope Rusnam fluv. & lacum Lucernum, ad rad. montium, 15. m. p. à Suitio in Mer. & 42. à Curia in Occid. Vide *Uria*.

Vetzlaria, vulgò *Wetzlar*, urbs Hassiæ, aliàs Imperialis & libera, ad Lanum fluv. 6. mill. pass. à Giessa in Occ. 30. à Francofurto ad Mœn. in Bor.

Vexala, Ptolem. *Yvelmouth*. Camden. æstuarium Cornubiæ, in mare ad Bidfordiam opp. labens, apud Herculis promont. Aliis *Moits*, ab opp. vicino dicitur.

Vexfordia, vulgò *Vexford*, urbs munita Lageniæ, cum portu peramplo, in parte Or. Hiberniæ, ubi Australis incipit. Aliàs *Menapia*, 20. mill. à Rossia in Ort. uti 25. à Vaterfordia, 60. à Dublino in Mer. Caput Comitat. cognom. *Vexford Countye*, qui terminatur ab Ortu & Mer. mari Hibern. à Sept. Comit. Caterloghiensi, ab Occ. Comitat. Kilkenniensi & Vaterfordiensi.

Vexillum crucis, al. Hierosolymitanum: ad Magistrum militiæ terræ sanctæ pertinebat, multis donatum privilegiis. Capitis enim rei non hoc transiens forte comprehenderent, immunes ilico constituti sunt. Producebatur autem, cùm in bellum contra Saracenos descendendum esset, militum conscribendorum gratiâ, qui proin amplissima privilegia ex munificentia Principum consequebantur, Brito Armoric. *Philipp. lib.* 3.

Nec minus Anglorum zelo Rex motus eodem,
Richardusq; Comes, Vexillo *se crucis armant.*
Exemplum quorum Proceres, Comitesq; Ducesq;
Ordoq; militia minor, Ecclesiaq; ministri,
Et multi de plebe viri, non impare voto,
Signo se signare crucis properanter avebant.
Par desiderium cunctos habet; unica mens est
Omnibus, unus amor sancta succurrere terra.

Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Vexillum feudale, cujus traditione illustr. feuda, *Fanleben* proin dicta, ab Imper. conferuntur, & quidem solo: neque enim vacante imperio, Electori Palatino, dum Provisoris partes agit, aliaq; dispônit beneficia, hæc conferre permittitur. Vide Aur. Bull. Sic Richardus I. Angliæ Rex, ab Archiep. Rotomagensi tam ensem, quàm *Vexillum* de Ducatu Normanniæ, in templo Beatæ Virginis, ante majus altare suscepit, Radulfus *de Diceto in Richardo I.* Zeno Imper. Italiam Theodorico Gothorum Regi *per pragmaticam tribuens*, sacri etiam velaminis dono confirmavit, Ricobald. Ferrar. *de Theodorico*, Jornandes, Ingulfus, &c. Lotharius quoque Imper. & Innocentius Papa, de conferendo Apuliæ Ducatu contendentes, in dando Duci Reginaldo *Vexillo*, ambo manum adhibuerunt. Otto Frising. *lib.* 7. *cap.* 20. *ad ann.* 1132. *&c.* Cœterùm fuit *Vexillariorum* tam eximia olim dignitas, ut Arnoldus de Eudevehan Marescalciæ Franciæ renunciaverit, vexilli (quod *Auriflamba* dicebatur) potiundi gratiâ: Et Hieron. Blancas *de reb. Aragon.* antiquos Suprarbiensium Reges, ante Innicum Aristum, alios non fuisse, quàm signiferos doctores, memorat. Sic refert Guil. Tyrius *lib.* 6. *cap.* 17. fratrem Regis Franciæ Ducem & Signiferum, in bello sacto, constitutum esse. Vide Henr. Spelmannum, in vocibus *Bandum*, *Baneretum*, *Fanleben*, & *Vexillum*.

Vexinum, vulgò *le Vexin*, tractus Galliæ, cujus pars, nempe Vexinum Gallicum, *le Vexin François*, est in insula Franciæ, inter Oesiam & Eptam fluv. cujus caput est Pontisara. Pars autem Occ. seu Vexinum Normannicum, *le Vexin Normand*, est in Normannia, inter Eptam & Andelam fluv. cujus caput Gisorium. Ibi Velocasses olim majori ex parte.

Vexsia, urbs Smalandiæ, juxta lacum, Episc. sub Archiepisc. Upsaliensi, 35. m. p. à Vetero lacu in Merid. versus mare Baltic. paulo plus; *Vexsio* vulgò.

Vezeliacum, urbs Duc. Burg. ad Curam fluv. in tractu Antissiodorensi, in colle, juxta limites prov. Nivernensis, 7. leuc. supra Antissiodorum, in Mer. 14. à Nivernis in Cæc. *Vezelay* vulgò.

Vezirus Magnus, Turcis *Vezir Azem*, Imperatoribus in amoris signum sæpe *Lala*, quasi Aulæ Magister dictus, supremus est Imperii Turcici Minister. Ejus enim arbitrio omnia belli pacisque negotia fere geruntur, nisi quòd Bassam capitis supplicio adjudicare non possit, sine subscriptione Imperatoris, nec militem quempiam punire, sine Præfecti consensu. Aliàs nec appellationi ab eo ad Imperatorem locus est, nisi in puncto denegatæ justitiæ, aut si pars enormiter se læsam esse testetur. Quo in casu talis, antiquo Turcarum more, igni capiti imposito Seraglium ingreditur, & quanto potest concitato cursu ad Imperatorem contendit, causamque suam ipsi exponit, nemine cursum ejus prohibere auso. Una tanti honoris, sed gravissima infelicitas est, quòd raro durabilis sit, plerisque *Veziriorum*, vel depositis vel violentâ morte peremptis, citius tardiùs, prout Imperatori visum fuerit. Unde non illepide eorum aliquis se suosque Antecessores formicis comparavit, quas ideo dicebat alis donari, quò eo celerius interirent. Sed inter paucos *Kiuperli* Achmedis ultimi Magni Vezirii parens incolumis evasit, & quod maxime mirandum, dignitatem ad filium transmisit: Qui ambo creduntur, animo Principis occupato & bello cum exteris, sibi cavisse. Sub hoc primo magnoque *Vezirio* sex alii Veziriorum gerunt nomen, qui Consiliis quoque adhibentur, sed auctoritate non magnâ. Vide Chr. Becmannum *Hist. Orbis Terr. Cap.* 10. *de Imperio Turc.*

U F.

Ufens, fluv. juxta Terracinam, per paludes Pomptinas fluens, Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. Vigil. *Æneid.* 7.

Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusq; per imas
Quærit iter valles, atq; in mare volvitur Ufens.

Unde Claud. *de Prob. Olybr. consulatu:*

—— *Tardusq; suis erroribus Ufens.*

Silius *lib.* 8.

—— —— *Et atro*
Liventes cœno per squalida turbidus arva
Cogit aquas Ufens, atq; inficit æquora limo.

Hic fluv. antiquissimis Romanis *Oufens* dicebatur. Ennius:

Priverno Oufentina venit, fluvioq; Oufente.

Sed & aliâ diphthongo etiam dicebatur *Aufens*; unde vulgare est hodieque vocabulum *Aufente*. Cluver. Baudrando, hodie *il Portatore*; nascitur ad diverforium *Casenove*, 2. mill. sub Setia, in Campania Rom. in dit. Pontif. Ejus ostia prope Terracinam distant 100. m. p. ab ostiis Truenti in Piceno in Mer. uti 60 à Neapoli in Occ. versus ostia Tiberina 50. Item Æquicolarum dux, qui cùm Turno adversus Æneam suppetias ferret, à Gyâ Trojano est interfectus. Ejus meminit Virgil. *ubi suprà:*

Et te montosa misere in prælia Nursa
Ufens, insignem famâ & felicibus armis.

Ufens alter, fluv. Piceni, Liv. *Chiente*, Cæs Orlando; & alter in Gallia Togata, in ora Semnonum, in Æmilia, apud Rubiconem.

Ufentina, quæ & *Oufentina* tribus Rom. crescente ob novos cives frequentiâ, cum Falerina, addita est An. U. C. 435. Livio teste, à Censoribus L. Papirio Crasso & C. Mænio. Nomen ei dedit fluvius Ufens, in agro Privernate, inter mare & Terracinam, Festus. Vide *suprà*.

Uffingus, vel *Uffo*, Monachus Friso, floruit An. 1000. eloquentiæ & eruditionis laude, Scripsit viam S. Ludgeri, &c. Suffridus Petri, *de Script. Fris. dec.* 7. *cap.* 5. Val. Andr. *Bibl. Belg.*

Uffugum, Brutiorum civitas, Liv. olim Episc. *Monte Alto*, teste Barrio, inter Consentiam & Argentanam, 12. m. p. utrinque.

U G.

Ugernum, castrum Galliæ, in Volcis Arecomicis, primò Straboni memoratum, in tab. Peuting. inter Nemausum & Arelatum ponitur, illinc 15. m. pass. hinc 8. interfluente Rhodano distans, ad citeriorem hujus ripam. Hic Sidonius Avitum ab exercitu Gallicano Augustum consalutatum ait, *in Panegyr.*

—— —— *Fragor atria complet*
Ugerni. ——

Postea *Bellum Cadrum*, à situ & figura dictum, vulgò *Beaucaire*. An potius Insula Gernica, inter Belcaire & Tarasconem, in Rhodano, vulgò *la Vergne*, vetr. *Ugernum* est? Vide Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Uggade, Anton. opp. Aulercorum Eburovicum, ad Sequanam, in Gallia Lugdun. Quibusdam est *Elbeuf*, opp. cum tit. Ducat. in Normannia, 5. m. p. supra Rothomagum in Mer.

Ugoghensis Comit. *Comté d'Ugogh*, provincia est Hungariæ superioris versus Tibiscum fluv. & limites Transylv. sub Austriacis. Terminatur à Septent. Comitatu Peregiensi, ab Ortu Moramarusiensi, ab Occ. Bihoriensi, & à Mer. Zatmariensi. Ejus caput *Ugoxa*, Germ. *Ugogh*. castrum in colle, 2. mill. Germ. à Zatmaria in Bor. Vibiscum versus paulo plus.

Ugri, à Pilgrino Bethavensi & Laureacensi Episcopo, rogante Ungarorum Rege Geisâ, conversi, & ad 500, sacro fonte lustrati: ipso quoque Rege, ductâ Mieceslai Poloni sorore, fidem amplexo. Ann. Chr. 966. Vide Aventinum *Annal. Bojor. lib.5.* & suprà in voce *Hungari.*

V I.

Via, Maurit. Cæsar. urbs, Ptolem.

Via, Hispan. Tarracon. fluv. Ptol. vulgò *Avia*, per Callaicos in Minium defluit.

Via, jus est eundi, agendi, & ambulandi hominis: nam iter & actum via in se continet. Has primi lapidibus stravere Pœni. In his dein faciendis farciendisque, tam intra, quàm extra urbem, maxima priscis temporibus Romani Senatus fuit diligentia. Primùm autem Censoribus earum curandarum munus commissum fuit: Postea, cùm illi aliis rebus occupati huic muneri solicitè vacare non possent, ex Senatusconsulto Magistratus peculiaris in hunc finem creatus est. Ii Quatuorviri viarum curandarum vocabantur, quòd viis vel muniendis, vel sternendis præessent. Eorum non multa quidem est mentio, in Scriptoribus, quos habemus: in antiquis tamen Epigrammaris plurima, Vide Pomponium JC. Dominicum Floccum Florentinum, Barn. Brissonium *Antiquit. lib.4.cap.12.* Iis pro vicariis inservierunt Quinque Viri cis & vls Tiberim, qui illorum munere, cùm vespertino tempore in publicum prodire Magistratibus inconveniens esset, fungebantur. Lata etiam Sempronia lex est, de viis Italiæ, à C. Sempronio Graccho Trib. Pleb. an. U. C. 619. *Ut viæ in Italia munirentur, sternerentur, lapidibus milliaria discernentibus notarentur, pontibus instruerentur*, Plutarch. *in Gracchis.* Primus vias sternendas silice in Urbe, & extra urbem glareâ substruendas, marginandasq; locaverunt Q. Fulvius Flaccus & A. Posthumius Albinus Censores, teste Livio. De Viis urbis Romæ vide infrà in voce *Via.* Hodie quoque apud Sinas omnibus meritò admirationi sunt *Viæ* publicæ, ad proficiscentium commoda, quantum humanitus fieri potest, exactæ. Æquatæ primùm & lapidibus stratæ, in omnibus ferè Australioribus provinciis, in quibus minor equorum & curruum usus: idq; in altissimis etiam montibus, ubi datur transitus, rescissis hinc inde rupibus, abruptisque ac solo æquatis montium cacuminibus impletis tandem vallibus, magno per totam regionem compendio. Ibi ad singulos lapides, qui decem stadia Sinica continent, dispositi Cursores, &c. ad singulos octonos lapides, quod spatium unius diei iter est, erectæ sunt domus regiæ publicæ, ad quas Præfecti ac Magistratus divertunt, regioque sumptu excipiuntur. Inter alia in *Fokien*, ad *Hinghoa*, viæ omnes ita quadrato sunt ubique lapide stratæ, ut per saxaginta & amplius stadiorum longitudinem (4. mill. Germ.) unius etiam perticæ latitudinem fervent, quibus nihil per totam Chinam nitidius. Vide Thom. Dempsterum *Antiq. Rom.* & Ad. Preyelium *in Sina & Europa cap.22. de Viis publicis.*

Via Belojum, Anton. *la Chiusa*, pagus Carnorum, inter Alpes Julias, quà in Noricum transitur, à Glemona opp. Carnorum 14. m.p. Villacum versus 9. leuc, Germ.

Via Bethlehem, in tribu Benjamin, amœna est valde, vineis, rosis, herbis odoriferis & aromatibus consita. Hanc, ut & alias, Emauntem, Gazam & Joppen ducentes, Salomon Rex, & unde cunque Hierosolyma esset adeunda, silice stravit, tum ut ultro citroque commeantibus essent faciles, tum ad ostentandam hac quoque parte principatus sui magnificentiam. Adamus Preyelius *in Sina & Europa cap.22.*

Via Jericho, quæ ducit Hierosolymam, per montana, iter 12. mill. in tribu Benjamin.

Via Ituræ, quâ à Sidone in Ituræam, inde ad Cæsaream Philippi iter est, in tribu Aser. Breid. *Itiner.1.*

Via à Sichem Hierosolymam, ubi Christus ad puteum consedit, aquam petens à Samaritana, Idem.

Via Sidonis, à Sidone per Sareptam Tyrum ducens. Hieron. *in H. L.* in dict. *Sarepta.*

Via de Silo in Sichem, in tribu Ephraim, Jud.21.

Via Tyri, quæ à Tyro Ptolemaidem tendit. In tribu Aser. Hier. in dict. *Achziph.* Brocard. *itin.1.* Breid.

Via Vallis; hac sæpe iter faciebat Elisæus, erat enim planior in Jericho eunti. In tribu Isaschar.

Viacienses, Hispan. pop. Plin. in Bæticæ confinio: quos Pinetus *Baezza* interpretatur. Vide *Biatia.*

Viadus, meliùs *Viadrus*, fluv. Germ. ex Moraviâ oriens, longoq; tractu per Silesiam, Marchiam & Pomeraniam in mare Balticum fluens, *Oder* Althamero. Beemanno, è Moraviæ & Silesiæ finibus manat, haud procul Olmutio: & infra Stetinum, in lacum *das grosse Haff* se demergens, inde per 3. ostia mare ingreditur: quorum dextrum est Diepenoa *Dievenovv*, sinistrum Pena, medium Suina. Urbs alluit Preslaviam, Glogaviam, Francofurtum, Custrinum, & Stettinum, fluviisque Bobero, Neissâ & juxta Custrinum Wartâ è Polonia veniente augetur: Superbus hodie novo cum Sprea conjugio, paratio Elect. Brandeburgico Frider. Wilhelmo, qui fossam hac fini duci curavit, ut mare Balticum & Oceanus Germanicus propiori communione fruerentur. Germ. *die Oder*, ab aucupibus, qui casas avibus captandis destinatas *Odri* appellant, circa Viadri fontem frequentes, *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ.* V. *Odera.*

Via Brunehildis, hodieque *Chemins de Brunehaut*, viæ sunt in Belgio, Brunehildis operâ, ut Fama fert, stratæ, quarum egressus urbem Hannoniæ Bavacum *Bavais*, quæ antiquis Cæsarum temporibus maximè floruit, memoratu efficit dignam. Columna enim lapidea in foro est, sub qua ab incolis omnia viarum capita referuntur, quæ ab eo loco in omnes Galliæ partes, sublimi ac recto exporrigentur tramite. Earum hodienum plurimis in locis visuntur vestigia, sed interrupta: habentque id præsertim miraculi, quòd sublimiores sint vicinis utrinque agris, inter insignia Galliæ oppida rectissimum iter conficiant, & siliceis lapillis, qui in vicinia desunt, stratæ sint, adeò ut vel ab humo ebullivisse silices, vel ex æthere pluisse quis judicet, vel aliâ, quàm humanâ manu & operâ undecunque toto orbe lectos, in viarum hujusmodi rudeiationem mentò demiretur, Ortelius *Theatr. Orb. ad tabulam* 40.

Via urbis Romæ ex Publio Victore & aliis.

Æmilia, à Lepido Consule cum Cajo Flaminio strata, ab Arimino Bononiam usque perducens, unde nomen regionis.

Albana in Latio, per portam Latinam Albam ducens, Tibullus *lib. 1. elegia* 8.

Nec taceant monumenta viæ, quæ Tusculæ tellus,
Candidaq; antiquo detinet Alba lare.

Alta, per urbem à monte Quirinali ad portam Viminalem.

Amerina, pars Flaminiæ, à porta Flaminia Ameriam ducens.

Appia, ab Appio Claudio strata, per portam Capenam Capuam usque perducens. De qua Statius sic *Sylv. lib.2. Carm.2.*

Appia longarum teritur regina viarum.

Longitud. ejus quinque dierum spatio vir expeditus vix poterat emetiri. Latitudo est, ut duo currus ex adverso obvii, liberè possent commeare: Et fuit sanè hæc via præter cæteras spectabilis, siquidem Appius ex longinqua regione excisos lapides, & hos quidem siliceos ac inopie ingenio durissimos, in hanc viam vehendos curavit: quos planos dein ac læves redditos, & quadratos incisione factos junxit & in ordine locavit, metalli nihil vel alterius rei inferendo. Intermixta connexi inter se hærent, ut speciem visentibus præbeant, non conjunctos ita sed congenitos esse. In ea cippi quidam eminebant, in quibus insidere fessis, onera reclinare, aut ex iis etiam in equum ascendere fas esset. Columellæ quoque, sed rariores extabant, quibus notæ numerorum incisæ milliaria notabant: quod utrumque G. Gracchus instituit, Plutarcho notante, & gratum in vulgus fuit. Eam Appius, ut dictum, Capuam usque muniendam curavit. nec enim ulteriores tum Romanorum fines. Postea Brundusium perducta est, an à Julio Cæsare, quem Plutarch. scribit Appiæ curatorem factum, plurimum pecuniæ in eam impendisse: an ab Augusto, qui plerasque vias per Italiam ipse, aut per alios munivit. Vide Adam. Preyelium *in Sina & Europa cap.21.* Hæc dein à Trajano instaurata fuit. Conspiciuntur hodieq; lapides plani quadratique, trium, quatuor, quinque etiam pedum quaquaversus. Idem.

Ardeatina, ab Aventino monte Ardeam usque ducens.

Asinaria, inter Appiam & Ardeatinam, per portam Cœliomontanam. (Latinam & Ardeatinam, in epitome Geographica & in 2. catalogo.)

Augusta, pars Flaminiæ, per Thusciam.

Aurelia, per portam Aureliam Forum Aurelii usque per Pyrgos & Centumcellas ducens.

Ausonia, eadem cum Latina. Vide *Latina.*

Campana, per portam Asinariam seu Cœliomontanam.

Cassia, per portam Flaminiam Forum Cassii deducens.

Cimina, per portam Flaminiam ad montem Ciminum.

Claudia, per portam Flaminiam Forum Claudii perducens per Thusciam.

Collatina, per portam Collatinam seu Pincianam in Sabinos.

Consularis, per portam Aureliam in Thusciam.

Cornelia, inter Aureliam & Triumphalem apud S. Petrum, seu Vaticanum exiens in Thusciam.

Domitiana, ab Appia inter Sinuessam & Puteolos in Campania ducens.

Flaminia, à Cajo Flaminio Consule strata, per portam Flaminiam seu Flumentanam Ariminum usque perducens. De ea Martial. sic *lib.11. epigr.* 14.

Quisquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor.

Et *lib.10. epigr.*10.

Totaq; Flaminia Roma videnda via.

Gabina, per portam Gabinsam Gabios ducens.

Junia, à via Salaria in Sabinos ducens.

Lata, per urbem, juxta & ante ædem S. Marcelli, sic & hodie dicta.

Latina, per portam Latinam; quæ & Latia, & Ausonia Martiali *lib.9. epigr.*102.

Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ.

Lavicana, per portam Esquilinam Labicos ducens.

Laurentia, per portam Ostiensem.

Nomentana, per portam Viminalem in Sabinos Nomentum [illegible]. Ovidius *lib.4. Fastor.*

Hac

Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.

Nova, per urbem inter ædem S. Mariæ Liberatricis & Velabrum. Ovidius *lib.6. Fastor.*

Fortè revertebar festis Vestalibus illâ,
Quà Nova Romano nunc via juncta foro est.

Hæc per palatium Septizonium usque ad Thermas Antoninas ducebat.
Numicia, ab Appia decisa.
Ostiensis, per portam Ostiensem seu Trigeminam Ostiam usque.
Portuensis, per portam Navalem & Thuſciam Portum usque.
Prænestina, per portam Esquilinam usque Præneste.
Quinctia, per Sabinos, à Salaria decisa.
Recta, per Campum Martium in urbe. De qua Martialis *lib.8. epigramm.74.*

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus à Recta, Flaminiaq; via.

Sacra, per urbem apud ædem SS. Cosmæ & Damiani, ab arcu Constantini ad arcem Titi, ac ad Capitolium usque per Forum Romanum. De qua Propertius *lib.2. eleg.1.*

Actiaq; in Sacra currere rostra via.

Salaria, per portam Salariam in Sabinos. Ejus meminit Martialis *lib.4. epigr.64.*

Illo Flaminiæ, Salariaq;
Gestator patet, essedo tacente.

Sempronia, à via Flaminia forum Sempronii ducens.
Setina, ab Appia decisa, Setiam ducens.
Tiburtina, per portam Gabiusam Tibur ducens. Sic & porta Tiburtina, quæ & Taurina, *di S. Lorenzo.*
Traiana, ab Appia decisa, per Latium.
Triumphalis, per portam Triumphalem in Thuſciam, ac à Vaticano Capitolium usque ducebat.
Tusculana, per portam Asinariam sive Cœliomontanam Tusculum usque.
Valeria, per portam Asinariam in Marsos ducens.
Vitellia, per portam Janiculensem in Thuſciam ad mare usque.

Viæ longius ab urbe distantes:

Æmilia Lepidi, ab Arimino, (ubi desinit Flaminia) gemina; una Placentiam usque, altera usque Aquilejam.
Æmilia Scauri, à Pisis Dertonam. De Æmilia Martialis *libr. 3. epigrammate 3.*

Romam vade, liber; si veneris unde, requiret;
Æmilia dicas de regione via.

Posthumia, per Galliam Togatam, eadem Æmiliæ, seu pars, seu vicina.
Posthumia altera ex tabula ænea, à Genua Dertonam ducens, nunc *Costiuma.*

De viis aliter. Viæ per Italiam, ab urbe Roma pleraq; incipientes, & à portu ejusdem urbis nomen habentes:

Æmilia, ab Arimino Placentiam usque & Aquilejam.
Albana, per Latium Albam usque.
Appia, Brundusium usque.
Ardeatina, Ardeam usque.
Asinaria, per Latium inter Latinam & Ardeatinam.
Aurelia, per Tuſciam Alpes usque.
Campana, in Campaniam per Latium.
Cassia, per Thuſciam Forum Cassii usque.
Cimina usque ad Ciminam sylvam per Thuſciam.
Collatina, in Sabinos.
Cornelia, per Thuſciam inter Aureliam & Triumphalem.
Domitiana, pars Appiæ, in Campaniam.
Ferentina, per Latium Ferentinum usque.
Flaminia, Ariminum usque.
Gabina, Gabios usque.
Gallicana, in Sabinos.
Junia, in Sabinos.
Latina, per Latium Casinum usque, media inter Appiam & Valeriam.
Laurentina, inter Ostiensem & Ardeatinam.
Navalis, quæ & Portuensis.
Nomentana, in Sabinos Nomentum usque.
Numicia, pars Appiæ, in Latio.
Ostiensis, Ostiam usque.
Patinaria, per Sabinos, pars Salariæ.
Portuensis, Portum usque.
Quinctia per Sabinos, pars Salariæ.
Salaria, per Sabinos, in plures.
Setina, pars Latinæ, Setiam usque.
Trigemina, eadem Ostiensi.
Triumphalis, per Thuſciam.
Tusculana, pars Campanæ, Tusculum usque.
Valeria, in Marsos.
Vitellia, per Thuſciam.

Viana, vulgò *Weissenhorn* Lazio, opp. Rhætiæ in Sueviâ, ab Ulmâ 2. leuc. in Austr. ab Augusta Vindelicorum 8. in Corum: Sed alibi eidem Lazio est *Voitsberg*, opp. parvum seu pag. ejusdem tractus. Simlero autem est *Wangen* opp. ejusdem Sueviæ inter Lindavium & Memingam. At *Viana* apud Plin. urbs est Norici, & *Wien* urbs Austriæ caput putatur; licet Vienna Austriæ in Pannon. sup. censeatur. Baudrando *Viana*, urbs Rhætiæ, in Vindelicia, hodie est *Isna*, urbs libera Sueviæ, ad Arguin amnem: ex Sanſ. 10. mill. à Vemania in Ort. uti 40. à Constantia, Campodunum versus 15.

Viana, urbec. Navarræ, cum tit. Princ. primogenitorum Regum Navarræ. Prope Iberum fluv. in limite Alavæ & Rivogiæ, vix 1. leuc. à Logronno in Ort. 7. à Calaguri in Circ. 13. à Pompelone in Occ.

Viana, opp. Hollandiæ Merid. ad Leccum flu. cum castro gentis Brederodæ, in limite dominii Ultraject. ferè 2. leuc. ab Ultrajecto in Mer. Ferme medium, inter Neomagum ad Ort. & Roterodamum in Occ. *Vianen* vulgo.

Viana Limii, opp. Portugalliæ, ad ostia Limii flu. in ora Oceani Atl. in prov. inter Durium & Minium, 5. leuc. à Braccara in Occ. fere 3. ab ostio Durii fluv. *Viana de foz de Lima* vulgò.

Viatka, urbec. Moſcoviæ Or. ad fluv. cognom. cum castro munito, 120. m. p. à Cazano in Bor. Caput prov. cognom. quæ versus Tartariam desc. & Viatkam fluv. inter Permiam est ad Bor. & Ceremissos pop. regnumque Casanense ad Austr. Sub Moscis.

Vibali, pop. Hisp. Tar. quorum locus *Formillan* Pineto & Moletio dicitur. V. *Bibali*, & *Forum Bibalorum* Ptol.

Vibantanarium, urbs aliàs Tyrangitarum, in Sarm. Eur. nunc *Bar* in Podolia ſup. Brietio. Aliis est *Lampel*, oppidul. ad Tyram fluv. in Podolia infer. 50. m. p. à Baro in Merid.

Vibellius, Vide *Jubillius.*

Vibenna, frater Cœlis Etrusci, qui Tarquinio Prisco auxilia adduxit. Alii sic *Cælen* cognominant.

Viberi Plinii, Rhodani fontis accolæ: Eosdem apud eundem *Juberos* vocari putat Simlerus, in suo de *Valesia* libello, etsi Gelenius, ut idem ait, pro *Juberis Viberos*, ubi de Augusti tropæo mentio fit, substituerit. Supremam Vallesiæ partem tenent, Simler. Vide in voce *Vallesia*. Observat Munsterus *lib. 3.* montem Furcam, unde Rhodanus oritur, dictum Coatium, Ursellum & *Juberum*: Est etiam mons vicinus, unde Elmius fluv. quem quidam Rhodani fontem faciunt, *Jubet* nominatus. An à *Via* dicti, quòd apud eos in Italiam via? Quidam enim *Viberos*, volunt esse Ursarios aut Urseranos, in pago Uriensi: nec absurdum, inquit Simlerus, eundem pop. ab utraque parte alicujus montis habitare. Sunt Ursarii hi *Viberi* sub Uriis, ut tamen ut proprium consulum & Ammanum habeant, sed qui ab Uriis confirmari necesse habent: quotiesque causæ capitales disceptantur, duo ex Uriorum Senatu consilio illorum interesse solent. Iidem peculiare signum *eyn paner* habent; Sed quando majus signum *das hauptpaner* Urii explicant, supprimunt suum *Viberi.* Vide Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq & Nov.* Simlerum *Descr. Helv. &c.*

Vibidia, Virginum Vestalium vetustissima, sub Claudio, cujus precibus Messalina tentavit veniam à marito impetrare, Tac. 11. 32. Magna enim earum auctoritas, etiam in his fuit: Unde Cicero 2. *Agrariâ: Si quicquam deliquero, nulla sunt Virgines, quæ pro me deprecentur.*

Vibidius Varro, prodigus & ob flagitia egens, ideoque à Tiberio Senatu motus. Tac. 2. 48.

Vibii Forum, Plin. opp. Pedemontii, *Bibiena* Ferr. Brietio est *Castel Fiori*, aliis *Bubiana*, castr. Marchion. Salutiarum ad amnem *Peles*, prope Bricheraſcum, vix 3. mill. à Luceria, ad montium radices.

Vibilia, Dea apud Romanos, quæ ab erroribus viarum liberabat, Arnobius *lib. 4.*

Vibio, Vide *Tarbellicæ Aquæ.*

Vibisci, vel *Ubisci*, Gall. Aquit. pop. Ptol.

Vibiscum, seu *Viviscus*, opp. Gall. in fin. Sedunorum in ora Bor. lacus Lemanni. *Vivus* hodie, Baudrando. Gall. *Vevay*, oppid. Helvetiorum, in agro Bern. 13. m. p. à Lausanna in Ort. Veragros versus, 20. ab Agauno in Bor. V. *Viviscum.*

Vibius Avitus, sub Nerone, Galliæ Germaniæque inf. præses, Plin. 34. 7.

Vibius Crispus, de quo Tac. *Hist. 2. Pecuniâ, potentiâ, ingenio inter claros, magis quàm inter bonos.* Accusationes cum præmio exercuit.

Vibius Fronto, præfectus equitum. Tacit. *Annal. 2.* Vide ad eum Lud. D'Orleans, *pag. 295.*

Vibius Marsus, vetustus honoribus & illustris studiis, sed à Satrio Secundo, tanquam Albucillæ impietatis in Tiberium conscius, ejusdemque adulter, accusatus, ac tandem inediam destinans evasit. Tac. 6. 47. & 11. 10.

Vibius Secundus, Eques Rom. accusantibus Mauris, repetundarum damnatus & Italiâ exactus est; ne gravius plecteretur, Vibii Crispi fratris favore nixus, Nerone quartum Cornelio Cosso Coss. Tacit. 14.

Vibius Sequester, Auctor priscus, scripsit, ad fil. Virgilianum, Dictionarium Geographicum, de Fluviis, Fontibus, Lacubus, Montibus, Sylvis & Populis. Hunc Boccatius exscripsit, suppresso

nomine: Mazochius edidit Romæ, Aldus Manutius Venetiis An. 1514. Tandem correctiùs prodiit, curâ Josiæ Simleri. Voss. de Hist. Lat. de Philol. & Scient. Mathem.

Vibius Serenus, Proconsul ulter. Hisp. de vi publica, sub Tiberio, damnatus: ob atrocitatem morum, in Ins. Amorgum deportatus, Tac. 4. 13. ab exilio retractus, & tum catenâ vinctus in Senatum inductus est, cum filio accusante Patrem; structas Principi insidias, missos in Galliam concitores belli, indice eodem & teste. Et licet quæstio ex servis adversa filio accusatori fuerit, hancque ob causam vulgi rumore territus urbe cesserit; tamen retractus Ravenna exequi accusationem à Tiberio adigitur. Post quæ Serenus damnatus iterum Amorgum deportatur. Ibid. 28.

Vibius Serenus, accusator sub Tiberio, qui licet falsa in Fontejum Capitonem, Proconsf. Africæ, crimina struxerit; tamen velut sacrosanctus tutus fuit, & calumniam innoxio impunè intendit. Tac. 4. 36. Vide *Livium*.

Vibius Trebonianus Gallus, Mœsiæ limitis Præses, prodito Gothis Decio Imp. postea ab una legione Augustus salutatus, ascito collegâ fil. Volusiano, Scythas ignominiosâ pace placavit: mox Æmiliano Imp. proclamato, cæsus, Ann. Chr. 255. Aur. Victor, Jorn. *de rebus Goth*, Zonar. *tom*. 2.

Vibius Virius, author Campaniæ defectionis à Romanis ad Annibalem. Is mortem sibi conscivit ante deditionem, & multis civibus Senatoribus, ut idem quoque facerent, persuasit. Vide *Livium*, apud quem orationem Vibii legas, *lib. 6 dec.* 3.

Vibo, seu *Vibon*, urbs olim, nunc castrum Brutiorum in orâ sinus Vibonensis, *Golfo de Eufemia* vulgò, *Hippo* Melæ, & *Hipponium* Straboni dicitur: *Bivona* Barrio.

Vibulenus, gregarius in Pannonicis legionibus miles, qui ante tribunal Blæsi, adlevatus circumstantium humeris, ad incendendam seditionem & Legato invidiam, fratrem suum, per ejus gladiatores occisum & insepultum abjectum esse ementitus fuerat. Postea verò, adveniente Druso, Tiberii filio, cum Percennio interfectus.

Vibulenus (Dioni *Vibilius*) *Agrippa*, eques Romanus, majestatis postulatus Q. Plautio, Sext. Papinio Coss. Sed cum perorassent accusatores, in ipsâ Curiâ depromptum sinu venenum hausit: prolapsusque ac moribundus, festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est faucesque jam exanimis laqueo vexatæ, Tacit. 6. 40.

Vibullius, Prætor, sub Nerone, Tac. 13. 28.

Vibullius Ruffus, inter duces Pompejanos, cujus res initio belli maximas esse judicatas, à Pompejo ipso, scribit Cicero *ad Atticum lib.* 8. de quo Cæsar *lib.* 3 *de Bello Civili cap.* 10.

Viburgium, urbs Jutiæ Bor. Episc. sub Arch. Lundensi, prope Limicum Sin. vulgo *Wiborg*. 70. mill. à Ripa in Bor. 40. ab Arhusia in Occ. Media inter Oceanum Germ. ad Occ. & Codanum sinum, ad Ort. 40. m. p. Longa est ejus Diœcesis 12. mill. Germ. ab Ort. in Occ. 16. continens Præfecturas, 208. parœciis, 3. castris, quot urbibus, *Viburgo*, *Nibe* & *Scheve*, constantes.

Viburgum, caput Careliæ, cum arce permunita, à Moscis frustra aliquoties tentata; Vulgò *Wibourg*; Episc. sub Arch. Rigensi, versus oram sinus Finnici, cum portu peramplo. 45. m. p. à Kekholmia in Occ. uti ab ora lacus Ladogæ, 106. à Narva in Bor.

Vicecomes, vicarius Comitis, in placitis illis, quibus Comes ex suæ dignitatis ratione participat cum Rege. Magnæ olim in Anglia auctoritatis, eligebatur primùm populi suffragiis, postea ob tumultus exortos, Regi electio cessit. Assumebantur autem sæpissimè ad munus hoc potentissimi totius Regni Proceres. Sic Edmundus Cornubiæ Comes filius Richardi R. Alamaniæ, Eduardus fil. primogenitus Henrici III. Rutlandiæ, Vicecomites fuere. Eduardi Confessoris ævo, *Vicecomes* non Comitis, sed Regis erat minister. Transiit dein vox ab officio, in nomen dignitatis; Sic Guilielmus I. Balduinum Vicecomitem hæreditarium Devoniæ, fecisse legitur, &c. V. Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Vicedominus, nomen olim præfecti provinciæ: quos Alvredus Angliæ R. dein in duo officia, vid. in Judices seu Justitiarios & Vicecomites divisit, Ingulphus *p.* 870. *De Vicedominatu* Gregor. *lib.*5 *cap.*38. *col.* 1640. *Quicunq;*, inquit, *Vicedominatum*, vel *aliam Ecclesʃ. rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerit, ab illa Ecclesia*, &c.

Viceliacum, vulgò *Vezelay*, Monasterium à Com. Gerardo constructum, sub Carolo Calvo: in pago Burgundiæ Avalensi vel Morvinno, in Episcopatu Æduensi vel Augustodunensi, ad fluv. Choram. Ibi Concilium ab Eugenio III. præsente Ludovico R. An. Ch. 1145. celebratum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vicena, Vide *Vincenna*.

Vicenta, Ptol. *Vicetia* Plin. *Vicentia* Tacito, *Vincentia* posterioribus, urbs aliàs Venetiæ, nunc Longobardiæ, inter Veronam ad Occ. 30. & Patavium in Ort. 18. m. p. vulgò *Vicenza*. Ampla & probè munita: Episc. sub Arch. Aquilejensi, ad Reronis & Medoaci minoris confluentiam. Hanc à Gallis cum Verona conditam, Trogus refert: Scorpii figurâ. De illa Tacitus: *Possessa ipso transitu Vincentia, quod per se parum, (etenim modica municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus illic Cacinam genitum & patriam hostium Duci ereptam esse.* Venetis subest, quibus illam eripuit Maximilianus I. Imp. An. Ch. 1509. sed reddidit secutâ pace An. Ch. 1516. Ferr. Baudrando *Vicentia*, Gallis *Vicence* urbs est, aliàs Venetiæ, hodie Longobardiæ: Caput agri cognominis, 30. mill. à Feltria in Merid. & 54. à Ferraria in Bor. Galassius Poeta Vicentinus:

Hic quondam Galli, victricia bella gerentes,
In veteri vico mœnia parva locant.
Quò se reciperent, si belli adversa fuisset
Fortuna & Latio territa terga darent.
Hinc rem Romanam, Latiumq; lacessere tentant,
Seu mare seu terra bella gerenda forent:
Hac quoq; Romanas ad mœnia vertere prædas,
Hic quoq; pro meritis præmia digna viris.
Post victos hostes, libertatemq; receptam,
Hinc Vincentinis nomina dicta viris:
Hinc data sunt terræ præclara hæc nomina nostræ,
Hinc Vincentini nomina clara tenent.
Nec Senonas credas dixisse hæc nomina nostros,
Antea Vicanos fama vetusta canit.

Pop. *Vicetini*, apud Cicer. *Epist. ad Attic.*

Vicentinus ager, *il Vicentino*, tractus Italiæ, inter Comit. Tirolis ad Bor. Marchiam Tarvis. ad Ort. Veronensem agrum ad Occ. Paravinum, partim ad Ort. partim ad Mer. Sub Venetis, Caput ejus Vicentia.

Vicenumum, vel *Vicesimum* & *Vicensimum*, *Trebisazzi* Barrio, opp. M. Græciæ in Calabria citer. apud sin. Tarentinum, inter Thurios & Heracleam.

Vicetia, Vide *Vicenta*.

Vicinonia, fluv. Galliæ, cervicem peninsulæ, in qua Britannia minor sita est, secat, & Vitrejum præterfluens, opp. Redonas interluit, Bellam Perticam, Rotonem, Rivos, Rupem Bernardi ac Insulam attingit, ac demum inter Namnetas & Venetos, sed hos propius, in Oceanum Brit. effunditur. Vulgò *Vilaine*. Ad ostium ejus *Vigonia*, fortè fluvii olim nomine dicta. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Viclefus Johannes, Theologiæ in Academia Oxon. Professor, Vir ingenio acer, vehemens & acutus, *Anglorum Apostolus* dictus. Papam Hæresiarcham, Antichristum in Scriptura designatum, docuit. Polydor. *lib.*19. Purgatorium, Imagines, Invocationem SS. Indulgentias, & alia scriptis editis oppugnavit, & ut erat ingenio promtissimo, duo maxima volumina, quæ mole suâ videantur æquare opera B. Augustini, conscripsit. Cochlæus *in Hist. Huss.* Bibiia S. in linguam vernaculam vertit, secessionem ab Eccl. Romana fecit, Procerum favore, ipsiusque Regis Eduardi III. gratiâ adjutus. Hinc passim Imagines abolitæ: Præsulis Cantuariensis Synodum, contra se coactam, risit, *terramotum* vocans. Obiit An. 1384. Eodem tempore in Bohemia Milicius, Pragensis concionator, in Francia Johannes de Rupe Scissa, & Nic. Oremus, Papam Antichristum: in Italia Franc. Petrarcha Romam Babylonem esse docuerunt: ut de S. Brigittæ in Eccl. Rom. invectivis nihil addam. Ex hujus libro *Alethia*, Johannes Hussus, luce doctrinæ salutaris haustâ, eam Pragæ spargere cœpit, ex tumulatus ad id impudentissimis indulgentiarum nundinationibus. Viclefus enim, à Richardo R. Angliâ pulsus, doctrinâq; ejus ab Episcopis Londinensibus damnatâ, quo tempore prodigiosus terræmotus omnem Angliam concussit, in Bohemiam secedens, Valdensium doctrinæ lucem attulerat; revocatus postea, in patria, ut dictum, decessit. Ossa ejus an. 40. post mortem, Concilii Constantiensis decreto, exhumata & cremata, novam lucem patriæ attulerunt. Vide Morn *ac Myster. Iniq.*

Viclovium, opp. Lageniæ, in Comit. Dublinensi, 25. m. p. à Dublinio in Mer. Arcloam versus 12. *Viklo* vulgò.

Vicodonia, Herod. urbs Thraciæ, postea *Hadrianopolis*. In ea, à Scythis capta, 100000. hominum cæsa.

Vicohabentia, urbs Galliæ Tog *Vicovenza*, olim Episc. sub Ar. Ravennate, nunc pagus agri Ferrariensis, sede Ferrariam translatâ, inde 16. m. p. Ravennam & Comachum versus.

Victobali sive *Victophali*, gentes sunt circa Daciam aut Mœsiam, trans Danubium, à Trajano devicti, à Capitolino nominantur *Victovali*.

Cæsar.

Victor, Cæsar. Vide *Maximinus Imp.*

Pontifices Romani.

Victor I. Afer, post Eleutherium, Episc. Rom. An. 192. Ecclesias Asiaticas, quod Pascha 14. Lunâ celebrarent, audaci ausu excommunicavit: Huic Asiatici Episcopi se opposuerunt, Polycrates inprimis Synodi Asiæ scriptâ epistolâ eum vehementer redarguit. Idem fecit Irenæus Lugdun. Episc. Obiit, martyrio coronatus, sub Severo, An. 201. Euseb. *Hist lib.* 1. *cap.* 23. & 24. Ado Vienn. *in Chron.* Ei successit Zepherinus.

Victor II. prius Gebhardus, Episc. Aichstadiensis, successit Leoni IX. ope Henrici III. Imper. qui eum ipsemet Romam deduxit: An. 1055. Diversa suscepit itinera pro bono Ecclesiæ, & pace inter Christianos Principes conclianda. Necatus veneno calicis in S. cœna, à Diacono, infuso, Obiit An. 1057 Florentiæ. Ursperg. *in Henrico III.* Baron. *in Annal.* Successit Stephanus X.

Victor III. successit Gregorio VII. An. 1086. Desiderius prius dictus, Patriâ Beneventanus. Obiit An. 1087. Scripsit Dialogos, Epistolas, &c. Petrus Diacon. *Vir. ill. Bened.* Otto Frisingensis, Ciacconius &c. Eum excepit Urbanus II.

Victor IV. Antipapa, Vide *Octavianus.*

Viri Clari.

Victor, alio nomine *Claudius*, Civilis Batavi è sorore nepos, dux ab avunculo adversus Voculam missus. Tacit. *Hist.* 4. 33.

Victor, Historicus, Vide *Aurelius Victor.*

Victor, Presbyter Antiochenus, scripsit commentar. græcos in S. Marcum: à Theod. Peltano latinè versos & editos.

Victor Africanus, Cassiani collationes correxit: Idem cum Victore Martiritano, Episcopo, cujus meminit Cassiodorus, *divin. Lect. cap.* 19. Item Ado *in Chron.* Vide quoque *Victor Uticensis.*

Victor Capuanus, Episc. scripsit Ann. 545. tractatum de Cyclo Paschali; & Præfationem in harmoniam Evangeliorum Ammonii. Beda *lib. de* 6 *Ætat. & de rat. temp. cap.* 48. Item Cartennæ, in Mauritania Episc. sec. 5. Scripsit contra Arianos, ad Gensericum: Item de Pœnitentia publica, Homilias, &c. Gennad. *de Script. Eccl. cap.* 67. Item Episc. Tunetanus, in Africa. Scripsit epitomen historiæ Ecclesi. à M. C. usque ad Justinum Imp. à Justiniano in exilium, quòd tria Capitula defenderet, missus. Obiit Ann. 566. Chronicon ejus, quod habemus, incipit Ann. 444. ubi Prosper desiit: Johannes Biclarius dein continuavit. Editum à Scaligero & Canisio. Isidor. *de Script. Eccl.* Vossius, &c.

Victor Giselinus, Medicus Belga. Auctor Commentariorum in Prudentium, Sulpicium Severum &c. Val. Andr.

Victor Uticensis, Episc. Africæ, sec. 5. mel. *Victor Vitensis*, scripsit libb. 3. Historiam persecutionis, in Africa, à Vandalis excitatæ: editam ultimò à Chiffletio, Divione, ubi addita series Episcoporum, qui involuti persecutioni. Idem sub Hunerico gravia est passus: Hilderici porro suasu, tractatu edito rationem fidei Orthodoxæ reddidit. Vossius &c.

Victoria, Dea, quam vetustas pennatam & aligeram pinxit, ut è cœlo devolantem ad eos, quos suis ornare successibus vellet. Ausonius,

Tu quoq; ab æthereo præpes Victoria lapsu.

Prudentius:

Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicat, & multu surgit formata talentu.

Dicta à *vinciendo*, quòd victi hostes vincirentur: unde *Vicia* prius vocata est. Α῎ζυγος fuit & Dea communis, sicut Mars & Bellona, Servius Maurus *ad v.* 118. *Æneid. lib.* 12.

In mediosq; focos & Diis communibus aras
Gramineas.

Primitus globo insidens, sine alis, depingebatur; quas dein pater Bubali & Athenidis addidit: quod alii ad Pergamenum Carystium, alii ad Aglaophontem pictorem referunt. Unde postea, ut ex parte jam dictum, virginis alatæ habitu, vultu liberali & blando, capite lauru coronato, manu dexterâ protensâ ramulum lauri ostentante, repræsentari cœpit, ut ex antiquis apud Goltzium numismatis patet: Hinc pennatos Deos Porphyrius enumerat, Musas, Sirenas, Victoriam, Iridem, Amorem & Mercurium, Vide Hadr. Turnebum *Adversf. lib.* 27. *cap.* 5. Hanc Phurnutus Pallantis filiam, Lycaonis neptem fuisse, cum Minerva enutritam & in numerum Deorum ab ipsa relatam *Victoriamq;* dictam docet. Culta est à Romanis, apud quos antiquissimum ei in Aventino templum fuit, ab Arcadibus conditum, ut Halicarnasseus refert. Aliud habuit in Palatino, ubi aliàs P. Valerii Publicolæ domus erat. Ædiculam quoque *Victoriæ* virginis M. Porcius Caro Consul an. U. C. 555. bello Hispanicus vovit & biennio pòst dedicavit, Liv. *lib.* 34. Etiam simulachrum ejus aureum 320. pondo ab Hierone Siciliæ R. Romam missum & Capitolini Jovis templo illatum est, Idem *lib.* 22. Præterea statuebatur in templis, in domibus privatis & xystis, in Circo, in Senatu, in castris: Templorum quoque fastigia Victoriæ suffixo simulachro solebant insigniri. Color autem simulachro purpureus fuisse videtur, unde Prudent. supra *rutilas pennas* dixit: vel candidus, Sil. *lib.* 15. *niveis* Victoria *concolor alis.* Sed & Græca Dea fuit, unde Nonnus eam in nuptiis Cadmi saltantem introducit, Dionysiac. *lib.* 5. *v.* 115. Principesque Byzantini eam in atriis suis habuerunt, Coripp. *lib.* 3. *num.* 6. Ludos *Victoriæ* instituit L. Corn. Sulla, bello civili, qui per 5. dies Octobri mense celebrari soliti sunt: Alios in memoriam victoriarum Cæsaris, Augusti &c. institutos legas. Sed eruditè hoc Numen explosit Prudentius *in Symmachum lib.* 2.

Vincendi quæris dominam? sua dextera cuiq; est,
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede strophioq; revincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Victoria, urbs Alavæ prov. in Hisp. Tarr. prim. ubi aliàs vicus *Gasteys*, ad radices montis S. Adriani, prope Biscajam. 12. leuc. à Flaviobriga seu Bilbao in Mer. 21. à Burgis in Cæc. Satis culta. *Viteria* incolis, *Victoire* Gallis. Condita A. C. 1180. teste Marianâ.

Victoria, Ptol. urbs Maurit. Cæs. mediterranea. Nunc *Monscar*, Sansoni, etiamnum satis ampla.

Victoria, urbs Scotiæ, in Damniis, Ptol. nunc *Abernethea.* V. ibi.

Victoriacensis villa, in suburbano Atrebatensis urbis sita, memoratur Gregorio Tur. *Hist. lib.* 4. *cap. ult. & lib.* 5. *cap.* 1. Hic Sigibertus Rex salutatus & paulo pòst idem per insidias immissis à Fregedunde percussoribus, interemptus: Chlotarius quoque infans, Chilperici patris jussu, nutritus est. Hodie vicus, inter Atrebates, Duagiumque medius, 2. à Duagio leuc. *Vitri* hodieque. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Victoriacum, vulgò *Vitray*, opp. Rhedonum, in Aremorica. Aliis *Vitriacum* & *Vitraum*; ad Vidanem fluv. in limite prov. Cenomanensis, 9. leuc. supra Rhedones in Ort. Alenconium versus 26. Vide *Vitraum.*

Victoriacum, castrum Galliæ, quò Mundericum regno inhiantem sese cum suis contulisse, refert Gregorius Tur. *libr.* 3. quod in Arvernorum finibus posuit Aimonius *Hist. lib.* 2. Valesius verò in diœcesi Catalaunica, ac in pago Pertensi, regnoque Theodorici Austrasiorum R. ad Saltum amnem, ad tertium à Matrona lapidem. Vulgò *Vitri en Partou*, vel *Vitri le Bruslé.* Ejus in locum Franciscus R. *Victoriacum* ad Matronæ ripas extruxit, hinc *Vitri le François* dictum, quaternis aut quinis in anno nundinis celebre. Item locus in pago Aurelianensi duplex, alter *Vitry* simpliciter, alter *Vitry aux Loges*, dictus: in quorum priore S. Medardi templum est, & monaster. à Roberto R. ædificatum, in Archidiaconatu Pitiverensi, ad Monasterium Floriacense pertinens. Aut *Victoriacum* à Victore vel Victorio domino, aut *Vitriacum* à vitro, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Victoriacum Francisci, *Vitry le François*, opp. Camp. Gallicæ in Pertensi tractu, ejus loco quod *Vitry le Bruslé* dicitur. Ad Matronam, ubi recipit Ornam, 7. leuc. à Catalauno Eur. in Desideriopolim versus totidem ti. à Barroduco in Occ. Vide supra.

Victoria, Juliobrigensium portus, *S. Vincent*, ut videtur, opp. & port. Hisp. Tar. in orâ Cantabricâ.

Victoria mons, op. Hisp. Tar. seu pagus in Catalauniâ apud Iberum fluvium, circa Dertusam urb. *Monzia* Floriano.

Victorianus, ex Adrumetinâ civitate oriundus, Carthaginis proconsul, & in Vandalorum persecutione martyr insignis. Victor *lib.* 3. *de Vandal. Persecutione.*

Victorina, vel Victoria, uxor an mater Victorini, à Posthumo, in consortium imperii asciti. In Gallia, Aureliano multum negotii fecit, suadendo Tetrico, ut Imperium invaderet. Mater exercituum dicta, fortitudine & ingenio supra sexum: Obiit an suo Fato, an vi alienâ? Trebellius Pollio, *de* 30. *tyr.*

Imper. Rom.

Victorinus Marcus Piavonius, militaris industriæ vir, à Posthumo seniore in partem vocatus est Imperii, & cum eodem contra Gallienum conflixit: cumque adhibitis non paucis Germanorum auxiliis, diu bella traxissent, victi sunt: Tunc, interfecto etiam Lolliano, Victorinus in Imperio remansit: qui & ipse, quod matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, à quodam actuario, cujus uxorem stupraverat, è factione Agrippinæ, percussus est, Victorino filio Cæsare appellato, ab ipsa avia Victorina seu Victoria, quæ *Mater castrorum* dicta est: sed & hic Victorinus filius, adhuc puerulus, statim est interemptus, cum apud Agrippinam pater ejus esset occisus, anno ab urbe 1019. Treb. Pollio *de* 30. *tyr.*

Victorinus Junior, Victoriæ nepos, Victorini supradicti filius fuit: hic à patre & ab avia, sub eadem hora, qua ipse pater Victorinus interemptus est, Cæsar est nuncupatus, ac statim à militibus occisus. Diceres iram divinam de paternis flagitiis etiam in hoc puero supplicium ac vindictam sumpsisse.

Viri clari.

Victorinus, Episcop. Petavionensis, in Pannonia sup. Scripsit Commentarios, in Genesin, Exodum, Leviticum, Esajam, Ezechielem, Habacuc, Ecclesiastem, Canticum & Apocalypsin, ut & varia contra hæreticos: stylo usus sublimi, sed non admodum polito, Hieron. *de Viris ill. cap.* 74. *in epist. in Ezech. &c.* An Millenariorum fautor? Ait Hieronymus, negat Sixtus Senensis, *lib.* 6. Martyrium sub Diocletiano subiit, An. 303. Vide Morer. *in Diction. Histor.*

Victorinus Cajus vel Fabius Marius, Afer, docuit Rhetoricam Romæ, sec. 4. statuâ ibi à Senatoribus, quos instruxerat, honoratus. Christianismum senex amplexus est. Vertit plurimos Platonicorum libros, & Augustinus exemplo ejus, monitus est à Simpliciano, ut & ipse se Deo consecraret. Scripsit librum c. Arianos, obscurum admodum, ut & in epistolas Paulinas: Item de *Consubstantialis* voce recipienda, Hymnos aliquot, libb. 2. contra Manichæos, & Poëma de Maccabæis. Obiit An. 378. Hieron. *de Script. Eccl. cap.* 101. *& in Chron. An. Ch.* 354. Augustin. *Confess. lib.* 8. *cap.* 2. Vossius, Lilius Giraldus, Possevinus &c.

Victorinus Massiliensis, Vide *Claudius Marius Victor*, & infra in *Victorius.*

Victorinus Lampadius, Zenonem Imper. panegyricè laudavit. Photius *Cod.* 101. *Bibl.*

Victorium, opp. agri Tarvisini.

Victorius, seu *Victorinus*, Aquitanus, Mathematicus insignis, Hortatu Hilarii Papæ, cùm Cyclus Theophili Alexandrini Paschalis expiraret, novum condidit, qui exorsus à passione Jesu

Christi, pervexit usque ad Ann. 532. Scripsit autem Ann. 464. vel 465. Gennad. *in Catal. cap.* 38. Isidor. *lib.* 6. *Orig. cap.* 17. Beda, *de* 6. *ӕt. & rat. temp. cap.* 48. Sigebert. *cap.* 20. Vossius, Baronius, Possevinus &c.

Victorius, Massiliensis Episc. A. D. 330. sub Diocletiano tyranno martyrio coronatus. Greg. Turon. *lib.* 1. *cap.* 77.

Victrix, cognomen aliquot urbium seu legionum.

Vicum, vulgò *Vic*, oppidul. tractus Merensis, ad Sellam flu. sub Gallis, 1. leuc. infra Marsalium, in Occ. Nancejum versus 5.

Vicus, urbec. Episc. Cataloniӕ, prope Teram fl. 12. leuc. à Barcinone in Bor. 10. ab ora maris Medit. *Vich*.

Vicus, urbec. Ep. regni Neap. sub Ar. Beneventano. *Vico della Baronia* vulgò. Ægrè habitata. In Princ. ulter.

Vicus, locus in Lotharingia, prope Marsallum & Medium Vicum *Moyenvy*, salinis suis nobilis: vulgò *Vy*, aliàs *Vic*. Ad Saliam *Seille* fluv. Hic castrum fuit Ducis, à Stephano Mettensi Episc. dirutum. Hadr. Valesius *Not. Gall.* Vide supra in voce *Vicum*.

Vicus ad Altejam, in finibus Ambianorum, *Vy sur Autie*. Idem.

Vicus ad Axonam, *Viz sur Aine*, à scriptoribus nuncupatur plerunque, vett. ignotus. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Vicus Æquensis, urbec. Terrӕ Laboris Episc. sub Arch. Surrentino, ad radices collis, in ora Sinus Neap. 10. m. p. à prom. Minervӕ in Cӕc. quot ab Amalphio in Occ. Vulgò *Vico di Sorrento*. Aliàs in Picenis.

Vicus Aquarius, Anton. Vide *Lancia* & *Visensis urbs*.

Vicus Aurelii, pag. Duc. Ferrar. ad Padum, 12. mill. supra Ferrariam in Circ. Veronam versus. In ipso limite Duc. Mantuani. *Ficheruolo*, vulgò.

Vicus Bigerronum, *Vic de Bigorre*, locus Galliӕ, in agro Bigerrico: sicut & *Vicus* Aquensis, *Bagneres*, à thermis suis salubribus dictus, Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Vicus Cuminarius, Anton. opp. Carpetanorum, hodie *la Zarza*, vicus Castellӕ novӕ, prope Fanum S. Crucis *de la Zarza*, vix 1. leuc. à Tago, 13. à Madrito in Eur.

Vicus Egonum, Vide *Vicohabentia*.

Vicus Italicus, urbs Episc. sub Arch. Colocensi, Croatiӕ caput, in Liburniӕ confinio, ad Segesticam ins. Sai fluv. *Zagrabia*, Bonfinio authore. Vide *Sisopa*.

Vicus Julius, hodie *Germersheim*, Cluver. opp. Palatinatus infer. ad Rhenum, in ipso limite tractus Darmstadiensis, 9. mill. infra Vormaciam in Bor.

Vicus Martius, *Vimercato*, pagus ingens agri Mediol. inter Mediolanum 14. & Brissum 12. m. p. Bergomum versus.

Vicus Matrini, opp. fuit Hetruriӕ, inter Forum Cassii, cujus vestigia ad Vetullam & Sutrium, in prov. Patrimonii, in ipsa via Cassia, ubi nunc diversorium publicum, *le Capannacie*, & rudera antiquorum ӕdificiorum, L. Holstenius.

Vicus Valerius, vel Varronis, opp. Sabinorum apud Anienem fluv. *Villa Varronis* Tullio. Hodie *Vicovaro*, in colle. 9. m. p. à Tibure in Ort. 18. à Reate in Mer. Cum tit. Princ. gentis Ursinӕ.

Vida Marcus Hieronymus, Episcopus Albӕ Pompejӕ ad Tanarum, per annos 35. Obiit An. C. 1556. G nebr. 1566. Ejus extant *Christiados libb* 6. *in octav. Brixiӕ, An. Ch.* 1586. Poëma *de Scacchia ludo*, *de Bombycibus &c*. Primus inter Italos, post Jacobum Sannazarium, Poëticam ad res sacras transtulit, & versibus elegantissimis ac purissimis provinciam suam excoluit, Thuan. *Virgiliani carminis incomparabilis imitator*, Sixto Senensi.

Vidicini, Vide *Urticini*.

Vido, Flandriӕ Comes, cum filia, quòd Angli partes tueretur, fraude captus à Philippo Pulchro, Galliӕ R. cui frustra auxilium Eduardus gener ferre conatus est, Ann. Ch. 1295. 1296. P. Æmil. *lib.* 8. Polydorus *lib.* 17. Iterum ab eodem captus, Flandriaque occupata est, An. Ch. 1299. sed filii Vidonis Patrem egregiè ulti ingenti clade Gallum vicerunt, 700. aureis calcaribus in tropӕum suspensis, An. C. 1300. Vidoni mortuo successit fil. Robertus.

Vidotara seu *Vindotara*, Sinus Scotiӕ, in ejus parte Occ. & in Damniis pop. Quibusdam *Ayr Fyrth*, sinus parvus prope Aeriam urbem Covaliӕ prov. 25. m. p. à lacu *Ryan* in Bor.

Vidrus, fluv. Germ. *Schvvart Watter* Junio, *Grœninger Diep* Becano, apud Groningam urb. Frisiӕ fluens, Althamero *Vecht*, ex Westfaliâ in Flevum sin. inter Friliam & Transisalanam ad Gelmudam opp. influens. Ortelio *Vechta*, Baudr. Oritur in Westphalia, 5. mill. Germ. à Monasterio in Circ. dein auctus Aa, Dinchelo & Regga fluv. & per Transisalanam labens, in mare Austr. se exonerat, infra Gelmudam, 8. m. p. à Suvolia in Bor.

Vidua, vulgò *Crodagh* Camdeno, fluv. Hiberniӕ per oram Borealem in Oceanum, inter Venicnium promunr. & Argitam fluv. decurrens. Ferr. Baudrando est, inter Veeninios & Robogdios. Nunc *Dirgh* aliis. Inter Comit. Tyronensem ad Ort. & Dongalensem ad Occ. ac in Oceanum Deucaledonium se exonerat, infra Rapoam, per lacum Suvillium.

Vidua Regis, dicitur in Anglia, ejus, qui de Rege tenet in capite, vidua. Sic autem dici solet, quia ei ad secundas nuptias, sine Regis permissu transire non licet, quin & dotem impetrat ex assignatione Regis, quem patronum ac defensorem habet. *Viduarum* enim & pupillorum cura ad Reges pertinebat, quam ideo suis Comitibus, per provincias & pagos olim delegabant, Vide Marculf. *lib.* 1. *cap.* 8. Et Ludovicus Imp. in admonit. ad Comites Capitol. *lib.* 2. *cap.* 6. *Pupillorum verò*, inquit, *& Viduarum & cœterorum pauperum adjutores, & defensores, juxta vestram possibilitatem, sitis &c.* Item Syn. Ticinensis, sub Ludovico Italiӕ R. *Pupillos & Viduas protegant.* Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Viducasses, pop. Galliӕ Celt. aliter *Biducasses*, Vide ibi.

Vidula, fluv. Galliӕ, *la Vesle*. Oritur in media Campania, 5. leuc. à Catalauno in Occ. apud vicum, qui ob id Summus Vidula, vulgò *Somme Vele*, dicitur. Dein auctus aliquot minoribus fluv. postquam Spinam, Novam Villam, Luperciacum *Louvercy*, Liberiacum *Livry*, Septem Salices *Sept-Saux*, Balliam *Baule*, Prunetum *Prunay*, Malliacum *Mailly*, vicum S. Leonardi, prӕterlapsus est, Durocortorum seu Remos rigat; porro Pontem Archiepiscopi *Pont l'Archevesque*, Campaniacum *Champigny*, Provillacum *Prouilly*, Juncariam *Jonchery*, Montaniacum *Montigny*, Brolium *Brueil*, Fines vel Fimmas *Fimes*, Basilicam *Basoche*, ac Brainam seu Brennacum *Braine*: inque Axonam fl. abit, inter Brainam & Suessiones: Baudr. Valesius habet, apud Condate *Condé*. Etiam *Vitula* flu. hic vett. nonnunquam dicitur, unde *Vitlina* villa fortè nomen nacta est. Inter Decanatus rurales 17. Remensis Ecclesiӕ subjectos, sextum obtinet locum Decanatus *Vidulӕ*: quo nomine vicus Summus Vidula indigitatur, teste Hadrian. Valesio *Notit. Gall.* Britto *lib.* 9. *Philippidos*,

Auxona cui faciunt nomen vulgare moderni,
Qui tibi cùm tollat nativum Vidola nomen,
Ipse suum perdit, Isarâ majore receptus.

Vielicka, vulgò *Wielıczka*, oppidul. Palatinatus Cracov. salisfodinis subterraneis celeberrimum, non longè à Cracovia in Ort. habitatio non satis tuta, ob terram undique effossam. Ann. 1510. majori parte hӕ salinӕ conflagrarunt, ut & 1644. 16. Decembr. Piasecius.

Vielkyluchia, urbs munita Moscoviӕ, ad Lovatum flu. in Duc. Rescoviensi, & limite Lithuaniӕ. 30. leuc. Pol. à Vitepscia in Bor. Ilmenum lacum versus 16. In edito colle. Capta fuit à Stephano Polon. R. an. 1580. sed reddita. Vulgò *Vielkiluki*.

Viella, urbec. Aquitaniӕ, ad Pyrenӕos, juris Hisp. & Aragoniӕ, ad fontes Garumnӕ, in limite Cataloniӕ & Convenensis tractus, 18. m. p. supra Lugdunum Convenarum in Mer. in Arania valle.

Vieluna & *Velunia*, opp. satis lautum Polon. maj. in Pal. Calisiensi, & limite Silesiӕ, aliquot tantùm mill. à *Czenstochova*. Malè habitum, & partim incendio consumptum an. 1656. bello Suec. Vulgò *Wielun*.

Vienna, German. *Wien*, Austriӕ metropolis, urbs inclyta, & omnium urbium, quas Danubius sustinet, & ӕdium magnificentiâ, & rerum copiâ, clarissima, Episc. sub Archiep. Salisburgensi: *Viana* Plinio, teste Hermolao. Ter in cassum à Turcis obsessa, ann. 1529. 1532. & 1543. Cum ponte ad Danub. ubi recipit amnem *Wien*. Sedes jam diu Imperatoris. 26. mill. Germ. à Lintio in Ort. Posonium versus 10. aliàs *Vindobona*. Quibusdam Ala Flaviana. Hic Venceslaus Imp. postquam è carcere Pragensi evasisset, cùm mores non corrigeret, sub custodia habitus est An. C. 1392. verùm & hinc liber, in Proceres sӕviit. Daubravius *lib.* 23. Valdensium Episcopus Stephanus, ibidem exustus est, circa An. Ch. 1467. Camerar. *in Praef. ad Rationem Discipl. Fr.* Sacram quoque cœnam sub U. S. hic administrari curavit Ferdinandus I. Imp. *Viennensis* lineӕ auctor fuit Ferdinandus II. Imp. filius Caroli Archiducis, Styrii seu Grӕciensis rami conditoris, cùm frater ejus Leopoldus Æniponatnum orditetur. Huic Ferdinando successit fil. Ferdinandus III. An. Ch. 1637. mortuus Ann. Ch. 1657. Pater Ferdinandi Francisci qui rex Bohemiӕ An. C. 1646. Ungariӕ An. Ch. 1647. Romanorum An. Ch. 1653. electus, ante Patrem obiit, & Leopoldi Imp. qui hodie feliciter Imperii habenas tractat. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.* Ausonius *in catalog. urbium*,

Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.

Vienna, Allobrogum, memorata Cӕsari *de bello Gall. l.* 7. *Allobrogum metropolis* Straboni, illustris Gall. Narbon. urbs Melӕ *lib.* 2. COL. VIENNA in vet. inscr. COL. VIENNA LEG. VII. CLAUDIANA PIA, in nummo Neronis: *Ornatissima & valentissima Colonia Viennensium* à Claudio Aug. *Pulchra & Vitifera* Martiali, *Opulenta* Ausonio dicta: *Vienne en Dauphiné* vulgò. *Senatoriam* aliquando appellatam scribit Paradinus. Ex hac enim *Senatores* in Curiam à Claudio dicuntur lecti; forsitan, jam inde à Jul. Cӕsare, à quo *civitate donatos quosdam è Semibarbaris Gallorum, receptosq; in Curiam* tradit Suetonius. Unde hic Vitellius pro tribunali jura reddidit, & Valerius Asiaticus bis Consul, cujus apud Tacitum mentio, Viennensis fuit. Horum posteri, stante Occidentis Imperio, quia Majores suos Senatores Rom. habuerunt, *Senatorum* nomine superbi, tanquam soli saperent, cœteros omnes vili pendere cœperunt: à Gundobaldo Burgundionum R. quòd Godegisilo fratri suo adhӕsissent, magnâ ex parte sublati. *Bienus* Stephano dicitur. A Venerio Africano exule fundatam Merula vult, Sylvii R. Rom. Lycurgi & Eliӕ Prophetӕ temporibus. Ferrar. Olim ex Gall. prӕcipuis, ut ex parte è jam dictis colligitur est, Hinc & Euseb. *Hist. Eccl. lib.* 5. *cap.* 1. *Gallia metropoles*, nominsi-

insignes Lugdunum & Vienna. Et ob dignitatem ac vetustatem, à Fabio Valente Vitellianarum partium Duce servata est, Tacit. *Hist. lib.* 1. Regis Archelai insuper relegatione, Juliani Cæsaris Consulatum ineuntis processu ac ludis, Valentiniani Juo. Augusti ab Arbogaste Com. extincti, Constantis Tyranni à Gerontio interfecti & Godegisili Burgundiæ Tetrarchæ à Gundobado fratre, de quo jam aliquid supra, obsessi expugnatique nece nobilis, post sublatum in Gallia Imper. Rom. sec. 5. sedes fuit Regum Burgundiæ: quo regno everso à Clodovæo, sub Gallis fuit, usque ad Ludovicum Balbum, quo tempore à Bosone, affine Caroli Calvi Burgundiæ & Arelat. regnum rursum erectum est, Viennâ quoque comprehensâ: donec in Rodolpho ignavo desiit. Ab illo tempore Archiepisc. jurisdictionem hîc omnem, ab Imperatoribus, Friderico I. inprimis acceptam, tenuerunt, donec Ludovicus XI. tractatu cum Archiepisc. Johanne Pictaviensi inito, supremus à Viennensibus dominus agnitus est. Hinc Dalfini *Daufins de Vienne*, nomen accepere, de quibus vide in voce *Dalphinus.* Caput olim Provinc. Viennensis, in qua civitates 13. nonnullæ 14. numerant Nott. vett. Habuit Amphitheatrum, Palatium, Sedem Impp. ac Regum, quod cœlesti igne conflagravit, templum Arianorum, regnantibus ibi Burgundionibus Arianis, ac turrim hominum 5000. capacem, Gregor. Tur. *lib* 2. *cap.* 32. Etiam Moneta hic fuit, sub Merovei Caroliique posteris. De ejus situ Theodulfus:

Saxosa petimus constructam in valle Viennam,
Quam scopuli inde arctant, hinc premit amnis hians.

Crescente postea Arelati dignitate ac splendore, cùm provincia *Viennensis* in duas divideretur, Viennensem & Arelatensem, priori ac Metropoli Valentia, Darantasia, quæ postmodum Metropolis evasit, Geneva & Gratianopolis solæ, posteriori reliquæ 10. quondam provinciæ Viennensis Civitates, à Leone primum, dein Symmacho P P. sunt adscriptæ, & *Vienna*, quæ priùs Galliæ Narbonensis urbs, dein caput provinciæ cognominis atque 13. Civitatum erat, vix quatuor sub se urbes habere cœpit: quanquam postea 8. Civitatum nim. Genevæ, Gratianopolis, Albæ seu Vivarii, Deæ, Valentiæ, Carpentoratis, Tricastinorum, & Mauriennæ, suffraganone gavisa est; de quibus duas urbes Tricastinorum & Carpentoratensium detractas esse recentiores Notitiæ testantur, Arelatoque additas. Quare meritò miratur Valesius, *Viennensem*, unum e sex Burgundiæ Archiepiscopis, Regnique ejus olim Cancellarium, sedem suam in nummis, *maximam sedem Galliarum* vocavisse olim, & se *Primatum Primatem* etiamnum appellare, cùm præter modò dicta, quoque nullum sub se Archiepiscopum habeat. Ex urbis hujus Præsulibus Fridericus, in præsentia Ottonis I. Ingelhemii Viennensis Eccles. Archiepisc. ordinatus est, An. Chr. 968. Hugo à Friderico I. Imper. privilegium Ecclesiæ suæ An. Chr. 1153. impetravit. Heraclius, ab eodem An. Chr. 1157. sacri Palatii Burgundiæ Exarchus & summus Consilii sui Princeps creatus, & a seqq. Imperatoribus Viennensis Archiepiscop. Burgundiæ Regni Cancellarius habitus est. Fuit autem præfatus Imperator ab Archiepiscopo in Regem Burgundiæ, Arelati An. C. 1178. & in Imperatorem Mediolani An. Ch. 1186. coronatus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Urbs hodie se ipsâ longè angustior, bellis intestinis plurima passa, sedet ad radices collis, cum ponte ad Rhodanum, ubi Geram recipit; & duabus arcibus, *Pipet & la Bastie*, quæ nunc in ruinis, 13. leuc. à Gratianopoli. Patria fuit Qu. Curtii Rufi Rhetoris Romæ insignis, qui ob eloquentiam ac patriam suam à discipulis sæpe *Cicero Allobrox* dictus, inter tt. Rhetores claros, quorum vitæ à Suetonio scriptæ perierunt, auctor Vitæ Alexandri Magni, Achilli Statio videtur fuisse. Ibi celebratum Concil. Viennense An. 1311. & Arbogastes, de quo supra, cùm Valentinianum Jun. dolo strangulasset, à Theodosio superatus, sibi mortem conscivit. P. Diaconus. Quia *Vitiferam* Martiali *Viennam* vocari supra innuimus, adjiciam locum Plinii *libr.* 14. *cap.* 1. & 4. ubi ait: *Inventa vitis, per sepicem resipiens in vino, Viennensem agrum nobilitavit, Arverno Sequanoq; & Helvico generibus non pridem illustrata, Viennensesq; soli picata sua pluris permutasse, sed inter sese amore patria creduntur, idq; vinum frigidius reliquis existimatur.* Martialis quoque *in lib* 3 qui *Xenia* inscribitur, *in picatum vinum de vitifera Vienna veniens*, distichon composuit, quod vide apud Auctorem: & plura de Urbe hac apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Moretium *Diction. Hist. &c.*

Vienna, opp. in sylva Arduenna, pagoque Lucilibutgensi, olim Eifliæ regiunc. attributa, caput Comit. Brouvero *Vienna Trevirica* dicitur, Gall. *Viande*, incolis *Viane*: medio loco, inter Augustam Trevirorum ac Rupem in Arduenna *la Roche.* Item oppid. Flandriæ, dominii nomen ferens, prope Gerardi montem. Item, in diœces. Trajectensi, apud Batavos, *Vianen* vulgò. Item castrum Campaniæ Gall. ad Axonam, vulgò *Vienne le Chasteau*, proximum Viennæ Villæ *Vienne la Ville.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Viennensis Gallia, pars ampla Gall. quæ antea Gallia Narbonens. dicta; sed ipsa major extitit, cùm sub ipsa fuerint Gall. Narbon. & Subalpina. Sic dicta fuit sub Imper. Rom. & erat sub Præfecto Prætorio Galliarum. Ejus partes fuere 5. Nempe *Viennenses prima*, quæ Narbonensis tertia, cujus caput Vienna. *Secunda*, quæ Narbon. prima, in qua Narbo metrop. *Tertia*, quæ Narbon. secunda, ubi Aquæ Sextiæ caput. *Quarta*, seu Alpium maritim. in qua Ebrodunum metrop. & *Quinta*, seu Alpium Grajarum, in qua Tarantasia caput. Hîc sunt nunc Occitania, Provincia, Delphinatus, Sabaudia, Pedemontium & Valesia. Baudrand. Valesius provinciæ *Viennensis*, primum in Concil. Arelatensi, Volusiano & Anniano Coss. An. Chr. 314. fieri mentionem animadvertit, cui primitus 13. vel 14. civitates fuere, cùm hodie vix 4. vel quinque sub se habeat, vide supra in *Vienna.* Idem miratur recentiores Geographos 5. vel etiam octo *Viennenses* provincias mundo obtrudere, cùm Veteres plus unâ provinciâ Viennensi nunquam agnoverint, provinciaque *Viennensis* pars fuerit Galliæ Narbonensis, ab eaque avulsa. Proin absurdum, inquit, abolito nomine veteri provinciæ Narbonensis, pro provinc. Narbonensi 1. & 2. *Viennensem* 2. & 3. nobis obtrudere, & appellationem Narbonis, qui jam inde ab Augusto caput quartæ partis Galliarum extitit, supprimere, Viennam ei prius diuq; subjectam præferendo. Idem sentit de Alpibus Grajis & Penninis, ut & de Maritimis sentit, quæ cùm Narbonensi Galliæ adjunctæ attributæque sint, in *Viennensis* 4. & 5. vocabulum concedere non debuerint, *Notit. Gall.*

Viennensis tractus, *le Viennois*, pars Delphinatus, magis ad Occ. extensa, inter Rhodanum & Isaram. Proin olim *Insula Allobrogum* dicta à quibusdam, quòd ibi Allobroges ex parte. Caput Vienna est, habuitque aliàs Principes proprios, *Delphinos Viennenses* dictos.

Virvedrum, meliùs *Virvedrum*, promunt. Scotiæ Bor. aliàs in Cornariis, nunc in Stratnavernia. *Fare head* Sanson. Briet. 84. m. p. à Beruvio promunt. in Occ.

Vierzonum, opp. Biturigum, Metel. E quibus orti, ut ipse ait, in Anglia Cantuarii & Vectuarii, hoc est, qui Vectim insul. & tractum e reg. in continenti habitant. *Ubiti* nonnullis, teste Al. Neryllio. An iidem cum Gotthis, Gutis, Jutis? Vide ibi.

Viesta, urbec. Capitanatæ, Episc. sub Archiepiscop. Manfredoniensi, ad rad. Gargani, in ora maris Adriat. 25. mill. à Manfredonia in Cæc. *Vieste* vulgò.

Vigandus Johannes, Germanus, Mansfeldiæ, in radicibus Hercyniæ sylvæ natus. In patria primò docuit, dein Magdeburgi, Jenæ, Vismariæ Superintendens, tandem in Prussia Episcopus Pomesaniensis factus est. Ejus extant *Exercitationes in* 3. *pr. cap. Gen. Commentarii in Psalmos graduum, item in Psal.* 84. 90. 91. 145. 147. *Annotationes in Esaiam: Explicatio brevis in Danielem: Explanatio in* 12. *Proph. min. Annotationes in ad Rom. Ephes. & Coloss. &c.* Vir fuit ingenio, doctrinaque præstans, cujus vita sobria & honesta, aliis exemplo fuit, Melch. Adami: Matthiæ Flaccio in concinnandis Eccles. Historiæ Centuriis operam navavit, magni inter Protestantes nominis. Thuan.

Vigellius Saturninus, Africæ Præses, sub Severo, Christianorum acer hostis, à Deo vindice cæcitate percussus est. Vide Tertull. *in libr. ad Scapulam.*

Vigenna, Fortun. *Vienne*, fluv. Galliæ, per Pictavos in Ligerim inter Turones & Andegavos fluens, ad vicum Candacens. irrigatis Lemovicis, Conflando, Atvallis, Castro Heraldi & Chinone opp.

Vigera, vulgò *Voire*, fluv. Galliæ, ad quem Puteolus monasterium, *Puisie sur Voire.* Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Vigilantius, Hispanus, Præsul doctissimus, Ann. 406. Damnavit cœlibatus necessitatem, reliquias martyrum adorandas non esse, nec ad eorum sepulchra in Ecclesiis vigilandum docuit. Cereos quoque frustra in templis clarâ luce accendi, monuit: Eleemosynas Hierosolymam mitti debere negavit, paulatim pauperibus distribuendas, non semel effundendas dicens: Monachorum deniq; in solitudinem fugam vituperavit. Cui quid respondeat Hieron. Vide illum *in tract. advers. Vigilantium.*

Vigilia, urbs Apuliæ Peuc. littoralis, vulgò *Bisegli.* Episc. sub Archiepisc. Tranensi, inde 5. m. p. in Ort. Barium versus 19.

Pontifices & Viri illustres.

Vigilius, Romanus, ope Theodoræ Augustæ, cui pollicitus erat, se Eutychianum fore, Sylverium Papam sustulit, seque intrusit in sedem Roman. in qua cùm crudeliter se gereret, captivus Constantinopolim abductus, injectoque in collum fune, penè ad mortem cæsus & per urbem raptatus est, surrogato ei Pelagio. Obiit An. 555. Vide Evagr. *lib.* 4. *cap.* 18. Niceph. *lib.* 17. Liberat. *in Brev.* Ciacconium, Morn. *Myster. Iniq. pag.* 207. *& seqq.*

Vigilius, Episcopus Tridentinus, sec. 4. Scripsit ad Simplicianum Mediolan. de martyrio Sisinnii, Martyrii & Alexandri, prope Tridentum à Gentilibus occisorum. Imo ipsemet eò pergens, Saturni idolum ibi evertit, lapidibus propterea obrutus. Sub Coss. Stiliconis, An. 400. seu 405. Gennad. *in Cat. cap.* 37. Voss. Gesn. &c. Item alius, sub Zenone & Anastasio Impp. Scripsit contra Eutychem, libb. 5. egregios: in quorum quinto meminit quoque tractatus sui de Conciliorum decretis, & novitate vocum, à Patribus, contra hæreses, introductarum. An idem cum Episcop. Afro, qui sec. 6. sub Athanasii nomine, scripsit libb. 11. de Trinitate, contra Arianos: & disputationem ejusdem contra Sabellium, Photinum & Arium: Auctor quoque Symboli Athanasii creditus.

Vigilius, Diaconus, scripsit regulam Monachorum contractam, Gennad. *in Catal. Vir. Illustr. cap.* 51. *&c.*

Vigilius Zuichemus, JC. celebris in Belgio, Carolo V. à consiliis. Alciati auditor. Obiit An. 1577. variis in Jure scriptis editis. Valer. Andreas *Bibl. Belg.*

Christi, perrexit usque ad Ann. 532. Scripsit autem Ann. 464. vel 465. Gennad. *in Catal. cap.* 38. Isidor. *lib.* 6. *Orig. cap.* 17. Beda, *de 6. at. & rat. temp. cap.* 48. Sigebert. *cap.* 20. Vossius, Baronius, Possevinus &c.

Victorius, Massiliensis Episc. A. D. 330. sub Diocletiano tyranno martyrio coronatus. Greg. Turon. *lib.* 1. *cap.* 77.

Victrix, cognomen aliquot urbium seu legionum.

Vicum, vulgò *Vic*, oppidul. tractus Merensis, ad Sellam flu. sub Gallis, 1. leuc. infra Marsalium, in Occ. Nancejum versus 5.

Vicus, urbec. Episc. Cataloniæ, prope Teram fl. 12. leuc. à Barcinone in Bor. 10. ab ora maris Medit. *Vich*.

Vicus, urbec. Ep. regni Neap. sub Ar. Beneventano. *Vico della Baronia* vulgò. Ægrè habitata. In Princ. ulter.

Vicus, locus in Lotharingia, prope Marsallum & Medium Vicum *Moyenvy*, salinis suis nobilis: vulgò *Vy*, aliàs *Vic*. Ad Saliam *Seille* fluv. Hic castrum fuit Ducis, à Stephano Mettensi Episc. dirutum. Hadr. Valesius *Not. Gall.* Vide supra in voce *Vicum*.

Vicus ad Altejam, in finibus Ambianorum, *Vy sur Antie*. Idem.

Vicus ad Axonam, *Viz sur Aine*, à scriptoribus nuncupatur plerunque, vett. ignotus. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Vicus Æquensis, urbec. Terræ Laboris Episc. sub Arch. Surrentino, ad radices collis, in ora Sinus Neap. 10. m. p. à prom. Minervæ in Cæc. quot ab Amalphio in Occ. Vulgò *Vico di Sorrento*. Aliàs in Picenis.

Vicus Aquarius, Anton. Vide *Lancia & Visensis urbs*.

Vicus Aurelii, pag. Duc. Ferrar. ad Padum, 12. mill. supra Ferrariam in Circ. Veronam versus. In ipso limite Duc. Mantuani. *Ficheruolo*, vulgò.

Vicus Bigerronum, *Vic de Bigorre*, locus Galliæ, in agro Bigerrico: sicut & *Vicus* Aquensis, *Bagneres*, à thermis suis salubribus dictus, Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Vicus Cuminarius, Anton. opp. Carpetanorum, hodie *la Zarza*, vicus Castellæ novæ, prope Fanum S. Crucis *de la Zarza*, vix 1. leuc. à Tago, 13. à Madrito in Eur.

Vicus Egonum, Vide *Vicohabentia*.

Vicus Italicus, urbs Episc. sub Arch. Colocensi, Croatiæ caput, in Liburniæ confinio, ad Segesticam inf. Sai fluv. *Zagrabia*, Bonfinio authore. Vide *Sisopa*.

Vicus Julius, hodie *Germersheim*, Cluver. opp. Palatinatus infer. ad Rhenum, in ipso limite tractus Darmstadiensis, 9. mill. infra Vormaciam in Bor.

Vicus Martius, *Vimercato*, pagus ingens agri Mediol. inter Mediolanum 14. & Bripium 12. m. p. Bergomum versus.

Vicus Matrini, opp. fuit Hetruriæ, inter Forum Cassii, cujus vestigia ad Vetullam & Sutrium, in prov. Patrimonii, in ipsa via Cassia, ubi nunc diversorium publicum, *le Capannacie*, & rudera antiquorum ædificiorum, L. Holstenius.

Vicus Valerius, vel Varronis, opp. Sabinorum apud Anienem fluv. *Villa Varronis* Tullio. Hodie *Vicovaro*, in colle. 9. m. p. à Tibure in Ort. 18. à Reate in Mer. Cum tit. Princ. gentis Ursinæ.

Vida Marcus Hieronymus, Episcopus Albæ Pompejæ ad Tanarum, per annos 35. Obiit An. C. 1556. G. nebr. 1566. Ejus extant *Christiados libb* 6. *in octav. Brixia, An. Ch.* 1586. Poëma *de Scacchia ludo, de Bombycibus &c.* Primus inter Italos, post Jacobum Sannazarium, Poëticam ad res sacras transtulit, & versibus elegantissimis ac purissimis provinciam suam excoluit, Thuan. *Virgiliani carminis incomparabilis imitator*, Sixto Senensi.

Vidicini, Vide *Urticini*.

Vido, Flandriæ Comes, cum filia, quòd Angli partes tueretur, fraude captus à Philippo Pulchro, Galliæ R. cui frustra auxilium Eduardus gener ferre conatus est, Ann. Ch. 1295. 1296. P. Æmil. *lib.* 8. Polydorus *lib.* 17. Iterum ab eodem captus, Flandriaque occupata est, An. Ch. 1299. sed filii Vidonis Patrem egregiè ulti ingenti clade Gallum vicerunt, 700. aureis calcaribus in tropæum suspensis, An. C. 1300. Vidoni mortuo successit fil. Robertus.

Vidotara seu *Vindotara*, Sinus Scotiæ, in ejus parte Occ. & in Damniis pop. Quibusdam *Ayr Fyrth*, sinus parvus prope Aëriam urbem Covaliæ prov. 25. m. p. à lacu *Ryan* in Bor.

Vidrus, fluv. Germ. *Schwart Watter* Junio, *Grœninger Diep* Becano, apud Groningam urb. Frisiæ fluens, Althamero *Vecht*, ex Westfaliâ in Flevum sin. inter Frisiam & Transisalanam ad Gelmudam opp. influens. Ortelio *Vechta*, Baudr. Oritur in Westphalia, 5. mill. Germ. à Monasterio in Circ. dein auctus Aa, Dinchelo & Regga fluv. & per Transisalanam labens, in mare Austr. se exonerat, infra Gelmudam, 8. m. p. à Suvolia in Bor.

Vidua, vulgò *Crodagh* Camdeno, fluv. Hiberniæ per oram Borealem in Oceanum, inter Venicnium promont. & Argitam fluv. decurrens. Ferr. Baudrando est, inter Vecninios & Robogdios. Nunc *Dirgh* aliis. Inter Comit. Tyronensem ad Ort. & Dungalensem ad Occ. ac in Oceanum Deucaledonium se exonerat, infra Rapoam, per lacum Suvillium.

Vidua Regis, dicitur in Anglia, ejus, qui de Rege tenet in capite, vidua. Sic autem dici solet, quia ei ad secundas nuptias, sine Regis permissu transire non licet, quin & dotem impetrat ex assignatione Regis, quem patronum ac defensorem habet. *Viduarum* enim & pupillorum cura ad Reges pertinebat, quam ideo suis Comitibus, per provincias & pagos olim delegabant, Vide Marculf. *lib.* 1. *cap.* 8. Et Ludovicus Imp. in admonit. ad Comites Capitol. *lib.* 2. *cap.* 6. *Pupillorum verò*, inquit, *& Viduarum & cæterorum pauperum adjutores, & defensores, juxta vestram possibilitatem, sitis, &c.* Item Syn. Ticinensis, sub Ludovico Italiæ R. *Pupillos & Viduas protegant*. Vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Viducasses, pop. Galliæ Celt. aliter *Biducasses*, Vide ibi.

Vidula, fluv. Galliæ, *la Vesle*. Oritur in media Campania, 3. leuc. à Catalauno in Ort. apud vicum, qui ob id Summus Vidula, vulgò *Somme Vele*, dicitur. Dein auctus aliquot minoribus fluv. postquam Spinam, Novam Villam, Luperciacum *Louvercy*, Liberiacum *Livry*, Septem Salices *Sept-Saux*, Balliam *Baule*, Prunetum *Prunay*, Malliacum *Mailly*, vicum S. Leonardi, præterlapsus est, Durocortorum seu Remos rigat; porro Pontem Archiepiscopi *Pont l'Archevesque*, Campaniacum *Champigny*, Provilliacum *Prouilly*, Juncariam *Jonchery*, Montaniacum *Montigny*, Brolium *Brüeil*, Fines vel Fimmas *Fimes*, Basilicam *Basoche*, ac Brainam seu Brennacum *Braine*: indè Axonam fl. abit, inter Brainam & Suessiones: Baudr. Valesius habet, apud Condate *Condé*. Etiam *Vitula* flu. hic vett. nonnunquam dicitur, unde *Vitlina* villa fortè nomen nacta est. Inter Decanatus rurales 17. Remensi Ecclesiæ subjectos, sextum obtinet locum Decanatus *Vidulæ*: quo nomine vicus Summus Vidula indigitatur, teste Hadrian. Valesio *Notit. Gall.* Britto *lib.* 9. *Philippidos*,

Auxona cui faciunt nomen vulgare moderni,
Qui tibi cùm tollat nativum Vidola nomen,
Ipse suum perdit, Isarâ majore receptus.

Vielliska, vulgò *Wieliczka*, oppidul. Palatinatus Cracov. Salisfodinis subterraneis celeberrimum, non longè à Cracovia in Ort. habitatio non satis tuta, ob terram undique effossam. Ann. 1510. majori parte hæ salinæ conflagrarunt, ut & 1644. 16. Decembr. Piasecius.

Vielkyluchia, urbs munita Moscoviæ, ad Lovatum flu. in Duc. Rescoviensi, & limite Lithuaniæ. 30. leuc. Pol. à Vitepscia in Bor. Ilmenum lacum versus 16. In edito colle. Capta fuit à Stephano Polon. R. an. 1580. sed reddita. Vulgò *Vielkiluki*.

Viella, urbec. Aquitaniæ, ad Pyrenæos, juris Hisp. & Aragoniæ, ad fontes Garumnæ, in limite Cataloniæ & Convenensis tractus, 18. m. p. supra Lugdunum Convenarum in Mer. in Araniæ valle.

Vieluna & *Velunia*, opp. satis lautum Polon. maj. in Pal. Calisiensi, & limite Silesiæ; aliquot tantùm mill. à *Czenstochova*. Malè habitum, & partim incendio consumptum an. 1656. bello Suec. Vulgò *Wielun*.

Vienna, German. *Wien*, Austriæ metropolis, urbs inclyta, & omnium urbium, quas Danubius sustinet, & ædium magnificentiâ, & rerum copiâ, clarissima, Episc. sub Archiep. Salisburgensi: *Viana* Plinio, teste Hermolao. Ter in cassum à Turcis obsessa, ann. 1529. 1532. & 1543. Cum ponte ad Danub. ubi recipit amnem *Wien*. Sedes jam diu Imperatoris. 26. mill. Germ. à Lintio in Ort. Posonium versus 10. aliàs *Vindobona*. Quibusdam *Ala Flaviana*. Hic Venceslaus Imp. postquam è carcere Pragensi evasisset, cùm mores non corrigeret, sub custodia habitus est An. C. 1392. verùm & hinc liber, in Proceres sævriit. Daubravius *lib.* 23. Valdensium Episcopus Stephanus, ibidem exustus est, circa An. Ch. 1467. Camerar. *in Præf. ad Rationem Discipl. Fr.* Sacram quoque cœnam sub U. S. hic administrari curavit Ferdinandus I. Imp. *Viennensis* lineæ auctor fuit Ferdinandus II. Imp. filius Caroli Archiducis, Styrii seu Græciensis rami conditoris, cùm frater ejus Leopoldus Ænipontanum orditetur. Huic Ferdinando successit fil. Ferdinandus III. An. Ch. 1637. mortuus Ann. Ch. 1657. Pater Ferdinandi Francisci qui rex Bohemiæ An. C. 1646. Ungariæ An. Ch. 1647. Romanorum An. Ch. 1653. electus, ante Patrem obiit, & Leopoldi Imp. qui hodie feliciter Imperii habenas tractat. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.* Ausonius *in catalog. urbium*,

Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.

Vienna, Allobrogum, memorata Cæsari *de bello Gall. l.* 7. *Allobrogum metropolis* Straboni, illustris Gall. Narbon. urbs Melæ *lib.* 2. COL. VIENNA in vet. inscr. COL. VIENNA LEG. VII. CLAUDIANA PIA, in nummo Neronis: *Ornatissima & valentissima Colonia Viennensium* à Claudio Aug. *Pulchra & Vitifera* Martiali, *Opulenta* Ausonio dicta: *Vienne en Dauphiné* vulgò. *Senatoriam* aliquando appellatam scribit Paradinus. Ex hac enim *Senatores* in Curiam à Claudio dicuntur lecti; forsitan, jam inde à Jul. Cæsare, à quo *civitate donatos quosdam è Semibarbaris Gallorum, receptosq; in Curiam* tradit Suetonius. Unde hic Vitellius pro tribunali jura reddidit, & Valerius Asiaticus bis Consul, cujus apud Tacitum mentio, Viennensis fuit. Horum posteri, stante Occidentis Imperio, quia Majores suos Senatores Rom. habuerunt, *Senatorum* nomine superbi, tanquam soli saperent, cœteros omnes vili pendere cœperunt: à Gundobaldo Burgundionum R. quòd Godegisilo fratri suo adhæsissent, magnâ ex parte sublati. *Biennus* Stephano dicitur. A Venerio Africano exule fundatam Merula vult, Sylvii R. Rom. Lycurgi & Eliæ Prophetæ temporibus, Ferrar. Olim ex Gall. præcipuis, ut ex parte è jam dictis colligere est. Hinc & Euseb. *Hist. Eccl. lib.* 5. *cap.* 1. *Galliæ metropoles*, nominat, insi-

insignes Lugdunum & Vienna. Et ob dignitatem ac vetustatem, à Fabio Valente Vitellianarum partium Duce servata est, Tacit. *Hist. lib.* 1. Regis Archelai insuper relegatione, Juliani Cæsaris Consulatum ineuntis processu ac ludis, Valentiniani jun. Augusti ab Arbogaste Com. extincti, Constantis Tyranni à Gerontio interfecti & Godegisili Burgundiæ Tetrarchæ à Gundobado fratre, de quo jam aliquid supra, obsessi expugnatique nece nobilis, post sublatum in Gallia Imper. Rom. sec. 5. sedes fuit Regum Burgundiæ: quo regno everso à Clodovæo, sub Gallis fuit, usque ad Ludovicum Balbum, quo tempore à Bosone, affine Caroli Calvi Burgundiæ & Arelat. regnum rursum erectum est, Viennâ quoque comprehensâ: donec in Rodolpho ignavo desiit. Ab illo tempore Archiepisc. jurisdictionem hic omnem, ab Imperatoribus, Friderico I. imprimis acceptam, tenuerunt, donec Ludovicus XI. tractatu cum Archiepisc. Johanne Pictaviensi inito, supremus à Viennensibus dominus agnitus est. Hinc Dalfini *Daufins de Vienne*, nomen accepere, de quibus vide in voce *Dalphinus*. Caput olim Provinc. Viennensis, in qua civitates 13. nonnullæ 14. numerant Nott. vett. Habuit Amphitheatrum, Palatium, Sedem Impp. ac Regum, quod cœlesti igne conflagravit, templum Arianorum, regnantibus ibi Burgundionibus Arianis, ac turrim hominum 5000. capacem, Gregor. Tur. *lib* 2. *cap.* 32. Etiam Moneta hic fuit, sub Merovei Caroliique posteris. De ejus situ Theodulfus:

Saxoja petimus constructam in valle Viennam,
Quam scopuli inde arctant, hinc premit amnis hians.

Crescente postea Arelati dignitate ac splendore, cùm provincia *Viennensis* in duas divideretur, Viennensem & Arelatensem, priori ac Metropoli Valentia, Darantasia, quæ postmodum Metropolis evasit, Geneva & Gratianopolis solæ, posteriori reliquæ 10. quondam provinciæ Viennensis Civitates, à Leone primum, dein Symmacho P P. sunt adscriptæ, & *Vienna*, quæ priùs Galliæ Narbonensis urbs, dein caput provinciæ cognominis atque 13. Civitatum erat, vix quatuor sub se urbes habere cœpit: quanquam postea 8. Civitatum nim. Genevæ, Gratianopolis, Albæ seu Vivarii, Deæ, Valentiæ, Carpentoratis, Tricastinorum, & Maurienææ, suffragatione gavisa est; de quibus duas urbes Tricastinorum & Carpentoratensium detractas esse recentiores Notitiæ testantur, Arelatoque additas. Quare meritò miratur Valesius, *Viennensem*, unum è sex Burgundiæ Archiepiscopis, Regnique ejus olim Cancellarium, sedem suam in nummis, *maximam sedem Galliarum* vocavisse olim, & se *Primatum Primatem* etiamnum appellare, cùm præter modò dicta, quoque nullum sub se Archiepiscopum habeat. Ex ubis hujus Præsulibus Fridericus, in præsentia Ottonis I. Ingelhemii Viennensis Eccles. Archiepisc. ordinatus est, An. Chr. 968. Hugo à Friderico I Imper. privilegium Ecclesiæ suæ An. Chr. 1153. impetravit. Heraclius, ab eodem An. Chr. 1157. sacri Palatii Burgundiæ Exarchus & summus Consilii sui Princeps creatus, & à seqq. Imperatoribus Viennensis Archiepiscop. Burgundiæ Regni Cancellarius habitus est. Fuit autem præfatus Imperator ab Archiepiscopo in Regem Burgundiæ, Arelati An. C. 1178. & in Imperatorem Mediolani An. Ch. 1186. coronatus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Urbs hodie se ipsâ longè angustior, bellis intestinis plurima passa, sedet ad radices collis, cum ponte ad Rhodanum, ubi Geram recipit; & duabus arcibus, *Pipet* & *la Bastie*, quæ nunc in ruinis, 13. leuc. à Gratianopoli. Patria fuit Qu. Curtii Rufi Rhetoris Romæ insignis, qui ob eloquentiam ac patriam suam à discipulis sæpe *Cicero Allobrox* dictus, inter 11. Rhetores claros, quorum vitæ à Suetonio scriptæ perierunt, auctor Vitæ Alexandri Magni, Achilli Statio videtur fuisse. Ibi celebratum Concil. Viennense An. 1311. & Arbogastes, de quo supra, cùm Valentinianum Jun. dolo strangulasset, à Theodosio superatus, sibi mortem conscivit. P. Diaconus. Quia *Vitiferam* Martiali *Viennam* vocari supra innuimus, adjiciam locum Plinii *libr.* 14. *cap.* 1. & 4. ubi ait: *Inventa vitis, per sepicem resipiens in vino, Viennensem agrum nobilitavit, Arverno Sequanoq; & Helvico generibus non pridem illustrata, Viennensesq; soli picata sua pluris permutasse, sed inter seje amore patriæ creduntur, idq; vinum frigidius reliquis existimatur.* Martialis quoque *in lib* 3. qui *Xenia* inscribitur, *in picatum vinum de vitifera Vienna veniens*, distichon composuit, quod vide apud Auctorem: & plura de Urbe hac apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Moretum *Diction. Hist. &c.*

Vienna, opp. in sylva Arduennæ, pagoque Luciliburgensi, olim Eiffliæ regiunc. attributa, caput Comit. Brouveto *Vienna Trevirica* dicitur, Gall. *Viande*. incolis *Viane*: medio loco, inter Augustam Trevirorum ac Rupem in Arduenna *la Roche*. Item oppid. Flandriæ, dominii nomen ferens, prope Gerardi montem. Item, in diœcesi. Trajectensi, apud Batavos, *Vianen* vulgò. Item castrum Campaniæ Gall. ad Axonam, vulgò *Vienne le Chasteau*, proximum Viennæ Villæ *Vienne la Ville*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Viennensis Gallia, pars ampla Gall. quæ antea Gallia Narbonens. dicta; sed ipsa major extitit, cùm sub ipsa fuerint Gall. Narbon. & Subalpina. Sic dicta fuit sub Imper. Rom. & erat sub Præfecto Prætorio Galliarum. Ejus partes fuere 5. Nempe *Viennensis prima*, quæ Narbonensis tertia, cujus caput Vienna. *Secunda*, quæ Narbon. prima, in qua Narbo metrop. *Tertia*, quæ Narbon. secunda, ubi Aquæ Sextiæ caput. *Quarta*, seu Alpium maritim. in qua Ebrodunum metrop. & *Quinta*, seu Alpium Grajarum, in qua Tarantasia caput. Hic sunt nunc Occitania, Provincia, Delphinatus, Sabaudia, Pedemontium & Valesia. Baudrand. Valesius provinciæ *Viennensis*, primùm in Concil. Arelatensi, Volusiano & Anniano Coss. An. Chr. 314. fieri mentionem animadvertit, cui primitus 13. vel 14. civitates fuere, cùm hodie vix 4. vel quinque sub se habeat, vide supra in *Vienna*. Idem miratur recentiores Geographos 5. vel etiam octo *Viennenses* provincias mundo obtrudere, cùm Veteres plus unâ provinciâ Viennensi nunquam agnoverint, provinciaque *Viennensis* pars fuerit Galliæ Narbonensis, ab eaque avulsa. Proin absurdum, inquit, abolito nomine veteri provinciæ Narbonensis, pro provinc. Narbonensi 1. & 2. *Viennensem* 2. & 3. nobis obtrudere, & appellationem Narbonis, qui jam inde ab Augusto caput quartæ partis Galliarum extitit, supprimere, Viennam ei prius diuq; subjectam præferendo. Idem sentit de Alpibus Grajis & Penninis, ut & de Maritimis sentit, quæ cùm Narbonensi Galliæ adjunctæ attributæque sint, in *Viennensis* 4. & 5. vocabulum concedere non debuerint, *Notit. Gall.*

Viennensis tractus, *le Viennois*, pars Delphinatus, magis ad Occ. extensa, inter Rhodanum & Isaram. Proin olim *Insula Allobrogum* dicta à quibusdam, quòd ibi Allobroges ex parte. Caput Vienna est, habuitque aliàs Principes proprios, *Delphinos Viennenses* dictos.

Vierverdrum, meliùs *Virvedrum*, promunt. Scotiæ Bor. aliàs in Cornariis, nunc in Stratnavernia. *Fare head* Sanson. Briet. 84. m. p. à Beruvio promunt. in Occ.

Vierzonum, opp. Biturigum, Metel. E quibus orti, ut ipse ait, in Anglia Cantuarii & Vectuarii, hoc est, qui Vectim insul. & tractum è reg. in continenti habitant. *Ubiti* nonnullis, teste Al. Nerylio. An iidem cum Gotthis, Gutis, Jutis? Vide ibi.

Viesta, urbec. Capitanatæ, Episc. sub Archiepiscop. Manfredoniensi, ad rad. Gargani, in ora maris Adriat. 25. mill. à Manfredonia in Cæc. *Vieste* vulgò.

Vigandus Johannes, Germanus, Mansfeldiæ, in radicibus Hercyniæ sylvæ natus. In patria primò docuit, dein Magdeburgi, Jenæ, Vismariæ Superintendens, randem in Prussia Episcopus Pomesaniensis factus est. Ejus extant *Exercitationes in 3. pr. cap. Gen. Commentarii in Psalmos graduum, item in Psal.* 84. 90. 91. 145. 147. *Annotationes in Esaiam: Explicatio brevis in Danielem: Explanatio in* 12. *Proph. min. Annotationes in ad Rom. Ephes. & Coloss. &c.* Vir fuit ingenio, doctrinaque præstans, cujus vita sobria & honesta, aliis exemplo fuit. Melch. Adami: Matthiæ Flaccio in concinnandis Eccles. Historiæ Centuriis operam navavit, magni inter Protestantes nominis. Thuan.

Vigellius Saturninus, Africæ Præses, sub Severo, Christianorum acer hostis, à Deo vindice cæcitate percussus est. Vide Tertull. *in libr. ad Scapulam.*

Vigenna, Fortun. *Vienne*, fluv. Galliæ, per Pictavos in Ligerim inter Turones & Andegavos fluens, ad vicum Candacens. irrigatis Lemovicis, Conflando, Arvallis, Castro Heraldi & Chinone opp.

Vigera, vulgò *Voire*, fluv. Galliæ, ad quem Puteolus monasterium, *Puisie sur Voire*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Vigilantius, Hispanus, Præsul doctissimus, Ann. 406. Damnavit cœlibatus necessitatem, reliquias martyrum adorandas non esse, nec ad eorum sepulchra in Ecclesiis vigilandum docuit. Cereos quoque frustra in templis clarâ luce accendi, monuit: Eleemosynas Hierosolymam mitti debere negavit, paulatim pauperibus distribuendas, non semel effundendas dicens: Monachorum deniq; in solitudinem fugam vituperavit. Cui quid respondeat Hieron. Vide illum *in tract. advers. Vigilantium.*

Vigilia, urbs Apuliæ Peuc. littoralis, vulgò *Bisegli*. Episc. sub Archiepisc. Tranensi, inde 5. m. p. in Ort. Barium versus 19.

Pontifices & Viri illustres.

Vigilius, Romanus, ope Theodoræ Augustæ, cui pollicitus erat, se Eurychianum fore, Sylverium Papam sustulit, seque intrusit in sedem Roman. in qua cùm crudeliter se gereret, captivus Constantinopolim abductus, injectoque in collum fune, penè ad mortem cæsus & per urbem raptatus est, surrogato ei Pelagio. Obiit An. 555. Vide Evagr. *lib.* 4. *cap.* 18. Niceph. *lib.* 17. Liberat. *in Brev.* Ciacconium, Morn. *Myster. Iniq. pag.* 207. *& seqq.*

Vigilius, Episcopus Tridentinus, sec. 4. Scripsit ad Simplicianum Mediolan. de martyrio Sisinnii, Martyrii & Alexandri, prope Tridentum à Gentilibus occisorum. Imo ipsemet eò pergens, Saturni idolum ibi evertit, lapidibus propterea obrutus. Sub Coss. Stiliconis, An. 400. seu 405. Gennad. *in Cat. cap.* 37. Voss Gesn. &c. Item alius, sub Zenone & Anastasio Impp. Scripsit contra Eutychem, libb. 5. egregios: in quorum quinto meminit quoque tractatus sui de Conciliorum decretis, & novitate vocum, à Patribus, contra hæreses, introductarum. An idem cum Episcop. Afro, qui sec. 6. sub Athanasii nomine, scripsit libb. 11. de Trinitate, contra Arianos: & disputationem ejusdem contra Sabellium, Photinum & Arium: Auctor quoque Symboli Athanasii creditus.

Vigilius, Diaconus, scripsit regulam Monachorum contractam, Gennad. *in Catal. Vir. Illustr. cap.* 51. *&c.*

Vigilius Zuichemus, JC. celebris in Belgio, Carolo V. à consiliis. Alciati auditor. Obiit An. 1577. variis in Jure scriptis editis. Valer. Andreas *Bibl. Belg.*

Vigisonus, lacus est in agro Patavino.

Viglebanum, urbs Insubriæ recens, Episcop. sub Archiepisc. Mediolanensi, inde 20. m. pass. Casale versus totidem, quot à Ticino. Vide *Vergeminum*.

Vigornia, vulgò *Worchestershire*, prov. Angl. ubi aliàs Dobuni pop. inter Comit. Varvicensem ad Ort. Staffòrd, & Salopiam ad Bor. Herefordiam ad Occ. & Glocestr. ad Mer. versus Sabrinam fluv. Caput *Vigornia*, vulgò *Worcester*. E collegio *Vigorniensi*, Presbyteri uxorati à Rege Eadgaro, annitente inprimis Dunstano Archiep. Cantuariensi, pulsi sunt, An. C. 960. Vide Polydor. *lib.6.p.197*.

Vigornia, *Worcester*, urbs Angliæ inter Warvicum ad Ort. & Herefordiam ad Occ. 30. fere m. p. ad Sabrinam fluvium. Caput provinciæ cognom.

Vihitza, vulgò *Vihitz*, urbs Croatiæ. Aliter *Bigihon*, juxta lacum parvum, quem efficit Uvana fluv. Aliàs *Aujancata* dicta quibusdam. Permunita est, sub Turcis, 45. m. p. à Senia in Ort. quot à Jadera in Bor.

Vikezlandia, tractus Estoniæ, inter Revaliam & Pirnaviam, in ora maris Baltic. sub Succis. Ibi Hapselia & Lehalium. Vulgò *Vikesland*.

Vilburgum, opp. Veteraviæ, ad Lanum fluv. caput Comit. cognom. 3. mill. Germ. à Vezlaria in Occ. Nassoviam versus 6. & 7. à Magontia in Bor. Vulgò *Weilburg*.

Vildhusia, opp. Westphaliæ, inter dit. Oldenburgensem & Monasteriensem. Sed pendet ex Duc. Bremensi. Ad Hontam fluv. 18. m. pass. ab Oldenburgo in Eur. 9. à Delmenhorstia in Merid. Vulgò *Wildeshusen*.

Vilia, fluv. Lithuaniæ, Oritur in Palat. Braslaviensi, ubi auctus Narocio aliisque fluv. minor. Vilnam rigat, tandemq; infra Couunam Chronio miscetur. Vulgò *Wilia*.

Vilica, pag. apud Dusseldorpium & Nuesium, ad Rhen. 5. leue. à Colonia Agrippina in Bor. Vulgò *Bellich*.

Vilkomeria, vulgò *Wilkomirtz* incolis, *Wilkmer* Germ. urbs Lithuan. ad amnem Suvietam, 8. leuc. à Vilna in Bor. uti 7. à Troca.

Villa, pro vico pagove etiam Vett. in usu. Nimirum *Villa* una aliqua, magna, amœna, atque magnifica, sæpissimè auctoris eon ditotisve sui, aut domini nomen ferens, vel à loco, in quo ædificata erat, vel ab eventu aliquo cognominata, paulatim ipsi adjunctis aliis ædificiis & minoribus villis, nomen suum toti olim vico olim dare consueverat. A Germ. *Wil*, habitationem designante, hinc Gallicum *Ville*, pro urbe, & tot nomina apud German. Gallosque ex voce illa composita. A *Villa*, *Villaris*, vel *Villare*, villulam significat, unde Alberti Villare, Domini Villare *Damvilliers*, Altum Villare *Auvilliers*, *&c.* Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Fiscalis *Villa*, seu *Villa* Regii fisci, quæ est in Regia hæreditate. *Villa* Regia, ubi ædes & curia Regalis. Greg. Tur. *lib. 6. sect.12. Cum ad* Villam *fiscalem ductus esset*, & *sect.45. Regressus Parisios familias multas de domibus fiscalibus referri præcepit.* Tales plurimæ olim in Imperio & Franciæ regno, &c.

Villa, opp. Maurit. Cæsar. maritimum inter Lanigarum & Altaum. *Beni Arax* Marmolio.

Villa Cæsarum, fluv. Tiberi imposita juxta nonum lapidem in viâ Flaminiâ, quæ ob id vocatur *Ad Gallinas*. Sic Plin. 5. 30.

Villa Caninii Rufi, apud Plin. Jun. in ora Larii lacus erat, apud Comum: ubi postea cœnobium Humiliatorum fuit, in ejusdem urbis suburbiis.

Villa Ecclesiæ, vulgò *Villa d'Iglesia*, urbec. recens Sardiniæ, in parte ejus Austr. contra Sulci rudera. Episc. sub Archiepisc. Calaritano, versus oram littor. 34. m. p. à Calari in Occ. Male culta.

Villa Faustini, opp. Albionis in Angliâ, Icenorum, nunc in Suffolcia, vulgò *S. Edmunsbury*, teste Talboto, 18. m. p. ab Icianis in Ort. uti 24. à Cantabrigia, 34. à Venta.

Villa Franca, opp. Gall. tractus Baujoviensis, ad amnem Morgonem, qui paulo infrà in Ararim cadit, 6. leuc. infra Matisconem, Lugdunum versus 5. Vulgò *Ville-Franche*. Item villa, inter Ellam & Duranium fluv.

Villa Franca, opp. Comit. Niceæ, prope Niceam, cum arce & portu amplo, in ora maris Ligustici, 4. mill. à Monachio in Occ. Varum fluvium versus totidem.

Villa Franca Confluentum, urbs Comit. Ruscinonensis ad Thetim fluv. Caput tractus adjacentis, ad rad. Pyrenæorum, 10. leuc. Gall. à Perpiniano in Occ. Vulgò *Ville Franche de Conflent*.

Villa Franca, cognom. *de Rovergue*, urbs Galliæ, latis culta provinciæ Rutenensis, ad Veronium fluv. 8. leuc. infra Rutenos in Occ. quot versus Cadurcum.

Villa Magna, vulgò *Valmaigne*, monaster. Abbatiale Galliæ clarum & vetus, in Septimania, cum vico cognom. Valef. *Not. Gall.*

Villa Marii, *Marino*, opp. seu castrum hodie Latii in colle, in viâ Appiâ, medio itinere inter urb. Romam & Velitras 10. m. p.

Villa Mariana, quoque opp. Latii apud Præneste, inde 5. m. p. Labicum versus.

Villa Matria, vulgò *Marville*, in Duc. Luciliburgensi, posita est ad amnem Visinum *Vezin*, in Chairem influere properantem. Alia in pago Mosellensi, quæ Mettensi Monasterio donata dicitur à Danihele seu Chilperico Francorum Rege. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Villa Nova, opp. Occitaniæ ad Rhodanum, è regione Avenionis & Comit. Vindalcini, 7. leuc. infra Pontem S. Spiritus. *Ville neuve* vulgò.

Villa Nova Bergia, urbec. tractus Vivariensis, juxta amnem *Hibie*, 4. leuc. à Vivario in Occ. 2. ab Albenaco in Eur. Vulgò *Ville neuve le Berg*.

Villa P. Valerii, Cic. *la Motta*, teste Gabr. Barrio, pag. Brutiorum in Calab. ulter. ultra Rhegium apud Leucopetr.

Villa Regia, opp. Portugalliæ, in prov. inter Durium & Minium, cum titul. Ducat. 4. leuc. à Lameca in Bor. 3. à Durio fluv. Vulgò *Ville Real*.

Villa Tasiliacum, *Ville Taillac*, locus Galliæ in pago Oximensi. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* qui videndus quoque de *Villa* Cereris, vulgò *Huisons*: Villa Episcopi, *la Ville l'Evesque*: *Villa* Judæa. *Villa* Julitæ: *Villa* S. Laurentii: *Villa* S. Lazari: Villa Nova Regis *Ville neuve le Roy*: Villa Regis *Ville Roy*: *Villa* Nova S. Georgii: Villa Petrosa *Villepreux*, *&c.* in agro Parisino, in voce *Parisii*.

Villa Vitiosa, vulgò *Ville Viciosa*, castrum Portugall. cum splendido palatio, sedes antea Ducis Bragantiæ, nunc deliciæ Regum, 7. leuc. à Pace Augusta in Occ. Eboram versus 9. Ibi Hisp. à Lusitanis grandi clade haud pridem affecti.

Villacum, opp. Carinthiæ super. ad Cravum fluv. in dit. Episc. Bambergensis. Forsan *Tarnascum* aliàs, 18. m. p. à Clagenfurto in Occ. Vulgò *Villach*.

Villanus Johannes, Florentinus. Scripsit Italicè Historiam, à Nimrodo, usque ad An. Ch. 1348. quo obiit. Matthæus frater eam continuavit, hujusque hujus Philippus appendicem addidit. Ugolinus Verrinus, *Florent. illustr.* Gesner. Spond. &c.

Villariacum, locus Galliæ, in agro Tricassino, ubi Chrotildem in matrimonium accepit Chlodoveus Rex. Nunc *Villiers*, non procul ab Arciaca & Tricassis. Aliis *Villori* est, Barro ad Albam propinquus vicus. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Villemeldus, vulgò *Villemeux*, locus Galliæ, in Normannia memoratus Gautrido Episc. Carnutensi, apud Hadr. Valesium.

Villeria ad Cotiam, seu *Villeria in Retia sylva*, oppidulum Insulæ Franciæ, cum palatio reg. in tractu Valesia, vix 3. leuc. à Crepiaco in Ort 6. à Compendio in Eur. *Villers Costé Rez* vulgò.

Villeium, opp. agri Suessionensis, ad Axonam, vulgò *Vesly*, pars tamen Duc. Remensis, 3. leue. suprà Suessiones in Ort. 7. à Remis.

L. Villius, annalis Tribunus Plebis legem tulit, Lucio Manlio Acidino Fulviano, Qu. Fulvio Flacco fratribus Germanis Coss. Ann. Urb. C. 374. de ætate Magistratuum, Liv. *lib.*40. Quæsturæ ergo annus 27. Tribunatui Pleb. 30. Ædilitati 36. Præturæ 40. Consulatui 43. &c. definitus est. Vide Paul. Manutium, *lib. Antiquit. de Legg.*

Vilmurium, opp. Occitaniæ, ad Tarnim fluv. 5. leuc. à Tolosa in Cæc. in limite tractus Albigensis, 4. leuc. supra montem Albanum, ubi olim acriter dimicatum. Vulgò *Villemur*.

Vilna, German. *Vilde*, & *Wildavv*. Incolis *Wilenski*, caput Lithuaniæ, urbs Episc. sub Archiepisc. Gnesnensi, ampla & malè habita à Moscis, haud pridem. Capta ab ipsis, incensaque An. C. 1611. & 1655. sed recepta. Arcem habet munitam, cum palatio regio. Ad Viliam fluv. ubi recipit Vilnam amnem. Ministerio Vilnensi succensuit Calvinus, quòd Blandratam non ejecerit, An. Ch. 1560. Incensa 3. Protestantium templa, urbe captâ, An. Chr. 1611. cum paulo antè in eosdem Pontificii sævire incepissent. Celeberrimum dein Evangelicorum templum his ademptum, sed aliud à Christophoro Radzivilio, Palatino Vilnensi, erectum est. An. Chr. 1640. Lætus *Comp. Hist. Eccles.* Distat 130. leuc. Pol. à Cracovia in Cæc. uti 80. à Varsavia, 100. à Smolenco in Occ. 50. à Riga in Mer.

Vilumbri, Umbriæ pop. Orientales, Ptolem. Horum caput est *Spoletium*.

Vilvordia, vulgò *Vilvorden*, opp. Brabantiæ, ad Senam fluv. cum castro, inter Bruxellas & Mechliniam, sub Hispan.

Vima, locus, ubi Christiani Occid. Saracenorum prædam captaque mancipia, inter se diviserunt.

Vimania, seu *Vemania*, urbs libera Sueviæ, nunc *Wangen*. Vide *Vemania*.

Vimaranum, oppid. agri Bracarensis, 3. leuc. à Bracara in Ort. *Guimaranes*, seu *Guimaraes* vulgò. Damasi Pont. patria.

Vimaria, vulgò *Weimar*, urbs Thuringiæ, ad *Ilm* amnem, 3. mill. Germ. ab Erfordia in Ort. Jenam versus 2. & Naumburgum 5. olim Ottonis Imp. sedes, sub Duce è domo Sax. Hinc Bernardus Dux Weimar. bello celeberrimus, mortuus An. Ch. 1639. Neoburgi ad Rhen. Lineæ *Vimariensis* auctor fuit, Joh. Wilhelmus, filius Joh. Friderici Electoris, cujus major natu Joh. Fridericus II. Gothanam orsus est. Hic Joh. Wilhelmus genuit Frid. Wilhelmum Aldenborgici & Johannem *Vimariensis* rami conditorem: quorum hic pater fuit Joh. Ernesti, Friderici, Bernardi fortissimi Ducis, de quo vide supra, Wilhelmi (cujus filii Johannes Ernestus Vinariæ habitat, Adolfus Wilhelmus Isenacum sortitus est, Joh. Georgius Marcsulam obtinuit, & Bernardus Jenam nactus est) ac Ernesti, qui Gothanam denuo lineam inchoavit. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Vimina fluv. unde ante annos 500, pagus *Vimnau* nomen accepit: dein Aucias, vel Aucus dictus; nunc Brisellæ nomen habet.

Mabi-

Mabilioni tamen amniculus est, qui circa vicum *Vimi* ortus, ei nomen suum dedit, ac vicum *Freslemeules* aliosque alluit, & apud Gamapium in Brisellam influit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Viminacium, vide *Viminatium*.

Viminalis, collis dictus est Romæ, quòd ibi *Viminum* sylva fuerit: vel à Jove *Vimineo*, quòd ibi ejus aræ sint. Inde *Viminalis via*, quæ ad collem illum ducit & *porta*. Vide *Porta*.

Viminatium, Mysiæ super. opp. Ptol. *Vidmo* Nigro: *Wuezidern* Lazio, in Servia ad Danubium, Archiepisc. & Satrapæ sedes. Item urbs Hispan. in Vaccæis, Anton. Item pagus Gall. Celt. ad Rhodanum fluv. & Lugdunum urb. Ælian. Spart. *Vimy* Paradino. Baudrando est, pagus cum castro ad Ararim, 2. leuc. supra Lugdun. in Bor. in ipso limite Bressiæ & tractus Dombensis.

Vimineus, seu *Viminius*, epitheton Jovis, apud Romanos, unde collis *Viminalis*, quòd ibi aræ Jovis Viminii, aut quòd ibi Vimineta fuerint. Ejus hodie maxima pars inculta jacet, facitque cum Esquilis quintam urbis regionem: Hinc quoque porta *Viminalis*. Vide Thomam Dempsterum *Antiquit. Roman.* & supra in voce *Viminalis*.

Vimpina, vulgò *Wimpfen*, urbs parva Sueviæ, Imperialis, ad Necarum, ubi recipit Coccarum & Jaxtum fluv. 2. leuc. infra Hailbrunnam in Bor. 5. ab Heidelberga in Ort.

Vimutium, castrum munitum Angliæ, cum portu capaci, in Dorcetia & in ora maris Brit. prope Vindelim Insl. & 6. m. p. à Dorcestria in Mer. *Veymouth* vulgò.

Vinalia, festum erat apud Romanos duplex: Jovis & Veneris. Quorum istud Kalend. Maji, illud mense Augusto, 14. Kalend. Septembr. celebrabatur. De quibus vide Thom. Dempster. *Antiq. Rom. lib.* 4. *cap.* 8. & *Paralip. ad cap.* 11. ut & Jos. Scaligerum *Castigationibus ad Festum*.

Vinaria, oppidul. Palatinatus infer. *Weinheim* vulgò, in via montana, seu tractu *Bergstraß*.

Vincenna, vulgò *Vincennes*, castrum Galliæ, in prov. Insulæ Franciæ cum palatio superbissimo recens excitato à Ludovico XIV. Distat Lutetiâ 1. leucâ in Ort. Latiniacum versus. Baudr. Valesio meliùs *Vicena*, quòd vicenis Lutetiâ stadiis abesset. Philippus August. Rex An. Chr. 1183. nemus *Vicenarum*, hactenus patens, muro cinxit, hinnulosque cervorum, damulas & capras sylvestres, è tota Normannia & Aquitania collatas, ei inclusit. Ibi dein Prioratum B. Virgini instituit, & Monachis Grandimontensibus eum contulit. Sed & in nemore isto, jam tum regia erat domus: & Ludovicus X. fraterque ejus Carolus IV. ut & Carolus IX. ibi decessere. Castellum ibi inchoavit Philippus Valesius An. Chr. 1337. ad tertiam contabulationem perduxit Johannes ejus filius, consummavit Carolus V. ibi natus. Vulgò *Vincennes*, aut *le bois de Vincennes*: quod distinguendum à Bellitate *Beauté*, castello regio in vicina, *Notit. Gall.* in voce *Parisii*.

Vincentia, vide *Vicentia*.

Viri clari.

Vincentius Bellovacensis, Dominicanus, floruit sec. 13. gente Burgundus. Ludovico IX. Regi gratus, cujus ope adjutus, elaboravit Speculum suum, cujus 4. partes: *Speculum Doctrinale*, in quo à Grammatica ad Theologiam usque, omnes scientias pertractat. 2. *Speculum Historiale*, quod comprehendit Historias omnes, à C. M. usque ad An. 1244 Continuatum postmodum, usque ad Ann. 1494. 3. *Speculum Naturale*, ubi in rerum naturam inquirit. 4 *Speculum Morale*, ubi de Virtutibus, Vitiisque agit. Idem scripsit *de Gratia Dei, de Institutione puerorum Regalium, &c.* Henr. Gandav. *in Catal. cap.* 42. Voss. Gesn. Moreri. *in Dict. Hist.*

Vincentius Ferrerius, Dominicanus, Valentiâ Hispanus. Saracenorum & Judæorum conversioni intentus, interfuit quoque Concilio Constantiensi, An. 1418. Obiit anno pòst, in Armorica. A Calixto III inter SS. relatus. Scripsit *de Vita Spirituali, de fine Mundi, Epistolas, &c.* Trithem. & Bellarmin. *de Script. Eccles.* S. Antonin. Sixtus Sen. Antonius Senensis, &c.

Vincentius Lirinensis, floruit sec. 5. Hic cùm Prætorio præfectus esset, in hoc postea monasterium concessit. Scripsit libellum insignem, contra Hæreticos, sub tit. *Peregrini*. Obiit sub Theodosio & Valentiniano, An. 450. Vide Moreri. *Diction. Hist.*

Vincentius de Paula, Auctor & primus Generalis Congregationis in Communione Rom. quæ Missionis dicitur, instituta, An. C. 1626, ut & Puellarum charitatis Obiit An. 1660. ætat. 85. Idem.

Vincentius Victor, Afer, Donatista, Orthodoxum mentitus, An. Chr. 415. postmodum novum errorem, de origine Animarum, commentus est, illas ex ipsa Dei substantia decerpi statuens: libb. duobus hac de re editis, quos Augustinus refutavit, *libr. de Anima ad vers. Vincentium*.

Vinciacum, locus in tractu Cameracensi, Caroli Martelli de Chilperico Reg. ac Ragenfredo Præfecto Palatii victoriâ An. Chr. 717. relatâ nobilis. Hodie viculus *la Cense de Vinci* dictus, ad Cameracense Monaster. S. Autberti pertinens, prope opp. Crepacordium *Crevecœur*, Aubertus Miræus.

Vincium, Ital. *Venza*, urbec. Provinciæ Episcop. sub Archiepisc. Ebrodunensi, vix 1. leuc. ab Antipoli in Bor. quot à Varo fluv. in Occ. Grassam versus 3. *Vence* Gall.

Vincius Rufinus, Eques Romanus, sub Nerone falsi damnatus. Tacit. *Histor.* 14. 40. Quia Exemplar MS. *Vincius* Rhenanus legit *Vinicianus*.

Vinda, meliùs *Venda*, vide ibi. Item, urbs Curlandiæ, cum portu ad ostia Wetæ fluv. in mare Baltic. 25. leuc. Polon. à Memelio in Bor. 30. à Riga in Occ. *Vindavv*, Polonis *Kieß*.

Vindana, alias *Vidana*, fluv. Britanniæ min. Rhedones alluit, dein in Oceanum Aquit. se exonerat inter ostia Ligeris ad Ort. & Venetias ad Occ. Vulgò *Vilaine*.

Vindana, portus Galliæ, & vicus cum Abbatia, vulgò *Landevenec*, proximus portui Brivatensi *Brest*.

Vindasca, vel *Vindausca*, urbs Episcop. Gall. Narbon. caput olim Mimenorum, nunc castrum Provinciæ, in Comit. Vindascino, (*Venaissin*) ad amnem *la Nasque*, in monte positum, 3. leuc. à Carpentoracte, cujus finibus diœcesique inclusum, in Ort. Aptam Juliam versus. *Venasque* vulgò, aliàs *Venaisse*. Græcis Massiliensibus *Aëria* quoque à situ dictum, sedes olim aliquamdiu Episcoporum Carpentoratensium, jam inde a Concilio Epaonensi notorum. Unde Tetradius, qui Concilio 4. Parisino An. Chr. 573. regni Chlotarii filiorum 12. habito; & Licerius, qui post annos circiter 70. Synodo Cabillonensi à Chlodoveo convocatæ, interfuere, Episcopi ambo Carpentoratenses, *Vindauscenses* tamen dicuntur, quòd Chlotarii majoris filiis nepotibusque regnantibus Vindauscæ hi Præsules commorari consuevissent. Est hic Comit. inter Delphinatum ad Bor. Druentiam ad Mer. & Rhodanum ad Occ. à Joanna Regina Neapol. Pontifici concessus, cui cum Avenione, hodieque paret. Ejus caput fuit aliàs Vindasca, nunc Carpentoracte, *Carpentras*. Sunt & ibi Vasio *Vaison*, & Cabellio *Cavaillon*. Baudr. Item Insula *Lisle*, Interaquas *Entragues*, Cadetossa *Caderousse*, Petra lata *Pierre late*, aliaque oppida & castella. Fuerat hic Comitatus jam olim à Gregorio IX. post acte in Albigenses, quorum ingens ibi numerus, bellum, Raimundo Comiti Tolosano, ereptus, nec Blancæ Reginæ Ludovici IX. matris, hujusque ipsius, nec Friderici I. Imp. & Siciliæ Regis, pro Raimundo rogantium preces, quidquam valuere. Cum dein ipse Raimundus sua repetere ac per literas nuntiosque instare pergeret, novâ technâ, sicut antea Imperator ac Francorum Rex, elusus est. Finxit enim Pontifex, *multos* (quorum tamen neminem nominabat) *in terram Venaissensem jus habere sibi dicere*: Imo jam Urbanus II. circa An. Chr. 1096. inter Ecclesiæ Roman. beneficia vel feuda Marchiam Provinciæ, aut saltem partem ejus, Comit. nimirum *Vindauscensem* numerabat: quod inde factum, quia Urbanus tum ab Henrico Imper. impugnatus, hunc vicissim excommunicaverat, vindicans sibi, quidquid Imperatoris erat: verba sunt Hadrian. Valesii *Notit. Gall.* In finibus quoque Pedemontii duo loca sunt *Venasque & Benasco*, & *Venasca* Aragoniæ urbs, Idem.

Vindedrvii, opp. Laginiæ, *Tredagh*, vel *Drogheda*, inter Dondalchum & Dublinium.

Vindelici, pop. Rhætis vicini, inter Alpinas gentes, Plin. *lib.* 30. *cap.* 20. teg. eorum *Vindelicia*, cujus nomen adhuc durat in tractu qui *Lintzgovv*, teste Tschudo, nominatur. Cæterùm reg. hæc vulgò *Bayern*, & Italis *Baviera* dici potest, teste Aventino. Nomen habet à *Vindone*, & *Lico* fluv. Horum mem. Horat.

Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem & Vindelici.

Claudian. *de Vict. Stilic.*

Vindelicos saltus & Norica rura tenebant.

Vindelicia, regio, ubi *Vindelici* pop. Baudrando terminatur à Septentr. Danubio, ab Oriente Œno, ab Occ. Brigant. lacu, à Mer. Rhætia. Aliàs fuit pars Illyrici, nunc verò Germ. ubi Bavaria & pars Austr. Sueviæ.

Vindelis, Anton. *Portland* Camdeno, insula Durotrigum olim, maris Britannici, inter Albionem (cui propior est) & Galliam à Vecti insula 10. leuc. in Occid. Nunc peninf. parva Angliæ Merid. in Dorsetia prov. Extensa per 9. mill. pass. à Sept. in Merid. prope Vimatium portum, 6. m. p. à Dorcestria.

Vindemiator, sidus quod tertio Nonas Martii apparet. Plin. *lib.* 18. *cap.* 31. *Cæsari & Assyria stella, quæ Vindemiator appellatur* xi. *Cal. Sept. mane exoriri incipit, vindemiæ maturitatem promittens.* Dicitur & *Vindemitor*. Ovidius *Fastor.* 3.

Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes,
Mergetur, visus effugietque tuos.
At non effugiet Vindemitor.

Vinderius, fluv. Hiberniæ in orâ Orientali, inter Isamnium & Rhobogdium promont. *The Baye of Knocfergus* Camdeno.

Vindesorium, opp. Albionis in Angliâ ad Tamesim fluv. à Londinio 20. m. p. in Occ. ubi aureæ periscelidis Equites inaugurari solent, vulgò *Windesore*.

Vindili, seu *Vandali*, pop. incolebant eam partem German. quæ inter sinum Codanum, Vistulam, Albimque & Chalusum. Sub his erant Angli, Varini, Caviones, Duringi, Eudoses, Nuithones, Vardones, Rugii, Heruli seu Lemovii, Carini, Guttones, Sidini, Langobardi & Burgundiones, Cluver. Brietio, Sansone, testibus, Vide supra in *Vandali*, & infra in *Wandali*.

Vindinum, *Vindocinum* Fortun. urbs Gall. Celt. non obscura, & Ducatus in Belsia reg. à Carnutibus 24. leuc. in Occ. Turones versus. Vulgò *Vendosme*. Vide *Vindocinum*.

Vindius, Edulius, Egdubeda, Ortospeda, Hispan. Tarrac. insignes montes sunt Ptolem. *lib.2. cap.6.* Baudrando *Vindius* vulgò *Monte de las Asturias.* Inter Asturias ad Bor. & regn. Legionis ad Mer.

Vindo, Ortel. *Wertach*, fluv. Vindeliciæ unà cum Lico Augustam Vindel. alluens. Fortun.

Vindobala, vide *Vindomora.*

Vindobona, eadem quæ *Vienna*, vide ibi: urbs permunita ad Danubium.

Vindocinum, urbs Belgiæ, in Carnutum finibus ad Lædum, vel Lidericum fluv. de quo Guillelmus Britto *Philipp. lib.3.*

Castrum forte nimis, populosâ gente repletum:
Quod Lidericus aquâ subterfluit amnis amœnâ,
Cui tamen haud quidquam prodest munitio ducta,
Circuitu triplici, nec tanta copia gentis.

Cum tit. Duc. *Vendosme* vulgò. Caput tractus *Vindocinensis*, vulgò *le Vendosmois*, qui versus Lædum fluv. inter Perticum agrum est ad Bor. Blesensem ad Ort. Turoniam prov. ad Merid. & Cenomanensem ad Occid.

Vindogladia, *Wimburn*, Camdeno, opp. Angliæ inter Sorviodunum 12. & Durnovariam 9. m. p. Anton. Comitatus Dorsetensis, à Dorcestria 16. m. p.

Vindoilssus, pagus Galliæ, in Capitulis Silvacensibus Caroli Calvi, An. Ch. 853. editis, memoratus, Bellovacensi proximus, nomen à *Vindoilo* accepit: quod vulgò *Vendeuil*, aut *Vendeul*, prope Britolium, ubi Abbatia illustris est, & à capite pagi Bellovacensis Cæsaromago non amplius 6. leuc. distat. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vindolana, opp. Albionis in Angliâ ad Vallum, in Northumbriâ, *Winchester in the Wall*, vel *Old Winchester*, teste Camdeno. Ad differ. opp. *Winchester*, Lat. *Venta*, ac *Vintonia*. Vide ibi.

Vindomagus, urbs Galliæ Narbon. Ptol. *S. Tibere* Poldo, Valesio. Volcarum Arecomicorum olim urbs mediterranea, nunc Uecia est, ad rivum, qui in Vardonem influit & Aissena *Ayssene* dicitur, vix 2. mill. pass. ab utriusque confluentibus. In vett. Not. in provincia Narbonensi prima, nunc ultimo, nunc penultimo: à Roberto *in Chron.* 8. loco ponitur. Ejus Episcop. Probatius Concilio Agathensi, & Firminus Aurelianensi 4. subscripsere. Caput est pagi Uecetiensis, vulgò *Uzegnois.* Ipsa *Uzes* incolis, aut *Usez.* Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Vindomana, vide *Ala Flaviana.*

Vindomarus, Gallorum Rex, An. U. C. 288.

Vindomora, opp. Albionis in Angliâ Bor. inter Vallum 29. & Cataractonum 40. mill. in Northumbriâ. *Wallsend* Camdeno. Oppidum fuit Ottadinorum, Baudrand. nunc viculus 3. mill. à Novo Castro in Occident. in Northumbria, in ipso limite Diœces. Dunelmensis.

Vindomus, meliùs *Vindonus*, aut *Vindonum*, oppid. Belgarum, in Angliâ Mer. inter Calevam 15. & Ventam Belgarum in Occ. 21. mill. p. Nunc oppidul. est Hantoniæ, in ipso limite Bercheriæ, 6. m. p. à Readingo opp. & à Tamesi in Mer. Britannis *Caersegont* dictum, id est, Segontiacorum civitas. *Silcester* Camdeno.

Vindonissa, primò omnium Tacito *Hist. lib.* 4. memorata, qui legionem 21. ibi castra habuisse tradit: *in itin.* Antonini inter Vitodurum & Augustam Rauricam: *in tab.* Peuting. inter Augustam Raur. Arborem felicem & Brigantium ponitur. Eumenio *in Panegyr. Constant.* dicitur *Vindo*, cùm semel atque iterum Vindonis campos hostium strage completos commemorat: urbs olim, Gall. Lugdun. nunc pagus Helvetiorum, à Constantiâ 6. leuc. in Ort. proximus Badæ, inter Tigurum & Basileam. *Windisch* Rhenano. In Ambronico olim pago, ad Arolam fluvium, ubi Russam recipit. Baudr. seu, ut Plantinus habet, ad amnem Ursam, ubi Arolam ingreditur, in agro Bernensi. Fuit olim adeo ampla, ut omnia vicina loca, ubi hodie oppid. *Bruck*, castrum *Altenburg*, Abbatia *Konigsfelden, &c.* ambitu suo complexa fuerit: quod rudera longè lateq; sub terra dispersa, numismata, muri, collapsi fornices, pavimenta, &c. testantur, Stumpf. *Chron. lib.7.* Jam Cæsaris tempore fuisse, ac post incendium ejus reparatam credibile est: postea varias experta vices, tandem ab Alemannis, ut habet Valesius, circa An. Ch. 600. vel ab Attila Rheni hoste, uti Sidonio dicitur, ita funditus eversa est, ut vix viculus paucarum ædium, cum suburbio *Bruck*, supersit. Ibi à dominis loci castrum olim, vulgò *Altenburg*, extructum est, à quo *Altenburgenses* & *Vindonissæ* dominos se vocavere. Cœterum insignis quoque hic locus victoriâ Constantii contra Alemannos fuit, circa An. Chr. 296. de qua vide Panegyristen supra laudatum, Eutropium & Sigonium *de Imper. Occid.* Antiquitatis hic monumenta, Mercurii imago, lampas effossa, inscriptiones, nummi varii, hodieque visuntur, de quibus accuratè scripserunt Joh. Bapt. Plantinus *Helvet. Nov. Antiquâ*, & Russingerus Basiliensis *in Vindonissa illustrata.* Fuit olim urbs sedes Episcopatus, unde Bubulcus Epaonensi & Grammatius Episcop. ejus Avernensi, Aurelianensi 4. & 5. interfuisse leguntur: postea, illa eversâ, ut dictum, Episcopatus Constantiam German. alterius provinciæ urbem Mogontiaco subjectam translatus est. Est & *Vindonissa* villa, in pago Remensi, vulgò *Vendeuvesse.* Item vicus pagi Laudunensis. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Vindorum Marchia, *Windisch Marck*, pars CarnioIæ; proin *Carniola media* quibusdam. Inter Croatiam est ad Ort. & Lugeam paludem ad Occid. sub Austriacis. Ejus urbes præc. Metulum & Rudolphiverda.

Vinemacus, pagus, priscis memoratus, aliàs *Viman*, seu *Vimmau*, & *Vimnau*, inter Auciam & Suminam fluv. jacet: à fluv. *Vimina*, quem Auciam esse & Bresllam hodie dici, ait Valesius, nomen nactus: nunc *le Vimeu.* In hac Balliolum *Bailleul en Vimeu*, villa Andelagina *Ausene*, villa Augusta ad mare, hodie *Aut, &c.* collocantur ab Auctore vitæ S. Lupi Episcop. Senonici: Pipinus Rex Marcam, Avisnas, Vidriacum, Arcas in illo ponit, in literis datis anno regni sui primo. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Vineta, urbs Pomeraniæ, in Rugia, (vel Usedomia potius) Ins. excisa unà cum Arcona, Carento & Julino, urbibus extinctis, pro quibus hodie Sundis & Volinum.

Vingenna, vel *Vigenna*, nobilis Gall. in Aquitania fluv. qui se in Ligerim exonerat, Ferrar. Hodie *Vienne*, accolis fontis ejus, Lemovicibus *la Vignane.* Alluit Ratiastum Lemovicum opp. S. Juniani, Confluentes, Insulam Jordanis, Luciacum, Calviniacum, Castellum Heraldi in Pictonibus, Insulam Burchardi, Camonem Turonum, & apud Condate *Cande*, in Ligerim decurrit. Recipit amnes non ignotos Clennum *Clain*, Devæ *Dive*, Vonnæ & Medioximi *Miossan*, aquas deferentem; & Crosam minore Crosâ *petite Creuse*, & Vartimpâ *Gartempe* auctum. Est & in Burgundia *Vincenna* fluvius, qui in Ararim devolvitur, vulgò *Vingenne.* Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Vinisama, quæ & *Vinshemia*, urbs Franconiæ, inter Norimbergam ad Occid. & Megethum, ad 7. leucas Spiram versus. Vulgò *Winsheim.*

Vinius, prænomine *Titus*, cum Galbâ Consul, in conjuratione Othonianâ, unà cum Galbâ, ante Julii Cæsaris ædem, à *Julio* Caro legionario milite interfectus. Tacit. *Hist.* 1. 42. & 48.

Vinius, fluv. Samnii apud Casinum decurrens, atque in Lirim influens, Varro. *Fiume di S. Germano*, teste Sanfelicio.

Vinnicza, urbs munita Podoliæ inferioris, ad Bugem fluv. 12. leucis Polonicis, à Baro in Ort. 10. supra Braslloviam in Boream, caput territorii vicini. Capta fuit à Cosacis Anno 1650. *Winnicza* vulgò.

Vinovium, Ptolem. *Binovium*, opp. Brigantum in Angliâ Bor. inter Valium & Cataractonum 22. m.p. Anton. Camdeno est *Binchester*, opp. seu pagus agri Dunelmensis, qui alio nomine *Vicovia* nominatur, ad Vedram fluv. 6. mill. Anglicis, supra Dunelmum in Merid.

Vinsa, opp. Ducat. Luneburgici, ad Albim, ubi recipit Ilmenaviam, 2. mill. German. infra Luneburgum in Cæc. Hamburgum versus 4. Vulgò *Winsen.*

Vinsberga, opp. Bavariæ, ubi Velphus, frater Henrici Saxoniæ & Bavariæ Ducis, imperium sibi vindicantis, à Conrado III. Imp. victus ac occisus est: Civibus oppidi, cùm eorum uxores, quibus pretiosissimas res efferre permiserat, *maritos humeris exportare* vidisset, pepercit Imperator. An. Chr. 1140. Naucler. *in Chron.*

Vinschota, vulgò *Winschoten*, oppidul Groningæ provinc. prope Sinum Dullartum, in limite Transisalaniæ, 5. mill. Germ. à Groninga in Ort. Hic Hispani à Ludovico Nassovio victi sunt, seculo præt. Vide Thuan. *Hist. lib.* 43. 46.

Vinstringa, opp. Lotharingiæ, ad Saravum fluv. 7. leuc. à Marsalio in Ort. uti à Bipontio in Mer. Male habitum, pluriesque vastatum, ultimo bello Germ. *Vinstringen* Germ. *Finestrange* Gall.

Vintimilium, Varro, urbs Liguriæ in orâ, sub Genuensi Republ. inter Albingaunum ad Ort. 40. à Nicæam & Occid. 17. mill. pass. Vide *Albintemelium.*

Vintium Nerusiorum, memoratum, Plin. *lib.3. c.19.* inter gentes Alpinas, à mari supero ad inferum pertinentes, vulgò *Venza*, urbs Liguriæ in Alpibus maritimis Episc. sub Archiepisc. *Ebredunensi*, in vett. Not. inter octo hujus prov. civitates ultimo loco numerata, hodie in Provincia est, à Nicæâ 4. leuc. in Bor. Ejus majus templum, Mariæ Virg. sacrum, Episcopi sedes est. Interfuere autem ejus Episcop. Deuterius Conciliis Aurelian. 4. & 5. & Aurelianus Concilio Cabillonensi, à Chlodoveo jun. Francorum & Burgundionum Rege convocato. Mummolus Episcopus Lerinensis Monasterii prædo, *Vintia* civ. princeps dicitur ab Aldrevaldo *in vita Aigulfi*, eo sensu, quo malos Episcopos, potentiâ & auctoritate suâ abuti solitos, tum vocari solere, annotavit Valesius. Caput est Comitat. cognom. in quo Monasterium S. Verani ad Lupum fluv. item castrum Aurilucum à vett. memorantur. Decurrit autem Lupus *le Loux*, cis Varum in mare. *Vintio* proximum, eidemq; amniculo appositum est oppid. St. Pauli *S. Paol*, & à vicinia capitis quoque *S. Paul de Vence.* Amniculus hic, per opp. S. Pauli & Villam Novam in mare Ligusticum effluit, Hadrian. Valesius *Notit. Gall.* Vide *Vensiensis urbs.*

Vintonia, urbs Hantoniæ, aliàs *Venta Belgarum* Episc. sub Archiepiscopo Cantuariensi, ad amnem *Ichting*, 14. mill. ab ora maris Britann. in Bor. 16. à Sarisburia in Ort. vulgò *Vinchester.* Ex Collegio *Vintoniensi*, ab Eadgaro Rege, impulso à Dunstano Archiepisc. Cantuar. Presbyteri conjugati exturbati sunt, An. Chr. 960. postquam præfatus Dunstanus Synodum ibi coëgit, Cœlibatum introducturus: quâ durante, audita vox. *Non bene sentiunt, qui Presbyteris favent*, (puta uxoratis;) hinc contra illos statim conclusum, quo-

quoniam vox imagini Christi, quæ ibidem prostabat, tributa: Sed Polydorus addit, *Non defuerunt, qui id Oraculum Phœbi magis, quàm Dei fuisse, hoc est, hominum fraude, non Dei nutu editum, dicerent*, *lib.*6. Vide quoque in voce *Dunstanus*.

Vintshemum, vulgo *Wintsheim*, urbs parva Franconiæ, Imperialis & libera, in dit. Bambergensi, ad amnem *Aisch*, 7. leuc. ab Herbipoli in Eur, Vide *Vinisuma*.

Vinucius Quartinus, prænomine *Marcus*, cum L. Cassio Longino Consul A. U. 783. Callibus ortus, equestri familiâ, mitis ingenio & comptæ facundiæ: cui Tiberius Juliam Germanico genitam collocavit. Produxit vitam, ad Claudium & à Messalinâ, quia pudorem servavit, interfectus est. Pater ejus *Publius* Consul anno Urbis 755. Avus Marcus an. 735.

Vinuli, sic Langobardi dicti, antequam in Italiam irrumperent: Paul. Diac.

Vinundria, Ptol. *Windischgratz* Lazio, Vide *Vendum*; etiam *Vindomanam* sic dici idem scribit.

Violascensis pagus, qui *Martialis* ætate citeriore vocatus est. Sidon. *lib.*2. *ep.* Ubi *Violvascensis* legit Jo. Savato, quem vide *p.* 169. *edit. Paris.* 1599.

Vipitenum, opp. Rhætiæ, nunc pag, in Com, Tirolensi, inter Oenipontem & Brixinum, *Stertzingen* Simlero. Aliis est *Lug*, pag. inter Oenipontem & Stertzingum 3. leuc, Sansoni est *Sterzingen*; ad radices Alpium Tridentinarum & montis *der groß Verner* dicti, prope fontes Eysoci flu, 7. leuc. à Boceno in Bor.

Vipsania, M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii adhuc privati uxor fuerat; Sed dimissa postea, Asinio Gallo, Pollionis filio, nupta. Ex illa Tiberio Drusus natus. Obiit una omnium Agrippæ liberorum miti obitu, cùm Drusus filius urbe egressus esset, repetendis auspiciis, & mox ovans de Germanis introiisset.

Vipsanius Apronianus, Vide *Apronianus*.

Vipsanius, prænomine *Cajus*, cum Fontejo Capitone Consul, an. U. C, 811. quo Nero matrem interfecit. Fulvius Ursinus ex fragmentis Inscr. Fratrum Arvalium scribendum censet *Vipstanus*.

Vipsanius Lenas, Q. Volusio, P. Scipione Coss. damnatus, ob Sardiniam prov. avare habitam, Tac. 13. 29.

Vipsanius Messala, clatis Majoribus, in legione septima Claudiana, exercitus Mœsici Tribunus; qui solus ad bellum contra Vitellium bonas artes attulit. Tacit. *Hist.* 2.6. & *lib.* 3. Scripsit historiam, Plin, *lib.*1. *ep.* 5. & 2. 10. & 4. 6.

Vira, fluv. Normanniæ notissimus, vulgò *Vire*. Hic opp. *Viram*, non procul à suo capite, Taxam *Texe*, Condate ad Viram cognominatum, ad Viræ & rivuli cujusdam confluentem positum, & castrum S. Laudini *S. Lo* prærerlapsus, in Oceanum effluit. Ad ostium ejus Magnum Vadum *le Grand Vé*, non procul à Carentono, situm est. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Virbius, idem qui & *Hippolytus*, Thesei & Hippolytæ Amazonis fil. qui cum à Phædrâ novercâ per calumniam apud patrem delatus esset, quòd ipsi stuprum inferre voluisset, patris iram veritus, conscenso curru fugam arripuit: eumque juxta maris litus pervenisset, incusso à Neptuno pavore, equi consternati implicatum habenis Hippolytum dilaniarunt. Cujus vicem miserata Diana, Æsculapii ope ad vitam eum revocavit, & in Aricino nemore collocatum, pro *Hippolyto*, *Virbium* appellavit, qu. *bis virum*. Ovid. *Met.* 15

Tum mihi, ne præsens augerem muneris hujus
Invidiam, densas objecit Cynthia nubes;
Utq; forem tutus, possemq; impune videri,
Addidit ætatem, nec cognoscenda reliquit
Ora mihi, Cretamq; diu dubitavit habendam
Traderet, an Delon; Delo, Cretaq; relictis
Hic posuit, nomenq; simul, quod possit equorum
Admonuisse, jubet deponere, quiq; fuisti
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius esto.

Hinc *Virbii* clivus, locus Latii Româ 5. m. p. Ariciam versùs.

Virbius, fluv. Laconicæ, ubi Æsculapius Hippolytum curavit. Vib. Seq.

Vircao, Hispan. Bæt. opp. inter Cordubam 48. & Iliturgim 34. m. p. Anton.

Virdius Geminus, spectatæ militiæ vexillariorum, è legionibus, Dux, per quem Anicetum in potestatem redegit Vespasianus, Tac. *Histor.* 3. 48.

Virena, Vitruv. *Francolise* Bapt. Portæ, locus Campaniæ apud Teanum urb. & montem Gallicanum, à Teano m. p. ubi fontes acidi.

Virga. Investitura fit, vel propriè tradendo terram ipsam, seu feudum: vel impropriè, tradendo terræ vel feudi nomine, vexillum, hastam, sagittam, Vide Ingulphum p. 901. Ex hastæ traditione nata est consuetudo, per festucam, vel *virgam*, conferendi feuda: cùm enim veteres Germani ne convenire quidem, nisi armati, soliti sint, teste Tacito; omnia per armorum ministerium exigebant: desiderataque in tradendis feudis nonnunquam hastâ, posteri, quæ præstò esset, *virgâ*, festucâ, sive baculo, ejus vice usi sunt. Regna per gladium, provincias per vexillum à Principe tradi refert Otto *de gestis Frider.* 1. *lib.*2. *cap.*5. Adrianus verò IV. Papa, Hibernici Regni investituram annulo tradidit Johanni filio Henrici II. Richardus I. tam ensem, quàm vexillum de Duc. Normanniæ, accepit ab Arch. Rotomagensi. Zeno Imper. Italiam Theodorico Gothorum R. sacri velaminis dono confirmavit, Ricobaldus Ferr. *de Theodorico*. Capillis abscissis nonnulli usi, scriptura antiquus mos Ducatus conferendi erat, &c. Nota Romanorum Virga prætoria, quam *Vindictam* appellabant, quâ libertatem contulere: Persius *Sat.*5. Meursius *pag* 29.

Vindictâ postquam meus à Prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcunq; voluntas.

Viretus Petrus, Orbâ Helvetius, Parisiis literis incubuit, ubi familiaritate cum Farello contractâ, Genevæ postea inter primos Evangelii præcones eminuit, An. 1535. Lausannâ, ubi Ministerio sacro defungebatur, eò vocatus. Dein, Lugdunensium precibus invitatus, ibidem puriorem doctrinam per quinquennium docuit, Reginæ tandem Navarrenæ, matri Henrici M. à sacris concionibus, Obiit Pali, in Bearnia, An. 1571. æt. 60. Ejus eloquentia inprimis clara, quemadmodum eruditio Calvini, & vis vorticordia Farelli elogium meruere Bezæ, *in epigramm* Scripsit varia Latine & Gallicè. Melch. Adami, *in vita Theol. exter.*

Virgao, Plin. *Roda* Joh. Marianæ, opp. Hisp. Bæt. apud oram Oceani Gaditani, in Vandalitia, inter fanum Luciferi 4. leuc. & Menesthei port. 2. leuc. à Cæpione 3.

Virgejum castrum, vulgò *Vergy*, in Burgundiæ ducatu, diœcesique Æduensi seu Augustodunensi: Guillelmo Brittoni *Vergiacum* dicitur, munitissimum olim. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Virgi, seu *Urce*, urbs Hisp. Tar. Episc. in orâ Bastetanorum litorali, in confin. regni Murciensis, & Granatensis. *Vera* vel *Berâ* Clusio. Baudrando fuit opp. Bastetanorum, nunc regni Granatæ, in ora maris Medit. & Sinus Virgitani, in limite regni Murciæ, 11. leue. à Carthagine nova in Occ. 8. à Charidemo prom. in Bor. 10. ab Almeria in Ort. Inde *sinus Virgitanus*, *Golfo di Cartajena*.

P. Virgilius Maro, Mantuanus, poetarum Latinorum facilè princeps. Nomen ejus quod attinet, Calvus, vetus poeta:

Et vates cui virga dedit memorabile nomen.

Aldus verò Manutius negat hoc proprium poetæ nomen fuisse: sed ortum ait ex *Virgilia* familia; omnesque majores ejus *Virgilios* fuisse. Βιργίλιος Græcè scribitur apud Stephan. in *Μάντυα*. Alii à *virginali* facie, vel modestiâ; unde & *Parthenias* dicebatur. Natus patre figulo, in agro Mantuano, An. 684. U. C.177. Olymp. Romam ut pervenit, Augusto, Mœcenati & Pollioni innotuit: Princeps Poëtarum Lat meritò dictus. Composuit Eclogas, ad Theocriti; Georgica, ad Hesiodi, & Æneidem, ad Homeri imitationem. Duo priora opera, in Mæcenatis & Pollionis, posterius in Augusti honorem: in quo 11. annos desudavit, in prosâ prius illo delineato. Huic Poëmati ut ultimam manum imponeret, monitus ab Augusto, ostendit ipsi *lib.*2. 4. & 6. utpote reliquis exactius elaboratos; In quibus, ubi mortem Marcelli recitavit, interpellatus est Augusti & Octaviæ lachrymis suspiriisque. Obiit Brundusii, An. 733. U. C. occursurus Augusto, ex Oriente reduci. Cadaver ejus Neapoli conditum, cum Epigraphe:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura duces.

Moriturus jussit Æneida comburi, sed Augustus illam conservatam, Tuccæ & Vario corrigendam tradidit, qui tamen, solùm quod abundabat dementes, nihil addere ausi sunt. Vid. Pier. *in* 4. *Georg.* Nomen cum *E.* scribunt Cælius Rhod. *lib.* 7. *cap.* 4. *Polit.* *lib.*5. *ep.* & *Miscell. cap.* 77. Elogia Virgilii pete ex Lud. de la Cerdâ, Scaligero, Vossio &c. de quo nos alibi plura, Lloydius.

Virgilius, Romanus, Comicus Poëta, sub Trajano, impensè commendatus à Plinio *lib.* 6. *Epistol. ad Canin.* Item Historicus, Vide *Polydorus Virgilius*.

Virginensis Dea existimata, quæ adhibebatur in nuptiis à Rom. ut quæ virgini Zonam solveret; ut Græcis Lysizona Diana: inter alia conjugalium Deorum simulacra, etiam hujus quoque ferebatur in conclave novæ nuptæ. Vide Augustin. *de Civit. Dei lib.*4. & *lib.*6. *cap.*9.

Virginia, L. Virginii Centurionis filia, quam stupro destinatam ab Appio Decemviro pater in medio foro occidere maluit, quàm pati, ut in fœdam servitutem abduceretur. Qui mox ascitis militibus Decemvirorum superbam dominationem oppressit, potest libertatem receptam anno 76. Liv. Juvenal. *Sat.*10.

—— *Cuperet Rutila Virginia gibbum*
Accipere atq; suam Rutilæ dare.

Virginia, Gallis *la Virginie*, regio Americæ Septentr. à Richardo Grenvilio Anglo detecta, An. 1585, sicque dicta, in honorem Elisabethæ Angl. Reg. Pars est novæ Franciæ latè sumptæ, sub Anglis tamen, quibus plures ibi coloniæ, huc privilegiis amplissimis concessis perductæ, sub Jacobo M. Britann. Rege, An. Chr. 1607. Thuan. *Hist. lib.*138. Extenditur ad 150. leue. à Sept. in Merid. seu à Novo Belgio ad Floridam, versus oram littoralem maris Boreal. Ejus præc. opp. Jacobipolis, *Jamestovvne*, ad Ponhatanum fluv. Virginiæ latè sumptæ. Ejus partes sunt etiam nova Suecia, juxta fluv. Austrinum, sub Suecis. & novum Belgium, *le nouveau Païsbas*, aliàs sub Belgis, nunc sub Anglis, ex quo tota prov. occupata fuit ab illis, quibus & pace Bredana An. 1667. remansit. Ejus coloniæ præc. Amsterodamum novum seu Manhatum, & arx Arau-

ficana. Incolæ idololatræ plerumque, edones ingentes, sub Wevoanis, dominis suis.

Virginius, Vide Opiter.

Virgitanus Sinus, Mel. à Virgi; *Golfo di Cartajena*, inter Scombrariam prom. apud Carthaginem & Charidenium prom. Bæticæ.

Virgium, & *Voragium* Latinis dicitur Liguriæ opp. quod vulgò *Voraigne* vocari, auctores sunt Blond. & Leander.

Viria, seu *Wirlandia*, vulgò *Wirland*, prov. Estoniæ, inter Alentachiam ad Ort. & Harriam ad Occ. in ora Sinus Finnici, ubi aliquot tantum oppida.

Viria, urbs Normanniæ infer. *Vire* vulgò: ad fluv. cognom. satis culta & lepida, 12. leuc. à Cadomo in Afric. paulo minus à Constantia in Ort. uti ab ora maris Brit.

Viria, vulgò *Vire*, fluv. Normanniæ. Oritur paulo supra Viriam urb. dein prope Fanum S. Laudi labitur, & auctus aliquot rivis, in mare Brit. & in magnum Vadum se exonerat, prope Isiniacum, 7. leuc. à Bajocis in Occ.

Viriatus, vel *Viriathus*, Lusitanus, primùm in Hisp. è pastore venator, è venatore latro, mox justi exercitus dux factus, universam Lusitaniam occupavit. M. Ventidium Prætorem, fuso ejus exercitu, cepit. Pòst Cn. Plancius prætor nihilo felicius rem cum eo gessit; tantumque terrorem hostibus is intulit, ut adversus eum consulari opus esset duce & exercitu. Denique verò à proditoribus, consilio Cepionis, interemptus est, & ab exercitu multum deploratus, tumulatusque nobilissimè. Authores Livius & Florus.

Viriballum, Corsicæ op. Ptol. in ora Occ. *Capo d'Aiazzo* Leandro. Nunc *Capo Rosso*, seu *Capo di Calvi* Brietio. In parte Austral. Sinus Calvensis; vix 6. mill. à Calvio in Africum, 35. ab Adjacio in Bor. Baudr.

Viride Folium, castrum Galliæ, in agro Tolosano, vulgò *Verfeil*: à solo pingui ac humido dictum. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Viride Podium, castrum Galliæ, à Comite Montfortio captum: *Puechuert* vulgò, in monte herboso, non longe ab Slecta. Ejus meminit Petrus *de bello Albig. cap.* 42.

Viridomarus Æduus, adolescens summæ domi potentiæ, quem Cæsar, ex humili loco, ad summam dignitatem perduxerat; & cum Eporedorige de Principatu contendebat. Cæs. *Comment. lib.*7. *cap.*39. Postremo Galliæ motu unus e quatuor ducibus ad versus Cæsarem *Ibid. cap.*76.

Viridovix, præerat Unellis ac summam imperii tenebat earum omnium civitatum, quæ defecerant. Cæs. *Comment. lib.*3. *cap.*17. Qui Cæsari *Unelli* & *Viridovix* Dioni Venefii & Idovix appellantur, haut dubiè mendose. In aliis libris, quos inspexit Fulvius Ursinus, habetur *Vridovix*.

Viridunum castrum Galliæ, in diœc. Cabillonensi, vulgò *Verdun sur Saône*: ad Ararim fl. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Viriplaca dea, culta à Romanis, quæ nomen à placandis viris assecuta ferrur: Nam ut Valer. Maximus scribit, quoties inter virum & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum *deæ Viriplacæ*, quod in Palatio fuit, veniebant, qui ibi invicem loquuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita, concordes revertebantur. Meminit sacelli hujus P. Victor regione quintâ Urbis, & in eadem Onuphrius Panvinius.

Virisiacum, nunc *Verzy*, vicus Galliæ, Frodoardo memoratus *Hist. Rem. lib.*2. *cap.*3. distat ab urbe Remis 10. mill. pass. In hoc silvis & fontibus amœno, extruxit Monasterium S. Basolus, quod postea Nivardus Remorum Episcop. reparavit. In planitie sed er ad maximam silvam, nemus nempe Rigerium. In tab. tamen Campaniæ Remensis, Monasterium & locus S. Basoli *S. Basle* in monte prope Virisiacum ponitur, & ab illo distinguitur. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* & Moser. *Dict. Hist.*

Viritium, urbs Sidenorum, in Germ. nunc *Piritz*, Cluver. oppidul. Pomeraniæ ulter. in Duc. tamen Stetinensi, sub Suecis. Ad Oderam fluv. 5. mill. Germ. à Stetino in Mer. in confinio Marchiæ Brandeb.

Virnenburgius Comit. in Palatinatu, sub Comite proprio ex familia Comitum Leonsteniorum. Hunc nactus est Christophorus Ludovicus, fil. Ludovici Comitis Werthemii. Qui mortuus An. Ch. 1622. reliquit successorem Frider. Ludovicum, cui plures filii. V. Phil. Jac. Spenerum, *in Appendice familiæ Palatinæ*.

Viroconium, opp. Cornaviorum, in Anglia, in Com. Salopiensi. *Wrokcetor* Camdeno. Alii *Vigorniam* esse volunt, vulgò *Worcester*. Nunc viculus *Wrokcetor*, ad Sabrinam fluv. paulo supra Salopiam, urb. Baudr.

Virodunum, opp. Sequanorum, vulgò *Verdun*. Vide *Verodunum*. Item opp. Burgundiæ Duc. *Vertun*. V. *Viridunum*.

Virosidum, opp. Brigantum, in Anglia Bor. nunc vicus *Warwick upon Eden*, seu ad Itunam fluv. in Cumbria, 5. mill. Angl. supra Carleolum in Ort.

Virovesca, *Burvesca* Ptol. opp. Hisp. Tar. in Castellâ ult. hodie *Breviesca*. Inter Burgos ad Austr. 8. & Hordoniam ad Arct. 13. leuc. in finibus Cantabrorum.

Viroviacum, vulgò *Veruich*, vicus ad fluv. Letiam, inter Teruanam atque Turnacum, utrinque 16. m. p. distans. Vide *Veroviacum*.

Virsio, opp. prov. Bituricensis, ad Carim fl. ubi recipit Avaium, in limite tractus Blesensis, Baudr. Valesio vetus op. Biturigum Cuborum, dolo captum & concrematum à Richardo Angl. R. De hoc Bituriges in ore habent,

Virzio villa virens, aliundepauca requirens,
Vitibus ornata, campis, pratis decorata.

Quorum versuum si qua habetur ratio, *Virsio* colonia fuerit nationis Germanæ, Vesigothorum vid. vel potius Francorum, à vinditate soli sui denominata, uti *Wirtzburgus* in Francia Orientali. Distat 8. leuc. à Biturico, in Circ. Turones versus, 14. ab Aurelia in Mer. *Vierzon* vulgò.

Virtingui, seu *Virtingi*, pop. Germ. in Sueviâ trans Danubium, ab Aureliano Imp. devicti. Trebell. Pollio. Hodie *Wirtembergenses*, teste B. Rhenano.

Virtonium, vulgò *Wirton*, urbec. Duc. Luxemburgici, in limite Lotharingiæ, 5. leuc. à Luxemburgo in Occ. 4. ab Orolauno in Mer. sub Hisp. in limite dit. Gallicæ.

Virtudum, vulgò *Vertus*, castrum Campaniæ Remensis, unde *Virtudensi* pago nomen, in quo villam Vernam Frodoardus *Hist. Rem. lib.*4. *cap.*2. ponit.

Virtus, apud Rom. pro Deâ colebatur; quorum primus ei fanum posuit Scipio Numantinus: deinde ei ædem vovit in Gallia, ad Clastidium M. Marcellus primo suo Consulatu, quam etiam ejus fil. ad portam Capenam 17. annis postea dedicavit. Liv. Plut. Alteram C. Marius devictis Cimbris, summissiorem extruxit, ne publicis auspiciis forte officeret, & eam ideo Augures demoliri juberent. Huius temp um ita conjunctum fuit cum Honoris æde, ut in hanc non nisi per illud pateret aditus, ut significarent veram, unicamque parandi honoris viam esse virtutem. Varias etiam finxerunt Virtutis imagines: nunc enim eam matronali habitu honesto inaffectatoque formabant, nunc quadrato saxo insidentem: aliquoties mulierem columnæ lævo nixam cubito, dextrâ columbrum tenentem. Mascula Virtus sub imagine senis barbati, nudi, stantis, clavæ innitentis, cum leoninâ pelle brachio advolutâ, V. Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom.*

Virucinates, pop. Vindeliciæ in Bavariâ, hodie *Frisingenses* inter Ambram & Isaram fluv. teste Simlero.

Viruedrum, prom. Scotiæ Bor. in Strathernia, nunc *Faro Head*, 5. m. p. à Beruvio prom. in Occ. paulo minus à Tarvedro. In ora Bor. Scotiæ, ubi incipit Occ.

Virunum, Ptol. opp. Norici in Carinthiâ *Friesach* Lazio, *Bruneck* vero Simlero, opp. Norici in Comitatu Tirolensi. Hodie *Volckmarck* Cluver. urbs Carinthiæ infer. ad Dravum, sub Austr. 5. leuc. intra Clagenfurtum in Ort. uti à Vitopoli Lavantum versus.

Visapora, vulgò *Wisapor*, aliàs forsan *Musopalle*, caput regni Decani, in tractu *Cunkan*, ad fluv. Mandovam. 120. m. p. à Dabulo in Ort. 186. à Goa in Cæc.

Visbada, vulgò *Wisbaden*, oppidul. dit. Moguntinæ, aliàs *Aquæ Mattiacæ*, ubi aquæ salubres multis morbis. Vix 2. mill. Germ. à Moguntia in Bor. 4. à Francofurto in Occ. Hinc Comit. *Wisbadensis*, in Veteravia.

Visbius, sub Domitiano floruit: auctor vitæ S. Dionysii Areopagitæ, ut vult Hilduinus *Epist. ad Lud. Pium.* V. Vossium.

Visbua, seu *Visbia*, vulgò *Wisbuy*, urbs Gothlandiæ, cum portu capaci, in ejus ora Occ. Aliàs ampla & potens, nunc multum deficit, paucisque constat incolis. 9. leuc. Suec. ab Oelandia Insul. in Ort. uti 13. à Vestrovico opp. prox. Smalandiæ.

Visburgii, Germ. pop. Ptol.

Viscellinus, Vide *Cassius*.

Visellia lex, à L. Visellio Varrone Cons. cum C. Fontejo Ann. U.C. 776. Claudii temporibus lata, sanxit, Ne libertinis hominibus, qui jus annulorum aureorum adepti non erant, eos honores, qui ingenuorum proprii sunt, capere liceret, Thom. Dempsterus *Antiq. Rom lib.*8 *cap.*15.

Visellius Varro, infer. Germaniæ, sub Tiberio legatus, *V. suprà*. Fuit & C. Visellius Varro, Ciceronis Consobrinus.

Visensis urbs, seu *Viseum*, aliàs *Lancia*, urbs Lusitaniæ, Episc. sub Archiep. Bracarensi; in prov. inter Durium & Tagum dicta, juxta amnem *de Montorio*. 9. leuc. Lusit. à Lameca in Mer. 12. à Guardia in Occ. *Visen* vulgò.

Visentum, castrum Aprutii ulter. *Bisento*. Ad Simum amnem, in colle, 5. mill. à Pinna in Circ.

Visera, fluv. navigabilis Galliæ, *la Vesere*. Muratum, Condate *Condac*, Usercam Monasterio nobilem *Userche* attingens: infra Brivam Curretiam recipit, inde Terrassonem cœnobio insignem, Condate *Condat*, Montanaceum *Montignac*, Marciacum *Marzac* alluit & ad Limolium *Limeil*, in Duranium effluit. Est & alius ei proximus Superior *Visera* à situ dictus *Haute Vesere*, qui Albam Roceam & Cambium *le Change* alluens, ab Elba *l'Ile*, fluvio nobili, in Duranium defertur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Visigothi, Sidonio contractè *Vesi*, aliàs *Westrogothi*, i. Gothi Occidentales, Mœsiam Thraciæque partem cùm concessu primùm Valentis tenuissent, mox contra fœdera malè habiti, bello in Romanos sumto, Valentem ejusque exercitum occidunt: Constantinopolis suburbium incendunt; Thracias inde & Daciam Ripensem, non jam precario jure, sed pleno dominio tenere:

nuere: etiam Gratiani temporibus. Pars eorundem, duce Fridigerno, Epirum, Thessaliam Achajamque, pars alia sub Alatheo & Safrach Pannoniam incursat, Theodosiumque Imper. ad fœdus compellit: quo non rectè servato Alaricus Rex, cum Thraciam Græciamque ipse vastasset, præmisso Radagaiso per Pannonias invadit Italiam, primusque post Gallos Senonas Romam capit, Honorio imperante. Fecit idem, qui ei successit Athaulfus; & mox desertas à Wandalis Gallias invasit. Hujus successor Wallia, Hispaniam occupavit, adjecitque secundam Aquitaniam, cum urbibus finitimis quibusdam, firmante Honorio, quæ in hunc quoque diem *Gothia* dicitur. Ex hujus successoribus Theudericus secundus Suevorum per Hispaniam vires fregit, Post quem Euricus Lusitaniæ pleraque, Cæsaraugustam, Pompejopolim ac vicina, & in Gallia Arelatum & Massiliam subegit: Post Euricum, de Gallia, Narbonensis prima, penès Visigotthos mansit, cœtera ejus Ostrogotthis, sub Theuderico, Burgundionibusque & Francis tenentibus. Hispaniæ possessio Westrogotthis Anastasii concessione firmata est: accessit & in Africa provincia Tingitana. Rudericus ultimus Hispaniam rexit, tum ob impios ejus & Witizæ antecessoris mores, nobilissima & antiquissima Regum Gotthorum familia, in prædam barbaris Mauris divinitus data, ac universa nobilitas totumque regnum brevi funditus eversum est An. C. 711. Neque verò, postquam in Hispaniam irrupere Saraceni, ita omne Gothicum nomen ibi periit, ut non hodieque, quod potissimum est per Hispaniam nobilitatis, prædicet, eo sanguine se ortum, testimonium origini nominibus quoque præbentibus. Et sunt Gotthica nomina Ferdinandi, Frederici, Roderici, Hermanni, aliaque id genus. Sed & Reges ipsi Hispaniæ è Pelagio se genitos credunt, credique volunt, qui Favilæ Gotthi filius, primus Gothorum reliquiis in Asturia collectis, in tenui fortuna, sed in spe rerum meliorum, quas Deus tandem dedit, Rex appellatus est. Gotha ei & uxor Froulıba nomine: Sed & gener ejus Aldefonsus ex Recaredi Regis sanguine fuit. Literæ quinetiam in Hispania Gotthicæ in publicis, sacris, privatis maniere, ad tempora Ferdinandi I. quales Wulphila Episc. Valentis temporibus Gotthis tradiderat. Navarræ etiam Reges genuinos se Gotthos fatentur, nec in Narbonensi Gallia, quam Balthi Reges diu tenuere, stirps eorum tota interiit. Plura de his, exactam inprimis Regum, ab Athanarico An. Ch. 369. usque ad præf. Rudericum, seriem, cum Chronologia & rerum gestarum succincta historia, Vide apud Hug. Grotium, *Prolegom. in Hist. Gotthorum, Vandalorum & Longobardorum.* Quære etiam in voce *Gothi.*

Visigothorum Lex. Sic dicti Hispaniæ invasores, ad discrimen OstroGothorum, qui in Pannonia, Hungaria, Illyria &c. consedere. Utraque autem gens sub prioris interdum appellatione venit: & effusa per Europam una vel altera, non bella solùm & clades, sed Legum Regnorumque vicissitudines induxit. Tenebantur verò jure non scripto, & patriis moribus, è ritu Borealium populorum, donec sub R. Euridico, al. Eurico & Theoderico, Erâ 504. An. Ch 466. *instituta scriptis habuerunt*, Isidor. *Chron. Goth.* His à Levigildo postea Erâ 608. in aliquibus emendatis, rejectis item nonnullis & adjectis compluribus, plenissimum imposuere vigorem Chindaswindus & Receswindus, Reges. Recensuit tamen Egica singulorum acta, suisque hinc inde interfertis, auctoritate Concilii Toletani 16. omnia confirmavit, Lindenbrog. Hinc istarum Legg. usus in Hispania & Gallia Narbon. Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.*

Visilaus, seu *Wizlavus*, nomen quorundam Vandaliæ Principum: è quibus secundus hujus nominis Arithbertum, Caroli M. militem & Fastradæ sorore ductâ affinem, fratrus habuit. Pater Billungi, seu Mistevoji, quem à Vistula ad Visurgim imperasse & ductâ Vagonis, Episcopi Oldenburgici Vagriæ sorore, Christianam fidem, quam dein desertam persecutus est, amplexum fuisse dicunt. Hoc nati filii Micislaus, Sedericus & Naco, Ottonis I, Imp. hostis, Paganam superstitionem pariter tutati sunt. Micislao geniti, Mistævo Rex Herulorum, Mizdrachus, & Grimmus, Rugiorum Principum conditor: è cujus posteris *Wizlavus* seu *Visilaus*, expeditionibus in Livoniam propagandæ fidei institutis celebris fuit: avus alterius *Wizlavi*, qui Danorum se obsequio subtraxit, & Imperio associavit: In cujus fil, cognomine, Rugiorum Principum lineâ extinctâ An. Ch. 1325. Pomeraniæ Principes, Megapolitanis Danisque repugnantibus, hæreditatem adieruut. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal Hist.*

Visio, opp. seu pag. Gall. Narbon. in Allobrogibus & Sabaudiâ, Anton. *Vignonnet* Paradino.

Visitatio, Ordo sacer Monialium, in Commun. Rom. à Francisco de Sales, & Chantalia Matre institutus. Vide *Franciscus & Johanna Francisca Fremiota.*

Vismaria, Vide *Wismaria.*

Visniovicia, opp. Poloniæ, ubi Tartari à Sigismundo Pol. R. victi, An. Ch. 1506. Vide quoque in *W.*

Visniovicius Michael Coriputus, Pol. haud pridem Rex.

Visontium, vel *Visontum*, opp. olim, nunc pag. Pannon. super. in Hungariâ, apud Capronizam promunt. *Vibicio* Lazio. Item urbs Hisp. Tar. in Pelendonibus, *Viseo* Villanovano.

Visorontia, locus urbi Viennæ in Gallia subjectus, ubi Chlodomerus, Francorum R. à Burgundionum R. Godomaro interfectus est. Vicus hodie *Veseronce*, non procul à Rhodano, inter Viennam & Bellicam urbes, sed huic propior. Hadr. Vales. *Not. Gall.*

Vissegradia, incolis *Vizegrad*, Germ. *Plindenburg*, urbs munita Hungariæ, in colle, ad Danub. sub Turcis, 5. mill. Germ. à Strigonio in Eur. 8. supra Budam in Bor. 4. a Vaccbia in Circ.

Vissemburgum, urbs Alsatiæ infer. Imperialis. Ad amnem Lutterum, in limite Palatinatus infer 4. mill. Germ. ab Hagenoa in Bor. Landaviam v. 2. à Philippopoli 5. in Occ. Vulgò *Weissenburg.*

Vissemburgum, urbs Imperialis, in Bavaria Transdanub. in dit. Aichstetensi, ad fontes Rednitii, 4. mill. Germ. à Donaverta in Bor. Norimbergam versus 7. & fere 5. à Neoburgo in Cæc. *Weissenburg* vulgò.

Vistilia, prætoriâ familiâ genita, Titidii Labeonis uxor, licentiam stupri apud ædiles vulgavit: ob id à Senatu, Tiberio imperante, in insulam Seriphon abdita est.

Vistochium, oppidul. mediæ Marchiæ Brandeb. in tractu *Pregnitz*, ad Dorsam amnem, ubi Austriaci à Suecis, Bannerio Duce, grandi clade affecti. In limite est Megalopolitano, 7. mill. ab Havelberga in Cæc. vix 4. à Rapino in Bor. Vulgò *Wistoch.*

Vistula, fluv. antiquissimus Germ. Sarmatiæque ad mare Suevicum terminus, antequam Aestii, Germanica gens, in Venedotum agros transiverant; hodie *Weissel.* Antiquis Græcorum Romanorumque auctoribus varie scribitur. Nam Plinio ac Solino, *Vistula* & *Vistilla* dicitur. Ptolemæo Οὐιστοῦλας, Plinio etiam est *Vistillus.* Apud eundem 4. 13. *Istula.* Melæ *Visula* est, & Marcellino *Bisula*, quia Græce scribebatur Βισοῦλας. Vide Cluver. *de Ant. Germ. lib. 3. pag. 717.* Baudrando fluv. Poloniæ. Oritur in Duc. Teschinensi in Silesia, ex monte Carpatho, in ipso limite Hungariæ; dein auctus aliquot rivis, per Poloniam sup. fluens, Osvicinum, Zatorium, Cracoviamque rigat. Hinc Villocum fl. recipit, prope Polaniecum, Sanum infra Sendomiriam, & Vieprium ad Stesicam; postea per Mazoviam labens, Czercum & Varsaviam rigat; receptoque Buge fl. juxta Ploscum & Vladislaviam fluit: tandemque per Prussiam labens, ibi Torunium, Chulmiam, Graudentiumque rigat, & supra arcem *Heuft*, in duo brachia scinditur: ex quibus Orient. in Sinum *Frisch Haff* cadit, Occ. paulo infra Gedanum, in mare Balt. juxta arcem *Weisselmunde*, in ora Sinus Gedanensis labitur. Ad hanc Thorunium An. Ch. 1234. conditum à Crucigeris, quib. à Conrado Polono contra Prussos evocatis hic tractum Culmensem, & quidquid inter Vistulam ac Druentium fluv. tradiderat. Fluvium hunc transiturus Georgius Israël, ruptâ glacie in extremo vitæ discrimine versatus, postquam Ps. 142. cecinisset, evasit incolumis, A. C. 1550. V. Lætum *Comp. Hist. Univ.*

Vistus, vulgò *Vyst*, una Æbudarum, à Sept. in Mer. extensa, per 45. m. cum aliquot oppidul. Ei fere adjacet ad Bor. Leuvisia Ins.

Visuntio, Vide *Vesontio.*

Visurgis, fluv. ingens Germ. ex Meliboco monte in Franconiâ oriens, ac inter Hassiam ad Occ. Thuringiam ad Orr. Westphaliam ad Austr. & Saxoniam ad Bor. in Oceanum Germ se exonerans. Baudrando primùm *Veera* dicitur, *Wertz*, oriturque in confinio Franconiæ; dein per Hassiam fluens, prope Smalcaldum & Isenacum labitur. Sed recepta ad Mindam opp. Fuldâ fl. *Visurgis* dicitur: & in Arctos tendens, juxta Duc. Brunsuicensem, ibi Hamelam rigat, uti Corbiam, Mindam, ad confluentes Fuldæ & Veeræ, Neoburgum & Hoyam, urbes Westphaliæ. Hinc recepto Allerâ, paulo infra Verdam labitur juxta Bremam, & tandem Oceano Germ. ad Depstedam miscetur, inter Duc. Bremensem & Comit. Oldenburgensem. In hunc, captâ Mundâ 2500. occisorum civium projecti, victore Tillio, Ann. Ch. 1626. Straboni Βισουργις; apud Ptol. verò in descriptione Germanici litoris est genitivus casus Οὐισουργιος. At rectius postea, in recensione populorum Germaniæ, idem casus τοῦ Οὐισουργιος. Dioni dicitur Οὐισουργις. Hodie *Weser* vocatur. Visurgis, inquit Lipsius, mutuâ Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis, cui famam præcipuè Tacitus dedit, & ipse Tacito (mirum fatum) vitam. Nam. 5. primores Annalium libri inventi Corbeiæ, quod monasterium ad Visurgim est.

Visurgis, fluv. parvus Belgii, *Wese.* Oritur in Duc. Limburgensi, & in confin. Juliacensi; dein Limburgum rigans, postea in Urtum cadit, & cum ipso paulo post in Mosam, supra Leodium.

Vita, pop. apud Bedam, quorum caput *Wittenberga.*

Vitaca, opp. Maurit. Cæs. Ptol.

Vitakerus Guilielmus, Theologus Anglus eloquentissimus & longè doctissimus, in Acad. Cantabrigiensi Professor. Acutissimus contra Latinos disputator suo tempore habitus, refutavit vastum Bellarmini opus, antequam id totum in lucem prodiisset: graviter invectus in dissolutos mores Ordinum in Angliâ: Obiit An. Ch. 1605. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Vitaliana, turris firmissima, in lacu Verbano; à Lud. Borrhomæo, cùm ab hostibus premeretur, condita. Cui alia longè major adjacet, malis aureis condita & amœnissima,

Vitalianus, Tyrannus, Scytha. Ut Imperio potiretur, fidem Orthodoxam, quam Anastasius Imper. persequebatur, se amplecti simulavit: hæresin & ambitionem alto pectore premens. Potitus sic Thraciâ, Scythiâ & Mœsiâ, Constantinopolim usque pervenit,

rum restituendorum deceptus, arma posuit, præfecturâ militari postmodum ab Imperatore exutus. Tandem à Justino Imp. Constantinopolim allectus, Consulis dignitate vix libatâ, occisus est in palatio, A. 520. Cedr. *in Comp.* Evagr. *l.* 3. & 4. Marcell. *in Chron.*

Vitalianus, 74. Pont. Rom. sedit, an. 14. mens. 6. Ann. Dom. 655. Eugenio I. successit. Campano Italus. In templa Organa Musica introduxit; ab Osvino multis vasis aureis argenteisque donatus, ipsi vicissim Theodorum, ordinatum Arch. Dorovernensem misit, Beda *in Hist. Angl.* Polydor. *lib.* 4. Cultum sacrum Latinâ linguâ, circa An. 666. qui numerus mysticus est, Apoc. 13. peragi jussit; apud Constantem II. Imp. & contra Præsules Ravennates, multa egit. Obiit Ann. 669. Platina, Ciacconius &c. Successit Adeodatus.

Vitalis, Antiochæ Episcopus, An. D. 332. Pietate & doctrinâ celebris, præsedit in Concil. Ancyrano, ut & Neo-Cæsariensi. Item, Apollinarista, intrusit se in sedem Antiochenam. Item, Afer, concursum divinum sic à nobis pendere commentus est, ut nobis volentibus quidem ille in nobis effectum sortiatur, nolentibus verò inefficax sit: Sicque, ut quis Evangelio assentiatur, nihil aliud quàm externum præconium requiri deliravit: efficaciam Spiritus S. internè nos convertentis eludens. Huic scripsit Augustinus *Epist.* 107. Baron. *An. Ch.* 419. *n.* 54. & 55. Vide quoque *Oldericus Vitalis.*

Vitella, opp. Italiæ, unde *Vitellinus.* Steph.

Vitellescus Johannes, Tuscus, Cardin. Arch. Florentinus. Ingeniosus, audax, dissimulator: primùm tyranno cuidam Italo, nomine Tartalio, adhæsit, eique à secretis fuit. Dein hoc, jussu Martini V. capite plexo, Romam profectus, in Eugenii IV. gratiam se insinuavit. Româ postea Italiaque à Tyrannis liberatâ, pacem & tranquillitatem populis conciliavit. Tandem ambitione elatus, gratiâ Pontificis excidit, qui ipsum in Mole Adriani captivum detinuit: ubi animi mœrore confectus, Obiit A. 1440. Elogiis ornatus à Sixto IV. Julio II. Leone X. Clem. VII. &. Paulo III. V. Paul. Jovium, *in elog. ejus*, Jul. Roscium, Platinam, Garimbertum, Ciacconium, Leonhardum Aretinum, & Scipionem Ammiratum, *Hist. Flor.* Epitaphium ei hoc erexit Bartholomæus Episc. Cornet.

Quando ego pro patria, pro Majestate repressi
Pontificis, furias bellorum, hostesq; subegi
Ecclesiæ, nostris quæ floruit aucta sub armis.
Restitui res effluxas, urbesq;, decusq;
Invidit Sors atra mihi, magis æmula Virtus,
Immeritam statuens non æquo munere mentem.

Vitellia, colonia Rom. in finibus Æquorum Liv. *lib.* 2. *dec.* 1. extincta. Sicut & Verrugo opp. vicinum.

Vitellianum, Gall. Transpad. opp. ad Padum in Ducatu Mantuano *Vidiana* Alciato. A Vitellio Imp. dictum.

Vitellicum, opp. dit. Trevirensis, *Vitlich*, cum castro splendido, ubi ferè degit Elector. Ad amnem Leserum, 1. mill. Germ. à Mosella, 4. à Treviris in Cæc.

Vitellii, Fauno Aboriginum Rege & *Vitellia*, quæ multis locis pro numine colebatur, orti, teste Suetonio. Patricia fuit gens & majorum gentium: ex quâ fuerunt *Marcus* & *Manius Vitellii* fratres uxoris Collatini primi Consulis, à Bruto cum filiis, quòd de recipiendo in Urbem regibus conjurassent, supplicio affecti. Videatur Dionys. *lib.* 5

Vitellius, nonus Rom. Imp. ab exercitu, post Ottonem, salutatus est. In gratiam hic Caligulæ, Claudii & Neronis, turpi adulatione se insinuavit. Sub Claudio enim e. g. unum calceorum Messalinæ, sub toga portans, ei subinde oscula fixit. Hinc amplissimis muneribus admotus, Proconsul Africæ non sine laude præfuit. In Ædilitio munere non pari gloriâ est versatus, exspoliator Fanorum: In Imperio vitiis fræno laxato, quotidie quater epulatus est, in singula epula impensis X M. Imperialibus. De clypeo Minervæ, quo nomine sumptuosum aliquando convivium insigniverat, V. Sueton. *in Vitell.* At luxuriem crudelitas vicit, cùm in quoscunque, Matrem ipsam, nullâ ratione habitâ, ob levissimas causas, sæviret. Hinc in Pannonia, Mœsia, Judæa & Syriâ turbantibus militibus, Vespasianus Imp. proclamatus est, à quo Vitellius sæpe victus; tandem cùm nepotari pergeret, à propriis militibus discerptus & à populo in Tiberim projectus est. An. 69. æt. 57. Imp. 8. Vide quoque Tacit. *Hist lib.* 2. & 3. Dion. Eutrop. Aurelium Vict. &c. & insuper in voce *Q. Eulogius.*

Vitellius, Censoris Vitellii ac ter Consulis filius, missu Galbæ, inferioris Germaniæ legiones, Consularis legatus.

ad *Vitellius*, prænomine *Lucius*, cum Paullo Fabio Consul, Orienti à Tiberio præpositus: ubi ut & alibi priscâ virtute egit. Ex provinciis regressus & formidine C. Cæsaris, familiaritate Claudii turpe in servitium mutatus; exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur. Tacit. 6. 32.

Vitellius Saturninus, Præfectus cohortis Prætoriæ, sub Othone, vulneratus, in tumultu nocturno urbano, Tac. 1. 82.

Vitemberga, urbs Germ. vulgò dicta. Ptol. *Calegia.* Ad Albim, cum Academia celebri, fundatâ An. 1502. à Friderico El. Hic primò Lutherus concionibus innotuit, & Electoris gratiam nactus est. Sedes olim Elect. quę nunc Dresdam translata est, V. *Wittenberga.*

Vitepsia, vulgò *Witepsk*, urbs munita Lithuaniæ, caput Palat. cognom. ad Duinam flu. ubi recipit *Widzbam* cum arce munita, vix 12. leuc. Pol. à confinio Moscoviæ, Polocam versus 16. & 15. à Smolenco in Circ. Pluries capta & recepta ultimo bello Moscovitico. Duces habuit propr. usque ad Olgredum M. D. Lithuaniæ.

Viterbum, urbs ampla & culta Herruriæ Episc. loco Ferentii, urbis excisæ, ad mont. Cimini radices, prius *Vetulonia*, teste Platinâ. Hodie *Viterbo* Italis, *Viterbe* Gallis, caput Patrimonii, 40. mill. ab urbe Roma, in Circ. Senas versus. 10. à Volsinio lacu in Ort. Volaterranus putat fuisse *Longulam* Livii. Hermolaus scribit Ptolemæi *Elbii vicum* dici.

Vitericus, Visigothorum in Hispania R. occiso Leuva, thronum occupavit, An. 603. Obiit An. 610. Ejus filiæ Ermenbergæ, cum Theodorico Burgund. R. nuptias disturbavit Brunechildis. V. Isidor. *in Chron.* Marianam, *Hist. Hisp.*

Vitia, Fusii Gemini mater, anus necata, sub Tiberio, quòd filii necem flevisset. Tac. 6. 10.

Vitiges, stabuli præfectus, sub Theodato, Gothorum in Italia R. huic surrogari se curavit. Postea Romam accurrens, cum 4000. militum, populum juramento sibi adstrinxit, repudiataque uxore, Marasuentam, fil. Amalasuntæ, sibi junxit, raptis Antecessoris sui thesauris. Sed Romani, appropinquanti Bellisario portas recluserunt, urbem obsidente Vitige, An. 537. cum LM. hominum, ultra annum; quam relinquere coactus est, ut Ariminum sibi interea ereptum recuperaret: sinistro successu. Namque Mediolano, Novarâ, Bergamo &c. à Belisario exutus, & hanc obsidionem solvit, Ravennamque se recepit: ubi dedere se coactus est, A. 539. Hinc victor eum cum Uxore, & Magnatibus, Constantinopolim misit, ubi ex Rege Patritius factus est. Procop. *de Bello Goth.*

Vitikindus, Saxoniæ Princeps, à Carolo M. victus; Caput Serenissimæ familiæ Saxoniæ. V. *Witikindus.*

Vitikindus, Monachus Corbiensis, in Saxonia, floruit sec. 10. Scripsit Historiam Saxonum libb. 3. cum historia Ottonis I. Imp. ad hujus filiam Mathildem. Item Carmina, Historiam fundationis Archiep. Magdeburgici, &c. Sigebert. *de Vir. Ill. cap.* 129. & *in Chron. An. Ch.* 973. Adam de Brema, *lib.* 2. *cap.* 6. Vossius, &c.

Vitis, seu *Utis*, & *Utens*, *Montone* Leandro, *Rocone* aliis, & apud Ravennam *Aquedotto*, fluv. parvus Gall. Togatæ ex Apen. mont. per Æmiliam viam, viam hancce secans apud forum Livii, in mare Hadriaticum prope & infra Ravennam labens. Hic Hisp. ipso Paschatis die an. 1512. sub Lud. XII. Gall. R. 3. m. p. à Ravenna maxima clade affecti sunt.

Vitiza, Visigothorum in Hisp. R. cum patre Egica quinque annos, post eum verò, ab an. 701. ad ann. 710. regnavit. Princeps luxuriosus, & voluptatibus mersus, rebellionem subditorum timens, Urbes regni sui muniit. Mariana, *Hist. Hisp.*

Vitodurum, opp. Helvetiorum, medium ferè inter Constantiam urb. Sueviæ, & Tigurum urbem Helveticam, *Winterthur*, teste Scudo. Duplex sup. seu vetus, & infer. seu novum. Illud ad dextrum Eulacum situm, vulgo *Ober Winterthur*, magni olim nominis fuit, unumque é 12. Helvetiorum oppidis, Julii Cæsaris tempore, incensis, posteaq; reparatis, creditur Guillimanno. Diocletiani & Maximiani tempore Romanorum erat castellum, sed ab Alemannis, cum multis aliis, eversum. Constantius dein & Galerius, victis prope Vindonissam, & ultra Rhenum rejectis hostibus, id instaurandum curarunt per Aurelium Proculum, in Helvetia procuratorem, ut ex vet. lapide Constantiæ colligitur, cujus inscriptionem exhibent Stumpfius, & Russingerus. Eversum tandem funditus est iteratâ sub Valentiniano III. in Helvetiam Alemannorum irruptione, nihilque ejus præter vicum aliquem cum pervetusto templo, & veteris famæ ruderibus residuum mansit: Huic tamen aliquid splendoris iterum accessit, sub Franciæ Regibus, & priscis Sueviæ Alemanniæque Ducibus: Rudolpho imprimis, qui post Arnolphi Imper. excessum, Rodolphum Burg. & Arelati Regem, Alemanniæ Ducatui Turgoviæque imminentem, hic vicit, circa Ann. Ch. 919. Postea Comites cogn. habere cœpit, qui arcem ad sinistrum Eulacum, prope op. in colle extructam, incoluerunt: Hinc inferius seu novum Vitodurum, evanescente sensim vico, qui adhuc Friderici II. tempore celebris erat, pauló infra arcem, excitatum emersit. Auctum dein insigniter, sub Comitibus Kyburgiis, ad quos, extinctâ priorum Com. familiâ, pervenit: Hi oppidum mœnibus, privilegiisque quibusdam ornarunt; Hartmannus verò Comitum ultimus An. Ch. 1244. Episcopatui Argentoratensi donatum, rursus ab eo feudi loco possidendum accepit: quo vivo adhuc cives arcem prædictam solo æquarunt, quod cum ægrè Comes ferret, nepoti ex sorore, Rodolpho Habspurgico, jus omne tradidit, qui An. C. 1264. Vitoduro expugnato, cives satis duriter habuit, postea tamen, quod sibi jam Cæsari contra Ottocarum aliosque hostes, fortem navassent operam, novis privilegiis donavit, altero leone insignibus addito: Hinc magna oppido incrementa. Obsederunt id Ann. Chr. 1292. Adolphi Imp. Alberto Austriaco infesti jussu, Tigurini, sed non sine clade. Post quæ incendio Ann. Ch. 1313. & seditione An. Ch. 1342. turbati cives; auspiciis Alberti Archiducis iteratò Tigurum obsedere, A. C. 1351. & 1355, Baroni Bonstetio

palo

paulo post oppignorati : ut & post hunc Donato ac Diethelmo Comitibus Toggiis, fideli interea Austriacis contra Helvetios variis in prœliis opera exhibitâ : Ab Abbatiscellanis An. Christi 1405. non exiguâ clade affecti. Friderico Archiduce postmodum proscripto, tempore Concilii Constant. Vitodurum ab Helvetiis occupatum, mox tamen, pace initâ, ad pristinos Dominos redit, quibus porro An. Chr. 1443. 1445. 1446. fidem suam contra hostes, egregie probavit : sed obsessum a Tigurinis An. Chr. 1460. tandemque post pacem factam, his à Sigismundo Archiduce. An. Ch. 1467. concessum est, salvis aliquibus privilegiis ac immunitatibus. Ab illo tempore Tigurinis paret, proprios tamen Magistratus habet : belloque tempore iisdem militat, sed sub propriis signis. Ad Tigurinorum dein imitationem, Latinis ritibus, Missâ cum Imaginum choragio, abolitis, An. Chr. 1525. Evangelii lux urbi affulsit, quâ in hodiernum diem, benignitate Dei, fruitur. Patria Johannis Monachi, *Vitodurani* vulgò dicti, qui *Chronicon Vitodurense* condidit. Oppido nomen German. *Winterthur*, ex veteri voce Vitoduro : quod alii à Duro seu *Thur* fluv. nomen habere volunt. Vide Stumpf. *de Turgovia lib.* 5. *cap.* 32. *&* 33. Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. Antiq. & Nov.* Simlerum *Descr. Helv. &c.*

Vitrum opp. Armoricæ, *Vitriacum* & *Victoriacum* aliis. Ad Vicinam fluv. Baudiand. Valesio haud procul à capite Vicinoniæ, in ... Cenomanensis prov. 9. leuc. supra Redones in Cæc. In diœc. Redonensi. *Vitray* Gall. vel *Vitré.*

M. Vitruvius Pollio, parentum curâ liberalibus disciplinis ab ineunte ætate fuit institutus, Encyclopædiamque absolvit, quod ipse fatetur in libri sexti proœmio. Julio Cæsari fuit non ignotus, post cujus obitum ab Octaviâ fratri Augusto commendatus, apparationi bal ... statum, scorpionum, cæterorumque tormentorum præfectus est, annuo ei reditu, quoad viveret, constituto. Quâ munificentiâ excitatus, omnem ædificandi rationem Augusto scripsit, quam 10. libris complexum se esse, sub finem operis, testatur. In genii, felicisq. fuisse ingenii, libb. 7. 9. & 10. argumento esse queant, Philander. Vide Possevin. *lib.* 15. *Bibl. cap.* 17.

Vitruvius Flaccus, Fundanorum dux, An. U. C. 425.

Vitstockium, urbecula Marchiæ, prope fontes fluvii Prignitii. Hic Saxonem Sueci, An. Chr. 1634. Suecos Elect. Brandeburgicus An. Chr. 1675. profligarunt.

Vitula, Dea apud vett. lætitiæ Præses. Hanc Piso Victoriam nominari ait ; quòd postridie Nonas Julias, re bene gestâ, cùm pridie populus à Tuscis in fugam versus esset, unde *Populifugia* dicta, post victoriam certis sacrificiis vel vitulatio fuerit. Ei pro frugibus sacrificatum legitur, quòd iis vita humana toleratur, Macrob. *Saturn. lib.* 3. *cap.* 2.

Vituli insula, *Selsey*, teste Camdeno, insula Albionis Angliæ adjacens.

Vitulia, id est, Italia, à vitulorum copia, quos Græci ἰταλὰς, A. ... teste vocant.

Vitunnus, antiquorum Deus, qui videbatur *vitam* largiri, uti *... sensum.*

Viva, urbs Africæ propr. Anton. *Vivensis* Episc. meminit Con... Carthaginensis.

Vivariense monaster. pagus tractus Vivariensis ad Rhodanum, 2. leuc. infra Vivarium in Austr. versus Pontem Sancti Spiritus, paulo minus à Fano S. Pauli, *le bourg S. Andiol*, vel *le bourg de Viviers* vulgo. Hic S. Andochus Subdiaconus, sub Aureliano Imper. martyrium subiit.

Vivarium, seu o, seu *urbs Vivariensis*, Gall. Narbon. opp. *Viviers* Joh. Po..., Aliàs *Alba Augusta Helviorum*, in Occitania, ad Rhodanum in planitie, è regione Delphinatus. Episcop. sub Archiepiscopo Viennensi, 5. leuc. supra Pontem S. Spiritus in Bor. Destructa à Croco, An. 430. Caput tractûs Vivariensis, *le Vivarais* ; qui in Superiorem & Inferiorem divisus, terminatur ab Or. Rhodano, quo à Delphinatu separatur, à Sept. Forensi tractu & Velaunis, ab Occid. Gabalis, à Merid. Occitaniâ infer. & Ucetiensi tractu. Hi Helvii olim. Reliquæ urbes, Annonæum, Albenacum, Privatium & Turnonium. Regio hæc, licet undique montibus, velut turribus, sit cincta, fertilis tamen est, & vini generosi ferax. A vivariorum multitudine dicta, Ferrar.

Viventani, Umbriæ gens, Ptolem.

Vivianus, Consul an. U. C. 1216.

Vivianus Annius, gener Corbulonis, bello Armeniaco, pro legato quintæ Legioni impositus. Tacit 15. 28.

Vivi...iscum, vulgò *Vivay*. German. *Vivis*, oppidum elegans Helvetiæ in regione Vaudi, ad Lemanni ripam Boreal. Antonino memoratum. Bello Burgundico, ab Helvetiis in cineres redactum est. An. Chr. 1475. postea reparatum : hodie Reipubl. Bernensi ... Hic vinum crescit optimæ notæ, vulgò *der Reyff-vvein*, ... lacus, Ital. *Riva*, dictum : & certè castrum est *Riva Lausannensis* prope Lausannam, ad extimum lacus angulum. V. Stumpf. *Chron. Helvet. lib.* 8. *cap.* 22.

...ppo, seu *Vuipo*, Presbyter Germanus, Eleemosynarius Henrici II. Imper. in hujus laudem poema condidit, editum à Ca... *tom.* 2. *Antiquar. Lection.* Scripsit quoque vitam Conradi ...ci, patris Henrici ; Pistorius edidit *Tomo Scriptor. de rebus Germanic.*

U L.

Ula, opp. Sueciæ, in Cajania, in ora Sinus Bothnici, *Oulo* vulgò. Ei adjacet Vlaburgum oppidum, in insula parva ejusdem Sinus, ad ostia Ulæ.

Ula, vulgò *Ula Träsk*, lacus Sueciæ, in Cajania, seu Bothnia Or. in mediterraneis, versus Suavolaxiam provinc. Ei insidet Cajaneburgum opp.

Vladislavia, vulgò *Wladislavv*, urbs Poloniæ major. ad Vistulam, 15. leuc. à Gesna, media inter Poloscam in Eur. & Thorunium in Circ. 5. leucis utrinque, 22. infra Varsaviam. Caput est Cujaviæ provinc. in Palatinatu Inowolocensi ; Episcop. sub Archiepiscopo Gnesnensi, ab An. 1173. Cum arce tantisper munita, in palustri loco. Hic ab Evangelicis synodo habitâ, Stancari hæresis damnata est, sec. præt. Lætus.

Vladislaus, vide *Ladislaus.*

Ula, Sarmatiæ Asiaticæ pop. Ptolem.

Ulai, nomen fluvii, Dan. 8.

Ulam, filius Seres, 1. Par. 7. Primogenitus Esec. 1. Paral. 8. Lat. *porticus, vestibulum*, aut *fortitudo*, vel *stultitia eorum.*

Ulama, villa in 12. Diœcesareæ lapide, contra Solis Ort. in tribu Zabulon.

Ulbanectes, *Senlis*, pop. & urbs Gall. Belg. Latinè *Silvanectum.* Valesiæ reg. caput. Metel. *Sylvanectes.* Vide ibi.

Ulcejum, castrum Galliæ, nunc *Ouchi le Chastel*, Augustæ Suessionum proximum : cui vicinus est vicus cognomin. ad eundem amniculum, vulgo *Ouchi la ville.* Hadrianus Valesius *Notitia Galliæ.*

Ulci, Lucanorum urbs, Ptolemæo, in Basilicata, *Laurina* vulgò.

Ulcinium, vide *Olcinium.*

Ulda, fluvius Galliæ, quem Guntchramni Reg. exercitum tumultuariis pontibus factis transiisse, scribit Gregor. Turon. *Histor. lib.* 10. Hic Rohapum & castrum Gauzleni vel Goslini *Joselin*, ac Malum Strictum *Malestrou*, præterlapsus, in Vicinoniam, Franciæ olim Britannicæque terminum, defluit ; malè in tabb. Geographicis *Ausle*, vel *Aust*, & *Aoust* dictus. Hadrianus Valesius *Notitia Gall.*

Uldinus, Hunnorum Dux, junctus Stiliconi Romanorum & Saro Gotthorum Ducibus, vicit Radagisum, Ann. Chr. 405. P. Orosius *lib.* 7. *cap.* 26.

Ulfejum, vulgò *Urfé*, castrum Galliæ, in pago Forensi superiore, non procul à monte Maurilionis, cum tit. Baronatus. Ei proximus vicus cognominis *S. Marcel d'Urfé.*

Ulia, Turdulorum in Hispan. Bætic. urbs, Ptolem. *Montemajor* Morali 5. leuc. à Cordubâ : Cæsaris tempore munitissima. Aliis *Vaena*, Tucci & Ægabiæ prox. aliis *Velia.*

Uliarus, seu *Olario*, Insula Oceani Aquitanici, in ora Santoniæ, contra ostium Carentoni fluvii, 2. leucis in Occident. *l'Isle d'Oleron* Gallis. Extenditur à Septentr. in Merid. per 6. leuc. Lata est 2. Cum arce permunita, in parte Australi Insulæ, quæ 1. cum dimid. leuc. distat ab ostio Separæ fluv. in Occid. 3. à Rea Insula in Mer. 6. à Rupella in Afric. Fertilis probeque culta, vicos amplius 115. habet, in quibus eminent S. Dionysii, S. Georgii, S. Petri, Dolutum & Castellum, portu commodo instructum. Ipsa diœcesi Santonicæ ascribitur, *Olarionensium lepusculorum* meminit Sidonius. Ab ea, Sinus Aquitanici insularum maxima, nonnunquam & vicinæ insulæ, ut Radis quæ Rupellanæ diœceseos est, Aja *l'Isle Dais*, Varenna *la Garanne*, Oria *l'Isle d'Oire*, aliæque proximæ dicuntur Insulæ Olarionenses *les Isles d'Oleron.* Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Ulibilani, Maurit. Tingit. gens, Ptolem.

Vlissinga, vide *Flissinga.*

Ulius Apollo dicebatur, quòd *salubritatis* esset author. Est enim οὖλος Græcè *integer*, vel *sanus.*

Ulizibira, Africæ propr. urbs Ptolem. *Ulusubritanum oppidum* vocatur Plinio.

Ulma, ab ulmis arboribus, vel ab uligine, juxta distichon vetus :

> *Nomen, quod Latio desumptum est fonte, quòd apta*
> *Ulmensis posita est plena hac uligine terra.*

Vel ab Hulmigeris, seu Bructeris, huc olim profectis ejusque conditoribus, German. *Ulm*, insignis Suevæ civitas, ubi Hylarus & Blanus amnes Danubio miscentur, redditurque inde Danubius navigabilis. Olim *Alcimannis Carithnorum* urbs, in limite Vindeliciæ. Mœnibus caruit, usque ad An. Chr. 1300. hodiè perampla, munita, & libera, probeque culta est, cum magnifica præcelsaque turri. Eam Carol. M. olim Cœnobio Augiæ Divitis, (quod in veteri est Alem. insula, quam laus Venetus efficit, quæq; *Sindelisiana* primùm, deinde Angia Dives, vulgò *Richinovv* appellata est) uno lapide à Constantia distanti, donavit : à quo multis pòst annis magnâ pecuniæ summâ redempta, sui juris rursus effecta est, annitente Friderico III. Imper. Alii eam paulatim, pecuniis prudenter suppeditatis, in libertatem se vindicasse scribunt, sub Ludovico Bavaro Imperatore, qui Urbi Senatum creandi veniam dedit,

circa

circa An. Chr. 1346. plura dein privilegia addentibus Carolo IV. & Friderico III. Forma Reipubl. Aristocratica est, Senatores habet quadraginta duos, qui ex utroque ordine, Patricio & Plebejo constant. Emptionis jure possidet Helffenstenium castrum, cum Gislinga oppido, Albeccensem item Comitat. quem in liba dulciaria, ab Ulmensibus accepta, Comes quidam Werdenbergensis insumpsisse dicitur, Felix Faber *lib.* 2. *Histor. Suev.* Leiphemium quoque oppidum iisdem emptionis jure accrevit, ad Danubium: præter quæ tenent Ravenstenium arcem, *Langendau* oppidum, *Altheim, Stübersheim*, dynastiam *Wangen, Bermeringen, Bernstadt, Ballendorff, Mullingen, Kucken, Gingen, Altenstadt, Siessen, Uhrspring, Launsheim, Lutshausen, Weidenstädten, Auffhausen, &c.* Insignia Urbis, cui custodia Suevicæ Registraturæ ab Imper. concredita est, sunt colores duo, in area superiori niger, in inferiori albus. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 57. Inter primas Germaniæ civitates ad *Protestantium* partes accessit, Ann. Christi 1529. Conventus dein Smalcaldicorum ibidem habitus est, Ann. Chr. 1546. quapropter Cæsar urbi minatus, eam à sociis desertam multavit, decem signorum præsidio illi imposito. Postea, cùm Principum fœderi, ad liberandos captivos Saxonem & Hassum, nomen dare nollet, ab illis obsessa, agerque ejus vastatus est, Ann. Chr. 1552. Vide Sleidani *Commentar.* Augustanæ Confess. addicta est hodieque. 10. milliar. German. ab Augusta Vindelic. in Occasum, 15. à Constantia in Cæc. 25. ab Argentina in Ort. uti 12. à Tubinga.

Ulmetum, Elmesby, locus in Angliâ, Camden.

Ulmi, oppidum Pannoniæ infer. in Hungariâ, Anton. *Ilessi* Lazio, *Ilz* Simlero; inter Sirmium 26. & Cibalim 24. m. p. Mursam versus in Bor.

Ulmus, oppidum Pannoniæ super. nunc *Ilmitz* Cluver. vicus Peisoni lacui impositus, in Austria inferiori, in ipso limite Hungariæ.

Ulmus, pagus Mysiæ super. à Naisso urbe 19. m. p. in Ort. Sardicam versus.

Ulodavia, oppidum Poloniæ majoris, ubi Synodo habitâ Ann. Chr. 1583. consensus Ecclesiarum Poloniæ majoris & Lithuaniæ, confirmatus est, cùm idem jam Synodo Petricoviensi Ann. Chr. 1578. prius factitatum esset. Aderant Viri clarissimi Ordinis Senatorii ac Equest. cum Superintendentibus, Senioribus ac Ministris 70. Vide Thuan. *lib.* 100. Refugium postea præbuit fidelibus Bohemiâ pulsis, An. Chr. 1628. Raphaële Comite Lesnensi hîc & Leiznæ illos humaniter excipiente: Paulo pòst Seniores Orii primò, dein *Vlodaviæ* Conventu iterum indicto de ritibus discrepantibus in Lithuania & Polonia convenerunt. Lætus *Compend. Histor. Univers.*

Vlodimeria, urbs Volhiniæ super. ad Lugum amnem, qui paulo infrà in Bugem cadit, 12. leuc. Polon. à Luceoria in Occ. 8. à Belza in Bor. Vulgò *Wlodzimierz*.

Ulphila, Episcop. Gotthis à Valente Imper. missus, eos ad Arianismum pertraxit, An. Chr. 375.

Ulpia, Legio 30. oppid. German. infer. apud Rhenum, *Alpen* Mercatori, inter *Berck* ad Austr. & *Santen* in Bor. 2. leuc. quot à Vesalia in Occ. Ad *Castra Ulpia* Anton.

Ulpia castra, vide *Castra*.

Ulpia Trajana, seu *Colonia Ulpia Trajana*, quæ *Zarmizogetusa*, & *Zarmigetusa*, urbs fuit Daciæ mediterraneæ præc. ad Sargetiam fluvium, nunc castrum *Varhel*, seu *Zarmis* in Transylvania ad radices montium, 6. leucis ab Alota fluvio in Occident. Vide *Zarmesogethusa*.

Ulpianum, geminum: unum Mysiæ superioris, in Dardaniâ apud Macedon. confin. olim urbs Episcopalis, & *Justiniana secunda* appellata; nunc Latinis rec. *Villa Procopiana*, teste Lazio, proxima Scupi, inde ad 12. mill. pass. in Occid. Nunc quibusdam est *Vulpia*, castrum Serviæ, in limite Bulgariæ, vix 40. mill. pass. ab Istro in Merid. Alterum opp. Daciæ, *Pyrethi*, teste Lazio, apud Albam Juliam in Transylvaniâ. Aliis est ipsa Alba Julia, Nigro *Czanadre*; aliis *Varadinum*.

Ulpianus, Jurisconsultus, Adriani temporibus, scriniorum magister, Tyrius fuit. Tutor, dein à secretis, tandem à consiliis Alexandro Severo: Præfecturam prætorii quoque adeptus est, sed in Christianos sævus. Hic utitur authoritate Pomponii *in libris Pandectarum*; qui cùm Galliam regeret, populari tumultu excitato, interfectus est, ut notat Raphael Volaterranus. Ann. Chr. 226. Vide Dion. & Lamprid. *in Alexand. Severo.* Fischard. *in vita Jurisconf.*

Ulpianus, Arabica scripsit, Stephan. Sed quis sit iste Ulpianus, haud facile dictu est. Nam & fuit ejus nominis Antiochenus Sophista, qui Constantini Imper. temporibus vixit: & alter Emisenus; & alius Gazæus, & præterea Isidori frater; quos 4. Suidas refert. Ut de Ulpiano Tyrio, uno ex collocutoribus Athenæi, & de Domitio Ulpiano I. C. nihil dicam. Vossius.

Ulpius Marcellus, J C. sub Antonino Pio, cui gratissimus extitit.

Bohemiæ Rex.

Ulricus, Bohemiæ Rex, Moraviam Polonis eripuit. Micislaum dein Regem Conrado II. Imperatori proditurus, frustra fuit, detestante hoc impias technas. Ei successit filius Brzetislaus. Colmas Bohem. *in Histor.* Æn. Sylv. Item filius naturalis Christiani IV. Daniæ Reg. à Belgis ad Vesaliam cæsus, cùm in Brabantiam copias, Hispanis auxiliaturus, duceret, Ann. Chr. 1639 Vide infra.

Principes varii.

Ulricus, Friderici II. Daniæ Regis, ex Sophia Megapolitana filius, hæres Norvegiæ, Suerinensis & Slesvicensis Episcopus, frater Christiani IV. floruit sub seculi præs. initium. Item filius Christiani IV. ex Anna Catharina Brandeburgica, Suecorum in Borussia, & postea in bello German. Saxonum in Silesia, ubi aliquoties Cæsareas copias profligavit, miles. Obiit An. Ch. 1633. in Silesia, dubio percussore globo trajectus. Item fil. nothus ejusdem Christiani, dum in Brabantiam copias ducit, Hispanis militaturus, ad Vesaliam, à Belgis cæsus est, circa An. Chr. 1639.

Fridericus *Ulricus*, Dux Brunsvicensis, filius Henrici Julii, extincti An. Chr. 1613. Brunsvicum obsedit An. Chr. 1615. sed interpositione Regis Daniæ, plurimorumque Principum & Civitatum pax sequenti anno conclusa, & à civibus, servatis privilegiis, Duci homagium præstitum est. In causâ Grubenhagia damnatus; translationem Electoratus in Bavarum palàm improbavit, Ann. Chr. 1623. In bello Danico, Regis avunculi partes secutus; post prælium ad Lutteram, ad Cæsarem rediit: Guelferbytum, per Pappenhemium, domuit: cùm Lipsiæ ob defensionem Evangelici convenissent, legatos quoque suos eò misit. Obiit An. Chr. 1634. ultimus sui rami, qui *Guelferbytanus* dictus est, hæredibus agnatis Lunæburgiis.

Ulricus, Comes Wirtembergicus, & Dominus Beutelspacensis, filius Conradi, quem, *Ulrici* Beutelspacensis ex filia Wirtemb. generum ac hæredem, ab Henrico IV. Imp. Comitem Wirtembergensem creatum fuisse, tradunt. Pater fuit Johannis, à quo hodierni Wirtembergici Duces descendunt, quique inter filios *Ulricum* Eberhardi I. genitorem habuisse dicitur.

Ulricus, filius Eberhardi I. modò memorati, Uracum arcem ab Henrico Comite Furstenbergico emit, dictusque est *Ulricus cum magno pollice*, quem dextrum majorem habebat. Ei Gulielmus Hollandus Imperator advocatiam Monasterii *Denckendorff* concessit. Pater fuit Eberhardi cognomine *Illustris* vel *Rixosi*: quo genitus

Ulricus, à Comite Schlüsselburgio, Comitat. Grœningensem An. Chr. 1336. emptionis jure accepit: quemadmodum Tubingam, à Goezzone & Wilhelmo fratribus, Comitibus Palatinis Tubingæ, An. Chr. 1342. Cùm An. Chr 1339. è Comitiis Metensibus rediret, à Domino Vinstingensi absq; causa captus, 10000 marcis argenti libertatem redemit; Pater Eberhardi Contentiosi, cujus filius *Ulricus*, arcem Staufensem à Nobilibus Riedhemiis emit, in prælio ad Wilam infelici cæsus Ann. Chr. 1388. alter verò filius Eberhardus Mitis, genuit Eberhardum junior. cujus filii, Ludovicus Uracensem, & *Ulricus* Stutgardianam, lineæ otii sunt.

Ulricus, cognomine *Adamantus*, vel *Gottes-Niessvuurtz* [illegible] Eberhardi jun. Stutgardiæ lineæ conditor, emit An. Chr. [illegible] à Ludovico Bavar. Duc. dominium *Heidenheim*, & arcem *Hel[illegible]stein.* Variis bellis implicitus, recessit An. Chr. 1480. De [illegible] tutibus & defectibus, Vide Naucler. *Vol.* 3. *gener.* 49. Pa[illegible] Elisabetha Bavarica, Eberhardi & Henrici, qui *Ulricum* [illegible] Ducalis primæ, & Georgium, Montispelicardensis & Ducalis secundæ, auctores genuit.

Ulricus, filius Henrici modò dicti, ab Eberhardo Barbato Stutgardiæ educatus est. Successor dein pulsi à Maximil. suo Imperatore patrui Eberhardi, An Chr. 1484. in bello Bavarico Palatinos aggressus, plurima occupavit. A Ferdinando No[illegible] jus suum, quod habebat, ex fideicommisso, in domin[illegible] til. Hericurtæ, Clemontii, Chastelotii & Insularum, certa pecuniæ summâ emit: arcemque Blamontium vi recepit. Postea cùm suorum exasperâsset animos, & Reutlingam vexare non desineret, à Suevici fœderis sociis Ducatu ejectus est, An. Chr. 1522 quem Cæsar Ferdinando fratri suo contulit. Sed, victis ad Lauffenam Austriacis, An. Chr. 1534. à Landgravio Philippo est restitutus. Fœderi dein Smalcaldico nomen dedit, & Evangelium amplexus est: Obiit Ann. Christi 1547. Pater Christophori, cujus filius Ludovicus cognomine Pius, auctor Collegii Illustris Tubingensis Ann. Chr. 1589. lineam terminavit, extinctus An. Christi 1593.

Ulricus, filius Johannis Friderici Ducis Wirtembergici [illegible] sub Cæsare & Electore Bavariæ meruit, ac ad Augustam [illegible] Ann. Christi 1648. strenuè se gessit. Inde in Belg[illegible] militavit, postea aliquot annis auspicia Gallica sequutus [illegible] lo tandem Turcico equitatui Generalis præfectus est. [illegible] haud pridem.

Ulricus, filius Alberti Formosi, Ducis Megapolitani, E[illegible] Suerinensis. Frater fuit Jo. Alberti, qui ambo doct[illegible] rum fautores, simul Rostochiensem Academiam dotarent. [illegible] quibus universa Principatus administratio communiter [illegible] rat, Megapolis, quidquid in judiciorum publicorum atque [illegible] ordinatione salubriter institutum habet, refert acceptum. [illegible]

Ulricus

Ulricus Ann. Christ. 1603. Pater, ex Elisabetha Danica Sophiæ Reg. Daniæ.

Ulricus, filius Bogislai XIII. Pomeraniæ Ducis, An. Chr. 1602. extincti, Episcopus Caminensis. Obiit An. Chr. 1622. Frater Bogislai XIV. qui familiam clausit An. Chr. 1637. Fuit quoque hoc nomen aliquot Ducum ex veteri Zeringio-Teccia familia. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge. Geneal. Histor.*

Ulricus, Comes Pfiretarum, floruit sec. 14. Ejus viduâ in uxorem ductâ Rudolfus Hesso Marchio Badensis, dominia Hericuriæ & Bellifortii tenuit, sed absque liberis extinctus, Ann. Chr. 1332. filiam verò unicamque hæredem ejus Johannam, sibi matrimonio junxit Albertus Sapiens Archidux Austriæ, filius Alberti I. Imperatoris.

Ulricus, Ciliæ Comes, magni nominis, sub Ladislao Posthumo Hungariæ & Bohemiæ Reg. ob tutelam hujus Fridericum III. Imper. acriter vexavit: à Ladislao, qui Johanni Hunniadi Ungariam, & Georgio Podiebradio Bohemiam gubernandam tradidit, Austr. præfectus. Sed quòd nobilitati gravis esset, aulâ Regiâ exul, inconstantis Fortunæ insigne documentum fuit. Mox Eyzingero, qui illum de gradu dejecerat, exturbato, Regi reconciliatus: tandem, quòd Hunniadis auditâ morte, velut sublato æmulo, jam solus in aula dominaturus, exultasset, à Ladislao Hunniadis filio, obtruncatus est, An. Chr. 1456. Vide Æneam Sylvium, *Histor. Bohem.*

Viri illustres & clari.

Ulricus Fuggerus, Raimundi filius, Kirchbergæ & Welsshorni Dominus, in Pauli III. Pontif. Roman. cubiculo Veritatis lumen, ex familia primus agnovit, exulque vixit, apud Fridericum III. Electorem Palatinum. Obiit An. Christ. 1584. Bibliothecâ suâ, in qua eximius Manuscriptorum thesaurus, Friderico Quarto Electori legatâ.

Ulricus Han, seu *Haen*, natione Germanus, ex municipibus Johannis Gutenbergii, unius ex inventæ seculo decimo quinto Typographicæ artis Triumviris, primus formas librarias, rem inauditam, nec unquam Romanis visam, Romam attulit, circa Ann. Chr. 1471. Cujus nominis amphibologiâ (namque Latinè *Gallus Gallinaceus* redditur) deceptus Antonius Campanus, ob istam primitivam in Italiam Typographiæ illationem, non solùm hunc Ulricum pro primo artis inventore habuit, sed etiam, quòd eum patria & natione ita appellatum credidit, cùm esset familiæ nomen hominis è Germania oriundi, Gallis repertæ tantæ rei gloriam asseruit: Secutique sunt errorem ejus etiam alii. Itaque hic Ulricus *Han*, cùm divino hoc opificio, rem literariam Romæ ex copia ad ingentem ubertatem adduxisset, in illum præfatus Campanus hoc lusit tetrasticho:

Anser Tarpeji custos Jovis, unde quòd alis
Constreperes Gallus decidit, ultor adest
Ulricus Gallus, ne quem pascantur in usum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.

Ulricus Zasius, Constantiensis JC. Vir priscorum morum, & antiquæ virtutis exemplar, primas inter Jurisconsultos Germaniæ obtinuit, & jus Civile commentariis doctissimis illustravit: Obiit Friburgi Brisgojæ An. Chr. 1635. ætat. 74. Etiam ab Italis, raris alioqui Ultramontanorum laudatoribus, summo in pretio habitus. Theod. Zuing. *Theatr. lib. 1.*

Ulricus, vel *Huldericus Zuinglius*, Helvetius, probis Parentibus natus, in Doggii Comitatus vico, quem Sylvestrem domum, German. *Wildhauss* vocant, Reformator Ecclesiæ Tigurinæ celeberrimus. Biennio, antequam Lutherus in Saxonia surgeret, Glaronæ in Helvetia Christum annuntiavit: cùm idem jam decem antè annis Græcanicis literis eâ causâ operam dedisset, ut ex fontibus doctrinam Christi hauriret, Pareus *in dedic. Tom. 3.* Tigurum dein vocatus, magno animo ingens & periculosæ plenum aleæ opus aggressus, contra Bernhardum Samsonem Mediolanensem, instituti Francisc. (qui Indulgentias in Helvetia, sicut Tezelius in Germania, venum exponebat, publicè Badæ exclamans: *Ecce volant, Ecce volant*, animas indignans è Purgatorio vi Indulgentiarum cœlum petentes) magno zelo concionatus est, lumenque, discussis tenebris, feliciter reduxit. Scripsit plurima, quæ 4. Vol. in fol. prodierunt Tiguri Ann. Chr. 1544. 1581. & 1595. Obiit in prælio, contra Quinquepagicos, cui Pastorem, ex more gentis, interesse necesse erat, An. Chr. 1531. ætat. 48. Melch. Adami, *Vir omni disciplinarum genere solidè doctus, qui beneficio trium linguarum principum, quas egregiè calluerat, felicissimè Scripturas scrutabatur & tractabat: Idiomate suo, id est, Sermone Helvetico habitus disertissimus*, Verheid. *Stando conficit omnia sua studia, certas eis horas, quas non omisit, nisi coactus. A summo mane ad decimam lectioni, interpretationi, doctrinæ, scriptioni dabat operam, prout temporis & rerum postulabat ratio. Post prandium audiebat vel narrantes, vel consilia rogitantes, aut confabulabatur, aut deambulabat cum amicis usque ad horam sec. hinc ad labores redibat: quos in mediam interdum noctem produxit*, Oswaldus Myconius *in de Vita & Obitu Zuinglii.* Vide quoque infra in voce Zuinglius.

Divino Helvetios monitu, caligine pulsâ,
Adduxi ad lucis limina sancta meos.

Ulricus, Vide quoque *Huldericus*, & *Udalricus*.

Ulterior portus, Galliæ in Caletis locus, à situ nomen accepit: est enim Aucâ vel Auco portu portus ulterior, ac mari propior, vulgò *Tresport*. Hic Monasterium S. Michaëlis condidit Robertus Comes Aucensis, circa An. Chr. 1036. quod est in municipio maritimo Cœnobium Benedictinorum, in diœc. Rotomagensi & Comitatu Aucensi. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ultonia, sive *Hultonia* cum aspiratione, apud Scriptores Hibernicos, *Ulster*, una ex Hiberniæ regionibus, in Boream contra Scotos vergens, in qua urbes Episcopales quinquaginta olim censebantur, nunc undecim duntaxat, quarum metropolis est Armaca, sive Ardamacha, à Dublinio metropoli Laginiæ 55. mill. pass. Hibernicis in Boream recedens, à Dumbo promontorio 40. in Austrum, à Tuama metropoli Connaciæ supra 100. in Ortum æstivum, à Tuama metropoli Connaciæ supra 100. in Ortum æstivum, à Duno (quod à Dublinio 50. mill. abest) ad 20. per compendium. Cùm autem Hibernia manus similitudinem gerat; *Ultonia* hujus figuræ pollex est, sicut Connacia index, Laginia medius, Momonia medicus & auricularis, Media seu Midia vola; ut his versibus exprimitur:

Pingitur in speciem sinuosa Hibernia palma;
Ultonia est pollex studiis asperrima Martis;
Index Connacia; at medius sit Lagnica tellus, &c.

Ferrar. Baudrando *Ultonia*, vulgò *Ulster* Anglis, Cui Gully Hibernis, id est, provincia *Gully*, Britannis *Vultvv*, Gallis *Ultonie*, Hispanis & Italis *Ultonia*, una est ex quatuor Hiberniæ partibus, ad Hyperboream mare protensa, & hinc Buinda fluvio à Lagenia, illinc Erno lacu & Banno fluvio à Connachtia secluditur: estque regio ampla, sed multis & lacubus & stagnis intersusa: In ea sunt decem Comitatus seu provinciæ minores, nempe Lugensis Comitatus, *Leuth Countye*, Dunensis, *Dovvne Countye*, Antrimensis, *Antrim Countye*, Armacanus, *Armag Countye*, Monaghanus, *Monaghan Countye*, Cavonensis, *Cavon Countye*, Fermanaghensis, *Fermanagh Countye*, Dungalensis, *Countye Dunghall or Tyrconell*, & Colranensis, *Colrane Countye*, qui duplex est, nempe superior & inferior; erantque aliàs in illa regione populi Darnii, Erdini, Rhobogdii, Venicnii, & Voluntii. Ejus autem præcipuæ urbes sunt Dunum, Armacha, & Rupes Fergusii.

Ultoniæ urbes:

Armacha, *Armach.*	Dunum, *Dovvne.*
Derrium, *Derry.*	Dunkeranum, *Dundalk.*
Drogheda, *Droghedâ.*	Kilmoria, *Kilmore.*
Dungalia, *Dunghall.*	Rupes Fergusii, *Knock Fergus.*

Ultor, Jovis epitheton, quòd sceleratorum impia facta ulciscerettur. Huic Agrippa ædem, Pantheon nomine, sacram fecit, cujus descriptionem vide apud Thom. Dempsterum, *Antiquit. Rom. lib. 2. cap. 5.*

Ultrajectum, German. *Utrecht*, urbs ampla Germaniæ inferioris in Batavis; Caput unius ex septem Fœderati Belgii provinciis. Condita est à Dagoberto Francorum Rege, An. Chr. 642. Ejus Episc. Fridericus, Frisiam ab Arii dogmate vindicavit, indignè à Juditha Imperatrice neci traditus, An. C. 826. Hujus successores cùm opibus & potentia crevissent, varia cum vicinis bella gessere, unde An. 1018. à Theodorico Hollandiæ Comite Ultraject. Episc. binis vicibus superatum, refert Matth. Vossius *in Annal. lib. 1.* Philippus Burgundus postea hujus Eccles. Episcopus, cùm à Maximiliano II. Legatus ad Julium II. Pontific. Roman. ivisset, Româ tantùm non Evangelicus rediit, ita ipsi nihil ibi, præter cœlum & solum, lapides & ligna, ac civesillos Romanos, placuit: ut testatur Gerardus Noviomagus, *in vita ejus Margaretæ Austriacæ dedicatâ.* Ab urbis oppugnatione Hispanus miles, Lugduno discedens, qui eam sibi prædæ destinaverat, depulsus est, Ann. Chr. 1575. Postea fœderi accessit, imo locus fœderis fuit inde *Trajectini* dicti, quo plurimis Belgii provinciis ad imperium Philippi Regis redeuntibus, Guilielmus Princeps Arausion. arctiori fœdere illigavit evocatos illuc Ordines ejus nationis, tum Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ ejus quæ circa Lavicum fluv. & ejus, quæ inter id flumen & Amasium est: cujus summam vide apud Hug. Grotium, *Annal. libr. 3.* Academia hic aperta est. An. Chr. 1636. vocatis undiq; ad Professiones Viris doctissimis: & gratulata est ejus natali excellenti carmine Anna Maria à Schurmann, virgo supra sexum in linguis & scientiis docta. In potestatem Gallorum venit An. Chr. 1672. ab iisdem deserta An. Chr. 1674. Patria fuit Hadriani VI. Pontific. qui Caroli V. Imper. fuerat præceptor. In cujus honorem cùm celebres Batavi ludos darent, tapetibus ac parietibus ascribentes, *Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, Cæsar incrementum dedit:* adjecit quidam, *Hic Deus nihil fecit, &c.* Vide quoque in voce *Trajectum.*

Ultza, vulgò *Ultzen*, urbs Duc. Lunebug. ad amnem *Ilmenovv*, 5. millar. German. supra Luneburgum in Merid. quot à Dannebergâ in Occid.

Ulubræ, oppid. Latii, apud Velitras urb. ubi Augustus Cæsar educatus, est excisum. Juvenal. *Sat. 10.*

Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris.

Horatius *lib. 1. epist. 11.*

Ulricus Ann. Christ. 1603. Pater, ex Elisabetha Danica Sophiæ Reg. Daniæ.

Ulricus, filius Bogislai XIII. Pomeraniæ Ducis, An. Chr. 1602. extincti, Episcopus Caminensis, Obiit An. Chr. 1622. Frater Bogislai XIV. qui familiam clausit An. Chr. 1637. Fuit quoque hoc nomen aliquot Ducum ex veteri Zeringio-Teccia familia. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Histor.*

Ulricus, Comes Pfiretarum, floruit sec. 14. Ejus viduâ in uxorem ductâ Rudolfus Hesso Marchio Badensis, dominia Hericuriæ & Bellifortii tenuit, sed absque liberis extinctus, Ann. Chr. 1332. Filiam verò unicamque hæredem ejus Johannam, sibi matrimonio junxit Albertus Sapiens Archidux Austriæ, filius Alberti I. Imperatoris.

Ulricus, Ciliæ Comes, magni nominis, sub Ladislao Posthumo Hungariæ & Bohemiæ Reg. ob tutelam hujus Fridericum III. Imper. acriter vexavit: à Ladislao, qui Johanni Hunniadi Ungariam, & Georgio Podiebradio Bohemiam gubernandam tradidit, Austr. præfectus. Sed quòd nobilitati gravis esset, aulâ Regiâ exul, inconstantis Fortunæ insigne documentum fuit. Mox Eyzingero, qui illum de gradu dejecerat, exturbato, Regi reconciliatus: tandem, quòd Hunniadis auditâ morte, velut sublato æmulo, jam solus in aula dominaturus, exultasset, à Ladislao Hunniadis filio, obtruncatus est, An. Chr. 1456. Vide Æneam Sylvium, *Histor. Bohem.*

Viri illustres & clari.

Ulricus Fuggerus, Raimundi filius, Kirchbergæ & Welsshorni Dominus, in Pauli III. Pontif. Roman. cubiculo Veritatis lumen, ex familia primus agnovit, exulque vixit, apud Fridericum III. Electorem Palatinum. Obiit An. Christ. 1584. Bibliothecâ suâ, in qua eximius Manuscriptorum thesaurus, Friderico Quarto Electori legatâ.

Ulricus Han, seu *Haen*, natione Germanus, ex municipibus Johannis Gutenbergii, unius ex inventæ seculo decimo quinto Typographicæ artis Triumviris, primus formas librarias, rem inauditam, nec unquam Romanis visam, Romam attulit, circa Ann. Chr. 1471. Cujus nominis amphibologiâ (namque Latinè *Gallus Gallinaceus* redditur) deceptus Antonius Campanus, ob istam primitivam in Italiam Typographiæ illationem, non solùm hunc Ulricum pro primo artis inventore habuit, sed etiam, quòd eum à patria & natione ita appellatum credidit, cùm esset familiæ nomen hominis è Germania oriundi, Gallis repertæ tantæ rei gloriam asseruit: Secutique sunt errorem ejus etiam alii. Itaque hic Ulricus *Han*, cùm divino hoc opificio, rem literariam Romæ ex inopia ad ingentem ubertatem adduxisset, in illum præfatus Campanus hoc lusit tetrasticho:

> *Anser Tarpeji custos Jovis, unde quòd alis*
> *Constreperes Gallus decidit, ultor adest*
> *Ulricus Gallus, ne quem pascantur in usum,*
> *Edocuit pennis nil opus esse tuis.*

Ulricus Zasius, Constantiensis JC. Vir priscorum morum, & antiquæ virtutis exemplar, primas inter Jurisconsultos Germaniæ obtinuit, & jus Civile commentariis doctissimis illustravit: Obiit Friburgi Brisgojæ An. Chr. 1635. ætat. 74. Etiam ab Italis, raris alioqui Ultramontanorum laudatoribus, summo in pretio habitus. Theod. Zuing. *Theatr. lib. 1.*

Ulricus, vel *Huldericus Zuinglius*, Helvetius, probis Parentibus natus, in Doggii Comitatus vico, quem Sylvestrem domum, German. *Wildhauß* vocant, Reformator Ecclesiæ Tigurinæ celeberrimus. Biennio, antequam Lutherus in Saxonia surgeret, Glaronæ in Helvetia Christum annuntiavit: cùm idem jam decem antè annis Græcanicis literis eâ causâ operam dedisset, ut ex fontibus doctrinam Christi hauriret, Pareus *in dedic. Tom. 3.* Tigurum dein vocatus, magno animo ingens & periculosæ plenum aleæ opus aggressus, contra Bernhardum Samsonem Mediolanensem, instituti Francisc. (qui Indulgentias in Helvetia, sicut Tezelius in Germania, venum exponebat, publicè Badæ exclamans: *Ecce volant, Ecce volant*, animas indigitans è Purgatorio vi Indulgentiarum cœlum petentes) magno zelo concionatus est, lumenque, discussis tenebris, feliciter reduxit. Scripsit plurima, quæ 4. Vol. in fol. prodierunt Tiguri Ann. Chr. 1544. 1581. & 1595. Obiit in prælio, contra Quinquepagicos, cui Pastorem, ex more gentis, interesse necesse erat, An. Chr. 1531. ætat. 48. Melch. Adami, *Vir in omni disciplinarum genere solidè doctus, qui beneficio trium linguarum principum, quas egregiè calluerat, felicissimè Scripturas scrutabatur & tractabat: Idiomate suo, id est, Sermone Helvetico habitus disertissimus*, Verheid. *Stando confecit omnia sua studia, certas eis tribuens horas, quas non omisit, nisi coactus. A summo mane ad horam decimam lectioni, interpretationi, doctrinæ, scriptioni dabat operam, prout temporis & rerum postulabat ratio. Post prandium audiebat vel narrantes, vel consilia rogitantes, aut confabulabatur, aut deambulabat cum amicis usque ad horam sec. hinc ad labores redibat: quos in mediam interdum noctem produxit*, Oswaldus Myconius *in de Vita & Obitu Zuinglii*. Vide quoque infra in voce *Zuinglius*.

> *Divino Helvetios monitu, caligine pulsâ,*
> *Adduxi ad lucis limina sancta meos.*

Ulricus, Vide quoque *Huldericus*, & *Udalricus*.

Ulterior portus, Galliæ in Caletis locus, à situ nomen accepit: est enim Aucâ vel Aueo portu portus ulterior, ac mari propior, vulgò *Tresport*. Hic Monasterium S. Michaëlis condidit Robertus Comes Aucensis, circa An. Chr. 1036. quod est in municipio maritimo Cœnobium Benedictinorum, in diœc. Rotomagensi & Comitatu Aucensi. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Ultonia, sive *Hultonia* cum aspiratione, apud Scriptores Hibernicos, *Ulster*, una ex Hiberniæ regionibus, in Boream contra Scotos vergens, in qua urbes Episcopales quinquaginta olim censebantur, nunc undecim duntaxat, quarum metropolis est Armaca, sive Ardamacha, à Dublinio metropoli Laginiæ 55. mill. pass. Hiberniciis in Boream recedens, à Dumbo promontorio 40. in Austrum, à Tuama metropoli Connaciæ supra 100. in Ortum æstivum, à Tuama metropoli Connaciæ supra 100. in Ortum æstivum, à Duno (quod à Dublinio 50. mill. abest) ad 20. per compendium. Cùm autem Hibernia manus similitudinem gerat, *Ultonia* hujus figuræ pollex est, sicuti Connacia index, Laginia medius, Momonia medicus & auricularis, Media seu Midia vola; ut his versibus exprimitur:

> *Pingitur in speciem sinuosa Hibernia palmæ;*
> *Ultonia est pollex studiis asperrima Martis;*
> *Index Connacia; at medius sit Lagnica tellus, &c.*

Ferrar. Baudrando *Ultonia*, vulgò *Ulster* Anglis, *Cui Gully* Hibernis, id est, provincia *Gully*, Britannis *Vultvu*, Gallis *Ultonie*, Hispanis & Italis *Ultonia*, una est ex quatuor Hiberniæ partibus, ad Hyperboreum mare protensa, & hinc Buinda fluvio à Lagenia, illinc Erno lacu & Banno fluvio à Connachtia secluditur: estque regio ampla, sed multis & lacubus & stagnis interfusa: In ea sunt decem Comitatus seu provinciæ minores, nempe Lugensis Comitatus, *Louth Countye*, Dunensis, *Dovvne Countye*, Antrimensis, *Antrim Countye*, Armacanus, *Armag Countye*, Monaghanus, *Monaghan Countye*, Cavonensis, *Caven Countye*, Fermanghensis, *Fermanagh Countye*, Dungalensis, *Countye Dunghall or Tyrconell*, & Colranensis, *Colrane Countye*, qui duplex est, nempe superior & inferior; erantque aliàs in illa regione populi Darnii, Erdini, Rhobogdii, Venicnii, & Voluntii. Ejus autem præcipuæ urbes sunt Dunum, Armacha, & Rupes Fergusii.

Ultoniæ urbes:

Armacha, *Armach.*	Dunum, *Dovvne.*
Derrium, *Derry.*	Dunkeranum, *Dundalk.*
Drogheda, *Droghedà.*	Kilmoria, *Kilmore.*
Dungalia, *Dunghall.*	Rupes Fergusii, *Knock Fergus.*

Ultor, Jovis epitheton, quòd sceleratorum impia facta ulcisceretur. Huic Agrippa ædem, Pantheon nomine, sacram fecit, cujus descriptionem vide apud Thom. Dempsterum, *Antiquit. Rom. lib. 2. cap. 5.*

Ultrajectum, German. *Utrecht*, urbs ampla Germaniæ inferioris in Batavis; Caput unius ex septem Fœderati Belgii provinciis. Condita est à Dagoberto Francorum Rege, An. Chr. 642. Ejus Episc. Fridericus, Frisiam ab Arii dogmate vindicavit, indignè à Juditha Imperatrice neci traditus, An. C. 826. Hujus successores cùm opibus & potentiâ crevissent, varia cum vicinis bella gessere, unde An. 1018. à Theodorico Hollandiæ Comite Ultraject. Episc. binis vicibus superatum, refert Matth. Vossius *in Annal. lib. 1.* Philippus Burgundus postea hujus Eccles. Episcopus, cùm à Maximiliano II. Legatus ad Julium II. Pontific. Roman. ivisset, Româ tantùm non Evangelicus rediit, ita ipsi nihil ibi, præter cœlum & solum, lapides & ligna, ac cives illos Romanos, placuit; ut testatur Gerardus Noviomagus, *in vita ejus Margaretæ Austriacæ dedicatâ.* Ab urbis oppugnatione Hispanus miles, Lugduno discedens, qui eam sibi prædæ destinaverat, depulsus est, Ann. Chr. 1575. Postea fœderi accessit, imo locus fœderis fuit inde *Trajectini* dicti, quo plurimis Belgii provinciis ad imperium Philippi Regis redeuntibus, Guilielmus Princeps Arausion. arctiori fœdere illigavit evocatos illuc Ordines ejus nationis, tum Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ ejus quæ circa Lavicum fluv. & ejus, quæ inter id flumen & Amasium est: cujus summam vide apud Hug. Grotium, *Annal. libr. 3.* Academia hic aperta est, An. Chr. 1636. vocatis undiq; ad Professiones Viris doctissimis: & gratulata est ejus natali excellenti carmine Anna Maria à Schurmann, virgo supra sexum in linguis & scientiis docta. In potestatem Gallorum venit An. Chr. 1672. ab iisdem deserta An. Chr. 1674. Patria fuit Hadriani VI. Pontific. qui Caroli V. Imper. fuerat præceptor. In cujus honorem cùm celebres Batavi ludos darent, tapetibus ac parietibus ascribentes, *Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, Cæsar incrementum dedit:* adjecit quidam, *Hic Deus nihil fecit, &c.* Vide quoque in voce *Trajectum.*

Ultza, vulgò *Ultzen*, urbs Duc. Lunebug. ad amnem *Ilmenovv*, 5. milliar. German. supra Luneburgum in Merid. quot à Dandebergâ in Occid.

Ulubræ, opp. Latii, apud Velitras urb. ubi Augustus Cæsar educatus, est excisum. Juvenal. *Sat. 10.*

> *Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris.*

Horatius *lib. 1. epist. 11.*

— *Quod petis hic est,*
Est Ulubris, animus si te non deficit æquus.

Ululeus, Vib. Seq. seu *Ululens*, ut alii legunt, *Argento* Ortelio, ex tabb. rec. & Castaldo, fluvius Macedoniæ, juxta Dyrrachium decurrens.

Ulusubrum, vide *Ulizibira*.

Ulyssea, Hispan. Bæt. locus, in quo Minervæ fanum. Super Abdaram in montanis est Straboni.

Ulysses, rex Ithacæ & Dulichii insularum, filius Laërtæ & Anticleæ, quanquam non desunt, qui ex Sisypho conceptum velint, qui Anticleæ, cùm ad Laërtæ nuptias duceretur, vim dicitur obtulisse. Unde Ajax apud Ovid. *Metam.* 13.

— *Quid sanguine cretus*
Sisyphio, furtisq; & fraude simillimus illi,
Inseris Æacidis aliena nomina gentis?

Fingitur ab Homero vir multâ præditus facundiâ, nec minore experientiâ, vafer consilio, egregius bello, laborum patientissimus. *Odyss.* 1.

Μοῦσά μοι ἔννεπε ἄνδρα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
Πολλῶν δ᾽ ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Quos versus ita Latinè reddidit Horatius:

Dic mihi Musa virum captæ post tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Idem alibi *Epist.* 1. 2. ubi de Homero:

Rursus quid virtus, & quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem.
Qui domitor Trojæ multorum providus, urbes
Et mores hominum inspexit, latumq; per æquor
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.

Uxorem habuit Penelopen, Icarii filiam, ex qua Telemachum filium suscepit, eamque tantopere adamavit, ut reliquis Græcorum principibus, ad bellum Trojanum, proficiscentibus, ipse insaniam simulaverit, futurum sperans, ut tanquam bello inutilis domi relinqueretur. Junctis itaque duobus diversi generis animalibus, litus proscindebat, & frugum loco salem serebat. Palamedem tamen virum prudentissimum latere non potuit, qui, ut technam illius detegeret, aranti illi Telemachum filium in sulco objecit: quod Ulysses conspicatus, ne filium læderet, aratrum sublevavit. Quo argumento facilè deprehensum est, non veram illam, sed simulatam esse insaniam. Verùm de hâc re Ciceronem audire operæ pretium fuerit. Sic autem ille *libr.* 3. *de Offic. Utile videbatur Ulyssi, ut quidam poëtæ Tragici voluerunt: nam apud Homerum optimum auctorem, talis de Ulysse nulla suspicio est: sed insimulant eum tragœdiæ, simulatione insaniæ, militiam subterfugere voluisse. Non honestum consilium. At utile (ut aliquis fortasse dixerit) regnare, & Ithacæ vivere otiosè cum parentibus, cum uxore, cum filio? At quid auditurum putas fuisse Ulyssem, si in illâ simulatione perseverasset? qui cùm maximas res gesserit in bello, tamen hæc audivit ab Ajace:*

Cujus ipse princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.
Furere assimulavit, ne coiret, institit;
Quodni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepsit malitiosam audaciam,
Fidei sacratæ jus perpetuo falleret.

Pertractus itaque ad Trojam, strenuam, utilissimamque eo in bello Græcis operam navavit. Nam & Achillem, inter Lycomedis regis filias, virginali habitu latitantem, ad bellum perduxit, & sagittas Herculis à Philoctete impetratas ad Trojam pertulit. Cinerem prætereà Laomedontis, qui super Scæâ portâ Ilii servabatur, clam sustulit, Palladiumque unà cum Diomede ex Trojâ, cæsis custodibus, rapuit. Missus deinde explorator cum eodem Diomede, Rhesum Thraciæ regem, occidit, equosque ejus abduxit:

— — *Priusquam*
Pabula gustassent Trojæ, Xanthumq; bibissent.

Uti loquitur Virgilius. Erant autem hæc omnia in Trojanorum fatis, sine quibus eorum urbs expugnari non poterat. Cum Palamede frumentationis causâ gravissimas inimicitias exercuit, quem tandem, per calumniam circumventum, lapidibus obruendum curavit. Occiso Achille, in armorum illius judicio, Ajaci prælatus est:

— *Fortisq; viri tulit arma disertus.*

Uti loquitur Ovidius. Captâ autem Trojâ, Orsilochum Idomenei Cretensis regis filium obstantem, ne legitima pars prædæ sibi divideretur, exortâ rixâ, interemit. Denique Polyxenâ ad Achillis tumulum jugulatâ, atque Astyanacte Herculis filio è turri præcipitato, cùm navim conscendisset, tanquam in patriam rediturus, gravi exortâ tempestate, primùm in Ciconum litus pulsus est. Atque inde rursus solvens simili tempestate ejectus in Africam, ad Lothophagorum gentem pervenit: ubi cùm socii lotum gustassent, ægrè inde potuerunt avelli. De quo Homerus *Odyss.* 1.

Οἱ δὲ αὐψ᾽ εἰχόμενοι μίγλο ἀνδράσι Λωτοφάγοισιν,
Οὐδ᾽ ἄρα Λωτοφάγοι μήδονθ᾽ ἑτάροισιν ὄλεθρον
Ἡμετέροις, ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι.
Τῶν δ᾽ ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκ ἔτ᾽ ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι.

Ovidius:

Sic nova Dulichio Lotos gustata palato,
Illo quo nocuit grata sapore fuit.

Idem:

Nec degustanti lotos amara fuit.

Inde rursus vela faciens in Siciliam delatus est, ubi Polyphemi antrum cum duodecim sociis intravit, ex quibus cùm Cyclops sex devorasset, oculum ei eruit præusto stipite, pellibusque arietum involutus cum superstitibus antrum evasit. Hinc in Æoliam navigans ab Æolo ventos in utrem coactos obtinuit. Verùm cùm jam Ithacæ proximus esset, socii, thesaurum esse credentes, utrem solverunt: quo facto reflantibus ventis denuo in Æoliam repulsus est: sed ab Æolo abactus ad Læstrygonas devenit, quos ob immanitatem fugiens, ad Circen pervenit, quæ cùm exploratores ejus in belluas mutasset, ipse sumpto à Mercurio pharmaco, accessit impavidus, & stricto gladio eam coëgit, ut socios pristinæ formæ restitueret: quod cùm fecisset, ejus postea consuetudine usus per totum annum, suscepit ex eâ Telegonum filium. Hesiodus verò *Agrium* & *Latinum* ex Circe genuisse dicit, *vers.* 1011.

Κίρκη δ᾽ Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο,
Γείνατ᾽ Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν φιλότητι
Ἄγριον, ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε.

Ægrè dein ab eâ dimissus ad Oceanum pervenit, unde peractis factis ad inferos descendit, ibique de Anticleâ matre, & Elpenore Tiresiâ vate multis de rebus certior factus, revertitur ad Circen: & Elpenorem socium, qui nuper inebriatus de scalis deciderat, honorificâ prosequitur sepulturâ. Post hæc, ad insulam Sirenum delatus est, quarum cantus ne audiret, sociis aures cerâ obturavit: se autem ad malum alligari fecit, eaque ratione illarum insidias tutus evasit. Horatius ubi *suprà*:

Sirenum voces & Circes pocula nosti:
Quæ si cum sociis stultus cupidusq; bibisset,
Sub dominâ meretrice fuisset turpis & excors.
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Juvenalis:

— *Nam cùm pro me Fortuna rogatur,*
Affigit ceras illa de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

Festus Avienus *de Sirenibus, in Epigram. vet. lib.* 4.

Illectos nautas dulci modulamine vocis
Mergebant avidæ fluctibus Joniis:
Sanguine Sisyphio generatus magnus Ulysses,
Hâc tutos solâ præstitit arte suos.
Illevit cerâ sociorum callidus aures,
Atq; suas vinclis præbuit ipse manus.
Transiliit scopulos, & inhospita litora classis,
Illæ præcipites desiluere freto.

Inde Scyllam transiens & Charybdim, non sine maximo periculo, in Siciliam venit, ad eadem loca, ubi Phaerusa Solis filia cum duabus sororibus greges patris pascebat, à quibus vim omnem abstineri jussit. Sed ipso dormiente, socii fame coacti, suadente etiam Eurylocho, plura ex gregibus animalia mactaverunt: quod scelus postea naufragio luerunt. Homerus *Odyss.* a. de sociis Ulyssis:

Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο,
Νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς Ὑπερίονος Ἠελίοιο
Ἤσθιον, αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ.

Adeò ut ex omnibus solus sit servatus Ulysses, qui, arrepto navis malo, novem diebus à vento & undis huc illuc agitatus, tandem ad Ogygiam insulam appulsus, à Calypso Nymphâ susceptus est, septemque annis consuetudine ejus usus, Nausithoum, & Nausinoum filios, ut Hesiodo placet, ex eâ genuit. Post hæc, misertus ejus Jupiter, Mercurio in Ogygiam misso imperat Deæ, ut Ulyssem missum faciat. Confectâ itaque rate Ulysses rursus mari se committit. Verùm cùm jam Phæacia in conspectu esset, subitò immissa à Neptuno tempestas navem fregit, actumque de eo omnino fuisset, nisi ejus miserta Leucothoë tabulam ei suppeditasset, cui ille innitens, incolumis in Phæacensium portum adnavit, ibidemque quòd nudus esset, inter frondes sese occultavit. Verùm non multo pòst à Nausicaâ filiâ Alcinoi repertus, vestes accepit. Deinde Palladis operâ ad Aretem ejusdem Alcinoi conjugem deductus dono navem & socios accepit, qui eum in Ithacam reduxerunt, ubi cùm dormientem cum donis deposuissent, tandem excitatus à Pallade, ipsius monitu habitum mendici accepit, eoque modo ad subulcos suos pervenit, apud quos Telemachum quoque vidit. Demum ab Eumæo porcario incognitus domum ducitur, ubi post multas injurias sibi à procis illatas, tandem ab Euryclea nutrice agnitus, arma ex composito cum filio & 2. subulcis, quibus se indicarat, adversus procos sumens, eos ad unum omnes trucidavit, atque sic Penelopem recepit. Porro cùm ex oraculo didicisset, se à filio interemptum iri, in

locis

locis abditis vivere decrevit. Telegonus autem fil. ex Circe susceptus patrem suum videre cupiens, Ithacam profectus est, ubi cùm incognitus à domo patris prohiberetur, ortâ contentione, patrem incognitum spinâ venenosa Trygonis piscis transfixit. Mythologiam ejus habes apud Nat. Com. *lib.* 9. *cap.* 1. Labores ejus breviter descripsit Tibullus *lib.* 4. *ad Messalam*, ubi de Ulysse:

Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumq; manus adversis reppulit armis;
Non valuit Cyclops coeptos avertere cursus:
Cessit & Ætnaa Neptunius incola rupis
Victa Maronao fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos;
Incultos adiit Læstrygonas, Antiphatenq;,
Mobilis Artacia gelidos quos irrigat unda.
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaq; vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
Queis nunquam candente dies apparuit ortu,
Sive super terras Phœbus, seu curreret infra.
Vidit ut inferno Plutoni subdita regna
Magna Deûm proles levibus discurreret Umbris.
Præteritq; citâ Sirenum litora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis
Nec Scylla sævo conterruit impetus ore,
Cum canibus rapidas inter freta serperet undas,
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis.
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor, & fœcunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis & errorum misero Phæacia tellus.

Brevius autem Propertius 3. 12. hoc pacto,

Postumus alter erit mirandâ conjuge Ulysses,
Non illi longæ tot nocuere moræ.
Castra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustaq; tua mox, Polypheme, gena.
Et Circæ fraudes, lotosq;, herbaq; tenaces,
Scyllaq; & alternâ scissa Charybdis aquâ.
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos,
(Paverat hos Phœbo filia Lampetie)
Et thalamum Ææa flentis fugisse puellæ,
Totq; hyemis noctes, totq; natasse dies:
Nigrantesq; domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renovasse procorum,
Errorisq; sui sic statuisse modum.

Ulysses Aldrovandus, Bononiensis, Philosophus Medicusque insignis. Scripsit tractatus 120. plurimis voluminibus comprehensos: ubi inprimis eminent, quæ de avibus, quadrupedibus, piscibus &c. scripsit. Obiit Ann. 1605. A Maphæo Barberino Cardin. carmine egregio laudatus. Vide Anton. Bumaldum, *in Bibl. Bon.* VanderLinden, *de Script. Med.* Laurentium Crassum, *in Elog.*

Ulyssippo, Olissippo Plin. Oliosippon Ptolem. vulgò *Lisbon* Anglis, *Lisboa* Hispanis, *Lisbona* Italis, *Lisbone* Gallis, urbs Hisp. perampla & splendidissima, Lusitaniæ caput, seu conventus juridicus & regia, Arch. à Bonifacio IX. facta, & emporio clarissima, omniumque urbium Hispan. maxima, 7. collibus imposita, ad Tagum fluv. haud procul ab orâ occiduâ, distans à Toleto 83. & ab Hispali 63. leuc. in Occ. Ab *Ulysse* condita nomen habet, test. Plin. cum Solino. Arcem habet permunitam in colle, & portum, crescitque in dies. Baudrando 2. leuc. ab ostio Tagi, & ab ora Oceani Atl. in Ort. uti 6. à Lunæ prom. 33. à Sacro prom. in Bor. Portum versus 46. circiter, 56. ab Hispali in Circ. 32. à Pace Augusta in Occ. An. 1147. victis Mauris, unà cum Ebora, Helvis & Pace Julia recuperata est, ab Alphonso Rege. In portu urbis hujus classem Hisp. 36. navium diripuit ac incendit, Fr. Dracus Anglus, An. Ch. 1585. postea ex eodem solvit stupenda illa classis, quæ Angliæ exitium minara est, Ann. Chr. 1588. &c. Vide *Olissippo*.

Ulyssis portus, *Odyssea* Ptol. portus olim Siciliæ in orâ ad Ort. apud Engyum, nunc lapidibus ab Ætnâ monte oppletus. *S. Giovanni di Decatria* Fazello. Alius est locus, in ora Or. ubi hodie *Porto di Lognina*, locus parvus, cum turri, in valle Demonæ, 7. m. p. à Catana in Ort. prope Acim amnem, Taurominium versus. Ei adjacent scopuli Cyclopum.

U M.

Uma, opp. Bothniæ, ad ostia fluv. Umæ, cum portu capaci, prope oram Sinus Bothnici. Hinc tractus adjacens Lapponiæ, *Uma Lapmarck*.

Umber, lacus Umbriæ, in Hetruriæ confinio, apud Tiberim. Prop. idem fortè cum Vadimone. Item fluv. Albionis maximus, Bedæ. Vide *Habus* Ptol.

Umbilicus maris, nominatur Paulo Diacono quædam Oceani vorago, quam describit circa littus occidentale Scandiæ. Hujus meminit Sylvester Cambrensis, & nostro tempore Olaus Magnus, sub nomine *Charybdis*. Lucas Aurigarius eum appellat *Maelstroom*, sed proprio nomine *Mousestroome*, eumque à peritis naucleris etiam *navel der Zeé* idem cum umbilico maris sonans vocari addit. Haud procul est à Norvegiæ continente, & ab effectu nomen sortitur. Est enim maris Germanici locus, ubi, teste Ortelio, singulis senis horis crescente Oceano aqua deorsum in barathra demergitur, atque devolvitur rotatione adeò violentâ, undarumque strepitu tam incredibili, ut plenè quis admirari vix possit, nedum describere; & contra eadem totidem horis Oceano decrescente rursum ex imo resurgit, sursumque emergit, atque attollitur tanto impetu, ut nulla sit tam ingentis ponderis moles, neque ullum, quantumvis vastissimum, piscium genus, quod ad fundum subsidere queat; omniaque tunc antea rapta absorptaque, inter quæ interdum naves hominibus & mercibus onustas eructat & evomit. Patet hæc vorago in ambitu ad 13. milliaria Germanica, sive 40. m. p. cujus punctus est scopulus *Mouske* dictus.

Umbranici, pop. fuere Gall. Narb. inter Cemenum montem ad Occ. Vardonem fluv. ad Mer. Rhodanum ad Ort. & Ardescam, quo ab Helviis separantur. Ibi pars est Occitaniæ inf. vulgò Uticensis tractus *l'Uzege*, cuius caput Ucetia, 25. leuc. à Vabris in Ort. Baudr. Valesio, à Volcis Tectosagibus seu Tolosanis non procul abfuerunt: certè pagus, inquit, vulgò dictus *Auraguez* Tolosâ non longè remotus, ab nomine *Umbranicia* patum recedit; sed nihil affirmat, *Notit. Gall.*

Umbrarii, qui ab umbris, i. à Spiritibus responsa expetunt: V. Edictum Theodorici Regis *cap.* 108. Augustin. *Confess. lib.* 10. *cap.* 25. Ubi *Non curo*, ait, *nosse transitus siderum*, *nec anima mea quærit unquam responsa* Umbrarum, *omnia sacrilega sacramenta detestor:* Eundem *lib.* 7. *de civ. Dei*, *cap. ult.* &c.

Umbria, etiam vulgò *l'Ombria*, an ab umbra Apennini? reg. Italiæ ampla, Apen. monte divisa, inter Etruriam ad Occ. Tiberi discreta, & Sabiniam ac Picenum ad Ort. Nare flu. ad Merid. terminata, mari Adriatico ad Bor. *Ombria* olim dicta, teste Plin. qu. ab *imbribus*, vel ab *Umbrone* fluv. teste eodem Plin. Urbes *Narnia*, *Interamna*, *Fulginium*, *Nuceria*, *Assisium*, *Eugubium*, *Tifernum*, *Tudertum*, *Ameria*, & *Spoletium*, à quo nunc ea reg. *Ducatus Spoletinus* dicitur, & hæ sunt Cisapenninæ. Transapenninæ verò *Urbinum*, *Fanum*, *Pisaurum*, *Senogallia*, *Forum Sempronii* & *Callium*. Baudr. *l'Ombrie* Gall. aliàs divisa fuit in Vilumbriam, seu Umbriam trans Apenninum, & Olumbriam seu cis. Ibi hodie pars Romandiolæ, Duc. Urbini, & minuta pars Piceni. Hic territ. Perusinum, ager Civ. Castellanæ, & Ducat. Spoletanus. Umbria autem recens complectitur tantùm Duc. Spoletanum, Gall. *le Duché de Spolete*, vulgò *Umbria*. Terminatur à Sept. Marchiâ Anconitanâ, ab Ortu Aprutio ult. ab Occ. territoriis Perusino & Orivetano, à quibus separatur Tiberi, à Mer. provinciâ Patrimonii & Sabinâ. Tota sub Pontif. Eius urbes præc. Spoletum, caput Prov. Fulginium, Tudertum, Interamna, & Reate.

Urbes Umbriæ hujus temporis.

Ameria, *Amelia*, Episcopalis, libera, id est, à jurisdictione Archiepiscopi exempta.
Assisium, veteribus Æsisium. *Assisi*, Episcopalis, libera.
Burgum S. Sepulchri, sub Archiepiscopo Florentino, & magno Duce, *Borgo di S. Sepolcro.*
Callium, *Cagli*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Camerinum, *Camerino*, in confinio Piceni, in Marchia Anconitana.
Eugubium, *Gubio*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Fanum Fortunæ, *Fano*, Episcopalis, libera, intra fines Ducatus Urbini.
Forum Sempronii, *Fossumbrone*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Fulcinium, *Foligno*, Episcopalis, libera.
Hispellum, *Spello*, olim Episcopalis, sedes Spoletinæ juncta, oppidulum.
Interamna, *Terni*, Episcopalis, libera.
Leopolis, *S. Leo*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Manliana, *Magliano*, sedes Episcopi Sabinensis, in Sabina.
Mevania, *Bevagna*, olim Episcopalis, sede Spoletium deducta, nunc castrum.
Narnia, *Narni*, priùs Nequinum, Episcopalis, libera.
Nuceria, *Nocera*, Episcopalis, libera.
Nursia, *Norcia*, olim Episcopalis.
Ocriculum, *Otricoli*, olim Episcopalis.
Pisaurum, *Pesaro*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Reate, *Rieti*, Episcopalis Sabinorum, libera.
Senogallia, *Sinigaglia*, Episcopalis sub Archiepiscopo Urbinate, in Ducatu Urbini.
Spoletium, *Spoleto*, Episcopalis, libera, Umbriæ caput.
Tifernum geminum: Tiberinum, *Citta di Castello*, Episcopalis, libera,

libera; alterum Metaurense, *S. Angelo in Vado*, sedes Urbaneæ juncta.

Trebia, *Trevi*, olim Episcopalis, sede Spoletium translata, nunc castrum.

Tudertum, *Todi*, Episcopalis, libera.

Vettiona, *Bettona*, olim Episcopalis, nunc castrum.

Urbanca, *Urbanea*, Episcopalis sedes Tiferno Metauro juncta.

Urbinum, *Urbino*, Archiepiscopalis & Ducatus Vrbinatis caput.

Interiere Forum Flaminii, Carsula, Interocrea, & Martula seu Martana urbs. Pop. *Umbri*, ut & Græcis, scriptoribus Ὀμβρικοὶ dicuntur. Patria fuit Propertii poetæ, Sic enim ipse *lib.1. el.22.*

Proxima supposito contingens Umbria campo,
Me genuit terris fertilis uberibus.

Vide Cluverium & Leandr. Albertum *descr.*

Umbriaticum, vulgò *Umbriatico*, urbec. Calabriæ citer. *Brustacia* aliis. Episc. sub Arch. Sibertinensi, ad rad. montium. 12. m. p. à mari Jonio in Occ. 10. à Siberina in Bor. vulgò *Umbriatico*.

Umbrica, seu *um*, oppid. Faliscorum, prope Fescennium Urb. apud Trebam fluv.

Umbricius, haruspex qui 18. Kal. Febr. sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ tristia exta & instantes insidias ac domesticum hostem prædixit. Tacit. in *Hist.*

Umbro, fluv. Hetruriæ, inter Senam & Aretium oriens, in Austrumque fluens, apud Rosetum urb. quam alluit, mari Tyrrheno exceptus. *l'Ombrone*. Baudr. Oritur in agro Senensi, in confinio tractus Florentini, 10. mill. à Senis in Ort. Dein in Mer. tendens, auctus Arbiá infra Bonum conventum, Mersa & Orcia flu. versus Rosetum labitur, & 5. mill. infra in mare Tyrrh. cadit, 7. mill. à Telamone in Circ. Rutilius *lib. 1.*

Tangimus Umbronem: non est ignobile flumen.

Item opp. Hetruriæ in monte S. *Quirico* Annio, in Senensi territorio, à Senis 20. m. p. in via, quæ Romam ducit, occurrens, inter Montem Alcinoum 3. & Piccutiam 2. Ferr.

U N.

Una, Maurit. Ting. fluv. Ptolem. in Oceanum Atlant. fluens, inter Usadium promunt. ad Bor. & Atlantem major. apud Surigam Urbem. *Sus*, teste Marmolio.

Uncha, Assyriæ aut Mesopotamiæ Urbs, apud Curt. *lib.4.* initio. *Oncha* habent alii codd. *Sochos* Arriano *lib.2.*

Undalus, opp. Gall. Narbon. ad Rhodan. fluv. ubi Sulgas fluv. confluit. *Pente de la Sorgue* Paradino. Vel *St. Remy* pagus, teste Johan. Poldo. Vel *Port de Traille*, teste Scaligero, non procul ab Avenione.

Underseа, Latinè *Interlacus*, oppidul. Helvetiæ, ad dextrum Arolam, in Argovia. Olim sub Nobilibus Riedus & Oberhoviis, postea in Habspurgiorum & Austriorum familiam transiit. Occupatum tandem, bello Sempacensi, An. Ch. 1387. à Bernatibus, illis etiamnum subest, regiturque à Sculteto, ex urbe Berna illuc misso. Vide Stumpf. *de Argovia libr. 7. cap.* 22. Jos. Simlerum *descript. Helvet. &c.*

Unelli, pop. sunt inter Celtas ex maritimis civitatibus Oceanum attingentibus. Vulgò *Le pays du Percke.*

Ungari, Scythica gens, sedes sibi legit ac nomine suo insignivit, Ann. Chr. 886. cùm eodem tempore Chrouatæ & Servii, loca illa quæ hodie Croatia & Servia dicuntur, occupassent. Mox evocati inde à Leone Philosopho Imper. Simeonem Bulgarum magna clade affecerunt, An. Chr. 889. Germaniam vastarunt immaniter, Ludovico III. Imper. infelicissimè resistente, circa An. Chr. 902. sed ab illis Germaniam liberavit successor Conradus, An. Chr. 913. cum iisdem, quorum novem duces capti, novennalem pacem percussit Henricus Auceps, An. Ch. 923. qui prælium cum illis initurus voverat, se nundinas sacrorum è Germania sublaturum. Maximo prælio ab Ottone M. victi, An. Chr. 955. sub Rege Geisâ, ope Pilgrini, ad fidem conversi sunt, An. Chr. 966. Adalbertus quoque Episcopus Pragensis, plurimes eorum, unà cum Rege Stephano, ad Christianismum perduxit, An. Chr. 1000. quem, Bavariam sibi vindicantem, debellavit Conradus II. Imper. An. Chr. 1030. Subacti postea sunt ab Henrico III. qui Ungariam, Abano, qui pulso Petro Ungariæ regnum arripuerat, ter victo, mox Andreâ qui restitutum Petrum occiderat, superato, feudum Imperii fecit, parte regni Austriâ, Alberto Bavaro donata, An. Ch. 1043. Ab Isaco quoque Comneno ad pacem compulsi, An. Ch. 1057. regioque ab Emanuele Imper. Orient. vastata est, Ann. Chr. 1150. Stephanus dein III. post Geisam, egregiè se adversus Ladislaum Belæ fil. defendit; successit frater Bela, qui fures latronesque è regno ejecit, Ann. Chr. 1162. 1173. De regno certantes Fratres duo convenerunt, ut is Rex esset, qui fortiùs se in Palæstina gessisset, An. C. 1200. Andreas ergo, *Hierosolymitanus* dictus, thronum conscendit, Ann. Chr. 1201. Cujus successor Bela, ob Tartaros, regno profugus, An. Chr. 1235. in reditu Fridericum Austrium vicit & trucidavit, An. Chr. 1246. Eum filius Stephanus, hunc Ladislaus, qui fœdus cum Rodolpho I. Imper. iniit, excepit: post quem Andreas præfuit, An. Ch. 1290. qui Austriâ vastatâ, oppida ad Hungariam spectantia recuperavit, An. C. 1291. Hoc defuncto, à quibusdam Venceslaus Bohemus Rex electus est, cui alii Carolum Martellum opposuerunt, qui quidem coronam, sed non regnum obtinuit: huic tamen successit filius Carolus Robertus, An. Ch. 1310. qui regnum insigniter auxit, Dalmatiâ, Croatiâ, Serviâ, Russiâ, Bulgariâ, Bosniâ, &c. adjectis. Eum in regno filius Ludovicus excepit, An. Chr. 1343. Poloniæ quoque Rex electus, An. Chr. 1370. Hic Transalpinam subegit Valachiam, Venetos vicit, Dalmatiam recepit, sed Apuliam amisit. Post eum præfuit fil. Maria, cujus imperium pertæsi Ungari, Carolum Apuliæ Reg. accersiverunt, quem Mariæ mater Elizabetha mox dolo occidit, An. Chr. 1385. Sigismundus dein Mariæ maritus coronatus est, à Turcis victus, à suis in carcerem conjectus: qui cùm Ladislaum Neap. ei opponerent, ipse custodiâ elapsus regnum recuperavit, An. Chr. 1398. ingenti rursus ad Danubium clade à Turcis fusus, Ann. Chr. 1409. Ladislao infante post Vladislaum à Turcis ad Varnam victum, An. Chr. 1443. Johannes Huniades, malleus Turcarum, regnum administravit, An. Chr. 1445. Rege postea repentè mortuo Matthias Johannis filius regnum adeptus est: cui An. Chr. 1490. extincto, Vladislaus Bohemus Ungaris quoque imperitavit. Huic successit Ludovicus filius decennis, An. Chr. 1516. quo in prælio contra Turcas interempto, An. Chr 1527. Johannem Transylvaniæ Vaivodam alii, alii Ferdinandum Caroli V. Imper. fratrem in regnum vocarunt, quorum ille ab hoc ad Tocajum victus & pulsus, Solimannum vindicem habuit: An. Chr. 1529. tandem tamen illo mortuo, Ferdinandus cum vidua ejus & fratre Georgio transegit, regno, cujus caput Buda magnaque pars jam sub Turcis, obtento, An. Ch. 1537. Georgium dein regni administratorem per sicarios occidit, Ann. Chr. 1551. ob cujus mortem orto dissidio Solimannus Hungaros fudit, Temesvaram occupavit, Zalnaco capto, Agriam frustra obsedit, tandem ad tempus Ungariâ cessit, An. Ch. 1552. Ferdinandi successor Maximilianus II. duce Lazaro Suendio, contra Johannem Transylvaniæ Vaivodam & mox Solimannum ejus defensorem rem gessit: Sigethum amisit, pacem cum Selimo sibi utilem fecit, An. Chr. 1566. Successit Rodolfus II. Imper. cui Mahometes III. Agriam eripuit, An. Chr. 1596. quo bello vix finito Austriaci Præfecti, vi in Protestantes versâ, Stephanum Botskai in se concitarunt, qui victis hostibus, superioris Hungariæ Dynasta vocari voluit, aureâ Vladislai coronâ à Turcis donatus, An. Ch. 1605. pacemque religionis obtinuit, Ann. Chr. 1606. Sub Ferdinando postmodum II. Betleemus Gabor Transylvan. Princeps, coronam Hungariæ in se transtulit, mox diademate Ferdinando reddito, An. Chr. 1619. Sub Leopoldo I. Imper. Neuheuselia, castrum fortissimum, à Turcis occupata est, An. Chr. 1663. &c. Haud pridem Evangelicis Hungaris omni Religionis exercitio dempto, Pastores & Rectores Scholarum in vincula conjecti, hinc inde per arces Hungariæ ad fœdissima ministeria dispersi, pars ad triremes damnati, ubique pessimè habiti, tandem intercessione Belgarum libertatem quidem impetrarunt, sic tamen ut ad Ecclesias suas, & in patriam redeundi spem exiguam habeant, &c. Vide quoque in voce *Hungaria*.

Ungaria, urbs Hungariæ super. Caput Comit. Unghensis, ad radices Carpathi montis, & prope Ungum fluv. in limite Russiæ nigræ, 30. mill. pass. à Cassovia in Ortum, 25. à Tibisco in Bor. *Unghvvar* incolis.

Unghensis Comit. vulgò *Comté d'Unghvvar*, prov. Hungariæ superioris, ad radices Carpathi & Russiæ nigræ, inter Abanvivariensem Comitat. ad Occ. & Zemblyniensem & Peregiensem ad Mer. Sub Austr. Caput ejus Ungaria.

Uni, qui & *Unni*, vel *Hunni* plerisque, pop. German. qui *Thunni* Eustathio dici videntur, quiq; ex Septentr. profecti, Italiam & Galliam oppressere. Hi *Avares* etiam apud Eginarthum, *Onogari* Agathiæ, unde nunc *Hungari*. *Unni* verò apud Dionys. sunt populi Scythiæ, Caspiis & Albanis finitimi, à quibus fortè origo priores. Sic enim ille *vers.* 730.

Οὖννοι δ' ἑξείης, ἐπὶ δ' αὐτοῖς Κάσπιοι ἄνδρες,
Ἀλβανοί τ' ἐπὶ τοῖσιν δέξιοι·

Ubi iis consule Montanum.

Unitas, vide *Fratres*.

Universitas, vel *Academia*, (quarum vocum subtilius discrimen hic non moramur) est à summo Principe privilegiatum docentium & discentium Collegium, ad hoc ut certo in loco Artes liberales publicè tradere & addiscere, atque eruditis & bene meritis Honorum certos quosdam titulos & gradus conferre liceat, ad Dei gloriam & Reipubl. Ecclesiæque utilitatem. Olim quidem, ut de Romanis taceam, apud quos in templo Pacis omnium artium Professores ad disputandum convenisse legimus, doctorum hominum celebritas Academiam fecit: & deinceps quocunque loco celebriores Episcopatus sunt fundati, ibidem aut Scholæ aut Academiæ nobiles institutæ sunt. Unde in Concil. Lateranensi sub Alexandro III. injunctum legimus Episcopis, ut in singulis Ecclesiis, suis sumptibus Professorem alerent, qui Juventutem in bonis artibus erudiret. Sic in Germania, alibique, studia Academica in Canonicorum collegiis, quę cathedris Episcopalibus annexa erant, solebant tractari, ac tales Scholas illustres Carolus M. Osnabrugæ, Hildesiæ, & alibi, monente Ansegiso instituit. Præter has, Scholas nempe *Canonicas*, *Monastica* etiam erant, inter quas maximino-

minis

nominis olim Corbejensis & Fuldensis, Vide Crantz, *in Metropol.* Verùm postquam Canonicorum, aulicis aliisque negotiis occupatorum, negligentiâ, Monachorumque, ventri potius quàm Palladi litantium, ignaviâ, utræque pessum irent, accessit sec. 9. tertium Scholarum in magnis Civitatibus genus, quibus Academiæ nomen datum est: Talis Parisiensis tum in Gallia fuit, sed nondum alii tam Professores, quàm Literarum & Artium, docebant: quo factum, ut hodieque, in Academia modò memorata, ex solis Philosophis, in prisci instituti memoriam, Academiæ Rector eligatur. Imò ipsa hæc Philosophiæ professio intra angustos admodum terminos constitit, fuitque trivio hoc absoluta, Grammaticâ, Rhetoricâ & Dialecticâ, unde *Trivialium* nomen. Alibi tamen Academica eruditio quatuor disciplinis absoluta fuit, Arithmeticâ, Geometriâ, Musicâ & Astrologiâ. Nec ulla quoque tum temporis Academiarum in Studiosos jurisdictio fuit, nulla adhuc graduum solennis collatio, nulla Studiosorum privilegia. Donec sec. 13. affulgente primò Parisiis 4. Facultates floruerunt, teste Richardo *in Chron. Paris.* sicque Academia illa *Universitatis* nomen emeruit & Magisterii honores solenniter ibi conferri cœperunt. Postea tamen Ann. Ch. 1220. Honorii Papæ interdicto Juris Civ. Professio in eadem sublata est. In Italia antiquissimæ Academiæ feruntur Bononiensis, MATER STUDIORUM dicta, & Salernitana: in quarum illa, auspice Irnerio, studium juris Civ. primùm effloruit. Verùm nondum ibi sec. 12. Medicinæ ulla Professio; imò & Theologita in ea demum Ann. Chr. 1362. cœpit. Germaniam sec. demum 14. Academiæ primùm illustrarunt, quarum princeps Pragensis An. C. 1360. à Carolo IV. fundata est: à quo tempore tam grata Musis sedes Germania esse cœpit, ut jam Lipsii tempore, sola illa universas Europæ regiones Academiarum numero vicerit; quemadmodum is habet *in Lovanio lib. 3. cap.* 8. Habent autem Academiæ suos Cancellarios, qui ut plurimum Episcopi sunt illius loci, in quo Academiæ instituuntur, vel qui proximè Academias accolunt. Sic Heidelbergensis Præpositum Wormatiensem, Basiliensis Episcopum cognominem, Gryphiswaldensis Caminensem, Lipsiensis Martisburgensem, Rostochiensis Suerinensem, Tubingensis Constantiensem &c. Cancellarios habent, quorum est, collationes Dignitatum Decanis vel Promotoribus publico concedere elogio, &c. Interdum tamen Principes Cancellariatus jus sibi integrum reservant, ne ob Religionis diversitatem incommodum oriatur. Præterea habent Academiæ Conservatores privilegiorum, Rectores, Professores, & Studiosos: quibus accedunt Bedelli Bibliopolæ, Typographi, alii. De quibus omnibus Vide prolixè disserentem Limnæum in *de Jure Publ.* & Herm. Conringium *dissertat. de Antiquitatibus Academicis.*

Universitates Europæ.

Hispaniæ.

Complutensis anno 1517. *Alcala de Henares.*
Compostellana, *Compostella.*
Conimbrica, à Joanne III. Rege, *Coimbra.*
Eborensis, instaurata ab Henrico Cardinale, *Evora.*
Gandiana, à Gandiano Duce, *Gandia.*
Granatensis, à Ferdinando Rege & Cancellario, *Granada.*
Hispalensis, ante Silvium II. Papam, *Sevilla.*
Ilerdensis ante Callistum III. Papam, *Ilerda.*
Onnensis sive Onnatensis, ab Episcopo Abulensi.
Oscensis antiquissima, *Huesca.*
Palentina antiquior Salmanticensi, *Palenza.*
Salmanticensis maxima, anno 1404. *Salamanca.*
Secontina, *Siguenza.*
Toletana, ante S. Ildephonsum, *Toledo.*
Valentina anno 1470. *Valencia.*
Vallisoletana, *Valladolid.*
Ursonensis anno 1549. *Ossuna.*

Angliæ.

Bangoriensis in Wallia, antiquissima, *Bangor.*
Cantabrigiensis anno 630. *Cambridge.*
Oxoniensis anno 872. *Oxford.*

Scotiæ.

Aberdonensis anno 1480. *Aberdeen.*
Andreapolitana anno 1431. *S. Andrevv.*
Glascoviensis, ab Episcopo Jurubullo, *Glascovv.*
Edimburgensis, *Edimbourg.*

Galliæ.

Andegavensis, quando Heidelberga, *Angers.*
Aquensis, ab Henrico IV. *Aix.*
Avenionensis, sub Rom. Pontificibus, *Avignon.*
Aurelianensis anno 1302. *Orleans.*
Bituricensis antiqua, *Bourges.*
Burdigalensis antiqua, *Bourdeaux.*
Cadomensis anno 1418. *Caen.*
Dolana anno 1484. *Dole.*
Duacensis nova anno 1562. *Douay.*
Flexiensis, ab Henrico IV. Rege, *la Fleche.*
Lugdunensis anno 830. *Lyon.*
Monpessulana anno 1196. *Montpellier.*
Mussipontana, *Pont à Mousson.*
Nannetensis antiqua, *Nantes.*
Nemausensis in Gallia Narbonensi recens, *Nismes.*
Parisiensis amplissima anno 791. à Carolo magno, *Paris.*
Pictaviensis post Parisiensem maxima, *Poictiers.*
Remensis, à Carolo Cardinale Guisio, *Reims.*
Tolosana post Parisiensem, non multò pòst, *Toulouse.*
Turnonensis nova, à Francisco Cardinale Turnonio, *Tournon.*
Valentina antiqua, *Valence.*
Cadurcensis, à Rebuffis, *Cahors.*
Massiliensis, ubi trium linguarum Professores, *Marseille.*

Germaniæ & adjacentium regionum.

Altorfensis nova anno 1579. *Altorf.*
Basiliensis anno 1459. *Basel.*
Chilonia novissima anno 1669. *Kiel.*
Coloniensis antiquissima, *Coln.*
Dillingensis, ab Othone Cardinali anno 1549. *Dilinghen.*
Erphordiensis anno 1391. aucta, erecta sub Dagoberto Rege; *Erfurt.*
Francfordiæ ad Oderam anno 1506. *Francfurt an der Oder.*
Franekerensis anno 1586. *Franeker.*
Friburgensis in Brisgoia an. 1450. *Friburg.*
Giessena nova anno 1607. *Giessen.*
Gryphswaldensis, ab Vratislao Duce anno 1456. *Griphisvvaldt.*
Haphniensis anno 1478. in Dania, aliis 1539. *Copenhagen.*
Heidelbergensis anno 1346. aliis Budorina, *Heidelberg.*
Herbipolea anno 1403. *Wurtzbourg.*
Jenensis in Turingia anno 1548. à Joanne Friderico Electore Saxoniæ, *Jena.*
Ingolstadiensis anno 1479. Aliis 1410. *Ingolstat.*
Juliana, à Julio Duce Brunsvicensi, quæ & Helmestadiensis, anno 1598. prius Gaunæ erat. Aliis 1576. *Helmstat.*
Lavingensis, à Wolfgango Comite Palatino, *Lavvingen.*
Lipsica anno 1408. *Leipzigh.*
Lovaniensis anno 1426. *Louvain.*
Lugduni Batavorum præcipua, ubi 12. Typographiæ, anno 1575. ab Hollandiæ Ordinibus, *Leyden.*
Marpurgensis anno 1526. *Marpurg.*
Mechliniensis & Leodiensis ante annum 1129. *Malines* & *Liege.*
Moguntina anno 1482. *Maintz.*
Pragensis an. 1360. à Carolo IV. Imperatore, *Prag.*
Rostochiensis anno 1461. aliis 1415. *Rosteck.*
Segina, quæ & Herborna, Nassoviorum Principum, *Sigen.*
Sorana, in Dania, *Sora*, de quâ:

Doctorum famuli sunt omni tempore tardi;
Sudant quando vorant, frigescunt quando laborant.

Tekelburgensis in Westphalia, *Teckelburg.*
Trevirensis anno 333. *Trier.*
Tubingensis anno 1479. *Tubingen.*
Vesuntina, à Perenoto Cardinale, *Besançon.*
Viennensis anno 1232. *Vienne.*
Ultrajectina anno 1636. *Utrecht.*
Upsaliensis, in Suecia, vetusta est, *Upsal.*
Vratislavia anno 1503. *Breslavv.*
Witembergensis anno 1502. *Vittemberg.*
Minores, Cliviæ, *Cleves*, Suollæ, *Zwvol*, Monasterii, *Munster*, Susati, *Soest*, Padebornæ, *Paderborn*, Tremoniæ, *Dortmund*, Dusseldorpii, *Dusseldorp*, Namurci, *Namur.*

Polonici regni.

Cracoviensis anno 1361. *Cracovv.*
Elbingensis erecta anno 1542. *Elbingh.*
Posnaniensis etiam antiqua, *Posen.*
Regiomontana anno 1544. *Konigsberg.*

Italiæ.

Bononiensis, à Theodosio Imperatore juniore, *Bologna.*
Ferrariensis an. 1316. à Friderico Imperatore, *Ferrara.*
Neapolitana, à Friderico II. *Napoli.*
Papiensis, à Carolo Magno, *Pavia.*
Patavina ab eodem, anno 1222. à Friderico II. instaurata, *Padoua.*
Pisana anno 1339. *Pisa.*
Romana antiquissima, *Roma.*
Salernitana ante Victorem IV. Papam, *Salerno.*
Senensis instaurata anno 1387. *Siena.*
Taurinensis ante Gratianum, *Torino.*
Maceratensis recentior, *Macerata.*
Parmensis nostra ætate, *Parma.*
Mantuana novissima, *Mantoua.*

Unna, vulgò *Unna*, urbs Hanzeatica Westphaliæ, in Comitat. Marchiæ, aliàs probè culta, nunc parva: & bello nupero mirè deformata. Sub Elect. Brandeburgico.

Unxia, Junonis epitheton: vocabatur in nuptiis, ut & Interdica, Domiduca & Cinxia.

V O.

Voberca, sive *Voberta*, opp. Hisp. Tar. in fin. Celtiberorum, *Bobierca*, vel *Bubierca* Varrerio, Baudrando opp. Celtiberorum, nunc

nunc pagus est *Bubierca*, in Aragonia, ad Salonem fl. 3. leuc. supra Bilbilim in Occ. Seguntiam versus. Ejus mem. Matt. 149.

Præstabit illic ipsa figendas prope
Voberta prandenti feras.

Vobernum, pag. Cenomanorum, in agro Brixiensi. *Boarno*, Hel. Capredo.

Vobrix, Maurit. Ting. opp. Ptol. Babæ & Volubili finitimum. *Lamta* Marmolio.

Voca, Callaicorum in Hisp. urbs. Ptol.

Vocates, pop. Aquitan. quos Marlianus perperam cum *Vasatibus* confundit, quorum op. hodie *Vique* dicitur; Licèt Vigenereus velit horum tractum esse *Bigorre*. Bretio sunt iidem, qui & *Boates* quorum tractus vulgò *le Captalat de Buch*, in ora Oceani Aquit.

Voccio, Germaniæ Rex, cujus sororem, ab ipso in Galliam missam, Ariovistus uxorem duxit. In mariti fuga periit.

Vocetus, vel *Vocetius*, mons in Helvetiis, Tacitus: *Botsberg* Scudo; Aliis est *Wicken* in Helvetiâ apud Arburgum. Joh. Bapt. Plantino est Juræ portio, haud procul arce Habspurgensi, prope Brugas opp. agri Bernensis: *Bötzberg* dicta, à pago *Boetzen*, qui cum aliis multis situs est ad montis pedem. Hunc *malum montem* alii dictum volunt, ob difficilem admodum, pluvio imprimis tempore, ascensum, *Helv. Antiq. & Nov.* Juræ principium, illum vocat Simlerus *descr. Helv.*

Voconia, opp. Insubriæ, in valle, apud Athisonem fluv. inter Mediolanum 60. & Oscellam opp. 7. m. p. ab Arona, ultra Verbanum lacum, 20. mili, *Vogogna* vulgò.

Voconia lex, a Q. Voconio Saxa Tr. Pl. An. U. C. 524. lata, mulierum hæred. definivit, V. Thom. Dempsterum *Ant. Rom. l.8.c.8.*

Voconius, Episc. Mauritaniæ, floruit sec. 5. Scripsit contra Judæos & Arianos, qui tum rerum in Africa potiebantur: Item de Sacramentis. Gennad. *in Cat. Vir. Ill*

Voconius Victor, Poeta Latinus Plin. *l.2. ep ad Prisc.* Mart. *l.7. ep.* 28.

Vocontia, vel *Vocuntia*, pop. Gall. Narbon. quorum reg. in Delphinatu *Val de Vijo*, teste Pineto, nominatur. Bretio aliisque fuere, ubi nunc diœc. Diensis in Delphin. & Valionensis in Com. Vindaxino. Eorum urbes erant Dia & Vasio. Silius *lib.* 3.

Jam faciles campos, jam rura Vocuntia carpit.

Vide *Vocontii.*

Vocontii, inter Alpinas gentes aut Alpinis proximas, olim clarissimi, fuerunt, quorum capita Vasio, Lucus Augusti & Dea Vocontiorum. Sed Deam omittit Plinius *lib 3. cap.*4. Per hosin Italiam penetravit Annibal. Silius *lib* 3.

Jamq; Tricastinis incedit finibus agmen,
Jam faciles campos, jam rura Vocuntia carpit.

In his Pompejus Trogus, ex quo Justinus epitomen fecit, se natum memoriæ prodidit. Vestigium nominis in tractu montano Deæ proximo, quem *Vercors* vulgò dicunt, superest. Bocilius tamen Salvianus, Vertacomicoros Vocontiorum pagum, ex quo ortam Novariam ait Plinius, *Vercors* interpretari mavult. Vid. Hadrian. Valesium, & supra in voce *Vasio.*

Vocula, Vide *Dillius.*

Voda, à Germanis Mercurius appellatur. Perperam mavult Lipsius *Wonda* vel *Wonsta*. Gotefridus Viterbiensis *Chronico: Votam quidam Gotam adjectâ literâ, dixere. Ipse est, qui apud Rom. dicitur Mercurius, & tunc ab universis Germanis, ut Deus, adorabatur. Unde usq; hodie Got Teutonicâ linguâ dicitur Deus.*

Vodgoriacum, locus Nerviorum, Anton. Nunc *Gauryes*, Cluver. vicus Hannoniæ, 11. m. p. à Bagaco in Cæe. Binchium versus 5. m. p. uti à Montibus in Eur.

Vodnana, opp. Bohemiæ, ad Blanitium fluv. Vulgò *Wodnany*. Vix 3. leuc. à Budovissa in Circ. 10. à Passavia in Cæe. uti 3. à confin. Austriæ super.

Vodomarius, Rex partis Galliæ, sec.4. A Constantio Imp. permotus, ut bellum inferret Juliano Apostatæ, fidem per literas dedit, quibus interceptis eum in Hispaniam captivum hic misit. Ammian. Marcellin. *lib.* 21.

Voerda, opp. Hollandiæ, ad Rheni alveum, 10. m. p. ab Ultrajecto in Occ. Lugdunum Bat. versus 18. Vulgò *Woerden.*

Vogesus, mons Gall. Belg. Sequanos & Lingones dividens à Mediomatricibus, Araris & Mosæ fontibus insignis, Ferr. Baudrando *le Mont de Vange.* Extenditur, inter Lotharingiam & Com. Burgundiæ, uti etiam inter Lotharing. & Alsatiam, ubi inest sylva Vogesa. Ex eo Mosella in Bor. ut & Arar, profluunt, non verò Mosa. Lucan. *lib.*1.

Castraq; quæ Vogesi curvam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.

A Gallis *Estay*, à Germ. verò *Auff der Stay* appellatur.

Vogheria, opp. Lombardiæ Cispad. *Vicheria* Merulæ.

Vogia, Turdulorum in Bæticâ opp. Ptol.

Voglade, aliis *Voglavum*, castellum Galliæ in Pictonibus, ad flu. Clennum: vulgo *Vouglé*, unde campis circumjacentibus nomen, in quibus Alaricus à Chlodoveo victus & interfectus, totaq; sic Aquitania Franciæ ditioni subjecta est, A.C.507. Hadr. Val. *Not. Gall.*

Vogodorgiacum, vel *Vodogoriacum*, vulgò *Waudray* aut *Vaudré* locus Belgii, in Hannonia, 12. m. p. à Bavaco. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Bacivum.*

Voigtlandia, vulgò *Voigtland*, prov. Saxoniæ super. sub El. Saxoniæ, majori ex parte, in Misnia: Incolis *Voigtlandische* dicitur. In limite Bohemiæ & Franconiæ. Ejus urbes præc. Zuica & Plava.

Vol, urbs Africæ Propr. Ptol.

Volaginius, Scriboniani, sub Claudio, res novas tentantis percussor: ideo è gregario ad summa militiæ provectus. Tacit. *Histor.* 2. 75.

Volana, Samnitum urbs à Carvilio capta. Liv.

Volandum, castellum validissimum Armeniæ, Tacit. 13. 39. al. *Vallandum.*

Volane, item *Olane*, Plin. nunc *Porto di Volana*, unum ex ostiis Padi, inter Fossam Carbonariam ad Bor. & Sagim ad Mer. in Duc. Ferrariensi. Ei adjacet vicus Volane, *Volana*, in ora maris Adr.

Volaterra, colon. & urbs antiquissima Etruriæ, in monte asperrimo ad Cæcinam fluv. una ex 12. primis Tuscorum coloniis, hodie *Volterra*, à Jano, seu Tyrrheno Lyd. condita, arma invenit, ann. 500. ante U. C. Volaterranus hinc oriundus, tradit eam aliquando à Pannonibus eversam, sed paucis post annis ab Othone I. Imper. restitutam, & suo nomine *Othonianum*, verum à posteris corruptè *Antonianam* appellatam. Persii poetæ patria fuit: Episc. est sub Arch. Florentino, inde 34. m. p. Hinc *Volaterrana vada*, quæ ab urbe 8. m. p. distant.

Volavia, vulgò *Wolavv*, urbs Germaniæ, Ducatus cognominis caput, in Silesia, prope Oderam fluv. 28. m. p. à Vratislavia in Circ. Glogaviam versus totidem, & 18. à Lignitio in Cæciam.

Volcæ, vel *Volgæ*, pop. Gall. Narbon. ultra Rhod. fluv. quorum reg. Occitania, *Languedoc* dicitur. Erant divisi in *Volcas Arecomicos* (ex Celtico *volck* & *harkommen*) ad Ort. ubi hodie pars Or. Occitaniæ, *le bas Languedoc*; & in *Volcas Tectosages* (ex Celt. *deck den jack*) ad Occ. ubi hodie pars Occ. seu superior. Eorum urbes erant Narbo, Tolosa, Carcasso, Biterræ, Agatha & Nemausus. An arx *Teccensis* in Duc. Wirtemb. à Tectosagibus his? Cæterùm & in Asiam penetrarunt, Liv. Strab, Plin. Sil. *lib.*8.

—— *Per inhospita rura*
Volcarum populatus iter.

Baudr. Vide latius infra.

Volcæ Arecomici, pop. Galliæ, ad quorum fines depopulandos misisse Vercingetorigem Rutenos Cadurcosque, scribit Cæsar. *L7.* In prov. Narbonensi prima, circa utramque ripam Rhodani colere, Livio dicuntur, *lib.*21. Hannibalis in Italiam iter describenti. Eorum stagna memorantur Melæ, & Plinius Laternæ lacus in agro Nemausensi meminit, angustis faucibus, capturâ mugilum clari. Agros horum, ut & Helviorum, publicè Massiliensibus à Cn. Pompejo concessos, iterum Cæsar *de bello Civ. lib.* 1. sed eorum opp. 24. Nemausensibus attributa, scribit Plin. Metropolis gentis Nemausus est, Melæ urbium Galliæ Narbonensis opulentissimis quarto loco, in vet. Not. aliquando quinto, adnumerata. Recentiores verò Not. Episcopum Nemausensem septimum tantummodo sive antepenultimum ponunt, inter novem Antistites Narbonensi Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes. Dicta à fonte *Nemauso*, cujus Ausonius meminit *in Burdigala*:

—— —— *Vitreâ non luce Nemausus*
Purior.

Hic vulgò *le Vistre*, per fossam urbis decurrens, alluit vicos Bergum, Viridaria *Vergeres*, Vestricum, Vallem Viridem *Vauvert*, Salinosam *Salmoze*, & non procul ab Aquis mortuis in marinum stagnum Laternam seu Taurum paludem *l'Estang du Tau* se diffundit. Urbs magna olim, vulgò *Nismes*, cum Agatha & Biteris, à Carolo Francorum Principe diruta atque mœnibus nudata est, ejectis Saracenis. Habet hodieque Amphitheatrum magnificentissimum & maxima ex parte integrum, *Arenas* vulgò dictum, quò Paulum rebellem se recepisse cum suis, indicat *Julianus* Arch. Toletanus *de Expeditione Wambæ in Gallias.* Præterea Basilica Plotinæ illustris est, aliisque operibus Romanis. *Nemausenses* Tiberii Rhodii manentes imagines & statuas per odium aut contemtum subvertisse, Suetonius tradit. T. Aurelii Antonini Pii Imp. paternum genus *Nemausense* fuisse dicitur Jul. Capitolino. Horologium quoque & Corporati *Nemausenses*, in vett. inscriptionibus reperiuntur: ut & Præpositus thesaurorum, in Not. Imp. Ager ejus longè lateque olim patuit ad Rhodanum & ad Vardonem ac mare: vulgò *le Nemausois*, vel *le Nimois.*

Diœcesi Nemausensi in Volcis Arecomicis continentur:

Alestum *Alais*, caput Comitivæ, ad Vardonem.	Furcæ *Fourques.*
	Juncariæ.
Andusia, *Anduse.*	Nemausus, gentis caput.
Aquæ Vivæ *Aigues Vives.*	Salvia *Sauve.*
Armasanicæ *Aymargues.*	Sumerium *Somiere.*
Belligarda.	Turnacum *Tornac.*
Bellicadrum *Beaucaire.*	Vallis Viridis *Vauverd.*
Colon[i]acum *Colognac.*	Vicanum *Vigan.*

Villa S. Ægidii *S. Gilles.*

E quibus Alestum, Andusia, Armasanicæ, Bellicadrum, Salvia, Sumerium & Vicanum, capita sunt Vicariatuum, quos incolæ *Figuiares* vocitant. Altera urbs *Volcarum Arecomicorum* Vindomagus Plinio dicitur, quæ fortè Ucetia est. Fuit & eorum urbs Negio-

lona, è qua sedes Episcop. Montem Pessulanum translata est. Hadr. Valesius Notit. Gall.

Volcæ Tectosages, gens Gallica, teste Strabone, ad Pyrenæum excedens & Septentrionalia Cemmenorum montium nonnihil attingens. Hos eorundem montium Austrina usque ad promunturia habitare, & fœcundam auri terram colere: unde plurimi seditione pulsi migraverint in Asiam, aut Phrygiæ majorem meoremque partem obtinuerint, caputque Ancyram habuerint, *tradit*. Dicta autem pars hæc Phrygiæ Galatia & Gallogræcia. Cæsar fertilissima Germaniæ loca circum Hercyniam sylvam eosdem occupasse, atque ibi consedisse, scribit *Comm. de bell. Gall. lib.* 6. Etiam Illyricum quidam ex illis petierunt, spoliarisque Istris in Pannonia consedere, Justin. *lib.* 31. Mediterranea Galatiæ occupasse, Lipsius habet. Plinius verò Tolistobogos in Galatia, parte Phrygiæ majore, cum *Tectosagibus* collocat, Trocmis, quæ tertia gentium, quæ à Brenno Duce, in Dardanis seditione ortâ, secesserant, in Mæonia & Paphlagonia collocatis. Eorum urbes Ptolemæus recenset Tolosam, Illiberim, Ruscinonem, Narbonem, Carcassonem, Beterras, Ceseronem, & Agatham. Caput Tolosa, in angustus Isthmi, Oceanum à mari Narbonensi vel interno dividentis, posita, inter Galliæ Narbonens. opulentissimas urbes recensetur à Mela. *COLONIA TOLOSA* in nummo Gal. *Palladia* Martiali, à templo & cultu Minervæ. Ab Ausonio, inter urbes, sicut Narbo 12. ita Tolosa 15. loco collocatur, ad Garumnam, muris ex latere coctu ingentis ambitus cincta, & *quintuplex* dicitur *Epist. ad Paulinum*, ob quatuor urbes vel colonias aut regiones veteri Civitati additas. Inter provinc. Narbon. primæ civitates 8. vel 10. sec. alios secundo loco, in veit. Notit. numeratur, estque Archiepisc. & hodie è maximis Galliarum clarissimisque urbibus, vulgò *Toulouse*. Olim per annos 89. Regia Vesigothorum, caputque regni Tolosani, quod, cæso Alarico, à Chlodoveo eversum ac occupatum est. Postea Charibertus, Dagoberti Reg. frater, cùm *Tolosates*, Caduroos, Aginnenses, Petrocorios, Santones & Novempopulanos à fratre accepisset, sedem Tolosanam eligens, regnavit aliquandiu in parte provinc. Aquitanicæ. Deficientibus dein Meroveis, sub Pippino, & Carolo Ducibus Francorum, subque Pipino Reg. Caroli filio, *Tolosam* cum Ucetia Duces Aquitaniæ obtinuere, Eudeo, ejusque filiusac nepos, Hunol. dus & Waifarius. Dein obtinuere illam Reges Aquitaniæ, Ludovicus Pius & Pippinus ejus filius neposque Pippinus, ac Carolus Caroli Calvi filius. His successere diu post *Tolosæ* Comites, nonnunquam Comites St. Ægidii dicti: qui totam Gothiam & partem etiam Aquitaniæ, nim. Albigenses, Cadurcos, Aginnenses, Rutenos ac Petrocorios imperio presserunt: Marchiâ quoq; Provinciæ potiti, quam ab Imper. recipiebant, Vide Godofr. *in Annalibus ad Ann. Chr.* 1235. Erat *Tolosa* Capitolium Jovi dicatum, unde forte illorum *Capitouls*, magistratus publici, quales Burdigalæ *Jurats*, alibi Consules, alibi Pares, alibi Scabini; Amphitheatrum & Palatium, quorum nihil superest. Ejus regiones sunt octo, quæ Capitola tus vocantur *Capitoulas*. Episcopus quintro olim loco, inter novem Episcopos Narbonensi Vasconiæ Archiepiscopo suffraganeus fuit, Carcassonensi, Agathensi, Luteveńsique, quod minoris subjectus: postea verò Johannes XXIII. Tolosam ad Metropolis sive Archiepiscopi extulit fastigium, & septem novas ei sedes, Apamiensem, Mirapicensem, St. Papuli, Montis Albani, Rivensem, Lumbetiensem & Vaurensem, attribuit. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Diœcesi Tolosanâ præ cæteris continentur:

Alta Ripa.	Pauliacum.
Aureolus mons, *Montoriol.*	Placentia.
Clarus mons.	Sancta Fidis.
Judicatura Laureacensis.	Vetus Tolosa, *Vieille Tolose.*
Mons Acutus, *Montagut.*	Villa Longa.
Mons Goliardus, *Monsgailhard.*	Villa Nova.
Mons Laureus.	Vivaria.

Volcæa, paludes Pannon. super. in Hungariâ, Dio. *Balaton*, & *Plattsee* Bonfinio, 3. leuc. ab Alba reg. juxta Vesprinium, in ora illius Boreali.

Volcanalia, seu *Vulcanalia*, festum apud Rom. Volcano dicatum, quo populus pro se in ignem animalia misit. Vide Varronem *de L.L. lib.* 5. Plinium *lib.* 18. *cap.* 13. Columellam *lib.* 11. 3.

Volcatius, Consul, inpediit ne Catilina, ob accusationem repetundarum, peteret Consulatum. Pædianus.

Volcatius Epidius, grammaticus, scripsit res gestas Pompeji M. & ejus patris; primus Libertinorum qui historiam scripserit, cùm ab optimo quoque scribi solita sit, teste Cornelio Nepote. Studium aperuit, docuitque inter cæteros Marcum Antonium & Augustum.

Volcatius Gallicanus, quintùm Consul, scripsit vitas Imperatorum ad Diocletianum. Ejus tantùm extat nunc Avidii Cassii vita. *Voss. de Hist. Lat.*

Volcatius Sedigitus, in lib. de poëtis, quid sentiat de his, qui comœdias scripserunt, ex aliquot ejus versibus indicat Agellius *lib.* 15. *cap.* 24.

Volcatius Terentianus, historiam sui temporis, id est, Gordianorum scripsit; ubi dicit, Gordianum Seniorem vultum Cæsaris Augusti valde retulisse. Jul. Capitol.

Volcatius Tullus, prænomine *Lucius*, Consulatum gessit, triennio ante Ciceronem, Ann. Urb. Cond. DcLXIIX. Ejus filius *Cajus Volcatius Tullus*, sub Cæsare in Gallis militavit. *Lib.* 6. *Comment.* 29.

Volcejum, vide *Volcentani.*

Volcentani, Lucanorum pop. Plin. Quorum opp. *Volcejum*, *Bocino*, C. Cittadino, in monte.

Volci, vide *Volsci.*

Volctani, pop. Hispan. Tarracon. Liv. Eorum opp. seu pagus hodie *Villa Dolce* dicitur, teste Floriano: in Aragonia circa ortum Guerbæ fluv. Eorum mentio in bello Hamilcaris, contra Rom.

Volcientes, populi Hetruriæ, quorum oppidum *Volce* nunc extinctum est, locus adhuc *Voce*, apud Castrum urbem in tractu *Piano della Badia.*

Volcmarchia, vulgò *Wolcmarck*, urbs Carinthiæ infer. ad Dravum, aliàs *Virunum*, Cluver. Vide ibi.

Volcmarus, Abbas Bavarus, floruit sec. 14. A principibus sui temporis, in consilium sæpe adhibitus. Scripsit historiam Bavariæ usque ad An. 1314. Aventin. *in Annal. Bojorum*, Vossius *de Histor. Latin. lib.* 2.

Volerius, Corsicæ fluv. Ptolem. *Fiuminale* Leandro, *Rigi* Nigro. Vide *Valerius.*

Volesus Messalla, Asiæ Proconsul sub Augusto sævissimus; quippe trecentos unâ die securi percussit, incedensque inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, græce proclamavit, O rem regiam! damnatus ob hæc. Vide Senec. *de Ira libr.* 2.

Volfembutela, vulgò *Wolffembüttel*, urbs Ducat. Brunsvicensis, Ducum sedes firmissima, ad Ocrem fluv. 2. leuc. supra Brunsvicum in Meridiem, Halberstadium versus 7. & 6. ab Hildesio in Ort. Intra paludes. Eam inundatione perdere Sueci conati sunt, ætate nostrâ, Baudr. Vide quoque *Guelferbytum.*

Volfgangus Suevus, Comes Pfullingensis, duodecimus Ratisbonensium Episcopus, vir suo seculo doctissimus, comes Pilgrini, ab Ungarorum Rege è Batavia evocati, ut suam gentem de vera salute erudiret: In Bohemia quoque, quæ nuper idolorum cultu abjecto Christo nomen dederat, de voluntate Ottonis secundi Episcopatum instituit. Cùm dein Lotharius, Galliæ Rex, rupto quod cum Ottone inierat fœdere, Orientale quoque regnum suo adjungere, vi & armis contenderet, Imperator cunctâ cæde & incendio vastavit, atque in reditu ad Axonam fluv. castra posuit. Huic expeditioni Volfgangus interfuit, primusque hastiantibus vadum invenit, animumque militibus addidit. Obiit An. C. 994. Aventinus *Annal. lib.* 5. Nauclerus, &c.

Volfgangus Lazius, Viennâ Austrius, Philosophus & Medicus. Scripsit Historiam Viennensem libb. 4. Commentarios de Rep. Romana, & plurima alia, Gelner. *in Bibl.* Reliquos hujus nominis, Germanos omnes, ut *Volfgangum Hungerum*, JC. *Volfgang. Meurerum*, Medic. Vide apud eundem.

Volfgangus, vide *Wolfgangus.*

Volga, vide *Volca.*

Volgastia, vulgò *Wolgast*, urbs munita Pomeraniæ citer. sub Suecis, ad ostium Oderæ, *Pfin* dictum, 5. mill. pass. ab ora maris Baltic. 14. ab Anclamo in Boream, 30. à Sundis in Ort. Cum arce lepida Ducali. Ibi portus est sub Insula *Ruden*, totius Pomeraniæ commodissimus. Capta fuit à Rege Sueciæ, An. 1630. ipsique hinc pace Monaster. remansit. Nunc ab Electore Brandeburgico ei erepta est Ann. Chr. 1675. *Volgastensium* olim Deaster Heronitus erat, qui linguâ Latinâ Mars dicitur; quo prævio, in omni prælio victores sese futuros miseri confidebant. In ejus templo miræ magnitudinis clypeum ei dedicaverunt, qui de pariete dependebat, aureis laminis, miro artificio exsculptis, obtectus; neminique mortalium illum attrectare fas erat, Auctor *vitæ Ottonis M. lib.* 3. *cap.* 5.

Volgesia, Babylon. reg. ad fluvium Baarsarim urbs, Ptolem. *Vologesocerta* Plin. *lib.* 6. *cap.* 26. *Vologessia* Ammiano *lib.* 23. *Bolegesias* Stephano.

Volhinia, Polon. *Vollin*, provincia Poloniæ, Lithuaniæ pars. Extenditur ab Ortu in Occid. per 450. mill. pass. lata est 100. mill. pass. Terminatur à Septentr. Lithuaniâ propr. & Polesiâ prov. ab Orient. Moscoviâ, ab Occid. Russiâ nigrâ, à Mer. Podoliâ. Duplex est, nempe Volhinia super. seu Palatinatus Luceoriæ, (*de Lusuc*) qui ab Occid. & Infer. seu Palatinat. Kiovienšis, aliter *Ocrania*, seu confinia, quæ ad Ort. & versus Borysthenem. Pluries miserè à Moschis & Cosacis (quibus à Stephano Rege castrum *Tochtimirovv* cum suo territorio infra Kioviam 20. mill. ad Borysthenis ripam concessum fuit, ut ibi consiliorum & Magistratus militaris sedem, ac bellicorum apparatuum receptaculum haberent,) vastata, & etiamnum Moschi occupant Kioviam & præcipua loca Volhiniæ infer. Sunt autem urbes Volhiniæ;

Kiovia.	Circassium.
Luceoria.	Volodimiria.
Bialacerta.	Czernobela.

Voliba, Ptolemæo, *Falemouth*, seu *Volemouth* Camdeno portus Albionis in orâ Australi Cornubiæ, ab Exoniâ urbe 60. mill. in Occa.5.

Volkovisca, urbs Lithuaniæ, in Palatinat. Novogrodensi, prope amnem *Ross*, 45. mill. pass. à Bielsca in Cæc. 55. à Novogroda urbe in Occ. *Wolckowvisca* vulgò.

Vollenhovia, opp. Transisalanæ, ad Sinum Australem, vix 8. m. pass. ab ostio Isalæ in Bor. uti 10. à Suvolia, Leovardiam versus 32. 3. à Bloczilia arce. Vulgò *Vollenhove*.

Vollinum, vulgò *Wollin*, opp. munitum Pomeraniæ citer. sub Suecis, quibus haud pridem ereptum est ab Elect. Brandeburgico; ad ostia Odera fl. Crevit ex ruinis Jullini urbis inde 10. m. p. distatq; ab ora Maris Balt. Stetinum versus 20. prope lacum *das grosse Haff*, ad Divennæ sinistrum marginem. Aliàs emporium celebre, nunc paucis constat incolis. Vide quoque *Julinum*.

Volmaria, urbs Livlandiæ, ad Teyderam fluv. 9. mill. German. à Felino in Merid. Cokenhusiam versus 12. & 15. à Riga in Circ. *Wolmer* vulgò.

Volochda, urbs Moscorum, ampla & permunita Episc. à Moscha 8. leuc. in Bor. & Cæc. *Wologda* vulgò, Prov. Rom. Caput prov. cognom. amplæ, quæ tota paludosa, versus fontes Duinæ fluv. est, inter Cargapoliam prov. ad Bor. Bieloseram ad Occ. Bielscam & Susdaliam ad Mer. & Ustiugam ad Ortum.

Volodimiria, vulgò *Wolodimer*, urbs Moscoviæ, aliàs Russiæ Albæ metropolis, usque ad Joann. Danielis filium, qui inde sedem Moscuam transtulit. Ad fluv. Clesmam, 90. mill. pass. à Novogardia parva, seu Nisa in Mer. Moscuam versus 120. circiter. Caput Duc. cogn. qui est inter Susdaliam ad Occid. Morduates ad Ort. Rezaniam ad Merid. & Ducatum Novogardiæ parvæ ad Boream. Ager usque adeò fertilis, ut ex una tritici mensura sæpe 20. interdum 25. proveniant.

Vologda, vide *Volochda*.

Vologeses, vel ut Græci, *Velogæsus*, Vononis Mediæ R. filius, per tempus Neronis. Vixit ad Vespasiani imperium, ut liquet ex Tacit. *Histor. libr.* 5. *cap.* 5. Historia ejus paucis hæc est. Rex Parthorum fuit, qui Tiridatem fratrem Armeniâ pulsum videns, ubi Romani Tigranem Regem constituerant, Arsacidarum gloriam tuiturus, vindictam sumere decrevit: variis Fortunæ vicibus bello Tigrani illato. Filius hujus cognominis, sub Marco Antonino Romanis bellum similiter intulit. Julius Capitolin. *in M. Anton.* Tacit. *lib.* 14. & 15. *Annal.* Vide infra.

Vologesus, Parthorum Rex. Capitol. *in M. Antonino Philosopho*: Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus paratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit. Filius fuit illius *Vologesi*, de quo Tacit. *in Annal.* Quidam è Græcis scribunt Οὐολογαίσος, alii Βολόγαισος, ut Aristides.

Volones, dicti sunt servi, qui bello Punico, cùm deessent, qui feriberentur, pro dominis pugnaturos se polliciti, in civitatem recepti sunt, & *Volones* appellati, quia hoc sponte *voluerunt*. Vide Festum, & Macrob. *Sat.* 1. 2.

Volonium, oppidum Lombardiæ Cispad. ad Abduæ caput, in Lario lacu.

Volovicium, vulgò *Volvic*, Monasterium Galliæ cum Basilica, ab Avito, Præjecti Arvernorum Episcop. unà cum Marino Abbate, per sicarios ab Arvernorum Proceribus immissos, hic interfecti, successore, extructum. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Volsca, seu *Vulci*, Ptolem. aliisque, Tusciæ civit. fuit Episcop. ad dextrum latus Floræ amnis, ubi nunc *il piano de Volci*, in Ducat. Castrensi; & aquæductus ejus pars, *il ponte della Biada* vulgò, L. Holstenius. Inter oppid. Montem Altum & Montem Acutum, prope Floram fluv.

Volsci, vel *Volci*, pop. Latii ultra Circejos. Subjugati à Consule T. Sicinio, An. 267. U. C. & à Q. Capitolino, An. 286. triumphati à Dictatore, Aur. Posthumio Tuberto, Ann. 323. Iterum subacti à Camillo, A. 365. Liv. *lib.* 3. & 4. Plin. *lib.* 3. *c.* 5. Virgilius *Georg.* 2.

Assuetumq́ malo Ligurem, Volscosq́ verutos.

Græcis auctoribus dicuntur, Scylaci Ὄλσκοι, Dionysio atque Diodoro Οὐολοῦσκοι, Straboni & aliis post eum Οὐόλσκοι. Horum regina Camilla bellicosissima, & stupendæ celeritatis fuit, vide Virgil. *Æneid. lib.* 8. Baudrando ab Occid. separabantur à Rutulis & Latinis, à Sept. Æquis, Hernicis & Marsis; ab Or. Samnitibus & Campanis, à Mer. mari Tyrrhen. ubi hodie pars Occ. Campaniæ Roman. versus Velitras, Palianum, Antium, Privernum, & Terracinam.

Volsiniensis lacus, *Vulsiniensis* Columellæ, *Bulsinus* Procopio & Agathiæ, lacus Hetruriæ ingens, & ferè rotundus. circuitu 22. mill. circ. piscosus. In eo insula est parva, ubi Farnesiorum sepultura, & ubi Amalasiuntha regina Athalarici Gothorum regis mater im. piè occisa est. Vulgò *Lago di Bolsena*, in Ducatu Castrensi, juxta prov. Patrimonii, & agrum Urbevetanum. Eum circumstant opp. Volsinium, Marta, Caput montis, Bisentia, & Mons Faliscorum, urbs in colle. Ibi duæ Inf. Baudrando, una major ad Ort. *Martana*, ubi Amalazonta cæsa: altera ad Occ. *Bisentina*.

Volsinium, Ptolem. *Volsinii* Strab. & Liv. Tuscorum urbs: una ex 12. primis eorum coloniis: olim Episc. Ferrar. hodie *Bolsena*. Nunc castrum dit. Pontif. ad radices collis, in prov. Patrimonii, in limite agri Orvietani, 9. m. p. ab Oropito in Merid. 6. à Monte Faliscorum in Circ. Baudrand. Juven. *Sat.* 3.

Aut positu nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce.

Volta, locus Arverniæ, ad Elaver, Monasterio clarus, vulgò *la Voute*, in Diœcesi S. Flori. Numeratus inter Prioratus Ordinis Cluniacensis, in vett. Paschalis P. & Ludovici R. literis. Est & *Volta*, ad Rhodanum, contra hujus & Drunæ confluentes, inter Turnonem Vivariumque. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Voltinia tribus Romæ, à loco nobis hodie ignoto nomen habet. Ejus meminit Cicero *Orat. pro Plancio*.

Voltumna Fanum, locus Etruriæ apud Ciminum montem, ubi nunc *Viterbium*, teste Annio. Alii *Massam* esse velint in Sinensi territorio.

Volturnalia, festum Volturno Deo, apud Rom. sacrum: cujus sacerdos Volturnalis dictus. Vide in voce *Volturnus*.

Volturena, quasi *Vol torrens*, Celticè, al. *Vallis Telina*, Germ. *Veltlin*, regio est Insubriæ, à Maximiliano Sfortia Mediolan. Duce, Rhætis confœderatis, ob fortem contra Gallos operam præstitam, honorarii loco concessa, circa An. 1513. Hodie inter Præfecturas eorum Transalpinas, tertio loco, sed dignitate & amplitudine reliquis præstans: Vini laudatissimi, quod longè in Helvetiam, Noricum, Germaniam avehitur, copiâ celebris. Incolæ *Vennonetes* Plinio dicti videntur. Dividitur in sex Præfecturas, Bormiensem, Tiranensem, Teliensem, Sondriensem, Morbeniensem & Trahonensem: de quibus infra. A plerisque tamen Bormiensis præfect. in Volturena non numeratur, qui proin vallem in tres partes *terztier*, id est, tertiarias dispescunt: Quarum prima Tiranensem & Teliensem præfecturas complectitur: Secunda Sondriensem; tertia Morbeniensem & Trahonensem comprehendit. His pro ordine fœderum & communitatum in singula biennia à Rhætis præfecti mittuntur. Vide Jos. Simlerum *descr. Helv.* Sprecher. *Pallad. Rhæt. &c.* & supra in voce *Vallis Telina*.

Præfectura Volturenæ vallis:

Bormium, in suprema valle, ad Braulium montem, præ reliquis privilegia & immunitates habet.
Tiranum.
Telium opp. in edito loco, totius provinc. arx habetur, cui fortè nomen dedit.
Sondrium, opp. totius vallis celeberrimum: sedes quartæ Præfectur. quæ dignitate & pote stare cæteras antecellit. Hanc qui tenet, *Capitaneus* dicitur.
Morbenium.
Trahona.

Volturrena, locus Hetruriæ, apud Viterbium, Caton.

Volubile, Plin. Anton. *Volobilis* Ptolem. *Volubilis* aliis, urbs Mauritan. Tingit. Nunc *Fezza*, urbs maxima, caput regni Fezzani, ad fluv. Fezzam, 100. m. p. ab Oceano Atl. in Ort. totidem à mari Mediterr. in Mer. uti 160. à Tingi. Vide *Fezza*.

Voluce, Hisp. urbs inter Cæsaraugustam & Asturicam, Anton.

Volventum, vulgò *Vouvant*, locus Galliæ, in agro Pictonico, Pertinaculo, *Partenay*, proximus.

P. Volumnius, Philosophus, ex partibus Bruti & Cassii, pugnæ ad Philippos illis fatalis historiam scripsit. Vide de hoc, & aliis hujus nominis, Voss. *de Hist. Lat. lib.* 1. *cap.* 17.

Volumnus Deus, & *Volumna* Dea, à Volendo dicti, quòd bona vellent: Dei nuptiales, ut bene conjungerentur maritus & uxor.

Voluntii, Hiberniæ pop. Ptol. Quorum opp. Voluntium *Anglis*, in ora Lageniæ, ab Armacha 22. mill. in Ort.

Volupia, Dea apud vett. à voluptate dicta, quòd voluptatem hominibus afferret, Augustin. *de Civit. Dei lib.* 4. *cap.* 8. Ei sacellum erat, prope portam Romanulam, in via nova: fuitque in ara ejus etiam Angeroniæ simulachrum. Pinxerunt Volupiam, ut Lilius Giraldus ait, in throno, instar reginæ, sed pallidiore aspectu, & quæ Virtutes subtus habere videretur. Vide Cic. *de Nat. Deor. lib.* 2.

Volusenus, prænomine *Cajus*, tribunus militaris in exercitu Cæsaris, vir & consilii magni & virtutis. Cæsar *lib.* 3. *Comment. cap.* 5. Totum nomen est *Cajus Volusenus Quadratus*. Hirt. 8. 21.

Volusianus Vibius, 30. Roman. Imp. regn. an. 2. An. Dom. 253. Vide *Gallus*.

Volusius, veteri familiâ neque tamen Præturam egressâ genitus: Ipse Consulatum intulit, censoriâ etiam potestate legendis Equitum decuriis functus, opumq; queis domus illa immensum viguit, primus accumulator. Obiit sub Tiberio M. Valerio & M. Aurelio Coss. fine anni. Vide *Volusius Saturninus*.

Volusius, poëta ineptus, patriâ Patavinus, qui Ennium secutus rerum gestarum pop. Romani Annales carmine scripsit. An idem cum Tanusio Gemino? Senec. *ep.* 93. Catullus *Epigr.* 96.

At Volusi Annales Paduam morientur ad ipsam,
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.

Vide & *Epigr.* 37.

Volusius, prænomine *Cajus*, tertiæ legionis miles, primus irrupit in Cremonam. Tacit. *Hist.* 3. 29.

Volusius, prænomine *Lucius*, cognomento *Saturninus*, præfectus urbis, tempore Neronis explevit 93. annos vitæ.

Volusius Metianus, JC. sub Antonino Pio, huic pergratus Jul. Capitolinus.

Volu-

Volusius Proculus, in classe Misenensi Chiliarchus, occidendæ matris Neronis inter ministros. Ab Epichari, conscientiâ conjurationis, illigatus, audita ad Neronem detulit. Tacit. 15. 51.

Volusius, prænom. *Quintus*. Tacit. 14. 46.

Volusius Saturninus, de quo sic Tac. *Annal.* 13. L. Volusius egregiâ famâ concessit, cui tres & nonaginta anni, præcipuæque opes. De divitiis ejus idem *lib.* 14. Et quantum Volusio longa parsimonia quæsivit, &c. Sed & tota Volusiorum domus dives. Tac. *Annal.* 3. Volusio vetus familia, neque tamen Præturam egressa, ipse Consulatum intulit, opumque, quibus domus illa immensum viguit, primus accumulator fuit. Silius *lib.* 5.

Occumbis generose Volux, nec clausa repostis
Pondera thesauris, patrio nec regia quondam
Præfulgens ebore, & possessa mapalia soli
Profuerint. —— ——

Volusus, è Sabinis nobilis, P. Valerii Volusii Poplicolæ Pater.

Vomanus, vulgò *Vomano*, Piceni fluv. Plinius, cujus meminit Silius *lib.* 8.

—— *Statq; humectata Vomano*
Adria. —— ——

in Aprutio. Ex Apennino in Hadr. decurrit, medius inter Truentum & Aternum flum.

Vomia, vulgò *Wome*, seu *Midnick*, urbs Poloniæ, quæ & *Mednicum*. Vide ibi.

Vomia, urbs Niphoniæ, in tractu Jedsegeno, vix 50. mill. pass. à Meaco in Ort. prope Sinum magnum Meacensem. Caput regni cognom. vulgò *Vomi*, Brietius.

Vomura, urbs in parte Occ. Ximoæ, in regno *Figen*, cum portu capaci, 15. m. p. à Nangazachio in Cire.

Vongum, vel *us*, vicus Galliæ ad Axonam, medio inter Remos & Suessionum spatio, vulgò *Von*, aut potius *Vousi*, non procul à *Von* distans. Caput pagi Vongensis, inter Dolomensem & Castricensem medii, cujus Frodoardus meminit *lib.* 2. *cap.* 18. in hoc villam Rigulliacum, vulgò *Rilly*. ad Axonam inter Attiniacum & *Vousi* ponit Alcuinus, in vita S. *Vedasti*. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Vonones, incertum cujus stirpis, antea Mediæ Rex, lectus adscitusque à Parthis, brevi & inglorio Regno, Tacit. *lib.* 12.

Vonones Parthus, obses à patre Phraate Romanis datus, in regnum reposcitur, mox spretus à suis ab Artabano regno exuitur. Justin. *lib.* 42.

Voornia, insula Hollandiæ, prope & infra Confluentes Mosæ & Vahalis. Vix 4. aut 5. milliar. cum arce cognomine in parte Or. vulgò *Voorn*.

Fl. Vopiscus, historicus Rom. sub Diocletiano, & Constantino Chloro, Syracusanus: Romam venit, ibique Aureliani, Taciti & Floriani Impp. vitam descripsit. Dein Probi historiam composuit, eamque Celso Rufo dedicavit: Addidit postea Firmi, Saturnini, Proculi & Bonosi, tyrannorum vitas: subjunctis tandem Cari, Numeriani & Carini; Omnia ordine exquisito, & eruditionem non mediocrem spirante. Proposuerat sibi quoque Apollonium Thyanæum, quem magnopere extulit, eodem modo, enarrare. V. Voss. *Hist. Lat. lib.* 2. *cap.* 7.

Voranus, Qu. Luctatii furacissimus libertus, de quo Cæl. *lib.* 10. *cap.* 20. Ejus meminit Horatius:

Julius & fragilis Pediatia, furq; Voranus.

Voraptus, Princeps Jazygum, Gesandri Pater, apud Valer. Flacc. *lib.* 6. *vers.* 289.

Voreda, Angliæ urbs, Anton. *Old Carlile*, Camdeno, nunc vicus, apud Carliolum urbem.

Vorganium, *Triguer*, Galliæ Lugdun. urbs in Osismiis, Ptolem. Vide *Trecorium*.

Wormatia, vide *Vangiones*, & *Wormatia*.

Vornemetis, vide *Vernemetes*.

Vorotinensis Ducatus, *le Duché de Worotin*, est provinc. Moscoviæ &c. versus Tartariam min. & Lithuaniam, extensa à Septentr. in Mer. prope Moscoviensem & Rezanensem Duc. Ejus caput *Vorotinum*, cum castro, ad Occam fluv. 66. mill. pass. à Moscua urbe in Merid. totidem à confinio Lithuaniæ in Ortum. *Worotin* vulgò.

Vorstius Conradus, Coloniensis, à Remonstrantibus Leidam in locum Arminii, Steinfurto, ubi jam diu Socinismi suspectus docuerat, vocatus, Professionem non obtinuit, ob protestationem aliarum Ecclesiarum, & minas Regis M. Britanniæ Jacobi, qui scripta ejus publicè exuri jussit, circa An. Chr. 1610.

Vortigernus Saxonum, qui Angli vocabantur, Regulus, à Britannis auxilio, contra piratas vocatus, invadit insulam, sibiq; vindicat. Socer Hengisti An. Chr. 449. Polyd. Virgil. *lib.* 3. Ei successit filius Vortimerus, An. Chr. 457.

Vosagensis pagus, in Biturigibus, horumque extremis finibus, memoratur Greg. *Hist. Fr. lib.* 9. *cap.* 19. Vulgò *Besage*, Matollio.

Vosagus, Fortun. *in Carm. ad Gogonem*:

Ardenna, an Vosagi, cervi, caprea, helicis, ursi
Cæde sagittifera sylva fragore tonat.
Seu validi bufali, &c.

[Sylv]a Germaniæ ingentis magnitudinis, Austrasiam olim à Burgundia divisit. Ejus pars major Austrasiorum Regibus, quâ nempe Borbetomagum, Nemetas, Tabernas, Saletionem, Brocomagum ac Argentoratenses ad Rhenum attingit, & quâ introrsum inter Mosellam ac Mosam attollitur: reliqua pars circa castrum Luxovium & Anagratas Monasteriumque Salicis in Sequanis, Regibus Burgundiæ parebat. In ea Cœnobium Montis Romarici vetus ac nobile, seu Romerici castellum positum esse præ cæteris docet vita S. Salabergæ. In tab. Theodos. seu Peuting. à Boconia ad Brocomagum pertinet sylva Vosagus, quod est spatium 61. m. p. ad ripam Rheni. Valesio est sylva, simul ac mons quoque eo nomine, quem multicipitem montem ajunt inter Alesatios & Lotharienses eminere, & longo tractu à Treviris per Mediomatricos & Leucos ad Lingones & Sequanos pertinere, alibi convallium & perennium aquarum amœnitate, alibi sylvestrium jugorum altitudine spectabilem; quâ in Lotharing. & in Burgundiam Comitalem brachia diffundit, claris Monasteriis insignem. Mons *Vosagus* Lotharingiam à Comit. Burgundiæ & ab Alesatia discludit; nec jam à Bonconica ad Brocomagum, ut tabula Theodosiana docet; sed ad Augustam Rauracum aut ad Basiliam Sequanorum pertinet, quod est spatium 132. milliarium: ac vulgò dicitur à Gallis *le mont de Vosge*, vel *les montaignes de Vosge*. Nomen *Vosegi*, vel *Vosagi* servat Cœnobium cum vico *Voyge*, aut *Voyse* dictum, Mosæ fontibus proximum: servat & inter flumina Mosam ac Mosellam sylva ingens cùm plana tum maximè montana, quam *la forest de la Voyge*, aliàs *le bois de la Voyse* nuncupant, à qua abest oppidum *Voysi* milliaria circiter 32. *Vosagi* appellationem retinens. Mons sylvestris Burgundiam Comitalem à Lotharingia dividens, ac propterea Mons Burgundiæ dictus, *Montaigne de Bourgogne*, aliàs Mons Falcium à freno & pascuis, *Mont de Faucilles*, pars est saltus ac *montis Vosagi*. Regio utrumque *montis Vosagi* latus continens usque ad Duos Pontes oppidum, sive *Zvveibruck*, *Vosagia*, aut *pagus Vosagensis* nunc vulgò nuncupatur, à Lotharicnsibus quidem *le pays de Vosge*, aut *la Vosgue*, à Germanis autem *Das Wasgovv*, id est, Vosagensis pagus. *Gavv* enim & *govv* Germanicâ linguâ pagum significat, ut Cluverius scribit: & Nithardus *Wasagum*, pro *Vosago* vocavit, ex quo *Was-gavv* Germani fecerunt. Ex his apparet, plurimos montes longe lateque diffusos, sed alteros alteris contiguos communi nomine atque singulari *Vosagum* vocari, id quod Juræ, Cebennæ, Pyrenæo videmus accidisse. Richerius in Chron. Senonensi hanc regionem describit *in lib.* 1. *cap.* 11. excelsis montibus & vallibus profundissimis, in quibus nemora abiegna sint, asperam, longam itinere 4. dierum, latam sex aut 7. millibus, feris quàm hominibus convenientiorem: *quam terram* (inquit) *antiqui Vosagum, moderni Vogiam dixerunt.* Georgius Furnarius *in sua Orbis Notitia* scribit, *Vosagum montem cum sylva in Lingonibus oriri, & per 25 leugas versus ortum excurrere ad Basiliam. quà Burgundiam à Lotharingia dividit; inde ad Septentrionem versus continuis jugis & perpetuis sylvis Lotharingiam ab Alsatia separantem, per 50. leugas ad Mogontiacum & Augustam Trevirorum expandi.* Ex eo monte *Mosam*, *Mosellam*, *Ararim*, seu Sauconnam, *Helellum*, vel potiùs Ellum, *Ill*, aliosque non obscuros fluvios *demitti*, alios in Oceanum, alios in mare Gallicum partim suo partim alieno ore perventuros. Certè *sylva montisq; Vosagus* capita quatuor maximorum fluminum continet, Matronæ, Mosæ, Mosellæ, atque Araris. Ex quibus *Mosam profluere ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum*, tradit Cæsar *in Commentar.* 4. *belli Gallici*: ex quo intelligitur *Vogesum* montem à veteribus dictum esse, qui postea à recentioribus transpositis litteris vocatus sit *Vosegus*, & *Vosagus*. *Vogesi* montis in Lingonibus meminit & Lucanus *in lib.* 1.

Castraq; quæ Vogesi curvam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Est altera *sylva Vosagus*, in pago Diœcesique Laudunensi, cujus Hermannus Monachus *in lib.* 3. *de Miraculis S. Mariæ Laudunensis cap.* 3. ante An. 500. meminit his verbis: *Episcopus* (Laudunensis Bartholomæus) *Laudunum rediens, duxit eum in sylvam Vosagum, ostenditq; ei* (Norberto) *in ipsa locum quendam, qui Pratum Monstratum vel Pramonstratus vocatur.* Idem *in cap.* 5. *lib.* 3. *sylvam Vosagum* iterum vocat, & proximam Lauduno, ac extramurano Monasterio S. Martini facit: alibi etiam in Laudunensi Diœcesi *Cœnobium S. Nicolai in sylva Vosago situm* commemorat: ita ut nomine *sylvæ Vosagi* sylvam Codiciacensem aut Farensem Lauduno proximam designavisse videatur, *la forest de Coucy*, in qua uterque locus est, *Notit. Gall.* Vide *Vogesus*.

Vosavia, ubi Mammæa Alex. Severi Imp. mater cæsa & sepulta, Christianorum fautrix; opp. Germaniæ super. *Obervvesel.* Vide *Ficelia*, & *Vesalia*.

Vosia, clara veteri Abbatiâ, est in Lemovicum finib. vulgò *Visoie*, aut *Vigeois*: in Gallia. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vosonnum, nunc *Vouson*, Cella seu Prioratus, in Archidiaconatu Solliacensi, qui unus est è 6. Archidiaconatibus Ecclesiæ Aurelianensis. In Botarotii nummo vet. *Vosonno vico.* Idem.

Vossius Gerardus Johannes, Archipalatinus, eloquentiâ & eruditione seculi hujus inter principes, Natus An. 1577. Dordraci literis incubuit, cum Erycio Puteano. Dein eruditarum linguarum notitiâ exactè imbutus, præcipuas Europæ urbes invisit, ubique magnâ veneratione cultus. Reversus, Dordraci, Lugduni Batav. & Am-

& Amſtelodami docuit. Operum ejus, quæ plurima ſunt, præcipua: *De Idololatria: De Hiſtoricis Græcis, Latinis: De Poëtis Græcis, Latinis: De Scientiis Mathematicis: De 4. artibus popularibus: Ariſtarchus: Partitiones Oratoriæ: de 70. Interpp. &c.* Obiit An. 1650 Ejus Epitaphium:

Hoc tumulo plorat Pietas & candida Virtus,
Et luctu Pallas ſaxea diriguit.
Invida mors ridet: ridet quoq; Voſſius illam,
Dum calamo mortem vincit & ingenio.

Pater Dionyſii, Franciſci, Gerardi, Matthæi & Iſaci, qui omnes eruditionis laude ſcriptisque inclaruerunt: quorum ultimus inprimis egregia ingenii monumenta edidit.

Voſſuenſe Monaſterium, poſtea *Foſſenſe*, & *Foſſa*, vulgò *Foß* dictum, à Foillano Furſeum fratrem non multo pòſt ex Hibernia in Gallias ſecuto, ope Gertrudis virginis, Pippini Majoris domus filiæ, in villa ejus fundatum: inter Caſtellum *Chaſtelet* & Namurcum in diœceſi Leodic. ad fluv. Gervernam, non procul à flu. Sabi. Valeſ.

Voſuma, urbs in parte Auſtr. Ximoæ, caput tractus cognominis, vulgò *Voſumi*, Brietius.

Votienus Montanus, cujus inter celebres Oratores & Poëtas mentio, poſtulatus ob contumelias in Tiberium Cæſarem dictas; ideò majeſtatis pœnis affectus & in Baleares inſulas relegatus eſt, Cornelio Coſſo, Aſinio Agrippâ Coſſ. in quibus & mortuus. Patriâ fuit Narbonenſis Tacit. 4. 42.

Voturi Galli, qui Galatiam quondam tenuerunt. Plin. & Solin.

Voxua, urbs in parte Or. Niphoniæ, in Ochia reg. 140. m. p. à Jendo in Bor. cum regno cognom. Brietius. Vulgo *Voxu*.

U P.

Upis, apud Lacedæmonios Diana dicta eſt. Palæphatus: Καλῦσι τὴν Ἄρτεμιν Θρᾷκες Βένδειαν, Κρῆτες δὲ Δίκτυνναν, Λακεδαιμόνιοι δὲ Οὖπιν. Callimachus tamen eam ſic à Cretenſibus appellari tradit in his:

Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι, φαεσφόρε, καὶ δὲ σε κείνης
Κρηταέες καλέουσιν ἐπώνυμον ἐκ νύμφης.

Uplandia, vulgò *Upland*, prov. Suevoniæ, ubi urbes Upſalia & Holmia, caput Sueciæ. Terminatur à Septent. Geſtriciâ, ab Ortu mari Baltic. ab Occ. Weſtmanniâ, à Merid. Sudermanniâ; abundans & probè culta. Ejus caput Upſalia, aliàs regni caput.

Upſala, ſive, *Upſalia*, vulgò *Upſal*, urbs Scandinaviæ Archiepiſc. & metropolis olim Suediæ, ſive Sueciæ ab Eugenio III. Pont. Rom. erecta, olim regia; ab Holmia hodierna regiâ 36. m. p. ſeu 7. leuc. Suec. in Bor. recedens. Cum Acad. inſigni, 6. leuc. ab Aroſia in Ort. Ad fluv. Salam, qui in lacum *Ekolen* influit. Urbi arx munitiſſima incumbit.

U R.

Ur Chaldæorum, *Orche* Strab. *Orchoe* Ptolem. reg. ſub Babyloniâ. Abrahami Patriarchæ patria.

Ur, fluvius intra Helvetiæ terræ limites. Genere fœminino Celticè dicitur *die Ur*, poſteà per eliſionem diphthongi Celticæ *ie d'Ur*. *Ura* productè dicitur, quàm longam literam cùm Germanica lingua non habeat, ſicut nec Græca *Dur*, verterunt in *Daur*. Unde Romani, qui nobis omnia antiqua corruperunt nomina, *Taurum* vocarunt. At Helvetiorum lingua *Dur* pronunciat & regionem adjacentem *Durgovv*. *Ur* fluvius immenſum creſcere ſolet, torrentis in morem, ſed navibus non admodum aptus eſt: infra majorem Rheni cataracten, qui ſub Schaffhuſiâ eſt, Rhenum influit.

Ura, locus ad Euphratem, in quo is reverſus ad Orientem relinquit Palmyrenæ regionem, Plin.

Ura boos, id eſt, *bovis cauda*, locus Cypri in orâ Or. inter Salamina & Carpaſiam.

Uraba, vulgò quoque *Uraba*, tractus Terræ firmæ, in gubernio Carthaginis novæ, verſus oram maris Bor. & ſinus Urabæ. Ibi aliquot coloniæ Hiſp. parvi momenti.

Uraba Sinus, *Golfe d'Uraba*, pars maris Bor. in Auſtr. extenſa; inter prov. ſeu gubernium Carthaginis novæ ad Ort. & provinc. Terræ firmæ, ad Occ. juxta Urabam tractum.

Uracum, urbs Ducat. Wirtembergici, ad Amerum fluv. Olim ſub Comitibus, è quibus Egonis Comit. de Aurach vidua, Agnes filia Bertholdi Ducis Zeringenſis nupſit Eberhardo I. Com. Wirtemberg. Alii *Uracum* arcem ab Henrico Com. Fürſtenbergico venditam Ulrico filio Eberhardi perhibent: è cujus poſteris Ludovicus fil. Eberhardi III. Ulrico Jun. fratri cum Stutgardia, parte inferiori Principatus conceſſâ, ſuperiorem partem obtinuit, Uraci ſede electâ; hinc *Uracenſis* lineæ auctor. Emit hic à Comitibus Helfenſteniis, Balingam, Dutlingam & Blaubeuram, Ann. Chr. 1447. primusque monetam cudi fecit. Obiit An. Chr. 1450. Pater Eberhardi Barbati, cujus in Palæſtinam iter Ann. Chr. 1468. deſcripſit Joachimus Munſingerus à Frondeck. Fundavit hic Academiam Tubingenſem, An. Chr. 1477. Aurei velleris equitibus aſcriptus eſt, An. Chr. 1492. Ad cœnam, in Comitiis Wormatienſibus, à Principibus Saxoniæ invitatus, cùm reliqui varia de ditionibus ſuis prolixè jactarent, de hoc uno gloriatus eſt, quòd in *cujuſvis ſubditi gremio dormire auſit*. Obiit An. Chr. 1493. Ejus ſepulchro adſtans Maximilianus I. Imper. *Latere* dixit, *in hoc tumulo talem Principem, cui ſapientiâ aliisq; virtutibus parem in Imperio nullum noverit*. Vide Naucler. *Vol. 3. gen. 50. pag. 510.* E conjuge Barbara Gonzagea Mantuana, nullam reliquit prolem, ſed naturalem filium habuit Ludov. à Greiffenſtein juris Doctorem, Naucleri & Capnionis fautorem. Succeſſit in ditionibus Eberhardus Jun. è familia Stutgardiana, qui captivus Uraci obiit, Ao. Chr. 1519. pater communis lineæ Ducalis primæ & Montispelgardenſis, ſeu Ducalis ſecundæ. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Syll. Geneal. Hiſtor. in famil. Wirtemberg.*

Uragus, Pluto ſic dictus, non ab *urgendo*, ut quidam volunt, ſed à Græco Οὐραγὸς dicitur, hoc eſt, qui in acie extremam agminis partem ducit. Unde non invenuſtè ad Ditem transfertur, qui poſtremum humanæ fabulæ actum excipit.

Uraja, Gothorum Dux, occiſus à Theudibaldo Reg. qui proin neci quoque datus eſt. Jornandes *de reb. Goth.* An. Chr. 540.

Urania, una Muſarum, Jovis & Mnemoſynes filia, cui Aſtrologiæ inventio tribuitur: Pingitur cum veſte cærulea, ſtellis coronata, utraque manu ingentem globum tenens. Ovid. *Faſt. 5.*

Excipit Uranie, tenuere ſilentia cuncti.

Item Dea Punica, ab Heliogabalo in uxorem ductâ. Herod. *l. 5. &c.*

Uraniburgum, caſtrum ſplendidum, Daniæ in Huena Inſula in Sundico freto, inter Seelandiam ad Occ. & Scaniam ad Ort. Extructum à Tychone Brahe, nobili Dano, Mathematico percelebri. Nunc ferè collapſum. Vulgò *Uranienburg*.

Uranii, ſeu *Urii*, populi Helvetiæ, Tauriſcorum tradux. Fuere autem Taurisci Romanis dicti pop. Inalpini, de quibus Polyb. *lib. 2.* Nominis origo ab Uro, bove ſylveſtri eſt, cujus caput Aborigines eorum, inſignium loco habuerunt: unde hodieque in bellis ingens cornu inflant, quod muons qui obit, incolis *der Stier von Uri* dicitur. An. Chr. 555. Gothorum à Narſete devictorum pars Uriis ſe junxit, Procop. Agathiaque teſtibus, & ad noſtra usque tempora manet Gothicæ apud gentem originis opinio. Rebus dein contra Saracenos præclarè geſta, *αὐτονομία* cum Suitiis, Underwaldiis & Haſelenſibus, à Ludovico Pio Imper. & inſignibus à Pontif. donati ſunt. Cumque prius ad præfecturam Tigurinam regio pertineret, poſtmodum jus hoc à Ludovico II. Abbatiſſano cœnobio, quod Tiguri eſt, in gratiam filiæ Hildegardis primæ Abbatiſſæ eſt conceſſum: ſalvis nihilominus Uraniorum immunitatibus, quibus proprius Landammannus & Conſilium ſemper fuit. Rerum tamen criminalium judicium penes Imp. erat, qui, ſicut in reliquos pagos, ita huc quotannis Præfectos miſerunt, qui jus dixere. Præterea Dominis Rupertivillæ, & Comitib. Homburgiis olim aliquid hic juris fuit. Primus cum Suitiis & Subſylvanis eos in amicitiam illexit Rodolfus Comes Habſpurgicus, qui poſtea Imperator factus eſt, ſub cujus ductu ſatis bene ſe res habuerunt: Poſtquam jam anno 1251. cum Tigurinis & Suitiis, poſt exceſſum Friderici II. fœdus feriiſſent. Nobilitatem poſtmodum bonis infeſtam, circa An. Chr. 1260. finibus pepulerunt, tum primùm aditibus regionis muniendis intenti. Poſt Rodolfum, ſub filio ejus Alberto principatum in Helvetiis moliente, Geiſlerus Suitiis Uriiſque miſſus eſt præfectus, qui prope Altorffium arce apud hos extructâ *Zwing Uri under die Stegen*, præter innumera alia tyrannidis intolerabilis facinora; Altorffii in foro, pileo prælongæ perticæ impoſito, cui ab omnibus reverentiam exhiberi voluit, patientiam populorum ultimo experimento tentare ſtatuit. Verùm hoc ipſo viam ad libertatem oppreſſis ſtravit, quam Waltheri Furſtii unius ex libertatis Helvetiæ Triumviris, ex Uriis oriundi, cum Arnoldo à Melchtal, & Wernhero Stauffachero fœdus An. Ch. 1307. initum & Guiliel. Tellii ſimiliter Urii felix ſagitta, brevi pepererunt. Ad Uraneſem ergo lacum loco *in Grütli* delecto, tres fœderis Principes convenere, & re maturè deliberatâ, domum reverſi, alios in fœderis ſocietatem pellexere: Sic arces An. Chr. 1308. Kalend. Jan. everſæ, & libertas pagis reſtituta eſt. Factum dein à tribus Pagis in decennium fœdus, demum Ann. Chr. 1315. poſt debellatos Morgatenſi prælio Auſtriacos, in perpetuum verſum eſt. A quo tempore Uraniis omnia cum reliquis Helvetiis, inter quos quartus illis locus, communia eſſe cœpere. Sunt ex populis, qui Sylveſtres ſeu Vallium civitates, vulgò *die Länder* dicuntur, & Latinis ritibus adhærent. *Uria* enim nec urbs, nec opp. eſt, ſed vicatim habitata regio: difficili inter montes aditu, niſi illum navigio, vel per montem Gothardi, & id ſatis periculoſè tentes. Viros habet prudentes, acres & verè animæ contemptores, ubi pro juſtitia dimicandum eſt. Dividitur regio in 10. partes, quas ipſi vocant *Gnoſſamenen*, quaſi participationes, è quibus ad annuos conventus gentiſque concilium, quod primâ Dominicâ Maii celebrari ſolet, ſub præſide *Ammanno*, ſenatores vocantur. Imponunt Urii Lepontinæ valli trans Alpes præfectum: cumque duobus aliis pagis trans eaſdem Bilitionem, Brenniam vallem & Rivieram regunt. Præterea Urſaris V... Gotthardi montis accolæ, Uriorum imperium agnoſcunt: C... cum 7. & 8. vett. item cum univerſis Pagis varias alias Præfecturas communes habent. Vicus princeps *Altorffium* eſt, quaſi ve... cus, ita pollens ædificiis, & plateis lapide ſcitè ſtratis, ut ab o... nihil differat, niſi quòd careat mœnibus. Vide plura apud Stumpf.

de Turgovia cap. 26. Jos. Simlerum *de Republ. Helvet.* Joh. Baptist. Plantinum *Helv. Nov. Antiq. &c.* Egregiam hanc gentem Henr. Glareanus hoc *panegyr.* prosecutus est:

Uria post ingens Taurisca gente creata
Progenies Gallorum antiqua, per ultima belli
Fortunaq; pericla, in has compulsa latebras
Delituit multis annis, ignobile fessa
Otium agens, donec clarus Habsburgius Heros,
Ductor in Helvetiis multa virtute Rudolfus,
Surgeret Ausonia præcelsa in culmina regni,
Ad veteres rediit mores; sunt robora prisca,
Atq; eadem virtus, eadem est audacia membris,
Nemo illo major bello, nemo acrior armis:
Hæc nostri fons imperii, quæ prima tyrannos
Corripere est ausa, & volitanti plectere ferro.

Uranius, Presbyter Ecclesiæ Nolensis, scripsit historiam mortis S. Paulini, sec. 5. Isidor. *de illustr. Scr. cap.* 4. Item Scriptor in Arabia, Stephan. Byzant. Item, Tyrannus, sub Alexandro Severo. Zosimus.

Uranius, Historicus, de quo vide Vossium *de Histor. Græc. lib.* 3. *pag.* 4. 42.

Uranopolis, Pamphyliæ urbs Episcop. Ptolem. Alia *Uranopolis*, opp. Macedoniæ sub monte Atho, ab Alexandro Cassandri fratre conditum, Plin. Alia etiam Galatiæ, ex Lib. Concil.

Uranium, opp. Istriæ, nunc *Castellatium*, seu *Castellerium*.

Uranus, pater Saturni, (Cœlum Latini vocant) cui filius virilia dicitur excidisse, quæ in mare projecta, & fluctibus agitata, spumas ediderunt; ex qua Venerem natam volunt.

Urathima, Indiæ extra Gangem urbs. Ptolem.

Vratislavia, German. *Breslavv*, an *Budorgis*, Ptolem. Caput Silesiæ, urbs ampla, in Ducat. Vratislaviensi, ad Oderam fluv. A Miesłao, Duce Poloniæ extructa, paulo ante Christi 1000. Ann. Episcop. sub Archiepiscop. Gnesnensi, cum Eccles. Cathedr. à Casimiro, Polon. Reg. An. 1041. institutus est, qui tantopere increvit, ut *Aureus* dictus sit An. 1341. die 7. Septembr. urbs penè tota exusta est, postea à Carolo IV. Imper. reædificata, ut hodie nulli German. civitati cedat. Distat 20. mill. à Gorlitio in Ort. 10. à confin. Poloniæ 10. infra Oppolium in Circ. Glogaviam versus 15. & 35. à Cracovia in Circ. Berlinum versus 40. Hic, in canum campo, Boleslaus Poloniæ Princeps, ab Henrico V. Imper. victus & ad tributum ac sacramentum adactus est. Fuit olim sub Principibus propriis, è familia Piastea. Vide Michov. *lib.* 3. *cap.* 51. Cromer. *lib.* 8. Longinum, Spondaneum, &c.

Urba vicus, seu castrum pagi Transjurensis, 18. m. p. circiter à lacu Lemano, ad Urbam fluv. Gallis *Orbe*, incolis *Orbach*. Fortè prius *Taberna*, ut Valesius, vel *Tavelles*, ut Plantinus vult, qui ex Vaudi Chronicis, olim ab Alemannis constructum, cùm hanc Helvetiæ oram occupassent, dein illis ab Helvetiis profligatis, destructum ac dirutum, idque jam ante Cæsari tempora, refert. Hanc *Urbam* Urbigeno pago *tanquam caput olim ejus, cui Aventicum successerit*, nomen dedisse, eandemque cum *Orba* hodierna 18. m. p. Lausannâ distante, statuit Guillimannus; sed oppidum hoc ad Tibam, fluvium non procul inde è Jura erumpentem, ponit. Oritur autem fluv. *Urba* è lacu quodam, & alluens Lacum *le Lieu*, locum magno lacui adsitum, Juram Abbatiale Monaster. *Joux*, Vallem Urbæ *Val Orbe*, castrum Ebredunum *Iverdon*, ad caput lacus Ebredunensis, dein in Arolam defluit. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* Johan. Bapt. Plantinum *Helvet. Nov. Antiqua, &c.* & in voce *Verbigenus*.

Urbania, vulgò quoque *Urbanea*, urbec. Ducat. Urbinatis, aliàs *Castrum Durantium*, antea *Tifernum Metaurum*; recèns Episcopalis facta, sub Archiepiscopo Urbinate, & sic ab Urbano VIII. sic dicta. Ejus Episcopatui unitus est Episcopatus S. Angeli in Vado, 7. mill. pass. ab Urbino in Africum, Tifernum Tiberinum versus 8. circiter.

Urbs Salvia, opp. olim Ptolem. excisum ab Alarico Reg. nunc vicus Piceni, *Urbisaglia*, in ditione Pontif. juxta Chientum fluv. 6. mill. à Tolentino in Ortum. Firmum versus 18. & 5. à Macerata in Meridiem.

Pontifices Romani.

Urbanus I. Episcop. Rom. post Calixtum I. An. 224. gente Romanus; sæpius proscriptus, tandemque sub Severo Imper. captus, pertulit liventis verbera plumbi, & jussus Marti thura dare, in facies Deorum expuit: proin securi percussus An. Ch. 231. Hunc Jovianus excepit. Euseb. *in Histor.* Baleus *in Urbano I.* Successit Pontianus.

Urbanus II. dictus *Odo*, Gallus, successor Victoris III. An. 1088. tempore schismatis; cui Antipapa Gilbertus ansam præbuit. Ab hujus factione, urbe pulsus in Galliam se recepit, ubi varia celebravit concilia: Claromonte inprimis, ad recuperandam Terram Sanctam. In Italiam dein reversus, Obiit Romæ, An. 1099. Baron. *in Annal.* Eum excepit Paschalis II.

Urbanus III. cui nomen, *Lambertus Crivellius*, successit Lucio III. An. 1185. Obiit An. 1187. audito, de captis ab Saladino Hierosolymis, nuntio. Duchenius & Massonius, *in vit. Pontif.* Sequutus est Gregorius VIII.

Urbanus IV. Trecensis, nomine *Jacobus Pantaleo*, obscuro genere natus, successit Alexandro IV. Ann. 1261. Crucem contra Manfredum, qui se Siciliæ Regem fecerat, Pontificibus infestum, sumi jussit. Dein Orvetum secedens, Carolum Comit. Andegavensem & Provinc. in Italiam vocavit, utriusque Siciliæ Regem illum facturus. Festum postea Corporis Christi, in gratiam suæ Evæ, an, quia in Longobardia sacrifico incredulo sacris operante, sanguis ex hostia profluxerat, instituit. Obiit Ann. 1264. Scripsit relationem Terræ S. qua Adrichomius ad theatrum suum Terræ S. usus est; Item Volumen Epistolarum, Paraphrasin Psalmi 51. &c. Vide Joh. Baleum, Platinam, Papyrium, Massonium, Onuphr. Ciacconium, &c. *in ejus vita.* P. Æmylium *lib.* 7. *&c.* Ei successit Clemens IV.

Urbanus V. Gallus, nomine *Guiliel. Grisacus*, filius Grimoardi. Successit Innocentio VI. An. 1362. Avenione, ubi tum sedes erat, Barnabam Mediolani tyrannum, aliosque Italiæ Magnates, in subditos acriter sævientes, armis compescuit. Hinc in Italiam, populi rogatu, & Petrarchæ literis invitatus, Romam venit An. 1367. rebusque compositis, Avenionem rediit, An. 1370. Obiit paulo pòst, An. ætat. 61. Hic rosam consecratam excogitavit, & Johannæ Apuliæ Reginæ dono misit: Agnos item cereos finxit, illis magnam vim attribuens. Mornæus *in myst. iniq. pag.* 1060. Duchen. *in ejus vita, &c.* Successit Gregorius XI.

Urbanus VI. nomine *Bartholomæus Pregnanus*, Neapoli oriundus, ab Italis, ut Romæ Papam haberent, Gregorio XI. surrogatus est, clamantibus: *Volemo un Papa Romano, o vero Italiano*, & Cardinalibus congregatis minantibus, multis lignis congestis, se, ni desiderio suo satisfieret, illos exusturos, Ann. 1378. Cùm interim diversa factio Avenione Clementem VII. elegisset. Hoc initium horrendi schismatis; Illi Italis, Germanis, Anglis, Lusitanis: huic Gallis, Hispanis, Apulis adhærentibus. Unde diræ mutuæ: dum quisque alterius *sectatores extra viam salutis esse ajebat, canes, incredulos, infideles* clamitans. Froissard. *lib.* 2. *cap.* 132. 133. *&c.* Urbanus post electionem, ferox & superbus, Johannam Neap. Reg. quòd Clementem honorificè excepisset, excommunicavit, invitato Ludovico Hung. Reg. ut Carolum Dyrrachinum contra illam cum copiis mitteret: Quoq; similiter Richardum adversus Gallum excitaret, prodigiosas indulgentias promulgavit. Ludovico Duce Andegav. à Johanna hærede scripto, ipse Carolum Parvum ei opposuit, sed hunc excommunicatum contra se ire audiens, Genuam aufugit, An. 1385. Cardinalibus 5. anno pòst necatis, Jubilæo ad 33. annos contracto, festo Visitationis instituto, Obiit 1389. Scripsit Historiam Episcoporum Barensium. Theod. à Niem *Hist. Schismat. &c.* Eum excepit Bonifacius IX.

Urbanus VII. Romanus, nomine *Joh. Baptista Castaneus*, excepit Sixtum V. Hic in Concilio Tridentino Calicis acer oppugnator fuerat, adeo *ut petitionem eam hæreseos introductionem sapere*, diceret. Petebant autem illius usum Carolus IX. Ferdinandus I. Imper. Albertus Bavariæ Dux, &c. Petr. Suavis, *in Hist. Concil. Trid. lib.* 6. Decimo quinto ab electione die extinctus, An. 1590. Cicarella, Ciaccon. &c. *in vita ejus.* Successit Gregorius XIV.

Urbanus VIII. nomine *Maffeus Barberinus*, surrogatus est Gregorio XV. An. 1623. Princeps eruditione singulari, Ducatum Urbinatem sedi Rom. junxit: in lite quòd Jesuitæ in Gallia, è Kalendario S. Germano eraso, Ignatium suum substituissent exorta, decrevit, *Si simul stare non possent, expectare debere Ignatium annum bisextilem*, die intercalari illo donato. Marc. Antonium de Dominis, in carcerem S. Angeli detrusit: in Regem Galliæ, ob Vallem Telinam insurrexit, adeò nil curante ejus iram Rege, ut Antonii Santarelli librum Romæ contra se excusum, à Sorbona flammis publicè exuri pateretur, Parlamenti decreto. Ei tamen de Rupella expugnata gratulatus est, cui triumpho Josephus Hallus Episcop. Exon. egregium scriptum opposuit. Legatis in Hispaniam, Galliam, Germaniam missis pacem persuadere, sub Ferdinando III. Imper. verbis conatus, reipsà Cæsari pecuniam ingentem, ad bellum continuandum summisit. Obiit An. 1644. sedis 21. ætat. 76. Jac. Revius *in Urbano VIII.* Scripsit Hymnos, Paraphrases aliquot Psalmorum, & Canticorum Vet. Test. Epigrammata, Poëmata alia Latinè & Italicè, Decreta, &c. Successit Innocent. X.

Urbara, Mauritan. Cæsar. opp. Ptolem. Nunc *Calaa* seu *Calat Hoaora*; intra montes, in regno Tremisino.

Urbata, Pannoniæ urbs, Anton.

Urbevetanus tractus, *il territorio d'Orvieto*, pars aliàs Hetruriæ, nunc sub Pontif. inter Umbriam ad Ort. agrum Perusinum ad Bor. & prov. Patrimonii ad Merid. Ejus caput est Urbs vetus, seu Oropitum & Orivetum, vulgò *Orvieto*.

Urbi, Indiæ pop. Plin.

Urbia, fluv. Galliæ, regnum olim Chilperici à Regno Guntchramni divisit, à quo pons *Urbiensis* flumini impositus, in agro Parisino. Hic Chilpericus præsidium posuit, ad transitu arcendos insidiatores, si qui à fratre summitterentur. Hodie vulgò *Orge*, Valesio: qui vicum S. Maximæ, *S. Mesme*, Dordingum, *Dourdan*, & Castra alluit, ibique Remandam recipit, *Remande*, ad quem sunt Rumbelitum, *Rambouillet*, vicus St. Arnolfi in Aquilina sylva, *Saint Arnoul en Iveline*, ac Brueriæ Castellum, *Bruieres le Chastel*. Tum *Urbia* Campum lupi, *Chantelou* vel potiùs *Champdelou*, Britta-

tonariam *Bretonniere*, Lupi Villam *Leuville*, Spinetum vulgò dictum *ad Ordeam*, *Espinay sur Orge* Gallis nuncupatum, ac villam Mellium, *Ville moisson* prætetlapsus, augetur rivo vel amniculo ex Marcoenis, Linais, (*Linas*) ac Longo Ponte decurrente. Inde ad Minorem Vallem (*le petit Vaux*) Ivetam amnem admittit, *Ivette*, qui Donnampetram *Dampierre*, ad S. Ferreolum *Saint Forgel*; Capellam Milonis *la Chapelle-Milon*, Capriosiam *Chevreuse*, Gif Monasterium, Bures, Orceium *Orsay*, Palatiolum *Palesean*, Villam-Bonam *Villebon*, Montem Gemellum, *Lonjumeau*, Majorem Vallem *le Grand Vaux* attingit, atque apud Sabiniacum vicum non ignobilem in *Urbiam* influit. His auctus aquis *Urbia* paulo infra Gevisiacum *Juvisy* in Sequanam evolvitur. *Pons* igitur *Urbiensis civitatu Parisiaca* apud Gregorium, vel *Pons Urbia fluvii* videtur esse Sabiniacum ad *Urbiam*, *Savigny sur Orge*, vicus pagi Parisiaci, ubi pons *Urbia* est hodieque impositus: de quo ceu de re contemnenda Gallorum est verbum, *le Pont de Savigni en l'air*, aliàs *len lere*. Nisi si malumus *Gevisiacum*, ostio confluentibus've *Urbia* ac Sequanæ proximum, *Pontu Urbiensis* nomine à Gregorio designari, *Notit. Gall.*

Urbicus, Romæ sub Antonino Phil. præfectus.

Urbicus, Hisp. Tarr. urbs. Liv. Hodie *Arbecha* Beutero & Clusio dicitur; Albonicæ proxima, 88. m. p. à Cæsaraugusta in Mer. Item Catalauniæ, 4. leuc. ab Ilerda.

Urbicus, Hisp. fluv. apud Augustam Asturicam fluens. *Orbego* Morali. Parvus, in regno Legionis, Baudr. Oritur ex montibus Asturiæ; dein in Austrum tendens, Alusam fluv. juxta Asturicam profluentem recipit, & postea in Estolam cadit.

Urbigenus pagus, nunc *Argovia*, sec. Guillimannum, unus ex 4. pagis Helvetiæ antiquis, Cæsari, cum pago Tigurino memoratus *lib.* 1. nomen accepit ab *Urba* fluv. vulgò *Orbe*, pagi Ultrajurani villam *Urbam*, cujus Fredegarius *lib.* 4. meminit, quæque 18. m. p. Lausannâ abest, alluente. Habebat fines, ab Occ. æstivo Juram montem & Genevam, ad fontes usque Birlæ amnis; à Mer. totam dextram Lemani ripam; ab Or. fluvium Sonam & Arolam ad Telæ usque confluentem. Caput ejus olim Urba, postea Aventicum fuit, unde Aventicensis pagus Urbigeni portio est: Pro partium diversitate, nomina ei diversa. Circa Burghdorffium opp. & Salodorum, *Imburgeden & Burgenthal*: prope Emmatiam flu. *Emmenthal*: à Vitlisbachia Oltam usque, *Buchsgovia*, ab arce *Buchsen*: Circa monaster. Muri *Vagenthal* & libera Præfectura, itemque *Rustal*, sive vallis Ursæ: Apud Silvanios infra sylvam *Surichgovia*, à fluv. Surina, circa Friburgum *Uchtlandia*, Neocomo Salodorum usque, *Salgovia* &c. dicitur. Habuit olim proprium Episcopum, cujus sedes Vindonissæ erat. Joh. Baptista Plantinus, *Helv nov antiq.* Guillimannus &c. Cluverius aliique *Urbigenorum* nomine *Urba* amnis accolas, seu Urbenses. Friburgenses & Bernates designari volunt. Ejus opp. Berna, Friburgum, Solodurum, Aquæ Helveticæ, Bremogardia, Tobinium, Aventicum, &c. Ibidem Comitatus Lentzburgiorum, Aquensium, Habsburgiorum, Franc. Guillimannus, Osw. Molitor &c. V. quoq; in voce *Aventicum*.

Urbinia, Virgo Vestalis amissæ castitatis ergò viva defossa est, an. U. C. 282.

Urbinum, Italis *Urbino*, Gallis *Urbin*, Italiæ opp. Archiep. in Umbriâ, ad Isauri fontes. 20. m. p. à Pisauro in Afr. 25. ab Arimino in Mer. 7. à Tiferno Metauro in Cæc. Patria Raphaëlis Sanctes, pictoris excellentissimi. De Urbinate quodam, in agro Reatino, à militibus ad necem conquisito, refert Cœl. Rhodiginus, servum eum habuisse heri adeò amantem, ut is ejus vestibus & ornamentis indutus se in cubile receperit, ibique loco heri interfici sustinuerit: statuam proin à grato heri animo meritus. Caput est Duc. *Urbinatis*, vulgò *Ducato di Urbino*, incolis *il Stato*, qui pars est Italiæ, ubi aliàs Vilumbria seu Umbria trans Apenninum, ex parte. Antea sub Ducibus propr. e gente Roborea, quæ in Franc. Maria desiit. Hic Urbano VIII. etiamnum vivus ditionem cessit. Partes Ducatus Urbini sunt, Comitatus Montisferetrani *Contado* (*di Montefeltro*) Com. Eugubii *il Contado ò territorio di Gubio*, Pisauri Dynastia, *il dominio ò signoria di Pesaro*, & Vicariatus Senogalliæ, *il Vicariato di Senigaglia*. Terminatur à Sept. mari Adr. & Romandiola, ab Ortu Piceno, à Mer. Umbriæ, ab Occ. Hetruria. Reliquæ urbes, Pisaurum, Senogallia, Calium, Eugubium & Urbanea. Sed Fanum, urbs erat, jam olim dit. Pontif. licet intra fines Duc. Urbinatis.

Urbisalia, Vide *Urba Salvia*.

Urbs, ordinata est plurium ædificiorum, pro recipienda civitate, series, muro cincta: Dicta an ab *urbo* i. curvaturâ aratri, quo futuræ urbis magnitudinem olim adumbrabant? An ab *orbe*, quòd in orbem, cùm prima mœnium fieret designatio, aratrum circumducebatur? Prima à Caino, Adami filio, condita legitur Gen. 4. 17. quam, Henochiam vocatam, ad montem Casium fuisse augurantur eruditi. Post hanc Joppe antiquissima habetur, quam jam ante diluvium conditam quidam volunt. Has Treviri, Solodorum, Tigurum sequuntur &c. In Germania olim nullæ, postea raræ fuere: Unde Tacitus eam *horridam agris incultam & desertam* judicavit. Imo nec nono seculo ulla urbs in Germania magna memoratur: nimirum in tota Saxonia, Westphalia omnique illo tractu, qui inter Visurgim, Albim & Salam, in Holsatiam usque protenditur: solùm illustrium vicorum, e quibus postea urbes factæ, mentio fit, Bardevici, Wurtzeburgi, &c. In Germania tamen Transrhenana Romani, jam à Julii Cæs. tempore condiderunt Argentoratum, Spiram, Wormatiam, Coloniam, Augustam Rauracorum & Vindelicorum. Reliquæ itaque, in tractu inprimis Saxonico, non nisi sub Carolo M. vel successoribus ejus, initium habuere: De Henrico enim Aucupe referunt Scriptores, illum nonum quemque virum ex agro in oppida hinc inde noviter condita ac munita transtulisse, reliquorum que labores in urbana horrea condidisse: discrimine facto inter plebem rusticam *die Bauren*, à colendo agro, & urbanam *die Burger*, à burgis i. locis muro vel alio quopiam sepimento firmatis, dictos. At hodie totius orbis nulla est regio, cui numero, elegantiâ & amplitudine urbium Germania cedat. Harum quædam *Mediatæ*, quæ iterum in duplici differentia: aliæ *Immediata* sunt & *Imperiales*, Germ. *Reichstätte*, dicuntur, quarum originem quidam ad Caroli M. quidam Ottonis III. vel etiam citeriora tempora referunt. Vide Conringium *in Exercit de urbibus Germ.* Mylerum *in Archol. cap.* 17. Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 1. Burgoldensem *p.* 1. *ad Instr. Pac. Disc.* 21. *n.* 9. *&c.* Numerum urbium cujusq; in Europa & Sinis provinciæ, inivit Ad. Preyelius *in Admir. Sinæ & Europa capp.* 5. *&* 6.

Urbes Imperiales seu Libera.

Alena, Sueviæ, *Avvlen.*
Aquisgranum, Juliacensis Ducatus, *Acken* seu *Aix.*
Argentoratum, Alsatiæ, *Strasbourg.*
Augusta Vindelicorum, Sueviæ, *Augspourg.*
Biberacum Sueviæ, *Biberach.*
Boffinga Sueviæ, *Boffinghen.*
Brachelium Westphaliæ, *Brakel.*
Brema Saxoniæ inferioris, *Bremen.*
Brunsviga Saxoniæ inferioris, *Brunsvvik.*
Buchorna Sueviæ, *Bochorn.*
Buchovia Sueviæ, *Buchavv.*
Cæsaris Mons Alsatiæ, *Keisersberg.*
Cameracum Belgii, *Cambray.*
Campidona Sueviæ, *Kempten.*
Caufburna Sueviæ, *Kaufbeuren.*
Cella in Hamerspacho Sueviæ, *Cella am Hamerspach.*
Colmaria Alsatiæ, *Colmar.*
Colonia Agrippina, *Cologne*, & *Coln.*
Constantia Sueviæ, *Costentz.*
Cornelia seu Wimpina, *Wimpfen.*
Dortmania seu Tremonia Westphaliæ, *Dortmund.*
Dunaverta seu Verda Sueviæ, *Dunavvert.*
Dunkelspyla Sueviæ, *Dunkelspihel.*
Duysburgum, in Clivensi Ducatu, *Duysbourg.*
Egra Bohemiæ, *Eger.*
Ensheimium Alsatiæ, *Ensisheim.*
Erfordia Turingiæ, *Erford.*
Ezelinga Sueviæ, *Ezlingh.*
Fanum S. Galli Helvetiorum, *S. Gal.*
Francofurtum ad Mœnum, *Francfort am Main.*
Francofurtum ad Oderam, *Francfort an der Oder.*
Friberga Veteraviæ, *Fridberg.*
Frislaria Hassiæ, *Fritzlar.*
Gelnhusia Franconiæ, *Gelnhausen.*
Gemunda Sueviæ, *Gemund.*
Geneva Allobrogum, *Geneve.*
Gengenbachium Sueviæ, *Gengenbach.*
Gienga Sueviæ, *Giengen.*
Goslaria in Saxonia inferiori, *Goslar.*
Gothinga in Saxonia inferiori, *Gothingen.*
Hagenoa Alsatiæ, *Haguenavv.*
Halberstadium Saxoniæ inferioris, *Halberstadt.*
Halla Sueviæ, *Schvvabische Hall.*
Halpruna vel *Heilbronna* Sueviæ, *Hailprun.*
Hamburgum Saxoniæ inferioris, *Hambourg.*
Hervordia Westphaliæ, *Hervvorden.*
Hildesia Saxoniæ inferioris, *Hildesheim.*
Isna Sueviæ, *Isne.*
Landavium Alsatiæ, *Landavv.*
Leukirchum Sueviæ, *Leutkirck.*
Lindavium Sueviæ, *Lindavv.*
Lingovia Westphaliæ, *Lemgovv.*
Lubecum, Saxoniæ inferioris, *Lubeck.*
Luneburgum, Saxoniæ inferioris, *Luneburg.*
Magdeburgum Saxoniæ inferioris, *Magdebourg.*
Memminga Sueviæ, *Memmingen.*
Metæ Lotharingiæ, *Metz.*
Minda Westphaliæ, *Minden.*
Moguntiacum ad Rhenum, *Maintz.*
Molhusia seu *Mülhusia*, Alsatiæ, *Mülhausen.*
Molhusia Thuringiæ, *Mülhausen.*
Monasterium Alsatiæ, *Münster in Gregorienthal.*

Neo-

Nerolinga Sueviæ, *Nordlinghen.*
Norimberga Franconiæ, *Nuremberg.*
Northusum Thuringiæ, *Northausen,*
Offenburgum Sueviæ, *Offenburg.*
Oppenhemum Palatinatus Rheni, *Oppenheim,*
Padeborna Westphaliæ, *Paderborn.*
Pfullendorfum Sueviæ, *Pfullendorf.*
Ratisbona Bavariæ, *Regenspurg.*
Ravenspurgum Sueviæ, *Ravenspurg.*
Rosenhemium Alsatiæ, *Roßheim.*
Rotenburgum Franconiæ, *Rotenburg an der Tauber.*
Rotevilla Sueviæ, *Rotvveil.*
Rutlinga Sueviæ, *Reutlingen.*
Saræpons Lotharingiæ, *Sarbourg.*
Schafusia Helvetiorum, *Schafhausen.*
Scelestadium Alsatiæ, *Schlestat.*
Schuveinfordia Franconiæ, *Schvveinfurt.*
Spira Palatinatus Rheni, *Spier & Spire.*
Sunda Pomeraniæ, *Stralsund.*
Susatum Westphaliæ, *Soest.*
Tremonia Westphaliæ, *Dortmund.*
Treviri ad Mosellam, *Trier & Treves.*
Tullum Lotharingiæ, *Toul.*
Turichemum Alsatiæ, *Turcheim.*
Uberlinga Sueviæ, *Uberlinghen.*
Vesalia inferior Ducatus Clivensis, *Vesel.*
Vesuntio Comitatus Burgundiæ, *Besançon.*
Villa Sueviæ, *Weyll.*
Virdunum Lotharingiæ, *Verdun.*
Ulma Sueviæ, *Ulm.*
Wanga Sueviæ, *Wangen.*
Weissenburgum Alsatiæ, *Weissenburg.*
Weissenburgum Franconiæ, *Weissenburg.*
Weslaria Hassiæ, *Wetzlar.*
Wimpina Sueviæ, *Wimpfen.*
Winsheimum Franconiæ, *Wintzheim.*
Wormacia Palatinatus Rheni, *Worms.*
Zuvolla Transisalaniæ, *Zuvol.*

Olim plures fuere: sed magna earum pars cùm Tyrannorum violentiâ: tum regiminis perversitate pessundata est. Episcopi quoque, postquam ipsis ab Imperatoribus jus, quod in talibus habuerunt, concessum est, multas illarum, pulsis Optimatibus, suæ ditioni subjecerunt. Egram pignoris titulo Bohemiæ regno cessit, Ludovicus Bavarus. Zuiccaviam, Altenburgum, Chemnitium, Fridericus Admorsus, Misniæ Marchio, sibi subjecit, Ann. Chr. 1308. Metim, Tullum, Verdunum Rex Galliæ præt. sec. subegit. Dantiscum, Elbinga, Emda, aliæ ab Imperio se exemerunt, &c. Vide Limnæum *de Jure Publ.*

Series urbium seu civitatum, quæ Regum sedes.

Agra, in India, tempore hyberno.	Kisemira, in India tempore æstivo, ut & Lahoriam.
Buda, olim in Hungaria.	Londinum, in Anglia.
Constantinopolis, in Imperio Turcico: Olim Adrianopolis & Prusia.	Lutetia, in Gallia.
Cracovia in Polonia.	Madritum, in Hispania.
Edinburgum olim, in Scotia.	Monomotapa, in regno M. Tabaqui seu Regis Monomotapę.
Hafnia in Dania.	Moscovia, in Russia.
Holmia in Suecia.	Pekingum, in Sinis.
Jedum in Japonia.	Posonium, hodie in Hungaria.
Ispahanum, in Persia.	Praga in Bohemia.
Judia, in regno Siami.	Vienna, in Imp. Germanico.
	Zanguebaria, V. *Monomotapa.*

His adjungi possunt arces regiæ: Quales in Hispania, Escuriale, *Araniuez*, & Aragonicum Molendinum. In Gallia, Lupara, Fons Bliaudi, Fanum S. Germani, & Vincennæ. In Anglia Windsorum, Hamptoncurtium, Greenvicum & *Nonesuch.* In Dania Coronæburgum & Fridericoburgum. Plura vide apud Becmanum *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Cognati urbibus Pagi quidam sunt, qui non minus libertatis titulo gaudent: ut Gerisovium, in Helvetia: Pagi in regno Sueciæ, quibus jus votum consultivum ferendi competit: Immediati in Imperio Pagi, quorum mentio in Instr. Pacis *Artic.* 5. §. 11. & apud Goldastum *Epist. dedic.* Vide quoque supra in vocibus *Civitas & Oppidum.*

Urbs, vulgò *Urba*, vel *Orba*, Liguiæ fluv. ex Apennino fluens, maximè perspicuus, Bormiæ in agro Alexandrino se miscet, indeque cum eo ad 4. m. p. in Tanarum, ab Alexandria 2. m. p. labitur. Aliis fluviolus videtur, qui Astæ urbis mœnia lambens, in Tanarum influit, *Borbo* incolis. Claud. *de bell. Get.*

Pervenit ad fluvium miri cognominis Urbem.

Urbs vetus, hodie dicitur ea urbs Holsatiæ, quam Saxones *Aldenburg*, Dani *Brannesia*, & Wandali *Stargard* vocant. Olim Ep. nunc Lubeca successit. Cranzius.

Ubrs vetus, urbs Episc. naturâ & arte munitissima, caput agri cognom. prope Peliam fluv. Sub Pontifice. Nunc *Orvieto*, Vide *Propitium.*

Urbs vetus, nunc *Civita vecchia*, Vide *Centumcella.*

Urbubuma, Æthiop. sub Ægypto opp. Plin.

Urce, Hisp. Tar. urbs. Ptol. Hodie *Aquile.*

Urcensis pagus, Galliæ, in Capitulis Caroli Calvi memoratus, medius fuit inter pagos Suessionicum & Vadensem, nunc vel incolis ignotus est. Fortè ab *Urco* fluv. *Orcy*, dictus est, qui Faram Tardanensem & Nantogilum ad Urcum cognominatum *Nantueil sur Ourc* ac Firmitatem Milonis attingit, non procul à pago Suessionico & Vadensi, ac in Matronam decurrit, fere ex adverso confluentium Mucræ & Matronæ. Nantogilo ad Urcum proximum est municipiolum *Nully Saint Front*, quod *Novilliacum* Frodoardi *Hist. Eccl. Rem.* in pago Urcensi videri potest. Est etiam *Urca* flu. in Burgundiæ Campaniæque confiniis *Ource*, qui Crosam *Creuse* & Arsam *Arcee* vel *Larse* amnes accipit, ac apud Barrum Sequanicum in Sequanam labitur. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Urcesa, Celtiberorum urbs in Hisp. Tar. Ptol. *Velez* quibusd. castrum satis cultum, ad amnem *Bedija*, 16. leuc. a Toleto in Ort. 12. à Concha in Occ. ubi Prioratus dives, Ord. mil. S. Jacobi.

Urci, leue urbs, multis Virgi, *Vera*; urbs alias Bastetanorum, nunc regni Granat. in ipso limine Murciæ, & in ora maris Mediterr. sinusque Virgitani. Deficit indies, olim Episc. recepta est An. 1265. Vide *Virgi.*

Urcinium, Corsicæ insl. opp. Ptol. *Giperca* Nigro, *Ataz* Pineto, *Adiazzo* Baudr. cum portu & sinu parvo, in ora Occ. Insulæ; aliàs caput fuit ejus, 42. m. p. à Bonifacio in Circ. 40. à Calvio in Merid. uti 70. à Bastia, Ep. sub Arch. Pisano.

Urema, Syriæ urbs, ad Euphratem, Ptol. *Urima* Interpp.

Uretum, Ptol. Vide *Veretum.*

Urgavonense municipium, Vide *Alba.*

Urgella, Valæo dicitur Arragoniæ urbs in Hisp. Tarraconensi, quæ hodie *Urgel* vel *Xea de Urgel*, vocatur: Ilergetum urbem eam dicit Florianus: Ferrarius Catalauniæ. Episc. sub Arch. Tarraconensi. Vide *Orgella.*

Urgellensis planities, tractus Cataloniæ, inter Sicorim flu. Pyrenæos montes, Ilerdam, Cervariam & Carconam ea tenus. Dictus ab *Urgella* urbe adjacente Comitatus Cerretaniæ: Incolis *plano de Urgel*, Gallis *la plaine d'Urgel.*

Urgenum, Strab. *Enargium* Auton. *Ernagium* Ptol. opp. Gall. Narbon. in Provinciâ. *Orgon* Dalechampio. Nunc oppidul. est ad Druentiam, cum arce destructa in colle, 1. leuc. supra Cabellionem in Ort. Aquas Sextias versus, uti 6. ab Arelate. Sed ab *Enargino*, opp. ad Rhodanum differt, Baudr.

Urgi, Sarmatiæ gens inter Istrum & Borysthenem. Strab.

Urgia, cognominatum *Castrum Julium*, opp. Gaditani conventûs. Plin. 3. 1. *Oriam* Strabonis esse putat Hermolaus. Villanovanus verò *Vejam* Ptolemæi.

Urgo, Plin. *Orgon*, Steph. *Gorgon* Rutilio. *la Gorgona* Italis, *la Gorgone* Gallis, insl. parva maris Tyrrheni in Ligustici contin. sub Genuensibus, inter Portum Liburnum & Corsicam, Ferr. Sub M. D. Hetruriæ, Baudr. ut pars agri Pisani, cum arce. Tota montuosa est, & media inter Liburnum ad Ort. & Sacrum prom. Corsicæ ad Occ. 20. m. p. *Margarita* Insl. dicta tempore Desiderii, Longobardorum R.

Urgulania, Liviæ Aug. amicitiâ, sub Tiberio, potens, quam tamen Lucius Piso in jus vocavit, quamvis non obtemperantem, & multum Augustâ querente, se violari & imminui: nec ille abstitit, donec deferri Augusta pecuniam, quæ petebatur, juberet. Tacit. 2. 34.

Uri, gens circa Pont. Euxin. & Indum flu. Orpheus & Plinius.

Uri, fil. Hur. 1. Par. 2. Pater Gaber. 3. Reg. 4. Lat. *lux*, vel *ignis.*

Uria, sacerdos quidam. 4. Reg. 18. Propheta fil. Semei, de Cirath-jarim. Jer. 26. Maritus Beth-sabee. 2. Reg. 11. Lat. *ignis*, aut *lux Domini.*

Uria, Strab. urbs Japygiæ inter Brundusium & Tarentum: Episc. sub Arch. Tarentino: sede nunc Brundusinæ junctâ. Oria hodie Baudr. urbs aliàs Messapiæ, in Salentinis, nunc Terræ Hydruntinæ, in colle, ad rad. Apennini, aliàs ampla, nunc parva admodum, cum arce. 16. m. p. à Brundusio in Occ. Tarentum versus 18. & 23. ab Aletio in Circ. Item M. Græciæ oppid. apud oram Calab. ulter. in territor. Locrensi. Varro. *Condojani* vulgò.

Uria, Vide *Uranii.*

Uraconium, Vide *Branovium & Viroconium.*

Uriel, pater Maacha, 2. Reg. 13. qui 3. Reg. 15. dicitur *Abessalom.* Filius *Thahath.* 1. Par. 1. Idem sign. quod *Uria.*

Uriensis pag. *Canton d'Uri*, unus ex XIII. Helvet, à Sept. in Mer. extenditur, ad rad. montium, juxta Ursam flu ab Alpibus, ad lacum Lucerinum, inter pagum Glaronensem, ad Ort. & Sylvaniensem ad Occ. Ibi Vetus Vicus seu Altorfium, vicus primarius. Orri dicuntur ab Hunnis, qui ibi consederunt, cùm Gothi, Hunni, Wandali in Italiam irrumperent. Vide *Uranii.*

Urites, Italiæ exterioris pop. Liv. *lib.* 42.

Urium, Hisp. urbs. Ptol. *Oria* Villanovano. *Veal* Baudr. in Vandaliria, 12. m. p. supra ostia fluv. cognom.

Urium, Plin. fl. Vandalitiæ, nunc *Odier* quibusd. qui simul cum Luxia fl. *Tinto*, in Oceanum & in Sinum Gaditanum se exonerat prope Guelvam opp. inter ostia Anæ & Bætis.

Uro,

Uroconium, vide *Viroconium*.

Urolanium, vide *Verolamium*.

Urotalt, Deus Ethnicus, de quo Herod. *Mus.* 3. ubi Arabum religionem & mores describit: Διόνυσον δὲ θεὸν μοῦνον, καὶ τὴν Οὐρανίην ἡγέονται εἶναι. Subdit: Ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν Διόνυσον Ὀροτάλτ, τὴν δὲ Οὐρανίην Ἀλιλάτ. Etymon quod attinet, Puto notare beneficium luminum, inquit Vossius; Habemus, Es. 26. 20. ubi est טל אורה *tal oroth*, h. e. *ros lucis*, sive *luminum*. Aliam originationem hujus nominis ex Cl. Pocokio exhibet D. Dickinsonus, *Delph. Phœn. pag.* 107.

Urpanus, Plin. vulgò *Sarvvicza*, fluv. Pannoniæ, apud Vesprimium urbem oriens & per Albam Regalem fluens in Ort. Danubium petit inter Colotiam & Teutoburgium, Ferrar.

Ursa, sidus cœleste. Vide *Arctos*.

Ursa, fluvius Helvetiorum (quem transpositis duabus prioribus literis vulgò *Rusam* Germ. *Rus*, vocant) in summis Alpibus, quibus hodie S. Gothardi nomen est, seu potius ex palude, inter duo suprema S. Gothardi juga, oritur, ac rectà ad Septentrionem labitur.; cùm contra *Ticinus* ex eodem jugo per Lepontios in Meridiem abeat. Ursulam sive *Ursellam* primùm, vallem Rhæticam; deinde *Uriam* Tauriscorum, gentis Gallicæ reliquias, venit, ubi lacui *der Lucerner see*, vel *der vier Waldstätten see*, miscetur, qui *Uros*, Suitios, Silvanos ac Lucerinos, quatuor Silvæ civitates (nam ita appellant hodie) alluit: Porrò deinde Tuginis amnibus susceptus Bremgartum ac Mellingam (oppida sunt ditionis Helveticę) alluens, infra Brugas Arolæ commiscetur. Baudrando ex Adula monte ortus, dein in Bor. tendens, prope Altorfium & per Lucerinum lac. fluens, Luceriam rigat: ac tandem auctus aliquot amnibus, prope Vindonissæ rudera, in Arolam cadit. Simlero dictus videtur, ab Ursariis populis, (ubi *Urseren*, ad radices fere S. Gothardi) quibus ursus pro insignibus est. Idem testatur: *Ursam* aurum ferre, unde Lucernates multi studiosè auri ramenta colligunt, maximè quando imbribus aut nivibus solutis vicina prata inundat. De illo sic Glareanus,

—— —— *Ursa celer, nunc verso nomine Rusa,*
Gottica stagna trahens, Tauriscos proruit undas
Alpibus à summis, hoc est, à monte Gothardi,
Usq; ad Luceriam, Tuginisq; amnibus auctus,
Labitur in patrios quos nunquam contigit, ortus.

Ursacius, Episc. Singidonis, in Mysia, sec. 4. Arianus & Orthodoxorum persequutor. Junctus amicitiâ Valenti Mursiâ Pannoni, in Arii schola eruditus est, qui ambo cum Eusebio Nicomediensi, Concilio Tyrio, c. Athanasium, & dein Sardicensi; ubi depositi sunt, interfuere. Postea in Conc. Mediolanensi hæresin ejurasse simulantes, brevi iterum errorem tuiti sunt, & Syrmii An. 351. expunxerunt ex Evangelio: *Deus est Spiritus*, quod meritò illis exprobrat Ambrosius *lib. 3. de Spir. S. C.* 11. Iterum depositi Concilio Ariminensi, tantum effecerunt, ut restituerentur, Arianismo interim in Illyrico longè lateque sparso, donec Romæ à Damaso excommunicati sunt. Theodoret. *lib.* 2. Socr. *lib.* 2. Sozomen. *lib.* 3. Baronius *in Annal.*

Ursella, vicus & vallis Helvetiæ, ad radices montis S. Gothardi, 90. fere stadiis à fontibus Rhodani. Hic enim Sedunorum fluvius, ex Alpibus oritur, eo loco, quo ex *Ursellana* valle, per Furcam montem, in Sedunos iter est. Assurgit mons, in cujus radicibus Rhodani fontes, perpetuâ glacie in altitudinem 16. fere stadiorum, suo candore iners, cùm utrinq; fere montes abietibus aliisque arboribus vireant. Glareanus,

Tum monteis Ursella tuos, ubi spumifer exit
Cœruleo Rhodanus curru. ——

Ursentini, pop. Lucaniæ, Plin. quorum opp. *Ursimarso*, in Bruttiorum confin. 6. m. p. à Lao.

Urseola, vel *Ursolis*, urbs Galliæ Narb. Anton.

Ursidungum, postea Cella S. Gisleni, vulgò *S. Gulaain*, op. seu pagus Hannoniæ ad Haniam fluv. Montibus urbi proximus, inde 2. leuc. in Occ. Baudr. Valesio vulgò locus cum Monasterio *S. Guilin* aut *Guilhain* appellatur, estq; in Diœcesi Cameracensi: Idem addit: Gislenus in pago Hainoo prope Castriucium seu Montes in *Ursidungo* monasterium statuit ac *Cellam Apostolorum* appellavit, quæ *Abbatia S. Gisleni* nunc à Patrono & Conditore dicitur, ac totius Hainoi primaria habetur, *Notit. Gall.*

Ursinorum familia, in Italia, Romæ inprimis, illustris, ante 600. circiter annos Historicis memorata, Aribertum III. conditorem habuisse fertur: filium Radbodi Ascaniæ, Ballenstedæ & Harciniæ domini, extincti Ann. Chr. 693. Horum ramus in Galliam translatus. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in Fam. Ascania.*

Ursinus Zacharias, Vratislavia Silesius, celeberrimus Theologus, scriptis clarissimus, diu Heidelbergæ Professor, in Palatinatu & Ar. Coloniensi, sub Gebhardo Truchsessio El. Reformator, obiit Neapoli Nemetum, An. C. 1583. æt. 49. Ejus extant, *Exegesis variorum S. Scripturæ locorum, Comm. in cap.* 21. *Esaja Vindicatio Cap.* 1. *Job à blasphemiis corruptelis Nearrianorum & Samosatenianorum, Explicatio Catechismi Heidelb. &c. inter opera*, 3. *Vol. fol. Heidelb.* 1612. *& alibi.* Theologiæ studiosus, quàm Doctor dici maluit, Melchior Adami *in vitis Theol.* Musæo suo inscripsit:

Amice quisquis huc venis,
Aut agito paucis, aut abi,
Aut me laborantem adjuva.

Idem. Vide quoque Thuanum *Hist.* Lætum *Comp. Univ. &c.*

Urso, & *Genua Urbanorum*, teste Plinio. *Ursao* A. Hirtio, *Orsano* Appiano, *Ossuna* Morali, opp. præclarum & Academia Hisp. Bæt. in Vandalitia, ab Astigi 5. leuc. in Austr. ab Hispali 13. Malacam versus, Ducatus.

Ursoli, aliàs *Urseoli*, vulgò *Rossillon* vel *Roussillon*, locus Galliæ, in Delphinatu, inter Valentiam & Viennam, non procul à Rhodano, in diœc. Viennensi. Est & *Rossilio* in Santonibus, unde nobili familiæ nomen. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Urstisius Christianus, Mathematum apud Basil. Professor celebris. Scripsit *Patriæ historiam & Varia opera Mathematica.* Obiit An. Chr. 1588.

S. *Ursula*, seu Urselinæ, Congregatio sacra virginum & viduarum, in Comm. Rom. quæ, sub Episcoporum ductu, Regulam Augustini sequuntur. Instituta primùm ab Angela Brixiacensi, in Italia, approbataq; à Gregorio XIII. Ann. 1572. Dein Magdalena Luilleria, in Gallia similem cœtum constituit, An. 1611. à Paulo V. confirmatum. In hisce Monasteriis puellæ magno cum zelo, in omnibus, quæ sexum decent, instituuntur. Hilario Costus, *de fœm. illustr.*

Ursus, Cons. an. U. C. 1000.

Ursus Pileatus, Sex. Ruf. locus Romæ, apud Portam Esquilinam. Ubi ædes *S. Bibianæ* virg. Hinc *S. Bibiana* dicitur.

Urta, fluv. inter eos qui in Mosam decurrunt, non postremus. Oritur ex stagno in silva Arduenna, inter Bisanc & Tombas loca Veit. solùm non hodie nota, & partem pagi Bedensis alluit, atque à Condrusis accolitur: alluitque *Urtam* vicum, non procul à fonte suo *Ourt*, dein *Urtam* minorem recipit, cujus amniculi 9. mill. circiter currentis fonti adjacet alter vicus *Urta*. Tum attingit castellum Rupem vel Roccam *la Roche*, Hammum majorem & min. *Grand Han*, & *Petit Han*, Durbojum *Durbuy*, Longum Vadum *Longué*: mox Amblavam fluv. *Amblef* admittit: demum Wesam seu Wesdratom fluv. Limburgensem, apud vicum Condate *Chône*, atque ad urbem Leodicum in Mosam effunditur. Accolæ vocitant *Urt*, Galli *Ourt*. Quidam ad vicum S. Leonhardi *S. Lenart*, *Urtæ* & Mosæ confluentes ponunt, infra Leodicum. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Urticini, pop. Piceni. Plin. quorum opp. excisum hodie *Ortezzano* dicitur.

Urunca, seu *is*, opp. Germ. sup. in Alsatiâ, *Ensisheim* Simlero, aliis Mülhusia.

Urus, vulgò *Ouse*, teste Camdeno, flu. Albionis in Angliâ per Eboracum urb. fluens, ac in Abrum, sive Humbrum influens.

U S.

Usadium, Maur. Ting. promunt. in orâ maris Atlantici. Ptol. *Capo di Alguer* Marmolio. *Capo Cantin* Baudr. Cantinum caput in Duccala, prov. regni Marocani, prope Azafiam urb. 100. m. p. à prom. Gero in Bor.

Usarchia, urbs parva prov. Lemovicensis, ad Veseram fl. 5. leuc. à Turcia in Bor. ut 15. à Brivate, 8. à Lemovico in Austr. Mel. *Userca*; Vulgò *Userche*.

Usarchia, oppid. Ins. Franciæ, 7. leuc. à Lutetia, in Bor. 5. à Sylvanecto in Occ. Bellomontium versus 2. *Lusarche* vulgò.

Usbeckia, vulgò *Usbeck*, aliter *Zagataja*, regio Asiæ, sub Tartaria late sumpta sæpe comprehensa: Ibi alias fuere Sacæ & Jaxartæ pop. Scythiæ intra Imaum; nunc *Mauralnahar* dicitur, extenditurque inter Thibetum regnum ad Ort. & mare Caspium ad Occ. Præcipua ejus urbs Samaracanda est.

Usbium, opp. Norici, ad Danubium, in Austriâ. *Ips* hodie, teste Lazio. Baudrando quid sit non constat. Sed *Ips* vicus Austriæ sup. ad Danubium aliàs ad Pontem Isis dictus fuit, 6. mill. Germ. infra Laureacum. Sunt tamen, quibus Usbium est vicus *Porsenperg*, ad amnem *Usper* dimidio mill. ab *Ips*.

Uscana, opp. Macedon. apud Lychnidum. Liv.

Uscenum, Ptol. oppid. Jazygum ad Granuam fluv. in Hungar. Transdanubianâ Strigonio finitimum. *Persenburg* Moletio.

Uscochi, Gall. *les Uscoques*, pop. Croatiæ, versus sinum littoris sinus Veneti, & Seniam, sub Austriac. Aliàs cum Venetis magnas exercuerunt inimicitias, unde ortum bellum cum Ferdinando II. Imp. tunc Archiduce Austriæ.

Uscudama, urbs Thraciæ, postea *Hadrianopolis*. Amm. Marcell.

Usedomia, vulgò *Usedom*, urbs Pomeraniæ citer. sub Suecis, quibus nuper, ab El. Brandeburgico erepta est, in Ins. cognom. inter ostia Oderæ, *Psin* & *Suine*, cum arce & portu, in ora æstuarii seu lacus *das Groß Haff*, 3. leuc. ab ora maris Balt. in Occ. Anclamum versus paulo minus, 9. à Stetino in Bor. Sundim vers. 12. 2. à Wolgasto mill. Aliàs emporium celebre, ex ruinis Vinetæ crevit; nunc deficit indies. Occupata est cum tota ins. ab Elect. Brandenburgico, An. Ch. 1676.

Usellus, Ptol. quibusd. *Ales*, aliis *Usel*, urbs est Sardiniæ, Ep. sub Arch. Arborensi, versus oram Occ. 10. mill. ab Arborea Mer. Calarim versus. Parva admodum & deficit in dies. O...

sib

sub propriis dominis, dein enim Insula tota in Aragonum venit potestatem. Obsessa fuit à Gallis, An. Chr. 1639. Ibi Sinus quoque cognom. Moret.

Userca, vulgò *Userche*, locus Galliæ, in finibus Lemovicum, veteri Monasterio illustris: cujus Abbas Concilii Lemovicensis 2. Ann. Chr. 1034. habiti instituta dicitur contempsisse. Ecclesiam *Userca* primus omnium Ruricius major, Lemovicensis Episcop. *in Epist. ad Rusticum* memoravit. Hadr. Valesius *Notit. Gall.* Malè *Usarchia* quibusdam, vide ibi.

Usilla, urbs fuit Byzacenæ, Ptol. nunc *Casar Cetona* quibusdam, vicus regni Tunetani, in ora Syrtis min. 30. m. p. à Thysdro in Eur. olim fuit Episc. sub Archiepisc. Carthag.

Usipetes, seu *Usipii*, pop. German. quorum locus *Hochrug* dicitur B. Rhenano, inter Rhenum fluv. & montes Hassiæ. Sed *Usipetes* Cæsari erant finitimi Sicambris & Tencteris; sic apud Tac. quorum urbs *Zutphen* in Geldris, teste H. Junio; aliis *Wesep*, opp. in fin. Batavorum, ab Amstelodamo 2. leuc. in Austr. à Trajecto 3. Baudrando prope Rhenum fuere, in agris Sicambrorum; sed expulsi à Chattis unà cum Tencteris, hæserunt, ubi hodie tractus Reclinckusia, cum parte Comit. Marchiæ, prope Lupiam fluv. in Westphalia, ex Brietio. Aliis, ubi hodie Com. Zutphaniæ. Dicti q. *Uspitter* German. provocatores. *Visipi* Ptolemæo, *Usipii* Martial. *lib. 6. epigr. 60.*

Sic leve flavorum valeat genus Usipiorum.

Uso, vir insignis, & antiquissimus, qui tegmina corporis ex ferinis pellibus confecisse dicitur. Euseb. *Prap. Evang. lib. 5.*

Usocona, vide Uxacona.

Uspen, urbs Siracorum, edito loco, fossisque munita, nisi quòd mœnia non saxo, sed cratibus junctis, ac mediâ humo adversum irrumpentes invalida erant. Tacit. 12, 16.

Usserius Jacobus, patriâ Dubliniensis, clarâ familiâ in Hibernia natus, Cancellarius Patricii Dubliniensis, Archiepisc. Armachanus & totius Hiberniæ Primas: cujus avunculus Henricus ex Prædecessoribus unus fuit. Ejus extant, *Chronologia Vet. Testam. Annales Vet. Test. de Cainane, Syntagma de Gr. LXX. Interpretum versione, &c.* Obiit An. Chr. 1655. ætat. 75. *Vasta lectionis & eruditionis Theologus, inq; antiq. Ecclesiasticâ versatissimus*, Voetio. *Eruditione & pietate & scriptis imprimis clarus*, Bertio. *Acatholicorum doctissimus*, Fitz-Symondo P. *Insignis Calvinista Hibernus*, Moranezio *in Anti Jansenio.*

Ustadium, opp. Scaniæ, ad Austr. in ora maris Balt. cum portu navibus per capaci. Vulgò *Udsted*, 7. mill. Germ. ab Elleboga in Ort. & à Christianostadia in Mer.

Ustica, insula Siciliæ, imo & urbs. Ptolemæus: Οὐστίκα νῆσος καὶ πόλις. Arabs Geographus à Panormo distare scribit XLM. passuum, & aquis esse irriguam, & portum habere commodum. Nomen hodie retinet: vulgò *l'Ustica*, seu *l'Ustega* Fazello. Arabes per Koph scribunt אשתקה. Sed Pœni olim, ut videtur, per Cherh אשתחה, quæ vox depressionem & incurvationem sonat; quia insulæ maxima pars plana & depressa est. Horat. *lib. 1. Od. 17.*

Utcunq; dulci Tyndari fistulâ
Valles & Ustica cubantis
Levia personuere saxa.

Cubantis, hoc est, depressæ, Bochart. Una Æoliarum est, à littore Siciliæ 60. mill. pass. quot ab aliis Æoliis in Austr. & Libanotum. *Ustica* etiam mons fuit in Sabinis, de quo versus supra scripti sunt intelligendi.

Ustiliacum, seu *Hostiliacum*, vulgò *Ostille*, & à patrono loci *Saint Mars d'Ostille*, castellum est Galliæ, non longè ab urbe Cenomanis. Dictum ab Hostilio conditore. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Majatum.*

Ustinga, urbs Moscoviæ; *Ostioug* vulgò. Ad fluv. Suchanam, condita olim, ubi *Jug* fluvium recipiebat, unde ei nomen; sed propter opportunitatem ad dimid. mill. translata est, 180. mill. pass. à Volochda Urbe in Cæc. 50. à Duina fluv. Caput prov. cognom. quæ versus Suchanam fluv. ubi in Duinam cadit, inter Permiam provinc. Czeremissosque populos ad Orr. & Vologdam est ad Occident. Moscoviæ Orient. provincia est. Hic panis loco piscium deruinque usus est.

Usuardus, Benedictinus, sub finem sec. 9. Auctor Martyrologii, quod Carolo Calvo inscripsit. Sigebert. *cap. 85. de Viris Illustr.* Tritem. *de Script. Eccles.* Joh. Bollandus, *Praf. gen. in vit. SS. cap. 4. §. 7.* Voss. *de Histor. Lat. lib. 2. cap. 31.* Valesius, *in Annot. ad Euseb. Hist. Eccl.* Possevinus, *in App. 5. &c.*

Usula, Anton. *Usilla* Ptolem. urbs fuit Africæ mediterran. inter Tusdrum 32. & Theænas ad Ort. 28. m. pass. Cujus meminit Div. Augustinus.

Usum Cassan, dictus quoque Ozun-Asembee, ex Assembiorum milia, filius Alibeci, oriundi ex Tamerlane, quique de factione *Arietis albi* erat. Cùm Præfectus Armeniæ esset, occiso Rege Joschâ, cum filio Acenhali, utroque de factione *Arietis nigri*, Persiæ regnum occupavit, belloque Turcis illato, filiam Imperatoris Trapezuntini, licet Mahometanus, sibi junxit. Fœdus quoque cum Christianis pepigit, successu rerum inclytus, sed parum iis profuit. Mortuus An. 1478. Angiolelus, *de reb. gestis Usum Cass.* P. Bizarrus, *l. 10. Rer. Pers.* Chalcondylas, *Hist. Turc.*

U T.

ab Utenheim Christophorus, Alsata, Episc. Basiliensis, doctissimus, bonarum artium ac Canonum Doctor. Eo Ecclesiam moderante, Evangelii doctrina Basileæ, ut & alibi per Germaniam locum invenit: universo Papatu paulo pòst ibi abrogato. Quam ob causam, ætate ingravescente, Nic. Diesbachium collegam seu coadjutorem nactus est: uterque tamen An. Chr. 1527. eam dignitatem abdicavit. Successit Philippus de Gundoltzheim, sub quo, Collegium majoris Basilicæ Friburgum migravit, ipse ab electione sua urbem nunquam ingressus, Porrentrutii sedem sibi delegit. Vide Chist. Urstilium *Epis. Hist. Basil.*

Uthai, nomen viri, 1. Esdr. *cap. 8.* Latinè, *perversitas, hora*, vel *temporalis.*

Uthina, urbs Africæ mediterran. Ptol. Stephan. & Polybio, &c. Colon. & urbs olim Episcop. Africæ litoralis, sub Archiepisc. Carthag. à Carthagine 34. m. p. in Occ. Punicarum in Africa urbium, inquit Cl. Bochartus, si Carthaginem demas, nulli cessit Utica; unde Appianus: Ἰτύκη Λιβύης μεγίστη μεθ' Καρχηδόνα πόλις. Stephan. eam scribit esse Τυρίων ἄποικοι, hoc est, *Tyriorum coloniam.* Ita Justinus *lib. 18. Cùm & opibus & multitudine Tyrii abundarent, missâ in Africam juventute Uticam condidere.* Itaque de antiquitate non parum gloriabatur; quin & eo nomine Carthagini præferebatur. Aristoteles *in libro mirabilium*: Τῆς δὲ Λιβύης ἐν Ἰτύκῃ καλουμένῃ, ἣ κεῖται μὲν, ὡς λέγουσι, ἐν τῷ κόλπῳ τῷ μεταξὺ Ἑρμαίων καὶ τῆς ἱππου ἄκρας, ἐπέκεινα τῆς Καρχηδόνος ὡς σταδίους διακοσίους· ἣ καὶ πρότερον κτισθῆναι λέγεται αὐτῆς τῆς Καρχηδόνος ἔτεσι διακοσίοις ὀγδοήκοντα ἑπτά, ὡς ἀναγέγραπται ἐν ταῖς φοινικικαῖς ἱστορίαις. id est, *in Libya Utica quam vocant, quam in sinu sitam esse ajunt, inter Mercurii & Hippi promuntoria, ultra Carthaginem stadiis ferè ducentis, atq; annis 287. ante Carthaginem esse conditam, ut in Phœniciis historiis scriptum legitur.* Vellejus Paterculus, circa Codri tempora, qui Sauli, Israelitarum primi Regis æqualis fuit, Tyrios paucis annis post Cades Uticam condidisse refert. Silius *lib. 3.*

Proxima Sidoniis Utica est effusa maniplis,
Prisca situ, veterisq; ante arces condita Byrsa.

Utica enim, vel *Ityca* Punicè עתיקא *Atica*, id est, *prisca* dicebatur, Boch. Baudrando Utica nunc omnibus *Biserta*, Arab. *Benfert*, urbs regni Tunetani, satis ampla & munita, sed piraticâ infamis, cum portu capaci, seu verius sinu parvo in ora Maris Africi. Hic Gn. Nevius, tertium inter Comicos locum obtinens, apud Volcatium, Româ inimicorum factione ejectus, obiit; ut & Cato, hinc *Uticensis* dictus.

Utica, quæ melius *Uzetia*, sive *Ucetia*, item *Uccecia*, Gall. *Uzés*, urbs Gall. Narbon. in Occitanâ reg. Episcop. sub Archiepisc. Arelatensi, in vett. Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ, in provincia Narbonensi prima, nunc ultimo loco, nunc penultimo ponitur. Proin miratur Valesius, illam in quibusdam earum *Metropolim* vocari, cùm eo honore urbs ista nunquam gavisa sit, sed semper Narbo: dumque Narbo Gothorum fuit ac Saracenorum, Bituricas ad tempus pro Metropoli habuerit; vel, si aliis credimus, Arelatum. *Æstimacensem* eam vocatam quoque asserit Monachus, qui duos de vita S. Arnulphi Metiensis Episcopi libros composuit, fortè à rivo *Æstima*, seu *Aisena*. Gregorius Turonensis *lib. 8. cap. 18.* ejus meminit, ubi *urbem Ucetiam* illam vocat: quemadmodum idem *libri 6. cap. 7.* *Ferreoli Ucecensis Episcopi* mentionem injicit: ex quo colligitur, promiscuè nunc *Ucetiam*, nunc *Ucetiam* dici consuevisse. Divisio regni Lotharii anno Christi 870. facta *Ucetiam* vocat Vivariisque conjungit; & iterum post Lugdunense ac Viennense territorium, Vivarias & Ucetiam infra commemorat, id est, pagum seu agrum Vivariensem ac Ueeticum. Rigordus in An. 1185. in *Gothia civitatem Ucetiam* memorat. Ex ejus Episcopis Probatius concilio Agathensi subscripsit: Concilio Aurelianensi 4. Firminus, *Episcopus Ecclesiæ Uceticensium* dictus: Concilio Parisiensi 2. interfuit Firminus, &c. inter Nemausum 4. & Lutevam ad Occident. 8. leucis. Hinc *Ucetiensis* tractus, *l'Uzeguois*. Vide *Ucetia*.

Utica, opp. Hisp. Bær. nunc *Marmolexa*, in Vandalitia, in Diœcesi Giennensi, teste Lubino.

Utica, vide *Uthina*.

Uticense cœnobium, seu *Fanum S. Ebrulphi*, Gall. *Saint Eutroul*, pagus Normanniæ, cum Abbatia celebri, ad fontes Carentonii fluv. in sylva *Uticensi*, vulgò *la Forest d'Ouche*, quæ est in Diœcesi Lexoviensi, & Decanatu Monasterioli ac limite Ebroicensis, 3. leucis ab Aquila in Circ. 7. à Lexovio in Merid. non longè à castello Oximis, unde & *Oximense* olim dictum esse, affirmat Cointus *in Annal.* apud Hadr. Valesium *Notit. Gall.* A S. Ebrulpho, primo Abbate, qui obiit An. 596. dictum.

Utidava, oppidum Daciæ, Ptolemæo: excisum. *Utuarhel* Lazio.

Utilo, alii *Odilonem*, vel *Theodonem* vocant, Bavar. Princeps, septem monasteria extruxisse; unum *Mainse*, prope Mœnum, lacum Noricorum: sex in inferiori Bavaria, juxta Danubium, legitur apud Aventinum *lib. 3. Annal.* Postquam Hildrudam Caroli Martelli filiam raptam, in uxorem duxit, idem *ib.* Vide & Rhegio. *lib. 2.*

Utinum, & *Utina*, *Atina* Melæ, ut aliquibus videtur, urbs Carnorum, ac Foro-Julienſium conventus juridicus, Patr. Aquilejenſis ſedes, olim Epiſcop. ſub Carolo M. ab Aquileja in Circ. 20. mill. paſſ. à Foro-Julio 8. & à Venetiis 70. in Bor. Ferrar. Hodie *Udine* incolis, Germ. *Weyden*. Caput Foro-Julii. Sub Venetis ab An. 1420. ab ora maris Adriat. 20. mill. paſſ. in Bor. 20. à Goritia in Occ. Baudrand.

Uto, Hermanni Suevorum Ducis frater, cum Conrado Sapienti, auxilio advenit Ottoni I. Imper. Briſacum obſidenti, quem Giſelbertus Lotharingiæ Dux & Eberbardus Comes invadere parantes, ſuperato Rheno prædas egerunt. Horum veſtigia legens *Uto*, monitus à ſacerdote, cui Lotharingi jumentum abſtulerant, de loco ubi degerent hoſtes, illis improviſus ſupervenit: occiditur Eberhardus, Giſelbertusque, dum Rhenum equo tranare tentat, mergitur. Quo nuntio accepto, equo deſiliens Otto & in genua profuſus Deo gratias egit, ac cum univerſo Comitatu in templum perrexit. Crantzius *Saxon. lib. 3. cap. 59.*

Utrio, fluv. Galliæ, in Biturigibus, vulgò *Oron*: prope Avaricum. Hadr. Valeſius *Notit. Gall.* in voce *Bituriges Cubi.*

Utriceſium, urbs Batavorum, *Utrecht*. Vide *Trajectum.*


Utriculum, hodie *Otricoli*, opp. Umbriæ olim Epiſc. in monte. Tiberi proximum, inter Narniam 8. & Romam 30. millibus paſſ. Pop. *Utriculani.*

Utta, ſylva olim Regia vel ſaltus Galliæ, inter Agendicum Senonum & Auguſtobonam Tricaſſium, nunc *Otte* vulgò. Fuit olim, qualis hodieque eſt, maxima, inter Icaunam ac Veneam amnes longè lateque patens, ante Ann. 500. regnante Ludovico Septimo, & à Villa Nova Regis Agendico proxima ferè usque ad Auguſtobonam, Tricaſſium pertinebat: unde pago circumjacenti longè lateque nomen. In litteris Impp. Ludovici & Lotharii, inter cœtera, Monachis S. Germani Agmantum in Senonicis *Eſmans*, cum ſylva *Utta* datum legitur. Ejus pars *nemus* Ottonis olim dicta. In ſylva hac Sedantum eſt *Seant en Otte*. Villa Nova Regis, caſtellum Aquæ *Aix en Otte*, ad rivum in Veneam influentem, non procul à Sedanto, ad Epiſcop. Tricaſſinum pertinens, quod Angli 400. qui ibi in præſidio erant Ann. Chr. 1358, excurſione factâ fuſi, poſtea incenderunt ac deſeruerunt, Cœnobium à Mariano Abbat. Antiſſiodorenſi ſub Ludovico præfato Reg. extructum, &c. Vide Hadr. Valeſium *Notit. Gall.*

Utunta, vicus Briſgaviæ, prope Rhenum, inter Briſiacum ad Bor. & Baſileam ad Merid. Vulgò *Unzen*. Forte is eſt, qui *Urunca*, ſeu *is*, aliis. Vide ibi.

Utus, fluvius Myſiæ, ex Hæmo in Danubium fluens, & urbs Antonin. duodec. millibus paſſ. ab Oeſco Triballorum, Thraciam verſus. Hic Arugillus ab Attila interfectus, Ammian. in Dacia Ripenſi.





W.



V Duplex *VV*, Germanis usitatum est; quamvis & per *Gu*, sæpe reddatur: Unde *Wilhelmus* & *Guilielmus* promiscuè dicitur. Imo olim Romanos *V.* efferre solitos esse, sicut Germ. *W.* hodie; illosq; pronuntiasse *Winum*, *Wallum*, *Widua*, *Wacillare*, &c. unde Belgarum *Wiin*, *Wall*, *Weduve*, *Waggelen*, &c. docet Ger. Jo. Vossius *in Aristarcho lib.* 1. *cap.* 24.

V U.

Wagnerus Sebastianus, cognom. *Hofmeisterus*, Theologiæ Doct. Franciscanorum primò institutum sequutus, postea Evangelii lucem ex Sacrarum literarum lectione hausit, primusque ac primarius Scaphusianæ in Helvetiis Ecclesiæ Reformator extitit, initio circa An. Ch. 1522. facto. Interfuit dein colloquio Tiguri An. Chr. 1523. cum Pontificiis: & An. Ch. 1525. cum Anabaptistis instituto: in quorum priore Joachim. Vadianum, Consulem Sangallensem, illustre Dei in Reformationis negotio organum, Synagonistam habuit. Quemadmodum in Scaphusiana Eccles. repurganda mox nactus est συνεργὸν, Sebastianum Hofmannum Argentin. Theol. itidem Doct. Francisc. Ordinis: qui, postquam Lucernæ contra varios errores cum zelo concionatus esset, An. C. 1522. inde pulsus Scaphusiam se receperat: Qui dum strennè rem gererent, evocatus ab adversariis Rotvillâ Erasmus Ritterus, facundiâ suâ tantum apud Senatum effecit, ut Wagnerus ex urbe discedere fuerit coactus. Hinc ergo Basileam delatus, cum Oecolampadio aliquandiu conversatus est: mox Scaphusiam reversus, cùm frustra colloquium cum antagonistis suis petiisset, ibi privatus degit, vel sic tamen munus suum gnaviter clam, palam, voce & scripto obiens. Unde Processiones variæ, aliaque abrogari, cœlibatuique impuro honestæ nuptiæ præferri cœperunt An. Ch. 1523. Ipse quoque Ritterus, veritatis vi convictus, manus Evangelio mox dedit. Et quamvis An. Ch. 1524. tam ingenti negotio sufflamen positum esset, edicto Lucernæ ab Helvetiis publicato: non diu tamen pòst Mich. Eggenstorffius Abbas Cœnobii omnium SS. cum toto suo eleto Magistratui se submisit, simulq; Evangelicam doctrinam amplexus est: Iconomachia quoq; non uno in loco exarsit. Sequenti anno cum Anabaptistis, qui in urbem irrepserunt, Wagnero res fuit: Eodem Clemens VII. literis ad Senatum datis conatus hos motari nisus est: Sequuto mox intestino motu, Wagnerus denuo, cum socio Hofmanno, Urbem deserere jussus, Zofingam in agrum Bernensem se recepit, ubi Evangelium ad mortem usque prædicare non destitit: inde ad varios conventus & colloquia sacra hinc inde instituta frequenter evocatus: An. C. 1526. inprimis, quo interfuit collationi illi celebri Iliantii in Rhætia institutæ, Eccium quoque scripto edito refutavit. Interea, cùm nova à colloquio Badensi ann. eodem habito remora Scaphus. Reformationi objecta esset, visum fuit inde Evangelium plane exulaturum: sed novæ illi vires à Disputatione Bernæ An. Chr. 1528. instituta, & Tigurinorum piis monitis, accessere, quibus auctum An. Chr. 1529. se plenè ibi exeruit, idolisq; dejectis, & Missâ abolitâ, divini Verbi doctrina in Urbe, ubi prima ejus Wagnerus sparserat semina, ab eo tempore inconcussa, ad nostram usque ætatem permansit. Vide Leonh. Meyerum *de Reform. Eccles. Scaphus. &c.*

Dum te, Christe, loquor, patriis agor exul ab oris:
Sed tecum, Jesu, quis, precor, exul erit?

Wagri, pop. Germ. in Holsatiâ, quorum urbs primaria *Aldemburgum* fuit.

Walachria, insl. olim Frisiæ Citer. nunc inter 5. Zelandiæ Occid. insulas, maxima & potentissima, vulgò *Walckeren*. In hanc venientes Normanni Ann. Chr. 837. Eggihardum ejus Comitem occiderunt, vastatoque Dorestado, & accepto à Frisonibus tributo, reversi sunt. Eam dein Lotharius Herioldo Dano, ob merita, in beneficium contulit, An. C. 841. Henricus verò Imp. Balduino Flandrensi Com. An. C. 1007. concessit, Sigeb. qui eam Regni Lotharingiæ Insl. vocat. Urbem habet claram Middelburgum, totius Zelandiæ caput, ubi sedes Episcopatus An. Ch. 1559. sub Trajecto metropol. constituta, sed ad breve tempus, ut ex Belgica hist. notum, Hadr. Vales. *Not. Gall.* Ibi Vlissinga, Middelburgum & Veera.

Walanus, primus se Episcop. Basil. dici voluit, circa Ao. C. 749.

S. Walaricus in Planis, vicus maritimus & portus Normanniæ, in regione Caletorum diœcesiq; Rotomagensi, à S. Walarico Abbate dictus, *S. Valeri les Plains*: quòd in planitie situs esset, & ut distingueretur à portu S. Walarici in Ambianis ad Suminam flu. qui olim Leuconaus vel Luganau vocabatur, & aggeribus arenarum, vel dunis proximus erat. Certè hodieq; proximum habet vicum *Sainneville le Plains*. Nec longè abest à S. Walarico in Planis, Plana sylva *Plaine Seve*, vicus: sed nunc plerumq; *S. Valeri en Caux* dicitur. Ordericus *lib.* 10. S. Remigium de Planis vocat locum in Cenomanis, vulgò *S. Remy du Plain*. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

V U

Waldemarus, vide *Woldemarus*.

Waldenburgum, seu *Wallenburgum*, oppidulum agri Basiliensis, ad montis Juræ jugum, quod ab excisa rupe *der Hauvenstein* dicitur, & quidem ubi superior scissa rupes, *der obere Hauvenstein*. Occupat totam, inter altissimos montes, convallis latitudinem, castro in præalta rupe imminente. Nomen idem, quod *Castrum sylvæ* sonat, quanquam Rhenanus à vallo deriver, quòd montis transitum eò loci muniat. Paruit olim Comitibus Vroburgensibus, quorum ultimus decessit, An. C. 1370. Postea in ditionem transiit Episcopi, qui unà cum ditione Homburgica, omne hoc dominium, in Senatum Basil. qui Præfectum eò mittit, transtulit, An. Ch. 1400. Vide Christ. Urstisium *Epit. Hist. Basil.*

S. Waldemeris oppidum, vulgò *S. Germier*, vel *S. Galmier*, in Segusianis, patria Clementis Puteani, avi Petri & Jacobi, virorum clarissimorum: in agro est ac diœcesi Lugd. inter Casellas *Chazelles* & opp. S. Stephani *S. Estienne de Furen*, parùm à Ligeri remotum. Id.

Waldshutum, opp. in extremis Rauracorum finibus, ultra Rhenum, sub Hercynia sylva situm, sub Habspurgiis olim, à quibus & conditû dicitur. Nomen à custodia duxisse videtur, cujus illic contra sylvam constituendæ magna est opportunitas. Unum ex quatuor oppid. quæ vulgò *Waldstädt* dicuntur, quæ æquali fere intervallo ab invicem dissita, singulis pontibus Rhenum insternunt. Sunt autem illa Rinfeldia, Sacconium, Lauffenbergum & *Waldshutum*, sub Austriacis. Vide Christ. Urstis. *Hist. Basil.*

Walenstadium, quasi *Italorum statio*, hos enim Germani *Walen* vocant, opp. est Helvetiæ, in præfectura Sarunegaunensi, ad lacum Rivarium, qui hinc *Walensee*, vel *Walenstatter see* Germ. dicitur. Hic videtur, adversus Rhætorum irruptiones, custodias collocasse Tiberius. Ibidem Rhætorum causæ disceptari solent: sicut septem antiquorum Pagorum, in cœnobio Eremitano: Bernens. & trium Pagorum, in loco *das Kienholtz*: Tigurin. & Bernatium Zofingæ: Glaronensium & Uraniorum Meichæ: eorundem & Suitiorum Bergeræ: eorùndem & UnderWaldiorum Brunnæ: Friburgensium & Soloduriorum, si cum 8. Pagis lites habent, Zofingæ & Wilisovii: Basiliensium, Scaphusianorum & Abbatiscellanorum, Badæ, &c. Simler. *descript. Helv.*

Walhosia, vulgò *Walhoff*, vicus Semigalliæ, cis Duinam flu. prope Ascheradam arcem, ubi Poloni ingenti clade affecti, An. 1626. mense Januar. à Gustavo Adolpho Rege.

Walis, vide *Vahalis*.

Wallenses, al. *Wallones* & *Romani*. Cùm Germaniæ populi provincias Imper. Romani in Occidentis partibus, nim. Galliam, Hispaniam, Britanniam, Africam, atque Italiam, armis occupavissent, provinciales quidem priscum nomen suum retinuere, ac modò suæ quisque nationis proprio vocabulo, modò, idque sæpius, in commune *Romani* sunt appellati; novi autem possessores & domini Germani, honoris causâ, dicti sunt *Barbari*. Unde in priscis Legibus & Histor. item apud Gregorium Tur. & Fortunatum *Barbaros ac Romanos* junctim nominari & alteros alteris opponi constat. Hinc & Galliæ partem, quæ Odoni, Francorum Reg. parebat, *Franciam Romanam*, id est, Neustriam vel Franciam, Gallicâ linguâ utentem Luitprandus *libr.* 1. vocat, ut eam à Francia Germanica, sive ab Austrasia Lotharii ve regno & Germania distinguat. Et Nithardus *lib.* 3. *Romanam* linguam *Teudisca* opponit. Brabantia itidem Romana Divo dicta est, Gallorum linguâ utens, *le Wallon Brabant*, & promiscuè *le Roman pays*, Divæus *Rerum Brabant. lib.* 7. Equestres ad lacum Lemanum, Caballenses vulgò dicti & confines iis Vallenses, id est, Sedunensis & Lausannensis Diœcesium partes, quæ Gallicâ linguâ utuntur, vulgò *Pays Roman* nuncupantur. Rhæti etiam Curienses, portio quondam Imper. Romani, se *Romanos* dicunt, & fabulosa Poëmata *Romans* Gallis vocantur, quòd sunt linguâ Romanâ, id est, Gallicâ composita: Hos Romanos Germani, qui in illorum agris finibusque consedere, linguâ suâ *Wallenses*, vel *Wallanos* nuncupavere: unde Giraldus Cambrensis scribit, *in descript. Cambriæ lib.* 1. *&* 7. hanc Britanniæ partem, post occupatum Britannicum regnum, dictam esse *Walliam*, à Saxonibus, linguâ suâ extraneum quemlibet *Wallum* appellare solitis: & Guillimannus *lib.* 2. *rer. Helvet.* in Comitatu Sisgoviæ, agri Basiliensis, oppidum *Valenburgum*, interpretatur *Burgum Romanorum*. Hodieq; Germanis Sclavisq; communiter Itali *Walchen* appellantur. Hinc & *Walachia* dicta, quòd Romanos seu Italos incolas habuerit: Ita ergo Belgæ, qui linguâ Gallicâ utuntur, Germanis finitimi, *Walen* his, Gallis morem Germanorum sequentibus *Wallons*, vel *Ouallons* appellantur. Horum in Gallia Belgica tres sunt provinciæ, Attebates, Flandria Wallensis, & Hainoum, quæ in commune pagus Wallensis; *pays Walon* vocantur:

cantur: non sic tamen vocantur Sapaudia, Sedunensis, & Lausannensis diœcescon portio, Burgundia Jurensis vel Sequanorum, Lotharingia, Luciloburgensis Ducat. & Leodicensis diœcesis ac pars Brabantiæ supradicta, licèt & ipsæ linguâ Rom. vel Gallicâ similiter etiamnum utuntur, quamvis corruptâ. Duo tandem in Lotharingia fluvii Nidæ sunt, quorum alter alterum in Saravum defert: Horum alter Nida Teutonicus, *die Teutsche Nide*; alter Romanicus vel Wallonicus, *die Welsche* dicitur, ab accolis German. & Romanâ seu Gallicâ linguâ utentibus. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Wallia, vide *Cambria* & *Vallia*.

Walones, pop. Belgicæ, Latinis junior. *Walons* ipsis, Germ. *Wallen*. Inter Scaldim & Legiam fluv. occupantque partem Flandriæ, quæ *Gallicana*, ab ipsis *la Flandre Wallone*, seu *Gallicane* dicitur, ubi tractus Tornacensis, Duacensis, atque Castellania Insulana, sub Gallis, ab An. 1667. Baudr. Vide quoque *Wallenses*.

Walonia, castrum Normanniæ, in parte pagi Constantini, quam nonnulli *Hagam*, quidam Histor. Angli *Insulam Constantini* pagi, pro peninsula vocant, 2. circiter à mari leucis, hodie *Valongnes*. Nomen à *Walone* accepit, quod viri nomen linguâ Francicâ olim bonum significasse refert Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Waltherus de Cronberg, Alberto Magistro Ordinis Teutonici, (qui Poloniæ Regi se submisit, parte Borussiæ in feudum, Ducatus nomine, acceptâ) ab Ordine suffectus, in plerisque Comitiis graviter eum accusavit, donec tandem Albertus, ab Imperio An. Chr. 1532. proscriptus est. Sed hic Evangelium amplexus, mansit in possessione. & Academiam Regiomontanam instituit.

Waltherus, improviso ictu in venatione, feriit Wilhelmum Rufum, Angl. Reg. An. Chr. 1100. Polydorus Virg. *Hist. lib.* 9.

Waltherus, vide *Gualtherus*.

Wandali, Gothorum propago, iidem cum *Vandulis* tabb. vett. *Winilis* Pauli Warnefridi, *Vinulis* Adami Bremensis, sic à Germanis vocati sunt, quòd hominum multitudine abundantes, in alienas terras transmigrarent: quod vox *Wandeln* German. denotat. Itaque *Wandalorum* appellatio, vi vocis tam latè patuit, quàm ipse vagandi alienaque occupandi mos. Nobis de illis, qui Hispaniam, & pòst Africam tenuere, sermo est. Hos ab Oceani littore venisse, scribit Dexippus apud Trebellium & Eunapium: de Longobardis nempe illis, quorum ingens tum alibi, tùm postremò in Italia potentatus fuit, Paulus *in Longobard.* Inde in illam vexatam tot incolis Daciam transiere, Aurelio Antonino Romanis imperante, *Wandali Asdingi*, Jornandi dicti. Aureliano principe sedisse ad Danubium, Dexippus supra memoratus, Priscusque docent. Pannoniæ partem Constantinus illis dedit. Hinc in Gallias se intulerunt tempore Honorii, inde se in Hispaniam promovere *Wandali*, in Bæticam Silingi qui dicti, cæteri in Gallæciam eique vicina, Godigisclo Rege, cui successit Gontharis, qui Alanos in Hispania potentes subegit: Gonthari Gizerichus, Gunthatis vel Gunderichi ex Godigisclo frater, Africæ domitor, qui possessionem Africæ fœdere firmavit Valentiniano imperante: imo præter Africam, patentem à Gadibus Tripolim usque, & retro ad Maurorum invia, Sardiniam quoque & Corsicam suæ ditionis fecit, Romam diripuit An. Chr. 455. principesque fœminas, supellectilem regiam, ipsas denique Capitolii auratas tegulas, inde quò voluit, abduxit. Eum excepit Hunnerichus filius, cujus successor Gundamundus fuit, filius Genzonis, Gizerichi nepos. Hunc sequutus est frater Transamundus, post quem Hildericus Hunnerichi filius, ex Valentiniani Imper. filia, Genzerichi nepos. In Gelimero tandem, Gelarichi filio, Genzonis nepote, Gizerichi pronepote, à Belisario victo, Wandalorum dominatus desiit; post annos ferme in Africa centum. Per Hispanias Wandalici imperii vestigium servat Andalusia, *Wandalosia* olim appellata. Christianam pietatem ferme eodem tempore, quo Gotthi & Gepidæ, avidè arripuerunt: sed dolendum, quòd hi tunc omnes permixtum vero Arii dogma, fraude Valentis Imper. qui Arianos ipsis Doctores summisit, imbibêre. Unde, cæco quodam zelo, in Orthodoxos sævi, sub Gunderico, qui primus Arianismum amplexus erat, Gizericho seu Genserico, & Hunerico: citra hujus tamen, & Gundemundi tempora, à subditorum sibi populorum animis vim abstinuere. Laudatissimis prius moribus inclytos corrupit Africæ mollities, in quibus opimas mensas, non minus quàm balnea, circos, theatra, mimos, magnorum malorum semina notat Procopius, qui res illorum latè prosecutus est. Huic, si plura voles, adde Zonaram, Victorem Turon. Hug. Grotium *Prolegom. in histor. Gothorum, Wandalorum, & Longobard. &c.* Post eversas Ostrogothorum *Wandalorumq;* & Longobardorum res, ex eadem illa virorum matre Scanzia, Normanni prorupere. Ex Wandalorum sanguine ortos Burgundiones, sub Theodosio Jun. expulsis latè Sequanis Heduisque, non illam solùm veteris Galliæ partem, sed & dimidiam Helvetiam occupasse, adjunctis sibi sociis Nuithonibus: atque à *Wandalis* regionem Vaudi, sicut ab his *Nuchtlandiam* appellatam esse, refert, ex aliorum sententia, Johan. Bapt. Plantinus *Helvet. Antiq. & Nov.* Prisca inprimis *Wandalorum* sedes ad mare Balticum nomen hodieque retinet, licèt in locum primò Venedi, dein Saxones successerint. Unde & in titulis Regum Daniæ & Sueciæ: Ducum item Pomeraniæ, & Megalopolitanorum, Regum, Ducum, Principum *Wandalorum* inscriptio hodierna servatur: Et in fœdere Hanseatico, Lubecâ, Hamburgum, Rostochium, Stralesunda, Wismaria, & Luneburgum nomine civitatum *Wandalicarum* gaudent, eorumque Conventus præliminares, quos instituere solent, antequam Comitia universæ Hansæ celebrentur, *Conventus Wandalici* dici solent. Rugia [illegible]dem, Usedomia & Wollinia, tribus olim emporiis celebres, Arconâ, Vinetâ & Julinâ, Pomeraniæ adjacentes, *Wandalicæ* quoque *insulæ* nominantur, Vide Chr. Becmannum *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. passim.* Vide quoque in voce *Vandali*.

Wangena, oppidulum Sueviæ Imper. ad Argum amnem.

Wapentachium, Comitatus portio in Anglia, quam Centuriam, Hundredum vocant, à Saxon. *vvapen*, arma & *tach*, id est, tactus, quasi Concussio armorum. Germani enim vett. nec concilium inibant, nec judicia exercebant, nisi armati. Quæ displicuit sententia, fremitu aspernati: quæ placuit, concussis armis laudare solebant, Tacit. *de Germ. mor.* Hos ritus patrios à Macedonibus, de quibus idem refert Jod. Willich. *in Germ. mor.* acceptos, in Britanniam, posteri eorum Saxones trajecere: factoq; de re nomine, & conventum ipsum, conventuique adscriptam regiunculam, *Wapentac* nuncuparunt. Apud Rom. non omnino dissimilis mos; illi enim Centumviralia Comitia hastâ Prætorianâ positâ celebrabant. Aliis *Wapentach* dicitur, à deditione armorum; quod in adeunda Centuriæ præfectura, dominus Centuriæ arma inhabitantium à seipsis in subjectionis symbolum deditis accepit: *tac* enim accipere significat. Vide Hent. Spelm. *Glossar. Archæol.*

Waractum, locus Galliæ, in Lemovicibus, ubi Lantharius Comes Lemovicensis Monasterium St. Petri honori sacravit, cujus primus Abbas Pardulfus. Situs est inter fontem fluv. Varrimpæ *la Gartempe* & Crosam, vulgoque *Gueret* vocatur. Unde vicus ei proximus S. Sulpicii Waractensis, vulgò *S. Sulpice Gueretois*. Forrè ex Latin. Vervactum, quod agrum requietum & aratri pridem expertem, Galli *Gueret* dicunt. Caput agri Waractensis *le Gueretois*, Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Warandra, locus Galliæ, ad Ittam fluv. in Veliocassium Bellovacorúmque confinio, inter Gisortium atque Gornacum municipia, Novo Mercatui proximus, vulgò *Ouarde*, aut potius *Varde*. Olim villa, ubi Beat. Geremarus, tempore Dagoberti Regis, ortus est, Idem.

Wareus, castellum ad Molam & Sulmonam, Gall. *Vuare*, ab Ottone Comite extructum, in Remensi Parœcia. Vide Eundem.

Warda, *a*, Saxon. tutela, custodia. Sic dicuntur urbis Londini regiones, quæ pro numero Majoris & 24. Aldermannorum viginti quinq; constitutæ sunt, singulorumq; custodiis singulæ attributæ. Uti ergo à *regendo*, quatuordecim illæ Romæ urbis portiones, *Regiones* sunt dictæ, sic in Angl. hac Roma 25. divisiones urbis, à custodiendo, *Warda*, id est, custodiæ appellantur. Spelm. *Gloss. Arch.*

Warda, seu *Wardus*, pupillus in Britannia insula dicitur, qui ratione infirmioris ætatis prædiorumque servitutis, in custodia Regis vel domini sui est, usque ad ætatem integram, hoc est, 21. annos. Quod jugum Anglis imposuit, omnia gladio premens Guilelmus Primus Conquestor: Sed nec ratione lex caret: Ea enim [illegible] feudorum militarium conditio, ut nec hæreditariò concederentur, nec pro vita vasalli, sed nec ad certum terminum, ne anni quidem; Vide Lotharii Constit. *tit. Qui feud. dare possunt.* Postea [illegible] ventum, ut per annum, dein ut usque ad vitam vasalli feudi concessio firmitatem haberet: Porro factum, ut beneficium ad filios deveniret, & eum quidem primò, qui Domino placebat, tandemque stabilitum, ut ad omnes æqualiter pertineret. Veruntamen neque tunc adhuc hæreditariò, neque ultra filios, porrigebatur feudum, ante leges Conradi Imper. imo nec tum demum ad filias, nisi expressa de his mentio esset: nam quid colo cum framea, mulieri cum Marte? Sensim dein, vigore accepto, feuda hæreditaria facta sunt: è quibus ne vasallus innoxius ejiceretur, aut filius ad militiam idoneus à patrio munere excluderetur, publicæ utilitatis ratio obtinuit: Suis nihilominus conditionibus feuda interea subjacuere. Hinc, vel ob læsam fidelitatem, vel ob defectum servitii, quod utrumq; variis modis contingere potest, feudum ad dominum redit. Cùm igitur ad infantem devolutum feudum est, æquum duxere Majores, feudum interim ob defectum servitii, domino reddi, donec vasallus ad arma aptus esset, vasallumque in custodia ejus esse, quò ad militiam munusque debitum obeundum posset instructior reddi: interim honorificè à Dominis pupilli sustentari. Vide Hent. Spelmann. *Gloss. Archæol.*

Warengisi villa, in diœcesi Tullensi, posita ad ripam Mortæ fluv. in Lotharienssium finibus, inter Rosaria *Rosieres*, & Nanceejum, Cella & Prioratu suo hodieque clara, à domino quondam suo cognominata. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Warsavia, urbs ampla Poloniæ, Mazoviæ caput, ad Vistulam [illegible], ubi frequens Regum secessus, Germ. *Warschavv*, Gall. *Varsovie*. Culta est, cum arce Regia. Vix 3. leuc. Pol. à limite Po[illegible] min. in Ort. uti 24. à Lancicia, 33. à Gnesna, 25. à Thorun [illegible] Eur. 24. à Sandomiria in Bor. uti 36. à Cracovia, & 58. à Vil[illegible] Africum. Hactenus comitiis publicis, & duobus palatiis re[illegible]bilis. Duplex est, Vetus & Nova; In suburbio Cracoviensi [illegible] sepulcrum Jo. Demetrii Sutiscii M. D. Moscoviæ. Capta à [illegible] An. Chr. 1655. ingenti prælio victoribus, sed postea recepta est.

Warta-

Wartburgum, arx Saxoniæ; ubi Lutherus ab Imperatore proscriptus, ab Electore Saxoniæ Friderico III. 10. mens. occultissime servatus est; adeò ut ne Magi à Pontificiis de loco consulti illum divinare potuerint. Hoc asylum Pathmum vocare Lutherus solitus est; qui ibi quoque varia scripsit, Ann. Chr. 1521. Chytræus in Saxon. part. 1. lib. 1. &c.

Principes Pomeraniæ.

Wartislaus I. fil. Suantibori, Pomeraniæ Ducis, cum fratribus Ratiboro, Suantopulco & Bogislao, ab Ottone Andechsio, Episc. Bambergensi, Cancellario Henrici IV. *Pomeranorum Apostolo*, ad fidem Christianam adductus: cum fratre Ratiboro Pomeraniam citeriorem (quæ brevi Germanicos mores, tum coloniis ex Saxonia, Westphalia, Frisia, Hollandia, Flandria huc traductis, tum occasione Saxonicæ clientelæ: cùm Pomerania ulter. moribus & linguæ Henetorum pertinaciùs inhæreret,) sortitus est. Quorum hic, pater alterius *Wartislai* fuit, Principis fortissimi, qui cum Danis & Henrico Leone pro libertate sua diuturna gessit bella: in cujus filio Bartholomæo An. Chr. 1224. ramus hic extinctus est. Ille An. Ch. 1124. baptizatus, Episcopatum Julini fundavit: tum Marchiam Novam & Ucraniam ad Gustroviam usq; sibi subjecit: tandem verò An. Ch. 1136. à ministro, quem Vandali odio religionis instigaverant, ipse verò jam vulneratus confecit, peremptus est: cœnobio Stolpensi, in necis hujus memoriam, à fratre condito. Filii ejus Casimirus & Bogislaus II. à Friderico Barbarossa An. Ch. 1181. in castris ad Lubecam Duces creati sunt, datâ in Imperio sessione.

Wartislaus II. Vide supra.

Wartislaus III. fillus Casimiri II. ex Bogislao II. de quo retro, genitus; recuperavit quædam à Danis, in Megapolitanis confinibus. Obiit improlis An. Ch. 1264.

Wartislaus IV. fil. Bogislai IV. cui cognom. *Corpus & Anima*, ex Margareta Rugia, extincto avunculo Wizlavo, de quo supra, Rugiæ Principatum, adversus Danos & Megapolitanos, sibi vindicavit; Dano, ut jus suum cederet, coacto. Brandeburgicis Pasevalcum & Primislaviam; Cruciferis & Polonis Stolpam, Slavam, Regenvoldam & Belgardam bello extorsit. Ex eo A. C. 1326. relicti fili Bogislaus V. lineæ Pomer. Orientalis, Barnimus IV. Occidentalis auctores fuere.

Wartislaus V. cognom. *Monachorum Pater noster*, qui, pro portione sua, annuam sibi portionem pactus; Obiit absque prole An. Ch. 1390.

Wartislaus VI. fil. Barnimi IV. Wolgastanæ lineæ conditoris. Obiit An. Ch. 1394. pater *Wartislai* & Barnimi VI.

Wartislaus VII. fil. Bogislai V. iter Hierosolymitanum ingressus, in Servia obiit An. Chr. 1392. relicto ex Maria Mecklenburgica, cujus mater Ingeburgis erat, Margaritæ Semiramidis Arctoæ sorore; filio Erico I.

Wartislaus VIII. fil. *Wartislai VI.* ex Anna Megapolitana, Rugiæ, Straslundæ & Barti dominus: filios habuit Suantiborum III. & Barnimum VIII. quorum ille An. Ch. 1446. iste An. C. 1451. sine liberis defecere.

Wartislaus IX. fil. Barnimi VI. nepos ex hoc *Wartislai VI.* laude justitiæ; & fundatione Academiæ Gryphiswaldinæ An. Chr 1456. inclaruit. Pater ex Sophia Lawenburgica *Wartislai X.* & Erici II.

Wartislaus X. fil. prioris, in divisione hæreditatis paternæ cum Barto Rugiam nactus est, Erico Wolgastum tenente. Qui ambo, communi ope, contra Fridericum II. Electorem Brandeburgicum; ex antiquo pacto & investitura Imperatoris recenti, jus repetentem, ac cum 13. principibus fœderatis Pomeraniam invadentem, acriter provinciam defenderunt: Marchiam quoque excursionibus populati, donec Casimiri Reg. Poloniæ interventu de pace convenit. A Cruciferis Borussis quoq; Lawenburgum & Bytovium armis asseruere. Obiit Wartislaus Ann. Chr. 1478. in cujus filiis Hartmanno & Suantiboro IV. Bartensis linea defecit. Sed Erico natus est

Wartislaus XI. qui tamen cum fratre Casimiro VI. non diu superfuit: tertio fratre Bogislao X. totâ Pomeraniâ potito, qui consiliario quodam Langio rustico non infeliciter usus est, mortuus An. Ch. 1523.

Wasia, vel *Wasda*, in priscis tab. tractus est Belgii, in Flandria. ad Scaldim fluv. vulgò *Waes*, aut *la pays de Waes*. Hadr. Valesius *Not. Gall. in voce Ganda.*

Wasiticum. Nithardo *Basiu* in Capitulis Caroli Calvi; villa olim Galliæ Dominica, Palatiumve Regale, vulgò *Vassy*. Vide *Vassiacum.*

Waslare, vulgò *Wasler*, monasterium in sylva Fania, quæ Carbonariæ pars est, dictum à fluviolo præterlabente, quod Dodonis Monachi, Rectoris quondam sui, corpus servabat, pridem interiidit. Proin ejus reliquiæ in cellam Laubiensi cœnobio subjectam, atque Faniæ finibus inclusam, quam *Moustier en Faigne* vocant; translatæ sunt. Hadr. Valesius *Not. Gall. in voce Fania.*

Waslogium, Monasterium à S. Grodingo extructum, in diœcesi Virdunensi; fortè hodie *Beaulieu en Argonne*, i. Bellus locus in silva Argonna, Arduennæ parte Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Wastinensis pagus, Galliæ, vulgò *le Gastinois*; unus ex iis est, quibus Franci, postquàm in Galliis sedem ceperunt, Germanicum imposuere nomen, quasi *Woestyne*; i. locus desertus ac vagus, eo quod stagnis, montibus, lacis & silvis, quarum hodieque pars, in primis in Bieria, remanet, scateret. Olim angustior fuit, à Melodunensi quippe distinctus, nunc Melodunum Senonum quoque comprehendit, propterea *Melun en Gastinois* appellatum. Hunc Fulco, qui Gaufridum fratrem Comitatu Andicavensi spoliaverat, metuens iram Philippi I. Regis, eidem cessit, cùm antea à Comitibus Andicavensibus teneretur. In eo Monasterii S. Mariæ fortè hodie *Gy les Nonnains* i. Gaium Nonnarum; ad Lupam fluv. 3. leuc. à monte Argisi: villæ item Fontanatum, scriptores vett. Marculfus & Odorannus meminere. Cæterùm *Wastinas*, dicta esse olim loca deserta & inculta à Germanis; certum. Hinc in Pictonibus; circa Castanetum *la Castaigneraye*; Voventum *Vouvant*; Merventum, Secundiniacum, & Partiniacum; ager est hodieque silvestris; 12. leuc. circiter patens, qui pagus *Wastinensis* similiter nuncupatur, vulgò *Gastinou*, sæpius *Gastine* vel *le pays de la Gastine*, ubi hodieque vici sunt Boscellus *Buisseau*, Boscaria *Boisserie*; Boscetum *Boussay* & Tilia. Etiam in *Wastina* Pictonica Vicrium est, à situ cognominatum. Habent quoque Bituriges Cubi, in agro deserto & silvestri *Vastinnum* vulgò *Vatan*: circa quod sunt vici Boscolium *Busseul*, Spinaria *l'Espinure* & Ulmetellium *l'Ormetiau*, inculti & sterilis agri argumenta. In pago porro Vindocensi; ut & Cenomanis *Vastina* fuit; i. silva, cujus utriusque meminit in literis suis Gaufridus Andegavorum Com. qui Monasterium S. Trinitatis, apud castrum Vindocinum An. Chr. 1040. extruxit. Et Vindocinensis forte illa est; in qua circa An. Chr. 1140. cœnobium nomine *Gastinetum*, Christianus Monachus ædificasse dicitur: cui Abbatiæ proximus est vicus S. Laurentii, vulgò *S. Laurent en Gastine*. Sic Præmonstratenses in Episc. Constantiensi Monasterium habent, *de Vastinio Candido*, vulgò *Blanche Lande*, inter Exaquium *L'Essay* & castrum S. Salvatoris Vicecomitis: Idem enim *Vastinium*, quod *Landa*, quæ non minùs Germ. vox est, unde Landæ Burdigalenses vel Vasaticæ, & Landæ Armoricanæ. Tandem; in Chron. Monasterii Andrensis Guilielmi Abbatis, confecto An. Ch. 1234. memoratur *Comitatus Solitudinis de Gisnes*, qui in eodem Chronico; *Wastinia de Gisnes* dicitur, hodieque in illa solitudine locus est *Watines* Optime proin pago *Wastinensi* id nominis convenit; qui magna ex parte incultus omniumque rerum sterilis est, præsertim circa Nemus, Murittum & Miliacum. *Gastinetum* Wilhelmus Brito vocat *Philippidos lib. 2.* & cum Castro Nantonis conjungit. Vide Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Waterfordia, Vide *Vaterfordia.*

Vucheum, urbs septima Kiantiæ; sub qua 5. aliæ: Ad radices montium, juxta *Lienjam* fluv. In limite prov. Fochiensis. *Vucheu* vulgò. In Sinis. Martinius.

Vucrina, fluv. Illyrici; in Saum per Bossinam influens. Laonic.

Weckerus Johannes Jacobus, Basiliensis. Medicus celebris, scripsit *Antidotarium*. Obiit Colmariæ; An. Ch. 1586.

Wedereiba; in vita S. Sturmis Abbatis Fuldensis; aliis *Wettereiba* & *Wedtereiba*; hodie *Wisteravia* dicitur seu *Vetteravia*, Vide ibi.

Weimaria; elegans Thuringiæ opp. quondam peculiari Comitatui nomen, jam verò Saxoniæ Ducibus sedem ac domicilium præbet. Vide *Vimaria.*

Weissenburgum, urbs Imp. sedes veterum Sebusianorum, unde ei nomen, syllabâ primâ dirutâ; *b.* in *v.* verso, & additâ voce *Burgum*; ad Lutarum amnem, in radicibus montis Vogesi. Vulgò *Cronweissenburg*; Item *Weissenburg am Wasgauu*. Privilegia accepit amplissima à Dagoberto Francorum Rege, habuitque olim Cœnobium magnificum, in honorem S. Trinitatis ab eodem Rege extructum; cujus Abbas à Carolo IV. Imp. Abbas Cathedræ Imper. & Princeps factus est. Huic diu civitas subfuit: postea Cœnobio in sacerdotum Collegium commutato, & Nemetum Præsuli subjecto, civitas Imp. Romano vindicata est. Movit ei, sed frustra; status quæstionem Elector Trevirensis; qui Episc Spirensis & Præpositus Weissenburgensis fuerat; An. Chr. 1647. de qua controversia V. Limnæum Enucl. *lib. 4. cap. 59.*

Weissenburgum; ad Nortgojam dictum; in Franconia ad Alemannum fluv. *an der Allmühl* situm est: oppid. Imperiale, sedes Præfecturæ: Vide eundem *cap. 60.*

Viri Principes.

Welsi, seu *Guelphi*; celeberrimum superioribus seculis nomen, duarum fuere stirpium; quarum posterior alteri insita, in nomen & jus successit: Priorem nonnulli Witikindeis, alii Alsaticæ genti, unde Habspurgii, adscribere contendunt: Dicunt enim Eberhardum, Alsatiæ Ducem, per filios Ruthardum Kyburgios sevisse, & per Warinum Alemanniæ Principem, vel Altorfii Comitem, Ethiconem Helfensteniorum patrem ac Isenbardum; genuisse: quorum huic cùm uxor Irmentrudis, soror Hildegardis Imperatricis 12. uno partu peperisset, eorumq; 11. pro catulis (unde nominis origo) exponi jussisset, patrem eos servasse: Ex his præcipuum *Welsum* Comit. Altorfii & Ravenspurgi, patrem fuisse Juditæ uxoris Ludovici Pii & Conradi Com. quo natum Conradum, partium Rhæticarum & Juriensium Ducem, Lingonum Comitem, Regum Burgundiæ conditorem, & Ethiconem, vel Henricum,

 à quo

à quo Comitum Altorfianorum gentem propagatam, cui in *Welfo II.* Ducatus Bavariæ accesserit. Addunt, defecisse familiam in *Welfo III.* vel secundùm alios IV. cujus soror Cunigundis, nupta Azoni Atestino seu Estensi in illam gentem *Welficum* nomen & jus intulerit. Ex hoc igitur Azone gens *Guelfica* posterior orta: Is enim, uti ex Juditha Conradi II. Imperatoris filia, secunda conjuge, Azonem Estensis seu Atestinæ lineæ auctorem, ita ex Cunigunde, *Guelforum* priorum hærede, *Welfum* cognom. *Robustum* genuit, de quo *infrà*.

Welfus I. fil. Azonis, ex Cunigunde, vett. Guelforum hærede, posteriores Guelfos sevit, Altorfii Comes, & ex eo Henrici IV. Imp. beneficio Dux Bavariæ. Ab Heri partibus cùm ad Pontificem & Rodolfum AntiCæsarem defecisset, pulsus Ducatu, sed post decennium restitutus est.

Welfus II. fil. prioris, Patri in Ducatu successit: & ad filium Henricum, cognom. *Nigrum* vel *Catulum* transmisit.

Welfus III. fil. Henrici Nigri, ex Wulfilde, filia Magni Bilingii Saxoniæ Ducis, Princeps Tusciæ, quam, à Mathilde Comitissa Sedi Romanæ donatam, ab Imperatore acceperat; Dux Spoleti, Princeps Sardiniæ fuit: Frater Henrici Superbi Saxoniæ & Bavariæ Ducis, cujus fil. Henricus Leo Ducum Brunsuicensium & Lunæburgensium auctor est. Vide Phil. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in fam. Guelfica.* A Guelfis hisce *Guelphorum* factioni nomen, cui *Gibellinorum* opposita; quæ ambæ Florentiam omnemque Hetruriam ante aliquot secula in tantum distraxerunt, ut cùm hi fasciam, illi bandam vel palum: hi rubras aquilas, illi nigras: hi leones reptantes, illi progredientes in insignibus præferrent, familiæ pleræque notas gentilitias penitus, vel earum ad minimum situm atque colorem immutare coactæ sint, ut quarum essent partium, inde dignosci posset. Post adventum Caroli Andegavensis, quem Pontifex regno Neapolitano investiverat, *Welfi* seu *Guelphi*, qui Pontificiarum erant partium, ad illum transierunt. Unde in illo tractu Italiæ, qui Romania dicitur, non paucæ civitates & familiæ lilia Gallica insignibus suis adjecerunt, quæ Guelpham factionem indicabant, sicut tres stellæ Gibellinam, Vide Seb. Feschium *tr. de insignibus*, & supra in voce *Guelfi*.

Wellia, urbec. Belg. Ep. in Angl. *Theorodunum* olim. V. ibi.

Welphi, Vide *Welfi*.

Imperatores & Reges.

Wenceslaus, Boh. R. & Imp. R. Vide *Venceslaus*.

Wenceslaus, Bohemiæ Princeps, pietate inclytus, à fratre Boleslao ad lustricum convivium invitatus, in templo, inter preces, odio Religionis Christianæ, trucidatus est, An. Chr. 929. Cosmas Bohemus *Hist.* M. Cromerus *Hist. lib.* 3.

Principes varii.

Wenceslaus, fil. Maximiliani II. frater Rudolfi II. & Matthiæ Impp. in Hispanica aula ætatem exegit, obiit æt. anno 17.

Wenceslaus, Dux Saxoniæ, cujus filiæ nuptæ filius Magni Ducis Brunsuicensis, gravi bello, inter hunc & Albertum Saxonem, ob hæreditatem Wilhelmi Principis Luneburgici, otto, finem imposuere, sec. 14.

Wenceslaus Lucemburgicus, gener Johannis III. Brabantiæ Ducis, socero, agnatis Hassis præteritis, successit, An. Ch. 1356. Obiit An. Ch. 1383. A quo tempore, Brabantiæ Ducatus, jure à Margareta Johannæ, sorore quæ Wenceslao uxor fuerat, repetito, ad domum Burgundicam, inde in Austriacam devolutus est.

Wenceslaus, Elector Saxoniæ, ex familia Ascania, fil. Rudolfi El. Rudolfo fratri in Electorali dignitate successit. Obiit, lethali vulnere, in oppugnatione arcis Cellensis Ann. Ch. 1388. accepto. Pater ex Cæcilia Carrariensi *Wenceslai*, designati Archiep. Moguntini, & Rudolfi III. ac Alberti III. successorum: quibus absque prole An. Ch. 1418. & 1422. extinctis, dignitas ab Ascaniis Principibus ad Misniæ Marchiones translata est.

Wenceslaus, fil. Boleslai, Principis Lignicii, in divisione, Goldbergam sortitus est, sed omnia prodigus aut dissipavit bona aut ære gravavit alieno. Inde fratri majori Ludovico persuasit, ut Lignitium sibi concederet, ni spem successionis omnem, bonis venditis, interversam vellet; adhuc enim improlis erat. Verùm susceptis post hæc, ex conjuge Teschinensi filiis, fratris spem elusit, obiitque in summa paupertate An. Chr. 1364. Inter filios *Wenceslaus* quoque fuit, Lebunensis atque Vratislaviensis Episcopus.

Wenceslaus, fil. Boleslai, Ducis Teschinensis, Wenceslao R. charissimi, suscepit ex Euphemia Mazovia, fil. cognominem, successionem hanc sibi frustra asserere conatum, & sine liberis mortuum, sec. 15. Item fil. Casimiri IV. utriusque Silesiæ Capitanei, ante patrem, qui obiit An. Ch. 1528. extinctus: pater *Wenceslai* Adami posthumi, qui Austriacis fidissimus, præter Fridericum Casimirum, suscepit ex Sidonia Catharina Lawenburgica Adamum *Wenceslaum*. Hic in aula Christiani I. Electoris Saxon. educatus, postea in bello Turcico se strenuè gessit, & An. Chr. 1607. supremus Silesiæ Capitaneus constitutus, atque sequente anno, postquam ad Romanensium sacra transiisset, mortuus est. Ejus fil. Fridericus Wilhelmus, eorundem rituum tenax, nostrâ memoriâ totam Micislai, primi Silesiæ sup. D. extinctus sine prole terminavit, Vid. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Wenilo, Archiep. Senonensis in Gallia, coronavit Carolum Calvum An. Ch. 832. à quo ad id fastigii sublatus erat: Sed proditor sui Regis, Ludovicum Germanicum accersitum in urbem recepit Qua de re cùm conquestus esset Carolus in Concilio An. C. 859. in suburbio Tullensi habito, quatuor Metropolitis res commissa est; quo successu, reticetur ab Historicis: Ipse enim *Wenilo* in dignitate sua obiit, An. Ch. 865. An hinc factum, quod in veteribus Gallorum fabulis *Ganelon* proditorem notat, à quo sæpius gens decepta? Vide Baron. An. C. 859. Sammart. *Gall. Christ. tom.* 1. *pag.* 620. 621.

Wera, vox medii seculi notissima, pretium vel æstimatio hominis. Hinc *Wergilda*, solutio *Weræ*. Germani enim vett. & Aquilonares gentes, qui jugum pariter & leges omni Europæ imposuere, gravissima delicta, ipsaque homicidia pecuniis commutabant, Tac. *de Germ.* Idem obtinuit apud Cimbros & Danos, usque ad Christianum III. Crantz. *de bello Dithmars l.* 1. Apud Angl. &c. Uno namque infelici casu duos de medio tolli non ferebant. Unde omnes hominum classes, ab ipso Rege usq; ad mancipium inclusivè æstimatæ, peremtique pretium familiæ ejus persolutum est. Hujus instituti occas. quidam volunt esse locum Exod. 21. 29. & 30. *Wergildorum* tamen cumulo exempta fuere, quæ quis in Principem, Remp. vel civitatem machinatus esset: LL. Bojorum *tit.* 1. *cap.* 7. & *tit.* 2. *cap.* 1. §. 2. & 3. ut & alia quædam apud Anglos crimina: de quibus vide Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.*

Werda, ins. Rheni, infra Coloniam Agrippinam, aliàs S. Suitberti Insula seu SS. Werda: nunc Cæsaris Ins. *Keisers-Werd*, clara oppido & monasterio, quod nunc pro Monachis Canonicos, ac etiamnum Suidberti Patroni sui & conditoris reliquias habet. Item ad flumen Ruram in pago Ripariorum Coloniensique diœcesi, vet. Monasterio à Liudgero structo illustris. Est autem *Werd* vel *Wert*, vox Germ. quæ locum denotat aquis undiq; circumfusum, & Insulæ similem. Hadr. Vales. *Notit. Gall.*

Werenfelsius Joh. Jacobus, Ecclesiastes Basiliensis, Theologus insignis: Scripsit *in Ecclesiasten*, *in Apocalypsin*, quod posterius adhuc ἀνέκδοτον, aliaque: Joh. Wollebii Antistitis Basil. vitam & obitum Heroico carmine prosecutus est. Obiit, illustre constantiæ, in morbis ærumnisque vitæ hujus gravissimis, exemplar, An. Ch. 1655. æt. 53.

Werenfelsius Petrus, prioris fil. natus An. Ch. 1627. Theologus Basiliensis celeberrimus. Post Evangelium foris domique, magno successu, prædicatum, Lucæ Gernleri Antistitis, An. Chr. 1675. piè defuncti, successor, voce, vitâ, scriptis Ecclesiam Dei, & Academiam patriam, indefesso studio, juvat. Parentis postuma quædam edidit, & locupletavit: ipse quotidie sacris dissertationibus, *de Collatione* inprimis *Adami primi cum secundo*, prælum fatigat.

Doctrina, eloquium, pietas, sensusq; modestus,
Cum cauta, in corde hoc, dexteritate sedent.

Wernerus, Com. Grœningensis, fil. Conradi, qui Alberto Comite Wirtenbergico & Lœwenstenio natus, Ulrici Beutelspacensis filiâ Werntrude ductâ, hæres ejus fuit: habetque etiamnum traditio, ab Henrico IV. Imp. Conradum hunc Wirtenbergiæ Comitem creatum esse. Eo itaque, præter Henricum & U[illegible] Comites Wirtenbergicos ac Dominos Beutelspacenses, ge[illegible] *Wernerus* Comites Grœningenses, Landavienses, ac W[illegible]tenses sevit; sed Hartmanni, ab Eberhardo Illustri Com. Wirtenbergico, cujus tutelam minus fideliter gesserat, capti filii Conradus, Eberhardus & Ludovicus, titulum Grœningensem omittere sunt coacti. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist.*

Wernerus, nomen aliquot Comit. Schirensium, unde Seren. familiæ Palatinæ origo: Item Comitum quorundam Homburgiorum, in agro Rautico. Vide *Homburgum*.

Wernerus Staufacherus, Vide *Staufacherus*.

Werthemium, opp. Palatinatus, caput Com. cognominis, sub propriis olim Comitibus, quorum ultimo Michaële An. Ch. 1556. extincto, Comitatus transiit ad Ludovicum, è familia Comitum Leonsteniorum: de cujus ob ditionem Werthemiam bello, contra Julium Episc. Herbipolensem; Vide Thuan. *lib.* 138. *pag.* 1251. Obiit Ludovicus An. Ch. 1611. Pater Christophori Ludovici, qui Wirnenburgios, & Joh. Theodorici, qui Rupifortios sevit: de quibus accuratè agit Phil. Jac. Spenerus, *in appendic: fam. Palatina.*

Wesalia, civitas Clivensis, ad cujus mœnia amnis Lupia Rheno fluv. conjungitur. Vide *Vesalia*.

Wesselus Johannes, Groninganus, Concionator Wormatiensis, damnatur ab Inquisitoribus hæreseos Moguntiæ, quòd de Indulgentiis, Jejunio, aliisq; quædam à communi sententia aliena docuisset, An. Ch. 1479.

Westfrisia, Alberto Saxoni à Maximiliano I. concessa est, An. Ch. 1498. Vide *Frisia Occidentalis*.

Westmonasterium, q. Occidentale Monasterium, pars urbis Londini, prisca Angliæ Regum sedes, ante D. Eduardi Conf[illegible] tempestatem: Beati Petri nomine insignitum fuit, sed quod [illegible] pœnitentiæ voto Rex (quod exemplaris verbum est) suscepit [illegible]liorandum. Opere proin egregiè navato; Nicolaus Papa [illegible]dida adjecit privilegia, inter cætera, *ut amplius in perpetuum* [illegible] *gia Constitutionis locus sit, atq; Depositorium regalium* [illegible] *in Epist. ejus ad Drv. Eduard. Concil. tom.* 3. *B. f.* 1128. *&c.* V. [illegible]mannum *Gloss. Archaeol.*

Westphalia, regio est ampla Germaniæ, quæ unum ex decem circulis Imperii constituit, inter Saxoniam inferiorem ad Ortum & Belgium ad Occasum; Sic dicta, quòd Saxonibus Occidentalis est: Equus enim, quem *Phalen*, seu *Falen* antiqui Saxones dicebant, horum insigne erat. In ea sunt regione Episcopatus seu ditiones Monasteriensis, *Evesché de Munster*, Gall. *Stifft Münster* German. Paderbornensis, *de Paderborn*, Osnabrucensis, *d'Osnabruk*, & Mindensis, *de Minden*: Comitatus Oldenburgensis, *le Comté d'Oldenbourg*, Frisiæ Orientalis, *de la Frise orientale*, & Marchiæ, *le Comté de la Marck*, Westphaliæ propriæ Ducatus, *le Duché de Westphalie*, Comitatus Hoyensis, *Comtez de Hoye*, Diepholtensis, *de Diephols*, Ravensbergensis, *de Ravensberg*, Lemgoviensis, *de Lemgovv*, Lingensis, *de Lingen*, Luppiæ, *de Lippe*, Benthemensis, *de Benthem*, & Schaumbergensis, *Scaumberg*. Dicitur *Westphalen* incolis, *Westphalie* Gallis. Terminatur à Septentrione mari Germanico; ab Oriente Ducatibus Bremensi, Ferdensi, Luneburgico, & Brunsvicensi; ab Occidente Belgii uniti provinciis, & à Meridie Ducatibus Clivensi, Veteraviâ, Valdecensi Comitatu, & Landgraviatu Hasso-Cassellano. Torius regionis caput est Monasterium, *Munster*. Sed Ducatus Clivensis, Montensis, Juliacensis, & ditio Episcopi Leodiensis non censentur propriè in Westphalia, quanquam pares sint *Circuli Westphalici* dicti. Ejus Topographiam exhibet Merianus: De *Westphalorum*, seu antiquorum Saxonum situ, moribus &c. scripsit Wernerus Rollfincius. Vide quoque Adelarii Erichii *Gülchische Chronicke lib. 7. ad an.* 1610. Teschenmacheri *Annales Cliviæ*, Hamelmanni *Chronicon Oldenburgense &c.*

Westphalia propriæ Ducatus, *le Duché de Westphalie*, pars est Westphaliæ larè sumptæ, sub dominio Electoris Coloniensis, inter Comitarus Valdecensem ad Ortum & Marchiæ ad Occasum, atq; inter ditiones Monasteriensem & Paderbornensem ad Boream, & Veteraviam ad Meridiem. Ibi Arensberga oppidum primarium, cum aliquot aliis minoribus.

Westphaliæ urbes præcipuæ.

Arensberga, *Arensberg.*	Oldemburgum, *Oldembourg.*
Embda, *Embden.*	Osnabrucum, *Osnabruck.*
Minda, *Minden.*	Paderborna, *Paderborn.*
Monasterium, *Munster*, regionis caput.	Susatum, *Soest.*
	Tremonia, *Dortmund.*

Westrogothia, vulgò *Westrogothland*, pars Occ. Gothiæ, in Sueciâ: sub qua provv. Dalia, Vermelandia, & *Westrogothia propria*, quæ inter Venerum lacum est ad Bor. Ostrogothiam ad Ort. Smalandiam ad Mer. & Hollandiam, Præfecturamque Bahusianam ad Occ. Habet urbes præc. Gotheburgum, Scaram, Lidcopiam & Falcopiam. Vide & *Visigothi*.

Westsaxones, pop. Angliæ, è Germanis oriundi, Vvestsaxoniam seu Saxoniam Occ. tractum latè maritimum Cornubiamque, incolentes. Sub horum ditionem coeuntibus Cantianis, & reliquis Saxonibus, horum lege, vixerunt. Primus autem, post Ethelberrum Cantii Regem, Inas Saxonum Occ. Rex, circa An. Chr. 712. leges suis dedit. Successit Merciorum Legislator Offa, An. Ch. 758. Inde pius, inclytus, felix, Alvredus Rex item Occiduorum Saxonum, trium priorum legibus recognitis, quidquid dignum, in suas transcripsit, & Anglis omnibus imposuit, Regnum ordinavit, literas & scientias omnes penè extinctas suscitavit, &c. Post eum suas promsere leges Eduardus sen. Ærhelstanus, Edmundus, Edgarus, Ethelredus, Saxones: & Canutus Danus. Eduardus dein Confessor, triplice justitiæ lance sublatâ, Anglos, Danos & Mercios uno jure uti voluit. Vide *Saxones Occidentales*.

Weshinum, opp. Saxoniæ à Witikindo jun. cum Witteberga, conditum: Comites habuit ex ejus posteritate, qui paulò post defecerunt. Vide Phil. Jac. Spenerum *in fam. Saxonica*.

Wetstenius Johannes Rodolfus, Theologus & Philologus Basiliensis celeberrimus. Natus An. Ch. 1614. patre itidem Joh. Rodolpho, Consule Reip. Basil. gravissimo, (qui ob res pro Patriâ Helvetiaque tota passim, inprimis in pacificatione Osnabrugo-Monasteriensi Ann. Ch. 1649. & paulo pòst, in aula Cæsarea, præclarissimè gestas *Vindicis libertatis Helveticæ* elogium emeruit) Professionem Græcam juvenis admodum Ann. Chr. 1637. nactus est; quam Spartam ut felicius exornaret, non contentus multijugæ eruditionis suæ conscientiâ, quidquid ubique Eruditorum est Virorum, adire statuit. Itaque post iter in Galliam, Angliam, Belgium & Germaniam pro votis susceptum & commercium cum Musageris totius Europæ præstantissimis stabilitum, in Patriam redux, Proceribus eum se præbuit, ut An. Ch. 1643. quidem Organi Aristotelici: An. verò 1654. Locorum Communium & Controversiarum Theologicarum Professio ei crederetur; quam mox An. Ch. 1655. Novi Testamenti provincia excepit, in quâ, magno cum successu, hactenus pervigil versatur. Pater est egregiæ & numerosæ prolis, in qua eminet maximus natu Filius cognom. natus An. Ch. 1647. Philologus Latinus Græcusque insignis, Professor Oratoriæ lectus An. Chr. 1673. magni Patris ad unguem familiam, commercioque itidem, cum præcipuis literari Orbis luminibus, post peregrinationem paternæ æmulam; inclytus. Ejus prodiere *Origenis Dialogus contra Marcionitas cum Exhortatione ad Martyrium, & Responso ad Africani Epistolam, de Historia Susannæ*: Quæ primùm è MSS. Codicibus Græcè edidit, versiones partim correxit, partim novas adjecit; additis *Notis*, *Indicibus*, *Lectionibus variantibus & Conjecturis*, *An. Ch.* 1673. Basileæ. Idem Venerandum Canonum Conciliorum in Anglia Editorem, *Zonaræ & Balsamonis Commentariis, in Canones Conciliorum, cum Amerbachiano Codice Acad. Basil. MS. summo labore industriaq; conferendo*, plurimum juvit: ut ex præfatione operi Anglicano præfixa luculenter patet; Plura sequens cùm Deo dabit ætas.

Ingenio, zelo, meritis, pietate, fideq;,
Natus ut est Patris, sic Pater instar Avi est.

Wetterburgum, arx Comit. Valdecc. inter Tuvistam & Haram fluv. Metel.

Wettinga, vulgò *Wettingen*, vicus Helvetiæ, haud procul Badâ seu Thermis Helveticis, quem Henricus cognom. *Wandelar* ob varias peregrinationes in Or. susceptas, Comes Rapertivillanus, cùm ab Hartmanno, Com. Dilingano, cujus patrimonium erat, emisset 660. argent. marcis, ibi Monasterium celebre ædificavit, cui, quidquid in Uranios juris habebat, contulit, Ann. Chr. 1241. quod postea Abbas & conventus *Wettingensis* communitati Uraniorum vendidere. Sequitur hoc Cœnobium institutum Ordinis Cistertiensis, dicitur que Monaster. *Maris stellæ*: plurima passum bello primo Austriaco, sec. 14. Vide Joh. Henr. Hottingerum *Speculo Tigur.* Paruit Comitibus *Wettingensibus* Isena quoque, Suevıæ opp. hodie liberum, Vide *Isena* & *Vettinga*.

Wetzlaria, civitas Imp. cujus præfectura Hassiæ Landgraviis à Cæsare collata est. Vide Limnæum Enucl. *lib. 4. cap. 6.*

Wiesa, fluv. agri Basiliensis, cujus rivo bifido deducto irrigatur Basilea minor, aquis per omnes plateas, usui simul & ornatui, derivatis: profluit ex sylva Hercinia, piscationique inprimis, molendinis & lignis devehendis aptissimus est. Vide Christ. Urstisium *Epit. Hist. Basil.* Vulgò *Wiesen*.

Wila, urbec. Duc. Wirtembergensis, sed libera & sui juris, ad Vurmum rivum, olim villa, unde ei nomen, à Friderico II. Imper. jure civitatis donata est. 3. mill. Germ. à Tubinga in Bor. Spiram versus, 2. à Stuigardia in Occ. *Weill* vulgò.

Wildunga, urbs Comit. Waldecc. ubi fodinæ metallicæ, è quibus auri, æris, ferriq; magna vis eruitur; & fontes acidi. Metel.

Principes Varii.

Ex Fam. Austriaca.

Wilhelmus, cognom. *Ambitiosus*, fil. Leopoldi cognom. *Probi*, Archiducis Austriæ, & lineæ Tirolensis conditoris, Tripolim obsidione Turcicâ liberavit, cæterùm frustra quæsito Hedvigis Polonicæ conjugio infelix. Vixit sub finem sec. 14.

Ex Fam. Bavarica.

Wilhelmus, fil. Ludovici Bav. Imp. ex Margareta Hollandica, Hollandiam cum Comitatibus junctis nactus est: in matrem impiùs, & civilium bellorum causa, mente motus, tandem improlis obiit An. Chr. 1378. Successit frater Albertus, cujus filii fuere *Wilhelmus* & Johannes Episc. Leodiensis; contra quem Jacoba, Wilhelmi filia, incontinentiâ suâ famosa, Comitatus sibi vindicavit: donec hæres omnium domus Burgundica, ob uxorem Johannis Burgundiæ Ducis Margaretam, filiam Alberti Ducis Bavariæ, Wilhelmi & Johannis sororem, etiam has ditiones ad se traxit. Vide in voce *Guilelmus, inter Hollandiæ Comites*.

Wilhelmus, filius minor natu Johannis, Bavariæ Ducis, qui Monachiensem lineam hodieque superstitem condidit: Fratri Ernesto junctus grave cum Ludovico Barbato Ingolstadiensi bellum gessit: Basiliensis dein Concilii defensor, obiit improlis, sec. 15.

Wilhelmus I. fil. major natu Alberti Sapientis, nepos Ernesti prædicti, ex filio Alberto Pio, patri successit. Ad Electoralem dignitatem, Palatinis extorquendam, sæpius aspiravit, inprimis An. Ch. 1524. Inde defuncto Ludovico Pacifico Electoratum sibi deberi arbitratus, indignè tulit, cùm post bellum Smalcaldicum Fridericus El. in gratiam ab Imperatore reciperetur, ipse Septemviratus ejus potiundi spe credirus sequi Cæsareas partes: Idem cum fratre Ludovico acerrimus Lutheri hostis, Austriacæ quoque potentiæ non obscurè invidebat, Imperio etiam & regno Hungariæ imminens: Unde, cùm Ferdinandus Rom. R. electus est, Bavari æquè ac Saxo & Protestantes nonnulli, pro libertate Germanica tuenda, clam fœdus iniere cum Francisco Galliæ R. qui 100000. aur. in usus bellicos, si quid repentini accidisset, apud illos deposuit. Ambo quoque singularem religionis Pontif. curam præ se rulere, fœderis sancti An. Chr. 1538. Norimbergæ percussi primarii Duces. In Colloq. quoque Ratisbonensi, An. Chr. 1541. cùm à Friderico C. Pal. consilia conciliationis proponerentur, mortem potius se obituros dixere, quàm ut vel latum unguem de inveterata Religione & consuetudine remitterent: quod credebantur fecisse stabiliendæ suæ apud Ecclesiasticos auctoritatis, & ne ex compositione ad Palatinum, ac Austriacos gloria redundaret. Nihilominus in bello Smalcaldico à fœderatis solicitatus Wilhelmus, illis ambiguè quidem respondit, sic tamen ut eorum hostis haberi nollet. Pater fuit Alberti V. qui, Jesuitis licèt addictissimus, tamen suis An. Ch. 1556. ad tempus indulsit, exemplo soceri Ferdinandi I. Imp. ut cœnâ Domini integrâ uterentur & carnibus, etiam diebus vetitis, urgente necessitate, vescerentur: postea

ftea quoque in Calicis negotio An. Chr. 1564. ad Pontificem fcripfit, Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hiftor.*

Wilhelmus II. fil. Alberti V. præfati, Patri in regimine fucceffit: Ab illo *Wilhelmina linea* nomen, quo Ferdinandi fratris ejus, ex imparibus nuptiis fufcepti, liberi excluduntur. Literis excultus, Jefuitisque deditiffimus fuit. Fratri Ernefto Colonienfem Electoratum adituro auxilia mifit, An. Chr. 1583. Tandem Maximiliano fil. regimine tradito, ipfe Monafterium ingreffus, obiit Ann. Chr. 1624. in Mon. Carthufiano, prope Ratisbonam. Pater 4. filiorum, è quibus Maximilianus, modò dictus, Electoralis: Albertus verò Albertinæ, linearum auctores extitere. Nati hoc, Maximilianus Henricus Arch. Colonienfis, & Albertus Sigifmundus Epifc. Frifingenfis, Idem.

Ex Familia Saxonica.

Wilhelmus, Landgravius Thuringiæ, fil. Friderici I. Saxoniæ Electoris, cum fratre Friderico Placido El. ob alterius fratris Henrici occifi hæreditatem bellum gefiit, fed ubi fratrem in necem ipfius non confenfiffe intellexit, pietate ejus motus pacem fecit. Ob uxorem Annam, filiam Alberti II. Imperat. Lucenburgenfem Ducatum fibi vindicavit, fed pulfo duce Ernefto C. Gleichio An. Chr. 1443. à Philippo Bono D. Burgundiæ, quem Elifabetha Lucenburgica, dicta Gœrlicenfis, Manburnum feu protectorem fumferat, exclufus: cum iterum An. Ch. 1453. Fortunam tentaffet, captâ Theodonis villâ, à Burgundo per Crojum alterâ vice ejectus eft. Itaque cùm fratris Ladiflai Hung. & Boh. R. hæreditate novum jus accepiffet Anna, An. Ch. 1459. Carolo VII. Gall. R. Wilhelmus Ducatum 50000. fcut. vendidit: cujus fucceffor Ludovicus XI. cùm in gratiam Burgundi jure fuo ceffiffet, Wilhelmus cum conjuge An. C. 1462. id pretio eidem Philippo addixere, acceptis 120000. ducatis. A quibufdam quoque ob uxorem Bohemiæ Rex deftinatus, Georgio Podiebradio dein electo, Silefiam obtinuit, quæ tamen poftea quoque huic acceffit. Obiit improlis.

Joh. *Wilhelmus*, fil. minor natu Joh. Friderici El. Vinarienfis lineæ conditor. Bello Smalcaldico, à Patre, ut domi res curaret, relictus, Fribergam ad conventum Mauritianorum mifit, ut contra Ferdinandum Imper. arma jungeret. Inde à Patre, mortuo Mauritio El. in Belgium ad Cæfarem miffus, Electoratum ipfius nomine petiit: An. 1550. Cui cùm operam fuam obtuliffet, nec reciperetur, Galliæ fe Regi addixit, copiasque duxit contra Hifpanos. Dein cum fratre majori Joh. Friderico II. ei controverfia fuit, Friderici III. El. Pal. interventu fopita: Verùm non longe pôft An. Ch. 1567. ei Fratris fubditi univerfi, ob Grumbachium ab hoc receptum, addicti funt, ac ipfe unà cum Augufto El. Gothanam obfidionem urfit: pro arce *Grimmenftein* fruftra deprecatus. Eodem anno cum Carolo M. Badenfi delectus pro Rege Galliæ egit: Seq. verò ipfius & El. Augufti auctoritate colloq. Altenburgicum, inter Thuringicos & Mifnicos Theologos, celebratum ac in 5. menfes protractum eft, donec hi confeffionem Electori minus acceptam Difputationi finiendæ mitterent: unde invectivarum & inter ipfos Principes odiorum femina Obiit An. Ch. 1573. per fil. Fridericum Wilhelmum, Aldenburgicæ & Johannem Vinarienfis linearum auctor. Vide quoque *Guilielmus.*

Fridericus *Wilhelmus*, fil. prioris, in divifione, Aldenburgicam ditionem nactus eft: dein cum Joh. Brandeburgico admotus tutelæ Chriftiani II. adminiftravit Electoratum, in Reformatos, Doctoribus dimiffis & Cancellario Nic. Crellio capite plexo, acer. Obiit An. Ch. 1602. Pater inter alios, ex Anna Maria Palatina, Johannis *Wilhelmi*, Saxonicarum Electoralium in Silefia copiarum Ducis, & Friderici *Wilhelmi*, qui fratrum minimus, fed eorundem, ut & poftea Joh. Ernefti patruelis ex parte hæres, aufpiciis Electoris agnati, in Lufatia An. Chr. 1634. exercitum duxit: Pater itidem Friderici *Wilhelmi*, ex Magdalena Sibylla agnata.

Ex Fam. Brandeburgica.

Chriftianus *Wilhelmus*, fil Joachimi Friderici, El. Brandeburg. poft patrem An. Chr. 1598. Adminiftrator Magdeburgenfis factus: Sed quòd bello Danico arma contra Cæfarem geffiffet, profcriptus eft Ann. Chr. 1628. & à fuis defertus. Itaque ad Regem Sueciæ An. Ch. 1630. profectus, ejus ope imploratâ, Magdeburgum rediit: fed feq. anno in hujus expugnatione glande plumbeâ finiftrum crus trajectus, in poteftatem Pappenhemii venit: & An. Ch. 1632. in captivitate Latinos ritus induit, fuo nomine *Speculum Veritatis*, cui Brochmannus & Melch. Nicolai fe oppofuere, evulgari paffus. In pace dein Pragenfi An. Chr. 1635. ab Augufto Saxone Arch. Magdeb. annua 12000. Imperialium Cæfar ei pactus eft: quorum loco in Monafterienfi An. Ch. 1649. cœnobium & præfectura Zina & Loburg funt fubftituta. Obiit haud pridem, nullâ mafculâ prole ex triplici matrimonio fufceptâ.

Georgius *Wilhelmus*, prioris ex fratre Joh. Sigifmundo nepos, in Ducatum Juliacenfem à patre Adminiftrator miffus, An Chr. 1613 ab eodem vivo Electoratum accepit, An. Chr. 1619. Inveftituram Boruffiacam à Polonis obtinuit, An. Ch. 1621. In tranflationem Electoratus ad Bavarum, ægrè tandem confenfit An. Ch. 1627. Edicto reftitutionis, Epifcopatus Brandeburg. Havelbergenfem & Lebufienfem à fe repeti paffus eft, An. Ch. 1628. Induciis inter Suecos & Polonos initis, Mariæburgum, Stumam & *Haupt*, fequefter accepit, An. Ch. 1629. quæ reftituit, An. Ch. 1635. Ad partes Suecicas, vi ante Berolinum oftentatâ, à Rege traductus: paulo ante Lipfienfe prælium copias fuas cum Saxonicis Suecico exercitui jungi permittens, ad fua digreffus eft. Pace Pragenfi An. Chr. 1635. probatâ, Pomeranicam inveftituram accepit. Obiit An. Ch. 1640. Pater fil. unici Friderici *Wilhelmi.*

Fridericus *Wilhelmus*, fil. prioris, natus eft An. Ch. 1620. Princeps fortitudine, clementiâ, Religionis zelo, rerum geftarum gloriâ inclytus: Patri fucceffit An. Chr. 1640. Pro ceffione cit. Pomeraniæ, præter ulteriorem, & Epifcopatum Caminenfem, pro fe & agnatis fuis, accepit Epifcopatum Halberftadienfem, cum feudis Honfteinis: Mindenfem item, ac Archiepifcopatus Magdeburgici, poft Adminiftratorem Auguftum, expectantiam. Fœdere cum Polonis An. Ch. 1656. inito, fupremum in Boruffiam jus fibi pactus eft: Ab his dein irritatus, Suecico exercitui fuum junxit, victoriæ apud Warzoviam obtentæ præcipuus auctor. Sed Polonis reconciliatus, fœdus adverfus Suecos tot Septentrioni imminentes percuffit, caput militiæ illius dictus, An. Chr. 1658. donec ad Olivam pax coaluit Ann. Chr. 1662. Hodie pro libertate Imperii egregie rem gerit, Suecis non femel acie victis, & Pomeraniæ maxima parte exutis. Pater eft ex Luifa Henrica Araufionenfi Caroli Æmilii, in Alfaticâ expeditione A.C. 1674. Argentorati mortui, & Friderici: in fecundo quoque conjugio fœcundus.

Wilhelmus, fil. Friderici, qui, frater Johannis Magni Electoris, in Franconia ditiones obtinuit, & poft mortem alterius fratris Sigifmundi Voitlandiam quoq; nactus eft: Archiepifcopus Rigenfis eft factus, An. Ch. 1534. In bello Smalcaldico, à Cæfare fletit. Captus An. Chr. 1555. à *Wilhelmo* Furftenbergio M. Mag. Ordinis Livonici, biennio poft liberatus eft à Sigifmundo Pol. R. cui cum reliquis in Livonia fe ab Imperio difcedens fubmifit, An. C. 1561. Vide Thuan. *lib.* 21. *&* 28. *Hiftor.*

Ex Fam. Guelfica.

Wilhelmus, fil. Henrici Leonis Ducis Bavariæ & Saxoniæ longe potentiffimi, frater Henrici Comitis Palatini, & Ottonis IV. Ancicæfaris, fine prole extinctorum, ftemma propagavit, genito Ottone V. qui à Friderico II. Imper. cujus præfidium Brunfuico ejecerat, Dux Brunfuici & Luneburgi creatus eft, An. Chr. 1235. cum conventione initâ cum Afcaniis, Saxoniæ omififfet titulum. Ejus fini duarum linearum fatores fuere, Johannes Lunæburgicæ & Albertus Brunfuicenfis, quarum illa in Johannis nepote *Wilhelmo* extincta eft, Vide *infrà.*

Wilhelmus, Dux Lunæburgicus, fil. Johannis præfati, cùm filias tantum Elifabetham Ottoni Saxoniæ infer. D. & Mathildem Ludovico agnato nuptas relinqueret, hæredem initio fcripfit nepotem Albertum D. Saxoniæ, An. Ch. 1355. confirmante id Carolo IV. Imper. Dein, mutatâ voluntate alterum generum Ludovicum Brunfuicenfem, ejusque fratrem Magnum inftituit, unde bellum ortum, quod tandem in nuptias filiorum Magni cum filiabus Wenceslai Saxonis defiit.

Wilhelmus, Dux Luneburgicus, fil. Ottonis jun. quem Otto, Harburgiorum fator, ex nobili Metta de Campen fufcepit, lineam Cæfare contra agnatos tutante: Initio cum fratre Chriftophoro, dein folus regimen geffit; Linguarum & Theologiæ apprime peritus fuit, unde aliqua ejus manufcripta adhuc fuperfunt. Fratribus præmortuis, ultimus lineam terminavit, An. Ch. 1642.

Wilhelmus, fil. tertius Ernefti D. Lunæburgici, extincti an. C. 1546. in divifione Cellenfem Ducatum nactus eft: cui Ann. Chr. 1582. Hojenfem, & Ann. Chr. 1585. Diepholtenfem Comitatus junxit. Obiit An. Chr. 1592. Pater ex Dorothea Danica numerofæ prolis: e qua, præter filias, fuperfuere Patri feptem filii, quos cum patruo Henricus Julius fucceffione Grubenhagiâ exclufit, unde utriusque lineæ Brunfuicenfis & Luneburgicæ controverfia. Cum fratribus reliquis ex pacto cœlibibus, fil. Wilhelmi Georgius, rebus geftis celebris, folus uxorem duxiffet, Annam Eleonoram Haffiacam, fufcepit ex illa Chriftianum Ludovicum, infer. Circuli Saxonici Ducem, Georgium *Wilhelmum*, cui Hannoverana feu Calenbergia portio relicta eft: Joh. Fridericum Ofnabrugæ Coadjutorem, & Ern. Auguftum, Epifcopum Ofnabrugenfem ac ex Sophia Palatina familiæ propagatorem.

Wilhelmus, fil. Henrici Magni, Ducis Brunfuicenfis, à feptem victoriis *Victoriofus*, aliàs *Gottskuhe* cognominatus eft. Ottonis Gœttingenfis, cujus tutor fuerat, ditiones initio pignoris loco, inde eo mortuo, fucceffione hæreditariâ ex parte obtinuit. Deceffit nonagenarius An. Ch. 1482. Pater *Wilhelmi*, cui Gœttinga, & Friderici, cui Hannovera obtigerunt: quorum ille Henricum Malum, Guelferbytanæ, & Ericum Gœttingenfis feu Calembergicæ, linearum auctores genuit.

Wilhelmus, fil. Henrici Mali, modò dicti, Commendator Teutonicus, ab Henrico fratre, cùm ei in prælio Lunæburgico vitam fervaffet, vix ab Hildeshemio Epifcopo dimiffus, diuturno carcere vexatus & ut patrimonio acceptis 2000. aur. an. & jure primogenituræ probato renuntiaret, coactus eft. Sec. præt. Vide Spenerum *Syll. Geneal. Hift.*

Ex Familia Badenfi.

Wilhelmus, fil. Edoardi Fortunati, Marchionis Badenfis, ex Maria filia Jodoci ab Eicken Domini de Riviere, Bredæ guberna-

toris,

toris, cujus majores Ducibus Brabantinis inservierant, natus est An. Chr. 1593. Cui cùm ab altera linea Durlacensi nempe, gravis ob matrem mota esset controversia, tandem An. Chr. 1612. in aulico Cæsareo judicio, pro Wilhelmo sententia lata jussique sunt agnati ei super. Marchionatum, cum litis expensis restituere: sed inter partes dein Eslingæ An. Chr. 1629. transactio instituta est. Bello Suecico à Cæsare fuit, Hispanis dein in Belgio servivit, agnatis pace Monasteriensi quædam restituere jussus & linearum altercatio sancita est, An. Chr. 1648. Obiit, Judex Cameræ Spirensis, haud pridem: Pater inter alios Leopoldi *Wilhelmi*, & Ferdinandi Maximiliani successoris: qui ex Luisa Christiana, Sabauda, genuit An. Chr. 1655. filium Ludovicum *Wilhelmum*. Habuit quoq; Wilhelmus fratrem Hermannum, cui Rodemachera obtigit, patrem Caroli *Wilhelmi* Eugenii.

Ex familia Hassiaca.

Wilhelmus Senior, filius Ludovici Pii, Principis Cassellani, in Palæstinam profectus, & in reditu ab Innocentio Pontifice Romæ honestè habitus est. Debilitatis dein, ob philtrum in Italia propinatum, animi viribus, regimini ineptus, fratri *Wilhelmo* medio An. Chr. 1493. cessit: qui, in aula Wirtembergica educatus, inde à Maximiliano I. Imper. in Flandria eques creatus, ejusdem auspiciis An. Chr. 1490. in expugnatione Belgradi fortissimè se gessit, Palatinis bello Bavarico, multa ademit, e quibus *Bickebach*, & *Zwingenberg*, de quo dein transactio facta, retinuit: post mortem patruelis *Wilhelmi* Junioris, de quo infrà, totius Hassiæ Princeps: Pater ex Anna Megapolitana Philippi Magnanimi.

Wilhelmus Junior, cognomine *Dives*, filius Henrici, qui Ludovici prædicti frater, Marpurgum obtinuerat, sub patrui Hermanni, Archiepiscopi Coloniensis tutela adolevit. Eppstenii dominii partem emit, sed improlis ex Elizabetha Palatina, qui casu in venatione, cui nimium indulsit, An. Chr. 1500. extinctus est. Cùm sorores haberet, Mechtildem Johanni Duc. Cliviæ, & Elisabetham Johanni Com. Nassov. Dillenburgio nuptas, hæ Catimelibocensem Comitatum, quem avus à socero Comite, Anno Christi 1479. mortuo nactus erat, sibi deberi asserebant, sed successionem solus sibi vindicavit Wilhelmus medius, quòd Ann. Chr. 1487. conventu Erfordiano frater sororibus non nisi dotem 100000. aureorum pactus, cœterum successionem patrueli pollicitus esset. Cœteros in Serenissim. hac familia *Wilhelmos*, Vide in voce *Guilielmus.*

Principes, Comites, Viri clari.

Wilhelmus, filius Friderici, Principis Anhaltini, qui Hatzketoniam nactus est.

Wilhelmus, Princeps Arausionensis, Belgicæ libertatis, post Deum, auctor. Vide in vocibus *Arausio*, & *Guilielmus.*

Wilhelmus, Comes Palatinus Tubingæ, cum fratre Gœzzone majore natu, Tubingam vendidit, an oppigneravit, Ulrico Duci Wirtembergico An. Chr. 1342.

Wilhelmus Northmannorum Comes cum Francis Angliam intravit, regem Haraldum vicit, Anglos cecidit, superavit, sibi subjecit, quibus an. 26. imperavit, Paul. Æmil. *lib.* 3. Hinc Reges hodie ni Angl. Vide *Guilielmus.*

Wilhelmus Tellius, vide *Tellius.*

Wilhelmus, vide *Guilielmus.*

Wildbergium, oppidum Ducat. Wirtemberg. ad Nagoltam fluvium situm, Metel.

Willisovium, vetus Comitum, qui adhuc circa Ann. Chr. 1160. floruere, sedes, oppidul. est Helvetiæ, in Argovia. Ab Anglis vastatum est An. Chr. 1374. Postea Comitibus Valendisiis subfuit, imperante Wenceslao: Dissidio dein inter Comitem & Bernates circa An. Chr. 1386. orto, ab his occupatum & incensum: Tandem cum tractu, cujus caput est, in Lucernensium pervenit potestatem, qui è Senatu Præfectum oppido mittunt, cui proprium consilium est. Vide Stumpf. *de Argovia lib.* 7. *cap.* 27. Distat Brandisio 2. mill. Huttvillæ propius. Huc Friburgenses & Solodurii, cùm lites cum octo Pagis, aut aliquo illorum habent, si rei sunt, venire solent, causam disceptaturi: quemadmodum, si actores illi sint, Zofingam Judices conveniunt, Jos. Simlerus *descript. Helvet.* German. *Willisau.*

Wiltaburgum, opp. fuit Hollandiæ, seu illustre Pippini castellum, vulgò *Wiltenburg*, 2. à Trajecto leuc. Baudr. Valesius habet 3600. passus, ubi adhuc rudera ejus. Ibi sedes erat Episcop. antea Trajectensis, secundùm Bedam *Hist. lib.* 5. *cap.* 12. quod falsum esse ex prædictis patet, Trajectum enim sedes Episcopatus vetus, quod ille cum *Wiltaburgo*, confudit. Valef. *Not. Gall.*

Wimpina, vulgò *Wimpfen*, opp. Imperii, ad Nicrum, quasi *Weibespein*, à mulierum pœna, quam ab Hunnis perpessæ erant, nomen invenit: cujus rei memoria in Curia Wimpinensi hodieque extat. Hic Georgius Fridericus, Marchio Durlacensis, pro Palatina causa, cum Tillio & Cordubensi infeliciter conflixit, An. Chr. 1622. die 26. April. Vide Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 63.

Windsheimium, urbs Imper. Franconiæ, ad amnem Æstum *Aisch*, à Windegasto Pharamundi Reg. duce, qui illam condidit An. Chr. 425. sic dicta. A Sigismundo Imper. oppignorata, & à Friderico, urbis Noricæ præfecto, aliquandiu possessa est, verùm publicâ dein pecuniâ redempta jus recuperavit suum. Vide eundem *ibidem cap.* 64.

Winuli, populi German. qui & *Vinuli*, & *Longobardi*, Paul. Diaconus. Vide ibi.

Wirceburgum, vulgò *Würtzburg*, Franconiæ urbs, ubi post Germaniam à Martino IV. & Honorio V. avarè expilatam, convocatâ synodo, Legatus Pontificius de vita periclitatus, & Probus Episcop. Tullensis in Papas acerrimè est invectus, Ann. Chr. 1285. Lætus *Comp. Hist. Univ.* Vide *Herbipolis.*

Wirtemberga, vulgò *Wirtemberg*, castrum vetustum Sueviæ, in colle, prope Nicrum, & Eislingam Canstatumque oppid. Nomen dedit familiæ Procerum, postea Comitum, tandem Ducum. Horum origo communiter ad Francos refertur. Deductio certa ab Eberhardo I. marito Agnetis filiæ Bertholdi, Ducis Zeringensis, viduæ Egonis Com. de Aurach, circa An. Chr. 1240. Hujus filius Ulricus *cum magno pollice*, genuit Eberhardum γαςρόγνητον, cogn. *Illustrem*, seu *Rixosum*, qui bis adversus Rodolfum I. Imp. rebellis toties ab eo in gratiam receptus est. Postea cùm Henrico VII. Imper. iterum obsequium negaret, universâ ferè ditione exutus, & castrum *Wirtemberga* destructum est: sed restituit illum Ludovicus Imper. Obiit An. Chr. 1325. *Gottes Freünd, und aller Welt Feind.* Filius Ulricus, è Comitiis Metensibus An. Ch. 1339. redux, à Domino Vinstingensi, absque causa captus, & non nisi 100000. marcis argenti solutis dimissus est: Tubingam Ann. Chr. 1342. à Comitibus Palatinis Tubingæ sibi comparavit. A Carolo IV. Ulmæ, Heilbronnæ, Reutlingæ, Eslingæ & Wilæ advocatus constitutus, ab his de nimiis exactionibus conquestis, bello petitus, eorum copias fudit, An. Chr. 1372. sed Ann. Chr. 1377. ad Reutlingam, magnam partem nobilitatis amisit: iterum ad Wilam An. Chr. 1388. victus. Filius Eberhardus, cognom. *Mitis, Liberalis*, seu *Pacificus*, An. Chr. 1395. nobilitatis seditionem expertus est; ducatumque Teecensem obtinuit, ductâ Beatrice filii Friderici Ducis Teccensis ultimi & ultimæ Ducissæ Ursling ensis, Ann. Chr. 1417. Habebat hic Eberhardus in aula sua sex Principes, octo Comites, quinque Barones, & septuaginta Nobiles. Filius Eberhardus Jun. ex Henrica filia primogenita Henrici *de Montfaucon de Montpelgard*, Domini *d'Orbes*, qui Ann. Chr. 1397. ad Nicopolim, prælio contra Turcas, cecidit, Comitatum Montispelicardi, per varias diu familias hactenus vagum, domui acquisivit. Hujus filii Ludovicus, & Ulricus fuere, ille conditor Uracensis lineæ, quæ in Eberhardo Barbato filio extincta est, An. Chr. 1496. hic Stutgardianæ: pater Eberhardi Jun. & Henrici, cujus filii, Ulricus, lineam Ducalem primam, quæ in Ludovico Pio An. Chr. 1593. terminata est; Georgius verò Montispelicardensem, vel Ducalem secundam orsus est: quo natus Fridericus quinque filios suscepit, quorum duobus sine prole extinctis, Joh. Fridericus Stutgardianæ, Ludovicus Fridericus Monpelicardensis, & Julius Fridericus Apennagiatæ seu Julianæ linearum conditores extitere. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in fam. Wirtemb. in qua Duces Wirtemb. & Teccia, Com. Montispelg. & antiqui Domini Beutelspacenses, &c.*

Wirtembergensis Duc. regio ampla Sueviæ, cujus caput Stutgardia. Ei à castro nomen: Sub Duce proprio. Terminatur ab Or. & Merid. Sueviâ, à Sept. Palatinatu Rheni, ab Occid. Sylvâ nigrâ, & Marchion. Badensi. Ejus urbes præcip. Stutgardia, Tubinga, & Schorndorfia. De Theologorum hujus Ducatus Colloquio Epistolico cum Jeremia Patr. Constantinop. Vide in voce *Jeremias.*

Wiscardi, id est, Errones. Unde dracones volantes pyrio pulvere in spectaculum circumactos, *Wischardos* Iceni hodieq; dicunt: ut & omnes res maximè impetuosas & rapidas. Origo vocis à Roberto Wischardo, qui paucis ante accessum in Angliam Guilielmi Victoris annis, relictâ Normanniâ patriâ, Apuliam cum 15. tantùm militibus fortunæ sociis ingressus: brevi tot tantaq; belli velut miracula edidit, ut subjugatis Apulis, Calabris, Siculis, Afris, fusisque tandem Papâ, Venetis ipsoque Alexio Imper. latissimas sibi ditiones acquisiverit, terror mundi habitus. Impositum est autem ipsi hoc nominis per invidiam à Saracenis, quorum linguâ *Guiscard* erronem & per terras vagum significat. Vide Falcandum Siculum *Præfat. lib. de rebus in Sicil. gestis*, Henricum Spelmannum *Glossar. Archaol. &c.*

Wismaria, vulgò *Wismar*, urbs Hanseatica Germaniæ, in ducat. Megalopolitano, cum portu capaci, in ora maris Baltici, & arce recenti permunita, sub Suecis, pace Monaster. quibus illa à Daniæ Reg. erepta est, Ann. Chr. 1675. media ferè inter Rostochium ad Ort. ac Lubecam ad Occid. 7. utrinque mill. German. & 4. à Sverino in Boream. Crevit ex ruinis urbis Megalopolitanæ in viciniis: Sed ab Ann. 1266. urbis privilegia ei concessa fuere ab Henrico Duce Megalopolit. Ejus originem repetunt quidam, à Wismaro, rege Vandalorum, qui tempore Constantini Magni floruit, alii coloniam Gothorum, ex Wisbuja Gothlandiæ metropoli, eò deductam dicunt. Crantzius paulo ante An. Chr. 1240. à Gunzelino Comit. Svetinensi, sub Joh. Theologo, Duc. Megapolit. Henrici Burevini, conditoris Collegii Gustrov. filio, seu conditam, seu amplificatam, ex urbis Megalopolitanæ ruderibus affirmat. Anno Chr. 1262. fere tota incendio periit, postmodum lapidea surrexit. Hic Reformati Angliâ, sub Maria, ejecti, malè habiti sunt, Ann. Chr. 1554.

Wisnioviecium, vulgò *Wisniowwiek*, castrum Volbiniç super. seu Palatin. Luceoriensis, cum tit. Ducat. gentis Koributç, unde cognomen Michaëli, Polon. Reg. electo An. 1669. cujus familia à Corybuto Jagellonis fratre, qui in Baptismo Græci ritus nomen Demetrii sumpsit, orta est. Parens ei fuit Michaël Jeremias Dux *Wisnovecius*, avus Michaël Dux, qui durantibus Moldavico-Walachicis motibus An. Chr. 1614. Moldaviam ac Walachiam propriis viribus tutatus est. Inter Majores Demetrius fuit, circa An. Chr. 1500. qui cùm à Walachis deceptus & ad vincula Turcica abductus esset, jubente Selimo Imper. ex unco ferreo, lentç mortis in istis tractibus genere, suspensus legitur. In quo cùm vitam aliquandiu tolerasset, gratiam sibi fieri petiit, ut militari more datâ pharetrâ suâ cum manipulo sagittarum liceret perire. Quam cùm accepisset, intorsit, sagittisque emissis præcipuos Turcas exanimavit, unâ sagittâ ad cervicem repositâ. Quod cum Selimo nunciatum esset, ilico advenit, miratusque est in exhausto corpore adhuc tantum virium superesse. Sed ille sepositam sagittam mox pharetrç applicans, eam in Tyrannum direxit, viribus tamen jam vacillantibus: Quare telis ilico Heroem Selimus perimi præcepit. Stanislaus à Sternberg Temberski, *in Chronol. Palmitis Corybutei.* Situm est castrum ad Ikwam amnem, 4. leuc. à Zbarasio Podoliç opp. in Bor. Luceoriam versus 9.

Wissenburgius Wolphgangus, Theologiç Doctor, è primis unus, quorum operâ purior Religio Basileç refloruit, Oecolampadii fidelis ac constans Symmystes. In Nosocomio primum An. Chr. 1524. dein minoris urbis parochia, postremò apud S. Petrum, Christum fideliter docuit. Obiit Ann. Chr. 1575. ætat. 80. Vide Christ. Urstisium *Epit. Hist. Basil.*

Witelspachium, opp. Bavariç, ab Ottone III. Comit. Schirensi, filio Ottonis I. Comitis Schirensis & Bavarico palatio præfecti, è veter. Bavariç Ducibus oriundi, conditum, Schirensi arce in Monasterium conversâ: Hinc familiç postea titulus. Fuit hic Otto, pater Ottonis IV. avus Ottonis V. qui vexillifer Friderici Barbarossç, proscripto Henrico Leone An. Chr. 1180. 3. Id. Jul. Ducatum Bavariç nactus est, postliminiò reducem in hanc familiam. Auctor enim familiç Arnolfus quidam. An. Chr. 891. à Normannis cæsus perhibetur, pater Luitpoldi Bavariç Ducis, ab Ungaris An. Chr. 908. occisi. Cujus filius Arnolphus Dux, cùm Conrado I. vitrico, & Henrico Aucupi Impp. aliquoties rebellis, cum iis gravia gessisset bella, liberi ejus Ducatu exclusi sunt: e quibus Eberhardus vett. Austriacos Marchiones sevit, Arnolphus verò Comites Schirenses progenuit. Ex his Otto V. retro memoratus, cognom. *Magni* meruit, pater Ludovici, qui à Friderico II. Imper. Palatinatum consecutus est, cùm ejus filio cognom. *Illustri* Agnes, Henrici Saxonis filia, hæres Palatinatus nuptui daretur. Hinc Serenissimç Palatinç familiç origo. Ex familia Comitum *Witelspacensium* Otto VII. nepos ex fratre Ottonis V. ob cædem Philippi Imperatoris Ann. Chr. 1208. *Homicida* dictus, ex filio Gerhardo Wildgravios in *Kirburg*, & *Daun* prolevit, quorum ditiones ad Rheni Comites postea devolutæ sunt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in Fam. Palatina*, aliosque.

Witemberga, vulgò *Wittenberg*, caput Saxoniæ super. ad Albim, cum Academiâ, Lutheri concionibus notâ. *Vitarum mons* quibusdam. Munita est, sub Elect. Saxoniæ; 9. mill. Germ. à Lipsia in Bor. uti 5. infra Torgaviam, 14. à Dresda in Circ. Magdeburgum versus 12. circiter. Condita est à Witekindo jun. Academia verò, à Friderico III. Elect. Ernesto & Alberto fratribus An. Chr. 1501. erecta est, cui prædictum, illam cunctis aliis Germaniæ Academiis luce suâ caliginem offusuram. Surrexit ibi mox Martinus Lutherus, qui An. Chr. 1517. contra Tecelium Indulgentiarum Pontificiarum propolam 95. theses publicè defendit: mirabili somnio Friderico præcedente nocte Suidniciç de futuro præmonito. Post colloquium dein cum Eccio Lipsiç habitum, Wittenbergç jus Pontificium & Diplomata, publicè exussit, An. Ch. 1520. Sepultus ibidem est, An. Ch. 1526. Urbs dein cum Electoratu, Joh. Friderico Electori erepta, & in Mauritium translata est à Carolo V. An. Chr. 1546. Academia approbavit Confessionem Fratrum Bohemorum, quç Maximiliano II. oblata est An. Chr. 1575. Unà cum Lipsiensi Academia, dogma de Ubiquitate, post obitum Melanchthonis exortum, oppugnavit, unde lites delatæ ad Augustum Elect. Jacobi Andreç dira vox, *se sententiam Wittebergensem pro Alcorana & Mahometana habere:* Item, *à morte Lutheri in Wittenbergensi Academia non sonuisse veram, puram & sacram doctrinam, &c.* Carcer tandem & exilium Professorum, qui formulç Concordiç subscribere renuerunt, An. Chr. 1560. 1576. Etiam An. Chr. 1593. Urbanus Pierius Professor & Pastor Wittebergensis, quòd in placita à Selneccero & Leysero conscripta jurare nollet, post 36. hebdomadum custodiam, vix precibus Elisabethç Reginç à Friderico Wilhelmo liberorum impuberum Christiani El. donatus est, &c. Vide Lætum *Compend. Hist. Univ.*

Witherna, vide *Candida Casa*, & *Lucopibia*.

Saxoniæ Principes.

Witikindus I. filius Wernekini Saxonum Reg. cujus stirpem alqui à Sighardo, uno ex Hengisti posteritate, Saxonum Rege, auspicantur: bella patris, cum Albione patruele, contra Carolum M. continuavit, donec hi ambo potentiç majori cessere, ad obsequium & fidem adducti An. Chr. 785. Duravit autem bellum hoc Saxonicum Caroli M. 32. annos, ut in historia hujus Imperatoris legere est. Frater *Witikindi* Bruno nuncupatur, ex quo nonnulli Guelfos Comites Altorfii & Duces Bavariç, ex Guelfis autem Zollerio-Brandeburgicos: alii ex ipso Imperatores Saxonicos Ottones deducunt. Qui verò de Ottonum origine aliter sentiunt, constituunt *Witikindum* Wigberti, & *Witikindi* Jun. de quo videinfrà: Wigbertum autem Walperti & Brunonis, patrem. Hic Bruno illis Ottonum sator est, Walpertus verò Dux Angriæ & Comes Ringelhemii fuit: pater Theodorici, itidem Ringelhemii Comitis, qui per filium Immodum Sabaudorum, per *Witikindum* Ferrariensium, per Theodoricum Marchionum Brandeburgicorum ver. per Regimbertum autem Oldenburgiorum Comitum auctor fuisse perhibetur.

Witikindus II. cognom. Jun. filius Witikindi I. Wittebergam & Wethinum condidit; Soraborum, contra quos Carolo Magno militaverat, Burggravius fuit, & Dominus, de *Budsez*; Pater Dietgremi, & ut quidam volunt, *Witikindi III.* quorum ille pulsus Saxoniâ, ab agnato Ottone, Diethmarum & Fridericum genuit, Brandeburgicorum primorum Marchionum, aliquorum Misniæ ac Ostlandiæ Marchionum, & Mersburgiorum Comitum satorem. Diethmarus verò, quem ab Henrico Aucupe bonis restitutum quidam volunt, genuisse Theodoricum dicitur, patrem Dedonis II. quo nati Fridericus Comes Palatin. Saxoniæ, Theodoricus Marchio Landsbergensis, Thiemo, bellicus Dux Henrici IV. cujus filius Misniæ Marchio An. Chr. 1126. confirmatus est à Lothario Imper. & Otto Dives, stemmatis propagator. *Hujus* enim filius Theodoricus Henricum genuit Illustrem, qui An. Chr. 1249. Thuringiæ Landgraviatum sibi vindicavit, cumque eo Palatinatum Saxoniæ rursus in domum suam intulit. Pater Alberti, qui, filiis iratus, Adolpho Imperatori ditiones vendidit: sed & hic & Albertus ejus successor victi, ac Alberti filius Fridericus cognom. *Fortis*, vel *Admorsus*, ditiones postea quietè rexit, mortuus Ann. Chr. 1326. Ejus filio Friderico Severo inter alios natus Fridericus Strenuus Coburgensem Principatum familiæ intulit: pater Guilielmi Divitis, & Friderici Bellicosi, à quo novum domui axioma. Cùm enim Saxoniæ Ducatum Otto I. Imper. Hermanno Bilingio, præteritis agnatis, contulisset, ille extra *Witikindeam* stirpem in variis hucusque hæserat: Hermanni namque posteritate extinctâ in Magno, collatus hinc Lothario Supplinburgio, postea Imperatori: ab hoc autem concessus est genero Henrico Superbo, cujus filio Henrico Leone proscripto à Friderico Barbarossa, hic eum Bernardo Ascanio Alberti Ursi filio dedit, donec Albertus ultimus An. Chr. 1422. orbus decederet. Demum *An.* Ch. 1423. licèt variis dignitatem hanc ambientibus, Fridericus memoratus, ob operam adversus Bohemos, inprimis in Brixiensi prælio, navatam, ab Imper. Sigismundo investitus est, & Ducatus Electoratu auctus rediit ad *Witikindeos*, qui eam dignitatem ad hæc usque tempora illibatam conservarunt.

Witikindus III. juxta eorum, qui Capetinos Galliæ Reges à Saxonibus arcessunt, sententiam, filius *Witikindi II.* in Galliam profectus, per filium suum Robertum huic regno Reges dedisse dicitur.

Witikindus, filius Theodorici Ringelhemii Comitis, qui Witikindi I. ex Wigberto filio & Walperto nepote, pronepos fuit, Ferrariensium, (an Montferratensium, quos cum Cevæ, Savonæ, Salutiarum & Finalii Marchionibus, ex quodam Almaro Saxone natos narrant) auctor dicitur. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Histor.*

Witlam, seu *Witham*, oppidum fuit Batavorum, ad ostia Mosæ, à Normannis Anno Christi 835. conditum. An Brila hodie? Gemblac.

Witsantum, voce German. portus Britannicus, ab arenæ albedine dictus, seu potius Galliæ portus, Britanniæ adversus & proximus, unde in Britanniam insul. commodissimus trajectus est. Nunc *Witsan*, in quibusdam tabb. *Wisan.* Hunc portum Iccium ait Camdenus, eumque portum, è quo in Britanniam trajectus erat, pridem obstructum esse, ob idque, ut antea *Witsantum* Gesoriaco successerat, sic in *Witsanti* locum Calasium fuisse substitutum. In Comitatu Bononiæ ponit eum Reginaldus Comes Bononiæ, in literis suis An. Chr. 1200. datis, in Comitat. Gisnensi Guilielmus Abbas Andrensis *in Chronico Monast. sui*, ubi *Burgum Withsand* vocat. Prope hunc portum Rodolfus Gisnensium Comes, apud Stionas Monasterium olim construxit. Vide Hadrian. Valesium *Notit. Gall.*

Wittenstenium, oppid. Livoniæ, à Moscis expugnatum, & crudelissimè habitum, An. Chr. 1573. qui tamen mox à Suecis victi in regionem suam compulsi sunt. Vide Thuan. *Histor. &c.*

Wizlaus, vel *Witlavus.* Vide *Visilaus.*

Vulcani insula, quæ & *Hiera* & *Therasia* Plin. insula Siciliæ, una Æoliarum, ignes emittens. *Vulcano* Leandro, à Lipara 4. m. Ibi templum erat Vulcani, teste Strabone. Ejus meminit Virgilius *Æneid. lib.* 8.

Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Vulcanus, Junonis filius, Hesiod. *in Theog.*

Ἥρη δ' Ἥφαιστον κλυτὸν οὐ φιλότητι μιγεῖσα, &c.

Hunc

Hunc quidam voluerunt, subventaneo conceptu fuisse genitum sine patre, quem tamen Homer. è patre Jove Junoneque matre natum esse putavit. Fuerunt qui dixerint, Vulcanum Jovis fuisse filium, qui cum deformis natus esset, fertur à Jove in Insulam maris Ægæi Lemnum præcipitatus, ut ipse de seipso testatur, apud Homerum *Iliad. α.*

> Ἤδη γάρ με καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα
> Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν, ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
> Πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
> Κάππεσον ἐν Λήμνῳ, ὀλίγος δ' ἔτι θυμὸς ἐνῆεν.

Quòd autem diu fuerit in Lemno Vulcanus, ita scripsit Cicer. *lib. de Nat. Deor. Vulcani item complures: primus Cœlo natus, cujus in tutelâ Athenas antiqui historici esse voluerunt: Secundus Nilo natus, Opas, ut Ægyptii appellant, quem custodem esse Ægypti volunt: tertius ex tertio Jove & Junone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse: quartus Manalio natus, qui tenuit insulas prope Siciliam, quæ Vulcaniæ nominantur.* Verum Lucianus *in Dialog. de Sacrificiis* fabulam hanc non sine risu recitat, quòd Vulcanus ita fuerit è cœlo præcipitatus: χωλεύσαι γὰρ αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πλήμματος, ὅτι ποτὲ ἐρρίφθη ὑπὸ τοῦ Διὸς ἐξ οὐρανοῦ, καὶ εἰ γε μὴ οἱ Λήμνιοι, καλῶς ποιοῦντες ὑπ φερόμενον αὐτὸν ὑπεδέξαντο, ἐτεθνήκει ἂν ἡμῖν ὁ Ἥφαιστος, ὥσπερ ὁ Ἀστυάναξ ἀπὸ πύργου καταπεσών. Homerus verò *in Hymno*, *quem scripsit in Apollin.* non à Jove, sed à Junone Vulcanum præcipitatum fuisse de cœlo memorat, ac in mare decidisse, fuisseque non à Lemniis, sed à Thetide educatum; qui Junonem ita canentem introducit *in hu:*

> Παῖς ἐμὸς Ἥφαιστος ῥικνὸς πόδας, ὃν τέκον αὐτὴ
> Ῥῖψ' ἀνὰ χερσὶν ἑλοῦσα καὶ ἔμβαλον εὐρέϊ πόντῳ.
> Ἀλλά ἑ Νηρῆος θυγάτηρ Θέτις ἀργυρόπεζα
> Δέξατο, καὶ μετὰ ᾗσι κασιγνήτῃσι κόμισσεν.

Memoriæ prodidit *in Atticis* Pausanias, Vulcanum injuriæ acceptæ à matre minime oblitum, auream sellam cùm occultis quibusdam vinculis dono matri misisse; quæ Deam, cum assedisset, statim implicaverunt: quod etiam Plato innuit 2. *de Republ.* Καὶ τὰς ποιητὰς ἔχεις τύπου ἀνεξετάστου λογοποιεῖν, Ἥρας δὲ δεσμοὺς ὑπὸ υἱέος καὶ Ἡφαίστου ῥίψεις ὑπὸ πατρός. Habuit uxorem unam è Gratiis, ut ait Isacius, Majam, secundùm Cincium, Majestam, ex mente Pisonis: Communior autem sententia est, quòd Venerem è Lemno duxerit. Unde Virgil. *lib.*8. *Æneid.*

> *At Venus haud animo nequidquam exterrita mater*
> *Laurentumq; minis, & duro mota tumultu,*
> *Vulcanum alloquitur, thalamoq; hæc conjugis aureo*
> *Incipit, & dictis divinum inspirat amorem.*

Et Juvenalis:

> —— —— *Et quæ*
> *Componis dona Veneris Thelesine marito.*

Quod idem est cum Catulliano illo:

> —— *Dona Tardipedi Deo*
> *Infelicibus ustulanda lignis.*

Hanc uxorem suam quum postea cum Marte in adulterio deprehendisset, ambos adamantinis catenis colligavit, nudosque uti erant diis deridendos exhibuit. Unde Virgil. *Georg.*4.

> *Vulcani Martisq; dolos, & dulcia furta.*

Vid. Catonem *in Diris:*

> *Tum credo fuerat Mavors distentus in armis,*
> *Nam certè Vulcanus opus faciebat, & illi*
> *Tristi turpabat malas fuligine barba.*

Prudentius: *Deos catena colligant adulteros.* Nonnus χαμμαλκέα δέσματα nominat, cujus nexum Sol detexerat, *Bassaricôn lib.*5.

> —— Ἀρχεκακὸν τινὶ δεσμὸν
> Γυμνὴ γυμνὸν Ἄρηα περίφιξας Ἀφροδίτη.

Paulus quoque Silentiarius optat Vulcania vincula, ut amator puellam suam satis arctè complecti posset *Anthelog. lib.*7. Plura de Vulcano petenda sunt ex N. Comite *lib.* 2. *cap.* 6. Eundem esse volunt eruditi *Vulcanum* cum *Tubalcain.* Et apud Ægyptios ecretè ignis inventor: apud Diodor. fabrilis artis fornacisque auctor habitus est. Ponitur interdum pro igne. Virgil. *Æn.*2.

> —— *Jam Deiphobi dedit ampla ruinam,*
> *Vulcano superante, domus.* ——

Idem *Æneid. lib.* 5.

> —— *Furit immissis Vulcanus habenis.*

Et apud Plautum *Vulcanum in cornu inclusum gerere*, Anglicè *to carry a lanthorn.* Unde Vulcanum & Vestam, utpote duos ignes, illum quidem violentiorem, hunc verò leviorem, conjunxere veteres: & Euseb. *Præpar. Evangel.* Ignis altè virtutem Vulcanum appellatam & in forma hominis ei simulachrum constitutum, in cujus capite pileus esset cæruleus, cœlestis symbolum volutionis, ubi integer sincerusque ignis invenitur: nam qui è cœlo in terram delapsus est, cùm imbecillior sit, materiaque indigeat, claudicans fingitur. Ei templum Romæ vovit Titus Tatius, teste Varrone & Dionys. Halicarn. *lib.* 2. Plutarchus verò ipsum Romulum Vulcani fanum extra urbem ædificasse, ibique cum Tatio & Senatu, de rebus arcanis consultasse, scribit *Quæst.* 67. In id idem ex Cameria cum reliquis spoliis, quadrijugum æreum currum deportavit, sicque statuam ex victoria coronatam ibi collocavit, Plut. *in Romulo.* Etiam Athenis templum Vulcanus habuit, in quo quasdam juris controversias decidere, & criminum reos detinere, mos erat, ut ex Demosth. patet. De Vulcano sic Prudent.

> —— *Ipse ignis nostrum qui servit ad usum,*
> *Vulcanus perhibetur, & in virtute suprema*
> *Finditur, ac delubra Deus, & nomine & ore*
> *Assimilatus habet: nec non regnare caminis*
> *Fertur, & Æolia summus faber esse vel Ætna.*

Hinc *Vulcanalia*, festa Vulcano dedicata, quæ inciderunt in 11. Kal. Junii. Horum meminit Columella *lib.*11. *cap.*3.

Vulcanus, nomen quoque est montium ignivomorum, quos Natura constituisse videtur, ut essent, veluti spiracula Pyrophylaciorum subterraneorum, per quos aër attractus ignem sub terra foveret, ipseque superfluâ fumi fæciumque mole exoneraretur. Horum in omnibus Orbis partibus quidem, nulli tamen frequentiores, quàm in America, Merid. inprimis: in cujus solo regno Chilensi 14. neque in Peruano pauciores numerantur, quæ omnes Andium continuati jugorum vertices exhibent: Nova Hispan. tribus *Vulcanis* formidabilis est: qui Hispanis *Volcanos* vocantur, &c.

Vulcani montes in Europa:

Ætna, in Sicilia: cujus nuperrimum An. Chr. 1669. incendium omnium adhuc memoriæ inhæret.

Hecla, in Islandia: in quo Infernum esse mediis & rudioribus seculis creditum, quòd ignium per angustias eluctantium soni hominum lamentis similes boatus ederent.

Strongylus aliique in Liparitanis Siciliæ insulis, quorum unus in specie *Vulcani* nomen gerit.

Vesuvius in Campania, aliàs vini Falerni ferax.

In Asia.

Balaluanus mons, in insula Sumatra.
Chimæra, in Lycia, Asiæ min. regione.
Gounapius seu Gurapius mons, in una Bandanarum insula.
Sineparama, in Japania, 8. mill. ab urbe Meaco.
Tola mons, in Mauricis insulis.
Vulcanus Ternatensis.

Porro alius est in Regno *Jetchu*, in cujus flamma horribilem Dæmonis speciem comparere solitam, testatur Petr. David *Hist. Asiæ*: ut reliquos Japaniæ omittam. Sunt quoque eorum nonnulli in Tandaja, una ex Philippinis Inf. juxta prom. S. Spiritus.

In America.

Vulcanus Antoci, *Volcano de Antoco*, in limite provinciæ Cujæ, versùs tractum castri Anguli.

Vulcanus Chillani, *Volcano de Chillan*, est inter Cujam provinciam & Chillanum tractum.

Vulcanus Chuanaucus, *Volcano Chuanauca*, est in parte Australi Ciles, versùs Ancudiam provinciam.

Vulcanus Copiapi, *Volcano de Copiapo*, est in parte Boreali Ciles, ad fontes fluvii cognominis, in limite Peruviæ.

Vulcanus Coquimbi, *Volcano de Coquimbo*, est ad fontes fluvii cognominis, in limite Cujæ provinciæ.

Vulcanus Huapeus, *Volcano de Huape*, in limite Quillatæ tractus, versùs Fanum S. Joannis de confinio.

Vulcanus Liguæ, *Volcano de Ligua*, est prope fontes fluvii cognominis, versùs Fanum S. Joannis de confinio.

Vulcanus Notuci, *Volcano de Notuco*, est inter Purenam vallem & Pulcas populos.

Vulcanus Osorni, *Volcano de Osorno*, est inter tractus Osorni & Villæ divitis.

Vulcanus Peteroæ, *Volcano de Peteroa*, est ad fontes fluvii cognominis, inter Vallem S. Jacobi & Cujam provinciam.

Vulcanus Quechucabus, *Volcano Quechucabi*, est in parte Australi Ciles, prope Ancudiam tractum.

Vulcanus S. Clementis, *Volcano de S. Clemente*, est in parte Meridionaliori Ciles, versùs Magellanicam.

Vulcanus Villæ divitis, *Volcano de Villa ricca*, est inter Vallem cognom. & Pulcas populos, juxta lacum *Mallabaulquen* dictum.

Vulcani montes sunt etiam in Peruvia.

Vulcanus Arequipæ, *Volcano de Arequipa*, in parte Australiori Peruviæ, & prope Arequipam urbem.

Vulcanus Cucæ, *Volcano de Coca*, in valle cognomine.

Vulcanus Maspæ, *Volcano de Maspa*, in provincia Quixorum.

Vulcanus Pintæ, *Volcano de Pinta*, in Provincia Quitoa, & prope Quitoam urbem.

Vulcani montes duo sunt etiam in nova Hispania, scilicet

Vulcanus Guatimalæ, *Volcano di Guatimala*, in provincia cognomine, & prope urbem S. Jacobi de Guatimala. Hic cæteros omnes antecellit.

Vulcanus Nicaraguæ, *Volcano de Nicaragua*, in provincia cognomine, prope urbem Legionem dictam.

Becmannus tres habet: additque, nec ultimum Septentrionem suis ignium penuariis destitui, quorum 4. sunt in regione Tingœsorum. Habet & Grœnlandia suos Vulcanos, vicinæque insulæ seu continens Polo circumsita: qui & in Terra Ignea, vulgò *del Fuego*, tam frequentes, ut multi Antarctici plagam Poli, ob ignivomorum montium multitudinem, inaccessam putent, Kircher. *M. S.* 2. *cap.*11. Varen. *&c.* De montibus in Congo & Angola, qui jam ardere desierint, Vide eundem.

Vulcatius Araricus, Eques Romanus, socius conjurationis in Neronem, capite Pisone. Tacit. 15. 49.

Vulcatius Moschus, exul in Massilienses receptus, bona sua Reip. eorum ut patriæ reliquerat, permissu Tiberii. Idem 4. 43.

Vulcatius Tertullinus, Eques Romanus, periculo L. Silani, tanquam conscius incesti cum amitâ, tractus. Appellato Principe frustratus damnationem, ad Principatum Vespasiani supervixit ac Tribunatum plebei gessit.

Vuldraca, vulgò *Leudrac*, fluvius agri Augustodunensis, in Gallia, cui Patriciacus villa *Percy*, veteri Monasterio, nobilis prope est. Vide Hadr. Valesium *Notitia Galliæ*: ut & in voce *Augustodunum Æduorum*.

S. Vulmari Monasterium, Galliæ, vulgò *Samer*, pro *S. Vulmer*, in eremo pagi Bononiensis, non longè ab Oceano, & à patria Vulmari Sylviaco villa: unde oppidulo circumjacenti origo & nomen. Hadr. Valesius *Notit. Gall.*

Vulpiacum, Eginart. *Ulpen* vulgò, vicus 2. leuc. à Limburgo urbe, in Germ. infer.

Vulsinii, & *Vulsiniensis lacus*, & Ins. quò Amalesventam Theodahatus relegatam, ibi strangulari curavit, Ann. Chr. 536. Vide *Volsinium*.

Vultaconum, vicus Galliæ in Pictonibus, memoratus Gregorio *cap.* 45. *lib.* 2. *de mirac. St. Martini*. Profert Claudius Botarotius trientem Theudomeris, diademate è margaritis redimiti, in cujus aversa parte, *Vuultaconno*: quid hodie sit, non constat. Hadrian. Valesius *Notit. Gall.*

Vultiacum, villa olim Autharii Optimatis, cujus duos filios infantulos Adonem & Dadonem, à matre sibi oblatos Columbanus ibidem suâ benedictione prosecutus est. Anhodie *Eussi*, vicus ad Matronam non longe ab urbe Meldis, ubi Autharius prædictus, hodieque colitur, sicut in Monast. Resbacensi, quod filius ejus Audoenus Dado condidit. Idem.

Vultunna, seu *Vultonia*, fluvius Aquitaniæ, per fines Santonum fluit, ex Pictonibus ortus, ac per Engeriacum opp. in Carantonum abit, *la Boutonne* vulgò.

Vultura, & *Vulturaria*, urbs Hirpinorum in Apuliæ confin. Episcopalis sub Archiepisc. Beneventano. *Volturara* hodie Baudrand. urbecula Capitanatæ, 23. m. p. à Benevento in Bor. 12. à Luceria in Occ. Hujus meminit Virgil. *lib.* 3. *Od* 4.

Me fabulosæ Vultura in Apulo
Altricis extra limen Apuliæ, &c.

Ubi alii codd. habent *Vulture*. *Vultur* verò mons est vel flumen Apuliæ.

Vulturnum, urbs olim Campaniæ Episcop. sub Archiepisc. Capuano, à Capuâ 10. m. p. ad ostia Vulturni fluv. nunc exiguum castrum inter Sinuessam ad Occid. 8. & Linternum ad Ort. 9. mill, *Vulturnum* urbs prius, postea Capua est appellata, teste Livio. Ex quo *Vulturnum* geminum fuisse videatur, unum interius, alterum in orâ. Baudr. Vulturnum, nunc *Castel del Volturno*, in Terra Laboris, in ora maris Tyrrh. 9. mill. à Literno in Bor.

Vulturnus, Deus apud vett. Vide *Volturnus*. Item ventus ab Ortu hyberno spirans, quem Græci *Eurum* vocant. Plin. *lib.* 2. *c.* 47. Item fluvius ad Vulturnum urbem in Campania, qui in Samnio oriens, apud fines Atinæ, per Venafrum, Telesiam & Capuam, in mare Tyrrhenum, ad Vulturnum urbem decurrit, Calore & Sabbato fluv. acceptis. Virgil. *Æneid* 7.

——— ——— *Amnisq; vadosi*
Accola Vulturni. ——— ———

Silius *lib.* 8.

——— ——— *Fluctuq; sonorum*
Vulturnum. ——— ———

Ovidius *Metam.* 15.

Linternum, multamq; trahens sub gurgite arenam
Vulturnus.

Διὰ μέσης Καμπανίας ῥεῖ, inquit Strabo. Lucanus *lib.* 2.

——— *Delabitur inde*
Vulturnusq; celer. ———

Statius *lib.* 4. *Sylv.* ubi de viâ Domitianâ:

At flavum caput, humidumq; latè
Crinem mollibus impeditus ulmis,
Vulturnus levat ora, maximoq;
Pontis Cæsarei reclivis arcu,
Fandis talia faucibus redundat:
Qui me vallibus aviis refusum
Et ripas habitare nescientem
Recti legibus alvei ligasti;
Et nunc ille ego turbidus minaxq;
Vix passus dubias prius carinas,
Jam pontem fero, perviusq; calcor.
Qui terras rapere & rotare sylvas
Assueram (pudet) amnis esse cœpi, &c.

Reges Daniæ.

Woldemarus I. seu *Waldemarus*, Canuti Daniæ Regis, à Suenone interempti, filius: hoc per Jutos vicissim cæso, Patri, post gravissimas turbas, successit, circa Ann. Chr. 1161. Sclavos piraticâ Danos infestantes oppugnavit, eorumque Ducem Niclotum ad fidem adegit. Obiit Ann. Chr. 1184. regni 24. Ei successit filius Canutus V.

Woldemarus II. filius Woldemari I. Canuto fratri, An. C. 1203. extincto, substitutus: Magistrum Templariorum in Livonia adversus Barbaros juvit, ibidemque Revaliam urbem condidit, circa Ann. Chr. 1223. Paulo pòst, ab Henrico Suerinensi Comite, ob violatam uxoris pudicitiam, captus, biennio pòst 35. argenti talentis libertatem redemit: Injuriam ulturus victus est. Obiit An. Chr. 1242. Pater, inter alios, Erici & Abelis, successorum, quorum ille ab hoc mari summersus, hic autem à Frisonibus, quos exactionibus offenderat, interemptus est. Ei successit Ericus VI. ex Christophoro, tertio Woldemari filio, nepos, qui *Woldemarum* amitæ suæ maritum Sueciâ depulit, An. Chr. 1286.

Woldemarus III. filius Christophori II. patri successit An. Chr. 1333. Ducatum Slesvicensem sibi subjecit, peregrinationem Hierosolymam suscepit, Rostochiensem tractum Alberto Megapolitano, Rugiam Pomeraniæ Ducibus contulit: filias Ingeburgim Henrico Alberti filio, Margaretam Haquino Norvego despondit: Scaniam recepit: à Cimbris & Holsatis suis, quos durius habebat, oppugnatus, Pontifici, ut mitius cum subditis ageret, monenti, acerbè respondit. Obiit An. Chr. 1375. regni 42. Successit Margareta filia, Arctoa Semiramis, cum filio suo Olao, qui mortuo patre, Daniam Norvegiæ junxit: Hoc, vivâ adhuc matre, defuncto, Ericus X. Margaretæ ex sorore nepos, à Margareta adoptatus regnum nactus est, Ann. Chr. 1411. imo tria regna, Daniæ nempe, Sueciæ & Norvegiæ, in quibus omnibus eum excepit Christophorus III. Bavarus, ejus ex sorore nepos, An. Chr. 1438. quo cum An. Chr. 1448. defuncto, extincta est vetustissima, atque Aboriginum Daniæ Regum prosapia, regni Daniæ à Dano Rege conditi 2488. successereque Reges ex Oldenburgica familia, quæ hodieque Regnum tenet. Horum primus fuit Christianus seu Christiernus I. ex Adolphi Slesvicensis, avunculi sui, commendatione, post mortem Christophori, ad regnum vocatus.

Principes varii.

Woldemarus, fil. Christiani IV. Daniæ Regis, è pellice Christina Munckia, in Moscoviam ducendæ M. Ducis filiæ profectus, multos sumptus fecit; exin Suecis in Polonia militans obiit.

Woldemarus, filius Alberti IV. Principis Ascaniæ, genuit Sigismundum, patrem Ernesti; cujus filio Erico, natus est Otto Magnus seu Dives, pater Alberti Ursi, rebus gestis inclyti. Huic, ob fortem contra Sorabos operam præstitam, Conradus III. Imper. Marchiam Brandeburgicam, antiquis Marchionibus ex familia Stadensi & Pribislao Heneto extinctis, contulit. Idem postea cum Henrico Leone universam gentem Sclavicam tantùm non extinxit. Pater Ottonis, qui stirpem Brandeburgicam Ann. Chr. 1320. in Johanne Illustri extinctam, & Bernardi, qui Saxonicam familiam condidit.

Woldemarus I. filius Conradi, ex posteris Ottonis modò memorati, Elector Brandeburgicus, Friderico Admorso, Marchioni Misniæ, ademit Lusatiam inferiorem, & victus à Rudolfo Electore Saxoniæ, à Briezensibus civibus servatus est, sed absque masculis An. Chr. 1319. decessit: frater Henrici sine terra, quo genitus

Woldemarus II. post patruum Electoralem dignitatem gessit: successore fratre Johanne IV. qui ambo An. Chr. 1322. intra non totum mensem extincti sunt. Tum, præteritis agnatis, Anhaltinis & Saxonibus, Ludovicus Bavarus Imper. tanquam feudum vacans, Marchiam cum Electoratu filio suo Ludovico Romano Tirolis jam Comiti tradidit: qui à quodam molitore Jacobo Rebock, defuncti *Woldemari* nomen mentito, & à Saxonibus ac Anhaltinis strenuè adjuto, non parum exagitatus est. Hoc mortuo, Electoratum nactus frater Otto, illum An. Chr. 1373. socero Carolo IV. vendere coactus est: Sic ex Bavarica familia in Lucenburgicam delapsa Marchia, tandem ab Imper. Sigismundo Friderico Norimbergensi collata est, in cujus familia adhuc hæret.

Woldemarus, filius Alberti, Principis Anhaltini; cujus pater Sigfridus Servestanam lineam orsus est, An. Chr. 1367. prælio Magni Torquati Brunsvicensis adversus Hildeshemios cecidit: Pater *Woldemari*, qui improlis obiit, & Alberti junioris, quo genitus Johannes, *Woldemarum* suscepit iterum *avum*, Albertum III. & Sigismundum, quorum ille inter filios quoque *Woldemarum* habuit: hic verò Georgii pater fuit, quo natus *Woldemarus*, è Margareta Schwartzenburgica Wolfgangum genuit, qui An. Chr. 1566. cœlebs decessit.

Wolffenbüttelum, seu *Guelferbytum*, arx in Ducatu Brunsvic[...] munitissima, Ducum sedes. A Pappenhemio bello German. [...] pugnata, postea recepta est. Rami, qui cum Calenbergio Gue[...] bytanum principatum tenuit, sator Henricus fuit, filius *M*[...] Ducis Brunsvicensis, An. Chr. 1373. demortui. Pater is fuit W[...] helmi, avus Wilhelmi, cujus filius Henricus *Sen.* vel *Malus* [...] Guelferbytanam lineam, & Ericus Gœtingensem seu Caleb[...] cam orsus est: sed hoc An. Chr. 1584. sine legitima prole de[...] Julius agnatus hæreditatem crevit: verùm & hujus poste[...] in Friderico Ulrico, Brunsvicensis lineæ ultimo, hoc seculo e[...] successit Augustus è familla Luneburgica, Henrici Dann[...] cum Principatum nacti, in divisione, filius. Hujus linea, pa[...] nasteriensi, & Cellensis, cui Wilhelmus, præfati Henrici fratr[...]

auctor, deficiat, ad alternationem Episcopatus Osnabrugensis vocatur. Sustulit e Dorothea Anhaltina Augustus Rudolfum Augustum, e Christina Elisabetha Barbiensi Antonium Ulricum, e Sophia randem Elisabetha Megapolitana Ferdinandum Albertum. Princeps ætate supra omnes sui temporis, pietate, justitiâ, literis inclytus: quod Bibliotheca Gueiferbytana, opus ejus, abunde testatur. Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Hist.*

Wolfgangus, Vide *Volfgangus* & *Wolphgangus*.

Wolfsbergum, urbs Stiriæ, ad Lavandum fluv. Metel.

Wolgastum, seu *Volgastia*, urbs munita Pomeraniæ citer. ab Electore Brandeburgico Ann. Christi 1675. expugnata. Etiam ab Henrico Leone direpta, sub Wartislao Pomeraniæ Duce, sec. 13. *Wolgastensis* rami auctor fuit Bogislaus IV. fil. Barnimi I. Pomeraniæ citer. Ducis, frater Ottonis majoris natu, qui Stetinensem inchoavit. Hujus Bogislai, qui Brandenburgicis Stargardiam ademit, filius fuit Wratislaus IV. qui Rugiæ principatum Ann. Chr. 1325. fortiter contra Danos & Megapolitanos asseruit. Ex mortuus Ann. Chr. 1326. reliquit Boleslaum V. Pomeraniæ Orient. & Barnimum IV. Occidentalis, linearum satores: quorum hic autem Wolgastanam magnis impensis condidit, pater Wratislai VI. A. C. 1394. mortui, avus Barnimi VI. cui filius fuit Barnimus VII. & Wratislaus IX. Hoc geniti, Wartislaus X. cum Bario Rugiam, & Ericus II. Wolgastum, tenuere: cujus posteritas in Bogislao XIV. totius Pomeraniæ domino, An. Ch. 1627. defuncto, extincta est. Vide Spenerum *Sylloge Geneal. Historicâ*, & supra in voce *Pomerania*.

Wollebius Johannes, Theologus Basiliensis eximius. Successit Johanni Jacobo Grynæo, quarto Ecclesiæ illius Antistiti, An. Ch. 1617. Edidit, inter alia, *Compendium Theologiæ*, quod præstantiâ suâ, in plurimas linguas, transferri meruit. Obiit Ann. Chr. 1629. æt. 44. Pater Joh. Jacobi, Ecclesiastæ Elizabethani, & Theodori Eccles. Martiniani ibidem, sacrâ facundiâ & solidâ eruditione insignitorum: qui ambo, peste grassante, dum gregis curæ summâ vigilant fide, propriæ salutis incuriosi, ad beatiorem vitam abrepti sunt, An. Ch. 1667. ille quidem, (cujus fil. Johannes Med. Doctor & Professor Physices, in flore ætatis, An. Ch. 1675. obiit) anno æt. 54. hic 42. Successit Patri in primaria Eccl. Basil. statione Theodorus Zuingerus.

Sincerus, fidusq; Dei dum sacra ministro
Ritè gregi, ad cœli præmia Christe vocas.

Wolphangus, vir doctissimus, Pilgrino, in Ugrorum conversione egregiam navavit operam, Ann. Chr. 966. Aventin. *Annal. lib. 5.* Vide *Wolphgangus*.

Principes varii.

Wolphgangus, Dux Bipontinus, filius Ludovici, nepos Alexandri, unicus à Patre filius, adhuc puer, relictus: Mature dein in aulam Friderici II. El. Palatini admissus, artibus regendi imbutus est. Paternæ ditionis administrationem an. æt. 18. aggressus, superiori quoque Palatinatui, sub Friderico, præfuit. Evangelicæ religionis constantissimus assertor, Smalcaldicis tamen in bello contra Carolum V. accedere recusavit. Interimisticam autem formulam An. Chr. 1548. pio ac generoso responso deprecatus, nihilominus Pastores, si solum vertere jubeantur, etiam in re molestissima, obsequium promisit: ne postea quidem, cum de Principibus captivis liberandis vi ageretur, licet Philippi Landgravii gener, misceri voluit. Paulo post ab Ottone Henrico agnato Neoburgicum Principatum donationis titulo accepit, ubi gymnasium Lauingæ & alterum apud Bipontinos Hornbaci erexit. Demum exercitus auxiliaris Ann. Chr. 1569. destinati à Friderico El. juvandæ Reformatorum in Gallia causæ, imperium suscepit. Obiit Nessunii in Lemovicibus, eodem anno. Ejus filii Philippus Ludovicus Neoburgicam, Johannes Bipontinam & Carolus Bircofeldiam, lineas auspicati sunt.

Wolphgangus Wilhelmus, fil. Philippi Ludovici modò dicti, in divisione Neoburgicum Principatum nactus, ductâ uxore Magdalenâ Bavaricâ An. Chr. 1613. sequente anno Pontificiam Religionem Dusseldorpii publicè primum profiteri cœpit: Patre dein extincto, ditiones subjectas ministro Jac. Reihingio Jesuitâ, qui demum ipse ad Evangelicos transiit, ad eundem cultum rettraxit. Cæsari quoque in Austriæ reformatione inserviit. Cùm verò Ratisbonæ, de translatione Electoratus in Bavarum ageretur, pro viribus se opposuit, negans ex Aureâ Bulla, se proximo agnato innoxio præterito, dignitatem aliorsum ferri posse. Sed frustra fuit: spes tamen non omnino negata in posterum. Tandem, ob Juliacensem causam bellis Belgicis involutus, obiit An. Ch. 1653. unico relicto filio Philippo Wilhelmo, qui natus Ann. Chr. 1615. patri mortuo successit: Religionis suæ acerrimus assertor, & ex uxore secunda Hassiaca, quæ in mariti gratiam Pontificiis quoque accessit, numerosæ prolis Parens.

Wolphgangus, fil. Alberti Pii, Bavariæ Ducis; Ann. Chr. 1460. ex tincti, fratri Alberto Sapienti, Christophoro itidem fratri junctus, multum molestiæ creavit. Tandem improlis moriens sua ne potibus transmisit.

Wolphgangus, etiam inter nomina est hodierni Bavariæ Electoris, qui ex Maximiliano Electore genitus An. Ch. 1635 Ferdinandi Mariæ Francisci Ignatii *Wolphgangi* nomina in Baptismo accepit.

Wolphgangus, Princeps Anhaltinus, fil. Waldemari è Margareta Schuartzenburgica, pietate, consilio, moderatione, temperantiâ, gravitate & literis inclytus: Augustanam Confess. cum reliquis obtulit; fœderi primo Evangelicorum Magdeburgico An. Chr. 1526. & deinceps Smalcaldico nomen dedit: Mauritio Magdeburgicis reconciliando An. Chr. 1550. suas partes interposuit, demum An. Ch. 1566. cœlebs decessit fatis, eorum, qui Confessionem prædictam obtulerant, ultimus.

Wolphgangus, fil. Ludovici Comitis Leonstenii; ex Helenâ Konigseckia, in bello Smalcaldico Duci Wirtenbergico se junxit, inde Caroli V. auspicia, in Gallicis & Belgicis expedit. sequutus. Tandem ab Arch. Salisburgensi Dux militum constitutus, obiit An. Ch. 1571. Pater Henrici & *Wolphgangi* jun. qui Duci Wirtenbergico percarus fuit, vir miti & placido ingenio, obiitque An. C. 1596. Eo nati sunt Georgius Ludovicus, bello Austriaco Venetorum miles, defunctus An. Ch. 1633. & Johannes Casimirus, fidus Electoris Palatini in exilio Achates, in conflictu ad Höchstam Mœno mersus An. Ch. 1622.

Viri illustres & clari.

Wolphgangus, à *Dalburg*, Archiepiscopus & Elector Moguntinus, obiit Ann. Chr. 1601. Ei successit Johannes Adamus à Bicken.

Wolphgangus Fabricius Capito, Vide *Capito*.

Wolphgangus Frantzius; Germano-Saxo, Wittenbergensis. Obiit An. Chr. 1623. Ejus extant: *Tractatus Theologicus; de Interpretatione Scripturæ: Historia animalium sacra: Disputationes in Pentateuchum &c.*

Wolphgangus Lazius, Vide *Volphgangus*.

Wolphgangus Musculus, Lotharingus, ex oppido Dusa salinis percelebri, Theologus insignis. Scripsit Commentarios, in plerosque S. Scripturæ libros: qui Basileæ prodierunt variis volum. Obiit An. Ch. 1563. æt. 66. Bernæ sepultus. Vide Melch. Adami *in vit. Theol.* De eo Verheiden: *Labore, studio ac industriâ, literarumq; sacrarum cognitione clarissimus evasit.*

Wolphgangus Sedelius, scripsit: *Quæsita quædam de Paulo, ed. Cremonæ.* An. Chr. 1595. Item *Templum Salomonis mysticum*, quod prodiit An. Ch. 1548.

Wolphgangus Siberius, auctor Comm. in Canticum Canticorum; Vide Catal. Oxon.

Wormacia, Germ. *Worms*, Galli *Vormes*; olim *Borbetomagus*, seu *Bormetomagus Vangionum*, est autem Celtis *Magus* idem quod domus ac burgum, unde Noviomagus, Drusomagus &c. A Treveris opinio est ortam esse, quibus etiam quotanni s tributum contulerit: ab his ad Romanos translata, ab Attila eversa, postea à Clodoveo Francorum R. reparata, urbs est Palatinatus infer. ampla, Imperialis, sed male culta. Ad Rhenum. Plurics capta & recepta. Sub proprio Episc. cum tractu parvo. Habuit aliàs Archiepiscopos, sed ob perfidiam Gervilionis, à Pipino in Episc. an. 729. transiit, Baudr. Magnâ fuit apud Romanos & Gallos auctoritate. Quippe quæ quasi asylum quoddam & præsidium habita est, commisque celebrata. Palatium hic quondam Dagoberti Francorum R. & prætorium Vangionum Ducis Conradi; quod cùm successori hujus Ottoni castellum esset forensis latrocinii, operâ Henrici II. Imper. Bruxellam se recipere, & oppido omne jus suum vendere coactus est. Sic Civitas in libertatem vindicata Imperio accessit. Privilegia accepit insignia à Friderico II. Carolo IV. Maximiliano I. Ferdinando I. Impp. Episcopo quidem jurare solet, sed non nisi in quibusdam ejus jussa observat, in reliquis libera manens; nec plures quàm unicum Senatorem Præsul constituendi jus habet. Insignia Civitatis clavis alba in rubro clypeo; jus Patronatus hic Elector Palatinus habet. Synodo in civitate habitâ An. Ch. 1078. Gregorius VII. Pont. Rom. adulterii, Necromantiæ, aliorumque criminum accusatus & depositus est: sed longè celebrior illa fuit, ad quam vocatus Lutherus. An. Ch. 1521. amicis ob periculum iter dissuadentibus, respondit, *se iturum, etiamsi sciret, tot ibi Diabolos sibi obstituros, quot in tectis urbis tegulæ essent:* deinde appulsus coram totius Imperii Senatu causam Evangelii intrepidè egit, ut apud Sleidanum videre est. Unde Wendelini Helbachii πτερύγιον:

Urbs jacet æquoreo celebris conterminia Rheno,
Vangionum sedes quæ generosa fuit.
In qua vel toto coram jacet orbe Lutherus
Confessus Christi dogmata pura fuit.

Vide Limnæum Enucl. *lib. 4. cap. 65.* & in voce *Vangiones*.

Wrecum, Gall. *Varech*, vox Saxon. id quod mare ejicit, ejectus maris: quo nomine non tantùm res naufragæ, sed & electrum, lapides pretiosi, ipsique pisces in litore destituti veniebant; quæ omnia cùm jure naturali inventori cederent, jure tamen gentium Principum privilegiis accesserunt. Hoc justum privilegium torsit ad injurias avaritia, rapiunturque aliquando una, quæ certissimos agnoscunt dominos: Atrox sanè immanitas, quam Ovidius increpans exclamat,

Naufragii tabulas certant habere mei.

Richardo igitur I. cùm in sacra expeditione, classem suam maximis ereptam periculis Messanæ denuo recepisset, *Quietum clamavit in perpetuum* Wrec *per totum regnum suum*, Hoveden. Ipse

Ipse mox gravissimo classis suæ naufragio, à Cypri Imp. Isaacio, omnibus rebus spoliatus. Delapsa brevi quoque apud Anglos res est in pristinum, lenivit tamen asperitatem lex Westmonasteriensis prima *cap.* 5. ubi sancitum : ut *Wrecci* nomine nihil habeatur, si vel homo vel canis vel catus è naufragio vivus in terram evaserit. Hæc de *Wrecco* privilegia à barbaris Principibus videntur introducta, in jure enim Rom. nihil hujusmodi reperitur V. Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol. &c.* Juvenalis *Satyr.* 4.

Quidquid conspicuum, pulchrumq; ex aquore toto est,
Res fisci est, ubicunq; natat: donabitur ergo,
Ne pereat.

Wulfranus; Episc. Senonensis, sec. 7. cùm Radbodum Frisiorum R. eò permovisset, ut baptismum admittere vellet, huic interroganti, quò Majores venissent, post mortem? in Infernum, respondit. *Quo audito Radbodus, baptizari renuit: Malle cum viris adeò illustribus, in inferno esse, quàm cum misero populo Christiano & Clericis in cœlo, dictitans.* Annales Frisii.

Wurmius, fluv. Germaniæ inf. *Vvorm* vulgò, apud Aquisgranum oriens, in Ruram, qui Mosæ ad Rutemundam miscetur, influit. Eginart.

Wurzena, urbec. Misniæ, ad Muldam. Aliàs sub Comitibus propr. nunc in dit. Episcopi Misnensis. 2. mill. Germ. à Lipsia in Ort. *Wurzen* vulgò.

Wutinga, vulgò *Vuting*, urbs Junnaniæ quarta, sub qua tres aliæ. In limite Queicheæ prov. Martinius.

U X.

Uxacona, seu *Wocona* Anton. *Okenyate* Camd. opp. olim, nunc pagus Comit. Salopiensis, in Anglia, medius ferè inter Rutunium 22. & Etocetum 24. m. p. versus Bennaventam.

Uxama, opp. Hisp. citer. Plin. 3. 3. Episc. sub Arch. Toletano: *Osma* Clusio, apud Durium flu. in vet. Castella, ferè extinctaum. A Pompejo M. eversum, & refectum, rursus à Mauris penè in solitudinem est redactum. Ep. sub Ar. Toletano. Inter Burgos 20. & Segontiam 10. leuc. à Numantia 12. à Toleto supra 30. in Bor. Burgos versus.

Uxantus, vel *is*, Insf. Galliæ, in ora Britanniæ min. 16. m. p. à Gobæo prom. in Occ. 52. à Corisopito in Circ. uti 55. à Leona in Occ. Parva est, circuitûs 8. m. p. cum castro & aliquot villis. Baudr. Valesio *Ouissant* hodie, aliàs *Heyssant* vel *Heissant*, Angl. *Ushant* dicitur, à prom. Fagi *cap du Fou* non longe remota. Ejus Britto meminisse videtur *Philipp. lib.* 7.

Et qui rostratis ratibus secat aquor Alanus,
Piratas secum assumat, quibus utitur ipse,
Quum Grenesim rebus juvat exspoliare vel Ossam.

Ubi *Ossans* legi mavult Valesius, nomine ab *Uxanti* deducto: nisi quis malit eam *Osam* Aimoini esse, quam *de mir. S. Benedicti lib.* 2. *cap.* 11. describit. Grenesis autem est *Grenesey*. Insf. Anglis subjecta; nec distans ab Uxanti, Osæ tamen propior. Cum *Uxanti* vel *Axanti* quoque conjungitur apud Plin. Insf. *Samnis*, Mellæ *Sena*, *Osismicis adversa litoribus, Gallici Numinis*, i. Mercurii *oraculo insignis*: quæ hodie dicitur *l'Isle de Sarn* & illa infra Uxantim posita, Audiernæ portui adversa, *Not. Gall.*

Uxela, Vide *Vexala*.

Uxella, mel. *Uxela*, Ptol. Camdeno *Lestithiel* opp. Albionis in Cornubiâ (aliis est *Kreckorn vvell* opp. ejusdem reg. proximum) ab Exoniâ ultra 40. m. p. in Occ.

Uxella, locus Galliæ, Prioratu clarus, in Eccl. Aurelian. Archidiaconatu Balgentiacensi, vulgò *Huisseau*. Item in Secalonia, non longe à Rivo Morentini. Item in Burgundia, cum tit. Marchiæ, in pago Cabillonensi, non longè à Branciduno *Brancion*, & à fluv. Grauna *la Grone*, qui Ararim auget. Vulgò *Uxelles*. A vet. hoc nomine Gallico deducitur *Uxellodunum*, Hirtio tantopere celebratum, in Cadurcis. Vide ibi, & Hadr. Valesium *Notit. Gall.*

Uxillodunum, opp. Gall. Aquitan. in finibus Cadurcorum, *Cadenac* Vigenereo. Baudrando opp. fuit Cadurcorum, est nunc *le puech d'Issoudun*, locus Cadurcensis prov. prope castrum *Martelam*, ad Oldum flu. 3. leuc. à *Cadenac*; ex Brietio.

Uxellum, Ptol. opp. Albionis in Selgoviis in Scotiâ, apud Carbantorigum ac Trimontium.

Uxena, pagus Hisp. Bæticæ. *Uzelis* Clusio.

Uxentum, urbs Salentinorum, Ep. sub Arch. Hydruntino, ab Hydrunto 20. m. p. in Merid. *Usento* Leandro. *Ugento*, Baudr. in Terra Hydrunt. 20. mill. ab Hydrunto in Afr. 11. à Gallipoli in Eur. Japygium prom. versus totidem, 4. ab ora littor. Sinus Tarentini. Parva admodum & ægre habitata.

Uxentus, mons Indiæ citer. cis Gangem fluv. Ptol. juxta quem incolunt Adisathri pop. quorum urbs primaria Balantipyrgum est, Palibothra Occidentalior, Ferrar.

Uxii, montes Armeniæ maj. ex quibus oritur Tigris flu. Diod. ubi *Uxii* pop. & *Uxia* reg. Strabo.

Uxisama, insf. Oceani occidui, Strabo; una ex illis quæ ab Hispaniâ tridui navigatione in Occ. distant; quæ *Azores* dici videntur Ortelio.

Uxoris emendæ ceremonia. Apud Germanos olim in more fuit, teste Tacito, mulierem, post obitum viri, alteri non nubere. Postea verò is exolevit; ita tamen, ut nec liberæ esset vidua potestatis. Ejus igitur qui ambiret matrimonium, non pretio solùm, sed & Concilio publico impetratâque à Magistratu veniâ, voti factus est compos. Hinc enata forte Anglorum consuetudo, de viduis Regiis maritandis pecuniisque ideo, quod *Fines* vocant, persolvendis. Apud Germanos autem utique & Anglos ea semper fuit conducendæ hujus veniæ ratio, ut formalis potius videretur, quàm lucrosa, viduisque ideo imposita, ne conjugalem fortè dignitatem & defuncti mariti familiam temerarent. En ceremoniæ formam, apud Salicos, *tit.* 46. §. 1. *Si quis homo moriens viduam dimiserit, & eam quis in conjugium voluerit accipere, antequam eam capiat Tunginus aut Centenarius, mallum indicent, & in ipso mallo scutum habere debent, & tres homines causas tres demandare, & tunc ille, qui viduam accipere vult, cum tribus testibus, qui approbare debent, tres solidos aquè pensantes & denarium habere debet, & hoc factu, si eis convenit, viduam accipiat, &c.* Pecuniam autem hanc, sive pretium Salici *reippum* dicebant, qui apud Salicos propinquis persolvebatur, non fisco, ut in Anglia solet. Etiam apud Gothos mos hic invaluit, sic enim Wisegoth. *lib.* 3. *tit.* 4. *leg.* 2. *Mulier dispon̄sata, qua dato pretio, & sicut consuetudo est ante testes facto placito de futuro conjugio, adulterium commiserit &c.* Et *lib.* 7. *si puella ingenua, sive vidua ad domum alienam, adulterii causâ venerit; & ipsam ille uxorem habere voluerit, & parentes, ut se habeant, acquiescant, ille pretium det parentibus, quantum parentes puellæ velint, & quantum ei cum ipsa muliere convenire poterit.* Collectio Chronic. ex Thoromacho *Antiq. Lect.* Canis. *Tom.* 2. *pag.* 681. *Eam se daturum spondet* (sc. in matrimonium) *legato offerens solidum & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei desponsavi*: Lindenbrogius, Spelmannus *Gloss. Archaeol.*

V Y.

Vysegradum, opp. Ungariæ, à Rodolfo II. Imp. occupatum, An. Ch. 1596. Chytræus *in Sax. part.* 5. Thuanus *in Histor. &c.*

U Z.

Uzal, fil. Jectan. Gen. 10. Lat. *ambulans, velificans, aut destillans.*

Uzalis, colon. & urbs Africæ mediterranea, olim Episc. apud Uticam urbem. D. Aug.

Uzecia, Africæ propriæ urbs. Ptol. mediterr. Thysdro finitima. *Cayrahon*, ut aliquibus placet. *Usceta* A. Hirtio. Huc Antonius, à Philippo II. Hisp. R. per Albanum, ad vitam deportatus, sed inde à populo Lusitano ad regnum revocatus est. Vide in voce *Antonius Crati Prior.*


Uzella, videtur *Uxella* vel mel. *Uxela* Ptol. Vide ibi.

Uzesta, castrum tractus Vasatensis, ad amnem Cyrionem, in limite Burdegalensis tractus. *Uzeste* vulgò. Hic sepultus est ann. 1316. Clemens V. Gallus, antea Bertrandus *de Goth* dictus, qui natus erat in vico Villandrando, 1. hinc leucâ, & obierat apud Rupem Mauram, ad Rhodanum, 2. leuc. supra Avenionem an. 1314.

Uzetia, Vide *Ucetia* & *Utica*, urbs Gall. Narb.

Uzia, Amaziæ fil. rex Judææ, de quo vide 2. Par. 26. & Josephum *Ant. lib.* 9. *cap.* 21.

Uzita, opp. Africæ mediterr. Ulizibiræ urbi finitimum, à Cæsare deletum. A. Hirtius.



X.

X Duplex consonans est, à priscis loco *C S.* & *GS.* posita, *Apecs, Apex: Gregs Grex:* Non magni proin apud Latinos usus, ut Cicero *de Orat.* & Quintilianus observarunt: Hinc, teste Mario Victorino, Nigidius, antiquitatem sequens, illam refugit. Imò & Attici serò usurparunt, Æoles nunquam admiserunt Κ Σ loco ejus usurpantes: quod longo quoq; tempore Latini, etiam post Antoninorum imperium, sunt imitati. Hinc & in Longobardicis exemplaribus *Dicsit*, pro *Dixit* invenias: Jam tamen in Duilii columna, *Exfociunt*, pro *Effugiunt*, legitur. In numerandi ratione denarium notat, ejusque dimidia *V.* quinque significat. Quare Ausonius, *de litt. monos.*

In Latio numerus denarius, Argolicum X.

Quò faciunt quoque nummi veteres, ob literam hanc inscriptam *Denarii* dicti. Plin. Voss. *in Aristarcho, lib.* 1. *cap.* 21. ubi docet, Latinos literam hanc duplicem, nunquam pro *G S.* sed tantùm pro *C. S.* usurpasse.

X A.

Xaca, Philosophus Indus, auctor fuit circa Ann. Chr. 65. Sinicæ Sectæ, quæ apud illos, *Seiequa*, nec non *Xekiao*, seu *Foekiao*: apud Japonenses verò *Sciacca* & *Amidaba* nuncupatur. Ejus dogmata sunt: *Quatuor esse elementa, Multiplices mundos, Animas in alia corpora migrare &c.* Eadem Idololatriam exercet, carnium esu interdicit; cæterum, in reprimendis imprimis affectibus occupata, præcepta de moribus egregia suppeditat, si Trigautio fides, certum etiam Triadis modum inducit, quo tres Deos in unum Numen coalescere fabulatur. Idem Idololatricæ hujus hæreseos pariter ac transmigrationis Sinensibus auctor, Japonenses eadem docuit. Vide Theoph. Spizelium *de re liter. Sinensium passim.*

Xalisca, vulgò *Xalisco*, pars Austr. novæ Gallæciæ, versus oram maris Pacifici, ubi Purpureum incipit. Ibi urbs præc. *Xaliscum.* Sunt præterea in hoc tractu aliquot coloniæ Hisp.

Xalo, vicus in magno campo situs videtur, inter utramque Galilæam in tr. Manasse. Galilææ inf. terminus, versus Mer. Joseph. *de B. Jud. lib.* 3. *cap.* 2.

Xandrames, Vide *Angammes.*

Xansia, vulgò *Xansi*, prov. Sinarum secunda, in parte Bor. Terminatur à Sept. Muro Sinico, quo divellitur à Tartaria magna, ab Ortu prov. Pechinensi, ab Occ. Xensiâ, à Mer. Honaniâ. In ea quinq; urbes præc. Nempe *Taiyven*, caput prov. *Pingyang, Taitung, Lugan*, & *Fuencheu*, sub quibus 92. urbes min. M. Martinius, in *Atlante Sinico.* Multi quoque in hac prov. fontes ignei, quibus incolæ ad coctionem utuntur, Neuhof. *Itiner. Chin. pag.* 12.

Xanthe, Nympha marina, Oceani ac Tethyos fil. à flavo colore sic dicta. Hesiod. *in Theog.* A Virgilio *Xantho* vocari videtur, *Georg.* 4.

Drimoq;, Xanthoq; Ligeiaq; Phyllodoceq;.

Xanthi, pop. Thraciæ. Steph. Horum urbs *Xanthia*, de quâ Nicetas Choniata *in Annalibus.* Item Asiæ pop. qui cùm eorum urbs ab Harpago Cyri regis præfecto obsideretur, uxores suas ac servos unà cum supellectili in arce posuerunt, eamque igni succenderunt, inde omnes pariter contra Harpagum irruentes interfecti sunt. Herodot. *lib.* 1.

Xanthia, locus Thraciæ, Nicetas. Episcopalis locus apud Curopalatem.

Xanthippe, uxor Socratis Philosophi, de qua Gellium sis vide *lib.* 1. *cap.* 17.

Xanthippus, Lacedæmoniorum dux accersitus à Carthaginensibus, contra Luctatium cons. pugnavit. Volat.

Xanthippus, Periclis pater ex genere Alcmæonidarum.

Xantho, vide *Xanthe.*

Xanthus, Candauli Lydi fil. historicus Sardianus, qui eodem tempore fuit, quo Sardes, non quidem à Cyro, sed ab Jonibus & Atheniensibus, captæ sunt; Suidâ teste. Scripsit Lydiacorum libros 4. in quibus de regibus Lydorum egit. Mem. Diog. Laert. *in proœmio.* Operis ejus apud Athenæum mentio est, *lib.* 12. Idem *lib.* 10. citat ejusdem operis lib. 2. uti & Hesychius Illustris, ac Suidas; quorum uterque ex eo refert, Gygem, Lydorum regem, primùm fœminas castrasse, quò iis ætate florentibus semper uteretur. Vide omnino Voss. *Hist. Gr. lib.* 4. *pag.* 451. 452. Item Poeta Melicus, cujus mem. Ælianus.

Xanthus, fil. Tremili & Praxidices in Lyciâ natus. Steph. in *Tremila.*

Xanthus, Lydus, Historicus Græcus, impensè à priscis laudatus, Scripsit historiam Lydiæ, &c. Dionys. Halic. *libr.* 1. *Antiq. Rom.* Solin. *cap.* 43. Strabo *lib.* 12. Voss. *de Hist. Gr.* V. supra.

X A

Xanthus, urbs Lyciæ Straboni, à Xantho Cretensi dicta, quam *Arnam* olim vocatam Steph. scribit. Episc. sub Arch. Myrensi. Dicitur & *Xanthopolis.* Inde Nicephorus Callistus *Xanthopolitanus.* Et Theodori *Xanthopolitani* mentio in Synodo VIII. Ferrar. Item Lesbi opp. Steph. Et urbs Germ. infer. apud Rhenum, vulgò *Santen.* Urbs aliàs Gugernorum, nunc Duc. Cliv. Baudrando, aliàs *Vetera castra*, quod Vid. Satis parva est, 2. leuc. infra Vesaliam in Occ. quot à Geldria in Bor. An à Trojanis condita, an, ab excidio Trojæ 280?

Xanthus, fluv. Troadis, idem cum Scamandro, ita dictus, teste Arist. *de Hist. Animal. lib.* 3. quòd ovium vellera flavo colore inficiat. Virg. *Æn.* 8.

— Priusquam
Pabula gustassent Trojæ, Xanthumq; bibissent.

Item Lyciæ fluv. *Xanthum* urb. interluens. *Sirbis* Straboni, hodieque *Sirbi* vulgò. Oritur è Cadmo monte. Herod. Plin. Virgil. *Æn.* 4.

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthiq; fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo.

Item fluviolus Epiri. Hoc præterea nomine fuit unus ex equis Hectoris, cujus mem. Hom. *Il.* 23. Sunt etiam qui dicant, Xanthum inter equos Solis numerari, propter illud Martialis,

Quid cupidum Titana tenes? jam Xanthus & Æthon
Frena volunt. — —

Xantonia, prov. Sinarum Imp. quarta, in parte Bor. *Xantung* vulgò. Mire rigua est & fertilis. Terminatur à Sept. & Ortu Sinarum intimo recessu, seu Nanchinensi sinu, ab Occ. Pechinensi prov. uti à Mer. Nanchinensi. Ibi urbes præcipuæ, *Cinan* caput, *Yencheu, Tunchang, Cingcheu, Tengcheu*, & *Laicheu*: sub quibus 98. urbes min. M. Martinius.

Xaocheum, urbs Quantuniæ secunda. Alluitur duobus flu. cui subsunt 5. aliæ. 80. m.p. à Quancheo in Bor. Idem. Vulgò *Xaocheu.*

Xaohinga, urbs Chequianensis prov. octava, sub qua 6. aliæ. Ampla & valde culta, intra aquas, Venetiarum fere instar, ad ostia fluv. *Ché* in Oceanum Eoum. Idem. Vulgò *Xaohing.*

Xaoum, urbs Fochiensis prov. octava, in ejus parte Bor. juxta *Zuyun* fluv. ad rad. montium, in limite Xansiæ, Sub qua 3. aliæ. In tractu admodum fertili, Idem. Vulgò *Xaouu.*

Xarajorum lacus, in Paraguaia, ex quo Argenteus flu. ut multi rentur, effluit. Vulgò *Lago de los Xarayes.*

Xarandilla, urbs Castellæ, prope Placentiam.

Xarax, vel *Zarax*, Laconicæ opp. Paus. in ora Or. ad sinum Argolicum, inter Epidaurum, ultra Maleam prom. & Cyphantum portum. *Xaralasi* Moletio, aliis *Cara* vel *Zara. Zarex* Ptolemæo. Vide ibi.

Xarxiare, urbs Drangianæ, Ptol.

Xathri, libera Indorum gens, circa Indum fluv. Arrian. *lib.* 6.

Xativa seu *Sativa*, aliàs *Setabis*, urbec. regni Valentiæ, cum castro antiquo, sed munito. 2. leuc. Hisp. à Setabi flu. in Mer. uti 7. à Valentia, & 12. ab Artemisio prom. in Occ. Vulgò *Xativa.*

Xaurus, locus Macedoniæ, à *Xauro* quodam dictus. Incolæ *Xaurii.* Steph.

Xauxa, fluv. Peruviæ *Rio Maragnon* etiam. Oritur ex lacu *Chincacocha* 120. m. p. à Lima in Bor. dein in Ortum tendens, recipit fluv. *Parcos, Vinaque, Abancay, Apurima*, & *Incay*: quibus auctus in Bor. fluit; & rigatis *Maina, Mananes*, & *Pacamores*, aliisque provv. Peruviæ, ac receptis *Chupachos* & Maybamba fluv. in fl. Amazonum se exonerat.

X E.

Xecienum, vulgò *Xecien*, urbs in parte Sept. Queicheæ, inter urbes Sucheum ad Ort & Sunanum ad Occ., versus fluv. Ivenum. Quinta hujus prov. Sub qua 3. arces.

Xena, locus Cretæ, ubi Lycurgum sepultum tradit Plut.

Xenagoras, Historicus, Auctor Chronici &c. celebratur à Macrob. *lib.* 15. *cap.* 19. Dion. Halicarnasseo *lib.* 1. *&c.* Vid. Voss. *lib.* 3. *Hist. Gr. pag.* 421. *&c.*

Xenarchus, poeta Comicus, cujus fabulas commemorat Athenæus, Aristot. Suid. Alius è Seleuciâ Ciliciæ Peripateticus, qui Alexandriæ primùm docuit, deinde verò Romæ, ubi Cæsaris Augusti amicitiâ usus usque in senectutem in honore habitus fuit. Strabo *lib.* 14. qui ejus discipulus fuit.

Xenetus, Locrensium ditissimus, qui cùm filiam Doridem Dionysio tyranno nuptum dedisset, genero instigante tyrannidem affectavit: quod populus animadvertens & ipsum & alios Optimates oppressit. Vide Aristot. *lib.* 5. *Polit. cap.* 7.

Xeniphyris, vicus Libyæ. Steph.

Xeneus, Chius, de Chio inſ. volumen edidit. Athen. 14.

Xenia, dicta olim munuſcula, quæ à provincialibus Rectoribus provinciarum offerebantur, *L. 6. D. de off. proconſ. &c.* Vox in privilegiorum Chartis non inſueta: ubi *quietos eſſe à Xeniis*, immunes notat ab hujuſmodi muneribus aliisque donis, Regi vel Reginæ præſtandis; quando ipſi per prædia privilegiorum tranſierint. In more enim Principibus olim, à ſubditis vel invitis munera extorquere, quod hodieque Perſarum Regibus ſolenne eſſe, oſtendit Petrus de Valle *Itiner. tom. 2. & 3.* Itaque ab hoc jugo liberos in Anglia Eccleſiaſticos fecit Æthelbaldus, Rex Merciorum An. Ch. 749. Vide Ingulph. Sax. & Will. Malmesburium *de geſtis Reg. Angl. pag.* 29. ubi inter alia hæc habentur; *Nec munuſcula præbeant Regi, niſi voluntaria.* Quò autem poſtea conſuetudo devenerit, docet Continuator Matt. Pariſ. de Henrico III. initio an. 1251. his verbis: *Et jam cum Abbatibus, Prioribus, Clericis, & Viris ſatis humilibus, hoſpitia quæſivit Rex Henricus I. & prandia, moraturus, & munera poſtulaturus. Nec jam civiles habebantur hi, qui Regi & Regalibus, hoſpitia cum procurationibus ſplendidis exhibuiſſent, niſi muneribus nobilibus & magnis Regem ipſum, Reginam & Eduardum, & aulicos ſigillatim reſpectos honorarent, imo nec erubuit, ipſa non tanquam gratuita, ſed quaſi debita poſtulare.* Et paulo poſt: *Nec appreciabant Aulici & Regales donativa, niſi pretioſa & ſumtuoſa: utpote palefridos deſiderabiles, cuppas aureas vel argenteas, monilia cum gemmis præelectis & zonis Imperialibus & conſimilia. Et facta eſt Curia Regalis Romana conſimilis, in quæſtu pro meretrice ſedens, vel proſtans veracius.* Hæc ille. A Saturnalium autem faſtu hæc conſuetudo emanaſſe videtur. In illis enim ſolitum fuit, munera hoſpitibus mittere, quæ ideo à Græco ξένος *Xenia* dicta. Similis etiam in Nataliciis mos: unde ſic puer in Pſeudolo, *Act. 3. Sc. 1.*

Nunc huic lenoni eſt hodie natalis dies:
Interminatus eſt à minimo ad maximum,
Si quis non hodie munus miſiſſet ſibi.
Eum cras cruciatu maximo perbitere.

Etiam dabantur *Xenia*, an ad, an ob ingreſſum Eccleſiarum, utrumque hodie in uſu, ſed omnino vetuit pius Imp. Carolus M. *Capitul. lib. 1. cap. 146. Ut nullus Presbyter ad introitum Eccleſiæ* Xenia *donet.* Imò hodie pacta pretia ſolvuntur, *Xenia* arbitraria non admittuntur. *Xenia* porrò à militiæ candidatis dabantur: ab ipſis quoque Chriſtianis Kal. Januarii, quod Concilio Antiſſiodorenſi An. Chr. 624 prohibitum eſt: *Can. I. Non licet Kalendis Januarii vetola aut cervolo facere, vel ſtrenas* (ita enim quoque hæc Xenia dicebantur) *diabolicas obſervare, ſed in ipſa die ſic omnia officia tribuantur, ſicut & reliquis diebus.* Quæ autem *Xenia* dantes, ab accipientibus referebant, Apophoreta appellata ſunt, Henr. Spelmannus *Gloſſar. Archæol.*

Xeniades, Corinthius, qui cùm emere vellet Diogenem Cynicum, & quid is artificii noviſſet, percontatus foret: *Novi*, inquit Diogenes, *hominibus liberis imperare.* Quo reſponſo incitatus Diogenem Xeniades emit, & manumiſit, filioſque ſuos ei tradens: *Accipe*, inquit, *liberos meos quibus imperes.* Gellius 2. 18.

Xenicus, pauperis nomen & in comœdiâ exagitati. Erat guloſus & rapinæ opſoniorum inhiabat. Quidam ducem fuiſſe autumant. Ariſtoph. *Plut. Act. 3. ſc. 3.*

Xenion, Cretica conſcripſit, teſte Steph. Macrobio *lib. 1. cap. 9.* & Etymologo. Idem Italica condidit. Macrob. *Sat. 1. 9.*

Xenippa, regio Scythiæ confinis, Qu. Curt. *lib. 8.*

Xenius, Jupiter ſic dictus, qu. *Hoſpitalis.* Virg. *lib. 1. Æn.*

Jupiter, hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.

Xenocles, Spartiata, in expeditione Ageſilai contra Perſas, mille & quadringentorum dux; cùm in ſilvâ noctu Perſis manè prætereuntibus Ageſilaus inſidias abdidiſſet. Diod. *lib. 14.*

Xenocles, Carcini filius, Poëta Tragicus impolitus in carmine & allegoriis nimium gaudens. Fratres ei fuerunt, Xenoclitus & Xenotimus. Secundùm aliquos, duo Xenocles tragici Poëtæ viguerunt; tertius Reip. adminiſtrationi deditus, mali atque improbi Patris ſoboles, municipio Cholargeus. Vide Scholia *in Ariſtophanis Ranas Act. 1. ſc. 2.* Vide & *in Veſpas, pag. 537. E.*

Xenoclides, Poëta Gr. Olymp. 105. Demoſth.

Xenocrates, fil. Agathenoris, Chalcedonius, auditor Platonis, qui in Academiâ Speuſippo ſucceſſit & 25. an. docuit. Adeò tardus ingenio fuit, ut cùm illum Plato Ariſtoteli compararet, alterum fræno, alterum calcaribus indigere diceret. Hic Philoſophorum ſeveriſſimus extitit. Ferunt enim, cùm Phryne nobile ſcortum, deditâ operâ à quibuſdam intra ejus cellam miſſa eſſet, atq; ab eo orans lectuli partem accepiſſet, demumque, imperfecto opere diſceſſiſſet, dixiſſe, ſe non à viro, ſed à ſtatuâ veniſſe. Ejus verbis tanta fides adhibebatur, ut cùm injurati nullius teſtimonium admitteretur, huic injurato crederetur. Munera ab Alexandro M. oblata generosè reſpuit, legatiſque victus ratione oſtenſâ, En, pecuniâ, inquit, veſtrâ opus non habeo. Dixit, nunquam ſilentium nocuiſſe: Diſcipulum, rerum Mathem. rudem non admiſit. Scripſit libb. 6. de Natura; totidem de Philoſophia; Unum de divitiis &c. Diog. Laert. *lib. 4. de Philoſ.* Vide quoque Geſner. *in Bibl.* & Voſſ. *de Hiſt. Gr.* Hunc Athenienſes aliquando vendiderunt, ut ita in exilio degens frangeretur. Obiit 82. ætatis ſuæ anno, quum noctu forte in lartaginem offendiſſet.

Xenocrates, Philoſophus, Platonis auditor, præceptor Polemonis; cum princeps quondam intentatæ legationis iret ad Antipatrum, à quo omnium expectatio erat, nihil non illo orante impetrari poſſe, reliquis ſociis humaniter exceptis, in conſpectum vix quidem admiſſus eſt, quòd ſuſpectus haberetur. Tunc verſus ad ſocios Xenocrates, beneficium accipere dixit, quòd ſe unum Antipater ſuæ in Athenienſes ingratitudinis & perfidiæ teſtem vereretur; & dicere incipientem, nunc obſtrependo, nunc obſecrando tacere Antipater coegit, cui in orando Phocion legationis comes ſucceſſit. Ad hunc miſit Alexander dono triginta talenta auri. Ille autem ſtatim remittens ait, *Regibus non Philoſophis opus eſſe pecuniâ.* Suidas.

Xenocrates, alter Philoſophus, modeſtiâ nihil ſuperiore inferior, ſcripſit domeſticum auſpicium, quomodo viz. cùm aut muſtela, aut ſerpens, aut his ſimilia appareant, quid portendere ſoleant. Suidas.

Xenocrates, Chronica edidit, teſte Etymologo in Ἄσκανία. Quis hic fuerit, haud facilè cognoſcas. Nam præter Chalcedonium (de quo ſupra, & Voſſius *Hiſt. Gr. lib. 1. cap. 8.*) fuit & *Xenocrates* Epheſius, cujus Plin. 37. 2. Fuit etiam *Xenocrates* Aphrodiſienſis, qui de Animalibus commentatus eſt, teſte Artemidoro *Oneirocr. lib. 4. cap. 24.* Fuit & *Xenocrates* inſignis pingendi & cœlandi artifex, de quo Plin. 34. 8.

Xenodochus, viri proprium, de quo Plut. *in Alex.*

Xenodorus, ſtatuarius egregius. Plin. 34. 8. Item hiſtoricus, patriâ Trœzenius.

Xenophanes, philoſophus Colophonius, Archelai auditor, ſcripſit elegias & jambos contra Heſiodum & Homerum, quæ de Diis dixere improbanda. Floruit Olymp. 60. in Siciliâ. Quatuor Elementa aſſeruit, ſed mundos innumeros. Laertius, & Strab. *lib.* 14. Item *Xenophanes*, poeta Jambicus, Lesbius. Suid. Diod. *lib. 5. vitæ Phil.* Sextus &c.

Xenophilus, inter duces Alexandri Magni, cui Suſianæ arcis cura à rege mandata eſt, mille Macedonum ætate gravibus, præſidere arcis cuſtodiæ juſſis. Curt. 5. 12.

Xenophilus Muſicus, patriâ Chalcidenſis, Pythagoricus, biennio minor quàm Gorgias, qui an. 107. vixit, ſed felicitate non inferior, Siquidem, ut Ariſtoxenus Muſicus ait, omnis incommodi humani expers, in ſummo perfectiſſimæ doctrinæ ſplendore extinctus eſt. Plin. 7. 50.

Xenophon, Dux, Philoſophus & Hiſtoricus celeberrimus: Grylli fil. Athenienſis, Socratis diſcipulus, ob eloquentiam *Muſa Attica* vocatus eſt; Equorum, venationis & rei familiaris imprimis ſtudioſus, ut ex ejus libris deprehendi poteſt. Dux copiarum Byzantium ingreſſus, facundiâ ſuâ impedivit, ne urbs diriperetur. Olymp. 95. Venit dein in amicitiam Cyri minoris, cum quo militavit, ac ejus παιδείαν ſcripſit, non tam hiſtoriæ ſerviens veritati, quàm ut perfectum ducem inſtitueret, uti Cic. *lib. 2. de Orat.* teſtatur, quem librum ſe frequenter lectitaſſe, & manibus triviſſe alibi in Epiſtolâ quadam dicit. Scripſit præterea Sympoſium & Oeconomicum, à Cicerone in Latinum ſermonem converſum, ſi credimus Columellæ. Edidit & hiſtoriam Peloponnesiaci belli, ac eorum quæ Athenienſes poſt Thucydidem, quem edidit, geſſerunt, primus Philoſophorum hunc laborem aggreſſus. Quinctilianus Xenophontis jucunditatem inaffectatam dixit, quam nulla affectatio conſequi poſſit. Librum de Æquivocis, norunt omnes, Annii Viterbienſis abortum illum eſſe, qui Beroſum, aliaque plurima ſimiliter commentus eſt: Cum Platone ſimultates geſſit, teſte Gellio *lib. 14. cap. 3.* Poſt memorabilem XM. Græcorum e Perſia, quos ipſe duxerat, reditum, Ageſilaum in Aſiam ſequutus eſt, interfuitque prælio ad Chæroneam, unde Scylluntem ſe recepit, eò quòd Cyrum ſequutus Athenas redire non auderet. Poſtquam dein Spartanorum dominatio ab Epaminonda eſt labefactata, Corinthum abiit, ibi mortuus Olymp. 105. æt. 90. *Hic aliquando ſacrificans, auditâ morte filii, ſertum, quod capite geſtabat, depoſuit, cùm autem nuntius addidiſſet, illum fortiter pugnando obiiſſe, repoſuit illud: Filius hic ille fuit, qui Epaminondam in prælio ad Mantineam occiderat.* Diog. Laert. Pluribus perſequitur hujus vitam Laertius. *lib. 2.* Vid. quoque Voſſ. *de Hiſt. Gr. lib. 1. cap. 6.* Varii hujus nominis authores fuere, ut 1. *Xenophon* Athenienſis, frater Pythoſtrati illius, qui *Theſeida* ſcripſit, ac inter cætera quoque Epaminondæ ac Pelopidæ vitam conſignavit, teſte Laertio in *Xenophonte.* 2. Ab eodem Laertio alter *Xenophon* commemoratur, qui Annibalis hiſtoriam literis tradidit. 3. Item alius fuit, qui de fabuloſis prodigiis tractavit, eodem teſte. 4. *Xenophon* Antiochenus, hiſtoricus, qui Babylonica condidit. Sunt autem amatoria. Suidas. 5. *Xenophon*, Epheſius hiſtoricus, qui Epheſiaca compoſuit. 6. *Xenophon* Cyprius, hiſtoricus, qui Cypriaca conſignavit. 7. *Xenophon* Lampſacenus, Geographus, ut videtur, cujus meminit Plin. 4. 13. & 6. 31. & Solinus *cap.* 22. 8. *Xenophon* etiam, neſcio quis, μακροβίους in literas retulit, de quo Plin. 7. 48.

Xenophon, Claudii Cæſaris Medicus, ſecundùm ipſum, Æſculapii familiâ ortus: cujus precibus datum, ut omni tributo vacui in poſterum Coi ſacram & tantùm Dei miniſtram inſulam colerent. Tacit. 12. 61. Paulò poſt in conſcientiam Agrippinæ aſſumptus,

ptus,

phis, de tollendo venenis Claudio, tanquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus dimisisse creditur. *Ibid.67.*

Xensia, vulgò *Xensi*, tertia prov. ex 15. provinciis Sinarum Imper. in ejus parte Bor. Terminatur à Sept. montibus, Sinico muro, & Croceo fluv. quo separatur à Tartaria magna, ab Ortu Xansiâ, à Mer. Suchuenli prov. ab Occ. regno Tibethi. In ea octo urbes præc. *Sigan* caput, *Fungciang*, *Hanchung*, *Pingleang*, *Cungchang*, *Linyao*, *Kingyang*, & *Jengang*, sub quibus 108. urbes minores & 19. arces permunitę, Martin.

Xera, urbs juxta Herculis columnas, Steph. Alii legunt *Xerea*. Hinc nomen gentis *Xeraus*, hodie *Xerez de la Frontera*. Urbs Hispan. Bæt. in Vandalitia, prope ostia fluv. *Guadalete*, 2. leuc. à Mesthæi portu, in Bor. uti 6. à Gadibus Hispalim versus, prope finum Gadit. Aliis *Cæsariana* & *Asta Regia*. Vide ibi.

Xera, opp. Guatimalæ; vulgò *Xerez*. Versus oram maris Pacifici, 90. mill.pass. à Legione, urbe Nicaraguę in Occ. Guatimalam versus 250. sub Hispan.

Xerolibya, pars Libyę interior, propter aquarum inopiam inculta. Unde Virgil. 4. *Æneid.*

Hinc deserta siti regio. ——

Xeroniaca, Vallis circa Halatiam alicubi videtur, apud Metaphrasten, in vita S. Theodori Archimandritę.

Xerxene, reg. Medię Borealis, inter Iberiam & Albaniam, apud Alazonem fluv. sic à *Xerxe* Persarum rege ibi orto dicta, teste Eutropio. Apud Strab. est reg. Medię Armenię majori contermina, Sic *Cambysena* à Cambyse.

Reges Persarum.

Xerxes I. Persarum Rex, filius Darii secundogenitus, & Cyri ex Atossâ filiâ nepos, Artabazani fratri majori, nato Patre nondum Rege, antelatus, Ann. 269. U.C. Ægyptum subegit, Achæmene fratre illi præfecto. Dein 170. hominum myriadibus, hoc est, decies septies centenis millibus per totum quinquennium contractis, Gręcię bellum intulit. Quam tantam hominum turbam cùm ex editiore speculâ aspexisset, teneriter fertur lachrymasse, quòd post centum annos ex tanto hominum numero nemo esset superfuturus. Tantum autem habuit navium apparatum, ut totum Hellespontum operiret, & Asiam Europę ponte conjungeret; Athon præterea mont. à continente abscidit. Plin. *lib.*4. *cap.* 10. Lucanus *libr.* 2.

Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Construxisse vias: multum cum pontibus ausus
Europamq; Asiæ, Sestonq; admovit Abydo,
Incessitq; fretum rapidi super Hellesponti,
Non Eurum Zephyrumq; timens, quum vela, ratesq;
In medium deferret Athon.

Propertius *lib.* 2. *cap.*1.

Xerxis & imperio bina coisse vada.

Victus demum apud Thermopylas à 4. hominum millibus, navale quoque certamen cum Themistocle tentavit, à quo similiter apud Salaminem superatus, cùm antea tota maria classe sterneret, vix parvulâ cymbâ effugit, relicto Mardonio præfecto, qui & ipse, re in Bœotiâ infeliciter gestâ, cum paucissimis in Persidem se recepit. Demum, cùm se otio socordiæque, relictâ militiâ, tradidisset, præmium genus luxuriæ novum invenientibus proposuit, Valer. Max. Quamobrem à suis spretus, paucis pòst annis, ab Artabano præfecto suo, An. 287. U.C. in regiâ interficitur, cùm regnasset annos 8. Nominis interpretationem quære in *Artaxerxes*. Herod. *lib.* 7. & 8. Diodor. Justin. Plut. &c. Ei successit Artaxerxes, quo natus

Xerxes II. qui 2. saltem menses regnavit, An. 329. U.C.

Xerxes, pictor Heracleota, Venerem adeò pulchram depinxit, ut ex eâ quæstum magnum faceret, Ælian.

X I.

Xianzum, opp. Poloniæ min. ubi habitâ celebri Synodo, An. Chr. 1560. cui 50. Ministri, Proceres plerique & è Nobilitate plurimi interfuere, Stancari doctrina condemnata est. Lætus *Comp. Histor. Univ.*

Xicco Riccius Polentonus, Patavinus, floruit sec. 15. Composuit argumenta in Orationes Cicer. Volumen de illustr.script.Lat.&c. Bernardinus Scardeonus, *lib.*2. *de reb. Patavinis.* Vossius *de Histor. Latin. &c.*

Xicocum, vulgò *Xicoco*, Insula una ex tribus partibus Japoniæ. Dicitur & *Chicoko*, id est, quatuor regna, & *Tokoesi*. Est inter Niphoniam, quæ ei ad Bor. & Ortum est, & Ximum Inf. à qua separatur, ad Occ. angusto freto, ad Austr. habet mare Sinicum. In ea IV. regna sunt, *Ava*, *Ivo*, *Sanuqui* & *Tosa*, sed nulla urbs alicujus notæ, Brietius.

Xilia, urbs Libyæ, Stephan. Vide *Zilia*.

Xiline, Ponti Cappadocici urbs, Ptol. vulgò *Sentina*.

Xiloca, vulgò quoque *Xilloca*, fluv. Aragoniæ. Darocam oppid. alluit, dein in Salonem se exonerat, prope Bilbilim.

Ximena, locus Asiæ maj. unde Halys oritur.

Ximum, vulgò *Ximo*, Insula una ex tribus partibus Japoniæ, versus Austr. & ferè inter Niphoniam & Xicocum ad Ort. à quibus separatur angusto freto, & Coream regnum ad Occ. Dicitur *Ximum*, id est, Regia inferior & *Saycock*, id est, novem regna, quot continet: Nempe *Figen*, *Bungo*, *Chicuien*, *Fingo*, *Fiunga*, *Bugen*, *Satcuma*, *Volumi* & *Uto*. In his præc. urbes *Arima*, *Bungo*, *Nangasachi* & *Satcuma*.

Xincheum, vulgò *Xincheu*, urbs Huquaniæ duodecima. Martin. In tractu montuoso, sub qua 5. aliæ. Paucis mill. ab Iveno fluv. 30. à Tuntinga lacu in Occ.

Xingovini, Bonziorum apud Sinenses genus, qui Denichum colunt: *Xintani* qui Quoquium. Idem *sect.*9.

Xini, Thessaliæ pop. Hesychio. Forte *Xyni* à *Xynia*.

Xinnungus, Imperator Sinicus, alterum genus literaturæ excogitavit, ex Agriculturæ rebus concinnatum: quod usurpavit in annotandis iis, quæ ad Agriculturam requiruntur. Sicut Fohius Imper. primum ex serpentibus & draconibus: Tertium ex alis avis *Fumhoan*, Xauhoamus Imper. Quartum ex ostreis & vermiculis: Quintum ex herbarum radicibus: Sextum ex decussatis avium vestigiis Rex Choamus confecit. Yaus septimum ex testudinibus fabricavit: Reliqua vide apud Theophilum Spizelium *de re liter. Sinensium sect.*14. Idem *Xinnungus*, non terræ solum fertilitatem quinque frugum generibus tritico, oryzâ, milio, frumento Indico, & leguminibus sparsis exploravit; verùm in summo tum Medicinæ defectu, herbarum vires in proprio corpore expertus est, tantâ industriâ ac successu, ut unius diei spatio 60. ferme herbarum venenatarum genera, cum totidem antidotis, distinxerit: proin Princeps Medicorum à Sinensibus habitus. Apud eundem.

Xinsii, vulgò *Xinsien*, Sinensibus dicuntur beati, quos immortalitate donatos, in jugis montium summis voluptatibus vacare fingunt, Idem.

Xiphene, reg. Palæstinę, Steph. ex Josepho *lib.* 6. *Antiq.* Hinc *Xiphenæus*, nomen gentis.

Xiphilinus Johannes, Patriarch.Constantinopolitanus, seculo 11. eruditione & probitate inclytus, Trapezuntinus: post mortem Constantini sede potitus est, An. 1066. Obiit An. 1080. Dionem in epitomen redegit. Glycas *P.* 4. *Annal.* Andr. Schottus *Prolog. in Phot. Bibl.* Voss. *de Hist. Græc. lib.* 2. Baron. *in Annal.*

Xiphonia, urbs Siciliæ, Stephan. in ora Or. Nunc est Augusta, (*Agousta*) oppidum parvum, sed munitum Vallis Netinę, in peninsula, cum portu peramplo seu sinu parvo, prope Taurum prom. & 24. m. p. à Syracusis in Bor. Catanam versus 16. & 24. in Mer. à Longo promunt. *Capo delli Molini*. Baudr. Incolæ *Xiphoniatæ* Theopompo *lib.* 3.

Xiphonia, promuntor. Siciliæ in orâ ad Ort. *Capo di Molina*, Fazello. Inter Acis ostium & Cyclopum scopulos proximos, à Tauromini o 10. m. p. Catanam versus 20. Ferrar.

X O.

Xoa, seu *Xaoa*, vulgò *Xoa*, regnum Æthiopiæ, versus Zanguebariam. Ejus pars subest Abyssiniæ Imper. altera ipsi erepta fuit per Galas, superiori seculo. Hier. Lupus, *in descript. Æthiopiæ super. & dissertat. de fontibus Nili.*

Xoana, Indiæ intra Gangem opp. Ptolem.

Xodraca, urbs Indiæ intra Gangem, Idem.

Xoes, vel *Xois*, insula & urbs Ægypti inter Sebennyticum & Phatnicum Nili ostia, Ptol. Incolæ *Xoitæ*.

Xolla, Africę urbs, Appianus *in Punicis*.

X U.

Xuches, urbs Libyę. Gentile *Xuchites*, Stephan.

Xuicheum, urbs Quansiæ prov. decima, in Sinis, intra montes, sub qua 2. aliæ, Martin. Media inter urbes Nanchangam ad Ort. & Ivencheum ad Occ. 60. m. pass. à lacu Poyangi in Occ. Vulgò *Xuicheu*.

Xunckinga, vulgò *Xunching*, urbs Suchuensis prov. tertia, in tractu montuoso, prope *Kiang* fluv. 90. m. pass. ab urbe Chingto, primaria prov. in Ort. Sub illa 9. aliæ. Idem.

Xunninga, urbs Junnaniæ, in Sinis, ampla, in tractu montuoso, Idem. Vulgò *Xunning*.

Xunta, urbs quinta Pechinensis prov. sub qua 8. aliæ, ad radices montium, versus Imperii confinia, Idem. *Xunte* vulgò.

Xuntienum, id est, cœlo obediens, urbs amplissima, caput Sinarum, meliùs *Pechinum*. Vide ibi.

Xunus, quem pater instigante novercâ, sæpius è medio tollere parabat, tolerantiâ, ac mansuetudine suâ parentum fregit improbitatem: quâ perdomitâ tota familia ad frugem se recepit, & ipse Sinicum acquisiit imperium. Vide Theophilum Spizelium *de re literaria Sinensium sect.*12.

Xuthia, urbs Siciliæ. Gentile *Xuthiates*, Stephan.

X Y.

Xylander Guilielmus, Augustanus, Theologus doctissimus, Heidelber-

delbergæ docuit. Fuit linguarum apprimè peritus, & in omni antiquitate ac literatura versatissimus. Obiit An. Ch. 1576. æt. 46. Edidit Strabonis, Cedreni, Plutarchi, Dionis aliorumque auctorum versiones, dum vixit, cum egestate luctatus. Bucholcerus *Ind. Chronol.* Lætus *Comp. Hist. Univ.* &c.

Xylenopolis, opp. ab Alexand. M. conditum, in littore Carmaniç aut Gedrosię, Plin.

Xyli, pop. Britanniæ insulæ, quorum meminit Jornandes *de rebus Geticis cap.* 2. cùm ait: *In extrema ejus parte Memma, quam Cornelius etiam Annalium scriptor narrat, metallis plurimis copiosam, herbis frequentem, & his feraciorem omnibus, quia pecora magis, quàm homines alat. Labi verò per eam & multa quàm maxima relabiq; flumina, gemmas margaritasq; volventia:* Xylorum *colorati vultus, torto pleriq; crine & nigro nascuntur: Calidoniam verò, &c.*

Xylicces, Lybię infer. populi, Ptolem.

Xyline. vide *Xiline*.

Xylocastrum, castellum Armenię, Cedreo. Gabius apud Curopalatem *Psilocastrum* legit.

Xylophagus, promuntorium Eubœæ, Metaphr. in *vita Theoctisti*.

Xylopolis, opp. Mygdonię, Ptolem.

Xylos, Carię oppidum, Stephan. & Hecatæus *in Asia*. Gentile *Xylius*.

Xymethus, urbs Marmaricę Ptolem. *Zemythus*, Latini codd. An *Semeros* Anton. dubitat Simlerus.

Xynia, urbs Thessalię, Stephan.

Xynias, palus, vel ab urbe vicina sic dicta, vel quòd ξυνὴ, hoc est, *communis* esset Thessalię & Bœotię. *Bœbeis* Stephano dicitur. Vide Liv. *Dec.* 4. *lib.* 2. & 9. Gentile *Xynieus*.

Xypete, vicus in tribu Cecropide, Stephan. Item vicus Atticę, *Troja* prius dictus, Idem.

Xystici, apud Rom. gladiatores erant, non in arenâ, sed in porticu, & ambulacris hyberno tempore pugnantes. Est enim *Xystus*, *ambulacrum*, quod Græci ὑπαίθρον vocant. Horum meminit Sueton. *in Augusto*.

Xystis, urbs Carię, unde *Xystiani*, de quibus Plin. *lib.* 5. *cap.* 29. Nunc non videtur extare.

Pontifices Rom.

Xystus I. 6. Rom. Episcopus, Euseb. 5. 6. *A. Dom.* 121.

Xystus II. 23. Rom. Episcopus, *an.* 2. *A. Dom.* 257.

Xystus III. excepit Cælestinum, An. Chr. 432. Obiit An. Chr. 440. Successit Leo M.

Xystus IV. Pauli II. successor, obiit An. Chr. 1484. Sequutus est Innocentius VIII.

Xystus V. post Gregorium XIII. sedere cœpit An. C. 1585. Obiit An. Ch. 1590. Urbano VII. successore. Vide *Sixtus*.



Y.



Græca penitus vocalis est, neque à Latinis, nisi in vocabulis Grajæ originis adhibetur. Apud eosdem in *U.* mutatur, unde *δύω, μῦς, σῦς, τύρβη, &c.* Latine *duo, mus, sus, turba, &c.* Sic à *κῦμα, cumatilis*, color est: hoc tamen discrimen inter utramq; vocalem, quòd *Y.* exilius sonuerit. A Palamede inventa, ad imitationem volatus gruum. Pythagoræ quoque litera dicta est, eò quòd duobus suis ramis, duo omnium rerum extrema, Virtutem & Voluptatem, denotaret. Hinc Persius *Sat.3.*

Et tibi quæ Samios deduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.

Et Virgilius:

Litera Pythagoræ, discrimine secta bicorni, &c.

Ausonius quoque *de lit. monos.*

Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y.

Nec tamen semper hanc picturam quam hodie habuit: Olim enim unum ejus cornu rectum, alterum proclive ac tamen præceps fuisse monet auctor veteris carminis modò memorati, quod *in Catalectis Virgilianis*, legitur. Finale *Y.* in nominibus Græcis, Latini semper corripiunt. Vide Ciceron. *de Orat.* Vossium *in Aristarcho*, ut & vocem, *Palamedes.*

Y A.

Yancheum, vulgò *Yancheu*, urbs 7. Nanchinensis prov. in Sinis, sub qua 9. aliæ. Ampla. emporium celebre, prope *Kiang* fluv. ubi in eum se exonerat lacus *Piexe*, 50. m. p. à Nanquino in Ort.

Yang, vide *Yn.*

Y B.

Ybla, urbs tergemina Siciliæ, major, parva, & minor, quæ & Megara; ab *Hyblo* Rege. Gentile *Yblæi.* Vide *Hybla.*

Y E.

Yeking, nomen libri cujusdam Sinici, magni apud eos, ob res arcanas in eo latentes, pretii. Continet is Philosophiam mysticam, Pythagoricæque persimilem, multaque ibi *de Generatione & Corruptione, de Fato, de Astrologia Judiciaria, de Principiis naturalibus, &c.* disputantur. Abutuntur verò illo hodie ad divinationes & sortilegia, sensu Auctoris genuino vel neglecto vel ignorato. Pinguntur figuræ atque characteres illius scripti certo lineolarum numero atque situ, quibus rerum naturalium principia, formæ atque symbola, lineis partim integris, partim divisis exprimuntur. Vide Theoph. Spizelium *de Re literaria Sinensium.*

Yela, seu *Hyela*, Strab. Vide *Velia.*

Yencheum, urbs Xantoniæ, in Sinis, tertia, sub qua 17. minores; ampla & culta, versus confin. Nanchinensis provinc. M. Martin. *Yencheu* vulgò.

Y.

Yesda, vulgò *Yesd*, urbs Persiæ, in mediterran. in prov. *Airach*, versus montes, 130. m. p. ab Aspahamo in Ort.

Y G.

Yggade, Anton. Vide *Uggade*, ut alibi legitur.

Y N.

Yn, & *Yang*, duo apud Sinenses rerum principia seu qualitates; in quas Chaos in prima productione rerum, divisum esse docent. *Yn* autem occultum seu imperfectum: *Yang* verò patens seu perfectum notare: Iisque bis in se ductis, imagines sive signa quatuor: inde octo formas prodiisse: quibus iterum multiplicatis, quatuor & sexaginta symbola constituta fuisse, perhibent. Quæ omnia non tam in ipsa rei veritate fundata, quàm ex Arithmetica derivata, deprehenderunt eruditi. Vide Spizelium supra laudatum, præclarè de his, ut & tota Sinensium Philosophia disserentem *libr. de Re Literar. Sinens. sect.6.* cui adde, si placet, Martinii *Histor. Sinens.*

Y O.

Yocheum, vulgò *Yocheu*, urbs Huquaniæ, sub qua decem minores. Ampla, & culta, in regione feracissima, prope Tutingam lac. ubi ex eo effluit *Kiang* fluv. *Yocheu*, M. Martinius.

Y P.

Ypra, Flandriæ urbs Episcop. capta ab Alexandro Parmensi, An. Chr. 1584. Hic Cornelius Jansenius Episc. floruit sec. præt.

Y S.

Ysna, aliàs *Viana*, urbs Rhætiæ, in Vindelicia, liberâ; nunc *Isne*, urbs Sueviæ, ad Argum inferiorem fluv. 16. m. p. à Campoduno in Occ. Lindaviam versus totidem. Vide *Isna* & *Viana.*

Y U.

Yungus, seu *Vungus*, Anton. pagus Remorum, in Gallia Belg. nunc *Vouzi*, oppidul. Campaniæ, ad Axonam, 12. leuc. à Durocortoro seu Remis in Ort. Ivodium versus 10.

Yvodium, vulgò *Yvoix*, oppidum aliàs Trevirorum, nunc Ducatus Lucemburgensis, ad Carum fluvium. Aliàs munitum. Sub Gallis. Inter Macerias 7. leuc. & Lucemburgum 11. meliùs *Epoissus* & *Ivodium.* Vide ibi.

Yupia, regio ampla Tartariæ magnæ, inter Oceanum Eoum ad Ort. & Tenducum regnum ad Occ. Vix detecta versus oram littor. ad Austrum. *Yupi* vulgò.





Z.



Græcis eadem litera est, neque adhibetur, nisi in vocibus ex hac lingua promanantibus, ejus loco duplici SS utuntur Latini: ut *Patrisso, Sicilisso*. Memorat Appium Claudium Martianus Capella abhorruisse ab hujus pronuntiatione, quòd morientium exilem sibilum imitari videretur. Scribit nihilominus Velius Longus, id in carmine jam Saliari reperiri, atq; usum duplicis hujus apud Rom. antiquum admodum fuisse. Ausonius in N. Latinorum hujus literæ characterem mutatum ait:

Zeta jacens, si surgat, erit nota quæ legitur N.

Multi eo pacto illud hodie pronuntiant, quo à Gallis G. effertur ante E. & I. Imo & Græci hodierni *Agiami*, id est, Persam vel Barbarum signare volentes, scribunt *Azami*. Alii pro duplici SS. illud sumunt, ut dictum: Sed genuinam ejus potestatem esset DS. docet Vossius *in Aristarcho*: unde ΣΔΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΟΣ apud Goltzium in nummis, &c.

Z A.

Zaara, vulgò quoque *Zaara*, seu desertum, regio ampla Africæ, ubi antiquitùs Getuli & Garamantes, ab Ortu in Occ. extensa, inter Biledulgeridam ad Bor. Nigritarum regionem ad Austr. Nubiam ad Ort. & Oceanum Atlant. ad Occ. Ejus partes seu deserta sunt VII. nempe Gaoga, Bornum, Berdoa, Lempta, Targa, Zuenziga, & Zanhaga. Sed raræ urbes & oppida in illo tractu.

Zaaram, seu *Zabram*, reg. Arab. Fel. Ptolem. Baudrando urbs Arabiæ fel. *Algiar* dicta, in ora sinus Arab. in prov. *Hagias*, ad ostia fluv. *Laakic*, 90. m.p. à Methymna Tanalbta in Occ. ex Sansone.

Zaba, Indiæ extra Gangem urbs; & insula circa Taprobanam, Ptolemæo.

Zabad, filius Thahath, 1. Par. 7. Filius Ooli, 2 Par. 1.

Zabad, filius Nathan, 2. Par. 24.

Zabadias, filius Beriæ, 1. Par. 8.

Zabatus, fluv. Mesopotamiæ non longè à Tigri amne, apud Niniven, in Tigrim labens, Xenoph.

Zabbai, nomen viri, 1. Esdr. Latinè, *fluxus*, sive *fluens*.

Zabdea, regio Persidis.

Zabdi, pater Charmi, Jos. 7. Filius Semei, 1. Par. 1. Latinè, *dos*, vel *dotatus*. sive *fluxus abundantia*.

Zabdias, nomen viri, 1. Par. 27.

Zabdicena, Transtigritana reg. Amm. Marcell.

Zabdiel, nomen viri, 1. Par. 27. Lat. *dos*, seu *dotatus Dei*.

Zabeces. Africæ populi inter Maxyes, & Zygantes. Herodot. *in Melpomen*.

Zabel, mons Arab. Fel. ubi Mahometes orare, seu potius consulere Satanam erat solitus.

Zabesus, vulgò *Zabes*, urbs Transylv. *Millembach* German. olim primaria Saxonum sedes. *Zaszebes* etiam Hungar. juxta Marisium fluv. 6 m.p. infra Albam Juliam in Mer. 29 à Cibinio in Occ.

Zabi, Mauritan. Cæsar. locus, Antonin in mediterran. inter Juliam Cæs. & Cirtam, à Milevo 125. mill. pass. Cæsaream versus supra 200.

Zabida. vicus in mediterraneis Arab. Fel. Steph.

Zabii, populi Indiæ, qui cum Deriade contra Bacchum pugnavere, Stephan.

Zabii, populi Magici, qui Dæmonem hircinâ formâ apparere crediderunt, teste Maimonide More N. vochim *lib. 3. cap. 46*. Videatur Gregorius nostras in illud Exod. 23. 19. *Non coques hœdum in lacte matris suæ*. Lloyd.

Zabina, nomen viri, 1. Esdr. 10.

Zabirna, Lybiæ urbs, ubi Bacchus Campen ingentem feram mortalibus perniciosam peremit, Diod. *lib. 3*.

Zabius, rex Hyperboreorum.

Zabolcensis Comitat. pars Hungariæ superior. versus Tibiscum; *Comté de Chege*, Gall. Inter Comit. Zemblinensem ad Bor. Bihoriensem ad Ort. & Hewesiensem ad Occ. Ejus caput est *Chege*, oppidum ad Tibiscum. Sub Turcis.

Zabulon, vel *Zebulun*, decimus filius Jacob, ex Lea, natus An. M. 1288. Obiit An. 2411 Gen. 30. Latinè, *habitaculum*, vel *habitans*. Aliter Helychius: Ζαβουλών, ῥύσις νυκτερινή, τουτέστι χύσις σκότους. Hic tantopere semen Abrahæ multiplicavit, ut de ejus familia juxta montem Sinai recensiti & inventi sint viri bello apti à vicesimo anno & suprà, quinquaginta septem millia & quadringenti absque parvulis & mulieribus. Quorum filii bellatores viri sexaginta millia & quingenti, parentibus in deserto mortuis, terram à Deo promissam ingressi sunt, ac missa cum aliis tribubus sorte, habitaverunt circa Jordanem, in fertili Galilææ regione, quæ longitudine tendit à lacu Genezareth, usque ad littus maris Magni, quod est juxta montem Carmelum, latitudine verò à monte Tabor versus Septentrionem quinque occupat milliaria. Vide Bochart. *descr. terræ S.* Torniel. & Salian, *in Annal. Vet. Test.*

Zabulon, validissima Galilææ civitas, quæ appellatur *virorum*, in tribu Zabulon, vicina Ptolemaidi, terminus Galilææ infer. ad Occ. Hinc oriundus fuit Elon judex, mortuus & sepultus in Zabulon.

Zabur, reg. Babylonica, in quâ Seleucia. Concil. Nicen.

Zachæus, Hierichuntinus, Christum hospitio excepit, ab illo conversus. Item, Episc. Hierosol. sec. 2. Item, Hæreticus, sec. 4. *Zachæani* etiam Gnosticorum nomen est. Epiph. *hær. 26. & 80*. Baronius *An. Chr.* 120. & 136.

Zacantha, Iberiæ opp. ab Annibale captum, Steph. Populi *Zacanthæi*, teste Polybio, Zacynthiorum coloni.

Zacata, pop. Sarmatiæ As. circa fontes Tanais, in Moschorum finibus, Ptolem.

Zacatecarum tractus, *los Zacatecas*, prov. novæ Hispan. inter novam Biscajam ad Bor. & novam Galæciam ad Austrum à Zacatecis pop. Hic 5. urbes Hisp. nempe *los Zacatecas, Durango*, Nomen Dei *Nombre de Dios*, Ellerena, & Xeta de limite, *Xerez de la Frontera*, cum aliquot aliis coloniis in Hispan. parvi momenti; Suntque in Præfectura Guadalajaræ.

Zachasus lacus, Imperii Monomugi, in Æthiop. infer. è quo Zambra fluv. effluit. Gall. *Lac de Zachaf*.

Zachar, præsidium in jugo montis Colchidis. *Ferreum* illi cognomen est inditum, Agathias.

Reges, & Viri illustres.

Zacharias, Rex Israelis, post patrem Jeroboamum II. post interregnum 11. aut 12. annorum, admodum enim juvenis erat, regnare incepit, An. M. 3262. sexto pòst mense à Sallum occisus, ob scelera, quibus sese mancipaverat, 4. Regum *cap. 15*. Item, Princeps, filius Mosellamiæ, 1. Par. 5.

Zacharias, undecimus ex 12. Proph. min. filius Barachiæ, Es. 8. Prophetare incepit, An. M. 3533. regni Darii 2. Populum ad reædificandum templum hortatus, iisdem præceptorum divinorum observationem sedulo inculcavit, variisque similitudinibus usus, de JESU CHRISTO & Ecclesia vaticinatus est. Hieron. *in Zach.* Sixtus Sen. *Bibl. S.* Torniel. & Salian. *in Annal. V. T.* Non idem est cum Zacharia, cujus mentionem Evangelista facit, ille enim filius Jojadæ fuit. Lat. *memoria*, vel *masculus Domini*. In *Prophetiam* ejus extant: Balduinus. Brocardus. Chytræus. Danæus. Grynæi *Comment.* in octav. Genev. 1581. Melanchthonis item. Oecolampadius, Basil. 1527. Osorii *Comment.* Pembelii *Explicatio*. Regius. de Reyroles *Quæstiones lit. & mor.* fol. Paris. An. 1631. Rupertus. Sconica. Willii *Comment.* in octav. 1638. Winckelmannus, &c.

Zacharias, Pater Johannis Baptistæ, Luc. 1.

Zacharias, Græcus, post Gregorium III. Papa, An. 741. Consuluit Rachi, Longobardorum Regi, ut depositâ coronâ Monasterium ingrederetur, pœnitentiam delictorum ibi acturus. Francis sacramento, Childerico Regi suo legitimo, dicto solutis, Pipinum regem creavit, & Childericum, tanquam ignavum, in Monachum tonderi jussit: Sicque ut Sigon. *lib. 3. ad An. 750. &c.* ait, *rebus pro Ecclesiæ salute & Apost. sedis auctoritate, non tam piè quàm prosperè gestis*, Obiit Ann. 752. Dialogos Gregorii Græcè vertit, Epistolas aliquot scripsit, &c: Platina, Ciaccon. Duchen. *in ejus vita*. Successit Stephanus II.

Zacharias, Patr. Hierosolymitanus, successit Sophronio, A. 609. Captus à Chosroe Persarum Reg. Hierosolymis, in Persiam abductus, ibi hæsit, usque ad An. 628. quo ab Heraclio Imper. restitutus est. Theophanes *in Annal. Græc.* Baron. *in Annal.*

Zacharias, Episcop. Chrysopolitanus, sec. 12. Auctor Concordantiarum Evangel. quas *Monotessaron* vocat, libb. 4. Has Ammonius Alexandrinus Græcè olim elaboravit, prodierunt Latinè fol. Coloniæ An. Ch. 1535. & extant tom. 12. Bibl. Coloniensis; nam in Parisiensibus hactenus desiderantur, Alberic. *in Chron.* Trithem. & Bellarm. *de script. Eccl.* Item Scholasticus, Episc. Mytilenes, auctor Dialogi, cui titul. *Ammonius*. Item Rhetor, scripsit historiam Eccl. quæ adhuc ἀνέκδοτος. Anton. Verderius, *in suppl. Bibl. Gesn.*

Zacharias Benedictus, Vincentinus Carthusianus: vitam Brunonis carmine expressit, &c. An. 1508.

Zacharias Ursinus, Silesius, Theologus insignis. Natus Vratislaviæ, An. 1534. Scriptis inclytus, diu in Schola Neapolitana Nemetum & Heidelbergæ Professor, in Palatinatu & Archiepiscopatu Coloniensi Reformator. Opera ejus 3. Vol. fol. prodierunt Heidelbergæ, An. Chr. 1612. & alibi. Theologiæ studiosus, quàm Doctor, dici maluit: Temporis quàm parcus fuerit, docet inscriptio Musæi ejus ta

Amici

Amice, quisquis huc venis,
Aut agito paucis, aut abi,
Aut me laborantem adjuva.

Obiit A. 1583. Neapoli Nemetum, cùm à sævissimis colicæ doloribus attrito, nemo impetrare potuisset, ut scriptiones & meditationes suas intermitteret. Vide Gesn. *in Bibl.* & M. Adamum *in vita ejus.*

Zacharias Zacchius, Volaterranus; Statuarius insignis & elegantiarum studiosus, tractatum de his insignem edidit. Leand. Alb. *desc. Italiæ.*

Zachlubi, Slavorum gens forsan, apud Cedrenum & Curopalatem.

Zacorus, è ducibus auxiliaribus Persæ, occisus ab Argo, Phryxi fil. apud Val. Flacc. *lib.* 6. *vers.* 555.

Zacur, fil. Malma. 1. Par. 4.

Zacynthus, olim *Thyrrea*, vulgò *Il Zante*, ins. (cum urbe cognom. à *Zacyntho* Dardano condita, unde nomen, teste Steph.) maris Jonii, uvarum passarum proventu celebris, Peloponneso ad Occ. adjacens contra Chelonitem promunt. inter Cephalleniam ad Arctos, & Strophades ad Austr. 30. m. p. Hic Diblobatazius Imp. Gr. 71. per annos 33. imperavit, an. Christi 1221. initio facto. Baudrando longa est 25. m. p. lata 20. ambitus 60. A Cephallenia 12. m. p. in Mer. 15. à Chelonate prom. in Occ. Cum urbe cognom. amplâ & permunitâ, Episc. sub Arch. Corcyrensi arceque in colle. Pagi hic frequentes. Sub Venetis. Virgil. *Æneid.* 3.

Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthus.

Quod ex Hom. desumpsit *Odyss.* α.

Δυλιχίῳ τε Σάμη τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Ovid. *in ep.* 1.

Dulichii, Samiiq; & quos tulit alta Zacynthos,
In me turba ruunt luxuriosa proci.

Theoc. *Idyll.* 3.

Καλὰ πόλις ἁ Ζάκυνθος.

Vide sis ibi Palmerium.

Zadadrus, Indiæ fluv. Ptol.

Zadracarta, Hyrcaniæ urbs, apud Arr. *lib.* 3. Infra Ζευδρακάρτα idem legit, regiamque & maximam urbem vocat.

Zadrame, reg. Cinædocolpidarum, qui Fel. Arab. pop. sunt. Stephan.

Zadris, urbs Colchidis mediterr. apud Albaniæ fines, à Surio in Orr. recedens, Ptol *Caitichea* Moletio.

Zea, urbs Bœotiæ antiquissima. Steph. *Zea* item.

Zafianus lacus, *Lac de Zafian*, peramplus, in Æthiopia super. à Borea in Austr. extensus, cum urbe cognom. aliàs sub Abyssiniæ imper. nunc sub Gallis, Hier. Lupus.

Zagabria, urbs Pannoniæ sup. ad Saum fluv. & ad Segesticam ins. Episc. sub Arch. Colocensi, Croatiæ caput; Sisciæ, cui successit, proxima. Hic D. Marci Evangelium, manu ejusdem scriptum, asservari dicitur. Vide *Sisopa.*

Zagacupoda, urbs Africæ propriæ, Ptol.

Zagataia, pars ampla Tartariæ, vulgò *Zagatay* seu *Usbeck*; Aliter *Maurainahar*, nempe versus Austrum dicitur. Ibi aliàs Sacæ, Jaxarthæ pop. & Bactriana. Terminatur ab Occ. mari Caspio, à Sept. Tartariâ verâ, ab Ortu regno Thibeto, & à Mer. Persiâ. Sed de ea pauca dici possunt.

Zagatis, Ponti fluv. Arrian. *in Periplo.*

Zagera, pop. Troglodytarum in Æthiop. Plin.

Zagillovitis, regio Asiæ min. apud Strabon. *Gazelotus* ejusdem forte: sed *Gazalvitis* mavult Casaubonus.

Zagira, urbs Paphlagonum, in Galatia. Fossan *Zagora* Arriani.

Zagmais, urbs Arabiæ des. Ptol.

Zagora, Galatiæ locus maritimus. Arrian. *in Perip.*

Zagoria, reg. circa Develtum in Thraciâ. Cedren. Laon. & Zonar. Vide *Develtus.*

Zagrabia, urbs permunita Hungariæ, *Zagrab* incolis, *Agram* Germ. in Slavia; in limite dit. Turcicæ & Croatiæ. 15. m. p. à Petrina in Ort. uti 40. à Caroloftadio, 45. à Vihitza in Bor. Caput Comit. *Zagrabiensis*, qui inter Turcicam dit. ad Ortum est, Comit. Rissiensem ad Bor. Sagoriensem ad Occ. & Croatiam, à quo Savo separatur, ad Mer. Sub Austriacis.

Zagri pyla, angustiæ montis Zagri, per quas ex Assyriâ in Mediam trajicitur, hodie *Semirami* teste Nigro; quòd mons à Semiramide 15. mill. pervius factus sit; sicuti & Strongylus in Carmania inter illam & Gedrosiam, similiter *Semiramidis mons* Ptolomæo dicitur.

Zagrus, mons excelsus, Mediam à Babylone dividens. Strabo *libr.* 11. *Adilbegian* Castaldo, Niphati finitimus, à quo in Ort. recedit, Ferr.

Zaguri, palus in Asia, Curopal.

Zagylis, vicus olim Marmaricæ marit. Ptol. nunc oppidum, *Caxales* Mercatori: inter Catabathmum ad Occ. & Parætonium ad Ort. inde 50. hinc 78. m. p.

Zagystis, reg. parva Libyæ. Steph.

Zahara, opp. aliàs munitum Vandalitiæ, in colle, unde ortum ultimum bellum Granatense. 12. leuc. Hisp. ab Asta Regia in Ort. 13. ab Hispali in Eurum in limite regni Granat. Vulgò quoque *Zahara.*

Zahassa, urbs Zagatajæ, ad ostia Oxi, in mare Caspium; in limite Persiæ.

Zaja, urbs Bœotiæ vetustissima, Steph. cui ab Herodiano quoque *Zea* dicitur.

Zairus, fluv. amplus Æthiopiæ infer. Oritur ex lacu cognom. Dein in Occ. tendens, regnum Congi à regno Cacongi separat, ibique lato æstuario in Oceanum Æthiop. se exonerat.

Zairus lacus, in Æthiopia sup. peramplus, in cujus medio ins. amplissima est, quæ eum dividit: ab urbe *Zaire* ei adjacente, ad Occ. dictus. Ejus pars Austr. dicitur Zamberus lacus. Ex eo autem effluit Zairus fluv. in Occ. ut & Nilus, plurimis. Sed aliter sentit Hier. Lupus, in *dissert. de fontibus Nili & Æthiopia super.* in qua per 12. ann. moratus est.

Zala, urbec. Hungariæ, vulgò *Zalavvar*. Ad Zalam fl. 3. mill. Germ. à Canisia in Ort. uti 6. à Mura fluv. versus Volceam paludem. *Sala* etiam antiqq. Caput Comit. *Zaladiensis*; qui inter Balatonium lacum, seu Volceam paludem ad Ort. Stiriam ad Occ. Dravum fluv. ad Mer. & Comit. Castri ferrei & Vesprimiensem ad Sept. est. Ibi & Canisia. Sub Turcis.

Zala, oppid. Amaleæ propinquum. Metaphr. *in vita B. Eutychis.*

Zalaca, Mediæ urbs, Ptol.

Zalacus, mons Mauri. Cæs. in Occ. vergens. *Guanser* incolis.

Zalaciensis Comitatus, Vide Zala.

Zalapa, urbs Africæ propriæ, Ptol.

Zalates, pathicus quidam. Juven. *Sat.* 2.

—— Et tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse tribuno.

Zaleni, pop. circa Pertuam, Zosimo *lib.* 3.

Zaleucus, Locrensis Legislator, vinum ægris prohibuit injussu medici, pœnâ capitis inditâ. Ælian. Val. Max. *lib.* 6. *cap.* 5. de eo narrat, quòd cùm ejus fil. adulterii crimine damnatus, secundùm jus ab ipso constitutum utroque oculo carere deberet, ac tota civitas virtuti & meritis patris crimen condonaret, ipse sibi non pepercerit: sed suo prius, deinde filii oculo eruto, ulum utrique videndi reliquerit.

Zalichus, urbs Cappadociæ, apud Porphyrogenn.

Zaliscus, seu *Zaiicus*, Galatiæ flu. Ptol. in cujus confinio oritur; dein per Paphlagoniam fluens, ibi in pontum Eux. cadit, 30. m. p. à Sinope in Ort. Super eo urbs cognominis est, Episc. sub Arch. Amaleno, in mediterraneis, *Bolli*; regionis primaria, quam denominat, A. Thevetus, vulgò *Bolli.*

Zalissa, Iberiæ urbs regia, Ptol. *Scander*, Thevero, q. Alexandria. Ad Cyrum fluv. in confin. Armeniæ maj. à Georgianis habitata.

Zaloth, vicus, ubi latitudo Galilææ inferioris incipit. Egesippus *lib* 3.

Zama, fil. Semei. 1. Par. 6. Lat. *cogitatio*, *scelus*, vel *turpitudo.*

Zama, seu *Zama Regia*, col. & urbs Africæ, apud quam Annibal magno prælio à Scipione victus fuit. Episcopalis, olimque Jubæ regia. 120. m. p. à Carthagine in Mer. 100. ab Hadrumeto in Occ. Cujus vetus Inscr. *Colonia Ælia Hadriana Augusta Zama Regia* fuit. *Zamora* Marmolio. Sil. *lib.* 3.

Et Zama, & uberior Rutulorum sanguine Tapsus.

Zama, fons Africæ, canoras voces reddens iis, qui aquas illius potant. Plin. 31. 2.

Zamazi, gens Libyæ inter. Ptol.

Zambdas, Ep. Hierosolymitanus, sec. 3. post Hymnæum, convertit legionem Thebæidem, quæ in Palæstina hybernaverat. Obiit An. 298. Baron. *in Annal.*

Zamberus, fluv. Monomotapæ, *Zambre* vulgò. Oritur ex lacu *Zachaf*, dein auctus aliis fluv. & in Orr. tendens, versus oram Cafrorum, inibi in Oceanum Æthiop. cadit, in regno Zofalæ.

Zamberus lacus, vulgò *Zambre*, pars est. Austr. lacus *Zaire*, versus Galas pop. & regnum Monœmugi. Ei adjacet urbs *Zambre*, ad Austr. In Æthiopia sup.

Zambri, fil. Salu. Num. 25. Filius Ela. 3. Reg. 19. Rex Israëlis, Elâ occiso, thronum conscendit, An. 3106. Octavo pòst die ab Amri Thirsæ obsessus, se cum tota familia exussit. Vide *Amri*, & *Ela.* Item fil. Joada. 1. Par. 8.

Zameis Ninias, 5. Assyriorum rex, An. M. 2091. usque ad 2128. Nini & Semiramidis fil. regn. an. 38. post matrem Semiramidem, quam occiderat. In S. literis vocatur *Amraphel.* Hic belli studiis depositis in deliciis vitam translegit. Diodor. *lib.* 3. Justin. Eus. *Chron.* Ornavit tamen templa Deorum, & Chaldæos ampliavit. Beros. *libro* 5.

Zametes, mons Arab. Fel. Ptol. *Zimat* in tab. recent. apud oram Austr. unde Betius fluv. qui in Sinum Arab. defluit.

Zamira, fil. Bechor. 1. Par. 7.

Zamira, Indiæ extra Gangem gens.

Zamtzon, urbs Africæ propriæ.

Zamma, fil. Jahath, filii Cobni. 1. Par. 6.

Zammale, nunc *Samael* Ortel. & *Molle*, vicus Brabantiæ, 2. leuc. à Ghela opp. in Ort. ut ab Arschotio in Cæc. In vita S. Dympnæ Virgin.

Zamnes, Æthiopiæ sub Ægypto urbs. Plin.

Zamolxis, vir inter Getas natus, Pythagoræ discipulus ac servus, ad Ægyptios unà cum eo penetravit, quorum ritus secum in patriam deduxit, à suisque, ut & Thracibus, putantibus illum Saturnum esse, post mortem habitus est Deus: Cui victimis humanis fecerunt, quod *Legationem ad Deum suum* vocarunt. Herod. *l.* 4. Vide Hesychium in Ζάμολξις.

Zamora, ol. *Sentica*, seu *Sarabris*, urbs Hisp. Tarr. ad Durium, in confinio Portugall. in regno Legion. Episc. sub Arch. Compostellano, 12. leuc. à Salmantica, 13. à Vallisoleto in Occ. Mirandam versus.

Zamoscium, vulgò Zamosky, urbec. Russiæ nigræ munita, in Palat. Belsienti, juxta stagnum, cum tit Princ. 14. leuc. Pol. à Sandomiria in Ort. 15. à Leopoli in Bor. Lublinum versus 9. Magnis impensis excitata à Joh. Zamoscio, M. Poloniæ Cancellario, rebus præclarissimè, sub Stephano & Sigismundo Regibus, gestis inclyto, in planitie amœna, non procul à fluv. Vepro, frustra à Cosaccis tentata an. 1651.

Zamram, fil. Abrahæ ex Cetura. Gen. 25.

Zamri, fil. Zaræ. 1. Par. 21.

Zanaatha, Arab. Petrææ urbs. Ptol.

Zanchius Hieronymus, Italus, patriâ Alzanensis, in valle Seriana, genere claro. Ex Italia cum Petro Martyre profectus, sacrarum literarum Professor Argentinæ primum fuit, e qua urbe Stanislaum Ostrorogium Polonum hortatus est, ne nimis iis in locis à Luthero dependerent. Dein Heidelbergæ, porrò Neapoli Nemetum, iterum tandem Heidelbergæ docuit, ubi extinctus est, An. Ch. 1590. æt. 75. *Multis in re Theologica scriptis libris, optimè de Eccl. Christiana meritus*, Buchholc. *Ind. Chron.* quæ prodierunt 5. Vol. fol. Genevæ 1613. 1619. &c. *Vir in Patrum & Philosophorum scriptis versatissimus; modestiæ singularis: pacis Ecclesiarum amantissimus*, Melch. Adami *in vitis Theolog.*

Zancle, opp. Achaiæ. Plin. 4. 5.

Zancle, Siciliæ urbs, in penitissimo Pelori sinu, postea à Messeniis instaurantibus *Messana* appellata: licèt alii diversam à Messana faciant: *Zancle* enim ab Anaxila Rheginorum tyranno eversa, non longè. Omnium Siciliæ urbium fuit longè vetustissima, si B. Hieronymo credimus, qui ad annum 256. Chronici Eusebiani de suo hoc inserit: *Hoc tempore in Siciliâ Messana, quæ & Mamertina conditur.* Sic condita fuerit Zancle annis ferè 600. ante excidium Trojæ. Sed & apud Diod. *lib.* 4 Hesiodus Zancles meminit, tanquam urbis antiquissimæ, in qua Orion Zanclo regi portum jactis molibus extruxerit. Suntque qui ab hoc Zanclo gigante conditam & dictam volunt; alii à fonte *Zancle*; alii à Saturni falce, ibi abscondita. Stephanus *ex Hecatæo:* Οἱ μὲν τοῦ Ζάγκλου γηγενοῦς, ἢ ἀπὸ κρήνης Ζάγκλης, οἱ δὲ διὰ τὸ ἐκεῖ Κρόνον τὸ δρέπανον ἀποκρύψαι. Sed Thucyd. multò verius *lib.*6. Ὄνομα δὲ τὸ μὲν πρῶτον Ζάγκλη ἦν ὑπὸ τῶν Σικελῶν κληθεῖσα, ὅτι δρεπανοειδὲς τὴν ἰδέαν τὸ χωρίον ἐστί, τὸ δὲ δρέπανον οἱ Σικελοὶ ζάγκλον καλοῦσι. Unde apud Stephan. Nicander *de Siciliâ libro* 10.

> Καὶ τις κ̓ Ζάγκλης ἰδὼν δρεπανηΐδος ἄστυ.
>
> *Quamvis falcatæ Zancles combusserit urbem.*

Ovid. *Fast.* 6.

> *Quiq; locus curvæ nomina falcis habet.*

De falce nihil habet Strabo, tantum Zanclion curvum esse dicit Verba sunt: Ζαγκλὴ μὲν πρότερον ἐκαλεῖτο διὰ τὴν σκολιότητα τῶν τόπων, Ζάγκλιον γὰρ ἐκαλεῖτο τὸ σκολιόν: Nempe ὑπὸ τῶν ἐκεῖ, ab hominibus, qui illic habitant, ut recte addit Eust. nunc ipsum locum etiam in *l.* 12. *Odyss.* Itaque Ζάγκλη propriè *curvam* sonat. Quam vocem esse Siculam frustra contendunt, cùm sit Punica זלגא *zalga* per Metathesin G. & L. Bochartus. Ovidius *lib.*15. *Metam.*

> *Nunc freta circumeunt: Zancle quoq; juncta fuisse*
>
> *Dicitur Italiæ.*

Pop. *Zanclæi*; & *Zanclæus* adj. Silius *lib.*14.

> *Nec Zanclæa gerunt obscurum mœnia nomen.*

Inde etiam *Zancleius*, nomen gentis πατρωνυμικόν. Ovid. *Metam. lib.*14.

> *Oppositumq; petens contra Zancleïa saxa.*

Zancles, Samothracenus, cui dentes renati sunt post 104. ann. Plin 11.37.

Zanes, oppid. vetustum circa Danub. non longè ab alio castello, *Pontes* dicto. Procop.

Zanfara, regnum Nigritiæ, cum urbe prim. cogn. inter regn. Gangaram, à quo separatur Nigro flu. ad Bor. & regna Benioum & Biafaram ad Mer.

Zanguebaria, vulgò *le Zanguebar*, regio perampla Æthiopiæ super. ubi aliàs Barbaria. Extenditur à Sept. in Mer. versùs oram littor. maris Æthiopici, inter Azaniam reg. ad Bor. Æthiopiam propr. ad Occ. & oram Cafrorum ad Mer. ad Ort. habet Oceanum. Ejus regna præcipua sunt Lamonum *de Lamon*, Melindæ *de Melinde*, Monbaciæ *de Monbaza*, Mongalum *de Mongalo*, Mozambici *de Mozambique*, Quiloæ *de Quilon*, cum urbibus prim. cognom. versus oram littor. maris Æthiopici.

Zanhaga, desertum in parte Occ. Zaaræ, inter Tessetum regn. ad Bor. Gualatam & Tombutum regna ad Mer. Zuenzigam dest. ad Ort. & Oceanum Atlanticum ad Occ. Vulgò quoque *Zanhaga*.

Zani, Procop. *lib.* 1. Colchorum pop. Christiani; antiquitus *Suni*. Pontum Euxinum accolunt, circa Trapezuntem.

Zania, Mediæ urbs, Ptol.

Zannohua, in tribu Juda; in finibus Eleutheropoleos, Æliam pergentibus; *Villa Zanna* dicta Hier. *in loc. Hebr.*

Zanoe, civitas in tribu Judæ. Jos. 15.

Zanzibara, vulgò *Zanzibar*, insl. Africæ, in mari Æthiopico, & ora Zanguebariæ reg. inter Melindam urbem ad Bor. & Quiloam ad Austrum.

Zaoportus, Galliæ Narbonensis locus, Plinio, ut legit Pintianus pro *Citharista portus*. Dalechamp. legit *Zaoti tharista Portus*. Ortelius divisim legit *Naoti Tharista portus*. *Nao* sive *Anao* habet hoc tractu Antonini Itinerarium. Et si *N*, primum elementum inverteris, Z. habebis.

Zapavortene, Regio à Caspiis, Orientem versus. Hujus situm describit *Trogus lib.*41.

Zapetra, Armeniæ urbs videtur, apud Cedrenum & Curopalatem. Circa Samosatam est.

Zaporohiana societas Cosacorum, Vide *Ucraina*.

Zara, fil. Rahuel. Gen. 36. Filius Judæ. Gen. 38. Fil. Simeonis, 1. Par.4. Rex Æthiopum. 2. Par.6. Pater regis Edom. Gen.36. Pater Zabdi. Jos. 7.

Zara, urbs, circa Armeniam Minorem Antonino. Circa Syriam, Josepho, *Antiquit.* 13. Ζαρὰ apud eundem 13. *cap.* 23. & *lib.* 1. *belli Judaici cap.* 2. Moabitarum urbs.

Zarabi, Gothorum populi, Jornande Auctore, qui eos *Tarabostes* dictos scribit. *Tarabostes* alia lectio.

Zaragardia, urbs Mesopotamiæ ad Euphratem. Zosimus *l.*3.

Zarabias, fil. Ozi. 1. Par. 6.

Zarai, Maurit. Cæs. urbs. Anton.

Zaram, regio Arabiæ fel. Ptol.

Zarama, Mediæ urbs. Ptol.

Zarangæ, Asiæ populi, ultra Arios. Arrian. 2. Idem omissâ diphthongo *Zarangi* scribit, *lib.*6.

Zaranis, Mediæ urbs, Ptolem.

Zaraspa, pop. Asiatici, Plin. Horum urbs prim. *Prophthasia*, V. ibi.

Zarata vici, & *Zaratensis* agelli meminit Apulejus *Apol.* *Zaratha* Maurit. Cæs. urbs, Ptol.

Zarax, Peloponnesi urbs. Polyb. *lib.*4.

Zarcæus, Mediæ reg. mons, a Semiramide pervius factus, Diod. *lib.* 3. idem Zagro, Vide ibi.

Zared, torrens in deserto Moab. Num. 21.

Zarehe, nomen viri. 1. Esdr. 8.

Zares, uxor Aman. Esth. 5. Item Lazorum Rex, ab Imper. designatus, An. 500.

Zareta, fons supra Chalcedonium mare, *parvos nutriens crocodilos*, qui Zaretæ vocantur. Steph.

Zarethra, castrum Eubœæ, circa Eretriam, Plut.

Zaretis, Hesychius: Ζαρῆτις, Ἄρτεμις, Περσαι.

Zarex, urbs Laconicæ maritima. *Zarax* Polyb. *Cara*, seu *Zara* Nigro. Item mons & portus Laconicæ, ad Sin. Argolicum.

Zargidava, Mœsiæ infer. opp. Ptolemæus.

Zariaspa, urbs Bactrianæ, Strabo, regia olim. *Bactra* etiam. Vide ibi. Nunc *Beuh*, urbs ampla reg. *Mauralnaher*, in Tartaria magna. Steph.

Zariaspes, nobilis Perses, cum Ozine ejusdem gentis, defectionem ab Alex. M. moliens, oppressus est, atque in vincula conjectus. Curt. 9. 53.

Zarinensis Portus, meminit Claudian. *in Epigrammat.*

Zaris, urbs Mediæ aut finitimæ reg. Cies.

Zarmisogethusa, regia olim Daciæ urbs. Ptol. Quæ & *Ulpia Trajana*. *Veczol* nunc & *Venecze* incolis *Varhel*, ac Slavonicè *Gradisch*, teste Lazio. Nunc pag. ab Alba Julia 8. leuc. in Austr. paulo plus à Cibinio. Vetus Inscr. *Colonia Ulpia Trajana Augusta Dacia Zarmis.*

Zarvana, urbs Armeniæ min. Ptol.

Zasius Hieronymus, Constantiensis IC. vir priscorum morum, Erasmo & antiquæ virtutis exemplar, Jure civ. sui temporis facilè princeps, Jus civ. commentariis doctissimis illustravit. Obiit Friburgi Brisgojæ, An. Ch. 1535. æt. 74.

Zaslavia, opp. Bohemiæ, ubi inter Bohemos & Austriacos ambiguo Marte certatum est, An. Ch. 1618.

Zatecium, Bohem. Ziateck, Germ. *Sats*, oppid. Bohemiæ, ad Egram fluv. 11. mill. Germ. ab Egra in Ort. Litomeritium versus 8. & 10. à Praga in Circ.

Zatham, nomen viri. 1. Par. 26.

Zathes, Armeniæ flu. fortè, apud Xenoph. *lib.* 3. *Cyrop.*

Zathua, Armen. maj. op. Ptol.

Zathus, Lazorum seu Colchorum R. Constantinopoli baptizatus, & conjugio nobilissimæ virginis à Justino Imp. donatus est, An. Ch. 522.

Zatmarium, vulgò *Zatmar*, urbec. munita Hungariæ super. ad amnem *Samos*, in ipso limine Transylv. 10. mill. Germ. à Varadino in Bor. 14. à Tokæo in Ort. Caput Com. cognom. qui est inter Ugoghensem ad Bor. Bihoriensemque Com. ad Occ. & Transylvaniam ad Ort. & Mer. Sub Austriacis.

Zab-

Zatoria, vulgò *Zator*, urbs Palatinatus Cracoviensis, ad Vistulam, 6. leuc. à Cracovia in Occ. versus Silesię confinia 5. ubi Skauda amnis Vistulæ miscetur; cum arce satis munita. Hinc Duc. Satoriensis, qui sicut Ozviecensis, Silesiæ Polonicæ pars est, à Sigismundo Pol. R. adjectus.

Zavan, fil. Ezer. Gen. 36.

Zavana, sive *Zavanes*, Hesychius: Ζαανὰς θεὸς τις ἐν Σιδῶνι; fortè à זון *Zava*, *timere*.

Zaveces, pop. Libyæ. Steph.

Zavichostum, vulgò *Zavichost*, urbee. Palat. Sandomiriensis, ad Vistulam 2. mill. Germ. infra Sandomiriam. Ibi an. 1205. cæsus fuit à Lesco Polonię R. Romanus, Russiæ Princeps, qui inauditâ crudelitate in Nobiles sæviebat, Mart. Cromerus *lib.* 7.

Z B.

Zbansium, opp. Poloniæ, obsessum ab Andrea Bninio Episc. Posnaniensi, qui Abrahamum Zbansium, in cujus ditione, Bohemis prædicantibus, Evangelium florere cœperat, ut sibi quinque sacerdotes traderet, adegit, paulo pòst Posnanię publicè crematos, circa An. Ch. 1430. M. Cromerus *Hist. Pol. libr.* 21. Mat. Bielscius *in Chron. lib.* 3. Anton. *par.* 3. *tit.* 22. *cap.* 7. §. 8.

Zbarasium, vulgò *Zbaras*, opp. Podolię infer. in limite Volhinię infer. ubi antea actum de pace cum Cosaccis. 10. leuc. Pol. à Braclavia in Bor. 13. à Luceoria in Mer. uti 4. à Wisnioviezzo, & 6. à Zboravia; cum tit. Duc. Wisnioviecioru.n. Ibi obsessus fuit exercitus Polon. à Tartaris & Cosaccis, an. 1649. in qua obsidione strenuè se gessit Jerem. Michael de Koributh, Wisnioviecii, Zbarasii & Lubnię Dux, Russiæque Palatinus; pater Michaelis Regis: sed an. 1651. ibi obiit.

Zbignievius, frater Boleslai Polon. R. ob turbas, supplicio affectus, An. Chr. 1120. M. Crom. *Hist lib.* 5.

Zboravia, opp. Ucranię, 6. leuc. Pol. à Zbarasio, cum arce, munita, ubi Tartari & Cosacci grandi clade affecti, ann. 1649. à Joan. Casimiro Pol. R. *Zborovo* vulgò.

Z D.

Zdiarum, vulgò *Sorovv* in Lusatia, Vide *Sorava*.

Z E.

Zea, quæ & *Zaa*, urbs olim Bœotię prim. nunc extincta. Steph. ex Herodiano.

Zeb, nomen viri Madianitis. Jud. 7. Lat. *lupus*.

Zeb, opp. fuit Palæstinę, in tr. Manasse, ultra Jordanem, paullulum à Ramoth & Jabes opp. in Ort. recedens.

Zebece, urbs Galilææ. Steph.

Zebedæus, pater Jacobi & Joannis App.

Zebee, rex Madianitarum. Ps. 83.

Zebennum, vel *Zebinum* urbs, unde *Geminum* Antiochianę Ecclesię presbyterum oriundum, scribit D. Hieronymus *de scriptoribus Ecclesiasticis*. Ζεβινον Monasterii, in Mesopotamiâ, meminit Procopius, *lib.* 5. *Ædif.*

Zebennus, vel *Zebinus*, Episc. Antiochiæ, ab Ann. 230. usque ad 241.

Zebida, mater Joacim sive Eliacim, 4. Reg. 23.

Zebul, servus Abimelech. Jud. 9.

Zebum, & *Zebus*, Ptol. regio Biledulgeridię, in Africa, inter Biledulgeridiam propr. ad Ort. & Tegorarinam reg. ad Occ. uti inter regn. Algerii ad Bor. & Lemptam des. ad Mer. Apud montem Aurasium. Procop.

Zebyres, nomen gentis. Suid.

Zebyttis, urbs Libyę. Steph.

Zecarus, Vide *Ozecarus*.

Zechis, Scythica gens videtur, apud Procop. *lib.* 2. *Persic*. Ζηχίας Archiepiscopatus sub sede Constantinop.

Zechri, fil. Isahar. 1. Par. 8.

Zechur, Pater Sammua. Num. 13.

Zedech, Hierosolymam primùm dictam fuisse, conjicit And. Masius *ad* 10. *cap. Josua*.

Zeelandia, Ins. Danię, Vide *Selandia*.

Zeerita, gens sel. Arabię, Ptol.

Zegira, Ptol. potius *Zigira*, vulgò *Gezira*, urbs Assyrię ad Tigrim, in confin. Mesopotamiæ, 6. mil. pass. à Marde in Bor. Ammiano teste.

Zegrensis, gens Maurit. Ting. Ptolemæo.

Zegzegum, vulgò *Zegzeg*, regn. Nigritiæ, cum urbe prim. cognomi. ter Cassenam regn. ad Bor. & Beninum regn. ad Mer.

Zeila, vulgò *Zeila*, urbs regn. Adelii, in Æthiopia sup. in ora mari Arab. paulo extra fauces maris Rubri, cum portu capaci, ad ... Zeilæ. Antea *Avalites* dicta, 400. ab Aromatum prom. in ... in Azania regione.

Zelasinia, opp. Thraciæ, Steph. ex Theopompo.

Zekelhyda, arx munita Transylv. in colle, antea sub Austr. juxta ... flum. 22. m. p. à Vatadino in Bor. quot Zatmarium ... Vulgò *Zekelheid*.

Zela, urbs Cappadocię, nunc jacens, in Ponto Polemoniaco, apud Neocæsaream: olim Episc. sub Arch. Amaseno. Item Armeniæ, aliàs *Artemidu ara* dicta.

Zela, vel *Zele*, urbs Troadis à *Zeleo* heroe. Est etiam *Zelea* castellum Cyzici. Steph.

Zelandia, incolis *Zeeland*, Gallis *la Zelande*, prov. Belgii uniti, cum tit. Com.q. *Sealand*, quòd olim mari obruta. V. Verstegandum *cap.* 4. vel à Danis & Normannis, qui ex Selandia Daniæ profecti hic sedem fixerunt. Constat 5. Ins. præcipuis, inter ostia Scaldis, nempe Valachriâ (*Walcheren*,) Bevelandiâ Austr. (*Zud Bevelandt*) & Bor. Scaldiâ (*Schouven*) & Duvelandiâ. Aliàs amplior, sed maris inundationibus, præsertim an. 1176. 1304. & 1509. valde imminuta est, Baudr. Becmanno, ab Hollandiæ Insulis modico freto separantur insulæ 7. quæ provinciam Zelandiæ nunc constituunt, quas multâ effusione à continenti Flandriæ Imp. Ottonem An. Ch. 980. dissecuisse & insulas fecisse, ne à Francis facilè occuparentur, docent Annales Hollandiæ. Harum Orientales sunt præcipuè tres Tolla *Ter Tollen*, à vectigalibus nomen sortita: Duvelandia, à columbarum copia, in qua urbes multæ, quæ perierunt An. Chr. 1530. & Scaldia *Schouven*, quæ maris sævitiâ indies atteritur: Occidentales, quæ à prioribus Scalde fluv. dirimuntur, quatuor sunt: Walachria, Bevelandia Austr. in qua urbs *Romersvval*, salis negotiatione celebris, Bevelandia Bor. & inter utramque *Wolfersdiick*. Tota terminatur à Sept. Hollandiâ, ab Ortu Brabantia, ab Occ. mari Germ. à Met. Flandriâ. Notatur à Politicis error Albani Ducis, quod in primis Belgii motibus sec. præt non *Zelandia* statim, in qua prima libertatis & Reip. Belgicæ, post Brielam captam, fundamenta jacta erant An. Ch. 1572. incubuit; Vide Hug. Grotium *Annal. Belg. ad An. Chr.* 1573. Ejus urbes præc. Middelburgum, Flislinga, Veria, Ziriczæa, Goesa, Briela & Tola. In ea 102. vici, ex quibus tamen quidam mari absorpti. Item ins. maris Balthici, ad Oresundam, in regno Daniæ, opulentissima, ipsaque Regiâ donata, præter quam 12. civitates, totidem arces & parœcias 347. habet: Priori secundùm quosdam nomen dedit. Vide in vocibus *Hollandia* & *Silandia*.

Zelandia nova, pars Terræ Austr. seu Antarcticæ, recèns detecta à Batavis, an. 1654. Extenditur à Sept. in Mer. versus Insulas Salomonis, & terram Diemeni. Sed an Ins. sit, an Continens, non constat.

Zelasium, Isthmiæ id, super Demetriadem, promontor um est, peropportunè objectum, Livio *lib.* 31. In Eubœâ aut circa, in continente Macedonię vel Atticę videtur.

Zeles, unus è Cyzicenis, à Polluce, in conflictu nocturno, cæsus ac semianimis relictus. Flac. *lib.* 3. *vers.* 152.

Zeles, Strab. urbs Hisp. ad Eretum, sed à Romanis in Mauritaniam oppositam translata, & postea *Julia Joza* vocata. Ζῆλις Strabonem scripsisse putat Casaub. quanquam, istis in nominibus Barbaris, nullam sequuti sint veteres certam analogiam. Plinio *Zilis*, Ptol. Ζιλία vocatur. Nunc *Arzila*, sub Lusit. Vide *Zilia* & *Xilia*.

Zeleia, Dioni, *Zela* Cæs. & Plut. Cappadocię opp. ubi Cæsar Pharnacem regem devicit.

Zelia, Troadis urbs, à Zeleo heroë condita, sub pede Idę montis ad Æsepum fluv. Hom. *Il.* 2. in Lyciâ nempe reg. Strabo. Lyciorum opp. quoque facit Plut. *de virtutibus mulierum*. Stephanus & Eust. faciunt Cyzici castellum.

Zelius, Nicomedis fil. Crestam Paphlagonię urb. occupavit. Stephanus.

Zeliobes, Hunnorum R. in Justinum Imp. perfidus. Procop. *de bello Pers. lib.* 1.

Zelis, Vide *Zeles*.

Zella, Africæ urbs, in bello, quod Cæsar cum Scipione gessit, deleta. Strabo.

Zellia, regio in Pannoniâ, aut Illyrico videtur, apud Paulum Diac. *lib.* 4. *Longobardorum*. Ms. Excusus codex, *Aglia* & in ora *Azellia* legit. Ab hac *Azellia* usq; ad *Medaria* (alia lectio *Meclaria*) regionem, habitant Slavi, ut idem inquit. Pro Ciliensi agro Norico, habet Wolg. Lazius. Vide *Celia*.

Zelotes, cognomen Simonis Apostoli, Lucæ 6.

Zelpha, ancilla Liæ uxoris Jacob. Gen. 29.

Zelus, urbs Æthiopum Occidentalium. Steph.

Zemblynum, vulgò *Zemblyn* & *Zemlyn*, opp. Hungariæ sup. ad Bodrochium fluv. *Zemlyn* etiam quibusd. 5. mill. Germ. à Cassovia in Ort. 6. à Tokæo in Bor. Caput Comit. cognom. qui terminatur à Sept. Ungensi Comit. ab Ortu Perigiensi, ab Occ. Abanviariensi, à Mer. Borsaniensi.

Zemene, urbs Laconicæ, Tænaro finitima. Eutrop. Episc. sub Arch. Corinthio olim: nunc Metropolis.

Zemina, nomen viri. 1. Par. 29.

Zemovitus, Poloniæ R. clarissimus, An. Chr. 892. Ei successit fil. Lescus VI. Vide *Ziemovitus*.

Zenas, Legisperitus quidam. Tit. 3.

Zengiza, prom. Africæ ad Sinum Barbaricum, Ptol. *Zingin* idem vocat, *lib.* 1. *cap.* 17.

Zenis, Dardaniarum urbium princeps. Polyæn. *lib.* 17.

Zeno Isauricus, Cons. An. Dom. 471. Vide supra,

susce-

Imper. & Viri illustres.

Zeno Isauricus, Imp. ex Ariadne, filia Leonis Senioris, filium susceptum, decimo mense, postquam Augustum eum declaraverat, ut solus regnaret, veneno dicitur sustulisse. Imperio potitus, An. 474. impudentissimè turpissimis vitiis se immersit. Heterodoxis semper favit, in fideles sævus: Hinc Saracenorum & Hunnorum irruptionibus punitus, Basiliscum quoque infestum habuit, qui viso quantopere contemptibilem se Zeno fecisset, Imperio illum exuere conatus est: Et fugit ex urbe Zeno, sed paulo pòst restitutus, corrupto Harmatio, duce Basilisci, hunc in Cappadociam relegavit. Interea aliquantisper orthodoxum mentitus, mox Præsules hæreticos, pulsis fidelibus, restituit: dein quasi utrosque reconciliaturus, *Henoticon* edidit; quo in speciem orthodoxo, reipsa Concil. Chalcedonense damnatum ivit. Paulo pòst morbo comitiali, cui obnoxius erat, correptus, ab Ariadne, læta sic ab illo liberari, sepulchro præpropere illatus est: in quo licet ad se rediisset, & à custodibus dimitti petiisset, ab illis irrisus in se sævvit, manusque proprias & sandalia depastus, Obiit. Dicitur, edoctus ab illis, jam alium throno potiri, enixe rogasse, ut monasterio alicui includeretur, in quo vitam finiret. Zonaras *tom.3. Annal.* hoc illi vino obruto contigisse scribit. Cedrenus *in Comp.* refert, rumorem per urbem sparsum esse, illi caput noctu esse detruncatum. Factum id An. 491. ætat. 65. Vide etiam Marcellin. & Cassiodor. *in Chron.* Evagr. *lib.3. &c.*

Zeno, Polemonis, regis Ponti, filius, favore Armeniorum, quòd is primâ ab infantiâ instituta & cultum eorum æmulatus erat, ad regnum vocatus. Cui Germanicus, in urbe Artaxatâ, approbantibus Nobilibus, circumfusâ multitudine, insigne regium imposuit. Cæteri venerantes regem Artaxiam consalutavêre; quod illi vocabulum indiderant, ex nomine urbis. Tacit. *lib.2* 56.

Zeno, Philosophus ex Cypro, Græcâ civitate, Stoicorum sectæ, à Stoa, seu porticu, ubi deambulare Zeno solebat, dictæ conditor. Athenas pervenit, naufragio ejectus: Oraculo monitus, ut cum mortuis conversaretur, literis se dedit. Discipulus Cratetis, mox edito de Republ. libro, aliisque quibusdam ingenii monumentis, numerosum ipse auditorium habuit. Summum bonum in vita, rectæ rationi conveniente, collocavit: cui sententiæ Cleanthes, Chrysippus, & reliqui Zenonis successores, mordicus adhærentes, etiam in mediis tormentis virtute præditum hominem beatum prædicarunt. Unum esse Deum agnovit, cujus plures virtutes plura nomina indigitarent: Sed hunc Animam mundi esse credidit. Stoici porro opum & artium liberalium contemptores, de Auctore suo varia per errorem statuerunt. Interim clarissimi ex hac secta viri prodierunt, quæ ad Christianismum quàm proximè accessit. Dicitur, se ipsum strangulasse, cùm lapsu corpus attrivisset. Vide infrà. Tanto in honore apud Athenienses fuit habitus, ut apud eum claves urbis deponerent, ornarentque ipsum aureâ coronâ & imagine æreâ. Adolescenti cuidam inepta multa loquenti ait: *Ideo duas habemus aures, os autem unum, ut scilicet multa audiamus, pauca verò loquamur.* Partem scientiæ in eo consistere dixit, ut ignoremus ea, quæ scire non interest. Amicum definivit, *Alter ego.* Eos, qui facunde loquerentur, sed male viverent, monetæ Alexandrinæ comparavit. Servo, quem ob furtum percusserat, fato se excusanti, fatum opposuit. Decessit autem 72. ætat. suæ anno sine morbo. Nam, ut ferunt, cùm abiret ex scholâ, lapidem offendens digitum perfregit, manu verò terram feriens, illud ait, ex Niobe, *En adsum, quid me quaso vocas?* Et continuo se strangulans interiit. An. 490 U. C. 129. Olymp. Strabo *lib.* 14. Cicero, A. Gellius, Augustinus, Diog. Laërt. *lib.7.*

Zeno Citt eus, de quo Cicer. *in Orat. Zeno quidem ille*, inquit, *à quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cùm compresserat digitos, pugnumq; fecerat, Dialecticam aiebat ejusmodi esse; cùm autem diduxerat, & manum dilataverat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat.* Idem cum priore. Fuit alius ejusdem nominis Philos. Epicureus, Ciceronis synchronus, cujus mem. Cic. *lib.1. de Finibus.*

Zeno Eleates, Parmenidis auditor, simul cum Perdiccâ, & in Philosophiâ & in administrandâ Republ. clarissimus, Suidas. Hunc inventorem Dialectices fuisse, sicut Empedoclem Rhetorices, Aristoteles author est. Ejus celebrarissima fuit in perferendis cruciatibus patientia, eo in cùm adolescentes nobilissimos cupiditate liberandæ patriæ inflammasset, contra Nearchum Tyrannum; facto judicio comprehensus, traditusque est tortoribus torquendus, qui cùm laceraretur, ut conscios conjurationis nominaret, neminem illorum nominavit, sed amicos intimosque tyranni participes conjurationis esse dixit. Deinde cùm quippiam se in aurem tyranni loqui velle significasset, eam mordicus correptam non ante dimisit, quam raptâ aure mutilatum caput reliquisset. Sed cùm socios conjurationis proferre cogeretur, concisam dentibus linguam in os tyranni conspuit, quo facto cives tyrannum lapidaverunt. Floruit Olymp 70. Plures mundos esse, vacuum non dari, rerum naturam ex calido, frigido, humido & sicco constare, animam ex omnibus rebus compositam esse, statuit. Diogen. Laërtius *lib.* 9.

Zeno Rhodius, auctor Historiæ. Item Auctor historiæ Pyrrhi, & epitomes belli Romano-Punici. Alius, Philosophus, Chrysippi discipulus. Alius Medicus. Item Sidonius, Epicuri sectator, Idem Zenonis Sidonii Stoici meminit Suid. Vide Voss. *de Hist. Gr. lib.1. cap.16. & de Sectis Phil.*

Zeno, Veronensis, Episcop. & Martyr, sec.3. Scripsit Homilias 90. inter quas quædam Basilii versæ, aliæ ex operibus S. Hilarii depromptæ. *Christianus quidam Apuleius, adeo eruditus est, & densus in significandis per pauca multis: Nobilissimus Auctor*, C. Barthio. Passus dicitur die 12. April. circa An. Ch.266. Vide Ambros. *epist.64.* Paul. Diacon. *in Hist. Longob. lib.3. cap.23.* Vossium, Moretium *in Diction. Hist.* Labbæum, &c.

Zenobia, Rhadamisti uxor, ejus ab Armeniis ejecti comes & tunc gravida, primùm utcunque fugam, ob metum hostilem & mariti charitatem, toleravit. Pòst, festinatione continuâ, ubi quasi uterus & viscera vibrabantur, ut morte honestâ contumeliis captivitatis eximeretur, rogavit. Ille primò amplecti, allevare, adhortari, modò virtutem admirans, modò timore æger, ne quis relictâ poriretur. Postremò, violentiâ amoris & facinorum non rudis, distringit acinacem vulneratamque ad ripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur. Ipse præceps Hyberos, ad patrium regnum pervadit. Interim *Zenobiam* placidâ illuvie spirantem ac vitæ manifestam advertêre Pastores, obligant vulnus, agrestia medicamenta adhibent; cognitoque nomine & casu, in urbem Artaxata ferunt, unde publicâ curâ deducta ad Tiridatem comiterque excepta, cultu regio habita est, Tacit.12. 51.

Zenobia, regina Palmyrenorum, post Odenati viri mort. in Syriâ, Romanorum rexit imperium, poniturque inter 30. tyrannos, qui tempore Galieni orbem usurpaverint. Ingenio, clementiâ, fortitudine, constantiâ inclyta. Corpus habebat ad bellicos labores induratum, pedes sæpe cum copiis suis iter faciens. Gente Judæa, humaniores literas a Sophista Longino didicit, avida quoque Christianorum sacra sciendi, infelici fato, in Paulum Samosatenum incidit. Superata tandem An.273. ab Aureliano, ac in triumphum ducta fuit, eique Principis clementiâ Tyburte possessio concessa, ubi honestè ageret. Hæc eâ castitate dicitur fuisse, ut ne cum viro suo, nisi prolis gratiâ, congrederetur. Regali alioquin pompâ Persarum fere modo adorabatur. Ad conciones galeata procedebat cum limbo purpureo, gemmis dependentibus, voce clara, moribus severis, Græci, Ægyptiique sermonis peritissima, Latini non ignara, Orientalem Alexandrinamque historiam epitomavit. Herennianum ac Timolaum filios literis erudiit. De quorum exitu nescitur, an interierint morbo, an ab Aureliano fuerint interfecti. Trebell. Pollio, *de 30. tyr.* Vopisc. *in Aurel.*

Zenobia, à Zenobia, Odenati uxore, ædificata dictaque urbs in ripa Euphratis, versus Occ. Procop. 2. *Ædif.* & 2. *Persic.* In Palmyrenis esse verisimile.

Zenobia, possessio est, Tiburte, Zenobiæ reginæ concessa, non procul ab Hadriani palatio, atque ab eo loco, cui nomen *Conche.*

Zenobii, Ptolem. *Pelagii* Steph. septem insulæ in sinu Sachalite prope Arab. Felicem.

Zenodotium, urbs Osrhoënæ, prope Nicephorium, Steph.

Zenodotus, Grammaticus, discip. Philetæ, vixit temporibus Ptolemæi primi, cujus etiam filios erudiit, ac præfuit Alexandrinæ Bibliothecæ: primus quoque Homeri libros correxit, ac in ordinem redegit, Suidas. Alius Sophista sub Adriano Imper. docuit Romæ, scripsitque epitomen proverbiorum Didymi: convertit in Græcum sermonem historiam Sallustii, præterea Genethliacum in Adrianum, & alia. Suidas.

Zenodotus, sculptor nobilis, qui Mercurii statuam fecit, in civitate Galliæ Arvernis. Item, mandato Neronis, Colossum sex pedum longitudine Soli dicatum.

Zenodotus Trœzenius, Umbricam historiam condidit, Dionys. Halicarn. *lib.2.* Suspicari autem liceat eundem esse ex quo Solin. *cap.8.* tradit, *Præneste* ita dici à Prænesto Latini filio, Ulyssis nepote. Quam nominis rationem etiam legere est apud Steph. in Πραίνεστος, & Mar. Capellam *lib.6.* Alius est Ætolus, Cæsari Germanico memoratus, pene *initio Commentarii, in Aratea Phænomena.* Item *Zenodotus* Theophilus, ex quo de Phalange & Arachne quædam narrat Nicandri Scholiastes in Theriaca. Alius quoque Ephesius, itemque Alexandrinus; de utroque Suidam fis adi.

Zenois, uxor Basilisci Imper. Constantinopolitani, Eutychianæ hæresi addicta, maritum contra Orthodoxos instigavit, Evagr. *lib.3. cap.5.*

Zenon, Rom. Imper. An. Dom. 476. Vide *Zeno.*

Zenon, Martyr, An. Dom. 251.

Zenonis Chersonesus, in Taur. Chersoneso, Ptolem. tractus est Bugem paludem seu sinum discludens, à Coreto sinu seu Mæotide palude, Sanso. Totus montuosus admodum, ad 50. mill. pass. extensus à Mer. nempe ab Heracleo in Bor. ad Agarum promontor. quo angusto tantùm freto dividitur à Basilydis Scythis, in Sendica reg. in parva Scythia.

Zenophrurium, Eutr. meliùs *Cœnophrurium*, nunc *Drepali* Castrum est tenue in ora Occ. Propontidis, ubi incipit Borealis ... mill. pass. à Selimbria in Occid. Heracleam versus paulo plus ... à Byzantio.

Zenopolis, olim Pamphyliæ urbs, in mediterr. à Zenone Imper. sic dicta, Porphyrog.

Zenorum Episc. Pasinici meminit Socrates.

Zenothemus, vetus author, de quo Vossius *Histor. Græc. libr.* 3. *pag.* 425.

Zenothymus, Auctor Græcus, scripsit de rebus monstrosis, Plin. *lib.*37.*cap.*2. Ælian.*lib.*17.*cap.*30. Tzetzes *Chil.*7.*Hist.*44. An idem cum præcedente?

Zeophir, & *Caicapha*, oppida fuere, circa Neapolim Phœniciæ, Guilielm. Tyrius.

Zephoim, vide *Zophoim*.

Zephron, terminus terræ Canaan.

Zephrona, Civitas aut vicus, terræ promissæ ad Sept. terminus. In tribu Nephthalim, Num.34. Hier. *in Ezech.* 47.

Zephyre, insula parva Cretæ, ante Samonium promunt. Plin.

Zephyrinus, post Victorem, Papa, An. 201. Montanistarum hæresi infectus, vitreos calices pro ligneis ordinasse creditur. Morronus *Apol. cap.* 18. Persecutionis Severianæ tempore latuit, sed Plautiano Severi socero, Christianorum acerrimo hoste mortuo, iterum ad functionem rediit. Obiit An. 219. Anastasius, Platina, Ciacconius, Duchenius & Papyrius Massonius *de Papis*, Baronius *in Annalib.*

Zephyrus arx, in Zephyro jugo Hispaniæ.

Zephyrium, urbs Ciliciæ Episc. sub Archiepisc. Seleuciensi, inter ostia Calycadni ad Occ. & Cory.. unum urbem ad Ort. *Tarsu* Nigro. Halicarnassus olim quoque sic dicta fuit, teste Steph.

Zephyrum, promuntor. M. Græciæ in orâ Orient. Calabriæ ult. apud Locros, à quo Locri *Epizephyrii*. *Capo Bruzano* Mazzellæ. Nunc *Capo Bianco* quibusdam. In mare Jonium excurrit, & 10. mill. pass. distat ab Herculeo pr munror. in Bor. Locros versus, prope Burzanum castr. Baudrand. Alterum Cretæ in orâ ad Ort. *Capo d'Altelin* Lusignano. *Capo di Mirabello* Pineto, apud Chersonesum urbem. Baudrando in parte Insulæ Boreali; aliis est *Capo S. Zuane*, seu *Caput S. Johannis*, prope Spinam longam arcem, 12. m. p. à Mirabello castro in Bor. Tertium Cypri in orâ Occiduâ apud Paphum veterem, *Capo Chelidonio* Lusignano. Quartum Cyrenaicæ in orâ apud Darnin urb. proxim. Naustathmo, *Capo di Bonandrea* Nigro. De Zephyrio M. Græciæ Ovid *lib.*15. *Metam.*

Zephyriumq́, legit, Caulonaq́, Naritiamq́,

Zephyro, Sarratum jugum in Hispan. Avieno.

Zephyrus, ventus, flans ab Occasu Æquinoctiali, adversus Subsolanum, quem Latini *Favonium* vocant. Sic dictus qu. ζωηφόρος, hoc est, *vitam ferens*, eo enim plantæ omnes germinant & pullulant. Vide Gell.2.22. Plin. *lib.* 14. *cap.* 18. A Philostrato in Hyacinthi imagine describitur: illi enim humeros seu scapulas alatas attribuit, facie & aspectu molli cum corona ex omni florum genere in capite. Ovid. *Trist.*

Frigora jam Zephyri minuunt.

Idem *Metam.* 1.

—— *Placidiq́, tepentibus auris*

Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

Virgilius *Æneid.*

—— *Zephyro putris se gleba resolvit.*

Lucanus *lib* 4.

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jadder.

Silius *lib.* 12.

—— *Blanduq́, salubre*

Ver Zephyris tepido mulcebat rura sereno.

Zepida, populi, de quibus Procopius *Goth.* 3. Et Blondus *lib.* 4. *Decur.* 1.

Zerania, reg. Thraciæ. Populi *Zeranii*, Steph.

Zeravitcum opp. Moraviæ, ubi celeberrimâ synodo à Fratribus habitâ, An. Chr. 1616. cui non ex Bohemia solum, sed & Polonia Antistites cum Ministris interfuere, conclusum inter alia, ut *Ordo Ecclesiæ* .onf rberetur & publicaretur. Lætus *Comp.*

Zerbis, Mesopot. fluv. in Tigrim cadens, Plin. *lib.*6.*cap.*26.

Zeretra, Arcades vocant vad fora nina quædam, per quæ Erasinus fluv. è lacu Stymphalo erumpit in Argivam terram.

Zeringa, Germ. *Zäringen*, castrum Brisigaviæ, infra Friburgum, unde illustrissimæ olim familiæ nomen. Primus Zeringiæ Dux fuit Berchtoldus I. filius Lanzoli II. Brisiaci domini, qui frater Rapatonis, unde Habspurgii Austriique orti, Obiit An. Chr 1036. Berchtoldus hic Carinthiâ, ab Imperatore, loco promissi Ducatus Suevici, auctus, Bertholdum II. & Hermannum, illum tami *Zeringio-Teccii*, istum *Hochbergio-Badensis* lineæ auctores, progenuit. Bertholdo II. filii fuere, Bertholdus III. Friburgi Brisgojæ conditor, & Conradus, à Conrado III. Imper. captis Zeringâ & Teccio, ad obsequium perductus. Hoc genuit Bertholdus IV. Friburgi in Uchtlandia & Bernæ conditor, ac Albertus seu Adelbertus, Comitum seu Ducum Tecciæ sator: cujus familiæ ultimo Ann. Chr. 1439. extincto, ditio ad Eberhardum Comitem Wirttemberg. generum transiit: Mundelhemio dominio, à Jutha ac Irmgardi Friderici VII. filiabus Werthemiæ & Rechbergiæ stirpi illato: Bertholdi verò IV. posteritas in Bertholdo V. filio, jam An. Chr. 1238. desiit. Vide Spener *Syll. Geneal. Histor. in familia Wirtemberg.* & supra, in voce *Bertholdus*, Item *Hochberga*. & *Teccium*. Addo hoc fatrem, Stumphium *lib* 7. *de Argovia*, Bertholdum I. Comitem, Bertholdum verò II. Marchionem Zeringiæ, appellare, qui demum Ducatu Sueviæ, à focero Henrico IV. Imp. promisso, Sueviæ Zeringiæque Ducis titulum sumpserit.

Zerinthum, vide *Apollinis templum*.

Zermizirga, Daciæ urbs, apud Ptolem.

Zerna, fluvius, in Macedoniâ, Curopalati. Thraciæ urbs est, Antonino. Sed & *Zerne* legitur. Est forte *Therne*, Steph. *Tzerna* apud Cedrenum legitur, inter Thraciam & Thessalonicam.

Zerogere, urbs Indiæ, circa Gangem.

Zerotinius Carolus, Johannis filius, Baro, Moraviæ Pro-Marchio, Heros insignis, ad carceres usque & bonorum confiscationem, quæ sub Friderico Bohemiæ R. ei obvenit, fidus Imperatori Ferdinando II. nihilominus Pastores dimittere, templaque occludere cum aliis jussus est. Qua de re Viennam profectus, cum nihil ab Imper. impetrare posset, dicente: *Se Prædicantes ferre non posse*, intrepidè respondit, *Neq́, se sacro Dei cultu carere posse, neq́, hunc absq́, Verbi Ministris peragi.* Inde discedens non solum aulæ suæ Ecclesiasten Paulum Hronovium palam, sed & plures alios clam, ut pius Abdias, in specubus suis pane & aquâ sustentavit, ad sacra veniendi facultate omnibus concessâ. Tandem exilio generali Evangelicis imposito, Vratislaviæ in Silesia fixâ sede, Obiit An. Chr 1636. sepultus ubi major, Przetoviæ in Moravia. Lætus *Comp. Hist. Univ.*

Zervesta, seu *Servesta*, urbs parva Saxoniæ super. in Principatu Anhaltino; *Zerbst* vulgò, in limite Ducat. Magdeburgensis, sub proprio Principe. Lineæ hujus auctor fuit Sigfridus, filius Henrici, à Friderico II. Principis Anhaltini creati, frater Bernhardi, qui Bernburgiam ortus est. Sigfridus is genuit Albertum, cujus filius Albertus jun. Johannem suscepit: qui Xanthippeis uxoris Elisabethæ Hennebergicæ jurgiis fatigatus, sponte perpetuum exulavit, pater Alberti III. qui Cœlibem, & Sigismundi, qui iterum *Servestani* tami auctor fuit. Hoc natus Georgius obiit An. Chr. 1474. pater Woldemari, cujus filius Wolfgangus pietate, temperantiâ & literis inclytus fuit, & Ernesti: cujus filii tres Johannes *Servestam*, Georgius Hatzkerodam, & Joachimus Dessaviam tenuere. Johannis filius Joachimus Ernestus, unus post plura secula, totius Principatus possessor, pater inter alios fuit Rodolfi, *Servestanæ* iterum lineæ conditoris, cui, ex secunda uxore Magdalena Oldenburgica, Johannes natus est, qui solus ex sua gente Augustan. Confessionem est amplexus, ex Sophia Aug. Holsata numerosæ prolis parens, Phil. Jac. Spenerus, *Syll. Geneal. Histor.* Distat urbs 7. mill. Germ à Witteberga in Circ. Magdeburgum versus 5. & 3. à Dess. savia in Bor. Cerevisiâ suâ nota.

Zerynthus, urbs & antrum Hecâtes in Samothracia; *Canum antrum* Lycophroni. Inde *Zerynthius* adject. Ovid. *Trist.* 1. 9.

Inde levi vento Zerynthia litora nacta

Threiciam tetigit fessa carina Samon.

Zeteon, opp. Arcadiæ, Pausan. *lib.*28. *Zœteon* Stephan.

Zetha, Africæ promuntor. ad Syrtim min. Ptol. *Zerbi* Mercatori, à Girbi Ins. vicina; à Tacapis 85. m. p. in Ort.

Zethan, nomen viri, 1.Par. 23. Item filius *Balan*, 1.Par.7.

Zethar, nomen Eunuchi, Esth.1.

Zethes, Boreæ filius, ex Orithyiâ, & frater Calais. Hi duo fratres ex Argonautarum numero extiterunt, & quoniam alati fuerunt, ad pellendas Harpyias missi sunt, quas usque ad Strophades insulas sunt insecuti. Hi ab Hercule in Teno interfecti, quod Argonautis Herculem quæsituris obstiterunt. Sunt autem ibi, in eorum sepulchro, duæ erectæ columnæ. Alia ab aliis necis causa affertur. Alnesidemus, quod Herculem hospitio exceptum occidere voluerint. Stesimbrotus, quod in contentionem cum Hercule venerint, de datis muneribus comitibus, ab Jasone. Nicander, quod Herculem diversantem, in Coeo insulâ, Boreas eorum Pater tempestate dejecerit. Sunt qui per *Calaim* & *Zethem* Boreæ filios Septentrionales Scythas accipiant, qui se Argonautis adjunxerunt, quique ob velocitatem *alati* dicuntur. Apoll. *lib.*1.

Ζήτης αὖ Κάλαΐς τε Βορέαο υἷες ἵκοντο,

Οὕς ποτ' Ἐρεχθηὶς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια.

Propertius *lib.* 1.

—— *Aquilonia proles*

Hunc super & Zethes, hunc super & Calais.

Ovidius *Metamorph.* 6.

Barbara dum rutilis aberat subnixa capillis,

Implumes Calaisq́, puer, Zetesq́, fuere.

Apollod. *libr.* 1. Οἱ Βορέου παῖδες Ζήτης καὶ Κάλαϊς ὄντες πτερωτοί.

Meminit Pausan. *in Lacon. & Eliac.*

Zethis, Carmaniæ oppidum, Plinio. *Cethis*, ex vetustis codicibus legit Hermolaus: & ni fallor sincetius. Ejusdem enim nominis fluvium, habet Mela: neque infrequens est, oppida cum fluminibus adluentibus ejusdem esse nominis.

Zethu, nomen viri, 1.Esdr.10.

Zethua, nomen viri, 1.Edr.2.

Zetta, vide *Zitha*.

Zetunim, Thermopylarum urbs, Laonicus.

Zetus, vel *Zethus*, filius Jovis ex Antiope, & frater Amphionis. Horatius *lib.*1. *epist.*17.

Gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque

Zeti dissiluit, —— ——

Vide *Amphion*.

Zeugitana, reg. Africæ in ora litorali, Numidiæ finitima, Tuscâ fluv. eos separante. Zeugitana gens chiromantica fuisse putatur; & hinc quos *Cingaros* Itali dicunt, Belgæ *Egyptenaren*, Angli *Gypsies*, qui divinando ex manus inspectione circumvagantur, profectos tradunt. Vide Zigeuni.

Zeugma, urbs Syriæ Episcop. in Comagenâ sub Archiepisc. Hierapolitano, ad Euphratem, à Samosatis 72. mill. pass. in Austr. inter Germaniciam 30. & Edessam 45. à Dolicha 10. Antonin. Ibi pons erat super Euphratem, cujus vestigia adhuc durant. Contra illam in altera ripa Apamia urbs erat munitissima & ampla, 65. stadia, sedes Satraparum, ubi tributa solvebantur, Plinius. Statius *lib. 3. cap. 2.*

Antiqua Babylonis opes & Zeugma Latinæ
Pacis iter. —— ——

Item Daciæ urbs, Ptolem. *Zazsebes* Lazio. *Mulenbach* German. in Transylv. 3. leuc. à Claudiopoli in Austr. *Zabeus* Latino recenti.

Zeugmatius, insignis & mirabilis Eremita, de quo Sozomen. *lib. 8. cap. 6.*

Zeugminium, quòd nunc *Sirmium*.

Zeuxippus, vide *Sicyon*.

Zeuxis, Heracleotes, pictor suâ ætate, nempe Olympiad. 78. maximus, qui, teste Plin. *lib. 35. cap. 9.* tantas opes acquisivit, ut in ostentatione earum Olympiæ, aureis literis in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit. Postea donare opera sua, inter quæ Umbræ eminebant, instituit, quòd ea nullo satis digno pretio permutari posse diceret. Æquales ejus & æmuli fuere, Timanthes, Androcydes, Eupompus, & Parrhasius, cum quo descendisse in certamen traditur. Idem fertur pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas cùm advolarent aves, eadem ingenuitate processit iratus operi, ac dixit: *Uvas meliùs pinxi quàm puerum, nam si & hunc consummassem, aves timere debuerant.* Etiam pinxit Penelopes & Helenæ simulachrum, teste Plin. *lib. 35. cap. 10.* Ejus meminit Cicer. *lib. 2. de Juventut.* Plutarch. *in Pericle, &c.* Vetulam, à se exactè pictam, intuens, risu nimio crepuit. Unde priscum:

Nam quid modus facturus risu deniq;,
Nisi pictor fieri vult, qui risu mortuus est?

Zeuxo, Nympha marina, Oceani & Tethyos filia, Hesiodus *in Theogonia*.

Z I.

Zianorum legionem habet Ammian. *libr. 25.* cui Veteranio præerat.

Ziatecum, vide *Zatecum*.

Zibitum, vulgò *Zibit*, urbs ampla Arabiæ felic. Emporium celebre, ad fluv. cognominem, versus sinum Arabicum. Olim *Saba*. Caput est regni cognominis, & capta fuit ultimo seculo à Turcis: Sed haud pridem expugnata à proprio Rege, cui etiamnum subest, cum toto tractu, 180. mill. pass. ab Adeno in Circ. ferè 200. à faucibus Sinus Arab. in Bor.

Zicchi, populi fuere Asiæ, olim *Achai*; in ora Boreal. Ponti Euxini & Caucasei maris. Inter Henjochos ac Saginas ad Ortum, & Cercetas ad Occident. ubi nunc Avogasia regio ex parte & Circassi populi.

Zicchia, id est, Scythia. *Ζηκχία*, apud Stephan. Diacon. in vita Stephani Jun. mscta.

Zicchia, Thraciæ fluv. videtur, apud Cedren. *Zicchia, Gothia, Nicopsis*, loca ad Pontum Euxinum, Johanni Damascen. & Surio, in vita Sancti Stephani junior. *Zicchia* meminit quoque Gyllius in Bosporo.

Zicenses, populi in Africa videntur, ex Collat. Carthag.

Zichna, vulgò etiam *Zichne*, urbs Macedoniæ, Episcop. prius sub Archiepisc. Serrano, postea Metropolis effecta, Leuncl.

Zidar, nomen opp. Barbari, Probus Grammaticus.

Zidenum, vulgò *Ziden*, meliùs *Giudda*, urbs Arabiæ felic. cum portu, in ora maris Rubri, aliàs *Pudin* dicta, ut quidam credunt, 60. m. p. à Mecca in Afr. 220. à Ptolemaide ferarum in Ort.

Zidkia, 22. Judæorum Rex, regn. An. 9. A Nabuchodonosore rex tributarius constituitur. Ann. Mundi 3336.

Zidon, mons Palæstinæ, Josippus.

Zie, nomen viri, 1. Paral. 5.

Ziela, urbs Cappadociæ, quam condidit Nicomedis filius. *Zielas*, Stephan.

Reges & Principes.

Ziemomislus, filius Lesci, nepos Ziemoviti, de quo infrà, pronepos Piasti, patris successor, Princeps fuit lenis, beneficus & hospitalis: Pater tandem, ex uxore sterili, Mieciflai, qui ad septimum ætatis annum cæcus, visu dein, cùm tonderetur, recepto, Poloniæ lumen magnum portendit, gente ad fidem perductâ An. Chr. 965. inclytus. Obiit An. Chr. 962. Regni vel Principatus 46. successore filio Mieciflao.

Ziemomislus, vel *Semomislaus*, filius Casimiri Lencicienfis, Mazoviæ in Polonia Ducis, Cujaviam cum Lencicia tenuit. Pater Casimiri, qui cùm à Lesco Nigro Rege, patruo suo, cum fratre Primislao Principatum Pomerelliæ impetrasset, eodem à Cruciferis ejectus filium habuit, Vladislaum Album: qui vendito Ducatu *Gnievvkov* Monasterium Divione ingressus est. Vide Phil. Jac. Spenerum, *Syll. Geneal.*

Ziemovitus, Piasti Polonorum Principis inclyti filius: Militarem disciplinam instituit, victoriisque adversus Ungaros, Bohemos, Moravos, quorum Rex Suatoplucus tum bello Germanico distinebatur, Cassubiosque felix, amissas Popieli, post quem Piastus sceptro admotus fuerat, ignaviâ provincias recuperavit: sub finem sec. 9. Sub eo Russi, qui hodiè secundùm quosdam Cosaci, classe ad Pontum usque Euxinum excurrerunt, Constantinopolique frustra obsessâ reversi, ex captivis religionem Christianam addidicerunt, Ann. Chr. 860. Norvegi quoque tyrannidem Haraldi fugientes, in Islandiam, Ingulfo Duce, eodem ferè tempore migrarunt, vide Mart. Cromerum *Hist. Polon. lib. 2.* Obiit Ziemovitus An. Chr. 892. successore, filio Lesco VI. quietis & otii, quàm belli, amantiore.

Ziemovitus, fil. Conradi, Mazoviæ Ducis, frater Casimiri Lencicienfis, cujus ex filio Vladislao Loctico nepos Casimirus Magnus, Ann. Chr. 1370. in Piastea familia, qui Polonis imperasset, ultimus finem vivendi fecit. Pulsus est *Ziemovitus* à fratre Siradiensi Principatu: Pater, inter alios Conradi, qui regnum adversus Boleslaum Calvum, & postea Lescum Nigrum, cui præter Cracoviam à Germanis servatam nihil superfuit, sibi vindicare conatus, spe suâ excidit: & Boleslai Ducis Plocensis: quo genitus *Ziemovitus* Mazoviam Ann. Chr. 1355. Regi Casimiro obnoxiam fecit. Hujus filii duo Johannes, & *Ziemovitus*, ille Warsovianæ vel Cirnensis, hic Plocensis seu Raveosis, linearum auctores fuere, de quibus vide *infrà*.

Ziemovitus, filius Boleslai præfati, auctor rami *Plocensis* seu Ravensis, regnum Poloniæ sibi oblatum recusavit: Pater *Ziemoviti*, qui post Jagellonis mortem ejus fuit gubernator. Ultimi tandem ex hac familiâ *Ziemovitus* atque Vladislaus fratres, Duces Ravenses, veneno dicuntur sublati An. Chr. 1462. ut dirio ad Regnum reverteretur: quemadmodum & Johannis retro memorati posteritas in Johanne & Stanislao, simulque omnis in Polonia Piasteus sanguis extinctus est Ao. Chr. 1526. Regi relictâ successione: à quo tempore Mazovia Regno conjuncta mansit, nec Regi Sigismundo concessum est, ut eam uxori dotalitiam faceret.

Ziemovitus, seu *Semovitus*, filius minimus Casimiri II. Silesiæ Ducis, auctoris rami Teschinensis, qui An. Chr. 1288. Regi Bohemiæ Wenceslao se submiserat: improlis defecit. Frater Casimiri III. cujus posteritas in Friderico Wilhelmo nostrâ memoriâ, simulque tota Miecislai, qui Silesiæ super. Ducum sator fuit, linea terminata est. Hujus Casimiri filius major natu itidem *Semovitus*, Glogoviam tenuit, sed sine prole extinctus est. Vide Phil. Jacob. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in Fam. Piastea.*

Ziga, vide *Zygi*.

Zigana, urbs Armeniæ, vel Ponti Cappadocici, Antonino. *nn.* geminato Lib. Notit.

Zigenhamum, vulgò *Zigenhain*, urbec. permunita, in dit. Hasso-Cassellana, 7. mill. Germ. à Cassela in Mer. uti 4. à Fritzlaria, 6. à Fulda in Circ. Hinc Comit. *Zigenhamius*.

Zigera, oppidum Africæ propriæ, Ptolem. Per *i.* in media, Assyriæ urbs.

Zigere, urbs Thraciæ, circa Mœsiam infer. Plinio.

Zigeuni, Germanis dicuntur, qui aliàs *Cingari*; apud Gallos & Anglos *Ægyptii*: Belgis *Heydens*, id est, Ethnici: Hispanis *Gitani*: Colluvies variarum gentium nusquam habitans, & Ægyptiorum aut Nubianorum nomen mentita. Profitentur enim se ex inferiori Ægypto aut Nubia ortos, atque ad erraticum hoc vitæ genus divinitus damnatos esse, quòd Majores ipsorum olim Beat. Virginem cum infante Jesu hospitio excipere recusaverint, Aventin. *Annal. lib. 7.* In Galliam cum primò venirent, prætexuerunt vagationem suam esse septem annorum pœnitentiam, à Pontifice Rom. ipsis impositam, ob apostasiam à fide Christiana ad Muhammedismum, nec septennium istud finiri, sed perpetuâ successione renovari, Paschas. *Liv. 4. des Recherches de la Fr.* Quorum quidquid sit, fieri potuit, ut errones ejusmodi calamitatibus bellicis primùm ex Nubia & conterminis regionibus expulsi, & jam antea erroneo vitæ generi assueti, post longas ambages, in Circum-Danubianas regiones se effuderint, ibique ad tempus oberraverint, donec per Hungariam in Bohemiam, Germaniam, Galliam aliasq; regiones spargerentur: quibus succedenti tempore varii errones, ex gentibus illis, ubi aliquandiu moram traxere, admixti sunt. Primùm autem Occidentalibus Europæ tractibus innotuerunt, circa Ann. Chr. 1417. Spondan. *in Auctario Chronol. ad Epitomen Annal. Baronii, ab an.* 1418. ubi refert, mentiri illos, se descendisse ex urbis Singaræ in Mesopotamia incolis, quos à Juliano Apostata inde pulsos postmodum vagabundâ hâc vitâ distrahi oportuerit. E Gallia hi regio edicto An. Ch. 1561. exclusi sunt: cumque in Hispania longè lateque grassarentur, à Ferdinando jam An. Ch. [illegible] coërceri cœperunt. In Germania quoque, in Zigeunos, tanquam proditores & arcanorum exploratores, Comitiorum severitas incubuit. E Brabantia, sub pœna capitis bonorumque, Caroli edicto exturbati sunt: ut & ex Hollandia, Curiæ decreto, An. Ch. 1582. sic & aliis è regionibus, utpote publici grassatores, fur[illegible]

ac Magiæ rei, excesse jubentur. His prisci Nomades, Scenitæ ac Saraceni, hodieque in imperio Turcico Torlaqui, errones ac impostores, non absimiles sunt, quos à Bajazethe An. Chr. 1494. proscriptos esse Historici referunt; Vide Leunclav. *Pand. Turc. n.*175. & Camerar. *Cent.* 2. *cap.* 75. Plura de Zigeunis, vide apud Ahasverum Fritschium *tr. peculiari, de Zigeunis*, Voetium *tom.*2. *Disput. de Gentilismo, ubi de religione, baptismo & lingua eorum in primis agit*, Christ. Beckmannum *Histor. Orbis terrar. Geograph. & Civil. cap.*9. *sect.*4. *de Moribus Gentium*, §.4. *&c.* ut & supra in voce *Zeugitana.*

Zigga, urbs Episcop. Vict. Utic.

Ziguensis, locus in Africa, Collat. Carthag.

Ziito, Magus celebris, in aula Wenceslai Imper. & Bohemorum Reg. Hic cùm, affinitate cum Principe Bavariæ contractâ, ejus filiam Sophiam uxorem duxisset: Socer, ubi generum ludicris spectaculis & magicis præstigiis delectari cognovit, plenum ludionum & præstigiatorum plaustrum Pragam secum vexit. Ibi dum præstantissimus artificum ludibria artis, ad permulcendos oculos, explicat, adest inter spectatores Ziito, ore usque ad aures dehiscente, accedensque propius, artificem illum Bavari Principis cum omni apparatu subitò devorat, solos duntaxat calceos, quia luto obliti videbantur, expuens; Inde secessum petens, ventrem insolitâ escâ gravem, in solium aquâ plenum exonerat, præstigiatorem adhuc madidum spectatoribus restituit passim deridendum, adeò ut cæteri quoque ejus socii à ludo desisterent. Ipse verò artem suam ostentans, nunc suâ, nunc alienâ facie, staturaque: modò item in purpura & serico, ac confestim in lana & panno sordido, Regi sese offerebat: ambulansque in terra, ipse tanquam in aqua adnavigabat: aliquoties equis rhedatiis vectum, gallis gallinaceis ad epiredium suum alligatis subsequebatur. Convivas præterea Regis variè ludebat: interdum manus eorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in ungulas equorum transformans: & aliquoties fronti illorum cornua cervorum latissima adjiciens, quoties videlicet è fenestris ad subitum spectaculum prospicerent, ne rursus caput & ora ad mensam referre possent, antequam ipse vino dapibusque illorum se ingurgitasset. Atque ut ostenderet, se pecuniam quoque pro usu suo facilè conflare posse, triginta sues bene saginatas, è manipulis fœni effingit, illasque pastum, proximè sues Michaelis cujusdam Pistoris locupletis extrudit, proponitque venales, quo Pistor voluit pretio: hoc tantùm emptorem monens, ne gregem novum ad flumen lotum propellat. Quâ ille monitione neglectâ, cernit in flumine manipulos fluitare, suibus submersis. Ergo diu vendirore quæsito atque in taberna vinaria tandem reperto, in qua porrectis pedibus in scamno recubabat, dum stomachabundus altero pede correptum excitare vult, eum à corpore protinus cum coxendice avellit, clarè Ziitone pessimo quiritante, & obtorto collo Pistorem ad Judicem trahente. Quid faceret Pistor, in manifesto deprehensus, ut sibi videbatur, facinore, nisi ut damnum damno adderet, atque de hac insuper injuria cum altero decideret? Usurpant ad hoc usque tempus Bohemi, ut malam emptionem exprobraturi, vice proverbii dicant: *Lucrum facies instar Michaëlis.* Ad extremum à cacodæmone Magus abreptus injecit Wenceslao curam, de religiosis ac magis seriis rebus in posterum cogitandi, Dubravius *lib.*23. *Hist. Bohem.*

Zilia, Zelis Strab. Maurit. Ting. urbs, Ptolem. *Alger* Castaldo. Dicitur & *Xilia* Baudrando *Arzilla*, urbs regni Fezzæ, in Hasbata, olim Episcop. sub Archiepisc. Tingitano, probè munita, cum arce & portu peramplo, in ora Oceani Atlant. 32. m. p. à Tingi in Mer. Lixum versus 10. Aliàs sub Lusitanis, postea Gailano Principi paruit, nunc Regi Fezzæ & Marrochi subest.

Zilia, nomen fluv. apud Ptolem.

Zilmissus, collis in Thracia, in quo Sebadæo Deo ædes dicata. Macrob. *Saturn. lib.*1. *cap.*18. Aliis *Cilmissus.*

Zimara, urbs Armen. major. sub mont. Capotis radicibus, unde Euphrates fluv. erumpit, Solin.

Zimarus, locus maritimus, inter Cretam & Lotophagos, ubi Ulysses erravit. Dict. Cret. 6.

Zimiri, Æthiopiæ regio arenosa, ubi laudatissimus magnes.

Zimyra, urbs Ariæ, in ora ad Ort. Ptol.

Zin, desertum, *Cades* aliàs, ubi trigesima tertia mansio, Num. *cap.* 13. 20.&c.

Zin, locus, cujus incolæ *Mithera*, ubi Ambra in mari nascitur.

Zina, nomen viri, 1.Par.23.

Zincha, urbs Africæ, bello deleta, quod Cæsar cum Scipione gessit.

Zinchi, populi ad Pontum Euxinum in Sarmatia Asiatica, Arrianus.

Zindi. & *Jamna*, numerantur inter regiones calidas: ubi color niger, & capilli crispi.

Zingis, Æthiop. sub Ægypto promuntor. in orâ Azaniæ, Ptol. apud Opponenem emporium. Etiam *Zengila* dicitur.

Zinzimus, Antipapa, post Paschalem I. Eugenio II. oppositus: audito, Lotharium à patre Ludovico Pio Romam missum, cessit, Anastas. *in vit. Pontif.*

Zioberis, fluvius Hyrcaniæ, qui postquam per 300. stadia subter terram conditus defluxerit, denuo erumpit, inque alium fluvium nomine Rhyndacum cadit. Curt.6.18. *Stiboetes* Diod. *lib.*17. ubi describitur, Vide *Rhidago.*

Zioncellus, fluv. Thraciæ, per Drusiparam fluens: In vita Div. Alexandri Martyris. Forte idem Zorolo. Vide ibi.

Ziph, duæ civitates in tribu Juda, ex quibus altera nomen magnæ dedit solitudini, Jos.15. & 1.Regum 2. quam ædificavit Roboam, 2.Paral.11.

Ziph, mons in tribu Juda squalidus, caligans & nebulosus. Item unus ex posteris David. Hieron. *in L. H.*

Zipha, filius Jaleleel, 1.Par. 4.

Ziphar, mons Æthiopiæ interioris.

Ziphene, loci nomen, *καινὴ*, id est, *nova* dictus. In Palæstina, Joseph. *lib.* 6. *Antiq. cap.*13. Stephanus legit *Xiphene.*

Zipœtium, urbs Bithyniæ à *Zipœto* rege, Stephan. ad Lyperum montem.

Zippa, Belg. *de Zip*, q. sentina Oceani, lacus Hollandiæ Boreal. inter Alcmariam ad Mer. & Tesselam ins. Ab aliquot annis exsiccatus, munitur aggere *Hondsboch.*

Ziquensis, Episcopatus in Africa, meminit D. Augustinus & *Ziquensis* montis. Vict. Utic.

Ziriczaa, vulgò *Ziriczee*, urbs munita Scaldiæ Insul. cum portu capaci, in ejus parte Austr. contra Scaldis æstuarium. Dimidiâ leuc. à Brouvershavia, 5. à Berga ad Zomam in Occ. 3. à Middelburgo in Cæc. Capta fuerat ab Hispan. An. 1575. post longam obsidionem; postea fortiter recepta à Batavis; & juxta ipsam Flandri, ingenti clade fuere affecti, à Gallis Batavisque, Ann. Chr. 1304. In Zelandia.

Ziridava, Ptolem. urbs Daciæ, ad Naparim fluv. *Scharesten*, Lazio, in Valacchia. Aliis *Targorod*, urbs munita Moldaviæ, 40. mill. pass. à Suczova in Mer.

Zirma, fluv. circa Carduchios montes, Agathiæ.

Zisca, vide *Johannes Zisca.*

Zita, Arabum Princeps, qui cùm ei Hebræi duo Magi & Astrologi, imperium & vitam longam polliciti essent, si Christianorum templa demoliretur, paruit quidem, at anno vix exacto repentè mortuus est. Quare filio impostores punire parante, fugam illi in Isauriam arripuerunt, circa initium imperii Leonis Isauri. Zonaras.

Zita, pop. circa Bulgariam forte, in Hist. Misc.22.

Zitha, promunt. & opp. Africæ, Ptol. Vide *Zetta*. Item Mesopotamiæ urbs. *Sitha* apud Zosimum.

Zitia, urbec. Misniæ, *Zeitz* vulgò, in tractu Novoburgico, ad Elsterum fluv. 4. mill. Germ. ab Altenburgo in Occ. Jenam versus 5. quot à Lipsia & Mersoburgo in Austr.

Zittavia, urbs Lusatiæ super. ad Nissam amnem, in limite Bohemiæ, sub Elect. Saxon. 4. mill. Germ. supra Gorlitium, in Mer. Pragam versus; ædificata, aut certe munita, Anno 1255. à Wenceslao Bohemiæ Reg. *Zittavu* vulgò.

Zituron, locus Persidis, circa Ctesiphontem, *lib.*18. Hist. Miscell. *Siasur* Cedreno.

Ziza, filius Jonathan, 1.Par.2. Est & nomen Principis, 1.Par.4. Item urbs Arabiæ Petrææ, Ptolem. Lib. Notit.

Zizerus, Indiæ portus, Plinius *lib.* 6. *cap.* 23. Ibidem *Muziris* dicitur.

Zizeum, urbs in confin. Colchidis. Agathias *lib.*5.

Zizi montes, in prov. *Chaus*, regni Fezzæ, in mediterr. *Zizes* vulgò, Marmol. Extenduntur ab Ortu in Occ. inter Ommirabihum fluv. & fontes Mulviæ fluv.

Zizimus, Mahometis Turc. Imper. filius, mortuo patre, à Bajazethe fratre regno pulsus, Rhodiis sese primùm per literas, tum per Oratores permisit: ac paulo pòst onerariâ nave Rhodum delatus, regio apparatu exceptus est, Ann. Chr. 1482. Quo audito, Bajazetes pacem cum Rhodiis fecit, eâ lege, ut Zizimum custodirent, & alimentorum nomine 450000. nummûm auri quotannis Rhodi persolvenda Kalend. August. acciperent. Quinetiam ut gratiam M. Ordinis Magistri assequeretur, dextram Johannis Præcursoris ei dono misit. Cumque anno insequenti ingentem pararet classem, in Italiam per Hellespontum mittendam, minitante Magistro Rhodio, fratrem se emissurum, exercitum dissolvit, juramento adhibito. Dehinc Zizimus Romam perductus, An. C.1488. & Innocentio VIII. arte & solertiâ Leonelli, Concordiensis Antistitis, Legati Apostolici, concessus fuit; licèt Bajazetes per Legatos Rhodiis, præter cœtera, sepulchrum Christi cum Hierosolymis, & omni Terra S. pro Zizimo obtulisset, interea que Rex Hungariæ Matthias eundem impensè peteret, Zizimo ibi dedito, victoriam de Turcis indubitatam sperans. Vicit enim facundia Leonelli, ut Pontifici traderetur, sub militum Rhodiorum custodia. Postea, cùm Carolus VIII. Francorum Rex Romam cepisset, eâ conditione pacem cum Alexandro VI. sanxit, An. Ch.1495. ut captivum sibi traderet, qui in Vaticano detinebatur. Verùm Alexander quidvis potius, quàm res Caroli, per Zizimum illustriores reddi volens, venenum lentum misero propinari curavit, quo tandem absumptus est, Cuspinianus.

Zizimus, vide *Bajazetes II.*

Z M.

Zmilus, Rholus & Theodorus, fecerunt Labyrinthum Lemnium, Vide Zuingerum *Theatr. Vitæ hum. vol.20. lib.3. p.3717. col.2.*

Zmirna, Mœsiæ primæ urbs, Lib. Not.

Z N.

Znoimum, German. *Znaim*, Bohemis *Znoymo*, urbs Moraviæ, ad Teyam fluv. in limite Austriæ, 7. mill. Germ. à Bruna in Afric. 10. à Vienna in Circ. Pluries capta receptaque, præsertim à Suecis, An. 1645. Hic decessit Sigismundus Imp. An. Chr. 1437.

Z O.

Zoana, opp. Armeniæ minoris.

Zoar, nomen loci, Gen. 19. Suidas, Ζόαρ τόπος.

Zoara, urbs Persidis. Cives *Zoari*, vel *Zoaritæ*. Est etiam Ζόαρα, vicus magnus sive castellum Palæstinæ ad mare Mortuum, quò Loth confugit à Sodomis. Cives *Zoareni*, vel *Zoroatæ*, Steph.

Zobidæ, populi prope Carmaniam, Idem.

Zocomus, Saracenorum Princeps, qui apud Monachum quendam celebrem, de orbitate conquestus, ab eo certâ prolis promissione recreatus est, hac conditione si in Christum esset crediturus. Reversus is læto in regiam animo, post preces ad Deum ardentes fusas, filium suscepit. Quo eventu confirmatus non ipse solùm Christianorum fidem alacriter amplexus est, sed & subditos suos simul omnes, eandem ut amplecterentur, permovit, Sozomenus *lib. 6. cap* 38.

Zodocatha, Palæstinæ urbs. Lib. Notit.

Zoe, Imperatrix, Constantino Monomacho nupsit, An. Dom. 1043. libidinibus infamis. Filia fuerat Constantini Jun. Obiit An. 1052. ætat. 70. Vide *Romanus III. Michaël IV.* & *V. Constantinus Monom.* Item uxor Nicostrati Martyris, 7. an. muta ex morbo, demum à Deo O. M. curata.

Zoëla, Hispan. Tarrac. pop. in Asturiâ, Plin.

Zoës, locus Cyrenes à Batto conditus, Herod. *lib.* 4.

Zoëtium, urbs Armeniæ à *Zoëte* quodam, Steph.

Zofala, vulgò quoque *Zofala*, urbs munita Cafreriæ, in ora maris Æthiop. in Insula ad ostia fluv. cognom. cum arce, in limite Zanguebariæ, 250. mill. pass. à Currentium promontor. in Bor. 340. à Mozambicha in Afric. Sub Lusitanis. Caput regni cognom. in parte Bor. Cafreriæ, quod versus oram est Oceani Æthiop. & inter ostia Cuamæ & Zamberi fluv. in limite Zanguebariæ. Pars fuit aliàs Imper. Monoëmugi.

Zofinga, vulgò *Zofingen*, olim *Tobinium*, opp. Helvetiæ in pago Verbigeno, sub dit. Reipubl. Bernensis, in reg. Argovia, ad fluv. Altacum vel Viggerum. Jus cudendæ monetæ, jam Caroli Crassi tempore, oppido concessum, ejus antiquitatem loquitur. Olim sub Comitibus Spitzbergensibus, quibus prope arx fuit, quorumq; insignibus *Zofinga* utitur, fuisse videtur. Postea variis privilegiis donata, his salvis An. Chr. 1285. patrocinio Rodolphi I. Imper. se submisit: sed filius hujus Albertus, eam obsessam An. Chr. 1295. penitus sub jugum redegit. Incendio tota, unicâ domo exceptâ, absumpta est, An. Chr. 1396. sed reparata, nova ab Austriacis Principibus privilegia accepit. In Bernatum dein, cum tota Argovia, potestatem pervenit, An. Chr. 1415. quibus hodieque subest, salvis tamen pristinis immunitatibus: Unde proprium ei Consilium, cujus caput Scultetus, &c. Præposituram hic fundarunt olim Vroburgii Comites: Dominicani dein, sub Friderico II. hic pedem fixere, ob proditorios conatus, paulo pòst pulsi. Reformationem tandem amplexum oppidum, Missam cum toto Latinarum ceremoniarum choragio, abrogavit, An. Chr. 1528. Hic, Tigurinorum & Bernatium: Friburgensium item & Salodurensium, cùm his actoribus res est cum 8. Pagis, lites causæque decidi solent. Vide Stumpf. *lib.7. de Argovia, cap.33.* Jos. Simler. *descr. Helv. &c.* Distat dim. mill. ab Arolaburgo, *Arburg*.

Zogocara, Arm. maj. urbs, Ptol. Ζογόκαρα MS. Seldeni.

Zoheleth, rupes juxta fontem Rogel, 3. Reg. 1.

Zoheth, filius Jesi, 1. Par. 3.

Zoilus, Patr. Alexandrinus, sec. 6. Ab Anastasio Imper. pulsus. Baronius *An. Chr. 537. num.15.*

Zoilus, Sophista Amphipolites, Ptolem. Philadelphi temporibus, hoc uno facinore nobilitatus, quòd Homerum, Poëtarum omnium facilè Principem, libris adversus illum scriptis, ausus sit reprehendere; unde & Ὁμηρομάστιγος cognomen accepit. Ovid. *lib.2. de Rem. Am.*

Ingenio magni livor detrectat Homeri,
Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.

Martialis *lib.11. epigr.93.*

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dicit:
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

Non prætermittendus hic locus Vitruvii de Zoilo, qui *in Præfat. lib. 7.* talis est: *In sequentibus annis à Macedonia Zoilus, qui adoptavit nomen, ut* HOMIROMASTIX *vocitaretur, Alexandriam venit, suaq; scripta contra Iliadem & Odysseam comparata regi recitavit. Ptolemaeus verò cùm animadvertisset Poëtarum parentem, Philologiæ omnis ducem, absentem vexari, & cujus ab cunctis gentibus scripta suspicerentur, ab eo vituperari, indignatus nullum ei dedit responsum. Zoilus autem cùm diutiùs in regno fuisset, inopiâ pressus, summisit ad regem, postulans, ut aliquid sibi tribueretur. Rex verò respondisse dicitur, Homerum, qui ante annos mille decessisset, ævo perpetuo multa millia hominum pascere; Item debere, qui meliori ingenio se profiteretur, non modò se unum, sed etiam plures alere posse. Et ad summam mors ejus, ut parricidii damnati, variè memoratur. Alii enim scripserunt, à Philadelpho esse in crucem actum; nonnulli in eum lapides esse conjectos; alii Smyrnæ vivum in pyram conjectum: quorum utrum ei acciderit merenti, digna constitit pœna.* Hæc Vitruvius. *Canis Rhetoricus* etiam nominabatur, teste Ælian. ποικιλ. 11. 10. Honestius tamen de Zoilo Dionys. Halic. sentit, qui non tam animi vitio notasse ipsum & reprehendisse Homerum, Platonem & alios, quàm veritatis studio putat, quem vide *Responsione ad Epistol. Cn. Pompeji*, in quâ de reprehenso ab eo Platonis stylo ille conquerebatur, *cap.6.* Vide quoque Voss. *de Hist. Gr. lib.1. cap.15.*

Zoilus, quingentos equites in supplementum Alex. M. ex Græcia adduxit, apud Artacacnam, Ariorum urbem, Curt. 6. 40.

Zoitium, Arcadiæ urbs, Stephan.

Zolca, Paphlagoniorum in Galatiâ opp. Ptol.

Zolernum, vel *Zolleria*, castrum Sueviæ, caput Princip. cognom. à paucis annis, prope Hechingam urbeculam; *Zollern*, 3. mill. German. à Tubinga in Mer. Constantiam versus 9. & 2. à Danubio. Hoc à Petro Columnio, qui sub Henrico IV. Pontificis iram fugiens, in Germaniam venerit, conditum, ipsique Zollerorum Comitum originem propterea adscribendam, quidam volunt. Alii ad Tassilonem, Caroli M. militem, stirpis initium referunt: cujus fil. Dancko arcem Zolleranam tenuit, An. Ch. 819. Ex hujus posteris Fridericus VI. Comes Zolleranus, genuit Fridericum & Eitelfridericum, quorum hic pater fuit Eitelfriderici, Zollerensium, qui in Principum gradum evecti, hodie in Hechingensem & Sigmaringensem lineam dispescuntur, satoris: & Friderici natu majoris, cui ab avunculo Rodolfo I. Imper. Eberhardo ex Vohburgiis ultimo Noribergæ Burggravio extincto, Burggraviatus seu Franconiæ Ducatus collatus est. Alia ut Berythum, & Cadesburg, ab uxore Elisabetha Merania ei obtigere, nec non jus in Burgundiæ Comitatum, quod postea An. Chr. 1256. & 1269. Hugoni Cabillonensi vendidit, retentâ sola advocatiâ Vesontinâ, quæ deinceps separatim vendita. Hujus filius Fridericus II. Ludovici Bavari Imp. castra secutus, ab Oetingensibus, Castellanis, Hohenloicis & Heideccanis plurima emit. Pater Johannis, qui Columbacum, Blassenburgum & alia ab Orlamundanis sibi comparavit. Hoc natus Fridericus IV. gratiosus apud Carolum IV. *Imper. pater fuit* Friderici ex Burggraviis V. sed ex Electoribus Brandeburgicis, à Sigismundo Imper. Constantiæ Ann. Chr. 1415. ob merita creati primi: è cujus posteris feliciter hodie imperat Fridericus Wilhelmus Elector. Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor. in famil. Brandeburgica.* Ex Comitibus Zolleranis, German. *die Fürsten von Hohen-Zolleren*, primus à Ferdinando II. Imper. in Principum classem translatus est, Johannes Georgius An. Chr. 1623. sic tamen ut non nisi ex illo descendentes id privilegium concernat: In Senatum Principum & votum, demum Ann. Chr. 1653. durantibus Comitiis, admissus est, Eitelfridericus Princeps, & locus ei assignatus post Arnbergium. Insignia antiqua Comitum ita describuntur:

Zollern stat niveo rufus leo margine lato,
Sylvis atq; nigris octo spatiis variato.

Limnæus Enucl. *lib. 3. cap. 13.*

Zolnochium, urbs Hungariæ, ad Tibiscum; *Zolnock* vulgò. Permunita, 40. mill. pass. à Varadino in Occ. Budam versus 60. Caput Comit. cognom. qui inter Torantaliensem est ad Ort. Pestensem ad Occid. Hevesiensem ad Bor. & Bathiensem Comit. ad Austr. Sub Turcis.

Zombis, urbs Mediæ, Stephan.

Zompus, Pons in Sangario flumine, Curopal.

Zomuchana, Ariæ oppidum.

Zomzommim, gigantes qui & Rephaim. Deut. 2. Lege *Zanzommim*.

Zona uxoris regiæ & *Calyptra*, nomina Persicarum regionum fertilissimarum. Sic dictæ ab ornamentis reginæ, quibus hæ addictæ erant. Plato *Alcibiade*.

Zona, Africæ urbs, à Sestio fame subacta, Dioni *lib.* 48. Thraciæ oppidum; in Ciconibus est, apud Stephanum, circa Hebri fluminis ostia: Herodoto. Mons est ibidem, Plinio & Nicandro. Nomus quoque, Pomponio & Apollonio.

Zonæ, quantum ad nostrum attinet institutum, sunt circuli quidam lati, cœlum, terramque veluti cingulâ quâdam ambientes. Sunt autem numero quinque: ex quibus media, quæ inter Tropicos est, nimio calore parum apta creditur habitationi: duæ vero extremæ sub Arctico & Antarctico circulis sitæ, nimio frigore horrent, unde & ipsæ quoque habitationi parum sunt idoneæ. Reliquæ autem duæ, utpote quæ mediæ inter torridam & glacialem situm obtinent, temperatæ sunt, & humanæ vitæ accommodatæ.

datissimæ. Eratosthenes apud Heraclidem Ponticum, *in Allegoriis Homeri:*

Πέντε δὲ οἱ ζῶναι περιηγέες ἐσπείρηντο,
Αἱ δύο μὲν γλαυκοῖο κελαινότεραι κυάνοιο,
Ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἐκ πυρὸς οἷον ἐρυθρὴ
Τυπτομένη φλογμοῖσιν, ἐπεὶ ῥά ἑ μοῖραν ὑπ' αὐτὴν
Κεκλιμένοι ἀκτῖνες ἀειθερέες πυρόωσιν.
Αἱ δὲ δύω ἑκάτερθε πόλοιο περιπηγυῖαι
Αἰεὶ κρυμαλέαι, αἰεὶ δ' ὕδατι μογέουσαι.

Virgilius *Georg* 1.

Quinq; tenent Cœlum Zonæ, quarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni,
Quam circum extremæ dextrâ lævâq; trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.
Has inter mediamq; duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Divûm, & via secta per ambas
Obliquus quâ se Signorum verteret ordo.

Ovidius *Met.* 1.

Utq; duæ dextrâ cœlum, totidemq; sinistrâ
Parte secant Zonæ, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidemq; plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu;
Nix tegit alta duas; totidem inter utramq; locavit,
Temperiemq; dedit mistâ cum frigore flammâ.

Tibullus *lib.* 4. *Panegyr. ad Messalam:*

—— *Circumfuso consistit in aere tellus,*
Et quinq; in partes toto disponitur orbe,
Atq; duo gelidæ vastantur frigore semper.
Illic & densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemq; nivemq;,
Quippe ubi non unquam Titan superegerit ortus.
At media est Phœbi semper subjecta calori,
Seu propior terris æstivum fertur in orbem,
Seu celer hybernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terra.
Non illic colit arva Deus, Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, interq; rigentes,
Nostraq;, & huic adversa solo pars altera nostro,
Quas similis utrinq; tenens vicinia cœli
Temperat: alter & alterius vires necat aer.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus,
Hic & colla jugo didicit summittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tonsaturq; seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur ære.
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.

Varro,

Mundus domus est maxima rerum,
Quam quinq; altitonæ fragmine Zonæ
Scindunt, per quam limbus pictus
Bis sex Signis stellimicantibus,
Altus in obliquo æthere Lunæ
Bigas acceptat. ——

Claudianus *lib* 1. *de R. Pros.*

Addit quinq; plagas, mediam sub tegmine rubrô
Obsessam fervore notat, squalebat adustis
Limes, & assiduo fitiebant flumina Sole.
Vitales utrinq; duas, quas mitis oberrat
Temperies habitanda viris, cum fine supremo
Torpentes traxit geminas, brumaq; perenni
Fœdat, & æterno constringit frigore telas.

Vide Met. 1. 1. Cic. *in Som. Scip* Plin. 2. 68.

Zona, veteribus frequenti in usu; ut vestes succingerent & marsupium inde suspenderent recondendæ pecuniæ. Sic Mercurius depictus olim, cum sacco, marsupio à zona pendulo, Cornutus *in Persii Sat.* 5. Neque mercatores solum, sed & Magistratus iis hunc in finem usi, apud Græcos æque ac Romanos, Juvenal, *Satyr.* 14.

Noctecadet fractis trabibus, fluctuq; premetur
Obrutus & Zonam lævâ morsuq; tenebit.

Neque tamen circa lumbos, ut nunc fit, hæ zonæ gestatæ, sed è collo pendulæ erant, ut Plautus docet *in Truculento, scenâ ult. Epidico sc. Fecisti* & *in Asinaria scenâ, Cur me.* De militari Zona, notum illud, *Zonam perdidit:* & *ζώννυσθαι* apud Græcos idem, quod *ἐνδύεσθαι τὰ ὅπλα*, induere arma, significat, Cœl. Rhodig. *lib.* 22. *cap.* 9. Pars enim corporis Zonâ succincta Marti sacra erat, sicut frons Genio, lacerti Junoni, pectus Neptuno, renes Veneri, pedes Mercurio, digitique Minervæ, Alex. ab Alex. *lib.* 2. *cap.* 19. Inter muliebria porro vestimenta *Zona* numerantur à JC. eaque, quâ nova nupta præcingebatur, primâ nocte à marito solvendâ, *castus* peculiariter dicta est, unde *λυσίζωνος* Diana. Duplicem autem fuisse, quarum unâ nocte geniali, altera tempore puerperii, solvebatur, docet Franciscus Rossæus *Archæologiæ Atticæ libr.* 4. *cap.* 7. Ex Zona factum Semizona, unde *Semizonarii* apud Turnebum: qui semizonas conficerent. Has non easdem fuisse cum semicinctiis, monet Octav. Ferrarius *de re Vestiaria lib.* 3. *cap* 21 quod partem hominis anteriorem à cingulo, & lumbis ad pedes usque præcingebant, &c.

Zonaras Johannes, historicus fuit suâ ætate clarissimus, in regno Constantinopolitano. Ann. 1120. Prodiit ante paucos annos volumen triplex historiarum earum, quas conscripsit. Desinit autem ibi, ubi Nicetas incipit, atque ubi is desinit, ibi incipit Nicephorus Gregoras, & in fine hujus Chalcocondylas. Amplissimis muneribus defunctus, Monachus postea S. Basilii factus est. Annales ejus 3. volum. ut dictum, ab Hier. Wolfio latinè versi & Basileæ impressi, Ann. 1557. in 1. continent res Judæorum, usque ad urbem captam. In 2. res Romanorum, ab U. C. usque ad Constantinum M. In 3. res gestas, usque ad obitum Alexii Comneni, An. 1118. Sed & in Canones Apostol. Conciliorumque commentarios scripsit, &c. Vide Bellarm. *de Script. Eccl.* Voss. *de Hist. Gr. lib.* 2. *cap.* 27. Possevin. *in appar.* Gesner. *in Bibl.* Idem Parisiis quoque prodiit. Sed in Bibliotheca Basiliensi codex habetur canonum omnium Concil. & SS. PP. cum Nomocanone Photii & duplici commentario *Zonaræ* ac Balsamonis, ubi longè plura, quàm in editione Paris. quo codice editionem nuperam Canonum omnium Conciliorum Oxonii in Anglia accuratam, plurimum juvit, Clariss. Wetstenius Jun. Oratoriæ in Acad. Basil. Professor.

Zontium, opp. Germ. in Archiep. Coloniensi, ad Rhenum, 12. m. p. infra Coloniam Agrippinam in Bor. Dusseldorpium versus 8. Vulgò *Zons*. Aliàs *Durnomagus*.

Zoolatria, seu cultus animalium, qui apud Ægyptios olim hodieque apud Indos, prodigiose frequens est, ex *μετεμψυχώσεως* dogmate ortum traxit; in quod processu temporum degeneravit de Immortalitate Animæ doctrina, quam præter alia à Josepho acceperant Ægyptii. Hinc Osiridis animam Taurum petiisse asseruerunt: Scarabæum quoque hoc nomine Ægyptiis fuisse sacrum, tradunt Eruditi. Ab Ægyptiis proprietarum veterum hausit Pythagoras, qui ut eo facilius suis persuaderet, mortem simulans, sub terra septennio latitavit: dein, quasi ex Inferis excitatus, narravit suis; seipsum Euphorbum primò, postea Pyrandrum, tum Calliclem, denique pulchrâ facie scortum, cui nomen Alce, fuisse. Sparsum inde in alias gentes, unà cum abominando hoc cultu, de quo inprimis videri poterit Petrus de Valle *Itiner. tom* 4. Theophilus Spizelius *de re liter. Sinensium Sect.* 13. Gerard. Joh. Vossius *de origine & progr. Idol. &c.*

Zoom. fil. Roboam. 1. Par. 11.

Zoparistus, Arm. maj. urbs. Ptol.

Zophorim, regio Principum in Edom; nunc Gabalena.

Zopola, opp. Foro Julii.

Zopyrio, Alexandri è Prætoribus, Thraciæ præpositus, dum, Rege subigente Indiam, expeditionem in Getas facit, procellis tempestatibusque subitò coortis, cum toto exercitu oppressus est. Curt. *lib.* 10.

Zopyrion, Ponti præfectus, Scythis bellum indixit. Just. *lib.* 12. *Zopyrion* verò, qui Josepho celebratur *lib.* 1. *contra Apionem.* historicus fuisse videtur; de quo Voss. *Hist. Gr. p.* 425.

Zopyrus, nobilis Persa, qui cùm Darius rex Persarum Babylonios diu & frustra oppugnaret, ipse sibi nasum, aures, & labia amputavit, & ita ad Babylonios, quasi transfuga se contulit, conquerens de sui regis crudelitate. Receptus igitur a Babyloniis & dux belli factus urbem Dario tradidit. Unde postea Darius solebat dicere, se Zopyrum malle integrum, quàm viginti capere Babylonas, Herod. *lib.* 4. Alius Physiognomista fuit, h. e. qui profiteretur se hominum mores, naturasque ex corporis habitu, oculis, vultu, fronte posse pernoscere. Qui cùm turpia quædam, & à virtute aliena de Socrate dixisset, eoque is à multis deridetur; *Non errat*, respondit Socrates, *hujusmodi enim naturâ essem, nisi naturam philosophiâ superassem.* Alius Byzantius, historias scripsit, quarum lib. 3. citat Plut. *Par. Min. cap.* 36. Idem videtur esse, cujus meminit Marcellinus *in vitâ Thucydidis.* Alius quoq; Heracleota, ejus craterem esse ferunt Orpheo inscriptum, ut ex Clem. Alex. discimus. Meminit & *Zopyri* Oratoris Laertius Diogenes *in Timone.* Mentio item fit *Zopyri*, nescio cujus, apud Steph. in *Ἀφροδισιάς*.

Zera, locus celebris, habitatoribus frequens, non procul Damasco. Intr. Manasse.

Zoriga, urbs Armeniæ maj. Ptol.

Zoroanda, locus in Tauro monte, ubi Tigris sub terram conditus, paulo pòst emergit. Plin.

Zoroastres, rex Bactrianorum Nini Assyriorum regis temporibus, annis 400. ante bellum Trojanum. Primus magus Plinio est 30. 1. Risit eodem, quo natus est, die. Idem 7. 16. In fragmentis Berosi Chaldæi legitur Zoroastrem fuisse Chamum, fil. Noæ, sic dictum qu. *ζωὸν ἄστρον*, sc. à diligenti contemplatione motus siderum. A Semiramide victus. Videtur quibusdam à Mago diversus: Astrologus excellens. Euseb. *in Præp. Ev.* Bochart. *Geogr. Sacra*, Naudæus *apol.* Vide quoque Suidam, & Voss. *de Hist. Gr. pag.* 426. sed præ cæteris Cl. Bochartum *Phaleg. lib* 4. *cap.* 1. Præter hunc meminerunt Eruditi *Zoroastris* secundi seu Persomedi, cui vetu-

vetustissima symbola quædam seu λόγια μαγικὰ à quibusdam tribuuntur, quæ tamen non immeritò pro nothis habentur: Item *Zoroastres* Proconnelii: Imo multò plures hoc nomine floruisse existimat Joh. Bissetius *illustr. ruin. Dec.* 1. *ruin. Zor.* V. Theophil. Spizelium *de re liter. Sinensium Sect.* 6.

Zorobabel, filius Salathiel, Judæorum dux fuit, an. secundùm vett. Chron. à mundo condito 3418. ante verò Christum natum 544. Hic Regis Jeconiæ in directa (quam vocant) linea nepos erat: qui, cum Jehosua, sive Jesu Sacerdote summo, in Judæam remigravit, & cum multis Judæorum millibus, templi Jerosolymitani fundamenta jecit, permittente Cyro Persarum Rege. Cæterùm quatenus attinet ad historiam sacram, de Salathiel & Jehosua, consulito librum Esdræ, *cap.* 1. *& sequentibus.* Item Aggæum & Zachariam prophetas, ut & Ecclesiasticum, *cap.* 49. ipsum denique Joseph. *Antiq. l.* 10. *c.* 1. ac Joan. Carion. *Chron. l.* 2. Item fil. Phadaja 1. Esdr. 2. Lat. *alienus à confusione*, aut *aliena*, vel *extranea confusio*, vel *commistio*, aut *dispersio*, vel *circulus commistionis*, aut *confusionis*.

Zorolus, fluv. Thraciæ, 14. m. p. à Drusipara, à Tzurulo, proxima urbe, dictus.

Zoropassus, Arm. maj. urbs. Ptol. inter Cotænam & Nysam, proxima Comanis Cappadoc. ab ea in Bor. Incertum an extet.

Zoroys, Mahometis Boabdelini, ultimi Granatensium Maurorum Regis, uxor, pulso illi à Ferdinando Aragonio & excæcato à suis, cum nimis muliebriter in ejulatus solveretur, dixisse fertur, *Plorate, ut fœmina, qui ut viri pugnare nescivistis.* Sec. 15. sub finem. Petr. Matthæi *Hist. Henr.* 4. *lib.* 1.

Zorsines, Siracorum Rex, tempore Claudii. Tac. *lib.* 12. *cap.* 15.

Zosimus, 39. Rom. Pont. An. Dom. 417. successit Innocentio I. Pelagii librorum aliquem, à Cælestio hujus socio deceptus, approbavit: errore agnito utrisque comdemnans. Obiit An. 418. Anastas. *in Zosimo*, Baron. *in Annal.*

Zosimus, Comes, & Advocatus fisci, temporibus Theodosii Jun. ut ex Evagrio Scholastico patet. Reliquit historiæ libros 6. quorum primus Cæsares ab Augusto usque ad Diocletianum percurrit. Cæteris 5. fusius persequitur res Romanas, inprimis sub Theodosio & filiis, usque ad Romam iterum ab Alarico obsessam. An ulterius perrexerit, ignotum, cum libri 6. initium saltem habeamus. Sigonius septimum quoque ab eo scriptum refert, sed sine ratione. Stylum hujus auctoris jactat Photius, additque, videri historiam ejus Eunapii epitomen, nisi quòd Zosimus Stiliconem defendit contra Olympium, qui auctor ei calamitatis fuit. Homo fuit paganus, unde creber est in sugillandis Principibus Christianis, inprimis Constantino M. quo nomine etiam à Photio reprehenditur, item Evagrio, *lib.* 3. *cap.* 41. Nicephoro, &c. Frustra à Leunclavio, apologiâ hac de re editâ, defensus. Dictione utitur brevi, perspicuâ, purâ, & suavi. Diversus autem est ab hoc *Zosimus* Gazæus, quippe qui temporibus vixerit Anastasii Imper. auctor Commentar. in Demosthenem & Lysiam, teste Suidâ. Meminit & idem *Zosimi* Alexandrini, qui vitam Platonis posteris tradidit. Sed ætatem ejus non ponit, ut an idem sit, ac *Zosimus* iste, de quo priùs diximus, parum liqueat. Voss. *de Hist. Gr.* 2. 20.

Zositerpum, Thraciæ opp. Procop.

Zoster, opp. & promunt. Atticæ inter Piræeum port. & Ceam insf. cujus mem. Cic. *epist. libr.* 5. *ad Attic.* Licet Strabo illud apud Isthmum describat, sicut & Steph. qui sic dictum ait, quòd ibi Latona *Zonam* solverit, in stagno lavatura, ubi incolæ pisces illi & Dianæ immolabant.

Zoster, Italiæ promunt. ubi Sibyllæ Cumanæ domicilium. Lycophron. In Campaniâ putat esse Ortelius.

Zostium, loci nomen.

Zotale, fluv. Margianæ. Plin.

Zotape, Isauriæ urbs. Concil. Chalcedonense.

Zothmundus, Hungarus quidam, nandi peritissimus, qui, cùm Henricus III. Rom. Imp. Petri Hungarorum R. ab Andrea excæcati, mortem ulturus Posonium obsideret, intempestâ nocte, Præfecti jussu, nando clam hostium naves subiit, sensimque eas tenui terebro perfodit. Sic illæ, non modò proprio onere, sed machinis etiam onustæ, secundâ ac tertiâ horâ diei imo desidere occepere. Quâ arte elusæ hostium vires, obsidioque soluta est, Bonfinius *Dec.* 2. *lib.* 2.

Zotho, Dux Beneventanus, Cainense diripuit cœnobium, incensumque solo æquavit: Nec diu superstes facinori, brevi pòst morte consumptus est, cui Arrigem Agilulphus surrogavit, Sabellicus *lib.* 5. *Ennead.* 8.

Zoticus, vir sanctus & probatissimus, Comagenæ Episcopus, qui, cùm apud Pepuzam Maximilla, Montani hæretici meretrix, se prophetare simularet, repentè ingressus, cœpit imperare spiritui, qui in ipsâ loquebatur, ita ut eam penitus cohiberet. Euseb. *Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 1. Item libertus Heliogabali Imper. è cujus consilio Remp. hic turpiter administravit. Vide Herodian. *libr.* 5. Æl. Lampridium *in Heliogabalo &c.* ut & infra.

Zoticus, sub Heliogabalo Imp. tantum valuit, ut ab omnibus officiorum Principibus sic haberetur, quasi Domini maritus esset. Idem hoc familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta vendebat, aliisque alia pollicitus, omnes fallebat, dicens: *De te hoc locutus sum, hoc de te audivi, hoc de te futurum est.* Lamprid.

Zoton, Æthiopiæ sub Ægypto urbs. Plin.

Zotopolis, locus circa Thraciam Marcellino. *Syropolis* legit Cuspinianus: *Sozopolis* legendum putat Ortel.

Zotuastes, vel *Zatrastes*, simulatâ divinitate primùm leges dedit Arianis, Diodor. Siculus *Antiquit. lib.* 2. *&* 3. *cap.* 5.

Zotus, pictor insignis, Florentinus, circa An. Chr. 1340. Ejus opera per Italiam extant plurima, præcipuè Florentiæ: Romæ verò navicula Petri fluctuans, in atrio ipsius Basilicæ, Volaterranus *Anthrop. lib.* 21. Hunc ad pingendas Martyrum historias, in ædibus à se structis, conducere in animo habuisse Benedictum XII. Pontif. narrat Platina.

Zotypus, Argivus quidam, qui cùm Pyrrhum Epirotarum Regem, in obsidione urbis patriæ saxo percussum humique prostratum conspexisset, accurrit caput ei ademturus: Verum cum galeam ei detraxisset, parum abfuit, quin eum relinqueret inviolatum, adeò Pyrrhi jacentis conspectu deterritus est. Cæterum facinoris horrorem vincente avaritiâ, ob præmium, quod inde sperabat, ad amputandum caput reversus, adeo verenter manum operi admovit, ut vultu averso crebris ictibus gladio collum, & pro collo interdum os ipsum percutiens, ægrè tandem caput abstulerit, Plutarch.

Zovianus, Pergensis Ecclesiæ Episcopus: Hujus manum Antiochus, nepos Eusebii Samosateni, Episcopi celeberrimi, cum post mortem patrui, ei in Episcopatu à Synodo surrogatus, manuum impositione ab Episcopis muneri consecraretur, admittere renuit; quòd negaret, se eam manum ferre posse, quæ aliquando impietati Arianæ, contra fidem Nicænam, subscripsisset: quasi etiam post pœnitentiam blasphemiæ hujus cicatrices quædam apparerent, Theodoretus *lib.* 4. *cap.* 15.

Z T.

Ztenzitanus, Episcopatus in Africâ. Victor Uticensis.

Z U.

Zuataplugus, aliis *Suathes*, Sarmata, in Pannonia latè imperavit, eo tempore, quo Hunnorum gens, è Scythia, ob multitudinem, alias sedes quæsitura emigravit. Qui, postquam Tanai superato per Roxolanos, Sarmatas, Hamaxobios & Tauros Scythas itinere facto, in Transylvaniam penetrassent, ibique septem castra, unde adhuc regioni nomen, fixissent: tandem desiderio Pannoniæ capti, Cusiduin Chundi filium ad *Zuataplugum* miserunt, sedes petiturum. Qui ratus nihil sibi commodius accidere potuisse, quàm regionem feracissimam, exhaustamque incolis, ab Ungaris, quam rusticam esse gentem opinabatur, postulari, Legatum honorificè donatum dimisit. Hic voti compos, nigri soli glebam, herbas item & aquæ Danubii lagenam ad indicanda regionis commoda, in Septena castra retulit. Quo facto, Arpadus, ex telluris herbarumque indicio, regionis ubertatem aerisque clementiam auspicatus, mox cornu aquam infudit, altaque voce Marti ac Herculi progenitori Istrianam aquam libavit: multasque victimas patriis Diis, per singula castra, mactari præcepit. Quarto post die omnium consensu idem Legatus ad Zuataplugum reversus, candidum equum ephippio frenoque aureo exculptum ei obtulit, in obsequii pignus, terræq; quantum voluit, obtinuit. Quo ad suos reduce, Hunni montibus Carpathiis superatis, Danubioq; jam propinqui Legatum tertiò ad Regem miserunt, qui septem Ducum nomine ei significaret, ut terrâ, quam equo vendiderat, decederet, quandoquidem Ungari, Pannoniam tellurem equo, herbam freno & ephippio aquam mercati essent, quæ tria immodicâ cupiditate ipse abalienasset. Ad quæ ille subridens, equum ligneâ clavâ collidendum esse, frenum in prata, ephippiumque in Danubii fluenta projiciendum, respondit. Quibus verbis irritati Hunni eum cum tumultuariis copiis prælio congredi ausum vicerunt, in Danubio maxima cum Sarmatarum manu submersum, circa An. Chr. 744. Bonfinius *Decadis* 1. *lib.* 9. Ritius *de Regibus Ungariæ lib.* 1. Naucletus *gener.* 24. *&c.* Sex post hæc gesta annis, vicinas Hunni gentes infestare aggressi, Carniam, Stiriam, Carinthiam, Moraviam & Bohemiam: postea auditâ morte Bojorum Ducis, quæcunque Boji infra Anassum possedebant, flammâ & ferro vastarunt, Laureaco exciso, Aventinus *Annal. lib.* 3.

Zuchabarus, Africæ Propriæ mons. Ptol.

Zuchis, urbs Libyæ juxta Syrtim. Steph.

Zuenotto seu *Suenotto*, filius Haraldi Danorum Regis, Christianam fidem amplexi, patre jam in senium vergente, sentiens Procerum magnam partem, ob susceptam religionem indignari, quòd furta & latrocinia per mare, per terras, quibus insueverant, ei lege interdicerentur: patri bellum indixit, regno illum deturbaturus; qui ita processit ad bellum, ut militibus suis severa de servando filio suo præcepta daret. Sed victus Haraldus elabitur Julinum, Vandaliæ civitatem, ubi reparatis viribus, denuo in filium movit, non feliciori exitu Tertio cùm congressuri viderentur,

Pro-

Procerum interventu prælium diremptum est. Cui rei fidens Pater, cùm in terram egressus, à suis paulisper digrederetur, clam jaculo percussus, & Julinum reductus, ibi obiit. Sed non diu paternâ successione gavisus parricida filius, ab illo tempore, vitam, omnis generis calamitatibus obnoxiam, justitiâ illum divinâ acerrime urgente, perpetuò habuit. Vid Crantzium *libr.* 3. *Metrop*. Saxon. *lib.* 10. *&c.*

Zuentebaldus, filius nothus Arnolphi Imperat. frater Ludovici IV. Germaniæ, Bavariæ, Lotharingiæ & Franciæ Orientalis Regis, cum ignobilibus solùm versari delectatus, honestiores dignitaribus suis spoliavit, ob mores bolce & sævitiam insuper, cunctis invisus, Vide Cuspinianum.

Zuentiboldus, Lotharingię R. fil. nothus Arnolphi Imp. occisus in prælio ad Mosam, An. 900. Sepultus in *Suslern*, Duc. Juliacensis loco. Vide *Arnolphus* & *Ludovicus III.* ut & supra.

Zuenziga, regnum Zaaræ reg. in Africa, cum urbe prim. cognom. inter Targam regn. ad Ort. Zanhagam ad Occ. Tegorarinum ad Bor. & Agades ad Mer. In eo regno deserta sunt Gogdemum & Ghirum.

Zugana, urbs Arab. Fel. Ptol.

Zugar, urbs in Africâ Propriâ. Ptol.

Zuickavia, vulgò *Zvvickavv*, urbs Voigtlandiæ, ad radices Sudetorum montium, & ad Muldam fluv. ubi Carolus M. quondam castra habuit, contra Slavos. Jacuit postea, usque ad Henrici Aucupis Imp. tempora, à quo restaurata est.

Viri celebres.

Zuingerus Theodorus, Phil. & Medicus Basiliensis præstantissimus, Bucholcer. *Ind. Chron.* Natus Basileæ Ann. Chr. 1533. patre Leonhardo pellione, Episcopicellano, sed cive Basiliensi, ex Christiana Oporina, sub Conrado Lycosthene studiorum in patria rudimenta posuit: Petrum dein Ramum Parisiis, Bassianum Landum, Victorem Trincavellam Venetum, Antonium Fracanzanum Vicentinum, Hier. Capivaccium Patavinum, Aloysium Bellacatum Brixiensem, Gabr. Fallopium, Patavii docentes audiit. Inde Venetias Ann. Chr. 1555. delatus, Laur. Priulo Nobili operam suam addixit, reversusque Patavium, Phil. & Medicinæ ibi lauream adeptus est, An. C. 1559. Mox Patriæ redditus, Græcâ primùm, exin Ethicâ Professione defunctus, obiit An. Chr. 1588. Ejus prostant *Somnium Nautileum, in nupt. Bas. Amerbachii: Tabulæ in Arist. Ethica & Politica: Methodus Apodemica & Rustica: Morum Philosophia Poëtica: Theatrum Vitæ Hum. 4. tom. Tabulæ in 22. Comment. Hippocratis, in artem Medicin. Galeni, in ejusd. librum, de constitutione artis Medicæ: Physiologia*, à Jacobo fil. edita: *Tabula in Psalmos Davidis, &c.* Elogium ejus vide apud Thuanum, qui ejus hospitio aliquandiu usus est, *in Histor.* Pater fuit Jacobi.

Zuingerus Jacobus, fil. prioris, Philos. itidem & Medicus Basil, celeberrimus. Natus An. Ch. 1569. Petrum Ramum, qui ob religionem tum Basileæ exul degebat, Patrem lustricum habuit: provectiore dein ætate, ad Medicinam animo applicito, Patavium petiit, Italiæque celebrioribus lustratis locis, ubi monumenta quæcunque antiquitatem spirantia diligenter in tabulas suas retulit, in Patriam redux, Doctorâ primùm Medicâ, Promotore Felice Platero, dein Græcâ Professione ornatus, quantus esset, luculenter monstravit. Obiit peste Ann. Chr. 1610. Pater Theodori, de quo infra. Ejus extant: *Vigilia Socratica, in nupt. Jac. Rüdini: Hypotyposis Græcarum Dialectorum: Examen principiorum Chymicorum: Physiologia Parentis, continuatâ orationis serie exposita & illustrata: &c.* Idem *Theatrum* Parentis quartùm edidit, cum accessione insigni, & indice locupletissimo.

Zuingerus Theodorus, Jacobi ex Juditha Brandia fil. Theologus Basiliensis incomparabilis. Natus An. Chr. 1597. ex voto Parentis, sacro admotus studio, miros in illo mox progressus, in Athenæo Patrio, fecit. Præstantissimos dein in Palatinatu, Belgio, Anglia & Gallia Theologos docentes audiit: inde per Genevam domum reversus, acri desiderio Dordracum sacramque Theologorum ibi congregatorum panegyrin visendi ardens, Ecclesiasticæ vocationis vinculis retentus est, An. Ch. 1619. In qua, dum majoris minorisque Urbis Ecclesias solicitè aliquandiu pavit, Johanni Wollebio quinto Ecclesiæ Antistiti, An. Chr. 1629. piè defuncto, in primariâ statione surrogatus, pietatis, doctrinæ, prudentiæ, candoris, eloquii exemplar emendatissimum, Majorum splendori magnorum in Ecclesiam meritorum gloriam, fluctu velut reciprocante, adjecit. Obiit An. Ch. 1654. Pater Johannis, ex Magdalena Buxtorfia. Ejus extant: *Theatrum Sapientiæ cœlestis: Analytica recensio Epistolæ ad Romanos: Syntagma Exercitationum selectarum, à filio editum, &c.* Ei successit Lucas Gernlerus.

Zuingerus Johannes, Theodori fil. Theologus item Basiliensis insignis. Natus An. Ch. 1634. post linguarum Artiumque curriculum promtâ felicitate emensum, Theologiæ, ad magni Parentis exemplum, se totum dedit, tyrociniis ejus ad tanti Gamalielis pedes in patria depositis. Inde Genevæ aliquandiu Ecclesiastem Teutonicum egit: Germaniæ dein Belgiique Ecclesiis aditis, præter alios, Joh. Crocium Marpurgi, & Samuelem Maresium Groningæ, Theologos nostri temporis summos, docentes audiit. Eodem postmodum, quo in patriam reversus est, die, Græcam Professionem, velut hæreditariam familiæ, nactus An. Ch. 1656. Postmodum Theologię Professor, Locos Communes & Controv. Theol. cum fructu aliquandiu tractavit; Nunc Vet. Testamenti provincię exornandę summâ fide industriaque incumbit. Pater egregię prolis. Ejus extant: *Oratio de Barbarie super. seculorum: Disputationes Philos. & Theol. quàm plurimæ: &c.* Idem Parentis *Syntagma Exercitationum* edidit.

O nimium dilecta Deo gens, lumina porro
Spargere ne Patriæ desine, neve polo!

Zuinglius Ulricus, natus in pago *Wildhaus*, in Toggiis, honesto inter suos loco, Ann. Chr. 1484. in Helvetia, Reformator Ecclesię Tigurinę. Tiguri primam concionem habuit, An. 1519. & Evangelium secundùm Evangelium enarrare cœpit. Kal. Jan. Lavaterus, *de Cometis*: cùm in Saxonia ministerio Lutheri reformatio cœpit. Bernardo Samsoni, Franciscano Mediolanensi, à Leone X. in Helvetiam misso Indulgentiarum præconi, eodem tempore, quo idem in Germania munus Joh. Tezelio demandatum fuerat, strenuè se opposuit: adjutus in eo ab Hugone quoque Episc. Constantiensi. Primum An. 1525. edidit Commentarium, de vera & falsa religione, Francisco I. Gall. R. inscriptum. Item tract. de S. Cœna, in quo tropum in verbis S. Cœnæ ex S. Scriptura defendit, Eodem anno, abolitis veteris Missę ceremoniis, primùm Tiguri celebravit Cœnam Domini, die 23. April. secundùm institutionem Domini &c. Porro contra Anabaptistas, Fanaticosque magno cum successu disputavit. Obiit, in prælio, contra Quinquepagicos, cui, ut Pastori, ex legibus urbis, illum interesse necesse erat, An. 1531. æt. 48. Ministerii Tigurini 12. Ultima morientis vox fuit: *Ecquid hoc infortunii? Age, corpus quidem occidere possunt, animam non possunt.* Myconius *in vita ejus.* Cadavere ejus ab hostibus flammis tradito, cor exuri non potuit. Thuan. *Histor. lib.* 1. Ei successit Henricus Bullingerus.

Cor zelo accensum divino, & Numine fervens
Pruna favilliferi non cremat ulla rogi.

Vide quoque in voce *Ulricus Zuinglius.*

Zuiria, vulgò *Zuirie*, prov. Georgię, ad Ortum, versus oram Occ. maris Caspii, ubi aliàs Albania reg. Hic Tartari *Daghestani.* Dividitur in tres partes; & ejus urbes præc. sunt *Stranu*, aliàs Albana, *Zitrach* aliàs Getara, & *Chipiche*, aliàs *Cabala.*

Zumi, Germ. gens à Maroboduo rege subacta. Strab.

Zundebaldus, Slavorum Moravensium Rex, Ducatum Bohemorum ab Arnulfo Imper. accepit, ut Hungaris Pannoniam occupantibus, propulsandis par esset. Verùm immemor mox beneficii, fretus jam auctis viribus, tributa Imperatori reddere negavit, jugum etiam ejus excutere molitus. Qua re cognitâ Arnulfus copias contra ingratum duxit, Hungarisque, fractis munitionibus, quas *Clausas* vocant, in auxilium vocatis, eum domuit: Dicitur etiam *Zuenteboldus*, Vide Luitprandum *lib.* 1. *cap.* 3. Sigebertum ad An. Ch. 893. &c.

Zungar, castellum in Cilicia, Nicet.

Zurachi, Arabię populi, apud Plinium *lib.* 6. *cap.* 28.

Zurinana, civitatis Episcopalis, in Africâ, meminit Vict. Uticensis *libr.* 1.

Zurmentum, Africę Proprię urbs.

Zurobora, Daciæ opp. Ptol. *Temesvvar* Nigro. V. *Temesvaria.*

Zurta, fluvius, circa Thraciam, ad quem Atistum devictum à Bulgaris scribit Marcell. Comes.

Zurulum, Vide *Tzurulum* & *Turulum.*

Zurzacum, vulgò *Zurzach*, vicus ingens Helvetiæ, ad Rhenum, oppidi in morem excultus, inter op. Clingenovium, & Cæsaris Solium, quę ambo ad præfecturam Badensem pertinent: in diœc. Episc. Constantiensis. Celeberrimus est nundinis suis, quę binę quotannis ibi celebrantur: ad quas non ex Helvetia solùm & Germania, sed & ex Gallia mercatores magno numero confluunt. Plerisque videtur *Forum Tiberii* Ptolomæo memoratum, qui proin nundinarum originem ab Ipso Tiberio arcessunt: Aliis ex ruinis Fori Tiberiani ab Alemannis sub Diocletiano eversi Zurcacum excrevisse, nundinasque quę antea apud Forum Tiberii, nunc Zurcacum translatas fuisse, opinantibus. Nomen Zurzaci, quasi *Certiaci vici* accepit, forte à M. Junio Certo, milite Romano, vel Viennensi, quem illic conditum vetus inscriptio testatur, apud Guillim. & Stumpf. Oppidum primò, dein per Alemannorum, qui iteratâ irruptione Romanos penitus hisce regionibus, sub Valentiniano III. pepulere, vel Francorum aut Hunnorum bella, in vicum redactum est. Abbatia hic celebris Benedictinorum, à Regibus, ex Carolinorum familia fundata, quę postea ab Episc. Constantiensi Eberhardo emta est, circa Ann. Chr. 1251. Jurisdictio loci ad Clingenoviensem præfectum pertinet, qui quotannis, mense Januario, apparitorem deligit, ut in criminibus gravioribus, judicium exequatur & reum multet: leviorum delictorum multâ, quę non nisi 10. libras excedat, Episcopo Constant. relictâ. Verùm nundinarum tempore, 1. Kal. Sept. & primâ feriâ septimanæ, quę festos dies Pentecostes sequitur, pridie nundinarum adveniente præfecto Badensi, jurisdictio omnis Episcopi cessat, solusque præfectus imperandi & edicendi jus habet, ad finem usque nundinarum, Vid. Stumpfium *Chron.* qui etiam Nobilium

bilium *de Zurzaco* meminit; Jof. Simlerum *defcr Helvet.* Joh. Bapt. Plantinum *Helv. Antiq. & Nov. &c.*

Zurzura, urbs Armeniæ maj. Ptol. *Erzil* hodie, Moletio, parum in Ort. recedens à Gerva & *Maguftana.*

Zuthi, Carmaniç def. populi.

Zutphania, vulgò *Zutphen*, urbs Belgii, ad Ifalam, ubi recipit Berkelam. Permunita, cum arce valida. 9. m. p. à Daventria in Mer. quot Dœsburgum verfus. 17. ab Arenaco in Cæc. Crudeliter expugnata, ab Albano fec. præt. ante biennium proditione, cum plurimis aliis Belgii urbibus, in Gallorum poteftatem venit, fed eadem facilitate, quà perdita fuerat, recepta eft. Caput Com. *Zutphania*, à paludibus, quas *Venen* vocant, dicti, in Geldria; ubi aliàs Ufipetes. Terminatur à Sept. Tranfifalanià, ab Ortu Weftphalià, ab Occ. Geldrià inf. à qua dirimitur Ifalà, à Mer. Cliviç Duc. Reliqua opp. Dœsburgum, Grolla, & Dotechemum.

Zuvolla, vulgò *Svvol*, urbs Hanzearica Tranfifalaniç, ad Aam fluviolum, qui mox cadit in Vidrum, non procul ab Ifala, ex quo vallum perductum eft & tria caftra. Munitiflima, 8. m. p. ab oftio Ifalæ & ab ora maris Auftr. in Occ. 18. à Daventria in Bor. Leovardiam verfus 44. circiter.

Zuza, mons apud Æthicum Sophiftam.

Zuzidava, urbs Daciç, Ptol. in Moldavia, ad fluv. *Geraffum.* Hodie *Hufz* dicta. *Sacidava* Scythiæ, Lib. Notit.

Z Y.

Zydrita, Arriano, in fuo *Maris Euxini Periplo*, funt populi, circa idem Mare. Hos Proc. *Sifiliffos* vocat, ut fcribit Theod. Adamæus. Eofdem effe cum *Zeulienfibus*, quos Strabo *lib.* 10. defcribit, idem auctor eft. Stuckius autem *Zydreitas* eofdem effe contendit cum *Cercitis* Strabonis.

Zygactes, Thraciç fluv. circa Philippos, in cujus trajectu dicunt Plutonem fregiffe currûs jugum, cùm Proferpinam rapuiffet, indeque fortitum nomen. Appianus 4. *Civilium.*

Zygana, Ptol. Vide *Zygena.*

Zygantes, vide *Gyzantes.*

Zygantes, Africç populi; apud quos magnam vim mellis apes conficiunt, fed multò plus opifices viri facere dicuntur, Herodotus *lib.* 4. ubi illos fimiis tantùm vefci corpusque minio inficere refert: quemadmodum & Hyporeç, Æthiopię populi, tota corpora rubricâ illinere leguntur.

Zygena, inf. in mari Rubro. Gentile *Zygenites.* Poffeffivum *Zygenicus.* Steph.

Zyges, Marmaricç Nomi gens. Prol.

Zygi, pop. juxta Bofporum Afię; ad quos pertinere videtur etiam *Zygopolis* juxta Trapezuntem. Gentile *Zygianus.* Steph.

Zygia, Juno apud Pindarum fic dicta, eo quod nuptiis præfidere putabatur; Unde Γαμηλία Græcis, & *Pronuba* Latinis dicitur. Hinc Ovid. *Ep.* 2.

Junonemq; toris quæ præfidet alma maritis.

Zygiana, Bithyniç reg. Ptol.

Zygita, meliùs *Zeugita*, Græcè Ζευγῖται, tertia erat civium Athenienfium claffis. Solon enim, inclytus Reip. hujus legiflator, in quatuor hos ordines feu claffes populum divifit: Πεντακοσιομεδίμνους, Ἱππεῖς, Ζευγίτας, Θῆτας, *Pentacofiomedimnos*, *Equites*, *Zeugitas*, *Thetas*: de quibus Vide Francifcum Roffæum *Archæol. Attica lib.* 1. *cap.* 4. Petitum *Comm. in leges Atticas &c.*

Zygopolis, opp. Cappadociæ, ultra Trapezuntem, in confinio Colchidis. Strabo.

Zygoftates, Libripens; qui per civitates conftitutus erat, ad controverfias de monetis ortas dirimendas. Julianus *ad Mamertinum in L.* 1. *c. de pond. rat* apud Panc rolum *de Magiftr. c* 15 *Quoties*, inquit, *de qualitate folidorum orta fuerit dubitatio: placet quem fermo Græcus appellat* Zygoftaten, *per fingulas civitates conftitutum, qui pro fua induftria neq; fallat, neq; fallatur, contentionem dirimere.*

Zygris, Marmaricæ vicus. Ptol. *Solonet* Caftaldo. Olim urbs fuit Epifc. maritima, inter Catabathmum M. ad Occ. & Parætonium in Ort. Pop. *Zygrita*: Epifcopi *Zygrorum* meminit D. Athanafius.

Zymna, Syriæ urbs inter Edeffam & Cyrrhum. Anton. extincta. *Sacidava* Scythię, libr. Notit.

Zyras, amnis Thraciç Dionyfiopolim alluens. Baudrando fluv. Mœfię infer. nunc *Varne*; infra Varnam urbem cadit in Pontum Euxinum.

F I N I S.

SOLI JEHOVÆ SERVATORI GLORIA IN SECULORUM ÆTERNITATEM.



NOMEN-



NOMENCLATOR ΜΙΞΟΓΛΩΤΤΟΣ,

Locorum, Personarum, Rerumque nomina, vernaculo cuique genti sermone, in fronte exhibens.

A.



A, amnis Belgii in Transisalania, *Aa*.
Aa, fluvius westphaliæ, *Aa*, aliis *Velicer*.
Aa, fluvius etiam Westphaliæ, *Aa*.
Aa, amnis Westphaliæ, *Aa*.
Aa, fluvius Attesiæ, *Euneno*, & fluvius Westphaliæ, *Velicer*.
Aa, fluvius Artesiæ, *Agnio*, *Euneno* & *Euno*.
Aa, fluviolus Germaniæ in Frisia, *Alpha*.
Aade, fluviolus Brabantiæ, *Aada*.
Aahus, oppidum Westphaliæ, *Aahusium*.
Aar, *Arola*, Vide *Arr*.
Aarburg, oppidum Helvetiorum, *Arburgum*.
Aarasso, urbs Pisidiæ, *Aarassus*.
Aare, & *Aro*, amnis Germaniæ, *Abrinca*.
Abacares, populi Americæ meridionalis, *Abacares*.
Abach, pagus Bavariæ, *Abudiacum*.
Abachu, Vide *Bachu*.
Aback, oppidum Vindeliciæ, Vid. *Abach*.
Abacoa, insula Americæ septentrionalis, *Abacoa*.
Abasbe, montes Americæ meridionalis, *Ababa*.
Abanbo, fluvius Æthiopiæ, *Abanbus*.
Abancay, fluvius Americæ meridionalis, *Abancaius*.
Abbandune, oppidum Angliæ in Bercheria, *Abendonia*.
Abanhi, fluvius Africæ, *Astapus*, aliis *Nilus*.
Abannas. Vide *Abaunas*.
Abano, vicus Patavinus, *Aponus*.
AbanVViVar, Comitatus Hungariæ, *AbanVViVar*.
Abaraner, oppidum Armeniæ, *Abaranum*.
Abaraus, oppidum Guineæ in Africa, *Abaraum*.
l'Abbatse, vicus Galliæ, in insula Radi, *Abbatia*.
AbaVi, fluvius Æthiopiæ, *Astapus*.
Abaunas, lacus Mediæ, *Mantiana palus*.
Abba Curia. insula maris Rubri, *Dioscoridis insula*.
Abbahuis, fluvius Ægypti, *Nilus*.
Abbaschi, populi Asiæ in Georgia, *Abbassi*.
l'Abbaye Blanche, locus Galliæ in Hiero inf. *Abbatia Alba*.
l'Abbaye du Val, vicus Galliæ, in agro Parisiensi, *Vallis Sanctæ Mariæ*.
Abbefort, oppidum Norvegiæ, *Abbefortia*.
AbbeVille, urbs Galliæ, *AbbaVilla*, vel *AbbatisVilla*.
Abela, oppidum Palæstinæ, *Abela*.
Abella, fluvius Poloniæ, *Abella*.
Abellinas, mons Syriæ, *Antilibanus*.
AbenoVV, mons Germaniæ, *Abnoba*.
Abensperg, oppidum Bavariæ, *Abusina*.
AberaVon, oppidum Angliæ, *AberaVonium*.
Aber-ConVVey, oppidum Walliæ, *ConoVium*.
AberconVVey, oppidum Angliæ in Wallia, *AbercoVonium*.
Aberdone, & *Aberdeen*, urbs Scotiæ, *Aberdonia*, *DeVana*.
Aberdore, oppidum Scotiæ borealis, *Aberdora*.
Aberdour, oppidum Scotiæ australis, *Aberdura*.
Aberford, oppidum Angliæ, *Calcaria*.
AberfraVV, oppidum Monæ insulæ, *GadiVa*.
AbergeVenny, oppidum Walliæ, *Gobannium*. Ferr. Baudrando *AbergeVenny*, oppidum Angliæ in wallia, *Abergennium*.
AberistyVith, oppidum Angliæ, *AberystyVinum*.

A.

Abernethy, urbs Scotiæ, *Abernethaum*.
AbertiVy, fluvius Walliæ, *Tybius*, *Rhatostathybius*.
Abet, oppidum Mauritaniæ, *Suriga*.
Abexin, Vide *Abissia*.
Abia, fluvius Tartariæ, *Abia*.
Abiagrasso, oppidum territorii Mediolanensis, *Albiatum*.
Abiam, fluvius Margianæ, *Oxus*.
Abiamu, Vide *Abiam*.
Abington, oppidum Angliæ, *Abindonia*.
Abisca, provincia Americæ in Peruvia, *Abisca*.
Abissia, provincia Africæ, *Æthiopia*.
Abissins, populi Africæ, *Æthiopes*.
Abissinie ou pais des Abissins, regio Africæ, *Abassenia seu Abissinia*, & *Æthiopia*.
Abissins, populi Æthiopiæ, *Abyssini*.
AbistaVerati, urbs Ciliciæ, *Olbasa*.
Abiz, fluvius Bulgariæ, *Istrus*,
Abnaquiois, populi Americæ septentrionalis, *Abnaquii*.
Abnedara, pagus Portugalliæ, *Meribriga*.
Abo, urbs Succiæ, *Aboa*.
Aboy, urbs Hiberniæ, *Aboya*.
Abraconis, oppidum Armeniæ, *Abracunium*.
Abrantes, oppidum Hispaniæ in Portugallia, *Abrantus*.
Abrantes, oppidum Portugalliæ, *Tubucci*.
Abreojos, ò *Baxos de Babueca*, scopuli Americæ septentrionalis, *Aperi oculos Babueca*.
Abrigada, oppidum Portugalliæ, *Arabrica*.
Abrolhos, scopuli in mari Brasilico, *Aperi oculos*.
os Abrohos, scopuli in ora Brasiliæ, *Aperi oculos*.
Abruckbanya, oppidum Transylvaniæ, *Aurariarum*.
l'Abruzzo, regio Italiæ, ubi Samnites populi, *Aprutium*, *Samnium*.
Abuio, insula Asiæ, *Abuia*.
Abutich, urbs Ægypti, *Abydus*.
Abyso, fluvius Siciliæ, *Elorum*.
Abzol, oppidum Livoniæ, *Adzelia*.
Aca, urbs Phœniciæ, *Ptolemais*.
Acada, fluvius Bithyniæ, *Sangarius*.
Acafran, fluvius Mauritaniæ, *Chinafal*.
Acanes, urbs Africæ in Guinea, *Acanes*.
Acapulco, urbs novæ Hispaniæ, *Acapulcum*.
Acaraig, oppidum Americæ meridionalis, *Acaraga*.
Acaxi, oppidum Iaponiæ, *Acaxium*.
Acaxutla, portus novæ Hispaniæ, *Acaxutla*.
Accadie, provincia novæ Franciæ, *Accadia*.
Accara, oppidum Africæ in Guinea, *Accara*.
Accaron, urbs Palæstinæ, *Accaron*.
Accia, urbs Corsicæ insulæ, *Accia*.
l'Accolade, amplexus, quo Equites initiari solent.
Accumba, oppidum Peloponnesi, *Hypania*.
Acdeniz, Ægæum mare.
Acellaro, fluvius Siciliæ, *Elorus*.
Acerano, pagus agri Navariensis, *Achera*, *Acerra*.
Acere, pagus agri Ticinensis, *Acerra*. *Acherra*.
Acerenza, urbs regni Neapolitani, *Acherontia*.
l'Acerra, urbs regni Neapolitani, *Acerra*.
Ach. Vide *Aken*.
Acha, fluvius Bavariæ, *Acha*.

Achacica, oppidum novæ Hispaniæ, Achacica.
Achumba, insula Indiæ, Taprobana.
Achatana Esbahan, urbs Mediæ, Ecbatana.
Achaton, oppidum Cypri, Aphrodisium.
Achbalnc, oppidum Asiæ in Caraia, Achbalucum.
Achelo, urbs Thraciæ, Anchialus.
Achem, urbs Asiæ in Sumatra insula, Achemum.
Acheri, vicus ad Isaram, Ercherecum.
Achlar, fluvius Armeniæ majoris, Araxes.
Achonry, urbecula Hiberniæ, Achonrita.
Achotou. Vide Achatou.
Achrida, urbs Macedoniæ, Achris, Achridus.
Achsteede, oppidum Germaniæ in Saxonia, Acsteda.
AchterWaldt, sylva Galliæ Belgicæ, Arduenna.
Achy, locus Belgii, ad fluv. Saram, Aciacum.
Achyr, urbs Poloniæ, Achyrum.
Aci, arx Siciliæ, apud Acim fluvium.
Aciaponda, oppidum Indiæ, Aciaponda.
Acierno, urbs regni Neapolitani, Acernum.
Acilino, fluvius Siciliæ, Acilius, Acithius.
d'Ack, in Britannia min. Pagus Agnensis.
Acotonlu, regio Asiæ, Armenia minor.
Acoma, locus Americæ septentrionalis, Acoma.
Acon, Vide Emeley.
Acon & Acone. Vide Aca.
Acopende, urbs excisa Pamphyliæ, Olbia.
Acor, urbs Mauritaniæ, Icosium.
Açores. Vide Azores.
Acqs, urbs Galliæ, Tasta, seu Aquæ Tarbellicæ.
Acqua dolce. Vide Aqua dolce.
Acqua dolce, castrum Siciliæ, Calacta.
Acqua FaVella, fons Calabriæ, Thuria.
Acqua pendente, opp. Hetruriæ, Acula, Aquula, Aqua Taurina.
Acquapendente, urbs Hetruriæ, Acula.
Acquaria, oppidum Italiæ, Aquarium.
Acqua Sparta, oppidum Vmbriæ, Aqua Spatta.
Acqua di TreVi. Vide Fonte di TreVi.
Acqua ViVa, oppidum regni Neapolitani, Aqua ViVa.
Acque di Mondragone, thermæ Campaniæ, Aqua Suessana Vel Sinuessana.
Acqui, urbs Montisferrati, Aqua Statyella.
Acra Spandona, promontorium Thraciæ, Metopon.
Acre, urbs Syriæ, Acon seu Ptolemais.
Acremont, oppidum Siciliæ excisum, Acra.
Acri, fluvius & oppidum Calabriæ, Aciris.
Acri. Vide Aca.
Acrioteri, lacus Phrygiæ, Tatta.
Acristia, oppidum Siciliæ in ruinis, Scrythea.
Acs, urbs Vasconiæ, Aqua Tarbella, Aqua Augusta.
Acsa, lacus Bithyniæ, Ascania, & fluvius, Ascanius.
Acsar, urbs Ciliciæ, Anazarbus.
Acserai. Vide Acsar.
Acsu, fluvius Bithyniæ, Ascanius.
Actamar, lacus Mediæ, Mantiana palus.
Acumar. Vide Azumar.
Acumoli, oppidum Aprutii in Italia, Acumulum.
Acyla, urbs Arabiæ felicis, Ocelis.
AcZud, oppidum Valachiæ, Aczuda.
Adacth, urbs Taprobanæ, Vlipada.
l'isle Adam, in Bellovacis, Insula Adami.
AdaoVus, populi Africæ in Guinea, AdaoVi.
Adare, oppidum Hiberniæ, Adara.
Adata, urbs Syriæ, Germanicia.
Adazar, mons Asiæ, Caucasus.
Adda, fluvius Lombardiæ, Abdua, Addua.
Adea, regnum Africæ in Æthiopia, Adea.
Adegele, fluvius Damasci, Chrysorrhoas.
Adel, regio & regnum Æthiopiæ, AZania.
Adel, regnum Æthiopiæ, Adel & Azania.
Adelsperg, opp. Croatiæ, Postoina, Pistoina, AVendone, Adulis.
Aden, urbs Arabiæ, Adenum.
Aden, urbs Arabiæ felicis, Arabia, aliis Madoce, Adedi.
Adena, urbs Ciliciæ, Adana, & Sarus, fluvius.
Ademo, oppidum Siciliæ, Adranum, Hadranum.
Aderborn, oppidum Germaniæ, Aderborna.
Aderbourg, oppidum Germaniæ, Aderburgum.
Adhasta, pagus agri Bergomensis, IuVenatium.
Adhil, oppidum Indiæ citerioris, Adhile.
Adiga, populi Sarmatiæ Asiaticæ, Ziga.
l'Adige, fluvius Venetiæ, Athesis.
Adilbegian, regio, Daretis, & Zagrus, mons Mediæ.
Adima, oppidum Moscoviæ, Adima.
Adingtona, oppidum Angliæ, Adingtona.
Admind, pagus Stiriæ, Montana.
Admirati, fluvius Siciliæ, Eleutherus, Orethus aliis.
Adom, oppidum Hungariæ, Potentiana, Salinum.

Ador. Vide l'Adour.
Adorf, oppidum Germaniæ, Adorfium.
Adorian, oppidum Transylvaniæ, Adorianum.
Adou. Vide l'Adour.
l'Adour, fluvius Aquitaniæ, Aturus & Aturrus.
l'Adour de Beaudean, fluv. Galliæ, in valle Baudeanica, Aturrus Baudeanicus.
l'Adour de la Seube, fluvius Galliæ, in finibus vallis Campaniæ, Aturrus SilVensis.
Adra, oppidum Granatensis regni maritimum, Abdara.
Adramelech, fluvius Palæstinæ, Arnon.
Adri. Vide Atri.
Adrinza, provincia Asiæ, Assyria.
Adrobe, fluvius Tartariæ, Adrobus.
AdZel, oppidum Livoniæ, AdZelia.
Ægospotamos. Vide Egospotamo.
Ægrez, amnis Rauracorum, in agro Basiliensi, Ærgitia.
Ælиopoli. Vide Eliopoli.
Aellen, præfectura agri Bernensis, Salina.
Aelst seu Alost, oppidum Flandriæ, Alostum.
Aera, urbs Mauritaniæ, Quiza.
Argöuu, pagus Helvetiæ ad Arolam, in ditione Bernensi, ArgoVia.
Aeschechen, urbs Cariæ, Acfora, Astropolis, Leucopolis.
Aeth, oppidum Hannoniæ, ubi Essui populi Galliæ.
Afdime, urbs Epiri, Arsinoe.
Afeira, oppidum Portugalliæ, Lancobrica.
Aferat, fluvius Mesopotamiæ, Euphrates.
Africa, pars quarta mundi, Africa.
Africa, urbs Africæ, Aphrodisium.
Africans, populi Africæ, Afri.
Afrique, orbis pars, Africa.
Agades, regnum Africæ in Guinea, Agades.
l'Agadez, regio Galliæ, ager Agathensis.
Agag, regnum Æthiopiæ superioris, Agag.
Agamer, oppidum Hiberniæ, Agamerum.
Agamis, populi Persiæ, Persa.
Agan, insula Asiæ, Agana.
Agaos, populi Æthiopiæ, Agoasi.
port d'Agat, aliàs Port d'Aigas, insula maris Gallici, Portus Aquarum.
Agde, urbs Linguadociæ, Agatha.
Agello. Vide Aсello.
Agen, urbs Aquitaniæ, Agennum, Aginum.
Agenna, oppidum Mauritaniæ Tingitanæ, Acrath.
les Agennois, populi Aquitaniæ, Garites.
l'Agenois, in Aquitania, Pagus Aginnensis.
l'Agerola, pagus agri Ticinensis, Acerra.
Aggerhus, arx Norvegiæ, Aggerhusia.
Aggia, fluvius Sabinorum, Himella.
Aggiul Fellanos, urbs Phrygiæ, Philomelium.
Aghem, oppidum agri Novariensis, Agamium.
Agia paraseVe, suburbium Byzantii, Cubus Canopi.
Agiomana, oppidum Macedoniæ, Torone.
Agion oros, mons Macedoniæ, Athos.
Agios Adrianos, oppidum Peloponnesi, Mycena.
Agios Phocas, locus apud Constantinopolim, Archion.
Agla, oppidum regni Fezzæ in Africa, Agla.
Aglar & Aglon, urbs Carnorum, Aquileia.
Agmundesham, oppidum Angliæ, Agmundeshamum.
Agnetlin, oppidum Transylvaniæ, Agnetlinum.
Agniadello, vicus Ducatus Mediolanensis, Agniadellum.
Agno, fluvius Campaniæ Italicæ, Clanius.
Agnon, fluvius in Tilam se exonerans, Angio.
Agnone, oppidum Aprutii, Aquilonia.
Agnum, oppidum Siciliæ excisum, Morgantium.
Agobel, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, Victoria.
Agola, urbs Æthiopiæ superioris, Agola.
Agonara, urbs Indiæ citerioris, Aganagara.
Agoro, oppidum Venetiæ, Agorum.
Agout, fluvius Galliæ in Occitania, Acutus.
Agra, urbs Asiæ in India, Agra.
Agramont, oppidum Cataloniæ, Agramontium.
Agreda, urbs Americæ meridionalis, Agreda.
Agreda, oppidum Castiliæ veteris, Gracuris.
Agri, fluvius Lucaniæ, Aciris.
Agri, fluvius regni Neapolitani, Agrius.
torre d'Agri, vicus Italiæ, in Lucania, Aciris.
Agria, urbs Hungariæ, Agria.
Agriomela, fluvius Thessaliæ, Sperchius.
Agromento, castrum Lucaniæ, Grumentum.
Agropoli, oppidum regni Neapolitani, Acropolis.
Agu, pagus Delphinatus, Acusio.
Agua de Moura, oppidum & fluv. Portugalliæ, Ceciliana.
AguaVa, oppidum Lusitaniæ, Ceciliana.
Agueda Vel Agada, oppidum & fluv. Portugalliæ, Æminius.

Aguilar del Campo. Vide *Aquilar del Campo.*
Aguilar de Campos, oppidum Hispaniæ, *Agslaria.*
Agulecourt, locus Galliæ, in Remis, ad flu. Supiam, *Acutior Curtis.*
Agulha, insula maris Æthiopici, *Acus.*
Agumont, vicus Galliæ in Picardia, *Acutus mons.*
Ahausen, oppidum Sueciæ, *Ahusa.*
Ahmadal, populi Sarmatiæ Europeæ, *Massageta.*
Ahu, vel *Ahun*, oppidum Galliæ, *Agedunum.*
Ajabire, oppidum Peruviæ, *Ajabira.*
Ajalum & Ajaluas, urbs Cariæ, *Hagia.*
Ajazza, vel *Ajassa*, urbs Ciliciæ, *Issa.*
Ajazzo, & *Ajaccio*, urbs Corsicæ maritima, *Adiacium, Urcinium.*
Aichstadt, urbs Bavariæ, *Ala Narisca, Aureatum.*
Aidinelli, regio Asiæ minoris, *Caria*, aliis *Lycia.*
Aidnay, oppidum Galliæ Aquitanicæ, *Annedonacum.*
Aidos, urbs Asiæ minoris, *Abydus.*
Aiduacal, mons Africæ, *Atlas.*
Aiduni, oppidum Siciliæ, *Aidunum.*
Ajello & Ayello, oppidum Calabriæ citerioris, *Thyella, Tyllesium.*
l'Aigle, oppidum vel castrum Normanniæ, *Ad aquilas.*
Aiglun, locus Galliæ, in Bodiontiis, *Agledunum.*
Aigremont, castrum Galliæ, in Lingonibus, *Acer mons.*
Aigueperse, oppidum Alverniæ, *Aquasparsa.*
Aigues Caldes, locus Gallæciæ, *Aqua calida*, vel *Aqua Quintiana.*
Aigues mortes, oppidum Linguadociæ maritimum, *Fossa Mariana, Aqua mortua.*
Aiguet Vives, locus Galliæ, in diœcesi Nemausensi, *Aqua Viva.*
l'Aiguille seu *Agulha*, insula maris Æthiopici, *Acus.*
Aiguillon, oppidum Aquitaniæ, *Aguillonum.*
Aigurande, locus Galliæ, in Biturigibus Cubis, Prioratu clarus, *Ignorandis.*
Aila, oppidum Arabiæ Petrææ, *Elana, Ælana, Evila.*
Ailesbury, oppidum Angliæ, *Æglesburgus.*
Ailleres, vel *Alleres*, locus Galliæ in Cenomanis, *Alleria.*
Ailly, oppidum Lotharingiæ, cum Monasterio, in agro Verodunensi, *Alliacum.*
Ailzall, insula Scotiæ, *Ailza.*
Aimargues, oppidum Galliæ in diœcesi Nemausensi, *Armasanca.*
Aime, vel *Aisma*, vicus Centronum, *Axima.*
Ainay, monasterium apud Lugdunum Celtarum, ubi *Ara Lugdunensis*, Lat. *Atanacum.*
la place d'Ainay, locus Galliæ, cum monasterio, intra Lugdunum hodie, *Atanacum*, & *Athanacum.* Vide quoque *Aisnay.*
Aindre, insula Galliæ Celticæ, *Antrum.*
Ainsa, urbecula Aragoniæ, *Ainsa.*
Ainzia, regiuncula Scotiæ, *Ainzia.*
Aire, urbs Aquitaniæ, *Aturum.*
Aire, oppidum Artesiæ, *Æria, Heria.*
Aire, oppidum Provinciæ, *Æria, Heria.*
Aire, vicus Galliæ montanus, *Arisicum.*
Aires, oppidum Galliæ in prov. Novempopulana, *Civitas Aturensium, Atura, Vicus Julii.*
Airu, fluvius Scotiæ, *Airus.*
Airy, vicus Burgund. *Airiacum.*
Aisnay, pagus & Abbatia juxta Lugdunum, *Athanacum.*
l'Aisnay Brulé, locus Galliæ, in Meldis, *Alnetum Combustum.*
Aisne, vel *Esnes*, fluvius Galliæ Belgicæ, *Axona.*
Aiso, oppidum Guipuscoæ dirutum, *Oeaso.*
Aittioles, vicus Galliæ in agro Parisino, *Attejola.*
Aix, urbs Provinciæ, *Aqua Sextia.*
Aix la Chapelle, urbs Germaniæ, *Aquisgranum*, vel *Aqua Grani.*
Aix en Otte, castellum Galliæ in Utta sylva, *Aqua.*
Aizu, provincia Japoniæ, *Aizua.*
Akadin, urbs Palæstinæ, *Ptolemais.*
Aken, urbs Germaniæ, *Aqua Grani, Aquisgranum.*
Akeniancester, locus Angliæ, *Bathonia.*
Akerhuys, urbs Norvegiæ, *Acherhusia.*
Akerman, urbs Moldaviæ, *Alba.*
Akersondt, insula Norvegiæ, *Achersunda.*
Akill, insula Hiberniæ, *Achilia.*
Akia, fluvius Asiæ in Georgia, *Acza.*
Al. fluvius Prussiæ, *Guttalus.*
Aladuli, regio Asiæ, *Armenia minor.*
Alagon, oppidum Aragoniæ, *Alavona, Allabona.*
Alagon, fluvius Hispaniæ, *Alagonius.*
Alais, urbs Galliæ in Occitania, *Alesia.*
Alambra, oppidum Castellæ novæ, *Laminium.*
Alamion, fluvius Galliæ, in Elaverem effluens, *Alanio.*
Alamon, oppidum Galliæ cum monasterio in diœcesi Vapincensi, *Alamo.*
Alan, fluvius Angliæ, *Alanus.*
Aland, insula maris Baltici, *Alandia.*
Alandriana, oppidum Epiri, *Maandria.*
Alendt, insula Finlandiæ, *Oona.*
Alano, urbs Aprutii excisa, *Avia.*
Alanquer, oppidum Lusitaniæ, *Alanquera.*
Alanquera, oppidum Portugalliæ, *Jerobrica.*
Alar, fluvius Persidis, *Alarus.*
Alarch, vicus, & *Chaldaici lacus*, lacus Chaldææ, *Aphle.*
Alarcon, oppidum Castellæ novæ, *Ilarco.*
Alarcos, oppidum Castellæ novæ, *Lacuris* seu *Ilarcuris.*
Alaro, fluvius Calabriæ, *Sagra.*
Alascehar, oppidum Pamphyliæ, *Hypsela.*
Alaschehyr, urbs Phrygiæ magnæ, *Hypsus.*
Alatri, urbs Latii, *Alatrium, Aletrium.*
Alava, regiuncula Hispaniæ in Biscaja, *Alava.*
Alava, oppidum Hispan. Tarraconensis, *Alaba.*
Alb, locus Ducatus Wirtenbergensis, *Alba.*
Alb, vel *Albs*, oppidulum Galliæ, in diœcesi Vivariensi, *Alba.*
Alb, Vide *Alben.*
Alba, urbs Latii excisa, *Alba Longa.*
Alba, urbs Liguriæ, *Alba Pompeja.*
Alba Giulia, urbs Transylvaniæ, *Apulum, Alba Julia.*
Alba Graca, urbs Serviæ, *Taurunum.*
Albagra, insula Africæ, *Cerne.*
Albana, sylva Latii, *Albunea.*
Albanesi, populi Dalmatiæ, *Pirusta.*
Albania pars Macedoniæ, regio Græciæ, ubi *Albani* populi.
Albanie, *Albania* seu *Epirus.*
Albano, villa Latii, *Albanum.*
Albanopols, urbs Macedoniæ, *Albanopolis.*
Albaracin, urbs Aragoniæ, *Lobetum*, aliis *Turia.*
Albasequia, urbs Sarmatiæ Asianæ, *Ampsalis.*
Albayn, Britanniæ pars, *Britannia secunda, Albania, Scotia.*
Albe Royale vel *Stulweissembourg*, urbs Hungariæ, *Alba Regalis.*
Albegna, fluvius Tusciæ, *Almiana.*
Albegna, fluvius Thusciæ, *Albania.*
Alben, mons & oppidum Carniolæ, *Albanus, Albium, Albius.*
Alben, montes Italiæ, *Alpes.*
Alben, fluvius Japodum, *Alpis.*
Alben Villacher. Vide *Villacher Alben.*
Albenga, urbs Genuensis ditionis, *Albingaunum.*
Alberstorf, oppidum Lotharingiæ, *Alberstorphia.*
Albertou, oppidum regni Barcæ, *Paratonium* & *Albertonium.*
Albbon. Vide *Alhalib.*
Albi, oppidum Aprutii, *Alba Marsorum.*
Albic, oppidum Aquitaniæ, ubi *Albici* populi.
Albicia vel *Albuza*, pagus Insubriæ, *Montunates.*
Albigeois, provincia Galliæ, *Albingensis, & Heleutheri* populi.
les Albigeois, pop. Galliæ, *Albigenses*, vel *Albienses.*
Albila, insula Æthiopiæ, *Meroe.*
Albistaverate, urbs Ciliciæ, *Olbasa.*
Alblas, vicus Belgii, *Tabula.*
Albon, castellum Galliæ in Delphinatu, *Albo.*
Albona, oppidum Histriæ, *Alvum* & *Alvona.*
Albona fluvius Ducatus Mediolanensis, *Albunea.*
Albor, oppidum Algarbiæ, *Portus Hannibalis.*
Albora, oppidum Mauritaniæ. *Jol.*
Alboran, insula inter Africam & Hispaniam, *Erroris insula.*
Alborg, urbs Daniæ, *Alburgum.*
Alborno, mons Lucaniæ, *Alburnus.*
l'Albret, vel *l'Abrit*, vicus Galliæ, in arenis Burdigalensibus, *Leporetum.*
Albs. fluvius Umbriæ, *Isapis, Sapis.*
Albsor, mons Asiæ. *Caucasus.*
Albufeira, oppidulum Lusitaniæ, *Balsa.*
Albufera, palus regni Valentiæ, *Amœnum stagnum.*
Albuna, fons Latii, *Albuneus.*
Albuquerque, oppidum Hispaniæ, *Albuquercum.*
Albusama, insula Africæ, *Erroris insula.*
Alby, urbs Linguadociæ, ubi olim *Helvii* populi, *Albiga*, *Alba Helviorum, Albia.*
Alca, insula maris Caspii, *Talca.*
Alcairo, urbs Ægypti, *Babylon, Memphis.*
Alcala de Henares, urbs Castiliæ, *Complutum.*
Alcala de Guadaria, oppidum Hispaniæ, *Hienipa.*
Alcala Horra, oppidum Granatensis regni, *Arcilacis.*
Alcala Real, oppidum Hispaniæ, *Alcala Regalis.*
Alcala del Rio, oppidum Andaluziæ, *Italica.*
Alcamo, oppidum Siciliæ, *Alcamus.*
Alcanitz, oppidum Aragoniæ, *Alcanitium.*
Alcaniz, oppidum Aragoniæ, *Ergavica.*
Alcanizes, oppidum Hispaniæ, *Alcanisium.*
Alcantara, fluvius Siciliæ, *Acesines, Asines.*
Alcantara, urbs Extremaduræ, *Norba Cæsarea*, *Pons Trajani, Turobrica.*
Alcaraz, urbs Castellæ novæ, *Orgia, Tugia.*
Alcaraz, oppidum Hispaniæ, *Alcaratium.*
Alcasar d'Osal. Vide *Alcazar.*
Alcasor, oppidum Lusitaniæ, *Arcobriga.*

Alcaudete, oppidum Hispaniæ, *Alcadeta*.
Alcazar d'Osal, oppidum Portugalliæ, *Salacia*.
Alcet, Vide *Alzere*.
Alchabor, Vide *Chabor*.
Alchabyr, urbs Ægypti, *Babylon*.
Alchasir, urbs Ægypti, *Berenice*.
Alchosan, Arabiæ felicis, *Sarapidis insula*.
Alchria, oppidum Macedoniæ, *Doliche, Achris, Lychnidus*.
Alcia. Vide *Albicia*.
Alcipo, oppidum Epiri, *Halyzsa*.
Alcmaer, urbs Holandiæ, *Alcmaria*.
Alcobaca, monasterium Portugalliæ, *Alcobasa*.
Alcocerdosal. Vide *Alcazar*.
Alcocer do Sal, oppidulum Portugalliæ, *Alcocerum Salinarum*.
Alcol, urbs Mauritaniæ. Dicitur etiam Col & Collo, *Cullu & Collops magnus*.
Alcolea, oppidum Andalusiæ, *Flavium Arvense*.
Alcorrucen, oppidum Andaluziæ, *Saetli*.
Alcudia, oppidum Mauritaniæ Tingitanæ, *Abyla, Alyba*.
Alcudia, oppidum Africæ, *Automala*.
Alcudia, oppidum Gallæciæ, ubi olim Celtici populi.
Alcudia, oppidum Majoricæ insulæ, *Pollentia*.
Alcudia, oppidum Majoricæ, *Alcudia*.
Aldburg vel Aldborrow, oppidum Angliæ, *Isurium*.
Aldea el muro, pagus Castellæ veteris, *Augustobriga*.
Aldea el rio, oppidum Andaluziæ, *Ilsurgis*.
Aldeberg, urbecula Saxoniæ, *Aldeberga*.
Aldego, fluvius Venetiæ, *Aldegus*.
Aldemburch, oppid. Flandriæ, *Aldemburgum*.
Aldenburg, urbs Holsatiæ, *Vrbs Vetus*, *Braunesia*.
Alderney, insula maris Britannici, *Ebodia*.
Aldinelli. Vide *Aidinelli*.
Aldradina regio, populorum Græciæ, *Dryopum*.
Ale, fluv. Galliæ, *Alea*.
l'Alea, urbs Æolidis maritima, *Elaa*.
Alemagna, regio Europæ, *Alemannia*, *Germania*.
Alemani, populi Germaniæ, *Alemanni*, *Germani*.
Alençon, vel *Alentio*, oppidum Normanniæ, *Alenconium*.
Alengon, vel *Langon*, locus Galliæ. *Alingo*.
Aleppo, urbs Syriæ. *Chalybon*. Aliis *Berrhæa*, & *Hierapolis*.
Aleria, urbs Corsicæ Insulæ excisa. *Aleria*.
Aleria, fluvius Corsicæ, *Rhotanus*, *Rotanus*.
Alesatia, Vide *Alsatia*.
Alessandretta, urbs Syriæ, *Alexandria*.
Alessandretta, oppidum Cypri, *Arsinoe*.
Alessandria di Egitto, urbs Ægypti, *Alexandria*.
Alessandria della Paglia, urbs Liguriæ, *Alexandria Statiellorum*.
Alessano, urbs terræ Hydruntinæ, *Alexanum*.
Alessio, urbs Macedoniæ maritima, *Lissus*.
Alesso, fluvius Calabriæ, *Alex*.
Alesterosors, urbs Macedoniæ, *Alectryopolis*.
Ales, urbs Lingnadociæ, *Alecta*, & *Electa*.
Alexandrie, urbs Ægypti, *Alexandria*.
Alexandrie, urbs Poloniæ, *Alexandria*.
Alexandrow, oppidum Poloniæ, *Alexandrovium*.
Alfaques vel Alfaus, urbs Mauritaniæ maritima, *Russa*.
Alfaqui, nomen Sacerdotum Turcicorum.
Alfen, vicus Barbantiæ, in diœc. Andoverpensi, *Alfhemum*.
Alfen, vide *Alphen*.
Alfeldt, oppidum Germaniæ, *Alfelda*.
Alfidena, oppidum Aprutii, *Aufidena*.
Alford, oppidum Angliæ, *Alfordia*.
Alfrangues, populi Europæ, *Europai*.
Alfreton, oppidum Angliæ, *Alfertonium*.
Algarria, provincia Castellæ, *Algarria*.
Algarve, regio Hispaniæ, ubi Turdetani populi, *Algarbia*.
Alger, urbs Mauritaniæ Cæsariensis, *Iol*, *Iulia Cæsarea*. melius Rusucurum aliis.
Alger, urbs Mauritaniæ, *Rusucurum*, *Algerium*.
Algezira, urbs Andaluziæ, *Carthesa*, vel *Carteia*.
Algher & Alghier, urbs Sardiniæ maritima, *Algarium*, *Tarras*. *Corax* aliis.
Algonquins, populi novæ Franciæ, *Algonquii*.
Algow, tractus Sueviæ, ubi Caluicones, Suanetes, populi, *Algea* & *Algovia*, Item *Almangovia* aliis.
Algona, oppidum Istriæ, *Alvum*, *Alvona*.
Alhabas, provincia Africæ, *Aethiopia*.
Alhabib, insula Æthiopiæ, *Meroe*.
Alhama, urbs regni Granatensis, *Artigi*.
Al Hilet, desertum Arabiæ, *Sin*.
Alibaluch, insula maris Caspii, *Alibaluchia*.
Alicante, Valentiæ regni urbs, *Alone*. *Illici* aliis.
Alicata, urbs Siciliæ, *Gela*.
Alicudie, insula Siciliæ, *Phœnicusa*.
Alicur, insula Siciliæ, *Ericusa*.
Aliduli, regio Mesopotamiæ, *Anthemusia*.
Alier, Vide *Allier*.
le bec d'Alier, locus ad Elaveris & Ligeris confluentes, in Gallia, *Rostrum Elaveris*.
Alihermont, locus Galliæ, in Caletis, *Alacris Mons*.
Aliola, insula maris Æthiopici, *Aliadora*.
Alise, Mandubiorum urbs Burgundiæ excisa, *Alesia*, *Alexia*.
Aljubarote, vicus Portugalliæ, *Aljubarota*.
Alix, nomen mulieris, *Adelais*, vel *Adelheida*.
Alize, Vide *Alise*.
Alkebulan, quarta pars orbis, *Africa*.
Alla, oppidum tractus Tridentini, *Alla*.
Alla, fluvius Poloniæ, *Alla*.
Allatur, urbs Moscoviæ, *Allatura*.
Allaway, oppidum Angliæ, *Alauna*.
Allemagne, regio Europæ, *Germania*.
Allendorf, urbecula Germaniæ, *Allendorfia*.
Allerburg, oppidum Prussiæ, *Allerburgum*.
Allerton, oppidum Angliæ, *Cataractonum* vel *Caturractonium*.
Allex, vel *Alais*, oppidum Galliæ, in diœc. Nemausensi, *Alestum*.
Alli, locus Belgii, ad Saram fluv. *Alliacum*.
Allier, fluvius Borbonii, *Elaver*.
Allvie, vicus Galliæ, in Carnutibus, *Avallocium*, seu *Alogia*.
Almacaron, oppidum Hispaniæ, *Almacara*.
Almada, oppidum Lusitaniæ, *Cetobrix*, *Cetobrica*.
Almadag, mons Galatiæ, *Stella*.
Almagro, oppidum Hispaniæ, *Almagrum*.
Almaguer, oppidum Americæ meridionalis, *Almagrum*.
Almaz, oppidum Hungariæ, *Alisca*, *Anamascia*, *Amantia*.
Almazan, oppidum Hispaniæ, *Almazanum*.
Alme, amnis Germaniæ, *Aliso*.
Almeda, oppidulum Hispaniæ, *Asena*.
Almenara, (vel *Byrsa* arx) urbs Africæ, *Carthago*.
Almendralejo, oppidum Hispaniæ, *Almendralegium*.
Almenesches, locus Galliæ, ad Olinam fluv. *Almanisca*.
Almeria & Villa Rica, oppidum novæ Hispaniæ, *Almeria*.
Almeria, urbs regni Granatensis, *Portus magnus*.
Almerin, oppidulum Portugalliæ, *Almerinum*.
Almidis & Almydis, oppidum Thraciæ, *Almedessus*, *Halmydissus*.
Almina, mons Mauritaniæ Tingitanæ, *Abyla*.
Almiro, Vide *Armiro*.
Almissa, oppidum Dalmatiæ. *Delminium*. Aliis *Peguntium*.
Almista, mons Chii insulæ, *Arvisium*.
Almonacid, urbs Castellæ, *Reccopolis nova*.
Almondbury, oppidum Angliæ, *Camulodunum*.
Almouchiquois, populi novæ Franciæ, *Almochiqui*.
Almourol, oppidum Portugalliæ, *Moro*.
Almstad, oppidum Sueciæ, *Almostadium*.
Almudenar, oppidum Aragoniæ, *Burtina*.
Almudevar, oppidum Aragoniæ, *Burtina*.
Almunna, oppidum Aragoniæ, *Nertobriga*.
Almunnecar, populi & oppidum Granatensis regni, *Exitani*, *Hexi*, *Sex*.
Alne, fluvius Angliæ, *Alaunus*, *Halanus*.
Alne, pagus Hannoniæ, *Alna*.
Alnewick, oppidum Angliæ, *Alnevicum*.
Aload, fluvius Ægypti, *Nilus*.
Alomaton, locus Bospori Thracii, *Sosthenium*, *Michaelium*.
Alora, pagus Catalauniæ, *Illuro*.
Alost seu Aelst, oppidum Flandriæ, *Alostum*.
Alota, oppidum Corsicæ, *Aluca*.
Alpalhano, oppidum Portugalliæ, *Fraxinum*.
Alpen & Vlpen, oppidum Clivensis Ducatus, *Tricesima legio*, *Vlpia legio* xxx. *Castra Vlpia*.
Alpenach, vicus in Helvetiis, *Alponacum*.
Alphen, pagus Hollandiæ, *Albiniana* vel *Albaniana* castra.
l'Alpi, montes Italiæ, *Alpes*.
Alpi di S. Pelegrino, mons Italiæ, *Letus*.
Alpon vecchio, fluvius agri Veronensis, *Alpinus*.
les Alpujares, montes Hispaniæ, *Alpuxara*.
